Em.
Lit. F. 59.

Contra Psalm: 39. v. 5. objici

quaecunque notitia soli Deo competit, illam à Deo
petere nullus Xstianorum fit. Atqui nosse terminum vitae
humanae terminum soli Deo competit. E. et per
conseq: David peccavit, dum Psalm: 39: id fecit.
Min: probo ex dicto Augustin: Latet nos ultimus dies ut
observentur oes dies; quod oio tm apud hoies valet, Deus
enim omniscius. Rx: ad maj: Limit. quaecunque etc.
cam neme fas à Deo petere si fiat ex temeritate ~~fuerit~~ m
~~h.t.~~ et curiositate vitiosa, jam v. minor oio negatur,
h: m: siquidem illud David fecit, Dei ubi admoneretur
per Sp. S. ne unquam seponat cogit: de vitae brevit:
et salutar: de eo ... meditationes

O æternitas! quàm raró versaris in menti-
bg hoium? Iterũ dico: quàm raró versaris in
mentibg hoium, æternitas? O æternitas! heu
æternitas! quid dicam? aut quomodo dicam?
quis exprimat? quis capiat, quid sit æterni-
tas. Cogito mille annos, cogito millies mille
annos, cogito tot annorũ millia, quot sunt mo-
menta in toto tpre, à condito mundo usq; ad
ejus consumationem, et de æternitate adhuc ni-
hil habeo. F. f. exercit: Xstianismi p. 84. 85.
Quis poterit parcere æternitati in tormentis!
æternitas! heu æternitas!
Volo dicere et nescio dicere. [quamdiu Deg erit Deus,
tamdiu durabunt tormenta.] [quamdiu hoc erit?]
Æternitas! æternitas! æternitas! [None essari non
e capere, non e invenire istud, quamdiu sit: æternitas,
heu æternitas! æternitas.] O Deus hic ure, hic seca
modo in æternũ parcas. S. Ad. in gl. empl. Temps: varit:

MUNDUS SYMBOLICUS
D. PHILIPPI PICINELLI.

COLONIÆ AGRIPPINÆ APUD HERMANNUM DEMEN ANNO M. DC. LXXXVII.

MUNDUS SYMBOLICUS,

IN EMBLEMATUM UNIVERSITATE FORMATUS, EXPLICATUS, ET TAM SACRIS,

quàm profanis Eruditionibus ac Sententiis illustratus:

Subministrans

ORATORIBUS, PRÆDICATORIBUS, ACADEMICIS, POETIS &c. INNUMERA CONCEPTUUM ARGUMENTA:

Idiomate Italico conscriptus

à REVERENDISSIMO DOMINO,

D. PHILIPPO PICINELLO

MEDIOLANENSI, CANONICO REGULARI LAteranen. Abbate, Theologo, Lectore, Prædicatore privilegiato;

Nunc verò

Justo Volumine auctus & in latinum traductus

à R. D. AUGUSTINO ERATH,

IMPERIALIS COLLEGII AD B. V. IN WETTENHAUSEN,

Ord. S. Augustini Canonico Regulari, SS. Theologiæ Doctore ac Professore, Protonotario Apostolico ac Sub-Decano,

TOMUS PRIMUS;

Cum quadruplici copiosissimo Indice, Lemmatum, Applicationum, Rerum notabilium, & locorum S. Scripturæ.

Nunc primum in Germania prodit.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus HERMANNI DEMEN, Anno M.DC.LXXXVII.

SERENISSIMÆ AC POTENTISSIMÆ DOMINÆ, DOMINÆ

ELEONORÆ MARIÆ,

REGINÆ POLONIÆ, DUCISSÆ LOTHARINGIÆ, ET ARCHIDUCISSÆ AUSTRIÆ, &c.

Vitam & Felicitatem.

SERENISSIMA REGINA; DOMINA, DOMINA CLEMENTISSIMA.

MUndum novus Atlas fero, non quidem Archetypum illum, in creatis duntaxat sustinendum humeris; sed hanc, quam incolimus, coagmentatam è cælo terrâque compagem, quæ Taleti Milesio (a) *Res est pulcherrima*; & Platoni, (b) *opus præstantissimum*, quia artifici Numinis supremi manu elaboratū. Hunc fero Mundum, quo totius universi Architectus DEUS non modò corporis mortales oculos, verùm immortales animi oblectare, atque erudire ad sapientiam voluit; imagine rerum Divinarum adeò perspicuâ, ut Apostolus (c) inexcusabiles pronuntiet populos, qui Dei invisibilia in creaturis non agnoscunt. Has in Mundo hoc meo Symbolicas animorum imagines prosequor, quæ Dei nobis potentiam sapientiamque, quæ mentis nostræ dignitatem ac pulchritudinem; quæ virtutis decus excellentiamque, tanquam (d) *per speculum in ænigmate*, exhibent. Quid enim fornix ille cœli, spatiosè supra nos expansus, & innumera per totam æthēream sphæram sparsa sidera; quid pavimentum hoc nostris substratum pedibus, & cum circumfluis aquis

(a) *Tal. Mil. apud Diog. Laert.* (b) *Plat. apud Plut. opusc. de an. creat.* (c) *Rom. 1. 20.* (d) *1. Cor. 13.*

pari libratum pondere; quid protuberantes è terrâ plantæ, animalia, & amplissima omnium artefactorum supellex, nisi involucra, quæ, si studiosè evolvantur, mentis nostræ aciem ad ipsum Mundi opificem DEUM unicè dirigunt? (a) *Si enim ad quid facta sint, mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata*; inquit non sine melle Clarevallensis Apis.

Ut ergò gratiam existimationemque recens nato huic Mundo Symbolico conciliarem, illud mihi faciendum existimavi, quod in formando materiali Mundo præivit sapientissimus DEUS, quando hunc, informi involutum chao, serenissimâ distinxit, illustravitque luce. Ad te igitur, Serenissima Regina, Tuosque pedes, hunc meum submitto rudem, obscurumque Mundum, ut mutuato tantæ Majestatis radio illucescere, ac prudentum conspectui objectari queat. Vererer equidem sacratissimis Tuis pedibus molem adeò incultam advolvere, nisi Regiæ Majestatis Tuæ lucem ultrò per orbem liberalissimè diffundi, & tam virtutis ac sapientiæ, quàm humanitatis ac demissionis prorsus singularis splendore passim inclarescere conspicerem. Nec poterit non in omnium oculis fulgere Mundus, cui tantus affulget Sol, seu, ut apertius dicam, quem
---- *Magnum Reginæ nomen obumbrat.* (b)

Novit expertaque est suavissimam virtutum Tuarum lucem universa Austria, quam ex Augustissimis Imperatoribus ita sortita es Natalem, ut animum adeò illustrem, & jam ab ipsis incunabulis Regum, nulla alia, nisi Cæsarea, eniti valuisset Parens. Novit, suaque experientiâ compro-

(a) *S. Bernard. Hom. 2. super missus est.* (b) *Virgil. lib. 11. Æneid. v. 223.*

comprobavit Tuum illum ſplendorem vaſtisſima Polonia, quæ ſicuti virtutibus Tuis, jam antea Regiis, impoſuit coronidem; ita gratisſima luminis reverberati viciſſitudine non minora à Te accepit, quàm dedit radiorum incrementa. Novit virtutum Tuarum cumulum tota hæc noſtra Suevia, vel ex eo capite Sereniſſima, quod Tuâ illam bearis Regiâ ac Serenisſimâ præſentiâ. Ita enim in illa verſabaris, ut omnes in Te ſingularem prudentiæ ac humanitatis lucem non ſuſpexerint modò, reveritique ſint, verùm etiam profuse amaverint. Novit, iiſque hodie etiamnum illuſtratur felicisſima Tyrolis, ubi inter montes fosſiles Tua cum auro ſuccreſcit virtus, totumque locupletat Orbem. Novit denique, & vel nictante aſpexit oculo immenſum illum Tuum Majeſtatis, modeſtiæque Regiæ fulgorem Collegium noſtrum Wettenhuſanum, ad quod altera inviſebas vice; Solem more Tuo imitata, qui ſua luce poſtremas etiam dignatur, illuſtratque domos.

Utra verò Tuarum virtutum, ſcientia an pietas, præ altera promereatur palmam, ſolus olim dijudicabit Agonotheta DEUS. Ea quippe in Te lucet, ſcientiarum & artium liberalium ſpecies, ut, præter diſciplinas Rhetoricas, etiam Philoſophicis ſis imbuta; corde non minus inſtructisſimo, quàm rerum omnium capaci. Et verò ſi de Ennio, *(a)* Poetarum Romanorum Patre, referant Hiſtoriæ, tribus ipſum cordibus fuiſſe præditum, quòd loqueretur Latinè, Græcè, & Oſcè: quanto majore laude dixero Regiæ Tuæ Majeſtati ſex eſſe corda, cùm totidem inſtructa ſis idiomatis; videlicet Latino, Germano, Polonico, Hiſpanico, Italo, & Gallico: exemplo in Regia Principe non minus raro, quàm obſtupeſcendo.

Quid dicam de Pietate & Religionis avitæ cultu, quem

in Re-

(a) *Gellius lib. 17. c. 17.*

in Regia Tua Majestate coguntur amare Orthodoxi, non possunt odisse hostes? Equidem volupe mihi esset sacra enumerare anathemata, quæ Tuis confecta manibus, passim ad Deiparæ Virginis, & Divorum Cœlitum aras non minore ornatu, quàm religiosi animi ardore suspendisti. At si vellem percensere singula, & Tua mihi obnuntiaret congenita modestia, & calamus sub tanto pondere fatisceret. Unam illam tam arte, quàm pretio insignem togam commemoro, quam Regiæ manûs Tuæ acu elaboratam, ad Imperialis Collegii nostri Basilicam ipsamet detulisti, eâque Thaumaturgam nostram Virginis Deiparæ Statuam exornasti; munificentiâ non minus Regiâ, quàm æterno antiquissimæ Ecclesiæ nostræ ornamento. Hunc tamen pretiosæ vestis decorem multis intervallis antecelluit insignis illa pietas, quâ ante Numinis Eucharistici, & Deiparæ nostræ Aram, cum Serenissimo Conjuge, sæpius integris flectebas horis, tanto populi longè latéque confluentis exemplo, ut è supplice manu, ac reliqua totius corporis Tui compositione, veluti è nube, promicarent copiosi sacrorum affectuum radii, qui & Regiæ Majestatis Tuæ internum ardorem prodiderunt, & præsentium pectora in eosdem rapuere singultus. Tametsi quippe ignotum nemini sit, quòd, (a) *ubicunque fuerit* SS. Eucharistiæ, aut Mariæ Virginis *Corpus, illic congregabuntur* & Augustissimæ Domûs Austriacæ *Aquilæ;* dignum tamen erat admiratione, potentissimam Poloniæ Reginam, Archiducissam Austriæ, & Ducissam Lotharingiæ, intueri tanto prostratam ardore, & unicè in Deo ac Virgine Matre defixam. Præluserat nimirum Serenissimæ Majestati Tuæ, ac veluti prognostici loco erat Serenissima Renata, Lotharingiæ Ducissa, quando symboli sui loco duas

sub

(a) *Matt. 24. 8.*

sub Ducali pileo, frondes laureas depinxit, quæ in sertum coëuntes, hanc præferebant legendam epigraphen, (a) *Cor unum & anima una.* Una etenim Tibi cum Serenissimo Conjuge est anima, & cor unum in Deo, sub cujus patrocinio inter fortunæ tam adversæ, quàm blandientis vicissitudines semper persistis immota. Unde fit, quòd in vota Tua nunquam non pronissimos habeas Superos; uti sanè felicem ac facilem Serenissimi Principis, Leopoldi Josephi, dulcissimæ Prolis Tuæ, partum cumprimis post Deum refers in prodigiosam Deiparæ Wettenhusanæ Statuam, quæ sicuti primam dedit lucem, ita & annos creditur suppeditatura, quibus in optimas & supremas spes adolescat tantus in tantillo etiamnum corpore Princeps.

Hoc sapientiæ & pietatis in Regiâ Tuâ Majestate connubium efficit, ut fucatum proferas nihil, nihil à prudentiæ legibus alienum. Unde summa reposuimus æstimatione, quòd Basilicam nostram recens extructam, aliosque Reverendissimi & Perillustris Domini Prælati mei conatus tantoperè probare, eumque non tantùm secundi Fundatoris titulo insignire, sed aliis etiam laudibus, & plurimorum annorum apprecatione condecorare sis clementissimè dignata. Hæc sanè unica piissimæ ac sapientissimæ Majestatis Tuæ censura omnem oblitterat æmulorum fuliginem, quæ, veluti umbra Solem, nulla non insequitur Virorum Illustrissimorum opera.

Hos verò ergà antiquissimum Collegium nostrum, & hodie cumprimis ergà Reverendissimum & Perillustrem D. Prælatum meum clementissimos affectus Regia Tua Majestas ab Augustissimis Imperatoribus Austriacis accepit hæreditarios, qui sicuti nunquàm non in exornando Imperiali Collegio nostro laborârunt, ita Augustissimus

& In-

a) *Act.* 4. 31.

& Invictissimus Imperator LEOPOLDUS I. post jura gladii non ita pridem concessa, eundem Reverendissimum ac Perillustrem D. Prælatum meum nuperrimè inter perpetuos Sacellanos ac Consiliarios suos Cæsareos motu proprio clementissimè cooptavit. Ergò sicuti reliqua Wettenhusana omnia, ita & hic Mundus meus Symbolicus ad Serenissimæ Majestatis Tuæ pedes humilimè advolvitur, securè spectandus in luce, si à Serenissimis oculis clementissimum acceperit radium. In tantarum gratiarum vicem Superos obsecrabimus, ut Serenissimam Majestatem Tuam ad Augustissimæ Domûs Austriacæ decorem, & Reipublicæ Christianæ incrementum quàm diutissimè servet incolumem. Ita voveo, precorque ad B[mam.] Virginem Wettenhusanam Die 1. Maji. Anno à pariente Virgine 1680.

Serenissimæ ac Regiæ Majestatis Tuæ

Humillimus in Christo servus

AUGUSTINUS ERATH
Can. Reg.

PRIVI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

LEOPOLDUS Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ Carinthiæ, Carniolæ, & Wirttembergæ, Comes Tirolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium, quod cum nobis noster & Imperii sacri fidelis, Dilectus HERMANNUS DEMEN Civis & bibliopola Coloniensis humiliter exposuerit se Philippi Picinelli Mumdum Symbolicum ab Augustino Erath auctum suis sumptibus prælo, in bonum publicum committere constituisse, vereri autem, ne (quod fieri soleat) alii etiam Bibliopolæ & Typographi, quæstus causa, idem opus suum fraudulenter, aut magno dispendio suo imitentur, prælo committant, distrahant atque venundent, ideoque Nos supplex orarit, ut dictum opus suum privilegio nostro Cæsareo contra omnes ejusmodi fraudes præmunire clementer dignaremur, Nosque submissæ pariter & æquæ huic petitioni annuendum censuerimus, idcirco omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis aliisque quibuscunque librariam negociationem exercentibus, firmiter inhibemus, & vetamus, ne quis prædictum Philippi Picinelli Mundum Symbolicum per decem annorum spatium, à prima editionis die computandum in sacro Romano Imperio Regnorumque & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum finibus, simili aut alio typo vel forma aut sub quovis vel additionis, correctionis aliove prætextu, sive in toto, sive in parte recudere, vel alio recudendum dare, alibi impressum apportare, vendere vel distrahere, clam vel palam, citra voluntatem & absque ipsius HERMANNI DEMEN ejusque hæredum & successorum expresso & in scriptis obtento consensu & licentia præsumat. Si quis vero secus faciendo privilegium, & interdictum hoc Nostrum Cæsareum violare aut transgredi ausus fuerit, cùm non modò ejusmodi libris perperam quippe recusis & adductis, si quos quidem prædictus DEMEN ejusque hæredes ubicunque depræhensos sive propria authoritate, nomine Magistratus auxilio sibi vendicare poterunt, de facto privandum, sed & poena insuper quinque marcarum auri puri Fisco Nostro Cæsareo, & fraudis vindici ex æquo pendendæ omni spe veniæ sublata decernimus mulctandum; Dummodo tamen prædictus Liber bonis moribus sacrisque Imperii constitutionibus contrarii quippiam non contineat, hujusque privilegii nostri Cæsarei tenor, pro publica notitia atque tutela in fronte expressus exhibeatur, & dictus DEMEN sæpe dicti Operis quaterna Exemplaria ad Cancellariam Nostram Imperialem Aulicam transmittat. Mandamus proinde universis ac singulis nostris & sacri Imperii Regnorumque & Provinciarum nostrarum hæreditariarum subditis, cujuscunque status, gradus, Ordinis aut dignitatis existant, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti vel proprio, Superiorum suorum nomine & loco juris & justitiæ administrationem exercent, ne quenquam privilegium hoc nostrum Cæsareum temerè & impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos compererint, præscriptâ poenâ plecti, aliisque modis idoneis coerceri curent: Quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint: Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum.

Quæ dabantur in civitate Nostra Viennæ die decima Mensis Novembris Anno Domini Millesimo sexcentesimo octuagesimo primo, Regnorum nostrorum Romani vigesimo quarto, Hungarici vigesimo septimo, Bohemici vero vigesimo sexto.

Leopoldus.

Leopoldus Guillielmus,
Comes in Konigseg.

(L.S.)

*Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ
Majestatis proprium.*

Christophorus Beuer. m.pp.

Desiit hoc prælum 25. Augusti 1686.

D. JO.

D. JO. FRANCISCUS BLAVIUS,

Abbas Generalis Congregationis Lateranensis.

Dilecto nobis in Christo Patri, D. PHILIPPO PICINELLO *Mediolan. Canonico nostro Professo; Theologo, Verbi Dei Concionatori, & Abbati Privilegiato Sal.*

CVm nobis opus, quod inscribitur, *Mundo Symbolico Ampliato*, à Te compositum, oblatum fuerit, nosque idem opus aliquibus ex nostris Canonicis discutiendum tradiderimus; iisdem referentibus acceperimus integrum existere, nihilq; in eo Orthodoxæ fidei dissonum, nilve bonis moribus incongruum reperiri, imò publicæ utilitati satis adaptatum: propterea pro eo, quo fungimur, munere, liberam tibi facultatem illud typis mandandi (servatis tamen de jure servandis) concedimus, & impartimur. In quorum fidem. Dat. Papiæ die 25. Mensis Januarii 1668.

D. Jo. Franciscus Blavius Abbas Gen. Cong. Lat.

D. Aloysius Figinus à Sec.

NOS DIONYSIUS

Dei Gratiâ S. R. I. Prælatus, Canonicorum sub Regulâ S. Augustini ad Beatissimam Virginem in Wettenhausen Antistes, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius & Sacellanus perpetuus: Sacrosanctæ Theologiæ & Sacrorum Canonum Doctor ac Professor: Ordinis per Diœcesin Augustanam Visitator.

DIlectissimo nobis in Christo Jesu, Domino AUGVSTINO ERATH, antiquissimæ Ecclesiæ nostræ Canonico Regulari, Presbytero, Sub-Decano, nec non Sacræ Theologiæ Doctori ac Professori, & Protonotario Apostolico; facultatem hisce concedimus, ut Librum, cui nomen *Mundus Symbolicus*, à Reverendissimo & Perillustri D. Philippo Picinello Congregationis Lateranensis, ac Sacri & Apostolici Ordinis nostri Canonici Theologo, Sacri Verbi Concionatore & Abbate emerito, trinâ jam vice sermone Italo emissum, nunc ab eodem præfato Canonico nostro ingeniosè latinitati redditum, & integro Tomo, non sine magno labore, auctum, ad utilitatem, uti confidimus, plurimorum, libros præsertim litterasque amantium, publicæ facere lucis, servatis tamen de jure servandis, typisque vulgare omninò possit & valeat. In quorum fidem has manu nostrâ, consuetoque Prælaturæ nostræ signo munitas dedimus, ad B^mam^ Virginem in Wettenhausen, Dei 8. Junii 1679.

Dionysius Prælatus.

(L. S.)

CENSVRA ORDINARII.

QVod *Cœli enarrent gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiet firmamentum* Psal. 18. *& invisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas* Rom. 1. In Mundo Symbolico, in Emblematum universitate formato, ex idiomate Italico in latinum traducto, benevolus Lector inveniet: qui liber cùm nihil contineat fidei Orthodoxæ, aut bonis moribus contrarium, utiliter imprimi poterit, Signatum Coloniæ Agrippinæ 8. Junii 1680.

F. THEODORUS DEGHENS, S. Theologiæ Doctor, Canonicorum Regularium S. Crucis ad Rhenum Provincialis & Prior Coloniæ, Ordinarius Librorum Censor,

BENE-

BENEVOLE LECTOR.

CUm primam huic materiæ impenderem operam, mecum ipse decrevi, in proprios usus gratiosum diversi Emblematis manipulum colligere, qui Volumine quidem tenuis, conceptuum tamen copiâ ferax, absque gravi incommodo ubique me facilè comitari posset. At in molem adeò vastam excrevit opus, tamque copiosi in hanc planitiem confluxêre rivuli, ut angustam concham, quatuor videlicet pagellas, in ingentem dilatârint justi Voluminis oceanum. Hoc proinde, veluti alveare, melleos & suaves complurium florentissimorum ingeniorum favos in unum acervum colligens, complacentiam tuam, Amice Lector, tantâ flagitat benignitate, quantâ tibi offertur ingenuitate. Habet illud quidem aliquid studii, sed penitus amæni. Exhibet lusus Academicos, sed tamen gravissimis nixos sententiis ac documentis. Enumerat Emblemata heroica, non quidem nuda, sed variis illustrata authoritatibus & observationibus Authorum tam veterum & modernorum, quàm spiritualium ac profanorum; quorum ope amænitas recreandi, ac proficiendi utilitas nexu prorsus indissolubili repèriuntur unitæ. Proinde Emblemata heroica sunt princeps Libri hujus materies; quamvis non tantùm Emblemata heroica, sed etiam, nescio quâ analogiâ, innumera Emblemata moralia, pro rerum opportunitate, in eodem reperiantur exhibita. Dum verò ad Emblemata heroica & moralia à me invitaris, Lector; nolim, ut imperitorum quorundam legens vestigia, labores hos meos contemptui habeas, dicasque opera & studia puerilia, homini prudenti ac maturo prorsus indigna. Hic quippe nonnullorum error, ceu nebula ad Solis ortum, quantocius dissipatur, si intellectûs tui acumine nonnihil memineris, quod Emblematis compositio illorum duntaxat sit propria, qui ingenii sui præstantiâ in maximis Civitatibus celeberrimas dirigunt, exornantque Universitates. Quòd insuper structuræ adeò elegantis Magistros & Architectos agant D. Paulus Jovius, Episcopus Nuceriensis, priore ævo Historicorum Phœnix; Paulus Aresius, Episcos Dertonensis, inter illustriores Italiæ Scriptores facundiâ & eruditione nulli secundus; Joannes Ferrus, ob insignia sua merita à magno illo Urbano VIII. ad Abbatis dignitatem sublevatus; Alcibiades Lucarinus & Andreas Alciatus, Jurisconsulti adeò præstantes, ut Voluminum suorum adminiculo famam sibi conciliârint, nullâ intermorituram ætate; Didacus Saavedra, cujus prudentia, eruditio, & doctrina universum Mundum in sui admirationem rapiunt. Taceo Biralium, Bargalium, Taegium, Capaccium, Ruscellum, & alios, quorum memoria nunquam oblitterabitur. Et verò, quis sine imprudentiæ notâ vocaverit opera illa puerilia, quæ ad insignem aliorum gloriam repræsentandam à triumphalibus suspenduntur arcubus? quæ ad prodigiosam & admirandam Beatorum Cœlitum virtutem significandam in magnificis explicantur Templis? quæ ad exprimendas dignissimas Heroum prærogativas in regiis summorum Principum deferuntur exequiis? quæ denique passim repèriuntur à Summis Pontificibus, Regibus, & generosissimis Belliducibus fusa, impressa, aut incisa æri, argento, & auro, ut in symbolicis his involucris suos interioris animi affectus erudite explicarent, ac æternitati committerent? Ad illa igitur Emblemata, tam heroica, quàm moralia, quæ singularem aliquam præferunt vivacitatem, lepo-

 rem,

ſem, majeſtatem, & elegantiam, optimâ voluntate te invito. Conſultò autem dixi, quod ad illa duntaxat te invitem; cùm non proponam ſpectanda Emblemata quævis obvia, neque etiam omnia illa quæ in Authorum quorumvis Voluminibus vidi inciſa & deſcripta; vel quæ, tanquam ingeniorum trophæa, reperi in celeberrimis Italiæ Academiis ſuſpenſa; nec denique illa indiſcriminatim omnia, quæ liberali amicorum manu fuêre ſubminiſtrata. Sed illa duntaxat exhibeo Emblemata, quæ è pluribus ſelecta, & ad Symbolicas leges probè examinata, vel omnem habent perfectionem, vel nonniſi minoris momenti defectum. Inde tamen diligentiam meam non reprehendes, nec ſuccenſebis, ſi in libro tertio de Corporibus humanis, in ſexto de Piſcibus, in duodecimo & decimo tertio de Gemmis & Metallis, non omnem rigoris Symbolici artem repereris obſervatam: tametſi enim in iis multa exhibeantur corpora, quæ vel nimiùm peregrina, vel plus æquo obſcura, in Emblematum regulas delinquunt, nolebam tamen illa penitus excluſa, ne etiam ſimiles materiæ, utut ſeipſis jejunæ ac ſteriles, univerſalem noſtrum Mundum Symbolicum ſubterfugerent. Adjuvi nihilominus illas, & quantum licebat, excolui. Unde ſortis hujus Emblemata in libris illis debebunt à benigno Lectore accipi ut ſimilitudines duntaxat, quæ pro occaſionum diverſitate poſſunt inſervire diſcurſui; non verò ut ingenii partus, ad intellectum paſcendum accommodati. Porrò ad Emblemata te invito, ex Authoribus quidem tranſcripta, ſed tamen, uti conſideranti facilè patebit, ſuccinctis & claris conceptibus Oeconomicis, Politicis, moralibus, ſacris & profanis à me illuſtrata, additis, non ſine ingenti ſtudio, optimis & acutiſſimis ſacræ Scripturæ, Patrum, Oratorum, Hiſtoricorum, Philoſophorum, & Poetarum dictis, quæ ſubjunctam lemmatis interpretationem, ſive ex lemate deſumptam, ſive tacitè inſinuatam propriè & nervoſè declarent. Deniq; ad Emblemata te invito, non illa ſolùm, quæ magno ſæculi noſtri ornamento fuerunt typo edita, ſed ad innumera alia, prælo quidem hactenus nunquam publicata, ſed tamen à diverſis, iiſque præſtantisſimis amicis, inſtar ſolarium radiorum ad ingenii mei claritatem, ceu ſpeculum tranſmiſſa, ac reverberato ſplendore rurſus à me ad recreandos & paſcendos ingeniorum oculos liberalisſimè diſperſa. Placuit equidem Superis, quod complures amici, ſive ob humilem ſui ipſius exiſtimationem, ſive provido aliquo timore abſtracti, eam ardentisſimis meis precibus denegarent gratiam, ut mecum communicarent pretioſa ſua Emblemata, veluti theſauros in cavernis repoſitos, è quibus haud dubiè plurimùm elegantiæ ac magnitudinis huic Volumini accesſiſſet. Verùm ut ut alii abſterreantur, mea tamen tenuitas cohiberi non potuit, quin magnam in hoc libro partem occuparem, adderemque nongenta ac penè mille Emblemata, proprio compoſita ſtudio. Unde proniſſimum mihi fuiſſet, è ſolis meis Emblematîs, abſque aliorum concurſu, vaſtum implere Volumen, præſertim ſi Emblemata illa eruditis diſcurſibus ac litterariis parergis, quæ impendio non adeò gravi ſtarent, illuſtrare voluiſſem. Quia verò magis aliorum commodo, quàm proprio faſtui conſulere decrevi, idcircò illa breviter ac ſuccinctè cum aliis in ſuos quoſque titulos diſtribui.

Supereſt igitur, ut & Tu, benigne Lector, ſaltem optimam hac meam voluntatem æqui bonique conſulas. Imperfectionibus, quibus hinc inde Mundus meus Symbolicus ſcatet, compatere, & ingenii tui lumine hos Cœlos illuſtra, intellectûs tui floribus hanc exorna terram; expurga animi tui promptitudine has undas, excita ſpiritûs tui vivacitate hanc flammam, &, ut compendio dicam, ſapientiæ tuæ viribus animare ſatagas quæcunque offenderis corpora ſquallida, languentia, & imperfecta. Eam adhibe methodum, ut Mundus Symbolicus, meo quidem vitio res nonnunquam crudas & malè digeſtas proponens, tuâ illuſtretur, expoliaturq; induſtriâ, ſagacitate, ac ſapientiâ.

Quod materiarum ordinem ac dispositionem attinet, probè scio, complura Corpora potuisse sub Titulis aliis collocari; uti sanè Corpora libri vigesimi quinti alios locos, à meis longè diversos, facilè reperirent. Quia tamen inde nullam adeò gravem deformitatem sentio, debebis id in partem meliorem interpretari, quod tibi sine omni tuo incommodo offertur. Ita quoque sub aliquot Titulis interdum juncta reperies multa Corpora, quæ solo nomine conveniunt; uti sub Torcularis Titulo, torcular vini, typographi, & bibliopegæ. Sub Rotæ Titulo rotam currûs, molendini, figuli, cotis &c. Enimverò cum Titulorum multiplicitatem conarer effugere, materiæ quidem evaserunt angustiores, sed tamen utilitati ac commodo tuo magis opportunæ.

Postquam prolixiori Authoris proloquio tuas, benigne Lector, commodâsti aures, licebit & Interpreti eas tantisper occupare, ac in rem præsentem paucula præfari. Duo ab hinc fluxêre anni, cùm, amicorum precibus & consilio, manum admoverem Operi huic Symbolico, tantundem erudito, quantùm ob rerum penè omnium varietatem interpretandam difficili. Tametsi verò Philosophicam & Theologicam causarer cathedram, quæ me ab interpretando Volumine adeò vasto coram amicis eximeret, debui tamen illorum precibus tandem submittere colla, quod Opus hoc præclarissimum non tantùm antiquissimo nostro Canonico Ordini, sed universo Orbi litterario plurimùm esset splendoris ac incrementi allaturum, si solis hactenus Italis legendum, in Latinam veteretur linguam. Habes igitur, amice Lector, Mundum hunc Symbolicum, qui mihi tanto constitit labore, ut inter assidua negotia Theologica & domestica centies ab illo retraxissem calamum, nisi solius Dei gloria & proximi salus, ceu geminus Microcosmi polus, addidissent stimulos. In interpretandis Emblematîs, aliorum more, sensum duntaxat secutus sum, non verba, quæ à variis linguis ita variè disponuntur, ut quævis exigat verborum symmetriam, ab aliis idiomatîs longè diversam. Lemmata Italica nec licuit, neque etiam potui ad verbum interpretari; utpote quæ hâc ratione penitus nihil habuissent saporis aut elegantiæ. Unde illa ad legis Symbolicæ rigorem contraxi, ac Italicis Lemmatîs optimâ fide supposui. Ne verò Lectori meo in hoc Volumine nihil offerrem præter nudas Interpretis voces, auctarium addidi adeò vastum, ut justum constitueret Tomum, si, propriæ potius gloriæ, quàm alieni commodi studiosus, omnia illa separatim edidissem, quæ proprio labore recens addidi. Præterquam enim, quod penè singula totius Voluminis capita uno vel pluribus novis locupletârim Symbolis, conatus insuper sum innumera ac singula Italicæ editionis Symbola authoritatibus ac sententiis Sanctorum Patrum, Oratorum, aut Poetarum, quibus antea carebant, illustrare. Dein in Libro tertio omnia totius sacræ Scripturæ Symbola, si unicum primum de Abrahamo excipias, recens vel collegi, vel composui: qui sanè labor sicuti non levi stetit impendio, ita vel solus justum confecisset Volumen; præsertim quod ejusdem Libri tertii fabulæ ut plurimùm à me vel sint auctæ, vel de novo additæ. Consultò autem Corpora veteris legis in Libro tertio extra ordinem alphabeticum collocavi, ratus, majore tuo commodo me facturum, si solius temporis, quo vixerunt, ordinem ac genesin observarem: reliqua tamen novæ Legis & fabularum corpora omnia in seriem alphabeticam sunt disposita. Cæterùm quando in Libro tertio vel aliis Mundi nostri Symbolici partibus Emblemata aliqua defectuosa & ad leges Symbolicas minus exacta repereris, præter alias causas vel ex hoc solo capite condonabis, quod ipse etiam sapientissimus Deus in Mundo, à se creato, patiatur monstra & membrorum defectus, à Naturæ legibus alienos. Alii verò errores Typographici, tam contra Syntaxin quàm Ortographiam, tantâ irrepsêre copiâ, ut cùm ob alia negotia, tum ob angustias temporis non habuerim aliquid otii, ut singulos ad calcem libri annotarem; tuo tamen judicio ac providentiâ illos vel corriges,

vel ob

vel ob eam causam excusabis, quod à Typographo remotissimus, nec correctioni interesse, nec nisi post longa temporum intervalla potuerim paginas impressas ob viarum distantiam accipere. Quod si è supellectili tuâ Symbolicâ digneris mecum Emblemata aliqua communicare, officium præstabis tibi quidem honorificum, mihi verò pro secunda editione gratissimum, & Orbi litterario utilissimum; quia, è S. Clementis Alexandrini judicio (S. Clem. Alex. lib. 5. strom.), *Utilissima est Symbolicæ interpretationis forma ad res permultas: Quippe juvat & ad rectam Theologiam, & ad pietatem, & ad demonstrativi generis Orationes, ad brevitatis denique exercitationem, specimenque sapientiæ.* Cæterùm magno tuo compendio ac commodo me facturum existimavi, si corpora Symbolica singula proponerem in Libri fronte sex præcipuis linguis explicata; videlicet, Latinâ, Germanicâ, Hispanicâ, Italicâ, Gallicâ, & Belgicâ. Cùm enim Mundi hujus Symbolici Corpora sint diversissima, nec illorum è Latino in proprium quodvis idioma translatio sit apud diversas gentes, ad quas emanabit hic Liber, statim nota aut facilis, idcircò Index ille sex linguarum instar Lexici deserviet, ex quo singula corpora in quamcunque linguam citra negotium vertantur. Aliqua tamen in Indice illo corpora reperies, quæ in unam vel plures linguas verti non potuerunt, quòd similia corpora uni tantùm vel paucioribus regionibus, non verò omnibus sint nota & nominata. Unde in propriæ linguæ defectu debebis adhibere idioma Latinum. Versus Italicos, prudentiorum consilio, in latinum vertere supersedere debui, tum quod extra nativam suam linguam translati, penitus nullum habeant saporem & gratiam, tum quod vix aliquid utilitatis in alieno idiomate habeant. Hæc, quæ præmonerem, habui. Vale.

TRACTATUS

Symboli naturam, & construendi methodum, compendio explicans.

§. I.

Etymologia, & Antiquitas Symboli.

EMblematis seu Symboli materies ab eruditis Symbolographis, D. Paulo Jovio, Scipione Bargalio, Hercule Tasso, Torquato Tasso, Paulo Aresio, Joanne Ferro; Emanuele Thesauro, & aliis, tanto pertractatur studio & diligentiâ, ut Soli novam aspergere lucem moliatur, quisquis ad illustrandam rem Symbolicam novas cupit excogitare observationes. Unde illustre Lectoris mei ingenium ad eruditos illos Authores remitto; id unum in præsenti facturus, ut dilucidè & compendio in has pagellas conferam, quiquid in materia Symbolica aliquid momenti habet. Inde enim Lectori meo, aliorum Voluminum copiâ destituto, saltem eousque satisfier, ut naturam & regulas, quæ ad perfectam Symboli structuram magis sunt necessariæ, in hoc Compendio perspectas habeat.

Quantùm verò ad etymon Symboli ac Emblematis attinet, paucis rem absolvo. Et quidem Emblema, origine suâ Græcum, ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλεσθαι, hoc est, immittere, inserere, seu interponere deducitur; proindeque quidquid ornatus causâ alteri inseritur, id universè Emblematis nomine accipi potest. Symbolum verò, itidem Græcum, ἀπὸ τοῦ συμβάλλειν, id est, conferre, contribuere, seu stipulari dictum est, cùm scilicet nota aliqua vel signum assumitur, ad significandas res, sive conceptus, aut decreta in animo latentia. Unde quia veteres milites soliti sunt generosas suas expeditiones in scutis depictas vel incisas repræsentare, cœperunt imagines illæ vocari vel Emblemata, quasi virorum illustrium ornamenta, clypeis inserta; vel Symbola, quod essent notæ ac signa, quibus heroica illorum facta, ac magnanimi conceptus proponebantur. In hanc rem opportunè observat D. Aresius, Emblema heroicum genuinè ab Italis vocari *Impresa*, seu clarius *Intrapresa*, id est, actionem nobilem & præclaram, quam generosus homo vel jam perfecit, vel in opus redigere cogitat: quamvis postea Emblematis heroici seu *Impresæ* nomine non tantùm actio generosa, sed ipsa etiam imago, quæ actionem illam in scutis repræsentabat, accipi cœperit. *Etymon Emblematis.*

Quoad originem & antiquitatem Emblematis seu Symboli, non desunt Scriptores, qui illius authorem constituunt magnum Israelitici populi Ducem, Mosen; asseverantque, se in evolvendis sacris ipsius Voluminibus reperire nescio quæ Emblematum vestigia; qualia sunt arbor vitæ, plantata in paradiso terrestri; Iris, post universale diluvium supra nubes pluvias formata; columba, viridem oleæ ramum sustinens, &c. Tametsi verò graves alii Scriptores exiguam huic opinioni fidem tribuant, existimentque, leve illud esse Emblematis derivandi fundamentum, cogor tamen fateri, quod hâc in parte sentio; complura nimirum Sacræ Paginæ Symbola, propriis ipsius verbis ac sensibus signata, structuram ita insignem componere, quæ Emblematis heroici nomen in rigore, secundùm omnes suas regulas & partes requisitas, non verò imperfectè tantùm, aut impropriè, neque in sensu duntaxat largiore vel extensivo, mereatur. Et ut propius tecum agam; an non gladius ignitus, cum hoc Lemmate, LUCET, ET ARDET; ante paradisi limina figuratus, præclarum foret Emblema heroicum, quo Divina Justitia, ad extorres longissimè proscribendos, horrenda spargens minarum fulgura, analogicè repræsentaretur? An non Rubus Mosis, geminâ hâc Exodi voce, ARDET, NEC COMBURITUR, instar lemmatis circumscriptus, Emblema esset populi Israelitici, qui ad fornaces Ægyptias ardebat, nec tamen inter barbaras ac violentas illas tyrannides consumebatur? Serpens æneus, in deserto supra palum *Origo Emblematum remota.* *Emblemata S. Scripturæ.* *Exod. 3, 2.*

erectus,cum inscriptione, ASPICIENTES VIVENT, quid demonstrat aliud, nisi æternam
Matt.13.47. salutem ab illo obtentum iri, quisquis oculos integrâ fide, ac plenâ spe in crucifixo Jesu Christo defixos habueris? Rete Evangelicum, in mari explicatum, & hâc S. Matthæi gnomâ insignitum, CONGREGAT EX OMNIBUS; nunquid expressam refert imaginem sanctæ fidei, quæ omnium provinciarum & nationum populos intra se colligit? An non facem, in media domo accensam, & hoc Christi lemmate è S. Matthæo insignem, UT LUCEAT
Matt.5.15. OMNIBUS, genuinum dices Symbolum sive sanctæ Fidei, à qua totus illustratur orbis; sive
Joan.1.9. Divinæ gratiæ, quæ *illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*? Denique Piscina,
Joan.5. quinque porticubus à S. Joanne descripta, & hâc epigraphe legenda, TURBATA SALUTEM; nonne pulcherrimam Mariæ Virginis ideam refert, quæ Gabrielis Archangeli vocibus turbata, salutem totius mundi concepit? Vides proin', non esse penitus chimericum ac leve illorum fundamentum, qui Emblematum originem ad sacram & venerandam Divinæ Scripturæ antiquitatem referunt.

Est inventio militum. Quia verò Emblema heroicum, Italis *Impresa*, significatione suâ magis propriâ indicat actiones & facta militaria; idcircò persuadere conantur aliqui, originem Emblematum non aliunde desumendam esse, nisi ab iis militibus, qui Homeri, Herodoti, Plutarchi, Pausaniæ, & aliorum testimonio ad repræsentandam suam magnanimitatem in scutis & vexillis, symboli loco, prætulerunt imagines Leonum, serpentum, aquilarum, fluminum, Mægeræ, sphyngis. &c. Verùm id solùm evincit hæc quorundam opinio, fuisse nimirum Emblemata illa heroica non quidem perfecta, sed rudia duntaxat principia, & obscura Emblematum vestigia, quæ temporis progressu exculta fuêre ad hodiernum supremum spendorem, excellentiam, & nobilitatem.

Emblemata in ludis Trojanis. Ad hæc figuræ ac imagines illæ, veluti rudia modernorum Emblematum initia, antiquitus non solùm adhibebantur inter bellorum strepitus, sed & inter amænos ludos Circenses & luctas Trojanas. Milites quippe, tam Veneris & Amoris, quàm Martis & Bellonæ obsequiis ex æquo sese addicere soliti, non tantùm in veris expeditionibus bellicis per imagines illas suam repræsentarunt magnanimitatem, ferociam, & arrogantiam, sed etiam in decursionib⁹ Trojanis, ceu belli simulachris, invenerunt suos zelotypiæ, fidelitatis, constantiæ, aliorumque affectuum motus.

Reducta ad perfectionem. Itaque veterum Symbolorum ruditas, in armis & amoribus diu usurpata, tandem circa Domini Jovii tempora ad desideratam perfectionem & excellentiam reduci cœpit; postquam enim gloriæ potius desiderio, quàm odii aut rancoris impulsu non tantùm ab Italis, sed etiam ab aliis gentibus minime barbaris aut illitteratis, sed fortitudine & sapientiâ præstantissimis, videlicet Hispanis, Gallis, Germanis, Italis &c. acerrimè dimicatum est, tandem ingenii sui acumine Emblema ad hodiernum evexêre splendorem ac nobilitatem. Hæc de Emblematis etymo ac origine.

§. II.

Quid sit Emblema heroicum, & quomodo definiendum?

Definitio Emblematis heroici. CUm instituti mei ratio non patiatur, ut in examinandis variis Authorum definitionibus longas texam moras, idcircò una illa sufficiet, quam D. Aresius, meo quidem judicio, penitus exquisitam, & proposito nostro accommodatam affert; *Emblema heroicum*, Italis *Impresa*, inquit, *Est compositio figuræ & lemmatis, ultra propriam rei significationem, mediante illâ, figuratè repræsentans conceptum aliquem nostrum particularem & ordinatum.*

Heroicum Emblema est compositum. Proinde Emblema heroicum dicitur compositum, in quo corpus seu figura sustinet rationem materiæ, & lemma formæ; ita ut simul utrumque instar partis ad illud formandum concurrat. Unde deducitur, erroneam esse illorum opinionem, qui existimant, vel solam figuram, vel solum lemma constituere posse naturam veri ac realis Emblematis heroici. Porrò
Continet duos sensus. Emblema heroicum est compositum, duplicem involvens sensum; unum litteralem, & alterum allegoricum: atque adeò corpus Emblematicum cum suo lemmate non solùm indicare debet sensum physicum & moralem, sed insuper implicitè mentem ac conceptum nostrum particularem.

Differentia illius ab Emblemate morali. Hâc definitione satis discernitur Emblema seu Symbolum heroicum ab aliis similibus compositis ac inventis, qualia sunt Emblemata moralia, Symbola moralia, (dividitur enim Symbolum seu Emblema in morale & heroicum, quod ab Italis vocatur *Impresa*) Hieroglyphica, &c. Et quidem ab Emblematis moralibus distinguitur heroicum ex eo capite, quòd illa admittant omnia figurarum genera, integra & divisa, realia & imaginaria, fabulosa & historica, perfecta & monstruosa, simplicia & mixta, significando sive integrè & perfectè, sive per solas figuras aut sola lemmata, quæ conceptum duntaxat moralem, in figuris repræsen-

præsentatum,innuunt. Contrà, Emblema heroicum,ut diximus infrà, sua corpora majore rigore, ac significatione magis peculiari seligit, eruitque sensus illos mutuos, quos lemma & corpus inter se habent reconditos. A symbolis moralibus differt, quòd hæc nihil sint aliud, nisi dictum vel sententia, instar ænigmatis significans aliquod documentum vel mysterium. Talia sunt famosa illa Pythagoræ symbola; *A fabis abstinendum*, id est, à votis secretis, in Republica dandis. *Stateram non transiliendam*, id est, opera nostra esse ad dimensum & moderatè peragenda. *Ignem gladio ne fodito*, id est, hominem cholericum nullis esse injuriis provocandum. &c. Emblema heroicum verò præter lemma etiam requirit corpus, ita quidem, ut lemma illud sententiam exprimat dimidiatam tantùm, non verò integram & perfectam. Denique ab Hieroglyphicis differt, quod hæc figuras ostentent nudissimas, quæ absque ulla lemmatum aut verborum additione significant. Ita Divinitatem repræsentat ignis; serpens in orbem circumflexus æternitatem; palma victoriam, &c. Emblema heroicum contrà nec solam exigit figuram, nec lemma solùm, sed ex ambobus simul, tanquam partibus, in perfectum Emblematis heroici sensum coalescit. Enimvero sicuti nec è sola figura meam explico mentem, nec è solo lemmate; ita utriusque connubio exprimitur ac determinatur litteralis & verus Emblematis heroici sensus, quem similitudinis more subsequitur sensus allegoricus, internos Authoris conceptus ac decreta passim omnibus non sine voluptate insinuans.

A symbolo morali.

Et ab Hieroglyphicis

Ergò, ut compendio utar, ad Emblematis heroici compositionem, nexu quodam sympathetico, simul confluant figura & lemma. Unde non desunt, qui figuræ tribuunt nomen corporis, & lemmati animæ; cùm ex utriusque, materiæ videlicet & formæ, unione nascatur pulchrum ac nobile compositum. Quia verò ad ingeniosam hanc structuram Symbolicam undequaque exornandam, tam circa corpora, quàm lemmata, variæ traduntur regulæ, idcircò & nobis incumbunt breviter proponendæ.

§. III.

De Corpore seu Figura Emblematis heroici.

CORpus hoc Emblematicum è re quâlibet naturali vel artefactâ desumere licet; quamvis tantò futurum sit laudabilius & magis conspicuum, quantò fuerit aspectu pulchrius, & intuitu nobilius. Unde ab Emblematum limine æternùm proscripta sunto corpora omnia spuria & abominanda, qualia sunt scarabæus suum formans testiculum; volucres & quadrupedia è ventre suas exornantia sordes, quibus intuentium oculi ac mentes non parùm offenduntur; actus denique omnis obscœnus, utpote non tantùm penicillo & figuris, sed & nominatu indignus.

Corpus esse visu pulchrum non turpe aut obscœnum.

Corpus esto res nota, intuentibus facilè cognoscenda, & ab aliis rebus discernenda. Unde longè magis probantur corpora communia & cognitu facilia, quàm recondita & peregrina: hæc enim intuentium animos ob suam obscuritatem non tantùm non recreant, sed contra plurimùm fastidii ac molestiæ pariunt. Quare in censum grati Emblematis admitti nequeunt animalia Indica, quorum proprietates ut plurimùm sunt ignotæ; item gemmæ, rubinus, sapphirus, smaragdus, opalus, diacodus &c. & metalla, argentum, plumbum, stannum &c. siquidem hæc corpora vix à ligno aut ære, cui sunt inserta, discerni possent, magisque displicentiam & confusionem, quàm voluptatem aut distinctionem in animo crearent.

Sit res nota.

Major Scriptorum pars ab Emblematum albo excludit corpora humana: quodsi nonnunquam admittantur, sunto corpora sive historica, sive fabulosa, sed tamen cognitu facilia, ut Hercules, Polyphemus, Icarus, Janus, Phaeton & similia, in quibus non rarò plurimùm reperitur gratiæ & amœnitatis, uti videre licet in tertio Mundi nostri Symbolici Libro, hujusmodi Emblematum pleno.

Corpus humanum quando possit servire Emblemati?

Membra, ac separatæ corporis humani partes interdum in Emblematîs heroicis permittuntur, uti sanè in Theatro Abbatis Ferri inter quamplura reperitur manus, scorpionem in palma sustinens, cum lemmate; PROCUL AB ICTU. Cor, hoc signatum lemmate; AB HOC VITA PENDET, ET AFFECTUS. Omitto caput, linguam, & alia membra, ad Emblematis formam ab authore illo exhibita. Id tamen observes velim, manus & brachia sæpissimè in Symbolis usurpari, non quidem ut corpora Emblematica, sed instrumenti loco tantùm, ut thuribula, aquales, faculas, secures, & alia corpora, in Emblematîs repræsentata, sustineant.

Membra humana ingrediuntur Emblemata.

Ita quoque in Emblematîs reperiuntur separata brutorum membra; quemadmodum D. Aresius solas exhibet alas, cum lemmate; PORTANTEM PORTANT; & unicam solam pennam temperatam, cum titulo; NON EVERHAR, NI VEHAR; aliaque Emblemata minimè defectuosa, sed laude digna, & amænitatis plena.

Uti & membra brutorum.

Unicum corpus ad genuini Emblematis structuram sufficit. Unde videre est Turrim cum

Unum corpus.

sufficit Emblemati. cum lemmate; OPPUGNATA FORTIOR. Rosam, hoc præfixam titulo; VIXQ[ue] ORTA FUGIT; sagittam volantem cum epigraphe; AUT SALIT, AUT CADIT. Lunam cum inscriptione; ERRAT INERRANS. Et sexcenta alia.

Duo corpora plus habent gratiæ. D. Aresii judicio, duæ figuræ plus gratiæ & splendoris conciliant Emblemati, quàm una tantùm; quia in iis facilius perspiciuntur actiones & passiones, à lemmate significatæ. Hâc methodo pinguntur duo leones, in mutuam cædem collisi; cum lemmate, CÆDI, QUAM CEDERE. Heliotropium, Solem adversum respiciens; cum dicto, VERTOR, UT VERTITUR. Spinæ, circum arbusculam flexæ, cum epigraphe; PUNGUNT, SED PROTEGUNT. Hedera, muro implexa, cum inscriptione: AMPLECTENDO PROSTERNIT. Et alia innumera.

Etiam tria deserviunt. Ob eandem planè rationem etiam tres figuræ laudantur in eodem Emblemate, modò ad eundem conceptum exprimendum concurrant. Ita Solis Emblema cernitur, cujus radii intra speculum collecti, ac reverberati, oppositam stuppam accendunt; cum lemmate; E LUCE ARDOR. Piscis, cui Ensis nomen, rupto reti egreditur, simulque alios pisces, ibidem captivos in libertatem promovet; addito lemmate, VICTORIA VICTO. Ferrum, in ustrina positum, & aquis aspersum, addito lemmate: ASPERSUM FLAMMESCIT. Acus Magnetica in fluctuante mari collocata, & in stellam suam polarem defixa, cum inscriptione; AGITANT ADVERSA QUIETUM. Et similia.

Vel plura, si ad unum finem concurrant. Et, ut compendio dicam, non duo tantùm, sed quatuor, sex, vel plura corpora ad Emblematis compositionem admittenda sunt, quando illorum multitudo nullam affert perturbationem, singulaque ita in unum confluunt finem, ut mirâ suâ concordiâ & unione, instar unici corporis, unam duntaxat actionem repræsentent. Paradigmatis loco habeto coronæ regiæ Symbolum, quæ supra incudem propè ustrinam posita, vicinos habet malleos, limas, forcipes, &c. cum lemmate; PER FERRUM, ET IGNES.

Sint corpora nobilia. In rem præsentem observat magnum quoddam ingenium, Personas & animos nobiles pro symbolis suis seligere debere corpora, naturâ suâ heroica & generosa, Stellas videlicet, Planetas, Montes, Rosas, Aquilas, Leones &c. Unde ait in hanc legem delinquere Emblema Bovis, qui inter altare & jugum medius, epigraphen sustinet: AD UTRUMQUE PARATUS. Hâc enim ratione Persona nobilis sub scemate illo Emblematico de se ipsâ quasi pronuntiaret; *Ego sum bos.* Hanc crisin sustinere cogeretur quodvis Emblema, assumens pro suo corpore aprum, aut histricem; cùm *de Histrice* canat Claudianus;

Os longius illi
Assimulat porcum.

Persona quippe, tali repræsentata corpore, uti suprà ostendimus, notam ac probrum incurreret, sua indignum nobilitate: neque hujusmodi Symbolum mereretur inter perfecta & nobilia recenseri. Unde etiam pro nobilitatis Symbolo pessimè adhiberetur caput aut vultus porci, &c.

Sit de re extraordinaria. Si Emblematis corpus fuerit de re aliquâ extraordinariâ, majorem promerebitur laudem, utpote majorem voluptatem creare; magisque satisfacere solitum. Id quod etiam fieri potest in corporibus communibus, v. g. Phœnicibus, Palmis, Leonibus &c. Dummodò novâ conceptuum energiâ animentur.

Sint corpora inter se non repugnantia. Omnium tamen maximè observandum est, ut Emblematis corpus non sit compositum è rebus, intrinsecam inter se habentibus repugnantiam, & regulariter nec conjungi solitis, nec compossibilibus. Unde errârunt, qui canem alis instructum, & per aera volantem finxerunt; subscriptis illis Horatii verbis; Negata tentat iter via. Alæ quippe canis naturæ non tantùm non conveniunt sed è diametro regngnant. Ita etiam, peritorum judicio, vituperatur illud volantis alatæ testudinis Emblema, utpote penitus monstruosum, & repugnans bonæ proportioni, quam prudens Symbolographus in Emblematum compositione potissimum observare debet.

Nec talia, quæ simul jungi non solent. Pari ratione corpora artefacta non sunt jungenda naturalibus, sicuti nec illa, quæ ordinario naturæ cursu uniri non assolent. In hanc regulam peccat Emblema Delphini, qui transversim alligatus ancheræ, inscriptionem sustinet; tutius ut possit figi. Item Fulmen, sagittæ colligatum, cum lemmate: Vis conjuncta maior. Et sagitta, implexum habens serpentem, additâ epigraphe: Vis nescia vinci.

Quia verò, juxta legem suprà traditam, corpus instar partis duntaxat concurrit ad Emblematis compositionem, debetque se ipsum eâ tantùm conditione repræsentare, ut verba nec reddantur superflua, nec otiosa, sed simul cum verbis integrum ac perfectum conceptum metaphoricè efficiat: idcircò postquam de Corporis naturâ satis, nî fallor, clarè & nervosè disseruimus, etiam de verbis seu lemmate aliquot observationes ac regulæ se offerunt explicandæ.

§. IV. De

§. IV.

De Lemmate Symboli, seu Emblematis heroici.

EMblematis corpori præfigitur lemma, à quo illud determinetur ac veluti restringatur ad exprimendum hunc potius, quàm alium sensum. Unde corpus, antea indifferens & indeterminatum, lẽmatis virtute ad certos ac peculiares animi nostri limites reducitur. Proinde lemma, tribuens Emblemati formam, non tantùm efficit, ut delineata figura induat rationem Emblematis, sed insuper addit differentiam tam ab aliis imaginibus Symbolicis, quàm à quocunque ejusdem corporis Emblemate. Ita si solam Lunam, nullo addito lemmate, adumbravero; certum est, illam non posse Emblematis heroici nomine comprehendi, sed, ut & Pierio placet, vocandum esse vel hieroglyphicum noctis, cui luna dominatur; vel, è S. Gregorii doctrinâ, symbolum morale mutationis & inconstantiæ, quæ illius Planetæ est propriissima. At si eidem recentis Lunæ iconi subjungas geminam hanc vocem, ALIQUANDO PLENA; quantocyus ex hieroglyphico induet perfectionem Emblematis heroici. Quòd si eadem Lunæ recentis figura in tribus aut quatuor tabulis fuerit expressa; primæ inscriberem; SINE MACULA. alteri; COMPLETUR CURSU. tertiæ, CRESCIT, UT DESINAT. & quartæ, ALIENA LUCE. ubi vides, solius lemmatis virtute ex eodem corpore quatuor erui sensus longè diversissimos, & totidem Emblemata heroica, conceptibus inter se realiter & formaliter distincta. — Officium lemmatis est, determinare conceptum. — *Pier. lib. 19.*

Et quia lemma, juxta superiorem doctrinam, non se solo significare debet, sed instar partis duntaxat cum corpore concurrat ad formandum Emblema completum; idcircò è lemmatum censu proscribuntur adagia, ac sententiæ, quæ se ipsis ad integros sensus efficiendos sufficiunt, nullâque indigent ullius corporis conjunctione. In hanc regulam impingit Vulpes, hoc signata titulo; FATO PRUDENTIA MAIOR. Lepus cum inscriptione, MALO UNDIQUE CLADES. Globus terrestris cum dicto; IN PUSILLO NEMO MAGNUS. Et alia quæcunque figura, sententiam præferens totalem ac completam. — Excluduntur integræ sententiæ & adagia.

Lemma, suo junctum corpori, simpliciter significare & exprimere debet proprietatẽ aliquam naturalem ac physicam, nihil dicendo de conceptu morali aut allegorico: nam Emblematis heroici applicatio non est immediatè facienda à lemmate, sed ab intellectu tam intuentis, quàm Symbolographi. Contra hanc regulam agit lemma, rotæ molari præfixum; MENS IMMOTA MANET. Et aliud, ubi amans cum amatâ differens, alabro inscripsit; IO EL PIE', Y VOS LA CIMA. Id est; DUM CONSTO, MOVERIS. Item lemma in personæ alicujus amatæ morte supra metam positum, ID DOLOR ULTRA. Et illud, libro ac gladio subjunctum; AD UTRUMQUE PARATUS. &c. — Significet naturaliter.

Lemmatis verba sunto ac commodata ad significandas solas depictæ figuræ actiones; hâc enim ratione lemma, suo connexum corpori, facilem ac gratiosam Emblematis heroici compositionem efficiet. Contra legem istam peccat fax extincta, cum lemmate; E NULLA STRINGO, E TUTT'IL MONDO ABBRACCIO. Id est, NULLUM STRINGIT, TOTUMQUE AMPLECTITUR ORBEM. Et Scorpio, cum dicto; IL MAL MI PREME, E MI SPAVENTA IL PEGGIO. Id est, MALE PREMOR, TERREORQUE PEIUS. Ubi vides, adjuncta lemmata nec minimùm respondere figuris depictis. — Quadret in figuram.

Porrò lemmatis verba significent rem in figura verificatam. Legem hanc excedit Vespertilio, versus Solem volans; cum lemmate, AD INSUETA FEROR. Genio quippe hujus volucris repugnat volatus ad clarissimum illum Planetam. Canis quoque, humeris alas sustinens, cum inscriptione: NEGATA TENTAT ITER VIA. nunquam enim audiveris, illa quadrupedum genera volâsse. Unde etiam fractis sagittis malè subscripsit nonnemo: FRACTA MAGIS FERIUNT. falsum enim hoc dictum est, cùm utique sagittæ integræ gravius feriant, quàm fractæ. — Sit de re verâ.

Verba lemmatis æternæ sint veritatis in proposito illo, ad quod applicantur. Hinc peccat Apis Emblema, quæ lilio sugendo intenta, epigraphen sustinet: MIHI HOC SAPIT UNUM. Constat enim, ipsâque etiam experientiâ probatur doctrina Plinii, quod apes non tantùm liliis, sed etiam rosis, calthis, thymis, & aliis floribus delibandis gaudeant. Pari ratione non video, quomodò de Ape, supra lilium figuratâ, possit lemma istud verificari: ALIBI NON TUTIOR UNQUAM; neque enim ulla in lilio particula est, quæ possit præbere tutelam aut præsidium. — Sit æternæ veritatis.

Lemmatis verba non sint communia, & pluribus aliis corporibus facilè applicanda; sed, quantùm fieri potest, ad unicum assumptum Emblematis corpus restricta. Hanc regulã transgreditur lemma, supra Histricem positum; COMINUS, ET EMINUS. Nam, ut observat magnum quoddam ingenium, lẽma istud non solùm præfigi potest hastæ, sclopeto, machinæ Archimedis, quæ vicinos & remotos sauciabat: sed insuper campanæ, igni, — Non habeat verba pluribus corporibus communia

turri armatæ, ardenti thuri &c. utpote quæ & propè & procul spargunt suum sonum, lucem, cladem, fragrantiam &c. Ob eandem rationem à genuino lemmate deficit etiam epigraphe illa, quam malo granato, mediâ parte rupto, subjunxere ; NEMINI SUA MUNERA CLAUDIT : æquè enim lemma istud attribui potest Soli, Cœlo, Lunæ, fonti, prato, rosæ &c. Ex eodem capite Abbas Ferrus rejicit lemma, pomo granato à D. Arcsio inditum ; GENERATIONEM EJUS QUIS ENARRABIT? veluti quod adhiberi potest ad omnia majoris fœcunditatis animalia, minuta legumina, milium, panicum &c. gramen, & res alias plurimas.

Sit breve & acutum.

Cupiunt insuper lemmatis verba esse brevia, nervosa, & acuta ; superflua enim longitudo tam in verborum numero, quàm in ipsis verbis, quæ multis constant syllabis, vivacitati & elegantiæ Symboli plurimùm detrahunt. E navis exemplo id haud obscurè conjicies, quæ aliquot laxatis rudentibus in mari fluctuanti tracta, epigraphen sustinet ; REMISSIORIBUS RETINACULIS TUTIUS AGOR. Sicuti enim Emblema istud foret elegans, & ad omnes numeros exactum, si in lemmate brevioribus uteretur verbis ; ita horum longitudo tædium ac languorem aliquem generat, omnemque tollit ab imagine gratiam. Unde etsi Peritorum judicio, ad Emblema animandum sufficere quidem possit una tantùm vocula, verbum, aut adverbium ; duobus tamen verbis redditur lemma elegantius, magisque sonorum. Et licèt etiam tria verba adhiberi queant, numerus tamē quartus vix toleratur. Versus quoque integer permittitur in lingua Italica, & in lingua latina unus è metris brevioribus ; Hexametrum verò penitus excluditur, utpote venustati, ad hoc compositum requisitæ, ob suam longitudinem minimè accommodatum.

Unum verbum in lemmate sufficit, etsi duo sint pulchriora.

Non sit defectuosum aut obscurum.

Id tamen probè advertendum est, ne consueta lemmatis brevitas ullum pariat defectum aut obscuritatem, cùm symbolum naturâ suâ debeat simul & significare & recreare : haud dubiè enim intuentium animos non tantùm nullâ perfunderet voluptate, sed contra plurimùm afferret fastidii, si Emblema proponeretur durum aut obscurum. Unde, meo quidem judicio, defectuosum est lemma illud, candelæ extinctæ, & in obscuro campo figuratæ, suppositum ; In tenebris. Ægrè enim conjicere poteris, quæ sit lemmatis hujus mens, nisi alterius vocis accessione elucidetur. Obscurum verò est lemma, quod Leoni, ante leunculos stanti, supposuêre ; Rugiet ante. Enimverò in Emblematis hujus contemplatione confundentur ingenia, nec facilè conceptum illius sensum deprehendent ; nimirùm quod leo, priusquam inobedientes leunculos percutiat, altos per aera rugitus spargere soleat.

Non sit amphibologicum.

Voces etiam dubiæ, amphibologicæ, æquivocæ, ac perplexæ, è lemmatum numero excluduntur. Unde quidam horologio rotato inscribens, Pondera sonitum ; cùm adverteret, vocem illam, Pondera, non tantùm nominis, sed & verbi rationem sustinere, sicque aliquam Emblemati ambiguitatem afferre posse, mox lemma illud cum hoc commutavit, Ponderibus sonitum. hâc enim ratione omnem sustulit, complanavitque difficultatem.

Nec hyperbolicum aut metaphoricum.

Pari modo lemmatis voces nec sint hyperbolicæ, nec malè translatæ. Nonnemo Religiosum, clausuræ suæ amantem, maris Emblemate repræsentavit, quod fluctibus suaviter crispatis versus littus sese insinuabat, cum lemmate ; Osculatur limites. Non pauci tamen hoc Emblēa vituperant, quod verbum, Osculatur, malè conveniat in marinas undas. Ita etiam rejicitur lemma crystallo inditum, quasi hæc sit limpida Intus, et in cute. Postrema enim hæc verba, In cute, nonnisi impropriè & violenter de corpore illo pronuntiantur.

Interdum laudatur metaphora in lemmate.

Neque tamen inde à lemmatis absolutè excluditur omnis metaphoræ usus, ibi præsertim, quando illam prudens & discretus Symbolographus circumspectè, nec aliter, nisi ad illustrandum & sublevandum conceptum usurpat. Unde inficias nemo ibit, plurimùm gratiæ habere lemmata illa, quorum primùm circino, in orbem circumducto, inscribitur ; NON VAGUS VAGOR. alterum conchæ, margarithâ gravidæ ; HAC PROLE SUPERBIT. Tertium Cervo, è fonte bibenti ; MERGIT IN AMNE SITIM. quartum æstuanti Æthnæ ; SUA VISCERA VORAT.

Et etiam æquivocatio.

Ita etiam æquivocationes, tametsi à lemmatum venustate sint alienissimæ ac penitus repugnantes, efficiuntur nonnunquam aptæ, ac plurimùm concinnæ, si prudenti alicujus judicio adhibeantur. Exemplum satis opportunum habes in Emblemate, ad honorem Philippi II. Hispaniarum Regis erecto, cujus dominium ultra vasta Europæ regna ad ipsa Indiæ imperia se extendit. Unde magnum hunc Regem in equo dignoscendum proposuerunt, qui in catadromo saltans, circulū egrediebatur, cum lemmate ; NON SUFFICIT ORBIS. Hæc enim æquivoca vocula, ORBIS, non tantùm significabat parvū illum circulum, quem equus transiliit, sed etiam totius mundi dominium, Monarchæ hujus generositati ac viribus nimis angustum. Ita quoque (si solas aures, non verò oculos consulas) æquivocatione minimè absonâ hominem avarum in cicadâ repræsentavi, cum lemmate ; QUESTU DIRUMPOR ; ubi advertas, vocem QUESTU non sine gratâ æquivocatione significare lamentum, & vocem QUESTU lucrum, cujus desiderio insiderio insatiabiles mortales propriam quoque frangunt, prodiguntque vitam. Pluri-

Plurimùm quoque venustatis & gratiæ recipiunt lemmata, si aspersa fuerint aliquo joco, contrapositione, aut lusu verborum; si enim orationes ac panegirici non leve ornamentum inde sortiantur, quantò magis hujusmodi salibus excoletur symbolicum lemma, utpote naturâ suâ aliquam spirans elegantiam, leporem, & vivacitatem. Unde Emblema nunquam satis laudandum erat, quando aliquibus mutuam unionem & concordiam, veluti ad ipsos conservandos habilissimum ac unicum instrumentum, persuasuri, depinxêre piram, seu cumulum accensorum carbonum; addito lemmate, EXTINGUIMUR, SI DISTINGUIMUR. Alii non minore elegantiâ candelam accensam statuêre, cum lemmate, OFFICIO MIHI OFFICIO. Eratque hoc præclarum personæ cujusdam symbolum, quæ in alios benefica, gravissimis subjacebat damnis. Ad eundem censum spectat Emblema canis turbinis seu vertagi, qui respirandi causâ in terra recumbens, epigraphen tenet; OCIOR, UT OCYOR, quod illius est Emblema, qui majore promptitudine ac vivacitate operaturus, vires suas in quiete nonnihil colligit. Similem laudem promeretur Emblema ludentis cum mure felis, addito hoc lemmate, DUM LUDIT, LÆDIT, veluti diceret, fæminæ lascivæ jocos extremam aliorum perniciem machinari, &c. Vel joci lusus verborum.

Quantùm verò gratiæ accedit lemmati symbolico è lepore & verborum lusu, tantundem redditur insipidum è verbis nimium facilibus aut vulgaribus. Cùm enim lemma plerisque dicatur Emblematis anima, utique voces non quasvis obvias ac tritas admittere potest, sed illas tantùm, quæ singulari constant, luduntque vivacitate, energiâ, acumine, & amœnitate. Lemma non sit nimis vulgare.

Poterit lemma figuram, re ipsâ in Emblemate positam, absque inconvenienti nominare, quando id pe servit ad significandum aliquem ingeniosum conceptum, qui aliàs primo figuræ intuitu non statim colligi posset. Exemplum habeto in solaris horologii Emblemate, quod sine gnomone formatum, epigraphen sustinet; NON LUMINE TANTUM. Etsi enim lumen à Sole productum, in Emblemate isto sit formatum, optimè tamen in lemmate nominatur, cùm totum Emblema non parùm decoris & vivacitatis inde accipiat. idipsum in alio solari horologio experiri licet, cui D. Joannes Jacob. Trivultius, Melpheos Princeps, suam cum personâ quâdam Regiâ in virtute æmulationem significaturus, subscripsit; NON CEDIT UMBRA SOLI. His accense lemma, horologio sciatherico ab Abbate Ferro inditum; LUMINE SIGNAT. Omitto similia alia Emblemata innumera, à plurimis composita. Hîc tamen probè observes velim, totam hanc regulam ita intelligendam esse, quod interdum liceat partem figuræ nominare, sicut in exemplis positis *Lumen, Vmbra, & Sol*, sunt partes horologii solaris: tota enim figura nullo unquam casu in lemmate exprimi potest, quia aliàs frustra adderetur figura, uti suprà notavimus. Unde in allatis exemplis pessimè diceretur; HOROLOGIUM NON LUMINE TANTUM; vel, IN HOROLOGIO NON CEDIT UMBRA SOLI. vel, HOROLOGIUM LUMINE SIGNAT, &c. An & quando possit in lemmate nominari figura. Pars nominari potest, non autem tota figura.

Epitheta & adjectiva ordinariè non admitti solent in lemmatîs: cùm enim hæc debeant esse succincta, & quantum fieri potest, restricta, omninò omnem cupiunt exclusam superfluitatem. A legis hujus rigore eximuntur soli versus, lemmatum loco in idiomate vernaculo assumpti; uti videre est in rosa, hanc præferente epigraphen; DESTAI A LO SPUNTAR DEL PRIMO RAGGIO. Id est; FLORET IN ORTU. Item in Rosa candida; NE DI LASCIVO AMOR MACHIATO HO', IL SENO. Id est; VENERIS NEC INFICIT OSTRUM. Et in Iride, cui subscriptum; IN FACCIA AL MIO BEL SOL M' E' RISO IL PIANTO. Id est; SOLIS AD ASPECTUM FORMAT MEA LACHRYMA RISUM, &c. Excluduntur epitheta & adjectiva.

Excluduntur etiam à lemmatîs duo verba, idem significantia; nisi fortassis unum illorum alterius debilitati sublevandæ, & conceptui magis explicando deserviret, uti fit in Cardui spinosi Emblemate, qui pannis poliendis ac complanandis adhibitus, epigraphen sustinet; EXPOLIT, ET LÆVIGAT. Et duo verba idem significantia.

Lemmata è quocunque idiomate formari possunt. Etsi verò D. Jovius magis probet exteræ linguæ lemmata, omninò tamen, qui & intelligi & placere desiderat, observare debet, ut idioma adhibeat usitatum, nec facilè recurrat ad voces ac characteres Græcos, Hebraicos, & Chaldaicos, qui si nonnullis, certè paucissimis sunt noti. Sit idiomatis noti.

Lemmata haud dubiè non sine ingenti decore ex voluminibus Poetarum, Historicorum, & Oratorum desumi possunt; sive dein accipiantur in eodem sensu ac conceptu, quem illi adhibebant; sive in alieno, ad conceptum vel similitudinem, ab eorum proposito diversam translato. Inde tamen non sequitur, quin lemmata ipsius etiam Symbolographi ingenio formari ac componi possint, cùm lemmatum splendor non ita pendeat ab Authoris antiquitate & gravitate, quantùm ab ipsiusmet lemmatis energiâ, gratia, & amœnitate, quam æquè à proprii nostri ingenii acumine recipere potest. Potest sive ex Scriptoribus, sive à proprio ingenio desumi.

Biralius, Bargalius, & alii Symbolographi è lemmatum orbitâ excludunt particulas, *hic, hinc, hoc, ita, sic*; adeò ut Abbas Ferrus nec similitudinis, nec comparationis modo admittat voculam *sic*, veluti quæ particulæ omnem lemmati amœnitatem auferunt, redduntque Emblema plenum insipido languore. Quæ particulæ excludantur à lemmate.

Potest esse affirmativum, negativum, & mixtum.

Lemmata possunt esse vel ex integro affirmativa, uti illud millo carnis muricato subjunctum; SAUCIAT, ET DEFENDIT; vel ex integro negativa, ut illud Camelo inditum; NEC IEIUNIO, NEC VIA. vel partim affirmativa, partim negativa, uti cygno, in aquis figurato, subscripsêre; ABLUOR, NON OBRUOR.

Admittit omnes modos.

Admittunt insuper omnes modos. Indicativum quidem, uti lemma pilæ subscriptum; PERCUSSUS ELEVOR. Imperativum; uti illud ignis, supra turrim positi; FERTE CITI FERRUM. Conjunctivum, quale est illud Ictidis, rutam in ore sustinentis; CAUTIUS UT PUGNET. Et denique optativum, quo modo ursæ, partum suum lambenti subscripsêre; UTINAM PERPOLIANTUR.

Optimum est in prima & tertia persona.

Optima tamen sunt, quæ vel in prima persona, prosopæiæ more introducunt figuram secum ipsâ ratiocinantem; uti cervus in flumine trajiciendo prænatans, cæteris vicinis cervis insequentibus, epigraphen tenet: PRÆNATO, SEQUENTUR. Chamæleon, supra serpentis caput lethalem destillans liquorem, mentem suam hoc lemmate explicat: MACTO, NON MANDUCO. Ovicula, versus oblatum viridem ramum currens, inscriptionem sustinet. SEQUOR ALLECTA. Vel etiam in tertia persona, quasi alius in figura depicta pronunciaret aut exhiberet peculiarem aliquam ipsius actionem & proprietatem. Sic horologium rotatum, è muro suspensum, epigraphen tenet: DANT PONDERA LEGEM. Arbor, falce incisa, cum lemmate: CEDIT VEGETIOR. Arbor, facilè incisa, cum lemmate; NASCENDO SENESCIT. In secunda persona vix ulla reperiuntur lemmatum exempla.

Fit ex verbis, adverbiis, nominibus. &c.

Construuntur etiam lemmata vel cum solis adverbiis: uti illud conspiciliis subjunctum: PROCUL ET PERSPICUE. vel cum solis nominibus, uti illud, Organo inditum: AURA, MANUSQUE SONUM. vel cum solis verbis, quale est lemma Ursi sub cœlo nubilo: SERENABIT. vel cum nominibus & verbis, uti est illud in horologio solari: IN UMBRA DESINO. vel denique cum verbis & adverbiis, uti fit in Emblemate solis: AFFLUENTER, ET NON IMPROPERAT. Et in Emblemate nubis, ad solis conspectum positæ. CITO DISSOLVAR.

Laudatur verbum suppressum.

Monosyllabis conditur lemma.

Denique probantur lemmata, in quibus verbum non exprimitur, sed subintelligitur: uti fit in Struthionis Emblemate, qui ova sua respiciens, Epigraphen tenet: OCULIS VITAM. Similem inscriptionem etiam fons in horto præfert: NATURA, ET ARTE. Furnus Campanus; HUMOR AB IGNE. Et alia plurima. Observandum præterea est, lemmata ab unicâ voculâ monosyllabâ plurimùm condimenti & suavitatis accipere. Ideæ loco habeto monocerotem, cum lemmate: PRÆ OCULIS IRA. Lunam dimidiatam. AT COELO REFULGET. Torcular typographicum: PREMAT, DUM IMPRIMAT. Quæ lemmata, si omissis monosyllabis, hoc modo formarentur, *Ante oculos ira. Verùm cælo refulget. Premat, modò imprimat*: haud dubiè multùm gratiæ & amœnitatis perderent.

§. V.

De Emblemate seu Symbolo heroico particulari.

EMblemata heroica gradum perfectionis habent longè nobiliorem, laudemque merentur ampliorem, si vel lemmate, vel figurâ, vel saltem alterutro repræsentent conditionem seu statum illius, cujus gratiâ constructum fuit Emblema; ludendo videlicet circa ipsius nomen, cognomen, aut arma gentilitia. Quantùm ad conditionem seu statum personæ attinet, si de Principe quodam Purpurato innuere velles, sanctas & virtuosas ipsius intentiones, hactenus occultatas, certò tempore manifestandas esse, purpureum globulum, in Rosa conclusum, depingeres, cum lemmate; SUB SOLE PATEBIT. Quantùm ad nomen, gratiosum se offert illud Amantis Emblema, qui à rapaci suâ amasia, cui Lauræ nomen, ad extremam paupertatem redactus, fruticem expressit, rosis ac frondibus destitutum; cum lemmate, COSI' L' AURA M' HA' CONCIO. Etsi verò lemma hoc gratiam suam in latino ob Lauræ nomen penitus amittat, poterit tamen illud ita explicari; SIC VENTUS, vel AURA NUDAVIT. Quantùm ad cognomen, nonnemo insignem victoriam, à magno Imperatore Austriaco, Carolo V. adversus Franciscum I. Galliarum Regem obtentam, repræsentaturus, nobili Emblemate lilium, Galliæ symbolum, depinxit, quod penitus marcescens ac languidum, hoc prætulit lemma; PERFLANTIBUS AUSTRIS. Quantùm ad arma gentilitia; Academici Parthenii Romani, cùm intelligerent, Eminentissimos Barberinos certum aliquod exercitium Rethoricum suâ præsentiâ condecoraturos, supra fores Academicas Emblematis loco pinxêre hortum floridum, cum lemmate; APES EXPECTAT. Barberini quippe in armis gentilitiis apes præferunt. Eâdem methodo Magnates Cremonenses, Domino Vigone ad sacram Cardinalium purpuram sublevato, è gentilitio Principis hujus scuto vitem sumpsêre, uvis onustam, & hoc lemmate insignem; MATURA RUBUIT. Quantùm denique ad cognomen & arma gentilia simul sumpta spectat; præclari exemplaris loco esto Emblema, ad honorem

honorem Cardinalis Veralo erectum, ubi è Principis hujus insignibus aqua cernebatur depicta, in aliquot rivulos sese effundens, & complures gentilitias ipsius rosas fœcundans; lemma ex ipsiusmet Cardinalis cognomine subjunxerunt; VER ALO.

His quod ulterius subjungam, non habeo; nisi id unum, quod generale cujusdam Academiæ symbolum formaturus, rem insinuare debeas non penitus perfectam, sed perfectionis adipiscendæ studiosam: nec in hunc finem erit corpus magis accommodatum, nisi quod vel ab ipsâ Academiâ, vel ab Academicis præfertur. Ad hæc ut symbolum illud sit undequaque perfectum, corporis loco res multas complecti debet, quæ ad unam duntaxat actionem simul concurrant, addito unico lemmate, concordiæ illius indice. Ita Academici Intenti Mediolanenses rotam aquariam, situlis undique circumdatam, præferunt; cum lemmate è Virgilio; LABOR OMNIBUS UNUS. Unanimes Salonenses, Symboli loco plurimas circum alveare volitantes apes tenent, addito Virgilii lemmate; OMNIBUS IDEM ARDOR. Academici sitibundi Neapolitani uvas in torculari compressas præferunt, quarum liquor pluribus locis profluens, in unum vas colligitur, cum lemmate è Virgilio; COIT OMNIS IN UNUM. Etsi verò hæc conditio non videatur simpliciter necessaria, plurimum tamen gratiæ ac laudis conciliat, potestque symbolum, ad hanc legem compositum, omnibus numeris dici absolutum.

Cæterùm quia in Mundo hoc Symbolico crebra recurrit mentio Academicorum *Intentorum, Intronatorum, Furfurariorum, Expergefactorum*, &c. idcircò ne in decursu vel hæreres, vel errares, consultum duxi, appendicis loco sequentia adjungere. Academiæ Italiæ, uti & ipsi Academici Itali, varia sibi imponunt nomina, & symbola nominibus convenientia sunt, qui nubem è mari sublatam adumbrent, cum inscripto lemmate; *Redit agmine dulci.* Quo profitentur, se haustam ex vastissimo studiorum mari, labore satis amaro, doctrinam, dulci eloquio in aures suorum, mentesque refundere. Unde hi Academici ab humore de nube stillante se ipsos cognominârunt *Humoristas. Intronati* Academici Senis in Hetruria, sole exiccatam, evacuatamque medullâ cucurbitam, quæ aperto hiat latere, atque illic apud rusticam plebem salis conditorium est, pro symbolo usurpant; juncta inscriptione, *Meliora latent.* Ut si Academiam suam conditorium aliquod sapientiæ esse crederent, quæ rudi foris apparatu, hanc, velut grana salis, intus possideret. *Furfurarios* Academicos Florentiæ reperimus, qui farinaceo cribro inscribunt, *Florem tritici meliorem secernit*; quasi selectiorem ipsi litterarum florem, à rudiori separent. Perusini, *Insensati* nomen promeriti, grues proponunt, lapillos falculis sustinentes: quò, velut navis saburrâ, contra ventum tempestatesque cursum per aera facilius moderentur, junctum lemma; *Vel cum pondere*, ut significent, laborem pondusque studiorum se minimè declinare, quo tutiorem sapientiæ & virtutis semitam teneant. *Auvinati*, qui firmi in urbe Picenâ versantur, apes mortuo ex bove promicantes habent; epigraphe addita est: *Alieno funere vitam*, quo se ab extinctâ Solutorum Academiâ natos fatentur, eleganti schemate. *Intenti* Mediolanenses Academici, rotam, situlis versatilibus de flumine aquas haurientem, præferunt, cum inscriptione: *Unà omnes*; hoc videlicet agimus, ut haustam aliis propinemus scientiam. *Intrepidi* Ferrariæ vivunt, & insignium loco prælum ostentant typographicum, præfixo titulo; *Premat, dum imprimat.* Nempe labore premi non recusant, dum imprimatur sapientia. Consule de his, aliisque insignibus symbolicis, Sylvestrum Petrosanctam lib. 9. Symb. Heroic.

ORDO
SEU
DISPOSITIO MUNDI SYMBOLICI, DIVISA IN SEX LINGUAS, LATInam, Germanicam, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam & Belgicam.

PARS I.
CORPORA NATURALIA.

LATINE.	*GERMANICE.*	*ITALICE.*	*GALLICE.*	*HISPANICE.*	*BELGICE.*
CORPORA Cœleſtia.	Himmliſche Ding.	CORPI Celeſti.	CORPS Celeſtes.	CVERPS Celeſtiales.	Hemelſche Dingen.

LIBER I.

Cœlum cap. 1	Himmel	Cielo	Le Ciel.	Cielo	*Hemel*
Lux cap. 2	Liecht	Luce	Lumiere	Lúz	*Licht*
Crepuſculum matutinum 3	Zeit zwiſchen Tag und Nacht	Alba	L'aube du jour	Crepuſculo	*Schemerlicht, het kricken oft quicken van den Dach*
Aurora 4	Morgenröth	Aurora	L'aurore	Alba	*Daegeraet*
Sol 5	Sonn	Sole	Soleil	Sol	*Sonne*
Sol in Zodiaco 6	So in im Thier-Krauß	Sole nel Zodiaco	Soleil en Zodiaque	Sol en Zodiaco	*Sonne in den Zodiacus*
Eclypſis Solis 7	Sonnē Finſternuß	Ecclisſi del Sole	Ecclipſe de Soleil	Eclipſe del Sol	*Ecclypſis oft duyſterniſſe der Sonne*
Luna 8	Mond	Luna	Lune	Luna	*Maen*
Eclypſis Lunæ 9	Mond-Finſternuß	Ecclisſi della Luna	Ecclipſe de Lune	Eclipſe de la Luna	*Ecclypſis oft duyſterniſſe der Maen*
Stellæ 10	Stern	Stelle	Eſtoiles	Eſtrellas	*Sterren*
Planetæ 11	Planet-Stern	Pianeti	Eſtoiles errantes	Planetas	*Planeten*
Saturnus	Saturnus	Saturno	Saturne	Saturno	*Saturnûs*
Venus, ſeu Lucifer vel Diana.	Venus	Venere, ò ſia Lucifero, ò Diana	Venus	Luzero	*Morgent- en Avend-ſterre*
Mercurius	Mercurius	Mercurio	Mercure	Mercurio	*Mercurius*
Signa Zodaici, & aliæ conſtellationes 12	Thierkraiß-Zaichē/ und andere Geſtirne	Segni Celeſti, e loro attenenti	Les Conſtellations du ciel & les etoiles leurs attenantes	Conſtellationes del Cielo	*Geſterrente, en teeken in den Hemel*
Hercules	Hercules	Alcide	Hercule	Hercul	*Hercules*
Hydrochus	Waſſer-Mann	Aquario	Le Verſe eau	Aguador	*VVater Spanvver*
Aquila	Adlerſt.rn	Aquila	L'Aigle	Aquila	*Den Arent*
Arcturus	Der groſſe Beer	Arturo	Le grande Ourſe		*Den grooten VVagen*
Syrius	Hunds-Stern	Cane	Le Chien, ou eſtoile de Chien	Canicula	*De Hondt-Sterre*
Caſtor & Pollux	Zwilling	Caſtore Polluce	Les Gemeaux	Caſtorcij Polluce	*De Tvvelinge*
Columba	Tauben-Stern	Columba	La Colombe	Paloma	*De Dúyve*
Corona Ariadnæ	Die Cron Ariader	Corona	La Couronne	Corona	*De Croone*
Crux	Creutz-Stern	Crociero	Croix	Cruz	*Het Crúys*
Phœnix	Vogel Phenix	Fenice	Le Phenix	Fenitz	*Den Phenix*
Cancer	Krebß	Granchio	L'Eſcreuiſſe	Cancer	*De Kreft*
Leo	Löw	Leone	Le Lion	Leon	*Den Leevv*
Orion	Orion	Orione	Orion	Orion	*Orton*
Arctos minor, & Cynoſura, ſeu Stella polaris	Der kleine Beer / und kleiner Heerwaagē des himels	Orſa, ſtella del Polo	La petitte Ourſe ou eſtoile du Nord	Eſtrella del polo	*De Noort Sterre oft den kleynen VVaegen*
Pegaſus	Flügel-Pferdt	Pegaſo	Le Pegaſe	Pegaſo Cavallo	*Het Vliegende Peerdt*
Perſeus	Perſeus	Perſeo	Perſée	Perſeo	*Perſeus*
Sagitta	Pfeil Stern	Saeta	La Fleche	Stecha	*Den Peyl*
Scorpius	Scorpion	Scorpione	Le Scorpion	Eſcorpion	*Scorpioen-ſterre*
Galaxia, ſeu via lactea 13	Milchſtraſſe	Galaſſia, via lattea	Le Cercle laicte	Circulo de Lecho	*De Melck-Straete*
Nox 14	Nacht	Nottte	La Nuict	Noche	*Den Nacht*

COR-

MVNDI SYMBOLICI

LIBER II.

Latinè.		*Germanicè.*	*Italicè.*	*Gallicè.*	*Hispanicè.*	*Belgicè.*
CORPORA Elementaria.		Elementarische Ding.	CORPI ELEmentari.	CORPS ELEmentaires.	CUERPOS Elementales.	*ELEMENTArische Dingen.*
IGNIS.		Fewr.	FUOCO.	FEU.	FUEGO.	*Vier.*
Ignis	1	Fewr	Fuoco	Feu	Fuego	*Vier*
Flamma	2	Flam	Fiamma	Flamme	Llama	*Vlamme*
Facula	3	Fackel	Fiaccola	Flambeau	Hachuela de Cera	*Fackel*
Titio, Lignum	4	Brand/Holtz	Tizzone	Tison	Tizon, Palo	*Vier-Brandt*
Carbo	5	Koll	Carbone	Charbou de feu	Carbon de fuego	*Kôol*
Fumus	6	Rauch	Fumo	Fumée	Humo	*Roock*
Cinis	7	Asche	Cenere	Cendre	Ceniza	*Aesche*
AER.		LUFT.	ARIA.	L'AIR.	AYRE.	*LOCHT.*
Vapor	8	Dampf/Nebel	Vapore, Nebbia	Vapeur	Nichia	*Nevel, Domp*
Nubes	9	Wolckh	Nube	Nueé	Nube	*VVolcke*
Pluvia	10	Regen	Pioggia	Pluye	Lluvia	*Regen*
Ros	11	Thaw	Rugiada	Roseé	Rozio	*Dauvv*
Manna	12	Himmel-Brodt	Manna	Manne	Manna del cielo	*Hemelsch-Broodt*
Nix	13	Schne	Neue	Neige	Nieve	*Sneeuvv*
Grando	14	Hagel	Grandine	Gresle	Granizo	*Hagel*
Glacies	15	Eyß	Ghiaccio	Glace	Yelo	*Eys*
Fulgur	16	Wetterleücht	Lampo	Esclair	El Relampago	*VVederlicht*
Fulmen	17	Strahl	Fulmine	Foudre	Rayo	*Blixem*
Iris	18	Regen-Bogen	Iride	L'arc en ciel	Arco en las nùves	*Regen-Boôg*
Cometes	19	Comet	Cometa	Comete	Cometa	*Comeet Sterre*
Ventus	20	Wind	Vento	Vent	Viento	*VVindt*
AQUA.		WASSER.	ACQUA	EAU.	AGUA.	*VVATER.*
Aquá, Bulla	21	Wasser / Wasser-Blaß	Acqua, Bolla	Eau Buillon	Agua, Ampolla	*VVater, Bobbel opt VVater*
Aquæ distillatæ	22	Gebrent-Wasser	Acque lambiccate	Eaux distilleés	Agùas distiladas	*Gedistilleerde VVaters*
Mare	23	Meer	Mare	La mer	Mar	*De Zee*
Flumen, Torrens	24	Fluß-Regenbach	Fiume, Torrente	Fleuue, Torrent	Rio, Corriente	*Riviere, Beêke*
Nilus, Fluvius	25	Der Nil	Fiume Nilo	Nil	Nilo, Rio	*Den Nil*
Fons	26	Bronn	Fonte	Fontaine	Fuente	*Fonteine*
Piscina, Piscina Siloe	27	Weyer	Piscina	Estang	Pisina	*Veyver*
Puteus	28	Galg-Brunn	Pozzo	Puis	Pozo	*Put*
TERRA.		ERDE.	TERRA.	LA TERRE.	TIERRA.	*EERDE.*
Terra	29	Erde	Terra	Terre	Tierra	*Eèrde*
Campus	30	Feld	Campo	Champ	Campo	*Veldt*
Mons, Tallis, Specus	31	Berg/Thal/Höle	Monte, Valle, Spelonca	Mont, Valleé, Cauerne	Montanna, Valle, Cueúa	*Bergh, Dal oft Valleye, Hol*
Æthna, Vesuvius, Abanus	32	Ethna/Vesuvius/Aban	Etna, Vesuvio, Apono	Etna, Vesuve, Abane	Montannas assillamadas	*Bergen alsoo genaempt*
Olympus Mons	33	Berg Olympus	Olimpe	Olympe	Olimpo Monte	*Oock eenen Bergh*
Insula	34	Insel	Isola	Isle	Ysla	*Een Eylandt*
Isthmus	35	Eng Erdtreich zwischen zweyen Meeren	Istmo	Estroit de terain entre dex eaux	Estrecho de tierra entre dos Mares	*Engde van Landt tusschen tvvee Zeen*
Scopulus	36	Spitziger Schrofe	Scoglio	E'cueil	Roca	*Een Klippe, Rotse*

LIBER III.

DII, ET HOMINES.	Götter und Menschen.	DEI, ET HUOmini.	DIEUX ET Hommes.	DIOSES, Y Hombres.	*GODEN EN Menschen.*

Cum sint nomina propria, sonant idem in omni lingua.

Ex Historiâ profana.

Actæon 1, Æneas 2, Æolus 3, Alexander, Nodus Gordius 4, Amor 5, Amphion 6, Antæus 7, Atalanta 8, Atlas 9, Cadmus 10, Caduceus 11, Chimera 12, Cornucopia 13, Dædalus 14, Danaides 15, Daphne 16, Diana 17, Fama 18, Fortuna 19, Ganymides 20

Geryon 21
Hercules 22
Janus 23
Jason 24
Icarus 25
Jupiter 26
Justitia 27
Ixion 28
Lycaon 29
Mars 30
Medusa 31
Mercurius 32
Midas 33
Minerva 34
Momus 35
Mors 36
Musæ 37
Neptunus 38
Orpheus 39
Pallas 40
Parcæ 41
Paris 42
Pegasus 43
Phaëton 44
Pluto 45
Prometheus 46
Protheus 47
Salmoneus 48
Saturnus 49
Sfinx 50
Silenus 51
Siren 52
Sisyphus 53
Tantalus 54
Theseus 55
Triptolemus 56
Tytius 57
Ulysses 58
Vulcanus 59

EX HISTORIA sacrâ Legis veteris.

Adamus 60
Eva 61
Abel 62
Cainus 63
Noëma 64
Enochus 65
Giganthes 66
Noë 67
Chamus 68
Sem & Japhet 69
Nemrodus 70
Ninus 71
Abrahamus 72
Loth 73
Ismael 74
Agar 75
Rebecca 76
Esau 77
Jacob 78
Dina 79
Josephus 80
Benjaminus 81
Job 82
Moses 83
Israeliticus populus 84
Pharao 85
Maria, soror Mosis 86
Josue & Caleb 87
Core, Dathan, & Abiron 88
Baalamus 89
Phinees 90
Raab 91
Achan 92
Sisara 93
Aodus 94
Gedeon 95
Ruth 96
Jephte 97
Samson 98
Samuel 99
Heli 100
Dagon 101
Saul 102
David 103
Abigail 104
Joab 105
Isbosethus 106
Achitophel 107
Absalon 108
Salomon 109
Roboam 110
Jeroboam 111
Addo Propheta 112
Elias 113
Achab 114
Naboth 115
Elisæus 116
Jezabel 117
Athalia 118
Joas 119
Amasias 120
Jonas 121
Ozias 122
Isaias 123
Ezechias 124
Sennacherib 125
Tobias 126
Manasses 127
Amon 128
Sedecias 129
Nabuzardan 130
Hieremias 131
Susanna 132
Daniel 133
Nabuchodonosor 134
Balthasar 135
Zorobabel 136
Juditha 137
Aman 138
Heliodorus 139
Matathias 140
Judas Machabæus 141
Eleazarus 142
Antiochus 143

EX HISTORIA sacrâ Legis novæ.

Æneas Paraliticus 144
Alexander 145
Ananias Discipulus 146
Ananias & Saphira 147
Anna Prophetissa 148
Apollo 149
Caiphas 150
Cornelius Centurio 151
Dionysius Areop 152
Elymas Magus 153
Hæmorrhoissa 154
Herodes 155
Jairus Princeps 156
Joannes Bapt. 157
Joannes Evangelista 158
Joseph Arimathæus 159
Joseph Barnabas 160
Judas prodit. 161
Lazarus 162
Longinus 163
Malchus 164
Maria Magdalena 165
Martha 166
Mathias Apostolus 167
Matthæus Apostolus 168
Nathanael 169
Nicodemus 170
Paulus Apostolus 171
Petrus Apostolus 172
Philippus Apostolus 173
Pilatus 174
Samaritana 175
Samaritanus 176
Simeon 177
Simon 178
Stephanus 179
Tabitha 180
Thomas Apostolus 181
Zachæus 182
Zacharias 183

Latinè.		*Germanicè.*	*Italicè.*	*Gallicè.*	*Hispanicè.*	*Belgicè.*
Caput	184	Haupt	Capo	Teste	Cabeza	*Hoofft*
Oculus	185	Aug	Occhio	Oeil	Ojo	*Oog*
Cor	186	Hertz	Cuore	Coeur	Corazon	*Herdt*
Manus	197	Handt	Mano	La Main	Mano	*De Handt*
Pes	188	Fueß	Piede	Pied	Pie	*Voet*

LIBER IV.

AVES.		Vögel.	UCELLI.	OISEAVX.	AVES.	*VOEGEL.*
Avis	1	Vogel	Ucello	Oiseau	Ave	*Vogel*
Accipiter	2	Habicht	Sparaviere	Esprevier	Gavilan	*Havick*
Alauda	3	Lerch	Allodola	Aloüette	Cogviada	*Leuvverke*
Alcyon	4	Eiß-Vogel	Alcione	Alcion	Alcion	*Eys-Vogel*
Anas	5	Ente	Anitra	Canard	Anade	*Ende*
Anser	6	Ganß	Oca	Oye	Ansar	*Ganse*
Apus	7	Meer-Schwalb	Apode	Martinet	Golõdrina cõ pies muy pequennos	*Svvalvve met Korte voeten*
Aquila	8	Adler	Aquila	Aigle	Aguila	*Arendt*
Ardea	9	Reyger	Airono	Heron	Garça	*Reyger*
Astur	10	Raub-Vogel	Astore	Astour	Vn genero de ave arrebatadora	*Greyp-Vogel*
Benicus	11	Benich	Benico			
Bistarda	12	Traper-Ganß	Bistarda	Outarde		
Bubo	13	Nacht-Eül	Barbagiani	Chat-Huant	Buho	*Nacht-Vyl*
Caprimulgus	14	Gaißmelcker	Caprimulgo	Tete-cheure	Chupador de las capras	*Geitemelker*
Carduelis	15	Distel-Vogel	Cardello	Chardonneret	Sirguerito	*Distel-Vinck*
Charadrius	16	Wasser-Vogel	Calandra	Vn grand oiseau de la mer	Grand ave de mar	*Grooten Zee-Vogel*
Charystia	17	Charist	Caristo		Pecho rozo	*Oyevaer*
Ciconia	18	Storch	Cicogna	Cigogne	Cigvenna	*Koe kKoeck*
Coccyx	19	Guckh Guckh	Coccice	Cocu, ou Coucu	Cuclillo	*Duyve*
Columba, Palumbes	20	Taub / Holtz-Taub	Columba	Pigeon	Pulomo	*Kraeye*
Cornix	21	Khrä	Cornaccia	Corrneille	Corneja	*Raeve*
Corvus	22	Rapp	Corvo	Corbeau	Cuervo	*Quackel*
Coturnix	23	Wachtel	Coturnice, Starna	Caille	Codornix	*Koeckoeck*
Cuculus	24	Guckhguckh	Cuculo	Coucou	Cuclillo	

Cygnus

Latinè.		*Germanicè.*	*Italicè.*	*Gallicè.*	*Hispanicè.*	*Belgicè.*
Cygnus	25	Schwan	Cigno	Cygne	Cisne	*Svvaene*
Draica	26	Draach	Draica			
Falco	27	Falckh	Falcone	Faucon	Halcon	*Valck*
Fringilla	28	Finckh	Fringuello	Pinson	Pinchon	*Vincke*
Fulica	29	Taucher	Folega	Fouque	Cerceta	*Mercoete*
Gallina glociens	30	Henne	Gallina chioccia	Poule	Polla	*Henne*
Gallinago	31	Schnepf	Gallinaccia	Beccasse	Gallinaciega o Ganga	*Sneppe*
Gallopavus, Gallus Indicus	32	Indianischer Han	Gallo d' India	Coq d' Inde	Gallina morisca, o de Indias	*Kalkoen, of t Kalekoutschen Haen*
Gallus, Capus	33	Han/Capaun	Gallo	Coq, Chapon	Gallo	*Haen, Kapuyn*
Glottis	34	Wachtel-König	Glottide	Calandre, Roy des Cailles	Calandria	*Quackel-Konick*
Grus	35	Kranich	Grue	Grüe	Grua	*Kraene*
Gryphus	36	Greiff	Griffone	Griffon	Griphos	*Greiffhoen*
Hirundo	37	Schwalb	Rondine	Herondelle	Golondrina	*Svvalme Svvalvve*
Ibis	38		Ibide		Ybis	*Ibis*
Loxia	39	Creütz-Vogel	Lossia	Ouseau de nuict	Mochvelo	*Loxia, oft Ravē bek*
Lucida, seu avis resplendens	40	Schein-Vogel	Uccello risplendente	Oiseaure luisant	Ave resplandesciente	*Schein-Vogel*
Mergus	41	Taucher	Mergo	Plongeon	Cuervo Marino	*Duycker*
Merops	42	Grünsspecht	Picchio	Piuert ou Pic	El Pico	*Specht*
Merula	43	Amsel	Merlo	Merle	La Mierla	*Meerle*
Monocodiata	44	Paradeyß-Vogel	Manucodiata	Oiseau de Paradis	Paxarodel Parayso	*Paradeys-Vogel*
Morfex	45	Duck-Vogel	Morfice			*Duiker*
Noctua	46	Nacht-Vogel	Civetta	Chouette	Lechuza	*Nacht-Euyl*
Onocrotalus	47	Schnergans	Grotto	Butor	Croto, o Caladrino	*Vogelhyn*
Otus seu Asio	48	Kautz	Dugo		Mochvelo	*Een soorte vā Eulye*
Passer	49	Spatz	Passero	Moineau	Elgorrion	*Mussch*
Passer solitarius	50	Specht	Passero solitario	Passereau solitaire	Pico	*Specht*
Pavo	51	Pfau	Pavone	Paon	Pavo, o Pavon	*Pauvv*
Pelicanus	52	Pelican	Pelicano	Pelican	Pelicano	*Pelican*
Perdix	53	Rebhun	Pernice	Perdrix	Perdiz	*Perdreys oft Veldthoen*
Phasianus	54	Fasan-Vogel	Fagiano	Faisan'	Fayzan	*Faisant*
Philomela	55	Nachtigall	Rossignuolo	Rossignol	Ruy-Senol	*Nachtigâal*
Phœnix	56	Phenix	Fenice	Phenix	Ave Fenix	*Phenix*
Pica	57	Alster	Gazza, Pica	Pie	Picaza	*Exter*
Pintadellus	58		Pintadello			
Psittacus	59	Papagey	Papagallo	Papegay	Papagio	*Papegey*
Seleucis	60		Saleucide			
Struthio	61	Strauß-Vogel	Struzzo	Autruche	Avestraz	*Struys-Vogel*
Tinnunculus	62	Wannenweher	Pandajolo	Crecerelle	Alfaneque	*Busard, Vogel die de Duuven beschermt tegen den Gryp-Vogel*
Trochilus	63	Zaunschlupfferin	Trochilo	Roitelet	Scheriziolo	*Koninckskẽn*
Turtur	64	Turteltaube	Tortore	Tourtúrelle	Tortola	*Turteldwyf*
Vanellus	65	Kiwitz	Vanetta	Dis-vit, ou Vāneau		*Kiuitz*
Vespertilio	66	Fledermauß	Pipistrello	Chaure sours	Murcielago	*Vleder-Muys*
Upupa	67	Widhopf	Upupa	Hupe	Habubilla	*Houppe*
Vultur	68	Geyer	Avoltoio	Vautour	Buyetre	*Gier*
Ala	69	Flügel	Ala	Eile	Ala	*Vleugel*
Decipula	70	Vogelschlag	Gabbia	Cage	Gavia	*Vogel-Slach*
Nidus	71	Nest	Nido	Nid	Nido	*Nest*
Ovum	72	Ey	Vouo	Oeuf	Huevo	*Ey*
Penna	73	Feder	Penna	Plume	Pluma	*Pluyme*

LIBER V.

QUADRUPEDIA.		Vierfüssige Thier.	QUADRUPEDI.	BESTES A quatre Pieds.	QUADRUPEDES	*VIER-VOETIGE DIEREN.*
Agnus	1	Lamb	Agnello	Agneau	Cordero	*Lam*
Alces	2	Elendt-Thier	Alce	Elant	Alce	*Elant*
Aper, Dens Aprinus	3	Wild-Schwein/ dessen Zahn	Cinghiale, Dente di Cinghiale	Sangliet, Dent de Sangliers	Puerco montes, Diente de puerco montes	*VVilt-Vercken, den Tandt van een VVilt-Svvyn*
Aries	4	Wider	Montone	Belier	Carnero	*Ram*
Asinus	5	Esel	Asino.	Asne	Asno	*Esel*
Bison	6	Büffel	Bisonte	Buflle	Bufalo	*Buffel*
Bos, Vacca	7	Ochß	Bue	Boeuf	Buey	*Os, Koe*

Buce-

ORDO SEV DISPOSITIO

Latinè,		Germanicè.	Italicè.	Gallicè.	Hispanicè.	*Belgicè.*
Bucephalus	8	Pferdt Alexandri	Bucefalo	Cheval d' Alexandre	Cavallo de Alexandro	*Het Peert van Alexander*
Camelus	9	Camelthier	Camelo	Chameau	Camello	*Kamel*
Canis, Millus	10	Hund / Halßring der Hund	Cane, Collare da Cane	Chien, Collier de Chien	Perro, Collar del Can concurãcas	*Hondt, synen Halſband*
Capra, Caper	11	Gaiß / Gaißbock	Capra, Capretto	Cheure, Cheureau	Cabra, Cabrito	*Geyte, Geytenbock*
Capreolus	12	Rechbockh	Caprivolo	Cheureul	Cabramontes	*Ree-Bock*
Capricornus	13	Steinbockh	Capricorno	Capricorne	Capricorno	*Steen-Bock*
Castor, seu Fiber	14	Biber	Castoro	Castor	Castor animal	*Bever*
Cervus	15	Hirsch	Cervo	Cerf	Ciervo	*Herdt*
Cuniculus	16	Künigklein	Coniglio	Conil	Coneio	*Koneyn*
Cynocephalus	17	Aff mit einem Hundts Kopf	Cinoccefalo			*Cynckephalus, Aap met ein Hődts Kop*
Dama	18	Damm-Hirsch	Damma	Daim	Gamo, Cabra montes	*Dainken*
Elephas, Ebur	19	Elephãt / Helfebein	Elefante, Auorio	Elephant, Yuoire	Elefante, Marfil	*Olifant, Yvoir*
Equus, Equus Trojanus	20	Pferdt / Trojanisch-Pferdt	Cavallo, Cavallo Trojano	Cheval, Cheval de Troye	Cavallo	*Peert, het Peerdt van Troyen*
Erinaceus	21	Igel	Riccio spinoso	Herisson	Erizo	*Egel*
Felis	22	Katz	Gatto	Chat	Gatto	*Katte*
Glis	23	Ratz	Ghito	Loir	Liron	*Velt-Muyse*
Hyæna	24	Vilfraß	Hiena			
Ictis	25	Iltis	Donnola	Marte	Hurõn, o Manta	*Mater*
Leo	26	Löw	Leone	Lion	Leon	*Leuvv*
Leopardus, Pardus	27	Leopard	Leopardo, Pardo	Leopard	Pardo animal	*Luypaerdt*
Lepus	28	Haaß	Lepre	Lieure	Liebre	*Haes*
Lupus	29	Wolff	Lupo	Loup	Lobo	*VVolf*
Lutra	30	Otter	Lontra	Loutre	Nutria	*Otter*
Lynx	31	Luchs	Lupo cerviero, Lince	Loup cervier	Lobo cerval	*Los, Dier dat seer scherp siet*
Manticora	32	Groß-Meer-Katz	Manticora			*Groote Meerkat*
Melis, seu Taxo	33	Dachs	Tasso	Taisson	Texon	*Daſſ*
Monoceros	34	Einhorn	Alicorno	Licorne	Unicornio	*Ein-Horen*
Mula, Mulus	35	Maul-Esel	Mula, Mulo	Mule, Mulet	Mula, Mulo	*Muyl, Muyl-Esel*
Mustela Alpina	36	Hermelin	Armellino	Hermine	Arminno	*Hermeleyn*
Oryx	37	Wilde Geiß	Orige	Chevreüil d' Egypte	Cabra d'Egypte	*VVilde Geyte van Egypten*
Ovis, Lana, Vellus aureum	38	Schaaff-Woll / Guldinwoll	Pecora, Lana, Vello d'oro	Brebis, Laine, Toison d'or	Oveia, Lana, Vello d'oro	*Schaep, VVol, Gulden Vlies*
Panthera	39	Panter-Thier	Pantera	Panthere	Pantera animal	*Panter-Dier*
Phaina	40	Pham	Faina	Foüine	Fuyna	*Flouvveyn*
Porcus	41	Schwein	Porco	Pourceau	Puerco	*Verken, Svveyn*
Rhinoceros	42	Nasenhorn	Rinocerote	Rinoceros	Nynocerõte	*Neus-horen*
Rupicapra	43	Gembs	Camozza	Cheurevil	Cabra Silvestre	*VVilde Geyte*
Sciurus	44	Eich-Horn	Scoiattolo	Ecurieu	Harda	*Eyckhorentie*
Simia	45	Aff	Simia	Singe	Ximios	*Aep, Simme*
Taurus, Taurus Perilli	46	Stier	Toro, Toro di Perillo	Taureau	Tauro	*Stier*
Tigris	47	Tiger-Thier	Tigre	Tigre	La tigra	*Tyger*
Ursus	48	Bär	Orso	Ours	Osso	*Beer*
Urus	49	Brochs	Vro	Boeuf savuage	Buey sylvestre	*VVilden Os*
Vulpes	50	Fuchs	Volpe	Renard	Zorra	*Vos*

LIBER VI.

PISCES.		Fisch.	PESCI.	POISSONS.	PECES.	*VISCHEN.*
Piscis	1	Fisch	Pesce	Poisson	Pescado	*Visch*
Arcanan	2		Acarnane			*Akarnanes*
Anguilla	3	Aal	Anguilla	Anguille	Anguilla	*Palinck, Ael*
Anthia	4		Anthia			*Anthia oft Rondkop*
Apua	5	Schneider-Fischlein	Apue	Petit poisson, ou Anchoye	Cabeçudo	*Spierinck*
Aquila	6	Adler-Fisch	Aguglia	Aiglè de Mer	Aquila pescado	*VVater-Arent*
Asellus	7	Stockfisch	Asello	Cabileau, Cabilieausecche	Pexepalo	*Stockvisch, Cabiliauvv*
Balæna	8	Waalfisch	Balena	Baleine	Ballena	*VValvisch*
Barbus	9	Barb	Barbo	Barbeau	Barbo	*Barbeel*

Callio

Latinè.	*Germanicè.*	*Italicè.*	*Gallicè.*	*Hispanicè.*	*Belgicè.*
Callionymus, seu Uranoscopus 10	Himmelseher	Callionimo	Poisson, qui n'a qu'on ocile	Pescado un ojo	*Hemel-Kycker, Visch met eene Oege op den Kop.*
Gammarus 11	Meerkrebß	Gambaro	Langouste	Gammaio	*EenSoorte vanKrab.*
Cancellus 12	Kerbslein	Cancello			*Krabbe*
Cancer 13	Krebß	Granchio	E'creviſſe	Congregio	*Krefft*
Cephalus, seu Mugil 14	Großkopfer Meer-Fisch	Cefalo, Muggine	Muge	Muxol	*Dick-Kop*
Channe 15		Cane			*Channe oft Ginvisch*
Conchilyum 16	Schal-Fisch	Conchiglia	Coquille	Concha marina	*Schelpe daer de peerlen vvassen.*
Crocodillus 17	Crocodil	Cocodrillo	Crocodile	Crocaditz	*Crocodil*
Cyprinus, seu Carpus 18	Karpf	Carpione	Carpeau	Carpa	*Karpf*
Delphinus 19	Delphin	Delphino	Dauphin	Deifin	*Dolfyn*
Echinus Marinus 20	Meer-Igel	Riccio de mare	Herisson de Mer	Erizo de Mar	*Zee-Egel*
Ensis, seu Xiphias 21	Schwert-Fisch	Spada			*Schvveert-Visch*
Episcopus 22	Bischoff-Fisch	Vescovo			*Biscops-Visch*
Glanis 23	Rhein Fisch	Glano			*Ryn-Visch*
Hippotamus 24	Wasser-Pferdt	Ippotamo	Cheval d'Eau	Cavalio de aqua	*Zee-Peerdt*
Hirundo 25	Meer-Schwalb	Rondine	Heronde de Mer	Golondrina de Mar	*Zee-Svvalvve, vliegenden Visch*
Lucerna 26		Lucerna			
Lucius, seu Lupus 27	Hecht	Luccio	Brochet	Lucio	*Snoeck*
Melanurus 28		Melanuro			*Brand-Brasem*
Monachus 29	Münch	Monaco	Meine poisson		*Munick-Visch*
Muræna 30	Meeraal	Murena	Murene	Morena	*Meeraal*
Nautilus 31		Nautilo			
Orata, seu Aurata 32	Ein art von Forelle oder Goldföhre	Orata	Dorade	Doradilla	*Forelle*
Pastinaca 33		Pastinaca	Pastenade	Canahoria	*Pastinaka Marina*
Perangnolus 34		Petragnoli			
Phoca, seu Vitulus marinus 35	Meer-Kalb	Vitel marino	Veau Marin	Lobo Marino	*Zee-Kalf*
Polypus 36		Polpo	Poulpe	Pulpo	
Pompylus 37		Pompilo			*Leitvisch*
Purpura 38	Purpur-Fisch	Porpora	Pourpe	Purpura	*Purpur*
Rana 39	Frosch	Rana	Grenoiiille	Rana	*Vors*
Remora, seu Eschineis 40		Remora			*VValvisch - Leider oft Schip-stütter*
Salomo 41	Salm	Salmone	Saumon	Salmon	*Salm*
Sarda 42	Sardel	Sarde	Sardelle	Sardas	*Sardel*
Sargus 43		Sargo		Sargo	*Sarkus*
Scarus 44	Meerbrächß	Scaro			*Meer-Brachsmen*
Scolopendra 45		Scolopendra	Scolopandre	Scolopendra	*Meer-Svvyn*
Sepia, seu Loligo 46	Dieten-Fisch	Sepia	Seche	Laxibia pescado	*Spaensche Zee-Katte*
Silurus 47	Schaid	Siluro			
Spongia 48	Schwamme	Spugna	Esponge	Esponga	*Spongie*
Stella 49	Stern-Fisch	Stella	Estoile poisson	Estrella pesse	*Sterren-Visch*
Testudo 50	Schild-Krot	Tartaruca. Testuggine	Tortue	Tortuga	*Schilt-padde*
Thynnus 51	Thunnus oder Thon-Fisch	Tonno	Thon	Atun	*Mey-Visch van de Middellantsche Zee*
Torpedo 52	Krampf-Fisch	Torpedine	Torpin	Torpedine	*Kramp-Visch*
Truta 53	Forell	Trota	Truitte	Trucha	*Truyte*
SERPENTES, & animalia venenata.	Schlangen / und vergiffte Thier.	SERPENTI, & animali velenosi.	LES SERPENS, & les animaux venimeux	SERPENTES y animales, que tienen veneno.	*SLANGEN EN Venynighe Dieren.*

LIBER VII.

Amphisbæna 1	Schlang mit zweyen Köpfen	Amfisibena	Serpens à deux testes	Amphibasana, que tine dos cabecas	*Slange, met tvve Hoofden*
Aspis 2	Aspis	Aspido	Aspic	Bivora	*Slange, Aspis genaemt*

Basiliscus

Latinè.	*Germanicè.*	*Italicè.*	*Gallicè.*	*Hispanicè.*	*Belgicè.*
Basiliscus 3	Basilisk	Basilisco	Basilic	Basilisco	*Basiliscus*
Bufo 4	Krott	Rospo	Crapaud	Gappo	*Padde*
Draco 5	Drach	Drago	Dragon	Dragón	*Draeck*
Hydra 6	Wasser-Schlang	Idra	Hydre	Hydra	*VVater-Slange Hyder*
Scorpius 7	Scorpion	Scorpione	Scorpion	Escorpion	*Schorpioen*
Serpens 8	Schlang	Serpe	Serpent	Serpiente	*Slange, Serpent*
Tarantula, seu Phalangium, & Stellio 9	Ein gattung Spinnen	Tarantola	Tarantule	Tarantula	*Soorten van venyge Dierkens*
Vipera 10	Natter	Vipera	Vipere	Bivora	*Adder-Slange*
INSECTA:	Unzifer	ANIMALI imperfetti.	INSECTES.	ANIMALES Cernidos.	

LIBER VIII.

Apis. Mel. Cera 8	Imme/ Honig/ Wachs	Ape, Mel, Cera	Abeille, Miel, Ciere	Aueia, Miel, Cera	*Bie, Honick, VVas*
Araneus 2	Spinne	Ragno	Aragnée	Aránna	*Spinne, Spinnekop*
Bombex, Globulus bombycinus 3	Seidenwurm	Bace, Bombice bozzolo	Ver à soye	Gusano de Seda	*Seyd-VVorm*
Bruchus 4	Krautwurm	Bruco, Ruga	Chenille	Oruga	*Kruyd-VVorm*
Chamælcon 5	Chameleon	Camalconte	Camelcon	Cameléon	*Camcleon*
Cicada 6	Hewschröckh	Cicala	Cigale	Cigaira	*Krekel*
Cicindela 7	Liechtmuckh	Lucciola	Ver luisant de nuict	La Luçiernega	*VVormken, dat in den Nacht licht*
Cochlea, Limax 8	Schneckh	Chiocciola, Lumaca	Limaçon	Caracol	*Slecke, Sleck-Huys*
Crabo, Scarabæus 9	Wespe/Roßkäfer	Calabrone, Scarafaggio	Escarbot	Escaravajo	*Horsel, Peerdts-Vliege*
Formica 10	Omaiß	Formica	Fourmy	Hormiga	*Miere*
Hirudo, Sanguisuga 11	Eigel	Sanguissuga	Sang Süe	Sanguit vela	*Echel, Bloetsuyger*
Ichneumon 12	Indianische Mauß	Elidro, Icneumone	Rat d'Inde	Raton de India	*Indiaensche Muys*
Lacerta 13	Eydex	Ramarro	Laisarde	Lagaro	*Haegdisse*
Locusta 14	Hewschröckh	Locusta Cavalleta	Sauterelle	Lagosta	*Sprinck-Haen*
Mus, Muscipula 15	Mauß/ Maußfalle	Topo, Trappola	Souris, Trape	Raton. Trampa	*Muys, Muyse-valle*
Musca 16	Fliege	Mosca	Mousche	Mosca	*Vliege*
Papilio 17	Feinfalter	Farfalla	Papillon	Mariposa	*Pepel oft Motte*
Pyrausta 18	Feurwürmlein	Pirausta	Petit verre qui vit dans ou pres le feu	Verme, el qual vibe en ol fuego o circa d'el	*Vier-VVormken*
Salamandra 19	Salamander	Salamandra	Salamandre	Salamandra	*Salamander*
Talpa 20	Maulwurff	Talpa	Taulpe	Topo	*Mol*
Vespa, Fabanus, seu Asilus 21	Wespe / Roß-Brem	Vespa, Taffano	Guespe, Tahon	Abispa, Tavano	*VVespe, Peerdts-Vliege oft Horsel*
ARBORES, ET fructus.	Baumgewächs und dero Frucht.	PIANTE, E Frutti.	ARBRES ET Fruits.	ARBOLES Y Fructos.	*BOOMEN EN Vruchten.*

LIBER IX.

Abies 1	Tannenbaum	Abete	Sapin	Abeto	*Denen-Boom, Maest-Boom*
Agnus castus, seu Vitex 2	Schafmüle	Agnoscasto	Agnus-castus	Sauzegarillo	*Agnus-castus*
Amygdalus 3	Mandelbaum	Mandolo	Amandier	Almendro	*Amandel-[illegible]*
Arbor, Planta 4	Baum/ Gewächs von Bäumen	Albero	Arbre, Plantes des Arbres	Arbol	*Boom, Plan[illegible]*
Arundo, Mel arundineum 5	Rohr/ Zucker Candi	Canna, Cannamele	Canne	Canna	*Riete, Riete-Suycker gekocht, heedt Suycker-Kandys*
Avarantium 6	Pomeranzen	Arancio	Oranger	Naranja	*Oragnie Boom oft Appel*
Balsamum 7	Balsam	Balsamo	Baume	Balsamo	*Balsem*
Castanea 8	Castanien	Castagno, castagna	Châtagne	Castanna	*Castanien-Boom*

Cedrus

Latinè.		*Germanicè.*	*Italicè.*	*Gallicè.*	*Hispanicè.*	*Belgicè.*
Cedrus	9	Cederbaum	Cedro	Cedre	Cedro	*Ceder-Boom*
Cerrus	10	Cyrenenbaum	Cerro	Hétre	Haya, Arbol	
Cydoneus	11	Küttenbaum	Cotogno	Pomme de coin	Membrillo	*Queden-Boom*
Cypressus	12	Cypressenbaum	Cipresso	Cypretz	Cipres	*Cypres-Boom*
Ficus, Caprificus, Ficus Indica, Ægyptia seu Sycomarus	13	Feigenbaum/ Wilder-Feigenbaum/ Indianischer Fiegenbaum/ Maulbeer-Fiegenbaum	Fico, Fico, Salvatico, Fico d'India, Fico d'Egitto	Figuier, Figuier Saúvage, Figuier d'Inde, Figuier d'Egypte, ou ficomore	Higuera, Caprahigo, Haguera d' India, de Egipto, o Sicomore	*Veygen-Boom. VVilde Veygen-Boom, Indiaenische Veygen-Boom, Egiptische*
Fraxinus	14	Esch baum	Frassino	Fresne	Fretzno	*Eschen-Boom*
Hedera	15	Epheü	Ellera	Licrre	Yedra	*Aerdt-Veyle, Aerdt-Vúl*
Laurus	16	Lorbeerbaum	Alloro	Laurier	Laurel	*Laurier-Boom*
Larix	17	Lerchenbaum	Larice	Larege	Arze arbol	*Lercken-Boom*
Lignum, Baculus, Virga	18	Holtz / Stäckh/ Rueth	Legno, Bastona, Verga	Bois, Baston, Baguette	Lenna, Baston, Vara	*Havvdt, Stock, Roede*
Malus Punica, seu Granata	19	Granat-Apfelbaum	Granato	Grenadier	La Granada	*Granaet-Appel-Boom*
Mespilus	20	Mispelbaum	Mespolo	Mesplier	Mespero	*Mispel-Boom*
Morus	21	Maulbeerbaum	Gelso-Moro	Meurier	Moral	*Moer-bessen-Boom*
Myrrha	22	Myrrhen	Mirra	Myrrhe	Mirra	*Myrrhe*
Myrthus	23	Heidelbeer Staudē	Mirto	Myrte	Arrayhan	*Myrthus-Boom*
Nux	24	Nuß-Baum	Noce	Noix	Nogal	*Noten-Boom*
Olea, Oliva	25	Oelbaum / Oelbeer	Ulivo	Olivier	Olivo, Azeytuno	*Oleyven-Boom*
Palma	26	Palmbaum	Palma	Palmier	Palma	*Palm-Boom, Dadel-Boom*
Persicus & Persicum	27	Pferschich-baum/ Pfersich	Pesco, Pesca, Persico	Peschier	Prischal	*Persen-boom*
Pinus, Nux pinea	28	Ferich.nbaum/ Zirbl-Nuß	Pigna, Pino	Pin	Pino	*Pynboom, Pyn Appel*
Piper	29	Pfeffer	Pepe	Poiure	Pimienta	*Peper*
Platanus	30	Ahorn	Platano	Plane	Platano	*Plaen-boom*
Pomus, Poma aurea	31	Apfelbaum / Gulden Apfel	Pomo	Pomme	Mançana	*Appel, Appelboom*
Quercus, Robur, Glans	32	Eichbaum/ Hag-eich/Eichel	Quercia, Rovere, Ghianda	Chesne, Roure, Gland	Entzina, Roble, Bellotta	*Eyck, Struyck-Eyck, Eyckel*
Ramus	33	Zweig	Ramo	Rameau	Ramo	*Tack*
Rubus	34	Prombeer-Staud	Rubo	Ronce	Carca	*Breeme*
Salix	35	Felberbaum	Salcio	Saulx	Saúze	*VVilgen*
Sorbus	36	Spölingbaum	Sorbe	Sorbier	Serval	*Sorbenboom*
Spina	37	Dorn	Spina	Epine	Espina	*Doeren*
Suber	38	Pantoffel-Holtz	Suvero	Liege	Alcornoque	*Vlot - Havvdt, Korck*
Surculus inoculatus	39	Pelß-Zweig	Innesto	Ce qui est enté	Enxerto	*Ente, occulatie*
Sylva	40	Wald	Bosco. Selva	Forest	Selva	*Bosch*
Taxus	41	Xibenbaum	Tasso	If	Texo	*Ibenboom*
Tilia	42	Lindenbaum	Tiglio	Teil, Tillet	Teja	*Linde*
Truncus	43	Stockh	Tronco	Tronc	Troncon	*Tronck*
Vitis, Uva, Vinum	44	Weinreb/ Weintraub/Wein	Vite, Uva, Vino	Cep de vigne, Raisin, Vin	Vid, Uva, Vino	*VVyngaert-ranck, Druyve, VVeyn*
Ulmus	45	Ulmenbaum	Olmo	Orme	Olmo	*Olm*

LIBER X.

HERBÆ.		Kreüter.	ERBE.	HERBES.	YERVAS.	*KRVYDEN.*
Acanthus	1	Bärenklau	Acanto	Acanthe, ou Bianche, Ursine	Acanto	*Berenklauvve*
Aconitum	2	Wolffskraut	Aconito	Aconit	Aconito	*VVolfs-Kruyd*
Coſmas Damianus Hortulanus Can. Reg.
Coſmas Hieroſolymitanus
Coſtalius
S. Cyprianus
S. Cyrillus Alexandrinus
S. Cyrillus Hieroſolymitanus
Cyrus di Pers

D.

S. DAmaſus
Daniel Bartolus
R. David
David Chitræus
Democritus
Demoſthenes
S. Diacodus
Didacus Baeza
Didacus Caſtillius
Didacus Celada
Didacus Saavedra
Diodorus Siculus
Diogenes
Diogenes Laertius
Dion
Dion Caſſius
Dion Chryſoſtomus
S. Dionyſius Areopagita
Dionyſius Cartuſianus
Dioſcorides
Dominicus Biſſelius Can. Reg.
S. Dorotheus
Drogo Hoſtienſis

E.

ECcleſia Franciſcana
Edmundus Campianus
Egeſippus
S. Eleutherius
Elias Cretenſis
Elius Spartianus
Emanuel Naxera
Emanuel Theſaurus

B. Enno-

B. Ennodius
Epicarmus
S. Ephræm Syrus
Epictetus
S. Epiphanius
Erasmus
Ericus
Eschilus
Evagrius
S. Evaristus
S. Eucherius Can. Reg.
Euripides
S. Eusebius Emyssenus
Eusebius Gallicanus
Eustatius
Euthymius
Eutropius

F.

FAmianus Strada
Fasti Mariani
Faustus Andrelinus
Faustus Sabæus
Faustinus Presbyter
Ferdinandus Quirinus Salazar
Flavius Vopiscus
S. Franciscus
S. Franciscus Borgia
Franciscus Bracciolinus
Franciscus Maldonatus
Franciscus Mendoza
Franciscus Patritius
Franciscus Petrarcha
Franciscus Philelphus
Franciscus Pona
Franciscus Remondus
Franciscus Ribera
S. Franciscus Salesius
Franciscus Sbarra
Franciscus Suarez
Franciscus Titelmannus
Franciscus Toletus
Franco Abbas
Fulbertus Carnotensis
S. Fulgentius
Fulvius Testi

G.

GAbriel Chabrera
Gabriel Flamma Can. Reg.
Gabriel de S. Maria
Gabriel Pennotus Can. Reg.
Galleazzius Gualdus
Galenus
Galfridus
Gaspar Sanctius
Gaspar Schottus
S. Gaudentius
Georgia de Montenai
Georgius Agricola
Georgius Camerarius
Georgius Codinus
Georgius Heserus
Georgius Pisida
Georgius Vasari
Georgius Venetus
Glossa interlinearis
Glossa ordinaria
Goffridus Abbas
Gratianus Legista
Gregorius Bolzi
Gregorius Brunellus Can. Reg.
Gregorius Comaninus Can. Reg.
S. Gregorius Magnus
S. Gregorius Nazianzenus
S. Gregorius Nyssenus
S. Gregorius Thaumaturgus
Gregorius Turonensis
Guerricus Abbas
Guidobaldus Bonarelli
Guido Casonius
Guido Vanninus
Guilielmus Esthius
Guilielmus Lamormainus
Guilielmus Barclaius
Guilielmus Parisiensis

H.

R. HAcrados
Hamerus
Haymo
Henricus Farnesius
Hermannus Hugo
Herodianus
Herodotus
Hesichius
Hesiodus
Hector Boethius
Hector Pintus
Hieremias Drexelius
S. Hieronymus
Hieronymus Cardanus
Hieronymus Gratianus
Hieronimus Mercurialis
Hieronymus Oleaster
Hieronymus Porti
Hieronymus Presbyter
S. Hilarius
Hincmarus
Homerus
Honorius
Horatius
Horatius Tursellinus
Hortensius Pallavicinus
Hugo Cardinalis
Hugo de S. Victore Can. Reg.
Hymni Græci
Hyppocrates
Hyppolitus Tagliapetra

I.

JAcobus Balde
Jacobus Bidermannus
Jacobus Billius
Jacobus Bruck
Jacobus Cassius
Jacobus Certanus Can. Reg.
Jacobus Gaddi
Jacobus Salianus
Jacobus Sannazarius
Jacobus Spiegelius
Jacobus de Valentia
Jacobus de Vitriaco
Jamblicus
Janus Nicius
Idiota Can. Reg.
S. Ignatius Loyola
S. Ignatius Martyr
Ildebertus Abbas
Ildebertus Episcopus
S. Ildephonsus Can. Reg.
Innocentius III. Can. Reg.
Joachimus Estreham
Joannes Augustinus Cengveglia
Joannes Andreas Alberti
Joannes Audenus
Joannes Barclaius
Joannes Baptista Bargioccus
Joannes Baptista Bartolus
Joannes Baptista Laurus
Joannes Baptista Marinus
Joannes Baptista Masculus
Joannes Boterus
Joannes Capponus
Joannes Carpatius
Joannes Cartagena
Joannes Cassianus
S. Joannes Chrysostomus
S. Joannes Climacus
Joannes Dadreus
S. Joannes Damascenus
Joannes della Casa
Joannes Eckius
Joannes Felix Astolphus
Joannes Franciscus Bonomus
Joannes Fronto Can. Reg.
S. Joannes Geometra
Joannes Gregorius Grueber Can. Reg.
Joannes Gerson
Joannes Guilielmus
Joannes la Hait
Joannes Lorinus
Joannes Mauburnus Can. Reg.
Joannes Papa
Joannes Paschalius Can. Reg.
Joannes Petrus Giussanus
Joannes Pineda
Joannes Pinna
Joannes Rhò
Joannes Ruellius
Joannes Rusbrochius Can. Reg.
Joannes Sangeminianus
Joannes Sarisberiensis
Joannes Sentenus
Joannes Sylveira
Joannes Simonetta
Joannes Stobeus
Joannes Taulerus
Joannes Thuilius
B. Jordanus
Jordanus Ravennas
Josephus Bassus
Josephus Baptista
Josephus Laurentius
Josephus Orrigonus
Jovianus Pontanus
S. Irenæus
R. Isaac
Isaac Presbiter
B. Isaias
Isidorus Clarius
S. Isidorus Hispalensis Can. Reg.
Isidorus Pelusiota
Isocrates
Isolanus
Julianus Archiepiscopus
Julianus Imperator
Julius Cæsar Scaliger
Julius Capitolinus
Julius Frontinus
Julius Hyacinthus Ronconus
Julius Nigronius
Julius Strozzi
Junilius Episcopus
Ivo Carnotensis Can. Reg.
Justinianus Imperator
Justinus Historicus
S. Justinus Martyr
Justus Lipsius
Justus Orgelitanus
Juvenalis

L.

LAmpridius
Lactantius Firmianus
Latinus Pacatus
Laurentius Beyerlinck
S. Laurentius Justinianus Can. Reg.
Laurentius Longus
S. Laurentius Novariensis
Laurentius Surius
Leo Castrus
Leo Hebræus
Leo Imperator
S. Leo I. Papa Can. Reg.
Leontius Episcopus
Libanius
Lucanus
Lucas Tudensis Can. Reg.
Lucianus
Lucretius
Ludovicus Alcazar
Ludovicus Ariostus
Ludovicus Bertaldus
Ludovicus Blosius
Ludovicus la Cerda
Ludovicus Cressolius
Ludovicus Sottomajor

M.

S. MAcharius
Macharius Chrysocephalus
Mambrinus Roseus
Manilius
Maphæus Vegius
Marcus Antonius Scipio
Marcus Eremita
Marcus Varro
Marcus Victor
Marcus Vigerius

Marcus

Marsilius Ficinus
Martialis
Martianus Capella
Martinus Cromerus
Mortyrologium Romanum
S. Mathæus
Matthæus Bossus Can. Reg.
Maximus Episcopus
Maximus
Maximus Tyrius
S. Melchiades
Menander
Mercurius Trismegistus
S. Methodius
Metrodorus
Michael Aiguanus
Mihael Pexenfelder
Michael Eizinger
Michael Ghislerius
Mihael Hoierus
Minutius Felix
Missale Ambrosianum
Missale Romanum
Moises Barcefa

N.

NAtalis Comes
Naumachius
Nazarius
Nicephorus Gregoras
Nicetas
Nicolaus Caussinus
Nicolaus de Lyra
Nicolaus Leonicenus
Nicolaus Notarius S. Bernardi
S. Nilus
Nonnus Panopolitanus

O.

OCtavius Boldonus Can. Reg.
Officia Can. Reg.
Olaus Magnus
Olympiodorus
Onosander
Oppianus
S. Orientius
Origenes
Otho Venius
Ovidius

P.

PAndectæ
S. Paschasius
Paterculus
Paulinus
Paulus Æmilius
Paulus Aresius
Paulus Barrii
Paulus Bertarellus
Paulus Jovius
Paulus Manutius
Paulus Mazzi
Paulus de Palatio
Paulus Scherlogus
Paulus Steinherr Can. Reg.
Paulus Sylvius
Paulus V.
Paulus Zazzoranus
Pausanias
Periander
Persius
Petronius Arbiter
Petrus Abailardus
Petrus Alois
Petrus Bembus
Petrus Bercorius
Petrus Blesensis
Petrus Cellensis
S. Petrus Chrysologus
Petrus Crinitus
S. Petrus Damianus
Petrus Gregorius
Petrus Lombardus Can. Reg.
Petrus Maffeius
Petrus Matthæi
Petrus Michael
Petrus Natalis
Petrus Ribadaneira
Phædrus
Philippus Abbas
Philippus Beroaldus
Philippus Presbyter
Philo Carpatius
Philo Hebræus
Philostratus
Phocilides
Pierius Franciscus Pauli
Pierius Franciscus Spinola
Pierius Valerianus
Pindarus
Pius Papa
Plato
Plautinus
Plautus
Plinius major
Plinius minor
Plutarchus
Polybius
S. Possidonius Can. Reg.
Primasius
Procopius
S. Proculus
Propertius
S. Prosper Can. Reg.
Prudentius
Psellus
Publius Mimus
Pytagoras

Q.

QUintilianus
Quintus Curtius

R.

RAbanus Maurus
Radolphus Monachus
Regulæ Soc. JESU
S. Remigius, Can. Reg.
Richardus de S. Laurentio
Richardus de S. Victore Can. Reg.
Rituale Romanum
Robertus Bellarminus
Ruffinus
S. Rupertus Abbas

S.

SAbellicus
Salusthius
Salonius
Salvator Carducius Can. Reg.
S. Salvianus
Scipio à Cella
Sebastianus Barradius
Sedulius
Seneca Philosophus
Seneca Orator
Seneca Tragædus
Seraphinus Marchetus Can. Reg.
Serapion
Servius
Severus Sulpitius
Silius Italicus
Simon de Cassia
Simon Majolus
Simon Metaphrastes
Simplicius
Sinesius
Siracius
Sistus Philosophus
Socrates
Solinus
Sophocles
Sophronius
Spartianus
Spigelius
Statius
Stephanus Cantuariensis
Suetonius
Sulpitius
Sydonius Apollinaris
Synodus Alexandrina

T.

TAtianus
Terentius
Tertullianus
Themistius
Theobaldus
Theocrystus
B. Theodoretus
Theodorus Studita
Theodatus Episcop. Ancyræ
Theofridus Abbas
Theognides
Theoleptus
Theophilactus
Theophilus Antiochenus
Theophrastus
S. Thimotheus Jerosolymitanus
Thomas Anglicus
S. Thomas de Aquino
Thomas Bozius
Thomas Dürr Can. Reg.
Thomas Garzonius Can. Reg.
Thomas de Vio Cajetanus
Thomas Kempensis Can. Reg.
Thomas Morus
Thomas Stapletonus
Thomas Stiglianus
S. Thomas Villanovanus
Tibullus
Tigurina
Titus Bostrensis
Titus Livius
Tobias Lohner
Torquatus Tassus
Tribellius Pollio
Tucidides

V.

VAlerianus
Valerius Flaccus
Valerius Maximus
M. Varro
Vatablus
Vegetius
Velleius Paterculus
Venantius
Victor Antiochenus
Vincentius Beluacensis
S. Vincentius Ferrerius
Vincentius Lyrinensis
Vincentius Tanara
Virgilius
Ulysses Aldrovandus
B. Umbertus
Universitas Parisiensis
Urbanus I.
Urbanus VIII.

X.

XEnophon
Xiphilinus

Z.

ZEno Veronensis

MVN-

MUNDI SYMBOLICI
LIBER PRIMUS.

CORPORA COELESTIA.

Cœlum. *Cap.* 1.
Lux. 2.
Crepuſculum matutinum. 3.
Aurora. 4.
Sol. 5.
Sol in Zodiaco. 6.
Eclypſis Solis 7.
Luna. 8.
Eclypſis Lunæ. 9.
Stellæ. 10.
Planetæ. 11.
Signa Zodiaci, & aliæ Conſtellationes. 12.
Galaxia, ſeu via lactea. 13.
Nox. 14.

COELUM. *Caput I.*

INter omnes vaſtiſſimi Univerſi hypoſtaſes, quæ à Deo Ter Opt. Max. ex informi, tenebroſo,& indigeſto chao in ſuas quaſq; ſtationes diſcernebantur; temporis primitiæ Cœlo ſacræ extitêre. Huic dogmati fidem ſuam Gen. 1. 1. interponit Moſes. *In principio creavit Deus cœlum.* Dehinc terra, ceu pavimentum humanis pedibus ſupponendum, aquis undique circumflua, paribuſque librata ponderibus, in univerſi centro firma & ſtabilis appenſa eſt. Eam ignis, cum lunari globo in orbem contortus,& cætera rerũ primordia ſunt inſecuta. Quare ut Mundus Symbolicus, ſeu ectypon ab exemplari nihil aberret, primo loco ſpatioſum illum firmamenti fornicẽ; poſtliminiò quatuor corpora primogenia, cæterámque ſparſam mundi ſupellectilem, prout quæquæ in rem noſtram aliquid momenti conferent, collocare ſtudebimus.

1. Dum Iſabella Borbonia, Hiſpaniarum Regina, fatis conceſſerat, ſuos ſimul in luctus animavit Parnaſſidem Mediolanenſem, quæ atros demortuæ Reginæ arcus inſigni depinxit emblemate;

sphærâ nimirùm pertusâ, quæ in circulos æneos, armillarum instar inter sese inflexos, distincta, omnem revolutionum cœlestium varietatem, totius universi Ideam curiosè exprimebat: Hoc lemmate, ceu Oedipo, addito: UNUS OMNES. Veluti diceret, quemadmodum primum mobile, è communi Philosophiæ suffragio (quidquid P. Joan. Euseb. Nierembergius momentis validis adverso torrente nitatur) omnes inferiores orbes secum in occasum, motu (ut vocant) raptûs, præcipitat; simili planè ratione cunctos subditorum animos ab optimæ Reginæ occasu in lachrymas & lugubres singultus fuisse detractos. Cæterùm genuina hæc Superiorum imago est, ad quorum actiones, ceu ad primum mobile, omnia inferiorum facta facilè formantur, & quaquaversum rapiuntur. Unde Claudianus:

Nieremb. Hist. Natur. l. 2. c. 7.

Exemplū Superiorū.

> *- - - - - - - componitur orbis*
> *Regis ad exemplum; nec sic inflectere sensus*
> *Humanos dicta valent, quàm vita regentis;*
> *Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.*

Claud. de 4. Consul. Honorii.

Appositè in rem præsentem quidam hodierni ævi Vates.

> *O quanta exemplo generoso in Principe vis est!*
> *Tu vitando vetas; tu faciendo jubes.*
> *Princeps principium motus, Rex regula vitæ,*
> *Circumfert cœlum sidera, Rex populum.*

Io. Audenus Epigr. 113.

Justus Lipsius in hâc *primi mobilis* icone vult repræsentari vim illam suavem & attemperatam, quâ supremus omnium motor Deus orbem intellectualem gubernat. *Sicut*, inquit, *Supremum illud cœlum inferiores omnes orbes ita secum ducit, ut proprium eorum motum non abrumpat aut sistat: sic Deus fati impetu humana omnia trahit, sed peculiarem cujusque vim aut motionem non tollit.* Rapit enimverò Deus voluntatem nostram, manu tamen adeò cautâ, ut congenitum indifferentiæ characterem, & liberam agendi facultatem, nec minimum eripiat.

Motio Divina.

Lips. l. 1. de clementia. cap. 20.

2. Romani Parthenonis sodales insignem Scipionis Burghesii, Cardinalis, magnificentiam & animi pondus demonstraturi; Cœlum explicârunt, hoc lemmate descriptum. NIHIL EXTRA. Simulachrum hoc Divinæ immensitati apprimè congruit; de qua S. Isidorus. *Non ita*, inquit, *putandus est Deus esse in omnibus, ut unaquæque res pro magnitudine portionis suæ capiat eum: id est, maxima majus, & minima minus: dum sit potius ipse totus in omnibus, sive omnia in ipso.* Et rursùs: *Omnipotentia Divinæ majestatis cuncta potestatis suæ immensitate concludit, nec evadendi potentiam ejus quisque aditum invenire poterit, quia ille omnia circumquaque constringit. Cuncta enim intra Divini judicii potentiam coarctantur.* Quin imò etiam Ethnici hanc doctrinam habuêre exploratam. Unde Virgilius:

Animi magnitudo.

S. Isid. de sum. Bono. l. 1. c. 2.

ImmensitasDivina.

> *- - - - - - Jovis omnia plena.*

Virg. Eclog. 3

3. Mens imperterrita, & pectus semper sibi constans sphæram cœlestem imitatur, cum lemmate: IMMOTA REVOLVOR. Huc collineat illa Hugonis Cardinalis sententia: *Viri spirituales dicuntur cœli, quia semper volvuntur, & nunquam retrocedunt.* Lemma Italicum est, eidem affine. NE PER MILLE RIVOLTO ANCOR SON MOSSO. Eleganter Venusinus olor.

Constantia.

Hug. Card. in Psal. 8.

> *Justum & tenacem propositi virum*
> *Non civium ardor, prava jubentium,*
> *Non vultus instantis tyranni,*
> *Mente quatit solidâ: neque Auster,*
> *Si fractus illabatur orbis,*
> *Impavidum ferient ruinæ.*

Horat. l. 3. Carm. Ode 3.

Hæc animi fortitudo palmam detulit Ferdinando II. Imperatori, de quo Guilielmus Lamormainus in hæc verba testatur: *Tot ab Acatholicis impetitus injuriis, tot ac toties ab hostibus iniqua & indigna perpessus, nunquam aut verbo quempiam acerbius accusavit, aut minimo commotus gravius doluit.*

Ferdinandus II. Potentissim°.

Lamor c. 17.

4. Heroem D. Caroli animum, quem inter adversa semper inconcussum servavit, haud obscurè loquitur serenioris cœli facies, infra quam è contrariis antris erumpentes venti tumultuantur, & viribus, alternâ cæde collisis, inter se confligunt; addito lemmate: UTCUNQUE SERENUM. Seneca animum verè generosum, cunctisque motibus superiorem, hoc emblemate, ceu ectypo expressit. *Pars superior mundi, & ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem: omni tumultu caret. Eodem modo sublimis animus, quietus semper, & in statione tranquilla collocatus, intra se premens, quibus ira contrahitur, modestus & venerabilis est, & compositus.* Et rursùs: *Talis est sapientis animus, qualis mundi status super Lunam. semper illic serenum est.* Iisdem planè coloribus Ferdinandi II. Austriaci constantiam, nullis umquam tempestatibus dimotam exprimit Guilielmus Lamormainus: *Nubilum*, inquit, *ac serenum sunt mundi inferioris vices; cœlum nunquam mutatur. Planè qui Ferdinandum nôrunt, asserunt cœlo simillimum ejus fuisse animum; illum prospera & adversa infra se despexisse, nunquàm turbatum, nunquam mutatum.*

Animus generosus

Senec. 3. de ira cap. 6.

Idem Ep. 59.

Ferdinandus II. nunquam turbatus.

Lamorm. ca. 17. vita.

5. Lemma, MENS AGITAT MOLEM, è cœlo pendulum, subministrat Virgilius, de mundi machina in hæc verba pronuntians:

> *Spiritus intus alit totamque infusa per artus*
> *Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Virgil. lib. 6. Æneid. v. 725.

P. Leonardus Velli hoc symbolo supremam Cardinalis Armandi de Richellieu in Gallia authoritatem, summumque imperium repræsentavit: id enim non postremum Principibus incumbit munus, ut tales ad clavum efferant viros, qui brachia eidem sustinendo paria sufficere, suamque in agendo prudentiam palam demonstrare queant. Scilicet ad hos Atlantes animum advertit Vellejus Paterculus, quando è Politices regulis ait, *Magnos & eminentes viros magnis adjutoribus ad gubernandum fortunam suam usos esse.* Id amplius confirmans Philo Hebræus, *Unus*, inquit, *non sufficit, quantumvis alacer, fortisque corpore simul atque animo in tanta mole negotiorum ac multitudine, quotidie aliis affluentibus super alia: proinde assumendi sunt optimates electi, spectatæ prudentiæ, fortitudinis, justitiæ, pietatisque incorrupti, & ante omnia infensi superbiæ: nam hujusmodi viri maximè idonei sunt, ad sublevandum ope suâ bonum honestumque Principem.* Cæterùm mentis nomine in hoc symbolo Intelligentias seu Angelos accipias; qui, è Philosophorum sententia, cœlos assiduò volvunt, revolvuntque.

Princeps privatus.

Vell. Paterc.

Phil. Heb. l. de creatione Princip is.

6. Jacobus Certanus Abbas, Can. Reg. Later. ut orbi persuaderet, laborum centurias esse dotem, cumulatè in magnanimas mentes à natura effusam, Emblematis loco cœlum ob oculos statuit hâc voce animatum. NEC MORA, NEC QUIES

Laborum assiduitas.

Lips. l. 4. admirand. ca. 2. Latin. Pacat. in Panegyr. Theodosii.

QUIES ULLA. In rem præsentem Lipsius, *Alti*, inquit, *æthereique animi, ut ipse æther, gaudent motu*. Nec aliter Latinus Pacatus: *Gaudent profectò*, inquit, *Divina perpetuo motu, & jugi agitatione vegetat æternitas. Ut indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, & stare sol nescit: ita tu Imperator continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es.* Quod Latinus in Imperatore; idipsum Alexander IV. in Pontifice Maximo exigit. *Inest*, inquit, *Romano Antistiti solicitudo sine otio, labor sine quiete, occupatio sine vacatione, exercitium sine tranquillo, ingens & sedula meditatio sine somno, nec ad modicum etiam cura quotidiana intermissionem habet.*

Imperatoris & summi Pontificis labor assiduus.

Bullarium to. 1. Constit. 8.

7. Academia Bononiensis, cui à nocte nomen, præfefert hemisphærium, tenebris obductum, cum Lemmate: VERTITUR INTEREA. Vult nimirùm, generosam mentem nonnunquàm premi quidem, variisque calamitatum tenebris obrui, nunquam tamen adeò validè deprimi, ut muneri suo deesse, otiove inerti diffluere cogatur. *Quid Divinæ tranquillitati*, inquit Ælredus, *tam proximum, quàm illatis contumeliis non moveri? nullo supplicio, nullave persecutione teneri? unam mentis & in prosperis & in adversis habere constantiam; inimicum & amicum eodem oculo intueri.*

Animus generosus.

Ælred. c. 7. specul. charit.

8. Cœlum, terræ globum ambiens cum inscriptione, IN OMNEM TERRAM, consignificat illustres D. Theresiæ per orbem adeò latè diffusas virtutes, ut in iis operosi Apostolorum conatus cernantur redivivi. De Apostolis ore aureo Chrysostomus: *Ipso etiam sole pernicius omnem perlustravère terram, spargentes ubique lumina veritatis.*

S. Theresia.

SS. Apostoli.

S. Chrysost. hom. 15. in Matth.

9. Parthenia Sodalitas Romana, insignem Cardinalis Burghesii munificentiam exhibitura, colorum beneficio cœlum figuravit, stellis distinctum; è cujus umbilico terra prominebat, cum dicto, DUM SPECTAT, DITAT. Apertum hoc dixeris, omnipræsentiæ Divinæ schema. *Quid boni*, exclamat Philo, *defuerit præsente omnipotente Deo? tum proveniunt acervatim cuncta commoda*, Et alibi: *Impossibile est, deesse commodum aliquod, ubi Deus præsidet; solitus plena perfectaque bona largiri rebus omnibus.*

Principis liberalitas.

Præsentia Dei.

Philo l. de migratione Abraham. Idem lib. de Agricult.

10. P. Leonardus Velli, ut suam quoque ad Cardinalis Petri Campori justa funebria conferret symbolam, cœlum stellis illustre efformavit, affixo Principis Hussæi epigrammate: QUIS DORMIRE FACIET? Insinuabat nimirùm vigilem Præsulis illius purpurati curam. Eàdem omninò graphide summam Imperatoris Octaviani vigilantiam delineavit Romanus sapiens. *Omnium domos*, inquit, *illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit; & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet, nec subsistere, nec quidquam suum facere.* Huic concolor Homerus canit:

Iob. 38. 37.

Vigilantia.

Seneca lib. de Consol. ad Polyb. cap. 10.

Hom. Iliad. 2.

Non licet integram noctem dormire regentem
Imperio populos, & agentem pectore curas,
Cujus consilio populique, ac multa reguntur.

S. Io. Chrys.

Eodem modo S. Joannes Chrysostomus: *Multâ*, inquit, *Pastori opus est diligentiâ, sexcentis etiam, ut ita dicam oculis*, (en! cœlum stellis coruscum) *ut rectè undique animi habitum circumspicere possit.* Et S. Bonaventura, *cœlum mobile & inquietum*, *cujus motus est revolubilis super media, id est, super axem, in quo ostenditur bonorum Prælatorum diligentia & solicitudo circa curam & salutem suorum subditorum.*

S. Bonavent. c. de Eccles. Hierarch.

11. Inter cæteram pompam funebrem cœlo stellato inscripsêre. VERTETUR IN DIEM. alludebant, nî fallor, ad illud Jobi: *Noctem verterunt in diem, & rursùm post tenebras spero lucem.* Hinc disces universalem mortuorum reviviscentiam, in quam non obscurè consentit Tertullianus his omninò verbis: *Lux quotidiè interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt, sidera defuncta vivescunt, tempora ubi finiuntur, incipiunt.* Uberiùs posteà eandem sententiam, symbolis satis apertis mortuorum resurrectionem significantibus prosequitur.

Iob 17. 12.

Resurrectio Mortuorum.

Tertull. in Apologet. c. 48.

12. Astronomis è quotidiano siderum motu compertum est, cœlestes sphæras plerasque omnes esse volubiles, excepto duntaxat utroque axis vertice, (polos vocant, Aquilonarem unum, Australem alterum) immobiliter semper persistente. Unde lemma, IN MOTU IMMOTUS, Viros quosdam clarissimos innuit, qui complures, eosque gravissimos literarios partus citra dolorem (à parturientium maledicto exleges) summâ facilitate enituntur. Cumprimis verò significat supremum operationum Divinarum regimen, de quo profundè Sanctus Isidorus, *Opus*, inquit, *non consilium apud Deum credimus mutari, nec variari eum, quia per varia tempora diversa præcipit: sed manens idem incommutabilis & æternus, quia cuique congruum esset tempori, ab ipsa æternitate in ejus mansit dispositione consilii.*

Negotiis detenti.

Regimen Divinum.

S. Isidor lib. 1. de sum. bono cap. 1.

13. Si quidquam aliud inter res creatas præclarum aut obstupescendum, certè cœlum serenum, per totam suam planitiem stellis undique respersum, mortales oculos in sui admirationem attonitos rapit. Sed quantumvis pulchra & illustria sint sidera, à nobis indies videri solita; alia tamen, quæ aciem nostram effugiunt, venustate & elegantiâ prioribus illis longè præstant. *Quid in rebus corporalibus pulchrius cœlo, & tot astris, tot luminaribus insignito?* Verba enumero S. Thomæ Villanovani, *sed neque omnimodam ejus pulchritudinem videmus; multò certè pulchriùs est, quàm apparet.* Eò reflectens Tassus, in ornamentum D. Cardinalis Montalti, cœlum, stellis illustre, depinxit; è quo binæ hæ voces volitabant legendæ. PULCHRIORA LATENT. Alii hanc epigraphen transtulêre ad limina Palatii de Pitti, quod Magnus Dux Hetruriæ incolebat. Mens Emblematis erat, insignem vultûs illius Serenissimi majestatem ab interioris animi virtutibus, quæ indies augesceret, plurimùm superari. Joannes Baptista Marinus illustrissimæ Marchionissæ de Caraglio panegyrin in hæc verba canit:

Cœlum quàm pulchrum.

S. Tho. à Villanova conc. 1. de S. Michaele.

Virtus abscondita.

Io. Bapt. Marin. 2. part. Lyra.

De la beltà, ch'il Ciel, donna vi diede
Il men si scopre, il più vien che s' asconde.
Bianco sen, negro ciglio, è chioma bionda,
Sol nel visibil vostro mondo vede.
Ma la luce, che l'anima possiede,
Adombrata dal vel, che la circonda,
Benche quasi per vetro i rai diffonda,
Il bel, ch'appare oltra misura eccede.
Così fior, così gemma, ancorche mostri
Suo color, suo splendor, cela l'interno
De l'occulta virtute a gli occhi nostri.
E così il Ciel, benche nel giro esterno
Scopre le stelle, e'l sol, ne chiusi chiostri
Gli Angeli accoglie, e'l gran motore eterno.

Virtus abscondita. 14. Ad illustrandam assiduam Cardinalis Innici de Aragonia solicitudinem, quâ suas virtutes ab hominum conspectu subtrahere sedulò conatus est, cœlum produxêre, sole meridiano illuminatum. Lemma ad stellas, præ majore solis luce absconditas, alludebat in hæc verba: NON CERNUNTUR, ET ADSUNT. Veram hanc normam dixeris, Virginum, cùm Religiosarum, tùm sæcularium, quæ hominum oculos effugere & occultari quàm maximè allaborent. Cæterùm è Sallustii doctrinâ in rem præsentem opportunissimâ, *Esse quàm videri probus malis*, S. Gregorius Nazianzenus.

Virgines. Sallust. è Catill. S. Greg. Nazianz. sent. l. 1.

Nec quamque, nec nimis sequere gloriam,
Nam præstat esse, quàm videri.

15. Cœlum, solem sub Horizonte splendentem, & stellas promiscuè diffusas ostentans, epigraphen sustinet: LUMEN AB UNO. Hoc Emblemate celsissimam Sancti Patris Augustini doctrinam descripseris: enimverò sicut minora sidera nullis, nisi à sole derivatis radiis splendescunt; ita prorsùs universum Doctorum agmen nonnisi precariò victitat, & fundamentis è Magno Augustino mutuatis nititur. Id quod Ecclesia Romana grato in tantum Doctorem affectu ingenuè fatetur. *Tam multa*, inquit, *piè, subtiliter, & copiosè scripsit, ut Christianam doctrinam maximè illustrârit. Quem imprimis secuti sunt, qui posteà Theologicam doctrinam viâ & ratione tradiderunt.* Eodem argumento significari potest sol æternùm indefectibilis, Deus ter Opt. Max. ad quem omnis ubique splendor, omnisque charitas sua refert primordia. *Invenimus lunæ & stellis lumen suppeditari à sole, re nobis significante, quod à Christo illuminatur Ecclesia, & sanctorum luminaria.* Ita Anastasius Sinaita.

S. P. Augustinus. Brev Rom. Deus author lucis. Anast. Sinait in Hexamer.

In Morte. 16. P. Ludovicus Juglaris inter funestas Victorii Amedei, Sabaudiæ Ducis, exequias, Taurini celebratas, cœlum depinxit, quod copiosis stellis distinctum, epigraphen prætulit. MERSO HÆC SOLATIA SOLE. Significare voluit, nullum afflictæ civitati è Serenissimi solis occasu superesse levamen, nisi faces passim accensas, & multiplicem pompam, quâ obeuntem magnificè insequebatur. Ejusdem Emblematis occasionem nonnemo ex Helicone cygnus captans, cum Divi Thomæ Aquinatis sacra lipsana inter innumeras collucentes tædas & accensa funalia transferrentur, in hos cantus erupit.

Innumeræ splendent faculæ, comitantur ad aras
Thomam, qui clarum lumen in orbe fuit.
Quem vivum illustrem doctrinæ lumina pandunt,
Prædicat extincti flammea lingua decus.
Resplendent meritò circum tot lumina corpus;
Nam sole occiduo sidera cuncta nitent.

Opus auctorem laudat. 17. P. Carolus Bovius intra stellati cœli umbilicum sphæram terrestrem appendit, affixo epigrammate, INDICAT AUCTOREM. Enimverò ex operis præstantiâ insignem artificis peritiam conjicere licet. Unde Salomon, *A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Orphei dictum est. *Mundi machina est musica, & admirabilis consonantia, prædicans & laudans Deum.* Et S. Prosperi. *Cœlum, ergò, mare, terra, & omnia, quæ in eis sunt, consono speciei suæ, ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetuâ majestatem sui loquebantur auctoris.*

Sap. 13. 5. Orpheus. S Prosper. lib 2. vocat. gent. cap. 1.

18. Augustissima, sine originali labe concepta, Virgo Mater opportunè comparatur cœlo nocturno, stellis undique corusco; cui inscriptum sit, CITRA UMBRAM. Hanc de Deiparâ cogitandi occasionem captavit Ambrosius Ansbertus, quando ad eam conversus exclamavit, *Tota pulchra es, & macula non est in te, NEC vicissitudinis OBUMBRATIO!* Porrò cuivis hominum id potissimum incumbere, ut cœlum luminosum, nocte nunquam obumbrante, imitetur, ipsamet sacra pagina testatur, quæ Abrahami posteros iteratis vicibus stellarum symbolo exprimit: *suspice cœlum, & numera stellas, si potes; sic erit semen tuum.* Quem locum interpretatus Philo, *sic erit*, inquit, *sicut quod vides in æthere, sic cœleste, sic UMBRA CARENS, plenum splendore purissimo (nam nec in cœlo nox locum habet; nec in virtute tenebræ) dispositum ornatissimè, immoto manens ordine, semper sui simile.*

Maria sine labe concepta. Ambr Ansb. Gen. 15. 5. Philo l. quis rerum Div. sit hæres.

19. Nostras calamitates non esse assiduas, sed suis nonnunquam intervallis mitigari; haud obscurè è cœlo disces, nubibus ac pluviis obducto, istamque epigraphen sustentante: NON SEMPER IMBRES. Idipsum innuit Poëta:

Calamitates finem habent.

Nec fera tempestas toto tamen errat in anno, Ovid. 1 Fast.
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.

Tobias, bonitatis Divinæ memor, *Post tempestatem*, inquiebat, *tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum, exultationem infundis.* Hâc veritate persuasus Tarsensis Paulus, constanter asseverat, eos, quos hodierni dolores & adversitatum turbæ exagitant, olim plenos gaudii dies, & amplissima gloriæ trophæa cum Servatore suo consecuturos. *Fidelis sermo, si commortui sumus, & convivemus, si sustinebimus, & conregnabimus.*

Tob. 3. 22. 2. Tim. 2. 11.

20. Caducas mundi blanditias, quæ simul & oriuntur & moriuntur, candidè innuunt voces, ridenti cœlo præfixæ: NON SEMPER CLARUM. *Quis enim*, inquit S. Petrus Damianus, *est, cui se fortuna non transferat, & modò de adversis in prospera, modò de prosperis in adversa, scenicâ se varietate non convertat?* Et Sanctus Ambrosius: *Quantos pridie caterva plaudentium & invidiosa faventis populi frequens pompa domum deduxit: & nox una illum splendorem gloriosæ deductionis abolevit, &c.* Typus hic aulicorum est, qui Regum gratiis ac favoribus sese miserrima mancipia devoverunt. Verè Cygnus ille Anonymus cecinit:

Felicitas instabilis. S. Petr. Dam. l. 7 Epig. 5. S. Ambros. l. 3. Hexamer. cap. 7. Aulicus.

Ridenti Domino, nec cœlo crede sereno;
Ex facili causa Dominus mutatur & aura.

21. Sicuti scientiarum, aliarumque virtutum moralium, ita & perfectionis Christianæ consecutio globum cœlestem imitetur, necesse est; qui in assiduis persistit motibus, nec movendo unquam vel fatigatur, vel frangitur. Cui proindè appositè inscripseris. INDEFESSUS AGENDO. Eodem cœlos encomio celebrat Hugo Cardinalis, *Licet*, inquit, *semper moveantur, nunquam tamen lassantur.* Assiduum hoc studium in Ferdinando II. Imperatore reveritus est orbis, de quo è familiaribus ipsius nonnemo est testatus, *se nunquam ad Cæsarem intrâsse (intrabat autem ex munere frequentissimè) quin illum in opere deprehenderit legentem, scribentem, audientem, orantem.* Paulò post Lamormaino referente, subjungit. *Pertinax hoc laboris studium ad mortem usque illi fuit. Eo ipso vespere, qui matutinum obitum præcessit, libellos plurimos legit, plurima*

Perseverantia. Hugo Card. Ferdinãd. II. semper laborans. P Lamormain. cap. 8.

plurima constituit, suâque manu firmavit; nonnulla consiliariis expendenda transmisit; & planè, si non stans, laborans occubuit.

Vita brevis. 22. Miseram humanam vitam, quam mors incerta singulis momentis fatali suo arcui metam destinat, paucis repræsentat sententia, Cœlo vesperascenti alligata, CITO LUCESCIT HESPERUS. Eandem miseriam lugens prosequitur S. Ambrosius. *Hodie*, inquit, *videas adolescentem validum, pubescentis ætatis viriditate florentem, grata specie, suavi colore, crastinâ die tibi faciem & ora mutatus occurrit.* Exquisitè in hanc rem vernaculâ linguâ canit D. Basilius Paradisi. *S. Ambros. l. 5. Hexamer. cap. 7.* *D. Basil. Parad. in Lyricis.*

Non corre si veloce al occidente
Nato à gran pena il sole,
Come rapido l'huom vola a la morte,
Scherzo mortal d'una volubil sorte.
Sparisce, come suole
Ne precepitii suoi stella cadente,
Pigra su'l zolfo ardente
Striscia la fiamma, e per gli eteri campi
Van lenti al paragon folgori, e lampi.

23. Cœlum, sole rubescente conspicuum, opportunam, nî fallor, è D. Matthæo epigraphen præfert. SERENUM ERIT. Ita nimirùm sparsum patientis Christi sanguinem insecuta est clarissima felicitatis, resurrectionis & gloriæ serenitas, nunquam imposterum intermoritura. *Quis est iste*, inquit Angelus, Isaiæ ore, *qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* moxque respondet, *Iste formosus in stola sua: gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Eodem omninò sensu illum D. Matthæi locum intelligit Hugo Cardinalis. *Per vesperum* inquit, *in quo cœlum rubicundum est, passio Christi significatur, proprio sanguine rubicundati: matutina serenitas significat gaudium resurrectionis.* *Matth. 16. 2.* Calamitas felicitatem parit. *Isa. 63. 1.* *Hug Card. in Matth. 16 2.*

Felicitas mundana. 24. Omnem ab hac mortali vita felicitatis constantiam procul exulare, declaravit Abbas Certanus, Cœlum effingens, majore parte serenum, residuâ verò tempestatem & nubes minitante. Gnomam addidit. DOPOIL SEREN LE NUBI. Id est; NUBILA POST PHOEBUM. Seneca, *Erratis*, inquit, *si quem judicatis exceptum. Veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est.* Non sine ingenio Joannes Owenus. *Senec. l. de Provid.* *Io. Owen. l. Epig.*

Gaudia post luctus veniunt, post gaudia luctus,
Semper in ambiguo, speve metuve sumus.

25. Franciscus Raulinus inter reliquam funebrem Odoardi, Parmensium Ducis pompam, Cœlum stellatum expressit, quod nullam aliam, nisi serenam frontem intuentibus exporrigere potest. lemma addidit. IN HUMILI FULMEN. Digitum nempe ad demortui Principis benevolentiam intendebat, qui, superioris Cœli serenitatem imitatus, animum à tonitruis ingeminandis tranquillum conservabat; ratus, eos fulminum terrores inferiori aëris regioni, vulgò uimirùm ignobili, non verò Principi esse proprios. E Senecæ sententiâ, *Magni animi est proprium, placidum esse, tranquillumque injurias atque offensiones semper despicere. Muliebre est furere in ira: ferarum verò, nec generosarum quidem, urgere & præmordere projectos.* Adrianus, ad Imperii fastigium evectus, cùm fatalem hostem fortè haberet obvium, trepidanti respondit: *Evasisti.* veluti dixisset, vindictæ suæ flammam fuisse quidem hosti pertimescendam, dum sub fortuna inferiore mereretur; at nunc suprà dignitatis apicem collocato, sublimioris cœli benignitatem, fulminis nesciam, ideæ loco haberi præfixam. Animus grandis & clemens. *Senec. l. 1. de Clement. cap 5.* Adrianus Imperator hosti ignoscit.

26. Idem Raulinus Emblemate non ingrato Cœlum depinxit, quod, priusquam tonitruis mugiat, & vaporum conflictu fulmina vibret, sese glomeratâ densâ nubium caligine obscurum, & ad iracundiam proclive exhibet. Epigraphen addidit. MOERET ANTEQUAM JACIAT. Consueverat enim Odoardus Farnesius non antea ad delicta coërcenda puniendaque progredi, nisi serenissimâ fronte præter morem contractâ, aliisque indignantis faciei doloribus sontes fuisset à crimine dehortatus. Eâdem mansueti animi laude P. Dominicus Gambertus Franciscum Mutinæ Ducem celebrat, qui importunis aulicorum monitis, ut fatali sententiæ subscriberet, compulsus, largè in lachrymas effundebatur. Seneca, primos Neronis annos revolvens, scribit, *Animadversurus in latrones duos, Burrus præfectus tuus exigebat à te, scribens, in quos & ex qua causa animadverti velles. Hoc sæpè dilatum, ut aliquando fieret, instabat. Invitus invito cùm chartam protulisset, traderetque, exclamâsti; Vellem nescire litteras.* Clementia Principis. *Senec. lib 2. de Clement. cap. 1.*

27. Princeps, numeris omnibus perfectus, & gratiæ suæ favores, & rigoris severitatem, prout occasio tulerit, spargere sciat. Ideæ loco Carolus Rancatus Cœlum exprimit, addito lemmate. ZEPHYROS EMITTET, ET EUROS. Verbis ex Ovidio mutuatis. Princeps clemens & justus.

Parsque eadem Cœli Zephyros emittet & Euros. *Ovid. in Ibin.*

Utrâque virtute ex æquo gaudet Deus, eique simul & justo & misericordi passim acclamat Sacra pagina. *Dulcis & rectus Dominus. Et misericors, & justus. Et misericordiã & judicium cantabo tibi Domine.* Apprimè S. Basilius Magnus. *Qui solem oriri facit, is, inquit, cæcitate etiam mulctat, qui imbrẽ dat, etiam ignem pluit. Illa Clementiæ, hæc severitatis, &c.* *Psal. 24. 8.* *Psal. 111. 4.* *Psal. 100. 1.* *S. Basil. Proœm. Reg. fus. disput.*

28. Cœlo frontem suam inter atras nubes contrahente, omnium oculi passim consternantur, horroremque induunt. Eriguntur vicissim, si serenum & explicatum illius vultum rursus intueri liceat. Hinc gnomam, è Statio mutuatam, appositè subscripsit P. Dominicus Gambertus. SINE NUBE PLACET. Princeps ideæ loco cœlum suspiciat, quippè, qui arrogantiâ, omnique supercilio procul abjecto, nemini non suavis, benignus, & affabilis compareat. Seneca boni Principis attributa enumerans, ait, *Sermone affabilis, accessuque facilis; vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis.* Sanctus Bernardus, Eugenium Pontificem Maximum formaturus, succinctam hanc, sed validam præceptionem statuit, *Vultu serenus.* Rex Atabricus apud Cassiodorum dicere est solitus, *semper in honore manet, si cujus est tranquillus animus, eum quoque serenissimus commendat aspectus.* *Stat 3. Sylv.* Princeps benignus. *Senec. l. 1. de Clement. c. 3.* *S. Bernard l. 4. de Consid.* *Cassiod l 8. Epist. 4.*

29. Primum mobile, impetu suo cœlos inferiores omnes in orbem rapiens, epigraphen sustinet. UNIUS IMPERIO. Amoris hæc prærogativa est, qui in meditullio animæ, veluti in throno, residens, reliquis affectibus omnibus vires & incrementum subministrat, eosque impetu suo in quamcunque partem rapit. Experientiâ suâ id didicit magnum illud amoris Divini prodigium Sanctus Augustinus, quando identidem exclamare coactus est, *Amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror.* Opportunè Divus Bernardus. *Amor*, inquit, *ubi venerit, omnes in se traducit & captivat affectus, quasi Rex omnibus affectibus imperans.* Quin, omnes nostri affectus in Amoris vis. *S. Aug. l. 13. Confess. c. 18* *S. Bernard. serm. 83. in Cant.*

in amoris imperium symmetriâ adeò mirâ conspirant, ut ab eo uno originem suam trahere, nec plus quàm nomine ab eo discerni videantur. Et, ut nihil de virtutibus dicam, quid superbia est aliud, quàm amor propriæ excellentiæ? quid avaritia, quàm inordinatus divitiarum amor? quid luxuria, quàm amor carnalis voluptatis? Ipsa adeò invidia & odium, licet adversus amorem pugnare credantur, ab eodem amore promanant. Non enim alterum odio vel invidiâ prosequerere, ni boni proprii amore exstimulatus. Eam ob rem Sanctus Pater Augustinus quatuor virtutes cardinales nonnisi per amorem definiendas censet. *Namque illud*, inquit, *quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantùm intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes (quarum utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina in ore sunt) sic etiam definire non dubitem: ut temperantia sit amor, integrum se præbens ei, quod amatur. Fortitudo amor, facilè tolerans omnia, propter quod amatur: Justitia amor, soli amato serviens, & propterea rectè dominans: Prudentia amor, ea, quibus adjuvatur, sagaciter seligens. &c.*

S. Aug. lib. de mor. Eccl. Cath. cap. 15.

Virtus est donum Dei.

30. Academia Vivacium Placentiæ Cœlo nocturno inscripsit: ALIENO SPLENDORE NITESCIT. Enimverò quo modo vastum cœli corpus, se solo penitùs obscurum, nonnisi precariò, luce nimirùm à stellis emendicatâ victitat; hæ verò rursus non suo, sed, ut Astronomorum nonnullis persuasum est, solis transmisso lumine splendent: pari ratione omnis virtutum splendor, quo fidelium animi insignes incedunt, ab unius Dei gratuitâ voluntate derivatur. Calculo suo id confirmant gemini Apostoli; Divus Jacobus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Et Divus Paulus. *Quid enim habes, quod non accepisti?* Apprimè Sanctus Augustinus. *Et habere te agnosce, & ex te nihil habere; ut nec superbus sis, nec ingratus. Dic Deo tuo, sanctus sum, quia sanctificâsti me: quia accepi, non quia habui: quia tu dedisti, non quia ego merui.*

Iacob. 1. 17.
1. Cor. 4. 7.
S. Aug in Psal. 85.

Maria auxiliatrix.

31. Cœlum, stellis ornatum, à Patre Jacobo Masenio Epigraphen accepit: NOX UNA, AT LUMINA MILLE. Veluti diceret, nos quidem gravi scelerum nocte indies premi; at simul innumeris Deiparæ gratiis & favoribus identidem illustrari, & extrà umbras illas miserrimas rapi. Emblemati explicando geminum hoc distichon subjunxit:

> *Sit licet obscuris nox intercepta tenebris:*
> *Lumine milleno nox tamen una micat.*
> *Nox scelerum nos alta premit: tamen una Maria*
> *Mille oculos nobis semper aperta gerit.*

Io. Geom. hymn. 2. de B. Virg.
S Damasc. orat. 1. de Nat. Bui.
hym. p 117.

Unde gratiosissima hæc Deiparens à Joanne Geometra vocatur *Polus, mille oculis præditus, ornatus globis, & septenis tonis spirituum: polus monte plenus.* Et à Sancto Joanne Damasceno: *Cœlum vivum, ipsis cœlis latius.* Denique à Buteone. *Firmamentum dogmatum Christi.*

Maria gloriosa.

32. Cœlum, Sole oriente illustratum, Epigraphen ab eodem Patre Masenio subjunctam tenet: SAT LUCIS AB UNO EST. Innuebat videlicet, Deiparam Virginem, Sole Divino illustrissimam, ex adversis hæresium umbris non modò nihil caliginis, sed contrà, lucem longè ampliorem accipere. Unde Virgo hæc gloriosissima à Sancto Epiphanio cognominatur *Cœlum splendidum, incomprehensum cœlis, continens Deum.* Et à Philippo Abbate: *Cœlum mirabile, proferens solum Solem.* In rem præsentem opportunum est P. Masenii epigramma.

S Epiph Orat. de Deip.
Philip. Abb. l. 6. in Cant. c. 18.

> *Obsideant Furvæ cœlum quæcunque tenebræ*
> *Sol satis est solus, lux satis una polo.*
> *Hæresis obscuret Divinæ Matris honorem,*
> *Ex tenebris major gratia lucis erit.*

Homo justus est cœlum.

33. Cœlo illustri, ceu proprio hominis justi typo, illam Virgilii gnomam lemmatis loco subscribes: JOVIS OMNIA PLENA. S. P. Augustinus, illa Psalmi verba interpretatus: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo.* Præclarè in rem præsentem ait: *Quid est ergò cœlum Dei? omnes sanctæ animæ, omnes justæ animæ: nam & Apostoli, quamvis in terra essent, in carne cœlum erant: quia in illis Dominus sedens, per totum mundum ambulabat. Ergò habitat in cœlo: Quomodò? quomodò dicit;* Tu autem in sancto habitas laus Israël. *Qui habitat in cœlo, habitat in sancto: sancto quid nisi in templo suo.* Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Hactenus ille.

S. August. in Psal. 12. v. 4
1. Cor. 3. 17.

Proprii mali authores.

34. Cœlo irato, dum imbres, grandine & fulgetris horridè mixtos, in orbem exonerat, epigraphen subjunges: TELLUS HÆC ARMA DEDIT. Nam exhalationum & vaporum agmina, ad secundam aëris regionem sublata, ibique & calore & frigore, sese mutuò per antiperistasin comprimentibus, accensa & condensata, diversa nimborum ignium ve arma cudunt, terramque feriunt. Ita omninò Deus frequenter iisdem armis in sceleratos animadvertit, quæ ipsimet temerarii circumtulêre. Certè Goliathus eodem ferro truncatus cecidit, quod paulò antè adversùs Davidem strinxerat. Absalonis carnificem proprii ipsius egêre crines. Ii qui templum prophano opere olim temerabant, propriis funibus, ceu flagellis, sunt cæsi. Judæi, arctâ obsidione intra Hierosolymam compressi, bellis potiùs inquilinis, quàm Romanorum viribus ceciderunt. In hanc rem Isaiæ oraculum. *Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei.* Ubi Sanctus Basilius, *Consilia*, inquit, *adversùs justos inita, in caput malignè consultantium retorquentur.*

Isaia 3. 11.
S. Basil. in hunc loc.

35. Henricus Farnesius Eburo symboli loco talpam expressit, fatalem cœli solisque hostem; addito lemmate: IMPURIS EXOSUM. Eos nimirùm feriens, qui scelerum voragine mersi, virtutis splendorem omnem execrantur. P. Ludovicus Novarinus, Hæreticorum fallacias cum talpis comparans, *Satanicas talpas*, inquit, *hæreticos voco, qui apertam lucem exhorrent, in errorum suorum foveis plusquam cymmeriis circumsessi delitescunt.*

Henr. Farnes. in Diphtera Iovis l. 1. elog.

Virtus exosa. Hæretici.

Novarin. elect. lib. 1. num. 827.

Monarcha potens.

36. Primum mobile, inferiores cœlorum orbes, ipsasque adeò stellas & planetas commovens, epigraphen tenet: SEMOTOS VASTOSQUE CIET. Ita prorsùs magnificentia & imperium potentissimi Hispaniarum Regis ad vastissimas hemisphærii utriusque provincias se diffundit; quin imò plura ab illo regna, quàm in firmamento sphæræ, moventur. Idem etiam Pontificis Maximi est Imperium, qui suâ clavium potestate non utrique orbi duntaxat, sed ipsis etiam cœlis inferisque legem dicit. Disertè Christus: *Tibi dabo claves regni cœlorum: Et quodcunque ligaveris super terram; erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Undè Synodus Alexandrina,

Summus Pontifex.

Matt. 16. 19.

tui

cui præfuit S. Athanasius, ex sententia Concilii Niceni, scripsit felici Papæ, *Romanæ sedi ab ipso Domino potestatem ligandi & solvendi speciali privilegio super alios esse concessam.*

L V X. *Caput* I I.

S. Lucia V. & M. 37. DIvus Arsenius Sanctam Luciam Virginem & Martyrem Emblemate significaturus, lucem, directâ lineâ è cœlo demissam, expressit; quæ tametsi à contrariis ventis undique infestata, nullam nec proprii splendoris, nec rectitudinis suæ jacturam exinde patiebatur. Epigraphen addidit. IMMOBILIS MANET. Quo elogio ipsa etiam Ecclesia Virginem illam cohonestat. *Tanto,* inquiens, *pondere eam fixit Spiritus sanctus, ut Virgo Christi immobilis permaneret.* Elucet hinc invicta S. Martyris constantia, & virilis in superanda tortorum sævitie fortitudo. Porrò ex hoc Emblemate amplissimè resplendet Ferdinandi II. Justitia, numquàm non rectissima. De hac P. Lamormainus, *Frustrà fuit illi aut potentiam alterius, aut spem suam objicere: stetit CONTRA OMNIA IMMOTUS, nec inclinavit, nisi quò justitia trahebat.*

Brev. Rom.

Justitia inflexibilis.

P. Lamorm. cap. 23.

Gratitudo. Lux, vitrum coloratum transiens, claram mutuæ beneficentiæ ideam exhibet. Nam vitrum, à luce illustratum, non sine reciproco gratificandi studio suismet transeuntem lucem coloribus afficit. Ut adeò verè subscribas: PULCHRIUS UTRUMQUE. Hoc Emblemate appositè celebratur Virgo Deipara, in templo præsentata; quippe quæ, virtutum incrementis amplissimis in templo exornata, splendorem nihilo minorem eidem templo ex augustissima sua præsentia retulit. Mutuam hanc gloriæ vicem inter Andream Doriam parentem, & Cardinalem, istius filium, observans Dominus Marinus, metro Italico canit:

Præsentatio M.V.

D. Marin. 3. part. Lyra.

O di gemina gloria egual frà voi
Bella gara è gentil; Tu de suo pregi
Vai la luce doppiando, egli de tuoi.

Cæterùm omninò convenit, gratiæ ac beneficentiæ Divinæ radium, intra animas aut corpora nostra indies resplendentem, debitâ in Deum charitate & gratitudine, ceu coloribus omnium pulcherrimis, à nobis excipi. Præclarè S. Basilius. *Accumbens,* inquit, *ora; edens panem, largitori gratias rependito. Tunicam indueris? gratias age benigno datori. Amiciris pallio? fac in te augescat interior erga Deum charitas, qui integumenta largitus est.* Idipsum providè monet Apostolus ergà proximos nostros observandum. *Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem habentes.*

Charitas ergà Deũ.

S. Basil hom. in S. Iulittâ.

Charitas erga proximum.

1. Pet. 4. 8.

Virtus. 39. Virtutis famam apprimè luce comparaverim; nam utriusque splendor, fulminis instar per orbem universum MOMENTO DIFFUNDITUR. Observatur id à S. Ambrosio. *Citò,* inquit, *lux cœlum, terras, maria illuminat, & momento temporis, sine ulla comprehensione retectis surgentis diei splendore regionibus, nostro se circumfundit aspectui.* Hanc lucis celeritatem imitatur Deus, qui gratiæ suæ beneficia in egenos mortales citra morem dispensat. *Nescit* enim *tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Porrò Virtus & fama momentaneo pede terram pervadunt, omnesque illius angulos clamore replent. Exemplo est Judas Machabæus, qui, paulò antè militiæ Dux appellatus, nullo adhuc generosi animi sui specimine edito, mox teste Divinâ paginâ, *nominatus est usque ad novissimum terræ.* Vix etiam exercitum conscripserat adversùs Regem Antiochum, & jam *pervenit ad Regem nomen ejus, & de præliis Judæ narrabant omnes gentes.*

S. Ambros. lib 1. Hexamer. cap. 9.

Gratia Dei.

Fama.

1. Mach. 3. 9.

Ibid. nu. 26.

40. Virtutem malorum odio passim onerari, testatur luci inscripta gnoma. ÆGRO INVISA LUMINI. Oculus enim invidiæ, aliorum vitiorum ophthalmiâ caligans, virtutis radios ægerrimè sustinet. Huc collimat illa D. Thomæ Aquinatis sententia, in festo S. Augustini quotannis recitari solita, *Oculis ægris odiosa est lux, quæ puris amabilis.* Horatius in rem præsentem opportunè.

Virtus odio habita.

Prop Lateran.

Virtutem incolumem odimus;
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Horat 3. Carm. Ode 24.

His assentiens Justus Lipsius, *Improbis,* inquit, *& servilibus animis displicet, quidquid probum, erectum, & honestum est.*

Lips. Manud. l. 1. dissert. 13.

41. Lux grandis, fulguris instar versùs caligantem campum corruscans, epigraphen tenet. CLARO AB ÆTHERE PAVOR. D. Carolus Secchiarus, Can. Reg. Later. hoc Emblemate lucem illam prodigiosam significavit, quâ Deus Saracenorum arma, cùm Assisii Monasterium infestare molirentur, precante S. Clarâ, fefellit, & exterritos in fugam egit. Eodem penicillo expressa cernitur Christi resurgentis majestas, quâ circumfusos custodes adeò validè feriit, ut penè extinxerit. *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur: & vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* Hunc ipsum pavorem etiamnum viri clarissimi, ceu totidem mundi lumina, peccatoribus incutiunt. De S. Basilio dicebat S. Gregorius Nazianzenus, *Tonitru,* inquit, *tuus erat sermo, at vita fulgur.*

S. Clara.

Resurrectio Christi.

Matth. 28. 3.

Vir Apostolicus.

S. Greg. Naz. in S. Basilii funere.

42. Cùm à natura comparatum sit, Lucem lineâ rectâ è cœlis in terras diffundi; idcircò epigraphen, nî fallor, opportunam luci subjunges. RECTA DIFFUNDITUR. Æquitatis & justitiæ hæc idea est, quæ nonnisi viâ rectâ administrari cupiunt, omnesque, parentum, amicorum, timoris, proprii commodi, aut conditionum aliarum respectus aversantur. Has justitiæ leges tenerrimè observavit Ferdinandus II. de quo P. Guilielmus Lamormainus, *Cùm Jure fuit agendum, in unam æquitatem intentus, nec affinitatem, nec dignitatem, nec auctoritatem partium respexit.*

Justitia.

Guil. Lamorm. ca. 13.

CREPUSCULUM MATUTINUM. *Caput* III.

43. INgenuus Virginum rubor sponsam individuam duxit verecundiam. Id quod Emblemate docuit Abbas Certanus, Crepusculum matutinum exscribens, addito lemmate. ABSQUE RUBORE NUNQUAM. Nunquam enim Phosphoro intendas oculos, quin ex albo rubescentem videas. Concinnè in hoc argumentum Jacobus Billius.

Pudicitia.

Iac. Bill. Anthol. sacr. lib. 1.

Quâ probè dignosci posset, quæ fœmina nequam,
Temporibus priscis cùm nota nulla foret:
Id tulit indignè dominus; nam perfida casta,
Castaque judicio perfida plebis erat.
Errorem hunc igitur tollens, his ora pudore
Illevit, quibus est chara pudicitia.
At quibus est studio Veneris scelerata voluptas,
Fecit, ut his toto desit in ore pudor.

S. Gregorius Nazianzenus pluribus locis hoc pudicitiæ ornamentum in fœminis deprædicat, ut in suis Metris.

S. Greg. Naz. in Metr.

Mores viriles indecori fœminis;
Quarum modestiam ornat imprimis pudor.

Idem Orat advers. mulieres se ornantes.

Rursùs in Oratione adversùs Mundum muliebrem. *Unus color,* inquit, *in mulieribus amabilis est, nimirum rubor ille, quem pudor gignit.* Et de laudibus Gorgoniæ, *Unus ille rubor placebat, quem pudor,*

Idem Orat. 11 de laud. Gorgon.

dor affert, unus candor, quem parit abstinentia.

44. Infirmi quidem, & nonnisi nictantes radii à diluculo jaciuntur. Sensim tamen ea incrementa capit, ut orbem universum amplissimè illustret. Lemmatis loco subjunges. SENSIM LUCIDIOR. Persuasum hinc habeas, suos virtuti esse gradus, quos animæ, ad virtutis apicem anhelans, pedetentim terere jubetur. S. Bernardus. *Profectus noster, inquit, in eo consistit, ut nunquam arbitremur, nos apprehendisse, sed extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius.*

Profectus. *S. Bernard. serm. 2. de Purificat. B.V.*

AURORA. *Cap.* IV.

45. AUroram Emblematis loco instar virginis formosissimæ depinges, quæ flores, lucem, aliasque in orbem delitias spargens, epigraphen ferat, ab Abbate Ferro subjunctam. SGOMBRA DA NOI LE TENEBRE E GLI ORRORI. Id est. HORROREM PELLIT ET UMBRAM. Nempe Aurora effectuum plurimorum est ferax; quos tamen omnes etiam à scientia, fide, gratiâ, & vitæ innocentiâ indies in probis generari experimur. Porrò hoc symbolo opportunè repræsentatur felicissimus tam Servatoris nostri, quàm Matris Virginis ortus. De hoc S. Petrus Damianus, *Hæc est,* inquit, *aurora, quam sequitur, imò de qua nascitur sol justitiæ. Nam sicut aurora terminum noctis, diei principium adesse testatur; sic & virgo noctem expulit sempiternam, & de die diem, de terra suæ virginitatis exortum, terris infudit.*

Scientia. Gratia.

MariæNativitas. *S. Pet. Dam. serm in Assumpt. Virg.*

46. Alcibiades Lucarinus auroram nascentem statuit, his litteris insignem. E MECO PORTO IL SOLE. Id est. PARTURIO SOLEM. Mariam Virginem hæc imago innuit, novem mensibus Deo Incarnato gravidam. Hanc Chrisippus affectu integerrimo salutans, exclamat, *Ave fons lucis omnem hominem illuminantis; Ave solis ortus,* qui nullum ferre potest occasum. Hanc Deiparæ prærogativam significat hymnus ille græcus, qui referente P. Raynaudo, illâ cognominat *Diluvium lucidum, advehens Christum solem.* Omnium tamen optimè S. Petrus Damianus. *Hæc est,* inquit, *Aurora, quam sequitur, imò de quâ nascitur sol justitiæ.*

MariaVirgo gravida

P. Raynaud. lib Nomenclator Marianus. S. Pet. Dam. serm. 40.

47. Idem Lucarinus, Christo in Cœlos reverteniti gratulatus, auroram pinxit, cum lemmate. S. ASCENDE, A NOI S' ASCONDE. Id est. ASCENDENS ABSCONDITUR. Videlicet illud Divinæ paginæ innuebat. *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Quod explicans S. P. Augustinus, *Nubes,* inquit, *fulgore corusco vallatum, humanis aspectibus occultavit.*

Ascensio Christi.

Act. 1. 9. S. Aug. serm. 178. de Temp.

48. Nobilem solis filiam Auroram dixeris; quæ natales, ortusque suos è radiis illius ducit. Sed, quod mirere, eadem, patris sui mater effecta, solem parturit, cumque paulò post felici genesi in orbis conspectum enititur. Emblematis œdipum addes. PARIO, QUI ME PARIT. Illustre hoc Mariæ Virginis symbolum habetur, quæ eundem Deum, à quo procreata est, in orbem edidit. Deiparæ loquentis vicem sustinens Siracides, ait, *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* S. P. Augustinus. *Si omnia per ipsum facta sunt, & ipsa etiam Maria, de quâ natus est, per ipsum facta est. Quomodò ergò ille quasi cæteri homines nasceretur, qui sibi fecit matrem, de quâ nasceretur?*

MariaMater Dei.

Eccl. 24. 12. S. Aug. in Psal. 75.

49. Eximiam venustatem Aurora præ se ferat, oportet; quippe quâ exoriente, cætera stellarum turba omnis è mundi conspectu se subducit, veluti cum tanta Auroræ majestate comparari erubesceret. Unde lemma, nascenti Auroræ præfixum. SIDERA FUGAT. Ad verbum Seneca.

Jam vaga cœlo sidera fulgens
Aurora fugat &c.

Senec. in Octav. Act. 1.

Ita omninò vir præstans alios è trivio homines in fugam agere, ac rubore suffundere solet. Sic legisperiti, cùm Christum in templo docentem audirent, tantam duodennis pueri prudentiam attoniti excepêre, suamque scientiam illius comparatione levissimam ac penè nullam non sine rubore sunt confessi. *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia & responsis ejus.* In hunc locum S. P. August. *Christus junior, inquit, inter seniores sedebat, & super omnes docentes se intelligebat.*

Virtus excellens.

Christus in templo docens.

Luc. 2. 47. S. August. in Psal. 118. Conc 12.

50. Nativitati S. Joannis Baptistæ apprimè convenit gemina vox, Auroræ inscripta. PRÆVIA SOLIS. Disertè Sanctus Joannes Chrysostomus, *Sol antequam appareat, mittit radios suos, & facit albescere orientem, ut procedens aurora diei adventum demonstret; sic Dominus mundi, antequam appareat, spiritus sui fulgore transmisso, illuminavit Joannem, ut præcedens ille, adventum Salvatoris nunciet.* Breviter ac nervosè Zacharias, Joannis pater, de filio suo vaticinatus, *Præibis,* inquit, *ante faciem Domini parare vias ejus.* D. Marinus decollato S. Joanni applaudens, canit:

Nativitas S. Joan. Baptist.

S. Io. Chrys. Hom 3 Imperfect.

Luc. 1. 76.

D. Marin. 3. part. Lyra.

Quasi aurora novella
Venne il gran precursor di gratia adorno,
A præsagir de la salute il giorno.
Echi non sà che in su'l mattin, quand'ella
Trà i confin de le tenebre fiammeggia,
Di porpora rosseggia?
Questa lucida stella,
Ecco inanzi al suo sole estinta langue,
Ma il rossor che la tinge, è il proprio sangue.

Simili ratione illam de aurora metaphoram transtuleris ad felicissima Mariæ Virginis primordia, de quibus S. Petrus Damianus. *Natâ Virgine,* inquit, *surrexit aurora; quia Maria, veri prævia luminis, nativitate suâ mane clarissimum illuminavit.*

Nativitas Mariæ.

S. Pet. Dam. serm. in Assumpt.

51. Inter exequias Margarithæ, Hispaniarum Reginæ, cui dolores partus fatales extitêre, Aurora promicabat, cum Dicto: DUM PARIO, PEREO. Appositè hoc symbolum ad depravatos quorundam mores trahitur, qui intra scelesta voluntatis suæ viscera peccatum parturire soliti, animæ jacturam, mortemque æternam sibi accersunt. Unde illud Jobi: *cunctis diebus suis impius superbit,* à Tigurina sic exponitur, *omni tempore sibi ascisit dolores parturientis fœminæ.* Et Juvenalis.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet auctori: prima hæc est ultio, quòd se
Judice nemo nocens absolvitur.

Partus fatalis.

Peccator.

Iob. 15. 20. Iuvenal. satyra.

52. In honorem S. Ubaldi Can. Reg. Later. & Eugubiorum Episcopi, Aurora depicta cernitur, ad cujus exortum & tenebræ dissipantur, & belluæ in latebras fugamque aguntur, lemma: ILLUMINAT, & ELIMINAT. Hanc tabellam elenchum putâsses prodigiorum, quibus S. Præsul cæcis restituit diem, energumenis libertatem, ægrisque valetudinem. Porrò genuini hi colores sunt amplissimæ eloquentiæ, quâ S. Ambrosius acrem Magni Augustini intellectum, adeò perculit, ut proscriptâ Manichæorum nocte, aliisque, quibus scatebat, errorum portentis procul fugatis, sanissimam fidei Christianæ lucem, nostro omnium bono, persuaserit. *Prævenit,* referente Possidonio, *Dei liberatoris clementia, sui sacerdotis Ambrosii cor penetrantis, ut contra illum errorè incidètes, legis solverentur quæstiones, atque ita edoctus, sensim atque paulatim hæresis illa miseratione Divinâ, ejus ex animo pul-*

S. Ubaldus.

S. Augustinus.

Possidon. in vita S. Aug. cap. 1.

mo pulsa est, protinusque ipse in fide Catholica confirmatus. Hanc iconem regulæ loco sibi præfixam habeant ii, qui castigandis aliorum vitiis è munere suo incumbunt: siquidem prudens & amica correctio mentem proximi *illuminat*, omnemque exorbitantis animi errorem *eliminat*. Hanc agendi rationem cumprimis in Mariâ Virgine observatam habet S. Bernardus. Unde ad illam conversus, *Rectè quidem,* inquit, *Auroræ implêsti officium: ipse enim sol justitiæ de te processurus, in te lucis suæ radios copiosè transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat, in fugam convertisti, atque ita desideratum cunctis gentibus solem, mundo invexisti.* Eo denique symbolo meminisse juvat efficaciæ obstupescendæ, quâ S. Paulus, pro concione dicens, invaluit; hujus enim operâ Evangelica veritas, coactis vitiorum umbris, solis instar, per orbem universum increbuit. S. Joannes Chrysostomus in D. Pauli laudes prolixus, *sicut,* inquit, *radiis solis orientibus, fugantur tenebræ, feræ latitant, recondunt se fures, & latrones: sic prædicatione fulgente, & Evangelium disseminante Paulo, fugabatur error, veritasque remeabat: idololatria, ebrietates, commessationes, stupra, adulteria, aliaque dictu fœda defecerunt, atque consumpta sunt.*

Corrector

S. Bernard. in deprecat. Mariæ

Paulus prædicans

S. Chrysost. Hom. 4. de laud Pauli.

53. In encomium Christinæ, Suecorum Reginæ, cùm è cymmeria Lutheri nocte ad orthodoxæ fidei lucem emergeret, auroræ effigies expressa cernebatur, cum lemmate, è Paulina epistola mutuato. DE TENEBRIS. Emblemati explicando Joannes Baptista Bargioccus hoc epigramma subjecit.

2. Cor. 4.

Jo. Bapt. Bargioc. l. 1. Epigr. 111.

De tenebris olim dixit splendescere lumen
Æterno imperio, qui regit astra, Deus.
Nunc aliam auroram Oceano, tenebrisque relictis
Jussit ab Arcturo luce nitere novâ. &c.

Cæterùm hoc Emblemate quemvis pœnitentem, è scelerum tenebris ad veritatis lucem traductum afficies. De Ephesiis suis testatur Paulus. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Id explicans S. Augustinus. *Quid est,* inquit, *fuistis aliquando tenebræ, nisi veteres homines? Nunc autem lux; non sine causâ lux estis, qui fuistis jam dudum tenebræ. Quare, nisi quia illuminati estis? Noli putare teipsum esse lucem: Tu per te ipsum, per malam voluntatem, per aversionem tuam tenebratus es: modò luces, quia in Domino.*

Pœnitens.

Ephes. 5, 8.

S. Aug. in Psal. Enarrat. 2.

54. Aurora, inter tenebras nascens, à Jacobo Masenio epigraphen recepit. LUX IN TENEBRIS. Significabat nempe, Mariæ Virginis splendorem ex hæreticorum injuriis longè clarissimum evadere. Unde Virgo hæc gloriosissima à S. Petro Damiano vocatur *Aurora, de qua nascitur sol justitiæ, solius solis claritati succumbens:* Et à Petro Cluniacensi. *Aurora solis pravia, & dies noctis nescia.* Emblemati explicando sequens distichon addidit

Maria V.

S. Petr. Dam. serm. de Assumpt.

Petr. Clun. in prosa de B. V.

Pulchrior obscuris aurora intermicat umbris:
Pulchrior invidiæ nocte Maria micas.

S. P. Augustinus eandem iconem etiam Verbo incarnato propriam dicit; unde in illa S. Joannis verba comentatus, *Lux in tenebris lucet,* ait, *Ideo venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator.*

Verbum Incarnatum.

Joan. 1. 5. S. Aug. Hom. 43. inter 50.

SOL. Caput V.

55. NAscenti soli nonnemo inscripsit. NON EXORATUS EXORIOR. Et alius. NON POSCENTIBUS OFFERT. Idea hæc per omnia concolor est amori Divino, cujus uberrimi ignes passim orbem ultrò ac gratuitò illustrant; veluti ipsemet Deus Isaiæ ore fatetur, *Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me non interrogabant,* S. Cyprianus, *Ut sponte,* inquit, *sol radiat, dies illuminat; fons rigat, imber irrorat, ita spiritus cælestis se infundit.* Et S. Bernardus. *Non petentibus, sed impetentibus; non interpellantibus, sed repellentibus; non invocantibus, sed provocantibus Deus gratiam impertitur.* Qui eleemosynis largiendis student, gratuitam hanc Dei munificentiam imitentur, oportet; monente Psalte Regio. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, &c.* Quem locum interpretatus Doctor Angelicus, ait, *Qui intelligit, non dicit, qui subveniet; quia debet esse misericors ad modum Dei; sed Deus non expectat, quod semper petatur; Unde subvenit desiderio, antequam petatur & ideò ille est misericors, qui non solum petentibus subvenit, sed etiam indigeti subvenit, priusquam petatur.* Epictetus, cuivis Principi vel Magistratui consulens, ait, *Quemadmodum sol non expectat preces, ut exoriatur, sed illicò fulget, ac salutatur ab omnibus: ita neque tu expectaveris plausus, strepitus ac laudes ut benefacias, sed spontè confer beneficia, & æquè ac sol amaberis.* Promptam ac gratuitam hanc opitulandi voluntatem in Beatissimâ Mariâ V. integerrimam deprehendit meus Concanonicus Richardus de S. Victore, in hæc omninò verba scribens. *Velocius occurrit ejus pietas, quàm invocetur, & causas miserorum anticipat.*

Gratia Divina.

Isa. 65. 1.

S. Cypr. Epist. 2.

S. Bernard. serm. 83. in Cant.

Eleemosynarius.

Psal. 40. 2.

D. Thom. in hun. loc.

Magistratus.

Epictet. apud Stobeum ser. 44. de Magistrat.

Beneficentia Mariæ V.

Richard. de S. Vict. c. 23. in Cantic.

56. P. Henricus Engelgrave, ad illud D. Lucæ alludens, *Puer autem crescebat,* solem, necdum supra orientis limites elevatum, delineavit, addito lemmate. CRESCIT ADHUC. Ita quivis fidei orthodoxæ assecla ex munere suo in virtutum comparandarum studio, & gratiæ Divinæ incrementis, indies major evadat, illo sapientis monito excitatus. *Justorũ semita quasi lux splendens PROCEDIT, ET CRESCIT usque ad perfectum diem.* S. Damascenus illa D. Lucæ verba interpretatus, ait, *Christus proficit sapientiâ & gratiâ, non in se, sed in suis membris.* Ideò enim profecit ipse, majores virtutum actus indies exercendo, ut nobis ad idem faciendum exemplo esset.

Luc. 2. 40.

Proficiens

Prov. 4. 18.

S. Damasc. lib. 4. de fide. cap. 11.

57. Astronomis sidera quædam errantia, alia verò fixa, utpote non quidem proprio, sed solius firmamenti motu moveri solita, vocantur. Tametsi verò sol, uti & cæteri planetæ, Erronum numero comprehendâtur, ii tamen, etiam dum iter destinatum motu velocissimo percurrunt, à directo tramite nunquam exerrant. Unde Sol, P. Raulino authore, epigraphen tenet. SINE ERRORE CELERRIMUS. Talem se Vividus & constans Ducis Odoardi Farnesii animus exhibebat, qui, in agendo quidem celerrimus, ab æquitatis tamẽ aut justitiæ semitâ nec minimùm unquàm deflexerat. Meus Carduccius Emblematis mentẽ sequẽtibus Jambis explicat.

Intellectus vivax.

Erroris expers sol volat celerrimus:
Et lynceus vir cuncta pernix peragit.

Solem vel hoc etiam titulo dixeris Mariam Virginem, quæ ad Elisabetham, cognatam suam, invisura, *abiit in montana cum festinatione.* Eaque festinatio adeò ab errore omni immunis extitit, ut hodie etiamnum Virginibus exemplo sit, sese è publico cum festinatione proripiendi. S. Ambrosius. *Festinavit Virgo,* inquit, *ne extra domum diu in publico moraretur. &c. Discite Virgines non demorari in platea, non aliquos in publico miscere sermones; Maria in domo sera, festinat in publico.*

Maria ad Elisabethã invisens.

Luc. 1. 39.

S. Ambros. in hunc loc.

58. Sol ad justitiæ leges exactè compositus videri possit. Nam dum nonnullos populos sex continuis mensibus aspectu suo privavit, injuriam veluti

Adversitates compensentur beneficiis. luti compensaturus, totidem continuos menses suâ præsentiâ eos beare consuevit; Unde P. Raulini lemmâ. NOCTEM ÆQUO COMPENSAT DIE. Principes hoc sibi prototypon ob oculos statuent, ut tantundem beneficentiæ à se in subditos effundendum meminerint, quantùm fastidii & injuriæ ipsis intulerint. Ad has leges Davidem Deus exercere est solitus. *Psal. 93.19.* *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo*, verba sunt ipsiusmet Davidis, ad Deum conversi, *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Noli ergò timere*, subdit Magnus Augustinus, *adest in itinere auxiliator.* *S. Aug. l. 50. Homil. Hom. 27 cap. 1*

59. Otto Venius solem hoc lemmate circumscripsit. DELECTAT, ET URIT. Volebat quippe perversam amoris prophani indolem exprimere, quæ quidem, instar solis, aliquid voluptatis & gaudii afferre novit, sed plerumque tantundem doloris ac molestiæ intermiscet. Mentem suam hoc disticho aperit. Amor lascivus. *Otto Ven. Embl Amor, fol. 221.*

Manè recens orto Titan delectat Eoo:
Urit at in medio cuncta calore die.

Ad hoc propositum Apuleius. *Flamma*, inquit, *sævi amoris parvo quidem primo vapore delectat: sed fomento consuetudinis exæstuans, immodicis ardoribus totos adurit homines.* *Apuleius in Sentent.*

60. Latissima, & penitùs adversa effectuum discrimina in sole experimur. Aquam enim glacie induratam, dissolvit; contrà verò luti mollitiem indurat: flores, intra hortum consitos, perfectâ venustate efformat; fœnum vicissim, à messoribus avulsum, torridâ & exsiccâ vi depopulatur. Quare P. Lucretius Borsatus soli subscripsit. NON IDEM IN OMNES. Insigne hoc boni Principis esto, qui gratias & pœnas; supplicia & beneficia, ita dispenset, ut quæque suis meritis ac demeritis ex æquo respondeat. Mertianus Jurisconsultus, *Ne quid* inquit, *aut levius, aut durius constituatur, quàm causa deposcit: nec enim aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est: sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est.* S. Gregorius Nazianzenus, perfectum Principem delineans, ait, *hoc unum requiro, ut ex numero sit, qui non in omnibus rebus cunctis obsequuntur, sed qui in quibusdam etiam ob recti studium in hominum offensionē incurrunt, &c.* Princeps justus. *Mertian. Iurisconsultus l 11 ff de pœnis.* *S. Greg. Naz. Orat. 32 sub finem.*

61. Sol suos radios è quarti cœli fastigio ad usque postremum hunc mundum nostrum præcipites jacit. Verè adeò de se lemmatis loco dixerit. SENZA LASCIAR IL CIEL, TOCCO LA TERRA. Id est. TERRARUM SIC IMA PETO, QUIN ÆTHERA LINQUAM. Justos hoc symbolum concernit, qui corpore in terris detento, affectum omnem Deo suo affigunt. Hos inter excelluit S. Paulus, luculentus sibimet testis, *Nostra autem conversatio*, inquit, *in cœlis est. Hoc est*, interprete S. Anselmo, *corpore ambulamus in terra, sed corde habitamus in cœlo.* Hæc Apostoli vestigia gressu impigro insecuti sunt S. Gregorius Papa, S. Ludovicus Galliarum Rex. S. Carolus Archiepiscopus Mediolanensis, B. Amadeus Sabaudiæ Dux, aliique complures, qui mente ad Deum sublevatâ, regna ac subditos sibi concreditos sapientissimis imperiis gubernârunt. Princeps sanctus. *Phil. 3.20.* *S. Anselm. in hunc loc.*

62. Sol, obscuræ ac densæ nubis velamine obductus, permittit quidem, vultûs sui venustatem ab orbis conspectu occultari; id tamen prohiberi nequaquam potest, quin saltem splendoris sui gratiam ad nos transfundat, epigraphen illi nonnemo addidit. IL BELLO SI, MA LO SPLENDOR NON CELA. Id est, VULTUM, NON LUMINA CELAT. Aliam eidem è Martiale subjunges. ET LATET, ET LUCET. Næ Christum intra horrendos crucis dolores hunc solem putes, qui oculos quidem, vultumque sanctissimum retinebat, at sputis & cruore adeò obnubilatum, ut Divinus Vates eum contemplatus exclamârit, *Et quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum.* Sanè inter immanes illas dolorum umbras quaquàversum gratiæ suæ lumina diffudit; uti haud obscurè colliges è præcisâ aure, Malcho non sine prodigio restitutâ; è precibus, quas pro suis tortoribus ardentissimè fudit; è latrone, in paradysum admisso; è singulari solicitudine, quâ amantissimæ suæ parenti curatorem providit. &c. S. P. Augustinus illum Prophetæ locum interpretatus, ait, *Deformitas Christi te format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam, quam perdidisti, non recepisses; Pendebat ergo in cruce deformis; sed deformitas illius pulchritudo nostra erat.* Christus crucifixus. *Isa. 53. 3.* *S. Aug serm. 20. de verb. Apost. cap 6.*

63. Sol, in cœli umbilico, inter Lunam, Planetas, aliasque molis diversæ constellationes defixus gnomam Italicam præfert. IN TUTTI SPLENDO. Id est. SPLENDET IN OMNES. Ab illo enim cuncta firmamenti sidera splendorem emendicant. Eâdem planè ratione omnia sapientiæ, fortitudinis, castimoniæ & patientiæ dona è solâ Dei munificentiâ in Virgines, Doctores, Martyres, & Confessores profluxêre. Unde S. Jacobus. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Egregiè, ut cætera omnia, Magnus Augustinus. *Ad humanas mentes mutabiles de fonte immutabili descendit patientia, quæ & ipsas faciat immutabiles. Unde homini placere Deo, nisi à Deo? Unde homini bona vita, nisi à fonte vitæ? Unde homini illuminatio, nisi ab æterno lumine?* Cæterùm etiam Principis Majestas in omnes subditos benevolentiâ adeò liberali resplendeat, ut illius favore nemo non sublimis aut illustris evadat. Deus. *Iacob. 1. 17.* *S. Aug. serm. 1. ex addit. à Cartus.* Princeps.

64. Tanta solis est claritas, ut oculorum aciem, quantumvis acutam ac perspicacem, quantocius perstringat, superetque. Unde lemma. V'ABBAGLIANO LA VISTA ANCO I PIU DEGNI. Id est. PERSTRINGIT JUBARE VISUM. Idipsum in Essentia Divina observat Torquatus, ad quam creati oculi, tametsi perspicacissimi, caligant. Deus. *Torq. nella Gerusal. Conquist. lib. 10. & 59.*

E quando nemo in suo splendor s'involve,
V'abbagliano la vista anco i più degni.

Unde Seraphini, Deo præsentes, faciem suam obvelant, uti septuaginta Interpretes in Isaiæ capite sexto describunt. Eodem modo locum illum explicat S. Joannes Chrysostomus: *Duabus alis velabant faciem &c. simul excludentia radium, è throno prodeuntem, eò quod ferre non poterant immensam gloriam. &c.* *S. Io Chrysost. in Isa. cap. 6.*

65. Soli, extra nubium valla emergenti, Carolus Rancatus subjunxit. NULLAQUE OBSTANTE RELUXIT. Virum doctum hoc Emblemate ornaveris, qui in congressu litterario omnia adversariorum momenta superavit, suæque sapientiæ splendorem minimè vulgarem edidit. Cumprimis tamen Christi, Servatoris nostri, innocentiam ea imago explicat, qui, tametsi sexcentis hostium calumniis gravissimè oneratus, sese omnibus superiorem exhibuit, suæque integritatis testes ipsummet Pilatum, ejus conjugem, Centurionem, latronem, aliosque habuit. Denique cordis nostri innocentia adeò nunquam opprimitur, ut tandem inter omnes hostium insultus triumphet. S. P. Augusti- Virtus. Innocentia Christi. Innocentia nunquam oppressa. *S Aug in Psal 37.*

nimo-

ni monitum est. *Custodi intus innocentiam tuam, ubi nemo opprimit causam tuam.*

66. Omnes maris terræque fines amplissimâ solis virtute gaudent, ejusque indefessâ & assiduâ revolutione indies ambiuntur. Unde lemma. TOTUM CIRCUMSPICIT ORBEM. vel, OMNIA LUSTRAT. Hoc posterius Virgilio familiare est.

Virgil 4. Æneid. v. 607. *Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.*

Psal. 18. 7. Eccles. 1. 5. Divinus Psaltes, *Nec est*, inquit, *qui se abscondat à calore ejus.* Et Salomon. *Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur: ibique renascens, gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem LUSTRANS UNIVERSA.* Hoc symbolo depicta cernitur, cùm bonitas, & universalis providentia Dei; tum industria & sollicitudo boni Prælati vel Episcopi, quibus omninò incumbit, Diœceses & Ordines sibi concreditos, omni incommodo neglecto, circuire ac invisere. Quantùm quidem providentiam Divinam concernit, eam meus D. Salvator Caduccius hoc disticho descripsit.

Providentia Dei. Episcopus diligens.

Æthere sol radians totum circumspicit orbem:
Sic Deus immenso lumine cuncta regit.

Visitator. Quantùm verò sollicitam ferventis Prælati curam attinet, Ideæ loco Samuëlem, supremum Israëlis Judicem & pastorem, jure produxerim. Is quippe *ibat per singulos annos circuiens Bethel, & Galgala & Masphat; & judicabat Israëlem in supradictis locis.* 1. Reg. 7. 16. Ita nimirum insignis Antistes è tribunali assistebat omnibus, videndo ac providendo singula. Audi, quid in rem præsentem de hodierni ævi sole, ac Præsulum gemmâ, Alano de Solminihac, Canonico Regulari, & Episcopo Cadurcensi referat eruditissimus D. Dominicus Bisselius; cujus verba, quia concinna, ex integro admetior. *Inter omnes Episcopales functiones nulla majus momentum habet, magisque necessaria est & essentialis, quàm* Visitatio. *Reapse Episcopi nomen tam apud Hebræos, quàm Græcos derivatur à quodam verbo quod* visitare *significat, tanquam res eadem esset, esse* Episcopum, *& esse* Visitatorem*: Ita quoque noster Antistes* (Alanus) *sentiebat, qui omne tempus, quod poterat, lustrandæ Diœcesi suæ dicaverat.* Et paulò post, *cùm nonnemo certa quædam diversoria ipsi dissuadere volebat, quod ea non essent satis honorata, ejusq; personæ accommoda-* „ *ta,* Quid? *subjunxit ipse,* nunquid visitationẽ per- „ ago, ut meas inquiram commoditates? non dec- „ rit nobis palea stramentitia; & hoc sufficit: mor- „ tificationes, à Deo nobis immissæ, & quas in exer- „ citio muneris nostri sentimus, admodùm sapiunt. „ Et nonnullis interjectis. *Plerumq; tamen hunc Con-* „ *cilii Tridentini textum responsi loco adducebat:* „ Optandum esse, ut ii, qui Episcopale ministerium „ suscipiunt, quæ suæ sint partis agnoscant, ac se „ non ad propria commoda, non ad divitias aut lu- „ xum, sed ad labores & solicitudines pro Dei glo- „ riâ vocatos esse intelligant. *Unde frequenter iterabat,* sed ad labores, sed ad labores, &c.

R. D. Dominic. Bissel. in vita cap. 12 § 2. Sess. 25. c. 1. de Reform.

67. Caloris vehementia ad dimensum solis, plus vel minus elevati, crescit, decrescitque. Unde sub æstivo sole, ceu omnium summo, ferventissimus existit. Epigraphen addes. ALTIOR ARDENTIOR. Quando Christus, sol justitiæ, *in terris visus est; & cum hominibus conversatus est,* Deo nimirum sub carneam humani corporis compagem, demissione obstupescendâ, coarctato, poterat quidẽ videri, non alios nisi suaves ac temperatos splendores, *lumen,* nimirum *ad revelationem gentium,* ab illo spargi: At olim in extremo tribunali, quando *in nubibus cœli cum virtute multa & Majestate* sublimis stabit, tunc *ignis in conspectu ejus exardescet.* Idem Emblema etiam illorum est proprium, qui ad sublimiorem dignitatẽ evecti, sublimioribus etiam virtutum actibus intenduntur, Prototypi loco Alanum, Canonicum Regularem & Episcopum Cadurcensem habeto, de quo meus Concanonicus, R. D. Dominicus Bisselius in hæc verba testatur. *Ut in ista dignitate* (Episcopali) *se collocatum vidit, novo ardentissimoq; desiderio fuit inflammatus, amplius sese perficiendi, dicens, signum reprobationis fore, si quis ad vocationem perfectiorem & sublimiorem elevatus, non in perfectione cresceret: Episcopali Dignitati necessitatẽ perfectionis excellentioris indissolubiliter annecti; Et Episcoporum sanctimoniã ministerii eorundem eminentiæ coæquandã esse.*

Baruch. 3. 38. Christus Judex. Luc. 2. 32. Matth. 24. 30. Psal. 49. 3. Dignitas major, majorem fervorem requirit. R. D. Domin. Bissel. in vita p. 1. cap. 4.

68. Solis beneficentia non modò in omnes creaturas promiscuè, sed in quâlibet, solicitudine prorsùs singulari ac determinatâ, se effundit. Ut adeò verè illi subscripserim. OMNIBUS, ET SINGULIS. Lineamenta hæc sunt gratiæ & munificentiæ Divinæ, quæ & curâ omnibus communi, & cuivis sigillatim, sapientissimè providet. Ita omninò Princeps suâ ope omnia tam publica, quàm peculiaria subditorum commoda promovere satagat. De sole disserens S. Ambrosius, *Magnus sol,* inquit, *qui complet orbem terrarum suo calore, vel luna suo lumine; nec solùm terras, sed etiam aërem hunc & mare, cœliq; faciem.* Et subjungit. *Quæ in quacunque parte fuerint cœli, ILLUMINANT OMNIA, ET ÆQUE SPECTANTUR A CUNCTIS, ut ea tanquam suis tantùm regionibus immorari, & sibi tantùm adesse, atque lucere singuli populi credant, cum similiter luceant universis.* De Deo S. P. August. attonitus exclamat: *O tu bone omnipotens, qui sic curas unumquemq; nostrûm, velut solum curares, & sic omnes, tanquam singulos curares & diligeres.* Quantum denique ad Principem; ideæ loco se offert Constantius, Orientis Imperator, *Ego porrò,* ajebat, *officii mei partes esse duco, vobis non solum ex publicis bonis lætitiæ materiam præbere: sed insuper privatæ singulorum utilitati, quoad ejus fieri queat debitam providentiam, solicitudinemque navare.*

Providentia Divina. S. Ambros. l. 4. Hexamer. cap. 6. S. August. l. 5 Confess. c. 11. Princeps juvet omnes. Orat. de Themist. Philosopho.

69. Soli hanc Epigraphen subjunges. PER SE FULGET: vel NON MUTUATA LUCE. Dei hic typus est, de quo Philo, *sicut lux à nullo illustratur, sed se ipsâ ostendit: sic Deus, qui nullis hominum operibus illustrari potest, Divinâ suâ essentiâ solus se ipsum illustrat.* Quo Emblemate etiam exhibetur cùm independens & absolutum supremi cujusdam principis dominium, tum exoticum præstantis alicjus viri ingenium, quod, nullâ alienâ ope indigum, solo rationis suæ pondere nititur. Franciscus Petrarcha, *Ut cuique propria laus, aut infamia est; sic laudis aut infamiæ propria causa sit oportet.*

Deus. Philo l. 1. de Monarchia. Absolutũ dominiũ. Franc. Petrar. l. 1. de Remed. Dial. 6.

70. Sol, largiore radio conspicuus, lemmatis loco versum hunc Italicum sustinet. NEL TROPPO LUME SUO VIENE A CELARSI. Id est. SUO SE LUMINE CONDIT. Dei hæc figura est, ad cujus aspectum mortales oculi penitùs caligant. S. Dionysius Areopagita, alludens ad illud D. Pauli, *Deus lucẽ inhabitat inaccessibilem,* sapienter concludit, *Caligo Divina, id est, lux inaccessibilis, in qua Deus habitat, ad eam accedit, eaque absorbetur, quisquis Deum videre meruit: eoque ipso, quod non videt, nec cognoscit, familiariùs conjungitur ei, qui omnem cognitionem transcendit.* Sinesius, Deum contemplatus, exclamat:

Deus. 1. Tim. 6. 16. S. Dionys. Areop. Sines. hymn. 3.

Tu es quod illustrat,
Tu quod illustratur,
Tu es id quod apparet,
Tu quod occultatur
Propriis fulgoribus.

Unde

[*Taſſ. nella Geruſ. Liberata Canto. 9 ſt. 57.*]

Unde Torquatus Taſſus, inacceſſum Dei lumen è longinquo conſiderans, vernaculo idiomate canit.

Quivi ei così nel ſuo ſplendor s'involve,
Che l'abbaglian la viſta anco i più degni.

[Deus Judex.]

71. D. Areſius, Divinam juſtitiam in ſole contemplatus, epigraphen addidit. MALE OPERANTIBUS PAVOR. Studioſè obſervavit Oleaſter, inter Hebræos & Chaldæos morem obtinuiſſe, ut Deum Terroris nomine vocarent. *Vocant*, inquit, *Hebræi aliquando Deum Pavorem, quòd maximè ſit timendus, quod forſitan à Chaldæis mutuaverunt, qui frequentiſſimè Deum Pavorem vocant.* Certè, affirmante S. Hieronymo, *etiam qui ſancti ſunt, præſentiam Dei abſque formidine non videbunt.*

[*Oleaſt. in cap. 31. Gen.*] [*S. Hieron. in eum loc.*]

[Providentia Dei.] [*Matth. 5. 45*]

72. P. Vincentius Gilibertus ſolem Providentiæ Divinæ ſpeculum nominat, cujus munificentia, è Sacræ ſcripturæ teſtimonio, diffunditur SUPER BONOS ET MALOS. Coronidem Emblemati jungit Prudentius.

[*Prudent. l. 2. contra Symmach. ap. Lud. à Cerda in Tertull. de ſpectacul.*]

Haud aliter ſolis radius colluminat omnes
Diffuſo ſplendore locos, ferit aurea tecta,
Sed ferit & nigro ſordentia culmina fumo.
Intrat marmoribus Capitolia clara, ſed intrat
Carceris & rimam, & tetra foramina clauſi
Stercoris, & ſpurcam redolenti fornice cellam.

[*S. Aug. ſerm. 48. de Diverſis cap. 6.*]

Pulchrè in rem præſentem S. P. Auguſtinus. *Iſtum panem*, inquit, *quo venter impletur, videtis Deum dare non ſolùm laudatoribus ſuis, ſed etiam blaſphematoribus. Laudas, paſcit te; blaſphemas, paſcit te; ut pœnitentiam agas, expectat te; ſed ſi te non mutaveris, damnat te.*

[Beneficentia Dei.] [*Iacob. 1. 5.*]

73. Joannes Orozius, ut uberrimam Dei beneficentiam nunquam non in memoria recentem teneret; ſolem teſſeræ loco ſibi ob oculos fixit; addito illo D. Jacobi lemmate: AFFLUENTER, ET NON IMPROPERAT. In quem locum Thomas Angelicus: *Deus*, inquit, *dat liberaliter, non vendit, ſicut multi; dat generaliter, non uni, ſed omnibus; dat abundanter, non parcè; dat curialiter,* (urbanè) *quia non improperat.* Et S. Bernardus. *Verus beneficus eſt dans affluenter, & non improperans: non improperat dona, quia dona ſunt; & beneficia ſua mihi dedit, non vendidit.*

[*Tho. Angelicus apud Corn. à Lap. in hunc loc.*] [*S. Bernard. ſerm. 16. in Cant.*]

[Gratia.]

74. Fuit, qui ſoli inſcriberet. NI ASPICIT, NON ASPICITUR. Ita prorsùs Divina gratia, nî oculos noſtros anteverterat, omnem aſpectûs ſui copiam ſubtrahit. *Oculus factus eſt, ut videre lumen poſſit*, inquit S. Fulgentius, *ſed videre non poteſt, niſi ſe illi lumen infuderit; ita & bonum, quod facis, gratiæ adſcribendum.* Et S. P. Auguſtinus. *Sicut ſolem non videt oculus, niſi in lumine ſolis; ſic verum & Dominicum lumen non poterit videre intelligentia, niſi in ipſius lumine; de quo inquit Propheta; Domine in lumine tuo videbimus lumen.*

[*S. Fulgen. ad Theodor.*] [*S. Aug. l. Quæſt. ad Oroſ. Quæſt. 42.*]

[Excellentia Auguſtini.] [*S. Remig. ſuper 2 Corinth.*]

75. Suprema adeò ſolis eſt excellentia, ut cætera omnia illius comparatione & aſpectu caligent. Unde lemma. SPARISCE OGN' ALTRO LUME. Id eſt. SIDERA CUNCTA FUGAT. S. Remigius eodem encomio S. Auguſtinum inſignivit. *Sicut ſol*, inquit, *in lumine excedit omnes planetas, ita Auguſtinus omnes exceſſit in exponendo ſacras ſcripturas.* D. Bonaventura ſummam Mariæ Virginis excellentiam ipſiſſimo hoc elogio veneratur.

[Maria Virgo.] [*S. Bonav. in Pſal. minor.*]

Ave tota dealbata
Virgo, cui comparata
Luna nigra reputatur,
Sol cum ſtellis obſcuratur.

Cui ſuccinit Joannes Geometra. [*Io. Geom. in Hymn.*]

Gaude Virgo, abdens ſeraphinum lumen, ut almus
Sol oriens lucem ſideream obtenebrat.

[Virtus.]

76. Cui genuina virtus cordi eſt, ſolem imitatur, qui omnem venuſtatis ſuæ gratiam cum aliis communem facit. Ut adeò lemmatis loco de illo dixeris: EX TE CUNCTA NITOREM. S. Joannes Damaſcenus, *Sicut ſol*, inquit, *ad illuminationem omnibus ortus, ſine invidia porrigit ſuos radios, cunctoſque illuminari permittit: ita & vera ſapientia ſui appetitores, more ſolis illuminat, & illuſtrat, & ſplendidos oſtendit.* Soli etiam parallela eſt fides, fœcunda virtutum omnium parens. Nam, Origine Doctore, *ſicut nihil eſt delectabile hominibus ſine luce; ita nihil eſt delectabile, neque acceptum Deo, abſque fidei lumine.* Ex fide igitur virtutes *cunctæ* ſuum inchoant *nitorem*.

[*S. Io. Damaſ. c. 15. de Barlaam.*] [Fides.] [*Orig. in Iob.*]

77. Sol, omnes paſſim ſentinas, locaque immunda, innocuis ſuis radiis pervadere ſolitus, à Scipione Bargalio, lemmatis loco hanc unicam voculam cepit. IMPOLLUTUS. Vel prout P. Gamberto ex Statio placet. DECOR INTEGER. Effigies hæc eſt Chriſti, ſub Euchariſtiæ velamine latentis; qui ſceleratæ conſcientiæ illuviem pede inoffenſo, nulloque ullius labis contractæ veſtigio, ſubit. Diogenes importunè ab æmulis laceſſitus, *quod loca immunda introiret*, reſpondit, *& ſol in ſeceſſus abit, nec inquinatur.* Id ipſum probæ vitæ homini compertum eſt, quem nulla flagitioſorum ſocietas inficit. *Ut radii ſolis*, Lipſii verba ſunt, *in ſordes & caligantia loca conjecti, illuſtrant, non inquinantur: ſic boni inter feros ſqualenteſque animos reſplendent nihilominùs vera virtutis ſuæ laude.* Hoc eodem ſymbolo Sanctis Patribus Baſilio, Athanaſio, & Auguſtino in memoriam revocatur Deus, humanâ carne, citra omnem infinitæ gloriæ ſuæ jacturam, veſtitus. *Nonne vides ſolem*, inquit Baſilius, *& in cœno agentem, & ſordidis adlucentem, nullam tamen inde graveolentiam contrahentem? Quid igitur times impaſſibili & ſinceræ naturæ, ne maculam à nobis referat?* Et S. Gregorius Nyſſenus. *Puritas in noſtris ſordibus verſatur, ſordes verò puritatem non attingunt, ſicut ait Evangeliſta. Quod lux in tenebris, & tenebræ eam complexæ non ſint.* Porrò licet idem Servator noſter, has terras obambulans, complures leprâ, aliâque lue abominandos, thaumaturgâ manu contrectaverit, nullam tamen exinde malignam ſaniem unquam contraxit. Opportunè S. Petrus Chryſologus: *Deum nec tactus polluit, nec offendit viſus, nec odor exaſperat, nec auditus ſauciat, nec inquinat humana cogitatio. Nam ſi ſol tangit ſtercora, non tamen ſtercoribus inquinatur: quantò magis Creator ſolis tangit omnia, & tamen non poteſt ullis contactibus inquinari?*

[*Stat. Sylv. in Prol. & Criſp.*] [Euchariſtia.] [*Laertius l. 6.*] [Virtuoſus inter vitioſos.] [*Lipſ. Præfat. in l. Saturnal.*] [*S. Baſil. Homilia de humana Chriſti generat.*] [*S. Athanaſ. l. 2. de Incarn. Verbi.*] [*S. Aug. l. de fide ſymb. c. 4.*] [Verbum Incarnatū.] [*S. Greg. Nyſſ. Orat. de Nativ. Chriſti.*] [*S. Pet. Chryſol. ſerm. 35.*]

[Gratia Dei.]

78. Gratiæ Divinæ radius omnes animi noſtri anguſtias laxat, eumque temperie ſuaviſſimâ recreat; perinde ut ſolis ſplendor aëra malignis vaporibus extergit, terramque paſſim fomentis liberalibus erigit. Nempe DISCUTIT, ET FOVET. Utrâque hâc conditione inſtructam velim præſentiam Principis, dum Provinciæ aut regni ſui terminos luſtrat. Iis certè Alphonſum I. Luſitaniæ Regem fuiſſe inſignem, publicis monumentis conſtat; ſimul enim atque ditiones ſuas obiit, omne injuſtitiæ, aliorumque criminum vulgus diſparuit, ſolâ pacis, fidei & juſtitiæ ſymmetriâ ſuperſtite. Unde Principis juſtitia, inſtar ſolis ſceleratos *diſcutit*, & egenos pietate ſuâ *fovet*. Hanc operandi normam familiarem habuit Ferdinandus

[Præſentia Principis.] [Juſtitia & Pietas.]

dinandus II. Imperator, de quo P. Lamormainus testatur; *Justitiæ rigorem suæ clementiæ suavitate temperavit.* Et ut elogio sua vis constaret, exemplum addit. *Cujusdam Rei, cui vita non potuit condonari, filios ita solatus est, ut diceret, patris crimen illis fraudi non futurum:* adjungens: *se illis futurum parentis loco, si ipsi se gererent, ut deceret.* (P. Lamorm. cap. 23.)

79. Quemadmodum sol vibratis radiis dissolvit nebulas; ita Patrisfamilias, & cumprimis assiduò cogitata Dei præsentia facilè omnem è familia aut humano corde labem proscribit, præcavétque. Unde lemma soli præfixum. DISSIPABIT. De Divina præsentia eruditè Prudentius: (Majorum præsentia. Dei præsentia.)

Caligo terræ scinditur
Percussa solis spiculo,
Rebúsque jam color redit
Vultu nitentis sideris.
Sic nostra mox obscuritas,
Fraudisque pectus conscium,
Ruptis retectum nubibus
Regnante pallescit Deo.

(Prudent. Cathemerinon Hymn. matutin.)

Isaacus Presbyter, ostensurus, quantùm solatii in anima nostra pariat Oratio, ait, *sicut revelatur facies terræ per radios solares ab obscuritate aëris occupant: ita potens est oratio solvere & annihilare ab anima nebulas vitiorū, & irradiare mentem luce lætitiæ & consolationis.* (Oratio. Isaac Presbyt. de mundi contemptu.)

80. P. Aloysius Juglaris in honorem Victorii Amedei, Sabaudiæ Ducis, nascentem solem depinxit, ad cujus aspectum nebula ac caligo omnis proscripta: cum lemmate, SOLVIT, DUM VIDIT. Innuebat videlicet insignem Ducis prudentiam, quâ dissidentes Mariæ Mediceæ, Matris Regiæ, ejusque filii Ludovici XIII. Galliarum Regis, animos mirâ dexteritate conciliavit. Eodem planè modo sol bonitatis Christus, unico nutu in Petrum defixo, omnem ex ipsius corde perfidiam fugavit. *Conversus Dominus respexit Petrum*; sed quid inde; *Et egressus foras Petrus flevit amarè.* In hunc locum nervosè S. Ambrosius. *Quos Jesus respicit, plorant delictum.* (Præsentia Majorum. Præsentia Dei. Luc. 22. 61. S. Ambros. in hunc loc.)

81. Exerunt equidem insolentium vaporum, nubiumque turmæ suas nonnunquam in solem vires, & denso agmine cœlum obsident. At NON DIU persistunt umbratica hæc valla; dum nimirum occiduum illud sidus hesternas vires colliget, & copioso fulgure instar jaculi, OBSTANTIA SOLVET. Lucta non absimilis virtutem inter & vitia absolvitur. Virtus enim, obloquentium dicteriis ac fraudibus nonnihil circumventa, tandem erumpit, & adversas partes felici victoriâ triumphat. Nam, quod Ovidius testatur: (Virtus læsa. Ovid. 4. Fast.)

Conscia mens recti, famæ mendacia ridet.

Adversùs virtutem, inquit Seneca, *hoc possunt calamitates, damna, & injuriæ, quod adversùs solem nebula potest.* Et rursùs: *Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum; etiamsi quid obstat, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt.* (Senec. Ep. 92. Idem apud Lips. l. 1. Manuduct. dissert. 5.)

82. Qui malevolorum injuriis impetuntur, tantùm abest, eos quidquàm detrimenti sustinere, ut contra plurimùm gloriæ ipsis exindè accrescat. Exemplo sit sol, nubibus vallatus, quæ è Lucarini sensu, INSTANT, NON OBSTANT. vel FRUSTRA OPPOSITÆ. vel denique, HINC CLARIOR. Seneca, *Solis vis*, inquit, *& lux integra est etiam inter opposita, & quamvis aliquid interjaceat, quod nos prohibeat ejus aspectu, in opere est, cursu suo fertur. Quoties inter nubila luxit, non est sereno minor, nec tardior quidem, quoniam multùm interest, utrùm aliquid obstet tantùm, an impediat. Eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt. Non est minor, sed minus fulget: nobis forsitan non æquè apparet, ac nitet, sibi eadem est, & more solis obscuri, in occulto vim suam exercet.* (Virtus infestata. Seneca Epist. 92.)

83. Soli exorienti subscribes. JAM ILLUSTRABIT OMNIA. In hoc schemate videre licet amplissima effecta, cùm à Divino sole, *qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum*; tùm à viris illustribus nata. Benè in hanc rem Agapitus. *Solis profectò partes sunt, illustrare radiis orbem: Principis verò virtus est, egenorum misereri.* Hoc modo S. Gregorius Nazianzenus, cognominem suum S. Gregorium Nyssenum, tristi ac diuturno itinere occupatum, dilaudans, *Tuus*, inquit, *circuitus Deo gratus & acceptus, fixumque tibi ac stabile est multis prodesse, quamvis loco minimè fixus sis, nisi verò quis solem accuset, quia in orbem currit, radios fundens, atque omnibus rebus, quas obit, vitam afferens.* Cæterùm hoc symbolo enumerantur omnes boni Pontificis aut Visitatoris partes, dum Ordinē aut Diœcesin sibi concreditam ex officio lustrat. (Gratia Dei. Ioan. 1. 9. Agap. Ep. Paræn. n. 51. S Greg. Nazian Ep. 34. Princeps beneficus. Visitator.)

84. Nascenti soli inscripsit Lucarinus. ORIENS UNIVERSUM ILLUSTRAT. Sacra Servatoris nostri, ejusque Divinæ Matris incunabula hæc imago concernit. Non sine melle Bernardus, *Mariæ præsentiâ*, inquit, *totus illustratur orbis, adeò ut & ipsa jam cœlestis patria clarius rutilet, virgineæ lampadis irradiata fulgore.* Eodem argumento usus Isidorus Clarius, hominem quemdam liberalem, & in elargiendis suis gratiis munificum describit. *Veluti sol*, inquit, *cùm orbi apparet, mortales omnes implet jucunditate: sic liberalis, dum benignè omnibus facere studet, ubicunque conspicitur, quibus secunque obviam præbet, lucem quandam secum affert, quæ lætitiam omnibus parit.* (Nativitas Christi & B. V. S. Bernard. serm. 1. de Assumption. Liberalis. Isid. Clarius To. 1 orat. 61.)

85. Solis radius, intra sinum speculi concavi illapsus, & inde in oppositum fomitem repercussus, eodem momento simul & speculum illustrat, & vicinam materiam, ceu escam destinatam, voraci flammâ consumit. Huic Emblemati, Bargalio authore, aptè subscribes. UNIUS SPLENDOR, INCENDIUM ALTERIUS. Prognosticon hoc videri possit Christi, solis æterni; cujus splendore justorum animæ coram extremo tribunali fulgebunt; illis econtra, quæ causâ ceciderunt, æterno incendio devorandis. *Sol illuminat*, inquit S. Isidorus, *& exurit: ita Christus credentes fide, spiritu vegetante illuminat, negantes se, æterni ignis ardore terrebit.* Solem insuper, tametsi perversè, imitantur invidorum oculi; qui, viso alienæ excellentiæ aut dignitatis splendore, protinùs ardent, seq; ipsos, aliorum omnium impotentes, consumunt; Et, prout observat S. Basilius. *Quantò magis fortuna crescit, tantò ille majori premitur dolore atque luctu.* Unde Epulo ille Evangelicus, tametsi inferorum flammis acerrimè tortus, cùm tamen Lazarum in Abrahami sinu quiescentem suspiceret, adeò acutè hunc alienæ felicitatis splendorem sensit, ut livor, inde conceptus, omnem pristini tormenti dolorem superaret. Huic asserto vadem se jungens S. Petrus Chrysologus, *Zelo*, inquit, de heluone illo disserens, *magis incenditur, quàm gehennâ.* (Christus Judex. S. Isid. l. de mundo c. 15. Invidus. S Basil Hom. de Invidia. Luc. 16. S. Pet Chrysolog. serm. 121.)

86. Perinde ut lux solis, è speculo reflexa, ibi præsertim, dum fomento præsente allicitur, calorem excitat, nasciturque E LUCE ARDOR; Ita temerarius aspectus, in fœminæ venustatem defixus, focum in corde struit, & libidinis æstum suscitat. S. Joannes Chrysostomus, *Ut ignis*, inquit, *ubi fœnum arripuerit, nihil moratur: sed simul, ut attingit materiam,* (Aspectus incautus. S. Io. Chrys. Hom. 3 de verb Isaiæ.)

teriam, accendit flammam: itidem & ignis concupiscentiæ simul atque per oculorum intuitum elegantem attigerit formam, protinus exurit animum.

Utile cum damno. 87. Experientiâ constat, ex eadem re nonnunquam & damnum & utilitatem in nos derivari. E sole id disces; cujus radii, è speculo reverberati, simul & propinqua fomenta accendunt, & speculum illuminant. Unde lemma. HINC SPLENDOR, ET ARDOR. Ovidius.

Ovid. 2. Trist.

Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Apparet, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modò dat medicina salutem,
Quæq; juvet monstrat, quæq; sit herba nocens, &c.

Virtus afflicta. 88. Nubes elevatæ umbram nonnunquam solis conspectui aspergunt, suffocare non possunt. Nempe, PREMITUR, NON OPPRIMITUR. Virtus in animum generosum tantum habet imperii, ut quidem illum aliquando affligi, nunquam tamen fatigari aut dejici permittat: nec etiam ulla malitia eousque est improba, ut, dum veritati fucum aliquem fecit, eam penitus enervem reddat, aut ad obeunda nobilissima munia sua infirmam. S. Nilus Abbas, *Animus*, inquit, *virtutibus excultus, & confirmatus, licet diaboli prematur insidiis, non opprimitur, nec de constantiæ proposito dimovetur.* Haud secus perversorum versutia aliquando umbram quidem veritati affundit, nunquam tamen ita obvelat, quin tandem splendore suo penetret. *O magna vis veritatis*, exclamat Cicero, *quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facilè se per se ipsam defendat.*

S. Nil. Abb. Institut. ad Monach. — Veritas. — Cicero pro Cælio.

GratiaDivina. 89. Radii solares, speculi sinu recepti, ingens luci reflexæ incrementum addunt, eamque in alias complures multiplicant. Unde lemma, soli à Lucarino inditum. PRÆBET TANTUNDEM SINGULIS. Ita cœlestis gratia, in unum è servis Dei effusa, tantum ubiq; splendorem spargit, ut cæteros omnes illustret. S. Joannes Chrysostomus, *Salvator*, inquit, *non divitem, non pauperem, non ingeniosum, aut rudem, aut fortem, aut ignavum, aut diligentem, aut desidē discernit: sed omnibus, quamvis non ignoret exitum, pietatis doctrinam commendat.* Princeps certè maximè in id incumbat, ut nemini non beneficentiæ suæ radii affulgeant; quod, Cassiodoro teste, exemplo suo comprobavit Theodoricus; *Optamus*, inquiens, *cunctū diem plenum beneficiis nostris excurrere. Optamus ubiq; præstita nostra radiare.*

S. Chrysost. Hom. 45. in Matth. — Princeps beneficus. — Cassiod. l. 3. Var. Ep. 11.

Restitutus. 90. Famulus æmulorum calumniis officio & dignitate motus, eidem tamen denuò non sine honore ex integro restitutus; Solem ideam præfert, qui nubium umbris tantisper oppressus, mox evadit AB UMBRIS CLARIOR, seu ut lemma Italicum dicit. NON MEN LUCIDO RISORGE. Christo, è morte redivivo, idipsum congruit: nam, Authore S. Prospero, *Ortus est sol, quia occidit sol: id est, Christus mortuus resurrexit, & universum mundum claritatis suæ manifestatione implevit.*

Christus resurgens. — S. Prosp. in psal. 103.

Gratia Divina. 91. Ubi gratiæ Divinæ splendor invaluit, malitiæ & calamitatum umbras è statione dimoveri necesse est; æquè ac Sole propinquante fugantur tenebræ. Proinde epigraphen, ni fallor, opportunam subjunges. TENEBRÆ NON COMPREHENDERUNT. aut brevius. TENEBRÆ PROCUL. Jamblicus de Mysteriis. *Sicut veniente sole, tenebræ ejus præsentiam sustinere non possunt, sed subitò subterfugiunt: sic undique refulgente potestate Dei, quæ replet omnia bonis, perturbatio omnis, quæ solet à spiritibus malis accidere, nullum habet locum, sed repentè disperditur.*

Iamblicus de Mysteriis.

92. Sol, toties in orbem revolutus, hesternos identidem splendores recuperat; fitque adeò MOTU FÆCUNDUS. Idipsum de sole testatur D. Gregorius Nazianzenus. *Neque motui unquam suo, nec beneficiis finem faciens.* Et Plato. *Dum sol mundum suo cursu ambit ac lustrat, omnia salva sunt & conservantur, &c.* Totum hoc Visitatoribus, iisque omnibus, qui publicis negotiis destinentur, convenit; omninò enim muneri suo deessent, nisi terras, quas lustrant, beneficentiæ suæ radiis passim fæcundarēt. Facem iis prælūxit Apostolorum Princeps, qui *pertransiit benefaciendo & sanando.* Hunc locum interpretatus P. Cornelius à Lapide, ait, *Proprium ergò Christi, ejusq; assectarum est, nemini malè sed cuilibet benefacere; ut ubicumq; degit, spargat radios suæ beneficentiæ instar solis, qui jugiter currit, & pertransit, ut lucem, calorem, & influxum suum communicet hominibus, animalibus, & plantis toto orbe dispersis.*

S. Greg. Naz. de Theolog. Orat. 34. q. 2 — Plato in Theæteto. — Visitatores. — Act. 10 38. — Corn. à Lap. in hunc loc.

93. Spicarum plumæ, à solaribus radiis crebrò percussæ, tandem calorem croceum induunt, & congenitum virorem exutæ, inaurantur. Unde hanc Soli epigraphen subjunges. MUTAT IN AURUM. Ita dolorum tolerantiâ, adversitatum ardoribus iteratò pulsatâ, tandem aurea gloriæ & triumphantis animi corona fabricatur. S. Joannes Chrysostomus. *Quemadmodum in desudatione luctatorem cum sudore & pulvere, & calore multo, & laboribus, & miseriis pugnare decet: sic justo multa tolerare expedit, generoseque ferre universa, si claram hinc coronam sit accepturus.* Certè Joseph, Ægypti Prorex, ingloriam inter Palestinæ opiliones ætatem transegisset, nî artifex persecutio informe pedum in sceptri fastigium cacuminâsset.

Persecutio utilis. — S. Io. Chrys. Hom. 5. de Patient.

94. D. Aresius, ut Verbum Divinum, in Mariæ Virginis utero conceptum, Emblemate repræsentaret; solem effinxit, terrestris globi vertici insistentem cum dicto. NON GRAVAT, ET GRAVIDAT. Enimverò Spiritus Sanctus Mariam, sine ulla integerrimæ Virginitatis offensâ felicissimè fæcundam effecit. Marcus Vigerius, salutantis Angeli verba interpretatus, *Virtus altissimi obumbrabit tibi*, subjungit, *Voluntas Dei conteget totam; non gravabit, te circumdabit, non violabit.* Richardus de S. Laurentio, *Spiritus Sanctus*, inquit, *eam fœcundavit, virtus à corruptione servavit.* Et S. Bernardus. *Libet admirari, quàm leve sit onus veritatis, quod non solùm non onerat, sed etiam portat omnem, cui portandum imponitur. Hoc onus potuit uterum GRAVIDARE virgineum, SED NON GRAVARE.*

Maria V. conciplēs. — Marc Viger. in decachordo chorda 1. — Luc. 1. 35. — Richard. de S. Laur. l. 12. de Laud Virg. — S. Bernard. Ep. 72.

* * *
* *

95. Ocu-

95. OCulorum acies, ad diffusos solis meridiani radios emissa, penitùs hebescit, suamq; videndi lucem amittit. *Solem*, inquit S. Ambrosius, *intueri non possumus: radiis acies submovetur, obtutus intuentis hebetatur, &, si diutius inspicias, omnis visus extinguitur.* Unde lemma. TOGLIE IL LUME CO'L LUME. Id est. EXTINGUIT LUMINE LUMEN. Sic, prô dolor! incautus fœminæ aspectus oculos plerumque fascinat, & virtutis luce exuit. Hyperbolicè id observavit D. Guido Casonius hoc poëmate vernaculo.

S. Ambros. l. ... Luc. cap. 5.

Pulchritùdo fœminæ visa.

Guid. Cason. p. 1. dell'Ode.

Nel ciel tuo bel volto
Veggio il sol de tuoi lumi, ah dissi veggio?
Non vedo, ma vaneggio.
Che s'ei vicino splende,
Toglie'l lume col lume, e cieco rende.

Deus.

At, semotâ hyperbole, hoc symbolum Divino Soli apprimè convenit, qui miro splendoris excessu omne humani luminis acumen excœcat. De D. Paulo Apostolorum fasti testantur, *Circumfulsit eum lux de cœlo*, & mox subjungunt, *Apertisque oculis nihil videbat.* Nimirùm, interprete Ruperto Abbate, *Tanto fulgore majestatis apparuit Christus, ut eum, quem vocabat, cœcum faceret, atque suâ claritate lumen corporeum extingueret hominis infirmi, ut veri luminis virtutem ferre non sustinentis.*

Act. 9. 3. ibid. n. 8.

Rup. Abb. de Opere Spirit. Sanct. cap. 19

Maria V. gravida.

Ita quoque Maria Virgo, Sole Divino gravida, tam immodicum è vultu splendorem diffundit, ut intuentium oculi, in eam defixi, hebescerent; & nonnisi ægrè Virginem agnoscerent. Inde factum, quod asserente D. Matthæo, Josephus sponsus: *Non cognoscebat eam*; prout explicat S: Hilarius his omninò verbis. *Propter Sanctissimæ Mariæ glorificationem à Joseph cognosci non potuit, donec peperit; Dominum enim gloriæ habens in utero, quomodò cognosceretur? si Moysis, cum Deo colloquentis, glorificata est facies, ut non possent intendere in eum filii Israël, quantò magis Maria agnosci vel intueri non poterat, quæ Dominum potentiæ in utero habebat?*

Matth. 1. 25. S. Hilar. in Catena S. Thomæ citatus.

66. Soli, in occasum vergenti, subscribes. OCCIDIT ORITURUS. vel. CRASTINA SURGET. Mortuos, ad vitam olim redituros, hæc imago spectat. In hanc rem S. Petrus Chrysologus. *Crede homo, de morte resurgere te posse, quia antequam viveres, nil fuisti. Aut quare dubites, quòd resurgas, cùm tibi totum, quod in rebus est, quotidie sic resurgat? Sol occidit & resurgit: dies sepelitur & redit; menses, anni, tempora, fructus, semina, cùm transeunt, ipsa moriuntur, cùm redeunt, ipsa morte reviviscunt. &c.* Olympiodorus ad ipsum de Sole metaphorico, Christo, scribens, *Oritur*, ait, *ex Deipara Maria secundùm carnem; occidit autem ad inferni ima descendens; sed & rursus exoritur, à mortuis resurgens.*

Resurrectio mortuorum.

S. Pet. Chrys. serm. 49.

Olymp. in Ecclesiasten cap. 1.

97. Homo, morti proximus, opportunè cum Sole jamjam labente dixerit; VADAM, ET REVERTAR. Uterque enim non modò spem, sed indubitatam habet reviviscendi fiduciam. Valerius Flaccus de quibusdam mortuis canit:

In morte.

Val. Flac. lib. 3.

--- --- --- *Patet ollis janua lethi,*
Atque iterum remeare licet.

Et Claudianus.

Claudian. l. 1. Ruffin.

Quos ubi per varios annos, per mille figuras
Egit letheo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ revocat primordia formæ.

98. Mortuos, olim in vitam revocandos, itidem è Sole occumbente disces, qui inter Magnatis cujusdam pompam funebrē hoc lemmate visebatur insignis. RECEDO, NON DECEDO. Istud fidei nostræ arcanum minimè fugiebat Senecam. *Cogita* inquit, *nihil eorum, quæ ab oculis abeunt, & in rerum natu-*

Resurrectio mortuorum.

Senec. Ep. 36.

naturam, ex quâ prodierunt, ac mox processura sunt, reconduntur, consumi. Desinunt ista, non pereunt. Et mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit. Venient iterum, qui nos in lucem reponant dies. &c. Scitum planè non è diphtera, sed ex intimo fidei Catholicæ penetrali.

99. Sol. in occasum præcipitatus, non patitur se hoc tumulo æternùm sepeliri, sed viribus mox resumptis, reviviscit, &, ut Patris Gamberti lemmate utar, REDIT IN ORTUS. vel ut Seneca loquitur. MORI GAUDET FESTINUS IN ORTUM. Quæ lemmata affinia sunt illi Salomonis effato, *Oritur sol & occidit, & ad locum suum revertitur.* Hoc symbolo homines fideles plurimùm animentur, ne mortis minas ullas pertimescant; probè gnari, hunc caducæ felicitatis epilogum, fore amplissimum resurgentis vitæ, ac æterni luminis exordium. Altum hoc dogma imbiberat ille erecti animi juvenis, qui, ab Antiocho crudelibus tormentis laceratus, integerrimo ore respondit. *Tu quidem scelestissime in præsenti vitâ nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* S.P. Augustinus. *Resurgent boni, resurgent mali sed boni, ut sempiternâ beatitudine perfruantur; mali, ut perpetuo igne puniantur. Ibi discernetur fidelis ab infideli; ut accipiat fides præmium; & perfidia supplicii obtineat locum.* Et rursùs. *Fidelibus mors utilis reperitur, quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitate constituit.*

Senec. in Medea Act. 1. Scen. 1. *Eccles. 1. 5.* Mors est via ad resurrectionem. *2. Mach. 7. 9.* *S. Aug. de Symb. l. 3. c. 11.* *Idem de Prædest. SS. c. 14*

100. Astrologis prognostici loco sol deservit; è quo, si exorientem suam orbitam undique pellucidam, vaporumque vulgo liberam ostentet, indubitatam serenioris cœli faciem promittunt. Epigraphen è Virgilio subscripsit Gambertus. FRUSTRA TERREBERE NIMBIS. Simili planè ratione Civitas aut Religio nullam illabentis vitii tempestatem pertimescat, dum Principis vel Prælati vultus nihil terreni vaporis aut vitiosi affectûs præsefert. Porrò serena conscientia semper sibi constat, nullis unquam hostium insidiis concutienda. S. P. Augustinus. *Per bonam vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiã nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere. Discat ad tempus esse solicitus, qui semper vult esse securus.*

Vita Principis, norma subditorum. Conscientia bona. *S. Aug. serm. 214. de temp.*

101. Cœlorum aspectuì nonnunquam diversa umbrarum vaporumque stromata obtenduntur, cumque penitùs excæcare videntur; quæ tamen primo solis exorientis lumine adeò validè perstringuntur, ut quantociùs statione dimoveri, & in suas distracta latebras, pristinam cœlo libertatem restituere cogantur. Unde P. Jambertus nascentem solem illo Statii epigrammate insignivit. OCCIDET HORROR. Sic Princeps beneficus, solem imitatus, suâ liberalitate omnem calamitatum umbram ab egenis subditis procul fugare nititur. Ad hoc propositum Sidonius Apollinaris ait, *Indigentiàm miseratus, facit in terris opera cœlorum.*

Stat. 3. Sylv. Ep. in fil. Beneficentia Principis. *Sidon. Apoll. l. 6. Ep. 11.*

102. Insignem illam Francisci, Mutinæ Ducis, facilitatem, quâ passim omnes complecti erat solitus, P. Gambertus Soli non absimilem dixit; qui, congenitâ suâ beneficentiâ omnium oculis indies expositus, neminem non sui reperiendi videndique copiam exhibet. Lemma è Virgilio subjunxit. FACILIS QUÆRENTIBUS. Proindè bonus Princeps, è Claudiani sententia, sit *commune Numen*; sibique Sionis Regem Davidem Ideæ loco ob oculos statuat; de quo S. Ambrosius. *Quàm mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, FACILIS AFFATU.* De Constantino Imperatore refert Nazarius. *Quid faciles aditus? quid aures patientissimas? quid benigna responsa?*

Princeps benignus. *Virgil. 4. Georgic. v. 272.* *Claud. de Rapt. Proser.* *S. Ambros l 2 Offic. c. 7.* *Nazar. in Panegyr.*

103. Sol, integro vultu, ac veluti neglectim, nubes sibi infestas transiens, epigraphen, è Statio mutuatam sustinet. SERENUS DESPICIT. Hoc Emblemate Gambertus, imperterritum ac militarem Ducis Francisci animum repræsentavit, quo adversas ac conglobatas hostium vires generosè contempsit, neque unquam vel periculi quicquam metuit, vel è devictis illis triumphum aut gloriam ullam ambiit. Eâ enim animi nobilis est indoles, ut malignos hostium insultus facilè spernat, eosque, instar solis, pede inoffenso, & serenâ fronte prætereat. Præclarè Seneca. *Ingens animus, & verus æstimator sui, non vindicat injuriam, quia non sentit.*

Animus grandis. *Senec. l. 3 de Ira.*

104. Sol epigraphen è fronte præfert. RESPICIT ÆQUE. vel, OMNIBUS UNUS. Is quippe splendorem & munificentiam suam in res quasvis inferiores sine discrimine ex æquo dispensat. Ad hanc ideam sese efforment Judices, Patres familias, & Magistratus. *Ut Sol,* inquit Erasmus, *non alius est pauperi, quam diviti, sed omnibus communis: ita Judex personam spectare non debet, sed rem.* Singulari prærogativâ virtutem hanc præsefert Deus, qui tam fidei, quàm gratiæ suæ radios, citra particularitatem, in omnes diffundit. S. Cyprianus. *Si dies omnibus æqualiter nascitur; si sol super omnes æquali & pari luce diffunditur: quantò magis Christus, Sol, & dies verus, in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ æqualiter largitur?*

Paterfamilias. Judex. Magistratus. *Erasm. in simili.* Gratia Dei. *S. Cypr. l. 4. Ep. 4.*

105. David indefessam Solis revolutionem, motumque sine quiete assiduum, contemplatus, eum giganti non absimilem dixit, qui metam præproperè contingit. *Exultavit ut gigas ad currendã viam.* Gambertus gnomam, è Virgilio mutuam, Soli præfixit. NEC MORA, NEC REQUIES. Et prior illo Bargalius, idiomate Hispanico subscripsit. NO CANSADO, Y POR TODO, Id est, INDEFESSUS, ET UNDIQUE. Nimirùm insignem illam Philippi II. Regis Catholici vigilantiam & solicitudinem repræsentabat, quâ indefessè & prævidebat & providebat omnibus. Hæc eadem encomia de Arcadio Imperatore commemorans Sinesius, *Consultò sanè fuerit,* inquit, *si se toti imperii corpori, quod bifariam tribuitur in armatum & inermẽ populum, vicissim utriq; imperii parti dederit, ac post milites civitatibus populisque sui copiam faciet, ita verò sui copiam faciet, ut quoscunque post non modò nationes, sed & civitates perlustret.* Principes quippè in terris Deorum simulachra sunto; meminerintque è Virgilii sententia,

Psal. 18. 6. Princeps indefessus. *Sines. Orat. de Regno.* *Virgil. l. 4. Georg. v. 22. 1.*

----- *Deum ire per omnes*
Terrasque tractusq; maris, cœlumq; profundum.

Deus, authore S. Joanne Damasceno, *dicitur, vel quia providet, & videt omnia; vel quia curat de omnibus, vel quia circuit omnia.* Plato, *Deus,* inquit, *curat omnia, sive magna ea sint, sive parva.*

S. Io. Damasc. apud Albertum Mag. in cap. 1. Luc. *Plato.*

106. Providentia Divina, quæ omnibus est eadem, eodem modo sufficiens omnibus, & sufficientissimè pro omnibus solicita; Solem imitatur, hoc lemmate spectandum: OMNIBUS SUFFICIT. Ad hoc propositum exquisitè S. Bernardus, *Deus,* inquit, *nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus, nec ad diversitatem divisus: nec restrictus ad unũ, nec anxius ad curas, nec perturbatus seu turbulentus ad solicitudines. Sic sanè uni intentus, ut non detentus, sic pluribus, ut non distentus.*

Providentia Divina. *S. Bernard. serm. 69. in Cant.*

107. Charitatis Divinæ flamma eò apertiùs relucet, quò gravius à perversis hominibus fuerit læsa. E sole id disces, qui, dum nubium obsidione premitur, suos interea radios acuit, & ardorem longè vehementiorem spargit. Unde Bargalii lemma

Bonitas Divina.

lemma. IMMITTIT ARDENTIORES. Vel aliud, à me subscriptũ. PIU COCENTE DIVAMPA. Id est. INTENSIUS ARDET. Hâc imagine dolorem sopitum, aut amorem occultum significare licet. De hoc canit Guarinus metro Italico.

Amor absconditus.

Guarin. P. F. Atto 2. Scen.

----- Amor fù sempre un fier tormento,
Mà più, quant, e più chiuso,
E più fero è prigion, che non è sciolto.

Cæterùm de Divinâ bonitate pulchrè S.P. Augustinus, *Mirabilis*, inquit, *est Dei bonitas, quæ benè utitur etiam malis vel Angelis, vel hominibus. Cùm enim ipsi vitio suo mali sint, ille de malo eorum benè facit.*

Aug. in Psal. 104.

108. Sol, denso stellarum siderumque numero cinctus, epigraphen sustinet. ADORNO TUTTE. Id est. ILLUMINO CUNCTA. Pulchra hæc Mariæ Virginis idea est, de qua venerabundo calamo Chrysippus. *Ave fons lucis, OMNEM HOMINEM ILLUMINANTIS.* Hoc nihilo inferior doctissimus meus Idiota. *Longè positos*, inquit, *illuminat radiis misericordiæ suæ; sibi propinquos per specialem devotionem consolationis suavitate, præsentes sibi in patria, excellentiâ gloriæ; & sic non est, qui se abscondat à calore ejus.*

Maria V. Chrysip. orat. de laud. Mariæ. Idiot. in Prolog. de Maria.

109 Ad solis præsentiam reliqua sidera omnia offuscantur, seque, attonitis similes, è mundi conspectu subducunt. Ut proinde Abbas Ferrus Soli genuinè subscripserit. OFFUSCO TUTTE. Id est. OBNUBILO CUNCTA. Hâc icone repræsentatur summus meritorum & virtutum splendor, quo personæ aliquæ illustres incedunt. De Christo disertè S. Antonius Paduanus. *Sol*, inquit, *est Christus, qui lucem inhabitat inaccessibilem, cujus claritas OMNIUM Sanctorum RADIOLOS, si ei comparentur, OFFUSCAT, & denigrat, quia non est sanctus, ut est Dominus.* Eam virtutum excellentiam in Deiparâ Virgine maximè admiratus S. Hieronymus, *Tanta*, inquit, *erat vitæ ejus claritas, ut omnium vitam quodammodò obscuraret.* S. Petrus Damianus, illa Sacri Epithalamii verba explicans, *Pulchra ut Luna, electa ut sol*; ait, *Sol ita sibi siderum & lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint, & videri non possint, sic etiam virga Jesse, veri prævia luminis, in illâ inaccessibili luce perlucens, sic utrorumq; spirituũ hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* Cæterùm D. Hieronymus S. Paulam Romanam dilaudans. *Hæc*, inquit, *sicut inter multas gemmas pretiosissima gemma nitet, & jubar solis parvulos igniculos stellarum obruit, & obscurat: ita cunctorum virtutes & potentias suâ humilitate superavit.* Deniq; Julianus Imperator inter cæteram Eusebiæ Imperatricis panegyrim testatur, quòd in eâ fuerit *Corporis vigor & pulchritudo tanta, ut cæterarũ virginũ decor obscuraretur; quemadmodùm splendentia sidera lunæ, jam pleno orbe micantis, luce collustrata, speciẽ omnem, ac lumen amittunt.*

Virtus præstans.

S. Ant. de Pad. in Apocal. cap. 16.

Excellentia Mariæ Virginis.

S. Hieron. Epist. ad Eustoch.

S. Pet. Dam. serm. in Assumpt Virg. Cant. 6. 9.

S. Hieron. Epist. ad Eustoch.

Julian Orat.

110. Sol eodem vultu tam spumantes Oceani fluctus, & immotum orbis pondus; quàm aridos scopulos, camposque fertiles dignatur, eodemque pede metitur singula; utpote qui reperitur UBIQUE SIMILIS. Animus constans hanc sibi ideam præfixam habeat, qui vultu æquali ac immutato tam ridentis, quàm indignantis fortunæ vicissitudines excipiat, eodemque sensu intra assiduos laboris & quietis motus versetur. Ferdinandum II. hâc prærogativâ insignem, testatur P. Lamormainus, *Eâdem tranquillitate animi, eâdem vultus orisque serenitate perstitisse post clades auditas, quâ antè fruebatur. Eâdem constantiâ secundum ac tertium accepit vulnus, quâ primũ.* Et rursùs. *Nullius felicioris eventûs cau-*

Constantia.

P. Lamorm. cap. 17.

sâ elevatus est animo, nullâ prosperitate intumuit. Id quod multis optimi Imperatoris exemplis confirmatur.

111. Præclaram sanè Dei imaginem in sole cernimus, cui hæc epigraphe sit præfixa. SOLUS INDEFICIENS. Verissimè de Deo S. Isidorus. *Summum bonum Deus est; quia incommutabilis est, & corrumpi omninò non potest.* Et Ovidius.

Deus.

S. Isidor. l. 1. sentent. ca. 1. Ovid. 8. Metam.

----- Immensa est, finemque potentia cœli
Non habet.

112. Pronuntiatum solis, OMNES SUB JUGO MEO, Divinam Majestatem concernit, de quâ Justus Lipsius. *Magnus ille auriga, & rector universi Deus, habenas in hoc mundano cursu temperat, impellit, sistit. & Poeta verbo*

Deus.

Lips. l. 1. Admirand.

Divosque, mortalesque turmas
Imperio regit unus æquo.

Et rursùs. *Triumphat in providentiæ curru æternus ille rector, & nos sequimur; liberi, ac veluti milites ejus, si volentes: captivi, ac servi, si nolentes.* Denique prior Lipsio Ovidius.

Idem Centur. 3 ad Belg. Ep. 19. Ovid. 4. Trist. Eleg. 7.

Nil ita sublime est, supraque pericula tendit,
Non sit ut inferius, suppositumque Deo.

113. Christo in has terras recens nato, tres Soles, si historiis concedamus, apparuêre; quin imò eosdem etiam Patavii Anno 1601. à se visos testatur Abbas Ferrus. D. Aresius hanc solis triadem illo S. Joannis lemmate insignivit. UNUM SUMUS. In rem præsentem de Sanctissima Trinitate pronuntiat D. Athanasius. *Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti: sed Patris, & Filii, & Spiritûs sancti una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas: ita ut per omnia & Unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit.* Et Petrus Biancus.

Ioan. 10. 30.

S. Athan. in Symb.

Pet. Bianc. l. 3. Epigr. 9.

Unus es, ac trinus, nutu qui concutis orbem,
Orbi unus, trinus sufficis ipse tibi.

114. Bartholomæus Rossus funeri D. Caroli, ceu soli occiduo, subscripsit. DELITESCIT UT RENASCATUR. Schema id dixeris hominum, olim è morte resuscitandorum; de quibus mysticè S. Zeno Veronensis. *Sol quotidiè nascitur, eâdemq; die, quâ nascitur, emoritur; nec tamen instantis finis sorte terretur, ut suos retardet cursus, sed fidelis semper, intrepidus ad sepulchrũ noctis contendit, sciens, in ipso habere, quòd vivat.* Apprimè etiam hoc symbolo depingitur juvenis, qui opum, prosapiæ, ac virium lenociniis, quibus abundat, pessumdatis, intra Monasterii angustias sese concludit; vitâ, momento finiendâ, cum æterna ac felicissima commutaturus. In hanc rem S. Basilius. *Cella*, inquit, *Dominicæ sepulturæ propemodùm æmula, quæ peccato mortuos suscipis, & per afflatũ S. Spiritûs Deo reviviscere facis.*

In morte.

Resurrectio.

S. Zen Veron. serm. de Resurrect.

Religiosus.

S. Basil. Homil. de laud. erem.

115. Judicis optimi partes è Sole dignosces, qui comparet OMNIBUS IDEM. Periocha hæc Divinæ legis est. *Nulla erit distantia personarum; ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* Vernaculo poëmate Guido Casonius.

Judex.

Deut. 1. 17.

Guid. Casoni Embl. moral. 2.

Non fanno il Rè, non danno altrui l'impero
Le corone ingemmate, ei scettri d'oro,
Non gli aurei manti, & i dorati seggi,
Perche la ne teatri anco visono
Queste insegne reali, e pur de regi
Altro non sanche simolacri, e larve.
Mà quegli è vero Rè, che amando regge,
A tutti giusto come il sole a tutti
Nel gran Cerchio del Ciel rinasce, e splende.

Idem Sol, Emblemate non absimili, suprà hortum, omnis generis, nivei, flavescentis, cærulei, ac prasini coloris floribus superbientem, depictus; epi-

graphen tenet. OMNIBUS IDEM. Proprium hoc Dei symbolum est, qui æquali curâ suas gratias omnibus providet. *Quoniam*, Salomone teste, *pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Opportunè Apostolus. *Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* Rationem subjungens S. Ambrosius, *Quis operator*, inquit, *negligat operis sui curam? quis deserat & destituat, quod ipse condendum putavit? si injuria est regere, nonne est major injuria, fecisse? cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit? non curare quod feceris, summa inclementia.*

Sap. 6. 8. *Rom. 10. 12.* *S. Ambros. l. 1 Offic. cap. 13.*

116. Vrbanus VIII. postea quam studiorum curriculum emensus, & supremâ laureâ insignis, Pisis Florentiam repetierat, solis exorientis Emblemate salutatus est; cui illud Horatii præfixum legebatur. ALIUSQUE ET IDEM. Enimverò, in patriam reversus, idem videbatur quidem, si personam? alius verò si scientiam, virtutes ac titulos, splendida personæ parerga, spectes. Cæterùm propria hæc peccatoris, ad frugem conversi, imago est? illius maximè Juvenis, qui, cùm è certâ peregrinatione redux, priorem hominem detestaretur, à complice scorto ad libidinem iterandam pro more invitatus est. Cùm verò allicientem tacitus præteriret, illa, se ab amasio minus animadversam rata, blandè respiciens, *ego sum*, inquiebat; cui promptè juvenis, *at ego non sum*; uti refert Sanctus Ambrosius. Ephesiis suis olim suaserat Sanctus Paulus. *Deponite vos veterem hominem, & induite novum.* Id est, interprete Sancto Augustino, *mutate mores; sæculum diligebatis, Deum diligite; nugatoria iniquitatis, temporales voluptates diligebatis, proximum diligite.*

Pœnitens. *S. Ambros. l. 2 de Pœnit. cap. 10.* *Ephes. 5. 14.* *S. Aug. de 10 chordis c. 7.*

117. In eandem Urbani VIII. laudem Abbas Ferrus nascentem solem statuit, his litteris exaratum; DIEM PRÆSIGNAT AB ORTU. Teneram nimirum optimi Pontificis ætatem recolebat, quæ jam tum, solis instar exorientis, locuplete virtutum radio instructa, facilem ominanti materiem suppeditabat, quibus gloriæ ornamentis futuram infantis, adeò maturi, ætatem describeret. Hercules certè, etiamnum in cunis vagiens, discerpto gemino serpente, luculentè præsagiit, quantùm roboris olim in edomandis belluis esset demonstraturus. Hannibal, adolescentiam necdum egressus, edito tamen ad Jovis aras juramento, quo suum adversùs Romanos congenitum odium inexpiabili lege obfirmaverat, vaticinio minimè vano declaravit, quantùm cladis Respublica Romana ab ipso quondam passura esset. Alexandri dexteritas, cujus specimen in coërcendâ superbientis Bucephali cervice adhuc juvenis patefecerat, augurio comprobavit ejusdem in arduis negotiis, domi forisque conficiendis, summam magnanimitatem. Verius tamen hæc singula de S. Carolo dixerim, qui necdum orbi natus, sparso copioso lumine, ceu omine, prædixit, quantùm momenti coram Dei hominumq; conspectu paulò post esset sortiturus. *Quantâ futurus esset sanctitate conspicuus, Divina lux super parientis matris cubiculum noctu coruscans præsignavit.*

Infantia insignis. S. Carolus. *Brev. Rom. 4. Novemb.*

118. Solis ardor, inde nivem dissolvens, hinc herbarum florumque vires recreans, Emblematis loco illam è Sacrâ paginâ gnomâ sustinet. HUMILIAT, ET SUBLEVAT. vel, MORTIFICAT, ET VIVIFICAT. Dei, simul & summè misericordis, & summè justi, formidandique hæc imago est. Unde S. Cyprianus. *Sicut respici debet Divina clementia, sic respici debet & Divina censura. Deus enim ut est indulgẽs, ita est præceptorum suorũ exactor, & quidẽ diligens. Paravit cœlum, sed paravit & tartarum. Paravit refrigeria, sed paravit etiam æterna supplicia. Paravit inaccessibilem lucem, sed paravit etiam perpetuæ mortis vastam, æternamq; caligine.* Et Horat.

1. Reg. 2. 7. Deus justus & clemens. *S. Cyprianus Ep. 31.* *Horat. l. 1. od. 34.*

———— *Valet ima summis*
Mutare, & insignem attenuat Deus,
Opscura promens.

Porrò Princeps, Paterfamilias, vel Præceptor, Solis instar, filios aut subditos supplicii rigore quidem coërceant, præterea tamen eosdem præmiorum copiâ nunquam non intra amoris limites servare studeant. Nam, ut benè Lipsius, *Duo sunt, quæ juventutem instruunt ac formant, delinquentium castigatio, & bonorum præmiatio. Ad utrumque enim horũ aspicientes; illam quidem ob metum fugiunt, hanc ob gloriæ studium concupiscunt.*

Præmium & pœna. *Lips. l. 5. de Militia Rom. Dial. 17.*

119. Ferrus, iteratum Cardinalis Maphæi Barberini in Gallias adventum Emplemate significaturus, Soli recens nato subscripsit. REDIT, NEC DEFICIT. Non absimili ratione Deus gratiæ suæ radios, tametsi iteratis vicibus à peccatore repercussos, identidem repetit, novisq; incrementis perversum ipsius animum pulsat, collustratque. Testem habeto Divinam sapientiam, quæ *dignos se ipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hilariter, & in omni providentia occurrit illis.* Et rursùs. *Ecce sto ad ostiũ, & pulso.* S. P. Augustinus. *Ipse* (Deus) inquit, *ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et rursùs. *Prævenit, ut sanemur; & subsequitur ut sanati vegetemur; prævenit ut vocemur, & subsequitur ut glorificemur; prævenit, ut piè vivamus, & subsequitur ut cum illo semper vivamus.*

Gratia Dei. *Sap. 6. 17.* *Apoc. 3. 19.* *S. Aug. lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 17.* *Idem l. de Nat. & Grat cap. 32.*

120. Solaris radius, glaciem, nivemque feriens, à Jacobo Fioravantio illam Poëtæ prognosin lemmatis loco accepit. TORPENTIA FRIGORA SOLVET. Assiduò cogitata Dei præsentia, sole longè validior, omnem torporis aut negligentiæ humanæ duritiem dissolvet. *Quomodò enim*, S. Bernardo asserente, *negligens poterit fieri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri? Qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora ejus & exteriora omni horâ considerare non cesset &c.* Petrus, in Christum perfidus, glacie totus quantus rigescebat. *frigus erat mentis non corporis*, inquit de illo S. Ambrosius, *denique ad carbones stabat Petrus, quia algebat affectus:* Sed ecce! unico solis Divini radio superata hæc glacies, in canales & uberes lacrymas repentinâ metamorphosi, soluta est. *Quos respicit Iesus*, pergit Ambrosius, *plorant delictum. Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit secundò, non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit & tertiò, respexit Jesus, & ille amarissimè flevit.* Tandem concludit. *Respice Domine Jesu, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum.* Easdem lachrymas de S. Mariâ Magdalenâ commemorat Ecclesia.

Præsentia Dei. *S. Bernard. serm. 2. in Psal. 90.* *S. Ambros. l. 10. in Luc.*

Pater supremi luminis,
Cum Magdalenam respicis,
Flammas amoris excitas,
Geluque solvis pectoris.

121. Soli in oriente, & Lunæ in Occidente existenti epigraphen subdidêre. DIVISUM IMPERIUM. Celebre est illud Virgilii distichon.

Nocte pluit totâ, redeunt spectacula manè,
Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

Si Solis nomine potestatem Ecclesiasticam, Lunæ verò sæcularem intellexeris, appositè subjunges, *Divisum imperium.* Illa enim invigilat animæ; hæc verò nonnisi corpus, momento interiturum, curat. Joannes Chrys. *Quamquã nobis admirãdus videtur thronus*

Potestas sæcularis & Ecclesiastica. *S. Io. Chrys. Hom. 5. de Verbis Isaiæ*

thronus regius ob gemmas affixas & aurum, quo obcinctus est; tamen rerum terrenarum administrationem sortitur: nec ultra potestatem hanc quidquam habet auctoritatis. Unde, referente Philone, Rex Agrippa in Epistola ad Cajum fatebatur; *Avos, proavosq; Reges habui; & ex his aliquot etiam summos Pontifices; quam illi dignitatem pluris faciebant quã Regiam, rati quantò Deus antestat homini, tantò pontificatum regno excellentiorem: ad illius enim curã Divinas res; humanas ad hujus pertinere.*

Philo lib. de legatione ad Cajum.

Deus.

122. Sol, inter reliquos planetas medius, epigraphen tenet: SOLUS NON ERRAT. De Deo, Emblematis hujus archetypo, sapienter Justus Lipsius. *Unus Deus aplanis, id est expers erroris, & omniscius.* additque: *Ipsi beati genii & æterni spiritus ab errore non tuti, nisi Deo dirigente.*

Lips. lib. de una relig.

Maria V. gravida.

123. D. Aresius Mariam Virginem gravidam, Solis intra nubẽ coruscantis, imagine expressit; addito lemmate: ORNAT, NON ONERAT. Illa quippe, instar nubis candidæ, intra sinum suum reconditum servabat Divinum Solem, à quo uti plurimùm ornamenti, ita haud quidquam molesti oneris sentiebat: quin imò miram agilitatem præseferens, citrà negotium *abiit in montana cum festinatione.* S. Bernardus. *In ipso conceptionis initio, quando potissimùm cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria totâ alacritate montana conscendit, ut Elizabet ministraret: sed & ascendit Bethleem, imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve.*

Luc. 1. 39.
S. Bernard. ser. in sign. magnum.

Maria V. gravida & pariens.

124. Deiparæ, uterum gerenti, idem tribuit symbolum Aresius, mutato tamen lemmate, ET LUMEN CIRCUMQUAQUE DIFFUNDIT. Quod tamen rectius de Virgine pariente intellexeris; quia, authore Venerabili Bedâ, *Omnis Sanctorum Beatitudo de glorioso Virginis utero processit.* Porrò ex Emblemate illo conjicere licet, quanta bonis Majorum exemplis innata sit energia. *Sicut cœli luminaria ac sidera in firmamento cœli à Deo collocata, cunctis indesinenter, quæ sub cœlo fulgent, atque omnibus quæ super terram sunt per tempora, ac tempora, per generationes & generationes mirabiliter relucent, sic & sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones omnibus in perpetuum singulariter fulgent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt.* Hactenus Origenes.

Beda in cap. 11. Luc.
Origen. lib. 1. Iob.

Augmentum.

125. Sol in uno epicycli latere depictus, epigraphen tenet: NONDUM IN AUGE. Effigiem hæc imago præfert magnanimi Imperatoris Caroli V. cujus voluntati, post totum penè orbem subjugatum, alia identidem superanda, inexpiabili fame superérant. Nam *auge* suprema in Cancro solis sedes est, cœlique regio, ubi Sol orbi illustrissimus apparet. Si porrò etiam ad ascesin hoc symbolo uti libeat, facem prælucet gentium Apostolus, *Ego*, inquiens, *non arbitror me comprehendisse: sequor autem, si quo modo comprehendam. Quis hominum*, ait Magnus Augustinus, *se audet de perfectione jactare? imò confiteamur imperfectionem, ut mereamur perfectionem.* In rem præsentem testatur Alphonsus Rodriquez: *Solent dicere Duces vitæ Spiritualis, nullum certius esse argumentum, hominem à perfectione abesse adhuc longissimè, quàm cùm sibi persuadet, se ejus jam verticem contigisse.*

Profectus,

Phil. 3. 3.
S. Aug lib. 50 Homil. Hom. 34. in fin.
Rodriq. p. 1. tract. 1. c. 16. de Perfect.

SS. Trinitas.

126. Alcibiades Lucarinus soli, binum Parelium intra nubes exprimenti subscripsit. LUX AB UNO. vel, EST TAMEN UNUS. Vel, ut Ferro placet: LUMINE EODEM. Ineffabile Sanctissimæ Trinitatis mysterium è rudi hoc schemate dignoscere licet. Doctè ac pulchrè S. Prosper:

Splendet enim verum vero de lumine lumen,
Ut genitum agnoscens, noveris ingenitum.
Una trium Deitas, una est essentia &c.

S. Prosp. l. Epigr. n. 104.

S. Joannes Damascenus in eadem solis luce, quæ intra nubem reflexa, binum parelium, seu duplicem solis effigiem repræsentans, Sanctissimam Trinitatem contemplatur. *Indivisibilis enim*, inquit, *in Divinis est Divinitas, ac velut in tribus solibus, inseparabili nexu inter se cohærentibus, una eademque est lucis temperatio atque conjunctio.*

S. Io. Damasc. l. 1. de fide, cap. 14.

Deus Trinus.

127. Eidem Emblemati subscripsit Lucarinus: AT UNA LUX. Eadem nimirùm est naturæ Divinæ unitas, tametsi in tres personas distributa. Id quod disertè innuit ipsummet Verbum incarnatum. *Ego & Pater unum sumus. Quia Pater in me est, & ego in Patre. Qui videt me, videt & Patrẽ meum.* Unde S. Gregorius Nazianzenus: *Lumen hoc, quod in Patre & Filio & Spiritu sancto consideratur, quorum opulentia naturæ identitas est, atque una eademq; splendoris prosultatio.* Argumento non absimili S. Cyprianus: *Quomodo solis radii multi, sed lumen unum; sic & Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur.*

Ioan. 10. 30.
Ioan. 10. 38.
Ioan. 14. 9.
S. Greg. Naz. Orat. 40.

Fides.

S. Cyprian. l. de simplic. Prælat.

Christus crucifixus.

128. Christus è cruce pendens, tametsi dolorum agmine crudelissimo oppressus, diversis tamen gratiis circumstantes liberalissimè est dignatus. Ectypi loco Lucarinus solem statuit, sub nubibus delitescentem, cum lemmate: INFLUIT TAMEN. Experti sunt hos Christi influxus Maria Virgo, cui filium adoptivum providit; & S. Joannes, in Matris Divinæ clientelam admissus; Nec intra filii tantùm & Matris limites hæc optimi Servatoris cura sese continuit, ut quæ ad ipsos etiam copiosè dimanavit. Nam Centurionem fidei & oculorum die momento illustravit, Latronem verò inter cruciatus acerrimos suavissimis illis promissis est solatus, *Hodie mecum eris in paradiso.* Theophylactus, *Nunc*, inquit, *videtur effectum sortiri, quod Dominus dixerat: cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Exaltatus namque in cruce, attraxit latronem & Centurionem*, &c.

Luc. 23 43.
Theophyl. ap. Corn. à Lap. in Matth. 27 54.

Eucharistia.

129. Caligat equidem omne oculorum acumen ad Christum, in Eucharistia sub accidentium velamine latentem; ut tamen aliquam ipsis etiam oculis fidem concilies, Lucarini ideam intuere, ubi vastam solaris globi molem intra angustam crystallũ repræsentat, cum dicto. IMMENSUM IN PARVO. Idipsum de sancta Fide tradit S. Cyrillus Hierosolymitanus: *Fides in paucis verbis omnem tam veteris, quàm novi testamenti cognitionem involvit.*

Fides.

S. Cyrill Hierosol. Catechef. 5.

130. E fidei præscripto compertum habemus, Christum sub quovis etiam tenuissimo hostiæ fragmento æque, ac sub toto illius ambitu indivisum, integrumque reperiri. Id quod in speculi fracti particulis bene expressit Lucarinus, cùm illarum singulæ oppositum solem, tametsi unicum, totum tamen integrumque repræsentarent. Lemma addidit. ET IN FRAGMENTIS INTEGER. *Christus*, inquit meus Hugo Victorinus, *in sacramento per partes manducatur, & manet integer. Totus in cœlo, totus in corde tuo. Totus in fracto, totus in integro. Tantum est in exiguo, quantum constat esse in toto.* Et ante illum S. Ambrosius. *Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis.*

Eucharistia.

Hug. Victor. l. 3 de anima cap. 50.
S. Ambros. Dom. 5. post. Epiph.

131 Deiparæ natæ festo Lucarinus Solem in Oriente statuit, hoc lemmate insignem: ET IN ORTU

Nativitas Mariæ V.

Chrysipp. ser. de laud. virg
S. Bernard. ser. 1. de Assumpt.

TU TOTUS LUCIDUS. Hoc sensu Chrysippus, Deiparam adorans canebat: *Ave fons lucis, omnem hominem illuminantis.* Et S. Bernardus. *Mariæ præsentiâ totus illustratur orbis.*

Præsenti Dei.

132. Sol, suprà hortum resplendens, suâque præsentiâ flores, germina, herbas, aliaque terræ cimelia confirmans epigraphen sustinet. DAT VIRES. Hanc præsentiæ Divinæ Ideam putes, è qua humanæ vires omnes originem motumque trahunt. Unde quidam Deo devotus canit:

Omnia florebunt prospiciente Deo.

S. Chrysost. Hom. 26. in Epist. ad Hebr.

Et S. Joannes Chrysostomus: *Si videmus mente semper Deum, si semper in recordationem ejus convertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia, omnia sustinebimus, omnibus superiores efficiemur.*

Eucharistiæ effectus.

D. Thom. in sequentia
1 Cor. 11. 29.
S. August contra epist. Parmen. l. 2. c. 6.

133. Diversos effectus, quos SS. Eucharistia cùm in animas devotas, tùm in improbas exercet, Lucarinus è sole discernendos proponit, qui quidem nivem, cœnum, speculum, flores, aliaque passim amœnissimo suo vultu dignari solitus, operationes tamen in diversis diversissimas elicit. Unde lemma: DIVERSIMODE IN DIVERSIS. Nimirùm, è Doctoris Angelici sententiâ, *Sumunt boni, sumunt mali; sorte tamen inæquali, vitæ vel interitûs.* Gravissimè Apostolus: *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit*; *Ergò*, subinfert Magnus Augustinus, *qui manducat dignè, gratiam sibi manducat & bibit.*

Incarnatio Verbi.

Lips. in notis ad l. 1. Polit.
S. Greg. Naz l. 2. de Theol.

134. Deum, humanâ carne vestitum, magis, quam sine illa, fuisse intellectui nostro manifestum, quis ambigat? Id tamen etiam è sole conjicies, quem faciliùs in imagine, intrà aquas reflexâ, quam in propria sua sphæra intuemur. Unde Lucarini inscriptio: REFLEXUM FACILIUS. Argumento nonnihil immutato Justus Lipsius ait, *Ut solem deficientem non directo, sed in aquis intuemur; sic Deum in operibus.* Verbis forsan è S. Gregorio Nazianzeno mutuatis. *Hoc*, inquit, *Dei tergum est, quidquid eum nobis suo judicio refert, ut tamen illius naturam non contingat: perinde ac in aqua relucens solis imago hebetioribus oculis adumbrat, dum illum ipsum præ nimio purissimæ lucis fulgore, quo sensum facilè exuperat, intueri nequeunt.*

Gratia Dei.

S. Basil. in Procem. in Isaiam.
S. Greg. Papa 5 moral. c. 30

135. Fluctuum vitio accidit, quod aureum solis ectypon intra maris undas luminis reflexi coloribus delineari nequeat. Emblemati subscripsit Lucarinus: FLUCTUANTE NON DISPICITUR. Ipsa hæc lucis Divinæ, & donorum, quæ à Spiritu Sancto proficiscuntur, est indoles, nequeunt enim ista in humano corde, scelerum tempestatibus agitato, nunquàm efformari. Disertè S. Basilius. *Quemadmodum vultuum imagines non in qualibet materia redduntur, sed in his duntaxat, quæ levorem & pellucentiam habent; ita non in quibuslibet mentibus operatio spiritûs, sed in his, quæ nihil habent obliquum, nihil obtortum.* Et S. Gregorius Papa: *Nunquàm commotioni contemplatio jungitur, nec prævalet mens perturbata conspicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare; quia nec solis radius cernitur, cùm commotæ nubes cœli faciem obducunt; nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillus propriè ostendit: quia quo ejus unda palpitat, eò in se speciem similitudinis obscurat.*

Beneface re sine ostetatione.

Sines. Orat. de Regno.
Oleast. in Exod. 25.
Senec. l. 2. de Benef. c. 9.

136. Non illa solùm, quæ vitam à terra sortiuntur; sed ipsa etiam in absurdissimis terræ visceribus concreta mineralia; quinimò quidquid vastus oceani sinus parturit, id omne ex universali Solis virtute originem suam trahit, qui tacitâ & subtili potentiâ per occultos rerũ quarumvis meatus sese insinuare novit. Id quod Parthenii Romani hoc lemmate significârunt. OCCULTO OMNIA SEMINE. Et P. Gambertus: OCCULTO FOENORE. Hæ virtutes cuivis Principi familiares ac propriæ sunto, ut qui in conferendis largiendisve beneficiis arcanum teneat, nec ostentatione aut populi plausum inde expectet. Hanc legem, Sinesio teste, religiosè observat optimus Deus. *Neque enim Deus,* inquit ille, *tanquam in scena seipsum ostentat, sed tacitâ quâdam viâ gradatim contendens, justè humanas res moderatur.* Oleaster, sacram legis veteris arcam, genuinum Dei typum, Cherubinorum alis coopertam observans, subjungit: *Considera, quæso, quid te hic admoneat Deus: summus benefactor est, & nihilominus tectus, ut te doceat benefacere, & nolle videri.* Seneca ait: *Quæ succurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ, tacitè danda sunt, ut nota sint solis, quibus prosunt.* Id quod exemplo suo præclarè docuit S. Nicolaus Bariensis, uti prolixè in ejus vita videre est.

Princeps beneficus.

Lips. Dissert. ad Albertum & Isabell.
Claud. de Consul. Probi & Olybr.

137. Muneri suo haud dubiè deesset Sol, si, solâ vultus sui majestate orbi superbè exhibitâ, nihil prætereà fomenti, roboris, alteriusve beneficii in illum conferret. Solem proindè hoc lemmate insignies, ET LUCET, ET FOVET. Ita sanè à boni Principis conditione procul abest, qui solo sanguinis aut dignitatis splendore gloriatus, subditorum commodis parum invigilat, nullisque eos beneficiis sibi devincit. Eruditè Lipsius: *Quemadmodum sol non lucet mundo, sed fovet, vegetat, animat; sic populis Princeps in splendore suo commodat & juvat.* Claudianus Romanam majestatem gratiosæ principis formâ exprimens, eam inter alia etiam hoc encomio celebrat.

Miscetur decori virtus.

Mariæ nativitas.

S Bernard. serm. de Nat. Mariæ.
S. Bonav. in spec. virg. c. 9

Christus resurgens.

S. Pet. Chrysolog. ser. 75.

138. Sol exoriens individuam trahit diei amœnitatem; subscribente Abbate Ferro. ORTU DIEM. Sic Maria Virgo, in hunc orbem edita, S. Bernardi testimonio, *felicis diei extitit nuntia.* Eam seraphico ardore veneratus D. Bonaventura, *O beata Virgo*, inquit, *tu es aurora de sole procedens, & ortum solis præveniens, & in lumine solis diem nuntians.* Christo è sepulchri visceribus ad immortalitatis lucem reviviscenti, simile Emblema statuit S. Petrus Chrysologus his omninò verbis. *Resurgente Christo, Fidelibus lucescit vespera, dies infidelibus tenebrescit: Discipulis nox mutatur in diem, Judæis dies vertitur & mutatur in nocte, &c.*

Natales.

Sen. Epist. 44
Boet. l. 2 de Consol. met. 6

139. Solem, stellis undique cinctum, hâc gnomâ illustravit Ferrus: SIMILI AB ORTU. Meminerint hinc homines; æquè opulentos ac pauperes, maximos minimosve, ab eodem principio sine discrimine sua recensere primordia: Id quod Christianè callebat Seneca, cujus verba admetior. Plato ait; *neminem Regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex Regibus: omnia ista longâ varietas miscuit, & sursùm, deorsùm fortuna versavit.* Eodem sensu Boëtius:

Quid genus & proavos strepitis
Si Primordia vestra,
Auctoremq; Deum spectetis.
Nullus degener extat,
Nî vitiis pejora fovens,
Proprium deserat ortum.

Agapit Episc Paranet.

In hanc rem Agapytus. *Majorum nobilitate ne quis delicietur: Limum enim habent omnis generis auctorem, & qui purpurâ byssoque turgent, & qui paupertate & adversâ valetudine affliguntur.*

140. Sol, assiduâ vicissitudine, & labore penitùs indefesso, ab uno ad alium tropicum reverti solitus, nemi-

neminem non juvat, illustratque. Id quod etiam Claudiano observatum.

Claudianus.

--- --- --- *Medium non deserit unquam*
Cœli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.

Emblemati D. Didacus Saavedra epigraphen addidit: REBUS ADEST. Ad hanc ideam sese efformari studeant Principes, discantque pacis & belli momenta, cæteraque negotia omnia, præsentes ac propriâ personâ conficere. Agapitus Justinianum Imperatorem imbuens, *Optime*, inquit, *reges egregium tuum imperium, si omnia des operam perspicere, nec negligere patiare quidquam.* Hoc modo suos milites affatus Alexander Magnus. *Nihil unquam*, ajebat, *vobis præcepi, quin primus me periculis obtulerim, qui sæpè civem clypeo meo texi.* Antigonus, Demetrii filius, cùm classem adornans, è militum murmure percepisset, suas naves longè ab hostium numero superari, animosè respondit, propriam suam præsentiam instar multarum esse Navium. *Me verò*, inquiens, *ipsum præsentem quàm multis navibus comparatis?*

Agapit. Epist. Paræn. n. 26.

Q. Curtius l. 8.

Plut. Apoph.

141. D. Julius Auveduto, Academicus inter Incompositos Fanenses vivificatus, symboli loco Solem efformavit, cujus radii, intra vitri cavitatē collecti, vicina fomenta in flammas redigebant, cum dicto: IN UNUM COLLECTIS. Innuebat videlicet, plurimùm roboris afferri ex unita multorum virtute; hujus enim adminiculo & milites adversùs hostem triumphant, & Theologi in sanctæ Ecclesiæ perduelles validis sapientiæ suæ radiis, ceu totidem fulminibus, auspicatò grassantur. Emblemati firmamentum addunt Apostoli, qui tum demum, quando, quasi Solis Divini radii, *erant omnes pariter in eodem loco*, digni reperiebantur, quos ignis S. Spiritus suavissimo splendore coronaret. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, seditq; suprà singulos eorum.* id est, interprete S. Ecclesiâ: *Invenit eos concordes charitate, & collustravit eos, inundans gratiâ Deitatis.* Pulchrè S. P. Augustinus, *A multis curre ad unum, dispersa collige in unum, mane apud unum, noli ire in multa, ibi est beatitudo.*

Unio.

Act. 2. 1.

Ibid. n 3.

Ser. 5. infra Octavam Pent. Resp. 1.

S. Aug. ser. 7. de divers.

142. Radii solares, intra speculi sinum recepti, non modò sui splendoris jacturā nullam sustinent, sed contrà cum fœnore illum promovent. Lemma: MAGGIORMENTE RILUCE. Id est, SPLENDET ILLUSTRIUS. Certè Divinitatis fulgor latius resplenduit, quando assumptâ humanâ carne in Virginis uterum, ceu speculum purissimum, illapsus est. Franco Abbas, *Divinitas*, inquit, *in luto, tamquàm imago in speculo refulget, & lutum in Deum solidatum est.*

Incarnatio Verbi.

Franc. Abb. de Gratia Dei l. 2.

143. Illustrati de Casalio Emblematis loco Solem ab ortu provehentem, statuerunt; cui plena Lunæ orbita ex occasu respondens, titulum præferebat: LUX INDEFICIENS. Nimirùm indefessam virtutis continuationem, & assiduum clari nominis successum innuebant. Huic imagini ut plurimùm concolor, S. Paulus, ait, *Transformamur à claritate in claritatem*, id est, interprete Glossâ interlineari, *euntes ab una clara cognitione in aliam.* Vel ut Nicolao Lyrano placet. *A claritate naturalis cognitionis & gratiæ, in claritatem visionis beatæ.* Vel denique, ut S. Augustino, *De gloria fidei, in gloriam contemplationis æternæ.*

Continuatio virtutis.

Cor 3 18.

S. Aug Epist. 112. cap. 22.

144. Principi ab iis ipsis oppresso, qui illius ope è trivio ad dignitatum fastigia emersêre, symboli loco Solem obtuleris; hoc suspirio, ceu lemmate, notatum: IPSE LEVAVI. Vapores enim, Solis beneficio in aëra sublevati, posteà eundem Solem ingrato velamine tegere & excæcare nituntur. Sic Artaxerxis vitæ insidias moliebatur filius Darius, quem pater paulò antè coronâ regiâ insigniverat. Julium Cæsarē infami jugulo interfecit Brutus, nuperrimè ejusdem filius adoptivus, & imperii hæres nominatus. Salomonem apertè persecutus est perduellis Jeroboam, quem Rex non ita pridem Quæstorem creaverat; cæterùm ne adversùs Deum, omnis felicitatis nostræ authorem, simus ingrati, disertè cavet S. P. Augustinus. *Duo sunt*, inquit, *quæ principaliter attendere debet humana circumspectio, & dignitatem suæ conditionis, ut peccare timeat, & excellentiam redemptionis, ut gratiæ redimentis ingratus non existat.* Hoc symbolo etiam ii significantur, qui proprii infortunii authores existunt.

Princeps oppressus. Ingratitudo.

S. Aug serm. 181. de temp.

Author proprii mali.

145. Soli apprimè convenire videtur lemma: ILLUMINAT, NEC MINUITUR, seu Italicè: ILLUSTRANDO NON SCEMA. Hanc naturam Spiritûs sancti gratia congenitam habet, quæ sese in creaturas liberalissimè citra ullum suum dispendium effundit. *Ut solares radii*: verbis D. Chrysostomi utor. *singulis diebus illuminant, neq; ex nimia copia vis eorum minuitur: ita, imo longè minus, spiritûs operatio ob accipientium multitudinem remittitur.* E Guidonis Casonii sententia etiam bonum consilium hoc Emblemate significatur. Unde canit:

S. Io Chrys. Hom. 35. in Ioan.

Guid. Cason. 4. Embl. moral.

Il buon consiglio è un fortunato dono,
Che dato non si perde;
Così la luce, che è dal sol diffusa
Communicata altrui, già mai non scema.

146. In encomium D. Thomæ Aquinatis Solem expressêre, qui à dextero latere aquilam, inconnivis oculis in se defixam; è sinistro verò bubonem, aversо vultu, sparsisque alis, veluti in fugam paratum, monstrabat; cum lemmate, MORTIFICAT, ET VIVIFICAT. Nimirùm è Doctoris Angelici pectore Solem felici omine coruscantem cernimus, is enim, tametsi locuplete scientiarū splendore Theologos, ceu genuinas sanctæ Ecclesiæ aquilas, summè afficiat; noctivagos tamen bubones, hæreticos inquam, fulgore suo perstringit, & exterritos in fugā agit. Porrò Divinæ litteræ ipsam etiam Divinam Majestatem hoc Emblemate dignoscendam proponunt: nam *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit.* Adeò enim omnia ad justitiæ libellā exigit Deus, ut virtutes quidē vivificet, mortificet verò coërceatque vitia. S. Ambrosius. *Novo pietatis genere in uno eodemque homine impius & adulter occiditur: ut misericors renascatur & castus. Interimitur idololatria, ut religio propagetur. Fornicator & ebriosus extinguitur, ut continens & sobrius procreetur. Sic ergò mortificat Dominus, ut vivificare faciat; sic occidit, ut prosit; sic verberat, ut emendet.*

S. Thomas Aquinas.

Deus mortificat & vivificat.

1. Reg. 2. 6.

S. Ambros. ser 17. de jejunio.

147. Sanctæ Ecclesiæ typum Sol præsefert, cui quidem dracones & basilisci (hæretici, inquam, & gentiles, genuinæ draconum soboles) diversis conatibus insultant, nunquam tamen ullum ei pallorem aut labeculam aspergere, minùs totum obscurare valent. Id quod hæc monstra indignabundis faucibus lemmatis loco de illustri sidere queruntur, NON PALLET NOSTRIS. *Tantâ enim divinitùs soliditate munita est*, inquit de Ecclesia Romana & fide Catholica S. Leo Papa, *ut eam neque hæretica unquam corrumpere pravitas, neque pagana potuerit superare perfidia.*

S. Ecclesiæ persecutiones.

S. Leo Papa serm. 2. in Anniversf. Assumpt. suæ.

184. Solem, è mari resurgentem, Mariæ Virgini, intra uterum maternum conceptæ, non absimilem dixeris; addito epigrammate: HINC PROCUL UMBRÆ. Optimè de illa S. Hieronymus, *Nunquàm fuit in tenebris, sed semper in luce.* Neq; insuper ab hac Solis icone dissentit præsentia tam Dei, quàm

Conceptio Mariæ V.

S. Hieron.

Præsentia Dei & Superiorum.

quàm nostrorum Superiorum, quæ omnes imperfectionum, scelerumve umbras procul à nobis proscribit. *Inter propinquorum lumina*, inquit S. Petrus Chrysologus, *non valent delicta versari; propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies est aspectus matris; sol Patris rutilat in vultu; unde viventi inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non possunt.* S. Pet. Chrysol. serm. 1.

149. Sol, adversas nubes suis radiis transgressus, epigraphen Hispanam à Pagano Doria accepit istam. AUNQUE VOS PESE. Id est. VOBIS INVITIS. Digitum scilicet virtuti intendebat, quæ æmulorum insidias facilè superat, omnesque vitii contradicentis vires subvertit. Magno Augustino teste: *Qui sursùm habet cor, luminare est; in cœlo fulget, nec vincitur tenebris.* Rursùs ad virtutem excitans, *Tu vir es*, inquit, *ostēde; quoniā vir à virtute, vel virtus à viro: habes ergo virtutē, vince libidinē.* Virtus afflicta. S. Aug. in Ps. 93. ante fin. Præfat. Idem serm. 28. ex addit. à serm.

150. Sol suâ præsentiâ reliquas stellas simul & illuminat & obscurat. Unde lemma: ILLUMINAT ET OBSCURAT. Alio Emblemate solem statuerunt, qui suprà Orientem resplendens, cætera minora sidera aspectui nostro surripiebat, cum dicto: EX LUCE TENEBRAS. Ita planè excellens viri doctrina non exiguum litterarum splendorem in alios diffundit, & unà existimationem eorum, quos sapientiæ gradu inferiores habet, non parùm imminuit. S. Isidorus. *Sicut omnes stellæ à sole illuminantur; ita Sancti à Christo gloriâ cœlestis regni glorificantur; & sicut præ fulgore solis, & vi maximâ luminis ejusdem sidera obruuntur; ita & omnis splendor Sanctorum in comparatione gloriæ Christi quodammodo obscuratur.* Virtus excellens. S. Isid. l. de Mundo c. 24.

151. Ingenium vivax & velox, præclara sua negotia celeri ac prompto opere perficiens, solis est æmulum; qui radiis vix diffusis, momento halonem intra nubes depingit. Epigraphen addidi, CON UN GUARDO LO FORMA, E LO DIPINGE. Id est DUM ASPICIT, PERFICIT. Nimirùm, quos germana virtus excolit, quidquid muneris alteriusve operis ipsis incumbit, celeri ac festinâ manu exequuntur; id quod indies inter Rhetores, Poëtas, aliósve quosvis artifices experimur. Cùm ad Jacobum Robustum, cognomento Tintorettum, juvenes quidam Belgæ inviserent, nonnullas icones, summâ industriâ à se elaboratas, eidem exhibuerunt interrogati, quantùm temporis in eo opere collocâssent; decem, aut summum quindecim dies responderunt. Tum ille penicillum, nigro colore tinctum, quasi aliud agendo, circumducens, levi tractu figuram expressit; quæ, ubi cerussæ beneficio aliquid lucis acceperat, uno penè momento ad miraculum artificiosa evalit; cum dicto; Nos pauperes Veneti non aliâ, nisi hâc methodo delineare scimus; uti de illo refert Carolus Ridolfi. Elisabetha Sirana Bononiensis, artis pingendi peritissima, & ævi nostri facilè Phœnix, (quam, prô dolor! paucis abhinc mensibus è vivis immaturâ morte sublatam, mundo hodierno Parcæ invidebant) operam adeò exquisitam navabat, ut summi Europæ Principes ob admiranda picturarum specimina eam unicè expeterent. Et, quod in fœminâ mireris, hæc artis suæ prodigia tantâ celeritate absolvebat, ut uno die plus operis, quàm quatuor peritissimi pictores, conficeret. Cæterùm illud ipsum Emblema etiam Dei ut propriū, cujus infinita agendi virtus, nullis unquam distinenda remoris, è sapientiæ ac omnipotentiæ suæ cornucopia, quidquid lubet, in uno oculi ictu producit, Dilucidè Vates Regius. *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Opportunè S. Augustinus. Celeritas in operando. Carol Ridolf. Vite de i pittori p 2. Virtus Divina. Psal 148. 5.

Magna credentibus oritur confidentia, cum agnoscunt illum omnia posse, quem credunt. De ipso enim dicit scriptura, In principio creavit Deus cœlum & terram. *Quis ergò neget omnipotentem esse, quem tam clara cognoscit operatum? sed multò magis eum esse omnipotentem fatebitur, cum hæc ipsa, quàm facilè operatus sit, agnoverit. Ipse dixit, & facta sunt. Absque ullo labore res condidit. Imperio ejus extiterunt omnia, quæ antè non fuerant.* S. Aug. serm. 192. de temp.

152. Tametsi semita spiritualis, interdùm invia, & asperis anfractibus horrida, gradientis pedibus non semper mollia solatiorum gramina substernat, animus tamen, ac cœpta currendi voluntas, nunquàm desponderi debet: id quod Abbas Certanus è sole discendum proponit, cui, in occasum præcipitato, subscripsit. NON ANDRA' MOLTO, E N' USCIRA PIU BELLO. Id est. MOX ERUMPET ILLUSTRIOR. Pulchrè Jacobus Billius. Spes.

Esse quid hoc dicam, quod, quæ dux ante Magorum
Certa diu fuerat stella, repentè latet;
Nec tamen ipsa latet semper, sed tempore parvo
Abdita, post lumen dat rediviva suum?
Scilicet hinc doceor nimium de corde dolorem
Pellere, cùm subitò lux procul omnis abit:
Nam modò me recti studium non deserat ardens,
Fœnore cum magno lux reditura mihi est.

Iacob. Bill. l. 2. Antholog.

E Suarezii, & melioris Theologiæ sententia, peccator, per pœnitentiæ sacramentum ad pristinam frugem reversus, non tantùm priora sua merita omnia, hactenus per peccatum mortificata ex integro recuperat; sed insuper insigne illorum auctarium, quod postremo operi respondet, acquirit: ut adeò è lapsu suo verè *erumpat illustrior*. S. Ambrosius, *Vide*, inquit, *quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non solùm ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* Suar de revivisc. merit. disp. 1. sect. 1. Reviviscentia meritorum. S Ambros. l 2. in Luc.

153. Academicus, inter Philopponos Pistorienses infatigabilis, symboli loco solem nascentem præfert, cum dicto: MOTUS ERIT REQUIES. Eos præcipuè hæc imago ambit, qui studiis, aliisve negotiis operam navant adeò indefessam & assiduam, ut nullum otium sibi suavius offerri credant, quàm quod ab otio absolvit. Cumprimis tamen id summos Principes spectat; qui, à molestiis aulæ & imperii laboribus nonnihil respiraturi, venatum concedunt. Familiare id erat Ferdinando II. Imperatori, de quo P. Lamormainus. *Animo recreando, corporique exercendo, suo tempore aliquid tribuebat. Venationem & aucupium à prima ad ultimam ætatem amavit.* Optimum Religiosissimi Thomæ Kempensis est monitum. *Nunquàm sis ex toto otiosus; sed aut legens aut scribens, aut orans, aut meditans, aut aliquid utilitatis pro communi laborans.* Labor indefessus. P. Lamorm. c. 19. Tho. Kemp. de imit. l. 1. c. 19. n. 4.

154. Sol, suis radiis in campum, omnis generis arboribus, proceris, humilibus, frugiferis, sterilibus, aliisque consitum, resplendens; ab Henrico Farnesio epigraphen accepit. OMNIBUS SUFFICIT. Ectypon hoc est Principis, in omnes benefici; cumprimis verò Divinæ providentiæ; quæ gratiæ suæ splendorem in omnes suavissimè diffundit. *Christi regnum & nomen,* inquit Tertullianus, *ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter: non Regis apud illum major gratia, non barbari alicujus imperiosa lætitia, non dignitatum aut natalium cujusquam discreta merita, omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Judex, omnibus Deus & Dominus est.* Princeps beneficus. Providentia Dei. Tertull l adversus Iudæos. c. 7.

155. Anima justa, & Divinis contemplationibus assueta

Contemplativus. assueta, tametsi inferû hunc orbem incolat, in cœlis tamen sublimis vivit; potestque jure cum Apostolo dicere, *Nostra autem conversatio in cœlis est.* (Philip. 3.) Abbas Certanus è radio solari id demonstrat, qui ad terram usq; protensus, nunquàm à sole suo divellitur. Lemma, HÆRET ORIGINI. Seneca (Seneca Ep. 41) *Quemadmodum solis radii contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus magnus & sacer, in hoc demissus, & propius Divina noscens, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ.* Et S. Macharius (Machar. hom. 5.). *Veri Christiani discrepant ab universo genere hominum, in eo, quod animus atque intellectus Christianorum cogitationi cœlesti semper sit deditus, æternaq; bona contemplatur propter communicationem Spiritus S. quia sursum ex Deo nati sunt, &c.*

156. D. Hyacintho Orrigono ad regii Senatoris Mediolanensis fastigium sublevato, D. Carolus Rancatus symboli loco Solem affixit, qui intra speculum illapsus, reflexam lucem in subjectas ædes (Societas.) obliquè spargebat, cum dicto, ET PROXIMA MICANT. Innuebat nimirùm, è nova tanti viri dignitate, plurimùm splendoris toti patriæ de Varesio accrescere. Metrum, quo Rancatus sensum suum aperuit, ita habet:

Dum rutilat Phœbi speculum splendore corusci,
Inde nitore suo proxima cuncta micant.
Dum fulges, Origone, novo splendore Curulis,
Nostra decore tuo patria clara nitet.

(Exemplû.) Hæ ipsæ etiam exempli boni sunt vires, quo proximi quiq; non modicû virtutis exercendæ imitandæque splendorem accipiunt. De Christo ait Magnus Augustinus (Aug. Præf. in Ps. 40.). *Christus Imperator Martyrum sibi non pepercit, militibus imperans pugnã: sed prior pugnavit, prior vicit; ut pugnantes exẽplo suo hortaretur, & majestate suâ adjuvaret, & promissione coronaret.* Et alibi (Idem in Ps. 39). *In Ecclesia iste ordo est, alii præcedunt, alii sequuntur. Et qui præcedunt, exemplã se præbent sequentibus, & qui sequuntur, imitantur præcedentes.*

157. Sole in occasum decumbente, NIGRESCUNT OMNIA CIRCUM. Ita è morte Philippi IV. (In morte.) omnia Hispaniarum regna atram tristitiæ umbram inducere sunt visa. Emblematis authores, Patres Barnabitæ, mentem suam in Monarchæ illius exequiis hoc epigrammate explicârunt.

Mergitur occiduus vix gurgite Phœbus Ibero,
Atque rapit secum, quam tulit antè, diem:
Obruta cum tenebris nigrescunt omnia circum,
Squallentemque orbem mœror & umbra tegit.
Dum tristi occasu nostro fugis orbe, Philippe,
Heu nos quàm cœcæ noctis imago tenet!

(In morte Christi.) Christi, seu solis Divini, mortem hæc imago spectat; quippe quo tempore *Tenebræ factæ sunt super universam terram.* (Matth. 27.) Nimirùm, quod S. Leo pro concione dixit (S. Leo Papa serm. 6. de Pass. Dom.), *pẽdente in patibulo Creatore, universa creatura congemuit, & crucis clavos omnia simul elementa senserunt.*

158. P. Henricus Engelgrave soli, cujus radii tabulam, cancellatim perforatam, transeunt, epigraphen subjungit, TRANSIT, NON FRANGIT. (Christus resurgens.) Christum hoc symbolo innuens; qui marmor, tumulo impositum, citra hujus diminutionem, penetravit: conclave insuper ingressus, nullam januæ, firmiter obseratæ, violentiam aut fracturam intulit. S. Hilarius (Hilar. in Catena S. Thomæ. Matth. 28.) in illa Scripturæ verba, *Angelus Domini &c. accedens revolvit lapidem,* ita commentatur. *Non ut egressuro Domino januam pandat, sed ut egressus ejus jam facti hominibus esset indicium. Qui enim mortalis clauso Virginis utero potuit nascendo ingredi mundum, ipse factus immortalis, clauso sepulchro, potuit resurgendo exire de mundo.*

159. Meus Concanonicus, D. Josephus Pallavicinus Abbas, Prælatum, numeris omnibus absolutum, è Sole metiri solebat, qui suos radios per fenestrarum rimas placidè intra conclave insinuat, cum lemmate: NON VI, SED VIRTUTE. Enimverò præter singularem modestiam, quæ Prælatum omnibus commendet, præseferat etiam benignam in agendo & dirigendo dexteritatem. (Prælatus benignus.) *Qui enim præsunt populis,* inquit Beda (Beda in Proverb. 25. 5.), *si volunt firmum esse solium suum, semper hilaritate & gratiâ plenos vultus exhibeant, ne per arrogantiam rigidiores effecti, in mussitationem incidant populorum.* Nimirùm Prælati eam actionum suarum ideam assiduò ob oculos vertant, quam ipsamet Divina sapientia usu recepit; veluti quæ *attingit à fine ad finem fortiter,* (Sap. 8. 1.) omnes scilicet sustinendo, & omnibus imperando; sed tamen hæc ipsa imperia modo admodum suavi & circũspecto temperat *& disponit omnia suaviter.*

160. Potentia Hispaniarum Monarchæ in eam magnificentiam excrevit, ut aliquid cladis perpessa, (Potentia Regis Catholici.) non modò nihil deliquii inde contrahat, sed potiùs novis collectis viribus, in hostem grassetur, & ingentem victoriæ ac fortitudinis Hispanæ famam referat. Hoc mundi prodigium à nobili ingenio in radii solaris icone expressum est, qui in lenticularis crystalli sinum illapsus, ibique refractus, è postica facie sese validè colligit, & flammas longè clarissimas excitat. Lemma addidit, FRACTUS ROBUSTIOR. Emblemati explicando subjunxit:

Illius radii vel adverso Marte fracti,
Veluti per vitrũ lenticulare robustiores emicant,
ac in unum coeuntes,
Incendiariis mutui amoris facibus
Belligera spolia absumunt.

Ut adeò potentissimus hic Princeps jure illud D. Pauli (2. Cor. 12. 10.) de se pronuntiaverit; *cùm infirmor, tunc potens sum.* Duces vitæ spiritualis ex hac Apostoli gnomâ colligunt, nullam haberi opportuniorem hominis illustrandi occasionem, quàm dum calamitatibus & morbis probè frangitur. (Calamitates & morbi utiles.) *Vides,* inquit S. Bernardus (S. Bernard. serm. 29. in Cant.), *quia carnis infirmitas robur spiritui augeat & subministret vires? Ita è contrario noveris, carnis fortitudinem spiritus debilitatem operari. Et quid mirum, si hoste debilitato, tu fortior efficeris? Nisi fortè illam tibi insanissimè ducas amicam, quæ non cessat concupiscere adversus spiritum.*

161. Sol ab ortu ad occasum, veluti è cunis ad tumulum, celerrimè transit. Unde lemma: RAPIT HORA DIEM. Verbis ex Horatio mutuatis. (Horat lib. 4. carm. Ode. 7.)

Immortalia ne speres monet annus & almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris. Ver proterit æstas,
Interitura. Simul
Pomifer Autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurrit iners.

Nec unicum quidem certum respirandi momentũ Deus homini reliquit, sed contra in rebus omnibus aperta brevioris vitæ indicia posuit. (Vita humana brevis.) Illud ipsum, quod humanæ vitæ, etiam Regnorum est fatum. (Regna intereunt.) De Romanorũ Imperio exclamat S. Hieronymus (S. Hieron. Ep. ad Gaudentium.). *Prô nefas! orbis terrarũ ruit, in nobis peccata non ruunt. Urbs inclyta & Romani imperii caput, uno hausta est incendio. Nulla est regio, quæ non exules Romanos habeat.* Imperiũ Byzantinum bellis intestinis, domesticâ perfidiâ, mutuis parentũ liberorumque cædibus, plusquam exterorum armis intercidit; Palæologâ, Catacuzenâ, Comnenâ progenie penitùs extirpatâ: ut adeò

ut adeò Græci à Turcis in miserrimam servitutem abrepti, lessum illum, mutato solùm nomine, jure potuerint canere, quem olim Hector in Trojano incendio non sine lamentis edidit,

Virgil l.2. Æneid.
--- Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum.

Senec. de tranquill. animi cap 11.
Denique, *Quod regnum est*, verbis Senecæ utor, *cui non parata sit ruina & proculcatio, & Dominus, & carnifex? nec magnis ista intervallis divisa, sed horæ momentū interest inter solium & aliena genua.* Hæc adeò est fortunæ inconstantia, hæc vitæ præsentis alea, hæc regnorum assidua vicissitudo.

162. Splendidam hyperbolen nobile quoddam ingenium Emblematis loco affixit, ubi ad Principis cujusdā exequias solis, in occasum vergentis, simulachrum statuit, adjectâ chartâ. DIGNUM NEC SIDERA FUNUS. Verius hoc symbolum ad Servatoris nostri, vel Mariæ Virginis exequias usurpâsset, horum quippe obsequiis omne stellarum agmē reverentiam & servitutem, meritis longè inferiorem, detulisset. Videri, certè, poterant sidera omnia occisi Creatoris sui funus velle deducere, quando subtractis è terra radiis, atrata comparuerunt. Undè S. Dionysius testatur, se illud lucis cœlestis deliquiū vidisse Heliopoli in Ægypto, ideòque fertur exclamâsse. *Aut Deus naturæ, author mundi, patitur, aut mundi machina dissolvitur.* Seu ut MichaëlSyngelus in Encomio S. Dionysii refert, *Deus ignotus in carne patitur, ideoq; universum hisce tenebris obscuratur.*

Christi Mors.

S. Dionys. Areop Epist. 7. ad Polycarp.

163. Mors Balthasaris Caroli, Austriaci Principis Catholici, & unici filii Philippi IV. Hispaniarum Regis, ingentem undique pavorē, & omnia tristissima parturiit. Nam eo ipso tempore intricatæ crudelium bellorum turbæ, Provinciarum tumultus, regni passim nutantis motus, seditiones populorū, aliæque innumeræ malorum Lernæ nullibi non grassabantur. Unde CarolusRancatus gratiosoEmblemate occidentem solem statuit, cum dicto: CRESCENTES DUPLICAT UMBRAS. Ad verbum Virgilius:

Mors Principis.

Virgil. Eclog. 2. v. 66.
Aspice aratra jugo referunt suspensa juvenci,
Et sol CRESCENTES decedens DUPLICAT UMBRAS.

Peccator moriens.

Psal. 33. 22.

S. Aug. serm. 162. de temp.

Porrò peccator moriturus crescentes duplicat umbras, dum & corporis & animæ mortem subire jubetur; nam Psalte Regio teste, *Mors peccatorū pessima.* S.P. Augustin. *Duæ sunt mortes*, inquit, *dicitur enim mors prima, dicitur & secunda. Porrò primæ mortis duæ sunt partes; una, quâ peccatrix anima per culpam discessit à Creatore suo; altera, quâ judicante Deo exclusa est per pœnam de corpore suo. Mors autem secunda, ipsa est corporis & animæ punitio sempiterna. Per mortem verò secundam anima solius mali hominis in æternum cum corpore suo cruciatur.* Proindè, *Timete mortem, non quæ animam solvit à corpore, sed ubi anima semper ardebit cum corpore.*

Idem serm. 164. de temp.

164. Sphæra solis, conscenso supremo cœli vertice, oculos nostros fallit, nec multùm ampla esse videtur; at in occasum declinans, majorem se exhibet. Unde ex Academicis nonnemo eidem subscripsit: MAJOR IN OCCASU. Heroës illos hoc Emblema describit, qui in morte sua plura, quàm aliàs unquàm, generosi animi specimina edunt. Inter hos facilè agmen ducit Samson, giganthum maximus; qui nullam majorem stragē toto vitæ suæ cursu hostibus intulit, quàm cùm inter collisas columnas expiraret. Plurimùm quidem mundo contulit Christus, cùm triginta annorum spatio illum miraculis, aliisq; Divinis operationibus illustraret; inter omnes tamen erat maxima ac saluberrima, quando in cruce mortuus, humanā gentem DivinoPatri conciliavit, & gloriosum è devictoTartaro triumphum duxit. Breviter, &, ut solet, nervosè Magnus Augustinus. *Solus à morte carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te.* Et rursùs: *Dominus JESUS in carne sua totius mundi peccata crucifixus abolevit. Nec solùm delicta factorū, sed etiam cupiditates animorū.*

Fortitudo in morte.

Christus moriens.

S. August. de verb. Dom. serm. 13. c. 6. Idem serm. 108. de Tem.

165. Vasta Regis Hispani potentia, quæ provincias inumeras suis imperiis coërcet, in sole, plurimas terras, maria & insulas circumspiciēte, depicta cernitur; addito lemmate: UNUS UBIQUE POTENS. Immensitatis ac providentiæ Divinæ hoc simulachrum est; de qua Siracides. *UNUS est altissimus Creator OMNIPOTENS, & Rex potens, & metuendus nimis*, qui, asserente D. Paulo, *dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* S. P. Augustinus. *Omnipotentem Deum credimus; quia omnia faciens, factus non est; & quia de nihilo fecit, quæcunq; fecit.* Nimirùm, *hoc est esse Deum, ubique esse totum.*

Monarcha potens.

Deus.

Ephes. 1. 18.

Act. 17. 25.

S. Aug. de Symb. l. 2. c. 3

Idē de symb. l. 3. c. 7.

166. Sicuti, quidquid in orbe vivit, è benefico solis radio vires, fomentum & vigorem accipit; seu, ut alterius verbis utar, QUOS ASPICIT, FOVET. Ita Deus amico suo intuitu, ac gratiosâ præsentiâ miram utilitatem in omnes creaturas effundit. Unde S. Joannes Chrysostomus in illud Isaiæ, *Ad quem respiciam?* ait, *Respiciam, pro faciam providentiâ dignum, manum porrigam, suscipiam in omnibus, gratias meas cum largitate præbebo.* ut adeò apud Deum idem sit respicere ac benefacere.

Deus.

Isa. 66. 2.

S. Io. Chrys. Hom. 34. ad Pop.

167. D. Sigismundus Laurentius insignem S. Pauli virtutem, quæ in orbis conspectu incrementis indies majoribus inclaruit, solis imagine repræsentavit; qui, ex oriente provehens, epigraphen sustinebat. CRESCIT NON OCCULTE. Enimverò D. Paulus, passibus plusquam giganthæit, in genuinæ charitatis ardore versùs Deū, in beneficiorū profusione versùs egenos, & in sanctis exemplis erga proximos, tramite omnibus justisconsueto, nunquàm non altiùs promovit. Apprimè Regū sapientissimus. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usq; ad perfectam diem.* De seipso S. Paulus, *Providentes bona*, inquit, *non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Sic quoq; Verbum æternum, humanâ carne vestitum, nedum coram Divinis oculis, sed etiam in hominum conspectu insigne incrementum cepit. *JESUS proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.* Id explicans Venerab. Beda, ait, *Proficiebat Christus non per accessum temporis, accipiendo, quod non habebat, sed pandendo donum gratiæ, quod habebat.*

Profectus.

Prov 4. 18. Rom. 12. 17. & rursus 2. Cor. 8. 21.

Luc. 2. 17. Beda in hun. loc.

168. E solis amica præsentia omnes creaturæ voluptatem & oblectamentum capiunt. Ut adeò pro meritis hanc epigraphen sibi vendicet, OMNIBUS SOLATIA FUNDIT. Verbis è Joachimi Estrehani epigrammate non ignobili desumptis, quo, in encomium Clementis IX. Pontificis Maximi, ex ipsius cognomine; *Rospigliosus*; litteris per Anagramma transpositis, hunc sensum eruit; *Os puri solis.* Inter alia ita canit:

Princeps benignus.

Astrorum torvos aspectus luce benignè
Os puri solis corrigit, atque levat,
Rospigliosus item sævis ardentia bellis
Imperia, ad nutum reddit amica suum.
OMNIBUS acceptum FUNDIT SOLATIA terris.
Os puri solis Rospigliosus idem.
Ut tandem os puri solis regit omnia cœlo,
Rospigliosus idem munus in orbe tenet.

Deus jure meritissimo ab Apostolo cognominatur, *Deus patiētiæ & solatii.* Et, *Deus totius consolationis.* Enimve-

Rom. 15. 5. 2. Cor 1. 4.

Deus consolator.

S. Aug. serm. 7. ex addit. Cartus. Idem in Psal. 30. Conc. 1.

Enimverò Magno Augustino teste, *Cordi nostro Deus & lux est, & vox est, & odor est, & cibus est; & ideo omnia est; quia nihil horum est, horum: quia horum omnium creator est.* Et rursus, *Si est aliqua in humano corde conturbatio, non recedit Divina consolatio.*

Princeps sapiens.

169. Regis cujusdam potentissimi fortitudo & prudentia, non uni dumtaxat, sed pluribus regnis sapientissimè gubernandis idonea Solis effigie repræsentatur; qui in regio numismate excusus, terrestri globo innititur, cum dicto. NEC PLURIBUS IMPAR. Philippi II. Hispaniarum Regis hoc ectypon dixerim, cujus sapientia non modò ad complura amplissima Europæ regna, sed ad ultimos quoque Indiarum fines adeò providè porrigebatur, ut hoc de illo elogium nunquam sit interiturum, *nec pluribus impar.* In hoc argumentum D. Salvator Carduccius.

Phœbi jubar tam grande cœlo fulgurat,
Ut pluribus nec impar extet orbibus,
Philippi imago sol Philippus sideris,
Dum Regum Apollo lucet orbi plurimo.

Eccles. 1. 5. Novum nihil in mundo.

170. Meus Concanonicus, D. Alexander Luzon de Millares, Soli nascenti, & inter lunæ ac stellarum revolutiones denuò occidenti, epigraphen è Siracide mutuatum subdidit. NIL SUB SOLE NOVUM. *Quid est quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum; nec valet quisquam dicere, hoc recens est, jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante annos.* Asseri potest ex mente D. Thomæ, omnia, quæ nova dicuntur, aut noviter inventa, præcessisse olim, & facta in se, vel in suis causis, vel in sui similibus. *præcesserunt,* inquit, *secundùm similitudinem, sicut animæ quæ nunc creantur: & similiter creationis opus, quia, ut dicitur, filius Dei est in similitudinem hominum factus,* Nihil novi etiam accidit in naturali rerum cursu, cœlorum videlicet, elementorum, siderum, ventorum, hominum, maris, animalium &c. Unde S. P. Augustinus, *Prodigia,* inquit, *& monstra, quæ jam fiunt, olim facta esse, si non eadem, certè illis similia vel affinia.* Atque adeò omnia sub sole suis spatiis, instar Solis, in circulo nascuntur, renascunturque. Quin & in necessitatibus corporis circulum illum (utinam non vitiosum!) reperire est, cùm semper eadem repetenda sint, videlicet edere, bibere, dormire, surgere, &c. ut adeò assiduam hanc vicissitudinem, veluti interiori libertati admodum molestam, ægrè tulerint viri sancti. Certè D. Bernardus *jejuniis ita erat deditus, ut quoties summendus esset cibus, toties tormentum subire videretur.* Ab origine sua hominem examina. Ex utero materno, tanquam è tumulo nascitur, paulatim nutriendo crescit, adolescit, in virum transit, senescit, & rursùm ad tumulum revertitur, donec è terra compositus, in terram denuò resolvatur. Rem totam compendio proposuit Pittacus, unus è septem Græciæ sapientibus; qui in Mitylenis templo scalam dedicavit, eo fine, ut homines conditionis suæ commonefaceret; cum tota illorum vita nil aliud sit, quàm ascendere & descendere; uti refert Ælianus.

D. Th. 1 p. q. 73. ad 1. ad 3.

S. Aug. l. 12. de civit. c. 13

Vita humana.

In vita S. Bernardi.

Ælian. de ver. Hist.

Senec. de vita beata c. 21

171. De sole testatur Seneca. *Solem lumina ægra formidant, & aversantur diem splendidum nocturna animalia, quæ ad primum ejus exortum stupent & latibula sua passim petunt, abduntur in aliquas rimas timida lucis.* Contrà verò, genuinus aquilæ pullus non palpitat acie, sed fixo obtutu solem intueri gaudet. Atque adeò bonis lætitiam generat coruscus Solis aspectus, malis verò horrorem & fugam. Unde lemma. INNOXIIS GRATUS. Conscientia in humano microcosmo Solis vicem sustinet; enimverò asserente Magno Augustino, *quomodo magna est pœna impiorum conscientia, sic magnum gaudium piorum ipsa conscientia.* Conscientia quippe, ceu cordis scientia, omnium delictorum oculatissimus adstat testis. *Ipsa,* Bernardo teste, *est judex, ipsa tortor, ipsa carcer; ipsa accusat, ipsa punit, ipsa judicat, ipsa damnat.* His subscribens Sanctus Chrysostomus: *Qui committit adulterium,* inquit, *etiamsi millies fuerit dives, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen se ipsum intus accusare; & voluptas quidem temporaria est, dolor verò perpetuus, timor undique ac tremor, suspicio & anxietas. Angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, inscios, illam ipsam, quam corrupit, & virum quem affecit contumeliâ: obambulat, amarum accusatorem circumferens conscientiam, cùm sit suo ipse judicio damnatus, nec vel ad breve tempus possit respirare. Ipsius Chain vitam vivit, gemens ac tremens super terram, cùm nemo sciat, intus tamen habet IGNEM implicitum.* Verissimè Juvenalis.

Conscientia mala.

S. Aug. in Psal. 53.

S. Bernard. lib. de Conscient. cap. 9.

S. Io. Chrysost Tom 1. Conc. 1. de Lazaro.

Juvenal. Satyr. 13.

Pœna autem vehemens, ac multò sævior illis,
Quas & Caditius gravis invenit, aut Rhadamantus;
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Christi conceptio.

172. Solis imago, in Oceano resplendens, epigraphen refert. MEDIIS FORMOSUS IN UNDIS. Christi, ceu Solis Divini, hæc idea est, qui, in castissimum uteri virginei mare delapsus, humanam formam in toto mundo illustrissimam, induit. Emblemati explicando sequentem Jacobi Masenii poësin habeto.

Ut sol placato describit in æquore vultus,
Et similis radiis pingitur ipse suis.
Sic puto virgineam Christus defluxit in alvum,
Sol Deus est, purum casta Maria mare.

Maria V.

Porrò etiam Mariam Virginem cum Sole compararerim, quæ inter sceleratas mundi undas suam originariæ puritatis formam integerrimam conservavit; ut adeò verè à Sancto Gregorio Neocæsariensi vocetur *Simulachrum immaculatum puritatis & integritatis.*

S Greg. Neocæs. Orat. 2. de Annunc.

Maria V.

173. Currui Solis quadrijugo inscribes. HÆC SOLI EST CONDITA SOLI, MARIAM Virginem hoc Emblema concernit: hâc enim, ceu gemmea virtutum quadrigâ, ortus est Sol justitiæ, Christus. Unde Virgo illa gloriosissima opportunè in rem præsentem à Joanne Geometra vocatur *Rheda aurea solis mystici.* Et, *Quadriga Eliæ virtutibus trahentibus consita.* Et à Buteone. *Vehiculum sanctissimum ejus, qui est super Cherubin.* Pulchrè P. Jacobus Masenius.

Io. Geom. hymn 3. de B. Virgine. Idem hym. 1. But. in hymno græco.

Quam procul hinc cernis, soli patet aurea soli.
Non paret Phaeton tanta quadriga tibi.
Virgo Deo plena est, nihil hinc sibi vendicat orbis:
Sol Deus hâc oritur, quæ fuit orta Deo.

Deus in creaturis cognoscendus.

174. Zincgrefius Solis imaginem, intrà aquas reflexam, depinxit; cum lemate. MONSTRATUR IN UNDIS. Ita nimirùm Deum, Solem æternum, nonnisi in rebus creatis, & quasi mutuatâ specie, dum has terras habitamus, intueri licet. Dilucidè S. Paulus. *Dei invisibilia per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* S. Bernardus. *Tanta hæc,* inquit, *formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid, nisi radii sunt Deitatis? monstrantes quidem quia verè sit, à quo sunt: non tamen definientes prorsus quid sit: ita quod de ipso sit, vides, sed non ipsum. Cum autem de eo, quem non vides, cæ-*

S. Bernard. serm. 11. in Cant.

C teræ

tera vides, scis indubitanter existere, quem oportet inquirere; ut inquirentem non fraudet gratia, ignorantem negligentia non excuset.

175. Sigeberti Chronicon, aliæque historiæ ferunt, Solem, instar orbis carnei, sanguine perfusum, non sine prodigio sub claram meridiem olim comparuisse. Unde Solem, colore carneo spectandum, hoc lemmate insignies. ADHUC SPLENDET. Solem hunc dixeris miraculosum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, in celeberrimo Canonicorum Regularium Collegio, Augustæ Vindelicorum ad S. Crucem, annis abhinc ferè quingentis cultu religiosissimo asservari solitum. Illud enim è nativo panis albore in rubeam carnis speciem prodigiosè transformatum, etiamnum clarissimam meridiem, realem, inquam, & veram Christi præsentiam, tot indies miraculosis ostentis, tot maximis in Christianum orbem beneficiis, tot Principum & Theologorum suffragiis, tanto ac tam conferto gestientis populi concursu amplissimè confirmatam, stabilitámque, sub se complectitur. Præclarè, & veluti ad rem præsentem Doctor Angelicus. *Dicendum est,* inquit, *quod manentibus dimensionibus, quæ prius fuerant, fit miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia (puta figuram, colorem, & alia hujusmodi) ut videatur caro, vel sanguis, aut etiam puer. Et sicut prius dictum est, hoc non est deceptio, quia fit ad figuram cujusdam veritatis, scilicet ad ostendendum per hanc miraculosam apparitionem, quod in Sacramento est verè corpus & sanguis Christe.* Eâdem icone Sanctos Martyres, & cumprimis Christum, flagellis & sanguine perfusum, exornabis; veluti è quibus universa Ecclesia lucem omnem derivatam accepit.

Hostia miraculosa Augustæ ad S. Crucem.

S. Th. p. 3. q. 76. art. 8.

SS. Martyres.

176. Solis lumen ita quemvis in particulari illuminat, ac si solum illuminaret; nihilque adeò alicui ex communi illius usurâ decedit, ut potiùs haud leve societatis, solatii, &, si res poscat, subsidii emolumentum accedat. Unde lemma Soli inditum. TOTUS SINGULIS. Pari sanè ratione benignissimus Deus suâ incarnatione, passione & morte tantundem tibi commodavit, quantùm si pro te solo natus, & mortuus fuisset. Ac quod alii hæc commoda participent, nihil admodùm tibi derogat; quin, hoc insuper commodi inde capis, quod à pluribus diligaris, & quà solatio, quà consilio, quà re juveris ad promerendam augendamque perennem gloriam. Sanctum Chrysostomum christianè admodùm hâc de re philosophantem audire juvat. *Hic est affectus servi fidelis, ut beneficia Domini sui, quæ communiter data sunt, quasi sibi soli præstita reputet, & quasi ipse sit omnium debitor, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Hoc fecit & Paulus, qui mortem Domini, quæ universo expensa est mundo, sibi soli præstitam dicit. Quasi enim de se solo loquens, ita scribit: quod enim nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Hæc autem dicebat, non coangustare volens amplissima, & per orbem terræ diffusa Christi munera: sed quasi qui, ut diximus, pro omnibus se solum judicaret obnoxium. Et revera quid interest, si & aliis præstitit, cum, quæ tibi præstita sunt, ita integra sint & ita perfecta, quasi nulli alii ex his aliquid fuerit præstitum?*

Passio Christi.

S. Io. Chrysost. l. 2. de Comp cord.

Ad Gal. 2.

****

SOL IN ZODIACO.

CAPUT VI.

177. SOL, pede nunquam exorbitante, tramitem lineæ eclypticæ (quâ Zodiaci medietas ex æquo distinguitur) percurrit. Unde lemmatis loco, à Comite Emmanuele Thesauro hanc Claudiani gnomam accepit. MEDIUM NON DESERIT UNQUAM. Hæc Solis vestigia à Principibus & publicis justitiæ ministris, gressu nunquàm ad marginem declinante, cautè observata velim. Philo, *Nec ad dexteram,* inquit, *nec ad sinistram à regia via deflectendum est, sed progrediendum per mediam.* Et alibi bonum Principem loquentem introducens, ait, *Assequar,* legis Divinæ adminiculo, *ut in neutram partem deflectam, velut in æquilibrio, rectâ, regiâque viâ mandatorum incedens firmis passibus, nec unquam offensantibus. Talem enim viam Moyses solet appellare regiam, quæ inter defectum, & nimietatem, tramitem tenet medium &c.*

Justitia incorrupta.

Philo lib. quod Deus sit mutabilis prope fin.

Idem lib. de creat. Princ.

178. Insignem Philippi III. Hispaniarum Regis, modestiam ac moderationem Emmanuel Thesaurus è Sole, intra lineam eclypticam hærente, dignoscendam proposuit. Lemmate, CONTENTUS MEDIO, è Claudiani poëmatis mutuato.

Moderatio.

Claudian. de 4. Consul. Honorii.

—— —— —— limite Phœbus
Contentus medio, contentus littore Pontus.

In hunc sensum Thesaurus, apostrophe ad Regem factâ, geminas Caroli V. columnas cum suo lemmate: *Plus ultrà:* innuit: totique symbolo sequentes versus subjunxit.

Quas avus attonito præverterat æquore metas,
Constituis menti, magne Philippe, tuæ.
Præscriptas aliis metas qui sustulit, & qui
Has sibi præscripsit, Hercule major erat.

Et quia grandi huic Monarchæ annus quadragesimus fatalis & extremus extitit, estque ille vitæ terminus planè dimidius ad eam ætatem, quæ omnibus Principibus à Deo hâc lege præfixus esse videtur, *si autem in Potentatibus octoginta anni:* idcircò alterum quoque epigramma, paræmiam quandam, defuncto Regi familiarem, innuens, addidit.

Psal. 89. 10.

Contentus medio virtutum limite Princeps,
Dicere consuêras, nil superet medium.
Cùm tibi dimidiæ nevisset stamina vitæ
Parca; memor dixit, nil superet medium.

179. Perseverantiæ, nunquam vacillantis, imaginem Sol, suprà eclypticam constitutus, refert; cum lemmate: NUNQUAM DECLINAT. Vel, INDECLINABILI GRESSU. vel ipsomet Sole loquente. HINC NON RECEDAM. Vel cum Partheniis Romanis. NUNQUAM ALIO. Vel certè cum aliis. SEMPER IDEM SUB EODEM. *Profice,* inquit Seneca, *& ante omnia hoc cura, ut constes tibi. Quoties experiri voles an aliquid actum sit, observa, an eadem velis hodie, quæ heri. Mutatio voluntatis indicat, animum nutare alibi, atque alibi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur quod est fixum, & fundatum. Istud sapienti perfectè contingit, aliquatenus & proficienti, provectoque.* Porrò hoc Emblema appositè ad significandam Dei immutabilitatem transfertur, qui

Perseverantia.

Senec. Epist. 35.

Immutabilitas Dei.

tur. qui SEMPER IDEM cernitur; idque ipsomet Divino ore firmatur: *Ego Dominus & non mutor.* *Malach.3.6.*

180. Carolus I. Dux Mantuæ inter ærumnas, quibus in ea civitate à regiminis sui exordio pulsabatur, Solis, sub librâ & leone sistentis, paradigmate se erigebat; cui hanc epigraphen subdidit, NEC RETROGREDIOR, NEC DEVIO. Forsan significabat, se, tametsi gravissimis seditionibus infestatum, leoninâ tamen magnanimitate nunquàm ab æquitatis lege, quâ Ducatus ipsi obtigerat, dimovendum esse: id quod cordis constantis & generosi indicium minimè obscurum in tanto Principe erat. Senecæ præceptio est. *Hoc ergò à te exige, ut qualem institueris præstare te, talem usque ad exitum serves. Effice ut possis laudari: Sin minus, ut agnosci.*

Perseverantia. *Seneca Epist. 120.*

181. Animus moderatus, sibique sufficiens, Solem, in Zodiaco progredientem, imitatur; cui inscripsit Tassus. NON TRANSGREDITUR. In hanc rem apposite Seneca: *Nostris gaudere debemus, nec majora domesticis cupere.* Vitam huic emblemati affinem, ii Magnates agunt, qui, tametsi in summæ authoritatis & potentiæ fastigio collocati se ipsos adeò moderantur, ut metam æquitatis præfixã nunquàm transiliant. Ab hoc animi sui regimine plurimùm commendatur Sinesius Episcopus. *Erat hoc mihi divinitùs tributum, ut cùm ego auctoritate plurimùm possem, tum honestissima quæque vellem.* Aliis hoc symbolum ad veri obedientis indolem describendam deservit

Suis contentus esse. *Seneca apud Lipsium manuduct. lib. 3. dissert. 5.* Moderatio Magnatis. *Sines. Epist. 57* Obediens.

182. Benedictus Calinus, Academicus inter Errantes Brixienses Præfixus, Soli, intra Zodiacum persistenti, subscripsit: NON EXTRA. Animi moderationem, æquitatem & justitiam hoc Emblema innuit; de qua Julianus Imperator inter cæteras boni Regis dotes ait, *Non uti potentiâ suâ ad quævis*; & rursùs. *Non tantùm egere consilio, sed moderatione quoque in exequendis iis, quæ sunt constituta.* Eadem gnoma, NON EXTRA, Soli, nunquam è linea sua aberranti, inscripta, hominem prudentem describit, qui muneris sui limites nunquam excedit. Abrahami familia, teste Divo Ambrosio, ad hanc normam erat composita. Ille enim, instar boni patrisfamilias, ad januam sedulò excubabat, ne alienigenis, hospitio excipiendis, unquam deesset: Sarâ, ipsius uxore, interea intra domum cibis coquendis & mensæ instruendæ assiduò intentâ. *Foris maritus invitat*, inquit, *intus Sara convivium adornat. Quod pietatis est, vult esse commune: quod pudoris integrum manet Saræ.* Sicque amborum industria intra præstitutos terminos sese continuit, nec extra orbitam unquam est evagata. Facetè in rem præsentem adducitur, quod de Sancto Basilio Magno refert Boterus. Cùm enim is coram Valente Imperatore Arriano multa pro fidei veritate stabilienda dissereret; Demosthenes quidam, Imperatoris archimagirus, paulò antè proscriptus, sanctum virum confutare destinabat: cùm verò insulsis sermonibus barbarismum aspergeret, Sanctus Basilius ore subridente homini illudens, vidimus saltem, inquiebat, Demosthenem litterarum expertem. Tum ad infacetum Sophistam conversus, subjunxit; Tuâ interest, Cæsaris dapes benè conditas ac sapidas parare, non verò sacram Christi doctrinam incongruis & obstreperis tuis vocibus temerare.

Moderatio. *Julian Imp. libello de Regno.* Extra officium non abire. *S Ambros. l. de Abraham c. 6.* *Boter Detti memorabili. p. p. l. 1.*

183. Magna, certè, Solis in inferum hunc orbem cura est; qui, ut nemini non gratificetur, velocissimo pede è supremo Cancri Tropico ad infimum Capricorni præcipitatur, & volutatione assiduâ ab uno ad alium polum rapitur. Solem proindè geminâ hâc prærogativâ, ceu lemmate insignies. OBLIQUE, ET UBIQUE. Prædicatoris hæc imago est, qui ad juvandos omnes nonnunquam è proposito sermonis argumento in materias morales digreditur. Illud ipsum etiam Charitati familiare est, in qua plurimùm excelluit Divus Paulus, locuples sibimet testis. *Factus sum*, inquit, *Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem; iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Unde Sanctus Laurentius Justinianus: *Transformemur in singulos, communicemus nos omnibus: ita ut illud Apostoli compleatur in nobis: omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam. Servatis duntaxat modo, mensurâ, tempore, & rationabili judicio charitatis.*

Prædicator. Charitas. *1. Cor. 9. 20.* *S. Laur. Iust. de Triumph. Christi agone c. 4.*

184. Boni Patrisfamilias, Prælati, Judicis, vel Principis lineamenta è Sole discernes, qui ad singula zodiaci sidera ex æquo divertit. Lemma. ÆQUE IMPARTITUR. Hanc perfectionem cumprimis in Divina Majestate observatam habet Divus Cyprianus. *Deus*, inquit, *ut personam non accipit, sic nec ætatem, cùm se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem, æqualitate libratâ, exhibeat parem.* Eandem Divus Chrisostomus in SS. Eucharistia reveretur. *Unum omnibus corpus proponitur, & poculum unum, cuncta nobis & vobis paria. Non enim nos abundantius, & vos minus de sacra mensa participamus, sed ÆQUE illam utique pariter GUSTAMUS. Omnia nobis paria, eadem salus, eadem vita, cum eodem utique honore datur.*

Justitia. *S. Cyprian. Epist. ad Fidem.* Eucharistia. *S. Chrysost. Hom. 4. in 2. Thessalon.*

185. D. Aresius Emblematum suorum frontiSolem præfixit, qui inter zodiaci signa revolutus, epigraphen sustinebat. FICTUS LABOR. Significabat, nî fallor; sicuti assidua illa revolutio solem necquidquam fatigat; ita complura volumina, in orbis litterarii emolumentum elaborata, Viris doctis nihil planè negotii facessère; virtutis oblectamento omnem desidiam aut fastidium prohibente. Porrò, qui Deo famulantur, in virtutum via, tametsi asperâ, & difficilibus salebris stratâ, nunquàm vacillant, nec laborum fastidia ulla persentiscunt: unde damis comparantur & cervis; *adjuro vos per capreas cervosque camporum &c.* Ubi advertas velim, eos non montium (quos natura, teste Plinio, propriam cervorum & caprearum sedem destinavit; idque etiam à Regio Psalte confirmatur, *Montes excelsi cervis:*) sed camporum cervos capreasque vocari; eò quod amici Dei eâdem facilitate & rupium invia, & calles planos superent, tantamque è laboribus suavitatem capiant, ut sibi nullos omninò labores incumbere credant. *Cervos camporum*, Interprete Gilberto, *dicit, quod illis qualibet aspera, & ardua qualibet, plana sunt & pervia, & inoffensis exposita cursibus, quasi planioris æquora campi.*

Studia. Religio. *Cant. 3. 5.* *Plinius l. 8 c. 11.* *Psal. 103. 18.* *Gilib in Cant. cit.*

186. Soli, ad Arietem divertenti, subscriptum. JAM HYEMS TRANSIIT. Ita Deus, dum carnem nostram induit, Arietem intravit; *Emitte agnum Domine, &c.* Unde etiam instar arietis, in Calvariæ clivo interfectus est. *Et sicut agnus coram tondente se obmutuit.* Nihil proinde mirum, si, Sole Divino arietem induente, durissima legis Hebrææ hyems transiverit, & veris Christiani amœnitas adolescere cœperit. *Ante adventum Christi*, S. Ambrosio

Cant 2. 11. *Isa. 16. 1.* *Isa. 53. 7.* Incarnatio.

S. Ambros. ad cap. 2. Cant. s. 11. in Psal. 118. serm. 6.

brosio teste, *hyems erat; venit Christus, fecit æstatem. Tunc omnia erant florum indiga, nuda virtutum, passus est Christus, & omnia cœperunt novæ gratiæ fœcundari germinibus.*

Præsentia Dei.

187. Quantas vires Divina præsentia in mortalium animis nutriat; haud obscurè è solis simulachro conjicies, qui intra veris exordientis signa existens, Emblematis loco aliquot vites, arboresque defrondatas sub se contineat; additâ inscriptione. ACCEDENTE FLORESCENT. Hæc effecta ex parte attigit Claudianus.

Claudian. de 4. Consul. Honorii.

--Tum conspicuus, gratusque geretur
Sub te teste labor.

Origen. in Iob.

Et Origenes, de sanctæ fidei virtute & energia disserens, *Sicut sol*, inquit, *nisi vibraverit super faciem terræ, nullus ex fructibus ejus crescit, neque adolescit, neque maturescit. Similiter nisi per fidem veritas refulserit in animabus hominum, nunquàm erunt acceptabiles coram Deo.*

Ascensio Christi.

188. Terra & plantæ, hyemis immiti violentiâ horrendùm devastatæ, sole ad Arietis & Tauri verticem provehente, pristinos herbarum decores, florum gemmas, cæterumque splendorem omnem recuperant. Proin' epigraphen subjunges. ASCENDENTE FLOREBUNT. Christo, Divino sole, cœlos conscendente, mox primitivæ Ecclesiæ terra innumeris florere gratiis, & fidelium plantulæ sanctorum fructuum copiâ redundare cœperunt. S. Thomas Villanovanus. *Sicut enim in vere, ascendente sole super capitis nostri zenith, terra, prius sterilis & arida, herbis, virgultis, flosculis vernat: arbores frondibus, floribus & fructibus vestiuntur: ita Christo in æthera conscendente, arida Ecclesiæ facies multiplici gratiarum & charismatum varietate refloruit.*

S. Thom. Villanov. Conc. 2. in Ascens. Domini.

Reditus.

189 Cuidam magni nominis Principi, in civitatem revertenti, Abbas Verrus solem obtulit, sub veris exorientis signo depictum; addito Boëtii lemmate. REDITUQUE SUO SINGULA GAUDENT. Verius tamen Christum, è triumphata morte non sine prodigio ad vitam reversum, hoc symbolo salutaveris; cui quotannis accinit Ecclesia; *In resurrectione tua, Christe, cœli & terra lætentur &c.* Et S. Gregorius in Encomio Paschali. *Exultet jam angelica turba cœlorum: Gaudeat & tellus, tantis irradiata fulgoribus, &c.* S. P. Augustinus. *Dies resurrectionis Christi, defunctis vita, peccatoribus venia, Sanctis est gloria.*

Boet. de Consol. metr. 3.

Resurrectio Christi.

S. Aug. serm. 63. de temp.

Adolescens vivax.

190. Abbas Ferrus, Cardinalem Antonium Barberinum etiamnum in juventute progressus in virtutibus ultrà ætatem magnos fecisse, è solis Emblemate demonstrat, qui in zodiaco ad ætatis signa resplendens, epigraphen præfert è Boëtio desumptam. CELERES EXPLICAT ORTUS. In hanc sententiam multùm confert elogium, quo Rex Atalricus juvenem quemdam, ad Quæstoris munus sublevatum, condecoravit. *Juvenem te solus decor ostendit, ab ore primævo cana verba manaverunt. Contendit flos ætatis, & maturitas mentis &c.* Eâdem icone non incongruè significabis promptum Magnatis animum, quem cùm in dispensandis gratiis, tum in sublevandis Provinciæ necessitatibus solicitè exhibet. Atabrici politica est, *qui reipublicæ statum, & generale cupit stare fastigium, ad universa debet esse solicitus.* Plinius proprium boni Principis esse dicebat, *velocissimi sideris more omnia invisere, omnia audire, & undequaque invocatum, statim velut Numen adesse & adsistere.*

Cassiod. l. 8. Var. ep. 18.

Solicitudo.

Cassiod. l. 9. var. ep. 2.

Plin. in Panegyr. Trajani.

Præsentia Ducis.

191. Sole leonem subeunte, orbis inferior igneos & ardentissimos influxus sustinet. Unde lemma: IGNEUS HINC VIGOR. Ita præsentia Ducis, quem animus generosus, aliaque virtutum ornamenta commendant, miram in subditorum corde fortitudinem accendit. Dionis effatum est. *Fortitudo Imperatoris minus animosos non servare modo, verùm & audaciores reddere potest.*

Dion. Orat. 3

Sanctitas.

192. Accidit equidem, æstivum solem nonnunquam nubibus inumbrari; illius tamen vires etiam per obscura hæc valla ad nos penetrant. Emblemati subscripsit P. Carolus Bovius, SENTITUR ET LATENS, Talis certè est sanctitas etiam inter abjectas & pannosas lacernas clarissimè discernenda. Sic Christus, tametsi peregrinâ veste indutus, discipulorum tamen oculos, suique cognitionem minimè effugit. S. Paulinus Nolanus inter compedes & captivorum centones Africæ Regi; uti & S. Ignatius Loyola in foro ad porticum D. Marci abjectus Senatori Veneto, probè cogniti fuêre: Verè adeò, è Salomonis testimonio, *Sapientia in vultu ejus.* Cæterùm gratia Divina, tametsi oculos nostros effugiat, ex effectis tamen haud obscurè eam deprehendimus. Pulchrè in rem præsentem Magnus Augustinus, *Occulta est gratia, & in abdito latet. Non videtur, sed inde eminet, quod videtur.*

Proverb. 17. 24.

Gratia Dei.

S Aug. ser. 14 ex addit. à Paris. c. 15

* * *
* *

129. Soli

Chuiſtus Judex.

193. SOli ad Leonem divertenti, inſcriptum: GEMINAT INCENDIA. Vel, ut aliis placet. MAJORES EXCITAT ÆSTUS. Ita nimirùm Deus Sol æternus, coràm extremo tribunali Leonem induet, & horrendo fulmine ſuas in ſceleratos vibrabit iras. *Terribilis autem*, Apoſtolo teſte, *quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios:* ubi, ſi græcum contextum attendas, pro *ignis æmulatio*, legendum, *ignis zelus.* Nam ira Divina, inſtar irritati leonis, flammâ duplo majore in impiorum ſupplicia exardeſcet. *Qui inſtar irritatæ feræ*, inquit interpres Chryſoſtomus, *apprehendat & devoret inimicos.*

Heb. 10. 27. — *S. Chryſoſt. in hunc loc.*

Vita humana.

194. Sole intrà leonem ſuprà hortum collocato, flores omnes langueſcunt, & exanimes pendent. Lemma. DIRIPIT OMNE DECUS. Vel. AB ÆSTU FATISCIT. Vitæ humanæ hæc imago eſt, quæ, inſtar floris amœniſſimi, ſub libidinis, aliorumque vitiorum ardore mox flacceſcit, & in exitium præcipitatur. De hac illud ſacræ paginæ uſurpaveris: *Exortus eſt enim ſol cum ardore, & flos ejus decidit, & decor ejus deperiit.* Opportunè P. Cauſſinus:

Iacob. 1. 11. — *P. Cauſſin. in Tragœdia.* Felicitas. *Act. 2. ſub initium.*

Non ſic feracis hortuli pictum decus
Sævus diei fulgor extinguit, citâ
Medio ſub axe cùm furit Phœbus rotâ;
Ut illa rapitur temporis ſpolium breve,
Dieſque venient corpori demit diem.

S. Aug. in Pſal. 37.

Et S. P. Auguſtinus: *Concupiſcentia mala quaſi ardor eſt ignis; Ignis conſumit veſtem, libido adulterii conſumit animam.*

Incarnatio. Maria V. protectrix.

195. Solem in Virginis ſidere repræſentârunt, addito lemmate: OMNIA COMPONIT. Vel, TEMPERAT IRAS. MARIA Virgo, Divinum Solem in utero ſuo beatiſſimo complexa, ſuaſque ad illum preces indies pro nobis interponens, Divinam vindictam ſuaviſſimè temperat, orbemque totum ob ampliſſima beneficia ſibi devincit. Benè S. Antoninus. *Sol materialis, per mundum diſcurrens, ex ſigno leonis, quando eſt perfectiſſimus calor ejus ſuper terram, intrat in ſignum Virginis: ad innuendum; quod Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter ex tempore veteris teſtamenti, quando Deus, ut leo rugiens, erat Deus ultionum, puniens terribiliter peccata, ex ferventiſſimo amoris calore intrans in uterum Virginis, totus factus eſt benignus, ſuavis, & humanus.* Hoc ſenſu P. Ludovicus Cerchiarus MARIÆ, ad cœlos aſſumptæ, accinuit.

S. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 22.

Aſſumptio Mariæ V.

Ne leo ſuccendat radiis ferventibus orbem,
Neve ſub irato judice cauſa cadat;
Erigone mollitq; animos, & temperat iras,
Obliquo mediam nam tenet orbe domum:
Fidite mortales, irati flammea cœli
Sidera miteſcunt, æthera Virgo ſubit.

Judex æquus.

196. Partheniii Romani, intemeratam Cardinalis Scipionis Burgheſii juſtitiam Emblemate ſignificaturi, Solem in libræ ſigno depinxerunt, addito lemmate. DIEI NOCTISQUE PARES, ſubintellige, *facit horas.* Nam libra, à ſole viſitata, autumnalis æquinoctii origo eſt, facitque æquale diei ac noctis ſpatium. Epigraphen Virgilius ſubminiſtrat.

Libra die, ſomnique pares ubi fecerit horas. — *Virgil. 1. Georg. v. 208*

Judicis hæ leges ſunt, ut omnibus ſe æqualem exhibeat, nec patiatur ſuam ſententiam in partes trahi. Ad hoc propoſitum Emmanuel Theſaurus;

Danum æquiſſimum judicem libra præſagit,
Quæ noctem, diemq;, hoc eſt pœnas & præmia,
Pari lance ſuſpendit.

Em. Theſaur in Genealogia Chriſti fol. 74.

Vita activa & contemplativa.

Miram hæc imago cum perfecto Christiano analogiam habet, qui omnes vitæ suæ actiones bimembres statuere debet, activas scilicet, diei æmulas; & contemplativas, nocti comparandas. Ad mentem nostram S. Hieronymus. *Sicut totus labentis sæculi cursus perenni diei ac noctis alternatione variatur, & dies quidem ad operandum, & nox ad quiescendum naturaliter condita est; Sic totum præsentis Ecclesiæ tempus gemino quodam quietis & operis statu discernitur.*

S. Hieron l. 3. in cap. 31. Prov.

Absentia Dei.

197 Quantùm exilii & calamitatis in animas nostras absente Deo redundet, haud obscurè ex arboribus conjicies, quæ, tametsi locuplete frondium, fructuumque ornatu insignes, sole tamen è Chironis & Scorpii signis RECEDENTE, SQUALEBUNT. *Si ipse est beatitudo nostra*, inquit de Deo S. P. N. Augustinus, *quid erit recedenti, nisi miseria?* Eodem Emblemate familiam aut civitatem, gubernatore destitutam, exhibebis. Salomonis effatum est. *Ubi non est gubernator, populus corruet.* vel ut exponunt septuaginta, *quibus non est gubernatio, cadent tanquam folia. Quasi diceret*, interprete Cornelio à Lapide, *ubi non est gubernator, sapientiâ & prudentiâ gubernandi præditus, ibi in multa pericula & damna corruet populus.* Ariostus simili argumento usus est in exprimendo amore Bradamanthæ, ob Rogerii, amasii sui, absentiam summoperè afflictæ. Et quidem prius ipsemet in hunc sensum metro Italico canit:

S. August in Psal. 70.

Proverb. 11.

Corn. à Lap. in hunc loc.

Ariost nel Canto 45. Stanza 26.

Come chi visto habbia l' Aprile o' l Maggio
Giardin di frondi, è di bel fiori adorno,
E lo rivegga poi, che il sole il raggio
A l' austro inchina, e lascia breve il giorno,
Lo trova desert' orrido, e selvaggio;
Cosi pare à la donna al suo ritorno,
Che da Ruggier la corti abbandonata,
Quella non sia, ch' hauea al partir lasciata.

Ibid. st. 38.

Dein in Bradamanthæ persona subjungit.

Se' l sol si scosta, e lascia i giorni brieui,
Quanto di bello hauea la terra asconde;
Fremono i venti, e portann ghiacci, e neui,
Non conta augel, ne fior si vede, ò fronde;
Cosi qual hor anuien, chi da me levi.
O mio bel sol le tue luci gioconde,
Mille timori, e tutti iniqui fanno
Un aspro verno in me più volte l' anno.

SS. Menstrui.

198. Monacense Societatis Jesu Collegium ad D. Francisci Borgiæ apotheosin, symboli loco, Zodiacum cœlestem statuit, qui menstruo solis hospitio recreatus, epigraphen sustinebat. E COELO MENSES. Franciscus enim menstruum Divorum cultum cœlitùs accepit, illumque toto orbe, non sine maximo pietatis Christianæ incremento propagavit. Cæterùm Deus jam olim præcipit, *In calendis, (* calendæ erant primæ mensis cujusvis dies *) offeretis holocaustum.* Volebat enim Deus in ipso mensis cujusvis exordio non modò beneficium gubernationis Divinæ recoli, sed insuper pro felici totius mensis decursu rogari. Unde etiamnum primâ mensis Dominicâ solent Christiani religiosiores spiritum innovare, sacrâ exomologesi mentem expiare, Divinam synaxin accedere, Deo pro beneficiis, præterito mense acceptis referre grates, eique mensis ineuntis auspicia, totumque mensem offerre. &c. Quis enim ambigat hos esse *e cœlo menses?* Id quod nec ipsos etiam gentiles fugit; unde, Giraldo teste, duodecim mensibus totidem præsidere Deos credebant; nam Januarii tutelam putabant Junoni commissam, Februarii Neptuno, Martii Minervæ, Aprilis Veneri, Maii Apollini, Junii Mercurio, Julii Jovi, Augusti Cereri, Septembris Vulcano, Octobris Marti, Novembris Dianæ, Decembris Vestæ; uti etiam prolixè refert Sanctus Pater Augustinus, testaturque alibi, calendis singulis pro animabus defunctis apud gentiles litatum esse. *Tunc enim*, inquit, *sacrificabatur Februo seu Plutoni sacro purgatorio pro animabus antecessorum.*

Num. 28. 11.

Menstrua Christianorũ devotio.

Girald. syntagmate 1.

S. Aug. l. 18. contra Faust. c. 5.

Idem l. 7. civit. c. 7.

ECLIPSIS SOLIS.

CAPUT VII.

199. SOlis deliquium tunc accidit, quando opacum lunæ corpus, inter nos & illum per diametrum intercurrens, consuetum lucis solaris transitum prohibet, nostrumque hemisphærium obumbrat. Justè proin' ingratam lunæ frontem hoc lemmate, ceu notâ, inustam aspicis. ADIMIT, QUO INGRATA REFULGET. vel brevius. QUO IPSA REFULGET. Stigma hoc esto cordis ingrati, quod scelestam manum in eorum perniciem extendere non erubescit, è quorum munificentia paulò antè liberalissimè victitabat. Inter hæc ingrati animi portenta facile natu maximum prodiit Nero, qui eam Agrippinæ vitam eripuit, quam non multò antè ex illa hausit. Quin ipsam quoque Palæstinam eâdem notâ infamem vidit orbis, dum in insignem gloriam à Christo sublevata, machinas omnes ad ipsius gloriã obscurandam convertit. Invectivâ gravissimâ adversùs Judæos Chrysostomus. *Quare*, inquit, *occidistis Christum, O Judæi? an quia vos honoravit? an quia, cùm esset Deus, homo propter vos factus est? an quia innumera ad salutem vestram miracula fecit? an quia peccata dimittebat? an quia in regnum vocabat? &c. Quid oportebat me facere vineæ meæ, & non feci, ait Dominus. Ideo ingratam mentem eorum & innumeris beneficiis contraria eos semper retribuisse ostendit.*

Ingratitudo.

S. Io. Chrysost hom. 69. in Matth.

200. Tametsi, Lunâ obtegente, eclipsin patiatur Phœbus; lunæ tamen apologiam suscipit D. Ascanius Piccolominius, aitque nullam exindè perniciem aut detrimentum soli afferri. Lemmatis loco Emblemati subscripsit. INNOCUA TAMEN. vel, INNOCUA TEGIT. Ita sanè calamitatum & æmulorum turbæ nonneminem interdum ad ipsum usque tumulum infestant; neque tamen illius virtutes adeò profundè sepelire valent, quin harum splendor transluceat, & incolumis persistat. E Sancti Ambrosii sententia, *Non frangitur sapiens doloribus corporis, nec vexatur incommodis: sed etiam in ærumnis beatus manet.*

Calumnia non lædit virtutem.

S. Ambros. apud Lipsiũ l. 3. manuduct. dissert 6

Virtus abscondita.

201. Epigraphe, TEGMINE DEFICIT, à Scipione Bargalio suprà solis eclipsin affixa, haud obscurè innuit, nullum virtuti absconditæ pretium esse. Horatii gnoma est,

Horat. l. 4. ode 4.

Paulùm sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.

Et Claudiani.

Claud. de 4. consulatu Honorii.

Vile latens virtus. Quid enim submersa tenebris
Proderit? Obscuro veluti sine remige puppis,
Vel lyra, quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.

Maria defuncta.

202. Mihi econtrariò, solis eclypsis hoc epigrammate describenda videtur. TEGITUR, NEC DEFICIT. Sol enim, tametsi opaco Lunæ globo coopertus, nullum tamen aliud deliquium exindè sustinet, nisi extrinsecum & apparens; primævo & interiore ipsius splendore penitùs incorrupto, & ad operandum valido. In hunc planè modum magna Dei Parens, tametsi exequiarum intervallo à morte nonnihil obumbrata, amplissimos tamen mille gratiarum ac beneficiorum radios in mentes sibi dicatas spargere non destitit. Sanctus Joannes Damascenus. *Quemadmodum splendidissimus hic, perpe-*

S. IoDam. Orat. 1. de Dormit. Deipara.

perpetuaque luce præditus Sol, tametsi, cùm à lunari corpore aliquantisper obducitur, quodammodò deficere, caligineque obrui, ac fulgorem cum tenebris commutare videatur: non tamen à luce sua excedit, verùm perennis in se vitæ fonte scaturientē habet; immò, ut rectius loquar, ipse indeficiens luminis fons est, quemadmodum scilicet Deus, à quo procreatus est, constituit: ad eundem modum tu quoque fons perennis luminis, atq; inexhaustus ipsius vitæ thesaurus, & uberrima benedictionis scaturigo, quæ nobis bonorum omnium causa & parens extitisti; etiamsi ad breve aliquod temporis spatium corporeo modo morte obtegeris, tamen immensi luminis & immortalis vitæ ac veræ benedictionis puros & inexhaustos latices, gratiæ flumina, sanationū fontes, ac perennem benedictionem nobis fundis. Cæterùm præstantis viri virtus, tametsi calumniæ & invidiæ alienæ umbris gravissimè cooperta, seipsa tamen semper illustris & intacta manet.

Religiosus.

203. Franciscus Raulinus ad exequias Odoardi, Parmensium Ducis, Solem, eclipsi coopertū, statuit; addito lemmate. LATET, ET LUCET. Significabat videlicet, Principem illum Serenissimum, tametsi mortalium oculos tantisper effugiat, nullam tamen proprii splendoris sui jacturam fecisse. Epigraphen subministrat Martialis hoc versu:

ET LATET, ET LUCET Phaëtontide condita Virgo &c.

Religiosum hâc imagine repræsentaverim, qui, tametsi in vitæ suæ secessu ac claustri angustiis coram hebescente mundi oculo mœstam eclypsin contraxisse videri queat; in virtutis tamen luce, quæ occultari aut cancellis constringi nescit, penitùs incolumis, omniumque admiratione ac reverentiâ plenus persistit. Hominum mundanorum voce Salomon, *Nos insensati*, inquit, *vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.* Non sine magno Religiosorum solatio D. Hieronymus. *Super nudam metuis humum exesa jejuniis membra collidere? sed Dominus tecum jacet. Squalidi capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? sed tu paradisum mente deambulas. &c.*

Sap. 5. 4.

Hier. Epist. ad Severum de Menia.

Pulchritudo post mortem.

204. Tametsi Sol sub eclipsis velamine nonnihil palloris contraxisse, & frontem pristino radiorum cinctu orbam circumferre videatur; genuini tamen splendoris jacturam nec minimam fecit. Unde, Patre Gamberto authore, illam Virgilii gnomam lemmatis loco præfert. NON FORMA RECEDIT. Eos hoc Emblemate insignies, qui vultûs sui decoré, etiam post mortem, integrum & incorruptum servant. Hoc sensu Poëta de Pallantis morte cecinit.

Virgil. 11. Æneid. v. 67.

Hic juvenem agresti sublimem in stramine ponunt,
Qualem virgineo demessum pollice florem,
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi,
Cui neq; fulgor adhuc, necdum sua forma recessit.

Eclipsin è morte sustinebat S. Franciscus Xaverius, dum quatuor integris mensibus non humatus modò, sed vivâ etiam calce coopertus jacuit, qui tamen, sarcophago reserato, vultum exhibuit undequaque integrum; modò humatū crederes. *Color vivax, caro planè recens; ne vigor quidem, qui ex spiritu constat, destituerat vultū.* uti disertis verbis de illo refert P. Horatius Turselinus. Jure adeò de magno hoc ævi nostri Thaumaturgo repetas, *Non forma recessit.*

Turselin. l. 5. c. 13. vitæ.

Matrimonii vinculum.

205. Naturæ ordo, & dimensa cœlorum revolutio ad eclipsin generandam adeò conspirant, ut illam Sol nullis viribus effugere aut delineare queat. Idipsum nonnemo de iis est interpretatus, quos individuum connubii vinculum fœdere adeò ineluctabili colligavit, ut mutuis calamitatibus liberari, aut jugum penitùs excutere, omninò prohibeantur. Unde Soli, in Eclipsin devoluto, subscripsit. EFFUGERE NEQUIT. Peccator sanguineam illam suppliciorum eclipsin, à Divinâ Nemesi in sceleratos destinatam, æternùm non evitabit. Nam *tuam manum*, inquiebat ad Deum Salomon, *effugere impossibile est.* Pulchrè in rem præsentem S. P. Augustinus. *Major est Deus corde nostro, & novit omnia. Cor tuum abscondis ab homine; à Deo absconde, si potes, Quomodo abscondes ab eo, cui dictum est à peccatore quodam timente & confitente;* quò ibo à spiritu tuo, & à facie tuâ quò fugiam? *Quærebat, quà fugeret, ut evaderet judicium Dei, & non inveniebat. Ubi enim non est Deus? si ascendero, inquit, in cœlum, ibi es; si descendero in infernum ades. Quo iturus es? quo fugies? Vis audire consilium? si vis ab illo fugere, ad illum fuge. ad ipsum fuge confitendo, non ab ipso latendo, latere enim non potes, sed confiteri potes.* Opportunè Poëta.

Suppliciū Divinum.

S. Aug. Tract. 6. in Epist. Ioan. post init. Ps. 138. 7

Quo fugis Encelade? Quascunq; accesseris oras,
Sub Jove semper eris.

Ovidius.

206. Miri adeò & inoliti sunt hominum mores, ut Solem in eclipsi decumbentem avidè circumspiciant, nullisque in eo considerando studiis parcant. At verò si pleno lumine resplendeat, totumq; passim illustret orbem, tum tacitè ac veluti neglectum illum prætereunt, neque ullam illius aspiciendi curam habent. Quinimò, si contingat, labeculâ etiam minimâ Solem aspergi, mox, non attento reliquo illius splendore, oculos suos unicè in maculas & caliginē contemplandam defigunt. Unde hanc Soli epigraphen subjunxerim. NISI CUM DEFECERIT, SPECTATOREM NON HABET. vel brevius. SPECTATUR, CUM DEFICIT. *Ita compositi sumus*, inquit Seneca, *ut nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant: contra minimarum quoque rerum, si insolita prodierunt, spectaculum dulce fiat. Hic itaque cœtus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populū non convocat. At cùm aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in cœlo est. Sol spectatorem, nisi cùm deficit, non habet. Nemo observat lunam, nisi laborantem.* Religiosi & Prælati intra orbem intellectualem Solis vice funguntur; quamdiu enim solitos virtutū suarum radios spargunt, vix ab ullo sæcularium observantur: ut primùm verò nonnihil defecerint, aut quidpiam mundani pulveris incautè contraxerint, mox totidem Argos & Catones, quot homines, experiuntur. Eruditè Andreas Bianco.

Seneca l. 7. Nat. Quæst. cap. 1.

Religiosus vel Prælatus deficiens

And. Bianc. l. 1. Epigr. 31.

Dum facies clarum Titana sororis obumbrat,
Dimidiumq; aufert invidiosa jubar;
Intentos tenet obtutus cœli horror, & orbis;
Plusque vident homines deficiente die.
Fulgidior Titan radios rursum explicat omnes,
Jam conversa aliò lumina quisque refert.
Sic rarum spectatorem virtutis habebis,
Quæ si deficiat, plurimus Argus erit.

Ab hoc sensu non multùm alienus Juvenalis.

Iuvenalis.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat habetur.

207. Quidquid invidiæ aut caliginis frigescens ac livida Luna adversùs coruscam Solis majestatē moliatur; hic tamen NUNQUAM TOTUS DEFICIT. Ita sanè ringantur licèt perversorū calumniæ, omnemq; arietem virtuti admoveant, nunquam tamen hanc penitùs evertere aut suffocare valebūt. Seneca teste, *Nunquam in tantū virtus extinguitur, ut nō certiores animo notas imprimat, quàm ut illas eradat ulla mutatio.* Et rursùs. *Semper contra fortunā luctata virtus, etiā citra effectū propositi operis enituit.*

Virtus superat calumniam.

Seneca l. 7. de Beneficiis cap. 9. Ibid. cap. 14.

208. Alexander Mediceus Soli, eclipsin sustinenti, inscripsit,

inscripsit. PREMITUR, NON OPPRIMITUR. Ita omninò mens illustris ac generosa, cui dotis loco heroica virtus obtigit, tametsi malorum impetu nonnihil prematur, nunquam tamen opprimitur. Dilucidè S. Ambrosius. *Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur; ubi enim sapientia, ubi virtus est, ibi constantia & fortitudo. Sapiens ergò idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus.* Huic concolor Tullius. *Virtus*, inquit, *in tempestate sævâ, quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa loco, manet tamen, atque hæret in patriâ, splendetque per se semper, nec alienis unquam sordibus obsolescit.* P. Cornelius à Lapide hoc argumento veritatis prærogativas explicat. *Veritas premi potest, opprimi non potest, perinde ut sol nubibus tectus latet, sed mox radiorum suorum vi nubes dissipat, & clarus effulget. Sic & veritas, sic & Christus.*

Virtus inter persecutiones. *S. Ambros. Ep. ad Simplicianum.* *Cicero pro Sexto.* Veritas. *Corn. à Lap. in Ioan. cap. 1. v. 9.*

209. Magni nominis Viro è vivis sublato, Aresius Solem, sub eclipsi latentem, statuit; addito lemmate. NON MAGNA PARS, subintellige *tegitur.* Etsi enim corporis & membrorum compages sub mortis umbrâ delitescat; hæc tamen ignobilior hominis particula facilè perditur, nec illius jactura adeò gravis censetur, dum virtutis splendori, integerrimæ famæ, & animæ beatitati nihil exinde decedit. Apprimè Cicero. *Mors terribilis est iis, quorum cum vitâ omnia extinguuntur, non quorum laus emori non potest.* Et S. Anselmus. *Quâcunque horâ justus moriatur, justitia ejus nôn aufertur ab eo, & ita mors ei non abest.* Plurimùm in rem præsentem confert Epitaphium, Marchioni de Pescara, Caroli V. Imperatoris supremo Belliduci, à Ludovico Ariosto erectum; in quo Viator & Hospes, Dialogi more, inter se colloquuntur.

Mors hominis virtuosi. *Cicero ap. Hybernic. tit. Mors.* *S. Anselm. ibid. citatus.*

V. Quis jacet hoc gelido sub marmore? H. Maximus ille Piscator, belli gloria, pacis honos.
V. Nunquid & hic pisces cepit? H. Non. V. Ergò quid? H. Urbes,
Magnanimos Reges, oppida, Regna, Duces.
V. Dic quibus hos cepit piscator retibus? H. Alto Consilio, Intrepido corde, potente manu.
V. Quæ tantum rapuère Ducem? H. Duo Numina Mars, Mors.
V. Ut raperent, quidnam compulit? H. Invidia.
Sed nocuère sibi, nam VINCIT FAMA SUPERSTES,
Quæ Martem & Mortem vincit, & Invidiam.

210. Lucarinus Christi patientis imaginem in Sole, aliquâ duntaxat sui parte per eclipsin inumbrato, dignoscendam proposuit, cum lemmate. SOL RESTA IN PARTE ASCOSO. Id est. EX PARTE CELATUS. Argumentum hoc non absimile est illi, quod de Verbo Incarnato affert S. Ambrosius in hæc verba. *Ut sol, cùm nube tegitur, claritas ejus comprimitur, non cæcatur, & lumen illud parvo admodùm obstaculo nubis includitur, non aufertur; sic & homo ille* (id est humanitas) *quem Dominus Jesus Salvator noster, id est, Deus, Deique filius, induit, Deum tamen in illo non intercepit, sed abscondit.*

Christus patiens. *S. Ambr l. 1. de fide. c. 5.* Incarnatio

211. Luna, opacam suam molem Soli objiciens, nihil penitùs eclipseos, alteriusve præjudicii in illum jacit, sed totum splendoris subtracti damnum mundus hic noster sustinere debet. Ut adeò Sol, me judice, verè de se dixerit. DEMIT NIL MIHI SED ORBI. Ita sanè dum eximiæ virtutis & magni nominis homo sub mortis velamine tegitur, eam non defuncti, sed mundi cladem interpretamur. Quando Roma olim extorrem fecerat Catonem, nullum quidem ipsius gloriæ damnum intulit, se ipsam verò clarissimo tanti viri splendore privavit. In hanc rem Petronius Arbiter.

In morte. *Petron. Arbit.*

Pellitur à populo victus Cato; tristior illi
Qui vivit, fascesque pudet rapuisse Catoni,
Namq; hoc dedecus est populi, morumque ruina.
Non homo pulsus erat, sed in uno victa potestas,
Romanumque decus: quare jam perdita Roma
Ipsa sui merces erat, & sine vindice præda.

212. Scipio Bargalius Soli, eclipsin sustinenti, inscripsit. LABORAT, NON DEFICIT. Nimirum homo virtuosus inter res afflictas nonnihil quidem obtegitur, nullam tamen virtutis aut splendoris sui jacturam facit: fallunt enim oculi, dum illum minus clarum judicant; cùm virtus apparere quidem misera aut infirma, esse non possit. Senecæ id credes. *Quædam*, inquit, *Soli quoque obstant. At Solis vis & lux integra est etiam inter opposita, & quamvis aliquid interjaceat, quod nos prohibeat ejus aspectu, in opere est, cursu suo fertur. Quoties inter nubila luxit, non est serena minor, nec tardior quidem, Quoniam multum interest, utrùm aliquid obstet tantum, an impediat. Eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt. Non est minor, sed minus fulget: nobis forsitan non æquè apparet, ac nitet. Sibi eadem est, more Solis obscuri, in occulto vim suam exercet.*

Virtus afflicta. *Seneca Ep. 92.*

313. Cùm eclipsis Solis ibi duntaxat eveniat, quando opacum Lunæ corpus, inter illum & terram intercurrens, radiis solaribus transitum prohibet, nobisque nobilissimi planetæ visum eripit; idcircò luna, propriæ suæ causæ vindicem agens, contra terræ querelas è Talionis lege summariè excipit. DAMNA LUCIS REPENDO MEÆ. Veluti hoc lemmate diceret; quid mirum sit, terram Solis luce tantisper à me privari, cùm simili damno à terra affligar, quæ suâ mole, inter me & Solem objectâ, omnem lucis mutuandæ viam mihi obstruit? æquum proindè, & ad justitiæ leges exactum hunc vindictæ modum, quis negaverit? In rem præsentem opportunæ sunt illæ exprobrantis Dei voces, *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis: & ego provocabo eos in eo, qui non est populus, &c.* quasi diceret; interprete Hugone Cardinali, *Ipsi colentes idola, & mihi proponentes, quæ mihi super omnia displicent, ad iracundiam provocaverunt. Et ideo in pœnam hujus facti, ego populum illũ, quem super omnia odio habent, scilicet gentilem, assumam, & exaltabo.* Theodoretus, *Quemadmodum*, inquit, *vos uno Deo relicto, plures falsos Deos antepofuistis: sic ego relicto uno populo, conferam omnibus gentibus salutem, vos autem videntes, contabescetis invidiâ.*

Vindicta. *Deut. 32. 21.* *Hug. Card. in hunc loc.* *Theodoret Quæst 41. in Deut.*

214. Sol in eclipsi illam Poëtæ gnomam lemmatis loco sustinet. QUISQUIS SUOS PATIMUR MANES. Nempe & in magnis viris magni sæpè defectus apparent. David piissimus hominum, & *vir secundùm cor Dei*, uno fœminæ aspectu labem turpissimam, nulloque ævo oblitterandam, contraxit. Idipsum de Salomone, Regum sapientissimo; & Samsone, hominum omnium fortissimo dixeris. Verissimè, nulloque inter summos & infimos facto discrimine Joannes. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Breviter S. Gregorius. *Sine culpa in mundo esse non potuit, qui in mundum cum culpa venit.* Et S. P. Augustinus. *Divinitùs dictum est; noli esse justus multùm: quoniam non est justitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui ergo sic fit nimis justus, ipso nimio fit injustus, Quis est autem, qui se facit justum, nisi qui dicit, se non habere peccatum?*

Peccatu est in o[mn]ibus h[o]minibu[s] *1. Ioan. 1.* *S. Greg. h[om.] 39. in Ev[ang.]* *S. Aug. i[n] Sententii[s] sent 365.* *Eccl. 7. 17*

LUNA. Caput VIII.

215. MEritum aut virtutem supremam è plena Lunæ orbitâ conjicies, quæ inter alias stellas collocata, Hanc Horatii gnomam sustinet.

Virtus ... meritu[m] ... suprem[um]

MICAT

Mariæ V. excellentia. MICAT INTER OMNES. Hâc icone S. Petrus Damianus Cardinalis Mariam Virginem supra reliquos Divos omnes elevat, quippe qui huic comparati nonnisi stellulæ, & tenuissimi cœlorũ asterisci videntur. *Quid Lunâ pulchrius?* inquit ille, *Considera quàm stellaris & serena vibratio, quàm luminosus fulgor circularem orbem tanti sideris superfundat, ut aliorũ luminum claritatẽ non mediocriter offuscet. Sic & Virgo inter animas Sanctorũ & Angelorũ choros supereminens & evecta, merita singulorum, & omniũ titulos antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ reluceant; Luna tamen, ut magnitudine præeminet, & splendore; sic utramq; naturam Virgo singularis exuperat, & immensitate gratiæ, & fulgore virtutum,* S. Pet. Dam. serm in Assumpt. Virg.

216. Tametsi fortè à Conimbricensibus & Pererio persuasus, affirmes, Lunam propriâ aliquâ luce pollere; id tamen inficias non ibis, eam saltẽ majore parte è mutuato Solis splendore fulgere, & insigne luminis sui incrementum ab illo accipere. Unde salvâ adhuc tuâ Philosophiâ, Lunæ subscribes. EXTERNO LUMINE CRESCIT. Conimbr. l. 2 de Cœlo c. 7. q. 4. art. 1. 2. & 3. Pererius in Gen cap. 4. Eos hoc symbolum concernit, qui dignitatibus ac Principum favoribus magis, quàm propriis natalibus, aut congenitis virtutibus inclarescunt. Favor externus. Certè homo, quidquid in negotio supernaturali splendoris habet, id omne è gratia Divinâ accepit. Gratia Dei. S. P. Augustinus in illa Apostoli verba, *Gratiâ Dei sum id, quod sum,* ait, *ergò quod cras, iniquitate tuâ eras; quod es, gratiâ Dei es.* 1. Cor. 15. 10. S. Aug. l. 50. Homil. hom. 7. cap. 7.

218. Lunæ adolescenti inscriptum. ALIQUANDO PLENA. Profectus. Eos hoc Emblema in spem erigit, qui virtutis, honoris, aut divitiarum incrementis inhiant. Opportunè Salomon. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem.* Prov. 4. 18. S. P. Augustinus. *Tota vita boni Christiani,* inquit, *sanctum est desiderium proficiendi, hic sinus noster est, hic saccus, & quia angustus est, extendendo facis capaciorem. Sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capaciorẽ: desideremus ergò, fratres, quia IMPLENDI SUMUS.* S. Aug. Tract. in Ioan. 1. hom. 9.

218. Princeps quidam tantò majora beneficentiæ suæ incrementa capiebat, quo sublimiore dignitatũ gradu sublevabatur; Benefactor elevatus. haud aliter, atque Luna symboli loco epigraphen præfert. OPEROSIOR, UNDE SPLENDIDIOR. Exemplũ præluxit clarissimum Deipara Virgo, quæ ad cœlos assumpta, tanto copiosiore gratiarũ influxu in animas sibi devotas effundebatur, quo sublimius gloriæ fastigiũ conscẽderat. Maria V. Assumpta. *Continet sibi abyssos vitæ, & immortaliũ gaudiorũ: sed non ita continet sibi, ut non effundat & aliis,* inquit Guiliclm. Guiliel. in cap. Cant. Huic consentit Andreas Cret. ad Deiparã conversus, *Ex quo translata es à terra, te universus mundus continet commune propitiatoriũ.* And. Cretensis.

219. Anima, continuis suspiriis ad superioris perfectionis culmen enitens, neq; ad virtutis & interioris munditiei splendorem assequendum quidquam intermittens, Lunam crescentem imitatur, hoc Bargalii lemmate insignem. DI MAGGIOR LUCE VANA. Id est. LUCIS CUPIT INCREMENTUM. Dominus Jovius honori Henrici II. Galliarum Regis consimile Emblema statuit; Lunã nimirùm augescentem, cum lemmate. DONEC TOTUM IMPLEAT ORBEM. Profectus. Significabat videlicet heroica Regis facinora, & militarẽ prudentiam, quotidianis incrementis illustrem. Opportunè D. Anselmus, S. Anselm. l. 1. Epist. 37. *Nullus gradum bonæ vitæ, quem jam conscendit, custodire sufficit, qui semper ad altiorem proficere non appetit: semper igitur necesse est, ut nitatur ad profectum, qui semper vult vitare defectum.*

220. Plenam Lunæ orbitam his litteris insigniunt. Mariæ V. summa perfectio. ÆMULA SOLIS. Cæcus sis, ni in hâc effigie celsissimam Deiparæ perfectionem agnoveris. De hac Andreas Cretensis. *Excepto Deo, sola est omnibus major.* S. Bernardinus Senensis quandam Mariæ cum Deo analogiam deprehendens, ait, S. Bernardi. Senens. To 1. Concluſ. 6. c. 12. *Oportuit, ut sic dicam, fœminam elevari ad quandam æqualitatem Divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum, quam æqualitatẽ creatura nunquam experta est.* Et S. Dionysius Areopagita, *Testor,* inquit, *qui aderat in Virgine Deum; si tua doctrina non me docuisset, hanc Deum verum esse, credidissem.* S. Dionys. Areop. Epist. ad Paulum. Hinc conjicias velim, quanta fuerit augustissimæ hujus Virginis Majestas ac excellentia.

221. Magni animi Juvenis, qui patrios lares nihil moratus, exteram civitatem studiorum causâ petiit, Reverti. Lunæ crescentis symbolo exhibebatur; quæ in occasum abiens, epigraphen monstrabat. REDIBO PLENIOR. Scilicet fidẽ suam interponebat, se non sine locuplete virtutũ & sapientiæ auctuario in patriam reversurũ. Hac de re Cassiod. *Interdũ expedit patriã negligere, ut sapientiã quis possit acquirere.*

222. Lunæ subjunctum lemma. NUNQUAM EADEM, Profectus. Cassiod. l. 1. Epist. 39. vel mitius. NON SEMPER EADEM. Vel certè. E TAL NON TORNA MAI, QUAL-SI DIPARTE. Id est, *Nunquam talis revertor, qualis recedo.* Ex Italico hoc Petri Bembi lemmate, totoque Emblemate, solitam fœminæ levitatem ac inconstanstiam dignosces. Fœmina instabilis. De ea Virgilius. Virgil. Æneid. 4.

--- --- *Varium & mutabile semper*
Fœmina.

Et Tibullus. Tibull. lib. 3.

--- --- *Mens est mutabilis illis.*

Optimè Propertius. Propertius.

Non sic incerto mutantur flamine syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto.
Quàm citò fœminea non constat fœdus in ira,
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.

Cæterùm hoc symbolo etiam lubrica & inconstans rerum omnium, in orbe hoc infero passim observata, conditio significatur. Mundus instabilis. Ut adeò bene dicat Justus Lipsius. Lipsius de Constant. l. 1. cap. 16. *Nihil quidqam stabile & firmum Arbiter ille rerum esse voluit, præter ipsum.* Et Ovidius. Ovid l. 15. Metamorph.

--- --- --- *Momento cuncta novantur,*
Nostra quoque ipsorum semper, requieve sine ullâ
Corpora vertuntur, nec quod fuimusve, sumusve
Cras erimus.

223. Nonnunquam eò plus nominis & splendoris nobis accrescit, quò à patria remotiores vivimus. Remotus à patria. Exilium. E Luna id disces, quæ longiùs à Sole dissita, epigraphen tenet. QUANTO PIU S'ALLONTANA, PIU RISPLENDE. Id est. IN RECESSU SPLENDIDIOR. *Multos,* asserente Petrarchâ, Petrarch l. 2 de Remediis. Dial. 67. *exilium honestavit, multos acrior aliqua fortunæ vis atq; injuria notos reddidit, & illustres.* Certè Religiosus existimationem tantò ampliorem sortitur, quò frequentius è mundi oculis se subducit. Religiosus. Observatum id habet S. Petrus Damian. S. Petr Dam. Apolog. c. 26. *Apud quosdam,* inquit, *absentis Monachi authoritas gravis est si autem præsens affuerit, nullius judicatur esse momenti.*

224. Luna, quantò Soli vicinior, tantò oculis nostris apparet obscurior. Unde epigraphe, QUO PROPIOR, TENEBROSIOR. Hoc Emblema, priori è diametro adversum, iis aculeum infigit, qui arcana Dei curioso intellectu assequi ac penetrare allaborant, Curiositas confusa. nec alios laboris sui fructus, nisi meras ignorantiæ umbras referunt; id quod disertè testatur Regum sapientissimus. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Prov. 25. 27 Et meus Concanonicus, D. Salvator Carducius.

Cynthia, quo propior Phœbo, tenebrosior inde,
Proximo majestas lumina nocte premit.

225. Lunæ revolutio reliquos Planetas omnes velo-

velocitate ſuperat. Sol equidem ad terminum, unde digreſſus eſt, nonniſi intra trecentos ſexaginta quinque dies, horas quinque, & quadraginta novem minuta revertitur. Tantundem ferè temporis inſumunt Venus & Mercurius. Mars, ampliore adhuc ambitu, ſingulis ferè bienniis ſpatium ſuum emetiri ſolet. Jupiter duodecim annis; Saturnus verò ſupremam inter Planetas provinciam nactus, novem & viginti annis curſum ſuum abſolvunt. At Luna motu adeò veloci circumfertur, ut integrum circulum diebus duntaxat viginti novem percurrat; ut adeò hanc mereatur epigraphen. VELOCITATE PRÆSTAT. Non abs re ſacræ litteræ ſub auguſtiſſimis Deiparæ pedibus ſtratam voluêre Lunam, hâc omninò lege; *Et Luna ſub pedibus ejus.* Illa enim ſuppetias adeò celeres afferre conſuevit, quales nec ipſi etiam devotiſſimi ipſius clientes petere aut cogitare poterant. Verè de illa meus Concanonicus, Richardus Victorinus. *Velocius*, inquit, *occurrit ejus pietas, quàm invocetur, & cauſas miſerorum anticipat.*

Maria V.
Apoc. 12.1.
Richard. de S. Vict. cap. 23. in Cant.

226. Excellentiſſimus Princeps, D. Hercules Trivultius, dum Catholicæ Majeſtatis, Mariæ Annæ Hiſpaniarum Reginæ, & Sponſæ Philippi IV. Oratorem extraordinarium ad Innocentium X. Pontificem Maximum, ageret; Lunam ſymboli loco ſibi præferri voluit, quæ paucis diebus Zodiacum percurrere ſolita, epigraphen ſuſtinebat. CITISSIMA EXPLET. Innuebat videlicet, ſe celſiſſimo ſuo muneri, ad quod pro meritis nominatus fuerat, nullam interpoſiturum moram; haud ſecus, atque Luna totis viribus & quàm celerrimè, cœptum itineris ſui negotium explet. Opportunè in rem præſentem Siracides. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coràm Regibus ſtabit.* Proin æquiſſimo jure optimum hunc Principem encomio illo proſequeris, quo olim Velleius Paterculus M. Agrippam, fidiſſimum & præcipuum Octaviani Auguſti miniſtrum, excoluit: *Vir fuit labore, vigiliâ, periculo invictus, & per omnia extra dilationes poſitus, conſultiſque facta conjungens.*

Legatus ſolicitus.
Promptitudo.
Prov. 22. 29.
Vell. Paterc.

227. Luna recens, (Græcis νεομηνία) omnis maculæ immunis, nullam, niſi candidam & ſubtiliſſimam lucis formam præſefert. Unde Poëta Italus.

— *D'ombre purgata appare in Cielo*
Quando picciola è più la bianca Luna.

Meus Concanonicus, D. Philippus Gallina Emblemati ſubſcripſit. QUANDO PICCIOLA E PIU, D'OMBRE E PURGATA. Id eſt. PURIOR EXIGUA. Et ante illum, authore Illuſtriſſimo D. Areſio, Luna nova, in ſubtilis lineæ orbem circumflexa, epigraphen ſuſtinebat. SINE MACULA. Genuinum Deiparæ Virginis, ſine labe conceptæ, ectypon hæc imago exhibet. Ad hanc enim plerique Sacri Interpretes illa Canticorum verba referunt; *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Inter alios doctiſſimus meus Idiota, Virgini ſupplex, *O Virgo glorioſiſſima*, inquit, *non in parte, ſed in toto; & macula peccati ſive originalis, ſive actualis, ſive mortalis, ſive venialis non eſt in te.* Cæterùm illos etiam hoc ſymbolum attingit, quos quidem tenuior fortuna ab omni tamen furti, alteriuſve defectûs nævo libera tenet. Ad hoc propoſitum Horatius.

--- --- *Benè eſt, cui Deus obtulit*
Parcâ, quod ſatis eſt, manu.

Conceptio Mariæ V.
Cant. 4. 7.
Idiota in Contempl. B. V. c. 2.
Divitiæ juſto titulo partæ.
Horat. l. 2. Carm. Od. 16

228. Inter reliquam pompam funebrem, quâ pios D. Aſcanii Piccolominii, Archiepiſcopi Senenſis, manes proſequebantur, Luna prominebat; quæ tametſi Soli vicina, oculos noſtros effugiat, & & intra tenebras ſepulta videatur, epigraphen tamen monſtrat. AT CÆLO REFULGET. Hanc ſui ideam interpretentur Religioſi, omneſque ii, qui animarum ſuarum ſalutem curant. Inde enim ſeſe Deo, æterno Soli, & Divis Cœlitibus proximos credant, quando infimi hujus orbis conſpectui vileſcere, ac intra calamitatum tenebras volutari non recuſant. Petrus Bercorius. *Quando Luna, id eſt, homo, eſt conjunctus & propinquus per gratiam ipſi Soli, id eſt Chriſto, tunc verè à parte cœli, id eſt, quantùm ad bona ſpiritualia & æterna, recipit illuminationem, ſcilicet gratias, dona, virtutes, & merita: ſed pro certo tunc temporis, ut communiter, perdit lumen à parte terræ, id eſt mundi proſperitatem, quia ut communiter Dei amici non proſperantur in hac vita.* Stat proindè, ut, qui cœleſtium donorum radiis vult illuſtrari, lege penitùs inevitabili, humanis oculis videatur ærumnarũ caligine obrutus. Faxit Deus, quatenùs perenni hujus vitæ miſeriâ ſepultus, beatam olim ac ineffabilẽ claritatis Divinæ lucẽ aſſequar! Pulchrè S. P. Auguſt. *Sicut non poteſt homo duobus Dominis ſervire, ſic nemo poteſt gaudere in ſæculo, & in Domino; ſunt enim omninò contraria. Quando gaudetur in ſæculo, non gaudetur in Domino: quando gaudetur in Domino, non gaudetur in ſæculo: Vincat gaudiũ in Domino, donec finiatur gaudium in ſæculo. Gaudium in Domino ſemper augeatur; gaudiũ in ſæculo ſemper minuatur, donec finiatur. Non ideò iſta dicuntur, quoniam in hoc ſæculo cùm ſimus, gaudere non debemus; ſed ut etiam in hoc ſæculo conſtituti, jam in Domino gaudeamus.*

In morte.
Religioſus ſolitarius.
Pet. Bercor. Reduct. moral l. 5. c. 25 n. 2.
S. Auguſt. de Verb Dom. ſerm. 37. cap. 1.

229. Illuſtriſſima Piccolominiorum familia ſcutis gentilitiis Lunam præfert: quæ præclaris ingeniis occaſio extitit, D. Aſcanium, Archiepiſcopali Senarum pedo inſignitũ, poſtea in patriam reverſum, & demum morte abreptum, diverſis Lunæ Emblematis excipiendi. Inter cæteras demortui Præſulis icones è denſa nocte Luna promicabat, cum lemmate. IN TENEBRIS CLARIOR. Ita ferè humanæ prudentiæ ſplendor eò amplius inclareſcit, quò pluribus calamitatum tenebris infeſtatur. Juſtus Lipſius. *In rebus arctis, cauſiſq; arduis, magis ſagax ingenium elucet.* Certè, Juſtorum ſanctitas, ceu Lunæ candor illuſtriſſimus, è vicina ſceleratorum nocte omnium maximè reſplendet. S. Ambroſ. illam Apoſtoli ſententiam interpretatus, *Inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo*, ait, *Luna & ſtellæ non amittunt lucem ſuam propter noctem, ſed magis lucent; ſic vos mente in cœlo fixi, licet inter tenebroſos & infideles ſit veſtra converſatio, non obſcuramini, ſed magis lucetis benè operando.*

In morte.
Prudentia.
Lipſ. in Panegyric. Plinii.
Boni inter malos.
S. Ambroſ. in Philipp. 2. 15.

230. Gratum animi affectum, & mentem in commemorandis beneficiis aſſiduã, è Luna diſces; quæ radiis undique circumfuſa, intuente Sole, candidè, à quo reſplendeat fatetur, ALIENA LUCE. vel, authore Saavedrâ, LUMINE SOLIS. aut idiomate Hiſpano. POR TI MI RESPLANDOR. Anaſtaſius Sinaita in Luna Eccleſiã, & in Sole Chriſtũ, à quo illa ſplendet, contẽplatus, *Invenimus*, inquit, *Lunæ & ſtellis lumen ſuppeditari à ſole, re nobis ſignificatè, quod à Chriſto illuſtrantur Eccleſia & Sanctorũ luminaria. Ipſe enim eſt lux, de qua dicuntur Eccleſia & Juſti, ex ejus ignis plenitudine nos omnes accepimus.* Et S. Hier. *Luna Eccleſiæ meritò comparatur, quæ non habet ſplendorẽ, ſed à Sole certis modis ſuſcipit lumẽ: id eſt à Chriſto, qui permanet in æternũ.* Porrò ſubditi, Regumq; miniſtri hinc meminerint, ſuam authoritatem non eſſe abſolutam, nec ex ipſis ſcaturientem, ſed omninò delegatã, & à Principe dependentẽ. Meminerint deniq, ſinguli homines, omnia tam naturæ quàm gratiæ fluenta, quæ in ipſos copiosè derivantur, fontẽ ſuum è liberaliſſima Dei benignitate trahere. Id quod è D. Pauli ſententiã definitum eſt.

Gratitudo.
Sancta Eccleſia.
S. Anaſtaſ. Sinaita Comment. in Hexamer.
S. Hieron. Comment. in Marc. c. 14.
Authoritas dependens.
Gratia omnis à Deo.
1. Cor. 4. 7.

est. *Quid enim habes, quod non accepisti?* In hunc locum commentatus S. Paschasius, ait, *Propterea nemo præsumat de se; quia nihil habet ex se, nisi sola debita.* Et S.P.Aug. *Ut nec superbus sis, nec ingratus, dic Deo tuo. Sanctus sum, quia sanctificasti me: quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, nō quia ego merui.*

(Paschas. l. ... Matth.) (S. Aug. in Psal. 85.)

231. Luna, instar tersissimi speculi, radios, à Sole mutuatos, fidâ liberalitate rursùs in inferū hunc orbem diffundit. Unde lemma. ACCEPTUM MITTIT. Hinc discant mortales, ea omnia, quæ à bonitate Divina recepêre, liberali beneficentiâ cum aliis communicanda esse. In hac sapientiæ dispensandæ liberalitate excelluit Salomon, locuples sibimet testis, *quam sine fictione didici, & sine invidiâ communico.* Illo minimè inferior D. Paulus, consolationum lucē, Divinitùs in se derivatā, largâ manu rursùs in egenos distribuit. *Benedictus Deus,* inquit, *Pater misericordiarū, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Talis etiam sponsa cœlestis, quæ gratiæ & gloriæ Divinæ cimeliis cumulatè redimita, in has voces gloriabunda erupit. *Introduxit me Rex in cellaria sua;* quasi nimirùm, ut eleganter advertit D. Bernardus, ad pedissequas suas conversa diceret, *Introduxit me Rex in cellaria sua, putate & vos pariter introductas. Sola introducta videor, sed soli non proderit. Vestrûm omniū est meus omnis profectus, vobis proficio, vobiscū partibor, quidquid fortè plus vobis meruero.*

(Gratias cum aliis communicare.) (Sap. 7. 13.) (2. Cor. 1. 3.) (Cant. 1. 4.) (S. Bernard. serm. 23. in Cantica.)

232. Amor individuus, & in omni alternantis fortunæ sive prosperâ sive adversâ vicissitudine semper sibi constans, Lunam ideam sequitur; cui à Bargalio inscriptum. NON PERDE MAI PER VARIARE IL GUARDO. Id est. ET SOLEM, VARIATA, SUUM NON DESERIT UNQUAM. Talem sese postero orbi comprobans Propheta Regius, *Oculi mei,* inquit, *semper ad Dominum.* Et, *in terra deserta & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Quasi diceret, interprete Euthymio, *quod tunc in tabernaculo, & nunc in deserto æqualem erga Deum affectionem & benevolentiam conservabat.*

(Amor perseverans.) (Psal. 24. 15.) (Psal. 62. 3.) (Euthym. in hunc loc.)

233. Lunæ orbis, dimidiâ tantùm sui parte conspicuus, reliquâ intra tenebras squalente, se ipsum solatur in hæc verba. AT SOLI PROPIOR. Sic quoq; mundus homines, scissâ lacernâ seminudos, omniq; fortunâ destitutos, grandi quidem supercilio despicit, quos tamen Deus sibi proximos, ac cœlo palatinos fovet. *Pauperes egent in hoc sæculo,* inquit Cassiod. *sed sunt locupletes Deo: vitiis vacui, sed virtutibus pleni: despecti hominibus, sed acceptabiles Deo.*

(Pauperes Deo viciniores.) (Cassiod. in Psal.)

234. Sacratissima Servatoris nostri humanitas; uti & suavissima ipsius Spōsa S. Ecclesia, post tot effusi sanguinis flumina, majoribus semper gloriæ incremētis resplēduerunt. Iis proinde, symboli loco, non abs re Lunæ simulachrū eriges, cui, ex eclipsi sua sanguinea rediviva, inscriptum sit. EX ECLIPSI CLARIOR. Vel quod alius de Sole dixit. POST NUBILA CLARIOR. Verbis è Poëta desumptis, *Clarior post nubila Phœbus.* S. Isidorus. *Sicut Luna post defectum perspicuâ illustratione clarescit, adeò ut nihil detrimenti sensisse videatur. Ita Ecclesia, postquā per Martyrum confessionē suum pro Christo sanguinem fudit, majori fidei claritate latius refulget, atq; insigniori lumine decorata, semetipsā latius in toto orbe diffudit.*

(Christus resurgens. Ecclesiæ persecutiones.) (S. Isidor. lib. de Mundo. cap. 21.)

235. Morti significandæ Lunā statues, quæ in occasum præcipitata epigraphen reddit. ORIETUR ALIBI. In hanc rem Magnus Ethicæ Magister Seneca. *Observa orbē rerum in se remeantium, videbis in hoc mundo nihil extingui, sed vicibus descendere, ac resurgere:* Et paulò superiùs. *Desinunt ista, non pereūt. Et mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitā, non eripit.* Porrò homo mundo, ejusq; evanidis blanditiis mortuus, in perennem beatitatis & æternæ vitæ auram renascitur. *Mortui enim estis,* inquiebat ad Colossenses Apostolus, *& vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Neq; enim,* subjungit Chrysost. *terram habitamus, sed commigravimus in supernam metropolim, aliam veram lucem habemus, aliam patriam, & cives alios, & cognatos.*

(In morte.) (Senec. Epist. 36.) (Coloss. 3. 3.) (S. Chrysost. in Psal. 14.)

236. Mens, Deo initiata & sancta, omnes tam Cœli, quàm terræ oculos recreare solet. E Luna id disces, quæ dimidio orbe illuminata, epigraphen tenet. TERRÆ CÆLOQUE, subintellige, *resplendet.* Ita D. Paulus de se ipso, aliisque, qui Apostolorum vestigia sunt insecuti, testatur, *spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus.* De B. Virgine, ceu Lunâ mysticâ, affirmat S. Bernardus, quod Cœlum terramque suis radiis latissimè illustret. *Omnibus,* inquit, *misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam.* &c.

(Sanctitas.) (1. Cor. 4. 9.) (Beneficentia Mariæ V.) (S. Bernard.)

237. Luna, decimo quinto die Soli è regione adversa, hanc ab Aresio gnomam habet. OPPOSITU CLARIOR. Et ab aliis. OBJECTA PERFICITUR. Schema hoc beatorū dixeris, qui perfectionis suæ coronidem ibi tandem contingent, quando lineâ rectâ supra orbem empyreum Deo affixi stabunt. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem,* Apostolo teste, *facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Et S. Joannes. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Elias Cretensis, illud D. Pauli oraculum explicans, ait, *Cum Divinâ sapientia perfectè instructus esset, per speculum tamen nunc duntaxat videre se ajebat, tunc autem facie ad faciem. Quibus verbis illud significabat, obscuram quandam & exilem nunc nobis scientiam esse, tunc autem pleniorem & splendidiorem fore.*

(Beati.) (1. Cor. 13. 12) (Joan 1. 3.) (Elias Cretensis Orat. 1. de S. Gregorio Naz.)

238. Dimidiatū Lunæ vultū nonnemo hoc lemmate insignivit. INTEGRA TAMEN. Nimirùm integerrimæ vitæ homo nōnunquā quidē aliorū calumniis frangi videtur, reipsâ tamen semper incolumis persistit. Pulchrè meus Cōcanonicus, D. Carducius.

Luna, licet non tota eniteat; tamen integra fulget,
Sic stabili virtus integritate latet.

Et S.P. August. *Crimen falsum, quod est calumnia, reum non facit hominē, nisi apud judicem hominem. Ubi autē Deus Judex est, nullus falso crimine læditur: quia non cui objicitur, sed objicieti potius imputatur.*

(Virtus infestata.) (S. August. in Psal. 118. Conc. 27.)

239. Cùm Maria Medicea Henrico IV. Galliarum desponsaretur, Bergalius Lunam, Soli contiguam, statuit; addito lemmate. JUNGI PROPERAT. Effigies hæc Davidem repræsentat, cujus anima votis adeò ardentibus ad Deum suspirabat, ut altùm exclamaret. *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini?* Affectu nihilo remissiore Divina Sponsa. *Per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea.* His tamen longè superior S. Andreas, cùm populi interventu jamjam è fatali trabe esset solvendus, integro affectu hanc amicorum gratiam recusans, ad Deum unicè anhelabat. Ipsummet in cruce loquentem audi. *Deus meus, ne me permittas ab impio judice deponi. Tempus est, ut commendetur terræ corpus meum, & me ad te venire jubeas.* Opportunè in rem præsentem illum Psalmi locum interpretatus Magnus August. ait. *Dicendo, quando veniam, moras se perpeti molestè ferebat: quia etiam quod tempore acceleratur, desiderio tardum videtur.*

(Nuptiæ.) (Psal 41. 3.) (Cant. 3. 2.) (Desiderare.) (S Andreas Apost.) (Surius.) (S. Aug. Epist. 80. circa init.)

240. Mens nostra tantundē conspicua & illustris efficitur, quantùm in Dei vultu, ac gloriosâ ipsius præsentia, magis defixa fuerit. Huc collineat Luna plena

(Præsentia Dei.)

plena, directè ad Solem conversa; quam Bargalius Mariæ Mediceæ, cum Henrico IV. Galliarum Regi nuberet, symboli loco erexit; addito lemmate. CONSPICUA, QUA CONSPICIT. Pulchrè S.P. Augustinus. *Propinquare Deo, est similem Deo fieri; recedere ab illo, dissimilẽ illi fieri.* Et meus Carducius.

S. Aug. in Psal. 34 post med.

Conspicua fit, quà luna Phœbum conspicit;
Sic mens nitescet, si Poli jubar bibat.

241. D. Ascanium Piccolominium, Senarum Archiepiscopum, cùm in patriam suam reverteretur, Scipio Bargalius sequenti Emblematum triade excepit. Primùm Lunam, in horizontem suum reversam exhibebat, cum titulo. IN REDITU GRATIOR. Hinc disces, quantum gaudium concipiat Optimus Deus, dum hominẽ è peccatorũ cœno emergentẽ, & ad se conversum intuetur. Immensam hanc Dei voluptatẽ ipsiusmet testimonio firmatam habe. *Ita*, inquit, *gaudium erit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiã agente, quàm suprà nonginta novẽ justis, qui non indigent pœnitentiâ. Quia videlicet*, interprete S. Greg. Papâ *ejus est gaudiũ vita nostra, & cùm nos ad cœlũ reducimur, solemnitatẽ lætitiæ ejus implemus.* Verissimum adeò S.Petri Chrysologi dictum est. *Semper quidem, cùm perdita reperimus, novũ capimus cumulũ gaudiorum: & est jucundius nobis, reperisse perdita, quam non perdidisse servata.*

Reditus. *Conversio peccatoris.* *Luc. 15. 7.* *S. Greg. in hunc locum.* *S. Pet. Chrysol. ser. 168.*

242. Secundo loco Luna, hoc epigrãmate insignis visebatur. TENEBRAS ET IPSA TOLLIT. Mariæ Virginis hæc idea est; enimverò sicuti Deus, Sol æternus, cognominatur *Lux vera, quæ illuminat omnem hominẽ venientẽ in hunc mundum:* Ita Luna nostra mysticâ, Maria, à Chrysippo jure in hęc verba salutatur. *Ave fons lucis, omnẽ hominẽ illuminantis.* De hac profundè Bernard. *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundũ, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellã, quid nisi caligo involvẽs, & umbra mortis?* Porrò Pœnitentiæ adminiculo fideliũ mentes à cimeriis peccatorũ umbris expurgantur. *O quàm clarũ pœnitentiæ jubar*, inclamat S. Pet. Dam. *quod noctẽ peccati removet, quod conscientiæ nubilũ tergit.*

Maria Virgo illuminatrix. *Ioan. 1. 9.* *Chrisipp. ser. de laud. Virg.* *S. Bernard. serm de Nat. Mariæ.* *Pœnitentia.* *S. Pet. Dam. ser. 3. Dedic. Ecclesiæ.*

243. Tertium locũ plena Lunæ orbita occupabat, hoc titulo legenda. POST LUMINARE MAJUS. Apposite id de ministro intellexeris, quem Princeps impẽsè ac singulari favore prosequitur. Cumprimis tamen Mariam V. imago illa repræsentat, quæ post Deũ præ creaturis omnibus primas obtinet. Idquod Andreas Cret. inter alia Deiparæ præconia recẽset; *Excepto Deo*, inquit, *sola est omnibus major.* Et Petrus Bercorius. *Beata Virgo verè luminarium cœlestium, id est, omniũ Sanctorũ Ecclesiæ, est principalior, at Soli, id est, Christo filio suo, similior quantũ ad perfectionẽ.*

Principis familiaris. *Maria. V.* *And. Cret. de laud. Virg.* *Pet. Bercor. Reductor. Moral. l. 5. cap 29. n. 1.*

244. Idem Bargalius Equitum cuidam, in Ludis Trojanis ab equis, repentè in gyrum flectendis, celebri; Lunã novã symboli locò obtulit; addito lemmate. REDIT & ITERUM. Imaginem hanc filio prodigo non absimilẽ credas, qui, agnitâ suã improbitate, primùm in se ipsum, tũ ad patrios lares, unde discesserat, est reversus. *In se reversus*, inquit S. Luc. *dixit; surgam, & ibo ad patrẽ.* Nimirum interprete S.Pet. Chrysol. *In se ante redit, ut rediret ad Patrẽ, qui à se antè recesserat, cùm recessit à Patre &c.* Cæterùm quod de filio Prodigo, iisdem penè verbis de quovis peccatore ad Deum converso, dictũ putes.

Redire. *Prodigus Evangelicus.* *Luc. 15. 17.* *S. Pet. Chrysol serm. 2.* *Peccator conversus.*

245. Animus constans & imperterritus, qui inter gravissimos adversitatũ turbines & decumanos fluctus è muneris sui statione non dimovetur, nec à cæpti negotii cursu reprimitur, Lunã præeuntẽ imitatur, cui intra eclipsin & atrã noctẽ sepultæ, inscripsit Aresius. DUMMODO CURSUM. Sic nimirũ, asserete Æneâ Sylvio, postea Pio II. Pontifice Maximo, *Cœptis, quæ quidem justa sunt, decet Regem invictum adhibere animũ, ac fortunã ferendo vincere.*

Perseverantia. *Sylvius l. 1. cap. 9.*

246. Lunæ hemisphærium nunquàm non à Sole illuminatur; tametsi enim, quâ parte oculis nostris exhibetur, nonnisi caliginem & umbras præseferat; altera tamen globi pars, quæ à nobis non conspicitur, omninò illustris & splendida conservatur. Hoc Astronomiæ canone nixus, caliganti Lunæ subscripsi. QUA LATET, EFFULGET. Virginum hæc idea est, quæ, quò magis ab hominũ oculis remotæ, eò majore pretio & æstimatione habentur, id quod etiam de Viris Religiosis intelligas velim. Unde Plutarch. Librũ inscripsit, hoc titulo, λαθεβιώσας, id est, *cùm vixeris, latenter vive, ut nemo te vixisse sentiat. Felix enim est, qui latuit.* S.P. Aug. *Omnes boni latent hîc; quia bonũ eorũ intus est, absconditum est, in corde est, ubi fides, spes, charitas, ubi thesaurus illorum.* Emblematis mentẽ hoc disticho explicat D. Carducius.

Virginitas. *Religiosus.* *S. Aug. in Psal. 53.*

Dum minus elucet, magis æthere Cynthia lucet.
Sic magè, dum latitat, casta puella nitet.

247. Luna, pleno orbe splendescens, rés quasvis humidas largè reficit. Proindè D. Aresius, Deiparæ gravidæ eximiam ergà nos beneficentiã demonstraturus, Lunam plenã expressit, addito lemate. PLENA SIBI ET ALIIS. Vel certè ipsarummet rerum inferiorũ ore. DE PLENITUDINE EJUS ACCIPIMUS. Apprimè S.Hieron. *Dei Genitrix electa & prælecta, jure ab Angelo gratiâ salutatur, & prædicatur plena; verè plena, per quam largâ Spiritûs S. umbrâ superfusa est omnis creatura.* Et S.Bernardus. *Plena sibi, superplena nobis, & de plenitudine ejus omnes accepimus.* His subscribens D.Bonavent. *De cujus plenitudine*, inquit, *omnis creatura virescit.*

Maria V. gravida. *S. Hieron. serm. de Assumpt.* *S. Bernard. ser de Aquæductu.* *S. Bonav. in specul. lec. 7*

248. S. Carolus, cum Mediolanensi Archiepiscoporum mitrâ insignitus, Româ in patriam reverteretur; Lunæ Emblema à Bartholomæo Rosso accepit, cui inscriptum. REDIT CLARIOR. Opportunè hoc symbolo Christi, ad cœlum revertentis, triumphus describitur, inde enim tantundem gloriæ ac splendoris eidem accessit, quantùm doloris & ignominiæ paulò antè in infami trabe fixus tolleravit: ut adeò mirum non sit, Angelos ibidem mutuis cohortationibus sese ad laxandas paradisi fores animâsse, passim exclamando. *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales.* In hanc rem D.Ambrosius. *Quamvis scirent Angeli, nihil Deo accedere ex carne potuisse; quia infra Deum omnia sunt: tamen trophæa crucis, & triumphantis æterni manubias intuẽtes, quasi eum, quem emiserant, cœli portæ capere non possent, majorẽ viam quærebant aliquam revertenti.* Et S.Hieron. *Pulchrè levari jubentur portæ, & in sublime erigi. Siquidem juxta dispensationẽ carnis, & mysterium, & victoriã crucis, major regreditur ad cœlos, quàm ad terras venerat.*

Reverti. *Ascensio Christi.* *Psal. 23. 7.* *S. Ambros. l. 4 de fide. cap. 1.* *S. Hieron. Tom. 9. Ep. 27.*

249. Luna solicitè, nec sine reverentiæ notâ cavet, ut Soli mecænati suo, nunquàm latera, sed continuò faciẽ suam convexã directè obvertat. Unde Bargalii lemma. IN IPSUM CORNUA NUNQUAM. Hi nimirùm grati animi sunt mores, qui scelus execrandũ putat, eos ullo injuriæ nutu lacessere, quorũ manus in ornamentũ & commodũ nostrũ unquam patuere. Hos inter utiq; excelluit castus Josephus, qui, ab effronti adultera repetitis lenociniis in flagitium pellectus, ne herũ suũ probro tam nefando oneraret, generosè respondit. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo suâ, nec quicquã est, quod non in mea sit potestate, vel nõ tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es; quomodo ergò possum hoc malũ facere, & peccare?* Idipsum erga Deũ observent mortales, ut corde semper versus ipsũ sublevato, à tanto benefactore suo nunquã per peccata sua aversi aut ingrati existãt. S. P. Aug.

Gratitudo. *Gen. 39. 9.* *S. Aug. ser. 21. de Divers. cap. 4.*

Hoc

Hoc est glorificare Deum, gratias agere Deo. Quis autẽ gratias agit Deo, nisi qui sursùm cor habet ad Deum?

Desiderare. 250. Pater quidam, virtutem filio suo plenam & perfectam exoptans, illud suum desiderium in Lunæ crescentis symbolo expressit, quæ, ceu propria filii imago, epigraphen sustinebat. DA PLENUM CERNERE LUMEN. Haud aliter ille filii energumeni parens, D. Marco recensente, *Credo Domine,* inquiebat, *adjuva incredulitatem meam.* Quasi diceret. Mi Deus, fateor equidem, fidei radios è tua liberalitate in me resplenduisse; obsecro tamen, illos incrementis tuis perficias, & pleno lumine illustres. Etiam Apostoli Servatorem suum supplices inclamabant, *Adauge nobis fidem,* id est, Interprete S. Gregorio, *Ut quæ jam accepta per initium fuerat, quasi per augmentum graduum ad perfectionem veniret.* S.P. August. *Quamdiu vivitur in hoc sæculo, proficientium est hæc cantatio; auge nobis fidem,*

Marci 9.23. Crescere in fide. *Luc. 17.5.* *S. Greg. 22. Moral. citatus in aten. aur.* *S. Aug in Psal. 118. Conc. 17.*

251. Concanonicus meus, D. Philippus Maria Gallina Lunam, è complurium dierum augmento jamjam grandævam, expressit, eique, instar pulcherrimæ lampadis, passim resplendenti, inscripsit. QUAND' ARCO E MEN, PIU CHIARI STRALI AUVENTA. Id est, Interprete Reverendissimo D. Picinello. TUNC MAGE TELA VIBRAT LUCIS, CUM DESERIT ARCUM. Luna enim tanto minus lucis spargit, quò magis, falcatos imitata arcus, orbi cornua opponere, ac minitanti similis, frontem contrahere cernitur. Ita Vir nobilis aut Princeps gloriæ suæ famam longè ampliorẽ spargit, si injuriis nihil dimoveatur, quàm dum in minas & obviam ulciscendi libidinem ruit; uti suo illo Italico versu haud obscurè significavit D.Fr. Carolus de Comitibus della Lengueglia. Pulchrè S. P. Augustinus. *Aliquando facula ardens apponitur ad lignum humidum & viride, & illud non incendit, ipsa tantum ardet: sic & inimicus tuus. Si quis fortè existit injustus, qui tibi moliatur insidias, vel præparet aliquas molestias, injustus est. Tu si viride lignum fueris, id est, si succo spirituali vigens, & virens, flammis inimicitiarum restiteris, orando pro illo, qui te persequitur: ille ardet, tu magis integer, & injustitia illius illi nocet, tibi nihil nocet.*

Vindictã non sumere, gloriosum. *S. Aug. in Psal. 96. post. init.*

252. Idem Fr. Carolus Lunam plenam hoc lemmate insignivit. A LA NOTTE COMPARTE I RAI DEL SOLE. Id est. LUMINA DISPENSAT NOCTI, QUÆ A SOLE RECEPIT. Eos hoc symbolum spectat, qui, Divinâ charitate ac zelo Apostolico succensi, peccatores, scelerum caligine & Gentilium tenebris obumbratos, illuminant. De hâc hominum sorte dixit Apostolus. *Lucetis sicut luminaria in mundo.* Et Elias Cretensis. *Neque luminarium est, in se ipsis splendorem circumscribere, verùm ad alios diffundere; neo item Christianorum, suam duntaxat, ac non etiam alienam utilitatem spectare &c.*

Prædicator. *Philipp. 2.15.* *Elias Cret. in Orat 23. S. Greg.*

253. Luna, à Sole remotior, eò plus luminis, ac splendoris accipit. Apuleius. *Luna solis æmula, noctis decus, seu corniculata, seu dividua, seu pertumida, seu plena sit, variâ ignium face, quantò longius abest à sole, tantò largius illuminata, pari incremento itineris, & luminis, &c.* Unde lemma. CLARIUS ELUCET LONGE. Ita non rarò accidit, hominem tanto pluris fieri, quo longius à Principis aut patriæ suæ conspectu distat; experientia enim testatur, diuturnâ amicorum consuetudine fastidium, absentiâ verò existimationem & gloriam generari. *Majestatis major ex longinquo reverentia,* inquiebat Cornelius Tacitus: Cui adstipulatur Seneca. *In vicino versatur invidia: simplicius longè posita intuemur.* Et vernaculâ linguâ Tassus.

Apul lib. de Deo Socratis. Absentia splendorem conciliat. *Tacit. lib. 1.* *Senec. de Brevit. vitæ cap. 15.*

Assai più charo il tuo valore estremo
N'apparirà, mentre sarai lontano.

Tass. nella Gerus. Liber. Cant. 5. st. 50.

254. Si verum est, Lunæ splendorem eò ampliùs excrescere, quò longius à Sole discedit; non incongruè Lunam depinges, multùm à Sole dissitam, cum lemmate è Martiali desumpto; PRETIUM DISTANDO FACIT. P. Dominicus Gambertus hoc symbolo demonstravit, Galliarũ Rege cum suis præsidiariis è Taurini propugnaculo sublatis, Regiam Ducis Sabaudi celsitudinem, instar lunæ inargentatæ, majestate, magis quàm unquam aliàs serenâ fore conspicuam. Cæterùm qui Divinis arcanis penetrandis nimiùm propinquare præsumunt, plerumque in cogitationibus suis evanescunt, & ignorantiæ umbris turpissimis involvuntur; iis è contra, qui in humilitatis abyssum sese ab immenso illo lumine deprimunt, mirificè in omni virtutum genere resplendentibus. S.P. Augustinus. *Qui sibi voluerit arrogare sapientiam, stultus est. Sit humilis, ut inveniat sapientiam, & ILLUMINET illum.*

Absentia potentioris prodest. Cognitio Dei. *S. Aug. in Psal. 126.*

255. Physici non ignobiles tradunt, æstus marinos non alio, nisi Lunæ impulsu, ultrò citròque reciprocari. Inter alios Senecam audire juvat. *Undæ portionibus crescunt, & ad horam, ac diem subeunt, ampliores, minoresque, prout illas lunare sidus elicuit, ad cujus arbitrium Oceanus exundat.* Unde P. Gambertus Lunam supra Oceanum, jamjam in effrenes ac decumanos fluctus crispatum, depinxit; addito Ovidii lemmate. MOTAS EXASPERAT IRAS. Nimirùm execrandam Lunæ Mahometicæ superstitionem exprimebat, cujus exortu plurima tempestas & bellorum fluctus passim sunt excitati. Hominem iracundum Lunæ non absimilem dixeris, qui passim omnia bellis ac contentionibus turbat. *Vir iracundus,* Salomone teste, *provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.* Audi, obsecro, quantas vel in ipso hominis iracundi animo procellas agitet iracundia. *Consilii maturitatem,* inquit Cassianus, *nullatenus valebimus obtinere, quamvis graves, & summuâ scientiâ prædititi videamur: quia vir iracundus agit sine consilio: Sed nec quieti esse à perturbationibus noxiis, nec poterimus carere peccatis, tametsi nequaquàm nobis inquietudines ab aliis inferantur; quia vir animosus parat rixas, vir autem iracundus effodit peccata.*

Senec. l. Quare bonis viris c. 1. *Ovid l. 5. Met.* Turcæ bella suscitant. Iracundus. *Prov. 15.18.* *Cassian l. 8. de Instit renunt. cap. 1.*

256. E Patris Gamberti mente Turcarum vexilla appositè lunam præferunt: sicuti enim ista vultu, instar Prothei, in omnes horas mutato, nunquàm sibi constat, potestque illo Virgilii stigmate citra injuriam notari. MENTIRI DIDICIT. Ita omninò Turcarum vafrities, rupto omni fœdere, nullâque pacis stabilitæ fide attentâ, eas duntaxat occasiones arripit, quas sibi aliquid emolumenti allaturas autumat. Idipsum etiam de quovis homine intellexeris; quia mendacium ab ipsa origine nostra congenitum habemus, illudque, Præceptore Adamo, tenacissimè didicimus. Unde Vates Regius. *Omnis homo mendax.* Id interpretatus S. Augustinus, ait. *Aliquando mendacii nomen pro peccati nomine ponitur. Unde illud est, omnis homo mendax. Sic enim dictum est, quasi diceretur, omnis homo peccans.* Vix enim in hunc orbem genitus Adamus, mox vultum, instar mutabilis lunæ, è Divino in terrenum, è lucido in obscurum, è veraci in mendacem, metamorphosi admodùm fœdâ, convertere didicit; Ut adeò hodie etiamnum constet illud Salomonis pronuntiatum. *Stultus* (id est peccator, ut exponit S. Ambrosius) *ut Luna mutatur.*

Virgil. Eclog. 3. v 41. Turcæ fidem frangunt. *Psal. 115 2.* *S. Aug lib. contra mendac. cap. 20.* Mendacium. *Ecclesiast. 27.12.* *S Ambros. in Psal. 36.*

257. Idem Gambertus è Luna, Turcarum insigni, amœnam spem, & prognosticon, nemini non votis omnibus exoptandum, concepit; futurum nempè,

nempe, ut Mahumetis fastuosa elatio deturgeat, & instar decrescentis Lunæ imminuatur. Lunam proinde plenam lemmate (paucis mutatis) è Claudiano desumpto insignivit. MOX DISPARE FORMA. Probè gnarus, Lunam, in splendoris fastigio sublimem, paulò post gradum revocare, & indies aliquid luminis amittere debere. Eodem symbolo etiam humanam formam delineabis, quæ singulis penè momentis atteritur, donec tandem in deformes ac inglorias rugas desinat. Indies enim fragilis illa gloria labitur, & Jobo asserente, *nunquam in eodem statu permanet*. Pulchrè, ut solet, Divinus Augustinus. *Jactet se quisque de divitiis, jactet se de pulchritudine, & de viribus corporis; ista certè mortalia sunt. Ridendi sunt, qui se de mortalibus jactant, à quibus rebus plerumque aut vivi deseruntur, aut mortui eas necesse est ut deserant.*

Claud. l. 2. de Rapt. Pros. Jerp.

Forma humana.

Iob. 14. 2.

S. Aug. in Psal. 58. Conc. 2.

258. Duplicis animi hominem, sibimet assiduò dissimilem, & è Prothei manu satum Lunæ symbolo repræsentabis, quæ hanc D. Aresii epigraphen sustineat. NON VULTUS, NON COLOR UNUS. Origenes, prima illa Fastorum Regiorum verba interpretatus, *Fuit vir unus &c.* hoc duplicis & inconstantis animi vitium in quovis peccatore deprehendit. *Hoc*, inquit, *pertinet ad laudem justi, quod dicitur vir unus. Nos, qui adhuc peccatores sumus, non possumus illum titulum laudis acquirere, quia unusquisque nostrûm non est unus, sed multi. Intuere namque alicujus vultum, nunc irati, nunc iterùm tristis, paulò post iterum gaudentis, & iterum turbati, & rursum lenis. Vides quomodo ille, qui putatur unus esse, non est unus, sed tot personæ in eo videntur esse, quot mores.*

Duplicitas. Inconstantia.

1. Reg. 1. 1.

Origen. in hunc loc.

259. Luna splendorem suum omnem à Sole emendicatum habet. Unde, ut singularem alicujus ab altero dependentiam & amorem explices, lunam illustrem depingas, his litteris exaratam. UNIUS ASPECTU. S. Ecclesia, ceu Luna illustrissima, omnem alium splendorem, nisi qui à Deo profluit, recusat, & veluti adulterinum abjicit. *Hæc est vera Luna*, inquit S. Ambrosius, *quæ de fraterni solis luce perpetuâ lumen sibi immortalitatis & gratiæ mutuatur. Fulget enim Ecclesia non suo, sed Christi lumine, & splendorem sibi arcessit de Sole justitiæ.*

Dependentia.

S. Ecclesia.

S. Ambros. l. 4. Hexam. c. 8.

260. Inter personæ cujusdam virtuosissimæ exequias dimidius Lunæ orbis, undique obscurus, cernebatur; cum lemmate. CLARIOR SUPERNE. Tametsi enim oculos nostros à morte falli, & defuncto corpori umbram aliquam aspergi contingat; illius tamen anima, quâ cœlum aspicit, clarissima resplendet, neque ullam luminis sui jacturam unquam patietur. Simili planè ratione Luna nova, quam vix tenui aliquâ lineâ è pristino splendore residuam cernimus, epigraphen præfert. AT MAGIS CLARA COELO. S. Claræ Virginis encomium hæc imago loquitur: illa enim, quantò durioribus & magis abjectis vestibus in hoc mundo cooperta, tantò ampliore claritate in cœlis resplendet. Id quod de quavis anima justa pronuntiat Hugo Cardinalis his omninò verbis. *Boni enim semper apud Deum lucidi sunt, licèt sint in mundo despecti.*

In morte.

S. Clara V.

Hugo Card. in cap. 1. Geneseos.

261. Luna, Sole prodeunte, pedem refert, & è mundi conspectu se subducit. Nimirùm CEDIT DIURNO SIDERI. Disce hinc, majoribus, iisque omnibus, quos virtus & merita commendant, suos deferendos esse honores. Observatum id habuit S. Joannes Baptista, quando de Christo, Servatore suo, dixit, *Hoc ergò gaudium meum impletum est; illum oportet crescere, me autem minui.* Locum nimirum S. Præcursor Divino Soli voluntate benevolâ cessit, ut hujus radii per orbem universum latissimè diffundi possent. Quin imò, non Joannem modò, sed omnes omninò Cœlites ab immensa hac flamma millies superari ac obrui, quis ambigat? Origeni id certissimum. *Ut splendor Lunæ*, inquit, *& micantia cœli sidera, priusquàm Sol oriatur, in stationibus suis rutilant, orto verò Sole absconduntur. Sic lumen Ecclesiæ & lumen lunæ, priusquam oriatur lumen illud verum Solis justitiæ, resplendet, & clarum est ante homines, cùm autem Christus venerit, ante eum contenebrescit.*

Cedere.

S. Joannes Bapt.

Io 3. v. 19.

Origen Homil in Ezec.

262. Brixiensis Errantium Academia communi symbolo Lunam præfert, cum lemmate. NON ERRAT ERRANDO. Epigraphen non absimilem, licet alteri Planetæ inditam, tenet Pistoriensis Experrectorum Academia. ERRAT INERRANS. His characteribus verum obedientiæ filium descripseris, qui præcipientis authoritatem tanti æstimat, ut nec mandatum abnuat, nec illud, tametsi è superficie erroneum, ad amussim discutiat, sed rectâ ac optimâ voluntate sequatur. Ecquis obsecro errorem non credat, cruentam filio inferre manum, eumque lethali ferro velle perimere? at citra innocentiæ dispendium id tentavit Abrahamus, jamque stetit in filii necem à Divino præcepto accinctus. Illum utique mundus insanum diceret, qui arborem, radice cœlum versùs erectâ, terræ insereret? at idipsum complures priscorum Patrum discipuli non sine amplissimo meritorum ac cœlestis sapientiæ fœnore præstitêre. *Verè obediens*, inquit Magnus Gregorius, *nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ judicium subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur: nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantùm bonum putat, si præceptis obediat.*

Obediens

S. Greg. sup. 1. Reg. c. 4.

263. Luna crescens, proprium hominis ingrati symbolum, epigraphen non incongruam à me recepit. TANTO SI SCOSTA PIU, QUANTO PIU SPLENDE. Id est. QUO MAGIS IMPLENTUR, MAGIS INDE RECEDIT. Unde Jobus conqueritur. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Id est, interprete P. Francisco Mendozâ, *quo major Divinæ beneficentiæ splendor illos collustrabat, eò ipsi in majores se flagitiorum tenebras compingebant.* Huic non multùm dissimilis Cornelius Tacitus, *Beneficia*, inquit, *eousque læta sunt, dum videntur exolvi posse; ubi multum antevenêre, pro gratia odium redditur.* Prô decus! jamjam in adagium transiit: grande beneficiũ nonnisi grandi ingratitudine compensari solere.

Ingratitudo.

Iob. 24. 13. Franc. Mendoz. in 1 Reg. c. 2. n. 26. annot. 12.

Tacit. l. 4. Annal.

264. Varium quidem oculorum nostrorum circa Lunam est ludibrium. Si tamen astronomorum fide stemus, eandem illa lucem absque ullâ unquam vicissitudine conservat, eaque semper persistit, qualem quovis decimo quinto die se nobis visendam exhibet. Unde lemma. SEMPER ORBE PLENO. Virtutis hæc lineamenta sunt, quæ nullâ unquam temporis vel loci occasione sibi deliquium ingenerari patitur. Accommodatè ad hanc iconem de beatissima Maria Virgine disserit Hugo Cardinalis, quando illa Regii Prophetæ verba explicans, *Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum*; ait, *Maria, quia semper perseveravit in virginitate, & humilitate: & in gloria etiam apparet ejus humilitas & virginitas; ideò bene dicitur, quod est in conspectu Dei sicut Luna perfecta in æternum, quæ scilicet nunquam patitur detrimentum.*

Perseverantia.

Maria V.

Hug Card. in Psal. 88. n. 38.

265. Luna plena hoc lemmate notata cernitur. CONSUMMATA MINUITUR. Luna, consentanee

Ecclesiast. 43. 7.
Humilitas Mariæ V.
Ailgrin. in Cant. cap. 6.

taneè in rem præsentem, à Siracide vocatur. *Luminare quod MINVITUR IN CONSVMMATIONE.* Cardinalis Ailgrinus hunc S. Scripturæ textum eruditè ad Mariæ Virginis honorem trahit, quæ supremo Matris Divinæ titulo appellata, submississimè de se sentire, & tenue ancillæ nomen sibimet tribuere non erubuit. *Hic verborum ordo*, inquit ille, *exprimit B. Virginem, nam cùm ipsa audisset promissam sibi tantam magnitudinem, quod foret Mater Dei, sese minuit usque ad ancillæ nomen &c.*

Virtus retrograda.
Senec Hercul. Furent. Act. 2.

E Senecæ sententiâ, ea virtutis est indoles, ut ad fastigium sublevata, regressum moliatur, deprimi amet.

Post multa virtus opera laxari solet.

Georg. Vasar. t. 3. vol. 1 de Pictorib.

In hanc rem Georgius Vasarus pictorem Raphaëlem de Garbo commemorat, qui primis artificii annis adeò inclarescebat, ut passim inter nobilissimos ævi sui pictores numeraretur. Posteà verò, ubi arti suæ operam diuturniorem collocâsset, penitùs obscurari, & inglorio fine laborare cœpit. Talem etiam fortuna se exhibet, nam, Senecâ teste, *Nullæ fortunæ minus benè quàm optimæ creditur.* Quin imò, ut compendio dicam, tota humana vita est talis. Hujus infirmitatis memor Theophylus Antiochenus, *Luna*, inquit, *singulis mensibus occumbit, ejusque potentia emoritur, hominis conditionem ostentans: deinde regeneratur & augetur ad designandam resurrectionem cunctorum futuram.* Et S. Basilius. *Nos igitur ex lunæ contemplatione, quàm fluxa sint nostra, perdiscamus, atque erudiamur, in mentemque celerrima rerum humanarum nobis mutatio veniat. &c.*

Fortuna deficiens.
Seneca.
Vita humana.
Theoph. Antioch. lib 2. ad Autolycum.
S. Basil. Hom. 6. Hexamer.

Beatitudo æterna.
Isa. 60. 20.
S. Cyrill. Alex. in Ioan. l. 9. c. 46.

266. Nobile ingenium perennem ac clarissimam beatorum Cœlitum gloriam è Lunæ plenæ symbolo dignoscendam proposuit, quæ Solis conspectui objecta, epigraphen monstravit. NON MINUETUR. Verbis ex Isaiâ desumptis. *Luna tua non minuetur.* Hunc locum interpretatus S. Cyrillus Alexandrinus, *Improbi*, inquit, *à vultu Dei rejecti, inferni loca perpetuò habitabunt, qui verò arrabonem spiritum intemeratum conservaverint, vivent semper cum Christo, ineffabile decus Deitatis ejus aspicientes.*

Perseverantia.
1. Cor. 9. 24.
S. Laurent Iust. tract. de obed. cap. 6.

267. Lucarinus, jugem in cœptâ virtute perseverantiam persuasurus, Lunam adolescentem depinxit, hoc lemmate insignem. COMPLETUR CURSU. Nam virtutis coronidem non in cursu duntaxat inchoando, sed continuando, stabiliendoque sitam esse, nemo est, qui ignoret. Apostoli suffragio id firmatur, dum omnibus inculcat, *sic currite, ut comprehendatis: Non enim*, interprete S. Laurentio Justiniano, *poterit quis ad consummationem virtutis attingere, nisi voluerit in ipsius exercitatione perseverare.*

In morte.

268. Lucarinus humanam mortem Lunæ senescentis imagine expressit; addito lemmate. ET SIBI NON DEFICIT. Sicuti enim Luna oculos nostros fallere, iisque obscuram sese nonnunquam fingere solet; re ipsâ tamen pleno ac continuo splendore, citra ullam temporis alternantis umbram, cœlos ambit; ita sanè corpore nostro tantisper sub mortis caligine sepulto, etiamnum anima, nobilior illâ hominis portio, cum virtutibus suis persistit, omnisque discriminis expers resplendet. Idipsum de S. Ecclesiæ, pressæ quidem, nunquam tamen oppressæ, firmamento testatur S. Ambrosius. *Ecclesia*, inquit, *tempora sua habet persecutionis & pacis. Nam VIDETUR sicut Luna DEFICERE, SED NON DEFICIT: obumbrari potest, deficere non potest: quia aliquorum quidem in persecutionibus dis-*

S. Ecclesiæ persecutiones.
S. Ambros l. 4 Hexamer. cap. 2.

cessione minuitur, ut Martyrum confessionibus impleatur, & effusi pro Christo sanguinis clarificata victoriis, majus devotionis suæ & fidei toto orbe lumen effundat. Idem lemma, *Et sibi non deficit*, in eos apprimè convenit, qui, ob fidem creditoribus negatam, foro cedere jussi, crumenam pinguem, ac pecuniis plenam, clam reservant.

Decoctores fidei.

Pœnitens.
S. Chrysost. Proœm. in Isaiam.
S. Greg. 15. Moral. c. 7.

269 Plenam Lunæ rotam, Solis conspectui objectam, Lucarinus geminâ hâc voce, ceu lemmate, circumscripsit. CONVERSA LUCIDIOR. Haud aliter anima, è flagitiis resipiscens, clarissimam lucem, metamorphosi ipsis etiam Superis jucundissimâ, induit. S. Chrysostomus. *Deus, quando peccata abolet, nullam reliquam facit cicatricem; nullum vestigium sinit manere; sed unà cum sanctitate eximium etiam confert formæ decus:* Et S. Gregorius. *Dum commissa attentiùs lugemus, in justitiæ splendorem membra deauramus.*

Moderatio in dignitate.
S. Zeno serm. 1. de Ps. 129.
Plinius in Panegyr.

270. Qui ad sublimiorem dignitatis gradum sublevatus, nihil perinde de affabili ac benevolâ suâ agendi consuetudine remittit, epigraphen illam, Lunæ crescenti præfixam, sibi propriam vendicat. INTERIUS NON MUTOR. S. Zeno hanc Regii animi comitatem in Davide deprehendens, *Rex mansuetus*, inquit, *Pater pius, Propheta modestus, totum potest, à toto dissimulat, magnis ac mirabilibus sæculi non immutatur, mitem, humilemque retinet ubique Pastorem.* Et de Trajano suo Plinius. *Contigit ergo oculis nostris insolita facies, Princeps & Candidatus æquales, & simul stantes, intuerique parem accipientibus, honorem qui dabat.* Et rursus. *Unum ille se ex nobis, & hoc magis excellit atque eminet, quod unum se ex nobis putat: nec minus hominem se, quàm hominibus præesse meminit.*

Dignitas non ambienda.
Senec. in Thyest.

271. Quem dignitas, nec anxiè expetita, nec arroganter procurata, ultrò ac sponte suâ ambit, Lunam augescentem ideæ loco habet, addito lemmate. ILLUCESCIT NON AMBIENS. Consilium suggerit Seneca.

Nec abnuendum, si dat imperium Deus,
Nec appetendum.

l. 3. C de Episc. & Cler.
S. Bernard. lib. 4. de consid. ad Eugen.

Religiosè Leo Imperator, *Non pretio*, inquit, *sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus decedat, invitatus effugiat. Profectò enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Et S. Bernardus. *Non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes: etiam coge illos, & compelle intrare.*

Profectus.
Guerric. Abb serm 5. de Advent. in Isaiæ c. 40. 3.

272 Profectus humanus Lunæ crescentis Emblemate significatur; cui inscriptum. LUMINE PROFICIT. Guerricus Abbas in illam Isaiæ Parænesin, *Parate viam Domini*, commentatur, *Via Domini, Fratres, quam parare jubemur, ambulando paratur, parando ambulatur. Et licèt multùm profeceritis in eâ, semper tamen vobis restat paranda: ut de his, in quæ pervenistis, tendatis & extendatis vos in ulteriora.*

In morte.
1. Cor 15. 53.
S. August. in Psal. 102.

273. Hominem, è vivis sublatum, Luna sub umbris delitescens repræsentat; additâ voculâ. RENOVABITUR. Subintellige, indubiam ac certam esse hominis, olim resurrecturi, fidem. *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* S. P. Augustinus illud Psalmi meditatus, *RENOVABITUR ut aquilæ juventus tua*, ad præsentem de Lunâ obscuratâ sensum subjungit,

Diminuta & quodammodo intercepta luna rursus nascitur, & impletur, & significat nobis resurrectionem.

274. Quando illa pars lunæ, quæ terram aspicit, undique illustris ac splendida apparet; tunc altera, quæ versus cœlum tendit, penitus obscura, & tenebris involuta evadit. Ut adeò, mea quidem sententia, plenam Lunæ orbitam hoc lemmate non incongruo descripseris. AT OPACA SUPERNE. Personas, nobilitate, divitiis, ac voluptatibus coram mundi oculis conspicuas, hæc imago concernit; quarum tamen animæ nonnisi tenebras, & sordidam vitiorum mephitim cœlum versùs exhalant. Vatem Baruch conquerentem audi. *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terrâ est, negotiatores Merrhæ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ.* En illustria mundi lumina! sed quid tùm? *Viam autem sapientiæ nescierunt.* Hem! homunciones in rebus Divinis rudes ac penitus obtusos! *Sunt*, interprete Nicolao Lyrano, *astuti in rebus terrenis, & fabulatores ad decipiendum in mercationibus homines, & exquisitores prudentiæ, quæ propriè est de præsentibus tantùm, viam autem sapientiæ, quæ magis attendit bona futura, nescierunt.* Stat proinde, eos, qui humanis oculis in gloriæ ac felicitatis terrenæ splendore prorsus videntur immersi, ab Angelis veluti miserrima mundi mancipia, cœloque extorres, altum deplorari. Sanctè Jacobus Billius.

Mundanus.
Baruch. 3. 23
Nic. Lyran. in hunc. loc.
Qui in mundi conspectu splendent, cœlo vilescunt.
Iacob. Bill. Antholog. sacr.

Quo magis à Phœbo distat soror, hoc magè nobis
Fulget, & à superâ lumine parte caret.
Nam quo mortales quisquam est magè fulgidus inter,
Hoc minus est magno fulgidus ille Deo.

275. Luna, non tantùm plena, sed etiam paucis ante diebus renovata, in extremâ sua orbitâ argenteam splendoris purissimi lineam visendam exhibet. Unde lemma. ETIAM FULGET APICIBUS. Illorum hoc Emblema est, quibus laus summa & amplissima fama è minutâ ac tenui operâ nonnunquam accrescunt. Expertus id Apelles, qui Plinio referente, ductâ unicâ *summæ tenuitatis* lineâ in Prothogenis officinâ, dilucidè demonstravit, nullam aliam, nisi summi artificis manum fuisse admotam; *non enim*, inquiebat prudens Prothogenes, *cadere in alium tam absolutum opus potest.* Porrò etiam Dei, summi Creatoris, sapientia ex omnibus, etiam minimis creaturis, resplendet; nam Magno Augustino teste, *Bona sunt omnia, quia bonus Deus, qui fecit omnia; & laudant illum opera sua. Non laudant Deum avaritia, luxuria; quia non ipse illa fecit.*

Virtus in minutiis ostensa.
Plin. lib. 35. cap. 10.
Deus in minimis sapiens.
S. Aug. in Psal 118.

276. Quantò propius Solem accesserit Luna, tantò amplius sese luminis inopem & obscuram mundo exhibet. OBSCURATUR, DUM JUNGITUR. Ita omninò anima nostra, Soli Divino per gratiam & sanctitatem unita, grandem mundo fabulam & inane ludibrium excitat. Apprimè Doctorum Phœbus, Augustinus, *Anima quippe humana, cùm redire cœpit ad illam incommutabilem sapientiam, quantò magis ei appropinquat affectu pietatis, tantò magis exterior homo corrumpitur, sed interior renovatur. &c.* Sic nimirum mens humana, pessumdatis mundi illecebris, Deo maturescit; & splendorem, cœlestibus oculis dignum contrahit. Jacobus Billius, paulò antè adductus, denuò canit.

Anima Deo chara, mundo neglecta.
S. Aug. Epist. 119. cap. 5.
Iacob. Bill. loc. cit.

Quo magis à Phœbo distat soror, hoc mage nobis
Fulget, & à superâ lumine parte caret.
Cùm verò fratris juncta est, non lucida nobis
Illa quidem est, supero fulget ab orbe tamen.
Esse Deo quisquis cupit ergò fulgidus, ipsi
Hæreat, & mundi spernat inane decus.

277. Luna, soli contermina, Emblematis loco inscriptum tenet. OBSCURATUR, AT JUNGITUR. Ita Sancti, dum ex hâc vitâ migrant, lucem quidem corpoream ac caducam perdunt, at in vicem Deo conjuncti, æternum gloriæ lumen adipiscuntur. Hâc prærogativâ admodùm enituit S. Basilius, qui tyranno, mortis minas acerbè ingeminante, hilari ac sereno ore respondit, ab hâc morte summum splendorem, individuum scilicet cum Deo nexum, sibi collatum iri. *Mors porrò*, verba sunt sancti Herois, à D. Gregorio Nazianzeno publicis monumentis tradita, *beneficii loco mihi erit, citius enim me ad Deum transmittet.*

Mors Sanctorum.
S. Gregor. Naz. Orat. 20. de S. Basilio.

278. Juvenem immaturo & acerbo fato è vivis sublatum, Lunæ plenæ symbolo repræsentabis; addito lemmate. AT CITO DEFICIT. Hinc etiam relucet, quàm facili impendio virtus, carè nonnunquam comparata, frigescat, & à primævo splendore degeneret. Propriis tamen & genuinis coloribus in hâc icone delineata cernitur evanida & inanis mundi voluptas. S. Isidorus, Hispalensium Archiepiscopus, *Luna*, inquit, *mundi hujus speciem tenet; quia sicut luna menstruis completionibus deficit: ita hic mundus ad completionem temporum currens, quotidianis defectibus cadit.*

Mors immatura.
Virtus deficiens.
Mundus deficiens
S. Isidor. in Iosue c. 7.

279. Qui progenitores, rerum præclarè gestarum famâ, aut vitæ integritate insignes enumerans, indole prorsus degenere vitiorum libidini ac effreni genio passim indulget, Lunam Emblematis loco sortitur, quæ Solem contemplata, epigraphen sustinet. DA TE CHIAREZZA, E NON ARDORE JOPRENDO. Id est, *splendeo luce tuâ, tuus at mihi deficit ardor.* Eos insuper hoc Emblema loquitur, quorum ingeniis è prophanâ gentilium philosophiâ aliquid luminis, animo tamen prorsus nihil fervoris accrescit. Frequenter etiam, prô dolor! contingit, è Theologicis, aliisque sacratioris sapientiæ disciplinis terrenum ac vanissimum splendorem, nullum tamen virtutis aut charitatis Divinæ ardorem hauriri. Religiosissimum Thomæ Kempensis votum audi. *Opto magis sentire compunctionem, quàm scire ejus definitionem. Si scires totam Bibliam exterius, & omnium Philosophorum dicta: quid totum prodesset sine charitate Dei & gratia? Vanitas vanitatum & omnia vanitas, præter amare Deum. & illi soli servire.* Filio religiosissimo concolor Parens sanctissimus Augustinus. *Cum neglectâ charitate sapientiæ concupiscitur scientia, ex mutabilium temporaliumque experimento, inflat, non ædificat.*

Nepos degener.
Studia prophana.
Scientia sine virtute.
Tho. Kemp. 1. de imit. cap. 1. n. 3
S. August. Trinit. l. cap. 11.

280. Hominem, angustâ ac tenui supellectile contentum, Luna, recenti adhuc lumine, & tenuissimo circulo splendescens, repræsentat; cum dicto. MINIMO CONTENTUS OBERRO. Horatius.

Contentum esse.
Horat. l. Ode. 16.

Lætus in præsens animus: quod ultra est
Oderit curare.

Et ju-

Et Justus Lipsius. *Satis triumphat virtus, si apud paucos, bonosque accepta: nec indoles ejus est, placere multis.*

Lips. manu. ... l. 1. dissert. 15.

Meritum excellens.

281. P. Leonardus Velli Serenissimum Cardinalem Infantem, Ferdinandum d' Austria, Philippi IV. Hispaniarum Regis Fratrem, Lunæ Emblemate repræsentavit, quâ intra nocturnum ac stellatum Cœlum resplendente, interiora lumina omnia cedunt; epigraphen addidit, SIDEREÆ CEDUNT ACIES, è Claudiano mutuatam.

Claud. de Probini & Olibii Consul.

Haud secus ac tacitam, Lunâ regnante per Arcton,
Sidereæ cedunt acies: cum fratre retuso
Æmulus adversis flagaverit ignibus orbis.
Tunc jubar Arcturi languet: tunc fulva Leonis
Ira perit, Plaustro jam rara intermicat Arctos
Indignata legi, caligantibus armis
Debilis Orion dextram miratur inermem.

Nimirum hominem, authoritate & prærogativâ excellentem, significat. Idipsum Magno Augustino est proprium, qui jure à Lateranensibus cognominatur *Doctorum Doctor optimus*, à S. Hilario *Excellentissimus*, à Concilio Florentino *Illustrissimus*. Et à Ven. Beda *Supereminentissimus*.

S. Augustinus. *Prop. Lat. in Commemorat. S. Hil. Epist ad Amat. Diac Conc. Florent. Ven. Beda lib. de Temp.*

282. D. Aresius Lunam, quaquaversùm splendidam, in Solis conspectu statuit; addito lemmate. CONSORS FRATERNI L MINIS. Imago hæc cumprimis Deiparam Virginem refert, utpote dignitate ac prærogativâ penè Divina illustrem. S. Bonaventura. *Maria in tantum Deo proxima fuit, tantâque sanctitate resplenduit, & sic in summo bonorum omnium culmen obtinuit, ut creatura aliqua, non unita verbo, nec perfectior, nec majoris boni capacior sit.*

Excellentia Mariæ Virginis. S. Bonavent.

Instabilitas.

283. Volubilem humani ingenii aut fortunæ indolem Ferrus è Lunâ dignoscendam proponit, cui hanc ex Ovidio gnomam præfixit. NUNQUAM, QUO PRIUS, ORBE MICAT. Iisdem penè verbis S. Antonius Paduanus, *Luna*, inquit, *propter sui mutabilitatem hujus miseri status instabilitatem significat, adjectis in hanc rem sequentibus versibus leoninis.*

S. Anton de Pad cap. 16. Apocal.

Ludus fortunæ variatur imagine Lunæ.
Crescit, decrescit, in eodem sistere nescit.

284. Sicuti Luna plena nocturno ac sereno cœlo argenteum circumquaque candorem spargit, &, prout de illâ nonnemo cecinit, NIVEUM DAT VISA DECOREM, Ita cùm Dei, tum Matris Virgineæ præsentia clarum ac purissimum ubique jubar diffundit. Et quidem de Sanctissimâ Virgine testatur D. Thomas Villanovanus, solo ejus intuitu mentem verè castam ac virgineam hominibus inspirari. *Sancta, pura, & immaculata Virgo, cui etiam præ aliis erat hoc virginitatis insigne, ut inspectores suos (ut ita dixerim) virgines faceret.*

Præsentia Dei. Mariæ aspectus castitatem infundit. *S. Thomas Villan Conc. 2. de Annunt.*

285. Abbas Ferrus securum Cardinalis Detti asylum, ad quod, veluti ad sacram anchoram, litteratis omnibus confugere licebat, gratâ memoriâ significaturus, Lunam, cœlo nocturno latè micantem, proposuit; addito lemmate. LUMEN EUNTI. Sancta Fides per hujus vitæ tenebras, instar facis lucidissimæ, nos comitatur, illustratque. *In hâc sæculi nocte*, inquit Cromatius, *splendor fidei omnes vitæ nostræ gressus, præeunte lumine veritatis illuminat, ne aut in foveas peccatorum, aut in offendicula diaboli incidamus.* D. Ambrosius eandem virtutem sacris Litteris tribuit, *quia luna noctem illuminat, mihi videtur, ut per lunam sacram Scripturam intelligamus, sine cujus lumine in nocte hujus sæculi per vias rectitudinis incedere non valemus.* Porrò etiam bonum exemplum, quod, Magno Gregorio teste, virtutum & sanctimoniæ ducem agit, Lunam è tenebris resplendentem imitatur. *Luna*, inquit ille, *dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonstrat. Sic nimirum quæque anima, quæ tenebras dimittit, & in sanctam operationem se extendit, dum exemplum benè operandi tribuit proximis, quasi lucem tenebrescentibus oculis spargit:* Verbo: Rerum Authores; sana amicorum consilia; Morum ac disciplinæ Magistri; Tutelaris Angeli custodia; aliique omnes, qui alienam salutem curant, jure epigraphen illam sibi vendicant, *Lumen eunti.* Demùm Joannes Geometra, in eo Lunæ candore B. Virginem contemplatus, venerabundus exclamat.

Præsidium Magnatū. S. Fides. *Cromat. in c. 5. Matth.* S. Scriptura. *S. Ambros in c 12. Apocal.* Bonum exemplū. *S. Greg Papa.* Consiliū. Educatio. Angelus Custos. Maria V.

Salve Virgo, viatorum socia impigra, LUMEN
ERRANTUM, lustrans his iter in tenebris.

Io. Geom. hymn. 4.

286. Idem Ferrus, ut orbem edoceret, quâ dexteritate Cardinalis Franciscus Barberinus, à Summo Pontifice Urbano VIII. suo Patruo, amplissimis gratiis exornatus, nihil omninò impediverit, quin sol ille terrestris suos radios & favores in alios quoque diffunderet; Lunam, à sole illustratam, depinxit, adjecto lemmate. ACCIPIT, NON ADIMIT. Moses, grandis ille ac familiaris Dei amicus, ad hanc amussim compositus videri poterat. Nam pro impetrandâ cœlesti luce Deo supplex, illam non sibi peculiarem, sed omnibus Judæis communem efflagitabat. Verba ipsius accipe. *Ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc.* Contrà, Sejanus se solum, cosque duntaxat, quos sanguine junctos habuit, ad Tiberii Cæsaris amicitiam levavit, iisque Imperatoris gratias, munia, ac dignitates anxiè conquisivit; aliis procul exclusis, amotisque: uti refert Cornelius Tacitus. De Mose S.P. Augustinus, *Quia*, inquit, *in duobus præceptis, hoc est, dilectione Dei & proximi, tota lex pendet; ideò Moses in utroque suum desiderium demonstrabat: in dilectione scilicet Dei, ubi ait, si inveni gratiam: in dilectione autem proximi, ubi ait, Et ut sciam, quia populus tuus est gens hæc.*

Moderatio in accipiendo. *Exod. 33. 13. Corn. Tacit. lib. 5. Annal. S. August. l. Quæst sup. Exod. q. 151. Tom. 4.*

287 Divina bonitas gratiæ suæ radiis densas etiam, & scelerum vepreto horridas conscientiæ humanæ sylvas dignatur: haud secus, atque Lunæ splendor passim etiam intra umbrosos frutices, & dura nemorum virgulta sese insinuat, ut adeò hanc sibi epigraphen pro meritis vendicet. PER NEMORIS FRONDES. Vel, ut alii melius. LUCEM PER NUBILA JACTAT. *Interdùm peccantibus nobis,* verba admetior Sancti Isidori, *Deus sua dona non retrahit, ut ad spem Divinæ propitiationis mens humana consurgat. Nam non potest conversum spernere, qui peccantem suis beneficiis provocat ad se venire.* Dum immanes ac continuæ adversitatum centuriæ animum percellunt, Maria, Luna purissima, dolorem mitigat, & consolationum radios benignè diffundit. Testem habeto Joannem Geometram.

Gratia Dei. *S Isidor. l. 2. de sum. Bon. cap. 5. n. 1.* Maria V. *Io. Geomet. Hymn 4.*

Salve, quæ visa, ærumnis in tristibus, ingens
Præbes solamen, lumina grata ferens.

Incarnatio Dei.

Dei ac Mariæ Filium, humanis exuviis coopertum, cumprimis hoc emblema spectat. Is quippe, tametsi obscuro mortis & carnis velamine obductus, clarissimum tamen summæ majestatis, sapientiæ, ac operationis Divinæ splendorem passim per orbem, non sine immensâ beneficentiâ, dispersit.

Exemplum Doctor.

288. Quemadmodum Prælatus, boni exempli radios spargens; ita & præclaræ cujusdam virtutis Doctor, gnomam illam sibi propriam vendicat; quâ Ferrus Lunam, inter noctis umbras resplendentem, exornavit. TUTUM LUX TUA PANDIT ITER. Cumprimis tamen de duobus Ecclesiæ luminibus, S. P. N. Augustino, & D. Thomâ Aquinate imaginem illam interpretabere; qui omnibus litterarum studiosis ad scientiæ speculatricis abdita planissimam stravêre viam. Porrò bonum exemplum in homine justo instar Lunæ resplendet, & nocturnis scelerum umbris procul fugatis, ad securam virtutis, ac æternæ beatitatis semitam manuducit. Scitè in hanc rem S. Gregorius. *Luna dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter, per quod homo gradiatur, demonstrat. Sic nimirum quæque anima, quæ tenebras dimittit, & in sanctam operationem se extendit, dum exemplum benè operandi tribuit proximis, quasi lucem tenebrescentibus oculis spargit. Dum enim peccantes quique bonum opus aspiciunt, & ad idem faciendum se convertunt, quasi errantes in nocte per lucem lunæ ad vitam redeunt. &c.*

S. Augustinus.

Bonum exemplum

S. Greg. in cap. 6. Cantic.

289. Luna Soli confinis, splendorem amittit. Unde Ferrus. LUMINA PERDIT. Emblematis argumentum & verba suggerente Boëtio.

Boet Consolat. Philosophi l. 1. Metro 5.

Phœbo propior lumina perdit.

Familiaritas cum Magnatibus nocet.

Guil. Barcl. l. 6. contra Monach. c. 4

Sidon Apollini lib. 3. Ep. 3. prope finem.

Ita sanè, qui nimiâ Magnatum consuetudine utitur, tandem omnem conquisitæ gratiæ splendorem amittet. Guilhelmus Barclajus refert, Scozzesiorum esse parœmiam. *Quo quisque Regi propinquior, eò propinquior patibulo.* Sidonius Apollinaris, Ecditio suo celerem aulæ fugam persuasurus, nimiam cum Rege necessitudinem admodum dubiam, & præcipitii plenam, inter prima argumenta recensuit. *Igitur, si quid nostratum precatibus acquiescis, attutum in patriam receptui canere festina, & assiduitatem tuam periculosæ Regum familiaritati celer exime, quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammarum naturæ benè comparat, quæ, si paululum à se remota illuminant, ita satis admota sibi comburunt.* Documento sint Sejanus, Tiberio familiarissimus, & tandem ad extrema detractus. Seneca, Neronis affabilitatem paulò post cum violentâ morte commutans. Bellisarius, erutis oculis, è supremo fortunæ gradu, quem Justiniano succollante conscenderat, ad insimum dejectus; frustra sim in enumerandâ totâ illorum serie, quam orbis etiam hodiernus cumulatè auget.

290 Tametsi D. Aresius Lunari orbitæ, dum decimo quinto die Soli è diametro opponitur, inscripserit; OPPOSITUS CLARIOR; Ferrus tamen prolixis rationibus, è Mathesi petitis, contrario illam lemmate insigniendam demonstrat. OPPOSITU MINUS CLARA. Ita qui personam, sive litteris & heroico animo, sive nobilitate & divitiis conspicuam frequentat, probrosam existimationis ac famæ suæ jacturam facit. Hac ratione S. Maximus fatetur, omnem, etiam exquisitam creaturarum venustatem, si cum Mariâ Virgine conferatur, penitus deformem, sibique dissimilem effici. *Omnis pulchritudo, ad Virginem comparata deformitas est, & omnis innocentia peccatum.*

Ferrus in umbris apparentibus p. 2. fol. 28.

Comparatio noxia.

Maria V.

S. Maximus.

291. Academicus inter Errantes Luminosus, symboli loco Lunam plenam ostentat, quæ, Sole in ocasum vergente, ad illustrandum hemisphœrium nostrum nascitur, cum dicto. GRATA VICISSITUDINE. Mirum est, quantùm gratiæ & solatii hæc alternantis splendoris diurna nocturnaque vicissitudo creaturis afferat. *Hæc vicissitudo*, inquit Dionysius Carthusianus, *est necessaria, nam tempus diurnum est aptius ad laborandum & conveniendum, atque ad diversa exercitia exequenda; tempus verò nocturnum est aptius ad quiescendum.* Et Theodoretus. *Tenebrarum lucisque varietas ipsam lucem nobis magis gratam reddit, unde aurora meridie multò desiderabilior est. Ubi enim nos lucis satietas interdiu cœpit, nocturnâ quiete nobis opus est; hanc autem assecuti, satietatis fastidium ponimus, & denuò nobis lux gratissima oritur.* Petronius Arbiter in rem præsentem canit.

Vicissitudo.

Dionysius Carthusianus in Genes. cap. 1.

Theodoretus serm 1. de Provid.

Ipsa dies ideò nos grato proluit haustu,
Quòd permutatis hora recurrit equis.

292. Lunæ recenti inscripseram. INCIPIT AB OCCASU. Siquidem innovanda, nonnisi è plagis Occidentalibus sese visendam præbet. Ita prorsus æterna nostra beatitudo ibi demùm exoritur, ubi vita præsens in occasum vergit. *Dies iste*, inquit eleganter Lipsius, *quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est.* Pulcherrimè de immaturâ SS. Innocentûm morte S. Augustinus. *In incipientis vitæ primordiis ipse eis occasus initium gloriæ dedit, qui præsentis terminum imposuit.*

Beatitudo

Lips. Physiologiæ lib. 3. dissert. 11.

S. Aug. serm. 10. de Sanctis.

293. Luna, dimidio tantùm orbe visenda, epigraphen sustinet. LATEO, NON MINUOR. Magnates, natalibus & divitiis insignes, hoc Emblema concernit, qui, tametsi è patriâ in externas regiones profecti, nullam proinde nominis aut gloriæ suæ jacturam patiuntur. Certè Scipio Africanus, ad ultimos usque Linterni fines delatus, nihil omninò famæ aut splendoris sui perdidit; quin imò ubique terrarum, sive ruri, sive inter alias locorum angustias versatus, sorte suâ nunquam non superior, suæque gloriæ auctor felicissimus extitit. Cæterùm D. Ambrosius eodem Emblemate S. Ecclesiam exornat, quæ à tyrannis nonnihil obvelari, nunquàm tamen imminui hactenus potuit. *Ecclesia*, inquit, *videtur sicut luna deficere, sed non defecit; obumbrari potest, deficere non potest.*

Virtus infestata.

S. Ecclesia.

S. Ambros. l. 4. Hexamer. c. 2.

294. Benedictus Giolus, inter Errantes Effigiatus, symboli loco integrum Lunæ vultum, intra angustas aquas expressum, repræsentat; cum titulo. QUAMVIS IN EXIGUO. Prodigium est, sacratissimum Christi, Servatoris nostri, corpus nedum intra angustam Hostiæ consecratæ sphæram, sed etiam intra quamlibet minimam hujus particulam integrum ac indivisum reperiri. Eruditè Andreas Bianeus.

Eucharistia.

Andr. Bian. l. 5. Epig. 50.

Qui sola terrarum, qui numine replet olympum
Clauditur orbiculo, qui modò panis erat.
Non timet angusto Majestas limite claudi,
Non Domino locus est, sed locus est Domini.

295. Lunam, in suâ cum Sole synodo, lucis omnis videmus indigam, neque ullis amplius in orbem inferum viribus pollentem. Ut primùm verò è planetæ illius celsissimi conspectu sese subduxerit,

duxerit, mox præter splendorem pristinum, reliquā etiam operandi virtutem ac efficacitatem recuperat. Ita sanè Serenissimus Hispaniarum Infans, Cardinalis Ferdinandus, dum in aulâ Regiâ Majestatis Catholicæ, Soli (Solem haud dubiè dixeris, è cujus imperio uterque orbis penè totus resplendet) vicinus, domicilium fixerat, nec tantum luminis, quo se ipsum illustraret, nec tantas etiam vires, quibus auxiliarem suam dexteram in clientes extenderet, habebat. Ubi verò illum ab hoc Sole longius in Italiā, Germaniam, Flandriam, aliasq; exteras provincias levari contigit, tum demum, instar lunæ, recepto virium lucisque vigore, authoritatem suam amplissimè explicavit, totumque orbem gravissimis & obstupescendis negotiis exolvit. Ut adeò D. Carolus Bossius lunam, à Sole dissitam, hoc lemmate non incongruo notaverit. CLARA POTENSQUE RECESSU. Hoc etiam symbolo R.D. Haymò Corius D. Cardinalem Theodorum Trivultium, Summi Pontificis Legatum, exornavit; Lunam, è Solis conspectu remotam, exprimens, adjecto lemmate. ABLEGATA REFULGET. Utroque Emblematis hujus lemmate demonstrabis, operā nostra tantò magis fore illustria, Deoq; grata, quantò ab hominum conspectu longiùs recesserint. Hæc penè ipsa verba præiens Magnus Augustinus, ait, *Tantò magis Luna lucet terrenis aspectibus, quantò magis recedit à Sole: cùm autem propinquat Soli, intermittitur à terris: intelligamus animæ Divinitùs præcipi, ut, luce secretissimâ exultans, caveat facere justitiam suam coram hominibus, ut videatur ab eis; sed cum gloriatur, in Domino glorietur. Quia & cùm apparet hominibus, dono Creatoris apparet.*

[Remotū Re utile.] [Vanam gloriam fugere.] [Aug. Annot. in Iob. cap. 25.]

296. Luna, uti & Sol, aliaq; Cœli sidera, quamdiu in horizonte persistunt, ingentem, vastamque molem nobis visendam exhibent: ut primùm verò supra illum elevata, nobisque viciniora fuerint, mox oculis nostris videntur imminui, & tenuem aliquam lucis particulam volvere. Iis proinde epigraphen; meâ quidem sententiâ opportunam subjunges. MINUUNTUR ACCESSU. Vel singulis seorsim. PROXIMITATE DECRESCIT. Longâ experientiâ didicimus, eos, quos procul dissitos, solumque è longinquo cognitos magni nonnumquam æstimamus, haud rarò, si familiariùs nobis jungantur, nihili amplius, ac prorsùs neglectui haberi. *Sunt*, inquit Seneca, *qui FASTIDIUNT, QUIDQUID PROPIUS adierunt.* Religiosis præcipuè id usuvenit, qui multùm à mundi conspectu alieni, plurimùm opinionis ac reverentiæ sibi conciliant; at ubi familiariùs cum hominibus egerint, mox famæ & honoris officia parcius experiri, & sui fastidium generare solent. Testem longè amplissimum habeto S. Petrum Damianum. *Religiosus quisq; veluti pictura est; pictura siquidem, si procul assistat, inhianter & cum aviditate aspicitur: si juxtà sit, contemptibilis judicatur. Et spiritualis quisque carnalibus absens quidem timori, præsens autem videtur esse despectui.*

[Præsentia nocet.] [Seneca lib. de tranquill. animi c. 15.] [Religiosus] [Pet. Dam. Apologet. Contempt. seculi. c. 26.]

297. Virgini, cùm religiosæ; tùm sæculari; gnomam illam censeo propriā, quam, è Cornelio Tacito mutuatam, Lunæ, sub nubium velo abditæ, inscripsi. NON VISA PRÆFULGET. Usu enim compertum habemus, eas in castimoniæ, cæterarumq; virtutum splendore tantò magis fore conspicuas, quantò ab hominum oculis remotiores vixerint. *Parit conversatio contemptum*, inquit Apuleius, *raritas conciliat, ipsa rebus admirationem.* Cornelius Tacitus observat, *Majora credi de absentibus*. Et rursus. *Omne IGNOTUM PRO MAGNIFICO est.*

[Solitudo.] [Apul. l. de Deo Socratis.] [Corn. Tacit. l. 11. Annal. Idem in Vit. Agricol.] [Plinius.]

298. Lunæ imperium, Plinio asserente, Oceano dominatur, illiusque æstum ultrò citròque impellit. Mireris sanè, illam, elementi tam vasti dominam, cæteris planetis ac cœlis omnibus subjacere. Unde suprà Oceanum collocata, epigraphen sustinet, SUBEST, QUÆ IMPERAT. Ex hoc symbolo Divina Mariæ Virginis effigies haud obscurè resplendet, quæ, tametsi augustissima totius universi Imperatrix, amplissimo dominio utrumque orbem complecteretur, sui tamen dimissionem adeò profundam præseferebat, ut penitùs non abnueret, inopis fabri sponsa & ancilla cognominari. Et tantā Virginis humilitate attonitus Bernardus. *Quæ est*, inquit, *hæc Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo? tam humilis, ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis! &c.*

[Mariæ humilitas.] [S. Bernad. super Missus est.]

299. Mundi calamitates, dùm nimium attolluntur, ad finem vergere assolent. E lunâ dimidiatâ id disces, quæ DESINIT, UT CRESCAT. Contrà verò, terrenam felicitatem tandem in extremas calamitates desinere, rursus è lunâ, jamjam complendâ, desumes, quæ CRESCIT, UT DESINAT. Utramque iconem S. Isidorus suis coloribus expressit: *Luna*, inquit, *elementi sui varietate diversis cursibus desinit ut crescat, crescit ut desinat. Sed ideò alternis vicibus commutationem sideris repræsentat, ut doceat, homines ex ortu morituros; & ex morte victuros; atq; ideò cùm senescit, mortem corporum prodit; cùm augetur, æternitatem indicat animarum.* Seneca.

[Felicitas mundana.] [Rerum vicissitudo.] [S. Isidor. lib. de mundo. c. 18.]

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora, lapsus.
Miscet hæc illis: prohibetque Clotò
Stare fortunam, rotat omne fatum.

[Seneca in Thyeste. Actu. 3.]

300. Lunæ globus, si molem spectes, inter cæteros planetas est omnium minimus: quia verò simul est omnium infimus, & terræ maximè confinis; sphæræ suæ magnitudinem adeò explicat, ut oculis nostris persuadeat, reliquas stellas illius comparatione nonnisi angustissimas esse lampades. Hinc lunæ, inter stellas oberranti, subscripseram, MAJOR, QUIA HUMILIOR. Hanc gnomam, ipsomet dictante Christo, suggerit D. Matthæus. *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorū.* Philosophema verè Divinum, è quo majestatem, humilitati conjunctissimam, discere licet. Seneca Silii Bassii ore dicebat. *Servium Regem tulit Roma, in cujus virtutibus humilitate nihil est clarius.*

[Matth. 18. 4] [Humiles sunt magni.] [Senec. Controvers. 6.]

301. Philosophiæ scitum est, sphæram ignis, cum lunari globo in orbem contortam, proximè in lunæ gremio, seu, ut Philosophorum phrasi utar, sub lunæ concavo reperiri, nec tamen ei à vicino igne quidquam fuliginis aspergi. Unde P. Raulinus lunam, illustri suo candore insignem, Emblematis loco statuit, cum dictó. NON INFUSCAT PROXIMUS IGNIS. Symbolum id est integerrimæ castimoniæ, quæ lascivientem carnem acriter edomat, & ab igneo libidinis impetu penitùs illæsam conservat. Has luxuriæ flammas felici pudore triumphârunt Josephus, Susanna, Nicetas, S. Thomas Aquinas, & alii. Magni Augustini consiliū audi. *Surrexit libido damnabilis, suggessit, non auditur. Ardet, non se compescit, & velles ut non arderet: Noli dare membra; ardeat sine causa, & consumat se.*

[Justus inter vitiosos.] [S. Aug. de Verb. Domi: serm. 43. cap 11.]

302. Luna omnis splendoris orba, non diu in hoc squalore persistit; sed moræ impatiens mox vires exerit, & deperditam lucem recuperat. Unde lemma. DAMNA VELOX RECUPERAT. Argumenti ratione ex Horatio desumptā.

[Horat li. 4. Ode 7.]

Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ.

Justitiæ indolem in hoc Emblemate depictā cernes;

[Justi è peccatis mox resurgunt.]

quæ surgunt.

quæ in homine justo aliquid detrimenti perpessa, quantocius restitui, & novis virtutum incrementis, in integritatis deperditæ vicem, compensari solet. Salomone teste: *Septies in die cadet justus, & resurget*; Exemplo suo id docuêre David, Petrus, Thomas, aliique; qui ad unicum Christi nutum, vix primâ corrigentis voce perceptâ, è scelerum umbris revixêre. De Davide, ait Theodoretus. *Peccatum Regis admirabilem gloriam effecit splendiorem.* Et ut ait S. Ambrosius, *Nullum attulit lapsus impedimentum, sed velocitatis incentiva cumulavit, & acrior ad currendum surrexit.*

Prov. 24. 16. *Theodoret. q. 26 in 2. Regum.* *S. Ambros. Apolog. 1. David. c. 2.*

303. Luna, instar speculi crystallini, receptam à Sole lucem passim transfundit, noctisque caliginem dissipat. Lemma. A LA NOTTE COMPARTE I RAI DEL SOLE. Id est, interprete Reverendiss. D. Picinello, SOLEM EXHIBET UMBRIS. Eos hoc symbolum concernit, qui zeli Apostolici, aut disseminandi Verbi Divini flammâ succensi, sapientiam & doctrinam, à Deo receptam, fideli ac copioso fœnore diffundunt, & fugatis sceleratæ conscientiæ umbris, enixè student. *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent.* Hoc igne plurimùm enituêre S. Philippus, qui in Æthiopiâ Servatoris fidem promulgavit: S. Paulus, Judæis in synagogâ Damascenâ Verbum Divinum, cum natura humana unitum, annuntians; alii denique Apostoli omnes, prostratâ Idolomaniâ, eam gentibus veræ fidei lucem copiosè dispensando, quam ipsimet paulò antè à Christo hauserant. S. P. Augustinus. *Impleti sunt Spiritu sancto discipuli, cœperunt prædicare magnalia Dei, lapidati, occisi, fatigati sunt. Et cùm inde tanquam ex uno loco fugarentur, quasi ligna ardentia igne Divino, totam sylvam mundi, accensam fervore spiritûs, & lumine veritatis impleverunt.*

Concionator. *Luc. 1. 79.* *Act. 8. 35.* *Act. 9. 20.* *S. Aug. in Ps. 30. Conc. 3.*

304. Inter cæteras duæ potissimùm dotes in Luna eminent. Claritas nimirùm; de qua Lucanus.

Lucan lib. 5.

Lunaque non gracili surrexit lucida cornu.

Et frigiditas; de qua è Poëtis nonnemo.

Et redit ad nostros frigida Luna polos.

Et Virgilius.

Virg. 3. Georg.

Temperat, & saltus reficit jam roscida Luna.

Unde epigraphen subjunges. CUM LUCE REFRIGERIUM. Hoc symbolum Mariam Virginem, quæ pro meritis *Pulchra ut Luna* cognominatur, ultrò ambit; utpotè quæ & illuminat, & refrigerat non illos duntaxat, qui hanc terram etiamnum incolunt; sed eos insuper luce beatificâ & paradisi refrigerio paulò post obtinendo recreat, qui intra piaculares flammas ob residua debita detinentur. Utroque hoc encomio illam, S. Birgitta referente, insignivit Christus, his omninò verbis matrem suam suavissimam allocutus. *Tu mater misericordiæ, tu consolatio eorum, qui sunt in purgatorio: tu lætitia eorum, qui peregrinantur in mundo.*

Cant. 6. 9. Maria animas in purgatorio recreat. *S. Birgitta Revelat. l. 1. cap. 6.*

305. Ii, quos natura à secretis habet, assiduum maris affluxum refluxumque in unam lunæ præsentiam, ejusque admirandam virtutem referunt. Unde Academicus nonnemo prodigiosam in operando lunam hoc lemmate legendam statuit. LUMINE, NON TURBINE. Sic Illustriss. Principum Majestas subditos, non tantùm rigore aut suppliciis, sed solo etiam terrore impellit turbatque. Emblematis author mentem suam his omninò verbis explicat.

Principis majestas turbat.

Immensam aquarum molem
Dominatrix Phœbe lumine, non turbine ciet.
Eoum, occiduumque Oceanum serenissima versat majestas. &c.

Si hoc de regum creatâ Majestate; quid, obsecro, de Divinâ ac increatâ conijcias? Isaiæ calamus, Divinam Majestatem delineaturus, Deum in excelso solio gloriosè residentem exhibuit, Seraphinis, binâ singulorum alâ volitante, è latere collocatis. Chrysostomus, arcani hujus interpres, ait, *volant, dum non valent in quiete permanere, magnum tremorem declarantes.*

Majestas Divina terribilis. *Isaiæ cap. 6.* *S. Chrysost. in hunc loc.*

306. Nemo planè ob sanctiorem locum, quem habitat, blandiri sibi debet, nec sese perindè Deo devotum sanctumque credere. E Luna id disces, quæ cœlum incolere, ac stellis splendidissimis cingi solita, splendoris sui jacturam frequenter sustinet, noctemque induit teterrimam. Illam proinde penitus obscuratam, Carolus Rancatus hoc Claudiani epigrammate notavit. SUIS DEFECIT IN ASTRIS. Hanc ipsam catastrophen exemplo suo docuêre, Adamus, in paradyso horrendum lapsus; Lucifer in cœlo, & eheu! plurimi in sacris Religionibus, quas salutis asyla jure dixeris, ad ultimum discrimen miserrimè præcipitati. *Locus enim non facit Sanctos*, inquit Author Anonymus, *operatio bona locum sanctificabit, & nos. Peccavit enim Angelus in cœlo, peccavit Adam in paradyso, & tamen nullus locus sanctior illis erat. &c.* Et S. P. Augustinus. *Iter ad Deum non terrarum locis peragitur, sed affectibus animorum.*

Locus Sanctum non facit. *Claud. de Consul. Manlii.* *Author ser monum ad fratres in eremo ser. 17.* *S. August. in Psal. 5.*

307. Luna Soli, eclipsin patienti, opposita, epigraphen tenet. ABSCONDIT ORBI. Mariæ Virginis hæc idea est, quæ Divinum Solem in utero suo complexa, illius radios penitus coram oculis humanis abscondit, eumque præsepio impositum, ac pannis involutum, nonnisi in carne, veluti in eclipsi, dignoscendum exhibuit. Pulchrè S. Bernardus. *Absconde Maria novi solis fulgorem, pone in præsepio, involve pannis infantem.* Insigniter in rem præsentem P. Jacobus Masenius.

Maria V. *S. Bernard. serm. 4. de Nativ.*

Luna suum præsens Solem dum plenius haurit:
Quem trahit, hunc mundo subtrahit ipsa, diem:
Virgo suum gremio caperet dum plena tonantem,
Quo propior luci est, hoc magis illa tegit.

308. Luna plena acceptos à sole radios, citra ullâ splendoris sui jacturâ, noctu liberalissimè per orbem diffundit. Lemma. DAT QUOD HABET, NEC MINUS ILLA HABET. Ita M. V. in hunc orbem, cumprimis verò in caliginosas peccatorum mentes, profusissima, ingentem cœlesti splendori suo lucem addit: Ut adeò verè à S. Germano cognominetur *splendor jacentium in tenebris.* Et à Buteone, *Radius Solis intelligibilis.* Eruditè P. Jacobus Masenius.

Maria V. *S. Germ. Orat. de Præsent.* *But. hym. p. 121.*

Cynthia, dum tristi jacet orbis nocte sepultus,
Prodigit acceptas, nil minor ipsa faces.
Virgo piis animis, tristi quod cynthia mundo est:
Omnia donat, opum nil habet inde minus.

309. Luna & stellæ, dum nocturno cœlo splendent, epigraphen symboli loco subjunctam habent. LUCI NOX ADDIT HONOREM. Ita nimirum homines probi, ex ipsa etiam sceleratorum vita gratiam ac perfectionem aliquam capiunt. S. P. Augustinus. *Sicut stellas in cœlo non extinguit nox: sic mentes fidelium, inhærentes firmamento scripturæ Dei, non vincit iniquitas.*

Boni in malos. *S. Aug. in Psal. 93.*

310. Luna, à Sole illustrata, authore Zincgrefio epigraphen tenet. ACCEPTUM COMMUNICAT ORBI. Principum & Superiorum hæc idea est; de quibus eruditè tradit Plutarchus, *Principes ministri Dei sunt ad curã ac salutẽ hominũ, ut bona quæ Deus illis largitur, partim distribuant, partim servent.* De sapientia sua testatur Salomon. *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico.* Sapienter S. Basil. *Discendum est*, inquit, *absq; ullo pudore, & docendum absque invidia: & si quid ab altero hauserimus, id ipsum non est celandum.* Illustre hujus rei exemplum

Plutarch. doctr. Pr. Gratis datum. *Sap. 7. 13.* *S. Basil. rat. 6 de struct. & admon.*

Aug. Ep. 8. plum in Sancto Augustino habes, qui Florentinæ suam docendi operam offerens, *Superest*, inquit, *ut promas ipsa, si quid ex me quærendum putas. Aut enim scio, quod inquisieris, & non negabo: aut ita nescio, ut nullo fidei salutisque detrimento nesciam, & hoc etiam te ipsam, si potuero, faciam redditâ ratione securam: aut certè si nescio, & tamen sciendum est, vel impetrabo à Domino, ne tibi desim: nam sæpè officium impertiendi, meritum est accipiendi; vel ita tibi respondebo, ut noveris pro hac ipsâ re, quam pariter nescimus, ad quem pulsare debeamus.*

ECCLIPSIS LUNÆ.

CAPUT IX.

312. TUm demum Luna eclipsin patitur, quando ab intercurrente terrâ consuetum Solis splendorem mutuare prohibetur; sic enim interjecta illa globi terrestris moles pyramidalem ei umbram aspergit, miseramque offuscat. Unde lemma, Lunæ eclipsin patienti, inditum. ALTERIUS UMBRA. Maligna æmulorum invidia non rarò, (Invidia.) veluti terrâ interpositâ, benignos Principum radios impedit, quò minùs in subditos diffundantur; Certè, calumnia Sibæ, famuli nequissimi, eò audaciæ progressa est, ut herum suum Miphibosetum è Davidis gratiâ deturbaret. Belisarius, à Triboniano, Justiniani Imperatoris amico, omni honore extorris, in extremam egestatem, malevolentiâ adeò gravi, dejectus est, ut stipe ostiatim coactâ, passim ingemisceret, *Date stipem Belisario, quem rerum prosperè gestarum magnitudo extulit, & nec error, sed livor, & inimicorum invidentia excæcavit*; uti de illo scribunt Procopius & Crinitus. Porrò qui terreni quæstûs umbrâ, solicitè (Lucrum excæcat.) corrasâ, nimiùm gravantur, è Solis Divini luce, gratiâ inquam & favore cœlesti, æternùm excidunt. Id quod inter Scriptores sacros advertit Hugo Cardinalis. (Hug. Card. in c. 28. Proverb.) *Avarus*, inquit, *terram interponit sibi, & vero Soli, unde continuam patitur eclipsin.* Et inter prophanos Justus Lipsius. (Lips. Centur. Miscell. ep. 49.) *Sicut terrâ interjectâ Luna lumen à Sole amittit; sic animus obnubilatur interventu viliorum rerum.* E modernis nonnemo canit:

Ut Solem tellus, lunamque stat inter opacam,
Stat peccatum inter meque Deumque meum.

313. Luna, eclipsi decumbens, epigraphen tenet. NON SEMPER OBSTABIT. Aut ipsius Lunæ ore. HINC ALIQUANDO ELUCTABOR. (Virtus superat adversitates.) Spei effigiem hæc imago præfert, quâ homo virtuosus è malevolorum calumniis, quibus gravissimè premitur, sese brevi eluctaturum confidit. (Senec. ep. 79.) *Nulla virtus*, Senecâ teste, *latet: & latuisse, non ipsius est damnum. Venient, qui conditam, & sæculi sui malignitate compressam, dies publicet. Paucis natus est, qui populum ætatis suæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum supervenient. Ad illa respice: etiamsi omnibus tecum viventibus silentium livor indixerit, venient, qui sine offensâ, sine gratiâ judicent.*

314. Homo vitiosus, dum calamitatum aut malevolorum agmine circumvenitur, sui consolandi (Virtus superat adversitates.) rationem è Luna discat, quæ, lucis beneficio miserè viduata, hoc lemmate se ipsam erigit. MOX EADEM: Enimverò adversitatum umbræ, sicuti veloci aurâ advehuntur, ita paulò post evanescunt, & pristinam beatioris fortunæ lucem relinquunt. T. (Livius.) Livii dictum erat, *Veritatem laborare sæpè, extingui nunquam.* Et Menandri.

Tempus in lucem tandem veritatem trahit.

315. Dominus Rota vehementem dolorem, à nobili fœmina è fratris morte contractũ, Emblemate (In morte.) significaturus, lunam depinxit; quæ sub eclipsi deficiens, epigraphen reddidit. SIC RAPTO FRATRIS LUMINE DEFECIMUS. Id tamen proportione multò æquiore de luctu illo gravissimo intellexeris, qui Mariam Virginem in sanctissimi filii (Maria V. in monte Calvariæ.) sui morte suprà Calvariæ rupem acerbè infestârat, ac vix non confecerat. In hanc rem apposité Cardinalis Ailgrinus illa sacri Epithalamii verba expli- (Ailgrin. in Cantic. 1. 5.) cans, *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me Sol*, ait, *Nunc B. Virgo loquitur de dolore, quem habuit tempore passionis filii sui, & convertit sermonem suum ad adolescentulas, dicens. Nigra sum, animi mœrore confecta: vel sic; Nigra sum, despecta, obfuscata, obscurata, decolorata, quia decoloravit me Sol moriens; decolorem me fecit sol obscuratus & obfuscatus: de quâ solis obfuscatione & obscuratione dicit Esaias, loquens de Christi passione: Non est species, neq; decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, despectum & novissimum virorum, virum dolorum; ipso igitur sic despecto, despecta est & mater: ipso sic obfuscato, obfuscata est & mater.*

316. Terræ globus, tanto ac tam benefico Lunæ influxu locupletatus, ignobili illam eclipsi aspergit, umbramque ingratissimam in benefactricem adeò pronam jacit. Unde terram hoc lemmate, ceu stigmate, notârunt. QUO INGRATA DITESCIT. (Ingratitudo.) Adulterinam quorundam indolem hæc imago exhibet, qui non modò de gratia, suis mecænatibus referendâ, parùm laborant sed eos insuper convitiis onerare audent. Inter hoc ingratorum vulgus facilè primipilium se offert Popilius, qui, cùm morte plectendus, Tullii eloquentiâ immunitatem fuisset consecutus, posteà immani proterviâ cruentas manus servatori suo injicere non erubuit. Huic concolor Tullia, Tarquinii filia, rhedam suam supra cadaver demortui parentis, à quo vitam hauserat, trahi jussit. Talis etiam Antipater, qui à matre sua Thessalonica vocibus intensissimis, &, ut Historiæ fidem faciunt, *per* ipsa adeò *materna ubera* pro vita conservanda rogatus, nefarias tamen manus illius jugulo polluere non abhorruit, Sed quid paucos enumero? omnes omninò peccatores adversus (Peccator Deo ingratus.) Deum, cujus beneficio victitant, ingrati existunt. S. P. Augustinus. (S Aug. in Ps. 54.) *Omnis inimicus ingratus est, à Deo enim habet, quidquid habet.*

317. P. Camillus Anticus lunam, sub eclipsi latentem, hoc epigrammate dignoscendam proposuit. E PUR CAMINA. Id est. ADHUC GRADITUR. Vel certè, NON UMBRA DEFLECTIT. Symbolum, id est, animi in virtute obfirmati, cui æmulo- (Perseverant a.) rum crisis nec quidquam remoræ objicere potest. Hugo Cardinalis in illud Geneseos, (Hug Card. in Genes. c. 14.) *Fiant luminaria in firmamento*, ita commentatur. *Justi luminaria dicuntur, quia sicut luminaria, quidquid de eis mentiantur, non mutant cursum; sic justi, quidquid dicant mali, semper in bono perseverant.*

318. Idem lunæ, jamjam in eclipsin devolvendæ, subscripsit. CURSUM HAUD SISTIT IN UMBRA. (Perseverare.) Significaturus haud dubiè, hominis generosi animum etiam inter afflictæ fortunæ casus serenum ac imperterritum stare. Præ aliis in hoc excelluit S. Paulus, quando, nobis quasi constantiæ face prælucens, de se fatebatur. (Act 20. 23.) *Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur; quoniam vincula & tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, dummodo consummem cursum meũ, &c.* Aspera hæc Apo-

S. Franc. Xaver.

Apostoli vestigia impigrè insecutus est S. Franciscus Xaverius, qui, *contractis ob assiduos labores morbis gravissimis*, verba sunt Cardinalis de Monte, prò solemni illius Canonizatione relata, *sæpius naufragium passus est, æstus, frigoris, nuditatis, vigiliarum, sitis, famis, incommoda devotissimè sustinuit*: nihilominus interea gravissima, & difficillimos Apostolici muneris sui labores sine intervallo, non sine prodigio, est prosecutus.

319. Potest equidem terra lunari sideri fastidium aliquod facessere, ejus conspectum fuligine ac umbris obliniendo: illius tamen vires nec quidquam labefactare potest; quin imò Luna influxu vix unquam validiore terram invisere solet, quàm dum sub infestas terræ umbras cogitur. Lunam proinde, sub eclipsi latentem, hoc lemmate ornavit Lucarinus. VALIDIOR TAMEN. Ita sanè virtus afflicta vires suas colligit, & geminato robore, se ipsam orbi in effectis dignoscendam exhibet. Christum, servatorem nostrum, inter horrendos cruciatus suos verè Lunam, eclipsi ornatam, dixisses; qui eâ ipsâ horâ, cùm vesana hominum crudelitas immanissimè adversùs illum insaniret, suavissimos inauditæ pietatis ac benevolentiæ influxus in orbem derivavit. Ecquis non obstupescat, eâ ipsâ tempestate, quâ homines ad nefariam illius proditionem accingebantur, sanctissimum ipsius corpus cibi loco iisdem ab ipsomet fuisse oblatum? *In qua nocte tradebatur, accepit panem, &c.* Petrum quoque, tertiâ vice perfidum, blandè est consolatus, eumque oculis suavissimis respexit, illustravitque: D. Lucâ asserente, *Respexit Petrum*: *id est*, interprete Cartusiano, *mentem ejus misericorditer tetigit, illustravit, & ad sui excessus considerationem excitavit*. Actus in infamem crucem, plurimisque calumniis gravissimè oneratus, Divino Patri pro tortorum salute supplicem se stitit, & *nimiâ misericordiâ superabundans*, verbis Sancti Brunonis utor, *pro suis crucifixoribus orabat dicens*; *Pater ignosce illis*. Totam seriem compendio explicans Magnus Augustinus. *Quoniam*, inquit, *in profundo malignitatis reddebant ipsi mala pro bonis, ille in summo benignitatis reddebat bona pro malis*.

Virtus oppressa.

Misericordia Dei.

1. Cor. 11. 23.

Luc. 22. 16. Cartus. in hunc. loc.

S. Bruno de Orna. Eccl. c. 6.

S. Aug. in Psal. 108.

320. Luna, Soli opposita, eclipsin sustinere, & ob intervenientes terræ umbras fœdè cruentari cogitur. Hoc Astronomiæ scitum Patri Petro Alois occasionem dedit, lunam, eclipsi ac tenebris squalidam, hoc lemmate notandi. EN? SOLI ADVERSA CRUENTOR. Cruentam nimirum illam cædem commemorabat, quâ Serenissimus D. Joannes de Austria, sacri fœderis adversus Turcas supremus Belli Dux, barbarum hostem ad internecionem delevit, sicque immanem Turcarum Lunam victoriâ æternum deprædicandâ cruentavit. Mentem Emblematis sequenti epigrammate aperuit.

Turcæ profligati.

Vivat ut Austriadæ venturis gloria sæclis,
Threycia ut maneat vivida fama necis.
Pinge mihi Pictor cœcum caligine cœlum,
Cynthia ubi eclipsin discolor orbe subit.
Scriptaq; verba addas, En! soli adversa cruentor,
His rubra dicatur Luna loquuta notis.
Thressam luna aciē, Austriadem Sol signat ovantē,
Indicat Ismaridum millia cæsa cruor.

Persecutor justi.

S. Aug in Ps. 36 Con. 2.

Ita prorsus, quisquis adversus justos nititur, seipsum cruentat, certamque perniciem sibi accersit. S. P. Augustinus. *Pervenit gladius persecutorum ad corpora Martyrum, sed percusso corpore, cor mansit illæsum. Illius autem cor, qui gladium eduxit in corpus justi, non planè mansit illæsum. In corpore occidere voluerunt, in anima moriuntur.*

Defectus Magnatū.

321. Vitiosos Principum mores in omnium crisin incurrere, è Luna conjicies; cui in eclipsin delapsæ, Saavedra subscripsit: CENSURÆ PATET. Hanc rem, quotidiana experientiâ certam, calculo suo confirmans S. Petrus Damianus; *Dum*, inquit, *in imis est quispiam, ejus quodammodò vitia delitescunt. Cùm verò ad dignitatis culmen ascendit, in superficiem mox erumpunt: Et quæ fuerant eatenus inaudita; jam per ora rumigeruli populi trita vulgantur.* Et Sanctus Joannes Chrysostomus. *Non possunt Episcoporum vitia dissimulari, sed vel parva atque exigua confestim manifesta fiunt.* Nec gentilium prudentiam hæc veritas latebat: unde Juvenalis:

S. Pet. Dam. Ep. 20. ad Cadaloūm.

S. Ioan. Chrysost. l. 3. de sacerdot.

Iuvenal. Sat. 8.

Omni animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.

Salustius

Et Salustius. *Qui magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novêre. Ita maximâ fortuna, minima licentia est.*

322. Luna, intercurrente orbis mole, tristes umbras contrahit, omnemque à Sole mutuatam lucem, exuere cogitur: postliminiò tamen, obice illo amoto, felicem pristini splendoris libertatem sibi gratulatur. Unde extra terreas illas umbras eluctata, epigraphen tenet. JAM NIHIL OBSTAT. Ita animus, Deo sacer, molestâ corporis sarcinâ prægravatus, eousque à Solis Divini conspectu prohibetur, donec excussâ illâ, ad infinitam æternæ beatitatis lucem participandam admittatur. Themistius, *Probabile est*, inquit, *animam veluti à vinculo corporis, quod expiravit, solutam, tum demùm verè respirantem, seseque recreantem Deo sociari, & ab eo pendere.* Et Apuleius. *Vinculis liberata corporis sapientis anima remigrat ad Deos, pro merito vitæ purius, castiusque transactæ, hoc ipso se Deorum conditioni conciliat.*

Mors utilis.

Themist. apud Io. Stobeum serm. 117.

Apul. lib. de Philosoph.

323. Tum demùm eclipsin patitur Luna, quàndo toto suo orbe plena resplendet. Unde lemma: CUM PLENA, CÆCATUR: vel, DEFICIT ORBE PLENO. Homo, fortunæ invidiâ miserrimus, dum felicitatis splendore jamjam plenum se circumspicit, subitò ad extremas calamitatum tenebras præcipitatur. Idipsum de sanitate testatur Plutarchus. *Lubrica res est*, inquit, *valida corporis constitutio: & corpora, ubi ad summum profecta sunt vigorem, non consistunt, sed momento in contrarium impelluntur*: Et de belli vicissitudine Tucidides, *Is*, inquit, *qui in bello ob res secundas exultat, non cogitat, quàm infidâ fiduciâ se extollat.* Quid multis? Divitiæ, honores, eaque omnia, quæ fortunâ parente nascuntur, illam inconstantiæ indolem congenitam habent. Eruditè Publius Mimus.

Felicitas inconstans.

Sanitas.

Plut. Sympos. l. 5. q. 7.

Tucid. l. 1.

Publ. Mimus.

Fortuna vitrea est, tunc, cùm splendet, frangitur.

324. Terræ globus, umbris suis in Lunæ vultum projectis, miseram hanc ingloriâ eclipsi aspergit. At injuria, sideri illi irrogata, omnium pessimè ipsimet terræ vertit; quippe quæ lunæ splendorem, gratumque aspectum, imprudens sibi eripit. Unde lemma. EREPTA SIBI LUCE NOCET. Vel, meo judicio, melius. SIBI NOCET OBUMBRANS. Ingratum hæc imago repræsentat, qui benefactore injuriis lacessito, plurimùm damni & offensæ in se ipsum accumulat. P. Athanasius à S. Carolo Augustinianus Excalceatus, hoc symbolum sequenti epigrammate explicat.

Ingratitudo.

Ereptâ sibi luce nocet tunc inscia tellus,
Cùm lunæ lucis præpedit omne decus.

Lade-

Lædere qui tentat fratrem, se confodit antè,
Ex fratris vitâ si trahat ipse suam.
Invide, crede mihi, stultâ tunc arte nocebis,
Si noceas aliis, sed magis ipse tibi.

Et magis succinctè meus D. Salvator Carduccius.

Tellus obumbrans Cynthiæ jubar gemit.
Cave, juvantem negligas: lacrimas dabis.

STELLÆ.

CAPUT X.

325. ALcibiades Lucarinus cœlum stellis undique respersum, pinxit; cum lemmate. LUCE, NON VI EADEM. Sicuti enim Apostolo teste, *Stella à stellâ differt in claritate*, ita Cœlitum quidem singuli è splendoris Divini abysso hauriunt, sorte tamen adeò dispari, ut gloriam suam nonnisi ad majoris vel inferioris meriti dimensum capiant. Isidorus, Hispalensium Archiepiscopus. *Quemadmodum stellæ sibi differunt claritate: ita justorum diversitas meritorum discretione.* Et S. P. Augustinus. *Aliter ibi lucebit virginitas, aliter ibi lucebit castitas conjugalis, aliter ibi lucebit sancta viduitas. Diversè lucebunt, sed omnes ibi erunt. splendor dispar, cœlum commune.*

[1 Cor. 15. 41. — S. Isid. l. de mundo c. 24. — S. Aug. de verb. Dom. serm. 46. c. 3.]

326. Cœlum, stellis undique respersum, medio loco lunam exhibet, cum dicto. QUÆ MINORA, MAJORA. Sicut enim stellæ, tametsi lunam longè excedant, minores tamen creduntur ita minoris pretii virtutes ac merita non rarò dignioribus præferuntur, hominumque oculis, cæcis planè judicibus, majora videntur; passim hodie contingit, superiores dignitatum gradus ab indignioribus occupari, dignosque non sine reipublicæ damno, haberi neglectui. Hanc orbis insaniam altùm deplorans Lipsius. *Hic jam est cursus rerum*, inquit, *& lex quædam, nisi fallor, mundi, ut honesti, honestaque jaceant, & exurgat, quidquid turbidum est aut pravum.* Et alibi. *Prô Deum immortalem! blenni aliquot, & buccones ad culmina honorum veniunt, meliora ingenia arcentur.* At S. Bernardus huic miseriæ longè antè illachrymatus, *Monstruosa res est*, inquit, *gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus, vultus gravis, & actus levis; ingens auctoritas, & nutans stabilitas.*

[Indigni sublevati. Virtuosi oppressi. — Lips. Centur. singul. ad Italos. Ep. 17. — Idē Centur. sing. ad Germanos ep. 51. — S. Bern. l. de consideraт.]

327. Eidem symbolo, lunæ scilicet, inter stellas mediæ, inscripsi. QUÆ MAJORA MINORA. Innuebam videlicet, sicuti stellæ, lunâ longè majores, hâc tamen minores censentur; ita eos plerumque dignitatum gradibus inferiores collocari, qui meritis præstant. Hanc labem in Republicâ Romanâ deprehendens Seneca, ait, *Immensum erit, si percurrere cœpero, ipsa respublica quàm ingrata in optimos ac devotissimos sibi fuerit, quamque non minus sæpè peccaverit, quam in ipsam peccatum est. Camillum in exilium misit; Scipionem dimisit, exultavit post Catilinam Cicero, diruti ejus penates, bona direpta, factum quidquid victor Catilina fecisset. Rutilius innocentiæ prætium tulit in Asiæ latere, Catoni populus Romanus præturam negavit, consulatum pernegavit. &c.* Idipsum Apuleius in Hippiâ, magni meriti, sed tenuis fortunæ viro animadvertit. *Ut Hippias*, inquit, *è numero sophistarum est, artium multitudine prior omnibus, eloquentiâ nulli secundus, ætas illi cum Socrate, gloria verò magna, fortuna modica, sed ingenium nobile, memoria excellens, studia varia, æmuli multi.* P. Jacobus Masenius in stellâ Chisiorum symbolicâ de Fabio Chisio canit.

[Virtuosi depressi. — Senec. l. 5. de benef. c. 17. — Apul. l. 4. Floridorum.]

Hoc quodcunque polo fulget sublimius astrum:
Ignaris falsò creditur esse minus.
Sic, quicunque Deum spretâ tellure sequuntur,
Ingenio vulgi vix modò nomen habent.
Sed tibi, Magne Fabi, vix ignorantia vulgi
Detrahit: in summis crederis esse, quod es.

328. Stellæ, splendore suo intra Oceani aquas reflexo, epigraphen tenent. TRANQUILLO RENITENT. Ita omninò gratiæ Divinæ splendor animam nonnisi tranquillam, & tumultuante vitiorum procellâ liberam, dignatur. S. Prosper, meus Concanonicus, linguâ ligatâ id exprimit.

[Gratia Dei. — S. Prosp. in Epigram.]

Tranquillam, & curis vacuam sapientia mentem
Imbuet, & placidi pectoris hospes erit.
Nam quod non fuerit conceptum corde quieto,
Acquiri in sævo turbine non poterit.

Pulchrè S. P. Augustinus, & veluti ad rem præsentem; *Esto tranquillus*, inquit, *& intelliges: nam perturbaris, & obscuras tibi lucem. Radiare tibi vult Deus. Noli tibi facere nubilum de perturbatione.*

[S. Aug. in Psal 91 circa finem.]

329. Stella, nubium obsidione cincta, epigraphen Hispanam præfert. NI MANCHA, NI MUDANZA. Id est, NEC MUTOR, NEC MACULOR. Candidum & constantem Herois animum hæc imago repræsentat. Cumprimis tamen Deus geminam illam prærogativam sibi vindicat, qui à se ipso vocatur *stella splendida & matutina.* De illo affirmat Sapiens, quòd *sit speculum sine maculâ.* Et S. Jacobus, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Quia in Deo, interprete S. Gregorio, *mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra vicissitudinis interdicit.*

[Perseverantia. — Apoc 21. 16. — Sap. 7. 16. — Iacob. 1. 17. — S. Greg. l. 12. mor. c. 7.]

330. Stellæ, quæ sphæram ætheris octavam incolunt, epigraphen sustinent. NOCTE NITESCUNT. vel, IN TENEBRIS MAGIS. Virtutis hæc lineamenta sunt, quæ, adversitatum umbris undique occupata, famam ac splendorem longè amplissimum spargit. S. Bernardus. *Stellas dixisse virtutes, non me pœnitet, considerantem congruentiam similitudinis. Quomodò nempe stellæ in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminet in adversis.* Et Justus Lipsius. *Sicut stellæ in tenebris etiam fulgent, sic liquidus & libens viri sapientis animus etiam in temporum caligine aut nube.* Quod modò de virtute, idipsum etiam de virtutis famâ credendum censet Lipsius, ut quæ, malevolorum calumniis infestata, clarissimè resplendet. *Ut stellæ in cœlo*, Lipsii verba sunt. *PER ipsas TENEBRAS FULGENT, sic bonorum fama per obstantes calumniatorum nubes.* De Fabio Chisio in symbolicâ Chisiorum stellâ canit P. Jacobus Masenius.

[Virtus infestata. — S. Bernard. serm 27. in Cant. — Lips. Centur. Miscell. Ep. 59. — Idē Centur. ad Belgas Ep. 11.]

Omnia nox pullo tenebrarum velat amictu:
Mobile stellarum quæ solet esse decus.
Pulchrius in tenebris sidus micat, absq; tenebris;
Hoc terris Fabius, stella quod ista polis.
Hæresis, infestumque scelus virtutibus altas
Offundat tenebras, nox vice lucis erit.

331. Stellarum symbolo inscripsêre. MICANT ABSENTE SOLE. vel, SOLE PROCUL RUTILANT. aut Claudiani verbis. DEFICIENTE NITENT PHÆBO. Virtus splendorem suum tantò uberius diffundit, quò magis mundi oculos subterfugere, & obscuros recessus habitare amat. Porrò sancti Innocentes, Christo, sole æterno, è Palæstinæ cœlo in Ægyptum vergente, clarissimâ martyrum laureolâ resplenduerunt. E Philonis sententiâ, Emblemate illo cœlestia auxilii Divini lumina significantur, quæ nobis tum demum omnium

[Claud. Carm Fescen. — Virtus abscondita. — SS. Innocentes. — Illuminatio Divina.]

Philo l. de somniis. omnium copiosissimè affulgent, quando sensus caliginosos, & tenebris obvolutos circumferimus. *Quoties*, inquit, *sensuum splendor tanquam sol oritur: tunc scientiæ revera cœlestes occultantur*; (Certè Magis, ad Rabbinorum scientiam confugientibus, stella disparuit) *quoties autem ad occasum accedit, tunc fulgentissimæ virtutum stellæ se proferunt, quando etiam mens ipsa, re nullâ velante, fit sensibilis.*

In morte. 332. Persona, multis virtutibus conspicua, inter funebrem pompam à Lucarino stellarum Emblema accepit, quæ, in occasum dilapsæ, epigraphen tenebant. LUCEBUNT ALIBI. Anima enim, virtutum ornamento insignis, radiis suis è mundi conspectu Exilium. subtractis, etiamnum clara in cœlis refulget. Hoc symbolo itidem viri illustres, in exilium ejecti, significantur, qui, gloriæ ac virtutum splendore secum ablato, iisdem radiis terras exteras, quibus antea *Petrarch. l. 2. de Remed. Dial. 67.* patrias, illuminant. Petrarchâ teste, *Non minor in exilio Camillus fuit, quam fuisset domi: quantus civis! quantus exul! &c.* Verùm non Camillus modò, sed & Cicero, Marcellus, Rutilius, Themistocles, Scipio, aliique patriâ extorres, virtutem & gloriam ubique terrarum individuas habuêre comites.

333. Debilis & angustus oculorum obtutus stellas penitùs obscuras, & nubibus sepultas judicat, cùm tamen illis longè superiores, nunquam non scintillent, Merita æstimantur à Deo. luceantque: veluti è litteris, in cœlo stellato describtis, colligere licet. HIC FUSCA NITEBIT. Ita omninò actiones plurimæ, quæ exoculatis æmulorum oculis sunt vitiosæ, Dei conspectum mirè recreant, & gloriæ plurimùm diffundunt. *Boni enim*, inquit Hu- *Hug. Card. c. 1. Genes.* go Cardinalis, *semper apud Deum lucidi sunt, licèt sint in mundo despecti.*

Prælatus Beneficus. 334. Insignem Cardinalis Petri Campori virtutem, in homines passim beneficam, Joannes Ferrus cœlo stellato non absimilem dixit, quod circùm terræ sphæram volutatum, epigraphen præferebat. TER- *Lips. l. Politic* RÆ FOETIBUS. Nam è Lipsii sententiâ, *sicut sidera illa splendorem habent, sed ut usibus mortalium deserviant; sic Principes dignitatem, sed cum munere, officioque devinctam.*

Visitatores. 335. Religionum vel Diœceseon Visitatores stellas, quæ cœlum nocturnum discriminant, muneris sui archetypon constituant: hæ enim circumvolutæ, terram opimis frugibus locupletant. Unde lemma, sideribus affixum. REVOLUTA FOECUN- *Gen. 41. 46.* DANT. Josephus, paulò ante Ægypti Prorex nominatus, mox *circuivit omnes regiones* Ægypti. In *Fernand. in hunc. loc.* quem locum P. Benedictus Fernandius. *Ut muneri suo in bonum publicum totius Ægypti satisfaceret, ante omnia totam illam regionem peragravit.* Qui verò influxus, à mysticis his stellis per Diœcesin aut *S. Bernard. l. 4. ad Eugen. cap. 4.* Religionem diffundendos, scire amat, S. Bernardum consulito. *Post aurum*, inquit, *non abeant, sed Christum sequantur, qui quæstum legationum non æstiment, sed fructum; qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant, famæ provideant suæ, non invident alienæ, qui redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati,*

Vita humana. 336. Stellis, è cœlo nocturno scintillantibus, inscripsi. VERGIMUS AD OCCASUM. vel. AD OCCASUM TANDEM. In hoc symbolo vitam humanam depictam cernere licet: hæc enim, quamlibet serena, splendida, aut sublimis; gressu tamen assiduo & inevitabili ad mortis præcipitia festinat. *Idiota lib. 5. Contemp. cap. 1.* Doctissimè meus Idiota. *Sicut omnes stellæ, quæ ab Oriente veniunt, quamvis sint magnæ claritatis, & virtutis, tendunt tamen ad occasum: sic etiam homines universi, qui ab oriente, id est, per nativitatem intrant in mundum, quamvis illi aliquandiu rutilent, & clarescant, necesse tamen est, quod tandem ad occasum mortis veniant, decidantque.*

337. Stella, nubibus inumbrata, chartam volantem præfert, his characteribus insignem. LUCET TAMEN, ET INFLUIT. Eos hoc Emblema concernit, qui, tametsi calamitatum umbris miserè infe- Beneficia conferre stati, aliis tamen suppetias ferre non desistunt. Celeberrimus in hâc arte Tobias, frequenter ad Israëlis populos, etiam durâ captivitate pressus, invisit, eorum dolorem mitigavit, &, è Sacræ Scripturæ testimonio, *monita salutis dabat eis.* Hoc nihilo inferior S. Joannes Baptista, horrendo carceri mancipatus, *Tob. 1. 15.* nunquam non studuit, discipulorum corda genuino fidei lumine imbuere, eosq; ad Christum ablegatos, regiam æternæ beatitatis assequendæ semitam docere. Haud aliter hoc nostro ævo Carolus Stuartus, Angliæ Rex, capite jamjam infra securim posito, parricidas suos, pro conservandâ patriæ tranquillitate, sanissimis consiliis instruxit. Omnium tamen propriissimè S. Stephanum Emblema illud concernit, qui à persecutoribus suis acerrimè exagitatus, non S. Stephanus. tantùm instar stellæ purissimæ resplenduit, *viderunt faciem ejus, tanquam faciem angeli*; sed insuper pro ipsis ad Deum intercessit, veniamque rogavit. *Positis* *Act. 6. 15.* *autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens; Domi-* *Act. 7. 60* *ne, ne statuas illis hoc peccatum.* S. P. Augustinus. *Vi-* *S. Aug. ser. 237 de Tem.* *deamus*, inquit, *spectemus magnum spectaculum. Ecce Stephanus lapidatur. Eja membrū Christi, eja athleta Christi, inspice illum, qui pro te pependit in ligno. Crucifigebatur ille, tu lapidaris. Ille dixit*, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Tu quid dicis, audiamus. Primò stans oravit pro se, & ait:* Domine Jesu accipe spiritum meum. *Deinde genuflexit, & flexo genu ait,* Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Hoc dicto*, obdormivit. *O felix somnus, & requies vera. Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare.*

338. In sacro Sarronensi templo stellam videre est, quæ, splendoris sui radio ad ipsum usque infimum hunc orbem demissa, epigraphen refert, IMA SUMMIS, ex Horatio desumptam. Nempe Maria *Horat. lib. 1. Carm. Od. 34.* Virgo, Verbo Divino gravida, instar stellæ, terram cœlo, mirâ concordiâ, univit. Hoc Mariæ encomiū S. Ecclesia publicis hymnis extollit, *Virgo Deum* Incarnatio Verbi. *& hominem genuit, in se reconcilians IMA SUMMIS.* Hunc erga Deiparæ affectum Ludovicus *Lud Veruc. nell Erenta Antonio. st. 90.* Veruccius ita explicat.

Nel grembo di Maria le cose estreme
Sono congiunte per gratia alta, è divina:
L infime parti unendo à le supreme:
S'alza la terra, quant' il ciel s' inchina &c.

Eadem cœli Imperatrix maternâ suâ beneficentiâ homines è terrâ ad cœlestis gloriæ fastigiū manudu- Protectio M. V. cit, sicque ima jungit summis. Cæterùm hâc imorum summorumque copulâ S. Petrus Chrysologus pacem *S. Petr. Chrysol. serm. 13* & concordiam fraternam exprimit. *Pax*, inquit, *anima fidei, columna justitiæ, pax futuræ spei, pignus ido-* Pax unit res extimas. *neum: pax, quæ præsentes sociat, absentes invitat: pax, quæ terrena cœlestibus, & Divinis humana conciliat.* P. Jacobus Masenius de Illustrissimo D. Legato, Fabio Chisio, in egenos beneficentissimo canit, alludit- Benefactor. que ad stellam ipsius gentilitiam.

Summa licèt summo firmetur in æthere stella,
Illa potest humiles irradiare casas.
Quod stellæ radii, Fabio submissio præstat:
Illa micat vulgo, nec minus ille micat.
Lumine stella suo, Fabius virtutibus orbem
Implet: utrumque soli sidus, utrumque poli.

339. In eodem templo stella cernitur, cum lemma- Assumptio M. V. te. UT MOVEAM MOVEOR. Deiparam Virginem, ad cœlos assumptam, hæc imago loquitur;

quæ

quæ è terra ad Superûm regiam evocata, Deum malis nostris propitium effecit, sicque è mundo *mota*, Deum in vota nostra *movit*. Testem se offert S. Ecclesia, dum canit, *Quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti Domine, ut apud te pro peccatis nostris fiducialiter intercedat.* Vel certè è terris ad cœlos emota est, ut fidelibus incitaméto, & instar prototypi esset, ad heroicas illius virtutes impigrè assequendas.

in Oratione secreta in vigil. Assumpt.

Exemplú.

340. D. Carolus Ghioldus, in insigni Collegiatâ ad S. Nazarium Mediolani Theologus, quasdam de septem Sacramentis conclusiones propugnandas suscipiens, septem stellas seu planetas scuto symbolico impressit, cum dicto, HIS VIVIMUS, ET REGIMUR. Emblematis hujus materies è sacra Apocalypsi habetur mutua, ubi de Filio Dei dicitur, *habebat in dextera sua septem stellas*; Lemmate verò ad illud Aristotelis pronuntiatum alludente. *Necesse est, inferiora hæc superioribus lationibus continuari, ut omnis inde eorum virtus constituatur & regatur.* Nempe miram Sacramentorum virtutem Emblemate illo significavit; Baptismi quidem, Eucharistiæ, &c. quia de iis *vivimus*: Ordinis verò & Matrimonii, quia per ea *regimur*; inspirando nimirùm in fidelium animas gratiâ & vitæ spiritualis incrementum. S. Augustinus. *Sacramenta lapsos ædificant, satiant esurientes; qui non ita satientur, ut fastidiant, sed sit satietas sine fastidio, pellens inopiam, non assumens contemptum.* Et rursùs. *Optimè Punici Christiani baptismum nihil aliud, quàm salutem; & sacramentum Corporis Christi nihil aliud, quàm vitam vocant.*

Sacramenta.

Apocal. 1.

S. Aug. ser. 72 de Temp. c. 5.

Idem de pecc. merit. lib. 1. cap. 24.

Calamitas superata.

341. Qui diuturnâ calamitate exagitatus, tandem, meritis ac virtute suâ adminiculante, ad salutis exoptatæ Pharum luctatur, symboli loco stellam præferat, è nube, quâ importunè detinebatur, promicantem; cum lemmate. EMERSIT. vel, EMERGET TANDEM. Idipsum de justitia pronuntiat Andreas Alciatus, *Tandem, tandem justitia obtinet*; id quod ex Hesiode desumpsit. *Justitia verò EMERGIT, super injuriam TANDEM prodiens.*

And. Alciat. Embl. 28. Hesiod. l. 1. Georg.

342. D. Joannes Visconti, nobilis Pistoriensis, doctrinâ æquè, ac vitæ sanctimoniâ conspicuus, symboli loco stellam præfert, hoc lemmate insignem. NON INDIGET A' RO. Ii enim, qui Deo famulantur, propriæ suæ virtutis splendore contenti, omnem adventitiam lucem, ut supervacaneam, rejiciunt. Suffragatur Lipsius. *Virtus*, inquit, *ipsa sibi magnum præmium est, nec ornamenta ulla aliunde desiderat.* Et Franciscus Petrarcha. *Sæpè alteri commodum virtus alterius tulit. Veram laudem nisi de proprio sumpseris, ab alio non expectes.* Denique B. Ennodius.

Proprius valor.

Lips. Præfat. lib. 1 variar. lection. Petrarch lib. 1. de remediis Dial. 16. Ennod distich. 12.

Nil juvat externo componere membra nitore;
Lux naturalis sidera nobilitat.

343. Qui proprii meriti aut virtutis inops, solâ avorum nobilitate gloriatur, stellæ non absimilem se probat, quæ radiis, à Sole emendicatis, scintillans; epigraphen sustinet. MUTUATO LUMINE FULGET. Origenes hanc iconem de S. Joanne Baptista interpretatus, illa Apostoli verba, *Non erat ille lux*, ita explicat. *Erat lucerna ardens & lucens, sed non propriâ luce lucebat: stella erat matutina, sed non à se ipso proprium lumen accepit; gratia ipsius, quem præcurrebat, in eo ardebat & splendebat. Non erat ille lux, sed particeps luminis: suum non erat, quod in se & per se fulgebat.*

Honor mendicatus.

S. Joan. Baptista.

Origen. in Ioan. 1. 8.

344. D. Arcsius in Universi umbilico globum terestrem depinxit, cujus inferius hemisphærium à sole illuminatur, superiore verò umbram pyramidalem adversùs stellam oppositam projiciente: quia tamen umbra illa, justo brevior, stellam non attingebat, ideò ab ipso vocabatur *stella ab eclypsi immunis*; addito lemmate. TENEBRÆ NON COMPREHENDERUNT. Ita sanè fœda illa originariæ maculæ umbra ad Mariam Virginem, ceu purissimam stellam, porrigi nunquam poterat. S. Hieron. ex illis Psalmi verbis, *Deduxit illos in nube diei*, ita concludit, *Pulchrè dixit, diei: nubes enim ista*, id est, MARIA, Dei Mater, *non fuit in tenebris, sed semper in luce.*

Conceptio Mariæ V.

S. Hier. in Psal. 77. 14.

345. Franciscus Raulinus cœlo nocturno, stellis undique resperso, inscripsit. NON LUCENT OTIOSA. Lemmate è Seneca mutuato. *Quid tu*, inquit, *tot millia siderum judicas otiosa lucere?* Nimirùm Serenissimum Odoardum Farnesium appellabat, qui præclaris sapientiæ, fortitudinis, magnanimitatis, aliarumque virtutum dotibus cumulatè instructus, hos suos splendores nequaquàm steriles aut otiosos aluit, sed factis nobilissimis, tantoque heroe dignis, locupletavit. Certè ii, qui intra limites genuinæ virtutis aut sanctæ fidei Deo famulantur, stellis non absimiles se probant, cùm fidei Divinæ lucem optimis exemplis, ac piis operationibus connectere nunquam non allaborent. Unde Apostolus testatur. *Fides sine operibus otiosa est.* Proinde, subjungit Magnus Augustinus, *nec amor sine spe est, nec sine amore spes, neque utrumq; sine fide.* Et rursùs. *Qui credunt, & opera bona non faciunt, fidem dæmonum videntur habere. Qui verò non credunt, pejores dæmonibus comprobantur.*

Senec. quæst. natural l. 2. cap. 32.

Dignitas cum virtute.

Fides & opera.

Iacob. 2. 20. S. Aug. Enchirid. cap. 8. Idem serm. 38 de Sanctis.

346. Non omnibus stellis lucendi facultas obtigit. Siquidem illarum aliæ sunt pellucidæ ac serenæ; aliæ verò nebulosæ ac turbidæ. Caveas tamen, hanc earũ varietatem in solem, stellarum omnium illuminatricem, conjicias: tota enim illa diversitas à varia siderum temperie profluit; aliis plus, aliis verò minus ad splendorem recipiendum dispositis. Unde Raulini lemma. NON EST à SOLE VARIETAS. significabat nimirùm Ducis Odoardi voluntatẽ ad omnes illustrandos fuisse ex æquo promptam, paratamque; quamvis serenissimo huic gratiarum splendori recipiendo non omnes sese idoneos objecerint. Certè Rex ille Evangelicus *vocavit servos suos*, singulorumque meritis ad libellam examinatis, *uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuiq; secundùm propriam virtutem. Ratio disparis doni*, interprete Cajetano, *redditur disparitas virium. Unicuique enim dedit secundùm proprias vires, id est, proportionaliter ad proprias vires.*

Gratia conformatur capacitati.

Matt. 25. 14.

Cajetan. in hunc loc.

347. Stellæ Inferum hunc orbem gubernant quidem; sed nonnisi ab Intelligentiis (Angelos vocant Theologi) gubernatæ, Unde Raulini epigraphe. REGUNT SED REGUNTUR. Ad hanc ideam prudens Princeps se componat, necesse est; quippe qui, Provinciæ suæ orbem ex æquo gubernaturus, sese sapientûm consiliis, legumque præscriptis gubernandum permittat. Quæsitum ex Agesilao, cur Lacædemonum Respublica præ aliis vigeret? *Quoniam*, respondit, *præ cæteris in hoc se exercent, ut pariter & imperare, & parere sciant.* Alexander Magnus, militiam ac regnum sapientissimè moderatus, à Parmenionis ore totus pependit, si Curtio fides; *Rex sine illo nihil magnæ rei gessit.* E sacris litteris id compertum est; quæ Hæbræis Regibus, recens ad solium evectis, injungebant, ut propriâ manu omnia legis Divinæ præcepta scriberent: cùm hoc exercitium ad illam menti altùm imprimendã, uti & ad felicis imperii auspicium, plurimùm conferre videretur. De Antonio Pio referunt Julius Capitolinus & Sabellius. *Nihil vel in bellicis, vel in civilibus negotiis agebat, de quo non prius conferret cum gravibus viris dicens: Æquius est, ut ego tot taliumque amicorum consilium sequar, quàm ut tot talesque amici meam*

Princeps alorum consiliis utatur.

Deut 17. 18.

Sab. l. 4 En 7.

unius sequantur voluntatem: Multùm abhorrens à quorundam ingenio, qui consulto pileo suo dicunt: Vos sedulò cōsulitis, sed aliud mihi suadet pileus meus.

348. Stellæ, in Cœlo nocturno coruscæ, epigraphen tenent. POST SOLIS OCCASUM. Sacram B. Andreæ Avellini faciem hoc emblema spectabat, quæ à morte instar fulguris resplenduit. Opportunè insuper Josephum de Arimathiâ, & Nicodemum hâc icone significaveris, qui, Servatore etiamnum vivente, occultos sese tenebant; eo tamen in mortis occasum inclinante, stellarum more, palam pro dire, & clarissimos charitatis, fidei, ac pietatis radios spargere cæperunt. Cæterùm, Magno Augustino teste, *Sol Christus est; Luna Ecclesia in orbe completa, solis claritate quotidie illustrata: stellæ quoque lucentes, Sanctorum sunt millia, id est, Apostoli, Patriarchæ, Martyres, Virgines, Sacerdotes, cuncti justi pariter & fideles virtutum suarum flammâ radiantes.* Quæ tamen stellæ nonnisi postChristi, ceu solis æterni mortem splendescere potuerunt.

Joseph de Arimathiâ & Nicodemus. Christi mors.

S. Aug. serm. 134 de Temp.

349. Grandis meriti, doctrinæ, & sanctimoniæ excellentia in personâ illa resplenduerit, necesse est; quæ ad insignem dignitatem sublevata, symboli loco, solem nascentem accepit, ad cujus primum conspectum mox stellæ circumerrantes adornare fugam, suasque repetere latebras cœpêre: addito lemmate. PRÆCEDUNT, UT CEDANT. Quasi diceret; omnes illos, qui hunc in eâdem dignitate antecesserant, instar tenuium stellarum, coram tanti ingenii sole evanescere. Stellas dixerim Sanctos Legis veteris Prophetas, qui præcesserunt, ut tanto Christi ac legis Evangelicæ soli cederent, locumque darent. S. P. Augustinus. *Jam non ad lucernam prophetiæ ambulamus, sed ipsum Dei verbum, tanquam solem contemplamur.*

Virtus excellens. Prophetæ.

S. Aug. in Psal. 58. conc. 2.

350. Firmamenti stellæ semper in eodem loco & situ, quem à Deo assignatum olim accepêre, fixæ, immotæque hærent. Unde lemma. ORDINE SEMPER IMMOTO. Hæc nimirum amussis est boni regiminis, in civitate, vel republicâ instituendi: nam si cives æque ac nobiles intra limites, à legibus præfixos, utrimque se contineant, haud dubiè publicam utilitatem, communemque decorem sartum tectumque conservabunt. Proindè inter cæteras Reipublicæ tuendæ conditiones Petrus Greg. *Prospiciendum est*, inquit, *moderatori, ut quilibet suum conservet locum, & ordinem, quando & quo tempore oportet.*

Ordo prodest.

Pet. Greg. de Repub. lib. 4 cap. 3. n. 1.

351. Septenam Plejadum constellationem, quam Ursa cœlestis comitabatur, hoc Virgilii hemistichio, ceu lemmate, circumscripsêre. OCEANI SPRETOS PEDE REPPULIT AMNES. Meâ tamen sententiâ brevius, & melius. OCEANI REPPULIT AMNES. Christinam, Suecorum Reginam, dum vastis suis regnis nuntium remisit, hoc Emblemate condecorârunt. Joannes Bapt. Bargioccus illius sensum sequenti epigrammate aperuit.

Virgil. 4. Georg.

Mundum relinquere.

Io. Bapt. Barg. lib. 3. Epig. 108.

Plejas Oceani spretos pede reppulit amnes,
Sunt ficta hæc, at tu verius ista facis.
Quippe tua Oceani glacialia regna repellis,
Et pede, te major, Regia sceptra teris.
Ergò Virgilii gelido tu dignior axe,
Verius Oceani quæ pede spernis opes.

Et certè fallacem ac turbatum hujus mundi Oceanum generoso calcandum esse pede, eleganter in rem præsentem hortatur Doctorum Princeps, Magnus Augustinus. *Hoc sæculum mare est. Habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tribulationum, tempestates tentationum; habet homines, velut pisces, de suo malo gaudentes, & tanquam se invicem devorantes.* Quid igitur in tantis malis consilii? *Calca mare*, inquit, *ne mergaris in mari.*

S. Aug. in Psal. 39 ante medium.

Ibidem.

352. Sole exoriente cætera sidera omnia apparere desinunt, cœlumque velut unoculum relinquunt. lemma. SOLIS CONDUNTUR AD ORTUM. Sic humilitate, ceu sole, animâ humanam subeunte, virtutes reliquæ adeò teguntur, ut humilis sibimet ab omni perfectionis nitore planè nudus videatur. *Penè soli verè electi*, inquit S. Gregorius, *bona sua non vident, quæ in se videnda omnibus ad exemplum præbent. Solus Moses ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini*, cunctis aliis insolenti spectaculo perterritis. Et S. Bernardus. *Conservandæ humilitatis gratiâ, Divina solet pietas ordinare, ut, quantò quis plus profecit, eò minus se reputet profecisse; nam & usque ad supremum exercitii spiritualis gradum, si quis eò usque pervenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix sibi primum videatur adeptus.*

Humilit[as]

S. Greg. lib. 12. Moral. cap. 5.

S. Bernar. serm. de modi ora[...]

PLANETÆ.

CAPUT XI.

SATURNUS. VENUS, seu Lucifer, vel Diana. MERCURIUS.

353. SAturno, Amphoræ domum habitanti, inscripsit Tassus. TARDISSIME VELOX. Apposite quidem. Nam si hujus planetæ amplissimam sphæram respicias, inter omnia reliqua sidera ultimus eam percurrit; si verò motum, nulli secundus est, tantamquam in vastissimâ suâ sphærâ absolvendâ velocitatem adhibet, quantam reliquæ stellæ in percurrendis suis sphæris angustioribus Ita Principes nec in decernendo præcipites, nec in exequendo tardi sint, oportet. Sicuti enim nimia cunctatio, ita & præpropera celeritas multis perniciosa, omniumque vituperio digna existit; utraque verò probè attemperata, optimos proReipublicæ incremento effectus parit. Octaviano Imperatori dictum solenne erat, *Festina lentè.* Idque etiam in sigillo suo significavit, cui *papilionem cum cancro* incidi voluit; jungendo nimirum velocem papilionis volatum cum congenitâ cancri tarditate. Ovidius bonum Principem ad pœnas inferendas cunctabundum, & ad præmia distribuenda celerem cupit.

Princep[s] pruden[s]

Ovid. l. [...] Ponto [...]

Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox.

354. Principum dignitas, quæ supra vulgus longè eminet, in Saturno, planetarum omnium supremo, dignosci potest. Proinde sicuti iste id lemmatis sibi vendicat, SUBLIMIS LENTIOR, Ita sanè Principes in subditorum causis nonnisi tardâ & maturè ponderatâ sententiâ quidquam decernant. Emblematis author, mentem suam explicans, subjungit.

Princep[s] in agendo sit tardus.

Infirmorum properantia, sublimium tarditas est,
Magnum regimen consideratâ tarditate fertur,
Multa enim providens diu deliberat.
Re tamen ipsâ in majori orbe
Sydus, in speciem tardius, velocius est. &c.

VENUS, hoc est LUCIFER, seu DIANA.

355. Veneris Planeta (Luciferum etiam vocant, quòd solem præveniat; & Dianam, ceu solis nascentis prodromam) solem jamjam exorientem comitatus, à P. Raulino epigraphen cepit. SOLEM LUCE HAUD PROMITTIT INANI. Significabat nimirum, DucemOdoardum suis promissis adeò firmiter stetisse, ut beneficiorum & gratiarum radii, quos spoponderat, nunquam non è vestigio sint secuti. Quod ille de Principe, jure longè potiore de Deò dixerim, cujus vel minima promissa adeò non fiunt irrita, ut, instar Phosphori, solarem

Promi[ssis] sta[re]

Deus i[n] promi[ssi]onibu[s] verax.

solarem beneficentiæ suæ lucem quàm celerrimè in clientes effundat. D. Petro, Apostolorum Principi, fidem habebis. *Non tardat*, inquit, *Dominus promissionem suam.* Cui suppar S. Joannes Chrysostomus, *spes*, ait, *non pudefacit, quia Dei est promissio, & dona promissa sequuntur ejus naturam, qui promittit.* Et S. P. Augustinus. *Firmissimè sperate, quod non videtis; patienter expectate, quod nondum habetis; quia veracem promissionem Christi fidelissimè retinetis.*

[margin: .Pet.3.9. / .Chrysost. Hom. 6. de Anna. / S. Aug. De Verb. Apost. Serm.23.c.4]

356. Stella Veneris, Solem assiduò comitari solita, inscriptionem refert. PROXIMA SEMPER. vel, SEMPER CIRCA SOLEM. Typum hunc habeas animæ, quæ alterius amore capta, ægerrimè se ab eo avelli patitur. Leo Hebræus, de Amore disserens, *Videmus*, inquit, *quòd amantis in amatam pulchritudinem amor adeò intenditur, atque inflammatur, ut omnes ipsius sensu, totamque phantasiam, nec non universam insuper mentem occupare videatur.* De Amore Divino testatur doctissimus Idiota, meus Concanonicus, *Impatiens est, nisi inveniat, quod desiderat, nec aliud cogitat, quàm quod diligit.* His colophonem subjungens D. Dionysius Areopagita, ait, *Amoris effectus sunt, amantes extra se ponere, & quasi de statu dimovere, nec sinere illos esse suos, sed eorum, quos amant: hinc magnus ille Paulus, Divino amore captus, & virtute ejus extaticâ correptus, ore Divino dicebat: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus: nempe ut verus amator, & extra se in Deum raptus, nec suâ jam vitâ vivens, sed vitâ Dilecti, ut admodum amabili.*

[margin: Verus amor. / Leo Heb. Dial. 3. de Amore, sub finem. / Idiota l. 1. c. 1. Contemplat. / Dionys. Areop. de Div. nom. c.4.]

357. Dianæ Sidus epigraphen monstrat. SOLA CUM SOLE. Ita Maria Virgo in Golgothæa rupe, Apostolis omnibus profugis, Sola è solis Divini latere, comes individua, hærebat, & afflicto compatiebatur. Unde Isaiæ ore conquestus est Dei filius, *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* In quæ verba piè commentatus Richardus à S. Laurentio, *Verum est Domine*, inquit, *quod non est vir tecum, sed mulier una est tecum, quæ omnia vulnera, quæ suscepisti in corpore, suscipit in corde.* Et S. Anselmus super illud Joannis, *Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus*, ait, *stabat Maria in fide Jesu constantissima, & patientissima: nam discipulis fugientibus, cunctisque viris recedentibus in gloriam totius fœminei sexus, inter tot pressuras filii sui constanter ipsa sola stabat in fide Jesu firma. &c.*

[margin: Maria in Monte Calvariæ. / Isa. 63.3. / Richard. de S. Laur. l. 1. cap. 5. / S. Anselm in Ioan. 19.25.]

358. Dianæ stella solem proximè antecedens, & manè coruscans, cognominatur *Phosphorus*, seu *Lucifer*; eadem verò, solem insequens, & vespere lucens, *Hesperus* dicitur. Unde lemma. VESPERE, ET MANE. vel EOI, OCCIDUIQUE COMES. Ad hanc ideam genuinos veri amici mores explorare licet, qui non solùm in Fortunæ ridentis ortu, sed etiam in indignantis occasu nobis individuus adhæret. Eos insuper, qui Divinis obsequiis se devoverunt, in hoc sidere depictos cernes, veluti qui Deo è munere suo nunquam non venerabundi assistunt. Artem hanc, Religiosis cumprimis imitandam, altùm imbiberat Rex David, dum exclamavit, *Vespere, & manè, & meridie narrabo & annuntiabo.* Dedecus certè foret illos ab avibus superari, de quibus testatur S. Ambrosius. *Surgente & occidente die, suos cantus instaurare consueverunt, ut decursi, vel adoriendi temporis laudes suo deferant creatori.* Pulchrè in illum Psaltis Regii locum S. P. Augustinus. *Evangeliza tu*, inquit, *noli tacere tu, dic quod accepisti. Vespere de præteritis, manè de futuris, meridie de sempiternis, vespere Dominus in cruce, manè in resurrectione, meridie in ascensione. Et enarrabo vespere patientiam morientis, annuntiabo manè vitam resurrectionis; orabo ut exaudias meridie, sedens ad dexterā Patris.*

[margin: Amicus verus. / Oratio. / Psal. 54. 18. / S. Ambros. lib. 5. Hexam cap. 15. / S. Aug. in Psal. 54.]

359. Lemma, Dianæ sideri inscriptum, CITO VENIT, SERO RECEDIT; Divinam gratiam concernit, quæ homini excitando, illuminandoque celerrimè accurrit; & nonnisi tardè, imò nunquam, nisi à nobis ejecta, pedem refert. Unde illam in præveniendo admodùm velocem testatur Psaltes, *Misericordia ejus præveniet me.* Et Salomon. *Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* Contrà verò illam in recedendo cunctabundam docet S. Concilium Tridentinum. *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Et S. P. Augustinus. *Nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius deseratur ab homine.* Item. *Non deseret Deus opus suum, si ab opere suo non deseratur.*

[margin: Gratia Divina. / Psal. 58. 11. / Sap 6. 14. / Trid. sess. 6. cap. 11. / S. Aug. serm. 88. de Temp. Idem in Psal. 145.]

360. Epigraphen, Dianæ sideri præfixam, SEQUITUR DESERTA CADENTEM, inter cætera Mariæ Virginis præconia numerabis; quæ, Discipulis in fugam actis, à nemine non deserta, extremam & acerbissimam filii Divini luctam imperterrito animo in ferali Calvariæ pegmate comitata est. In hunc sensum eleganter B. Amadeus. *Currit post Jesum non tantùm in odorem unguentorum, sed in multitudine dolorum; non solum in gaudio consolationum, sed & in abundantiâ passionum.* Guerricus mœstam illam S. Joannis periodum contemplatus, *Stabat juxta crucem Mater ejus*, in hæc verba concludit. *Planè Mater, quæ nec in terrore mortis filium deserebat.*

[margin: Maria V. in Monte Calvariæ. / B Amed. Hom. 5. de Laud. Virg. / Guerric ser. 4. de Assump.]

361. Veneris stella, zodiacum egressa, Tasso authore epigraphen sustinet. TRANSGRESSA JUVAT. Nimirùm Prædicator, qui cum fructu pro Concione dicere cupit, rupto nonnunquam propositi argumenti filo ad morum formandorum materiem, non sine singulari Auditorum utilitate, digreditur. Mirum est, quanto auscultantium profectu in hoc dicendi genere excelluerit Magnum illud Ecclesiæ columen S. P. N. Augustinus. Porrò Mariæ Virginis ceu stellæ illustrissimæ, hæc idea est; quæ è mundi hujus zodiaco ad cœlos progressa, summis orbem incrementis gratiisque fœcundavit. Unde D. Thomas è Deiparæ morte plurima in totam Ecclesiam beneficia redundâsse testatur. *Beata Virgo*, inquit, *non fuit liberata à morte, & aliis pœnalitatibus, ut per illas pœnalitates toti Ecclesiæ thesaurizaret.*

[margin: Prædicator. / Mariæ V. mors. / S Tho. 3. p. q. 27. art. 3. ad 1.]

362. Dianæ sidus, Solem vicinum præveniens, epigraphen tenet. PRÆSENTEM NUNTIAT. Pronum est, in hoc ectypo S. Joannem Baptistam dignoscere, de quo S. Maximus. *Hic enim*, inquit, *solus est Prophetarum, qui Dominum nostrum Jesum Christum, quem alii in longa tempora futurum præscierunt, propriis oculis videre meruit, & ANNUNTIARE PRÆSENTEM.*

[margin: S. Io. Bapt. / S. Maxim. Hom. 3. in Nat Virg.]

363. Homo, totus ex alterius voluntate ac dispositione pendens, Dianæ stellam imitatur, hoc Terentii lemmate insignem. I PRÆ, SEQUAR. Hanc epigraphen quivis Christianus respectu voluntatis & ordinationis Divinæ sibi familiarem habeat. Lipsium habeto testem. *Hæc summa*, inquit, *vel una potius sapientia, Deo & fatis obsequi. Quod Deus vult, velimus; quò ducit, eamus.*

[margin: Deo correspondere. / Lips. Centur. 3. ad Belg. Epist. 51.]

364. Comes Theodorus Trivultius, Majestatis Catholicæ supremus in Belgio Magister equitum, symboli loco Dianæ stellam sibi præferri voluit, cum lemmate. SEQUITUR, ET PRÆCURRIT. Gratiæ Divinæ hæc est indoles, quæ virtuosas nostras operationes & excitando antevertit, & adjuvando ad ipsum usq; illarum terminū prosequitur. Id quod S. Ecclesiæ precibus firmatur. *Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper & præveniat & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos.* S. P. Augustinus. *Deus*, inquit, *voluntatē tuam inspicit, & luctam cum*

[margin: Divina Gratia. / Dom. 16. Pentec. / S Aug in Ps. 32. Conc. 1.]

carne considerat, & hortatur ut pugnes, & adjuvat ut vincas, & certantem inspectat, & deficientem sublevat, & vincentem coronat.

Tibull.

365. Dianæ stellam hoc lemmate insignierunt. PROVOCAT ORTA DIEM. Verbis è Tibullo mutuatis.

Dum rota Luciferi provocat orta diem.

Nativitas S. Joan. Bapt. & Mariæ V.

S Aug serm. 21. de Sanctis.

Opportuno hoc Emblemate auspicatissimos. S. Joannis Baptistæ, aut Mariæ Virginis Natales significabis; qui mundo, novâ cœlestis gratiæ die illustrando, vicinum Divini solis exordium nuntiârunt. S. P. Augustinus. *Sicut lippientes oculos ad videndum provocas, si exiguum splendorem lucernæ ostenderis, & amplius crucias, si lumen magnum ingesseris: ita Dominus & Salvator noster, qui est lumen verum, nisi prius beatum Joannem, velut lucernam, præmitteret, claritatem ejus totus mundus sustinere non posset. Et quia universum mundum peccatorum tenebræ, & nox infidelitatis oppresserant, & solem justitiæ aspicere non valebant, Beatus Joannes, quasi lucerna præmittitur, ut cordis oculi, qui lippitudine iniquitatis oppressi fuerant, magnum & verum lumen videre non poterant, ad lumen lucernæ primùm quasi tenuem splendorem videre consuescerent.*

Gratia excitans & justificans.

Trid. sess. 6. can. 3.

366. Abbas Salarolus, Dianæ stellam, solis in aurorâ prodromam, hoc lemmate insignivit. ME PRÆVENIENTE SEQUETUR. Gratiam prævenientem significabat, quæ gratiam (ut vocant) justificantem antevertit, eique viam sternit. SS. Tridentina Synodus, *Si quis dixerit, sine præveniente spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjuturio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ejus justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Et S. Bernardus. *Vigilas tu? Vigilat & ille. Accelera quantum vis etiam ipsas accelerare vigilias, invenies eum, non prævenies.* Et rursùs illa Christi verba examinans, *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*, infert, *Tuo placito sunt id, quod sunt, non suo merito; non enim invenis merita, sed prævenis.*

S. Bernard. serm. 69. in Cant.

Idem in Epist. ad Burchardum Abbatem.

S. Carolus.

367. Supra S. Caroli, recens nati domum, clarissima flamma apparuit. Eò collineans Bartholomæus Rossus, Emblematis loco Dianæ stellam repræsentavit, quæ in Oriente è nubium quarumdam caligine resplendens, epigraphen tulit. HINC SPLENDIDIOR. Onias quoque Pontifex Maximus, cognominabatur *Quasi stella matutina in medio nebulæ*: siquidem sapientiæ ac optimi exempli sui luce tantò uberius resplenduit, quantò densioribus vitiorum umbris ævum illius depravatum involvebatur; ut adeò verè de optimo illo Pontifice dicat Nicolaus Lyranus. *Etiam inter malos refulsit doctrinis & exemplis.* Porrò Sanctissima Christi Anima stellam inter tenebras est imitata, eo potissimùm tempore, quando corpore in crucem acto, membrorumque compage divulsâ, & undique dilaniatâ, supra tragicum Calvariæ pegma gravissimis suis doloribus ingemuit. P. Cornelius à Lapide hanc Allegoriam prosecutus, ait, *Stellam in medio nebulæ, Christum Pontificem in Cruce in mediis illis tenebris esse: vel eandem ejus animam & divinitatis fulgore, & gratiarum pulchritudine radiantem; sed corpore ad crucem denigrato, & nebuloso velo circumdatam.*

Ecclesi. 50. 6.

Virtuosus inter vitiosos.

Nicol de Lyra in loc. cit.

Christus gloriosus quando crucifixus.

Corn. à Lap. in eundem loc.

Gloria inter ignominias.

Eos insuper hoc symbolum spectat, qui è calamitatum umbris magis gloriosi & admirabiles resplendent. De Fabio Chisio P. Jacobus Masenius, eum, instar stellæ, omnium clarissimè inter hæresum, aliorumque vitiorum nubes enituisse.

Omnia nox pullo tenebrarum velat amictu,
Nobile stellarum quæ solet esse decus.
Pulchrius in tenebris sidus micat absque tenebris,
Hoc terris Fabius, stella quod ista polis.
Hæresis, infestumque scelus virtutibus altas
Offundat tenebras, nox vice lucis erit.

Mors viri illustris.

368. Hesperus, post solem occiduum oriens, à P. Jacobo Masenio epigraphen accepit. IN OCCASU ORITUR. Viris enim illustribus in mortis occasu stella longè illustrissima, fama nimirum, nullo unquam ævo intermoritura, oritur. Unde providè monet S. P. Augustinus. *Quia eligere non potes hic, ne moriaris; elige, cùm vivis, ne in æternum moriaris.* Opportunè in rem præsentem Siracides. *Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum.* Emblemati sequens epigramma subjunxit P. Masenius.

S. Aug. ser. 3 de divers.

Eccles. 37. 29.

Sol ubi jam moriens dubium ferrugine cœlum
Pingit, agit rutilos Hesperus ortus equos.
Et simul occasum Fabius, simul ibit in ortum:
Tunc oriens, vitâ cum moriente, cadet.
Morte suâ Fabius, tenebris illustrius astrum,
Splendeat: ast longum sol vehat ante diem.

MERCURIUS.

369. Abbas Certanus Mercurii stellam, ex Astronomorum sententiâ, nunquam longius à sole divertentem, depinxit; eamque, consueto suo signo ☿ dignoscendam, propè solem statuit, cum lemmate. NUNQUAM PROCUL A SOLE. Sicuti planetam illum nunquam longius à solis splendore discedere contingit; ita eloquentia, cujus typus in sidere isto cernitur, gloriæ claritatem, ceu comitem individuam, assiduò post se trahit. Porrò Mercurius, soli vicinus, docet; scientiam debere justitiæ & integritati, ceu totidem solibus, semper esse finitimam. Unde Tullius. *Scientia, quæ est remota à justitiâ, calliditas potius, quàm sapientia est appellanda.* Opportunè etiam dixeris, Mercurium, soli vicinum, litteras Principi familiares significare. Platonis effatum est. *Tum denique beatas fore respublicas, si aut docti, aut sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne studium in doctrinâ ac sapientiâ collocarent.* Insuper Mercurius, soli confinis, Verbi Divini præcones attingit, qui vel ideò solum, numquam à Deo alieni, intra virtutum limites sese coërceant, ut invectivâ tanto liberiore mortalium vitia perstringere queant. In hanc rem S. Nilus, *Puram*, inquit, *æmulator vitam; ut habeas liberam potestatem increpandi peccantes.* Appositè Juvenalis.

Eloquentia gloriosa.

Litterati sit virtuosus.

Cicero 1. off.

Princeps litteratus.

Plato apud Ciceronem ad Quint. Fratrem.

Prædicator sit virtuosus.

S. Nil Paræn. 114.

Iuvenal Satyr. 2.

Loripedem rectus derideat æthiopem albus,
Quis tulerit Gracchos seditione querentes; &c.

370. Planeta Mercurius, solis individuus, proximusque comes, copioso illius lumine penitùs obtegitur. Unde lemma. SIC LATUISSE JUVAT. Principis litterati ac religiosi hæc idea est, qui è mundi conspectu ut plurimùm se subducens, solius Dei præsentiâ gaudet, omnemque operam eò collocat, ut illud D. Pauli sibi familiare reddat, *Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* S. Elzearius, Comes Ariani, in monte Pessulano hærens, cùm ab uxore Dalphinâ absentiæ adeò diuturnæ causam per litteras rogaretur, respondit; *Sanus sum corpore, & sospes: quòd si me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi. Illic enim habito, & ibi poteris me invenire, frustra alibi quæsitura.* Cæterum Emblematis author mentem suam sequenti inscriptione aperit.

Virtuosi soli Deo familiares.

Coloss. 3. 3.

Vita Elzearii cap. 30.

Sapientiæ astrum
à lucis fonte minimùm abscedit.
Solis intimum, familiares oculos non admittit.
In lucis tenebris latens,
Sapientissimum Regem, talis syderis instar
Sæpius Divini solis commercio abditum,
Rarius prodeuntem video.

SIGNA

SIGNA ZODIACI, ET ALIÆ CONSTELLATIONES.

CAPUT XII.

Aquila.
Arctos minor, & Cynosura seu Stella polaris.
Arcturus.
Cancer.
Castor & Pollux.
Columba.
Corona Ariadnæ.
Crux.
Hercules.
Hydrochous.
Leo.
Orion.
Pegasus.
Perseus.
Phœnix.
Sagitta.
Scorpius.
Syrius.

AQUILA.

371. Pater Gambertus gentilitiam Esthensium Aquilam innuens, symboli loco Aquilam cœlestem expressit, quæ nomen illud è compluribus asteriscis, in volucris illius figuram coordinatis, sortita est. Epigraphen ex Ovidio addidit. NULLA POTEST DELERE VETUSTAS. Mens Emblematis erat, clarissimam famam, à Francisco Mutinæ Duce comparatam, nullâ unquam annorum serire oblitterandam esse. Horatius virtutem adeò nunquam evertendam ait, ut *Virtus immortalis.* *Horat.*

—Non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

372. Aquila, è meris stellulis constructa, in firmamento scintillat, & cum primo mobili assiduò circumvoluta, nunquam è statione suâ dimovetur. Unde lemma. IRREQUIETA, NEC ERRANS. Hominem justum ac innocentem hâc icone delineaveris, qui, in Apostolicis peregrinationibus assiduò fatigatus, extra virtutis limites nunquam declinat. Exemplo fuêre Hieronymus, Alexius, Xaverius &c. & Paulus Apostolus, de quo concinnè meus Carducius. *Virtus.*

Æthere fulget avis Jovis irrequieta, nec errans:
Sic Pauli virtus luxit in orbe volans.

Cæterùm anima sancta, instar cœlestis aquilæ, assiduo volatu ad Deum contendit, & pede intra legis Divinæ terminos nunquam exerrante, irrequietum cor suum sentit, dum in centro illo suo sistere permittatur. Hoc amoris impetu ferebatur suprema illa Doctorum Aquila, Augustinus, quando versùs Deum exclamavit, *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* *Anima sancta.* *S. Aug. l. 1. Conf. cap. 1.*

ARCTOS MINOR, & CYNOSURA, seu stella polaris.

373. Arctos minor (plaustrum, seu Ursam minorem vocant) polum vicinum brevi gyro obambulare solita, Nautas, intra vastum mare fluctuantes, dirigit, & ad portum manuducit. Unde Raulini lemma. NAUTAS CURSU DOCET BREVI. vel, DIRIGIT CURSU BREVI. Vitæ brevitas, in antecessoribus nostris observata, stimuli loco nobis sit, dirigatque ad virtutis & æternæ gloriæ portum. S. Joannes Chrysostomus, Divinam Providentiam in immaturâ Abelis morte contemplatus; eam ideò potissimùm in viridi etiamnum ætate permissam ait, ut Adamus, Juvenem, brevi admodùm ætatis gyro extinctũ, videns, ad virtutis ac veræ perfectionis semitam compelleretur. *Considera mihi,* inquit, *Dei providentiam, non ipsum primùm mori permisit, sed hoc ejus filium pati, ut ante oculos tabescens filii corpus intuitus, & marcescens, magnam ex hoc aspectu Philosophiæ disciplinam caperet.* Idipsum advertit Plinius. *Is demum vitam æquâ lance pensitabit, qui semper humanæ fragilitatis memor fuerit.* *Mors juvenum dirigit ad virtutem.* *S. Io. Chrys.* *Plin. l. 7. c. 7*

374. Arctos minor, polo arctico contermina, quantumvis circa illum volvatur, revolvaturque; nec tamen absconditur, neque occidit unquam. Unde lemma. SINE OCCASU FELIX. Constans adeò virtutis est felicitas, ut nullo unquam seu oblivionis, seu mortis occasu sepeliatur. Seneca. *Virtus immortalis.*

Nunquam stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus: sed cùm summas
Exiget horas consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet.

Senec. Herc. Oetæus. Act. 5. sc. ult.

Idem encomium sanctis Ecclesiæ Doctoribus proprium ait Rupertus Abbas. *Doctores, tanquam Arcturi, nunquam occidentis lucida sidera, stabili fide semper fixi steterunt, & lucem fidei fundentes, erroris occasum nescierunt.* *Rupert Abb. l. 3 in Ioan.*

375. Alius eidem sideri subscripsit. NESCIA OCCASUS. Mariam Virginem, Divinâ ope ab omni cujuscunque labis naufragio præservatam, hæc imago repræsentat. *Cæteri enim post casum erecti sunt,* inquit Seraphicè S Bonaventura, *Virgo autem SUSTENTATA est, NE CADERET.* *Conceptio M. V.* *S. Bonav. ap. Ferdin. in Gen. To. 1. fol 615.*

376. Funebrem pompam Margarithæ Austriacæ, Hispaniarum Reginæ, Anno 1612. Mediolani visendam, Ursæ minoris Emblemate auxerunt; additâ inscriptione. VERTITUR, NON OCCIDIT. Quasi dicerent, Reginæ animam, præsentiæ Divinæ polo confinem, intra æternæ beatitatis delicias circumvolvi, ab omni illarum occasu imposterùm liberrimam. Sensum Emblematis sequenti disticho aperuêre. *In morte.*

Jam vicina Deo Cynosura beatior astris
Volvitur: è superis non cadet illa rotis.

Meâ tamen sententiâ, lemmatis illius mens, *Vertitur non occidit,* eò collineat, quòd tametsi Regina, præsentis vitæ statione relictâ, ad cælestem contenderit, ejus tamen memoria è posterorum animis nullâ annorum serie sit oblitteranda. Sanctus Gregorius optico

optico perspicacissimi intellectûs sui tubo in Ursâ

S. Ecclesia.

cœlesti assiduas Ecclesiæ Catholicæ persecutiones deprehendit, de quâ, nullo unquam ævo intermoriturâ, apprimè dixeris, *non occidit*. Verba S. Doctoris sunt. *In Arcturo, qui per gyrum suum nocturna spatia non occasurus illustrat, tota simul Ecclesia designatur; quæ fatigationes quidem patitur, nec tamen ad defectum proprii status inclinatur, gyrum laborum tolerat, sed ad occasum cum temporibus non festinat.*

S Greg. Papa l. 29. Moral. cap. 16.

377. Ursam minorem, nunquam à polo longius exerrantem, Ferrus hoc lemmate insignivit. NUNQUAM PROCUL. Ad hujus Emblematis normam, veluti ad lydium lapidem, veram hominis amicitiam explorare licet, utpote nunquam à re amatâ discordem, aut alienam. Salomone teste, *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Et Propertio.

Amicus verus.

Prov. 17. 17.
Propert. lib. 1. 2.

Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius magnos sol agitabit equos,
Quàm possim nostros aliò transferre calores.

S.Joannes Chrysostomus ait, D. Pauli animam, instar Ursæ cœlestis, nunquam non fuisse Divinitatis Polo finitimam. *Paulus*, inquit aureus ille Orator, *cùm in terris esset, ubi Seraphim sunt, ibi conversabatur, prius Christo assistens, quam hastati & stipatores isti, Regi assistunt: quippe cùm isti aspectum huc illuc circumferant, ille verò nullâ rerum specie motus, universam mentis aciem ad Regem* (Christum) *semper tenderet.* Talis etiam est S. Ecclesia; imò omnes justorum animæ, quæ fidei, spei, & pietatis nexu Deo constanter adhærent.

S. Paulus Apost.

S. Io. Chrys. Hom. 55. in Matth.

S. Ecclesia, & justus homo.

478. Arctos minor, è Bercorii observationibus, vultu eò sereniore resplendet, quantò inclementiore hyeme Cœlum riget. Unde lemma. SUB JOVE CLARIOR FRIGIDO. vel, NE I RIGORI E PIU BELLA. Id est, *Inter rigores pulchrior.* Certè animus generosus formæ suæ nitorem ac cordis serenitatem inter calamitatum hyemes non amittit, sed geminat. Ipsammet Bercorii Ethicam his omninò verbis habeto. *Prælatus, si hyems, vel frigus tribulationis incumbat, tunc debet virtus ejus clarior demonstrari, & vultus ejus rutilantior, & hilarior inveniri, 2. Cor. 12. Cùm infirmor, tunc fortis sum.*

Fortitudo animi.

Bercor. Reduct. l. 5. cap. 31. n. 2.

379. Inter cæterum apparatum funebrem Emblematis loco Ursa minor cernebatur, quæ supra mare tempestuosum figurata, epigraphen sustinebat. NESCIA MERGI. Mens iconis erat, defuncti illius virtutem famamque nulli oblivionis aut mortis naufragio obnoxiam vivere. In hunc sensum Seneca.

In morte.

Virtus immortalis.

Seneca in Oct. Act. 3.

----- Sola perpetuò manent
Subjecta nulli mentis atque animi bona.

Easdem vires deprehendit S. Gregorius in S. Ecclesiâ, pluribus quidem calamitatibus impetitâ, nunquam tamen obrutâ. *Arcturus*, inquit, *semper versatur, & nunquam mergitur: quia & sancta Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat.*

S. Ecclesia.

S. Greg. Pap. l. 9. Moral. cap. 6.

380. Nobile Saronnæ templum septem Arctoi minoris stellas exhibet, cum lemate. MERGIMUR NUNQUAM. Quasi diceret, auxiliarem Deiparæ Virginis manum assiduò extentam, suis solatiis & pronissimâ opitulandi voluntate nunquam nos destituere; haud secus, atque septenum illud Arctoi sidus in polo suo fixum, firmumque hæret. S. Bernardus. *Ista*, inquit, *est præclara, & eximia stella super hoc mare magnum & spatiosum necessariò sublevata, micans meritis, & illustrans exemplis. O quisquis te intelligis hujus sæculi profluvio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terrã ambulare, ne avertas oculos tuos à fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis.*

Protectio continua MariæV.

S. Bernard. Super Missus est & Hom. 4.

381. Calamitatum beneficio latissimam excellentiæ nostræ amplificandæ viam sterni, haud obscurè ex Ursâ minore conjicies, cui lemmatis loco subscripsi. DUM VERSATUR ERIGITUR. Iisdem omninò verbis de Ecclesiâ Orthodoxâ ratiocinatus S. Gregorius. *Arcturus*, inquit, *dum versatur, erigitur: quia tunc S. Ecclesia valentius in veritate reficitur, cùm ardentius pro veritate fatigatur.* Cæterùm omnis anima, dum calamitatum procellis jactatur, ad Deum sese erigit, & perfectionis apicem conscendere nititur. Deus Prophetæ ore id testatur, *In tribulatione suâ manè consurget ad me.*

S. Ecclesia.

S. Greg. Pap. l. 9. Moral. cap. 6.

Calamitas elevat.

Oseæ 6. 1.

382. Cæsar Pontoglius, Academicus inter Errantes Brixienses Concertatus, symboli loco Ursam minorem in hæc verba loquentem sistit. ET MIHI STABILIS ERROR. De S. Ursulâ id scitè intellexeris, quæ, Ursa verè Cœlestis, tametsi extra patriæ fines per adversas pelagi tempestates oberrans, nunquam tamen à Divinitatis polo longius recessit. Porrò quisquis à præfixâ boni Prælati normâ deflectere reformidas, subditis tuis ita invigiles, eosque gressu adeo cauto circuias oportet, ut extra Deum, ceu Polum cœlestem, nunquam deflectas. E Petri Bercorii sententiâ, *Prælatus debet circa polum Christum ambulare, & visibus subditorum semper debet se præsentare per boni exempli dationem, & nunquam se iis occultare per subsidii denegationẽ, seu per sui absentationem.*

S. Ursula.

Prælatus.

Bercor. Reduct. l. 5. c. 31. n. 1.

383. Ad Ursæ minoris caudam stella cernitur, quam polarem, seu Cynosuram vocant; non quasi ea ipsiusmet sit polus, sed quòd polo, præ reliquis stellis, omniũ proximè accedat. Stella hæc polaris ab octavâ quidẽ sphæra circumvolvitur, gyro tamẽ adeò angusto, ut immotã putes. Unde lemma. IN MOTU IMMOBILIS. Talis omninò est virtus, quæ, humanâ vitâ assiduò decedente, stabilem in anima sedem figit. D. Basilius Paradisi metro Italico canit:

Virtus.

D. Basil. Parad. in Lyricis.

Nostro polo è virtude,
Che frà moti imortali immobil resta,
E fiammegia su'l ciel cinta di stelle

Porrò Sancti Martyres in motu fuêre immobiles, quando tot calamitatibus agitati, mentem suam assiduò in Deo defixam servârunt. *Quàm magna constantia Martyrum!* exclamat S. P. Augustinus, *quàm bona fides Sanctorum! qui pro nomine Christi multa tormenta libenter suscipiebant, & tamen eadem tormenta contemnendo, in suis persecutionibus diabolum superabant.* In rem præsentem de Illustrissimo Domino Fabio Chisio canit P. Jacobus Masenius, alluditque ad stellam ipsius gentilitiam.

SS. Martyres.

S. Aug. serm. 38. de Divers. cap. 1

Stella polo firmata suo, dum mota per orbem
Volvitur, illa suum mutat, habetque locum.
Et mens firma tibi: non mota, movetur in orbe:
Dumq; agit aut agitur, sidere fixa suo est.
Quod polus est stellis, Deus est tibi, magne Virorum,
Seu motus peragas, seu patiare tuos.

384. Stella polaris subjuncto lemmate, OMNIS EXPERS MOTUS. Animum verè grandem, omnique infirmitate superiorem significat, qui universum orbem millies jactatum, cunctosque fortunæ, seu ridentis seu indignantis motus, eodem vultu excipere novit. Sigismundus Imperator, quemnam sceptro dignum censeret, interrogatus; Æneâ Sylvio referente respondit; *Eum, quem neque secundæ res extollerent, neque adversæ deprimerent.* De homine justo pronuntiat Salomon. *Justus in æternum non commovebitur.* Isocrates ad Demonicum, *Existima*, inquit, *nihil humanum esse stabile: sic enim neque fortunatus eris præter modum lætus, neque infortunatus præter modũ tristis.* Immobilẽ hanc persistentiam in Deo cumprimis reveretur S. Ecclesia. dum canit,

Animus imperterritus.

Æn. Sylv. l. 4 cap. 11.

Prov. 10. 3
Isocr. ad Dem.

Deus.

Rerum Deus tenax vigor,
Immotus &c.

385. Stel-

Amicus verus. 385. Stellā polarē lemmate Hispano insignierunt, BUENA GUIA, id est, interprete R.mo D. Picinello, *Dux optima*. Nimirùm, incomparabile veri amici, prudentis consiliarii, & Mecœnatis, in authoritate constituti, ad nos dirigendos est pretium. Virtus, è D. Basilii Paradisi sententia, stella nostra polaris, nostraque dux est.

Virtus Dux nostra.

E quando contra noi le sue procelle
Suscita il mundo, e desta
A danni nostri onde turbate, e crude
Al ingegno, mentr' è quasi che assorto,
Essa addita i sentieri, e mostra il porto

Maria V. Dux nostra. Mariam Virginem, ceu veram polarem stellam, S. Ecclesia opportunè salvere jubet, *Ave maris stella:* Hæc enim Dux, inter præsentis vitæ procellas optima, ad salutis æternæ portum manuducit. Ad illam conversus Baptista Mantuanus, canit.

Bapt. Mant. 1. Parthen.

Tu placidum terris sidus, quod liberat omnes
A pelagi furore rates, quod luce benignâ
Saturni, Martisque graves eliminat iras.
Tu nobis Helice, nobis Cynosura, per altum
Te Duce vela damus, portus habitura secundos.
Tu mare, tu ventos, tu sydera cuncta, Deumque
Concilias; tu tuta salus, tu pacis origo,
Tu commune bonum, generis tu gloria nostri.
Huc ades: & captos præsenti numine cursus
Dirige, & infirmam rege per vada cærula puppim.

Fulbert. Carnot in Nat. virg. serm 1. Haud aliter Fulbertus Carnotensis, *Oportet*, inquit, *universos Christicolas, inter fluctus hujus sæculi remigantes, attendere maris stellam hanc, id est, Mariam, quæ supremo rerū cardini, Deo, proxima est, & respectu exempli ejus cursum vitæ dirigere. Quod qui fecerit, non jactabitur vanæ gloriæ vento, nec frāgetur scopulis adversorū, nec absorbebitur scyllea voragine voluptatū, sed prosperè veniet ad portum quietis æternæ?*

Deus. Quid multis? Ducem optimum Deum experière, quisquis viam ingressurus planam, irretortos in illū oculos defixeris. Ad hoc propositū Jacobus Billius.

Iacob. Bill. Antholog.

Æquora qui fragili sulcat malefida carinâ,
Quid, cursum ut tendit, nocte silente facit?
Pervigil ad cœlum tendit sua lumina sydus
Spectat & in boreo juge quod axe micat.
Quisquis iter vitæ sequeris, vitæque perennis,
Ne tua sint terræ lumina fixa cave.
Semper ad æthereas sublimi vertice sedes
Conspice, sic tutum lætus habebis iter.

386. Stella polaris citra omnem fallendi suspicionem navigia illa tranquillè dirigit, quæ carbasa suá dubio permisêre mari. Cœlestem hanc, fidamque Ducem Gambertus sequenti lemmate insignem statuit. FALLERE NESCIA. Verbis è Virgilio mutuatis.

Virgil. 2. Georg. V. 467.

At secura quies & fallere nescia vita.

Sinceritas. Pulchra ac propria hæc illorum imago est, qui mentem servant liberam, & ab omni fraudum pigmento alienam; neminem unquam circumvenire, nec germanam suam fidem cuiquam temerare soliti. Porrò etiam sacra Biblia, sine ullo erroris aut doli periculo, intellectum nostrum manuducunt, diriguntque.

SacraScriptura.

Christus nostra via. Cumprimis tamen Verbum Divinum, humanâ carne vestitum, è symboli hujus lineamentis dignosces; quippe quod naturæ suæ dotes ipsummet percensens, ingenuè de se fatetur: *Ego sum via, veritas & vita:* vinculo nimirùm suavissimo veritatem & vitam viæ infallibili connectens: Deus enim semitam minimè dubiam aut fucatam, sed veram, securam, ac æternæ felicitati proximam aperit. *Non enim* S. Hilario teste, *nos in erratica atq; in invia deducit ille, qui via est, neque illudit per falsa, qui veritas est, neq; in mortis linquit errore, qui vita est.* Pulchrè S. P. Augustinus. Ego sum via, *dicit Christus: sed times, ne erres? adjecit,* & veritas. *Quis errat in veritate? Errat in veritate, qui recesserit à veritate. Veritas Christus, via Christus. Ambula. Times, ne moriaris, antequam pervenias;* ego sum vita. Ego sum, *inquit,* via & veritas & vita. *Quasi diceret, quid times? per me ambulas, ad me ambulas, in me requiescis.*

Ioan. 14. 6.

S. Hilar lib. 7. de Trinit. Christus nostra via. S. Aug in Psal. 66.

ARCTURUS.

387. Cœleste sidus, cui Arcturo nomen, funestum nautis omen affert, nec nisi horridam, luctuosamque tempestatem vaticinatur. De hoc Plinius. *Grandines, procellæ, cateráque similia ab horridis syderibus exeunt, ut sæpiùs diximus, veluti Arcturo, Orione &c.* Et alibi, *Arcturi verò sidus non fermè sine procellosa grandine emergit.* Inde Emblematis construendi ansam sumens Carolus Rancatus, epigraphen subdidit. NON SINE GRANDINE. Tyranni hæc idea est, qui subditorum immunitate pessumdatâ, omnem latè provinciam devastat, eamque formidine ac calamitatibus passim replet. Cæterùm Arcturi nomine Divinam vindictam non incongruè intellexeris, quæ mortalibus, in flagitiorum pelago fluctuantibus, gravissimam vitæ secuturæ tempestatem minatur. S. P. Augustinus. *Minatur inimicus leve malum, & facis malum: minatur Deus æternum malum, & non facis bonum. Minis enim Dei, minis æterni ignis, prohiberis à malo, invitaris ad bonum. Si credimus futurū judiciū, bene vivamus. Tempus misericordiæ nunc est, tempus judicii tunc erit.*

Plin. l. 18. cap. 28.

Idem l. 2. cap 39.

Divina vindicta.

S. Aug. in Psal. 49.

CANCER.

288. Cancer, è stellis compositus, inter Zodiaci signa numeratur. Fuit, qui ei inscriberet. AD SUBLIMIA RETRORSUM. Ita, ut ad perfectionis Evangelicæ fastigiū eluctéris, pedibus è mundo retrogradis id conficias, necesse est: honores nimirùm fugiendo, quo ille ambit; coërcendo sensus, quibus ille blanditur, calcando divitias, ab eo tantoperè expetitas, &c. Christus sese testem offert, *Beati pauperes spiritu, quoniā ipsorum est regnum cœlorum. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Magna & mira sententia,* subjungit interpres Augustinus, *Quemadmodum sit hominis in vitam suam amor ut pereat, odium ne pereat, si malè amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amâsti: Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* Et rursus. *Promisit mundus carnalem voluptatem, responde illi, delectabilior est Deus. Promisit mundus honores & sublimitates sæculares, responde illi, altius est omnibus regnum Dei. Promisit mundus superfluas vel damnabiles curiositates, responde illi, sola est veritas Dei.* Meus Concanonicus, D. Ascanius Martinengus hanc Cancri proprietatem cruditè ad SS. Martyres transfert, qui, pedibus è mundo retrogradis, omnem felicitatis, divitiarum, ipsiusque adeò vitæ jacturam, pro æterna beatitate assequenda, facilem, exiguamque censuerunt. *In cancro micantes stellæ, Martyrū chorum indicant, qui quasi retrogrado gradu per tormenta & neces incessêre. Quis enim non obstupescet, ad cancri progressionem, qui dum anteorsum incedit, retrorsum proficisci videtur? En Martyrum cœtus! Quis certè in ipsis non admiretur, quasi retrogrados incessus, cùm ad cantum per luctum, ad victoriam per clades, ad solatia per tormenta, ad coronas, per spinas, ad nectar per famem, ad fontem perennem per sitim, ad imperium per oppressionem, ad vitam per mortem progressi sint?*

Mundi contemptus.

S. August. tract 51 in Ioan.

S. Aug. ser. 1. ex addit. à Carthus. tom. 10.

SS. Martyres.

D. Ascen. Mart. in Glossa magna fol. 45.

CASTOR & POLLUX.

389. Nicolaus Perottus, ut singularem fiduciam, in Magnatum quopiam inter res suas afflictas à se collocatam, explicaret; navim inter Oceani procellas jamjam fatiscentem, ejusque sarcinas ac merces sparsim à fluctibus jactatas, expressit. Ut tamen suum

Auxilium Magnatis benefici.

suum navigio esset propitium sidus, è mali cacumine gemellum astrum, Castorem & Pollucem, statuit; addito lemmate. ASPECTU, vel, ACCESSU TRANQUILLITAS. Vel è Lucarini sententia, CUM LUCE SALUTEM. Eò reflectens Carolus Rancatus, ad honorem Illustriss. D. Hyacinthi Origoni, Senatoris Mediolanensis, canit.

Tyndaridum felix splendet faustissima nautis
Stella duplex, nobis utraque solus eris.

Præsentia Mariæ V. Utramque stellam mirâ concordiâ in una Maria Virgine conspicuam observat Joannes Geometra, & ad illam conversus, canit.

Ioan. Geom. hymn. 4.

Salve, quæ visa ærumnis in tristibus, ingens
Præbes solamen, lumina grata ferens.

De hac afflictorum consolatrice testatur S. Ignatius, Virginis coætaneus. *Maria miseris & afflictis condolebat, coafflicta nec segniter subveniebat.* D. Basilius Paradisi Castoris sidus ideam putat genuinæ virtutis, cujus felicissimum lumen, per orbẽ diffusum, clientes suos ex ærumnosa depravati hujus sæculi tempestate rapit. Lyra ipsius Italica in hæc verba sonat.

S. Ignat. ep. 1. — Virtus salvat.

Di, ch'a salvar co' raggi
Battuto piu frà i tempestosi abyssi
Di Leda in fosco ciel splenda la prole,
Luce più d'ogni stella, è più del sole
Virtude, e senza ecclissi
D'una gloria immortal nostra i viaggi,
E all' alme con sereno, e stabil lampo
Frà i naufragi de mondo apre lo scampo.

390. Castoris & Pollucis sidera nonnisi flammulæ sunt, seu evaporationes siccæ, ad primam aëris regionem sublimatæ, ibique per antiperistasin accensæ. Hæ, Senecâ authore, *In magna tempestate apparent, quasi stellæ velo insidentes. Adjuvari se tunc periclitantes existimant Pollucis & Castoris numine. Causa autem melioris spei est, quod jam apparet frangi tempestatem, & desinere ventos.* Gemina hæc flammula, suprà navigii malum in mari turbato succensa, Raulino authore epigraphen sustinet. TERRET SÆVA PROCELLAS. Innuebat videlicet, sicuti faces illæ accensæ indubitatam maris tranquilli præseferunt tesseram; ita vindicante Principis justitiâ, quâ in sceleratos animadvertit, rempublicam quietam, placidamque effici. Nec ab hoc proposito Divina oracula dissentiunt. *Erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum.* S. P. Augustinus. *Si judex es, si judicandi potestatem accepisti, Ecclesiasticâ regulâ, si apud te accusatur, si veris documentis testibusque convincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada. Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina.*

Senec. l. 1. Nat. quæst. c. 1. — Justitia vindicativa utilis. — *Isa. 32. 17. S. Aug. De verb. Apost. ser. 22, cap. 8.*

391. Geminum Castoris & Pollucis sidus nonnisi in extremo navigantium discrimine apparet; convenit enim omni humanâ ope destitutis, auxiliares è cœlo manus porrigi. Eò animadvertens D. Primus Tattis, Clericus Regularis Somascenus, duas illas flammulas, suprà navim jamjam fatiscentem collocatas, symboli vice statuit; addito lemmate. IN TEMPORE OPPORTUNO. Nempe benignum illud patrocinium significabat, quò sanctæ Virgines Faustina & Liberata civitatem Comensem à gravibus exitiis vindicare consueverunt. Comprimis tamen Mariam Virginem hæc imago spectat, quem S. Joannes Damascenus suavissimis his verbis salutat: *Ave unicum molestiarum levamen: Ave omnium dolorum cordium medicamentum,* ut adeò augustissima hæc afflictorum stella jure à S. Bonaventura dicatur, *Tutissimum afflictorum omnium refugium.*

Deus in extremis juvat. — Maria V. auxiliatrix — *S. Ioan Damasc. ser. de dormit Virg. S. Bonav. Opusc. 25.*

292. Navigium, promicantibus Geminis, carbasa sua in aperto mari explicans, epigraphẽ tenet. IPSIS DONANTIBUS AURAS. Emblema hoc, præter complura alia, P. Leonardus Velli ad triumphales arcus suspendit, cùm Serenissimus Hispaniarum Infans Ferdinandus Cardinalis solemni ritu Mediolanum ingrederetur. Significabat quippe amplissimos ac felicissimos successus, qui è Geminis Austriacis Philippo IV. & Ferdinando, illius fratre, in omnes Hispaniarum fines derivabantur. Lucem Emblemati prævivit Claudianus de Olibrio & Probino Consulibus canens.

Princeps protector. — *Claud. in Consul Olib. & Probin.*

Jam per noctivagos dominetur Olibrius axes,
Pro Polluce rubens, pro Castore flamma Probini,
Ipsi vela regant: ipsis donantibus auras
Navita tranquillo moderabitur æquore pinum.

Idipsum de SS. Apostolis Petro & Paulo eleganter dixeris, quorum favore ac patrocinio sanctæ Ecclesiæ cymba auspicatò navigat, & infidelium turbæ ad tranquillum sanctæ fidei littus emergunt. De his Magnus Augustinus. *Duo electi sunt ad duorum populorum salutem; Petrus ad Judæorum, Paulus ad gentium: Petrus, ut in Judæa veterem ac desertum agrũ repararet, atque eum sub umbra legis infructuosum, & à calore veri Solis absconditum fidei salubritate & gratia fœcundaret. Paulus verò ad gentes mittitur, & ad terram novam &c. Discurrunt itaque per universum orbem duo splendidissimi negotiatores, portantes coràm gentibus & Regibus, & filiis Israël pretiosa fidei mercimonia.*

S. Petrus & Paulus. — *S. Aug ser. 29. de Sanct.*

393. Castor & Pollux in turbato mari affulgere soliti, certam jactato navigio securitatem spondent. lemma. IN TEMPESTATE SECURITAS. Ita è Magnatum, cumprimis verò è Sanctorum tutelarium præsentia ac favore inter adversos fluctus patrocinia auspicatissima recipimus. De Beatissima Virgine Maria ait D. Thomas. *Maria stella maris est; quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portũ: ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam.* Et, ad Deiparam conversus, Baptista Mantuanus canit.

Protectio Magnatũ & SS. Patronorũ. — *S. Thom. Opusc. 4.* — *Bapt. Mant lib 1. Parthen.*

Tu placidum terræ sidus, quod liberat omnes
A pelagi fervore rates, quod luce benignâ
Saturni, Martisque graves eliminat iras.

394. Spiritus S. sub flammarum schemate olim conspicuus, omnem à fluctante S. Ecclesia tempestatem repulit. Id Emblemate significaturus D. Aresius, geminas Castoris & Pollucis flammulas suprà navim statuit, quæ ab intumescente mari sub cœlo obscuro ac nubilo jactata, epigraphen monstravit. SERENUM ERIT. Eam Pneumatis Divini operationem cumprimis experti sunt Apostoli, qui illius igne in se transfuso, ab omni internæ formidinis tempestate immunes ac sereni extitêre. De his S. Leo. *Oportebat capacitatem eorum, quæ docebantur, augeri, & multiplicari constantiam illius charitatis, quæ omnem formidinem foras mitteret, & furorem persequentium non timeret. Quod utique Apostoli, posteaquam Spiritus sancti nova abundantiâ sunt repleti, ardentius velle & efficacius posse cœperunt, proficientes à præceptorum scientiâ ad tolerantiam passionum: ut sub nulla jam tempestate trepidantes, fluctus sæculi, & elationes mundi, fide supergredientes calcarent &c.*

Spiritus S. tempesta tem tollit — *S. Leo serm. 2. de Pent.*

COLUMBA.

395. Nullus dubites, quin irascendi facultas in columbis nimiùm quantùm reperiatur. Fidem suam interponit Divinus Vates. *Facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ.* Plinius quoque docet, quando columbæ pectus zelotypiæ verme roditur, *Tunc plenum querelâ guttur, sævique rostro ictus.* Caveas tamen, id de columba siderea dixeris, quæ ex Astronomorũ quorundã sententia, in partibus Australibus,

Hieren. 25. 38. — *Plin. lib. 10 c. 33.*

ſtralibus, undecim ſtellis conſpicua, ad Syrii pedem collocatur; & olivæ frondem roſtro ſuſtinens, epigraphen à P. Gamberto accepit. PROCUL OMNIS IRA. Verbis ex Horatio mutuatis.

Horat. l. 3. Od. 8.

--- --- *Procul omnis eſto*
Clamor & Ira.

Princeps benignus.

Senec. l. 1. de ira c. 15.

Principem benignum hoc ſidere repræſentaveris, de quo Seneca. *Nihil minus, quàm iraſci, puniente decet: cùm eò magis ad emendationē pœna proficiat, ſi judicio læta eſt. Inde eſt, quod Socrates ſervo ait; cæderē te, niſi iraſcerer. Ergò ad coercitionē errantiū, ſceleratorumq́; irato caſtigatore opus non eſt. Nam cùm ira delictum animi ſit, non oportet peccata corrigere peccātem.* Et rursùs. *Debet ira removeri. Tota dimittatur: nihil profutura eſt. Sine illa facilius, rectiusq́; ſcelera tollentur, mali punientur, & traducentur in melius.*

Idem l. 2. c. 13

CORONA ARIADNÆ.

Virtus æternum decus.

396. Coronæ, ſive roſtratæ, ſive quernæ, ſive etiam ex auro, vel argento fabricatæ, nequaquam firmi ac ſtabilis honoris nomen promerentur, cùm vel diffringi, vel tandem obſoleſcere, nec etiam perenni nexu frontem ambire ſoleant. Contrà verò Gnoſia Ariadnæ corona, ex octo ſtellis in orbem circumflexa, inter Boreales firmamenti conſtellationes numeratur, ſuumq; decus nonniſi cum cœlo interituro amittet. Ut adeò hanc Ovidii gnomam lemmatis loco mereatur. ÆTERNUM DECUS. P. Gambertus hoc ſymbolo virtutem exhibet, cujus gloria, nullo unquam ævo terminanda, æternùm vivet. Quinimò Magno Auguſtino teſte, *Omnis virtus, quantò melior atque ſublimior, tantò firmior invictiorq́; eſt.* Horatius de ſe ipſo canit.

Ovid. l. Triſt eleg. 1.

S. Aug de lib. arbitr. lib. 1. cap. 10.

Horat. l. 3. Od. 30.

Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam: uſque ego poſterà
Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

CRUX.

S. Crux iter ad cælum pandit.

397. Sicuti ad polum arcticum, è Nautarum experientia, ſtella latet fatalis; ita ad polum antarcticum ſtella Crucis, è quatuor aſteriſcis conſtructa, & nautis ad vias inveſtigandas plurimùm propitia, reſplendet. Fuit, qui huic ſideri inſcriberet. NOVUM PANDIT ITER. Nautæ enim ſidus iſtud inter nova & incognita itinera Ducis loco ſequuntur. Cæterùm è ſtellæ hujus Emblemate haud difficulter ſanctam Crucem dignoſces, quæ ſemitam quidem novam, ſed tamen adeò ſecuram, tranquillamq; monſtrat, ut eam ingreſſus, beatitatis portum auſpicatò contingas. Sanctus Petrus Damianus Cardinalis de duobus Apoſtolis Petro & Andrea diſſerens, *Crux,* inquit, *quæ eos morientes huic vitæ ſubtraxit, cœleſti Hieruſalem renaſcentes cum triumphali gloria novos cives invexit.* Et Chriſtophorus Finottus.

S. Pet. Dam. ſerm. 1. de S. Andrea.

Chriſt. Finot. Diſt. 91.

Æquore qui fluctuas? quæ margo incerta viarum?
Crux tamen in portum prævia monſtrat iter.

S. Crux.

398. Navis, ſtellatâ illâ Cruce à longè conſpectâ, in plauſum erumpit, certamq; ſibi ſalutem pollicetur. Unde Areſii lemma. A LONGE PROSPICIENS, ET SALUTANS. Ita nimirùm, ſi ducem habuerimus ſanctam Crucem, non eſt, quod naufragium ullum in hoc mundi pelago metuamus. Diſertè S. P. Auguſtinus. *Si non vis mergi, tabulam apprehende, ligno portare, Crux te perducat.* Cæterùm Emblema illud omnium propriiſſimè S. Andream Apoſtolum repræſentat, qui ſanctam Crucem, eminùs viſam, ingenti plauſu ſibi eſt gratulatus. De hoc Andreas Biancus.

S. Aug. in Pſalm. 51.

S. Andreas Apoſt.

And. Bianc. lib. 4. Epig. 55.

Viderat Andreas funeſtum ſurgere lignum,
Cujus terruerant prævia ſigna Deum.
Et ſervans animi invictum, frontiſque vigorem,
Crux, ait, ô ſalve; ſæpè cupita veni!

Cùm tibi ſe junxit ſummâ pietate Magiſter,
Aſcendit metuens, ne metuenda fores.

HERCULES.

Labor & virtus gloriam acquirunt.

Martial. l. 1. Ep. 119.

399. Inter cæteras conſtellationes, quæ in Septentrionem recedunt, Herculis aſteriſmus cernitur; ſtellis (ſi Keplero fidem habeas) octo ſuprà viginti conſpicuus. Hunc proindè, clavâ ſuâ munitum, P. Dominicus Gambertus Emblematis loco depinxit, addito illo Martialis lemmate. JUVAT IPSE LABOR. Innuebat videlicet, Heroëm illum fortiſſimum, uti & alios omnes ipſius imitatores, ob edomitas exitioſas belluas, alioſq; toleratos labores, tandem ad immortalitatis ac cœleſtis gloriæ faſtigium promoveri. S. P. Auguſtinus. *Requies æterna digna eſt quidem emi labore perpetuo; ſed neceſſe eſt, ut labore temporali ematur. Noli eſſe piger in labore breviter, & gaudebis inceſſabiliter.* Herculis ore canit Sen.

S. Aug. in Pſal. 93.

Senec. Herc. Oetæ. Act 5. ſcen penult.

--- --- --- *Nam virtus mihi*
In aſtra, & ipſos fecit an ſuperos iter.

400. Idem Gambertus militarem Herois cujuſdam virtutem, nunquam non ab hoſte triumphantem, ac penitùs invictam, Emblemate ſignificaturus; Alcidis ſidus expreſſit, addito Statii lemmate. NUNQUAM SUCCUBUIT. Eodem Encomio Alcidem ſuum jactat Seneca.

Stat. lib 3. Thebaid.

Senec. in Traged. Herc. Oetæ act. 5. ſcen. penult.

--- --- *Perferam laudem inclytam,*
Quod nulla peſtis vicit Alcidem palam,
Omnemque peſtem vicit Alcides palam.

Valor invictus.

Hoc elogio pro meritis celebrantur David, Cæſar, Alexander Magnus, Carolus V. & Henricus IV. Galliarum Rex, de quibus, ob militares expeditiones præclarè geſtas, appimè dixeris, *Nunquam ſuccubuit.* Cæterùm Magnus ille Eccleſiæ Orthodoxæ Hercules, S. P. Auguſtinus adversùs omnes hæreticorum aſſultus adeò ſemper victor rediit, ut jure à Caſſiodoro cognominetur, *Hæreticorum debellator, & famoſorum palma certaminum.*

S. Auguſtinus.

Caſſiod. de inſtit. c. 22.

HYDROCHOUS.

Miſericordia Dei.

401. Hydrochous, Zodiaci ſtella, ſymboli loco aquas ex amphora verſat, cum dicto. NUNQUAM DEFICIENT. Miſericordia ac beneficentia Divina hoc Emblemate ſignificantur, quæ fluentis nunquā defecturis, ſemper in mundi emolumentum redundabunt. Arnoldus Carnotenſis. *Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omninò habet metas Divina clementia. Sit qui invocet, erit qui exaudiat &c.* Et Philo à P. Velaz. relatus. *Illud verò,* inquit, *quod dictum eſt, Deum eſſe ſempiternum, idem eſt, ac ſi diceretur, largitor perpetuus, ac benefaciens: non aliquādo tantùm, aliquandò verò minimè, ſed ſemper, continuò, ac indeſinenter, dona donis jugiter, ac indefeſſè accumulans, beneficia ſemper uberiora annectens &c.*

Arnol. Car. not. tract. de ſept verb. Chriſti.

P. Velaz. in Pſal. 100. Annot. 24. n. 5.

LEO.

Summus Pontifex.

402. Leoni inter terreſtres feras, regis quidem dignitas obtigit; at Leo cœleſtis, in zodiaci faſcia è cōpluribus ſtellis, ceu gemmis compoſitus, titulū longè celſiorē oſtentat. DOMINATUR ET ASTRIS. hoc ſymbolo apprimè Magnates illos exornaveris, qui familiæ ſuæ ſcuta Leonis effigie inſigniunt; uti fecerat Sixtus V. ad ſummi Pontificatus apicē ſublevatus. In hoc certè illud D. Petro & poſteris à Chriſto ſancitum promiſſum plenè expletū cernitur. *Quodcunq́; ligaveris ſuper terrā, erit ligatū & in cœlis, & quodcunq́; ſolveris ſuper terrā, erit ſolutū & in cœlis.* Unde exclamat S. Hieron. *O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur; cujus terreſtre judiciū præjudicata authoritas ſit in cœlo.* Cæterùm Leo ille invictiſſimus, Maximilianus Boiorum Dux, aſtris imperare videri poterat, quādo in preces effuſus, cœlum inclamavit, moxq; integram Angelorum phalangem præſentem habuit, qui Bohemo perduel-

Matt 16. 19.

S. Hieron in hunc loc.

perduellium exercitu prostrato, insignem optimo Principi victoriam obtulerunt; uti prolixè refert Illustrissimus D. Caramuel. *Caramuel in vita Dominici.*

403. In Leone cœlesti duæ potissimùm prærogativæ eminent, ET LUMEN, ET ARDOR. P. Gambertus generosum militem hoc Emblemate exornat, qui in heroicis suis expeditionibus & ardorem, & æternum famæ suæ lumen præferat, necesse est. Tales extitêre Josue, David, Judas Machabæus, Georgius Castriottus, & alii. Porrò etiam Prædicares simul & luceant & ardeant; *est enim*, S. Bernardo teste, *tantùm lucere vanum, tantum ardere parùm: ardere & lucere perfectum.* Sic S. Joannes Baptista, è Christi testimonio, *erat lucera ardens & lucens.* Cæterùm etiam in forma fœminea lumen & ardor deprehenduntur, quibus oculi fascinantur, & pectus improvidum uritur.

Miles generosus. Prædicator. *S. Bernard. ser. de S. Ioan Bapt. Ioan. 5. 35.* Forma fœminea.

ORION.

404. Franciscus, Mutinensium Dux, tractandis nobilissimæ venationis suæ armis intetus, vehementi quidem, sed tamen innocuâ irâ exardescere solebat. Id quod Emblemate significaturus P. Gambertus, armatam Orionis constellationẽ depinxit, eamque venatoris habitu spectandam, hâc Statii gnomâ, ceu lemmate insignivit. INSONTES IRÆ. Insontem utiq; illam Principis iram dixeris, quâ in sceleratos animadvertens, non quidem homines, sed culpas abominatur; consentaneè nimirùm ad illam Vatis Regii parænesin, *Irascimini & nolite peccare.* Id explicans Magnus cœlestium arcanorum Interpres Augustinus, *Irasceris filio,* inquit, *non odisti filium, ei servas hæreditatem: & ad hoc irasceris, ne perdat quod ei servaveris, malè vivens moribus pravis.* Unde etiam subditorũ peccata à Prælatis vindicari jubet, *cum dilectione hominum, & odio vitiorum.*

Venator. *Stat de Herc. Furent.* Princeps justus. *Psal 4. 5. S. Aug. in Psf. 30. Conc. 2.* *Idem in Reg. cap. 5. v. 5.*

PEGASUS.

405. Singularem Principis cujusdam erga literatos affectum ac beneficentiam P. Gambertus in Pegasi constellatione dignoscendam proposuit, quæ è viginti asteriscis, ceu gemmis, composita, subjunctâ Horatii epigraphen monstrat. MUSIS AMICUS. Tales se exhibuêre Ptolomæus Ægypti Rex, Dionysius Siciliæ Rex, Octavianus Imperator, Lucullus, Mecænas, Vespasianus, Adrianus, Marcus Antonius Pius, Alexander Severus, Trajanus, Constantinus Magnus, Theodosius, Mauritius, Andronicus Commenus, Otho III. Carolus IV. & Sigismundus Imperatores; ut nihil dicam de Nicolao V. Eugenio IV. Pio II. & Leone X. Pontificibus Maximis; quibus pro meritis accenseas Alphosum Aragoniæ Regem, Ferdinandum Siciliæ Regem, Joannem Galeazzium Mediolani Ducem, Carolum Emmanuëlem Sabaudiæ Ducem, aliosque; qui viros litteratos plurimo amore ac munificentiâ sunt complexi: Idque non immeritò; cùm *Docti*, Magno Augustino teste, *sunt in Ecclesia lapides pretiosi, scilicet abundantes scientiâ & eloquentiâ, & omni instructione legis.*

Horat. lib. 1. Od. 26. Princeps versùs litteratos beneficus. *S. Aug. serm. 218. de Temp.*

PERSEUS.

406. Compertum habemus, sceleratos, justitiâ vindice suprà tragicum pegma interfectos, aliquid horroris spectantibus incutere: si tamen rem æquâ lance perpendas, horror ille plurimùm salubris gratusque existit. Huic rei explicandæ Perseum, symboli loco, depinxêre, qui triginta & octo stellis distinctus, manu dexterâ infamem Gorgonis, à se occisi, calvariam sustinebat; addito Claudiani lemmate. GRATUS TERROR. Gratum hunc terrorem usu didicit Hierosolyma, quando protervi Giganthis cervicẽ, à Juvene Davide præcisam, conspexit. Eundem etiam experta est Bethulia, oculis in superbi Holofernis, à Juditha detruncati, calvariam defixis. Experta quoque illum fuit universa Palæstina, cùm Nicanoris caput, manum dexteram, & linguam, à fortissimo Juda Machabæo præcisam, intueretur, suosq; oculos in mutilatis illis exuviis, veluti in spectaculo jucundissimo pasceret. Ipsa deniq; beatorũ acies, cùm impiam Meretricem ab æterna justitia castigatam, cerneret, miris adeò gaudiis incessit, ut in prolixas laudis & jubili voces erumperet. S. Bernardus illud Salomonis explicans, *Ego quoque in interitu vestro ridebo*, ait, *Quid ergò in insipientium interitu sapientiæ credimus placiturum, nisi justissimam suam dispositionem, & irreprehensibilem ordinem rerum? sanè quod sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoque placeat, necesse est universis.*

Justitia vindicativa gratum terrorem affert. *Claud. de Siren.* *1. Reg. 17. 54* *Iudith. 13. 19.* *2. Mach. 15. 32.* *Apoc. 19. 1.* *S. Bernard. serm. 9. in Ps. Qui habitat.*

PHOENIX.

407. Phœnicis sidus, quindecim stellis conspicuum, P. Dominico Gamberto authore, epigraphen tenet: FUNERIBUS PRETIOSA SUIS. Verbis è Martiali desumptis, ubi de formicâ, intra succinum congelatâ, canit:

Sic, modò quæ fuerat vitâ contempta manente,
Funeribus facta est nunc pretiosa suis.

S. Apolloniam eruditè cœlestem Phœnicem dixeris, quæ martyrii sui rogo imposita, magnum ac sublime nominis, felicitatisque suæ incrementum fecit. Id quod eâdem ratione de S. Laurentio, aliisque intelligere licet, quia SS. Martyrum gloria ibi potissimùm exoriri cœpit, quando funeri suo inter gravissimos cruciatus propinquârunt. S. P. Augustinus. *Non tanto concursu hominum ad Martyres occidendos cavea crudelitatis impleta est, quantò nunc ad eos honorandos Ecclesia pietatis impletur. Omni anno spectat cum religione charitas, quod uno die cum sacrilegio commisit impietas.*

S. Aug serm. 103. de Divers. cap. 2.

SAGITTA.

408. Cœleste signum, cui sagittæ nomen, suprà Aquilæ alas, inter Tropicum æstivum, & circulum æquinoctialem medio loco hæret. Dum sagitta illa conspectum nostrum subit, minacem flammam ostentat, & jamjam ab arcu resiliens putatur, orbem lethali ictu transfixura. Verùm Virginis prodeunte sidere, mox infima cadit; nisuque prorsùs irrito, intra latebras recipitur. Unde Emblematis loco hanc è Venerabili Beda desumptam gnomam addidi. OCCIDIT VIRGINIS ORTU. Sagittæ, instrumenti militaris nomine terrores bellicos intellige, quos Mariæ Virginis præsentia reprimit, dissipatque. Certè Regibus ac Ducibus sibi devotis innumeras victorias contulit Virgo hæc invictissima; ut Narseti adversùs Gothos. Heraclio Imperatori contra Cosrohem, Persarum Regem: Pelagio I. Hispaniæ Regi; Basilio Imperatori, Christiano exercitui sub Godefrido Bullonio contra Saracenos; Alphonso VIII. Castellæ Regi contra Mauros; Pio V. contra Turcas; aliisque innumeris. S. Rupertus illud Deiparæ elogium interpretatus, *Terribilis ut Castrorum acies ordinata*, ait, *Tu, O Beata Virgo, terribilis es dæmonibus, hæreticis & impiis, sicut castrorum acies ordinata, in qua summa omnium est concordia; ac proindè nullus in ea per discordiam aditus datur hosti.* Joannes Geometra, Virgini supplex exclamat:

Salve, quæ facis ut belli victoria detur
Fortibus armigeris, munere virgineo.
Salve Præsidium urbanum, tu mœnibus arces,
Hostes, & moles concutis horrificas.

Beda Tom. 1. de signis cœli. Maria V. tollit bella & dat victoriam. *Cant 6. 3. S Rupert. in hunc loc.* *Io Geomet. Hymn. 4.*

SCORPIUS.

409. Cœlestis constellatio, cui Scorpionis nomen à similibus lineamentis obtigit, epigraphen sustinet. NESCIA VENENI. Tametsi enim influxu suo plurima adversæ valetudinis ac mortis venena spargat, ipsamet tamen intra se nihil penitùs virulentæ aut malignæ

Calamitas non nocet.

malignæ luis continet. Ita vindicta Divina, licet complura tormenta adversùs mortales jaciat; sibimet tamen nihil viperei toxici, alteriusve malitiæ commixtum habet; cùm summa inter malum & infinitum bonum sit discordia. Unde historiæ Machabææ author, miserias atrocissimas descripturus, procemii loco in hæc verba protestatur. *Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri.* S.P.Augustinus. *Cùm punit Deus ut Judex, punit eos qui legem prætereunt, non eis inferens de se ipso malum, sed in id, quod elegerunt, eos expellens, ad complendam summam miseriam.*

1. Mach. 6. 12.

S. Aug. in Psal. 5.

Exemplū malum Principis nocet.

410. D. Didacus Saavedra Scorpii asterismo gnomam, præcedenti è diametro adversam, supposuit. MAS NOCIVO, QUE EN LA TIERRA. Id est. AB ALTO NOCENTIOR. Innuebat videlicet, damna tantò graviora ab hominibus parari, quantò superiorem dignitatis aut Imperii locum occupaverint. *Nam qui magnam potestatem habent, etiamsi nullius pretii sint, multùm nocent,* inquit Aristoteles: cui assentiens S. Bernardus, ait, *Principis error multos involvit, & tantis obest, quantis præest.* Et Innocentius III. *Peccatum sacerdotis*, inquit, *totius multitudinis peccato coæquatur: quia sacerdos in suo peccato totam facit delinquere multitudinem.*

Aristot. 1. Polit. cap. 9. S. Bernard. Epist. 127.

Innoc. III. serm. 1 in consecrat. Pontif.

SYRIUS.

Extremū judicium.

411. Epigraphen addidêre Syrio. RADIIS VENIET FERVIDIORIBUS. Christi, ad extremum tribunal venturi, hæc imago est propria; ibi enim, Regio Prophetâ teste, *Ignis in conspectu ejus exardescet. Iste ignis,* Interprete S. Augustino, *inflammabit inimicos ejus, aridas arbores ignis comprehendet. Tunc enim aridæ apparebunt, quando eis dicetur, Esurivi, & non dedistis mihi manducare.* Et rursùs. *Qui nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignē; supplicia terreant, quem præmia non invitant.* Ipsummet Deum, Mosis ore loquentem, audi. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima, devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.*

Psal. 49. 3.

S. Aug. in Psal. 49.

Ibidem.

Deut. 32. 22.

Venator.

412. Venatori cuidam defuncto Syrii, seu Canis Cœlestis, Emblema suffixêre; addito lemmate. QUIETE CORUSCA. Is quippe, in operoso hujus vitæ decursu assiduò fatigatus, tum demum quietis nunquam interturbandæ felicitatem in cœlis accepit. Magno Augustino teste, *Duæ sunt hominis nativitates, nasci & renasci. Nascimur ad laborem; renascimur ad quietem: nascimur ad miserias, renascimur ad æternam felicitatem.*

Via ad cœlum.

S. Aug. serm. 100. de temp. cap. 2.

Opportunè hoc symbolo S. Eustachium Martyrem, venatorem olim prodigiosum; uti & S. Dominicum ornaveris, qui necdum in hunc orbem genitus, miro canis omine præfiguratus fuit. In hunc sensum meus Concanonicus, D. Salvator Carducius canit.

S. Eustachius M. S. Dominicus.

Canis corusca splendet in cœlo quies:
Sedens Domingus fulget inter Cœlites.

GALAXIA, seu Via Lactea.

CAPUT XIII.

413. Galaxia, per medium stellati cœli, instar fasciæ, extensa, è grandi innumerarum stellarum congerie ponitur, quæ suis radiis, mutuò collisis, albidum illum circum constituunt. Proinde viam hanc, stellulis innumeris stratam, lemmate non incongruo ornabis. CONFLATUR INNUMERIS. Viam hanc cœli putes, quæ è virtutum, mutuò connexarum, amicâ frequentiâ sternitur. Id quod primus Christi Vicarius, Petrus, perspicuè tradidit his omninò verbis. *Vos autem curam omnem subinferentes ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem, &c.* Seneca, genuinam virtutem reliquis virtutibus omnibus indissolubili nexu colligatam demonstraturus, ait, *Cùm aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur, fortasse cùm una in promptu sit, & maximè appareat patientia. Cæterùm illic est fortitudo; cujus patientia, & perpessio, & tolerantia rami sunt. Illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium. Illic est constantia; quæ dejici loco non potest. Illic est individuus ille comitatus virtutum, &c.*

Via ad cœlum.

2. Petri 1. 5. &c.

Seneca Epist. 67.

Virtus vera.

414. Manilius de circulo illo lacteo, quo cœlum resplendet, ait, Manil lib. 1

Nec quærendus erit: visus incurrit in ipsos
Sponte suâ, seque ipse docet, cogitque notari.

Unde lemma. VISUS INCURRIT IN IPSOS. Vel. INDICE NON INDIGA. In hoc symbolo, ceu speculo, genuina virtus, sanctitas & vitæ innocentia resplendent, quæ, sibi ipsis amplissimi præcones, orbi universo, citra ullum affectatæ industriæ conatum, innotescunt, omniumq; oculos in sui admirationem rapiunt. Expertos consule. S. Joannem Baptistam, S. Antonium Abbatem, S. Antonium de Paduâ, aliosque innumeros, quorum virtus, ab omni machinamento alienissima, universum orbem mirâ sympathiâ in sui obsequium ac venerationem traxit. Præclarè S.P. Augustinus. *Laus humana non appeti à rectè faciente, sed subsequi debet rectè facientem, ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt quod laudant, non ut hic putet, aliquid eos sibi prodesse quem laudant.*

Virtus se ipsa innotescit.

S. Aug. de serm. Dom. in monte lib. 2. cap. 2.

415. E Mythologorum doctrina, Heroës per viam lacteam progressi, ad cœli delicias ac splendores perducuntur. Illam proinde P. Gambertus hoc Claudiani lemmate ornavit. HÆC SEMITA LAUDUM. Innuit videlicet, directam ad cœlos viam per lactea virtutum vestigia patere; verus enim honor & gloria non jam inter dubios mundi anfractus, nec inter præcipites & invios ipsius calles, sed per cœlestis puritatis, innocentiæ, virtutis, & pietatis Christianæ semitam inquiri debent. Breviter S. Augustinus. *Ad Deum tendimus itinere pietatis.* Et rursùs. *Si ipsum caput nostrum sine peracto labore in terra, in cœlo regnare noluit, neque levare sursùm corpus, quod deorsùm accepit, nisi per per tribulationis viam, quid audent membra sperare, capite suo se posse magis esse felicia? Non ergò speremus molliorem viam; quà præcessit, eamus; quâ duxit, sequamur; si enim à vestigio ejus aberraverimus, perimus.*

Claud. de 3. Consul. Honor.

Sanctitas ad laudem promovet.

S. Aug. de lib. arbit. l. 3 c. 21

Idem in Psal. 51.

416. S. Carolus Borromæus, Academicus inter salvatos Papienses Inflammatus, symboli loco Galaxiam tenuit, hoc lemmate insignem. MONSTRAT ITER. Eodem epigrammate D. Petrus, Lusitaniæ Rex, Cynosuram ornavit; significaturus, S. Fidei, boni exempli, & Angeli tutelaris, ceu Ducum fidissimorum beneficio, viam ad salutis portū aperiri planissimam, nullisq; ambagibus circumflexam. Cumprimis tamen Mariam Virginē lemmate illo repræsentabis, cui indies in hæc verba advolvitur Ecclesia.

Bonum exemplum. Fides, & Angelus Custos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum.

De SS. Angelis D. Augustinus. *Angeli*, inquit, *attendunt nos peregrinos, & miserentur nostri, & jussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriā communē aliquando redeamus.* De B. Virgine meus Concanonicus, D. Absalon Abbas. *Maria in hoc mundo tortuosè viventibus, aliis rectam viam bonæ operationis,* aliis

S. Aug in Psal. 62.

Absal. Abb. serm 31. in Annunc. B. Virg.

aliis rectam viam humilitatis, aliis rectam viam castitatis ostendit.

Magistratus benignus. 417. Galaxiæ Emblema in ornamentum & laudem publici cujusdam Magistratûs deservuit, qui neminem, opis suæ indigum, à justitiæ limine repellere, nullumque sibi supplicem votis suis unquàm destituere solet. Epigraphen addidêre; NEC FALLIT EUNTES. Magistratus adeò nobilis haud dubiè illam Titi Imperatoris parœmiam pectori suo altùm incisam habuit, *Non oportet quemquam à sermone Principis tristem recedere.* Tua tamen hæc imago est, O Magna Dei Parens; de te enim non sine solatio loquentem audio pullum tuum suavissimum, mellifluum Bernardum. *Ipsam sequens*, inquit, *non devias; ipsam rogans non erras; ipsâ protegente non metuis; ipsâ Duce non fatigaris, ipsâ propitiâ ad portum pervenis. &c.*

Sueton. in Tit num. 8. Maria V. S. Bernard. Hom. 2. super Missus est.

Virtus vera. 418. Genuina virtus, morum munditie, ceu comite individuâ, nixa, Galaxiam imitatur; hoc lemmate spectandam. HAC ITER AD SUPEROS. De Philosophia, ceu virtutum omnium synopsi, pronuntiat Justinus Martyr. *Est revera Philosophia maximum bonum & possessio, & apud Deum venerabilis: quæ ducit nos ad eum, & sistit sola, & sancti beatique illi, qui mentem ei donant.*

S. Iustin. Mart apud Lipsium l. 1. Manuduct. dissert. 3.

419. Fuit, qui Galaxiæ inscriberet. CANDORE NOTABILIS. Non sanctæ fidei duntaxat hoc Emblema convenit, de qua Ludovicus Ariostus,

Vna machia, un sol neo la puo far brutta.

Est post illum Guido Casonius, de promissis ac fide canens,

Guid Cason. in Embl. Polit. 16.

E qual candida strada in Ciel fregiata
Di stelle minutissime si scopre
Trà l'umbre oscure più lucente, e bella;
Tal la serbata fè, ch' in nobi alma
Splende, più chiara appar, più luminosa
Negli anuersi accident, e ne perigli.

Maria V. purissima. Verùm insuper insignem Mariæ Virginis puritatem, omnium creaturarum innotentiâ longe superiorem, significat. Unde ad eam conversus S. Gregorius Thaumaturgus, ait, *Tu sancta, omni humanâ naturâ gloriosior, ac purior, sanctiorque effecta es, ac nive quidem candidiorem habens mentem &c.*

S. Gregor. Thaumat. serm 2. in Annunt.

Unio multorum utilis. 420 Offuscati Cæsenates communi symbolo Galaxiam, tenuissimis stellulis confertim respersam, præferunt; addito lemmate. JUNCTA RENIDENT. Hinc disces, quantùm gratiæ ac splendoris è sanctâ multorum concordia generetur. Ad hoc propositum opportunè S. Joannes Chrysostomus, *Ignis naturam*, inquit, *talem esse videmus, ut si quis multas in unum lampades coegerit, splendidam reddat, & incendat lucem: sic in fidelibus usuvenit; cùm enim à nobis mutuò avulsi simus, fit ut mæstiores reddamur: cùm autem mutuò nos conspicientes, fit ut magnam consolationim accipiamus.* Et Cassiodorus. *Cælum ipsum stellis copiosissimis plus refulget, & de numerosa pulchritudine mirabilem intuentibus reddit decorem. Naturæ siquidem insitum est, ut bonorum copia plus delectet. Prata denique floribus pinguntur innumeris, laudatur pinguis agri densior seges. &c.*

S. Io. Chrys. Hom 2. in Ep. ad Rom. Cassiod. Variar. l. 18. Ep. 19.

421 Via lactea, è complurium stellarum acervo strata, illustrem ac gratiosum suum alborem assiduâ & concordi radiorum communicatione spargit. Unde D. Ludovicus Scottus, Academicus inter Vivaces Placentinos Princeps, illam hoc lemmate spectandam proposuit. E PLURIBUS NITOR. Sanè experientia testatur, Academias à pluribus viris litteratis; uti & Rempublicam à pluribus personis, prudentiâ politicâ, militari robore, & Christianâ virtute illustribus, plurimum ornamenti ac splendoris accipere. In hanc rem S. Ecclesia gratulabunda exclamat. *O quàm gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti.* Nempe cœli regiam, non modò à Verbi Divini, sed & à reliquorum Cœlitum præsentia gloriosam ac illustrissimam, denotans. S. P. Augustinus. *Quando cum multis gaudetur, & in singulis uberius est gaudium: quia fervefaciunt se, & inflammantur ex alterutro.* Meus Carducius canit.

Unio utilis. S. Aug. lib. Conf. cap.

Pluribus è stellis rutilat via lactea cœlo,
Plurima dum ceduntsidera parva simul.
Quæ nisi congesto cætu sociata coirent;
Ceu tenebrosa polo stellula sola foret.
Sic quoq; Romulidû splendor latitaret ut Umbris,
Ni simul Heroum se copulâsset honos.

N O X. *Caput* XIV.

In mort 422. HUmanam mortem Emblemate significaturi, obscuram noctem depinxêre, hoc epigrammate legendam. VERTETUR IN DIEM. Nostram enim è morte reviviscentiâ fide Divinâ firmatam habemus. Facundè & opportunè Turtullianus. *Dies*, inquit, *moritur in noctem, & tenebris usquequaque sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta: ubique justitium est, quies rerum. Ita lux amissa lugetur, & tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra, & tota, universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam noctem &c.* Eodem Emblemate constat, calamitates, tranquillo animo toleratas, viam sternere clarissimæ luci, ac felicitati propediem subsecuturæ.

Resurrectio. Tertull. l. de Resurrect. carnis. Calamitas felicitatem affert.

423. Nox, atro suo velamine omnem superbientis terræ speciem, fastusque coloratos legere solita, epigraphe præfert. COLORES CONTEGIT OMNES. His ipsis penè verbis S. Ambrosius diem occiduam prosequitur:

S. Ambros. Hymn fer. 1 ad Matutin

Nox atra rerum contegit
Terræ colores omnium.

Symboli huius acumine linguam maledicam feries, quæ alienis virtutibus scelerato conatu insidiari solita, nobilem earum splendorem umbris sepelire ac obscurare nititur. Hâc labe infamem sese probavit Pilatus, quando Christum turbæ spectandum exhibens, truncatas ac mutilas illas verborum particulas protulit, *Ecce homo!* nihil planè, ut acutè observat S. Leo Papa, *nihil*, inquam, *de Divinitatis excellentia, nihil de innocentia vitæ, nihil de collatis virtutibus* commemorans.

Maledicus. Io. 19. 5. S. Leo Papa in hunc loc.

FINIS LIBRI PRIMI.

MUNDI

MUNDI SYMBOLICI, LIBER II.

CORPORA ELEMENTARIA.

IGNIS.		Nix.	13	Piscina.	27
Ignis.	Cap. 1.	Grando.	14	Puteus.	28
Flamma.	2	Glacies.	15		
Facula.	3	Fulgur.	16	TERRA.	
Titio. Lignum.	4	Fulmen.	17		
Carbo.	5	Iris.	18	Terra.	29
Fumus.	6	Cometes.	19	Campus.	30
Cinis.	7	Ventus.	20	Mons. Vallis. Specus.	31
AER.		AQUA.			
		Aqua. Bulla.	21	Æthna. Vesuvius. Abanus.	32
Vapor. Nebula.	8	Aquæ distillatæ.	22		
Nubes.	9	Mare.	23	Olympus.	33
Pluvia.	10	Flumen. Torrens.	24	Insula.	34
Ros.	11	Nilus fluvius.	25	Isthmus.	35
Manna.	12	Fons.	26	Scopulus.	36

IGNIS. Cap. I.

1. HErsilia Cortese de Montibus, nobilissima Matrona, Magnatum odio ac invidiâ plurimùm exagitata, ut mentem suam heroicam, & plus quàm fœmineam, orbi palam probaret, palatium depingi curavit, flammis undique devastatum; addito lemmate. OPES, NON ANIMUM. Præclarè quidem, & è Senecæ sententiâ; *Animus generosus.* *Seneca in Media Act. 1.*

Fortuna opes auferre, non animum potest.

Doctorum Phæbus, S. P. Augustinus. *Divitiæ animum virilem, & Christianum, nec debent, si accedunt, extollere; nec debent frangere, si recedunt.* *S. Aug Epist. 205.*

2. Qui inter adversitatum turbines nihil depressus, gradus identidem sublimiores conscendit, ignem imitatur, è complurium ventorum flamine latius excrescere solitum. Symbolo epigraphen subjunges. VIM EX VI. Vel meâ quidem sententiâ. IL FAN MAGGIORE. Id est. *Majorem faciunt.* Hoc sensu S. Gregorius Papa, *Sanctorum mentes,* inquit, *æternitatis præmia præstolantes, vires ex adversitatibus sumunt: quia crescente pugnâ gloriosiorem sibi non ambigunt manere victoriam, & electorum desideria, dum premuntur adversitate, proficiunt, sicut ignis flatu premitur, ut crescat, & unde quasi extingui cernitur, inde roboratur.* *Calamitas utilis.* *S Greg Papa lib. 26 Moral cap. 10.*

3. Amedeus VIII. Sabaudiæ Dux, geminos pyrobolos, in hostem spargi solitos, hoc lemmate donavit. JACTI CRESCIMUS; significaturus, se è persecutorum insidiis plurimùm incrementi retulisse. Huic non multùm absimilis erat, qui igni subscripsit. CONTRARIA JUVANT. Vel. CRESCIT IN ADVERSIS. Verbis è Lucano mutuatis. *Calamitas utilis.* *Lucan. lib. 3.*

Crescit in adversis virtus.

Seneca canit. *Seneca in Troade.*

---Malè relictus igne de magno cinis
Vires resumit.

Compendio Origenes *Si non haberemus, qui adversum nos obsisterent, agones non essent, nec victoribus munera ponerentur, nec regnum cœlorum vincentibus pararetur.* *Origen. Hom 14. in l. Num*

4. Veluti ignis, nonnihil sopitus, aspirante vento mox reviviscit; ita virtus nonnunquam dormitans, discretæ correctionis afflatu expergiscitur. Unde lemma, igni subscriptum. CONTRARIA JUVANT. Eleganter S. Ansel. *Ignis, si vento impellitur, ad majorem ardorem crescit: taliter etiam est mens humana, salubri admonitione pulsata, ad opus agendum, post suggestionem citius surgit, ad quod prius surgere neglexerat. Sicque ut ignis, vento movetur, sic mens à torporis desidiâ admonitione excitatur.* *Calamitas utilis.* *S. Anselm. in similitud. cap. 148.*

5. Pyra succensa, & copiosis pluviis perfusa epigraphen tenet. POTIUS AUGETUR. Ita genuini amoris flamma amplissimum è calamitatum imbre augmentum facit. Opportunè S. Petrus Damianus. *Quò magis caro per tormenta concutitur, eò mens, in Deum fixa, firmius roboratur: & quasi igne succensa materies, quo plus adversitatum ventis impellitur, & quasi igne succensa materies, quo plus adversitatum ventis impellitur, eò in amorem Dei ardentius inflammatur.* Cumprimis tamen Magdalenæ pænitenti hoc Emblema convenit, quæ propriæ charitatis ignem irrigante lachrymarum suarum imbre plurimùm succendit, mirisque incrementis locupletavit. Optimè S. Augus. *Ubi fuerint lachrimæ, ibi spiritualis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat.* *Amor inter adversa crescit.* *S. Pet. Dam. serm. 21.* *S. Magdalena.* *S. Aug lib de salut document.*

6. Ignis, intra furnum distillatorium succensus, pendentibus circùm receptaculis omnibus satis eliquati humoris providet. Unde P. Caroli Bovii lemma. SATIS OMNIBUS UNUS. S. Ignatius Loyola, nomine & re verè ignitus, discipulos suos omnes infracto spiritu, ac copioso virtutum humore replevit. Id quod enim de SS. Augustino, Basilio Benedicto, Dominico, Francisco, aliisque dixeris, qui præceptionum suarum ardore innumeros discipulos imbuerunt. Cæterùm Christus tanto in miseros morta- *Patriarchæ Religiosorum.* *Christus redemptor.*

les amore flagravit, ut sanguine suo pretiosissimo copiosè perfusos, solus è morte in vitam revocârit. S. August. *Ille unus quærendus est, qui & redemit, & liberos fecit, & sanguinem suum, ut eos emeret, dedit, & servos suos fratres fecit.*

S. Aug. Psal. 34. Conc. 1.

Virtus inter calamitates imperterrita.

7. Idem ignis, intra officinam aquis irroratus, majore vi effervescit. Unde lemma. CRESCIT MALIS. S. Ignatium Loyolam hæc imago loquebatur, qui virtutis, constantiæ, & charitatis adminiculo inter calamitatum procellas mirificè excrevit. Eodem symbolo Drogo Hostiensis singularem Magdalenæ ardorem, inter assiduas lachrymas augescentem expressit, *Ubi*, inquit, *affectus incanduit & ubertavit, carbo, lachrymarũ imbre respersus, fortius incanduit.*

Drog. Host. serm. 1 de sacr. Passion.

Justitia vindicativa.

8. Ignis, in campi succensi stipulas grassatus, nonnihil quidem nocumenti arido huic pastui infert: at simul plurimùm emolumenti præstat in consumendis humidis terræ excrementis, in reserandis poris, in restinguendâ vitiosâ germinum luxurie, & cinere, ceu stercoratione, in arvis relicto. Benè proin' P. Paulinus. JUVAT NOCENDO. Ita sanè justitia vindicativa, nonnullam perniciem sceleratis facessens, integræ civitati consulit, ejusque salutem & incrementum amplissimè promovet. Id probè edoctus David, *Deus* inquit, *tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum. Geminas hujus effati voculas, propitius* & *ulciscens*, acuratè examinans S. P. August. ait, *Deus ignoscendo propitius fuerat, & vindicando; Non solùm donans peccata, sed etiam vindicans propitius fuisti. Nam cui verè propitius est, non solùm donat peccata ne noceant ad futurum sæculum; sed etiam castigat, ne semper peccare delectet,*

Psal. 98. 8.

S. Aug. in hunc loc.

Amor non potest abscondi.

9. Idem Paulinus ignem, è pyroboli sphærâ non sine impetu erumpentem, delineavit; adjecto lemmate. NON INCLUDAR. Vel, meâ quidem sententiâ. CARCERIS IMPATIENS. Sicuti verò ignis sese carceribus aut seris coarctari ægerrimè patitur, ita amor, ignis simia, intra pectoris angustias difficillimè concluditur, quin erumpat: ut adeò eundem ignem etiam hoc D. Matthiæ lemmate jure insignias. NON POTEST ABSCONDI. S. Thomas Villanovanus. *Amor*, inquit, *ignis est, cujus ardor occultatus, & flamma publica, dissimulata quantumvis, abscondi non valet. Amor simulare nequit, nec dissimulari, si poteris abscondere solem, poteris & celare amorem.* Dialogum Ergasti cum Mirtillo huc afferre lubet.

Matth 5 14.

S. Tho. Vilanov. Conc. de Maria Magd.

P. F. Atto. 1. scena 1.

Già non doveui tu si longamente
Celarmi la cagion de la tua fiamma,
Se la fiamma celar non mi potevi.
Quante volte l' hò detto: arde Mirtillo,
Ma in chiuso foco e si consuma, è tace.

Amor Divinus destruens.

10. Illum, qui vitæ sanctimoniâ eò progressus est, ut ardentissimo amoris Divini æstu extremũ mærorem, & ægritudinem admodum gravem contraxerit, symboli loco igni non absimilem dixeris, qui intra angustum carcerẽ accensus, epigraphen tenet. DONEC IN CINERES. Gilbertus super illud sacri Epithalamii, *Amore langueo*, ait, *Non languet amor, sed languet amans: ubi viget amor, ibi viget languor, si desit quod amatur. Quid est languor, nisi affectio quædam de absente dilecto, amantẽ conficiens? Amor vehemens patienti simul afficit & carnem & mentẽ &c:* De S. Theresiâ historiæ produnt. *Intollerabili igitur Divini amoris incẽdio potius, quàm vi morbi, Albæ cũ decumberet, sub columbæ specie animã Deo reddidit.*

Gilbert. in Cant. 5. 8.

Brev. Rom. 15. Octob.

11. Experientia testatur, membra humana, nimio frigore constricta, non modò ab igne recreari, sed insuper malignis humoribus, quos inde contraxêre, ejectis, ad pristinam dispositionum symmetriam revocari. Unde D. Primus Tattis igni subscripsit. FOVET, ET DESTRUIT. S. Maurus Abbas hoc Emblemate significabatur, cuius interventu fideles frequenter, maximè inter dolores febriles, roborantur. Idipsum porrò de bono Principe dixeris, qui & gratiæ suæ favore benè meritos *fovet*, & suppliciorum rigore sceleratos *destruit*. Certè misericordissimus, simul & justissimus Deus ex æquo fovet animas sibi addictas, destruitque flagitiosas. Pulchrè S. P. August. *Nos perversitate nostrâ sic volumus Deum esse misericordem, ut non sit justus. Alii rursus, quasi præsidentes de justitiâ suâ, sic volunt justum, ut nolint misericordem, Utrumque se exhibet Deus, utrumque præstat*; *nec misericordia ejus, præscribit justitiæ, nec justitia ejus aufert misericordiam.*

Princeps benignus & justus.

Misericordia & justitia Dei.

S. Aug. serm 109 de tem

12. Inter cætera Emblemata, à D. Carolo Bosso, rarissimi ingenii viro, excogitata, mihique singulari operâ ac humanitate P. D. Gabrielis Mariæ Spreasiggl, Clerici Regularis S. Pauli, & hodie dignissimi Præpositi Mediolanensis ad S. Barnabam, transmissa; duas ignis imagines reperi, in quarum alterâ igneum meteoron (ceu ignis fatui nomen) ad ignis æthereі sphæram tendens exhibetur, cum lemmate. AD SUA TANDEM. Academicus inter Intentos Fatuus hoc suo Emblemate significavit, sicuti ignis ille impurus, è densis ac viscosis expirationibus concretus, tamdiu incertis ac errabundis motibus (unde & ignis errans seu fatuus à Meteorologis dicitur) divagatur, donec, absumptâ illâ crassitie, penitus defæcatus, ad sphæram sibi connaturalem evolet; ita suum intellectum diversis quidem erroribus, ac crassâ ignorantiæ mole hactenus fuisse agitatum; imposterùm tamen fiduciam de acquirendâ scientiarum perfectione adeò firmam sese concepisse, ut, academicæ exercitationis beneficio, purissimam cælestium ac divinarum rerum cognitionem obtinere confidat; suspiretque *Tandem ad sua*; anima enim, creata cœli hæres, ad cœlum, veluti ad centrum suum, evolare cupit. Verissimum adeò Ovidii effatum est.

Anima ad cœlum aspirat.

Igneus est nobis vigor, & cœlestis origo.

Ovid.

S. Augustinus. *Omnis homo, qualiscunque sit, beatus vult esse. Hoc nemo est, qui non velit, atque ita velit, ut præ cæteris velit: imò quicunque cætera vult, propter hoc unum velit.* Cæterum anima, Spiritûs Divini igne succensa, mox à terrenis sordibus expurgatur, & affectu ecstatico ad superûm regiam attollitur. Apprimè meus Concanonicus, D. Celsus Rosinus.

S. Aug. serm. 111 de Divers. cap. 2.

Spiritus S

Celsus Rosin. nell' Idillio della Pentecoste.

Che chi foco Divin porta nè l' alma,
Come al tergo habbia l' ali,
Al par d' ogni saetta
Al oggetto del Ciel correr s' affretta.

13. Inter eadem D. Caroli Bossi Emblemata igneam ætheris sphæram videre est, quæ vasto suo ambitu aërem complexa, in imo totius universi centro globum ter-aqueum suspensum habet, idem tamen ignis, intra loci sui connaturalis terminos constitutus, proprias vires adeò non exerit, ut nec palearum fasciculum, proximè admotum, devoret vel adurat. Ignis proinde, intra sphæram illam suam conspicuus, epigraphen tenet. NEC COMINUS URO. Principis hæc idea est, qui potestatis suæ nervos ac vires nunquam adversus propinquos intendere solet. Sic Christo à Nazarenis fuit exprobatum, quod plurima prodigia in exterâ civitate Capharnaum, nullum verò in patriâ suâ Nazareth ediderit. Idipsum etiam Christus tum de Eliâ testatus est, qui alienigenæ viduæ necessitatibus proindè succurrit, nullâ Judæarum pauperum viduarum ratione habitâ: tum de Elisæo, solum Naamanum, nullum verò Palestinæ conterraneum à lepræ sordibus

Propinqui.

Luc 4 23.

Ibid v. 25.

bus

Chrysol. Serm. 48. in fine.

dibus restituente. Verè S. Chrys. *Inter suos posse, morsus est, adustio est; inter cives eminere proximos, proximorum urit gloriam: propinquo propinqui, si honorem debeant, computant servitutem.* Cæterùm ex hoc Emblemate discant Religiosi, ne, intra cœlestem religiosæ vitæ sphæram collocati, nimiâ propinquorum consuetudine utantur. Certè de Apostolis testatur S. Ambrosius, *Apostolis, cùm à Domino mitterentur, neminem in viâ salutare præscriptum est; non quòd benevolentiæ displiceret officium, sed quod persequendæ devotionis intentio plus placeret.*

Religiosi.

S. Ambros. lib. 7. in Luc. c. 9. v. 59.

14. Ad eandem ignis, intra propriam sphæram nec lucem nec ardorem spargentis, indolem collineans D. Gregor. Bolzi, ignem expressit, qui, amœno splendore conspicuus, vicinam quandam materiem prehenderat; cum lemmate. DA LA SFERA PERO NATIA LONTANO. Id est. SPLENDET, NATIVA SEDE REMOTUS. Nempe sacram Ædem Lauretanam significabat, quæ è patrio Palæstinæ solo remota, famam ac honorem longè amplissimum recepit. Meus D. Salvator Carduccius Emblematis mentem hoc disticho aperuit.

Patriæ absentia utilis.

Flamma velut rutilat, natali at ab orbe remota,
Sic domus è patrio climate mota nitet.

Cæterùm complures extra solum patrium longè illustriores resplendent, quàm intra illud; Causam, quod domi nostræ ut plurimum vilipendamur, hanc assignat S. Chrys. *Quia solemus, quod tritum est, ac quotidianum, etiam si magnum sit, parvi pendere.* Juxta illud Alexii apud Athenæum, *Alienum amamus, proximum contemnimus.*

Chrysost. hom. 34. *Athenæus 3.*

15. Ignis, supra aram accensus, nota ac consueta Religionis idea est; habetque hos lemmatis loco præfixos characteres. SINE LABE. Innuit videlicet aureum illud S. Jacobi Apostoli dictum. *Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem, est visitare pupillos, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Hanc iconē Religiosi, aliique altaris Ministri ob oculos suos statuant velim; ignem quippe imitati, sese ab omni spurcitie aut defectu immunes contineāt. Religiosissimè meus Thomas Kempensis. *O quàm mundæ debēt esse manus illæ, quàm purum os, quàm immaculatum erit cor sacerdotis, ad quem totiens ingreditur auctor puritatis. Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum, & utile procedere debet verbum, qui tam sæpè Christi accipit sacramentum. &c.*

Religiosi puri. *Jacob 1. 27.* Religiosi puri sacerdotes. *Tho. Kemp. l. 4. de Imit. cap. 11. v. 6.*

16. Intra vasti ignis umbilicum aliquot sagittas, arcum, pharetram, & facem depinxēre; addito lemmate. IGNE IGNEM. Cœlestis amoris incendium hoc igne significabatur, à quo, quidquid terreni affectus est, quantocius extinguitur, & devoratur. Ab hoc argumento non multùm abludit meus Richardus Victorinus, dum illa Christi verba explicans, *Ignem veni mittere in terram,* ait, *Quando hunc ignem Iesus de summis attulit, nunquid in terris tunc temporis ignis defuit? Invenit absque dubio ignem terrestrem: attulit autem ignem cœlestem. Illum venit extinguere: istum vehementer accendere.* Eodem igne infernales flammæ repræsentantur, quæ meditabundo animo volutatæ, omnem libidinis ardorem restinguunt: id quod in filio prodigo, ad frugem converso, demonstrat meus D. Gregorius Comaninus.

Amor cœlestis. *Richard. de Victore l. de Scrif. David. Luc. 12. 49.* Infernus.

Greg. Coman. nel. 1. parte del suo Canzoniere.

Alhor ch' io tutto de la fiamma ardea,
Che di lascivia, e non d' amor la face
Entro nel cor vilissimo avendea,
Per tormi eternamente in Ciel la pace
Correr con la memoriai pur denea
Alfiero ardor del' infernal fornace:
E così di paura a poco a poco,
Amorzar dentro a lui FOCO CON FOCO.

Et Joannes Audenus.

Is facilè extinguet Veneris flagrantia tela,
Qui meminit gehennæ, qui Phlegetontis aquæ.

Pentapolis quoque, igne tortore castigata, hoc Emblemate denotatur; veluti D. Marinus de justitiā Divinâ, adversus lascivam mundanorum turbam succensâ, canit, eamque in hæc verba loquentem introducit.

Suppliciū. *Marinus.*

Hor la pena la giù nel cieco Averno
Pari al fallo n' aspetta; ardera poi
Che visse in vivo foco eterno.

Porrò hujus symboli lemmate, *Igne ignem,* significabis, pœnam ex æquo suæ culpæ respondere; nec incongruè lascivos mortales supplicio igneo castigari, qui ignem scelerum suorum instrumentum penè unicum habuerunt. Ludovicus Cerchiarus Neronis statuam, ad æquissimas Talionis leges, fulmine liquefactam ac consumptam asserit, ut qui paulò antè horrendo tyrannidis suæ igne Romanam urbem devastârat.

Suppliciū respondet culpæ.

Diruit effigiem fulgur, sternenda Neronis,
Fulgure, cùm potius ferrea corda forent.
Non illa in mutilas cecidit diffracta figuras;
Amisit formam, sed liquefacta, suam.
Abstulerant Romæ primævum incendia vultū,
Nec servanda mali Principis est statua.

Denique exinde disces, vitiorum nostrorum incendia, intra contumacem pectoris nostri silicem exardescere solita, nonnisi igneâ correctionis vehementiā comprimenda, suffocandaque esse. S. Prosper. *Crimina quæcunque non fuerint patientiæ levi medicamento sanata, velut igne quodam piæ increpationis urenda sunt, & curanda.*

Correctio efficax. *S. Prosp. l. 2. de vit. Contempl. cap. 7.*

17. Ignis, supra altare collocatus, ignem illum æternum repræsentat, quem veteres Romani fovere consueverant: addito lemmate. NUNQUAM DEFICIET. Eximiam S. Caroli pietatem, charitatem & zelum, nullis unquam intervallis distinctum aut deficientem, hæc imago repræsentabat. Præceperat olim Deus, *Ignis in altari meo semper ardebit;* eo præcipuè igne, quia, interprete S. Gregorio. *Altare Dei est cor nostrum, in quo videtur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter ascendere.* Eidem symbolo epigraphen non incongruam subjunges istam. SEMPER INEXTINCTUS. Idque è Pauli Maccii judicio, intensum amorem, quo versùs virtutem flagramus, significat.

Perseverantia. *Levit. 6. 12.* *S. Greg. 15. Mor. c. 7.* Amor virtutis. *Paul. Maccius Embl. 46.*

Ardor inextinctus virtutis, nocte, dieque
Mentem, animumq; urit, cùm semel arripuit.

18. Luculentam animi ingrati ideam ignis exhibet, qui illam ipsam materiem voraci flammâ depopulatur, à quâ fomentum, & persistendi facultatem copiosè subministratam accipit, lemma. ALENTEM DEVORAT. In hanc rem multùm conferunt querula illa Davidis suspiria. *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Et illa Servatoris nostri; *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* In hunc locum Origenes. *Hæc est autem propria consuetudo hominum nimis malorum, ut post salem & panen insidientur.*

Ingratus. *Psal. 40. 10. Matth. 26. 23.* *Orig. in hunc loc.*

19. Epigraphen igni subdidēre, NEC PROPE, NEC PROCUL. Documenti loco id habeas, ne

Principis familiaritas noxia.

Magnatibus, in igne illo repræſentatis, vel nimiùm propinquus adhæreas, vel plurimùm ab iis removeare. Antiſthenes id probè perſpectum habuit, qui interrogatus, *quomodò ad Rempublicam capeſſendam ſit eundum?* reſpondit, *velut ad ignem, ne nimis admotus exurariſ? procul amotus frigeſcas.* Eâdem omninô diſciplinâ Ecdicium ſuum inſtituens Sidonius Apollinaris, ait, *Igitur ſi quid noſtratum precatibus aquieſcitis, ac tuto in patriam receptui canere feſtina, & aſſiduitatem tuam periculoſæ Regum familiaritati celer exime, quorum conſuetudinem ſpectatiſſimus quiſque flammarum naturæ benè comparat, quæ ſicut paululum à ſe remota illuminant, ita ſatis admota comburunt.* Haud aliter Horatius.

Io Stob. ſerm. 43.

Sidon. Apol- lin. l. 3 epiſt. 3 in fine.

Horat. l. 1. epiſt. 19.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuet.

Martial l 12 ad Iulium.

Id quod Martialis in particulari quâvis amicitiâ obſervatum vult. Conſilium ipſius ſaniſſimum accipe.

Si vitare velis acerba quædam,
Et triſtes animi cavere morſus,
Nulli te facias nimis ſodalem,
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Amor occultus

20. Veluti ignis, ſub cinerum acervo deliteſcens, amplioribus viribus invaleſcit; prout ille teſtatus eſt, qui igni, fumoſos vapores è cineribus exhalanti, ſubſcripſit. ÆSTUAT MAGIS. Ita amoris & odii flamma tantò ardentius exæſtuat, quò arctius intra pectoris anguſtias concluditur. Vernaculo idiomate hâc de re canit Joan. Bapt. Guarinus.

Io Bap. Guar P. F.

Mirtillo; Amor fu ſempre un fier tormento,
Mà più, quand' è più chiuſo.

Tu huic malo quantocius medebere, ſi Virgilii antidoto, quo pecoris ſcabiem abſtergendam docet, ſedulò uſus fueris.

Non tamen ulla magis præſens fortuna laborum eſt,
Quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum
Vlceris os. Alitur vitium, vivitque tegendo.

Humilitas amorem auget.

S Aug ſerm. 27. de diverſ cap. 3.

Cæterùm animus, inter humilitatis cineres deliteſcens, ardorem intenſiſſimum, quo verſus Deum exæſtuat, intra ſe ſentit. Unde breviter Magnus Auguſtinus. *Omnes delectat celſitudo, ſed humilitas gradus eſt.*

Charitas

21. Ignis, intra anguſtam fornacem recluſus, epigraphen tenet: QUANT' E RISTRETTO PIU, TANT' E PIU FIERO. Charitatis genuinum hoc ectypon eſt, quæ intra cordis noſtri latebras coarctata, nervos validè intendit, & vehementiore impetu verſus Deum nititur. Unde lemma illud è nativo ſuo idiomate ita interpretaberis. EFFERATUR ANGUSTIIS. Opportunè S. Laurentius Juſtinianus. *Quemadmodum ignis, quanto magis in unum colligitur, tanto amplius nutritur, & flammas evaporans, rurſum impetuoſius erumpit: ita & mens, cùm diutius intra ſe commorata fuerit, & ardentius per amoris incendium urit in ſe; & per deſiderium elevatur in Deum.* Eoſdem planè effectus in amore profano eſt deprehendere, quem Taſſus in Niceâ, Tancredi amore irretitâ, his omninò verbis proponit.

S Laur. Iuſt. de Perfect. Monaſt. c. 15

Taſ in Geruſ Conquiſt. l. 7 ſt. 80.

Ama, & arde la miſera: e ſi poco
In tale ſtato, che ſperar le avanza:
Che nutriſce nel ſen l' occulto foco
Di memoria via più, che di ſperanza:
E quanto è chiuſo in più ſecreto loco,
Tanto hà l' incendio ſuo maggior poſſanza. &c.

Idipſum de Argante, validis hoſtium, militumque armis circumdato, canit.

Idem lib. ſt. 113.

Non ceſſa, e non s' allenta: anzi è più fiero
Quant' è riſtretto più da i più gagliardi,
Si come a forza da rinchiuſo loco
Se n' eſſe, e moue alteruine il foco.

Amans profanu

22. Quidam mundi pullus, igneam amoris ſui vehementiam explicaturus, argumentum ab hyperbole mutuavit; quippe Troiæ incendium coloribus expreſſit, adjecto epigrammate. PARVA IGNI SCINTILLA MEO. Id tamen citra hyperbolen de animâ damnatâ dixiſſet, quæ totum conflagrantis Troiæ incendium, cum Orcinis flammis comparatum, non plus æſtimaret, quam tenuiſſimam favillam. Unde Tertullianus horrendas Æthnæ & Veſuvii fauces, Tartaro commenſuratas, nonniſi *quædam fumariola* teſtatur. S. P. Auguſtinus. *Cogita quoslibet cruciatus, extende animum in quaslibet in hâc vitâ pœnas humanas, compara ad gehennam, & leve eſt omne quod cogitas.*

Infernus

S Aug de urbis exci. cap. 4.

Purgatorium.

23. Ignis, circùm catillum, auro plenum, accenſus, epigraphen tenet. PURGAT, ET URIT. Præclara hæc piacularium flammarum idea eſt. S. Ambroſius in geminâ illâ ignis expiantis & incendentis prærogarivâ gratiam Divinam contemplatur. Et alibi Machabæorum ignem in aquas, & has rurſus in ignem commutatas obſervans, ait, *Quid ergò ſibi vult, quod ignis aqua factus eſt, & aqua ignem excitavit? niſi quia ſpiritualis gratia per ignem exurit, per aquam mundat peccata noſtra, eluitur enim peccatum, & exuritur. &c*

S. Ambros. 3. offic. c.

Machab. 1 cap. 1.

Caſtigat

Religios latens

24. Alcibiades Lucarinus ignem, cinere coopertum, hoc lemmate diſtinxit. SERVOR, NON PERDOR. Eorum hoc emblema eſt proprium, qui mundi libertate relictâ, ſub cineream ac funebrem Religionis veſtem ſeſe receperunt, ubi vitam non quidem amittunt, ſed cum æternâ commutant. Ad mentem hanc Hieremias Vates. *Sedebit ſolitarius & tacebit, quia levavit ſuper ſe. Ponet in pulvere os ſuũ, ſi fortè ſit ſpes.* Et S. Baſilius Magnus inter cætera Eremi encomia, *Cella,* inquit, *Dominicæ ſepulturæ propemodum æmula, quæ peccato mortuos ſuſcipis, & per afflatum ſancti ſpiritus Deo reviveſcere facis.*

Hier. Thr. 3 28.

S Baſil hom de l Eremi.

S. Ignat Loyola

25. P. Famianus Strada in Encomium S. Ignatii Loyolæ, qui ſanctimoniæ luce, & charitatis favore univerſum orbem ad arma contra inveteratam ſcelerum phalangem concitavit, ignem ſuprà turris faſtigium depinxit, addito lemmate. FERTE CITI FERRUM. Nempe ad illum veteris militiæ morem alludebat, quo dimicaturi facibus in edito loco ſuſpenſis ad pugnam convocari ſunt ſoliti. Virgilius, de Helenâ canit.

Virgil. 6 Æneid. v. 1.

----Flammam media ipſa tenebat
Ingentem, & ſummâ Danaos ex arce vocabat.

Christi natus.

Hâc de re prolixum, ac, more ſuo, eruditum conſule Ludovicum Cerdanum. Chriſto, ceu igne æterno, in hunc orbem nato, mox claſſicum adverſus vitia inſonuit; unde ipſius Servatoris verba. *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Nam interprete Magno Auguſtino, *ſeparaturus erat fideles ab infidelibus, filios à parentibus, & cæteras neceſſitudines diremptururs, gladio putredinem abſcindenti, membra autem Chriſti ſananti.* Et rurſus, *Gladius verbi illius ſalubriter non ſeparavit à conſuetudine malâ &c.*

Matt 10; 34

S Aug 1 pſal. 143

Idem in pſal. 96

26. Ignis,

Peccator conversus. S. Matthæus. *S. Hieron in Matth. 9.*

26. Ignis, à radiis solaribus, intra speculum reflexis, accensus, Lucarino authore epigraphen tenet. EXCITATUS LUMINE. Ita gratiæ Divinæ lumen, & radii, è Christi vultu reflexi, S. Matthæum ad frugem excitârunt. S. Hieronymus. *Fulgor ipse Divinitatis occultæ, quæ etiam in humanâ facie Christi relucebat, ex primo aspectu videntes ad se trahebat.* Id quod de omni peccatore haud incongruè dixeris.

Peccator obstinatus

27. Igni subscripsit Lucarinus. EXTINGVITUR, NON FRIGESCIT. Hominum corda nonnunquam adeò obstinata videre est, ut jamjam è vivis discessura, nec minimùm de scelerum suorum ardore remittant. In hanc rem meus Concanonicus, D. Salvator Carducius canit.

Vita prius fugiet, sævus quàm frigeat ardor;
Sic perit obluctans nonnisi morte scelus.

Perseverantia. *S. Aug. Annotan Iob. cap. 38.*

Porrò perfectæ charitatis incendium non antea refrigescit, donec cor, ceu propria amantis officina, extinguatur, & in cineres abeat. Unde monet S. P. Augustinus. *Tempus inimicorum est, donec transeat iniquitas; quæ, quantò magis abundat, tantò magis adversus diabolum acrius pugnandum est, ne charitas perseverantium refrigescat.*

Justus inter malos. *S. Bern. in Cant. serm. 48.* *Gen. 6. 9.* *Nicol. Lyran. in hunc loc.* *S. Greg. 1. Moral. c. 1.*

28. Ignis, hoc lemmate conspicuus, IN TENEBRIS LUCET, Eorum Encomiasten agit, qui vitæ integritatem inter sceleratorum umbras illibatam servant. S. Bernardus. *Non mediocris titulus virtutis est, inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem.* Hâc prærogativâ, è sacræ Paginæ testimonio, excelluit Noe, *Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis.* In quem locum Nicolaus de Lyrâ. *Ad augmentum laudis, justus & perfectus fuit, etiam inter malos homines, qui ipsum nitebantur verbis & exemplis trahere ad malum.* Iisdem encomiis S. Gregorius Papa Jobum prosequitur, dum verba illa explicans, *Vir erat in terrâ Hus nomine Job*, ait, *sanctus vir, ubi habitaverit, dicitur; ut ejus meritum virtutis exprimatur: ut hoc ejus laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est, bonum esse cum bonis: sed bonum esse cum malis.*

Zelus animarum. *Prov. 30. 16.* *Sacra Rota in processu beatificationis S. Cajet.*

29. Ingentem animi ardorem, quo S. Cajetanus Thiæneus versus proximorum salutem assiduò flagrabat, ignis Emblemate significârunt, qui versus lignorum struem exardescens, epigraphen tenebat. NUNQUAM DICIT, SUFFICIT. Verbis è sacrâ Paginâ mutuatis. *Ignis nunquam dicit: sufficit.* Sacra Rota, cùm de illo in Beatorum album recensendo ageretur, ejusdem symboli mentionem injecerat his omninò Verbis. *Ut inexplebile ipsius, flagransque salutis alienæ desiderium nobili exprimeretur Emblemate, in ardenti scilicet flammâ, cum inscriptione: Nunquam dicit, sufficit.* Cæterùm divitiarum fames, nunquam exsaturanda, eodem emblemate exhibetur. S. Basilius. *Ne adaugeas tibi peccatum avaritiæ, namque malum stare nescit, aut quiescere, sed ignis naturæ simile: ignis enim postquam incendium attigit, omnem properat absumere materiam, nec prius desistere poterit, quam materia defecerit: avarum autem quid retinere poterit? Igne vehementior est, & omnia continuando finibus suis occupat, & quæ sunt vicina, sibi aufert, mox ubi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt, ad se rapit.* Calamo minus prolixo Seneca. *Nunquam improbæ spei, quod datur, satis est, & majora cupimus, quò majora venerunt.*

Divitiarū fames. *S. Basil. hom. in Lacizis.* *Senec. l. 2. de Benef. c. 27.*

Iracundus proprii sui malifaber.

30. Ignis, infra ahenum succensus, aquas ardore suo turbat, iisque ebullientibus, se ipsum perimit. D. Alexander de Cuppis, Canonicus Regularis, lemmatis loco illa Petrarchæ verba subjunxit. IO STESSO DEL MIO MAL MINISTRO SONO. Id est. SUM MIHI CAUSA MALI. Hominem, facili negotio ad iram provocandum, hæc imago innuit; is quippe, persistentibus his animi turbis, nonnunquam voces adeò improvidas evomit, quæ in gravissimum ipsius detrimentum redundant. S. P. Augustinus. *Ira vide quid noceat, agnosce inimicam tuam, stat contra te, sepit viam orationis tuæ, murum erigit, & non est, quâ transeas. Non potes illam interimere, potes illam reprimere.*

S. Aug. serm. 93 de Divers. cap. 7.

Gratia Dei.

31. Gratia divina eatenùs viva ac constans in nobis persistit, dum assiduum virtutis nutrimentum eidem subministraverimus: haud secùs, atque ignis, lignorum congeriem vicinam habens, vires semper integras retinet. Unde lemma. NI DEFICIAT ESCA. vel, A FOMITE VIRES. S. Joannes Chrysostomus. *Quemadmodum ignis indiget lignis: ita & gratia alacritate nostrâ opus habet, ut fervere perpetuò possit.* Et Lactantius Firmianus. *Sicut ardere ac vivere non potest ignis, nisi aliquâ pingui materiâ teneatur, in quâ habeat alimentum; sic animæ materia & cibus est sola justitia, quâ tenetur ad vitam.* Denique Paulus Maecius de virtute canit.

S. Io Chrys. hom. 1. in 2. Ioan *Lact. Firm. l. 2. c. 23.* *Paulus Maccius Embl. 46.*

Dotibus aucta novis, nec tempore deperit ullo,
Ut sumit vires fomite flamma novas.

Occasio.

32. Scelerum flammam, jamjam in nobis sopitam, levi admodùm suggestione irritari posse, argumento minimè obscuro ignis demonstrat, qui sub cineribus delitescens, epigraphen tenet. RETARDESCET ATTACTU. Lactantius Firmianus. *Latet autem mens oppressa somno, tanquam ignis obducto cinere sopitus, quem si paululum commoverit, rursum ardescit, & quasi vigilat.*

Lact. Firm. de opificio Dei c. 18.

Adulator.

33. Adulatoris lingua omnem virtutis nostræ thesaurum voraci flammâ depopulatur, & in pulveres tenuissimos conterit. Id quod Abbas Certanus in igne dignoscendum proponit; qui in pretiosas vestes grassatus, epigraphen reddit. OPTIMA QUÆQUE VORAT. Guilielmus Parisiensis. *Multo frigore timoris Dei trementes & congelantes oportet esse, quibus tanti ignes inveniuntur, vel qui inter tam ardentes ignes versantur: heu quot & quantorum bona hujusmodi ignibus consumpta sunt &c. Tanquam incendiarii igitur, & combustores bonorum nostrorum fugiendi sunt laudatores.* Id quod etiam de Detractore, & cumprimis, de vanâ gloriâ dixeris.

Guiliel. Paris. l. de moribus Detractor.

Vana gloria. Animus generosus.

34. Academicus, inter Philoponos Pistorienses Fervidus, igni, intra sylvam quandam ardenti, subscripsit. DUM AGITUR AUGETUR. Hunc animi generosi, constantis amoris, & genuinæ virtutis typum habeas, qui inter hostium assultus majore semper robore invalescunt. S. P. August. *Cùm cœperit homo Christianus proficere, incipit pati linguas adversantium: quicunque illas nondum passus est, nondum proficit; quicunque illas non patitur, nec conatur proficere.* Cæterum meus Concanonicus D. Salvator Carducius eidem Emblemati subscripsit. AUCTUS QUOD ACTUS. Ita nimirum iræ incendium inter injuriarum ventos amplioribus incrementis exardescit. Carducii hâc de re poëma est.

S. Aug Præf. in Psal. 119. Ira.

Auctus quod actus efferi luctâ Noti:
Sic ventilatum crescit iræ incendium.

Iracundus.

35. Ignis, sub cinerum velamine delitescens, epigraphen monstrat. SI SULPHURE TANGAR. Academicus inter Philoponos Pistorienses Occultus, hoc suo Emblemate hominem, facili negotio ad iram aut indignationem concitandū, significat. Eodē insuper

Occasio. insuper innuitur, quàm proclive sit, amoris, jamjam sopiti, flammam è quàvis minima occasione vires resumere, & recidivo malo in animam grassari; ut adeò gravi noxâ reum pronuntient Theologi eum, qui occasionem aliquam sibi periculosam expertus, in eam denuò se conjicit. Rationem subjungens S. *S. Cyprian. de singular. Cleric.* Cyprianus. *Pro certò*, inquit, *animam suam decipit, qui non cavendo contraria, noxiis rebus semetipsum commiserit. Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus, species quascunque noxias extimescit.* *Ovid de remed. l. 2.* Præclarè Ovidius.

Ut penè extinctum cinerem, si sulphure tangas,
Vivet, & ex minimo maximus ignis erit.
Sic nisi vitâris quidquid revocabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modò nulla fuit.

Detractio 36. Ignis, candidum truncum ligneum clarissimæ flammæ complexu lambere ac illustrare solitus, paulò post eundem infami fuligine dehonestat, & & in vilissimi titionis formam convertit. Ita sanè detractor, ab aliorum laudibus exorsus, tandem epilogum, infamiâ ac dedecore plenum, dexterrimè subnectere novit. Epigraphen Emblemati subjunxi. CLARITATE DENIGRAT. vel, SPLENDORE DETURPAT. Totum id authoritate suâ *S. Aug. l. 21. de civit. c. 4.* gravissimâ confirmat Magnus Augustinus. *De ipso igne*, inquit, *mira quis explicet? quo quæque adusta* *Psal. 54. 22.* *nigrescunt, cùm ipse sit lucidus, & penè omnia quæ ambit & lambit, colore pulcherrimo decoloret.* Et Vates Regius. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Proindè Detractor Nuntium illum Turcicum imitatur de quo canit Tassus. *Tass. nella Gerusal. liber. cant 2.*

Gran fabbro di calumnie, adorne in modi
Noui, che sono accuse, e paion lodi.

37. D. Aresius observat, singulis elementis exteras ac inimicas qualitates, ejectis propriis, imprimi posse. Enimverò terra, aliàs sicca, non rarò humiditatem suscipere cogitur. Aër, naturâ suâ humidus, frequenter siccus evadit. Aqua frigus sibi congenitum sæpiùs cum calore permutat. Solus ignis id peculiare habet, quod primævo suo calore nunquam exui possit. Unde Aresii lemma. NON REFRIGESCET. S. Mariam Magdalenam hoc symbolū concernit, quæ supremum charitatis Divinæ ardo- *Charitatis perseverantia.* rem, animo semel conceptum, altis adeò radicibus intra præcordia sua admisit, ut illum nec momento quidem in pristinum frigus degenerare sit passa. *Luc. 12. 35.* Eandem præceptionem Christus discipulis suis inculcavit his omninò verbis. *Sint lucernæ ardentes in manibus vestris.* Nimirùm, interprete meo S. Prospero dicere volebat, *ut superno igne accensus animus non tepescat, sed studeat semper ardere.* *S. Prosp. epig. 84. inter ep. S. Ambros.*

38. Ignis, voraci incendio in sylvam, virore ac frondibus undique luxuriantem, grassatus, epigraphen tenet. QUID IN ARIDO? Nimirum ad illa Servatoris verba alludit; *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* *Luc 23. 31.* quasi diceret: si calamitatum ac suppliciorum flamma incendio adeò immani in arbores vivas, & pretioso virtutum succo plenas, desæviat; quæ, obsecro, tormenta ac ærumnæ illos manebunt, qui ligna arida, omnique virtutum humore penitùs destituta, existunt? *Sceleratis graves pænæ reservantur.* *Si ego*, inquit Christi ore Venerabilis Beda, *qui peccatum non feci, lignum vitæ appellatus, sine igne passionis à mundo non exeo; quid putas eis manere tormenti, qui sunt fructibus vacui?* *Beda in loc. cit.* *S Greg. in Iob.* S. Gregorius Papa gravissimas Jobi, viri apprimè Sancti, ærumnas in memoriam revocans, ait, *Cùm recognosco Iob in sterquilinio, cogito qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat, qui ita durè affligit, quos amat.*

39. Ignis, intra virentis ligni fascem accensus, epigraphen sustinet. MICAT ACRIUS ARDOR. *Amor in juvene.* Quo sensu hanc iconem interpreter? forsan viridem teneramque juventutem significat, quæ à lascivo amoris igne magis, quàm arida & exsucca senectus infestari solet? Forsan amantis profani pertinaciam exprimit, *Amans pertinax.* qui tantò acrius adversus rem amatam inardescit, quò plures hæc machinas, ac resistentis animi clypeos opponit? Forsan immensam Dei bonitatem repræsentat, quæ amoris sui ardorem tantò copiosius effundit, quò amplius saxa ac *Bonitas Dei.* perfida hominum corda renituntur. Verùm utut hæc non sint incongrua, Emblemate tamen illo Divinam iram cumprimis significari putem; *Christus judex.* sicuti enim ignis majore violentiâ, ac operandi virtuti longè validiore in lignum viride, quàm in siccum fertur, ita iræ Divinæ vehementia impulsu multo graviore eos percellit, quos amplioribus gratiæ ac dignitatum ornamentis excultos offendit. Verissimè adeo, *Potentes potenter tormenta patientur*, seu, Vatablo traduce, *In potentes inquiretur acriter.* *Sap. 6. 7.* Unde Origenes Principes tribuum Israël suspensos esse, ait, eò quod populum non docuissent, non movissent, non solicitè arguissent; additque, *Hæc si cogitarent homines, principatus non ambirent.* *Orig. homil. 20. in Num. 25. 4.* Certè Canonicus ille S. Victoris, teste Cantipratano, post mortem apparuit amico, cum dicto, *Si de numero Episcoporum fuissem, in damnationis periculum incidissem, & de numero electorum non essem.* *Thom. Cantipr. l. 1. Exempl. cap. 20.*

40. Ignis,

40. IGnis, ſub nocturno ac ſtellato cælo, in Veſtalium templo ſupra aram accenſus, Patre Boldono authore, epigraphen tenet. ÆMULA SIDERUM VIGILAT. Nimirum ſacra hæc flamma vigilem Cardinalis Monti, Paſtoris optimi, animum ſignificabat. Eodem Encomio Seneca Octavianum proſecutus, *Omnium domos*, inquit, *illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor &c Ex quo ſe Cæſar orbi terrarum conſecravit, ſibi eripuit, & ſiderum modo, quæ irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, nunquam illi licet vel ſubſiſtere, vel quicquam ſuum facere.*

[Margin: Vigilantia. — Seneca Consol. ad Polybium c. 26]

41. Ignis, in medio Dianæ templo accenſus, epigraphen monſtrat. CUSTODE PERRENNAT. Ita ſanè bonâ hominum diligentiâ, induſtriâ, & vigilantiâ res quævis maximæ conſervantur. Meus D. Carducius in rem præſentem canit.

[Margin: Diligentia.]

Mulciber exardens vigili cuſtode perennat,
Nil tibi deficiet, ſi vigil Argus erit.

Juſtus Lipſius. *Caduca & fragilis res homines ſumus: ſed ut ſimus etiam cùm non ſumus, & ut bona fama (ſæpè etiam pecunia) mortuis nobis ſuperſit, pendet ab induſtriâ juvenili.*

[Margin: Lipſ. Centur. ad Belg. ep. 6.]

42. Tanta ſenſuum noſtrorum eſt miſeria, ut formæ cujuſdam venuſtatem nonnunquam brevi temporis intervallo contemplati, mox vaſtum intra præcordia incendium contrahant: id quod D. Carolus Rancatus in igne dignoſcendum propoſuit, qui ingentibus ſpatiis dilatatus, hanc Claudiani gnomam præferebat. EXIGUE PEPERERE MORÆ. Opportunè S. P. Auguſtinus. *Quomodò enim, ſi aliquis carbones ignis apprehendat, ſi eos citò projecerit, nihil nocebunt, ſi verò diutius tenere voluerit, ſine vulnere eos jactare non poterit: ita & ille, qui ad concupiſcendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde ſuſcipiens, moras in ſuis cogitationibus habere permiſerit, excutere à ſe ſine animæ occaſione vel plagâ non poterit.* Et S. Gregorius ſuper illud Jobi, *Ignis eſt uſq; ad perditionem devorans*, ait, *Quid eſt libido niſi ignis, & quid item turpes cogitationes, niſi paleæ? Quis etiam neſciat, quia ſi in paleis ignis negligenter extinguitur, & parvâ ſcintilla omnes paleæ accenduntur? qui ergò virtutum incrementa non vult exurere, ita debet libidinis ignem extinguere, ut per tenuem ſcintillam nunquam poſſit ardere.*

[Margin: Libido citò accenditur. — Claudian de Conſulatu Manlii Theodori. — Aug. ſerm. 50. de temp. — S. Greg. in Iob 31. 16.]

43. E Sforziæ Pallavicini ſententiâ, profuſus hominum mundanorum decor, inſtar flammæ, *tantundem ſplendet, quantùm abſumit.* Proinde ignem, Emblematis loco, hoc lemmate notabis. SPLENDET, UT ABSUMIT. Quippe emendicatus hominum ſplendor nonniſi gravibus impenſis, & divitiis prodigè dilapidatis, promovetur, conſervaturque. Ad hoc propoſitum meus D. Carducius.

[Margin: Pallavicin. in Hiſtor. Concilii l. 1. cap. 2. n. 6. — Ambitioſus.]

Non ſecus auguſtis Regum qui degit in aulis.
Splendorem ut foveat, pabula perdit opum.

Porrò tantundem ſplendoris in cœlo tibi conciliabis, quò plus divitiarum in egenos abſumpſeris. Unde S. P. Auguſtinus. *Arca exinanita eſt auro, cor plenum eſt fide. Foris pauper es, ſed intùs dives es.*

[Margin: Eleemoſynarius. — S. Auguſt. in Pſal. 66]

44. Ignis, intra domum excitatus, aquis tempeſtivè affuſis citra negotium extinguitur. lemma. PRINCIPIIS OBSTA. Verbis ex Ovidio mutuatis.

[Margin: Ovid.]

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Idipſum de amoris laſcivi flammâ dixeris. Unde apo-

[Margin: Principiis obſtandū.]

Ovid. Epist. Heroid. apodosis loco istud ex Ovidio distichon habeto

Dum novus est, cœpto potius pugnemus amori:
Flamma recens parvâ sparsa resedit aquâ.

Arist. l. 4. Polit. cap. 4. *Sapientis est*, ajebat Philosophus, *malorum initiis occurrere.*

45. Ignis, dum in materiam sibi applicatam agit, semper intereà sursùm, ad centrum locumque suum nativum, tendit. Lemma. OPERANDO LEVATUR. R. P. Tobias Lohner, vir, si quis alius, pro animarum salute, & Pastorum institutione zelosissimus, imagine illâ spiritualem operarium designat, qui cum hominibus agens, mentem semper ad Deum, veluti ad centrum finemque suum, elevatum habere debet. Id quod præclarè Sanctus Ignatius, laudatissimæ Societatis Fundator, docuit; de quo P. Ribadeneira in hæc verba loquitur. *Atque hoc familiare nostris optabat esse, ut Deum in omnibus rebus præsentem cernerent, & mentes suas non in oratione tantùm ad cœlestia attollerent, sed universas res, atque actiones singulas in Deum referrent, neque minorem devotionis spiritum in actione, quàm in meditatione sentirent.* Unde alius quidam dicebat, eum, qui cum proximo conversatur, assiduè illam Ecclesiæ adhortationem sibi occinere debere; *Sursum corda.*

Tob. Lohner. Instr. 3. c. 3. Parochi conversatio. *Ribad. in vita S Ignatii. l. 5. c. 1.*

46. Ignis, dum agit, nec minimam nativi caloris sui jacturam facit. Lemma. NON PERDIT AGENDO CALOREM. Nempe spiritualis operarius, dum cum proximo agit, studiosè cavere debet, ne quidquam de interno charitatis & perfectionis ardore remittat. Eum in finem saluberrimum illud Christi monitum sibi præ oculis statuat. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Hoc videlicet sponsa indicavit. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.* Quomodò enim ordinavit, nisi eam excitando, ut ordinem charitatis ab ipso præscriptum servaret, & prius charitatem erga se, postea erga alios exerceret? S. Bernardus, Eugenium suum instruens, *si totus* inquit, *vis esse omnium, instar illius, qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem; sed si plena sit, quomodo autem plena, te exaluso? & tu homo es, &c.*

Parochi conversatio. Charitas ordinata. *Matth. 16.* *Cant. 1.* *S. Bern. lib. 1. de Consid.*

47. Ignis calorem suum omnibus accedentibus indiscriminatim communicat. Lemma. OMNIBUS IDEM. Præclarum in rem præsentem zelosissimi Patris Lohneri est monitū; Verus operarius, inquit, sine ulla personarum acceptione, omnibus auxilium vel consilium poscentibus, aut iisdem indigentibus promptè ea communicare debet; illudque adeò Christi usurpare; *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Eum in finem meminisse debet, Christum pro omnibus æqualiter mortuum esse, omnes esse Dei filios, in omnibus Christum relucere, omnium animas esse pretiosas, & ad imaginem Dei creatas; Atque hoc est, quod tam facilè hortatur S. Jacobus: *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conventum vestrum vir, aureum annulum habens in veste candida; introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclarâ, & dixeritis ei; Tu sede hic benè. Pauperi autem dicatis: Tu sta illic. &c. nonne judicatis apud vosmetipsos, & facti estis judices cogitationum iniquarum?* Themistocles admonitus, audiit à viro sapiente, *Benè Principatum geres, si cunctis æqualis, & communis esse voles,* S. Bernardus ad Eugenium suum liberrimè. *Non sit,* inquit, *in te acceptio personarum, non parvi te reum peccati existimes, si facies peccatorum, & non potiùs causas judicas meritorum.*

Acceptio personarum Parochis fugienda. *Matth. 11.* *Iacob. 2.* *Plutarch. in Apopht.* *S. Bernard. lib. 2. de Consid. cap. 14.*

48. Ignis, donec extinguatur, ab agendo nunquàm desistit. Lemma. AGIT, DUM VIVIT. Id quod Salomon indicat his omninò verbis. *Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit sufficit,* nimirùm, ignis. Rursus de vero animarum Pastore imaginem hanc interpretatur eruditissimus P. Tobias Lohner; is enim, quoad vires suppetunt, ab operando nunquam remittere debet; ut adeò cum Davide possit dicere, *Zelus domûs tuæ comedit me*; Et, *Tabescere me fecit zelus meus.* Sibi quippe à Deo illud Apocalypsis dictum putet, *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Atque adeò cum tanta constantia animabus, sibi commissis, invigilet, ut & ipse cum Christo olim moriturus dicere possit: *Consummatum est.* S. P. Augustinus illum D. Joannis locum explicans. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos,* ait, *In finem dilexit, ut & ipse de hoc mundo ad suum caput dilectione transirent, quid est enim in finem, nisi in Christum? finis enim legis Christus; finis perficiens, non interficiens: vel in finem, id est, usque ad mortem, non tamen dilectionem morte finivit; vel usque ad mortem dilexit, id est, usque ad mortem dilectio ipsa illum perduxit.*

Prov. 30. Ab operatione nunquam cessare. *Psal. 68.* *Psal. 118.* *Apoc. 2.* *S. Aug. in Ioan. 13. 1.*

FLAMMA. *Caput* II.

49. Flammam in aëre, quasi ad Cœlum subvolaturam, nonnemo hoc lemmate donavit. UT QUIESCAT. vel. QUIES IN SUBLIMI. Eorum genuina hæc imago est, qui è mundi retinaculis extricati, sese unius Dei obsequio addixerunt; probè gnari, veram quietem nullibi, nisi in solo Deo, repertum iri. Unde Dionysius Carthusianus in illud Threnorum, *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est,* ita commentatur, *conquiescere studeamus in Deo, ipse enim est finis noster, ad quem semper respicere debemus, in quo solo vera & salutaris quies consistit &c.* Et meus Concanonicus, Thomas Kempensis, Deum ex imo corde affatus, *Non potest*, inquit, *cor meum veraciter requiescere, nec totaliter contentari, nisi in te requiescat, & omnia dona, omnemque creaturam transcendat.*

Religiosus. *Dionys. Car in Thren 1.* *Thom Kemp l. 3. de Imit. cap. 21. n. 2*

5. Flamma, Emblematis loco, inscriptum tenet. AD SUBLIMIA SEMPER. vel, SEMPER SURSUM. Assiduos in virtute progressus hæc imago significat. S. Hieronymus acutè observat, studiosè quidem ab Ezechiële descriptos fuisse gradus, per quos ad templum ascendebatur; *Gradus ejus versi ad orientem*; sed tamen de eorum numero nihil determinâsse, neque ullam eâ de re mentionem fecisse, Verba S. Doctoris adnumero. *Propterea graduum numerus incertus relinquitur, ut quanto [illegible] studio ascendere ad altiora potuerimus, & inf[illegible] bus non putemus collocatos, & cogitemus illud Psalmistæ; Ibunt de virtute in virtutem.*

Profectus. *S. Hieron. in Ezechiel. c. 43.*

51. Flamma epigraphen legendam offert. ALLICIT, ET TERRET. Principis Majestatem hæc imago describit, quæ benevolentiæ suæ splendore aliorū oculos in se convertit, & simul vultûs sui gravitate in se defixos percellit. Talem, Plutarcho teste, se demonstrabat Rex Demetrius. *Formâ & faciei venustate erat adeò mirâ atq; excellēti, ut Plastes vel Pictor exprimere nullatenus imaginē ejus posset; eadem enim venustatē & gravitatem, terrorē & hilaritatē habebat.* Postea quam Constantius Imp. Julianū Imperii sui hæredem scripserat, *Erant,* teste Alciato, qui

Principis majestas. *Plutarch. in vita Demetrii.* *Alciatus. Histor Mediola. lib. 4*

qui ex Juliani ipsius facie, qualis Imperator futurus esset, præsagirent. Terribilis enim non sine maxima venustate, ejus oculi optimam indolem præseferebant. Isaiæ testimonio, ante Dei thronum *Seraphim simul stabant & volabant*. P. Antonius Fernandez, hujus ænigmatis interpres, ait, *in Deo summa est pulchritudo, cum summa Majestate conjuncta, quarum illa repellit intuentes, ista verò attrahit; ideò nil mirum, Seraphim simul volabant & stabant: pulchritudinis enim studio, quasi in Deum volando rapiebantur; Majestatis verò radiis repercussi, retrahebantur.* Eadem vultûs Divini effecta non obscurè innuit Regius Psaltes, his omninò verbis, *Concupiscit*, invitata à venustate, *& deficit*, repercussa à Majestate, *anima mea in atria Domini.*

n 6. 2. Fernand. Visione 10. sect. 5. n. 3.

Deus amabilis & terribilis.

Psal. 83. 3.

52. Viscosa expiratio per antiperistasin accensa, & in aëra instar flammæ sublata, demùm oculos nostros effugit, & versus sphæram suam nativam evolat. Unde lemma. OCULOS ELATA FEFELLIT. Hoc Emblemate ad solemnes Odoardi, Parmensium Ducis, exequias erecto, caducam hominis vitam delineabis, quæ tametsi meritorum fastigio, & virtutum heroicarum splendore, instar elatæ flammæ reluceat, mox tamen è mundi conspectu surripitur, & momentò disparet. *Quæ est enim vita nostra? vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Pulchrè S. P. Augustinus. *Vivebat heri homo, non est hodie, paulò antè videbatur, modò non est qui videbatur. Ducitur homo ad sepulchrum, redeunt tristes, citò obliviscentes. Dicitur, quàm nihil est homo; hoc dicit ipse homo, & non corrigit se homo, ut nonnihil, sed aliquid sit homo.*

Vita humana caduca.

Iacob. 4. 15

S. Aug. ser 111. de Divers. cap. 8

53. Scipio Bargalius Mariam Virginem, ad cœlos assumptam, flammæ non absimilem dixit; addito lemmate. SUMMA PETIT, vel ut aliis placet. CELSA PETIT. Ita omnis humana mens, rationis usu instructa, occultis impulsibus ad cœli fastigium aspirare consuevit. S. Bernardus. *Cupidi sumus ascensionis, exaltationem concupiscimus omnes: nobiles enim creaturæ sumus, & magni cujusdam animi, ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio.* Tametsi verò cœli desiderium non adeò in omnibus ferveat, neminem tamen eousque à se alienum videris, qui suprà sortem suam evehi, & sublimiore gradu collocari non contendat.

Assumptio M. V.

Anima ad Cœlum aspirat.

S. Bernardus serm. 4. de Ascens. Domini.

54. Illud ipsum lemma, SUMMA PETIT, Invidiæ malevolentiam, adversùs sublimia Magnatum, aliorumque hominum fastigia enutriri solitam, vivis coloribus exprimit. Titi Livii effatum sanè verissimum est. *Invidiam, tanquam ignem, SUMMA PETERE.* Cui assensum præbet Ovidius.

Invidia.

T. Livius l. 7 Decad. 1.

Ovid.

SUMMA PETIT livor, perflant altissima venti.

Et Justus Lipsius. *Habet hoc omninò præstans & excellens virtus, ut nescio quomodò facilè aut invidos inveniat, aut inimicos.* Præ cæteris insigniter & prorsus Divinè Æmilius Probus. *Est hoc*, inquit, *commune vitium in magnis, liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit: & libenter de his detrahant, quos emergere vident altius.*

Lips. Opere Critico Præfat. lib. 1. Var. Lect. Æmil. Prob. in vita Chabriæ.

55. Flamma, Emblematis loco, titulum præfert. SPLENDET, seu, LUCET, ET ARDET. Hanc prærogativam Joannis Baptistæ, Servatoris nostri Prodromo, propriam faciunt Sacri Evangelistæ his omninò verbis, *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Eâdem porrò singulos Christi fideles exornabis, qui fidei lumini comitem charitatem jungunt. Non multùm ab hoc argumento recedit meus Concanonicus S. Prosper, *Prædicatores*, inquit, *& nuntii veritatis, sunt ignis cùm ferventi spiritu, & eos, quos exhortantur, accendunt; duplicem habentes efficientiam, ut & illustrent animas, & adurant, cùm eâdem vi & ardorem virtutis adjiciunt, & peccatorum spinas, tribulosque consumunt.* Absalon Abbas, Canonicus Regularis, *Dum*, inquit, *ignis charitatis ardet intùs per fervorem devotionis, & dat foris calorem in doctrina, & exhortatione spirituali, consequenter oportet, ut det splendorem honestate conversationis, & exemplo bonorum operum, &c.*

S. Joannes Baptista.

Ioan. 5 35.

Justus.

S Prosp. in Psal. 103.

Absalon Abb serm. 11

56. Animus excelsus ac nobilis non modò in mundi negotiis, sed & in spiritualis vitæ perfectione semper ad sublimiora enititur. Id quod epigraphe, supra flammam collata demonstrat. DEORSUM NUNQUAM. vel, IMIS HÆRENS AD SUPREMA, vel, ut P. Carolo Bovio placet, VIGOR OMNIS IN ALTUM. *Quemadmodùm flamma,* Senecæ verbis utor, *surgit in rectum, jacere, ac deprimi non potest, non magis quàm quiescere: ita noster animus in motu est, & mobilior ac actuosior, quò vehementior fuit.* Lactantius, *An*, inquit, *potest, aliquis non intelligere solùm ex omnibus cœleste, ac Divinum animal esse hominem, cujus corpus ab humo excitatum, vultus sublimis, status erectus, originem suam quærit, & quasi contemptâ humilitate terræ, AD ALTUM NITITUR, quia sentit summum bonum in summo sibi esse quærendum.*

Animus nobilis.

Seneca l 2. Ep. 39.

Lactant. l. 7. Divin. Inst.

57. Ea equidem adversis ventis est facultas, ut flammam infestent; at eandem, directo tramite ad cœlos conscensuram, nil penitùs impedire possunt. Unde Caroli Bovii lemma. VIS NULLA RETARDAT. Certè omnia malevolorum machinamenta Dei servis nullos unquam in spirituali progressu compedes injicere, aut seriam proficiendi voluntatem remorari valent. Exemplo suo id testantur S. Paulus, S. Athanasius, S. Theresia, aliique, quibus adversitatum centuriæ amplissimam virtutis prosequendæ semitam straverunt. S. P. Augustinus. *Quando carnales gravibus vitiorum compedibus premuntur in mundo; spirituales diversarum virtutum pennis elevantur in altum: & à Dei vel à proximi amore separari non possunt, sed cum Apostolo clamant. Quis nos separabit à charitate Christi? Spirituales nec tormentis separantur à Christo, carnales verò interdum etiam otiosis fabulis separantur. Illos non separat crudelis gladius, istos verò separat carnalis affectus. &c.*

Virtus infestata.

S. Aug. serm. 54. de Temp.

58. Dum truncus aridus escam ac fomentum desideratum flammis subministrat, hæ, quasi vicem reddituræ, eundem clarissimâ luce perfundunt. Unde lemma. PRO ESCA SPLENDOREM. Magistros, aut Magnatum ministros hoc Emblema concernit, qui minervali à discipulis, aut victu à Mecænatibus recepto, collybi vice, insignem virtutis aut consiliorum suorum splendorem rependunt. Eadem imago gratum etiam animi affectum, & recentem adversùs beneficia memoriam significat. Benè Euripides.

Gratitudo.

Beneficium beneficio respondeat.

Eurip. in Hel.

Certè Romulus & Remus, ad Tyberis marginem miserè expositi, alimoniam, à lupâ subministratam, publico simulachro, ejusdem honori in Urbe erecto, compensârunt. Alexander Magnus, Thebarū civitate captâ, sparsoque passim civium cruore, solam illam familiam in libertatem asseruit, quæ olim patrem suum Philippum, cùm in eadem urbe obsidis loco teneretur, benigno hospitio exceperat. Breviter S. P. Augustinus, *In quacunque voluntate benefeceritis, in ipsa liberabimini.*

Ælian lib. 13 var. Histor.

S Aug Epist. 49. q. 4 in med.

59. Muliebris venustas flammæ est æmula; utrique enim aptè inscribes. BELLA DA LUNGI, MA MORTAL D'APPRESSO. Id est.

Muliebris venustas.

EMI-

EMINUS PULCHRA, COMINUS LETHALIS. His omninò verbis Baptista Guarinus.

Che se il fuoco si mira, ò come è vago.
Ma se si tocca, ò come è crudo, il mundo
Non hà di lui più spa ventevol mostro.
Come fera divora, e come ferro
Pugne, e trapassa, e come vento vola:
E doue il piede imperioso ferma,
Cede ogni forza, ogni poter da loco
Non altrimenci amor &c.

S. Pet. Damian. lib. 2. Epist. 18. S. Petrus Damianus. *Si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectûs speciem declinemus, ne de conspectu formæ flamma prosiliat, & in nobis tota mentis intima pervadat.*

Superioris præsentis exemplum. 60. Flamma, supra Pharum accensa, navim respicit inter noctis umbras & tempestatum horrores fluctuantem; cum lemmate. CURSUM DIRIGIT. Superiores, aliosve insigni prudentiâ ac virtute viros, hæc idea demonstrat, utpote à quibus familia, civitas, aut Respublica plurimùm præsidii recipit, Epictetus Philosophus, referente Stobeo, *Quemadmodum,* inquit, *faces in portu sublatæ, magnâ flammâ excitatâ, navibus per mare errabundis, multùm auxilii ferunt; sic & vir splendidus in urbe periclitante magnis beneficiis cives afficit.* Et Justus Lipsius. *Sicut nautas in tenebris levis intermicantis sideris inspectio dirigit: sic nos in hac vita inspectio magni viri.* Porrò bonum exemplum, & inculpata Sanctorum vita, hoc symbolo repræsentantur. Idque Origenes meritò etiam ad S. Angelum tutelarem trahit; *Adest,* inquit, *unicuiq; nostrûm etiam in Ecclesia Dei Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet.*

Stob. serm. 45.

Lips Centur. 1. ad Belg. Ep. 41.

Angelus Custos.

Origen. Hom 20 supra Num.

Amor. 61. Bargalius flammam depinxit, in cujus medio gladius, veluti illam in partes dissecturus, cernebatur; cum lemmate. SECTIONEM REFUGIT. Hæc veri amoris genuina sunt lineamenta, qui sese in plures distribui minimè patitur. In amore Divino id observatum habens S. Petrus Damianus, *Magnus hospes,* inquit, *in diversorii tui quærit angusta descendere, atque idcircò solus vult, & sine consortibus habitare.* Theodoretus quoque super illam Deuteronomii legem, *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* ait, *Docemur dilectionem non scindere in dilectionem Dei, & dilectionem auri, sed totam dilectionem Creatori Deo conservare.*

S. Pet Dam. Opus. 12. c. 4

Theodoret in Deuter. 6. 4. quæst. 3.

Calamitates utiles. 62. Qui inter adversos aliorum motus ad majorem fortunam eluctatur, symboli loco flammam præferat, quæ geminis inter se collisis ventis aucta, epigraphe sustineat, DISPARI PUGNA MAJOR. Sanè Othomannica flamma amplissimum tyrannidis suæ incrementum non aliundè derivatum habet, nisi è Christianorum dissidiis, qui mutuâ cæde confecti, opportunissimum igni Turcico alimentum subministrârunt. Experientiâ quoque didicimus, S. Ecclesiam, & sacros Religiosorum Ordines inter res adversas plurimùm semper promovisse. De seipso testatur Magnum Ecclesiæ Lumen, S. P. Augustinus. *Deus, cùm me adversis rebus exagitat, aut merita examinat, aut peccata castigat, mercedemq; mihi æternam, pro toleratis piè malis temporibus, servat.*

S. Aug l. 1. de Civit. cap. 29.

Tentatio superata. 63. Quidam virgineum D. Thomæ Aquinatis candorem, à prostituti pudoris scorto tentatum quidem, nullâ tamen labe fœdatum, significaturus, flammam depinxit, quæ rubum ambiens, epigraphe tenebat. AMBIT, NON URIT. Hanc imaginem sequenti epigrammate explicandam censeo.

D' impure fiamme armata,
Contra il pudico Giovane s' auventa
La femina sfacciata,
E d' abbronzarlo, e denigrarlo tenta
Mà contra lui in vano
Sbuffa il furore insano
Del infernal Megera,
Perche un Angelo egli era.

Concupiscentia. Individua enim mortalium comes est concupiscentia, quæ dum resistentem sentit animum, urere non potest. Pulchrè Magnus Augustinus. *Volumus ut nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas; velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt. Premuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiscit adversus spiritum.*

S. Aug. De Verb. Dom. serm 43. 6. 9

Spiritus S. 64. Flamma, rubum complexa, INNOXIA SPLENDET. Ita Spiritus Sanctus suavissimo amoris sui ardore animas nostras ab omni vitiorum sorde, citra omne doloris aut supplicii vestigium, expiare solet. S. Ambrosius in illud Psalmi, *In te inimicos nostros &c.* ait, *Ideò rubus urebatur, & non exurebatur, quia terram istam, quæ nobis spinas germinabat & sentes, disponebat urere per continentiæ disciplinam, non consumere per mortis ærumnam.* Porrò Correctoris lingua illuminet, non destruat, necesse est.

S. Ambros. in Psal. 43. V. In inimicos.

Correctio.

Incarnatio Dei. 65. Rubus, flammis circumdatus, illustrem quaquaversùm splendorem diffundit, at nunquam conflagrat. Unde lemma, flammæ inditum. LUCET, NON URIT. vel. ILLUSTRAT, NON URIT. Verbum Divinum, undique igneum, purissimam Virginem Mariam, carne intra illius uterum assumptâ, citra omne virginei candoris detrimentum, amplissimè illustravit. Robertus Abbas. *Hic ignis,* inquit, *Christus, Deus & homo, novem in utero ejus mensibus habitavit, & levem carnis vel animæ ejus stipulam, sive fœnum, non solùm non combussit, verùm etiam majore cum virginitatis honore gratiâque formati exinde hominis, quem assumpsit, perenniter illustravit.* Pari ratione calamitates, à Deo immissæ, gloriam ac splendorem, non verò perniciem nobis afferunt. *Ignis in rubo,* teste P. Cornelio à Lapide, *est tribulatio in homine sancto, humili, & mortificato: talem enim tribulatio non urit, non lædit, sed illustrat, & roborat.* Et, prior illo, Hugo Cardinalis, *Ignis* inquit, *in rubo Ecclesia probata, vel turbata tribulatione non consumpta.*

Robert. Abb. in Exod. l. 1. cap. 12.

Calamitates illustrant.

Cornel à Lap. in Exod. 3. 2.

Hug. Card. in hunc loc.

Correctio Divina. 66. Flamma, rubum ambiens, LAMBIT NON URIT. Ita ineffabili Divinæ bonitati sufficit, igneâ Nemesis suæ luce terrorem incussisse, omnemque illius ardorem, ac devastandi licentiam, quo ad potest, repressisse. Huic Emblemati consonant illa Exodi verba, ubi Moses *videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Nam, Interprete S. Ambrosio, *Ideò rubus urebatur, quia terram istam, quæ nobis spinas generat & sentes, disponebat urere per continentiæ disciplinam, non consumere per mortis ærumnam.* Aptè insuper hâc gnomâ illas tyrannorum flammas significabis quæ S. Cæciliam, & Juvenes Hebræos in fornace Babylonicâ, citra ullam offensam, circumdedêre. Denique etiam Correctoris lingua proximos suos illuminet, non verò excruciet.

Exod. 3. 2.

S. Ambros. in Psal. 43.

Corrector

67. Virtuti nunquam non suam adhærere appendicem invidiam, è flammâ compertum habetur, cui inscripsi. NON SINE FUMO. Unde Justus Lipsius. *Ut flamma firmior non surrexit unquam sine fumo, sic nec fama sine nube aliqua livoris.* Cæterùm exinde etiam liquet, neminis virtutem adeò esse

Virtutis comes invidia. Lips Centur. 1. ad Belg. Epist 14.

Virtus cum vitio.

esse splendidam ac defæcatam, quin nonnihil caligantis fumi, ac imperfectioris labeculæ respersum habeat. Rursùs sese testem offerens Lipsius, *Quid*, inquit, *sumus nos omnes, qui aliquid esse videmur; Homuli, & in quibus æthereæ illius partis aliquid emicat fortasse; sed non sine adjunctâ terrenâ suâ fæce. Itaque caligo, hæsitatio, error agnata sunt nobis: & nihil tamen eximium ab homine eximio, in quo non ea reprehendas.*

ips Centur. ngul. Ep. 23

68. Flamma, amœnis undique radiis corrusca, triste prognosticon reddit; nam IN NOVISSIMO FUMUS. Ita nimirum omnis mundi splendor, omnisque gloria, tandem in lachrymas, & obscuros languores desinit. *Lætitiæ tribulatio sæpè succedit*, inquit S. Ambrosius; cui assentitur S. Bernardus, *sicut flammæ NOVISSIMA FUMUS occupat & caligo; sic lætitia in tristitiam commutatur.*

Felicitas mundana. Ambros in Psal 1. Bernard. Serm. 1. de Diversis.

69. Magnatum amicitia, flammam imitata, asseclis suis plerumque plurimum detrimenti affert; Unde Abbas Certanus flammam, advolanti papilioni infestam, depinxit; cum lemmate. LUDENTEM ELUDIT, seu DEVORAT. Acutè Franciscus Petracha. *Magnus apud Regem. Majornè quàm apud Alexandrum Lisimachus, apud Liberium Sejanus? Utriusque magnitudinem & ruinam nôsti.*

Favor Magnatum. Petrarch. lib. de Remed. Dial. 49.

70. Idem Certanus Emblematis loco flammam expressit, penes fontis cujusdam aquas accensam; addito lemmate. HAUD MISCENTUR. Significabat nimirum, homini justo nihil mali accidere posse. Seneca. *Nihil accidere bono viro mali potest. Non miscentur contraria.* Hinc nec delitiæ spirituales sese cum carnis & sensuum voluptate commisceri patiuntur. Benè S. Bernardus. *Quomodò ignis & aqua simul esse non possunt, sic spirituales & carnales delitiæ in eodem se non patiuntur.*

Justus nullis malis subjacet. Seneca liq. de Provid. Bernard. Epist. 2.

71. Flamma, tametsi stabili loco persistere solita, vivis tamen scintillis passim volitat; atque adeò simul STAT, ET VOLAT. Hanc animæ beatæ ideam putes, quæ Divinis gaudiis assiduò immersa, aliis identidem illecebris (ùt vocant) accidentalibus beari cupit. Isaias id insinuat, *Seraphin* (quos *ignem* interpretantur) *STABANT super illud* (nempe supra Dei solium) *ET VOLABANT.* Porrò etiam anima religiosa, dum in silentio suo quieta persistit, altius identidem ad charitatis ac gratiæ Divinæ fastigium evolabat. Pulchrè S. Eucherius. *Deo adstare, idem est, quod volare. Festinas ad Deum? sede in quiete & silentio orationis, elevaberis, & ad Deum Deorum in Sion evolabis.*

Beati & gaudent & desiderant. Isa. 6. 2. Religiosus. Eucher. Test. veteris testamenti cap. Isaiam.

72. Flammam intrà arentium lignorum fasces succensam, D. Carolus Rancatus Præpositus gemino lemmate donavit; primò quidem; SE SPLENDE, ANCOR CONSUMA. Id est. DUM SPLENDET, ABSUMIT. Dignitatem tantundem noxiam, quantùm sublimem, hæc imago describit. Altero verò? SE CONSUMA, ANCOR SPLENDE. Id est. DUM ABSUMIT, ILLUSTRAT. Eos hoc Emblema spectat, qui, tametsi plurimùm noxii, in mundi tamen conspectu illustres, summisque honoribus conspicui habentur. De priore Emblematis sensu pulchrè S. P. Augustinus. *In terrenis solatiis magis desolatio, quàm consolatio reperitur. Divitiæ quippe, atque fastigia dignitatum, quibus se felices putant esse mortales, nihil afferunt consolationis, cùm sit eis indigere, quàm eminere præstantius.* Utramque verò illius mentem sequentibus hexametris Jambicis explicat D. Salvator Carducius.

Dignitas noxia. Aug. Epist. 121.

Si flamma splendet; escas devorat,
Si devorat nutrimen, effundit jubar simul;
Opes vorat sic dignitas, dum fulgurat
Absumit aurum; at splendidum parit decus.

FACULA. Caput III.

73. Facem agitatam genuinæ virtutis hieroglyphicum constituunt; quippe quæ inter adversos motus invalescit, majusque sui incrementum capit. Unde lemma. JACTATA MAGIS; vel, AGITATA VIVACIOR. vel denique, DUM AGITUR, AUGETUR. Iisdem penè verbis Ovidius.

Virtutis persecutio. Ovid. lib 1. Amor. Eleg. 1.

Vidi jactatas, motâ face, crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

Et post illum S. Augustinus. *In faculâ ignis agitatus accenditur.* Themistocles id expertus, gloriam suam miris incrementis proficere sensit, quando Atheniensium, conterraneorum suorum, malevolentiâ miserè exagitatus, fugam versùs Persarum Regiam arripuit, ibique eò excrevit, ut amicis fateri consueverit; *perieramus, nisi periissemus.* Persecutiones quoque, quibus singuli fratres in unius Josephi caput conspirârunt, immensæ gloriæ sementem eidem jecerunt. Denique S. Ecclesia ad hodiernum amplissimum splendorem succollante potissimùm Tyrannorum crudelitate ascendit.

S. Aug. serm. 119.

74. Tæda juniperina, petræ allisa, epigraphen reddit. ALLISA VEHEMENTIUS. Eandem, adverso vento afflatam, hoc lemmate insignies. AFFLATU FLAMMESCIT. vel, PUGNANTIA PROSUNT. vel, ut Bargalio placet. RINFORZA IL PROPRIO ARDORE, seu, ODORE. Id est, ARDOREM seu ODOREM GEMINAT. Hoc Emblemate ii rursus significantur, qui adversitatum tempore virtutem, merita, ac gloriam suam majori decore exornant. Id quod in Sanctis Martyribus observat D. Augustinus. *Lapidati, occisi, fugati sunt, & cùm inde tanquam ex uno loco fugarentur, quasi ligna ardentia Divino igne, totam sylvam mundi accensam fervôre Spiritus, & lumine veritatis impleverunt.*

Virtus afflicta. S. Aug. Conc. 3 in Psal. 30.

75. Eadem epigraphe, AFFLATU FLAMMESCIT, faci subjuncta cernitur, quæ à ventis aspirantibus excitata, illos opportunè significat? quæ levissimâ quâvis occasione turbari soliti, passim in amoris vel iræ incendia concitantur. Ex his quempiam, flammæ voce, ita loquentem introduxeris.

Occasio.

Mentre non soffia il vento,
Sembra il tuo foco spento;
Mà un leggier venticello à pena spira,
Gh' egli freme ne l' ira,
Tale se ben si mira
La fiamma del mio cor divampa infesta,
Se di lieve oagion soffio la destra.

Mirum est, quantùm cor humanum, naturâ suâ igneum, accedentibus Orci suggestionibus, inflammetur. Jobus, de Behemoto loquens, *Halitus ejus*, inquit, *prunas ardere facit.* In hunc locum S. Greg. Papa. *Toties Leviathan halitus prunas ardere facit; quoties ejus occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Alias namque superbiæ, alias invidiæ, alias luxuriæ, alias avaritiæ, facibus inflammat. Superbiæ quippe facem menti Evæ supposuit, cùm hanc ad contemnenda verba Dominicæ jussionis instigavit;* Evæ mox subjungit Cainum, invidiæ flammis jactatum; Salomonem libidinis; & Achabum avaritiæ facibus agitatos. &c. Demum verbis, plurimùm in rē præsentem facientibus,

Tentatio. Iob. 41. 12. S. Gregor. l. 33. Moral. cap. 18.

tibus concludit, *Ejus halitus prunas ardere facit; quia reproborum mentes, quas jam CALENTES amore gloriæ temporalis invenerit, suggestionis suæ FLATIBUS usque ad nequitiam exercendæ crudelitatis INCENDIT.*

76. Scipio Bargalius faculam accensam hoc epigrammate legendam proposuit. E QUANTO E PIU AGITATA, PIU SI STRUGGE. Id est. AGITATA DISSOLVITUR. Certè, vita humana inter externas corporis, & internas animi adversitates tandem enervis fatiscit, ac dissolvitur. S. Augustinus illā D. Jacobi sententiā interpretatus, *Quæ est enim vita vestra &c.* ait, *Vita hæc est vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam humores tumidāt, dolores extenuant, ardores exsiccant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt &c.* Huic nihil dissimilis S. Gregorius, *Laboriosa*, inquit, *est vita temporalis: levior fabulis, velocior cursore, instabilitate fluctuans, imbecillitate nutans; cui nulla propositi constantia, nulla à turbationibus requies, nulla à laboribus reclinatio. Quis denique est, quem non excruciet dolor, solicitudo non urgeat, non subruat timor &c.*

Vita humana. *S. Aug. in Iacob. 4. 15.* *S. Greg. in Prolog ad Psalmum sextum Pœnitentialem.*

77. D. Carolo, inter Cœlitum cathologum relato, facem ardentem exhibuêre, cum lemmate. EX ARDORE SPLENDOR. Innuebant videlicet, è Divi illius summâ charitate, versùs Deum ac proximos miris ardoribus exæstuante, copiosum illum gloriæ splendorem promanâsse, quo hodie in beatitatis regiâ amplissimè relucet. S. Paschasius, de Charitate ratiocinatus, *Hinc certe*, inquit, *dignitas nominis, hinc celsitudo meritorum, hinc Reges sumus, hinc Sacerdotes, hinc triumphatores, hinc filii Dei sumus.*

Charitas. *S. Paschas. lib. 4. in Matth.*

78. Sodales, virtute ac meritis præstantes, opportunissimam proficiendi occasionem in propinquos quosvis derivant. E faculâ extinctâ id disces, quæ alteri ardenti vicina, epigraphen tenet. DABIT ALTERA FLAMMAS. S. Augustinus. *Sic se tenet corpus Christi, membra socia sic compinguntur, & adunantur in charitatem, & in vinculum pacis, cum quisque id, quod habet, præstat ei, qui non habet.* Emblemati huic construendo ansam dedit Georgius Camerarius.

Societas bona. *S. Aug. in Psal. 125.* *Camerar. Emblem. Amator.*

Felices tedæ, gemino quæ ardetis amore,
Extinguent vestras tempora nulla faces.
Altera si cedat, reduces dabit altera flammas,
Se fovet, & sese, mutuus urit Amor.

79. Duces Mediolanenses tres faculas accensas symboli loco præferunt, quæ tribus situlis, aquâ plenis, connexæ, epigraphen subjunctam habent. EX UTRISQUE SECURITAS. Ubi ignis haud dubiè justitiæ vindicantis rigorem, aqua verò gratias conferendas significat; è mutuô enim justitiæ ac elementiæ temperamento regnorum incolumitas pendet. Nec abs re severitati clementiam connexam volumus, cùm, Lipsio teste, *sit mirum & varium ingenium hominum. Quosdam benignitas, & ex eâ reverentia; quosdam severitas, & ex eâ terror meliores faciunt.* S. Gregorius Papa. *Circa subditos suos inesse Rectoribus debet & juste consolans misericordia, & piè sæviens disciplina.*

Misericordia & Justitia. *Lips. Monit. Polit l. 2. c. 12.* *S. Greg. l. 20. Moral. c. 6.*

80. Abbas Ferrus tedam extinctam, alteri tamen ardenti proximam, hâc gnomâ oneravit. ACCEPTO LUMINE SPLENDET. Illius hæc imago est, qui non quidem proprio Marte, sed alienâ beneficentia emergit. Talem de seipso canentem audi.

Dependentia.

Quel io, che da me stesso
Sempre sarei da fosch i errori oppresso,
In faccia al mondo splendo,
Perche da l'opra altrui la luce prendo,
Non luce dumque in me la virtù mia;
Mà l'altrui Cortesia.

Porro intellectus humanus, nonnisi lumine (ùt vocant) gloriæ instructus, in cælis resplendet. Unde Vates Regius, *In lumine tuo videbimus lumen.* In hunc locum Magnus Augustinus. *Si in lumine ipsius videbimus lumen, quis cadit a lumine, nisi cui ipse non est lumen; Et qui voluerit sibi esse lumen, ipse cadit à lumine, quo illuminatur.*

Beati. *Psal. 35.* *S. Aug. in hunc. loc.*

81. Fax hymenæa, spinis circumflexis undique horrida, epigraphen sustinet. PUNGIT, ET ARDET. Nam amoris flamma comitem individuam habet zelotypiam, aculeatam ac crudelem illam conjugum carnificinam. S. Hieronymus de profano amante scribit, *Nam cùm fruendi cupiditate insatiabili flagret, plura tempora suspicionibus, lachrymis, conquestionibus perdit, odium sui facit, & ipse novissimo odio sibi est.* Theocritus, *Nunc*, inquit, *novi amorem. Gravis est Deus, nimirum leænæ ubera suxit, & mater ipsum in sylvâ educavit, qui me exurens, usq; ad ossa lædit.* De iisdem amoris profani stimulis ac cruciatibus disertè Plautus.

Amor profan[us]. *S. Hieron advers. Iovin.* *Theocrit. apud Stob. um serm.* *Plaut. in Cistellar. A[ct.] scen. 1.*

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum,
Hanc de me conjecturam domi facio, ne foris quæram.
Qui omnes homines supero, atque antideo cruciabilitatibus;
Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor, in amoris rotâ; miser
Examinor, feror, differor, distrahor, diripior. &c.

82. Amantes, longius inter se dissitos, faci accensæ non absimiles dixerim, cum lemmate, LONGIUS, ARDENTIUS. Amor enim ab eâ distantiâ, non modò nihil detrimenti, sed plurimùm roboris accipit. Unde Justus Lipsius, *Amantes, abjuncti paululum aut exclusi, acrius amant.*

Amante[s] dissiti. *Lips. Cent. 3 ad Belg. Ep. 27.*

83. Sicuti præceptiones ac doctrinas Christianas, ita & virtutum exempla abscondi, minimè decet. D. Aresius facis seu candelæ symbolo id demonstrat, quæ supra lychnuchum accensa, epigraphen præfert. NON SUB MODIO. Verbis è D. Matthæo mutuatis, *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum*, id est, Interprete Glossâ Ordinariâ. *Non ideò data est doctrina prædicationis, ut celent eam, & subjiciant servituti corporis, dum aliqua timent &c.* Dionysius Carthusianus, *Vos*, inquit, *aliorum Pastores, seu Ecclesiæ Prælatores, non debetis sapientiam vobis concessam abscondere. Scriptum est enim; sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utroque; Neque accendunt homines lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrū ponunt eam, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, simili modo Deus non illustravit Apostolos tam copioso lumine sapientiæ, ut occultentur & lateant, sed totū mundū luce veritatis perfundant.*

Virtus manifes[ta]. *Matth. 5.* *Gloss. in h[unc] loc.* *Dionys. C[arth.] in hunc lo[c.]*

84. Ingeniosum D. Joannis Bapt. Mazzolii Emblema facem ardentem, è sulphure fusam, exhibet cum lemmate. FOETET, DUM LUCET. Illos nempe vellicans, qui ad Reipublicæ gubernandæ speculā non sine splendore evecti, tetrâ vitiorum suorum mephiti omnes passim incolas offendunt. In Nerone id observatum habuit Thesaurus, qui Inter

Magistr[a]tus viti[o]sus.

Inter privatos optimus,
Inter Principes pessimus fuit:
Regno dignus, nisi regnâsset.
Molles illius mores in duris, induruêre in mollitie.
Dum laurum acquisivit regiam,
Palmam amisit popularem &c.

85. Funali, è cera nigra confecto, inscripsit. DE TENEBRIS LUCEM. Verbis è sacra Pagina desumptis, *Qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris.* Enimverò experientia testatur, ab hominibus etiam imperitis ac sceleratis nonnunquam aliquid sanissimæ doctrinæ bonique exempli profluere. Certè Judas, peccatorum facilè coryphæus, complura miracula est operatus. De Pharisæis, quos citra injuriam plenas invidiæ, rancoris, superbiæ, & hypocrisis sentinas dixeris, Christus apertâ lege sancivit, *Quæ dicunt vobis servate & facite.* Balaam, Dœmon verius quàm homo, ore suo Divina oracula passim edidit. Unde D. Thomas. *Balaam dicitur Dominus esse locutus Numerorum 21. licet esset Propheta Dæmonum, quia Deus etiam utitur malis ad utilitatem bonorum: unde & per Prophetas dæmonum aliqua vera pronuntiat: tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adversariis testimonium habet: tum etiam, quia, cùm homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur.*

(1.Cor 4. 6. — Prædicator vitiosus. — D. Tho 2. 2. q.172. art.6. ad 1.)

86. Academicus, inter Gelatos Bononienses Tenebrosus, facem, in spelunca absconditam, exhibet, cum lemmate. IN APRICUM PROFERET. Spe enim firmâ sibi blandiebatur, orbem olim universum ingenii sui partu fore illustrandum. Verius tamen extremi judicii dies inde significatur, in qua omnia hominum opera, quantumvis hodie occulta, evulgabuntur. Disertè Christus. *Nihil opertum, quod non reveletur; neque occultum, quod non sciatur:* Nam, interprete S. Hilario, *Dominus diem judicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet: & ea quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget.*

(Extremū judicium. — Matt.10.26. — S.Hilar. in hunc loc.)

87. Inter cæteram pompam funebrem, piis manibus Isabellæ Borboniæ, Hispaniarum Reginæ, Mediolani adornatam, tæda cernebatur, quæ tametsi extincta, etiamnum tamen candens, igneos quosdam halitus expirabat; cum lemmate. EXTINCTA LUCE SUPERSTES. Sicuti enim fumus proprium mœstitiæ symbolum habetur, ita Emblemate illo significabatur, afflictis subditis è dulcissimæ Reginæ morte nihil præter mœrores esse residuum. Præterea symbolo illo innuitur, optimam Reginam, etiam post fata, in præclarissimarum virtutum meritis apud posteros æternùm victuram. Opportunè in rem præsentem Seneca.

(Virtus nunquam moritur.)

Nunquam stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus.

(Seneca in Herc. Fur.)

88. Sceptris regiis ingenium est admodum volubile ac caducum; quippe quæ vix prehensa, mox alienas manus ambire solent. D. Didacus Saavedra è faculæ symbolo id dignoscendum proponit, quæ ab una ad aliam manum succedens, epigraphen sustinet. VICISSIM TRADITUR. Verbis è Lucretio desumptis, qui ratione non absimili de animalium propagatione philosophatur.

(Principatus transitorii.)

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

S. Gregorio Nazianzeno teste, *Deus temporum vices sic moderatur, sic dispensat, ut naturæ convenienter aliæ decedant, aliæ accedant, perinde ac si in choro aliquo invicem sibi connectantur, & nihilominus inter se diversis spatiis distent. Hæc est lex universi, nasci, surgere, languere, mori: & velut lampadem hanc vitæ alii aliis tradimus, successione ista æterni.*

(S.Greg Naz. 2 de Theol.)

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

89. Tæda, ventis afflata, epigraphen tenet. AGITATA REVIVO. Ita calamitates, quibus impetimur, opportunissima salutis ac felicitatis nostræ promovendæ sunt instrumenta. S. Gregorius Papa explicans cùm illud Jobi, *Ipse vulnerat & medetur*, tùm illud Deut. *Ego occidam, & ego vivere faciam*, ait, quod Deus *vulnerando ad salutem revocat; cùm electos suos affligit exterius, ut interius vivant.*

(Calamitates utiles. — S.Greg. Papa l.6. moral. cap 4. Iob.5.18. Deut.32.29.)

90. Academicus, inter Philopponos Pistorienses Agitatus, symboli loco facem, ventis infestatam, præfert, cum lemmate. EX MOTU LUMEN, seu, ut aliis placet, FOVET INCENDIA MOTU. Nam virtutis, famæ, ac gloriæ splendor potissimùm solâ operationum exercitatione comparatur, stabiliturque. Anto. in Meliss. *Ut ignem*, inquit, *ultrò lucis splendor, & unguentum suavis odor sequitur: ita bona opera utilitas necessariò comitari consuevit.*

(Exercitatio. — Anto in Meliss. par.1. ser. 7.)

91. Compluribus faculis, conjunctim unicam flammam nutrientibus, inscripsêre. QUÆVIS ADMOTA, subintellige *accenditur*. Hinc colliges, quam pronum sit, eorum affectibus ac ingeniis nos conformare, quorum societate utimur. S. Isidorus, *Ante ignem consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolveris; proximus periculo, diu tutus non eris. Per assiduitatem citò peccat homo. Sæpè familiaritas implicavit, sæpè occasionem peccandi dedit, sæpè, quod voluntas non potuit, assiduitas superavit.*

(Societas. — S.Isidor. l. 1. solilōq.)

92. D. Archangelus Conter, Can. Reg. Lateranensis, symboli loco lumen expressit, quod ad complures vicinas tædas simul accendendas, per extensum filum delabens, epigraphen monstrabat. OMNES AB UNO. Innuebat nimirum, omnem gratiæ splendorem, qui in creaturas diffunditur, ab uno Deo, vero totius universi lumine, scaturire. Testem luculentum habeto S. Joannem, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* S. Augustinus illius interpres, ait, *Quod dicitur, quod illuminat omnem hominem, sic intelligimus, quia, nisi ab illo, nullus illuminatur:*
Capoleo Ghelfuccius eâdem imagine methodum, à Dei filio in orbe illuminando observatam, miramque SS. Apostolorum vocationem, sequenti poëmate vernaculo repræsentat.

(Gratia Divina. — Ioan.1.19. — S.Aug in Catena aur. — Capol Ghelfuc nel suo Rosp. 2. Cant. 12. st. 45.)

Cresce la bella schiera à poco à poco,
Com' è c' homai del ciel spanda, e riuele
Le sue gratie il Signor di loco in loco:
Cosi splender veggiam mille candele,
S' una s' accese a ministrarle il foco,
Sparge foco d' amor Christo ne sui,
S' accendon essi, e ne fan lun lume altrui.

93. Tæda accensa, si invertatur, à propria stillante cera suffocatur, ac extinguitur. Unde Aresii lemma. UNDE AUXILIUM, vel UNDE SPES ERAT ALI. Vel, ut Joanni Horozco placet. QUIEN ME DA VIDA, ME MATA. Id est. QUI ME ALIT, ME EXTINGUIT. S. Barbaram à proprio parente interfectam, opportuno hoc Emblemate depinges. Eo insuper lascivum amatorem repræsentare licet, qui à libidine simul & nutrimentum & exitium recipit. Ad hoc propositum Otho Venius.

(Libido. — Otho Ven. Emb. Amor. fol.190.)

Ut quâ nutritur pinguedine tæda liquescit,
Quâ vivo, hac morior; quam pereo, hâc pereo.

Eodem lemmate, *Qui me alit, me extinguit*, cibus immoderatè sumptus, significatur; qui ex alimento, ob nimium usum in venenum transformatus, miseros mortales interficit. Disertè Regū sapientissimus. *Propter crapulam multi obierunt.* Et S. Cyprianus.

(Crapula. — Eccl 37. 34)

 Esca

S. Cyprian. Carm. ad Senatorem Apostatam. *Escâ alitur corpus, corpus corrumpitur escâ,*
Vimque suam minuit, si quid protenditur ultra.

94. Justitia vindicans, quâ bonus Princeps in sceleratos animadvertit, singularem à Deo mercedē ac gloriam promeretur. Id quod P. Raulinus è face demonstrat, quæ adversùs impugnatam hydram triumphans, epigraphen præfert. DIGNA ET QUÆ LUCEAT ARIS. Ita Phinees, legis Divinæ zelo, instar facis, succensus, meretricium principem cum suo scorto in flagranti interfecit, moxque à Deo hæreditariam summi sacerdotii dignitatem, præmii loco, est consecutus. Ipsius Dei verba accipe. *Ecce do ei partem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo.* De eodem Matathias. *Phinees, Pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotii æterni.* Et S. Augustinus. *Trucidavit sacerdos Phinees fornicarios in ipso complexu nefariæ voluptatis, terribile constituens adversùs execrandas libidines ultionis exemplum; propter quod Deo maximè placuit.*

Justtia vindicativa est meritoria.

Num. 25. 12.

1. Machab. 2. 54.

S. Aug. contra Advers. leg. cap. 16.

95. Tæda accensa & resplendens, se ipsam consumit, destruitque. Unde Raulino authore, titulum præfert. VELLEM NON LUCERE. Hominem justum ac prudentem hoc symbolo significaveris, qui ad magni nominis ac splendoris dignitatem evectus, sese illa, ob assiduas tenerioris conscientiæ syndereses abdicare, honoremque adeò fucatum excutere nititur. Exemplo suo docuit Galliæ hodiernæ Phœbus, Reverendissimus meus Alanus de Solminihac, Episcopus Cardurcensis, quantùm honores terreni sint fugiendi; cùm enim à Rege Cardurcensium Episcopus nominaretur, adversus tantam dignitatem precibus adeò validis ac insolitis obstitit, ut Rex, manibus versùs cœlum sublatis, non sine admiratione exclamarit, *Deo sint laudes, quod in Regno meo sit Abbas, qui Episcopales Infulas recusat*; uti in ipsius vita, sanè pulcherrimâ, refert Adm. R. D. Dominicus Bisselius Can. Reg.

Dignitates fugere.

D. Dom. Bissel. in vita Alani. l. 2. cap. 1.

96. Faci, intra locum obscurum accensæ, meo quidem judicio opportunè illud Zachariæ, lemmatis loco, subjunxeris. His, Qui IN TENEBRIS. Vel certè. DISCUTIT UMBRAS. En exactam hominis justi ideam! is quippe boni exempli splendore cunctas in mundo nimiùm quantùm invalescentes errorum tenebras dissipat, propulsatque. Certè S. Paulus voluptatem non exiguam è Philippensibus concepit, quod vixerint *sine reprehensione in medio nationis pravæ, atque perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria.* De his S. Nilus. *Lucernæ profectò erant in tenebris fulgentes, & stellæ minimè errantes, quæ vitæ splendore noctem illustrabant. &c.*

Luc. 1. 79.

Justi errores exterminant.

Philipp. 2. 15.

S. Nil. in Ascetico.

97. Cera, si redundet, flammam, quam in face alit, extinguit. Unde lemma faci inditum. QUO ALOR, EXTINGUOR. Ita cibus, ultra sobrietatem ingestus, morbos creat, & vitæ humanæ facem miserè extinguit. Siracidis testimonio, *In multis escis erit infirmitas.* Postquam cibus, non ad tollendam famem, sed ad provocandam quæri cœpit, & Senecâ asserente, *inventa sunt mille conditura, quibus aviditas excitaretur: quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor & vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies: inde incerti labantiū pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio, &c. Quid alios referam innūerabiles morbos, supplicia luxuriæ?* Scitè Horatius.

Immoderatio cibi.

Eccl. 37. 35.

Seneca ep. 95

Horat. lib. 2. serm. Satyr. 2

--- --- *Nam simul assis*
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachique tumultum
Lenta feret pituita.

Nec corporis tantùm, sed & animæ facem, prudentiam inquam, & rationem, extinguit nimia cibi potusque affluentia. *Luxuriosa siquidem res vinum, & tumultuosa ebrietas; quicunque his delectatur,* Salomone teste, *non erit sapiens.* Disertè S. Ambrosius. *Per escam laqueus non cavetur, in esca hamus latet, & cibus deducit in foveam, cibus inducit in retia, cibus visco etiam aves illigat, cibus volantes deponit ad mortem. Sed gravius longè est, quod magister pocillatorum atque coquorum* (nempe intemperantia) *destruat animæ muros, nempe potentias, & sensus tam interiores, quam exteriores.* Et Horatius.

Prover. 20.

S. Ambros. l. de Elia & jejunio cap. 8.

Horat. lib. 2. ser. Satyr. 2

--- --- *Vides, ut pallidus omnis*
Cœnâ desurgat dubiâ? quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo Divinæ particulam auræ.

98. Facula, domum incendens, epigraphen tenet. PERDITUR, UT PERDAT. Idipsum hominibus malis evenire solet, quæ exitium, in alios destinatum, ipsimet omnium primi sustinere coguntur. S. P. Augustinus. *Sic enim esse putate malitiam, quomodo ignem: incendere vis aliquit alind? illud, quod admoves, prius ardet; nisi ardeat, non incendit.*

Malitia sibi nocet.

S. Aug. in Ps. 34.

99. Eidem Emblemati subscribes. ET UTILE LÆDIT. Nimirùm rebus quibusvis optimis, ipsisque adeò virtutibus, abuti possumus. Concinnè Ovidius.

Abuti rebus bonis.

Ovid. l. 2. Trist.

Igne quid utilius; si quis tamen urere tecta
comparat, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modò dat medicina salutem:
Quæque juvet, monstrat; quæq; sit herba nocens:

100. Monacense Societatis Jesu Collegium ad solemnem S. Francisci Borgiæ apotheosin, Emblematis loco, facem statuit, quæ gestantis faciem illustrabat, cum lemmate. HINC SPLENDOR. Sanctas nimirùm Francisci preces significabat, quibus Deum, ceu Lucem æternam, assiduò frequentans, sæpius toto vultu resplendere visus est. Ita etiam Moses *ex consortio sermonis Domini* faciem adeò lucidam retulit, & radios instar cornuum tam copiosos vibravit, ut Hebræi in illam intueri non possent. Atque frequens ad Deum oratio, si non humano corpori, certè tamen animæ mirum splendorem conciliat. *Oratio*, Cassiodore teste, *serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitiis, sublevat ad cœlestia, reddit capacius & dignius ad accipienda bona spiritualia.* Emblemati explicando sequentem poësin addidêre Musæ Monacenses.

Oratio.

Cassiodor. Psal. 101.

Assurgens hederæ more, cacumini
Adrepit Superûm, viribus haud suis:
Et Phœbi radios obvius excipit,
Congressuque micat Dei.
Splendorem capitis Borgia, ceu Ducis
Cornuti facies, promeruit prece.
Cùm nemo redeat luce serenior,
Cui cum Rege negotium.

101. Facula aliquid quidem luminis, fumi tamen copiam longè majorem spargit. Emblemati in Thesium Philosophicarum fronte subscripsit eruditissimus meus P. Udalricus Dirhaimer. PLUS FUMI, QUAM LUCIS. Idipsum de scientiis terrenis testatur experientia, in quibus adeò miserè caligamus, ut pleraque omnia, pauculis exceptis, ignoremus. Optimè Theodidactus noster Kempensis, *Si tibi videtur, quod multa scis, & satis bene intelligis, scito tamen quia sunt multò plura, quæ nescis. Noli altùm sapere, sed ignorantiam tuam magis fatere.* Verissimè Apostolus. *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.*

Sapientia terrena.

Tho. Kemp. l. 1. c. 2. v.

1. Cor. 3. 19.

102. Ho-

Charitas. 102. Homo, inter adversa & prospera semper ad Deum erectus, facem imitatur; quæ, sive deorsùm, sive sursùm levata, flammam semper versùs cœlos surgentem tenet. Unde lemma. SEMPER SURSUM. Emblematis Oedipum se offert Magnus Augustinus, cujus singula verba admetior. *Ardete, ne ardeatis igne, quo arsuri sunt dæmones. Ardete igne charitatis ut à dæmonibus vos discernatis. Ardor iste sursùm vos rapit, sursùm tollit, in cœlum levat. Quidquid molestiarum passi fueritis in terra, quatumcunque Christianum cor deorsum humiliatum premat inimicus; summa petit ardor dilectionis. Similitudinem accipite: si faculam teneas ardentem, rectam capite sursùm teneas: flammæ crinis surgit in cœlum. Deprime faculam, flamma in cœlum it. Fac faculam capite deorsum, nunquid & flammam deponis in terram? Quacunque ardens vergit, flamma aliam viam nescit, cælum petit. Spiritu ferventes accendimini igne charitatis. Fervere facite vos laudibus Dei, & moribus optimis.* (S. Aug. in Ps. ... Conc. 1)

TITIO, LIGNUM.

CAPUT IV.

Conversio tarda. 103. QUi lentis passibus ad amorem, iram, vel studia concitantur, postea majore vehementiâ in illa rapiuntur. Haud secus atque flamma, in ligno virente accensa, epigraphen tenet. TARDA, SED FERVENTIOR. Ita beati Latronis anima, tardo quidem charitatis Divinæ motu accensa, paulò post tamen immensùm exarsit. S. P. Augustinus. *Dominum tunc latro non suscitantem mortuos, sed morientem pro peccatoribus agnoscere & cōfiteri promeruit, O latronem mirabilē, violentum cœlo, fide ferventē!* (Aug. serm. ...2. de Temp.)

Verba ...nt indi...es cordis. 104. Truncum, favillis passim erumpentibus ardentem, hoc lemmate circumscripsêre. DI FUOR SI LEGGE, COM' IO DENTRO AV VAMPO. Id est. PRODIT EXTRA, QUOD INTUS. Ita verba, ex ore nostro proferri solita, reconditos cordis humani affectus omine penè infallibili manifestant. Marcus Vigerius, *Mores hominum, inquit, vitæque institutionem, nihil magis indicare sufficit, quàm lingua. Non quod per os intrat, inquit Magister veritatis, coinquinat, sed quæ de ore egrediuntur, hæc hominem coinquinant, & purum vel impurum esse manifestant. Quando quæ de ore exeunt, de corde procedunt, quasi de clibano fumus; qualis enim unusquisque est, talia loquitur.* (Marc. Viger. ... chordá 4. p. 11.)

...mans. 105. Lignum viride, si accendatur, versùs omne latus stillas quasdam humentes evomit. Unde lemma. ARDENDO GEMIT. Illius hæc imago est, qui inter amoris suspiria in lachrymas solvitur. Talis fuerat S. Magdalena, aliique complures. S. P. Augustinus. *Dulcis Christe, bone JESU, da mihi evidens signum amoris tui, irriguùm lachrymarum fontem jugiter manantem, ut ipsæ quoque lachrymæ tuum in me testentur amorem: ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantùm te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit se à lachrymis temperare.* (Aug. lib. edit. c. 36.)

Discipuli. 106. Juniores discipuli sub iterata severioris Magistri ferula in uberes quidem gemitus solvuntur; at lachrimæ illæ eò faciunt, ut paulò post virtute ac gloria plurimùm inclarescant. Hujus ectypon in ligno viridi cernere licet, quod igni suppositum, ingemiscit quidem; sed, ut non sine ingenio observat D. Ludovicus Figninus Can. Reg. Abbas, LUGET, UT LUCEAT. Eadem Dei est methodus, qui plangentium clientum gemitus tandem cum æternis gaudiis commutat. Unde D. Matthæus. *Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur.* Et Isaias. *Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut consolarer omnes lugentes: ut ponerem lugentibus Sion; & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* S. Augustinus. *Omnes carnales medici amarissimas potiones bibere cogunt, & asperrimis ferramentis eorum vulnera frequenter incidunt. Hoc ergò, quod pro sanitate corporum carnales medici faciunt, pro animarum salute spiritales medici exercere contendunt. Hæc ergò cogitans, & tam pro mea, quàm pro vestra salute rationem me redditurum esse ante tribunal æterni judicis non ignorans, eligo aspera quidem, sed salubria vobis medicamenta ingerere; ut vobiscum posteà in Angelorum consortio perpetuâ merear incolumitate gaudere.* (Justorum suspiria. Matth. 55. Is. 61. 1. S. Aug. serm. 67. de Temp.)

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. 1.

107. Truncus, è diversis poris flammas vibrans, epigraphen reddit. VIS EST ARDENTIOR INTUS. Ita, si amoris aut odii ardorem in verbis præferri audias, illum in corde longè intensiorem latere ominaberis. Certè Elias, voces quasdam, ceu flammulas, è labiis suis spargens, intra pectoris penetralia integrum propagandi honoris Divini incendium foverat. De hoc Siracides. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat.* Unde breviter Magnus Augustinus. *Vox corporalis auditur: spiritualis intelligitur.* (Verba mentem significant. Eccles 48. 1. S. Aug. in Psal. 5.)

108. Colligatus truncorum acervus, flammâ semel conceptâ, totum sese, igne ab una ad aliam partē succedente, accendit. Atque adeò OPE LUCENT MUTUA. Lucarinus hoc Emblemate suavissimam illam vicissitudinem innuit, qua sanctus senex Simeon Divino Infanti mille amplexibus est blanditus; Infante intereà decrepitâ servi sui senectutem mille favoribus excolente. Mutuum hunc Parvuli ac senis ardorem suavi memoriâ refricans Magnus Augustinus, *Simeon senex*, inquit, *ferebat Christum infantem, Christus regebat Simeonis senectutem.* Et cum illo S. Ecclesia. *Senex puerum portabat, puer autem senem regebat.* (Auxilium mutuum. S. Aug. serm. 13. de Temp.)

109. Aliquot lignis, mutuo nexu inter se decussatim constrictis, epigraphen subdidit. TERUNTUR MUTUO. Veluti enim ligna illa mutuo sese consumunt, ita monomachi, proscripti, aliique hostes alternis cædibus conficiuntur. S. Gregorius Nazianzenus. *Nos quoque (miserum me!) irruimus in alterutrum, & mordemus invicem, ac laniamus, scilicet, ut ab invicem consumamur.* (Sanguinarii. S. Greg. Naz. in Apologet.)

110. Fuit, qui titioni fumiganti inscriberet. LUCEM DABIT. vel, LUX PROXIMA. Ita è principiis infirmis & obscuris nonnunquam ingentem nominis ac gloriæ lucem sortimur. Certè Nicodemus, Christo Servatori ac Divinis obsequiis noctu duntaxat sese addicere exorsus, postea constantem sese discipulum palam confessus est. Porrò eodem Emblemate opportunè persuadebis, sicuti fumum, utpotè calamitatis typum, illicò subsequitur lumen; ita post ærumnas è vestigio illucescere felicitatem. Confidentissimè Jobus. *Rursùm post tenebras spero lucem.* S. Augustinus. *Cum aliquod malum patitur Christianus, non debet facile velut odio ire in eum, à quo patitur, & velle ventum vincere, sed convertere se ad orationem, ne amittat dilectionem. Neque enim timendum est, ne faciat aliquid homo inimicus. Quid enim facturus est: Multa mala dicturus, opprobria jaculaturus, in convitiis sæviturus. Sed quid ibi? Gaudete, inquit, & exultate, quoniā merces vestra magna est in cœlo. Ille in terra geminat cōvitia, tu in cœlo lucra.* (Principia debilia. Calamitates felicitatem afferunt. Iob. 17. 12. S. August in Psal 54.)

111. Nonnulli fumigantes titiones, ad flammam concipiendam proximè instructi, epigraphen tenent. EX FUMO LUCEM. Sic non pauci ex injuriis sibi irrogatis laudem ac honorem amplissimum consequuntur. S. Joannes Chrysostomus, *Alimentum,* inquit, *& fomes claritudinis est malitia virtuti. Injustitia,* (Injuriæ utiles. S. Io Chrys. Hom. 54 in Act. Apost.)

tiâ, qundo, ut opus fuerit, utitur Deus, res nostras clariores reddit. Iterùm, quando diabolus operatur tale quiddam, clariores facit sustinentes. Cæterùm ii quoque hâc imagine repræsentantur, qui male cæptis coronidem imposuêre optimam; quales fuêre Saulus, Matthæus, Magdalena, S. P. Augustinus, alii.

Occasio.

112. Vitiosa pectoris nostri flamma, jamjam sopita, ad cujusvis levissimæ occasionis exortum nonnunquàm reviviscit, viréscque pristinas resumit; haud secus atque titio, quantumvis extinctus, ventis tamen è regione aspirantibus, excitatur; cum lemmate, FLAMMA REDARDESCET. Apprimè Poëta.

Ovid l. 2. de Remed. Amor.

Ut penè extinctum cinerem si sulphure tangas,
Vivet, & ex minimo maximus ignis erit.
Sic, nisi vitâris, quidquid revocabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modò nulla fuit.

Charitas Dei & proximi.

113. Titio viridis, igni appositus, hinc flammas concipit, inde aquis defluentibus stillat. Lemma. TEMPORE SIMUL EODEM. Bartholomæus de Rubeis hoc symbolo S. Titianum Martyrem significavit, qui inter flammas & lachrymas ad cœlos evolavit. Cæterùm ideam hanc cuivis Christiano ob oculos statutam velim, ut simul & charitate in Deum ardere, & beneficentiâ in proximum fluere discat. Nam, uti testatur Christus, *In his duobus mandatis universa lex pendet & Prophetæ.* S. Augustinus illa D. Matthæi verba interpretatus, *Diliges Deum. Diliges proximum &c.* ait, *Hæc semper cogitanda, hæc meditanda, hæc retinenda, hæc agenda, hæc implenda sunt. Dei dilectio prior est ordine præcipiendi, proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. Tu enim, quia Deum non vides, diligendo proximum, promereris quem videas: diligendo proximum purgas oculum ad videndum Deum.*

Matt. 22. 40
S. Aug. tract. 17. in Ioan.

CARBO. *Cap. V.*

Virtus irritata.

114. Homines, virtutis studiosi, si aliorum calumniis impetantur, gloriam suam longè magis conspicuam reddunt, hostesque suos justâ indignatione persequuntur; haud secus atque prunæ, à ventis afflatæ, CORUSCANT, ET ARDENT. Illorum præterea hæc imago est, qui spiritu Apostolico aut prophetico stimulati, operationum suarum prodigiis passim resplendent, simulque Divinæ gloriæ promovendæ zelo exardescunt. Cæterùm justus, calamitatum procellis acerbè jactatus, tandem insigni virtutum splendore coruscat, majoremque charitatis Divinæ ardorem sortitur. S. P. Augustinus. *Homo bonæ voluntatis molestias hujus vitæ in usum fortitudinis vertit. In copia verò voluptatum, prosperisque successibus temporalium, temperantiam suam probat, & roborat; acuit in tentationibus prudentiam, ut non solùm in eas non inducatur, sed fiat etiam vigilantior, & in amore veritatis, quæ sola non fallit, ardentior.*

Propheta & Apostoli.
Calamitates amorē Divinum augent.
S. Aug. de vera Relig. cap. 14 & 15

Spiritus S.

115. Academici Obscuri Lucenses symboli loco carbonum congeriem, paulatim inflammandam, præfert, cum lemate. CORUSCANT ACCENSI. Tales Apostoli, obscuris natalibus orti, aspirante Spiritûs S. igne, omnem orbis conspectum longè latèque illustrarunt. Hesichius, illa Psaltis verba interpretatus, *Carbones succensi sunt ab eo*, ait, *Carbones Apostolorum chorum significant, nàm in die Pentecostes hujus ignis* (nempè Spiritûs S.) *compotes facti essent, & flammeas linguas accepissent, meritò carbones dicti sunt: nam gentes cognitionis lumine illuminârunt &c.*

Hesich. super Psalm. 17. v. 9.

Spiritus S.

116. Hippolitus Piccolominius carbonem, tametsi ex uno duntaxat latere candentem, ventis tamen adversis afflatum, hoc lemmate insignivit. UT VEHEMENTIUS ARDEAT. Apostoli ante acceptum Spiritum Sanctum aliquo quidem amoris Divini igne accensi incedebant; verùm aspirante felicissimo illo vento, eorum flamma longè ampliùs excrevit. S. P. Augustinus. *Impleti sunt Spiritu sancto Discipuli, cœperunt prædicare magnalia Dei; lapidati, occisi, fugati sunt. Et cùm inde tanquàm ex una loco fugarentur, quasi ligna ardentia igne Divino, totam sylvam mundi accensam fervore Spiritûs, & lumine veritatis impleverunt.*

S. Aug. in 1 30. Conc.

Spiritus S Pœnitentia.

117. Corda humana, peccatorum fuligine obscurata, appositè carbones mortuos dixeris; ibi præcipuè, dum aspirante Divino amore rursùs accensa, propriisque pœnitentis animi suspiriis sublevata, flammescunt, & ad pristinam frugem reviviscunt. Emblematis loco carbones, dimidiâ parte candentes pinges, additis è vicino latere follibus; cum lemmate. AFFLANTE MICAMUS. Cassiodorus in illud Psalmi, *Carbones succensi sunt ab eo*, ait, *Carbones succensos peccatores dicit, qui velut carbones mortui in mundi hujus cæcitate tenebantur. Sed iterùm pœnitentiâ inflammante reviviscunt, & ex mortuis prunis vivi incipiunt esse carbones.*

Cassiod. in Psal. 17. 9.

Societas.

118. Lucensis Obscurorum Academia symboli loco carbonem extinctum præfert, qui, à vicinis prunis jamjam inflammandus, epigraphen tenet. ALIIS JUNCTUS. Ita illustribus & claris ingeniis sociatus, splendorem non absimilem referes. Id quod Agapitus etiam de malorum societate testatur. *Expedire admodum arbitror*, inquit, *effugere pravorum contubernia: qui enim cum hominibus improbis semper versatur, eum vel pati, vel discere malum aliquid necesse est; qui verò una cum bonis degit, vel imitationem honestorum edocetur, vel diminutionem vitiorum condiscit.* Et Ovidius.

Agapit. Epi. Paræn. n. 2.
Ovid. 2. Remed.

Proximus à tectis, ignis defenditur ægrè,
Utile finitimis abstinuisse locis.

Prædicator.

119. Carboni accendendo nonnemo subscripsit. URET ADUSTUS. Oratores ac Verbi Divini præcones hinc discant, alios nunquam ab iis inflammandos, nisi ipsimet facem præluxerint, seseque prius interno animi ardore succensos comprobaverint. Apprimè Tullius. *Ut nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igni, ignem concipere possit, sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim Oratoris parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesserit.*

Cicero. l. 2. de Oratore.

Spiritus S

120. Prunarum congeries, vento afflante excitata epigraphen tenet. NON ESTINGUE IL MIO FOCO, MA L' ACCRESCE. Id est. NON EXTINGUIT. Ita aspirante Spiritûs sancti aurâ Apostolorum corda versùs Deum & proximum immensùm incaluêre. S. P. Augustinus. *Data est lex ad timorem, non ad amorem, Missus est Spiritus sanctus, ut amorem faceret, & solveret à timore. Timor legem non implebat. Amor implevit.* Guarinus Emblematis hujus mentem explicans, ait, suspiriis humanum pectus non mitigari, sed ardentius incendi.

S Aug in Ps 90. Exposit. 2. post med.
Suspiria.
Guarin P. F. Atto 1. Scena 2.

Non son, come à te pare,
Questi sospiri ardenti
Refrigerio del core;
Ma son più tosto impetuosi venti,
Che spiran ne l' incendio, è l fan maggiore &c.

Societas.

121. Bartholomæus Rossus teneram S. Caroli ætatem candenti prunæ non absimilem dixit, quæ multis extinctis carbonibus vicina, epigrapen symboli loco habeat. CÆTERI AB HOC, vel, SUCCENDUNTUR AB UNO. Nimirùm ad mentem Divini Psaltis. *Carbones succensi sunt ab eo.* Quasi diceret, omnem reliquam coætaneam juventutem suum pietatis ac virtutis ardorem è Carolo participâsse. *Plurimùm prodest*, inquit in rē præsentē opportunè S. Am-

Psal. 17. 9.

S. Ambrosius, *unicuique, bonis jungi, Adolescentulis quoque utile, ut claros & sapientes viros sequantur.* Et S. Gregorius Papa. *Succendi cor nostrum igne charitatis quærimus? Joannis verba pensemus, cujus omne, quod loquitur, charitatis igne vaporatur.* Eundem Emblematis sensum Seraphicus Bonaventura ad Beatissimam Virginem transferens, *Quia*, inquit, *tota ardens fuit, omnes se amantes, eámque tangentes incendit, & sibi assimilat.*

S. Ambros. l. 1. offic. — *S. Greg. hom. 15. in Ezech.* — B. Virgo Maria. — *S. Bonavent. To. 3. ser. 1.*

Amans occultus & modestus.

122. Joannes Ferrus amatorem occultum prunæ aut titionis, sub cinere latentis, Emblemate delineavit; cum inscriptione. ET TECTUS ARDET. vel si mavelis. SUB TEGMINE FERVET. Posteriori huic lemmati subscribens meus Concanonicus D. Salvator Carducius, mentem suam sequenti disticho aperit.

> *Abditus ignis adhuc cineris sub tegmine fervet:*
> *Sic flagrat, obductus nube pudoris; Amor.*

Antiochus Seleuci Regis filius, tametsi Novercæ amore captus, summum tamen ardorem modestè ac verecundè occultavit. *Stratonices infinito amore correptus,* Valerii Maximi verba recenseo, *memor quàm improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus piâ dissimulatione contegebat. Itaque diversi affectus, iisdem visceribus ac medullis inclusi, summa cupiditas, & maxima verecundia ad ultimam tabē corpus ejus redegerunt.* De eodem ardente ac tacito amore Ovidius.

Val. Max. l. 5. cap. 7. — *Ovid. in Epist. Phedræ ad Hippolit.*

> --- --- --- *Urimur intus,*
> *Urimur, & cæcum pectora vulnus habent.*

Et alibi,

> --- --- *Me tacitum conscius urit amor.*

Discordia.

123. D. Alexander de Cuppis Canonicus Regularis, ut demonstraret, quantùm exitii ab una discordia enascatur, prunas, in piram congestas, exhibuit; cum lemmate. EXTINGUIMUR, SI DISTINGUIMUR. Verissimè Boethius. *Nostine igitur, omne quod est, tamdiu manere atque subsistere, quamdiu sit unum: sed interire atque dissolvi pariter, quando unum esse desierit?* Et Vegetius, *Nulla*, inquit, *quantumvis minima natio, potest ab adversariis perdeleri, nisi propriis discordiis se ipsam consumpserit.* Compendio ipsemet Servator. *Omne regnum divisum contra se, desolabitur, & omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit.*

Boeth. de Consol. Philosoph. l. 4. — *Veget. lib. 3. cap. 10.* — *Matth. 12. 25*

Societas mala.

124. Nobile quoddam Societatis Jesu ingenium symboli loco detractorem, malam fœminam, & commilitonem sceleratum expressurus, carboni inscripsit, SI TANGIT, TINGIT. Præclara S. Gregorii Nazianzeni sententia est.

> *Si cum malis vives, & ipse eris malus.*

Justus Lipsius. *Facilè nos homines è vulgo aut opinione abducimur, & quotidiano velut contactu, etiam sapientiæ studiosi contaminantur.* Quinimò ipsimet etiam Principes, eodem Lipsio authore, à ministrorum, sibi familiarium, malitiâ coinquinantur; *Culpa ministrorum Principes ipsos contaminant.*

S. Gregor. Naz. sent. lib. 1. — *Lips. L. 2. Manuduct. differt. 21.* — *Lips. in dispunction.*

Lena.

125. Prostitutæ frontis mulier, quæ etiamnum juvenis, Veneri studiosè famulata est; nunc vero effæta, aliorum libidini promovendæ sese internuntiam ac lenam profitetur, à Camillo Antonio Carbonis symbolo exprimitur; addito lemmate. ACCESO PRIA BRUGIO, SE TINGE ESTINTO. Id est, INFICIT EXTINCTUS, QUI VIVUS ADUSSERAT OLIM. Certè lenocinatrix voluptas, dum vivas in humano pectore flammas suscitat, subdita sibi membra incendio non modico adurit; at demùm frigescens miserum hominem, atro infamiæ stigmate notatum, passim traducit. Hoc ipsum voluptatis lenocinium disertè exponit. S. Ambrosius. *ipsa (voluptas) in medio stans: bibite, inquit, & inebriamini, ut cadat unusquisque & non resurgat. Ille apud me primus, qui omnium perditissimus. Ille meus est, qui suus non est. Ille mihi gratior, qui sibi nequior.* Lenam hanc describens Claudianus, canit.

Libido infamat. — *S. Ambros. lib. 1 de Cain cap. 4.*

> *Blanda quidem vultu, sed quâ non tetrior ullâ;*
> *Interius fucata genas, & amicta dolosis*
> *Illecebris, torvos auro circumligat hydros.*

Claud. de rapt. Proserp.

Societas cum fœminis.

126. Carbo, prunæ vicinus, REVIVISCET ATTACTU. Ita cadavera, è Christi contactu, spiritum & vitam resumpserunt. Nec abs re eidem Emblemati subscribes, IGNESCET ATTACTU. Hinc disces, è domestico mulierum commercio plurimùm damni nobis imminere. Frequens hæc Sanctorum est parœmia. ut S. Antiochi, *Colloquium mulieris ignem redaccendit voluptatis*; S. Dorothei. *Ab impudicis fuge, tanquàm ab igne.* Et S. Pauli, *Bonum est homini, mulierem non tangere.* Ubi, quod acutè observat S. Hieronymus, solers Apostolus, *non dixit, bonum est homini uxorem non habere, sed bonum est mulierem non tangere, quasi & IN TACTU ejus PERICULUM sit.* Porrò eodem Emblemate demonstratur, quantùm igneæ virtutis Sanctissimus Eucharistiæ cibus intra membra nostra diffundat, animamque sibi familiarem, versùs Deum inflammet. *Quemadmodum ignis sensibilis,* Divini Areopagitæ verba recenseo, *ea, quibus insederit in suū traducit officium, omnibusque quodammodò sibi propinquantibus sui consortium tradit. Haud aliter Dominus noster, & Deus qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum in sui traducit effigiem, Deiformesque reddit.*

S. Antioch. hom. 17. — *S. Doroth. doctrina 24.* — *1. Cor. 7. 1.* — *S. Hieronym. Epist. 50.* — Sacra Communio. — *S. Dionys. Areop. de cœlest. Hierarc.*

Libido quantum noceat.

127. Pruna, quantumvis candescat, ardeatque; vix tamen intra aquam submersa, mox & splendoris & ardoris jacturam facit. Unde lemma. L' ARDORE, E LO SPLENDOR AD UN PUNTO PERDE. Id est, LUMEN DISPARET, ET ARDOR. Ita, prô dolor! mens Christiana, quamlibet zelo ac luce Divinâ in orbis conspectu resplendeat, libidinis tamen stagno paululùm immersa, mox in amore cœlesti algere, famámque conceptam amittere solet. Hujus argumentum exemplo suo, æternùm dolendo, dedit Henricus VIII. Rex Britanniæ, qui Annæ Bolenæ amore captus, illico hæretici larvam induit, &, paulò antè ob doctissimos libros fidei defensor omnium applausu nominatus, demùm, Nicolao Sandero teste, acerrimus fidei hostis audiit. Unde S. Augustinus. *Felicius servitur homini quàm libidini, cum sævissimo dominatu vastet corda mortalium.*

S. August. de civ. lib. 19. cap. 15.

Indoles.

128. Funebrem Marchionis Guidonis Villæ pompam prunarum Emblemate ornârunt, iisque, sub cinere latitantibus, inscripsêre. DETECTÆ MICABUNT, Vel, ut meo Carducio placet. VOLVE, MICABUNT. Innuebant videlicet, generosam militis hujus indolem, quò amplius examinatam, eò clariores meriti ac gloriæ radios diffundere. Hunc sensum Carducius sequenti poëmate explicat.

> *Quos gelidos reris cineres, age, volve, micabunt:*
> *Sic sæpè algenti in pectore flamma latet.*

Cæterùm posteriore illo lemmate significatur, neminem in Sanctorum album recensendum, nisi qui calamitatum impetu probè exercitati fuerint. S. P. Augustinus. *Molestiis exercitata vita justorum, splendidius enitiut.*

Calamitates utiles. — *S. August. de Nat. & Gratia cap. 23.*

Constantia amoris.

129. Carbonaria, liberalibus perfusa pluviis, copiosas fumi nubes, intercurrentibus crebris favillis, exhalat; cum gemino hoc lemmate. NON EXTINGUET, & VIGET VIRTUS. Ab hoc argumento non multùm alienus Academicus, inter Errantes Brixienses sopitus; Carbonariam, è nivium delabentium humiditate fumigantem hoc lemmate notavit

Virtus oppressa.

notavit. NON PERO' ESTINTO. Id est, NEC EXTINGUITUR. Animus fortis ac constans sub hoc schemate dignoscitur, qui exteris calamitatibus, ac violentis injuriis vires opponit inconcussas, suæque victoriæ trophæum minimè anceps figit. Id quod etiam de Amore testatur Salomon, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem &c.* *Charitate quippe*, inquit S. Gregorius, *Martyres sancti vivaciter ardebant, quia in Dei & proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem aquæ multæ extinguere non poterant: quia quantæcunque tribulationes eis fierent, ad odium transmutare eos non valebant. Hoc nimirùm esset charitatem extinguere, si in tribulationibus, quas ingerebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuissent.*

Cant. 8. 7. — *S. Greg. in hunc loc.*

FUMUS. *Cap.* VI.

130. ALcibiades Lucarinus Beatissimam Virginem, ad cœlos assumptam, fumi Emblemate repræsentavit; cum dicto. DILATOR ASCENDENS. Argumento nimirùm è sacris Canticis mutuato. *Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* In hunc locum Guilielmus. *Instar fumi ex aromatibus, recta per actionem, fragrans per bonam famam, sursum recta per mentis sinceram intentionem.* Et S. Hieronymus. *Benè quasi virgula fumi, quia gracilis & delicata, quia Divinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum pii amoris, & disiderio charitatis.*

Cant. 3. 6. — *Guil. in hunc locum.* — *S. Hieronym. serm. de Assumpt.*

Felicitas mundana.

131. Fumo inscripsit D. Aresius. ASCENDENDO DEFICIT. vel si malis. ASCENDENDO VANESCIT. Viva hæc vanissimi mundi idea est, ubi mortales, quò sublimius evecti, tantò magis disparent, consumunturque. Eruditè Absalon, Canonicorum Regularium Abbas. *Fumus vanitas est rerum temporaliũ, quæ mutabilitate, mortalitate, vel omnimodo defectu tanquam fumus evanescunt, utpotè divitiæ, honores, nobilitas, forma & potentia hujus sæculi, & cætera talia, quæ amatores mundi, tanquam perpetua sine mensura super omnia diligunt. &c.* Fumum prætereà exactè imitantur superbi, utpote tanto profundius à Deo deprimi soliti, quantò elatius in altum evehi nituntur. Ad mentem nostram S. Augustinus. *Fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit; sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur, quia unde ostenditur ut altus sit, inde agitur ut non sit.* Et rursùs. *Videte fumum superbiæ similem, ascententem, tumescentem, vanescentem; meritò ergò deficientem, non utique permanentem.* Cæterùm etiam cordis humani afflictio *Ascendendo deficit*: omnis enim nostra tristitia tum demum in auras vanissimas abit, quando mentem ad Deum sublevamus. Justus Lipsius. *Ut fumus & caligo, quamvis crassa, cùm sublata est dissipatur & spargitur: sic dolor omnis, cùm mens ad supera fertur, & æterna.*

Absalon Ab. serm. 8. — Superbus. — *S. Aug. in Psal. 36.* — *Idem in Psal. 101.* — Calamitates. — *Iust. Lips. Centur. 1. ad Belg. Ep. 5.*

Juventus ad vitium prona.

132. Lignum viride, & succo plenum, ingentem fumi copiam in igne exhalat. Unde Patris Gallinæ lemma. DENSIOR EX VIRIDI. Viridis etiamnum ac valida juventus ad teterrimum vitiorum fumum evaporandum præ reliquis ætatibus propendet. S. Ambrosius de ætate juvenili disserens, *Magis*, inquit, *ad vitium lubrica esse consuevit.* Et paucis interjectis. *Adolescentia est invalida viribus, infirma consilii, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delitiis.*

S. Ambros. l. 1 in Iob. cap 7.

Verba obscœna.

133. Densissimus fumus, è lignorum strue excitatus, epigraphen tenet. EXARDESCET IGNIS, Verbis è Psalmo mutuatis. Enimverò homo, obscuros vocum obscœnarum fumos exhalans, brevì impurum libidinis incendium in sinu fovere cogetur. Item qui delictorum pœnitudine ductus, doloris fumum emittere cœperit, paulò post charitatis Divinæ flammâ exardescet. Primasius. *Sicut fumus*, inquit, *præcedit incendium, sic flammam fidei & charitatis præcedit confessio peccatorum.*

Psal. 88. 47 — *Primasius l. 4 in Apocal.*

Felicitas terrena.

134. Veluti fumus, naturâ suâ, CIT LACRIMAS; ita quæcunque mundi negotia nonnisi perennem calamitatis, gemitûsq; materiem subministrant. Ad amussim S. Chrisostomus. *Ut corporis oculos, cùm in fumo fortè remorantur, lachrymas semper effundere intelligimus; ita mentis quoque oculus, si in fumum sæcularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera mala lachrymabit.* Unde Heraclytus, terrenis fraudibus ac ærumnis altum in animum demissis, toties in lachrymas, nullo solamine mitigandas, eruperat, quoties è domo pebem efferebat.

S. Chrysost. Hom ... in Epist. ad Heb

Spes.

135. Qui malevolorum calumniis oneratus, tandem sese in orbis conspectu innocentem declarandum sperat; symboli loco stipularem fascem, quaquaversùm fumigantem, circumferat; addito lemmate. LUX TANDEM ERUMPET. Jobus, acerrimè afflictus, animo tamen confidentissimo se ipsũ erexerat, *Et rursum post tenebras spero lucem.* Nec illo inferior juvenis Machabæus, inter crudelem carnificum & ignis jamjam irruentis tyrannidem, *Rex mundi*, inquiebat, *defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Pulchrè S. Augustinus. *Ad tempus laboras, in æternum non laborabis. Brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua: ad modicum doles, sine fine gaudebis.*

Iob. 17. 2. — *2. Mach. 7. 9.* — *S. Aug. in Ps. 36. conc. 2.*

Tristitia noxia.

136. Fumus, oculorum aciem hebetare solitus, epigraphen tenet. LUCEM ADIMIT. Idipsum tristitia assolet, nam Salomone teste, *In mœrore animi dejicitur spiritus*; sæculi nimirùm tristitia, quæ juxtà Apostolum *mortem operatur*, & contemplatricem animi vim obtundit. S. Nilus. *Aquæ profunditas*, inquit, *non admittit solis splendorem, & cor triste non exhilarat lucis contemplatio. Ut gustus vim adimit febris, sic animi sensus aufert tristitia.* Et S. Basilius. *Nimia tristitia auctor peccati esse solet, cùm mœror mentem submergat, consilii inopia vertiginem afferat, penuria cogitationis animũ ingratum generet.* Quod multùm improbat idem S. Doctor, censetque generoso animo penitùs indecorum, immodicos tristitiæ assultus non depellere. *Ingenerosæ prorsùs*, inquit, *nec virilis animæ, & quæ parum constanti spe innitatur Deo, est, ad eum modum adversis frangi, rebusque parum lætis succumbere.* Quantùm angor iste functionibus corporis & animæ noceat, S. Chrysostomus apertis his verbis declarat. *Tristitia tinea est, non ossiũ tantùm, verùm etiam mentis, & perpetuus carnifex non latus fodiens, sed animi vires labefactans.*

Prov. 15. 13. — *2. Cor. 7. 8.* — *S. Nilus Orat. 5 de tristitia.* — *S. Basil. Orat. 12. de mœrore* — *Idem Hom. de Grat. act.* — *S. Chrysost. Epist. 3. ad Olympiad.*

Superbia.

137. Fumus, quò ascendit altius, hôc magis evanescit. Unde lemma. SUBLIMIS DEFICIT. De superbis idipsum affirmans Psaltes. *Mox*, inquit, *ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Divinè hoc totum Incarnata Dei Sapientia exemplo septuaginta duorum discipulorum, quos miserat binos ante faciem suam, nos præmonere voluit. Gestiebant hi præ gaudio, sibique ipsis applaudebant: *Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Quem ille præcocem triumphum retundens; *Videbam*, ait, *Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Ac si apertius dixisset. Cavete pestem hanc vanæ complacentiæ, ut quæ Luciferum ipsum cœlo extorrem fecit, dum loco omnium pulcherrimo conditus, inani sui donorumque acceptorum contemplatione delectatus, authorem Deũ, ut par erat, venerari detrectavit, gloriamque alienam impius usurpavit. Et ut compendio rem totam ex S. August. dicam. *Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, & superbia dæmones ex Angelis fecit.*

Psal. 36. 20. — *Luc. 10.* — *S. August. l. de salut mon ad quendam Com. cap 18.*

CINIS

CINIS Caput VII.

138. Amici cujusdam fidem, in custodiendis arcanis sibi concreditis sanctè observatam, cinerum acervo non absimilem dices; cum lemmate, TECTUM CONSERVAT. Hâc prærogativâ plurimùm excelluit S. Ambrosius, de quo Satyrus, ipsius frater, in panegyrico funebri ita testatur. *Cum omnia nobis essent nostra communia, individuus affectus, solum tamen non erat commune secretum amicorum, non quod conferendi periculum vereremur, sed tenendi servaremus fidem.* Cæterùm qui ob occultos amores cinereum in vultu pallorem contrahit, verè *Tectum conservat*, subintellige, amoris ignem, intra pectoris limites inflammatum.

rcanum ustodire. — *orat fu-b S. Amb.* — *mans cultus.*

139. Cineres stercorandis & impinguandis arvis plurimùm conducunt; ut inter cæteros Agriculturæ peritos testatur Plinius. *Transpadanis cineris usus adeò placet, ut anteponant fimo jumentorum.* Unde cinerum acervo aptè subjunges. MIRÆ FERTILITATIS HABET. Sancta Ecclesia, suos fideles ubere virtutum fructu fœcundatura, eorum capita cineribus aspergit. Breviter Magnus Augustinus. *De pulvere cæcatus es, de pulvere sanaris.* Vincentius Guinisius Epigrammate id explicat.

in l 17.c.9 — *ineralia.* — *Aug. Tract in Ioan.* — *rca finem.* — *ncent. uinis. in pigr.*

Sordeat ille licèt capiti cinis insitus alto,
O quantùm MIRÆ FERTILITATIS HABET!
Nam subitò cœpit virtutum erumpere messis,
Et Domino segetem reddere mentis ager.
At tu qui cinerem dicebas, desine falli;
Non cinis, at semen Religionis erit.

140. Nullus dubites, quin pallida cinerum congeries paulò antè vivus extiterit ignis. Unde Carolus Rancatus cinerum cumulo inscripsit. IGNIS FUIT. Nimirum pulcherrimæ cujusdam fœminæ mortem significabat. S. P. Augustinus. *Jactet se quisque de divitiis, jactet se de pulchritudine, & de viribus corporis; ista certè omnia mortalia sunt. Ridendi sunt, qui se de mortalibus jactant, à quibus rebus plerumque aut vivi deseruntur, aut mortui eas necesse est ut deserant.* In rem præsentem canit idem Rancatus.

Fors hominis formosi. — *S Aug. in Ps. 58. Conc. 2.*

Occidit, heu, postquam multos occidit amantes:
Et cinis est hodie, quæ fuit ignis heri.

Horatius Lycen, deformem anum, allocutus, canit. *Horat l. 4. Ode 13.*

Audivère, Lyce, Dî mea vota, Dî
Audivère, Lyce; fis anus, & tamen
Vis formosa videri &c.
Possint ut juvenes visere fervidi
Multo non sine risu
Dilapsam in cineres facem.

141. Idem Rancatus mortem, ceu inevitabilem fortunæ ac majestatis humanæ terminum, Emblemate significaturus, cinerum acervo inscripsit. OMNI MOMENTO MEMENTO. Enimverò isthæc sortis nostræ caducæ memoria fæcundam ac miram proficiendi sementem spargit. Seneca. *Nihil tam æquè tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti. Quidquid facies, respice ad mortem.* Innocentius IX. Pontifex Maximus, nihil unquam decernere consueverat, nisi prius oculis ad binas icones defixis; quarum prima Calvariam, cæteramque osseam hominis demortui compagem; altera funebrem pompam repræsentabat. Unde factum, ut mortis nunquam immemor, omnes vitæ suæ actiones ad legis Divinæ libellam expleverit.

Mortis memoria. — *Seneca Epist. 114.* — *Io. Rhò Var. Virt. Histor. l. 5. c. 7. n. 5.*

AER.

Vapor. Nebula.	Cap. 8	Glacies.	Cap. 14
Nubes.	9	Fulgur.	15
Pluvia.	10	Fulmen.	16
Ros.	11	Iris.	17
Nix.	12	Cometes.	18
Grando.	13	Ventus.	19

VAPOR. NEBULA.

CAPUT VIII.

142. Vapor, succollante solis calore in aëra sublevatus, tandem in pluvias resolvitur, terramque sitientem stillando fœcundat. Unde lemma Hispanum. TRAIDO EN PLUVIA BUELTO. Id est. ELEVATUS IN PLUVIAM. Eorum hæc imago est, qui ad dignitatum fastigia sublevati, plurimam gratiæ ac beneficentiæ significationem in subditos dispensant. Idipsum de Sancto quodam dixeris, qui conscenso beatitatis culmine, mira beneficia suis clientibus impertitur. Porrò S. Petrus Damianus Deum solis nomine comprehendit, qui hominum Apostolicorum mentes supra terram levat, easque disponit, ut suis doctrinis, ceu pluviis, orbem universum fœcundent. *Filius Dei,* inquit, *prædicatorum suorum mentes ad cœlestia contemplanda suspendit: ut quantò liberius se ad intelligendum creatorem suum pennis virtutum librant, tantò feracius & uberius imbrem cœlestis eloquii nostris cordibus infundere valeant.*

Magistratus benefici. — *Sanctus miraculis clarus.* — *Apostoli.* — *Petr. Dam Serm. 1. de S. Bartholom.* — *Prædicator contemplatius.*

143. Inter diversa Illustrissimi D. Berlingerii Gessi, Senatoris Bononiensis, Emblemata, vapor, versùs cœlum elevatus, cernitur; cum epigrammate. SERVIRE TONANTI. Nam è nubibus & vaporibus, veluti è panopliâ, Deus sua fulmina capit, quibus orbem terreat, castigetque. Haud aliter Deus nonnullos, è sorte humili ad suprema fastigia sublatos, conficiendis gravissimis negotiis adhibet. Saulem certè è caulâ ad Judeæ solium sublatum, reprimendæ Philistæorum tyrannidi destinavit. David, *de gregibus ovium* ad aulam Solymæam assumptus, totius Palæstinæ propugnaculum extitit. Petrus Apostolus è Galileæ lacu raptus, excalceato pede orbem universum triumphavit. Petrus Eremita Amosatenus, Hierosolymis in Christianorum potestatem redigendis, validissimum exercitum conduxit. &c. Denique, quod Magnus Augustinus asserit. *Venit Deus Christus prodesse omnibus: sed elegit prodesse Imperatori de piscatore, non piscatori de Imperatore.*

Homines viles Deo in rebus gravibus serviunt.

 144. Ca-

Bellum finitum. 144. Carolus Rancatus Emblematis loco densam nebulam, sereno exordientis diei radio fugatam, depinxit; addito lemmate. NITIDO RESOLUTA SERENO. Innuebat videlicet, bellum, compluribus annis non sine pertinaci crudelitate continuatum, tandem serenæ pacis beneficio, sub annum 1659. fuisse exclusum. Epigraphen è Silio Italico mutuam accepit. *Sil. Ital. lib 5*

Donec flammiferum tollentes æquore currum
Solis qui sparsère diem, jamque orbe renato
Diluerat nubes Titan, sensimque fluebat
Caligo in terram NITIDO RESOLUTA SERENO.

Tentatio finita. Cæterùm eodem Emblemate etiam tentationum & calamitatum nebulas describere licet, ut quæ tandem in quietis & felicitatis amænissimam lucem desinere solent. Tentatio quippe, toto vitæ nostræ decursu duratura, demum cum æternâ beatitate commutabitur. Magno Augustino teste; *usque ad mortem erit tota tentatio, post mortem sola beatitudo.* *S. Aug. serm. 25 ex addit. à Sirmond.*

145. Nebula, hortum infestans, à vicino igne, vel certè à solaribus radiis dissipatur, & ingloria evanescere jubetur. Epigraphe id declarat. PERCUSSA SCINDITUR. Ad verbum Prudentius. *Prudent. Cathemerinon Hymn. matut.*

Caligo terræ SCINDITUR
PERCUSSA solis spiculo.

Calumnia superata. Ratione non dissimili calumnia solo virtutis & veritatis radio destruitur, fugaturque. Unde meus D. Gregorius Comaninus. *Greg. Coman p. 1. Canz. 2.*

Quant' è ver che non puote
Contra il ver la bugia,
Come non può la nebbia incontro al sole.

S. Thomas Villanovanus eodem symbolo demonstrat tentationes, unde anima nostra obnubilatur, internæ veritatis splendore longissimè propulsari. *Quid namque est omnis tentatio*, inquit, *nisi nebula quædam atra, super oculos cordis sparsa, lumen rationis obnubilans & offuscans? Hæc radio veritatis dissolvitur, & in serenitatem placidissimam vertitur. Et sicut nubes spiculo solis percussæ dissolvuntur, sic passiones & perturbationes animæ veritatis judicio redargutæ, evanescunt.* Eò etiam reflectens Carolus Bovius, crebras conscientiæ turbas, à S. Ignatio Loyolâ in primo pietatis suæ ardore superatas; nebulæ, ad solem exorientem dissipatæ, symbolo expressit; addito lemmate. AD PRIMOS VICTA CALORES. *S. Tho. Villanov. in Dom. Quadrag.* Tentationes depellere.

Dignitas. 146. Tantò amplius in virtute resplendeas, necesse est; quantò sublimius in fortunæ fastigio supra alios excellis. E Vaporis Emblemate id disces, qui solarium radiorum beneficio sublevatus, epigraphen tenet. ELEVOR, UT FULGEAM. Basilius Imperator, Leonem filium instituens, *Cave*, inquit, *ne regni malus custos, degeneris aliquid, atque indigni committas, sed cùm cæteris prælatus es, ut omnibus imperes, ita contende, ut virtute quoque cæteris antecellas.* Ad hunc splendorem, Superioribus cumprimis observandum, haud dubiè collineârunt milites illi, à quibus David cognominatus fuerat *Lucerna in Israël.* In quem locum Gaspar Sanctius, *Et quidem David*, inquit, *si quis alius in Republica Princeps, omnium meritò lucerna potuit appellari, qui sicut viva quædam lex, quæ etiam appellatur lucerna, præivit omnes & vitæ exemplo, & zelo justitiæ.* *Basil. Imp in Exhort. ad Leonem filium. cap. 10* *2. Reg. 11 17 Gasp Sanct in hunc loc.*

Ingratitudo. 147. Ingratum animum, ipsis etiam Mecænatibus suis insultare ausum, vaporis coloribus depinges: hic quippe solis adminiculo in aëra sublevatus, paulò post beneficium illius vultum offuscat. Epigraphen addidi. ELEVANTEM OBUMBRAT. Ita Tatius, Sabinorum Rex, Tarpeiam, cujus operâ Capitolium occupaverat, suffocari jussit. Jason Medeam squalore & ærumnis plenam destituit, cujus ope vellus aureum & insignem de monstro victoriam reporavit. Popilius Ciceronem crudeli manu enecavit, cujus facundiâ paulò antè & nominis patrocinium, & vitæ prorogationem acceperat, &c. Cæterùm quibusvis nostris peccatis in Deum aliquo modo sumus blasphemi, eumque, à quo ad corporis & gratiæ vitam elevamur, obumbrare nitimur, S. P. Augustinus. *Omnia vitia blasphemant Dominum; superbia quippe dicit Deum non bonum esse; invidia & ira dicunt, Deum non benè fecisse; illa, quia alii malum contulit; ista, quia sibi intulit. Sic tria hæc vitia specialiter ad injuriam Dei spectare videntur, in quibus summum bonum, quod Deus est, rationalis mens perversè deserit; per superbiam, introrsum ab illo se dividens; per invidiam, exterius visum piè non requirens; per iram, ipsam etiam è recordatione suâ memoriam illius propellens.* Peccatoi est Deo ingratus. *S. August. Tract. de septem vit post init. 1. supplem.*

148. Nebulam, solis beneficentiâ è loco palustri in sublime elatam, hoc lemmate notabis. NITET ELATA. vel, UT LUCESCAM. Præclarum hoc illorum est symbolum, qui ex obscuris natalibus ad dignitatum fastigia sublati, plurimo gloriosæ operationis splendore diffunduntur. Titus, Suetonio teste, *sordidis ædibus* natus, ac postea primis Imperii honoribus conspicuus, altùm enituit, sicque *vapor elatus*, Abbatis Thesauri verba usurpo, *ut stella fulsit.* Eos præterea idem Emblema concernit, qui, licèt humili loco progeniti, si tamen mundum superent, Deumque confinem habeant, plurimùm gloriæ ac nobilitatis contrahunt. Denique etiam Religiosorum hæc imago est; ut quibus tantò plus existimationis ac reverentiæ accrescit, quò longius à sæcularium consuetudine sese subtrahunt. Optimè S. Gregorius Nazianzenus. *Quidquid facilè percipitur, facilè quoque in contemptum venit. Quod autem supra nos est, quo majore cum difficultate percipi potest, eò etiam majorem sui admirationem movet.* Virtus in homine ignobili. *Sueton. in Tito.* Religiosus solitarius. *S. Greg. Na Orat. 16. n. 44.*

149. Vapor resolutus, in pluviam descendit, reditque in terram, ex quâ exhalando ascendit. Lemma. UNDE VENIT, RECIDIT. Ita corpus nostrum, morbo ac morte resolutum, redit in terram, ex quâ sumptum est. *Quæ est enim vita nostra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Ideò prudenter Maximilianus Cæsar nihil horum, quæ circa ipsum erant, suum judicabat; omnemque diem sibi ultimum illucescere credebat; unde, ne vel unico momento oculos à vitæ instabilitate averteret, capulum funebrem è querno ligno circumferri secum jussit, additâ hâc præmonitione, *Cogita mori.* Continuam hanc mortis contemplationem Carolus V. tanto avo dignus nepos, prætulit tot regnorum ac provinciarum amplissimo Imperio, quo se ultrò abdicavit, ut illâ totus perfrui posset. Saluberrimum proinde est, in terram, unde venisti, prius animo ac cogitatione, quàm corpore recidere. Scitè Climacus. *Probatus quidem ille est, qui mortem singulis diebus expectat; sed ille sanè sanctus, qui hanc singulis horis desiderat.* Mors. *Lipsl. 1. monit. Polit. c 14.* Meditatio mortis utilis. *Climac. grad 6.*

N U B E S. *Cap.* IX.

150. Nubes obscura, ventis, igneisque fulgoribus vallata, nonnisi in aquam sese converti patitur. Unde lemma. RETULIT IN MELIUS. Eorum hæc imago est, qui vitam & mores cum melioribus commutant. Bonitas item Divina minarum suarum fulmina in beneficentiæ refrigeria convertit, Divino Psalti id observatum fuerat, quando de Deo cecinit, *Fulgura in pluviam fecit.* In hunc locum Magnus Augustinus. *De ipsis nubibus quid operatur? Fulgura* Mutatio. Bonitas Dei. *Psal 134. 7. S Aug. in hunc loc.*

Fulgura in pluviam fecit; minas ad misericordiam flexit, de terroribus irrigavit. Quomodò de terroribus irrigavit? Quando tibi minatur Deus per Prophetam & per Apostolum, & times; nonne coruscatio terruit te? sed cùm pœnitendo corrigeris, & agnoscis hoc misericordiâ fieri, in pluviā vertitur fulguris terror.

S. Magdalena pœnitens.

151. Oculi S. Mariæ Magdalenæ, è quibus paulò antè, veluti è libidinis officinâ, acutissimi urentium flammarum radii eruperant, hominumque incauta pectora passim succendebant; postea in geminos fontes sunt conversi, & uberrimos lachrymarum imbres depluerunt. Unde Carolus Rancatus nubem turbidam, in pluvias resolutam, depinxit? additis illis Psalmi verbis, superiore Emblemate adductis. FULGURA IN PLUVIAM. Nimirum, asserente S. Euthymio. *Instrumenta peccati, facit instrumenta virtutis.* S. Gregorius Papa. *Quod*, inquit, *sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat: sed hos jam per pœnitentiam conterens flebat. &c.*

S. Greg. Pap. Homi. 33.

Apostoli. Cooperatio.

152. Nubes in pluvias, supra terram deciduas, resoluta, epigraphen tenet. UT GERMINET. Destillans Sanctorum Apostolorum doctrina, instar cœlestis nubis, universum orbem adeò copiosè irrigavit, ut paulò post uberrima virtutum germina produxerit. S. Petrus Damianus. *Doctores sancti per mundum salutiferæ prædicationis imbrem pluunt, cùm terram cordis nostri doctrinæ suæ fluentis inebriant, ut eam ad proferenda pii operis germina fertilem reddant.*

S. Pet. Dam. serm. 2. de Bartholom.

Sanctus miraculosus.

153. Sanctum, à morte suâ multis miraculis clarum, nubi non absimilem dices; quæ supra mundi oculos elevata, in pluvias convertitur, plurimâque beneficentiâ arentem terram fæcundat. Epigraphen subjunges. HINC RAPTA JUVO. Eodem Emblemate Beatissimam Virginem, ad Cœlos exaltatam, significabis, de quâ S. Ecclesia canit. *Quam idcircò de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.* Andreas Cretensis, ad Deiparam conversus, *Ex quo*, inquit, *translata es à terrâ, te universus mundus continet commune propitiatorium.*

Assumptio M. V. In Vigil. Assumpt. in Oratione secreta. And. Cret. Encom. Dormitionis Mariæ.

Gratia Dei.

154. Nubem obscuram, naturâ quidem suâ mox in pluvias dissolvendam, à ventis tamen obsidentibus cohibitam, Lucarinus hâc gnomâ insignivit. NON FLANTIBUS FLUET. vel, NISI FLAVERIT. Ita Gratia Divina, nisi adversis humanæ malitiæ machinis impedita, munificentiæ suæ stellas instar nubis diffundit. Ab hoc argumento non multùm recedere videtur Absalon Abbas. *Inordinatas cogitationes, quicunque Deum puro amore diligit, exterminare debet, eo quòd separent hominem à Deo: nec spiritui sancto possit esse domicilium in conscientiâ, quæ vulnerata est per inordinatæ cogitationis affectum.*

Absal. Abb. serm. 11.

Dependentia. Viaticum Sacrum. Eucharistiæ cultus.

155. Qui ab alterius præscripto totus pendet, per columnam nubis, Hebræorum ducem, significari potest; cui inscribes. TE DUCE EGREDIAR. Ille hanc tesseram opportunè usurpaverit, qui ad supremam vitæ luctam accingendus, Sacro Christi corpore, ceu vero æternitatis Duce, munitur. Porrò Belliduces hostem nunquam aggrediantur, nisi prius Sanctissimam Eucharistiam, veluti victoriarum omnium firmissimam calumniam, in auxilium vocaverint. *Quæ est nubes*, inquit Drogo, *quæ præcedit veros Israëlitas nisi verissimum & sanctissimum corpus tuum quod in altari sumimus? Hanc nubem totus exercitus tuus sequitur, Domine Rex Sabaoth, qui autem non sequitur eam, in tenebris est &c.*

Drogo de Sacram Dom. Passion.

Christus tentatus.

156. Scipio Bargalius Christum, in deserto tentatum, non verò superatum, nubis emblemate significavit, quæ elevata, caliginem suam conatu prorsus irrito in solem spargere nititur. Epigraphen addidit. PERTENTAT FRUSTRA. Idipsum in honorem S. Pauli Apostoli dixerim, nam, teste S. Joanne Chrysostomo, *Pauli mentem nulla obnubilavit tentatio, sed in mediis quoque tempestatibus ipsam meridiei claritudinem suo splendore superavit. Sol enim iste, qui in Paulo luxit, tales radios non emittebat, qui tentationum concursu potuerit obumbrari, sed tum potissimum elucescebant.*

Resistere tentationibus. S. Io. Chryst. Hom. 18. in cap. 11. ad Rom.

157. Nubes, in pluvias resoluta, & subra hortum, floribus ac fructibus undique consitum, destillans; epigraphen tenet. DIVES IN OMNES. Verbis è D. Paulo desumptis. Prædicatorem hæc imago repræsentat, auditores suos pascere solitum; Principem, versùs omnes munificum; &c. De se ipso Constantius Imperator, *Ego porrò*, inquit, *officii mei partes esse duco, vobis non solum ex publicis bonis lætitiæ materiam præbere; sed insuper privatæ singulorum utilitati, quoad ejus fieri queat, debitam providentiam, solicitudinemque navare*

Rom. 10. 12. Princeps liberalis. Constant. Imp. Orat. de Themistio Philosoph.

158. Nubes, soli adversa, ac pulcherrimo solis ectypo (parelium vocant) depicta; epigraphen legendam offert. LUMEN DE LUMINE. Ita D. Thomas Aquinas, à Crucifixo Dei filio illuminatus, difficillima Theologiæ arcana penetravit. Ita quoque S. Maria Virgo, Deo plena, solem æternum, humanâ carnè vestitum, intra viscera sua portavit, & è quorumdam sententiâ, igneum splendorem ab externo vultu diffundit. Absolon Abbas. *Attraxit sol ille invisibilis nubem istam, cum spiritûs sancti radio utero Virginis se infundente sub nube carnis latens, visibilem se exhibuit, ne oculis ægris odiosa lux fieret, cùm aspicerent filium Dei sub carne, solem sub nube, radium in umbrâ, lumen in laterna.*

Scientia infusa D. Thomæ. Maria V. gravida & resplendēs. Absal. Abb. serm. 24.

159. Nubes, solis adversi parelio conspicua, epigraphen tenet. QUIA RESPEXIT. Ita Deus, Mariam Virginem gravidam non vultu tantùm, sed ipsâ etiam præsentiâ suâ dignatus, penè sibi similem reddidit, utpote quæ simul Mater, Filia, & Sponsa Dei evasit. D. Aresius hoc suum Emblema sequenti poëmate vernaculo explicat.

Maria gravida Deo similis.

Di celeste splendor armata il viso
Vibra raggi di luce, e un' altro sole
Creduta vien dal vero sol diviso
Nuvoleta gentil, e come suole
Terso cristal, di cui lo mira fiso
Sembra d' Apollo vaga sposa, ò prole,
E da Dio rimiata, Iddio somiglia
Vergine, ch' è sua madre, è sposa, e Figlia.

Eruditè ad hoc propositùm Petrus Bercorius. *Quando radius solaris, scilicet ipse Filius Dei, ab ipso sole Deo Patre usq; ad interiora nubis, scilicet B. Virginis, fuit missus per beatam incarnationem, tunc statim imago ipsius, ipse homo Christus, in ejus utero resultavit.*

Pet. Bercor. Reductor. l. 6 c. 19. n. 10.

160. Quemadmodùm Princeps dignitatem suam omnem à Deo derivatam habet, ita mentem nunquam adversùs Deum ingratam circumferat; nempe nubem imitetur, quæ solis parelio insignita, assiduò protestatur. MUNERIS HOC TUI. Justus Lipsius. *Princeps sublimis factus, & elatus à Deo, meritò veneratur, & colit magnitudinis suæ auctorem. Nisi facit, quid expectet, nisi iterum dejici?*

Gratitudo. Iust. Lips. de una Religione.

161. Animus generosus injurias sibi illatas nonnisi beneficiis compensare solet. Id demonstraturi Humoristæ, symboli universalis loco nubem præferunt, quæ tametsi supra mare collocata, salsis illius evaporationibus amaricetur, postea tamen dulces pluvias refundit. Unde istud è Lucretio lemma. REDIT AGMINE DULCI. Philo Carpatius. *Benefacere*, inquit, *& mala pati, Christianorū est*, Et Hugo Card. *Sicut nubes aquas marinas in dulces convertit, sic memoria Passionis Christi, quam in corpore suo sustinuit, omnes*

Benefacere inimicis. Phil. Carp. in c. 9. Ezech.

omnes passiones & amaritudines, quas fideles pro eo sustinent, in dulcedinem vertit.

Studiosus liberalis. 162. Homo virtuosus, insignes suos labores mundo ultrò communicare solitus, nubem pluviam imitatur; cui hunc titulum præfixerim. CONGREGATA DISPERTIT. De se ipso fatetur Seneca. *Si cum hâc exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enuntiem, rejiciam. Nullius boni sine socio jucunda possessio est.* Et S. Basilius. *Discendum est*, inquit, *absque ullo pudore; & docendum absque invidia; & si quid ab altero hauserimus, idipsum non est celandum &c.* Aliis hoc Emblemate ii significari videntur, qui eleemosynis elargiendis student: nec abs re; siquidem Joannes Eleemosynarius, Leontio Episcopo teste, quantò pluribus à liberalissimo Deo opibus instructus, eò plures ipse in egenos distribuit; piâ contentione Deo objicere solitus; *Videbimus quis vincat, an tu mittendo, an ego dispergendo.*

Senec Epi. 6. *S. Basil Orat. 6. de Instit. & admon.* Eleemosynarius. *Leontius Episc. in ejus vita.*

Misericordia Dei. 163. P. Vincentius Gilibertus Divinam misericordiam nubi roscidæ consimilem dixit, quæ resoluta, hiantis terræ sitim levat, arentemque fœcundat, Epigraphen subdidit. DISSOLVAR UT SOLVAM. S. Petrus Damianus hoc Symbolo Prædicatores exornans, *Istæ nubes*, inquit, *resolvuntur in aquam, cùm terram cordis nostri doctrinæ suæ fluentis inebriant, ut eam ad proferenda pii operis germina fertilem reddant.* Cæterùm nubes, campum torridum & arentem copiosis pluviis recreans, etiam hoc lemmate ornata cernitur. SE EXHAURIT EGENTI. Nonnemo hoc Emblemate Philippi IV. liberalitatem, in sublevanda Flandriæ egestate prorsus regiam, deprædicabat. Illud tamen, omnibus Eleemosynariis proprium, sequenti poëmate explicat meus D. Salvator Carducius.

Concionator. *S. Pet. Dam. serm. 41.* Liberalitas. Eleemosynarius.

Nubes egenti exhaurit undis viscera,
Quidni misellos, dives, auro recreas?

Virtus calumniis obruta. 164. D. Nicolaus Crassus nubibus adversùs solem elevatis, inscripsit. HAUD OBSUNT. Mens Emblematis erat, malevolorum calumnias clarissimis D. Bernardi Venieri virtutibus penitus nihil detrimenti aspersisse. Huic symbolo affine est illud, quod nubem in solis conspectu hâc gnomâ notatam refert. DESTRUETUR TANDEM. Calumnia quippe, assiduis conatibus virtuti obscurandæ insidiari solita, tandem evanescit. *Calumnia*, inquiebat *Demosthenes, in occasione apud audientes valet, tẽpore infirmatur.*

Demosth. apud Lipsium Centur. 2. ad Belg. Ep. 6.

Concionatores. 165. Plurimæ nubes versùs solem elevatæ, epigraphen tenent. UT IN ORBE PLUAMUS. Sanctos Apostolos hæc imago repræsentat, qui ex obscuris Galileæ terris sublevati, fœcundas Evangelicæ doctrinæ pluvias per orbem universum dispensârunt. S. Thomas Villanovanus, *Prædicatores*, inquit, *nubes sunt, qui totam terram animarum fidelium irrigant imbre, & pluviâ doctrinæ Evangelicæ ut fructificent fructus bonorum operum.* Et S. Joannes Chrysostomus. *Sicut nubes bajulant pluviam, & effundunt eam super terram: ita Prophetæ & Apostoli accipiunt verba à Deo, & effundunt super rationabilem terram.*

S. Tho. Villanov. in Dom. 4 Adv. *S. Io. Chrysost. Hom 20. Imperf.*

Gratia Dei. 166. Bartholomæus Rossus aliquot nubes, à sole irradiatas, expressit; hancque loquenti Soli epigraphen adjecit. SPLENDOR EX ME. Innuebat videlicet, omnes creaturarum perfectiones ab uno sole Divino scaturire. Enimverò, teste D. Jacobo, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Unde S. P. Augustinus Deum *Lucem Lucificam* vocat; cùm omnis sive gratiæ, sive naturæ splendor nõnnisi lucis supernæ sit communicatio. S. Thomas Villanovanus. *Vidisti*, inquit, *aliquando nubem atram, turbidam, vilem vaporẽ à terrâ sublatũ? quid illâ deformius? sic omninò sic est anima cui illabitur Deus: non videtur ejus gloria, omninò illustrior est.* Et alibi. *Qualis nubes lucida, cùm purpureis coloribus, sole irradiante, coruscat, talis hujus Virginis anima Deo illuminante fulgebat.*

Iacob. 1. 17. *S. Aug. l. 22. contra Faust. cap. 9.* *S Tho. Villa. Con in Dedic. Ecclesiæ.* *Idem Conc. in Assump Vir.*

Prosapia. 167. Nubes, solarium radiorum reflexu quàquàversùs illustrata, hanc à me epigraphen cepit. M' ORNO CON L' ALTRUI LUME. Id est. ALIENA LUCE DECORA. Iis hoc emblema obelum infigit, qui flagitiis, cæterisque abjecti animi notis onusti, nullâ aliâ laude, nisi quam è prosapiæ splendore emendicatam habent, gloriantur. Porrò eodem symbolo Creaturæ attinguntur; quippe quæ lucem, bonitatem, ac perfectionem suam omnem soli Deo acceptam referre debent. Ut adeò Deus à S. Augustino verè cognominetur *Lumen illuminans.* Hâc præceptione propè instructus S. Protomartyr Levita, in Concilio, Judæis acerrimè infrementibus, apertè confessus est; *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Quæ verba non quidem ad vanam ostentationem, nec ad hostium bilem acrius provocandam, sed eò solùm collimabant, ut Judæorum admirationem, quam de insolito ipsius splendore conceperant, anteverteret; iis quippe in Sancti Martyris vultum, undique resplendentem, defixis, (*& intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli*) mox subjunxit, prodigiosum hunc fulgorem non aliunde, nisi à clarâ Dei præsentiâ sibi advenire. *Ut indicaret*, concludit S. P. Augustinus, *Pastorem suum in ipsum ostentantem adjutorium, ne videlicet tantum animi robur, & ipsum in facie splendorem alii adscriberet, quàm Christo, de quo disserebat.*

Auxilium Dei. *S. Aug Epist. ad Honor. c. 3* *Act 7. 56.* Recognitio. *Act. 6. 15.* *S. Aug. serm. 98. apud Corin.*

168. Alcibiades Lucarinus nubem pluviam hoc lemmate legendam offert; EFFLUENDO CONSUMITUR, Hominem Apostolicum designans, qui in Dei obsequio & proximi emolumento, frontem sudore perfundi, sanguinem è venis diffluere, ipsamque adeo vitam sibi eripi, non abhorret. Emblemati consonat illud Jobi effatum, *Consumitur nubes, & pertransit.* Ita S. Paulus, vitâ suâ jamjam ad occasum inclinante, Timotheum his omninò verbis compellavit. *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ &c.* Sic nimirum post diversos pro S. Ecclesia superatos labores, post gravissima itinera, post patrata sexcenta heroica facta, tandem enervis & viribus confectus, gloriosum vitæ terminum attigit. Nam Chrysostomo teste, *Quantùm sol terram percurrit, proprios emittens radios; tantam & hic beatus Paulus solicitudinem & curam habuit Ecclesiarum omnium, quæ erant per totum orbem terrarum.*

Iob. 7. 9. *S. Paulus Apost.* *2. Tim. 4. 6* *S. Chrysost. Hom. 73. ad Pop.*

Justitia punitiva utilis. 169. Mirum est, eodem nonnunquam momento è nubium sinu simul & fulgura, quæ orbem tremore concutiunt; & copiosas, plurimumque fœcundas aquas in terram spargi. Unde lemma. TERRORE FÆCUNDO. Igneos terrores, à vindicante sive Dei, sive alterius cujusvis boni Principis justitiâ vibratos, mira consortii humani fœcunditas subsequitur: pauculis enim pro merito punitis, plerique omnes à flagitiis cohibentur, & ad saniora mentem componunt. Senecam habeto testem. *Tria lex secuta est, quæ Princeps quoque sequi debet: aut ut eum, quem punit emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat, aut ut sublatis malis, securiores cæteri vivant.* Suffragatur S. Gregorius Nazianzenus. *Pœna sæpè eos, qui peccant, meliores reddit: sin minus, eos, qui ad ipsos accedunt: etenim aliorum cruciatus multos ad meliorem frugem convertunt, &c.*

Seneca l. 1. de Clem. c. 11 *S Georg. Nazianz.*

170. Claudianus poëmate de Histrice canit.

Claud. de Histrice.

-- -- -- -- additur armis
Calliditas, parcusque sui timor; iraque nunquam
Prodiga telorum: cautè contenta minari.

Postre-

Clementia Principis.

postrema hæc ultimi versus particula, CONTENTA MINARI, à Gamberto nubi inscripta fuerat, quæ clarum fulguris splendorem, citra ullam tamen fulminis violentiam, in orbem ejaculatur. Hunc ideā cuivis bono principi ob oculos positam velim, qui clementia & benignitate, ceu Imperiorum stabiliendorum basi, nixus; minis potius, quàm suppliciis rem suam perficere satagat. Cassiodorus, à P. Velazchez adductus, *Districtio nostra*, inquit, *in verbis habita, & in factis est ipsa benignitas. Irascebamur placati, minabamur innoxii, & ne potuissemus lædere, terrorem videbamur inferre.* Ita quoque de Deo David, *Ostendisti populo tuo dura &c. dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant.* Unde Bellarminus verba illa profundius examinans, *Ostendisti* &c. ait, *Insinuatur benignitas Dei, qui tribulationes non tam immittit, quàm ostendit: ut terreat, non ut noceat.*

Cassiod. a P. Velazq. l.1. in Ep. ad Philip. l.5.36. col. 1
Psal. 59. 5.
Bellarm. in hunc loc

171. P. Gambertus nubem, supra arescentem campum in pluvias resolutam, illis Virgilii verbis insigniit POSCENTE NULLO. Ita Princeps benignus, supplices egenorum libellos antevertit, suosque gratiæ radios prompta munificentia ultrò diffundit. Deo hanc operandi methodum familiarem testatur Psalmographus, *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* S. Gregorius Nazianzenus de Deo disserens, *Prompta*, inquit, *munificâ, atq; prolixâ natura est: jucundius dat, quàm alii accipiunt.* Hujus exemplum è filio prodigo desumitur, qui needum factus supplex, *cùm adhuc longè esset, accurrens pater cecidit super collum ejus.* In hunc locum apprimè S. Hieron. *Antequam dignis operibus, & verâ pœnitentiâ ad Patrem rediret antiquum, Deus ad ejus præcurrit adventum & reditū filii sui junioris anticipat.*

Virgil. 1. Georg.
Princeps benignus.
Liberalitas Dei.
Psal. 9. 17.
Greg. Naz. Orat. 40 in Sanct. Baptis.
Luc 15.
Hieron. Epist. 146. ad Damas.

172. Nubi, ante solem explicatæ, inscripsêre. TANTO NON PUO' CELLAR, CHE IL GIORNO CELI. Id est, QUOD CELAT, NON AUFERT. Ita venusta nobilis fœminæ facies, licet velamine serico prætecta, miro tamen decore tralucet. Ita quoque Christi Divinitas per humanas exuvias, quibus, ceu nubibus, tegebatur, perspicuè dignosci poterat. De hac S. Hieronymus. *Fulgor ipse & majestas Divinitatis occultæ etiam in humana facie relucebat.* Ita demùm calumnia, quamlibet importunas nubes virtuti aut veritati obumbrandæ explicet, adeò tamen nihil evincit, ut invictas tandem dimittere, ac victoriam cudere cogatur. E Tullii sententia, *Multorum improbitate depressa veritas emergit.* Cui non dissimilis Titus Livius, *Veritatem*, inquit, *laborare sæpè, extingui nunquam.*

Pulchritudo velata.
Divinitas Christi.
Hieron l.1. in Matt c.9.
Veritas clari nequit.
Cic. pro Cluentio.
T. Liv.

173. Intra Pistoriensem Experrectorum academiam, Emblematis loco nubes cernitur, quæ solem obsidens, epigraphen tenet. ELEVATUR IN UMBRAM. Nimirùm Emblematis author singulari modestiâ significare voluit, se nuperè inter litteratos illos assumptum, solis conspectui (solem quippe Academia illa communis symboli loco præfert) nonnisi umbram ingerere. Cæterùm hoc emblema diversorum sensuum est ferax. Imprimis quidem ebrietas nubis est æmula, veluti mentem humanam miserè inumbrans. S. Petrus Chrysol. *Sicut terræ nubes caligant cælum, sic obscurant animas intemperata convivia.* Id quod S. hic Doctor etiam de invidia pronuntiat. Ecquid enim invidia aliud, nisi nubem repræsentat teterrimam? *Non sic nubes cœlum, nox diem, solem caligo, quomodo mentes cæcat & tenebrat invidia.* Mitior Emblematis interpres Hugo Cardinalis, *per nubem*, inquit, *significatur caro Christi, quia nubes solis ardorem mitigat per sui interpositionem, & caro Christi iram patris compescuit per suam oppositionem, quia in se sustinuit ictus.* Elias Cretens. refrigerium illud, quod è nubiū umbra capimus, Spiritui S. propriū dicit. *Nubis columna Spiritus sanctus est, qui eos, quos vitiosarum affectionum æstus divexat, obumbrat, & refrigerat.* Denique eandem nubis obumbrationem Richardus de S. Laurentio in Deipara Matre copiosam reperiri testatur. Ipsius verba ita accipe. *De Maria nube dicitur Psal. 104. Expandit nubem in protectionem eorū, nempe Israelitarum, & ignem ut luceret eis per noctem. Ecce duo officia, ad quæ data est Maria, ut protegat à fervore solis justitiæ, tanquàm nubes, & etiam contra diabolum, quasi igneus murus.*

Modestia virtuosa.
Ebrietas.
S. Pet. Chrys. Sol. serm. 41.
Invidia.
Idem ser. 48.
Ascensio Christi.
Hug. Car. in Luc 9.
Spiritus S.
Elias Cretens. Orat. 3. in Greg. Naz.
Protectio Mariæ V.
Richard. de S. Laur. l. 7. de Lau. Virg.

174. Tanta, tamq; generosa fuit D. Caroli Borromæi munificentia, ut juvandæ aliorum egestati, intra unius diei spatium integros principatus erogárit. Nubi, in copiosas & fœcundas pluvias resolutæ, liberalitatem illam non absimilem dices; addito lemmate. VOLUNTARIE FUNDIT. Justorum animæ suas operationes non ita necessitate cogente, sicuti liberæ ac fervidæ voluntatis impulsu elicere cupiunt. David certè, *voluntariè*, inquiebat, *sacrificabo tibi.* In quem locum laconicè S. Ambr. *Expectat Dominus voluntarios ministros.* At quid Divinas ac Christianas mentes moror? Ethnicis etiam hæc ipsa præceptio altùm fuit impressa. Inter cæteros Demetrium, à Seneca relatum, audi & admirare. *Hoc unum, Dii immortales! de vobis queri possum, quod non ante voluntatem vestram mihi notam fecistis, prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus adsum. Vultis liberos liberos sumere? illos vobis sustuli. Vultis aliquā partē corporis? sumite, non magnā rem promitto: cito totā relinquam. Vultis spiritū? quidni? nullam moram faciā, quo minus recipiatis, quod dedistis: à volente feretis, quidquid petieritis. Quid ergò est? maluissem offerre, quàm tradere. &c.*

Animus voluntariè agens.
Psal 53. 8.
S. Ambros. in Psal. 118. serm. 14.
Senec l de Provid. c. 5.

175. Nubes, adversis viribus percussæ & agitatæ, quaquaversùm ignita fulgura evibrant. Unde lemma. COLLISÆ FULGURANT. Haud aliter mentes hominum virtuosæ, diversis hostium calumniis jactatæ, mirum amœnissimi luminis splendorem passim ejaculantur. Brevi calamo id perstringens D. Emmanuel Thesaurus, *Virtutes*, inquit, *uti nubes collisæ fulgurant.* Apostoli, instar núbium in Synagogis & compitis acerrimè percussi, innumeros tolerantiæ radios sparserant, laudesq; Deo assiduas dixerant. S. Stephanus, & S. Jacobus minor, carnificum & lapidatorū tyrannide, instam nubium, gravissimè cæsi, charitatis splendorem adeò insolitum diffuderant, ut Deo pro iis supplices sint facti, à quibus paulò post in acerbissimam mortem præcipitandi erant, &c. S. Augustinus. *Videamus, spectemus magnum spectaculum; Ecce Stephanus lapidatur! Eja membrum Christi, eja athleta Christi, inspice illum, qui pro te pependit in ligno. Crucifigebatur ille, tu lapidaris. Ille dixit.* Pater ignosce illis, quia nesciūt, quid faciunt. *Tu quid dicis, audiamus. Primo stans oravit pro se, & ait.* Domine JESU accipe spiritū meum. *Deinde genu flexit, & flexo genu ait,* Domine ne statuas illis hoc peccatū. *Hoc dicto obdormivit, O felix somnus & requies vera! Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare, &c.*

Virtus heroica.
Eman. Thesaur in Elogio Claud.
S. Aug. serm. 237. de Temp.
Luc. 23 34.
Act 7. 59.

176. Mens heroica, inopinatis hostium assultibus nunquam non superior, gloriæ suæ radios per orbem universum spargit; haud secus atque sol fulgorem suum in eas ipsas nubes copiosè diffundit, à quibus paulò ante supprimendus obscurandusq; fuerat. Unde lemma. DOVE OSCURAR CREDETERLO. Id est AB OBICE LUCET. Certè Deus eo ipso momento cor & animam Sauli copioso radio est dignatus, quo is ad Servatoris nostri gloriam penitus evertendam accinctus stabat. En! immanē Christiani nominis hostem! *spirans minarum & cædis in Discipulos Domini.* Sed quid tum? *Circumfulsit eum lux de cœlo,* S. P. August. *Cùm Paulus Apostolus, prius Saulus, crudelissimus & immanissimus persecutor, nihil omnino*

Virtus oppressa.
Conversio S. Pauli.
Act 9 1.
Ibid n. 3.
S. Aug li 50. Homil cap. 1

omnino boni merebatur, imò merebatur plurimum malum. Merebatur enim damnari, non eligi. Et ecce subitò, cùm mala faceret, & mala mereretur, unâ cœlesti voce prosternitur, persecutor dejicitur, prædicator erigitur. Huc collineat etiam Academicus inter Errantes Brixienses Luminosus, qui nubem, lunæ adversam, & ab hac illustratam, exhibet; cum lemmate. DUM IMPEDIO, LUCESCO.

Statius lib. 7 Thebaid. 177. Idem Emblema, Nubes nimirùm, ab eo ipso sole illuminata, in quem suas umbras paulò ante machinata fuerat; hanc Statii poësin, lemmatis loco præfert. ADDITUR UMBRANTI DECUS. P. Gambertus hoc symbolū benigno Principi propriū dicit; cùm is gratiæ suæ munera etiam in eos derivare soleat, quos gloriæ suæ observādæ unicè intentos experitur. Nihil ab hoc Emblemate alienus P. Raulinus, nubem depinxit, Iridis coloribus à sole eleganter discriminatam; cum lemmate. ORNATUR, & OBSTAT. Odoardi Farnesii laudes hæc imago deprædicat, utpote in eos etiam beneficentiæ suæ radios dispergere soliti, qui generoso ipsius splendori obniti videbantur. Certè Christus, Sol Divinus, obscurâ & infami Crucis morte ab hominibus obnubilatus, in tantæ injuriæ vicem infinitum paradysi splendorem iis promisit. Eò collineans Eusebius Gallicanus. *CredamusDeum*, inquit, *vel ex sola virtute patientiæ, qui dum ab homine cruci & neci traditur, sic quoque homini gloriam pollicetur: qui illas ipsas injurias & plagas convertit in pretium nostrum.*

Inimicis benefacere. Luc. 23. 43.

178. Tenuis quædam nubes, ad solis conspectum sublevata, epigraphen tenet. CITO DISSOLVAR. Caducam, labilem, & transitoriam hominis vitam hæc imago ad unguem exprimit. *Quæ est enim vita vestra?* inquit non sine emphasi S. Jacobus, *Vapor est, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Certè Cælius Rhodiginus, S. Bonaventura, S. Maximus, aliique passim miseram ac mortalem vitam nostram sub fragilis ac vanissimæ nubis schemate dignoscendam proponunt. Pulchrè S. Augustinus, *Vivebat heri homo, non est hodie, paulò ante videbatur, modò non est, qui videbatur. Ducitur homo ad sepulchrum, redeūt tristes, citò obliviscentes. Dicitur, quàm nihil est homo; & hoc dicit ipse homo, & non corrigit se homo, ut non nihil, sed aliquid sit homo.* Franciscus Petrarcha de Lauræ obitu non sine gemitu canit.

S. Aug. serm. 111. de Divers. cap. 8.

Che come nebbia al vento si delegua,
Cosi sua vita subito trascorse.

179. Nubes lucida, ac solis parelio effulgens, epigraphen tenet. ILLUSTRATUR, ET ILLUSTRAT. P. Jacobus Masenius Mariæ Virgini hanc ideam propriam dicit, quæ Sole Divino gravida, orbem universum illustravit; Unde à S. Hieronymo vocatur. *Nubes diei, nunquam in tenebris, semper in luce* Opportunè de eadem Dei Matre S. Ambrosius. *Quid splendidius eâ, quam splendor elegit.* Emblemati explicando sequentem è P. Masenio poësin habeto.

Maria V. S. Hier. in Psal. 77. S. Ambros. l. 2. de Virgin.

Phœbæo veluti nubes illustris ab astro,
Illustrat Phœbum, grandior orbe, suum.
Sic dum Virgo capit Divinum, ut lumina, Numen,
Numinis effusas auxit in orbe faces.

180. Nubes, quoad pluvias parturiunt, atræ admodùm densæque existunt; at ubi depluêre, pellucidæ evadunt. Lemma. EXCUSSO IMBRE NITEBUNT. E sancti Nili Abbatis, aliorumque Patrum sententia, quamdiu quis suam tentationem circumfert, & intra se cohibet, jacet in mœrore, seque tantùm non conficit: at ubi hoc onus excussit, omnis illicò ægritudo discedit, tristitia mitigatur, miraque animo tranquillitas redit; nullum quippe serenandæ conscientiæ potentius est remedium, nisi ut tentationes omnes coràm Superiore aut Magistro spirituali candidè exoneres, aperiasve. *Non enim validior vel efficacior est vulneribus nostris medicina*, inquit Doctorum Phœbus Augustinus, *quàm habere, qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans, &c.* Unde cùm tentationum manifestatio tantopere nostrâ intersit, S. Ignatius prorsùs sapienter singulis Domibus & Collegiis quēdam rebus spiritualibus Præfectum constituit, *ad quem in suis tentationibus confugiant, cui confidenter sua omnia detegant, & à quo consolationem & auxiliū in omnibus sperent. Ita enim*, Cassiano teste, *fit, ut in nullo te circumvenire callidus inimicus velut inexpertum ignarumque prævaleat; nec ullâ fraude decipere, quem prævidet non suâ, sed senioris discretione muneri, & suggestiones suas, vel ignita jacula quæcunque in cor ejus jecerit, ut seiore celet, non posse suaderi.*

S. Nil. Abb. de Interem. PP qui erant in Sin. S. Aug. l. unico c. 5. de amic. c. 8. S. Ignat. p. const. c. 1. §. 12. Cassian l. de instit. re cap 9.

PLUVIA. Cap. X.

181. VErbi Divini Incarnationem Emblemate significaturus, pluviam depinges, quæ supra lanam destillans, epigraphen ferat. STREPITU SINE ULLO. Emblemati ansam suppeditat Divinus Psaltes. *Descendet sicut pluvia in vellus.* In hunc locum S. Laurentius Justinianus. *Pluvia*, inquit, *sine strepitu descendit in lanam, sic & Deus occultâ virtute in Virginem.* Eâdem icone homo quietus, prudens, & factis potius, quàm verbis clarus repræsentatur. Appositè Ovidius.

Incarnatio. Psal. 71. 6 S. Laur. Iu in hunc loc Quietus homo.

Eximia est virtus, præstare silentia rebus.

Ovid. l. 2 Trist. Eleg

182. Nubi, supra igneas Æthnæ fauces depluenti, inscripsi. MAGIS ADAUGET. Charitatis Divinæ flammam, inter gravissimas hominum calumnias plurimùm augescentem, hæc imago demonstrat. Firmamentum præsenti symbolo è sacris Canticis accedit, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* In hunc locum P. Cornelius à Lapide. *Etiamsi in Cruce*, inquit, *ab iis rideretur & bsalphemaretur: omnique infamiâ & dedecore velut latro afficeretur; hiscè aquis, & hoc frigidissimo cordium humanorum gelu, omnique contrarietate superatâ, quasi per antiperistasim amor Christi vehementius exarsit &c.*

Charitas Dei. Cant. 8. 7. Corn. à La in hunc loc

183. P. Octavius Boldonus, temperantiæ significandæ gratia, primam autumni pluviam hoc lemmate ornavit. TEMPERAT ÆSTUM. Meâ tamen sententiâ lachrymarū pluviæ symbolo illo innuuntur, quæ mitigandis afflicti animi doloribus quàm opportunissimè deserviunt. Verissimè Seneca.

Temperantia. Lachrymæ.

--- *Fletus ærumnas levat.*

Sen. in Tro ade Æst. 3.

Ea insuper lachrymarum vis est, ut Nemesis Divinæ ardorem temperent. Petrus Cellensis id observans, *O lachryma humilis!* exclamat, *tua est potentia, tuum est regnum. Tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis: quandoque sententiam rapis, etiam ab ore Judicis.* Quin imò ipsos etiam Tartari ignes à lachrymis extingui, compertum est; *Lachryma*, inquit idem Cellensis, *portas refringit inferni, carbones extinguit ferreæ fornacis.*

Lachryma. Pet. Cell. l. panibus c. Ibidem.

184. Econtrà P. Raulinus pluviis, tempore æstivo è nube destillantibus, (tempus æstivum Leone suprà solem depicto exprimitur) inscripsit. NEC TEMPERAT ÆSTUM. Quasi diceret, lachrymas, in amici morte effusas, nullum intenso amori refrigerium posse affundere, ut qui in eo articulo omnium maximè flagrat. Ita quoque lachrymæ obstinati peccatoris, quales fuêre impius Herodes, & infamis Antiochus, nullam omninò temperiem justitiæ Divinæ flammis injicere valent. De reprobo Esau testem o-mni humanâ fide majorem habeto D. Paulum. *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.* Nam Doctore Magno Augustino, *Deus hominem non vivificabit, quando serò pœnitentiæ locum quærit cum lachrymis.*

Lachrym in mort. Lachrym sceleratorum inefficaces. Heb. 12. 17. S Aug Annot in Iob. cap. 39.

185. D.

bun- antia & licitas pè no- ent.

nec. Ep. 36.

185. D. Didacus Saavedra campum, ariſtis flaveſcentem, depinxit, quæ ab imbris impetuoſi, extra opportunum tempus delabentis, onere deprimuntur, cùm eas nonniſi rore leviter humectari oportet. Epigraphen, Pythagoræ ſeu Bianti familiarem, ſubjunxit. NE QUID NIMIS. Innuebat videlicet, ſummos honores nonnunquam plus calamitatis quàm ſplendoris afferre; quin, ipſa etiam collata beneficia interdum injuriæ loco haberi. Seneca. *Magni animi eſt, magna contemnere; prudentis eſt mediocria malle, quàm nimia; iſta enim utilia ſunt; illa, quando ſuperfluunt, nocent. Sic ſegetem nimia ubertas ſternit; ſic rami onere franguntur, ſic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas.*

ratia ei.

Marc. E- m de lege rituali.

186. Gratia Divina, meâ quidem ſententiâ, pluviam, ſupra campos diffuſam, imitatur; cum lemmate. INFUSA FOECUNDAT. S. Marcus Eremita, *Quemadmodum*, inquit, *pluvia, terræ infuſa, accommodam qualitatem plantis ſuppeditat: ſic quoque gratia, in corda fidelium aſſiduè deſcendens, ac influens, convenientes virtutibus actiones largitur.*

ocumẽ- paula- n inſtil- nda.

Iſid. l. de undo. c. 33

287. Pluviæ cadenti ſubſcripſi. LABENDO SENSIM OPIMAT. Eruditionis ac pietatis præceptiones, paulatim intra filiorum aut ſubditorum animos delapſæ, opimos illos efficiunt, miràque operandi virtute locupletant. S. Iſidorus, *Pluviæ nubium, Eloquia ſunt Apoſtolorum, qui quaſi GUTTATIM, id eſt ſenſualiter veniunt, ſed abundantius doctrinæ FOECUNDITATEM INFUNDUNT.*

orrectio hemens.

Hieronym.

188. Vehementior corrigendi ratio intra ſubditorum animos graviſſima damna, turbaſque vix unquam conciliandas parit. Ideæ loco impetuoſos ac horrendos cataclyſmi nimbos, hoc lemmate notatos, accipe. ARVA SUBVERTENT. Utriuſque, hujus videlicet, & præcedentis ſymboli mentem ſtrictim attingit S. Hieronymus. *Pluvia illa optima eſt, quæ ſenſim decidit in terram; ſubitus & minus imber in præceps arva ſubvertet.* Pulchrè ut ſolet, Magnus Auguſtinus. *In correctione tenendus eſt modus aptus humanitati, congruus charitati; ut nec totum, quod poteſtatis eſt, exeratur; & in eo, quod exeritur, dilectio non amittatur; in eo autem, quod non exeritur, manſuetudo monſtretur.*

Epiſt ad Furiam.

S. Aug. l. 3. contra Creſcon. cap. 51.

189. Pluviæ ſimul ſuper florentem hortum, & campum ſpinoſum deciduæ, epigraphen tenent. IDEM IMBER, FRUCTUS DISPAR. Ita Divinum auxilium diverſa in diverſis ſortitur effecta. optimè in rem præſentem Theologorum Phœbus, Auguſtinus. *Quidquid loquimur in nomine Dei, quoniam Dei eſt per nos loquentis, imber Dei eſt, videte vos qualis terra ſitis. Nam quando pluvia venit ſuper terram, ſi bona terra eſt, fructus bonos parit: ſi mala terra, ſpinas parit. Pluvia tamen dulcis eſt, & ſuper fructus, & ſuper ſpinas.*

Gratiæ Divinæ diverſi effectus.

S. Aug. in Pſal. 98.

Iob. 25. 8.

Deus calamitates noſtras mitigat.

190. Jobus admirandam Dei providentiam dilaudans: *Qui ligat aquas*, ait, *in nubibus ſuis ut non erumpant pariter deorſum.* Divinæ providentiæ eſt, aquas aëreas claudere, & velut panno aut veſte conſtringere, ne difluant. Harum aquarum vehiculum nubes, & inſtar equorum venti ſunt, qui alveos illos per orbem quaqua versùs trahunt. Quòd ſi Deus has aquas uno impetu præcipitari ſineret, plus equidem obeſſent, quàm prodeſſent; ſed quia ſtillatim & guttatim defluunt, fœcundo elapſu terram irrigant. *Si continuerit aquas*, ait Jobus, *omnia ſiccabuntur, & ſi emiſerit eas, avertent terram*, ſicut in diluvio, cùm dimiſſæ, agmine facto præcipites ruebant. Unde pluviis, leniter deſtillantibus, inſcribes, STILLANDO PROSUNT. Aquæ in Divinis paginis ſymbolum ſunt afflictionis. Hinc Pſaltes Regius dixit: *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam.* Quemadmodum Deus pluvias ſic Orbi attemperat, ut nec illarum

Iob. 12. 15.

Pſal. 68. 2.

 defe-

defectus noceat, nec copia: sic & labores omnes ac dolores nostros ita modificatur, ut non desit exercitatio, ne torpeamus; nec tamen omnis intercidat consolatio, ut succumbamus. Atq; hoc Regius Vates petiit: *Non me derelinquas usquequaque.* Non rogat, non derelinqui; hoc unum deprecatur, non omninò, non usquequaque deseri, quod noxis suis meruisset; uti his penè verbis interpretatur S. Ambrosius. De dolore optimè philosophatus Seneca. *Nemo,* inquit, *potest valde dolore & diu. Sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolerem aut tolerabilem, aut brevem faceret.* Nam summi doloris intensio invenit finem. Notum est illud Poëtæ.

Psal. 118. 8.

S. Ambr. in hunc loc

Senec. Epist. 78.

Si longus, levis est; si gravis ille, brevis.

ROS. Cap. XI.

191. Fœcundis cœli uberibus pretiosæ ac pingues roris guttulæ, instar lactis, minutatim destillant. Eæ tamen priusquam in orbem sese effundant, oportet cœlum apparere tranquillum, à ventis imperturbatum, nec nubibus obductum, nec nimio aëris frigore asperum. Ad hæc nunquam, nisi placido noctis serenæ tempore fluunt. Plinius id observatum habens, *Rores,* inquit, *neque gelu, neque ardoribus, neq; ventis, nec nisi serenâ nocte.* Unde lemma. TANTUM NOCTE SERENA. Ita prorsus Divina gratia intra conscientias, non quidem superbas, inquietas, aut furibundas, sed serenas, ac tranquillas, instar roris, diffunditur. Hæc una ratio Isaiæ persuasit, ut Servatoris nostri adventum rori similem diceret, *Rorate cœli desuper*; nam, ut Petrus Damianus interpretatur; *impacatæ mentis hospitium non requirit.*

Plin. l. 2. c. 60.

Gratia Dei.

Isa. 45. 8.

S. Pet. Dam. lib. 8. Ep. 14

192. Si genuinam Psalmi centesimi non mentem spectes, poteris verba illa, *Ex utero ante luciferum genui te,* è contextu Hebraico ita traducere, *EX UTERO AURORÆ ros juventutis meæ.* Proin' rori opportunè inscripserim. EX UTERO AURORÆ. Symbolum id credas Incarnati Verbi, quod instar cœlestis roris è Deiparæ sinu, veluti è gratiosâ ac venustissimâ aurorâ, profluxit. *Ros ergò designat Christi generationem cœlestem ex Virgine, sicut ros nascitur ex aurorâ virtute cœlesti,* inquit R. Hadarsan, à P. Cornelio de Lapide adductus.

Psal. 109. 3.

Christus nascens.

R. Hadarsan apud Corn à Lap. super O eam c. 6. v. 3.

193. Roris destillatio æstivos calores mirâ temperie afficit. Ut adeò rori haud incongruè subscripseris. DULCE REFRIGERIUM. Ecclesia Orthodoxa, eandem roris vim in Spiritûs Sancti auxiliis experta, illum in hæc verba salutat. *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.*

Spiritus S.

Illam ipsam quoque in Mariâ Virgine prorsus copiosam reperiri testatur S. Germanus, venerabundo ore eidem supplex. *Sola, O Domina mea, sola, quæ sola mihi ex Deo solatium, sola æstûs in me existentis Divinus ros, &c.*

Maria. V. S. German.

194. Carolus Bovius Emblematis loco rorem expressit, qui nascente die horti cujusdam flores recreans, epigraphen sustinebat. TOLERATÆ PRÆMIA NOCTIS. Cœlorum, & ipsius adeò Dei beneficentiam hæc imago repræsentat; quippe qui suos servos, post calamitates toleratas, amœnissimis solatiis, ceu melle, suavissimè reficiunt. Regius Vates hanc Dei bonitatem deprædicans, exclamat, *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo; consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Noli ergò timere,* inquit Magnus Augustinus, *adest in itinere auxiliator.* De Servatore nostro ait Tertullianus. *Favor post fella gustavit, &c.* Calpurnius roris indolem sequenti poëmate describit.

Solatium post miserias.

Psal. 93. 19.

S. Aug. l. 50 Homil hom. 27. cap. 1.

Calpurn. in Eclog. 5.

Frigida nocturno tinguntur pascua rore,
Et matutinæ lucent in gramine guttæ.

195. Ni fallor, postrema hæc poëmatis verba, IN GRAMINE LUCENT, præsenti symbolo lemmatis loco, apprimè deserviunt. Innuunt quippe, sicuti roris stillulæ, ceu totidem gemmæ, tenuissimo terræ gramini adhærescere solitæ, miram suam operandi vim plus quàm alio quocunque loco exerunt, omnemque campum longè lateque fœcundant: ita demissos ac humiles mortalium animos à Divinâ gratiâ præ reliquis uberrimè fœcundari. Breviter ac verissimè S. Jacobus, *Humilibus,* inquit, *dat gratiam.* S. Augustinus. *Spiritus Sanctus capitur per humilitatem, repellitur per superbiam. Aqua est enim cor humile, tanquam locum concavum quærens ubi subsistat; elatione autem superbiæ, tanquam tumore collis, repulsa labitur. Unde dictum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quid est, dat gratiam; Dat Spiritum Sanctum, implet humiles, quia capaces invenit.* In hanc rem appositè meus D. Salvator Carducius.

Divina gratia humiles di. gnatur.

Iacob. 4. 6

S. Aug serm 21. ex addit à Sirmond.

Rorantes gemmæ demisso IN GRAMINE LUCENT;
Pectore sic humili cœlica dona nitent.

MANNA.

Cap. XII.

196. Manna Symboli loco epigraphen sustinet, è sacra Apocalypsi desumptam. VINCENTI, supple, *dabo manna absconditum.* Certè Hebræis cibus hic Angelicus nonnisi post devictos Pharaonis assultus, & relictas Ægypti ollas è cœlis depluit; quisquis enim consolationis Divinæ manna concupiscis, prius insignem è tentationibus victoriam referas, necesse est. Stimulos subjiciens Magnus Augustinus, *Pugnate,* inquit, *ut vincatis, vincite ut coronemini.* Certè, Abbas Joannes, Cassiano teste, *mundana omnia vincens, & in cœlum mente conscendens, tantâ perfundi solebat interiori dulcedine, ut ne id quidem recordaretur, an pridie comedisset.* S. Franciscus Xaverius in cœlum defixus, ita consolationibus Divinis affluebat, ut exclamaret; *Satis est, Domine, satis est.* In Jaopne pedes iter faciens, ita in Deum absorbebatur, ut sæpè de viâ deflectens, in vepres, dumeta, & saxa inpingeret, nec adverteret; quocirca semper ei plantæ & tibiæ sanguine fluebant, cùm tamen ille ne sentiret quidem.

Apoc. 2. 17

Consolatio cœlestis.

S. Aug. Tract. 2. in Epist. Ioan

Cassian. Collat. 19.

197. Manna symboli loco inscriptum tenet. PER MODUM RECIPIENTIS. Alludit nempe ad illud Philosophorum axioma, *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.* Sanctissimæ Eucharistiæ hæc figura est, quæ bonis gratiam, malis verò exitium affert. Gravissimè Apostolus. *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* S. Augustinus id explicans, subjungit, *Non ait, quia illa res mala est, sed quia ille malus malè accpiendo, ad judicium accipit bonum, quod accipit. Num enim mala erat buccella, quæ tradita est Judæ à Domino; Absit. Medicus non daret venenum; salutem Medicus dedit; sed indignè accipiendo, ad perniciem accepit, quia non pacatus accepit.*

Eucharistia.

1. Cor. 11. 2

S. Aug. Tract 6. in Ioan. 1.

198. Manna Hebræis omnem saporis varietatem dabat. Unde lemma. SAPIT OMNIBUS. Disertè Salomon. *Angelorum escâ nutrivisti populum tuum; & panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & om-*

Sap. 16.

& omnem saporis suavitatem. Ita & Christus in Eucharistiâ, *parvulis est lac, infantibus olus, perfectis solidus cibus*, ut pulchrè explicat S. Gregorius Nyssenus. S. Cyprianus, *Hic panis*, inquit, *omnium carnalium saporum irritamenta, & omnium exsuperat dulcedinum voluptates. Vide, quomodo his, qui Christi commemorant passionem intra sacra officia, quasi per quosdam canales, de interioribus fontibus egrediantur torrentes, & super omnes delicias lachrymis nectareis anima delectetur; quantam suavitatem animæ inquirenti, ubi sit Deus suus, suspiria contemplationis eliciant.* — Greg. Nyss. Cyp. Tract. de Cœna Domini.

199. Manna Hebræis tantum roboris contulit, ut Amalecitas felici pugnâ superarint, lemma. DAT ROBUR. Genuina hæc Sanctissimæ Eucharistiæ imago est, cujus virtute omnia cœlestis patriæ impedimenta ac tentationes citra negotium removentur. S. Bernardus. *Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omninò consensum. Si quis vestrûm non tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ &c. gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Et S. Joannes Chrysostomus. *Hæc mensa animæ nostræ vis est, nervi mentis, fiduciæ vinculum, spes, salus, lux, vita nostra.* — Eucharistia. S. Bernard. Serm. de Bapt. & in Cœna Domini habito. S. Io. Chrysost. Hom. 24 in 1 ad Corinth.

200. Manna, congenitâ suâ dulcedine, suavissimum sacchari saporē & colorem referebat, lemma. DULCEDINE PRÆSTAT. Ita Sanctissimæ Eucharistiæ gustus adeò suavis est, ut præ illo terrenas voluptates omnes fastidiamus. Unde post sumptam Eucharistiam S. Cypriano teste, sequitur, *ut deinceps peccatorum pocula horreat, & omnis sapor delectamentorum carnalium sit ei quasi rancidum, radensque palatum acutæ mordacitatis acetum.* Eodem symbolo felicissima Beatorum ambrosia, & suavitas inenarrabilis significatur. *Ibi enim*, inquit, S. Gregorius, *est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine pœnâ, amor sine tristitiâ, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore; Perfecta viget in omnibus charitas, una omnium lætitia, una jucunditas.* — S. Eucharistia. S. Cyprian. loc. cit. Beatorum gaudia. S. Greg. in Psal. 7. pœnitential.

201. Manna, sive in parvâ, sive in magnâ copiâ ab Hebræis collectum, singulis tamen totum id conferebat, quod ad diurnum victum suffecerat; Angelo nimirum invisibiliter addente, si infra debitam portionem; demente verò, si ultra illam collegissent; ut explicat P. Cornelius à Lapide. Unde lemma. EADEM MENSURA CUIVIS. Ita Christum in Sanctissima Eucharistia æqualiter omnes recipiunt, sive species plures, sive etiam hostia major sit, sive minor. D. Thomas, *Ex hoc*, inquit, *quòd sacerdos plures hostias consecrat in unâ Missâ, non multiplicatur effectus hujus Sacramenti, quia non est, nisi unicum sacrificium. Nihil enim plus est virtutis in pluribus hostiis consecratis, quàm in unâ, cùm sub omnibus, & sub unâ non sit nisi totus Christus. Unde nec si aliquis simul in unâ Missâ multas hostias consecratas sumat, participabit majorem effectum Sacramenti.* Eodem symbolo innuitur, miram adeò esse Dei providentiam, ut omnibus æqualem annonam, quæ vitæ tuendæ sufficiat, subministret; superfluæ enim avarorum divitiæ crumenis duntaxat replendis, & animabus inquinandis, non verò fami exsaturandæ conducunt. Pulchrè S. Chrysostomus. *Avarus dives à paupere tantis differt curis, neglectu Dei, corporis inquinatione, & animi perditione: nam ventrem uterque æque satiant.* — Corn. à Lap. in 2. Corint. 8. 15. Eucharistia. D. Thomas quæst. 79. art. 7. ad 3. Divitiæ superfluæ. S. Chrysost. Hom. 40. in 1. ad Cor.

202. Hebræorum manna summo mane colligi debebat, utpote incalescente Sole liquescere solitum, lemma. SUB SOLE LIQUESCET. Ita nimirum orationis ac gratiæ Divinæ capescendæ opportunissimum tempus matutinum; reliquo enim die intentio nostra facilè inter negotia distrahitur. Certè Sapiens de mannâ, ad Solem liquescente, ait. *Statim ab exiguo radio Solis calefactum, tabescebat: ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem illam, & ad ortum lucis adorare.* Unde Jobus *sanctificabat illos (filios), consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis.* S. Athanasius, *Magnum*, ait, *certaminis decus, è lecto ipso Deo sistere se ipsum, & prævenire in gratiarum actione Solem.* Et S. Chrysostomus in illa Psaltis Regii verba. *Manè exaudies vocem meam*, ait, *Ab initio diei David dabat Deo primitias. Oportet enim ad gratias tibi agendas Solem prævenire, & ante ortum lucis te interpellare. &c.* — Oratio matutina optima. Sap. 16. 28. Iob. 1. 5. S. Athan. in Psal. 5. S. Chrysost. in Psal. 5.

NIX. *Cap.* XIII.

203. OMnes inferi hujus orbis creaturæ, germina, herbæ, arbores, fructus, metalla &c. fæcundo solarium radiorum vigore adolescunt, suaque incrementa ab illo capiunt; unicam nivem ab hâc suâ universali beneficentiâ exclusam vult ille siderum Princeps; utpote quam dissolvit, suffocat, ac extremè persequitur. Unde nivi, ad Solis conspectum depictæ, inscribes. DECRESCIT, NON INCALESCIT. vel, DECRESCIT, QUO CÆTERA CRESCUNT. Genuina hæc ingrati animi idea est, qui cœlestium beneficiorum radiis copiosè excitatus, tantùm à perfectione comparandâ abest, ut potius ad deteriora ruat, mentemque dissolutam majoribus probris involvat. Hanc complurium miseriam non sine suspirio deplorat Salvianus, *Deus*, inquit, *nobis bona præstat, ut boni simus: nos è diverso, quoties bona accepimus, mala nostra cumulamus. Ille nos beneficiis suis vocat ad probitatem, nos ruimus in dissolutionem; &c.* — Ingratus. Salvianus l. 6. de vero Iudic.

204. Nivis frigus terræ coërcendæ deservit, ut in fructibus producendis ante præstitutum tempus nec quidquam luxuriare possit, sed omnes illos destinatæ messi maturos ac copiosos reservare debeat. Proinde campum, nive respersum, hoc lemmate ornavi. RIGORE FOECUNDAT. Ita prudens ac discreta corrigendi ratio immoderatis vitæ nostræ licentiis frenum injicit, & ad saluberrimos beatitatis æternæ fructus proferendos disponit. *Utinam Domine Jesu*, Divi Ambrosii preces sunt, *terram meam nivis istius candore respergas, ne præpropero calore vernantis corporis arva luxurient; sed potius fotu nivali semina verbi cœlestis pressa fœcundent.* Calamitates etiam occasionem opportunissimam ipsâ suâ mole afferunt, ut pietatis calorem, ac virtutum frugem longè uberrimam concipiamus. — Correctio discreta. S. Ambros. l. 7. in Luc. cap. 11. Calamitates utiles.

205. Tametsi nix, intra valles & campos dispersa, facili negotio dissolvatur; attamen supra montium cacumina ætatem ferre, ac diutissimè conservari assolet. Emblemati lemma, è Divino Psalte mutuum, subjunxi. IN ALTIS HABITAT. vel, CELSO LOCATA PERENNAT. Ita omninò puritas, castimonia, & innocentia potissimùm supra vitæ religiosæ fastigium collocari desiderant, quòd in orbe hoc infero, nullis non injuriis indies pervio, integritatem suam difficillimè sartam tectamque custodire possint. Petrus Bercorius. *Sicut nix in montibus plus quàm in vallibus perseverat, sic in contemplativis plus viget castitas, quàm in activis.* Et paulò post. *Nives sunt divitiæ & mundi prosperitates, quæ plus abundant in superbis & montosis, quàm in vallibus, id est humilibus virtuosis.* Unde — Psal. 112. 5. Innocentia. Pet. Bercor. Reduct. l. 1. c. 15. n. 1. Idem n. 7

S. Aug Lib. Medit. c. 37. de Magni Augustini ad Deum preces. *Tene mentem meam, ne ad ima tenebrosæ vallis corruat, & prohibeatur alta respicere. Tene cor meum manu tuâ, quia sine te ad altiora non rapitur.*

Calamitas utilis. S. Ambros. l 7. in Luc. c. 11. 206. Nix, campos & vineas cooperiens, epigraphen tenet. HINC MESSIS UBERIOR. S. Ambrosio id observatum. *Nix,inquit,cùm cadit, lætior solito tritici proventus exuberat.* Animus noster, ærumnis tantisper obrutus,ad plurimam sanctimoniæ frugem consequendam instruitur; rursus Verbi Divini fomentis, ceu candidâ ac fæcunda nive, contectus, miram operandi vim concipit. Expertus id Magnus Augustinus, *Percussisti*, inquit, *cor meum verbo tuo, & amavi te.* Et rursùs. *Ego vires parvas habeo, sed verbum Dei magnas habet; valeat in cordibus nostris.* Verbum Dei. S. Aug. l. 10. Conf. cap. 6. Idem lib. 50. Homil. hom. 29.

Peccator. Pœnitens. 207. Nivem, supra montes sparsam, ac solarium radiorum contactu mox dissolvendam, hoc lemmate notârunt. CITO DILABITUR. Bartholomæus Rossus hâc icone persuadet, hominum corda, quantumvis instar nivis algentia, primo gratiæ Divinæ aspectu commoveri, & pristinæ suæ teneritudini restitui. Unde alius eidem Emblemati subscripsit. COELESTI LANGUET. D. Paulus huic imagini firmamentum addidit, qui licet scelerum frigore ac odio versùs Christianos penè congelatus, mox tamen, ubi *circumfulsit eum lux de cœlo*, suavi quodam languore emolliebatur, *Domine*, inquiens, *quid me vis facere?* S. Petrus quoque, vix unico Solis Divini aspectu tactus, mox in tenerrimas lachrymas est solutus. De hoc S. P. Augustinus. *Petrum pollicentem & negantem, præsumentem & deficientem, viderunt tamen oculi tui, nam quòd exiit foras, & flevit amarè, fletus ille de respectione Dei fuit.* Hinc meus D. Gregorius Comaninus, Divini illius aspectus memor, vernaculâ linguâ canit. Act. 9. 6. Ibid. S. Aug. in Psal. 138. SS. Petri & Pauli conversio. Greg Coman Canzon X. Stanza 6.

Luci del mio Signor, luci giocondc,
Mirate orme così fiammanti, e belle,
Che strugendosi quelle
Nevi, che alcor fan verno, un doppio rio
Versi di picanto anch' io,
Anzi un diluvio, che l' antiche, e nove
Colpe sommerga, e me tutto rinove.

Vita humana. Prior Emblematis hujus epigraphe, *Citò dilabitur*, etiam caducam vitam nostram, instar nivis coram Sole transituram, commonstrat; ut probè observat Ovidius. Ovid. l. 1. Amor. Eleg. 8.

Labitur occultè, fallitque volubilis ætas,
Et celer admissis labitur annus equis.

Libido. 208. Nix, solis ardore soluta, epigraphen tenet. ARDORE LIQUESCO. Libidinis adeò immodicus est ardor, ut non animæ tantum, sed & corporis vires enervet, perdatque. Magno Augustino teste, *Concupiscentia mala quasi ardor est ignis: ignis consumit vestem, libido consumit animam.* Porrò Maria Magdalena, ad Christi Solis Divini, pedes provoluta, in lachrymas desiit, suoque inter suspiria nobilis cujusdam ingenii ore sequentes sensus expressit. S. Aug. in Psal. 57. Magdalena.

Nix ego, Sol Christus, radiorum ARDORE LIQUESCO:
Nil mirum ex oculis si fluat unda meis.

Castitas. Hugo Card in cap. 4. Thren. v. 7. 209. Nix, in candidos floccos decidua, lemmatis loco per prosopopoeiam de se ipsâ testatur. MIHI CANDOR AB ALTO. Ita quidquid sanctitatis, castimoniæ, aut gratiæ candore resplendet, nonnisi à supremâ & infinitâ Dei bonitate scaturire potest. Unde Hugo Cardinalis in illa Threnorum verba, *Candidiores Nazaræi ejus nive*, ait, *Nix comparatur castitati, vel per nivem castitas designatur; quia sicut nix ex alto descendit, sic nullus castus est, nisi dono speciali.* Sap. 8. 21. *Scivi quòd aliter non possum esse continens, nisi Deus det.* S. Augustinus. *Habes quod ames, pro mundi amoribus, imò pro immundis amoribus. Sed parùm est moveri, nisi impetres adjuvari. Est ergò à Deo patientia nostra contra dolores; & continentia, quæ necessaria est contra voluptates.* S. Aug. ser. 42. de Divers. cap. 2.

Conceptio immaculata Mariæ. 210. Ut Mariam Virginem ab ipso conceptionis suæ exordio penitùs illibatam commonstres; nivis congeriem, hoc lemmate distinctam, pinge. MEUS EST AB ORIGINE CANDOR. Ad hoc propositum Joannes Geometra. Io. Geomet. Hymn. 3.

Gaude concretum sublimi corpus olympo,
Et vitii nostri crimine Virgo cares.

S. Gregorius Thaumaturgus, Deiparam venerabundo ore affatus, *Tu sancta*, inquit, *omni humanâ naturâ gloriorsior ac purior, sanctiorque effecta es, ac nive quidem candidiorem habens mentem &c.* S. Gregor. Thaum. serm 2. An nunt.

Hypocrita. 211. E nive, veluti è speculo, fucatam hypocrytæ sanctimoniam discernere licet, utrique enim subscripseris. ALBA, SED FRIGIDA, vel certè, CUM FRIGORE CANDOR. Nam S. Petro Damiano Cardinale teste, *Hypocrita, qui se per sanctitatis adumbratæ figmentum transfigurat in Angelum lucis, nullis infervet æstibus charitatis, atque ad instar nivis, simul est ALBUS, ET FRIGIDUS.* In eandem sententiam S. Isidorus. *Nives*, inquit, *sunt homines, dilectione frigentes: qui, etsi existant candidi puritate Baptismatis, non fervent spiritu charitatis.* S Petr. Dam. l 6 Epist. 42. S Isid l de mundo c. 35

Puritas Divina. 212. Nivem, eximiæ puritatis ideam, hoc versu, ceu lemmate, insignies. AL MIO RISCONTRO OGNI BIANCHEZZA E VILE. Id est. SIC MIHI COLLATUM VILESCIT QUODLIBET ALBUM. Emblemati suffragatur S. Joannes Chrysostomus, de Divinis prærogativis disserens. *Sicut ad comparationem nivis & solis omne mundum sordidum videtur, & omne lucidum obscurum; ita quantùm ad comparationem Dei, qui solus singulariter est bonus, omnes mali videntur.* Eandem iconem etiam S. Joanni Baptistæ propriam facit; *si albam vestem*, inquit, *posueris juxtà nivem, incipit tibi sordida apparere, etsi verè sordida non est; tamen similitudine nivis sordida inveniuntur: sic quantum ad comparationem Joannis, omnis homo videbatur immundus.* S. Io. Chrysost. Hom. 1 Imperf. S. Joanne Baptista. Idem. Hom imperfect.

Providentia Divina. 213. D. Octavius Boldonus, Divinam providentiam significaturus, nivem pinxit, quæ, per campos sparsa, epigraphen tulit. OPPORTUNE FOECUNDAT. Testem habeto Prophetam Regium. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno.* Et Rursùs. *Omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore.* Id est, interprete S. Basilio, *Abs te omnia suo tempore, quæ necessaria sunt, reportant.* S. Ambros. eandem fœcundandi virtutem in verbo Divino animadvertens, *Verè*, inquit, *hic solus sermo nivibus comparandus, qui de cœlo missus in terras, jejuna nostrorum arva pectorum fœcundat.* Psal 144 1. Psal 103 2. S Basil. in hunc loc. Verbum Dei. S Ambros. l. 7 in Luc c. 11.

Eloquentia. 214. Eam esse eloquentiæ vim, ut rigentes etiam ac induratos hominum animos emollire queat; P. Octavius Boldonus nivis Emblemate demonstrat, quæ zephyro spirante resolvitur, fugamque è campis molitur. Epigraphen, DIFFUGERE, Horatius suppeditat. Horat. lib. Carm. Od.

Diffugêre nives, redeunt jam gramina campis.

Porrò purissimus nivis candor illustrem Justorum typum

Justi pertrrefacti. typum præfert; Unde Joannes Apocalypticus, sese vidisse testatur, sanctissimos homines ac Cœlites, viso Divini judicis, ceu Solis perspicacissimi, vultu, ingenti terrore perculsos aufugisse. *Vidi thronum magnum, candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra & cœlum, & locus non est inventus eis.* (Apoc. 20. 11.) Si demùm in nivis frigore calamitates humanas contemplari libeat, oportunè dixeris, ad unum Deiparæ Virginis (quam Deus Sole amictam voluit) obtutum, eas omnes evanescere, & irritas cadere. (Maria protectrix.) Fidem suam interponit S. Amedeus, de Virgine Matre differens. *Velut ardore Solis defluit glacies: sic ab ejus facie inimicorum deperit acies, eâque jubente nihil adversi subsistit.* (S. Amed. Hom. 8. de Laud. Virg.)

215. Nix, per campi planitiem sparsa, epigraphen tenet. SOLUTA FOECUNDAT. Hoc inter encomia sua numerari cumprimis studeat bonus Prædicator, ut discretâ & opportunâ suâ facundiâ auditorum mentes, veluti terras steriles, mirâ ubertate, fructibusque plurimis repleat. (Concionator.) S. Gregorius Papa. *Sicut nix terram, cùm jacet, operit, cùm verò liquatur, rigat: ita Sanctorum virtus per firmitatem suam apud Deum vitam peccatorum protegit, & per condescensionem suam, quasi liquefacta, arentem terram, ut fructus proferat, infundit.* (S. Greg. Pa. l. 27. Moral. cap. 14.)

216. Joannes Baptista Seccus, ad Comitis Lucretii Gambaræ exequias, Emblematis loco, nivem statuit, quæ liquefacta, campum irrigabat; cum lemmate. RIGAT LIQUESCENS. Innuebat videlicet, heroëm illum longè virtuosissimum, tametsi è mortis luctâ jamjam fatiscentem, adhuc tamen adstantium coronam sanissimis præceptionibus ac exemplis uberrimè locupletâsse. (Exemplũ morientium.) Idipsum tamen jure longè meliore de Christo patiente dixerim, cujus singulæ actiones, ipsaque adeò mors humanam gentem amplissimis virtutibus ac beneficiis fœcundârunt. (Christus patiens.) Pulchrè S. Ambrosius. *Fatigatur ex itinere Jesus, ut reficiat fatigatos; petit bibere, sitientibus potum spiritualem daturus; esurit, cibum salutis esurientibus traditurus; moritur, vivificaturus: sepelitur resurrecturus; tremulo pendet in ligno, confirmaturus trementes; &c.* (S. Ambros. l. de Fide c. 2.) Cæterùm emblemati explicando sequens epigramma subjunxit Seccus.

Ut nix per tepidas æstu delabitur undas,
Donat & interitu vivere prata suo:
Sic nostras moriens fœcundat Gambara mentes,
Et docet ad vitam nos inhiare novam.

217. Nivem ab aquâ vel in hoc etiam differre cernimus, quod hæc, instar crystallini speculi, diversos colores, ac obvias quasvis rerum confinium formas in se effingat; nix econtra, observante Francisco Paulino, OBJECTA NEC EXPRIMIT ORA; (Castitas modesta.) Nix enim recipiendis aliorum imaginibus penitùs ineptam se exhibet, neque candorem suum temerè violari patitur. Hominis illius hanc iconem propriam dixeris, cui ex æquo & vitæ castimonia & modestia obtigit: is quippe sive domi, sive in itinere, omninò decretum sanctumque habet, nec intra oculos, nec intra animam imagines illas admittere, quæ integritatis suæ candori labem vel minimam aspergere, eamque contaminare possent. Talem se Jobus Deo & orbi probavit: *Pepigi fœdus,* inquiens, *cum oculis meis, ut ne cogitem quidem de virgine.* (Iob. 31. 1.) Nimirùm, interprete P. Gaspare Sanctio. *Docet, adeò sibi castitatem, munditiem, atque candorem placuisse, ut non solùm oculos, qui in ipsius erant potestate, ab aspectu, sed etiam mentem à fœminarum cogitatione continuerit.* (P. Gasp. Sanct. in hunc loc.)

218. Geminum è nive beneficium recipimus: primò quidem exsuccam & arescentem terram fœcundo suo liquore irrigat; dein omnem terræ squalorẽ ac spurcitiem tegit. Unde lemma. RIGAT, ET OPERIT. Ita Justus obduratos aliorum animos bono suo exemplo rigat, eorumque vitia prudenti ac discretâ charitate coram aliis abscondit. (Justus.) Appositè S. Gregorius. *Sicut enim nix,* inquit, *terram, cùm jacet, OPERIT, cùm verò liquatur, RIGAT: ita Sanctorum virtus per firmitatem suam apud Deum vitam peccatorum protegit, & per condescensionem suam, quasi liquefacta, arentem terram, ut fructus proferat, infundit.* (S. Greg. l. 27 Moral. c. 14.)

219. E versutis mercatoribus nonnemo, cùm ob fidem creditoribus desertam, foro cedere, fortunisque omnibus exui juberetur, mox plurimùm alieni æris contraxit, sicque non tantùm nomen, sed & divitias, è conturbatione deperditas, cum insigni auctario, redemit. (Quæstus mali.) Hanc hominis vafritiem demonstraturus D. Joannes Baptista Mazzolenus, pro eruditi ingenii sui more, Emblematis loco, niveum globum depinxit, qui per montis præcipitium devolutus, è sociatâ nive in amplam molem excrevit. Epigraphen addidit. CUMULATA CADENDO. Idipsum etiam de prostituti pudoris muliere dixeris, quæ è frequenti libidinis, ac impudicitiæ lapsu magnam divitiarum vim congessit. Dedecus est, unicam olim meretricem è turpi corporis quæstu integram pyramidem maximis impensis in Ægypto erigi curâsse; aliam item iisdem sumptibus vasta Græcæ cujusdam civitatis mœnia extrui fecisse; adjuncto hoc dicterio; *Ex Græcorum intemperantiâ.* Cæterùm complures, dum in peccata ruere permittuntur, ex ipso suo lapsu cumulatam virtutis colligendæ occasionem capiunt. (Peccata interdum utilia.) Audacter Magnus Augustinus, *Audeo dicere,* inquit, *superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur. Quid enim prodest, cui inest continentia, si dominatur superbia?* (S. Aug. De verb. Dom. serm. 53. c. 9.)

220. Nix, intra angustas montium cavernas, veluti in tenuissimis porticubus videnda, à P. Gamberto hanc Claudiani gnomam lemmatis loco recepit. LATUISSE JUVAT. (Claud. 3. de Rapt. Proser.) Puritatis ac innocentiæ hoc schema est, quæ solitudinis & recessûs beneficio integræ persistunt. Inde fit, ut, quæ in sacris Litteris phrasi latinâ vocantur *Virgines;* idiomate Hebræo dicantur *Abscondita;* (Solitudo virginum.) prout è compluribus Geneseos, Isaiæ, & Canticorum locis testatum faciunt Interpretes; verissimè proin *latuisse juvat.* (Gen. 24. 16. Isaiæ 7. 14. Cant. 12.) Dicta confirmans S. Hieronymus, suam Eustochium his omninò verbis hortatur. *Semper te cubiculi tui secreta custodiant. Audies ab Sponso; Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus &c.* (S. Hieron. Ep. 22. ad Eustoch.)

221. Qui virum eximium, in ætate provecta ad Cardinalium purpuram sublevandum, augurari cupit; Emblematis loco nivem pingat, hoc lemmate insignem; VETUSTATE RUBESCET. (Vaticiniũ Cardinalatus.) Nam è Plinii, aliorumque sententiâ, *Nix vetustate rubescit.* (Plin. l. 11. c. 35.) Idipsum de Martyre sene dixeris, cujus cani tandem nobilissimâ proprii sanguinis purpurâ ornantur. Sic Eleazarus, *vir ætate provectus,* quòd Dei mandatum transgredi nollet, tyranni imperio interfectus est. (2. Mach. 6.) S. Aretas, nonaginta quinque annorum senex, jamjam capite plectendus, *Ego autem,* inquiebat, *sum beatus, non ob id præsertim, quòd in hac vitâ in bonâ fui existimatione; sed quia in profunda senectute subeo martyrium, & tam magnam, & populo tam frequentem civitatem, & totam regionis ipsius gentem Deo offero; qui etiam mei perpetuam conservabit memoriam, summas illi gratias agentes;* uti prolixè refert Surius. (Sur. 24. Octob.)

222. Nix, per montem Æthnam dispersa, quantumvis igni vicina, nihil tamẽ exindè damni sustinet; utpotè ARCANO DEFENSA GELU. Ita Virgineo

Virginitas constans. neo D. Thomæ Aquinatis candori penitus nihil decessit, quantumlibet à Tartareis lasciviæ lupæ flammis acerrimè infestaretur. Eandem nivis Æthneæ resistentiam etiam in obduratis ac rebellibus peccatorum animis experimur; E S. Gregorii doctrinâ, *Quid aliud nive vel grandine, nisi frigida ac dura intelligenda sunt corda pravorum? Sicut enim fervore charitas, sic solet in sacro eloquio frigore malitia designari.* S. Greg. l. 29 Moral. c. 21.

223. Lucius Florus, quærens, cur ii, qui alpes incolunt, in primo conflictu strenuè ferociterque hostem aggrediantur; pugnâ verò paulatim incalescente, spiritum remittant, & languescant animis? respondet, *Alpina corpora, humenti cœlo educata, habent quidquam simile cum nivibus, quæ mox, ut caluêre pugnâ, statim in sudorem eunt, & levi motu, quasi sole, laxantur.* Unde nivem, è vicino sole mollescentem, hoc lemmate afficies. MOLLESCIT AB IGNE. Ita homo, ardore venereo tactus, mox effœminatur, & masculus ejus animus in mollitiem, ignaviamque degenerat muliebrem: quantociùs enim enervant, ut primùm irruerint, libidinis flammæ. Olim invicti extitêre Milesii, qui delitiis, luxuque diffluentes, brevi totius roboris jacturâ fecêre. Immoderata carnis petulantia, importuna illa lues, ardorque perniciosissimus, totam sub vertit Pentapolim. Senecâ teste, *Una Hannibalem hyberna solverunt: & indomitum illum nivibus atque alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniæ, Armis vicit, vitiis victus est.* Præclarè S. Augustinus. *Unde turpe est, ut, quem non vincit homo, vincat libido.* Luc. Flor lib. 2. cap. 4. Libido effœminat. Senec. Epist. 51. S Aug. Epist. 205. Tom. 2.

G R A N D O.

Caput XIV.

224. Calamitas generosè superata. CAlamitatis, brevi finiendæ, imaginem grando repræsentat, quæ vix tecto allisa, mox rumpitur dissilitque. Unde Bargalii inscriptio. ILLIDIT, AT DISSILIT. Cæterùm grandinem contrario robore adeò veloci diffringi, nulla alia est causa, nisi tecti durities. Eodem planè modo ærumna, adversùs robustum hominis magnanimi pectus impulsa, mox repercutitur, irritoque conatu cadit. Justus Lipsius. *Ut grando, tectis magno strepitu ILLISA, ipsa tamen DISSILIT: sic clades in firmum animum si accidant, franguntur, non frangunt.* Et prior illo Seneca, de adversâ fortunâ disserens, *Ejus tela,* inquit, *quibus genus humanum debellatur, grandinis more dissultant; quæ incussa tectis, sine ullo habitatoris incommodo crepitat, ac solvitur.* Lips. l. 2. de Const. cap. 19. Senec. Epist. 45.

225. Grando, ex Aristotelis, aliorumque Meteorologorum doctrinâ, vaporatio est calidissima, quæ Solis virtute ad mediam aëris regionem, naturâ suâ intensè frigidam, elevata, ibique adverso frigore concreta ac conglaciata, tandem agmine facto non sine impetu in terram ruit. Unde Paulinus cadenti grandini subscripsit. EX CALORE GELU. Idem iis usuvenit, qui è frequentatâ hominum frigescentium societate mentem suam igneam paulò post in algentem ac conglaciatam, dolendâ metamorphosi, transformari sentiunt. Damno suo id didicit S. Petrus Apostolus; cùm enim inter Pontificis famulitium moras traheret, adcò in Servatoris sui obsequiis obriguit, ut tertiâ vice illum perfidè negare non erubuerit; &, quod mireris, homo paulò ante totus igneus, repentino motu in glaciem sit mutatus. Nimirum, asserente S. Hieronymo, *Proclivis est malorum imitatio, & quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia.* Providè S. Gregorius Nazianzenus. Mala societas noxia. S Hieronym Epist. 7. S. Greg Naz. in Tetrastich

Si frequens sis cum malis, eris malus:
Ne munus unquam sumas de manu mali:
Veniam suorum nam petit sic criminum.

Et Seneca. *Sumuntur à conversantibus mores. Et ut quædam in contractos corporis vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit, &c.* Seneca l. de. Ira.

G L A C I E S.

Cap. XV.

226. Solitudo VItæ nostræ conservandæ aptissimam occasionem à solitudine subministrari, Lucarinus è glaciei emblemate persuadere nititur, quæ in hypogæo supra paleas asservari solita, epigraphen tenet. NE LIQUESCAT. Ab hoc sensu non multùm alienus est Petrus Bercorius: *Per nivem,* inquit, *Potest intelligi timor Dei, qui scilicet candorem innocentiæ secum portat. Iste igitur optimè custoditur, si in paleâ, id est, in humilitate & consideratione nostræ vilis fragilitatis, sub terrâ, id est, sub memoriâ nostræ mortis & terreitatis, sagaciter teneatur.* Nihil proinde hominem in solidâ virtute adeò servat, atque crebra mortis imminentis memoria, animusquè indies intra tumuli sui profundum descendens. Pulchrè S. P. Augustinus. *Nihil sic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Emblema non dissimile, glaciem, scilicet in furfure reconditam, Academici Furfurarii circumferunt; cum lemmate. IN LEI M' ATTEMPO. Id est, SERVOR IN IPSO. Pet. Berc. Reduct. l. cap. 25. n. Mortis considератio ut S. Aug. de Gen cont. Manich. l. 2. cap. 28

F U L G U R.

Caput. XVI.

227. FUlgura tonitruum sunt prodromi. Illis enim coruscantibus, hæc cum immani fragore è vestigio subsequuntur. Unde fulguri, inter atras nubes divaganti, inscripsi. TONITRUA PARAT. Ita sanè terrenæ prosperitates æterni excidii sunt prognostica. Opportunissimè S. Bernardinus Senensis. *Sicut fulgur tonitrua parat, ita prosperitas supplicia sempiterna prænuntiat.* Felicitas mundan. S. Bern. Senens. in feria s. post Dom. 2. Quadr. art 3. cap.

228 Terrenæ prosperitates ac dignitatum fastigia aptissimam sui effigiem in fulgure expressam habent; quippe quod inter nubes resplendens, authore Abbate Certano, epigraphen reddit. BRIEVE SPLENDOR, CHE IN APPARIR SPARISCE. Id est, PERIT, DUM FULGURAT. Regius Propheta hujus periculum fecerat; *vidi,* inquit, *impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat; & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Hoc vatis Divini testimonium Jacobus Billius sequenti epigrammate explicat. Felicitas mundan. Psal. 36. Iacob. Billius Antholog. sacr. lib.

Vidi ego, qui lætis rerum successibus utens
Tollebat tumidum stultus ad astra caput.
Immemor atque Dei prorsus, rebusq; secundis
Ebrius æthereas dispiciebat opes.
O lævas hominum mentes, ô pectora cæca,
Quam nihil est magni, quidquid hic orbis habet!
Vix ego transieram, cùm protinus ora retorquens,
Cum fastu hunc vidi jam periisse suo.

Ad hæc, S. Lucâ teste, Dæmon Servatori nostro monstravit *omnia regna orbis terræ in momento temporis*; & quidem, interprete Ambrosio, *benè in momento*; Luc. 4. S Ambros. hunc lo.

in momento; non enim tam conspectûs celeritas indicatur, quàm caduca fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa præpereunt, & sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit. S. Joannes Chrysostomus. *Archidæmon*, inquit, *in puncto cuncta regna mundi coëgit, & gloriam eorum, & cum omnibus visus est, ut cum omnibus evanesceret.* Celerem hunc transitum etiam in mundi venustate deprehendens S. Gregorius Nazianzenus, ait, *Pulchritudo brevis, atque fulgetro similis.* Coronidis loco, Abbas Grillus momentaneam vitæ humanæ fugam eodem penè sensu describit.

Chrys. Psal. 2. — Pulchritudo. — Greg. Naz. act. de vita itineris. — Ab. Grillus ne suoi affetti p.1.v. il t.

E questa vita un lampo,
Ch'al apparir dispare,
In questo mortal campo,
Che se miri il passato,
E già morto; il futuro ancor non nato;
Il presente partito
Non bene anco apparito,
Ahi lampo fuggitivo, e si n'alletta,
E dopo il lampo, pour vien la saetta.

FULMEN.
Cap. XVII.

Calamitates.

229. Regulæ loco circumfertur, calamitatibus nostris à fulmine superveniente finem imponendum significari; vicissim verò ab eodem, si rebus secundis interveniat, gravissimas miserias portendi. Hinc D. Jovius fulmini inscripsit. EXPIABIT, AUT OBRUET. Hanc cum fulmine analogiam in ærumnis, à Deo immissis, experimur; quippe quæ justos ab omni feciore labe expurgat, amplioreque gloriæ incremento afficiunt; sceleratis econtra abolitis, ac miserrimè destructis. Hujus exemplum è rubo ignito capias licet, qui Israëlis populo libertatem, Ægyptiis contra ruinam est vaticinatus. Id quod etiam in maris Erytræi transitu constare voluit Deus; *Etenim*, teste S. Augustino, *ad hos ambos populos*, Hebræos scilicet & Ægyptios; *Deus mare rubrum divisit, ubi eorum alteri totius pressuræ finis, initium alteri cunctæ felicitatis fuit.*

Aug. l. 4 de mirabil. c. 19

Christus Judex.

230. P. Vincentius Gilibertus in fulminis Emblemate Divinam vindictam, olim è tribunali extremo detonandam, contemplatus; epigraphen addidit. ET OBRUET, ET OBSTRUET. Enimverò postremâ Dei sententiâ, adversus reprobos decretâ, mox terræ ac inferorum viscera tremendo hiatu diffungentur, eosque, omni cœlestis amœnitatis videndæ solatio æternùm præciso, intra horrores nunquam terminandos sepelient. Abulensis, *Divinâ potentiâ aperietur terra, fietque usque ad Orcum hiatus magnus, per quem ibunt. Postea claudetur.* Id quod etiam Regius Vates de damnatis, sub Dathanis typo, asserit. *Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron.*

Abulens. in Matth. 25. q. 521. Psal. 105: 17

Invidia.

231. Quò celsiores in virtute gradus conscendisti, eò acerbiores experière adversas invidorum linguas. E lemmate, fulminibus inscripto, id discas velim. FERIUNT SUMMOS. Vel ut aliis placet. SUMMA PETIT. Opportunè Ovidius.

Ovid. l. 5. de remed.

Summa petit livor, perflant altissima venti,
Summa petunt dextrâ fulmina missa Jovis.

S. Cyprianus, *Acrius*, inquit, *divitibus, quàm pauperibus invidetur, & non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva latronum. Plus Duces & Principes, quàm milites ab hostibus appetuntur in pugna, & violentius propulsantur ventis & turbinibus culmina quæcunque sunt altiora. Ita magis magisque, quò plus cæteris unusquisque potest, sciat esse sibi metuendum, ne aliquo minoretur.* In hanc ipsam sententiam Seneca.

Cypria. de singularit. cleric.

Senec in Agamemn. act. 1.

---- ---- ---- Feriunt celsos
Fulmina colles: corpora morbis
Majora patent &c.

Eò reflectens Jacobus Gaddus, libri sui frontem hoc distícho animavit.

Invidiæ trepidant solùm excellentia fulmen,
I liber, invidiæ fulmine liber eris.

Cæterùm eodem symbolo aptè innues, superbos, eosque omnes, qui dignitatum aut gloriæ fastigia occupant, supplicii Divini fulmine longè acerbissimo esse feriendos. Superbi puniti.

232. D. Jovius in præcedentis lemmatis locum; *Feriunt summos*; substituit: HUMILIORA MINUS. Verissimè enim, conditio minus elevata, minus etiam periculi sustinet. Paupertas secura.

Senec Hippolyt. act. 3.

Minus parvos fortuna ferit.

Et Magnus Augustinus. *In humilitate est fortitudo, nolite timere superbos. Humiles tanquam petra sunt. Petra deorsum videtur, sed solida est. Superbi quid, quasi fumus; & si alti sunt, evanescunt.* Torquatus Tassus Dialogi more senem pastorem, Erminiæ colloquentem, introducit; ubi, cùm hæc miraretur, qui ille in regione, tot bellis infestâ, posset quietus vivere, respondit Pastor.

S. Aug: in Psal. 92. — Torquat. Tass. Gerusalemme liberata. Canto 7. st. 9

O sia gratia del Ciel, che l'humiltade
D'innocente pastor salvi, e sublime:
O che, si come il folgore non cade
In Basso pian, ma sù l'eccelse come:
Così il furor di peregrine spade
Sol de gran Rè l'altere teste opprime:
Ne gli avidi soldati à preda alletta
La nostra pouertà vile, e negletta.

Et meus Concanonicus, D. Gregorius Comaninus. Greg. Coman ne i suoi Affetti l. 1. c. 1.

Antica selua, in cima a Pelio, & Ossa
Più forte scossa da contrary fiati
Diventi irati, che giù in valli, ò in campi,
Cinto di lampi il fulgor cieco, e torto,
Da rabbia scorto, le sassose fronti
Vrta de i monti, e tocca il pian di rado.

Huic affinis Jacobus Gaddus, inter cæteras Odas canit.

Emissa cœlo vindice montium
Culmen superbum spicula verberant,
Ferire quæ parcunt penates
Agricolarum, humilesque valles.
Sunt ima tuta &c.

Denique Fulvius Testi in quodam Poëseos suæ ludo non sine ingenio canit. Fulv. Testi nella 3 parte delle sue poesis.

Ben dal ciel forza di fulmini
De le torri attera is culmini,
Esfrondate,
Lacerate;
Suol lasciar alpine toueri;
Ma di Gioue irata destra
Se tonò
Non toccò
Basso mirto umil ginestra,
E di canne in vil ricoueri,
Stan sicuri i pastor poueri.

Miles generosus.

233. Generosus militis animus vires suas eò amplius exerit, quò acerbius provocatur; haud secùs, atque fulmen, densas perfringens nubes, Bargalio authore, MICAT ARDENTIUS. nimirum antiperistasin illam innuit, cujus beneficio fulmina tantò vehementius inflammantur, quantò in media aëris regione ab obsidente vaporum frigore arctius constringuntur. Idipsum clarius expressit P. Carolus Bovius, dum fulmini, inter nubes vagabundo, inscripsit. INTER FRIGIDA FERVET. S. Ignatii Loyolæ hoc ectypon erat, qui stagno congelato immersus, amplissimas charitatis flammas versus proximum excitavit. Certè amor Divinus *Inter frigida fervet, & micat ardentius*, ibi potissimum, quando homines in Divinis obsequiis penitùs obriguêre. *Ego te offendebam*, inquit, non sine gemitu D. Augustinus, *& tu me defendebas. Ego te non timebam, & tu me custodiebas; à te recedebam, & inimico meo me exhibebam; tu ipsum, ne me acciperet, deterrebas &c.*

S. Ignatius Loyola. Charitas Divina. *S. Aug. in soliloq.*

234. Virgilius author est, terram fulminis ictu nunquam perfringi, nisi simul altissimo fragore hemisphærium concutiente.

Virgil. l. 8. Æneid.

Namque improviso vibratus ab æthere fulgor,
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repentè.

Unde fulmini apposite inscribes. CUM SONITU VENIT. Dei hæc imago est, cujus vindicta, fulminis symbolo exprimi solita (*Si acuero ut fulgur gladium meum,*) dum jam ad plagam, delinquentibus infligendam, est accincta, prodromi vice horrendas minas circumquaque spargit, ut vel sic miseros à proposito revocet. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum tetendit, & paravit illum.* Et, *Dominus in tempestate, & turbine viæ ejus.* S. Augustinus, *Non ergò Deus iram adducit per singulos dies, id est, non per singulos dies ad vindictam congregat ministros suos. Nunc enim patientia Dei ad pœnitentiam invitat; ultimo verò tempore, cùm homines propter duritiam suam & cor impœnitens, thesaurizaverint sibi iram in die iræ, gladium suum vibrabit.*

Deut. 32. 41. Deus præmonitos punit. *Psal. 7. 13. Nahum 1. 3. S. Aug. in Psal. 7. v. 12.*

235. B. Andreas Avellinus, vitæ suæ periodum clausurus, versiculum illum pronuntiavit. *Introibo ad altare Dei.* Unde ad ipsius exequias fulgur, è nubibus vibratum, pinxêre; cum lemmate. DEFICIENS RESONAT. Servator noster animam Divino Patri reddidit, *clamans voce magnâ*; vel, ut D. Paulus refert, *cum clamore valido: Clamabat enim*, interprete Origene, *ut significaret, se confidenter, & securè mori, cum certâ spe resurrectionis & gloriæ, tertio die a Patre sibi dandæ, ac suis fidelibus in eum credituris.*

Psal. 42. 4. Mors Christi. *Luc. 23. 46. & Matt. 27. 50. Hebr. 1. 7. Origen. in hunc loc.*

236. Fulmen hoc lemmate distinctum cernitur. TONITRUI VELOCIOR ICTUS. D. Joannem Mediceum, militem generosissimum, hoc Emblema spectabat, qui factis quàm verbis validior, tantâ celeritate hostem feriebat, quantâ alii nec minas in adversam partem spargerent. Eidem symbolo P. Aloysius Juglaris aliam, nobilem sanè ac eruditam epigraphen subjunxit. PRÆMISIT DAMNA TIMORI. Celerem promptumque hominis animum innuens, qualem præclara Victorii Amedei, Sabaudiæ Ducis, facinora in expeditionibus militaribus nunquam non prodiderunt. Sunt econtrà, qui cassa identidem tonitrua spargunt, & pugnam vel ingredi metuunt, vel si ingrediantur, nihil adversus hostem audent. *Hi sunt*, inquit Petrus Blesensis, *quorum testimonio laudari audis in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias, cùm sint in prætoriis leones, in præliis lepores.*

Miles velox. Miles jactabundus & ignavus. *Pet. Bles. in Ep. 94.*

237. S. Jacobum Apostolum, qui salutiferam fidem ad ultimas usque Hispanias promovit, D. Aresius fulminis Emblemate honoravit; additis Evangelistæ Matthæi verbis. USQUE IN OCCIDENTEM PARET. Apposite sanè! ipse enim Christus D. Jacobo nomen indidit, *Boanerges*, quod ad verbum *Tonitrui filius*, vertas. Cæterùm hæc imago genuinam intellectûs humani ideam refert, qui velocitate cuivis fulmini præstat. Verè Lipsius. *Animus momento omnia pervadit, syderibus velocior, cogitatione velocior, temporibus velocior.*

S. Jacobus Major. *Marc. 3. 17.* Intellectus. *Lips. l. 3. Phisiolog. dissert. 19.*

238. Alcibiades Lucarinus magni nominis, ac formidandi roboris militem, fulminis emblemate describit; cum lemmate. EX FRAGORE FERIT. Hoc elogio Georgius Castriottus insignis extitit, cujus sola fama Turcas adeò perculit, ut, tametsi 15000. equitum totam Antigoniæ viciniam infestarent, ubi tamen aliquot turmarum eruptionem inde conspexerant, rati ipsummet Georgium inter eas numerari, mox ingenti horrore concussi, fugam versus alpes accelerârint; spoliis etiam, quæ propè Chalcedonem fecerant, ibidem relictis; cùm tamen Castriottus interea temporis lethali morbo decumbens, nunquam civitate exierit; uti refert Petrus Matthæus in vita Ludovici XI. Porrò Dæmones, solo Christi nomine percepto, passim ex energumenis in fugam agebantur; adeò ut gloriabundi accurrerent discipuli; *Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Et. *in nomine meo dæmonia eijcient.* Unde exclamat S. Bern. *O nomen benedictum! O oleum usquequaque effusum! quousque? de cœlo usque in Judæam, & inde in omnem terram, adeò ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* S. Justinus Martyr refert, Christianos suo tempore energumenis, solâ invocatione nominis Jesu, libertatem impetrâsse.

Miles formidandus. *Pet. Matth. in vita Ludovici XI. vol. 1 l. 4. Luc 10. 17 Marc. 16. 17.* Nomen Jesu dæmones pellit. *S. Bernard. serm. 15. in Cantic. S. Iustin. Apolog. 1. pro Christianis ante finem.*

239. Mortuo Ranutio I. Parmensium Duce, fulmini inscriptum. ALTA DURAQUE CONTERIT. Nimirum eximiam Principis tam in superandis arduis negotiis prudentiam, quàm in castigandâ sceleratorum contumaciâ justitiam significabant. Id quod inter præcipua Principis munia numerat S. Paulus; *Non enim sine causâ, gladium portat. Non enim*, interprete S. Petro Damiano, *ad hoc præcingeris gladio, ut violentorum mala debeas palpare, & ungere, sed ut ea studeas vibrati mucronis ictibus obtruncare.*

Prudentia & justitia. *Rom. 13. 4. S. Pet. Dam. Opusc. 57. c.*

240. Eodem argumento, ad finem tamen diversum, usus Andreas Salvator; ut demonstraret, Principem quemdam à nobili fœminâ pro libitu omnia obtinuisse, fulmini inscripsit. OGNI DUR ROMPE, ED OGNI ALTEZZA INCHINA. Id est. ALTA, DURAQUE DOMAT. Otho Venius eandem vim ac potentiam in amore esse testatur.

Amoris vis. *Venius in Emblem. Amatoriis.*

Defendit Parthi celeres lorica sagittas,
Ferreus umbo aciem ferri inhibere valet.
At nihil à telis pharetrati munit amoris;
Quem ferit hic volucri cuspide, transadigit.

Justus Lipsius hanc symboli mentē alio argumento accommodans, ait, *Reges ut fulmina sunt; dura frangunt, mollibus plerumque illæsis.*

Regum potentia. *Lips. Centur. 1. ep. 4.*

241. E Principis majestate aliquid timoris ac reverentiæ in subditos derivari, Fulminis Emblema docet; à Lucarino hâc gnomâ discriminatum. TERRET, UNDE FULGET. Ea ipsa, ni fallor, S. Ecclesiæ mens est, dum de Christo judice loquens, illum hâc antonomasiâ dignoscendum proponit, *Rex tremendæ majestatis.* Sciscitatus Dionysius Cartusianus, quænam virtus milites in Olivarum horto, ubi Christum

Majestas Principis. Christus Judex. *Dionys. Carthus. 48 in Luc.*

ftum adoriebantur, tantoperè proftraverit? refpondet, *Chriftus vultum fuum oftendit Judæis in terrore & majeftate, egredientibus ex oculis ejus igneis radiis, atque Divino quodam fulgore in eis mirabiliter radiante, & apparatu fui vultûs illos exterruit & proftravit.* De Ferdinando II. Imperatore in hæc verba fcribit Lamormainus. *Factum aliquando, ut eos ipfos, quos humanitate ad loquendum invitabat, majeftate faceret elingues*; idq; amplius confirmans, fubjungit, *Tartarorum Regis legatum in confpectu Cæfaris pofitum, obmutuiffe; interrogatum deinde ab interprete, quid ita hæfiffet fuaviffimo coram Principe? refpondiffe, Fulgore fe fuiffe victum, quo Cæfaris Majeftas emicabat.*

Lamorm. c. 22.

Gratia Dei.

242. Nemo non Divinâ gratiâ illuminatur, quamvis eam non omnes fortiantur efficacem. Id quod Lucarinus Emblemate demonftraturus, fulmini infcripfit. ILLUMINAT, NON FERIT UBIQUE. Scitè S. Auguftinus. *Multi audiunt verbum veritatis; fed alii credunt, alii contradicunt; volunt ergò ifti, nolunt autem illi: quis hoc ignorat? fed cùm aliis præparetur voluntas, aliis non præparetur, difcernendum eft, quid veniat de mifericordia, quid de judicio.*

S. Auguft. de Prædeft SS. c. 6.

Virtus & Sanctitas.

243. Virtus & vitæ fanctimonia ægrè fefe abfcondi patiuntur, ut quibus proprium eft, fplendorem fuum quaquaverfum diffundere; haud fecus, atque Fulmen, effractis nubibus, flammas fuas verfus omne latus fpargit. Emblemati hanc è D. Matthæo gnomam fubjunges. NON POTEST ABSCONDI. *Virtus enim,* inquit S. Joannes Chryfoftomus, *ubique lucet, & inexpugnabilis eft, nihil eam impedire poteft, non divitiæ, non paupertas, non principatus, non fubjectio, non rerum præfidentia & adminiftratio, non morbi, non ignominia, fed his omnibus in terra relictis, ad cœlum ipfa pertingit.* Laconicè Seneca.

Matth. 5. 14. S. Io. Chryf. Serm. 11. in Ep. ad Philip.

Veritas nunquam latet.

Senec. in Troade act. 3.

Supplicia.

244. Supplicium, five à Deo in peccatores, five à bono Principe in fceleftos vibratum imitatur, quod è nubibus erumpens, infcriptionem reddit. L'OFFESA A POCHI, ED IL TERRORE A MOLTI. Id eft, DUM PAUCOS LÆDIT, MULTOS TERRET. Seneca. *Ut fulmina,* inquit, *paucorum periculo cadunt, omnium metu; fic animadverfiones magnarum poteftatum terrent latiùs, quàm nocent.* Et S. Cyprianus. *Plectuntur interim quidam, ut cæteri corrigantur; exemplo funt omnium, tormenta paucorum.* Horatius.

Senec. l. 1. de Clem. cap. 8. S. Cyprian. Serm. 5. de Lapfis. Horat. li. 1. Ser. Satyr. 4.

--- ---- *Avidos vicinum funus ut ægros*
Exanimat, mortifque metu fibi parcere cogit:
Sic teneros animos aliena opprobria fæpè
Abfterrent vitiis.

Quibus affinis Juftus Lipfius, *Sicut,* ait, *cùm fulmen in unum aliquem cecidit, etiam ii, qui in proximo ftabant, tremuerunt: fic in magnis, communibufque cladibus damnum ad paucos pervenit, metus ad omnes.* Colophonem jungit Ovidius.

Lipf. l. de Clem. c. 9. Ovid. de Pont. Eleg. 2. lib. 3.

Cùm feriant unum, non unum fulmina terrent,
Junctaque percuffo turba pavere folet.

Ira Divina

245. Vindicta Divina longè clariffimè in fulminis Emblemate dignofci poteft; cui hanc infcriptionem præfixi. NULLA VIS CONTRA. Fulminis violentiam fequenti difticho exprimit Ovidius.

Nil adeò validum eft (adamas licet alliget illud)
Ut maneat rapido firmius igne Jovis.

Ovid. li 4. Trift. Eleg. 7.

Enimverò fulmen aptiffimum eft iræ Divinæ inftrumentum, tefte ipfomet Deo. *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea; reddam ultionem hoftibus meis.* Et quidem ea Dei vindicta adeò eft valida, ut Jobus afferveret, *Deus, cujus iræ nemo refiftere poteft.* Pulchrè S. Auguftinus, *Non eft quò fugias à Deo irato, nifi ad Deum placatum &c.* Seneca eodem fymbolo iracundiæ muliebris ferociam exhibet.

Deut 32. 41. Iob. 13. S. Aug. in Pf. 74.

Iracundia fœminæ.

Senec. in Trag. Medea act. 3.

Nulla vis flammæ, tumidiq́ue venti,
Tanta nec teli metuenda torti,
Quanta, cùm conjux viduata tædis,
Ardet & odit.

Detractor

246. Fulmen nunquam non focias habet ardentes flammas. Unde lemma. LUCENS FERIT. Certè, Detractoribus folenne eft encomiis vaferrimas quafdam invectivas mifcere, ficque alterius famam fplendido ictu configere. Quod fi vertendo calamum, eidem fulmini infcribas, DUM FERIT, ILLUMINAT, Deum fignificabis, qui nunquam in fuos hoftes animadvertit, quin eofdem fimul ad fua obfequia fuaviffimè alliciat. Vati Divino id credes. *In luce fagittarum tuarum ibunt*; nam interprete S. Hieronymo, *Jacula Dei, id eft, fagittæ euntes, atque pergentes, non ad hoc mittuntur, ut interimant, fed ut illuminent.* Hujus periculum fecêre Centurio, mulier Chananæa, Saulus, aliique innumeri; qui paralyfis, cœcitatis, aliarumque ægritudinum fulminibus tacti, interiorem hominem confervârunt illuftrem ac fplendidum.

Deus punit & illuminat. Habac. 3. 11. S Hieron. in hunc loc.

Pugiles.

247. Fulmini eruditè infcribes. DOVE NON MINACCIO, FERIR SI VEDE. Id eft, UBI NON COLLIMAT, ILLIDIT. Milites feu pugiles peritos hoc Emblema repræfentat. Torquatus Taffus de Tancredo & Argante, monomachis, differens; eos in hæc verba defcribit.

Taffus nella Conquiftata l. 7. ft. 63.

Quefto è quel con molt' arte à colpi motte
La deftra, a guardi l'occhio, a paffi il pinde:
Si rocca in atti vari; e n'guardie noue.
Hor gira intorno, hor crefce inanzi hor cede:
Hor quì ferir accenna; e pofcia altroue
Doue non minacciò ferir fi vede &c.

Celeritas enim plurimùm in rebus agendis poteft, ut adeò pauciffimos, in bello præfertim, reperias, qui cunctando reftituant rem. Nam, Magno Auguftino tefte. *Omnia ferventiora velociora, omnia frigidiora tardiora.*

Celeritas. S. Aug. in Pf. 147.

Animus generofus.

248. Marchionem Sforziam Brivium, Equitem Mediolanenfem, virum præclaris animi dotibus cumulatè inftructum, fulminis Emblemate repræfentârunt, quod tranfitum à nubibus præclufum, inmani violentiâ inveftigat, eafque tandem perfringit, ac foras erumpit; cum lemmate. OBLUCTATUM VALIDIUS. Magnanimi pectoris hæc lineamenta funt; quod, quantò violentiùs impetitur, tantò majore robore invalefcit, donec tandem è proftrato hofte palmam referat. Porrò genuina charitas, quo pluribus infeftatur hoftibus, eò vires fortitur ampliores. S. Auguftinus. *Sectamini charitatem, dulce ac falubre vinculum mentium fine qua dives pauper eft, & cum qua pauper dives eft. Hæc in adverfitatibus tolerat, in profperitatibus temperat, in duris paffionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutiffima, in hofpitalitate latiffima, inter veros fratres lætiffima, inter falfos patientiffima.*

Charitas. S Aug ferm. 29. de Temp.

249. Antiquitati perfuafum erat, fulmina, è finiftro cœli latere vibrata, fortunatum afferre nuntium, certumque effe felicitatis fecuturæ prodromum. De his Plinius, *Læva profpera exiftimantur.* Huc reflectens Raulinus, fulmini cadenti infcripfit. BONO FERT

Plin l. 8. c. 54.

Supplicium utile. FERT OMINE MORTEM. Ita supplicia, à Principe in sceleratos lata, reis quidem vitæ jacturam, toti verò Reipublicæ plurimùm felicitatis ac commodi afferunt. Porrò mortis fulmina, è lævâ reproborum ac tyrannorum parte in sanctos Martyres SS. Martyres. sparsa, summam æternæ beatitatis gloriam præsagiunt. Nimirum, *Novit Deus etiam de ipsis diaboli persecutionibus coronas suscitare Martyribus, utens benè omni genere malorum ad utilitatem bonorum*; uti, more suo, pulchrè dicit Magnus Augustinus. *S. Aug. l. 4. contra Iul. cap. 7.*

250. Excelsos montes, ac turrium fastigia crebro admodùm fulmine percuti, ideò contingit, quod istud errabundo furore per sublimiorem aëris partem divagari solitum, in varia loca impellatur, & obsistentia quatiat. Unde Raulino authore, fulmini subscribes. ERRANS PETIT ALTA. Heroem illum hæc imago deplorat, qui ætate etiamnum juvenili, prosapiâ nobili, & crebrâ animi dote illustris, immaturâ morte prostratus est; enim verò lapsus adeò dolendus non abs re incauto Parcarum fulmini exprobratur, utpote adversus vitam, perenni vitâ dignissimam, evibrato. Porrò is ipse errantis fortunæ lusus est, quæ summos dignitatum apices plerumque sternit, illæsis humilioribus. S. P. Augustinus. *In terrenis solatiis magis desolatio quàm consolatio reperitur. Divitiæ quippe, atque fastigia dignitatum, quibus se felices putant esse mortales, nihil afferunt consolationis, cùm sit eis indigere, quàm eminere præstantius.* Mors virtuosi. Fortuna inconstans. *S. Aug. epist. 121. c. 2.*

251. Fulminis symbolo epigraphen, è Seneca desumptam, præfixi. NON PATIENS MORÆ. P. Dominicus Gambertus generosum magnanimi militis animum hac icone depingit, qui, ruptis induciis, pleno ardore in hostium phalanges, instar fulminis, non sine illorum clade irruit. Gratia Divina omnis moræ adeò est impatiens, ut nobis juvandis nec momento differatur. S. P. Augustinus. *Veniet Redemptor meus, quia bonus est; nec tardabit, quia pius est.* *Senec. in Thyeste Act. 3. Choro 1.* Miles generosus. Gratia Dei. *S. Aug. lib. Medit. c. 41.*

252. Fulmen, in ardentem focum incidens, eum extinguit. Emblemati subscripsit Aresius. COMPESCIT IGNIBUS IGNES. Nempe amoris divini ignis omnes lascivi Cupidinis ignes delet. S. P. Augustinus. *Duo sunt amores, mundi & Dei. Si mundi amor habitet, non est, quà intret amor Dei; recedat amor mundi, & habitet Dei.* Amor Dei. *S. Aug. Tract. 2. in ep. Ioan.*

253. Plinio teste, nullum animal, nisi exanimatum, fulmine accenditur. lemma. URITUR EXANIME TANTUM. Ita flamma infernalis nonnisi homines, in peccato mortuos, exurit. S. P. Augustinus. *Impiis, & omnibus malis gehennæ ignes ardentes, & æternas flammas minatus est Deus. Compara hæc duo, mortem ad momentum, & pœnas in æternum. Times mortem ad momentum? veniet etsi nolis: time pœnas in æternum; non venient, si nolueris, si elegeris hìc benè vivere, in æternas pœnas non mitteris. Quia verò eligere non potes hìc ne moriaris, elige, cùm vivis, ne in æternum moriaris.* *Plin. l. 2. c. 4.* Infernus. *S. Aug. serm. 36. de diversis.*

IRIS. *Cap. XVIII.*

254. IRis Bargalio vocatur SERENITATIS NUNCIA. Verbum Divinum, humanâ carne vestitum, Iridem amœnissimam dixeris, quæ vindictæ Paternæ tempestatem certis limitibus circumscripsit, orbemque gratissimo pacis nuntio beavit. *Quia quemadmodum arcus cœlestis*, asserente Ambrosio Ansberto, *Divini fœderis pignus tunc apparet, cùm radiis Solis umbrifera fuerit nubes illustrata; ita cùm Patris verbum, quod candor est lucis æternæ & Sol justitiæ humanam suscipiendo naturam irradiavit, ipsa humanitatis susceptio, reconciliatio facta est mundi.* Incarnatio Verbi. *Amb. Ansb. in c. 4 Apoc.*

255. Catharina Medicea, Henrici II. Galliarum Regis Conjux, sibimet Emblematis loco Iridem, præfigi voluit, hoc lemmate insignem. LUCE APPORTO, E BONACCIA. Id est. CUM LUCE SERENUM. Vel, ut aliis placet. SERENITATEM AFFERT. Encomium, certè, regiâ indole dignum! cui omninò sanctùm sit, suos subditos non bellorum, aliarumve calamitatum squalore, sed pacis ac tranquillitatis luce afficere. Æliano teste, *Philippus ad Alexandrum aliquando dixit, ad gloriam incumbe; verùm eâ conditione, ne sis pestis vel magnus aliquis morbus, sed pax & sanitas.* Princeps benignus. *Ælian. var. hist. l. 14. c. 1*

256. Ad Iridis exortum venti detumescunt, nubes dissipantur, cœloque obscuro frons serena redit. Unde Valerius Flaccus. *Val. Flaccus l. 1. Argon.*

Emicuit reserata dies, cœlumque resolvit
Arcus, & in summos redierunt nubila montes. *Claud. l. 1. de Rap. Proserp.*

Eò collineans Carolus Rancatus Iridem in cœlo nubilo supra mare tempestuosum depinxit, cum lemmate è Claudiano desumpto. REDEUNT IN CLAUSTRA PROCELLÆ. Ita nimirum bellorum tempestates pacis universalis beneficio sedantur Ita etiam promiscuus Ordo, & assidua civitatis aut familiæ inquies, solâ præsentis unius personæ authoritate nonnunquam ad exoptatam tranquillitatem componitur. Hujus experimentum præbent Athenienses, qui, referente Thucidide Historiographo, immani furore concitati, *& discurrentes per urbem, atque ad arma corripienda præcipites*, à Thucidide Pharsalio iterum ad pristinas leges sunt persuasi: Ad unius etiam Periclis præsentiam, si Aristidi fides, tumultuans vulgus conquievit. Cicero author est, M. Popilium Consulem inter seditiosas turbas medium, cùm authoritate tum eloquentiâ eas composuisse. Quin imò, ipsum etiam mare fluctuans, unde sancti Apostoli altùm nec sine discrimine jactabantur, Christo comparente serenitatem induit. *Cedit enim*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, *omnis perturbatio, cunctaque pericula desinunt, cùm Christus adsit.* Bellorum finis. Præsentia Magnatū. *Thucid. l. 8.* *Aristid. in Platonicâ* *Cicero in Brut.* Præsentia Dei. *S. Cyrill. Alex. l. 3. in Io. c. 23.*

257. Patres Carmeli Mediolanensis ad S. Joannem, cui à Conchâ nomen, ut illud S. Andreæ Corsini factum exhiberent, quo domesticas Bononiensium turbas, jubente Urbano V. composuerat; Iridis imaginem depinxêre, quæ tempestatem, infernè tumultuantem, reprimens, epigraphen monstravit. COMPRIMIT IRAS. In hanc rem Pindarus. Placare. *Pindar. Od. 8. Nemea.*

Potentior vir sedat præcedentem litem. *Persius sat*

Et Persius.

Ergò ubi commotâ fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus.

Porrò optima pacis ac tranquillitatis parens est sancta Fides, quæ non patitur humanas mentes ullis agitari discordiis; unde olim, *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* S. P. Augustinus. *In corde Christiano tranquillitas erit & pax, sed quamdiu vigilat fides nostra.* S. Fides. *Act. 4. 32.* *S. Aug. in Psal. 93.*

258. Eximia equidem, & ad miraculum, venusta est Iridis species; ad hoc tamen solius naturæ artificium, nulla artis aut industriæ humanæ operatio accessit. Unde Gambertus illam hoc Ovidii lemmate ornavit. NULLUS AB ARTE DECOR. Principem illum hæc imago refert, qui prosapiæ aut animi splen- *Ovid. 1. Fa* Perfectiones naturales.

splendorem minimè emendicatum, sed ab ipsâ naturæ munificentiâ liberaliter sibi concessum ostentat. Eodem Emblemate fœmina significatur, quæ formam, solius naturæ beneficio exquisitam, non verò cerussâ aut stybio fucatam præfert. Certè Beatissimam Virginem *pulcherrimam* fuisse *inter filias hominum*, testatur Albertus Magnus; eamque Richardus noster Victorinus ter pulchram vocat, *pulchram facie, pulchram mente, pulchram corpore*: quæ tamen ab omni exteriori vestium ornatu adeò abhorruit, ut Author operis imperfecti in illa D. Matthæi verba, *Invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus*, dicat, *Invenerunt matrem ejus vix unam tunicam habentem, non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem, qualem habere poterat uxor carpentarii.* Et S. Vincentius Ferrerius, *B. Virgo non curabat de ornamentis.*

259. Eodem Gamberto observatum est, omnem colorum ac elegantiæ pompam, ab Iride superbè ostentari solitam, merum esse oculorum ludibrium, & caduca formæ apparentis pigmenta. Epigraphen ex Horatio subdidit. SPLENDIDE MENDAX. Talis omninò magnifica illa ingenii ludentis varietas, quæ in Francisci I. Mutinæ Ducis, ludis Trojanis, cæterisque bellorum simulachris, spectantium oculos mire in se rapit. Poësis quoque pulcherrimis inventis, ac integrâ figmentorum panopliâ insignem se exhibet. Lactantius Firmianus ait, *Poëtas, quæ verè gesta sunt, in aliquas species obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa traduxisse, & mendaciũ non in factis, sed in nominibus admisisse.*

270. Physici testantur, plantas, sub Iride collocatas, gemino, odoris & fœcunditatis beneficio locupletari. Unde P. Gambertus versicolori huic arcui, supra plantas quasdam conspicuo, inscriptionem è Martiali subjunxit. COMMENDAT GRATIA DUPLEX. Ita bonus Princeps, Iridem imitatus, meliora subditorum ingenia & honoribus, & gratiis exornet. Certè Maria Virgo è Divinâ voluntate, cui nunquam non subditam se probavit, simul & odorem & fæcunditatem retulit. Et quidem odore fragravit adeò suavi, ut de illâ sponsus fateatur, *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Odor nimirum olens omnia Divina, omnia honesta, omnia religiosa, omnia Ecclesiastica, omnia in Deum relata*; uti interpretatur Justinus Miechoviensis. Fœcunditate verò excellit adeò mirâ, ut attonitus exclamet Magnus Augustinus. *Virginum sponsus attulit matri fœcunditatem, sed non abstulit integritatem.*

261. Mira illa lucis varietas, unde Iris resplendet, nonnisi è radiis solaribus componitur, qui in nubem roridam & opacam sparsi, indeque versus solem repercussi cernuntur. Epigraphen Emblemati subjunxi. MUTUATA LUCE. Innuit videlicet, lucem è sanctorum quorundam, ut Mosis, S. Stephani Protomartyris, Philippi Nerei, Ignatii Loyolæ, Andreæ Avellini, aliorumque vultu promicantem, à solo claritatis Divinæ reflexu scaturire. *Natura quippe præclarissima atque pulcherrima*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, *Deus est; iis porrò, qui circa ipsum, aut propè ipsum sunt, suæ naturalis claritatis consortium impartitur, ut lumen, cùm ad objectum aliquod corpus appulsum reflectitur, & suo splendore, quidquid objectum est, illuminat.*

262. Philippus IV. Hispaniarum Rex, annum ætatis suæ quinquagesimum excesserat, regio hærede etiamnum orbus: ea tamen paulò post Divinæ providentiæ fuit bonitas, ut illius senectutem Serenissimis Philippi Prosperi natalibus bearet. Cùm verò hæc Regii Infantis incunabula, tantoperè desiderata, tristibus admodum, ac plurimâ bellorum tempestate horridis temporibus intervenissent; idcircò inter reliqua genethliaca vota ac superbos, Mediolani festivè erectos Emblematum tholos, Princeps, recens natus, sub Iridis schemate expressus cernebatur; addito lemmate. INTER NUBILA GRATIOR. Tanto enim effusiore gaudio omnes gestiebant, quanto gravioribus ærumnis suavissimus ille Principis ortus sese interposuerat. In hanc rem multùm analogiæ affert illud Simoni, Pontifici Maximo, olim erectum encomium, *Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi arcus refulgens inter nebulas &c.* Porrò homo, ut divinis oculis gratiorem se probet, inter calamitatum nubila exerceatur, necesse est. S. Augustinus. *Cùm cœperit homo Christianus cogitare proficere, incipit pati linguas adversantium. Quicunque illas nondum passus est, nondum proficit: quicunque illas non patitur, nec conatur proficere.*

263. Adulatores ac Politicos, qui omnes suas actiones ad Principis genium, Protheo versatiliores, effingere nôrunt; Iridis Emblemate describes, addito epigrammate. IN DIVERSI COLORI AL SOL SI TINGE. Id est. VARIOS SUB SOLE COLORES. Adulatorum mores graphicè describens Magnus Augustinus. *Loqui dolum*, inquit, *est aliud labiis promere, cùm aliud claudatur in pectore. Ad hoc maximè adulatorum exarsit negotium, qui penè semper, ne prohibeantur ab opimis mensis, blandiendo non tacent falsum, ne ab his prohibeantur, si amando Deum dixerint verum.* Emblematis argumentum subministrabat sequens vernaculum Tassi poëma.

Così piuma tal' hor che di gentile,
Amorosa colomba il collo cinge
Mai non si mostra à se stessa simile,
Mà n' diversi colori al sol si tinge.

264. Iris, sub nubilo ac pluvio cœlo in orbem contorta, à Poëtis dicitur. *Risus plorantis Olympi.* Unde illam, inter nubes conspicuam, hoc lemmate ornabis. TEMPERAT TRISTIA RISU. Prudentis ac discreti Principis hæc idea est, qui subditos, laborum pondere nonnihil fatigatos, diversis belli simulachris, Trojæ decursionibus, Dramatis, choreumatis, aliisque animi oblectamentis erigit. Horatii consilium est.

Lætus in præsens animus: quod ultra est
Oderit curare: & amara læto
Temperet risu.

Tum demum fletus noster risu temperabitur, quando ex hâc lachrymarum valle ad æternam beatitatem migrare licebit. Pulchrè S. Augustinus. *Duo sibi tempora ordine suo succedunt, tempus flendi, & tempus ridendi. Scio quod omnis homo gaudere desiderat: sed non toti ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri. Verum gaudium in hoc mundo nec fuit, nec est, nec esse poterit.*

265. D. Aresius Iridi inscripsit. SPECIES EXHILARAT. Lemmate è sacris litteris mutuato; *Species mulieris exhilarat faciem viri sui.* Ita omninò Mariæ Virginis amœnissima species Divinam mentem suavissimâ voluptate perfundere, illamque, vindictæ motibus paulò antè formidandam, mirè mansuetam efficere novit; quod Deiparæ encomium his verbis proponit Cardinalis Ailgrinus. *Species quidem mulieris virum potentem humiliat, severum & austerum emollit: virginis autem speciem sic concupivit Dominus, & ipsa ejus desiderium ita superduxit,*

[Left margin notes:] ...riæ V. ...tes. | ...bertus M. ...p Dion. ...aud. Virg. l. c. 34. Ri...ard. Vict. ...6 in Cant. ...th Op. ...p. in cap. Matth. | ...Vinc. Ferr. ...m in Vi... Nativ. | ...rat. lib. 3. ...de 11. | ...oësis. | ...ct. Firm. ...l. c. 11. & | ...artial. l. ... Epig. 33. | ...rinceps ...neficus. | ... Virgo ...dorifera ...fœcunda. | ...ant. 1. 41. | ...st. Miech. ...per Lyran. ...ur discurs 2. | Aug. de ...mb. l. 3. c. 4 | ...ncti ...lendidi. | Cyrill. A... ...c. de ador. 6.

[Right margin notes:] Natalis Principis. | Eccles. 50. 6. | Calamitates utiles. | S. Aug. in Psal 119. in Præfat. | Adulator. | S. Aug. l. 50. Homil. hom. 1. c. 3. | Tass. nella Conquist. l. 13. st. 21. | Calamitas solatiis levatur. | Horat. l 2. Ode 16. | Beatitudo | S. Aug. serm. 46. de Sanct. | Ecclesiast. 36 24. | Pulchritudo Mariæ. Corol Ailgrin. in c. 4. Cantic.

duxit, id est, ad tantum excessum perduxit, ut ad nostram infirmitatem humiliatus sit omnipotens, & qui est vita viventium, emollitus sit ad mortem. Serena quoque Principis facies subditorum animos mirificè recreat. Salomon id testatur. *In hilaritate vultûs Regis*, seu ut textus Hebræus legit, *in luce*, vel ut Septuaginta vertunt, *in lumine vultûs Regis vita.* Encomium istud Claudianus Stiliconi tribuit.

Princeps benignus. *Prov. 16. 15.* *Claud. in Stilic.*

Non sic virginibus flores, non frugibus imbres;
Prospera non fessis optantur flamina nautis;
Ut tuus aspectus populo.

Guerric. Abb. serm. 3. in Dom. Palm. Idipsum de Christo affirmans Guerricus Abbas, eum in hæc verba alloquitur. *De vultu tuo candor lucis æternæ radiat. Vultus sicut in tristibus, sic in lætis, sibi modestus, serenus, ac totus arcano lumine cordis floridus, justis hilaris, & jucundus, pœnitentibus clemens & pius &c.*

266. Ibi demùm Iridis effigies à solis vultu exprimitur, quando hic radiorum suorum penicillo roridam nubium telam coloribus obduxerit. Unde lemma, ADVERSO SOLE, è Virgilio mutuatum. *Virg. Æn. 5.*

Mille trahit varios ADVERSO SOLE colores.

Præsentia Dei. Præsentia Divina, vivum Iridis ectypon, animam humanam, caligine ac peccatorum sordibus miserè coopertam, virtutum coloribus splendidè perpingit. Incarnatio Incarnatum quoque Dei Verbum eâ Iridis icone significatur; natura enim humana cum hypostasis Divinæ præsentiâ, nexu prorsus admirando concreta, ineffabilem, omnique mortalium fide longè majorem splendorem contraxit. *Corn. à Lap. in Gen. 9. 13.* Cornelius à Lapide, *Iris*, inquit, *est Verbum incarnatum & carne velatum; quia sicut sol in nube irradians facit iridem, ita Verbum in carne irradians, facit Christum. Imò quævis natura, sive humana, sive Angelica, omnem suum splendorem ac excellentiam soli Deo acceptam habere debet.* Bona omnia à Deo. *S. Aug. l. 83. quæst. q. 68.* Augustinus. *Nulla est natura, quæ non Deo debeat id quod est; quia Deo debetur omne decus & pulchritudo, & congruentia partium.*

267. Nonnemo Iridi subscripsit. VARIE PULCHRIOR. Et alius. VARIETATE JUCUNDA. Pulchritudo M. V- Hanc Iridis prærogativam in Virgine Deiparâ illustrem cernere licet, ut quæ, Divino Psalte teste, est *Psal. 44. 10.* *circumdata varietate.* Unde illam Joannes Geometra in hæc verba salutat. *Io. Geomet. hymn. 3.*

Salve versicolor cœlum: iridis instar amœnas
Virtutum formas, florigerasque ferens.

S. Ecclesia. *S. Aug. serm. 2?. de Temp.* Idipsum de S. Ecclesiâ pronuntiat Magnus Augustinus, *Ecclesia*, inquit, *est regina illa de quâ ad Dominum dicitur; Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, id est, diversarum circumdata pretiosa decore virtutum.*

268. Iris, supra nubem roridam & cavam apparens, Meteorologis indubium cœli serenioris prognosticon affert. Unde lemma. UNDA SERENAT. vel, AB IMBRE SERENUM. Lachrymæ Ita è lachrymarum imbre tranquillam conscientiam, & æternam beatitatem tibi polliceri poteris. Christi testimonium est, *Luc. 6. 21.* *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* S. Basilius illud *S. Basil hom. 7. in Psal. 29.* Psalmi interpretatus, *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*, ait, *Quicunque dies sæculi hujus in consummatione jam existentis, & ad occasum tendentis in plorandis peccatis exegerit, sic demum vere illo matutino* (beatitudine) *adveniente gaudebit.*

169. Eidem Iridis Emblemati alius inscripserat. TRAHIT ROSCIDA LUCEM. Ita Maria Virgo, gratiâ & Spiritu sancto plena, serenissimam totius Universi lucem intra sinum suum traxit. Maria annunciata. Magdalenam quoque hæc imago adumbrat, quæ in lachrymarum rorem conversa, mox Divinam claritate illustris resplenduit. S. Magdalena. Hugo Cardinalis, *Arcus*, inquit, *fit ex repercussione radiorum solis in nube aquosâ. Nubes fuit Magdalena, peccatorum scilicet multitudine obscura. Aquosa fuit, quando lachrymis pedes Domini lavit. Radiis solis fuit repercussa, id est, gratiâ Dei respersa, & sic factus est arcus.* *Hug. Car. in Gen. 9. 13.*

270. Ferunt, Iridem ad Occidentis partes omnium pulcherrimè resplendere. Unde illam in Nobilis Personæ obitu depinxêre, hoc lemmate insignem. Mors Martyrum CLARIOR AB OCCASU. Certè sancti Martyres, tametsi vitâ illustres, splendorem tamen longè illustriorem è mortis suæ occasu sunt assecuti. In hunc sensum David, *Qui exaltas me de portis mortis*; *Psal. 9. 15.* ubi S. Joannes Chrysostomus acutè observat, *Non dixit, qui liberas, sed qui exaltas. Non enim in eorum malis tantùm solvendis subsistit Dei beneficium: sed facit eas etiam admirabiles, insignes, & clariores.* *S. Chrysost. in hunc l.*

271. In encomium Victorii Amedei, Sabaudiæ Ducis, qui se ob diversas bellorum pacificationes, inter summos Orbis Christiani Principes stabilitas, illustrem probavit, P. Aloysius Juglaris Iridem depinxit; addito lemmate. CLARIOR PRÆEUNTE PROCELLA. Persecutiones. Militis hoc ectypon est, qui post bellorum tempestates clarissima ab hoste devicto trophæa figit, omniumque applausum sibi conciliat. Id quod Breviarium Romanum de S. Hilario his omninò verbis testatum facit, *Hilarium, è prælio hæreticorum revertentem, Gallicarum Ecclesia complexa est.* Breviar. Roman. Et de S. Joanne Chrysostomo; *Eijcitur in exilium, sed paulò post admirabili civitatis plausu ab exilio revocatur.* Ibidem.

272. Arcus cœlestis, tametsi primariâ colorum triade sit depictus, eos tamen decore adeò ordinato inter se constructos habet, ut unus alterius venustati nec minimùm dispendii afferat. Unde lemma. NULLUS ALTERO POTIOR. Deus Trinus. Porrò licet iris tribus omninò coloribus discriminetur, hi ipsi tamen arcum duntaxat unicum constituunt. Epigraphen Lucarinus addidit. ET UNUM SUNT. vel, CON TRE LUMI IN UN LUME. Id est, UNO LUMINE TRINUS. Ex hoc symbolo, citra Oedipum, Deus dignoscitur, in quo & Personarum Triadem, & naturæ unitatem venerabundâ Fide amplectimur. Ad propositum Torquatus Tassus. *Tassus Conquist. l. 1. st. 58.*

Contre lumi in un lume Iddio risplende.

Et Gratianus. *Gratian Granata. Cant. 19. st. 37.*

Vede ne l' infinita eterna essenza
Del profondo splendor trè chiari giri,
Son distinti frà lor con evidenza,
E pure un sosa appar, come fà l' Iri.

Profundè, ut solet Magnus Augustinus, *Totus Pater in filio, & Spiritu sancto est: totus Filius in Patre & Spirito sancto est: totus quoque Spiritus sanctus in Patre est & Filio. Nullus eorum extra quemlibet ipsorum est, quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.* *S. Aug. de de ad Petr. l. 1. c. 1.* Et Venantius Fortunatus. *Ven Fort. l. 3. v. 173.*

Est Deus, alta fides, unus tribus, & tribus unus,
Personis propriis stat tribus, unus apex.
Nã Pater, & genitus, quoq; sanctus spiritus idẽ:
Sic tribus est unum jus, opus, ordo, thronus.

Qui Sanctissimam Trinitatem prolixiore discursu

cum

[...]il. Mag [...]ist. 43. ad [...]eg. Nyss. cum Iride comparatam desideraverit, Magni Basilii Epistolam, ad Gregorium Nyssenum scriptam, consulat; ubi argumentum istud exactè prosequitur.

[...]oncep[...] B.V. 276. Lucarinus Mariam Virginem, sine labe originariâ conceptam, Iridis imagine expressit, quæ suprà obscuras nubes generari solita, epigraphen monstrabat. EX NIGRA, SED PURA. Illa enim, quantumvis è carne peccatrice efformata, à primævo tamen vitæ suæ momento omnis nævi expers, ac integerrima perstitit. *O beatos Joachim lumbos*, exclamat S. Joannes Damascenus, *ex quibus prorsùs immaculatum semen effluxit! O præclaram Annæ vulvam, in quâ tacitis incrementis ex eâ actus atque formatus fuit fœtus sanctissimus.* [...]o. Damasc. [...]at. 1. de [...]t. B. V.

277. Iris, nonnunquam noctu efformari solita, nullo alio nisi candido calore spectabilem se exhibet; estque opportunissimum innocentiæ ac puritatis integerrimæ symbolum. Unde epigraphen præfert. SOLO CANDORE. Deiparam Virginem hoc ornamento illustrem observat S. Hieronymus, ubi illa Sacri Epithalamii verba interpretatus, *Veni de Libano Sponsa*, ait, *Non immeritò venire de Libano jubetur, quia Libanus candidatio interpretatur; erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & dealbatâ nive candidior.* [...]uritas [...]. V. [...]Hieron. in [...]nt. 4. 8.

278. Arcum cœlestem, à solaribus radiis in cœlo nubilo descriptum, & rursùs ex eorum reflexu intra maris aquas expressum, ad frontem mei Libri, cui à Luminibus reflexis nomen, præfixi; addito lemmate. UNUS, ET MULTIPLEX. Verbis è Salomone mutuatis; *Est enim in illâ spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex.* Nimirum significare volebam, eandem sapientiæ Divinæ lucem non tantùm in Prophetis & Apostolis, veluti in hominibus cœlestibus, resplendere; sed insuper, multiplicatis radiis, etiam ad infimas profanorum sapientûm aquas nonnihil luminis reflectere; ut adeò multi, tam sacri quàm profani Doctores, eâdem tantùm sapientiæ Divinæ luce refulgeant. Id quod veluti explicans S. Paulus, ait, *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus &c.* Et, *Omnia autem hæc operatur unus atque idem spiritus, dividens propria unicuique prout vult. Dividens ergò*, inquit Magnus Augustinus, *non ipse divisus, quia ipse unus atque idem.* [...]p. 7. 22. [...]apientia [...]ei indi[...]sa. [...]Cor. 12. [...]Aug. Epist.

279. Mariam Virginem, Filio Divino gravidam, Lucarinus Iridi non absimilem dixit, quæ Emblematis loco hanc gnomã præferat. CIRCUMDAT IMMENSUM. Huic iisdem penè verbis facẽ præivisse videtur S. Petrus Damianus, ubi ait, *Immensum concepit, æternum genuit, genitũ ante sæcula parturivit.* [...]. V. gra[...]da. [...]et. Dam. [...]m. 3. de [...]t. Virg.

280. Idem Lucarinus Verbum Divinum, è Patris æterni fœcunditate genitum, significaturus, geminã Iridem depinxit, quarum una alteram complexa, epigraphen ferebat, INTERIORIS REFLEXU. Plerumq; enim geminum arcum cernimus, quorum exterior nonnisi è reflexo interioris lumine nascitur. Certè S. Ecclesia Verbum Divinum modò vocat: *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*; modò familiari apostrophe ad illud, ait, *Lux de luce apparuisti hodie*; modò eidem encomii loco acclamat. [...]eneratio [...]erbi Di[...]ni.

Consors paterni luminis, &
Splendor paternæ gloriæ.

281. Iris, à Sole suprà nubem pluviam delineata, epigraphen tenet. MEDIIS PAX FULGET IN ARMIS. Ita misericordia Divina, genuinum Iridis prototypon, suam de pace ac felicitate tribuendã fidem etiam inter medias mortis ac diluvii procellas statuit S. Hieron. *Arcus* inquit, *signum est clementiæ & testamenti Dei, quod fecit cum hominibus, ut quando apparuerit in nube, sciamus nos, secundum antiquitatis exemplũ, nequaquàm perituros esse diluvio, &c.* Alius eidẽ Iridis Emblemati subscripserat, DABIT FINEM; Opportunè Mariam V. innuens, quæ, instar arcus verè triumphalis, ad omnia pacis ac plenissimæ felicitatis incremẽta nos promovere studet. Tenerrimè, ut solet, suavissimus Matris Divinæ pullus, S. Bernard. *Hæc*, inquit, *in omnibus, & per omnia providens, trepidationem nostram solatur, fidẽ excitat, spem roborat, diffidentiã abigit, erigit pusillanimitatem.* Constantinus Magnus, ceu Iris pacifica, truculentas illas persecutionum tempestates, quibus orbis Christianus acerrimè jactabatur, felicissimè composuit, suæque Christianos tranquillitati restituit. Nicolaus Caussinus eruditè in rem præsentem canit. [...]isceri[...]rdia [...]ei. [...]ieron. in [...]. Exec. Intercessio M. V. S. Bernard. serm in Nat. M. V. Nic. Causs. in Tragœd. Felicitas Act. 1. scen.

Veniet inclytum terris caput
Principes pudici mite præsidium chori,
Qui Christianis ritè perfusus sacris,
Græci furoris franget indomitas faces,
Totamque gremio colliget Christi domum.
Sic post feroces Africi ingentis minas,
Post nigra cœli prælia, & nimbos graves
Diffusa longis brachia extendit plagis
Pictos honores illigans Iris polo.

282. Ad D. Caroli apotheosin, Iris in Solis conspectu depicta cernebatur, cum lemmate. TE RADIANTE MICAT. Significabant nimirùm, cùm Patrum Oblatorum Congregationem, Mediolani ad S. Sepulchrum à D. Carolo institutam; tum omnem Mediolanensium civitatem, plurimùm ornamenti ac splendoris à Magno illo orbis Thaumaturgo participare. Tantundem ergò virium ad nos illuminandos habet vel unicus homo, virtutibus ac meritis illustris. Porrò cùm Verbi Divini lumen humano generi illuxisset, mox omnes dissipari tenebræ, & clarissimo sanctæ fidei radio mortales omnes illustrari cœperunt. S. Augustinus. *Non lumen nos sumus, quod illuminat omnem hominem: sed illuminamur à te; ut, qui fuimus aliquando tenebræ, simus lux in te.* Id quod cumprimis de Divina gratiâ intelligi potest; hâc enim in nobis radiante, non possumus non omni virtutum ornatu resplendere. Congregatio. Verbum Incarnatum. S. Aug. lib. 9 Confess. c. 4. Gratia Dei.

283. Ii, qui inter cœli phasmata oculis suspensi inambulant, omninò exploratum habent, à fucata ac nonnisi apparente Iridis venustate visum nostrũ dexterè circumveniri, &, veluti genuinis coloribus picta esset, persuaderi. De mendaci hâc Iridis formâ philosophatus Seneca, *Non est*, inquit, *propria in ista nube substantia, nec copus, sed mendacium, & sine re similitudo.* Hinc scitè eidẽ inscribes. FICTA, NON FACTA. vel, MENDACIO CONSTAT. Hypocritas hæc imago repræsentat, qui nullo alio sanctimoniæ assequendæ studio flagrant, nisi ut ex aliorũ sententiâ illam consecuti dicantur. Cygnis fucatam hanc hominum farinam similem dixeris, qui extimã plumarum speciem argento obductam monstrant, interiore carne atram fœdamq; formam nutriente: prolixis ii quidem sermonum ac precum ambagibus suos erga Deum affectus, & tenerrimæ pietatis sensa aliis persuadere conantur; sed re penitiùs exploratâ, illorum virtutem nonnisi scenicam & adulterinam deprehendes, ut quæ, instar Iridis, res eximiæ ostentat, nullas tamen possidet; estq; SPECIOSE MENDAX, & *ficta non facta.* De his S. Laurentius Justinianus, *Hominum genus*, inquit, *qui sub imagine sanctitatem fingunt, sepulchris deauratis, dealbatis parietibus, nubibus sine aqua, infructuosis arboribus, cæcis errantibus, exclusis à regno, & à proprio conditore ignotis assimilati sunt isti. Nam aliud ostentant in facie, aliudque gerunt in corde: fingunt quod non sunt, atque à semetipsis delusi, cæteros fallere arbitrantur.* Senec. 1 Nat. Quæst cap 6. Hypocrita. S Laur Iust. l. de Humil. cap. 15.

284. Iridis materies, è nube roscidâ conflata, à majori-

majoribus nostris dicta fuit, *Risus plorantis olympi.* Unde D. Petrus Cassina occasionem sumpsit, candẽ hoc epigrammate exornandi. IN FACCIA AL MIO BEL SOL M' E' RISO IL PLANTO. id est, *Solis ad aspectum format mea lacryma risum.* Innuebat videlicet, personæ amatæ præsentiâ amaritiem omnem in suavissima mella converti. Plautus asseverat, è solo amore omnem animi nostri suavitatem ac lætitiam scaturire, adeò ut nec labor præsente illo sentiatur.

Præsentia amici. *Plautus in Cassina.*

Neque salsum prorsus, neque suave esse potest quicquam, ubi Amor
Non admiscetur. Vel quod est amarum id dulce faciet:
Hominem ex tristi lepidum & lenem.

S. Aug. tract. 48. in Ioan. Et S. P. Augustinus. *Non recusatur labor, si adest amor, quoniam qui amat, non laborat.*

S. Catharina M. 285. In encomium S. Catharinæ Virginis & Martyris, Iridis Emblema statuêre, cum dicto. NON COLOR UNUS. In illa enim, veluti in Iride spirituali, alborem virginitatis, purpuram martyrii, & prasinum sapientiæ, non sine mistura prodigio, cernere erat. Idipsum de B. Virgine Maria intelligas velim, quæ, Psalmistâ teste, fuit *circumdata varietate*, id est, interprete Justino Miechoviensi, *virtutum, gratiarum, meritorum, ac donorum multiplicitate.* Nec tamen incongruè eodem Emblemate volubilis humani ingenii inconstantia significatur. Ex Ovidii sententia:

Maria V. *Psal 44. 10.* *Iust. Miech. super Lytan. To 1 discurs. 342. n. 3.* Mutabilitas humana. *Ovid. l. 1. de Arte.*

Pectoribus mores tot sunt, quot in ore figuræ.

286. Academicus inter Philopponos Pistorienses Opportunus, Iridi inscripsit. SI FUERINT NUBILA; Verum amicum significabat, qui auxiliarem ac beneficam suam dexteram potissimùm inter calamitatum imbres quæritanti porrigit. In hunc sensum Seneca. *Amicum paro, ut habeam, pro quo mori possim; ut habeam, quem in exilium sequar, cujus me morti impendam, imò & superimpendam.*

Verus amicus. *Senec Ep 9.*

287. Meteorologis compertum est, sphæram tantò vastiorem ab Iride describi, quo sublimiore gradu Sol intra eandem resplendet. Eam ob rem Celebris quidam miles Iridi inscripsit. A MAGNO MAXIMA. Veluti diceret, militares suas expeditiones tantò fore celebriores ac magis generosas, quantò sublimior esset Princeps, sub cujus signis mereretur. Porrò in cœlis beatitudinẽ tantò ampliorẽ possidebimus, quò sublimior extiterit nostra charitas. S. Augustinus in illud D. Pauli, *Stella à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum*; ait, *Videtis quia promissa est sanctorum corporibus claritas, & diversæ species claritatis, quia diversa sunt merita charitatis.*

Minister Magnatũ. Beatitudo. *1. Cor. 15 41. S Aug serm. 143. de Temp. c. 8.*

288. Arcus cælestis, Soli è regione adversus, epigraphen præfert. EX ADVERSO DECOR OMNIS. P. Sigismundus Laurentius hanc iconem D. Paulo propriam existimat, qui totum nominis ac virtutum suarum splendorem uni gratiæ bonitatiq; Divinæ acceptam referre debet. Testem habeto ipsummet Apostolum; *Gloriamur*, inquit, *in Christo Iesu, & non in carne*, Nosque instruens, ait, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*: quippe, interprete S. Bernardo, *Noverat Apostolus, gloriam propriam esse Creatoris, non creaturæ.* S. P. Augustinus. *Nihil es per te. Tua peccata sunt; merita Dei sunt. Supplicium tibi debetur: & cùm præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua.*

Gloria à Deo provenit. *Philipp 3. 3. 1. Cor 1 3. S. Bernard. in hunc loc. S. Aug. in Ps. 70. Conc. 2.*

289. Arcui cœlesti inscripsit P. Jacobus Masenius. NIHIL ISTE MINATUR. Mariæ Virginis ceu Iridis venustissimæ, hæc idea est, è qua nonnisi viscera materna, & benevolentiam suavissimam expectare licet; ut adeò à D. Bonaventura pro meritis cognominetur, *Arcus fœderis Divini & reconciliationis nobiscum.* Emblemati explicando sequens distichum accipe:

Maria V. benevola. *S. Bonav Laudibus B. V. num.*

Virgo nites vacuo, qualis Thaumantias, arcu;
Ille caret telis, tuque furore cares.

COMETA.

Caput XIX.

290. Immani terrore hominum corda è viginti cometarum aspectu percellebantur, qui olim in cœlo conspicui, ceu totidem ignitæ linguæ, ex inopinato nonnisi sanguineas strages & adversa quæque sunt minitati. Hunc terrorem suis coloribus depingens Silius Italicus, canit.

Crine ut flammifero terret fera regna cometes, *Sil, Ital. li. 1*
Sanguineum spargens ignẽ, vomit atra rubentes
Fax cœlo radios, & sævâ luce coruscum
Scintillat radios, terrisque extrema minatur.

Unde Carolus Rancatus Cometæ inscripsit. EXTREMA MINATUR. Vitiosum Ministrum hæc imago repræsentat, qui ad dignitatis fastigium evectus, malis gravissimis orbem terret; haud secus atque maligna evaporatio, ad cœlos sublata, in cometam concrescit, omnesque passim formidine replet. Porrò Cometis non absimiles dixeris Prælatos illos, qui ad muneris sui culmen è vulgo sublati, subditos suos non quidem amore, sed minis ac suppliciis in officio continere solent. His regendi methodum præscribens Magnus Augustinus, *Magis*, inquit, *monendo, quàm minando agendum est cum multitudine: severitas autem exercenda est in peccata paucorum.*

Minister vitiosus. Prælatus severus. *S. Aug. Epist. 64.*

291. P. Henricus Engelgrave Cometam illo Ovidii hemistichio, ceu lemmate notavit. MULTA AC METUENDA MINATUR. Nimirùm ad terrores illos, in prima Dominicâ Adventûs prænuntiari solitos alludebat. *Erunt signa in sole, lunâ, & stellis, & in terris pressura gentium.* Et rursùs, *dabo prodigia in cælo sursùm, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.* De his minis differentem audi Magnum Augustinum. *Propterea se judex venturum minatur, ut non inveniat quos puniat, cùm venerit. Si damnare vellet, taceret. Nemo volens ferire, dicit observa.*

Minæ Evangelicæ. *Luc 21. 25. Act. 2. 19.* *S. Aug. serm 109. de Temp cap 5.*

292. E probatissimâ Meteorologorum sententiâ, evaporationes, ad mediam aëris regionem deductæ, aptam fulmini cudendo materiem subministrant: at verò sublimius provectæ, in cometas, id est, in cœli minas ac horrendos terrores, efformantur. Hoc philosophemate nixus P. Franciscus Raulinus, Cometæ subscripsit. IN FULMEN COGI POTUISSET. Insinuabat nimirum, Clementiam Odoardi, Parmensium Ducis, tametsi sæpius ad fulmina vibranda à sceleratis provocatam, minis tamen ac formidine incutiendâ fuisse contentam, sicque maluisse cometarum terrores, quàm fulminum plagas imitari. Probè videlicet optimus Princeps animo suo impressum habebat illud Magni Doctoris effatum. *Qui clementer peccantibus ignoscere novit, clementiam Divinæ pietatis certissimè accipiet.*

Clementia Solis minis punire solet. *S. Aug serm. 20. de Temp.*

293. Inter cætera Emblematum aulæa, ad honorem Mariæ Virginis, die quodam festivo, Mantuæ affixa, Cometam, videre erat, hoc lemmate insignem. FULGET, ET INTERIMIT. Maria enim suis clientibus

Maria benigna & terribilis.

clientibus quidem *illuminatrix* & Mater est; sed simul hæreticorum monstris *terribilis ut castrorum acies.* Eleganter Richardus de S. Laurentio, *Ipsa tantùm dæmonibus terribilis, quantùm Angelis & sanctis extitit venerabilis.* Cæterùm D. Basilius Paradisi muliebrem formam cometis splendori non absimilem dicit, cùm utriusque venustas opportunum mortis satellitem agat. Mentem suam sequenti metro Italico explicat.

Richard. à S. Laur. lib. de laud. Virg. Mariæ. Venustas muliebris. *D. Basil Parad. in Lyricis.*

Qual ne gli eterei campi
Se lucida cometa il crin diffonde,
E con raggio mortal splende, e minaccia,
La terra per timor trema, & agghiaccia
A quelle fiamme, e l' onde
Temono anch' esse in rimirar quei lampi,
Ch' in uso han di predir certe, e vicine
Tempeste à i mari, e à le città ruine.
Tal di luce homicida
La donnesca beltà s' orna, e predice
Tanto più grave il duol, quanto più splende,
E lusingato l' huom, di chi l' offende
Idololatra Infelice
Servo si fà d' una bellezza infida,
E in vece d' aborir gl' infausti raggi,
Adora la cagion de proprii oltraggi.

294. D. Archangelus Conter scintillanti cometæ inscripsit. IN ORTU SIGNAT OCCASUM. Cometes enim, recens exortus, magnorum Principum fata casusque prænuntiat. Herodiadis hæc imago est propria, quæ gratiosâ ac lascivâ suâ venustate in infami convivio apparens, extremam Divino Præcursori ruinam est minitata. Talis etiam Antichristi natalis, proximum mundo interitum significat. Quid? quòd ipse, quem incolimus, mundus, omnem suam felicitatem brevi in occasum & in ærumnas gravissimas deturbari faciat? Verè in hanc rem Innocentius III. *Semper mundanæ lætitiæ tristitia repentina succedit, & quod incipit à gaudio, desinit in mœrorem: mundana quippe felicitas multis amaritudinibus respersa est.*

Felicitas mundana. Antichristus. *Innoc. III. lib. 1. de Contemptu mundi c. 21.*

295. Clementia & Justitia geminæ ac nativæ boni Principis dotes sunto; quarum hæc quidem paucos offendat, illa verò omnes recreet. Utramq; hanc virtutem in cometâ, veluti in ideâ, discat velim: qui PAUCIS MINATUR, OMNIBUS FULGET. *Sumus nimirùm*, inquiebat Cassiodorus, *ad nocendum privati, ad præstandum Judices*; quasi diceret, sceleratos à Principe puniendos esse, veluti personam ageret privatam; auxiliis verò ac promptâ manu aliis succurrere, genuinum esse personæ publicæ munus. *Nihil enim*, Cicerone teste, *est tam regium, tam liberale, tamque munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines*; contrà verò, *nihil est tam deforme, quàm ad summum imperium, acerbitatem naturæ adjungere.*

Princeps clemens & justus. *Cassiod. Var. lib. 11. Ep. 36.* *Cicero 1. de Orat.* *Idem Epist. 1. ad Q. Fr.*

296. Cometam, quocumque divagantem, ingens semper splendoris copia subsequitur. Eò alludens Aresius, Cometæ inscripsit. QUOCUNQUE IERIT. D. Thomæ Aquinatis hoc Emblema erat, qui doctrinæ radiis undique conspicuus, omnem penè orbem litterarium post se trahit; insuper famæ ac gloriæ splendor virtutem è vestigio comitatur. Dilucidè Cicero. *Virtutem necessariò gloria sequitur.* Et, *Nihil est virtute amabilius, quam qui consequitur, ubicumque erit gentium, à nobis diligetur.* Ad mentem nostram Andreas Alciatus.

D. Thomas Aquinas. Virtus. *Cicero Tusc. l. Idem 1. de Nat. Deorũ. Alciat. Embl. Ar 133.*

Fama viros animo insigni, præclaraque gesta
prosequitur &c.

287. Cometa, è siccæ ac fumosæ exhalationis materie conflatus, epigraphen tenet. ELATA NITESCIT. Demonstrat nimirùm, Apostolos, Religiosos, & pœnitentes, è præsentis mundi ac vitæ turbis sublevatos, ad splendoris illustrissimi cultum promoveri; adeò ut ipsa etiam Imperatorum diademata ad ipsorum pedes venerabunda jaceant. Unde S. Augustinus. *Melius est, ut Romam cùm venerit Imperator, deposito diademate ploret ad memoriam piscatoris, quàm ut piscator ploret ad memoriam Imperatoris.*

Separari à mundo.

298. Scipio de Cellâ mulierem admodùm venustam, incessu gravem, & austeram, Cometæ non absimilem dixit, addito lemmate. EMIE L'OCCHIO DI LUCE, E IL COR DI GELO. Id est, *Dum oculos luce, gelu corda perfundit.* Idipsum longè rectiùs de extremo Servatoris nostri tribunali intellexeris, quod quidem plurimâ luce undique spectandum, gelu tamen ac terrore gravissimo reproborum animos dejiciet. Unde Magnus Augustinus. *Christus in judicio videbitur terribilis, qui visus est contemptibilis; demonstrabit potentiam, qui demonstravit patientiam. In cruce patientia erat, in judicio potentia erit.* Cæterùm primam Emblematis mentem sequenti poëmate explicat Scipio de Cella.

Venustas muliebris. Judicium extremũ. *S. Aug. in Psal. 85.* *Scipio de Cell.*

Feade le pompe sue mostra il bel viso,
Che per pompa del Ciel son pure, e schiette;
Esc' an de l' auree fila auree saette
Gliaghi, c'han sù la fronte il crin diviso
Quando stella mirar di Paradiso
L' alta donna mirando altri credeste,
Ma s' ella pur d' Amore in dubbio stette,
Che non parean d' amore il guardo, e 'l riso.
Parea d' honor più tosto il riso, e 'l guardo,
Che riverenza in noi destando, e zelo,
Fean l' humiltà veloce, e 'l desio tardo.
Tanto ch' al fin diss' io; certo del Cielo
Gran Cometa è costei, che s' io la guardo,
M' empice l' occhio di luce, e il cor di gelo.

299. E Meteorologorum sententia, Cometes, in Libræ signo apparens, proximam populi seditionem prænuntiat. Emblemati subscribes. SIC CONCITO TURBAS. Ita nimirùm non potest non Princeps seditiosos ac rebelles experiri populos, si justitiam & potestatem suam moderari nesciat, eamque assiduis terroribus ac plagis formidandam exhibeat. Expertus id fuerat Roboam, Israëlis Rex; cùm enim rogantem populum responso hoc durissimo terruisset, *Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro; Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus:* mox populus Aduram, Roboami legatum, interfecit, *Recessitque Israël à domo David, usque in præsentem diem*, Præclarè Principem monet Cornelius Tacitus. *Dura*, inquit, *vectigalia populo non imponat: nimia enim in exigendo tributo severitas, & nimium ipsum tributum impositum movet subditos frequenter ad seditionem.* Id quod etiam Episcopis observandum proponit S. Hieronymus. *Amari*, inquit *parens & Episcopus debet, non timeri. Antiqua sententia est: quem metuit quis, odit; quem odit, periisse cupit. Qui scorpionibus cædit, & lumbis patris habere se putat digitos crassiores, citò regnum mansueti David dissipat.*

Seditio. Princeps severus. *3 Reg 12.14.* *ibid. nu. 19.* *Corn Tacit. l. 4. Annal.* *S. Hieronym. Epist. 62.*

VENTUS.

CAPUT XX.

300. Ventus, propulsatis nubibus, serenam cœli frontem explicans, à Ludovico Ferro epigraphen recepit. FUGAT, ET FOVET. Geminum hoc boni Principis munus est, nimirùm profligare sceleratos, & blanditiis fovere eos, quos nomini suo devotos habet. Agapitus de Justiniano Imperatore disserens, *Venerandum*, inquit, *jure est vestrum Imperium, quia hostibus quidem suæ demonstrat pietatis aculeos, subditis verò exhibet humanitatem.* Adhæc è boni Principis officio est, atras tristitiæ nubes ab afflictis subditis arcere, eosque benevolâ ac serenâ manu erigere. Unde Cassiodorus. *Dolorum nubila nostrâ semper serenitate detergimus.* Guido Casonus utrâque hâc dote omnem exacti Consiliarii pudentiam explicari censet; unde vernaculum illius poëma.

Princeps justus. *Agapit Ep. Paræn. n. 20*

Cassiodor. 2. Var.

Consiliarius. *Guid Cason. Embl. Polit. 2.*

--- --- Il prudente consiglio,
Inguisa d'aura placida, e soave
Scaccia le nubi de contrarii affett,
L'animo rasserena, e luminosa
Rende la mente, e fà tranquillo il core &c.

Spiritus S. Verissimè tamen Spiritum sanctum hæc imago repræsentat, qui animum nostrum ignorantiæ ac calamitatum nubilis expurgat, eumque amicâ ac serenâ voluptate perfundit.

Pœna in contumaces lata. 301. Ventus, Quercum prosternens, Francisco Raulino authore epigraphen tenet. PARCEREM, SI FLECTERETUR. Principis Clementis genium hæc imago refert, qui nonnisi in contumaces animadvertit, iis in libertatem assertis, quos animi submittendi, ac vitæ ad frugem revocandæ studiosos novit. Hunc in Deo morem tametsi complura Sacræ Paginæ loca testentur, præ cæteris tamen opportunum videtur illud Hieremiæ oraculum; *Repentè loquor adversùm gentem, & adversùs regnum, ut eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversùs eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.* In hunc locum S. P. Augustinus. *Nunquid quasi errantem pœnitet Deum? sed pœnitentia dicitur in Deo quasi mutatio sententiæ. Non est iniqua, sed justa. Quare justa? mutatus est reus, mtavit Judex sententiam. Noli terreri; sententia mutata est, non justitia. Justitia integra manet, quia mutato debet parcere, qui justus est.*

Hier. 18. 7.

S. Aug. serm. 109. de Temp. cap. 6.

Occasio. 302. Odii & amoris nostri flammas ad omnem, quantumvis exiguam suggestionis auram reviviscere, è venti Emblemate conjicies, qui adversùs ignem spirans, epigraphen tenet. SUSCITAT, vel, nî fallor, melius; SOPITOS SUSCITAT. Ex Ovidii sententiâ.

Ovid l. 3. de Arte.

Qualibet extinctos injuria suscitat ignes.

Calamitates. Calamitates quoque humanam mentem jamjam inter vitia sopitam excitant, & vivis virtutum scintillis denuò accendunt. S. Augustinus. *Flagellum interius & exteriùs glorificat Creatorem, compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit virtutem, protegit infirmitatem, excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem semper viventem.*

S Aug. in Psalm. 60.

Spiritus S. 303. Scipio Bargalius Emblematis loco carbonem, dimidiâ parte candentem, lenique aurâ afflatum expressit; cum lemmate. AL TUO SPIRAR M'AUVIO. Id est, TE FLANTE REVIVO. Spiritûs sancti hæc imago est, de quo S. Cyrillus Alexandrinus. *Vivificat omnia Dei Spiritus, omnia etiam illo opus habent, nec aliter poterunt firmè in sua essentiâ, quæ sunt, persistere.*

S. Cyrill Alex. l. 2. contra Iul.

304. Ventum nonnemo depinxit, qui adversùs frondosam arborem intumescens, invido suo afflatu eam omni foliorum ornatu exuit. Lemma addidit. FACILIS JACTURA. Generosam mentem suam, nî fallor, exprimebat, cui leve est, quidquid malignior fortuna adversùs eam fuerit machinata. Hugo Cardinalis, illud Proverbiorum examinans, *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit*; ait, *Accidens adest & abest præter subjecti corruptionē: ita præsens prosperitas & tribulatio viro justo adest, & præter ejus contristationem & conturbationem.*

Bona terrena.

Hug. Car. in Prove. 12. 21.

305. Abbas Ferrus duobus ventis oppositis, quorum unus cœlum pluvium, alter serenum portendit, inscriptionem subjunxit. AUT SOLEM, AUT IMBREM. Sic pectus humanum, duabus animi passionibus agitatum, ad virtutis vel vitii extremum deflectet, nullo planè interveniente medio. Porrò quivis homo in hâc vitâ experitur & bonas inspirationes Dei, & malas diaboli; aut igitur virtutis lucem, aut flagitiorum imbrem parturias, necesse est; cùm utrumque sequi non liceat. Opportunè S. Augustinus. *Modò aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum, & suggerentem serpentem. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Si aliquid persuadente satanâ mali feceris, dimitte satanam, accusa te, ut accusatione tua Dei misericordiam merearis.*

Inspirationes bonæ & malæ. *S. Aug. in Psal. 91.*

306. Quantùm beneficii præsentes hominis illustris suppetiæ nobis conferant, Abbas Ferrus è placido Favonio, versùs flammam spirante, dignoscendum proponit, addito lemmate. ALIT, ET AUGET. Propria hæc bonæ educationis effecta sunt; Horatio teste.

Educatio. *Horat. l. 4. Carm. Od. 4.*

Rectique cultus pectora roborant.

Porrò etiam animus noster, diversis calamitatibus, ceu totidem ventis, afflatus; binâ illâ operationum virtute invalescit. S. Petrus Damianus. *Quò magis caro per tormenta concutitur, eò mens in Deum fixa firmius roboratur: & quasi igne succensa materies, quò plus adversitatum ventis impellitur, eò in amorem Dei ardentius inflammatur.*

Calamitates. *S. Pet. Dam. serm. 21.*

307. Eodem Ferro authore, ventus, adversùs ignem spirans, geminâ epigraphâ, ex Ovidio mutuatâ, descriptus cernitur. Primâ quidem. LENIS ALIT. Ita sanè correctio placida ac prudens in mente humanâ plurimùm potest. Apertè Seneca. *Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur: non aliter, quàm scintilla FLATU LEVI adjuta, ignem suum explicat.*

Correctio suavis. *Seneca.*

309. Posterior inscriptio, GRANDIOR NECAT, sensum præcedenti adversum innuit; nimirùm correctionem indiscretam, fastu aut vehementiâ turgidam, plurimum exitii afferre. Sapienter proindè suadet Magnus Augustinus. *Corripiantur à Præpositis suis subditi fratres, correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus.* Et Ovidius.

Correctio dura. *S. August. de Correct. & Grat. c. 16.* *Ovid. l. 2. de Arte.*

Dextera præcipuè capit indulgentia mentes;
Asperitas odium, sævaq; bella movet.
Odimus accipitrem, quia vivit semper in armis;
Et pavidum solitos in pecus ire lupos.
Este procul lites, & amara prælia linguæ,
Dulcibus est verbis mollis alendus Amor.

309. Utramque epigraphen, duobus superioribus Emblematis adductam, Carolus Rancatus in unam imaginem coëgit, dum vento, adversùs candentes

tes prunas spiranti, inscripsit. ALIT, ET NECAT. Ovidius id suggerit. *Ovid. de remed. Amor.*

Nutritur vento, vento restinguitur ignis;
Lenis ALIT flammas, grandior aura NECAT.

Correctionis modus. Utrumque hoc in corrigendis aliorum vitiis experimur; Unde S. Gregorii consilium est; *Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem: & sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.* *S. Greg. lib. 19. Moral.* Porrò etiam magnatum favores, intra debitæ mensuræ limites collati, plurimùm nobis emolumenti afferunt; at si cum excessu ingerantur, justoque majores fiant, enimverò tum gravissima damna parturire solent. Favores magni nocent.

310. Animi generosi ac impeterriti effigiem in Vento cernere licet, qui adversùs annosam Quercum impulsus, ibique repercussus, mox majore robore invalescit, & ut nonnemo lemmatis loco dixerat, DOPPIA NE LA CONTESA I SOFFII, E L'IRA. Id est, IN RELUCTANTES SÆVIOR. Animus intrepidus. Venti impetuosi nomine diabolum, acerrimum generis humani hostem, intelligas velim; plurima is adversùs Jobum, validissimam patientiæ quercum, machinabatur; primò enim in boves & asinos Jobi grassabatur; mox servos occidit; eodem penè momento oves & pastores combussit; paulò pòst, Chaldæorum ope, impetum fecit in Camelos. Quid amplius? ventum se fecit, ut domum concuteret, liberosque ejus opprimeret epulantes. Sed cùm hæc omnia eludi ac irrito conatu cadere videret, consilium viresque auxit, ipsumque Jobum adortus, innocentem *percussit ulcere pessimo à vertice usque ad plantam pedis.* *Iob. 2. 7.* Denique & uxorem instigavit, quæ linguæ suæ vehementiâ ad ipsas usque viri medullas penetraret. In rem præsentem Magnus Augustinus. *Vicit Job omnibus notissimus, totiens tentatus, sed minimè superatus, implevit Dominicum præceptum, contempsit filios, ne blasphemaret, qui dederat filios. Repulit à se uxorem, quæ ei blasphemiam persuadebat; quam diabolus proptereà solam dimiserat, qui sibi eam necessariam esse noverat. Non enim dimiserat marito consolatricem, sed suæ tentationis adjutricem. Fortior fuit Job in doloribus, quàm Adam in nemoribus: iste non cessit tormentis, ille superatus est in delitiis.* Tentatio. *S. Aug. de Temp. Barbarico cap. 6.*

311. Vento, in arboris frondes grassanti, inscripsit Ferrus. ARENTES RAPIT. Talis vindicta Divina, instar venti, peccatores non nisi virtutibus aridos, sterilesque exterminare consuevit. Dæmon quoque, ventus ille Tartareus, nonnisi vitiatas & inutiles hominum conscientias è Fidei orthodoxæ arbore ad apostasiam præcipitare solet. S. Cyprianus. *Nemo putet bonos de Ecclesiâ discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solidâ radice fundatam procella subvertit. Inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur.* Ira Dei. Dæmon. *S. Cyprian. de simplicit. Prælatorū.*

312. P. Octavius Boldonus Zephirum in veris exordientis signis expressit, qui versùs areolam, floribus undique respersam, flabat; cum lemmate. EMINUS, UT OLEANT. Innuebat videlicet, Cardinalem Montium, Sedis Apostolicæ authoritate primò Neapolim, & exinde in Hispanias Oratorem egisse, ut virtutum suarum fragrantiam longè lateque diffundere posset. Legatus. Guilielmo Esthio calamitates ventorum loco sunt, à quibus virtutes, instar florum, agitatæ, suavissimum odorem undique exhalant. Calamitas. Unde in illa D. Pauli verba commentatus, *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco*; subjungit, *Non modò prædicamus Christum apud omnes, sed etiam persecutionibus & pressuris conterimur, ut odor notitiæ Dei, id est, famæ ejus, à nobis quàm LONGISSIME DIFFUNDATUR.* *Guil. Esth. in 2. Cor. 2. 14.* Pulchrè S. Augustinus. *Cœpit persecutionem pati odor Sanctorum: sed quomodò ampullæ unguentorum, quantò magis frangebātur, tantò amplius odor effundebatur.* *S. Aug. serm. 101. de Divers. cap. 5.*

313. Ventus, intra cannetum spirans, à D. Jo. Philippo Certano gnomam accepit. IL SUO N' NE TRAGGE. Id est. MELOS EDUCIT. Opportunum hoc Academiæ Sylvestris, in quâ Certanus pro meritis recensebatur, Emblēma erat. Cæterùm etiam spiritûs Sancti virtutem ex imagine illâ conjicere licet, qui afflatûs sui vigore egenos piscatores, è mappaliis ad prædicationis Evangelicæ sonum evocatos, ita animavit, ut in omnes totius universi partes amplissimè resonuerint. Spiritus S. *Repleti sunt omnes spiritu Sancto*, inquiunt Apostolorum monimenta, *& cœperunt loqui.* *Act. 2. 4.* *O quàm velox est sermo sapientiæ!* exclamat S. Leo Papa, *& ubi Deus Magister est, quàm citò discitur, quod docetur. Ab hoc igitur die tuba Evangelicæ prædicationis intonuit.* *S. Leo Papa ser. in Pent.*

314. Vento appositè, ni fallor, inscribes; NON SAI D'ONDE, NE DOVE. Id est, NEC UBI, NEC UNDE. De ventis enim incerta est philosophatio. Psaltes Regius de Thesauris Divinis eos produci canit; id est, de locis clausis atque occultis, ubi Numinis premuntur imperio, vinclisque & carcere frenantur. *Psalm. 134* Arcanam hanc operandi virtutem etiam Spiritui Sancto, ac miris ejus inspirationibus propriam affirmat ipsa Sapientia Incarnata. Spiritus S. *Spiritus ubi vult, spirat, sed NESCIS UNDE VENIAT, AUT QUO VADAT.* *Ioan. 3. 8.* S. Joannes Chrysostomus, *Si venti*, inquit, *quem sentis, viam nescis, quomodò Divini spiritûs operationes scrutaberis?* *S. Chrisost in hunc loc.* Et Sanctus Augustinus, *Occulta est gratia, & in abdito latet. Non videtur, sed inde eminet, quod videtur.* *S. Aug serm. 14 ex addit à Paris cap. 5*

315. Calamitates terræ, & malignioris fortunæ damna mentem nostram exagitant quidem, sed simul in sublime evehunt; haud secùs atque Ventorū procellæ Oceanum TURBANT, SED EXTOLLUNT. Persecutiones & calamitates. Zenonem hæc imago delineat, qui, cùm mercatui deditus, omnes suas facultates in maris tempestate ivisset deperditum, operam postea in Philosophiæ studiis unicè collocavit, idque tanto animi oblectamento, ut Laërtio teste, dicere consueverit, *Tunc secundis ventis navigavi, quando naufragium feci.* *Diogen. Laert lib. 7.* Sed quid extera adduco, cùm habeamus domestica? Gentium Apostolum Paulum de se ipso loquentem audi. *Nocte & die in profundo maris fui; in itineribus sæpè, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari &c.* *2. Cor. 11. 25.* Sed quorsum hæc omnia evexêre calamitosissimum Apostolum? Paulò post *raptus est in paradisum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* *Ibid cap. 12. vers. 4.* De hoc S. Joannes Chrysostomus. *Paulus undique pressus, nec oppressus, cedere nescius, clarior semper redit patiendo victor, & millies martyr.* *S. Io. Chrysost. in Moral. Homil. 25. & 26.*

316. Navis, ob adversam ventorum vim à portu contingendo nonnihil impedita, epigraphen tenet. MORANTUR, NON ARCENT. Iis hæc imago ideæ loco inservit, qui alterius invidiâ obstaculum aliquod senserunt, nec tamen à fine obtinendo penitus sunt exclusi. Calamitates. Sic corporis deliquia, egestas, exilium, aliaque hominis incommoda, virtutis obtinendæ portum remorantur quidem, non tamen penitùs præcludunt. Diuturna quoque tormenta Sanctis Martyribus veram felicitatem non quidem penitùs abstulerunt, sed tantisper, donec eam consequerentur, distulerunt. S. P. August. *Martyres, quod non videbant, per patientiam expectabant. Illi, qui eos occidebant, quæ videbant amabant: illi, qui occidebantur, ad ea, quæ non videbant, suspirabant. Et quod tardius occidebantur, moras sibi fieri arbitrabantur.* *S. Aug. in Psal. 127.*

Consilium malum. Consuetudo vitiosa.

317. Alius vicissim navim, ventorum violentiâ à portu prohibitam, hoc lemmate notavit. NON MORANTUR, SED ARCENT. Vel, prout meo Carducio placuit. REFLANTE DESPERAT. Mala consilia, & consuetudines vitiosæ, ventis non absimiles, non modò à perfectionis portu obtinendo retardat, sed illum penitùs obstruunt; quin imò peccaminosa affectuum nostrorum vehementia ipsum etiam æternæ beatitatis ingressum præcludunt. S. Augustinus. *Tanta ibi* (de Sodomitis loquitur) *nefandæ turbitudinis consuetudo erat, ut jam nequitia esset justitia, & prohibitor potius reprehenderetur quàm factor. Tales consuetudine malignâ pressi, tanquam sepulti sunt. Moles imposita sepulchro, ipsa est vis diræ consuetudinis, quâ premitur anima, nec surgere, nec respirare permittitur.* Et meus Carducius.

S. Aug. de Verb. Dom. Serm. 44 c. 5

Portum ratis reflante desperat Noto.
Culpâ quid hoste adire tentas sydera?

Spiritus S.

318. Navis, stimulante ventorum impetu è portu solvere coacta, epigraphen tenet. DUCUNT IN ALTUM. Ità spiritûs Sancti dona animam nostrám, post superatos hujus mundi fluctus, ad æternam felicitatem propellunt. In hoc demonstrando totus videri possit S. Joannes Chrysostomus. *Anima*, inquit, *à Divino adjuta spiritu, omnibus rebus superior existit, & omnibus fluctuationibus vitæ hujus eminet, & viam in cœlum ducentem vehementius quàm navis incedit, utpote quæ non vento impellitur, sed ab ipso Paracleto fertur.* Cæterùm eodem Emblemate innuitur, spiritûs Sancti gratiam ad penetranda Divinæ Paginæ abdita plurimùm promovere. *Ratem nostræ mentis*, inquit S. Petrus Chrysologus, *carnis à littore solventes, in pelagus evangelici sermonis intramus, credentes, quòd flante spiritu Sancto cælestis intelligentiæ perveniamus ad portum*,

S. Io. Chrysost Hom 34. in epist. ad Hebr.

S. Pet Chrysol. serm. 168

319. Navi, à vento propulsatæ, inscripsi. DEDUCET IN PORTUM. Argumenti ratione è Divino Psalte mutuatâ; *Deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Adversam valetudinem & ærumnas ventis non absimiles dixerim, quæ ad Deum, veluti ad asylum, confugere jubent. Exquisitè Lipsius. *Quem Deus diligit, per æqua, per iniqua, per fluxus & refluxus perducet ad suum portum.* Et alibi de morte disserens, ait, *Tristis est* (*inquiunt nonnulli*) *cogitatio super morte, & ipsam adducit. Falluntur. Sapiens cum tranquillitate de eâ cogitat: non aliter quàm in navi & mari ventos & vela spectat, quibus fertur in portum.*

Psal. 106. 30
Calamitates.
Lips. Centuria Miscell. Epist. 2.
Mortis meditatio.
Idem. l. 2. Physiolog. dissert. 1.

Calamitates.

320. Venti, dum navim propellunt, Lucarino authore epigraphen sustinent. MINANTUR SED FERUNT. Vel ut melius meus Carducius. DUM FERIUNT, FERUNT. Genuina hæc calamitatum idea est, quæ quidem minaci assultu hominem adoriri solent, at simul ad supremam virtutis ac Dei beatitatem manuducunt. Breviter rem totam explicans Doctorum Phœnix. *Tribulatio*, inquit, *asper quidem ventus est, sed prosper.* Emblematis mentem hoc disticho aperit D. Carducius.

S. August. in Psalm. 125

Vela ferunt, feriunt rabido dum flamine Caur:
Dum stygis ira animum vexat, ad astra vehit.

Et sequentibus Jambis.

Iter secundat puppis aura persequens:
Adversa sic fortuna cor felicitat.

Calamitates utiles.

321. Eidem Symbolo inscripsere. CURSUS SECUNDOS DABIT. Quippe adversi & undosi ærumnarum venti tandem ad paradysi portum felicissimè provehunt. Author Fastorum Marianorum de S. Ursulâ, ejusque sodalibus, intra maris tempestatem acerrimè jactatis, hæc verba addit. *Ecce tempestas suboritur, & arreptas naves in Rhenum aufert. Nimirum adversum hunc alii ventum dicent; at secundum Ursula vocat, & castitati velificantem.* Denique hæc imago etiam spiritûs Sancti est propria, quippe quo aspirante fidelium carbasa secundis ventis volitant, & ad virtutis æternæque felicitatis portum appellunt. S. P. Augustinus. *Spiritus vitæ, qui vivificat omnia, creatorque omnis creati spiritûs, ipse est Deus, spiritus utique non creatus. In ejus voluntate summa potestas est, qui creatorum spirituum bonas voluntates adjuvat.*

S. Ursula.
Spiritus S.
S. Aug. de Civit Dei l. 5, cap. 9.

322. Ventorum furore per Oceanum tumultuante, jactatos undarum fluctus versùs cœlum levari conspicimus. Unde lemma. AD SIDERA VOLVUNT. Verbis è Virgilio mutuatis.

Unà Eurusque, Notusque ruunt, creberq́; procellis
Africus: & vastos volvunt ad sydera fluctus.

Virgil Æneid. l. 1. v. 8

Ita sanè adversitatum & persecutionum turbines agitatam hominis mentem ad Dei ac Cœli fastigium attollunt. S. Anselmus. *Adversis irruentibus, separatur à terrâ fidelis anima, & cœlo fit proxima.*

Calamitates elevant.
S. Anselm.

323. Ventus, sub terrâ clausus, tandem, eâ perruptâ, emergit in altum. Lemma. TANDEM LEVATUR IN ALTUM. Divinos quosdam hominum spiritus hæc imago concernit, qui in his terris, veluti in carcere, constricti, tamdiu suspirant, donec perfracto corpore, ad cœlos evolent. Inter hos anhelantem audi D. Paulum, *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* In hunc locum S. Augustinus. *Qui desiderat dissolvi & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur. Unde Apostolum patienter viventem, id est, cum patientiâ hic non amare vitam, sed tolerare.*

Mors hominis justi.
Philipp. 1. 2
S. Aug. Tra 9 in ep. Ioa

324. Ventus incensæ ædis flammam ad vicinas domos impellit; cum lemmate. INCENDIA NUTRIT. Susurronum genuina hæc imago est, qui, è munere suo, amicorum pacem dissociant, omniaque passim odiis ac suspicionibus succendunt. Unde Salomon. *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrone subtracto, jurgia conquiescunt.* Susurronibus Seneca hanc notam imprimit. *Pessimum genus hominum videbatur, qui verba gestarent: sunt quidam, qui vitia gestant. Horum sermo multùm nocet. Nam etiamsi non statim officit, semina in animo relinquit, sequiturque nos etiam, cùm ab illis discesserimus, resurrecturum postea malum.* Porrò etiam ambitio honorum & regnorum, si in homine prævaleat, non rarò vicinos latè populos bellis & incendiis vastat.

Susurro.
Prov. 26. 2
Senec Epi 123.
Ambitio

325. Ventus totius Sylvæ minores majoresque arbores sine discrimine impellit. Unde lemma. OMNES HAC TANGIMUR AURA. Nimirum omnes homines innatum quendam, & ex Evâ traducem honoris ac dignitatis obtinendæ appetitum habent, eoque nunquam non infestantur. Noverat hanc hominis indolem callidissimus serpens, unde ad expugnandos Protoparentes nostros nullum altum, nisi ambitionis ac superbiæ arietem admovendum censuit; *nequaquam*, inquiebat, *morte moriemini*, sed *eritis sicuti Dii.* Nec sanè irritus fuit vaferrimi hostis conatus; mox enim mulier *tulit de fructu illius* (arboris) *& comedit: deditque viro suo, qui comedit.* Ut adeò plerique Interpretes doceant, primum Evæ peccatum fuisse ambitionem ac superbiam. In illum Geneseos locum commentatus S. Aug. *Quomodo*, inquit, *verbis crederet mulier serpentis à bonâ atque utili re se divinitus fuisse prohibitam, nisi jam inesset menti ejus amor propriæ potestatis, & quadam de se super-*

Ambitio & Superbia.
Gen. 3. 4. 6
S Aug l. de Civ. c.

superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerant convincenda & humilianda. Et alibi. *Superbiâ lapsi sumus, ut ad istam mortalitatem perveniremus. Et quia nos superbia vulneraverat, humilitas sanos fecit. Venit humilis Deus, ut à tanto superbiæ vulnere curaret hominem.* Cæterùm etiam gratiæ Divinæ aurâ omnes omninò homines ita tanguntur, ut liberrimâ suâ voluntate ad amplissimam virtutum frugem excrescere possint.

326. Alphonsus II. Carettus, Marchio Savonæ, symboli loco arcem in rupe collocatam habuit, quæ à ventis frustrà oppugnata, epigraphen monstrabat. FORTES PROBANTUR IMPETU. Congruè nimirùm ad illud Deuteronomii. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum.* Plurimis olim calamitatibus infestabatur optimus Tobias; tandem tot miseriarum causam nullam aliam subjunxit Angelus, nisi, *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Pulchrè, ut solet, Magnus Augustinus. *Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione; quia profectus noster per tentationem nostram fit; nec quisque sibi innotescit, nisi tentatus: nec potest coronari nisi vicerit; nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit.*

327. Venti, uti & fulmina, montium duntaxat, turriumque fastigia sternunt; vallibus, cæterisque rebus humilibus ut plurimùm intactis. Lemma. FERIUNT SUMMOS, supple ex Seneca, *Fulmina montes.* Ita nimirùm, quod sacra Pagina testatur, *Potentes potenter tormenta patientur.* In hunc locum S. Cyprianus, *Gravius*, inquit, *judicari de his, qui in sæculo plus habuerunt potestatis, apud Salomonem docetur: Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.* Quærit Theodoretus, cur Moses ob leve dubitationis delictum à Deo exclusus sit terrâ sanctâ; populus verò gravius peccans, in eam sit inductus? ac respondet, *Per hæc docet nos Dominus, se summam virtutem à perfectis exigere; & cùm erga alios homines graviter peccantes sit longanimis; Sanctis tamen hanc veniam non concedere. Unde Servator in Evangelio. Cui modicum datum fuerit, modicum exigetur ab eo.*

[Margin: ...in Psal. 3. v. 15. — Gratia Dei. — Tentatio. — Deut. 13. 34. — Tob. 12. 13. — August. in Psal. 60. — Potentes grave judicium sustinent. — Sap. 6. 7. — S. Cyprian. l. 3. Testim. ad Quirin. n. 112.]

A Q U A.

Aqua. Bullæ.	cap. 20.	Nilus fluvius.	24.
Aquæ distillatæ.	21.	Fons.	25.
Mare.	22.	Piscina.	26.
Flumen. Torrens.	23.	Puteus.	27.

A Q U A. B U L L Æ.

C A P U T XXI.

328 AQuas inter, & vitam humanam plurima est similitudo: illæ enim, nisi à ventis aut proprio decursu agitatæ, resides evadunt, & mortuarum instar languescunt. Unde lemma. SERVANTUR MOTU. Seneca, *Vivit is*, inquit, *qui se utitur: & vicissim, Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, tanquam in condicivo.* Atque adeò, Seneca judice, solus ille veram ducit vitam, qui labores suos nullo unquam marcescere finit otio.

329. Quantùm detrimenti animus noster ex otio sibi accersat; aquæ, intra angustos lacus conclusæ, docent; ut quæ QUIESCENDO TABESCUNT. Justus Lipsius. *Ut aquæ diutino situ vitium contrahunt: sic nostri animi assiduâ sessione vel quiete.* In eandem sententiam meus Concanonicus, S. Laurentius Justinianus. *Sicut aqua*, inquit, *quæ caret decursu, ac jacet in foveis, putrescit, repleturque animalibus venenatis & noxiis, ita & corpus otii tabe confectum, concupiscentiarum carnalium parit insaniam.* Eodem argumento S. Joannes Chrysostomus adversùs divitias superfluè coacervatas ait, *Quemadmodum fons, si aquarum flumina in se ipso quasi stagnum quoddam retineat, facilè putrescit; eodem modo divites, cùm in se ipsis opes suas detineant, marcescunt; putredo enim profectò est, non possidentium, sed opum ipsarum.* Et S. Basilius. *Putei, qui exhauriuntur, melius fluunt; quibus si suas aquas intactas relinquas, fœtorem contrahunt: ita etiam divitiarum quies inutilis: motus & transgressus publicè utilis est, & fructuosus.*

330. Quintus Soranzus, Academicus inter Errantes Brixienses inquietus, symboli loco aquam præfert, quæ in sublimi monte in subjectam planitiem præcipitata, lacû constituit; cum lemmate. QUIESCIT IN PLANO. Certè cordis, & animi nostri affectus nullam, nisi in Deo, quietem reperiunt. S. Augustinus. *Cor humanum*, inquit, *in desiderio æternitatis non fixum, nunquam stabile potest esse: sed omni volubilitate volubilius, de alio in aliud transit, quærens requiem, ubi non est*, Et Benedictus Haeftenius.

Mobile cor nullâ potis est requiescere sede,
Unus ei centrum; nam Deus, una quies.

331. Aqua per canalem è colle delapsa, & rursùs alterius tubi beneficio in eminentem clivum sursùm coacta, epigraphen reddit. SI DEFERAR, EFFERAR. Ita anima nostra, gratiæ Divinæ adminiculo, secundis gressibus ad cœlos emergit. S. Bernardus testem se offerens, ait; *Cujus*, id est, liberi arbitrii, *conatus ad bonum & cassi sunt, si à gratia non adjuventur; & nulli, si non excitentur.*

332. Aqua è canali distillans, congelascit; cum lemmate. RIGORE SUBSISTIT. Lubrica hominis vita, in errores nunquam non proclivis, è temperato prudentis Prælati rigore faciles habenas accipit, & intra recti limites coërcentur. Certè Deus primis duobus Decalogi præceptis mox severas comminationes pœnasque subjecit, ut Hebræos, ad flagitia pronissimos, illo suppliciorum rigore in officio contineret. S. Thomas Aquinas, *Pœnæ*, inquit, *præcipuè necessariæ sunt contra illos, qui sunt proni ad malum, ut dicitur 10. Ethic. & ideo illis solis præceptis legis additur comminatio pœnarum, in quibus erat pronitas ad malum: erant autem homines proni ad perjurium, propter frequentiam juramenti; proni ad idololatriam, propter generalem consuetudinem gentium: & ideo duobus primis præceptis adjungitur comminatio.*

333. Cardinalis Verallo in gentilitiis scutis rivulum, rosæ irrigandæ affluentem, præfert; cui proindè P. Gualtherus Paulus, è Societate Jesu, inscriptionem,

[Margin: Otium. — Senec. Epist. 10. — Otium. — Lips. Centur. 1. ad Belg. Epist. 47. — S. Laur. Iust. l. 1. de Perfect. grad. cap. 9. — Divitiæ. — S. Io. Chrysost. ho. 48. in Matth. — S. Basil. Homil. in Ditescentes. — Quies in Deo. — S. Aug. in Manuali cap. 2. 5. — Bened. Haeft. Scholæ Cordis l. 3. lect. 19. — Animus à Gratia adjutus. — S. Bernardus tract. de grat. & lib. arbitr. — Rigor discretus. — Exod. 20. n. 5 & 7. — S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 7 ad 4.]

ptionem,

Lachrymæ. ptionem, ex ipſomet Cardinalis cognomine deſumptam, ſubjecit. VER ALO. Ita humectante lachrymarum noſtrarum rivo, virtutum flores felici incremento progerminant. S. Petrus Damianus. *Lachrymarum mador*, inquit, *animam omni labe purificat, & ad proferenda virtutum germina noſtri cordis arva fœcundat: mox ut lachrymæ eruperint, protinus anima reviresſcit, & tanquam arbor verna redivivo virtutum ſuarum flore veſtitur*, S. Joannes Chryſoſtomus de purpuratis Christi Teſtibus ait, *Neque horti, aquis irrigati, ita germinant, & fæcundi ſunt, ut Eccleſiæ, ſi Martyrum irrigentur ſanguine*. Quippe Martyrum ſanguis in Eccleſiâ orthodoxâ, veluti in horto amœniſſimo, perennes florum ac veris delicias conſervat. Cæterùm eodem Authore, precum noſtrarum flores, ſi lachrymis aſpergantur, plurimùm augeſcunt. *Neque perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, ut plantam deprecationis fontes lachrymarum irrigantes faciunt in ſummam altitudinem excurrere.*

S.Pet. Dam. Opuſc. 13. c. 12. — S. Io. Chryſoſt. ſerm. in Iuventium. — Martyrium. — Oratio lachrymis juncta. — S Io. Chryſ. Hom. de Anna & Samuelis educatione.

334. Aqua, ubicunque diffuſa, vel illuviem obviam abſtergit, vel terram irrigat, ac fæcundam efficit. Unde lemma. ABLUIT, AUT IRRIGAT. Ita ſanè unda illa purpurea, è Servatoris noſtri venis ſcaturiens, immundas conſcientiæ ſordes eluit, & incultas ſterileſque animas fœcundat. S. P. Auguſtinus in illa Pſalmi verba, *Sicut aqua effuſus ſum*, ait, *Aqua, quando effunditur, aut ABLUIT, AUT IRRIGAT: effuſus eſt Chriſtus ſicut Aqua, abluti ſunt ſordentes, rigatæ ſunt mentes.*

Sanguis Christi. — S. Aug in Pſ. 21. v. 15.

335. Aqua turbida vicinarum rerum imagines recipere nequit, unde lemma. DISPUNGIT TURBIDA FORMAS. Ita anima, malignis affectibus turbata, virtutis aut gratiæ Divinæ vultum ægerrimè ſibi imprimi patitur. S. Ephæm Syrus in adulterâ illâ Ægyptiâ id obſervatum habet, cujus cor, libidinis vehementiâ agitatum, caſtiſſimas Joſephi cohortationes penitus reſpuebat. *Sancta verba dicebat Joſeph, ſingulis horis ad Dominam ſuam admonens, obſecrans, increpans, & reprehendens illam. At nihil Divinum admittebat auris ac cor mulieris; quin imò vehementiore adhuc libidinis flagrabat ardore.* Argumento non diſſimili Scrapion Abbas, *Quemadmodum*, inquit, *oculus perturbatus; ſic etiam anima opinionibus, quæ naturam excedunt, turbata, veritatis lucem videre non poteſt.* S. Gregorius Nazianzenus hanc doctrinam in Jambos contraxit.

Anima vitioſa. — S Ephræm de Laud. Ioſeph Patriarchæ. — Serapion apud Anton. in Meliſſa p. 1. ſerm. 1. — S. Greg. Naz. ſentent. Iambic. 57.

Conſilia nemo recta commotus capit,
Conſulta nec ſunt, ira queis adjungitur.

Præclarè Seneca. *Ubi aliqua res obcæcat animum, & ad officiorum diſpiciendum ordinem impedit, nihil impedit, nihil agit, qui præcipit. Nihil enim proficient præcepta, quamdiu menti error obfuſus eſt; ſi ille diſcitur, apparebit quid cuique debeatur officio.*

Senec. Ep. 94

336. Aqua, naturâ ſuâ deorſùm nitens, miro ſiphonum artificio ſurſum tendere, & in uſus humanos ex imo fundo in ſublime aſcendere didicit. Unde eodem ſiphone Emblematis vice expreſſo, aquam in hæc verba loquentem introduces. SURGO, NE DETUR INANE. Illius hæc imago eſt, qui non ſine profundâ animi modeſtiâ nullâque ſui ipſius exiſtimatione ad dignitatum faſtigia ſublevatur. Præclaram hujus doctrinæ facem præluxit S. Matthias, qui inſpirante Spiritu ſancto inter Apoſtolos recenſitus eſt, ne ſedes illa, unde perfidus Judas exciderat, vacaret. *Tu Domine oſtende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum miniſterii hujus, & Apoſtolatûs, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum.* Porrò homo, nativâ corporis ſui mole deorſùm ſemper & ad vitia inclinat; unde, nî virtutum fluentis vacuus eſſe velit, per gratiæ Divinæ canales ſurſum conetur, neceſſe eſt. Hortantem audi Magnum Auguſtinum. *Surſùm cor, ſurſùm cogitationem, ſurſùm amorem, ſurſùm ſpem, ne putreſcat in terra.*

Modeſtia. S. Matthias. — Act. 1. 24. — Surſum tendere. — S. Augu. Pſal. 90 Conc. 2.

337. Niſi tubo aliquid vacuitatis intervenerit, continuum liquorem in uſus humanos ſurſùm è dolio extrahit. Unde tubus ille, aquas fundens, epigraphen à D. Carolo Boſſo recepit. MOTU PERENNIS. Divina gratia, in ſacris litteris aquarum effigie deſcribi ſolita, aſſiduo felicitatis fluxu gaudet, nî nos à virtutum exercitatione otioſos repererit. S. P. Auguſtinus. *Qui boni ſunt, cum Dei gratia contendunt perſeverare in operibus bonis; quia non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

Gratia Dei. — S. Aug ſer. de Temp.

338. Aqua, ventorum impetu intra Oceanum aut vaſtum aliquem lacum jactata, & adversùs ſcopulum alliſa, in altum erigitur, undaſque fluctuantes versùs cœlum attollit. Unde lemma, ELEVATUR ALLISA. Ita è perſecutionum tempeſtate non rarò plurimùm tam ſpiritualis, quàm temporalis augmenti capimus. Verè S. Gregorius Papa. *Mala, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.*

Calamitates utile. — S. Greg. P.

339. Humilitas regia eſt ad ſummas dignitates via; id quod haud obſcurè ex aquâ diſces; quæ ex uno colle præcipitata, alterum vicinum aſcendere cogitur cum dicto, DEFLUENS ELEVOR. Ovidius.

Humilit. exaltat.

Et magis exurgit, quo magis unda cadit. Ovid.

Oportet namque, aſſerente Doctore mellifluo, *humiliter ſentire, de ſe, nitentem ad altiora.* S. Hieronymus in encomiis S. Paulæ ait, *Minima fuit inter omnes, ut omnium major eſſet, & quantò ſe plus dejiciebat, tantò magis à Chriſto ſublevabatur.*

S. Bernard ſerm. 34. Cant. — S. Hieron. E. ad Euſtoch.

340. Aqua, canalis anguſtias egreſſa, mox vivo impetu versùs cœlum erumpit. Lemma. COHIBITA SURGO. Seu ut Academiæ Altoffienſi placet. FORTIOR E LATEBRIS. vel ANGUSTIIS ELEVATUR. Hinc diſces, animam noſtram, ut ad Deum contendat, à morborum, perſecutionum, aliarumve calamitatum anguſtiis maximum incitamentum recipere. Egregiè in hanc rem Joannes Climacus. *Quemadmodum coercitæ aquæ in altum exurgunt, ita ſæpè anima, periculis circumventa, ad Deum per pœnitentiam exurgit.* Et meus S. Proſper.

Perſecutiones ad Deum elevant. — Io. Climaci gradu 26. — S. Proſper. Epigr. de an guſta vita via.

Amplis incedit ſpatiis terrena voluptas
Anguſto virtus limite celſa petit.

Virtus proindè inter anguſtias ſive voluntariæ caſtigationis, ſive externæ perſecutionis, multùm adoleſcit ac ſublevatur; imò verò oculos ſuos tantò ſublimius ſuprà univerſum attollit, quantò arctiore adverſitatum ſorte comprimitur.

Virtus caſtigata.

341. D. Didacus Saavedra, ut demonſtraret, errores admodùm eſſe fœcundos, utpote è quorum unico complures ſemper emergunt; lapidem depinxit, qui in aquam projectus, ex aliis alios identidem innumeros circulos intra undas efformat: addito Hiſpano lemmate. DE UNO ERROR MUCHOS. ſeu, nî fallor, meliùs. AB UNO MULTIPLICES. Penè ad verbum S. Gregorius Nazianzenus.

Peccata fœcunda. — S. Greg. Naz.

Et lapidem ſi quis tranquillas mittat in undas,
Egregios turbat latices, vitiatque colorem,
Multipliceſq; orbes ſummâ naſcuntur in undâ.

Emblematis mentem explicant Juſtus Lipſius, *Licentia una*, inquit, *janua & aditus ad omne ſcelus.* S. Joannes Chryſoſt. *Semper ſcelera, dum non reſerantur, increſcunt, & in augmenta facinorum proſilitur.* Et S. P. Auguſtinus. *Ex voluntate perverſa facta eſt libido*

Lipſ. Centur. 1. Ep 73. — S. Io. Chryſoſt. ſerm. de Abſalon. — S Aug l. 8. Conf. cap. 1

libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.

342. Aquæ rivulus infra solem, in Leonis constellatione existentem, depictus, epigraphen tenet. GRATIOR ALGET. Innuit videlicet, sicuti refrigerantis aquæ, apud sitibundos nunquam majus habetur pretium, quàm dum intrà æstivos calores toto corpore uruntur; ita beneficia, inter egestatis ac calamitatum angustias collata, pluris, quàm aliàs unquàm, æstimari. In hunc sensum Salomon. *Sicut frigus nivis, in die messis, ita legatus fidelis.* Et rursùs. *Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus, &c.* Huc reflectens S. Ephræm Syrus, *Sicut aqua frigida* inquit, *in magnis caloribus sitienti: ita consolatorius sermo fratri in tribulationibus & angustiis ipsius.* Emblematis mentem meus Carducius hoc disticho explicat.

Beneficiū. Prov. 25. 13. Ibid. v. 25. S. Ephræm. de vita religiosa.

Gratior en alget rivus dum Syrius ardet;
Tempestivâ ita sunt munera grata magis.

Cui hos Jambos subjungit:

Ut rivus alget gratior sub Syrio;
Sic dona pluris æstimes, si congrua.

343. Aqua congelascens è canali suspensa hæret, cum lemmate. GELIDA NON FLUIT. Ita sanè Dives, avaritiæ frigore constrictus, nullam opum cumulatarum partem in egenos profundit. S. Asterius, *Corpus avari,* inquit, *non alitur: anima nihil lucratur; quia non exuberat à dextera ejus eleemosyna.* Et Hector Pintus. *Cor humanum absque amore Divino frigidum & gelatum est. Divino autem amore incensum liquescit, & funditur, omnibusque inopiis desiderat subvenire; unde ait in Canticis sponsa; Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est.*

Avarus. Asterius Hom. de Avaritia. Hector Pintus in cap. 5. Ezech. n. 37.

344. Rivulus, versùs arbusculi cujusdam radices fluitans, epigraphen tenet. ALIMENTA MINISTRAT. Patrisfamilias hoc paradigma esto, cui incumbit, filiis suis congrua optimæ educationis alimenta subministrare. *Quemadmodum Divinâ lege,* inquit Catechismus Pii V. *sancitum est, ut parentibus filii honorem debeant, ut pareant & obsequantur: sic parentum propria officia sunt, atque munera, ut sanctissimis disciplinis ac moribus filios imbuant.* S. Basilius Emblematis mentem ad jejunium trahens, *Pueri,* inquit, *velut plantæ virides, jejunii aquâ irrigentur.*

Educatio. Catech. Pii V. Basil. Hom. 2. de jejunio.

345. Aquâ, ingenti copiâ ac nimio impetu versùs hydromylam præcipitata, illam non modò non circumagit; sed frangit, ac demolitur. Lemma. FATIGET, NON RAPIAT. Sic studiis eousque habenas laxemus, ut laborem quidem sentiamus, nullum tamen sanitatis aut vitæ dispendium nobis exindè creemus. Providè Demetriadem suam imbuens S. Hieronymus, *Sit ipsa lectio,* inquit, *temperata, cui finem consilium, non lassitudo imponat; nam studium intemperans lectionis in reprehensionem cadit; & quod laudabile est in genere suo, fit nimietate sui culpabile.*

Studere moderatè. Hier. Ep. ad Demetriad.

346. Quidquid has terras incolit, asserente Abbate Certano, caducum, ac instar rivuli fugitivum est, qui obvia florum herbarumque latera lambit, & lambendo aufugit; Nimirùm. LAMBIT, ET LABITUR. S. Ambrosius. *Itaque inanes & vanæ rerum species tanquam in somno venerunt, abierunt, astiterunt, evanuerunt, circumfusæ dispersæ sunt: teneri videntur: & non tenentur.*

Delitiæ mundi. Ambros. Epist. 44.

347. Aqua sordes omnes, è lotis manibus abstersas, in se recipit, & ut Joannes Baptista Mazzolenus ait, RECIPIT, QUAS DILUIT. Compluribus solenne est, eadem vitia, quibus ipsimet contaminati sunt, in aliis reprehendere. Adversùs istos D. Paulus, *Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis.* Unde in Vitis Patrum Abbas Astor, *Si quis docet aliquid, & non facit quod docet, similis est puteo, qui omnes ad se venientes satiat, & sordes delet, se ipsum autem purgare non possit, sed omnis spurcitia & immunditia in eo est.*

Correctores frigentes. Rom. 2. 21. Vitæ Patrum l. 5. c. 10.

378. Juvenilis ætas tenuem aquæ rivulum imitatur, qui præeuntis digiti vestigia undique insequitur, cum lemmate. QUA DUXERIS SEQUITUR. Penè ad verbum S. Hieronymus. *Ut aqua in areola digitum sequitur præcedentem: ita ætas mollis & tenera, in utramque partem flexibilis est, & quocunque duxeris, trahitur.*

Juventus. S. Hier. Ep. ad Gaudent.

349. Lucarinus S. Petrum, inverso corpore cruci affixum, delineaturus, aliquot domos, lacui vicinas depinxit; qui illarum imagines, in se reflexas inversâ figurâ proponebat cum lemmate. AT IMAGO PER INVERSUM. Enimverò Petrus moriturus, genuinam servatoris sui imaginem in se expressit, dum, Christi capite versùs cœlum in crucem fixo, ipse, ceu illius umbra & imago, caput suum deorsum suspendi voluit. Didacus Baeza. *Quando,* inquit, *aliquis in sublimi vertice consistit: umbra, quæ ab ejus corpore fit, cadens per declive, inversam prorsùs repræsentat figuram, inversisque vestigiis exprimit corpus illud, cujus est umbra. Itaque Crux, ut Petrum accepit, tantam illi gloriam dedit, ut esset umbra expressissima Christi Domini, quem in vertice Calvarii crucifixum, necesse erat, ut umbra exprimeret, inversis omninò vestigiis.*

S. Petrus Crucifixus. Didac. Baeza Tom. 1. in Evang. l. 3. c. 4. §. 1.

350. Joannes Ferrus Prælato benefico, & in gratiis dispensandis liberali, Emblematis loco aquam, è vase diffusam, offert; addito lemmate. ET LATE DIFFUNDITUR. Cassiodorus, *Pietate plenum est,* inquit, *peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, & non tantùm consanguineos ad substantiæ lucra mittere, quantùm ipsos quoque advenas invitare.* Cumprimis tamen Gratia Divina *latè diffunditur;* siquidem *Pater cælestis solem suum oriri facit super bonos & malos; & pluit super justos & injustos.* More suo præclarè Doctorum Phœbus, *Istum panem,* inquit, *quo venter impletur, videtis Deum dare non solùm laudatoribus suis, sed etiam blasphematoribus. Laudas, pascit te: blasphemas, pascit te: ut pœnitentiã agas, expectat te: sed si te non mutaveris, damnat te.*

Prælatus beneficus. Cassiod. l. 12. Var. Ep. 9. Gratia Dei. Matth. 5. 45. S. Aug. serm. 48. de Divers. cap. 6.

351. Aquas, è vento agitante turbatas, hoc lemmate notârunt; CESSANTE CLARESCUNT. Conscientiæ nostræ id solamen esto, quæ, tentamentis ac peccandi occasionibus sublatis, ad pristinam serenitatem reverti permittitur. Appositè S. Cromatius. *Non fit mare tranquillum, nisi cessaverint venti: sic nec animus erit mitis, & quietus, nisi ea, quæ exsuscitant & inflammant, fuerint abdicata.*

Occasiones. S. Cromat. l. de 8. Beatit.

352. Aquæ rivulus, in medio suo decursu per angusta transversæ cujusdam craticulæ foramina manans, epigraphen tenet. NE SORDESCAT. Emblema hoc fuerat Juliani Pozzobonelli, Servitarum Magistri, & Academici inter Electos Restricti: eoque forsan innuere volebat, veluti perforatæ illius laminæ beneficio omnis illuvies excluditur, nec nisi aquis limpidis ac purissimis transitus patet; ita sibi decretum esse, arctum regularis disciplinæ claustrum subire, sicque animam suam ab omni mundanâ sorde præservare. Atque adeò si vitiorum colluvie immunem te volueris, omnem mundo ac dœmoni aditum obstruas, necesse est. Prolixè ac eleganter in rem præsentem S. Augustinus. *Claude ostium tuum, ne tentator ingrediatur. Tentator non cessat tentare ut irrumpat, si clausum invenerit, transit. Quid est autẽ*

Clausura utilis. S. Aug. in Psal. 141.

claudere

claudere ostium? hoc ostium tanquam duas habet valvas, cupiditatis & timoris. Aut cupis aliquid terrenum, & hac intrat. Aut times aliquid terrenum, & hac intrat. Timoris ergo & cupiditatis januam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? cupiendo regnum cœlorum, timendo ignem gehennarum, &c.

Simon Majolus Dierũ Canicul Colloq. 13. & 22

353. E Simonis Majoli doctrina, alicubi aquæ è scaturigine sua ebullientes & adeò calidæ reperiuntur, ut nonnunquam copiosæ ac vivaces flammæ intra illas discurrere sint visæ. Hinc nonnemo Emblematis ansam sumens; aquam, flammis è superficie respersam, depinxit; cum lemmate, MUNDAT, ET URIT. Aquam hanc fervidus Prædicator prototypi loco sibi habeat, ut qui conscientiæ munditiem, & pietatis calorem in auditorum suorum cordibus cumprimis fovere studeat. Geminam hanc virtutem à Spiritu sancto in fidelium corda diffundi, ex illo Ecclesiæ suspirio liquet; *URE igne Sancti Spiritûs renes nostros & cor nostrum Domine, ut tibi casto corpore serviamus, & MUNDO corde placeamus.* Talis denique vindicans boni Principis Justitia, simul & in sceleratos animadvertit, & Provinciam ab hac hominum fæce expurgat. Idipsum in rem præsentem de calamitatibus, in hoc mundo sustinendis pronuntiat S. Augustinus *Patientia necessaria est, quamdiu veniat quod promissum est. Medicus exerit ferrum ad secandum vulnera, & dicit ei, quem secturus est, patiens esto, sustine, tolera; in doloribus exigit patientiam, sed post dolores promittit salutem.*

Prædicator.

Spiritus S.

Justitia vindicativa.

Calamitates.

S. Aug. in Psal 91.

354. S. Thomas Villanovanus, ne egenos vitæ alimenta deficerent, sese ad extremam penuriam opibus omnibus exhauriri voluit. Facinus adeò heroicum nonnemo Emblemate significaturus, aquam depinxit, quæ ad irrigandas herbas in campos effusa, se ipsum perdit & absumit; addito lemmate. DEFICIT, UT ALAT. Mens illa generosa etiam in Alexandri V. Pontificis Maximi, pectore locum obtinuit, qui bonis omnibus in pauperes erogatis, amicis suis dicere solebat, *se olim divitem Episcopum fuisse* (dum nimirùm Novariensi Ecclesiæ præerat) *Postea Cardinalem factum eguisse; atque dein Pontificatu ornatum, ad mendicitatem penè redactum esse*; uti de ipso refert Baptista Fulgosus. Nimirum uterque hic Eleemosynarius haud dubiè cordi impressum habebat illud Magni Augustini effatum. *Illi dant pretium redemptionis animæ suæ, qui non cessant eleemosynas facere.*

Eleemosynarius.

Bapt. Fulgos. lib. 4.

S. Aug. in Ps. 48. Conc. 1

355. Gratiæ & favores, quos Illustrissimus D. Antonius Longus, etiamnum Cremensium Prætor, optimâ fide, nullisq; muneribus aut proprio quæstu lacessitus in suos subditos cumulatè distribuit; crystallino aquæ rivulo fuêre repræsentati, cui, per rupem defluenti, inscripserunt. LIMOSE NUNQUAM. Hæc Fr. Lucretii Borsati imago, quam inter cætera symbola Panegyrica in honorem Prætoris illius Cremensis edidit, etiam S. Hilario propria est, qui doctrinæ suæ fluenta nullo unquam vel minimo errore turbata habuit; testante S. Ecclesia. *Multos libros scripsit mirâ eruditione; quos omnes S. Hieronymus ad Lætam sine ulla erroris suspicione legi posse testatur &c.* Omnium tamen optimè Mariam Virginem hoc Emblema spectat, quæ nec minimâ unquam ullius vitii sorde fuit temerata; Pulchrè S. Thomas. *Potest aliquid creatum inveniri, quo nihil puri is esse potest in rebus creatis, si nullâ contagione peccati inquinatum sit; & talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato originali & actuali immunis fuit.*

Gratia sine quæstu exhibita.

Sapientia sine errore.

Brev. Rom. 14. Ianuar.

Puritas. M. V.

S Th. in 1. Sent. dist. 44 quæst. unica art. 3. ad. 3.

356. Ea est aquarum indoles, ut otiosæ languescant, fastidium pariant, residesque ac emortuæ penitus corrumpantur. Si Senecam consulas, *Aquæ inutiles pestilentesque in abdito latent, ut quas nunquam usus exerceat, nunquam aura liberior verberet*; ut adeò aquas, vento agitatas, hoc lemmate sat opportuno notaverim. NE VITIUM CAPIANT. Ex Ovidii sententiâ.

Senec. lib. Natural. quæst. c. 2.

Et vitium capient, ni moveantur aquæ.

Ovid.

Verissimè adeò pronuntiat S. Bernardus, *Otiositas mater est nugarum, & noverca virtutum omnium: ipsa enim est, quæ virum fortem fortissimè præcipitat in reatum.* Porrò Deus Justorum mentes, ceu aquas, assiduis calamitatibus jactat, ut vel sic à putredine ac vitiorum inertiâ præserventur. Breviter S. P. Augustinus. *Molestiis exercitata vita justorum, splendidius enituit.*

Otium.

S. Bernard de Consid. lib. 2.

Calamitates præservant.

S. Aug. de Nat. & Grat. cap.

357. Aqua ideò cumprimis ad irrigandam arboris radicem ab olitore derivatur, ut fruges suas felicius ac copiosius eniti queat; unde lemma. UT FRUCTUM PROFERAT. Ita sanè recentes fidelium plantulæ ideò solum doctrinæ Christianæ aquis asperguntur, ut olim uberes virtutum fructus proferant. *Hoc quippe*, inquit S. Thomas Villanovanus, *facit lectio sancta in corde, quod aqua in arbore, radicem voluntatis humore spiritûs irrigat, ut tempore suo fructus bonorum operum grandes emittat.*

Lectio ac doctrina spirituali irrigat.

S. Thom. V. Conc. 2 de Nicolao.

358. Henricus Engelgrave aquas, è situlâ in canalem effusas depinxit; addito Ovidii lemmate. PLENIOR UNDA DEFLUET. fons enim aquas, per canalem in situlam dispensatas, postea longè majore copiâ ex illo recipit. Eos, qui eleemosynis erogandis student, hoc Emblema delineat; quippe qui fortunas suas, in pauperes distributas, nunquam deficere, sed semper, quasi collibo, augescere experiuntur. Salomone teste, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*; cui Christus firmamentum addidit, *Date & dabitur vobis, Liberale est officium*, inquit Tullius, *serere beneficium, ut possis metere fructum*, Et S. Clemens Alexandrinus. *Largitio bonus est fons benegnitatis, & potum sitientibus communicans rursùs augetur & repletur &c.*

Eleemosynarius.

Prov. 19. 1

Luc. 6. 38.

Cicero.

S. Clem. Alex. l. 3. Pædag. c. 1.

359. Tametsi exigua aquæ portio intra lebetem fundatur, ea tamen ab ignis suppositi calore rarescens, ad dimensionem adeò vastam excrescit, ut supra vasis labra ebulliat. Epigraphen P. Henricus Engelgrave addidit. EXUNDAT, NEC ABUNDAT. Ita, inquit ille, omnia mundi bona plurima quidem ac cumulata humanis oculis apparent, quæ tamen, si integrâ fide spectentur, rarissima ac penè nulla sunt. S. Augustinus. *Christianus homo*, inquit, *non debet abundare, sed pauperem se debet agnoscere; Et si habet divitias, scire debet, quia non sunt illæ veræ divitiæ, ut alias desideret: qui enim divitias falsas desiderat, veras non quærit; qui autem veras quærit, adhuc pauper est.*

Bona mundi.

S Aug. in Psal. 122.

360. P. Gambertus de aquis, intra fontis craterem, veluti in carcere conclusis, simulque hyemis inclemétiâ congelatis, ait, eas sibimet injecisse vincula, suique ipsius esse captivas. Unde lemma. CAPTIVA SUI. Hanc ideam illi assequuntur, qui sponte sua vel corporis castigandi rigores suscipiunt; vel proprii sui intellectûs, judicii, aut discursûs acumina in sanctæ fidei obsequium cogunt; congruè nimirum ad illud Apostoli. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Nam, Magno Augustino teste, *quod humana ratio non invenit, fides capit; & ubi humana ratio deficit, fides proficit.*

Anima religiosa & fidelis.

2. Cor. 10 5

S. Aug. ser. 61. de Diverʃ. cap 1

361. Aqua, occultis artificiis coacta, vivaci impetu è fontis siphone versùs cœlum erumpit: mox tamen, ubi supremum gresſûs sui terminum attigit, proprio

proprio pondere depressa recidit, viâque rectâ in terram delabitur. Emblemati subscribes. EX ALTO IN PRÆCEPS. En genuinum miserrimæ conditionis humanæ typum! hæc enimverò ad dignitatis, divitiarum, & gloriæ fastigium sublevata, quid nisi ruinas, lapsus, ac præcipitia expectet? Expertus id David, *Exaltatus autem*, inquit, *humiliatus sum & conturbatus.* Dilucidè Divinus Vates, *Incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum:* Et rursùs, *Excelsi staturâ succidentur, & sublimes humiliabuntur.* S.P. Augustinus. *Ipsi sunt, qui malè cadunt, qui spem suam in hoc sæculo ponunt.* Ad Emblematis mentem plurimùm confert Poësis Lyrica Josephi Baptistæ.

[..]elicitas [m]undi [c]aduca.

Ps. 87.16.

Isai 2. 17. Isai 10.33.

S. August. in Ps. 30. Conc. 3.

Ioseph Bapt. [..]. delle Poesie Meli[ch]

Pirro non superbir, che quando aletta
Fortuna ingiuriosa, all'hora offende.
Ogni splendor di mondo occaso attende,
E volo altero il precipitio aspetta.
Nitroso ardor, che per l'aerie strade
Veggiamo seminar lucidi oltraggi,
Quando s' inalza troppo, all'hora cade.

362. Aqua per campi clicem ad sitibunda gramina irriganda decurrens, eandem à P. Gamberto epigraphen recepit, quam jam olim Claudianus Nilo pronuntiavit. SALUS SITIENTIBUS. Ita nimirùm charitas suam opem in eos præ aliis effundit, quos majore egestate pressos novit. *Eleemosyna*, inquit S. Bernardus, *nisi indigenti, danda non est; exemplo naturæ, quæ corporalibus membris secundùm eorum necessitatem distribuit cibum; terræ quoque sitienti aqua utilis est, &c.* Ælianus miris encomiis extollit Theoclem, Thrasonem & Prassum, quod relevandis civibus copiosas divitias in extrema egestate distribuerint.

[El]eemosynarius.

[Be]rnardin [S]en. Tom. [..]m. 7.

Ælian. l. 14. [..] c. 24.

363. Homo charitatis studiosus, & in id unum incumbens, ut aliorum egestatem ope ac refrigeriis sublevet; authore P. Carolo Bovio, vasis emblemate, in medio horti collocati, depingi potest; in quo sedulus olitor magnam aquæ copiam, floribus irrigandis, habet reconditam: epigraphen addidit, CONCREGAT, UT DISPERDAT. Fortassis edoceri cupis, quî semper, etiam pauperrimus, erga egenos possis esse dives, eorumque necessitati succurrere? Consilium audi Magni Augustini. *Justus qui non habet extrinsecus facultatem, habet intrinsecùs charitatem: etenim si habet foris facultatem, dat ipsa charitas, quod habet: si autem non invenit foris, quod det, dat benevolentiam, dat consilium, præstat auxilium, si potest. Ad extremum si nec consilio, nec auxilio adjuvare potest, vel voto adjuvat, vel orat pro contribulato: & fortè magis ipse exauditur, quàm qui porrigit panem. Habet semper unde det, cui plenum pectus est charitatis.* Hanc virtutem admodum familiarem, & quasi domesticam habuit S. Ignatius Loyola, de quo Bovius canit.

[C]aritas [..]i pro[..]um.

[A]ug. in Ps. [..]6 Conc. 2.

Exiguam, pauper, quam corrogat, erogat idem
In populi turbas largus egentis, opem. &c.

Verissimè adeò, *habet semper unde det, cui plenum pectus est charitatis,* uti paulò ante ex S. P. Augustino retuli.

364. Idem Bovius bombylium mathematicum cum siphone, ad illius umbilicum prominente, ac copiosas aquas eructante, expressit: addito lemmate. CUM CALET, EXILIT, Quasi diceret, ibi demùm lachrymarum rivulos versùs cœlum sublevari, quando pietatis ac devoti animi calore effervescunt. Certè Maria Magdalena in planctus soluta est, quia *dilexit multùm.* S. P. Augustini cor, amore erga Superos undique accensum, uberes effudit lachrymas. Eandem caloris Divini virtutem sensère S. Ignatius Loyola, S. Carolus Borromæus, aliique complures. Opportunè in rem præsentem S. Anselmus, *Nares Dei*, inquit, *inspiratio ejus in corda fidelium, ut est illud in libro Regum; ascendit fumus de naribus ejus, id est, lachrymosa compunctio pœnitentium in inspiratione ejus.*

[L]achrymarum[..]

S. Anselm. l. de vestim. & membris Dei apud P. Velazq. in c. 3. ad Philipp. v. 18 n. 22.

365. Aqua ab aëre, intra canales attrahente, ex imo putei alveo in sublime levatur. Emblemati subscripsit Bovius. SPIRITUS INTUS AGIT. Innuebat nimirùm, eos, qui Divino spiritu sunt pleni, ad ardua quæque negotia ultrò animari. Christus referente S. Matthæo, vix baptismatis fonte tinctus, *ductus est in desertum, ut tentaretur à diabolo.* Nec verò hanc luctam sine præviis viribus aggrederetur, Spiritum sanctum, dum abluebatur, suprà se visendâ forma præsentem habuit. De hoc P. Franciscus Maldonatus. *Simul atque baptizatus est, & Spiritus sanctus super eum descendit, in desertum secessit; fortasse Spiritûs sancti, qui super eum descenderat efficacitatem ostendere voluerunt Evangelistæ, hoc enim spiritu plenus Christus, sese ad pugnam accinxit. &c.* Unde etiam homo, si Spiritum S. acceperit, mox è terra sublevari, suumque Creatorem attingere cupit. S. Augustinus. *Qui Spiritum S. recepit, non est temporalibus voluptatibus servus, sed Dominus corporis factus, & servus Creatoris.*

Spiritus S. animat.

Matth 4. 1.

Fran. Mald. in hunc loc.

S Aug. serm. 44 de diverſ. cap. 1.

366. Joannes Baptista Mazzolenus plurima diversæ majoris & minoris formæ vasa, rotunda, octogona, & ovata circùm fontem statuit; asserens, quod aqua, vel alius liquor, FORMÆ SE ACCOMMODAT OMNI. Hâc Emblematis mente quemquam è familia Fontana magni nominis virum insigniebat, qui suam loquendi peritiam ad omnium ingenia, conditiones, & naturas exactè componere noverat; veluti illam S. Laurentii Justiniani parænesin cordi suo incisam tenuisset. *Transformemur in singulos, communicemus nos omnibus, ita ut illud Apostoli compleatur in nobis: omnibus omnia factus sum.* Cæterùm bonus Magister, ut discipulorum profectui tantò melius studere queat, eorum genio & captui sese in dispensandis sapientiæ suæ aquis, quantùm fas est accommodare debet.

Conformari aliis.

S. Laur Iust. de triumphali Christi agone cap 4.

Magister.

367. Aqua, è salso mari ad superiorem aëris regionem sublevata, in nubem concrescit, &, excoquente sole, dulcis relabitur. Unde lemma. DULCIOR INDE REDIT. S. Petri hæc imago est propria, qui è mari ad Apostolatûs fastigium elevatus, universum orbē suavi ac Divinâ sacri Evangelii pluviâ irrigavit. Porrò homo, è mundi amaritie ad vitam religiosam evectus, tandem ita in virtutibus solidatur, ut omnes passim suavissimâ boni exempli dulcedine perfundat. Et appositè quidem mundum maris nomine intelligere licet; nam magno Augustino teste, *Mare est mundus amarus salsitate, turbulentus tempestate, sæviens fluctibus persecutionum.* Certè idem Augustinus, ex hoc vitiorum pelago ad fidei orthodoxæ fastigium ascendens, dulcedinem adeò miram distillare cœpit, qualem hodie etiamnum S. Ecclesia suis fidelibus indies gustandam proponit; unde hæ ipsius voces; *A stulta sæculi amaritudine me eruisti, atque adhibitâ tuæ dulcedinis charitate, mellifluum reddidisti.*

S. Petrus.

Religiosus.

S. Aug. in Psal. 65.

S. Augustini conversio.

S. Aug. lib. Medit. cap. 1.

368. Sicuti tranquilla ac pellucida aqua minimos etiam lapillos arenulasve funditùs spectandas exhibet, ita turbida nihil penè fideliter repræsentat. Unde lemma. OCULIS NIL TURBIDA PRÆSTAT. Hinc disces, tentationis tempus consiliis suscipiendis penitùs ineptum esse; tentatio enim mirè perturbat, atque ad res suis momentis ponderandas planè inhabilem reddit; juxta illud Davidicum,

Tentatio ad consilia suscipienda est inhabilis.

Psal. 39. 13. cum, *Comprehenderunt me iniquitates meæ & non potui ut viderem.* Proinde eâ ingruente nihil unquã de veteri instituto propositove immutandum est, donec conquiescat aqua, subsidat lutum, redeat animo limpiditas, omniaque perspicua fiant. Commendant hoc magnoperè cùm alii vitæ spiritualis duces, tùm S. Ignatius in regulis, quas ad discernendos diversos hominum spiritus tradidit, ubi etiam hanc rationem adfert. *Quemadmodum dum fruitur quis consolatione, non proprio suo, sed boni spiritûs instinctu regitur: ita obversante sibi desolatione, agitur à malo spiritu, cujus instigatione nihil unquàm rectè conficitur.*

S. Ignat. l. Exerc. spir. Reg. 5.

Mundus inebriat.

369. Lyncestis aqua, quam Acidulam vocant, instar vini temulentos facit. Lemma. DEMENTAT INANIS. Ita vanissimus mundus suos asseclas adeò omni ratione destituit, ut & propriæ salutis, & boni æterni obliviscantur. *Vita mortalis*, inquit S. Augustinus, *infinitam stultorum multitudinem aureo calice, quem in manu habet, inebriat.*

S. Aug. lib. Medit. c. 21.

BULLÆ.

Res mundi

370. Bullæ nonnunquam in undarum tumentium superficie vix enatæ, mox disparent; dignæ proindè, quibus inscribas; TUMESCUNT, ET INANESCUNT. Hâc ratione, quidquid superbè ostentat mundus, bulla est. Verissimè Petrus Cellensis. *Currit, fluit, labitur, & evanescit quidquid unquam habere potest mundanus usus.* S. Nilus, *Omnia mundana*, inquit, *umbra, & fumus, & bullæ sunt.* Et S. Gregorius Nazianzenus. *Nihil eorum, quæ mixta concretaq́ sunt, semper eodem statu permanet. Exiguum ad tempus, Bullarum ad instar, spiritui nostro circumjacentium, est corpus. Mox autem extinguitur, nullo in vita hujus tumoris relicto vestigio.* Denique his omnibus superior Salomon, *Spes impii*, inquit, *tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquàm spuma gracilis, quæ à procella dispergitur.*

Pet. Cell. l. 5. Ep. 13.
S. Nil. Paræne s. n. 221.
S. Greg. Naz. Orat. 1. de paupert. amanda.
Sap. 5. 15.

371. Bullas illas mirâ colorum varietate perpictas cernere licet, quas pueri, ex aqua & spumante sapone formatas, jucundo quidem, sed brevi spectaculo inflant: tanta enim est illarum venustas, ut simul & florum elegantiam, & gemmarum pretium, totamque superbam Iridis cœlestis pompam in se solis, veluti compendio, ostentare videantur. at quamdiu, obsecro, hic splendor obtinet? nimirùm, afferente Carolo Rancato, DUM NITET, CADIT. Bullis concolor est omnis mundi forma, dignitas, ac gloria, quæ quidem apparentis splendoris plurimùm, stabilitatis verò nihil continet. Testem habeto S. Gregorium Papam. *Carnalis gloria DUM NITET, CADIT.* S. Augustinus. *Hujus vitæ felicitas temporalis est, ab hac vita incipere, necessitatis est, in ea persistere, voluntatis.*

Mundana felicitas.
S. Greg. Pap. l. 16. Moral. cap. 5
S. Aug. Epist. 120. cap. 2.

372. Bulla vocatur tumor ille perexiguus, qui ex stillicidiis in aqua natus, aut ex aqua aut sinegmate confectus, eâdem facilitate, quâ gignitur, iterùm resolvitur; ibi potissimùm, cùm maximè excrevit, diversis fulgens coloribus. Eam proinde meus Concanonicus, D. Alexander Luzon de Miilares hoc lemmate spectandam proposuit. DUM SPLENDET, FRANGITUR. Genuinam hanc felicitatis humanæ effigiem dixerim: fatalem enim mundana omnia chrisin habent, & non modò annum, sed diem, horam, imò momentum climactericum. Certè omnia fortunæ & ambitionis mancipia meritò formidare debent unicè climactericum illum annum, horam, vel momentum, in quo gratiâ, divitiis, vel dignitate maximè splendent. Homo enim non potest fixè & immobiliter, in gradu suo persistere: cum ad summum pervenit, descensus aut ruina illum expectant.

Felicitas mundi.
Bona mundi caduca.

Quando Amanni fortuna potissimùm splenduit, subitò miserrimam passa est ecclypsin; *Necdum verbum de ore ejus* (Regis Assueri) *exierat, & statim operuerunt faciem ejus*; Persarum enim more homini mortis reo, facies velabatur. Necdum verbum de ore Regis exierat, & bulla maximè splendescens evanuit. Verissimè Seneca. *Non est ista solida & sincera felicitas. Crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & arbitrium suum ostendi, nitent & imponunt. cùm aliquid incidit, quod disturbet ac tegat, tunc apparet, quàm alta ac vera fœditatis alienus splendor absconderit.* Suspecta semper fuerat Didaco Areas, Joannis Castiliæ Regis Cubiculario, summa apud Principem gratia, & ridentis fortunæ favor; unde clavum sibi optare consueverat, cùm ut instabilem Principum gratiam, ne fugitiva posset avolare, affigeret; tum ut fortunæ rotam detineret, ne, quem in sublimi locavit, ad ima deprimeret.

Esth. 8. 1
Seneca li. Provid. c.

373. P. Jacobus Masenius bullam, in mari tumescentem, hoc lemmate notavit. ET LEVIS, ET BREVIS EST. Ita qui in aulis subitò inflantur, & arroganter extolluntur, mox mutante fortunâ, in pristinum suum nihilum recidunt. Probè res omnes mundi caducas & leves perstringit Magnus Augustinus. *Vana sæculi hujus, si inexperta concupisti, experta contemnas. Fallax est enim in eis suavitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas. Initium sine prudentia, & finis cum pœnitentia.* Ita se habent omnia, quæ in ista mortalitatis ærumnâ cupidius, quàm prudentius appetuntur. Id quod longè maximè de brevi ac transitoria hominum vita intelligas velim. Unde idem Doctorum Phœbus, *Etsi*, inquit, *longa videatur ætas, cùm venerit mors, convincitur brevis, quia finitur.*

Principũ favor brevis.
S. Augu. Epist. 81
Vita humana.
S. Augu. Psalm. 1.

AQUÆ DISTILLATÆ.

CAPUT XXII.

374. Aquæ, ex herbis, aliisque rebus eliquatæ, oculis nostris sese colore ac formâ omninò similes exhibent, quas tamen virtute longè dissimillimas experimur. Unde Aresio authore, illis inscribes. VIS AB ORIGINE PENDET. Ita Principis virtus non à dignitatis majestate, sed à propria indole, quæ ipsi ex natalibus & bonâ educatione obtigit, originem suam trahere solet. Dilucidè Horatius.

Natale. Educat.
Horat. li. 4. Carm. O. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec inbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

S. Hieronymus Lætam de filia instituenda erudiens, *Difficulter*, inquit, *eraditur, quod rudes anni perbiberunt, lanarum conchylia quis in pristinum candorem, revocet? recens testa diu & saporem retinet & odorem, quo primum imbuta est.* Certè Salomon, hominum omnium sapientissimus, optimam naturæ temperiem ex ipso matris utero sese traxisse testatur. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.*

S. Hiero Epist. 7 ad Latam.
Sap. 8. 1

375. Eidem Emblemati subscribes. VIRES DIVERSÆ LATENT. Tales omninò Sacræ Baptismatis aquæ, lachrymarum fontes, & scatebræ illæ sacratissimæ, quæ è Divino Christi latere profluxerunt. Certè aqua, è Crucifixi latere manans, vires exeruit adeò ingentes ac diversas, ut restituendo toti humano generi sufficerit. Unde S. Aug. *Percussit latus lanceâ persecutor, & fudit pretiũ redemptor. Hic sanguis inebriat*

Baptismus. Lachrymæ. Aqua Christi latere manans.
S. Aug. Cant. c. 4.

inebriat mentem, ut amorem obliviscatur mundi. Hæc aqua mundat animam, ut corpus sordibus careat diaboli. Cæterùm Emblematis hujus mentem de S.Evangelio interpretari licet, quippè quod, instar liquoris distillati, omnem veteris legis sensum ac virtutem in se complectitur.

chrymæ agdale-| tium. 376. Aquam vitæ hoc lemmate insignierunt. LATET IGNIS IN UNDA. Sanctam Mariam Magdalenam hæc imago repræsentabat, intra cujus lachrymas copiosæ amoris Divini flammæ erant absconditæ. Cæterùm in liquore illo adusto, cujus externa facies quidem aquea, re ipsâ tamen meros ignes intra se fovet, genuinam vitii effigiem cernere licet, ut quod non rarò pulcherrimam virtutis formam induere novit. Verissimè Juvenalis. *venal.sat.*

Fallit enim vitium, specie virtutis & umbrâ.

etractor verba cata. Pressius tamen eo Emblemate Detractor, vel etiam maligna illorum benevolentia significatur, qui sub verbis, melle ac suavitate obductis, toxicum, merosque ignes propinant; imò tanta horum est malitia, ut nonnunquam animi commiserantis indicia in vultu effingere, vocemque suam lachrymis ac mœrore distinguere norint. In hos sycophantas egregiè S.Bernardus. *Videas*, inquit, *præmitti alta suspiria, sicque quâdam cum gravitate & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quam malitiosè proferri.* *ern. in.24 in ntica.*

criptu- 277. Aqua vitæ in quantitatem quidem minorem comprimitur, sed vires, eò ampliores sortitur, quò magis adusta sublimatur. Unde lemma. VIS IN MINORI MAJOR. In hunc sensum de S.Evangelio ait D.Gregorius, *Sancti Evangelii brevis est lectio recitata, sed magnis mysteriorum ponderibus gravida.* Verùm non sola duntaxat sacra Biblia pauculis verbis innumera mysteria & immensam sapientiæ vim comprehendunt; sed ipsum quoque suavissimum nomen Jesu intra duas tantummodo syllabas innumera arcana, & sacramenta gravissima habet recondita; S.Bernardinus Senensis, *Nomen Jesu*, inquit, *breve syllabis, leve prolatione sermonis, grave sententiis, superefffluit & redundat ineffabilibus Sacramentis. Omnia quæcunque Deus pro salute humanâ ordinavit, in Jesu nomine comprehenduntur.* *reg.hom. Evang.* men SU. *rn. Sen. .serm.*

378. Aqua, nonisi distillata & propè adusta, morbis medetur. Unde lemma. SANAT, vel FRAGRAT ADUSTA. Sanctos Martyres thaumaturgos, eos præsertim, qui igne interfecti sunt, hoc Emblema spectat; qualis erat S.Afra Martyr & Patrona Augustana, innumeris miraculis hodie etiamnum conspicua. Porrò anima, charitatis Divinæ igne succensa, odorem supremo Numini suavissimũ exhalat, suaque fragrantiâ, veluti holocausto, spiritus cœlestes recreat. S.P.Augustinus. *Holocaustum est quidam ignis flagrantissimæ charitatis. Animus inflammetur charitate, arripiat eadem charitas membra in usum suum, non eâ permittat militare cupiditati, ut totus exardescat igne amoris Divini, qui vult offerre Deo holocaustum.* tyr. ritas. *g. in .49.*

M A R E.

Cap. XXIII.

379. MAre, solem supra se collocatum ostentans, epigraphen tenet. NUNQUAM SICCABITUR ÆSTU. Talia magnorum Principum æraria sunto, quæ bellorum æstu, quantumvis accerrimo, nunquam exhauriantur. Certè S.Ecclesia, & fides orthodoxa inter crudeles persecutionum ardores nihil unquam imminuuntur. Unde S.Augustinus, *Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis.* Cæterùm etiam misericordia Divina, instar vastissimi maris inter humanæ malitiæ ardores nec minimum deficit. Ærarium inexhaustum. S.Ecclesia. *S. Aug. in Psal.60.* Misericordia Dei.

Mundi symbol. Picinelli & Aug.Erath.Tom.I.

380. Animum, divitiis, studiis, aut vitutibus nunquam exsaturandum, è maris Emblemate dignoscere licet; addito Aresii lemmate. NON DICIT, SUFFICIT, vel è D.Caroli Rancati sententiâ, NEC SATIATUR AQUIS. Ad verbum Ovidius. Animus insatiabilis *Ovid. l 8. Metam.*

Utque fretum recipit de totâ flumina terrâ,
Nec satiatur aquis, peregrinosque ebibit amnes. Avaritia.

Nativus hic avaritiæ color est, de quâ S.Nilus. *Nec multitudine fluminum mare, nec divitiarum copiâ avari animus expletur.* *S Nil. Orat. de Avarit.*

381. Mare tranquillum suavibus undarum crispis sese ad litoris arenas insinuat, eaque placidè lambit; cum dicto. OSCULATUR LIMITES. De Religioso id intellexeris, qui regularis claustri aut cellæ angustias lætis ac suavissimis brachiis amplectitur; ad id argumentis minimè vulgaribus hortatur meus Thomas Kempensis. *Si vis cordetenùs compungi, intra cubile tuum, & exclude tumultus mundi, sicut scriptum est, In cubilibus vestris compungimini; in cellâ invenies, quod deforis sæpè amittis. Cella continuata dulcescit, & malè custodita tædium generat. Si in principio conversionis tuæ benè eam incolueris & custodieris, erit tibi postea dilecta amica & gratissimum solatium.* Religiosus pacificus. *De Imit. l. 1. c. 20.*

382. Si Philosophis quibusdam habeatur fides, tota maris salsedo ab uno solis æstu & ardore generatur. Unde Abbas Ferrus mari, & infra solem depicto, inscripsit. AD OGNI SUO CALOR, CRESCE L AMARO. Id est, AB ÆSTU AMARITIES. Hanc maris indolem in sceleratis videas, qui in nequitiis suis tantò gravius amaricantur, quò majorem charitatis ac beneficientiæ ardorem Deus in eos accumulat. Eodem Emblemate etiam amor carnalis ac profanus repræsentatur; enimverò sicuti Divinus amor totus tranquillus ac melleus est, ita vicissim ille, quò firmiores in corde humano radices egerit, tantò plus amaritiei, turbarum, ac fluctuum generat. Divinè prorsus S.P.Augustinus, *Amor tuus*, inquit, *suavis & quietus est. Nam pectora, quæ possides, dulcedine & suavitate, & tranquillitate reples. At contrà amor sæculi & carnis anxius est, & perturbatus, animas certè, quas ingreditur, quietas esse non patitur.* Ingrati. Amor carnalis. *S. Aug. lib. Medit. c.35.*

383. Mare tranquillum sub stellato ac sereno cœlo epigraphen tenet. COELI REFERT IMAGINEM. Hinc subditi discant, quantùm Dominis suis conformes se exhibeant, eorumque mentem & agendi rationem in se, veluti in speculo, repræsentent. Porrò Religio aut alia quævis communitas, dum sanctâ pace perfruitur, verissimam refert cœli imaginem; haud secus atque mare tranquillum per radios reflexos totam stellati cœli venustratem. *Tantum enim*, Magno Augustino teste, *est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilibus concupisci, nihil postremò possit melius inveniri;* Unde *hic dicimur beati, quãdo pacem habemus, quantulacunque hîc haberi potest in vitâ bonâ.* Conformitas. Pax. *S. Aug. l.19 de Civit. c.11* *Ibidem c.10.*

384. Ma-

384. Mari, fluctibus undique jactato, subscripsi. MITESCENT. Quos fortunæ adversantis tempestas exagitat, spem concipiant indubitatam, procellas illas olim ad exoptatam serenitatem iri compositum. Pulchrè S. Augustinus. *Nec felicitas hujus sæculi facit nos beatos, nec adversitas miseros. Opus est justitiam tenere, fidem diligere, sperare in Deo, diligere Deum & proximum. Post istos labores habebimus diem sine occasu.* Tibullus.

Sperare. S. Aug. in Psal. 138. Tibull. l. 2 Eleg.

Jam mala finissem letho, sed credula vitam
Spes fovet, & meius cras fore semper erit.

385. Lucarinus Victorem quemdam modestum Oceani Emblemate insignivit; is quippe, tametsi innumeris ac ingentibus fluviis assiduò locupletatus, nunquam ultra consuctos suos limites intumescit. Epigraphen addidit. NEC AUCTUM REDUNDAT. Idipsum quivis homo inter prosperitatum affluentiam observet velim. Nam, Magno Augustino teste, *Homo fidelis indifferenter utitur mundo isto: nec extollitur, quando res prosperæ accedunt, nec frangitur, quando res adversæ adsunt.* Plautus hàc maris icone insatiabilem meretricis libidinem depingit.

Victor modestus. Prosperitas. S. Aug in Psal. 138. Plautus in Truculento

——*Meretricem ego item esse reor, mare ut est, quod das devorat, NEC VNQVAM ABUNDAT &c.*

386. Idem Lucarinus Ministro cuidam Regio, è Cajetanorum familiâ oriundo, mare fluctuans, quale in illustrissimæ illius Domûs insignibus gestari solet, Emblematis loco depinxit; addito lemmate. DEJICIT, ET EXTOLLIT. Significabat nimirum, Magnatem illum integerrimum & sceleratos depressisse, & virtuosos pro meritis exaltâsse. Iisdem Encomiis Regius Vates Deum afficiens, ait, *Hunc humiliat, & hunc exaltat.* Item, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Dilucidè Beatissima Virgo. *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* De se ipso id testabatur David, inter duas auxiliares copias incedere solitus; quarum unam vocabat *Cerethi*, & alteram *Pheleti. E quibus*, interprete P. Francisco Mendozâ, *Cerethi interfectores, Pheleti liberatores interpretātur, ut illi pro justitiâ, hi pro misericordiâ pugnare viderentur.* Illis enim ad plectendos sceleratos, his verò ad remunerandos innocentes uti consueverat.

Princeps justus & benignus. Psal. 74. 8 Psal. 100. 1 Luc. 1. 52 Fran Mend in lib Reg. Tom 1 Annot. 11 n 32

387. Mare tempestuosum, ceto in littus ejecto, illam Alciati epigraphen subjunctam habet. PROPRIIS NEC PARCIT ALUMNIS. Morem hunc indies perfido mundo proprium experimur, qui suos procos & fidissimos amicos tandem gravibus ærumnis affligere consuevit. Optimè S. Augustinus, *Attendite sæculum quasi mare. Amas sæculum? absorbebit te, Amatores suos vorare novit, non portare.* At, quid orbem universum incuso? in ipsa quoque patriâ hanc malevolentiam non rarò experimur; dum cives, optimè de patriâ meriti, crudelibus ac injustis decretis proscribuntur. Tyrannidis hujus argumentum dedêre Athenæ in Aristide, Themistocle, & Pericle; Roma in Coriolano, Camillo, Cicerone, aliisque igni & aquâ iniquissimè interdictis.

Alciatus Emblem. 177 Mundus perfidus. S. Aug. serm 13 de Verb. Dom. Ingratitudo.

388. Eidem Emblemati subscribes. QUEM GENUIT, PERDIT. Execrandum hoc parentum quorundam scelus est, dum suâ vel incuriâ, vel injuriâ proprios liberos in mortem præcipitant. Hujus criminis antesignanum se exhibuit illud naturæ probrū Herodes Ascalonites, qui filiorum suorum triadem Antipatrum, Aristobulum & Alexandrum nefandâ manu jugulavit. Hoc nihil inferior Medea, proprios filios immaturâ morte interfecit. Cæterùm eodem Emblemate nefarii illi parentes comprehenduntur, qui suis liberis vel per mala consilia, vel per vitiosa exempla interitum accersunt. De Protoparentibus nostris ait S. Augustinus. *Duo parentes nos genuerunt ad mortem, duo parentes nos genuerunt ad vitam. Parentes qui nos genuerunt ad mortem, Adam & Eva: Parentes qui nos genuerunt ad vitam, Christus est & Ecclesia.*

Parentes crudeles aut scandalosi. S. Aug. serm 109 de tem

389. Hujus mundi calamitates indubitatam & opportunissimam esse mentis nostræ vel ad terrenam dignitatem, vel certè ad Deum sublevandæ occasionem, ex Oceani aquâ non obscurè conjicies; quæ ventis jactata, epigraphen refert; COMMOTA GRANDIOR. Seu, ut alius de undis loquitur, EXTOLLUNTUR PROCELLIS; vel ut ego aquæ, adversus scopulum allisæ, inscripsi. ELEVAVUR ALLISA. S. Gregorius Nazianzenus, *Volo te*, inquit, *morbum nihil aliud esse ducere, quàm utilem quamdam disciplinam; huc videlicet tendentem, ut & corpora omnia, & quidquid fluxum ac turbulentum est, interituique obnoxium contemnas, ac pro nihilo putans, totum te cœlesti parti addicas.*

Miseriæ extollunt. S Greg. Na Orat. 20.

390. Verus pœnitens, interno animi dolore tactus, mari se non ab similem probat, quod AGITATIONE PURGATUR. Dum verò coram sacerdote delicta sua recenset, eorumque se incusat, instar maris SORDIDA PELLIT. Vnde ab hoc sensu nihil aberravit, qui mari fluctuanti inscripsit. PROCUL HINC FOECES. Imaginis hujus sensum innuens Petrus Bercorius, *Mare Pænitentiæ*, inquit, *est sui ipsius purgativum per contritionem: mortuorum, scilicet peccatorum ejectivum, per confessionem; & est fluxus fontium causativum, per lachrymarum redundationem.* Quanta sit pœnitentiæ virtus, prolixè explicat Sanctus Augustinus. *Cùm audis*, inquit, *hominem pænitere peccatorum suorum, jam revixit. Cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est &c.* Cæterùm mari turbato etiam non incongruè subscribes. SORDIDA VOMIT. Hominis iracundi hæc idea est, qui cæcis affectibus agitatus: calumnias adversus proximum, aliasque sexcentas vitiorum sordes evomere consuevit. Sancti Augustini monitum audi. *Surgit ira, noli dare linguam ad maledicendum; noli dare iræ manum aut pedem ad feriendum. Non surgat ira ista irrationabilis, nisi peccatum esset in membris. Sed tolle illi regnum, non habeat arma, unde contrà te pugnet, discet etiam non surgere, cùm arma cœperit non invenire.*

Calamit purgat. pœniten Pet Bercor. Reduct. l. 8 c. 11. n. 9. S. Aug. in Psal. 101. Conc. 1. Iracundi S Aug tra 41. in Ioan.

391. Quantùm mortis memoria in nobis possit, haud obscurè è lemmate illo conjicies, quod mari turbato ac furibundo ex Sancto Petro Chrysologo indidi. FRÆNANT ARENÆ. In rem præsentem Sanctus Petrus Damianus. *Superbia spiritus inflat? sepulchrum ad mentem redeat, necessario illic rigidæ cervicis tumorem premimus, ubi cinerem nos procul dubio, pulveremque pensamus.* Sancta Maria Magdalena de Pazzi ex hàc arenæ proprietate insignem doctrinam est mutuata, quando dixit, amorem proprium, instar minutæ ac vilissimæ arenæ, immenso gratiæ Divinæ Oceano remoras injicere, eumque, ne sese intra animas nostras effundere possit, repellere. In eadem arenâ S. Gregorius Papa piscatores Galilæos, aliosque justos dignoscendos proponit, qui, tametsi in orbis conspectu loco omnium postremo ac vilissimo degerent, Deus tamen illorum operâ tumescentem mundum edomuit ac subjugavit. *Arenam quippe Dominus*, inquit ille, *mari terminum imposuit, quia ad frangendam mundi gloriam abjectos & pauperes elegit.*

Mortis memori S. Pet. Chr. serm. 101. S. Pet. Dai Opusc 15. cap. 23. Amor propriu Mundi l stus ab postolis subjuga S. Greg Pa l 8 moral

392. Judicem, nullo sinistro affectu corrumpi solitum

Judex j stus.

solitum, mare repræsentat, quod diversis fluminibus intra sinum suum receptis, epigraphen tenet. MA NON PERO MENSALSO. Id est. NIL DE SALSEDINE LINQUIT. Justus Lipsius id suggerens, *Sicut amnes*, inquit, *mare qui influunt, salsuginem ejus non mutant; sic in Jurisconsultis quicunque affectus non diluant justitiæ severitatem.*

...ips Centur. ...ad Belg. ...pist 56

393. Mens verè philosophica, & inter omnes fluctuantis mundi tempestates semper erecta, maris symbolo describitur, cujus salsedinem innumera fluminum ac pluviarum affluentium copia nec minimùm debilitat. Lemma. NEC SAPOREM IMMUTANT. Religiosissimè Seneca. *Quemadmodum tot amnes, tantum supernè dejectorum imbrium, tanta mediterraneorum fontium vis non mutat saporem maris, neque remittit quidem; ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum.*

Animus immutabilis. Seneca l. de Divin. Prov

394. Mare continuis auræ ventorumque conflictibus jactatur. Quin immò, his etiam conquiescentibus, illius undæ nativâ æstuatione indies bis intumescunt, & ad littora affluunt, refluuntque reciproco motu. Unde lemma. NEC REQUIES ULLA. Hanc maris inquietem, fluctusque nunquam componendos in perverso hominis corde reperire est. Dilucidè Isaias. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Et Vatablus, *Impii autem instar Euripi fremunt, qui NESCIT QUIESCERE &c.* S. Augustinus, *Cubile nostrum cor nostrum est, ibi tumultum patimur malæ conscientiæ; & ibi requiescimus, quando bona conscientia est.* Horatius

Peccator. Isaia 57. 20. S. Aug. in Psal. 35 orat. 2. Horat. Ode 16

Non enim gazæ, neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas, laqueata circùm
Tecta volantes.

395. Mare, assiduâ fluctuum vicissitudine crescere ac decrescere, fluere & refluere solitum, epigraphen tenet. MEAT REMEATQUE SUBINDE. Effigiem hanc habeas animi, è Prothei colluvie geniti, inquieti, inconstantis, & in omnes horas mutabilis; qui modò volita damnat, suisque propositis nunquam firmus inhæret. In hunc sensum S. Gregorius Nazianzenus.

Instabilitas. S. Greg. Naz. Carm de se ... post redi... in &c

Tempore quis varioque fidem retinebit eandem,
Stabit & haud firmis firmus in imperiis.
Nec veluti Euripi unda MEANS REMEANSQUE subinde
Verget in hanc partem, verget in hancque levis?

396. Omnes aquæ è mari, ceu fluminum parente, natales suos trahunt: unde copiosæ undarum divitiæ, ab his in illud exonerari solitæ, non quidem muneris gratuiti loco, sed ex justitiæ rigore ac veluti tributum, penduntur. Eam ob rem Raulinus compluribus fluviis, intra Oceanum confluentibus, subscripsit. NON MUNERA, SED TRIBUTUM. Si Deus mare sit infinitum, à quo bona omnia profluunt; sanè munera à nobis oblata non quidem è liberali voluntate proficisci possunt, sed jure summo eidem sunt vectigalia. Hanc debiti rationem probè edoctus David, opulentissimos illos thesauros quos pro templo extruendo paraverat, è solâ Dei manu acceptos, eique jure omni debitos dixit. *Quis ego & quis populus meus*, inquit, *ut possimus hæc tibi universa promittere? Tua sunt omnia, & quæ de manu tuâ accepimus, dedimus tibi.* Idque etiam in Missæ canone innuitur, *Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram &c.* Quod de

Oblatio... nostræ ...t Deo ...bitæ. 1. Paralip 29. 14. C...ion M...x.

bonis temporalibus, id jure multò ampliore de spiritualibus censendum d...cet S. Augustinus. *Quisquis tibi Domine enumerat merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua?* S. Aug. l 9 Confess c. 13

397. Oculi nostri, dum postremos maris terminos intuentur, omninò persuasum habent, illud à cœlo nonnisi unicâ lineâ distare, eique penitus esse confine. Unde Carolus Rancatus hominem, cœlestibus negotiis assiduò affixum, Oceani imagine repræsentavit; addito lemmate. DE L'ONDA IL CIEL. DEL CIEL L'ONDA E' CONFINE. Id est. COELO CONFINIS INHÆRET. Talem se probaverat ille, qui dicere potuit, *Nostra conversatio in cælis est.* Nam Magno Augustino teste, *Qui diligit Deum, in cælo habitat cum Deo; qui diligit mundum, in mundo cum principe habitat mundi.* Cæterùm Emblematis author mentem suam hoc Italico Tassi poëmate explicat.

Homo spiritualis. Philip 3 20 S Aug. serm 49 de Temp c 4 Tass Gerusal liber Cant 15 st 24

Più non si mostra homai trà gli altri flutti
La fertil Gade, e l' altre due vicine,
Fugitte son le terre e i lidi tutti,
De l' onda il Ciel: del Ciel l' onda è confine.

398. Mare tempestuosum, spumante & effreni furore præfixos littoris terminos transiliens, epigraphen tenet, IRAS NON CAPIT, Argumento è Caussini Tragicis desumpto.

Caussin in Tragœd Felicitas Act 1

IRAS NON CAPIT cordis salum.

Quisquis enim insanis iræ fluctibus agitatur, non potest non modestiæ limites transilire, simulque jurgia & contumelias in alios evomere. In hanc rem meus Concanonicus D. Salvator Carducius.

Iracundus

Non capit Oceanus spumantes fluctibus æstus;
Non secus irato corde procella furit.

Pulchrè rem totam explicans S. Augustinus; *Gradus*, inquit, *sunt tres in istis peccatis; ut primò quisq; irascatur, & eum motum retineat corde conceptum. Iam si extorserit vocem indignantis, ipsa commotio plus est utique, quam si surgens ira silentio premeretur; si verò non solùm vox indignantis audiatur, sed etiam verbũ, quod jam certam ejus vituperationem, in quem profertur, designet & notet, quis dubitet amplius, hoc esse, quam si solus indignationis sonus ederetur?*

S Aug. de serm Dom. in monte l. 1 c 9

399. Saronensis Templi majestas, illam gratiæ ac beneficentiæ abyssum, à Divinâ Matre in infer...m hunc orbem effusè derivatam, repræsentatura; Oceanum exhibet, qui plurimis transmittentibus navigiis, & diversorum fluminum effluxu spectabilis, epigraphen tenet. OMNIBUS ET SIBI. Anselmus pleno in suavissiam Matrem affectu, *O fœmina*, inquit, *pl...na & superplena, de cujus plenitudinis redundantiâ respersa sic reviviscit omnis creatura.* Et S. Bernardinus, *Non timeo dicere, quod in omnium gratiarum effluxu quandam jurisdictionem habuerit hæc Virgo, de cujus utero, quasi de quodam Divinitatis Oceano, rivi & flumina emanabant omnium gratiarum.*

Beneficentia M.V. S Anselm. l Oratio S. Bern. Sen. serm 61 in fer. 4 post Pascha art 1 cap 8

400. In eodem Templo Maria alio Maris symbolo expressa cernitur, quod innumeram fluminum copiam è sinu suo effundens, epigraphen sustinet. DAT, ET REDUNDAT. Enimverò num Divinam Matrem gratiis receptis, an verò dispensandis liberaliorm edixeris, haud facilè dijudices. Richardus à S. Laurentio, *Benedicta es*, inquit, *gratiâ plena, & in tantùm plena, ut ex tuo redundante totus hauriat mundus.*

Protectio M.V. Rich. de S Laur. l. 4 c 4 de Laud Virg

401. Maris beneficio Naves in remotissimas ter-

 ras

ras velocissimè feruntur. Unde idem Saronense Templum navim, plenis carbasis in mari volantem exhibet; addito lemmate. DISSOCIATA SOCIAT. Nam Mariæ Virginis interventu peccatores Deo conciliantur, & terrarum incolæ ad cælos transmittuntur. Sanctus Bernardus eam misericordiæ Reginam cognominari asserit, *quod Divinæ pietatis abyssum, cui vult, & quando vult, & quomodo vult, creditur aperire, ut quivis enormis peccator non pereat, cui sancta sanctorum patrocinii sui suffragia præstat.*

Protectio M. V.

S. Bern. serm. 1 super Salve Regina

402. Mariæ Virginis beneficentiam significaturi, mare tranquillum depinxêre, cum lemmate. HIC REQUIES, HIC PORTUS UBIQUE. *Maria quippe*, teste S. Amedo, *præsentis sæculi navigantes, seque plena fide invocantes, ab impetu procellæ & ventorum rabie eruit, ejusque secum ovantes ad littus felicissimæ patriæ perducit.* Cui subscribens S. Ephræm, *Tu noster es portus*, inquit, *Virgo intemerata*, Huic Emblemati analogum est illud, quod supra Oceani portum hanc epigraphen legendam offert. HIC OPTATA QUIES. D. Emanuel Thesaurus in suo Tubo Optico has Emblematis voces è Claudiano est mutuatus.

Protectio M. V.

S. Amed. hom. 8. de laud. Virg

S. Ephrem Syrus serm de laud Virg

Claud de laud. Silicon

Hic cunctis optata quies &c.

Volebat nimirum Personam illam repræsentare, quæ è mundi procellis eluctata, intra Cœnobii portum se receperat.

Claustrum religiosum

403. Mare, intra sinum suum diversas herbas & arbuscula fovens, illam sacræ Paginæ gnomam lemmatis loco præfert, GERMINANS DE PROFUNDO. Ita sanè Maria Virgo humanas mentes, ceu totidem plantulas, inter calamitatum procellas tuetur, easque singulari studio fovet. Ut adeò à S. Bonaventurâ verissimè cognominetur, *Tutissimum afflictorum omnium refugium*; & à B. Alberto Magno, *Quies laborantium, & solatium afflictorum.*

Sap. 19. 7

Protectio M. V.

S. Bonavent Opusc. 25

Alb. Mag. super Missus est

404. Magni Augustini scitum est, maledicti Divini fulmen sub mundi exordium adversus terram duntaxat, non verò adversus aquas vibratum esse. Unde quidam Deiparæ cliens, mari inscripsit. NUNQUAM MALEDICTUM. Illam enim, labis ac maculæ omnis expertem, Deus ab universali imprecatione præservavit. Eruditè Fulbertus Carnotensis. *Hoc igitur imprimis adstruere fas est, quod anima ipsius & caro, in quâ elegit sibi habitaculum sapientia Dei Patris, ab omni malitiâ & immunditia purissimæ fuerint &c.*

S. Aug. lib. de Mirab S. Scripturæ

Maria V. sine Originali peccato.

Fulb Carnot serm. de Nativ. V.

405. In felicitatis terrenæ sinu horridas enutriri tempestates, Abbas Certanus è maris malaciâ dignoscendum proponit; dum phaselus, carbasis ob ventorum penuriam flaccescentibus, epigraphen tenet. SUB TRANQUILLO TEMPESTAS. *Nolite credere*, Exclamat providè S. Hieronymus, *nolite esse securi, licet in modum stagni fusum æquor arrideat: licet vix summa jacentis elementi, spiritu, terga crispentur, magnos hic campus habet montes, intus inclusum est periculum, intus est hostis. Expeditè rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus. TRANQUILLITAS ista TEMPESTAS EST.* Cæsarius Arelatensis eâdem icone illorum versutiam depingit, qui exteriorem hominem modestiâ, tranquillitate, pace, aliisque justorum coloribus insignem effingunt, interiore tempestatibus, cunctisque vitiorum sordibus squalente. *Quid prodest*, inquit, *si in habitatione silentium sit, & in habitatoribus vitiorum sit tumultus, & colluctatio passionum; si exteriora nostra serenitas teneat, & interiora tempestas?* Cæterùm lascivus amor, ceu mare torpescens, ibi demùm periculosissimam molitur ruinam, dum summam tranquillitatem simulat. Unde in rem præsentem quieto mari subscripsere. SUB PACE PERICULA CLAUDIT. Subdolum hunc amoris profani morem sequenti poëmate describit Vates.

Prosperitas nocet.

S. Hieron ep. ad Heliod.

Cæsarius Arel. serm. 2

Pietas simulata.

Amor profanus

Improbe, inermis amor, quid risu fallis amantes,
Sepositis armis, non tamen insidiis?
Nam sub flore dolos, sub pace pericula claudis,
Allicis ut perdas, improbe, naufragio.

Poeta apud Ioan. Thuil. super Embl 107 Alciat

406. Hominem, levissimâ quâvis occasione ad iram concitandum, P. Certanus mari non absimilem dicit, quod ad omnem auræ afflantis motum sulcos ducit, undasque rugis exasperat; lemma addidit. AURA CRISPATUR TENUI. Hâc de re S. P. Augustinus. *Ira est, quando inest opinio turbulenti appetitûs inferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt; idcircò plerumque non hominibus tantùm, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus, atque frangimus: & aleatores tesseris, & pictores penicillo, & cuicunque instrumento quilibet ex quo difficultatem se pati arbitratur: ac etiam assiduitate irascendi fel crescere etiam medici affirmant; cremento autem fellis rursus & facilè & prope nullis causis existentibus irascimur.* Talia erant Lydiæ improperia adversus Horatium.

Iracundi

S. Aug. in Ep. ad Nel

Horat. l. 3 Carm Od

Tu levior cortice, & improbo
Iracundior Adriâ.

407. Qui justo zelo excandescens, rationis limites non transcendit, vivum ectypon in mari commoto habet, quod, ne agros vicinos submergat, littoris sui confinia nunquam egreditur. Epigraphen P. Certanus addidit. NEC FINES PRÆTERIT, vel MINACCIA SI; MA NON SOMMERGE I CAMPI. Id est, TERRET, NON OBRUIT ARVA. Forsan illam Psalmi parenesin innuere volebat. *Irascimini & nolite peccare.* In hunc locum S. Basilius, *Iram siquidem non tollit; est enim utilis. Neque animi commotionem exscindit; nam usui est contra eos, qui injustè agunt: sed injustam iram, & irrationalem animi commotionem amputat.* Si verò in iis undarum motibus terrenas calamitates, aut certè dæmonum tentationes significari censeas, non abs re hanc epigraphen mari subjunges. NON FINES, seu, NON LIMITES PRÆTERIT. Enimverò calamitatum aut tentationum vehementia non ultra limites, à Deo præfixos, intumescere potest. Præclarè, ut solet, S. Augustinus. *Nec sævire fluctus possunt, nisi usque ad litus, ubi ipse terminum posuit. Nulla ergo tentatio, nisi acceperit mensuram, à Domino est.*

Ira moderata.

Psal. 4. 5

S. Basil. M. in loc. cit

Calamitates à Deo mensurantur.

S. Aug. in Psal. 94

408. Mare exæstuans, adversus scopulos allisum, undas non sine fragore turbatas, & copiosâ spumâ indignabundas ostentat; saxis interea penitùs immotis, illiusque furorem ac decumanos fluctus ridentibus. Unde mari, in scopulos alliso, inscriptum. ALLISUM NON LÆDIT. Ita nimirum frequens adversus Augustissimã Domum Austriacã excitata tẽpestas nihil ipsi naufragii, alteriusve cladis unquã afferre potuit. Eodem symbolo hominem justum aut sapientẽ exornare licet, qui, tametsi inquilinis exterisq; calamitatibus acerrimè impetitus, animum tamen innocuum, nullisque viribus deijciendum objectat. Seneca. *Sapienti non nocetur à pauperibus, non à dolore, non ab aliis tempestatibus vitæ; tunc maximus, cùm illi fortuna se opposuit.* Alibi in libro, cui titulum præfixit, *quod in sapientem non cadit injuria*; ait, *Tutus est sapiens, nec illum afficere injuria aut contumelia potest.* Eodem loco dubitans, & mox se resolvens, *Quid ergò?* inquit, *Nemo erit,* qui

Fortitudo invincibilis. Sapiens non p... tur ofl... sam.

Seneca ep. 85

Ibidem

Ibid c.

qui lacessat, qui tentet? Nihil in rerum naturâ tam sacrum est, quod sacrilegium non inveniat. Sed non ideò Divina minus in sublimi sunt, quia existunt, qui magnitudinem multùm ultrà se positam non icturi petant. Invulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur. Itaque non refert, quàm multa in illum conijciantur tela, cum sit nulli penetrabilis.

[Se]ditio. 409. Civitas vel Respublica, seditiosorum turbis excitata, opportuno maris Emblemate repræsentari potest, quod impetuoso ac vehementi vento jactatum epigraphen reddit. AFFLANTE PERTURBOR. Vel si mavelis. CESSANTE QUIESCAM. Apprimè Tullius, *Ut mare, quod suâ naturâ tranquillum est, ventorum vi agitari videmus, ac turbari; sic populus suâ sponte pacatus, hominum seditiosorum vocibus, & violentissimis tempestatibus agitari solet.* [Ci]cero pro [Cl]uentio.

410. Omnes, cursu sive lento sive celeri, in amarum ac profundum mortis pelagus delabimur. Haud secus, atque omnis torrentum, fluminum & rivorum congeries in unum maris sinum confluit. Unde lemma. PROPERAMUS AD UNUM. Ad verbum Ovidius. [V]ita mortalis. [O]vid l.15 [M]etamorph

——— Paulùmque morati
Serius aut citius sedem properamus ad unam,
Tendimus huc omnes, hæc est domus ultima &c.

[Pr]opert. l.2. [a]d Jovem [pr]o Amica. Cui non absimilis Propertius.

Nec forma æternũ; haud cuiquam est fortuna perennis:
Longius aut propius, mors sua quemque manet.

[Li]ps.Centur. [a]d Belg. [ep]ist. 3. [Id]iota de [co]ntempl. [mo]rtis c.13. Justus Lipsius: *Omnes*, inquit, *in eâdem viâ currimus, & ad eundem finem.* Et ideò doctissimus meus Idiota, *Ut omnia flumina intrant in mare; sic quoq; in hanc fluctuosam vitam, qui veniunt, mare id est amaritudinẽ mortis necessariò subintrant. Mors enim est omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina, omnium receptaculum.*

[A]nimus [q]uietus. 411. Solis imago, in mari tranquillo reflexa, epigraphen tenet. FIRMIUS IN PLACIDO. Exinde disces, scientiæ ac gratiæ Divinæ lumina intra animum quietum, nullisque sollicitudinis terrenæ, aut vitiorum turbis agitatum clarissimè splendere. Unde, interprete Cornelio à Lapide, illa Ecclesiastici cohortatio, *Disciplinam in pace conservate filii,* ad litteram intellecta, discipulos concernit; ut mentem tranquillam, veluti sapientiæ capiendæ unicè necessariam, servare studeant. Nec præceptio ista perspicacem Aristotelis Ethicam fugit, qui in id unum maximè incumbebat, ut dicipuli animum compositum & tranquillum afferrent. Ipsiusmet Cornelii à Lapide verba ita accipe. *Sensus est*, inquit, *ô filii, ô discipuli; si vultis capere meam disciplinam, afferte animum quietum, humilem, pacificum: illo enim mea dicta capietis, intelligetis, & conservabitis. Idipsum de gratiâ ac donis cœlestibus pronuntians* S. Augustinus: *Si volumus*, inquit, *velociter à Deo exaudiri, & gratanter munera nostra ab eo accipi, debemus utiq; in pace conversari.* [E]cclesiast.14 [Co]rn. à Lap. in hunc loc. S. [A]ug. serm [..] de Temp.

[Se]neca l.4. [Q]. Nat. [c]ap. 26 412. De marinis aquis testatur Seneca, eas perpetuo sese purgandi studio occupatas esse. *Mare*, inquit, *cadavera stramentaque, & naufragorum reliquiis similia ex intimo trahit, nec tantùm tempestate fluctuq; sed tranquillum quoq; placidumque curatur.* Unde lemma. SEMPER, QUOD PURGET REPERIT. Qui cor suum in hujus mundi Oceano tanquam mare consideraverat, inveniet semper quod purget non ibi tantùm, quando rebellium passionum tempestas ingruit, sed etiam tranquillo mari, sudo cœlo, & dum videntur compositi fluctus, coërcita passio, motusque sensuum pervicacium penitus sopitus. Diligenter id observatum habuit perspicacissimus vitæ spiritualis magister S. Bernardus, *Quis*, inquit, *ita ad unguem omnia à se superflua resecavit, ut nihil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & fugata redeunt, & renascuntur extincta, & sopita denuò excitantur. Parùm est ergò, semel putasse, sæpè putandum est, imò si fieri possit, semper: quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa.* Pi[..]gari [s]emper [de]b[e]t cor. S. Bern. serm 58. in Cant.

413. In mari rubro oleæ virentesque fructus nascuntur. Lemma. IN RUBRO VIRENT. Ita patientis Christi sanguis fructus dulcissimos, nostramque saluten, jam penè emortuam, pristino virori restituit. Unde Sanctus Augustinus. *Omnis spes, & totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos & proper nostram salutem.* Sanguis Christi. S. Aug. lib. Medit. c.14

414. Mare per ripas exundans, epigraphen tenet. ME COPIA RIPIS EXTULIT. Ita divitiarum affluentia plurimis occasionem præbet, sese extra præscriptos legis Divinæ terminos efferendi, aliosque superbè aspernandi. Sanctus Augustinus. *Nihil est, quod sic generent divitiæ, quomodò superbiam. Omne pomum, omne granum, omne lignum habet vermem suum: vermis divitiarum superbia. Unde diviti exprobrans, ait, Antequam haberes divitias, humilis eras: habere cœpisti, & pauperes contempsisti.* Divitiæ superbos faciunt. S. Aug. de Verb. Dom. serm.5. c.9 Idem serm de Divers. c.15

415. Margarita, è mari sublata, epigraphen reddit. DANT MARIA GEMMAS. Ita Maria V. Maria Ma- ceu amplissimum gratiæ Divinæ mare, gemmam pre- ter Dei. tiosissimam, Christum, mundo genuit; ut adeò verè à S. Epiphanio cognominetur *Mare spirituale, habens gemmam cœlestem Christum.* Vel si malueris, congruè ad Emblematis mentem dices, M. V. ceu gemmam purissimam, in impuro hujus mundi Oceano natam esse. Emblematis author, P. Jacobus Masenius mentem suam sequenti epigrammate explicat. S. Epiph. Orat. de Deip. Mariæ V. Nativitas

Impuro rutilam quis speret ab æquore gemmam?
Sunt tamen æquoreo munera fusa salo.
Prodit ab impuris virgo majoribus insons,
Nonne iterum gemmam fundere credis aquas?

416. Rota, cum situlis supra mare suspensa, epigraphen tenet. HAURIT INEXHAUSTUM. Deo hæc imago comprimis convenit, qui tametsi plurima in nos profundat beneficia, alia tamen infinita semper habet residua; id quod proportione servatâ etiam de Maria Virgine dicere licebit; quæ proinde à S. Chrysostomo vocatur: *Mare spatiosum misericordiarum*, à S. Damasceno, *Pelagus gratiarum*, & alibi, *pelagus gaudii inexhaustum.* Pulchrè in rem præsentem P. Jacobus Masenius. Deus inexhaustus. Maria inexhausta. S. Io. Chrys. in hor. S. Io. Dam. Orat. 1 de Nat Idem Orat. 2 de Assumpt.

Vastum haurire licet, non exhaurire profundum:
Sufficit æterno gurgite Pontus aquas.
Plurima quantumvis profundat munera Virgo:
Plura tenet. Vastum est sola Maria mare.

FLUMEN, TORRENS.

Cap. XXIV.

417. PRudentiæ, divitiarum, aut virtutum profectus è flumine dignosci potest, quod - ACQUIRIT, seu CRESCIT EUNDO. *Profectus noster*, inquit S. Bernardus, *in eo consistit, ut nunquam arbitremur nos apprehendisse; sed extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius.* Aliis eidem flumini inscribere placuit. SEMPER S. Bern serm de purif B V

PER ABUNDANTIUS. Hinc disces, in virtutum acquisitarum cumulo nunquam quiescendum, sed ampliorem semper progrediendi occasionem investigandam esse. Seneca, *Multa egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. Multùm adhuc restat operis, multumque restabit: nec ulli nato post mille sæcula præcludetur occasio aliquid adhuc adijciendi.*

Seneca

Constantia. 418. Fuit, qui fluento inscriberet. NUNQUAM RETRORSUM. Sic è proposito semel cõcepto nunquam dimovearis, oportet. Eam insuper humanæ vitæ ideam dixeris, quæ, è naturæ præscripto, instar fluminis decurrens, nunquam amplius ad pristinos annos revertitur. De primo Emblematis sensu religiosissimus meus Thom. Kempensis, *Omni die*, inquit, *renovare debemus propositum nostrum, & ad fervorem nos excitare, quasi hodie primùm ad versionem venissimus, atque dicere: Adjuva me Domine Deus in bono proposito. &c.* De posteriore Ovidius.

Vita humana.

De Imit. Christi l. 1 c. 19

Ovidius li. de Arte

------ ------Eunt anni more fluentis aquæ,
Nec quæ præteriit rursum revocabitur unda,
Nec quæ præteriit hora redire potest.

Et Seneca Tragœdus.

Seneca in Hercul. Furent. Act 1

Dura peragunt pensa sorores
NEC sua RETRO fila REVOLVUNT.

Generositas. 419. Animus quidam generosus, ut demonstraret, se post plurimas tam è lascivo amore, quàm in bello è gravissimis hostibus reportatas victorias, semper adhuc adversus quæq; discrimina accinctum stare, nec quidquam de pristinâ suâ magnanimitate remittere; seipsum fluminis Emblemate significavit, cujus aqua supra obstaculum transversim decurrens, epigraphen tenet. ALTIOR, NON SEGNIOR. Thucidides, *Præstantissima virtus est*, inquit, *privatim & publicè in rebus adversis nec dolori succumbere animo, & factis ipsis fortiter contra niti.*

Thucid. l 28

Prudentia. 420. Flumen, trajecto obstante impedimento, à Joanne Ferro epigraphen recepit. EVICIT GURGITE MOLEM. Innuebat videlicet, Urbanum VIII. in superandis difficultatibus prudentiâ prorsus singulari valuisse. Miram quoque cum hâc imagine analogiam præseferunt Eminentissimi Cardinales Armandus de Richilieu, & Julius Mazzarinus, qui gravissimas turbas, iteratis vicibus in Gallia adversus ipsos concitatas, heroico animo triumphârunt. His longè superiores SS. Augustinus & Hieronymus copiosis ac obstupescendis sapientiæ suæ fluentis omnem superbiæ hæreticæ machinam subjugarunt, ac funditùs everterunt. Porrò etiam Carolus V. horrendas ac spumantes Germaniæ, Galliæ, & Solimanni, supremi Turcarum tyranni, phalanges felicissimè perrupit, stravitque. Denique S. Theresia, renitente penè universo orbe, prima complurium Cœnobiorum fundamina jecit. Taceo innumeros Martyres generosissimos tot carnificum ac suppliciorum victores. Unde hortatur Magnus Augustinus. *Tu vires, ostende; quoniam vir à virtute, & virtus à vero. Habes ergò virtutem, vince libidinem.*

S. Aug. serm 28 ex addit. à Sirm.

Prudentia. & misericordia Dei Concionator. 421. Misericordiam ac Providentiam Divinam è fluminis Emblemate dignoscere licet, cui, ob scaturiginem nunquam defecturam, subscripsêre. ASSIDUO MANAT. Hanc indolem Concionatoribus propriam voluit S. P. Joannes Chrysostomus, *Aquarum venæ*, inquit, *etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes, quamvis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt; & amnes, etiamsi bibat nemo, nihilominus fluunt; sic oportet & illum, qui concionatur, quamvis nullus auscultet, tamen præstare, quidquid in ipso situm est.*

S. Chrysost. Con. 1. de Lazaro.

Generositas. 422. Flumen, ruptis cataractis campos inundans, à P. Juglari illas Ovidii voces lemmatis loco accepit. AB OBICE SÆVIOR. Innuebat nimirùm, Victorium Amedeum, Sabaudiæ Ducem, tantò evasisse terribiliorem, quantò adversam partem experiebatur contumaciorem. Idipsum authore Gilberto Abbate, virtus assolet, quæ inter contrarios calamitatum assultus magis invalescit. *Magni obices*, inquit ille, *sed major impetus, si coneris compescere, plus crescit, & perrumpit obstantia: repulsus* (fluvius) *exurgit in cumulum, & impedimento lucra conquirens, se diffundit uberius. Puro amori etiam obices cooperantur in bonum, & incrementa capit vexata virtus injuriis.* Otho Venius eandem vim etiam in amoris vehementiâ deprehendens, canit.

Gilbert. Abb serm. 37. in Cant.

Amor inter adversitates roboratur.

Otho Ven. Embl. Amo fol. 224

Quando un ruscel aorrente inciampo troua,
L'aqua, che dolce giua, divien fiera:
Se fortuna al amante opponsi altiera,
Dicor superarla con più fà proua.

Ferocia placata. 423. Flumen præcipiti ac furibundo impetu per declivem terram, delapsum, tandem quieto ac placido gressu in subjectam planitiem exspatiatur. Lemma. TANDEM LENITER. Fluento non absimiles sunt è magnatibus plurimi, qui juvenili ætate inter superbiæ ac minarum vortices non sine impetu traductâ, benignum postea ac placidum adultioris vitæ cursum demonstrant. Inter hos minimè postremus Saulus, *Spirans minarum & cædis*; postmodum, *vas electionis* evasit, &, quod mireris, charissimæ matris ac suavissimæ nutricis viscera indutus, dicere solebat, *Filioli mei, quos iterum parturio.* De hoc S. Augustinus, *Dum Saulus quærit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum Confessorum. Et dum infert aliis necem, suscepit ipse pro Christo necem; dum intrat lupus rapax stabula pecudis, subitò & ipse factus est ovis.* Sauli vestigiis inhæsêre Guilielmus Aquitaniæ Dux, S. Ignatius Loyola, aliique complures, qui vitæ exordio inter Bellonæ furores exacto tandem senectuti suæ tranquillum religiosæ & Apostolicæ quietis epilogum subjunxerunt.

Act. 9. Ibid 9. 15

Galat. 4. 19 S. Aug. serm 35. de dive

Celeritas 424. Qui celeri manu omnes adversitatum vires, hostiumque assultus infringit; fluvium imitatur, per scopulos & saxa decurrentem; cum dicto. RUMPIT MORAS. Ita Julius Cæsar vires suas omnium maximè exerere consueverat, quando graviora pericula obversabantur; unde, Plutarcho teste, *Magna facienda ajebat, non deliberanda.* Hujus verò parœmiæ suæ experimentum ipsusmet dedit, dum, post Pharnacis copias primâ acie ad internecionem deletas, de se ipso scripsit. *Veni, Vidi, Vici.*

Plutarch. Apoph.

Miles prompt

Ministe sollicitu 425. Solicitum ac indefessum ministrum D. Carolus Rancatus fluminis currentis Emblemate significat; addito lemmate. NEC MORA, NEC REQUIES. Verbis tum è Virgilio mutuatis, ubi equos in catadromo agitatos describit; tum è Lucretio, qui in rem præsentem opportunè canit,

Virgil l. Georg. V Lucretiu l 4

Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi.

Vita humana. Caducam exinde ac transitoriam hominis vitam dignoscere licet, quæ, instar fluminis, perdius ac pernox labitur, fugit, & veluti per nilos effusa, in mortis oceanum præcipitatur. S. Gregorius in illud Jobi. *Qui sublati sunt ante tempus, & fluvius subvertit fundamentum eorum*, ait, *verbis istis ad vivum repræsentari quotidianum temporis lapsum & præsentis vitæ mortalitatem.* Enimverò Thecuitide in Regum fastis testante, *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.* Simulque nobiscum.

S. Greg. Iob. 42. 1

2. Reg. 14

Omnia

Omnia prætereunt more fluentis aquæ.

426. Flumen, scaturigine deficiente, mox arescit & vadosum evadit. Unde Caroli Rancati lemma. SUPPRESSIS FONTIBUS ARET. Verbis ex Ovidii Parnasside haustis.

Ovid. l.5. Metamorph.

Nec non sicanias volvens Amasenus arenas
Non fluit, interdum suppressis fontibus aret.

Dependentia.

Eorum hæc imago est, qui pristinâ favorum affluentiâ excidêre. Certè anima, gratiæ Divinæ affluxu destituta, miserrimè arescit, & in calamitates nunquam satis deplorandas præcipitatur. Unde S.Augustinus. *Nisi gratiâ meâ plenus esses, nonne ante Baal etiam ipse genu flecteres? Gratiâ autem meâ plenus es, quia nihil de tuâ virtute; sed totum de meâ gratiâ præsumpsisti.* Meus D.Salvator Carducius primam Emblematis mentem hoc disticho explicat.

Gratia Dei. S.Aug de Verb.Dom. serm. 7.c.2

Dives aquis fluvius suppressis fontibus aret,
Aulicus extincto Regis amore perit.

Secundam verò sequenti pentametro.

Claude Poli fontes, arida corda manent.

427. Complures fluvii, in mare delapsi, sat diu non solùm nativum suum colorem, sed etiam propriam suam dulcedinem in mediâ pelagi amaritie illibatam conservant. Emblemati subscripsit P.Raulinus. IN AMARO DULCIS. Principis clementis hæc idea est, qui suppliciorum amarorem mirâ gratiæ ac favoris sui suavitate temperare novit. Basilii Imperatoris dictum erat, *Natura humana valde ad labendum est proclivis, & ad cadendum prona. Esto ergò errantibus levis, & justitiæ admisce humanitatem.* Ad hanc normam Optimus Deus suam agendi rationem componit; nam, Origene teste, *semper talis est Deus noster; excruciat nocentes, sed quasi pius pater tormentis clementiam sociat.*

Clementia. Basil. Imp. Deus. Origen.Hom in Ezech.

428. Virgilius de Hermo, Lydiæ flumine, canit, cum auri copiâ fuisse turbatum.

Virgil. l.2 Georg.V.137

——Auro turbidus Hermus.

Eò etiam alludit Statius

Stat.1.Sylv

——Flavis Hermus transcurrere ripis.

Et Martialis,

Martial. l.6 Epigram, 77

Non illi satis est, turbato sordidus auro
Hermus.

Fluvio proinde subscripsit Raulinus. AURO SORDIDUS. Ita avari animus, assiduâ divitiarum mole sordescens, afflictas ac turbulentas sub aurato jugo curas volvit. S.Augustinus. *Evexeramus cor ad aurum, ad argentum, & cætera pretiosa: noli talia quærere, ista premunt, non levant.* Et meus Concanonicus D.Salvator Carducius.

Avarus. S.Aug. in Psal. 64

Ut fluit undanti Pactolus turbidus auro;
Auriferâ dives sordet avaritie.

429. Misera humana vita, assiduo decursu ad tumulum properans, fluminis Emblemate adumbrari potest; addito lemmate. SEMPER AD IMA. Ad verbum S.Gregorius Nazianzenus.

Vita humana. S.Greg Naz Carm. de hominis vit.

Ipsum quod vivo veluti rapidissimus amnis
Qui sursum exoriens SEMPER AD
IMA fluit

Seneca, *Quotidie,* inquit, *morimur; quotidie enim demitur aliqua pars vitæ; & tunc quoq; cum crescimus vita decrescit: hunc ipsum, quem agimus, diem cum morte dividimus &c.*

Seneca Epist 24

430. Fluvius, intumescente aquâ extra suos alveos ad inundandam vicinam planitiem effusus, epigraphen reddit. AMPLIORA QUÆRENS. Eorum hoc Emblema est, qui assiduo studio novos identidem famæ rumores, aut ampliores divitias sectantur: vel qui exteras regiones occupaturi, patriæ suæ fines egrediuntur. Ita Francones, cum olim inter Bojariam & Saxoniam, Rheno finitimi, habitarent, magnoque suorum numero excrescerent; tandem angustos terræ suæ limites armatâ manu ac ingentibus copiis egressi, Galliam, Romanis hactenus subditam, occupârunt; uti prolixè testatur Catharinus Davila. Gothi quoque, Ostrogothi, Vandali, Longobardi, aliique populi, relictis suis regionibus, nobiles ac felices Italiæ Provincias subegerunt. Hæc nimirum est avaritiæ esuries, nec toto quidem mundo exaturanda. Pulchrè S.Augustinus. *Concupiscis satiare avaritiam? O vota inania, & facta nequissima! Expectas ergo satiare avaritiam? illa te potest premere, tu illam non potes satiare.*

Augmentum. Cath. Davil. in Bell.Civil Franciæ l. 1. S Aug. de Verb. Apost. serm. 22. c.3

431. Quidam nobilis, quantò longiùs è patriæ finibus distabat, tantò prolixius divitiarum ac honoris incrementum capere est solitus; id quod Carolus Rancatus fluminis Emblemate significavit; addito lemmate. SEMPRE EGLI E PIU', QUANT' E PIU' LONGE AL FONTE. Id est. DITESCIT EUNDO. Verbis è Tasso mutuatis.

à Patria removeri, utile. Tass. Gerus Liber Cant, 9.Scan.46

Così scendendo dal natio suo monte
Non empie humil il Pò l' angusta sponda,
Ma sempre è più, quant' è più longe al fonte.

Porrò sicut fluvius, quantò à scaturigine suâ longius recedit, tantò evadit amplior; ita Religiosus in virtutibus tantò magis proficit, quò affectum à parentibus & consanguineis remotiorem servare nititur. *Sede itaq; solitarius,* concludit Doctor Mellifluus, *sicut turtur; nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine cæterorum, etiam ipsum oblivi scere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Ad quæ postrema Psalmi verba S.Hieronymus, *Grande præmium est,* inquit, *parentis oblivisci, quia concupiscet Rex decorem tuum.*

Religiosus parentes fugiat. S Bern. serm. 40 in Cant. Psal. 44 Hieronym. in Reg.Mon

432. Flumen, propugnaculi cujusdam muros subterfluens, non tantùm ad purgandas sordes, sed etiam ad majorem loci securitatem deservit. Unde lemma. MUNDAT, ET MUNIT. Vel, UT MUNDET, ET MUNIAT. Iisdem planè verbis Sancta Ecclesia insignem Eucharistiæ virtutem explicat, *Mundet & muniat nos Divini Sacramenti munus oblatum.* Hæc enim mundandis nostris cordibus cumprimis est utilis ac necessaria. Arnobius id asserens super illud Psalmi. *Sicut aqua effusus sum,* ait, *Benè posuit aquam, quia nihil novit corpus Christi, nisi peccata lavare.* Porrò sacratissimum illud Christi corpus etiam propugnaculi loco esse, Hugo Cardinalis dilucidè testatur, dum ad illa Salomonis verba reflectens, *Misit ancillas, ut vocarent ad arcem,* subjungit, *id est, ad Sacramentum Corporis Christi, quod est contra inimicos munimen.*

Eucharistia. Arnob.super Psal.21.15 Proverb.9. Hugo Card. in Psal.22

433. Princeps generosus, uti & homo charitatis studiosus, qui ad afflictam egenorum sortem sublevandam complures divitias ac favores erogant, fluminis Emblemate à Carolo Rancato repræsentantur, quod agrorum segetes ac plantas ad uberiora incrementa capienda affatim irrigat; cum lemmate.

Benefactor.

RIGAT, UT ERIGAT. Eruditè meus D. Salvator Carducius.

Ut erigat vireta, rivus irrigat:
Sic erogatum pauperes aurum levat.

Prælatus. Porrò Prælati, ut suos ad virtutum germina proferenda erigant, crebris eos adhortationibus, ceu totidem fluminibus, rigant. Unde S. Augustinus, *Non Episcopi propter nos sumus, sed propter eos, quibus Verbum & Sacramentum Dominicum ministramus.* *S. Aug. Cont. Cresc. on l. 2 cap 11*

Ascensio Christi. 434. Christum, ad cœlos ascendentem, fluvii Emblema repræsentat, qui in mare reversus, epigraphen tenet. REVERSUS UNDE VENERAT. Verbis è S. Ecclesiæ hymno desumptis. *Hymn in Pentecost.*

Jam Christus astra ascenderat
Reversus unde venerat.

Vita humana. Eadem Epigraphe, vasi Samio jamjam fatiscenti ac comminuto, indita, absolutam corporis humani ideam refert; de quo sacræ Litteræ. *Donec revertaris in terram, de quâ sumptus es.* S. Augustinus, *in terram ibis* inquit, *& in hoc ibis amissâ vitâ, quod eras antequam sumeres vitam, id est, hoc eris exanimis, quod eras antequam esses animatus. Factus est homo in animam vivam, tanquam diceret, Terra es animata, quod non eras; terra eris exanimis, sicut eras.* *Gen. 3. 19 S. Aug. de Civit. Dei l 20 c. 20*

435. Trium, quatuorvè tenuium fluminum commissio epigraphen sustinet UNITA FORTIORA. Hinc disces, quantùm virtutis è multorum concordiâ promanet. Verissimam etiamnum experimur veterum parœmiam, *Nec Hercules contra duos*; &c. *Virtus unita fortior.* Unde Cœlum nonnisi in unum collectis & unitis ingredi licebit. Pulchrè S. Augustinus. *A multis curre ad unum, dispersa collige in unum, mane apud unum, noli ire in multa, ibi est beatitudo.* Concordia. *S. Aug. serm. 47 de Divers.*

Peccatum veniale. 436. Eidem Emblemati subscripsêre. MAXIMA DE MINIMIS. Experientia Magistrâ constat, minutias accumulatas altòm excrescere. Ovidius. *Ovid. l 1 de remed.*

Flumina magna vides parvis de fontibus orta,
Plurima collectis multiplicantur aquis.

Et S. Basilius. *Studiosè ex singulis utilia coacervantur, velut magnis fluviis multum undique accrescit incrementum. Parvum enim supra parvum imponere, juxtà Hesiodi sententiam, non magis ad argenti augmentum, quàm ad quamcunque scientiam facere credendum est.* *S. Basil. Hom de legendis libris gentil.*

Gratitudo. 437. Magister, discipulorum obsequiis ac reverentiâ tantundem exornatus, quantùm doctrinæ ipse in illos diffuderat, sese gracili fluvio non absimilem dixit, qui aliquot arbusculorum radices interluens, epigraphen tenebat. UMBRA REPENDITUR HUMOR. Vel, CON BEL CAMBIO TRA LOR, D'HUMORE, E D'OMBRA. Id est, interprete Reverendissimo D. Picinello. UNDAM MUTUANTUR, ET UMBRAM. Ita bonus Princeps, si Agapyto habeatur fides, diffuso in subditos sincero benevolentiæ affectu, plurimùm fidelissimi obsequii ab iis eblanditur. *Si honore*, inquit, *qui ab omnibus proficiscitur, perfrui vis, præsta te communem omnium benefactorem: nihil enim adeò attrahit ad benevolentiam, ut beneficii gratia, quæ datur egentibus.* Princeps benignus amatur. *Agapit Epist. Paræn. n. 9*

438. Fluvius, tametsi in varias ambages contortus, nunquam tamen è tramite suo deflectit. Lemma. OBLIQUUS, NON DEVIUS. Concionatorem hoc elogio insigniveris, qui in diversam materiem digressus, cæptum sermonis sui finem minimè egreditur. Ita porrò plurimi, licet arduis negotiis indies distenti, à consuetâ tamen pietatis aut studiorum ratione sese penitùs avelli, haud unquam patiuntur. S. Gregorius Papa, *Fluvius*, inquit, *dum per alveum defluit, si valles concavas ex latere contingit, in eas protinus sui impetûs cursum divertit, cumq; illas sufficienter expleverit, repentè se in alveum refundit, sic Divini Verbi tractator esse debet, ut, cùm de re aliquâ disserit, si fortasse juxta positam occasionem congrua ædificationis invenerit, quasi ad vicinam vallem linguæ undas intorqueant, & subjectæ instructionis campum sufficienter fuderit, ad sermonis propositi alveum decurrit.* Prædicator digressus. *S. Greg. in præfat. in Moral. I*

439. Qui religionem ingressus, mores vitamque corrigit, flumini se non absimilem probat, quod in mare decurrens, mox pristina sua omnia immutat. Lemma. PER OMNIA MUTATUR. Justus Lipsius hoc symbolo bonos, malis commixtos, infici, eorumque amaritie temerari commonstrat. *Ut flumina per se dulcia, cùm in mare venerint, salescunt, sic homines haud mali, ex agris in urbem reducti, tactu inquinantur & mixtione.* Mutatio. Societas. *Lips. Cent. Epist. 8*

440. Flumini, nunquam extra alveum suum deflectenti, subscripsit Abbas Ferrus. FLUIT, NON EFFLUIT. Animum moderatum hæc imago repræsentat, qui tametsi copiosa benignioris fortunæ fluenta trahens, nunquam extra modestiæ limites vagatur. Et certè, inquiebat Q. Curtius, *Continentia & moderatio in altissimâ quâq; fortunâ, eminentia bona.* Authore meo Richardo de S. Victore, anima, charitati Divinæ dedita, in proximi emolumentum effunditur quidem, seu, si mavelis, *fluit*, se ipsâ tamen nunquam penitùs ad usque arescentem fundum exhaustâ; sicque *non effluit. Emollitum cor*, inquit, *dilatatur in charitate, & à dextris, & à sinistris usquequaq; diffunditur: subveniens pariter hostibus & amicis; atque grato quodam & spontaneo cursu omnibus occurrit. FLUIT igitur, NON EFFLUIT: quia sic se derivat ad alios, ut à se aliquatenus non recedat.* Moderatio. *Q. Curt. l. 4* *Rich. de Vict. de gradibus Charitat. c. 4*

441. Fluvius, in mare effusus, epigraphen à D. Aresio recepit. TU ABSCONDITE, EGO PALAM. Quasi diceret fluvius; undas, per abstrusos & arcanos canales mihi è mari communicatas, perspicuâ & apertâ gratificatione restituo. Eidem Emblemati etiam inscripsit, UNDE EXIIT; aut, verbis è Senecâ mutuatis. PALAM VENIT, SECRETO REVERTITUR. Hinc methodum discas, debitas Mecænatibus tuis referendi grates. Aristotelis præceptio est, *Oportet regratiari, vel famulari ei, qui gratiam facit.* Gratitudo. *Seneca N. Quæst. l. 3* *Arist. lib. Ethic.*

442. Qui benefactori gratum se exhibet, ad novas gratias dispensandas eum sibi devincit. In hunc sensum D. Aresius flumini, in mare delapso, subscripsit. UT ITERUM FLUAT. Idipsum etiam sequentia lemmata dicunt. REDDITURO REDDO. &, INGREDITUR. &, EGREDIETVR. Vel, REVERTITVR, ET REVERTETVR. Animus Religiosus, ac pietati devotus, si quidquam ubertatis è gratiâ Divinâ emendicare velit, assiduo se Deo gratum sistere, neque exhibiti favoris unquam immemorem exhibere debet. *Quod si copia aquarum*, inquit Doctor Mellifluus, *secretis subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, ut inde rursus ad visus ususq; nostros, jugi & infatigabili erumpant obsequio; cur non etiam spirituales viri, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude, & sine intermissione redden-* Gratitudo. *S. Bernard. serm 13 in Cantica.*

reddentur? ad locum unde exeunt revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Tandem in hoc consilium concludit. *Remittatur in suum principium cæleste profluvium, quo uberius terra refundatur.*

443. Hortensius Pallavicinus, è Societate Jesu, cum observatum haberet, flumina, quò longius à capite suo progrediuntur, eò latiore aquarum alveo explicari; in Maximiliani I. Imperatoris elogio scripsit. *Regia flumina, quò longius discurrunt, eò excurrunt latius, amplificata aquarum veluti majestate ex popularibus minorum fluviorum tributis.* Unde hanc suam mentem in Emblematis formam cogens, flumini subscripsit, QUO LONGIUS, EO LATIUS, Augustissimam Domum Austriacam significans, quæ lineâ rectâ à Pharamundo I. Francorum in Germaniâ Rege, usque ad Sigebertum Austriæ, Alsatiæ, aliarumque Provinciarum Rege ortum suum trahit; ex his porrò Sigebertus I. Habspurgi Comes genitus, per novendecim succedentium generationum gradus Rudolphum I. Imperatorem in lucem auspicatissimam edidit: in hâc verò augustissimâ Pronepotum serie Imperii Majestas eò excrevit, ut à Maximiliani I. & postea à Caroli V. & Philippi II. Austriacorum tempore ad pristinas Imperii ditiones accesserint Flandria, Burgundia, Bohemia, Hungaria, Hispania, Sicilia, Sardinia, Neapolis, Lusitania, & vastissima Indiæ Orientalis & Occidentalis regna. Ut adeò sub Augustissimæ Domûs Austriacæ patrocinio dimidius penè orbis hodie conquiescat. Cæterùm quò longius à mundo recedimus, eò ampliora amoris Divini incrementa facimus. Pulchrè S. P. Augustinus. *Fit plerumque, ut qui corpore longè peregrinatur à te, conjunctus sit tibi; quia hoc amat quod tu: & fit plerumque, ut stans juxta te, ex eo quia diligit mundum, cùm tu diligas Deum, longè sit à te.*

444. Emblematis loco flumem depinxêre, quod intumescentibus aquis in subjectam cataractam ruebat; eâque effractâ, circumfusos campos inundabat; cum lemmate. TUA EVERSIO, NOSTRA DISPERSIO. Genuensis Populi hæc suspiria ac lammenta erant, cùm fata Eminentissimum Cardinalem Horatium Spinolam, conterraneum & Archiepiscopum suum optimum, rapuissent. Porrò sicut ruptis cataractis sparsim effluunt aquæ, ita patiente & jamjam morituro Christo Apostoli omnes in fugam acti & dispersi sunt; juxta illud Christi vaticinium. *Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte? scriptum est enim, percutiam pastorem & dispergentur oves gregis.* Et, quod mireris, non corpore tantùm, sed ipsâ etiam fide pastorem suum reliquerunt: *Non enim,* inquit Augustinus, *quando comprehensus est, tantummodò carne suâ ejus carnem, verum etiam mente reliquerunt fidem. Ecce! quomodo cum reliquerant deserendo etiam ipsam fidem, quâ in eum ante crediderant.*

445. Fluminis aquæ, à cataractis intra alveum cohibitæ, epigraphen tenent. OPPORTUNE DEFLUENT. D. Thomas Aquinatem hoc Emblemate insigniveris, qui sapientiæ suæ aquas, sub taciturnitatis vallo aliquamdiu retentas, tandem opprotunissimè non sine totius Ecclesiæ emolumento effudit. Porrò sacrarum adhorationum aquæ ad irriganda humana pectora tempestivè ac opportunè effundenda sunt; secùs enim, exoptato carebunt fructu. Unde Apostolus primùm opportunè, postea verò contumaces etiam importunè admonendos voluit; *Prædica verbum, insta opportunè, importunè &c.* Pulchrè id explicans S. Greg. Papa. *Dicturus:* inquit, *importunè, præmisit opportunè; quia scilicet apud auditoris mentem ipsâ suâ utilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.*

446. Homines mundani, per illecebras ac vanitates terrenas passim volutati, innumeris vitiorum sordibus inquinantur; Hos P. Joannes Rhò flumini non absimiles dixit, quod extra suas margines in vicinos campos evagatum, lutum ac colluviem omnem in se colligit. Lemma. LUTUM COLLIGET. Appositè S. Leo. *Dum per varias actiones mundi hujus solicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere.* S. Ambrosius fluvium, qui è suis alveis exundans, cænum contrahit, solutioris linguæ homini comparat; hic enim, laxatis verborum repagulis, instar torrentis, totos sordium, culparum, ac defectuum acervos congregat. *Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis coërceatur, citò LUTUM COLLIGIT amnis exundans.*

447. Flumen exundans res quasvis obvias secum abripit. Lemma. OBVIA QUÆCUNQUE TRAHIT. E S. Basilii sententia, viva hæc Magistratûs illius imago est, qui tyrannidis suæ vehementiam adversus subditos aliosque inferiores passim exercet. *Veluti flumina,* inquit, *ex parvis initiis exeuntia, deinde paulatim incrementum intolerabile in processu accipientia, impetu demum violento, quidquid objicitur secum trahunt; sic & hi, qui in magnum provehuntur potestatem, ex eo quod jam aliquos oppresserunt, ad majora continuò facinora, majoresque injurias progrediuntur.* His nihilò inferior mortis crudelitas. *Obvia quæque rapit.* Ovidius id deplorans canit:

Tempus edax rerum, tuq; invidiosa vetustas,
Omnia destruitis, vitiataque dentibus ævi
Paulatim lentâ consumitis omnia morte.

Et rursùs.

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras injicit illa manus,

44. Flumini inscripsêre. FUGIENS ABIT. Cùm humanæ vitæ, tum omnis fortunæ ac opulentiæ terrenæ idæam absolutissimam hæc imago refert. Scitè Seneca.

---- ---- *Properat cursu*
Vita citato, volucrique die,
Rota præcipiti vertitur anni.

Et Horatius

Dum loquimur, fugerit invida
Ætas; carpe diem, quam minimùm credula
postero.

Prolixè in rem præsentem S. P. N. Augustinus. *Sicut torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, & currendo decurrit: sic est omnis iste cursus mortalitatis: nascuntur homines, moriuntur, & aliis morientibus, alii nascuntur: succedunt, accedunt, decedunt, non manebunt. Quid hic tenetur? quid non decurrit? quid non, quasi de pluviâ collectum, it in abyssum?* Tales cumprimis divitias dixeris; nam, Agapito asserente, *terrenarum opum instabiles divitiæ, fluviatilium undarum imitantur cursum: modicùm enim affluunt hisqui habere se eas arbitrantur, mox verò refluentes, ad alios accedunt.* S. Gregorius Nazianzenus.

Quæ veniunt, abeunt; rebus si niteris, amni,
Qui non consistat, fidis, amice, levi.

Omnia hujus mundi bona simul complexus Justus Lipsius, *Ut flumina,* inquit, *ad mare feruntur perpetè & prono*

Mundo dediti.
S. Leo Papa serm 4. de Quadrag.
Loquaces.
S. Ambros. l. 1. offic. c. 3.
Magistratus indiscretus.
S. Basil. Hom. in Divit. Avaros.
Mors.
Ovid. l. 15. Metam.
Idem lib. 3. Amor. Eleg. 8.
Vita humana.
Senec. Hercul Furens. Act 1.
Horat l 1. Carm. Od. 11
S. Aug. in Psal. 109.
Divitiæ.
Agapit. Epist Paranet.
S. Gregor. Naz.
Bona terrena.
Lips l 1. de Clem c. 15.

& prono cursu: sic res omnes humanæ per cladium canalem labuntur ad suam metam.

Discordia. 449. Veluti fluvius in plures rivos divisus, superatu vadit facilis; ita discordia, inter hostes disseminata, plurimùm commodi affert, facilemque militantibus victoriam conciliat. Emblemati subscripsit D. Didacus Saavedra. DISJUNCTIS VIRIBUS. *Prudentia Ducis est*, inquit Vegetius, *inter hostes discordiæ causas serere.* Et Titus Livius. *Discordia & seditio omnia facit opportuniora insidiantibus.* Denique Cornelius Tacitus. *Urgentibus Imperii fatis, nihil jam præstare majus fortuna potest, quàm hostium discordiam.*

Vegetius. Livius C. Tacit. de moribus Germanorum.

Calamitas assidua. 450. Afflicti cujusdam calamitates, nullo unquam termino componendæ, sed assiduis fluctibus jactandæ; fluminis undas imitantur, quarum una trudit alteram, & CUM DEFLUUNT AFFLUUNT. Seneca,

Seneca in Agamem Act. 1

Alia ex aliâ cura fatigat,
Vexatque animos nova tempestas.

Hanc hominis miseriam non sine gemitu prosequitur meus Concanonicus Thomas Kempensis in Divino suo, de Christo imitando, libello; *Heu*, exclamat, *qualis est hæc vita, ubi non desunt tribulationes & miseriæ? nam unâ tribulatione seu tentatione recedente, alia accedit: sed & priore adhuc durante conflictu, alii plures superveniunt, & insperatè.*

Th. Kemp. De Imit. l. 3 c. 20 n. 3

Dolor occultus. 451. Flumini tumescenti, & cataractis retento, inscripsi. QUANTO PIU SI RITIEN, VIE PIU S'INGROSSA. Id est, AB OBICE CRESCIT. Oportunè in rem præsentem de dolore occulto canit Ovidius.

Ovid l. 5 Trist. Eleg. 2

Strangulat inclusus dolor, atque co ræstuat intus,
Cogitur & vires multiplicare suas.

Et Justinus. *Crescit dissimulatione ipsâ dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet.* Haud aliter Ira Divina, quò longius dilata, eò evadit vehementior, graviorque. *Deus*, teste D. Hieronymo, *qui laneos habet pedes, sed ferreas manus tarditatem vindictæ supplicii gravitate compensat.*

Justin. l. 8
Ira Dei.
S. Hieronym.

452. Insignem Personam, morte abreptam, fluminis Emblemate repræsentabis; quod in campos excurrens, epigraphen à me recepit. OPTIMA QUÆQUE RAPIT. Compertum enim habemus, mortem, instar impetuosi fluminis, in eos potissimùm grassari, quos mundus Athlantum loco adoravit. Nec incongruè Emblematis hujus mentem de violentiâ militari interpretari licet, quæ è Cornelii Taciti sententiâ, *Omnia tanquam externa aut urbes hostium urere, vastare, rapere solet.* Q. Curtius milites vocat: *Populatores terræ, quam à populationibus vindicare debebant.* Denique è rapaci illo flumine Tyrannorum vim, in omnia subditorum bona sævire solitam, conjicies. Disertè Plinius. *Est Tyranni, quidquid habet quisque subditus amplum egregium, pulchrum, sive in rebus mobilibus, sive in rebus soli, occupare & sibi detinere.*

Mors. Milites. *Corn. Tacit* *Q. Curt. l. 3* Tyrannus. *Plinius in Panegyr.*

Avarus. 453. Avarus, quantò amplioribus onustus divitiis, tantò pluribus coacervandis inhiat; haud secùs atque fluvius fit INCREMENTO RAPACIOR. Inter Scriptores Sacros id observans S. Basilius, ait, *Qui repentè ditatus est, plura possidens, plura concupiscit.* Inter prophanos Ovidius:

S. Basil. Hom 7. in divit. Avar. Ovid. 1. Fast.

Creverunt & opes, & opum furiosa cupido.
Et cùm possideant plurima, plura petunt
Quærere, ut absumant, absumpta requirere certant
Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices.

454. Qui Deo vel Principi à servitiis sunt, quò ampliorem gratiæ cumulum ab iis receperint, eò promptiorem obsequendi animum ostendunt. Fluvius id demonstrat, hoc lemmate signatus. INCREMENTO VELOCIOR. Ea enim fluvii est indoles, ut copiosiore aquâ locupletatus, gressum acceleret, ac iter destinatum velocius percurrat. Porrò homo viam mandatorum Dei tantò expeditius percurret, quantò majore charitatis aut gratiæ Divinæ augmento cumulatus fuerit. Certè David, quando cor suum Divino amore affluere ac dilatari sensit, jam non amplius vulgari gressu viam illam incedere, sed alacriter currere cœpit; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* In hunc locum S. Augustinus. *Cucurri*, inquit, *non per proprium, & quasi nullius tuæ opis indigum arbitrium meum; sed cùm dilatasti cor meum. Cordis dilatatio, justitiæ delectatio. Hoc munus est Dei, ut in præceptis ejus non timore pœnæ angustemur, sed dilectione dilatemur, & delectatione justitiæ delectemur. Non currerem, nisi dilatasses cor meum.*

Minist. solicit. Charit. *Psal. 118* *S. Aug. hunc lo.*

455. Flumen, quantò longiùs progreditur, eò majorum undarum copiam colligit. Unde lemma. DEFLUENS AFFLUIT. Sic virtus cum ætate augescit. Testatus id S. Hieronymus. *Senectus eorum*, inquit, *qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior &c.*

Profec. *S. Hieron. Epist. ad Nepot.*

456. Amœnum flumen, placidis ac silentibus decurrens undis, epigraphen tenet. MUTUM, SED ALTUM. D. Thomæ Aquinatis hæc imago est, qui, ætate etiamnum adolescente, verborum quidem extitit parcissimus; plurima tamen in totius Ecclesiæ utilitatem speculatus, bovis muti cognomen accepit; nititurque Emblematis hujus argumentum veteri illâ Q. Curtii paræmiâ, *Altissima quæque flumina minimo sono labi.* Ita illos in penetrandis sacris mysteriis profundissimos experimur, qui silentio & contemplationi sunt dediti. Verissimè meus Thomas Kempensis. *In silentio & quiete proficit anima devota, & discit abscondita scripturarum &c.* Tandem cùm flumina, exteriore quidem vultu quieta ac placida, plerumque sint voraginosa & omnium periculosissima; idcircò Cato in homines morosos ac taciturnos flumminibus illis non absimiles dicit, qui tantò plus damni creare solent, quò verbis sunt parciores.

S. Thom. Aqu. *Q. Curt.* Silenti. *De Imit. c. 20 n.* Tacitu. nitas n. *Cato.*

Demissos animo, ac tacitos vitare memento:
Quâ flumen placidum est, forsan latet altius unda

457. Qui profectum suum potius à bonitate ac providentiâ Divinâ, quàm ab humanâ industriâ recipit, se ipsum non abs re fluvio similem dixerit, qui pluviarum beneficio augescens, epigraphen teneat. IMBRIBUS AUCTUS. Talem se testatus est Apostolus, quando dixit; *Gratiâ Dei sum id, quod sum:* Homo enim, nisi affluente Divinâ gratiâ, penitus arescit, & in nihilo suo perseverare cogitur. Opportunè in rem præsentem Magnus Augustinus super illud Psalmi, *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*; ait, *Pluviam voluntariam nonnisi gratiam vult intelligi, non meritis redditam, sed gratis datam; unde & gratia nominatur: dedit enim eam, non quia digni eramus, sed quia voluit.* Ita etiam non rarò è persecutionum imbre incrementum honoris aut gloriæ non exiguum capimus.

Auxiliu. Dei. *1. Cor. 15* *Psal. 67* *S. Aug. Trinit. l. cap. 1.* Persecu. utilis.

458. Carolus Rancatus flumini, Ingentes ac super-

superbas trahenti undas, subscripsit; FONTE CADIT MODICO, Lucano hanc epigraphen suggerente.

Forte cadit modico, parvisq; impellitur undis
Puniceus Rubicon.

Eos in hoc flumine depictos cernere licet, quos benignior fortuna è tenuissimis ac pauperrimis natalibus ad amplissimas dignitates permovit. Valerius Maximus. *Incunabula Tullii Hostilii agreste tugurium cæpit: ejusdem adolescentia in pecore pascendo fuit occupata: validior ætas Imperium Romanorum rexit, & duplicavit: senectus excellentissimis ornamentis decorata in altissimo Majestatis fastigio fulsit.* Huic è vestigio Tarquinium, Servium Tullium, Varronem, Porcium Catonem, aliosque, ex obscurâ ac humili sorte ad summa Imperia sublevatos, subjungit.

459. Ascanius Pignatellus, hostium vehementiâ acerrimè circumventus, symboli sui loco spumantes fluminis aquas depinxit, quæ, tametsi cataractam superent, obruantque, non tamen effringunt. Lemma addidit. OBRUUNT, NON DIRIMUNT. Veluti diceret, se quidem, instar cataractæ, ab adversâ hostium, ceu totidem undarum vehementiâ, aliquantulum esse affligendum, nunquam tamen ex invictâ suâ constantiâ dimovendum aut frangendum. Egregiè S. Augustinus. *Duplicem mundus aciem producit contra milites Christi; blanditur ut decipiat, terret ut frangat. Non nos terreat voluptas propria; non nos terreat crudelitas aliena, & victus est mundus. Ad utrosq; aditus occurrit Christus, & non vincitur Christianus.*

460. Felicitatis terrenæ fugam è copiosâ fluminis aquâ discere licet; cui inscriptum. CUM FLUIT, EFFLUIT, Ovidius.

———*Nihil est, toto, quod perstet, in orbe,*
Cuncta fluunt: omnisque vagans formatur imago.
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen: neq; enim consistere flumen
Vrgeturq; prior veniente urgetq; priorem,
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq; sequuntur.

Et Agapytus. *Divitiæ fluviatilium undarum imitantur cursum: modicum enim affluunt his, qui habere se eas arbitrantur, mox verò refluentes, ad alios accedunt, solus autem beneficentiæ Thesaurus stabilis est possidentibus eum.*

461 Animus grandis & generosus, omnem malevolorum adversitatem superare solitus, flumini se non absimilem probat, quod effractis & quassatis obturamentis, epigraphen refert. OBSTANTIA STERNIT. Eosdem affectus in doctrinâ Evangelicâ deprehendimus, quæ, instar impetuosi fluminis, omnia insanæ gentilitatis, aut hæreticæ perfidiæ objectamenta convellit ac diffringit. Hinc Rabanus in illud Siracidis commentatus, *Ego quasi fluvius Dyorix, & sicut aquæductus exivi de Paradiso*, ait, *Sapientia se comparat fluvio rapidissimo, & aquæ egredienti de paradiso: quia doctrina Salvatoris, de cœlesti prodiens thesauro, omnia obstacula errorum, atque persecutionum suâ velocitate atque fortitudine disrumpit, ac frangit &c.* Cæterùm Comes Emanuel Thesaurus eidem Emblemati subscripsit. DIRUIT, DUM RVIT. Genuinam hominis illius hanc iconem dixeris, qui desperationis furore actus, in hostem ruit.

462. Flumen obturamentis quibus cohibetur, effractis, majore vehementiâ prorumpit. Lemma. POTENTIUS ERUMPIT. D. Archangelus Conter hoc symbolo adolescentem delineat, tantò vehementius in omnem vitæ licentiam præcipitatum, quantò severiore educatione ab illâ cohibebatur. Ea quoque peccatorum quorundam est contumacia, ut nunquam majore impetu agere videantur, quàm ubi plures Dei ac Principum leges obstant. Cæterùm etiam vindicta Divina, quò diuturniore tolerantiâ retinetur, tantò acerbiore impetu tandem adversus sceleratos erumpit. Valerius Maximus. *Lento gradu ad vindictam sui Divina procedit ira: tarditatemq; supplicii gravitate compensat.*

463. D. Hercules Salarolus, Can. Regularium Abbas, Emblematis loco flumen depinxit, quod cataractis tandem diruptis, rapidè effluebat; cum lemmate. ERUMPENS OTIA PENSAT. Ità verus pœnitens nobilissimum merendi tempus, inter otia ac peccata deperditum, bonorum operum adminiculo redimere conatur. S. Petrus Damianus, *Novimus,* inquit, *utriusq; sexûs homines, post abominabiles voluptatis illecebras, ad tantam religiosæ vitæ pervenisse munditiem, ut non modò castos, aque pudicos quoslibet in sanctitate præcederent, sed & non contemnenda multarum virginum merita superarent.*

464. Lethæo inferorum fluvio talem vim & efficaciam affingunt Poëtæ, quòd ejus epoti latices rerum præteritarum memoriam penitus oblitterent, ac perpetuam omnium oblivionem bibenti homini inducant. Fabula hæc, uti pleraque alia Poëtarum involucra, non parvum ad moralia momentum habent. Unde meus Concanonicus D. Alexander Luzon de Millares Emblemati hanc Apostoli gnomam lemmatis loco subjunxit. QUÆ RETRO SUNT, OBLIVISCENS. Innuebat videlicet, illa omnia oblivioni fructuosè mandari, quorum reminiscentia virtutis negotium turbat, & vitiorum fomenta accendit; frequenter enim noxarum præteritarum memoria animo nostro in perfectionis curriculo remoras injicit, æque periculosas ac molestas. Has rerum mundanarum turbas glomeratim expertus est etiam in vastissimâ eremo S. Hieronymus. *Ille igitur ego,* inquit, *qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suâ jam carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant.* Unde ardentes Magni Augustini ad Deum preces sunt. *Quis mihi dabit, ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviscar mala mea?* Cæterùm optandus hodie etiamnum esset ille Lethes fluvius, quo Religiosi rerum omnium præteritarum, & totius mundi oblivisci discerent.

465. Alpheus fluvius, in Elide Peloponnesi Oceanum Siculum occultis meatibus subterlabens, sine ullâ undarum mixtione tandem in Arethusam Siciliæ fontem illabitur, ejusque in amplexus ruit; uti cum Pausaniâ testatur Virgilius.

——— ———*Alpheum fama est huc Elidis amnem*
Occultas egisse vias subter mare: qui nunc
Ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis.

Atq; adeò maris medium petransit, suis undis, colore, ac piscibus integerrimus. Proinde Lemmatis loco suscribes. ILLÆSUS TRANSIT. Paucorum hæc felicitas est, ut per sæculi vanitates delati, iis non misceantur, neque ullam ex hoc mundi

pelago

Juventus effrenis.
Peccator contumat.
Ira Dei.
Val Max l 1 c.1
Pœnitens.
S Pet. Dam Epist 4 de Dei Omnip. cap 3
Oblivio peccatorũ præteritorum utilis.
S. Hironym Epist ad Eustoch.
S. Aug. lib. 2 Conf cap 19
Religiosus
Pausan lib 5
Virgil l.3 Æneid.
Societas bona inter malos.

pelago salsuginem contrahant. Pulchrè S.P. Augustinus. *Attendite sæculum quasi mare, ventus validus, & magna tempestas. Unicuiq; sua cupiditas, tempestas est. Amas Deum, ambulas super mare, sub pedibus tuis est timor sæculi. Amas sæculum, absorbebit te. Amatores suos vocare novit, non portare.* Et rursus. *Implevit Deus amaritudinibus mundum, & inde voluptatem capis. Quid si dulcis esset, quomodo amaretur? Offendunt te ista, elige aliam viam. Ama Deum, contemne ista.*

S. Aug. serm. 13 de Verb. Dom. c. 17.
Idem serm. 115 de divers. cap. 17.

466. Flumen, ingenti affluentium aquarum numero locuples, securum navigantibus iter præbet. Lemma. QUO MAJUS; MINUS HOC PERICLI EST. Maria Virgo, gratiæ Divinæ aquis plenissima, fluctuantem animæ nostræ navim sine ullo discrimine ad cœlestem portum provehit; ut adeò verissimè illam cognominet Richardus à S. Laurentio, *Flumen Dei, repletum aquis gratiæ.* Et Buteo. *Flumen multifluum gratiarum.* Emblematis mentem sequenti epigrammate explicat P. Jacobus Masenius.

M. V. patrocinium.
Rich. à S. Laur. l. 9 p. 516
Bub hym. 92 p. 137.

Quæ minor in dubiis fluit unda celerrima tesquis,
Hanc vites; plenis certior illa vadis.
Credimus? en plenis Virgo benè convenit undis?
Non mergit: placidè provehit illa ratim.

TORRENS.

467. Torrens, aquarum inops, stridulum inter saxea offendicula murmur excitat. Unde lemma. STREPIT, CUM DEFICIT UNDA. Ita apud indoctos plerumque multùm garrulitatis, sapientiæ verò parùm aut nihil videas. Subditi quoque ad quamvis levissimæ indigentiæ occasionem Superioribus non rarò obmurmurant. Omnium tamen aptissimè militibus hæc imago convenit, qui, stipendiis aliquantulùm deficientibus, mox turbas excitant, ac dissolvuntur. Titus Livius. *Dissolvendi exercitûs, & magnarum in eo rixarum causa, vel una hæc est, si militibus æra aut stipendia non persolvantur.*

Indoctus loquax.
Murmurans.
Miles.
Livius Dec. 1 lib. 5

468. Torrens, in amœnos ac cultos agros exundans, horrendum eos devastat. Lemma. IN DESERTA MUTABIT. Belliducem, rapinis assuetum, hæc imago adumbrat, cujus tyrannide optimas ac fertilissimas Provincias exscindi, solumque sterile æquare, non sine luctu videmus. Justus Lipsius. *Ferus Mars non animata solum vitâ devolvit, sed evertit, quidquid stetit.*

Bellidux prædo.
Lips. l. 5 Dialog. 1. de militia.

469. Hæresis, ubi è scaturigine suâ excurrere cæpit, immani quidem fragore passim grassatur; at brevi temporis intervallo iterum detumescit, ac penitus exsiccatur. Eam proinde torrentis Emblemate describere licet; additâ inscriptione. STREPIT, ET EFFLUIT. Hanc Emblematis mentem S.P. Augustinus suggerens, *Non vos terreant,* inquit, *Fratres, quidam fluvii, qui dicuntur torrentes, hyemalibus aquis implentur, nolite timere, post paululum transit, decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit. Diu stare non possunt: multæ hæreses jam mortuæ sunt.* In eos etiam hoc Emblema convenit, qui facili operâ in iram ac minas concitari soliti, haud difficulter iterum conquiescunt.

Hæresis.
S. Aug. in Ps. 57
Iracundus implacabilis.

470. Torrens, per rupem delapsus, sui met præcipitii ac ruinæ authorem agit. Unde lemma. DAT SEMET IN PRÆCEPS. Sic anima scelerata propriam sibi pernitiem fabricatur. S. Nilus Abbas. *Quemadmodum torrens sibi ipse per præceps aditum patefacit; sic & peccator sibi ipse per scelera ruens, parat interitum.*

Proprii mali author.
S. Nil. Instit. ad Monach.

471. Aridi torrentis alveus, plerumque pedore ac illuvie conspurcatus, ab interveniente aquarum copiâ sedulò extergitur. Unde ephigraphen subjunxi. SORDES ELIMINAT. Divinus Vates Lachrymas torrenti non absimiles dicit, *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem;* quippe quòd illarum beneficio omnes cordis humani sordes studiosissimè eluantur. Dilucidè S. Petrus Damianus. *Sicut spumosi torrentis cumulus superveniens, cunctis alveum sordibus purgat; sic lachrymarum profluentium cursus ex mente flentis, & diabolicæ versutiæ semina & omnes SORDENTES vitiorum pestes ELIMINAT.*

Lachrym[æ]
Thren. 2.
S. Pet. Da[m.] Opusc. 13

472. Torrens non sine fragore per rupium præcipitia delabitur, quasi finitimis populis præviam fugiendi, suique conservandi tesseram daturus. Epigraphen addidi. CUM SONITU RUIT. Vel, ut aliis placuit. NON SINE SONITU. Verbis è Silio mutuatis.

Silius l.

Ut torrens celsi præceps è vertice Pindi
CUM SONITU RUIT in campos: magnoque fragore.
Spumea saxosis clamat convallibus unda.

Torrenti non absimilem se exhibet ferox ac intumescens Bellidux, in Provincias non sine strepitu ac civium terrore grassari solitus. Porrò Deus vindictæ suæ vehementiam nunquam sine præviis comminationibus in mundum effundere solet. S. Basilius in illa Isaiæ verba, *ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus &c. non clam aut silenter,* ait, *ingerit supplicia, sed intendens comminationes, ea prædicit afore, per hoc peccatores invitans ad pœnitentiam.*

Deus [...] tequa[...] punit, [...] natur.
S. Basil. Isaia 5.

473. Princeps, propriis quidem viribus imbecillis, alieno tamen amicorum robore ad propulsandam hostium potentiam satis instructus, Torrentem imitatur, qui è pluvialibus aquis, resolutis nivibus, aliarumve aquarum colluvie cerrivatus, tandem in vastam molem excrescit. Illum proinde Gambertus hoc Lucani lemmate notavit. ACCEPTO ROBORE MAJOR. Providè Polybius. *Optimè sibi consulunt Respublicæ tenuiores, à potentioribus bello lacessitæ, quæ prudentes, & propositâ periculi magnitudine, & vicinitate pelliciunt alias Respublicas vel regna potentissima in suam societatem &c.*

Unio p[...] dest.
Lucan l Pharsal.
Polyb. l.

474. Torrens hyeme aquis abundat, æstate deficit. Lemma. ÆSTATE MINOR. S. Laur. Justiniano teste humilitatis hæc idea est, quæ inter adversitates incrementum capere solita, rebus, secundis minuitur. Opportunè in rem præsentem Religiosissimus meus Thomas Kempensis, posteaquam plurimas calamitates, homini sufferendas, retulisset, tandem concludit. *Propter hoc natura aliquando contristabitur, & magnum certamen sustinebit; sed magnum bonum inde consequeris, si silens portaveris.* Idipsum etiam de Patientiæ virtute pronuntiat S.P. Augustinus. *Si per patientiam expectas, adhuc gemis; non enim opus est patientiâ, ubi nil mali perpetieris. Tolerantia, quæ dicitur, sustinentia quæ dicitur, longanimitas quæ dicitur, non est nisi in malis. Ubi premeris, ibi angustia est.*

Humil[itas]
Th. Kem. l. 1 c 54
Patien[tia]
S. Aug. [in] Psal. 31.

475. Torrens, stringente frigore, congelascit; nec nisi sub calidiore vento resolvi ac fluere solet. Unde torrenti congelato subscribes. SUB CALIDO FLUET. Ita pectora nostra, peccatorum rigore penitùs obdurata, nonnisi charitate aut gratiâ Divinâ afflante progrediuntur. S. Augustinus, illud Psalmi interpretatus, *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro;* ait, *Captivita-*

Chari[tas] gratia [...]
S. Aug. [in Ps.] 110 c 2

tivitatem scilicet, quâ sub Diabolo, tanquam Aquilone tenebantur, ubi abundante iniquitate friguerant, & quodammodo congelaverant. At verò flante Austro, glacies resolvitur & torrentes fluunt, id est, peccatis remissis, populi ad Christum charitate concurrent; hinc scriptum est, sicut glacies in sereno, ita solventur peccata tua. [..clesiast. 17.]

NILUS FLUVIUS.

Caput XXV.

476. CÆteris fluminibus consuetum est, sub æstatis ardore aquas comprimere, earumque penuriam pati. Nilus contrà, naturæ privilegio, die magis sudo, & acrius urente Syrio, majorem, quàm aliàs, undarum copiam trahit; adeò quidem, ut tunc temporis exundans, omnes Ægypti campos uberrimè riget. Philonem habeto testem. *Fluvius æstate adultâ, quando alius fertur decrescere, perenne æquè ac torrentes crescens ac diffusus, arva inundat, aquis stagnantibus.* [..ilo l. 1. de ..a Moysis.] Unde Raulinus Nilum hoc lemmate insigniit. AUXIT FLAGRANTIOR ÆSTUS. vel ut brevius Carolus Rancatus. AUCTIOR IN ÆSTU. [..harita..us.] Ut autem Nilus in Emblemate ab aliis fluminibus discerni posset, eidē vicinos statuêre Pyramidem & Crocodilum. Hominem, charitatis studiosum, hâc icone adumbrabis, qui suas gratias ac beneficia, ceu totidem Nili aquas, nunquam uberius in egenos effundit, quàm dum amoris Divini æstu omnium maximè ardet. Ut adeò meritò exclamet S. Augustinus. *O quàm felix & beata est anima, quæ charitatem in se habere meretur! charitas sitienti potus est, esurienti cibus, in amaritudine positis dulcedo, in tristitia constitutis vera & grata consolatio, fluctuantibus portus, errantium via, peregrinantibus patria.* [..ug. serm. .. de Temp.]

477. Lucanus admodum concinnè de Nilo canit. [..can. l. 10.]

Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te Nile videre;
Amovitque sinus; & gentes maluit ortus
Mirari, quàm nosse tuos.

Inde Carolus Rancatus complurium Emblematum occasionem mutuans, Nilo inscripsit. CAPUT NON PRODIDIT ULLI. [..retum.] Nam, è plurimorum sententiâ, Nili scaturigo nullius ingenio aut labore hactenus deprehendi potuit. Hoc Nili elogio eos afficies, qui vel sublimes suas cogitationes ac negotia; vel consilia aulica coram aliis abscondere nôrunt. Idipsum multò maximè de gratiâ Divinâ, totâque prædestinationis serie; uti etiam de Naturâ Divinâ, aliisque fidei arcanis, pronuntiare licet, quæ nulli umquam ingenio humano erunt pervia. [..desti..io & fi.. arca..] S. August. *Cur Deus illum adjuvet, illum non adjuvet, penes ipsum est æquitatis tam secreta ratio.* [..ugust. de .. at. me.. .. l. 2. c. 5.]

478. Idem Rancatus Nilo subscripsit. NON LICUIT VIDERE PARVUM, Verbis è Lucani poëmate, paulò ante adducto, desumptis. [..n. loc. cit.]

Nec licuit populis parvum te Nile videre.

S. Magnum, Mediolanensium Archipiscopum, hæc imago repræsentabat, qui etiamnum infans cùm sacro lustrali fonte esset expiatus, magnum seu grandem se exhibuit, nec toto reliquo vitæ decursu quidquam in eo parvum aut ignobile deprehendi poterat. [..Iagnus] Hoc Encomio dignos se probavêre S. Maximus, Episcopus Turonensis; Maximilianus Imperator Austriacus, aliique magni nominis heroes. Idipsum jure longè æquiore de SS. Joanne Baptistâ, Nicolao Nolano, aliisque dicere licet, quos, jam in materno utero sanctificatos, mundus nunquam parvos vidit. [S. Joanne Baptista.] Cumprimis tamen Mariæ Virginis hæc imago est propria, quæ non tantùm ab omni originariâ labe semper fuit immunis, sed insuper tot gratiis tam naturalibus quàm Divinis ab ipsa sua infantia instructa, ut omnium hominum sapientiam ac virtutem longissimè superârit. [Maria V.] Unde exclamat S. Gregorius Nicomediensis. *O puram & clarissimam animam! quæ in florenti corpore ostendit dotes, quæ naturam superant.* [S. Greg. Nicom. Orat. de Oblat. Deiparæ.]

479. Politicus, in agendo minimè præceps, sed gravis, prudens, ac circumspectus, Nilum imitatur, qui tardo ac tranquillo gressu incedens, vastum Ægypti regnum uberrimis beneficiis locupletat. Epigraphen Rancatus addidit, LENE, SED UTILE. Verbis è Claudiano mutuatis. [Tarditas utilis.]

Lene fluit Nilus, sed cunctis omnibus extat
Utilior. [Claud. de Consul. Manlii.]

Eandem virtutem in benigno clementiæ affectu, fæcundo fructuum optimorum parente, cernere licet. Claudianus id testatur. [Clementia.]

---- ---- ---- Peragit tranquilla potestas,
Quod violenta nequit; mandataque fortius urget
Imperiosa quies. [Claud. loc. citato.]

Porrò Correctionis modus tùm demùm erit utilis, quando lenis; unde Apostolus peccatores *in spiritu lenitatis, & in omni patientia* ad frugem revocandos præcipit. [Correctio lenis.] [Galat 6 1. 2 Tim. 4. 2.] Opportunè S. Prosper. *Argue coæquales, observa seniores, increpa juniores, sed propterea* addit, *in omni patientiâ; quia leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti; asperitate autem nimiâ & increpatione offensus, neque increpationem recipit, neque salutem.* [S. Prosper. l. 2 de vita Contempl. cap. 5.]

480. Verbum Incarnatum, referente S. Joanne, Spiritum Sanctum flumini consimilem dixit; *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* [Ioan. 3. 38.] Ad hæc cùm Spiritus Sanctus septem præcipuè donis mundum fœcundet; idcircò Carolus Rancatus eum cum Nilo comparat, qui uberrimas suas aquas in septem divortia discriminare solitus, epigraphen tenet. SEPTEM DISCURRIT IN ORA. [Spiritus S.] Ad verbum Virgilius. [Virgil lib. 4. Georg.]

Nam quà Pellæi gens fortunata Canopi
Attulit effuso stagnantem flumine Nilum,
Et viridem Ægyptum nigrâ fæcundat arena,
Et diversa ruens septem discurrit in ora.

Septem illa Spiritûs Sancti dona enumerans Magnus Augustinus, *Spiritu Sancto in regnum cœlorum ducimur, & hæreditatem capimus, & consolamur, & pascimur, & misericordiam consequimur, & mundamur, & pacificamur: atque ita perfecti, omnes extrinsecus illatas molestias pro veritate & justitiâ sustinemus.* [S. Aug. de serm. Dom. in Monte lib. 1. c. 4] Et alibi. *Est Spiritus Sanctus donum, & super omne donum, & quod nulli debetur donum, & quod gratis tribuitur donum.* [Idem serm. 29 ex inedit.]

481. Sole ad Leonem divertente, Nilus, aridos ac hiantes Ægypti campos rigaturus, undique exundat, eosque opportuno refrigerio uberrimè fæcundat. Philo id testatur. *Stagnante agros inundationibus* [Philo lib. de Abraham.]

tionibus debito tempore. epigraphen nonnemo subjunxit. OPPORTUNE FOECUNDAT. Genuina Providentiæ ac Bonitatis Divinæ hæc idea est, de qua Psaltes. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno.* Præclarè, ut solet in hunc locum S. Augustinus, *Prorsus*, inquit, *tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere, tunc das; & quod debet, hoc das. Itaque aliquando desideratur ab illo, & non dat, novit horam dandi qui curat. Si fortè non fuerit exauditus, non minuatur animo, non deficiat; expectent oculi ejus ad escam, quam ille dat in opportunitate. Quando non dat, ideo non dat, ne obsit quod dat. Discite ergò non murmurare adversùs Deum, & quando non exaudimini.*

Providentia Dei. *Psal. 144. 15. S. Aug. in Psalm 144.*

Resistentia. 482. Nilus, cursu suo ob arenarum acervos præcluso, retrorsum graditur; cum lemmate. DONEC AUFERATUR OBEX. Bartholomæus Rossus hoc symbolo Christum demonstrat, quod Nazaræorum infidelitate à miraculis patrandis fuerit impeditus; argumenti occasione è D. Matthæo sumptâ, *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* Ita quoque gratia Divina vires suas in eos non exercet, qui animum contumaciâ ac peccatis obfirmatum habent. S. Isidorus Hispalensis præsul, *Qui malè agere*, inquit, *non desinunt, vanâ spe, indulgentiam de Dei pietate requirunt; quam rectè quærerent, si ab actione prava cessarent.*

Matt. 13. 58. Gratia Dei. *S. Isidor. l. 2. Sentent c. 4. n. 1.*

Princeps beneficus. 482. Cardinalis Maffæus Barberinus favorum ac gratiæ suæ fluenta ubique locorum amplissimè diffudit; id quod Joannes Ferrus Emblemate demonstraturus, Nilum depinxit; addito lemmate. INUNDATIONE FERAX. Julianus Apostata nonneminis doctrinam Nilo non absimilem dixit. *Nilus*, inquit, *per regionem fluens, opum divitiarumque vim affert; tu verò linguam locutionemque tuam in animas juvenum immittens, ad scientiæ divitias deducis.* In S. Patris Nili honorem concinnè cecinit Poëta:

Prædicator fructuosus.

Arva rigat Nilus fluvius, sed pectora sermo,
Ex Monachi Nili qui fluit ore, rigat.

484. Plurimi olim in Nili originem penetrandam omni incubuêre studio; Sesostris quippe & Philadelphus Ægypti Reges, Cambyses Persarum Imperator, & Alexander Macedo in ultimam Æthiopiam Legatos miserunt, qui Nili fontes investigarent; Julius quoque Cæsar apud Lucanum, & Nero Imperator, referente Senecâ, omnem movêre lapidem, ut fluminis hujus scaturiginem facerent orbi manifestam; conatu tamen semper irrito. Quasi nimirùm optima Natura rem adeò imperviam, soli huic sæculo nostro cognoscendam reservare voluisset. Nostrâ enim hâc ætate Anno 1618. P. Petrus Pays è Societate Jesu, spectante Æthiopiæ Imperatore, veram ac genuinam Nili originem in Abassini Imperatoris Regno Goyam oculis suis lustravit; uti prolixè refert P. Gaspar Schottus. Unde epigraphen Nilo subjunxi. TANDEM SE PRODIDIT. E diametro Lucanus.

Lucan. l. 10. Senec. lib. 6 Nat. Quæst. c. 8

P. Gasp. Schott lib 6. in Anatom. flum.

Lucan. l. 10.

Arcanum natura caput non prodidit ulli,
Nec licuit populis parvum te Nile videre.

Mysteriū revelatum. Tempori illi hanc imaginem accommodaveris, in quo aliquod fidei mysterium, sive è Divinâ revelatione, sive è Pontificis Maximi oraculo nobis innotescit. Sic Deiparam Virginem, sine labe originariâ conceptam, hoc nostro ævo ita Theologorum suffragiis perspectam accepimus, ut definitioni sit proxima, & pauci de illâ dubitent. Eodem Emblemate significatur, res quasvis abditissimas tandem fieri quærentibus ac laborantibus pervias. S. P. Augustinus illa D. Matthæi verba explicans, *Qui quærit, invenit*, subjungit, *Ergò perseverantia opus est, ut accipiamus quod petimus, & inveniamus quod quærimus, & quod pulsamus aperiatur.*

Perseverantia. *Matth. 7. S. Aug. ser. Dom. 2 cap. 21*

FONS.

Caput XXVI.

485. Scriptor è diuturno labore doctior evadit; haud secus atque fons, è vase vicino haustus, fit HAUSTU CLARIOR. Princeps quoque, uti & Eleemosynarii, tantò plus gloriæ congregant, quò liberaliores existunt. Cassiodorus. *Regnantis facultas tunc fit ditior, cùm remittit, & acquirit nobiles thesauros famæ, neglectâ vilitate pecuniæ.*

Scriptor. Eleemosynarii. Princeps liberalis. *Cassiod. Ep 16.*

486. Lybiæ fons, cui à Sole cognomen, mediâ nocte fervescit, interdiu verò, sidere illo circa meridiem æstuante, friget. Unde lemma. ARDO IN ABSENZA, E IN SUA PRESENZA AGGIACCIO. Id est, *Frigeo si præsens fio; si longius uror.* Hoc nimirùm lascivus amor, cæteræque voluptates terrenæ omnes habent, quod absentes avidè concupiscantur, præsentes verò fastidium ac dolorem generent. Verissimè Thomas Kempensis. *Homines sæculi hujus ex eâdem re, unde sibi delectationem concipiunt, inde doloris pœnam frequenter recipiunt. Justè illis fit, ut, quia inordinatè delectationes quærunt & sequuntur, non sine confusione & amaritudine eas expleant.* Appositè in rem præsentem Joannes Ovvenus.

Mundi amor. *De Imit Christi l. 1. 12.* *Io. Ovven. Epigr.*

Uror amore miser, tantoque potentius uror,
Quantò, qui me urit, longius ignis abest.

Hieronymus Præti de casto & occulto suo amore canit.

Dentro son tutto foco, è fuori un ghiaccio,
Vorrei parlar, mà taccio.
Perch'io non sò ben dir quel ch'io vorrei,
Quand'io son longiardisco: appresso i tremo. &c.

487. Aquæ rivulus, è rupe per canalem præcipitatus, sublimi saltu in aëra erumpit. Abbas Certanus epigraphen addidit. QUO MAGIS, EO MAGIS. vel, QUO MAGIS IMA PETIT. vel, DEFLUENS ELEVOR. vel, SUBLIMIUS, QUO SUBMISSIUS. Eidem quoque non incongruè illa Sancti Pauli verba subjunges. DESCENDENS ASCENDIT. Ita virtus, quò magis depressa, eò evadit sublimior. Animus etiam hominis demissus, ad omne honoris fastigium aptissimus redditur. *Quod autem ascendit*, inquiebat de Servatore Apostolus, *quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? qui descendit, ipse est & qui ascendit.* S. Bernardus, *Christus*, inquit, *cùm per naturam Divinitatis non haberet, quo cresceret, vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est, per descensum quomodò cresceret invenit, veniens incarnari, pati, mori, propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit &c.* Et S. Joannes Chrysostomus. *Quanto se ipsum quis magis humiliaverit, tantò magis exaltabitur. Quemadmodum enim in aqua fit, quæ tanto altius ascendit,*

Virtus depressa exaltatur. Humilitas exaltatur. *Ephes. 4. S. Bern. serm. 2 e Ascens. S. Io Chrys. Hom. in Ephes.*

ascendit, quantò illā quispiam ad ima deduxerit: ita habet animi humilitas.

488. Scipio Bargalius supra vivas fontis aquas scripsit. CRESCE, QUANTO N' ESCE. Id est DUM FLUIT, CRESCIT. Tales sunt divitiæ, prompto ac liberali animo in egenos distributæ. S. Isidorus Pelusiota. *Quemadmodum fontium gurgites, cum hauriuntur, uberius scaturiunt, altiusque quàm priùs, exiliunt. Eodem modo divitiæ, cum hauriuntur, decrementum minimè patiuntur.* Et S. Basilius. *Qui dando Divinæ gratiæ confidunt, puteos imitantur, qui continuè exhausti, minimè deficiunt, sed duplo copiosiores evadunt.* Hoc loco minimè prætereundum censeo Ambrosium, qui de Christo, panem in famelicas turbas dispensante, ait, *Vidisses incomprehensibili quodam rigata inter dividentiū manus, quas non fregerant, fructificare particulas, & intacta frangentium digitis sponte sua fragmenta subrepere: quemadmodum videmus liquidis fontibus continuos fluere successus, & quidquid de illis auferas, usurario quodam reparari meatu.*

489. Fontis in Manduriæ oppido illud est prodigium, quod nec ab affusis aquis crescat, nec decrescat ab effusis. Lemma. NEC AUCTU NEC HAUSTU. Plinius id testatur. *Neque exhaustis aquis minuitur, neque infusis augetur.* En! genuinum bonitatis Divinæ ectypon! quippe cujus infinitam opulentiam nec beneficia in nos effusa extenuant, nec obsequia nostra locupletant. Exquisitè in rem præsentem S. Augustinus. *Non verbum proficit aut crescit accedente cognitore, sed integrum manet, si permanseris; integrum, si recesseris; integrum, si redieris; manens in se, & renovans omnia.*

490. Fontes cernere est, eo artificio collocatos, ut aquas, versus cœlum sparsas, rursus intra proprium sinuū excipiant. Lemā. RIPRENDE QUANTO VERSA. Id est, QUOD VERSAT RECIPIT. Ita quidquid Dei causâ è liberalis Eleemosynarii manu in egenos funditur, id omne ad illam non sine fœnore revertitur. *Oleum pietatis*, inquiebat Cassiodorus, *& miserationum unguentum, quantò copiosius in fraternas necessitates effunditur, tantò donis potioribus augmentatur.* Et Agapitus. *Inexhaustæ sunt beneficentiæ opes, nam LARGIENDO acquiruntur, & dispensando COLLIGUNTUR.* Concinnè Martialis.

Extra fortunam est, quidquid donatur amicis:
Quas dederis, solas semper habebis opes.

491. Fons, è pariâ columnâ in craterem marmoreum saliens, à D. Raphaële Appiano, Canonico Regulari, epigraphen recepit. NATURA ET ARTE. Ita naturæ & ingenia, quamlibet bona, penitùs rudia manent, nisi crebrâ arte ac industriâ excolantur. De scientiis spiritualibus id affirmat S. P. Augustinus. *Nisi bono ingenio pietas & pax quædam mentis accedat, de rebus Divinis nihil prorsùs intelligi potest.* De profanis verò, cumprimis de Poësi, Horatius.

--- --- Ego quid studium sine divite venâ,
Nec rude quid possit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amicè.

492. Fons, ad vicinam planitiem fæcundandam, in multos rivulos effusus, ab Emmanuele Thesauro Abbate epigraphen recepit. NIHIL SIBI. Nimirum generosum ac liberalem Philippi III. Hispaniarum Regis animum significabat, qui vix aliâ re, nisi dispensandis inexhaustæ beneficentiæ suæ gratiis, delectare videbatur. Illud Claudiani de Philippo dictum putásses.

Præceps illa manus fluvios superabat Iberos,
Aurea dona vomens.

Iis porrò hoc symbolum convenit, qui charitatis, aut eleemosynæ distribuendæ studiosi, omnia sua bona in pauperum utilitatem erogant. Talem se probavit Apostolus, quando dixit. *Ego autem libentissimè impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris, licèt plus vos diligens, minùs diligar. Charitas enim,* Magno Augustino teste, *sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit.* Ad hoc propositum canit Paulus Franciscus Petronius.

Diffluit è gelido fontalis marmore lympha,
Multiplici assiduas ore profundit aquas.
Fons pietatis erit miserans, argenteus undis.
Omnia opum miseris, NIL SIBI, dona fluunt.

Cæterùm apprimè illud de Christo patiente interpretatur idem Petronius.

NIL SIBI, Christicolis pretiosas sanguinis undas
Plagarum Christus quinque per ora dedit.

493. Qui è sceleratorum contubernio nihil malignæ luis contrahunt, fontem limpidissimum, compluribus serpentibus habitatum, imitantur; cum lemmate. NEC TAMEN INFICIUNT. S. Agatha Virgo & Martyr hâc prærogativâ insignis extitit, quando ad lascivam Aphrodisiæ, infamis lupæ, domum incolendam damnata, nec minimam labem è consuetudine adeò obscœnâ retulit. Breviarii Romani de ea testimonium est; *Aphrodisiæ consuetudine, cùm de constantia colendæ Christianæ fidei, & servandæ virginitatis removeri non posset: nuntiat illa Quinciano, se in Agatha operam perdere.* Idipsum etiam de S. Bibiana Virgine & Martyre refertur, quæ, jubente Aproniano, *Rufinæ, mulieri vaferrimæ, seducenda traditur: sed tamen nobilis ac tenera Virgo, ab incunabilis edocta Christianas leges, & illibatum servare virginitatis florem, se fortior, fœminæ superavit insidias, & Prætoris astus delusit.* Verè adeò S. P. Augustinus. *Malis malus misceri potest, bonus autem nullo modo; quamvis cum eis in una congregatione versetur.*

494. Ut D. Aresius palam faceret, sibi è libris communibus doctrinam minimè communem aut vulgarem accessisse, fontem depinxit, qui è flumine in hortum derivatus, omnium commodis erat expositus; addito lemmate. EX COMMUNIBUS NON COMMUNE. Justus Lipsius. *Ut è fonte, quod haurimus, nostrum est; quisque tamen suo vase: sic quod è communibus scriptoribus, sed quisq; pro judicii sui modo.* Ita quoque communem omnes habemus fidem, baptismum, aut prædicationem; gratiam tamen exinde referimus disparem ac minimè communem. S. Augustinus. *Omnibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti baptizatis COMMUNE est lavacrum regenerationis; sed ipsa gratia, cujus ipsa sunt Sacramenta, quâ membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, NON COMMUNIS est omnibus. Nam & hæretici habent eundem baptismum, & falsi fratres in communione Catholici nominis.*

495. Bonus Princeps cumprimis cordi habeat epigraphen, fonti illi præfixam; qui in medio horto suas aquas altùm dispergens, omnes quôquô versùm flores recreabat. ELEVOR, UT ELEVEM. Quæ enim, obsecro, dignior sit Principe operatio, nisi ut, à Deo supra omnes elevatus, omniū quoq; subditorū mentes

Margin notes (left): Humilitas. — S. Isid. Pelus. l. 1. epist. 406. — S. Basil. hom. ad divites avaros. — S. Ambros. in hunc loc. — Plin. l. 31. c. 2. (103.) — Bonitas Divina. — S. Aug. de verb. Dom. serm. 38. c. 2. — Eleemosynarius. — Cassiod. — Agapit. epist. paranet. n. — Martial. l. 5. — Industria. — S. Aug. de Util. Cred. c. 18. — Poësis. — Horat. in arte. — Liberalitas. — Claudianus.

Margin notes (right): Eleemosynarius charitativus. — 2. Cor. 12. 15. — S. Aug. in Reg. — Passio Christi. — Societas. — Brev. Rom. 5. Febr. — Brev. Rom. 2. Decemb. — S. Aug. contr. epist. Parmen. l. 3. c. 1. — Studiosus. — Lips. lib. de Cruce. — Baptismus. Fides. — S. August. in Ps. 77. — Princeps beneficus.

mentes elevare studeat? *Quid enim tam regium*, inquit Cassiodorus, *quàm fecisse felicem? & eò usque praestare, quò se erectus stupeat attigisse*. Et Latinus Pacatus. *Nullam majorem crediderim esse Principum felicitatem, quàm fecisse felicem, itaque Imperatori, propriam majestatem aestimanti, non tam illud suum videri debet quod abstulit, quàm quod dedit.*

Cassiod Var. lib. 3 Epist. 11

Lat. Pacat. in Panegyr. Theodosii.

Deus beneficus.

496. Dei Beneficientia, in omnes sine discrimine profundi solita, è fonte dignosci potest, qui in horti medio collocatus, humida sua nutrimenta in omnes flores ex aequo dispensat; cum lemmate. FUNDIT IN OMNES. vel, OMNIBUS AFFLUENTER. Verbis è D. Jacobo mutuatis. *Qui dat omnibus affluenter*. Unde Philo. *Benignus cùm sit Deus, largitur bona omnibus etiam non perfectis, invitans eos ut aemulatores virtutis, atque participes fiant, ostentansque immensas divitias suas, quòd sufficiant etiam his, qui non magnam utilitatem inde capiunt; quoties enim pluit in mare, fontes producit in locis desertissimis, tenuem & asperam, sterilemque terram rigat, inundans fluminibus, quid aliud exhibet, quàm nimietatem divitiarum benignitatis suae?*

Iacob. 1. 5. Philo l. 1. leg. allegor.

Misericordia Dei. Eleemosynarius.

497. Bartholomaeus Rossus misericordiam Divinam, nullo unquam aevo defecturam, fontis Emblemate depinxit; additâ gnomâ. JUGITER EMANANS. Hanc imaginem S. Joannes Chrysostomus iis concolorem dicit, qui eleemosynis erogandis dant operam. *Neque verò*, inquit, *si semel ac iterum dederimus, existimemus nos totum beneficentiae munus explesse, sed perpetuo id facere oportet. Neq; enim satis est semel cum laude rem gerere, sed perpetuò*. Eodem Chrysostomo authore, Concionatorum vita ad fontis ideam reformari potest; *Concionator*, inquit, *debet imitari fontes, qui semper emanant aquas, etiamsi nemo sit, qui eas hauriat; sic enim oportet illum, qui concionatur, quamvis nullus auscultet, tamen doctrinam suam semper effundere.*

S. Chrysost. Hom. 1. in Ep. Philip.

Concionator.

S. Io. Chrys. Hom. 1. de Lazar.

Judex.

498. Qui omnes boni Principis aut Judicis partes explere cupit; instar fontis, omnium solatio & utilitati expositus sit, oportet. Lemma. OMNIBUS IDEM. Hanc praerogativam, veluti justitiae humanae normam, in Summo Deo observatam habet S. Hieronymus. *Fons bonitatis*, inquit, *omnibus patet: servus & liber, plebejus & Rex, dives & pauper, ex eo similiter bibunt. Lucerna, cùm aversa fuerit, in domo omnibus lucet aequaliter.* Universalem hanc beneficentiam etiam in Beatissimâ Virgine compertam habuêre Sancti Patres, Unde in illud Geneseos, *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum*, seu S. Ambrosio traduce, *Fons autem procedit &c.* Commentatus S. Bernardinus Senensis, ait, *Figurata fuit Virgo Maria in fonte illo, qui de terrâ ascendens, irrigabat universam superficiem terrae & iterùm: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, id est, Ecclesiam militantem.*

S Hiern. in Ep. ad Gal. cap. 6.

Beneficentia B. Virginis.

Gen. 2. 10.

S. Bern. Sen. Tom. 4.

Æquitas.

499. Parthenii Romani summam Cardinalis Scipionis Burghesii aequitatem commonstraturi, fontem depinxêre, in plures rivulos circumfusum; addito lemmate. SUUM CUIQUE. Quâ imagine illam Justitiae definitionem haud obscurè insinuabant; *Est perpetua & constans voluntas, jus suum unicuique tribuendi.* Plinius, nonneminis encomia recensens, ad hoc propositum ait: *Egregium imprimis est, ut foris, ita domi; ut in magnis, ita in parvis suis agitare justitiam.*

Plin. l. 7. Epist.

Occasio.

500. Fons Dodonaeus id habet peculiare, quod faces extinctas accendat. Unde Abbas Ferrus extinctam facem, fonti illi immersam depinxit; cum lemmate. ADMOTA ACCENDITUR. Ita occasioni minus castae propinquans, facilè lascivam flammam concipies. S. Augustinus, *Ab omnibus Christianis*, inquit, *praecipuè tamen Clericis sive Monachis, indigna & inhonesta familiaritas fugienda est; quia sine ulla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò dilabitur in ruinam.* Hanc praeceptionem probè edoctus erat ille, qui jam jam acturus animam, mulierem, consolandi gratiâ propinquantem, mox recedere jussit, quod *adhuc igniculus esset*; uti refert S. Gregorius Papa.

S. Aug. se 250. de Te cap 1.

Lachrymae mulieris.

501. Taeda extincta, intra fontem Dodonaeum mersa, flammam concipit; cum dicto. ETIAM E FLUMINE FLAMMAM. Eorum haec imago est, qui mulierum lachrymis fascinantur. Ad hoc propositum Poëta.

Æquore frigidior mulier, tamen urit amantem.

Torquatus Tassus de Armida plangente canit.

Tass. Geru Liber. c. 4 st. 76.

Il chiaro humor, che dì sì spesse stille
Le belle gote, el seno adorno rende,
Opra effetto di foco, il qual in mille
Petti serpe celato. e vi s'apprende.
O miracol d'Amor, che le faville
Tragge dal pianto, i cor ne l'acqua accende &c.

Lachrymae.

Verùm sensu longè nobiliore S.P. Augustinus, congruè ad Emblematis hujus mentem ait, *Ubi fuerint lachrymae, ibi spiritualis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat.*

S. Aug. l. salut. doc ment. c. 4

Solitudo

502. Animam è sacra solitudine ad sublimem castimoniae aliarumque virtutum apicem promoveri, haud obscurè è fonte disces, cujus aquae, ex angusto siphone in altum sparsae, epigraphen tenent, ANGUSTIIS ELEVATUR. vel, FORTIOR E LATEBRIS. Opportunè S. Petrus Damianus Cardinalis; *Tu igitur*, inquit, *si vis animam tuam in suae virginitatis integritate persistere, secretum appete, recessum singularitatis inquire, cunctis domûs tuae foribus, cunctis videlicet sensibus censoriae disciplinae repagula, ne quis ingrediatur appone: FONS enim, QUI circumquaque, ne effundatur, OCCLUDITUR, undis ad alta profluentibus, ELEVATUR.*

S. Pet. Da. Opusc. 12 cap. 20.

Author clarus.

503. Fons Castalius, ad Parnassi radices collocatus, solem respicit, è montis vertice splendentem: addito Martini Capellae lemmate. PHOEBO GAUDET PARNASSIA RUPES. Joan. Horozcus hâc icone significabat, se in elucubrandis suis Emblematis potissimùm charitati studuisse. Porrò hâc Phaebi praesentiâ non Parnassus tantùm gaudet, sed etiam Mons Sion, omnis scilicet homo justus; qui sapientiae radiis ab aeterno Sole illustrari unicè desiderat. Certè David, Sionis incola, postquam dixerat, *Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam*; mox subjungit: *Inclinabo in parabolam aurem meam*; quasi diceret, interprete Theodoreto, *se nihil loqui proprium, sed Divinae gratiae instrumentum esse*, à quo omnis doctrinae splendor in illum redundet. S. Augustinus. *Anima est justa & innocens, non per se, sed per illustrantem & illuminantem Deum.*

Sapientia Dei.

Psal. 48.

Theodoret. hunc loc.

S. Aug. in Psal. 7.

Recreatio

504. D. Didacus Saavedra Emblematis loco fontem statuit, cujus aqua, è siphone in altum eruptura, ab obturante manu sistitur; cum lemmate. VIRES ALIT. Significabat nimirùm, è quiete, negotiis interponi solitâ, viribus nostris plurimùm incrementi accrescere. E Platonis judicio, *Recreationes sanitati prosunt, robustum reddunt corpus, ad militaria negotia praeparant, membrorum agilitatem pariunt.* Unde Poëta.

Plato l. 7 Leg.

VIRES

--- --- *VIRES instillat, ALITque*
Tempestiva quies: major post otia virtus.

Protectio principis. 505. Fons, salientium aquarum vehementiâ globulum æneum in aëre sustentans, epigraphen tenet. EXTULIT, ET SUSTINET. Magnatum favores hinc describuntur, qui clientes, olim à se sublevatos, assiduo patricinio tuentur. Certè optimus Redemptio humana. Deus hominem, non sine sapientiæ prodigio è luto productum, ad vultus Divini imaginem repræsentandam sublevavit; eundemque, ne præceps dilaberetur, copiosâ sanguinis sui virtute ab interitu vindicavit. D. Joanne teste, *sic Deus dilexit mundum, ut* Joan.3.16. *Filium suum unigenitum daret. Causa hujus tantæ dilectionis Divinæ*, inquit Joannes Silveira, *fuit* Silveira. l.4 cap.3. *vehemens desiderium, ac studium nostræ salutis, ut* num.234. *hominem, quem creârat, non desereret, sed omnibus modis adjuvaret.* Unde Sanctus Augustinus. Aug. de verb. Apost. serm.8.c.2. *Melius te potest servare, qui te potuit, antequam esses, creare.*

Bonitas Dei. 506. Bonitatem ac beneficentiam Divinam haud incongruè è fonte metieris, qui vicinos canales locuplete aquâ imbuens, epigraphen tenet. SEMPRE VERSA, E NON SCEMA. Id est, EFFUNDIT, NEC DEFICIT. S. Basilius de Deo disserens, *Fons est*, inquit, *& bonorum omnium radix,* Basil. Hom. in Ioan. *non in se ipso bonorum continens divitias, sed in universos diffundens, & plenus tamen permanens.* Porrò Sacra Scriptura. Sacra Biblia perennis fontis sunt æmula, ut quæ recentes identidem conceptuum liquores, citra diminutionem, suppeditant. Unde S. Joannes Chrysostomus. *Ex quo Paulus vixit, quingenti jam elapsi* Joan. Chrysost. *sunt anni, totoque hoc tempore, multi tum Commentatores, tum Doctores ac Interpretes multa sæpè inde hauserunt, nec tamen repositas mihi divitias exinanire valuerunt. Non est sensibilis hic thesaurus, & idcircò non consumitur à multis effodientiũ manibus, sed augetur & multiplicatur, &c.*

Magister. Prædicator. 507. Quisquis alios docere cupis, omnium primò te ipsum virtutibus instituas, necesse est. Abbas Certanus illud, non sine ingenio, è fontis conchâ demonstrat, quæ aquis repleta, epigraphen tenet. PLENA REFUNDIT. Eruditè Jacobus Billius. Jacob. Bill. l.2.

Concha prius sese liquidis ingurgitat undis,
Tumque superfusas plena refundit aquas;
At contra exiguos latices simul atque canalis,
Cepit, quam cepit, mox quoque reddit aquam.
Cernimus, heu, multos hâc tempestate canales,
Penè etenim vacuo pectore quisque docet.
At vix invenias multis è millibus unum,
Qui conchæ similem se prius esse ferat.

S. Bernardus. *Quod tuum est, inquit, spargis & perdis, si prius quàm infundaris totus, semiplenus festines effundere. Si sapis, concham te exhibebis, & non canalem. Hic penè simul & recepit, & refundit. Illa donec impleatur, expectat, & sic quod superabundat, sine damno communicat.* Bernard. serm. 18. in Cant. Imò affirmatè dico, animam, virtutum liquore instar fontis repletam, non posse non in aliorum utilitatem exundare. Authoritatem suam interponit S. Joannes Chrysostomus. *Nam qui mansuetus est, ac modestus, & misericors, & justus, non intra se tantummodò hæc rectè facta concludit; verum in aliorum quoque utilitatem præclaros hos faciet effluere fontes.* Io. Chrys. Homil. 1. in Matth.

Liberalitas. Docere. 508. Idem Certanus aquis, è fontis siphone sparsis, inscripsit. RECIPIT, ET REFUNDIT. Hinc discas velim, tam doctrinam, quàm divitias æquo ac liberali animo in alios esse erogandas. Salomonis Proverbium est, *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide*; seu interprete Prov.5.16. Rabano, *Cùm ipse servaveris, tunc & aliis prædica, & in magna auditorum multitudine Divina eloquia juxta uniuscujusque qualitatem dispensa.* Quod Raban in hunc loc. Rabanus de scientia; idipsum etiam de divitiis monet Seneca. *Sic demus, quomodo vellemus accipere. Ante omnia libenter, citò, sine ulla dubitatione, &c.* Senec lib. 2. Benef.c.1.

Oratio. 509. D. Octavius Boldonus fonti, per montis vortices deorsùm præcipitato, subscripsit. PERPETUO SONITU. Nempe in salebrosæ ac miseræ hujus vitæ decursu, orationis nostræ voces nunquam non versus Deum personent. Providè hortatur Apostolus. *Sine intermissione orate.* 1.Thessal.5.17. Pulchrè S. Ephræm, post enumeratas plurimas Orationis utilitates, tandem subjungit. S Ephræm. Tract. de Oratione. *Oratio Jonæ Prophetæ balænam pro domo concessit, & Ezechiam ex portis mortis ad vitam reduxit, ipsisque tribus pueris in Babylone flammam ignis in statum roris convertit.* Ideoque concludit, *Nulla est alia in tota vita humana pretiosior oratione possessio.* Porrò eodem Virtus immortalis. Emblemate significatur, famam virtutis esse comitem individuam, ac nunquam intermorituram. Claudianus in laudem Probini Consulis canit. Claud. de Probini Consulatu.

Vivit adhuc, completque vagis sermonibus aures
Gloria fusa Probi: quam nec ventura silebunt
Lustra, nec ignotâ rapiet sub nube vetustas.

510. Inter cætera Berlingerii Gessi Senatoris Emblemata nobilem fontem videre est, qui, aquis mirâ varietate in diversas partes diffusis, epigraphen legendam offert; L' ARTE, CHE TUTTO FA', NULLA SI SCOPRE. Id est. ARTE RECONDITA. Ad verbum Torquatus Tassus. Tass. Gerus. Liber. Cant. 16.st.6.

Poiche lasciar gli auvilupati calli,
In lieto aspetto il bel giardin s' aperse.
Acque stagnanti, mobili cristalli,
Fior varii, e varie piante, herbe diverse,
Apriche collinette, ombrose valli,
Selve, e spelonche in una vista offerle;
E quel che 'l bello, e' l caro accresce all' opre,
L'arte, che tutto fà, nulla si scopre.

Orator. Prudens Orator facundiæ suæ artem non ostentat, sed quantùm licet, reconditam tenet; præceptionis Aristotelicæ memor. *Oportet artem ita obscurare, ut non ex ullo apparatu, sed omninò naturaliter dicere videamur.* Aristot l.2. Rhetoric.

511. Ex Aristotelis sententiâ perpetui fontes reperiuntur, aëre nimirum novam semper aquarum materiem suppeditante. Eò reflectens Franciscus Raulinus, copioso fonti inscripsit. ARCANUS DUM SUPPETET AER. Aristo l. 1. Meteo.c.131. Magnatem quendam hæc imago repræsentat, quem amici cujusdam mors Gratitudo. dolore tam arcto compresserat, ut eundem, dum sibi vitæ aër spirabit, assiduo lachrymarum fluxu sit prosecuturus. Eodem emblemate gratitudinem, nunquam defecturam, significare licet. Cæterùm SS. Apostoli. Apostolos huic fonti non absimiles dixerim, qui arcano Spiritûs Sancti aëre repleti, mox orbem universum ad ipsum usque vitæ suæ finem saluberrimis S. Evangelii aquis assiduò irrigârunt. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto; & cœperunt loqui, &c.* Act. 4. In hunc locum Sanctus Augustinus. *Flatus ille*, inquit, *à carnali palea corda mundabat; ignis ille fœnum veteris concupiscentiæ consumebat, linguæ illæ, quibus loquebantur à Spiritu Sancto impleti,* S. Aug. serm. 187 de Temp. per

per omnium gentium linguas futuram Ecclesiam designabant.

Amicus discretus. 512. Fons, marmore coopertus, aquas suas nonnisi reserato obice dispensat. Unde D. Joannis Baptistæ Mazzoleni lemma. NEC NEGAT, NEC PRODIGIT. Amicum suum, Fontanam cognomine, hoc symbolo exornabat, cui ea erat ingenii moderatio, ut res suas nec prodigè in alios effudere, nec cum avaritiæ notâ retinere sit solitus. Scitè in rem præsentem Sanctus Gregorius Nazianzenus, ad illud sacri Epithalamii alludens, *Hortus conclusus, fons signatus*, ait, *Amicus fidelis hortus conclusus, fons obsignatus, qui opportunè aperiuntur, & communicantur amicis.* (Cant 4. 12. S. Greg. Naz Orat ad Greg. Nyss.)

Felicitas inconstans. 513. Aqua, è fonte in altum sparsa, mox recidit; addito ejusdem Mazzoleni lemmate. IN ALTO NULLA QUIES. vel, NON QUIESCIT IN ALTO. Denuò Fontanam, amicum suum. hoc symbolo compellabat, qui humili suâ sorte contentus vixerat; probè gnarus, terrena fastigia nullis non præcipitiis ac calamitatibus esse pervia. Exquisitè Seneca. *Amicum tuum hortare, ut istos magno animo contemnat, qui illum objurgant, quod umbra & otium perierit, quod dignitatem suam destituerit, & cùm plus consequi posset, prætulerit quietem omnibus. Quàm utiliter negotium suum gesserit, quotidiè illis ostendet. Hi, quibus invidetur, non desinent transire. Alii elidentur, alii cadent. Res est inquieta, felicitas, &c.* (Senec. ep. 36.)

Libertas jucunda. 514. Aquæ, intra fontis angustias coactæ, mox ubi minima evadendi rimula alluxerit, læto impetu prosiliunt, ac versus cœlum erumpunt. Emblemati subscripsit Mazzolenus. DAT EXULTARE LIBERTAS. Talem is Fontanam, amicum suum extitisse testatur, dum negotiis, quibus arctè detinebatur, aliquantulum exolutus, suavissima alacritate obambulare consueverat. Huic Emblemati non absimilem se offert claudus ille, cujus Apostolorum monumenta meminêre; is enim vix pedum suorum vinculis solutus, mox *exiliens stetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Magno Augustino teste, *magnum est munus libertatis.* Quisquis tamen genuinâ libertate gaudere desideras, terrenarum voluptatum angustiis quantocius expediaris, necesse est. *Quem delectat libertas*, inquit idem Doctorum Phœbus, *ab amore mutabilium rerum liber esse appetat.* (Act. 3. 8. S Aug. l. 4. de Musica c. 6. S. Aug. de vera relig. cap. 48.)

515. Aquam, è fonte sparsam, rectâ lineâ versus cœlum contendere deprehendes, modò siphunculus, per quem funditur, perpendicularis fuerit. Unde ejusdem Mazzoleni lemma. RECTA A RECTO. Ita ubi interior homo fuerit integer ac rectus; nullus dubites, etiam verba, aliaque externa ipsius opera in Dei ac hominum conspectu fore rectissima & innocua. Symbolo coronidem positurus Sanctus Lucas, posteaquam de Joannis Baptistæ parentibus id elogii commemorârat, *Erant justi ambo ante Deum*, mox huic interioris animi ornamento insignem operationem externam subjungit, *incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* In hunc locum S. Ambrosius. *Nulla enim querela est*, inquit, *ubi & mentis bonitas concordat & facti.* Cæterùm intentio, si recta fuerit, operationes nostras omnes, instar canalis, bonas & ad Deum directas efficit, contra verò mala cunctas illas obtorquet, & ad vitia inflectit. S. P. Augustinus. *Intentio est, quâ facimus, quidquid facimus. Quæ si munda fuerit & recta, & illud aspiciens, quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est bona sint.* (Externa opera internis sunt similia. Luc. 1. 6. S. Ambr. in hunc loc. Intentio. S Aug. de ser. Dom in monte lib. 2. cap 13.)

516. Meus Concanonicus D. Alexander Luzon de Millares author est, in Aulæ Bruxellensis labyrintho circulum ex homunculis æneis spectari, qui salientis aquæ impetu assiduò in orbem actus, vulgò chorea rustica dicitur. Tripudiare enim videntur; sed videntur tantùm: tripudiantium quippe gestus, non motus repræsentant; miroq; spectantium ludibrio, sese præcedere ac mutuò propellere videntur. Unde fontem, cui illa hominum simulachra insistunt, hâc D. Pauli gnomâ instar lemmatis insignivit, PRÆTERIT FIGURA HUJUS MUNDI. Genuinus hic rerum humanarum typus est; quocunque enim te verteris, reperies, mundana omnia & singula nihil esse præter externum apparatum & scenæ imaginem continuò evanescentem. Conabatur Apostolus humana desideria ab hujus vitæ vanitatibus retrahere; ideò dicebat, *Qui utuntur hoc mundo, tanquàm non utantur, præterit enim figura hujus mundi.* Disertè monet Sanctus Anselmus. *Nolite constanter mundum diligere, quando ipse, quem diligitis, non potest constare; incassum cor quasi manenter figitis, dum fugit ipse, quem amatis.* (1. Cor. 7. 31. Mundana omnia caduca. 1. Cor. 7. 3. S. Anselm. hunc loc.)

517. Fons Mara aquas fundebat amaras, quæ tamen injecto à Mose ligno dulcescebant. Lemma. E LIGNO DULCESCUNT. sanctam Servatoris nostri Crucem hæc imago designat. *Moyses*, inquit Sanctus Joannes Chrysostomus, *demisso ligno in Maram, amaras aquas dulces reddit, in figuram Crucis Christi, qui mundum ex diaboli amarore dulcem fecit.* Porrò ex assiduâ sanctæ Crucis meditatione hominibus justis omnis labor dulcescit, omnisque animi nostri amarulentia lenitur. *Venena*, inquit S. Cyprianus, *fellis evome, discordiarum virus exclude: purgetur mens, quam serpentinus livor infecerat; amaritudo omnia, quæ intus insederat, Christi dulcedine leniatur, si de sacramento Crucis cibum & potum sumis, &c.* (S. Cruc. S Io Chry Tom 1. de Crucis veneratione. Meditatio Passionis Christi. S. Cyprian. de zelo & livore in fin.)

518. Fons, è terrâ incultâ, locis sylvestribus scaturiens, epigraphen præfixam habet. PURUS AB IMPURO. Ita Maria Virgo è maculatis parentibus prodiit immaculata, omnique labe originariâ immunis. Ut adeò verè à Sophronio cognominetur, *Fons signatus, totius sigillum Trinitatis, ex quo vitæ fons manat*; & à Theosterict o, *Fons incorruptionis.* Emblemati explicando sequens Jacobi Masenii poëma habeto. (Immaculata Conceptio V. Sophr. hom de Assum. Theost. in Canon conciliat.)

Sæpè paludosâ fons limpidus exilit algâ,
Nativisque nihil sordibus unda trahit.
Scilicet infectis Virgo majoribus orta;
Pura nihil scelerum, quo vitetur, habet.

519. In Insulâ, cui Loguca nomen, fons laudatur perennis & nobilissimus, cujus aquâ epotâ, senes, jam mortuis vicini, rejuvenescere dicuntur: Refertur de sene quodam decrepito, quod amore vitæ producendæ eò se contulerit, & aquâ illâ fontanâ per aliquot dies lotus & potus, resumpserit robur virile, florens ac vegetus domum redierit, uxorem iterum duxerit, filiosque genuerit: atque hunc senem testatur se vidisse Petrus Martyr, citatus à P. Eusebio Nierembergio. Unde fonti illi inscribes. RENOVABERE LOTUS. Ita omninò Christus, ceu verus fons vitæ; Item Baptismus & Pœnitentia, inveteratos hominum mores abstergunt, eosque pristino virtutum vigori restituunt, S. P. Augustinus. *Fons vitæ Christus*, inquit, *venit ad te in carne, ut irrigaret fauces tuas sitientes; satiabit sperantem, qui irrigavit sitientem.* (Nieremb. Hist. Nat. &c. Christus Baptismus Pœnitentia. S Aug. in Psal. 35.)

De

Io 4. 14. De se ipso testatur Christus. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

520. Fons Dodonæus faces extinctas, si eidem immergantur, accendit; & accensas extinguit. Lemma. ACCENDIT, ET EXTINGUIT. Passio Christi, tribulatio, potissimùm verò sacra Synaxis impuram libidinis flammam extinguit; extinctos verò amoris Divini ignes in humano pectore accendit; hæc enim carnis sedat effrænes motus, peccati fomitem extinguit, &, ut loquitur S. Cyrillus, *ardorem, appetitumq; sensualem, sicut ignis aquam, restinguit.* Atque eò Sanctus Hieronymus, Thomas Aquinas, aliique verba illa Prophetica referunt, *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines*; singularemque hanc *Virgines germinandi* vim & energiam divinissimo huic Sacramento tribuunt. S. Damascenus hoc Sacramentum ignito calculo comparans, quo Seraphinus labia Prophetæ mundavit, omnesque ejus imperfectiones sustulit, ait, *hunc cibum cœlestem, Divinitate plenum, instar flammæ, vitiorum nostrorum rubiginem excoquere, virtutesque substituere, ac mundum spiritualem.*

(Margin: Passio Christi. Tribulatio. Eucharistia. *S. Cyrill. in Ioan c. 37. S. Thom. Opusc. 58 c. 26. S. Damasc. ad Rodriq. tract. 8. c. 3.*)

521. Plinius author est, in Andro Insulâ, fontem Nonis Januarii (ipso scilicet Epiphaniæ pervigilio) semper vini sapore fluere. Lemma. IN VINUM VERTITUR UNDA. Appositè nimirùm, nam ipso annuo Epiphaniæ die Christus in nuptiis Chananæis aquam in vinum convertit. Porrò cùm eodem die Christus à Joanne in Jordane ablutus, baptismum instituerit, haud incongruè dixeris, aquas in suavissimum vini saporem esse mutatas, cùm vinum è S. Bernardi sententia, sit symbolum gratiæ, charitatis, fervoris, & fortitudinis. Denique imaginem illam etiam Sanctis tribus Regibus propriam dices, qui ipso sacro Epiphaniæ festo ex infidelitate ad sanctam fidem, veluti ex insipidâ aquâ in vinum, sunt conversi; id quod S. Augustinus de quovis homine affirmans, *Et nos*, inquit, *aqua eramus, & vinum nos fecit, sapientes nos fecit. Sapimus enim fidem ipsius, qui prius insipientes eramus.* Et alibi. *Operante Christo in Cana Galileæ vinum defecit, & vinum fit; id est umbra removetur, & veritas præsentatur. Recedit lex, gratia succedit, carnalia spiritualibus commutantur.*

(Margin: *In l. 2. c. 10. 3.* Epiphania. Baptismus. *S. Bernard. ad Corn. à Lap. in Ioan. 2.* Magorum conversio. *S. Aug. tr. 8 in Ioan. Idem serm. 1 ex inedit.*)

522. Mela tradit, in Fortunatis Insulis duos esse fontes, ex quorum altero qui bibit, risu in mortem solvitur; ex altero verò remedium haurit. Lemma. MORTEM, VITAMQUE PROPINANT. Ita voluptatum affluentia certam homini mortem affert; nec nisi è saluberrimo pœnitentium lachrymarum fonte reviviscere licet. Unde Magnus Augustinus. *Ardes fortè conscientiâ delicti, lachrymis extingue flammam peccati.* Lazarus mortuus, è SS. Patrum sententiâ, peccatorem inveteratum significat; unde Christus, illum jam fœtentem in vitam revocaturus, *Lachrimatus est.* S. Bernardus, *Lachrymæ Christi*, inquit, *mihi & pudorem pariunt & dolorem, &c. Compatitur filius Dei, & plorat; homo patitur, & ridebit?*

(Margin: Voluptas. Lachrymæ. *S. Aug. in Ps. 94. Io. 11. 35. S. Bernard. ser. 3. in Nativ.*)

PISCINA.

Caput XXVII.

523. BEthsaidæ Piscina (quam à Græco προβάτιον probaticam, seu ovinam cognominant) quinâ porticu amplè erat intecta, in cujus dimidio aquarum congeries asservabatur: de hac refert S. Joannes. *Movebatur aqua & sanabatur unus.* Inde Emblematis occasionem nonnemo mutuatus, epigraphen subdidit. TURBATA SALUTEM. B. Virgo Maria, ab Angelo salutata, referente S. Lucâ, *turbata est in sermone ejus.* In quem locum appositè Richardus à S. Laurentio. *Maria, inquit, est piscina probatica Joannis, in quam Angelus Domini secundùm tempus descendebat, & movebatur aqua, & sanabatur unus. Tempore enim incarnationis descendit Angelus magni consilii in Mariam, & mota est aqua, quando ad novam salutationem turbata est Maria, & sanatus est unus, id est, quotquot crediderunt Deum Trinum & Unum.* Eodem Emblemate demonstratur, Timorem Dei esse verissimam omnis felicitatis ac salutis nostræ piscinam. Tertullianus. *Timor fundamentum est salutis, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus, qui solicitus est, is verè poterit esse securus.*

(Margin: *Io 5. 4.* Virgo M. *Luc. 1. 29. Richard. à S. Laur l. 9. de laud. V.* Timor Dei. *Tertull. l. de cultu fœm. c. 2.*)

524. Quando pecuaria hæc piscina ægros pristinæ saluti restituebat, illa nequaquam operatio erat aquis congenita, sed virtus quædam gratuita, à solo Deo in eas diffusa. Unde lemma. NUMEN, NON UNDA MEDETUR. vel, ut meo Carducio placet. NUMINE SANAT AQUA. Haud secus sacra Baptismatis aqua, non veluti merum elementum, sed assistente Divino spiritu, nostram animam ab originariâ labe expiat, eamque æternæ beatitatis capacem efficit. S. Joannes Chrysostomus. *Non simpliciter sanabat aquarum natura: semper enim hoc fieret, sed Angeli descensione, sic enim & in baptismate non simpliciter aqua operatur, sed cum Spiritûs S. acceperit gratiam, tunc omnia solvit peccata.*

(Margin: Baptismus. *S. Io. Chrys. in Catena D. Thom. in Ioan. 5.*)

525. Eorum duntaxat incolumitati piscina proderat, qui intra illius aquas mergebantur. *Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat.* Unde lemma. DEMERSO SALUS. Mosen, etiamnum infantem, hæc imago cumprimis repræsentat, qui è Nilo, cui immersus fuerat, omnis felicitatis ac nominis sui exordium sumpsit. Naaman Syrus, septimâ vice Jordani immersus, lepram abstersit. Jonas Propheta, fluctibus haustus ad Deum, ceu unicum suum asylum, confugit, & inde salutem recepit. Denique, ut compendio dicam, totus Christianus orbis intra baptismatis fontem; uti & intra transfixi lateris Divini aquas mersus, incolumis evasit. S. P. Augustinus. *Per fidem renascimur in baptismate, & salutem æternam impetramus. Hæc porta est vitæ, hæc janua regni, &c.*

(Margin: *Ioan. 5. 4.* Calamitas utilis. *Exod. 2. 4. Reg. 1. 14. Ion 2. 1.* Baptismus. *S. Aug serm. 17. de temp.*)

526. Uni tantùm infirmo, intra piscinam illam submerso, salus obtigerat, ut adeò aquis illis opportunè subscribas. UNI SOLAMEN. S. Cyrillus Alexandrinus hoc symbolo legem Mosaicam significari affirmat, cujus vires ad unam tantùm Judæorū gentem, non verò instar gratiosæ aquæ Evangelicæ, in orbem universum diffundebantur. *Hæc curationis virtus*, inquit, *in uno terminabatur homine, quod signum erat, utilitatem legis in solo Judæorum genere terminatam, nec ad alios unquam transgressam fuisse.* S. Augustinus eo Emblemate unitatem significari asserit; cujus tanta apud Deum est æstimatio, ut, quisquis extra unitatem fuerit, salutem æternam consequi nequeat. *Ibi*, inquit, *sanabatur unus, significans unitatē. Postea quisquis veniret, non sanabatur; quia quisquis præter unitatem fuerit, sanari non poterit.*

(Margin: Lex Mosaica. *S. Cyrill. Alex. l. 2. in Io. c. 125.* Unitas *S. August. tract. 17 in Ioan.*)

527. Solus ille infirmus è piscinâ sanus revertebatur, qui conspectu undarum motu, reliquorum celeritatem antevertens, in miraculoso illo balneo omnium primus abluebatur. Evangelistæ verba sunt. *Et qui prior descendisset in piscinam &c. sanus fiebat.* Unde epigraphen subjunxit D. Salvator Carducius. PRIOR INDE SALUTEM. vel IMPIGRO SALUS ÆGROTO. Innuebat videlicet, oblatis gratiæ Divinæ favoribus nullâ interpositâ morâ esse respondendum; cùm tota nostra salus ab opportuna occasione, velociter ac maturè captandâ, pendeat. Deus, Micheæ ore, dilucidè id fatetur. *Indicabo tibi,*

(Margin: *Ioan 5. 4.* Celeritas in cooperando gratiæ. *Mich. 6. 8.*)

bi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus quærat à te. Utiq; facere judicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo. S. Hieronymus singulari curâ ad hanc agendi promptitudinem hortatus, *Jubetur nobis*, inquit, *ut præparati simus ambulare cum Domino Deo nostro: nullâ horâ dormire, nullo tempore securi esse debemus: sed semper expectare Patrem familias venientem. &c.*

S. Hieron. in hunc loc.

528. Constat, Angelo in piscinam ad aquas commovendas, & salutiferâ virtute imbuendas, descensuro, nullum fuisse certum præfixum tempus. Unde evenit, ut circumfusa ægrorum turba indeterminatum illum, sibique penitùs ignotum Angeli ceu Archiatri cœlestis adventum attentissimis oculis, summisque Divinæ gratiæ, ac salutis recipiendæ suspiriis opperiretur. Unde Piscinam illam hoc lemmate distingues. INCERTO TEMPORE MANAT. vel, DUBIO SORS FAUSTA MOMENTO. Meus Concanonicus D. Salvator Carducius hoc lemmate docuit, omninò oportere, mentem nostram promptam semper, & ad excipiendas gratiæ Divinæ aquas celerem existere, cùm tam Angelus, quàm spiritus Dei non solùm *ubi vult*, sed & *quando vult spirat*: haud certè aliter, atque infirmi sub piscinæ porticu sparsim decumbentes, *semper spectant* (verba sunt Nonni apud Cornelium à Lapide) *saltum excitatæ & motæ aquæ*, ut sine mora piscinam ingressi, *in aqua omnia sanante dissiparent molestum morbum.* Salomon refert, Hebræos ad manna colligendum primo statim galli cantu è papilionibus debuisse egredi, *ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam.* Servator quoque iteratis vicibus est hortatus. *Vigilate ergò, nescitis enim, quando Dominus veniet.* Et, *Videte, vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit.* Unde S. Augustinus. *Quomodo terra de cœlo expectat pluviam & lucem, sic homo de Deo debet expectare misericordiam & veritatem.*

Io. 3. 8. Gratia occultè fluit. Nonnus apud Corn. à Lap. in Ioan. loc. cit. Sap. 16. 28. Mat 24. 42 Matt. 13 33. S. Aug. in Psal. 46.

529. Meus Concanonicus, D. Alexander Luzon de Millares symboli loco stagnum, ramis plenum figuravit; addito lemmate. FOETOR, ET HORROR. Aqua enim illa, quia stagnans est, lentem palustrem, muscum, limum, aliasque sordes congregat, & horridâ fœtidâque scatet ranarum ingluvie. Immodicum sive corporis, sive animæ somnum hæc imago adumbrat; utriusque enim gravedine optima & nobilissima mentis serenæ portio obruitur. *Somnus enim*, Julio cæsare teste, *est adulator, atræ mortis assecla, osor iners negotiorum, fur temporis*, vitiorum incentivum, occasio, ut in hominis agro filix & lolium luxuriet, habitus vitiosi pullulent, plurimorum malorum incrementum. Ex animæ somno Hieremias Propheta fatalem orbi stragem est vaticinatus. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Porrò è nimio corporis somno obstupescit mens, silvescit ingenium, rigescit virtus, totusque homo in fœtens & horridum stagnum transmutatur; ut adeò illum S. Clemens Alexandrinus rectè publicano, ac diro bonorum exactori similem dicat, *Somnus*, inquit, *non secus ac publicanus, dimidium vitæ tempus nobiscum dividit.* Periculosus denique ac noxius somnus, interprete S. Augustino, est incuria quædam Prælatorum in custdiendo suo grege; hic enim, veluti draco magnus & rufus, quem Joannes Apocalypticus tertiam stellarum partem caudâ suâ trahentem vidit) immanem spiritualium bonorum trahit ruinam; in eoque censetur altissima Divinæ providentiæ ratio subditorum scelera punire, quod patiatur præsules ac Principes muneri suo indormiscere, otio torpere, officii sui obligationem perfunctoriè attendere, levibusque passibus debitorum suorum momenta transire. Nahum Propheta author est, Niniven, civitatem magnam, populo æquè ac vitiis frequentem, non ob aliam causam esse à Chaldæis dirutam, ac incendio vastatam, nisi propter incuriam & negligentiam Pastorum. *Custodes tui quasi locustæ, dormitaverunt Pastores, sepelientur Principes tui.*

Somnus corporis & animæ. Iul Cæsar Scal. Ep. 3. Hier. 12. 11. S. Clem. Alex. 2. Pædag. cap. 9. Prælatus negligens. Apocal. 11. Nahum 3. 17.

530. De Piscina testatur Seneca. *Lapillus in piscinam aut lacum missus, circulos facit innumerabiles, & hoc idem in flumine non facit*; rationem subdit, *quia omnem figuram fugiens aqua disturbat.* Emblemati subscribes. FORMANDIS ORBIBUS APTA. Ita mens quieta sanctis cogitationibus & piis desideriis, veluti totidem cælestibus orbibus, in ipsa efformandis aptissimam se offert, cùm contra animus terrenis negotiis turbatus, omnem virtutum figuram respuat. Verissimè Origenes. *Quamdiu quis permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse sanctus,*

Senec. lib. 1 Quæst. N. c. 2. Quies religiosa. Origenes Hom. 18. per Levit.

PUTEUS.

CAPUT XXVIII.

531. QUò plus aquæ è puteo trahitur, eò evadit salubrior. Unde lemma. HAURIENDO SALUBRIOR. Ita iis, qui eleemosynis erogandis dant operam, multò plus salutis ac commodi è bonis effusis, quàm è reconditis accrescit. S. Ambrosius. *Tibi proficit*, inquit, *quidquid inopi contuleris. Tibi crescit, quidquid in pauperes erogaveris.* Philo Hebræus eâdem metaphorâ significavit, viros eruditos è docendi munere prolixiorem sapientiam conquirere. *Sicuti fontes salientes* inquit, *si multùm aquæ auferatur, non tantùm non diminuuntur, sed dulciores etiam multò redduntur; ita scientia non decrescit docendi officio, sed magis etiam magisque fit dulcior: nonnunquam etiam augetur, si in discipulos & familiares transfertur,*

Eleemosynæ. S. Ambro. de Nabuc. c. 12. Docere. Philo l. de somniis & de gigant.

532. Alii subscripsêre puteo. FIT PURIOR HAUSTU. vel, MOTU CLARIOR. Ita assidua exercitatio conservandæ corporis & animæ sanitati longè meliùs consulit, quàm si membra inerti otio diffluant. S. Clemens Alexandrinus. *Putei, qui hauriuntur, emittunt aquam magis perspicuam; corrumpuntur autem hi, quorum nullus est particeps. Sic exercitatio salubrem habitum ingenerat, & spiritibus & corporibus.*

Exercitatio. S. Clem. Alex. l. 1. strom.

533. S. Basilius in illud Lucæ, *Destruam horrea mea &c.* ait, *Sicut putei continuo exhausti, & copiosiore, & pulchriore fluunt aquâ, dimissi verò & quieti facilè putent; sic & opes reconditæ inutiles sunt, translatæ in pauperes fructum pariunt,* Hâc authoritate nixus, puteo inscripsi. COPIOSIOR HAUSTU. Enimverò res nostra domestica tantò plus incrementi sortitur, quantò majore charitate aliorum egestati succurrimus. Vide sis Pædagogiam S. Clementis Alexandrini, ad hoc propositum opportunissimam.

S. Basil. ho. in Luc. 12. Eleemosyna. S. Clem. Alex. l. 3. Pædagog.

534. Nonnemo, charitatis & elemosynæ erogandæ studiosus, se ipsum Putei Emblemate repræsentavit; addito lemmate. HAURIAR, NON EXHAURIAR. Securus enim vixerat, futurum, ut divitiæ, copiosâ manu in Deum ac pauperes effusæ, nunquam deficiant, majorique semper affluentiâ crescant. S. Basilius, ubi avaros divites acri invectivâ perstrinxerat, subjungit. *Qui dando Divinæ gratiæ confidunt, puteos imitantur, qui continuò exhausti, minimè deficiunt, sed duplo copiosiores evadunt.*

Eleemosynarius. S. Basil hom. 3 in Divit. avaros.

535. Aqua

535. Aqua putealis, urente Sirio, antiperistasis beneficio, frigescit; contrà verò, rigente hyeme, incalescit. Unde lemma. ALGET, CUM CÆTERA CALENT. vel, FRIGET IN ÆSTU. Et vicissim, CALET, CUM CÆTERA FRIGENT. vel, HYEME CALET. Eadem effecti, si moraliter spectentur, etiam in hominibus perfectis videre est. *Justi*, Bercorio teste, *in hyeme tribulationis fervescunt, qui in æstate prosperitatis tepescunt*. Lemma, *friget in æstu*, invidis est proprium, qui è benigniore aliorum fortunâ immensum tristitiæ frigus concipiunt: alterū econtra, *calet cùm cætera frigent*. charitatem Divinam exprimit, tantò amplius in hominum amorem succendi solitam, quantò magis in cœlestibus ipsius obsequiis obriguêre. P. Aloysius Novarinus Dei servis, ingenti erga ipsum ardore ac reverentiâ inflammatis, id consilii suggerit. *Sicuti putei, quantò extra vehementius frigus omnia adurit, & glacies urit, tantò à frigore sunt alieniores: ita & qui Dei servi, cùm mundus Divini amoris æstu viduus, noxio gelu obsidetur, in Dei amorem ardentius feruntur: & cum tribulationis glacie obsepiuntur, in Dei obsequium & cultum magis æstuant.*

[Calamitates utiles. Bercor. Reduct. mor. l. 8 ... m 4. Invidus. Charitas Dei. Servus Dei. P. Novarin. ... qu Nuptial n. 1138.]

536. Sapientiæ thesauros admodum esse profundos, & è vulgi oculis penitùs absconditos, Puteus demonstrat; quem hoc lemmate insignivi. IN ABDITIS HUMOR. Verissimè Siracides. *Sapientia enim doctrinæ secundùm nomen est ejus, & non est multis manifesta*. Unde, quod acutè observat P. Joannes Pineda, *Sophia à zopha, id est à caligine dicitur, quasi in caligine, & ignoratione delitescens*. Ad mentem nostram Philo, *Mihi videtur*, inquit, *hic puteus significare scientiam, quæ suâpte naturâ in profundo sita est, non in superficie, nec in propatulo solet esse sed in abdito &c*. Et Sanctus Ambrosius. *Quid enim est puteus aquæ vivæ, nisi profunda altitudo scientiæ?*

[Sapientia. Eccles. 6. 23. P. Pineda in ... b. c. 28. 18. 6. Philo l. de ... omniis. Ambros. l. ... Isaac c. 4.]

537. Sapientia & scientia, instar putealium aquarum, sui acquirendi copiam nonnisi difficillimè exhibent. Unde lemma puteo præfixum. CUM LABORE EXTRAHITUR. Emblemati firmando sufficeret equidem S. Clementis Alexandrini authoritas, *Sudor ante virtutem positus est*; placuit tamen etiam P. Joannis Pinedæ mentem subnectere, qui in illud Jobi, *Trahitur autem sapientia de occultis*, non sine ingenio ait, *Trahitur, propriè attrahitur vel extrahitur, nescio quam prolongationem, aut longanimitatem in attrahendo & operando videtur hoc verbum indicare: quasi dicat; protrahitur sapientia de occultis, vel prolongatur ejus attractio, aut longanimiter laboratur in ejus attractione*. Cæterùm, Bercorio authore, avaros quosdam divites non incongruè puteos animatos cognominaveris; quippe è quorum sinu vix ulla eleemosynæ guttula etiam ingenti conatu in egenorum levamen extrahi potest. *Multi divites*, inquit, *in tantùm sunt avari, quod, more putei, vix, & cum maximo labore potest aqua eleemosynarum inde extrahi, & haberi*.

[Sapientia cum labore acquiritur. S. Clem. Alexand. lib. 4. Io Pineda in Iob 28. 18. Eleemosyna. Bercor. Reduct. l. 8. n. 2.]

538. Puteus aquarum viventium, tametsi è mari scaturiens, totus tamen dulcis est. Lemma. DULCIS; TAMEN A MARI EST. Mariam Virginem, sine labe originariâ conceptam, hæc imago demonstrat; ad quam etiam, ceu aquam suavissimam, inter omnes mundi amarores confugere licet; Unde à Richardo de S. Laurentio cognominatur, *Puteus semper viventis aquæ*. Et à S. Damasceno, *Fons universo orbi medicinam offerens*. Emblemati explicando sequens epigramma è P. Jacobo Masenio habeto.

[Maria V. immaculata & auxiliatrix. Rich. à S. Laur. l. 9. p. 914. S. Damasc. Orat. de Ass.]

Ille Samarais puteus dulcissimus undis
Hauserat ex salso flumina pura mari.
Si tibi desipiant salsi nimis æquora mundi;
Fons procul impuro pura Maria mari est.

TERRA.

Terra.
Campus.
Mons. Vallis. Specus.
Æthna. Vesuvius. Abanus.
Olympus mons.
Insula.
Isthmus.
Scopulus.

TERRA.

CAPUT XXIX.

539. Torquatus Tassus independentem & absolutam Principis Monarchiam delineaturus, sphæram terrestrem aere circumfusam, expressit; cum lemmate. PONDERIBUS LIBRATA SUIS. vel, ut placet. SUO SE PONDERE FIRMAT. Me judice subscribes. NULLO FULCIMINE NIXA. Verbis ex Ovidio mutuatis.

[Princeps independens.]

Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa.

[Ovid. l. 6. Fast.]

Dei hæc imago est propria, qui sua immensitate nixus, nullâ alterius ope indiget. S. Augustinus. *Ut boni simus*, inquit, *Deo indigemus; ut bonus sit, Deus nobis non indiget*. E alibi. *Deus, in quibus est, tanquam indigentia continet; non ab eis tanquam indigens continetur.*

[Deus independens. S. Aug. in Ps. ... em in Ps. ... Con. 1.]

541. Academici Accommodati Tarvisienses Emblematis loco globum terrestrem præferunt; addito Ovidii lemmate. STABILISQUE MANENS DAT CUNCTA MOVERI. Principis hæc idea est, qui in Regni Metropoli residens, omnes illius fines suâ virtute coercet, commovetque. Justus Lipsius. *Ut gubernator in magna navi, flectit & regit omnia parvo motu; imò ut ipse mundi ille Rector Deus machinam hanc quatit, & movet, ipse inconcussus; ita sedatus Princeps regit Rempublicam.*

[Principis imperium. Lips. Præfat. de milit. Rom.]

541. Academici immobiles Alexandrini Terræ globo subscripsêre. IMMOTA, NEC INERS. Vel certè, NEC INERS. Talis omninò est vita contemplativa; uti etiam otium, animi causâ à magnæ virtutis persona assumi solitum; tametsi enim, solâ consideratâ exteriore formâ, nihil laboris præseferant, reverâ tamen plurimum negotii volvunt.

[Vita contemplativa. Recreatio.]

S. Bernar. de vita solitaria. Seneca ep. 8. Plutarch. in Apopht.

vunt. De vitâ solitariâ differens Sanctus Bernardus, *Otiositas*, inquit, *non est vacare Deo, immò negotium negotiorum omnium.* Et Seneca. *Mihi crede, qui nihil agere videntur, majora agunt; humana, Divinaque simul tractant.* Certè Scipio Africanus, cum à bellorum inquiete abstractus, litterarum otio vacaret, dicere consueverat, *se nunquam minus esse otiosum, quàm quum esset in otio.* Innuebat videlicet, eo tempore se plura consilia pro patriæ emolumento, quàm aliàs unquam, agitare.

Gratitudo. S. Ambros. l. 1. offic. c. 31.

542. Terra, ceu optima grati animi magistra, exhibitis beneficiis omni officiorum significatione respondendum esse, docet; quippe quæ copioso germine exculta, hanc D. Octavii Boldoni epigraphen legendam offert. REDDIT FIDELITER. S. Ambrosius. *Imitanda nobis est natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiori solet numero reddere, quàm acceperit, &c*

Educatio. S. Io. Chrys. hom. 9. in 1 Tim. S. Pet. Dam. serm. de S. Donato. Lex Divina. S. Nilus Inst. ad Monach.

543. Terra informis & squalida, quia inculta, epigraphen tenet. EXCULTA VIRESCET. Ita plurima ingenia, horrido vitiorum lolio luxuriantia, solâ bonæ educationis culturâ mirificè efflorescunt. Hoc argumento S. Joannes Chrysostomus parentibus juventutem benè educandam persuasurus, ait, *Ut fundus sit optimus, cuncta molimur, & agasonem & mulionem inquirimus; cæterùm quod nobis omnium charissimum est, omninò negligimus: major nobis possessionum cura est, quàm filiorum, quorum gratiâ illa comparantur.* Idipsum observat S. Petrus Damianus, de S. Donato differens. *Sulcabat terram suam vomere disciplinæ, ut uber segetum proventus erumperet, ut illucescente gratiæ cœlestis radio fertilius germinaret.* S. Nilus verum illum in legis Divinæ studio profectum censet, quando cordis humani terra, spinis ac egerminantibus virgultis undique formidanda, illius beneficio exercetur, & in res magnas excolitur. *Ut ager incultus atque sylvestris agriculturæ diligentiâ mansuescit, sic animus, peccatorum sentibus horridus, Divinæ legis studio purgatur, atque excolitur.*

S. Ecclesiæ persecutores. S. Hieron. in vita Malchi. Theodoret. l. 9. de Leg. Martial. l. 1. ad Lucium Epigr. 130. S. Leo Papa serm. 4. de jejunio Pent. Greg. Coman. sonetto 8.

544. Terra, vomeris duritie subacta, inscriptionem refert. VULNERE VIRESCIT. Vel, SAUCIATA FERACIOR. Ita S. Ecclesia, persecutionum tyrannide acerrimè laniata, in amplissimas SS. Martyrum palmas excrevit. *Persecutionibus crevit, martyriis coronata est*, inquiebat S. Hieronymus; cui assentiens Theodoretus; *Cruor ille cæsorum corporum*, inquit, *irrigatio quædam erat novis in Ecclesia emergentibus plantis.* Cæterùm eidem Emblemati non abs re inscripserim. SAUCIATA FELICIUS. Verissimum adeò Martialis effatum est.

Pingue solum lassat, sed juvat esse labor.

Nam teste Leone, *Terra carnis nostræ, nisi assiduis fuerit sauciata culturis, citò de segni otio spinas tribulosque producit, & partu degeneri dabit fructum non horreis inferendum, sed ignibus concremandum.* Unde meus D. Gregorius Comaninus canit.

Deh rallenta il rigore, e'n te profonda
Lascia omai, che s'imprima, eterna piaga:
Che in lei Dio sparge di sua gratia il seme.
Tal campestre bifolco il terren preme,
E lento lento con con l'aratro il piaga,
Perche ricco al fin sia messe bionda.

Educatio mala. S. Io. Chrys. hom 5. in Matth. S. Clem. Pap. l. 8. Recognit.

545. Juventus, nullis imbuta præceptionibus, intra vitiorum senticeta luxuriatur; haud secùs, atque Terra INCULTA SYLVESCIT. Vel ut meo Patri Gallinæ placet. DAT INARATA VEPRES. Verbis è Paranasside Urbani VIII. mutuatis.

Germinat tellus inarata vepres.

Apprimè S. Joannes Chrysostomus. *Quemadmodum ager, diu non proscissus, sylvescit, ac passim innumeros vepres producit: ita juventus neglecta.* S. Clemens Papa populi Christiani agros, ob prædicatorum inopiam raro peraratos, vepribus ac vitiorum tribulis consitum iri censet. *Sicut terra, à cultore neglecta, spinas & tribulos necessariò producit: ita & sensus vester longi temporis incuriâ multas & noxias opiniones rerum, & intelligentias falsæ scientiæ germinavit. Opus est nunc multâ diligentiâ ad excolendũ rus mentis vestræ, ut id sermo veritatis, qui est verus & diligens colonus, assiduis excolat disciplinis.*

Ovid. lib. 6. Fast. Mens sincera. Ioan. 1. 48. S. Aug. tract. 7. in Ioan.

546. Globus terræ, perfectè sphæricus, & in aëris umbilico sustentatus, eandem cum globo cœlesti epigraphen meretur. ANGULUS OMNIS ABEST, Ad verbum Ovidius.

Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa,
Aere subjecto tam grave pendet onus.
Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem:
Quique premat partes ANGULUS OMNIS ABEST.

Germani ac sinceri pectoris hominem, ab omnibus linguæ fucatæ pigmentis prorsus alienum, hæc idea repræsentat. Talis, ipsomet Servatore teste, extitit Nathanaël; *Vidit Jesus Nathanaël venientem ad se, & dicit de eo, Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.* Hunc locum interpretatus Magnus Augustinus, ait, *Quomodo dolus in illo non erat? si peccator est, fatetur se peccatorem, Si enim peccator est, & justum se dicit, dolus est in ore ipsius. Ergo in Nathanaële confessionem peccati laudavit, non judicavit non esse peccatorem. Multi autem Pharisæi, qui abundant peccatis, justos se dicebant, & dolum afferebant.* Opportunè in rem præsentem canit meus D. Salvator Carducius.

Angulus omnis abest, nitidus dum volvitur orbis,
Sic retinet nullas candida mens latebras.

Virgil. 2. Georg. v. 35. Lucret. lib. Educatio. S. Aug. de Bono vidu. cap. 14.

547. Culturæ beneficio, terra omnis generis fruge exornatur; nam vomeris dente effractâ, miram ubertatem inducit, & postea, flavescente messe, multicolorem ac ridentem undique vultum ostentat. Epigraphen è Virgilio Gambertus subdidit. MOLLITA COLENDO.

Quare agite ô proprios generatim discite cultus
Agricolæ, fructusque feros MOLLITE COLENDO.

Cui non dissimilis Lucretius.

Fructusque feros mansuescere terra,
Cernebant indulgendo, blandeque colendo.

Haud aliter agreste & horridum mentis humanæ virgultum in filiis etiamnum tenellis penitùs extirpatur, & in amplissimum virtutis ac gloriæ ornamentum excrescit, si sedulâ curâ perarentur, colanturque. Unde Matrem compellans S. Augustinus. *Tibi*, inquit, *sunt filii: nec laudanda es, quia eos habes, sed quia pii nutrire atque educare studes. Ut enim tibi nascerentur, fœcunditatis; ut vivant, felicitatis est; ut autem sic instituantur, voluntatis est & potestatis. In illis tibi homines gratulantur; in hoc te imitentur.*

Ingratus. Virgil. 2. Georg. v. Voluptates. S. Aug. in Psal.

548. Hominis improbi & ingrati symbolum è terrâ sylvestri ac salsâ desumere licet, quæ, tametsi omni studio exculta aut stercorata, fruges tamen desideratas nunquam profert. Unde Caroli Rancati lemma, è Virgilio desumptum. NON MANSUESCIT ARANDO.

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara
Frugibus infelix, ea nec mansuescit arando.

Ita cor humanum inter voluptatum terrenarum luxuriem adeò tandem amaricatur, ut nullâ Verbi aut Gratiæ Divinæ culturâ amplius mansuescere queat. S. P. Augustinus. *Non debemus intendere in homines, qui prosperantur in hoc sæculo felicitate falsâ, ubi cor eorum congelascit adversus Deum, & fit du-*

fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat.

594. Meus Concanonicus D. Alexander Luzon de Millares symboli loco agrum, locuplete tritico gravidum, depinxit; qui nocturno tempore zizaniis ac infelici lolio respersus, hanc D. Matthæi gnomam instar lemmatis referebat. INIMICUS HOMO HOC FECIT. Animæ somnus ac otii torpor hâc imagine repræsentatur; ut enim vitiorum lolia in pectore nostro spargat, opportunum tempus arripit stygius veterator adultam noctem, dum profundus otii sopor mortales incautos reddit. *Insidiator enim,* S. Chrysologo teste, *in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes.* Cæterùm idem gentis humanæ hostis in medio tritici, nempe in medio justorum, zizania omni conatu spargit, socios nimirum malos ac reprobos, qui electum ac nobile virtutum semen suffocent. Octo duntaxat animas, tanquam germen nobile, ex quo posteritas propagaretur, eduxit ex arcâ secundus orbis parens, Noëmus; sed inter illas fuit unus Cham, veluti lolium in medio tritici, maledictus videlicet, & servus servorũ fratribus suis. Idipsum experti fuêre Abrahamus in Isaaco & Ismahele; Isaacus in Jacobo & Esau; Jacobus in Josepho & cæteris filiis; David in Ammone, Absalone, & aliis. Quid? quod ipsamet Divina sapientia duodecim discipulos omni solicitudine, tanquam solers agricola, excoluerit, & tamen inter illos perfidus extiterit Judas? Probe callida hæc hostis Tartarei stratagemata perspecta habuit S. Chrysologus. *Inter sanctos,* inquit, *peccatum; inter pacificos lites, inter simplices dolos, inter innocentes nequitiam serere consuevit, non ut acquirat zizania, sed ut triticum perdat, nec ut reos capiat, sed ut adimat innocentes, illudq; potissimum malignis suis suggestionibus perficit.*

Juth. 13. Somnus. Otium. Pet. Chrys. Ser. 97. Socius malus. Chrysol. Serm. 96.

550. E S. Bonaventuræ sententia, *Terra fertilis, si diu inculta fuerit, sylvescit; si nimis cogitur fructificare, fit macra; si medium teneas, fertilis perseverat.* Unde lemma. ET INCULTA STERILESCIT, ET GRAVATA. Philo Hebræus agricolas increpans, *Vos,* inquit, *cùm ex eodem fundo colligatis verè hordeum & triticum, in æstate fructus, arborem duplici cum tributo gravatam opprimitis, fieri non potest, quin exhaustus deficiat.* Ita prorsùs, si Principes populum multiplici tributo onerent, fieri non potest, quin exhaustus deficiat. Moderationem, in hoc negotio adhibendam, sapienter præivit Theodoricus Rex Italiæ his omninò verbis. *Cùm omnes Reipublicæ partes æquabiliter desideremus augeri, crementa tamen fiscalium tributorum justissimo sunt pensanda judicio, quia servientium imminutio est, hujus illationis accessio, quantumq; pars illa proficit, tantum se ab æqua firmitate subducit.* Eam ipsam prudentiam in corrigendis aliorum vitiis observari voluit Magnus Ethices Divinæ Magister Augustinus. *In correctione,* inquit, *tenendus est modus aptus humanitati, congruus charitati; ut nec totum, quod potestatis est, exeratur; & in eo, quod exeritur, mansuetudo monstretur.* Id quod etiam in castigãdo proprio corpore, & in educãdis liberis observatũ velim.

Bonav. de processu religion. Tributa. Cassiod. l. 4. c. 38. Correctio. Aug. l. 3. cont. Cresc. c. 51. Educatio.

551. Dum adhuc aureis mundus floreret sæculis, terra, quantumvis inculta, messe ac vitibus erat gravida. Epigraphen addidit P. Jacobus Masenius. TELLUS INARATA FEREBAT. Aurea redierint sæcula, necesse est, quando M. Virgo, nulli unquam marito cognita, frugem felicissimam, Christum, protulit. Ut adeò Virgo hæc intemerata à S. Joanne Damasceno verè cognominatur, *Terra inarabilis cœlestis panis.* Et a Joanne Geometra. *Terra sui semper similis, referta Divinis alimentis, arationis expers & sationis.* In rem præsentem canit Emblematis author.

Maria V. intemerata. Io. Damasc. de dormit. Deip. Io. Geom. ad cap. 1. Luc.

Aurea cùm primo florerent sæcula mundo
Seminis ignarus fruge scatebat ager.
Aurea jam tandem redierunt sæcula; quando
Magna parit nullis cognita Virgo viris.

552. Ager, rarâ spectandus messe, epigraphen reddit. ET JUVAT, ET FALLIT. Eadem fortunæ & laboris nostri est indoles, quos nonnunquam in rem nostram copiosos ac munificos, interdum verò steriles duros que, assiduâ vicissitudine, experimur. Unde sapienter hortatur Magnus Augustinus. *Gaudes ad tempus, noli ibi confidere; tristis es ad tempus, noli desperare,* Pulchrè Ovidius.

Fortuna. Labor. S. August. in Psal. 93.

Credita non semper sulci cum fœnore reddunt,
Nec semper dubias adjuvat aura rates.

Ovid. l. 1. de Arte.

553. Terra, seu ager, multo tempore nullis pluviis rigatus, æstu hiat, cœloque supplicat, Lemma. PLUVIIS ORBATUS ARESCIT. Ita viri quique sanctissimi nonnunquam subtractam cœlestis solatii affluentiam, mentis ariditatem, & animi evagationem sunt passi. Sanctissimus Rex David seipsum lugens, *Anima mea,* inquit, *sicut terra sine aqua tibi.* Eandẽ de se ipso habuit querelã S. Bern. *Exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua, nec compungi ad lachrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio.*

Solatia cœlestia interdum auferuntur. Psal. 142. 6. S. Bernard. serm. 54. in Cant.

554. Terra, ex quo maledictioni subjecta est, spinas tribulosque aculeatissimos germinare nunquam cessat. Lemma. MALEDICTA HIS FRUGIBUS HORRET. Ita tentationum, bellorumque omnium seminarium caro nostra est, quam è Protoparentum peccato refractariam accepimus. *Unde bella & lites in vobis?* quærit Canonicæ scriptor Jacobus Apostolus; *nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Eximius Scripturæ Interpres Hieronymus super illo Ecclesiastæ; *Tempus belli, & tempus pacis. Quamdiu,* inquit, *in præsenti sæculo sumus, tempus est belli, cùm autem migraverimus de hoc sæculo, pacis tempus adveniet. Nemo ergò se nunc putet esse securũ in tempore belli, ubi certandum est, & Apostolica arma tractanda, ut victores quondam requiescamus in pace.* Divus quoq; Augustinus illud Pauli interpretans. *Non enim quod volo bonum, hoc facio, Recolite,* inquit, *vitam justi in isto corpore bellum esse, nondum triumphum.*

Tentatio. Iacob. 4. Eccl. 3. S. Hieron in hunc loc. S. August. serm. 45. de Temp.

555. Quantumcunque fertilis sit terra, certè non subacta, opportunisque pluviis non irrigata, paulatim sterilescet, nec nisi spinas, urticas, aliasque herbas aut inutiles, aut etiam noxias, proferet. Lemma. INCULTA STERILESCIT. Talis est & Religiosi sine cultura & mortificatione animus, quâ profectò opus unusquisque habet; tam imperfectus, ut virtutem comparet; quàm perfectus, ut illam conservet. Illustria prorsùs sanctæ necessariæque mortificationis hujus monumenta nobis passim relinquêre sancti Patres. S. Franciscus Borgia dicere est solitus, *Unum illum diem futurum sibi fuisse sine dubitatione ulla amarissimum, quem sine aliqua corporis afflictione meminisset exactum.* Sententiæ illi à Servatore pronuntiatæ, *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suum,* Lucas Evangelista subjungit, *quotidie;* Non vult Christus vel diem prætermitti, quo voluntatem tuam non mortifices, adeoque omnem omninò vetat intercisionem. Quare talem diem negat Climacus *in reliquorum dierum numero reponendum, sed pro perdito habendum.*

Mortificatio. S. Borgiæ dicta & facta. Luc. 9. Climac. c. 4.

556. Secullum est terræ genus in summo solo, ex quo metallarii cognoscunt subesse venã auri; quare viso illo, terram perfodiunt, latensque metallum eruunt. Lemma. AURI DAT SIGNA LATENTIS.

Pueritia.

TIS. Pari ratione pueritia in ipsis adhuc vitæ suæ primordiis dat specimina minimè obscura futuræ probitatis vel improbitatis. Ovidius canit.

Ingenium cœleste suis velocius annis
Surgit, & ingratæ fert mala damna moræ.

Mores externi. S. Aug. in Psal. 125.

Porrò ab exterioribus hominis moribus internam illius bonitatem aut malitiam conjicere licet. Unde S. Augustinus. *Illis, quibus interiora immunda sunt, exteriora munda esse non possunt. Si volueris ut exteriora munda sint, interiora mundato.*

557. Terram, hinc vitibus, illic frumentis, oleis alibi, aliisq; frugibus pro locorum varietate spectandam, hoc lemmate insignierunt. NON OMNIA POSSUMUS OMNES. Pulchrè Ovidius.

Ovid l. 1. de Arte.

Nec tellus eadem parit omnia: vitibus illa
Convenit, hæc oleis, hìc bene farra virent.

Gratia Dei variè divisa. 1. Cor. 12. 4.

Idipsum de hominibus testatur Apostolus, qui Divinas gratias ita inter se distributas accepêre, ut nullus illis omnib⁹ gaudeat, unusq; semper indigeat alterius ope. *Divisiones gratiarum sunt, alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundùm eundem spiritum; alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in uno spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonũ.* Et paulò post. *Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiã habent curationum? &c.*

Ibid. n. 29. Sancti Thaumaturgi. S. Aug ep. 173.

Id quod in ipsis etiam sanctis indies experimur, dum non omnes omnibus medentur morbis, sed unus hujus, alius verò alterius mali est thaumaturgus; ut S. Apollonia doloris dentiũ; S. Antoni⁹ pestis; S. Augustinus articuli mortis &c. Nec latuit id perspicacissimũ Magni Augustini intellectũ, quando dixit. *Ita nec in omnibus memoriis sanctorum Deus miracula fieri voluit, qui dividit unicuiq; prout vult.*

CAMPUS. Cap. XXX.

Educatio multùm prodest.

558. CAmpus incultus, vepribus undique consitus, peneque sterilis, aratro non procul jacente, epigraphen tenet. NON SEMPER INUTILIS. Innuit videlicet, homines, quantumvis vitiosos, si sedulò excolantur, tandem in fruges uberrimas adolescere. Eruditè Lactantius Firmianus. *Sicut in sentes ager, qui est naturâ fœcundus, exuberat: sic animus incultus, vitiis suâ sponte invalescentibus, velut spinis obducitur. Sed cùm verus cultor accesserit, statim cedentibus vitiis, fruges virtutis oriuntur.* Et Cicero. *Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus.*

Lact. Firm. l. 6. c. 25. de vero cultu. Cicer. 2. Tusc.

559. Ignis, intra campũ accensus, supervacaneam uliginem extergit, & luxuriantes spinas absumit. Unde lemma campo inditum. EXSUDAT INUTILIS HUMOR. Vel, ut nonnemo ad explicandam ignis virtutem è Virgilio subscripsit. EXCOQUITUR VITIUM. Vel, UT NOXIA PERDAT. Spiritûs S. operatio vivis his coloribus expressa cernitur, qui in flammas igneas conversus, orbem omni vitiorum libidine expurgare voluit. S. Petrus Chrysologus. *Diu oppressa dumis nationum cupiens novalia purgare, ignem mittit primùm maximus magister in terrã, ut quidquid naturalis squalefecerat luxus, quidquid arefecerat brumalis rigor, artifici depurgat, & consumit incendio.* Porrò expiatoriæ inferorum flammæ vitiorum redundantiã in animabus cremant, absumuntq;. Lactantius, *Justos*, inquit, *cùm judicaverit Dominus, etiam igne examinabit: tum quorũ peccata vel pondere vel numero prævaluerint, igne perstringentur, atq; amburentur: quos autem plena justitia & maturitas virtutis incoxerit, ignẽ illum non sentient.*

Virgil 1. Georg. v. 88. Spiritus S. S. Pet. Chrysol. serm. 164. Purgatorium. Lactant. l. 7. Instit. c. 71.

560. P. Vincentius Gilibertus campum, frumento consitum, sub cœlo, nimbos ac turbines minitante, depinxit; addito Virgili lemmate. NON TALI AUXILIO. Campo enim non quidem impetuosâ ventorum injuriâ, sed suavibus pluviis & temperato solis calore est opus. Ita juventus, virescenti campo non absimilis, methodo prudenti ac discretâ, non verò violentâ aut crudeli, educatur, oportet. Plutarcho id credas velim. *Dico*, inquit, *ad liberalia studia adducendos esse pueros verbis adhortationibusque, non, mehercle, verberibus, aut contumeliosâ tractatione. Torpent, & abhorrent sic tractatiâ laboribus, partim ob dolores plagarum, partim ob contumelias &c.*

Vigil. 2. A v. 521. Educati suavis. Plutarch. lib. educ.

561 Campus, æstivo ardore exsuccus, hiansque, opem undique E NUBIBUS, ET E MONTIBUS flagitat. Ita planè Christianorum virtus tum demum proficiet, quando & propriam operandi assiduitatem, & cœleste auxilium, simul jungere conati fuerint. S. P. Augustinus. *Non ideò de hâc re solis votis agendum est, ut non subinferatur ad benè vivendum nostræ efficacia voluntatis. Adjutor enim Deus dicitur nec adjuvari potest, nisi qui sponte aliquid conatur.* Virgilius certè, ad fruges è terrâ recipiendas, non tantùm impigros agricolæ labores, sed insuper etiam pluvias, precibus è cœlo extortas, necessarias esse docet.

Gratia coopera tio. S. Aug. To l. 2. de Pecc torum mer cap. 5. Virg. 1. Geo v. 155.

Quod nisi & assiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves, & ruris opaci
Falce premes umbras, votisq; vocaveris imbrem,
Heu magnum alterius frustra spectabis acervum,
Concussaque famem in sylvis solabere quercu.

S. Machar hom. 26.

Verissimum S. Macharii effatum est, *Requirit Deus ab homine laborem, fatigationem, ac operationem; nisi tamen de sursum apparuerit nubes cælestis, & pluvia gratiæ, nihil juvabit labor coloni.*

Independentia.

562. Homo litteratus Principum favores ac patrocinia parvi æstimat, propriæque virtutis suæ ubertate nititur; haud secus atque campus, copiosis interluentibus rivulis irrigatus, NULLOS POSTULAT IMBRES. Epigraphen hanc è Tullio mutuam sumpsit Carolus Rancatus:

Te propter NULLOS tellus tua POSTULAT IMBRES,
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Et meus Carducius.

Dives ager rivis nullos sibi postulat imbres;
Alterius nec opes mens opulenta petit.

Justus. S. Aug. in Ps. 46. Idem in P 63.

Cæterùm homo justus Divinis favoribus ac delitiis adeò copiosè fruitur, ut omnes terrenarũ voluptatũ blanditias contemnere audeat. Unde Dei ore Mag. Aug. *Ego sum divitiæ tuæ*, inquit, *noli attendere quod mundus promittit, sed quod promittit cõditor mundi.* Et alibi. *Voluptatem incorruptã concupisce; & promittentem dona ista temporalia, & totũ mundũ deridebis:*

Felicitas mundan. S Aug. in Psal. 137.

563. Secundiores mundi eventus assiduis calamitatum turbis esse permixtos, haud obscurè è campo disces, qui felici germinum copiâ instructus, exitiosas ac fatales cæli nubili minas nunquam non experitur. Lemma. LÆTA DIRIS. Unde S. P. Augustin. *Deus miscet tribulationes gaudiis terrenis, ut tribulationem sentientes & amaritudinem, discamus æternam desiderare dulcedinem.* Ovidius.

Ovid. l. 4 Pont. Eleg

Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

Seneca in Thieste

Concinnè Seneca Tragædus.

Nemo desperet meliora lapsus,
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.

Persecut Ecclesiæ. S Cyprian laud Mart.

564. Campus seu ager, igne crematus, epigraphen à me recepit. DENSIOR FLOREBIT ARISTA. Sanctam Ecclesiam, inter persecutionum ardores immensum augescentem, hæc imago designat. S. Cyprianus. *Flammas plerumque agris jubet immittere, quo calore*

calore vagantis incendii cœca terræ spiramenta laxentur; jubet stipulas crepitanti igne torreri, ut se in altius gravida seges tolleret, & parturientibus culmis densior arista floreret. Igitur talis & martyrii primò casus, postmodum fructus; est, qui morte vitam condemnat, ut morte vitam custodiat.

L'res & Saiens. 565. Campus, dum semente respergitur, epigraphen legendam offert. DITOR, UT DITEM. Ita opulentus amplissimas divitias câ conditione à Deo accipit, ut illas liberali manu in egenos effundat. Sapiens quoque compluribus scientiis ad aliorum infirmitatem juvandam à Deo exornatur. S. Bernardus acutè animadvertit, non dixisse Apostolum, *alii datur sapientia*, sed *datur sermo sapientiæ*. aitq; *Apostolus cùm de distributione bonorum loqueretur, non ait simpliciter, alii datur sapientia, alii scientia, sed addit dicens, sermo scientiæ, sermo sapientiæ, ut ostenderet, quod hujusmodi dona propter alios dantur, scilicet ut alii ædificentur.* (1. Cor. 12. 8. S. Bernard. ser. 53. ex. parvis.)

Mundi finis. 566. Alcibiades Lucarinus, extremum mundi diem commemoraturus, stipulas in campo accensas depinxit; addito lemmate. POST MESSEM INCENDIUM. Qui in orbe hoc depravato, libidines, usuras, homicidia aliorumque scelerum farraginem colligunt, se ipsos aptissimam æternæ flammæ materiem olim objiciunt. Providè hortatur S. Nilus. *Mala ne semina: messis enim prope est, & ignis excipiet spinarum agricolam.* Et Isaias. *Concipietis ardorem, parietis stipulam; spiritus vester ut ignis vorabit vos. Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur.* (S. Nilus Par. n. 212. Is. 33. 11.)

Calamitate profi[cit]. 567. Academicus, inter Errantes Brixienses Accensus, symboli loco ignem præfert, qui in campi germina grassatus, epigraphen tenet. PER FECONDARMI. Vel, UT FÆCUNDETUR. Certè calamitatum flamma, in corde sterili ac spinoso excitata, plurimum spiritualis incrementi parit. Præclarè Lipsius. *Ipsa clementia est, in extremè ac desperatè malos non esse clementem.* Ab hac imagine non multùm ablusit P. Carolus Bovius, quando campo, lappis ac vepribus obsito, inscripsit. INCENDERE PRODERIT. Innuebat videlicet, Apostolici fervoris beneficio omnia vitiorum lolia è radice iri extirpatum, absumptumque. Ita quoque vindicantis justitiæ ardor Provincias ab omni malorum vepreto expurgat. (L. lib. de ... Relig. Sacerdotii fervor.)

Vestes ... luxui ... necessitati serviunt. 568. Campus, ut terrea ac lutea sua viscera ab hominum aspectu subducat, exteriore germinum ac florum veste integitur, Lemma, florenti campo inditum. UT PLACEAT, TEGITUR. Idipsum etiam de humano corpore, ad alliciendos aliorum oculos lascivè vestito, dixeris. Eodem Emblemate significatur, quemadmodum campus se ipso parùm prodesset, nisi externo illo germinum vestitu amiciretur; ita corporis humani vestes necessitati potius, quàm ornamento esse debere. Disertè S. Augustinus. *Quia infirmus es, ideo sunt tibi multa necessaria. Opus est multum vestiaris, quia frigus pati non potes. &c. Ista fulcimenta sunt infirmitatis, non ornamenta potestatis.* (S. Aug. serm. de Di... vitiis, c. 16.)

MONS. VALLIS. SPECUS.

CAPUT XXXI.

Sapientia. 569. LAurus & palma, in montis fastigio radicatæ, epigraphen legendam offerunt. ARDUA VIRTUTEM. Verbis è Silio desumptis.

Ardua virtutem præfert via, scandite primi.

Meritum. Præmium. Enimverò virtutis præmium ac gloria nonnisi multo labore comparantur. Unde è Poëtis nonnemo canit.

Virtutem posuêre Dii sudore parandam.

S. Augustinus. *Pecora campi congruentissimè accipiuntur homines in carnis voluptate gaudentes, ubi nihil arduum, nihil laboriosum ascendunt.* (S. Aug. in Psalm 8.)

Eminens meritum. 570. Principis cujusdam virtutem & animi majestatem Montis Emblemate expresserunt, cujus culmen supra nubes erectum, epigraphen tenet, EMINET. De Maria Virgine ait S. Bernardus super illud Apocalypsis. *Mulier amicta Sole; Defectus omnis sub ea, & quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit, & supergreditur creaturis.* (Maria V. S. Bernard. serm. super Apoc. 12. 1.)

Dignitates. 571. D. Joannes Baptista Mazzolenus symboli loco Montem depinxit, cujus culmen nive respersum, epigraphen monstrabat. CANESCIT IN ALTIS. Magnatis cujusdã hæc imago erat, qui in sublimi dignitatis fastigio collocatus, ob assiduas curas, etiamnũ juvenis, totus incanuit. Dignitates enim terrenæ, quò sublimiores, tantò plus periculi, solicitudinis, ac laboris pariunt. Experto id credes Augustino, quando ait, *Ubi me terret quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum Episcopus, vobiscum sum Christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiæ; illud periculi est, hoc salutis.* Emblemati explicando eruditum hoc distichon subjungit meus D. Carducius. (S. August. serm. 39 ex addit. à Sirmondo.)

Quò magis assurgit, mage mons canescit in altis,
Hoc mage canus eris, quò magis altus eris.

Vita contemplativa. 572. Mons epigraphen tenet; DE COELO EXPECTANS PLUVIAM. Vel certè pluviis cœlestibus jam irrigatus. NON ALIUNDE. Personam spiritualem, ac cœlestibus considerationibus unicè deditam, hæc imago repræsentat; quippe quæ levandis suis necessitatibus nullas alias, nisi Divinas suppetiãs expetit David, tametsi mille calamitatibus obrutus, id tamen unum identidem ingeminabat, *Auxilium meum à Domino. Non à quacunque,* inquit in hunc locum S. Augustinus, *quia dicuntur Domini multi, mortales miseri; sed à Domino Dominorum, ab illo videlicet, qui fecit cælum & terram.* Prorsus Christianè, ac è Theologiæ penetralibus Ovidius. (Spem in Deo ponere. Psal. 120. 2. S. Aug. in hunc loc.)

Quamvis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate Dei. (Ovid. l. 1. de Ponto. Eleg. 7)

Humilitas est mensura meritorum. 573. Meritorum celsitudo in hominibus sanctis è majore humilitate metienda est. Id quod è Montis Emblemate discere licet, qui Sole in occasum vergente, epigraphen tenet. EX UMBRA MAGNITUDO. *Nihil est enim,* Doctore S. Hieronymo, *quod ita Deo gratum faciat & hominibus, quam si vitæ merito non magni, sed humilitate infimi videamur.* In hanc rem apprimè facit Magni Augustini sententia. *Mensura humilitatis cuiq; ex mensura ipsius magnitudinis data est.* (S. Hieron in cap 10 Mat. S. Aug. lib. de sancta virgine.)

Animus generosus. S. Joannes Baptista. S. Petrus Damian. 574. Montem, maris littori vicinũ, & assiduis fluctibus quassatũ, hoc lẽmate notárunt. NEC FRANGITUR, NEC IRRIGATUR. Ita animus generosus nec adversorum casuum violentiâ dejicitur, nec blandientis fortunæ lenociniis emollitur. S. Joannẽ Baptistã hoc encomio insignẽ deprædicat S. Petrus Dam. Card. Quippe *quem vel ventosa felicitas,* cùm summi Sacerdotis & Principis Palæstini filius esset; *vel adversitas turbida,* dum nimirùm fatali Herodiadis odio exagitatus, extremo carcere affligebatur; *vel cujuslibet peccati aura tenuior non inflexit.*

Charitas Dei. Avarus. 575. Charitas Divina tantò copiosiùs exardescit, quò pluribus mundi adversitatibus excruciatur; Chimæræ, Lyciæ monti non absimilis; qui pluviis, quamlibet cumulatis, inundatus, assiduas tamen, easq semper ardentiores flammas evomit. Lẽma. QUO COPIOSIUS, EO ARDENTIUS. P. Jacobus Certanus avarũ hâc imagine adumbrat, cujus desideriũ erga divitias tantò majori ardore flagrat, quò cumulatiores auri pluvias affuderis. De Charitate testatur S. Au-

S.Augustinus. *Gentes extinguerent, si possent, nomen ubiq; Christianum, sed quomodo timerentur, cùm tanquam oleo sanguine Martyrū in Christr ardor charitatis inflammaretur.* De Avaro Boetius.

S.August. in Psal. 3. Boet. l. 2. de Consol. Metr. 7.

--- --- sævior ignibus Æthna
Fervens amor ardet habendi.

Liberalitas. Princeps beneficus.

576. D.Didacus Saavedra montem, nubibus pluviis inumbratū, depinxit, eiq; complures aquarū rivulos in subjectam planitiem versanti, subscripsit. QUÆ TRIBUUNT, TRIBUIT. Ad hanc ideam, seu trutinam, Principis liberalitas examinanda est, qui facultates, è cœli munificentia acceptas, largâ ac generosâ manu in subditos dispenset. Theodoricus, virtutis hujus prototypon, referēte Cassiodoro, dicere solebat. *Optamus cunctū diem plenū beneficiis nostris excurrere*, Iisdē coloribus bonam politiam exprimit Salomon. *Multi colūt personā potentis, & amici sunt dona tribuētis.* Et rursùs. *Victoriā & honorē acquiret, qui dat munera; animam autem auferet accipientiū.*

Cassiod. l. 3. Epist. 11. Prov. 19. 6. Prov. 22. 9.

Favor Principū periculosus. Horat. l. 2. Car. Od. 10.

577. Aulicus, quò Principi familiarior, eò gratiæ perdendæ existit vicinior. Saavedra hanc aulæ vicissitudinem penicillo adumbrans, montem exprimit adeò sublimem, ut vertice cœlum penetrâsse videatur; qui tamen crebro fulmine è cœlo impetitus, epigraphen præfert. JOVI ET FULMINI. In eandem sententiam concedit Horatius.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulgura montes.

Sen. in Hypolit. Act. 4.

Et Seneca Tragœdus.

--- --- --- Cœlo
Jupiter alto vicina petit. Et paulò post.
Circa Regna tonat.

Sines. de Regno.

Sinesius post adductam veterem illam parœmiam, *Procul à Jove, procul à fulmine*, subjungit, *quod eorū causa qui cum familiaribus suis* (de Tyrannis loquitur) *insidiosè versantur, multò tutiorem esse docet otiosam cum securitate vitam, quàm ea omnia pericula, quæ in illustri vitæ statu reperiuntur. Simul enim atq; ob tyranni gratiam beatus aliquis prædicari cœpit, mox in ejusdem offensionem incurrens, miseratione dignus existimatur.* Peccatores quoque, dum felicitatis apicem jamjam ambabus manibus videntur complexi, iræ Divinæ fulmine subitò præcipitantur. Davidem audi testem oculatum. *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat.* Unde S.Nilus. *Luge peccatorem felicem; gladius enim justitiæ imminet.*

Peccatores felices. Psal 36. 35. S Nil. Paran. n 94.

Paupertas secura. Sen. in Hyp pol. Act. 3. Ibid. Act. 4.

578. Mons, fulmine percussus, epigraphen tenet. HUMILIORA MINUS. Hoc sensu Seneca.

Minus in parvis fortuna fecit. Et alibi.
--- --- --- Humida vallis
Raros patitur fulminis ictus;
Tremuit telo Jovis horrisoni
Caucasus ingens, Phrigiumque nemus
Matris Cybeles metuens, cœlo
Jupiter alta vicina petit;
Non capit unquam magnos motus
Humiles tecti plebeia domus.

Invidia. S.Cyprian. de sing. Cler.

Invidia, instar fulminis, solos Magnates sibi metam destinat; pauperibus impunè dimissis. S. Cyprianus. *Acrius divitibus quàm pauperibus invidetur, & non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva latronū Plus Duces & Principes, quàm milites ab hostibus appetuntur in pugna: & violentius propulsantur ventis & turbinibus culmina quæcunq; sunt altiora, &c.*

Claud. l. 1. de Rapt. Proserp.

579. Mons horridus & saxeus omnes nubium, coruscationum, fulminum, cæterarumque imminentium tempestatum minas contemnit. Unde Dominici Gamberti lemma. HAS DESPICIT IRAS. Haud multùm aliter Claudianus.

Despicit Ionias protentis rupibus iras.

Animus generosus.

Militis magnanimi hoc ectypon dixeris, qui efferatas atque exæstuantes Bellonæ iras provocare audet. Porrò peccatoris cor, instar saxi obstinatum, irato cœlo temerè & fastuosè obluctatur, veluti à supplicii Divini fulmine penitùs securum. Denique justus calamitates ac minas illas omnes, quas vel mundus vel dœmon adversùs ipsum moliuntur, generosè spernit, soloque Deo, ceu basi suâ inconcusâ, nititur. Prototypi loco Davidem considerato. *Dominus protector vitæ meæ*, inquit, *à quo trepidabo? si consistant adversùm me castra, nōn timebit cor meum.* In hunc locum S.Augustinus. *Adversùs me si contradicentium conspirans multitudo consistat, non timebit cor meum, ut in eorum partes transfugiam. Si exurgat in me persecutio hujus sæculi, in hac, quam cogito, petitione figam spem meam.*

Peccator obstinatus. Justus. Ps. 26. 1. S. August. hunc loc.

580. Montes nonnullos, veluti Libanum, montem S.Bernardi, aliosque complures adeò sublimes reperire est, ut nives ac glaciem nec inter æstivos ardores amittant. Horum aliquis, à radiis solaribus intra æstiva signa percussus, illam mei Patris Gallinæ inscriptionem è Poëta quodam Italo sustinet. VESTE AD ONTA DEL SOL MANTO DI GELO. Id est. VEL SUB SYRIO RIGET. Judæ Iscariotis, alteriusve cujuslibet obstinati peccatoris durities hoc symbolo significatur, qui, licet liberalissimâ Solis Divini luce instructi, nunquam tamen commoventur, sed magis semper congelascunt. Eruditè meus Carducius.

Peccator obstina...

Flammante Phœbi incendio regnat gelu:
Cœli æstuante Amore cor Judæ riget.

SS.Eucharistia.

Cæterùm mens humana, superbiæ, aliorumque vitiorum tumore elata, frigus suum nunquam, etiam inter ipsos Divinæ præsentiæ, Sanctissimæ Eucharistiæ, aut sanctæ societatis ardores deponet. Gratia enim Divina nonnisi in humilia & simplicia hominū corda vim suam exercet. Unde de SS. Eucharistia ait meus Concanonicus Thomas Kempensis. *Domine in simplicitate cordis mei, in bona firma fide, & in tua jussione, ad te cum spe & reverentia accedo. Unde tuā precor clementiam, & specialem ad hoc imploro mihi donari gratiam, ut totus in te liquefiam, & amore pereffluam, atq; de nulla aliena consolatione ampliùs me intromittam. Est enim hoc altissimum & dignissimū sacramentum salus animæ & corporis, medicina omnis spiritualis languoris; in quo vitia mea curantur, passiones frenantur, tentationes vincuntur aut minuuntur; gratia major infunditur, &c.*

Thom Kempens. de im. l. 4. cap.

Pauper virtuosus.

581. Physicis observatum est, Montes, auro prægnantes, exteriorem formam arboribus, omnique alio virore spoliatam habere. Unde Franciscus Raulinus montem, aspectu sterilem & infœcundum, hoc lemmate insignivit. SINU PRETIOSA RECONDIT. Eorum hæc idea est, qui in hominum conspectu pauperes, infelices, omnique ope destituti, domi suæ immensum virtutis thesaurum habuêre reconditum. Tales fuêre Diogenes, Socrates, S.Franciscus, S.Alexius, aliique. In rem præsentem Magnus Augustinus. *Arca exinanita est auro, cor plenū est fide. Foris pauper es, sed intus dives es* Et alibi. *Omnes divites boni fideles. Nemo se contemnat pauper in cella, dives in conscientia.* Meus D.Salvator Carducius canit.

S. August. Psal 6... Idem ser 212.

Sub vili mens ecce sinu pretiosa recondit;
Pauperies & opes religiosa tegit.

582. E complurium authorum, veluti Diodori, Lucretii, Marianæ, aliorumque sententia firmatum est, igne intra montium quorundam sylvas excitato, mox auri argentique venas liquefieri, & instar rivulorum palam discurrere. Unde Raulinus, arboribus in monte succensis inscripsit. EFFLUET AURUM.

Diod. l. Lucret. l. Mariana de rebus H. lib. 1. c. 1

Amor liberalem facit. S. Aug. Psal. 36. Conc. 2.

AURUM. Eâdem planè ratione, ubi amoris flamma ardet, ibi aurum in pauperes liberaliter effluit. S. P. Augustinus. *Justus, qui non habet extrinsecùs facultatem, habet intrinsecùs charitatem. De charitate, quanta erogat, & non finitur? Etenim si habet foris facultatem, dat ipsa charitas ex eo quod habet. Si autem non invenit foris quod det, dat benevolentiã, præstat consilium si potest, præstat auxilium si potest. Habet semper unde det, cui plenum pectus est charitatis.* Porrò grassante persecutionum incendio, nobilissimi cùm mentis generosæ, tum divitiarum thesauri in alios dispensantur. Experimentum habeto in S. Laurentio, qui flammis à Tyranno infestatus, *Thesauros Ecclesiæ dispersit pauperibus.*

S. Laurentius.

583. Mons Atlas, cui cœlum impendet, epigraphen à Patre Jacobo Masenio subjunctam habet. QUOD NON CAPIT, ACCIPIT. Ita MARIA Virgo Deum, nullis unquam circumscribendum terminis, angusto suo sacratissimo utero complexa est. Unde à S. Joanne Damasceno vocatur *Mons, qui collem omnem ac montem, id est Angelorum & hominum sublimitatem exsuperat.* Et à S. Petro Chrysologo, *Virgo, major cœlo, fortior terrâ, orbe latior: quæ Deum, quem mundus non capit, sola cepit.* Emblematis mentem sequenti epigrammate explicat P. Masenius.

Maria V. gravida. Io. Damasc. Orat. 3. de Nat. B. V. S. Pet. Chrys. Serm. 143.

Cernis Atlantiaco libratum vertice cœlum,
Pendet ut immensus monte minore polus.
Augustâ dum Virgo Deum complecteris alvo,
Tu locus es moli, quæ fuit absque loco.

584. Mons excelsus, in profundam vallem declivis, epigraphen tenet. NON EST SINE VALLE. Ita nullum unquam in virtutum progressu sublimem videbis, qui humilitatis valle careat; imò tantò quisque erit humilior, quantò sublimior. S. Augustini consilium est. *Altus vis esse, ut habitet in te Deus, humilis esto & tremens verba ejus.* Certè *Christus*, eodem Augustino teste, *fuit humillimus inter manus inimicorum, altissimus super verticem laudantium Angelorum.* Beatissima Virgo, sicuti fuit inter homines altissima, ita & humillima. Unde sicuti à S. Ruperto cognominatur *Mons montium, Virgo Virginum*; ita & à S. Bonaventura, *Vallis vallium.* Pulchrè in rem præsentem canit P. Jacobus Masenius.

Humilitas. S. Aug. in Psal. 92. Idem in Psal. 62. Christus humilis. Maria V. humilis. S. Rupert. l. 9 in Cant in f. S. Bonav. in Specul. B. V.

Quò major sublatus humo mons surgit ad astra,
Hoc hiat in valles, deprimiturque magis.
Virgo parens summi, licet exaltata, Tonantis,
Quò major superis, hoc sibi visa minor.

585. Sol exoriens omnium primò in montibus refulget. Unde Mons, nascenti Soli expositus, epigraphen tenet. HOS LUX PRIMA FERIT. De SS. Apostolis ait Magnus Augustinus. *Quando oritur Sol, priùs luce montes illustrat, & inde lux ad humillima terrarum descendit. Sic quando venit Dominus noster Jesus Christus, prius radiavit in altitudinem Apostolorum, prius illustravit montes, & sic descendit lux ejus in convallem terrarum.* Porrò Deus, ceu Sol æternus, suos favores ac divitias potissimùm in Principes spargit, ut ipsi postea aliis beneficos se exhibeant. Emblematis author, P. Jacobus Masenius in encomium Illustrissimi D. Fabii Chisii, postea Alexandri VII. Pontificis Maximi, canit.

SS. Apostoli. S. Aug. in Psal. 11. Princeps beneficus.

Quæ sensim radiis lustrat vigilantibus orbem,
Lux prior in vastis montibus orta micat.
Et quæ fusa polis illustrat gratia vulgus,
Hæc prior in vastis mentibus orta micat.
Quæ te Magne Fabi secrevit gratia vulgo,
Hæc gratum vulgo te magis esse facit.

Arx SS Wattenum ... in Watten Weiler

Humilitas.

586. GEnius, per montem enitens, epigraphen legendã offert. AD SUMMA PER IMA. Nimirùm quisquis sublimiorem sive dignitatũ, sive virtutum apicem conscendere desideras, ab infimo humili-

humilitatis gradu exordiaris, necesse est. De Christo testatur Magnus Augustinus. *Altus ad humilia descendit, ut humilis ad alta ascenderet.* Rursùs de Illustrissimo Fabio Chisio canit P. Masenius.

S. Aug. serm. 1. de Sanctis cap. 1.

Scande, sed in primos gradiens enitere colles,
Qui stetit in summo vertice trivit humum.
Et sensu sensim venies ad summa per ima:
Unus erit virtus gressus, & alter honor.
Hoc opus, hic labor est, quo te meruisse putamus.
Ut decus, ut veniat parta labore quies.

Dan. 2.

587. Lapis, de monte abscissus, idolum cadendo obruit; uti vaticinatus est Propheta Daniel. Unde Emblemati subscribes. VIS OMNIS AB ALTO EST. Nimirùm quidquid virtutis habemus, id omne à solo Deo proficiscitur; sive enim hæresin, sive dœmonem, aut mundum, ceu propria hominum flagitiosorum idola superamus, victoriam illam nemini alteri, nisi auxilio Divino debemus. Unde S. Augustinus. *Illis resistendum est, qui putant sine adjutorio Dei, per se ipsam vim voluntatis humanæ, vel justitiam posse perficere, vel ad eam tendendo proficere.* Et alibi. *Omne crimen quod facimus, vel peccatum, nostra est negligentia, & omnis virtus & sanctitas Dei est indulgentia*; P. Jacobus Masenius hoc symbolo demonstrat, Fabii Chisii virtute ac potentiâ omnem flagitiosorum aut hæresum malitiam obrutum iri. Ipsummet canentem audi.

Auxilium Dei.

S. August. de spir. & lit. cap. 2.

Idem de verb. Dom. serm. 7 c. 3.

Princeps.

Novimus, antiquis celebrata insomnia fastis,
Ficta licet, veri promeruisse fidem.
Idoli lapis est visus confringere vires,
Hæresis idolum, tu lapis esse potes.
De petra suspensus adhuc minitare ruinam.
O utinam pereat viribus icta tuis!

588. Mons, ventis quaquaversùm impetitus, epigraphen tenet. NON MOVEBITUR. Genuina hæc sanctæ Ecclesiæ est effigies, quæ nullis unquam persecutionibus est commovenda; imò, ipsomet testante Christo, *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* S. Joannes Chrysostomus. *Quid Ecclesiâ Dei potentius esse potest: Mœnia Barbari destruunt, Ecclesiam verò ne dœmones quidem superant. Cùm oppugnatur vincit; cùm appetitur insidiis, superat.* Eodem lemmate etiam constantem viri animum describere licet; Unde in laudem Fabii Chisii canit P. Jacobus Masenius.

S. Ecclesia.

Matt. 16. 18.

S. Io. Chrysost. To. 5 in Orat. de non contemn. Eccl.

Constans.

Cùm fuerit oppositis Eurusq́, Aquiloq́, procellis,
Sæpè cadunt silvæ, culmina sæpè ruunt.
Unus ad insanas ridet mons integer iras:
Viribus hic tantùm frangitur aura suis.
Improba vesano Fabium petat Hæresis æstu,
Cuncta ruunt: nunquam sede movendus erit.

589. P. Jacobus Masenius symboli loco sex gentilitios Chisiorum montes depinxit; addito lemmate. SEPTIMUS HIS DEEST. Vel, SEPTIMUS ACCEDET. Nimirum ad septem urbis Romanæ colles alludebat, simulque vaticinio minimè vano significabat, Fabium Chisium Senensem, post tot labores tandem, Montis septimi loco, aut Summum Pontificatum, aut certè æternæ beatitatis Olympum esse accepturum. Emblemati explicando sequens epigramma subjunxit.

Quod senos tantùm numerent insignia Montes,
Fortè tuis debes annumerare Senis.
Sed tamē Ausonios postquam colis, inclyte, Montes:
Quid modò septenos te numerare vetat?
Quod si Roma neget; Decus hoc tibi fata parabunt:
Septimus ad senos junctus olympus erit.

S. Augustinus montium nomine heroicos virtutum actus intelligit, quibus olim Olympus, æterna nimirùm beatitudo accedet. *Altitudo charitatis,* inquit idem Augustinus, *est in supernorum expectatione præmiorum; propter quam altitudinem tibi dicitur, ut sursum cor habeas.*

Beatitudo.

S. August. Psal. 97. a te fin. Idem serm. 14. ex add. à Paris. c.

VALLIS. SPECUS.

590. Franciscus Raulinus, gratum Principis animum repræsentaturus, vallem depinxit, rupibus & cavernis refertam. addito lemmate. VOCEM CUM FOENORE REDDIT. Illa enim Principis sit indoles, ut beneficia, ab aliis collata, liberaliter compenset. Ad hoc propositum S. Ambrosius. *Imitanda nobis est in hoc quoque natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiori solet numero reddere, quàm acceperit.* Et Theodoricus Rex, apud Cassiodorum. *Majora nos decet tribuere, quàm videamur à servientibus accepisse.* Hesiodi sententia est, *in referenda gratia debemus imitari agros fertiles, qui plus multò adferunt, quàm acceperunt.*

Gratitudo.

S. Ambros. 1. offic. c. 31.

Cassiod. l. Epist. 36.

Hesiod. 1.

591. Cavernosæ specui inscripsi. TANTO E PIU AMPIA, QUANTO PIU S'INTERNA. Id est, interprete Reverendissimo D. Picinello, *Grandis eò magis est, quantò plus tendit ad intra.* Ad verbum Tassus.

Tass. nella Gerus. Conquist. l. 1. st. 44.

--- --- mà quell' oscura grotta
Tanto è più ampia, quantò più s'interna.

Antro non absimilis mala consuetudo, indies evadit enormior, donec tandem in horrendam ac monstruosam vastitatem excrescat. S. Antiochus de furto differens, ait, abominandum ac infame hoc monstrum, *primùm quidem à vilibus & exiguis rebus auspicium sumit suæ ætatis; atque temporis progressu ad magna sensim provehitur, ac tandem in difficillima quæque desinit. Eorum enim, quæ fiunt, unumquodque à minimo suum capit exordium, &c. Ubi autem ea res sumptâ paulatim alimoniâ adoleverit, grandescet jam quotidianâ accessione, &c.*

Consuetudo.

S. Antioc. Hom. 41.

592. Est propè Puteolos horribilis specus; in eam si animantia ingrediantur, aut moriuntur, aut humi dejecta mori creduntur: quæ tamen, si extracta, aquis perfundantur, mox fugitivam animam recipiunt, & è violentâ morte revivisceunt. Unde animal, intra specum illam exanime, inscriptionem prafert. VITAM REPARABIT IN UNDIS. Immensum peccato est antrum: quisquis hoc subit, pedem non referet vivus, nisi baptismi aquis, aut pœnitentiæ lachrymis perfusus. S. P. Augustinus. *Novam vitam,* inquit, *inchoare non potest, quem veteris non pœnitet.* Et rursùs. *Hominem, si post baptismum lapsus fuerit, primò per reconciliationem, deinde per pœnitentiam credimus salvari posse.*

Baptismus. Pœnitentia.

S. Aug. l. de Pœnit. Idem se. 19. de T.

563. Ut aquæ suâ sponte in valles defluunt (*qui emittis fontes in convallibus*) ita Deus gratiarum suarum imbrem depluit in humiles & sicut valles ob aquarū copiam sunt admodum fertiles (*valles abundabunt frumento.*) ita humiles corde, & in propriis oculis

Psal. 10

Psal. 6

Humilitas. oculis tenues, propter donorum cœlestium affluentiam plurimum fructum afferunt. Unde lemma Valli inditum. FOECUNDOR AB ALTO. Disertè in rem præsentem SS. Petrus & Jacobus, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Nec dedignatur acclamare ipsa Angelorum Regina. *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles: esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Contemplare, si lubet, cum S. Augustino in humilitate rem admiratione dignissimam. *Altus est Deus; humilias te, & descendit ad te; erigis te, & fugit à te. Quare? quoniam excelsus est, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Verbis penè ipsissimis huic Emblemati subscribens idem Doctorum Phœbus, *Humiles*, inquit, *valles sunt. Si venerit aqua super altitudinem, decurrit, & defluit; si venerit aqua ad concavum & humilem locum, & capitur & stat.* Et alibi. *Gratia pluvia est, depressa implentur, alta siccantur. Vallem facite, imbrem suscipite.*

1. Pet. 3. Iob. 4. Luc. 1. S. Aug. serm. in Ascens. S. August. de verb. Apost. serm. 9. c. 3. Idem ibid. serm. 2. c. 3.

MONS ÆTNA, VESUVIUS, ABANVS.

CAPUT XXXII.

594. ÆTna, Siciliæ mons, tametsi externâ facie nivibus, glacie, aliâque hyemis inclementiâ obrutus, viscera tamen perenni incendio exæstuantia habet. Unde lemma. TUTTO DENTRO DI FOCO, E FUOR DI GHIACCIO. Id est. ALGET, ET ARDET. Sanctos Martyres, aliosque viros Apostolicos, hæc imago concernit, qui persecutionum tyrannide acerrimè afflicti, à nativo charitatis Divinæ ardore nihil remittunt. S. Paulus Apostolus, tametsi *frigore & nuditate* aliisque ærumnis penè oppressus, tantâ tamen charitate ergà Deum flagrabat, ut incendium illud nullis hominum viribus extingui potuisset. *Certus sum*, inquiebat, *quia neque mors, neque vita &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Inter cætera D. Pauli encomia S. Joannes Chrysostomus, *Paulus*, ait, *præ devotionis abundantia dolores pro virtute susceptos quodammodò non sensit; quotidiè celsior, quotidiè assurgebat ardentior, ovans in omni impugnatione referebat victoriam, verberibus & injuriis affectus triumphabat, &c.* Porrò etiam S. Ignatium Loyolam hoc Emblema spectabat, cùm Parisiis, juvenem quemdam ab inveterata libidine revocaturus, sese intra congelatas aquas abjecisset. In eo enim extremæ charitatis articulo omnes sanctioris Ætnæ prærogativas assecutus, exteriores corporis partes glacie constrictas, viscera vero amoris incendio immensùm accensa gestabat. Concinnè de illo P. Joannes Andreas Albertus. *In stagno riget Ignatius. Vides charitatis incendia, etiam cum frigescit. &c.*

S. Martyres. 2. Cor. 11. 27. Rom. 8. 38. S. Io. Chrys. in. 3 hom. 2 S. Ignatius Loyola. Io. And. lib Eleg. 34

595. Idem mons, glacie & nive coopertus, è visceribus tamen flammas fumumque spargit. Lemmatis loco hunc Tassi versum substitui. GELIDO TUTTO FUOR, MA DENTRO EI BOLLE. Id est, EXTRA FRIGET, SED VISCERA FLAGRANT. Nimirùm Hominem castum hæc imago repræsentat, cujus pectus amore Divino succensum, exteriora carnis desideria penitùs frigida ac sopita habet. Opportunè Sanctus Augustinus. *Ardentibus spiritualibus desideriis, carnalia desideria frigescunt.* Eadem etiam amantis idea est, qui quidem alterius amore totus flagrat, aliorum tamen intuitu etiamnum timet, suasque flammas exteriore vultu dissimulare cogitur. Hieronymus Preti de se ipso in hæc verba canit.

Castus. S. August. in Psalm. 118. conc. 20. Animus timidus.

Pur nel silentio i miei pensieri ascondo,
Vivo pexando, en' lagrimar mi faccio,
E moro a le speranze, al duol rinasco,
Sol di pensieri, e di sospir mi pasco:
E serbando il mio duol chiuso, e profondo,
Dentro son tutto foco, e fuori un ghiaccio, &c.

596. Eidem Monti apprimè inscripserim. ARDE, E GELA IN UN PUNTO. Id est. ÆSTUAT ALGENS. Ita homo castus inter medios libidinis ignes persistit innocuus animumque tot impuris assultibus semper opponit frigentem. S. P. Augustinus. *Surrexit libido damnabilis, suggessit, non audiatur. Ardet, non se compescit, & velles, ut non arderet. Noli dare membra, ardeat sine causa, & consumat se.* Cæterùm etiam amantem, zelotypiæ stimulis agitatum, hoc Emblema concernit. Torquatus Tassus, de Æthiopum Rege, Chlorindæ patre, canit.

Libido. S. Aug. de verb. Dom. ser. 43. c. 11.

N'ARDE il marito, e de l'amore al foco
Ben de la gelosia s'agguaglia il GELO.

597. Huic monti non incongruè versiculum illum subjunges, quem in honorem cujusdam Canonicæ Regularis vir quidam eruditissimus composuit. SOTTO IL MANTO DI NEVE, HA IL COR DI FOCO. Id est. NIVEO SUB TEGMINE FLAMMAM. Nimirùm ad lineam Canonici Ordinis nostri vestem alludebat, significabatque, Virginem illam, non minus veste, quàm puritate candidam, Divino amore penitus fuisse succensam; dignam videlicet ac genuinam Magni Augustini filiam, de quo memoriæ proditum est, quod *vulneraverat Charitas Christi cor ejus.* De V. Euphrosina Vicentina, Canonicâ Regulari, refert doctissimus D. Joannes Georgius Grueber, ad S. Crucem Augustæ Decanus dignissimus, quod Virgo illa, ad omnem pietatem impigra, in virtutum ardore nihil unquam remiserit, sed indies magna amoris Divini incrementa fecerit. Id quod eadem ratione de S. Mechtilde, Magnâ Canoniæ Diestensis Thaumaturgâ, & de innumeris aliis antiquissimi Ordinis nostri luminibus intelligas velim. De Alano, Canonico Regulari & Episcopo Cadurcensi, refert D. Dominicus Bisselius, *Iste erga Deum amor solus & unicus in ejus corde regnabat, illudque ita possidebat, ut amori mundi nullus illic pateret aditus.* Cæterùm illius etiam hæc imago est, qui ætate jam canescens, insignem animi devoti flammam in corde alit. In rem præsentem S. Bernardus. *Vincit annos animus, & frigente jam corpore, fervet sanctum in corpore desiderium, artubusque fatiscentibus, durat tamen incolumis propositi vigor &c.* D. Cyrus di Pers eodem Emblemate mulierem, annis quidem decrepitam, sed tamen libidini addictam, repræsentat.

Canonici Regulares. D. Io. Georg. Grueber. in vita cap. 3. S. Mechtildis Diestensis Antistita. In vita l. 3. c. 19. Senex devotus. S. Bernard. Ep. 253. ad Guarin. Vetula lasciva.

Canuta amante à Vaneggiar ti scerno
Fatt' arid' esca di lascivi ardori;
Un algente Gennar mostri al di fuori.
Ed un feruido Luglio hai nel' interno.
Semper è fanciullo Amor, semper è Contano
Da là canicie; e se Di neui è carco:
Etna focoso è mostro orrido è stranno.

598. D. Aresius magnanimam personam Ætnæ non absimilem dicit; cujus virtus, tolerantia, ac fortitudo inter persecutionum umbras omnium maximè resplendent. Epigraphen è D. Joanne subjungit. IN TENEBRIS LUCET. De hac montis illius proprietate testatur Torquatus Tassus.

Patientia. Ioan. 1. 4. Virtus inter calamitates splendet.

Il giorno fuma,
E poi la notte il Ciel di fiamme alluna

Epict. ad Appianum l. 1. c. 24. Simplic in c. 13. Enchir. *Adversæ res sunt*, inquiebat Epictetus, *quibus declarantur Viri.* Et Simplicius. *Neque Hercules, aut Theseus, aut Diogenes, aut Socrates in tales Viros evasissent; nec humanæ virtutis magnitudo, quousq; progredi posset, eluxisset, nisi illos cum bestiis immanioribus, & sceleratis hominibus Deus commisisset.*

Misericordia Dei. 599. Si præcedentis symboli epigraphen, *In tenebris lucet*, cùm ista permutaveris, IN TENEBRIS CLARIUS, misericordiæ Divinæ effigiem habebis; quæ claritatis suæ thesaurum tantò copiosiùs diffundit, quanto majoribus vitiorum tenebris pectus nostrum caligaverit. Sanctus Augustinus. *S. Aug. l. 4. de Trinit. c. 2* *Tenebræ sunt stultæ mentes hominum, pravâ cupiditate, atque infidelitate cœcatæ. Has ut curaret atque sanaret, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Illuminatio quippe nostra participatio Verbi Dei est, illius scilicet vitæ, quæ lux est hominum.* Prudentia quoque clarius inter calamitatum umbras, quàm sub Divinâ benignioris fortunæ luce fulgurat. Virtus denique, ut superiore symbolo meminimus, Ætnæ non dissimilis, viriumque suarum flammas nonnisi ærumnis sævientibus demonstrat. Meus D. Gregorius Comaninus, ut D. Antonio de Valle persuaderet, prosperitatem virtuti plurimùm detrimenti, adversitatem verò plurimùm utilitatis afferre, hoc discursu utebatur.

Prudentia.

Virtus inter dolores splendet.

Greg Com. p 3. Sonetto 43.

Etna, del Cielo alta colonna, ò Valle,
Quand' il polo, e la terra è bruna tutta,
Lucidi fiumi, d'ardor chiare erutta,
Frà' l gel de le nevese, orride spalle.
Illà quand' il sol dal suo stellante calle
Saetta il mondo, e l' ombra hà in lui distrutta,
D'atro foco e fumante è i tinge, è brutta
L' aurea luce diurna, e ingiuria falle,

Postea metaphoram applicans subjungit.

e l' huom nel giorno
Prospero di virtù dà fiamma oscura:
Che più liquida (ò sia lucida) poscia ei scuopre interno
Ne le notti de guai, Di Vezzi ignude,
Qual tù, che mente hai trà' l penar si pura.

Mariæ V. fœcunditas. 600. Idem mons, è latere candidissimam nivem, ad radicem verò uberrimos fructus, germinumque virorem amœnissimum ostentans, Aresio authore epigraphen tenet. VIRESCIT, ET ALBESCIT. Mariam gemino prodigio, simul & purissimam Virginem, & fœcundam Matrem, hæc imago repræsentat. Verbis, Cedro dignissimis, in rem præsentem exclamat S. Ildephonsus. *S Ildeph. de Virginit. Mar. c. 2.* *Ecce insolito modo, insolito usu, insolito Ordine in una persona, in uno corpore alternat honor Matris & Virginis; alternat pudor Virginis & Matris; alternat in generante virginitas; alternat in virgine generandi facultas; & neutrum cedit ulli, & utrumque in alterutrum derivatur: & neutrum impeditur ab invicem, & ambo properant sibi. &c.*

Senex charitativus. 601. D. Cæsarem Monti Cardinalem sub canorū nive uberrimos virtutum fructus protulisse, D. Octavius Boldonus in Ætnæ symbolo dignoscendū exhibuit; addito lemmate. IN HYEME ÆSTAS. Verissimè idipsum de S. Paulino, Episcopo Nolano, pronunties, qui, licet ad extremam egestatem redactus, eâ tamen charitate adversùs proximum semper exarsit, ut se ipsum ultrò captivum vendiderit, pecuniis liberalissimè in pauperem quendam, è vinculis liberandum expensis. Huic non multùm absimilis Eleazarus, è Machabæorum numero Martyr generosissimus; qui in extremæ senectutis suæ canitie vigorem adeò generosum ac juvenilem demonstravit, ut, referente Josepho Hebræo, Tyrannum his omninò verbis compellare sit ausus. *Ioseph. lib. 4. Machab.* *Nec te securum faciat meorum magna series annorum, & tremulum corpus. Si necesse sit aliquid offerri pro Domino, vividis videbis annis tolerantiam pueri, fortitudinem juvenis, & totius gaudium voluntatis.*

602 Aresius immanes inferorum pœnas è monte Ætna dignoscendas proponit; addito lemmate. ÆSTU, ET GELU. Dilucidè Jobus. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*; Id explicans S. Gregorius Papa, *Ibi*, inquit, *erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, &c.* Damnati. *Iob. 24. 19. S Greg. l. 9. Moral. c. 15*

603. Ætna, suis flammis undique resplendens, epigraphen tenet. PROPRIA LUCE REFULGET. Mens Emblematis erat, D. Cæsarem Monti Cardinalem proprio splendore, ac prærogativis minimè emendicatis, fuisse gloriosum. Porrò veritas nativo suo lumine gaudet, nec sibi aliquid alieni splendoris affingi patitur. S Augustinus. *Lumen, unde animæ tanquam lucernæ accenduntur, non alieno, sed proprio splendore nitet, quod est ipsa veritas.* Proprius valor. Veritas. *S. Aug. in Psalm. 7.*

604. Tametsi incendia, è Montis illius faucibus sparsa, vicinas habeant copiosas nives, hæ tamen nihil exinde detrimenti patiuntur. Claudianum habeto testem. *Claud. l. 1. de raptu.*

Sed quamvis nimio fervens exuberet æstu,
Scit nivibus servare fidem, pariterque pruinis.

Proindè Ætna, navibus propinqua, hanc à præclaro quodam ingenio epigraphen recepit. INNOXIUS ARDET. Innuebat videlicet, Eminentissimi Cardinalis Monti pectus in pascendis suis ovibus zelo ac charitate adeò temperatâ exarsisse, ut nihil unquam incommodi, sed contrà plurimùm semper splendoris in eas diffuderit. Zelus. *Sit itaque rigor*, inquiebat S. Gregorius, *sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæviens. Zelus enim*, subjungit S. Joannes Chrysostomus, *veniam negans, potius furor est, quàm zelus, & admonitio misericordiâ carens, tortura quædam est.* Unde etiam hortatur Regius Vates. *Irascimini & nolite peccare.* *S Greg. Pa. pa. S. Io. Chrysost. serm. de hab. cura proxim.*

605. Eidem Emblemati Carolus Rancatus illud Claudiani hemistichium lemmatis loco subjunxit. SCIT NIVIBUS SERVARE FIDEM. Vel ut alius. INNOXIA FLAMMA. Verbis ex eodem Poëta desumptis: Ira justa. *Psal. 4. 5.* *Claud. l. cit.*

--- --- fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

Innoxiam flammam dixeris iram illam, de qua Divinus Psaltes, superiore numero adductus, canit, *Irascimini & nolite peccare.* S. P. Augustinus. *Volo vos irasci*, inquit, *sed non ut peccetis; ut autem non peccetis, quibus habetis irasci, nisi vobis? Quid est enim homo pœnitens, nisi homo irascens sibi? Ut accipiat veniam, de se ipso exigit pœnam.* Porrò castus, seu, ut vocant, Platonicus amor hâc imagine exprimitur, cujus ardor innocuo alterius pudori nihil detrimenti affert. Hoc sensu D. Fr. Cyrus di Pers, posteaquam amasiæ formam magnâ parte imminutam descripserat, subjungit. Ira justa. *Psam. 4. 5. S. August. de Verb. Dom serm. 35. c. 1* Amor castus.

Scema in te la bellezza, e forse ancora
Di par ne gli altrui cor manca il desio,
Mentre manca quel bel, che gl innamora.
Ma non scema però l' affetto mio,
Ch' oggetto fral non ama, è solo adora
Un raggio in te de la beltà di Dio.

606. Mens

A..or. Anima d..nata.

606. Mens in amando constans; uti etiam anima ad æternos ignes damnata, à Carolo Rancato Ætnæ non absimiles dicuntur, quæ, assidua volvens incendia, epigraphen præferat. IGNEA SEMPER ERIT. Huic lemmati è diametro oppositus Ovidius, canit.

..d. Me..ta. l. 15.

Nec quæ sulphureis ardet fornacibus Ætna,
IGNEA SEMPER ERIT, nec enim fuit igne semper.

R..8.39. ..ug. l. 1. ..e moribus. ..les. c. 11.

Apostolus, perenni illo amoris Divini igne succensus exclamavit, *Quis nos separabit à charitate Dei? Nemo,* subinfert Magnus Augustinus, *nos separat à charitate Domini, minando mortem; idipsum enim quod diligimus Deum, mori non potest, cùm mors ipsa sit, non diligere Deum: Nemo ab ea separat pollicendo vitam; nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam; &c. Postremò quis me locus ab ejus charitate divelleret, qui non ubiq; totus esset, si ullo contineretur loco?*

..ndreas A..llinus.

607. B. Andreæ Avellini cadaver igneo erat splendore visendum, simulque odorem suavissimum exhalabat; unde in ejus honorem symboli loco Ætna statuebatur, cujus fastigium illustribus flammulis coronatum, amænissimis floribus è latere erat consitum; cum lemmate. OLET, ET ARDET. quam epigraphen etiam suffitui, intra thuribulum accenso, subscribere licet. Oratio, quæ ex ardenti hominis justi pectore proficiscitur, suavissimum Deo odorem conciliat. S. P. Augustinus. *Oratio, purè directa de corde fideli, tanquam de ara sancta surgit incensum.*

..tio. ..ugust. in ..m. 140.

..or ab..ndi ..mpo..e.

608. Ætna, quod suprà diximus, interdiu fumos, noctu verò flammas evomit. Unde fumiganti huic monti inscribes, ARCANOS EXPRIMIT ÆSTUS; seu Italicè ipsius montis ore, DI FUOR SI LEGGE, subintellige, *com' io dentro auvampo.* Veri amoris hæc idea est, qui nonnisi ægerrimè se abscondi patitur.

..dius.

--- Quis enim celaverit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?

..rin. P. ..tto 1. ..ез 2.

E Guarini scenâ id firmatum accipe.

Gia non devi tù si longamente
Celarmi la cagion della tua fiamma,
Se la fiamma celar non mi potevi.
Quante volte l' ho detto; arde mirtillo,
Ma in chiuso fuoco, e si consuma, e tace.

..16.27 ..gust in ..n. 57.

Colophonem jungit Salomon. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Unde S. Augustinus de amore lascivo disserens, ait, *Concupiscentia mala quasi ardor est ignis. Ignis consumit vestem, libido adulterii non consumit animam? gestas in sinu prunas, perforatur tunica; gestas in corde adulterium, & integra est anima?*

..prio ..bre ..e. ..icu..entia.

609. Ætna incendii sui fomenta nonnisi è proprio sinu accipit. Unde lemma. SIBI ALIMENTA MINISTRAT. Ætnam symboli loco sibi vendicant, qui operationum suarum momenta non alieno aut emendicato labore, sed propriâ industriâ perficiunt. Porrò assidua corporis adversùs spiritum in homine gliscunt incendia, fomentum subministrante ipsamet congenitâ cujusvis concupiscentiâ. Dilucidè Apostolus. *Unde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* S. Augustinus. *Volumus,* inquit, *ut nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas; velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt. Premuntur, nondum extinguuntur quamdiu caro concupiscit adversùs spiritum.*

..4. 1. ..gust. de ..Dom. ..43. c. 9.

610. Imaginem suppliciorum infernalium minimè obscuram in hoc Monte cernere licet, cujus ignis, nullo unquam ævo defecturus, novis semper & occultis fomentis servatur. Lemma. FLAGRAT, NEC ABSUMITUR. Opportunè Minutius Felix, *Sicut ignes Ætnæ & Vesuvii montium, & ardentium ubique terrarum, flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium, non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.* Ad hoc propositum Prudentius.

Ignis infernalis. *Minut. Felix in Octavio.* *Prudentius Hamerten.*

--- --- Carpunt tormenta, foventque
Materiam sine fine datam, mors deserit ipsa
Æternos gemitus, & flentes vivere cogit.

Cassiodorus, *Absumet,* inquit, *ut servet; servabit, ut cruciet; dabiturque miseris vita immortalis, & pœna servatrix.* Hugo Cardinalis supra Inferni portam hunc versiculum affigendum censet.

Cassiod. in Psalm. *Hug. Card.*

Hic quæ vita? mori: quæ spes? superesse dolori.

611. Eidem Emblemati, monti nimirum Ætnæo, flammas & saxa vomenti, subscribes. DUM EROGAT, REPARAT. Appositè Tertullianus, de æternis inferorum flammis disserens, *Profani,* inquit, *& qui non integri ad Deum, in pœna æque jugis ignis* (erunt) *habentis ex ipsâ natura ejus Divinam scilicet subministrationem incorruptibilitatis. Non enim absumit, quod exurit; sed dum erogat, reparat.*

Tertull. in Apologet. c. 48. Infernus.

612. Hunc Montem nonnemo genuinam hominis invidi ideam statuit; cum dicto, SUA VISCERA VORAT. Eleganter S. Joannes Chrysostomus. *Sicut vermis de ligno nascens, ipsum prius absumit, sic est invidia, illam prius, quæ se peperit, animam corrumpit.* Et S. Bernardus. *Invidia,* inquit, *sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, & quasi quadam pestis depascit, & cuncta bona ardore pestifero devorat.*

Invidus. *S. Io. Chrys. Hom. 45. ad Pop.* *S. Bernard.*

613. Ætna fumigans, ac nive cooperta, epigraphen, ex Ovidio mutuatam, sustinet. ÆSTUM INTUS. Odium necdum plenè sopitum; vel certè amorem occultum hæc imago repræsentat. Eidem Emblemati non incongruè subscribes. IN GELU ÆSTUAT. Senis decrepiti hæc imago est, qui sub cano ac frigente corpore exæstuantes libidinis flammas, non sine aliorum offendiculo, fovet. Id quod in lascivis illis Vetulis videre erat, qui, comitante effronte juvenum catervâ, *vallaverunt domum* sancti Loth, ut fœdis suis ardoribus indulgere possent. Unde S. Ambrosius, *Nulla ætas,* inquit, *erat culpæ immunis, ideò nullus immunis exitii fuit. Et qui possibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectũ. Effœtæ vires senum, sed mens plena libidinis.* Probrũ istud etiam infames illi Judices incurrerunt, qui criminibus quidem candidi, at mente teterrimi, simul & nivem in capite, & horrendas libidinis flammas in pectore nutrierunt. *Videbant senes quotidie castam Susannam ingredientem & deambulantem* in horti viridario, & *exarserunt in concupiscentiã ejus.*

Cholericus. Amans. Senex lascivus. *Genes. 19. 4.* *S. Ambros. l. de Abrah. c. 6.* *Dan. 13. 8.*

614. Ætnæ, damnatorum symbolo, inscripsi. ARDEBIT ÆTERNUM. Opportunè id suggerens S. Isidorus, *Constat,* inquit, *ignis Ætnæ ad exemplum gehennæ, cujus ignes perpetua incendia spirabunt, ad puniendum peccatores, qui cruciabuntur in sæcula sæculorum. Nam sicut isti montes in tanta temporis diuturnitate, usque nunc, flammis æstuantibus perseverant, ita ut nunquam extingui possint: sic ignis ille æternus ad cruciandum corpora damnatorum finem nunquam est habiturus.* In Apocalypsi de reprobis testatur S. Joannes. *Cruciabuntur igne, & sulphure, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.*

Damnati. *S. Isidor. l. de Mundo c. 40.* *Apoc. 14. 11.*

Magnanimitas.

615. Academicus, inter Philopponos Pistorienses constans, symboli loco montem illum præfert, qui è supremo cacumine flammas ejaculatus, undique densis nivibus tegitur; cum lemmate. ETIAM ADVERSANTE NATURA. Innuebat, nî fallor, se diversis calamitatibus provocatum, semper clarissimas virtutum ac gloriæ flammas diffudisse. Ita homo, tametsi reluctante carne, in virtutibus, ac Divinis obsequiis nunquam frigescat, sed novas identidem sancti amoris flammas emittere studeat. S. P. Augustinus. *Quid est secundùm carnem ambulare? carnalibus concupiscentiis consentire. Quid est secundùm spiritum ambulare? adjuvari spiritu in mente, & concupiscentiis carnis non obedire.*

Carni resistere.

S. Aug. serm. 6. de verb. Apost. c. 9.

VESUVIUS.

S. Philippus Nerius.

616. S. Philippus Nerius tam vastum amoris Divini incendium intra viscera sua alebat, ut aliquot costæ, tanto ardori ferendo impares, è statione suâ sint dimotæ, & sublimes extra reliquam corporis compagem protuberârint. Huic proinde D. Carolus Rancatus symboli loco Vesuvium expressit, qui, prædominante incendio, saxa versùs cœlum ejaculatus, epigraphen monstrabat. NE PUO TUI TO CAPIR DENTRO A SE SIESSO. Id est, NON SE CAPIT INTUS. Tassus, gnomam illam Italicam suppeditans, canit:

Tass. nella Gerus. Liber. Cant. 12. st. 43.

Lor s' infiamma gli spiriti, e il cor ne belle,
Ne può tutto capir dentro se stesso.

Iracundus. Blasphemia.

Cæterùm etiam hominem blasphemum aut iracundum hæc imago adumbrat, qui ipsum quoque cœlum calumniis provocare non veretur. S. Augustinus de superbiâ, invidiâ, & irâ disserens, *Simul omnia*, inquit, *blasphemant Dominum; superbia quippe dicit, Deum non bonum esse; invidia & ira dicunt, Deum non bene fecisse; illa, quia alii malum contulit; ista quia sibi intulit. Sic tria hæc vitia specialiter ad injuriam Dei spectare videntur, &c.*

S. Aug. tract. de septem vitiis To. 1.

Charitas.

617. Ardenti Vesuvio inscripsit Petrus Franciscus Ferrariensis Cardinalis. EGO SEMPER, subintellige, *ardeo.* Montem mens humana agit, qui versùs Creatorem suum nunquam non ardeat, & calentes amoris flammas in ipsum ejaculetur. In rem præsentem Magnus Augustinus. *Amor sempiternus erit, quia insatiabilis Dei pulchritudo erit; noli timere, ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare.* Et alibi. *Charitas est, quæ semper redditur, & semper debetur.*

S. Aug. ser. 118. de Divers.

Idem Psalm. 33. Conc. 2.

ABANUS.

S. Laurentius Mart.

618. S. Laurentii Martyris virtus ac vitæ sanctimonia etiam intra fatalis incendii flammas nihil è nativo suo virore deperdidit. Unde in ejus encomium Carolus Rancatus Montem Abanum, non procul Patavio dissitum, depinxit; qui, tametsi Ætnæ persimilis, copiosas undique flammas evomat, simul tamen non sine amæno oculorum aspectu semper viret. Epigraphen addidit. CONTEMPTIS VIRET IGNIBUS. Vel, VIRET IN IGNE. Vel, INTER INCENDIA VIRET. Vel, CONTEMNIT INCENDIA VIRENS. Argumenti ratione è Claudiano desumptâ.

Claud. Epigr. de Aponi Balneis.

Quis sterilem non credat humum? fumantia vernat
Pascua, luxuriat gramine cocta silex.
Et cum sic rigidæ cautes fervore liquescant,
Contemptis audax ignibus herba viret.

In eos hoc symbolum convenit, qui inter lascivas impuri Cupidinis flammas perstitere illæsi: quales fuere Josephus Ægypti Prorex, Thomas Aquinas, Carolus Borromæus, & alii. Cæterùm quisquis hostibus ignoscere, & pro illorum salute Deum deprecari novit, is inter flammas manet integer, oculisque cœlestibus suavissimum virorem exhibet. Præclarè, ut cætera omnia, Magnus Augustinus. *Tu si viride lignum fueris, id est, si succo spirituali vigens & virens flammis inimicitiarum restiteris, orando pro illo, qui te persequitur; ille ardet, tu manes integer; & injustitia illius illi nocet, tibi nihil nocet.*

Castus i[nter] lascivos.

Inimicis ignoscen[s].

S. Aug. in Psalm. 96.

OLYMPUS MONS.

Caput XXXIII.

619. Olympus, inter Græciæ Montes facilè Princeps, sese supra mediam aëris regionem ita attollit, ut verticem nubibus involutum, & ab hominum oculis penitus remotum habeat. Unde nubibus infra illius umbilicum circumfluentibus epigraphen sustinet. NUBES EXCEDIT. Vel, ÆTHERA TRANAT. Virtutem quandam sublimem hæc imago repræsentat; eam cumprimis, quam in Maria Virgine deprehendit S. Gregorius Papa. *Potest*, inquit, *montis nomine Beatissima semper Virgo Maria Dei Genitrix designari: Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit.*

Excellen[tia].

Maria V[irgo].

S. Greg. P[apa] l. 1. c. 1. in lib. 1. Reg.

620. Olympus, à compluribus aliis minoribus montibus, veluti humili quâdam coronâ, cinctus, epigraphen tenet. ULTRA OMNES. Rursùs hoc symbolum Mariam Virginem, longissimis intervallis suprà omnes creaturas evectam, repræsentat. Benè de illa vaticinatus Isaias, *Et erit*, inquit, *in novissimis diebus præparatus mons Domûs Domini in vertice montium, & elevabitur super colles.* Hujus interpres S. Gregorius Papa, ait, *An non mons sublimis Maria, quæ, ut ad conceptionem Verbi æterni pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait, & erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium: Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes sanctos effulsit.*

Mariæ V[irginis] sublimitas.

Isa. 2. 2.

S. Greg. i[n] Reg. lib. [1] cap. 1.

621. Mons Olympus, ad umblicum horrendâ nubium ac fulminum tempestate infestatus, verticem suprà illa penitùs liberum ac immunè attollit. Lemma. SUPERIORA ILLÆSA. Sancti Martyres, corpore tenus plurimâ hostium tyrannide excruciati, superiorem hominem, animum inquam, penitùs serenum, omniq; injuria liberum servârunt. Christi præceptio erat, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*; q. d. Interprete S. Hilario, *Non timentes eos, quibus cùm sit licentia in corpora, tamen in animum jus nullum est.* Haud aliter Princeps inter omnem adversantis fortunæ injuriam cor semper tranquillum, omnique tempestate superius habeat. Lipsii hæc ad Principes est parænesis. *Sicut suprema mundi pars ventis, fulminibus, pluviis non turbatur, non item debent Principes.* Ab hoc argumento nihil recessit ille, qui Augustissimam Domum Austriacam sub Olympi schemate spectandam proposuit; velut enim iste, mediâ aëris regione longè superior, omnes illius tempestates ac fulminum minas illæsus suspicit; ita suprema Austriæ Majestas cunctos bellorum tumultus, & hostium molimina immunis intuetur, eosque tranquilla suis pedibus substernit. Lemmatis loco illud Virgilii hemistichion addidit. TOTO VERTICE SUPRA EST.

SS. Ma[r]tyres.

Matth. 1[0].

S. Hilar. hunc loc.

Animu[s] generosus.

Lips. in [Mo]nit. Polit. [l. 2.] c. 16.

Virtus [emi]nen[s].

Virgil. l[ib.] Æneid.

622. Justi,

622. Justi, tametsi corpore tenùs immani persecutionum tempestate jactati, cor tamen semper tranquillum, ac versùs Deum sublevatum conservant; nempe Olympum imitantur, cujus dorsum, plurimo fulgurum nubiumque agmine pulsatum, vertice semper placido ac intentato persistit. Emblemati è Lucano subscripsit Gambertus. PACEM SUMMA TENENT. Vel ut aliis placet. SUMMA QUIESCUNT. Quisquis enim mentem Deo affixam habet, non est, quòd ullas hominum turbas metuat. S. Augustinus. *Martyres Sancti timendo non timuerunt; quia Deum timendo, homines contempserunt. Quid enim ab hominibus homini metuendum est? Et quid est unde alterum terreat? homo hominem terret, & dicit, occido te, & non timet, ne, cùm minatur, prius moriatur? securus minetur mortem, qui non timet mortem &c.* Non sine ingenio meus Carducius.

Ima quatit turbo: montis sed summa quiescunt:
Corpore sic virtus nubila, mente nitet.

623. Montis illius tanta est altitudo, ut nubibus superior, terrenos hominum oculos penitùs effugiat. Unde Patres Carmelitæ ad S. Joannem in Concha Mediolani, Olympi fastigio, intra nubes abscondito, subscripsêre, SUA CULMINA CELAT. Insignem Sancti Andreæ Corsini modestiam hac imagine repræsentârunt, qui, cùm primam Deo hostiam litaturus, superbos ac magnificos nobilium parentum apparatus cerneret, iis non sine admirandâ animi demissione recusatis, Divinum illud negotium, clam aliis, in sacello duntaxat domestico peregit. Nempe, Magno Augustino teste, *Superba anima in conspectu hominum vult placere, humilis anima in occulto, ubi Deus videt, vult placere.* In rem præsentem meus D. Carducius.

Astra licet feriat, sua culmina celat Olympus,
Magnanimo & virtus pectore summa tegit.

624. Olympo subscripsêre. EXTRA NUBES. Innuebant videlicet, virtutem, naturâ suâ excelsam, nullis invidiæ nubilis offuscari posse. Porrò, quisquis genuinâ charitate Deo jungitur, nullas imposterum tempestates aut ærumnas metuat. S. Augustinus. *Ille invictus homo est, qui cohæret Deo; non ut ab eo aliquid boni extrà mereatur, sed cui nihil aliud, quàm ipsum hærere Deo bonum est.* Apposité Silius Italicus.

Magnanima invidiâ virtus caret.

625. Mons ille ob prodigiosam altitudinem assiduo Solis splendore gaudet, ac plus cæteris montibus omnibus illustratur; ut adeò pro meritis epigraphen præfixam habeat. CALIGINIS EXPERS. Mariam Virginem hæc imago spectat, tum quod omnibus culpæ originariæ umbris fuerit immunis; tum quòd scientiarum radios adeò copiosos à Deo acceperit, ut in nulla re intelligendâ caligaret. Pulchrè de Magna Dei parente ait Magnus Augustinus. *Recole, O Maria, propheticam lectionem, neque enim te scientia potest Divinorum præterisse librorum, quæ ipsam plenitudinem paritura es veritatis.* Et B. Albertus Magnus, *Beata Virgo*, inquit, *simul cum habitu fidei habuit actum, quo perfectius quàm Adam in sopore, & quàm Joannes super pectus Domini, & quàm Paulus in raptu cognovit mysteria supernaturalia.* De eadem canit Joannes Geometra.

Salve ter radians polus, & circum æthera pandens
Immensum, & nitidum, nec capiens tenebras.

[Margin notes, left: ...us invidiam ærumnas (?) · S. August. Serm. 3. ex ... à Parisiens. · Modestia. · S. August. in Psalm. 18. · Virtus invidiam superat. · S. Aug. de vera Relig. c. 47. · Silius Ital. l. 15. · Mariæ V. Conceptio. · Mariæ V. Scientia. · S. Aug. serm. de Temp. · Alb. M. ... de B.V. ...96. · Jo. Geomet. hymn. 2.]

626. Cùm ventis ultra limites, à natura præfixos, tumultuari non liceat, idcirco Olympus verticem suum ab eorum furore penitùs immunem ac tranquillum servat. Unde lemma. ULTRA BELLA. Beatorum effigiem hanc putes, qui loco adeò sublimi degunt, *ubi mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor.* Porrò mens generosa ac philosophica inter omnes alternantis fortunæ casus tranquilla persistit. Seneca. *Pars superior mundi, & propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestate impellitur, nec versatur in turbinem, omni tumultu caret, inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus quietus semper, & in statione tranquilla collocatus, intra se premens quibus ira contrahitur, modestus, & venerabilis est.*

627. Generosam mentem, quam Serenissimus Cardinalis Ferdinandus, Hispaniarum Infans, percepto iniquo illo adversùs Domum Austriacam sancito fœdere demonstravit; D. Ascanius Ord. ... Can. Reg. Later. Abbas Olympi Emblemate spectandam exhibuit, cujus cacumen copioso Solis radio illustratum, inferiores partes, nubibus, ac tonitruis formidandas, contemnit. addito lemmate. TONITRUA CALCAT. Verbis è Claudiano mutuatis.

--- --- --- ut altus Olympi
Vertex, qui spatio ventos, hyemesque relinquit
Perpetuo, nullum temeratus nube serenum,
Celsior exurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.
Sic patiens animus &c.

Idipsum de Beatis dixerim, qui è mundi hujus tempestate ad cœlos sublevati, nullas jam calamitates aut miserias formidant. S. Augustinus. *Ubi sunt Sancti putamus? ibi ubi bene est. Quid quæris amplius? Ubicunque sunt, cum Deo sunt: Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tangit illos tormentum. Sed ad locum sine tormento, per tormenta transierunt; ad locum latitudinis, per angustias pervenerunt.* Cæterùm Emblematis author mentem suam hoc poëmate vernaculo explicat.

Fatta da i rai del sol tutta licente
Sempre tranquilla, e sempre lieta a pieno
Del purissimo sol gode il sereno
L'alta cima d'Olympo ogn'hor ridente.
Sotto i piedi ode i nembi, e fremer sente
Il vento, e lampeggiar mira il baleno,
Calca de l'atre nubi il fosco seno,
Ond' esce il tuono, e'l fulmine stridente.
Gode d'ostro licente il gran Fernando
Sereno il Cielo, à rai del sole Ibero,
E caccia i nembi, e le tempeste in bando.
Calca l'alma real degna d'Impero
Con l'Austriaco piè, quasi scherzando
Glrauco tuon d'ogni nemico fero.

628. Monti Olympo subscripsit P. Jacobus Masenius. NUBIBUS ALTIOR EXTAT. Nempe Mariam Virginem significabat, quæ virtutibus ac dignitate omnem humanam excellentiam superat, solumque Deum superiorem habet. S. Joannes Damascenus. *Virgo, inquit, est mons ille, qui collem omnem ac montem, id est, Angelorum omnium, & hominum sublimitatem exuperat: Mons in quo beneplacitum est Deo, habitare in eo.* Emblemati explicando subjungit Masenius.

Cede minor, quamvis mons nubibus altior extes,
Virgo Deum tangit, tangis Olympe polos.

Porrò Religiosus, omnibus mundi calamitatibus altior,

[Margin notes, right: Beati. Apoc. 21. 4. · Animus generosus. Senec. lib. 3. de Ira cap. 6. · Magnanimitas. · Claudianus. · Beati. S. Aug. ser. 41. de Divers. c. 3. · Sap. 3. 1. · Mariæ altitudo. S. Jo. Dam. Orat. de Nativ. · Religiosus.]

tior, mentem semper tranquillam & in Deo fixam servat. S. Gregorius Papa de se ipso, cùm adhuc Religiosus esset, testatur. *Nihil in hoc mundo appetens vel pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me penè impletum crederem, quod pollicente Domino, ex Propheta didicissem, sustollam te super altitudines terræ.*

S. Greg. l. 1. Regist. Ep. 5.

INSULA.

Caput XXXIV.

Constantia. S. Ecclesia. S. August. in Psalm. 96.

629. TErram, quam aqua undique circumluit, Insulam dicunt. Unde lemma. IMMOBILIS IN MOBILI. Constantiam, inter omnes adversitatum undas immotam, hæc imago significat. Eâ virtute Magnus Augustinus S. Ecclesiam, persecutionum procellis quidem circumdatam, semper tamen inconcussam deprædicat. *Quomodo Insula*, inquit, *undique circumstrepentibus fluctibus tundi potest, frangi non potest; magisq; ipsa frangit fluctus venientes; quàm frangatur ab eis: sic & Ecclesiæ Dei pullulantes per totum orbem terrarum passæ sunt persecutiones undique frementium infidelium: & ecce stant insulæ, & jam placatum est mare.*

630. Abbas Certanus invictum ac imperterritum hominis animum ex Insulæ symbolo dignoscendum proponit; ut quam fluctus CIRCUMSTANT, NON MERGUNT. Eodem argumento D. Hieronymus S. Ecclesiam, inter tyrannorum assultus penitùs immotam, significat. *Istæ Insulæ*, inquit, *tunduntur quotidie, sed non subruuntur; in mari quidem sunt, sed habent fundamentum Christum, qui moveri non potest.*

S. Ecclesia. S. Hieron. in Psalm. 96.

631. Mundum undique calamitatibus, ærumnis, ac planctibus impelli, haud obscurè ex Insulæ symbolo conjicere licet; cui P. Certanus subscripsit. CIRCUMSTANT UNDIQUE FLUCTUS. Verissimè S. Laurentius Justinianus. *Quis est in carne degens, qui non tentationibus agitetur, atteratur infirmitatibus, & doloribus fatigetur? Pressuris repleta, fraudibus, periculis, & variis pœnarum generibus exaggerata præsens hæc vita esse comprobatur.*

Miseria mundi. S. Laur. Iust. de Triumph. Christiagon. cap. 27.

632. D. Alexander Luzon de Millares, Can. Reg. in absolutissimo suo Ideæ Politicæ opere, symboli loco duas Insulas Pituisas statuit, quæ, tametsi in mari mediterraneo sibi invicem contiguæ jaceant, adeò tamen inter se diversæ sunt, ut una, quæ vocatur Ophyusa, passim ingenti serpentum numero scateat; altera verò, Yvica nomine, mirâ gaudeat ubertate soli, nullumque animal venenatum toleret. Epigraphen addidit. COLUBRIS HÆC SCATET, ILLA CARET. Ita omninò tanta quorundam est felicitas; ut ex hominum perversorum societate nequidquam vitii contrahant, sed intemerati perseverent: omnium enim calculo firmatum est, neminem ab alio posse lædi, aut ad peccatum trahi, nisi qui se ipsum lædere, aut trahenti assensum præbere velit. *Nemo enim*, Chrysostomo teste, *læditur, nisi à semetipso.* S. Augustinus, *Peccata aliorum*, inquit, *bonorum societatem maculare non possunt. Neq; enim boni communicant peccatis alienis, quibus utiq; faciendis non consentiunt.*

Societas mala. S. Chrysost. Hom. 29. S. Aug. l. 4. cont. Cresc. cap. 26.

633. Insula Yvica, quorumvis animalium venenatorum penitùs impatiens, epigraphen tenet. NEC MINIMO TEMERANDA VENENO. Tanta est vitiorum connexio, ut, nî minimis quibusvis aditum præcluseris, proximam virtuti perniciem struas. Omnia igitur peccata vitanda sunt ut singula, & singula ut omnia. Peccatum ab Ethicis negationi persimile dicitur, quæ malignantis adeò naturæ est, ut, quidquid post se invenerit, destruat. Pereleganter à Cicerone in paradoxis est dictum, vitam justi debere esse instar carminis, *cui si vel syllaba desit, aut exerret, exsibilaris.* E sancti Jacobi sententiâ, *qui deliquerit in uno, factus est omnium reus.* Nam interprete S. Augustino, *Qui unam virtutem habet, omnes habet; & qui unam non habet, nullam habet.* Certè illud solidissimæ virtutis prodigium, S. Athanasius, veritatis amantior quàm quietis, ne virtus sua à perfectionis tramite vel minimum deflecteret, sedem ac dignitatem mutare, quàm syllabam maluit. Cæterùm S. Ecclesia, instar Yvicæ felicissimæ, nullo unquam hæresum veneno temeranda est.

Virtutum nexus. Cicer. in paradoxis. Iacob. 2. S. Aug. E. 29. Tom. S. Eccl.

ISTHMUS.

Caput XXXV.

634. ISthmum, seu terram, inter duo maria mediam, D. Saavedra hoc lemmate notavit. NEUTRI ADHÆRENDUM. Principis hæc idea esto, qui neutram Principum vicinorum partem sequi, omnemque cum alterutro societatem, nunquam non periculosam, subterfugere studeat; siquidem Lipsio teste, *Infirma & incerta sunt omnia humana.* Alphonsus Aragonius, Francisco Sforziâ & Nicolao Picinino universam penè Italiam armorum fragore concutientibus, in neutrius partem sese unquam inclinari est passus: forte verò à quodam Legato interrogatus, *Nicolaone, an Francisco adhærendum esset?* respondit, *Utrosq; tanquam amicos habendos esse, sed ab utrisque tanquam inimicis abstinendum.* Porrò homo inter avaritiæ & prodigalitatis, clementiæ & severitatis, aliorumque vitiorum extrema ita incedat medius, ut nec carnis blanditiis, nec etiam propriæ voluntati, sed uni semper Deo, ceu petræ solidissimæ, adhærescat. S. Augustinus. *Dicebat Epicureus, mihi frui carne bonum est; dicebat Stoicus, mihi frui meâ mente bonum est; Dicebat Apostolus, mihi adhærere Deo bonum est.*

Prince neutra. Lipsi l. 3. mirand. Panorm l. 1. c. 7. Mediu tenend. S. Augus. Verb. A. serm. 13.

635. Isthmus geminum Oceanum, tranquillum unum, & alterum turbatum, interfecans, epigraphen sustinet. DISCRIMEN UTRIMQUE. Mens Emblematis est, è prosperæ fortunæ blanditiis non minus periculi, atque ex inimicæ calamitatibus nobis imminere. Utrique seriò invigilandum docet Periander Corinthius.

Pericul ubique.

Si fortuna juvat, caveto tolli,
Si fortuna tonat, caveto mergi.

Et S. P. Augustinus in illud Psalmi, *Transivimus per ignem & aquam*, ait, *Ignis urit, aqua corrumpit, utrumque metuendum in hac vita; & ustio tribulationis, & corruptio voluptatis.*

S. Augus. in Psalm. 6...

636. In encomium Victorii Amedei, Sabaudiæ Ducis, cùm controversias, inter Mariam Mediceam Galliæ Reginam, & hujus filium Ludovicum XIII. acerrimè agitatas, suâ interpositione conciliâsset; P. Aloysius Juglaris Symboli loco Isthmum depinxit; qui duo maria ita opportunè interfecat, ut neutrum alterius tempestate offendi, aut mutuis fluctibus collidi queat. Epigraphen addidit. PROHIBETQUE COIRE PROCELLAS. Laudem hanc Abrahamo tribuit Moses; vix enim illi innotuerat, inter suos & Lothi pastores aliquid dissidii esse natû, mox ad Nepotem conversus, *Ne quæso*; inquiebat, *sit jurgiû inter me & te, & inter pastores tuos & pastores meos: fratres enim sumus, &c.* S. Ambr. *Dixit*, inquit, *ante nos vir ex Philosophiæ perfectus disciplinâ, quatuor hæc bono viro inesse: ut elaboret primùm, ut omnes amicos fa-*

Lites compo nere. Gen. 13. S. Ambr. lib. 3. de Abraham

eos faciat: secundum, ut si non potest amicos facere, certè nec inimicos. Tertium, ut, si nec istud suppetit, ex sententia discedat: quartum, si quis cedentem persequitur, vindicet se ut potest.

SCOPULUS.

CAPUT XXXVI.

Mens intrepida. 637. ANimum generosum, & ad omnes hostium assultus imperterritum, scopulus, seu rupes in mari eminens, repræsentat; cum lemmate. INCONCUSSA MANET. Vel, UNDIQUE FIRMUS. Vel idiomate Italico. OGH HOR PIU FERMO. Id est, SEMPER IDEM. Vel unico verbo. DURABO. Vel denique, ut meo Concanonico D. Philippo Gallinæ placet. IMMOTA RESISTIT. Virgilio id suggerente, ubi Regem Latinum, à militum turmâ invasum, describit.

Virgil. l. 7. Æneid. 586.

Ille velut rupes immota resistit.

Eâdem metaphorâ Statius, de Hyppomedonte canit.

Stat. lib. 9. Thebaid.

--- --- --- --- ceu fluctibus obvia rupes
Cui neq; de cœlo metus, & fracta æquora cedunt:
Stat cunctis immota minis, timet ipse rigentem
Pontus &c.

Hos insecutus Boissardus, canit.

Ut pelagi mediis rupes in fluctibus extans,
Æstum commoti fert bene firma sali;
Sic vitæ qui forti animo est, ac mente procellas,
Propositâque etiam morte, pericla feret.

Cyprian. l. 1 Epist. 3. In eandem sententiam D. Cyprianus, *Manere debet*, inquit, *apud nos, frater, fidei robur immobile, & stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus, atque impetus oblatrantium fluctuum.*

638. Idem P. Gallina vastam rupem, decumano tumentium procellarum assultu infestatam, hoc Virgilii lemmate insignivit. SESE MOLE TENET.

Virgil. l. 7. Æneid. 587.

Ut pelagi rupes magno veniente fragore
Quæ SESE multis circumlatrantibus undis
MOLE TENET.

Monarchia vasta. Vastam Monarchiam, bellorum tempestate ac hostium furore acerrimè quidem incursatam, semper tamen pro viribus obluctantem, hæc imago repræsentat. Apposité canit meus D. Carducius.

Dum fluctus scopulum oppugnant, hic mole tenet se
Robore sic proprio grande stat imperium.

Tentatio. Cæterùm homo justus virtutum ac gratiæ Divinæ mole ita firmatur, ut nullis adversantium tentationum fluctibus unquam dimoveri possit. S. Augustinus. *Firmum te facit gratia Christi, & immobilem adversus omnes tentationes inimici.* *August. in Psalm. 70.*

Firmus. 639. S. Firmus Martyr, Carnificum tyrannide acerrimè excruciatus, scopulum imitabatur, qui marinis fluctibus ac nimbis percussus, authore Rancato epigraphen sustinet. SOSTIEN FERMO IN SE STESSO. Id est. FIRMUS SUSTINET. Ad verbum Torquatus Tassus.

Tass. nella Gerus. Conquist. lib. 10. 30.

Ma come a le procelle esposto monte,
Che percossa da flutti al mare souraste,
Sostien fermo in te stesso i tuoni, e l'onte
Del Ciel irato, e i venti, l'onde vaste.

Patiens. Animum fortem, imperterritum, omniumque adversitatum patientem, hæc imago adumbrat. S. Nilus Abbas, *Ut saxum in mari, quamvis fluctibus urgeatur, non tamen frangitur, sed firmum, atq; immobile manet; sic animus virtutibus excultus & confirmatus, licet diaboli premat insidiis, non opprimitur, nec de constantiæ proposito dimovetur.* *S. Nil. Abb. Institut ad Monach.*

640. Constantia inter omnes adversitates imperturbata; vel certè temeritas, nullis hostium minis dimovenda, rupi est persimilis, quam ab undis & fulminibus quassatam, Carolus Rancatus hoc lemmate loquentem sistit. NIL ME FATALIA TERRENT. Turnus, formidandas Troiæ minas, omnesque Deorum suppetias contemnere ausus, Virgilio authore, in hæc verba erupit. Porrò Sancti Martyres, solo Deo, ceu petrâ solidissimâ nixi, omnem tyrannorum supellectilem, ipsamque adeò mortem contempserunt. S. Augustinus. *Quisquis futuræ vitæ cor præparaverit, totam istam contemnit; contemptâ istâ securum facit expectare diem, de quo expectando Dominus terruit.* Constantia. Temeritas. *Virgil l. 9. Æneid. v. 133.* SS. Martyres. *S. August. in Psalm. 147.*

641. Heroëm, quibusvis adversitatibus generosè resistere solitum, è Scopuli symbolo dignosces, qui ab undis incursatus, epigraphen tenet. QUO MAGIS, EO MINUS. S. Ambrosius veram magnanimitatem suis coloribus depingens, ait, *Perfecti est viri, non succumbere iis, quæ plerisq; terribilia & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursus; & quasi providum gubernatorem navem in tempestate regere, atq; occurrendo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium fugando undas, quam declinando &c.* Magnanimus. *S. Ambros. l. 1. de Iacob. c. 8.*

642. Scipio Bargalius Scopulo inscripsit. PER LO SUO PROPRIO FONDO IMMOBIL RESTA. Id est. SUA SEDE FIRMATUR. Nempe pectoris magnanimi est sese proprio Marte, sine aliorum adminiculo, adversùs quosvis iniquioris fortunæ assultus tueri; hoc enim, Paulo Silentiario teste, nativum virtutis insigne est. *Tota*, inquit, *mobilibus vita impugnatur ventis, huc atq; illuc subinde in diversas agitata partes. Cæterùm virtus res est stabilis & immutabilis, quâ solâ fretus, procellas audacter penetres hujus vitæ.* Eidem Emblemati hanc Ovidii gnomam lemmatis loco subjungere licet. SUO PONDERE TUTA. Proprius valor. *Paul. Silen. apud Stobæ. serm. 1.*

Ovid. 9. Met.

Haud secùs ac moles, quā magno murmure fluctus
Oppugnant, manet illa; suoq; est pondere tuta.

643. Genuina virtus violentos malevolorum assultus non solùm patitur, sustinetque; sed etiam retundit, ac quassat; scopulo persimilis, qui adversos fluctus IMMOTUS FRANGIT. Vel ut aliis placet. CONANTIA FRANGERE FRANGIT. Sanctus Gregorius Nazianzenus hominem justum ac generosum hoc penicillo adumbrans, *Idem semper*, inquit, *suique similis permanebit, fixus in rebus minimè fixis, immotus in incertis, & fluctuantibus, non aliter, opinor, ac rupes quædam ventorum fluctuumq; impetu non modò non concutitur, sed etiam INCURSANTES UNDAS circa se FRANGIT, ATQUE ABSUMIT.* Et Seneca. *Quemadmodum quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas, aut cædi, vel teri potest, sed incurrentia ultrò retundit: quemadmodum projecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi ulla sævitiæ vestigia tot verberati fluctibus ostentant; ita sapientis animus solidus est, & id roboris colligit, ut tam tutus sit ab injuria, quàm illa, quæ retuli.* Resistentia. *S. Greg. Naz. Orat. 17.* *Senec. l. quod in sapientem non cadat injuria. c. 3.*

644. Lemma, IMMOTUS FRANGET, documenti loco est, malignas detractorum linguas imperterritâ mente ac summâ tranquillitate, citra omne turbati aut indignantis animi vestigiū, reprimendas esse. Providè Justus Lipsius. *Ut scopulus insilientes* Quies animi. *Lips. lib. de una Relig.*

tes undas sine motu ullo suo frangit; sic nos convitiatores, sine acerbitate ulla, aut ira.

Par pari referre. 645. Inscriptio, superiore numero adducta, CONANTIA FRANGERE FRANGIT, animum justâ vindictâ commotum significat, qui ignominiam sibi illatam ex æquo in authorē suum retorquet. Ita Saulus, ad Sanctam Christi Ecclesiam evertendam accinctus, à Christo prostratus est, suique impos jacuit. S. Augustinus, *Saulus*, inquit, *dum grassatur, percutitur; dum Christi sanctos persequitur, violento radio cœlestis luminis cæcatur; & qui adversus Deum erigebatur, Divinâ voce terribiliter prosternitur.* S. Aug. serm. 28. de Sanctis

Calumnia. 646. In homine, genuinæ virtutis studioso, voluntatem semper tranquillam ac integerrimam videas; siquidem hostium procellæ, adversùs illum concitatæ, velut undæ in scopulos allisæ, franguntur percutiendo, & in spumam abeunt. Unde Torquati Tassi lemma. ROMPONSI PERCOTENDO, E IN SPUMA VANNO. Id est. FRANGUNTUR ALLISÆ. Huic brevius supposuit Academicus inter Errantes Bricienses Immutabilis. RUPTÆQUE RECEDUNT. S Joannes Chrysostomus. *Tanta res est virtus, tam invicta, tam nihil cædens hujus vitæ varietatibus, sed super malitiæ fluctibus volitans, quasi è sublimi speculâ quâdam sic omnia humana despicit, nihil quod aliis molestum sentit; & sicut is, qui super excelsam petrā stat, fluctus ridet, quos videt ad petram magno impetu DIRUMPI, ac protinùs in SPUMAM solvi; ita & virtuti vacans, in securo constitutus loco, nihil insuave fert auribus turbulentis &c.* Ex eodem lemmate, *Rupæque recedunt*, omninò persuasum habeas, Magnatum vires nunquam sine gravi damno esse infestandas. Seneca. S. Io. Chrysost. Hom. 23. in Genesin.

Nemo potentes aggredi tutus potest. Seneca Medea Actu 3.

Furor lenitus. 647. Hostium furor non semper à lacessitâ potentiâ reprimitur, sed frequenter suâ sponte detumescit ac componitur; haud secus atque procellæ, in scopulos allisæ, se ipsis franguntur. Hæc ratio Gamberto persuasit, ut scopulo, à fluctibus percusso, inscriberet; IPSE SE FRANGET FUROR; Senecâ id suggerente. Seneca in Agamemn. Act. 3.

Jam pervagatus ipse se fregit furor.

Propugnaculū. Idipsum in propugnaculis videre est, quæ conatu irrito impugnata, tandem militum furorem enervem cadere, ac receptui canere cogunt. Nostro ævo exemplis suis id confirmârunt Papia, Cremona, aliaque monumenta, ab innumero hostium exercitu frustra, nec sine ingenti suo damno, tentata. Cæterùm quivis

Tentatio. tentationum furor, adversùs hominem justum sparsus, nunquam non cadit irritus, suoque proprio assultu tamdiu reprimitur, donec tandem totus conquiescere cogatur. S. Augustinus in illud Psalmi, *In convertendo inimicum meum retrorsùm*, de Diabolo ait, *Qui tentando se præponere cupiebat, retrò factus est; non decipiendo tentatum, & in eum nihil valendo.* Psalm. 9. 4. S. Aug. in hunc loc.

Patientia. 648. Scopulus è fluctuum impetu triumphum refert, non quidem in eos irruendo, sed fortiter ac tranquillè sustinendo. Unde Raulini lemma. VINCIT FERENDO. Homo justus, scopulo perquam similis, gloriæ ac fortitudinis suæ palmam nonnisi injuriarum tolerantia obtinet. Sapienter Philo. *Spectavi*, inquit, *aliquando certantes, alterum obtundentem pugnis, totis viribus contendentem ad victoriam, tandem lassum & incoronatum discedere; alterum tanquam saxum, ferrumve nihil plagis cedere, solâq; patientiâ superare adversarium, & ad extremum adipisci victoriam: huic similem bonum virum censeo, qui validè confirmatus, certo animi proposito efficit, ut adversarius prius delassetur inferendo injurias, quàm ipse quidquam agat præter animi sui sententiam. &c.* Philo l. quod omnis probus sit liber.

Patiens. Amans mundanus. 649. Maris scopulo epigraphen, meâ quidem sententiâ, opportunam subjicies. SEMPER, ET UNDIQUE TUNDOR. Idea hæc est non modò hominum justorum; sed etiam sceleratorum, qui intra mundi ac libidinis pelagus assiduò jactati, nullâ unquam tranquillitate perfrui possunt. S. Augustinus, *Omnis homo malus*, inquit, *sabbathum habere non potest, nusquam enim illius conquiescit conscientia, & necesse est, ut in perturbationibus vivat. Cui autem bona est conscientia, tranquillus est, & ipsa tranquillitas sabbathum est cordis; attendit enim promissorem Dominum, & si laborat in præsenti, extenditur spe futuri, & serenatur omne nubilum tristitiæ.* In rem præsentem Ovidius. S. Augus in Psal. 91

Ovid.

--- --- Mihi nulla quies
Ut lapis æquoreis undique pulsus aquis.

Et Otho Venius. Oth. Ven. Embl. Amor fol. 2.

Quisquis amat, vario curarum fluctuat æstu,
Nec misero noctu pausa, diuq; datur,
Saxea ceu rupes unde undique tunditur undis,
Ventove alpinis nata jugis abies.

Mali nō nocent bonis. 650. Quidquid ærumnarum homines flagitiosi adversùs justos moliuntur, illud omne nunquam non irrito conatu recidit; haud secùs, atque decumani fluctus incassùm adversùs scopulum nituntur. Lemma. FRUSTRA NITUNTUR. Vel, ut P. Primo Tatti placet, NON APPONENT NOCERE. In hunc sensum Regius Psaltes. *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.* In hunc locum S. P. Augustinus. *Sævit quidem inimicus*, inquit, *sed non proficiet in eo; volet quidem nocere, sed non nocebit, Quid est ergò, quod affliget? Exercebit, non nocebit. Proderit sæviendo; quia in quos sævit, coronabuntur vincendo.* Generosam Cardinalis Julii Mazzarini constantiam hæc imago exactè delineat; unde nonnemo maris scopulum, fluctibus undique spumantem, veluti proprium Mazzarini ectypon, depinxit; addito lemmate. QUAM FRUSTRA, ET MURMURE QUANTO! Enimverò universæ turbæ ac seditionum tumultus, in Gallia adversùs ipsum concitati, nec minimam perniciem eidem creare poterant. Psal. 88 2; S. August. hunc loc Conc. 1.

Calamitatibus probamur. 651. Calamitates virtuti non quidem deprimendæ, sed examinandæ deserviunt. unde lemma scopulo præfixum. PROBANTUR FORTES IMPETU. Vel breviùs, PROBANTUR IMPETU. In hanc rem Justus Lipsius. *Magnus es vir. Sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis?* Et prior illo Seneca. *Proprium est*, inquit, *magnitudinis veræ, non se sentire percussum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit: sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat.* S. Ambrosius hanc virtutem in Jobo observans, *Job*, ait, *omnem diaboli violentiam, velut torrentis cujusdam adversùs se turbinem venientem, immobili corde, & inconcussâ mentis vivacitate suscipiens, tantò clarior ex tentationibus factus est, quantò difficiliora & periculosiora ei sunt ab inimico intentata certamina.* Lips. in neg. Plin.; Seneca l. de Ira c.; S. Ambr. serm. 64

Resurrectio Christi. 652. D. Aresius Christum, è morte redivivum, scopuli Emblemate repræsentavit, qui in mari tranquillo piscibus & avibus amœnè cinctus, epigraphen ferebat. SILUERUNT LUCTUS. quasi diceret; posteaquam immanium tormentorū procellæ, amaræ contumeliarum undæ, ac spumantes Hebrææ perfidiæ fluctus, in Servatorem acerrimè jactati, detumuêre; illum tandem inter Discipulorum coronas, & Angelorum plausus suavissimâ tranquillitate perfrui

frui cœpisse. Emblematis mentem hoc poëmate vernaculo explicat idem Aresius.

Già da torbidi flutti, de orgogliose
Onde salse, e voraci d'ogn' intorno
Fù combattuto, equasi vinto ascose
L' alto suo capio con vergogna, e scorno
Invitio scoglio, hor vince, e vergognose
Scorgonsi quelle, & ei di gloria adorno,
E sembrò vinto da crudel tempesta
Christo, e' hor sorge à gloria grande, è fusta.

Beatorum etiam hæc imago est, qui, nullus imposterũ terrenis calamitatibus infestandi, suavissimis gaudiis in cœlo perfruuntur. Discipulos suos solatus Christus, *Vos*, inquit, *nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Nam in Cœlo,* S. Augustino teste, *est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectet pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol. Si velocitas aut fortitudo, erũt similes Angelis Dei. Si longa & salubris vita, ibi est sana æternitas & æterna sanitas; si satietas, satiabuntur cùm apparuerit gloria Domini. Si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia, ibi Angeli sine fine concinunt Deo, &c.*

653. Charybdis Sicania, periculosissimo scopuli sui vortice nonnunquam integras naves absorbere solita, à Bartholomæo Rosso morti absimilis dicitur; cum lemmate. NUNQUAM SATURA. Effigies hæc libidini, avaritiæ, cæteræque vitiorum farragini est propria. Libidinis nunquam exaturandæ prototypon in Messalinâ, Claudii Imperatoris Uxore, cernere licet, de quâ Satyricus.

Et lassata viris, NONDUM SATIATA recessit.

De avaritiâ præclarè Jobus, *Confringens*, inquit, *nudavit pauperes; domum rapuit, & non ædificavit eam. NEC EST SATIATUS venter ejus.* Et Ecclesiastes. *Laborare non cessat, NEC SATIANTUR oculi ejus divitiis.* S. Augustinus, avarum cum inferno comparans, ait, *Infernus quantos mortuos devoraverit, nunquam dicit satis est, Sic etsi omnes thesauri circumfluxerint in avarum, NUNQUAM SATIABITUR.* De Ebrietate non sine ingenio cecinit nonnemo.

CONTINUO EXORBET quantùm nec vasta charybdis
Haustum, avideque bibit: NESCIT HABERE MODUM.

654. Nobili Emblemate scopulum depinxêre, qui pretiosas gemmas, è maris tempestate in se accumulatas, ostentabat; cum dicto. DIVITEM FECERE PROCELLÆ. Eorum hæc imago est, quibus inter immanes ærumnas plurimùm benignioris fortunæ accrevit. Inter hos facilè princeps extitit Patriarcha Joseph, qui fratrum invidiâ venditus, Ægyptiæ adulteræ flagitio in carcerem detrusus, aliâque plurimâ tempestate jactatus, tandem ad totius Ægypti clavum emersit. P. Carducius Symboli mentem sequentibus Jambis Hexametris explicat.

Diræ procellæ divitem fecêre me,
Dum me coronat æstuans gemmis salum:
Sic Cælicas exaggerat miseris opes
Adversa dum fortuna acervat turbines.

In hoc argumentum P. Aloysius Novarinus, post recensita hæc Athenæi verba, *Ajunt, cùm sæpè tonat, & imber largior funditur, tum magis pinnas concipere, unionesq, plurimos generari, & insignis magnitudinis, &c.* subjungit, *Utilis, fœcundus tribulationum est imber, quò copiosior decidit, eò pretiosiores virtutum generantur uniones.*

655. Innocentius VI Pontifex Maximus, Symboli loco, Rupem, tiarâ coronatam, ac inter procellas fluctusque immobilem, sibi præferri voluit; addito lemmate. IN ÆTERNUM NON COMMOVEBITUR; verbis, è Sacrâ paginâ mutuatis. Romanam Hierarchiam, in Christo, ceu rupe, fundatam, hæc imago exhibet. Disertè Christus. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* S. P. Augustinus in illud Psalmi, *Ipse super maria fundavit eam,* de S. Ecclesia ait; *ipse firmissimè stabilivit eam super omnes fluctus sæculi hujus, ut ab eâ superentur, nec noccrent ei.* Et alibi. *Christus Ecclesiæ firmamentum: nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum.*

656. Vox, *crede*, ad rupem cavernosam allisa, mox per echonem in repetita ac mutila verba redditur *ede, ede.* Emblemati subscripsit P. Jacobus Masenius. NEC SOLA, NEC INTEGRA REDDIT. Hæreticos, aliosque perfidos interpretes hæc imago spectat, qui S. Scripturæ sententias pro arbitrio suo corruptas tortasque imperito populo ingeminant. De his jam olim vaticinatus David, *Sepulchrum patens*, inquit, *est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant.* Et S. P. Augustinus. *Manichæorum secta non veritate, sed fraude agit cum imperitis, ut scripturas totas non totis, novas veteribus præferant, sed sententias excerpendo, quas velut adversas sibi esse conantur ostendere, ut decipiant imperitos. Nulla est autem de ipso novo testamento vel Apostoli Epistola, vel etiam Liber Evangelii, de quo non possit ista fieri, ut quibusdam sententiis ipse unus liber videatur esse contrarius; nisi ejus tota contentio diligentissimâ lectoris intentione tractetur.*

Beati. Jo. 16, 22. S. Aug. lib. de Anima & Spir. c. 64. Mors. Libido. Avaritia. Job 20. 19. Eccles. 4. 9. S. Aug. Epist. 3 in Joannem Canitem. Ebrietas. Calamitates divitẽ faciunt. Novarin. Tom. 1. Adag. n. 56. Athenæus l. 3. Prov. 10. 30. S. Ecclesia. Matth. 16. 18. S. Aug. in Psal. 23. Idem in Psal. 103. Conc. 2. Mutilare S. Scripturam. Ps. 5. 11. S. Aug. serm. 15. de Divers.

FINIS LIBRI SECUNDI.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER III.
GENTILIUM DII, HEROES, ET HOMINES, TAM EX PROFANA, QUAM Sacrâ veteris & novi Teſtamenti Hiſtoriâ; eorumque proprietates.

EX HISTORIA PROFANA.

Acteon. Cap. I.
Æneas. 2
Æolus. 3
Alexander. Nodus Gordius. 4
Amor. 5
Amphion. 6
Antæus. 7
Atalanta. 8
Atlas. 9
Cadmus. 10
Caduceus. 11
Chimera. 12
Cornucopia. 13
Dædalus. 14
Danaides. 15
Daphne. 16
Diana. 17
Fama. 18
Fortuna. 19
Ganymedes. 20
Geryon. 21
Hercules. 22
Janus. 23
Jaſon. 24
Icarus. 25
Jupiter. 26
Iuſtitia. 27
Ixion. 28
Lycaon. 29
Mars 30. Meduſa. 31
Mercurius. 32
Midas. 33
Minerva. 34
Momus. 35
Mors. 36
Muſæ. 37
Neptunus. 38
Orpheus. 39
Pallas. 40
Parcæ. 41
Paris. 42
Pegaſus. 43
Phaeton. 44
Pluto. 45
Prometheus. 46
Protheus. 47
Salmoneus. 48
Saturnus. 49
Sfinx. 50
Silenus. 51
Siren. 52
Siſyphus. 53
Tantalus. 54
Theſeus. 55
Triptolemus. 56
Titius. 57
Vlyſſes. 58
Vulcanus. 59

EX HISTORIA SACRA LEGIS VETERIS.

Adamus. 60
Eva. 61
Abel. 62
Cainus. 63
Noema. 64
Enochus. 65
Giganthes. 66
Noe. 67
Chamus. 68
Sem & Japhet. 69
Nemrodus. 70
Ninus. 71
Abrahamus. 72
Loth. 73
Iſmael. 74
Agar. 75
Rebecca. 76
Eſau. 77
Iacob. 78
Dina. 79
Ioſephus. 80
Benjaminus. 81
Iob. 82
Moſes. 83
Iſraeliticus populus. 84
Pharao. 85
Maria ſoror Moſis. 86
Ioſue & Caleb. 87
Core, Dathá, & Abirõ. 88
Baalamus. 89
Phinees. 90
Raab. 91
Achan. 92
Siſara. 93
Aodus. 94
Gedeon. 95
Ruth. 96
Iephte. 97
Samſon. 98
Samuel. 99
Heli. 100
Dagon. 101
Saul. 102
David. 103
Abigail. 104
Ioab. 105
Isboſethus. 106
Achitophel. 107
Abſalon. 108
Salomon. 109
Roboam. 110
Ieroboam. 111
Addo propheta. 112
Elias. 113
Achab. 114
Naboth. 115
Eliſæus. 116

Jezabel

Jezabel. 117
Athalia. 118
Joas. 119
Amasias. 120
Jonas. 121
Ozias. 122
Isaias. 123
Ezechias. 124
Sennacherib. 125
Tobias. 126
Manasses. 127
Amon. 128
Sedecias. 129
Nabuzardan. 130
Hieremias. 131
Susanna. 132
Daniel, 133
Nabuchodonosor. 134
Balthasar. 135
Zorobabel. 136
Juditha. 137
Amas. 138
Heliodorus. 139
Matathias. 140
Iudas Machabæus. 141
Eleazarus. 142
Antiochus. 143

EX HISTORIA SACRA LEGIS NOVÆ.

Æneas. 144
Alexander. 145
Ananias Discip. 146
Ananias & Sapphira. 147
Anna Prophetissa. 148
Apollo. 149
Caiphas. 150
Cornelius Centurio. 151
Dionysius Areop. 152
Elymas Magus. 153
Hæmorrhoissa. 154
Herodes. 155
Jairus Princeps. 156
Joannes Bapt. 157
Joannes Evang. 158
Ioseph Arimath. 159
Joseph Barnabas. 160
Judas Proditor. 161
Lazarus. 162
Longinus. 163
Malchus. 164
Maria Magdal. 165
Martha. 166
Matthias Apostolus. 167
Matthæus Apostolus. 168
Nathanael. 169
Nicodemus. 170
Paulus Apostolus. 171
Petrus Apostolus. 172
Philippus Apostolus. 173
Pilatus. 174
Samaritana. 175
Samaritanus. 176
Simeon. 177
Simon. 178
Stephanus. 179
Tabitha. 180
Thomas Apostolus. 181
Zachæus. 182
Zacharias. 183
Caput. 184
Oculus. 185
Cor. 186
Manus. 187
Pes. 188

ACTÆON.

CAPUT I.

1. Actæone à Dianâ in cervum mutato, primi omnium in Dominum suum strinxerunt arma canes, quos tam studiosè aluerat, & miserum dentibus dilaniârunt; nec quidquam exclamantem.

Actæon ego sum, Dominum cognoscite vestrum. Ovid. 3 Metam.

Ingratus. Emblemati subscripsit Colendissimus meus P. Pexenfelder. QUOS PAVIT, PAVET. Illos hoc Actæonis scema repræsentat, qui omni beneficiorum memoriâ ex animo deletâ, leviter impelli possunt, ut nutricios, & eximios benefactores suos convitiis, noxis, atque maleficiis mordicus appetant, non dissimiles Actæonis canibus, qui herum suum lacerârunt. Ciceronis dictum est. *Nihil est tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, ut beneficio, non dicam, indignus, sed victus videare.* Juxta Senecam, *Ingratus est, qui beneficium accepisse negat, quod accepit: ingratus, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingratus, qui oblatus est: ingratissimus & teterrimus, qui beneficiis maleficia rependit.*

(Margin: Cicero apud P. Pexenf. in Eth. Sub symb. in 3 Seneca Idem.)

2. Actæon, quòd incautior aspexerit lavantem sine veste Dianam, mox hominem exuit, in bestiam mutatus, & à canibus discerptus. Lemma. UT ME MALUS ABSTULIT ERROR! In has voces Damon, haustâ per oculos tyrannide apud Virgilium queribundus exclamat.

Mundi symbol. Pincinelli & Aug. Erath. Tom. I.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error! Virgilius Eclog. 8

Contingit hoc iis, qui lascivis oculis permittunt frenos: in porcos enim, aliasque effœminatas bestias transeunt, à tot canibus, quot malæ mentis libidinibus, discerpendi. De Alexandro M. Plutarchus refert, eum, cùm Persis subactis, intueretur captivas, formâ, corporisque dignitate excellentes; dixisse, *Quanti oculorum cruciatus sunt hæ Persides!* Tertullianus, severissimus castimoniæ Doctor, *Invicem*, ait, *se eadem oculorum genera desiderant; ejusdem enim libidinis est, videri & videre; tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quàm sanctæ virginis, si à viro visa sit.* Et meritò; nam teste S. Gregorio, *Intueri non licet, quod non licet concupiscere.*

(Margin: Aspectus impudicus. Plutarchus in Alexan. Tertullianus lib de veland. virg. S. Gregorius 21 Moral c. 2.)

ÆNEAS.

CAPUT II.

3. Inter cætera Emblemata politica, in Novariensi ambulacro exhibita, Æneas, senem Anchisen humeris sustentans, cernitur; cum lemmate. CONSILIIS SENUM, JUVENUM ROBORE CIVITAS GUBERNATUR. Aptè in hanc rem Joannes Audenus.

A senibus prisci sumptum dixère senatum;
Est robur juvenum, consiliumque senum.

Prudentia & fortitudo. Sinef. Orat, de Regno. Senesius quodvis bonum regimen è geminâ sorore, Prudentiâ & Fortitudine, componi asserit. *Firmissimum id propugnaculum est*, inquit, *in quo cum animi prudentiâ vis & potestas conjungitur: quæ si mutuò dissocientur, & inconsiderata vires, & imbellis prudentia levi negotio separantur. Ac ego inter ea, quæ à sapientibus Ægyptiis fiunt, Mercurium demiratus sum Ægyptii duplici Deum specie fingunt, juvenem juxta senem collocantes, idipsumq; præcipientes: si quis ipsorum præclarè sacra sit inspecturus, eum & sagacem & fortem esse oportere, quando alterum sine altero parùm adjumenti conferre potest.*

4. Cùm Troja, à Græcis capta & direpta, flammis undique arderet, Æneas senis Anchisæ, patris sui, salutem magis in consilio habuit, quàm suam. Nam in illâ urbis miserandâ conflagratione, inter confusos civium & hostium clamores, tubarum armorumque sonitus, domorum corruentium fragores; inter promiscuam fœminarum virorumque cædem, Æneas parentem propriis sustulit humeris, ac civitate elatum, incendio liberavit, pietate in patrem sæculis omnibus memorandâ. Unde Æneas, seni succollans, epigraphen è Marone præfert. NEC ME LABOR ISTE GRAVABIT. Hoc exemplo pietatem, parentibus debitam, discant filii. graviter Seneca. *Vicit Æneas patrem, ipse ejus in infantiâ leve tutumq; gestamen, gravem senio, per media hostium agmina, & per cadentis circa se urbis minas ferens, cùm complexus sacra, ac Penates Deos religiosus senex non simplici vadentem sarcinâ premeret, tulit illum per ignes. Et quid non pietas potest? pertulit, colendumq; inter conditores Romani Imperii posuit.* D. Ambrosius filium quemdam, matri inofficiosum, ita alloquitur. *Etsi paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est: non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit: non reddidisti alimenta, quæ tribuit tenerò pietatis affectu, immulgens labris tuis ubera: non reddidisti famem, quã pro te illa toleravit, ne quid, quod tibi noxiũ esset, ederet; ne quid, quod lacti noceret, hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa, quem voluit, cibum non accepit; tibi, quem noluit, cibũ sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit &c.* De Nerone parricidâ acutè Ausonius.

Pietas in parentes.

Virgilius 2 Æneid.

Seneca l. 3 de Benefic. c. 37

S. Ambrosius in c. 18. Luca

Quis neget Æneæ magnâ de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem: sustulit ille patrem.

Virgilius l. 6. Æneid.

5. Æneam, ad inferos descensurum, hoc effato commonofecit Sybilla,

--- --- *Facilis descensus Averni,*
Noctes atque dies patet atri janua Ditis;
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

Unde Emblemati subscribes. FACILIS DESCENSUS AVERNI. Nempe facilis & pronus est ad vitia lapsus, sed difficilis reditus ad virtutem. Socrates, cùm aliquando in colloquium cum Theodorâ, meretrice famosissimâ, venisset, quæ Callisthenem Socratis discipulum, blandis verbis in suas libidines trahebat; Philosopho dixisse fertur. *Ego quidem, O Socrates, multò te superior sum. Nam cùm tu neminem ex meis à me possis abalienare; ego, cùm libitum est, tuos omnes à te avoco.* Cui is respondit. *Non mirum quidem hoc. Tu siquidem ad declivem tramitem omnes rapis: ego verò ad virtutem duco, ad quam arduus plerisque & insolitus est ascensus*; uti refert Ælianus. Nimirum corrupta hominum natura facilè deflectit ad vitia, quorum lata est via; abhorret à virtutibus, ad quarũ fastigium arduus & spinosus est callis. Eâdem icone significatur facili quidem descensu infernum intrari, pedem tamen ex illo referre, vix ulli licuisse. Propertius.

Vitia facilè discuntur.

Ælian. l. 13 Hist.

Infernus. Prop. l. 4 Eleg. 12

Cùm semel infernas intrârunt funera leges
Non exorato stant adamante viæ.

Et Horatius.

Horat. l. 4 ad 7

Cùm semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria:
Non, Torquate, genus, non te facundia, nec te
Restituet pietas:

ÆOLVS.
CAPVT III.

6. ÆOlus, pro temporis ac loci ratione, nonnunquam sceptro suo reluctantes compescit ventos, & furentium cohibet impetum, ne rabiem suam in orbem effundant, interdum verò laxato per immanem hiatum montis spatio, fores viamque aperit prorumpere gestientibus. Lemma. ET PREMIT, ET LAXAT. De Æolo canit Virgilius.

Vigilius l. Æneid.

Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

Hâc habenarum remissione & adductione quid aliud significatur, quam laudati principis officium; nempe ut in populos subjectos imperium neque durè nimis & inclementer, neque dissolutè & negligenter exerceat. *Bonus Princeps*, Seneca teste, *similis est patri, & ideò pater patriæ appellatur: Patris autem est, in severitate meminisse indulgentiæ, & in indulgentiâ disciplinæ.* Æolo similis est quilibet vir sapiens, qui novit moderari affectibus pro negotiorum præsentium opportunitate; nunc enim conducit simulare iram, nunc dissimulare; quid enim est præclarius & laude dignius, quàm sic in potestate habere permotiones animi, præsertim irascentis, ut ad rationis legem & moderamen, velut in antro claudantur, rursumque, si necesse fuerit, temperato freno laxentur? Quisquis ita sibi imperare didicit, næ ego hunc potentiorem Æolo dixerim.

Principis officium.

Seneca l. de Clem. cap 18

Affectibus dominari.

Virgil l. [illegible]

-- -- *Cui Divûm Pater, atque hominum Rex*
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos.

Apposite huc Tullius. *Objurgationes etiam nonnunquam incidunt necessariæ, in quibus utendum est fortasse & vocis contentione, & verborum gravitate acriore. Id tamen sic agendum est, ut ne ea facere videamur irati.*

Cicero l. 1 Offic.

ALEXANDER NODUS GÆRDIUS.
CAPVT IV.

7. D. Abbas Thesaurus Alexandrum, Macedonum Regem, Emblematis loco depinxit; qui præciso Nodo Gordio, epigraphen ferebat. EXTREMA REMEDIA ULTIMIS IN MALIS ADHIBENDA. Cui consonat ille Medicorum aphorismus. *Acutis morbis, acuta remedia.* Ad hanc methodum graviora delicta acerbiore correctione castiganda veniunt. Natalis Comes; *Gravibus erroribus* inquit, *gravia supplicia conveniunt, levibus levia.* Et Cornelius Tacitus. *Atqui nec corporis quidem morbos veteres, & diu acutos, nisi per dura & aspera coerceas, corruptus simul & corruptor, æger & flagrans animus haud levioribus remediis restringendus est.* Nervosè Seneca. *In ipsâ desperatione, EXTREMA REMEDIA tentes.*

Correctio severa.

Natal. Co. l. 14. Hist.

Corn. Ta. l. 3. Annal

Seneca Ep.

8. Paradinus manum, gladio armatam, expressit; quæ dissecto nodo Gordio, titulum gestabat. NODOS VIRTUTE RESOLVO. Ita vir prudens judicii sui acie intricatas quasvis difficultates expedire novit. Hos inter facilè Princeps extitit Salomon, cùm arduam illam duarum mulierum contentionem,

Prudent.

quæ-

quænam genuina vivi infantis esset mater, arrepto gladio sapientissimè diremit: non enim adeò stricti ferri fulgore, atque ingenii sui acumine nodum illum dissolvit. Plurimùm ad mentem nostram S. Ambrosius. *Nobile illud Salomonis judicium, quod inter dubia certantium, & fraudem in ipsis cogitationibus occultis, & pietatem in maternis visceribus deprehendit, utiq; per spiritûs Sancti munus emicuit. Neque enim latentem conscientiam fœminarum alia aliqua potuisset, nisi Spiritus sancti machæra detegere &c.* Porrò vindicantis Justitiæ ferrum graviore pondere in scelera magis enormia stringatur, necesse est. Unde Gambertus supra Nodum Gordium, gladio præcisum, illa Virgilii verba collocavit; AMBAGES IPSE RESOLVET. Emblematis mentē meus Concanonicus D. Salv. Carducius hoc disticho explicat.

Ut Macedo implicitas ambages ense resolvit;
Sic ferrum Astreæ fulminat omne nefas.

9. Vir nobilis, cùm ex Astrologorum prognosticis violentam ac subitaneam mortem à cœlo sibi prænunciari disceret, mentem suam imperterritam, & ad omne vitæ mortisq; discrimen paratam, significaturus; gladium, Nodo Gordio imminentem, depinxit; verbis è Curtio, lemmatis loco, additis. NIHIL INTEREST QUOMODO SOLVATUR. In rem præsentem opportunum censui Francisci Petrarchæ dialogum: *DOL: Per vim morior. RA: siquidem vita vis aufertur, quid interest febris an gladius; dum liberè egrediare, quid refert an ergastuli tui fores sponte pateant, an frangantur?* In hàc virtute cumprimis excelluit S. Paulus, quando Ephesios allocutus, in hæc verba prorupit. *Nunc ego alligatus spiritu, vado in Jerusalē, quæ in eâ ventur a sint mihi, ignorans: nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestetur, dicens, quoniam vincula & tribulationes Jerosolymis me manent. sed nihil horū vereor, dummodò consummem cursum meum &c.* S. Augustinus, *Ut ipsa mors metuenda non est, ita etiam nullum genus mortis benè & rectè viventi homini metuendum est.*

10. Jacobus Zabarella nodo Gordio dissoluto inscripsit. AUT INGENIO, AUT VI. Nulla terrena difficultas eò excrescit unquam, ut aut viribus, aut ingenio superari nequeat. Lysandri acroama erat, *ubi nil potest pellis leonina, vulpina deserviet.* Hinc non absimilis Themistocles, qui populos quosdam pecuniis corrumpere, & in suas partes trahere conatus, duas à se Deas circumferri dicebat, unam Eloquentiam, fortitudinem alteram, quarum ope omnia hactenus sibi fuissent pervia. Quamvis ea vice responsum æq; argutum ab incolis tulerit; nempe sibi quoq; geminas esse Deas, Inopiam & Impossibilitatem, quæ ipsum votis suis frustrarentur. Cæterùm dura & implicata sceleratorum pectora, si correctione violentā aut suppliciis nequeant, precibus ac dexteritate resolvi debent. Magni Augustini consilium est. *Cùm ad vindictam necessitas cogit, ita agendum est, ut ei talis vindicta sit utilis, & agendum voto & precibus, si corrigi objurgationibus non potest.*

11. Præcedentis numeri epigraphe Nodum Gordium seu robore, seu ingenio dissolvendum suadet; quia tamen utrumque simul nonnunquam adhiberi debet, idcircò epigraphen substitues istam. INGENIO ET VI. Hæc enim conjuncta, Rempublicam aut regnum, maximè stabiliunt, summisq; incrementis promovent. Prudenter Sinesius, *Firmissimum id propugnaculum est, in quo cum animi prudentiâ, vis & potestas conjungitur.* Unde subjungit, *Ægyptii in sacrarum ædium vestibulis, Sphyngis effigiem collocabant, arcanum utriusq; virtutis conjungendæ symbolum, quæ quâ parte bestia est, robur: quâ verò parte homo est, prudentiam significat.*

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

Reg cap. 3 — Ambrosius 3. de Spiritu cap 7 — Iustitia vindicativa. — Virgilius l. 6 Æneid. — Mens intrepida. — Q. Curt. l. 3 — Franc. Petr. 2 de Remed. Dial 121 — Act. 20. 24 — Aug. l. 82 Quæst. q. 25 — Vis & Ingenium. — Correctio. — S. Augustin. cont. Epist. Parmen. l. 3 cap. 1 — Ingenium & fortitudo. — Sinesius Orat. de Regno.

12. Joannes Ferrus gladium, brachio armatum expressit, quod, præciso nodo, epigraphen, magnanimo ac resoluto pectore dignam, præferebat. QUOQUO MODO RESOLVAM. Genuina hæc Lysandri, Lacedæmonum Ducis, est effigies; cùm enim illis & Argivis aliquid civilis controversiæ circa confines terras intercederet, & hi suas partes ex ratione tueri niterentur, indignatus Lysander, gladio in sublime levato non sine ardore exclamavit, *Qui hoc superior est, is optimè de finibus disputat.* Huic non absimilis quidam Cæsaris miles, cùm Senatus Romanus inducias, pro Cæsare expetitas, abnueret; manu ad gladii capulum positā, hoc ferrum inquiebat, illas mihi dabit: quasi diceret, quod precibus negatum, armis concessum iri. Cæterùm Prædicator & prælatus è munere suo ad id unum incumbant, ut hæresum, aliorumque vitiorum nodos præscindant, idque vel verbis suavibus, vel duris, vel, si opus fuerit, ipso etiam suppliciorum ferro: unde Timotheum suum imbuens Apostolus, ait, *Prædica verbum, insta opportunè, importunè &c.* quæ verba excipiens Magnus Augustinus, *Quibus, inquit, opportunè? quibus importunè? opportunè utique volentibus, importunè nolentibus. Prorsus importunus sum, audeo dicere. Tu vis errare, tu vis perire; ego nolo.*

13. Inter cæteram solennem ac triumphalem pompam, quâ Christina, Regina Sueciæ, sub Alexandro VII. Pontifice Maximo, ad fidem orthodoxam recens conversa, Romæ ad S. Petrum salutabatur, Emblematis loco Nodum Gordium cernere erat, hoc lemmate insignem. SOLVET AEEXANDER. Iconis mentem hoc epigrammate explicat P. Joannes Bapt. Bargioccus.

Astrinxit nodum mirâ quem Gordius arte,
Solvit Alexander forte, vel ense secat.
Implicitos nexus, qui te, Christina, tenebant,
Septimi Alexandri dissoluere manus.
Nempe tua ut citius fortissima vincula rumpat,
Alterum Alexandrum misit ab axe Deus.

Nempe Pontificis Maximi est, inter fidei Divinæ momenta discernere, & hæresum errores infallibili censurâ perstringere. Disertè Christus. *Quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis,* S. Hieronymus ad Damasum Papam scribens, *A pastore,* inquit, *præsidium ovis flagito. Discerne si placet, non timebo tres hypostases dicere, si jubebis.* Theodoretus, inter Græcos Patres eruditissimus, ad Leonem primum in hæc verba scribit. *Si Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi spiritûs, ad magnum Petrum cucurrit, ut iis qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant, ab ipso offerret solutionem, multò magis nos, qui abjecti sumus, & pusilli, ad apostolicam vestrā sedem currimus, ut Ecclesiarum ulceribus medicinam à vobis accipiamus.*

Animus resolutus. — Prædicator. Prælatus. — 2. Tim. 4. 2 — S. Augustin. de Pastor. c. 7 — Difficultas resoluta — Infallibilitas summi Pontificis. — Matth 16. 19 — S. Hieronym ad Damasum — Theodoret. ad Leon I

AMOR. *Cap. V.*

14. IOannes Ferrus Amorem, pueri specie visendum, hoc lemmate ornavit. UNIT, ET FOVET. Geminam hanc in illo proprietatem deprehédens Magnus Augustinus, *Quid est amor,* inquit, *nisi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens; amantem scilicet, & quod amatur.* Et Philippus Beroaldus. *Quemadmodum radius à sole, calor ab igne, frigus à glacie, candor à nive nequeunt separari: ita ab amore divelli non possunt benevolentia, satietas necessitudo, concordia. Hic est enim amabilissimus amicitiæ nodus, princepsq; ad benevolentiam conglutinandam.*

S. Augustin. l. de Trinit. l 8. c. 2 — Beroald. Orat in Propert.

15. Vincentius Gilibertus Amori, circùm oculos velato, subscripsit. OMNIA CREDIT. Apostoli pronuntiatum est, *Charitas omnia suffert, omnia credit*, quod tamen, interprete S. Bernardino Senensi ita limitandum est, *Omnia credit, id est, vera & necessaria ad salutem*. Et rursùs. *Credit omnia, licet non omnibus credat, sed tantùm his, quæ veritas ipsa suadet.* Colophonem jungit Magnus Augustinus. *Ipsa charitas*, inquit, *quæ omnia credit, non omni spiritui credit: ac per hoc omnia quidem credit, sed Deo; quia non dictum est; omnibus credit.*

1. Cor. 13. 7

16. Gratiosum est aliud ejusdem Giliberti Emblema, in quo Amor, trutinas ac mensuras ultrò abjiciens, Propertii pentametron lemmatis loco legendum offert. VERUS AMOR NULLUM NOVIT HABERE MODUM. Integrum illius distichon ita accipito.

Errat qui finem vesani quærit amoris,
Verus amor nullum novit habere modum.

Huic persimilis Virgilius canit.

Me tamen urit amor; quis enim modus adsit amoris?

Et Horatius.

-- -- -- O here: quæ res
Nec modum habet, neque consilium, ratione, modoque
Tractari non vult? In amore hæc sunt mala, bellũ.
Pax rursùm &c.

Eadem etiam Sancti amoris, seu Charitatis est indoles, quæ non in amicos tantùm, sed in ipsos etiam inimicos omnia, quæ potest, bona effundit. S. P. Augustinus. *Charitas non permittit aliquid mali te facere ei, quem diligis; nec permittit te non præstare, quidquid potes ei, quem diligis. Nonne illa est charitas, quæ orat etiam pro inimicis? Ergò deserit amicum, qui benè optat inimico.*

S. Augustin. Præfat. in Psalm. 31

17. Idem Gilibertus Amorem, dexterâ manu face ad urendos vicinos, lævâ verò arcu ad feriendos longinquos, instructum statuit, cum lemmate. PROPE, ET LONGE. Lemmate prorsùs eodem Dominus Ripa Amicitiam descriptam exhibet, cujus detecto cordi aureos hos characteres incidi fecit, *Prope & longe*: Siquidem verus amicus à re amatâ, sive præsente sive remotâ, sese nunquam divelli patitur. Magni Augustini scitum est, *Amici corpore videntur separari posse, non animo, in quantùm amici sunt.*

S. Aug. lib 9 de Trin. c. 4

Amor omnia audet.

18. Fuit, qui amoris Emblemati hoc lemma Hispanum subjungeret. MY MIEDO, NY VERGUENZA. Id est, *Nec timet, nec rubescit.* Seneca.

Seneca Medea Act. 3

Amor timere neminem potest.

Ovid. Metamorp. 6

Ovidius in Metamorphosi.

-- Nihil est, quod non effræno captus amore Ausit.

Idem 2. Fast.

Et alibi.

-- -- -- Quid non amor improbus audet?

AMPHION.

CAPUT VI.

19. Citharam tantâ suavitate pulsavit Amphion, ut, cùm Thebæ in Bæotiâ adversùs finitimos hostes non satis essent turribus ac propugnaculis munitæ, ipse mellito fidium sono lapides commoverit, & ad urbis Thebanæ constructionem tantò numero attraxerit, donec alii super alios subsilientes, ultrò coëunte juncturâ, partim summam in altitudinem sese attollere, partim in propugnacula, ad vim quamcunque repellendam, protuberare sint visi. Lemma. SAXA CANENDO MOVET. Nihil, in Superiore præsertim aut Principe, ad permovendos hominum animos est efficacius, quàm morum amabilitas, & in agendo suavitas. Nam, ut C. Tacitus ait, *Princeps amorem apud populares, metum apud hostes quærat. Verbum dulce*, inquit Siracides, *multiplicat amicos, & mitigat inimicos*; adeò quidem, ut cautes etiam & saxa; cruda inquam, & saxea hominum corda, suavitate sermonis demulceantur & trahantur, ut traxit Amphion, de quo Poëta.

Suavitas in loquendo

C. Tacit. l. 1 Annal.

Ecclesiast. 6

Movit Ampion lapides canendo.

Hanc artem conciliandi animos Plutarchus docuit Imperatorem Trajanum, dum ad eum scripsit, *Leniter atque placidè fides, non vi & impetu concuti debere.* Tullius quoque concordiam, quam parit suavitas eloquii, comparat fidibus & concentui Musico. *Ut in fidibus*, inquit, *atq; cantu ipso & vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concentus ex dissimilimarum vocum moderatione, unus tamen efficitur, & congruens: sic summis & infimis, & mediis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata natura civitatis concentu dissimilimorum consistit; & quæ harmonia à Musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, quæ sine justitiâ nullo pacto esse potest.* Cæterùm devota canentium psalmodia obduratos quosvis hominum animos permovere, & ad sanctæ Ecclesiæ augmentum trahere solet. Experto id credes Magno Augustino, qui de se ipso fatetur. *Quantùm flevi in hymnis & Canticis suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? Voces illæ influebant auribus meis, & eliquebatur veritas tua in cor meum, & ex eâ æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat cum eis.* Alibi opportunè in rem præsentem ait. *Domus Dei cantando ædificatur, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur; modò ergò ædificatur, sed in fine sæculi perficitur.*

Cicero l. 2 de Republ.

Cantus movet.

S. Aug. lib Conf. c. 6.

Idem de V. Apost. ser. 20. c. 1

20. Amphion, Thebas concordi fidium sono adversùs hostiles incursus communiens, epigraphen tenet. URBEM CONCORDIA MUNIT. Quid enim validius ad propugnandam, tuendamque civitatem, quàm civium concordia? Hoc munimentum, fundatore Lycurgo, urbis Spartæ fuit. Unde Agesilaus Rex, ibidem rogatus à quodam, *cur Sparta mænibus non cingeretur?* ostendit ei cives unanimes & armatos: *Hi*, inqnit, *sunt Spartanæ civitatis mænia*; significans, urbes nullo munimento tutiores esse, quàm virtute civium consentientium. Rursùm Lacedæmonii seu Spartani, cùm de civitate mænibus cingendâ, consultarent, Isæus Sophista recitavit illud Homeri.

Concordia.

Plutarch. in Apoph. Lac.

Scutum hæsit scuto, galea galea, atq; viro vir.

Addidit-

Addiditque, *sic mihi state Lacedæmonii, & muris cincti sumus*: De Micipsa, Numidarum Rege, memorat Salustius, quod jamjam vita excessurus, filios paternè monuerit, ut concordes essent; addens, *Concordiâ res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Confirmat hæc omnia Salomon. *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma, & judicia quasi vectes urbium.* Id est, ut interpretatur Salazar, *fratrum concordia est instar urbis munitissimæ: judicia verò, hoc est, lites & dissidia fratrum sunt quasi urbes reclusis vectibus apertæ atque hostibus perviæ.*

Salustius. Proverb. 18. 1 Salaz. in hoc loc.

ANTÆUS. CAPUT VII.

21. Antæus, Lybiæ gigas, ac Terræ filius, singulari luctâ cum Hercule congressus, iterùm iterumque prosternebatur; semper tamen è lapsu resurgebat validior, quippe à Terrâ, matre suâ, toties novis instructus viribus, quoties illam abjectus contigerat. Emblematis loco meus Concanonicus, D. Philippus Gallina subscripsit. SUMIT A LAPSU VIRES. Vel, FORTIOR EX LAPSU. In hoc argumentum S Hilarius Arelatensis, *Dejectio prostrati*, inquit, *occasio fiebat triumphi: dabat enim quodammodò infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, & ruina victoriam.* Hæc de Christo resurgente S. Hilarius. Porro voluntaria humilitas animæ vires reparat, Davide teste, *Bonum mihi quia humiliâsti me.* Christianus insuper, lubricâ forte in peccatum præcipitatus, pœnitentiâ succollante, ad majorem, ac magis expeditam virtutis libertatem resurgit. D. Gregorius Bolzi, nobilissimus Congregationis Somascenæ Cygnus, Saulum, in terras prostratum, cum Antæo comparat.

S. Hilar. Serm. 1. in de Pasch. Christus resurgens. Humilitas. Psal. 118. Pœnitens. Saulus. Greg. Bolzi in Larario Poetico 25. Jan.

Concutit attonitam strato qui corpore terram,
Antæum si quis nuntiet, ille sapit.
Nempe ubi de tactâ Paulus tellure resurgit.
Fortior ex illa, quàm fuit antè redit. &c.

22. Eidem Emblemati subscribes. TUTIOR IN TERRA. Cum enim ea esset Antæi vis, ut ab Hercule in terram prostratus, fortior identidem resiliret; tandem Hercules medium arreptum, & in sublime elatum, tamdiu compressit, donec disruptus expirârit. *Hoc ipsum*, inquit Gerson, *occasione laudis honorumque mundanorum Dœmon quærit, elevare scilicet & attollere, ut turpius dejiciat & interimat? quapropter verus humilis in propriæ cognitionis terram se abjicit, timens ex exaltatione præcipitium & ruinam.* Referunt Annales Franciscanorum, quod ubi F. Ægidius inaudiisset stupendam illam apostasiam Fratris Eliæ, totius Ordinis Generalis; ad Ecclesiam statim confugerit, ejusque pavimento arctissimè sese appresserit, ac si ei penitùs se affixisset. Mirati factum hominis, qui illud viderunt, rogant, ecquid illud sibi velit? quibus ipse; *Ego descendam quantùm possum, quod Elias plus æquo ascendendo elisus sit, & turpissime corruerit.* Saluberrimum D. Augustini est monitum. *Descende, ut ascendas; humiliare ut exalteris, ne exaltatus humilieris.*

Humilitas. Gerson. ferm. de Humil. in Cœna Dom. Annal. Franc. l. 7. c. 5. Aug. ferm. 3. de Temp.

23. Eidem Emblemati inscribes. SUPERATUR IN ALTO. Herculis & Antæi lucta pugnam rationis cum appetitu significat; Hercules enim animi, Antæus verò corporis est symbolum. Experimur enim, perpetuum esse mentis nostræ cum appetitu & voluptate certamen, nec hos facilè ab illa superatum iri, nisi corpus ita in altum, & procul à rerum terrenarum contactu mens extulerit, ut pedes, hoc est, affectiones, nullum amplius fomentum à tellure accipiant; imò cupiditates, velut terræ filii, penitùs interficiantur: quæ sanè victoria est omnium præstantissima. Unde in Scipionis Africani tumulo hunc versiculum est legere.

Appetitui resistendũ.

Maxima cunctatum victoria, victa Voluptas.

Boëtius hoc ipsum Herculis factum celebrans, canit,

--- --- superata tellus
Sidera donat.

Et Cicero. *Appetitus omnes contrahendi, sedandique sunt, excitandaque est animadversio & diligentia ut nequid temerè, ac fortuitò, inconsideratè, negligenterq́ agamus.* Et rursus. *Esse abstinentem, continere omnes cupiditates, præclarum magis est, quàm difficile.*

Cicero in Offic. Idem ad Quint Fr. Epist. 1.

ATALANTA. CAPUT VIII.

24. Atalanta, pedum pernicitate ac cursu celebris puella, cum variis procis currendo contenderat, ut, qui illam velocitate præverteret, uxorem duceret; inter alios spectator aderat Hippomanes, qui formâ virginis captus, cum illa in arenam descendit, hoc instructus astu, ut tria mala aurea, quæ penes se habebat, per intervalla in stadium projiceret, sicque illam, auro tollendo occupatam, nonnihil remoraretur, & cursu anteverteret. Emblemati subscribes. RETARDOR AB AURO. Atalantæ nomine Animam intelligas, quam Stygius Hippomanes in hoc vitæ stadio decurrentem vincere, eamque nunc aureo pomo divitiarum, nunc blando voluptatis, nunc fulgido honoris ab optata beatitudinis meta retardare nititur. Id olim Paulus Galatis exprobrâsse videtur; *Currebatis bene, quis vos impedivit?* Avarum enim auri fulgor, lascivum mulierculæ forma, ambitiosum, inanis gloria remoratur. Unde hortatur Magnus Augustinus. *Nemo avertatur ab eo, quod ante est, ad id quod retrò est; currat, donec perveniat; non enim pedibus, sed desiderio currimus.*

Divitiæ, voluptas, honor. Galat. 5. 7. S. Aug. in Psal. 83.

ATLAS CAPUT IX.

25. Atlas, cœli vel mundi globo supra humeros onustus, epigraphen legendam offert. PORTANTEM OMNIA PORTO. Eruditè hanc imaginem S. Josepho, Servatoris Nutritio, cœlestem parvulum intra brachia sustinenti, accommodaveris. Eandem etiam S. Christophorus Martyr, Divinum infantem humeris sustentans sibi propriam facit. Ad mentem nostrã collineans D. Gregorius Bolzi, de S. Martyrio Confessore, Christum humeris gestante, in hæc verba canit.

S. Josephus. S. Christophorus. D. Greg. Bolz. loc. cit. 23. Ianuarii.

Christophorum spectate novum, spectate Tonantem,
Quàm benè cælestem strenuus ille vehit:
Insidet altitonans humeris, & pressa fatigans
Terga, salebrosas gaudet inire vias,
Sed quoque supposito dulci molimine dorso
Vir prius Atlantis gestit obire vices &c.

Jure tamen propriissimo MARIA Virgo gravida hanc iconem sibi concolorem vendicat; quippe quæ Deum, totius Universi Servatorem, intra uteri sui angustias conclusum portavit. Ad hoc propositum Claudianus.

Maria V. gravida. Claud. Epig. de salvatore.

Virginei tumuêre sinus: innuptaque Mater

Arcano stupuit compleri viscera partu
Autorem paritura suum. Mortalia corda
Artificem texêre poli: mundiq; repertor
Pars fuit humani generis: LATUITQUE SUB UNO
PECTORE, QUI VOTUM LATE COMPLECTITUR ORBEM,
Et qui non spatiis terræ, non æquoris undâ,
Nec capitur cœlo, parvos confluxit in artus.

S. Aug. serm. 55. de divers. c. 3 — Opportuna in rem præsentem est Magni Augustini Ethica. *Portavit Christum mater in utero, portemus & nos in corde. Gravidata est Virgo incarnatione Christi, gravidentur pectora nostra fide Christi, Peperit Virgo Salvatorem, pariat anima nostra salutem, pariamus & laudem.*

26. Magni ingenii virum, cui gravissima quæque negotia obtingunt facillima, Atlantis imagine repræsentare licet; qui vastam cœli molem levi humero sustinens, epigraphen tenet. EXCEDIT ROBORE PONDUS. Vel Italicè. MAGGIOR DEL PONDO HA IL NERBO. Labores & onera, quantumvis gravia, ab amantibus aut patientibus citra negotium sustinentur. S. P. Augustinus. *Ut sarcina Dei sit tibi levis, & jugum ejus suave, ille tibi amorem inspiravit. Amanti suave est, non amanti durum.* Et rursùs. *Nullo modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium. Interest ergò quid ametur; nam in eo, quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur.* Fulvius Testi hanc Emblematis mentem ad Austriacum Hispaniarum Regem convertens, in hæc verba canit.

(Margin: Amans laborem non sentit. — S. Aug. de Verb. Apost. serm. 12. c. 8 — Idem de bono viduitatis c. 21 — Fulv. Testi. Cont. 1. ndia conquis.)

E tù, che del real scettro diffondi
L' ombra clemente oltre le vie del sole,
E mostri altrui nel sostener due mondi,
Che del valor molto è minor la mole,
Dammi orecchio ò Filippo &c.

CADMUS.

CAPUT X.

27. CAdmus, ob interfectum Draconem, aliasque res præclarè gestas, præmii loco à Jove uxorem accepit Harmoniam seu Concordiam, virginem lectissimam. Dona verò nuptialia ab ipsis Diis sunt contributa. Ceres quidem frumentum est largita; Mercurius lyram, Vulcanus pretiosum monile; Pallas artis raræ flammeum; Cybele cymbala & tympana contulit; Apollo & Musæ hymenæum cecinerunt. Lemma. DITANT CONCORDES NUMINA NUPTOS. Hinc discas, gratissimos Superis esse concordes conjugum animos, omniumque bonorum affluentiâ cumulari. Qui autem mutua hæc illorum concordia assiduò conservetur, Doctorem audi S. Ambrosium. *Mulier, inquit, viro deferat, non serviat; regendam se præbeat, non coercendam; indigna est conjugio, quæ digna est jurgio. Vir quoq; uxorem dirigat tanquam gubernator, tanquam consortem vitæ honoret.* Alphonsus Aragonum Rex dicere solebat, ita demum matrimonium tranquillum exigi posse, si maritus surdus fiat, uxor verò cœca. Innuens fœmineum genus obnoxium esse zelotypiæ, rursùm maritis permolestam esse garrulitatem.

(Margin: Conjugalis concordia. — S. Ambr. l. 3 Epist. 25. ad Eccles. Vercel.)

28. Eidem Symbolo inscribes. A JOVE CONJUGIUM. Dei enim beneficentiâ accidit, uxorem accipere bonam & concordem. Disertè Salomon. *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* Appositè S. Ambrosius. *Ubi nuptiæ, harmonia esse debet; ubi harmonia est, Deus jungit: ubi harmonia non est, pugna atq; dissensio est, quæ non est à Deo, quia Deus charitas est. Noli ergò uxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diffitearis authorem: etenim si alienos, multò magis uxorios debes tolerare & emendare mores.*

(Margin: Conjugũ concordia — Proverb. 19 14 — S. Ambrosi. in cap. 16 Lucæ lib. 8)

CADUCEUS.

CAPUT XI.

29. ACademicus, inter Venatores Venetos Placatut, symboli loco Caduceum, suprà Leonis caput depictum, præfert; cum dicto, VIS UNA FRENANDI. Innuebat videlicet, insignis Oratoris facundiâ immanissimos quosvis militum ac tyrannorum animos edomari: quæ sanè ratio Ægyptiis persuasit, ut Caduceum, suprà Leonis caput expressum, hieroglyphici vice proponerent, eòque, Pierio teste, significarent, *vices cedere eloquentiæ.* Philippus Macedonum, vel Pyrrhus Epirotarum Rex dicere solebat, plura urbium mœnia Cineæ, præstantissimi Oratoris, eloquentiâ, quam exercitûs sui robore esse à se expugnata. *Quid enim,* inquit Tullius, *tam potens est atque magnificum, quàm populi motus, Judicum religiones, Senatûs gravitatem unius oratione converti? Quid tam regium, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quàm tenere arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus?* Verè Alciatus.

(Margin: Eloquentia. — Pierius lib. Hierogl. — Cicero lib. de Orat. — Alciat. Emb. 180)

Cedunt arma togæ, & quamvis durissima corda
Eloquio pollens in sua vota trahit.

Et illo pòsterior Joannes Audenus.

Nil tam difficile est, quod non persuadeat, & non
Efficiat, dicti lingua diserta senis.

30. Mercurius, eloquentiæ Deus, tesseræ loco Caduceum præfert. Unde Caduceo, ceu Eloquentiæ symbolo, inscriptum. CONCILIAT ANIMOS. Eloquentia enim mirum adeò habet in mortalium animos imperium, ut dissidentes componere, odiumque omne proscribere valeat. Pierius, *Si quis,* inquit, *pietate gravis & eloquentiâ potens, eloqui potuerit, perfacilè is discordes animos in concordiam trahet, duosq; angues, hoc est odia mutua, doctrinæ suæ virgâ in unum obligabit.* Porrò sicuti Mercurii virga pugnantes inter se serpentes in pacem & amicitiæ complexum suâ interpositione rursùs conjunxit, ita Caduceator seu Legatus pacificus è munere suo discordes Principum animos conciliare debet. Id quod etiam inter Prædicatoris partes numerat Magnus Augustinus. *Prædicatores voluntates pigras excitent, accendant frigidas, corrigant pravas, aversas convertant, repugnantes pacificent.*

(Margin: Eloquentia. — Pierius lib. Hieroglyph. — Legatus Prædicator. — S. Augusti. de bono... duit cap.)

CHIMÆRA.

CAPUT XI.

31. CHimæra, horrendum naturæ monstrum, capite & pectore leonem, ventre capram, & caudâ draconem referebat, copiosas insuper ex immani gutture flammas evomens. Quare Bellerophon, monstrum interfecturus, hastam, plumbeâ cuspide præfixam, intra ignitas fauces adegit, quæ harum calore liquefacta, & per monstri ventrem diffusa, illud interemit. Lemma. SUOMET IGNE PERIT.

(Margin: Author propri mali.)

Eos

Damnati. Eos, qui proprii interitûs authores existunt, hâc icone comprehendere licet; cumprimis verò damnatos, qui eodem igne æternùm ardebunt, cui ipsimet assiduum ac liberrimum subministravêre fomitem. Apertè iis exprobrans Isaias, *Ambulate*, inquit, *in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis.* Et Theophilactus. *Deus ignem non præparavit hominibus, sed propter diabolum; ego autem memetipsum supplicio facio obnoxium.* Cæterùm homo iracundus, invidus, aut libidinosus flammam intra præcordia alit planè exitialem, & quæ non ita multò post suomet hospiti acceleratura sit interitum. De Iracundo testatur Jobus, *Virum stultum interficit iracundia.* De Invido S.P. Augustinus. *Sicut ærugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam, in qua est, interimit & consumit.* Et de Libidine. *Concupiscentia mala quasi ardor est ignis. Ignis consumit vestem, libido adulterij consumit animam.*

Isaias 50.11. Theoph. in c. Matth. 25. Iracundus. Invidus. Libidinosus. Job 5. 2. Aug. serm. de Temp. Idem in Psal.

32. Chimæra ignem nunquam adeò copiosum è naribus & faucibus evomere est solita, atque dum adversùs hostem conflictata, iram intra pectus & viscera succensam senserat. Unde lemma. MICAT, DUM DIMICAT. Dœmonis, aut etiam hominis maligni hæc effigies est, qui, seu invidiæ, seu iracundiæ flammis succensi, nunquàm acerbius exardescunt, quàm ubi mentem Christianam generosè reluctantem offendunt. S.P. Augustinus. *Qui malo animo virum bonum iracundiæ furore succensus conatur incendere, utrùm ille possit exuri, ad huc dubium est: quod autem iste jam ardeat, dubium non est, quia fortè ille vir bonus spirituali succo & S. Spiritus refrigerio plenus, apposito persecutionis igne non ardet. Ille verò, qui eum conatur exurere, sine dubio non potest non ardere.* Cæterùm bonum exemplum tum demum splendorem clarissimum spargit, dum aliòs ad virtutis palæstram provocat. D. Thesaurus de Gereone ad prelium accinctò, manibusque ardentes sustinente faces, in hæc verba canit.

Tentator. Aug. serm. de Tem. Bonum exemplũ.

Face & gladio armatos producit.
Nam virtus in exemplum posita
MICAT, DUM DIMICAT.

33. Chimæra, capite & pectore leonem, ventre capram seu hircum, reliqua verò caudâ serpentem referens, ignem vomebat ore, vicinosque passim urebat. De hoc monstro canit Ovidius.

Ovid. 9 Metamorp.

--- --- Mediis in partibus hircum,
Pectus & ora leæ, caudam serpentis habebat.

Flammas ore vomuisse Virgilius author est.

Virgilius 6 Æneid.

--- --- flammisque armata chimæra &c.

Unde lemma. URIT FLAMMIS ARMATA VICINOS. In triformi hoc monstro exactam libidinis imaginem exhibent Mythologi; illa enim cum impetu & ferociâ, instar leonis, invadit hominem; ut hircus progreditur, fœtoremque spurcissimum exhalat; tandem verò acerrimos doloris & pœnitentiæ aculeos post se relinquit mordetque in fine instar colubri. Nec frustrà hoc monstrum vomit ignem, quo & se ipsum homo libidinosus, aliosque vicinos passim cremare ac consumere significatur. In hanc rem exclamat S. Hieronymus. *O ignis infernalis, luxuria! cujus materia, gula; cujus flamma superbia; cujus scintilla, prava colloquia; cujus fumus infamia & immunditia; cujus finis gehenna.*

Libidinis imago. S. Hieronym. in Epistolis

CORNU-COPIÆ.

CAPUT XIII.

34. Bartholomæus Rossius S. Carolum Borromæum, prodigiosum Orbis Christiani Thaumaturgum, Emblemate repræsentaturus, Cornucopiæ depinxit; cum lemmate. HINC OMNE BONUM. Plautus bonorum omnium scaturiginem Virtutem statuit.

S. Carolus. Virtus.

Virtus præmium est optimum, virtus omnibus
Rebus anteit profectò. Libertas, salus, vita,
Res, parentes, patria, & prognati tutantur, servãtur
Virtus omnia in se habet: omnia adsunt bona, quem
Penes est virtus.

Plaut. in Amphytriõe.

Justo Lipsio bona conscientia bonorum omnium est cumulus. *Bonus animus*, inquit, *& sibi conscius, summum bonum est.* Eodem lemmate innumera emolumenta, è Pace proficisci solita, explicantur. De hac Silius Italicus.

Bona Conscientia. Lips Cent 2 ad Belg. Epist. 85. Pax. Sil Ital l 11

--- --- --- Pax optima rerum.
Quas homini novisse datum est, pax una triumphis
Innumeris potior, pax custodire salutem
Et cives æquare potens &c.

Deniq; S. Augustinus omnem meliorem successum è Charitate, ceu amplissimæ Cornucopiæ, profluere docet; *Adde charitatem*, inquit, *prosunt omnia. Detrahe charitatem, nihil prosunt cætera: quale bonum est charitas fratres? quid pretiosius, quid luminosius, quid firmius, quid utilius, quid securius!*

Charitas. S. Aug. serm. 5 de Verb. Dom.

35. Omnia bona illis afluere, qui Divinis obsequiis se totos devoverunt, è Cornu-copiæ, diversis fructibus ac floribus turgente, disces. Lemma additum è Psalmo. DILIGENTIBUS LEGEM TUAM. Vadem habeto ipsummet Deum. *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur.* Idque in Lege Evangelica innovans. *Quærite*, inquit, *primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Prorsus charistianè Titus Livius. *Omnia prospera eveniunt colentibus Deum, adversa spernentibus.*

Psal. 118.165. Cultus Dei. Levit. 26 3. Matth. 6. 33. T. Livius l. 5

36. Duo Cornua-copiæ, medium caduceum complexa, epigraphen sustinent. VIRTUTI FORTUNA COMES. Nunquam enim non prospera & secunda omnia experitur, quisquis virtutis genuinæ vestigia legerit. Dilucidè Vates Regius de Viro justo disserens. *Omnia*, inquit, *quæcunq; faciet, prosperabuntur.* Et rursùs, *Nihil deest timentibus eum. Sic ergo*, subdit Magnus Augustinus, *timeamus Deum, ut diligamus eum; quia perfecta charitas foras mittit timorem servilem; atque ita abundantiam habere possimus securitatis, & plenitudidem omnium bonorum.*

Virtutem comitatur fortuna. Ps. 1.3. Psal. 33.10. S. Aug. serm. 213 de temp.

DÆDALUS.

CAPUT XIV.

37. Dædalus, cereis instructus alis, iter aëreum adeò cautè pervolabat, ut justo inter solem & Oceanum relicto spatio, nullum è solari calore periculum sustinuerit; Icaro econtrà, dum justo altius evolabat, mox ob ceram, solarium radiorum vehementiâ liquefactam, in mare præcipitato. Lemma. INTER UTRUMQUE SECURUS. seu, MEDIO TUTISSIMUS. Quisquis enim mediocritatis limites egreditur, aut nimium sublevatus,

Mediocritas.

tus,

tus, aliorum invidiam incurret; aut nimium depressus, omnium ludibrio exponetur. Natalis Comes, hanc fabulam ad mores transferens. *Neque alia de causa*, inquit, *hæc celebrata sunt à Poetis, nisi ut demonstrarent, divitiarum & rerum omnium excellentiam nemini esse tutam, optimamq; esse mediocritatem, quæ neq; invidiam secum trahit plurimorum, neq; tamen contemnatur, quod patitur infima hominum conditio.* Cui assentiens Tullius, *Civem*, ait, *oportet æquo & pari cum civibus jure vivere, neq; submissum & abjectum, neq; sese efferentem.* Has ipsas mediocritatis leges religiosè observatas habeat prudens Amator; neque enim ad res conditione suâ altiores, neq; ad inferiores unquam trahi se patiatur. Appositè Otho Venius.

Natal. Comes l 7. Mythol cap. 16

Amans.

> *Dædalus en medium tenet, extrema Icarus, ille*
> *Transvolat, hic mersus nomine signat aquas.*
> *Gaudet amor medio; nec summa nec infima quærit;*
> *Si qua voles aptè nubere, nube pari.*

34. Dædalus, labyrintho inclusus, cùm terrâ marique negatum sibi videret effugium, solus restabat aër, per quem fugam duxit esse tentandam. Proindè (uti in rebus arctis solers est humanum ingenium) conficit è cera alas, annectit eas humeris, &, avium in modum libratus, è Cretâ in Insulam Sardiniam aërium carpit iter. Volanti Dædalo epigraphen subjecit Dux Paliani Pompejus Columna. NIL LINQUIT INAUSUM. Tanta vis est ingenii, ut nullis claudi possit repagulis ac difficultatibus, quin unam saltem inveniat elabendi rimulam; Id quod, Ovidio teste, Dædalus verbis ostendit & factis.

Ingenium solers,

Ovidius 8 Metamorp

> --- --- *Terras licet, inquit, & undas*
> *Obstruat; at cœlum certè patet, ibimus illac;*
> *Omnia possideat, non possidet æthera Minos:*
> *Dixit & ignotas animum divertit in artes,*
> *Naturamque novat.*

Verissimè adeò Magnus Augustinus. *Omnium actionum humanarum mater est necessitas.* De hac mentis humanæ libertate Ovidius.

S. Aug. serm. 118 de Divers cap. 2
Ovid. l. 4. Trist.

> *Sola nec insidias inter, nec militis ensem,*
> *Nec mare, nec ventos, barbariemque timet.*

Et rursùs.

Idem l. 3 Eleg. 7

> *En ego cum patriâ caream, vobisque, domoque,*
> *Raptaque sint, adimi quæ potuère mihi.*
> *Ingenio tamen ipse meo comitorque, fruorque;*
> *Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.*

39. Dædalus parens, ne quidquam adversi è cereis alis sustineret Icarus filius, hoc eum paterno monito est hortatus. ME DUCE CARPE VIAM; vel ut Ovidio placet,

Ovid l de Arte.

> *Me pennis sectare datis: ego prævius ibo;*
> *Sit tibi cura sequi; me duce tutus eris.*

Exemplū parentum & superiorum.

Nempe parentum exempla sunt optimi filiorum magistri; idque imitentur parentes, probitate vitæ liberos suos in sequelam tracturi. Magni Augustini doctrina est. *Ut facilius sanctis, sunt permanere debetis. Corrigite arguendo, consolamini alloquendo, exemplum præbete benè videndo.* Ita facit Deus ipse, *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum* (Populum Israeliticum) *atq; portavit in humeris suis.* De se ipso testatur Christus, *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* De hoc rursùs Sanctus Pater Augustinus. *Christus venit in hunc mundum, ut exemplum sursùm videntibus Deum, exemplum deorsùm mirantibus hominem, exemplum sanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convalescendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad resurgendum.*

S. Augustin. Præfat. in Psalm. 50
Deut. 32
Christi exemplum.
Ioan. 13. 15
S Aug lib 7 de Trin. c. 3

DANAIDES.

CAPUT XV.

40. BElides seu Danaides sorores, ob interfectos maritos eo supplicii genere perpetuò damnatæ sunt, ut rimosum dolium cogantur implere aquis, è quo tantundem semper effluit, quantùm infunditur. Lemma. ASSIDUE REPETUNT, QUAS PERDANT. Ad verbum Ovidius.

> *Assiduè repetunt, quas perdant, Belides, undas.*

Ovid. 4 Metamor

Danaidum dolium perfluens indicat, beneficia in ingratos non conferenda; effluit enim è memoria, è grata mentis recordatione, & agnitione gratiæ, quidquid infundas. Avaris quoque aut prodigis nihil unquam est satis. Inexplebilis quippe est auri sitis, neque unquam, si Pactolum, Tagum, auriflua bibat flumina, exsaturabitur; & qui semel sua per luxum fundere cœpit, quidquid hauserit, exhauriet. Garrulis etiam dolium illud accomodatur, qui, ut est apud Comicum, *pleni rimarum, hàc, illacq; diffluunt.* Aggæi ore adversùs populum Israeliticum queritur Deus, *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Operariis ac mercatoribus hoc dictum velim, nimirùm labores & operas, quibus diu noctuque fatigantur, incassum cadere ob Dei cultum neglectum. Quare si lucrum inde cupiant, Deum invocent, colantque juxtà illud Christi promissum, *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Quærentibus enim primùm regnum Dei*, subinfert Magnus Augustinus, *id est, hæc præponentibus cæteris rebus, ut propter hæc cætera quæramus, non debet subesse solicitudo, ne illa desint, quæ huic vitæ propter regnum sunt necessaria.* Cæterùm in sacculum seu dolium pertusum mittit mercedem suam, qui, post bona opera & merita in peccatum mortale prolapsus, ea sordidat, perdit, ac dissipat; uti in illum Aggæi locum observat S. Hieronymus.

Ingratu
Avarus
Prodigi
Garrul
Agg. 1. 6
Labor[...] cultu [...] frustraneus.
Matth. 6
S Aug [...] de serm Dom in Monte c
Peccat[...] mortal

DAPHNE.

CAPUT XVI.

41. DAphne pudicitiam suam Apollinis libidini fugiendo subduxit; quâ de causa meruit in laurum converti, arborem triumphalem ac castissimam; quæ nec frigoris, nec ardoris violentiâ se corrumpi patitur, perpetuò virens, semper illibata. Emblemati epigraphen addidit eruditissimus P. Michaël Pexenfelder. IN FUGA VICTORIAM. Vel, USQUE VIRET SEMPER; verbis ex Ovidio mutuatis,

Castit[...] fugien[...] salvatu

Ovid l Trist. El 1

> *Usque viret semper, laurus, nec fraude caducâ*
> *Carpitur, æternum sic habet illa decus.*

S. Thomæ Aquinatis, eorumque omnium hæc imago est, qui post obtentam è Venere victoriam, in Lauros adeò invictas ac perpetuò virentes sunt immutati, ut in castimoniæ virtute firmati, nullum amplius libidinis sensum sint experti. De S. Thoma Aquinate testatur S. Ecclesia, *Muliere, quæ ad labefactandam ejus constantiam introducta fuerat, titione fugavit.*

S. Thom. Aquin
Brev [...]m. 7 Mar

fugavit. Mox beatus Juvenis flexis genibus ante signum Crucis orans, ibiq; somno correptus, per quietem sentire visus est, sibi ab Angelis constringi lumbos, quo ex tempore omni postea libidinis sensu caruit. S.Philippus Nerius suam virginitatem adversùs Cæsariam, procacem fœminam, victoriâ adeò illustri defendit, ut postea nullum amplius carnis lascivæ motum sit expertus, neque plus periculi à mulieris, quàm à lapidis aspectu senserit. Fugam, ceu unicum optimumque antidotum adversùs luxuriam iteratò inculcat Magnus Augustinus. *Experto crede*, inquit, *expertus loquor, coram Deo non mentior, Cedros Libani, Duces gregum, sub hac peste luxuriæ cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quàm de Ambrosii & Hieronymi impudica turpitudine. Fuge itaque omnem suspectam societatem fœminarum.*

Aug. serm. ... verb. Dom.

DIANA.

CAPUT. XVII.

...astitas sit ...emata.

42. DIanam, Virginem castissimam, pharetrâ & arcu instructam fingunt Poëtæ. Lemma. SERVAT ARMATA PUDOREM. Indicant nimirùm, castitatem semper debere incedere armatam, & ad reprimendos hostium impetus accinctam. Arcum Dianæ sensit pudicitiæ ejus insidiator Gigas immanis, Orion nomine, quem telis suis confodit, & monstrum è terra natum, latè in terra porrexit. Horatius de eo,

...rat. l. 3 ...d. 4

> *Testis mearum centimanus Gigas*
> *Sententiarum notus, & integræ*
> *Tentator Orion Dianæ*
> *Virgineâ domitus sagittâ.*

Anima humana nunquàm non armata sit, ut adversùs quævis hostium tela innocentiam pudoremque suum tueri possit. Unde hortatur Apostolus, *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli &c.* Oculatum testem habeto S.Antonium, cujus verba S.Athanasius ita recenset. *Hostile dæmonibus contra omnes Christianos, maximè verò contra Monachos & virgines Christi, odium est. Eorum semitis laqueos tendunt, eorum mentes impiis & obscœnis cogitationibus nituntur invertere; sed nihil nobis in hoc terroris incutiunt, fidelium enim orationibus atque jejuniis ad Dominum statim corruunt.*

...hes. 6. 11 *Athan. in ... S. Anto.*

FAMA.

CAP. XVIII.

...ulierum ...stabili...

43. ABbas Ferrus Famæ effigiem illo Virgilii lemmate affecerat. MOBILITATE VIGET. Mulierum volubilitatem, ceu hæreditariam, hæc imago depingit, disticho, è Glossa relato, id confirmante,

...os. c. fortu. ... verb. sign.

> *Quid levius fumo? flamen, quid flamine? ventus.*
> *Quid vento? Mulier. Quid muliere? nihil.*

Huic non absimilis alius, à P.Aloysio Novarino adductus.

...var. Aqu ...ptial n. ... 4

> *Penna levis, levis est pumex, levis aura; sed ipsâ*
> *Fœmineâ levius quid levitate vides?*

Unde mulier, sicuti in plerisq; omnibus, ita maximè in servandis arcanis est levissima. Valerii dictum est. *Quid muliebri garrulitati committas, quæ illud solùm potest tacere, quod nescit.*

... l. in Ep. ad ...fum.

...ofectus. 44. Fama epigraphen præfert. VIRES ACQUIRIT EUNDO. Simile honoris ac meriti incrementum etiam è virtute capimus. Lipsius, *Bonis meritis*, inquit, *cum ætate dignitas & pondus accedit.* P.Ludovicus Sotomajor cœlestem sponsam, assiduo augmento, primò auroram, posteà Lunam, & denique solem cognominatam animadvertit; *Progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol. Ab eo*, inquit, *quod suâpte naturâ imperfectius est, à luce surgentis auroræ, atque etiam lunæ, quando plena est ad lucem solis, quæ perfectissima & præstantissima est, rectè & gradatim procedit, ut sit auxesis, seu gradatio quædam in his comparationibus, quæ ad laudem reginæ, sponsi pertinent.*

Lipsl. ... in Physiolog. Præfat. *Cant. 6 Lud. Sotom. in hunc loc.*

45. Famæ insuper non incongruè subscribes, AUGET, ET MINUIT. Qui detractioni, aliisque pravis animi affectibus assuevêre, idem vitium cum fama commune habent; addunt enim demuntque historiæ filo, prout malitiæ suæ magis opportunum duxerint. Unde sapienter monet D.Augustinus, *Si laudanti amico credendum non est, nec inimico detrahenti.* De Fama canit Ovidius.

Detractor *S. Augustin. lit. Petil. l. 3 cap. 10* *Ovid. Metam. 9*

> *--- --- Fama loquax pervenit ad aures*
> *Deianira tuas, quæ veris addere falsa*
> *Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.*

Et Silius Italicus.

Sil. Ital. l. 8

> *Vera & ficta simul spargebat fama per orbem.*

FORTUNA.

CAPUT XIX.

46. FOrtuna, globo insistens, velum manu agitat; cum lemmate. AUDACES JUVO. ita nimirùm optimi quique successus nostam industriam & sedulum cooperandi studium unicè exigunt. Si Ovidio fidem habeas.

Cooperatio. *Ovidius 10 Met.*

> *---- Audaces Deus ipse juvat.*

Cato. apud Salust.

Cato id confirmans, *Non votis*, inquit, *neque supplicationibus muliebribus auxilia Deorum parantur, vigilando, agendo, bene consulendo, prospera omnia succedunt; ubi socordiæ te & ignaviæ tradideris, nec quidquam Deos implores, irati, infestique sunt.* Et Elias Cretensis. *Spiritus sanctus iis demum libenter opitulatur, qui virtutem sibi consectandam proposuerunt, &, quæ suarum partium sunt, præstant. Unde etiam ait Apostolus; In patientia multa, in tribulatione, in necessitate, in angustia, in labore, in jejuniis, in Spiritu sancto. Videsne quemadmodum Spiritus sancti potentiam tunc posuerit, postquam ipse partes suas explevit? ergo spiritui quidem ipse confidit, sed tamen, quod etiam muneris sui est, præstat &c.*

Elias Cret. Orat. 1 de S. Greg. Naz.

47. Fortuna & Virtus, eodem Emblemate repræsentatæ, inscriptionem sustinent. RARO CONVENIUNT. Passim enim videas virtutem depressam, squalidam, ac extorrem, ignorantiam verò, cæteramque vitiorum colluviem, sublevatam ac honorum cumulo amplissimè exultam. E Lipsii sententia. *Rara est conjunctio Virtutis & Fortunæ, præsertim in modesto & sapiente: & bonæ mentis, ut inquit, soror est paupertas.* Et rursùs. *Paucos nuda virtus aut doctrina evexit.* Vulgatum Petrarchæ dictum,

Virtus egena. *Lips. l. 2. de Admirand. c. 15. Idem Centur. singul. ad German. epist. 15*

> *Povera, è nuda vai Filosofia.*

48. Joannes Ferrus Fortunæ effigiem hoc lemmate donavit. IL TUO SGUARDO FA L' HUOMO LIETO, E FELIGE, seu, ASPECTU BEAS,

Præsentia Dei.

BEAS. Hanc tamen proprietatem oculus ac præsentia Dei jure longè meliore sibi vendicant. Opportunè in rem præsentem narrat Pierius Valerianus, Basiliscum, cujus simulachrum Ægyptii in Deorum censu numerabant, oculos ita dexterè dispositos habuisse, ut ad sacrificulorum arbitrium claudi & aperiri potuerint. Ipsius verba sunt. *Hunc simul atque oculis adapertis proferebant, universa Ægyptus lætitiâ atque hilaritate perfundebatur, perinde ac si Deorum oculi eos aspicerent, opemque præsentem omnibus pollicerentur, Quod si clausis cum oculis extulissent, ibi tum omnia mœrore luctuque confundi &c.* Sed missis Gentilium deliriis, Cassiodorus in illud Psalmi, *Oculi ejus in pauperem respiciunt*; ait, *Beati redduntur, ad quos propitius respicit Deus: quoniam intuitus ejus beneficium est &c.*

Pier. Valer. l. 14. titul. Oculi Divûm.

Cassiod. in Psal. 10. v. 5

GANYMEDES.
CAPUT XX.

Principũ favor inconstans.

49. GAnimedes, subitò in æthera evectus, Jovis pocillatorem agere, Superûmque mensis nectar ministrare jubetur. Et ecce! mox scena vertitur; Jovis regiâ excesse, & in Zodiacum translatus, pro chrysendeto aqualem sustinere brachiis cogitur. Lemma. SIC GRATIA VERTITUR AULÆ. Hæc præmia vitam sequuntur aulicam. Dum floret ætas, viretque sanguis, gratissima servitur servitus. Si parùm quid offendatur, repentè serenum in tempestatem vertitur, & malis avibus abire jubentur, quos augurio læto felicitas ipsa advocâsse videbatur. Quidam interrogatus, quomodò rem in aula rarissimam consecutus esset senectutem? respondit, *injurias accipiendo, & gratias agendo*; uti refert Seneca. *Mare qui intrat*, inquit Lipsius, *fluctus expectat: qui aulam, motus: In aulis lenta sunt beneficia, præcipites iræ; levissimo momento in indignationem Principes impelluntur.* In Ganymedem sic lusum est.

Seneca lib. 2 de Ira c. 34

Quid sibi vult pronæ Phygius puer urniger urnæ?
Regia quem volucris, nuper in astra tulit.
Siccine Divini liquido pro nectare pocli
Pincernæ gelidas dextera fundit aquas?
Hæc Jovis ex aula Ganymedis præmia? fusum
Principis ut vinum; gratia fluxa perit.

Invisii non nocent.

50. Invidi, dum homines virtuosos impetunt, canes illos imitantur, qui Ganymedem, suprà Aquilam ad cælos evectum allatrabant: ambo enim, asserente Emmanuele Thesauro, LATRANT, NON LACERANT. S. Augustinus. *Sicut ærugo ferrum, ita invidia illam ipsam animam, in qua est, interimit & consumit.* Unde Emblemati etiam inscribere licet, LATRATUS IN AURAS. Verbis è Virgilio desumptis,

S. Aug. serm. 83. de Tem.

--- --- *Sævitque canum latratus in auras.*

Virgil. 5. Æn.

Im rem præsentem S. Chrysostomus. *O invidia, quæ semper sibi est inimica! Nam qui invidet, gloriam parit.*

S. Chrysost in Matth.

GERYON.
CAPUT XXI.

Concordia.

51. GEryoni tricorpori inscripsêre. GENUS INSUPERABILE BELLO. Hinc discas velim, quantum in superandis hostibus vel unica possit multorum concordia. Alciatus eidem Emblemati hunc titulum præfixit, *Concordia insuperabilis*; suamque mentem sequenti epigrammate explicat.

Tergeminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta simul pietas mutua, & unus amor.
Invicti humanis ut viribus ampla tenerent
Regna, uno dicti nomine Geryonis.

S. Gregorius Papa illud Divini epithalamii explicans, *Terribilis ut castrorum acies ordinata: castrorum acies*, inquit, *tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit stipata atque densata, ut in nullo loco interrupta censeatur: & nos ergò cùm contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summoperè necesse est, ut per charitatem semper uniti atque constricti, nunquam interrupti per discordiam inveniamur.*

S. Gregor hom. 8. in Ezech.

Cantic. 6

HERCULES.
Cap. XXII.

52. HErcules, etiamnum in cunis vagiens, serpentes discerpsit. Lemma. FORTES CREANTUR FORTIBUS. Ita nimirùm plurimùm juvat, parentibus natum esse generosis, ac virtute inclytis. Horatius.

Natale[s]

Horat. l. Ode 4

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

53. Hercules, hydram jugulans, epigraphen reddit. QUO DIFFICILIUS, EO PRÆCLARIUS. Ea nempe facinora sunt digna heroë, quæ nonnisi inter gravissimas difficultates eduntur. Appositè Sanctus Ambrosius. *Non potest quis præmium accipere, nisi legitimè certaverit. Nec est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina.*

Gloria [in]ter diffi[cul]tate crescit.

S. Ambr. Offic.

54. Idem Emblema, Hercules nimirùm, ab hydrâ triumphans, epigraphen tenet. VIRTUTE ET PATIENTIA. Harum enim conjunctæ vires victoriam felicitatemque omnem haud operosè assequuntur, nullamque adversitatem non superant. Horatius.

Patien[tia]

Perrumpit Acheronta Herculeus labor.

Et Antiphanes.

Domat atque subigit cuncta, diligentia.

Præclarè Seneca. *Nihil est tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat.*

Seneca de Ira.

55. Mens generosa, nulloque unquam metu concutienda, Herculem imitatur, qui hydram interimens, epigraphen legendam offert. TU NE CEDE MALIS. Verbis è Virgilio mutuatis.

Anim[us] impert[er]ritus.

Virgiliu Æneid.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Fortes enim, inquit Tullius, *non modò fortuna adjuvat, ut est in veteri proverbio, sed multò magis ratio.*

Cicero Tuscul.

56. Elevati Ferrarienses, symboli loco, Herculem præferunt, qui adversùs Antæum, Terræ filium, victor; epigraphen reddit. SUPERATA TELLUS SIDERA DONAT. Ad verbum Boëtius.

Boet. l. 4 Consol. Metro

Ite nunc fores, ubi celsa magni
Duxit exempli via, quid inertes
Terga nudatis? superata tellus
Sidera donat.

Mund[um] vincer[e]

Præclarè,

S. Aug. serm. ... c. 2. Præclarè, ut solet Magnus Augustinus. *Duplicem mundus aciem producit contra milites Christi; blanditur ut decipiat, terret ut frangat. Non nos teneat voluptas propria; non nos terreat crudelitas aliena, & victus est mundus. Ad utrosque aditus occurrit Christus, & non vincitur Christianus.* Eandem imaginem cuivis Beato, inter Sanctos recensito; uti & Beatissimæ Virgini ad cœlos assumptæ; & Christo in cœlos revertenti, propriam statues. Urbanus VIII. virtutem in hæc verba loquentem introduxit. Urban VIII. ... adhortatoria ad virtutem.

Si me sequeris per loca sentibus
Infesta, tesquis horrida, per nives,
Per saxa, per montis cacumen,
Sternet iter tibi ferrum & ignis:
Ureris æstu, pulvere sordibus
Pulchro, madebis tempora nobili
Sudore, non fractus labore, &
Magnanimo generosus ausu.
Evectus alis hisce per æthera
Tranabis ignem, & lactis iter pede
Premens, coruscanti micabis
Luce novum decus inter astra.

57. Hercules, cœlum humeris sustentans, epigraphen subjunctam habet. NOVIT PAUCOS SECURA QUIES. Hinc demonstrabis, hominum animos, quantò majori nobilitate, ac perfectione exultos, tantò graviori laborum pondere fatigari. Exemplo sint Jurisconsulti, Belliduces, & Concionatores, quibus eò minùs otii, quò plus existimationis, accedit. Verùm non ea tantùm hominum sors, sed omnes omninò, quotquot mundi negotiis se devovêre, tranquillæ mentis voluptatem vix unquam delibant. Religiosissimus Thomas à Kempis, *Multam pacem*, inquit, *possemus habere, si non vellemus nos cum aliorum dictis & factis, quæ ad nostrã curam non spectant, occupare. Quomodò potest ille diu in pace manere, qui alienis curis se intermiscet? qui occasiones forinsecùs quærit; qui parùm vel rarò se intrinsecùs colligit? Beati simplices, quoniam multam pacem habebunt.* (margin: Quies. ... Labor ... Negatum ... proprius. Th. Kemp. ... l. 1. c. ... n. 1.)

Canentem audi Jacobum Billium. (margin: Jac. Bill. Anthol.)

Instant terrenis infesta pericula rebus,
Fervent pro damnis prælia, proque lucris.
Et nihil est inter carnalia vota quietum,
Nec pax solicitis, nec modus est cupidis.

58. Hercules, immani robore gigas, vastam mundi molem supra curvatos humeros moderatur; cùm lemmate. DONEC REDDATUR ATLANTI. Herculi non absimiles Principes purpurati, quibus, durante S. Ecclesiæ interregno, ad ipsam usque novi Pontificis, ceu Divini Atlantis, inaugurationem, universum Orbis Christiani pondus incumbit. Principum quoque Tutores, veluti Hercules, Provincias ac Regna tamdiu sustinent, donec Imperii hæres humeros, oneri adeò gravi ac glorioso æquales, supponere valeat. Cæterum lex vetus tamdiu moderabatur orbem, donec tota veræ fidei machina in Christum, veluti cœlestem Atlantem, sit translata. *Ideo vetus testamentum vocatur*, inquit S. P. Augustinus, *quia per novum aboletur.* (margin: Cardinale. Tutor Principis. Christus. ... Aug. in Ps. 104.)

59. Carolus V. imperio spontè suâ renuntians, filium suum Philippum II. Hispaniarum Regem nominavit. Unde Philippus se ipsum Herculis Emblemate repræsentavit, qui mundum humeris sustentans, inscriptionem habuit; UT QUIESCAT ATLAS. Eorum omnium hæc imago est, qui Reipublicæ, religionis, aut magistratus supremo munere abdicato, in successores illud transferunt. Christus, ceu Atlas cœlestis, æternam quietem in cruce auspicaturus; curam suam maximam ac supremam, quam in servandâ suâ dilectissima matre repositam habebat, in Joannem Apostolum transtulit his omninò verbis, *Ecce mater tua*; *id est*, interprete S. Augustino, *curam illius habe, eam tibi commendo, suscipe matrem tuam, &c.* (margin: Successor. Christus in cruce. Io. 19. 27. S. Aug. serm. de Passione.)

60. Inflammatus Patavinus symboli loco Herculem, ardenti rogo impositum, hâc inscriptione, ceu epitaphio, exornavit. ARSO IL MORTALE, AL CIEL N' ANDRA L' ETERNO. Id est. EX MORTE PERENNITAS. En! præclaram D. Martyris Laurentii effigiem! De illo nonnemo in hæc verba canit. S. Laurentius.

Ardevano nel cor cor d' Alcide il forte
D' Amor le fiamme, e le purpuree faci,
Quando sprezzati i fochi, asprie voraci.
Salisu' l rogo, ed incontrò la morte.
Che poi poggiando à le stellanti porte,
Scintillasse frà i lumi almi, vivaci
Menti la fama; e che le care paci
Godesse eterne in quell' eterea corte
Non frà i numi del Ciel, ma de l'inferno
Sen giaccia Alcide, Ecco il levita Ibero,
C'ha, pien di sacro ardor gl' incẽdii à scherno,
Che meraviglia poi se al Ciel superno,
Rapito dal terreno attro emisfero,
Scintillando fiammeggi in lume eterno.

Accommodatè Seneca, *Ego*, inquit, *Herculem fleam, quod vivus uritur; aut Regulum, quod tot clavis configitur, aut Catonem, quod vulnus suum iteravit? Omnes isti levi temporis impensâ invenerunt, quomodò æterni fierent: ad immortalitatem moriendo venerunt*: Hanc præceptionem plurimùm edoctus Magnus Basilius, cùm Modestus, Imperatoris Prætor, acerrimas exilii suppliciorum, ipsiusque adeò mortis minas intentaret, libero ac prompto ore respondit, *Mors mihi beneficii loco erit, citiùs enim me ad Deum transmittit, cui vivo. Ignis autem & gladius, & bestiæ, & virgulæ carnem lacerantes voluptati potiùs nobis, quam terrori sunt.* (margin: Seneca de tranquill. animi cap. 15. Mors utilis.)

61. D. Emmanuel-Thesaurus Abbas Cœlum, simul ab Hercule & Atlante sustentatum, hâc Politicorum maximâ, ceu Lemmate, insignivit. MAGNA NEGOTIA, MAGNIS ADJUTORIBUS INDIGENT. Ita Velleius Paterculus dicebat; *Magnos & eminentes viros magnis adjutoribus ad gubernandum fortunam suam usos esse.* Et Philo Hebræus. *Unus enim non sufficit, quantumvis alacer fortisque corpore simul atque animo, in tanta mole negotiorum ac multitudine quotidiè aliis affluentibus super alia: proindè assumendi sunt optimates selecti, spectatæ prudentiæ, fortitudinis, justitiæ, pietatisq́; incorrupti, & ante omnia infensi superbiæ: nam hujusmodi viri maximè idonei sunt ad sublevandum ope suâ bonum honestumque Principem.* Ita Pharaoni inservit Josephus, Davidi Joab, Salomoni Zabud, Dario Daniel, &c. (margin: Magistratus. Vellejus Paterc. Phil. Hebr. lib. de Creat. Principis. Gen. 41. 44. 2. Reg. 14. 21. 3. Reg. 4. 5. 1. Dan. 6. 4.)

62. D. Didacus Saavedra Herculi, unâ manu clavam, alterâ verò Leonis interempti exuvias sustinenti, inscripsit. FORTIOR SPOLIIS. Enimverò hostium superatorum manubiæ ac fixa trophæa ingentes victrici animo vires addunt. Ita Vocula, teste Cornelio Tacito, exercitum suum in hostili terrâ hospitari voluit, *ut prædâ ad virtutem incenderetur.* (margin: Spolia. C. Tacit. l. 4. histor.)

63 Academia Altorpiensis Symboli loco Herculem, clavâ munitum, & adversùs Centauros dimicantem, præfert; cum lemmate. CERTAMINE GAUDET. Innuit videlicet, virtutem, juratam otii hostem, assiduos amare conflictus, suasque vires nunquam non exerere. Seneca, *Quidam*, inquit, *ultrò se cessantibus malis obtulerunt, & virtuti, ituræ in obscurum, occasionem, per quam innitesceret,* (margin: Virtus. Senec. licur bonis viris. cap. 4.)

quæsierunt. GAUDENT magni viri aliquando rebus ADVERSIS, non aliter, quàm fortes milites bellis. Vide integram viri sapientissimi dissertationem, quam prolixè ac doctè prosequitur.

Adolescentia lubrica.

64. Hercules, etiamnum juvenis, in virtutis & voluptatis bivio positus, egregiam de se ipso victoriam retulit. Nam repudiatis vitæ mollioris illecebris, virtutem, ad ardua vocantem, generoso voluptatis oblatæ contemptu, est secutus. Unde Herculi, dexteram virtutis viam ingressuro, subscribes. DURIOR ISTA PLACET. Equidem lubricè ambulat adolescentia; videt meliora, nec raro probat; plerumque tamen peiora sequitur. Potens est illicium pravitatis, censeturque via tutior, quà plures præcedunt; sed fallit exitus. Sapientissimus Regum, inter ea, quæ difficillimam videbantur habere explicationem, numerat *viam viri in adolescentia sua.* Est enim mobilis, vaga, instabilis hæc ætas ob calorem & fervorem sanguinis. S. Ambrosius eleganter in illum Proverbiorum locum commentatus, *Qui est parvulus declinet ad me,* (meretricem illecebrosam) *& vecordi locuta est &c.* ait, *Hæc mulier est suada meretrix, seu vecors voluptas, meritricio procax motu, infracto per delicias incessu, nutantibus oculis, & ludentibus jaculans palpebris retia, quibus pretiosas juvenum animas capit: quemcunque viderit sensu indignum, prætereuntem, sermonibus adoritur gratiosis, quibus facit juvenum avolare corda, pudore vilis, amictu dives, genas picta, vitiorum sucoincta comitatu, & quodam nequitiarum choro circumfusa. Thesauros demonstrat, regna promittit, amores spondet, inexploratos concubitus promittit, sine pædagogo disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine solicitudine, mollem somnum, inexplebilem cupiditatem. Atque hæc est illa seductrix, quæ parvulos, hoc est, juvenes imprudentes in transversum agit, à dextro tramite in sinistrum torquet.*

Prov 30.
Prov 9.15.
S.Ambr.l.de Cain.& Abel.c.4.

65. Petrus l'Abbè, Ludovicum XIV. Galliæ Regem Emblemate significaturus, Herculis clavam depinxit; quæ, ex oleæ ligno confecta, & pacis est instrumentum, & in bello ad monstra sternenda deservit. Lemma. ET BELLI, ET TESSERA PACIS. Unde ad Regem conversus, cecinit,

> *Quam dedit Alcidi mendacem fabula clavam,*
> *Hanc tibi veracem clavam tua Gallia tradit.*
> *Hanc Ludovice geres; erit hæc quoq; cognita monstris*
> *Et belli vindex, & sacræ tessera pacis;*
> *Alcides tu verus eris.*

S. Crux.

Quod de Herculis clavâ, jure longè majore de S. Cruce intelligere licet, quæ non tantùm ad salutem nostram conservandam, sed & ad hostes repellendos est opportunissima. S. Augustinus. *Opus est ut in navi simus, hoc est, ut in ligno portemur, ut mare hoc transire valeamus. Hoc autem lignum, quo infirmitas nostra portatur, crux est Domini, in qua signamur, & ab hujus mundi subversionibus vindicamur.*

S.Aug serm. 22 de divers cap.2.

Justitia vindicativa.
S.Crux.

66. Herculis clavam hoc lemmate insignivit Petrus l'Abbè. NOXIA MONSTRIS.

> *Arma tamen sunt danda homini, sed noxia monstris.*

Justitiæ vindicantis hæc idea est, quæ nonnisi adversus sceleratos stringenda est. Porrò S. Crux, sicuti hominibus est saluberrima, ita infernalibus monstris fatalem se exhibet. S.P. Augustinus. *Crux fidelibus non est opprobrium, sed triumphus. Crux illa vexillum nostrum est contra adversarium nostrum diabolum.*

S.Aug.l.4.de symb.c.5.

Virtus.

67. Tametsi Pygmæi ingenti numero adversus Alcidem nitantur, conatu tamen semper irrito reprimuntur, ac hosti triumphum cedunt. Unde Emmanuelis Thesauri lemma. VOLUNT, NON VALENT. Malevolorum hæc idea est, qui virtutem heroicam frustra opprimere conantur. Porrò S. Ecclesia, quamvis plurimorum viribus infestata, semper tamen triumphat. S. P. Augustinus. *Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, non cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis.*

S.Eccles.
S. August. Psal. 60.

Eloquentia. Concionator. Gratia Dei.

68. E Gallici Herculis ore catenulas aureas prodiisse ajunt, quibus populos passim in suas partes attraxerat. Emblemati subscripsit Emmanuel Thesaurus. VI SUAVI. Eloquentiæ hæc virtus est, quæ auditores, quantumvis renitentes, in suam sententiam rapere novit; Id quod cumprimis de insigni quodam Concionatore dixeris. Idipsum gratia Divina assolet, quæ *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* De æterna Sapientia exclamat S. Bernardus. *O sapientia, quæ attingis à fine usque ad finem fortiter, in instituendis & continendis rebus; & disponis omnia suaviter in beandis & ordinandis affectibus: dirige actus nostros, prout nostra temporalis necessitas poscit; & dispone, prout tua veritas æterna requirit.*

Sap. 8.1.
S.Bernar serm.50. Cant.

JANUS.

Cap. XXIII.

Vir prudens.

69. Jani bifrontis imago epigraphen subjunctam habet. NON ILLI ALTERA SATIS. Vel, HINC INDE. Vel certè. ANTE RETROQUE. Viri prudentis hæc effigies est, qui res futuras æquè ac præteritas intuetur. Scitè Andreas Alciatus.

Alciat. Embl. 1..

> *Jane bifrons, qui jam transacta, futuraq; calles;*
> *Quiq; retrò sannas, sicut & antè vides.*
> *Te tot cur oculis, cur fingunt vultibus? an quod*
> *Circumspectum hominem forma fuisse docet?*

Et prior illo Terentius cecinit.

Terent. Adelphi

> *Istuc est sapere, non quod ante pedes modò est*
> *Videre, sed etiam illa, quæ futura sunt, prospicere.*

Bellidux.

Mentem adeò circumspectam in Belliduce penitùs necessariam censet Lipsius. *Argum esse oportet, inquit, qui dux est, in tergo, in fronte, in capite, in pedibus oculos habere &c.*

Ingenium vivax. Propheta.

70. Janum etiam hoc lemmate insignem proponunt. RECONDITA PANDO. Ita excellens ingenium complura arcana è naturæ penetralibus in apertam lucem profert. Ea insuper Prophetarum imago est, qui res occultas manifestant. Isaiam hoc encomio exornat Siracides. *Spiritu magno vidit ultima & consolatus est lugentes in Sion. usque in sempiternum OSTENDIT FUTURA ET ABSCONDITA,* antequam evenirent. D. Lucas non tantùm sanctam Elisabetham, sed etiam hujus maritum Zachariam vaticinante Spiritu imbutam fuisse testatur. *Zacharias repletus est Spiritu S. & prophetavit.* Utrumque brevi metro comprehendit S. Ecclesia.

Eccl.48.
Luc.c.1. 41 &

> *— Parens nati meritis uterque*
> *ABDITA PANDIT.*

Judicium extremum.

Denique eodem lemmate extremum judicium innuitur, in quo omnium hominum opera, hactenus sub conscientiæ involucro recondita, in orbis conspectum clarissimè proferentur: *Tribunal enim illud,* S.Hilario teste, *abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet; & ea, quæ nunc OCCULTA existimantur, luce cognitionis publicæ DETEGET.*

S Hilar. l.b.

JASON.

Cap. XXIV.

71. Ingentia pericula, in navigatione Colchicâ exantlanda; & horrenda discrimina, in auferendo vellere aureo proposita, generosum Jasonis animum nec ab itinere, nec à monstrorum aggressione absterrere potuerunt: quin; accenderunt magis, & ad audendum provocârunt. Unde lemma ex Ovidio mutuatum. APPARET VIRTUS, ARGUITURQUE MALIS. Hinc disces, animum, & bonitate naturæ præstantem, & virtutibus insigniter imbutum, laudabilique gloriæ cupiditate incensum, nihil sapere humile, nihil abjectum; quin potiùs ipsis difficultatibus exacui & ad fortiter, etsi periculosè, agendum inflammari. Habent hoc sublimes spiritus; per templum *Virtutis* ad ædem *Honoris* ascendere solent. Jason, ubique victor, demonstrat, virtuti & magnanimitati omnia cedere, omnia pervia esse; nec quidquam tam arduum, quod non constanti, improboque labore attingere, tuique juris facere possis: *Avida*, inquit Seneca, *est periculi virtus, & quò tendat, non quid passura sit, cogitat; marcet sine adversario, crescit in adversis.* Verissimè Silius. (Animus generosus.) (Seneca.)

--- --- --- Explorant adversa viros.

Et Seneca tragœdus. (Seneca.)

Virtutis est domare, quæ cuncti pavent

Nam Philosopho Romano teste. *Non quia difficilia sunt, multa non audemus; sed quia non audemus, difficilia sunt.*

ICARUS.

Cap. XXV.

72. Icarus, Emblemate propositus, epigraphen tenet. A CADER VA CHI TROPPO IN' ALTO SALE. Id est, *Ut lapsu graviore ruant, tolluntur in altum.* Eruditè S. Gregorius Nazianzenus. (Superbia præcipitatur.)

Suprà modum si metiere te, rues.

Seneca, regiæ celsitudinis pericula deplorans, canit (Seneca in Agamemn. 3.)

O regnorum magnis fallax.
Fortuna bonis, IN PRÆCIPITI
Dubioq; nimis EXCELSA LOCAS;
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumve sui tenuêre diem.

73. Icarus, è sublimi præcipitatus, inscriptionem refert. GLORIA POENA MAJOR. Idipsum Magnates compertum habent, dum è pristino felicitatis gradu delapsi, ærumnis tantò gravioribus affliguntur, quantò sublimius erat præcedentis fortunæ fastigium ac gloria. Scitè Juvenalis. (Lapsus magnatum.) (Juvenal. Satyr. 10.)

--- --- --- Qui nimios optabat honores
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

Lapsum pœnamque gravissimam minatur Deus iis, qui ambitioso honorum gradu in his terris præfulgent. *Potentes potenter tormenta patientur.* In hunc locum S. Isidorus, *Quapropter*, inquit, *retrahat se unusquisque ab hoc non tam honore, quàm onere; & aliorum locum, qui digni sunt, non ambiat occupare. Qui enim in erudiendis, atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis reperiatur, &c.* (Sap. 6. 7.) (Isidor. l. 2. de offic. c. 5.)

74. Joannes Ferrus ruenti Icaro inscripsit NON SON GIA L' ALE AL GRAN DESIO CONFORMI. Id est, TANTIS NON QUADRANT AUSIBUS ALÆ. Eos omnes hoc Emblema notat, qui ultra ingenii, nobilitatis, aut opum suarum vires ad dignitatum præcipitia evehi cupiunt. Vesano hoc ausu excœcatus Simon Magus, cùm dæmonum ope ad cœlos evolare contenderet, subitò prostratus, supino, ruptoque corpore in imam terram recidit. De hoc Sulpitius Severus; *Qui, cùm magicis artibus, ut se Deum probaret, duobus suffultus dæmoniis evolaret, orationibus Apostolorum, fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populo inspectante, disruptus est.* S. Ambrosius eâ alarum debilitate improvidam juventutem repræsentat, aitque, quod gentiles hâc Icari fabulâ *poetico sale declarare voluerunt prudentium maturitati tutos volatus esse per cœlum, juvenilem verò levitatem obnoxiam cupiditatibus mundi, refluentibus pennis, & per oblivia veritatis, meritorum compage resolutâ, majore pernicie in terram relabi.* Pari modo felicitatis nostræ volatus, hominum fulcimento, nimiùm quantùm infirmo, nixus, paulò post præcipitabitur, nisi gratiæ Divinæ alas prenset. Rursus in hanc rem S. Ambrosius. *Habet alas anima suas, quibus se possit libera levare de terris. Ergò quia volandi nobis data est copia, excitet in se unusquisque gratiam Dei, ac posteriora obliviscens, priora appetens ad destinata contendat. &c.* (Præsumptio imprudens.) (Simon Magus.) (Sulp. Sev. l. 2. histor.) (Juventus imprudens.) (S. Ambros. l. 3. de Virgin.) (Spes in hominibus non est figenda.) (S. Ambros. loc. cit.)

75. Icarum præcipitari necesse fuit, dum liquatâ alarum cerâ soli nimiùm propinquabat; incolumis haud dubiè evasurus, si patris vestigia legens, inter Solis calorem & maris humiditatem volâsset medius. Unde lemma, INTER UTRUMQUE SECURUS. Ita omninò Christianus, æquis intervallis inter spem Divini refrigerii, & metum extremi judicii constitutus, beatitatis assequendæ fiduciam penè indubitatam habet. Paucis rem totam explicat S. Gregorius Nazianzenus. (Spes & timor.) (S. Greg. Naz.)

Ne fide multùm, neve despera nimis,
Illud solutos efficit, pessumdat hoc.

Potestatem ejus timete, inquit magnus Augustinus, *misericordiam ejus amate; nec sic de misericordia ejus præsumatis, ut potestatem contemnatis.* (S. Aug. in Psal. 71.)

JUPITER.

Cap. XXVI.

76. Jupiter, intra tempestuosas nubes, fulminumque coruscationes conspicuus, fana, lucorumque quercus, sibi sacratas, sternit; cum lemmate. NEC SUIS ABSTINET. De illo Horatius. (Horat. l. 1. Carm. Od. 2.)

--- --- --- Rubente
Dexterâ, sacras jaculatus arces,
Terruit urbem.

Parentes illos hoc Emblemate delineatos putes, qui, judices nimiùm severi, in proprios filios severè animadverterunt. Inter hos facilè coryphæus Saul, crudele mortis fulmen, instar irati Jovis, in Jonatham, nobilissimum filium suum, vibravit; *Morte morieris Jonatha.* Hoc nihilo clementior Manilius Torquatus, *filium victorem*, referente Valerio Maximo, quod adversus imperium suum cum hoste manum confe- (Judices severi.) (1. Reg 14. 44.) (Val. Max. l. 2. cap. 9.)

conſeruerat, ſecuri percuſſit. Denique Conſtantinus Imperator amantiſſimo filio Criſpo, cum æmulorum invidiâ delatus eſſet, innocuam vitam eripuit.

77. Jupiter, fulmina in orbem vibrans, aquilam, miniſtram ſuam, ſemper intactam ſervat & incolumem. Unde inſcriptio, priori contraria, SUIS ABSTINET. Judicem partialem hæc imago repræſentat, qui pro affectu ſuo in exteros ſeverè animadvertit, conſanguineis & amicis propriis liberrimè dimiſſis. Davidi hanc notam inurit Sacra Pagina, qui in ſubditorum delicta caſtiganda celerrimus, Amonem inceſtuoſum, Abſalonem perduellem; & Adoniam, diversâ tyrannide Parentis regno inſidiantem, nec digito attigit. Graviter præcepit Deus. *Quod juſtum eſt judicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum. Ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujuſquam perſonam.* Pulchrè Petrus Ravennas. *Nihil adeò glorioſè lucet in judice, ſicut amare & exhibere juſtitiam ſine omni acceptione perſonæ. Teſte enim Cicerone, exuit perſonam judicis quiſquis amicum induit. Æquitas, cui judex obſequitur, ſiniſtram odii, vel amoris dextram neſcit. Nam talis eſſe debet juris miniſter, ut in ejus manu nullius auctoritate perſonæ titubet aut vacillet libra juſtitiæ.*

Judex partialis. — 1. Reg. 13. 31. 2. Reg. 18. 5. 3. Reg. 1. 6. Deut. 1. 29. — Pet. Raven. in epiſt.

78. Poëtæ teſtantur, apes in ore Jovis infantis mellificaſſe. Lemma. DULCESCUNT LABIA MELLE. Hinc diſces, Regem, qualis erat futurus Jupiter cumprimis benignitate, affabilitate, ac beneficentia pollere debere. De Joſia, Rege Hebræorum longè optimo, memorat Siracides, *Memoria Joſiæ in compoſitionem odoris facta, opus pigmentarii: in omni re quaſi mel indulcabitur ejus memoria.* De Platone Valerius Maximus, *Apes*, inquit, *æternæ felicitatis indices extiterunt, dormientis in cunis parvuli ori mel inſerendo.* Hieroni quoque, poſtea Siciliæ Regi, juſſu patris expoſito, propterea, quod ex ancilla natus eſſet, apes in os mella ingeſſerunt: quo oſtento pater, ab aruſpicibus admonitus, filium recepit, moribuſque & diſciplinis erudiendum curavit, per quas poſtea ad præmonſtratam regni majeſtatem facilè pervenit. Jovis nomine etiam Prælatos intelligere licet, qui, è Magni Auguſtini præceptione, *Magis amare appetant, quàm timeri.* S. Eccleſia teſte, in S. Ambroſii *infantis ore examen apum conſediſſe dicitur.*

Princeps benignus. — Val. Max. l. 1 cap 6. — Plin. l. 11. c. 5. — Prælatus benignus. — S. Aug. in Reg. — Brev. Rom. 7. Decemb.

79. Jupiter, ad regni ſolium evectus, ſeſe libidinis explendæ causâ, in varias beſtiarum formas vertiſſe fingitur à Poëtis; quorum alius ei cornua impoſuit, alas alii, &c. Lemma. IN BRUTUM LASCIVIA VERTIT. Significabant nempe hominem rectæ rationi obtemperando, ſuaſque cupiditates intra orbitam continendo, quaſi quemdam in cœlo Jovem eſſe; hanc verò dignitatem, ſi terrenis ac brutis libidinibus ſubjiciatur, cum Jove in varias turpitudines, hoc eſt, beſtias & pudenda dedecora abire. Pſaltes Regius queritur, *Homo, cùm in honore eſſet* (hoc eſt, dignitate proximè ad Deum accederet) *non intellexit* (nobilitatem ſuam) *comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* In hunc locum S. Auguſtinus. *Non facit Deus ſic hominem, quomodo facit jumentum; ſed fecit Deus hominem, cui ſervirent jumenta. Ille autem non intellexit, & qui factus erat ad imaginem Dei, comparatus eſt jumentis inſenſatis.*

Libido hominem in brutum vertit. — Pſal. 48 13. — S. Aug. in Pſ. 48. conc. 1.

80. Jupiter, Deorum Rex flagitioſiſſimus, Europam, Agenoris Phœnicûm Regis filiam, in ſpeciem bovis transformatus, rapuit, & in Cretam Inſulam transvexit. Lemma. INDUITUR FACIEM TAURI. Verbis ex Ovidio mutuatis.

Non benè conveniunt, nec in una ſede morantur
Majeſtas & Amor, Sceptri gravitate relictâ,
Ille Pater, Rectorque Deûm, cûi dextra triſulcis
Ignibus armata eſt, qui nutu concutit orbem,
Induitur faciem tauri, miſtuſque juvencis,
Mugit, & in teneris formòſus obambulat herbis.

Ovid. 2. Metam.

Ineſt huic fabulæ turpi doctrina pulchra. Oſtendere namque Commentores ingenioſi voluêre, quanta vis æſtus, & furor ſit libidinis; quæ, ubi prævaluit rationi, ad nullum non dedecus atque turpitudinem, rapit, adeò, ut nonnunquam viri inſignes, quaſi è rationis humanæ domicilio exierint, non dubitent cum ſumma dignitatis & exiſtimationis ſuæ jactura, frenos cupiditatibus, brutorum in morem, laxare. Nempe homo propter indomitas cupiditates *Comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Hoc effrænata laſcivia poteſt; unde Regius Vates canit. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* S. P. Auguſtinus. *Omnes facti ſunt ad imaginem Dei, niſi terrenis cupiditatibus conterant, quod ille formavit.*

Libido hominem in brutum vertit. — Pſal. 48. 13. — Pſal. 31. 8. — S. Aug. in Pſal. 57.

81. Jupiter, humanâ ſpecie terrarum orbem peragrans, hoſpitio undique excluſus eſt, donec tandem à Philæmone & Baucide, grandævis ſimul & pauperculis conjugibus, in agreſti caſa & tenui apparatu, qualem nimirùm anguſta res domeſtica ferebat, amicè cum Mercurio comite fuerit exceptus. De hoc Ovidius.

Mille domos adiêre, locum, requiemq; petentes:
Mille domos clauſêre ſera, tamen una recepit,
Parva quidem ſtipulis, & canna tecta paluſtri.

Ovid. 8. Metam.

Unde lemma. TAMEN UNA RECEPIT. In hoc fabulæ involucro adumbratus cernitur Deus homo; cui in hunc mundum *nato, non erat locus in diverſorio.* Porrò Deus, tametſi omnium aliorum animis excluſus, à ſimplicibus tamen ac pauperibus recipi, illoſque arcanis ſuis cæleſtibus dignari conſuevit. S. Paginâ teſte. *Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus.* S. Gregorius. *Cum ſimplicibus Deus ſermocinari conſuevit, quia de ſupernis myſteriis illorum mentes radio ſuæ viſitationis illuſtrat, quos nulla umbra duplicitatis obſcurat.*

Nativitas Chriſti. — Luc. 2. — Pauperes — Prov. 3. 32. — S. Greg. 3. Paſtor. ad mon. 12.

JUSTITIA. *Caput* XXVII.

82. JUſtitia, vultu juvenili & ad venuſtam majeſtatem compoſito, gladium ac bilancem manu ſuſtinet; cum lemmate. CUIQUE SUUM. Juriſconſultis *juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas, jus ſuum unicuiq; tribuens, non quantum ad actū, ſed quantum ad affectum.* S. Anſelmus, *Juſtitia*, inquit, *eſt animi libertas, tribuens unicuique ſuam propriam dignitatem, majori reverentiam, pari concordiam, minori diſciplinam, Deo obedientiam, ſibi ſanctimoniam, inimico patientiam, egeno operoſam miſericordiam.*

Juſtitia. — S. Anſelm. Cur Deus homo.

83. Alius eidem inſcripſit. NULLO FLECTITUR OBSEQUIO. Extremi tribunalis hæc imago eſt, ubi nulla ad judicem flectendum prodeerunt munera vel obſequia. *Argentum eorum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini.* Unde *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ſua.* S. Bernardus. *Quid faciet de injuſtis judiciis, qui ipſas quoque juſtitias judicabit, qui cujuſque merita recitabit? Veniet inquam, veniet Dominus judicii, ubi plus valebunt pura corda, quàm aſtuta verba, conſcientia bona quàm marſupia plena: ibi judex non falletur verbis, non flectetur donis.* Eruditus hâc de re extat Anonymi Dialogus, cujus hoc eſt exordium.

Juſtitia. — Ezech. 7. — Matth. 16 — S. Bern. in Epiſt.

Ph. Qua

Ph. Quæ Dea? I. Justitia. Ph. At cur torvo lumine spectas?
I. NESCIA sum FLECTI, nec moveor pretio.
Ph. Unde genus? I. Cœlo &c.

Horat. lib. 3. Carm. Et Horatius.

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ &c.

IXION.
CAPUT XXVIII.

Mundi inquietudo. Senec. l. de Vit. Beat. c. 8. 84. JOannes Ferrus Ixionem supra rotam, flammis undique circumfusam, depinxit; addito lemmate. E SOLO A DANNO MIO PERPETUO IL GIRO. Id est. JUGI VERTIGINE VEXOR. Viva hæc mundanæ inquietis idea est; de qua apprimè Seneca. *Turbo quidam animos vestros rotat, & involvit fugientes, petentesque eadem, & nunc in sublimi alligatos, nunc in infima allisos rapit.* Lucret. l. 5. Lucretius.

—— Nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant.

Pet. Bles. Ep. 1. Et Petrus Blesensis. *Non deest tibi rota Ixionis, dum cupiditate torqueris.* Plutarchus in Ixionis mythologiâ immodicam ac inquietam quorundam ambitionem considerat, qui contingendæ desideratæ dignitati conatum omnem adhibent, ac mille anxietatibus agitantur. *Non absurdè sanè* inquit, *neque imperitè in ambitiosos Ixionis fabulam convenire nonnulli arbitrati sunt.* Eodem argumento Fulvius Testi inquilinas amoris sui turbas exprimit. Ambitiosus. Plutarch. in vita Agidis. Fulv. Test. 2. ode 2. Cogitatio morosa.

Vagabundo pensiero
Ove vai? onde vieni? è che pretendi?
Tu sù l'ale leggero
Ora parti, ora torni, or poggi, or scendi;
E nel tuo moto eterno,
Se'l Ision del amoroso inferno.

LYCAON.
Cap. XXIX.

Homo similis bestiæ. 85. LYcaon, Arcadiæ Rex, ob impietatem, perfidiam, inhospitalitatem, & tyrannidem in lupum transformatus est. Lemmatis loco subscribes. BESTIÆ SIMILIS, IN BESTIAM TRANSIT. In eam scilicet feram abiit Lycaon, cujus mores jam ante præferebat: volebant quippe sub hoc fabulæ involucro significare veteres, hominem in bestiam illam transire, cujus vitium imitatur. S. Chrysostomi dictum est, *In tot bestias hominem transire, in quot vitia à virtute deflectit.* Quod quantum sit malum Tullius declarat, quem laudat Lactantius. *Præclarè* ait, *Cicero dixit: si nemo est, qui non emori malit, quàm converti in aliquam figuram bestiæ, quamvis hominis mentem sit habiturus; quantò est miserius in hominis figura, animo esse efferato?* Quod Severinus Boëtius fusius prosequitur. *Evenit igitur,* inquit, *ut quem transformatum vitiis videas, hominem existimare non possis. Avaritiâ fervet, alienarum opum violentus ereptor? similem lupo dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator occultis surrippuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquatur. Iræ intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax metuenda formidat? cervis similis habeatur. Levis ac inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, ut qui probitate desertâ, homo esse desierit, cum in Divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.*

Chrysost. hom. 1. in Io. Cicero apud Lact. l. 1. c. 11. Boeth. l. 4. de Consol. Phil. prosa 4.

MEDUSA.
Caput XXX.

86. MEdusæ caput, Minervæ scuto incisum, epigraphen tenet. TERRORE ET ARMIS. Geminos hos victoriæ obtinendæ polos dixeris, siquidem Provinciæ non *armis* duntaxat, sed frequentius solo minitantis famæ *terrore* expugnantur. Porrò sicuti Reges terreni subditos, si amore nequeant, armis & terrore in officio continent; ita multò magis Deus; nam, Magno Augustino teste, *Terribiles sunt Reges terræ; sed ille super omnes, qui terret Reges terræ.* Militia. S. Aug. in Psal. 75.

87. Medusæ capite imperterritum ac invictum hominis animum repræsentare licet; cui proinde, Emblematis loco, subscribas. TELA OMNIA CONTRA. Talis omninò mens erat D. Pauli, qui charitatis Divinæ scuto firmatus omnes creaturarum vires provocare potuit. *Quis ergò,* exclamat, *nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas, an periculum? an persecutio? an gladius?* Eodem encomio Theodosium Imperatorem prosequitur Claudianus. Magnanimitas. Rom. 8. 35. Claud. de 4. Consul. Honor.

Omnibus afflictis, & vel labentibus ictu;
Vel propè casuris, unus tot funera contra
Restitit: extinxitque faces: agrosque colonis
Reddidit, & lethi rapuit de faucibus urbes.

De se ipso testatur Seneca. *In quacunque positione mentis sim, cùm lego Sextium, libet omnes casus provocare, libet exclamare: quid cessas fortuna? congredere, paratus sum, &c.* Senec. Epist. 65.

88. Abbas Ferrus Medusæ effigiem hoc lemmate donavit. EXANIMAT VISA. Venustas muliebris hanc vim cum Medusâ prorsùs communem, familiaremque habet: uti Lucanus, & illo posterior Natalis Comes prolixè in hæc verba testantur. *Cum pulcherrima esse diceretur omnium mulierum Medusa, quid prohibet illam voluptatem, aut libidinem censeri? Est enim vis illa voluptatum, ut & Deorum cultus, & omnis humanitatis, & officii, omnisque utilitatis nos oblivisci cogat, si illarum arbitrio nos dedamus: quare cùm homines utiles rebus cæteris efficiantur, præclarè dicti sunt in lapides converti.* Quemadmodum enim Medusæ facies homines efficit stupidos, eosque, horrendâ metamorphosi, in saxa commutat; ita voluptas & formæ venustas omnem cùm virtutis, tùm rationis ac pietatis sensum evertunt, animâ veluti exanimi relictâ. Forma muliebris. Luc. in Dialog. imagin. Natal. Com. Mythol. l. 7. cap. 11.

89. Dominicus Gambertus Medusæ caput, umboni insculptum, hoc lemmate notavit. EFFUGERE EST TRIUMPHUS. Eadem inscriptio, ex Horatio mutuata, etiam Syrenum est propria. Fuga victoriosa. Horat. l. 4. Od. 3.

Dixitq; tandem perfidus Annibal:
Cervi luporum præda rapacium
Sectamur ultrò, quos opimus
Fallere, & EFFUGERE EST TRIUMPHUS.

Hinc discas velim, libidinis irritamenta nonnisi fugiendo superari. Dilucidè S. Joannes Chrysostomus. *In prælio contra dæmones virili & audaci animo opus, in continentiæ autem præparatione victoriam concedi,* S. Io. Chrysost.

S. Aug serm. 210. de Temp. cap. 1. *concedi, non ex virginum consuetudine, sed secessu.* Et S. P. Augustinus. *Libidinem fugere, pars magna martyrii est. Ergo contra libidinis impetum apprehendite fugam, si vis obtinere victoriam.*

Capillos ornare. S Hieron. epist. ad Latam. 90. Medusa ob capillorum venustatem ausa est ipsimet Palladi certamen offerre. Unde in tantæ arrogantiæ pœnam illius crines in turpissimos angues sunt conversi. Lemma, VERTUNTUR IN ANGUES. Hoc nimirum crinale manet superbas in sepulchro comas. Proinde Lætam suam de filiâ instituendâ sapienter monet D. Hieronymus; *Cave, ne aures perfores, ne cerussâ & purpurisso ora depingas, ne collum auro & margaritis premas, ne caput gemmis oneres, ne capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris.*

M A R S.

Cap. XXXI.

91. MArtem inter Deos utilissimos, & ex Deâ natum fingunt Poëtæ. Unde Marti, adversus invasorem dimicanti, subscribes. MAGNA SALUS BELLO. E diametro Virgilius.

Bellum utile. Cicero de Offic. *Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.*

Nimirum ideò Deorum albo accensuêre Martem, quod bellum ad injurias repellendas humano generi sit utilissimum & maximè necessarium. Nam Cicerone teste, *Suscipienda bella sunt, ut sine injuria in pace vivatur. Cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors servituti, turpitudinique anteponenda.* S. Ambrosius posteaquam multis exemplis ostendit, excelluisse quoque in populo Dei multos bellicæ fortitudinis laude præstantes, deinde his verbis concludit. *Habes fortitudinem bellicam, in qua non mediocris honesti & decori forma est, quod mortem servituti præferat ac fortitudini. Quæ res multos accendit, ut leonum instar spirarent Martem, quibusque dulce ac decorum erat, pro patria mori*; imò pulchrius pro religione, Deo, cœlo. At bellum multis est occasio cupidè, avarè, crudeliter, impiè agendi: num ideo nullum esse debet? Ovidium audi. (S. Ambros. l. 1. offic c. 40. & 41.)

Ovid. l. 1. Trist.

Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Et latro & cautus præcingitur ense viator,
Ille sed insidias, hic sibi portat diem.

Thucyd. Sapienter Thucydides. *Ut modestia est, quiescere, si non afficiaris injuriâ: ita justitia est, cùm injuriâ lacessimur, bellum paci anteferre; & repressâ injuria, post bellum rursus pacem facere: ne aut successu in bellis elati plura appetere, aut pati injurias mollitie & amore otii videamur.* Et Salustius. *Sapientes pacis causâ bellum gerunt, & laborem spe otii sustentant.* (Salust.)

In bello sit prudentia & consilium. Livius. 92. Symboli loco Mars repræsentatur, armis horridus, & acinacem manu rotans; cum lemmate. FORTITER, SED CAUTE. Nimirum in bello non sufficit, caput muniri galeâ, & loricâ corpus; nî etiam accedant prudentia & consilium, quæ fortitudinem manuducant. Livius monet. *Priusquam ingrediare bellum, cùm tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem propone animo.* Agesilaus interrogatus, quid ducem belli præcipuè exornaret? respondit, *adversus hostem audacia, & in oblat opportunitate consilium.* Elegans in rem præsentem de Marte est epigramma.

Hic licèt infaustis nusquam penetrabilis armis,
Securus proprià conditione Deus:
At caput Ætnæo munit, pectusque metallo,
Ceu mortem impavidus terreat, ac paveat.
Consilium cauto Princeps à Principe sume:
Sint tibi cuncta licet prospera cuncta time.

Celeritate in bello opus est. 93. Fingitur Mars sublimi residere curru, equisque velocissimis trahi. Lemma. ANTE NOTOS, ZEPHYRUMQUE VOLANT. Nam Poëta teste.

Seneca. *Martis equi ante Notos Zephyrumque volant.*

Hinc disces celeritate opus esse in bello. Philosophi Romani effatum est, *una rebus salus est, occurrere ad primos rerum impetus.* Alexander Macedo festinatione vincebat; qui rogatus, quâ ratione tantum sibi imperium tam brevi tempore comparâsset, respondisse fertur, *nihil differendo.* C. Julius Cæsar Dictator, ut scribit Suetonius, Pontico triumpho inter pompæ fercula, trium verborum prætulit titulum, *Veni, vidi, vici.*

M E R C U R I U S.

CAPUT XXXII.

Prædicator. 94. MErcurius, eloquentiæ Deus, animarum alias ex Orco evocare, alias in Tartarum mittere, ventos concitare, ac nubila trajicere fingitur. Lemma. PARTES IMPELLIT IN OMNES. Prædicatorum hæc imago est, qui peccatores ab inferis liberant, contumaces æterno supplicio percellunt, virtutis spiritum adversus vitiorum ventos concitant, ac difficultates omnes ad cœlum pervias reddunt. S. P. Augustinus. *Prædicatores voluntates pigras excitent, accendant frigidas, corrigant pravas, aversas convertant, repugnantes pacificent.* (S. Aug de bon viduit. cap. 18.)

Christus est via ad cœlum. Ioan. 14 5. S August. tract 22 in Ioan. 95. Mercurii statua biceps, aut etiam triceps olim in biviis ac triviis collocabatur, ad indicanda viarum discrimina. Emblematis loco subscripsit Alciatus. QUA DII VOCANT, EUNDUM. Mentis humanæ tanta est cæcitas, ut, quâ viâ ad cœlos sit eundum, planè ignoret; unde recurrendum est ad eum, qui dicitur *Via, veritas & vita.* In hunc locum S. P. Augustinus. *Ambulare vis? ego sum via. Falli non vis? ego sum veritas. Mori non vis? ego sum vita. Hoc dicit tibi Salvator tuus. Non est quò eas, nisi ad me, non est quâ eas, nisi per me.* Certè Socrates apud Platonem asseverat, eâ solùm pergendum esse viâ, quâ Deus ducit. Elegans in rem præsentem est ejusdem Alciati epigramma.

In trivio mons est lapidum: supereminet illi
Trunca Dei effigies. pectore facta tenus.
Mercurii est igitur facies; suspende viator
Serta Deo: rectum qui tibi monstret iter.
Omnes in trivio sumus, atque hoc tramite vitæ
Fallimur ostendat ni Deus ipse viam.

Electio status. Docemur insuper hoc Emblemate, nihil nos, quodcunque vitæ genus eligamus, posse proficere, nisi magistrum aliquem probum, doctumve nobis ad imitandum proponamus, qui sit, instar Hermæ, viæ dux & director.

M I D A S.

Cap. XXXIII.

96. MIdas, cùm Bacchum hospitio excepisset, jussus petere, quidquid vellet; nihil æque se optare respondit, quam ut protinus, quæcunque attigis-

attigisset, in aurum verterentur. Annuit optatis Bacchus; soloque Midæ contactu mox obvia quæque in aurum convertebantur. Verum cùm, urgente fame, cibum sumere aggrederetur, atque illum quoque in aurum mutari cerneret; sensit tandem stolidus, se parùm sapienter optâsse; rursus proinde Baccho supplicans, rogavit, ut munus illud, quantumvis speciosum, sibi adimeret. Lemma ex Ovidio subjunges.

Ovid. 11. Met. QUÆ MODO VOVERAT, ODIT.

Attonitus novitate mali, divesque, miserque,
Effugere optat opes, & quæ modo voverat, odit.
Copia nulla tamen relevat, sitis arida guttur
Urit, & inviso meritus torquetur ab auro.

Quomodo Deus orandus. Vota hominum stulta. Eruditissimus P. Michaël Pexenfelder ex stolido hoc Midæ voto sapienter demonstrat, nostras ad Deum preces adeò temperandas esse, ut negotia omnia liberrimæ ipsius providentiæ permittamus. Socrates apud Valerium Maximum. *Nihil ultra petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent; quoniam ii demum scirent, quid cuique esset utile: nos autem plerumque in votis expetere, quod non impetrâsse, melius foret.* (Val. Max. l. 7. c. 2.) In talia vota meritò dentem stringit Satyricus.

Juvenalis Satyrâ 10.

Evertêre domos totas optantibus ipsis
Di faciles, nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ.

Idem quomodò optandum docet.

Nil ergò optabunt homines? si consilium vis,
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.
Nam pro jucundis aptissima quæq; dabunt Di.

Et concludit.

Orandum est, ut mens sit sana in corpore sano.

Sen. ep. 10. Senecæ monitum est: *Tunc scito te esse omnibus cupiditatibus solutum, cùm eò perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam*

97. Eidem Emblemati subscribes. DIVESQUE MISERQUE; Verbis ex Ovidio, quem superiore numero adduximus, mutuatis. Reperias enim nonnullós genuinos Midæ filios, qui opum cupiditate excæcati, in id totis incumbunt studiis, ut coacervent thesauros, quorum possessio futura est ipsis non modò onerosa, (cùm non minor labor sit, *quærere quàm parta tueri*) sed etiam exitiosa. S. Augustinus. *Divites*, inquit, *plus egent, quantò plus habent, desideriis vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitiâ contabescunt.* Et rursus. *Homo volendo dives esse, æstuat, sitit, & tanquam hydropisis morbo plus bibendo, plus sitit.* Rectè Claudianus. (S. Aug. in Ps. 1 Enarrat. 2. In serm. 1 ex addit. à Arthus.)

Claud. l. 1. *Semper inops, quicunque cupit.*

Et Horatius.

Multa petentibus, multa desunt.

MINERVA.

CAPUT XXXIV.

Sapientia. 98. DE veteri Trojâ perhibent, ei nihil unquam jacturæ aut excidii potuisse afferri, quamdiu Palladium, seu Minervæ simulachrum, in eâ asservabatur. Unde lemma, Minervæ imagini subjunctum. SERVATA, SERVABIMUR IPSI. Verùm, cùm Minerva sapientiam repræsentet, appositè dices, beatitatis æternæ securum fore illum, quisquis hanc cordis sui inquilinam assiduò habuerit ipsâmet Divinâ sapientiâ fidem suam interponente; *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Prov. 8. 35. Neque tamen ea prærogativa unius sapientiæ adeò est propria, quin etiam vivæ fidei, justitiæ, innocentiæ, gratiæ conservatæ, & animo erga Mariam Virginem devoto competat. (Fides. Devotio erga B. Virginem.) *Ad Mariam Virginem,* inquit Doctor mellifluus, *sicut ad medicum, sicut ad arcanum Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cœlo sunt, & qui in terra; & qui in inferno habitant, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis: illi qui sunt in cœlo, ut restaurentur: & qui in inferno, ut eripiantur: & qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur; & qui sequuntur, ut glorificentur.* (S. Bernard. serm. 2. in Cant.) Cæterùm quia, teste S. Clemente Alexandrino, Palladium, seu Minervæ statua è Pelopis ossibus erat constructa, non abs re exinde deduces, mortis memoriam obtinendæ æternæ saluti, ac superandis hostium insidiis validum esse adjumentum. (Mortis memoria.)

99. Cùm Apollo inter convivantes Deos citharæ fidibus mirificè luderet, Minerva, suam quoque canendi peritiam demonstratura; sumpsit in manus tibiam; sed vix ore capit animare fistulam, cùm in risum solvuntur Dii; buccas quippe Diva, cæteroquin decori observantissima, ita inflaverat, ut deformem in modum tumerent. Pudor incendit Deam, ignaram causæ ridendi. Igitur ad aquas se confert, iterumque tibiam manu tentat & linguâ: Et ecce! dum inter canendum temerè conjicit oculos in undas, advertit, vultum fœdè intumescere, oculósque ridiculè distorqueri & deformari. Detestari igitur cœpit monstrosam formam, & arundinem ociùs hinc abjicere. Lemma. TANTUM SESE COGNOSCERE PRODEST. Ira. Rectè imago hæc vitrea ad iracundas & distortas hominum formas applicatur; hominem enim, ad Dei imaginem ac pulchritudinem efformatum, nihil fœdius, nihil crebrius deformat, quàm impetus iræ ac tumor. Senecæ de ira dictum est: *Nescias, utrùm magis detestabile sit hoc vitium, an deforme? Cætera licet abscondere, & in abdito alere; ira se profert, & in faciem exit, quantoque major est, hoc effervescit manifestiùs.* (Senec. l. 1. de Ira.) Et rursùs. *Nihil tamen æquè profuit ad cohibendum hunc animi impetum, quàm primùm intueri deformitatem rei, deinde periculum. Non est ullus affectus faciei turbatior; pulcherrima fœdavit ora, & torvos vultus ex tranquillissimis reddidit.* (Idem cap. 45.) Et alibi. *Quibusdam iratis profuit aspexisse speculum; perturbavit illos tanta mutatio sui, &c.* (Idem cap. 36.) Cæterùm ex eodem Emblemate conjicere licet, quantum emolumenti afferat, cognoscere seipsum. (Cognitio sui.)

MOMUS.

Caput XXXV.

100. MOmus nihil quidem edebat operis, aliorum tamen Deorum facta & opera nunquam non carpebat; dentem suum passim in quosvis stringens. Lemma. MIHI NEMO PLACEBIT. Talis fuit Mamercus, de quo Martialis.

Martial. l. 5. Epig. 29.

Ut bene loquatur, sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis.
Pietate fratres Curtios licèt vincas,
Quiete Nervas, comitate Rufones,
Probitate Marcos, æquitate Mauricos;
Oratione Regulos, jocis Paulos;
Rubiginosis cuncta dentibus rodit;

Censores ac Critici aliorum operum.

Homi-

Hominem malignum forsan tu esse credas?
Ego miserum credo, cui placet nemo.

Commune hoc vitium est, hominum obscurorum ac rudium, ut carpant in aliis, quæ nullam reprehensionẽ merentur; & quæ suo nequeunt ipsi ingenio assequi, tamquam vitiosa perstringant. De his Seneca. *Ut quisque contemptissimus, & ut maximè ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est; Pueros quidam ad hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, ac sub magistro habent, qui probra meditatè effundant, nec has contumelias vocamus, sed argutias. Contemptissimum utique & impudentissimum genus hominum, quorum audacia ita demum sibi in convivas jus facit, si cœpit à Domino. Hunc ubi censurâ parcente & innoxiâ libaverint, cæteros deinceps audacissimè carpunt.*

Senec. l. de Const. c. 11.

M O R S. *Caput* XXXVI.

101. OSsea mortis compages oculis caret, nec hominis submissionem, quantumvis supplicem ac profundam, respicit; auribus destituta, precibus nullis, etsi blandis, flectitur; corde spoliata, alienis calamitatibus non emollitur. Verbo; undique inexorabilis, & ad quævis hominum vota præ marmore dura est. Unde lemma. NULLO FLECTITUR OBSEQUIO. Ergò, quod providè monet S. Augustinus. *Quia eligere hic non potes, ne moriaris, elige cum vivis, ne in æternum moriaris.* Porrò hominem ingratum, aut sceleribus immersum forma hæc informis depingit: nam Poëta teste

Mors inexorabilis. S. Aug. serm. 36. de divers. Malitia. Ovid. ep ad Liviam.

Improbitas nullo flectitur obsequio,

102. Mortem nonnemo hoc lemmate loquentem sistit. NEMINI PARCO. Ovidius id testatur,

Fata manent omnes, omnes expectat avarus
Portitor, & turbæ vix satis una ratis.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unã,
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Detractor. S. Greg. Naz.

Linguam detractionibus assuetam, eodem lemmate afficies. In hanc rem S. Gregorius Nazianzenus. *Protinus ut mens tela linguæ emiserit, statim provolant, omniaque feriunt, cœlites, terrestres, viventes, posteros, non minus eos, qui ab hujusmodi sagittis sibi cavent, easque sedulò observant, quàm qui nihil mali suspicantur; non minus bonos quàm malos; non minus amicos quàm hostes; non minus exteros longèq; divisos, quàm propinquos; Denique nihil est, quod à linguæ sagitta tutum atque immune sit.*

103. Verissimum de morte effatum est, SCEPTRA LIGONIBUS ÆQUAT. Vel magis succinctè: OMNIA ÆQUAT. Id quod præter quotidianam experientiam etiam mille authores testantur. Menander.

Mors omnibus communis. Menand in Senar.

Moritur sutor eodem modo, ac Rex.

Horatius.

Horat. l. 2. Od. 18.

--- --- --- *Æqua tellus*
Pauperi recluditur
Regumque pueris.

Et rursus.

Idem l. 1. Od. 4.

Pallida mors æquo pulsat pede, & pauperum tabernas,
Regumq; turres

Item Boëtius.

Boet de Consol. philos. metro 7. l. 2.

Mors spernit altam gloriam
Involvit humile pariter & celsum caput,
Æquatque summis infima.

Unde Anaxagoras, mortis sententiâ sibi à judice denuntiatâ, forti animo respondit, *Jam olim istam sententiam æquè in judices, atque in nos tulit natura.*

Cæterùm mors, omnibus æqua, absolutam boni judicis aut Principis ideam repræsentat; quippe qui tam præmia quàm pœnas ex æquo, sine ulla affectuũ partialitate, dispensent. Benè Arnobius. *Magnarum est mentium, pari pendere cunctos lance,*

Judex in omnes æqualis esto. Arnob l. contra gentes.

104. Amor Divinus à P. Vincentio Giliberto cum morte comparatur: sicuti enim ista NON IMPLETUR, Ita Divinus amor, nullis unquam mortalium obsequiis exsaturandus, novas identidem meritorum centurias concupiscit. Cæterum idem lemma etiam de avaro pronuntiaveris; Siracide assentiente, *Avarus non implebitur pecuniâ.* S. P. Augustinus, *Avarus vir*, inquit, *similis est inferno; infernus enim quantos mortuos devoraverit, nunquam dicit, satis est; sic etsi omnes thesauri circumfluxerint in avarum, nunquam satiabitur.*

Amor Dei. Eccl. 9. 9. S. Aug ep. 5. ad Iomitem.

105. Justorum mortem Mortis simulachrum exhibet; utraque enim est SIMILLIMA SOMNO. Id quod veritas infinita de mortuo Lazaro, Christi amico, affirmatè testabatur, *Lazarus amicus noster dormit.* Et S. Paulus de fidelium morte disserens. *Nolumus*, inquit, *vos ignorare de dormientibus.* Quod si cum S. Augustino inquiras, *Quare dormientes vocantur?* responsum aliud non feres, *nisi quia suo die resuscitantur.* Dionysius Carthusianus, in eundem D. Pauli locum ait, *Per comparationem ad Divinam virtutem dormire censentur, & facilius à Domino suscitabuntur, quàm dormiens ab homine excitetur.*

Mors est somnus. Io. 11. 11. 1. Thessa. 4. 12. S. Aug serm. 23. de Ve... Dom. Dion. Carthus. in hunc locum.

106. Horridam ac excesam Mortis calvariam Taegius hoc lemmate distinxit. COGITANTI VILESCUNT OMNIA. Emblematis author forsan rationem è D. Hieronymo accepit mutuam, ubi Paulinam his omninò verbis exhortatur. *Facilè contemnit omnia, qui se cogitat esse moriturum.*

Mortis meditatio. S. Hieron. ad Paulinam.

107. D. Carolus Rancatus supra mortis calvariam hoc lemma fixit. MEMINISSE JUVABIT. Verbis è Virgilio desumptis.

Mortis meditatio. Virgil. 1. Æn. v. 307.

--- *Forsan & hæc olim meminisse juvabit.*

Perspicuè hinc conjicies, quantos in virtute progressus faciat ille, qui caducam hominum sortem seriâ cogitatione expenderit. Tempore S. Augustinus. *Nihil sic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Et rursus. *Si diem mortis suæ homines jugiter cogitare vellent: animam suam ab omni cupiditate vel macula cohiberent.*

S. Aug. l. de Gene cont. manich. cap. 28. Idem serm. de Innocent.

M U S Æ. *Cap.* XXXVII.

108. Parnassum & Heliconem, montes altissimos, inhabitare dicuntur Musæ. Unde lemma. SUBLIMI RESIDENT. Nec sine mysterio id à Poëtis confictum. Nam ad eruditionem aspirantibus, enitendum est per ardua. Arcem Musæ incolunt in sublimi positam, à cujus ascensu absterrentur plurimi, qui propter pigritiam horrent laborem discendi. In hos illud Persei convenit.

Via ad eruditionem.

O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes! Conspici vultis & suspici, & tamen alta Musarum scandere perhorrescitis. Taciti scitum est, *Optimos mortalium altissima petere.* Præclarè solertissimus morum & litterarum Magister Seneca. *Magnanimos nos natura produxit, & ut quibusdam animantibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum; ita nobis gloriosum & excelsum spiritum; quemadmodum enim flamma surgit in rectum; jacere ac deprimi non potest, non magis, quam quiescere iste noster animus. Et hoc est, quod Musæ montana incolant; adiri volunt; sed per clivosa & ardua.*

Tacit. l. Annal. Senec. ep. 104.

NEPTU-

NEPTVNVS.

Cap. XXXVIII.

109. NEptunus, inter fluctus & procellas sceptrum tenet, undis ventisque imperat, & naves in æquore vasto moderatur, regitque. Lemma è Virgilio desumptum. TUMIDA ÆQUORA PLACAT.

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat. ...gil.

S. Basilius illud Proverbiorum explicans, *Intelligens gubernacula possidebit*, triplex assignat mare allegoricum; *Primum*, inquit, *est hoc sæculum, in quo fortunæ lusus dominatur, dum instar fluctuum hos extollit, illos deprimit. In hoc mari navis est quilibet homo, & hominis sors prospera vel adversa. Secundum mare est cor humanum, quod diversissimis affectibus, cogitationibus & desideriis, velut mare æstuans, assiduè agitatur, fluctuat, effervescit. In hoc mari navis est ipsa mens & voluntas. Tertium est vitæ cursus, viaque, quà pergimus in cœlum, quam obsident dæmones, quasi piratæ; ut navim cum mercibus, id est, animam cum bonis operibus, prædentur vel mergant.* Et verò ubi primùm nati sumus, huic mari committimur, per tot undas vehendi, quot dies ætatis: per tot fluctus & procellas volvendi, quot horæ fluunt & momenta. Optimè Romanus Sapiens, *In hoc profundum*, ait, *inquietumque projecti mare, alternis æstibus reciprocum, & modo allevans nos subitis incrementis, modo majoribus damnis deferens, assiduoque jactans. Nunquam stabili consistimus loco, pendemus & fluctuamus, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus.* Quis igitur inter tot discrimina evadet, nisi nauclerus ei sit ratio, & Neptunus undipotens ille Deus, *qui ventis imperat & mari, & obediunt ei? Et facta est tranquillitas magna.* Proinde hoc Emblemate Gubernatorem Reipublicæ Prælatum, Patrem spiritualem, hominem justum, suismet affectibus, ceu totidem procellis, imperantem, & cumprimis Deum repræsentare licet.

...asil.hom. in cap. 1. ...verb.

...iplex ...re in ...ho- ...mes ja- ...ctatur.

...e. Con- ...ad Polyb.

...th. 8.

...Prælatus.

ORPHEUS.

Cap. XXXIX.

110. ORpheus non hominum tantùm aures, sed etiam ferarum & volucrum, quodque magis mireris, surdas etiam arbores, lapides, saxa, & flumina traxit: quin, ipsi quoque inferi ab ejus pendebant cantu, & impiorum supplicia, quasi obstupefacta, cessabant. Eleganter de Orpheo Horatius. ...Hor. l. 3. ...Od. 11.

Tu potes tigres, comitesq; silvas
Ducere: & rivos celeres morari:
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ &c.

Unde Lemma. CANENDO MOVENTUR. Hæc nimirum vis & laus est Musicæ, in quosvis efferatos hominum animos dominantis. Illius enim celeritate rapiuntur animi, tarditate torpescunt, gravitate componuntur, levitate vanescunt, aut hilares, aut quieti pro carminis habitu formâque canendi. Dione referente, Timotheus Musicus, quoties libuerat, Alexandri animum ita accendit cantu, ut efferatus rueret in arma, iterumque emollitus, ad hilares epulas pertraheretur. Terpander seditionem, inter Lacædemonios concitatam, musicâ sedavit. Græci, de rebus maximè seriis deliberaturi, cantum Dorium adhibuerunt. Longè verò dulcissima est illa Concionatorum Musica, quæ saxea & efferata hominum corda ad rationis numeros, velut ad harmoniam, componit. Unde Plato. *Data est nobis harmonia, non ad voluptates rationis expertes, sed ut per eam, dissonantem circuitum animarum componamus, ad concentum sibi proprium revocemus.* Et Seneca: *Ad Musicum*, inquit, *transeo; doces me, quomodo inter se acutæ & graves voces consonent; fac potiùs, quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent. Monstras mihi, qui sint modi flebiles: monstra potius, quomodo inter adversa non emittam flebilem vocem.*

...Musica.

...Concionator.

Plato in Timæo.

Senec. Ep. 88

PALLAS.

Cap. XL.

111. PAllas, sapientiæ & armorum Dea, Jovis cerebro nata dicitur. Unde lemma. JOVIS PROCREATA CEREBRO. Hinc disce, bonarum artium disciplinas humani ingenii non esse inventum, sed ex Jovis cerebro, hoc est, ex inexhausto Divinæ sapientiæ fonte, in humanum usum esse depromptas. Dilucidè Siracides. *Omnis sapientia à Domino Deo est.* In hunc locum S. Augustinus. *Sicut nemo à seipso esse potest, ita etiam nemo à se ipso sapiens esse potest, sed ab illo illustrante, de quo scriptum est, omnis sapientia à Deo est.* Et rursùs. *Qui sibi voluerit arrogare sapientiam, stultus est; sit humilis, ut inveniat sapientiam, & illuminet illum.* Eccl. 1. 1. S. Aug. Enthir. cap. 1. Idem in Psal 126.

112. Pallas, litterarum Dea, armata pingitur, nec muliebriter compta. Lemma. ARMATA SAPIT. Hinc conjicies, molles ac effæminatos animos nec pacis, nec belli, nec scientiarum artibus idoneos esse. Trito versiculo, Scientia sit armata.

Non jacet in molli veneranda scientia lecto.

Salomonis testimonio, *Vir sapiens fortis est, & vir doctus robustus & validus. Fortior est*, inquit Aristoteles, *ille, qui cupiditates, quàm qui hostes vincit; nam se ipsum vincere, difficillimum est. Fortis est, qui superat hostes; fortior, qui voluptates.* Præclarè Seneca. *Non secunda sapientem evehunt, nec adversa demittunt.* Cæterùm etiam Belliducem Pallas armata repræsentat: nam, ut in Proverbiis sacris est; *cum dispositione initur bellum: & erit salus, ubi multa consilia sunt.* Proverb 24. Arist. ap. Ant. in Meliss. p 1 c. 12. Senec. Ep. ad Helviam c. 5 Bellidux. Proverb. 24.

113. Palladem, sapientiæ Deam, Virginem dicunt Poëtæ, nec nisi à Virginibus conspiciendam. Unde Tiresiam, Vatem Thebanum, excæcatum fuisse ajunt, quòd oculos parum pudicos in Palladem emiserit. Lemma. NON NISI VIRGINIBUS. Nempe Deum, sapientiam æternam, oculis ac mentibus nonnisi mundissimis olim intueri licebit. Testem habeto Christum, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* S. P. Augustinus. *Opponat homo desiderio carnis suæ æternorum flammas desideriorum. Assuescat juvenis castitatem, ut sit dignus sapientiâ Dei, Ubi immunditia est corporis, ibi habitatio diabolici spiritûs, qui maximè gaudet inquinatione carnis nostræ. Omnes immunditiæ Deo displicent, & maximè quæ non sunt naturales. Unde Apostolus admonet nos*, bonum est homini, mulierem non tangere; *quasi statim in tactu periculum esset.* Sapientia in virginibus. Matth 5. 8. S. Aug serm. 149 de Temp. 1. Cor. 7. 1.

Pulchra est enim casta juvenum pudicitia, & Deo amabilis, & ad omne bonum utilis.

* * *
* *

PARCÆ.

PARCÆ.

CAPUT XLI.

114. PArcæ, fatales Deæ, statim ubi mortalibus hora destinata fluxerit, fila secant, & vitæ stamen inexorabili lege abrumpunt. Lemma. OBSERVANT, QUEM STATUERE, DIEM. Martialis.

Mors incerta.

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit: observant, quem statuère, diem.

Parcarum nomine Divinam voluntatem intelligas velim, quæ mortalibus omnibus certam vitæ mortisque præfixit metam, nullis unquam viribus transiliendam. In rem præsentem Magnus Augustinus. *Non est in hominis potestate, quo exitu hanc vitam finiat; sed est in hominis potestate, quomodo vivat, ut securus vitam finiat.*

S. Aug serm. 112. de divers. c. 2.

115. Ab earundem Dearum colo uniuscujusque hominis non solùm vita dependet, sed etiam tota vivendi series ac conditio. Unde uni laqueum torquent de crassiore filo; alteri ex auro diadema; alii è byssino purpuram; multis de fuso nigra devolvunt stamina, hoc est, meras calamitates & infortunia: aliis candida nent fata, fausta, fortunata, prospera. Lemma. SERIEM FATORUM POLLICE DUCUNT. Claudianus.

--- --- quarum sub jure tenentur
Omnia, quæ seriem fatorum pollice ducunt.

Ejusdem felicis staminis meminit Epigrammatarius de filio Domitiani Cæsaris.

Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

Providentia Dei.

Nimirum Divina providentia totam rerum seriem ac ordinem æterno suo consilio definiit, huncque divitiis, alium honoribus, felicitate, aut ærumnis affluere voluit. Præclarè, ut cætera omnia, id explicat Magnus Divinæ providentiæ interpres Augustinus. *Ne desperatione homines pejus viverent, promisit Deus indulgentiæ portum. Rursùs ne de spe veniæ pejus viverent, fecit diem mortis incertum; providentissimè utrumq́; constituens, & revertentes quò recipiatur, & differentes unde terreantur.* De fatis pulchrè canit Seneca.

S Aug. in Ps. 101. conc. 1.

Senec. in Oedip.

Fatis agimur, cedite Fatis.
Non solicitæ possunt curæ
Mutare rati stamine fusi:
Quidquid patimur, mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto:
Servatq́; sua decreta colus
Lachesis dura revoluta manu
Omnia certo tramite vadunt,
Primusq́; dies dedit extremum:
Non illa Deo vertisse licet.

PARIS.

Cap. XLII.

116. PAris, Helenæ oculis & amore captus, è lascivo hoc incendio totius eversæ ac conflagrantis Trojæ initium causamque dedit. Unde Trojam, flammis jamjam sepultam, hoc lemmate afficies. INJECIT LASCIVIA FLAMMAS. Horatius.

Hor. l. 1 ep. 3.

--- --- Paridis propter narratur amorem
Græcia barbariæ lento collisa duello.

Unica quippe mulieris scintilla, ex oculis vibrata, paulatim serpit per animum; donec exardescat, & in flammam libidinis erumpat, lateque incendium per urbes & provincias spargat. Id expertus Salomon, in Proverbiis monet, *Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius.* Oculorum radii totidem sunt sagittæ, & amoris jactus; qui vulnerant: nutus & palpebrarum ictus totidem sunt fulgetra, quæ perstringunt, & attonant intuentem. Sunt retia, quæ implicant; sunt faces, quæ incendunt. Et Siracides. *Averte faciem tuam à muliere comptâ*, (qualis fuit Helena) *& ne circumspicias faciem alienam.* (circumspexit Paris) *propter speciem mulieris multi perierunt*, tàm Græcorum, quàm Trojanorum. S. P. Augustinus. *Concupiscentia mala quasi ardor est ignis. Ignis consumit vestem, libido adulterii non consumit animam? Gestas in sinu prunas, perforatur tunica; gestas in corde adulterium, & integra est anima? Audi Apostolum dicentem*, tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum. *Ecce ignis, à cujus facie tanquam cera liquescunt: solvuntur enim à quadam constantia castitatis: propterea & ipsi euntes in libidines suas, soluti & fluxi dicuntur. Unde soluti & fluxi? ab igne concupiscentiarum.* Usurpes hic illud D. Jacobi. *Ecce quantus ignis, quàm magnam sylvam incendit.* Ejusmodi bella à fœminis concitata, quædam recenset Ovidius.

Mulieris aspectus noxius.

Prov. 6.

Eccl. 9.

S. Aug. in Ps. 57.

Rom 1. 2

Iacob. 3.

Ovid. 1. Amor. Eleg.

Nec belli est nova causa mei: nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europæ pax Asiæque foret,
Fæmina sylvestres Lapithas, populumq́; biformem
Turpiter apposito vertit in arma mero.
Fœmina Trojanos iterum nova bella movere
Impulit in regno, juste Latine, tuo.
Fœmina Romanis etiam nunc urbe recenti
Immisit soceros, armaque sæva dedit.

PEGASVS.

Cap. XLIII.

117. STudiorum fores idcircò omnibus patent, ut juvenes, ceu totidem olores, sapientiæ aquis immersi, earumque liberali venâ exaturati, postea universum orbem virtutum suarum concentu, non sine plurimorum incremento, replere queant. Unde D. Carolus Rancatus Pegasum Emblematis loco statuit, qui sublimem Heliconis rupem extremo pede pulsans, copiosas Hippocrenes undas proliciut; addito lemmate: UT BIBANT OLORES. Mentem suam imaginis author hoc poëmate vernaculo explicat.

Studia publica.

O quanto ben si vede
Sù la Castalia sponda,
Sotto battente piede
Nascer musica l'onda,
Che desta ne Poeti anco souente
Se figlia è d'un Corsier, vena corrente.

Porrò Christus gratiæ Divinæ fontem, nullo quidem ævo defecturum, sed tamen à solis justis hauriendum aperuit. *Aqua*, inquit, *quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Unde omnes ad fontem hunc liberalissimè invitat. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* S. Augustinus. *Fons vitæ Christus. Venit ad te in carne, ut irrigaret fauces tuas sitientes: satiabit sperantem, qui irrigabit sitientem. Hic aliud est fons, aliud est lumen. Christus autem est fons & lumen: fons, quia satiat sitientes; lumen, quia illuminat cœcos.*

Gratia Dei.

Io. 4. 1

Ioan. 7. 7.
S. Aug. in Ps. 35.

118. Pe-

orat. ode lib. 1. Sapientia vehit. 118. Pegasus pennatus Bellerophontem, aliosque insessores suos, in altum extollit humo, eosque, Poëtâ teste, *secernit populo, & Diis miscet superis.* Unde lemma. TOLLIT IN ALTUM, Sapientia, Pegasi nomine significari solita, clientes suos passim per orbem ad dignitatum fastigia, & ad cœlos usque sublevat. Quis enim nescit, quibus honoribus ubique gentium affecti sint viri sapientes? Ennius certè Poëta moriens, vetuit decorari lachrymis funus, quòd diceret, volitare se per ora virûm tanquam inextinctum. Defuncti statuam Scipio Africanus sepulchro suo imponi jussit, ut indicaret, inter mortuos stare, vivereque virum doctum. Confirmat hæc omnia Ecclesiasticus, loquens de viro sapiente. (Eccl. 39.) *Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in sæculum non delebitur: non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem.* Sublatos tamen providè monet Magnus Ethices Magister Augustinus. (Aug. in Psal. 146.) *Non se extollant homines in suis dignitatibus, non sublimes putent honoribus; caveant, ne in equo indomito præcipitentur.*

PHAETON.

Cap. XLIV.

Author proprii mali. 119. EAndem perniciem, quam aliis struimus, ipsimet plerumque incurrimus. Damno suo id docuit Phaëton, dum è curru præcipitatus, flammis, quas paulò ante in orbem sparserat, miserè conflagravit. Lemma. QUÆ SPARGIT, RECIPIT. Opportunè Seneca. (Senec. in Medea act. 3.)

> *Ausus æternos agitare currus,*
> *Immemor metæ, juvenis paternæ,*
> *Quos polo sparsit furiosus ignes,*
> *Ipse recepit.*

E sententia Eliphazi, (Job. 4. 8.) *Operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos.* Exemplo suo id confirmans David, posteaquam violentum ac injustum gladium in Uriam strinxerat, superbum perduellis filii gladium, sibi insultantem, experiri debuit. Amanus infamem trabem, in Mardochæi jugulum à se destinatam, extremum ac fatale vitæ suæ pegma ascendere jussus est. Perillum idem taurus, crudeli fato, è Phalaridis imperio, devoravit, quem ipsemet in horrendos plurimorũ cruciatus ære fuderat. Ptolomæus Ægypti Rex, per maris rivum transmittens, domesticorum insidiis interemptus est, qui paulò ante Pompeium, cum profugus mare trajiceret, crudeli perfidiâ enecari jussit. Verissimè Propheta Regius. (Psal. 7. 16.) *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit. Convertetur dolor in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*

Mediocritas. 120. Phaëton, sublimis curru, epigraphen tenet. MEDIO TUTISSIMUS IBIS. Ita nimirùm extrema omnia discrimine ac periculis sunt plena; (Greg. Pap.) *Præsertim,* inquit S. Gregorius, *cum vicina sint vitia virtutibus, &, si paululùm declinaveris, aut errandum tibi sit, aut in præceps cadendum.* Hâc præceptione instructus Henricus II. Imperator, symboli loco inscriptum habuit, *Ne quid nimis.* Et Maximilianus I. Imperator, *Tene mensuram, & respice finem.* Cautè & ad rem nostram Horatius, (Horat. l. 2. Carm. Od. 10.)

> *Rectius vives, Licini, neque altum*
> *Semper urgendo, neque dum procellas*
> *Cautus horrescis, nimium premendo*
> *Littus iniquum.*
> *Auream quisquis mediocritatem*
> *Diligit, tutus caret obsoleti*
> *Sordibus tecti, caret invidendâ*
> *Sobrius aulâ.*

121. Abbas Ferrus Phaëtontis effigiem trino Emblemate expressit: primo quidem hanc epigraphen subjunxit. A TANT'OPRA NON VAL, CHI NON SA L'ARTE. Id est. NONNISI PERITUS DIRIGET. Neq; enim, ut Princeps munus suum ritè exequatur, sufficit, sublimẽ dignitatis gradum occupare, in officio stabiliri, subditis imperare, aut Reipublicæ habenas pro arbitrio moderari; nisi insuper ad prudentiæ normam dominetur, & regnandi artem probè perspectam habeat: secus enim actum aget, ac boni publici firmamenta incautus evertet. Sapienter admodum Aristippus ait, *Benè cessurum Regi & Principi, si equitandi artem primùm teneret:* Et S. Joannes Chrysost. *Princeps est, non qui vocatus est, sed qui verè est. Princeps licet habet instrumenta, vocem, iram, lictores, proscriptiones, mulctas, dona, laudes, milites. SINE REGIA ARTE, illa ei NON PRODERUNT.* Principem agere difficile. (S. Io. Chrys. hom. 52. in Acta.)

122. Alterum Emblema hoc epigrammate distinxit. INDOMITI DESTRIR FANCIUL NON REGGE, Id est, *Indomitos imbellis equus non diriget infans.* Eadem planè cohortatione Phœbus improvidum Phaëtontem, Ovidio referente, à proposito dimovere conatus est. Regimen juvenibus non committendũ.

> *Magna petis Phaëton; & quæ non viribus istis*
> *Conveniunt.*

Juventus enim ad sustinenda simperii habenas prorsùs est inepta, nec nisi turbas ac Reipublicæ excidia struit. Verissimè Xenophon. *Sicut novelli citharædi multas perdunt citharas, sic cupidi juvenes rempublicam sæpè evertunt.* Romæ, sub quâdam porticu, ubi militibus veteranis, ac de Republica bene meritis, annona distribui erat solita, hi versus aureis characteribus legebantur scripti.

> *Roma vetus, veteres dum te rexêre Quirites,*
> *Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.*
> *Defunctis patribus successit prava juventus,*
> *Cujus consilio præcipitata ruis.*

Proinde sancta Antiquitas hanc Phaëtontis ruinam, veluti doctrinæ saluberrimæ synopsin, posteris reliquit, ut exindè discerent, Reipublicæ momenta à juvenibus nonnisi imperitè administratũ iri. Idipsum monet Natalis Comes, *per hanc fabulam demonstravisse antiquos, rerum maximarum administrationem, ac summa imperia rerum publicarum juvenibus aut imperitis non esse concedendam; cùm in cæteros imperium solis prudentibus conveniat. Nam qui juvenes rebus publicis, imperiove præficiunt, ii cum maximo suo, & Præfectorum, & subditorum periculo sæpe se erravisse intelligunt.* Colophonem jungit Joannes Audenus, (Natal Com. mitholog. l. 4 cap. 2.)

> *Urbes, regna, domos, juvenum quas rexerit ardor,*
> *Sint quamvis fortes, certa ruina manet.*

123. Tertium Emblema epigraphen, præcipitato Phaëtonti hanc subjectam refert. SOVENTE IL TROPPO ARDIRE E ALTRUI DANOSO. Id est. ÆRUMNAS AUDACIA PROFERT. Audacia enim, si minus sit pavida, nonnisi ad ruinas ac præcipitia ducit. Quare Archidamus filium, adversùs Athenienses arroganter ac protervè dimicaturum, sapientissimè commonefecit, *Aut viribus adde, aut animis adime;* audaciam enim, cui fortitudo ex æquo non respondet, discrimine ac periculosâ aleâ plenam innuebat. Hanc de Phaëtonte Ethologiam pertexens Natalis Comes, *Deprimere,* inquit, *nonnullorum arrogantiam per hæc antiqui voluerunt, qui nihil sibi non tribuunt, nihilque se nescire propter nobilitatem arbitrantur: quæ arrogantia homines plerumque trahit in magnas calamitates.* *Audacia,* Magno Augustino asserente, *quod oportuit non gessit; & quod non oportuit, egit.* Audacia noxia. (Natal. Com. loc. cit.) (S. Aug. serm. 67. de Temp.)

PLU-

PLUTO.
CAPUT XLV.

124. PLutonem simul & opum & inferorum Deum fecêre Poëtæ. Unde lemma. OPIBUS DOMINATUR, ET ORCO. Dicere nimirum volebant, Divites Plutonis subesse imperio, & cœlo alienissimos, inter Tartari mancipia recenseri: cùm, Christo teste, planè difficillimum sit, eos, qui opibus inhiant, regni cœlestis hæredes effici. *Facilius est*, inquit, *camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum Dei. Ne dicas*, inquit Magnus Augustinus. *mihi divitiis abundare bonum est; aut mihi voluptas corporis bonum est; aut mihi virtus animi bonum est; sed mihi Deo adhærere bonum est.*

Divitiæ.

Matth. 19. 24.

S.Aug l.10. de Civ.c. 18.

125. Plutonem, divitiarum Deum, oculis cæcum, &, quod inde consequitur, omnis judicii expertem fingunt Poëtæ. Lemma. OCULIS AC MENTE CALIGAT. Nempe divitiæ hominis mentem ita excæcant, ut nullo amplius rectæ rationis aut legis divinæ nutu ducatur, sed opibus suis per fas nefasque accumulandis unicè incumbit. Cumprimis tamen Judicis ea imago est, qui nimio divitiarum ac munerum desiderio intentus, mentem, oculosque in iudicando penitus cœcos habet. Dilucidè Siracides, *Dona excæcant oculos judicum. Quis non erubescat*, inquit S.Ambrosius. *dicere, quid mihi dabis: ut tibi justitiam faciam? nonne simile est, ac si dicatur: quid mihi vultis dare, ut me ipsum abnegem, officium perdam, Deum vendam?*

Divitiæ.

Judex corrupt[9].

Eccl.10.31.

S. Amb. in Ep. ad Cor. 1. & S. Chrysost.

PROMETHEUS.
Caput XLVI.

126. PRimus hominem finxisse fingitur Prometheus, sed quia opus illud suum insensibilis tantùm erat statua, omnisque motus expers; idcircò simulachro suo animando vigorem igneum, quem in Sole contemplabatur, convenientissimum fore existimavit. Ferulam igitur corripit, solari radio admovet, flammam rapit, eamque in terras delatam ubi luteæ imagini inseruit, cœpit illa protinus se movere, & ipsum artificem stupore defigere. Lemma. LUTO COMPONIT ET IGNE. Ovidius vocat hominem *sanctius animal*, mentis præstantissimæ compotem, cæterorum animantium principem ac dominum, Divino semine oriundum (quod per ignem cœlestem indicatur) Deorum similem, solum erecto vultu, & contemplatorem siderum.

Hominis nobilitas.

Os homini sublime dedit, cælumque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Ovid. 1.Met

Ille ipse tamen *homo* ab *humo* dicitur, &, juxta sacrã paginam, è luto seu pulvere formatus est, ut memor suæ originis, nunquam immoderatiùs se efferat, semperque arrogantiam ponat, cùm oculos in ortum suum reflectit. Ut adeò magnam utrinque sui & æstimandi & deprimendi causam habeat ille è nobilissimo Spiritu & vili luto conflatus homo. Benè S. Gregorius Nazianzenus, expendens illas Geneseos voces; *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; ait; *Homines sumus amplissimi & contemptissimi: terrestres & cœlestes, mortales & immortales, hæredes lucis & ignis seu tenebrarum, prout in hanc vel in illam partem inclinaverimus. Talis est nostra mixtio, & ob hanc causam, quantùm ego dispicere possum, conflata, ut, si quando extollamur propter imaginem, contrahamur ob pulverem.*

Hominis nobilitas.

Gen. 1. 26.

S.Greg. Naz Orat. Peri. pihilope.

127. Prometheo, novos fingenti homines, illam Virgilii gnomam subjunges. IGNEUS EST ILLIS VIGOR.

Virg. 6. Æneid.

Igneus est illis vigor, & cœlestis origo.

Non frustra fingitur Prometheus ignem, tanquam animam, insensibili simulachro indidisse. Nam ut ignis est elementorum purissimum, subtilissimum, simplicissimum, actuosissimum: sic spiritus seu animus hominis est ab omni concretione & compositione terrenâ remotus, purus, simplex, vividus, mobilis, & instar flammæ sursum enitens ad conditorem suum, unde profectus est. *Errat*, inquit Origenes, *quisquis hominem carne metitur.* Egregiè Lactantius. *Solus ex omnibus cœleste ac Divinum animal homo, cujus corpus ex humo excitatum, vultus sublimis, status erectus, originem suam quærit, & quasi contemptâ humilitate terrenâ, ad altum nititur, quia sentit, summum bonum in summo sibi esse quærendum; memorque conditionis suæ, quâ Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat.* Vidit hoc ipsum Tullius; *Quæ* (Providentia) *primùm eos humo excitatos & erectos constituit, ut Deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent.*

Hominis nobilitas

Origen. c.1 de opificio Dei.

Lact. l.7.c

Cicero 2. de Nat. Deor

PROTEUS. Caput XLVII.

128. PRoteus in alias atque alias formas sese vertere poterat: nam ex sene abiit in juvenem, ex homine in tigridem, draconem, leonem, aprum, taurum, ignem. aquam, arborem, lapidem. Describit ejus mutabilitatem Ovidius.

Sunt quibus in plures jus est transire figuras:
Ut tibi complexi terram maris incola Proteus:
Nam modò te juvenem; modò te vidêre leonem;
Nunc violentus aper: nunc quem tetigisse timerent,
Anguis eras: modò te faciebant cornua taurum;
Sæpè lapis poteras, arbor quoque sæpe videri,
Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum,
Flumen eras: interdum undis, contrarius ignis.

Ovid. 8. Met.

Unde lemma è Virgilio desumptum. FORMAS SE VERTIT IN OMNES. Protheum exactè refert Diabolus, qui meritò Panurgus, & mille fraudum artifex appellatur; in omnes enim se vertit formas; etiam in *Angelum lucis*. S. Hieronymus Hæreticos Protei nomine vocat; dum scilicet falso religionis veræ prætextu novas sectas & doctrinas comminiscuntur, easque simplicibus non sine quæstu improbitatis ingerunt. *Quis enim* inquit, *hæreticorum astutias & fallacias in opinionum varietate ac inconstantiâ nescit?* Denique etiam inconstantis animi homines ac Pseudopoliticos hæc imago refert, qui talem ubique personam induunt, quales sunt ii, cum quibus contingit agere. Quod genus eleganter describit Plautus. *Nullus*, inquiens, *frugi esse potest homo, nisi qui benè & malè facere tenet. Improbus cum improbis sit: harpaget, cum furibus furetur, quod queat: Versipellem frugi convenit esse hominem, pectus cui sapit; bonus sit bonis, malis sit malus. Utcunque res sit, ita animum habeat.* Proteum etiam Clemens Alexandrinus traducit ad hominem omni vitiorum genere imbutum. Et sanè convenienter. Nam quot scelera pectus insident, tot in eo bestiæ stabulantur, & terribili vagitu, fremituque ferociunt.

Virgil. 4 Georg.

Diabol.

2. Cor. 11

Hæreticus.

S Hier. l. cont Iov.

Pseudopolitic incon- stans.

Plaut. in Bacch.

Clem. Alex. l.3. Pædag

Peccata.

SALMONEUS. Cap. XLVIII.

128. COmplurium authorum testimonio decantata est Salmonei temeritas, qui, in Helide civitate tonitrua ac fulmina Jovis imitaturus, à detonante

nante

nante fulminis ictu percussus, exanimis concidit; veluti prolixè recenset Virgil. (Virgil. l. 6. n v. 585.) Unde Salmoneus, suprà currum quadrijugum fulmine prostratus, epigraphen tenet. PAR NISO PÆNA. Vel. FULMINA FULMINIBUS. Ita prorsus Deus supplicii gravitatem ad culpæ dimensum infligit. Nam quod Magnus Augustinus testatur, (August. l. de Bapt. cont. Donat. 19.) *in ipso igne æterno, pro disparibus ponderibus peccatorum, sunt disparia tormenta pœnarum.* Paulus Maccius. (Macc. Embl.)

Aspice cornipedum cursu Salmonea equorum,
Qui tonitru dirum fulmen & ære refert.
Ecce Jovem infernas adigentem fulmine ad umbras
Ut sit par auso pœna repensa pari.
Si jacit ille faces, & fumea lumina veris
Ficta hic compescit fulmina fulminibus.

Et Fulvius Testi. (...est p. 2. ...oesos.)

Egual fingersi tenta
Salmoneo à Giove allor che tuona, & arde
Fabbrica nubbi, inventa
Simulati fragor, fiamme bugiarde;
Fulminator mendace
Fulminato da senno a terra giace.

Videre alicubi licet Salmonei statuam, Jovis fulmine prostratam; quam Epigramma græcum in hæc verba suspirantem sistit.

Sum labor, O Polyclete, tuus, lusique per auras
Salmoneus magni tela trisulca Jovis.
Is mea non fessus diro simulachra petivit
Fulmine: adhuc barathro nec datur ulla quies.

(...ap. 11. 14.) Decretum Divinum est; *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

SATVRNVS.

Cap. XLIX.

129. POëtæ Saturnum, seu Tempus, alis instructum finxêre, eóque temporis velocitatem repræsentârunt. Unde lemma. VOLAT IRREVOCABILIS. Opportunè Seneca.

Volat ambiguis mobilis alis
Hora.

Et Maro.

Stat sua cuiq; dies: breve & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Et Ovidius. (Ovid 15. Met.)

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen: neq; enim consistere flumen,
Nec levis hora potest: sed & unda impellitur undâ,
Urgeturq; eadem, veniens urgetq; priorem.
Tempora sic fugiunt pariter, pariterq; sequuntur.

(Temporis pretium.) Quapropter Theophrastes, Laërtio teste, semper in ore habebat, *nullum esse sumptum pretiosiorem tempore.* Egregiè de hoc argumento Seneca. (Senec. Ep. 9.) *Ita fac, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige & serva. Persuade tibi hoc sic esse, ut scribo: quædam tempora surripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt: turpissima tamen est jactura quæ per negligentiam fit. Omnia aliena, tempus tantùm est nostrum.*

130. Saturnus, proprios liberos devorare solitus, epigraphen tenet. LIBERORUM SANGUINE PASCOR. (Tyrannus.) Tyrannum avarum ac crudelem hæc imago repræsentat, qui seu nimiis exactionibus, seu immani cæde in suosmet grassatur, gaudetque aspergi subditorum sanguine. Davidis ore conquestus est olim Deus adversùm tyrannos, (Psal. 13. 4.) *Qui devorant plebem meam, ut cibum panis. Devorant autem populum,* interprete S. Augustino, (S. August. in hunc loc.) *qui sua commoda ex illo capiunt, non referentes ministerium suum ad gloriam Dei, & ad eorum, quibus præsunt salutem.* Porrò Saturnum exprimunt, qui regnandi libidine in fratres, filios, parentes sæviunt. (Parentes.) Denique Saturno non absimiles sese probant Pædagogi ac parentes, (Pædagogus.) qui liberos malè instituunt, eorumque animas pravo suo exemplo devorant ac miserrimè occidunt.

131. Saturnus senex, falce armatus, è propriis suis liberis unum devorat; cum lemmate. EDIT, QUOS EDIDIT. Vel, QUÆ DONAT, DEVORAT. Temporis hoc symbolum est, quod vitam, honores ac divitias donat, rursùmque eripit. (Divitiæ. Honores.) Concinnè Emmanuel Thesaurus.

Annorum Dirus pater, annorumq; vorator,
Quæ priùs ediderat tempora, Tempus edit.
Magnarum largitor opum, largitor honorum,
Omnia quæ donat, devorat iste senex.

Unde, Magno Augustino teste, (S. Aug. de Catech. rudib. c. 16.) *si in divitiis velit homo requiescere, magis superbus efficitur, quàm securus. An non videmus, quàm multi eas subitò perdiderint; multi etiam propter illas perierint, aut cùm eas habere cupiunt, aut cum eis oppressis à cupidioribus auferuntur? Quæ si etiam per totam vitam cum homine permanerent, & non desererent dilectorem suum, ipse illas morte sua desereret. Quanta enim est vita hominis, etiamsi senescat?*

SFINX. Cap. L.

132. SFinx faciem habebat speciosæ puellæ & alas avium, reliquo corpore canis referens effigiem; quæ impetu in viatores facto, eos passim inextricabilibus quæstionibus remorabatur, & unguibus discerpebat. Lemma. FERA CORPORE, FRONTE PUELLA. Ita mulier illecebrosa vultum tenet speciosæ puellæ, sed corpus habet procax, (Mulier lasciva.) impudens, & luxuriosum instar canis; alas habet avium, quia per fora & compita ad cœtus juvenum non tam currit, quàm volat; & obvios quosvis captiosis suis illiciis stringit, opes aufert, pudorem, honestatem, famam, & ipsam adeò vitam si non corporis, certè animæ. Unde de muliere lascivâ opportunè in rem præsentem ait Sapiens; (Prov 7.) *Irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum pertraxit illum.* Pulchrè S. Ambrosius. (S. Ambr. l. 1. de David.) *Samson validus & fortis leonem suffocavit; sed amorem suum suffocare non potuit: Vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas, sed unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit.*

SILENVS.

Cap. LI.

133. SIlenorum simulachra olim Panopliarum subiêre vicem, quippè quæ externâ quidem facie horrida ac contemptibilia, intra viscera tamen Deorum imagines, auro ac gemmis coruscas, reconditas habebant. Unde Torquatus Tassus (Tass. Gerus. Liberat. Canto.)

Come all' aprir d' un rustico Sileno
Merauiglia vedea l' antica etade &c.

Atque adeò statuæ illæ pretium ac nobilitatem suam habuere INTUS, NON EXTRA. Hoc lemmate

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I. P

Virtus abscondita. mate & Emblemate utuntur Academici Brixienses Occulti. Ita prorsùs homines, genuinæ perfectionis studiosi, animam quidem virtutibus excolunt, eas tamen ab hominum oculis, quantùm licet, abscondunt; D. Bernardus in S. Virgine Sophiâ id observatum habuit, *Filiæ Belial*, inquit, *filiæ Babylonis induuntur purpurâ & bysso, & subindè conscientia pannosa jacet; fulgent monilibus, moribus sordent: econtra tu foris pannosa, intus speciosa resplendens, sed Divinis aspectibus, non humanis.* Et certè, è Tullii sententia, ab animabus verè virtuosis prorsùs alienum est exteros applausus emendicare: nam *conscientia virtuti satis amplum theatrum est.*

S. Bern. Ep. 113.

Alcib. apud Platonem in Conviv. 134. Alcibiades refert, Silenorum statuas exteriore quidem vultu nihil amœnioris formæ aut pulchritudinis præsetulisse: apertas tamen maximi pretii thesauros in pectore ostentâsse. Unde Franciscus Raulinus symboli loco Silenum statuit, è cujus corde fenestellam paululùm apertam suspendebat; hoc lemmate, ceu indice, insignem. PRETIOSA LATENT. Ita bonus Princeps sua majoris momenti arcana prudenti silentio tegere novit. Vel, si mavelis, Dei servos hoc typo insignias, qui gratias, intra animæ suæ scrinium à Deo depositas, studiosè occultant. Nam *omnes boni*, Magno Augustino teste, *latent hic; quia bonum eorum intus est, absconditum est, in corde est, ubi fides, spes, charitas, ubi thesaurus illorum.*

Secretum. Virtus occulta. S. Aug. in Psal. 53.

SIREN.

Cap. LII.

135. Camerarius tres Sirenes in mari tranquillo depinxit, quæ vicinam navim musicâ suâ harmoniâ fascinare solitæ, hanc Claudiani gnomam lemmatis loco prætulêre, MORTEM DABIT IPSA VOLUPTAS. Vel ut Gamberto videtur. METUENDA VOLUPTAS. Ab his non multùm alienus Sinesius, *Audivi*, inquit, *doctum virum, qui fabulam allegoricè exponeret, Sirenas enim denotare voluptates, quæ delinitos, & suavitate eâ captos, paulo post interimunt,* Meus Hugo Cardinalis. *Syrenæ*, inquit, *incautos per ea loca navigantes, cantuum illecebris, naufragio periclitari faciebant. Secundùm autem veritatem meretrices fuerunt, quæ transeuntes ad egestatem adegerunt.* Et Achilles Statius. *Ejusmodi est, quæ malis è rebus percipitur voluptas, Sirenum scilicet naturæ persimilis: illæ enim cantûs suavitate mortales perdunt.* Unde Horatius.

Voluptas. Sinesius Ep. ad Hercal. Hug. Vict. l. 2 de bestiis c. 31. Achill. Stat. l. 1. Hor. l. 1. Ep. 2.

Sperne voluptates; nocet empta dolore voluptas.

Cæterùm quisquis infamem Syrenem cernere cupis, quæ sub cantilenæ illecebris fatale toxicum propinat, oculos in Neronem Imperatorem defixos tene; de quo Aloysius Cerchiarus in hæc verba cecinit.

Prodit inaurato vestitus syrmate Cæsar,
Quamvis non Cæsar, sed cythharædus erat.
Stat baculus manibus plectro lyra pendet eburno
Ex humeris, cingit picta corona caput.
Incipit ambrosiam jucundo gutture vocem
Mittere, & argutæ plectere fila chelys.
Turba tacet defixa oculis; qui negligit aures
Porrigere, huic vitam surripit ense Nero.
Dulcia Syrenum modulatur carmina Cæsar,
Namq; homines, postquam concinit, ille vorat.

Voluptas mundi. 136. Abbas Certanus, cunctas mundi blanditias homini fatales esse significaturus, Sirenem expressit; quæ intra tranquillum pelagus organo musico ludens, epigraphen referebat. SON LE LUSINGHE SUE SEMPRE MORTALI. Id est. BLANDITIIS PERIMIT. S. Ambrosius illa Divini Psaltis verba expendens, *Humiliâsti nos in loco Syrenum*; ait, *Ita ergò sæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, ut decipiat.*

S. Amb. in Ps. 43. v. 20

Libido. 137. Siren non modò cor humanum gratiosâ vultûs sui formâ, sed & aures suavissimo concentu permulcet. Verùm paulò post in furiam conversa, omnis fortunæ jacturam, ipsamque adeò mortem acerbè minatur. Unde lemma. ANCIDE, E PLACE. Id est, MORTEM DAT IPSA VOLUPTAS. Nativam hanc Veneris, & alterius cujusvis peccati, ideam dixeris; utrumque enim, dum placet, occidit. Unde S. Augustinus, *Bibant*, inquit, *alii mortiferas voluptates, portio calicis mei Deus est.* S. Gregorius Nazianzenus peccatoris ore in hæc verba canit.

S. August. i Psal. 15. S. Greg. Na

--- Id facio, quod mens mea damnat, & odit;
Oblectorq; malis, mortemq; in pectore fixam
Rideo Sardonico risu &c.

Libido. 138. Joannes Horozcus libidinis, omnisque voluptatis terrenæ symbolum Sirenem statuit, quæ citharam manu versans, lemma Hispanum reddit. CUMPLE CON DAR DESGUSTO, Y AMARGURA. Id est, CUM BLANDITUR, OCCIDIT. S. Valerianus. *Nemo*, inquit, *insidiosis cantibus credat, nec ad illa libidinosæ vocis incitamenta respiciat, quæ cùm oblectant, sæviunt, cùm blandiuntur, occidunt.* Has Syrenum adulterinas blanditias probè edoctus Domitianus, *quò contemptiùs abuteretur patientia hominum* (Suetonii verba sunt) *nunquam tristiorem sententiam sine præfatione clementiæ pronuntiavit, ut non aliud tam certum atrocis exitus signum esset, quàm Principis lenitas.*

S. Valerian serm. 6. Crudelitas fallax. Suet in Domit. cap 11

139. Significandis Sirenum insidiis, quæ obvios quosvis suavi suâ symphoniâ fascinant, occiduntque; epigraphen Emblemati subjeci. QUOS VOCANT, DEVORANT. Impuræ meretricis hæc imago est, quæ incautum juvenem verborum lenociniis allicit, ejusque facultates, famam, valetudinem, ipsamque adeò animam horrendo fato rapit. *O ignis infernalis luxuria*, exclamat S. Hieronymus, *cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* Emblematis construendi occasionem obtulit D. Thesaurus in Elogio Samsonis, ubi sacri hujus Herois successum ita describit.

S. Hier. i Epist.

Gazeæ meretriculæ amplexibus illaqueatus
Philisthinis destinatur ad prædam.
Monocerotem diceres,
Puellæ in gremio captum, sed impuræ.
At exitu inopinato declinavit exitium.
Urbis compagibus felici nisu revulsis,
Portarum fores foras portavit:
Sic Syrenum præstigias semper effugiat,
Quæ VORANT, QUOS VOCANT.

Minister malus. 140. Mali ministri falsas plerumque, sed tamen verisimiles præferunt rationes, sub quibus vitiosas suas passiones, ac informia affectuum monstra abscondunt. Hos D. Didacus Saavedra Sireni non absimiles dicit, qui manu citharam feriens, Horatii lemma sustinet. FORMOSA SUPERNE.

--- --- --- Et turpiter atrum
Desinit in piscem mulier, formosa supernè.

Illece-

Mundi delicia. Illecebræ, quas mundus propinat, nonnisi mella ac dulcores videntur; at (O perfidum hospitem, mundum!) tandem in toxica ac viperarum amarissimos
Aug. de verb. Apost. ser.23.c.1. aculeos desinunt. S. P. Augustinus. *Mundi promissa semper fallunt, Dei autem promissa nunquam fallunt. Sed quia mundus quod pollicetur, hic videtur daturus, id est, in hac terra morientium, in qua nunc sumus. Deus autem quod pollicetur, in terra viventium nobis daturus est; Multi fatigantur expectare veracem, & non erubescunt amare fallacem.* Exquisitè Urbanus VIII. ad Carolum fratrem.

Quàm pulchra blandè sensibus ingerunt
Externa nostris se bona? purpuræ
Qui fulgor? ut formosa pandit
Virgineum facies decorem?
Ut ardet auri splendor amabilis?
Ut ridet aulæ gratia regiæ?
Quot luxus indutus figuras
Attonitum trahit ore vulgus?
Proh! quis latentis semina toxici
Non hausit imo corde?

141. Siren, illecebroso cantu vicinam navim allectans, subscriptionem è Claudiano, meâ quidem sententiâ non incongruam, refert. FIGIT VOX UNA RATES. Hâc Sirenum efficacitate nihilò
Ovid. l. 3. de Pont. Eleg. 4 inferiores sunt eloquentiæ vires. Ovidius.

Non opus est magnis placido lectore Poëtis,
Quemlibet invitum, difficilemque tenent.

Meretrix. Eam Sirenum fallaciam etiam mulierum blanditiæ imitantur; quippe quæ generosam mentem à cœpto virtutum tramite avertunt, & improvidam in perennis exitii charybdim præcipitant. S. Petrus Damianus adversùs obscœnas has gentis humanæ voragines acriter concitatus. *Vos Sirenæ*, inquit, *atque cherybdides, quæ dum suavem deceptionis editis cantum, inevitabile struitis salo vorante naufragium.*
S. Pet. Dam. Opusc.18. dissert.1.c. 7.

142. Sirenem, animi generosi ac imperterriti ideam, D. Paulus Jovius hâc epigraphá insigniit. CONTEMNIT TUTA PROCELLAS. Ad hanc magnanimitatem non sine facundiâ invitans Seneca, *Quidquid*, inquit, *ex naturæ constitutione patiendum est, magno excipiatur animo. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia: nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est.*
Animus imperteritus. Senec. apud Lips. lib. 2. Manud. diss.16.

143. Siren, organo musico instructa, epigraphen refert, DULCEDINE CAPIO. Nativa hæc virtutis est indoles, quæ humanam mentem suavissimis illiciis in sui amorem trahit. Eloquentia quoque obduratos animos frangere, ac mirâ suavitate emollire novit. Id quod Seneca in Orpheo observatum habuit. Virtus. Eloquentia. Senec in Herc. Fur.

Immites potuit flectere cantibus
Umbrarum Dominos, & prece supplici
Orpheus Euricidem dum recipit suam.
Quæ sylvas & aves, saxaque traxerat
Ars, quæ præbuerat fluminibus moras,
Ad cujus sonitum constiterant feræ,
Mulcet non solitis vocibus inferos.

Denique etiam dœmon, fallacissimæ Sirenis more, incautos mortales dulcedine capit. S. P. Augustinus. *Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit; sed acceptâ, tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis.* Voluptas. S. August in Expos. Epist ad Rom. Proposit. 42.

144. Siren, superiore corpore venustam puellam referens, reliquâ sui parte in squameum ac deformem piscem desinit. Unde Bartholomæus Rossus hanc adulatorum ideam statuit, addito lemmate. AMARICATA DULCEDO. Guido Casonus adulationem vernaculâ linguâ vocat: Adulatio. Guid. Cason. Embl. Polit. 17.

Lusingiera, e domestica Sirena,
Che col canto mortifero di laude
Il Prencipe addormenta, e in'esso uccide
La virtute, il valore, e la fortuna.

Id est.

Blandam & domesticam Sirenem,
Quæ lethali laudis suæ cantilenâ
Principem fascinat, ejusque virtutem,
Existimationem ac fortuam opprimit.

Sirenem imitatur mundus, nullam unquam dulcedinem, nisi amarore tinctam, propinare solitus. Verissimè Justus Lipsius. *In hac omni vita nullum tam optabile aliquod bonum est, quod non mixtum poculo aliquo mœrorum.* Et Moses Barcefa, *Peccatum*, inquit, *initio supra modum placet; at in fine luctum parat patranti.* Voluptas mundi. Lips. Centur. 1. Ep. 43. Mos Barc l. de Parad p 1.

* * *
* *

SISYPHUS.

CAPUT LIII.

145. POëtæ fabulantur, Siſyphum eo ſupplicii genere apud inferos plecti, ut ſaxum in montis cujuſdam verticem cogatur pervolvere, quod iterum iterumque relapſum, identidem revolvere debet, inani conatu. Lemma. URGET RUITURUM. Ad verbum Ovidius, *Ovid. 4. Met.*

Aut petis aut urges ruiturum Siſyphe ſaxum.

Per Siſyphi ſaxum deſignantur vaniſſimi hominum conatus: Mons, in quem revolvitur, hujuſce vitæ curſus eſt, cui quietem & tranquillitatem nullam variæ cupiditates concedunt. *Labor hominum inutilis.* Alii enim in cumulandis opibus, alii in honoribus, alii in voluptatibus, rebuſque ſimilibus felicitatem ſuam eſſe ſitam arbitrantur, qui, cùm re optatâ potiti fuerint, rursùs in imum relabuntur; & qui ante in divitiis comparandis erat anxius, nunc eſt in acquirendis honoribus ſolicitus: atque ita ſemper in aliquam relabitur perturbationem, neque ſummum apicem, ubi beatitudine ac quiete ſperatâ fruatur, obtinet unquam. S. Auguſtinus. *Qui in longum it, aliundè incipit, alicubi finit. Qui in gyrum it, nuſquam finit: ipſe eſt labor impiorum.* *S. Aug. in Pſal. 39.* Cæterùm Siſyphi ſaxum dicuntur volvere homines, inexhauſto atque inutili labore fatigari ſoliti.

TANTALUS.

Caput LIV.

146. TAntalus ad mentum uſque intra aquas ſubmerſus, poma, labiis vicina, identidem tamen fugitiva captare nititur; cum dicto. INOPEM ME COPIA FACIT. *Avarus.* Ita prorsùs avarus in uberrima opum affluentia ita vivit, quaſi extremam ſuſtineret mendicitatem. S. Auguſtinus. *Hydropicum rectè comparamus diviti avaro; Sicut enim ille, quantò magis abundat humore inordinato, tantò amplius ſitit; ſic iſte, quantò eſt copioſior divitiis, quibus non benè utitur, tantò ardentius talia concupiſcit.* *S. Aug l. Quæſt. Evang. q.* Plautus. *Plaut. in Aulularia.*

Tenaces nimiùm Dominos noſtra ætas tulit,
In opibus magnis pauperes,
Et ſitibundos in medio Oceani gurgite:
Nullæ illis ſatis divitiæ ſunt, non Midæ,
Non Crœſi, non omnis Perſarum copia
Explere illorum tartaream ingluviem poteſt.

147. Dum Tantalus, in mediis natans undis, ad ſitim levandam caput inclinat, mox aquæ deprimuntur, & captantis labia effugiunt; poma verò, dum illis decerpendis caput ac dentes arrigit, magis ſemper magiſque elevantur; ut adeò & in ubertate famem, & in affluentia ſitim extremam ſuſtinere cogatur miſer. Emblemati ſubſcripſit Joannes Ferrus. ET PROXIMA LUDUNT. Eos hoc Emblema ſpectat, qui, ita diſponente arcanâ Dei providentiâ, adverſa omnia experiuntur, ſuâque ſpe nullibi non miſerrimè excidunt. *Adverſ* Contrarios hos ſucceſſus cumulatè expertus eſt Hebræorum populus, cui Divinus Vates comminatus eſt, *Vinum mentietur eis.* *Oſea 9.* Cùm enim vites gravidæ uvas, rubeâ flavedine jamjam maturas eniterentur, ab inopinata tempeſtate funditùs everſæ omnem cultorum ſpem fecêre irritam; &, quod mireris, illa cœli intemperies ideò ſolùm in vineæ ubertatem graſſabatur, ut Iſraëlis populus ſpe ſuâ excuſſus, acerbiore dolore premeretur. Ruffinū Pium hac de re eruditè diſſerentem audi. *Ruffin. in hunc c.* *Nihil melius, nihil amabilius terrarū ubertate, & ventris impendiis*

Ses humana. pendiis censuisti: tota ergò tibi & frugum, & fructuũ subducetur ubertas. Utque magis vota discrucient: diu apparens vindemia ita subitis disperibit procellis, ut in dolorem tuum, non solùm læsa, sed etiam mentita videatur. Urbanus VIII. hanc calamitatem in omni hominum spe observatam habet, dum enim scopum jamjam ferire, & desideratâ sorte frui contendimus, mox vertente fortunâ, votis omnibus præcipitati, lubrico & incauto casu supini relabimur.

Urban. VIII. C. in S. Lucicum.

Spes sæpè, quò propinquior
Arridet, celeri fugâ
Exitus capitis adimit secundos.

Avarus. 148. P. Gallina avarum hominis pectus, inter inundantes divitiarum fluxus nunquam exaturandum, Tantalo non absimile dixit, qui mediis immersus aquis, epigraphen sustinet; SITIT IN AMNE. Verbis è quodam Urbani VIII. poëmate desumptis.

In medio illusus Tantalus amne sitit.

Inscribi etiam poterat, SITIT IN UNDIS. In rem præsentem Magnus Augustinus. *Divitiæ*, inquit, *non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem; nam vidimus quosdam, cum haberent parvam pecuniam, parvis lucris fuisse contentos; sed postquam cœpit eis abundare, avaritia fauces non clausit, sed extendit; non irrigavit, sed accendit, poculum respuunt, quia fluvium sitiunt.* Unde Alciatus.

S. Aug. ser. de Divers. 11. Alciat. Embl. 85.

Heu! miser in mediis sitiens stat Tantalus undis,
Et poma esuriens proxima habere nequit.
Nomine mutato, id de te dicetur Avare,
Qui quasi non habeas, non frueris quod habes.

Brevius Faustus Andrelinus.

Semper eget sitiens mediis ceu Tantalus undis
Inter anhelatas pauper avarus opes.

149. Tantalus, nativum avari ectypon, nunquam eas undas, quibus immersus abundat; sed præteritas semper, ac fugitivas appetit. Unde lemma. FUGIENTIA CAPTAT. Seneca, *Vidisti*, inquit, *aliquando canem missa à Domino frusta panis, aperto ore captantem? quidquid accipit, protinus integrum devorat, & semper ad spem futuri inhiat. Idem evenit nobis, quidquid expectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate dimittimus statim, ad rapinam alterius erecti.* Scitè Horatius.

Sen. Ep. 23. Horat. l. 1. Satyr. 1.

Tantalus è labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. Congestis undique saxis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Et Cornelius Gallus.

Corn. Gall. Eleg. 1.

Imò etiam pœna est partis incumbere rebus,
Quas cum possideas, est violare nefas.
Non aliter sitiens vicinas Tantalus undas
Captat, & oppositis abstinet ora cibis.

Lascivus. Porrò etiam lascivus, Tantalo non absimilis, sensuũ lenocinia studiosè quidem insequitur; at nihil exindè nisi caducas ac transitorias inanissimæ voluptatis umbras assequitur. D. Ascanius Ordeus Abbas hanc libidinis levitatem exactè perpendens, canit;

D. Ascan. Ord. in Rhytmis Ital.

O dolcezza d'amor vana, e fallace,
Più de la neue al sole,
Più del onda di Tantalo fugace,
Stender l'auuido labbro ei semper suole
Ver l onda, che desia:
Ma non si tosto egli la tocca, e sugge,
Ch'ella repente s'allontana, e fugge.
Così la gioia mia.
Passa più lieue di penuto strale;
Ahi diletto d'Amor pena infernale.

150. Tametsi aquis totus innatet Tantalus, siti tamen penè rumpitur, cùm enim fallaces lymphæ inhiantis ori nunquam non illudant, semperque effugiant insequentem; idcircò vicinos latices arido ac sitibundo gutture, non sine immani supplicio, spectare cogitur. Lemma. FRUSTRANTUR FLUMINA MERSUM. Vel, FUGITIVA SEQUOR; Deploranda hæc avarorum est conditio, qui auri argentive affluentiâ propè submersi, novâ semper opum alienarum cupidine æstuant. Tullius, *Avaritia*, inquit, *nunquàm expletur, nec saturatur sitis cupiditatis: neque solùm eam qui habent, libidine augendi excruciantur; sed etiam amittendi metu.* Ecclesiastæ pronuntiatum est; *Avarus non implebitur pecuniâ*, nam

Avarus. Cicer. Paradox. 1. Eccl. 5.

Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.

Emblematis construendi occasionem dedit illustris Musa Bonaventuræ Baronii, Ordinis Minorum de Observantia, ita canens.

Baron in metris miscell.

--- --- Refugis ubi Tantalus undis
Destituit sua pœna reum: labentia mersum
Flumina frustrantur, simul & fugitiva sequentem
Irritant melimela famem. Sic æthere in alto
Inter opes it avarus inops, & egere negatis
Impatiens, nec tum doctilis gaudere repertis.

151. Aquæ, quæ Tantalum circumfluunt, insequentem sitibundum miserrimè effugiunt. Unde D. Thesauri lemma. AFFLUUNT, SED EFFLUUNT. Ita sanè omnes divitiæ ac voluptates terrenæ, dum jam jam videntur possideri, evanescunt. Unde Magno Augustino asserente, *Voluptas transitura sine prudentia desideratur; verùm cum transierit, cum pœnitentia cogitatur.*

Divitiæ. Voluptates. S. Aug de Verb. Apost. serm. 23. c. 9.

THESEUS. Cap. LV.

152. Theseus amicitiam cum Perithoo adeò arctam contraxit, ut hunc pro uxore accersenda ad inferos proficiscentem, Theseus seu comes individuus, non sine vitæ ac salutis discrimine, sit secutus. Lemma. SIC DILEXISSE, NOCIVUM. Peccavit nimirum Theseus in amicitia cum Pirithoo temerè magis quàm sapienter initâ. In proverbiis refertur: *Amicus usque ad aras*; Quod à Pericle, Atheniensium Duce clarissimo, profluxit; quem cum amicorum quispiam rogaret, ut in causa quadam, suâ gratiâ, falsum pejeraret, reposuit, *oportet me commodare amicis, sed usq; ad aras.*: Olim enim jurantes aram tangebant. *Hæc igitur prima lex*, inquit Tullius, *in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati.* At multi, prò dolor! ne deserant amicum, deserunt honestatem, famam, salutem, cœlum, Deum. S. Augustinus; *Illam legem amicitiæ justissimam esse arbitror, quâ præscribitur, ut sicut non minus, ita nec plus quisque amicum, quàm se ipsum diligat.*

Amicitia vituperabilis. S. Aug. lib. 1. Soliloq. c. 3.

153. Cùm anceps hæreret Theseus, quînam ex horrendis labyrinthi ambagibus sese expediret, Ariadna lini glomerem per muros injecit: cujus prehenso filo juvenis, cœca regens vestigia, salvus & incolumis evasit. Emblemati subscribes. HAC DUCE SECURUS. Quanti, quamque intricati & implexi sunt in aulis ac negotiis Principum labyrinthi? peribit hic Theseus, nisi per fidam Ariadnem explicetur; *Prudentiam*, Ariadnæ nomine intelligo *politicam*, & *polemicam*; fidelesque Consiliarios, quorum ductu secura ponat vestigia Princeps. Hesiodi sententia est apud Lipsium.

Prudentia. Lips. de Civil. doctr. l. 3. c. 2.

Laudatissimus est, ipsus qui cuncta videbit;
Sed laudatus & is, qui paret recta monenti.

 Et

Plin. in Panegyr. Trajan. Et Plinius, *Singuli,inquit, decipere possunt & decipi: nemo omnes; neminem omnes fefellerunt.* Confirmat Salomon. Prov. 24. *Salus, ubi multa consilia.* Cæterùm S. Rosarium haud incongruè filum dixeris,ab Ariadna cœlesti, Virgine Deipara, hominibus explicatum, quo sexcentos dœmonis ac mundi labyrinthos feliciter evaderent. Rosariū.

TRIPTOLEMUS.
CAPUT LVI.

154. ADmodum infans erat, & in cunis vagiebat Triptolemus, quando Ceres, parvuli amore capta, cùm illum immortalem vellet, nutricis officium assumpsit, & lacte Divino rigavit alumnum. Educatio. Unde lemma. EX LACTE IMMORTALIS.Hinc disces, quanti referat, quo succo ac educatione primitùs imbuatur puer.Etenim cum lacte & educatione indoles illius & mores suguntur. Si educatio sincera sit,servabit humorem & odorem virtutis infans; sin' vitiosa sit; virus hoc totum imbibet alumnus. *Lamiæ*,ut Threni conqueruntur, *nudaverunt mammam suam, lactaverunt catulos suos.* Thren. 4. Quid aliud sunt istæ lamiæ, quàm malæ parentes,tygrides potius & ursas,quam homines moribus præferre solitæ;quæ cum vitioso lacte ac educatione pessima malam pestem in teneros fœtus transfundunt. Lac matris. Sic Salomon trecentarum uxorum maritus, & septuaginta pellicum concubinus,matrem habuit adulteram Bethsabeam.Agrippina, Neronis mater, quod in omnes libidines esset effusa, filium orbi peperit libidinis & crudelitatis monstrum, uti testatur Cornelius Tacitus. Unde Diogenes, videns adolescentulum ex temulentia desipere, dixit; *Ebrius te seminavit pater.* S. Augustinus fatetur, *se lacte matris, Dei cultum & venerationem hausisse.* S. Aug. lib. Confess. Antonius Caracalla Imp. tametsi sævissimus, Christianis tamen admodum pepercit: causam assignat Baronius, *quod lac nutricis Christianæ suxerit.* Baron. ad Annum. 217

TITYUS. *Cap. LVII.*

155. TItyi jecur, à vulture dilaniatum, Virgilii subscriptionem sustinet. Virgil. l. 6. Æneid. NEC REQUIES ULLA. Quisquis in flagitiis Tityum sequitur, opus est, vulturem, suam scilicet conscientiam patiatur, carnificem nunquam moriturum: Conscientia mala. quia *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Isa 66. Graviter Doctor mellifluus. S Bernard. in lib de Anim. cap. 3. *Extorres cœlo in carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiæ vermem. Ibi dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis sine spe veniæ & misericordiæ. Sic tamen morientur, ut semper vivant; & sic vivent, ut semper moriantur.* Porrò Petrus Blesensis eos hâc Tityi imagine repræsentat, qui labores suos omnes, otiumque totum aucupiis consecrant. Auceps. Pet. Bles. Epist. 61. *Video quosdam,* inquit, *quorum mentes avium delectatio totas occupando consumit. Nonne isti imaginem gerunt Tityi, cujus jecur Poëtæ referunt jugiter ab avibus devorari? nam satis devorantur ab avibus, qui hâc avium curiositate torquentur.* Lucretius opinatur, Tityi supplicio lascivos animos, assiduis curis excruciari solitos, significari. Lascivus. Lucret. lib. 3.

Sed Tityus nobis hic est, in amore jacentes
Quem volucres lacerant, atq; exest anxius angor:
Aut aliâ quâvis scindunt torpedine curæ.

156. Tityi jecur assiduo ac crudeli vulturis morsu devoratur; renascente identidem ad pabulum jecore. Emblemati meus Concanonicus D. Gallina subscripsit. ADACTO VULNERE CRESCIT. Neque enim sive ligurientis fames, sive pabuli quotidie recrescentis materies, unquam deficit; uti Abbas Ferrus hoc lemmate significat. NEC GULA, NEC ESCA. Ambitiosus. Libidinosus. Avarus. Ita omninò qui ambitioni, libidini, aut avaritiæ student, quo plus existimationis, voluptatis, aut opum ipsis accreverit, eò ardentiore fame in eas se effundunt. Damnati quoque eâ imagine exhibentur, Damnati quippe qui rodentes suos vermes nunquã dilaniando saturos, nec corda sua, in mille mortes identidem renascentia, unquàm defectura sentient. Ovidius Ovid 5. Tr.

Sic inconsumptum Tityi, semperque renascens,
Non perit, ut possit sæpe perire, jecur.

Mens conscia mali, ob assiduum queritantis conscientiæ remorsum, haud aliter, atque ab infernali vulture Tityus arroditur. Remorsi conscientiæ. Natalis Comes. Natal. Com. Mythol. l. cap. 19. *Aliqui, inquit, vultures illos Tityi, præteritorum scelerum recordationes esse censuerunt, quæ animum assiduè vellicant peccantium, eumque torquent.* Vide sis Macrobium, hac de re prolixè disserentem. Macrob. l. de somnio. Scip. cap. De mala conscientia pulchrè, ut solet, S. P. Augustinus. S. Aug. tra 41. in Ioan. *Non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat, sequitur se, imò non recedit à se, peccatum enim, quod facit, intus est; fecit peccatum, ut aliquam corporalem carperet voluptatem; voluptas transiit, peccatum manet; præteriit, quod delectabat; remansit, quod pungat.*

157. Tityi viscera, si Poëtis fidem habeas, ab immani vulture sine ullo fine apud inferos crudelissimè depascuntur; utpote semper in novam lanienam renasci solita. Unde lemma. NEC FIBRIS REQUIES DATUR ULLA RENATIS. Verbis è Virgilio mutuatis. Virgil. 6. Æn.

--- Rostroque immanis vultur adunco
Immortale jecur tundens, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Ita peccator assiduis conscientiæ morsibus arroditur, neque corroditur; & sic perennem sustinet pœnæ identidem recrudescentis ærumnam. Conscientia mala. Pulchrè S. Bernardus. S Bernard. 3. de Consid. cap. 12. *Hic est vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Nec cessat rodere conscientiam, eâque pastus escâ utique inconsumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit. Quis det illis semel mori, ut non moriantur in æternum?*

158. Eidem Emblemati subscribes. NON PERIT, UT SÆPE PEREAT. Verbis ex Ovidio desumptis. Ovid. 5.

Vivimus, ut nunquam liceat finire dolores,
Et gravior longâ fit mea pœna morâ.
Sic inconsumptum Titui, semperque renascens
Non perit, ut possit sæpe perire, jecur.

De æterna inferorum morte id intelligas velim. Inferni. In hanc rem S. Augustinus. S. Aug. l. 6. de Civit. Dei cap. ult. *Si anima in pœnis vivit æternis; mors potius dicenda illa est, quàm vita: nulla quippe major & pejor mors, quàm ubi non moritur mors;* juxtà illud Poëtæ:

Immortale malum nullâ delebile morte.

Sed quod animæ natura, per id, quod immortalis creata est, sine qualicunque vita esse non potest: summa mors ejus est alienatio à vita Dei in æternitate supplicii.

159. Æternitas, temporum incrementis identidem novis, ac nunquam defecturis resarciri solita, Tityi pectori non absimilis videri possit; Æternitas. cum lemmate, ABSUMPTA RESARCIT. Vel, SUGGESTU VULNERA COMPLET. Verbis è Tertull. desumptis, ubi de statua salis Uxoris Loth canit.

Durat

Durat adhuc, etenim durâ statione sub æthra
Nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis
Quin etiam si quis mulctaverit advena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.

Inferni supplicia. Greg.l. 4. Moral.c 8.

Idipsum etiam de Inferorum suppliciis dixerim. Verè S. Gregorius. *Anima mortaliter est immortalis, & immortaliter mortalis. Ita enim immortalis est, ut mori possit; ita mortalis est, ut mori non possit. Nam beatè vivere, sive per vitium, sive per supplicium perdit. Essentialiter autem vivere, neque per vitium, neque per supplicium perdit.*

VLYSSES.

CAPUT LVIII.

Mundi voluptates. Cassiod. l. 2 Var. Ep 40. Val. ser. 6.

160. MUndi blanditiis aures nunquam esse commodandas, sed semper obturandas, ab Ulysse discas velim; qui in navigio Sirenibus vicinus, epigraphen tenet; OBSERATIS AURIBUS. Cassiodorus. *Cogitavit (Ulysses) felicissimam surditatem, ut, quam vincere intelligendo non poterat, melius non advertendo superaret.* Et S. Valerianus. *Quotiescunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aspectus, nemo insidiosis cantibus credat, nec ad illa libidinosæ vocis incitamenta conspiciat, quæ, cùm oblectant, sæviunt; cùm blandiuntur, occidunt.*

Meretrix.

161. Ulysses Sirenibus intra navim vicinus, epigraphen refert. SURDITATE SECURUS. Neque enim adversùs effrontes meretricis assultus securius triumphabis, quàm si allicientis invitamentis aures, venustati verò oculos præcludas. Proindè Poëta.

Auribus obstructis Syrenas fugit Ulysses,
Si fugis hanc, aures obstruito, atq; oculos.

Occasio mala. Phil. lib. quod deter. &c. Aug. serm. 20. d Temp. p. 4.

Id quod in omni occasione observes velim. Unde Philo Hebræus Abelem, quòd fratri deambulaturo comitem se junxerit, modestè redarguit; quippe qui saluti suæ adversùs notam Caini tyrannidem melius consulere, socium respuere, auresque invitanti surdas objicere debuisset. *Debuerat recusare, & provocationem inimici contemnere, tergiversari enim præstat, quam vinci, &c.* Verè S. P. Augustinus. *Mors ad animas nostras ingreditur per visum oculorum, & auditum aurium.*

Prudentia. Lips. Centur. Miscell. Ep. 4.

162. Ulysses, Polyphemum excæcans, à D. Emmanuele Thesauro epigraphen recepit. MENS UNA SAPIENS PLURIUM VINCET MANUS. Opportunè Lipsius; *Mihi,* inquit, *PLUS MENTEM, QUAM MANUS valere; plus industriam, quàm omnes opes.* Magis propriè in rem præsentem Euripides, cui & Emblematis titulus & doctrina debetur, *Viri prudentia facit,* inquit, *ut benè habitentur civitates, itemque familiæ: & ad bella magnum ejus momentum est. Consilium enim sapienter initum multas manus vincit.*

Religiosus. S. Aug. Epist. ad Armamentar. & Paulinum.

163. Patres Societatis Jesu in Belgio Ulyssem Symboli loco statuerunt, qui, ad navigii malum religatus, aures admotis manibus obsepiebat; frustra circa navim ludente Sirenum choro. Lemma. CANITIS SURDIS, CANITISQUE LIGATIS. Religiosos, Veneris, cæterarumque voluptatum lenociniis frustra tentandos, hæc imago asserit, utpote castitatis voto religatos, & nonnisi Divinis inspirationibus intentos. S. P. Augustinus. *Quia jam vovisti, jam te adstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Non talis eris, si non feceris quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. Minor enim tunc esses, non pejor; modo autem, quod absit, miserior, si Deo fidem fregeris: quantò beatior si persolveris.*

Religio. Salus Reipublicæ.

164. In fatis erat, Trojam nunquam expugnatum iri, quamdiu Palladium, seu Palladis statua, in eâ servaretur. Cujus rei non ignarus Ulysses, assumpto sibi comite Diomede, simulachrum illud surripuit, urbemque cepit. Lemma. HOC SPOLIATA, PERIBIT. Palladii nomine sacram religionem, cultumque Divinum intelligas, quæ si labefactetur aut loco moveatur, extremam civitati perniciem affert; Est enim religio fulcrum imperii, basis reipublicæ, munimentum regnorum, & anchora sacra; quâ motâ, turbantur omnia, & certissimo naufragio exponuntur: In Ulysse verò & Diomede hæreticos agnoscas, qui novi Evangelii lacernâ tecti, initio quidē fraudulentis verbis, postea ostentatis armis, subeunt urbes catholicas, & inde Palladium, hoc est, sinceram, castam, antiquam, orthodoxam religionem, ex quâ salus omnium pendet, convellunt & exterminant. Prætere Palladio significatur, sapientiæ præsidio feliciter Respublicas administrari atque florere. Juxta Salomonem, *Multitudo sapientûm sanitas est orbis terrarum, & Rex sapiens stabilimentum populi est.* Plato dicere solebat, tum demum benè cum rebus humanis actum iri, si vel Philosophi regnarent, vel Reges Philosopharentur. *Væ tibi terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes manè comedunt.* Cæterùm Divina Pallas, Maria Virgo, ita homini est necessaria, ut sine illâ Tartareo Ulyssi haud dubiè sit in prædam cessurus. S. Bernardus Deiparam alloquens, *Sicut à te despectus,* inquit, *& aversus, necesse est, ut pereat; sic ad te versus, & à te respectus, impossibile est, quod pereat. Filioli mei, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ.*

Sapientia salus populi. Sap. 6. Eccl. 10. Maria V. S. Bernard. in serm. de B.V.

Prælatus vino deditus. 1. Tim 3. 2. Ibid. n. 8. S. Chrysost. in Matth. Idem. Dial. lib. 2.

165. Ulysses Polyphemum Pastorem, generosissimi vini poculo sopitum, fraudulenter ac miserè exocalavit. Lemma. OCULIS TEMULENTIA PRIVAT. Nempe Pastores & Prælati, vino nimiùm quantùm dediti, mentis oculos amittunt, sicque assiduâ suâ perpotandi libidine, non sine gregis commissi interitu, prudentiam omnem extinguunt. Unde Apostolus Episcopum voluit esse *Sobrium, prudentem, non violentum.* Et Diaconos *non multo vino deditos.* Chrysostomo teste. *Nihil est ita dæmoni amicum, sicut ebrietas & lascivia, quæ est mater omnium vitiorum. Ante omnia autem vitetur à Clericis, quæ omnium peccatorum radix ac nutrix est.* Certè, quod idem Chrysostomus testatur, *multo consilio & prudentiâ opus est pastori, & mille, ut dicitur, oculis ad speculandam undique hebetudinem animarum, quas gubernat:* Quid ergò Pastore indignius, quàm ebrietas, oculos mentis obtenebrans, ac penitùs excœcans?

Virgil. lib. 1. Æneid. Iracundia. Senec. l. 2. de Ira. c 35.

166. Ajax Telamonius, quod ab Ulysse in judicio victus esset, præ ira insaniens, pecorum gregem occidit; ratus, se Ulyssem cum sociis interficere. Epigraphen è Virgilio addidi. PRÆCIPITANT FUROR IRAQUE MENTEM. Ita homines, iracandiâ odioque correpti, penitùs insaniunt, ac velut œstro perciti, bestias pro hominibus, homines pro bestiis habent; nec rarò innocentes judicant nocentes: Sic canis in lapidem sævit, quem aliena manus projecit. Juxta Poëtam Lyricū: *Ira furor brevis est.* Seneca brevem insaniā vocat. Cato. iratum ab insano, nonnisi tempore distare affirmat. *Magis videndum est,* inquit rursùs Seneca, *quàm multis ira per se nocuerit: alii nimio fervore rupêre venas, & sanguinē supra vires elatus clamor egessit, & luminū suffudit aciē, in oculos vehemētius humor egressus; & in morbos graviores recidêre:* Tum subdit; *nulli celerior ad insaniam via. Multi namq; continuaverunt iræ furorem, nec quam expulerāt mentē, unquam receperunt.* Rectè Cicero: *Iratos,* inquit, *propriè dicimus exisse de potestate; id est, de consilio, de ratione, de mente.* Quid quæso insano aut furioso similius, quàm quod teste

eodem Romano Philosopho, Caligula Imperator, ob turbata pluviis spectacula, Jovem ipsum in duellum provocârit; exclamans: *aut tolle me, aut ego te.* Atque his dictis, sagittarios suos in cœlum tela vibrare jussit, quæ relapsa, subjectorum capita graviter sauciabant.

Voluptas noxia.

167. Providè aures suas cerâ obturavit Ulysses; nam Sirenum cantus adeò blandus erat prænavigantibus, ut in profundissimum somnum traherentur, sopitique vel cum navibus in scopulos alliderentur, vel in mare detracti necarentur, tanto numero, ut littora passim naufragorum ossibus scaterent. Lemma è Claudiano subjunges. MORTEM DABIT IPSA VOLUPTAS. Nempe *voluptatum illecebræ*, Cicerone teste, *mentem à sua sede ac statu dimovent, corrumpunt animum, nullaque capitalior pestis à natura hominibus data est. Quas qui sequitur, miserandum rationis facit naufragium, qui declinare cupit, earum incantamentis aures non præbere, sed occulere debet.* Audi S. Hieronymum. *Et ego non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum, & indoctus nauta præmoneo: sed quasi nuper naufragio ejectus in littus timida navigaturis voce denuntio: In illo æstu, charibdis luxuriæ salutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scyllæum renidens libido blanditur. Hic barbarū littus, hîc diabolus pirata cum sociis portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi; licet in modum stagni refusum æquor arrideat, licet vix summa elementi terga crispentur, magnos hic campus montes habet. Intus est periculum, intus hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, crux antennæ figatur in frontibus.*

Claud. Epig. de Siren. Cicer 1. Paradox. S Hieron. Ep. ad Heliod.

VULCANUS. Cap. LIX.

168. VUlcanus, Jovis & Junonis filius, ob deformitatem cœlo est exturbatus, & in subterraneas Ætnæ cavernas dejectus. Lemma. AGITUR DEFORMIS OLYMPO. Hominis anima, tametsi summo Deo nata, cœlo tamen extorris agitur, si labem aliquam lethalem contrahat. Disertè Joannes Apocalyticus. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Testis est Lucifer, qui inter creaturas nobilissimus, ob unicam superbiæ maculam, cœlo est præcipitatus. S. P. Augustinus in illud Psalmi, *Beati immaculati in via*, ait, *tanquam diceret, scio quid velis; quæris beatitudinem. Si ergò vis esse beatus, esto immaculatus.* Eodem Emblemate significatur, filium, moribus degenerem, è censu hæredum ac liberorum esse expungendum.

Apoc. 21. 27 Peccator. S. August. i Psalm. 118. Filius degener.

EX VETERI TESTAMENTO.

ADAMVS. Cap. LX.

Contemptus mundi. Homo. quid? S. Aug. in Sentent. sent. ultima Nobilitas.

169. ADam, à Deo ex luto effictus, epigraphen sustinet. OMNES EX EODEM LUTO. Hæc nimirum gentis humanæ origo est, hæc prosapia. Disce ergo, ô homo, tam te ipsum, quàm mundum contemnere. Disertè S. Augustinus. *Divitiis flores, & majorum nobilitate te jactas, & exultas de patria, & puchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur: respice teipsum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis. Circumspice eos, qui ante te similibus splendoribus fulsère: ubi sunt quos ambiebant civium potentatus? ubi insuperabiles Imperatores? ubi qui conventus disponebant & festa? ubi equorum splendidi invectores? ubi exercituum duces? ubi Satrapæ tyrannici? nunc omnia pulvis, nunc omnia favillæ, nunc in paucis versibus eorum memoria est. Respice sepulchra & vide, quis servus, quis Dominus, quis pauper, quis dives? discerne, si potes, vinctum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor itaque naturæ ne extollaris aliquando: memor autem eris, si te ipsum respexeris.* Nec aliter Euripides.

Superflua est oratio, nobilitatem
Si mortalem laudaverimus.
Olim enim cùm primùm nati sumus,
Et mater tellus homines formavit,
Omnibus consimilem largita est faciem.
Peculiare nihil habemus. Sed una
Generis eadem origo
Nobiles ac ignobiles produxit.

Reus. class. 3. Symb. 40.

Nicolao Reusnero teste, Ferdinandi Imperatoris dictum erat, Boni viri & boni vini originem non esse curiosè indagandam; nam ut interdum loco non nimis celebri generosum vinum nascitur, sic ex loco & genere humili sæpè prodeunt laudatissimi.

Nobilitas hominis.

170. Eidem Emblemati inscriptionem ex Horatio subjunges. OMNES EODEM COGIMUR. Ut enim vasa omnia, sive nobilia sive ignobilia, eodem luto, eâdemque figuli manu concrescunt, ita homines indiscriminatim nullâ aliâ origine constant, nisi *limo terræ*, ceu causâ materiali, & Deo, ceu causâ efficiente. Unde Hieremias domum figuli intrare jussus est, ut matricem & originem suam, lutum scilicet, contemplaretur. Hoc ipsum more suo doctè ac piè expendēs S. Rupertus Abbas, *Duo*, inquit, *advertere à Mose dicta sunt, quæ diligenter operæpretiū est: quia scilicet formavit Deus hominē, & non undecunque, sed de limo terræ. Hoc namque, sicut dignum erat, perpendentes homines sancti, hunc ipsum Creatorem suum, Plasten; seipsos autem lutum appellaverunt, eleganti confessione, & lachrymosâ declamatione: & nunc Domine*, inquit Isaias, *Tu Pater noster es, & nos lutum: & fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos. &c.* In rem præsentem S. Gregorius Nazianzenus.

S. Rup. in 10. lib. 2. d Trinit. Isa. 64. S Greg. N. Carm. 51

Ludis? ego at tantùm specto (par omnibus ortus
Argilla est etenim) sis bonus, anne malus?
Omnibus est eadem pellis. Nos patria opesque,
Nos tamen & tumidos reddit inane decus.
Vana quid ergò refers? patriam? genus? haud mihi ficta,
Haud mihi busta placent; temet ego aspicio.
Omnibus est idem pulvis, fictorque tyrannis,
Non natura homines scidit in ista duo.

Homin fragilit.

171. Adam è limo terræ in formam pulcherrimam erectus, epigraphen tenet. DUM EFFINGITUR, DIFFRINGITUR. Innuit videlicet, Adamum, ceu vas nobilissimum, vix à Deo in hanc lucem effictum, mox egisse rimas, & culpæ originariæ vitio ruptum esse. Pulchrè S. Augustinus. *Primus homo, cadens è manu figuli, fractus est.* Et S. Rupertus Abbas. *Itaq; nos cùm legimus, quia formavit Deus hominē de limo terræ; non discutiendū nobis est, cur ita fecerit, sed potius illud timendū unicuiq; nostrum de se ipso, ne vas, quod fecit ipse, dissipetur in manibus ejus, & hoc abjecto, faciat aliud vas, sicut placuerit in oculis ejus.* De Adamo argutè canit P. Joannes Bapt. Masculus.

S. August. de verb. Ap. serm. 11. 2. S. Rup. loc. P. Io. Bap Mascul 51. Encom

Pulchrè te author effinxit è pulvere,
At turpiter culpa diffinxit in cinerem.
Ex argilla concretus & luto, penè dum effingeris,
diffringeris.
Diem tibi natalem fecisti emortualem.
Ultimus animantium evocatus ad vitam, primus
ad mortem.

172. Eidem Emblemati subscribes, E TERRA IN

IN TERRAM. Maledicto enim Divino adversùs perduellem hominem à Deo decretum est, *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Unde Zosimus redeunte Paschate ad locum, à S. Maria Ægyptiacâ conditum, reversus, eam jacentem ac mortuam reperit, ac propè illam in terrâ scriptum. *Sepeli Abba Zosime miseræ Mariæ corpusculum; terram redde terræ, & pulverem pulveri.* Opportunum in rem præsentem censui Epitaphium, Adamo, Terræ filio, ab Emmanuele Thesauro, Patritio Taurinensi, statutum.

Hic ille jaceo, per quem omnes jacent;
Nec orbus, nec posthumus fui,
Sed Patris expers.
Matrem habui, quæ me habet,
Cùm omnia scirem, ut plura scirem, desipere capi,
Virorum sapientissimus, dementor à fœmina,
Quàm malesuada!
Beatæ silvæ dum fructus carpo, sylvam amitto,
Ex Rege agricola.
Quia Numen non colui, terram colui.
Uxor me immortalem peremit, uxorem ego,
Uterque omnes.
Tum verè conjuges, cum uno jugo vincti.

Cæterùm etiam gressu utilissimo *è terrâ in terram* transimus, si nobis frequentem originis ac mortis nostræ contemplandæ legem statuamus. D. Augustino teste, *Bonum est homini, ut redeat ad pulverem suum: si enim te confessus fueris pulverem, Deus de pulvere faciet hominem.* Et S. Rupertus Abbas. *Vide quàm terribiliter hominem, qui existimavit iniquè, quod esset Deo similis, arguat, & statuat eum contra faciem suam dicendo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Hujus sententiæ percussionem adeò natura sentit, ut hominibus antiquitus in summâ afflictione pro maximo doloris instrumento capita cinere aspergere solenne fuerit. &c.*

173. Protoparentes nostri, pelliceis à Deo tunicis vestiti, epigraphen tenent. NECESSITATI, NON LUXUI. Enimverò primæ vestes, quibus Deus illos contexit, simplices fuerunt ac nativæ, ad necessitatem, non ad ornamentum compositæ; nobis nimirum ideam quandam exhibendo, quâ nostras vestes, non luxui aut superbiæ, sed protegendo tuendoque corpori accommodaremus. Proinde S. Ambrosius. *Decor corporis,* inquit, *non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis, quàm expeditus, non pretiosis & albentibus adjutus vestimentis, sed communibus, ut honestati vel necessitati nil desit, nil accedat nitori.* Et alibi. *Neglecta decoris cura plus placet. Et hoc ipsum, quòd nos non ornamus, ornatus est.* Salomonis monitum est. *In vestitu ne glorieris unquam: nec in die honoris tui extollaris.* Alexander Severus Imp. ob humilem vestitum ab aulicis reprehensus, respondit, *Imperatoria majestas constat virtute, non corporis cultu.* Huic non dissimilis Alphonsus Aragonum Rex, *Malo,* inquiebat, *moribus & authoritate meos excellere, quam diademate & purpurâ.*

174. Adamus, foliis ficulneis amictus, epigraphen sustinet. PUDORI, NON CULTUI. Vestis quippe in pœnam & tegumen peccati, non in cultum data est. Innocens Adamus creatus est nudus, & in primâ suâ, beatâque sorte nudus permansit, donec erubescentiâ per peccatum injectâ, coactus fuerit sese veste, è foliis ficulneis consutâ, tegere. Unde divites ob vestium splendorem erubescere magis, quàm superbire deberent, cùm non sint aliud, nisi stigma peccati, velamen concupiscentiæ, tegmen pudoris. Ut adeò meritò exclamet S. Clemens Alexandrinus, *Pudet me, ut verè dicam, cùm videam tantum opum effundi ad tegenda pudenda.* Laudat deinde, & admiratur veterem Lacædemoniorum civitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes ac mundum muliebrem gestare permisit, cultu omni à probis fœminis ablato.

Gen. 3. 19. | Mortis memoria. Homo pulvis. | S. August. in Psalm 75. | Rup. Abb. l. de Trin. c. 24. & 25. | Vestes. | S. Ambros. de Offic. l. 1. | Idem lib. 1. de Virg. | Prov. 11. | Vestes. | Clem. Alex. l. 2 Pæd. cap. 10.

EVA. Caput LXI.

175. Eva, à costâ Adami formata, Symboli loco epigraphen reddit. NEC DOMINA, NEC ANCILLA. P. Benedictus Pererius interrogans, cur Eva facta sit ex latere & costâ Adæ potiùs, quàm ex capite, pede, vel aliâ corporis parte? respondet, *Noluit Deus Evam effici ex supremâ vel anteriori corporis Adæ parte, ne mulier potior haberi vellet, virumq; imperio regere, & primas humanæ societatis sibi vendicare. Noluit tamen ex posteriori vel inferiori corporis parte eam formari, ne vir fœminam multò inferioris & humilioris conditionis, quàm ipse est, æstimans, contemptui haberet, ac veluti ancillam duceret. Ex latere igitur, hoc est, ex media corporis parte sumpta est, ut mediocri apud virum dignatione haberetur. &c.* Nec aliter D. Thomas, *Conveniens fuit,* inquit, *mulierem formari de costa viri. Primò quidem ad significandum, quod inter virum & mulierem debet esse socialis conjunctio: neq; enim mulier debet dominari in virum, & ideo non est formata de capite: neque debet à viro despici tanquàm serviliter subjecta; & ideò non est formata de pedibus.* Mulierem, marito suo imperantem, hoc disticho descriptam accipe.

Ducit, agit miserum, quò vult, Quintina maritum,
Grammatici fugite hinc; hæc vir, & hic mulier.

176. Eva, Adamo vicina, dum ex arbore scientiæ boni & mali pomum decerpit, epigraphen sustinet. SIC DIDICISSE NOCET. Ut primùm enim serpenti auscultârunt, mox *aperti sunt oculi amborum,* sicque, quod saluberrimè ignorâssent, in suam suorumque extremam perniciem didicerunt. Aperti enim sunt oculi amborum, *non ad videndum,* uti doctè advertit S. Augustinus, *nam & ante videbant, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod inciderant.* Et subjungit. *Hoc itaque cognoverunt, quod feliciùs ignorarent, si Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent.* Nam, ut alio loco docet, *Melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia.* Adami filios minimè degeneres se probant, qui scientiam è libris obscœnis aut hæreticis colligere tentant; sic enim (quis ambigat?) *didicisse nocet.* In libros obscœnos jure commotior Tullius, *Molliunt,* inquit, *animos nostros, nervos omnes virtutis elidunt.* Ipsemet Ovidius, ob hoc ab Augusto in exilium relegatus, cautè monet.

Eloquar invitus, teneros ne tange Poëtas;
Submoveo dotes impius ipse meas.

Certè pestilentissima hæc volumina nil aliud sunt Origeni, quàm ranæ Ægyptiacæ; Hieronymo glandes & siliquæ porcorum; Augustino flumina Tartarea, in quibus miserè devolvitur ad inferos humanæ gentis pars magna.

177. Eva à loquente serpente, & Adamus à blandiente Evâ seducti, epigraphen legendam offerunt. IN LINGUA VENÆNUM. Adeò enim fatale est linguæ toxicum, ut non in protoparentes modò, sed in omnes omninò posteros damno prorsus irreparabili emanârit. Præclarè S. P. Augustinus. *Lingua, inquietum malum, pleno veneno mortifero, utique nocentiore, quàm bestiarum est, atque serpentum: nam illud carne interficit, hoc verò animam.* Et meus Concanonicus Hugo de S. Victore. *Lingua dicitur, quia lingit adulãdo, mordet detrahẽdo, attrahit mentiendo,*

Uxor. | Perer. in Gen. c. 2. v. 11. q. 4. | S. Thom. 1. p. q. 92. a. 3. | Scientia mala. | S. Aug. l. 14. de Civit. c. 17. | Ibid. | S. August. de Verb. Apost. serm. 10. c. 3. | Libri obscœni. | Cic. l. 2 Tuscul. quæst. | Linguæ venenum. | S. Aug. lib. de Nat. & Grat. c. 15. | Hug. Vict. l. 1 de Anima.

tiendo ligat, & ligari non potest: labilis est, & teneri non potest, sed labitur & fallitur. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, &c. Amasis Ægyptiorum Rex, Plutarcho teste, Biantem Priæneum monuit, ut, cùm sacrificatæ victimæ adesset, optimum sibi ex illâ, ac pessimum submitteret. Ille nil cunctatus, linguam misit, quam simul & optimam & pessimam esse partem crederet.

Gula. 178. EVa, malum vetitum decerpens, & Adamo offerens, epigraphen tenet. E MALO NASCITUR OMNE MALUM. De hoc non sine ingenio P. Joan. Bapt. Masculus.

Non aureum fuit malum, quod sæcula
Fecit ferrea.
Non suave fragravit, per quod natura
Computruit.

S. Greg. l. 30 Moral. Ita nimirùm, Gregorio Magno teste, *Dominante gulæ vitio omne, quod homines fortiter egerunt, perdunt. Et dum venter restringitur, simul omnes virtutes obruuntur.* Innoc. de vilitate conditionis hum. Innocentius Papa, *Gula*, inquit, *paradysum clausit; primogenitum vendidit, suspendit pistorem, decollavit Baptistam; Nabuzardam, Princeps coquorum, templum incendit, & Jerusalem totam evertit: Balthasar in convivio manum contrà se scribentem aspexit, & eâdem nocte interfectus est à Chaldæis.* Voluptas. Cæterùm ex hac icone collige, quàm vili pretio, voluptatulâ nimirùm brevissimâ ac tenuissimâ, à stultis peccatoribus vendatur diabolo æterna beatitudo: id quod non sine dolore queritur S. Bernardus, S. Bernard. Tract. de Grad. Humil. c. de Curiosit. *Diabolus*, inquit, *porrigit pomum, & surripit paradysum.*

A B E L.
CAPUT LXII.

Sacrificiũ. S. August. in Psal. 49. 179. ABelis sacrificium, cælitus inflammatum, epigraphen tenet. ARSERAT IPSE PRIUS. è S. Augustini doctrinâ. *Totus exardescat igne amoris Divini, qui vult offerre Deo holocaustum.* Unde Cainus in amoris Divini negotio penitus frigescens, Dei complacentiam & à se, & à muneribus suis longissimè avertit. Scitè in rem præsentem S. Rupertus Abbas, de Abelis & Caini oblationibus ait: Oblat[io] Deo [...] S. Rup. in Genes. *Cultu vel religione parem uterq; hostiam obtulit, & proindè rectè uterq; obtulit, sed non rectè divisit. Nam Cain, cùm Deo offerret sua, se ipsum sibi retinuerat, repositum habens cor in cupiditate terrena. Hujusmodi portionem Deus non accepit, sed per se inquit, fili præbe mihi cor tuum. Porrò Abel primò cor suum, deinde rem suam offerendo, plurimam hostiam per fidem obtulit.* S. Aug. l. 15. de Civ. S. Augustinus disputans, unde Deo Cain displicuerit, & cur is non æquè in munera illius ac fratris Abel respexerit? tandem respondet. *Quia Cain malè dividebat, dans Deo aliquid suum; sibi autem seipsum. Quod omnes faciunt, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, offerunt tamen Deo munus.* Idem ser. de Omn. SS. & [...] Prorsùs quidem stolidè; quando *Regnum cœlorum*, ut idem Sanctus ait, *aliud non quærit pretium, quàm teipsum: tantumq; valet quantùm es tu. Te ergò da, & habebis illud.*

180. Sancti Patres & Sacræ Scripturæ Interpretes communiter docent, signum illud, quo Deus sibi oblationem Abelis, non verò Caini, placere declaravit, fuisse ignem è cœlo missum, qui Abelis sacrificia consumpsit, Caini muneribus penitus intactis. Genes. 4. Unde quando vulgata Biblia legunt, *respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*, Theodotion è Græco vertit, *inflãmavit Dominus super Abel & sacrificiũ ejus.* Quare Abelis sacrificiũ, cælesti igne inflammatũ, hoc lemate notabis. IGNE PROBATUR. Idipsum nobis è S. Missæ sacrificio evenire assolet, ad quod si dignè accesserimus, ingentem charitatis Divinæ ardorem intra pectora nostra cælitùs demissum sentiemus. Sacrificiũ Missæ

mus. *Tanquam leones ignem spirantes*, ut loquitur S. Chrysostomus, *ab hac mensâ recedimus, facti diabolo terribiles.* S. Chrys. Hom. 61. ad Po.

181. Abel à Caino fratre interfectus, epigraphen ex Ovidio mutuam habet. TANTA EST DISCORDIA FRATRUM. Adeò enim inveterata est fratrum discordia, ut jam ab ipso nascentis mundi exordio ad hæc usque tempora gliscat. Abelem occidit Cain, Ismaëlem hæreditate & domo patriâ ejecit Isaac, Esau optimum fratrem Jacobum odio fatali est persecutus, Fratres Josephi adversùs istum, invidiâ stimulante, nil nisi cædem cogitârunt; Elias, natu maximus filiorum Isai, fratrem suum David, cùm monomachiam contra Goliathum moliretur, superbiæ ac nequitiæ insimulavit. Absalon, impius Davidis filius, Ammonem fratrem interfecit. Adonius, itidem Davidis filius, regnandi libidine exæstuans, Salomonem regno & vitâ exuere conatus est; Polynicis & Eteoclis fratrum tanta fuit discordia, ut non solùm in vitâ conciliari nunquam potuerint, sed insuper, cùm in prælio mutuis vulneribus concidissent, unus rogus conjuncta illorum cadavera tolerare noluerit. Unde Statius. Ovid. l. Met. Fratrum discordia. Gen. 4. Gen. 21. Gen. 27. Gen. 37. 1. Reg. 17.

Ecce iterùm fratres, primus ut contigit artus
Ignis edax, tremuêre rogi, & novus advena busto
Pellitur, exundant diverso vertice flammæ.

Et Lucanus.

Scinditur in partes, geminoq; cacumine surgit
Thebanos imitata rogos.

Et certè quanta etiamnum inter fratres, non tantùm carnales, sed etiam (quod maximè dolendum) spirituales, Christianos & Religiosos fovetur discordia! *Dolendum est*, inquit non sine dolore Magnus Africæ orbisque totius parens Augustinus, *ut, qui secundum carnem fratres sumus in Christi corpore, non in una societate vivamus.* P. Joannes Baptista Masculus Abeli sequens elogium posuit. Fraterna dissensio. S. Aug. Epist. 17.

Tu quidem factus ovium pastor,
Tanquam præcidanea cecidisti victima.
Dum gregem à lupinis tutaris insidiis,
In fratrem incidisti lupum.
Quod tua divinitus arsisset hostia,
Exardescens ille hostili irâ, te mactavit hostiã.

CAINUS. *Caput* LXIII.

182. CAinus, agente conscientiâ vagus, tremens ac profugus, epigraphen tenet. NEMO SEIPSUM EFFUGIT. Quocunque enim scelestus ille fugerat, conscientiam nunquam non vellicantem, ac veluti inquilinam carnificem, expertus est. Unde iteratæ ipsius voces, *Omnis, qui invenerit me, occidet me. Quia*, interprete S. Hieronymo, *ex tremore corporis, & furiatæ mentis agitatu, quisque me cum esse intelliget, qui mercatur interfici*, Et S. Ambrosius. *Sum catharma, sum anathema, sum odium Dei & hominum, non potero evadere, quin ab aliquo occidar.* Præclarè, ut solet, S. Augustinus. *Judicis tribunal est in mente tuâ, sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor, timor.* Denique ad lemmatis præsentis mentem accommodatè Seneca. *Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam temetipsum; alium enim potes effugere, te autem nunquam, nequitia enim ipsa est sui pœna.* Conscientia rea. Gen. 4. 4. S. Hier. Epist. ad Dam. q. 1. S. Ambr. l. 2. de Cain & Abel. S. August. in Psalm. 57. Senec. l. de Vit. b.

183. Cainus Enochiam, urbium primam, veluti tutum pro fratricidâ latibulum, condidit, Lemma. MURUS AHENEUS, NIL CONSCIRE SIBI. Ad verbum Horatius.

--- --- *Hic murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Cainum quippe ad ædificandam civitatem potissimum impulit, ut perpetuo mortis timore agitatus, securior viveret. Nam, ut Cato affirmat, *Magna est vis conscientiæ in utramq; partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccârunt.* Socrates interrogatus, quinã tranquillè viverent? *Illi*, inquiebat, *qui nullius absurditati sibi conscii sunt.* Expertus canit Ovidius. Conscientia rea. Cato Major pro Milone.

Multa miser timeo, quia feci multa protervè,
Exemplique metu torqueor ipse meo. Ovid. l. 1. Amorum.

S. Bernardus, *Fortitudo tua*, inquit, *fiducia fidelis conscientiæ; decor tuus, splendor bonæ opinionis.* De Caino eruditè canit P. Joan. Bapt. Masculus. S. Bern. l. 3. de Consid. ad Eugen.

Jactatus horribili tremore membrorum,
Mortẽ, quam intulerat uni, metuebat ab omnibus,
Primus extruxit urbem ob metum;
Ut se mænibus sepiret ac tegeret,
Saxis se munivit, qui duritie vicerat saxa.

184. Cainus, in sylvâ pro ferâ habitus, à Lamecho abnepote per imprudentiam occiditur. Lemma. SEQUITUR SUA POENA NOCENTEM. Ita nimirum Cainus æquissimâ talionis lege à Deò vindice punitus est. Studiosissimè hortatur Paulus. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex Dominus de his omnibus.* Agagus Rex Amalecitarum, cùm Samuelis ferro caderet; siccine, ait, separat amara mors? cui Samuel jam morienti talionis legem ingerens. *Sicut*, inquit, *fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit mater tua*; & cum dicto in frusta concidit eum Samuel in Galgalis. Ita nimirùm in suos recidunt authores scelera. Idipsum Achabus & Jezabel, Abimelechus, Amanus, David, Absalon, aliique innumeri experti fuêre, *Quid enim æquius*, inquit Quintilianus, *excogitari potest? grassatus aliquis est ferro? præbeat & ipse cervicem. Miscuit noxium virus? refundatur in suum facinus authorem. Oculos rapuit, effodit? reddat de suâ cæcitate solatium. Brevissima justitia est vindicta, cùm facinus pœnæ mensura est. Atque si naturam ultionis inspicias, optimè vindicatur quisque, quo modo miser est.* Verissimè D. Augustinus. *Peccantem justa pœna sequitur.* De Caino Eleganter Emmanuel Thesaurus. Homicidium. Talionis lex. 1. Thess. 4. 6. 1. Reg. 15. 33. Quintil. declam. 11 § 4. S. August. l. 8 de Civit. c. 5.

Inani pavore territus, ac seipsum terrens,
Quia timenda non timuit, timet non timenda.
Urbem primus condidit; nec immeritò.
Ut, qui campis securitatem depulerat,
Carcerem sibi moliretur.
Hunc tamen urbe suâ exulantem,
Lamechus nepos pro fera ferit,
Facili errore, ferarum similem.
Æquo igitur, & iniquo jure,
Malus à malo supplicium capit, quod dedit.
Et parricidio fratricidium expiatur,
Bis lugendum parentibus facinus,
Cùm committitur, & cùm punitur.

185. Cainus post interfectum Abelem, vultu penitus concidit, tristitiamve è fronte gravissimam ostendit. Lemma è Siracide desumptum. COR PRAVUM DABIT TRISTITIAM. Etenim experimur singuli, nos, siquidem res officii nostri bellè exequimur, mirificam animo capere lætitiam; sin' oscitanter, languidè, & contra legis Divinæ præscriptum, mox infelici mentis exilio, & conscientiâ identidem vellicante mulctari. *Cor nequam*, inquit ad hoc propositum Sapiens, *gravabitur in doloribus.* Id quod Cain, simul atque fratri suo malè cœpit velle, persensit. *Iratus est Cain vehementer* (ecce malum livoris) *& concidit vultus ejus*, ecce! mali hujus index nullâ tergiversatione celandus. Verissimè S. Bern. *Nulla pœna gravior est pœna conscientiæ pravæ. Mala conscientia propriis agitur stimulis; si publica fama te non damnat, propria conscientia te condemnat, quoniam nemo potest seipsum fugere.* Unde nec Eccl. 36. Conscientia. Tristitia. Eccl. 36. Gen. 4. S. Bern. de Int dom. c. 45

Sene-

Lætitia. Seneca malè dixit, *maximam esse peccati pœnam, peccatum commisisse*; ob conscientiæ scilicet propriæ lanienam. Haud aliter S. Bonaventura. *Maximum inhabitantis gratiæ signum est, spiritualis lætitia.* S. Bonav. Spec disc. p. 1. cap. 3.

NOEMA.

Cap. LXIV.

186. Noëma mulier, lanificium commenta, epigraphen monstrat. TELAM, NON TELUM FÆMINIS. Salomon mulierem fortem graphicè descripturus, eam non ab armis, sed à lanificio commendat. *Quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.* Opus enim illud adeo fœminarum est proprium, ut ad hoc natæ, & à naturâ fictæ factæque videantur. S. Hieronymus Virginem Demetriadem instituens, *Habeto*, inquit, *lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alveolis fusi vertantur.* Carolus Magnus, rogatus, cur filias lanificio occuparet? duas causas dedit; primò, ut otium vitarent; secundò, ut, si ad paupertatem per adversam devolverentur, victui suo consulere possent. Plutarchus testatur, Augustum Cæsarem non aliâ veste usum esse, quàm domesticâ, ab uxore, sorore, filia, & neptibus confectâ. Pythagoræ uxor interrogata, quid potissimum uxorem commendaret? respondit illud Homericum. *Telam texentem, & meum* (id est, viri; nam ea Agamemnonis apud Homerum verba sunt) *lectum instruentem.* In rem præsentem Ovidius.

Mulieris labor.

S. Hier Epist. ad Demetr.

Ovid. ad Leandrum

Tortaque versato ducentes stamina filo,
Fœminea tardas fallimus arte moras.

ENOCHUS.

Cap. LXV.

187. Enochus, vivus è terrâ in paradysum sublatus, epigraphen subjunctam habet. VIVUS DESIIT IN VIVIS AGERE. Religiosus hoc Emblemate significatur, qui mundo mortuus, intra felicissimum Religionis paradysum se recepit. Cæterùm quòd religiosa vita terrestrem, imò cœlestem paradysum proximè imitetur, testes locupletes habeto S. Antonium: *Religio*, inquit, *assimilatur paradyso terrestri, qui dicitur paradysus voluptatis, id est, delectationis & gaudii. Nam ibi non sentiebant primi parentes calorem nimium, vel frigus, non famem, non sitim, non infirmitatem, sed erat ibi aër temperatissimus, amœnissimus locus & jucundus. Sic in religione bona magna jucunditas & suavitas &c.* S. Bernardus, *Nec verò locum reputes corporalem, paradysum hunc voluptatis internæ. Non pedibus in hunc hortum,* sed affectibus introitur &c. S. Joannem Chrysostomum, qui de Monachorum felicitate disserens, Adamo illos comparat, paradysi regionem incolenti. *Cur enim*, inquit, *isti pejus habeant, quàm ille; quando ante inobedientiam in operando paradyso fuit constitutus? Nulla illi sæcularis cura erat, nulla etiam istis. Integrâ ille conscientiâ cum Deo loquebatur: id faciunt & isti, imò verò tantò liberius, quantò majore fruuntur gratiâ, dono Spiritûs Sancti attributâ &c.* S. Basilium, qui cùm multa de statûs religiosi præstantiâ disseruisset, tandem concludit, *Nihil esse in terris tam magnum & tam pulchrum, quod ei comparari posit; itaq; è solo cœlesti paradyso petendam ejus similitudinem, &c.* Omitto innumeros alios, quorum non paucos Hieronymus Platus prolixè & ex professo enumerat. Cæterùm ob eam etiam rationem Religiosus imitatur Enochum, quòd relicto toto mundo, in corpore mortali indies ad cœlum tendat, *Nostra autem conversatio in cœlis est.* De Enocho concinnè canit P. Joannes Baptista Masculus.

Religiosus.

S. Anto p. 3. tit. 16. c. 10. p. 11.

Religio. Paradysus.

S. Bern. de Convers. ad Cleric. c. 21.

S. Ioan. Chrysost homil. 90. in Matt.

S. Basilius Const. Monast. cap. 19.

Hier. Plat. l. 3. c. 14. de bono stat. rel.

Phil. 3.

Quàm præclara hic vestigia pietatis impresit
Qui dictus est ambulasse cum Deo,
Tametsi firmata tot sæculis virtus,
Labi potuit, nisi de via decessisset in lubrico,
Avolavit, ne cœno inficeret pedem.
Recepit tunc hominem post liminio paterna regio
Paradisus,
Vel ideò ibi tutus, quod abesset jam mulier.
Delusit mortem, ex captivo transfuga;
Erubuisset mors, nisi esset exanguis.

GIGANTES.

Caput LXVI.

188. Gigantes, Caini soboles, corporum & scelerum portenta, unicam venturo diluvio causam dedêre. Unde lemma. MALI CORVI MALUM OVUM. Nam parentum impiorum generatio plerumque est vitiata & maledicta. Disertè Siracides. *Filii abominationum sunt filii peccatorum*, seu, ut vertit Syrus, *semen despicabile peneratio peccatorum, & progenies vilis sibi, generatio iniquorum.* Quia impii parentes per sanguinem & semen vitiatum suam crapulam, libidinem, iram, & cætera vitia, pravasque inclinationes transfundunt in filios. Cuspinianus author est, Domitium, Neronis Patrem, apertè confessum esse, ex se & Agrippinâ, parentibus sceleſtissimis, nihil quidquàm, nisi detestabile & in perniciem Reipublicæ nasci posse. S. P. Augustinus. *Similitudo operis, similitudinem indicat generis; ictus nomen confirmat, ut nomen genus demonstret.* Pulchrè de Caini filiis Emmanuel Thesaurus.

Parentis mali.

Eccles.

S. Aug. serm. 76 de Temp.

Tecum mihi res, Divine scriptor, Moses,
Quod gesta Henochi, Iradi, Vaviaclis, Mathusaclis, de commentariis eraseris.
Sonas nimirùm nomina, siles vitam.
Fallor,
Suis coloribus singulorum gesta pinguntur,
Dum à Caino dicuntur sati.
Deformes sunt omnes, non disformes,
Fœdo exemplari similes.
Narranda non erant facta, sed mutanda nomina,
Modestus proinde, non molestus Moses.
Annorum etiam numerum consultò siluit;
Nihil enim vivunt, qui malè vivunt;
Nec annos impii usurpant, sed perdunt.

189. Gigantes, scelesti Caini soboles minimè degeneres, horrendis diluvii aquis miserrimè obruuntur. Unde lemma. AUT FLUMINE, AUT FULMINE. Geminum enim illud Nemesis Divinæ adversùs sceleratos est supplicium. Unde sicut Sacra Pagina testatur, giganthes illos inter inundantes aquas dedisse flagitiorum suorum pœnas; ita vetustas credidit, Gigantes ob impium bellum, Diis illatum, fuisse fatali Jovis fulmine contritos: quod paucis versibus ita perstringit Ovidius.

Supplicia Dei.

Affectâsse ferunt regnum cœleste Giganthes,
Altaq; congestos struxisse ad sidera montes;
Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subjectum Pelion Ossæ.

Rectiùs

Peccatum meretur gravem pœnam. Rectiùs tamen fulminis & fluminis nomine geminum ignis & aquæ diluvium intelligere licet. Et verò si tanta fuit peccati vis, ut Deum ad imanem illam aquei diluvii cladem inferendam compulerit; quantùm, obsecro, erit diluvium igneum, adversus reprobos in extremo judicii die spargendum? Ipsissimam veritatem Christum, audi. Infernus. Matth.24 v. 37 *Sicut in diebus Noe, ita erit & adventus filii hominis &c.* S.Bernardus, Ex S. Bern. Hugo Card. in hunc loc. *Tunc*, inquit, *angustiæ erunt via undiq; reprobis. Superius erit judex iratus: subtus, horrendum chaos: à dextris, peccata accusantia: à sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia: intus, urens conscientia: foris, mundus ardens: miser peccator deprehensus quò effugies? latêre, erit impossibile: apparere intolerabile: si quæris, quis te accusabit; dico, quod totus mundus: quia offenso creatore, omnis creatura odio habet offendentem, puta peccatorem.*

NOE. CAPUT XLVII.

190. NOe, jussu Divino navem, seu arcam centum annis fabricatus, interea temporis gravissimum imminentis diluvii supplicium constanter ac sedulò prædicavit; esto ab omnibus, etiã cognatis, haberetur ludibrio, quasi qui vano ac stulto labore tot annos in arcã construendã desudaret. Lemma. Minæ. Pœnitentiæ. FRUSTRA MINÆ. Tanta enim peccatoris inveterati est pertinacia, ut vix ullis minis à proposito dimoveri queat, donec tandem malo suo cum Phrygibus, imò cum mersis in diluvio peccatoribus, sapere discat. Pulchrè Doctorum Phœbus Augustinus. S. Augustin in Psal. 49 *Minatur inimicus leve malum, & facis malum: minatur Deus æternum malum, & non facis bonum. Ad malum faciendum nec minæ te compellere deberent; à bono faciendo nec minæ te terrere deberent. Minis enim Dei, minis æterni ignis, prohiberis à malo, invitaris ad bonum. Unde piget, nisi quia non credis? Excutiat ergo unusquisq; cor suum, & videat, quid ibi fides teneat. Si credimus futurum judicium, benè vivamus. Tempus misericordiæ nunc est, tempus judicii tunc erit. Pœnitebit & tunc, sed frustra pœnitebit. Modò pœniteat, cum fructus est pœnitendi, &c.*

191. Eidem Emblemati subscribes. LENTE SED Supplicium Dei. GRAVITER. Ea in suppliciis inferendis servatur à Deo methodus, ut tantò graviora infligat, quò diuturniore clementiã hactenus peccatis connivebat. Optimè Valerius Maximus. Val. Max l.1, de mem. dict. *Lento gradu ad vindictã sui procedit Divina ira, & tarditatem supplicii gravitate compensat.* Providè monet S.Gregorius, S.Greg hom. in Evang ... in lumbi *Nemo Dei longanimitatem negligat: quia tanto districtiorem justitiam in judicio exiget, quanto longiorẽ antè judicium patientiam prorogavit.* S.P.Augustinus S. Augustin. Ench.cap. 66 *Multa mala hic videntur ignosci, & nullis suppliciis vindicari: sed eorum pœnæ reservantur in posterum.*

192. Cataclysmus totum terrarum orbem inundavit, solo innocente Noëmo aquis illis superiore. Lemma. FLAMMA DOMATUR AQUIS. Gen. 6. 12 Libido. *Omnis enim caro corruperat viam suam*, &, ut S.Patres interpretantur, horrendo libidinis igne passim exarserat, ut adeò obscæna illa totius mũdi flamma solis aquis, ceu Mortificatio. supplicio accomodatissimo, restringuenda esset. Documenti loco id habeas velim, discasque, carnis tuæ incendia nonnisi inter corporis afflictationes, seu, ut Psal. Regius Psaltes vocat, inter *aquas contradictionis* suffocatum iri. S.Benedictus inter vepres, inter nives Franciscus, in lacu frigidissimo Bernardus, suam sibi castitatem vindicârunt; religiosissimã in se ipsos tyrannide. Videri poterant illud Caligulæ observâsse, *sic feri, ut sentiant se mori.* Sapienter monet S.Gregorius Nazianzenus. Greg. Naz. de paup. Cura *Idcirco suum quisque corpus velut benevolum inimicum, aut, insidiosissimum amicum frangere laboret precationibus, laboribus, vigiliis, inediã, ciliciis, flagris, rigoribus aliis innumeris.*

193. Noë cùm septem duntaxat hominibus commune omnium exitium evasit. Lemma. EX MILLIBUS UNUS. Pererius in Gen. disp. 3 Censet enim P.Pererius, imminente diluvio solum Noemum cum suis liberis fuisse justum, omnesque reliquos fuisse impios; atque ideò uti aquis diluvii, ita & inferni æterno ac immani lacu fuisse demersos. Prædestinatorum hic typus est, quorum numerus à reprobis tantundem, quantum unus à millibus superatur. Prædestinatorum paucitas. Dilucidè Christus. Matth. 7 *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et. *Angusta porta & arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam*; quod non tantùm de prædestinatis respectu omnium hominum, sed etiam respectu solorum Catholicorum intelligendum censet communior S.Patrum Suar. l.6 de prædest. c. 3 & Theologorum sententia apud Suarez, Cajetanum, Cajet in c.5 Matth Vasquez, Molinam, Alvarum, Gonetum, Lyranum, Molin. super a 5. hujus; q Maldonatum, & plerosque alios. Gravissimè S.Chrysostomus. Gonet. D. 4 digress. 2 *Quot esse putatis*, inquit, *in Civitate nostrã, qui salvi fiant? Infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen: non possunt in tot millibus centum inveniri: quin & de his dubito: quanta enim in juvenibus, quæso, malitia, quantus in senibus tepor &c.* S. Chrysost. hom. 40 ad Pop. S.P. Augustinus. S. Augustin. lib. 3 cont. Cresc. cap. 66 *Boni verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum pauci sunt: sicut multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* Baronius in rem præsentem refert, Barõ ad Ann Christi 976 num. 3 Beatum Nilum inter spiritualia colloquia dixisse aliquando, *Quod ex decem millibus vix reperitur una anima his temporibus, quæ ad manum sanctorum Angelorum perveniat*: cumque præsentes omnes reponerent, id non esse verum, sed hæreticum, credere, respondit B.Nilus. *Si verò demonstravero vobis, magnum Basilium & Chrysostomum, Ephræm beatissimum, & Theodorum Studitam, sed & Apostolum ipsum, nec non sanctum Evangelium idem sentientes, & dicentes, quid patiemini vos, qui inconsultè aperientes ora loquimini, & spiritui sancto adversamini, & S.Patrum metuenda verba hæreticis tribuitis.* De Israelis populo, qui Catholicorum typus fuerat, apertè Apostolus. Rom.9 *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient*, Pulchrè de Noemo canit P.Jo.Bapt.Masculus.

Non es communi extinctus eluvie,
Quia communi non arseras flammâ,
Immunis ab undâ, quia immunis à labe.
Appositus es custos pereunti naturæ,
Arca tibi cessit in arcem. &c.

194. Noë primus vitem arte coluit, plantavit, in vineta distribuit, ex uvis vinum expressit; sed cum novi ac incogniti liquoris vim ignoraret, primus ab eo Ebrietas victus & inebriatus est. Unde lemma. DUM BIBIT, Eccles. 2 DESIPIT. S.Aug. serm. 251. de Temp. Ebrietas enim fatalis scientiarum & rationis hostis est. Dilucidè Salomon. *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animam transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam.* Et S.Augustinus. *Nullus se vestrum inebriet, quia ebrius insano simillimus est.* Plinius ait, *vinum esse cæcutam hominis.* Et Seneca, *Ebrietatem esse voluntariam insaniam.* Symbolica Romanorum gesta fingunt, Noëmum miscuisse viti & vino sanguinem quatuor animalium, puta, leonis, porci, simiæ & agni: vinum enim dum inebriat, alios instar simiarum moriones efficit; alios pugnaces & crudeles, quasi leones; alios lubricos & fœdos, ut porcos; alios mites & blandos, quasi agnos.

195. Noemus ebrius à Chamo filio deridetur, cum lemmate. RIDEOR, DUM INEBRIOR. Oppor-

Ebrietas. S Aug lib. de Pænitent.

Opportunissimè S.P. Augustinus. *Ebriosus, cùm absorbet vinum, absorbetur à vino, abominatur à Deo; despiciatur ab Angelis, deridetur ab hominibus; destituitur à virtutibus, confunditur à dæmonibus, conculcatur ab hominibus.*

CHAMVS.
CAPVT LXVIII.

196. CHamus, irrisor patris, gravi maledicto, & æternâ servitute punitur. Lemma. OB SCELUS IN PATREM. E Platonis doctrinâ, *In verbis per totam vitam parentes venerari maximè decet. Levium enim volatiliumq; verborum gravissimè imminet pœna.* S.Ambr. super illud Matthæi, *Honora patrem &c.* ait, *primus gradus pietatis est iste, ut, quos authores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis; nec vultu lædenda est pietas parentum.* Illustre in hanc rem exemplum affert Valerius Maximus. *Decius Imperator,* inquit, *cùm Decium filium suum imperiali diademate proponeret insigniri, renuit filius: dicens: Vereor, ne, si fiam Imperator, dediscam esse filius: malo non esse Imperator, sed humilis filius, quàm Imperator, & filius indevotus. Imperet pater meus, meum imperium sit parere humiliter imperanti. Nam parentum affectum exuit, qui mole superpositâ filium extinguit.*

Parentes honorandi. Plato l. 4. de leg. S. Ambrosius in Matth. 19. Val. Max. l. 4.

197. Chamus, paterno maledicto infamis, impium filium Chanaan, cæteramque Chananæorum progeniem maledictam ac infelicissimam genuit. Lemma. PERVERSA SOBOLES PERVERSI PARENTIS. Tanti nimirum interest, parentibus procreatum esse bonis ac fidelibus. S.Ambros. de Chanaan, Chami filio disserens, *Et pater,* inquit, *in filio, & in patre filius redarguuntur, habentes stultitiæ, nequitiæ, impietatis quoq; cõmune consortium. Nec poterat fieri, ut bonum generaret filium, qui bono patri nequã filius, & naturæ & eruditionis degener extitisset.* Et Theodoretus. *Ex Cham natus est Chanaan, tanquam mali corvi malum ovum, quî enim Cham bonum generaret filium, qui bono patri nequam filius, atq; naturæ & eruditionis degener extiterat.* Idipsum etiam de Magistris & Præceptoribus intelligas velim; magnæ enim felicitatis pars est, magistros sortiri præclaros, à quibus instituaris, & veram vivendi rationem haurias. Meritò Plato gratias agebat naturæ seu Deo; primò, quod hominem; secundò, quod marem; tertiò, quod Græcũ; quartò, quod Atheniensem; & quintò, quod tempore Socratis, à quo instrui posset, se genuisset.

Parentes mali. S. Ambrosius l. de Noe 30. Theod. in hunc loc.

SEM & JAPHET.
CAPVT LXIX.

198. SEm & Japhet ob reverentiam, patri exhibitam, benedicuntur; omniumque rerum affluentiâ locupletantur. Lemma. SUNT SUA MORIGERIS PRÆMIA. P. Benedictus Pererius observat, bonis ac morigeris filiis novem bona Siracidis ore à Deo promitti. Primum est, abundantia divitiarum tam corporalium, quàm spiritualium. *Sicut qui thezaurizat, ita qui honorificat matrem suã.* Secundum, felicitas in filiis, quos procreaverit filius reverens. *Qui honorat patrem, jucundabitur in filiis.* Tertium, precum suarum apud Deum compos fiet. *In die orationis suæ exaudietur.* Quartum, longitudo vitæ, *Qui honorat patrem, vitâ vivet longiore.* Quintum stabilitas familiæ ac posteritatis. *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Sextum, gloria. *Ex honore patris gloria filii.* Septimum, liberatio in tempore tribulationis, *In die tribulationis memor erit tui.* Octavum, peccatorum dissolutio. *Sicut in sereno glacies, sic solventur peccata tua.* Nonum est quasi bonorum omnium cumulus, perpetua Dei erga bonos filios benevolentia, beneficentia & protectio. *Honora,* inquit, *patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in novissimo maneat.* Sapienter proinde monet Poëta.

Parentes honorare. Perer. in Gen. c. 9. v. 26. Ecclesiast. 3. n. 5. ibid. n. 6. ibid. n. 7. ibid. n. 11. ibid. n. 13. ibid. n. 17 ibid. n. 18 ibid. n. 19 ibid.

Surge seni, venerare Patrem, reverere magistrum,
Tres tibi proposui, tu mihi quartus eris.

199. Sem & Japhet, non sine insigni pietatis ac reverentiæ filialis argumento, nudata ebrii parentis membra tegunt; cum lemmate. SIC JUBET REVERENTIA PATRIS. In hanc rem S.Ambros. *Evidens pietatis expressus est affectus, quod nudatum amictu patrem boni filii videre caverunt, ne paterna reverentia vel ipso minueretur aspectu; siquidẽ etiam ipso tacito vultu pietas frequenter offenditur. Unde etiam Romæ vetus fuisse usus dicitur, ne filii cum parentibus, & maximè puberes, intrarent lavacrum.* Inde etiam discas, Sacerdotum ac Magistrorum, ceu parentum spiritualium, peccata quàm maximè esse à filiis occultanda. Præclarè S.Greg. *Subtilis via tenenda est rectitudinis, & humilitatis, ut sic magistrorum vitia displiceant, ut subditorum tamen mens à servandâ magisterii reverentiâ non recedat. Quod benè in Noe inebriato exprimitur, cujus nudata verenda boni filii aversi veniendo texerunt, Aversari quippe dicimur, quod reprobamus. Bonis igitur subditis sic præceptorum suorum mala displiceant, ut ea tamen ab aliis occultent. Operimentum aversi deferunt, quia improbantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre, quod tegũt.* Suo exemplo id comprobavit Constantinus Magnus Imperator in Concilio Nicæno, dum chartas accusationum contra quosdam Episcopos sibi oblatas, combussit; dictitans, *Si Episcopi alicujus stuprum videret, facinus id se suo paludamento obtecturũ, ne flagitii ejus respectus eos, qui ipsum cernerẽt, ullâ ex parte læderet;* uti his omninò verbis refert Theodoretus. De Semo & Japheto canit P. Jo. Bapt. Masculus.

Parentes venerari. S. Ambr. de Noe c. 31. Superiorum peccata tegenda. S. Greg. moral. c. ... Theod. Hist.

Induistis animum verè natorum,
Cùm patrem operturi, vos exuistis.
Nefas putâstis adversus eum abuti luminibus,
A quo acceperatis usuram lucis.

NEMRODUS.
CAPVT LXX.

200. NEmrodus, Chami filius minimè degener, ac Divinorum neglector, mortalibus persuasit, ut turrim extruerent, cujus apex nubes penetraret; servituram eam altitudinem, cùm gloriæ & memoriæ conditorum; tùm futurum munimentum adversus aquarum eluviones, si quando terras iteratò invaderent: donec hominum arrogantiâ irritatus Deus, uno momento multorum annorum structuram disjecerit, conturbatis structorum vocibus ac idiomatis. Nimirum hi machinatores sunt, quos

Affectâsse ferunt regnum cœleste gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.

Emblemati subscribes. DUM SURGIT, PERIT. Nempe mortalia mortalium sunt opera, nihilque sub sole æternum; ut adeò vanissimum sit, ex ædificiorum mole famam ac nomen sibi fabricari velle. Expertus id regum magnificentissimus Salomon de se testatur. *Cùmque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra desudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionẽ animi, & nihil permanere sub sole.* Pulchrè Sanctus Chrysostomus, *Quod si æternam memoriam amas,* ego

Ædificiorum inanitas. Eccl. 2. S. Chrysost. Homil. ...

ego tibi viam monstrabo: nimirum, si has pecunias in manus inopum dispenses, relictis lapidibus & splendidis ædificiis, villis, & balneis. Hæc memoria immortalis, hæc memoria innumeros tibi thesauros parit, hæc memoria à sarcinâ peccatorũ alleviat, hæc multam tibi fiduciam apud Deum conciliat. Dixere quidem Nemrodiani, *Celebremus nomen nostrum.* Sed levissimo impendio totum hoc nomen cum suo opere ita evanuit, ut nullum jam supersit ejus vestigium.

201. Eidem Emblemati subscribes. RUET, SINE NUMINE CÆPTA. Nimirum, nisi auspice Deo, omnia hominum opera corruunt & evanescunt. Disertè Vates Regius. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Ita quoque irritam moliuntur operam, qui Ecclesiam Dei in convertendis infidelibus, aut in corrigenda fidelibus ædificare nituntur, nisi superi conatus illos probaverint. S.P. Augustinus. *Dominus ergo ædificat domum, Dominus Jesus Christus ædificat domum suam. Laborant multi in ædificando; sed si non ille ædificet, in vanum laboraverunt ædificantes eam. Qui sunt isti, qui laborant ædificantes? Omnes, qui in Ecclesia prædicant verbum Dei, ministri sacramentorum Dei. Omnes currimus, omnes laboramus, omnes ædificamus modò, & ante nos alii cucurrerunt, laboraverunt, ædificaverunt.*

NINUS.
CAPUT LXXI.

202. NInus, erectâ Belo parenti statuâ, idololatriam inducit: unde lemma. HINC ILLÆ TENEBRÆ, intellige, *gentilium.* Nimirum pietas, quam parentibus debemus, ita semper intra limites coercenda est, ut nimium & ultra legis Divinæ præscriptum intensa, idololatriam, sacrilegia, aliaq; gravissima mala pariat. Providè Magnus Ethices Divinæ Magister Augustinus. *Amandus est generator, sed præponendus est Creator.* S. Hieronymus. *Si necessitas venerit, ut amor parentum, sive filiorum amori Dei comparetur, & non possit utrumque servari; odium in suos, pietas in Deum servanda est.* Et S. Joannes Chrysostomus. *Non licet simpliciter odio habere parentes, sed si voluerint plus diligi, in hoc odio habeantur.*

ABRAHAMUS.
CAPUT LXXII.

203. ABrahamo, Isaacum jamjam immolaturo, Angelus gladium, jamjam in filii cervicem strictum, retinuit. P. Henricus Engelgrave huic imagini illam Propertii gnomam, lemmatis loco, subjunxit. VOLUISSE SAT EST. Exhinc conjicies, voluntatem, sive bonam sive malam, à justissimo Deo instar ipsius operis accipi & compensari. S. Paulinus, in S. Felicis, Episcopi Nolani, laudes excurrens, canit,

Cælestem nactus sine sanguine Martyr honorem,
Nam Confessor obit, pœnas non sponte lucratus,
Acceptante Deo fidam pro sanguine mentem.
Martyrium sine cæde placet: passura voluntas
Sufficit, & summa est meriti testatio voti.

Eruditè, ut solet, meus D. Hugo Victorinus. *Possumus esse voluntate pares, qui facultate sumus impares, multùm dedit Zachæus, qui dives erat, & multum habebat; vidua illa, quæ duo minuta immisit, parùm habuit, tamen tantum dedit, quantùm Zachæus. Minores facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat: si attendas, quæ dederunt, diversa invenies, si, unde dederunt, paria invenies.*

Ut desint vires; tamen est laudanda voluntas;
Hâc ego contentos auguror esse Deos.

Qui prolixiora in hanc rem desiderat, Balthasarum Paez consulat.

204. Abrahamus, neglectis omnibus divitiis, quas è Pentapolitanorum cæde victor comparâverat, solum fratrem Loth, & familiam ex captivitate reduxit. Lemmatis loco illa ipsa Abrahami verba, quæ Geneseos historia de ipso recenset, subjunges. DA MIHI ANIMAS, CÆTERA TOLLE TIBI. Hunc animarum zelum cuivis Prælato ingeneratum velim, qui tum demum munere suo ritè defungitur, si præter illarum salutem nihil quærat aliud. Certè non sine mysterio Servator Apostolos suos fecit *piscatores*, non quidem opum humanarum, sed *hominum.* Testis sibimet luculentus Paulus, *Per omnia,* inquit, *omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Et rursus, *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos.* Item. *Argentum & aurum aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis.* Contrà verò D. Greg. Judam proditorem zelo marsupii laborâsse, imò æstuasse, ait. *Ob pecunias,* inquit, *fur ille zelotypa erga crumenam æstuat, ac Deum prodit, & triginta argenteis vendit &c.* Nõ sine gemitu S. Bern. *Patientius,* inquit, *ferimus Christi jacturam, quàm nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, & continua Dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum, de numero panum, cum ministris quotidiana discussio est. Rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum.* Et alibi sæpè. Breviter S. Greg. *Redemptor noster à sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas, &c.*

205. Abrahamus tres Angelos, virorum specie, hospites excepit, eorum pedes lavit, aliaque necessaria sedulò providit, & humi prostratus illos adoravit. Lemma. DA, UT ACCIPIAS. Tantùm enim lucri ex hospitalitate capimus, ut minima quævis beneficentia maximis incrementis compensetur. *Tene hospitem,* inquit Magnus Augustinus, *si vis agnoscere Salvatorem; quod tulerat infidelitas, reddidit hospitalitas.* Id probè edoctus Abrahamus, tantam hospitibus illis charitatem & reverentiam exhibuit; *Currit & volat senex,* inquit de eo Chrysostomus, *vidit enim prædam, quam venabatur. Non vocavit famulos, quasi diceret; magnus thesaurus est, magna negotiatio: per me ipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum.* Unde monet Apostolus. *Hospitalitatis nolite oblivisci; per hanc latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.*

206. Abrahamus, peregrinorum specie tres Angelos suscipiens, epigraphen tenet. ERROR ABSQUE ERRORE. Quisquis enim peregrinos Dei loco suscipit, nunquam in iis suscipiendis falli potest. Opportunè S. Ambrosius. *Quis scit, an Deum suscipias, cùm hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque Angelos ejus suscipit hospitio. Quamvis & cùm hospitem suscipis, Deum suscipis. Sic enim scriptum est in Evangelio, dicente Domino Jesu: hospes eram, & collegistis me. Quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.* Et S. Augustinus. *Discite Christiani sine discretione hospites suscipere, ne fortè cui domum clauseritis, cui humanitatem negaveritis, ipse sit Christus.* Et alibi. *In recipiendis hospitibus ignotis solemus dicere, multò esse melius, malum hominem perpeti, quàm forsitan per ignorantiam excludere bonum, dum cavemus ne recipiatur malus.*

[Marginalia, left column: ...unam ac ...omen ...ærere ...num. ...m, ii. | Ædificia. | Psal. 126.1 | Prædica-tor. | Aug. in Psal. 126 | Parentes quomodo colendi? | Augustin. Verb. Dom serm. 7. c. 1 | Hieronym. super Matth. | Chrysost. Matth. 10 | Engel. in Lucæ Evang ... op. l. 2. v. 5. | Voluntas sufficit in operando. | Paul. de S. Felic. Natal. | Hug. Vict. l. 2 Sacram. c.]

[Marginalia, right column: Ovid l. 3 de Pont. Eleg 4. | Balth Paetz in ep Iacob c 2. v. 20 §. 5. | Genes. 14. 21. | Zelus animarum. | Matth. 4. 1. Cor. 10. | 2. Cor. 12 | Act. 20. | S. Greg. Naz Orat. 28. | S. Bernard. l. 4. ad Eugen. | S. Gregorius ep. 28. l. 5. | Hospitalitas. | Beneficentia. | S. Augustin. serm. 104. de temp c. 3 | S. Chrysost. in Genes. | Hebr. 13. 2 | Hospitalitas. | S. Ambr. l. 1 de Abraham c. 5. | Eleemosyna. | S. Augustin de 5. Hæresib. c. 4. | Idem Epist. 14.]

LOTH. CAPUT LXXIII.

207. Meus Concanonicus D. Alexander Luzon de Millares symboli loco uxorem Lothi, in statuam salis conversam exhibet; addito epigrammate. VIDISSE PERISSE EST. Hinc disces, quantum periculum sit, oculos ad peritura deflectere, cùm semel mentem nomenque Religioni dederis; Non modò relinquenda sunt Sodoma & Gomorrha, sed nec respicienda. Ex toto deserendus est tibi mundus, si perfectioni studere volueris. Reijce vanitatum phantasmata. Christi lata sententia est. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Nam, ut ait Græcus Anonymus, in Catenâ adductus, *intuitus eorum, quæ deseruimus, propter cõsuetudinem trahunt: violentum enim quiddã usus est, ex quo habitus, ex habitu autem natura nascitur, quã amovere aut alterare difficile, redit enim ad se ipsam velociter:* Cæterùm eodem Emblemate demonstratur, judicia Dei non esse investiganda sed expavescẽda. Creditur enim uxor Loth à Deo punita, quod vindicem Dei manum attentius voluerit intueri, & Divinum judiciũ scrutari. Siracidis monitũ est, *In pluribus operibus ejus ne fueris curiosus, non enim est tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.* Rectè hortatur Religiosissimus meus Tho. Kempens. *Time judicia Dei, expavesce iram omnipotentis, noli autem discutere opera altissimi.* Deniq; imago illa innuit, quanti nonnunquam unius oculi jactus steterit? Certè David liberiore oculo lavantem mulierem conspicatus, toti penè regno excidium paravit.

Religiosus

Luc. 9.

Anon. in Cat Græc.

Judicia Dei non investiganda.

Eccles. 3.13.

De Imit. l. 3. c. 4.

Oculis incautus.

208. Conflagrante cœlestibus flammis Sodomâ. Loth cum uxore & filiabus per Angelos educitur, & è fugâ salutem quærere jubetur. Lemma. NE ARDEAS, FUGIAS. De libidinis igne id intelligas velim, adversus quem certissimus è fugâ triumphus obtinetur; uti exemplo suo docuere Joseph Patriarcha, Tho. Aquin. aliq; innumeri. Disertè, & ad mentẽ Apostoli, id confirmans Magn. August. *Quòd, inquit, libidinem fugiendam esse suggerimus, Apostolus Paulus evidenter ostendit. Qui, cum omnibus vitiis prædicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit resistite, sed fugite fornicationem. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.* Et S. Ambr. *Fugiendam,* ait, *morte fornicationẽ, per quã filii Dei fiunt filii diaboli.*

Libido fugienda.

S. Aug. serm. 250. de Temp. cap. 1.

1. Cor. 6. 18.

S. Ambrosius apud Bened. Iustin in 1. Cor. 6. 18

209. Uxor Lothi, ob oculos retrò versos, in statuam salis convertitur, Lemma. SIC RETRO VIDISSE, LETHALE. E prodigiosâ hâc metamorphosi æternum monumentum constare nobis voluit Deus, ne, qui semel ingressi sunt viam salutis, retrò unquam respicere ac redire concupiscant. Unde Apostolus suos ad continuum progressum cõmonefaciens, ait, *Memores estote uxoris Loth.* S. Prosper. *Uxor Loth salis statua effecta, suo exemplo fatuos condivit, in proposito sancto, quò tendunt proficientes, noxiâ curiositate retrò non debere respicere.* Idipsum S. P. August. apostatis applicat, qui castitatis votum infringunt. De Lothi uxore, ejusque metamorphosi, pulchrè canit Emanuel Thesaurus.

Propositũ. Religiosus

Luc. 17. 31

S. Prosp. l. 1. de prædic. c. 16.

S. Augustin in Psal. 75.

Fœmina fuit:
Dicerem, est, nisi prodigium videretur,
Fœminam esse, & tacere.
Contra divinum præscriptum
Dum patriam spectat, se amisit.
Quod insulsa salsum migravit in lapidem,
In sale mortua, quo viva carebat:
Sic solent fœminæ, sapiunt, cum pereunt.
Ah! fuge hunc salem si sapis, viator.

210. Eidem Emblemati subscribes. OB UNUM OCULI JACTUM. Unius oculi jactus, quanti stetit? corpus uxoris Loth in statuam salis convertit, animam verò ob culpam, ut Carthusianus censet, lethalem, ad æternos rogos præcipitavit. Unde solicitus precatur David, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Et S. P. August. *Nec dicatis vos habere animos pudicos, si oculos habeatis impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* Scis, quid de Alipio, suorum sodalium optimo, narret idem Africanus Præsul. Aversabatur is omnem spectaculorum turpitudinẽ, sed cùm ad amicorum blandissimos invitatus & preces invictus, jam etiam traheretur familiari violentia; ad amphiteatrũ, inquit, non totum Alipium pertrahetis: animus & oculi ibi non erunt: itaque absens adero. Venitur, consideratur, fervet opus: Alipius oculos, ut statuerat, comprimit: utinam & aures obturâsset; nam subitò coorto clamore, bonus Alipius, curiositate victus, noluit esse cæcus amplius; atque adeò oculos diu pressos reseravit, exarsit; Optimè è Poetis nonnemo.

Oculus lascivus.

Psal. 118.

S. Aug. in Reg.

S. Aug lib Confess. c.

Vos oculi, vos in scopulos deducitis altos;
Absque oculis, credo, plura videre licet.

ISMAEL. Cap. LXXIV.

211. Ismaël, Agaris ancillæ filius, ob sannas & irrisiones, quas in Isaacum fratrem sparserat, è paternâ Abrahami domo eijcitur. Lemma. NON BENE CONVENIUNT, subintellige, *bona Isaaci indoles, & mala Ismaelis.* Videbat quippe provida Sara pessimam Ismaëlis indolem; perspiciebat, proclivem eum esse ad vitia: cernebat turbulentum ejus ingenium, agrestem & ferocem animum, & ad sævitiam propensum. Verita est igitur, ne domesticâ consuetudine, similibus Isaac imbueretur moribus & inficeretur vitiis. Noverat quippe, teneræ puerorum ætati eorum, quibuscum vivunt, vitia facilè ac tenaciter adhærescere. Vera sanè est illa Senecæ sententia. *Sumuntur,* inquit, *à conversantibus mores; & ut quædam in contactis corporibus vitia transiliunt, sic animus mala sua proximis tradit.* Et illud Ovidii.

Societas mala.

Seneca l. de Ira.

Dum spectant oculi læsos, leduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

Eodem Emblemate demonstratur, Hæreticorũ consortium à Catholicis penitus præcidendum esse; nam, ut præclarè monet S. P. August. *Hoc ait hodie Sathanas, quomodo per venena hæreticorũ eijciat de Ecclesiâ, sicut per venena serpentis ejecit homines de paradyso.*

Hæretici fugiendi

S. August. Fragm. 1. serm. tom.

212 Eidem symbolo subscribes. FACESSE LUSOR, DEEST COLLUSOR. Timebat quippe solicita Sara suo Isaaco, ne perversum ac depravatum Ismaelis ludum luderet, unde illius saluti ac moribus consulens, longè à domo suâ Ismaëlem amandari voluit. *Cùm vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham, eijce ancillam hanc & filium ejus.* Ludus enim ille, ut S. Hieron. interpretatur, fuêre jurgia, irrisiones, contumeliæ, aliaque indolis perversæ probra. Porrò de gemino illo fratre ait Apostolus. *Qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum.* Ut adeò Ismaelem carnis & appetitus sensitivi typum dixeris, qui Isaaco, voluntati inquam nostræ, numquam non insultare nititur. Unde non sine dolore Apostolus, *Video, inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et S. P. Augustinus, *Volumus ut nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas. Velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt. Premuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiscit adversus spiritum.*

Societas mala.

Gen. 21. 9

Appetitus sensitivi.

Rom. 7

S. August. de Verb. Ap. serm. 43.

AGAR. CAPUT LXXV.

213. Agarem ancillã, in deserto profugã, consolatus Angelus. Unde lemma. IN DESERTO NON

Auxilium Dei in tribulatione. S. Chrysost. in hom. 46.

NON DESERTA. Cùm enim Agar, mœrore plena, Ismaëlem filium fame fatiscentem, & jamjam moriturum, sub arbore dimisisset, mox è cœlo affuêre suppetiæ. *Sic*, ait Chrysost. *quandocunque voluerit Deus, licet in solitudine simus, & in extremis afflictionibus, nullamq; spem salutis habeamus, nullo alio opus habebimus, divinâ gratiâ nobis omnia suppeditante. Nam si ejus gratiam nacti fuerimus, nullus nobis prævalebit, sed nos potentiores omnibus erimus.* Ergò in arctis & desperatis rebus vicinissimus est Deus, & invocatus illicò succurrit. Nam, ut Psaltes ait. *Tibi derelictus est pauper, Orphano tu eris adjutor.* Psal.

REBECCA.
CAPUT LXXVI.

214. REbeccæ ad fontem in peregrinum Eliezerem humanitas, est nuptiarum cum Isaaco conciliatio. Lemma. EX UNDIS AMOR ELICIT IGNES. Ea enim humanitatis & amoris nostri in alienas mentes est violentia, ut vel invitæ in mutuos amores trahantur. Præclarè Magnus Augustinus. *Nulla est major ad amorem invitatio, quàm prævenire amando. Et nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit rependere.*

Humanitas. Amor. S. Aug. de Catech. Rud. cap. 4

ESAU.
Cap. LXXVII.

215. ESau, frater Jacobi, rufus & pilosus, lentis pulmento jus primogeniti vendit fratri. Lemma ex Ovidio mutuatum. NOCET EMPTA DOLORE VOLUPTAS. Reproborum hic typus est, qui jus adoptionis filiorum Dei & spem vitæ æternæ commutant cum amore & voluptate brevissimorum vilissimorumque bonorum. *Voluptas transitura*, Magno Aug. teste, *sine prudentiâ desideratur, verù cum transierit, cum pænitentia cogitatur.* Aristoteles monet, ut voluptates contemplemur non venientes, sed abeuntes: venientes enim fucata specie blandiuntur; abeuntes dolorem ac pœnitiam relinquunt.

Ovid. epist. 6. Reprobus. Voluptas. S. Augustin. de Verb. Apost. serm. 3. cap. 9

JACOB.
CAPUT LXXVIII.

216. JAcobus, matri multùm amabilis, vestem & personam fratris induit; eoque astu benedictionem à patre impetrat. Lemma. PERSONAM MALAM EGIT OPTIME. Comœdis enim, & nō quàm insignes personas, sed quàm benè etiam infimas agāt interest. Christi hic typus est, qui à peccato alienissimus, Divinitatem suam humanis exuviis adeo dexterè involvit, ut exteriore vultu peccaminosi ac servilis hominis speciem referens, humanam naturam ab interitu vindicârit, ac divinâ benedictione fecerit dignam. Discertè Apostolus. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Et rursus. *Eum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit.* S. Hieron. *Domini* (Christi) *injuria, nostra est gloria. Ille mortuus est, ut nos viveremus. Ille descendit ad inferos, ut nos ascenderemus in Cælum. Ille factus est stultitia, ut nos sapientia fieremus. Ille se de plenitudine & de formâ Dei evacuavit, formam servi accipiens, ut in nobis habitaret Divinitatis plenitudo, & Domini fieremus è servis. Ille pependit in ligno, ut peccatum, quod commiseramus in ligno scientiæ, ligno deleret appensus. Ad postremum factus est ille maledictio, factus, inquam, non natus, ut benedictiones, quæ promissæ fuerunt Abrahæ, ipso auctore & prævio transferrentur ad gētes, & spiritus repromissio per fidem illius compleretur in nobis.*

Christus pro nobis factus maledictum. Galat. 3. 13. 2. Cor. 5. 21. S. Hieronym. in epist. ad Galat.

217. Jacobus, in Mesopotamiâ peregrinus & fessus, lapidi indormit. Lemma. FESSO DANT SAXA QUIETEM. S. Chrysost. *Vide*, inquit, *pueri robur, qui lapidibus pro pulvinari utitur: vide masculum spiritum, super pavimentum dormit.* Jacobum imitati complures membris suis, assiduo labore fractis, pulvinaria ac lectos nonnisi duros saxeosve substraverunt. Certè D. Bononius Abbas pro culcitrâ plumeâ terram, pro lodice cilicium, pro cervicali saxum habuit. S. Mechtildis, Thaumaturga celeberrimi Collegii Can. Reg. in Diesten, duro saxo indormiit, quod hodie etiamnum multis prodigiis juvat afflictos; eos præsertim qui affecto sunt capite. Omitto innumeros. Ceterùm terrenis calamitatibus fatigatus, mentem tuam ad petram illam reclines, de quâ Apostolus. *Petra autem erat Christus.* In hunc locum S. P. Aug. *Ut Ecclesia ædificaretur super petram, quis factus est petra: Paulum audi, dicentem, Petra autem erat Christus: in illo ergò ædificati sumus. Propterea petra illa, in quâ ædificati sumus, prior percussa est ventis, flumine, pluvia, quando Christus à diabolo tentabatur. Ecce! in quâ firmitate te voluit stabilire!*

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

S. Chrysost. hom. 54. Lectus. S. Mechtildis Diestensis. Calamitates. Christus in tribulatione salus. 1. Cor. 10. 4.

218. Jacob somno oppressus, mysticam contemplatur scalam, cum lemmate. SIC ITUR AD ASTRA. Quisquis enim cœlum conscendere cogitas, singulos scalæ hujus gradus absolvas, necesse est; quos proinde ordine percenset Bern. *Hæc enim*, inquit, *duodecim gradus habet inter duo latera. Dextrum latus est contemptus sui, usq; ad amorem Dei: sinistrum, contemptus mundi, usq; ad amorem regni. Ascensiones hujus duodecim humilitatis sunt gradus: primus est odium peccati; secundus est fuga delicti; tertius, metus odii; quartus, in omnibus his subesse creatori; quintus, obedire meliori; sextus, obedire compari; septimus, obsequi inferiori; octavus, subesse sibi; nonus, finē suum jugiter meditari; decimus, opera sua semper vereri, undecimus, cogitationes suas humiliter confiteri; duodecimus, per omnia ad manū, ad nutum, ad libitū Domini moveri. Per hos gradus ascendunt angeli, & sublimant homines.* S. Antoninus. *Bonū religionis*, inquit, *significatum est nobili illâ scalâ Jacob, cujus gradus nulli sunt alii, quàm lectionis, meditationis, mortificationis, aliarumque similium exercitationum, quibus religio constat.*

Gradus ad cælum. S. Bern. serm. de B. Mariâ pag. 194. Religiosus. S. Anton. in summ. p. 3. tit. 26, cap. 14 §. 11.

219. Vidit Jacob scalam, & in scalâ angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit; sed vel ascendere, vel descendere visi sunt universi. Lemma. ABSQUE QUIETE PROGRESSUS. Vox est SS. Patrum Doctorumque una omnium; *In viâ Domini non progredi, esse retrogradi*, quæ gnoma animos nobis addat, ad viam perfectionis alacriter decurrendam. Quis enim sapiens ab opere semel laudabiliter cœpto velit resilire? territus præsertim gravi illâ Salvatoris comminatione; *Nemo mittens manum ad aratrū, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Porrò *tamdiu*, ait S. P. Aug. *non relabimur retrò, quādiu ad priora contendimus: at ubi cæperimus stare, descendimus, nostrumq; progredi, reverti est: si volumus non redire, currendum est.* S. Bern. ignavum & oscitantem ambulantem in domo Domini Monachum sic alloquitur. *O Monache, non vis proficere? non. Vis ergò deficere? nequaquam. Quid ergò? sic mihi, inquis, vivere volo, & manere, in quo perveni, nec prior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergò vis, quod esse non potest.*

Progressus. Luc. 9. S. Augustin. Epist. 153. ad Demet. S. Bernard. Epist. 253 & 341.

220. Jacob pro Rachele in uxorem ducendâ, longâ servitutem servit; cum lemmate. AMANTI NIHIL DIFFICILE. Ita nimirùm quævis negotia, sive divina sive terrena, ab amore ita suaviter condiuntur, ut dulcissima nobis obtingant. Præclarè ac iteratò magnus August. *Quidquid difficile est in præcepto, leve est amanti.* Item, *Nullo modo sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, piscantium, vindemiantium, negotiantium, interest ergò quod ametur: nam in eo quod amatur, aut non laboratur,*

Amor omnia facit suavia. S. Aug. in Psal. 67 Idem de bono Viduit. c. 21.

Idem de Verb. Apost serm. 12 cap. 8. tur, aut & labor amatur. Et rursus. *Ut sarcina Dei sit tibi levis, & jugum ejus suave, ille tibi amorem inspiravit. Amanti suave, est, non amanti durum est.*

221. Jacobus cum Angelo luctatur & prævalet. Lemma. ET SUPEROS SUPERARE LICET. Sacrarum precum hæ vires sunt, ut ipsum etiam Deũ vincere, & in suas partes, necessitate penè ineluctabili, flectere queant. *Oratio.* Hinc est, quod Deus toties in gentem humanam ob ejus scelera sæviturus, solâ oratione veluti sopitus, & quodammodo excantatus, fulmina jam parata posuerit. Talis olim incantator fuit Moses, à Deo quasi rogatus; *Dimitte me, ut irascatur furor meus.* *Exod. 23. 10* Hanc orationis vim obstupescens Bernardus, *feriendi*, ait, *licentiam quærit a Mose, qui fecit Mosen.* *S. Bernard. serm de Magdal.* De Theodosio Augusto dixit Augustinus. *Contra robustissimum exercitum, magis orando quam feriendo pugnavit.* *S. Augustin l. 5. de Civit. c. 27.* Pugnat qui orat, & expugnat validissimè. Verè idem Hipponensium Præsul, *Oratio Deum ungit, sed lachryma compungit : hæc lenit, illa cogit.* *Idem in serm.*

222. Eidem symbolo subscribes. SEQUITUR VICTORIA LUCTAM. Illud enim Jacobi certamen vitam Christianam adumbrat, quæ nihil penè aliud est, quàm continua lucta, seu, ut Job ait, *militia super terram*, in qua aliquando succumbimus, sed armati & generosè luctantes cum Jacobo tandem vincimus. *Vita hominis est militia.* *Nam Philosophi & militis Christiani animus*, teste S. Gregorio Nazianzenio, *ex eo quod passus est, generosior redditur, atque ut candens ferrum frigidæ aspersione, sic ipse periculis obdurescit.* *S. Gregorius Nazianz. Orat. 23. in laudem Heron.* S. Gregorius Papa affirmat, *viros sanctos, & contemplationis studio eximiè deditos, in ipso exercitio contemplationis magnam sentire vicissitudinem, & velut quandam luctam, & concertationem experiri, &c.* *S. Greg hom. 14. in Ezech.* Vide P. Benedictum Pererium, prolixè hac de re disserentem. *Perer in Gen c. 13, v. 5. n. 37.*

223. Jacobus, verno fæmoris post luctam angelicam emarcescente, epigraphen tenet. AMISSO NERVO FORTIOR. *Mortificatio.* Nervi nomine carnem nostram intellige, quâ edomitâ, adversus hostes quosvis fortissimi evadimus, & cœlos citra negotium expugnamus S. P. Augustinus. *Si odisti animam tuam, & diligis carnem tuam, resurget caro tua, sed ut torqueatur anima tua. Ergò prius anima diligenda est, quæ Deo subdenda est, ut ordinem suum servitus ista custodiat, anima Deo, animæ caro. Vis serviat caro tua animæ tuæ? Deo serviat anima tua: debet regi, ut possis regere,* *S. Augustin de Verb. Dom serm 43 c. 3.* Et rursus, *Necesse est, ut primum cor mundemus, deinde carnem nostram per jejunia & vigilias ad laborem utilem castigemus, ut carnis libido mentem maculet.* *Idem serm. 148. de Temp.*

224. Jacobus, cum Angelo luctatus, ex nervi luxatione claudicabat. Lemma. POST LUCTAM CLAUDICAT. *Amor mundi.* Ita nimirum si victoriam è debellato mundo amittere nolueris, amore terreno penitus deficias ac claudices, soloque amore Divino incedas, necesse est. Præclarè in rem præsentem S. Gregorius Papa. *Notandum*, inquit, *quod idem victus Angelus nervum fæmoris Jacob tetigit, & mar escere statim fecit; ex eo tempore Jacob altero claudicavit pede. Videlicet omnipotens Deus, cum jam per desiderium & intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit; & qui prius quasi duobus pedibus nitentes, & Deum videbamur quærere, & mundum tenere, post agnitionem suavitatis Divinæ, unus in nobis pes sanus remanet, & alter claudicat : quia necesse est, ut quisquis debilitato amore mundi, convalescat ad amorem Dei. Si ergo tenemus Angelum, uno tantùm claudicamus pede: quia dum crescit in nobis fortitudo amoris Divini, pariter infirmatur fortitudo carnis.* *Georg. hom 14. in Ezech.* Et S. P. Augustinus. *Duo sunt amores, mundi & Dei; si mundi amor habitet, non est qua intret amor Dei? recedat amor mundi, & habitet amor Dei.* *S. Aug. tract. 2. in Io post med.*

D I N A. CAPUT LXXIX.

225. Dina, Jacobi filia, ut videret & videretur, in urbem Sichem egressa, pudorem perdidit. *Virgo.* Lemma è Poeta desumptum. URITQUE VIDENDO FÆMINA, ET URITUR. Hinc discant virgines, quàm hominum oculos fugere debeant, ut nec videri, nec videre appetant. Rectè de Lævina castâ & tetricâ, sed simul vagâ, canit Martialis.

Dum modò Lucrino, modò se committit Averno, &c.
Incidit in flammas, juvenemque secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit, abitque Helene.

Idem, prô dolor! indies cernimus, Virgines deambulantes egredi Penelopes, regredi Helenes; egredi virgines, regredi mulieres, imò meretrices. Prudenter ergò S. Martinus, *Mulier*, inquit, *intra murorum munimenta se contineat, cujus hæc prima virtus & consummata victoria est, non videri.* *S. Martin apud Sulp Dialog. 2.* Aristoteles testatur, suo tempore in urbibus creatum esse præfectum, qui mulieribus intenderet, ne vagarentur, sed domi se continerent. *Arist. 5. Po* Et apud Sinas, inquit, Magallianus, etiam hodie nervus pedis eliditur puellis, ne domo exeant.

J O S E P H.

CAPUT LXXX.

226. Josephus, Jacobi filius, fratrum invidiâ venditur mercatoribus Israelitis; cum lemmate. PROSUNT, DUM OBSUNT. *Calamitates prosunt.* Ita nimirum ins vidorum machinamenta aliis potius illustrandi, quàm obscurandis deserviunt; videri equidem mundo & fratribus poterat infelix Josephus, sed Deus illam ipsam calamitatem summæ felicitatis ac gloriæ maximæ exordium esse voluit, *Ideò*, inquit, S. Gregorius, *venditus est à fratribus Joseph, ne ab eis adoraretur, sed ideò adoratus est, quia est venditus. Sic Divinum consilium, dum devitatur impletur, sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehenditur.* *S. Greg. l. moral c.* Optimè proinde dixit sanctus ille. *Persecutores aurifabri sunt, qui nobis & præsentis & æterni regni cocoronam fabricant.*

227. Eidem symbolo subscribes. NE PERIRET, PERIIT. Alludit lemma hoc ad illud Themistroclis dictum, *Perieramus, nisi periissemus.* *Calamitates prosunt.* Inglorius enim decessisset Joseph, nî ad summam gloriam obtinendam calamitate illâ, ceu vehiculo, usus fuisset. Certè Christus, & omnis disciplina Christiana tradunt, non esse tutiorem ad regnum cœleste viam, quàm quæ per adversa ducit ad aspera. Hæ Dei leges; *qroniam*, D. Lucâ teste, *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Optimè & ad lematis præsentis mentem D. Augustinus. *Si tanta suffert anima, ut possideat unde PEREAT, quanta debet sufferre NE PEREAT.* *S. Augu. l. de Patit. c. 7.* Porrò providentissimus Deus filios suos gravi calamitatum mole premit, omnemque terrenam illorum felicitatem perire vult, ne æternum pereant. Disertè Magnus Augustinus. *Certe*, inquit, *modò PEREUNT peccatores & NON PEREUNT. Si incipiant justè vivere, peribunt utique peccatores, sed non peribunt homines.* *Idem serm. 109. de tp. c. 7.* Et alibi. *Quid expavescis quia pereunt regna terrena? ideò tibi cœleste promissum est, ne cum terrenis perires.* *Idem de Verb D. serm. 29*

228. Josephus, fratrum invidiâ & odio venditus,

Ovid. l. 1. tus, epigraphen tenet ex Ovidio desumptam. FRATRUM QUOQUE GRATIA RARA EST. Idipsum de Christianorum discordiis queritur S.P. Augustinus. *Dolendum est*, inquit, *ut, qui secundùm carnem fratres sumus, in Christi corpore non in unâ societate vivamus.* Cæterùm odia, quæ inter fratres & amicos excitantur, gravissima esse solent. Cujus rei causam affert Aristoteles, tum, quod omnis mutatio fiat è contrario in contrarium, ut adeò summus amor in summum odium convertatur: tum quod injuria, à fratre vel amico illata, acerbior esse videatur: à quibus enim beneficium sibi deberi existimant, ab eisdem non solum eo privari, sed insuper sese lædi sentiunt, acerbissimumque ducunt homines. S. Ambrosius, *Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris, si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacobi sancti Filios exarsit invidia.* De Josepho canis D. Emanuel Thesaurus.

S. Augustin. Epist. 170. — Discordia inter fratres & Christianos. — Aristot. l. 7. Eth. c. 7. — Ambrosius de Ioseph c. 2.

Dulces Rachelis primitiæ Joseph,
Ut primus evadat, undecimus nascitur.
Egregium aliquid meditante natura,
Quæ tot exemplaria delineavit, ut unũ absolveret.
Paternæ virtuti, maternæ pulchritudini compar
Ut impares fratrum mores de suo typo corrigeret.
In sopore vigil,
Pingente somno futuræ dignitatis expressit imaginẽ
Sed periculosa res est eminere.
Per cognatum livorem
Vivus humatur, exhumatus divenditur.

229. Josephus lenocinantem dominam, Putipharis, heri sui uxorem, effugiens, pallium in ejus manu relinquit; cum lemmate. FUGIENDO VINCIT. Testimonio luculento id comprobat Apostolus, *Fugite fornicationem* Si tentationem Josephi tam robustam, tam multiplicem, tam diuturnam pensiculatius cogitemus, illius animum & virtutem nunquam satis mirabimur. Deerunt verba laudanda tam constanti castimoniæ. Hanc Chrysostomus jure merito extollens, *Magis miror*, inquit, *Josephum in hoc igne penitus illæsum, quam tres pueros in fornace Babylonicâ non combustos.* Fuit è D. Dominici familiâ, qui etiam Dominicus audiit, vir summæ continentiæ. huic generosissimè certanti, dæmones acclamârunt. *Vicisti, vicisti, quia in igne fuisti, & non arsisti.* In Josephi laudes prolixus S. Ambrosius. *Magnus vir, Joseph*, inquit, *qui venditus, servile tamen nescivit ingenium, adamatus non redamavit, rogatus non acquievit, apprehensus aufugit. Qui cùm ab uxore Domini sui conveniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit: ac ne ipsa quidem verba diu passus est; contagium enim judicavit, si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiva transirent. Itaq; vestrem exuit, crimen excussit. Ille Dominus fuit, quia mantis non excepit faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterruit, qui maluit liber criminis mori, quàm criminosæ potentiæ eligere consortium.* Cæterùm Josephi nomine rationem nostram intellige, quæ omnem blandientis concupiscentiæ sensum studiosissimè effugiat. In rem præsentem de Josepho canit Emmanuel Thesaurus.

Castitas fugiendo vincit. — 1. Cor. 6. 15. — Chrysost. hom. 62. in Gen. — Ambrosius de Ioseph c. 2. — Concupiscentia.

Hic Domino quàm Dominæ obsequentior,
Servili compede, quàm herili complexu constringi,
Carcerem subire maluit, quàm mereri.

230. Joseph, è blandientis adulteræ manibus elapsus, epigraphen tenet. VEL TETIGISSE NEFAS. Ad emblematis mentem opportunè S Hieronymus. *Animadvertenda est*, inquit, *Apostoli prudentia. Non dicit, bonum est uxorem non habere, sed bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit, quod, qui illam tetigerit, non evadat, nempe quæ virorum pretiosas animas rapit, & facit adolescentium evolare corda, Alligabit quis in sinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, & non ardebit? quomodo igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur: ita viri tactus & fœminæ, sentit naturam suam, & diversitatem sexus intelligit,*

Tactus mulieris fugiendus. — S. Hieronym. l. 1. cont. Iovin. — 1. Cor. 7.

231. Josephus, in carcere constitutus, pincernæ & pistoris somnia explicat. Lemma. FECERUNT SOMNIA VATEM. Sapienter dixit Plato, *Spes mortalium sunt somnia vigilantium.* Unde quisquis hæc somnia perspecta habet, is terrena omnia contemnere, sibique, vaticinio minimè fallaci, cælestem gloriam polliceri potest. Disertus in rem præsentem Philo. *Ego*, inquit, *non dissimulanter dico, civilem virum somniorum esse interpretem, non quales isti nugatores garruli mercenariique quæstum facientes ex nocturnis somniorum ludibriis: sed qui magnum illud somnium commune, publicumq; vigilantium, non dormientium, exactè intelligat. Id somnium, ne quid mentiar, est vita hominum. Nam sicut in somniorum visionibus videntes non videmus, audientes non audimus, gustantes aut tangentes nec gustamus nec tangimus, loquentes non loquimur, de ambulantes non deambulamus, sed cùm videamur uti motibus & habitibus, nullo prorsus utimur, mente inaniter sine ullis veris subjectis pingente sibi simulachra rerum non existentium, tanquam existentium. Eodem modo etiam vigilantium imaginationes sommiis sunt simillimæ, veniunt, abeũt, recurrunt, refugiunt, priusquam comprehendantur, avolant, &c. Quid res corporis nonne somnia sunt? nonne pulchritudo momẽtanea, penè prius marcescit, quã floreat? sanitas incerta infirmitatibus obnoxia? robur morbis expugnabile per occasiones plurimas? &c.* Idipsum præclarè confirmat S. Aug. *Amaverunt*, inquit, *præsentia, & dormierunt in ipsis præsentibus, & sic illis facta sunt ipsa præsentia deliciosa, quomodo qui videt per somniũ invenisse se thesauros, tamdiu dives, quamdiu non evigilat. Somnium illum divitem fecit; evigilatio pauperem fecit. Tenuit illum somnus fortè se in terra dormientẽ, & in duro jacentem & fortè mendicum. In somnis vidit se jacere in lecto eburneo vel aureo, & in plumis aureis altius extructis; quamdiu dormit, benè dormit; evigilans invenit se jacere in duro, in quo illum somnus tenuerat. Tales sunt & isti. Venerunt in hanc vitã, & per cupiditates temporales quasi obdormierunt hic, & exceperunt illos divitiæ, & vanæ pompæ volaticæ & transierunt, non intellexerunt, quantũ inde boni possent fieri. Nam si nôssent etiam vitam, illic sibi thesaurizarent, quod hic erat periturum.*

Contemptus mundi. Vita humana est somnium. — Philo in vitâ viri civilis. pag. 424. — S. Aug. in Psal. 75.

232. Josephus Pharaoni, Regi Ægyptio, somnium explicat de septem bobus pinguibus & septem macris; annis nimirum fertilibus & sterilibus: atque ideò totius Ægypti Prorex constituitur, antea in carcere hominum penè omnium postremus & abjectissimus. Lemma. FORTUNÆ ROTA COELI VOLVITUR AXE. *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit, Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat. Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus & solum gloriæ teneat,* Quidquid enim fortunæ vel secundioris, vel deterioris, indies experimur, id omne è providentissimâ Dei manu proficiscitur. Verissimè S.P. Augustinus. *Dei occulta potẽtia cunctapenetrans incommutabili præsentiâ, facit esse, quidquid aliquo modo est; in quantumcunq;*

1. Reg. 2. 6. — Fortuna omnis à Deo. Providentia Dei. — S. Aug. l. 12 de Civit c. 25

eunque est, quia nisi faciente illo, non tale vel tale esset, sed prorsus esse non posset. De Josepho Joan. Bapt. Masculus.

Tibi cessit in segetem gloriæ
Livor ipse fraternus.
Ipsius invidiæ falce usus es ad messem,
Ut colligeres laudem.
Cessit aristarum culmus in honorum culmen & cumulum,
Ex siccâ cisternâ tibi manavit fons gloriæ.
Mercatoribus, qui ferrent aromata, venditus,
Accepit virtus omen, datura fragrantiam ex pudicitiæ famâ.

233. Josephus, è carcere ad solium evectus, epigraphen sustinet. AD SUMMA PER IMA. Verissimum adeò Servatoris nostri axioma est, *Qui se humiliat, exaltabitur.* Audi sapientiam. *Hæc.* (sapiens humilitas) *venditum ipsum,* (Josephum) *non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditq́; cum illo in foveam* (in cisternam, in quam projectus est à fratribus) *& in vinculis non dereliquit eum,* donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam. Benè dexit S. Ægidius comes S. Francisci. *Licet lapides & saxa de cælo plueril Dominus, non nocebunt nobis, si tales fuerimus, quales nos ille requirit.* Et S. Chrysostomus. *Vide,* inquit, *quomodò captivus* (Joseph) *repente constituitur Rex totius Ægypti: vidisti quantùm sit ferre cum gratiarum actione tentationes? Propterea & Paulus dicebat, Afflictio patientiam operatur, patientia probationem, & probatio spem; spes non pudefacit. Vide igitur: afflictiones patienter tulit, patientia probatum eum facit, probatus factus in magnâ spe agebat, spes non pudefecit.*

Humilitas. Sap. 10, 13. S. Chrysost. Homil. 63.

234. Joseph è summis calamitatibus ad summos honores emergens, epigraphen symboli loco præfert. QUOT ÆRUMNÆ, TOT GAUDIA. Ea enim Justitiæ Divinæ est æquitas, ut præmia & honores ad calamitatis toleratæ dimensum exactissimè largiatur. Rupertus Abbas observat, dignitatum & honorum insignia, in Josephum collata, ignominiis ac calamitatibus, quas antea perpessus fuerat, ex integro respondisse. *Primò enim pro odio fratrum, accepit gratiam Regis & Principum ejus: secundò, pro exilio adeptus est exaltationem; tertio, pro labore manuum in servitio, accepit annulum aureum; quartò, pro pallio, quod illi adultera detraxerat, amictus est stolâ byssinâ. Quintò, pro compedibus cinctus fuit torque aureâ. Sexto, pro eo quod vinctis ministraverat, nunc Princeps constituitur. Septimò, pro carceris humilitate, sedet super currum regium. Octavò, pro eo quod contemptus fuit, nunc ab omnibus honoratur genuflectione. Nonò, pro nomine servi, accipit nomen Regium, vocaturque Salvator mundi. Decimò, pro contemptâ adulterâ & turpi voluptate, accipit uxorem prænobilem. Si ita Deus suorum labores & ærumnas remuneratur in hâc vita, quid faciet in futura?*

Calamitas. Rupert. Abb. l. 8. c. 40.

235. Josephus fratres suos, injuriis omnibus sepultis, humanissimè complectitur. Lemma. PRO INJURIIS BENEFICIA. Enimverò Josephi fratres plagiarii & parricidæ optimum fratrem in extremas conjecerunt angustias. At ille tam truculentum in se facinus beneficiis est ultus. Hæc nobilitatis Christianæ generositas; factum illustre ac gloriosum est, benefacere inimicis. Hanc Josephi virtutem deprædicans Magnus Austinus. *Mirati estis,* inquit, *castitatem Josephi, aspicite nunc benignitatem; pro odio reddit charitatem.* Eodem elogio S. Ambrosius. *Jure ergò mirandus Joseph,* inquit, *qui hoc fecit ante Evangelium, ut læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus injuriam non referret, sed gratiam pro contumeliâ solveret: quod post Evangelium omnes dicimus, & servare non possumus. Discamus ergò & sanctorum invidiam, ut imitemur patientiam, & cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed observatioris; nec vitia nescisse, sed emendâsse.*

Inimicis benefacere. S. Ambros lib. de Jos. c. 1.

236. Josephus, ad Proregis fastigium ex infimâ sorte evectus, non tantùm è pristinâ benevolentiâ nihil dimisit, sed conditionis suæ memor, fratres pastoritios humanissimè accepit. Lemma. NEC MORES MUTANTUR HONORE. Discant hinc Principes in supremo fastigio retinere comitatem. Certè VVillegisus, teste Nauclero, Zieglero, & aliis, patre carpentario natus, ab Othone III. subitò primus inter Electores adoptatus, ne se efferret, sibi crebrò suggerebat: *Vide quis sis; memento quis fueris.* Unde & rotas suo musæo appingi curavit, iisque subscribi; *VVillegise prioris fortunæ memor, quis nunc sis considera.* Hæc rota postmodum insigne Archiepiscopatui Moguntino fuit, atque ab Henrico II. Imperatore confirmatum. S. Augustinus. *In summo honore summa tibi sit humilitas. Honoris laus est humilitatis virtus.*

Dignitas Humilit. S. Aug. ser. 213. de Tem.

BENIAMINUS.

CAPUT LXXXI.

237. Beniaminus furti suspicione ob scyphum sublatum tenetur; cum lemmate. PREMITUR, NON OPPRIMITUR INNOCENTIA. Verissimè S. Augustinus. *Secundùm bona hujus sæculi inveniuntur multi felices nocentes, & inveniuntur multi felices innocentes.* Et Sanctus Chrysostomus. *Gaude de innocentiâ & exulta: gaude, inquam, quia ubiq́; illæsa est, ubique secura. Si tentaris, proficis, si humiliaris, erigeris; si pugnas, vincis; si occideris, coronaris; Tu in servitute libera es, in periculo tuta; in custodia læta, tibi omnis reatus adjicitur, tibi universa militia subjugatur, te potentes honorant, suscipiunt Principes, Magnates exquirunt, & illi nonnunquam te desiderant, qui impugnant. Tibi boni parent, mali invident, zelant æmuli, inimici succumbunt, nec unquam potes non esse victrix, etiamsi inter homines judex justus defuerit.*

Innocentia nunquam opprimitur. S. Aug. ser. 23. ex init. S. Chrys. in Hom.

238. Beniaminus cum cæteris fratribus lauto convivio exceptus à Josepho, portionem quintuplo majorem præ illis accipit. Lemma. MINIMO PARS MAXIMA CEDIT. E SS. Ambrosii & Prosperi sententiâ, Divum Paulum hæc figura spectat, qui è tribu Benjamin oriundus, tametsi tempore omnium Apostolorum postremus fuerit, zelo tamen, sapientiâ, gratiâ, facundiâ, & efficaciâ illos longè præcelluit. Unde hæ ipsius voces. *Abundantius omnibus laboravi.* Et, *Ministri Christi sunt; & ego, (ut minus sapiens dico) plus ego.* Pulchrè in rem præsentem S. Hieronymus. *Subitus calor,* inquit, *longum vincit teporem; Paulus Apostolus de persecutione mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est; quia extremus licet, plus omnibus laboravit. Nam,* ut ait S. Gregorius, *fit plerumq́; gratior Deo, amore ardens post culpam vita, quàm securitate torpens innocentia.*

S. Pauli. 1. Cor. 1. 2. Cor. 11. S. Hieron. Epist. ad ... S. Greg. 3. Pastor. 29.

JOB. Cap. LXXXII.

239. Jobus, permittente Deo, facultatibus omnibus à Sathanâ exutus, malisque gravissimis

simit exercitus, ulcere pessimo in corpore affligitur. Lemma. INTEGRIOR EX VULNERE ET ULCERE. Iis enim ærumnis omnibus constantissimè toleratis, tandem felicitatem duplo majorem, in insignis patientiæ suæ præmium, à Deo est consecutus. *Addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job, duplicia.* Unde S.P. Augustinus. *Cum beatus Job fuerit patientiæ exemplum, quod multi imitarentur, duplicatum sibi meritum paravit, duplicatum diabolo damnum intulit.* Nullus igitur animo cadat, quantumvis gravi calamitatum mole pressus; Deo enim juvante reviviscet, duplo amplioribus bonis cumulandus. Apum exemplo id apposité demonstrat Urbanus IV. Pontifex Maximus. *David,* inquit, *de persecutoribus suis dicit, circumdederunt me sicut apes. Apes enim, etsi inferant punctionis dolorem, amantur tamen, quia mellis dulcedinem administrant: sic & persecutores meos, Domine, amare volo, & punctiones, quas mihi amaris conatibus inferunt, contribulato spiritu tolerare, ut mellita jucunditas subsequatur. Nam per quemdam sapientem audio, Domine, te dicentem, quod usque ad tempus sustinebit patiens, & postea redditio jucunditatis.* Unde Christus ad mortem properans, *Modicum,* inquit, *& non jam videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Vos igitur nunc tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Quare sapienter Tertullianus. *Idoneus,* inquit, *patientiæ sequester Deus, si injuriam deposueris penes eum, ultor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est. si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem?*

[...]atientia [...]tat.

[...]b.42.10

Aug. in [...]. ex utroque [...]t. q. 118.

[...]ban. IV. in [...]al. 50. in [...]. Biblioth. [...]. Patrum

[...].16. n 17 [...]22.

[...]rtull. lib. de [...]tient.

240. Jobus post eversas fortunas omnes, radebat saniem testâ, sedens in fimeto. Lemma. ANIMUS IN CORPORE AFFLICTO INTEGER. Unde inter tot calamitatum acervos constantissimæ illius voces erant. *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Nihil enim tormenta omnia adversus hominem possunt, si anima illæsa ac constans persistat; unde Deus adversus Sathanam diserte cavebat, veruntamen animam illius serva. Sapienter S. Flavianus Martyr, *Corpus,* inquit, *tormenta non sentit, cum animus in cælo est, & Deo se totâ mente devovit.* Et S. Ambrosius. *Perfecti viri est, non succumbere iis, quæ plerisque terribilia & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem, gravissimorũ casuum sustinere incursus, conflictus subire, & quasi providum gubernatorem, navem in tempestate regere, atque occurrendo insurgẽtibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcando undas, quàm declinando. Non iste in persecutione pavidus, non in tormentis mollior, sed quasi athleta fortis, qui repercutiat verberantem, si non cædis, certè sermonis flagello, dicens, sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum. Qui cum gravissimo licèt dolore luctetur, non miserabilem se præbeat, sed ostendat tanquam in laternâ lumẽ, & inter asperas procellas, & gravissimos flatus, suam lucere, nec extingui posse virtutem animi.* Sic olim suis in cruciatibus S. Vincentius tyrannum repercutiebat, *Videbis,* inquiens, *me plus posse dum torqueor, quàm ipse, dum torques.*

[...]alamita[...]s. [...]1.21. [...]onstan[...] inter [...]versa. [...]Ambr. l. 1 [...]Iacob. c. 8.

241. Jobus in fimetum abjectus, epigraphen tenet. HINC BEATIOR. Disertè in rem nostram Orator aureus. *Fimus Jobi,* inquit, *omni tribunali regio venerabilior, ex throni regii aspectu nullum spectantibus lucrum erit, sed temporalis duntaxat delectatio, nullam habens utilitatem. Ex fimo enim Job viso omnem quis capit voluptatem, utilitatem & disciplinam multam, & exhortationem ad patientiæ rationem. Nam multi longam & transmarinam navigationem à terræ finibus abeunt in Arabiam, ut fimum illum cernant, & conspicati terram deosculentur, quæ illius victoris certamina & cruorem omni auro pretiosiorem suscepit. Neque tantùm radiaret prætextâ, quantùm illud corpus tunc splendebat, non alieno, sed proprio lotum sanguine. Ulcera illa gemmis cariora &c.* Et brevi ex intervallo. *Neque tam splenditus in solio Rex sedens, quam insignis & illustris erat ille in fimo &c.* Optimè Magnus Augustinus. *Gloria æterna est brevi tempore patientium, & sine fine regnantium.*

[...]tientia. [...]Chrysost. [...]m. 5. ad [...].

S. Augustin. in Psalm. 118 Conc. 23.

242. Jobus, ulceribus plenus, in fimeto residet, & cum ærumnis penè omnibus luctatur; unde lemma. UT SUPERIS SIM SPECTACULO. D. Chrysostomus censet, Deum ideò voluisse Jobi animam è Sathanâ illæsam servari; quod jucundissimum Deo spectaculum præbeatur ab homine, dum cum calamitatibus, morbis, paupertate, doloribus, cruciatibus, luctatur, & se victorem atque superiorem singulari virtute præbet. *Observa, inquit* (Chrysostomi verba sunt, Dei ore loquentis) *ne quid in vitæ ratione patiatur, etenim si de medio eum sustuleris, theatrum nobis non plaudet amplius.* Id Antonio, athletæ fortissimo, conquerenti, quod solus in periculosissimo certamine relictus esset, *Ubi,* inquit, *eras Domine*; respondit spectator antagonistarum omnium Deus, *Hic aderam spectator tui certaminis, atque tuæ virtutis coronator.* Campianus, nobilis Angliæ Martyr, & Athleta Christi fortissimus, jam martyrio afficiendus, hoc ultimum concionis suæ thema in ferali theatro proclamavit. *Spectaculum facti sumus Deo & Angelis & hominibus.* E Tulli sententia, *nullum theatrum virtute & conscientiâ* (præsertim martyrio apud Christianos, *præstantius est.* De Jobo Joannes Baptista Masculus.

Patiens jucundum Deo spectaculum.

S. Chrysost. apud Pined. in Iob cap. 2 v. 6. n. 9.

1. Cor. 4 Cicero 4. 2. Tuscul.

> *Nunquam visus cælo dignior, quàm in cæno,*
> *Vertit stabulum in lycæum.*
> *De auri glebæ egit in luto, de sapphiris in fimo,*
> *Nunquã ornatior, quàm cùm squallore horridus*
> *Per spiramẽta tot ulcerũ majores hausit spiritus.*
> *Historiam de se ipse scripsit.*
> *Digna res calamo, calamitati non cedere.*

243. Christi prototypon Jobus, gravissimos diaboli assultus tantâ magnanimitate sustinet, ut omnem adversarii vim infringat hilari ac longanimi patientiâ. Lemma è Lucano desumptum. GAUDET PATIENTIA DURIS. Verissimè dixit Publius Mimus. *Cujusvis doloris remedium est patientia.* Xenophon maledicenti sibi cuidam, *Tu,* inquit, *maledicere didicisti, ego conscientiâ teste didici maledicta contemnere.* Pulchrè Ovidius.

Lucan. l. 9. Patientia.

Ovid. l. de Amor.

> *Perfer, & obdura, dolor hic tibi proderit olim.*

Et Horatius.

Horat. Ode 24. l. 1

> *Durum, sed levius fit patientiâ,*
> *Quidquid corrigere est nefas.*

S. Joannes Chrysostomus illa Apostoli verba interpretatus, *Excipientes verbum in tribulatione multâ cum gaudio Spiritus sancti,* ait, *Hoc verò eorum est, qui jam humanam naturam transcenderunt, corpusque habent quasi nullis passionibus obnoxium. Sic & Christus, quamvis multas passiones pertulerit, gavisus tamen est. Ad hoc enim sponte suâ venit, & nostri gratiâ seipsum exinanivit, conspuendus, alapis percutiendus, & crucifigendus. Afflictio in corporalibus, gaudium in spiritualibus.* Certè perfectionis Christianæ apex in hoc potissimum sistit, ut injurias quasvis hilariter ac patienter perferas; uti in Constitutionum suarum summario docet S. Ignatius, societatis laudatissimæ Parens; causamque addit, quod per hæc similes fiamus Christo,

Thessal. 1. 6. S. Chrysost. in hunc loc.

Christo, ejusque quasi vestibus & insignibus nos vestiamus, ejus amore & reverentiâ. Id quod ipsemet exemplo magis, quàm verbo docuit; nam, cum ejus vita fuerit continua quasi persecutio, lætus tamen & exultans rogantibus, *quænam esset via ad perfectionem?* respondit, *si multa & magna pro Christo patiamini.* Uti in ipsius vitâ refert P. Ribadeneria.

Ribad. l. 1. c. 24. Vitæ.

244. Jobus, post superatos gravissimos Dæmonis assultus, tandem à propriâ uxore infestatur, & ad Deum maledicendum impellitur, Lemma. NIHIL MODERABILE SUADET. Verbis ex Ovidio mutuatis. Ita nempè vaferrimus dæmon fallaces mulieris preces adversus Jobum æque feliciter sibi cessuras credebat, atque olim in paradyso adversus Adamum. Ut adeò inter diaboli & mulieris insidias nihil omninò intersit. Nam, ut Apollonius dicit, *Hæc mulier* (Jobi uxor) *affinitate attingit Diabolum,* sic, ut non multùm referat, an diabolus in serpente, an verò in muliere tibi loquatur. S. Gregorius Theologus mulierem hanc vocat, *plenum doli instrumentum, & fraudulentâ oratione virum aggredientem.* S. Chrysostomus, *furore dæmonis concitatam* dicit, *certissimum telum, machinam adamantino muro adhibitam.* S. Gregorius Papa, *scalam fuisse* dicit, *quam dæmon turri fortissimæ admoverit, & per quam surrepere nisus fuerit, ut sic mors per fenestras intraret; id est, per auditum & consensum præstitum malesuadæ uxori.* Olympiodorus *spiritu diabolico imbutam,* Basilius & Didymus *mulierculam mente circumventam* vocant. Cæterùm mulieris illius nomine concupiscentiam nostram intellige, de quâ providè monet Siracides. *Post concupiscentias tuas non eas.* S. Bernardus, loquens de filio prodigo, qui bona sua cum meretricibus dissipavit, *Quænam,* ait, *hæ meretrices? Carnales utique concupiscentiæ, de quibus Scriptura saluberrimè te admonet, post concupiscentias tuas non eas.* Et S. P. Augustinus, *Noli,* inquit, *post eas ire, nolunt post te ire? noli post eas ire: si velint post te ire, non erunt; quia contra mentem tuam non rebellabunt. Rebellant? rebella. Pugnant? pugna. expugnant? expugna, hoc solùm vide ne vincant.* De Jobo rursus Joannes Baptista Masculus.

Ovid. 1 Amor.
Mulieris insidiæ.
S. Gregorius Theol. in Catena.
S. Chrysost. Homil. 1. in Iob.
S. Greg. l. 3. in Iob. c. 6
Concupiscentia.
Eccles. 18 30
S. Bern. serm. 44. in Cant.
S. Augustin. serm. 45. de Temp.

Conjux ipsum conata est pervertere,
Ut quondam prima mortalium mater virum:
Tametsi illa egit blanditiis, hæc convitiis.
Illa pomis certavit, hæc probris.
Sed illa infregit virum, quæ mollior,
Non quæ durior.

MOSES.

Cap. LXXXIII.

245. Moses infans, ob Pharaonis tyrannidem in Nilum flumen projectus, in fiscellâ vimineâ enatat; cum lemmate. AUXILIANTE DEO. Verissimè nonnemo dixit, *quem Deus vehit, scirpeâ navigat rate.* Et Religiosissimus meus Thomas Kempensis. *Satis suaviter equitat, quem gratia Dei portat.* Succollante enim Divinâ gratiâ, è calamitatibus ac periculis omnibus citra negotium emergimus. Dilucidè Apostolus. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis contra nos?* ait in hunc locum S. Chrysostomus, *terrarum orbis contra nos, tyranni & populi, & cognati, & cives &c, Verùm hi etsi contra nos stent; tantùm abest ut nobis incommodent, ut vel nolentes coronarum nobis auctores existant. Ipsâ Dei sapientiâ illorum insidias in nostram salutem & gloriam convertente.*

Auxilium Dei.
Calamitates prosunt.
De Imit. l. 2 cap 9
Rom. 8. 31.
S. Chrysost. in hunc loc.

246. Deus Mosi in rubo ardente, nec tamen combusto, apparet; cum lemmate. INTER VIRET ASPERA VIRTUS. Calamitates enim hominem justum nec minimùm urere aut offendere, sed contra potius illustrare ac roborare solent. In rem præsentem scribit Philo, rubum per Dei potentiam factum esse in medio ignis incorruptibilem, perinde ac si flammâ desuper manante fonte rigaretur, viridiorem visum. *Hæc est enim,* inquit Chrysostomus, *omnipotentiæ Dei vis, ut per contraria operetur contraria, scilicet calorem per aquam, frigus per ignem. Itaq; Deo, quando ipse vult, torrens flamma torrentis est instar, & aqua refrigerans vicem habet incendii.* Sic & S. Gregorius Nyssenus, *Cùm,* inquit, *medio die alia præstantior, quàm solaris lux circa oculos effulsisset, vidit arbustum ardens, cujus tamen rami continuâ quasi irrigatione virescebant. Ita viret, viget, & splendet adversis agitata virtus.*

Calamitates.
Philo in vi Mosis.
S. Chrysost.
S. Georg. N

247. Moses Soceri sui gregibus, in deserto pascendis, dat operam. Lemma. NULLIBI TUTIUS. Hinc disces, nullum locum pascendis animæ nostræ necessitatibus aptiorem esse solitudine. S. Hieronymus. *Sicubi,* inquit, *concava vallium, aspera montium, prærupta rupium cernebam, ibi meæ orationis locus: & ut ipse mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensque cantabam. Post te in odorem unguentorum tuorum curremus. Qui ergò Deo & Angelis frui cupit,* dicat in cellâ suâ, *Elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Rursus S. Hieronymus. *O desertum,* inquit, *floribus Christi vernans! ô solitudo, in quâ nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas Regis magni extruitur! O eremus, familiarius Deo gaudens!* Carolus Imperator dicere solebat; *se resignato imperio plus voluptatis in suâ monasticâ solitudine percepisse uno die, quàm ex omnibus suis victoriis & triumphis,* quibus præ cæteris felix fuit.

Solitudo
S. Hieronymi in Eremo.
S. Hierony Epist. ad Heliodor.

248. Moses opportunum hoc è rubo ardente lemma monstrat. PUNGIT, ET ARDE[T]. Volebat quippe providentissimus Deus Mosi, futuro olim populi rectori, ex illâ rubi figurâ significare, quòd charitati debeat conjunctas habere spinas justitiæ & severitatis ad puniendos & castigandos errantes, maximè inobedientes & rebelles. Disertè id Prælatis & animarum curatoribus inculcat Apostolus. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè; argue, obsecra, increpa in omni patientiâ & doctrinâ.* In hunc locum S. Cæsarius Episcopus Arelatensis, *Quid est,* inquit, *opportunè, importunè; nisi opportunè volentibus, importunè nolentibus? Volentibus audire verbum Dei, offerendum est, fastidientibus ingerendũ; ne fortè contra nos ante tribunal Christi stantes dicant se à nobis admonitos non fuisse, & animarum illorum sanguis de manibus nostris requiratur.*

Prælatus
Parochi
2. Tim. 4.
S. Cæsariu hom. 26.

249. Hostes Amalecitas profligat Moses, preces cœlo fundens elevatis manibus. Lemma. UNUS PRO OMNIBUS. Hæ nimirum orationis vires sunt, ut totus Israelis populus adversus Amalecitas interiisset, nisi victoriam ab unius Mosis precibus consecutus esset. Unde, cùm levaret manus Moyses, vincebat Israel; sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec. *Stabat,* Chrysostomo asserente, *Moses in monte proximus, jam cælo, jam vicinus sideribus. Et quantò eum sublimitas montis extulerat, tantò oratio Deo proximum exhibebat. Oratio in ultionem inimici dirigitur, cujus scelera jam interitũ pro*voca-

Oratio.
S. Chryso hom. de Mose.

vocabant &c. Quis enim justorũ non orando pugnavit? quis hostem non orando devicit? Orationibus Danieli visa panduntur, sopiuntur flammæ, feræ hebescunt, cadunt hostes, inimici vincuntur. Licet colloqui cum Deo orando, licet cum eo fabulari cum velis, licet precibus mercari quod optas; Et quamvis vocem ejus audire non possis, tamen dum id, quod petis, accipis, colloqui tecum, etsi non verbis, tamen beneficiis dignatur.

Inimicus. Oratio. Augustin Psal. 71 item in Psal. 55.

250. Eidem Emblemati subscribas. HOSTES ORANDO TRUCIDAT. S.P. Aug. eruditâ & subtili methodo preces, adversus inimicos fundendas, docet. *Aliquando*, inquit, *oramus, quod non debemus. Non orent homines, ut moriantur inimici, sed hoc orent, ut corrigantur, & mortui erunt inimici.* Et alibi. *Attendamus*, inquit, *duos hostes, quem videmus, & quem non videmus. Hominem videmus, diabolum non videmus. Hominem diligamus, diabolum caveamus. Pro homine oremus, contra diabolum oremus.*

251. Promulgatur Decalogus in monte Sina inter tonitrua, fulgura, & horrendos motus; nemine auso ad montem propius accedere, præter Mosen. Lemma. METUS EST REVERENTIA LEGUM. Plraque enim hominum pars extra legis limites abiret, nisi timoris freno cohiberetur. Unde ad Deum conversus S.P. Augustinus, *sic voluisti*, inquit, *hominibus præcepta dare, ut non essent sine timore; ne amarent aliquid aliud, & obliviscerentur te verbũ bonum verũ suum.* Et alibi *Cum minatur pœna*, inquit, *quam minatur Deus, discitur amari præmium quod pollicetur: ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur; per bonã vitã bona conscientia comparatur, ut per bonam consciẽtiam nulla pœna timeatur: quapropter discat timere, qui non vult timere; discat ad tempus esse solicitus, qui semper vult esse securus.* In hanc rem Plutarchus testatur, apud Lacædemonios Timori, veluti Deo templum erectum esse, quòd arbitrarentur, leges ac Rempublicam cumprimis timore conservari.

Timor. Leges. Aug. in Psal. 9. 3. Sermo. 114 de Temp. c. 1.

252. Moses, radiosâ & cornutâ facie, epigraphen refert, è Sacra Paginâ mutuam. EX CONSORTIO SERMONIS DOMINI. Verba illius sunt. *Cumque descenderet Moyses de Monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Hinc disces, eos, qui Deo in sanctis orationibus sæpè colloquuntur, tandem Divinis radiis ita afflari, ut non tantùm in animâ, facie, & corpore splendidi, sed & cornuti, id est, constantes, fortes, robusti, invicti ad toleranda omnia dura, recedant. S. Antonii, in oratione pernoctantis facies, assiduò splendebat, ita, ut ex solâ vultus luce inter tot Monachorum millia agnosceretur Antonius. S. Franciscus ardenti oratione sublatus in aëra, radiabat & fervebat, ita ut ex se flammas & ignes vibrare videretur. S. Ignatius à S. Philippo Nerio sæpè visus est vultu supra humanum augusto & splendido. Augusta B. Virginis facies, ex assiduâ conversatione cum Deo, ita radiabat, ut Dea quædam videretur, teste S. Dionysio. S. Augustinus. *Ipsa orationis intentio*, inquit, *cor nostrum serenat & purgat, capaciusque efficit ad excipienda Divina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur.* De Mose Joannes Baptista Masculus.

Exod. 34. 29. Oratio. Augustin. Serm. Dom in Monte l. 2 c. 3

Versatus cum Deo es nubem inter & fumum,
At de nube serenam retulisti frontem,
Ex fumo dedisti lucem.
Lunæ cornua prætulisti fronte,
Scilicet cùm sæcula versabantur in nocte.
Tunc maximè visus es Divini juris custos integer,
Cùm in lapide scripta jura, sed violata fregisti.

ISRAELITICUS POPULUS.
CAPUT LXXXIV.

253. Durissima erat populi Israelitici servitus in luto & lateribus, increpante flagello. Unde lemma. DABIT DEUS HIS QUOQUE FINEM. Unde suavissimæ optimi Numinis voces. *Sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terrâ illâ in terram bonam & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle.* De quovis dolore optimè philosophatus Seneca. *Nemo*, inquit, *potest valde dolere & diu: sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem aut levem faceret, nam summi doloris intentio invenit finem.* Notum illud Poetæ.

Exod. 3. 8. Calamitas omnis finitur.

Si longus, levis est, si gravis, ille brevis.

Ex hoc Israelis populo, ceu proprio electorum typo, id solatii referes, quòd cunctæ hujus mundi calamitates, olim sint finiendæ, & in amplissimam æternæ gloriæ quietem convertendæ. Disertè Apostolus. *Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* S.P. Augustinus. *Opus cum fine*, inquit, *merces sine fine. Nam & operarius deficeret in via, nisi attenderet, quod accepturus esset. Cùm enim attenderis, quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris, nec digna æstimabis, pro quibus illud accipias.* Et alibi. *Brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua, ad modicum doles, sine fine gaudebis.*

2. Cor. 4. 17. S. Aug. serm. 14. de sanctis. Idem in Psal. 36 Conc. 2

254. Eidem symbolo subscribes, NON MITIUS EST MUNDI JUGUM. Tanta enim est mundi fallacia, ut ipsos etiam amatores suos assiduis laboribus & ærumnis exerceat. *Mundum non amemus*, inquit Magnus Augustinus, *premit amantes suos, non eos ad bonum adducit.* Et alibi gravem mundi sarcinam cũ levi ac suavi Christi jugo comparans, ait, *alia mundi sarcina premit & aggravat te; Christi autem sar ina sublevat te: alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet: nam & avi, si pennas detrahas, quasi onus tollis, & quo magis onus tollis, eò magis in terra remanebit. Redeat onus & volat. Talis est Christi sarcina.*

Mundus fallax. S. Augustin de Verb Dom serm. 21. c. 4 Idem in Psal. 59

255. Israelis populus agnum paschalem comedere jubetur præcinctus, calceatus, & baculos manu tenens, idque festinanter. Lemma. HOC MORE COMESSE LICEBIT, E S. Gregorii sententiâ, qui vult phase Christianum, Sanctissimam Eucharistiam comedere, accingat renes, id est, voluptates edomet, carnem à luxuriâ restringat, calceos habeat in pedibus, id est, Sanctorum mortuorum vitam & exempla conspiciat, ut sua vestigia à peccati vulnere custodiat; baculum teneat in manu, id est pastoralem curam gerat eorum, qui sibi commissi sunt: denique comedat festinanter, id est, ad solemnitatam patriæ cælestis anhelet. Audi quoque B. Algerum. *Lex dedit incalceamentis cautelam, ne à vitiis fallamur: in baculo disciplinam, quâ perpetrata corrigamus, in lactucis compunctionem, in festinatione desiderii ardorem, quo ad cælestia suspiremus; in accinctis renibus continentiam & castitatem, quia Christo, Agno immaculato, & Virginis Filio crucifixo, ejusq; unitioni nihil ita adversatur, ut voluptas & fornicariæ societatis unitas.*

S. Greg hom. 22. in Evang. Eucharistia. B. Alger l. 1. de Sacram. c. 22.

256. Israelis populus agnum paschalem festinanter, & peregrinantium more accinctus, comedere jubetur. Lemma. MEMENTO TE PEREGRINUM. Justorũ hic typus est, qui mundũ peregrinorum more incolunt, illudq; Naz. assiduò versant. *Nobis omnis terra & nulla terra patria est.* Nam, ut ait Hugo Victorinus:

S. Greg. Naz. Orat. 18. Hugo Vict. l. 3.

rinus:

Didasc. c. 20. rinus; *Magnum virtutis principium est, ut discat paulatim exercitatus animus visibilia & trāsitoria hæc primùm cōmutare, ut possit etiam postmodum derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est, fortis autem, cui omne solū patria est; perfectus verò cui totus mundus exilium est. Ille mundo amorē fixit, iste sparsit, hic extinxit.* Socrates interrogatus, *cujas es?* respondit, *Mundanus, quia totius mundi civis sum & incola.* Talem se esse gloriatur Seneca, *Magno*, ait, *animo nos non unius urbis mænibus clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus, patriamq; nobis mundum professi sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare.* Unde S. Basilius Præfecto Valentis Imperatoris, exilium minitanti, respondit, *exilium se non cognoscere, qui nullo circū scriptus esset*; uti testatur S. Nazianzenus. Alexander Magnus milites suos hâc doctrinâ instruxit, *ut mundum pro patriâ, castra pro arce, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis agnosceret*; ut de ipso refert Plutarchus. Quid jam faciat Christianus? Audi S. Augustinum. *Omnis qui ad supernam pertinet Civitatem, peregrinus est mundi: & dum temporali utitur vitâ in patriâ vivit alienâ, ubi inter multa illecebrosa & multa fallacia Deum nôsse & amare paucorum est.* S. Cyprianus, cùm Proconsul ob fidem Christi minaretur ei exilium, dixit, *Exul non erit, qui Deum in mēte habebit, quia Domini est terra & plenitudo ejus,*

Patria. Peregrinatio est vita nostra. *Seneca l. de tranquill. c. 3* *Nazianz. in Orat. 20.* *S. Augustin. in sententiis sent. 17.*

257. Angelus percussor Israelitarum domos, sanguine agni signatas, innoxius transit; cum lemmate. E SANGUINE SALUS. Pretiosus Servatoris nostri sanguis hoc schemate significatur, qui orbem universum, ab interitu vindicavit. In rem præsentem Lactantius Firmianus, *Hebræi soli*, inquit, *signo sanguinis tuti fuerunt; non quia cruor pecudis tantam in se vim gerebat, ut hominibus saluti esset; sed imago fuerat rerum futurarum. Nam agnus candidus sine maculâ, Christus fuit, innocens, justus, & sanctus; qui ab iisdem Judæis immolatus, saluti est omnibus, qui signum sanguinis, id est Crucis, quâ sanguinem fudit, in suâ fronte conscripserunt.* Et S. P. Augustinus, *Ille unus quærendus est, qui & redemit, & liberos fecit, & sanguinem suum, ut eos emeret, dedit, & servos suos fratres fecit.*

Sanguis Christi. *Lact. Firm. de verâ sap. l. 4. c. 26.* *S. Aug. in Psal. 34 Conc. 1.*

258. Israelis populus mare rubrum sicco & incolumi pede transit; Ægyptiis horrendùm submersis. Lēma mari inditum. NON OMNIBUS SERVIO. Sacras Baptismi aquas hoc Emblemate repræsentabis, è quibus electi omnes ad æternam salutem emergunt reprobis contrà miserrimè pereuntibus. S. Aug. *Hæreticis*, inquit, *baptismū non mutamus, quia habent baptismum. Quomodò desertor habet characterem; ita & isti habent baptismū: habent, sed unde damnentur, non unde coronentur.* Porrò Ægyptiorum nomine peccata nostra intelligere licet, quæ in baptismatis aut pœnitentiæ Oceano æternum sepeliamus. Pulchrè id docet S. Gregorius Nyssenus. *Ægyptiorum enim equites*, inquit, *pedites & currus sunt animi passiones, quibus servitute homo subjicitur. Quid enim ab illo Ægyptiorum exercitu ira effusa, voluptas effrænata, dolor immoderatus, avaritiæ fæditas differt? nonne quasi hasta tremens iræ impetus est? nonne quasi effrænati equi huc & illuc currum trahentes nimiæ voluptates animum vexant?* Deinde docet hæc omnia baptismo debere mergi. Et S. Augustinus. *Liberatur populus ab Ægyptiis per Moysen, liberatur populus à præteritâ vitâ peccatorum per Dominum nostrum Jesum Christum. Trāsiit populus ille per mare rubrum, iste per baptismum. Moriuntur in mari rubro omnes inimici populi illius, moriuntur in baptismo omnia peccata nostra.*

Baptismus *S. Augustin. l. 1. de symb. c. 8.* Pœnitentia *S. Georgorius Nyssin vita Mosis.* *S. Aug. in Psal. 72.*

259. Israelis populus, ex Ægypto prodigiosè eductus, retrò, unde abierat respicit, spreto mannâ, optat pristinos Ægypti cucumeres, pepones, porros, cepas, allia, & ollas carnium canopi plenas. Lemma. SIC ESURIISSE NOCEBIT. Idipsum hodie etiamnum æterno damno suo assolet carnale hominum vulgus, qui terrenis voluptatibus dediti, cœlestia omnia fastidiunt. Opportunè S. Gregorius Papa, *Quid*, inquit, *signatur per ollas carnium, nisi carnalia vitæ opera in tribulationum doloribus, quasi ignibus excoquenda? quid per pepones? nisi terrenæ dulcedines? quid per porros & cepas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt, lachrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ à dilectoribus suis & non sine luctu agitur, & tamen cum lachrymis amatur? manna igitur deserentes, cum peponibus ac carnibus porros cepasque quæsierunt, quia videlicet perversæ mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus laboriosæ hujus vitæ itinera etiam lachrymis plena concupiscunt, contemnunt habere, ubi spiritaliter concupiscant & gaudeant; desideranter appetunt, ubi & carnaliter gemant.* Seriò Romanos suos hortatus Apostolus, *carnis curam*, inquit, *ne feceritis in desideriis. Quia*, ut ait Philosophus, *nimia carnis & corporis cura, magna animi & virtutis est incuria.*

Voluptates carnales. *S. Greg. l. 20. mor. c. 16.* *Rom. 13.*

260. Eidem symbolo subscribes. RETRO VEL COGITASSE, NOCET. Magni semper populo Israelitico stetit, quoties ad veteres Ægypti ollas desideria sua reflectebat; uti in Pentateucho refert Moses. *Adhuc enim carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis.* Graviter in hanc rem Apostolorum princeps, *Melius illis erat non cognoscere viā justitiæ, quàm post agnitionē retrorsum converti.* Et ad Eustochium Hier. *Audi filia*, inquit, *& vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex speciem tuam. Non sufficit tibi exire de terrâ tuâ, nisi obliviscaris populi tui, & domus patris tui, ut carne contemptâ, sponsi jungaris amplexibus. Ne respexeris retrò, ne steteris in omni circà regione: sed in mōte salvum te fac, ne fortè comprehendaris. Non expedit apprehenso aratro reverti domum, respicere post tergum, nec de aratro reverti domū, nec post Christi tunicam ad tollendum aliud vestimentum tecto descendere.*

Revel. Relig. *Num. 11* *2. Pet. 2.* *S. Hieron. ad Eustoch.*

261. Israelis populus erigit vitulum aureum, & circa eum bibens edensque, choreas ducit. Lemma. CUIQUE SUA LIBIDO DEUM FINGIT. S. Ambrosius, *Ubi cæperit*, inquit, *quis luxuriare, incipit deviare à fidè verâ, ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, & mentis sacrilegia &c. qui se ingurgitaverit atq; immerserit ejusmodi voluptatibus, perfidiæ laqueos incurrit. Sedit enim populus manducare & bibere, & fieri sibi Deos poposcit.* Atque adeò libido proxima ad hæresin, & apostasiam via est. Disertè Siracides, *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes* à sua prudentia, dignitate, officio, virtute, & tandem à religione, fide ac Deo, uti interpretatur P. Cornelius à Lapide.

Libid. *S. Ambros. Epist. ad Sabinu.* *Eccles. 9.*

262. Judæi, cum Solymæa mœnia, Nehemiâ authore, reædificarent; unâ manu tenebant gladium, & altera trullam cæmentariam. Lemma. IN UTRUMQUE PARATI. Ita prorsus, dum orationi, operi charitatis, prædicationi, aliisque piis virtutum actibus pro construendâ meritorum fabricâ insistimus, unâ manu teneamus gladium mortificationis, quo carnis tentationes, & diaboli, undique suggestiones à nobis repellamus: & alterâ orationis instrumentum, perfectioni acquirendæ unicè necessarium. Id quod in rem præsentem opportunè monet Apostolus. *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multâ patientiâ, in charitate nō fictâ, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & à sinistris.* Et Rursus. *Induite armaturam Dei,*

Mortificatio. Orat. *2. Cor. 6.* *Ephes. 6.*

ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare, S. P. Augustinus. *Nos*, inquit, *in cœlestibus constituti, id est, in spiritualibus Dei præceptis ambulantes, dimicemus adversus spiritualia nequitiæ, quæ nos inde conantur abstrahere.* Et S. Basilius. *Attende, tibi ipsi*, inquit, *Miles es? collabora Evangelio, milita bonam militiam contra spiritus nequitiæ, adversum vitiosas carnis affectiones induitor omnem armaturam Dei, ut probes te ei, sisque gratiosus duci tuo, qui huic te militiæ adlegit; provide, ut nullis hujus vitæ impliceris negotiis & perplexis curis. Athleta es? attende tibi ipsi, ne quam ex legibus athletico agoni præscriptis inveniare transgressus: nam nemo coronatur, nisi qui legitimè certaverit. Imitare Paulum, & cursu contendentem, & in palæstra colluctantem, & in agone pugilari decertantem. Præmuni ac tuere passis manibus partes, quarum plaga lethalis sit, &c.*

[Margin: Aug. de ... Chri-... c. 3. — S. Basil. in ... 7. 15.]

PHARAO.

Caput LXXXV.

263. Decem fuêre Ægypti plagæ, à Deo immissæ. 1. mutatio Nili in sanguinem; 2. Ranæ omnia infestantes. 3. Culices & cyniphes. 4. Muscæ. 5. Pestis. 6. Ulcera. 7. Grando. 8. Locustæ. 9. Tenebræ. 10. cædes primogenitorum. Nec tamen obstinatum Pharaonis pectus à multiplici ac gravissimâ hâc cæde emolliri potuit. Lemma. PLAGIS NON EMENDATUR. Indurati cordis genium exactè delineans S Bernardus, *Cor durum*, inquit, *est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis duratur magis, Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad Divina; præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futurorum improvidum; Ipsum enim est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omninò non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla est, nisi fortè ad ulciscendum, prospectio: & ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar; Cor durum est, quod nec Deum timet, nec homines reveretur.* Unde hominibus obstinatis, ob inveteratam peccandi consuetudinem, penè impossibile est, ut ad virtutis viam revertant. Hieremiæ oraculum est. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas; vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Expertus id Augustinus. *Suspirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde funes mihi fecerat. Ex perversa enim voluntate facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibusdam annulis sibimet annexis tenebat me strictè dura servitus.*

[Margin: ...urities ...undi. — S. Bern. l. 1. Consid. Eugen. — ...onsue...do pec...ndi. — ...er. 13. — Aug lib. 6. ...nfess.]

MARIA SOROR MOSIS.

CAPUT LXXXVI.

264. Maria, soror Mosis, murmurando lepram contrahit, postea fratris precibus persanatam. Lemma. IN LINGVA MALUM, ET REMEDIUM. Enimverò sicuti è linguâ prudente & benè moratâ salutem, ita è malâ & imprudente perniciem nobis conciliamus. Hæc penè ipsa verba præit Siracides, *Mors & vita in manu linguæ.* S. Chrysostomus. *Media*, inquit, *utriusque partis lingua est, & si utriusque est, tu Dominus es. Nam & gladius in medio positus, siquidem fuerit adversus hostes arreptus, salutaris arripienti reperitur: si verò tenentis visceribus inseratur, mortem præparat inferenti: non quia talis ferri natura, sed quia utentis tale consilium est, Ita & lingua æstimetur gladius in medio positus. Armetur adversus peccata tua, non ad fratris plagam præparetur. Et hanc linguæ qualitatem Dominus exponens, ait; Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Quia si fons iste sermonum puram aquam sanctorum verborum scaturiverit, ad loquentis justificationem confert; si verò ex illo aqua fœtida pravorum verborum erupérit, ad ejusdem damnationem conducet.* Laërtius author est, Anacharsin interrogatum, quid in homine esset optimum & pessimum; respondisse, linguam: hâc enim si benè utaris, vitam; si malè, mortem tibi aliisque accerses.

[Margin: ...inguæ ...tia & ...rtus, — Prov. 18. 21. — Chrysost. Hom. 4. ad ...ptizandos. — Laert. l. 1. c. 9]

JOSUE & CALEB.

Cap. LXXXVII.

265. Nemo ex Israëlitarum numero in terram promissionis admittitur præter unicum Josue & Caleb. Lemma è D. Matthæo desumptum. MULTI VOCATI, PAUCI ELECTI. Ex hoc electorum typo sapienter monet Cassianus. *Vive cum paucis, ut inter paucos inveniri, salvarique merearis.* Clara & horrenda sunt illa Christi verba. *Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem & multi ingrediuntur per eam. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam:* Et iterùm. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* S. Gregorius. *Ad fidem*, inquit, *plures veniunt, sed ad cœlestia regna pauci reducuntur.* Alphonsus Mendoza ad quæstionem illam, *An numerus prædestinatorum superet reproborum?* eruditè respondet, adi aulas, tribunalia, officinas, nundinas, militiam, fora, naves, currus &c. & ibi puerorum, adolescentum, virorum, senumque corruptissimos mores intuere, perjuria, invidias, detractiones, fraudes, convitia, rixas, obscœnitates &c. Profectò mecum senties, dicesque, Nemo, aut unus alterve horum est, qui salutis suæ memor ad Deum aliquando revertatur, juxtà illud Psalmi. *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* In rem præsentem relegere juvat ea, quæ suprà n. 193. de Noë diximus.

[Margin: Prædestinatorum paucitas. — Matth. 22. v. 14 — Matth. 7. 13. — S. Gregor. Hom. 19. in Evang. — Mendoza. 4. 1. positiva. — Psal. 13. 4.]

266. Josue urbem Jericho evertit, mœnibus ex solo tubarum sono corruentibus. Lemma. SOLO CADUNT SONITU. Sic sola Christi vox armatam dejecit cohortem in monte Oliveti, & Paulum in campo Damasci: vox S. Petri prostravit Ananiam & Sapphiram; & Britannos hæreticos solum *alleluja*, S. Germani jussu cantatum, uti testatur Beda. De Roberto Franciæ Rege refert Lipsius, quod cum Sacerdotibus psallens, urbis Avellonis, quam obsidebat, muros everterit, suisque in eam patefecerit aditum. Porrò urbis Hierichuntis nomine mundum intelligere licet, qui olim tubis, in extremo die personantibus, corruet, omnemque gloriam suam amittet. Jericho enim, id est Luna, genuinum mutabilis mundi typum refert, uti his omninò verbis tradit Origenes. *Jericho*, inquit, *id est, mundus hic casurus est. Consummatio etenim sæculi jam dudum sanctis voluminibus olim promulgata est. Quomodo ergò ei consummatio dabitur? quibus organis? vocibus tubarum, quarum tubarum? Paulus tibi secreti hujus dat arcanum. audi ipse, quid dicat. Canet, inquit, tuba, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent, &c. Tunc ergò Dominus noster cum tubis vincet Jericho.*

[Margin: Christus in oliveto. — Beda l. 1. Histor c. 20. — Lips. in Exemp polit. c. 2. — Judicium extremû. — Orig. Hom. 6. in Josue.]

R Eodem

Eodem Emblemate significatur, sicuti clangentibus tubis omnes Jerichontis muri corruerunt, ita nunc in lege novâ, personante Apostolorum & successorum prædicatione, cadunt immanes vitiorum & superbiæ humanæ turres. Præclarè S. P. Augustinus. *Sicut tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt, ita & nunc oportet; ut civitas mundi, id est superbia cum suis turribus, avaritiâ, scilicet, invidiâ, atq; luxuriâ, simul cum populis, id est, omnibus concupiscentiis malis, assiduâ sacerdotum prædicatione destruatur, atque dispereat, Non ergò oportet, ut sacerdotes in Ecclesia taceant, sed audiant Dominum dicentem, clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Denique tota vitæ humanæ machina unico unius morbi aut casus adversi flatu subvertitur S. Gregorius. *Præsentis vitæ gloria*, inquit, *quasi in alto cernitur, sed nullâ soliditate stabilitur.*

S. Aug. serm. 146. de temp. — Vita humana fragilis. — *S. Greg. 20. moral. c. 24.*

267. Josue imperio, sol per diem integrum in medio cœli immotus persistit. Lemma. DISCE PARERE. In rem præsentem opportunè, licet sub diversâ metaphorâ, differens S. P. Augustinus. *Magus*, inquit, *imitare ventos & mare, obtempera Creatori sub jussione Christi: mare audit, & ventus cessat, & tu sufflas? quid? dico, facio, fingo; quid est aliud, nisi sufflare, & sub verbo Christi nolle cessare? non vos vincat fluctus in perturbatione cordis vestri.* Cæterùm eam obediendi virtutem non à Sole tantùm, sed ab ipso Deo discas velim, cùm enim Josue Soli, ut cursum sisteret, imperâsset, *Mox stetit Sol in medio cœli, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.* Verissimè Regius Psaltes, *Voluntatem timentium se faciet. Ex quo intelligitur*, inquit S. Augustinus, *Deum servorum suorum precibus obedire, & ad eorum necessitatem creaturas suas opportunè gubernare.* Sanctus Bernardus illâ obedientis Dei, & Josue imperantis virtute attonitus, exclamat, *O prodigium! ô stupor! ô dignatio! nunquam in cœlis vel terris audita, quod creator creaturæ, Deus homini obedit. Erubesce cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas. Erubesce pulvis, Deus obedit homini, & tu nec homini, nec Deo obedis.* De Josue canit P. Joannes Baptista Masculus.

Obedientia. — *S. Aug. hom. 3. inter 17. in fine Tom. 10.* — *Jos. 10. 13.* — *Psal. 144.* — *S. August. de mirab. S. script. l. 2. c. 4* — *S. Bern.*

Sol non occubuit, antequam hostis:
Non antè se oceano mersit,
Quàm campos vidit natantes sanguine.
Equos continuit suos, ut excurrerent tui.
Quò longior illuxit dies,
Eò plures hostes caruerunt luce,
Cedat Syracusanus Doctor unà cum sphæra;
Ille cœlum apparavit vitreum,
Tu imperâsti æneo.
Fingere ille potuit astra, tu figere.

CORE, DATHAN & ABIRON.

Caput LXXXVIII.

268. Core, Dathan, & Abiron, Mosi rebelles, deglutiuntur à terrâ, descenduntque vivi in infernum, socios eorum comburente igne. Lemma. INTEREUNT, DUM RESISTUNT. Hinc videre licet, quantis & quàm celeribus suppliciis in eos animadvertat Deus, qui Superioribus rebelles existunt. Nam ut ait S. Ambrosius, *Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundū sinus, abripiuntur noxii, & ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aërē haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Dilucidè Apostolus. *Qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Quoniam*, ut Regum fasti testantur, *quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Unde SS. Gregorius & Bernardus egregiè peccati hujus gravitatem æstimant, quando id Spiritus sanctus cum idololatria & invisissimâ dæmonum familiaritate comparat. Cujus quidem comparationis eam reddunt rationem, quod quemadmodum peccatum idololatriæ, communioque dæmonum, cultum ac reverentiam Deo debitam excludit, ita inobedientia ac contemptus Superiorum, eodem honore Deum privat, quippe cujus locum obtinent Superiores. Et quemadmodum Idololatra spreto vero Deo colit & adorat idolum ligneum, ita inobediens verâ certissimâque regulâ, quæ Deus est, insuper habitâ; regulam falsam, hoc est, proprium judicium, humanasque rationes sequitur. Hæc illi.

Superiori resistere. Inobedientia. — *S. Ambr. ep. 82.* — *Rom. 13. 2.* — *1. Reg. 15.* — *S. Greg. l. 3 mor. c. 12.* — *S Bern. de Ord. vit. morum in*

B A L A A M V S.

Cap. LXXXIX.

269. Balaami, magi & arioli famosissimi asina, ab hero suo, quod renitente Angelo progredi nollet, percussa; tandem in voces articulatas erumpit, eique verberum indignitatem exprobrat. Lemma è D. Paulo desumptum. STULTA MUNDI ELEGIT DEUS, UT CONFUNDAT SAPIENTES. Hæc enim Dei est providentia, ut ingenii humani superbiam repressurus, stulta, imbecillia, & ignobilia adhibeat. Nam asserente Theodoreto, *Universorum Deus doctos per indoctos, & per pauperes divites vicit; & per piscatores orbem terrarum piscatus est.* Atque adeò, quod S. Gregorius ait, *ad agnitionem fidei prius stulta mundi collecta sunt, ut postea astuta ejus etiam vocarentur.* Præclarè, ut solet, Doctissimus Augustinus, *Magna*, inquit, *artificis misericordia! tam largo fonti (conversionis hominum) vas inane admovendum est; dimisit retia piscator, accepit gratiam, & factus est Divinus Orator: leguntur modo verba piscatorum, & subduntur colla Oratorum.* Cæterùm homines quosdam adeò rudes aut carnales reperias, ut solâ humanâ voce à brutis discernantur. Unde falsè Poëta.

Sapient[ia] human[a] — *Theodore[t]* — *S. Greger* — *S. Aug a Verb. Do[m] serm. 59.* — Stupidi homo[nes]

Non ego te quemvis asinum voco, Mome. sed illum;
Cujus erat sessor Pseudopropheta Balam.

P H I N E E S. *Caput* XC.

270. Phinees, violatæ legis Divinæ dolore stimulatus, primò quidem intimo mentis exarsit zelo, mox correpto pugione subalari, duos impurissimos amantes in ipso sceleris flagranti adeò validè transverberavit, ut extincti momento jacuerint sempiternum funus. Lemma. IRA HÆC PRO NUMINE JUSTA. Justissima semper est ira, quâ Dei honor vindicatur. *In injuriis propriis*, ait Chrysostomus, *patientem esse, laudabile est; injurias autem Dei patienter ferre, nimis est impium.* Nemo putet amicum, quem Deus pro hoste habet. *Zelus domus tuæ*, (ait Psaltes) *comedit me*, hoc est, consumpsit, & absorbuit me. *Quis comeditur zelo domus Dei?* quærit S. P. Augustinus, *qui omnia, quæ fortè videt perversa, satagit emendare; nec quiescit; si emendare non potest, tolerat, gemit, & apud se dicit: tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Nam bonis nocet, qui pepercerit malis, cùm turba exempli magisterio facilè trahatur in furoris societatem.* Unde S. Ambrosius; *Melius est*, inquit, *ut unius aut duorum damnatione plurimi liberentur; quàm duorum absolutione, plures periclitentur.*

Zelus. — *S. Chrys.* — *Psal. 6[8].* — *S. Aug. [in] hunc loc[um]* — *Psal. 11[8]* — Exempl[a] malun[t] — *S. Amb[r.]*

RAAB,

RAAB. *Cap.* XCI.

271. RAab, civis Hierichuntis uxor, exploratores à Josue missos, noctu è fenestra per murum urbis funiculo coccineo salvos demittit, & in urbis excidio sibi suisque vitam conservat. Lemma. E COCCO SALUS. Dei enim providentia factum est, non alio, nisi rubeo funiculo, ceu proprio sanguinis Christi typo, fœminam illam ab interitu vindicari. Disertè S. Ambrosius. *Vidit hoc meretrix,* inquit, *& quæ in excidio civitatis remedia desperaret salutis, quia fides vicerat, signa fidei atque vexilla Dominicæ passionis attollens, coccum in fenestra ligavit, ut species cruoris mystici, quæ foret mundum redemptura, vernaret. Ita foris Jesu nomen fuit præliantibus ad victoriam, intus species Dominicæ passionis periclitantibus ad salutem. Unde quia intellexit Raab cœleste mysterium, dicit Dominus in Psalmo. Memor ero Raab & Babylonis scientium me.* Et S. Augustinus. *Memor ero Raab? quæ est ista? Meretrix illa in Hiericho, meretrix quæ suscepit nuntios, quæ timuit Deum, cui dictum est, ut per fenestram mitteret coccum, id est, ut in fronte haberet signum sanguinis Christi.* S. Hieronymus docet, coccinum esse symbolum sanguinis Christi, æquè ac charitatis ignitæ, quâ ardebat Raab. Et Origenes, *Sanguis Christi,* inquit, *est signum redemptionis in domo Raab, id est, in Ecclesia.*

Siguis Cristi.

S. Ambr. l. 6. de fide c. 4.

S. Aug. in Ps. 86

S. Hier. Ep. 2. ad Nepot

Caritas.

Orig. Homil. 4 in Josue.

272. Eidem symbolo inscribes. GRATIA PARIT GRATIAM. Raab enim, quod nuntios Josue benignè excepisset, in tantæ gratiæ vicem, sola in urbis excidio evasit incolumis. Verissimè D. Lucas, *Date & dabitur vobis.* Hæc est enim vicaria hominis benefici merces, quam Deus velut talionem ei assignat, suscitando nimirum multos, qui vicem pro gratiis erogatis æquissimam rependant; quin imò deficiente humana gratitudine, liberalissimus Deus se ipsum debitorem substituit munificentissimum. Unde S. Chrysostomus. *Pauper recipit, sed Deus obligat se.* Et S. Basilius. *Cùm enim pauperi propter Dominum aliquid es daturus, illud idem & donum est & mutuum: donum quidem propter nullam præmii expectationem; mutuum verò, propter splendidam Domini munificentiam, ejus vice rependentis, qui cùm pauca in pauperis persona acceperit, maxima eorum nomine reponit.* Fertur, Monasterium quoddam liberalibus eleemosynis, quas dabat, evasisse locuples: iis postea denegatis ad pauperiem redactum. Cumque hâc de re apud peregrinum quemdam, Monasterii hospitem, quereretur Oeconomus, id responsi ab eo tulit; *Date & dabitur* sunt duæ sorores. Vos ejecistis priorem, cui nomen *Date*, mox ejectam sororem secuta est ejus comes individua, cui nomen *dabitur.* Si ergò vultis ut ista redeat, revocate priorem, ac largas, ut prius, date eleemosynas. Verissimè adeò pronuntiat S. Gaudentius, *Qui miseretur pauperis, Deo fœneratur: accipit enim magna pro modicis, & cœlestia pro terrenis.*

Liberalitas.

Luc. 6. 38.

Eleemosyna.

S. Chrysost.

S. Basil. c. 4. de Eleemos.

S. Gaud. Ser.

ACHAN.

CAPUT XCII.

273. EVersâ Jerichunte, tam Numinis, quàm Josue interdicto severè prohibitum erat, ne quis de urbe, anathemati subjectâ, funditusque evertendâ, quidquam sublegeret, aut sibi usurparet. At infringens mandatum quidam miles, Achan nomine, chlamydem purpuream, auro contextam, clam abstulit; moxque in sacrilegii vindictam permisit Deus tria pugnatorum millia ab hostibus partim occidi, partim in fugam agi; donec tandem ipse etiam Achan lapidibus sit obrutus. Lemma. IN PLURES UNIUS CULPA REDUNDAT. Hinc constat, quantùm intersit, societatem nancisci bonam vel malam; cùm non rarò unius delictum reliquos socios omnes viæ ac vindictæ Divinæ subjiciat, redundetque in plurium pœnam unius culpa. In rem præsentem. S. P. Augustinus. *Sic,* inquit, *disciplina sancitur, ut non se solùm quisque curet in populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam unius corporis & unius hominis, alia pro aliis sint membra solicita. Deinde ostenditur, quanta connexio societatis, ut non in se ipsis singuli, sed etiam tanquam partes in toto existimentur. Præterea significatum est, quantùm mali fieret, si universa illa congregatio peccâsset, quando ne unus quidem ita potuit judicari, ut ab eo possent cæteri esse securi.*

Societas. Culpa unius redundat in plurium pœnam

S. Aug. in quæst. 8 hic.

SISARA. *Cap.* XCIII.

274. SIsara insidiosè lactatur & sopitur à Jaële fœminâ, adacto secundùm tempora clavo. Lemma. BLANDUM EXITIUM. Providè Salomon: *Ne attendas fallaciæ mulieris, favus distillans labia meretricis, novissima autem ejus amara, quasi absynthium.* Disertè S. Ephræm. *Quid est mulier? laqueus comptus, & homines in voluptates illiciens, quæ splendida quidem specie, & excelso collo oculis annuit, & genis arridet, linguâ verò dulciter canens: alios decipit & sermone pellicit &c. Quid est mulier? naufragium super terram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ & malitiæ, mortifera conversatio atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis spiculum, juvenum perditio, sceptrum inferni, & concupiscentia præceps. Quid est mulier? causa diaboli, requies serpentis, diaboli consolatio, dolor inconsolabilis, caminus succensus, malitia incurabilis, diurna confabulatio, hospitiū lascivorū, officina dæmonum, &c.* Diogenes duas mulierculas inter se colloquentes conspicatus, *Aspis,* inquit, *à vipera venenum mutuatur*; uti refert Antonius in Melissa. Secundus Philosophus, rogatus ab Adriano Imp. *Quid esset mulier?* respondit, *viri naufragium, domus tempestas, vitæ captivitas, leæna complectens, exornata scylla, animal malitiosum, malum necessarium.* Ita Maximus; qui etiam adducit S. Basilium dicentem, *insipientissimæ mulieres naturali pulchritudine carentes, ad colores confugiunt, & fiunt, ut ita dicam, ornatæ ad speculum, per ornatum inornatæ, & per dedecus ac tupitudinem turpiores.* Unde de fœminis canit Codrus.

Mulieris fallacia.

Prov. 5. 2.

S. Ephr. ser. adversus mul.

Anton. Meliss. p. 2. c 43.

Max. ser 19.

Sidera non tot habet cœlum, non flumina pisces,
Quot scelerata gerit fœmina mente dolos.

Et Claudianus.

Claud. l. 2. in laud. Stil.

Blanda quidem vultu, sed quâ non ulla
Interius fucata genas, & amicta dolosis
Illecebris torvos auro circumligat hydros.

275. Jahel, Sisaræ tempora clavo transverberans, epigraphen legendam offert. HABET QUOQUE FÆMINA VIRES. Tantùm enim roboris etiam imbecillior hic sexus à providentissimo Deo accepit, ut pro arbitrio suo quosvis mundi aut dæmonis impetus superare queat. *Non ergo habetis,* inquit S. Ambrosius, *quod per naturam vos excusetis fœminæ. Non habetis viduæ quod ad infirmitatem sexûs, aut ad amissionem subsidii maritalis nobilitatem vestram referre possitis. Satis unicuique præsidii est, si virtus animi non desit.* Cæterùm Jahelem

Mulier.

S. Ambros. lib de Viduis.

Maria. lem Virginis Deiparæ typum dixeris, quæ Sisaram, dæmonem nempe, validissimè prostravit, ejusque caput contrivit. S. Bernardus, *Cui*, inquit, *hæc servata victoria, nisi Mariæ? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebrâ, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum. Hanc requirebat Salomon, cùm vehementer admirans dicebat, mulierem fortem quis inveniet? & ita videbatur congruere, ut, qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam.* De Jahele canit P. Jo. Bapt. Masculus.

S. Bern. ser. 2 super Missus est.

Domus tibi & campus fuit & capitolium;
Cùm imbellis fœmina paris victoriam.
Malleum accepisti pro gladio,
Non modò ut ferires hostem,
Sed ut sculperes tibi signa victrici.
Meliùs tu monstra domuisti ferreo clavo,
Quàm Alcides ligneâ clavâ.
Confixisti tempora,
Quæ videlicet ille destinaverat lauro.
Uxor parabat victori pyramidem, tu victo pyram.
Lac propinâsti, ut sanguinem eliceres.

S. Ecclesia. Eundem Jahelis typum Ecclesiæ tribuens S. Augustinus, *Quæ*, inquit, *est illa mulier plena fiduciæ, hostis tempora configens ligno; nisi fides Ecclesiæ, cruce Christi regna diaboli perimens?*

S. Aug. lib. 2. cont. Faust. cap. 33.

AODVS.

Cap. XCIV.

276. Aodus, Israëlis Judex & Dux ambidexter, Eglon, Moabitarum Ducem, ancipiti gladio sustulit. Lemma. INVICTUS UTRIMQUE. Asteropæum suum laudat Homerus, quod esset ambidexter: magni enim & penè invicti hominis argumentum est, utrâque manu in hostem ferri posse. Certè Hipponax apud Galenum de se affirmat, *Ambidexter sum, nec aberro percutiens.* Cæterùm quivis vir sanctus ambidexter sit, necesse est; ut qui nôsse debet tam adversa quàm prospera æquo excipere animo; Perinde enim vincit consolationem ac desolationem, tentationem ac humiliationem, honorem ac contemptum. Certè Paulus fortis fuit *per arma justitiæ à dextris & sinistris.* Cassianus, posteaquam multa in hanc rem dixerat, tandem concludit, *Erimus igitur ambidexteri, quando nos quoque rerum præsentium copia vel inopia non mutârit, & vel illa nos ad voluptatis noxiæ remissionem non impulerit, nec ista ad desperationem attraxerit & querelam, sed similiter Deo grates in utroque referentes, parem fructum de secundis adversisque capiemus, qualem se ille verus ambidexter Doctor gentium testatur fuisse, dicens; Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse; scio & humiliari, scio & abundare; ubique & in omnibus institutus sum, & saturari & esurire, & abundare & penuriam pati, omnia possum in eo qui me confortat.* Pulchrè de hoc Belliduce P. Joannes Bapt. Masculus.

Ambidexter. Gal. in Aphor. 7. Hyppocr. Justus. 1. Cor. 6. Cass. coll. 6. c. 10.

Prodiga tibi fuit natura donorum,
Quia utramq; armavit manum pari robore:
Nihil tibi poterat sinistrum accidere,
Cui sinistra non fuit.
Ancipitem tibi fabricatus es gladium,
Ut victoria esset certa, non anceps.
In Eglonem Regem, adipe crassum,
Subtilitate mentis te ornâsti;
Apud ipsa simulachra Deorum simulâsti fœdus,
Ut fœdissimùm ferires veritatis hostem.

277. Eglon, Moabitarum tyrannus, è sacræ Scripturæ testimonio *erat crassus nimis*, & Hebræorum populum octodecim annorum premebat jugo. Unde Aodus, juvenis ex tribu Beniaminis lectissimus, turrim illam carneam cultro interemit, impetu vulneris tam valido, ut præter morem non mucro tantum extremus cum mediâ ferri laminâ, sed planè capulus ipse pinguissimam alvum penetraret: sicque prostrato Eglone, Hebræos è servitute in libertatem asseruit. Lemma. EX HOC JUGULO SALUS. Eglonis nomine ebrietatem, aliaque gulæ vitia intelligas; hæc enim captivas tenent hominum mentes, & ad flagitia quæque impellunt; proinde saluti ac libertati tuæ consulturus, ea è medio tollas necesse est. Ebrietas quippe Respublicas evertit, vitia nutrit, virtutes eliminat, libidinem fovet, scientias pessumdat, animos hebetat, quia, S. Hieronymo teste, *pinguis venter non gignit mentem tenuem.* Et alibi, *Ubicunque*, ait, *saturitas & ebrietas, ibi libido dominatur: specta ventrem & genitalia, qualis ordo membrorum, talis & vitiorum. Nunquam ego ebrium castum putabo, qui, etsi vino consopitus dormiverit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quisquis quod volet, ego loquor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam.*

Iudic. 3. Ebrietas. Gula. S. Hier. 1. 2. ad Nep. Idem in ... ad Tit. 7.

GEDEON.

Cap. XCV.

278. Gedeonis milites trecenti seliguntur, quia stantes aquam è cava manu ad os lambebant. Lemmatis loco hunc versum subjungit eruditissimus P. Michaël Pexenfelder; NOS NUMERO PAUCI, SED BELLO VIVIDA VIRTUS. Ita qui ad terrenas res flecti, vitiisque indulgere, & ob peccatorum sitim in terram prosterni nesciunt, ii ad victoriam adversus mundum & dæmonem obtinendam cumprimis idoneos sese exhibent, & à Deo præ aliis eliguntur. Origenes, *Ille* inquit, *probabilis, ille electus est, qui, posteaquam ad aquas baptismi ventum est, flecti ad necessitates terrenas & corporeas nescit, qui vitiis non indulget, neq; ob peccati sitim sternitur pronus.* Atque adeò quisquis inter milites Christianos numerari desideras, rebus terrenis nonnisi transeunter ac veluti negligentim insistas, oportet. S. Leone asserente, *In dilectione Dei nulla nimia: in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia. Et ideò æternis bonis inseparabiliter est inhærendum, temporalibus verò transeunter utendum est, ut peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi hujus occurerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis, Ideo Apostolus prædicat, dicens: Tempus breve est, reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint, &c. præterit enim figura hujus mundi. Sed quod de specie, de copia, de varietate blanditur, non facilè declinatur, nisi in illa visibilium pulchritudine Creator potiùs, quàm creatura diligatur.*

Peccat... cum fu... est signa electi. Orig. Ho... Miles ... stitua... S. Leo ser. 5. de jeju. septimi mensis.

279. Testarum collisarum fragore terrentur à Gedeone Madianitæ, & se ipsos concidunt. Lemma. E SOLO VENIT VICTORIA COELO. Mirum certè hunc vincendi modum excogitavit Deus, ut victoriam non humanis viribus, sed solâ Dei virtute paratam demonstraret. Seligere jubet Gedeonem ex toto exercitu trecenta duntaxat capita, quibus hosti bellum & inferret, & triumphum reveheret, quin nec hos quidem armis indui voluit, nec gladium educere, sed tubas duntaxat inflare, vasa confringere, faces seu lampades accen-

Victoria solo ... Cœlo.

accendere, quibus rebus tantum terrorem hostibus incussit Deus, ut in mutuas cædes partim ruerent, partim verò fugâ dilaberentur. Nempe *ut sciat omnis populus, quia est Deus Israel, & noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus, ipsius enim est bellum. Verissimè Judas Machabæus, Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Sic, sic,* inquit S. Augustinus, *aliter non, omninò aliter non prosternitur inimicus. Qui pugnat viribus suis, antequam pugnet, ipse prosternitur.* Cæterùm idipsum etiam in spirituali pugna evenit, ubi nec minimæ tentationis assultum, nisi adminiculante Divinâ gratiâ, sustinere valemus. S. Gregorius. *Necessariò,* inquit, *sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicunque à Deo fuerit derelictus.*

(Margin: g. 17. 27. — Mach. 3. 19 — S. Augustin — Tentatio. — S. Gregor. in Psal. 3. pœn.)

280. Eidem Emblemati subscribes. E FRACTIS VICTORIA TESTIS. Ita nimirum adversus hostem nostrum tricipitem, carnem, mundum & dæmonem, tum demum triumphabimus, si lutea corporum nostrorum vasa crebris castigationibus effringere conabimur. Disertè Apostolus, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Et Siracides. *Cibaria & virga & onus asino: Panis & disciplina & opus servo.* Nota est vox senioris in vitis Patrum, *Ego & asinus unum sumus:* quia se comparabat ad omnium plagarum tolerantiam. S. Bernardus modum in Monasterio vivendi tradens, ait, *Cùm aliquid rogaturus à Priore veneris, præpara te ad repulsam semper: & si contigerit negari tibi quod postulas, dic apud te: Quid decebat asellum, nisi frænum & stimulus? Ego nihil proprium in domo ista vendicare possum, nisi cilicium & crucem. Cilicium in morte, & crucem in fossâ. Hæc est hæreditas mea, ita tamen ut modica terræ gleba crucem cooperiat.*

(Margin: Mortificatio. — Coloss. 3. 5. — Eccl. 33. 25. — S. Bern de modo vivendi in Monast.)

RUTH.

Caput XCVI.

281. RUth, Moabitis spicilega, epigraphen tenet. PARVA PETIT, UT MAGNA RECIPIAT. Solum enim spicilegium à Booz efflagitans, postea sex hordei modiis donata est. Dei hæc beneficentia est, *qui,* asserente S. Jacobo, *dat omnibus affluenter.* Unde S. Ecclesia precatur, *Deus qui ex abundantia pietatis tuæ merita supplicum excedis & vota.* S. Ambrosius rectè advertit, latronem in cruce tantùm petiisse, *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Christum verò longè plus ei præstitisse dicendo, *Hodie mecum eris in paradyso. Nam uberior,* inquit, *est gratia, quàm precatio; semper enim Dominus plus tribuit, quàm rogatur.*

(Margin: Beneficentia Dei. — Jac. 1. 5. — S. Ambros in Luc. 23. 42.)

JEPHTE Cap. XCVII.

282. JEphte unigenitæ filiæ & pater & papa est. Lemma. VICTORIA VICTORI MALA. Christi hic typus est, qui unicam suam filiam, Ecclesiam, quasi virginem, Deo in holocaustum gratissimum obtulit, dum sanctos Ecclesiæ Martyres immolari permisit. S. Chrysostomus, *Jephte,* inquit, *existimo esse Dominum Jesum Christum victorem mundi, qui obtulit filiam suam unicam ipsam Ecclesiam tempore persecutionis malis Pontificibus non agnorum; sed luporum; dicente ipso, ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Obtulit ergo Ecclesiam per immolationem Martyrum tempore persecutionis, & victima unica oblata est Deo, ut sacrificium acceptabile esset patri ex lucris unigeniti. Offert unicus unam, sponsus sponsam, pater filiam.* Porrò sicut Jephte propriam filiam, ita Christus carnem & humanitatem suam immolavit, *qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Deniq; symbolo illo significatur, quemque filiam suam, animam nimirùm, debere Deo offerre per mortificationem cupiditatum & passionum, *occidendam in malis, vivificandam in bonis,* uti loquuntur SS. Augustinus & Chrysostomus. De Jephte canit P. Joan. Bapt. Masculus.

(Margin: Ecclesia à Christo immolata. — S. Chrysost. hom. de Jephte. — Passio Christi. — Heb. 9. 14. — Mortificatio.)

Procurristi celer in campum, sed præceps ad vota,
Ut nullâ faceres morâ pietati, penè visus es impius.
Asperius filiam mactâsti, quàm hostem:
Quia hanc à cæde victimæ more cremâsti.
Stupuit hostis ipse atrocitate spectaculi.
Non tam doluit se vinci,
Quàm pro se victo talem mactare victimam.
Exardescere magis voluisti in aræ cinere,
Quàm in campi pulvere.
Cùm vicisses hostes, vincere voluisti naturam.

SAMSON. Cap. XCVIII.

283. SAmson ex ore interfecti leonis mel legit. Lemmatis loco ænigma ab ipso propositum subjunges. DE FORTI DULCEDO, seu, ut codices Græci legunt, *De tristi dulcedo.* Ita nimirum è tentationibus & laboribus, seu totidem superatis validissimis leonibus, suavissimos consolationum ac præmiorum favos colligimus. Certè *Christus,* asserente Tertulliano, *favos post fella gustavit.* S. Paulus gaudet se liberatum *de ore leonis,* id est, Neronis. Ita omninò etiam SS. Martyres debuerunt *sugere mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo.* Unde S. Ambrosius monet, amara dulcibus longè esse præferenda. *Ipsa,* inquit, *corpora, dulcibus frequenter inflantur, & melle jecur tenditur: idem tamen esca amaritudine temperatur. Ideò non mediocris, sed laudata quæstio: De manducante exivit esca, & de forti dulcedo.* S. P. Augustinus hanc ipsam Samsonis iconem de Christo intelligit, *De mortui leonis ore,* inquit, *id est, de Christi morte, qui accubans dormivit ut leo, apum, id est, Christianorum processit examen.* Et S. Paulinus. *Christus ipse nobis est leo, in cujus mortui ore cibū mellis invenimus. Quid enim dulcius Dei verbo? Et quid fortius Dei dextera? aut in cujus mortui ore favus & apes, nisi in cujus verbo salutis nostræ bonum & congregatio gentium.*

(Margin: Calamitates. — 2. Tim. 4. 17. — Sap. 3. 15. — S. Ambros. l. de Elia. c. 11. — S. Aug. serm. 107. de Temp — S. Paulin. Ep. 4 Christus mortuus.)

284. Samson maxillâ asini interficit mille Philistæos; cum lemmate. NON TELO, SED MAXILLA. Hinc discēs, hostes nostros nequaquam armis, sed patientiâ ulciscendos esse; asinus enim patientiæ hieroglyphicon habetur. S. Ambrosius maxillæ nomine patientiam, ceu malorum omnium victricem, intelligens, *Invictus Samson,* inquit, *atq; ita insuperabilis, ut in maxilla asini viros mille percuteret, Ita plenus gratiæ cœlestis, ut etiam aquā in maxilla asini sitiens reperiret, sive ad hoc miraculū conferas, sive ad miraculū veritatis, quod in populi foret humilitate gentilis & requies & triumphus, juxta quod scriptū est. Qui te percusserit in maxillam, præbe ei & alteram. Per hanc enim injuriarum patientiam de quibusdam stimulis iracundiæ triumphamus, ut morte obitâ resurrectionis requiem consequamur.* Providè monet Christus, *In patientiâ vestra possidebitis animas vestras.* Sanctus Gregorius illud Salomonis interpretatus *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium,* ait, *Minor est ergò victoria urbes expugnare, quia extra sunt, qui vincuntur. Majus autem est, quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibimet subiicit, quando cum patientia*

(Margin: Patientia. — S. Ambros. l. 2. de Spir. S. in proœmio. — Luc. 21 19. — S. Greg Homil. 35 in Evang.)

Idem l. 5. moral. c. 13. *in humilitate tolerantiæ sternit.* Et alibi. *Qui igitur patientiam tenet, animam possidet, quia inde contra adversa omnia fortis efficitur.*

285. Samsoni sitienti ex molari asininæ mandibulæ dente fons aquæ scaturit. Lemma. EX ASINO PEGASUS. Samsone enim Deum deprecante, *Aperuit Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ.* Hinc ingentes orationis vires conjicias; quæ res, quamlibet paradoxas, à misericordissimo Deo extorquere novit. S. Ephræm, *Tantæ,* inquit, *erat Samson sanctimoniæ, ut etiam quandoq; sitiente eo, & in inopia aquæ arante ex arrepta mandibula asini emortuâ aquæ scaturirent.* Porrò S. Clemens Alexandrinus maxillæ asininæ nomine homines carnales & libidinosos intelligit, qui orationis aut gratiæ Divinæ virtute in uberrimos lachrymarum & pœnitentiæ fontes resolvuntur. *Oratio,* Magno Augustino teste, *refectio est jejuniorum, duritiam cordis emollit, austeritatem temperat, jejunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic & jejunium sine refectione orationis non potest animam perfectè nutrire.*

Iud. 15. 19. Oratio. S. Ephrem. to. 1 pag. 128 S. Clem. Alex. l. 2. Pædag. cap. 1. S. Aug. in sermon.

286. Samson, in urbe Gaza clausus, portas urbis cum postibus & seris apprehensas, humerisq; impositas, aufert. Lemma. NIL OBSTAT VIRTUTI. Christi resurgentis hic typus est, *Qui contrivit portas æreas*; lapidem nimirùm sepulchri amovit, portas mortis & gehennæ perfregit, indeque Patriarchas & Prophetas cum triumpho liberavit. S. Greg. Papa, *Quem,* inquit, *nisi Redemptorem Samson ille significat? Quid Gaza civitas, nisi infernum designat? Quid per Philistæos nisi Judæorum perfidia designatur? qui cùm mortuum Dominum viderent, ejusque corpus in sepulchro jam positum, custodes illicò deputaverunt, & eum, qui autthor vitæ claruerat, in inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza, se deprehendisse lætati sunt. Samson verò mediâ nocte non solùm exiit, sed etiam portas tulit; quia videlicet Redemptor noster ante lucem resurgens, non solùm liber de inferno exiit, sed & ipsa etiam inferni claustra destruxit.* Eâdem icone S. Ecclesia significatur, quæ Tartari portas effringit, superatque. Dilucidè Christus. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* S. Chrysost. *Quid Ecclesiâ Dei potentius esse potest? Mœnia barbari destruunt, Ecclesiam verò ac dæmones quidem superant. Cum oppugnatur, vincit; cùm appetitur insidiis, superat.*

Psal. 106. 16 Resurrectio Christi. S. Greg. ho. 21. in Evang. S. Ecclesia. Matt. 16. 18. S. Chrysost. in Orat. de non contemnenda Ecclesia.

287. Samson amore Dalilæ captus, capitur ab hostibus, & excæcatur. Lemma. NOTUM QUID FÆMINA POSSIT. S. Ephræm complura mulieris mala epitheta cogit, quæ suprà de Sisara n. 274. recensuimus, eaq; ita prosequitur. *Quid est mulier? amor flagitiosus, bestia impotens, incontinentissimus impetus, effrænatum os rerum arcanarum, triumphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magistra, insatiabilis concupiscentia, nequitia & æterni supplicii conciliatrix. Quid mulier? prudentia terrena, vini socordia, concumbens incontinentia, excitata cura, vipera vestita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua, adulterorũ diversorium, arma diaboli, expetita rabies, exornata mors, ut non immeritò dictum sit à Sapiente. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris.* Et S. Hieron. *Samson,* inquit, *leone fortior, & saxo durior, qui & unus & nudus mille persecutus est armatos, in Dalilæ mollescit amplexibus.* S. Ambrosius. *Samson validus & fortis, leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit. Vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas, & unius ipse mulieris accensus igniculo, messem suæ virtutis amisit.* Cæterùm justa congruaque pœna adversus Samsonem erat oculorum privatio, quippe quibus lascivè aspexerat Dalilam. *Visu,* inquit S. Hieronymus, *quia malè fuerant abusi Samson & Sedecias, privantur.* Et S. Gregorius. *Plerumque prius oculus contemplationis amittitur, & post, per carnis desideria, hujus mundi laboribus animus subjugatur, &c.* De Samsone canit D. Emmanuel Thesaurus.

Mulier mala quid? S. Ephræm to. 1 adversus mulieres. Libido. S. Hier. Ep. 22. ad Eustoch. S. Ambr. Apol. 2 David. c. 3. Oculus. S. Hieron. in Ezech. c. 1 S. Greg. l. 7 moral. c. 13

Adeste juvenes, quibus robur & cupido.
Do vobis utriusque ideam Samsonem.
Alcidis coætaneum, Alcidi similem robusto & forti.
Mox cupidinis mãcipiũ cupidini simile cœco & nudo,
Odia Philistæorum ab amoribus Philistæarum incipit.
Ut Marti facem subjiceret cupido.
Meretriculæ illaqueatus amplexibus,
Philisthinis destinatur ad prædam.
Sagacissimus quæsitor est fœmina.
Blandè torquendo verum extorquet; tergiversari
Difficile est; cùm apparitor cupido faces admovet,
Qui leones superaverat, à lupa sternitur.

288. Samson amissis crinibus, miseram roboris sui jacturam facit. Lemma. SIC VIRES E MINIMIS PENDENT. Hinc disces virtutum ac perfectionis nervum è rerum minimarum curâ plurimùm pendere: à minimis enim pendent maxima. Disertè S. Chrysostomus. *Mirabile quiddam & inauditum dicere audeo: solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse evitanda, quantò parva & vilia: illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit: hæc autem hâc ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt; & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere: unde citò ex parvis maxima fiunt negligentiâ nostrâ.* Et S. Bernardus. *A minimis incipiunt, qui in maxima prolabuntur. Verissima est sententia. Nemo repentè fit summus.*

Minimorum cur: Peccata venialia. S. Chrysost. hom. 87. Matth. S. Bern. Ord. vit. mor instit.

[2]89. Capto, & in potestatem redacto Samsone, prima Philistæorũ cura fuit, ut ipsi oculos eruerent. Lemma. NIHIL SINE OCULIS VIRES. Princeps causa malorum in hoc mundo omnium est defectus meditationis, teste Prophetâ. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Quis enim auderet peccatum aliquod lethale committere, si seriò secum cogitaret, pro hoc Deum suffixum esse infami ligno? tantamque esse cujusvis sceleris deformitatem atque malitiam, ut ad illud ex rigore justitiæ abolendum, necesse fuerit, Dei filium assumere carnem; tantam inquam, ut eorum quodvis post momentaneam hanc vitam sempiternis inferorum cruciatibus vindicet, mereaturque audire tremendum illud, *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Unde dæmon, Philisthæus ille vaferrimus, id unum maximè agit, ut meditationis oculos nobis eruat, efficiatque, *Ut videntes non videant, & audientes non audiant, neq; intelligant.* De hac S. Bern. *Meditatio docet, quid desit; oratio, ne desit obtinet. Illa viam ostendit, ista deducit. Meditatione agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus.* Et Gerson. *Meditatio,* inquit, *soror est lectionis, nutrix orationis, directrix operis, omniumq; pariter perfectio & consummatrix existens.* Eidem oculo etiam scientiam, sapientiam, intentionem &c. comparare licet.

Meditat: Hier. 12. Peccatu mortale Matth 25 Iudic. 16 Matth. 13 S. Bern. 1 de S. An. Scientia Intentic

290. Samson, oculis orbatus, & ludibrio à Philistæis expositus, subductis manu utraque columnis, unâ se & spectatores ruinâ involvit. Lemma, VEL IN IPSA MORTE TIMENDUS. Christi hic typus est, qui manibus ad duas extremas Crucis partes extensis, hostes omnes, ipsumq; adeò Tartarum collisit & oppressit; *Sicque,* ut S. Augustinus loquitur, *interemptores suos interemptus oppressit, & illius passio, interfectio facta est persequentium.* Et

Christus crucifix. S. Aug. ser. 107. de tem.

Sanctus

Sanctus Paulinus. *In Christi passione Zabuli domus cecidit, & regnum mortis solutum est. Itaque mortem ipsam moriendo destruxit, solvens inimicitias in carne sua.* De hoc Samsonis facto canit P. Jo.Bapt. Masculus. Val.ep.4.

Amplexus es moriens columnas duas,
Ut poneres fortitudini metas.
Hoc major visus es Alcide,
Quod alii ejus transiliere columnas, at nemo tuas:
Quia nullus te æquavit heroum.

291. Eidem symbolo subscribes. MALE MIHI, MODO MALE ALIIS. Hæc nimirùm iterata ac solennis vindictæ gnoma est, cui alienum exitium, etiam cum proprio detrimento suave accidit. Samsonis votum erat. *Ulciscar me de hostibus meis, & moriatur anima mea cum Philisthiim.* S. P. Augustinus. *Omnis homo, qui vult de inimico suo vindictam, provocat in se vindictam Dei.* In rem præsentem D. Emmanuel Thesaurus. Vindicta. Jud.16.28. S.Aug.serm. 2 ex medit. 11.supplem.

Rediit tandem ad Samsonem virtus, cùm Samson ad Numen,
In Veneris templo Cyclopem ludere jussus, nec larvâ egens,
Labefactis columnis templum impellit,
Et spectaculum perimit spectatores.
Sic sua inter trophæa moritur Samson
Odiis felicior, quàm amoribus.

SAMUEL. *Cap.* XCIX.

292. SAmuel puer à teneris Deo in tabernaculo servit: Lemma. MAJOR EST RECENTIS GRATIA FLORIS. Sic beata Virgo trimula fuit Deo in templo præsentata, uti è Sanctorum Patrum mente colligit Canisius. SS. Maurus & Placidus, aliique Senatorum & Principum filii à parentibus traditi sunt S. Benedicto, in pietate & timore divino educandi. S. Joannes Baptista, vix bimulus, in eremum discessit, vestitus cilicio, & locustis victitans: itaque meruit Christi paranymphus & Martyr creari. In S. Pachomii monasterio, ut vitæ Patrum testantur, alebantur pueri adeò simplices, ut ne quidem suam dextram, vel sinistram nôssent. Verissimè dixit Propheta. *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua.* S. Ambrosius. *Qui à juventute jugum portaverit, & habenis maturi moderaminis, teneriora volens, colla subdiderit; sedebit singulariter remotus à strepitu interpellantium permotionum, & quietius silebit: cui necesse jam non est jurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus.* Pulchrè in hanc rem meus Hugo Victorinus. *In illa ætate*, inquit, *crines flavescunt, caro nitescit eburnea, oculorum gemmis facies rosea decoratur; valetudo corporis vires subministrat, & ætas juvenilis longioris vitæ spatium repromittit: quando viget ratio, vigent etiam corporis sensus, visus acutior, auditus promptior, incessus rectior, vultus jucundior: qui in hac ætate se domant, & Deo sociant, præmium Joannis Baptistæ expectant. Tales enim offerunt hostiam viventem, Deo placentem, & immaculatam, non aure, non oculo, non pede, non linguâ carentem.* Canis. l.1. Mar c 12. Servire Deo studiis. Thren.3.27. S.Ambr. in Psal 118. Hug de S. Vict l. de claustro animæ.

HELI. *Caput* C.

293. HEli sacerdos, erga liberos indulgentior, è sellâ cadit, frangit occiput suum, qui filiorum cervices frangere neglexerat. Lemma. FORTIUS UTERE LORIS. Graviter Heli peccavit, quod in filios admodùm parcè ac leniter animadverteret: quia, quod sacra pagina testatur, *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Debebat enim filios suos degeneres, Chrysostomo asserente, verberibus afficere, &, è Theodoreti sententiâ, si se non emendarent, à sacrificiis amovere & sacerdotio privare. Vulgare est illud Poëtæ. 1.Reg.2.17. Educatio. Parentes.

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Saluberrimum Sapientis monitum. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Unde Heli ob nimiam in filios indulgentiam non tantùm vitam, sed insuper è SS. Gregorii, Bedæ, Hieronymi, Chrysostomi, Damiani & Magni Augustini sententia, æternam salutem perdidit. *Heli sacerdos*, inquit Eucherius, *pro filiorum iniquitate damnatus est, quod eos peccantes minus severa animadversione plectebat. Equidem coercuit, equidem corripuit, sed lenitate & mansuetudine patris, non severitate & authoritate Pontificis.* Inde ad animarum Pastores digressus, ait, *Quâ sententiâ discant sacerdotes, quomodo filiorum etiam propter scelera puniantur quique: & quamvis sancti sint, culpa tamen subditorum eisdem, si non coerceant, imputetur.* Audi Chrysostomum. *Heli propter filios periit: illos quippe cum acrius coërcere debuisset, verbis tantùm lenibus monuit dicendo,* nolite filii mei: non est enim bona fama, quam audio. *Neque enim ideo quod malos haberet filios, puniebatur, sed quia ultra debitum increpationi pepercerat, ut, cùm Dei leges violarentur, severius in illis ultus non est.* Prov.23.13. S.Greg p 2. Pastor.c.6. S. Hier l 1. cont Iovin. S. Aug l 4. Civit Eucherius. S.Chrysost. hom.9. in 1. Tim 3.

DAGON. *Cap.* CI.

294. DAgon, Philistinorum idolum, ad præsentiam Divinæ Arcæ corruit. Lemma. NEC IN UNA SEDE MORANTUR. Nulla adeò virtutis & vitii, Dei & diaboli in eodem hominis templo est combinatio. S. Chrysostomus. *Non possunt virtutes cum vitiis morari, sed cùm à virtutibus vitia fuerint superata, locum, quem concupiscentia spiritus possidebat, charitas obtinebit: quem tristitia mortem operans occupaverat, salutaris & plena gaudio lætitia possidebit: quem acedia vastavit, excolet fortitudo; quem superbia conculcabat, humilitas honestabit; singulis vitiis expulsis, eorum loca virtutes contrariæ possidebunt.* Rursum Arca SS. Eucharistiam repræsentat, quæ ab energumenis expellit dæmones. Cassianus. *Communionem,* inquit, *eis sacrosanctam à senioribus nostris nunquam meminimus interdictam: quinimo si possibile esset, etiam quotidiè eis impertiri eam debere censebant: ut, quæ ab homine percepta, eum, qui in membris ejus insidet, spiritum, seu in ipsis latitare cognoscitur, velut quoddam exurens fugat incendium.* Certè Thaumaturgus Eucharisticus, sub rubeâ carnis specie ad S. Crucem Augustæ, non sine maximo Germaniæ cultu asservari solitus, vim illam in energumenis liberandis efficacissimam exercet, uti testatur P. Octavianus Lader, & Anastasius Vochetius, insignis illius Ecclesiæ Canonici Regulares. Virtus non compatitur vitium. S.Chrysost. citatus à Glossa in Exod.23. 23. Eucharistia liberat energumenos. Cass. Collat. 7.30. Hostia miraculosa Augustæ Vindel.

SAUL. *Cap.* CII.

295. SAul, quærens asinas in regem ungitur. Lemma. AB ASINIS AD EQUOS. Hinc vide, quam vilem originem omnis nobilitas trahat; cùm Saul ex agasone, & David ex opilione Reges creentur. Unde S. Chrysostomus. *Tu,* inquit, *qui magna de nobilitate majorum jactas, utra proavos* Nobilitas.

atque atavos tuos progrediaris, invenies multos è genere tuo agasones forsan, aut caupones fuisse. Ex eodem Emblemate discas velim, nullam, nisi à Deo, dignitatem esse. *Dominus enim pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat, suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus terræ, & solium gloriæ teneat.* Pulchrè S. P. Augustinus, *Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem nisi Deo vero; qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis, regnum verè terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil injustè placet.* Et paulò post. *Qui dedit Mario, ipse & Cæsari; qui Augusto, ipse & Neroni; qui Vespasiano, vel patri vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo, & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Juliano.*

Dignitas omnis à Deo. 1. Reg. 2. 7. S. Aug l. 5. Civitat, c. 21.

296. Saul inter Prophetas subitò in Prophetam evadit. Lemma. QUALIS SOCIETAS, TALES ET SOCII. Idipsum ratione non absimili de S. Paulo dixêre nascentis Ecclesiæ Christiani. *Nunquid Saulus inter Apostolos?* quod olim de Saule Rege impio Judæi, *Num & Saul inter Prophetas?* Unde etiam S. Gregorius de Paulo exclamat, *Nunquid ille Jesum prædicat, qui Jesum prosequebatur?* Inde discas, quantum utilitatis nobis accrescat è bonorum societate. Rectè statuunt Sacri Canones. *Talis quisque præsumitur, quales sunt ii, quorum societate quis utitur.* Seneca, *Nulla res*, inquit, *magis animos inhonestos, & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum conversatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri.*

Societas. S. Paulus. 1. Reg. 19. 24. Sen ep 11.

297. Saul, Amalecitas funditùs delere jussus, parcit Regi, & opimis gregibus; pervicaci misericordiâ, & avaritiâ clemente, servans in suum exitium, quod perdere in Dei honorem debuit. Lemma è S. Pagina desumptum. MELIOR EST OBEDIENTIA, QUAM VICTIMÆ. Habebat quidem Saul hunc improbitatis suæ titulum, opimiorem Dei cultum, & pinguiores in sacrificia victimas, donariaque tabernaculi, captivos principes. aurum, ac vestes. At inobedientiam exprobrans Propheta, ait, *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini: Melior est enim obedientia quàm victimæ. Quia*, inquit S. Gregorius, *per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur.* Et Salomon. *Vir obediens loquetur victorias*, & triumphos canit de hostibus victis. Vincit Saul, dum jussus pugnat; victus est, dum injussus, imò contra jussum, parcit. S. P. Augustinus. *Soli Saul misericors visus est, quando pepercit Regi, quem Deus præcepit occidi. Sed meritò inobediens misericordia, vel misericors inobedientia reprobata atque damnata est; ut caveat homo, ne ab illo misericordiam mereatur homo, contra ejus sententiam, à quo factus est homo.*

1. Reg. 15. Obedientia. S. Greg. in hunc loc. Prov. 21. 28. S. Aug l. 2. de anima & ejus orig. c. 12.

298. Saul, à Philistæorum exercitu cæsus ac profligatus, cùm è fuga sibi consuleret, nec tamen hostium insequentium arma satis evitare posset, se ipsum interficere statuit; direptumque vaginâ gladium pronus in medium defigit corpus. Lemma. FUROR EST, NE MORIARE, MORI. Verbis è Martiale desumptis.

Mart. l. 2. Epigr.

Hostem cùm fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Mortem sibi ipsi inferre.

Graviter deliquit Saul, dum violentas manus sibi ipse inferendo, animam sepelivit in Tartaro, priusquam tumulum corpus in terris acciperet. *Solus enim Deus vitæ & necis potestatem habet.* Idipsum agnovit Tullius. *Vetat*, inquit, *dominans ille nobis Deus, injussu hinc nos suo demigrare.* Et Seneca. *Vir fortis & sapiens non fugere debet è vita, sed exire.* Et Curtius. *Fortium virorum est, magis mortem contemnere, quàm odisse vitam.* Denique Plato censet, majori supplicio afficiendum desertorem vitæ, quàm desertorem militiæ.

Sap. 16. Cic. Tuscul Senec ep. 24 Curt. l. 5. Plat. in Phædone.

D A V I D.

Cap. CIII.

299. David, puer pastoritius, leonem & ursum interficit. Lemma. AB HIS RUDIMENTIS. Hominis indoles plerumque in ipsa juventute se prodit, & futuram vivendi rationem conjecturis minimè obscuris prænuntiat. Salomonis sapientia in ipsis penè incunabulis dignosci potuit, unde de se ipso fatetur, *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Sanctam & gravem Tobiæ senectutem ex pueritia ominari licebat, nam, *cùm esset junior omnibus, nihil tamen puerile gessit in opere.* Christus gravissimis olim laboribus & ærumnis fatigandus, de se ipso Psaltis ore testatur, *In laboribus à juventute mea.* Sanctus Malachias Hiberniæ Episcopus, ut in ejus vita scribit Sanctus Bernardus, *Agebat senem moribus, annis puer, expers lasciviæ puerilis*, unumque de illo subjungit, *quod non modò bonæ, sed & magnæ cujusdam spei insigne in puero dedisse indicat. Cùm enim excitus opinione magistri cujusdam, ad eum litterarum discendarum causa venisset, eùmque subulâ ludentem, & sulcos, nescio quos, in pariete facientem vidisset, eo solo visu offensus puer serius, quod levitatem redoleret, resiluit ab eo.* Aureum est dogma S. P. Augustini. *Sit senectus vestra puerilis, sit pueritia senilis, id est, ut nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia*; De Hercule, magno illo hominum prodigio, testantur Poëtæ, quod etiamnum in cunis vagiens, geminos à Junone immissos serpentes suffocârit, manifesto roboris futuri argumento. Verè adeo canit Poëta.

Pueritia senilis. Juventu Sap. 8 18. Tob. 1. 4. Psal. 87. 1 S. Bern. i vita. S. Augusti Psal. 111.

Urit maturè, quod vult urtica manere,
Et rosa maturè se probat esse rosam.

300. David fundâ & lapide Goliathum, giganthem illum immanem, turrimque carneam, sternit. Lemma. NON MOLE, SED VIRTUTE. Nunquam enim, tametsi inermis, hosti tuo armato succumbes, si virtute & auxilio Divino nitaris. Sanctus Chrysostomus, *David*, inquit, *dixit ad Goliathum, tu venis ad me, fidens in gladio, ego in Deo; tu terrenis dimicas, ego cœlestibus pugno; tu in lancea, ego in fide; tu in clypeo, ego in pace, tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentissimo genitore. In te tua arma vertentur, in te tuus gladius exeretur, Dei est enim hæc pugna, Dei erit & ipsa victoria.* Porrò Davidis, etiamnum adolescentuli, nomine humilitatem intelligere licet, quæ tumentem generis humani superbiam longè superat. Sanctus Augustinus in rem præsentem opportunè, *Quod*, ait, *David prostravit Goliath, Christus est, qui occidit diabolum: Quid est autem Christus, qui diabolum occidit? Humilitas occidit superbiam.* Et paulò post. *Ne dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis: ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei.*

Auxiliu Dei. S. Chryso hom de vid & G liath. Humil tas. S. Aug. Psal 33. Conc, 1.

301. David, canens citharâ, spiritum malum à Saule

[M]usica, Saule depellit. Lemma. NERVUS INEST NERVIS. Musica enim ad mitigandas pravas animi passiones & angores, quibus Saul infestabatur plurimùm valet. Cassiodorus, *Musica*, inquit, *tristitiam noxiam jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sævitiam efficit blandam, excitat ignaviam, soporantemque languorem; vigilantibus reddit saluberrimam quietem, sanat mentis tædium, bonis cogitationibus semper adversum.* Asclepiades medicus omnes passiones morbosque animi musicâ lenire ac sedare consuevit. Græcorum civitates, ait Martianus Capella, sanxerunt, ut animorum corporumque morbi ad lyræ modulos curarentur. Hâc de causa in officio Divino utitur Sancta Ecclesia cantu & musicâ ut fideles excitet ad devotionem, alacritatem, lætitiam, quibus Deo serviant, diabolo resistant, & ad omne opus virtutis alacres procedant. Id in se expertus Sanctus Augustinus, ait, *Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter, Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Sanctus Basilius, *Psalmus*, inquit, *est profligando dæmoni ac depellendo quoddam amuletum; angelicæ tutelæ conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, &c.*

[C]assiod. l. 2. [V]ar. c. 40. — [P]salmodia — [S.] Aug. l. 9. [C]onf. c. 6. — [S.] Basil. in [P]roœmio; [P]salmorum.

302. David, vitæ & incolumitati suæ consulturus, stultitiam simulat. Lemma. SAPIENS STULTITIA. Catonis consilium est.

[A]uson. l. 2 — [S]tultitia [S]ancto[r]um.

Insipiens esto, cùm tempus postulat aut res,
Stultitiam simulare loco prudentia summa est.

Porrò locum stultitiæ simulandæ opportunissimum censuêre Sancti Patres hunc mundum, in quo tantò sapientiorem te Deo probabis, quò mundo fueris visus stultior: Sancti Ignatii Loyolæ gnoma erat, *Sis mundo insipiens, ut sapias Deo.* Quin, ipsamet Sacra Pagina ait, *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens.* Sic Sanctus Simeon, cognomento salus, id est, stultus; sic sanctus Franciscus, qui se mundi fatuellum appellabat; multique alii sancti stultos se simulârunt, cùm ad conservandam insignem humilitatem, tum ut docerent, omnem mundi sapientiam & honorem merissimam esse stultitiam. Sanctus Basilius interrogans: *Quomodo efficitur aliquis stultus in hoc sæculo?* respondet, *si formidaverit judicium Domini, dicentis, væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes; & illum fuerit imitatus, qui dixit, ut jumentum factus sum apud te, atq; abjectâ omni cassâ opinione prudentiæ suæ, de iis quæ cogitaverit, nihil antea tanquam rectum approbaverit, imò ne initio quidem quidquam prorsus cogitaverit, priusquàm ab ipso Domini mandato scire didicerit, quid placeat Deo, sive in opere, sive in verbo, sive in cogitatione.*

[M]undi sa[p]ientia. — [1.] Cor. 3. 18. — [S.] Basil. in [R]egul bre[v]ior. inter [r]og. 274.

303. Arctum adeò erat inter Jonatham & Davidem fœdus, ut Sacra pagina testetur, *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathas quasi animam suam.* Lemma. ALTER IN ALTERO. Nam ut ait Sanctus Augustinus. *Anima plus est ubi amat, quàm ubi animat.* Adeoque amantes unam eandemque videntur habere voluntatem & animam. Unde in Regula sua præcipit Magnus Augustinus. *Sit vobis anima una & cor unum in Deo.* Expertus id in amico suo idem Augustinus, *Mirabar*, inquit, *cæteros mortales vivere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat; & me magis, quia ille alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Benè quidam dixit de amico suo, dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam, & animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus, & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, & ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multùm amaveram.* Tales quoque fuerunt SS. Basilius & Gregorius Nazianzenus; audi ipsummet Nazianzenum in funere Sancti Basilii. *Una utrique anima videbatur, duo corpora ferens, quod si minor fides iis habenda est, qui omnia in omnibus posita esse dicunt; at nobis certè credendum est, quod uterque in altero, & apud alterum positi eramus.* Hanc animarum unionem Deus ita ratam habet, ut eam singulis Christianis unicè commendet, præcipiatque; *Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ea enim est regula dilectionis*, inquit S. P. Augustinus, *ut quæ homo vult sibi bona provenire, & proximo velit, & quæ sibi accidere mala non vult, & illi nolit.*

[1.] Reg. 18. 1. — Amantiũ [a]nima u[n]a. — [S.] Aug. in [R]eg. c. 1. [I]dem lib. 4. [C]onfess. c. 6. — S. Greg Naz. Orat 20. in funere S. Basilii. — Matt. 22. 39. — S. Aug. de vita relig. c. 40.

304. David Sauli, hosti suo capitali, clam oram chlamydis abscindit, hastâ insuper & scypho in omissæ ultionis signum subducto. Lemmatis loco hunc versum subjunges. FORTIOR EST QUI SE, QUAM QUI FORTISSIMA VINCIT MÆNIA. Unde gloriosior fuit hæc Davidis in hostem pietas, quàm insolens illa adversus Goliathum victoria. *Siquidem*, asserente Chrysostomo, *hæc munificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hæc gloriosius trophæum.* In rem præsentem Seneca. *Magni animi est proprium, placidum esse, tranquillum, & injurias atque offensiones semper despicere. Muliebre est, furere in ira; ferarum verò nec generosarum quidem, præmordere & urgere projectos. &c.* Unde S. Chrysostomus insignem de Davide Orationem scripsit, sub hoc titulo; *Quod David magnificentius trophæum erexerit, parcendo Sauli, quàm occidendo Goliam.*

Vindicta. — Injuriarum remissio. — S. Chrysost. hom. 2. de David. — Senec. l. 1 de Clem. c. 5.

305. David, amictus Ephod lineo, canit & saltat ante Divinam arcam, irridente Michole conjuge. Lemma. UT CÆLO SAPIAS, DESIPIAS MUNDO. Verè enim sicuti *Sapientia mundi stultitia est apud Deum*, ita vicissim sapientia rerum Divinarum stulta videtur mundo. Præclarè Sanctus Bernardus. *Ludam*, inquit, *ut illudar, bonus ludus, quo Michol irascitur, & Deus delectatur, bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet. Bonus inquam ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Nam reverà quid aliud sæcularibus, quàm ludere videmur? cùm, quod ipsi appetunt in hoc sæculo, nos per contrarium fugimus; & quod ipsi fugiunt, nos appetimus.* Et paulò post. *Hoc ludo & nos interim ludamus ut illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat, qui potentes deponit & exaltat humiles, qui nos lætificet, glorificet, in æternum exaltet.* Unde non sine mysterio dicit Magnus Augustinus. *Serpentis sapientiâ decepti sumus, Dei stultitiâ liberamur.*

Stultitia. Sapientia. Mundi contemptus. — S. Bern. Ep. 87. ad Ogerium. — S. Aug. de Doct. Christ. cap. 14.

304. Fortes Davidis in sacris Litteris pro selectis & strenuis militibus accipiuntur, quorum aliqui scribuntur, soli totum exercitum debellâsse, quidam octingentos, trecentos alii, unâ clade occidisse: alii item gigantes ac leones interfecisse. Lemma. QUALIS DUX, TALIS MILES. Vel, REGIS AD EXEMPLUM. Verbis è Claudiano mutuatis.

Totus

Claud. de 4. Hon. Conf.

— Totus componitur orbis
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Belli dux. Vell. l. 2. hist.

Sapienter Velleius, *Ipse Dux*, inquit, *primus faciat. Nam facere rectè cives suos princeps optimus faciendo docet; cùmque sit imperio maximus, exemplo major est.* Idipsum de Episcopis, cæterisque spiritualis vitæ ducibus pronuntians Sanctus Hieronymus, *Domus Episcopi*, inquit, *& conversatio, quasi in specula posita, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid fecerit, id sibi faciendum putant omnes.* Ovidius.

Prælatus. Parochus. S. Hier apud Heliod. Ovid. ep. 16.

Mobile mutatur semper cum principe vulgus,
An nescis longas regibus esse manus?

Et alibi ad Liviam principem Romanam.

Id ad Liviã.

Imposuit te alto fortuna, locumque tenere
Jussit honoratum, Livia perfer onus
Ad te oculos auresque trahis, tua facta notamus,
Nec vox missa potest principis ore legi.
Alta mane, supraq; omnes exurge dolores,
Infragilemq; animum, quò potes usq; tene.
An melius per te virtutum exempla petemus,
Quàm si Romanæ principis edis opus.

Oblatio ex affectu habet suũ pretium. Eleemosyna. Marc. 12. 43.

307. David, aquam ex cisterna Bethlea per medios hostes sitienti sibi allatam, libavit Domino, non sine insignis abstinentiæ prodigio. Lemma. NON QUANTUM, SED EX QUANTO. Ecquis enim ambigat, illam sitientis Davidis oblationem, tametsi sola constaret aquâ, meriti tamen apud Deum longè majoris extitisse, quàm pretiosissima aliorum dona? Deus quippe rerum oblatarum pretium non ex se ipsis, sed ex offerentis affectu metiri solet. Qui olim rem è superficie considerans, vidisset divites magna æris pondera in gazophylacium jactare, haud dubiè pronuntiasset, duos paupercula viduæ obulos illorum comparatione nihili æstimari; sed ipsummet Deum judicem audi æquissimum. *Amen dico vobis*, inquit, *quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in Gazophylacium.* Nam, interprete D. Thomâ, *Uberior est numerus è parvo, quàm thesaurus è maximo; quia non quantùm datur, sed quantùm resideat, expenditur. Non ergò quod fastidio expuas, sed quantùm devotione conferas, æstimandum est.* Apposite in rem nostram Venerabilis Beda. *Non substantiam offerentium, sed conscientiam pensat: nec perpendit QUANTUM in ejus sacrificio, SED EX QUANTO proferatur.* Victor Antiochenus, *Neque enim Deus*, inquit, *tam munerum magnitudinem considerat, quàm animi alacritatem & magnitudinem ponderat.*

D. Thom. lib. de Viduit. Beda in Marc. 12. Vict. Antioc. in Marc. 12.

308. David, Nathane arguente, mox peccatum suum agnoscit, & unicâ pœnitentis animi voculâ, *peccavi*, noxam suam gravissimam totam eluit; subjungente Prophetâ, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Lemma. CORDE, NON VOCE. David enim ex doloris vehementia in lachrymas adeò effusas prorupit, ut vocem interciperent, nec aliud effari posset, quàm paucula illa verba, *peccavi Domino.* Quod verò Saul & Judas, cùm illud ipsum *peccavi* pronuntiassent, veniam non sint adepti, opportunè respondet S. P. Augustinus. *In simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat; quod Divinus oculus discernebat.* Et rursus. *Audi Davidem clamantem, & simul clama; audi gementem & congemisce; audi flentem, & collachrymare.* Adeoque seriam hominis pœnitentiam Deus non è multo verborum strepitu, sed è contrito corde metitur.

2. Reg. 12. 13. Pœnitentia vera. S. Aug hom. 21. inter 50.

309. David Bethsabeam, Uriæ uxorem, è solario lavantem conspicatus, adulter evadit. Lemma. DUM VIDIT, PERIIT. Id nimirùm est, quod Magnus Augustinus ait, *Impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* Impossibile enim est, lascivas cogitationes ab animo prohibere, nisi lascivos mulieris aspectus quàm longissimè arceas. S. Clemens Alexandrinus. *Lascivi autem aspectus*, inquit, *& versatilibus, & tanquam conniventibus oculis intueri, nihil est aliud, quàm oculis mœchari, cùm per eos cupiditas ineat prima pugnæ præludia.* Quin & Cyrus apud Xenophontem. *Ignis*, ait, *tangentes urit, pulchri verò etiam eos, qui procul aspiciunt, incendunt, ut amore ardeant.* Sigillatim verò de Davide S. Chrysostomus. *Aperuit*, inquit, *in vano oculos, & suscepit ictum sagittæ: audiant curiosi, qui pulchritudines alienas considerant, &c.* Et S. Augustinus. *Sit casus majorum, tremor minorum &c. boni viri audientes tam sancti viri (Davidis) ruinam, abstinent oculos, non eos defigunt in pulchritudine carnis alienæ. De longè vidit illam David, de qua captus: mulier longè, libido propè: nunquid tu fortior Davide, Salomone sapientior?*

S. Aug. in Reg. Oculus incautus. S. Clem. A lex. l. 3. Pædag. c. 11. Xenoph. l. 5. Pædiæ. S. Chrysost. in Psal. 50. S. Aug. hom 21. inter 50.

310. Tres plagæ, belli, pestis & famis, ob numeratum superbè populum Davidi offeruntur. Lemma. HÆC TUMIDÆ SUNT PRÆMIA MENTIS. Solo enim superbiæ peccato Deum offendit David, uti locupletete testimonio tradit Magnus Augustinus. *Populo numerato*, inquit, *peccatum elationis ejus sic punire placuit Deo, ut eundem numerum minueret morte multorum, cujus multitudine cor Regis fuerat superbia pertentatum. In quo occulto judicio Deus, apud quem non est iniquitas, & quos noverat indignos hâc vitâ, subtraxit huic vitæ; & in illo, qui de hominũ copia se extulerat, tumorem animi humani, ejusdem copiæ diminutione sanavit.* Ita nimirùm Deus, superborum hostis & antagonista juratus, eorum domos, familias, opes, & prædia sternit, evertitque. Dilucidè Salomon. *Domum superborum demolietur Deus.* Celebre est illud Æsopi Mythologi, qui rogatus, *Quid faceret Deus?* respondit, *superbos humiliat, humiles exaltat.*

Superbia. S. Aug. lib 22. contra Faust. c. 66. Prov. 15.

A B I G A I L.

CAPUT CIV.

311. Abigail, Nabalis uxor, hoc prudentior, quò maritus stultior, iratum Davidem suavibus verbis placat. Lemma è Salomone mutuatum. RESPONSIO MOLLIS FRANGIT IRAM. Nihil enim ad mitigandam hominis iram est fortius, quàm comitas & dulcedo sermonis. Unde Siracides. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Cicero, *Difficile*, inquit, *est dictu, quantoperè conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis.* Hinc Antalcidas rogatus, quo pacto quis maximè placere possit hominibus? respondit, *Si loquatur illis jucundissimè, præstet autem utilissima.* Valerius Maximus refert, plebem Romanam, adversus Senatores rebellem, suavi unius Valerii oratione sedatam esse. Item L. Antonium, tempore seditionis Marianæ, missos ad se obtruncandum milites suaviloquentiâ suâ ira obstupefecisse, ut strictos jam, & vibratos gladios cruore vacuos vaginis redderent. Pulchrè S. Gregorius Nazianzenus.

Prov. 15. 1. Ecc. 6. 5. Cic. de off. Sermonis suavitas. Val. Max. 8. c. 9. S. Greg. Nazianz. in Carm. advers. Iratos

Irã

--- Irâ torridum jocis petas;
Adversus iram nam jocis nil fortius.
Quid rebus cunctis extat mitius? Deus,
Quis fervet irâ? carnifex mortalium,
O irâ! fervor, dœmonis domus horridi,
Manifesta vultus macula, turbo mentium,
Crapula, & asile, tartari ad lacus ferens,
Horrenda legio, multiplex labes mali.

Chrysost. hom. 3. de David & Saul.

S. Chrysostomus. *Sicut si infles in scintillam ignis, excitas incendium; si inspuis, extinguis; idem fit in inimicitia proximi: si inflatos ac vecordes ingeras sermones, excitas ignem; si mites ac moderatos, iram omnino extinxeris.*

J O A B.
Cap. CV.

Judas Iscar.

312. Joab, Davidis Regis princeps militiæ, cùm Amasam, supremum Absalonis Belliducem, haberet obvium, simul osculum tulit illius fronti, & pugionem infixit lateri. Lemma. VIDE CUI FIDAS. Joabo simillimus Judas Iscariotes proditor, amantissimum magistrum osculo perfidissimo salutavit, sicque omnium nostrûm vitam sicariis improbissimis necandam tradidit. Hâc de re Ovidius.

Ovid l. 1. de arte.

Tuta frequensque via est, per amici fallere nomen,
Tuta frequensque licet sit via, crimen habet.

Prov. 26. 18. Amicus falsus.

De lethiferâ hâc hominis fraudulenti amicitiâ pronuntiat Salomon, *Sicut noxius est, qui mittit sagittas & lances in mortem, ita vir qui fraudulenter nocet amico suo.* Ut adeò è Salomonis sententia longè magis noceat hostis occultus & in speciem blandus, quam apertus. Unde Boëtius. *Nulla pestis est efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus.* Et Seneca. *Nullæ,* inquit, *sunt occultiores insidiæ, quàm hæ, quæ latent in simulatione officii: nam eum qui palam est adversarius, facilè vitare possis; & Trojanos equus ideò fefellit, quia formam misericordiæ mentitus est.* Vide proinde, cui fidas, *Et,* quod Siracides monet, *consiliarius sit tibi unus de mille.* Theogenis consilium est, *Tu,* inquit, *ne cum amicis omnibus communica, pauci sanè ex multis fidelem habent mentem.* Et Hesiodi apud Aristotelem. *Neque nulli sis amicus, neque multis.* Cæterùm Joabi nomine fallacem mundum intelligere licet, qui sub voluptatum schemate extremam nostram perniciem machinatur.

Boeth. l. de consolat. Senec. l. de providentia. Eccles. 6. 6. Aristot. l. 4. Ethic. c. 10. Mundus fallax.

I S B O S E T H U S.
Cap. CVI.

313. Rege Isbosetho suaviter intra lectulum meridiante, inobservati sicarii penetrant in regiam, atque adeò in ipsum conclave Regis, adrepunt ad lectum, offendunt dormientem; mox confodiunt impotem sui, & obtruncant. Lemma. E LECTO AD LETHUM. Nempe Regis, Principis, aut Prælati est, vigilare: secus enim, se ipsum suosque omnes præsenti discrimini objiciet. Plautus.

Plaut in Rudent.

--- Vigilare decet hominem,
Qui vult sua tempori conficere officia.
Nam qui dormiunt libenter; sine lucro, & cum malo
Quiescunt.

Prælatus vigilans. Negligentia Regis.

Matth. 13. Nahum. 3.

In rem præsentem Christus. *Cùm dormirent homines, venit inimicus &c.* Desidia enim magistratuum, detrimentum est publicum. Nahum, *Dormitaverunt,* inquit, *pastores tui, Rex Assur. Sepelientur principes tui: latitavit populus tuus in montibus, & non est, qui congreget. Pessima est plaga tua.* Id est, ô Rex Ninives, somnolentia Ducum tuorum in causa fuit, cur à Chaldæis Ninive caperetur. Principes enim sepulti veterno fuerunt, & populus, quò se reciperet, non habebat. Isbosetho somnus suus capite stetit. Unde S. Hieronymus *Diabolus non potest oves decipere, nisi pastores antè consopierit.* Et Beda, *Imbecillis est dæmon, vigilantes non vincit, sed dormientes.* Et S. Chrysologus. *Maximæ infirmitatis est, dormientibus irruisse.*

S. Hieron. in Matth. 13. Beda in eundem loc. S. Chrysol. serm. 17.

A C H I T O P H E L.
C A P U T CVII.

314. Achitophel, Davidi Regi ab arcanissimis consiliis, instar oraculi passim adorabatur; ubi verò Absalonem, degenerem tanti Regis filium, pessimis consiliis in patrem armavit, paulò post sua ipsius consilia primus luit, & infami laqueo sibimet vitam abrupit. Lemma. MALUM CONSILIUM CONSULTORI PESSIMUM. Luculentissimè Siracides. *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, & non agnoscet, unde adveniat illi.* Atque hoc sapienter & verè videtur dixisse Hesiodus, *Malum consilium rem pessimam esse consulenti,* fit enim Numinis permissu, (quod iterùm ac sæpiùs testata est experientia) ut mala consilia in auctoris perniciem vertant, & unde fraus profecta est, illuc cum damno revertatur; Cicero, *In tuum,* inquit, *ipse mucronem incurras, necesse est.* Et Livius. *Sentiebat Hannibal, suis se artibus peti.* S. Petrus Chrysologus. *Fremit dolositas, se deceptam, & in se fraus reversa colliditur. Herodes stridet, cadens ipsum in laqueum quem tetendit.* Et Claudianus.

Eccl. 27, 30. Consiliũ malum. Fraus in auctorem recidit. *Livius l. 2. Belli punici. S. Pet. Chrysolog. ser. 152. Claud. l. 1. in Eutrop.*

Qàm bene dispositum terris, ut dignus iniqui
Fructus consilii, primis auctoribus instet.
Sic multos fluvio vates arente per annos,
Hospite qui cæso monuit placare tonantem,
Inventas primùm Busiridis imbuit aras:
Et cecidit sævi, quo dixerat hostia sacri.
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor
Qui funesta novo fabricaverat æra dolori,
Primus inexpertum, Siculo cogente Tyranno,
Sensit opus, docuitque suum mugire juvencum.

A B S A L O N.
Caput CVIII.

315. Absalon, crinibus è quercu pendulus, epigraphen legendam offert. SUO SE LAQUEO INDUIT. Per crinem enim, quibus tantoperè superbiit Absalon, punitur & suspenditur. Ita nimirùm eam ipsam corporis partem experimur plerumque scelerum nostrorum vindicem, quâ adversus Deum abutimur. S. Chrysostomus. *Tunc videri poterat spectaculum admirabile. Mulo enim equitans, ex pilorum comâ à comâ arboris tenebatur, & coma tenebat comâ tyrannum, illuc enim contundens, ubi diadema paternum gestare contendebat.* Appositè de Absalone suo degenere David, *In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se & cadet, cum dominatus*

Superbia. Talionis pœna. *S. Chrysost. hom. in Psal.*

natus fuerit pauperum. Et rursus. *In verticem ipsius iniquitas ejus descendet.* Nam quod Chrysostomus ait, *Capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat, & tanquam fructus pendebat ab arbore, qui naturæ agricolam volebat exscindere.*

S.Chrysost. loc.cit.

Talionis pœnam Deus infligere solet.

316. Absalon è conflictu in fugam effusus, sparsâque cæsarie è quernis ramis suspensus, tandem tribus Joabi lanceis confoditur. Lemma. A TERGO VINDICTA. Hîc mihi tu ultricem Dei manum obstupescas velim, quæ supplicia delictis æqualia & pari omninò mensurâ infligere solet. Primò enim capillis Absalon usus est ad pompam & fastum, nunc verò tot capite gerit laqueos, quot capillos, quibus suspensus est. Secundò Ammonem fratrem temulentum, ferro trucidatum, è mensâ misit ad inferos; Nunc à Joabo consobrino eâdem viâ in idem barathrum missus est, quâ frater præcessit. Tertiò cor ejus tribus maximè vitiis occupabatur, ambitione, libidine, vindictâ. Eam ob causam jure nequissimo tribus jaculis confossus interiit. Quartò, decem parentis conjuges violavit, idcircò ipse à decem juvenibus, dum ad quercum pendulus palpitaret, fœdè vulneratus & occisus est. Quin etiam ipsa terra & cœlum adversus Absalonem conspirare, & tot illius flagitia ulcisci velle, videri poterant: causam enim inquirens Chrysostomus, cur suspensus sit Absalon, respondet. *Poterat ergò videri Absalon suspensus in medio cœli & terræ. Cœlum eum non admittebat; si enim primum insurrectorem ejecit diabolum, quomodo ipsum insurrectorem secundum admisisset? Terra eum aversabatur, non ferens pollui passibus homicidæ. Si enim Dathan devoravit, qui contra Mosen erat locutus, & os suum aperuit adversus eum, qui os improbè aperuerat; quomodò potuisset ferre pedes currentes adversus genitorem?*

S Chrysost. hom. in Psal.

317. Absalon, suspendio solutus, in propinqui nemoris fossam abjicitur, ingenti lapidum acervo super eum ingesto. Lemma. INCIDIT IN FOVEAM, QUAM FECIT. Verbis è Psalte Regio mutuatis. Ea enim Nemesis Divinæ est providentia, ut perniciem, quam aliis struimus, ipsimet sustinere cogamur. Aristotele asserente, Rhadamanti pronuntiatum erat, *Justum est, ut quæ quis fecit injustè, eadem & patiatur.* Plutarchus Pausaniæ, Lacedæmonum Duci, hoc oraculum datum refert.

Psal. 7. 16. Talionis pœna. Arist. 5. Eth. Plut. in Cimone.

Pœna luenda tibi est: affert injuria cladem:

Sic Maxentius pontem dissutilem super Tiberim insidiosè struens insequenti Constantino, ex eodem in Tiberim dejectus, mersusque est; uti refert Eusebius.

Euseb. l. 9. hist. c. 2.

SALOMON.

Cap. CIX.

318. Salomon, in dijudicandis litibus justissimus, duarum matrum controversiam de vivo & occiso infante sapientissimè diremit. Lemma. JUSTITIÆ SAPIENTIA COMES, Aristoteles, & cum eo Ethicorum omnium senatus, in Principe vel Prælato cunctas quidem virtutes, sed cum discrimine requirunt. Duplices, ajunt, virtutes sunt Principis; Majores & minores. Hæ ut stellæ; majores illæ ut sol & luna, luminaria magna, sidera regia. E majoribus primæ justitia & sapientia. Justitia, velut sol, regnum illuminat; sapientia ut luna in tenebris moderatur. Nox merissima, ubi non imperant hæc astra. Scitè dixit, & verè, Augustus Imperator: *Pietate & justitiâ Principes Dii fiunt.* A Salomonis judicio non multùm absimilis Claudius Imperator; qui, Suetonio teste, causam utcunque nebulosam ante se agi audiit. Fœmina Romana non plebeiæ sortis recusavit juvenem quemdam agnoscere filium, dubiâ utrimque argumentorum fide. Claudius explorando mulieris animo: cùm ergò, inquit, non sit tuus filius, nube illi. Cohorruit mulier ad hoc subitum imperium; sicque ab hoc indicio deprehensum est esse filium, quem detrectavit accipere maritum. Illud sapientiæ & justitiæ connubium pulchrè innuens Magnus Augustinus. *Debemus,* inquit, *habere judicium & justitiam. Discernendo judicium habes, faciendo justitiam habes.*

Princeps. Prælatus. Sapientia & justitia.

Sueton. c. 15 vita.

S. Aug. in Psal. 98.

319. Salomon præ divitiis & regnis sapientiam à Deo optat & accipit. Lemma. OMNIA SIMUL CUM EA. Consentaneè nimirùm ad illa ipsius Salomonis verba. *Venerunt autem mihi omnia pariter cum ea,* id est, sapientiâ. Porrò Salomon, uti explicat P. Joannes Pineda, sapientiæ nomine nihil aliud intellexit, quàm prudentiam seu scientiam Ethicam, omnes actiones ad legem & voluntatem Divinam instituendi. Unde se ipsum explicans Salomon ait, *Mitte illam (sapientiam) de cœlis sanctis tuis, ut sciam quid acceptum sit apud te.* Hæc enim sola est illa sapientia, è qua reliqua bona omnia, veluti è fonte uberrimo, scaturiunt. De hac apertè Christus. *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* S. Chrysostomus, *fieri,* inquit, *non potest, ut qui ea quærit, quæ Deo congruunt, humana quoque non assequatur &c. At omne studium in iis, quæ ad vitam hanc pertinent, evacuatur: de spiritualibus autem nulla ratio est, propterea terrena nobis de voto non proveniunt. Christus quippe dixit,* Petite & accipietis, quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis, *hæc in adjectionis parte tanquam adjectitia dicit datum iri. Nos autem ordinem pervertimus, & petimus terram, & bona in terra, quasi cœlestia adjectionis loco nobis donentur. Idcircò neque ista, neque illa habemus. Evigilemus aliquando, & efficiamur futurorum desideratores; sic etiam ista sequentur.* Nec aliter Horatius.

Sap. 7. 11. Sapientia vera. Matth. 6. S. Chrysost. Hom. 4. in ep. ad He. Horat. lib. Ep. 1.

Ad summam, sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex deniq; regum.

Cæterùm sapientiæ nomine etiam Verbum Divinum, æternam scilicet Patris Divini sapientiam intelligere licet, quæ è cœlis in hunc orbem delapsa, bonorum omnium affluentiam nobis contulit; Deus Pater enim, Apostolo teste, *Cum illo* (Verbo Divino) *omnia nobis donavit.* Unde S. P. Augustinus. *Avare,* inquit, *ecce habes omnia. Omnia, quæ amas, ut non impediaris à Christo, contemne; & ipsum tene, in quo possis omnia possidere.*

Christus. Rom. 8. S. Aug. ... Homil. in 34. cap. ...

320. Salomon, è sapientissimo stultissimus, epigraphen tenet, stultitiæ suæ causam penè unicam. MULIERUM AMORE. Ad rem Magnus August. *Salomonis initia desiderio sapientiæ flagrârunt, quam cùm amore spirituali adeptus esset, carnali amisit.* Et S. Bernardus. *Uti Samson vires, sic Salomon sapientiam amisit, & ex toto desipuit,* Turpissimam hanc sapientiæ jacturâ Ecclesiastes ipse deplorans, *Et ipsa,* inquit, *longiùs recessit à me, multò magis, quàm erat.* Causam stultitiæ in Salomone proximâ ex ipsis naturæ legibus assignans Theologorum Princeps D. Tho. Aquinas, *Stultitia vitiū,* inquit, *ex ipsa luxuriâ nascitur, & illius filia rectè dicitur.* Rursus S. P. Augustinus, in scrutandis sacris litteris perspicacissimus, *Salomon,* inquit, *Qui uxores magis ad libidinem, quàm ad propaginem habuit, improbatus est, atque inde ad profundū idololatriæ lapsus atq; demersus.* Et S. Gregorius Papa. *Qui prius,* inquit, *Deo templum construxerat, assiduitate libidinis etiam perfidiæ substratus, idolis templa construere non timuit, ut assiduâ carnis*

Mulierum amor ... xius. Libido. S. Aug. lib. Doct. Chr. c. 21. S. Bern. ... 109. Eccl. 7. D. Tho. 2. q. 7 art. conclus. S. Aug. l. 22. cont. Faust. c. ... S. Gregor. l. 11. mor. c. 11.

Prov.30. 2. Pined. l. 8. de rebus Salom. c. 1. nis petulantiâ usque ad mentis perfidiam perveniret. Ipsi de se Salomoni credes, qui seipsum summæ fatuitatis damnans, *stultissimus sum virorum*, inquit, *& sapientia hominum non est mecum.* Id est, interprete P. Pinedâ, accuso me, quod cum cæteris plus saperem, plus omnibus desipuerim, & qui unum Deum colere debui, idola adorârim, imò solo mulierum amore illectus, toti penè populo idololatriæ choragus & magister extiterim. De Salomone canit D. Emmanuel Thesaurus.

Triforme hoc monstrum
Humano capite, fœmineo pectore, ferinâ caudâ;
Scyllam putas? falleris. Salomon est.
Prudens puer, effœminatus vir, ferus senex.
Hoc puero nemo sapientior,
Unus mortalium omnia scivit, nihil didicit.
Venit ad juvenē prudentia, quæ juvenes fugit;
Sui secura apud pudicū, cui candor pro canitie.
Sed nescias utrùm magis mireris
Senium in infante, an infantiam in sene,
Tantæ causa dementiæ libido.
Ut non immeritò Venerem vocârint Luciferum,
Cùm alterum coluerit in altero, &c.
Sic obiit insanus sapiens,
Hebræorum decus & dedecus,
Inter opes inops, sterilis inter conjugia,
Unico de tot mille thalmis suscepto filio.
Nam nihil Veneri nocentius, quàm Venus.

ROBOAM.

Cap. CX.

321. ROboam, Salomonis filius, neglectis senibus, immaturâ juvenum consilia secutus, decem regni amplissimi partes amisit. Lemma. TANTI REFERT, QUEM CONSULAS. Hebræorum gnoma est; *Sicuti bona sunt quatuor; scilicet opes, scientia, senum consilium, animus demissus; sic ex adverso quatuor sunt mala, scilicet paupertas, ignorantia, juvenile consilium, & animus superbus.* Hinc in porticu tabernæ meritoriæ, in qua olim alebantur veterani & emeriti milites, olim hæc carmina litteris aureis descripta erant.

Consiliū senium.

Cicero lib. de senectute.

Roma vetus, veteres dum te rexêre Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.
Defunctis Patribus successit prava juventus,
Cujus consilio præcipitata ruis.

Suet. in ejus vita. Suetonio teste, fœliciter imperasset Nero, si senis Senecæ & Burrhi consiliis perpetuò, ut cœperat, paruisset. Dionysius Siciliæ tyrannus, si Platonis, senis sapientissimi consiliis obtemperâsset, acceptum à patre imperium liberis suis firmius reliquisset; at quia ipsi juvenum adulationes anteposuit, regno dejectus, compulsus est fieri ludimagister. Cicero ait, *Maximæ Respublicæ per adulescentulos labefactatæ, à senibus sustentatæ & restitutæ sunt. Cùm enim ad gubernacula Reipublicæ temerarii atque audaces homines accedunt, maxima ac miserrima naufragia fiunt.* Juxta Hesiodum, *Bella sunt juvenum, opera virorum, consilia senum.*

Cic. in Catone majore.

JEROBOAM.

Caput CXI.

322. JEroboami manus, adversus Prophetam extenta, subitò diriguit, exanimi similis. Lemma. RIGET IN VATEM RIGIDA. Nimirùm præceptionis Davidicæ oblitus est Jeroboamus. *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Nunquā enim sacerdotes aut ministros Dei impunè lacesses. Providè monet S. P. Augustinus. *Sacerdotis est, in pace populum admonere, quid debeat agere: populi est, in humilitate audire, quæ monet sacerdos.*

Sacerdotes honorandi. Psal. 104. 15.

S. Aug. serm. 166. de temp.

ADDO. *Cap.* CXII.

323. TAnta Addonis Prophetæ in hostes erat indulgentia, ut sacrilegam Jeroboami manum, quæ contra illum extenta obriguerat, mox suis precibus pristino vigori restituerit. Lemma. BONUM PRO MALO. E Christi consilio, *Benefacite his, qui oderunt vos.* Cæterùm ut discas benefacere inimicis, rationem audi è Magno Augustino planè convincentem. *Si tibi diceret Deus, ora pro inimico tuo, ut sis filius patris tui, ne exhæredet te pater carnalis, quia hoc tibi relicturus est, quod hinc non est ablaturus; timeres & faceres: promittitur tibi ut sis filius altissimi; cogita patrem, & agnosce hæreditatem.*

Inimicorum dilectio.

Luc. 6. 27.

S. Aug serm. 254 cap. 8.

ELIAS. *Cap.* CXIII.

324. ELias à corvis pascitur. Lemma à Vate Regio desumptum. NON VIDI JUSTUM DERELICTUM, NEC SEMEN EJUS QUÆRENS PANEM. Tanta nimirùm Dei in suos fideles est providentia, ut ipsos etiam corvos, aves malignas, inhumanas, & voracissimas in eorum obsequium cogat. Id, quod præter Eliam, exemplo suo testatur Paulus primus Eremita, ad quem corvi indies dimidium panem afferebant; integrum verò, adveniente S. Antonio, uti S. Hieronymus prolixè refert. Compertissimum proinde habetur, quod in vita S. Onuphrii legimus, Deo & Angelis singularē Eremitarum ac Religiosorum curam esse; ut, qui omnia propter Deum deseruerunt, ab omibus, præterquam Deo, deserti. S. Basilius. *Carmelus*, inquit, *mons sublimis ac desertus Eliam habuit, cui viaticum cibusq; fuit spes in Deo, & cum ita viveret, fame tamen extinctus non est, sed avium rapacissimi corvi, cibum ei attulêre, & qui alienas solebant escas invadere, viro justissimo ministri fuêre, naturæ quoq; obliti, in pane carneq; ei afferendis Dominico præcepto paruerunt.* Hortatur ad hanc fiduciam Psaltes. *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Voces illæ ab Abrahamo prolatæ. *Dominus providebit*, symbolum sint & clypeus omnibus in arcta fortuna constitutis, præsertim Religiosis.

Psal. 36.

Providentia Dei in suos fideles.

S. Hier. in vita S. Pauli

Religiosus habet Deum curatorem.

S. Basil hom. 8. in divites avaros.

Psal 54.

325. Orante Eliâ, lecythus olei viduæ Sareptanæ non deficit. Lemma lecytho inscriptum. FUNDUS SINE FUNDO. Ita nimirum pascentem se viduam pavit Elias, & ingentem Eleemosynæ quæstum, fontemque illius indefectibilem, manifestum fecit. Opportunissimè S. Hieronymus. *Recordemur*, inquit, *viduæ Sareptanæ, quæ & suæ, & filiorum saluti Eliæ prætulit famem, ut in ipsa nocte moritura cum filio superstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere, quàm eleemosynam, & in pugillo farinæ seminarium sibi messis Dominicæ præparavit. Farina seritur, & olei capsaces nascitur: in Judæa frumenti est penuria: granum enim tritici ibi mortuum fuerat, & ingentium vidua olei fluenta manabant.* Idipsum de sancto Euthymio testatur Baronius, qui farinâ in monasterio deficiente, illam multiplicavit, cum dicto, *Bono estote animo, quantùm enim egentibus impertitis, duplum nobis Dominus elargietur. Spero enim, quod, sicut olim hydria farinæ non defecit, ita nunc minimè sit defectura.* Sancti Joannis Eleemosynarii, Archiepiscopi Alexandrini axioma erat, *Quò plura erogo in pauperes, eò plura semper & majora*

Eleemosyna.

S. Hieron. ep. 10. ad Fur.

Baron. Anno Christi 564.

Leontius in ejus vita.

jora à Deo recipie, Sanctus Basilius Eleemosynam puteo vel fonti comparat, qui, quò plus aquæ effudit, eò amplius aquæ recipit.

326. Elias ignem è cœlo evocat in vindictam injuriæ, Deo & sibi illatæ. Lemma. HUIC MILITAT ÆTHER. Ea enim hominum justorum est prærogativa, ut pro libitu cœlos flectere, & causæ suæ vindices ipsosmet superos advocare possint. De Elia refert Siracides. *Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cœlo ignem ter.* Nam ut ait Philo, *cùm amicorum omnia sint communia, idcircò Deus potestatem & opes suas cum sanctis communicat.* Et S. Chrysostomus. *Clavis cœli fit sermo Eliæ sanctissimi; jubet enim & clauditur; orat postmodum, & aperitur.* Unde Claudianus.

[Justorum potestas. — *Eccl 48.2.* — *Philo l 3 de vita Mosis.* — *S Chrysost. serm. 2. de Elia.*]

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas acies, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

327. Elias Jordanis aquas, pallio percussas & divisas, sicco pede transit. Lemma. TRANSIT INTACTUS. Ita vir fortis inter casuum humanorum fluctus nihil unquam noxii madoris aut impatientiæ contrahit. DisertèSalomon. *Non contristabit justũ, quidquid ei acciderit.* Nam, ut notat Hugo Card. Tò *acciderit: Accidens*, inquit, *adest, vel abest præter subjecti corruptionem; ita præsens prosperitas, & tribulatio viro justo adest vel abest præter ejus contristationem & conturbationem.* Oportunè S. Joannes Chrysostomus. *Nihil aliud*, inquit, *tam molestum est, quàm Deum habere offensum. Id si absit, non afflictio, non insidiæ, non alia res ulla molestiam afferre potest rectè sapienti: sed quemadmodum exiguam scintillam, si in profundam aquam immergas; ita quamvis magna animi dejectio, si in bonam incidit conscientiam, perit, facilèque evanescit.* Quare D. Thomas docet, in Christo & justis fuisse tristitiam quæ apprehenderet & sentiret mala, non quæ perturbaret rationem. Pulchrè Comicus.

[Justus inter calamitates. — *Prov. 12. 21.* — *Hug. in hunc loc.* — *S. Chrysost. hom. 1. in 2. ad Cor..* — *D. Thom. 3. q. 15. a. 6.*]

Continentis ac patientis vita tranquillissima est;
Beata vita perpes est tranquillitas.
Gymnasium sapientiæ est tranquillitas;
Vis dolere, vis gaudere parciùs? vive tibi.

Cæterùm eodem symbolo etiam illos significaverim, qui malorum consortia innoxii transeunt. Nam *sicuti gravioris culpæ est, inter bonos, bonum non esse, ita*, asserente S. Gregorio, *immensi præconii est, bonum etiam inter malos extitisse.*

[Societas mala. — *S. Greg. 1. Mor. c. 1.*]

328. Elias curru igneo in æthera rapitur. Lemma. ATTOLLOR AB IGNE. Ignis nomine charitatem intellige, cujus rotis, quasi alis, in cœlum subvehimur. Unde de Elia ait S. Chrysostomus, *Igneus currus congruebat igneo Eliæ animo ad eum vehendum in cælum.* Et S. Ambros. *His charitatis alis Elias curru igneo & equis igneis ad superna translatus.* Elias enim toto vitæ suæ spatio nonnisi zelum, mentemque igneam spirabat. Porrò Elias, curru igneo in cælum sublatus, insignem æternæ gloriæ typũ exhibet, quæ justos omnes, post triumphatas hujus mundi calamitates recipit. S. Ambros. *Elias, magister Elisæi, nonne Angelis ducentibus raptus ad cælum est, & quadrigâ igneâ impositus, quasi in quodam triumpho victor ascendit? Victor enim extiterat, non gentium barbararum, sed sæcularium voluptatum. Siquidem graviores inimici sunt pravi mores, quàm hostes infesti: ut faciliùs intelligamus, hoc tempore malignitatem hostium vinci posse quàm morum.*

[Charitas. — *S Chrysost. hom. de Elia.* — *S. Ambr. c. 8. de Isaac.* — Sancti. — *S. Ambr. serm. de Elisæo.*]

329. Filius Sareptanæ viduæ unicus ex ægritudine lethali decesserat. Miseratus afflictam Elias, susceptum de materno sinu exanimem puerum defert in suum ipse cænaculum, reponit in lectulo, in preces effunditur. Inde contractis ad modum puerilis corpusculi membris, os ori, oculos oculis, manus manibus, pedes pedibus componit, tertiumque repetito incubitu & inhalatione spiritûs, tandem animam exanimi corpori reducit. Lemma. VITAM INCUMBENDO REDUCIT. Hæc Eliæ super exanimem puerum incubatio significat animarum zelum; est enim peccator quasi cadaver exanime & frigidũm, gratiâ cœlesti destitutum, quæ est vita animæ. Unde viro zeloso indiget, qui ei vitam ac calorem amoris Dei, detestationisque scelerum inspiret. Ita faciebat Paulus, *Factus sum*, inquit, *infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem.* Et, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Porrò etiam Incarnationis mysterium hoc symbolo repræsentatur. Nam Christi Deitas expandit se super humanitatem nostram, eique quasi seipsam admensa est, & coæquavit, ut frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuam vitæ redderet. Unde *Cum clamore valido ac lacrimis preces offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Ad rem S. P. August. *Filius viduæ defunctus jacebat, quia filius Ecclesiæ, id est, populus gentium, multis peccatis & criminibus mortuus est. Orante Elia filius viduæ suscitatur; veniente Christo filius Ecclesiæ, id est populus Christianus, de carcere mortis reducitur; Elias inclinatur in oratione, & vivificatur viduæ filius. Et Christus procumbit in passione, & suscitatur populus Christianus.* Et S. Prosper. *Dominus Jesus seipsum exinanivit, formam servi accipiens: parvum se illi parvo coaptavit, ut efficeret corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ. Jacens subter se frigidum suo calore succendit. Sic suscitatus est mortuus, dum a morte perpetua justificatus est impius.*

[Zelus animarum. — *1. Cor. 6. 22.* — *Galat. 4. 9.* — Christi incarnatio. — *Rom. 9.* — *S. Aug serm. 201 de temp.* — *S. Prosp. p. Prædict. c. 3.*]

ACHAB. *Caput* CXIV.

330. Rex Israëlis ditissimus Achab, avaritiâ fuit adeò inexplebili, ut regiis amplissimis opibus minimè contentus, etiam in pauperrimi Nabothi vineam involare, eamq; diripere non erubuerit. NUNQUAM SATIATUR AVARUS. Inexplebilis est avaritia; quò plus consequitur, hoc plura appetit. Hic tortor animũ & corpus Achabi cruciavit, nec ullam ei quietis partem concessit, donec Nabothi vineã cupiditatibus suis adjiceret. Insigniter S. Ambr. *Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet, quò plures ascenderit, eò ad altiora festinat, unde sit gravior ruina lapsuro.* Et post nonnulla. *Deniq; nos docet scriptura Divina, quàm miserè egeat dives avarus, quàm abjectè mendicet. Rex Achab in Israël erat, & pauper Naboth; ille regni opibus afluebat, iste angusti soli cespitẽ possidebat: nihil pauper de possessionibus divitis concupivit; Rex sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus; Quis igitur tibi pauper videtur? qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? alter pauper censu videtur, alter est pauper affectu.*

[Avaritia. — *S Ambr. l. Naboth c.*]

331. Achabus Rex, velut mancipium vilissimum, Jezabeli, Dominæ potiùs, quam uxori suæ, venundatus videri potuit; hâc enim instigante, peregrinam religionem induxit, aras Baali struxit, vineã Naboti rapuit, ipsum Nabothũ cum filiis per summum nefas è medio sustulit; donec tandem ipse in tot flagitiosorum pœnam telo sit interfectus. Lemma. NOCET FÆMINA, SI IMPERAT. O quoties etiam hodie verum illud Isaiæ, *Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominatæ sunt eis.* Calamitas calamitatũ gravissima. Portentũ est, si pedes manusve capiti imperẽt; nõ minus, si marito dominetur uxor. Vir uxorius non agit, sed agitur; imo rapitur. quocũque lubet ipsius Proserpinæ, etiam ad inferos. Monet Siracid. *Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingre-*

[*Isa. 3.* — Fæminæ impote[ns] imperiũ — Vir uxorius. — *Eccl. 9.*]

[...]to apud [...]vium. l.

ingrediatur in virtutem tuam. Cato monet viros, ne uxores sibi æquari sinant. *Extemplò enim*, inquit, *simul ac pares esse cœperint, superiores erunt. Proinde date frænos impotenti naturæ, & indomito animali; desperate, ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis.*

NABOTH. *Cap.* CXV.

Iustitia vi opprimitur.

332. NAboth ob negatam vineæ possessionem, Jezabele jubente lapidibus obruitur. Lemma. VIS, NON JUS. Violentia enim, proximũ justitiæ excidium, omnes illius vires convellit, nullumque regiæ hujus virtutis vestigium relinquit; idque admodum accommodatè; cùm *vis* vocabulo per anagrammatismum inverso, *jus* evadat; metamorphosi non minùs malignâ quàm frequenti. Ciceronis dictum est, *Nihil juri tam inimicum, quàm vis.* Appositâ similitudine id comprobans Siracides; *Concupiscentia spadonis*, inquit, *devirginabit juvenculam; sic qui facit per vim judicium iniquum:* quasi diceret, quàm indignum, omnique juri contrarium est, à spadone vim inferri virgini, tam indignum & infame nefas est, à judice vim inferri justitiæ sibi concreditæ, ut nocentes absolvat, damnetq; innocentes! Justitia enim, Platone, Gellio & Pierio testibus, olim virginis incorruptæ forma repræsentari solebat. Adversus Principes idipsum gravissimè olim conquestus Isaias; *Væ*, inquit, *qui condunt leges iniquas, & scribentes, injustitiam scripserunt: ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei.* Et Jobus. *Vineam ejus, quem vi oppresserunt, vindemiant.*

Cicero pro Mac. cel. 10. Plato l. 12. de leg. tab. 34. Gellius l. 14. c. 4. Pierius Hierolog. 42. cap. 16. Isaia 10. 1. Job. 24.

E L I S Æ U S.

Cap. CXVI.

Reliquiæ Sanctorum. S. Chrysost. hom. in Mart. Ignatium.

333. ELisæus ab Eliâ pallium, & cum eo spiritum duplicem (duplò majorem) accipit. Lemma. VIRTUS AB EXUVIIS. Hinc disces, suam sacris Divinorum lipsanis esse virtutem, dignamque hominum ergà illa venerationem. Eam ob rem D. Chrysostomus provocat Christianos ad monumenta Martyrum, spondetque uberrimam ab iis salutem. *Sanctorum enim*, inquit, *non modò corpora, sed & ipsi loculi & monumenta spirituali gratiâ referta sunt.* S. Augustinus tot miracula ad S. Stephani reliquias brevissimo tempore facta testatur, ut multis libris scribendis opus foret, si omnia percenseri deberent. Rursùs idem Chrysost. affirmat, *Diabolos exhorrere, & fugere ipsas catenas, quæ licet ferreæ sint naturæ, Divinâ tamen gratiâ & potentiâ plenæ sunt, & ab his dæmonum pravi spiritus enecantur.* Deniq; S. Greg. Nazianz. *Omnia*, inquit, potest *pulvis Cypriani, cum fide, ut sciunt hi, qui ipsi experti sunt, & miraculum ad nos usque transmiserunt.*

S. Aug. l. 22. de Civit. c. 8. S. Chrysost. Ser. de Venerat. Catena S. Petri. S. Greg. Naz. Orat. in Cyp.

334. Elisæus filium Sunamitidis à morte suscitat, ad staturã ejus sese toto corpore componens. Nam, ut sacra Pagina loquitur, *Incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, & oculos super oculos ejus, & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri.* OMNIBUS OMNIA. Verbis è D. Paulo mutuatis, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Ita omnes Prædicatores, cæterique animarum præsides sese proximorum infirmitatibus quàm maximè accommodare debent, idque omni conatu facere, ut peccatores, veluti mortua cadavera, è scelerum veterno reviviscant, S. Jordanes, S. Dominici in Generalatu successor, dicere solebat. *Si cuicunq; scientiæ aut disciplinæ tantum studuissem, quantum studui huic sententiæ D. Pauli, Omnibus omnia factus sum. essem doctissimus & eminentissimus in illa; quia tota vita mea studui me accommodare cuilibet, ut essem miles cum milite, nobilis cum nobili, plebejus cum plebeio, procurando semper hâc ratione ipsorum emendationem, atq; advigilando, ne perderem aut læderem animam meam per lucrum alienæ.* Porrò Elisæus, uti nomine, ita & facto repræsentavit filium Dei. Pulchrè id explicans S. P. August. *Venit*, inquit, *Elisæus, & ascendit in cœnaculum, quia venturus erat Christus, & ascensurus crucis patibulum. Inclinavit se Elisæus, ut puerum resuscitaret; humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis jacentem erigeret. Misit Elisæus oculos super oculos, manus super manus: Videte fratres, quantùm se vir ille perfectæ ætatis contraxit, ut parvulo mortuo & jacenti congrueret: Quod enim Elisæus in puero præfiguravit, hoc in toto genere humano Christus implevit. Audi Apostolum dicentem. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. Quia parvuli eramus, parvulum se fecit. Quia mortui jacebamus, prius se medicus inclinavit; quia reverà fratres nemo potest jacentem erigere, si se noluerit inclinare.*

4. Reg. 4. 34. 1. Cor. 9. 22. Prædicator. Zelus animarum. Vita S. Iord. Christus. S. Aug. serm. 106. de temp.

334. Naaman, princeps Syrus, Elisæi jussu septies in Jordane tinctus, à lepra sanatur. Lemma. E SEPTENARIO SALUS. Septena Ecclesiæ Sacramenta hoc Emblemate significantur, quibus omnis peccati lepra abstergitur, suntque quasi septem animæ baptismata & ablutiones. S. Ambrosius; *Disce*, inquit, *spiritualia sacramenta signari. Corporis remedium petitur, mentis acquiritur. Abluitur caro, affectus diluitur. Non enim magis corporis, quàm mentis lepram video fuisse mundatam: quando post baptismum veteris erroris colluvione detersâ, negat se Diis alienis hostias, quas spoponderat Domino, litaturum.* Cæterùm septenarius numerus in sacris litteris plenitudinem, universitatem, & perfectionem significat, uti testatur S. Augustinus & Macrobius. Sic Sabbathum erat septimus dies; septimus item annus erat libertatis & Sabbathi terræ; septem hebdomadæ dierum erant Pentecoste, septem hebdomadæ dierum erant jubilæum. Orationis Dominicæ petitiones, extrema Servatoris nostri verba, Spiritûs sancti dona, Psalmi pœnitentiales, & Horæ Canonicæ numero clauduntur septimo. Unde etiam Deipara Virgo, veluti absolutissimum omnis perfectionis prototypon, in sacris litteris nonnisi septies locuta legitur. *1. Quomodo hoc fiet. 2. Ecce ancilla Domini. 3. Maria salutavit Elisabeth. 4. Magnificat anima mea Dominum. 5. Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. 6. Vinum non habent. 7. Quodcúnque jusserit vobis, facite.*

Sacramenta septem. S. Ambros. l. 4. in c. 4 Luc. Septenarius numerus. Macrob lib. in somnium Scipionis c. 6. Maria V. septies locuta.

335. Eidem symbolo inscribes. NON AQUA, SED OBSEQUIUM. Tametsi enim Jordanis aquæ naturâ suâ nihil ad emundandam lepram potuerint, imò cæteris Damasci fluvii, Abanâ & Pharphare longè infirmiores fuerint, cœca tamen obediendi voluntas eam sanandi virtutem Jordani indidit, & obsequenti Naamo opem pro votis efficacissimam tulit. S. Hieronymi monitum est. *Crede tibi salutare, quidquid monasterii Præpositus præceperit, nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire, & implere quæ jussa sunt, dicente Mose, audi Israel & tace.* Breviter S. Gregorius. *Nescit judicare quisquis perfectè didicit obedire.* Climacus veram obedientiam suis coloribus depingens, *Obedientia*, inquit, *est perfecta abnegatio propriæ animæ & corporis, mors voluntaria, vita sine solicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo, suo onere aliis imposito.*

Obedientia cœca. S. Hier. ad Rusticum. S. Greg. in l. 4. Reg. c. 4. Climachus gradu 4.

336. Elisæus, projecto in aquam ligno, ferrum natare facit. Lemma. A LIGNO SUBLEVATUR

S. Crux. IN ALTUM. Sanctam Servatoris nostri Crucem hæc imago repræsentat: infelix enim & misera hominis natura ob peccati originarii gravitatem in mortis & æternæ damnationis pelagus instar ferri delapsa, sine sanctæ Crucis ligno emergere non potuit. Disertus in rem præsentem S. P. Augustinus. *Veniens Elisæus*, inquit, *misit lignum: & natavit ferrum. Quid est lignum mittere, & ferrum in medium producere, nisi patibulum crucis ascendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omni peccatorum limo per crucis mysterium liberare? postquam verò natavit ferrum, misit manum Propheta, & recepit illud, & rediit ad utiles usus Domini sui. Ita & de nobis factum est fratres dilectissimi, qui de manu Domini superbiendo cecideramus, per crucis lignum iterum ad manum vel ad potestatem Domini redire meruimus. Et ideò quantùm possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ne iterùm superbiendo de manu Domini corruamus.* Et S. Ambrosius. *Vides ergò, quod in cruce Christi omnium hominum levatur infirmitas.*

S. Aug. serm. 210. de temp.

S. Ambr. l. 2 de sacram. c. 2.

337. Cadaver hominis, in sepulchrum Elisæi projectū ex contactu ossium Prophetæ, revivi scit. Lemma. TANTI EST, CONJUNGI BONIS. Hinc disces, bonæ societatis tantas esse vires, ut gravissimos quosvis peccatores ad pristinam animæ vitam revocare valeat. Porrò Emblemate illo innuitur, sacras Divorum reliquias omnium miseriarum nostrarum efficacissima esse antidota, & certum naufragantis valetudinis portum. S. Chrysostomus. *Eam ob causam*, inquit, *concessit nobis Deus reliquias Sanctorum, ut nos ad se eorum imitatione perducat, ut sint nobis velut portus quidam, & idoneum solatium eorum malorum, quæ assiduò nos affligunt. Quamobrem vos omnes cohortor, fratres, ut si quis vestrùm ægritudine animi, vel corporis morbo, vel quâvis aliâ calamitate premitur, ut cum fide huc accedat, & ab illis omnibus liberatus, magna cum lætitia revertetur &c. Utilis igitur cunctis hic thesaurus est, refugium salutare, tam illis, qui rebus duris atque asperis & peccatis conflictantur, ut ab iis liberetur; quàm illis, qui prosperè & feliciter degunt, ut diu fruantur bonis. Illis qui morbo laborant, ut bonam valetudinem consequantur; illis qui commodâ gaudent valetudine, ne in morbum aliquem incurrant.*

Societas bona.

Reliquiæ Sanctorum.

S Chrysost. hom in Martyrem Ignatium.

JEZABEL. Cap. CXVII.

338. JEzabel, stibio picta, & fucata, epigraphen sustinet. MOX STERCUS ERIT. Hæc penè ipsa verba præit Sacra Pagina. *Porrò Jezabel depinxit oculos suos stibio, & ornavit caput suum.* At quis tantæ vanitatis epilogus? *Erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Jezrahel; ita ut prætereuntes dicant, Hæccine est illa Jezabel?* Itane fortuna vices suas mutans, Jezabelem è summo gloriæ in imum ignorantiæ prostravit? Itane decor ille orbis pulchritudo in sordidum stercus degeneret, & canum verminmque esca evadat? Verissimè Poëta.

4 Reg. 9. 30.

Ibid. 37.

Forma fragilis & fortuna.

Ovid 2. de arte.

Forma bonum fragile est, quantumq; accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.

Dilucidè id confirmans Siracides, ait, *Cùm morietur homo, hæreditabit serpentes & bestias & vermes.* Et S. Ephræm. *Quid est homo? nihil. Quid homo? vermis. Quid homo? cinis ac pulvis. Quid homo? somnium. Quid homo? umbra; Ecce transivit, cessavit. Finem accepit magnus ille & invictus leo, tyrannus fortis, potens atque elatus, qui cunctis formidabilis erat; nunc jacet quavis ove mitior; qui magnus videbatur super multos, factus est tanquam nullus: qui alios tenebat, detentus est: qui ligabat, vinculis constrictus est.* Hoc fine mundi pompa clauditur: in hanc catastrophen genus, forma, potentia desinunt. O quoties profuit, ista meminisse! S. Franciscus Borgias, Dux Gandiæ, permotus horrore aspecti cadaveris Isabellæ, conjugis Caroli V. nuper formæ miraculi, quod omnium in se oculos converterat, & alias quasvis venustates extinxerat, animum induxit ad falsa & fluxa bona contemnenda, & cœlestia terrenis, divina humanis, æterna caducis anteponenda. Optimum proinde S. Cypriani consilium est, *Inunge oculos tuos non stibio diabolico, sed collyrio Christi.* Cæterùm etiam libidinosis hoc Emblema mentem saniorem incutiat; huc enim stulti fæminarum amatores, lascivos oculos & nares admovete, & quas delicias insanè deperitis, ex Jezabelis contemplatione discite; quas putabatis rosas, lilia, balsamum, sordes, lutum, cœnum, oletum, stercus esse deprehendetis.

Eccl. 10. 13.

S. Ephræm tract. de iis, qui in Christo dormierunt.

Mors.

S. Cypr. tract. de opere & Eleemos.

Libidinosus.

ATHALIA Cap. CXVIII.

339. Athalia, ambitiosæ crudelitatis monstrum, & fœmina supra omnes feras immanis, regnandi libidine adeò effreni exarsit, ut, cùm thronum suum non aliter stabiliendum censeret, nisi effuso stemmatis Davidici sanguine, proprios suos nepotes ac filios omnes vastâ & promiscuâ cæde interfecerit. Lemma. MALUM MALA FÆMINA SUMMUM. Siracides cum suspirio pronuntiat, *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris.* Et S. Chrysost. *O malum,* exclamat, *omni malo pejus, mulier mala! malum intolerabile, vipera irremediabilis, venenum insanabile! si injuriam patitur, insanit, si honorem accipit, extollitur: si potentis uxor sit, non cessat die ac nocte, callidis stimulare sermonibus: blanditur nequiter, & quot vult importunè, rapit violenter.* O quoties hoc genus furiæ infamârunt sæcula, & non familiarum tantùm, sed regnorum exitiis ultimæ stetêre causæ!

Fæmina mala.

Eccl. 25.

S. Chrysost. serm de Ioa. Bapt.

JOAS. Cap. CXIX.

340. JOas initio regni longè optimus, cultum Divinum restituit, idola demolitus est, lucos excidit, pacem, Religionem, justitiam longè lateque promovit. Tenuitque hæc Regis pietas tamdiu, dum præceptorem habuit Jojadam sacerdotem; hoc verò è vivis sublato, mox ex optimo evasit pessimus: Prophetam interfecit, idolorum cultum non tantùm permisit, sed ipse quoque, spreto Dei templo, secutus est. Conquerentem audi ipsammet sacram paginam. *Fecit Joas, quod bonum est coram Domino cunctis diebus Jojadæ sacerdotis. Postquam obiit Jojada, ingressi sunt principes Juda, & adoraverunt Regem, qui delinitus obsequiis eorum, acquievit eis.* Et quomodò acquievit? *Dereliquerunt templum Domini Patrum suorum, servientq; lucis & sculptilibus.* Lemma. EX OPTIMO PESSIMUS. Tanta est mortalium inconstantia! hinc illud Sapientis. *In vita ne laudes quemquam.* Nimium quantùm initia & finis in motibus hominum distant. Joas quantum mutatus ab illo! miratur hoc S. P. August. & exclamat. *Vidimus multos Domine, & audivimus à Patribus nostris, quod utiq; sine magno tremore nō credo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitus quodammodò usque ad cœlos, & inter sidera nidū suum collocâsse;*

2. Paral.

Inconstantia.

Perseverantia.

S. Aug. in soliloq. c. 2.

Educa-

casse, postmodum cecidisse usque ad abyssos. Eodem Symbolo doceris, quantum in hominibus possit bona educatio, & unius viri auctoritas ac sapientia. Quis enim melior Joâ, vivente Jojadâ? Quis deterior, eo extincto.

342. Zacharias Pontifex, spiritu Dei concitatus, summo vigore contra sacrilegos cultus, à Joâ Rege institutos detonuit. Inde Rex efferatus, eum in ipso templi atrio, ubi tum concionabatur, lapidibus obrui indignissimè jussit. Extremæ morientis voces exceptæ, *Videat Deus, & requirat.* Nec in irritum cecidere. Nam Judæi per Hazaëlem Syriæ Regem, paulò post gravissimè sunt afflicti; Joas probris ac plagis ab hostibus affectus; morbus inde ab eo contractus & cruciabiles dolores; servi in eum conjurârunt, morteque violentâ sustulerunt. Unde lemma. SEQUITUR SUA PŒNA NOCENTEM. Hanc ipsam vindictam prædixit perfidis Judæis Christus. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ &c. ut veniat super vos omnis sanguis justus &c. usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ* (seu Jojadæ, ut explicat D. Hieronymus) *quem occidistis inter templum & altare.* Atque adeò, Magno Augustino teste, *Hæc pœna malorum est atque exitus, ut primò cupiditatum suarum igne vastentur, deinde malorum operū fœtore à cœtu beatorum abjiciantur, postremò arrepti atque submersi, ineffabiles pœnas luant.*

[Margin: 2. Paral. 24. — Pœna sequitur peccatū. — Matth. 23. — S. August. in Psal. 10.]

AMASIAS.

Caput CXX.

342. Amasiam, Judææ Regem, nupera victoria, quam Deo Duce ab Idumæis retulit, adeò inflavit, ut Deum reliquerit, Idolis thura cultumq; detulerit, & Israëlitas, propriis nixus viribus, bello aggredi destinârit; donec permittente Deo ab hostibus captus, ante victoris currum in vinculis actus, obtruncatusque sit. Lemma. MISERUM VICTORIA FECIT. Cladibus suis doctus Amasias, docet alios, magnam felicitatis partem esse, felicitatis sensu non nimium tangi; fortunæ indulgentiam, nisi modestè habeatur, uno momento everti: Qua de re gravissima sunt non apud profanos solùm, sed etiam apud sacros documenta. Sapienter Paulus Consul apud Livium. *In secundis rebus,* inquit, *nihil quemquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm, quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferent, nec adversa infringent.*

[Margin: Prosperi- s fragi- li. — Livius l. 45.]

IONAS. Cap. CXXI.

342. Jonas Vates, ortâ tempestate, ductis sortibus projicitur in mare, & cessat tempestas. Lemma, ipsius Jonæ ore exceptum. EJICIAR EGO, UT TEMPESTAS DESINAT. Tanta enim fuit Jonæ charitas, ut servandæ aliorum saluti, ipse solus perire voluerit. Eorum hæc idea est, qui patriæ incolumitati suam postponunt. Tullius, *Chari,* inquit, *sunt liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium charitates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem appetere, si ei sit profuturus?* Et rursus. *Nullus est casus pro dignitate & libertate patriæ non ferendus.*

[Margin: Charitas. — Patria a- manda. — Cic. 1. Offic. — Item Philip.]

344. Jonas è ceto, veluti in sepulchro, triduum circumfertur vivus in pelago; & tandem precibus ad Deum fusis, in littus à pisce evomitur. Lemma. UT VIVERET PERIIT. Christum, è morte redivivum, hæc figura præ cæteris omnibus accommodatissimè repræsentat; uti enucleatè expendit, traditque Doctorum Phœbus Augustinus, his omninò verbis. *Missus Jonas ad civitatem Niniven, ut ejus finem prædicaret; Missus est Christus à Patre, ut finem mundi omnibus demonstraret. Ascendit navē Propheta fugiens; lignum Christus ascendit, per mare hujus sæculi transiens. Irruit tempestas magna in mari; perturbatio maris, perfidia Judæorum. Projectus est è navi in mare Jonas; mors Christi in cordibus gentium collocata est. Susceptus est à bestia Propheta custodiendus, non comedendus; audi hic ipsius vocem Christi per sanctum David: Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem; In ventre bestiæ marinæ oravit Jonas; sanctos in inferno Christus descendens mortuos suscitavit. Tertio die Propheta littori incolumis est redditus; die tertio Christus de sepulchro surgens super cœlos est exaltatus. Ad prædicationem Jonæ Prophetæ per pœnitentiam salvata est civitas; per Christi prædicationem sancta Jerusalem redempta est civitas.* Cæterùm Jonas, è pisce redivivus, corporum nostrorum resurrectionem probat, uti eruditè explicat S. Iren.

[Margin: Resurrectio Christi. — S. Aug. l. 4. de symb. ad catech. c. 6. — Resurrectio hominum. — S. Iren. l. 5. cont. Hæres. c. 5.]

345. Jonâ concionante & interminante, resipiscunt Ninivitæ; moxque supplicii jamjam decreti veniam consequuntur. Lemma. TIME TONITRUA, UT EVITES FULMINA. Ita nimirum manifesto indicio te à reproborum excidio immunem credere poteris, si Prædicatorum minis & exhortationibus aures præbeas morigeras ac benignas. Nam D. Chrysostomo teste, *uti esurire signum est valetudinis in corpore, sic amare Divina eloquia, indicium maximum sanitatis in anima.* Dilucidè Servator, *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Andreas Vega, *Ninive,* inquit, *ut verisimile est, multos habuit, qui ab accepta gratia aliquando exciderunt, & tamen subitò ad prædicationem Jonæ Deum agnovit, & per pœnitentiam non solùm interminatæ mortis periculum evasit, sed &, ut Chrysostomus asserit, vitæ incognitæ coronam accepit, faciliusque est, ut Augustinus ait, evacuata comminatio Prophetæ, quàm humiliatio pœnitentiæ.* Denique Emblemate isto edoceris, Deum gravissima supplicia nonnunquam minitari, ut illorum formidine supplicia omnia effugiamus. S. Chrysostomus, *Homines,* inquit, *minantur supplicium, & re ipsâ infligunt; at non sic Deus, sed contrà omninò, & prædicit, & differt, & verbis terret, & nihil non facit, ut, quæ minatur, auferat. Hoc etiam fecit in Ninivitis. Nam illic quoque arcum tetendit, & gladium vibravit, & jacula paravit, & ictum non inflixit. An non tibi videntur Prophetæ verba esse arcus, & telum, & gladius acutus, quando dicit; adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur? sed telum non emisit; non ideò enim erat apparatum, ut emitteretur, sed ut reponeretur.*

[Margin: Verbum Dei liberaliter audire. — S. Chrysost. hom. 14. in Genes. — Vega l. 13. de justific. c. 5. — Pœnitentia. — S. Aug. l. de Pœnit. med. cap. 5. — Minæ Dei. — S. Chrysost. Hom. in Ps. 7.]

346. Jonas, sub hederâ umbram & quietem captans, paulò post, urente sole, & vermiculo totam rodente hederam, gaudia sua tristis perdit. S. Scripturæ verba sunt, *fecit sibimet* (Jonas) *umbraculum, & sedebat subter illud in umbra, & lætatus est Jonas super hederâ lætitiâ magnâ.* Hoc quamdiu? subitò Deus aufert, quidquid hoc erat umbraculi: *Et paravit Deus vermem, ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit. Et petivit* Jonas *animæ suæ ut moreretur, & dixit, Melius est mihi mori, quàm vivere.* O lætitiam & brevem & inanem! Unde lemma è D. Paulo mutuatum. MOMENTANEUM QUOD DELECTAT. Hedera enim illa vanissimam mundi, omnisq; voluptatis terrenæ spem sub oculos ponit; quippe *quæ,* ut S. textus loquitur, *sub una nocte nata est, & sub una nocte periit.* Certè enim honor, pompa, delitiæ, opesque mundi,

[Margin: Jon. 4. n. 5. & 6. — Ibid. n. 7. & 8. — Voluptas terrena brevis. — Jon. 4. 10. — Mundi honores quæ & divitiæ.]

Mundi honores & divitiæ. quæ unâ nocte obveniunt, unicâ tantùm nocte durant, iterumque vix nata vel flaccescunt, vel à morte, morbo, odio, rapinâ, aliisque mundi injuriis, ceu totidem vermibus, subitò eroduntur. Æquo id animo ponderans Tullius, sapienter censet, animum ab omni terrena voluptate avocandum, solumque in cœlesti ac stabili defigendum. *Cogitantes superiora*, inquit, *atque cælestia, hæc nostra ut exigua ac minima contemnamus*. Et rursus. *Confer nostram longissimam æternitatem, & brvissima reperietur: tunc erimus beati, cùm corporibus relictis, cupiditatum & æmulationum erimus expertes*. Item. *O Dii boni, quid est in hominis vita diu? Mihine diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cùm enim id advenit, tum illud, quod præteriit effluxit, tantùm remanet quod virtute & rectè factis sit consecutus. Horæ quidem cedunt, & dies & menses, & anni, nec præteritum tempus unquam revertitur, nec, quid sequatur, sciri potest.* Verissimè Seneca Tragœdus.

Cicero q. 4. Academ.

Idem in Tuscul. 1.

Idem in Catena majore.

Senec. in Thyeste.

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem,
Nemo confidat nimium secundis
Nemo desperet meliora lapsus.
Miscet hæc illis, prohibetque Chloto
Stare fortunam, rotat omne factum
Nemo tam Divos habuit faventes,
Crastinum ut possit sibi polliceri
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

O Z I A S. *Cap.* CXXII.

347. PRosperi rerum successus, cùm debuissent Oziam Regem ad venerationem & amorem liberalissimi Numinis accendere, arrogantiam & Dei contemptum ei induxerunt; nam regio non contentus diademate, sacerdotum insuper ac Pontificum involare tentabat munus & infulas; templum enim ingressus, thuribulum præter morem arripit, thura super altare reluctante Pontifice incensurus: mox tamen vindicta Divina audentem percussit leprâ, & arâ solioque ejectum, tandem etiam vitâ exturbavit. Lemma. SUPERBUM PROSPERA PERDUNT. Salomonis testimonio, *Prosperitas stultorum perdet illos.* Sapientes utuntur rebus secundis ad suum commodum & virtutis profectum; insipientes ad superbiam & interitum, quod de Ozia S. Scriptor asserit. Pulchrè S. Bernardus. *Prosperitas incautis est hoc ad disciplinam, quod ignis ad ceram; quod solis radius ad nivem & glaciem. Magnus, qui in adversa incidens, non excidit à sapientia; nec minor, cui felicitas si arrisit, non irrisit. Quanquàm faciliùs invenerim, qui sapientiam retinuerunt contrariâ sibi fortunâ, quàm qui propitiâ non perdiderunt.* Et S. Chrysostomus. *Non ferebat*, inquit, *Ozias principatûs magnitudinem; sed quemadmodum ex edacitate nascitur inflatio, ex inflatione gignitur febris; deinde ex febri plerumque mors: itidem & hic ex actionum eminentia, nata est superbia: mox ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium, nempe muneris Pontificii.* S. Scripturæ de Ozia verba sunt. *Cùm roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum, & neglexit Dominum Deum suum.*

Prosperitas nocet incautis. Prov. 1.

S. Bern. l. 2. de consid. c. 12.

S. Chrysost. hom. de verbis Isaiæ.

2. Paral. 26.

Sacerdotum libertas in suo officio defendendo. 2. Paral. 26.

348. Irruentem ad thura adolenda Oziam Regem, impetu, quo poterat, maximo repulit Azarias Pontifex, octoginta sacerdotũ globo cinctus; quod nefas existimârint, manus profanas sacris admoveri ministeriis. Lemma. PROCUL HINC, PROCUL ESTE PROFANI. Sacræ Paginæ verba sunt, *Sacerdotes restiterunt Regi, atque dixerunt; non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Vide*, inquit in rem præsentem Chrysostomus, *libertatem; vide mentem servire nesciam; vide linguam cælos attingentem; vide orationem imperterritam, & nullo fastigio humano concutiendam.* Hâc libertate usus est S. Ambrosius, cùm Theodosium Imp. intra cancellos Chori, sacratorum hominum locum, rei Divinæ assistentem, jussit inde recedere, cum dicto: *Purpura Imperatorem facit, non Sacerdotem.* Et ille non minùs promptè demisseque paruit, quàm fortiter Ambrosius imperavit. Abeste ab aris profani; *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, quemadmodum Aaron.*

S. Chrysost. hom. 4 de verbis Isaiæ.

Laicus non se immisceat officio sacerdotali.

Heb. 5.

I S A I A S. *CAPUT* XXIII.

349. ORante Isaiâ, in Ezechiæ Regis gratiam, Sol umbram suam decem gradibus in horologio sciotherico retrahit. Lemma. CLARIUS EX UMBRA. Sicuti enim Ezechias Divinam beneficentiam è retrogradâ illâ Solis umbra perspicuam erga se habuit, ita Dei benignitas rebus in afflictis quam maximè elucet. Ut adeò ab Apostolo verissimè vocetur, *Deus patientiæ & solatii*, seu oceanus omnis consolationis, quàm in servos suos afflictos subindè adeò cumulatè effundit, ut illis capiendis impares exclamare cogantur cum S. Francisco Xaverio, *Satis est Domine, satis est.* Porrò sicuti Dei, ita & hominum amicitia è calamitatum umbris clarior efficitur, & in illis veluti lapide lydio probatur. Unde Siracides. *Si possides amicum, in tentationibus posside eum.* Nam, ut sapienter Beda, *Amicum res secundæ parant, adversæ probant.* Et Isocrates apud Maximum, *Amicos ex vitæ calamitate & periculorum participatione probato: aurum enim igne probamus, amicos autem in rebus adversis dignoscimus.* Certè Deus amicorum omnium fidelissimus, *Consolatur nos in omni tribulatione nostrâ.* Quare apud S. P. N. Augustinum canit Poëta.

Benignitas Dei in calamitatibus.

Rom. 15. 5.

Amicitia inter calamitates cognoscitur.

Eccl 6. 7.
Beda in Proverb. litt.

2. Cor. 1.
S. Aug. l. amicitia c.

Non est personæ, sed prosperitatis amicus,
Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

E Z E C H I A S. *Caput* CXXIV.

350. EZechias, collapsam Religionem restituturus, proprio aliis prævivit exemplo; & quæ fieri voluit a suis, prius ipse præstitit; facienda jussit non tam verbis quàm factis, uti prolixè testantur Regum Fasti. Hinc est illud Sacræ Paginæ de optimo Rege elogium. *Fecitq; mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moysi.* Lemma. PRÆEUNDO RESTITUIT REM. Nihil certè Regum exemplis est efficacius. Nervosè Numenius Stoicus dixit, Regem esse opus Dei, legem Regis, legis justitiam, justitiæ felicitatem. Quamobrem invigilandum Principibus, ut justè, sanctèque in regno omnia administrentur, & ipsi exemplo præluceant, quibus convenit esse innocentiæ templa, arasque justitiæ. *Nihil in suis penatibus*, ait Cassiodorus, *venale habeant; nihil ambitioni atque avaritiæ pervium; omnia favori potentium, & libidini clausa.* Quid, quod subditi vehementer ad virtutis studium excitentur, si vident eos, qui præsunt, incitamenta magis factis quàm præceptis præbere? nam ut Plutarchus docet, *Oportet principem, & quemlibet magistratum, moribus imperium docere.*

4. Reg. 18.

Exempla efficacit. te imperant.

Cassiod. l. 4 epist. 12.

Plut. in Princ.

351. Posteaquam Sacra pagina de optimo Rege Eze-

Ezechiâ dixerat, *Fecitque mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moysi,* mox subjungit, *Unde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat.* Quare Ezechias, Judæis ex Assyrii tributi servitute liberatis, sacrilegis delubris fanisque eversis, & plurimis victoriis, aliisque præclarè gestis, conspicuus, epigraphen tenet. DUCE DEO. Nempe *Deo duce* procedunt expeditè cuncta. Sapienter Aristides; *Reges optimè res humanas administrant, cùm se reddunt Deo similes.* Ezechiam pietas cum Deo conjunxit: Dei familiaritas sapientiam ei peperit: sapientia thesauros & opes attulit, tam regni, quàm animi, nullis fortunæ injuriis eripiendas. Ex his consecuta est illa felicitas, quam Deus promisit, *Quicunque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Pulchrè S. P. Augustinus. *In hoc agone, cùm laboramus, Deum poscimus adjutorem; si enim nos ipse non adjuvat; non dico vincere, sed nec pugnare poterimus.*

Deus omnis felicitatis author. Reg. 2. Aug. de verb. Apost. ser. 13. c. 9.

352. Ezechias morbo lethifero implicabatur adeò gravi, ut non ab hominibus tantùm, sed ab ipso etiam oraculo Divino, per Isaiam denuntiato, fuerit judicatus immedicabilis. Morbum hunc ideò à Deo immissum censet D. Hieronymus, ne de victoriâ, triennio post adversus Assyrios obtinendâ, insolesceret. Lemma. NE PEREAT, ÆGROTAT. Deus, quos amat, castigat, arguit. Religiosissimus olim senex discipulo ægrotanti dixisse fertur: *Ne tristeris fili mi, ob morbum corporis. Si ferrum es, per hunc ignem rubiginem exues; si aurum es, novum nitorem indues.* Eleganter S. P. Augustinus. *Si aurum es,* inquit, *quid timens ignem? si frumentum es, quid times tribulam? non apparebis, qualis antea eras in spica, nisi tribula conterendo, à te separaverit paleas. Si oleum es, quid times pressuram preli? non declarabitur species tua, nisi etiam pondus lapidis à te secreverit amurcam.* Et rursus. *Sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; ita una eademque vis, bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat, exterminat.* Morbus est lapis lydius, examinator virtutis, scrutator conscientiæ, excitator pœnitentis animi, monitor æternitatis.

Morbus utilis. Aug. ser. 3. de Temp. barbarico. Idem lib. 1. de civit. c. 8.

353. Ezechias, Regum aliàs optimus, divitias suas regias, quas ex præda Assyria nimium quantùm instruxerat, auxeratque; superbè ostentans, mox hujus jactantiæ, tametsi levissimæ, pœnas satis graves dedit; Dei enim incurrit reprehensionem, & Isaiæ Vatis in seros posteros præsagas minas; futurum quippe, ut, quos geniturus erat liberos, & thesauros, quibus intumesceret, Babylonii in terras suas prædando deportarent. Sacræ Paginæ verba sunt, *Elevatum est cor ejus, & facta est contra eum ira & contra Judam, & contra Jerusalem,* Lemma. PERDIT, DUM OSTENTAT. Huc convenit illud Horatianum.

2. Paral. 32. Ostentatio. Vana gloria.

--- Tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, & multò rixæ minùs, invidiæque.

Idipsum in actionibus virtuosis experimur, quas dum vanè ostentamus, non tantùm perdimus, sed insuper Divinam Nemesin in nos concitamus. Meritò Cassianus ait, *Ezechiam sole & morte retrogressis, elationis telo concidisse.* Accommodatè S. Bernardus, *Time sagittam* (gloriam vanam) *leviter volat, leviter penetrat; sed dico tibi, non leve vulnus infligit.* Crescit è virtutibus vana gloria, & vires acquirit. *Cætera vitiorum genera,* inquit rursùs Cassianus, *solent eos tantùm impugnare, quos superârint in certamine; hoc vitium suos victores acriùs insectatur.*

Cass. l. n. c. 6

SENNACHERIB.
CAPUT CXXV.

354. Rex Sennacheribus, obsidens Hierosolymam, immisso cœlitùs Angelo, centum octoginta militum millibus unà nocte deletis concidítur, Lemma è Prudentio subjunctum. FRANGIT DEUS OMNE SUPERBUM. Prudentii verba sunt, Superbia. Prud. in Psychom.

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum,
Magna cadunt, inflata crepãt, tumefacta premũtur,
Disce supercilium deponere.

Decreto indispensabili *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Incredibilis erat Sennacheribi adversus Deum superbia, ut ausus sit dicere. *Quis est ex omnibus Diis terrarum, qui eruerit terram suam de manu mea?* O homo! ô lutum! ô cænum! contra quem insurgis? quem injuriâ & convitio lacessis? Eum, quem *columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus,* Deus, Deus est, qui tibi cornua franget superbe. *Quid tam superbum, quid tam ingratum videri potest,* inquit S. Hieronymus, *quàm adversus ejus vivere voluntatem, à quo ipsum vivere acceperis? quàm illius præcepta despicere, qui ideò aliquid imperat, ut causam habeat remunerandi?* Nunquàm impunè superbit homo; *Nam superbia turrim evertit,* (Verba sunt Innocentii Papæ) *Linguam confudit, prostravit Goliam, suspendit Aman, interfecit Nichanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, & Sennacherib interemit; sedes ducum superborum destruxit Deus, & radices gentium superbarum arefecit.*

Iacob. 4. 6. Isa. 36. Iob. 26. S. Hiero. in Epist. Innoc. de vilitate conditionis humanæ.

355. Sennacheribum Deus ad plectendas gentes flagellum adhibuit, & veluti lictorem ac satellitem iræ suæ, sed tamen vindicem Dei manum minimè effugit tyrannus Sennacheribus; nam post exercitum suum ad internecionem ab Angelo deletum, Ninivem est reversus, ibique tumultuantium seditione exterritus ad delubrum confugit, ubi à duobus natu majoribus filiis ad ipsam aram trucidabatur. Lemma. QUI PRÆDARIS, ET IPSE PRÆDABERIS. Alludunt lemmatis verba ad illud Isaiæ. *Væ tibi qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Nimirùm instrumenti loco adhibet Deus improbos, ut justi per ipsos flagellentur; eâ tamen conditione, ut ipsos etiam flagellatores sua postea maneat promerita pœna. Ita flagella Dei fuerunt, seque nominârunt Attila; Tamerlanes, Totila, aliique prædones orbis, ebrii semper, & nunquam saturi humano sanguine. Ergò inter hostium injurias observandum, quod Magnus Ethices Magister, S. Augustinus, commonet. *Quidquid acciderit justo, voluntati Divinæ deputet, non potestati inimici. Quid sibi ergò plaudit iniquus, quia flagellum de illo fecit Pater meus? Illum assumit ad ministerium, me erudit ad patrimonium. Facit hoc Deus, quod plerumque facit & homo, apprehendit virgam jacentem in medio, fortasse qualecunque sarmentum, cædit inde filium: ac deinde projicit sarmentum in ignem, & filio servat hæreditatem. De malitia mali flagellatur malus, & de servo emendatur filius.* Et rursus. *Ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia nec diabolus tibi aliquid faciet, nisi ille permittat, qui desuper habet potestatem, aut ad pœnam, aut ad disciplinam. Ad pœnam impiis, ad disciplinam filiis. Flagellat autem omnem filium, quem recipit.*

Impii sunt instrumẽta iræ Divinæ. Isa. 33. S. August. in Psal. 41. Idem in Psal. 31. Hebr. 12.

S 4 TOBIAS.

TOBIAS. *Caput* CXXVI.

356. Immanis piscis, ad devorandum Tobiam è mari prosiliens, Angeli jussu à Tobia capitur; cujusque exenterati cor, fel & jecur in medicamenta asservantur. Lemma. EX HOSTE SALUS. Ita nimirùm omnes dæmonum, aliorumque hostium assultus, si generoso ac patiente animo accipiantur, maximam animæ nostræ salutem conciliant; sicque Apostolo asserente, licet facere etiã *cum tentatione proventum*. Ita Vitæ Patrum de seniore quodam referunt, qui discipulum gravi fornicationis flammâ tentatum videns, *Si vis*, inquit, *ô fili, deprecor Dominum, ut auferat à te istam impugnationem.* Cui discipulus, *Video Pater, quia, etsi laborem sustineo, sentio tamen fructum in me perficere bonum, quia per occasionem impugnationis hujus & amplius jejuno, & amplius in vigiliis & orationibus tolero. Sed deprecor te, ut exores pro me misericordiam Domini, ut det mihi virtutem, quatenus possim sustinere, & certare legitimè.* Mox senior, *Nunc cognovi, fili, quia fideliter intelligis, quod hoc spiritale certamen per patientiam ad salutem æternam animæ tuæ proficiat.* Sic Alexander Magnus, similesque Duces, optabant validissimos hostes, ut victoriam tantò gloriosiorem ab iis referrent, quò acriùs cum iis iniissent certamen. Opportunè S. Bernardus. *Prudenter sagittari, & impugnari salubriter postulat Sanctus: Confige timore tuo carnes meas; optima timor iste sagitta, qui configit & interficit carnis desideria, ut spiritus salvus sit. Sed & qui castigat corpus suũ, & in servitutem redigit, nonne te etiam videtur tibi manum contra se pugnantis ipse juvare?*

Tentatio prodest.

1. Cor. 10. 13. Hostes prosunt. *Vita Patrum.*

S Bern ser. 29. in Cant.

357. Tobias, felle piscis pro collyrio usus, parenti cæco oculos visumque restituit. Lemma. DULCE LUMEN, REMEDIO AMARO. Ita nimirùm animæ nostræ oculus mordaci rerum adversarum felle mirè collustratur; ibi præsertim, quando amaritiem illam æquo ac patienti animo toleras. S. Gregorii aphorisma est, *Oculos, quos claudit culpa, pœna aperit.* Et S. Augustini. *Tribulatio excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, illuminat cæcutientem, coronat innocentem.* Plinius secundus in Epistola ad Maximum, eleganter de morbo disserens, *Nuper*, inquit, *me cujusdam amici languor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia, aut libido sollicitat? non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcunque ut relicturus satis habet: tunc Deos, tunc hominem se esse meminit: invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit aut alitur, balnea imaginatur & fontes. Hæc summa curarum, summa votorum, mollemque imposterum & pinguem si contingat evadere, hoc est, innoxiam beatamque destinat vitam. Possum ergò, quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus Philosophi docere conantur, ipse breviter tibi mihique præcipere, ut tales esse sani perseveremus, quales nos futuros profitemur infirmi.*

Tribulatio.

S. Aug. ep. 121.

Plin secund. l 7 ep. 26 ad Maximum.

358. Septem Saræ mariti ob effrænatam libidinem occultâ spiritûs stygii manu sunt suffocati, atque adeò tumulum repererunt in thalamo. Octavus verò maritus Tobias, auspicio jugalis consortii à pietate ac castimoniâ ducto, incolumis cum conjuge Sarâ non sine parentum & amicorum congratulatione evadit. Unde adgeniculantibus ad thorum novis illis conjugibus, epigraphen subjunges. NIL CASTIS OBERIT. Hinc discant conjuges, fatalem esse ipsorum libidinem, quâ instar equi & muli adhinniunt uxori. Rectè S. Fulgentius, *Conjugalis potestatis inculpabilis est usus, officio gignendi divinitus attributus, si justitiæ terminum transgredi, libidinosus non permittatur excessus.* Et S. Clemens. *Matrimonium propter liberos, non propter voluptatem esse debet.* Sapienter Plato. *Oportet parentes gignere & educare filios; qui vitam tanquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes juxta ipsius legem.* Xystus, Pythagoricus Philosophus; *Adulter*, inquit, *est in suam uxorem omnis impudicus amator ardentior; quia solam quærit voluptatem, non prolem.* Unde S. Francisci discipulus Ægydius, uxorato cuidam, multùm de castitate conjugali & fide thori glorianti, respondit, *Vide quem te laudes; potest enim quis inebriari vino, quod ex propria cella & dolio venit.* Propterea Apostoli monitum est, *Honorabile conjugium (sit) & thorus immaculatus.*

Matrimonium. Conjugalis castitas. *S Fulg. ep. 1 cap. 3.*

S. Clem. strom. 3. Plato l. 6. de leg.

Heb 10.

MANASSES. *Cap.* CXXVII.

359. Manasses Isaiam Prophetam, cognatum suum, serrâ medium secari jussit, donec tandem, per omnia flagitia volutatus, in carcere inter catenas pœnitentiam egerit. Lemma. IN TENEBRIS LUCEM. Digna in rem præsentem Sacræ paginæ de Manasse verba. *Manasses, postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo Patrum suorum. Deprecatusque est eum, & obsecravit intensè. Et cognovit Manasses quod ipse esset Deus.* Ita nimirum anima nostra lucem nunquam magis copiosam, quàm inter calamitatum tenebras sortitur. Disertè Siracides. *Flagella & doctrina in omni tempore sapientia.* S. P. Augustinus ad Deum conversus, *Imples*, inquit, *tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te; ne deliciis & securitate perversâ seducantur.*

Calamitates prosunt.

2. Paral. 33. 12.

Eccl. 22. 6.

S. Aug. in Psal. 55.

AMON. *Cap.* CXXVIII.

360. Amon, Manassis, parentis flagitiosissimi, filius minimè degener, scelera cuncta per compendium pravitatis, in unicum biennii sui, quo regnavit, curriculum ita congessit, ut nequitiâ patrem superârit. Existimavit is quidem, se libidini in juventute velle indulgere, & patris exemplo in senectâ pœnitentiam agere; sed fefellit opinio, Deo celeriter ejus flagitiis faciente finem, ut adeò secutus quidem sit patrem peccantem, non verò pœnitentẽ. S. Clemens Alexandrinus, & Glycas referunt, Amonem dixisse. *Pater meus à puero multa scelera fecit, ac in senecta pœnitentiam egit, quare & ego in hac ætate pro animi libidine me geram, & deinde ad Dominum me convertam.* Lemma. PARIT DILATIO MORTEM. Terreat hoc juvenes, quos licentior ætas audaces facit ad spes vitæ & frugis in longum jaculandas. *Non tardes*, inquit Siracides, *converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Hinc illa Sapientis cautio. *Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies. Deus*, asserente Magno Augustino, *pœnitentiæ tuæ indulgentiam promisit.* Et S. Anselmus. *Qui differt in futurum, & forsitan non futuram ætatem, suam vitã corrigere, certum bonum dimittit pro dubio, & contemnendo quod perdit, probat, se non amare, quod expectat, & meretur non accipere.* Quocirca David, *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare*

S Clem. Alex. l. 2. Strom. Ap. cap. 23. Glyc. in Annal.

Pœnitentiæ procrastinatio.

Eccl. c. 5. Prov. c.

S. Aug. Psal. 4. S. Anselm. epist. 1.

Psalm. 4.

corda

Sur. lib. de brev. vitæ. corda vestra. Quin & Seneca. *Non pudet*, inquit, *te reliquias vitæ tibi retinere, & id solum bonæ mentis reservare, quod in nullam rem converti possit? quàm serum est, tunc incipere vivere, cùm desinendum est.*

SEDECIAS.

Cap. CXXIX.

361. SEdecias, Rex Judæ, à Nabuchodonosore, Rege gentili, ad solium patris sublevatus, ei sese clientem & vectigalem fore, juramento obstrinxit. Paulò post tamen violati sacramenti pœnas adeo graves dedit, ut totam suam stirpem, regnum, & seipsum miserrimè everterit. Lemma. MISER, QUIA PERJURUS. Usque adeò erga quosvis indiscriminatim sancta esse debet jurati reverentia verbi. Disce hinc, quàm fides etiam hosti sit servanda, & quàm fractæ vindex sit Deus. Monet Isocrates Principem, *Verbis tuis*, inquiens, *major sit fides injuratis, quàm juratis aliorum. Famâ stant imperia; quâ si Princeps exciderit, quid erit nisi larva, amicis pariter, inimicisque ridenda?* Seneca teste, *Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, Fides stabilit regna; perfidia evertit.* Memorabile est, quod de Uladislao, Hungariæ Rege, tradit Bonfinius. Uladislaus enim contra fidem, pactaque, bellum Amurathi, Turcarum Imperatori; sibi verò, regnoque maximam cladem intulit. Videbatur initium prælii favere perfidiæ; magnâ cæde fugantur Turcæ. Quod animadvertens Amurathes, depromit è sinu codicem initi sanctissimè fœderis, intentisque in cœlum oculis, contestatur Christum Jesum, ut & nominis sui, juramento interpositi, & Turcarum ulciscatur injuriam. Audiit vindex Deus; fortuna vertitur; Hungari cæduntur, fugantur. Rex ipse Uladislaus, mali causa, trucidatur.

Juramentum erga omnes servandū.

Sec. Ep. 89

Bonfinius l. 26.

NABUZARDAN.

CAPUT CXXX.

362. NAbuzardan, Nabuchodonosoris jussu, urbem Solymæam intrat, totamque flammis succendit. Verba sacræ Paginæ sunt, *Nabuzardan, Princeps militiæ, servus Regis Babylonis, venit in Jerusalem, & succendit domum Domini, & domū Regis: & domos Jerusalem, omnemque domum combussit igni, &c.* Lemma. SOLYMÆOS DESTRUO MUROS. Septuaginta Interpretes *Nabuzardanem* vertunt *Archimagirum*, seu *Principem coquorum*. Unde S. Gregorius Nabuzardanis nomine gulam accipit, quæ omnia animæ nostræ præsidia evertit. *Princeps coquorum*, inquit, *destruxit muros Jerusalem. Princeps namque coquorum venter est, cui magnâ curâ obsequium à coquis impenditur, ut ipse delectabiliter cibis impleatur: Muri autem Jerusalem, virtutes sunt animæ, ad desideriū supernæ pacis* (quam significat Jerusalem nomine suo) *elevatæ. Coquorum igitur princeps muros Jerusalem dejicit; quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.* Et rursùs. *Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non prius per afflictam ventris concupiscentiam, carnis incentiva devicerit. Neq; enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, si non prius intra nosmetipsos positus hostis, gulæ videlicet appetitus, edomatur; quia si non ea, quæ nobis sunt viciniora, prosternimus, inaniter ad ea, quæ longius sunt, impugnanda transimus. Incassum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, si intra ipsa mœnia civis insidians habetur.* Quare Abbas Pœmen dixit, *Nisi Nabuzardan, princeps coquorum venisset, templum Dei non arsisset, hoc est, nisi desiderium gastrimargiæ irrepsisset, anima libidine non conflagrasset.*

4. Reg. 25.

Gula.

Greg. p. 3. Pastor. admon. 20.

Idem l. 30. Moral. c. 12.

In Vitis Pat.

HIEREMIAS.

Caput CXXXI.

363. HIeremias, in Divinis arcanis penetrandis perspicacissimus, se ipsum tamen Doctoris ac Prophetæ munere longè inferiorem ac indignū censuit. Unde ipsius verba. *A, a, a Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Lemma. QUO SIBI VILIOR, HOC DEO CAPACIOR. Et verò quisquis à Deo destinatur ad magna, tantò paratior ad illa accedit, quantò sese imparatiorem agnoscit, Nimirùm, ut ait S. Gregorius, *Sancti viri, dum Divinitatis arcana audiunt; quantò magis contemplando proficiunt, tantò amplius despiciendo, quod sunt, aut nihil, aut propè nihil esse cognoscunt.* Sic Moses, etsi omni Ægyptiorum sapientia instructus, impeditioris tamen & tardioris linguæ se arguit. Sic Jobus insipienter se locutum, & quæ ultra modum excederent scientiam suam, demissè confitetur. Isaias virum labiis pollutum se appellat, &c.

Hierem. 1.

Humilitas.

S. Greg. l. 35. Moral. c. 2.

Exod. 4.

Iob. 42.

Isa. 6.

364. Hieremias, veritatis defendendæ ac promulgandæ causâ, alapis cæditur, in nervum cogitur; flagellis dilaniatur; in foveam subterraneam, & rursùs seminudus in puteum demergitur; è patria abripitur, & demùm lapidibus obruitur à propriis civibus. Lemmatis loco parœmiam illam subjunges: VERITAS ODIUM PARIT. Id quod de omnibus SS. Martyribus pronuntiat Magnus Augustinus. *Martyres* inquit, *vivificati sunt, ne amando vitam, negarent vitam; & negando vitam amitterent vitam, At sic qui pro vita veritatem deserere noluerunt, moriendo pro veritate vixerunt.* Et rursus. *Peccatores in ægritudinem eam devenerunt, ut cibum veritatis, quo sanæ animæ gaudent, tanquam felleum sustinere non possint.*

Veritas odium parit.

SS. Martyres.

S. August. in Psal. 115. Conc. 2.

Idem in Psal.

SUSANNA

Caput CXXXII.

365. SUsanna, in extremis angustiis constituta, stringente duorum senum libidine, aut vitam amittere, aut pudicitiæ jacturam facere debebat. Reperit tamen consilium generosus animus, satiusque rata est, vitam perdere corporis, quàm animæ. Verba Heroinæ sunt, *Melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Lemmatis loco illud Poëtæ subjunges. ANTE SCELUS, CASTÆ MORS SUBEUNDA FUIT. Susanna mori maluit, quàm fœdari: probè gnara, ei honestum vile esse, cui nimis chara est vita. Geminum hinc documentum offertur. Primò, omnia bona, ipsamque adeò vitam postponendam esse innocentiæ. Magni August. hâc de re doctrina est, *si tibi diceretur, aut bibas, aut morieris; melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.* Secundò, peccati horrore omnem adimi mortis horrorem. Surius in vita S. Anselmi, Episcopi Cantuariensis, scribit, eum dicere solitum; *si hinc peccati horrorem,*

Dan. 13.

Innocentia morti præferenda.

Peccatū.

S. Aug. serm. 232. de Temp.

Sur. in vita.

Peccati horror.

horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessario uni eorum immergi deberem, prius infernum, quàm peccatum appeterem.

DANIEL, Cap. CXXXIII.

366. Daniel, etiamnum adolescens, adulteros duos senes sapientissimo judicio convicit. Lemma. NON ANNIS, SED INGENIO. Ipsâ enim experientiâ constat, senum prudentiam non rarò ab intellectu juvenili longè superari. Salomone teste, *Melior est pauper & sapiens, Rege sene & stulto.* Unde P. Cornelius à Lapide in hunc locum acutè observat, Salomonem, puerum sapientem, se ipso jam sene & stulto longè fuisse meliorem, quippe qui ætate grandior per luxuriam & idololatriam desipuit, seseque unà & regnum perdidit. Certè Hermogenes decimo quinto ætatis suæ anno tantæ fuit sapientiæ & eloquentiæ, ut ad eum audiendum Antonius Imperator ventitaret; Unde illud, *Hermogenes inter pueros senex.* De Tobia testatur sacra Pagina, *Cùm esset junior omnibus, nihil tamen puerile gessit in opere.* Et de S. Malachia, Hyberniæ Episcopo, S. Bernardus. *Agebat senem moribus, annis puer, expers lasciviæ puerilis.* Iisdem encomiis S. Basilium prolixè ac facundè exornat D. Greg. Nazianzenus.

Eccl. 4, 13.
Tob. 1, 4.
S. Bern. in vita.
S. Greg. Naz. Orat. 20.

367. Sapientissimo Danielis judicio casta Susanna à morte, in innocentem jam decretâ, liberatur. Lemma. BONA CAUSA TRIUMPHAT. Disce hinc, innocentiam nonnunquam quidem premi, nunquam tamen opprimi, Deo acerrimo innocentum omnium judice ac vindice. Ita Josephi castitatem, ab herâ tentatam infamatamque, ita defendit & illustravit, ut hodie etiamnum toto orbe deprædicetur. Ita S. Agnes, Lucia, Theophila, & aliæ quamplurimæ Virgines, ad leones vel lenones iniquè damnatæ, Angelo tuente illæsæ permanserunt. De Susanna pulchrè S. Augustinus. *In illis ventis & fluctibus castitas naufragium non fecit; quia Dominus gubernavit. Clamatum est, ventum est, processum est. Pervenit causa ad judicium. Domus Susannæ crediderat contra dominam senioribus falsis. Aliud credebat domus, aliud videbat Dominus: homines nesciebant, senioribus credi videbatur. Ergò moriendum erat; sed si caro moreretur, castitas coronaretur. Affuit Dominus precanti, exaudivit, quam noverat; non deseruit, ne moreretur, cui subvenit, ne adulteraretur.*

Innocentia premitur, non opprimitur.
S. Aug. ser. 2. ex addit. à Carth.

368. Daniel cum sociis mittitur in fornacem ardentem, incolumisque servatur. Lemma. IN IGNE PROBANTUR. Tam admirandum, quàm pulchrum est, inter impuros ignes, quos aures oculique hauriunt, non ardere. Et majus profectò miraculum est, ut prisci Patres passim de Josepho Patriarcha loquuntur, animum in tentatione libidinis, quam corpus in medio igne perdurare illæsum. Hic Isaias solatium ingens omnibus Dei servis instillans, *Noli timere,* inquit, *quia redemi te, & vocavi te nomine tuo; meus es tu. Cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Cæterùm Sancti intra calamitatis flammas virtutum suarum experimenta præbere jubentur; ii enim, qui cœlo digni sunt, nihil unquam vitii aut spiritualis jacturæ inde contrahunt. S. P. Augustinus more suo eruditè ac eleganter de his ipsis tribus juvenibus, *in fornacem,* inquit, *missi sunt Sancti, fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expavescunt. Timent ignes lædere, quos jussi sunt incolumes servare. Ostendunt justorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet Sanctis cum igne jocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Licet in pœnâ esse securos, quos extra pœnam non licuit esse intactos, ut ubi interitus, ibi salus, ubi supplicia, ibi invenientur refrigeria. Accipe hostis à suppliciis exemplum, qui humanitatis perdidisti consilium. Homines sæviunt, & supplicia venerantur, ignes hospitio justos cum omni honore suscipiunt, & libenter obsequium parant. Hostis mutato genere sævit, nec aliquâ pietate movetur, nec humanitate blanditur: posset vincere, si posset ignibus imperare. Offeruntur ergò ignibus justi, vestitu tecti, vinculis colligati, sed defenduntur ardoribus; & quos humana vis damnavit, ignis absolvit.*

Castitas.
Isa. 43. 1.
Calamitates.
S. Aug. serm. 240. de Temp.

369. Tam potenter adversus Danielem egit hominum invidia, ut eum in leonum lacum præcipitârit; quamvis innocentiâ, seu clypeo, usus, exinde illæsus & incolumis evaserit. Lemma. SECURUS, QUIA INNOCENS. Quisquis enim legis Divinæ ac innocentiæ suæ rationem habet, securus etiam inter feras incedit. Pulchrè S. P. Augustinus. *Subdere,* inquit, *ei, qui supra te est, & infra te erunt illa, quibus præpositus es. Quia verò per peccatum homo deseruit eum, sub quo esse debuit, subditus est eis, supra quæ esse debuit. Intendite quid dicam, Deus, homo, pecora: supra te Deus, infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est, ut agnoscant te, qui infra te sunt: ideoq; cùm Daniel agnovisset suprà se Deum, agnoverunt illum suprà se leones. Si autem non agnoscis illum qui supra te est, superiorem contemnis, subderis inferiori. Propterea superbia Ægyptiorum unde domata est? de ranis & muscis. Sed Danielem agnoverunt leones, quia ille subditus Deo erat; agnovit ignis servos Dei, tres viros, quos non ussit, quorum nec vestimenta corrupit.* Cumprimis verò virginitatis hæc prærogativa est, quod non Superis tantùm & hominibus, sed ipsis etiam brutis accidat admiranda. Facundè de S. Virgine ac Martyre Thecla disserens D. Ambrosius. *Adorabat ergo prædam suam* (S. Theclam, à Tyranno bestiis objectam) *bestia, & propriæ oblita naturæ, naturâ induerat, quam homines amiserant. Videres quâdam naturæ transfusione homines, feritatem indutos, sævitiam imperare bestiæ: bestiam exosculantem pedes virginis docere, quid homines facere deberent. Tantùm habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones admirentur. Docuerunt religionem, dum adorant Martyrem, docuerunt etiam castitatem, dum virgini nihil aliud, nisi plantas exosculantur, demissis in terram oculis, tanquam verecundantibus, ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret.* De eadem etiam canit S. Gregorius Nazianzenus.

Innocentia etiam inter feras secura.
S. Aug. Tr. 8. in Epist. Ioan.
Exod. 8.
Virginit
S. Ambros. 2. de Virg.
S. Greg. Na. in præce ad virgin.

Quis Theclam necis eripuit, flammaq; periclo?
Quis validos ungues vinxit, rabiemque ferarum?
Virginitas. O res omni mirabilis ævo!
Virginitas fulvos potuit sopire leones.

NABUCHODONOSOR.

CAPUT CXXXIV.

370. Nabuchodonosoris statua capite erat aureo, pectore argenteo, ventre æreo, tibiis ferreis, & pedibus imis partim ferreis, partim fictilibus. Lemma. PRINCIPIUM BONUM, AT FINIS MALUS. Hominis ad pejora semper defluentis hæc imago est. Ætatis illius caput nonnunquam aureum, laudabile, bonumque principium. Pectus & brachia adolescentiæ sunt argentea; tandem non annis tantùm, sed & moribus senescit,

Deficit homo.

nescit, jamque multò quàm antè negligentior evadit; sicque miser homo, si se sibimet permittat, nunquam non in declive vergit, donec in fœdum peccatorum lutum desinens, cum Regio Vate cogatur fateri. *Defecit spiritus meus.* Hunc talem Siracides describens, *Est homo marcidus*, inquit, *egens recuperatione, plus deficiens virtute.* Porrò non tantùm viros Religiosos, sed ipsos etiam illorum sacros Ordines videre erat principiis suis florentissimos; at sensim remisit primus ardor, auri nobilitas in metallum ignobilius mutavit, hinc pedes imi fictiles, hinc mores primis dissimiles. Id jam olim Athana. Abbas deplorans, Sophronio teste; *Patres nostri*, ajebat, *continentiam, paupertatem, ac nuditatem rerum omniũ usq; ad mortem servaverunt; nos autem ventres nostros & crumenas dilatavimus; sub Patribus nostris in studio erat, distractiones animi vitare, nostris verò temporibus olla obtinuit & opus manu um* Pronissimum tendere ad sequiora, immemorem sanctæ destinationis. Verissimè dixit Annæus Philosophus: *Ad deteriora faciles sumus, quia nec dux potest, nec comes deesse: & res etiam ipsa sine duce, sine comite, procedit: non pronum est tantùm iter ad vitia, sed præceps.* Regem Salomonem intuearis velim. Caput is habebat aureum. *Dilexit Salomon Dominum, ambulans in præceptis David Patris sui.* Pectus & brachia Salomonis fuerunt argentea; *congregavitque Salomon currus & equites, & facti sunt ei quadringenti currus, & duodecim millia equitum.* Paulatim verò cœpit esse æreus. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas: his itaq; copulatus est ardentissimo amore.* Ex æreo factus est plenè ferreus; nam cives ac subditos ob nimium aulæ luxum indictionibus & tributis miserè vexavit. *Pater tuus*, inquiebant Roboamo ipsius filio, *durissimum jugum imposuit nobis.* Tandem Salomon in turpe lutum desiit. *Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos, &c.* Nempe spiritu cœpit, carne consummavit. Appositè Venusinus Vates.

> *Ætas parentum pejor avis, tulit*
> *Nos nequiores, mox daturus*
> *Progeniem vitiosiorem.*

371. Ingens illa Nabuchodonosoris statua per lapidem de monte abscissum conteritur. Lemma. RUET, LABILI FUNDAMINE NIXA. Nempe, si fundamentum rei aut parùm firmum sit, aut nullum; si pedes stent luto, ad ictum lapilli corruunt universa. Quisquis non seipsum, suaque omnia solidissimè fundat in Deo, is in aëre ædificat sine basi domum, prius ruituram, quàm initio suo exiturã. Homo, cujus præsidium, robur ac fundamentum Deus non est, mille pereundi periculis expositus est, omni malâ agendi occasione utitur, adversis quibuscunq; sternitur: illecebræ mundi, invitamenta carnis, instigationes Diaboli per varia illum rapiunt præcipitia. Atque adeò præmonente Vate Regio, *Deus est firmamentum nostrum.* Hieremias, *Maledictus homo*, inquit, *qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*; contrà verò, *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Meritò ergò mundanos inclamans S.P. Augustinus, *Non est requies*, inquit, *ubi quæritis eam. Quærite quod quæritis; sed ibi non est, quod quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis? non est illic.* Et rursùs. *Væ animæ audaci, quæ speravit, si a te recesserit, se aliquid melius habituram, Versa & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia. Et tu solus requies es Domine.* Cæterùm lapis, sine manibus è monte abscissus, Christum significat, qui sine virili operâ ex utero Virginis natus, omnia mundi regna evertit, eaque S. Ecclesiæ subdidit: uti SS. Ambrosius, Hieronymus & Augustinus, aliique passim interpretantur.

[Left margin notes: Profectus retrogradus. — Ps. 118. — Eccl. 11. 12. — Ordines Religiosi decrevêrũt. — Sophron. Prat. spirit. c. 10. — Senec. Ep. 97 — 3. Reg. 3. 3. — 3. Reg. 10 26 — 3. Reg. 11. 1. — 3. Reg. 12. 4. — 3. Reg. 11. 4. — Horat. l. 3. Carm. Ode 6. ad Romã. — Iesus sit præsidium nostrum. — Fiducia in solo Deo. — Psal. 70. 3. — Ier 17. 5. — Ibid. n. 7. — Aug. l. 4. Conf. c. 12. — Idem l. 6. c. 16. ibid. — Christus lapis.]

372. Nabuchodonosor, Regum fastuosissimus, pro Deo se circumspiciens, ad bestias damnatur, & bovem in gramine agit. Lemma. HÆC PROFERT CORNUA FASTUS. Ita nimirum peccati proprium est, hominem in bestiam commutare. Hebræus Psaltes hanc peccatoris miseriam deplorans, *Homo*, inquit, *cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Sicut enim pecudes solùm præsentia, & quod in oculis est, spectant, futuri non solicitæ; ita homo vanus, æternitatis & vitæ melioris oblitus, in res præsentes & fluxas se immergit, totus quantus perituris affixus. De hominibus, ob superbiam & flagitia in pecudes mutatis, Severinus Boëtius ita philosophatur. *Fateor*, inquit, *nec injuriâ dici video vitiosos, tametsi humani corporis speciem servent, in belluas tamen animorum qualitates mutari. Quid igitur? His ne accedamus, quos bellis similes esse monstravimus.* Aulus Gellius de hominis exterioribus quinque sensibus Christiano ritu differens, *Nimia voluptas*, inquit, *è gustu & tactu, sicuti sapientes viri censuerunt, omnium rerum fœdissima est. Istæ autem voluptates duæ gustûs atque tactûs; id est, libidines in cibum atque Venerem prodigæ, solæ sunt hominibus communes cum omnibus bestiis, & idcirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur, quisquis est his ferinis voluptibus præcinctus.* Nec priscus Comicus id ignorans, *Adeone*, ait, *homines immutari ex amore, ut non cognoscas eundem esse?* Cui Mantuanus Vates accinens, ad nostrum institutum appositè dixit.

> *Fit pecus omnis amans, dum pro ratione libido est,*
> *Judicium nutu temperat omne suo.*
> *Quisquis enim vivit sine lumine mentis & usu,*
> *Fert hominis vultus, ingeniumque feræ.*
> *Est pecus, & fallax hominem mentitur imago &c.*

[Right margin notes: S. Ambr ser. 70. — S Hiero. Ep. ad Eustoch. de custod. Virg. c 22. — S Aug. Tract 9 in Ioan. — Superbia in bestiam mutat. — Psal 49 n. 1 & 21. — Peccatum hominem in belluã mutat. — Boeth l 4. de Consol. Phil. Prosa 4. — Gell. l 19. Noct. Attic. c. 2.]

BALTHASAR.

Caput CXXXV.

373. Balthasar, Rex temulentus, inter epulas aperit oculos, & manum videt tristissima fata in pariete scribentem. Lemma. EXTREMA GAUDII LUCTUS. Salomonis verba sunt. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Nulla enim terrena voluptas adeò constans est, quin tandem in mœrorem desinat. Cicerone teste, *Amores & delitiæ celeriter deflorescunt, & in omnibus voluptatibus maximis fastidium finitimum est.* Præclarè Severinus Boëtius.

> *Habet omnis hoc voluptas:*
> *Stimulis agit fruentes:*
> *Apiumque par volantum,*
> *Ubi grata mella fudit,*
> *Fugit, & nimis tenaci*
> *Ferit icta corda morsu.*

Quare Epictetus, *Dignus*, inquit, *est Deorum conviva, qui rebus creatis moderatè utitur: qui verò licitas etiam voluptates contemnit, non jam conviva Dei est, sed consors.* Denique S. Ambrosius, *Deus*, ait, *delitiis & gaudiis nostris ponit modum, ne supra alveum effusæ, rationem obruant.*

[Right margin notes: Prov 14 13. — Gaudium mundi in luctum mutatur. — Cicer Orat pro Cœlio Et l. 2. de Orat. — Boeth. l 3. metro. 7. — Epict. art. 20. — S Ambr l 1. de Cain & Abel. c 4.]

ZOROBABEL

Cap. CXXXVI.

374. Esdrâ referente, Darius Rex problematicam movit quæstionem, quidnam esset omnium fortissimum? Cumque unus pro vino judicaret, pro Rege alter; tertius, Zorobabel nomine, veritatem omnibus fortiorem dixit; & cum dicto palmam ex omnium sententiâ præ reliquis Disputatoribus retulit. Unde Zorobabel veritatem deprædicans, epigraphen tenet. HÆC OMNIA VINCIT. Veritatem nulla vis dejicere, nulla fraus decipere, nulla perturbatio de gradu deturbare potest. Intercipitur quidem aliquando, velut sol nubibus, sed nequit extingui. Agnovit hoc Tullius, *Tantam potentiam*, inquit, *veritas semper habuit, ut nullis machinis, aut cujusquam hominis ingenio, aut arte subverti potuerit. Et licet in causis nullum Patronum, aut defensorem obtineat, tamen per se ipsam defenditur.* Et rursus. *O magna vis veritatis! quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias, facile per se ipsam defenditur.* Denique, *Multorum improcitate depressa veritas emergit, & innocentia defensio interclusa respirat.*

Veritas.

Cicero Orat in Vatin.

Idem pro M. Cælio.

Idem Pro Cluent.

JUDITHA.

Cap. CXXXVII.

375. Juditha, casta vidua, cilicino cingulo, ceu baltheo militari, cincta, Holofernem truculentum & temulentum obtruncat. Lemma. HIS VINCITUR ARMIS. Quivis homo domesticum alit Holofernem; gulam, inquam, superbiam, luxuriam, cæteraque vitiorum monstra; quæ nunquam superaveris, nisi corpore tuo ciliciis, jejuniis, aliisque castigationibus probè edomito. S. Ambrosius. *Dominus Jesus*, inquit, *volens nos adversus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus jejunavit, ut sciremus, quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Quâ causâ Christus jejunaverit, hi astruant, nisi ut nobis exemplo esset ejus jejunium?* Cæterùm Juditha profligato Holoferne insignem gloriosissimæ Deiparæ typum exhibuit, quæ vel solo suo nomine omnes Tartareo Holoferni nervos incidit, ejusque innumeras phalanges in fugam agit. Unde S. Bonaventura, *Non sic*, inquit, *timent hostes visibiles quasi cæterorum aciem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium & exemplum. Fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis, ubicunque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, solicitam imitationem.* Jure igitur longè meliore de Mariâ Virgine, atque de Juditha cecineris, *Non est talis mulier super terram. Et nomen tuum memorabitur in omni terrâ.* Et, *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum.*

Gula.

Mortificatio necessaria ad tentationes superandas.

S. Ambr Ep. ad Eccl. Vercell.

Maria V. vincit dæmones.

S. Bonav. in specul. c. 9.

Judith. c. 15. v. 10. & seqq

AMAN.

Cap. CXXXVIII.

376. Aman, Assueri Regis satrapa, intolerabili fastu inflatus, cogitur equitanti Mardochæo à pedibus esse, & præconem agere. Lemma. NOLENS, QUOD VOLET AULA, VOLO. Ea enim est aulicorum conditio ac miseria, ut uno Regis nutu in omnem partem, quantumvis inviti, cogantur. Scité Martialis.

Aulicus.

Mart l 9. Epig.

Nemo suos, (hæc est aulæ natura potentis)
Sed Domini mores Cæsareanus habet.

Polybius, *sicuti calculi*, inquit, *modò ærei sunt, modò aurei, sic & aulici ad nutum Regis nunc beati sunt, nunc miseri.* Seneca refert, rogatum quemdam, quomodo in aula rem rarissimam consecutus esset senectutem? respondisse, *Injurias accipiendo, & gratias agendo.* Diogenes, audiens, Calisthenem beatum dici, quod esset amicus Alexandri, *Imo*, ajebat, *infelix est, qui tum prandet ac cœnat, cùm Alexandro videtur.* Æneas Sylvius, postea Pius II. Pontifex Maximus, aulici cujusdam gratiâ librum de Curialium miseriâ composuit, in quo ostendit, quanta in aulis sit vanitas, ambitio, invidia, hypocrisis, impuritas; quot curæ, distractiones, servitutes, solicitudines, metus: quanta inconstantia, mutabilitas, casus, ruinæ, pericula corporis & animæ. Tandem verò ita concludit. *Quæ cùm ita sint, relinquamus hoc pelagus inquietum, nosque in aliam vitam redigamus. Nam si pacem cupimus, si otium diligamus, si nobis vivere voluntas, si salutem animæ quærimus: fugienda nobis sunt atria Regum, & aulici tumultus, in quibus nec quies, nec bonarum artium exercitatio, nec virtutis amor aliquis regnat: sed avaritia tantum, libido, crudelitas, crapula, invidia, & ambitio dominantur. Vale vir, nisi ex Curialibus unus esses, meo judicio prudens. Anno salutis 1445.*

Polyb. l. 5.

Senec l. 2 Ira. c. 34.

Æneas Sy. l. de mise. Curialiu

377. Aman in cruce, Mardochæo paratâ, suffigitur, cum lemmate. MALUM IN AUCTOREM. Ita nimirum meditata in alios flagitia, ad suam recurrunt originem. Rem notam & passim testatam narrans Plinius, *Perillum*, inquit, *Nemo laudat sæviorem Phalaride tyranno, qui taurum fecit æneum, mugitus hominis pollicitus, igne subdito, & primus eum expertus est cruciatum, justá prorsus sævitia*, & commeritâ Talionis pœnâ. Quod & Naso cecinit.

Auctor proprii mali; [...]lionis p[...]na.

Plin l. 1 Nat. Hist. Ovid. in Arte.

Et Phalaris tauro violenti membra Perylli
Torruit infelix imbuit auctor opus.

Perillo alterum ac consimile Busiridis exemplum jungit; qui Thrasum, suggerentem, ut hospites suos immolaret Jovi ad impetrandam pluviam, ipsummet Thrasum immolavit.

Ovid. ib.

--- --- Fies Jovis bestia primus
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam,

Idque hoc epigrammate concludit.

--- --- Neque enim lex justior ulla est,
Quam necis auctores arte perire suâ.

Denique ex illa Amani catastropha conjicere licet, quanta sit mundi fallacia; ut adeò jure exclamet S. Bernardus. *O sæculum nequam, quod solos tuos sic foveas beare amicos, ut Dei facias inimicos. Invenit Aman gratiâ apud Regem Assuerum; hæc illi gratia crucem peperit. Invenit gratiam apud Absalonem Achitophel, hæc illi suspendium attulit,* Et S. P. N. Augustinus. *Mundus iste*, inquit, *periculosior est blandus, quàm molestus, & magis cavendus, cùm se illum diligi, quàm cùm admonet, cogitque contemni.* Ergò time, quisquis secundis fortunæ flatibus tumescis. Noris, sapienter dictû à Senecâ. *Dum excelsus steti, nunquam pavere destiti.*

Mundi fallacia Fortun[...]

S. Bern. ep. 107.

S. Aug ep. 144 ad nast.

Senec in Thyest.

Fortuna magna non caret formidine,
Nec splendor eminens vacat periculo,
Et quidquid altum est, haud tutum diu manet;
Ruet vel invidiâ, vel tempore.

HELIODORUS. Cap. CXXXIX.

378. Heliodorus, Regius minister, templum Hierosolymitanum spoliaturus, à cæ-

à cælestibus geniis flagellatur. Lemma. ICTI SAPITE SACRILEGI. Vindicta namque Divina in sacrilegos Templorum, aliarumque rerum sacrarum direptores, nunquam non desæviit. Ut adeò Q. Curtius verè dixerit, *sacrilegos cum Diis pugnare.* Sic Alchimus muros sanctæ domûs, à se destructos, gravissimis pœnis, & tandem acerbâ morte luere debuit. Antiochus Epiphanes templi à se expilati ultrices vermes tamdiu sentire debuit, donec carnificinâ miserrima corrosus consumptusque, animam efflârit. Joas Rex ob templi thesauros temerè surreptos, à propriis servis interficitur. Longum foret Achabos, Ochozias, Balthsares, Lisymachos, Hieroboanos, Sennacheribos, aliosque innumeros recensere, qui acerrimos sacrilegii sui dedere pœnas. Nec ipsis etiam Ethnicis templorum deprædatio impunis abiit; uti his omninò verbis testatur Valerius Maximus. *Sed nec Apollo illatam sibi contumeliam, & præcisum honorem pari modo inultum toleravit. Scipio enim Africanus, cùm Carthaginem militibus dispoliandam ac diripiendam dedisset, unus militum templum Apollinis ingressus, statuam ejus veste insignem deprædari aggressus est; quo offensus Apollo, id egit, ut sacrilegæ manus inter fragmenta ejus abscissæ, invenirentur.* Marcus Tullius fanum Apollinis in Insulâ Delo à Verre spoliatum vehementer exprobrans, *Potestne*, inquit, *tibi ulla spes salutis commoda ostendi, cùm recordaris, in Deos immortales quàm impius, quàm sceleratus, quàm nefarius fueris? Apollinène tu, Deum spoliare ausus es? Illine tu templo, tã antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias ac sacrilegas afferre conatus es? fuit illa cupiditas tanta, quæ tantam extingueret religionem? ne nunc quidem recordaris, nullum esse tantum malum, quod non tibi pro sceleribus tuis jam diu debeatur?*

[margin: ...acrilegium. ...Curt. l. 7 ...st. ...l Max. l. 1. ...c. ...cero l. 1 ...i Verrem.]

MATATHIAS. *CAPUT CXL.*

379. CUm Judæus quidam apostata conscensis aræ sacrilegæ gradibus, Jovis simulachro publicè thus adoleret; incensus irâ justissimâ Matathias, stringit ferrum; perrumpit spectantium globum, irruit in sacrificantem, eoque super aram ipsam trucidato, persperſum cruore Jovem evertit, aram subruit, Judicem idololatram contra vociferantem in tribunali contrucidat, sibique per obstantes satellitum cuneos viam, dextrâ levâque feriens, aperit. Lemma. PRÆSTAT RELIGIO VITÆ. Ita nimirum in hâc vitâ nihil adeò sit charum, quod Dei causâ cuivis discrimini objicere non simus indies parati. Lactantius veræ pietatis Magister docet, *Nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi oportere defendi.* Id adeò Gentiles quoque perspexerunt; è quibus Justinus, *Jure ille à Diis proximus habetur, per quem Deorum majestas vindicatur.* De Aphraate Monacho Theodoretus memorat, eum tempore Valentis Imperatoris Arian ex solitudine Antiochiam venisse, & increpitum ab Imperatore, quod extra cellam in publicum se efferret, respondisse, se in communi incendio (hæresis Arianæ) ad extinguendos ignes accurrere. Sed qui miramur Christiani hominis religiosum animum: quando Metellus, idolorum cultor & Pontifex, pro fictitiæ Deæ simulachro servando, non dubitavit medias flammas pertumpere. Is enim Vestali æde fortuito igne flagrante, per obstantes ignes se ingerens, Palladium incendio subtraxit. Quæ pietas tanti facta est à Romanis, æquis virtutum admiratoribus, ut curru veheretur in curiam; qui honor nulli ejus orginis ad id temporis contigerat, uti refert Plin.

[margin: ...lus sanctis. ...ligio ...m vitâ ...e tuenda ...L. l. 5. ...it. c. 12. ...in. l. 55. ...od. hist. ...Eles c. 24. ...ius l 7.]

Mundi Symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

JUDAS MACHABÆUS.

CAPUT CXLI.

380. JUdas Machabæorum Hebræorum Archistrategus, hostium terror, & vindex Religionis, tandem gloriosâ morte occumbit. Lemma. PRO DEO ET POPULO; Gemina enim hæc est militum cynosura, ad quam omnem armorum vim unicè dirigant. Unde mors illa Judæ Machabæo ita gloriosa extitit, ut de ipsius etiam militibus testentur Thalmudici, *In hoc sacro bello plerique, dum viverent, filii erant diaboli & peccati, & post mortem Dei filii, martyrio eorum peccata expiante.* Idipsum Genebrardus simili ratione de militibus Christianis intelligens, *Audis*, inquit, *quanta sit vis belli contra Turcas & Hæreticos, ut parum probos, sanctos & Martyres efficiat: ubi vinci salutare, vincere gloriosum:* quamvis hanc de militum martyrio sententiam cautè accipiendam velim, ut ex Baronio constat. Judæ fortitudinem imitati sunt Gentilium Duces. Bias Iphicratis obsidione pressus, cùm interrogaretur, quid in eo articulo faciendum censeret? respondit, *quid aliud, nisi ut servemini, ego pugnãdo moriar?* Epaminondas teste Valerio Maximo, *apud Leudram in prælio trajectus hastâ, sanguine & spiritu deficiens, & recreare se conatus, primùm an clypeus suus salvus esset; deinde an fusi hostes penitus forent interrogavit? quæ, postquam ex animi sententia comperit: non finis, inquit, commilitones, meæ vitæ, sed melius & altius initium advenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. &c.*

[margin: Militis finis. Genebrard. in Psal. 78. Baron. To. 8 Anna' Anno Domini 610 n. 4. Val. Max. l. 3. c. 2.]

381. Septem Machabæi fratres unâ cum Matre pro lege Dei crudelia patiuntur supplicia. Lemma. NON REGI, SED LEGI. Singulo. u n en m, dum gravissimis cruciatibus lacerarentur, hæ adversus tyrannum erant generosissimæ voces, *Parati sumus mori magis, quàm patrias Dei leges prævaricari.* Et; *Non obedio præcepto Regis, sed præcepto Legis.* De mirâ ac constanti hac Machabæorum in observandis Dei legibus magnanimitate S. Ambrosius; *Talis, inquit, hæc pugna est, ut ille gloriosius vicerit, qui crudelius occisus est. Itaq; nemo timuit, nemo trepidavit, nullus ad mortem ex tot fratribus pigrior fuit; sed omnes tanquam ad immortalitatis viam, ita ad mortem per acerba supplicia concurrerunt.* S. Chrysostomus author est, cuivis Christiano Machabæos cum primis esse imitandos, ut, cùm aliqua tentatio nos invadit, generosam hanc Heroum illorum gnomam unicè objiciamus, *Non faciam*; Non violabo legem, non offendam Deum meum. *Quantam*, inquit, *illi patientiam in periculis corporalibus ostenderunt, tantam nos in passionibus irrationalibus continentiam demonstremus; id est contra iram, avaritiam, vel inanis gloriæ concupiscentiam Divino timore moniti, sensibus repugnantes, & consilia diaboli destruentes in nobis. Si enim cupiditatum ignes vicerimus, sicut illi tyrannidis ignem vicerunt, poterimus juxta ipsos & matrem ipsorum, pari gloriâ constituti, similes haberi. Melius enim*, asserente Theophylo Alexandrino, *Dei timore vallata mens flammas superat, varios tormentorum spernit dolores, cumque semel virtuti se tradiderit, quidquid adversi evenerit, calcat & despicit. Qualis fuit Paulus, scribens, in iis omnibus superamus per eum, qui nos dilexit*

[margin: Obediendum Deo magis quàm hominibus. 2 Mach. 7. 2 & 30. S. Ambrosius l. 2. de Iacob. c. 12. 2. Mach. 7. 8 S. Chrysost. hom. de Mach. Theoph. Al. Epist. 3. Pasch.]

ELEAZARVS.

CAPVT CXLII.

382. INcalescente inter Judam Machabæum & Lysiam, Regis Antiochi Belliducem, pugnâ, Judæ frater Eleazarus turritum elephantem conspicatus, cæteris & habitudine molis, & apparatu militum eminentiorem, in eam inductus est suspicionem, ut crederet, ei Regem insidere; viâ proinde ferro per obstantes militum cuneos factâ, multisque dextrorsum lævorsumque trucidatis, alvum belluæ subiens, impresso visceribus gladio, eam puncto temporis stravit; sed prolabentis pondere pariter & ipse superoppressus, occubuit; gloriæ, fortitudinisque suæ digno, ac æterno monumento. Lemma; VIRTUS PROSTRATA TRIUMPHAT. Ita Martyres tum demum retulêre palmam, quando inter hostium cruciatus occubuêre. De Eleazari fortitudine eleganter Sanctus Ambrosius: *Quanta*, inquit, *ista virtus animi! primò ut mortem non timeret; deinde ut circumfusus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & contemptâ morte ferocior, abjecto clypeo, utrâque manu vulneratæ molem bestiæ subiret ac sustineret. Post, infra ipsam succederet, quò pleniore feriret ictu, cujus ruinâ inclusus magis, quàm oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum: quamvis Regius fefellerit habitus. Tanta enim virtutis spectaculo defixi hostes, inermem, occupatum incursare non ausi, post casum ruentis bestiæ sic trepidârunt, ut impares se omnes unius virtuti arbitrarentur. Hæredem virtutis suæ pacem reliquit.* Acutè Emanuel Thesaurus in Elogiis Patriarcharum:

SS.Martyres.

S.Ambrosius de Mach.

Eleazarus Antiochũ petiit, sed pro Antiocho periit
Bestia. Pro simili similis; imò idem.
Vterque fera, uterque duplici corde, & excors.
Sed elephas inter bruta rex est; ille inter Reges
brutum;
Gaude felicissimo errore, fortissime heros.
De elephanto non tyrannum, sed tyrannidem sustulisti,
Habes quod optas.
Sentis ex trophæi pondere, victoriæ magnitudinem.
Novo ritu triumphas:
Nam cæteri elephanto vehuntur, tu ipsum vehis
Nec tumuli cura: elephanto tegeris pro Mausoléo,
Neque incidendo emblemati procul segmenta
petenda,
Debellatus elephas ebur ministrat.

ANTIOCHVS.

CAPVT CXLIII.

383. MOrtalium scelestissimus Antiochus, tandem in flagitiorum suorum pœnam, curru, quo vehebatur, excussus, acerrimis animi corporisque doloribus affligebatur. Maximis proinde, gravibusque votis eundem, quem hactenus persecutus fuerat, Deum placare, ac sibi precibus demereri studuit. Sed sera nimis fuêre hæc tyranni vota; unde præter innumeros alios dolores, in intestinis enati vermes, sceleratum addomen tamdiu rodebant, donec visceribus non sine horribili fœtore diffluentibus, animam scelestam effuderit, æternis incendiis torquendam. Lemma; SERIO NON POENITET, QUIA SERO. Sera enim pœnitentia, plerumque solius pœnæ temporariæ fugiendæ spe concipi solita, nullam coram Deo fidem habet. Unde apud Isaiam hos Oratores rejicit Deus; *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis, &c. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* At grandia promisit Antiochus: At S. August. teste, *Deus cor interrogat, non manum.* Consonat Siracides; *Dona iniquorum non probat altissimus, nec recipit oblationes iniquorum, nec in multitudinem sacrificiorum, eorum propitiabitur peccatis.* Deus nimirum offerentem attendit, non oblata. Has Antiochi preces timor extudit; de quo S. Gregorius; *Bona pro semetipsis amanda sunt, & non pœnis compellentibus exequenda. Nam qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse, quod metuit, ut audaciter illicita committat.* Et S. P. Augustinus; *Quando timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum: nondum benè fit bonum; nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quando mallet non facere, si posset impunè.*

Pœnitentia sera.

Isaia cap. 1

S. Augusti serm. 19. de Verb. Dom.

Ecclesi. c. 34

S. Georg. in Past p. 3. c.

S. Aug. li. cont. Pelag.

EX NOVO TESTAMENTO.

ÆNEAS Paraliticus.

CAPVT CXLIV.

384. ÆNeas, Paralysi decumbens, Petri jussu incolumis surgit, & sanitatem recipit. Lemma; SURGENDO SALUTEM. Sicuti A vitiis paralysis omnes corporis motus adeò dissolvit, ut surgere homo ad ambulandum reddatur impotens, & instar cadaveris, in lecto, ceu vivo tumulo, recondi debeat; ita quodvis animæ vitium, acedia præsertim & carnis voluptas, paralysin imitantur, quæ hominem, miserrimè prostratum, terræ affigunt, omnique virtutum motu exuunt. Ergò, hortante Venerabili Beda, *Surge, torporem, in quo fessus jacuisti, discute; & bona opera, in quibus requiescere valeas, para.* S. Gregorius; *Quid est dicere, surge; nisi mala, quæ perpetrâsti, derelinque? &c.*

Beda in Act. Apost

S Greg. 2 Moral. c. 1

385. Æneas, octo annorum paralysi detentus, ut primum jubentem audiit Petrum, *Surge, & sterne tibi;* morem quantocius gessit; *Et continuò surrexit,* sanitatemque consecutus est. Lemma; DUM VOLUIT, VALUIT. Hæ nimirum sanctæ obedientiæ vires sunt, ut in vitiorum cœno decumbere nequeat, quisquis jubenti promptè ac perfectè auscultârit. Jacueris sanè hactenùs in terrâ, aversus à Deo, omniumque spiritualium morborum Xenodochium; si vel hodie obedientem te sistere velis, jam convaluisti. Audi hæc penè ipsa verba præeuntem Magnum Augustinum. *Humana fragilitas, quæ cecidit pede superbiæ, resurgere studeat pede obedientiæ.* Et rursus; *Fac opus, & accipe præmium? Quod sit opus? Obedientia. Quod est præmium? Resurrectio sine morte.*

Act 9. 3

Obedientia.

S. Aug. ser. 128 de Temp. Ibidem de Symb. c.

ALEXANDER.

Cap. CXLV.

386. ALexander, ad Christum conversus, causam pro D. Paulo strenuè egit, ejusque amicum per omnia se probavit: sed, ut est versatilis hominum genius, paulò post factus apostata, hostis Pauli acerrimus evasit; adeò, ut de ipso testetur Apostolus, *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit.* Lemma; ODIT,

2. Tim 4.

amicitiæ inconstans. DIT, QUI NUPER AMAVIT. Talis est amicitiæ humanæ inconstantia, ut non rarò in odia & inimicitias gravissimas degeneret. Unde providè monet Psaltes; *In filiis hominum* non esse confidendum. Graviter Hieremiæ ore Deus: *Maledictus, qui confidit in homine.* Verissimè S.P.N. Augustinus *Sunt quædam refugia, ubi non est virtus, quo quisque cum fugerit, magis infirmatur, quàm confirmetur. Confugis, verbi gratiâ, ad aliquem in sæculo magnum, ut facias tibi potentem amicum, refugium tibi videtur, Tanta tamen hujus sæculi incerta sunt, & ita potentûm ruinæ quotidie crebrescunt, ut, cùm ad tale refugium confugeris, plus ibi timere incipias: antea enim causæ tuæ timebas tantum: cùm verò ad talem refugeris, & de illo timebis.*

387. Alexander, à fide deficiens, Evangelio acerrimè restitit, &, ut sacra Pagina loquitur, *multa mala* Paulo *ostendit.* Unde in tantæ perfidiæ vindictam ab Apostolo excommunicatus est, &, ut ipsius verbis utar, *Sathanæ* traditus. Lemma. NE PLURIBUS OBSIT. Præstat enim, unum, quàm plures ipsius contagione perdi. Unde hanc hominum fæcem è societate ejiciendam præcepit Magnus Canonicorum Regularium Legifer Augustinus; *Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.* Nam Apostolo asserente, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Exemplo suo id docuit Arrius, de quo Sanctus Hieronimus ait: *Arrius in Alexandriâ una scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est; quia sermo eorum sicut cancer serpit in corpore, & unius pecudis scabies totum commaculat gregem.* Apostoli votum erat: *Utinam abscindantur, qui vos conturbant.* De Excommunicato loquens Sanctus Chrysostomus, ait: *Dejiciebatur à communi fidelium cœtu, abscindebatur à grege, fiebat nudus, atque ita destitutus, luporum prodebatur occursibus: sicut enim dudum nubes Hebræorum castra tegebat, ita & Ecclesiam protegebat spiritus Sancti gratia.*

(Margin: Psalm. — Hierem. — Aug. in Psal. 45. — Tim. 4. 14. — Tim. 1. 10. — Excommunicatio. — Augustin. 1. Regul. — Gal. 5. 9. — Hieronym. hunc loc. — Gal. 5. 12. — Io. Chrysost.)

388. Alexander, peritus & eloquens, cum ad Christum conversus, scientiâ suâ plus æquo niteretur, turpissimè defecit, & in hæresim ac blasphemiam lapsus est. Lemma. DUM SAPIT, DESIPIT. Nullibi enim majora homini accrescunt damna quàm è scientiâ malè usurpatâ. Verissimè dixit Magnus Augustinus: *Melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia,* Pulchrè in rem præsentem dixit Sanctus Bernardus: *Sicut cibus indigestus malos generat humores, & corpus non nutrit, sed corrumpit; ita ex multâ scientiâ ingestâ stomacho animæ, quæ est memoria, si igne Christi decocta non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus, transfusa atque digesta, nonne reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosque humores?*

(Margin: Scientia. — S. Augustin. lib. de ... ferm. ... — S. Bernard. serm. 36. in Cant.)

ANANIAS Discip. Christi.

CAPUT CXLVI.

389. ANanias, Damascenus Presbyter, manibus supra caligantis Sauli oculos positis, eum quantocius visui restituit. *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squammæ, & visum recepit.* Lemma. DAT DEXTERA VISUM. Ita quisquis amore proprio, vindictâ, libidine, odio, aut alio vitiorum genere infectus est, squammas præ oculis habet, quæ mentis aciem, visumque veritatis adimunt. Sed has squammas Confessarius per sacram manuum impositionem dissolvit, ac gratiæ lumini animam restituit. Sanctus P. Augustinus *Hortatur nos sæpius sacra Scriptura ad medicamenta confugere confessionis, non quod Deus indigeat confessione nostrâ, cui omnia præstò sunt, quæ cogitamus, loquimur, aut agimus, sed nos aliter salvi fieri non possumus, nisi confiteamur pœnitentes, quod iniquè gessimus negligentes. Qui se ipsum accusat in peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die judicii; si tamen confitens pœnitendo deleat quæ fecit, ne iterum renovet, quæ egit.*

(Margin: Act. 9. 18. — Pœnitentia. — S. Augustin. serm. 66 de Temp.)

390. Tanta erat Sauli sævitia, tantaque furoris fama, ut ad solum ipsius nomen passim exhorrescerent Christiani. Unde Ananiæ de Saulo ad Christum voces erant: *Domine audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Jerusalem; & hic habet potestatem à Principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum;* jussus tamen à Christo Saulum accedere, absque morâ, seposito omni timore, solo nixus Deo, illum adiit: *Et abiit Ananias, & introivit in domum.* Lemma; TE FRETUS COMITE; verbis ex Homero desumptis, ubi Ulysses, ad Minervam conversus, ait;

(Margin: Act. 9. 13. — Ibidem n. 17)

Atqui ego, mihi assistas, Cæsia Diva,
Vel tercentum contra homines concurrere pugnæ
Ausim, TE FRETUS COMITE, O Dea, & adjutrice.

(Margin: Hom. in Ulyss.)

Iisdem penè verbis mentem suam, in Deo fixam ac imperterritam, explicavit Regius Vates; quando dixit: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Et; *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* S.P. Augustinus: *Adversus me si contradicentium conspirans multitudo consistant; non timebit cor meum, ut in eorum partes transfugiam. Si exurgat in me persecutio hujus sæculi, in hâc, quam cogito, petitione figam spem meam.* Et rursus; *Nec hominem, nec diabolum timeamus; nec ille, nec iste facit aliquid, nisi quantùm permittitur; permitti ad nihilum potest, nisi quod nobis prodest.*

(Margin: Deo niti. — Psal. 26. 1 — Ibidem v. 3 — S. Augustin. in Psal. 26. — S. Augustin. in Psal. 55.)

ANANIAS & SAPPHIRA.

CAPUT CXLVII.

381. ANanias & Sapphira, voti religione ad plenam bonorum temporalium abdicationem obstricti, eorum partem callidè sibi reservarunt. Unde in sacrilegii vindictam subitò exanimes conciderunt. Lemma; VITA EXCIDUNT, DUM VOTO. Et verò quod paupertatis voto obligatus fuerit Ananias, testem audi Magnum Augustinum. *Dum ex eo, quod promiserat, partem subtraxit, sacrilegii damnatur & fraudis. Sacrilegii; quod Deum in pollicitatione fefellerit. Fraudis; quod integris muneribus portionem quandam putaverit subtrahendam.* Quod verò vitam perdiderint non tantum temporalem, sed & spiritualem animæ, disertè docet idem Doctorum Phæbus: *Ananias pariter & vitam perdidit & salutem.* Discant hîc Religiosi, quantâ solicitudine custodiendum sit votum paupertatis. Probè hanc paræ-

(Margin: Paupertatis votum violatum. — S. Augustin. serm. 27. de Verb. Apost. — Idem ibid.)

nesin edoctus P. Jacobus Gerrutus Italus, ut votorum suorũ nunquam non meminisset, ea ter millies per diẽ renovavit. S. Fulgentius; *Quam sit malum, quamque solicitè fugiendum, si quis de hoc, quod Deo voverit, retinere aut rapere aliquid mortiferâ prævaricatione ausus fuerit, exemplo sunt Ananias & Saphira.* De Saphirâ non sine ingenio canit Reverendissimus ac eruditissimus meus D. Philippus Picinellus, in concinno libello, quem de fœminis sacræ Scripturæ in lucem edidit.

S. Fulgen. Epist. de debito conjug. 8.

Gemmamne, an vitrum te appellem
Saphira?
Gemmam, dum auro adstringeris;
Vitrum, dum tam facilè mentiris.
Eximia titulo, exilis merito;
Te nomen formosam, culpa notat informem &c.

392. Ananias, pretiũ particulâ sacrilegè usurpatâ, exanimis concidit, & extra Ecclesiam, profano sepulchro conditus est. *Juvenes amoverunt eum, & efferentes sepelierunt.* Lemma; PROPRIIS INHIANS COMMUNIA PERDIT. Hinc discant Religiosi, non Deum tantùm in alterâ vitâ fore acerrimum paupertatis violatæ vindicem, sed Ecclesiam quoque gravissimè in eam animadvertere: non enim communi aliorum sepulturâ censetur dignus, qui res sibi proprias sacrilegè usurpavit. Refert Author sermonum ad Fratres in eremo, Januarium Monachum retinuisse sibi secretò centum siclos, *quos cùm post mortem ejus Fratres invenissent, injecerunt in ejus sepulchrum, plangentes & dicentes. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Non enim licet nobis servis Dei eam collocare in victu vel in vestitu; vel in opere Monachorum, quia pretium damnationis est.* Unde Clemens III. can. *super quodam*, de stat. Monach. sancit, ut Canonicus Regularis, qui non resignavit proprium, in morte careat Christianâ sepulturâ; &, si sepultus sit, exhumetur. Idem statuit Innocentius III. in Concilio Later. ut habetur ibid. cap. *Monachi.* S. Gregorius exemplo Ananiæ increpat Venantium, qui ex Monacho factus erat Patricius, & Cancellarius Italiæ; *Ananias*, inquit, *pecunias Deo voverat, quas post, diabolicâ victus persuasione, subtraxit: sed quâ morte mulctatus est; scis. Si ergò ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat nummos, abstulit; considera, quanto periculo in Divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub Monachali habitu devoveras, subtraxisti?*

Act. 5. 6.
Proprietarius sepulturâ Ecclesiasticâ privatur.
Serm. 5.
S. Greg. l. 9 Epist. 33.

393. Ananias, nonnihil Divinæ providentiæ diffidens, aliquam pretii partem voluit reservare, ut sibi tempore necessitatis, fugæ, aut senectutis consuleret. Unde S. Hieronymus Ananiam & Sapphiram vocat *Dispensatores timidos, ac metuentes famem, quam fides non timet.* Lemma. IMPROVIDUS, DUM NIMIUM PROVIDUS. Ut primùm enim homo circa temporalia nimium incipit esse solicitus, à Deo deseritur, simulque bonorum & temporalium & spiritualium jacturam miserrimam facit. *Ne cures tua*, inquit S. Chrysostomus, *sed ea Deo permitte; nam si satagis, tanquam homo satages; si verò demittas, Deus providebit. Ut igitur eorum magnam gerat providentiam, ipsi soli omnia committe. Si verò & ipse spiritualibus omissis ea tractaveris, non multam eorum ipse curam geret. Ut ergò & hæc tibi benè disponantur, & omni curâ libereris, contemne sæcularia: sic enim & cum cœlis terram habebis, & futura consequeris bona.* Disertè jubet Apostolorum Princeps; *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quia ipsi est cura de vobis.* S. P. Augustinus illud Psalmi, *Dominus solicitus est mei*; ait, *Qui habuit tui curam antequam esses, quomodò non habebit curam, cùm jam hoc es, quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in viâ justitiæ &c. nusquam tibi deest, tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse.*

S. Hieronym. Epist. 8 ad Demet.
Solicitudo temporalis
S. Chrysost. hom. 56. ad Popul.
1. Pet. 5. 7.
S. Augustin. in Psal. 39. 18

394. Ananias, ob acceptum pretium mentitus, bona & temporalia, & spiritualia miserrimè perdidit. Lemma. DUM FALLIT, FALLITUR. vel, SIBI MENTITUR INIQUUS. Verbis è Psalte mutuatis; *Mentita est iniquitas sibi.* Ita nimirum fraus & mendacium in auctores suos recidunt. Unde in illud Psalmi commentatus S. P. Augustinus, ad Deum ait: *Hoc vindicas, quod homines in se perpetrant: quia etiam, cùm in te peccant, impiè faciunt in animas suas & mentitur iniquitas sibi: sive corrumpendo aut pervertendo naturam suam, quam tu fecisti & ordinasti: vel immoderatè utendo concessis rebus, vel in non concessis flagrando.*

Fraus authori mal
S. Augustin. in hunc lo

395. Ananias, divitiis plus æquo inhians, miserimam illarum jacturam passus est. Lemma. E QUÆSTU QUESTUS. Nihil enim aliud divitiæ pariunt, nisi mille solicitudines, angustias, pericula corporis, & animæ interitum. S. P. Augustinus. *Has divitias noli appellare, quæ veræ non sunt: paupertate plenæ sunt, & semper obnoxiæ casibus; Illæ sunt veræ divitiæ, quas cùm habuerimus, perdere non possumus.* Pulchrè de contemnendis divitiis differens idem Doctorum Princeps, ait: *Regnum cœlorum non divitum, sed pauperum est. Dicit namque pauperibus: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Si est regnum cœlorum pauperum, restat, ut infernus sit divitum.*

Divitiæ.
S. Augusti serm. 35 de Verb. Dom c. 4.
Paupert
S. Aug. lib de Contem mund. c. 6

396. Ananias ob retentum pretium exanimis cecidit, vitamque corporis & animæ amisit. Lemma. HOC PRETIUM PRETIO. Divitiæ enim sicuti sunt fomites & illecebræ omnium vitiorum, ita asseclis suis innumeras etiam in hâc vitâ calamitates, ipsamque demum gehennam comparant. Gravissimè de divitibus Servator; *Facilius est*, inquit, *camelum transire per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* In rem præsentem S. Bernardus. *Divitiarum amor insatiabilis longiore amplius desiderio torquet animum, quàm refrigeret usu suo: utpote quarum acquisitio laboris, possessio verò timoris, amissio plena doloris invenitur.* Et rursus. *Filii Adam genus avarum, quid vobis cum terrenis divitiis, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? aurum & argentum verè est terra rubea & alba, quam solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosum. Denique si vestra sunt, tollite ea vobiscum.* Id quod etiam perspectum habuere Ethnici, Seneca asserente, *Nemo alius est Deo dignus, nisi qui opes contempsit, & ideò olim Flamini Diali non modò tangere hederam criminosum erat, verum etiam nominare.*

Divitiæ.
Matth. 19 24.
S. Bernard de Conv. ad Cleric. 12.
Idem serm. de Advent.
Seneca Epist. 8.

397. Repentina Ananiæ mors totam fidelium Ecclesiam perculit, & ad saniora retraxit. Sacræ Paginæ verba sunt; *Factus est timor magnus in universâ Ecclesiâ, & in omnes, qui audierunt hæc.* Lemma. UNIUS POENA, MULTORUM SALUS. Idipsum Principes ac Judices observent, ut peccatorum supplicio multos emendent, & à vitiis absterreant. Seneca in sceleribus vindicandis tria vult observari; *Aut ut eum, quem punit, emendet: aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut ut sublatis malis securiores cæteri vivant.* Sanctus Hieronymus refert, in quodam Nitriæ Monasterio fuisse Monachum jam moriturum, qui aliquot solidos sibi retinuerat: quapropter placuisse Machario, Isidoro, & aliis senioribus, ut cum mortuo pecuniæ infoderentur, clamantibus omnibus; *Pecunia tua tecum*

Act. 5. 11.
Judex ... mens.
Seneca l. de Clem. c.
S. Hieron. Ep. 22. ad Eustoch. Virginit.

tecum sit in perditionem. Nec hoc, inquit, crudeliter quispiam putet factum, tantus cunctos per totam Ægyptum invasit timor, ut unum solidum retinuisse sit criminis.

ANNA Prophetissa.

Cap. CXLVIII.

398. ANna Prophetissa, *jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte*, in omni virtutum genere nunquam non crescebat, donec tandem, annos nata centum & sex, de Christo senile ac maturum testimonium perhibuerit, eumque, veluti Judæorum Regem, amplexata sit. Lemma. EO SANIOR, QUO SENIOR. Hinc discas, cum annis crescere prudentiam. Nam, ut benè ait S.Hieronymus, *Omnes penè virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente solâ sapientiâ, decrescunt cetera.* Et Jobus; *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Unde ut firmiora & maturiora essent Simeonis & Annæ testimonia, illos nonnisi senes ac grandævos elegit Euripides.

Luca 2.36 — Senectus prudens. — S.Hieronym. Epist.2 ad Nepot. — Job.12.12. — Eurip.in Phan.

O fili, non omnia mala senectuti
Insunt Eteocles: sed experientia
Habet aliquid sapientius dicere, quàm juvenes.

Bionis dictum erat; *Fortitudine, quum sumus juvenes, utimur: at quum senescere incipimus, prudentiâ valemus.* Ita Laërtius. De Annâ Prophetissâ non minus prolixè ac concinnè canit sapientissimus meus D. Picinellus.

Laert.l.4.

Nulla militiæ Dei ætas inepta,
In quâ annorum numero
Non prosternitur virtus, sed confirmatur.
Eò sanior, quò senior.
Anna invalida corpore, spiritu valida,
Avitam Aseris nobilitatem
Virtute vel implet, vel auget. &c.

APOLLO.

CAPUT CXLIX.

399. APollo id elogii in Actis Apostolorum retulit, quod fuerit non tantum excultus scientiis, sed etiam pietate, ac Divino ardore succensus. *Vir eloquens, potens in scripturis. Et fervens spiritu.* Unde geminâ hâc virtute instructus, plurimos ad Christi fidem convertit. *Contulit multum his, qui crediderant; vehementer enim Judæos revincebat publicè, ostendens per Scripturas esse Jesum Christum.* Lemma. VIRTUTE ET SCIENTIA. Geminâ enim hâc cardine totum vitæ Apostolicæ negotium vertitur: alterutrâ namque deficiente, actum agens, quidquid in propriâ vel alienâ salute promovendâ egeris. S.Bernardus in illud Psalmi, *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me:* ait, *Hæc sunt, quæ Pastori conveniunt. Bonitas attrahit; disciplina corripit: scientia poscit. Bonitas amabilem, disciplina imitabilem, scientia docilem reddit.* Sciscitatus est nonnemo Jordanum, Generalem Magistrum Prædicatorum, quænam esset regula suorum? Respondit illi: Regula Prædicatorum est, *honestè vivere, discere, & docere,* quæ tria in votis erant Davidi, cum diceret: *bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Ita Antonius Senensis in Chronico Ordinis Anno 1585.

Act.18.24 — Ibid.v.28. — Scientia & virtus. — S.Bern serm 1. ex 16.par-vis. — Psal. 118.66.

400. Apollo, *vir eloquens, potens in scripturis, & edoctus viam Domini,* tanto flagrabat discendi ardore, ut etiam à Priscillâ & Aquilâ, & duabus mulieribus, se erudiri permiserit; *Priscilla & Aquila assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini.* Lemma. DUM VIXERO, DISCAM. Quantò enim homo fuerit doctior, tantò majore addiscendi ardore flagrat. Cicero in Catone Majore laudat hanc sententiam.

Act.18.24. — Act 18.2 — Discendū semper. — Cic.in Cat.M

Quotidie addiscens plurima, fio senex.

De Solone refert Valerius Maximus, quod jamjam moriturus, *quum assidentibus amicis, & quadam de re sermonem inter se conferentibus, fatis jam pressum caput erexit. Interrogatusque, quapropter id fecisset, respondit; Ut, cum istud, quidquid est, de quo jam disputatis, percepero, moriar.* Audi de se ipso disserentem Magnum Politicæ ac moralis Philosophiæ Magistrum Senecam; *Philosophum audio, & quidem quintum jam diem habeo, ex quo in scholam eo, & ab octavâ disputantem audio. Bonâ, inquis, ætate, quid ni bonâ? Benè mecum agitur, si hoc unum senectutem meam dedecet. Omnis ætatis homines hæc schola admittit: in hâc senescamus, hanc ut juvenes sequamur. In theatrum senex ibo, & in circum deferar. Ad Philosophum ire erubescam? Tamdiu discendum est, quamdiu nescias, & si proverbio eredas, quamdiu vivas. &c.*

Val Max l.8 c 7. — Seneca Ep.76

401. Apollo, vir in omni scientiarum genere instructissimus, non erubuit, à duabus fœminis, Priscillâ & Aquilâ, erudiri. Lemma. GRATUM EST, ET AB INFERIORE DOCERI. Quisquis enim verè doctus est, non erubescit, etiam ab infimis aliquid discere; probè memor, Deum non rarò plurima *abscondere a sapientibus & prudentibus, & revelare ea parvulis.* S. Gregorius Nazianzenus mirificè commendat patrem suum, virum expertissimum, quod se ab uxore in virtute & pietate instrui permiserit; *Viro suo,* inquit, *in Divinis, & ad pietatem, ac optima quæq; exhibenda tam opere, quàm sermone ductricem. rectricem, ac propemodum doctricem se exhibuit, quod est admiratione dignum; sed plùs admirandum, quod vir tantus ab eâ ultrò devinci voluerit.* De Socrate refert Plato, quod non erubuerit Magistras habere Diothimam & Aspaciam, fœminas Rhetoricæ peritissimas. Instar omnium esto Magnum Ecclesiæ Lumen S.P.Augustinus, qui de se ipso dixit: *Ego senex & Episcopus paratus sum ab omnibus corrigi & emendari: & illum amicum meum existimo, cujus linguæ beneficio ante diem extremi judicii animæ meæ maculas tergo.*

Discendū à quovis. — Matth 11.25 — S. Greg Naz Orat. in fun. Patris. — Plato in Conviv & in Menex. — S. Augustin. Ap.Vmb in c.13. Regul.

CAIPHAS.

CAPUT CL.

402. CAiphas, odio & livore adversus Christum plenus, pro tribunali sedet, eumque mortis reum iniquissimè pronuntiat. Lemma. LIVOR NIL JUDICAT ÆQUUM. Judex enim munere suo ex æquo fungi non potest, nisi ab odio, passione, ac sinistro affectu alienissimus. Lege Divinâ olim sancitum erat; *Non facies quod iniquum est, nec injustè judicabis, non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Justè judica proximo tuo. Justitia,* inquit, Sanctus Hieronymus, *patrem vel fratrem non novit, sed novit veritatem; personam non accipit, & Deum imitatur.* Et Sanctus Clemens Alexandrinus; *Eorum, quæ à Moyse dicta sunt de Justitiâ, compendium fecit Pythgoras, dicens: Stateram non esse transcribendam: hoc est, non prætergrediendam esse æqualitatem, quæ versatur in distributionibus honoran-*

Judex nullas passiones habeat. — Levit. 19.15 — S Hieronym. in Reg. Mon. — S.Clem. Al.s Strom.at.

norando justitiam. Eam ob rem Areopagitæ, Judices æquissimi, obscuram noctem ad judicia ferenda elegerunt, *ut procul ab omni affectu, tantummodò facta cognoscerent, personas non viderent. Ita Alexander ab Alexandro.* Alex ab Alex. l 3, c. 5.

403. Caiphas, constitutus à Deo Pontifex, tametsi hominum esset flagitiosissimus, ac Christo infensissimus, non potuit tamen non in concilio, etiam præter opinionem suam, verum pronuntiare; Spiritu S. ipsius linguam dirigente. Juvat in rem præsentem S. Scripturæ verba recensere. *Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit; Vos nescitis quicquam; nec cogitatis, quia expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit: sed Cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quòd Jesus erat moriturus pro gente.* Lemma. ET INIQUUS PRÆDICAT ÆQUUM. Hinc discat Christianus, quantam curam Ecclesiæ suæ habeat Deus; quamque studiosè assistat illius capiti, Pontifici Maximo, ne à fide & veritate aberret. Inde etiam discant subditi suis obedire Superioribus, *non tantùm bonis & modestis*, ut loquitur Apostolorum Princeps, *sed etiam discolis*. Cùm enim à Deo in legibus sanciendis dirigantur, vix unquam, & quantumvis mali, malum aliquod præcipient. Disertè jubet Christus; *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergò, quæcunque dixerint vobis, facite, secundùm opera verò eorum nolite facere.* In hunc locum egregiè S.P. Augustinus; *Audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agunt: sua enim quærere student; sed sua docere non audent; de loco scilicet superiore sedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit. Illa ergò cathedra, non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vitâ suâ, docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena.*

Ioan. 11. 50. — Papæ in fallibilitas. — Obedientia. — 1. Petr. 2. 18. — Matth. 23. 3 — S. Aug. lib. 4. de Doct. Christ. c. 27

CORNELIUS Centurio.

Cap. CLI.

404. Cornelius Centurio perfectè subesse & præesse ex æquo doctus erat; subesse quidem, quando non tantùm sese hominem sub potestate constitutum, fassus est, sed etiam ad Christi pedes submississimè se abjecit, ejusque præsentiâ indignum se judicavit: præesse verò; quando dixit, *Habeo sub me milites, & dico huic, vade, & vadit; & alii, veni, & venit: & servo meo, fac hoc, & facit.* Unde lemma. BENE PRÆEST, QUI BENE SUBEST. Nunquam enim habebit promptos ad obediendum subditos, qui benè obedire, ac sub aliorum imperio se continere non didicerit. Appositè in rem præsentem Sanctus Bernardus; *Ut securè præesse possitis, subesse, & vos, si cui debetis, non dedignemini: dedignatio quippe subjectionis, prælationis reddit indignum: videant in vobis subditi, quod redhibeant.* Idque postea probat exemplo Centurionis; *Dicturus quippe; habeo sub me milites; præmisit, homo sum sub potestate. Præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet. Quia non confusus est de subjectione, jure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit super se potestatem, & ideò dignus, qui haberet & sub se milites. Dedit prius honorem Præpositis, ut jam à subditis justè reciperet.*

Matth. 8. 9 — Superior. — S. Bernard. Epist. 42.

405 Centurio, ægroto suo militi sanitatem recuperaturus, Thaumaturgum accedit Christum; cum lemmate, NON ALIUNDE SALUS. Hinc à gentili Centurione discas, ad quem in necessitatibus confugiendum sit. Audi S.P. Augustinum; *Sunt quædam refugia ubi non est virtus, quo quisque cum fugerit, magis infirmatur, quàm confirmetur. Confugis v.g. ad aliquem in sæculo magnum, ut facias tibi potentem amicum, refugium tibi videtur. Tanta tamen hujus sæculi incerta sunt, & ita potentum ruinæ quotidie crebrescunt, ut, cùm ad tale refugium confugeris, plus tibi timere incipias.* Unde alibi concludit; *Unicuique hominum in quocunque statu rerum in hâc vitâ egerit, non sit refugium nisi Deus, nec ullum gaudium, nisi in promissis ejus.* Præclarè nimirum, eodem Augustino teste, ratiocinatus est Centurio; *Si ego, homo sub potestate, jubendi habeo potestatem, quid tu non possis, cui omnes serviunt potestates?*

Refugium in Deo. — S. Aug. in Psal. 45. — Idem in Psal. 74. — Ibidem serm. 6. de Verb. Domini.

406. Centurio, tanto amore ac solicitudine erga servũ suum ferebatur, ut ad Christi pedes illius causâ prosterni, & sanitatem ægro impetrare non abhorruerit. Lemma. SERVI PROSTERNOR AMORE. Siracidis præceptio est; *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta.* Hinc constat, quantùm deceat, heros curam ac solicitudinem servorum habere. Sapienter Seneca: *Servi sunt? sed homines. Servi sunt? imò contubernales. Servi sunt? imò homines amici. Servi sunt? imo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunæ.* Deinde subdit exempla servorum, qui benè ab heris habiti, *pro eis parati erant porrigere cervicem, & periculum imminens in caput suum convertere.* Quare falsum est, quod jactatur vulgo, *totidem esse hostes, quot servos.* Nam, *non habemus illos hostes*, inquit, *sed facimus, inhumaniter eos habendo.*

Eccl. 33. 31 — Servi quomodo tractandi. — Seneca Ep. 47.

407. Cornelius, firmissimâ servi sanãdi fiduciâ ad Christi pedes prostratus, voti compos rediit. Lemma. NUNQUAM SPES CASSA RECEDIT. Ita nimirum, quantùm plenâ fide à Deo speras, tantùm obtinebis. Unde S. Bernardus illud Dei ad Josue promissum, *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis tui, vester erit*, ait, *Sperate in Deo omnis congregatio populi: quemcunque enim locum calcaverit pes vester, vester erit: pes vester utiq, spes vestra est, & quantumcunque illa processerit, obtinebit, si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit, & non titubet.* Idipsum de fide asserit Magnus Augustinus; Mulier enim sanguinis profluvio laborans, *Fide tetigit, & sanitas subsecuta est, quam præsumpsit.*

Spes. — S. Bernard. serm. 15. in Psalm. qui habit. — Josue 1. — Fides. — S. Aug. in 6. de Div. cap. 1

DIONYSIUS Areopagita.

CAPUT CLII.

408. Moriente Christo, *tenebræ factæ sunt super universam terram.* His conspicatus Dionysius Areopagita, fertur exclamasse: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur.* Unde postea prædicante Athenis Paulo, & asserente, Deum, in cujus morte obscuratus sit sol, esse Christum; ad fidem cõversus est. Lemma; E TENEBRIS LUMEN. Idipsum hodie etiamnum multis usuvenit, qui, allucente felicitatis luce, oculos ad Deum nunquam attollunt, sed talparum more, & cæci inter terrena vitia oberrant: at calamitatum umbris pressi, saniora cogitare, omnique conatu sanctam Dei ac virtutum lucem perquirunt. Exemplo suo id millies comprobârunt Hebræi; de quibus canit Psaltes: Cùm

Matth. 27. 45. — Calamitas ad Deum vocat.

Cùm occideret eos, quærebant eum & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Verissimè Seneca; *Magis Deos miseri, quam beati colunt. Frangitur calamitosis animus, & ipsa se in felicitas damnat. Diligentius Dii coluntur irati.* Cato in senatu Romano pro Rhodiensibus dixit; *Adversæ res homines domant, & docent, quid opus sit facto.* ita Aulus Gellius.

409. S.Dionysius Areopagita, testis oculatus, affirmat, tenebras in Christi morte è Solis eclipsi fuisse ortas. Unde visâ prodigiosâ hâc lunæ inter terram & solem interpositione, ad Dei cognitionem pervenit. Lemma; E SIDERE NUMEN. Ita quoties cœlum, ac miram siderum revolutionem intuemur, in agnitionem Dei haud obscuram deducimur. Opportunè Cicero; *Quis est tam vecors, qui cum suspexerit in cælum, Deos esse non sentiat?* Et Orpheus; *Mundi machina est musica & admirabilis consonantia, prædicans, & laudans Deum.* His sanctior Apost. ait; *Invisibilia mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* S.Ber. *Tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi radii sunt deitatis? monstrantes quidem, quod verè sit à quo sunt, non tamen definientes quid sit: ita quod de ipso sit, vides; sed non ipsum. Cùm autem de eo, quem non vides cætera vides, scis indubitanter existere, quem oportet inquirere.*

410. Cùm universus orbis, moriente Christo, densis involveretur tenebris; Dionysius, judex in Areopagitarum senatu primarius ac famosissimus, censuit, non aliunde, nisi à moriente Deo, prodigiosam illam mundi metamorphosin oriri potuisse: unde, referente Michaele Syngelio, hæ ipsius voces erant; *Deus ignotus in carne patitur, ideoque universum hisce tenebris obscuratur & concutitur.* Unde lemma; NOCTU PRONUNTIAT ÆQUUM. Nam Alexander ab Alexandro refert, Areopagitas, judices æquissimos, nonnisi obscurâ nocte judicia sua ferre solitos fuisse. Porrò hodie etiamnum experimur, nos nunquam melius sanctiusque de Deo sentire, quàm si intra calamitatum umbras jaceamus sepulti. Unde ad Deum conversus Magnus Augustinus, ait; *Imples tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te; ne delitiis & securitate perversâ seducantur.* Idipsum apud Senecam fassus est Agamemnon.

In vota miseros ultimus agit timor.

Et Horatius.

---- *Me tabula sacer*
Votiva paries indicat vivida
Suspendisse potenti
Vestimenta Maris Deo.

[Margin notes: ...al. 77.34. ...neca l 8 ...ntrov 1. / ...ul Gell. ...c. 3. / Deus cognoscitur ... creaturis. / Cicero lib de ...rusp Resp. / ...m. 1. 20 / Bern serm in Cant. / ...ich. Syng. Encom. Dionys. / Calamitas ... Deum ...vat. / ... Augustin. ... Psal ... / ...neca in ...agœd. ...st. 3. / ...orat. l. 1. ...rm. Od. 5]

E L I M A S Magus.
CAPUT CLIII.

411. ELymas Magus Divinas Apostolorum doctrinas animo prorsus cæco subvertere & aspernari solitus, tandem, imprecante Paulo, oculis corporeis excæcatus est. Lemma; LUMEN PERDO, DUM RESPUO NUMEN. Nempe quisquis inspirationum Divinarum lumen contemnere, eique obluctari audet, is paulò post penitus exoculatus, inter cymmerias inferorum umbras oberrare cogetur. S.P.Augustinus, *Qui se avertit à lumine vero, id est, Deo, jam cæcus efficitur: nondum sentit pœnam, sed jam habet.*

[Margin notes: Inspiratio...es Dei contemnere. / Aust. serm. de Verb. ...om. c. 4.]

412. Elymas magus, ob nequitiam suam oculis ab Apostolo privatus, ad mentem rediit, ac Christum agnovit. Lemma; VIDEO, DUM LUMINA PERDO. Ita enim Optimus Deus solet, ut corporali aliquâ calamitate afflicti, salutem nostram, honoremque Divinum tantò studiosius prosequamur. In rem præsentem S.Joannes Chrysostomus: *Erat hæc manus Dei medica; quia dirigebatur, non ad ultionem, sed ad sanationem Elymæ, ut oculorum excæcatione percussus aperiret oculos mentis, Christumq; per fidem agnosceret.* Didymus, S. Hieronymi præceptor, fuit cæcus, sed in explicatione S.Scripturæ oculatissimus. Unde S.Hieronymus eum vocat suum videntem, & S.Antonius visitans & consolans Didymum, ob cæcitatem mæstum: *Nihil te,* inquit, *offendat, ô Didyme, quod carnalibus oculis fueris orbatus. Desunt enim oculi illi, quos mures, & muscæ, & lacertæ habent: sed lætare, quia habes oculos, quos Angeli habent, è quibus Deus videtur, per quos tibi magnum scientiæ lumen accenditur.* Ita Ruffinus.

[Margin notes: Calamitas / S. Chrysost. in hunc loc. / Ruffin l 11. histor. Eccles. cap. 7.]

HÆMORRHOISSA.
CAPUT CLIV.

413. HÆmorrhoissa, infimam Christi vestem tangens, sanitatem consequitur. Lemma. ET SUUS EXUVIIS VIGOR EST. Nam, ut in rem præsentem ait S.Hilarius; *Sicut author naturæ dat magneti vim attrahendi ferrum, ita Christus dabat vesti suæ vim sanandi ex fide tangentem.* Clarum hoc argumentum est, ad vim, cultumque SS.Reliquiarum comprobandum. Causas quatuor affert S. Ambrosius, quæ illarum venerationem persuadent: *Honoro,* inquit, *in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices. Honoro viventis memoriam perennitate virtutis. Honoro per confessionem Domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis.* Et S.P.Augustinus. *Non sunt contemnenda corpora justorum, quibus, tanquam organis & vasis, ad omnia opera bona sanctus usus est Spiritus.* Intèr cætera eruditissimè in Elogiis suis canit Perillustris ac Reverendissimus D.Philippus Picinellus.

Ut fimbriam tenuit, sanitatem expressit;
& Deitatis chrysmate
è capite defluente in oram;
quæ per dorsum venerat ad faciem,
per fimbriam vestis, salutis balsama carpsit.
Felix planè:
quæ manu vestimentum, fide tenuit Deum; &c.

[Margin notes: SS. Reliquiæ. / S.Hilar. in Marc. 5. / S.Ambrosius serm. de SS.Nazar. & Celso. / S. Augustin.]

H E R O D E S.
Cap. CLV.

414. HErodes Agrippa, cùm, sublimi residens solio, regiisque ornamentis splendidè vestitus, honores Divinos ab acclamante populo acciperet, mox à vindice Angelo percussus, *Et consumptus à vermibus, expiravit.* Sic nimirum superbos dejicit, sideratque Deus. Unde Herodes, inter populi congratulationes & festivos plausus, superbo spectandus solio, epigraphen tenet: MOX VERMIBUS ESCA. Hæc nimirum Dei adversus superbos & ambitiosos est vindicta, ut tandem vermibus in escam cedant. Exemplo suo id experti fuere Antiochus Epiphanes; Herodes Ascalonita, Hunnericus Rex Arrianus, persequens Orthodoxos: Pherecydes, Pythagoræ præceptor, atheus, & omnis Numinis contemptor: & alii complures. Porrò omnes mundi honores, delitiæ, & voluptates paulò post hominem deserent, & vermibus in escam objicient. Probè id edoctus Jobus, ait. *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* Huic vanitati illechrymans Magnus Augustinus, ait, *Quid ergo prosunt divitiæ, quid epulæ, quid delitiæ? Non liberabunt à morte, non defendent, non eripient à fætore.* *Qui* quon-

[Margin notes: Act. 12. 23. / Ambitiosus. Voluptates mundi. / Iob. 17. 14 / S. Aug. apud Cordrum in hunc loc.]

quondam sedebat in throno gloriosus, modò latet despectus post mortem in tumulo. Qui stabat ornatus in aulâ, modò sedet immundus in tumbâ. Qui vescebatur delitiis in cænaculo, modò cõsumitur vermibus in sepulchro.

415. Herodes Ascalonita, audito Christi infantis natali, mox timore concuti, turbari, & pendentes ab uberibus maternis parvulos ad quatuordecim millia, crudeli ferro perimere cœpit. Lemma: MULTA TIMET, QUI MULTA AMBIT. Verissimè dixit Seneca. *Ambitio timida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum, tam solicita ne quemquam ante se videat, quam ne se.* Nam ut ait S. Chrysostomus, *Inextinguibilis est ira, quam regni zelus accendit &c. ut fera vulnerata, quidquid oculis occurrit, tanquam auctorem vulneris dilaniat.* At frustra regnum terrenum sibi à cœlesti ac æterno Rege eripiendum timuit impius Herodes: nam, ut pulchrè ait S. Fulgentius, *Rex iste non venit, reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare. Nec ideò natus, ut tibi succedat, sed ut in eum mundus fideliter credat. Non capit Christum regia tua,* inquit S. Leo, *Nec mundi Dominus potestatis tuæ sceptri est contentus angustiis, quem in Judæâ regnare non vis, ubiq; regnat, & felicius ipse regnares, si ejus imperio subdereris.*

Ambitio. Seneca Epist. 85. S. Chrysost. in hunc loc. S. Fulgen. serm. 1. de Epiph. S. Leo ser. 4 de Epiph.

416. Herodes sceptro suo periculum ab infantibus formidavit. Unde clamari ad arma, expediri milites, ætati lactenti bellum indicere, ac quatuordecim millia parvulorum necari jussit. Lemma. TENEROS GRASSATUR IN ARTUS. Herodis nomine diabolum intelligere licet, qui tenellos adhuc in fide Christianos; uti & primas Dei inspirationes ac bonas cogitationes, priusquam roborentur ac crescant, opprimere studet; cùm nullo regno suo majus exitium timeat, nisi quando illæ incrementum sortiuntur. S. Leo Papa de Herode disserens, ait, *Si parvulos interficiat, Jesum sibi videtur occidere; quod utique facere sine cessatione molitur, dum primordiis renatorum Spiritum sanctum eripere, & quandam teneræ fidei velut infantiam tentat extinguere.*

Dæmon. Inspirationes rejectæ. S Leo ser. 2 de Epiph.

417. Herodes Antipas sapientissimum Jesum, veste albâ indutum, fatui loco habuit, eique illusit. Lemma. STULTA EST SAPIENTIA STULTO. E Salomonis sententiâ *Stultorum plena sunt omnia:* eorum præsertim, qui innocentiam, simplicitatem, sapientiam, ac vitæ integritatem contemptui habent, & sanctiora quæque risu excipiunt. De sapientiâ ait Salomon: *Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt.* De innocentiâ verò Magnus Augustinus. *Malè viventium multitudo benè viventes ita perturbat, ut, qui benè vivit, stultum se putet, quando attendit alios; maximè quia secundùm bona hujus sæculi inveniuntur multi felices nocentes, & inveniuntur multi infelices innocentes.*

Sapientiæ contemptor. Proverb. 1. 7 S. Augustin. serm. 23. ex inedit.

418. Herodes Antipas, saltatricis amore insaniens, temerè jurat, & Joannem Baptistam occidit. Lemma. AMOR NIHIL MODERABILE SUADET. Verbis ex illo Ovidii versu desumptis.

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent.

Ea enim muliebris amoris est efficacitas, ut jura, auctoritatemque omnem evertere, & ad impiissima quævis hominem impellere valeat. De stulto illo Herodis facinore disserens S. Joannes Chrysostomus. *Regalem auctoritatem puellæ pedibus stultus subjecit, permisit regiam dignitatem conculcari, sub quâ se juramento constrinxit, qui cupiditate cæcâ captus erat, invitus postea puellæ nutui obsecundavit.* Idipsum probè perspectum habuit Seneca, quando dixit. *Alius libidini servit, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Dabo consularem aniculæ servientem, dabo ancillulæ divitem, ostendam nobilissimos juvenes mancipia pantominorum.* Providè ergò monet Salomon. *Cùm saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.*

Amor muliebris. S. Chrysost. Orat. 2. in Decoll. S. Io. Seneca in Epist. 47

J A I R U S.
CAPUT CLVI.

419. Jairus, princeps Synagogæ, ut mortuæ suæ filiæ vitam impetraret, Christum accessit, & ad ejus pedes prostratus, sanitatem rogavit. Lemma. A VITA FLAGITO VITAM. Et benè quidem; ubi enim rectius filiæ suæ vitam quæsivisset Jairus, nisi ab illo, qui est *via, veritas, & vita.* Porrò filiæ nomine animam tuam intelligas velim, cui, per peccatum mortuæ, non aliunde, nisi à Deo, vitam deprecari poteris. S. Hilarius. *Nec ducit Christus per erratica, quia est via; nec illudit per falsa; quia est veritas; nec in mortis horrore relinquit; quia est vita: si via, duce alio non indigetis: si veritas, non loquor falsa: si vita, etiam morientes ad me venietis.* Et S. Chrys. *Sum via, quia per me venietis; sum veritas, quia sine dubio hæc erunt, quæ dixi; sum vita, quia neq; ipsa mors prohibere poterit, quò minus ad me perveniatis.*

Ioan. 14. 6 Pœnitent. S Hilar. l. de Trinit. S. Chrys. hom. 72

S. JOANNES. BAPTISTA.
CAPUT CLVII.

420. S. Joannes Baptista, peccandi occasionem declinaturus, ex hominum conversatione, etiamnum duodennis, in desertum se recepit. Unde Joanni adhuc parvulo, inter sylvas degenti epigraphen è Virgilio subjunges. VIAMQUE INSISTO DOMANDI, DUM FACILES ANIMI. Verba Poëtæ sunt.

Tu quos ad studium, atq; usum formabis agrestem,
Jam vitulos hortare, viamq; insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.

Nam puerorum indoles ac animus, udæ argillæ aut ceræ instar, omnem formam recipit, adeò ut, sicuti ex eâdem cerâ nunc Angelum, nunc dæmunculum fingis; ita puer, qui Poëta teste, est

Cereus in vitium flecti,

Modò sanctam, modò impiam induat formam, prout loci aut educantium ratio tulerit. Verissimè cecinit Poeta.

Udum ac molle lutum est, nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rotâ.

An simiolus, ut ita dixerim, usque eò est simius, quemadmodum puer? Audi Aristotelem: *Innatum quippe à naturâ pueris est, imitari; eoq; differunt à cæteris animantibus, tum quod aptissimi ad imitationem sunt, tum quod primas disciplinas imitando acquirunt, & unusquisque juxta imitationem gaudet.* Nec profani tantùm, sed & Sacri Doctores hoc argumentum pertractarunt. Ex his Basilius. *Animus adhuc tener est instar ceræ, qui impressas in se formas quascunque facilè recipit.*

Virgil l. 4 Georg. Educat. Persius S. Aristot. l. Polit. c. S. Basil. sub disc. 15.

421. S. Joannes Baptista, ut Herodis infanticidium effugeret, à matre Elisabethâ etiamnum bimulus in desertum ductus est. Unde lemma. TENERIS NE CONCIDAT ANNIS. Parentes hoc Emblema concernit, ut liberos suos Herodis tyrannidi, vitiis inquam, ac Tartaro subducere, teneramque eorum ætatem sanctis præceptionibus imbuere omni studio satagant. Pulchrè S. Chrysostomus: *Magnū habemus, pretiosumque depositum filios, ingenti illos servemus curâ, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat: exerceamus ad virtutem atq; pietatem molles filiorum animos.* Unum addo, nec postremum rectæ educationis præceptum subjicio: pueros à teneris non molliter & muliebriter, sed fortiter & vi-

Educat. S. Chrys. Homil. 9 ad Tit.

& viriliter educandos. Aristotelis præceptio est; *Conducet statim à puero eos ad frigora assuefacere:* ob calorem enim nativum pueri, quibus

---Fervet circùm præcordia sanguis,

Facilè frigus tolerant. Hinc Celtæ infantes natos ad flumina durabant. Thraces quoque gelido stagno immergebant: qui frigore necabantur, eos equidem inertes ac debiles, brevi extinguendos ducebant; qui ad illa superant, robusti ac tolerantes laborum perdurabant. Sidonius.

Excipit hic natos glacies, & matris ab alvo
Artus infantum molles nix civica durat.

422. S. Joannes Baptista, adhuc bimulus, è periculosâ hominum consuetudine in eremum à matre ductus, epigraphen tenet, NE LEVI POSSET MACULARE VITAM CRIMINE LINGUÆ. Verbis ex hymno Ecclesiastico desumptis;

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi posses maculare vitam
Crimine linguæ.

Hinc discant parentes, omnem peccādi occasionem liberis subtrahendam esse. Certè è S. Ambrosii sententiâ, quisque filios diligat ut pupillam oculi sui, non minorem curam ac solertiam adhibendo, ut illos, quàm ut istam illæsos servet. *Pupillam, inquit, Deus niti dissimo naturæ vallo munire dignatus est, quia innocentia & integritas levi sorde aspersâ violatur; & ideò perspiciendum, ne quis eam pulvis erroris oblinet, aut ulla vexet festuca peccati.* Tum subdit: *ad hunc etiam modum parentes custodire debent filios, & ab omni labe impudicitiæ pueros tueri; præsertim cùm teneriorem ætatem supergressi, adolescentiæ latiorem campum ingrediuntur.* Scitè Poeta;

Nil dictu fœdum, visuq; hæc limina tangat;
Intra quæ puer est.

423. S. Joannes Baptista, in deserto victitans epigraphen tenet; AMAT NEMUS, ET FUGIT URBES. Verbis ex Horatio desumptis.

Scriptorū chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.

Quisquis ergò genuinæ pietati ac cōtemplationi Divinæ vacare cupis, is è mundi turbis profugus, secessum amat, & in solitudinem se recipit. S. Gregorius Nazianzenus, cum S. Basilio in solitudinem secedens, illius delitias & fructus ita describit: *Nihil mihi tam optandum cuiquam videbatur, quàm ut occlusis sensibus, atq; extra carnem mundumque positis, in se ipsum collectus, nec nisi quantùm necessitas exigit, quidquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse, & cum Deo colloquens, superiorem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agit, Divinasq; species puras semper, nec terrenis ullis & errantibus formis admixtas in se ipso circumfert, Deiq; ac rerum Divinarum purum omninò speculum est, indiesq; efficitur, ac lucem per lucem assumit, clariorem videlicet per obscuriorē; jamque futuri ævi bonum spe percipit, & cum Angelis versatur, ac licet adhuc in terris sit, terram deserit atque à spiritu sursum collocatur.* Ad desertum invitans Romanos Sapiens, ait; *Quid tibi vitandum præcipuè; existimem quæris? turbam. Ego certè confiteor imbecillitatem meam, nunquam mores, quos extuli, refero, aliquid ex eo, quod composui, turbatur. &c.* Coronidem jungens Spiritus Sanctus, de animâ piâ ait; *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.*

424. S. Joannes Baptista, pœnitentiam & vitam austeram in desertò egit, ut illam exemplo potiùs, quàm verbo docturus, cōgruus fieret pœnitētiæ præco, lemma; PRIMUSQUE GRADUS IN PULVERE PONAM. Verbis è Lucano desumptis, ubi Catonem suos exercitus in hæc verba exhortantem introducit.

- - - - - Primus arenas
Ingrediar, primusque gradus in pulvere ponam.
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoque pericula vestra
Prætentate meo. &c:

Auctor operis imperfecti super illud Matthæi, *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, ait, *Multò melius est facere & non docere, quàm docere & non facere. Quoniam qui facit, etsi tacuerit, aliquos corrigit suo exemplo; qui autem dicit & non facit, non solùm neminem corrigit, sed adhuc multos scandalizat.* Et Velleius Paterculus. *Facere rectè cives suos princeps optimus faciendo docet, cumque sit imperio maximus, exemplo major est.*

425. S. Joannes in deserto degens, pœnitentiam prædicat, hominumque plurimos convertit. Lemma; DESERTUM FACIT ESSE DISERTUM. Nempe quisquis in virum Apostolicum ac prædicatorem evadere cupit, prius ab hominum tumultu secedat, & orationi, ac meditationi in secreto studeat necesse est; ut haustam inde Spiritus Sancti vim postea in auditores effundere queat. Et verò non Christiani tantùm, sed & Ethnici, sive scientiæ, sive virtutis, aut quietis captandæ causâ, solitudinem ambierunt. Quis Tulli Tusculanum ignorat? *Abdimus nos, inquit, quantùm licet, & sæpè soli sumus.* Post Oratorem Philosophus Romanus; *In hoc, inquit, me recondidi, & fores clausi, ut prodesse pluribus possim.* Etenim ut solitudinis lumen ac columen Basilius ait. *Solitaria vita cælestis doctrinæ schola est, & Divinarum artium disciplina: illic namque Deus est, totum quod discitur.* Nec aliter S. Bernardus; *Cella terra sancta & locus sanctus est, in quâ Dominus & servus ejus colloquuntur, sicut vir ad amicum suum. In qua crebrò fidelis anima verbo Dei conjungitur, sponsa sponso sociatur.* Quo motivo S. P. Augustinus. Nebridium suum ad pium secessum à tumultu rerum sæcularium invitat, dum præclarè illud pronuntiat. *Deificare in otio licere.*

426. S. Joannes Baptista, cœlestibus delitiis, & animi quiete fruiturus, RELICTIS MOENIBUS, SYLVAS AMAT. Verbis è Seneca Tragœdo desumptis:

Non alia magis est libera, & vitio carens,
Quàm quæ relictis mœnibus, sylvas amat.

Et certè ut Deum quis sibi loquentem, & intùs canentem audiat, solitudo quærenda est. Ubi enim existimas esse *factum verbum Domini ad Joannem?* numquid in paternâ domo? in aula Herodis? in foro? in frequetia populi? minimè gentium; sed *in deserto.* Unde concludit S. Ambrosius. *Bona igitur anima, quæ foris est, ut verbum intus sit.* Ut adeò verissimè expertus clamat S. Pet Damian. *Unum pro certo scio, ô vita benedicta! quia quisquis in amoris tui desiderio perseverare studuerit, ipse quidem habitator est tuus, sed ejus habitator est Deus.* Et magnus ille Eremi cultor Hieronymus: *O eremus familiarius Deo gaudens! quid agis?* (Heliodore) *quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu famosarum urbium carcer includit? crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio, libet sarcinâ corporis abjectâ ad purum ætheris evolare fulgorem.*

427. Joannes Baptista *Vox clamantis* cognominatur, quod Christum non tantùm prænuntiaverit venturum, sed etiam demonstrârit natum, totique mundo pœnitentiam indixerit. Lemma; IMPLEVIT TERRAS VOCE. Iisdem penè verbis Silius Italicus, non ignobilis Poëta, M. Tullium à voce commendavit.

Tullius æratas raptabat in agmina turbas,
Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto,
Indole, prô! quantâ juvenis, quantumq; daturus
Auso-

Marginalia (left): Arist l. 7. Pol. c. 17. — Sidon Carm. 2 — Educatio. S. Ambr. l. 6. Hexam. c. 9. — Juvenal. sat. — Horat. l. 2. ep. ult. — Solitudo. S. Greg. Naz. orat. 21 — Seneca Epist. 7 — Lucan. l. 9.

Marginalia (right): Exemplo docere. — Auth Op. Imp hom. 10 in Matth. 5. 13. — Solitudo. — Cic l. 3 Offic. — Seneca ep. 8 — S. Basil de laud. vitæ solit. — S Bernardus ep ad frat de mont. Dei de solit. — S. Augustin. Epist. 110. — Seneca in Hyppolit. — Solitudo. — Luc. 3. — S Ambrosius de Isaac. c 8 — S. Pet. Dam. Opusc 11. cap. 19. — S. Hieronym. Epist ad Heliod. — S. Joannes Baptista vox.

Ausoniæ populis, ventura in sæcula civem!
Ille super Gangem super exauditus & Indos,
Implevit terras voce.

S.Rup. Abb. Non absimili exornandi genere S.Rupertus Abbas omnes Joannis laudes in angustias syllabæ collegit, dum dixit; *Magnum est hoc præconium Joannis, quia vox est. Hoc est, quod dicere molitur Evangelista: quia sicut verbum cujusque nostrum clarâ, vel sonorâ voce indiget, ut melius audiatur; ita verbum Dei caro factum testificante Joanne indiguit.* S.Clemens Alexandrinus. *Ut eum utcunque exprimam,* inquit, *liceat dicere, vox est verbi.* (S.Clem. Alexand. in exhort. ad gent.)

428 Joannes, testante Sacrâ Paginâ, *Habebat vestimentum de pilis camelorum.* Lemma. PELLIBUS IN MOREM CINCTUS. Verbis è Virgilio mutuatis, ubi innuit, gentilium sacerdotes sacrificaturos, fuisse ciliciis ac pellibus animalium cinctos. (Virgilius l.8 Æneid. v.2,81.)

Jamque sacerdotes priusque Potitius, ibant
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.

Cilicium. Illo enim vestimenti genere Joannes etiamnum in juventute carnem domabat, ne in luxuriem deflueret. S.Ægidius, unus è primis S.Francisci sociis, (Annales Francisc.) rogatus, cur S.Joannes, qui nil peccaverat, tam austeram egisset vitam & pœnitentiam? Respondit: *Sicut carnes condiuntur sale, ne putrescant; ita corpus Baptistæ conditum fuit pœnitentiâ. Pœnitentia enim,* asserente S.Cypriano, *est corrosorium sal, desiccans recrudescentes carnis putredines.* (S.Cypr. de Circumcis.) Celebris est gnome Augusti Cæsaris apud Suetonium. (Suetonius.) *Vestitus insignis ac mollis, superbiæ vexillum est, nidusq; luxuriæ.* Vis exempla; S.Ephræm vitam S.Abrahæ Eremitæ in hæc verba claudit: (S.Ephr. in vita S.Abr.) *In omnibus quinquaginta abstinentiæ suæ annis vestem cilicinam, quâ indutus fuerat, non mutavit.* S.Clara per 28. annos, licet infirma, cilicium è setis porcinis gestavit. &c. Colophonem jungit Tertullianus. (Tertull. l. ad Martyr.) *Virtus duritiâ extruitur, mollitie verò destruitur.*

429. S.Joannes, acerrimus gulæ, luxuriæ, omniumque scelerum hostis, nonnisi locustis & melle sylvestri, cibis uti & vilissimis, ita & amaris, vescebatur. Lemma. QUOVIS JEJUNUS AB HOSTE TRIUMPHAT.

Jejunium. S. Hieronymus in illud Psalmi, *Genua mea infirmata sunt à jejunio, & caro mea immutata est propter oleum:* ait, *Tales diligit Deus milites, qui jejuniis vacent: quare? quia in jejunio victoria est, & in victoriâ triumphus.* (Psal. 108. S.Hieronym. in hunc loc.) S.P. Augustinus. (S. Aug. 10. Confess. c.31) *Nunc autem suavis est mihi necessitas, & adversus istam suavitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero jejuniis: sæpius in servitutem redigens corpus meum, hoc me docuisti, ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accederem.*

430. S.Joannes, Christum in Jordane baptizans,

Baptismus. epigraphen tenet. HIS UNDIS ABLUIT UNDAS. Illo enim Christi baptismo fuere sanctificatæ aquæ, quæ noxas nostras per sacrum baptisma eluerent, redderentque dignos gratiæ & amicitiæ Divinæ. S. Bernardus. (S.Bernard. serm. 1. de S.Epiph.) *Acquievit Joannes & obedivit: baptizavit Agnus Dei, & aquas lavit; nos abluti sumus, non ille; quia nobis lavandis aquæ cognoscuntur ablutæ.* Et S. Gregorius Nazianzenus. (S.Greg. Naz. Orat. in S.Luminaria) *Ioannes baptizat, & accedit Iesus, sanctificans quidem & ipsum, qui baptizat, præcipuè tamen ut & veterem hominem sepeliat in aquis.* Et mox. *Ascendit Iesus de aqua, secum quodammodò demersum educens, & elevans mundum.*

431. Joannes, ob castigatum Herodis incestum in vincula conjectus, epigraphen ex Horatio sustinet. (Horat. l. 1 Sat. 9.)

Vincula Martyrum. ADDUNT VINCLA DECOREM. Complura in hoc mundo sunt vincula, qui infinitam homini gloriam conciliant: hanc enim nonnulli captivitatis vinculis, alii infirmitatis, tentationis, paupertatis, ac cujusvis adversitatis vinculis; complures religionis vinculis; quidam vinculis matrimonii ac mandatorum Dei, præclarè sibi contexunt. De Petri vinculis audi Oratorem aureum; (S.Chrysost. hom. 8. in Epist. Eph.) *Sic Petrus vinctus fuit, & ab Angelo solutus: hîc si mihi quispiam dixisset, elige, utrum velis? vis esse Angelus Petrum solvens, an Petrus vinctus? Petrus utique esse maluissem: majus hoc vinculorum donum est, quàm solem sistere aut mundum movere, aut dominari dæmonibus, eosque expellere.* Ejusmodi præconia D.Augustinus congerit, ex quo hæc delibasse sufficiat. (S. Aug. serm. 29. de SS.) *Meritò per omnes Christi Ecclesias, auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. &c.* Et S.Cyprianus: (S.Cypr. ep. ad Nemes.) *Non sunt vincula, sed ornamenta, quibus Sanctorum pedes non copulantur ad infamiam, sed clarificantur ad coronam.*

Tentatio. De tentationum vinculis breviter S.Hieronymus; (Hieron. ep. 127) *Christi vincula voluntaria sunt, & vertuntur in amplexus.*

Religio. De Religionis vinculis S.Thomas Aquinas; (D.Th. Opusc. 19. contra impug. Rel.) *Nomen religionis à religando sumptum est, ut Augustinus in lib. de vera relig. innuere videtur, &c. Et ideò omnis creatura, quodammodo à Deo distare incipiens, ad Deum debet religari, cui primò conjuncta fuerat. Et ideò Augustinus dicit; Religet nos Religio uni omnipotenti Deo.*

Matrimonium. Denique de matrimonii vinculis S. Ambrosius; (S. Ambros. l. 3. de Virg.) *Quodam vir & mulier nexu inter se amatorio copulantur, & quibusdam invicem sibi habenis amoris adstricti sunt; bona igitur vincula nuptiarum, sed tamen vincula, etsi vincula, tamen vincula charitatis.*

432 Joannes Herodi perquàm familiaris & quasi domesticus, summâ apud Regem ac dynastas veneratione pollebat. At vir tantus, Regi ac aulicis percharus, ubi incestuosas Regi nuptias objecit, ac testimonium perhibuit veritati, mox summam incurrens inimicitiam, in carcerem conjectus est. Lemma è D.Paulo desumptum: INIMICUS FACTUS SUM, VERUM DICENS. (Galat. 4.16) Quantos viros hâc in parte sectatores habuit Joannes, qui regum, principumque gratiis ob veritatis patrocinium exciderunt!

Veritas odium parit. Nempe *Veritas odium parit.* S.Hieronymus. (S. Hieronym. in Gal. 4.) *Hæc est conditio veritatis, ut eam semper inimicitiæ consequantur, sicut per adulationem perniciosam amicitiæ conquiruntur: libenter enim, quod delectat, auditur; & offendit omne, quod nolumus,* Meus Concanonicus S.Ivo, Catnotensis Episcopus, quod Philippum Galliæ Regem ob illegitimas nuptias voce & calamo correxerit, (Offic. Can. Reg. Lat. 2 Maii.) *bonorum omnium rapinam & jacturam passus est usq; ad penuriam panis & in carcerem conjectus est.*

433. S. Joannes Baptista, ob veritatis patrocinium capite plexus, epigraphen tenet. VITAM, QUAM VERUM PERDERE PRÆSTAT.

Veritas. Siracidis ore præcipit Deus. (Eccl. 4.) *Non confundaris pro anima tuâ dicere verum;* id est, interprete Jansenio, *potius mori, quàm tacere veritatem eligas.* Pulchrè S.P. Augustinus, (S. Augusti. Epist. 9.) *Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Grecorum: pro istâ enim fortius Martyres nostri adversus hanc Sodomã, quàm pro illâ illi heroes adversus Trojam dimicarunt.* Michael de Palatio refert, (Palat. apud Delr. in Adag. sacr.) Monachum quemdam, martyrii desiderio vehementer incensum, in Turciam abiisse: qui cùm in aulam Soldani imperterritus sese penetrâsset, quorsum venisset rogatus? intrepidè respondit; *Ut mortem inveniam, tibi veritatem prædicando.* Ad quem peracutè Soldanus: *Ito ad Principes tuos, prædica illis veritatem, & mortem, quam apud me quæris, apud illos citò invenies.*

S.JOAN-

S. IOANNES APOST.
CAPUT CLVIII.

434. CHristus Joannem Apostolum, in sinu suo recumbentem, amplectitur; cum lemmate ex Ovidio desumpto. NEC TE MIHI CHARIOR ULLUS. Joan. enim ille erat *discipulus, quem diligebat Jesus*. Id explicans S.P. Augustinus, ait, *Tacito nomine discernitur Joannes à cæteris, non quod solum eum; sed quod plus cæteris diligeret Dominus eum*. Cæterùm à Deo diligi, ac Deo in amoribus esse, summum est hominis bonum, felicitas summa, & quædam beatitudo ad huc in terris; quod Guerricus, Igniacensis Abbas, scitè observavit. *Dilectum Domini fuisse, paucis comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiæ & virtutis: simulque beatitudinem vitæ perennis.* Uti contrà, à Deo odio haberi, paucis comprehendit summam omnium malorum, spoliationem gratiæ & virtutis; simulque damnationem sempiternam.

Ovid. l. 3. Trist. Eleg. — *Joann. 13* — *S. Augustin. apud D. Th. in catena.* — Amor Dei — *Guerri. Abb. Ser. 3. de S. Benedict.*

435. Joannes, super pectus Domini recumbens, epigraphen tenet. HINC ARCANA FLUUNT. Nam in Christi corde omnes sapientiæ thesauri, veluti in gazophylacio, asservabantur, ex quo proinde Joannes cælestis contemplationis, apocalypseos, ac reconditæ sapientiæ fluenta hausit, quæ & Mosis, & Pauli, & omnium, qui Deo conjunctissimi fuêre, Divinarum rerum scientiam longè excesserunt, S. Hieronymus. *Joannes recubuit in pectore ejus, ut hauriret fluenta sapientiæ, ut posset dicere: In principio erat verbum &c. Quia enim in pectore Christi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, meritò super pectus ejus recumbit, quem majore cæteris sapientiâ, & scientiæ singularis munere donat.* Cæterùm quisquis arcanis cælestibus à Christo imbui cupis, ejus pectori appropinques, ac per amorem intimè illi cõjungaris, necesse est. Docet id disertè S. Bernardus. *Certum signum tibi sit, quæcunq; es anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab eo minus diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis, & ad theoricos & anagogicos illos conatus mentis alienatione non transis. Vis nosse, quia sublimitas Divinarum revelationum sit manifestum Divinæ dilectionis indicium? Jam non dicam*, inquit, *vos servos, sed amicos, quia omnia, quæ audivi a patre meo, nota feci vobis. Satage ergò, Deum tuum intimè & summè diligere, & omni horâ in Divinæ contemplationis gaudium, summo cum desiderio anhelare. Collige te ipsam, ad te ipsam, & in solo Divinitatis desiderio requiesce.*

Scientia in Deo. — *S. Hieronym. in Ezech. c. 2* — Amor Dei scientiam parit. — *S. Bernardus tract. de int. Dom. c. 69.*

436. Joannes, cæteris Apostolis fugâ dilapsis, unus inter Judæorum catervas, inter satellitum secures, inter militum opprobria, sanguinolenta Christi vestigia est secutus, &, quod maximè amantis erat, moriente illo ad crucem stetit. Lemma; NEC ME VIS DIVIDET ULLA. Hæc nimirum genuinæ amicitiæ est indoles, ut amico nunquam magis, quàm inter calamitates adhærescat. Seneca. *In quid igitur amicum paro? Ut habeam, pro quo mori possim; ut habeam, quem in exilium sequar, cuius me morti opponam, & impendam.* Deprædicat Antiochenus Antistes insignem Magni Basilii in amicum charitatem; cùm enim hic in vincula conjectus esset, ei adfuit etiam cum pari, imò majori, vitæ scilicet discrimine. Aliis verò amicis ei objicientibus, quod vitæ, sanguinisque prodigus esset, respondit vultu placido; *Aliter amare non didici, nisi ut vitam meam in discrimen adducam, dum periclitantem amicum liberare opus est.* Certè & Joannes aliter amare non didicit; Rapitur in vincula Jesus, Joannis amor sequitur & in vincula; Vocatur in prætorium, & Pontifici sistitur; & cum magistro suo eodem discipulus pervadit. Ducitur in Golgothæum jugum, consequitur & Joannes; Sustollitur in crucem Jesus, sub umbrâ illius Joannes unà cum Virgine lamentatur; isque ex omnibus unus, & Judæorum contumeliis se obiicit, & carnificum immanitati, paratus etiam cum magistro attolli.

Amicitia. — *Seneca ep. 9.* — *S. Chrysost. l. de sacerd.*

437. Joannes Matri Virgini à crucifixo Filio commendatur verbis his suavissimis; *Mulier ecce filius tuus!* Lemma; HAC MATRE BEATUS. Nullibi enim tutius habetur asylum, nec major felicitas, quàm sub materno Deiparæ patrocinio. Cæterùm non de Ioanne tantùm, sed de quovis homine verba illa à Christo pronuntiata docet S. Bernardus. *O beata ergò fiducia! exclamat, ô tutum refugium! Mater Dei, est mater nostra! mater ejus; in quo solo speramus, in quem solum timemus, est mater nostra! Quàm magnum, quam admirabile est, quod video per te evenire nobis? quod videns gaudeo; quod gaudeo, dicere non audeo: si enim tu Domina es mater ejus, nonne & alii filii tui, sunt fratres ejus? &c. Quâ igitur certitudine debemus sperare, quâ desolatione possumus timere, quorum sive salus, sive damnatio, de boni fratris, & piæ matris pendet arbitrio? &c.*

Maria V. refugium. — *S. Bern. serm. 2 sup signum magnum.*

438. S. Joannes, cum Petro ad Christi defuncti sepulchrum currens, *Præcucurrit citius Petro.* Lemma ex Ovidio desumptum. PENNIS ADJUTUS AMORIS. Duo enim illi Apostoli, S. Gregorio asserente *Præ cæteris cucurrerunt quia præ cæteris amaverunt.* Unde etiam inter duos istos celerius cucurrit ille, qui altero plus amavit. Amor enim, quò fuerit intensior, tantò magis ad amatum impellit. S.P. Augustinus; *Sicut amor immundus inflammat animam & ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda vocat perituram, & in ima præcipitat, atq; in profunda demergit: sic amor sanctus ad superna elevat, & ad terrena inflammat, & ad ea, quæ non transeunt neque moriuntur, excitat animam, & de profundo inferni levat ad cœlum. Habet tamen omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in animâ amantis, necesse est, ut ducat. &c.*

Ioan. 20. 4 — *Ovid. 1. Metam.* — Amor incitat. — *S. Augustin in Psalm. 121*

439. S. Joannes, ferventi oleo supra ardentem rogum impositus, ignem extinxit, & innoxius permansit. Lemma ex Ovidio; COMPESCUNT IGNIBUS IGNES. Sicuti enim minus lumen à majore extinguitur, ita amoris Divini flamma quâ S. Joannes exarsit, flammas ac incendia carnificum suffocavit. Nam, ut benè concludit S. Maximinus, *Ubi Christi ignis operatur, diaboli necesse est vincatur incendium; & ubi Dei spiritus fervet, frigida est flamma mortalium.* Prodigium consimile tres pueri in fornace Babylonicâ experti sunt, quibus flammæ fuêre instar venti roris flantis; ubi in rem nostram perappositè Mediolanensis Antistes; *Meritò Hebræi pueri in fornace ardenti non sentiebant ignis incendia, quia charitatis eos flamma refrigerabat.* Pulchrè accinit Sedulius;

Ovidius 2 Metamorp — Amor Dei. — *S. Max Hom. de S. Laur.* — *S. Ambr. l. de de Isaac. c. 8* — *Sedul l. 1. Pasch.*

> *---- Medios traduntur in ignes,*
> *Nil ardente rogo, tantoque ardore calentes*
> *Cordis, imagineæ vincunt incendia pœnæ.*

IOSEPH Arimathæus.
CAPUT CLIX.

440. JOsephus Arimathæus, *accepto exanimi Christi corpore, involvit illud in sidone mundâ.* Lemma ex Tibullo desumptum; HUNC PURA CUM VESTE SEQUAR. Ita quisquis Christum in pectoris sui monumento recipere cupit, eum puritatis ac innocentiæ sindone involvat, necesse est. S. Hieronym. *Possumus juxta intelligentiam spiritualem & hæc*

Matth 27. 59 — *Tibul. l. 1. Eleg. 10* — Innocentia. — *S. Hieronym. in hunc loc.*

hoc sentire, quod Corpus Domini non auro, gemmis, & serico, sed linteamine puro obvolvendum sit, quamquam & hoc significet, quod ille in sindone mundâ involvit Jesum, qui purâ mente eum susceperit. Tibullus sacrificia, nonnisi animo puro pertractanda, hoc disticho innuit;

Tibull. l. 2. Eleg 2.

Casta palacent superis, purâ cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Vigilius in Æneid.

Et Virgilius.

- - - - puràque in veste sacerdos.

441. Joseph, ob plurimas opes in sacris litteris cognominatus *Dives,* à Pilato impetravit Corpus Jesu, illudque in horti sui monumento reposuit. Unde Lemma; AT NUNC DITISSIMUS. Ditissimus enim haud dubiè est, qui summum ac infinitum bonum possidet. Unde de Joseph ait Magnus Augustinus; *Obsecutus est ut sepeliret, sepelivit pauperem in quo divitias requirebat.* Et rursus; *Intelligas te tamdiu esse pauperem, quamdiu non habes illum, qui facit te divitem.* Item; *Audite me, ô pauperes! quid non habetis, si Deum habetis? Audite me ô divites! quid habetis, si Deum non habetis?*

Divitiæ veræ. Deus summum bonum. S. August. l. 50 Homil. hom. 39. c. 4. S. Augustin. Psal. 33. S. Aug. serm. 115. de Divers.

442. Exanime Christi corpus à Josepho *in monumento novo* reponitur: cum Lemmate; NOVO VULT MARMORE CONDI. Ita nimirum nova omnia in hominibus desiderat Deus, ut nullo alio loco, nisi novo, quiescere voluerit. Pulchrè S. P. Augustinus: *Sicut in Mariæ Virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumento novo nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.* Unde etiam tantoperè monent sacræ litteræ, ut corda nostra, in quibus reponatur Christus, novitatem induant, vetustate relictâ. *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem.* Rursus S. P. Augustinus. *Quid est homo novus? à vetustate innovatus, ad quam rem innovatus? ad desideranda cœlestia, ad concupiscenda sempiterna, ad patriam quæ sursum est, quæ hostem non timet, desiderãdam; ubi non perdimus amicum, non timemus inimicum; ubi vivimus cum bono affectu, sine ullo defectu; ubi nemo nascitur, quia nemo moritur, ubi nemo jam proficit, quia nemo deficit; ubi non esuritur, & non sititur, sed satietas est immortalitas, & cibus veritas.* Idipsum etiam recepturos SS. Eucharistiam monet Ecclesia in Hymno SS. Corporis Christi;

Nova omnia vult Deus. S. Augustin. serm. 133. de temp. Renovari. Ephes. 4, 23. S. Aug. tract. 30, in Ioan.

Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces, & opera.

JOSEPH Barnabas.
CAPUT CLX.

443. JOsephus Barnabas, vir ditissimus, *agrum suum,* id est, interprete Alexandro Monacho, latifundium amplissimum, magnificis decoratum ædificiis, Christi causâ *vendidit, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum;* uti Acta Apostolorum testantur. Lemma; ABJECTO DITIOR AURO. Tanta enim bonorum communitas habet opulentiam ac felicitatem, ut, Magno Augustino teste, præterquam quod singuli toto gaudeant Deo, omnes insuper habeant divitias, quæ concorditer possidentur à multis. In rem præsentem meus S. Laurentius Justinianus; *Quid oro locupletius, quàm nihil habere, & omnia possidere? Carere rebus superfluis, & uti necessariis? Proprium spernere matrimonium, & Christi esse hæredem? monasteriorum quippe redditus thesauri sunt Salvatoris: ii profectò communes sunt omnibus in commune viventibus. Non secernitur persona divitis, non potentis statui defertur; sed prout cuiq; expedit, erogantur; quod est opus Divinum, commendatio gratiæ, charitatis officium, & naturæ exemplum.*

Alex. Mon. in vita S. Barnabæ. Act. 4. 37. Paupertas. S. Laur. Iust. l. de obed. c. 18

JUDAS Iscariotes.
CAPUT CLXI.

444. S. P. Augustinus docet, Judam evangelizâsse, expulisse demones, patrâsse miracula, perinde ut fecêre cæteri Apostoli: imo, teste S. Gregorio Nazianzeno, *doctrinæ suæ verbis multos genuit filios.* Ut adeò non tantùm fuerit sanctus, sed & alios sanctificans. Unde lemma ex Ovidio desumptum. COEPISTI MELIUS, QUAM DESINIS. Integrum ipsius distichon ita habet;

S. Aug. lib. cont. Petil. cap. 55. S. Greg. N. de Christ. p. Ovidius Epist. Deian. ad Hec.

Cœpisti melius, quàm desinis, ultima primis
Cedunt, dissimiles hic vir & ille puer.

Damnatus jacet Judas, quia cœptis optimis pessimum subjunxit finem. Disertè monuit Christus; *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Socratis dictum erat; *Statua quidem in suâ basi; virtutis autem studiosus bono proposito nixus, immobilis esse debet.* Seneca; *Plus operis est in eo, ut proposita custodias, quàm ut honesta proponas.* Et rursus; *Perseverandum est, & assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod bona voluntas est.* Claudianus;

Perseverantia. Matth. 10. Socr. act. Ser. 1. de pr. Seneca ep. Claud. de laud. Stilic.

- - - Plus est, servâsse receptum,
Quàm quæsisse decus.

445. Tertullianus affirmat, totum Judæ interitum à pecuniis traxisse originem. Procurator enim à Christo constitutus, loculos habere & amare cœpit, indeque effectus est fur & proditor Christi. Lemma; ACQUIRIT PECUNIAM, PERDIT INNOCENTIAM. Ad verbum Magnus Augustinus. *Furari vis aliquid, credo, ut acquiras; Vide quò manum mittis, & unde tollis. Hàc vis acquirere, hàc perdes. Acquiris pecuniam, perdis innocentiam.* Vide hîc, ut occasio faciat furem, quamque periculosum sit viris sanctis & religiosis, tractare pecunias, præsertim omnibus communes: facilè enim quid ex eis, suggerente concupiscentiâ, in suos vel suorum usus convertunt. Unde rerum omnium communitas tantoperè apud Religiosos ætatis suæ præceptam fuisse testatur S. Hieronymus; *Non licet dicere cuiquam: Tunicam & sagum, textaq; juncis strata non habeo: Præfectus omnium ita universa partitur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat. Si quis verè cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio refovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum.* Coronidem jungit sol Hipponensis; *Judas pro amore pecuniæ, & Apostolatûs gratiam perdidit, & laqueo vitam finivit.*

Tertull. l. de anim. c. 4. Pecunia. S. Aug. in Psal. 59. Conc. 1. Paupertas religiosa. Hieron. ep. 22. S. Aug. serm. 208. de tem.

446. Judas, in sanctissimo Apostolorum Collegio pessimus, epigraphen tenet; ORBI NIHIL UNDIQUE SANCTUM. Disce hîc, nullam esse societatem tam sanctam, quæ non habeat suam fæcem, suumque Judam. Audi disserentem de Collegio suo Augustinum; *Quantum libet vigilet disciplina domûs meæ, homo sum, & inter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quàm arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est, Aut melior sit, quàm domus Abrahæ, ubi dictum est, ejice ancillam, & filium ejus: aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Aut melior sit, quàm cohabitatio ipsius Domini Christi, in quâ undecim boni perfidum & furem Judam toleraverunt. Aut melior sit postremò, quàm cælum, unde Angeli ceciderunt.*

Societas. S. Augusti. Epist. 131.

447. Euthymius opinatur, Christum etiam Judæ pedes, & quidem primò omnium, lavisse. Lemma; LAVATUR, NON ABLUITUR. Dei enim est, aquam, id est, gratiam, affundere; hominis

verò

vero cooperari, ac sordes, peccata habitusque vitiosos pro arbitrii sui libertate abjicere. S. P. Augustinus; *Agit Deus, ut velimus, & ut credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificandā credendo confugiat: sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est.* S. Aug. de sp. & litt. c. 33.

448. Judas SS. Eucharistiam, sacrilego animo in cœna acceptam, in æternæ damnationis cibum sibimet convertit. Sacræ Paginæ de illo verba sunt; *Et post buccellam introivit in eum Satanas.* Lemma; FATALIS MENSA MALIGNO. Sicuti enim æger stomachus cibum quemcunque sanissimum in succum pessimum convertit, ita quisquis mensam Eucharisticam vitioso ac male affecto accumbit animo, lethiferam ac quovis toxico pejorem illam sentiet. Diserè monet Apostolus; *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium* (id est, interprete S. Chrysostomo, damnationem) *sibi manducat & bibit.* Pulchrè in rem præsentem de Juda proditore ait Sanctus P. Augustinus; *Bonum est, quod accepit, sed malo suo accepit, quia malè bonum malus accepit. Hinc docemur, quàm sit cavendum malè accipere bonum. Multum quippe interest, non quid accipiat, sed quis accipiat: nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse, cui datur. Nam & bona obsunt, & mala prosunt, sicut fuerunt, quibus datur.* Et S. Bonaventura; *Proba teipsum ex quanta charitate, & quali fervore accedis: non solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata, per negligentiā vel otium multiplicata; & etiam per inconsiderationem, ac per distractionem dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis: licèt enim non occidunt animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem & obnubilatum, indispositum, & ineptum, nisi dicti pulveres & stipulæ venialium per afflatum spiritus, & flammam charitatis ventilentur, & consummantur, exardescente igne cordis in consideratione.*

Jo. 13.27. Eucharistia. 1. Cor. 11.29. Aug tract. 62. in Ioan. S. Bonav. tract. de præp. ad miss. c.

449. Judas, Christum traditurus, osculum ac salutationem suavissimam ei exhibuit; sicque hoc amicitiæ symbolo ad perfidiam ac proditionem suam scelestissimè abusus est. Lemma; NIL HABENT MORTALIA FIDUM. Adeò enim quæcunque amicitiæ & humanitatis argumenta sunt in hoc mundo fallacia, ut vix ulli fidem sine discrimine facere queas. Id quod etiam attonitus dixit Christus; *Juda, osculo filium hominis tradis*, Id est, interprete S. Ambrosio, *Venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur; osculo, quod sacræ pacis insigne est; osculo, quo amicitia fida firmatur? &c.* Ad hoc propositum S. P. Augustinus; *O signum sacrilegum! ô placitum fugiendum! ubi ab osculo incipitur bellum, & per pacis indicium, pacis rumpitur sacramentum.* Cornelius Tacitus eas ipsas technas in Nerone, Imperatore flagitiosissimo, describit; qui, Senecam è medio sublaturus, verba adhibuit dulcissima; *His adjecit amplexus & oscula, factus naturâ & consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis.*

Amicitia mundana. Luc. 22.47. S. Ambros in Psal. 39. S. August. serm. 121. Tacit. l. 14 Annal. c. 15.

450. Judas magnam unguenti copiam, à Magdalena in Christi pedes effusam, ægerrimè tulit; unde in has prorupit voces; *Ut quid perditio hæc?* &c. Lemma; UNGUENTUM SCARABÆUS ABHORRET. Sicuti enim vilissima hæc insecta odorem omnem abominantur, soloque gaudent stercore; ita homo detractionibus ac murmurationibus deditus, alienas virtutes nunquam non carpit, & odio, quàm potest, acerrimo insequitur. Cassianus; *Menti, furore ebriæ, omne quod rectum dicitur, perversum videtur.* Et Seneca; *Nulla tam modestā felicitas est, ut malignitatis dentes vitare possit. Qui alienis malis sicut suis bonis lætantur, divites sunt alienis jacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus.*

Matth. 26.8 Detractor. Cass. in Psal. Dixi custodiam, &c. Senec. in ep.

451. Judas, avaritiæ æstu abreptus, Christum triginta argenteis vendidit. Lemma; AMATO PRODIDIT AURO. Verbis è Silio Italico desumptis, ubi de Tarpeiâ Capitolii arcem ob pecuniæ amorem in hostium manus tradente, canit;

-- -- -- -- *Hostibus arcem.*
Virgo (immane nefas!) adamato prodidit auro
Tarpeia & pactis reseravit claustra Sabinis.

Sil. Ital. de Bell. Pun. l. 14.

Jure proinde cum Poëta exclames;

-- -- -- *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames!

Virg. 3. Æn.

Quid enim non audebit avaritia, cùm Judas non abhorruerit, pro vilissimo pretio infinitum, summumque bonum vendere, & agnum immaculatum lupis sanguinariis objicere dilaniandum? Nulla enim avaritiæ est fidelitas, nullus sincerus amor, nulla integritas. Verissimè dixit Cornelius Tacitus; *Ubi magnitudo quæstuum spectatur, rarò fides integra.* An verò Deum à solo Juda venditum putas? falleris sanè: toties enim illum vendis, quoties caducis divitiis Deum ac salutem propriam postponis. S. Chrysostomus *Audite ista, audite ista, avari, versate animo, quid ille passus fuit; nam & pecuniam amisit, & scelus admisit, & animam perdidit, quod atrox avaritiæ tyrannus facere solet. Non est argento, nec hâc usus vitâ, non fruetur futurâ, universa simul amisit; pravaque apud eos, quibus tradidit, æstimatione de se suscitatâ, laqueo demum gulam fregit.*

Avaritia. C. Tacit. l. 2. Annal. S. Chrysost.

452. Judas, satellitum in horto olivario ad Christum capiendum coryphæus, unicâ Christi voce, *Ego sum*, cum totâ cohorte resupinus in terram prostratus est, &, uti docet Leo Papa, omnem virtutem sentientem ac moventem, instar paralitici, amisit. Lemma; TANTI EST HAC VOCE VIBRARI. Inde conjicies, quàm reformidandam vox Christi in extremo tribunali adversus reprobos habitura sit vim. Audi S. Leonem; *Ego sum*, inquit, *quod verbum illam manum ita ex ferocissimis congregatam, quasi quodam fulmineo ictu stravit atque perculit, ut omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retroacti corruerent. Ubi fuit sævitiæ conspiratio? ubi ardor irarum? ubi instructus armorum? Dominus dicit, ego sum, & ad vocem ejus turba prosternitur impiorum. Quid jam poterit majestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda.* Et S. Augustinum; *Ubi nunc militum cohors, ubi terror & munimen armorum? una vox turbam, odiis ferocem, armis terribilem, sine telo ullo percussit, repulit, stravit: Deus enim latebat in carne: quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit?*

Joan. 18. 4. Extremū judicium. S. Leo, ser. 2. S. Aug. in c. 18. Ioan.

453. Judas, sceleris sui desperabundâ pœnitudine ductus, *Retulit triginta argenteos principibus.* Lēma; ANIMO TORQUENTE COACTUS. Ea enim malæ conscientiæ vis est, ut hominem, acerrimè excruciatum, tandem etiam ad pœnitentiam, non quidem veram & genuinam, sed coactam & interioris animi torturâ expressam, impellat. *Conscientia insurgit*, inquit S. Chrysostomus; *& quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans absurditatem facti*, Et Plutarchus; *Improbitas nullis machinis, nulloq; apparatu, sed solâ præsentiâ animum, atque adeo totum hominem labefactat ac dejicit; denique mœrore, luctu, angore, & pœnitudine prorsus implet.*

Matt 27. 4. Conscientia mala. S. Chrysost. Gen 42. 21. Plut. lib An vitium sufficiat ad infelicitatem.

454.

454. Judas desperatione compulsus ad laqueum confugit, ac vitam sibi ademit. Lemma; HOC DESPERANTIS ASYLUM. Ea enim desperationis est malignitas, ut, misericordiæ Divinæ penitùs oblita, ad necem & laqueos hominem impellat. S.P. Augustinus; *Quid autem faciet malus homo, cùm cœperit tribulari. Foris nihil est, ablata sunt omnia, in conscientia nullum solatium est. Non est quò exeat, quia dura sunt: non est, quò intret, quia mala sunt. Meritò ei fit quod sequitur, quia peccatores peribunt.*

S. Aug. in Psal. 36.

Suppliciū. Beda in cap. 1. Actor.

455. Judas, laqueo suffocatus, epigraphen tenet: VOCEM PERDIT; DUM VERBUM PERDIDIT. Ita nimirùm digna semper sequitur sua pœna nocentem. Beda: *Dignam sibi pœnam invenit, ut guttur, per quod vox proditionis exierat, laquei nodus necaret, & qui hominum Angelorumque Dominum morti tradiderat, cœli terræque perosus, aëris in medio periret; & viscera, quæ dolum proditionis conceperant, rupta caderent.* Poëta quidam apud Joannem Lorinum cum suspenso Juda comparat Arrium, juratum Ecclesiæ hostem.

Lorin. in eundem loc.

---- *ruit Arrius alvo*
Infelix plus mente cadens, lethumq; peremptus
Cum Juda commune tulit, qui gutture pendens
Visceribus curvatus obit: nec pœna sequestrat,
Quos par culpa ligat: qui majestatis honori
Vulnus ab ore parant: hic prodidit, ille diremit
Sacrilegâ de voce.

LAZARUS. *Caput* CLXII.

456. LAzarus, in sepulchro jam fœtens ac quatriduanus, vocante Christo, in vitam redit. Lemma; VOCANTE RESURGIT. Magni Augustini de Lazaro verba sunt; *Ad vocem clamantis Domini rupta sunt vincula necessitatis. Tremuit inferni dominatio, redditus est Lazarus vivus. Liberat enim & de mala consuetudine Dominus quatriduanos mortuos: nam ipse quatriduanus Christo, volenti resuscitare, dormiebat.* Lazari nomine quemvis peccatorem intelligere licet: qui diuturnâ vitiorum consuetudine sepultus ac fœtens; tandem validâ prædicatoris, sacræ lectionis, aut inspirationis Divinæ voce in vitam spiritualem revocatur. Rursus S.P. Augustinus; *Audiat vocem filii Dei, qui mortuus jacebat, surgat & vivat. Clamavit Dominus ad sepulchrum Lazari, & quatriduanus mortuus resurrexit. Qui putebat, in aures processit: sepultus erat, lapis superpositus erat. Vox Salvatoris irrupit duritiam lapidis; & cor tuum ita durum est, ut nondum illa vox Divina te rumpat? surge in corde tuo, procede de sepulchro tuo, &c.*

S. Aug. serm. 44. de Verb. Dom.

Peccator conversus.

S. Aug. tract. 22. in Ioan.

LONGINVS. *CAPVT* CLXIII.

457. MEus Concanonicus D. Petrus Comestor ait, Longino vitiosos ac caligantes fuisse oculos: cùm verò fluentem è Christi latere sanguinem casu illis admovisset, videndi acumen recepisse. In eandem sententiam canit S. Greg. Nazianzenus;

Pet. Comest. cap. 179.

S. Greg. Naz. in Trag.

Ubi fixit hastam, defluentis sanguinis
Tinctam liquore; & ecce! ut utraque è manu
Haurit, oculosque hoc ungit, hinc ut scilicet
Detergat oculum noctè, quæ cœca tegit. &c.

Emblemati subscribes; E SANGUINE VISUM. Idipsum quod Longino, etiam toti mundo contigit; cùm enim animæ nostræ in mortis ac vitiorum umbris caligarent, mox fuso Christi sanguine, seu collyrio, inunctæ, oculos visumque receperunt. In rem præsentem S. P. August. *Totus orbis cœcus jacebat, sed venit Christus, ut, qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Ignoratus est à Judæis, crucifixus est à Judæis; de sanguine suo collyrium fecit cæcis. Duriores facti, cæciores facti: quia se jactabant videre lucem, crucifixerunt lucem. Quanta cæcitas! Lumen crucifixerunt, sed crucifixa lux cœcos illuminabat.*

Sanguis Christi.

S. Aug. serm. 6.

458. Longinus, dextrum Christi latus lanceâ aperiens, epigraphen tenet. VITAM RESERABO LATENTEM. Sanguis enim Christi, è vulnere illo profluens, Ecclesiam redemit ac sanctificavit. Pulchrè S. Ambrosius. *Ex illo corpore defuncto vita manabat; aqua enim & sanguis exivit: illa, quæ diluat; iste qui redimat.* Et Prudentius.

Sanguis Christi. S. Ambr. in c. 1. Luc. Prud. hym. 7.

Trajectus per utrumq; latus laticem atq; cruorem
Christus agit; sanguis victoria, lympha lavacrū est.

Moriente, ac ultimùm exclamante Christo, *Terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Unde ob expirantis Crucifixi clamorem adeò prodigiosum Longinus, ex obstinato gentili ad Christi fidem permotus, epigraphen tenet; PETRA FUI. Nam petrarum nomine obdurata hominum pectora intelligens S. Hieronymus, ait; *Petræ scissæ sunt, id est, dura gentilium corda sive petræ.* S. Ambrosius saxis duriora pronuntiat illa hominum pectora, quæ è considerata Christi passione non franguntur, & ad Dei voluntatem non mollescunt. *O duriora saxis pectora Judæorum?* inquit, *finduntur petræ, sed horum corda durantur, horum immobilis duritia manet orbe concusso.*

Matt. 27.

Peccator obstinatus. S. Hieron Hedib. c. 8. S. Ambr. 20. in Luc.

MALCHUS. *Cap.* CLXIV.

459. MAlcho dexteram aurem amputavit Petrus. Lemma; PRÆCISA SURDUS AB AURE. Origenes censet, auris dexteræ nomine veram rerum cœlestium intelligentiam significari, quam homines mundani penitùs habent præcisam, solaque gaudent aure sinistrâ, sensibus nimirùm carnalibus ac transitoriis. Unde tantoperè suspirat Magnus Augustinus; *Jube, quæso, atq; impera quidquid vis, sed sana, & aperi aures meas, quibus voces tuas audiam. Sana & aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam.*

Surdus inspirationes Divinas.

S. Aug. l. soliloq. c.

460. Malchus non tantùm præcisam aurem à Thaumaturgâ Christi manu recepit, uti refert Lucas; sed insuper ad sanctam Christi fidem conversus ac salvatus est; quia, ut bene observat Paulus à Palacio; *Theologicum dogma est; quem Deus sanat, perfectè sanat.* Lemma; E TACTU SALUTEM. Quare sicuti animæ corporisque salus Malcho è solo Christi contactu obtigit, ita nos jure longè potiore bona omnia ex iterata SS. Eucharistiæ sumptione sperare possumus. Et verò corporales morbos solo Eucharistiæ attactu sanatos esse, frequenter testantur Historiæ. Præ multis de S. Gorgoniâ disserentem audi S. Gregorium Nazianzenum; postquam enim gravissimum ipsius morbum multis descripserat, subjunxit; *Desperatis omnibus aliis auxiliis, ad mortalium omnium medicum confugit, atq; intempestâ nocte captatâ, cùm morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide procumbit, eumq;, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocans, eam, quæ Christi fimbriâ sanguinis profluvium compresserat, imitatur. Quidque fecerit, audite. Cum caput suum pari cum clamore, lachrymisque, quibus abundabat (mulierculæ illius instar, quæ olim Christi pedes rigavit) altari admovisset, nec se prius illud dimissuram esse denuntiasset, quàm sanitatem obtinuisset, ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfudisset, etsi quid uspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondiderat,* id la-

Luc. 22.

Paul. à Pal. in hunc l.

Eucharistia san.

S. Greg. Naz. Orat. 1

id lachrymis admiscuisset (ò rem admirandam!) statim liberatam se morbo sentit, atque & corpore, & animo, & mente levis discedit, pro spei mercede id, quod speraverat, consecuta. De animæ morbis S. Cyprianus; *Sicut panis communis, quem quotidie edimus, vita est corporis; ita panis ille superstantialis vita est animæ, & sanitas mentis.*

Cyp.tract. Cana Dom.

MARIA MAGDALENA.

Cap. CLXV.

461. MAria Magdalena, à septem dœmonibus possessa, tandem præsente Christo liberata est. Lemma; FUGANTUR LUCE TENEBRÆ. S. Gregorius Papa dæmonum nomine vitia intelligit, quod ad illa eliminanda nullum efficacius sit antidotum, quàm præsentiæ Divinæ consideratio. Rectè Cassiodorus; *Qui semper mentis oculum in Deum habet defixum, se ad peccatum non demittit.* Et S. Clemens Alexandrinus; *Hâc solùm ratione fit, ut quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimat.* Hinc S. Basilius contra omnes animi morbos hanc Dei præsentiam præscribebat. Prorsus Christianè Seneca; *Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat.*

Præsentiæ Divinæ consideratio. Cassiodorus. Clem. Alex. Pædag. Senec ep. 10.

462. Magdalena, scelerum suorum pœnitudine ducta, ad Christi pedes se abjecit. Lemma; QUÆRIT VESTIGIA RECTA. Ad verbum Magnus Augustinus; *Accessit non ad caput Domini, sed ad pedes. Et quæ diu malè ambulaverat, VESTIGIA RECTA QUÆREBAT. Prius fudit lachrymas cordis, & lavit Domini pedes obsequio confessionis. Capillis suis tersit, atque osculatur, unxit, tacita loquebatur, non sermonem promebat, sed devotionem ostendebat.* Atque adeò, quisquis viam mandatorum Dei discere, veniamque delictorum impetrare cupis, humilem te exhibeto, & ad illius pedes prosternitor, qui est *via, veritas, & vita.*

Humilitas. Aug. hom. inter. 50. Confessio.

463. Magdalena, ad Christi pedes prostrata, lachrymarum suarum fonte illos uberrimè perfudit. Lemma; HOC FLUMINE PETRA CAVATUR. Tanta enim lachrymis congenita vis est, ut Christum (*Petra autem erat Christus*) quantocius in misericordiam erga Magdalenam emolliverint, & veluti excavârint, juxta illud Poëtæ,

Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo.

Ut adeò meritò exclamet S. P. Augustinus; *O aqua salutaris, per quam omne peccatum destruitur! O felix lavacrum? quod toties valet ad purgandum, quoties purgandum indiget cor humanum.* Et S. Ambrosius. *Vim facimus Domine, non compellendo, sed flendo, non provocando injuriis, sed lachrymis exorando.*

Lachrymarū vis. Aug. serm. de temp. Ambr. l. 4 Luc. c. 5.

464. Magdalena, lachrymis undique perfusa, peccatorum suorum veniam impetrat, & ad Christi pedes admittitur. Lemma ex Ovidio desumptum; EST HONOR ET LACHRYMIS. Pretium, honoremque, lachrymis debitum, vix quisquam satis explicaverit. Orator aureus; *Quidnam, dic, oro, illis oculis Davidis formosius, perpetuo lachrymarum imbre, quasi margaritarum decore ornatis?* S. quoq; Macharius lachrymis pretiosos uniones comparat. Ipse Psaltes Regius quasi de re pretiosissima; *Posuisti,* inquit, *lachrymas meas in conspectu tuo.* Aureè Chrysologus; *Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lachrymas peccatorum.* Et Author sermonum ad Fratres in Eremo; *Omnes aquæ non extinguunt unā scintillam in inferno; sed una lachryma, si de contrito corde processerit, totum ignem inferni extinguit.*

Ovid. 10. ... Chrysost. hom. 30. in Gen. Lachrymarum pretium. Psalm. 55. Chrysolog. serm. 93. Auth. ser. ad Frat. in Erem. ser. 19.

465. Magdalena, Christi amore flagrans, in lachrymas prorupit. Lemma. GAUDET AMOR LACHRYMIS. Verbis è Porphyrio desumptis.

Nonnihil aspersis gaudet amor lachrymis. Propert. l. 1. Eleg. 12.

Nam, ut benè inquit Magnus Augustinus; *Impatiens est amor, nec lachrymis modus est, nisi amori detur quod amatur.* Velim ergò cum Hipponensi Antistite exclames; *Domine Jesu, da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lachrymarum, fontem jugiter manantem, ut ipsæ quoque lachrymæ tuum in me testentur amorem, ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantùm te diligit anima mea.*

Lachrymæ amoris. S. Aug. lib. 2 Soliloq. c. 1. S. Aug. lib. Medit. c. 36.

466. Magdalena, Christi pedes extersura, crines suos illis circumposuit. Lemma; HOC FUNE TRAHUNTUR. Crinium nomine superbiam, libidinem, cæteramq; hominum vanitatem significare solemus, quæ si contrito corde ad Christi pedes abjiciantur, instar funium, adeò validè in vota nostra trahunt Deum, ut quantociùs felicissimum illud mereamur audire; *Remitttuntur tibi peccata tua.* S. P. Augustinus; *Capilli superflua rerum temporalium significant, qui quidem capilli non superfluè facti sunt à Deo in corpore hominum, sed ad aliquod ornamentum; tamen quia sine sensu præciduntur, illi qui adhærent corde Deo, sic habent ista terrena tanquam capillos, sed aliquando & aliquid boni de capillis operandum est.* In rem præsentem canit illud eruditionis prodigium, Reverendissimus meus D. Philippus Picinellus;

Pœnitentia. Luc. 7. 48. S. Aug. in Psal. 51.

Divinum Leonem adivit lupa,
Ne à Tartari monstro voraretur,
In cujus famulatum crines omnes exolvit,
à quo omni flagitio esset absolvenda. &c.
Capillo composito homines irretire solita,
Soluto, ipsum irretiit Deum. &c.
Quem non uno, sed telorum turbine aggressa;
Tot confodit jaculis, quot crinibus impetiit.
Et ne solutum dimitteret,
Aurato comarum monili illigavit,
Cælum deprædata,
Cùm ejus fieret præda. &c.

467. Magdalena, amoris impetu stimulata, *non cessavit osculari pedes* Christi. Lemma; OSCULA FIGIT AMOR. Fieri enim non potest, quin, consideratâ Dei amabilitate ac pulchritudine, in ipsius amorem & oscula ruamus. Theodoretus; *Cùm igitur sponsi pulchritudinem, robur, divitias, regnum, quod in omnes habet, vim ejus æternam, incorruptibilem, nullum habitura finem intellexerit, eum videre concupiscit, & in amplexum ejus ruere, atque illi oscula dare spiritualia.* Modum osculandi è Mellifluo Doctore accipe. *Prosterne te prius ad oscula pedum, tuisque lachrymis illos riga, nec inde surgas, priusquam audias; Remittuntur tibi peccata tua: Inde proficere poteris ad osculum manuum, cùm cœperis jam strenuè & perseveranter agere in operibus virtutum. Tum demum forsitan audebis ad ipsum os gloriæ caput attollere. Osculum ergò pedum, incipientium est; manuum, proficientium; oris, perfectorum.* Rursus doctissimus ac Perillustris meus D. Picinellus, in acutissimis Elogiis fæminarum S. Scripturæ.

Luc. 7. 45. Amare Deum. Theod. in Cant. c. 1. S. Bern. serm in Cant.

Post fusas lachrymas, oscula fixit Deo;
Ut quæ venenata Babylonis sorbuerat pocula,
Cælestis epuli pharmaca degustaret, &c.
Oleum deferens, spiritu uncta;
Oscula figens, Divino fœdere læta;
Vestigia lavans, sordes omnes abstersit.
Ac è nubila fronte, lachrymisque madente,
Solis Divini reflexu, Iridem reddens,
Pacis trophæ revexit.

468. Magdalena, ad Christi pedes prostrata, illos non tantùm lachrymis lavit, sed & unguento unxit.

xit. Lemma; LAVIT, ET UNXIT. Verbis ex Ennio Poëta desumptis, ubi de Tanaquile canit;

Pœnitens.

Tarquinii corpus bona fæmina lavit & unxit.

Hinc disces, ad Christi amorem promerendum non sufficere solas pœnitentis animi lachrymas, nisi & virtutum unguenta accedant. Unde ad imitandam Magdalenam excitans Origenes; *Sequamur*, inquit, *hujus mulieris affectum, ut perveniamus ad effectum; ploret unusquisq; ad Jesum, & quærat fideliter Jesum, quia non celavit se quærenti peccatrici. Disce peccator homo, à peccatrice muliere, cui tamen dimissa sunt peccata sua. Disce plorare Dei absentiam, & considerare ejus præsentiam. Disce à Maria Jesum amare, & in Jesum sperare, & quærendo Jesum investigare, nulla adversa formidare, nullam extra Jesum consolationem accipere, omnia propter Jesum contemnere.*

Origen hom. de S. Magd.

469. Magdalena summo cum diluculo omnium prima ad Christi sepulchrum accurrit. Lemma; AMOR ADDIDIT ALAS. Ita prorsus, si Christum invenire desideres, nulli unquam labori parcas, sed toto conatu in charitatis Divinæ stadio curras, necesse est. S. P. Augustinus; *Qui in hac vita gemunt, & desiderant patriam, currant dilectione, non pedibus corporis; non quærant naves, sed pennas; duas alas charitatis apprehendant; quæ sunt dilectio Dei, & dilectio proximi.* Et rursus; *Noli ut qualecunque animal currere, sed ut cervus curre. Quid est ut cervus; non sit tarditas in currendo.*

Charitas.

S. Aug. in Psal. 149.

Idem in Psal. 41.

470. Magdalena, orationibus & contemplationibus dedita, laudem ac præmium longè majus à Christo accepit, quàm Martha, corporalibus necessitatibus sublevandis intenta. Unde lemmatis loco illa Christi verba præfert; OPTIMAM PARTEM ELEGIT. Rationem affert Theophylactus; *Per alterum enim corpus pascitur, per alterum anima vivificatur.* Et Euthymius; *Bonum est, hospitalem esse, verùm melius Deo assidere: illud enim corporale est, hoc spirituale.* Genuinè id explicans S. P. Augustinus, ait; *Sicut bonum erat, quod Martha faciebat, occupata multùm circa ministerium sanctorum; sed melius, quod Maria soror ejus, sedens ad pedes Domini, & audiens verbum ejus, cùm eum ambo hospitio recepissent. Bonum erat, quod faciebant, qui de substantia sua Christo ac discipulis necessaria ministrabant: sed melius, qui omnem substantiam suam dimiserunt, ut expeditiores eundem Dominum sequerentur.*

Vita activa & contemplativa.

Theophylact.

Euthym.

S. Aug. de bono Conjug. cap. 8.

MARTHA Caput CLXVI.

471. Martha, parandis corporalibus officiis plurimùm distenta ac turbata, epigraphen tenet; MINUS COELESTIA CURAT. Terrena enim solicitudo mentem distrahit, & ad cœlestia contemplanda minùs attentam reddit. Unde quia Martha tota erat in suis ministeriis, minusque Christi verbis intendebat, hanc ab eo reprehensionem tulit, *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Maria optimam partem* (vitam nimirùm contemplativam) *elegit.* S. P. Augustinus; *Hæc est mors optima, ut in cupiditatum cohibitione à terrenis, in spe cœlestis hæreditatis homo usq; in finem perseverans, diem vitæ hujus ultimum claudat.* Unde S. Bern. prorsus absonum censet, Religiosos, vitæ contemplativæ è munere suo deditos, ad activam, & officia corporalia aspirare. *Felix domus*, inquit, *& beata semper congregatio est, ubi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari prorsus indignum, prorsus illicitum est. Alioquin ubi legitur Mariam causantem, quia soror mea reliquit me solam vacare? absit, absit, ut, qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium curam. Martha semper insufficiens sibi, & minus idonea videatur, aliisq; magis id operis, quod administrat, optet imponi.* In Fæminarum S. Scripturæ elogiis pulchrè de Martha canit elogiorum dignissimus, sapientissimus meus D. Philippus Picinellus, Abbas Casoretanus;

Curæ mundanæ.

Luc. 10. 41.

S. Aug. in Psal. 67.

S. Bern. ser. 3 in Assumpt.

Habes Virginem Veneri proximam,
Martham Magdalenæ,
Utramque tamen cœlo illatam.
Peccatricis soror,
Lilia pudoris obsepsit spinis
Cùm recipit Christum hospitio,
Dapes ministrat cœlitum pani,
Auctorem cùm aleret vitæ,
Propulsatorem habuit mortis. &c.

MATTHIAS. Cap. CLXVII.

472. Sanctus Matthias, per sortem ad Apostolatum electus, epigraphen tenet è Virgilio desumptam; NON HOC SINE NUMINE DIVUM. Tametsi enim res, ad nostram scientiam vel providentiam comparatæ, casu quodam, ac fortuitò evenire videantur, examinatæ tamen ad providentiam Divinam, cui ab æterno singula, ac minutissima perspecta sunt, nihil unquam casu contingit. Præclarè Salomon; *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Atque adeo inter adversa & prospera id unum semper præ oculis habeto, omnia Dei consilio ac nutu fieri. Id quod probè compertum habuit David, quando dixit; *In manibus tuis sortes meæ.* S. Prosper; *Cum Salvator dicit, unum passerem non cadere in terram sine voluntate Dei; nonne confirmat, non solùm istam mundi partem, rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùm etiam vilissimas ejus, abjectissimasque particulas, Divinâ providentiâ regi? ne fortuitis perturbari motibus ea, quorum causas comprehendere non possumus, æstimemus.* Sapientissimè ratiocinatur Augustinus; *Quidquid casu fit, temerè fit; quidquid temerè fit, non fit providentiâ: si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentiâ universus mundus administratur;* quod cùm adeò impium sit, ut Deum è medio tollere censeatur, rectè concludit; *Nihil igitur casu fit in mundo.* Verissimè Poëta;

Virg Æneid.

Providentia Dei.

Prov. 16.

Ps. 30. 16.

S. Prosp. l. sent. ex Aug. sent. 281.

S. Aug. de bono Conj. cap. 8.

-- -- -- Nemo temeraria credat,
Fortuitove geri mundana negotia casu.
Omnia lege meant, quam rerum conditor illis
Sanxit ab æterno.

Virg lib. Æn.

MATTHÆUS Cap. CLXVIII.

473. Sanctus Matthæus, vocante Christo, mox è telonio, in quo sedebat, discessit, & relictis omnibus, secutus est eum. Lemma; ADMISSO SEQUITUR VESTIGIA PASSU. Verbis ex Ovidio desumptis;

Ipse amor admisso sequitur vestigia passu,
Et pennis adjutus amoris.

Ovid lib. Metam.

Disce hinc vocantis gratiæ Divinæ efficacitatem, quod Matthæus, aliique Apostoli brevissimo hoc Domini diverbio, *sequere me*, continuò, relictis rebus, secuti sunt eum. Suavem hanc illecebram D. Hieron. Divinitati, humano in vultu relucenti, attribuit. *Fulgor*, inquit, *ipse, & majestas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie Christi relucebat, ex primo aspectu, vidētes ad se trahere poterat:* quod aptissima probat eorū similitudine, quæ attractiva virtute præpollent: *si enim in magnete & succinis hæc esse vis dicitur, ut annulos, & stipulā, & festucas sibi copulēt, quātò magis Dominus omniū creaturarū ad se trahere poterat, quos volebat?* Ut ergò & tu sequaris vocan-

Gratia Dei.

S. Hieron. Matt. 9.

Sequi Christum.

Vocantem Christum, hortantem audi eundem Sanctum Doctorem, ubi ad Hedibiam ait; *Vis esse perfecta, & in primo stare vestigio dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli. Vende quæ habes, & da pauperibus, & sequere Salvatorem, & nudam solamque crucem virtute nudâ sequaris.*

Hier ep. 15. ad Hedib.

474. Matthæus, vectigalium redemptor & publicanus, quæstui & avaritiæ deditissimus, vocante Christo, mox relictis omnibus, sanctam induit paupertatem, & è peccatore turpissimo in sanctissimum commutatus est Apostolum. Unde lemma ex Ovidio desumptum; NON SUM, QUI FUERAM. Ibi enim fit perfecta hominis mundani in religiosum conversio, quando abjectâ priore vitâ, novam induit, relictisq; omnibus sequitur Christum. Id quod etiam innuit D. Paulus; *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum. &c.* In hunc locum S.P. August. *Veterem hominem nihil aliud Apostolus, quam vitam veterem dicit, quæ in peccato est, in quo secundùm Adam vivitur. Renovatur autem nunc secundum interiorem hominem, ubi secundum sui Creatoris imaginē reformatur, exuens se injustitiam, hoc est, veterem hominem; & induens justitiam, hoc est, novum hominem.*

Ovid. l. 3. Trist Eleg. 11. Pœnitens religiosus. Coloss. 3. 10. S. Aug. l. 24. cont. Faust. cap. 2.

NATHANAEL. *Caput* CLXIX.

475. Nathanaël, solus sub ficu sedens, à Christo videtur; sicque omnium minimè solus est, cùm sibi maximè videtur solus. Lemma è Virgilio desumptum; JOVIS OMNIA PLENA. Deus enim universo orbi intimè præsens est, intueturque omnes nostras cogitationes & desideria. S.P. August. *Velis, nolis, videt te Deus, & ab ejus oculis non est, ubi abscondas te.* Et rursus; *Ubi non est Deus, quem tu fugis? Malus es tu, qui bonum fugis: mors es tu, qui vitam fugis; involvere te vis tenebris, ubi te abscondas: sed illum latere non potes, cujus oculi omnia vident.* Et Seneca. *Quocunque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi, nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet.* Item. *Propè est à te Deus, tecum est, intus est.*

Virg. Eclog. Dei omni præsentia. S. Aug ser. 10 de Verb. Dom cap. 2. Idem serm. 33 de temp. cap. 1. Senec. 4. de benef. c. 8. Idem. ep. 41.

NICODEMUS. *Caput* CLXX.

476. Nicodemus, Christi funus curaturus, magnā aromatum & unguentorum copiam attulit; *Ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum.* Lemma; CLAUDIT ODORATO SAXO. Verbis è Silio Italico desumptis, ubi exequias, Ægyptiis consuetas, ita describit;

Ioan. 19. 39. Sil. Ital. l. 13. Punic.

- - - - *Ægyptia tellus*
Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & à mensis exanguē haud separat umbrā
Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro
Ora virum, & longum myrrhata reponit in ævum.

Porrò quisquis Christū in pectore tuo, veluti sepulchro novo, excipere cupis, unguentis bonorum operum fragres, necesse est. Ad rem Euthymius; *Et nos Domini corpus in altari accipientes, odoramentis illud ungamus suavibus, videlicet virtutum operibus, ac opere & contemplatione.*

Eucharistia. Euthym in hunc loc.

477. Nicodemus, Princeps Judæorum, nocte Jesum accedere solitus, mysteria fidei ab eo didicit. Lemma è S. Joanne mutuatum; NON AMBULAT IN TENEBRIS. Christi verba sunt; *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris:* quamdiu enim Christum sequeris, nullas unquam patieris tenebras. Nam Magno August. teste, *Dies noster Dominus Christus non facit occasum.* Et rursus. *Noli cadere in peccatum, & tibi non occidet hic Sol. Si tu feceris casum, tibi faciet occasum.* Porrò si intra calamitatum ac tentationum noctem Christum accedas, nullis unquam involvêris tristitiæ aut suppliciorum umbris.

Christus lux. Ioan. 8. 12. S. Aug. serm. 9. de temp. cap 10. Idem tract. 2 in Ioan. Calamitas

PAULUS Apostolus. *Cap.* CLXXI.

478. Paulus lapidationis adversus S. Stephanum dux & choragus extitit, quando lapidantium vestes custodivit, eosq; consensu & adhortatione stimulavit. Ipsumet fatentem audi: *Cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illū.* Lemma; CONSENSU OCCIDIT. Hinc disces, non minore delicto obstrictum esse, qui peccantem juvat, aut peccaturum non impedit, quàm qui re ipsâ peccat. Unde S. Fulgentius ait; *Stephanum occisum lapidibus Pauli, quia omnium lapidantium vestes servans, per omnes eum lapidabat.* Et S.P. Augustin; *Ab ipso omnium lapidantium vestimenta servabantur, ut tanquam in manibus omnium ipse lapidare videretur.*

Act. 22. 20. Peccatum non impedire. S. Fulg. serm de S. Steph. S. Aug. serm. 1. de Sanctis.

479. Paulus, *Spirans minarum & cædis in discipulos Domini*, mentē paulò post saniorem induit, quando *circumfulsit eum lux de cœlo.* Lemma; LUX MITIGAT ÆSTUM. Gratiam Divinam ac bonam inspirationem lucis nomine intelligere licet, quæ omnem vitiosam affectum in homine dissipant. De se ipso fatetur Apostolus; *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* Hunc locum explicans S.P. Augustinus, ait; *In genesi à lumine incipit dies, & finit ad tenebras, ad significandum lapsum hominis. Nunc autem à tenebris ad lucē, sicut scriptum est, de tenebris lucē clarescere; quia à peccatis homo liberatus, pervenit ad lumen justitiæ.* Idipsū intonat Deus cuilibet peccatori, quando in mente ejus fulgurat coruscationem, & cogitationem mortis, judicii, gehennæ &c. *Fructus enim lucis est in omni bonitate, & justitiâ, & veritate.* Unde monet idem Hipponensis Præsul; *Esto tranquillus, & intelliges; nam perturbaris, & obscuras tibi lucem. Radiare tibi vult Deus; noli tibi facere nubilum de perturbatione.*

Act. 9. 1. Gratia Dei inspiratio sancta. 2. Cor. 9. 3. S. Aug l. 1. q. Evang. q. 7. Ephes. 5. 8. S. Aug. in Psal. 91.

480. Paulus, *Spirans minarum & cædis*, passim in Ecclesiam grassabatur, ac Christianorum plurimos occidebat: subitò tamen illuminatus, Dei nomen in universum orbem portavit, & vas electionis evasit. Unde sævienti in Christianos Saulo epigraphen subjunges. MOX PAULUS ERIT. Hinc discas, de nullius peccatoris salute unquam desperandum esse; cùm Saulus, peccator gravissimus, converti possit in Paulum, Apostolorum principem, & virtutum omnium normam. S.P. Augustinus in illa Apostoli verba, *Ideo misericordiam consecutus sum &c.* subjungit; *Ut dicant tibi omnes, si Paulus sanatus est, ego quare despero? si tanto medico tam desperatus æger sanatus est, ego cur meis vulneribus illas manus non optabo, ad illas manus non festinabo: Ut hoc dicerent homines, ideò Saulus factus est ex persecutore Apostolus.* Et rursus, *Ipse primò Saulus, postea Paulus, id est, primò superbus, postea humilis & modicus. &c.*

Peccator pœnitens. S. Aug serm. 9. de verb. Apost. 1. Tim. 1. 15. S. Aug in Psal 72.

481. Paulus, à fulgurante Christi luce in terram prostratus, ad mentem rediit, ac Christum amplexus est. Lemma; COLLISUS, NON ELISUS. Ita nimirum calamitates, à Deo immissæ, salutem humanam non tantùm non auferunt, sed contrà plurimùm promovent. Certè Saulus, nisi prostratus fuisset, inglorius jaceret; perieratque, nisi periisset. Id quod etiam exemplo suo didicit Vates Regius quando dixit; *Bonum mihi, quia humiliâsti me.* In hunc locum S.P. Aug. *De paradiso elisisti, de beatitudine projecisti; in ærumna sum, in gemitu sum: sed bonum est, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. In diebus malis disco quærere dies bonos.*

Calamitas. Psal. 118. 71. S. Aug ser. 19 de Divers. c. 5.

472. Prostratus in terram Paulus, Christianum induit, & vires, ad animæ corporisque prodigia perpetran-

petranda, accepit validissimas. Lemma; FORTIOR EX LAPSU. Ita nimirum ruinæ, calamitates, & non rarò etiam lapsus in peccatum, homini occasionem præbent, ut vires resumat, totoque conatu ad salutis negotium incumbat. De se ipso ait Magnus Augustinus; *Didiceram elatus iniquitates meas, discam humiliatus justificationes tuas.* Et rursus; *Audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur &c.* In rem præsentem facit, quod de Tespesio, homine scelerato ac impuro, refert Plutarchus; cùm enim de vitæ mutandæ ratione oraculum consuleret, id responsi tulit; *Melius habiturum, postquam mortuus foret.* Et Ecce! *De sublimi in cervicem delapsus, ictu, absque ullo vulnere accepto, mortuus est; tertiaque post die sub ipsam funerationem revixit. Mox recuperatis viribus ad se reversus, incredibilem quamdam vitæ mutationem instituit; nam neque justiorem in contractibus ullum eo tempore noverunt Cilices, neque majore adversùm Deos pietate &c.*

Calamitas

S. Aug. in Psal. 42. Idem ser. 53. de Verb. Dom. cap. 9

Plut. l. de his, qui sero à num. puniuntur.

483. Paulus, vocante Christo, mox ex acerrimo hoste, & persecutore factus est summus Christi amicus. Tanta nimirum attrahentis gratiæ erat efficacitas, ut momento peccata & pravos ipsius habitus omnes aboleret, summumque amorem ei inspiraret. Lemma; INDOMITUM VOX EDOMAT UNA. Hinc gratiæ Divinæ vim & efficaciam dignoscere licet, quæ momento è diabolo angelum efficere potest. In hanc rem S. P. Augustinus; *Quàm rabida voluntas, quàm furiosa, quàm cæca in Saulo? qui tamen unâ desuper voce raptus est, occurrenti utique tali viso, quo mens illa & voluntas refractâ sævitiâ retorqueretur, & corrigeretur ad fidem.* Idipsum etiam experimur in fervidis Prædicatoribus, qui suâ voce non rarò acerrima peccatorum corda edomant. De his S. Gregorius; *Majus est miraculum prædicationis verbo, & orationis solatio peccatorem convertere, quàm carne mortuum suscitare. Lazarum quippe carne Dominus suscitavit, Saulum mente.*

Gratia Dei

S. Aug. l. ad Simpl. q. 2.

Prædicator.

S. Greg. l. 3. Dialog. c. 17.

484. Saulus, quasi duello à Deo victus stratusque, mox supplices victori manus dedit, ejusque servum se protestatus est his omninò verbis; *Domine, quid me vis facere?* Lemma; OCULOS TENDIT VICTUS, DEXTRAMQUE PRECANTEM. In hæc penè verba superbum Turnum, ab Ænea victum, prostratumque, describit Virgilius.

Act. 9. 6.

Virg. 12. Æn. in fine.

Ille (Turnus) *humilis, supplexque oculos, dextramque precantem.*
Protendens: equidem merui, deprecor, inquit;
Utere sorte tuâ.

Hinc constat, plurimis hominibus pectora esse ita saxea, ut ad preces & obsequia Divina flecti nequeant, nisi probè afflicta, & diversis calamitatibus exterrita. Porrò è Paulo discas velim, quid inter inspirationes ac ærumnas à Deo immissas respondere debeas; nimirum, *Domine, quid me vis facere?* In hunc locum egregiè S. Bernardus; *Hæc planè, fratres, perfectæ conversionis est forma. Domine, quid me vis facere? O verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione &c. Heu plures habemus Evangelici illius cæci, quàm novi Apostoli imitatores! Quid vis (ait Dominus ad cæcum illum) ut faciam tibi? Absit hoc Domine; tu magis dic quid me facere velis. Sic enim decet, sic omninò dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem. &c. Sic profectò, sic multorum usque hodie pusillanimitas & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat; Quid vis, ut faciam tibi? non ipsi quærant; Domine, quid me vis facere?*

Calamitas

Inspirationes Divinæ.

S. Bern. serm. 1 de Convers. S. Pauli

485. Paulus, in terra prostratus, *apertis oculis nihil videbat.* Lemma; OCULIS NIL CERNIT APERTIS. Idipsum peccatori usuvenit, qui in mundi voluptates effusus, potentias ac sensus suos omnes soli affigit terræ, totusque obcæcatus in salutis æternæ negotio jacet. Verissimè dicit Apostolus; *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs Dei.* S. P. Augustinus; *Christianus malè vivens, in luce quidem est, nonnisi Dei, sed clausis oculis. Malè vivendo enim videre non vult eum, in cujus nomine tanquam cæcus est in lumine constitutus, nullâ visione veri luminis animatus.*

Peccator.

1. Cor. 2. 14.

S. Aug. in Psal. 25.

486. Paulus, fulgurante Christi radio perculsus, corporeis oculis penitùs excæcatus jacet; cum lemmate; AT PECTORE CERNIT. Ita nimirum quisquis gratiæ Divinæ luce illustrari, Deumque videre cupit, externos corporis sensus toti mundo studiosissimè claudat, necesse est. S. P. Augustinus; *Ut homo se noscat, magnâ opus habet consuetudine recedendi à sensibus, & animum in se ipsum colligendi atque in seipso retinendi.* Unde de S. Pauli cæcitate exclamat S. Bern. *Felix cæcitas, quâ malè quondam illuminati in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter excæcantur.* Et S. Chrysost. *Pauli cæcitas totius orbis illuminatio effecta est. Quoniam enim videbat malè, eum excæcavit Deus, ut utiliter jam videret in reliquum.*

Sensus claudendi

S. Aug. l. 1. de Orat. c. 1.

S. Bern. l.

S. Io. Chrys. hom. 4. de laud. S. Paul.

487. Paulus, Ananiæ manu tactus, visum recepit; *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, & visum recepit.* Lemma; HIS CERNIT ABLATIS. Squamarum nomine peccata & habitus vitiosos intelligere licet, quibus per sacram confessionem ablatis, ad beneficam Dei visionem aspirare possumus. Audi S. Gregorium de Saulo disserentem; *Carnalis tegumenti duritia Saulum presserat, & idcircò radios veri luminis non videbat. Sed postquam superbæ repugnationes ejus victæ sunt, defensionum ejus squamæ ceciderunt corporis, sed antè jam sub Dominica increpatione ceciderunt ab oculis cordis, cùm prostratus dixit; Domine, quid me vis facere? Jam ad cordis viscera veritatis sagitta pervenerat; quando depositâ elatione superbiæ, eum, quem impugnaverat, Dominum confitens, & quid ageret nesciens requirebat. Unde audivit; Ego sum Jesus, q. d. Humilitatis meæ infirma suscipe, & tuæ superbiæ squamas amitte.*

Act. 9. 18.

Pœnitens

S. Greg. 13. Moral. c. 2

488. Paulus, *cum lachrymis monens unumquemque*, plurimorum corda, in peccatis obdurata, emollivit, & ad Christi fidem convertit. Lemma. HIS GUTTIS SAXA CAVANTUR. Nullum enim ad persuadendos hominum animos tam potens est eloquentiæ flumen, quàm lachrymarum. Verissimè canit Poëta:

Act. 20. 31.

Lachrymæ movent.

Interdum lachrymæ pondera vocis habent.

De S. Pauli lachrymis ait D. Chrysost. *Ex quonam fonte tanta emanârunt fluenta, ut ex illius oculis lachrymæ?* Et paulò post. *Quemnam fontem vis comparare cum his lachrymis? Eumne, qui est in paradiso, qui irrigat universam terram? sed nihil dices æquale.* Hinc discant Prælati genuinam corrigendi persuadendique methodum. Certè S. Ambrosium, S. Bernardum, & S. Dominicum legimus, pœnitentes audivisse & monuisse cum lachrymis.

S. Io. Chry. hom 12. in ad Coloss.

Correcti

489. Paulus, genibus nixus, orat. *Positis genibus, oravit.* Lemma; FLECTENDO NUMINA FLECTIT. Hæc enim corporis compositio summæ reverentiæ erga Superos est indicium, eosq; in hominum vota facillimè flectit S. Rupertus; *Nec verò soli Deo, sed & hominibus dulcis visu, & amabilis est hujusmodi compositio, tantoque magis quis reverendus existit, quantò frequentius atq; affectuosius genua curvans, genas suas, vel oculos, vel totum corpus dimiserit.*

Act. 20. 36

Genua flectere.

S. Rup. in Cant. 67.

Certè

Reg. 8. Certè ipsemet Christus *positis genibus orabat.* Et ante illum Salomon, *utrumque genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum, &c.*

490. S. Paulus serpentem, qui ipsius manum inter sarmentorum congeriem invaserat, sine omni noxâ in ignem excussit. Lemma; NESCIT AB ANGUE MORI. Verbis ex Aratore desumptis;

Cristique cruci sua membra relegans,
Nescit ab angue mori.

Tentationes. Christi promissionem ibi impletam cernere licebat; *Signa, eos, qui crediderint, hæc sequentur &c. Serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Porrò vetus ille serpens, quando animas nostras per malas inspirationes molitur invadere, facili negotio in ignem suum Tartareum excutietur, si genuinâ fide ac virtute instructus fueris. S. Bernardus: *Primum opus fidei, per dilectionem operantis, cordis compunctio est, in qua sine dubio ejiciuntur dæmonia, cùm eradicantur è corde peccata, ubi verò compunctione cordis, & oris confessione priora sunt deleta peccata, ne recidivum patiantur, & jam sint posteriora peiora prioribus, serpentes tollant necesse est, id est, ut venenatas suggestiones extinguant &c. si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, id est, cùm senserint stimulos concupiscentiæ, nolent consentire.* (Marc. 16. 18.; Bern. serm. de Ascens.)

491. Idem serpens, ab Apostoli manu citra noxam resiliens, epigraphen tenet; MOLLIA TANTUM. Ita nimirum Tartareus serpens venenatos tentationum suarum dentes nemini valet infigere, nisi quem carnis ac voluptatum mollitie laxatum offenderit. Unde de S. Paulo præclarè dixit Oecumenius; *Vipera, cùm in manum Apostoli dentes injecisset, nullam peccati in ea mollitiem & laxitatem invenisset, statim resiliit, & in ignem sese projecit, quasi pœnã de se exegerit, quod nihil ad se pertinens corpus invasisset. Nos vero bestias timemus, eò quod armatura virtutis muniti minimè simus.* Ita Adam in innocentia à bestiis & serpentibus lædi non poterat, imò eis dominabatur. Unde Sancti, qui ad primævam ejus innocentiam accedunt, idem sæpè dominium habent, ut habuit S. Paulus, S. Antonius, S. Macarius, Sanctus Franciscus, & alii. Optimè S. Joannes Chrysostomus; *Ictus à vipera Paulus, Spiritus Sancti virtutem, quæ in ipso habitabat, ostendit, usus vipera teste.* (Tentatio.; Oecum. in Act. cap. 28.; Innocens.; Chrysost. in Psal. 96.)

492. S. Paulus, omni penè calamitatum ac tribulationum genere exagitatus, erecto semper, impavidoque stetit animo. Ipsummet audi, ærumnas suas compendio recensentem. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas, unâ minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. In itineribus sæpè, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate &c.* Sed quid ad hæc omnia generosissimus Apostolus? *Nihil horum vereor.* Unde lemma; IMPAVIDUM FERIENT. Verbis ex Horatio desumptis. (2. Cor. 11.; Horat. l. 3. Carm. Od. 3.)

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Patientia. Hinc discas inter adversitatum procellas esse patiens, ac imperterritus. S. Chrysostomus, in D. Pauli laudes effusissimus, ait; *Paulus luctatibus orbis & pugil omni luctæ genere certat & vincit: hic ei Apostolicus character, hisce luctis contexuit Evangelium, & quasi flamma inextinguibilis ignis, si in mare delapsa, fluctibus undiq; mergitur, & iterum fulgida ascendit: sic & S. Paulus, undiq; pressus, nec oppressus, cedere nescius, clarior semper redit patiendo victor, & millies Martyr* (Chrysost. Moral hom. 25. & 26.)

493. Paulus, inter gravissimas persecutiones & ærumnas assiduò imperterritus ac lætus, solâ nitebatur conscientiæ suæ integritate; *Nam gloria nostra hæc est*, inquit, *testimonium conscientiæ nostræ.* 2 Tim. 1. 12.
Lemma; VINCIT MENS CONSCIA RECTI. Juvenal. Satyr. 13.
Verissimè dixit Juvenalis;

Hæc est summa boni, mens, quæ sibi conscientia recti est.

Bias interrogatus, quidnam in vita metu careret? respondit; *bona conscientia.* S. Tyburtius ad Tyrannum, *Omnis*, inquit, *nobis vilis est pœna, ubi secura comes est conscientia.* Tertullianus, Christianorum nomine, ad Scadulam, Carthaginis tyrannum, ait; *Cùm omni sævitia vestra concertamus, etiam ultrò erumpentes, magisque damnati, quàm absolutè gaudemus.* (Conscientia bona.; Tertull. lib. ad Scadul.)

494. De se ipso testatur Paulus; *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Unde Epigraphen subjunges; E STIGMATE SERVUM, subintellige, *dignosces.* Servis enim apud Romanos inurebantur notæ seu stigmata, quibus illos domini sui agnoscerent; Unde Paulus, Christi servum professus, crucifixi stigmata in corpore suo portavit, ut ab omnibus dignosceretur, ad qualem pertineret Dominum. Porrò stigmatum nomine, mortificationes, morbos, & calamitates, tranquillo animo toleratas, significare licet, quibus Servatori nostro, in crucem fixo, configuramur ac conformamur. Egregiè S. Ambrosius; *His configitur clavis, qui mortificationem Iesu in corpore suo portat. Infige ergò pectori tuo & cordi tuo hoc signaculum crucifixi, infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint. Fortasse hanc imaginem clavi non solum timoris, sed etiã charitatis affigunt &c.* Ad litteram verò stigmata Christi crucifixi in corpore suo portârunt S. Franciscus Assisias, S. Catharina Senensis, & (uti, præter eruditissimum nostrum Joannem Mauburnum, integro sermone testatur S. Bonaventura) summæ sapientiæ & sanctitatis prodigium, Magnus Augustinus. (Gal. 6. 17.; Servus Christi.; Mortificatio.; S. Ambr. in Psal. 118. v. 120 serm. 15.; Stigmata.; S. Bonav. ser de S. Aug.)

495. E præcisâ mortui Pauli cervice lac profluit, Lemma; VIVENS QVOQVE LACTE FLVEBAT. De se ipso enim vivens ad Corinthios testatus est; *Lac vobis potum dedi.* Lac enim innocentiæ, & castitatis symbolum est, quo non moriens tantùm, sed & vivens uberrimè manavit Apostolus; ut adeò lactea fluenta, à vivente Paulo necdum ad fundum usque profusa, è morientis præcisâ cervice prosiliverint. Emblematis mentem genuinè explicat S. Ambrosius; *De Pauli cervice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda, quàm sanguinis, & mirum in modum S. Apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potiùs, quàm cruentum. Quid enim mirum, si abundet lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait; Lac vobis potum dedi?* (1. Cor. 2. 2.; Innocentia.; S. Ambros. serm. 68.)

496. Præcisum Pauli caput è terra, in quam delapsum est, tres fontes elicuit, qui hodie etiamnum Romæ omnium peregrinorum concursu ac veneratione visuntur. Lemma; E PETRA SCATVRIT VNDA. Petra enim solidissima fuit Paulus, quem nulla persecutionum, laborum, adversitatum, aut suppliciorum vehementia frangere poterat; uti ipsemet, testis sibi luculentus, innumeris locis affirmat. *Quis* inquit, *nos separabit à charitate Dei? gladius an persecutio &c.* Et rursus; *Maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus, blasphemamur & obsecramus &c.* Quid igitur (Patientia.)

mirum est, è sublimi ac solidissimâ hâc petrâ scaturiisse aquas? S. Chrysostomus, Pauli Encomiastes prorsus singularis, ait; *Paulus præ devotionis abundantiâ dolores, pro virtute susceptos, quodammodo non sensit; quin etiam virtutem ipsam pro mercede pensavit: quotidie celsior, quotidie assurgebat ardentior, ovans in omni impugnatione referebat victoriam, verberibus & injuriis affectus triumphabat, mortem potius appetens quam vitam: paupertatem potius, quàm opulentiam; multò amplius laborem desiderans, quam alii requiem.* S. Chrysost. Hom. 2. de laud. Pauli.

PETRUS Apostolus.

Cap. CLXXII.

487. PEtrus Apostolus, cum impiis ministris in aula Caiphæ ad focum sedens, ter Deum negavit. Lemma; CUM PRAVIS VIVENS, TU QUOQUE PRAVUS ERIS. Verbis è Theognide desumptis;

--- Ne te conjungito pravis,
Sed conjunge bonis & ab his bona plurima disces;
Cum pravis vivens, tu quoque pravus eris.

Societas mala. Eas nimirum vires in hominem habet mala societas, ut virus suum facillimè in illum transfundat, & è bono in pessimum convertat. Unde S. Ambrosius; *Ubi verò negavit Jesum Petrus? in prætorio Judæorum, in societate impiorum.* Et Beda; *Quàm nociva impiorum colloquia! Petrus ipse inter ministros Pontificum vel hominum se nôsse negavit, quem inter condiscipulos Dei Filium fuerat confessus.* Verissimè dixit Epictetus *Qui cum contaminatis versatur, contaminatus evadet.* Et Ovidius; S. Ambr. in cap. 21. Luc. Beda in Marci c. 14.

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

498. Petrus, vilis ancillulæ voce perculsus & prostratus, Christum negavit. Lemma; NULLÆ SINE NUMINE VIRES. Hinc conjice, quam nobis ad salutis negotium necessaria sit Divina gratia: fragilissimus enim est homo præfidens sibi, ideoque derelictus à Deo, contra verò fortissimus, si sibi diffidat, fidatque Deo. Verissimè canit S. Ecclesia;

Gratia Divina quàm necessaria?

Sine tuo Numine
Nihil est in homine
Nihil est innoxium.

Certè Petrus, unius mulierculæ interrogatione territus, negavit Christum, qui postea, accepto Spiritu Sancto, nec Caipham, nec totum concilium Judæorũ extimuit dicendo, *Oportet magis obedire Deo quàm hominibus.* In rem præsentem ait S. Hieronymus; *Petrus sine spiritu voci ancillæ cessit, cum Spiritu nec Principibus, nec Regibus cedit.* Accommodatè dixit S. P. Augustinus; *Nisi gratiâ meâ plenus esses, nonne ante Baal etiam ipse genu flecteres? gratiâ autem meâ plenus es, quia nihil de tua virtute, sed totum de mea gratia præsumpsisti.* Act. 4. S. Hier. in Marcum. S. Aug. ser. 7. de Verb. Dom. cap. 2.

499. Firmissimè quidem proposuit, statuitque Petrus, se à Christo nunquam discessurum: unde hæ ipsius voces, præ quâvis Marpesiâ caute firmiores; *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* At ô versatile hominis ingenium! paulò post, mutante nonnihil fortunâ, ipse sententiam mutavit, quando à Caiphæ ministris tentatus, non tantum Magistrum suum tertiò negavit, sed & *cœpit detestari & jurare, quia non novisset hominem.* Lemma; NIL HABENT MORTALIA FIRMUM. Adeò enim omnia in hoc mundo caduca ac mutationibus obnoxia sunt, ut arenâ nitatur, quisquis homini fidit. Petri lapsum miserans S. P. Augustinus, exclamat; *Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsum contremuit: ubi est illa promittentis audacia, & de se plurimum præsumentis? ubi sunt verba illa, quando ait; Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo; sed quid mirum, si Deus vera prædixit, homo autem falsa præsumpsit?* Matth. 26. 74. Instabilitas humana. S. Aug. in Ioan. cap. 18

500. Plurima quidem, affluente adhuc prosperitate, jactitabat Petrus, statuebatque mori potius, quàm Magistrum suum negare: at ubi fortuna corrugare frontem, ac vitæ discrimina objicere cœpit, mox concuti, fidem deserere, illumque tertiò negare ac pernegare visus est. Lemma; PROBAT TENTATIO FORTEM. Nullum enim hominis probandi tempus est opportunius, quàm tentationis & adversitatis. S. P. Augustinus; *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Et rursus; *Si nunquam tentaris, nunquam probaris. Nonne melius est tentari & probari, quàm non tentatum reprobari?* Et tandem; *Unusquisque se tentatione tanquam interrogatus agnoscit; sicut Petrus, quas vires haberet, fides enim utique nesciebat, quando dixit Domino;* Tecum paratus sum usq; ad mortem. *Dominus autem, qui noverat eum, prædixit ubi deficeret, prænuntians illi infirmitatem ejus, tanquàm tactâ venâ cordis ejus. Proinde Petrus, qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se.* Tribulatio. S. Aug. lib. ser. Dom. in monte c. 9. Idem in Psal. 44. Idem in Ps. 36. Conc. 1.

501. Petrus à Magistro suo, quem tertiâ vice negaverat, respicitur, ac resipiscit; *Conversus Dominus respexit Petrum; & recordatus est Petrus verbi Domini, &c. & egressus foras, flevit amarè.* Lemma; TENEBRAS HÆC LUMINA FUGANT. *Quia*, ut ait S. Hieronymus, *fieri non poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi.* Atque adeò, quisquis à Deo per gratiam respicitur, is ad Deum convertitur, &, veluti à sole percussa glacies, in lachrymarum fontes resolvitur. S. Leo; *Respexit Dominus Petrum, & turbatum discipulum convenit oculis, quibus eum præviderat esse turbandum, & in illum conversa est veritatis inspectio, ubi erat cordis facienda correctio.* Luc. 22. 59 S. Hier. in hunc loc. Gratia D. S. Leo ser. 3 de Pass.

502. Petrus perfidiæ suæ exprobratorem habuit gallum; *Continuò Gallus cantavit: & recordatus est Petrus verbi Iesu.* Lemma. è Breviarii Romani hymno desumptum; GALLUS NEGANTEM ARGUIT. E S. Laurentii Justiniani sententiâ, gallus conscientiæ symbolum est, quæ peccantem arguit, remordet, & ad pœnitentiam tãdiu stimulat, donec clamanti morem gerat. Porrò etiam concionator galli munere fungitur, dum peccatoribus voce suâ exprobrat, & ad pœnitentiam impellit. S. Gregorius explicans illud Jobi; *Quis dedit gallo intelligentiam?* ait; *Gallus profundioribus horis noctis valentiores ac productiores edere cantus solet; cùm verò matutinum jam tempus appropinquat, leniores & minutiores omnimodo voces format. In quibus galli hujus intelligentia quid nobis innuat, considerata Prædicatorum discretio demonstrat; qui, cùm iniquis adhuc mentibus prædicant, aliis & magnis vocibus æterni judicii terrores intimant, quia videlicet quasi in profundæ noctis tenebris clamant. Cùm verò jam auditorum suorum cordibus veritatis lucem adesse cognoscunt, clamoris sui magnitudinem in lenitatem dulcedinis vertunt, & non tam illa, quæ sunt de pœnis terribilia, quàm ea, quæ sunt blanda de præmiis offerunt.* Vide plures alias galli proprietates, ab eodem S. Doctore ibidem ad Prædicatorem applicatas. Matth. 26. 74. S. Laur. Iu. de agone Christi c. 9 Conscientia. Iob. 38, 36. S. Greg. l. 3 Moral. c. 4 Prædicator.

503. Petrus, seriam de perfidia sua pœnitentiam acturus, aulâ Caiphæ excessit, & solitudinem petiit; *Egressus*

Matth.26.7. *Egressus foras, flevit amarè.* Lemmatis loco vulgare illud pentametron subjicies; EXEAT EX AULA, QUI CUPIT ESSE PIUS. Sicuti enim aula turbarum est plena, & vix ullum pœnitudini locum relinquit, ita contra solitudo aptissimam offert pietati ac virtuti occasionem. *Non enim*, inquit de Petro S. Hieronymus, *poterat in atrio Caiphæ sedens agere pœnitentiam. Egreditur foras de impiorum concilio, ut pavidæ negationis sordes amoris fletibus lavet.*

Aula. Turbas fugere. S.Hieron in hunc loc.

504. Petrus, ob peccatum suum ingenti dolore & cordis compunctione correptus, amaras profundit lachrymas, iisque culpam suam eluit. Lemma; NOXAS HÆC ABLUIT UNDA. Lachrymæ enim ad delenda peccata vim adeò propriam & efficacem coram Deo obtinent, ut nunquam cadant irritæ. S. Ambrosius, quærens cur non potius orationem, quàm lachrymas fuderit Petrus; respondet; *Lachrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri. Lachrymæ veniam non postulant sed merentur. Invenio, cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio offenderet, ante flendum est, sic precandum.* Et paulò post; *Doce nos, Petre, quid tibi profecerint lachrymæ tuæ; sed docuisti illicò: nam qui lapsus es, antequam fleres, postquam flevisti, erectus es, ut alios regeres, qui te ipsum ante non rexeras.* Unde Nicephorus refert, Petri oculos ex assiduo ploratu fuisse quasi sanguine respersos; geminumque callem à concretis lachrymis per genas apparuisse.

Lachrymæ. S.Ambr.in c.22.Lucæ. Niceph.l.1. cap.37.

505. Petrus Apostolus, in infami carcere detentus ab Angelo educitur, & in libertatem asseritur. Lemma; INNOCUUM NEC VINCLA RETARDANT. Solatium hinc mutuentur afflicti, quibus Deus etiam inter gravissimas calamitates semper assistit præsens, & cum opus fuerit, suppetias affert; innocentia enim etiam inter carceres & vincula semper manet liberrima. Pulchrè S. Ambrosius; *Non turbentur innocentes, cùm falsis criminibus appetuntur; visitat Deus & in carcere suos, & ideò ibi est plus auxilii, ubi plus est periculi. Sed quid mirum, si visitat Deus in carcere positos, qui se ipsum in suis in carcere inclusum memoravit? In carcere, inquit eram, & non venistis ad me.*

Calamitas. Innocentia vincit. S.Ambr.lib. de Ioseph.c.5.

506. Petrus, inverso corpore cruci affixus, epigraphen tenet; MENS ERECTA TAMEN. De S. Petro ait Maximus; *Hic est Petrus, qui cùm ad crucem tanquam Christi discipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionē non timuit, sed æqualitatem crucis Dominicæ declinavit, ut ostenderet universis admirandæ se humilitatis virtutem, noviq; mysterii disciplinam, & inter tormenta servasse.* Apostolorum Principem secuti sunt omnes reliqui Apostoli & Martyres, qui innumeris tormentis excruciati ac depressi, mentem semper versus Deum erectam conservârunt. S.P. Augustinus; *Pagani persecuti sunt Martyres, capti sunt, ligati sunt, in carcerem missi sunt, bestiis subjecti sunt, alii ferro percussi, alii ignibus concremati; vicerunt persequentes, & victi sunt Martyres? Absit. Quære gloriam Martyrum apud Deum, quære foveam paganorum in conscientia. ubi est enim fovea, quò cadit impius? In conscientia mala.* Et alibi; *Nunquam Martyres tantas tribulationes carne tolerarent, nisi magnam quietem mente conciperent.*

S.Maxim.ser. de Natali Apost. Martyres. S.Aug in Psal.36. Idem in Psal.63.

507. Petrus & Andreas, piscibus capiendis in mari Galilæo intenti, ubi vocantem audierunt Christum, quantocius, nullâ interpositâ morâ, totum reliquêre mundum, suumque secuti sunt Servatorem. *Continuò relictis retibus secuti sunt eum*; Lemma; NESCIT AMOR REMORAS. Hinc disce nec in obediendo ponere moras, nec in Christo sequendo, & mundi vanitatibus relinquendis esse tardus. S. Bernardus; *Vis audire perfectæ obedientiæ formam? At illi continuò, nihil dijudicantes aut hæsitantes, non soliciti unde venerunt, non considerantes, quonam modo rudes homines, & sine litteris prædicatores fieri possent. Nihil denique interrogantes, sine omni mora relictis retibus & navi secuti sunt eum. Agnoscite, fratres, quoniam propter vos scripta sunt hæc, ut discentes veræ obedientiæ formam, castigetis corda vestra in obedientia charitatis.*

Matth.4.20. Obedientia. S.Bernard. in festo S.Andreæ serm.2.

508. Eidem symbolo subscribes; RELICTIS OMNIBUS. Religiosos hæc imago concernit, qui totum mundum, omniaque ipsius bona adeò dereliquerunt, ut sacrilegi coram Deo sint, si bono alicui terreno animum addicant. Disertè Christus; *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* S. Bernardus ait, illos, qui reliquerunt omnia, relictos esse Deo. *Quàm benè*, inquit ad Religiosos suos, *commutâstis, dilectissimi, quidquid habere potuistis in sæculo, quando nunc relinquendo ea, proprii esse meruistis auctoris sæculi, & eum habere propriam possessionem, qui sine dubio portio & hæreditas est suorum. Neque enim, sicut dixerunt filii iniquitatis*, beatus populus cui hæc sunt, *temporalia scilicet, quæ præmiserat*, promptuaria eructantia ex hoc in illud, oves fœtosæ, *& similia: non, inquam, beatus populus, cui hæc sunt*; sed beatus populus cujus Dominus Deus ejus.

Religiosus. Luc.14.33. S.Bern.ser. 1.Dedic. Ecclesiæ.

509. S.Petrus, geminâ instructus clavi, epigraphen tenet; TERRIS DOMINATUR ET ASTRIS. Petro enim & successoribus disertè dixit Christus; *Tibi dabo claves regni cœlorum; Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis* Unde exclamat S. Hilarius; *O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditûs traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata authoritas fit in cœlo.* Claves enim significant summam potestatem tum ordinis, tum jurisdictionis in totam Ecclesiam: unde etiam gentiles, suprema Deorum suorum imperia significaturi, claves iis attribuerunt. De Plutone canit Orpheus;

Matth.16.19. Pontifex Maximus. S.Hilar.in hunc loc. Orpheus in Pluton.

Pluto, qui terræ claves & regna gubernas.

Et rursus de Protheo, maris Domino;

Gestantem claves pelagi te Maximè Proteū
Prisce voco, &c.

510. Petrus, ob imminens vitæ periculum præcipiti ardore succensus, gladium strinxit, & Malcho auriculam præcidit. Unde ob zelum hunc intempestivum à Christo reprehensus est, & , è Magni Augustini sententia, peccavit. Lemma; PRÆCIPITI NIHIL EST MODERABILE ZELO. Hinc discant Superiores non tantùm temerè aut ex præcipiti animo nihil unquam facere, sed etiam in corrigendis aliorum vitiis modum non excedere. Nam, ut præclarè ait Magnus Augustinus; *Jusserat Dominus, ut discipuli ejus ferrum* (Correctionis) *ferrent, sed non jusserat ut ferirent.* Corrigendi modum pulchrè præscribens S. Bernardus, ait; *Hic est zelus justitiæ, quo adversus delinquentes accendimur, tanquam pietati ducti erga eam, quā contemni videmus, justitiam Dei. Veruntamen oportet ut priora sibi vendicet compassionis affectus. Alioquin in spiritu vehementi conterimus naves Tharsis, conterimus quassatum calamum, extinguimus linum fumigans. Sed cùm uterque aderit, videlicet & compassionis affectus & zelus justitiæ, necesse est, adsit spiritus discretionis, ne fortè cùm oportebat hunc exhiberi, ille procedat, & indiscretio ipsa confundat universa.*

S.Aug.l.22. cont.Faust. cap.70. Corripiendi modus. S.Aug l.22. cont.Faust. S.Bern.ser.2. de Resurrect.

511.Pe-

511. Petrus, Christi amore flagrans, supra maris aquas ambulat, & ad Servatorem contendit. Lemma; AMOR EMINET UNDIS. Totus enim adversus Christum ardebat Petrus; quid ergo mirum, ignem hunc non potuisse infra aquas mergi? Porrò quisquis Divinâ charitate succensus est, intra calamitatum undas nunquam non eminebit, semperque incedet illis superior. Pulchrè in rem præsentem S. P. Augustinus; *Unicuique sua cupiditas tempestas est. Amas Deum; ambulas super mare, sub pedibus tuis est timor sæculi. Amas sæculum? absorbebit te; amatores suos vorare novit, non portare. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuũ, ut vincas tuam cupiditatem, invoca Christi Divinitatem.* Idipsum etiam de sanctâ fide compertum habemus, quæ hominem ad mira patranda evehit. Rursus idem Doctorum Phœbus; *Sine ulla dubitatione Petrus ad verbum jubentis, ad præsentiam sustentantis, ad præsentiam regentis, desiluit in aquas, ambulare cœpit. Potuit quod Dominus, non in se, sed in Domino. Fide valuit, quod humana infirmitas non valeret.*

Charitas. Calamitas. — *S. Aug. ser. 13 de Verb. Dom.* — Fides. — *S. Aug. ser. 13 de Verb. Dom cap. 1. & 3.*

512. Petrus, præsente & adjuvante Christo supra mare ambulans, nonnihil MERGITUR, NON SUBMERGITUR. Adeò nimirum fieri non potest, illum supra hujus mundi oceanum inter assiduos tentationum & adversitatum fluctus perire, qui Christi nunquam non præsentis meminit, clamatq; cum fluctuante Apostolo; *Domine salvum me fac.* Præclare, ut solet Magnus Augustinus; *Non metuat anima mare hoc magnum, sæculum scilicet, cujus fluctus ac turbines sentimus inimicas sæculi potestates. In Deo sperantes multi jã sancti hos fluctus spreverunt, multi calcaverunt, multi super ejus aquas ambulantes, securi ad patriam pervenerunt. Sed exurgit ventus validus, & magna tempestas, sua cuique cupiditas. Titubat fides in mari, clamet in te Petrus, Domine pereo: dabit manum mergenti; nec sinit perire ille, qui propter nos dignatus est super aquas ambulare.*

Præsentia Christi. — *Matth. 14. 30.* — *S. Aug cap. 2 de cantico novo.*

PHILIPPUS Apostolus.

Cap. CLXXIII.

513. PHilippus tanto visionis Divinæ desiderio flagrabat, ut illam unam Christum rogârit, veluti nullo alio bono exaturandus. Verba ipsius erant; *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Unde Lemma; NON ALIO MENS SATIANDA BONO. Deus enim bonorum omnium est affluentia, solusque animam nostram satiare potest. S. P. Augustinus; *Pecori bonum est, implere ventrem, dormire, gustare, vivere, sanum esse, generare. Tale tu bonum quæris? Cohæres Christi, quid gaudes, quod socius es pecorum? erige spem tuam ad bonum bonorum omnium, ipse erit bonum, à quo tu in tuo genere factus es bonus, & omnia in suo genere facta sunt bona: qui satiat in bonis desiderium tuum.*

Io. 14. 8. — Visio beatifica. — *S. Aug. in Psal. 102.*

514. Philippus, Nathanaëlem ad fidem conversurus, nullo alio motivo utendum censuit, nisi ut in Angelicum Christi vultum oculos defigeret; *Dicit ei, veni, & vide.* Lemma; IN LUMINE LUMEN. Tantus enim è Christi vultu promicabat fulgor ac suavitas, ut obvios quosvis in sui amorem & admirationem raperet. S. Chrysostomus; *Quomodò hic sit Christus, & quomodo Prophetæ eum prædixerint, non dicit Philippus, sed ducit ad Iesum, sciens ipsum non abscessurum, si illius verba & doctrinam gustaret. Si videris solummodo, dicit, si sermonem cum eo conferas, facillimè mihi assenties.*

Io 1. 46. — Christi aspectus — *S. Chrysost. in hunc loc.*

PILATVS.

Cap. CLXXIV.

515. PIlatus, Judæorum minis territus, innocentem Jesum crucifigendum tradit. Lemma; TIMIDUS NIL JVDICAT ÆQVUM. Æquus enim Judex adversus omnes partium minas imperterritus sit, oportet. Vnde de Pilato ait S. P. Augustinus; *Iudex bonus & constans, ne sanguinem innocentis addiceret, nec invidiæ cedere debuit, nec timere.* Epictetus Judicem imbuens, ait; *Vti nec anser clangore, nec ovis balatu perterretur; ita nec stolida magnitudinis vox perterrefaciat.* Et Plato; *Princeps ac Magistratus quilibet debet esse prudens & fortis, Prudens, ne ex imperiti vulgi judicio pendeat: fortis, ut, quæ salutaria sunt, constanter exequatur.* Coronidem jungit Siracides; *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

Judex non sit timidus — *S Aug ser. 118. de Temp.* — *Plato lib. 2. de Legibus.* — *Eccles. 7. 6.*

516. Pilatus, innocente Christo in Judæorum potestatem tradito, manus suas coram populo lavit. Lemma; MENS ILLOTA TAMEN. Ita nimirum parum refert, exteriorem hominem formari ad Dei vel politicas leges innocuum, ac justum; nisi interior quoque animus conservetur purus, omnique vitiorum noxâ immunis. S. P. Augustinus; *Laverit licet manus Pilatus, tamen sua facta non diluit: quamvis abstergere se putaverit justi sanguinem de suis membris, eodem tamen sanguine mens ejus tenetur infecta: ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum.*

Conscientia. — *S. Aug ser. 110 de temp.*

SAMARITANA.

Cap. CLXXV.

517. SAmaritana, sitim levatura, ad fontem, cui Christus assidet, properat. Lemma, AD FONTEM SITIBVNDA RECVRRIT. Quisquis ergò salutis, felicitatis, ac gratiæ Divinæ siti tenetur ad Christum recurrat, qui est *fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ipsummet invitantem audi: *si quis sitit veniat ad me & bibat.* In rem præsentem Magnus Augustinus; *Fons vitæ Christus. Venit ad te in carne, ut irrigaret fauces tuas sitientes; satiabit sperantem, qui irrigavit sitientem.* Et rursus; *Christus caput nostrum, ipse fons gratiæ, secundùm uniuscujusq; mensuram se per cuncta ejus membra diffundit.*

Christus fons — *Io. 4. 14.* — *Io. 7. 37.* — *S. Aug in Psal. 35.*

518. Samaritana, adulterii vitio inquinata, quamprimùm Christo ad fontem propinquavit, omnes animæ maculas eluit, & non tantùm Christi præconem, sed & Martyrem egit. Lemma; FONTIS PVRGATVR AD VNDAS. Nullum enim alium habemus fontem, ad quem peccata nostra eluamus, nisi Christum; de quo dixit vates Regius; *quoniam apud te est fons vitæ:* quantum ergò ad hunc fontem accesseris, tantùm eris mundus; contra verò tantùm immundus, quantùm ab eo recesseris. S. P. Augustinus; *Superbia receditur ab illo fonte vitæ, cujus solius haustu justitia bibitur, bona scilicet vitæ.* Et S. Ambrosius; *Novo admirationis genere, mulier, quæ ad puteum Samariæ, meretrix advenerat, à Christi fonte casta regreditur; & quæ aquam petere venerat, pudicitiam repertavit.* Concinnè in rem præsem sapientissimus meus D. Picinellus.

Pœnitentia — *S. Aug de Spir & lit. cap. 7.* — *S. Ambros. ser. 30.*

Fons cœlestis, terrestrem accedit ad puteum,
Vt fœminæ maculas eluat undis.
Inter Amoris æstus, affluens lympha
aquam, à pumice quærit &c.

Vidua

Vidua viro, ac magis virtute;
Ad Pastoris aspectum, ex lupa mutatur in ovẽ,
Et quæ undas petentem, ut Judæum horruerat,
Fontes præbentẽ, ut Dominum est venerata. &c.

519. Samaritana Christi verbis inflammata, hydriæ ad fontem oblita est, & Messiam nuntiatura, cucurrit in urbem. Lemma; PLENA DEO, TERRENA RELINQUIT. Discant hinc Religiosi ac Prædicatores, se muneri suo tum demùm satisfacturos, si relictis terrenis omnibus, solo gaudeant Deo, eumque cùm sibi, tum aliis indefessè prædicent. S. P. Augustinus; *Audito & recepto in corde Christo, quid faceret, nisi jam hydriam dimitteret, & evangelizare curreret? Projecit cupiditatem, & properavit annuntiare veritatem. Discant, qui volunt evangelizare, projiciant hydriam ad puteum. Projecit ergò hydriam suam, quæ jam non usui, sed oneri fuit:* De eâdem Samaritana disserens S. Ambrosius. *Plena,* inquit, *redit, quia peccatrix; & quæ hydriæ vasculum amiserat, Christi plenitudinem reportabat.* Præclarè, ut cætera omnia, eruditissimus D. Philippus Picinellus noster, Abbas Casoretanus.

Religiosi. Prædicatores. S. Aug. Tract. 1 in Ioan. S. Ambros. ser. 30.

Nuncia Christi,
Quæ peccatrix advenerat, revertitur prædicatrix;
Nec deferens hydriam, sed referens gratiam,
Vacua onere, & plena sanctitate,
Civibus suis non undas,
Sed fontem salutis adduxit.

SAMARITANVS.
CAPVT CLXXVI.

520. Samaritanus, hominis spoliati commiseratione tactus, vinum & oleum in ejus vulnera fundit. Lemma; ACERBIS MOLLIA MISCET. Genuinam corrigendi methodum hinc discas velim, ut animæ vulneribus acredinem quidem, sed tamen pietatis ac misericordiæ oleo mitigatam, infundas. Appositè Seneca; *Nullum animal morosius est, nullum majore arte tractandum, quàm homo. Nulli magis parcendum. Morbis medemur, nec irascimur. Atqui & morbus animi mollem medicinam desiderat, ipsumque medentem minimè infestum ægro. Mali medici est, desperare ne curet. Luctetur cum vitiis, resistat: aliis morbum suum exprobret, quâdam molli curatione decipiat, citiùs, meliusque sanaturus remediis fallentibus.* Certè in optimo suo Timotheo id unum quàm maximè desiderabat Paulus, ut zelo esset benigniore. S. Rupertus, *Paulus in Timotheo Episcopo omnes informabat, cujus officii summum & necessarium decus est misericordia, & ille* (Timotheus) *ut fertur, cœli erat ferventioris: idcircò rectè & opportunè viscera misericordiæ illi, ut haberet, præoptat.*

Correctio suavis. Senec. l. 1. de Clem. c. 17. S. Rup. in 1. Timoth.

SIMEON.
Caput CLXXVII.

521. Simeon, accepto in ulnas puello Christo, mori desiderat. Lemma; BONUM CITO MORTE POTIRI. Verbis ex Ausonio desumptis,

Cuncta tibi adversis contraria casibus: ergò
Optima Graiorum sententia, quippe homini ajunt
Non nasci esse BONVM, natum at CITO MORTE POTIRI.

Quisquis enim Christi præsentiam semel degustaverit, is cum Optimo Simeone ex hac vita *dimitti,* & cum Apostolo *dissolvi & esse cum Christo* desiderat. Magni Augustini consilium est, *Qui semper vult vivere, & non timere mortem, teneat vitam, ut mors superetur à vita:* ibi enim, eodem asserente, *Transibit captivitas, veniet felicitas, damnabitur hostis extremus, & cum Rege sine morte triumphabimus.* Et Seneca; *Mors servitutem invito Domino remittit; hæc captivorum catenas laxat, hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetaverat, &c.*

Mors felix. S. Aug. lib. 2 de Symb. c. 8. Idem in Psal. 136. Senec. Consol. ad Marciam. cap. 20.

522. Simeon senex, jam moriturus, suavissimum ac cyneum suum canticum, *Nunc dimittis,* edidit. Unde lemmatis loco illud Martialis pentametron subjunges; CANTATOR CYGNUS FUNERIS IPSE SUI.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator Cygnus funeris ipse sui.

Ita nimirùm mors justorum adeò est beata ac felix, ut in suavissimos cantus erumpere, ipsamque adeò mortem provocare audeant. Gerardus, genere & religione S. Bernardi frater, moriturus, in illud Davidicum erupit; *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis;* unde de illo ait Doctor mellifluus; *Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, & insultantem morti, ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? jam non stimulus, sed jubilus. Jam cantando moritur homo, & moriendo cantat.* S. Franciscus Seraphicus, & Conradus discipulus S. Dominici in hæc verba expirârunt; *Educ de custodia animam meam.* S. Petrus Alcantara hæc novissimè modulatus est; *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus.* S. Edmundus os lateri crucifixi apprimens, hos ultimum effatus est. *Amodo haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris.*

Mors justi. S. Bern. ser. 26. in Cant. Psal. 121. Isa. 12.

SIMON Magus.
Cap. CLXXVIII.

523. Simon Magus, cum dæmonum ope in aëra raperetur, precibus S. Petri prostratus, fractâ coxendice, paulò post infelicem animam exhalavit. Unde pendenti in aëre Simoni illud Claudiani, lemmatis loco, subscribes; UT LAPSU GRAVIORE RUAT. Simon enim, Divinitatem ambiens, ad cœlum extolli voluit; sed, superborum more, in imam terram miserrimè dejectus est. Gloriabundum audi Luciferum; *In cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, &c. ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Sed quid inde? *ad infernum detraheris in profundum laci.* Artabanus Xerxis superbas cogitationes moderaturus, Herodoto referente, dixit; *Gaudet Deus eminentissima quæque deprimere, quia neminem alium, quàm seipsum sinit magnificè de se sentire.* Interrogatus Constantius Imperator, *quo tempore maximè decresceret fortuna?* respondit; *crescente superbiâ.* Ludovicus XI. Galliæ Rex dicere est solitus, *Dedecus & detrimentum comites sunt, ac pedissequæ superbiæ.* Dilucidè Salomon; *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.*

Superbi depressi. Isa. 14. 13. Herod. l. 7. Prov. 16. 18.

524. Cùm vidisset Simon, Spiritum Sanctum passim hominibus per impositionem manuum ab Apostolis conferri; etiam ipse, tanto prodigio captus, Spiritum sanctum pecuniâ emere à Petro voluit. At gravissimo Petri fulmine repressus, maledictum illud responsi loco tulit; *Pecunia tua tecum sit in*

Act. 8. 20.

Simonia. *in perditionem, quoniam donum Dei existimâsti pecuniâ possideri.* Lemma; NON CONSTANT NUMINA NUMMIS. De Simone Mago differens S. P. Augustinus, ait; *Qui quærebat sæcularia, qui in circuitu occulebat pecunias, putavit posse se emere donum Dei. Qui se putavit pecuniâ comparare Spiritum Sanctum, etiam Apostolos avaros arbitratus est, sicut erat ipse impius & superbus.* S. Petrus Damianus refert, simoniacum quemdam, jussum recitare doxologiam SS. Trinitatis, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; nequivisse dicere, *Spiritui Sancto*, sed tantùm, *Gloria Patri & Filio*; etiamsi secundò, tertiòve id conatus fuerit; Nam, ut subjicit Sanctus Damianus; *Meritò Spiritum Sanctum dum emit, amisit; ut qui exclusus erat ab anima, procul etiam consequenter esset à lingua.*

S. Aug in Ps. 30, Conc. 2. *S. Pet. Dam. Epist. 5. c. 7.*

STEPHANUS.

Caput CLXXIX.

Religiosus 525. SAnctus Stephanus, Judæorum furore ac invidiâ exagitatus, oculos ad Deum levavit, viditque apertam cœli portam. Lemma; NUNQUAM NON PERVIA JUSTO. Idipsum usuvenit Religiosis ac contemplativis, qui relictis mundi turbis, nunquam intuentur cœlum, dicuntque cum Psalte, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.* Nam teste S. Petro Damiano, *Qui Spiritû Divinitatis afflatur, conculcatis terrestribus, cœlestibus inhiat & æternis.* Porrò homo charitatis Divinæ studiosus, mentis suæ oculos assiduò in Deo defixos habet. S. P. Augustinus; *Homo vult Deum fortè videre sedentem in cœlo, habeat charitatem, & in eo habitat, sicut in cœlo.*

Psal. 122. 1. *S. Pet. Dam. serm de S. Stephano.* *S. August Psal. 149.*

526. S. Stephanus, saxis undique petitus, epigraphen tenet; HOC IMBRE FERACIOR. Ingens enim virtutum ac æternæ felicitatis incrementum ex illo lapidum impetu retulit Stephanus; Sanctus Gregorius Nyssenus docet Stephanum initiâsse illam à Christo promissam beatitudinem; *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Idcircò, inquit, *magnus ille Stephanus gaudet, lapidibus undique petitus, ac veluti suavem quemdam rorem, crebros lapidum ictus, in modum floccorum nivis incidentium, corpore cupidè excipit, ac benedictionibus nefarios homicidas prosequitur &c. currenti ei per confessionem, quod sperabatur, ostenditur cœlum apertum.* Persecutio.

S. Greg Ny. Tract. de Beatitud.

427. Tanto erga Servatoris sui præsentiam amore flagrabat Stephanus, *ut lapides torrentis*, per quos ex hac vita tolleretur, *illi dulces fuerint.* Unde durissimis saxis impetito subscribes; DULCIA FECIT AMOR. Tanta enim amoris Divini vis est, ut tormenta omnia indulcare, & in suavissimum rorem convertere nôrit. S. P. Augustinus; *Martyres Sancti, quando delectationem Domini cogitabant, tunc illis mala omnia & acerba atque aspera vilescebant.* Et rursùs; *Nunquam Martyres tantas tribulationes carne tolerarent, nisi magnam quietem mente conciperent.* Martyre

S. Aug. ser ex addit à Cartus. *Idem. Psal. 63.*

Act. 7. 59. *Lucan. l. 9.*

528. SAnctus Stephanus, fatali lapidum acervo nixus, *obdormivit in Domino.* Lemma ex Lucano; GAUDET PATIENTIA DURIS. O dulcis post exantlatum laborem somnus! Inter lapides suos obdormivit Stephanus; hoc ei pulvinar substravit patientia! Requiem in *duris* invenit Proto- Patientia.

Protomartyr,& tu eam in mollibus quæris ? Sanctus P. Augustinus ; *Ad lapides currebant* ; (*Judæi*) *duri ad duros* ; *& petris lapidabatur* , *qui pro petra* , *qui Christus est, moriebatur* ; *& à lapideis, qui legem acceperant in lapideis tabulis.* Unde alibi ait ; *ipse est Christianus, qui non aspernatur viam Christi* , *sed vult viam Christi sequi per passiones ipsius. Noli per aliam viam velle ire* , *quam per illam, quâ ipse ivit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via : alia fortasse delitias habet, sed latronibus plena est.*

S. Aug. serm. 9 de Divers. — In Psal. 36

529. Stephanus , horrendâ Saxorum grandine incursatus , epigraphen tenet ; NON EXPUGNABITUR. Nempe propugnaculum erat Stephanus , quod saxis ac missilibus ab obsidente hostium coronâ impugnatum , nunquam aut expugnari, aut à constantia dimoveri potuit : unde tandem etiam ipsos hostes suos superavit , quando Saulum, illorum antesignanum, ad fidei Christianæ signa suis precibus compulit , & è persecutore propugnatorem fecit. S. Fulgentius observatum habet, arma quibus contra Judæos pugnavit, fuisse charitatem, præsertim hostibus suis exhibitam. *Per charitatem Dei,* inquit, *sævientibus Judæis non cessit: per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit: per charitatem arguebat errantes* , *ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus* , *vicit Paulum crudeliter sævientem,* *& quem habebat in terra persecutorem, in cœlo meruit habere consortem.*

Martyr. — Charitas — S. Fulgent. serm. de S. Stephano.

TABITHA.

Cap. CLXXX.

530. TAbitha , *plena operibus bonis & eelemosynis* , *quas faciebat* , è lethali morbo defuncta est : paulò tamen post Sancti Petri precibus iterum ad vitam revocata. Lemma ; VIVIT POST FUNERA VIRTUS. Ita nimirum justus , etsi naturæ legibus concedere , & temporali morte defungi debeat , mox tamen iterum vel in temporalem , vel saltem æternam vitam resurgit. Pulchrè monet Magnus Augustinus ; *Quia eligere non potes hic, ne moriaris* ; *elige* , *cùm vivis, ne in æternum moriaris.* Magni Augustini filius simillimus, eruditissimus meus D. Picinellus de Tabitha canit ;

Act. 9.36. — Mors justi. — S. Aug. ser. 3 de Divers.

Mortuæ subsidio accitur Petrus,
ut, rerum ordine commutato,
Petræ virtus cadavera reparet, quæ tegit. &c.

THOMAS.

Caput CLXXXI.

531. SAnctus Thomas , congregatis omnibus Apostolis , solus abierat ; paulò post in gravissimum incredulitatis vitium lapsus. Unde lemma ex Ecclesiaste desumptum ; VÆ SOLI. Sicuti enim societas efficit vitam longè suaviorem, honestiorem , & contra æmulos ac hostium insidias tutiorem ; ita contra , solitudo ac singularitas in mille præcipitia cogunt ; uti damno suo expertus est Thomas. Aristotelis scitum est; *Singuli* , *licet minus boni sint* , *iidem tamen in unum collecti, meliores sunt* , *quàm singuli eorum optimi, ut fit in cœna, quæ ex symbola multorum lautior est, quàm ab uno instructa.* Thomas Cantipratanus, magnæ doctrinæ & experientiæ vir , Religiosos adhortans, ut nunquam sint sine socio , instar apum, quæ unà vivunt, laborant , egrediuntur ; tandem subjungit ; *Quam vera sit hæc sententia, væ soli; ego novi, qui triginta annis vices Episcopi diversis diœcesibus habui* ; *qui in hoc articulo, quo Religiosi vel soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala* , *horrenda scandala, horrendaque pericula frequenter audivi, quæ nunquam sustinuissent adjuncto socio* , *vel fecissent.* Coronidem jungit idem Aristoteles; *Solitarius* , *& nullius indigens, aut Deus est, aut bestia.*

Eccl. 4.10. — Societas. — Arist. l. 3. Polit. c. 7. — Cantipr. l. 2. Apum c. 18. — Arist. l. c. l. 3 c. 7.

532. Thomas Apostolus incredulitate tenebatur adeò obstinatâ, ut Christo, è mortuis redivivo , se nunquam assensurum diceret; nisi videret *in manibus ejus fixuram clavorum.* Lemma ; FIDEM OBNUBILO VISU. Fidem enim amittimus; quando plus terrenis oculis , quam testimoniis ac revelationibus Divinis credere volumus. De Sancto Thoma ait Magnus Augustinus; *Manus quærebat & latus* , *& dum curiosius existit in vulnere, mortem incurrit in fide* ; *voluit Dominus ut videret, ne incredulitate animam perderet,* Et rursus ; *Sic crede* , *ut desideres videre, quod credis. Si nunc videres, non crederes : ideò credis* , *quia non vides.* Tandem concludit; *Crede* , *quod nundum potes videre* , *ut mercaris videre quod credis.*

Io 20.25. — Fides. — S. Aug ser. 159 de Temp. — Idem l. 4. de Symb. c. 2. — Idem ser. 110 de Divers. c. 11.

533. Sanctus Thomas , manibus intra Christi vulnera reconditis , epigraphen tenet , è Virgilio desumptam; DULCES LATEBROSO IN PUMICE NIDI. Eò nimirum se receperat sapientissimus Apostolus, quò invitat cœlestis Sponsus; *Veni columba mea, in foraminibus petræ* , seu , ut Doctor Angelicus interpretatur , *in vulneribus Christi.* De vulneribus Christi , ceu suavissimo hominum asylo, ait Sanctus Bernardus ; *Ubi tuta firmaque infirmis securitas & requies* , *nisi in vulneribus Salvatoris? tanto illic securior habito, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus* , *premit Bacchus, diabolus insidiatur, non cado; fundatus enim sum supra firmam petram.*

Virgil l. 5. Æneid. — Cant. 2. — D. Tho Aqu. Opuscul 60. — S. Bern serm 61. in Cant.

ZACHÆUS.

Caput CLXXXII.

534. ZAchæus , prætereuntem Christum visurus , sycomorum arborem ex etymo suo fatuam, ascendit. Lemma ; SAPIT , DUM DESIPIT. Nempe , ut sapias Deo , illa, quæ stulta sunt, amplectaris , necesse est ; quia *sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum* ; & vicissim stultitia hujus mundi sapientia est apud Deum, S. Gregorius ; *Relinquamus noxiam sapientiam, ut discamus laudabilem fatuitatem &c. Pusillus Zachæus sycomorum subiit, & Dominum vidit : quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt* , *ipsi Dei sapientiam subtiliter contemplantur. Prudenter sycomorum ascendimus, si providè eam, quæ divinitus percipitur, stultitiam mente tenemus.*

Sapientia mundi — 1 Cor. 3.19. — S. Greg. lib. 27. Moral.

535. Vix edixerat Zachæus ; *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus* ; *& si quid aliquem*

Luc. 19.8.

aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Mox à Christo id responsi tulit; *Hodie salus huic domui facta est.* Lemma; ABJECTO PONDERE SALVUS. Tantò enim eris felicior, & ad Deum sequendum liberior, quantò magis rerum terrenarum molem à te excusseris. Beda; *Camelus, depositâ sarcinâ per foramen acûs transit, id est, relicto divitiarum amore, benedictionem Dominicæ susceptionis accipit. Hæc est enim sapiens illa stultitia, quam de sycomoro publicanus, quasi fructum vitæ legerat, rapta reddere, propria relinquere, visibilia contemnere.* Christi præceptio est; *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Et Seneca; *Nullum alium Deo dignum esse, ait, quàm qui opes contemnat.* Virgilius;

Divitiæ. Beda Hom. de Zach. Matth. 19. 21. Senec. in Epist. 5. Virg. 8. Æneid. v. 364.

Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.

Et Menander;

Pauperes semper existimantur Deorum esse.

530. Zachæus, Christi videndi desiderio accensus, arborem conscendit; cum lemmate. DEO UT FRUATUR. Verbis è suavissimo Poëta desumptis;

Stellata cœli templa, Divorum domus,
Quoties revulsam trahitis aspectu, suam
A corpore animam! seque furatur sibi,
Deo ut fruatur.

Religiosorum hæc idea est, qui è mundo in sublimem sanctæ contemplationis arborem evecti, nihil aliud mente volvunt, nisi ut Christum videant, Deoque fruantur. Magno Augustino teste; *Anima quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nihil desiderare, sed frequenter suspirat, dicens: sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et rursus; *Hoc est plenum gaudium, quo amplius non est, frui scilicet Trinitate Deo, ad cujus imaginem facti sumus.*

Religios[i]. S. Aug. in Manual. 20. Idem l. 1. Trinit. c.

ZACHARIAS.

Cap. CLXXXIII.

537. ZAcharias, multo jam tempore elinguis vocem recepit, quando Joannem Baptistam, *vocem clamantis in deserto*, genuit. Lemma; VOCEM MIHI VOCE REDEMI. In rem præsentem ait Sanctus Gregorius Nazianzenus; *Editus Joannes Zachariæ solvit silentium: absurdum enim erat, voce verbi progressâ, patrem manere elinguem.* Et Sanctus Ambrosius; *Quia Ioannes vox erat, juxta illud, Ego vox clamantis in deserto, idcircò in ejus nativitate pater mutus vocem recuperavit.*

Io. 1. 23. S. Jo. B. S. Greg. N. in hunc l. S. Ambro. Luc. c. 3.

MEMBRA HUMANA.

CAPUT.

Cap. CLXXXIV.

538. SIquidem è vultus lineamentis, ceu totidem indicibus, arcanos hominis affectus plurimum conjicere licet, Ferrus epigraphen subjecit. RARO FALLIT. Quod quidem etiam de animo sincero pronunties. Unde nonnemo eruditè cecinit.

Physiognomia. Sinceritas.

Eccl. 8. 1.

Nempe micat roseo sapientis fronte coruscus.
Fulgor.

Accommodatè Salomon. *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Hujus vestigia insequutus Claudianus, canit.

Claudianus.

Frons expirantis præportat pectoris ignes.

Et Seneca in Hercule Oeteo.

Senec. Actu 2.

--- ---Licet ipsa neges,
Vultus loquitur, quodcunque tegis.

Denique Sanctus Bernardus. *Facies hominis*, inquit, *speculum est cordis.*

S. Bernard. de modo benè vivendi ad sororem. c. 65.

539. Joannes Ferrus ingenui candoris ideam expressurus, faciem depinxit, hoc lemmate insignem. ANIMI INTERNA RECLUDIT. In hanc rem eleganter Ovidius.

Physiognomia. Ovid. 1. Met.

Heu quam difficile est, crimen non prodere vultu!

Cicero, *Vultus*, inquit, *ac frons, animi est janua, quæ significat voluntatem abditam ac reclusam.* Latinus Pacatus. *Intimos mentis affectus proditor vultus, enuntiat, ut in speculo frontium imago extet animorum.* Sanctus Ambrosius. *Vultus quidam cogitationis arbiter, & tacitus cordis interpres: facies index plerumque est conscientiæ, & tacitus sermo mentis.* Denique Cassiodorus. *Respicite juvenem per formæ gratiam, mentis pulchritudine plus placentem. Refert faciei sanguinis decus: proditur animi natura per vultum &c.*

Sinceri[tas]. Tullius [in] Petit. Co[ns]ulat. Pacat. P[aneg]. de Theod. S. Ambr. de Elia c. 1. Cassiod. l. Var. Ep.

540. Antonius Trivultius, Magni Joannis Jacobi Proavus, intra sua labara tres vultus, avitum nempè celsissimæ illius familiæ insigne, depictos habuit; cum lemmate. MENS UNICA. Talis omninò animorum concordia inter eos, quos vel vitæ societas, vel sanguis conjunxit, reperiatur necesse est. Eapropter Sanctus P. Augustinus hâc affectuum harmoniâ, ceu vitæ religiosæ basi, Canonicos ac Clerios instituturus, Regulam suam in hæc verba exorditur. *In unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima una, & cor unum in Deo.* Omnium tamen optimè hæc imago SS. Trinitatem spectat, cujus una solùm est essentia, una voluntas, una

Concordia. S. Aug. Reg. SS. Tri[n].

una sapientia &c. Diviné prorsus Magnus Augustinus. *Pater igitur, & Filius, & Spiritus Sanctus simul una essentia, & una magnitudo, & una veritas, & una sapientia.* Et Sanctus Damasus. *Si quis non dixerit Patris & Filii & Spiritus Sancti unam Deitatem, potestatem, Divinitatem, virtutem, unam gloriam, Dominationem, imperium, unam voluntatem, & veritatem, anathema sit.*

Prudentia futuri & præteriti. 541. Jacobus IV. Rex Scotiæ, Symboli loco caput bifrons, in columna positum, habuit; cum lemmate. UTRUMQUE, subintellige, *respiciam*, scilicet tam tempus futurum, quàm præteritum. Regis enim Providentia, nisi ad utrumque illud se extendat, & sibi & regno proximam afferet perniciem. Pythagoræ monitum est, *Duorum temporum maximè habenda est cura: manè & vespere; in altero gerenda prospice, in altero respice quæ gessisti.* Et Seneca. *Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare; nam qui nil de præteritis cogitat, vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.* (Pythag. in præceptis. Senec. l. de 4. virtutibus.)

OCULUS.

Cap. CLXXXV.

542. EX Opticæ sententia, oculus, in medio rariore collocatus, res visas longè majores, quàm revera sint, censet; contra verò in medio densiore positus, illas seipsis minores judicat. Unde fit, ut oculo, in aëre existente, res, intra aquam collocata, major appareat; minor verò, si res, in aëre posita, oculo intra aquam existenti objiciatur. Emblemati epigraphen subjunges. E RARIORE MAJOR. Ita pauper in humili & arido egestatis loco existens, dum videt aliquem mundanis opibus affluere, mox illum judicat esse magnum. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*: econtra qui divitiis transitoriis hæret immersus, videns pauperem in egestate constitutum, modicum illum vilemque judicat. Sed in utroque judicio liberalissimè fallitur visus. Bene Seneca. *Nemo ex istis, quos purpuratos vides, felix est, non magis, quàm ex illis, quibus sceptrum & chlamydem in scena fabulæ assignant, cum præsente populo elati incesserunt & cothurnati, simul exierunt, excalceantur, & ad statuam suam redeunt. Nemo istorum, quos divitiæ honoresque in altiore fastigio ponunt, magnus est; quare ergo magnus videtur? cum basi illum suâ metiris. Non est magnus pumilio, in monte licet constiterit: colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo.* Licet veri pauperes magni sint coram Domino, in oculis tamen divitum minimi reputantur; ut pauperes jure dicere possint illud, quod exploratores missi à Mose, *Filios Enachim vidimus ibi, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Aliter judicat Divus Bernardus, ad Eugenium Summum Pontificem ita scribens. *Nunquid quia Summus Pontifex, ideò Summus?* (Dives. Pauper falsò judicatur minor, & dives felix. Psal 143. Senec. Ep. 75. Num. 13. Bern. l. 2. Consid. c. 7.)

543. E Perspectivæ doctrinâ, oculus à supposito digito extra situm suum debitum dimotus, rem unicam ac indivisibilem instar duarum apprehendit. Unde Lemma. FALLITUR, DUM MOVETUR. Ita omnino oculus mentis à munerum acceptione circumvenitur, & in errores gravissimos impellitur. Hi sunt digiti, de quibus Isaias, *Digiti vestri pleni sunt iniquitate*, Ideò non est mirum, si faciant rationis oculum ab æquo judicio deflectere. Graviter prudenterque monet Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi. *Cùm æterni tribunal judicis illum reum non habeat, quem injustè judex condemnat; testante Prophetâ.* Nec damnabit eum, cùm judicabitur illi. *Caveant Ecclesiastici Judices, & prudenter attendant, ut in causarum processibus nil vendicet odium, vel favor usurpet, timor exulet; præmium aut exspectatio præmii justitiam non evertat; sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententiis & ferendis præ oculis habeant solum Deum.* Salsè & verè cecinit vetus Poëta. (Isa. 59. Cap. cum æterni de sent. & re judic. in 6. Psal. 36. 33.)

Audito nummo, quasi viso Principe summo,
Dissiliunt valvæ, nil auditur nisi Salve.

544. Ne pedes offensam incurrant aut cespitent, oculum, viarum exploratorem, præmittant, necesse est. Unde Lemma. TE PRÆEUNTE SALUS. Hinc disce, nihil unquam sine prævio consilio ac prudentiâ, ceu gemino mentis humanæ oculo, aggrediendum esse. Sapienter Salustius. *Priusquam aliquid facias, consulto: at, ubi consulueris, maturè facto opus est.* Unde Salomon. *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Palpebræ quippe*, Interprete Rabano, *præcedunt gressus, cum operationem nostram consilia recta præveniunt. Qui enim negligit considerando prævidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, sed prævidendo sibimetipsi non attendit; atque idcircò citius corruit, quia, quo pedem operis ponere debeat, per palpebras consilii non attendit.* (Consilium. Salustius. Prov. 4. Raban. in hunc loc.)

545. Magna censetur in oculo macula, quæ in reliquis membris modica reputatur. Sic spina, oculo vel levissimè infixa, plus nocumenti affert, quasi manui vel pedi altum inhæreat. Unde Lemma. AUGET PRÆSTANTIA LABEM. Hinc disces, culpam è personæ gradu aut dignitate plurimum incrementi accipere, Appositè Juvenalis. (Superiorum peccata. Iuven. Sat. 7)

Omne animi vitium tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.

S. Gregorius. *Nullum puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus, tolerat Deus; quando eos, quos aliorum correctioni præposuit, dare exempla pravitatis cernit.* Graviter S. Bernardus. *Quæ in ore sæcularium sunt nugæ, in ore Religiosorum sunt blasphemiæ.* (S. Greg. Hom 17 in Luc. 16)

546. Oculus, pulvere quantumvis exiguo respersus, ad maculas, in alienis membris considerandas; penitus ineptus est. Unde Lemma. E PURO JUDICIUM. Ita prorsus absonum est, illos alienorum scelerum existere censores, qui fœda vitiorum sorde ipsimet squalent. Sapienter monet Magnus Augustinus. *Judicet ille de alterius errore, qui non habet in se quod condemnet. Judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit punienda; ne, cùm de alio judicat, in seipsum sententiam ferat.* Qui benè dicit & facit, omni exceptione major est. *Oportet igitur*, Tertulliano teste, *constantiam commonendi, propriæ conservationis authoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. Nisi tu*, inquit Sanctus Ambrosius, *prius inferiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, non potes aliis ferre medicinam.* (Corrector sit innocuus. S. Aug. super illud Beati immaculati. Tertull. l. de Patient. c. 1. S. Ambr. l. 5. in c. 6. Luc.)

A te igitur pacem incipe, ut cùm fueris pacificus ipse, pacem aliis feras.

547. Philosophiæ scitum est, *sensibile, positum supra sensum, non potest facere sensationem.* Unde res videnda immediatè supra oculum posita, ita illum obruit, ut videri penitùs nequeat, omnemque visionis eliciendæ facultatem præcludat. Unde lemma oculo inditum. DISTANTIA CERNIT. Ita omninò, si mundi vanitatem ac gaudium cœli penitùs perspicere desideres, necessarium erit, ut mundum, ejusque voluptates nonnihil relinquas; aliàs enim terrenis rebus immersus, adeò miserè obruêris, ut, non sine alterna tua pernicie, nec mundi fallaciam inanitatemque, nec æternam beatitudinem unquam considerare possis. S. Gregorius. *Qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admiserit, perfectè cognoverit, ea, quæ in terris amaverat, cuncta derelinquit, in comparatione illius vilescunt omnia, deserit habita, congregata disperdit, inardescit in cœlestibus animus, nil de terrenis libet, deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei palcebat specie, quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente.*

Religiosus.

S. Greg. in Homil.

C O R.

Cap. CLXXXVI.

548. SAlamandram ajunt, in igne nunquam comburi. Unde cor humanum, salamandrâ circumdatum, hoc lemmate distinxi. NON COMBURETUR. Ad Germanici cor hæc imago alludit, quod rogo injectum, à voracis incendii flammâ penitùs immune perstitit; veneno, quo infectum erat, flammarum vires reprimente; uti Suetonius refert. Ita omninò humanum pectus, delictorum toxico illitum, Divini Spiritus ardori concipiendo penitus ineptum est. *Non enim potest,* Origene teste, *Spiritus Sanctus consortium pati, & societatem spiritus mali.* Id, quod è rubo satis liquet, qui flammis circumdatus, non arsit; *Nam,* Magno Augustino efferente, *ideo rubus non cremabatur, quia flammæ spiritûs à spinis peccatorum resistebatur.*

Suton in Caligula.

Peccatum resistit Spiritui S.

Orig. Homil. 6. in Num.

S Aug. To. 6. Tract. super illud, Ego sum, qui sum.

549. Carolus Fridericus, Cliviæ Dux, ut orbi palam faceret, quantùm roboris mutua populi concordia habeat, multa humana corda intra unicum clypeum depingi curavit; adjecto Poëtæ lemmate. HIC MURUS AHENEUS ESTO. Rupertus Abbas, *Nos,* inquit, *cùm contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summoperè necesse est, ut per charitatem semper uniti, atque constricti & nunquam interrupti per discordiam inveniamur: quia quamvis qualibet bona in nobis fuerint, si charitas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad ferendū nec valeat hostis intrare.*

Concordia.

S Rupert Abb. in Cant. 6. 9.

550. Eidem Emblemati subscripsit Idem Dux, BENEVOLENTIA OPTIMÆ EXCUBIÆ. Princeps enim, si subditorum pectora in sui amorem propensa habuerit, inter quæcunque discrimina securus incedit. Claudianus.

> *Non sic excubiæ, non circumstantia pila,*
> *Ut tutatur amor.*

Amor subditorū erga Regem.

Eam ob rem Salonius Valerianus Imperator Symboli loco hæc verba sibi præfigi voluit, *Magnum satellitium amor.* Periander, referente Diogene Laërtio dicere solebat. *His qui tutò regnare vellent, summâ ope nitendum, ut benevolentiâ, non armis stipentur.* Et Salvianus. *Charitate & benevolentiâ septum oportet esse, non armis.*

Salvian. l. 5.

551. Procopius author est, Primitivæ Ecclesiæ Christianos in palmis aut brachiis sibi characterem T inuri fecisse; eo fine, ut eam S. Crucis notam, qui legisset, simul etiam legeret promptos ad crucem subeundam animos, ad ferrum, ad ignes, ad rotas, ad mille mortes expeditos. Quare meus Concanonicus D. Alexander Luzon de Millares, litteram illam humano corde nixam, figuravit; addito lemmate è S. Scripturâ desumpto. CUJUS EST HÆC IMAGO, ET SUPERSCRIPTIO. Vel rectius. HOC SIGNO DISCERNOR. Præbens de se viri sancti signa quædam & indicia, quibus ab improbis manifestè discernuntur; signum verò illud nullum est aliud, nisi Crux Christi, quæ Petro Damiano teste, *est sigillum timentium Dominum, signaculum redemptionis nostræ.* Justis enim nulla unquam cum mundo pax est, quippe quibus mundus crucifixus est, & ipsi mundo. Disertè S. P. Augustinus. *Signum Crucis, quod in fronte gestamus, signum est, quod salvi sumus. Signum irrisum, ut honoraretur, contemptum, ut glorificaretur.* Econtra etiam impiis suum est signum; character nimirum bestiæ & nota Anti-Christi, quem hic in fine mundi iisdem imprimet, Joanne Apocalyptico teste, *Faciet omnes pusillos & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos, habere characterem in dextra manu sua aut in frontibus.* Censent autem Primasius Ansbertus (qui id à Deo revelatum asserit) Cornelius à Lapide, aliique characterem illum Anti-Christi fore græcam litteram P. quod ῥόδον id est, rosam seu voluptatem significat. Pacem enim cum mundo habent reprobi, dum rebus temporalibus lætantur, honoribus extolluntur, & carnis voluptatibus diffluunt. Unde Salomone teste, assidua illorum gnoma est, *Coronemus nos rosis antequam marcescant.* Crux igitur est character electorum, voluptas verò impiorum & reproborum. *Ergò dum hic sumus,* S. Ambrosii cohortatio est, *servemus imaginē, ut ibi perveniamus ad veritatem. Sit in nobis imago justitiæ, sit imago sapientiæ; quia veniemus ad illum diem, & secundum imaginem æstimabimur. Non veniat in te adversarius imaginem suam, non rabiem, non furorem, in his enim imago nequitiæ est.*

Procop. in cap. 44. Isa.

Matt. 22.

Crux est signum piorum.

S. Pet. Dam serm. 48.

S. Aug. To. T. serm. 8. e: addit. à Sirm.

Voluptas est signum reproborum.

Apoc. 13. 16

Sap. 2. 8.

S. Ambros. 1. offic. c. 45

552. Ex Aristotelis sententia, *Anima est in corde, sicut aranea in sua tela.* Anima enim in corde, veluti in arce habitat, indeque spirituum vitalium adminiculo, singulis membris suam vitam dispensat. Unde Lemma cordi inditum. DIGNA SEDES ANIMÆ. Cornelius à Lapide author est, cordis nomine in S. Scriptura rationem & voluntatem significari; ut adeò Emblemate isto innuatur, nullum unquam verbum aut operationem animæ nostræ debere excidere, quod non è ratione, seu actionum humanarum corde, profluat. Siracidis doctrina est, *Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium, staterâ ponderabuntur.* Optimè Beatus Petrus Damianus. *Qui dicaciam eloquentiam putat, rerum similitudine ductus, aberrat. Plane sicut equus effrænis per anfractus & invia, plana vel ardua quæque transmittit, sic lingua stultorum recta vel frivola, ut qualibet suppetunt, indifferenter ac leviter effluit. Prudens enim, quæ dicenda sunt, ponderat, & tanquam cautus viator solerter attendit, ubi linguæ suæ vestigium figat. Ille, quidquid occultum est, per impatientiam fandi producit in medium; iste, si dictet utilitas, sub clavo silentii servat arcanum. Unde & idem Sapiens, in ore fatuorum cor eorum, & in corde Sapientūm os eorum.*

Arist. l. de sensu & sen sib.

Verba sunt ponderanda.

Ecclesiast. 24. 28.

S. Pet. Dam Epist. 10. ad Petrum Cerb.

553. Cor-

553. Cordi inscribes. SE IPSO MAJUS. *Cor parvum est*, inquit Hugo, *sed magna cupit; vix ad unius milvi refectionem sufficere potest, & totus mundus ei non sufficit.* Alexander Macedo post totum penè orbem devictum ingemuisse fertur, quod plures mundi vincendi non superessent. Sanctiore cordis desiderio flagrabat Magnus Augustinus, qui nullo rerum terrenarum cumulo, nisi immenso Deo exsatiari poterat. Unde assidua illius suspiria. *Fecisti nos ad te, & inquietũ est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et rursus. *Quis mihi dabit, ut venias ad cor meum, & inebries illud, ut obliviscar mala mea, & unum bonum meum amplectar te?*

Desideria hominis insatiabilia.

S. Aug. l. 1. Confess. c. 8. Idem ibid. cap. 5.

554. CORda humana, ingenti molari saxo pressa, Symboli loco epigraphen sustinent. CONTRITA PLACEBUNT. Consentaneè ad illud Psaltis Regii, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Probè id edoctus Magnus Augustinus, in has ardentissimas ad Deum voces erupit. *Fac me in tuo conspectu cor contritum & humiliatum semper habere, cum lachrymarum abundantia.* Emblemati Reverendissimus Perillustris & Amplissimus Dominus, D. Dionysius, Sacri Romani Imperii Prælatus ad Beatam Virginem in Wettenhausen hoc distichon subjecit:

Contritio

Psal. 50. 19.

S. Aug. Medit. cap. 35.

Pone gemens lachrymas, humilis contunde tuum cor,
Non tibi contritum Numina despicient.

555. Cor, cœlesti rore perfusum, Emblematis loco inscriptionem, è Psalte Regio mutuam sustinet. SUPER NIVEM DEALBABOR. Hæc nimirùm gratiæ Divinæ, ceu roris cœlestis, est efficacia, ut cor, intra vitiorum sordes defædatum, abluat, suoque congenito nitori restituat. Unde ejusdem Davidis ad Deum vota sunt, *Cor mundum crea in me Deus.* In hunc locum S. P. Augustinus. *Tunc*, inquit, *efficimur verè liberi, cùm Deus nos fingit, id est, format & creat, non ut homines, quod jam fecit; sed ut boni homines simus, quod nunc gratiâ suâ facit, ut simus in Christo Jesu nova creatura, secundùm quod dictum est.* Cor mundum crea in me Deus. *Neque enim cor Prophetæ, quantùm pertinet ad naturam cordis humani, non jam creaverat Deus; sed renovationem animæ demorantis in corde ipse postulat.* Et rursus. *Si despicitis mundum, habebitis cor mundum.* In rem præsentem canit ille, uti scientiarum omnium, ita & Poëtices peritissimus olor, Reverendissimus & Perillustris Dominus, D. Dionysius, Liber Baro à Rehlingen & Sacri R.I. Abbas in Wettenhausen, Ejusdemque Collegii Imperialis Fundator.

Psal. 50. 12. Gratia Dei purgat.

Psal. 50. 12. S. Aug. in Enchrid. c. 31.

Idem serm. 8 de Diversis. cap. 2.

Ite malæ Veneres! abite! valete! valete!
In me cor mundum tu Deus alme crea.

556. Cor, è terris in aëra subsiliens, epigraphen tenet. EXULTO AD DEUM VIVUM. Congruè nimirùm ad illa Psaltis Regii verba, *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Nam, *Exultatio*, asserente Alberto Magno, *est quædam exaltatio in jubilo, cùm cordis gaudium saltat in corporis jucunditatem.* Et Euthymius, *Exultatio*, inquit, *major quædam est lætitiæ intensio, quæ præ nimio gaudio subsistere valdè, atque elevari cor facit.* Opportunissimum est, quod de Divi Augustini corde referunt viri gravissimi, Joannes Ferrandus, Ludovicus de Angelis, Jordanus de Saxonia, Hieronymus Romanus, Cornelius Lancellotus & alii: nimirùm, Cor illud crystallo inclusum, & in ara publicæ

Gaudium in Deo.

Psal. 83. 8. Albert. Mag. super Magnificat. Enthym. in Psal. 9.

Cor. S. Augustini.

blicæ venerationi expositum, quoties Beatissima Trinitas coram eo nominaretur, aut ejus de Trinitate liber explicaretur, tripudiantis more subsilire. Unde inter cætera poëmata, quæ suprà laudatus Abbas ad D. Augustini honorem sub illa Psaltis Regii inscriptione publico loco affixit, etiam istud videre erat:

Cor, caro, cuncta licet plausu rapiuntur ad omnes,
Jubila, sed sine te nubila semper erunt.

Legis observatio. 557. Cor, intra suam medullam libro instructum, epigraphen tenet: UT SERVER, LEGEM SERVO. Certa enim salus illos manet, qui Divinas Leges sincerò excipiunt servantque pectore. Unde Judæorum olim ad fratres suos Ægyptios erat parænesis. *Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis.* (2. Mach. 1. 4) Id, quod de Sancta Magni Legislatoris Augustini Regula cumprimis intellexeris; nihil enim de æterna salute dubitet, qui illam studiosè intra cor suum custodierit. (Regula S. Augustini.) Testem habeto lucupletissimum ipsummet S. P. N. Augustinum, qui B. Norberto insigni formâ è cœlo conspicuus, manu alterâ sacram suam Regulam sustinuit, hisque illum vocibus, solatio plenissimis, est affatus. *Augustinus ego sum, Hipponensis Episcopus; Ecce habes Regulam, quam ego conscripsi, sub qua, si bene militaverint confratres tui, filii mei, adstabunt securi in extremi judicii terrore;* (Sur. Tom. 3 die 6. Iunii.) uti his ipsis verbis refert Surius. Supradictus Abbas Wettenhusanus cæteris encomiis, quibus Sanctissimo Magni Legislatoris nostri cordi inter reliquam solemnem illius festivitatem litavit, etiam istud distichon, veluti observantis animi sui tesseram, addidit, locoque publico affixit.

Væ, quicunque tuas fuit ausus frangere leges,
Magne Pater; da cor vivere lege tuâ.

Cor Deo est offerendum. 558. Cor suprà aram, sacrificii loco collacatum, epigraphen tenet. TOTUM PRÆBETUR IN UNO. Unde suavissimæ invitantis Dei voces. *Fili, præbe mihi cor tuum,* (Prov. 23. 26.) Cor enim, interprete Cornelio à Lapide, (Corn. à Lap. in hunc loc.) *est potissimum in homine, & virtute totus homo.* Ut adeò totum se Deo consecret, quisquis cor suum ex integro offert. S. Rupertus prolixè explicans, cur Abelis præ Caini sacrificio placuerit, (S. Rup Abb. in Genes. 4.) *Uterque,* ait, *obtulit, sed non rectè uterque divisit. Nam Cain, cùm offerret sua Deo, seipsum sibi retinuerat, repositum habens cor in cupiditate terrena. Hujusmodi portionem Deus non accipit, sed præbe, inquit, fili cor tuum mihi. At Cain cor suum retinuit sibi, & fructus terræ obtulit Deo. Abel autem primò cor suum, deinde rem suam offerendo, plurimam hostiam obtulit.* Disertè, ut solet, Magnus Augustinus. (S. Aug tract de 4. virtutibus charitatis.) *Quid à te* (Deus) *expetit? quod Abrahami illi dictum est, da mihi unicum dilectum filium tuum: tibi dicit Sapientia. Da mihi fili cor tuum, ipse est dilectus unicus. Quid metuis offerre cor tuum? offer sacrificium, contritionem cordis Domino Deo tuo, & dic ei cum Propheta, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum non spernit Deus. Nihil metuas tali sacrificio oblato, & tibi acceptum erit, &, quod obtuleris, integrum permanebit,* Unde præfixo illi Salomonis lemmati, hoc distichon subjicere convenit.

Dent alii, quæcunq; volent; dent omnia Mundi;
Fer, Deus, hoc, quod amas! cor tibi dono meum.

559. Cor, cœlesti flammâ succensum, epigraphen tenet. AMOR HOS ACCENDIT AMORES. Assidua Vatis Regii ad Deum vota erant, *Ure renes meos & cor meum.* (Psal. 25. 2.) & Magni Augustini. *Succende mentem meam igne illo tuo, quem misisti in terram, & voluisti vehementer accendi, ut sacrificium cordis contriti quotidie offeram tibi.* (S. Aug. in Medit. c. 3.) Ex his nimirùm suspiriis immensa illa amoris incendia suam traxêre originem; fieri enim non potest, ut amore in Deum accensus, reciprocos non experiare amores. (Amor Dei.) Opportunè & prolixè in rem præsentem Doctorum Phœbus, S. P. Augustinus. *Non solùm orationibus,* inquit, *sed etiam bonis operibus placandus est Deus, ut in altari cordis nostri ignem suum semper accendat.* (S. Aug. ser 255. de Temp.) *At duo sunt ignes, cupiditatis scilicet & charitatis; & unus de parte Dei, alter de parte diaboli; unus devorans omnia mala, alter universa bona consumens. Consideret unusquisque conscientiam suam, & si in se videt ignem cupiditatis ardere, cum Dei adjutorio festinet extinguere; quia nihil in illo boni remanere poterit, quem ignis cupiditatis accenderit: sicuti è contrario nihil in eo mali remanebit, in quo ignis arserit charitatis. Flamma enim cupiditatis in corde peccatoris, velut in altari, devorans omnia bona, diabolo odorem suavitatis exhalat; in anima verò sancta, velut in Sacrosancto altari, flamma charitatis, quæcunque supervenerint, mala consumens, Deo odorem suavitatis exhibet, &c.*

560. Duo corda, in unum colligata, epigraphen legendam offerunt UNUM IN DEO. Consentaneè nimirùm ad illa Actuum Apostolicorum verba; *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una;* (Act. 32. 4.) quibus conformis S. P. Augustinus, filiis suis disertè præcipit: *Sit vobis anima una & cor unum in Deo;* (S. Aug. in Reg. cap. 1.) probè gnarus, in hac animarum unione totam perfectionis Christianæ molem consistui. (Concordia.) Certè Tertullianus testatur, totam legem Evangelicam consistere in charitate invicem exhibenda, (Tertull. Apolog 39.) ita ut de primævis Christianis assidua & communis gentilium esset vox, *Vide ut se diligant, ut alter pro altero mori sint parati.* S. Augustinus explicans illud Psalmi, (S. Aug. in Psal. 132.) *Ecce quam bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum,* docet id primitùs impletum esse in hisce primis fidelibus, quibus erat cor unum & anima una; ac deinceps in Monachis, qui inde sortiti sunt nomen, scilicet à μόνος, id est unus solus. (Religiosorum unio.) *Nam qui sic vivunt,* inquit, *in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis verè, quod scriptum est, anima una, & unum cor; multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda; rectè dicitur μόνος id est unus, solus.* Quare signum florentis disciplinæ, & virtutis vitæque religiosæ in cænobio vel Collegio, evidens est, si in eo magna vigeat animarum unio & charitas. (S. Basil Const. Monast cap. 19.) Antiquam illam Religiosorum unionem admirans S. Basilius, ait; *Homines ex diversis nationibus & regionibus profectos, per exactam morum & disciplinæ similitudinem adeò velut in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantùm animus inesse videatur, vicissimque plura corpora unius animi instrumenta.* Præclarè in rem præsentem suprà memoratus Abbas Wettenhusanus.

Si modò cor unum fuerit, si spiritus unus,
Tunc Deus in nobis Trinus & Unus erit.

(Conformitas cum voluntate Dei.)

561. Cor, in navigio sine remis inter dubii maris undas supra tumentia vela spectandum epigraphen tenet. QUO VERTERIT AURA, PARATUM. (Psal. 56. 8. S. Aug. lib. 1 Conf. c. 9. Tho. Kemp. l. 3. de Imit cap. 17.) Auræ nomine Divinam voluntatem intellexerim, ad quam homo integerrimè conformatus, assiduò cum Psalte Regio ingeminet. (Obedientia.) *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Opportunissima in rem præsentem Magni Augustini gnoma erat, *Eò feror, quocunque feror.* A Parente sanctissimo nihil alienus, filius religiosissimus, *Si me vis esse in tenebris,* inquit, *sis benedictus, & si me vis esse in*

luce,

luce, sis iterum benedictus, si me dignaris consolari, sis benedictus; & si me vis tribulari, sis æquè semper benedictus. Eodem Emblemate Religiosum ad Superiorum suorum jussa obsequentem, significabis. Insigne de S. Ignatio Loyola, laudatissimæ Societatis fundatore, exemplum refert author vitæ illius in hæc omninò verba. *Cùm jam Præpositus esset Generalis, aliquoties dixit, si summus Pontifex imperaret, ut ostio Tyberino scapham vel navigium, quodcunque primùm invenisset, clavo, malo, velis, remis, cæterisque armamentis spoliatum conscenderet, & ita absque ullo commeatu trajiceret, se id non solùm æquo, sed etiam libenti animo facturum. Cùm autem quidam summus vir, hunc illius animum admirans, Ignatio diceret, quæ isthæc esset prudentia? respondit Ignatius, Prudentia, Domine, non tam est parentis, quàm imperantis.* Emblemati sequens distichon, ceu sancti affectûs sui epitomen integerrimam, subjunxit ante laudatus Abbas:

Per vitam & mortem per tristia, læta, paratum,
Atque paratum iterum cor, Deus ecce! meum.

562. Cor in thuribulo fumans, epigraphen tenet. SUAVIA THURA DEO. Hinc disces, nullum Divinis naribus suffitum fumare amœniorem, quàm ferventes justorum preces. Mirificè in rem præsentem facit, quod in Apocalypsi sua symbolicè proponit, explicatque S. Joannes. Vidit enim Angelum offerre *phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Et bene quidem oratio comparatur odoramentis; primò, quia oratio instar thuris sursum ascendit. Hinc ait Psaltes Regius. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Secundò, quia oratio, vel uti thus odoratum, Divinas nares oblectat, unde de sacrificio & orationibus Noë dicitur, *Odoratusq; est Dominus odorem suavitatis, & ait, nequaquam ultrà maledicam terræ.* Tertiò, ut thus fœtorem, ità oratio peccatum abigit, Deique iram mitigat. Quartò thymiama in igne adolebatur & cremebatur, ita oratio in igne tribulationum exardescit. Quintò, fiebat thymiama ex aromatibus contusis, sic oratio ex animo mortificato & humili procedere debet. Hinc S. Gregorius explicans illud sacri Epithalamii, *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* ait, *Fumus ex aromatibus, compunctio est orationis, concepta ex virtutibus amoris, quæ tamen oratio virgula fumi dicitur, quia dum sola postulat cœlestia arcana, progreditur, ut ad terrena petenda minimè reflectatur. Subjungitur, myrrhæ & thuris, quia thus in sacrificium incenditur, myrrhâ corpora mortua condiuntur, ne vermibus corrumpantur. Quare myrrhæ & thuris sacrificium offerunt, qui & carnem affligunt, ne eis corruptionis vitia dominentur, & redolentem in conspectu Domini amoris sui hostiam incendunt.*

563. Cor, à muribus abesum, epigraphen tenet. MOX CONSUMETUR. Curas ac solicitudines muribus non absimiles dixerim, quæ cor humanum miserrimè corrodunt, ac devorant. S. Gregorius Nazianzenus. *Mœrores*, inquit, *præcocem mortalibus senectutem pariunt. Mens solicita, tineæ instar, ossa corrodit: corpus autem, curas valere jubens, eximiè floret.* Scholæ Salernitanæ aphorismus est.

Si vis incolumem, si vis te reddere sanum,
Curas tolle graves, irasci crede profanum.

Nec aliter Siracides. *Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus*, seu, ut vertit Syrus, *Zelus & ira consumunt dies, & ante tempus prodire facit canitiem cura.* Et Ovidius.

Attenuant vigiles corpus miserabile curæ.

Et rursùs.

Me duce damnosas homines compescite curas.

564. Cor ardens, omnesque è vicino loco tenebras profligans, epigraphen tenet. ARDET, ET ARCET. Utraque hâc prærogativâ sanctissimum Divini Augustini cor etiamnum excellit. Et quidem imprimis quod ardeat, non tantùm ex obvia quavis ipsius effigie, sed vel maximè è verbis illis ardentissimis conjicere licet, in quibus quot syllabas audio, tot penè ignita jacula sentire videor. *Amo*, inquit, *te Deus meus, amo te, & magis atque magis amare volo. Da mihi Domine Deus meus, speciose præ filiis hominum, ut desiderem te, ut amem te, quantùm volo, & quantùm debeo. Immensus es, & sine mensura debes amari, præsertim à nobis, quos sic amâsti, sic salvâsti, pro quibus tanta ac talia fecisti. O amor, qui semper amas, & nunquam extingueris, dulcis Christe, bone Jesu, charitas Deus meus, accende me toto igne tuo, amore tuo, dulcedine tuâ, dilectione tuâ, pietate & suavitate tuâ, voluptate & concupiscentiâ tuâ, quæ sancta est & bona, quæ casta est & munda, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus in flamma charitatis tuæ vaporatus diligam te Dominum meum dulcissimum & pulcherrimum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, ex totis viribus meis, & ex omni intentione mea, cum multa cordis contritione & lachrymarum fonte, cum multa reverentia & tremore habens te in corde, in ore, & præ oculis meis semper & ubique, ita ut nullus in me adulterinis amoribus pateat locus, &c.* Quod verò etiam arceat, testes habeto locupletissimos, Historiam Romanam, Cornelium Lancellotum, Henricum Engelgrave, & alios, quorum verba admetior. *Notandum ex historiis illustrioribus ac veris, nunquam in Ecclesiam, ubi cor S. P. N. Augustini erat, ingressum fuisse hominem hæreticum; vel enim intus moriebatur, vel in limine cadebat; hâc de causa pingi solet Augustini Cor in vase pulchro super altare, ante quod multi jacent hæretici consternati, & emortui.*

565. Ex Aristotelis sententiâ cor est principium vitæ; talemque vitam quivis vivit, quale cor habet; unde homo in pecudem migrat, si ei cor pecudis inferatur; pecus verò in hominem transit, si humano imbuatur corde. Lemma. HOMINEM DISCERNO, FERAMQUE. Nabuchonosorem Regem voluit Deus fieri bestiam, & inter illas velut unam ex illis agere. Ideò jussit, *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Tandem verò voluit Deus, ut hæc bestia denuò migraret in hominem; & mox, metamorphosi non minus prodigiosâ quàm insolitâ, *Super pedes suos quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Idipsum etiam de intentione dixerim, ceu unico omnium operationum nostrarum corde. Hæc enim si mala fuerit, vel ipsas etiam actiones angelicas convertit in belluinas & diabolicas. Considera mihi obsecro eandem sententiam in duabus Curiis pronunciatam. In curia Hierosolymitana, Præside Cayphâ, decretum est; *Expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Idem prorsùs in curia cælesti à SS. Trinitate statutum est: *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo.* Hæc autem eâdem sententia decretoria in Hierosolymitano Concilio summæ fuit stultitiæ & injustitiæ. In consilio cœlesti summæ sapientiæ & justitiæ. *Ergò*, è Salomonis consilio; *omni custodia serva cor tuum* (intentionem tuam) *quia ex ipso vita procedit.* Venerabilis Beda, *Sunt*, inquit, *qui rectè vivere videntur hominibus, sed quia rectâ intentione non faciunt*, à Deo, qui cor respicit pravum, vita eorum reprobatur, quæ credebatur bona. Omni ergò diligentiâ cordis munditiem serva, quia ad ejus examen modus æstimabitur vitæ.

Margin notes (left): Vid. in vit. l. 5. c. 4. — [Or]atio. — Apoc. 5. 8. — Psal. 140. 2. — Gen. 8. 21. — S. Greg. hom. 2. in Ezec. — Cant. 6. — Curæ mi[norant] vitam. — S. Greg. Naz. in distichis — Eccl. 30. 26. — Ovid. l. 3. Trist. — [Ovid.] Rem.

Margin notes (right): Idem 1. de Amore. — S. Augustini cor ardens. — S. August. in manual. c. 10. — Hist. Roman. apud P. Engelgrave in cælesti Pantheo. pro festo SS Trin. — Cor humanum. — Dan. 4. 13. — Dan. 7. 4. — Intentio. — Io. 11. 50. — Prov. 4. 23. — Beda in hunc loc.

MANUS.
Cap. CLXXXVII.

Oratio perseverans.
S Laur. Iust. de Orat. c. 9.
P. Tit Bostr. super Luc. c. 21. v. 8.

566. PReces debere esse assiduas & indefessas, à manus Emblemate constat, quæ fores pulsans, Aresii epigraphen sustinet. NON SEMEL SUFFICIT. Vel, ut aliis placet, FIN CHE SI APRA. Id est, *Donec aperiatur.* S. Laurentius Justinianus. *Sicut certaminis bravium non assequitur, qui antequam ad metas attingat, deficit: sic orationis fructu privatur, quisquis in illa non extiterit importunus.* Et P. Titus Bostrensis in illud Lucæ, *Si perseveraverit pulsans,* ait, *Ne ignavo, negligentique animo precationi insistamus, jubet ea nos frequenter petere, quæ modulum nostrum nostris partibus excedunt. Ergò orationi impigrè incumbamus, in eaque perseveremus.*

Invigilare sibimet.
Plaut. in milite.
Hor. in arte Poetica.

567. Manus, apertum oculum palmæ suæ infixum habens, epigraphen legendam offert. FIDE, ET VIDE. Matthæus Langus Cardinalis hâc imagine, sibi perquam familiari, innuere volebat, negotia quæque oculis propriis melius, quàm vicariis cerni; & manibus propriis satiùs, quam alienâ fide disponi. E Plauti sententia,

Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti decem.

Et Horatius.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Amicus quis eligendus.
S. Aug. l de singularitate Clericorũ.
Adulator quis?

Eodem Emblemate doceris, manum tuam, quâ in alterius amicitiam jures, debere esse oculatam, ac circumspectam; ne falso amico pro vero fidas. Nam Magno August. teste, *Expedit multò magis timere, quàm malè fidere.* Porrò quinq; omninò signa sunt, è quibus fictum amicum haud obscurè dignoscas. Primò enim, falsus amicus compositâ utitur verborum mollitie ac blanditie. Secundò, solet esse in verbis inconstans. Tertiò, in faciem laudat, à tergo vituperat. Quartò. Odium latens ita tegere nequit, quin subinde per amarulenta verba, nutus & gestus ebulliat ac promicet. Quintò, annuit omnibus amici dictis & factis, illaque laudat, & ad cœlum usque attollit; cùm contra verus amicus laudanda non nisi moderatè laudet, vituperetque vituperanda. Vide Plutarchum *de differentiis Adulatoris & Amici.*

Seneca.
Negotio se ipso perficere debet Princeps.
Lamprid.

568. D. Didacus Saavedra sapienter monet, Imperii momenta ministris ita esse à Principe committenda, ut ipse propriam curam ac diligentiam nunquam ab iis retrahat. Unde politico huic dogmati significando, duas manus, unam sine oculis, alteram verò oculatam expressit; cum lemmate. EIDE ET DIFFIDE. *Utrumque enim,* dicebat Seneca, *in vitio est, & omnibus credere, & nulli.* Alexander Severus, Lampridio teste, minimè acquiescebat, nisi, justitiâ, cæterisque populi causis per viros, suo ævo peritissimos, administratis, ipse quoque suam industriam interposuisset, eorumque judicia sedulò examinasset? *Negotia,* inquit, *& causas prius à scriniorum principibus, & doctissimis Jurisconsultis, & sibi fidelibus, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari, ordinari, atque ita ad se referri præcepit.* Basilius Imperator inter cæteras præceptiones etiam hanc saluberrimam filio suo Leoni hæreditariam transcripsit. *Obstringe te huic necessitati, ut omnia tibi oculis inspicienda esse ducas, & nihil inspectum prætermittas. Quemadmodum enim ea, quæ à te diligenter inspecta administrantur, multùm emolumenti capiunt, ita quæ non inspecta neglectim prætereuntur, in magnam pernitiem labuntur.*

Prælati innocenti[a].
Parochi famam suam c[u]ret.
1. Tim. 3. 2
Tit. 1. 8.
S. Aug ser 49. de Di vers. cap.

569. Manus explicata, scorpionem supra palmam suam sustinens, ab Abbate Ferro inscriptionem recepit. PROCUL AB ICTU. Ea enim animalis illius natura est, ut explicatam manum illæsam perrepat. Maphæum Barberinum Cardinalem hæc imago spectabat, cujus tanta erat innocentia ac vitæ integritas, ut nec ipsimet hostes quidquam theonini aut derractorii dentis illi infigere potuerint. Quin immò D. Paulus quemvis Prælatum eâ vitæ innocentiâ, ceu loricâ advetsus hostes insuperabili, munitum cupit; idque iteratis vicibus inculcans, *Oportet ergo,* inquit, *Episcopum irreprehensibilem esse.* Et rursus non sine solicitudine iisdem suadet, ut habeant *Verbum sanum, irreprehensibile: ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Actum enim apud subditos aget Prælatus, si famæ aut innocentiæ suæ jacturam semel fecerit. Eleganter S. P. Augustinus. *Propter nos conscientia nostra sufficit nobis, propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Duæ res sunt conscientia & fama; conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ, negligit famam suam, crudelis est; maximè in loco isto positus, de quo dicit Apostolus, scribens ad discipulum suum,* circa omnes te ipsum bonorum operum præbe exemplum.

Varieta[s].
S. Leo ser. Quadrag.
S. Greg. pa ep. 52

570. Manum nonnemo hoc lemmate insignivit. DISPARITATE PULCHRIOR. Illius enim venustas ex inæqualium digitorum organo maximè consistit. Ita omninò exercitus aut Religio è personarum officiorumque varietate plurimum ornamenti accipiunt. S. Leo, *Etsi non eadem est membrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium potest esse membrorum parilitas, communionem tamen obtinet decoris, connexio charitatis.* Et S. Gregorius, de diversis S. Ecclesiæ gradibus disserens, *Ad hoc,* inquit, *Divinæ dispensationis provisio gradus diversos, & ordines constituit esse distinctos; ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordiæ fieret ex diversitate connexio, &c.*

Autho[r] proprii mali.
Orig. hō. 6 in Levit 9
Carni n[on] est bla[n]diendu[m].
Amor mereti[cis].
Amor [ho]stis occ[ul]ti.

571. Manus, colubro blandiens, D. Jacobo Cerrano authore epigraphen tenet. PROPRIÆ BLANDITUR NECI. Quisquis carni tuæ, juxta mundi leges, nimiùm indulges ac blandiris, æternæ tuæ morti fomenta subministras præsentissima. Origenes, *Carnem,* inquit, *si frequenti mollitie ac jugi deliciarum fluxu foveatis, insolescet necessariò adversum vos.* Et paulò inferiùs, *Tu das stimulos carni tuæ, tu eam adversus spiritum tuum armas, & potentem facis, cùm eam carnibus satias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.* Lascivus, impudicam fœminam deperiens, serpentem, ipsamque adeò mortem, fovet. Item, qui hostem occultum imprudens amat, eique se ipsum confidit, in sinu suo serpentem alit.

Opera[n]dō præsta[ndum] verbis.
Seneca
Lips. l. Manud. dissert.

371. Genuinam virtutem potius in operandi, quàm dicendi scientiâ consistere, è manus Emblemate disces; cui hanc præfixêre inscriptionem. OPERI, NON VERBO. Præclarè Seneca. *Non est Philosophia populare artificiũ, nec ostẽtationi paratũ; IN REBUS NON IN VERBIS est.* Et Justus Lipsius. *FACERE docet Philosophia, NON DICERE: & hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat.*

Calamitates.
S. Greg sup. Luc 14.
Psal. 31.
S Aug. hunc l.

573. Manus, spongiam comprimens, epigraphen reddit. PREMIT, UT EXPRIMAT. Deus nimirùm calamitatum suarum manibus nos coarctat, ut pœnitentiæ, eleemosynæ, aliaque salutis æternæ opera extorqueat. S. Gregorius super illud Lucæ, *Compelle intrare,* ait, *felix necessitas, quæ ad Deum ire compellit.* David quoq;, *Conversus sum,* inquit, *in ærumna mea, dum configitur spina.* De se ipso testatur S. P. Augustinus. *Punctus tribulatione, cæpi quærere*

rere refugium, quod in illa felicitate sæculari desieram quærere. Mirificè tamen ac præ cæteris hanc sententiam suomet exemplo comprobat Rex Manasses, qui, referente Divinâ Paginâ, *Postquam coangustatus est*, quippe severâ Dei manu inter catenas & carceres stringebatur. *Oravit ad Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Domino.*

[...]aral 33.

574. Avaram quorundam liberalitatem, ac beneficentiam mercenariam, quæ opes, nonnisi cum fœnore redituras, erogat; Carolus Rancatus manui, sementem in agros spargenti, comparat, addito lemmate. MITTO, UT METAM. De hac hominum farragine Seneca, *Illos ex toto prætèribo, quorum mercenarium beneficium est: quod, qui dat, non computat cui, sed quanti datùrus sit, quod undiq; in se conversum est, &c.*

[...]ura.

Senec. l. 6. de Benef. c. 14.

575. Princeps æquè ad gladium adversus hostes stringendum, atque ad præmia in emeritos dispensanda promptius; manus Emblemate significari potest, quæ stricto gladio armata, subscriptionem sustinet. SI STRINGE AL FERRO, E SI DILATA A L'ORO. Id est, *Dextera stricta manet ferro, sed aperta fit auro.* De fortitudine Tullius. *Fortitudo est immobilis inter adversa, gloriosa animi claritudo, res arduas pulchrè administrans, quæ nec adversis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo elevatur.* De liberalitate Seneca. *Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit: quod quis ægrè dimittere visus est, & sic dare, tanquam sibi eriperetur. Gratissima autem sunt beneficia parata, facilia occurrentia: ubi nulla mora fuit, nisi accipientis verecundia.* Cæterùm Joannes Baptista Marinus Caroli Emmanuëlis, Sabaudiæ Ducis effigiem sequenti elogio ornavit.

Princeps fortis & liberalis.

Cicero in Rhetoricis. Fortitudo Liberalitas. Senec. l. 4. de beneficiis.

E quella nobil màn, ch'armata impiagà,
Porta insieme souente anco salute,
E se di sangue à maraviglia a vaga,
Auvezza in guerra à grandinar ferute,
Pronta anco in pace à dispensar tesoro
Si stringe al ferro, e si dilata a l'oro.

577. Sigismundus Malatesta, heroicum animi sui robur, & generosam in perferendis adversitatibus fortitudinem, orbi palam facturus, Mutii Scævolæ dexteram, igni impositam, depingi fecit; cum lemmate. HIS GRAVIORA. Æquiore jure hanc imaginem sibi tribuisset S. Laurentius, qui uno corporis latere horrendùm assatus, etiamnum tortoribus insultare potuit, ut etiam reliqua, adhuc sana corporis pars supra ignitam cratem ustulanda verteretur. Non minùs generosè S. Ignatius Martyr, inter carceris horrores & catenarum pondera, acerbioribus identidem tormentis excruciari desideravit, *Ignis,* inquiens, *crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius carnis contritio, & universa tormenta diaboli in me veniant, &c.* Nam, Magno Augustino teste, *Martyres Sancti, quando delectationem Domini cogitabant, tunc illis mala omnia & acerba atque aspera vilescebant.*

S. Laurentius.

S. Ignatius Martyr.

S. Aug. ser. 1. ex addit. à Cartusiano.

P E S. *Cap.* CLXXXVIIII.

578. TEntatio, ut primùm exorta fuerit, opprimenda est, si enim adolescere illam permiseris, fatalem experieris. Id, quod è pedis Emblemate discere licet, qui serpentis caput calcans, epigraphen tenet. PREMAT, NE PERIMAT. Præclarè S. Gregorius. *Prima serpentis suggestio mollis ac tenera est, & facilè virtutis pede conterend*a*: sed si hæc invalescere negligenter permittitur, eique ad cor aditus licenter præbetur, tantâ se virtute exaggerat, ut captam mentem deprimens, usque ad intolerabile robur increscat.* Cæterùm anima, diversis calamitatibus jactata, jure supremam Dei providentiam eodem lemmate appellat, *Premat, ne perimat.* Nam D. Bernardo teste, *PREMI magis, QUAM PERIMI videtur UTILIUS.*

Tentatio.

S. Greg. l. 32. Moral. c. 26.

Conformitas.

S. Bern. ser. 2. Dedicat. Eccles.

* * *

FINIS LIBRI TERTII.

MUN-

MUNDI SYMBOLICI
LIBER QUARTUS.
AVES,
EARUMQUE PROPRIETATES.

Avis in genere Cap. 1
Accipiter. 2
Alauda. 3
Alcyon. 4
Anas. 5
Anser. 6
Apus. 7
Aquila. 8
Ardea, 9
Astur. 10
Benicus. 11
Bistarda. 12
Bubo. 13
Caprimulgus. 14
Carduelis. 15
Charadrius. 16
Charystia. 17
Ciconia. 18
Coccix. 19
Columba. Palumbes. 20
Cornix. 21
Corvus. 22
Coturnix. 23
Cuculus. 24
Cygnus. 25
Draica. 26
Falco. 27
Fringilla. 28
Fulica. 29
Gallina glociens. 30
Gallinago. 31
Gallopavus, Gallus Indicus. 32
Gallus capus. 33
Glottis. 34
Grus. 35
Gryphus. 36
Hirundo. 37
Ibis. 38
Lozia. 39
Lucidia. seu avis resplendens. 40
Mergus. 41
Merops. 42
Merula. 43
Monocodiata. 44
Morfex. 45
Noctua. 46
Onocrotalus. 47
Otus seu Asio. 48
Passer. 49
Passer solitarius 50
Pavo. 51
Pelicanus. 52
Perdix. 53
Phasianus. 54
Philomela. 55
Phœnix. 56
Pica. 57
Pintadellus. 58
Psittacus. 59
Seleucis. 60
Struthio. 61
Tinnunculus. 62
Trochilus. 63
Turtur. 64
Vanellus. 65
Vespertilio. 66
Upupa. 67
Vultur. 68
Ala. 69
Decipula. 70
Nidus. 71
Ovum. 72
Penna. 73

AVES in genere. *Cap.* I.

1. AVicula, intra caveam rotundam, gemino cardine sustentatam, conclusa, nullâ unquam quiete perfrui potest, nisi axi seu bacillo insistat, qui sphæram illam, ad quosvis aviculæ motus revolubilem transversim secat. Unde lemma. IN AXE TANTUM, seu IN AXE REQUIES. Ita planè, quidquid beatitatis mundus extra Deum, unicum ac placidissimum universi axem, spondet, non nisi turbas, motusque importunos facessit. S. Bern. *Cor meum*, inquit, *cor pravum, vanum & vagum, omni volubilitate volubilius, de uno in aliud vago incessu transit, quærens requiem ubi non est. In omnibus enim, quæ videntur, requiem quæsivi, & veram requiem in eis invenire non potui.* Ergò ubi demum requiem illã reperire est? Ipsammet sapientiam Doctoris loco accipe. *In omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor.* In hunc locum P. Corn. à Lap. *Sapientia, sive sapiens quærit requiem in hæreditate Dei cœlesti: nec enim alibi est vera requies.*

Quies in solo Deo.

S. Bern. de Inter. domo cap. 54.

Eccl. 24. 11.

Corn. à Lap. in hunc loc.

2. Alcibiades Lucarinus, hominem ambitiosum delineaturus, aviculam exhibet, quæ intra caveam, assiduò versandam, reclusa, epigraphen tenet. ASCENDENS FEROR AD IMUM. In hunc sensum Seneca.

Ambitiosus.

Senec. in Agamemn. act. 1.

> -- -- -- -- *Quidquid in altum*
> *Fortuna tulit, ruitura levat.*

Et S. Joannes Chrysost. *Non enim sibi vivunt (ambitiosi) sed alteri, & mille crudelibus Dominis hujusmodi homines premuntur.* Enimverò ambitiosus vix ad desideratum culmen eluctatus, mox inglorius iterum præcipitatur, animo mille timoribus, invidiis, suspicionibus, æmulationibus, aliisque pravis affectibus sordescente.

S. Chrysost. Hom 19. in Matth.

3. Lascivus quidam juvenis erga virginem adeò arcto amoris vinculo erat constrictus, ut ab insana hac mente nullis parentũ minis dimoveri potuerit; tandem verò aliquot bombardis, citra plagam tamen in illum exoneratis, à proposito est deterritus, & ad frugem rediit. Hunc D. Joan. Baptista Mazzolenus avis Emblemate repræsentat, quæ palo alligata, destinatus pendebat jaculantiũ scopus; at compedibus sagittæ beneficio rescissis, mortis vice, libertatem obtinuit, & immunis avolavit, addito lemmate, PRO MORTE LIBERTAS. Opportunissimè in rem præsentẽ Virgil. de Columba, telo trajiciendâ canit.

Virg. 5. Æn. v. 507.

> - - - *Acer Mnestheus adducto constitit arcu,*
> *Alta petens, pariterq; oculos, telumq; tetendit:*
> *Ast ipsam miserandus avem contingere ferro*
> *Non valuit: nodos & vincula linea rupit,*
> *Queîs innexa pedem, malo pendebat ab alto,*
> *Illa notos, atq; atra volans in nubila fugit.*

Ita non rarò cõtingit, calamitates, morbos, & persecutiones, quas mundus, ceu mortis apparitores, immittit, in præsentissimos libertatis ac salutis nostræ vindices converti. Unde S. P. Aug. *Tribulatio medicamentũ est ad salutem, non pœna ad damnationem.*

Calamitates prosunt.

S. Aug. in Psal. 21. expos. 2.

4. Avicula, intra caveã detenta, pluribusq; vulturis insidiantis minis impetita, epigraphẽ, ex Apost. actis desumptã habet. SERVATUR CARCERE. Haud secus Virgines, Deo sacræ, ac Religiosi, intra cœnobii claustra è mundo remoti, innumeris pœnæ ac culpæ

Act. 12. 5.

Religiosorum clausura.

malis

Tertull. ad Mart. c. 2. malis sese subducunt. Certè Tertullian. SS. Martyres exhortans, eorum carceres *custodiaria* rectius, quam ergastula vocanda asserit. Et paulò post ingentia commoda, è carcere provenire solita, enumerans, subjungit. *Non vides alienos Deos, non in imagines eorum incurris, non solennes nationum dies ipsâ commixtione participas, non nidoribus spurcis verberaris, non clamoribus spectaculorum, atrocitate, vel furore, vel impudicitiâ celebrantium cæderis, vacas à scandalis, à tentationibus, à recordationibus malis, imò & à persecutione.*

Consuetudo. 5. Scipio Bargalius aviculæ, nec patente ostio extra caveam egressuræ, inscripsit. DIUTURNITATE LIBERTATEM RESPUIT. Innuebat nimirum longævâ sustinendi assuetudine demum adversos fortunæ casus non amplius tolerari, sed ultrò appeti. Unde Magnus Ethices Magister August. ait, *Cùm per timorem homines continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & incipit quod durum erat amari.* Ovidius. (S. Aug. in Psal. 117.)

Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci,
Tempora lenta pati frena docentur equi.

Et Seneca.

Jam tempus illi fecit ærumnas leves.

Peccator moribundus. 6. Avis, intra apertam caveam ob vicinum falconem territa, inscriptionem è Petrarcha sustinet. IL MAL MI PREME, E MI SPAVENTA IL PEGGIO. Id est. *Dum mala me torquent, cogor pejora timere.* Laurentius Malvezzius hâc icone ærumnas, quibuscum re ipsâ confligebat, & quas ipsi præsagus timor imposterum sustinendas dictitabat, expressit. Apprimè tamen hominem, gravi morbo decumbentem, imago illa repræsentat; quippe qui imminentis æterni supplicii terrore acerbius, quàm præsenti morbo torquetur; ut adeò jure illud Divini Psaltis de seipso pronuntiet, *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.* Ergò, quod Magnus August. monet, ne animæ tuæ hostes quidquam nocumenti inferre possint, claude insidiantibus illis omne cupiditatis ostium, nullumque dæmoni, mundo, aut carni relinque aditum. *Claude ostium tuum, ne tentator ingrediatur; tentator non cessat tentare, ut irrūpat, si clausum invenerit, transit. Quid est autem claudere ostiū? Hoc ostium tanquā duas habet valvas, cupiditatis & timoris. Aut cupis aliquid terrenū, & hac intrat. Timoris ergò & cupiditatis januam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Ecce Martyres clauserunt januam contra diabolum, Christo aperuerunt. Promisit eis multa mundus iste, riserunt, clauserunt valvam cupiditatis adversus diabolum. Minatus est mundus iste bestias, ignes, cruces, non timuerunt, clauserunt timoris valvam contra diabolum, aperuerunt illas Christo per confessionem & timorem Dei.* (Psal. 17. 5. Aug. in Psal. 141. — Tentatoni non aperiendū.)

Religiosus Ordinem deserens. 7. Juvenis, è Religiosorum tyrocinio ad mundum reversus, aviculæ, extra caveam oberranti, est persimilis; cui inscriptionem subdidi. LIBERO SI, MA' PERO'MEN SICURO. Id est. LIBER, SED MALE SECURUS. Prima D. Bernardi Epistola ad Robertum nepotem suum, è Cistercienſium Ordine ad Cluniacenses transeuntē, inter cætera ait, *Quidquid tibi amplius indulges in victu, vestituque superfluo, in verbis otiosis, in vagatione licentiosa & curiosa, hoc procul dubio retrò aspicere est, prævaricari est, apostatare est.* Et paulò post. *Vereor ne totum, quod foverā blandimentis, roboraveram adhortationibus, orationibus solidaveram, jamjam evanescat, deficiat, pereat: & lugerem miser non tam cassi laboris damnum, quàm damnatæ sobolis miserabilem casum.* (Bern. ep. 1. ad Robertum nepotē. — Pier Val lib. de hemero.)

8. Pierius Valerianus author est, in Britannia ex arboribus, ad fluvii cujusdam margines, utrinque consitis, folliculos, instar ovi anserini, in subjectam aquam decidere; qui, ut primùm emolliti fuerint, mox candidissimas aves excludunt. Illos proinde Lucarinus hóc lemmate insignivit. ANIMANTUR MOLLITI. Christianos, recenti baptismate lustratos, hæc imago repræsentat; quippe quibus, sacro illo fonte ablutis, nova animæ vita inspiratur. Scitè S. Maximus. *Baptismus Christi nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, criminibus sepelimur, & veteris hominis conscientiâ resolutâ, in alteram nativitatem redivivâ infanti reparamur.* Et S. Basilius Seleuciæ Episcopus. *Videre erat rem inopinatā, in aquis matrix parabatur, quæ cælo cives pareret, O inaccessa mysteria! aqua pariebat, & cælo cives adscribebantur.* Cæterùm peccatores, gratiâ Divinâ mortui, dum lachrymarum undis tinguntur, integram animæ deperditæ vitam recuperant. (Baptismus — S. Max. hom. de Iuda proditore. — S. Basilius Orat. 14. — Pœnitens.)

9. Quos invidia stimulat, mox ubi gloriæ, virtutis, alteriusve excellentiæ incrementum in aliis perspexerint, ingentes animo ciere turbas, ac ringi incipiūt; nocturnis avibus persimiles, quæ lucem extremè odisse & abominari solent. Unde Saavedra illas, è Solis conspectu profugas, hoc lemmate notavit. EXCÆCAT CANDOR. Exemplo suo id confirmârunt Judæi, inter Solis Divini clarissimas operationes proprio livore penitùs exoculati. De his Leo Imperator. *Invidia, inquit, & furore ebrii, gloriā ejus non intellexerūt, ut sacræ litteræ testantur. Nam si cognovissent, non utique Dominū gloriæ crucifixissent. Non cognoverunt, quia cognoscere noluerunt, totâ cogitatione ad invidiam conversâ, gloriæq; magnitudinem, etsi manifestam, agnoscere detrectantes, non dederunt locū rationi ad intelligendū, ut tantā rabiē cohiberent.* Et adjungit, *Cognoverunt certè, non ut tanquam Dominum gloriæ honorarent, sed ut ignominiosâ morte perimerent. Ea enim invidiæ natura est, non recipit, quæ confitetur, neq; id, quod videtur, videre vult, neq; assentire iis, quæ negari nequeunt. Hâc occupati, populus ingratus, hæredem gloriæ Dominum, quem noverant (quomodo enim Divinam ejus majestatem ignorare poterant illi, apud quos tot, tantisq; miraculis fulgebat) quasi non cognitum in ligno extenderunt.* (Invidia. — Perfidia Judaica. — Leo Imperat. de Exalt. S. Crucis.)

10. Minimi ac levissimi defectus alas nostras ita miserè succidunt, impediuntque, ut ad supremæ perfectionis apicem vix unquam evolare possimus. Ex aviculæ emblemate id disces, quæ subtili filo ligata dum pennis niti, & in aëra librari parat, iterum iterumque retrahitur; cum lemmate. MINIMO DETINEOR. Ad verbum S. Maximus. *Quemadmodum passerculus, pede alligatus, volare incipiens, in terram funiculo detrahitur, sic quoq; mens, nondum affectibus liberata, & ad rerum cœlestium cognitionē volare contendens, ab affectibus ducitur, & ad terram detrahitur.* Idem argumentū exprimens B. Isaias, *Similis sum passeri, inquit, cujus pes laqueo vinctus sit, qui dum solutum se existimans, volatu extollitur, laqueo retinetur. Nemo enim est, qui non ad extremum usque spiritum aliquâ prematur solicitudine.* (Defectus leves. — S. Max l. 1. de charitate. — B Isa. Orat. 8. in Bibliis Patrum.)

11. Qui duello confligunt, à D. Aresio nocturnis avibus, in aëre dimicantibus, comparantur; addito lemmate. AMBO PARITER CONCIDENT. Verbis ex Hieremia desumptis, *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt.* Hanc de mutua duelli cæde miseriam probè perspectam habens S. Bernardus. *Quis finis, inquit, fructusque sæcularis hujus non dico militiæ, sed malitiæ? si & occisor lethaliter peccat, & occisus æternaliter perit.* (Duellum. — Hier 46. 12. — S. Bern. ser. ad milit. Templ. c. 2.)

12. Solinus, Plinius & Simon Majolus referunt, in Insula Taprobana stellam polarem adeò à nautis abscondi, ut nec magnes suo munere fungi, nec (Solin. c 14. Plin l. 6. c. 22 Majol dierum Canicul To. I. Colloq. 6.)

ipsi

ipsi ullam hujus cognitionem aut usum habere possint: ne tamen suum malo desit remedium, aves quasdam domesticas in navibus alere solent, quæ nonnunquam liberè dimissæ, volatu suo adeò directam observant semitam, ut fluctuantes nautæ, dum illorum vestigia sequuntur, ad portum securè perveniant. Proin hæ aves, ad navigii proram depictæ, inscriptionē sustinent. ERRANTEM DIRIGUNT. vel, ITER PRÆMONSTRANT. vel, AD LITTORA DUCUNT. Navi verò Aresius inscripsit. VOLANTES SEQUITUR. Ita omninò cœlites sublimi virtutum suarū volatu duces præeunt, quos indefesso pede imitati, beatitatis portum contingamus. *Solemnitates Martyrum,* Magno Augustino teste, *Exhortationes martyriorum sunt; ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.*

Exemplū.

S. Aug. ser. 47. de sanct.

13. Avis, prope maris littora volitans, epigraphen tenet. PENSO VIRES. Carolus Camillus, Comes di Martinengo, Academicus inter Errantes Brixienses circumspectus, hoc Emblemate significabat, intellectum ac vires proprias æquâ ac severâ lance examinandas esse, priusquam aliquod magni momenti negotium aggrediamur. Disertè Christus, *Quis Rex iturus committere bellū adversus aliū Regē, non sedēs prius cogitat, si possit cum decēm millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?* Hâc laude præ cæteris in ætate etiamnū juvenili insignē se probavit David, dum regio amictu conspicuus, loricâ insuper ac Saulis galeâ munitus, non illicò in hostē præceps ferebatur, sed præviâ exercitatione agilitatem suam periclitatus, *cœpit tentare, si armatus posset incedere*; hâcque agendi industriâ propriam vitam, honorem, & ipsam adeò de hoste victoriam servavit incolumē. Nam Magno Augustino teste, *quædam excellentissima ingenia tantò in majores errores ierunt, quantò præfidentius tanquàm suis viribus cucurrerunt.*

Prudentia

Luc. 14.13.

Præsumptio.

S. Aug. ep. 52

14. Quidam mundanus, ut significaret, se ob plurimam servitutem mundo exhibitam nihil unquam reciproci beneficii accipere, Emblematis loco aviculam depinxit, quæ, caveæ inclusa, tametsi suavi & assiduo suo cantu domesticas aures recreet, in libertatem tamen nunquam asseritur. Lemma vernaculum addidit. PIETA' COL DOLCE CANTO IO NON IMPETRO. Id est, *Heu me! nam dulcis cantus non flectit amantem.* Nam Magno August. teste, *Vincula hujus mundi asperitatem veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* Inter cæteros suos Rhythmos canit Hieronymus Preti.

Mundi ingratitudo.

S. Aug. apud Hibernic. v. Mundus.

Prendo ben io tall' hor l'usata cetra;
E'l bel nome adorato ò scriuo, ò canto;
Per dar nuovo Anfion, senso a una pietra;
Mà perche vuol de la mia morte il vanto,
O non cura, ò non ode, ò non si spetra,
E vuol da me, più che l'inchiostro, il pianto.

15. Qui è vitiorum cæno eluctatus, mente adeò firmâ Deo adhæreret, ut pristina lasciviæ mulieris consuetudo ac insidiæ nihil amplius ipsum removerentur; authore Abbate Certano, aviculæ, supra labyrinthum volitanti, comparatur; cum dicto. INCOLUMIS INCOLA CÆLI. Certè Josephus Patriarcha, animo ad Deum sublevato, Ægyptiæ lupæ tendiculas feliciter superavit. Præclarè S. Ambrosius. *Nec herilis illecebræ flexus est delinimento, nec immeritò flammas non sentit libidinis, qui majore Divinæ flagrabat ardore gratiæ.*

Contemplativus. Joseph Patriarcha.

S. Ambros. in Psal. 104.

16. Complures aviculæ, Emblematis loco, Soli, supra horizontem ad hemisphærium nostrum revertenti, applaudunt, eumque lætis excipiunt vocibus. Lemma. OMNES EXCITAT UNUS. Hâc prærogativâ plurimùm excellit S. Joannes Baptista, qui, veluti avis cœlica, seu rectius, in mortali carne Angelus, gloriosâ suâ voce omnem latè Palæstinam ad excipiendum Divinum Solem, jamjam in humanis exuviis supra Galilææ Oceanum & Jordanis aquas exorientem, invitabat. Ad eandem planè normam sanctus quivis Episcopus in civitate, fervidus Prælatus in monasterio, bonus Paterfamilas domi suæ, omnium animos ad obsequia & laudes Divinas animat, sicq; *omnes excitat unus.* In rem præsentem S. Hieronymus. *Domus Episcopi & conversatio, quasi in specula posita, magistra est publicæ disciplinæ, quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant.*

S. Joann. Baptista.

Exempli Superiorum.

S. Hier. ep. ad Heliod.

17. Calamitates animo nostro, sine mora ad cœlum sublevando, aptissima sunt instrumēta. Id quod P. Certanus ex ave conjectandum proponit, quæ è carcere profuga, celerrimo volatu sese in aëra librat. epigraphen Emblemati addidit. DA LA PRIGIONE, RAPIDO VOLA ALL'ETRA. Id est, E CARCERE AD ÆTHERA. D. Thomas Villanovanus, *Tribulationes,* inquit, *calcaria sunt, quæ faciunt nos currere ad Deum, sicut Gregorius ait; Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* S. Cyprian. de SS. Martyrum compedibus ac catastis disserens; *O pedes,* exclamat, *feliciter vincti! qui itinere salutari ad Deum ac paradisum diriguntur! O pedes, ad præsens in sæculo ligati, ut sint semper in cœlis apud Deum liberi!* Et meus S. Prosper.

Calamitates utiles

S. Thom. Villanov. ser. de SS. Cos. &c.

S. Cypr. ep. 72 ad Nemes.

Carcere si cœco claudar, nectarque catenis,
Liber in excessu mentis adibo Deum.

18. Lascivus, ab impudicæ mulieris consuetudine nonnisi ægerrimè amplius avellendus, ab Abbate Certano aviculæ persimilis dicitur, quæ ilice cibo delectata, viscatis calamis ita implicatur, ut revertendi libertatem amittat. Lēma. L'ESCA MI DONA, E LIBERTA' MI TOGLIE. Id est, LIBERTAS TOLLITUR ESCA. Iis insuper hoc symbolum convenit, qui ob beneficia recepta, superbi benefactoris sui mancipia evadunt. Sapienter Seneca. *Et fera, & piscis spe aliquâ oblectante decipitur. Munera ista fortunæ putatis? Insidiæ sunt. Quisquis nostrûm tutam agere vitam volet, quantùm plurimùm potest, ista viscata beneficia devitet. In quibus hoc quoque miserrimi fallimur; dum habere nos putamus, habemur.* Verba consideratione dignissima!

Lascivus

Ambitiosus benefactor.

Senec. ep.

19. Avis, è retibus elapsa, epigraphen tenet. CAUTIOR HINC. Illius hæc imago est, qui alterius fraude semel circumventus, imposterùm magis sibi prospicit. Vetus paræmia est.

Cautela

Percussus bello, bella futura timet.

Verùm, utut sit hæc cautela homini proficua ac necessaria, rarissimus tamen illius habetur usus. Verè Justus Lipsius. *Homo,* inquit, *censetur prudentissimus animalium, at sibi stultissimus videtur. Quid ita? Nam cæteræ animantes, ubi semel offenderint, cavent: non vulpes ad laqueum, lupus ad foveam, canis ad fustem temerè redibunt, solus homo ab ævo in ævum peccat ferè in iisdem.*

Lips. l. 5. Militia. Dialog. 2

20. Animus, Divinis contemplationibus deditus, geminâ amoris sui alâ ad cœlum evolare unicè contendit, idq; quàm maximè dolet, quod corporis ligamine identidē impediatur, ac retrahatur. Archangelus Conter hominem talem avis emblemate repræsentat, quæ arbori per oblongum filum alligata, pennis assiduò explicatis ad cœlum sese librare nititur, semper tamen iterum retrahitur. Epigraphen subjūxit. CUPIO DISSOLVI. D. Paulus hisce flammis jam olim exarserat, *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Opportunè S. Gregorius. *Benè Paulus æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat: cupio dissolvi,*

Contemplativus

Phil. 1.

S. Greg. l. Moral. c.

Marin. Lyrioco-n. *solvi & esse cum Christo: dissolvi enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctum videret.* Denique D. Marinus in rem præsentem canit.

Peregrino Usignol, s'auvien che sia.
Chiuso sola fra prigionieri augelli,
E di gran rege in ricchi alberghi, e belli,
Pargoletto cantor viva in balia.
Quantunque amico manco esca gli dia,
Egli prestin ricetto arrei cancelli:
Rivaggheggiando il patrio ciel, frà quelli,
Sospira pur la liberta natia.
E, cosi, benche il senso l' accarezzi,
Duolsi, signor, de l carcere suo terreno
L' alma, nodrita infra lusinghe, e vezzi:
Ne requie haura, finche l' tinace freno
Del ritegno mortal, morte non spezzi,
Ond' apra l' ali, arrivol arti il senno.

21. Dominicus Gambertus Emblematis loco aliquot aves, ad solem nascentem conversas, expressit; cum lemmate. TE VENIENTE CANENT. (Latitudo.) Eorum hæc imago est, qui animo in benefactorem suum adeo grato feruntur, ut præsentem illum ob collata beneficia laudent, omnique humanitatis argumento prosequantur. Porrò justi tum demum exultabunt, ac de calamitatum nocte superatâ triumphum canent, quando in universali resurrectione orientem viderint solem justitiæ, Christum. (Resurrectio justorum.) (S. Aug. in Psal 239.) *In resurrectione enim omnis tribulatio moritur, & erit sine fine exultatio.* Cæterum de Orphæo, mortuum Eurydicen plangente, canit Virgilius. (Virgil l. 4. Georg. v. 44.)

Ipse cava solans ægrum testudine amorem,
Te dulcis conjunx, te sola in littore secum,
Te veniente die, te de umbente canebat.

22. Aves, exorienti Soli supra arborum ramos accinere solitas, hoc lemmate insignivi. EXULTANTES OCCURRUNT. (Acclamatio festiva.) Applausu non dissimili populus Regiensis S. Prosperum, cùm civitatis illius Episcopus nominaretur, excipere visus est. Eâdem acclamatione Roma Carolo Magno; Hierosolyma Servatori; Angeli Christo, ad Divinum Patrem reverenti; & Mariæ Virgini ad cœlos assumptæ, obviam effundi & gratulari solebant. (Assumptio Mariæ.) De triumphali B. Virginis ex hac mortalitate discessu canit S. Ecclesia. *Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli: laudantes benedicunt Dominum. Quis cogitare sufficiat,* inquit S. Bernardus, (Bern serm. 1 Assumpt. V.) *quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit, & quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cælestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quàm placido vultu, quàm serenâ facie, quàm divinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum eâ gloriâ, quæ tantum decuit filium?*

23. Angelorum corona, Deiparam Virginem innumeris lætitiæ argumentis ad cœlos comitata, (Assumptio Mariæ V.) compluriúm volucrum Emblemate repræsentari potest, quæ volanti phœnici assistunt ac famulantur; cum lemmate. COMITANTUR OVANTES. Verbis Virgilio mutuatis. (Virgil. l. 1. Georg. v. 346)

Omnis quam chorus, & socii COMITANTUR OVANTES.

S. Bernardus. (Bern ser. 4. Assumpt. V. ant. 8.) *Cœlestis curiæ principes,* inquit, *in consideratione tantæ novitatis clamant non sine admiratione.* Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitiis affluens? *Ac si manifestius dicant: quanta est hæc, & unde ei ascendenti utique de deserto affluentia tanta deliciarum? Quæ est ista, quæ sub sole (ubi nihil est nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus) ascendit deliciis spiritualibus affluens? Quidni delicias dixerim, virginitatis decus cum munere fœcunditatis, humanitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto Regina mundi, etiam Angelis sanctis, ut canit Ecclesia,* Speciosa facta est, & suavis in deliciis suis.

24. Religiosi, qui nocturnis horis, quieti ac otio à natura destinatis, exorientem solem prævertere, easque in choro congregati inter Divinas laudes exigere solent, aviculas imitantur, quæ sereno cœlo, cumprimis vero promicante aurorâ, in canoras voces erumpunt. (Religiosorum matutinæ preces.) Emblemati epigraphen, è matutinis Hymni Dominici precibus mutuatam, subjunges. HORIS QUIETIS PSALLIMUS.

Ut quique sacratissimo
Hujus diei tempore
Horis quietis psallimus,
Donis beatis muneret.

Hâc igitur horâ omnipotentem jure optimo collaudamus, qui nos de tenebris ignorantiæ eductos, clarissimâ gratiæ & cognitionis suæ luce illustravit. (Guerricus Abb. serm. 3. de Resur.) Juvat hic auream Guerrici Abbatis parænesin transcribere, quâ nos hortatur ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit nos. *Vigilate,* inquit, *fratres, in orationibus intenti, vigilate in actionibus circumspecti: præsertim quia jam manè illius diei indeclinabilis inclaruit, postquam videlicet lux æterna serenior nobis, & gratior ab inferis redut, solemque novum susceptio matutina reparavit. Prorsus hora est, jam nos de somno surgere, postquam nox præcessit, dies autem appropinquavit. Vigilate, inquam, ut oriatur vobis matutina lux, Christus scilicet, cujus quasi diluculum præparatus est egressus, paratus utique vigilantibus ad se mysterium suæ matutinæ Resurrectionis sæpius innovare. Tunc utique cantabis in jubilo cordis,* Deus Dominus illuxit nobis (Psal. 117.)

25. Miseræ aviculæ, dum miros ululæ gyros, ac ridiculos volatus curiosè observant, eique temerè illudunt, subitò incautas pennas, ad virgulam viscatam allisas implicant, & aucupi in prædam cedunt, cum lemmate. LUDENDO CAPIMUR. (Lascivus. Aspectus lascivus.) Ita planè incautus hominis oculus, in vicinam salacis fœminæ speciem emissus, tenaci, ac penè ineluctabili libidinis visco involvitur. Nam quod sapienter monet Clemens Alexand. (S. Clem. Alex. l. 3. Pædagog c. 11.) *dum lasciviunt oculi, calescunt appetitus.* Et S. Chrysost. (S Chrysost. ser. in Ozia.) *Sicut ignis, ubi calamum apprehenderit, mox attractam materiam suâ flammâ accendit. Ita ignis concupiscentiæ, ut primum formositatem & venustatem visu attigerit, animum statim inflammat.* Concinnè Otho Venius (Oth. Ven. Embl. Amor fol. 78.)

LUDENDO CAPIMUR, bibimus ridendo venenum,
Atque jocos inter vincula miscet Amor.
Si timeas laqueos, & te si vincula terrent,
Terreat & lusus, luctaque liber eris.

26. Spes vana, seu rectius, omnimoda deperditæ libertatis recuperandæ desperatio, aviculæ symbolo à Carolo Rancato repræsentatur, quæ caveæ inclusa, ferream cratem irrito conatu effringere, fugamque moliri nititur. (Desperatio.) addito lemmate. NEC SPES ULLA FUGÆ. Verbis è Virgilio mutuatis. (Virgil l. 10. Æneid.)

Ast legio Æneadum vallis obsessa tenetur,
Nec spes ulla fugæ &c.

Damnatorum hæc imago est, quia *in inferno nulla est redemptio.* (Damnati.) Nam S. Gregorio teste, (S. Greg l. 9. moral.) *quisquis ad toleranda inferni mala descendit, nequaquam ulterius ad lucem reatbit, quia nequaquā ultra misericordia parcētis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat.*

27. Avicula, virenti ramo insistens, dum offusâ escâ delectatur, à latente visco retinetur ac capitur. Illam proinde Carolus Bovius hoc lemmate notavit. SUIS CAPTA DELICIIS. (Jocando convertere.) Nimirum juvenem illum innuebat, qui globorum ludo à Sancto Ignatio Loyolâ superatus, ad seriam sanctæ ac spiritualis vitæ frugem est reductus. Emble-

matis mentem sequenti epigrammate explicatam accipe.

Res est quandoque & ludus non ludicra: nôstis
Seria vos etiam ludere, trudiculi.
Loyolam juvenis dum certat vincere, sentit
Arte suâ pelli dexteriore globos.
Sponsum ergo obsequium victori præstat, & omnis
Formandæ in vitæ seria ludus abit. &c.

Voluptas. *S. Aug. de vera relig. c. 20.*

Idipsum de voluptatibus terrenis dixerim, quibus inescata mens humana, ab aucupe dæmone capitur, & ad æternam perniciem miserrimè abripitur. S. P. Augustinus. *Peccatum implicat ærumnis, & pascit fallacibus voluptatibus; quia neque permanent, neque satiant, sed torquent doloribus.*

Doctrinā suaviter tradere.

28. Avis fœmella, pullis suis in nido jacentibus escam afferens, ab eodem P. Carolo Bovio epigraphen recepit. MOLLIA DAT TENERIS. Aviculæ solertiam imitatus S. Ignatius Loyola, teneram juventutem Christianæ fidei rudimentis suavi ac perfacili methodo imbuit. Huic, Petro Miphæo teste, strenuam operam jungens S. Franciscus Xaverius, Orientis populo sanctam fidem modo, quo fieri poterat, suavissimo, edocuit: ut adeò illud Apostoli elogium de ipso pro meritis enuntiaverim. *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam, nondum enim poteratis.* In hunc locum Gilibertus Abbas; *Utinam,* inquit, *istud attendant, qui facturi in conventu fratrum sermonem, student magis alta, quàm apta docere &c. Erubescunt humilia & plana docere, sola hæc scisse videantur. Erubescant ubera habere, nudare mammam, lactare parvulos. Quid istud est: ideone consedisti in medio, cathedram tenens, ut scientiam jactes? an ut TENERAM subditorum LACTES INFANTIAM?* Et paulò post, *Magna eloquentiæ laus est, causam, quam susceperis, aptè exequi, ad ejus commodum cuncta referre, suscepto inservire negotio.*

1. Cor. 3. 1. *Gilbertus Abb. in Allegor. Tilman*

29. Academia Spirituum Placentina Emblematis loco aves exhibet, quæ è folliculis quibusdam, per arbores in subjectam aquam delapsis, nascuntur, & exinde cum animâ volatum recipiunt. Lemma subjunctum habet. NON CHE L' ANIMA, IL VOLO. Id est, VITA ET VOLATVS AB UNDIS. Vide Pierium Valerianum, suprà num. 8. adductum. Ita prorsus anima, Deo per originariam culpam mortua, è baptismi lavacro vitam recipit. Fulbertus Carnotensis. *Ineffabilia contulit baptismi munera, per quæ ei commortui, & intra sacrum gurgitem consepulti ac demersi resurgemus, &c.* Insuper in baptismo non tantùm vitam, sed & volandi potentiam acquirimus, uti luculenter testatur S. Basilius Seleuciæ Episcopus. *Videre erat rem inopinatam, in aquis matrix parabatur, quæ cælo cives pareret.* Denique oratio, ceu miræ virtutis aqua, fidelibus & vivendi & volandi facultatem tribuit. Suffragio suo id confirmans S. Chrysostomus, *Ut piscis,* inquit, *aquâ vivit, sic tu precationibus. Per has tanquam per aquam, evolare, orbes cælestes superare, ad Deum propiùs licet accedere.*

Pier. Valer. l. 26. de Ephemero. Baptismus *Fulb. Carnot. ep. 1.* *S. Basilius Orat. 34.* Oratio. *S. Chrysost. hom. 2. de precat. to. 6.*

Religiosorum felicitas. *S. Hieron. in Regul. Monach.*

30. Avis caveæ inclusa, sine curâ suâ alitur. Unde Patres Societatis Jesu in Belgio hanc Emblemati inscriptionem junxêre. ALIUNDE PASCITUR. Idipsum Religiosis usuvenit, qui cœnobiis clausi, aliorum ferè curis aluntur: adeò ut Superior non modò pro animâ illius, sed pro ipso etiam corpore pervigilet. Sanctus Hieronymus inter cætera vitæ Religiosæ commoda, etiam istud numerat, *Ut non facias quod vis, comedas quod juberis, vestiâre quod acceperis, & operis tui pensum persolvas: lassus ad stratum venias, necdum expleto somno surgere compellaris; sicque per obedientiæ opera, sibi perpetuò succedentia, ne cogitare quidem aliud, quàm quòd præ manibus est, tibi liceat.* Præclarè Doctor Mellifluus illa sponsæ verba, *Lectulus noster floridus,* sponsæ accommodat; *quemadmodum enim lectulus quieti capiendæ oportunissimus est; ita & in Ecclesia,* inquit, *lectum, in quo quiescitur, claustra existimo esse & monasteria, in quibus quietè à curis vivitur sæculi & solicitudinibus.*

S. Bern. ser. 46. in Cant. Cant. 2.

S. Augustini elogia.

31. Avis, sublimi volatu suo visum humanum effugiens, epigraphen tenet. VISU SUBLIMIOR OMNI. De sublimi Ecclesiæ Doctore Augustino id intellexeris, cujus sapientia reliquos Doctores omnes, ipsumque adeò intellectum humanum penè excedit: unde à S. Hieronymo vocatur. *Episcopus volans per montium cacumina, quasi aquila.* à Sancto Hilario, *Doctor excellentissimus.* à Concilio Florentino, *Illustrissimus.* à Venerabili Beda, *supereminentissimus.* à S. Possidonio, *Incomparabilis.* à Martino V. Pontifice Maximo, *Tantus unus, quanti omnes.* à S. Remigio, *Sol inter Planetas stellasque minores, eminens, radios in omnes diffundens.* à S. Paulino, *Angelus non naturâ, sed gratiâ.* A P. Ribadeneira, *Ter sanctus inter doctos, ter doctus inter sanctos.* Ab Eusebio, *Cherubim per scientiam, Seraphim per amoris ignem. &c.*

S. Hier. to... S. Hilar. ep. ad Amat. Diac. Concil. Fl. Beda l. 4. Temp. Possid. in ... Mart. V. ... de Transl. Monicæ. S. Remig. ... 2. ad Cor. S. Paulin. ad August. Ribad. in ... ta. S. Euseb. ... Prolog. de ... Parad.

Amor laborem ... nuit.

32. Ingentem amoris vim haud satis explices unquam. Quid enim aves impellit ad tantam pullorum suorum solicitudinem, ut escam, quam sibimet subtrahunt, illis ministrent? laborent ipsæ, ut quiescant illæ? nisi amor? ut adeò avem, pascendis pullis intentam, congruo hoc epigrammate insignias. COMPELLOR AMORE. Ita nimium amor animos addit, efficitque, ut aut nullus labor sentiatur, aut quantumvis gravis, ametur. Unde, obsecro, tot difficiles ac diuturni labores Jacobi pro Rachele, nisi ab amore? S. August. ait, *Qui amat, non laborat.* Et, *Omnis labor non amantibus gravis est; solus amor est, qui nomen difficultatis erubescit.* Rectè propterea S. Bernardus in illud sponsæ, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; Ideo,* inquit, *non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leve pro amore ejus dicat, quidquid laboris immineat, & doloris.* Vis ergo ex labore gustum succumque suavem? ama. Nam *ubi amor est,* inquit idem Doctor Mellifluus, *labor non est, sed sapor.*

Gen. 29. S. Aug. in Man. & tract. de l... charit. & de bon. vid. Et serm. ... Verb. D... Et serm. ... de Temp. Cant. 1. S. Bern. s... 42. in C... Idem se... 8. in Can.

Pupillum Religiosum Mariæ cura e... homines derelicti.

33. Avicula, intra caveam clausa, omnem sui curam è solo curatoris arbitrio stare significat; genitoribus enim, à quibus nutriatur, est destituta, suique nullam habet potestatem. Unde P. Sebastianus à Matre Dei in suo Firmamento symbolico avem, caveæ inclusam exhibet, quæ curatorem suum, lemmatis loco, his omninò verbis alloquitur. SIT TIBI CURA MEI. Pupillorum, uti & Religiosorum hæc imago est, quorum sustentatio è curatorum, Superiorumve curâ pendet. Cætetùm Deus hominibus singulis, ceu pupillis miserrimis, Patronam providit summè bonam, Virg. Deiparam, quæ illorum curam gerit assiduam ac diligentissimam. Unde Ruth, non sine mysterio, messorum vestigia sequens, spicas colligebat derelictas: cur, obsecro, Moabitis ista ad alium laborem se non convertit, quo victum longè uberiorem acquirere potuisset? respondet D. Bonaventura, Ruth Deiparæ figuram esse, *quæ spicas derelictas, pupillos nempe & afflictos, in sinum suum collegit, fovetq; studiosissimè.*

S. Bonav. apud Seba... Mat. De...

ACCIPITER.

CAP. II.

34. Accipiter volatu directo, nullisq; ambagibus distorto versus cœlũ contendit. Unde lẽma. AD SUBLIME RECTA. vel, TRAMITE RECTO.

Eo-

Eorum hæc imago est, qui honorum culmina nequaquam per obliquos simoniæ, adulationis, fraudis, aut calumniæ mæandros, sed rectâ virtutis ac meritorum semitâ conscendunt. Eodem Emblemate doceris, actiones tuas efficere rectas; uti monet Philo Hebræus. *Debet curare mens, ut nō modò indefessa, & intenta sequatur Deum, verùm etiam PER callem RECTUM INCEDAT, nec ad dexteram inclinando, nec ad lævã.*

35. Accipiter, senio confectus, solari sphæræ sese directè adversum collocat; vel, ut alii docent, in australis venti conspectu se statuit; itaque, canescentibus pennis caloris beneficio abjectis, totus renovatur, viresque juveniles denuò recuperat. Emblemati subscripsit Ferrus. ADEMPTUM REDIMO. Ita Pœnitens, Spiritus sancti ardore inflammatus, mores inveteratos exuit, & innocentiæ, sanctitatisq. veste denuò amicitur. Hugo Victorinus, *Quid est*, inquit, *accipitrem in austro plumescere, nisi quod unusquisq; Sanctorum, tactus flatu S. Spiritus, incalescit: & visum vetustæ coversationis abjiciēs, novi hominis formā sumit.*

36. Spiritualem ac continuum virtutis acquirendæ profectum è volante accipitre discere licet. qui perdicem, aduncis unguibus prehendens, alias identidem, aliasque insequitur prædas. Lemma. PARTA TENENS, NON PARTA SEQUOR, Vel. ET NON PARTA SEQUOR. Gilbertus Abbas. *Jure*, inquit, *dici potest, quod sanctâ quâdam semper amor eget avaritiâ: semper enim ad secretiora exæstuat, & quæ tenet, non reputans, volubili se raptat in anteriora volatu.* Eodem symbolo avarus hominis animus significatur, nullis unquam mundi bonis exaturandus. *Avarus*, è S. Basilii sententiâ, *Non ea, quæ retrò sunt attendit, sed quæ his desunt, quæve antè prospicit à vicinis possessa desiderat.*

37. Tametsi accipiter, per aëra volans, libertate suâ fruatur, ad unicum tamen aucupis vocantis nutum pristina sua vincula repetit. Adeoque ULTRO AD VINCULA REDIT. Virum quemdam nobilem hoc Emblema spectabat, qui à Principe suo vocatus, tametsi gratiæ ac veniæ recipiendæ minimè securus, protinus accurrit. Baptista Mantuanus eam prompti animi generositatem in fortissimo athleta S. Laurentio deprædicat, qui è carcere solutus, postquam Ecclesiæ thesauros in pauperes destribuit, ad eundem ultrò est reversus.

Hunc Decius, sanctis florentem moribus, inter
Christi genas jussit vinclis & carcere claudi.
Martyr, ut improbitas esset frustrata tyranni,
Acceptis bidui induciis, collegit in unum
Noctu inopum turbam ingentem, sparsitq; per illos
Divitias omnes; ULTROQUE AD VINCULA
RURSUM VENIT. &c.

Eodem Emblemate notantur, qui scelerum suorum pænitudine ducti, è diaboli vinculis extricantur; postea verò sese iterato in ea præcipitant. S. Chrys. de recidivo ait, *Venisti per viam fornicationis, ambula per viam castitatis: venisti per viam avaritiæ, ambula per viam eleemosynæ: si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regno vadis Herodis.* Horatius.

Evâsti? credo metues: doctusque cavebis.
Quæres, quando iterum paveas: iterumque perire
Possis, ô toties servus! quæ bellua ruptis,
Cùm semel effugit, reddit se prava catenis?

38. Quantum prava consuetudo in humano pectore possit, Abbas Certanus ex Accipitris Emblemate demonstrat, qui ad aucupis pugnum in priora vincula ultrò revertitur; addito lemmate. LA LIBERTA SOSPIRO, E TORNO AL LACCIO. S. Ambrosius. *Voluntarium sibi militem eligit Christus. Voluntarium servum sibi diabolus auctionatur, & acquirit suo juri. Neminem jugo servitutis astrictum possidet, nisi*

Mundi Symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

[Left margin notes: ...nitates ...neri. — ...ionum ...itudo. ...l. de migratione ...abraham — ...nitens. — ...o Vict. l. ...1. best. c. 3 — ...fectus. — Gilb. serm. 1. in cant. — ...arus: — S. Basil hom. in avaritia — ...edienti volun...ia. — S. Laurentius: — ...cidivus. — Chrysost. ...Matth. 2. — Horat. l. 2 ...yr. 7 — ...onsuetudo mala. ...thor ...oprii ...li. — Ambrosius ...vita ...ta.]

se ei prius peccator ære vendiderit &c. Et S. Augustinus. *In omni amaritudine, quæ nostros sæculares actus de misericordia tua sequebatur, intuentibus nobis finem, cur eo pateremur, occurrebant tenebræ, & aversabamur gementes, & dicebamus, quamdiu hæc? & hæc crebrò dicebamus, & dicentes non relinquebamus ea.* Miseriam hanc indies apud excæcatos voluptatum amatores reperire est. (S. Augustin l. 6 Conf. c. 10)

39. Carolus Bovius symboli loco accipitrem expressit, qui versatili bacillo nixus, tametsi somno premeretur, dormire non poterat. Epigraphen addidit. ADIMIT VERTIGO QUIETEM. Innuebat videlicet, transitoriæ ac mundanæ felicitatis volubilitatem nihil unquam veræ quietis admittere. Ex Origenis sententiâ, *Quamdiu quis permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse sanctus.* (Mundi felicitas quietem tollit. — Orig. hom. 16 super Levit.)

40. Accipiter, generoso animo aviculam ex unguibus dimittens, epigraphen tenet. NON FUGA, SED CONTEMPTUS. Isthæc accipitris proprietas, si vera est, suis encomiis non caret; utpote, quam magnanima hominum pectora sibi familiare habent; abjecti enim animi est, vires suas adversus vilissimos quosvis exerere. Ita homo, cœlo rapiendo inhians, inferas ac caducas mundi voluptates facilè contemnit. *Contemne divitias* inquit Chrysost. *& eris locuples. contemne gloriam & eris gloriosius; contemne remissionem & quietem, & tunc eam recipies.* Hanc animi generositatem Torquatus Tassus in suo Rinaldo mirificè deprædicat, qui adversus magnanimos ac fortissimos quosvis ingenti ardore pugnare solitus, ignavos ac debiles neglectim transiit. (Mens generosa. — Contemptus mundi — S. Chrysost. in ep. ad Hebr. serm. 25. — Tass nella Gerus. Liberata Canto 19. st. c. 3.)

Tutto del sangue ostile orrido, e molle
Rinaldo corre, e caccia il popol empio;
La fiera spada il generoso estolle
Soura gli armati capi, e ne fa scempio,
E scermo frale ogn' elmo, & ogni scudo,
Difesa è qui l' esser de l' arme ignudo.
Sol contra il ferro il nobil ferro adopra:
E sdegna ne gl' inermi esser feroce &c.

41. Accipiter aucupis pugno alligatus, dum volare & è loco dimoveri nititur, conspecto carnis frusto, mox iterum conquiescit. Gnomam Emblemati subjunxit Bartholom. Rossus. EX INTUITU QUIES. Ita S. Carolus, ærumnis ac calamitatibus quantumvis gravissimis constrictus, illas tamen omnes facilè composuit, dum oculos animumque in Crucifixum conjecit. Hanc quietis recuperandæ methodum præscribens meus Concanonicus S. Lauren Justin *Qui tentantur*, inquit, *qui aliquo dolore cruciantur, proponāt sibi exemplum sponsi; & in speculo passionis ejus, quanta indignè ab indignis dignatus est pati, considerare nō desinant. Percipient sanè consolationem non minimam.* (S. Carolus. — Crucifixus est solamen afflictis. — Laur. Iust de Casto Connub c. 6.)

42. Gratiosum Accipitris Emblema est, dum coturnicem, vel similem aliã volucrem, à se captam, unguibus sustinet; cum lemmate. NON SIBI, SED DOMINO. Idipsum Dei servi assolent, qui novam semper & novã proficiendi materiē investigant, non quidem ut exinde propriis commodis aliquid accrescat, sed ut animas cælo lucrentur, Dei q; gloriam amplissimè promoveant. S. P. Aug. in illud Psal. *Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te*, ait, *Ego loquebar pacē de te, sed quare? propter fratres meos & proximos meos, nō propter honorē meum, nō propter pecuniam meam, nō propter vitam meam, sed loquebar pacem de te propter fratres meos, & propinquos meos; propter domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi. Non propter me quæsivi bona tibi; nam non tibi quærerem, sed mihi; ideò nec ego haberem, quia non tibi quærerem, sed propter domum Domini Dei mei,* (Servus Dei. — S. Augustin. in Psal. 121. 8)

propter Ecclesiam, propter Sanctos, ut ascendant &c.

S. Thomas Apost.

43 Aresius S. Thomam Apostolum, recentibus Servatoris sui vulneribus conspectis, ad sanctam fidē revocatum, Accipitris Emblemate repræsentat, qui cor sibi ab aucupe propositū intuēs, mox ad illius pugnū revertitur, Epigraphen addidit. REDIBIT AD DOMINUM. Saxeū ac plusquā belluinū sit hominis pectus, qui Christi vulneribus seriò consideratis, ad Deum non revertitur. S. August. *Quare*, inquit, *Dominus cum suorum vulnerum cicatricibus resurrexit? Quid ad hoc dicimus, nisi quia & hoc potestatis fuit, nō necessitatis? sic resurgere voluit, sic voluit quibusdam dubitantibus exhibere in illâ carne cicatrices vulneris, ut sanaret vulnus incredulitatis.* Eodem argumento D. Marinus singularem illum Christi affectum exprimit, dum purpureum suum sanguinem in circumcisione copiosè effudit, ut intuentem mundum ad se pertraheret. Ipsummet audi canentem.

Christi vulnera. | S. Augustin. serm. 147. de Temp. c. 2. | Marin. nella 3 p. della Lira

Qual hor Falco predace, ò regia augella
Vola, s'invola à la maestra mano,
Mostra il cibo sanguigno, e da lontano
Al pugno usato il Cacciator l'appella.
Usa ben egli ancor simile ingegno
L'eterno Verbo in sua mirabil arte,
Dandone di salute e un breue pegno:
Che quel sangue che scarso oggi comparte,
Esca è, che chiama i fuggitivi al segno,
Merce, che del gran prezzo è poca parte.

Obedientia. S. Franc. Xav. | S. Bernard. de præcept & dispensat.

44. Accipiter oculos in nutritium suum defixos habet; avolaturus, ut primùm ille vel unico nutu signum dederit. Lemma. AD NUTUM. Singularem S. Francisci Xaverii obedientiam hæc imago significabat, qui ad quemvis Superioris sui nutum remotissimas terras adire, paratus stabat. S. Bernard. *Verus obediens*, inquit, *mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totam intùs colligit, ut mandatum peragat imperantis.* Plautus,

Plaut. in Trin.

- - - - Pater adsum,
Impera quod vis: neq; tibi ero in morâ, neq; latebrosè me ab tuo
Conspectu occultabo.

Genes. 12. | Hug. Card. in hunc loc.

De Patriarchâ Abrahamo affirmat Moses, quod vix auditâ Dei voce, *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ*, protinùs *egressus est Abraham, sicut præceperat ei Dominus.* In hunc locum Hugo Cardinalis: *Non expectat diem, sed STATIM mandatum Domini satagit adimplere.* De duobus germanis fratribus Petro & Andrea, uti & de aliis duobus Jacobo & Joanne, S. Matthæus testatur, quod auditâ invocantis Christi voce, *Venite post me*, omni possibili celeritate, *continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Ubi attonitus exclamat S. Greg. *Nulla adhuc eum fecisse miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen AD UNUM Domini PRÆCEPTUM secuti sunt eum.* Idipsum de Apostolo Thomâ, ex infidelitate suâ redivio, affirmat Metaphrastes. *Protinùs, nullâ dilatione usus est, nec cunctatione, nec tardavit ad vocationem; sed adeo celeriter fuit mutatus & vinctus verâ voce vocantis, ut DICTO CITIUS ostenderet obedientiam.*

Matt. 4. 19. | S. Greg. hom. 5. in Evang. | S. Thomas Metaphrast.

S. Augustin. de mor. Manich l. 2. c. 8. relatus in Horto sanit. l. 2. c. 4 | SS. Euchristia. | 1. Cor. 11. 29. | S. Laur. Iust de Casto Connub. c. 24.

45. S. P. Augustinus observatum habet, Accipitrem, si panem comederet, quantocius mori. Unde Alcibiades Lucarinus accipitrem, è comesto pane examimem, hoc lemmate notavit. AT HOMINI VITAM. SS. Eucharistiæ panem hæc imago significat, qui justis vitam, sceleratis verò mortem ac supplicia affert. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* S. Laurent Justin. *Malus namq; bonum manducando, malefacit, non quia malum sit manducare bonum, sed quia malum est, bonum non manducare bene. Res quidem sancta, sicut justis in adjutorium, ita injustis & peccatoribus vertitur in judicium. Solis lumen sanis oculis delectabile est, ægris vero odiosum: corpus Dominicum innocentibus salutis medicamentum est, sceleſtis autem animæ mors.*

46. P. Henricus Engelgrave ad eandem accipitris naturam reflectens, quod nimirum pane manducato, mortem subeat, epigraphen addidit. HUIC PANIS SOLET ESSE VENENO. Mens Emblematis est, panem Eucharisticum conscientiis sceleratis fatalem esse. Dilucidè S. Ecclesia, *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus* S. Chrys. *Sicut corporalis cibus, cùm ventrem invenerit adversis humoribus occupatum, amplius lædit, magis nocet, & nullum præstat auxilium; ita & iste spiritualis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, non suâ naturâ, sed accipientis vitio.*

Eucharistia malis nocet. | In Missa. poris Chr. | S. Chrys. hom. ... Matt.

47. Accipiter generoso spiritu robustas tantùm ac grandiores volucres venatur, minutioribus contemptim relictis. P. Borsatus Emblemati subscripsit. NON INFERIORES. Ita magnanimum militis pectus cum triviali quovis milite confligere dedignatur, suoque robori validiores duntaxat hostes præfigit. Inter hos, si Tasso habeatur fides, excelluêre Argantes, Godefridus, Tancredus, Rinaldus, & alii. Cæterum verus Christianus quosvis inimicos generoso animo spernit, nec dignatur injurias sibi illatas ulcisci. Præclarè Seneca. *Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit, & quem illum in potestate tuâ videris, vindictam putabis, non vindicare potuisse. Scito enim magnum & honestum esse vitæ genus, ignoscere.*

Generositas. | Tass. in lib. Liber | Vindict. | Seneca l. a. Virtut.

48. Invictum ac imperterritum hominis animum accipiter repræsentat, dum pedes vinculis constrictos habet; addito lemmate. VINCIUNT NON VINCUNT. Etsi enim funiculi illi pedes stringere, ac libertatem auferre queant, vincere tamen, & animi generositatem eripere non possunt. Æneas Sylvius refert, cum Albertus, Marchio Brandenburgicus Ludovicum Bojorum Ducem, Stephani filium, captivum detineret, variaque ab eo postularet; Ludovicus constanti animo singula denegavit: indignatus Albertus, eum, ni petitis aquiesceret, horrem sibi fore capitalem dixit; cui nihil territus Ludovicus respondit. *Quæ poteris ex me libero impetrare, eodem modo ex capto petito. Si quid amplius voles, corpus meum in tua potestate, animum mihi, non tibi, obnoxium invenies.* Porrò sancti Martyres, tametsi catenis ac compedibus ligati, animum tamen servârunt ita integrum liberumque, ut tyrannis insultare, sanctam fidem defendere, ac insignem inter tormenta victoriam referre potuerint. *Nolite putare*, inquit Magnus Augustinus, *quia verè in miseria fuerunt fideles, cùm in catenâ ambulaverunt. Latus fuit carcer fidelibus, leves fuerunt catenæ confitentibus. Habebant gaudia in catastâ, qui Christum prædicabant inter tormenta.*

Animus impertritus. | Æn. Sylv. Comment. reb. gest. Alphons. | SS. Martyres. | S. Aug. in Psal. 95.

49. Accipiter volans ac fugitivus, emblematis loco virgulam infrà se habet, duabus explicatis alis, & totidem tintinnabulis instructam; cum lemmate. INDARNO LO RICHIAMO. Id est. INCASSUM REVOCARE CONANTUR. Ita cor ac cogitationes humanæ suis vanitatibus nonnunquam adeo perditè inhiant, ut quâcunq; adhibitâ diligentiâ ab iis retrahi nequeant. Certè S. Bern. affectus nostros ita esse fugaces ac revocatu difficiles affirmat, ut dicere nō abhorreat, *Facilius atomos mundi possem dinumerare, quam motus cordis mei, nā atomorum ac volatilium velocitas meis motibus æquiparari nō potest.* Nec aliter Præsulum Gemma Augustinus super illud Sacræ

Cogitationes fugaces. | S. Bern. l. Interiori. mo cap. 6. | S. Aug. in 85.

Sacræ Paginæ. *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te. &c.* ait, *Invenire se dixit* David *cor suum, quasi solaret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitivum, & non posse comprehendere, & clamare ad Dominum, quoniam cor meum dereliquit me.*

50. Religiosus, sacrum Ordinem professus, veram libertatem nullibi certiùs, nisi votorum vinculis constrictus, assequitur: haud secus ac compedes, accipitris pedibus innexi, penitus nihil impediunt, quin libero volatu versus cælum excurrat. Unde lemma. IN VINCULIS liber. De Virginibus id affirmans Tertullianus, *Tantò magis liberæ*, inquit, *quantò Christi solius ancillæ.* Idem Emblema etiam Sanctis Martyribus congruit, qui pro Christo inter carceres constricti, libero volatu ex iis ad cælestem gloriam sublevantur. *O pedes feliciter vincti*, Exclamat S. Cyprian. *qui itinere salutari ad Paradisum diriguntur! O pedes ad præsens in sæculo ligati, ut sint semper in cælis apud Deum liberi.* Huc non incommodum fore censui Rhythmum illum, quem animi causâ eo artificio composui, ut simul & totus Latinus, & totus Italicus, Patrem quemdam Augustinianum, cingulum suum apostrophes more alloquentem, introduceret.

Fascia carà & amata,
Pretiosa catenà,
Pompa sacrà, non pena,
Quando regnare intendo
In patrià beatâ,
IN SERVITUTE LIBERA
Per te volo, & ascendo.

51. Hominem sanguinarium ac Martialem accipiter repræsentat, cum lemmate. SEMPER IN ARMIS. Tàm lemma, quàm Emblema Ovidius suggerens canit.

Odimus accipitrem, quia vivit semper in armis

Diabolus, instar prædatricis feræ, semper in armis excubat, *Quærens quem devoret*; ibi præsertim, quandò viam mandatorum Dei currere, & ad cælum eniti cupimus. S. P. Augustinus. *Fortes milites Christi*, inquit, *dum arma sacramentorum sumitis, pugnam adversus diabolum indicitis; dum ejus operibus renunciatis, vehementius vos ejus furias provocatis.*

52. Accipiter, aviculas adortus, lemmatis loco à D. Emanuele Thesauro Abbate aphorismum illum politicum accepit. LENTE CONSULE, FESTINANTER EXEQUERE. Eadem Agapyti ad Justinianum Imperatorem præceptio est, *CONSULTA, quæ agenda sunt, CUNCTANTER; EXEQUERE autem, quæ decreveris, MATURE.* Et Leo Imperator. *Delibera tardè: nisi aliqua necessitas, celeritatem requirit, ubi consulueris, si nullum impedimentum sit, maturè facito.*

53. Accipiter, obvias quasvis aves infestis unguibus rostroque impetere solitus, avibus omnibus habetur odio. Emblemati subscribes. ODIUM, SÆVAQUE BELLA PARIT. Verbis ex Ovidio mutuatis.

Odimus accipitrem, quia vivit semper in armis;
Asperitas odium sævaque bella parit.

Hinc disces, assiduâ Superiorum asperitate non modò nihil profici, sed potiùs acerrimam subditorum indignationem & odium in ipsos concitari. Pulchrè meus Concanonicus S. Prosper. *Leniter castigatus, exhibet reverentiam castiganti; asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem.* Et Seneca. *Objurgationi semper aliquid blandè commisce: facilius penetrant verba, quæ mollia vadunt, quam quæ aspera.*

Reg. 7. 20. | 39. 13. | Homo mortalis. | Ovid. l. 2. de ... te. | Diabolus. | 1 Pet. 5. | Aug l. 2. de ... c. 1. | Concilium executio | ... ap. epist. ... an ad Ju... Imp nu. | Leo Imp. Tract. c. 3. | Ovid. loc. cit. | Superior ... durus. | Correctio ... | Prosp. l. 2. Vit. contempl. | Sen. in epist.

ALAUDA. Cap. III.

54. Alauda, in aëra evolans & cantillans, à D. Carolo Bosso epigraphen recepit. AD ARDUA GAUDENS. Serenissimum Parmensium Ducem, Ranucium Farnesium, hoc Emblema spectabat, qui in expeditione classicâ adversus Algyram, pauculo illi equitum numero accenseri voluit, qui effringendo propugnaculo destinati erant: idque negotium, arduum sanè, nec sine præsentissimo discrimine adeundum, tantâ celsissimi animi sui voluptate est executus, ut postea sanctè affirmârit, nihil unquam in vitâ sibi jucundius accidisse: nimirum Alaudam est imitatus Farnesius, quæ sola inter omnes volucres, dum in sublime evolat, cantillare consuevit. Porrò hoc Emblemate illam animi alacritatem describere licet, quâ Verbum Divinum in humanâ carne ad acerbissimam passionis ac mortis suæ scenam properavit. Nam *hymno dicto*, seu, juxta contextum græcum, *hymnizantes*, quod idem est, ac *hymno cantato, exierunt in montem Oliveti.* Victor Antiochenus. *Ante passionem*, inquit, *laudat, gratesque Deo depromit, per hoc ostendens, se ultrò, libenterq; pati. Tum nos quoque hoc exemplo admonens, ut adversa pugna, quæ nonnunquam sese offerunt, grato patientique animo perferamus.*

55. Suavi quidem gutture alauda cantillat; has tamen vocis suæ gratias nonnisi sereno ac ridente cœlo emittit: ubi verò pluviæ, aliæque aëris intemperies ingruunt, altum tenet silentium. Unde lemma. COELO CANORA SERENO. &, SUB PLUVIO SILET. Adulatoris hi mores sunt, qui, dum fortuna favet, suavissimas voces ac mella merissima Mecænati suo fundit; at tum sors beatior terga vertit, cælumque turbas minatur ac nubila, mox hæsitare lingua, ac penitùs obmutescere incipit. *Non sunt fideles in amicitia*, inquit S. Isidor. *quos munus, non gratia copulat, nam cito deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim, quæ muneri glutinatur, eodem suspenso dissolvitur.* De Alaudæ cantu meus Concanonicus, D. Salvator Carducius, hoc distichon ponit.

Audin' ut cœlo sit alauda canora sereno;
Sic quoque blandiloquus Rege jocante canit.

De ejusdem verò inter nubila silentio hos Jambos subjicit.

Sub cœlo Alauda nubilo, elinguis silet:
Tonante rege blandus horret Aulicus.

56. Petrus Bercor. observatum habet, Alaudam dum in terrâ moratur, nihil unquam suavioris vocis edere; ubi verò in aera evolaverit, mox in amœnissimos cantus erumpere. Lemma. MODULATUR ELATA. Vel ipsius Alaudæ ore. CONCINO, DUM ELEVOR. Anima, terrenorum affectuum luto immersa, ad laudis Divinæ harmoniam penitùs inepta est: at verò è terrâ sublimior, digna est, quæ Angelis associetur, laudesq; Numinis æternùm canat. Certè mulier Chananæa gentilium terras vix egressa, ad Deum orandum quantociùs se composuit. *A finibus illis egressa, clamavit dicens, miserere mei Domine.* In hunc locum S. Hieron. *Inde novit vocare filium David, quia jam egressa fuerat de finibus suis &c.*

57. P. Lauren. Borsatus etiam hanc inter Alaudæ proprietates observat, quod, quantò excelsiore volatu è terrâ in aëra fertur, tantò cantilenas efformet suaviores. Unde lemma. QUO ALTIUS, EO SUAVIUS. Gratum hominis animum hic typus adumbrat, qui encomiis tantò majoribus Mecænatem suum prosequitur, quò subliniorem gradum ejus beneficio conscendit. Animam etiam justam hæc imago concernit, quæ, quantò in perfectione sublimior fuerit, tantò edit voces in Dei & Angelorum auribus amœniores. Nam, Magno Augustino teste, *Orationis puræ magna est virtus, & velut fidelis nuntius mandatum peragit, & penetrat, quò caro non pervenit.*

Animus generosus. | Christus patiens. | Matt. 26. 30. | Vict. Antioch. relatus à Glossa super Marc. 14. 26. | Adulator. | S. Isid. l. 3. de Summ. bono. | Bercor. in Reduct. Moral. | Separatio à mundo disponit ad Deum | Matt. 15. 22. | S. Hieron. in hunc loc. | Gratitudo | Anima justa. | Oratio. | S. Aug. in Ps. 65.

ALCYON.

Cap. IV.

58. Avis hæc maritima nidum suum rigente hyeme in oceano construit; naturæ tamen privilegio adeò eximio, ut alcyone ovis incubante, ventorum fremitus subsidant, fluctuum tumultus conquiescant, & quies undique placidissima exoriatur. Unde D. Carolus Bossius Emblematis loco duas Alcedines, marem & fæmellam, in tranquillo pelago intra nidum depinxit, cum lemmate. CERTA QUIES. quâ imagine Carolus Bossus auspicatum supremi in Castellâ Equitum Magistri, ejusque Serenissimæ conjugis, Ducissæ de Ferias, in Italiam adventum significabat; Ex illorum enim illustrissimo adventu ac præsentiâ, in Italiâ, veluti in nido, stabiliendâ, omnem Reipublicæ quietem ac perennem tranquillitatem est ominatus. Verius tamen de Dei ac B. V. M. præsentia id intellexeris, cujus beneficio, omnes mentis humanæ fluctus, detumescunt, & in eorum vicem interior tranquillitas sorte beatissimâ sufficitur. Nam, quod Magnus Augustinus testatur, *Tempus lætitiæ, quietis, & felicitatis non venit de meritis nostris, sed de gratiâ Salvatoris.*

Præsentia Magnatis.

Præsentia Dei & Mariæ.

S. Aug. serm. 151. de Temp. c. 1.

59. Alcyon, nido suo propè maris litus incubans, epigraphen tenet. OMNIA TUTA. Certè Maria Virgo, intra animi nostri præcordia, veluti in nido, recepta, omnes pelagi terreni fluctus frangit, ac quietem præstat placidissimam. S. Bernard. ad Deiparam conversus, *Ex hoc*, inquit, *beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam tribuisti. In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi omnis creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis, quidquid creavit, recreavit.* Scitè Aloysius Cerchiarus.

Mariæ V. protectio.

S. Bernard. in serm.

Cerch de Assumpt. M. V.

Seu Boreas tumidis in littora sæviat undis;
Seu Notus elatis sidera pulset aquis.
Alcedo in scopulo nidum si collocet, omnis
Ponit inexpletas æquoris unda minas.
Fluctuet immani bellorum turbine mundus,
Sanguinis & calidas æstuet inter aquas:
Exprimit Alcyonem Virgo rediviva, salutem
Nuntiat illa salo, nuntiat ista solo.

60. Alcedinis præsentia summam pelago tranquillitatem tribuit; cum lemmate. EX ASPECTU TRANQUILLITAS. Ita Principis vel Superioris præsentia omnes è civitate, Republicâ, aut familiâ tumultus ac dissidia propulsat. Plinius. *Est veri Principis, atque etiam consulis, reconciliare æmulas civitates tumentesque populos, non imperio magis, quàm ratione compescere, intercedere iniquitatibus magistratuum, infectumque reddere, quidquid fieri non oportuerit.*

Residentia Superiorũ.

Plin. in Panegyr. Trajan.

61. Etsi videatur à veritate alienum, Alcyonem inter dimidiæ hyemis rigores, longè à littore, loco oceani injuriis omnium maximè infestato, sua ova parere; id tamen certum est, quod avicula illa insignem prudentiam à naturâ congenitam habeat. Ut adeò pro meritis suis hanc epigraphen à nomine receperit. AGNOSCIT TEMPUS. Hæc Alcyonis virtus, si qua alia, in humanis negotiis cumprimis tenenda est; malè enim disponitur, quidquid improvidè disponitur. Seneca. *Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur, præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare; nam qui nil de præteritis cogitat, vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.* Ovidio asserente.

Providentia.

Senec. de 4. Virtut.

Ovidius.

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accedas vitia, irritesque vetando,
Temporibus si non aggrediare suis.

62. Alcyon nidum suum è materiâ adeò firmâ ac tenaci fabricatur, ut non nisi difficillimè perfringi possit; imò, quod maximè mireris, in illo construendo tantùm artificii impendit, ut per maris procellas longissimè jactatum, nulla unquam aquæ guttula, vel res alia quæcunque penetret. Aresius hâc icone intemeratum Virginis Mariæ uterum significans, epigraphen subdidit. NON ERIT, QUI APERIAT. S. Athanasius. *Virginale illud claustrum*, inquit, *in quo Divinus thesaurus repositus fuit, omni ex parte purum, atque impollutum permansit.* Et S. Joannes Chrysostomus. *In tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, & integritas roborata.* Et paulò post, *qui ingreditur, & egreditur, & introitus sui & exitus nulla vestigia relinquit, Divinus habitator est, non humanus.*

Mariæ V. virginitas.

S. Athan. de Mari. & Ioseph.

S. Chrys.

63. Mulier ad Venerem solicitata, non tamen persuasa; Alcyonis nidum imitatur, qui in mari fluctuans, epigraphen tenet. AGGREDITUR, NON INGREDITUR. S. Gregorius Papa affirmat, non alia adversus Christum in deserto fuisse tentamenta, nisi quod, interiore Servatoris animo penitus intacto, solam ipsius exteriorem superficiem sit adortus. *Tentari per sugestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideò omnis diabolica illa tentatio foris non intus fuit.* Eâdem planè ratione vaferrimus dæmon Mariam Virginem nullâ unquam labe aspergere potuit. Quare S. Hieronymus illud Virginis elogium considerans, *Hortus conclusus, fons signatus*, eruditè observat, Deiparam horto concluso ac fonti sigillato appositè comparari, utpote *Ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec prævaluit fraus inimici, sed permansit sanctâ mente & corpore, multis donorum privilegiis sublimata.*

Mulier frustrà solicitata. Christ. tentati.

S. Greg. p. hom. 16 in Evang.

Maria V. intacta.

S. Hier. de Assump.

Cant. 4.

64. Ajunt, Alcyonis fæmellam nunquam à suo consorte dissociari. Hanc proinde vinculi conjugalis imaginem interpretatur Bargalius; addito lemmate. NUNQUAM A LATERE, subintellige, recedit. Genuina hæc amici veri, Providentiæ Divinæ, & Angeli tutelaris idea est. *O homines*, exclamat Epictetus, *scitote diligenti & præstanti cuidam custodi unumquemque nostrûm esse commissos. Cum igitur fores adduxeritis, & tenebras intus feceritis, mementote nunquam dicere, quod soli sitis. Non enim estis soli, sed Deus intus est, & vester Angelus intus.*

Conjugalis affectus. Amicus verus. Providentia Dei. Angelus Custos.

Epict. ad Lips. l. 1. Physiolog. dissert. 16

65. Alcyon fæmella, seniorem Alcyonem dirigere solita, ab Alcibiade Lucarino epigraphen cepit. ASSISTENS, NUNQUAM DESISTENS. Nimirum verus amicus est, qui, quantumvis fortuna mutet, ab amicitia tamen se dimoveri nunquam patitur: nam Lipsio teste, *Amicitia, quæ desinere potest, nunquam vera fuit.* Eodem emblemate societas conjugalis, nunquam rumpenda, significatur. De hâc Horatius.

Amicus verus. Conjugis affectus.

Lips. Cent. singul. ad Germ. ep.

Horat. l. 1 Ode 13.

Felices ter, & amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Divulsus querimoniis,
Suprema citius solvet amor die.

66. Dominicus Gambertus symboli loco Alcyonem expressit, quæ hyemis tempore inter maris procellas nido suo tranquillè incubans, epigraphen è Tibullo mutuatam sustinet. NEQUICQUAM TERREOR ÆSTU. Magnanimum Belliducem hæc imago repræsentabat, cui pectus erat ita imperterritum, ut medios hostium cuneos ingressus, non tantùm nihil timeret, sed serenâ quiete, plurimâque felicitate perfrueretur. Porrò homo in Deo suo, veluti in nido firmissimo positus, nullos sævientis mundi fluctus pertimescit. *Quid times hominem, homo in sinu Dei positus: tu de illius sinu noli cadere, quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem.* Ita S. P. Augustinus.

Tibull. l. 1 Eleg. 5.

Animus imperterritus. Justus nihil timet.

S. Aug. de Verb. Dom.

67. Sanctus Ambrosius de Alcyone scribit; *Omnes cadunt ventorum procellæ, flatusque aurarum quiescunt,*

S. Ambr. l. Hexam. c. 1

tunt, *ac placidum ventis stat mari*, *donec ova fovet Alcyon sua.* Unde Lucretius Borsatus Alcyonem depinxit, quæ ovis suis in nido incubabat, cum lemmate. SILENTIBUS AUSTRIS. Ita planè virtutum nostrarum fœtus ibi demum maturescunt, quando validi importunarum passionum, vitiorumque venti subsidunt. S. P. Augustinus, *Esto*, inquit, *tranquillus*, *& intelliges*; *nam perturbaris*, *& obscuras tibi lucem: radiare tibi vult Deus*; *noli tibi facere nubilum de perturbatione.* Eodem Emblemate innuitur, scientias nonnisi pacis tempore, & in animo, à turbis ac passionibus remoto, vigere posse.

irtus in- iete escit.

Aug in Ps.

ientia rbas o-

68. Carolus Rancatus Symboli loco geminam Alcyonem depingi fecit, quæ supra oceanum collocata, nautis indubiam futuræ tranquillitatis quietem portendit: lemma è Virgilio subjunxit. ÆQUORA TUTA SILENT,

Virgil. 1. Æn.

Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
Ad cœlum scopuli, quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent.

Alludebat Rancatus ad Unionem ac pacem illam universalem, in maritimâ S. Joannis Lucensis Insulâ, à duobus celeberrimis Heroibus, D. Julio Mazzarino Cardinale, & Aloysio de Aro, inter duos Hispaniarum & Galliæ Reges Anno 1659. erectam, stabilitamque. Porrò Christus, hunc mundum obambulans, & hominibus inter sese, & cum Deo pacem attulit felicissimam, simulque omnes hostium infernalium motus compescuit. Nam, *Deo placuit per eum reconciliare omnia in ipsum*, *pacificans per sanguinem crucis ejus*, *sive ea quæ in terris*, *sive quæ in cœlis sunt.* Unde ipsemet Christus. *Pacem relinquo vobis*, *pacem meam do vobis.* S. Augustinus, *si quæris*, inquit, *ubi sit pax*, *aperi oculos ad illam civitatem*, *quæ non potest abscondi. supra montem constituta.* *Ipse Christus est pax nostra*, *qui fecit utraque unum*; *non Donatus*, *qui fecit de uno duo.*

Cristus fit pa-

Coloss. 1. 19.

Io. 4. 27.
S. Aug. contr. lit. Petil. l. 2. c. 70.

69. Alcyon in mari tranquillo pariens, epigraphen à P. Jacobo Masenio accepit. PARET PARIENTIBUS ÆQUOR. Ita pariente Mariâ Virgine, pax ubique summa fuit, totusque terrarum orbis conquievit. De Christo enim recens nato canit Psaltes Regius. *Factus est in pace locus ejus.* Unde etiam vocatur *Princeps pacis.* S. Angeli eodem tempore pacem hominibus prænuntiarunt felicissimam, & tot seculis expectatam, *Gloria in excelsis Deo*, *& in terra pax hominibus.* Audi S. Augustinum. *In utero Virginali spiritales nuptiæ celebratæ sunt*, *Deus conjunctus est carni*, *& caro adhæsit Deo*, *hinc procedens ut sponsus de thalamo*, *ad cujus nuptias commota universa exultare visa est creatura.* *Namque Angelorum chorus ex his nuptiis pacem designat hominibus bonæ voluntatis*; *quia qui erat Dei Filius*, *factus est hominis filius.* Concinnè P. Masenius.

Maria V. pariens. Nativitas Christi.

Luc. 2. 14.
S. Aug. Orat. in Iudæos.

Incubat Halcyone tranquillis æquora nidis,
Et pariens stratis pace fovetur aquis.
Partum Virgo tuum sensit tranquillior orbis:
Nec locus est bellis, pax ubi nata fuit.

70. Petrus l'Abbè Symboli loco Alcyonem expressit, quæ supra mare in nido recumbens, omnem ab illo tempestatem fugat; addito lemmate. PACEM AFFERT UNDIS. Vel, ut P. Sebastiano à Matre Dei, Carmelitæ Excalceato placet. SILEAT NUNC TURBIDUM. Nativitatem Beatæ Virginis hæc imago repræsentabat, quæ pacem ac tranquillitatem auspicatissimam mundo portendit: ut adeò Virgo hæc à Matth. Philadelph. rectè cognominetur, *quies tranquilla navigantium in hoc mundi pelago.* Porrò quisquis Mariam Virginem in corde suo receperit, is veram tam præsentis, quàm æternæ vitæ securitatem sibi polliceri potest. Adeò enim gratiarum fœcunda est Maria, *ut*, Mellifluo Bernardo teste, *de plenitudine ejus accipiant universi*; *captivus redemptionem*, *æger curationem*, *tristis consolationem*, *justus gratiam*, *Angelus lætitiam*, *tota denique Trinitas gloriam.* Cæterùm Christo in hujus mundi pelagus nato, summa hominibus exorta est quies, & vitæ æternæ securitas; quippe *qui* (verba sunt S. Bernardi) *ad hoc ipsum venit in mundum*, *ut habitans in hominibus*, *cum hominibus*, *pro hominibus*, *& tenebras nostras illuminaret*, *labores levaret*, *& pericula propulsaret.*

Maria V. ... itas. ... in ... B.V.

Maria V. vitam affert.

S. Bern. super missus est.

Christi nativitas.

S. Bern de Advent. Dom ser. 7.

A N A S.

Cap. V.

71. ANas, capite intra aquas submerso, epigraphen à D. Aresio accepit. PROFUNDA QUOQUE SCRUTATUR. Ingenia hominum curiosa, ac speculationibus dedita hoc symbolum repræsentat. Ad propositum Sanctus Laurentius Justinianus. *Factus est homo*, *ut cœlestia consequatur*, *invisibilia concupiscat*, *& majora se quærat*; *Impellitur igitur à natura*, *ut summum videre appetat bonum.* *Inferiora ideo tanta cum aviditate perlustrat*, *ut si quod in illis summi boni vestigium est*, *percunctando reperiat*

Curiosus.

S. Laur Iust. l de triumph. agon. c. 18.

72. Anas, ab aucupe instructa, alias complures anates intra rete allicere solet. Unde lemma. OFFICIOSA ALIIS, EXITIOSA SUIS. Ita omninò proditores, ut exteros foveant, suos præcipitant. Ex horum farinâ Apollonius, Samiorum Gubernator, miseros suos cives Philippo Regi excruciandos, ac minutim concidendos tradidit. Omnium tamen Primipilus, infamis Iscariotes, ut Judæorum gratiam aucuparetur, ipsammet Divinam innocentiam, Magistrum suum suavissimum, crudelibus illorum retiis implicavit. Nam, ut ait S. Leo, *corpore tantum cum cœnantibus recumbebat*, *mente autem Sacerdotum invidiam*, *testium falsitatem*, *& furorem imperitæ plebis armabat.* Vide sis in hanc rem aptissimum Alciati Epigramma, cujus titulus. *Dolus in suos.*

Proditor.

Proditor Judas Iscariotes.

S. Leo serm. 7. de Passion.

Alciat. Emblem. 50.

73. Lasciva mulier, blanditias simulare solita, incautos juvenes non tantùm ad sanitatis, vitæ, & animæ excidium præcipitat, sed insuper eos scelerum omnium mancipia efficit: haud secus atque Anas socias suas in carcerem & macellum allicit; cum lemmate ex Alciati Emblematis desumpto. SUB RETIA DUCIT. vel, ALLICIT IN LAQUEOS. vel, DUCIT AD INTERITUM. Exemplo sit scortum illud, quod, juvene in extremam perniciem deturbato, in sacris Litteris falsè commemoratur his verbis. *Irretivit eum multis sermonibus*, *& blanditiis labiorum protraxit illum.* *Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam*, *& quasi agnus lasciviens*, *& ignorans*, *quod ad vincula stultus trahatur.* Meritò exclamat S. Cyprianus. *Quantos leones domuit una mulier*, *infirmitas delicata*, *quæ cùm sit vilis & misera*, *de magnis efficit prædam.* S. Wolstanus Episcopus Wigorinensis in Anglia, à nobili pulchraque fœmina ad turpitudinem provocatus, facto crucis signo dixit, *fuge fomes lasciviæ*, *mortis filia*, *vas satanæ.*

Meretrix.

Prov. 7. 21.

S. Cyp. Tract. de singul. Cleric.

Surius in ejus vita die 19 Ianuarii.

74. Anas eâdem facilitate ex aquis se retrahit, quâ iis immergitur. Lemma. EMERGIT IMMERSA.

Ælian. l. 5. de Animal. c. 33. MERSA. Æliani verba sunt. *Anates sapienter & merguntur & emergunt.* Animæ peccantis ac denuò pœ-
Pœnitens. nitentis hæc idea est, quæ sive inter libidinis undas sepulta; uti Magdalena; sive in infidelitatis cœno volutata; ut Thomas; inde tamē ad cœli ac gratiæ amœnitatem perfruendam emergit. De Apostolorum Principe
S. Pet. Dam. Opusc. 13. c. 12. scripsit S. Petrus Damianus. *Lachrymæ tribuunt, ut negator Apostolus non modo non pereat omnino post lapsum, sed ultro etiam ut super cæteros cœlestis curiæ Senatores obtineat principatum.*

Ælian. l. 6. 75. Æliano teste, Anas, ab aquilâ infestata, mox vicinis aquis, ceu unico extremi discriminis asylo, immergi solet. Unde lemma. HOSTEM SUBMERSA DECLINAT. Magdalena, jamjam infernali-
Magdalena pœnitens. bus Harpyis destinata prædâ, cùm sese intra profunda lachrymarum flumina altum submergeret, incolumis evasit. In hanc rem non congruè S. Petrus Damia-
S. Pet. Dam. Opusc. 13 c. 12 nus, *Lachrymantes oculi diabolum terrent &c.*

76. Martialis de Anate ait, duo membra, nimirum cor & caput, inea præ cæteris sapida, & comedentibus æstimanda esse.

Tota quidem ponatur; sed pectore tantùm
Et cervice sapit: cætera redde coco,

Prudentia cum fortitudine. Proinde epigraphen adde. CERVICE ET PECTORE SAPIT. Ita prorsus heroes potissimum acri intellectus judicio, & magnanimo pectore æstimantur.
Senec. Ep. 85. Opportunè Seneca. *Fortitudo non est inconsulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitio. Scientia est distinguendi, quid sit malum, & quid non sit; diligentissima in tutela sui: fortitudo est; & eadem patientissima earum, quibus falsa species malorum est &c.*

77. Memini, me parentem Anaten cum aliis par-
Ebrius ac Prodigus. vulis anatibus compluribus, intra aquæ stagnum videre depictam; addito lemmate. ET NATAT, ET NATARE FACIT. Ita nimirùm lurcones, parasiti, &
Athen. l. 12. c. 16. ipsimet merâ bacchanalia vivunt, & suos filios aut commilitones assiduo madere vino, & jocis continuis diffluere faciunt. Si Athenæo fides, Sybaritarum unicum penè & continuum solamen erat, publicis ac
Ælianus. opiparis conviviis accumbere. Quinimò, Æliano teste, Agrigentinorum luxus eò excreverat, ut de illorum lautitiis Plato asseveraret, *eos ædificare, ac si victuri perpetuò forent; ita convivari, velut cras morituri.* De Domitiano Imperatore scribit Xiphilinus, *ingentes opes summâ prodigalitate ludis, atque spectaculis, & conviviis edendis dilapidavit.* Pe-
Fulgosus l. 9. c. 1. trus Riarius Sabaudus in unicum symposium viginti coronatorum millia expendit; eoque non convivæ tantùm, sed & extranei inebriabantur; *populo ex cibis spargebantur, quæ de mensis auferri contingebat.*

ANSER.

Cap. VI.

78. ANser, si herbam carpere cœperit, non acquiescit, nisi illâ vel radicibus evul-
Animus resolutus. sâ, vel damno aliquo sibimet illato. Unde lemma. DEFICIAM, AUT EFFICIAM. Animum resolutum, aut cœptis obstinatè inhærentem hæc imago designat; qualem Spartani congenitum habuêre, qui decreto adeò firmo adversùs hostes con-
Cicero l. 1. de Officiis. citabantur, ut vel eos acie devictus, vel se ipsos vitâ spoliatos vellent. Unde Mater quædam filio suo, ad bellum accincto, scutum tradidit, cum dicto. *aut cum hoc redi, aut in hoc.* Nam Tullio teste, *ad magnanimum pertinet, neque perturbationi animi, neq.* Satyr. nel F Atto. 2. scena. 6.
fortunæ succumbere. In hanc rem Satyrus:

------ Tu ci verrai
Si me credesi de lasciarci queste
Braccia &c.

79. Anser ad aliena, etiam propriæ speciei ova fovenda nunquam adduci potest. Unde Franciscus Lancus illum, ovis suis incubantem, hoc lemmate notavit. NON ALIENA. Innuebat vide- Attende sibi.
licet, se suis duntaxat negotiis, sibique soli velle attendere, alienis penitus relictis: damnum quippe non leve affert homini, si se ipso neglecto, oculos in alienas actiones defigat. *Desperati homines*, inquit
Magnus Augustinus, *quantò minùs intenti sunt in peccata sua, tantò curiosiores sunt in aliena. Quærunt enim non quid corrigant, sed quid mordeant: & cùm se non possunt excusare, parati sunt alios accusare.* Ad rem S. Aug. ser. ex addit. Sirmond. Ovid. l. 2. Ep. 1.
Ovidius.

Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro
Non audet, nisi qui didicit, dare; quod medicorum
est;
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

80. Consiliarius superbus ac pertinax; qui propriis duntaxat sententiis nixus, aliorum consilia re- Consiliarius pertinax.
probat, à D. Aresio Anseri, ovis suis incubanti, comparatur; cum lemmate: ALIENOS ABJICIT. Justus Lipsius. *Sententiæ suæ tenaces, judicia omnia, & CONSILIA SPERNUNT ALIORUM.* Lips. Cent. 2. Epist. 4

81. Anser inter pluvias, quamlibet copiosas, nec minimum madefieri solet. Unde sub cælo plu- Ignorans indocilis.
vio constitutus, epigraphen à Lucarino recepit. NEC MADIDAM REPERIES. Illius hæc imago est, qui frequenti litteratorum consuetudine usus, Innocens inter illas occasiones.
semper ab eorum scientiis jejunus recedit. Vel, qui inter parvas occasiones constitutus, nihil unquam vitii contrahit. Vel denique, qui peccatorum cœno Peccator gratiam respuens.
altum immersus, gratiæ Divinæ pluvias, cumulatè in ipsum effusas, obstinatè repellit. &c. De superbo corde ait S. Bernardus. *Elatum cor durum & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis.* S. Bern. l. Ser. in C.

82. Anseres, montem Taurum transituri, lapidem rostro comprimere solent, ut hâc ratione ad sum- Silentium.
mum silentium coacti, Aquilis, Tauri inquilinis, non prodantur, earumque ungues effugiant. Emblematis loco subscripsit Joannes Horozeus. SILENTIUM VITAM. Vel, A SILENTIO VITAM. S. Ambrosius. *Quàmplures*, inquit, *vidi loquendo peccatum incidisse, vix quemquam tacendo. Ideoque tacere nôsse difficilius est, quam loqui. Scio loqui plerosque, cùm tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cùm sibi loqui nil prosit: sapientis est ergò, qui novit tacere.* Ovidius. S. Ambr. l. 1. de O. Ovid. 6 Met.

--- Os mutum facti caret indice.

Simonides solitus erat dicere.

------ Pœnitet me fuisse locutum,
Tacuisse nunquam.

Hanc gnomam Italico poemate ita explices.

D'hauer taciuto io non mi dolsi mai,
Ch' al ombra del silentio io fui sicuro:
Spesso ben mi pentii perche parlai.

83. Franciscus Caraffa Cardinalis Anseri strepenti inscribi fecit. NOCET ESSE LOCUTUM. Loquacitas.
Anser enim, avis cæteroquin non ingrata, solâ voce multorum aures offendit, seque ipsum etiam obstrepero clamore suis prodit raptoribus: id, quod hominibus garrulis non rarò usuvenire solet. Verissi-
mè

meSeneca. *Loqui ignorabit, qui tacere nescit. Sapienti expedit, tacere prose, quàm loqui contra se.* Et *Nihil æquè proderit, quàm quiescere, & minimum cum aliis loqui, & plurimum secum.*

84. Anser, capitolio insidens, illud stridore suo ab hostibus defendit. Lemma. BENE LOQUITUR. QUIA OPPORTUNE. Pulchrè Valerius Episcopus. *Et loqui, & tacere perfectio. Est autem utriusque partis causa, verborum tenuisse mensuram. Aliquoties nimia taciturnitas stultitiæ adscribitur; sicut & verborum nimietas ad furorem refertur, secundùm illud Sapientis*: est tacens non habens sensum loquelæ, & est tacens sciens tempus apti temporis: *de quâ re si nostri sententiam requiras arbitrii, jam malo, aliquid intacendo stultus, quàm nimium loquendo judicetur insanus.* Et S. Gregorius. *Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore relinquit.* Denique Glossa, *Sapiens*, inquit, *non solùm quod loquitur, sed etiam opportunitatem loci, & temporis, & personæ, quum loquitur, diligenter inquirere solet.*

Loqui opportunè.

85. Anser lauri penitus est impatiens. Lemma. NIL MIHI CUM LAURO. Ita sanè homo loquax & garrulus ad sapientiæ lauream percipiendam penitus est inhabilis. Salomone teste, *Vidisti hominem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est, quàm illius correptio.* Pythagoras interrogatus à quodam, quomodò inter sapientes discipulos computari possit; respondit, *Serva silentium, donec necessarium sit tibi loqui. Si nil dixeris, nisi quod bene scieris, si gesseris optima, & locutus fueris pauca. Nam silentium signum est sapientiæ, & loquacitas signum est stultitiæ.* Unde de hoc Pythagorico silentio disserens Hugo Victorinus, ait, *Scholares nostri aut nolunt, aut nesciunt modum congruum* (tacendi) *in discendo servare: & idcircò multos studentes, paucos sapientes invenimus.* Cæterùm silentium, virtus est adeò Religiosorum propria, ut garrulis nunquam liceat ad perfectionis laurum pervenire. Dilucidè Apostolus, *Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est religio.*

Loquacitas expellit sapientiam. Silentium Religiosorum.

APVS. vide, *Hirundo.*

CAPUT VII.

86. Hirundines reperiuntur, quæ ob crura ac pedes nimium breves, *Apodes*, id est, *sine pedibus*, cognominantur. Hæc avium species nec progredi, nec pedibus niti valens, assiduo volatu per aëra remigare, aut immobilis in nido recumbere cogitur. Unde lemmatis loco hæc Plinii verba adjeci. AUT PENDET, AUT JACET seu, *aut volat, aut jacet.* Illos hæc imago concernit, qui sanctam mediocritatem abominati, aut omnia aut nihil volunt agere, sicque in extremis istis nunquam non impingunt. Horatius de Tigellio canit.

Nihil æquale homini fuit illi: sæpe velut qui
Currebat fugiens hostem, persæpe velut qui
Junonis sacra ferret. Habebat sæpe ducentos,
Sæpè decem servos: modò Reges atque Tetrarchas,
Omnia magna loquens, modò sit mihi mensa tripes, &
Concha salis puri, & toga quæ defendat frigus
Quamvis crassa queat.

Nec abludes, si mundanos homines Apodes dixeris, quippe ad carnis ac mundi commoda volantes; ad virtutis verò & Dei obsequia languidissimè jacentes. Hanc miseriam deplorans S. Bernardus, *Mirum est*, inquit, *de te homo miser, quòd ad mala sis totus promptus, ad bona autem totus durus, totus piger &c.*

Mediocritas. Extrema vitanda. Mundani piger in Divina.

87. Plinio teste, Apodes intra horridos saxorum scopulos nidulantur. Unde illarum uni inscribes. IN PETRA NIDIFICAT. Ita Maria Virgo, referente S. Hieronymo, Divinum Infantem suum intra petræ concavitatem reclinavit. Anima quoque, Divinis contemplationibus dedita, nidum suum construit *in foraminibus petræ, & in cavernâ maceriæ*, id est, in sacris Christi, ad crucem pendentis, vulneribus: siquidem, ut Apostolus loquitur, *Petra erat Christus.* S. Gregorius, *Per foramina petræ*, inquit, *vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim, cavernam verò maceriæ vulnus lateris, quod lanceâ factum est, eodem sensu dixerim Et benè in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ esse dicitur, quia cùm in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus.*

Maria V. pariens. Contemplativus.

88. Eodem Plinio authore, dum Nautæ è portu solvunt, & inter maris procellas errabundi fluctuant; Apodes, individuæ illorum sociæ, navim assiduo volatu comitantur. Unde lemma. COMITANTUR ERRANTEM. Vel. NEC AB ERRANTE RECEDUNT. Angeli custodis hæc est indoles, qui animæ fideli individuus assistit comes: Divino Psalte asserente. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis Magna dignitas animarum*, inquit S. Hieronymus, *ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiâ sui Angelum deputatum.* Cæterùm etiam sanctæ inspirationes homini ubique præsentes sunt, ut errantem ad salutis portum revocent.

Angelus custos. Inspirationes sanctæ.

A Q V I L A.

Cap. VIII.

89. Aquila, pullos suos ad Solis lucem explorans, ab Approbatis Venetis epigraphen recepit. PROBATOS FOVET. Vel ut aliis placet. ET PROBAT, ET FOVET. Bonus Princeps, ceu perspicax Aquila, suos ministros exactè probet, illosque tantum approbet, foveatque, quos Majestati suæ non indignos experitur. *Semper enim fertur probare, quos genuit*, scribit de Aquila S. Ambrosius, *ne generis sui inter omnes aves quoddam regale fastidium degeneris partûs deformitas decoloret.* In rem præsentem S. Chrysostomus, illud Davidis testimonium expendens, *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum; ambulans in via immaculatâ, hic mihi ministrabat*, Magnum hunc Regem, suimet interpretem, his verbis loquentem introducit. *Tales enim diligo ministros, qui ambulent in viâ immaculatâ, qui non ad dexteram declinent, neque ad sinistram, qui nullâ fraude perverterunt dogmata, viam concernentia Justitiæ & veritatis.*

Princeps sagax.

90. Eadem Aquila, pullos ad solis obtutum probans, epigraphen sustinet SIC CREDE. Vel, CREDAM. Principis prudentis hæc idea est, qui ad subliminiorem gradum promovendos, solerti experimento probat. Ita Theodoricus, Tolonicum inter ministros suos admissurus, inquiebat, *Ad relevandam florentissimæ ætatis nostræ solicitudinem, visum est, te virum prudentissimum convenienter adhibere, quem constat, etiam domui avi nostri tractatibus jugiter & laudabiliter adhæsisse* Et Rex Atalaricus. *De illo nefas est ambigi, qui meruit eligi judicio principali Non enim quidquam aut odio decernimus, aut pellecti aliquâ gratificatione laudamus. Electio nostra de meritis venit.*

Princeps sagax.

91. Illustre est illud Aquilæ Emblema, quæ priusquam pullos suos amare incipiat, illorum periculum ad solis conspectum facit; addito lemmate è Gallico in Italicum translato. BEN CONOSCERE, PRIMA D'AMARE. Id est, PRIUSQUAM AMES, EXPLORA. Præceptio hæc, in amicis eligendis sanissima, docet, animi tui affectus némini debere concredi, nisi quos diuturno experimento habueris probatos. Sapienter Plutarchus. *Ut nummum exploras, num sit adulterius, priusquam eo sit opus: ita amicus ante usum probandus est.*

Amicus probandus est.

Plutarch.

92. Aquila, suos pullos ad solem periclitata, ab Approbatis Venetis inscriptionem accepit. DEGENERES LUX ARGUIT. Ita omninò hæretici, vultu à fidei Catholicæ luce retorto, soboles sese degeneres, ac tanto Christi nomine indignas probant. Unde S.Proclus. *Lippus oculus solare jubar in offensè non admittit: nec imbecilla mens fidei vestigium capit.* Et S.Joannes Chrysostomus. *Sancti, inquit, aquilis assimilantur, quia sicut filii aquilarum ad solem probantur, ut, siquidem recto aspectu intendere potuerint contra radios solis, intelligantur esse legitimi; si autem non potuerint, cognoscantur adulterini; ita & Filii Dei ad Christi justitiam comprobantur, si enim potuerint plano corde justitiæ verba suscipere, intelliguntur esse legitimi; si autem non potuerint, cognoscuntur de diabolo esse nati.*

Hæretici.

S.Proclus in Epist. *S.Chrysost. hom. in Matth.*

93. Aquila pullos, ad solis radium exploratos, approbatosque, in nidum suum reponit; cum lemmate. LUCE PROBAVIT. Vel, ut P.Jacobo Masenio placet. EX LUCE GENUS. S.Thomam Aquinatem hoc Symbolo venerabere, cujus Divina volumina, ceu genuinos Aquilæ partus, ipsemet Sol æternus censoriâ suâ sententiâ probavit, *Benè scripsisti de me, Thoma.* Cæterùm, num è Dei, an verò è diaboli genere simus, haud obscurè è charitatis luce experiri licet. Unde monet S.P.Augustinus. *Ardete igne charitatis, ut à dæmonibus vos discernatis.* P.Masenius de Fabio Chisio, postea Alexandro VII. Pontifice Maximo, canit.

S.Thom. Aquin.

Charitas.

S.Aug. serm. 87. de Divers.

Credimus? an volucres etiam reverentia stirpis
Tangit, & antiquæ nobilitatis honos?
Qui patiens Phœbi est ales Phœbæus habetur;
Degener, offenso qui fugit ore jubar.
Cœlestis tua, Magne FABI, monstratur origo.
Qui colis has terras corpore, mente polum.

94. Ea est aquilæ indoles, ut uno alterove tantùm pullo ad educandum reservato, cæteros è nido rejiciat. Unde eidem, pullos aliquot præcipitanti, inscribes. EDUCAT UNUM. Ita quoque, ut Monarchiæ integrita inviolata servetur, uni duntaxat filio regnum committatur, necesse est. Dario Regi, dimidium Persiæ imperium offerenti, sapienter respondit Alexander Magnus. *Regnum duos non capit, sicut neque mundus duos soles.* Unde Poeta.

Monarchia.

Nulla fides regni socii, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Prolixè hanc rem, veluti Politicæ basin, demonstrat Aristoteles *Non bonum est,* inquit, *multorum dominatus; unus Dominus esto; unus Rex.* Benè è Poëtis nonnemo.

Arist. l. 4. Polit. c. 4. ex Homer. Iliad

Multorum imperium multa est confusio semper,
Multi sunt damno Domini. Rex unicus esto.

95. Aquilæ pullus Soli expositus, epigraphen tenet. PROBATUS PROBOR. Haut aliter justi, tametsi inter Dei amicos numerentur, novis tamen novisque tentationum experimentis identidem probantur. S.Gregorius. *Vitam,* inquit, *uniuscujusque conversi, & inchoatio blanda permulcet, & aspera medietas probat, & plena post perfectio roborat.* Certè Jobus, primùm à Deo laudatus & approbatus, paulò post inter acerbissimas calamitates iterum explorandus fuit. De hoc S.Gregorius. *Hujus prius actio Deo attestante laudatur, & probari postmodum diabolo insidiante permittitur, ut per tentamenta tribulationis ostenderet, quantùm prius in tranquillitate profecisset.*

Justi tentati.

S. Gregorius 24. Mor.

Jobus.

S Greg. l. 14 Moral. c. 1

96. Quantùm spes in Deo posita, & præsentia illius, jugimentis nostræ oculo considerata, valeat; ex Aquilæ pullo conjicies, qui oculis in Solem defixis, epigraphen tenet, SIC VIVAM. Huic affine est illud Oseæ effatum. *Vivemus in conspectu ejus.* Enimverò beata hæc præsentia omnem tam vitæ, quàm alterius cujusque felicitatis affluentiam uberrimè confert. *Impossibile est enim,* aiebat Philo, *deesse commodum aliquod, ubi Deus præsidet; solitus plena perfectaque bona largiri rebus omnibus.*

Præsentia Dei.

Oseæ 6. 3.

Philo. l. de Agricultur. ante med.

97. Princeps Gabriel Cæsarius suos filios, optimè educatos, moribusque sanissimis imbutos, Aquilæ emblemate repræsentavit, quæ pullis, adversus solem expositis, epigraphen ferebat; MEI NON DEGENERANT. Naturâ enim comparatum est, ut parentum ingenia & affectus in filiis potissimum reluceant. S.Petrus Damianus, *Juxtà conversationem parentum,* inquit, *sæpè proveniunt merita filiorum, ut & honestis progenitoribus proles honesta respondeat; & reproba reprobis in pravitate concurrat.* Eadem icone pridem etiam usus est Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux; cùm enim in defuncti Parentis solium succederet, se ipsum recens excluso pullo aquilino similem dixit; addito lemmate. NON DEGENERO.

Filius non degener.

S. Pet Dam serm. 19.

98. Aquila, oculis in Solem defixis, epigraphen tenet. ASSUETIS DELECTOR. Tanta nimirum inveteratæ consuetudinis est virtus, ut eò semper inclinet, quò animi affectiones, sive bonæ, sive malæ, propendent Plato, *Magnum est,* inquit, *consuetudinis diuturnæ, & jam receptæ in utramque partem momentum.*

Consuetudo.

Plato in Minoe.

99. Animum generosum ac imperterritum Aquila, ad solis aspectum suspensa, repræsentat; cum lemmate. NON TERRET FULGOR. S Joanni Evangelistæ hoc Symbolum est proprium; dum enim Seraphini vultum suum obvelant, oculosque in Divino splendore defixos sustinere nequeunt; uti S. Chrysostomus in illa Isaiæ verba animadvertit, *duabus velabant faciem ejus;* Joannes eundem Deum, veluti aquila desideratissimum suum Planetam, irretorto aspectu contemplatur. *Aquila,* inquit Magnus Augustinus, *ipse est Joannes, sublimium prædicator, & lucis internæ, atque externæ, fixis oculis contemplator*

S. Joannes Evangelista.

Isaia 6. 2

S August Tract. 35 in Ioan.

100 Magnanimum Aquilæ pectus nec à copioso solis splendore absterretur, nec illius oculi ad immensum lumen unquam caligant. Unde lemma. NEC TITUBAT ACIES. S.Joannes Evangelista oculis aquilinis instructus videri poterat, quando Angelis, ad gloriosum Dei aspectum caligantibus, ipse quietos & assiduos oculos in Deum defixit. S. Proculus, *Evangelista Joannes,* inquit, *Seraphinis ipsis inventus est sublimior, quando quidem corusco fulgore illi concussi facies velant suas. At hic ex gratia spectans, tum generationem, tum substantiam expressit Divinam.* Et S Rupertus Abbas. *Aquila rectè dicitur, qui Divinitatem illam, qua in cœlum homo Christus ascendere potuit, irreverberatis oculis altius contemplari meruit, & adhuc in carne positus, potuit in illum solem apertos oculos figere.*

S. Joannes Evangelista.

S. Procul. Orat. 1

S. Rup. ab. apud Fid. in Panegyr. n. 11.

101. Mens,

121. Mens, Divinis contemplationibus addicta, quò magis Divinam gloriam ac Majestatem considerat, eò majore ardore indies in clarissimum illius splendorem abripitur: Id, quod ex Aquilæ symbolo constat, quæ soli affixa, Carolo Rancato authore epigraphen tenet. E QUANTO IL MIRO PIU', TANTO PIU' LUCE. Id est, AB INTUITU LUCIDIOR. Unde ad summum hoc bonum contemplandum hortatur Magnus Augustinus. *Si vos delectant bona ista, quæ appellantur bona, si vos delectant bona, quæ non sunt per se bona; (omnia enim mutabilia non sunt per se bona) qualis erit contemplatio incommutabilis boni, æterni, semper eodem modo manentis? quandoquidem ista, quæ dicuntur bona, nullo pacto nos delectarent, nisi essent bona; nec alio pacto essent bona, nisi ab illo essent, qui simpliciter bonus est.* Cæterum lemma illud Italicum è Petrarchæ poëmatis desumpsi.

Contemplativus.
S. Aug. in Ps. 26. enarr. 2.

Qui vid' io nostra gente hauer per Duce
Varrone il terzo, gran lume Romano,
Che quanto il miro piu, tanto piu luce.

Petrarch. nel Trionfo della Fama c. 3.

102. Aquila solem intuetur, cum inscriptione è Psalmo desumptâ. AD TE LEVAVI OCULOS. Hominis contemplativi, aut Religiosi hæc idea est, cujus oculi, à rebus terrenis penitus abstracti & in solum Deum defixi sunto. Piè ad solum Deum contemplandum hortatur Magnus Augustinus. *Aspice eum, qui te ducit, & non respicies retro, unde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat, unde te eduxit, post te est. Ama ducentem, & non te damnat retro respicientem.* P. Jacobus Masenius hoc Symbolo Fabium Chisium, postea Alexandrum VII. Pontificem Maximum exornavit, suamque mentem sequenti epigrammate aperuit.

Ps. 122. 1. Religiosus in Deū defixus.
S. Aug. in Ps. 75. Contemplativus.

Æthereos oculis haurit patientibus ignes,
Et Princeps astro principe gaudet Avis.
Tu vincis spectando Aquilam. Tibi gratia lumen,
Mens oculi, ratio visus, & astra Deus.
Illa suum quærat, per quem videt omnia, solem;
Authorem solis qui videt ille VIDET.

103. Aquilæ, versus solem volanti, subscripsêre. ET VISU, ET VOLATU. Ita fidelis quilibet oculorum suorum aciem, (fidem, inquam, quâ videmus ac Deo credimus) pennarum agilitati (bonis nimirum operibus) conjunctam habeat. *Oportet enim,* Theodoreto authore, *fidei quoque conjunctam esse vitam laudabilem.* Geminam hanc acutissimi vultus, & agilissimi volatus prærogativam in S. Joanne Apostolo observatam habet Origenes. *Spirituale petaurum, citivolum, deividum, Ioannem dico Theologum, omnem visibilem & invisibilem creaturam superat, omnem intellectum penetrat, & deificatus in Deum intra se deificantem.*

Fides & opera.
Theod. 1. Tim. 1.
S. Joannes Evangelista.
Orig. Hom. 2. in Divers.

104. Aquila è montis cacumine in imam vallem prospiciens, epigraphen tenet. ET PROFUNDISSIMA QUÆQUE. Ita perspicax ingenium abditissimos quosvis naturæ recessus investigat. Prudens quoque Prælatus è sublimi muneris sui gradu cunctas subditorum necessitudines ac infirmitates videt, providetque. Petrus Bercorius, *Prælatus,* ait, *indiget discretione & scientiis limpidâ & discretâ, ut longè videat & cognoscat, quidquid sit inter subditos faciendum:* illudque Isaiæ mox subjungit, *Oculi ejus cernent terram de longè.*

Intellectus perspicax.
Prælatus vigilans.
Ibid. l. c. in Reduct.
Is. 33. 17.

105. Animum nobilem, & ad altiora genitum, Aquila repræsentat; cum lemmate. NEC OBSCURA, NEC IMA. Unde Horatius.

Animus nobilis.
Horat. l. 3. C. 2.

Virtus negatâ tentat iter viâ,
Cœtusque vulgares, & udam
Spernit humum, fugiente pennâ.

Sapienter S. Ambrosius. *Iustorum animæ aquilis comparantur, quòd alta petant, humilia derelinquant.*

S. Ambr. l. 3. in Luc.

106. Aquila, versus apertum cœlum evolans, inscriptionem sustinet. PER SUPREMA, PER IMA. Intellectui perspicaci id convenit, qui rerum universarum naturas contemplatur; Deum quidem, ut supremum bonum; creaturas verò ut viles & infimas reculas, ac summæ bonitatis umbras. Epictetus. *Deus hominem induxit in hunc mundum inspectorem & arbitrum sui atque operum suorum: nec solum inspectorem, sed enarratorem.*

Intellectus perspicax.
Epict. in Enchrydio.

107. Sublimem ac purissimum intellectum Aquila repræsentat, hoc lemmate spectanda. RECTA SURSUM. Hæc enim Aquilæ proprietas compluribus authoribus est observata. Unde S. Dionysius Areopagita genuinam illam Angelorum ideam censet, qui intellectûs sui lumina nunquam in varias partes dispergunt, sed directâ semper ac liberâ lineâ in Divinum Solem unicè feruntur. *Aquila,* inquit, *significat Regiam dignitatem Angelorum, motumque ad superna tendentem, celeremque volatum, ac propterea vim illam singularem speculandi atque intendendi liberè, directè, in nullam partem inclinando aciem luminum in radium illum uberrimum & lucidissimum Deitatis, quem ex se instar solis emittit.* Cæterùm etiam animus innocens symbolo illo significatur, qui succolante Divinâ gratiâ ad Dei amorem sublevatus, in id unum incumbit, ne à supremo bono suo vel minimùm deflectat. Id, quod de illustrissimo D. Legato Fabio Chisio, postea Alexandro VII. Pontifice Maximo, cecinit P. Jacobus Masenius.

Angeli.
S. Dion. Areop. de Cœlest. Hier. c. 15.
Anima Deum petens.

Rara avis, in cœlum recto quæ tramite fertur,
Reginæ volucrum semita recta patet.
Par tibi mens volucri est, recto subit æthera tractu.
Hoc incorruptæ simplicitatis habet.
Devia sæpe via est, multos sua meta fefellit,
Ne malè deflectas, est tibi meta Deus.

108. Aquila non tantum oculis, rectâ lineâ fixis, solem intuetur, sed etiam, alarum beneficio, versus illum recto itinere evolat. Unde epigraphe. RECTO OCULO, RECTOQUE VOLATU. En præclarum animæ sanctioris paradigma! hæc enim firmissimam fidem sanctæ operationis volatui ita connexam habet, ut neutra à directo tramite unquam sese in transversum agi patiatur. Pulchrè S. Augustinus. *Verè beatus est, qui & RECTE CREDENDO benè vivit, ET BENE VIVENDO fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus mortua, ita nihil proficiunt opera bona sine fide rectâ.*

Fides & opera.
S. Aug. serm. 53. de Temp.

109. Aquila reliquas volucres omnes volandi celeritate, ac sublimitate longè superat. Unde lemma. VOLATU NEMINI. Encomium hoc S. Joannes Evangelista pro meritis sibi vendicat. Origenes id testatur. *Supervolat beatus Ioannes Theologus, non solùm quæ intelligi ac dici possunt, verum etiam quæ superant omnem intellectum, extraque omnia, ineffabili mentis volatu in arcana unius omnium principii exaltatur.*

S. Joannes Apostolus.
Orig. Hom. 2. in Divers.

110. Animus generosus ac resolutus Aquilæ, adversus tempestates volanti, est persimilis; cum dicto. NULLA VIA INVIA. *Magnanimitas enim,* teste Tullio, *est virtus, spontanea difficilium aggressio, & rationabilis.* Eodem penicillo genuinam virtutem adumbrat Horatius.

Magnanimus.
Cicero 1. de Off.
Virtus.
Horat. l. 3. Od. 2.

Virtus, recludens immeritis mori
Cœlum, negatâ tentat iter viâ.

111. Aqui-

111. Aquila Emblematis loco caput intra nubes reconditum habet, quasi visûs sui beatitatem in superiore serenioris cœli claritate investigatura. Emblemati subscripsêre. SUDUM PER NUBILA QVÆRIT. Illius hæc imago est, qui ad æternæ felicitatis quietem sublevandus, vitam hanc obscuram, ac calamitatibus plenam traducere nititur, sicque tribulationum nubila non tantùm non recusat, sed per illorum medium veluti directam semitam, progressus, ad cœlestis patriæ splendorem anhelat; probè gnarus, *quoniam*, Apostolo teste, *per multas tribulationes opportet nos intrare in regnum Dei.* S. Gregorius. *Tantò spes in Deo solidior surgit, quantò pro illo quisque graviora pertulerit: quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius piâ tribulatione seminatur.*

Tribulatio est ad cœlum via.

Actio 14. 21.

S. Greg in moral.

112. Generosum ac imperterritum hominis pectus, quod nullo unquam discrimine percellitur, Aquilæ symbolo significari potest, quæ cœlum turbidum, tempestuosum, ac fulminibus metuendum, pervolans, epigraphen teret. INTERRITA. Vel, NIL FULMINA TERRENT. Vel, PER TEL, PER HOSTES. Vel certè idiomate Hispano; NI MATARME, NI SPANTARME. Gentilitas inter Heroës istos cum primis recensuit Horatium Coclitem, qui supra pontem Romanum solus omnes Thuscanæ cohortis milites repressit, ipsomet etiam sublicio ponte suis tabulis dejecto. Talis quoque Cato ille fuit, *qui*, Senecâ referente, *simul contra Cæsarem, Pompeiumque se sustulit; & aliis Cæsarianas opes, aliis Pompeianas foventibus, utrumque provocavit, ostenditque, aliquas esse Reipublicæ partes. Nam parum est in Catone dicere, Nec vanos horret strepitus; quid ni, cùm veros, vicinosque non horreat &c.* His tamen toto cœlo extitêre majores Sancti Martyres, de quibus Minutius Felix. *Quam pulchrum spectaculum Deo, dum Christianus cum dolore congreditur: cùm adversus minas & supplicia, & tormenta componitur; cùm strepitum mortis, & horrorem carnificis irridens inculcat: cùm libertatem suam adversus Reges & Principes erigit &c.* Beati deniqùe extra omne periculum ita in Paradyso degunt, ut infernalis supplicii, aut æternæ damnationis fulmina nec minimum timere possint. *Beati*, inquit, P. Cornelius à Lapide, *non timent damnationem, nec gehennam, quæ omnibus hîc terrori est.*

Generositas.

Senec. Ep. 95.

SS. Martyres.

Minut. Fel. n 67.

Beati.

Corn à Lap. in Isa 40. 31.

113. Eandem animi magnanimitatem Aquila demonstrat, quæ inter tonitruorum mugitus & fulminum fragores nequicquam timet, transitque illæsa. Unde lemma. NON PAVET AD STREPITUS. Tali animo imbutus S. Joannes Apostolus, inter ululantes tubas, ac fulminum sonitus, in Apocalypsi à se descriptos, nec minimum fuit territus. Eodem encomio insignis Carolus V. æneis hostium machinis ita intrepidus à fronte obsistebat, ut non rarò per ministros benignè reprimi debuerit. Ita quoque S. Athanasius, cùm horrendæ Arrianorum minæ in unum ipsum concitarentur, nihil unquam ex animi sui tranquillitate deperdidit. Demùm S. Antonius Abbas, & S. Darius, Mediolanensium Archiepiscopus, gravissimo dæmonum tumultu sæpiùs infestati, veluti regales Aquilæ, horrorem illorum omnem riserunt, tandemque etiam sustinendo ac dissimulando vicerunt. Neque enim Christianum decet, quidquam infra Deum timere. *Si volumus bene vivere*, inquit Magnus Augustinus, *plus amemus quod promittit Deus, quàm quod promittit hic mundus; & plus timeas quod minatur Deus, quàm quod minatur hic mundus.*

Animus imperterritus.

S. Joannes Apost.

Christianus nihil timet.

S. Aug serm. 20 *de Divers cap.* 14.

114. Aquila, senio confecta, si fonti immergatur, iterum renovatur & juvenescit. Lemma. RENOVATUR ABLUTA. Vel, VETUSTATE RELICTA. Ita sacro Baptismatis fonte tinctus, pristinas animæ suæ vires recuperat. Opportunè S. Ambrosius, *David sanctus ait, Renovabitur ut aquilæ juventus tua, intelligens, per gratiam baptismi occiduâ vitâ nostra posse reviviscere, & juventute quâdam renovari posse id, quod in nobis fuerat delictorum vetustate collapsum.* Eâdem planè ratione pœnitens, intra lachrymarum fluenta mersus, mox abjectâ veteris culpæ senectâ, innocuam juventutem induit. De S. Petro ait Leo Magnus, *Felix es Sancte Apostole, tuæ lachrymæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuêre baptismatis.*

Baptism[us]

S. Ambro serm. 57.

Lachry[mæ] pœnite[ntis]

S. Leo Pa[pa] *ser. 9 de P*[assione]

115. Aquila, undis immersa, senectam, naturâ ac temperamento suo frigidam, exuit, sortiturque juventutem calore ac fervore plenam. Id, quod etiam S. Hieronymus testatur. *Aquila in fontem se ter mergit, atque ad juventam redit.* Unde lemma. EX UNDIS ARDENTIOR. Illius hoc ectypon est, qui calamitatum aquis probè tinctus, plurimum cœlestis ardoris ac sanctimoniæ recipit S. Augustinus. *Quando Deus permittit aut facit, ut in tribulatione aliqua simus, etiam tunc misericors est; non enim alimentum subtrahit, sed desiderium movet.*

S. Hier. Com. in

Calamitates uti[les]

S. Aug. in Psal 68. *Conc.* 2.

116. Illorum, quos natura à secretis habet, cumprimis verò Æliani testimonio firmatum est, lapidem Ætitem ab Aquilâ intra nidum reponi, ut illius frigore nativos ac immodicos suos calores temperare; sicque ova levius excoquere, & partum faciliorem efficere possit. Unde Rossus Aquilæ, dum Ætidem nido imponit, epigraphen addit. PROVIDA SIC PROVIDET. Et D. Aresius. HAC MATURABITUR; vel ut alius, MUNIT. Inde disces, quantùm incrementi ac levaminis è prudentiæ virtute capiamus. *Sic Sancti, ut pariant opera Spiritus*, verba sunt P. Cornelii à Lapide, *indigent æstute, id est prudentiâ, & discretione quâ zelus illorum temperetur.* Pulchrè S. Augustinus. *Zelus Dei non habet mentis livorem; sed zelus Dei est providentia, quâ non finit eos, quos subditos habet, impunè amare, quod prohibet.*

Pruden[tia]

P. Corn. Lap in Is. 40. 31.

S. Aug. c. advers. l. 3. *c.* 11

117. Aquila, super arboris truncum residens, à trochili stridore ad bilem provocari solet. Unde illam hoc lemmate loquentem introduxêre. ERGO MOVEBOR? vel ut aliis placet. CONTEMPTU DIGNIUS ULTA. Animi grandis & generosi hæc est indoles, qui inferiorum probra, vocesque obstreperas neglectui habet. E Justi Lipsii sententiâ, *Ira, vindicta, ultio, humani affectus nomina sunt, & nata ex imbecillitate*, & quæ cadunt tantum in imbecillos. Prior illo Seneca, *Magni animi esse*, inquit, *injurias in summâ potentiâ pati, nec quicquam esse gloriosius Principe impunè læso.* Hujus virtutis elogio sese dignissimum probavit Ferdinandus II. Imperator, de quo disertè testatur P. Lamormai. *Tot ab acatholicis impetitus injuriis, tot ac toties ab hostibus iniqua & indigna perpessus, nunquam aut verbo quempiam acerbius incusavit, aut animo commotus gravius indoluit. Imò, quod plus est, Nec famosis libellis commotus est, nec in authores jussit inquiri.*

Animi generos[itas]

Lips l. 1. *Constan.*

Senec li Clemen cap. 2.

Lamorm. c. 16. *Vit*

118. Aquila, prædam unguibus sustinens, priusquam illam in aera sublevet, vires suas experitur, & num ferendo sit, solerter explorat. Unde lemma, LIBRAT, ET EVOLAT. Ita homo prudens ac sagax, antequam ad negotia expedienda accingatur, robur viresque suas studiosè examinat. Biantis id consilium est, qui, referente Diogene Laertio, geminam hanc paræmiam familiarem habebat. *Considera,*

Prudent[ia] in con[si]derand[o]

dera, & postea rem aggredere. Et, *Aggredere tardus agenda, aggressus age constans.* Huic non dissimilis Herodotus, *Vir*, inquit, *ita demum fuerit optimus, si in deliberando quidem rem, quamcunque pati possit, reputans extimescat, in re autem agenda sit audax.* Et Seneca. *Æstimanda sunt ipsa, quæ aggredimur, & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ. Debet enim semper plus esse virium in labore, quã in onere.*

Herod. l. 7. Senec. de tranquillit. animi c. 5.

119. Mariam Virginem, in templo præsentatam, Aquila repræsentat, quæ supra nubes pluvias evecta, epigraphen tenet. IMBRES EFFUGIO. Eos insuper hoc Emblema concernit, qui relictis tempestuosi ac miseri mundi legibus, ad religiosæ vitæ quietem evolant, ubi cœli temperie, conscientiæ serenitate, & Spiritus Sancti gaudio æternum oblectari possint. Eleganter S. Ambrosius. *Bona Aquila esse cœpisti, quæ cœlum petis, si terrena fastidis.*

Præsenta- tio M. V. Religiosus. Ambr. l. 4. de Sacram. c. 2.

120. Aquila, versus solem evolans, titulum præsefert. OVEL'OPRA NON PUO GIUNGA IL DESIO: Id est, QUOD NON OBTINET, OPTAT. Laudabile enim est, conari ac desiderare magna, etsi contingere nequeas. Pulchrè. S. P. Augustinus. *Deus non annotat facultatem, sed coronat voluntatem. Scit, quia voluisti, & non potuisti, sic te annotat quasi feceris, quod voluisti.* Ovidii documentum est,

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hâc ego contentos auguror esse Deos.

Et propertii.

Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit, in magnis & voluisse sat est.

Conatus laudabilis Desiderium. Aug. serm. 20. de temp. ca. 6. Ovid l. 3 de Pont. Eleg. 4. Propert. l. 2. Elog. 10.

121. Aquila, Quercui vel rubo insidens, epigraphen tenet. TUTISSIMA QUIES. Nobile quoddam ingenium hoc symbolo singularem tutelam, à Serenissimo Urbinatum Duce in ipsum derivatam significabat; Princeps enim ille in gentilitiis celsissimæ Domus suæ scutis Quercum depictam habet. Aliò tamen sensu quietem illam suavissimam innues, quam Divina Aquila, Christus infans, intra S. Josephi, nutritii sui amantissimi, brachia persensit; *O quoties*, exclamat Isolanus, *JEsu maximè in gremio Ioseph quievisti! ejus collem tuis tenens brachiis, illius hæres pectori ac humeris. Quievit igitur Deus in Ioseph corporaliter &c. quievit fiduciâ, quievit lætitiâ &c.*

Protectio. S. Joseph. Isolan p 8. c. 1.

122. D. Aresius Emblematis loco Aquilam depinxit sedentem, quæ quovis diluculo, & majore etiam reliquæ diei parte solem intueri consuevit: cum lemmate, CIBO POTIORI PRIUS. Docere nimirum voluit, in omni operatione humanâ res cœlestes ac æternas præ corporalibus solicitè curandas esse; Christo hortante, *Quærite primùm regnum Dei & justitiam ejus*, id est, Interprete Errico, *ante omnia & super omnia quærite regnum DEI.* Apollonius Thianæus, referente Philostrato, dicere solebat, *Oportere rectè philosophantes adveniente aurorâ cum Deo versari; procedente die de Deo loqui, reliquum tempus humanis rebus & sermonibus dare.*

Rebus spiritualibus ante omnia attendendum. Matutinæ preces. Philost. l. 1. c. 11. vita Apollonii.

123. Idem Aresius Aquilæ, inter montis cujusdam abrupta recumbenti, inscripsit. IN ARDUIS COMMORATUR, vel ut Lucarino placet. CUBAT IN ARDUIS. Unde Jobus, *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?* Ita omninò Anima contemplativa aut Religiosa, spem suam omnem in DEO ac cœlo repositam habet. Divinè prorsus Magnus Augustinus. *Mens illa beata*, inquit, *quæ ima deserit, summa petit: quæ ponit in arduis sedem habitationis suæ, & de summis rupibus contemplatur solem justitiæ aquilinis obtutibus.* Et S. Gregorius. *Videamus aquilam nidum spei sibi in arduis construentem, qui ait:* nostra conversatio in cœlis est; *& rursum, qui conresuscitavit, & consedere nos fecit in cœlestibus. In arduis habet nidum, quia profectò supernis figit consilium. Non vult mentem in imum dejicere, non vult per abjectionem conversationis humanæ in infimis habitare.* Cæterùm in eadem Aquilæ icone personam religiosam dignoscere licet, quæ è mundi inquiete ad asperas solitudinis salebras eluctata, nemini alii, nisi arcanis cœlestibus mentem advertit. Perspicuè Sanctus Nilus. *Monachus pauper, est tanquam aquila in sublimè volans, qui omnes superat tentationes, præsentia despicit, & quæ futura sunt animo complectitur, à terrenis recedit, & in cœlestibus versatur. &c.*

Job. 19. 27. Contemplativus. S. Aug. lib. Medie. c. 17. Spes in Deo. Greg. 31. Moral. c. 19. Religiosus. S. Nil. Orat. 3. de Avaritia.

124. Si causam ex Aquilâ sciscitari liceret, cur inter rupes maximè invias & inaccessas nidificet? haud dubiè responderet, NE VENENATA PERTINGANT. Ita sanè anima fidelis, *in adjutorio altissimi* collocata, nec serpentis tartarei insidias, nec lividorum aut malignorum hominum machinamenta pertimescit. Pulchrè S. Thomas Villanovanus. *Spera in Deo, & ipse te velut Aquila in altissimo collocabit nido, quò non possint venenatorum serpentum conatus pertingere. Sic enim de Aquilâ dicitur, quod pullos suos altissimo nido recondat, quo nullum venenatum irrepere possit.*

Ps. 90. 1. Fiducia in Deo. S. Th. Villan. Conc. 1 in Dom 1. Quadr.

125. Aquila testudinem, unguibus sustentatam, supra loca prærupta ac saxea in sublime evehit, moxque præcipitatam frangit; cum lemmate. ELEVAT, UT ALLIDAT. Ita mundana prosperitas nonnullos exaltat, ut infortunio tantò acerbiore præcipitet. Præclarè S. P. Augustinus. *Qui noluit humiliari, ut exaltaretur, cum exaltari voluerit, dejicietur.* Verissimè Seneca.

—— Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat,

Unde opportunum ab eodem accipe consilium.

------ Quoque fortuna altius
Evexit, ac levavit humanas opes;
Hoc se magis supprimere felicem decet.
Variosque casus tremere, metuentem Deos
Nimium faventes.

Prosperitas nocet. S. Aug. l. 50. Homil. hom. 36. c. 4. Senec. in Agam. Act. 1. Idem in Troade Act. 2.

126. D. Aresius in laudem S. Michaëlis Archangeli Aquilam figuravit, quæ testudinem firmis unguibus prehendens, epigraphen adjunctam habet. AD PETRAM ALLIDET. quæ inscriptio verbo tenus è Psalmo sumpta est, *Allidet parvulos suos ad petram:* Mysticè eundem planè sensum reddit hæc imago, quem S. Ecclesia in S. Michaëlis hymno proponit.

Michaëlem in virtute
Conterentem Zabulum.

Cæterùm testudinis nomine terrenam, humique repentem voluptatem intelligere licet, quæ ad petram (*Petra autem erat Christus*) allidenda, ac Christi causâ relinquenda est. *Quidquid de mundo feliciter arriserit*, inquit Magnus Augustinus, *nolite præsumere, nolite libenter colloqui cum voluptatibus vestris. Hostis major est, occidatur ad petram, brevis hostis est, elidatur ad petram. Et majores ad petram occidite; & minores ad petram allidite.*

S. Michaël. Ps. 136. 9. Voluptas terrena. 1. Cor. 10. 4. S. Aug. in Ps. 136.

127. Aquila nec è nido movetur, nec aucupis insidiis patet, nisi tantummodò circa meridiem. Unde sedenti Aquilæ epigraphen è Sancto Joanne suffixit Aresius. NONDUM VENIT HORA MEA. Vel certè. NONDUM MERIDIES. Christi hæc imago est, qui in juventute nullis prodigiis clarere voluit, iisdem adultiori ætati reservatis. Hujus rationem reddit Sanctus Chrysostomus. *Non immeritò à teneris annis*

Jo. 2. 4. Christus miracula faciens. S. Chrys. Hom. 20 in Joan.

S. Euthym. *Iesusâ miraculis abstinuit; arbitrati enim essent, se præstigia videre.* Et Euthymius. *Meritò expectavit ætatem, decentem viros; ne phantasmata esse putarent, quæ fierent.* Christus patiens. Idipsum etiam de Christo patiente intellexeris, qui ab Herode vel Judæis capi & interfici non potuit, nisi ætate jam adultâ. Denique exinde disces, graviora negotia nunquam esse aggredienda, nisi ab iis, quos maturior ætas idoneos fecerit. Negotia ab adultis Peragēda.

128. Christus cœlum ascendens, volantis aquilæ Emblemate ab Aresio depingitur; addito lemmate. QUIS SCRUTABITUR VIAM? Divina Proverbia id confirmant; *Tria sunt difficilia mihi &c. Viam Aquilæ in cælo.* Quæ verba à S. Ambrosio prolixè de gloriosâ Christi Ascensione explicantur. Ut adeò verè de hâc attonitus exclamaveris; *quis scrutabitur?* Quippe quæ non solum admiratione plenissima (*per admirabilem ascensionem tuam*) sed etiam captu adeò appareat difficilis, ut Divinus Augustinus affirmatè doceat, *Quomodo sit in cœlo Corpus Dominicum, curiosissimum & supervacaneum est quærere, tantummodo in cœlo esse credendum est.* Ascensio Christi. Prov 30.18. S. Ambr. lib de Salom c.2. S. Aug l.de Fide&Symb. c.6.

120. Aquilæ volanti illud Virgilii hemistichion subjeci. VIAM AFFECTAT OLYMPO. Homo Christianus, cumprimis verò Religiosus, desideriis suis omnibus unicè ad cœlum tendat. S. P. Augustinus. *Totum nunc desiderium nostrum*, inquit, *non sit nisi in cœlum.* Porro Bellidux facinorum suorum beneficio unicè ad nominis immortalitatem, & amplissimum gloriæ incrementum, veluti ad terrestrem beatitatem, aspirat. In rem præsentem de Octavio Imperatore canit Virgilius. Virg. l.4. Georg. v 60 Religiosus S. Aug serm. 49. de Temp. c. 10. Desiderium gloriæ.

------ *Magnus ad altum*
Fulminat Euphratem bello: victorque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.

Id, quod omnibus illis est proprium, qui scientiis vel virtutibus dant operam.

S. August. 130. Magnus Hipponensium Præsul Augustinus omnem suam scientiam propriâ industriâ, citra ullam Magistri operam, est assecutus, in tanti prodigii encomium D. Aresius Aquilam, opimâ instructam prædâ, depinxit; addito lemmate. LABORE MEO. Testem historiæ locupletissimum habeto ipsummet Augustinum. *Omnes libros artium, quas liberales vocant, tunc nequissimus malarum cupiditatum servus per me ipsum legi, & intellexi quoscunque legere potui, & gaudebam in eis.* Cæterùm eos omnes hoc Emblema spectat, qui proprio emersêre labore. S. Aug. l. 4. Conf c. 10.

131. Aquila ad locum illum, in quo nidum semel construxit, semper iterum revertitur. Unde D. Aresius benevolos & assiduos Cardinalis Estensis favores Emblemate significaturus, Aquilam Estensem depinxit, cum lemmate, UBI SEMEL, SEMPER. Christus, asserente S. Ambrosio, instar amantissimæ Aquilæ, ab Ecclesiæ suæ nido nunquam sese avelli patitur; promissis suis inviolabili lege inhærens. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Ambrosii verba sunt. *Ut aquila colona, quasi mater nidi semper unus est, nec ad procreandam sobolem aliud aliquando cubile percurrit, ita & Christus Dominus unam diligit Ecclesiam, ut aquila nidum suum, quam ab æstu persecutionis, alarum defendit umbraculo.* Persistere. Christus ab Ecclesia nunquam recedit. Math 28 10. S. Ambr. l.de Salom. c.2.

152. Aquila, duello cum serpente congredi solita, adeò ab hoc implicatur, ut alis alterius niti non valens, simul cum adversario in terram corruat: in ipso tamen lapsu opportunam victoriæ occasionem sumit, illumque interficit. Unde Hercules Tassus Aquilam hoc lemmate loquentem introducit. VINCTA VINCAM. Christus, veluti Aquila regia, cum acerbissimæ mortis serpente conflictatus, ejusque vinculis arctè constrictus, in terram exanimis concidit; mox tamen resumptis viribus, gloriosum è morte triumphum retulit. Unde Oseas. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua, ô mors.* Hieronymus cum morte in hæc verba ratiocinatur. *Illius morte tu mortua es, illius morte nos vivimus: devorâsti, & devorata es, dumque assumpti corporis Christi solicitaris illecebrâ, & avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente confossa sunt. Gratias tibi Christe Salvator, tua agimus creatura, quod tam potentem adversarium nostrum, dum occideres, occidisti.* Eadem epigraphe, *vincta vincam*, Personam Religiosam spectat, quæ votorum ligamine detenta, illustrem è mundo, carne, & dæmone palmam consequitur. Christus moriens. Ose 13. S. Hier. in Epitaph. pot ad Heliodor. Religiosus

133. Aquila contra serpentem, fatalem ac ferocem suum hostem, non viribus tantum, sed & astutiâ utitur; ungues enim suos illius cervici ita infigit, ut retorto capite venenatos dentes in ipsam stringere nequeat. Hâc de re Ovidius.

Occupat adversum, ne sæva retorqueat ora, Ovid. 4. M.
Squamigeris avidos figit cervicibus ungues.

Unde lemma. ET ASTU, ET VIRIBUS. Ita Belliduces martiis suis viribus non rarò stratagemata jungere debent. Dæmon quoque, ut hominem sternat, nulli labori parcit; ergò serpentem hunc tartareum debellaturus, principiis obsta, ejusq; insidiantis capiti, id est, tentationum initio, quàm maximè cave. *Dum parvus est hostis*, inquit D. Hieronymus, *interfice; nequitia elidatur in semine.* Astutia fortitud Tentationis initio resistend S. Hieron.

134. Aquila, falconem unguibus stringens, à P. Gamberto illam Virgili epigraphen recepit. ANIMIS, ET VIRIBUS. Nempe miles magnanimo pectori conjunctos habeat lacertos validos, ut adversus hostem triumphare possit. Geminâ hâc prærogativâ insignem se probavit Henricus de Este, quando amplissimi Venetorum exercitûs supremus Bellidux, Papiam expugnavit, & Desiderium, Longabordorum Regem, captivum reduxit. Cæterùm non in bello tantum corporali, sed multò magis etiam in spirituali opus est fortitudine, ut animæ nostræ hostes generosè vincamus. Pulchrè S. Augustinus. *Nullus in certamine cadit, nisi cujus fortitudo cadit. Quapropter cujus fortitudo Deus, tam non cadit, quàm non cadit Deus.* Miles. Fortitud S. Aug. in 117.

135. Aquila monstrosum Draconem, unguibus prehensum, in sublime evehit; ut cœlo aperto jugulatus, publicum obtentæ victoriæ argumentum præbeat. Unde lemma. COELO VINCENDUS APERTO. De hâc Aquilæ proprietate Virgilius.

Utque volans altè raptum cum fulva draconem Virgil. 11. Æn.
Fert aquila &c.

Hydra infernalis non alibi, nisi in sublimi cruce, Divinæ Aquilæ palmam deferre debuit; ut nimirum spectante cœlo victoria illa perageretur. Apostolus id confirmans, ait, *Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans eos in semetipsos.* P. Maldonatus in illud Christi de morte suâ vaticinium, *Ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum*, ait, *Solet miles eò fortior esse, & adversario superior, quò ex altiore loco pugnat. Significavit ergo se ex cruce suâ, tanquam ex altissimâ & munitissimâ arce pugnaturum, diabolumque victurum esse, propterea genus illud mortis exaltationem appellavit. Traxit exaltatus omnia ad semetipsum, quemadmodum aquila in sublime volans prædam trahit.* Christus crucifixi Coloss 2.1. Maldonat Ioan. 12.3

136. Aquila propinquantem nido pullisque suis serpentem suffocat; cum lemmate. ANXIA PROLIS.

...tris ze-
...s erga fa-
filiam.

PROLIS. Paterfamilias id ipsum sibi faciendum putet; ut, qui è munere suo filios solicitè tueri, omnemque peccandi occasionem eripere debet, ne venenatus vitiorum serpens aculeum suum unquam iis infigere possit. Sapienter Lætam suam monuit S. Hieronymus. *Si solicitè provides, ne filia percutiatur à viperâ, cur non eadem curâ provideas, ne feriatur à malleo universæ terræ.*

Hier. Epist. ad Lætam.

137. Aquila, ubi è pullis suis unum à serpente raptum animadvertit, mox in iram concitata, prædonem adoritur; protestando cum Senecâ. DABIT IRA VIRES. Dominicus Gambertus hoc suo symbolo non obscurè innuit, ad superandos hostes validissimum ab irâ robur subministrari. Seneca, *Ira*, inquit, *utilis sæpè fuit. Extollit animos & incitat: nec quicquam sine illâ magnificum in bello fortitudo erit, nisi, hinc flamma subdita est, & hic stimulus peragitavit, misitque in pericula audaces. Optimum itaque quidam putant temperare iram, non tollere: eoque detracto, quod exundat, ad salutarem modum cogere: id verò retinere, sine quo languebit actio, & vis, ac vigor animi resolvetur.*

Senec. Troad. Act. 3. sce. 1.
...ta robo-
...at.
Senec. l. 1 de ...ra c. 6.

138. Animum generosum repræsentat Aquila, quæ, capite inter aquas merso, ingentem piscem unguibus prehendit; cum lemmate. O LUI FUORI, O IO DENTRO. vel, EXIMAM, AUT MERGAR. Judas Machabæus, genuina nobilissimæ aquilæ progenies, imperterrito animo decrevit, aut Israëlis populum è gravissimo ærumnarum pelago eripere, aut, quod re ipsâ præstitit, intra proprii sanguinis sui undas exanimem mergi. Cato, ut Rempublicam à Cæsaris tyrannide liberaret, nullum non lapidem movit; cum verò negotium è voto non succederet, mori maluit, quàm superstes vivere. Seneca illum, jamjam occidendum, in hæc verba loquentem sistit. *Nihil egisti fortuna, omnibus conatibus meis obstando Non pro meâ adhuc, sed pro patriæ libertate pugnavit: nec agebam tantâ pertinaciâ, ut liber; sed ut inter liberos viverem. Nunc quoniam deploratæ sunt res generis humani, Cato deducatur in tutum. Impressit deinde mortiferum corpori vulnus &c,*

Animus resolutus. Judas Machabæus.
Senec. Ep. 24.

139. Aquila prædam suam reliquis avibus liberaliter in cibum dispensare solita, hoc lemmate introducitur loquens. HOC HABEO, QUODCUNQUE DEDI. Ita, qui eleemosynis erogandis student, nihil è divitiis, quas generosâ & aquilinâ manu in egenos distribuêre, deperdunt. Unde de opibus, quas amicis elargimur, canit Poëta.

...lee nosy-
...arius.

------ *Quas dederis, solas habebis opes.*

Et S. Gregorius. *Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum, quia quod datur, quod multiplicato sine dubio fructu recipitur.*

Greg. Pap. Registro.

140. Ad funebrem Cardinalis Horatii Spinolæ, Genuensium Archiepiscopi, pompam, illustre quoddam ingenium hominis cadaver, mox concremandum, supra rogum depinxit, in quem complures aquilæ sponte suâ præcipitatæ, epigraphen ferebant. MORS UNA MULTORUM. Nempe extremos plurimorum mœrores significabat, quos è præstantissimi Præsulis morte conceperant. In hanc rem Pierius Valerianus, aliique authores narrant, Aquilas, morientibus suis Mecænatibus, ultrò in rogos, ubi illi cremabantur, insiliisse. Quantum verò sinceros affectus attinet; Suetonius author est, mortuo Othone Imperatore multos milites præ doloris vehementiâ sibimet violentas intulisse manus. Verba illius accipe. *Multi præsentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes jacentis exosculati, fortissimum virum, unicum Imperatorem prædicantes, ibidem statim, nec procul à rogo, vim suæ vitæ attulerunt.*

Mundi Symbol. Picinelli & Aug. Erath Tom. I.

...i morte.
Suet. c. 12. ...ita Oth.

141. Clementiam & Justitiam, ceu geminum boni regiminis cardinem, in Principe conjunctas esse debere, ex Aquilæ Emblemate disces, quæ uno pede coronam, alterâ fulmen sustinet, addito lemmate. IN OPPORTUNITATE UTRUMQUE. Vel AD UTRUMQUE. S. Petrus Chrysologus, *Æquitas*, inquit, *sine bonitate sævitia est, & justitia sine pietate crudelitas.* Cui assentitur S. Rupertus Abbas. *Sicut clementia honor est Principis, sic & honor Regis judicium diligit. Etenim ubi totum punitur, regia severitas crudelitate polluitur; ubi verò totum remittitur, facies majestatis sine metu disciplinæ contemnitur.*

Justitia & Clemētia.
Pet. Chrysol. ser. 145.
Rup. Abb. li. 8 in Gen. c. 37

142. Aquilam, fulmine & coronâ insignem, hoc lemmate notârunt. CUIQUE SUUM. Princeps, si à munere suo ritè fungi velit, benè meritis præmia, & supplicia sceleratis ad justitiæ dimensum decernat. Oraculum olim interrogatum, quænam Reipublicæ forma esset omnium optima? respondit, *In quâ fortibus & ignavis suum tribuitur*; uti refert Plutarchus.

Judex justus.
Plut. in Laconicis institutis.

143. Aquila unguibus suis fulmen, & rostro ferrum, velut illud devoratura, sustinet; cui D. Didacus Saavedra inscripsit. PRÆSIDIA MAJESTATIS. Innuit nimirum Principem Struthiocameli stomacho, ardente inquam charitate & misericordiâ, imburum esse debere, ut ferrum digerere possit; quamvis etiam necesse sit, illum instar aquilæ, justitiæ fulmina præseferre, ut prostrato uno, minetur multis. Certè Alphonsus Aragonum Rex dicere solebat, se sceleratos clementiâ, bonos verò justitiâ in officio continuisse. Pulchrè Chrysostomus. *Rex benignus, audiens criminosas personas, lege quidem compellente ipse mortis sententiam dictat adversus eas, tamen misericordiâ instigante lachrymas fundit super ipsas, & vult eas adjuvare, & non potest, contradicente sibi justitiâ: quoniam misericordia tunc est verè misericordia, si sic facta sit, ut justitia per eam non contemnatur. Si autem contempta justitiâ, misericordia observetur, ipsa misericordia non est misericordia; sed fatuitas. &c.*

Justitia & Clemētia.
Chrysost. super Matth.

144. Quidam mundanus, formæ alicujus venustate irretitus, animo ita vesano versus illam exarsit, ut omnibus exui fortunis, ipsamque adeò extremam egestatem incurrere non vereretur, modò amore illo perfrui liceret. Insanam hanc libidinem Aquilæ Emblemate demonstravit, quæ Solis amore capta, adeò ad illum propinquat, ut alas suas adurat; cum lemmate. PURCHE NE GODAN GLI OCHI, ARDAN LE PIUME. Id est. DUM VIDEAM, PEREAM. Ulysses Aldrovandus hoc symbolo illustrem viri litterati animum significari censet, qui ad famæ ac gloriæ splendorem consequendum, quosvis immodicos labores, aliaque sanitatis dispendia parvi æstimat. *Virum exprimit* (de Aquilâ loquitur) *qui nullum non contemnere laborem velit, aut adversa quævis subire, dummodo ad gloriæ, quæ ex scientiarum cognitione procedit, metam perveniat.* Præclarè tamen hâc icone mens in unius Dei amorem abrepta innuitur, quæ, ut beatifico Dei vultu vel semel recreetur, nec mille mortes in se ruituras pertimescit. Exemplo suo id commonstrans Magnus Augustinus, cùm illa Dei ad Mosen verba secum pensitaret, *Non videbit me homo & vivet*, In has voces, ardore plenissimas, prorupit; *Moriar Domine, moriar, ut te videam.* Huic non absimile fuit illud S. Martyris Ignatii suspirium, *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius cor-*

Amans formæ.
Aldrov. l. 1. Ornitholog.
Desideriū gloriæ.
Amans Dei.
S. Aug. in soliloq.
Exod. 33. 20.
S. Ignatius Martyr.

S. Laurentius Martyr.

poris contritio, & universa tormenta diaboli in me veniant; tantùm Christo fruar. Denique etiam S. Laurentius Martyr suam carnem horrendum assari Lavisus est, ut Deo frueretur. Unde benè de se ipso dixisset. ARDEAT, UT HÆREAT, seu, quod idem est; *Dum videam, peream.*

Principis venustas.

145. Sedenti Aquilæ inscripsit Lucarin. ET MAJESTATE PRÆSTANS. Principis venustatem, utpote insigne Magnatum decus, hæc imago insinuat; eam enim sacræ Litteræ in Davide & Salomone mirificè commendant. Suetonius quoque in Augusto observat, *formâ fuisse eximiâ, & per omnes ætatis gradus venustissimâ.* Et in Tito. *Forma egregia, & cui non minus authoritatis inesset, quam gratiæ*, Denique in Scipione Africano Plutarchus. *Erat Scipio animo, aliisque virtutibus vehementer excellens, sed præstantioris etiam pulchritudine oris, totiusque corporis formâ conspicuus, læta atque hilari fronte, quæ plurimum valent ad gratiam conciliandam.*

Suetonius. Plut. in Scip.

Christus patiens.

146. Idem subscripsit Aquilæ, NEC MURMUR, NEC CLAMOR. Generosam, fortem, & tranquillam hominis mentem significans. Christus hâc virtute ita excelluit, ut ipsum etiam Pilatum in admirationem rapuerit; innummeris enim fraudibus ac calumniis acerrimè infestatus, nec verbulo adversus hostes est conquestus: *& non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.* Origenes. *Miratus est autem Præses constantiam ejus: forsitan sciens quod idoneus esset pronuntiare crimen: & tamen videbat eum in tranquilla & quietâ sapientiâ, & gravitate non turbabili stare &c.*

Orig. Tract. 35.

Injurias dissimulare.

147. Aquila, à trochilo infestata, Lucarino authore epigraphen sustinet. SIO, ET VINCO. Ita generosus animus, citra ullos vindictæ aut iracundiæ motus, malevolorum calumnias & detractiones superat. E Senecæ sententiâ, *Ingens animus & verus æstimator sui, non vindicat injuriam, quia non sentit.*

Senec. l. 3 de ira c. 5.

Princeps religiosus & providus.

148. Biceps Imperii Aquila, capite uno versus cœlum levato, & altero in terram depresso, epigraphen legendam præfert. SUMMA, ET IMA. Providam Augustissimæ Domûs Austriacæ Religionem, & religiosam providentiam hoc Emblema repræsentat; quippe quæ assiduâ vigilantiâ æque ad sublime Catholicæ firmamentum, atque ad inferas populi gubernandi terras mentem oculosque advertit; geminato nimirum encomio amplissimum Mathathiæ, Judæ Machabæi, Simonis, Joannis, aliorumque Heroum zelum imitata, qui indefessis viribus *pro aris & pro focis* dimicabant. Eadem etiam Summi Pontificis imago est, qui æquali potestate ac providentiâ rem Christianorum cœlestem & terrestrem agere jubetur; juxtà illud Christi. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et, *tibo dabo claves regni cœlorum.* Eleganter ad Eugenium, Pontificem Maximum S. Bernardus. *Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum; tu hæres Apostolorum; tu primatu, Abel; gubernatu, Noë, Patriarchatu, Abraham; ordine, Melchisedech; dignitate, Aaron; authoritate, Moses; judicatu, Samuel; potestate, Petrus; unctione, Christus; tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt.*

Summus Pontifex. Matth 16.19. S. Bern. consider. ad Eugenium l. 2.

Familiaritas cum ignobilib.

149. Comes Victor Martinengus, Academicus, inter Errantes Contentus, Symboli loco aquilam præfert, quæ oculis in Lunam defixa, epigraphen habet. TUTIOR ASPECTUS. Minus enim discriminis nobis imminet, si inferioris conditionis homines, quàm si Magnates habuerimus familiares; Cæterùm, si ascesin spectes, eodem Emblemate doceris, Christianorum oculos à Solis Divini splendore obrui, ac densissimâ caligine offundi solitos, (juxtà illud, *Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloriâ*) felici ac optimo successu in SS. Eucharistiam, utpote Lunæ candori non absimilem, defigi. In hanc rem D. Salvator Carducius.

SS. Eucharistia.

Tutior aspectu, lunæ præ fulgure solis;
Cernit nube Deum nunc magè tuta fides.

Maria patrona.

Porrò quisquis in immodicos Solis æterni radios aspicere reformidas, Lunam, Virginem inquam Deiparam, intuere; nec dubites, quin nihil unquam nocumenti, plurimum verò utilitatis inde sis relaturus. Sanctus Bernardus, *Ad beatam Virginem sicut ad Medicum, sicut ad arcanum Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cœlo sunt, & qui in terrâ, & qui in inferno habitant, & qui nos præcesserunt, & qui nos sumus, & qui sequuntur &c.*

S. Bern. se

Mundi instabilitas.

Denique si oculos tuos è Magnatum felicitate ac splendore offensos experiaris, mox illos ad mundi vanitatem, & assiduam rerum omnium vicissitudinem convertas; ab hâc enim consideratione summam animi tui tranquilitatem, profectumque non exiguum senties. Rursus meus Carducius.

Tutior aspectus variabilis æthere Lunæ,
Mundi cerne vices: sic magè tutus eris.

Solitudo utilis.

150. Solitudinem, sanctumque è mundo recessum aptissimam ac penè unicam assequendi altissimi profectûs occasionem esse, Lucarinus ex Aquilæ symbolo demonstrat, cui hanc epigraphen subdidit. ELATA LONGIUS, ET QUACUNQUE. Huic assentiens Origenes. *Sicut*, inquit, *non æqualiter oculi corporis nostri illuminantur à Sole, sed quanto quis in loca altiora conscenderit, tantò amplius & splendoris ejus vim percipiet, & caloris; ita etiam mens nostra, quanto altius & excelsius appropinquaverit Christo, ac se vicintorem splendori lucis ejus objecerit: tantò magnificentius, & clarius, ejus lumine radiabitur.* Et S. Cyrillus Alexandrinus. *Qui procul se à turpidine removent, & manibus hujus vitæ curis non agitantur, illis supra quam animus per se hominis ferre potest, gloriam suam Christus revelare solet.*

Orig. Hom super Gen. S. Cyrill. lex l 9. in l c. 15.

Calamit. elevat.

151. Aquila in locis montosis, & ab hominum frequentiâ remotis versari solita, epigraphen sustinet. EXPOLITA ELEVOR FACILIUS. Hominem omni ope alienâ destitutum hæc imago significat, qui inter calamitatum angustias ad virtutis fastigium adeò sublime penetrat, quò nunquam alias aspirare licuisset. Exemplo suo id commonstrat Moses, qui in flumen projectus, & jamjam submergendus, educationem, veluti natus è Pharaone nepos, est sortitus. Josephus quoque, à fratribus venditus, & patrio solo extorris, primos Aulæ Ægyptiæ honores attigit. Furius denique Camillus eodem tempore, cùm à Romanis in exilium ejectus esset, ad Principem Reipublicæ gradum conscendere, & Dictatorem agere jussus est. Verissimè S. Augustinus testatur, hominem nunquam securius ad Deum elevari, quàm è mundi strepitu remotum. *Nullum melius negotium est in tribulatione, quàm recedere ab eo strepitu, qui foris est, & ire in interiora mentis secretiora. Ibi Deum invocare, ubi nemo videt gementem & subvenientem.*

S. Aug. in 43. Conc.

Solitud

152. Homo, dum mundi negotiis se subducit, libero volatu ad Deum sublevari potest: In hunc enim lemma illud, Aquilæ subjunctum, convenit. ELEVOR, DUM SEGREGOR. Emblematis hujus mentem distichon illud, ad D. Benedicti honorem compositum, explicat.

Vixit in abrupto Benedictus vertice montis,
Hôc propior cœlo, quo magis urbe procul.

Oracu-

Oraculi Divini vox est, *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem &c.* In hunc locum S. Ambrosius, *Egredimini*, ait, *id est, exite de solicitudinibus, & cogitationibus sæculi, exite de angustiis corporalibus, exite de vanitatibus Mundi, & videte quàm Rex pacificus in die sponsalium suorum habeat charitatem, quam gloriosus sit. &c.* Et S. P. Augustinus. *Transeat ab his animus, & transcendat omne quod creatum est, currat & ascendat, volitet & pertranseat, & in eum, qui creavit omnia, quantum potest, oculos fidei dirigat, quidquid visibiliter cernitur, quidquid spiritualiter imaginatur, forti manu ab intuitu cordis & mentis, procul removeatur: solus intellectus purus & simplex incedens, rapido volatu ad ipsum perveniat Conditorem Angelorum, & animarum, & omnium rerum.* S. Hilarius jure sibi propiam vendicat hanc epigraphen, *Elevor, dum segregor.* quippe qui civitate & Diocœsi suâ proscriptus, & in exilium ejectus ad altissima Sanctissimæ Trinitatis arcana describenda est sublevatus. De hoc Gregorius Bolzi sequens epigramma proponit.

Cant. 3. 11. S. Ambr. lib. de Isaac. 5. S. Aug. lib. Medit. c. 27. S. Hilarius. Greg. Bolz. in Larario.

Exul abit patriâ, vastique per invia mundi
Compita dispulsus, Præsul hic erro fugit.
Is pede dum profugo terras, pelagusque pererrat,
Surgit in Empyreas exule mente plagas.
De trino tam celsa Deo Mysteria pandit,
Ut meris, quod scripsit, rara penetret opus.
Hæc erat exilio sic lucranda inclyta merces:
Utique præstabat pergere in exilium.

153. Ut martium militis generosi animum, vel hominis insigniter docti præstantiam suis adumbres coloribus; Aquilam Emblematis loco exprime, ad cujus præsentiam plurimæ aliæ volucres fugam capessunt: cum Lucarini lemmate. ET ASPECTU FUGAT. Ita Cæsar solâ suâ præsentiâ hostium cuneos perrupit, & in fugam egit; ipsomet fatente, *Veni, vidi, vici.* Ita quoque S. Hilarii præsentia Episcopos Arrianos, Valentem & Orsacium, tanto terrore concussit, ut, *cùm præsentis eruditionem pertimescerent*, Constantio Imperatori pro eodem, ad pristinam dignitatem restituendo, supplicârint. Cæterùm etiam Dei præsentia, si in animo nostro vigeat, omnem peccandi libidinem arcet. *Magna est cautela peccati*, inquit Magnus Augustinus, *Dei semper præsentiam timere. Qui perfectè Deum timet, diligenter se à peccatis custodit.*

Miles generosus. Litteratus insignis. Præsentia Dei. Aug serm. 1. de Temp.

154. Aquila suos pullos non tantum propriis alis adversus draconis assultus propugnat; sed insuper, ne siti enecentur, proprium pectus rostro sauciat, illósque haustò inde sanguine nutrit. Unde lemma. PROPRIO CRUORE VITAM. Præclara hæc Episcopi ideà est, qui pro populi incolumitate martyrium subire, aut sanguinem profundere paratus est. Certè S. Carolus, cùm publicè supplicationi, pro populo, à contagiosâ lue liberando, interesset, uno pede infectus est. Quin imò, Christus ipse in crucem fixus, & hodie etiamnum in S S. Eucharistia, proprium sanguinem suis fidelibus, vitæ sustentandæ causâ, elargitur. S. Joannes Chrysostomus. *Quis pastor oves proprio pascit cruore? & quid dico Pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos PROPRIO SANGUINE PASCIT, & per omnia nos sibi coagmentat.*

Episcopus. Christus in Cruce. S. Eucharistia. Chrysost. hom. 6. ad populum.

155. Aloysius Martinengus, Academicus inter Errantes Brixienses Desertus, Symboli loco pullum aquilinum præfert, qui in aëra sublevatus, à genitrice aquilâ totus quidem est derelictus, omnique ope destitutus; propriâ tamen ac congenitâ suâ virtute cæptum iter impigrè prosequitur. Epigraphen addidit vernaculam. MA NON SENZA CORAGGIO. Id est, NON SINE AUSU. Animum hæc imago repræsentat, etiam in exilio, & inter adversantis fortunæ molestias generosum. *Non mirum est*, inquit Seneca, *in tranquillitate non concuti: illud mirare, ibi extolli aliquem, ubi omnes deprimuntur, ibi stare, ubi omnes jacent.* Eruditè D. Gregorius Brunellus.

Animus imperteritus. Senec. ep. 66.

Deseruit genitrix, sed me non deserit illa
Virtus, quæ ingenita est, quâ duce ad astra ferar.

Calamitas roborat.

156. Virtuti inter ærumnas plurimum roboris accrescere, Aquila demonstrat, quæ rostrum in saxo aliquo acuere solita, epigraphen tenet. FORTIUS, QUO DURIUS. Sapienter philosophatur Epictetus. *Adversæ res sunt, quibus declarantur viri. De reliquo si adieris discrimen quoddam, cogita, quod Deus te tanquam aliptes, agresti cuidam & fero adolescenti objecerit. Quare id fecerit, interrogas? Ut nimirum evadas in victorem in Olympiis.*

Epict. apud Arrianum. l. 1. c. 44.

157. Ut orbi persuadeas, animam, ad Deum conversam, suavissimâ tranquillitate perfrui; Aquilæ Emblema exprimito, quæ Solis aspectui affixa, hanc Abbatis Ferri epigraphen sustineat. HIC PROCUL À CURIS. vel ut aliis placet. HÆC REQUIES MEA. Non sine animi sui solatio David. *Convertere*, inquit, *anima mea in requiem tuam, id est*, interprete Hugone Cardinale, *totâ mente & toto desiderio verte te ad Deum contemplandum, qui est requies tua, extra quem non est quies, Eccles. 24. In omnibus requiem quæsivi, supple, & non inveni, & ideò in hæreditate Domini morabor, id est, in Deo, qui hæreditas mea.* Hugonem secutus Franciscus Titelmannus, ait, *Amodo ergo, ô omnia mea, post hujus sæculi vanitates, ultra ne abeas (eris enim inquieta, donec ista sectaris) sed abdicatis sæcularibus omnibus cupiditatibus & carnalibus affectibus, totam converte te ipsam mente pariter atque affectu in Dominum Deum tuum, in quo solo erit tibi, cùm ad ipsum perveneris, vera requies.* Beata proin Religiosorum vita, quæ nullis aliis, nisi obsequii Divini curis distenta, terrenas solicitudines quieta pertransit.

Contemplativus. Ps. 114. 7. Hug. Card. in hunc loc. Fran. Titel. ibid. Religiosus

158. Jejunii virtutem opportunissimum esse interni candoris ac perfectæ puritatis obtinendæ pharmacum, Aquila demonstrat, hoc Lucarini lemmate insignis. INEDIA ALBESCIT. Vel certè, AB INEDIA CANDOR. Nam Plinio asserente, ea est Aquilæ natura, quod fame pressa, alborem contrahat. In hunc sensum S. Joan. Chrysostomus ait, *Jejunium ex hominibus Angelos facit:* Et S. Hieronymus. *In animo virginali, rore cœlesti, & jejuniorum rigore, calor puellaris extinguitur, & in humano corpore Angelorum impetratur conversatio.*

Jejunium. Plin. l. 10. c. 3. S. Chrysost. ser. 1 de Pœn. S. Hier l. 2. advers. Iovin.

159. Animum hominis imperterritum, & à suâ sententiâ, etiam inter quasvis adversitates nunquam dimovendum, Aquila repræsentat, quæ adversis ventis volans, epigraphen portat. QUO MAGIS, EO FIRMIOR. *Animus*, inquit Seneca, *aspersis blandisque pariter invictus, neutri se fortunæ submittens, supra omnia, quæ contingunt acciduntque, eminens, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangit, quem non attollant fortuita, nec deprimant: talis animus virtus est.* In hanc rem D. Gregorius Brunellus Canonicus Regularis.

Constantia. Senec. Ep. 66.

Magno animo fortis superare pericula novit,
Ullo nec facili concidit ille metu.

160. Quantùm in humano corpore medicina possit, Joannes Ferrus ex Aquilâ dignoscendum propo-

Medicina.

proponit, quæ fonti inter solares radios immersa, ad pristinam juventutem innovatur; cum lemmate. ADEMPTUM REDIMO. vel, VITA LONGIOR. Ita peccator, pœnitentiæ lachrymis immersus, deperditas animæ vires, non sine beatæ vitæ insigni auctario, recuperat. Ezechias, Judææ Rex, ægrè decumbens, & jamjam morti destinata meta, cum lachrymis madere cœpisset, vitam adhuc in multos annos prorogavit. Cæterùm nihil absonum dixeris, si hanc aquilæ iconem de Christo Resurgente interpretatus fueris; Ducem habes Sanctum Ambrosium, cujus verba integrâ fide ita accipe. *Unam & solam aquilam rectè Christum Dominum dixerim, cujus juventus renovata est, cùm à mortuis resurrexit. Depositis enim corruptelæ corporalis exuviis, redivivâ carnis assumptione refloruit.*

Lachrymæ

Christus resurgens. *S. Ambros. serm. 57.*

161. Abbas Ferrus Aquilæ, in solem defixæ, subscribit. PAR PUTAT ESSE NIHIL, quasi diceret, universam mundi venustatem, cum admirando ac incomparabili solis splendore collatam, nihil planè, & nonnisi pulchritudinis umbram videri. Ita anima, genuinæ virtutis aut sapientiæ decore capta, res cæteras terrenas omnes, veluti amore suo indignas, illarum comparatione spernit. *Venit in me Spiritus sapientiæ*, inquit virorum sapientissimus, *& præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius &c.* Cumprimis tamen eos hoc Emblema spectat, quibus beatissima solius Dei contemplandi sors obtigit. *Nihil enim*, ait beatitatis hujus expertissimus Augustinus, *tam pulchrum, atque jucundum, quàm ipsum solum mentis intuitu, & cordis aviditate contemplari Deum, & miro modo invisibiliter cernere invisibilem &c.* Et Olympiodorus. *Accidit hoc omnibus, qui Dei munere circa spiritualia occupantur, & ad ea contemplanda mentem attollunt, ut mundana hæc omnia parvi pendeant.*

Sapientia & virtus.

Sap. 7. 7.

Deum contemplari. *S. Aug. lib. Medit. c. 27.* *Olymp. in c. 5. Eccles.*

162. Tametsi Aquila propriâ suâ virtute inter fulmina incolumis & secura incedat; quia tamen eadem præservandi vis etiam in Lauro reperitur, idcircò Aquilæ collum, laureâ torque munitum, hoc lemmate notârunt. TUTIOR ADJUNCTA. Ascanius Martinengus, Academicus inter Errantes Brixienses Salvatus, hoc Emblemate demonstrat, quodcunque auxilium aut diligentiam prodesse, ut salus nostra promoveatur, & incrementum aliquod capiat. Porrò etsi homo, si voluerit, possit coram supremo Judice æternæ damnationis fulmen evitare, liberoque ac incolumi volatu ad Solis Divini aspectum eniti, id tamen longè securius certiusque efficiet, si vitæ Religiosæ aut Martirii laureolâ exornatus comparuerit. Certè Martyrem (& quid ni etiam Religiosum, utpote Martyrem in solitudine?) adeò indubitatè ad cœlos penetrare ait Magnus Augustinus, *ut injuria sit pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

Auxilium.

Martyr.

S. Aug. de Verb. Apost. ser. 17. c. 1.

163. Princeps vindicantis justitiæ rigorem in solos sceleratos, ac contumaces legum suarum transgressores, stringere debet. Haud secus atque Aquila serpentem impugnans ac discerpens, epigraphen tenet. IN RELUCTANTES. Horatius.

Justitia Principis.

Horat. l. 4. Carm. Ode 4

Non in reluctantes dracones
Egit amor dapis, atque pugnæ.

Eandem operandi methodum observat justissimus Deus. *Si ambulaveritis mihi ex adverso*, inquit, *ego quoque contra vos adversus incedam.* Et Theodoretus. *Domine supercilia attollentes, superbiæque inservientes, in terram dejicere, atque vilitatem suæ naturæ existimare cogis.* Rem totam compendio proponit Siracides. *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

Levit. 26.

Theod. in Ps. 17.

Eccl. 7. 6.

164. Bartholomæus Rossus Symboli loco Aquilam expressit; cujus pectus, à dipsade serpente ictum, epigraphen habebat subjunctam. SEMPER ARDENTIUS: Dipsas enim illam pungit, ut, quò plus bibit, plus sitiat. Nimirum ardentissimam S. Caroli charitatem innuebat, quæ in proximi utilitatem & Dei obsequium indies magis magisque inflammabatur; nam, ut præclarè observat S. Joannes Chrysostomus, *charitatis natura satietatem nescit, sed dum semper fruitur dilectis, MAGIS, magisque INFLAMMATUR.* Cæterùm idem Emblema hominem, libidini aut avaritiæ deditum, exactè describit. Unde Isidorus Pelisiora. *Absurdus avaritiæ furor, cui, quidquid suppeditaveris, id materiæ ac fomitis instar, habendi ardorem MAGIS, magisque ACCENDIT. &c.*

Charita

S. Chryso.

Avaritia

S. Isid. Pel. l. 5. Epist. 5

165. Perfectam felicitatem, omniumque bonorum cumulum in solo Deo obtineri, ex Aquilæ pullo discere licet, qui Solis conspectui expositus, epigraphen sustinet. UNA SALUS. Unde Regius Psaltes: *Deus noster, Deus salvos faciendi.* Et S. Petrus in Apostolorum Actis de Deo incarnato ait, *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri;* Non sine ingenti ardore exclamat S. Augustinus. *Quis es Domine, & quem intelligam! Certè tu solus es, quod es, id est, quo nihil magis cogitari potest, nec jucundius; vita es, sapientia, lux, veritas, bonitas, æternitas, summum bonũ, nullo indigẽt, quo omnia indigẽt, ut sint, & ut benè sint &c.*

Spes in Deo. *Psal.*

Act. Apos

166. Aquila, à ventis infestata, FERTUR IN ALTUM. Nempe persecutiones, adversus heroicam hominis virtutem ingruere solitæ, opportunam sublimioris gradûs conscendendi occasionem præbent. Breviter, sed verè, Magnus Augustinus. *Tribulatio asper quidem ventus est, sed prosper.* Eruditè D. Gregorius Brunellus.

Persecut exultat.

Ventorum adversis solidantur flatibus alæ,
Quoque magis quatior, tutius alta peto.

167. Animæ, versus Deum exæstuantis, desideria à D. Hercule Salarolo Abbate Aquilæ Emblemate repræsentantur, quæ nascente Sole fruitura, versus Orientem volat; cum inscriptione, è Psalmo desumptâ. SATIABOR, CUM APARUERIT. De beatifico Dei aspectu disserens S. Greg. *Quando*, inquit, *ad ipsum fontem vitæ venerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas: sed longè abest ab illâ siti necessitas, longè à satietate fastidium, quia & scientes satiabimur, & satiati sitiemus.*

Beatitud

Psalm 16.

S. Greg. in c. 28. Iob.

168. Aquila, veteres suas pennas abjiciens, à PP. Barnabitis in funebri pompâ Philippi IV. epigraphen accepit. ABJECISSE JUVAT. Mentem verò suam sequenti epigrammate explicârunt.

in morte

Regia linquit avis spolium, meliore tegenda.
Nec dolet amissa, dum nova pluma venit.
Quid doleat linquens spolium mortale Philippus,
Cui mors æternum vivere posse dedit.
Jam curam fragilis redimit non fragilis ætas,
Sic vitæ; in vitæ funere, fœnus habet.

Cæterùm eodem Emblemate etiam spontanea paupertas significatur, quia Christo protestante, paucis relictis, acquiruntur multa. Unde S. Chrysosto. *Nihil opulentius eo*, inquit, *qui paupertatem sponte diligit, & cum alacritate suscipit.*

Paupert volunta.

S. Chrys. 18. in Epi ad Hebr.

169. Omnes quidem Christiani, cumprimis tamen Religiosi & Sacerdotes, Aquilam ideæ loco ob oculos sibi statuant, quæ immobili corpore in Solem defixa, epigraphen tenet. TERRENA SORDENT. Iterata hæc fuêre suspiria Magni Patriarchæ, S. Ignatii Lojolæ, *Heu! quam SORDET TERRA, cùm cœlum aspicio.* Multus in hoc argumento S. Jo. Chrys. *Dulcis præsens vita est*, inquit, *& multæ plena voluptatis; non tamen omnibus, sed iis tantùm, qui illi sunt affixi. Quod si quis in cœlum suspexerit,*

Sacerdo & Religi sus.

S. Ignati Loyola.

S. Chrys. Hom. 66. Ioan.

xeris, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, ac nullius pretii existimabit. Inter eos, quibus orbis fastidio fuit, ducem se offert Maria Virgo, de quâ S. Thomas Villanovanus. *Ex quo in clarissimum Divinitatis jubar hæc aquila perspicax & sublimis oculos suos defixit, nunquam eos amplius ad terrena deflexit.*

[Maria V. Tho. Vill. conc. 4. de Assumpt.]

170. Physicis compertum est, Aquilam ita esse erga alias aves liberalem, ut prædam, à se interceptam, ultrò in eas dispenset. Unde lemma. QUOD MIHI, HOC ALLIS. Vel, NON SIBI PROVIDA SOLI. Eorum hoc est symbolum, qui omnem suam operam & laborem ad aliorum utilitatem ac commodum promovendum liberalissimè communicant. Sapienter Tullius. *Non solum nobis nati sumus, ortusque nostri partem patria vendicat, partem amici,* Et Hugo Victorinus, *Quot etenim hominibus quisque, quantum ad se pertinet, prodesse potest verbo, de tot Deo damnum facit ex silentio, & de tot justè rationem redditurus est in judicio. Qui igitur multa novit, multa dicat; qui pauca novit, pauca dicat; & quantùm quisque novit, tantùm dicat.* Præclarè hoc Emblema de S. Apostolo Andrea intellexeris, qui Christo vix cognito, mox ad Petrum, fratrem suum, accurrit, eumque de rei prodigio certiorem fecit. Unde de illo S. Petrus Damianus ait, *Novus discipulus factus, non est propriâ salute contentus, condiscipulos quærit, ad lucrandos alios fraternus se amor extendit. Thesaurum reperit, gaudet aliis prodesse, furtum deputat illum sine consortibus possidere.* Porrò de S. Joanne Apostolo, veluti de Benjamino Evangelico, apprimè dixeris, *Manè comedes prædam, & vespere dividet spolia:* siquidem optimâ voluntate omnia arcana sua cum aliis communicabat, ipsomet testante. *Quod vidimus & audivimus, annuntiavimus vobis &c.* Denique S. P. Augustinus, aquilam studiosissimè imitatus, referente Possidonio, *Pauperum semper memor erat, EISque inde erogabat, Unde ET SIBI &c.*

[Communicatio doctrinæ. ... 1. offic. Hug Vict. Instit. Monast. ser. 30. Andreas Apost. S. Pet. Dam. Serm. 1. de S. Andrea. Joannes Apost. Gen. 49. 27. 1 Jo. 1. 2. S. August. Possid. c. 22. vitæ ejus.]

171. Paulo V. Pontifice Maximo, D. Carolum in Sanctorum album recensente, nonnemo ad triumphales pompæ illius arcus Aquilam depinxit, soli affixam, & hoc Horatii lemmate insignem. OCULO IRRETORTO. Nam Paulus V. è Burghesiorum familiâ oriundus, in gentilitiis scutis aquilam; Carolus verò in Borromæorum insignibus Solem gestabat. Unde mens Emblematis erat, Summum Pontificem, immensis sanctimoniæ radiis in Divo illo consideratis, oculos in tantâ claritate ita inconnives ac irretortos tenuisse, ut copiosum illum virtutum fulgorem solemni ritu probaret, ac supremis honoribus dignum decerneret. Cæterùm Beatorum hæc imago est, quorum unica & summa felicitas est, Deum, Solem æternum, irretorto intueri oculo; quia, Magno Augustino teste, *Visio Dei sola est summum bonum, cujus adipiscendi causâ præcipimur agere, quidquid in hoc mundo rectè agimus.*

[Horat. l. 2. Carm. ode 2. S. Carolus. Beatitudo. S. Aug. l. 1. de Trinit. c. 13]

172. Mens humana, Divinis consolationibus pasci solita, evanidas mundi voluptates & caduca lenocinia facili ac generoso pede calcare potest; veluti Aquila adversus cœlum evolans, tametsi lepores ac cuniculos, suavissima gulæ aquilinæ irritamenta, è propinquo infrà se conspiciat, nihil tamen à cœpto cœlesti tramite removetur. Unde lemma. CONTEMNIT SATURA PRÆDAM. poteris illam etiam in hæc verba introducere loquentem. D' ALTRA PIU' NOBIL ESCA PAGO IL CORE. Id est, COELESTES APPETO CIBOS. Pulchrè S. Gregorius. *Qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantùm possibilitas admiserit, perfectè cognoverit, ea, quæ in terris amaverat, cuncta derelinquit, in comparatione illius vilescunt omnia, deserit habita, congregata disperdit, inardescit cœlestibus animus, nil de terrenis libet, deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei placebat specie.* Hoc sensu etiam D. Gregorius Brunellus canit.

[Contemplativus. ... Reg. hom.]

Nectare quæ cœli fruitur mens, negligit ima,
Despicit ut prædam, cùm satur est, volucris.

Denique Torquatus Tassus, insidias, Goffredo ab Armida tensas, sequenti poëmate in rem præsentem describit.

[Tass. nel Gerus. Liberat. Cant. 4. Standza, 62.]

In van cerca invaghirlo, e con mortali
Dolcezze attrarlo al' amorosa vita;
Che qual saturo augell, che non si cali
Oue il cibo mostrando altra l' invita.
Tal ei sario del mund, i piacer frali
Sprezza, e sen poggia al Ciel per via remota,
E quante insidere al suo bel volto tende
L' infido amor, tutte fallaci rende &c.

173. D. Carolus Bossus Aquilam, volatu sublimem expressit, infrà cujus oculos equus jacebat excoriatus, cum lemmate. SORDIDA TEMNO. Sublimem, ac Divinis contemplationibus probè assuetum hominis animum hæc imago repræsentat, qui, quidquid mundus deliciarum ingerere conatur, veluti sordidam illuviem contemnit. De ipso S. Paulus. *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam IESV Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora.* Quare S. Hieronymus, Paulinum Monachum instituens, ait, *sit tibi vilis & vespertinus cibus, olera & legumina: qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnoperè de quam pretiosis cibis stercus conficiat.*

[Contemplativus. Phil. 3. 8. S. Hier. ep. ad Paul.]

174. In honorem cujusdam Belliducis, qui Lindavii Gubernator, Ducem Weinmarium, cæterasque copias Suecicas suâ magnanimitate ad obsidionem solvendam coëgerat; Carolus Ghioldus, Theologus, insignis Collegiatæ ad S. Nazarium Mediolani Canonicus, symboli loco Aquilam statuit, aliquot trochilis infestatam; cum lemmate, ab Aquila pronuntiato. QUAS EGO. ? Ad verbum Virgilius.

[Magnanimus. Virg. 1. Æn.]

Quas ego? sed motos præstat componere fluctus.

Porrò Emblematis mentem hoc epigrammate explicat.

Tune aquilam tentas avium vilissima turba?
Quas ego? sed nostrum est, vincere vos oculis.
Lindavium aggrederis proles vesana Sueci;
Siste; sed aspectâ protinus urbe fugis.

Inde etiam disces iram cohibere, quando ab aliis, præsertim inferioribus, provocaris. S. Gregorii monitum est; *Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince te ipsum, differ tempus furoris; quum tranquilla mens fuerit, fac quod placet.*

[Ira. S Greg. in moral.]

175. In exequiis Ranucii I. Parmensium Ducis; symboli loco Aquilam cernere erat; quæ pullum ad sphæram solarem evehens, epigraphen ferebat. ET DOCET, ET PROBAT. Enimverò laudatissimus hic Princeps recensendis & exercitandis militibus assistere, suâque præsentiâ eos adversus hostem concitare est solitus. Hâc ratione Magnus Theodosius Imperator filium suum, minimè degenerem, Claudiani ore imbuit.

[Præsentia Principis. Claud. in 4. Consul. Honor.]

----- *solabere partes*
Æquali sudore tuas: si collis iniquus,
Primus ini: sylvam si cædere provocat usus,
Ne pudeat sumptâ Quercum stravisse bipenni.
Calcatur si pigra palus, tuus antè profundum
Pertentet sonipes, fluvios tu protere curru
Hærentes glacie, liquidos tu scinde natatu.
Nunc eques in medias equitum te confere turmas;
Nunc pedes assistas pediti, tum promptius ibunt

Te socio: tum conspicuus, gratusque geretur
Sub te teste labor.

Tentatio. Cæterùm etiam tentatio non tantùm probat hominem, qualis sit; sed etiam varios Dei amandi & reconciliandi modos docet. *Omnis tentatio*, inquit S. P. Augustinus. *probatio est; & omnis probationis effectus habet fructum suum; quia homo plerumque etiam sibi ipsi ignotus est: quid ferat; quidve non ferat, ignorat: & aliquando præsumit se ferre, quod non potest: & aliquando desperat se posse, quod potest. Accedit tentatio quasi interrogatio, & invenitur homo à se ipso, qui latebat & seipsum, sed artificem non latebat.* S. Aug. in Ps. 55.

176. Aquila, oculis ad solem suspensa, epigraphen tenet. ALIT ASPECTUS. E mundi doctrinâ, rei amatæ præsentia mirificum amanti robur, viresque ingentes subministrat. Id, quod de Dei aspectu longè verissimum est; cujus præsentia beatos omnes in cœlesti patriâ mirificè pascit & confortat: Imò non in cœlis tantùm, sed & in hâc peregrinantûm valle beatitatem illam primoribus saltem labiis degustare, ac suavissimè nutriri licet; ipsomet Deo testante. *Respiciam vos, & crescere faciam.* Unde S. P. Augustinus. *Hæc est beata vita, inquit, piè perfectèque cognoscere, à quo inducaris in veritatem, quo veritate perfruaris, per quid connectaris summo bono.* Nam, ut alibi ait, *Deus beatitudo, in quo, & à quo, & per quem beata sunt, quæ beata sunt omnia.* Præsentia Dei. Levit. 26 9. S. Aug. de beata vita propè fin. Idem lib. 1. soliloq c. 1.

177. Fuit, qui Aquilæ, in solem defixæ, subscriberet. FERVOR ALIT. Lemmate è Claudiano mutuato, ubi de Phœnice in hæc verba canit. Claud. carm. de Phœnica.

Non epulis saturare famem, non fontibus ullis
Assuetus prohibere sitim: sed purior illum
Solis FERVOR ALIT.

Animus contemplativus omnia hujus symboli lineamenta exæquat; quippe qui alimenti loco solos pietatis suæ ardores habet, neque ab ullâ re aliâ, nisi à Divino Sole sustentatur. Inter hos plurimùm excelluit S. Catharina Senensis, *Inventa à die Cinerum usque ad Ascensionem Domini jejunium perduxisse solâ Eucharistiæ communione contenta.* De se ipso testatus est has terras obambulans Servator. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me; ut perficiam opus ejus.* In hunc locum S. P. Augustinus. *Cibus Christi*, inquit, *est salus nostra, reficitur cœlestibus epulis, profectibus nostris. Cibus ejus sumus, dum acquisiti Ecclesiæ, in membra ejus corpusque transimus.* En! quali, quantoque ardore alita sit hæc Aquila Divina! Contemplativus. Io. 4: 24. S. Aug. serm. 253, Temp.

178. Aquilæ generositas non permittit, ut prædam captatura, rebus vilibus & abjectis inhiet. Unde vetus paræmia, *Aquila non captat muscas.* Unde inscriptionem præfert. NON PARVA FERIT. Certè beati, ceu Aquilæ cœlestes, terrenas quisquilis omnes fastidiunt; in solum Deum, veluti bonum suum unicum & infinitum, defixi. Nam ut expertus testatur Augustinus. *Cognitione Dei nihil melius est; quia nihil beatius est, & ipsa vera beatitudo est.* Unde P. Cornelius à Lapide ait, *Aquila non captat muscas: beati non curant res terrenas & viles.* Beati. S Aug. serm 112 de Temp. Corn. à Lap. in Isa. 4. 31.

179. Aquila inter nubium fragores, & fulminum minas intrepida persistit, reliquis avibus unà omnibus exterritis, & in fugam actis. Unde Academicus inter Errantes stabilis epigraphen subdidit. MOVEANTUR ALII. Genuinam hanc invicti ac magnanimi pectoris ideam dixeris, quali illud Romanorum decus, Scipio major, Plutarcho teste, imbutus erat: cùm enim lectissima juventus, è clade Cannensi penitus consternata, fugâ extra Italiam sibi consulere moliretur; ipse in consultantium cœtum viribus adeò generosis irrupit, ut illos ad rempublicam nunquam deserendam sacramento adegerit. *Quibusdam juvenibus, de relinquendâ Italiâ agitantibus, in consultantium cœtum prorupit, ac stricto gladio jurare omnes coëgit se Rempublicam non deserturos.* Eandem magnanimitatem etiam in Mariâ Magdalenâ observatam habuit S. Gregorius Papa; quippe *quæ à monumento Domini, etiam discipulis recedentibus, non recedebat. &c.* Animus intrepidus. Plutarch. in Scipion. Mater. S. Maria Magdalena. S. Greg. 25. in Ev.

180. Aquila, inter fulminum terrores viam ad cælum explorans, à D. Petro Cascinâ epigraphen recepit. NEGATA TENTAT ITER VIA. Horatius hanc vim virtuti propriam censet. Virtus arduis. Hor. l. 3.

Virtus, recludens immeritis mori
Cælum negatâ tentat iter viâ.

Et Silius Italicus. Sil. Ital.

Explorant adversa viros: perque aspera duro
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Et Ovidius. Ovid. 2 Pont.

--- Tendit in ardua virtus.

Denique Justus Lipsius generositatem illam grandis animi characterem censet; *Generosum est*, inquit, *ire in adversos.* Nec tamen diffiteor, eodem Emblemate etiam animum perversum ac contumacem depingi. De hoc Horatius. Generositas. Lips. l. 4. Admir. Contumacia. Horat. Od. 3.

---- Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vitium nefas.
Nil mortalibus arduum est,
Cœlum ipsum petimus stultitiâ: neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

181. D. Archangelus Conter animam, ardentissimis desideriis ad Divina gaudia anhelantem, sed tamen molestâ corporis humani mole retardatam, Aquilæ pullo persimilem dicit, qui etiamnum implumis, capite ad nidi marginem sublevato, versus solem suspirat; cum dicto. QUIS DET MIHI PENNAS? Consentaneè sacro Epithalamio. *Quis mihi det te fratrem meum &c. ut inveniam te foris, & deosculer te.* Ad Deum suum suspirans Magnus Augustinus, *Quanto magis*, inquit, *quod abest, desidero, tanto magis, donec veniat fleo.* Et P. Hermannus Hugo. Desideri. Cant. 8. 1 S. Aug. in Ps. 38. Herm. Hu l. 3. Epig.

Quando igitur veniam? quando tibi libera sistar?
Quando astabo, oculis obvia facta tuis?
O quando, facies toto spectabilis orbe!
Quando tuo dabitur lumine posse frui?

182. Aquilam natura & oculis acutissimis, & unguibus robustissimis providit. Unde lemma. OCULIS, ET UNGUIBUS ÆQUE. Militem hæc imago repræsentat, non minùs rapinis, atque excubiis assuetum. Nabuchodonosor ab Ezechiele cognominatur *Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis*, seu, ut Septuaginta vertunt, *Plena unguium.* In hunc locum opportunè Theodoretus. *Plenum unguium ipsum vocavit, ut, cui suppeditaret multus exercitus & equitatus & peditatus &c. ungues enim Regis sunt milites, qui extremam corporis obtinent partem, eò quod ducibus subjecti sint, & celeres sint, atque validi ad percutiendum, & feræ instar dilaniandum eos, qui contradicere conantur.* Miles pax. Ezech. 17. Theod. in hunc loc.

183. Hæreticus, Christiano quidem nomine insignis, oculis tamen à sanctæ fidei claritate retortis, degenerem Aquilæ pullum imitatur, qui maternis unguibus in sublime evectus, solem contemplari recusat; addito Claudiani lemmate. DEGENER LUMINA TORQUET. Præclarè in hanc rem S. Ambrosius. *Christus extra Ecclesiam projicit, in quibus fidei lumen infirmum est, qui igneam Evangeliorum lucem, vitiis sæcularibus inquinati, aspicere non possunt.* Hæreticus. S. Ambr. in Salom.

184. Aquila, supra inaccessæ rupis cacumen pullis suis intra nidum incubans, epigraphen tenet. DRACONES ELUSIT. Sanè, quisquis ad vitæ religiosæ fastigium sese receperit, nullos scelerum aut male- Religio vita.

Apocal. 12. malevolorum assultus pertimescit. Hanc præceptionem propè edocta magna illa mulier Apocalyptica, fugâ versus solitudinem arreptâ, veteratorium Draconis Tartarei ingenium derisit. Pulchrè in Religionis Monasticæ encomium S. Eusebius. *Verus Religiosus*, Euseb. in ser. inquit, *debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientiâ, humilis ad merita, superbus ad vitia.* Hâc enim agendi ratione supra rupem inexpugnabilem constitutus, tartareos assultus omnes eludet.

S. Thom. Aquin. 184. Aquila soli vicina, epigraphen tenet. ASPICIT PROPE. D. Thomam Aquinatem, Divina arcana è propinquo contemplatum uti & D. Thomam Apostolum, cumprimis verò S. Joannem Evangelistam Emblema illud concernit. De hoc S. Augustinus. *Ioannes super nubila infirmitatis humanæ velut aquila volat, & lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur.* (S. Thom. Apost. S. Joan. Apost. S. Aug. de cons. Evang. l. c. 6.)

S. Thom. Aquin. 185. Romanorum mos erat, Aquilam, hastæ fastigio nixam, vexilli loco ad deducendum militem circumferre. Proinde militari huic Aquilæ inscribes. AGMINA DUCIT. D. Thomam Aquinatem hoc Emblema spectat, qui sapientiæ suæ præstantiâ ingentem litteratorũ catervam in suas partes detraxit. Eadem tamen cumprimis Magni Augustini propria est imago, *Quem*, teste S. Ecclesiâ, *imprimis secuti sunt, qui postea Theologicam disciplinam vitâ & ratione tradiderunt.* Ex S. Ambrosii sententiâ dulcissimum nomen JESU hâc prærogativâ excellit, utpote quo universum orbis Christiani agmen, veluti fidissimo Duce, dirigitur. *Non hîc aquilæ militares*, inquit, *neque volatus avium exercitum ducunt, sed tuum, Domine IESU, nomen & cultus.* (S. August. Breviar. Rom. in Lectionibus. Nomen JESU. S. Ambros. l. de fide in fi.)

Exemplũ. 186. Aquila ante pullos, in nido repositos, volat, cum lemmate. PROVOCAT EXEMPLO. vel, ut P. Masenio placet. EXEMPLA TRAHUNT. Princeps suos subditos haud operosè in suam voluntatem flectet, si primus ipse imperterritam cuivis discrimini manum admoverit. De Julio Cæsare testatur Suetonius. *In agmine, nonnunquam in equo, sæpius pedibus anteibat capite detecto, seu Sol, seu imber esset.* De Catone Lucanus canit. (Suet. c. 57. Lucan. l. 9.)

---- *Monstrat tolerare labores,*
Non jubet.

Tacit. l. 2. hist. De Othone scribit Cornelius Tacitus. *Loricâ ferreâ usus, & ante signa pedester, horridus, incomptus, famæque dissimilis.* His omnibus longissimè superior Deus, Mose referente, instar aquilæ assiduò præcessit, Deut. 32. 11. Israelem ad volandum provocaturus. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas, & assumpsit eum.* In hunc locum Rabanus. *Christus*, inquit, *nos dictis & exemplis ad alta provehit, ut sequamur, quò præcessit.* De Fabio Chisio canit P. Masenius. (Raban in hunc loc.)

Ducimur exemplis, vix est scelus absque magistro,
Sub duce virtutis semita prona patet.
Aspice Reginam volucrum; prait illa minores,
Ac docet ignotis astra subire viis.
Et trahit exemplo FABIUS, Dux ipse proborum,
Si pingi virtus posset, imago foret.

Ovid. lib. 8. Metam. 187. Aquila, serpentem collo stringens, epigraphen ex Ovidio à me recepit. NE RETORQUEAT ORA. Principis prudentis hæc imago est, qui seditiosorum turbas viribus adeò validis coërcet ac edomat, ut nullam imposterum respirandi moram ipsis relinquat. Aquilam sese probaverat S. Joannes Apostolus, quando ab Asiæ Episcopis rogatus, ad comprimendas & suffocandas serpentinas Cerinthi & Ebionitarum fauces, suum Evangelium, non sine fatali illorum probro, conscripsit. De hoc S. Hieronymus. *Scripsit Evangelium, rogatus ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asseruerunt, Christum ante Mariam non fuisse: unde & compulsus est, Divinam ejus nativitatem edicere.* (Prudentia. S. Joan. Apost. S. Hieron. de scriptoribus Eccles.)

S. Augusti. 188. Aquila draconem comprimens, epigraphen sustinet. DONEC PERIMAT. D. Carolus Ghioldus, ad S. Nazarium Mediolani Theologus, indefessam & assiduam pugnam hoc Emblemate significabat, quâ Malleus hæreticorum S. P. Augustinus adversus Pelagianos, Donatistas, Manichæos, & alia sectariorum portenta exarserat. Imaginis mentem sequenti poëmate aperui.

Aquila siete voi grand' Agostino,
Che ben fiere tenzoni
Movete contra i perfidi dragoni.
Al alto grido, ed a la dotta mano
Cede il furore insano:
Ne pemettere lor triegua, ò respiro,
Sin al gelato, ed ultimo sospiro.

Porrò homo iram, cæterasque animi sui vitiosas passiones tamdiu variis mortificationibus comprimere studeat, donec penitus perimat. Unde S. P. Augustinus. *Si vindicare te vis de inimico tuo, ad ipsam iram tuam te converte, quia ipsa est inimica tua, quæ occidit animam tuam.* (Iras Mortificatio. S. Aug. serm. 93 de Divers. c. 6.)

Generositas. 189. Aquila, adversus hydram confligens, mentem adeò generosam ac imperterritam spirat, ut jam non septem duntaxat, sed centum capitibus detruncandis parata videri possit. Lemma. OBVIA CENTENO. Ita prorsus Judas Machabæus exiguo hostium manipulo ingentem hostium exercitum ad internecionem delevit. Abrahamus trecentis militibus aliquot Reges adortus, semper rediit victor. Hoc quoque nostro ævo exiguus Lusitanorum numerus, iteratis vicibus in Indiâ Orientali cum amplissimâ hostium vi conflictatus, eos felicissimè ad internecionem delevit, uti crebrò ac prolixè testatur P. Petrus Maffæus in Indiæ Orientalis historia. Porrò homo justus animi est ita generosi ac imperterriti, ut conscientiæ suæ viribus nixus, innumeras hostium tam infernalium, quàm terrenorum phalanges superare valeat. Certè S. Paul. postquã tribulationes, angustias, gladios, pericula, persecutiones, tyrannos, &c. recensuisset, tandem subjungit, *Sed in his omnibus superamus.* Unde de Pauli fortitudine disserens Chrysostomus, ait, *Paulus tyrannos, ipsumque adeò Neronem, velut quosdam culices æstimabat: mortem, cruciatus, & mille supplicia ludum putabat esse puerorum, etenim coarctatus carcere &c.* (Judas Machabæus. Justus vincit. Rom. 8. 37. S. Chrysost. hom. 2. de laud. Pauli)

Virtus invicta. 190. In encomium invictissimæ Domûs Austriacæ Aquilam depinxêre, inter fulmina mediam, cùm lemmate. NON JUS HABUERE NOCENDI. Nempe in hominem justum nihil penitus possunt omnia hominum & inferorum fulmina. De SS. Apostolis testatur Chrysostomus. *Hoc est maximè mirabile*, inquit, *quia, cùm plurimas illi paterentur insidias, maximæque in illos tempestatum turbines frequentes irruerent, nequaquam tamen eorum animos labefactare potuerunt, nec eis aliquem incutere mœrorem.* Cæterùm quod alternantis fortunæ tempestates nihil adversus virtutem possint, vernaculo poëmate heroico testatur Ansaldus Ceba, dum canit, (S. Chrysost. hom. 25. in Matth.)

--- *Che il tempestar de la fortuna*
Non hà ne la virtù ragione alcuna.

Virtus inter ærumnas. 191. Aquila, rostro adversus saxum alliso, solam senectutem, non verò vitam exuit. Lemma. MORITUR, NON PEREUNTE SENECTUS. Ita genuina virtus, adversis calamitatibus pulsata, nunquam conciditur, sed innovatur. Ad rem Sanctus Chrysostomus. *Præcipuè mirandum est, quod non modo* (S. Chrys. l. c.)

modò nihil omninò lædunt, qui talibus (Virtuosis) *insidias machinantur, sed eos etiam faciunt oppugnatione meliores.* Apposite meus D. Gregorius Brunnellus.

Fortem non frangit mors effera, sola senectus
Frangitur, & vitâ non pereunte, perit.

Farnes. l. 1. Diphtera Iovis Elog. 24. 192. Aquila, si Henrico Farnesio fides sit, clauso rostro montes pervolat, ut anates, quibus Armeniæ montes abundant, veluti prædam suam desideratissimam, securius & ex improviso comprehendere queat. Silentium. Lemma. NON SINE SILENTIO. Princeps certè, uti in plerisque aliis, ita præcipuè in hoc imitatur aquilam, ut omnia arcana in cordis sui penetrali religiosè conclusa teneat; cùm plurimùm tam publici, quàm privati commodi è silentio promanet. Concinnè dixit Thomas Morus.

Rebus in humanis magna est doctrina, tacere.

Dione referente, Tiberii Imperatoris gnoma erat, *Principis animum aut nemini, aut paucis cognitum esse debere.*

193. Aquila, cervum prædatura, inter hujus cornua sese collocat, & pennas, plurimo onustas pulvere, in ejus oculos excutit, alisque eum tamdiu flagellat, donec viribus exhaustus & excæcatus, per rupem Plin. l. 10. c. 4 præceps corruat. Plinii verba sic accipe. *Pulverem, volatu collectum, insidens ipsorum cornibus, excutit in oculos ejus, ora pennis verberans, donec in rupes præcipitet.* Atque ita, quod fortitudo ad pugnam cum Astutia. cervo ineundam denegârat, astutia compensavit. Inde Henricus Farnesius colligit, ubi vires deficiunt, stratagematis dimicandum esse. Emblemati subscripsit. CONSILIUM PRO VIRIBUS. vel, meâ quidem sententiâ, PRO VIRIBUS ASTUS. vel, ut P. Masenio placet. INGENIO CEDUNT MAJORA. Lysandri doctrina erat, *Ubi leonina pellis non prodesset, vulpinam esse adhibendam.* Hâc pugnandi methodo strenuè usi sunt Cæsar, Pompeius, Alexander, Fabius Maximus, Sertorius, Mithridates, Antigonus, aliique à Frontino enumerati. Hos tamen omnes longis intervallis superavit Hannibal, qui, Plutarcho teste, fuit cognominatus *Crudelissimus Dux, & in fallendis hominibus callidissimus.* Plutarch. De Fabio Chisio, postea Alexandro VII. Pontifice Maximo, canit P. Jacobus Masenius.

Vidimus elusos robusto in corpore nervos,
Et quæ non poterant viribus, arte geri.
Ardua quæque geris, paterisque; sed ardua quæque,
Ingenio vires suppeditante, ruunt.
Cervinis ita solis avis cervicibus hæret,
Et priùs excæcat, quàm premat ungue, feram.

194. Aquila supra pullos, intra nidum reclinatos, Maria V. volitat; cum lemmate. PROVOCAT, ET PROTEGIT. Maria Virgo, Aquila celsissima, suo exemplo fidelium animos ad cœlum allicit, suâque tutelâ Psalm. ab interitu vindicat; ut adeò verè cognominetur *Aquila provocans ad volandum pullos, & super eos volitans.* Crucifixus Eandem iconem Christo in crucem fixo, tribues, Arnold Carn. tract. 7 de Verb. Dom Novar. in Vmbra Virg n. 447. quia Arnoldo teste, *extensis brachiis Christus in cruce totum corpus infra se positum complexus est, & sub alis crucis aggregato genere nostro, ibi & protexit, & fovit, ubi nihil posse putabatur:* Pressiùs in hanc rem P. Aloysius Novarinus ait, *Nos ad volandum provocavit, dum in cruce manus extenderet, & brachia in alarum modum, ut deinceps nemo imis hæreret &c.*

195. Aquila, cui à Jove cognomen, naturâ suâ carnes fastidit, solis herbis pasci solita. Huic proin Virg. 2. Georg de supra cespitem, Gambertus inscriptionem è Virgilio Sobrietas. subdidit. ASSUETA PARVO. Homines, sobrietatis & abstinentiæ studiosos, hoc Emblema concernit; ques inter excelluere S. Ægydius Abbas, solis herbarum radicibus; S. Paulus I. Eremita, solis dactilis; S. Antonius Abbas solo pane & sale; S. Carolus Borromæus *solis quandoque lupinis &c.* sustentari soliti. Imò omnes, quotquot Dei amici vocantur, veluti Aquilæ Jovis, abstinentiam colunt. Nam, S. Leo Pa. serm. de j. deci. men. quod S. Leo testatur, *Semper virtuti cibus jejunium fuit; de abstinentia quoque prodeunt castæ cogitationes, rationabiles virtutes, salubria consilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, & virtutibus spiritus innovatur.*

196. B. Andreas Avellinus, cùm Virginum Parthenoni à pernicie vindicando studiosè caveret, crebro ac gravi vulnere multatus est. In facinoris hujus, admodum generosi, encomium, Aquilam depinxêre, quæ inferiore pectoris sui parte jaculo transfixa, pullos supra dorsum sustentabat; cum lemmate. PROPRIO FERT PERICULO. Ad hoc propositum te- Pastor bonus. statur Christus. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Certè David, veluti aquila amantissima, ut populum suum ab intentatâ clade eriperet, se- Ioan. 10. 2 Reg. 24. ipsum percutientis Angeli gladio objecerat. De hoc S. Amb. Ps. 37. Sanctus Ambrosius. *Ubi vidit occidi populum, ipse se Angelo ferienti obtulit, ut ipse potiùs pro populo feriretur.*

197. Magistri versus discipulos amor, & indefes- Educat. sa eosdem in omni virtutum genere erudiendi diligentia, Aquilæ Emblemate repræsentatur, quæ pullos infra alas complexa, epigraphen tenet. DONEC ADOLEVERINT. Apostoli hoc paterni amoris affectu plurimùm exarsêre, quando filios suos spiri- SS. Apostoli. tuales tanto charitatis fervore, ac fomentis adeò liberalibus sustentârunt, ut nunquam ab iis, nisi cùm jam in firmam perfectionis ætatem adolevissent, deflexerint. De se ipso testatur Paulus. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Galat. 4. Opportunè S. Cyrillus Alexandrinus, *Paulus*, inquit, S. Cyril. lex. l. in Genes. *quosdam parturiebat, quousque formaretur Christus in eis; id est, quousque magni, ineffabilesque ejus Divinitatis characteres in eorum animos perpulchrè imprimerentur.*

198. Dominicus Gambertus symboli loco Aquilam expressit, quæ ob loci ac sitûs incommoditatem à solis obtutu prohibita, illum, intra stagni cujusdam Virgil. 4. Æneid. aquas reflexum, contemplabatur: addito Virgilii lemmate. ET IMAGINE CAPTA. Ita Prin- Summi Pontif. est D. imago ceps Catholicus Deum, æternum Solem, in Romano Pontifice, veluti prototypon in imagine, veneratur. Alexander Magnus, Hierosolymis propinquans, coram Joddo, summo Hebræorum sacerdote, sibi obviam facto, profundum corpus inclinavit: quare ab Ephestione reprehensus, respondit, eum honorem Super. loco Dei habendus. à se non homini, sed Divinæ Majestati ac supremæ sanctitati in homine deferri. Hinc discant Religiosi Deo in Superioribus obedire, eisque debitam exhi- S. Bern. Dispen. & præcept. bere reverentiam. Unde Doctor Mellifluus. *Obedientia*, inquit, *quæ exhibetur majoribus, Deo exhibetur; ipse enim de se dixit, Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Sive Deus, sive homo, vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est curâ, pari reverentiâ deferendum.*

199. Idem Gambertus Aquilam expressit, quæ generoso ausu integram ciconiarum turmam in fugam conjecit; illam Ovidii panegyrin lemmatis loco promerita. NUMERO PRÆSTANTIOR OMNI. Nimirum unicum magnanimum pectus aliis Unus pro multi. millenis præstat. Exemplo suo id confirmat Samson, integras Philistæorum centurias solus reprimens. De Romano Coclete canit Petrarcha;

Oratio sol contra Tuscana tutta.

Et Arturus, Magnæ Brittanniæ Rex, *nongentos hostium solus adortus, incredibili cæde profligavit.* uti de ipso testatur Guilielmus Malesbur.

200. Nonnemo indefessam D. Caroli pietatem, & assidu-

Contemplatio Dei assidua. assiduum Dei contemplandi ardorem Emblemate significaturus, Aquilam depinxit, soli affixam; & hoc adverbio, ceu lemmate insignem; ASSIDUE. Poterat enim ille cum Divino Psalte verè dicere. *Oculi mei semper ad Dominum.* Ad hoc propositū S. Paulus: *Fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper.* Nam, *quod immutabile ac sempiternum est, ejus contemplatio nos beatos facit,* inquit S. P. Augustinus.

201. Vivax & magnanima pueritia pullis aquilinis non est absimilis; qui, tametsi mole exiles, ac ætate teneri, tamen inter matris suæ ungues sustentati, altissimam Solis meridiem irretortis oculis intuentur. Unde lemma. FERT PARVUS ADULTUM, subintellige, *Solem.* Ita liberi, à parentibus ad Dei servitutem per bonam educationem sublevati, in Dei amore plurimùm crescunt, magnosque virtutum profectus faciunt. Nam, Magno Augustino teste, *Tantò magis efficitur quisque filius bonus, quantò largius ei datur à patre Spiritus bonus.* Pulchrè meus P. Carducius.

En aquilæ fœtus Phœbum fert parvus adultum:
Non secus Herois grandia fert soboles.

202. P. Henricus Engelgrave Aquilam, è solis obtutu suspensam, illo Horatii lemmate exornavit. CERNIT ACUTUM. Vel ut P. Jacobo Masenio placet. DE LONGE PROSPICIT. Ad verbum de Aquila ait Jobus, *De longè oculi ejus prospiciunt.* Ita prorsus S. Joannes Apostolus intellectus sui acumine reconditissima cœli arcana penetravit. Multò tamen maximè de infinita Dei perspicacia id dixeris, de quâ disertè Siracides. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Porrò etiam homo in hâc vitâ sibi prospicit, quid secum futurum sit in altera vitâ. Nam, hortante Magno Augustino, *Cùm vivimus, vigilare debemus, & eligere debemus, quod in futuro teneamus.* De Illustrissimo D. Fabio Chisio, postea Alexandro VII. Pontifice Maximo, canit P. Jacobus Masenius.

Hæret in æthereis speculatrix rupibus ales,
Immensosque vago lumine transit agros.
Exsuperas aquilam; notat hæc præsentia tantùm;
Tu quæ facta simul, quæque futura vides.
Scilicet æternâ complecteris omnia ment:
Hâc vivit, fragili quidquid in orbe perit.

203. Gratitudinem filiorum erga parentes ex aquilæ pullis edocemur, qui matris suæ humeris innixi, epigraphen sustinent. VICEM QUANDOQUE REPENDUNT; Aquilis enim, senio confectis, illarum filii parentum vicem subeunt, & decrepitas obsequiis, alimentis, aliisque grati animi argumentis studiosissimè fovent, quæ pietas etiam ciconiis consueta dicitur. In hanc rem S. Paulus monet. *Si qua vidua filios aut nepotes habet, discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus; ut scilicet,* interprete P. Cornelio à Lapide, *si parentes adhuc vivant, eis inserviat, opituletur, ministret, eosque alat, sicut ab eis à puero alita & educata est. &c.*

204. Aquila, in Solem defixa, illius venustate magis semper magisque inardescit. Unde P. Sigismundo Laurentio authore, epigraphen sustinet. TUENDO, id est, *intuendo*, INARDESCIT. S. Paulum, charitate & amore Dei intensissimè inflammatum, hoc Emblema concernebat. In hunc sensum S. Dionysius Areopagita, *Exstasim facit Divinus amor, & amantes sui juris esse non sinit: unde Paulus ille Divino amore occupatus, clamabat; vivo ego jam non, ego, vivit verò in me Christus.* Et S. Bernardus. *O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinis &c.*

205. Aquila, propriis iliis rostro perfossis, sanguinem elicit, sicque pullorum suorum, siti jam jam fatiscentium, vitam prorogat. Lemma. DAT SANGUINE VITAM. Hoc & Sigismundi Laurentii symbolum ad illud Jobi alludit; *Pulli ejus lambunt sanguinem;* Servatorem nostrum, acerbissimè vulneratum, imago illa repræsentat, qui sanguine suo, copiosè ac liberalissimè profuso, præsens miserrimo homini medicamentum propinavit. Sapienter Magnus Augustinus. *Effusus est sanguis medici, & factum est medicamentum phrenetici.* Et Johannes Audenus.

Pharmaca sunt potius, quàm vulnera, vulnera Christi,
Curat enim plagis vulnera nostra suis.

206. Ad funebrem D. Caroli apparatum Bartholomæus Rossus aquilam pingi fecit, quæ è nido, supra montis cujusdam fastigium collocato, subjectam terram contemplabatur; cum lemmate. PROCUL, SED PROPE. Etsi enim violenta mors Divum illum procul è terris ad Deum sublevârit; nunquam tamen desistet, oculos è celsissimo beatitatis culmine ad gregem suum advertere, eumque tueri, ac patrocinio suo propè semper adesse. Consentaneè in rem præsentem de Deiparæ morte ait S. Hieronymus. *Etsi corpus tuum dormiat,* O magna Dei Parens! *cor tamen tuum vigilat, & quamvis inevitabilem mortis necessitatem humanâ conditione acceperis; non dormitabit, neque dormiet custodiens nos oculus tuus.*

207. Magni quidem, & generosi pectoris, sed tam angusti territorii Princeps, dum regni sui terminos propriâ manu de gladio propagare nititur, Aquilam imitatur, quæ nidum egressa, cœli vastitatem pervolat; cum hemistichio, PARVOQUE PUDET LATUISSE CUBILI. Inter hos nulli secundus Alexander Magnus, nec Macedoniæ, nec etiam spatiosissimis totius Græciæ finibus exaturatus, Orientem infestavit; Persiam subegit, & ad ipsas usque Indias excurrit, nullosque alios immodicæ suæ prurigini, nisi vitæ terminos præfixos habuit. Seneca compluribus locis, præcipuè verò Epistolâ 94. de illo disserens, *Agebat,* inquit, *infelicem Alexandrum furor aliena devastandi, & ad ignota mittebat; Lacædemona servire jubet, Athenas tacere. Non contentus tot civitatum strage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, & alias alio loco projicit, & toto orbe arma circumfert.* Salsè de illo Satyricus.

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis:
Æstuat infelix angusto limite mundi.

208. In exequiis Isabellæ de Esthe, Parmensium Principis, post filii partum mortuæ, Josephus Daganus Aquilam adumbravit, quæ nido relicto, ruptisque compedibus, versus cælum properabat; cum lemmate, NEC NIDUS, NEC NODUS. Princeps enim illa, ad vitam tranquillam sublevanda, dulcissimum nidum; filiolum inquam recens natum, deseruit; & arctum conjugalis vinculi nodum, qui ipsi cum Ranutio II. intercesserat, diffregit. Abrahami Patriarchæ hæc indoles fuerat, quando Deo præcipiente, *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ;* instar generosæ aquilæ, cui, *nec nidus* suæ patriæ, *nec nodus* consanguineorum ullam potest injicere remoram, mox *egressus est, sicut præceperat ei Dominus.* Abrahami vestigia ii omnes, consilio sanè saluberrimo, assequuntur, qui relictis paternis laribus, Religioni ac Divinis obsequiis sese consecratum eunt. *Festina quæso te,* inquit. S. Hieronymus, *& habens in solo pedem, naviculæ funem magis præcide, quàm solve.*

209. Aquila ad pisces in mari prospiciendos, nativo quodam instinctu sese in sublime attollit, eosque subito

Margin notes (left): Psal. 15. 1. Cor. 15. 58. — S. Aug. l. 13. de Trinit. c. 1. — Pueritia vivax. — Educatio. — S. Aug. in Psal. 15. Conc. 27. — Horat Sat. 3. — Job 39. 27. — S. Joan. Apost. — Deus providus. — Eccl. 23. 28. — S. Aug. de Ver. Dom. Ser. 21. c. 3. — Gratitudo — 1. Tim 5. 4. — Corn. à Lap. in hunc loc. — Charitas Dei. — S. Dion. Areop. de Div. Nom. c. 4. — S. Bern. Ser. 9 in Cant.

Margin notes (right): Iob. 39. Christus patiens. — S. Aug Tract. 15. in Ioan. Io. Aud. l. 3. — Patrocinium beatorum. — Mariæ V. Patrocinium. S. Hier. de Dormit. Virg. — Aviditas habendi. — Senec. ep. 94. — Iuvē. sat. 10. — Gen. 12. 1. — ibid. 4. — Religionē intrare. — S. Hier. in ep.

Iob.39. ſubitò ac præcipiti deſcenſu devorat. Teſtem habeto Jobum. *Nunquid*, ait, *ad præceptum tuum elevabitur* Guloſus. *aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? inde contemplatur eſcam; & oculi ejus de longè proſpiciunt.* Unde lemma. DE LONGE PROVIDET ESCAM. Ita omninò hominum guloſorum oculi non in aquis solùm, ſed in omnibus elementis eſcam ſcrutantur. *Deut. 33.28.* De his oculis ſacer textus; *Oculus Iacob in terrâ fru-* *Senec. in Conſol. ad Helviam cap. 10.* *menti & vini.* Seneca, *Vltra phaſim*, ait, *capi volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat: nec piget à Parthis à quibus nondum pœnas repetimus, aves petere: Undique convehunt, omnia nota faſtidienti gulæ. Quod diſſolutus deliciis ſtomachus vix admittat, ab ultimo portatur Oceano.*

210. Aquila, ſolem intuens, à P. Jacobo Maſenio epigraphen recepit. SOLA CAPAX SOLIS. Mariæ Virginis hæc imago eſt, quæ non tantùm Chri- Maria. ſtum, æternum Solem, utero ſuo comprehendit, ſed hodie etiamnum in cœlo Deum intuetur, viſione celſiſſimâ, cæteriſque beatis omnibus inacceſsâ: ut adeò à S. Epiphanio rectè cognominetur, *Seraphim* *S. Epiph. O rat. de* *incomprehenſæ viſionis.* Emblematis mentem ſequenti diſticho explicat Author.

Par Aquilæ Virgo eſt, cœleſti lumine gaudent:
Illa capax magni Solis, & illa Dei.

211. AQuilini oculi ſint, oportet; qui ſolem fulgen- Vana gloria. tem, clarumque lunæ inceſſum, illæſi & inconnives aſpicere poſſunt. Unde Aquila, oculis in ſolem defixa, epigraphen tenet. NIL LUMINE LÆDOR. Laude non extolli. Hominis verè humilis eſt, nullam ex humanis laudibus capere voluptatem, nihilque exinde, Aquilæ more lædi; & cùm temerè contingat, eas audiri, pueriliter non efferri. *S. Greg. l. 22. Moral. c. 6.* Præclarè hoc argumentum pertractat Sanctus Gregorius, dum illud Jobi explanans, *Si vidi ſolem, cùm fulgeret; & lunam incedentem clarè; & lætatum eſt in abſcondito cor meum.* ait, *Iobum ita locutum, quia auditis virtutum ſuarum præconiis non delectabatur*; hoc quippe eſt fulgentem ſolem aſpicere, *Pſal. 87.16.* clarumque lunæ inceſſum; juxta illud Davidicum, *Exaltatus autem, humiliatus ſum, & conturbatus.* Et *S. Greg. ibid.* jure meritò, inquit idem Gregorius. *Cautâ enim conſideratione trepidat, ne aut de his, in quibus laudatur & non ſunt, majus judicium inveniat, aut de his, in qui-* *S. Aug. ep. 64. ad Aurel. Epiſc.* *bus laudatur, & ſunt; competens præmium perdat.* Veriſſimè dixit Magnus Auguſtinus. *Etſi cuiquam facile eſt, laude carere, dum denegatur; difficile eſt, eâ non delectari, cùm offertur.*

212. P. Jo. Baptiſta Bareta, è Societate JEſu, ad exequias Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, Mediolani celebratas, Aquilam ſtatuit, quæ ſerpentem unguibus ſtringens, epigraphen ferebat. VICTORIA Prod[e] multi MULTIS. Innuebat videlicet, Regem illum, poſt ſuperatos complures hoſtes, non ſibi tantùm, ſuoque regno, ſed & confinibus omnibus plurimùm incrementi attuliſſe. Chriſti tamen reſurgentis propriiſ- Chri[ſt]us reſur[ge]ns. ſima eſt hæc imago; qui è tartareo ſerpente victor, universo mundo ſalutem providit. S. Auguſtin. *Chriſtus* *S. Aug. Pſ. 149.* *nunquam vincitur, & diabolum vicit, & pro te vicit, & tibi vicit, & in te vicit.*

213. Baſilicæ S. Genovefæ decora, Emblematibus illuſtrata, Aquilam exhibent, quæ ſupra globum terreſtrem volitans, epigraphen præfert. ALTIORA QUÆRO. S. Albertum, Ambianenſem, & poſtea etiam Eccleſiæ S. Genovefæ Canonicum, ac demum Patriarcham Hieroſolomitanum hæc imago Reli[gi]oſus concernit; qui ſpretis terrenis omnibus, ſola cœleſtia mu[nd]um identidem ſuſpirabat. Religioſus quippe, mundum ſper[nit]. hunc inferum, veluti tantâ ſuâ dignitate indignum, *S. Au[g].* relinquat, ſoli intentus cœlo: Audi Magnum tuum Legiſ-

Legislatorem, *Altitudo*, inquit, *est in supernorum expectatione præmiorum; propter quam altitudinem tibi dicitur, ut sursum cor habeas. Benè operare, & in bonis operibus persevera propter beneficia Dei. Terrena pro nihilo æstimes &c.*

214. Eadem Basilica Carolum Fabrum, Canonicum & Abbatem S. Genovefæ, & primum congregationis Gallicanæ superiorem Generalē, Ordinisq; Canonici Instauratorem eximium, Aquilæ Emblemate repræsentat, quæ compluribus pullis suis iter ad cælos præiens, epigraphen è Psalmo sustinet. PROVOCANS AD VOLANDUM PULLOS SUOS. Ita Beatorum vita incitamento nobis est, ut illos imitati, cœlum directo tramite conscendamus. *Natalitia Sanctorum*, inquit Magnus August. *cum sobrietate celebrate, ut imitemur eos, qui præcesserunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis.* Lege eruditū ac præclarum Caroli Faure elogium in ingeniosissima illa Basilica, cujus postrema verba hæc sunt.

Hic sequere vocantem, Clerice;
Alis expansis nullum respuit;
Rupe nixa, securitatem pollicetur;
Ad cœlum evolans, quâ eundum est, signat iter.

215. Aquilam, per nubes & fulmina illæsam transire solitam, hoc lemmate insignivit P. Jacobus Masenius. NON TANGOR, ETIAM DUM TANGOR. Hominis patientis hæc idea est, qui inter calamitatum ac injuriarū fulmina non tantùm nihil acquirit nocumenti, sed altius indè, altiusq; semper ad Deum suum promovet. Nam, quod Magnus August. ait, *Bonorum patientia præparatione cordis excipit voluntatem Dei, & gloriatur in tribulationibus.* De Illustrissimo D. Fabio Chisio, postea Alexandro VII. Pontifice Maximo canit Emblematis Author.

Fulmineam lambunt innoxia tela volucrem,
Quæ jacit actensis Jupiter igne polis,
Tangeris afflictum corpus, ferroque secantur
Marmora visceribus visa coire tuis.
Integra mens perstat, prostrato in corpore victrix
Hoc est dura pati, nil tamen inde pati.

216. Aquila, unam expandens alam, ad cœlum sublevari non poterit, nisi jungat & alteram. Unde Emblemati subscripsit P. Masenius. NON SUFFICIT UNA. Ita, ut Deum, æternum solem contingas, nec sola sine operibus fides, nec sine fide opera bona sufficiunt, sed mutuo sese comitentur, necesse est. Pulchrè Magnus August. *Verè beatus est, qui & rectè credendo benè vivit, & benè vivendo fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus mortuis: ita nihil proficiunt opera bona sine fide recta.* Emblematis author mentem suam sequenti epigrammate aperuit, & vaticinio minimè vano præsagiit, Illustrissimum D. Fabium Chisium, postea Alexandrum VII. Pontificem Maximum, juncto virtutis & fortunæ beneficio, ad summos honores promotum iri.

Quisquis ad optatos apices contendis honoris;
Virtuti debet sors comes ire tuæ.
Nec volucrum princeps alâ benè nititur unâ:
Ut valeat, sociæ juncta sit ala suæ.
Altera virtutis dum te reget, altera fortis,
Non deerunt factis præmia digna tuis.

217. Aquila, alam utramque sublevans, ab eodem Masenio epigraphen recepit. QUOD FERO, ME PERFERT. Sicut enim Aquila & alas portat, & ab iis portatur, ita virtutum acquirendarum studium aliquid quidem negotii & laboris nobis facessit, paulò tamen post iis succollantibus ad cœlos sublevamur. Opportunè S. P. Aug. *Habent & aves pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? portant illas, & portantur. Portant illas in terra; portantur ab illis in cœlo: Porta ergò pennas pacis, alas accipe charitatis. Hæc est sarcina, sic implebitur lex Christi.* Emblematis author ait, Fabium Chisium, virtute & sapientiâ, ceu geminis alis, instructum, ad summos honores, & ad ipsos etiam cœlos evehi.

Celsa petit virtus, auget sapientia vires:
His alis Fabius sidera mente subit.
Qualis in æthereis micat ales Regia campis:
Penna levat volucrem, penna levatur humo
Ante suas animus profert in pectore dotes.
Mox his sublatus dotibus, astra subit.

(Margin: ...eatorum ...ta nobis ...stimu...s. — Aug in ...al 88. ...onc. 2. — ...tiens. — Ambr. in ...al. 56. — ...les sine ...eribus. — S. Aug serm. ... de temp. — ...irtuti juncta for...na. — ...rtus. — S. Aug serm. ... de verb. ...ost c 5. ...c5. — Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath Tom. I.)

ARDEA. Cap. IX.

218. HÆc volucris, serenâ cæli quiete gaudens, supra nubes efferri solet: subscribente Bargalio. SUBLIMITATE SECURITAS. Mens nostra ibi demum veræ tranquillitatis sese compotem sentiet, si extra inferas hujus terræ nubes ad spem in solo Deo collocandam eluctata fuerit. In hanc rem cecinit vernaculâ linguâ Petrus Bembus. (Spes in Deo.)

Cosi con l' alma solitaria, e schiua
Assai tranquillo, e riposato vivo,
Sprezzando il mundo, e molto più me stesso.

Exquisitè meus Concanonicus Hugo de S. Victore. *Hæc avis* (de ardeâ loquitur) *potest significare animas electorum, quæ formidantes perturbationem hujus sæculi, ne fortè procellis persecutionum, instigante diabolo, involvantur, intentionem suam super omnia temporalia efferentes, ad serenitatem patriæ cœlestis, ubi assiduè conspicitur Dei vultus, mentes suas elevant.* (Hug de S. Vict. l. 1. de Bestiis c. 47.)

219. Nobilissima familia de Capua in scutis gentilitiis Ardeam præfert; cum lemmate. HUMILIA DESPICIT. Nimirum animus grandis ac generosus mentem cogitationesque suas nonnisi rebus magnis aut sublimibus affigit: id, quod etiam de Amante haud incongruè intellexeris. Porrò homo, divinis contemplationibus deditus, omnes terræ illecebras, veluti sordes evanidas, ac cælesti homine indignas, contemnit. S. Gregorius Papa id affirmans, *Qui spiritualibus bonis ditati sunt*, inquit, *profectò terrenis non debent negotiis implicari, ut dum non coguntur inferiora bona disponere, exercitati valeant bonis superioribus deservire.* (Amicus generosus. Contemplativus. S. Greg. l. 11. Moral. c. 11.)

220. Ardea, compluribus aliis avibus in terra relictis, versus cælum evolat; cum lemmate. ALTIOR, ET TUTIOR. Status Religiosi hæc felicitas est; de quo S. Petrus Damianus, *Ibi quoque* (in Religione) *cæli sunt volucres, ii nimirum, qui virtutum plumis sese in ardua sublevant, ac terrena qualibet sub se transire de suæ mentis arce prospectant, dumque per terrena repere sub carnali concupiscentiæ jugo despiciunt, libertatem aeris petunt, seseque ad cælestia librata mentis contemplatione suspendunt.* (Religiosus. S. Pet Dam. l. 2. ep. 18.)

221. Grandis ac generosi animi serenitatem ab ærumnarum tempestate nihil unquam turbari, Abbas Certanus ex Ardeæ symbolo demonstrat, quæ suprà nubes levata assiduo solis splendore, ac cæli tranquillitate perfruitur: addito lemmate. FURUNT INCASSUM. Senecæ consilium est. *Vir sapiens atque perfectus, hanc sibi vitam proponere, sic secum agere debet. Ego mortem eodem vultu videbo, quo audiam. Ego laboribus quanticunque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus. Ego divitias & præsentes, & absentes æque contemnam, nec si alicubi jacebunt, tristior, nec si circa me fulgebunt, animosior. Ego fortunam, nec venientem sentiam, nec recedentem.* (Animus generosus. Senec. de vita beata c. 20.)

ASTUR.

Cap. X.

222. ASTUR, aduncis unguibus perdicem sustinens, aliis insuper aliisque avibus captandis avidè circumvolat; cum dicto. ET NON PARTA SEQUOR. Hominem hæc imago repræsentat, amplioribus identidem honorum, divitiarum, aut virtutum incrementis inhiantem. Carolus V. Imperialis symboli sui loco columnas Herculis statuit, hoc titulo præfixas; *Plus ultra.* S. Bernard. *Si perfectionis aliquid attigisti, te ipsum in te ipso metire, & dic cum Apostolo. Non quod jam apprehenderim, aut perfectus sim: sequor autem si fortè apprehendam. In quo manifestè Apostolo docente declaratur; quia perfectorum, quæ retro sunt, oblivio, & perfecta in anteriora extensio, ipsa est hominis justi in hac vita perfectio.*

Profectus.

S. Bern. l. de vita solitar.

BENICUS.

Cap. XI.

223. AQuila prædam, à se comparatam, cum Benico ex æquo partitur. Unde huic volucri epigraphen subjunxit Lucarinus. PARTORUM PARTICEPS. Ita Maria V. omnium dolorum & calamitatum, quibuscum Servator noster, filius ipsius amantissimus acerrimè conflictabatur, compos extitit. S. Bonav. *Aspicio Domina cor tuum, & id non cor, sed myrrham, absynthium, & fel video. Quæro matrem Dei, & ecce invenio sputa, flagella, & vulnera, quia tota conversa es in ista.* Id, quod ipsamet Deipara B. Birgittæ his omninò verbis testatum fecit. *Dolor filii, erat dolor meus; quia cor ejus, erat cor meum.*

Maria dolorifera.

S. Bonav. l. 4. Stimul. c. 1.

B. Birgitt. l. 4. Revel. c. 32. & 70.

BISTADRA.

Cap. XII.

224. VOlucrē hanc, ex ingenito suo corpore Bistardam, quasi gemina tarditate ignavam, cognominant. Etsi enim corporis mole sit satis grandi, tantam tamen in volando segnitiem ostendit, ut nonnisi post saltus, alterâ tertiavè vice repetitos, è terra sese sublevet: undè non rarò contingit, eam, priusquam aëra contingat, à cane venatico obrui. D. Aresius hoc symbolum eorum dicit esse proprium, qui socordiâ æternùm luendâ ad saniorem vitam eluctari differunt, sicque morti in prædam cedunt, antequā alas suas ad pœnitentiam librare conentur. epigraphen, è Regum fastis desumptam, addidit. UT MORI SOLENT IGNAVI. *Sic verè multi sunt,* inquit Petrus Bercorius, *qui nunquam volunt dimittere terram & terrena, nec ad Deum celeriter evolare, imo solent bis, vel ter iter boni propositi retardare, & sic sæpè fit, quod, dum nimis deliberant, solet eos diabolus tentationibus sagittare, & à volatu bonorum operum impedire.* S. Chrysost. *Multi,* inquit, *cùm alius damnum fraudulenter facerent, subitò perierunt, & ad manifestum judicium abierunt. Time ne & tu hoc patiare inexcusabilis.*

Peccator ignavus ad pœnitentiam.

Bercor. l. 7. Reduct. c. 12.

S. Chrysost. hom. 22. in epist. 1. ad Corinth.

BUBO.

Cap. XIII.

225. D. Aresius profani amantis insaniam & vanitatem nullâ aptiore, nisi Bubonis, imagine repræsentari posse, autumat: qui lunam contemplatus, affirmatè de hac pronuntiat; SPECIOSIOR SOLE. Inveteratus enim hominis amantis mos est, quod vesano amore excæcatus, formam dilectam monstro nonnunquam, quàm venustati propiorem, clarissimo Solis splendori longè præferat. Hanc stultitiā observans Plut. ait, *Quisquis amat, hallucinatur ac cæcutit in eo, quod amat.* Et rursus *Amor, auctore Platone, laudat plerumque ea, quibus alii offenduntur.* Q. Catulli exemplo id confirmat Tullius, qui Roscii cujusdam amore ita abreptus fuerat, ut sanctè asseveraret, illum exoriente aurorâ, & ipso etiam Deo formosiorem sibi videri. Ne verò de hac Catulli insaniâ quidquam possis dubitare, ipsiusmet de suo Roscio tetrastichon habeto.

Amans profanus.

Plut. l. de discrim. adulatoris &c.

Cicero l. 1. Natural. Deorum.

Constiteram, exorientem auroram fortè salutans,
Cùm subitò à leva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, cœlestes, dicere vestrâ;
Mortalis visus pulchrior esse Deo.

Altum proindè exclamat Tullius; *Hic pulchrior Deo! At erat* (Roscius) *sicuti hodie est, perversissimis oculis: quid refert, si hoc ipsum venustum illi videbatur?* Ad hoc propositum S. Theodoretus Studita. *Cùm fæminam vir amat, totum se amasiæ præbet, eam spirans, eam cogitans, seu solem dicas, nec solem videre velit, sed amasiam.*

S. Theod. Stud. Catechef. 3.

226. Abbas Ferrus Buboni inscripsit. IN TENEBRIS EVOLAT. Hominis scelerati hæc idea est; siquidem *omnis qui malè agit, odit lucem.* In quem locum S. Cyrillus Alexandrinus. *Recusat omnis, qui malè agit, lucis illuminationem.* Jobi effatum est, *Oculus adulteri observat caliginem; id est,* interprete Lyrano, *expectat noctem ad committendum adulterium.* Idipsum etiam Hæretici assolent, qui, veluti lucis inimici, conventicula sua noctu cogunt. *Nam hæreticus, qui adulter est Verbi Divini,* inquit idem Lyranus, *quærit latebras ad docendum.*

Vitiosu[s]

Io. 3. 20. S. Cyrill. lex. in hu[nc] loc.

Libidin[o]sus.

Iob. 24. 15.

Hæreti[cus]

Lyran. in [il]lud Iobi.

CAPRIMULGUS.

Cap. XIV.

227. CAprimulgus, nomen à sua proprietate sortitus, inter caprarum greges sese noctu insinuat, & lac ex illarum mammis sugit: lacte verò necdum contentus, Aresio authore, etiam ELICIT SANGUINEM. Carnifices, qui S. Agatham immanibus tormentis in uberibus lacerârunt, hoc Emblema spectabat; Ejus honori Christophorus Finottus hoc disticho accinuit.

S. Aga[tha]

Finot. di[st.] 99.

Forcipe corripuit sævus de pectore mammas;
An non est animo firma revulsa fides.

Iidem complurium Caussidicorum mores sunt, qui pauperum clientum sanguinē immitti ore exsugunt. Principes quoque, eorumque ministri, ob immodicam avaritiam crudeles sunt subditorum oppressores, illâque Caprimulgi icone examussim delineantur. *Magnum scelus est,* inquit S. Isidorus, *rem pauperum præstare divitibus. Arenti terræ aquā tollere, & flumina, quæ non indigent, irrigare.* Deniq; etiam insatiabilem mulieris lasciviæ libidinem hoc Caprimulgi symbolum significat; quam è Poetis nonnemo suo amanti in hæc verba loquentem introducit.

Caussi[di]cus.

S. Isid. l. [...] sum. bo[ni]

Lasciv[a] mulier.

E fin che sangue hà ne le venne hauuto,
Come sansuga l' ho succhiato.

228. Caprimulgus, dum lacti sugendo inhiat, visum capris eripit; miserasque excæcat. Unde Lucarini lemma. CUM LACTE ADIMIT LUCEM. Haud secus libido non tantùm humanum corpus enervat, sed etiam rationis lucem, omnemque alium virtutis & famæ splendorem extinguit. Eruditè cecinit Georgius Camerarius.

Libid[o]

Camer. [...] Embl. [...] tor.

Hircorum stabulis volucris montana per umbram
Admissa, en audax ubera plena bibit.
Inde sed & miseros pariter prædatur ocellos,
Ipsaque CUM dulci LUMINA LACTE RAPIT.

Tabis,

Tabis & afflatu sterilesque ubera capris,
Et fert æternam lactea vena sitim.
Hircosi juvenis jam poto sanguine, tandem
Lumina prædatur cum ratione Venus.

Lipſ. Monit. Polit. l. 2. c. 17. S. Hier. l. 1. in Jovinian. Huic aſſentitur Juſtus Lipſius. *Nihil*, inquit, *eſt tam mortiferum ingeniis, quàm libido.* Et S. Hier. *Amor formæ, rationis oblivio eſt, & inſaniæ proximus, fœdũ, minimeq; conveniens animo ſoſpiti vitium, turbat conſilia, altos & generoſos ſpiritus frangit, à magnis cogitationibus ad humillimas pertrahit.* Rem totam ſynopſi complexus D. Thomas, *Cæcitatem mentis*, inquit, *primam luxuriæ filiam eſſe.*

CARDUELIS. *Cap.* XV.

229. Huic volucri nomen forſan à carduo eſt inditum; quippe quæ cardui ſeminibus avidiſſimè paſcitur, circumhærentes aculeos nihil penitus verita. Unde Petrarcha eidem, ſupra carduum ſtanti, inſcripſit. E D' ALTRO NON MI CALE. vel certè ex Ovid. HÆC MIHI SOLA PLACET. Amoris uſitata hæc verba ſunt; qualia fuêre illa Guarini de ſua Amarillide.

Ovid. l. de arte.

M' è più dolce il penar per Amarilli,
Che 'l gioir di mill' altre.

Amor ſponſa- lis. Cant. c. 6. In hanc rem illa ſacri Epithalamii verba plurimùm faciunt, *Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuæ &c.* ubi, ſi litteram ſpectes, Salomon de Pharaonis filia, præ cæteris omnibus ſibi unicè dilectâ, loquitur. Myſticè tamen B. V. innuitur, infinitis intervallis à Deo ſupra omnes creaturas æſtimata. De hâc Honorius. *Tu una omnium transcendis merita, & ideo præ omnibus ſola electa &c.*

B. Virgo

230. Carduelis, ſupra carduum horridum ac ſpinis reſperſum, depicta, epigraphen tenet. HIS EGO SUSTENTOR. Miram hæc imago cum S. Sylverio Papa & Martyre analogiam habet, qui Theodoræ Imperatricis odio, & Beliſarii decreto in Inſulam Pontum proſcriptus, reliquam vitam inter tot calamitatum ſpinas exegit, ut Breviarium Romanum ab ipſo dictum teſtetur, *Suſtentor pane tribulationis, & aquâ anguſtiæ, nec tamen dimiſi, aut dimitto officium meum.* Id, quod de iis omnibus intellexeris, qui ſoli Deo affixi, in hac terra nonniſi cruces & ærumnas deſiderant.

S. Sylverius Papa. Brev. Rom. 20. Junii. Juſtus.

231. Carduus præter cibi ſaporem etiam aſperos adhærentis ſpineti aculeos monſtrat, unde carduelis eidem inſiſtens, epigraphen tenet. NON TERRET ACUMEN. Quiſquis virtutem ſincero amore proſequitur, tametſi eam mille ærumnarum ac laborum ſentibus munitam cernat, nihil tamen difficultatis abhorret, nec etiam ſeſe repelli patitur, ut eam acquirat; probè gnarus, quod

Virtutis et litteræ ſtudioſus.

Virtutem poſuêre Dii ſudore parandam.

S. Aug. l. de Patient. c. 4. Præclarè Magnus Aug. *Vis deſideriorum*, inquit, *facit tolerantiam laborum & dolorum: & nemo, niſi pro eo quod delectat, ſponte ſuſcipit ferre, quod cruciat.*

232. Carduelis, carduo innixa, Emblematis loco inſcriptionem præfert. ET CUM ACULEIS PLACET. Amantem illum hæc imago concernit, qui amorem ſuum in puella quâ jã rigida ac litigioſa collocat. Sanctius tamen de Juvene illam interpretaberis, cui Religioſus ordo, habitu & vitæ diſciplinâ plurimùm auſterus, præ reliquis probatur. Nam, quod Magnus Aug. teſtatur, *gaudenti homini & carcer latus eſt, & triſti pratum anguſtum eſt.* Deniq; Verbum Dei, ceu unicum animæ nutrimentum, tametſi plurimis objurgationum aculeis conſitum, nullum unquã faſtidium generat: tantò enim ſuavius nobis accidet præmium, quantò majore ærumnarum ac laborum induſtriâ illud comparaverimus. Sapienter Lucanus.

Amans. Religioſus ordo. S. Aug. in Pſ. 141. Verbum Dei. Lucan. l. 9.

--- *Gaudet patientia duris,*
Lætius eſt, quoties magno tibi conſtat, honeſtum.

Mundi ſymbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

233. Carduelis adeò ſuaves & amœnos in cantando modos edit, ut caveæ incluſa, plurimas alias volucres vocis ſuæ dulcedine illiciat, & attonitas vicino reti implicet. Quare Areſius epigraphen, è Siracide mutuatam, ſubjunxit; SCIENTIAM HABET VOCIS. Carduelis quippe voces ſuas adeò ſuaviter & artificiosè attemperare ac flectere novit, ut ei ſequenti poëmate vernaculo applaudere coactus ſit Petrus Michaël. Sap. 1. 7.

O di muſici augelli
Novo magiſtro canoro
Che sù i verdi arboſcelli
Al garuletto choro
Inſegni diſpiegar nel lieto Aprile
Sinfonia dolce, e melodia gentile.
Articoli le voci
Hor languide, hor ſonanti
Hor tarde, & hor veloci.
Proprie a lo ſtil che canti,
Spiegando in note chiare & immortali
Hor ſonetti, hor Canzoni, hor madrigali.

Genuinum hoc S. Catharinæ Virginis & Martyris eſt ectypon, quæ profundæ ſapientiæ ac facundiæ fluentis è cœlo inſtructa, ingentem Philoſophorum ac litteratorum numerum ad Apoſtolicum fidei Chriſtianæ rete perſuaſit. Porrò Doctoris, aut boni Paſtoris eſt, ut ſcientiam habeat vocis in peccatoribus ad frugem revocandis. Nam, Magno Aug. teſte, *Debet Divinarum ſcripturarum Doctor fidei, ac debellator erroris & bona docere, & mala dedocere, & hoc opere & ſermone conciliare adverſos, remiſſos erigere, neſcientibus, quid expectare debeant, intimare.*

S. Catharina V. & M. Doctor. S. Aug. l. de Doctrina Chriſtiana.

234. Lucretius Borſatus in encomium Illuſtriſſimi D. Antonii Longi, Cremenſium Gubernatoris, viri tam venuſtate vultûs, quàm morũ ſuavitate amabiliſſimi, Carduelem depinxit, eamque, cùm vocis amœnitate, tum formæ elegantiâ præ cæteris avibus inſignem, hoc lemmate donavit; VOCE FORMAQUE ALLICIT. Geminam hanc prærogativam in Stilicone, Imperatoris ſocero, celebrat Claudianus.

Princeps pulcher & benignus. Claud. in Stilic.

Celſa poteſtatis ſpecies, non voce feroci,
Non alto ſimulata gradu, non improba geſtu.

Diogenes apud Stobæum ait, *Non minus quàm tibia, atq; concentus bonus Regis intuitus, animos ad ſe convertit.* Rabanus & Beda docent. *Qui præſunt populis, ſi volunt eſſe firmum ſolium ſuum, ſemper hilaritate, & gratiâ plenos vultus exhibeant, ne per arrogantiam rigidiores effecti, plebis odium incurrant.* Et, ut compendio dicam, Princeps ſponſa è ſacro Epithalamio id encomii recepit; *Vox tua dulcis, & facies tua decora.*

Stob. ſerm. de Regno. Beda & Rab. in Prov. 25. 4. Cant. 2, 14.

235. Senſuum illecebræ, mundi fallacia, ac Dæmonum vafrities, cantûs ſui illicio, inſtar carduelium, ad peccatorum amitem invitant. Lemma. CANTU IRRETIT. Iiſdem penè verbis Salomon meretricis blandimenta ob oculos ponit, quæ incautum juvenẽ adorta. *IRRETIVIT eum multis SERMONIBUS, & blanditiis labiorum pertraxit illum.* Dæmon quoque illices voces ſuas, & caducas voluptates dulcedine adeò mellitâ ac ſuavi propinare novit, ut miſeram animam non rarò ad ſui libertatem, conſcientiæ munditiem, ipſamq; demum æternam vitam perdendã, jacturâ nunquam redimendâ, inducat. S. Greg. in illud Jobi, *Oſſa ejus fiſtulæ æris.* ait, *Æris quippe fiſtulæ ſonoris aptari cantibus ſolent, quæ admotæ auribus, dum blandum carmen ſubtiliter concinunt, interiora mentis in externa delectationis trahunt. Ita quoque aſtuta ejus conſilia, dum quaſi blandâ proviſione conſulunt, corda forti intentione invertunt, &, dum dulcia reſonant, ad noxia inclinant.* Tandem etiam maligna adulatoris indoles hoc ſymbolo deſcribitur,

bitur, qui, dum vocum suarum suavitate alienas aures solicitat, proximam ad exitia & calamitates viam sternit. Concinnè id observans Urbanus VIII. hanc de Adulatione Oden proponit.

---Ut nocet, ut placet
Stillans adulatrix latenti
Linguâ favos madidos veneno.
Arte nocendi mille tegit dolis
Imbuta. Quis tam linceus aspicit
Quod vitet? Intentus canentis
Mercurii numeris, sopore
Centena claudens lumina, sensibus
Abreptus, aures dum vacuas melos
Demulcet, exemplum peremptus
Exitii grave præbet Argus,

236. Carduelis intra caveam, plurimas alias carduelles captûs sui illicio ad rete ac tendiculas provocans, epigraphen tenet. CAPTA CAPTAT. Ita Samaritana mulier, à Divino aucupe intercepta, mox complures Samariæ animas ad illum perduxit. De hac S. Joannes. *Ex civitate illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris, testimonium perhibentis.* Præclarè in rem præsentem Simon de Cassia ait, *supra fontem, velut Auceps, Dominus sedebat, aves rationales aucupaturus in retibus verbi sui, in quibus una RECEPTA INDEX AD CAPIENDAS alias facta est.* S. Paulus quoque, à Christo captus, innumeras gentes ad eundem perduxit. Denique Moses Ægyptius, ex insigni latrone sanctissimus Monachus, plurimos latrones ad sanctam fidem, & ad Regiam vitæ Eremiticæ semitam convertit; uti de ipso testatur Martyrologium Romanum. Cæterùm Emblema illud etiam in malam partem de fœmina lasciva &c. applicari potest.

Exemplū bonum. | *Ioan 4.39.* | *Simon de Cass in hunc locum.* | S. Paulus. | *Mart. Rom. 28. August.*

237. Petrus Michael, in Carduelis encomium, Odam formans, eam his verbis alloquitur.

S' ad imitar tu prendi
Il suon de gli stromenti,
Cosi soavi stendi
A l' aria i tuoi concetti,
Che suonar nel tuo rostro è ch' altri ammire
Sampogne, cetre, arpe, liuti, e lire.

Unde nonnemo carduelem in cavea depingens, complures aviculas, ut fringillaginem, acanthidem, vireonem, aliasq; circùm illā collocavit; adjecto lemmate. CANTU ÆMULABITUR OMNES. Vivacem ac præclarum aliquē intellectum hæc imago repræsentat, qui, cum optimo quovis authore in arenā descendere & de palma certare novit. His encomiis nunquam satis extulero P. Famianum Stradam, qui in secundo Prolusionum suarum libro tantā styli venustate Lucanum, Lucretium, Claudianum, Ovidium, Statium, & Virgiliū est assecutus, ut his omnibus illū, si non superiorem, certè æqualem pro meritis dixeris. Idipsum tamen longè magis de S. P. Aug. intellexeris, qui inter omnes Ecclesiæ Doctores adeò nulli est secundus, ut à Cassiod. cognominetur *Famosorum palma certaminum*; Et à S. Remig. *sol inter Planetas stellasque minores eminens, radios in omnes diffundens.*

Ingenium vivax. | Famiani Stradæ laus. | S. August. | *Cassiod. de instit c 22.* | *S Remig. Antif. in 2. ad Cor.*

238. Carduelis, præ reliquis aviculis simul & liberali formâ & suavi vocis harmoniâ excellens, epigraphen tenet. PULCHRA, ET CANORA. Opportunè hæc imago hominem, venusto vultu, & Poëseos aut Musices peritiâ insignem, exprimit; quos inter facilè excelluēre David, & D. Basilius Paradisus. Sacræ sponsæ suspiria sunt, *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. VOX enim tua DULCIS, & FACIES tua DECORA.* Chaldæus id de anima orante interpretatus, illam virtutibus excultam, & vocis harmoniâ suavem esse debere, ait; *Vox tua suavis est in oratione, & aspectus tuus pulcher in operibus bonis.* Gemina hæc prærogativa cuivis Concionatori sit propria; *Tunc enim vox placet, & facies decoratur,* inquit S. Greg. *quando & opera prædicatio sequitur, & rursum prædicationem bona opera comitantur.*

Cant. 2. 14. | Concionator. | *S. Greg. P.*

CHARADRIUS.

Caput XVI.

239. PHysicis observatum est, Charadrium, fixis oculis in hominis ægroti faciem intentum, certam valetudinem ei quidem restituere; malignis tamē humoribus ex infirmi conspectu in proprium suum corpus attractis, dum alios juvat, se ipsum perimere. Bartholomæus Rossus Emblemati subscripsit. EX ASPECTU VITA. Et Gilibertus. EX MORTE VITA. Ita sanè plenissimus amore Servator, pietatis ac misericordiæ suæ oculis in hunc mundum defixis, vitam ei prorogavit, & peccata nostra, ipsamq; adeò crudelissimam mortem in se unum recepit. Eruditè Hugo Vict. de Charadrio ait, *Si faciem hominis respicit, nec oculos avertit, sed infirmi faciem diligenter cōsideret, signum est, quod vivet; si autem oculos à facie hominis infirmi avertat, signū est mortis. Per charadrium intelligimus Christum, qui venit in mundum, ut salvum faceret genus humanum.* Et S. Petrus Damianus Cardinalis, *Instar charadrii Christus ad infirmum Israel populum pius visitator advenit, sed faciem suam ab eo (quoniā perfidiæ & incredulitatis morbo moriebatur) avertit: ad gentilem verò populū, æquè scilicet languidum, cùm respexit, pietatis in eum oculos clementer infixit, in semetipsum ejus ingratitudinem transtulit, eumq; saluti pristinæ reformavit.* Ita etiam hominis justi præsentia miram infirmis conscientiis salutem tribuit. S. Ambr. *Si est,* inquit, *tanta vis in naturalibus, ut animal visu prosit ictericis, dubitare possumus, quod justi sanet aspectus? Ergò vile animal irrationabile tantam virtutem habet, ut sanare possit hominem, momento exiguo, quo videtur justus, si tamen cum fide ab eo conspiciatur, qui utilitatem ab eo percipere desiderat, nihil conferet?*

Christu Præsens Dei. | *Hug. Vict. de Best. l.* | *S. Petr. D. l. 2. ep. 18.* | Præsent hominis justi. | *S Ambr. Psal. 118. Oct. 10.*

240. Alcibiades Lucarinus Charadrio epigraphen non incongruam subjunxit. SANAT, VICEMQUE SUBIT. Dei Filius enim humanam infirmitatem non modo sanavit, sed ipsemet quoque illam in se recepit. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit;* vel, ut S. Matth. legit. *Ægrotationes nostras portavit,* id est, abolevit, absorbuit, destruxit, uti interpretatur S. Hilar. *Christus,* inquit, *passione corporis sui, secundum Prophetarum dicta, infirmitates humanæ imbecillitatis absorbuit.* Ab hoc sensu non multùm alienus S. Petrus Chrysol. ait, *Christus enim venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes, humana quærere, præstare Divina: accipere injurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre sanitates: quia medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.*

Christu patiens. | *Isa 53 4. Matth. 8.* | *S. Hilar in Catena Th.* | *S. Pet Chrysol. serm.*

241. Charadrius cyathum, liquore medico plenum, evertens, ab Henrico Farnesio epigraphen recepit. NON OPUS EST. Enimverò quem Dei aspectus dignatur, nullis alexipharmacis indiget, omnique sanctitate & felicitate abundat. *Benedic anima mea Domino,* exclamabat David, *qui sanat omnes infirmitates tuas,* vel ut Cassiodorus legit, *languores tuos.* Davidi assentitur filius Salomon, *Neq; herba,* inquit, *neq; malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.* Coronidem jungens Malachias ait, *Orietur vobis, timentibus nomen meum, sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Unde ad Deum conversus Magnus Augustinus, solebat dicere. *Nisi tu fueris requies mea, sanari non poterit ægritudo mea.*

Spes in Deo. | *Psal. 102.* | *Sap 16, 12.* | *Malach. 4* | *S. Aug in Psal. 60. Enarrat. 1.*

CHA-

CHARYSTIA. Cap. XVII.

242. LUcarinus tres juvenes Hebræos, in fornace Babylonicâ illibatos, Charystiæ imagine repræsentavit, quæ per medias flammas ambulare solita, PRODIT ILLÆSA. Ad hanc ideam S. Martianus, primus Syracusanorum Episcopus, ignitas laminas ferreas, à carnifice applicatas, innocuus versabat. S. Peregrinus Diaconus, & Martyr Anconitanus, toto corpore oleo perfusus, ac iteratis vicibus supra candentem craticulam extensus, nihil unquam offensæ sustinuit. Abbas Petrus ideò solùm cognominatus est igneus, quod flammas inoffenso pede pertransiret, uti de ipso in vita S. Joannis Gualberti testatum fit. *Liberâsti me*, inquiebat Sapiens, *secundum multitudinem misericordiæ nominis tui de manibus quærentium animam meam, & à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.* Porrò in igne illæsus permanet, quisquis vel inter libidinis suggestiones non consentit; vel qui pro irato inimico suo orat, nullamque de illo vindictam exigit. Pulchrè in rem præsentem Magnus August. *Tu, si viride lignum fueris, id est, si succo spirituali vigens, & virens, flammis inimicitiarum restiteris, orando pro illo, qui te persequitur, ille ardet, tu manes integer: & injustitia illius illi nocet; tibi nihil nocet.* Vide, quæ de Charystia ex Solino & Alberto Magno affert P. Gaspar Schottus in Physica curiosa.

S. Martianus. Eccl. 51. Vindictam remittere. Aug. in Ps. 96. Schott. Phys. curios. l. 7. c. 8. §. 1.

CICONIA. Cap. XVIII.

243. D. Didacus Saavedra Ciconiæ, supra templi pinnaculũ residenti, inscripsit. HIC TUTIOR. Innuit videlicet, Regni firmamenta à Principe cum primis in Religione ac cultu Divino collocanda esse. Hanc præceptionem alto animo habuêre impressam Athenienses; unde, cùm Xerxes, Persarũ Rex, extremam perniciẽ iis minatus, classem, mille ducentis triremibus, & duabus mille navibus onerariis instructam, adduceret; ipsi mox, quo præsidio urbem defenderent, non aliò, nisi Delphos ad consulendum Oraculum excurrerunt; ubi responsum est, Athenas muris ligneis esse muniendas; quod interpretatus Themistocles, urbem navibus cingi debere ajebat. Et certè fuêre sua pietati præmia, quãdo paulò post immensam illam Persarum vim non sine immortali gloriâ ad internecionem delêrunt. Sic ergò Princeps imperia sua intra Ecclesiæ navim firmata habeat; sicuti enim ista nullis humanæ violentiæ fluctibus unquam est obruenda, ita ipse quoque semper omni discrimine evadet superior. *Num Regni basis pietas erga Deum est*, inquit S. Isidorus Pelusiota.

Regnorũ basis Religio. Isid. Pelus. l. ep. 249.

244. Intra funebrem Ranutii I. Parmensium Ducis apparatum Emblematis loco ciconiam repræsentârunt, quæ serpentem discerpens, epigraphẽ tenebat SERVAT, ET PROFLIGAT. Nimirum Principis illius industriam significabant, quâ & sicarios exscindere, & suam patriæ tranquillitatẽ restituere solebat. Apposite Regius Vates, *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* S. Basil. & Theod. hunc Psalmum Regis Josiæ nomine decantatum asserunt, ejusq; primam stropham his verbis interpretantur. *Quoniam enim & injuriâ affectos miserebatur, & injuriâ afficientes admirabilis Josias condemnabat, illorum narrationem laudem misericordiæ & judicii nuncupavit.* Christus Judex, probos ad beatitudinem, reprobos verò ad æterna supplicia destinans, instar ciconiæ, *servat & profligat.*

Misericordia & justitia. Psal. 100. 1. S. Basil. & Theod. in hunc loc. Christus Judex.

245. Ciconia genuinum Religionis ac pietatis symbolum fuit semper habita, unde Adriani Imperatoris numismatis incisa, subscriptionem tulit. *Pietas Augusta.* Eadem tamen ad Oceani marginem nigras quasdam viperas convellens, epigraphen tenet; DONEC CONFICIAM. Innatam enim ciconia adversus illas antipathiam habet; Virgilio teste.

--- Cùm verè rubenti
Candida venit avis longis invisa colubris.

Emblema hoc, tanto Emmanuelis Thesauri ingenio dignum, ad Philippi III. Hispaniarum Regis justa funebria exornanda affixum erat, quod Princeps hic laudatissimus ingenti pietatis ac Religionis zelo Mauros ab Hispaniæ finibus propulsasset. Porrò pietas Christiana suadet, pravos nostros affectus tamdiu prosequi, donec conficiantur. Unde monet Doctor Mellifluus. *Abscindatur ferro acutæ compunctionis ulcus inveteratæ consuetudinis, si est acerbus dolor, leniatur unguento devotionis.* Emblematis mentem sequenti epigrammate explicat Thesaurus.

Austri nigra cohors, Regum timor, ignea pestis,
Ceu levis Herculeum per mare fumus abit.
Nominis augurium pro te gens tota ferebat,
Dici Austri victor debuit Austriacus.

Zelus. Consuetudo mala. S. Bern. in cantica.

246. Ciconia, serpentem lacerans, epigraphen subjunctã habet. INVISA NOCENTI, vel ut Lucretio Borsato placet. SÆVA SÆVIS. Principis vel Judicis hæc idea est, qui in sceleratos sine discrimine animadvertat. Sibimet testis luculentus David, *Iniquos*, ait, *odio habui*; Et, *facientes prævaricationes odivi.* Nam, ut sapienter monet S. Aug. *Eris Deo amicus, si odisti, quod odit, ita & amabis quod amat.* Ad hanc normam Concionator extirpandis vitiis assiduo zelo ac sollicitudine incumbat. Pet. Bercor. *Prædicator*, inquit, *debet esse serpentibus, id est, peccatoribus inimicus, & eos rostro prædicationis suæ totaliter impugnare.*

Judex. Psal. 118. 113. Psal. 100. 3. S. Aug. in Psal 44. Concionator. Pet Bercor. Reduct l. 7. c. 20. n. 8.

247. Qui pravos mentis suæ affectus, vel certè vitiosos proximi sui defectus, acerbiore censurâ aut correctione perstringit, Ciconiam imitatur; quæ adversus serpentes, sibi unicè infensos, grassatur; cum lemmate. CONFICERE EST ANIMUS. Prorsus Christianè Seneca. *Satis diu*, inquit, *cum Baiis litigavimus; nunquam satis cum vitiis, quæ, oro te, mi Lucili, persequere sine modo, sine fine, nam illis quoque nec finis est, nec modus.* Et meus Hugo Victorinus. *Serpentes sunt perversæ cogitationes, sive perversi fratres, quos ciconia nostra percutit, dum justus pravas cogitationes restringit, vel perversos fratres pungenti invectione reprehendit.*

Vitiorum correctio. Senec. ep. 51. Hugo Vict l. de Best. c. 42.

248. Maria V. è contritã serpentis Tartarei cervice insignem, ac nullo ævo oblitterandum triumphũ, sine ulla integritatis suæ labe, retulit; haud secus, atq; ciconia victo, calcato, & disrupto serpente, epigraphẽ tenet. TUTO CONTERIT. In hunc sensum illud Geneseos de Virgine Deiparâ interpretaberis; *Ipsa conteret caput tuum.* Opportunè S. Bernardus *Ipsa*, inquit, *caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni serpentis suggestionem, tam de carnis illecebrâ, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum.*

Maria triumphans. Gen. 3. 15. S. Bern. hom 2. super Missus est.

249. Ciconia, platani ramusculum in nido suo reponens ab omni hostium assaltu secura degit. Unde lemma. UT PROTEGAR, vel, TUTUM REDDIT. Pectoris nostri nidus tranquillitate longè majore omnem hostium infernalium incursum prohibet, si Virginis illius opem ac tutelam inclamet, quæ de se ipsa testatur, *Quasi platanus exaltata sum juxta aquas.* Pulchrè meus Richardus de S. Victore. *Potens est Maria ad protegendum: unde ipsi potest securè dicere servus ejus illud Jobi 17. Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.*

Protectio M.V. Rich. de laud Virg. l. 2. p. 1.

250. Ciconia è Platani frondibus non solum nido suo tutelam, sed sibi quoque animositatem ac ingentes vires, ad omnes adversus hostium insultus validè reprimendos, sortitur. Undè lemma. AUDENTIUS OBSTAT. Ita planè Christianus, Mariæ, ceu platani nobilissimæ præsidio munitus, cunctis inferni

Cosm Hier. hymno 5. ferni furiis, ipsique adeò Orco indubitatâ victoriâ obluctatur. Piè in Dei matrem Cosmas Hierosolymitanus. *Insuperabilem, Deipara, spem tuam habens, servabor; defensionem tuam possidens, non timebo; persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solam habens ut thoracem, protectionem tuam &c.*

Virgil l 2. Æneid. Affectus non sentit onus. 251. Ingenita est ciconiarum pietas, quod non modò teneros pullos suos, sed etiam confectos senio aut languore parentes, propriis circumferant, foveantque humeris. Emblemati è Virgilio subscripsit Gambertus. NON GRAVAT ISTE LABOR. Sincerus enim animi affectus & nativa gratitudo, labores illos, quamlibet incommodos ac difficiles, nec quicquam sentiri faciunt. Apprimè in hanc rem meus D. Salvator Carducius.

Non gravat iste labor volucres, relevande parentem
Scilicet alatus pondera nescit amor.

S. Aug. de bono viduit. cap. 21. *Nullo modo*, inquit S. Augustinus, *sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, nam in eo, quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur.*

252. Scipio Bargalius duas juvenes ciconias depinxit, quæ fessos ætate parentes calore & alimentis fovebant, cum lemmate. PAR PARI FERUNT. Gratitudo Exindè beneficiis in te collatis respondere, & mutuam parentibus aut mecænatibus vicem rependere *Hug. Vict. l 1 de vest. c. 42.* discas. De Ciconia ait meus Hugo Victorinus. *Quantùm temporis impenderint in fœtibus educandis, tantùm & ipsæ invicem à pullis suis aluntur.* Et *Hug. Card. in 2. ad. Cor. cap 12.* Hugo Cardinalis. *Ciconia parentes decrepitos alit, sed parens priùs eam educavit.* In hanc rem gratiosè ca- *Alciat. Emb 30.* nit Alciatus.

Aerio insignis pietate ciconia nido,
Investes pullos, pignora grata, fovet,
Taliaque expectat sibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia spem soboles fallit; sed fessa parentum
Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

Finott dist. 100. Denique Christophorus Finottus in encomium S. Marthæ, quæ, referente Evangelistâ, *Excepit illum*, (Christum) *gaudens in domum suam*, hoc distichon concinit.

Cepisti hospitio mortali in corpore Christum,
Is cœleste tibi reddidit hospitium.

253. Ciconia, veluti mutuam vicem redditura, grandævis genitoribus escam providet; unde istud à Lucarino lemma accepit. DULCI PRO MUNERE VITÆ. Filiorum erga parentes observantiam Filiorum gratitudo erga parentes. & gratitudinem hoc Emblema repræsentat. Ad hoc *S. Ambr. l 6. Hexam. c. 4.* propositum S. Ambros. *Quis*, inquit, *non erubescat, gratiam benè de se merentibus non referre, cum videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illæ impertitæ alimoniæ servant memoriam, tu non servas salutis acceptæ?* Et Joannes Audenus.

Qui cupis esse senex, caros venerare parentes,
Quæ Patri facies, filius illa tibi.

254. Physicis observatum est, Ciconiam, dum adultâ jam æstate in exteras regiones migrat, semper Decimæ & tributa. è pullis suis unum, quasi in antidotum, domui illi relinquere, ubi nidum habebat collocatum. Eorum hanc imaginem censet Lucarinus, qui decimas aut tributa pendere tenentur. Unde lemma. ET DOMINO PARTEM. Et quidem si de decimis sermo sit, eæ Divinis firmantur, probanturque Oraculis. *Omnes Decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.* De tributis verò dilucidè Christus. *Reddite, quæ sunt Cæsaris,* *Matth. 22. 21* *Cæsari.* Magistro concolor discipulus Paulus. *Reddite ergò omnibus debita, cui tributum, tributum;* *Rom 13. 12. S. Chrys. in hunc loc.* *cui vectigal, vectigal.* In hunc locum S. Chrysost. *Non dixit, date, sed reddite, & adjecit, quod debetur. Nihil enim gratuito dat, qui hoc fecerit. Debitum siquidem res est ista; quod si non feceris, perfidi pœnam dabis.* Et paulò antè. *Cur enim vectigalia Regi damus? nunquid non tanquam prospicienti? nunquid non tanquam præsidenti curæ, tuitionisque mercedem solventes &c.*

255. Dum ciconiæ nidus flammis cingitur, ipsa mox excitata, præsenti malo remedium ferre, ignemque propriis alis restinguere nititur; at misera irrito conatu, pennisq; adustis tamdiu fatigatur, donec tota conflagret. D. Aresius hanc S. Pauli Apostoli iconem S. Paulu statuit, qui rogum à Christo succensum reprimere, eique totis viribus adversari conatus, illicò iisdem exarsit flammis, & ad fidem Christianam est conversus. Epigraphen subjecit. EXTINGUERE QUÆRENS. Ad hoc propositum sequentem poësin vernaculam composui.

Quando vispa crescendo
Nel cor della Giudea,
Del Nazareno il sacro incendio ardea,
Saolo, d'ira fremendo,
Mentre à sopirlo ogni suos forzo appresta,
Consumesso impensato; arso ne resta.
O d'immensa pietà favor stupendo,
Che del nemico suo l'anima schiua,
Fabbra di morti, in dolci fiamme auviva.

Nempè sacra Religio ab hostibus adeò nihil decre- S. Eccles menti sustinet, ut illius ignis, quem Christus venit mittere in terram, magis inde accendatur. Porrò Prælatus imprudens. Prælatus imprudens, dum aliorum vitiis imperitè consulere, eaque pro libitu sine ulla juris aut divinæ legis normâ coërcere præsumit, & seipsum & subditos æterno involvit incendio. Unde S. Greg. *ab impe-* *S. Greg in Pastoral.* *ritis pastorale magisterium quantâ temeritate suscipitur; cum sit ars artium, regimen animarum, hoc est, magisterium disciplinæ: ut culpis discretè noverit parcere, & piè rese are.*

256. Ciconia, vere redeunte, redit; brumâ verò fugatur. Emblemati subscripsit P. Jacob. Masen. VER REDDIT. Idipsum amicus ollaris assolet, qui riden- Amicus ollaris. te quidem fortunâ nostras sectatur partes procul fugandus, si tristior obtigerit. Pulchrè in rem præsentem Magnus August. *Quando amicus pauper est, non* *S. Aug. ser 11. ex addi Sirmondo.* *ei frangenda est fides, permanendum cum illo est, nec mutanda amicitia facultate mutatâ, sed servanda fides voluntate firmata.*

COCCYX.

Cap. XIX.

257. COccyx, Nisorum species, ut, hostium insidiis impetitus, pullos suos servet incolumes; eos tantisper intra aliarum volucrum, præcipuè verò Columbarum, nidos reponit. Unde lemma. CUSTODIENDUM SUPPONO. Lucarinus hoc Em- Protecti blemate in Epistola Dedicatoria usus est, ubi librum suum, veluti proprii ingenii partum, alterius custodiæ, patrocinio, ac defensioni commisit, consecravitque. Porrò Paterfamilias Coccygem imitetur, liberosque suos magistro concredat, litteris ac moribus Educatio exercitato, ut ab eo ad melioris vitæ frugem instituatur, & ab omni hostium tam spiritualium, quàm corporalium assultu custodiantur. Hanc doctrinā probè observatam habuit Anna, quæ filiolum Samuelem ad templum duxit, eumque Sacerdotis Heli custodiæ ac solicitudini permisit. Lætam suam de filia Paula ritè educandâ instituens S. Hieron. *Postquam*, ait, *abla-* *S. Hier. Ep. ad Lætam Instit. Pau.* *ctaveris eam cum Isaac, & vestieris cum Samuele, redde pretiosissimam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Jesu vagientis impone. Nutriatur in Monasterio: sit inter Virginum choros: nesciat sæculum, vivat angelicè &c.* Vide infrà sub titulo *Cuculus.*

COLUMBA. PALUMBES.

Cap. XX.

Virtus vera.

Plato in Phædro.

258. AJunt, Columbam, paci ac mansuetudini unicè addictam, felle carere. Unde candidis cooperta plumis, & olivæ ramum rostro sustinens, epigraphen habet. INTUS, ET FORIS. Hæc inscriptio, etiam Agno aut Chrystallo attribui solita, illos omnes concernit, qui internæ puritati exteriorem vitam inculpatam jungere student. Divinè prorsus Plato. *O Amice Pan, & alii omnes Dii! date mihi, ut pulcher intus efficiar, & quæcunq; extrinsecùs habeo, intrinsecus sint amica.*

Mansuetudo.

1 Petr. 2.

S. Aug. tract. 3 in Ioan.

259. Sacri ac profani Authores experientiâ didicêre, Columbam omni carere felle. Unde lemmata. VISCERA FELLE CARENT. &, NESCIA FELLIS. Hominis benigni ac mansueti hæc imago est, qui etiam inter injurias nihil amaroris aut indignationis concipere solet. Hâc laude insignes extitêre Josephus, Moses, David, & omnium excellentissimè Christus, *Qui, cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injustè.* In hanc rem Magnus Augustinus; *Christus,* inquit, *attulit veritatem ut Doctor, mansuetudinem ut liberator, justitiam ut cognitor; cùm loqueretur, veritas agnoscebatur, cùm adversus inimicos non moveretur, mansuetudo laudabatur.* De S. Ecclesia illud ipsum Emblema intelligit P. Jacobus Masenius, suamque mentem sequenti Epigrammate explicat.

Viscera dissecta gladio rimare columbæ,
Nil ibi, quod tumeat fellis amara, geret.
Quantumvis ferro laceres ac Marte cruentes,
Nil fellis Mater relligionis habet.
Illa pati didicit, didicitque ignoscere culpæ:
Hostis ades? veniam si cupis, hospes eris.

Pax.

Anima beata.

Matth. 5.5.

S. August. Ep. 121. c. 1.

260. Columba, olivæ ramum rostro sustinens, epigraphen tenet. POST NUBILA, ET IMBRES. Pacis hoc symbolum est, quæ post complures Provinciarum turbas, & decumanos bellorum fluctus, tandem gratissima illucescit. Anima insuper beata, è calamitatum nubilis ad tranquillam Paradysi quietem eluctata, Emblemate illo significatur. Unde Servator; *Beati, qui lugent, quoniam consolabuntur.* Nam Magno Augustino teste, *Servi Dei, qui dupliciter mala temporalia patiuntur, quia & ab ipsis impiis, & cum ipsis patiuntur, habent consolationes suas & spem futuri sæculi.* Cæterùm Emblematis applicationem utramque meus D. Carducius sequenti disticho complexus est.

Læta columba refert oleam post nubila & imbres:
Florida sic bello pax tibi parta redit.
Vel certè.
--- --- *Sic cœli risum lachryma nostra parit.*

Contemplativus.

Virg. 5. Æn.

Cant. 2. 14.

S. Aug. l. 4. c. Iul. c. 3.

261. Anima, quæ è mundi turbis profuga, intra sacratissima Christi Crucifixi vulnera sese recipit; authore P. Henrico Engelgrave, columbam imitatur, intra rupium hiatus nidificantem; addito Virgilii lemmate. LATEBROSO IN PUMICE NIDI; Appositè nimirùm ad illud sacri Epithalamii. *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Nam, quod S. P. Augustinus ait, *Beata vita præstari hominibus non potest, nisi in Christo, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura nostra sanatur.*

Gen. 8.

Christus resurgens.

Bened. Fern. in locum cit.

S. Aug. l. de Ovibus c. 13.

Mariæ V. protectio.

262. Columba, olivæ ramum rostro sustinens, ad illam diluvii columbam alludit; cum lemmate. DIVINÆ NUNTIA PACIS. P. Benedictus Fernandius, illud Geneseos interpretatus, *At illa venit ad eum, portans ramum olivæ virentibus foliis,* Servatorem nostrum hoc columbæ hieroglyphico insinuari existimat, qui superatâ corporis sui morte, cœnaculum ingressus, Discipulis suavissimæ pacis nuntium tulit. *Columba fuit Dominus Jesus, cum è passionis diluvio emergens, è mortis faucibus, immortalis & gloriosus in sanctum illud cœnaculum, clausis januis, ubi erant discipuli congregati, intravit, dicens, Pax vobis, pax vobis. En columba, en oliva virens in ore: fluctuantem illorum mentem voce firmavit, Pax vobis.* Unde S. Augustinus. *Hoc est testamentum Patris, testamentum pacis. Pax nostra Christus est, pax facit utraque unum, non duo de uno. Christus mortuus resurrexit, de cœlo respexit, ut stet testamentum ejus.* Etiam Maria Virgo, columba purissima, miseros peccatores suis precibus in libertatem & pacem apud Deum restituit.

Prælatus.

Prædicator.

Matth. 10.16

Luc. 10.5.

S. Aug. in Psal. 127.

263. Columba volans, & olivæ frondem rostro præferens, epigraphen tenet. ET SIBI, ET ALIIS. Hoc Emblema, in insigni Canonica ad S. Mariam de Passione Mediolani depictum, boni Prælati, ac perfecti Religiosi ideam exhibet, qui paci non tantùm sibi ipsis comparandæ incumbunt, sed etiam aliis eam procurare, fideli ac indefessâ opera student. Et verò, meâ quidem sententiâ, tota hæc Emblematis structura Evangelicæ doctrinæ basi nititur; in qua, sicuti viri Apostolici cognominantur Columbæ (*simplices sicut columbæ*) ita etiam, referente S. Luca, mutuæ pacis vinculo connexi, in totius mundi tranquillitatem fuêre ordinati; nam *misit illos binos ante faciem suam,* hâc expressâ conditione additâ, ut, quemadmodum ipsi summâ animi pace fruerentur, etiam cæteras gentes illo pacis felicissimæ nuntio bearent; *in quamcunq; domum intraveritis, primùm dicite, pax huic domui.* Pacis & servandæ & comparandæ studiosissimus Magnus August. *Hæc pax,* inquit, *vobis prædicatur à nobis, ipsa amatur à nobis; ipsa, ut à vobis ametur, optamus. Ad illam pacem perveniunt, qui & hîc pacifici fuerint.*

Virtus vera.

Absol. Abb. serm. 8.

264. Vidua quædam se ipsam candidæ columbæ symbolo repræsentavit; ne verò quisquam nigrum colorem viduitati ipsius præ candido proprium diceret; epigraphen subdidit. DOLOR, NON COLOR. Ita Deus oculos suos potiùs ad interiores animi nostri affectus ac suspiria, quàm ad extremũ corporis habitum aut ostentationem convertit. Absalon Abbas, *Nemo,* inquit, *sibi blandiatur de bona spe exterioris conversationis, formam pietatis foris prætendens in bonis operibus, si conscientia criminosa est, si desideriis carnalibus intus æstuat, si odio vel invidiâ, cæterisq; vitiis spiritualibus intus obsessus est, quia bonis exterioribus Christus non pascitur, quæ charitatis pinguedine non informantur.*

Pœnitens.

S. Nil. Paran num. 54

S. Bern ser. de Cant. Ezech.

Prædicator.

S. Bern ser. 59. in Cant.

265. E S. Bernardi, Hugonis Cardinalis, Guerrici Abbatis, aliorumque concordi sententia, Columba GEMITIBUS GAUDET. Ita verus pœnitens, instar columbæ, assiduos contriti pectoris gemitus ac suspiria eructat. S. Nilus. *Quæcunque iniquè fecisti, omnia cum gemitibus recordare; oritur enim hinc animæ continua compunctio.* Et S. Bernardus. *Cùm vespera ingruerit, non deerit sacrificium vespertinum, cùm instar columbæ gemens, lachrymas fundam in tribulatione.* Porrò bonus Concionator, instar columbæ, frequentes edat gemitus, ut auditorum animos tantò melius permovere sibique conciliare possit. Rursus S. Bernardus. *Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Si persuadere vis, gemendo magis, quàm declamando studeas.*

266. Affectum maternum è columba haud obscurè metiri licet, quæ pullis suis inter hyemis rigores commodius stratum provisura, proprias sibi plumas rostro evellit, nidoque supponit. Lema. MOLLIUS UT CUBENT. Matrem, affectu plenissimam, & columbam amore penitùs succensam, versus egenos, aut pestiferâ lue afflictos, se exhibuit S. Carolus, quando ad eos juvandos cunctam palatii sui supellectilem, ipsumque adeò proprium lectum expendit, ita ut tandem rebus omnibus exutus, nudo asseri indormire debuerit. *Domesticam supellectilem ne relicto sibi lectulo, in eosdem alendos contulit, super nuda imposterum tabula decumbens.* Nec aliter S. Ægidius, instar columbæ, *etiam tunicam exuit, ut ægrotum egentem tegeret.* Omnium tamen præclarissimè Christus, *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo:* Unde S. Chrysostomus. *Christus hominis filius esse voluit, ut nos filios Dei faceret; humiliavit se, ut populum, qui priùs jacebat, erigeret: vulneratus est, ut vulnera nostra sanaret: servivit, ut ad libertatem servientes extraheret: mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet.*

Charitas S. Caroli.

S. Ægidius.

Brev. Rom. 1. Sep.

Phil 2. 7.

Christi charitas.

S. Chrysost. tract. de Eleemos.

267. Columba, versus turrim dealbatam volitans, epigraphen tenet. AD CANDIDA; hanc enim proprietatem in Columba observatam habent Physici, ac præcipuè Columella, *Totus autem locus,* inquit; *& ipsæ columbarum sellæ poliri debent albo tectorio, quoniā eo colore præcipuè delectatur hoc genus avium.* Et paulo infrà. *Locus autem subinde converri & emundari debet. Nam quanto est cultior, tanto lætior avis conspicitur.* Spiritus Sanctus, columbæ specie apparens, hoc Emblemate repræsentatur, quippè qui in candidum & purum hominis pectus avidissimè illabitur. Appositè Ludovicus Sotomajor. *Nihilo enim Deus, id est, sponsus cœlestis, magis delectatur, quàm cordis munditie.* Nam, quod Magnus Augustinus ait, *Mundissimo Domino, mundissima debetur habitatio.* Amicos ollares columbis similes dixeris, qui ubi felicitatis aliquid allucescit, concitato pede accurrunt; at ingruente calamitatum horrore procul obverterunt terga. Ovidius.

Columella lib. 2. cap. 8.

Spiritus S.

Sotomajor. inc. 2. Cantic.

S. Aug. l. Medit. c. 35.

Amicus falsus.

Ovid. 1. de Trist Eleg 8.

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis ut veniant AD CANDIDA tecta columbæ?
Accipiat nullas sordida turris aves?

268. Palumbes, intra rupium fissuras nidum construere solita, epigraphen tenet. SECURA NIDIFICAT. Huic Emblemati sacra Cantica dedêre ansam. *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Exinde disces velim, securam ac veram quietem nullibi certius, atque inter Crucifixi vulnera reperiri. *Et revera,* inquit S. Bernardus, *ubi tuta firmaque infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic securius habito, quantò ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur; non cado, firmatus enim sum supra firmam petram.*

Cant. 2. 14.

Spes in Deo.

S. Bern. ser. 61. in Cant.

269. S. Christina Virgo & Martyr, sagittis transfixa, à D. Aresio Columbæ emblemate repræsentatur, quæ ad palum ligata, jaculis impetebatur; at vinculis per ingredentiū sagittarum aciem inopinatè ruptis pristinam recepit libertatem Unde lemma. COMPEDITAM SOLVIT. S. Cyprianus illa D. Pauli verba, *Et mori lucrum,* ita explicat. *Lucrum maximum computans jam sæculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris angentibus, & venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam salutis æternæ Christo vocante proficisci.* Vates Regius eo Emblemate Animam insinuat, *Dominus solvit compeditos.* In hunc locum S. P. Augustinus, *Unde,* inquit, *sumus compediti? corpus nostrum ornamentum nobis fuit: peccavimus, & compedes inde accepimus. Quæ sunt compedes nostræ? Mortalitas ipsa. Dominus ergò solvit compeditos, id est, ex mortalibus immortales facit.* Tali modo Deus stricto mortis gladio nostra ligamina dissolvit, & ad immortalitatis felicissimæ auspicium deducit. Seneca. *Mors omnium dolorum & solutio est, & finis; ultra quam mala nostra non exeunt.*

S. Christina V. & M.

Mors bona.

S. Cypr. ser de Mortal.

Phil. 1. 21.

Psal. 141.

S. Aug. in hunc loc.

Seneca.

270. Amoris ac fidei conjugalis nativum symbolum columba est; cum dicto. UNI SERVO FIDEM. Plinius id testatur. *Pudicitia illis prima, & neutri nota adulteria: conjugii fidem non violant &c.* Et Tertull. *Columba est avis non tantùm innocua, verum & pudica, quam unam unus masculus novit:* Unde Propertius sinceram ac integram fidem amicæ erga maritum persuasurus, cecinit,

Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus, & totum fæmina conjugium.

Amor conjugalis.

Plin. lib. 10. c. 32.

Tertull. de Monog.

Propert. 2.

271. Columba, suprà diluvii arcam volitans, epigraphen è Virgilio mutuatam habet. DABIT DEUS HIS QUOQUE FINEM.

O socii (neq; enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora! dabit Deus his quoq; finem.

Animæ afflictæ fiduciam hæc imago designat, quæ è calamitatibus proximè se eluctaturam sperat. In hunc sensum Seneca infelicem Octaviam tragico cothurno ita suspirantem introducit, ut pectus jamjam ad ipsam usque mortem fatigatum, tandem insigni hâc fiduciâ erigat,

— — — Non hoc primum
Pectora vulnus meum senserunt:
Graviora tuli. DABIT hic nostris
FINEM curis, vel morte dies.

Ad idem spei asylum inter medias ærumnarum tempestates obviis ulnis confugerat Jobus, *Et rursum,* inquiens, *post tenebras spero lucem.* Item. *Et rursum circumdabor pelle meâ, reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Quinimò ipsemet Servator Apostolis suis gravissimas persecutiones vaticinatus, de illarum omnium fine apertam subjunxit mentionem. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Unde non poterant non optimis solatiis perfundi, quandò meminêre, quod, uti in hunc locum commentatur S. Paschasius, *omnis tribulatio finem habet.*

Virg. 1. Æn. v. 202.

Spes.

Senec. in Trag. Octav.

Iob. 17.

Ibid. c. 19. 26. & 27.

Matt. 10.

S. Paschas. in hunc loc.

272. Maria Virgo, ad cœlos assumpta, æternæ beatitatis quietem non sibi duntaxat est assecuta, sed insuper omnes suos clientes ad illam liberalissimâ manu promovet. Hæc Deiparæ prærogativa in sacro illo apparatu, ad Virginis Assumptæ festivitatem intra augustissimum S. Celsi Mediolanensis templum quotannis exhiberi solito, Columbæ Emblemate adumbrata cernebatur, quæ ante arcam Noëmiticam figurata, olivæ frondem rostro sustentabat; cum lemmate. ET QUIESCAM, ET QUIESCERE FACIAM. S. Bernardus ad Virginem conversus, exclamat, *Ecce! quibus possum vocibus ascedentem te ad Filium deducimus, & prosequimur saltem à longè, Virgo benedicta. Sit pietatis tuæ, ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo; reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo &c.*

Maria assumpta.

S. Bern. ser. 4. de Assump.

273. D. Aresius geminas columbas, mutuis osculis se-

Osculum.

lis sese complexas, hoc lemmate insignivit. IN DILECTIONIS PIGNUS. Alludebat nimirùm ad illud sacri Epithalamii; *Osculetur me osculo oris sui.* Majorem tamen lemmati conciliares gratiam, si inscriberes, IN PIGNUS AMORIS. Ailgrinus in illud Cantici ait, *Habetur in osculo dulcis, & delectabilis duorum conjunctio; signum quoque dilectionis, reconciliationis, & pacis.* S. Chrysost. super illis Apostoli verbis, *Salutate invicem in osculo sancto,* ait, *Ob id nobis datum est osculum, ut charitatis igniculus ac fames sit, ut affectum inflammet, ut hâc ratione nosmetipsos mutuò amemus velut fratres invicem se amant, patresq; vicissim filios &c.* S. Ambrosius Judam in hæc verba redarguit. *Juda osculo Filium hominis tradis? Hoc est, venenum infundis osculo, quo charitatis gratia infunditur? osculo, quod sacræ pacis insigne est? osculo, quo amicitia fida firmatur?*

Cant. 1. 1.
Ailgrin. Cap. in c. 1. Cant. v. 1
S. Chrys. in 2. Cor. 13. 12.
S. Ambros. in Ps. 39

274. Columba fune, quo detinebatur, abrupto, in libertatem asseritur; cum dicto. EFFRACTO LIBERA VINCLO. Hanc Christi, è morte redivivi, ideam dixeris; *quem Deus* referente S. Luca, *suscitavit, solutis doloribus inferni:* vel, juxta contextum Syriacum, *solutis funibus inferorum. Mors enim,* interprete P. Cornelio à Lapide, *& infernus, suis ærumnis & doloribus, quasi funibus, videbantur Christi animam, & corpus quasi colligata & incarcerata detinere, ut non videretur esse spes inde exeundi, & remeandi ad vitam. Sed Deus hæc vincula, & hasce funes dissolvit, dum Christum ex iis ad lucem & vitam redivivam reduxit.* Ab hoc nihil alienus S. Leo, *Post passionem,* inquit, *ruptis vinculis mortis, quæ vim suam in eum, qui peccati erat nescius, incedendo perdiderat, infirmitas in virtutē, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam.* Eos denique hoc Emblema concernit, qui præcisâ peccatorum occasione, libero gressu in filios Dei evadunt; ut adeò verè possint cùm Regio Vate dicere. *Laqueus contritus est & nos liberati sumus.* Cassiodorus in hunc locum, *Venantium autem laqueus,* inquit, *est mundi istius qualibet dulcedo proposita; in qua tunc capimur, quando suavis esse judicatur: sicut de mulieribus scriptum est, oculus meretricis, laqueus peccatoris. Sic de avaritia, sic de superbia, sic de cunctis vitiis sentiendum. Sed vide, quid adjecerit: Contritū laqueum, & se fuisse liberatos.* Et Anonymus. *Laqueus passerem captum retinet, dum diabolus mentem possidet: dum dulcedo vitæ præsentis placet, sed laqueus rumpitur, & passer liberatur, si abjectis carnalibus desideriis, ad Deum anima convertitur.*

Cristus surgens.
Act. 2. 24.
Corn. à Lap. in hunc loc.
S. Leo serm. 1. de Ascens.
Occasio-nis tol-lenda.
Ps. 123. 7.
Cassiod. in hunc loc.

275. Homo nullâ re aliâ, nisi laboribus delectari solitus, Columbam imitatur; quæ remigando fatigata, unam alam inter volandum retinet otiosam, laborante identidem alterâ. Lemma. QUIESCIT IN MOTU. Illustre hoc quietis & laboris connubium S. Bernardus ex Isaiæ verbis colligit; qui paulò ante Seraphinos ad Dei thronū imotos consistere asserēs, (*Seraphin stabant super illud*) mox de iisdem subjungit, *duabus* (alis) *volabant: quomodò autem,* inquit Doctor Mellifluus, *Seraphini volabant, si steterunt? quomodo steterunt, si volabant? Quid sibi volunt alæ istæ, Fratres?* & respōdet, *Credo autem sicut in statione immutabilitatem, sic in volatu alacritatē promitti, ne videlicet insensibilis quædam, & quasi lapidea stabilitas æstimetur. Quo enim Seraphin volant, nisi in eum, cujus ardent amore? Vide flammam quasi VOLANTEM, ET STANTEM simul: nec miraberis jam Seraphin STANTES VOLARE, stare volantes.* Ita quoque Beati coram Deo infinitâ perfruuntur quiete, simulque assiduis ac recentibus gaudiis identidem subsiliunt. Denique etiam anima perfecta hoc symbolo describitur, quæ vitæ contemplativæ quietem indefessis vitæ activæ operationibus conjunctas habet.

Labor indefessus.
S. Bern. ser. 4. de verb. Isa.
Isa. 6. 2.
Beati.
Vita activa & contemplativa.

276. Aulicus, qui post Principis mortem minore habebatur existimatione & reverentiâ, Columbæ symbolo est repræsentatus, quæ Soli opposita, epigraphen sustinuit. IN LUCE LUCIDIOR. Sanctorū cœlitum hæc imago est propria, quibus è beatifico Dei vultu plurimùm admirandæ lucis accrescit. Nam Magno August. teste, *Tantæ pulchritudinis visio Dei est, & tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis abundans, infelicissimus sit.* Eruditè cecinit D. Gregorius Brunellus.

Beati in cœlo.
S. Aug. lib. 10. de Civit. c. 16.

Ut magis adverso resplendet sole columba,
Sic nitet æthereâ mens pia luce fruens.

277. Homo, puritati suæ providè cavens, & vel ipsam peccati umbram sedulò devitans, Columbæ se non absimilem probat; quæ aquis vicina assidere solet, ut in iis accipitrem advenientem ab umbra explorare possit. Unde lemma. VEL UMBRAM CAVEO, Vel, ut P. Jacobo Masenio placet, UMBRAS CAVE. Richardus Victorinus illa sacri Cantici verba examinans, *Sicut columbæ super rivulos aquarum,* ait, *Solent columbæ super rivos aquarum residere, ut umbram accipitris in aquis videant, & ita super aquam se projicientes, ungues ejus evadant. Ita boni umbras dæmonum in scriptura vident, cùm omnimodam deceptionē eorum ibi reperiunt.* S. Bernardus, post hanc columbæ proprietatem prolixè recensitam concludit; *Sic & tu, soror honestissima, in meditationibus sanctarum Scripturarum esto assidua, quia in eis poteris cognoscere, qualiter hostium insidias vales declinare.* P. Masenius Emblematis mentem sequenti Epigrammate explicat.

Cautela.
Cant. 5. 12.
Rich. Vict. c. 37. in Cant.
S. Bern. de modo bene vivendi ser. 55.

Sæpè licet vacuas miseri trepidemus ad umbras,
Sæpè tamen justi causa timoris erunt.
Quæ timet accipitrem, terretur imagine visi,
Quam spectat vitreo lota columba freto.
Hæreseos primis Germania territa spectris
Si foret, Hæreticis non modo præda foret.

Hæresis umbra fugienda.

278. S. Franciscam, viduam Romanam, ab Angelo tutelari iteratis vicibus percussam, D. Aresius Columbæ symbolo repræsentavit, quæ sociam rostro feriens, epigraphen tenebat. QUAM DILIGIT. Nimirùm consentaneè ad illud Apocalypseos, *Ego, quos amo, arguo & castigo.* S. Gregorius Nyssenus & Psellus illa Canticorum verba interpretati; *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem; percusserunt me, & vulneraverunt me;* per hos custodes civitatis Sanctos Angelos intelligunt, qui tepidorum mentes, tametsi impensè ab ipsis amatas, stigant & affligunt, sicque ad perfectionis fervorem extimulant. Certè Prælati & Patresfamilias, columbis persimiles, sine felle, non tamen sine rostro præsint; & in delinquentes veluti columbæ amabiles, non verò ut crudeles & sanguinarii corvi animadvertant. Præclarè, ut solet, Magnus Augustinus. *Fel columba non habet; tamen rostro & pennis pro nido pugnat: sine amaritudine sævit: hoc facit & pater, quando filium castigat, Seductor, ut vendat, cum amaritudine blanditur; Pater, ut corrigat, SINE FELLE CASTIGAT. Tale est ad omnes. Amor sævit, charitas sævit. Sævit quodammodo sine felle, more columbino, non corvino.*

Apoc. 3. 19.
Cant. 5. 7.
Correctio discreta.
S. Aug. in Epist. in Ioan. c. 4.

279. Camerarius, ut demonstraret, quanta pietas & munditics in affectibus conjugalibus requiratur, Emblematis loco tædam jugalem suprà currum, à geminâ columbâ tractum, depinxit; cum lemmate. SIT SINE LABE FIDES. Nimirum insignem illam pudicitiam innuebat, quam de Colum-

Castitas matrimonialis.

Ælian. de hist. animal. l.3.c.5. Columbis in hæc verba tradit Ælianus, *Columbis ex avibus maxima est pudicitia, ab omniumq; adulterio castissima: nunquam enim ex societate inter se constituta mas & fœmina, nisi vel casu aliquo, vel alter alterius morte, distrahuntur.* Omnium tamen propriissimè imago hæc in Mariam V. & Josephum, conjuges castissimos & virgineos, convenit. De his. S. P. Augustinus. *Non propterea non fuit Pater Joseph, quia cum Matre Domini non concubuit; quasi uxorem libido faciat, & non charitas conjugalis.*

Maria & Joseph. *S. Aug. serm. 63. de Divers. cap. 13.*

S. Basil. Ep. 175. ad Iudith. 280. S. Basilius refert, columbarios solere è columbis unam balsamo, alioque odorifero liquore aspergere, cujus fragrantiam plurimæ aliæ columbæ ingenti agmine sequuntur. Unde Parthenii Romani, symboli loco, complures adhibuêre columbas candidas, quæ cujusdam præeuntis vestigia secutæ, epigraphen tenebant. IN ODOREM. Vel ut P. Jacobo Masenio placet. ODORE TRAHIT. Innuebant nimirùm Sodales illi, se Mariæ Virgini unicè devotos, ac suavissimis ipsius virtutibus ad eam sectandam, imitandam, omnique obsequiorum genere colendam, fuisse abreptos; Consentaneè ad illa sacri Epithalamii verba, *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* In hunc locum Hugo Cardin. *In imitatione operum tuorum,* inquit, *quæ velut unguenta redolent, vel in fama, sive opinione nominis tui, quod est oleum effusum, vel in spe æternorum bonorum, quæ super omnia unguenta redolent.* Porrò quanta boni exempli inter propinquos sit virtus, S. Joannes Chrysostomus ex eâdem columbæ proprietate dignoscendum proponit. *Non in solis hominibus,* inquit, *videmus similium imitationem, sed & in brutis. Nam & columbæ sæpè visâ unâ volante, statim sequuntur omnes, & pullus generosus in equorum armento exiliens, secum rapit omne armentum; & inter vos, ut in armento Christi, bonus est pullus Joseph continentissimus, cœlestibus exultationibus ad sui imitationem nos conservos vocans.* Idipsum de S. Ecclesia explicat P. Masenius.

Imitatio & devotio erga Mariam V. *Cant. 1. 4.*

Hug. Card. in hunc loc.

Bonum exemplũ. *S. Io. Chrys. ser. de Continentia Ioseph*

Ecclesia.

Et suas illecebris locus est, & odore columbas
Attrahit, Assyrio sparsa columba thymo.
Non opus est herbis: Ecclesia pacis amore,
Quemque potens virtus spirat, odore trahet.
Hanc, quicunque fugis longi fastidia belli,
Pone subi: Pacis templa subibit avis.

281. Academiæ Expergefactorum Pistorii Emblematis Universalis loco Solem præfert: unde si mihi, in Academia illa versanti, munus obtingeret, meipsum symbolo aliquo particulari repræsentandi; Columbam depingerem, cujus pennæ à solaribus radiis mirâ colorum varietate ac pulchritudine illustrantur. Lemma subjungerem. DAL TUO LUME I MIEI FREGI. Vel, PER TE M' ADORNO, E SPLENDO. Id est, EX TUO LUMINE DECOR. Vel certè verbis è Breviarii Romani Hymno desumptis. AUGENS DECORO LUMINE.

Hymn. vesp. feria IV.

Cœli Deus sanctissime
Qui lucidum centrum poli
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine.

Gratitudo. Gratum hominis animum, ac mentem beneficiorum nunquam immemorem hæc imago concernit. Porrò è Christianis singuli confiteri debent, omnem gratiæ ac naturæ splendorem è Sole Divino in ipsos profluere. *Quid enim habes, quod non accepisti?* inquiebat S. Paulus. Et S. Jacobus, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Quare S. Augustinus Deum vocat *Lucem lucificam*, quod omnis creaturarum splendor è sola illa Divina luce originem trahat. Pulchrè in rem præsentem idem Hipponensis Præsul; *Unde homini placere Deo, nisi à Deo? unde homini bona vita, nisi à fonte vitæ? unde homini illuminatio, nisi ab æterno lumine?*

Gratia Dei. *1. Cor. 4. 7. Iacob 1. 17. S. Aug. l. 22. cont. Faust.*

Idem serm. ex addit. Cartus. To. 10.

282. Columba, supra aliquot papiliones militares volitans, cum litteris è collo suspensis, epigraphen à me accepit IN ARMIS OTIA TRACTAT. & à P. Jacobo Masenio. NUNTIA FELIX. Nempe ad Historias illas hoc Emblema alludit, quæ referunt, in diversis obsidionibus, ut Mutinæ tempore Romanorum, Hierosolymis Godefridi ævo, & Harlemi sub Ducis de Alva gbernaculo, columbas, litteris è collo pendulis instructas, caduceatorum munera obiisse. Oportunâ hâc icone Mariam Virginem, Columbam amabilissimam, insigniveris; quæ Deum, gravissimè iratum, precum suarum interventu nobis conciliavit, & pacis supremæ fœdera sanxit. Richardus à S. Laurentio, *Ipsa,* inquit, *dicit de filio Cant. 3. 4. Tenui eum, ne scilicet percuteret peccatores, nec dimittam; sed continuâ precum instantiâ furorem ipsius retinebo. Ipsa est Abigail, cujus prudentia retinuit furorem David, ne vindicaret se de Nabal stulto. 1. Reg. 25.* Porrò symbolum istud etiam Litteratis illis est proprium, qui Bellonâ grassante, ab exercitationibus Academicis nihil remittunt. Eruditè in hanc rem D. Gregorius Brunellus.

Mariæ intercessio. *Rich. à S. Laur. l. de Laud. V. part. 1.*

Exercitatio litterum.

Tuta per oppositas ut fertur charta phalanges,
Otia sic sapiens Marte furente terit.

Opportunâ, sed tamen vernaculâ linguâ cecinit Fulvius Testi.

Muse minaccin pur nuuole oscure
A l'Italico ciel nembi, e procelle,
Timid turba, e imbelle
Noi trattarem di pace armi sicure:
Farem guerra à la morte, e saettato
Sarà dagli archi nostri il tempo alato.

Deniquè P. Masenius imaginem illam Legato, ad pacē conciliandam misso, propriam dicit; suamque mentem sequenti epigrammate explicat.

Legatus pacis.

Fallimur? an certum, etiam secreta columbas
Posse per aëreas ferre, referre vias?
Mutina testis erit, bellis obsessa cruentis,
Nuntia promissam, cui tulit ales opem.
Credimus, Ausonidū nova venit ab urbe Columba
Non est hæc ales Martia: pacis erit.

283. Ajunt, columbas ægrotas lauri folia ad nidum deferre, sicque pristinam recuperare sanitatem. Unde Emblemati subscribes. UT SANEMUR. Ita cor humanum, litterarum studio, & Academicorum exercitatione (quam Laurus, Apollini sacra, repræsentat) munitum, quosvis vitiosos motus facilè proscribit. Inde etiam disces, tam corporis, quàm animæ medicamenta tempore esse adhibenda, ne, dum malum fuerit inveteratum, juvari amplius non possimus. Providè Magnus Augustinus. *Dum adhuc nova sunt peccatorum vulnera, homo sibi adhibeat medicamenta salubria.* De prima Emblematis applicatione canit Horatius:

Exercitiũ litterarum.

Medicina tempore adhibenda. *S. Aug. ser. 1. de Temp.*

Horat. lib. Epist. 2.

--- --- --- --- si non
Intendens animum studiis, & rebus honestis.
Invidiâ vel amore vigil torquebere.

Et Ovidius.

Ovid. 1. T.

Quot frutices sylvæ, quot flavas Tybris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet.
Tot mala pertulimus, quorum medicina quiesque
Nulla nisi in studio est, Pieridumq; mora.

De secunda P. Masenius hoc Epigramma proponit.

Dum

Ecclesia.

Dum licet, & morbus patitur, medicina paretur,
Jam valida seram peste feretis opem.
Dum blattas metuunt, & sparsi toxica morbi
Chaoniæ, lauro seque suosque fovent.
Æmula sedulitas Romanæ Matris amatur
Illa suos lauro protegit, ista fide.
Hæc utinam nunquam contempta medela fuisset,
Non modò tot belli funera fleret humus.

284. Columba, in petra nidificans, epigraphen tenet. TUTA QUIES. Quod columbis petra; illud ipsum S. Petrus, omnesque ejus in supremo Ecclesiæ fastigio successores, singulis Christianis adversus gentiles & hæreticos, ceu vultures rapacissimos præstat. Unde Christus. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nihil enim adversus hanc Ecclesiæ petram possunt vel potuêre unquam omnes mundi & inferorũ vires. Unde Magno August. teste, *Pelagius Romanam Ecclesiam fallere usquequaque non potuit, quamvis & hoc fuerit conatus.* Opportunum in rem præsentem nobilis cujusdam Poëtæ epigramma est.

[E]clesia. [M]atth. 16. Aug. li. de [p]ecat. orig. [c]. 8.

Quod contra accipitres trepidis est petra columbis,
Ausonidum nobis Petrus in urbe fuit.
Petra columbarum est; animarum Petrus asylum:
Illa tuetur aves; ille tuetur oves.

285. Claudius Paradinus è monumentis Lotharingicis rem prorsus miram commemorat his omninò verbis. Virtutem & fortunam Lotharingicæ Domûs testantur hodieq; gentis avitæ insignia, tres nimirùm alites, sagittâ transfixi. Origo rei hæc est. Laudatissimus Heros Godefridus Bullionius, Dux Lotharingus, Hierosolymam urbem obsidens, in turrim Davidicam ejaculatus est telum, quo tres simul columbas confixit.

[Par]rad. in [Sy]mb. He[r]um pag. 39

--- --- *Dederitque viam casusve, Deusve?*

quæri poterat. Regii tamen fastigii præsagium fuisse, eventus docuit; & hoc etiamnum tam in monetis, quam in insignibus Domûs Lotharingicæ videre est. Quare tres columbas, unà transfixas telo, hâc epigraphâ notabis. ICTU SIC FIGIMUR UNO. Quisquis alteri detrahit, ignitum emittit jaculum, eoque tres simul configit; se ipsum, auditorem, & hostem: imò triplicem committit cædem, cùm triplex nobis sit vita; est enim una velut cœlestis, Divinæ gratiæ dono; altera corporis, cæteris animalibus communis; tertia civilis, famæ præsidio: in hanc triplicem vitam immaniter sævit detractor; illam enim animæ, & gratiæ cœlestem, in se suoque auditore extinguit; civilem istam in eo, cui detrahit. Tanti momenti est detractio, ut Artabanus, Herodoto referente, dicere sit solitus; *Cùm unus esset, cui injuria fieret, at duo erant, qui injuriam facerent.* In rem nostram Doctor Mellifluus *Nunquid non vipera est lingua detractoris ferocissima; planè nimirùm, quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Nunquid non lancea est lingua ista? profectò acutissima, quæ TRES penetrat ICTU UNO.*

[D]etractor

[H]erod. l. 7. Bern. in [se]rm. 17. de [d]iversis.

282. Columba, suprà aquas in montis cacumine residens, ab accipitre secura degit. Umbra enim volitantis hostis in aquâ cernitur, monetque, ut intra petram se recipiat, periculum evasura. Emblemati subscripsit P. Sebastianus à Matre Dei, Carmelita Excalceatus; FRUSTRA; NAM ISTA MONEBIT: Mariam Virg. hæc imago innuit, quæ servos suos nunquam non admonet, ut impendens evadant periculum. Rebecca Esau filii sui natu majoris fatale consilium adversus fratrem Jacobum subodorata; mox illud aperuit, animoque materno hortata est filium, ut discederet in Mesopotamiam; unde D. Bernardo teste, *Rebecca Deiparæ typum gessit, cujus proprium officium est, suis aperire impendentia pericula.*

[M]aria V. pericu[l]is liberat.

S. Bern. ser. de B. Virg.

287. Inter cætera Basilicæ S. Genovefæ Parisiensis decora Columbam est cernere, quæ olivæ ramum rostro sustinens, epigraphen è Psalmo subjunctam habet. POSUIT FINES TUOS PACEM. Psal. 147. 2. Gregorium, Ecclesiæ S. Genovefæ Canonicum Regularem, S.R.E. Cardinalem, ab Eugenio III, Summo Pontifice Legatione functum in Germaniam, hoc Emblema spectat; ut qui in legationis actibus ingenti maturitate & gravitate insignis, Moguntinum Archiepiscopum dignitate destituit, Fridericnm Imperatorem placavit, summamq; inter Clerũ Anno 1153. pacem composuit. Porrò tum demum veræ pacis felicitas nobis allucescet, quando ad vitæ finem pertingemus. *Quando erit plena pax?* inquit S. Augustinus, *quando corruptibile hoc induerit incorruptionem.* Cæterùm Emblematis author de Cardinale illo sequens subjungit Elogium.

Pax.

S. Aug. in Psal. 147.

Vestibus non priùs, quàm mente candidatus,
Candorem Ordinis suo collustravit &c.
In Gregorio Cardinale Columbam *aspice,*
Olivæ ramum ore portantem;
Non quæ pacem tantùm nuntiet, sed sanciat.
Nempe gravitate plusquàm humanâ,
Maturitate propè Divinâ,
Cœlum propitiat, Imperatorem placat,
Præsules Clero, populos Ecclesiæ, se omnibus sic sociat,
Ut aliis pariendo pacem *vel temporalem,*
Sibi pariat vel æternam.
Non fallor:
Suos *enim* fines *moriendo* posuit pacem.

288. Eadem ingeniosissima Basilica Emblematis loco columbam exhibet, quæ ab accipitre infestata, in templum confugit; cum lemmate. HIC SECURIUS AB HOSTE. Ita Dagobertus, Clotarii II. patris iram fugiens, in Capellam S. Dionysii apud Catulliacum aufugit, ibique ante a ram prostratus, non tantùm vitam servavit, sed etiam victimam se mancipavit Deo, & Canonicorum redditus plurimùm auxit. Porrò templum istud vel Sanctam Ecclesiam, vel Religiosam vitam dixeris, ad quam quisquis confugerit, nihil habet, quod timeat. Nam *dum diabolus officinas fratrum circuit: debet eum fugare ab oratorio devotio, à refectorio lectio, à dormitorio stramenta vilia, à capitulo patientia.* Emblematis Author de Clotharii filio Dagoberto pulchrum hoc Elogium subjungit.

Ecclesia. Religiosa vita.

S Bern. in Epistol.

Pater sanguine totus ebulliens,
Quasi aliud non esset sanando furori remedium,
Per filii viscera sanguini quærit viam.
Quò fugiat inermis filius?
Ad Regem? ad Patrem?
Uterq; in uno metuitur &c.
Tandem ne victima Clotario fiat, victima fit Deo;
In capellam irruit, Genovefæ constructam curâ,
Et aris advolutus, Deo se mancipat.
En! iterum columba templum subit. &c.

289. Columba, pullis incumbens, sensim consumitur. Emblemati subscripsit P. Jacobus Masenius. VITAM FOVEO DISCRIMINE VITÆ. Christus certè vitam nostram fovit, cum propriæ vitæ dispendio. *Agnosco ô homo,* inquit S. August. *quid fueris, ubi fueris, sub quo fueris. Ovis errans eras, in invio & in inaquoso, spinis & tribulis pascebaris, sub mercenario posita; veniente lupo secura non eras. Nunc autem requisita à vero Pastore, humeris ejus pietate subvecta,*

Christus.

S. Aug. serm. 9. ex addit. à Sirmond.

vecta, reducta es ad ovile, id est ad domum Dei, videlicet Ecclesiam. Vis autem scire, quantam tui curam habeat hic Pastor bonus? Animam suam pro te posuit, insidianti enim lupo tibi se obtulit occidendum pro te. Prælatus. *Nunc ergò secura manes in ovili.* Christum sequuntur omnes boni Prælati, Concionatores, & Parentes, qui pro subditorum vita ac incolumitate suam consumunt. Emblematis Author Hæreticis illud applicat, qui ab Ecclesia educati, eam spoliare, ac Ecclesia. funditùs evertere conantur.

Dum vacat hæc pullis volucris studiosa fovendis,
Auxilio vires deficiente cadunt.
Exuitur plumis, nec avitæ gratia formæ est,
Quoque animat pullos, ipsa vigore perit.
Sic luit impensas natis Ecclesia curas:
Quos alit, hi spoliant; quos parit, inde perit.

Species fallit. 290. Columba picta, & in viscatis perticis collocata, alias complures columbas ad se attrahere ac implicare solet. Unde P. Masenii lemma. NIMIUM NE CREDE COLORI. Colorem humanis oculis objiciunt Mundus, libido, ac dæmon; sed planè caducum, fallacem, & qui nonnisi ad casses deducat; adeò ut de illo verè possis cum Magno Augustino dicere. *Fallax felicitas, ipsa est major infelicitas.* (S. Aug. in Psal. 129.) Hæresis. Author Emblematis id ad Hæresin applicat, quæ quidem nonnunquam speciem religionis habet, re ipsâ tamen falsa est, ac proinde quàm longissimè cavenda.

Picta columba sedet viscatis addita virgis,
Et positis volucres implicat illa dolis.
Fallere & umbra potest, picta nitet hæresis arte,
Et speciem veræ religionis habet.
Huic malè si credas, captivus imagine veri,
Sub fidei larva perfidiosus eris.

Bellum est propter pacem. 291. Columba, in bellico vexillo depicta, epigraphen à P. Masenio accepit. PAX META BELLI EST. Bellum enim, si alio fine, quàm pace obtinendâ instituatur, injustum est. Præclarè S. P. Augustinus. (S. Aug. epist. 205.) *Non pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergò etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas.*

Mundus fallit. 292. Columbam miro oculorum ludibrio, pro lucis varietate, varios induere colores collo videtur, cùm tamen unus idemque maneat. Emblemati subscripsit P. Masenius. VIDEOR, NON SUM. Ita mundus miseris hominibus indies illudit, proponitque sub boni aut voluptatis colore, cùm tamen re ipsâ malum sit, ac momentis singulis mutabile. S. P. Augustinus. (S. Aug. ser. 12 de Verb. Dom. c. 5.) *Quærit homo, quid sit bonum? respondebo quærenti, & dicam, hoc est bonum, quod non potes invitus amittere. Potes enim aurum perdere & nolens, potes honores, potes ipsam carnis salutem. Bonum verò, quo vere bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis.* Ecclesia Immutabilis. De S. Ecclesiæ immutabilitate canit P. Masenius.

Falleris, hanc qui credis avem mutare colores,
Purpureumque croco, cæruleumq; nive.
Immutata manet; sola est deceptio visus:
Si credas oculis omnia, falsus eris.
Hæresis advertat: mutata Ecclesia non est;
Hæc manet, at visu fallitur illa suo.

CORNIX.

Cap. XXI.

Concordia conjugalis. 293. Cornix, sublato è vivis altero conjuge, reliquam vitam solitaria transigit, Unde Cornicem, cum socia depictam, amoris & concordiæ conjugalis ideam statues; addito lemmate. DIU, ET CONCORDES. De conjugibus ait S. P. Augustinus, (S. Aug. Psal. 1 Conc. 3) *Absit ut timore pereat amor, ubi castus est timor. Sic pudica conjux virum & timet, ne ab illo deseratur, & amat ut fruatur.* Calpurnius. (Calpur. Eclog. 2)

Este pares, & ob hoc concordes vivite, nam vos
Et decor, & cantus, & amor sociavit, & ætas.

Virtus vera secta. 294. Genuinæ ac veræ virtuti, non verò simulatæ ac evanidæ inhiandum esse, è Cornicula demonstrat Horatius, quæ alienis superba plumis, cùm è cæteris avibus suam quæque pennam repeterent, eique evellerent, implumis remansit, omniumque ludibrio est exposita. Unde lemma. PONE Hypocrisis. PERSONAM. Vel, QUOD SIS ESSE VELIS. *Pulchritudo enim optima,* inquit S. Clemens Alexandrinus, (S. Clem. Alex. l. 3. Pædag. cap.) *primùm est pulchritudo animæ, ut sæpè significavimus, quando fuerit anima ornata Spiritu Sancto, & iis, quæ ab eo oriuntur, inspirata lætitiis, justitiâ, prudentiâ, fortitudine, temperantiâ, bonorum amore, & pudore, quo nullus color nitidior unquam visus est, postea autem exerceatur quoque pulchritudo corporis cum moderatione partium, & membrorum pulchro colore.*

295. Frequenter evenit, Principes, dum aliis suppetias mittunt, sibimet gravissima damna accersere. D. Didacus Saavedra id è Cornicis symbolo dignoscendum proponit, quæ supremâ alarum parte ad terram ligata, aliam Cornicem, dum eidem auxiliatum advolat, firmis prætendit unguibus, captamque retinet; cum dicto. ET JUVISSE NOCET. Juvare alios quandoque nocivum. In hoc argumentum Salomon, (Prov. 6) *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam, & illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus.* Unde Thucidides. (Thucid. Histor.) *Vicinæ calamitates,* inquit, *potiùs quàm licet, absque periculo, spectandæ, quàm sese illis absque causa gravissima implicandum, ne tota clades in nos ipsos tandem, quamvis duntaxat incendio supervenientes, non autem in ipsos incendii auctores incumbat, & ruat.*

Bona injusta. 296. Cornicula, escam vomitu rejiciens, epigraphen tenet. OPUS RAPINÆ. Hinc liquet, ex opibus iniquè conquisitis, adeò nihil utilitatis nobis accrescere, ut etiam illas, quas jure possidemus, simul perdamus. Justus Lipsius, (Lip. l. 4. Admir.) *Amittere sua non injustè incipit, qui aliena aut alios injustè læsit.* Et prior illo Plautus. (Plaut. act. scena 1.)

Malè partum, malè dispersit.

Et Ovidius. (Ovid. l. 1 Amor. Eleg.)

Non habet eventus sordida præda bonos.

Nicetas & S. Gregorius Naz. in illud Jobi, (Nicet. Or. 65. S. Greg. in Iob.) *Divitias, quas devoravit, evomet,* ajunt, *In quo verbo inest emphasis quædam; ut enim, qui noxium cibum sumpsit, unà cum eo probos etiam evomit, sic qui iniquè congregandis opibus studet, non solum ipsas, sed eas etiam, quas prius jure possidebat, plerumque amittit.*

CORVUS.

Caput XXII.

Lucrum iniquum. 297. PRoprii sui mali authorem Corvus repræsentat, qui serpentem prædatus, lethifero ipsius morsu exanimis concidit; cum lemmate. RAPTORI NOXIA PRÆDA SUA. Vel, INFAUSTA LUCRA. S. Clemens Alexandrinus. (S. Clem. Alex. lib. 3. Pædag. cap.) *Divitiæ serpenti similes, quem, si quis nescit inoffensè eminus accipere, bestiam sine periculo summâ caudâ apprehendens, ea manui circumplicabitur & mordebit; ita & divitiæ, si ab imperito viro apprehenduntur, inhærent & mordent.*

298. Quanta, & quam in res omnes peculiaris sit

al 146.9. Providen- a Dei.

fit Divina providentia, Regius Vates non obscurè innuit, *Dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Exinde Lucarinus Emblemati construendo ansam desumens, corvorũ pullos, intra nidũ circumjacentes depinxit, qui à parentibus deserti, animalculis fortè prætervolantibus pascantur: cum lemmate. NEC DERELICTIS DEFICIT ESCA. In hanc rem etiam altera Davidis stropha deservit, *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Opportunè Lipsius. *Quæ in nobis & manu nostrâ sunt, curemus, cætera Deo permittamus, & fidenter quidem permittamus. Nam cum Socrate illud mihi aptè dictum videtur, Deum esse nostrum curatorem, & nos possessionem aliquam esse Dei, An igitur sua, imò nos negligat? Confide, & certum animi robur inde adversus incerta rerum humanarum indue.*

al.26.10.

ips. l 3. Ma- ud dissert. 1

299. Corvus, è vase aperto sitim levaturus, ubi advertit, aquam ob rostri brevitatem à se contingi non posse, tot lapillos vasi injicit, quot ad aquam elevandam sufficiunt, Lemma. INGENIO EXPERIAR. vel, LABORE, ET INDUSTRIA. Ita nempè ingenii nostri acumine omnia pro libitu obtinere possumus. Carolus Paschasius. *Industria est acumen animi dexteritatem rebus applicans, easque curâ & labore adhibitis perficiens &c.*

ndustria.

asch. l de irtut & vi is c.48.

300. Corvus intra hydriam, aquis ad umbilicum usque plenam, lapillos projicit; cum Abbatis Ferri lemmate. SUBSIDENTES ALLEVANT. In Republica frequens hæc vicissitudo est, ubi primoribus dejectis, alii, hactenus humili loco habiti, sublevantur. Ratione non absimili, dum hominum malevolentia corvorum more, gravissimos calamitatum lapides in nos ejaculatur, mentem nostram ad cælos usque evehit. *Quia mala, quæ reprobi electis inferunt,* teste Hugone Victorino, *illorum saluti, Domino disponente, cooperantur.* Cæterùm eodem Emblemate nonnemo persuadere conatur, Animæ nostræ bona tantundem im minui, quantùm corpori accesserint; quia cælestis felicitatis aqua, CUM PREMITUR, EFFLUIT. Nam

Officialiũ. icissitudo

Calamita- es pro- novent.

ug vict. l. 1. iscell tit. 3 tom. 3.

piritus eficit cre ente cor oris com odo.

- - - Cælestis tantùm effluit unda,
Quantùm culpa premit.

301. S. Joannes Chrysostomus author est, quod circa corvinos pullos, in nido à parẽtibus destitutos, *Obvolitant animalcula quædam, Divinâ prudentiâ suppeditata, quæ captantes illi, crescunt & aluntur.* Unde Emblematis loco circa hiantia crocitantium pullorum rostra plurimas depinxêre muscas, cum epigraphâ è Psalmo mutuata. INVOCANTIBUS ESCAM. *Dat pullis corvorum invocantibus escam.* In hunc locum Euthymius ait. *Non quod intelligant quid agant, sed quia invocare videntur, & quia illorum clamor obsecrationem quandam ac preces imitatur.* Et P. Joannes Pineda. *Illorum inamœnas & absonas crocitationes, quasi suorum infantulorum sagittas æstimat; illorum importunissimis clamoribus demulceri, & ad misericordiam allici dignatur &c.* Nempe Divinam providentiam, quibusvis invocantibus succurrere solitam, hæc imago innuit.

lo Chrysost in Eliam rophetam.

al 146 9. uth. rela- s à Gloss. rdin.

ned. in cap Iob. v. 41. 1.

roviden- Dei.

302. Candidi corvorum pulli, à parentibus ob exosam albedinem in nido derelicti, mirâ cœli providentiâ pascuntur; cum lemmate. CANDIDOS ÆTHER ALIT. Deus nimirum justos suos curâ singulari fovet, Regio Vate teste; *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.* Petrus Bercorius, *Quamdiu nos fuerimus sine nigredine vitiorum, albi, id est innocentes & puri; tamdiu Deus rore cælestis gratiæ nos nutriet & perfundet.*

ustus à eo juva- r.

al. 33. 15. rcor Re- ct l. 7. c. 23 2.

303. Ros cælestis, destillans supra nidum, in quo famelici ac derelicti corvorum pulli recumbunt, epigraphen tenet. REFICIT, CUM DEFICIT. Nempe Divina providentia manum suam auxiliarem ibi potissimum porrigit, ubi omnes aliæ suppetiæ deficiunt. Præclarè S. Petrus Chrysologus; *Ubi humana desunt, Divina succurrunt.* Et S. Petrus Damianus. *Sæpè ubi magis ex humana ratione diffiditur, illic propensius superna clementia subvenit: & ubi solatium desperamus humanum, Divinum plerumque cernimus adesse præsidium.*

Providentia Dei.

S. Pet. Chrys. serm. 156

S. Pet Dam. l. 7 ep. 17.

304. Candidis corvorum pullis, intra nidum sparsis, subscripsi; NIGRESCENDO VOLABUNT. Haud secus fideles, quantò magis sibimet fuerint abjecti, & coram mundo obscuri, tantò amplius ad penetranda rerum sublimium arcana disponuntur. Hugo Vict. *Pulli,* inquit, *dum nigro vestiuntur pennarum colore, de se etiam volatũ promittunt; quia quò magis discipuli abjecta de se sentiunt, eò amplius spem proventûs sui in altiora pollicentur.*

Humilitas exaltat.

Hug. Vict. l. 1 de Bestiis c. 35

305. Corvus, gemina hominis lascivi idea, suas delitias unicè inter cadavera & morticinia quærit. Unde lemma. MIHI CADAVERA LUXUS. Alberti Magni hoc argumentum est. *Multi,* inquit, *immundum cadaver mulieris præponunt dulci Domino, & propterea sunt imitatores illius corvi, qui illectus per cadaver, redire noluit in arcam.* Non poteram non hoc loco illam Caroli Rancati epigraphen, Corvo inditam, jungere; CARNIVORUS, NON CANORUS. Poëtis lascivis, & ad obscæna nimium quantùm pronis, vel etiam Satyricis, qui aliis mordaci dente lacerandis insistunt, hæc imago est propria. Cumprimis tamen in Religiosos illos convenit, qui ventri ac carni potius, quàm decantandis Divinis laudibus student. De his meus Hugo Victorinus. *Nôrunt multi, quod saturitatem ventris, sequitur levitas operis, & vanitas mentis. Scriptum est enim, sedit populus manducare, & surrexerunt ludere; ludere, inquit, non legere; sunt, qui post delicati cibi fercula, cùm in claustro sedeant, non lectioni & silentio, sed rumoribus & curiositati vacant &c.*

Lascivus.

Albert. Mag de Circumcis. Dom. serm. 8.

Poëtæ obsceni & Satyrici.

Religiosus ventri deditus.

Hug. de S. Vict. de Claust. An. de 12 Abus.

306. Memini, me in Emblemate multos corvos videre, qui vicinum hominis cadaver laceraturi, epigraphen habebant subjunctam. PROCUL, SI VIVERET. Ita ignobiles ac temerarii quidam homunciones omnem oris sui licentiam adversus mortuos exerunt, quibus etiamnum viventibus summos detulêre honores. Bene Alciatus.

Calumniæ in mortuos.

-- -- -- Sic cassi luce leonis
Convellunt barbam vel timidi lepores.

Alciat. Emblem. 154.

Et Hieronymus Gratianus.

D'ostro, e di gemme il Capitano adorno,
Veggia a i cenni tremar l'armi, e i guerrieri,
E prema soggiogati i regni intorno
Con aspre leggi, e con superbi imperi;
Che temuto, e schernito in un sol giorno
Lascia in preda à la morte i pregi alteri.
Del fugace splendor l'ombra gli resta,
E chi vivo il temea, morto il calpesta.

Grat. nella sua Granata Canto. 20. st. 13.

Cæterùm diabolus homines, spiritualiter mortuos, pro libitu tractat ac possidet; quos, si Deo viverent, attingere non auderet. Unde de Juda, ait Magnus Augustinus. *A facie Judæ Christus fugit, non quia Christus diabolo cessit, sed Christo discedente, diabolus possedit;* nam, ut alibi dicit, *Non potest esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo.*

Peccator.

S. Aug. Ps. 3. Idem de Peccat Remiss. l. 1. cap. 28.

307. Corvus explorator ex arca emissus, natantibus aliquot cadaveribus ita avidè inhiabat, ut in arcam redire tamdiu semper distulerit, donec nunquam amplius sit reversus. DUM DIFFERT, EMANET. vel, OBSCÆNA RETARDANT. Eorum hic typus est, qui pœnitentiam indies differunt,

Procrastinatio.

suumque illud infinitissimum *cras, cras* cum corvo nunquam non ingeminant. Contra verò columbas gementes imitantur, qui intra hujus mundi procellas plus æquo evagati, mox pœnitent, & ad S. Ecclesiæ arcam revertuntur. Appositè Alcuinus. *Forte*, inquit, *respondes cras, cras* (scilicet convertar) *ô vox corvina, corvus non redit ad arcam, columba rediit. Si tunc vis pœnitentiam agere, quando peccare non potes, quando peccata te dimiserunt, non tu illa; satis alienus es à fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis expectas.* Aliter S. Ambrosius. *Emissio corvi significat, quod omnis justus, quando mundare se incipit, quæ tenebrosa sunt & immunda & temeraria, primò à se repellit: siquidem omnis impudentia atque culpa tenebrosa est: & mortuis pascitur ut corvus. Et ideo tanquam emittitur & fugatur culpa, & separatur ab innocentia, ut nihil remaneat in viri justi mente tenebrosum. Denique egressus corvus non regreditur ad justum; quia fugitans culpa omnis æquitatis, nec probitati videtur & justitiæ convenire.*

Alcuin. lib. de virtutibus & vitiis. *S. Ambr. l. de Noe & arca cap. 17.*

COTURNIX. *Cap.* XXIII.

308. Coturnix libidinis ardore adeò vehementi agitatur, ut propriâ suâ imagine intra speculum visâ, cùm aliam coturnicem adesse credat, mox, vesaniâ non minus incautâ quàm celeri, versus illam rapiatur, sicque pedicis, propè speculum tensis, miserè implicetur. Huic ita illaqueatæ, D. Aresius unius verbuli epigraphen subdidit. NESCIA. Quot, eheu! lascivos quotidie videas, qui caducâ venustate illecti, in mille tendiculas præcipitantur, libertatis deperditæ penitùs incurii. Nimirum, Salomone teste, *Velut si avis festinet ad laqueum,* ET NESCIT, *quod de periculo animæ ejus agitur*. Verè exclamat Magnus Augustinus. *Infelix voluptas, infelicior cupiditas atq; luxuria; per transitoriam dulcedinem, præparat sempiternam amaritudinem.* Et Horatius.

Lascivus. *Prov. 7. 23.* *S. Aug. serm. 55. de Temp.* *Hor. 1. Sat. 2.*

Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara, cadat dura inter sæpè pericla.

309. Coturnix, ex assiduo maris itinere fatigata, supra aquas delabitur, ut post diuturnos remigantium alarum labores aliquid otii ac quietis recipere possit: dum verò aquis insistit, semper è duabus alis unam explicatâ in sublime erigit, quâ, instar expansæ carbasi, à ventis motâ ac propulsatâ, iter suum feliciter prosequitur; atque adeò quiescendo nunquam quiescit. Huic avis ingenio D. Carolus Bossius inscripsit. NON QUIETA QUIESCO. Eamque ob causam Academicos Inquietos Mediolanenses, cognominat Quietos; quod perennibus scientiis scholasticis in Academiæ Oceano fatigati, nonnunquam respirare ac quietem capere soleant, quo tamen ipso durãte otio nunquã ita sunt otiosi, quin sublevatâ intellectus sui alâ academicas concertationes, veluti adversa ventorum flamina avidè excipiant, sicq; otiando simul & negotiando vitæ suæ curriculum inter assidua litterarum studia percurrant. Porrò Emblemate illo philosophicum quemdam hominis animum insignire licet, qui mundi calamitatibus, ceu turbato mari, jactatus, ac persecutionum ventis altùm impetitus, interiorem cordis sui quietem nunquam amittit. S. Nilus. *Animus perfectus, ab omni solicitudine vacuus. Impius solicitudinibus teritur, De animo perfecto dicitur: Lilium est inter spinas. Hoc namque* INTER CURAS TRANQUILLE DEGENTEM *indicat &c.*

Studiosus. Animus generosus. *S. Nil. in in Ascetico.*

310. Coturnicis est proprium, quod ad serenioris lunæ exortum tristetur, & in luctuosos gemitus prorumpat. Unde Abbatis Ferri lemma. INGEMET AD ORTUM. Invidorum hæc est indoles; nam, Alano teste, *Invidis aliena prosperitas adversa, aliena adversitas prospera judicatur.* Hos inter primipilum se offert Cainus, qui vix Abelis sacrificium, cœlesti succensum flamma, conspicatus, mox in animo ciere turbas, & cor vesano mærore stringi persenserat, *& concidit vultus ejus. Angebat enim illum*, interprete Theodoreto, *non peccatum suum, sed fratris prosperitas.*

Invidus. *Alan de Planctu naturæ.* *Gen. 4. 5.* *Theod. q. 41 in Genes.*

311. Alcibiades Lucarinus filii cujusdam primogeniti mortem Ortygometræ symbolo repræsentavit, quæ reliquas coturnices, gregatim volare solitas, ducis loco præcedens, accipitri in prædam cessit; cum lemmate. CONFESTIM CARPITUR PRIMA. Mors enim Duces ac senes æquè, quàm juvenes aut gregarios, sine discrimine, rapit. Seneca.

In mort

Labitur sævo rapiente fato,
Ducitur semper nova pompa morti.

Senec. in Oedip. Act. 1.

St S. Hieronymus.

Mors senibus in janüis, juvenibus in insidiis.

S. Hieron

312. Coturnices, corpore pingui, pennisque brevioribus instructæ, nonnisi aspirãte vento ad volandum levari solent. Unde P. Lucretius Borsatus volantibus subscripsit. NI AURA SUFFULTÆ. D. Antonium Longum, nobilem Venetum, hoc Emblemate insignierunt, qui nunquam ab una in aliam dignitatem est progressus, nisi comitante plausus popularis aurâ. Certè, Justorum animæ ad meritorum ac virtutum culmina evolare nunquam possunt, nisi gratiæ Divinæ flamine vires ac subsidium suppeditante. Denique Concionatores quosdam aut nunquam aut non seriò è cathedra dicere audias, nisi vel Magnatum, vel frequentis populi præsentiâ, aliisque vanæ gloriæ ventis suffultos. His enim, Magno Augustino teste, nunquam non *Inanis gloria dicit, age bonum quod vales, ostende bonum cunctis, quod agis, ut bonus à cunctis dicaris, ut sanctus ac venerabilis ab hominibus prædiceris, ut Dei electus voceris, ut nemo te despiciat, sed universi debitum honorem tibi persolvant.*

Gratia Dei. Vana gloria. *S. Aug. l. Conflictu vitiorum.*

CUCULUS. *Caput* XXIV.

313. Cuculus, quem alii eundem cum coccyge dicunt, ob nativam frigiditatem sua ova fovere aut excludere penitùs est impotens, ac proinde currucæ nido ea fovenda supponit. Quare Abbas Ferrus eidem subscripsit. PARIT, AT NON FOVET. Aresius cuculum, suum ovum per apostrophen alloquentem introducit. QUIS TE DISCERNET? Ita Alciato asserente, Personæ adulteræ alienas ædes suis libris implent.

Adulter. *Al. iat. Embl. 60.*

Fert ova in nidos alienos, qualiter ille,
Cui thalamum prodit uxor adultera.

Magis succinctè alius.

Impius ut cuculus, generat pater, atq; relinquit.

Cuculis non absimiles sunt, qui non rarò optima ac ingentia parturiunt proposita, quæ postea ob frigescentem pietatem nunquam in opus reducere possunt. S. Hieronymus, in illud Matthæi, *Væ autem prægnantibus*, ait, *Væ illis animabus, quæ non in perfectum virum sua genimina perduxerunt:* sed suffocaverunt filios post conceptum in utero matris. Altum conqueritur Divinus Vates. *Venerunt filii usque ad partum, & virus non est pariendi.*

Proposit infirma. *S. Hieron. in Matth. 24.* *Isa. 73. 4.*

314. Cuculus, ova sua alieno nido supponens, Lucarino authore, Mariæ Virginis ideam exhibet, quæ Divinam suam prolem non in patriis Nazarethi ædi-

aria V. rturiens | ædibus, sed Bethlehemi in paupere & alieno diversorio enixa est. Lemma. PARIT IN ALIENO. In hunc sensum D. Lucas. *Reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Et S. Gregorius. *Non in parentum domo, sed in via nascitur, quia per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi IN ALIENO NASCEBATUR.* Simon de Cassia. *Cœpit*, inquit, *ab ea hora, quâ mundo apparere voluit, prius facere, quàm docere altissimam paupertatem, rerum omnium abdicationem, ut ei non essent panni, nisi viles; non suæ, sed alienæ ædes &c.*

c. 2.7. | *Greg. ho. 8 in Evang.* | *n. de Cass. l.1. cap. 6.*

315. P. Lucretius Borsatus inter cætera sua symbola panegyrica, quæ in Encomium Illustriss. D. Antonii Longi, Cremensium Gubernatoris construxit, Cuculum exhibet, qui curruCæ nido insistens, unum ex ipsius ovis frangit ac rejicit; cum lemmate, UT SUA SUBSTITUAT. Publici cujusdam ministri prudentiam hæc imago innuit, qui pravis & infamibus consuetudinibus longissimè proscriptis, alias saluberrimas populo ingenerare conatur. Porrò eadem etiam invidos concernit, qui omnia antecessorum aut aliorum opera expungere nituntur, ut solis suis famam fidemque apud posteros concilient. Aristoteles hoc livore non parum erat infectus, qui sola sua volumina sub orbis futuri conspectum promoturus, omnes veterum Philosophorum libros flammis sustulit; astuto ac malitioso cuculo perquam similis. De malignis horum ingeniis verissimè ait Valerius Maximus, *Divites sunt alienis jacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus.*

Minister prudens. | Invidus. | *Val. Max 4.*

CYGNUS.

Caput XXV.

316. CYgnus epigraphen tenet; DIVINA SIBI CANIT, & ORBI. Symbolum hoc in honorem D. Cornelii Mussi, Episcopi Bitontini, & Concionatoris celeberrimi affixum fuerat; quippe cujus excellentissima opera, æquali splendore, & famam ipsius nomini amplissimam, & utilitatem universo orbi immensam conciliant: ut adeò illud Siracidis de se ipso possit jure pronuntiare, *Videte, quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.* Nam Rabano interprete, *Doctor Ecclesiasticus verba Dei scribendo & docendo, non solùm sibi laborat, sed & aliis: quia sibi laborat pro æterna mercede & quiete, aliis autem pro vera salute & æterna requie.*

Litteratus insignis. | *Eccles. 24. 7.* | *Raban in hunc loc.*

317. Cygnus intra aquas epigraphen tenet. ABLUOR, NON OBRUOR. In rem præsentem D. Gregorius Brunellus.

Abluor ex vitreis lætus, non obruor undis:
Gaudet & à tanto remige lympha premi.

Hinc conjicias velim, inundantes ærumnas liberalem mentibus nostris expiandis subministrare materiem; incommodi verò aut exitii vix quidquam afferre. Unde Rupertus Abbas illa Dei verba interpretatus. *Effundam sicut aquam iram meam*, ait, *Quia sicut aqua corporis sordes eluit: ita Divina ira variis laboribus justos exercens, animarum maculas expiat.*

Calamitates purificant. | *Isa. 5.10.* | *Rup. Abb. in hunc loc.*

318. Candidi, simplicis, ac sinceri animi hominem Cygno comparaveris, qui nunquàm non UNIUS COLORIS reperitur. S. Hieron. *Simplicitas*, inquit, *sicut bonus paterfamilias, satis sibi abundat, & suâ puritate contentâ, non quærit alienum, nec se in artes varias sæpè commutat, sicut astutia, &c.* Et Carolus Paschalius. *Sinceritatis, & simplicitatis aperta & candida pectora bonitas eligit sibi domicilia, ut pura ac purgata prorsus se digna. Nec virtutibus tam lucidis unquam necesse est simulare, aut dissimulare, suisq; moribus nubem obtendere. Ergò planè ignorant versutias, planè nesciunt artificium simulationis, nullo utuntur frontis integumento, &c.*

Sinceritas. | *Hieron. in Isaiam.* | *Paschal. l.2. de virt. & vitiis c.10.*

319. Oloris candor, nullâ unquàm labe contaminatus, verè est CANDOR ILLÆSUS; ut nonnemo lemmatis loco dixerat. En! purissimam Mariæ Virginis ideam, cujus candorem nulla unquam, etiam levissima labes, temeraverat. *Totum quod in te est*, inquit Virgini devotissimus Hugo Victorinus, *Pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum. In toto grata, in nullo ingrata; In toto places, in nullo displices. Tota pulchra es, pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima fies per gloriam.*

Mariæ V. puritas. | *Hugo Victor. In serm. de Concept.*

320. Quantùm levaminis è Magnatû tutela nobis accrescat, Cygnus docet, qui sub lauro quiescens, tametsi cælo desuper horrendum fulminante, suaviter canit. Lemma. NON COME SOGLIO IL FOLGORAR PAVENTO. vel, NIL FULGURA TERRENT. Si divina fulmina excidium minitentur, infra Lauri Marianæ brachia confugias, certissimam inde salutem ac vitæ securitatem recepturus. S. Bernardus. *Ecce! coram tremendo Judice peccatores assistimus, cujus manus terribilis gladiû iræ suæ vibrat super nos. Et quis avertet eam? Nemo Domina tam idoneus, ut gladio Domini manum pro nobis objiciat, ut tu, Dei amantissima, per quã primùm in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Aperi itaq; tu mater misericordiæ. Ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis umbraculum confugimus à facie furoris Dei. &c.* Unde quidam Virgini devotus cecinit.

Patrocinium Magnatis. | Mariæ V. patrocinium. | *S. Bern ser 3 de B. Virg.*

Fulgura si metuas Nati, venerare Parentem,
Oppositu matris fulmina nulla cadent.

321. Assiduam D. Caroli, pro ampliore animi munditie obtinendâ, industriã Bartholomæus Rossus Cygni Emblemate repræsentavit, qui inter labentes fluminis cujusdam undas depictus, epigraphẽ ferebat. UT PURIOR FIAM. Ita S. Petrus, toto vitæ suæ decursu in lachrymas effusus, toties præteritæ culpæ meminisse, eamq; expiare consuevit, quoties gallum audiit cantantem. Cujusvis etiam pœnitentis imago illa est propria, quia intra lachrymarũ torrentem mersus, tenerrimum candorem inde sortitur. *Lachrymarũ mador animam omni labe purificat*, inquit S. Pet. Dam. Et rursùs. *Lachrymarũ profluentiũ cursus, ex mente fluens; & diabolicæ virtutis semina, & omnes sordentes vitiorum pestes eliminat.* Denique Pœnitentiæ sacramentũ toties novam homini munditiem ac claritatem tribuit, quoties frequentatur. S. Bernardus ad illud Psalmi alludens, *Confessio & pulchritudo &c.* ait, *Revera, ubi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor: si peccata sunt, in confessione lavantur, si bona opera, confessione commendantur.*

Profectus S. Caroli. | Lachrymæ. | *S. Pet. Dam. Opusc. 13. cap. 12.* | Sacramẽtum Pœnitentiæ. | *S Bern. ep. 113. Psal. 95. 6.*

322. Cygnus supra aram depictus, epigraphen tenet. DULCIUS UT CANAM. Hominem, eximiis mundi dotibus instructum hæc imago significat, qui nobili sui animo incrementum ac decorem aliquem spiritualem additurus, Religiosam vitam ingreditur; suavius enim in Divinis auribus sonat, quidquid è Religioso pectore proficiscitur. *In Religione*, inquit S. Bernardus, *homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequẽtius, quiescit securius, moritur confidẽtius, purgatur citius, præmiatur copiosius. O religio religiosa & admirabilis! quæ mens cogitare, quis intellectus plenè cognoscere, quæ lingua humana te poterit sapienter & dignè extollere! &c.* Poëtam quoque imago illa spectat, qui profanâ Parnasside relictâ, ut suaviorẽ arti suæ dulcedinem conciliet, sacratioribus Musis sese addicit.

Religiosa vita. | *S. Bern. ser. de Marg. Evang.* | Poëta.

323. Animum, pacis ac benevolentiæ studiosum,

Cygnus repræsentat, qui nemini unquam irascitur, nec etiam offendit quemquam, nisi injuriis ab aquila provocatus. Unde lemmatis loco subscriptum habet. LACESSITUS. Hanc indolem omni hominum conditioni, cumprimis verò Principibus ingenitam cupit Magnus Ethices Divinæ magister Augustinus. *Pacem*, inquit, *habere debet voluntas, bellum necessitas*. Et Cicero. *Primum justitiæ munus est, ut nulli quis noceat, nisi LACESSITUS injuriâ.* Aurelius Victor de Octaviano Augusto testatur, *Nisi justis de causis, nunquam genti ulli bellum intulit.* Colophonem subjungens S. Ambrosius, *Nunquam*, ait, *David, NISI LACESSITUS bellum intulit.*

Vindicta justa.

S. Aug to. 2. ep. 207.

Cic. Offic. 1.

S. Ambr. l. 1. offic. c. 35.

324. Cygnus, priusquam cibum capiat, intra aquas sese abluere consuevit. Unde inscriptio è Jobo desumpta. ANTEQUAM COMEDAM. Ad hanc ideam Christianus, antequam Mensæ Eucharisticæ accumbat, intra lachrymarum ac pœnitentiæ undas submersus, omnem, quam potest, animi candorem obtinere studeat. S. Greg. *Cùm corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris cum fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat à mentis stomacho, perversæ humorem vitæ.*

Job. 3. 24.

Præparatio ad Eucharistiam sumendam.

S. Greg. hom 22. in Evan.

325. Cygnus, tametsi purissimus, omnisque immunditiei expers, magis tamen semper magisque se ipsum purificaturus, aquas assiduò ingreditur. Ita sanè M. V. ab omni vitiorum sorde liberrima, ad Legis Mosaicæ præscriptum, purificari voluit; non quidem ullius labis expiâdæ causâ, sed ut meritis suis majus faceret incrementũ. Unde Aresius in Virginis Purificatæ festo Cygnum depinxit, intra aquas lavantẽ; cum lemmate. QUI EST MUNDUS TOTUS. Fulbertus Carnotensis, *Maria*, inquit, *non indigebat legali purificatione, quia munda erat & sancta. Humilitatis tamen & obedientis causâ legi se subdens, obedire legi, quamvis non indigeret, obtulit in templo Dei filium suum cum hostiis.* S. Thom. Aquin. ex hoc Mariæ facto insignem doctrinã colligens, *In hoc*, ait, *quod B. Virgo voluit purgari, cùm non indigeret; docuit, quomodo nos, qui indigemus, debeamus purgari.*

Purificatio Mariæ V.

Fulb. Carn. serm. de Purific.

S. Thom. A quin. serm. 2. in Purific.

326. Quantumvis aquæ, à ventis jactatæ, altùm intumescant, Cygnus tamen, inter illas fluctuans, NUNQUAM MERGITUR. vel, ut alius inscripsit. COLLO SUPEREMINET. Certè animus generosus inter omnes mundi turbas, tametsi acerrimè concitatas, intrepidus persistit. Undè Paulus, licet *periculis in mari* plurimùm jactatus, semper tamen inter calamitatũ procellas omnes triumphavit, & imperterrito animo potuit dicere, *Quis nos separabit à charitate Christi?* Animo ita excelso etiam erat S. Chrysost. cùm ab Eudoxia in exilium ejiceretur, ac extrema quæq; metueret; *Ego*, inquit, *cum è civitate fugarer, nihil eorum curabam. Sed dicebam intra memetipsum; si quidẽ vult me Regina exulẽ, agat in exiliũ, Domini est terra & plenitudo ejus: Et si vult secare, secet; idem passus est Isaias, subscribar illi. Si vult in pelagus mittere; Jonæ recordabor. Si me lapidare vult, lapidet me; Stephanũ habeo primũ Martyrem sociũ, si & caput tollere vult, tollat; habeo sociũ Joannem Baptistam. Et si substantiã auferre, auferat; nudus exivi de utero matris meæ, & nudus revertar illuc &c.* Cygni voce canit D. Gregorius Brunellus.

Generositas intrepida.

Rom. 8. 35.

S. Chrysost. ep. 3 ad Cyriac. to 5.

Unda fluit præceps, sed non demergor ab illa,
Fortem non mergunt ulla pericla virum.

Et rursus.

Natat ut in vitreis Cygnus, nec mergitur undis;
Sic nunquam adversis obruitur sapiens.

327. Alcibiades Lucarinus Emblematis loco Cygnum expressit natantem, qui movetur PEDE UTROQUE, SED VARIE. Nempe Magistratum aut Prælatum instruere voluit, ut regiminis sui momenta alternis justitiæ & misericordiæ vicibus attemperent, & pro rerum exigentia, modò istam, modò illam administrent. S. Gregorius, *Sit itaque*, inquit, *amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non immoderatè sæviens: sit pietas, sed non plusquam expediat, parcens: ut, dum se in arce regiminis justitia & misericordia permiscent, is, qui præest, corda subditorum, & terrendo demulceat; & tamen terroris reverentiam demulcendo constringat.*

Justitia misericordia.

S. Greg. p. Pastor. c. 1.

328. Idem Lucarinus scriptorem indefessum Cygni Emblemate insignivit, qui Oceanum volando emensus, epigraphen tenebat. NEC DEFESSUS, NEC DIFFISUS. Certè homo, cujus tota spes in Deo fixa est, in hoc terrarum calamitatum pelago transmittendo, nec fatigatur circa labores suos, nec etiam Deo diffidit unquam, sed potiùs semper gaudet lætissimã illã cœlestis portûs contingendi fiduciâ erectus. Pulchrè Magnus Augustinus. *Noli esse piger in labore breviter, & gaudebis incessabiliter.* Ceterùm Lucarinus mentem suam sequenti poëmate vernaculo explicat.

Scriptor indefessi

Justus.

S. Aug. in Psal. 93.

Vede animoso il Cigno
Del ampio mare il rischio
E la fatica; E pur dice io m'arrischio,
Ne temo, ne diffido
Espor miei de bol vanni al mar infido:
Tal questi pronto al ben oprar non manca,
E sostien lieto il giogo, e non si stanca.

329. Cygno volanti inscripsit Lucarinus. LÆTIFICAT ACCESSU. S. Joannis Baptistæ acceptissimos Natales hæc imago spectat, de quo Archangelus Gabriël, *Erit gaudium tibi & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt.* Eandem Mariæ Virgini tribues, cui ab Ecclesia accinitur, *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo.* Cumprimis verò in Servatoris nostri nativitatem imago hæc convenit; de qua Lucas, *Ecce enim Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* De hac Christi nativitate lætabundus exclamat S. Bernardus. *Sonuit vox lætitiæ in auribus nostris, vox exultationis & salutis in tabernaculis peccatorum. Auditum est verbum bonum, verbum consolatorium, sermo jucunditate plenus, dignus omni acceptione. Jubilate montes laudem, & omnia ligna sylvarum plaudite manibus ante faciem Domini, quia venit. Audite cœli, & auribus percipe terra, obstupesce & lauda universitas creaturæ, sed tu magis ò homo, Jesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Judæ, &c.*

Nativit

Luc. 2. 10.

S. Jo. Ba

Luc 1. 1.

Mariæ

Christi.

S. Bern 1. in Vigil Nat Dom

330. Cygnum Poëtarum esse symbolum, inter alios testatur Andreas Alciatus, idque perquam pulchrè approbat Joannes Tuilius. Unde Cygnum explicatis alis supra fluminis ripam depinxère, ubi lemmatis loco, hanc vocem cantando exprimit. ÆTENITATI. Litteratorum enim lucubrationes & opera æternùm durare, atque adeò æternitati consecrari solent. Horatius.

Alciat. Embl. 17.

Virtus a terna.

Horat. l. Ode 8.

Dignum laude virum Musa vetat mori.
Cœlo musa beat.

Et Ovidius.

Ergò cùm silices, cum dens patientis aratri
Depereant ævo, carmina morte carent.

Ovid. l. 1. Amor. El ultima.

Porrò æternitati laborare conatur, qui relicto caduco ac perituro mundo, omnia sua ad Dei laudẽ & gloriã referunt; Nam, Magno Aug. teste, *Non potest homo amare quod æternũ est, nisi destiterit amare, quod temporale est.* Eò haud dubiè collineabat Reverẽdissimus ac Perillustris S. R. I. Prælatus Wettenhusanus, D. D. Dionysius Liber Baro à Rehlingen, quando inge-

S. Aug ser 1. ex ad à sirmoni

Laborar æternita

ingeniosissimo suo symbolo inter alia lemata etiam illud incidi voluit, *ÆTERNITATI*; relictis enim Illustriss. parentibus, amplissimis divitiis, dignitatibus, cæterisque cumulatis mundi bonis, soli se consecravit Deo, ubi omnia, quæ in totius S. Ordinis decorem, cumprimis verò in Antiquissimi Collegii Wetenhusani incrementum laudabilissimè contulit, æternùm persisterent; audiretque coram Deo & hominibus pro meritis suis in omnem æternitatem. *Alter VVettenhusii Fundator.*

Mors prænuntiata. Luc. 2.26.30. 331. Si Poëtæ effato insistas, *Est cantor Cygnus, funeris ipse sui*; Cygno opportunè inscribes. SIBI FUNERA CANTAT. Ita optimus senex Simeon vitæ suæ periodum cum cantu clausit, *Nunc dimittis servum tuum Domine, &c*, Christus, mox ad supplicia rapiendus, vates sibimet luculentus, in suavissimum melos erupit, *Hymno dicto &c*. S. Petrus Martyr eandem pro sancta fide mortem toleravit, *quam paulò ante concionando prædixerat*. elatâ enim voce, triumphalem vitæ suæ terminum prænuntiavit. Cygnus, morituro sibi lessum præcinens, etiam fuerat Carolus V. Imperator; cùm enim solerter judicaret, sic ordinandum esse diem, tanquam cogat agmen, & consummet atque expleat vitam, hinc, uti testatur P. Famianus Strada, circumstantibus atratis famulis, Monachis exequialem lessum canentibus, funereis justis, funeri superstes suo, pullâ fluxaque opertus veste, accensum præferens cereum, eumque sacrificanti tradens, eâdem planè mente, quâ animam Deo commendabat, sibi parentare voluit; veris suorum lachrymis, quasi depositus, & supremâ lamentatione comploratus est. Auspicatò cessit illi tale præludium; namque altero ab exequiis istis die, febri correptus, eâque paulatim exedente consumptus, ingenti pietatis ac religionis sensu excessit. Nempe Seneca monente, *Ante ad mortem, quàm ad vitam præparandi sumus.*

(Brev. Rom. 29. April. — Fam. Strad. lib. de Bello Belg. — Senec. ep. 61)

S. Th. Aquinas. 332. S. Thomas Aquinas, postquam sacra cantica interpretando ad finem perduxerat, vitâ excessit; Cygno non absimilis, qui in horto collocatus, epigraphen sustinet. POST CANTICA FUNUS. Sanctum senem Simeonem hæc imago concernit, de quo S. Julianus Archiepiscopus ait, *Simeon viso Christo scivit, se citò moriturum. Lætus itaque de morte jam proximâ, & de vicina accersione securus, accepit in manus puerum, & exclamavit, & dixit, Nunc dimittis, &c.* S. Antonius Paduanus quoque D. Bonaventura teste, *Morti appropinquans, Psalmos cum fratribus decantavit.* Cæterùm illud ipsum Emblema documeto est, mundi illecebras ac festivos plausus tandem in mortem & ærumnas desinere. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Deniq; verus pœnitens in vitæ suæ epilogo Cygnum imitetur, necesse est; moriturus enim canere debet. Hanc allegoriam explicans S. Antonius Paduanus, *Cygnus*, inquit, *quando moritur, cantando moritur. Cygnus albus est peccator ad pœnitentiam conversus, super nivem dealbatus: hic in articulo suæ mortis debet cantare, id est, peccata sua in amaritudine animæ suæ recogitare; Omnis enim laus in fine canitur.*

(Simeon senex. — S. Jul. Archiep. l. 1. Prognost. c. — S. Antonio P. — Prov. 14. 13 — Pœnitens. S. Ant. Pad. serm. Dom. 3 Quad.)

S. Thom. Aquin. 333. S. Thomas Aquinas purissimam vitam summæ doctrinæ, concubio non minus raro, quàm admirando, connexam habuit. Unde symboli loco Cygnum accepit, cum lemmate. CANDIDUS ET CANORUS. Religiosum, choro addictum, hæc imago repræsentat, qui corde & ore purissimo divinas laudes diu noctuque decantat. Unde sapienter monet Magnus August. *Vide ne vivas malè, & cantes benè.* Ingratus est enim Deo animus *canorus*, nisi simul sit & *candidus*. Cæterùm geminam hanc virtutem in omnibus melioris notæ Poëtis animadversam habuit is, qui Euripidis Proverbia collegit.

(Religiosus cantor. S. Aug. in Ps. 49.)

Mundi Symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

Poëta.

Res mira dictu, ut cuncta consensu novo
Vati atque olori congruant divinitus.
NIVEUS utrique CANDOR, alter lacteis
Plumis, amico candet alter pectore.
Musis uterque gratus, ac Phœbo sacer,
Et limpidis uterque gaudet amnibus,
Pariter CANORUS uterque, tum potissimum,
Vicina seram mors senectam cùm premit.

334. S. Greg. Naz. observavit, Cygnum suos cantus nec gutture, nec faucibus, sed alis inter Zephyri spiramina vibratis efformare. Unde cygnos in hæc verba loquentes introducit. *Si quando Zephyro spiranti alas nostras permiserimus, jucundum quid, & concinnum modulamur.* Eam ob rem Cygnus explicatis alis epigraphē tenet. MODULABOR AFFLANTE. Prophetarum hoc symbolum est, qui nonnisi afflante Spiritûs sancti aurâ vaticinantur: hic enim Divinus spiritus verissimè dicitur.

(S. Greg. Naz. ep. ad Celeus. — Propheta. Religiosus cantor.)

Sermone ditans guttura.

Nam nemo dignè potest Deo cantare, nisi juvante Dei gratiâ; *Nemo Deo cantat digna*, inquit Magnus August. *nisi qui ab illo acceperit, quod cantare possit.* Idem de Poëtis affirmat Plato. *Omnes itaque carminum Poëtæ insignes, non arte, sed Divino afflatu ista præclara poemata canunt.*

(S. Aug. Præfat. in Ps. 34. — Poëta. Plato in Io. seu de furore poetico l. 14.)

335. Cygnus inter impetuosos ac rigidos Aquilonis aut Boreæ flatus altum silet, nonnisi Zephyro spirante canere solitus. Unde lemma. FLATU FAVONII CONCINET. De viro docto id dicere licet; nam litterarum Musæ nonnisi beneficiis, favoribus, ac Mecænatum gratiis delinitæ, pennas suas explicare, & ingeniorum melos edere possunt. Verissimè Horatius.

Sint Mœcenates, non deerunt Flaccè Marones.

Et è modernis nonnemo.

Dulcisonum mollis Zephyrus demulcet olorem,
Et vatum stimulat pectora dives honor.

Appositè etiam Baptista Guarrinus.

Lieto nido, esca dolce, aura cortese
Bramano i Cigni, e non si và in Parnasso
Con le cure mordaci: e chi pur garre
Sempre col suo destino, e col disagio,
Vien roco, e perde il canto, e la favella.

(Guar. nel suo P. F. Atto. 5. scena 1.)

Denique Religiosus Divinas laudes nunquam ritè concinere potest, nisi charitatis aurâ instructus. *Qui non habent charitatem*, inquit S. P. August. *portare psalterium possunt, cantare non possunt.*

(Religiosus cantor. S. Aug. in Psal 143.)

336. Hypocrita, exteriore vultu mirum vitæ candorem ac innocentiam mentitus, in animo teterrimas vitiorū sordes habet reconditas, Cygno perquā similis, qui exterius undique candidus, epigraphen tenet. SUBTER NIGERRIMA CUTIS. Præclarè meus Hugo Vict. *Cygnus plumam habet niveam, sed carnem nigram. Niveus in plumis designat affectum simulationis, qua caro nigra tegitur, quia peccatum carnis simulatione velatur.* Et Seneca. *Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt. Temeritas sub titulo fortitudinis latet.*

(Hypocrita. — Hugo Victor. lib. 1. de Bestiis cap. 53. — Senec. ep. 45.)

337. Complures Cygni unitis viribus aquilam à volatu remorantur; cum lemmate. NON VI, SED CONCORDIA. Ita omninò sancti Martyres, fidei unitate, ac Religionis concordiâ probè muniti, omnes non modò Romanæ potentiæ (quæ Aquilæ symbolo repræsentari solet) sed etiam totius mundi vires superarunt; Diabolum quoque, avem rapacissimam, unica retardat sternitque concordia. Unde S. P. August. *Concordes nos scit diabolus, quod possidere non possit; lites immisit inter Christianos.* Cæterùm ad hoc propositum ego Cygnorum voce sequentem poësin vernaculam cecini.

(Concordia. — S. Aug. de utilit. jejunii cap. 8.)

 Il can-

Il candor de le piume,
Che scopre amore, e pace,
De i nostri affetti è un testimon verace,
Il dotto, e biondo Apollo è il nostro nume,
Non l'adirato Marte,
Del canto, e non de l'armi apprendiā l'arte:
E pur l'aquila altera,
D'acuti artigli, e rostro adunco armata,
Nel volo è frastornata
Da turba non gueriera,
Men forti d'armi, e men di core ardia,
Perche combatte unita,

Ælian.lib. 1. 338. Æliano teste, Cygnus pacis est amicus, nec nisi lacessitus ad bella commovetur; hos tamen ipsos animi sui motus virtute adeò generosâ temperat, *ut injuriam à se propulset, non ut inferat prior.* Hæc ratio Emmanueli Thesauro persuasit, ut Cygno adversus aquilam dimicanti, inscriberet, NEC PROVOCO, NEC FORMIDO. Philippi III. Hispaniarum Regis hæc indoles fuerat, ut pacem assiduò quidem fovere satageret; provocatus tamen, nihil unquā formidinis sibi ab hoste incuti pateretur. Sapienter Seneca. *Eris magnanimus, si pericula, NEC APPETAS ut temerarius, NEC FORMIDES ut timidus.* Carolus Scribanus, Scriptor celeberrimus, referente Joanne Rhò, dicere solebat, ad vitam tranquillam in Societate Jesu transigendam, hæc quatuor à bono Religioso cumprimis observari debere, nempe, *ut nihil speraret, timeret nihil; nihil unquam peteret, aut recusare nihil.*

Magnanimitas. *Seneca.* Religiosus bonus. *Io. Rhò de Var. Virt. hist. l. 5. c. 1. n. 13.*

339. Cygnus, aquis innatans, à Patribus Societatis in Belgio epigraphen accepit. TANGOR, NON TINGOR AB UNDIS. Eorum hæc imago est, qui inter sordidos ac vitiosos mortales nullam unquam animæ labem contrahunt. Prodigii enim instar habetur, malorum consuetudine uti, nec tamen inquinari. De his S. P. Augustinus. *Qui non facit malum, nec facienti consentit, & facientem arguit, firmus atq; integer inter iniquos, tanquam frumentum inter paleas conversatur.*

Societas. *S. August. l. 2 cont. Epist. Parmen. c. 12,*

340. Hercules Gonzaga Cardinalis, symboli loco, duos cygnos præfert, qui ab aquila provocati, ejus alas utrimque mordicus tenent ac lacerant; cum lemmate. SIC REPUGNANT. Indicare nimirùm vult, victoriam plerumque contra noxios ex innocentûm parte stare. Unde S. P. Augustinus. *Custodi intus innocentiam tuam, ubi nemo opprimit causam tuam. Si causam malam non habueris, nullum accusatorem pertimesces, nullum falsum testem refelles, nullum verum requires.*

Innocentia vincit. *S. Aug. in Psal. 73.*

D R A I C A.

Caput XXVI.

341. Ælianus apud Lucrinum refert, Draicam volucrem, dum suos pullos plenè educavit, eisque benè providit, nullâ amplius propriæ vitæ solicitudine teneri, sed, veluti munere suo præclarè functam, ultrò ac hilariter obire mortem. Lemma. EDUCATIS MORITUR. En! inclytam Machabæorum Matrem, illustri hâc Draicæ icone ex amussim exhibitam! ea enim septem filios jamjam martyrii & æternæ gloriæ participes conspicata, sese votis ardentissimis morti feriendam objecit. *Novissimè autem post filios, & mater consumpta est,* De Machabæis eruditè canit Marius Victorinus,

Mater Machabæa. *2. Mach. 7. 41* *Mart. Vict. Carm. de Mach.*

Dum puer ista gerit, solverunt gaudia matrem,
Jamq; ut erat laxata malis, jam voce negatâ
Suspirans, interq; manus collapsa suorum
Concidit exanimis, resolutaq; membra quièrunt.

Josephus Hebræus, *Novissimè,* inquit, *filiis omnibus consumptis, admirabilis tantorum athletarum parens, in cruenta pœnarum carnificina, flexis repentè genibus corporis, à Deo dissolutionem efflagitabat, qui flammivomæ adjecta sartagini, ambustos ultrò filios concomitatur in pœnas.* Matrem Machabæam studiosè imitata S. Felicitas, septem suos filios martyrii laureâ gloriosè insignitos, tandem etiam ipsa insecuta est.

Ioseph H. de Mac. S. Felic.

F A L C O. *Cap.* XXVII.

342. Falconi volanti inscripsêre. ALTA PETIT IMPASTUS. Haud ægrè hinc conjicies, quantum jejunii virtus ad sublimia quævis assequenda faciat. Calculo suo id confirmat S. Ecclesia, *vitia comprimit, mentem elevat.* Probè hujus sententiæ periculum fecerat S. Petrus Apostolus, quando Deum precaturus, domûs solarium conscendit, ibiq; etiamnum jejunus, (quod S. Lucas his verbis innuit, *& cùm esuriret*) ad penetranda celsissima arcana fuit sublevatus; *cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum &c.* In hunc locum S. Chrysostomus ait, *ipsos Sanctos, cùm jejunant, tunc fieri præstantiores.* De Mose disserens S. Ambrosius, *Quamvis,* inquit, *illum ab obtutibus Dei conditio humana subtraheret, jejuniorum tamen gratia proximum illum Divinitatis consortio faciebat,* S. Petri Chrysologi parænesis est. *Vacuandus ergo venter moderatione jejunii, ut exoneratus animus possit ad alta pertendere, conscendere ad virtutes, possit ad ipsum pietatis authorem totus aliger pervolare.* Sicut enim Falco in altum non evolat, nisi jejunus; ita sine jejunio fieri non potest, hominem ad virtutis fastigium eluctari.

Jejunium elevat. S. Chrys. in hunc l. S. Ambr. in Domin. Quadra. S. Pet. Chr. sol. ser.

343. Falco, quem Aldrovandus, aliique Ornithologi ob insignem ac maximam fortitudinem, sacrum cognominant, uno pede cuniculum vel leporem direptum sustinet, altero verò eundem firmis unguibus in terram deprimit. Emblemati subscripsit Aresius; TENUI; NEC DIMITTAM. Animum resolutum, nullisque viribus à proposito dimovendum, hæc imago repræsentat. Talem se exhibebat sponsa, quādo dixit, *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* S. Gregorius Nyssenus, *Non dimittam,* inquit, *amplius Deum, ausâ fidei apprehensum.* Et meus Richardus Victorinus. *Tenetur Deus devotione, desiderio, importunitate, memoriâ, prece, fide, & expectatione exauditionis, nec dimittitur, si ab intentione non cesset, nec vultus amplius in diversa mutentur.* De hac virtute Claudianus canit;

Aldrov. Ornith. Perseverantia. *S. Greg. in hunc.* *Rich. de Vict. in h. loc.* *Claud. Stilicon.*

— Plus est, servâsse receptum;
Quàm quæsisse decus.

344. Tyrannidis ac crudelitatis symbolum Falco montanus exhibet, qui innocentûm aviculaū stragem nunquam exsaturatus, adeò interdùm adversus eas dilaniandas effervescit, ut proprii alimenti obliviscatur. Alberti Magni verba sunt; *Adeo interdùm crudelitati suæ indulgent, ut occidendis avibus occupati, cibi obliviscantur.* Unde Aresius eidē, aviculā laceranti inscripsit. NECESSITATEM NON HABENS. Seneca, *Crudelitas* inquit, *minimè humanū malum est, indignum tam miti animo. Ferina ista rabies est sanguine gaudere & vulneribus, & abjecto homine in sylvestre animal transire* Lemmate illo etiam eos notabis, qui nullâ ægritudine, aut aliâ naturæ necessitate impellente, sed solâ depravatæ indolis suæ genio stimulati, in peccatorum sordes sese abjiciunt. Sibimet improperans S. Augustinus, de juventute suâ, in obvium quodvis scelus admodum præ-

Crudelitas. *Senec. l. 1 Clemen cap 4.* Peccat malitiæ fus.

præcipiti, apertè testatur; *Ego furtum facere volui, & feci, NULLA COMPULSUS EGESTATE, nec pecuniâ, sed fastidio justitiæ, & sagina iniquitatis. Nam id furatus sum, quod mihi abundabat, & multò melius; nec ea re volebam frui, quàm furto appetebam, sed ipso furto & peccato.* Postea enumerat fructus aliquos acerbos, quos etiamnum puer furto abstulerat.

345. In Moscovia Falco candidus reperitur, qui nocturno tempore apud aviculam quandam recumbere, & ab illa calefieri solitus, alterâ die eam, gratitudinis causâ, liberam ac incolumem servat. Unde volucrem dimittens epigraphen tenet. BENEFICII MEMOR DIMITTIT. Vel, HAUD IMMEMOR DIMITTIT. Voluntatem gratam, & ad beneficia rependenda promptam hæc imago innuit. Sapienter dixit Euripides. (Gratitudo; Eurip. in Hel.)

Beneficium beneficio respondeat.

Et Tullius. *Nam si his, qui imprudenter læserunt, ignosci convenit; his, qui necessario profuerunt, habere gratiam non oportet?* (Cicero l. 1. Ret.)

346. Falco, nolam è pedibus avellere conatus, à D. Didaco Saavedrâ epigraphen accepit. FAMA NOCET. In rem præsentem Tacitus. *Nec minus periculum est ex magna fama, quàm ex mala.* Famæ detrimenta probè expertus estEzechias, Rex Judææ, quando divulgatis ærarii sui divitiis, omnem Assyriorum vim ad eas diripiendas protraxit. (Fama nociva.; Tacit. in vita Agric.)

347. Proprii mali sui authorem falconis imagine expresseris; qui pedibus ligamine revinctis, in altum evolans, ad aucupis pugnum revertitur; sicque suâ seipsum libertate spoliat. Lemma. TORNO A QUEL, CH'ALTRI FUGE. Id est, AD VINCULA SPONTE. Talis, meâ quidem sententiâ, ille fuerat, qui, D. Lucâ referente, dixit; *Juga boum emi*; sibimet enim compedes ac juga stolidè injicere voluit. Appositè S. Bernardus. *Stolidior bestiis homo; quod juga necessitatis earum propriâ ipse emat voluntate. Emisse juga, extrema dementia est: quod idem est, atque mortem sempiternam, & gehennam ipsam multo sudore quærere.* Homines lascivi, falcones insanissimi, ad laqueos, unde regressi sunt, denuò sese implicandos recipiunt. Denique etiam remiges, extremam hominum colluviem, hoc symbolo significare licet, qui oblatâ libertatis recuperandæ occasione, eam minimo pretio vendunt, sesque ad catenas & transtra ultrò condemnant. (Luc. 14. 19.; S. Bernard. Tract. Eccet. reliqui. s &c.; Recidivi.)

348. Castissimus quidam adolescens, mille libidinum occasionibus ultrò oblatis, è vitæ innocentia nec minimum unquam deflexit, omneq; mulierum lascivarum commercium studiosissimè effugit & abhorruit. In hujus encomium Bargalius Falconem depinxit; cujus ea est indoles, quod è carnis frusto ante se collocato, nihil delibet, sed generosè abstineat; cum lemmate. NON COMEDIT. Siracides. *Erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi & non est transgressus; facere mala, & non fecit.* In hunc locum S. P. August. *Habeto facultatem;* inquit, *& ibi laudabo domitam cupiditatem. Tu dicis; nunquam negavi rem alienam; quia fortè nemo tibi commendavit, sed sub testibus commendavit; dic mihi, reddidisti, quando à solo solus accepisti, ubi Deus inter vos fuerat? si tunc reddidisti, si mortuo qui commendavit, nescienti filio tradidisti, tunc te laudabo; quia post aurum non iisti, quia potuisti transgredi & non es transgressus.* (Castitas.; Abstinentia.; Eccles. 31 10.; Aug. serm. de Verbis Apost. c. 6. 6.)

349. Falco alligatus, & capitio tectus, volare, tametsi impotens, molitur. Lemma. VOLUISSE SATIS. Deficientibus enim ad operandum viribus, solum sufficit desiderium. Emblematis hujus mentem in bonam partem interpretatus Propertius, canit; *Quod si deficiant vires, audacia certè.* (Voluntas bona.; Prop. l. 2. v. 9.)

Laus est: in magnis & VOLUISSE SAT EST.

Et Ovidius. (Ovid. l. 4. de Pont. Eleg. 8.)

Parva quidem, fateor, pro magnis munera reddi,
cum pro concessa verba salute damus.
Sed qui, quā potuit, dat maxima, gratus abundè est:
Et finem pietas contigit illa suum.
Nec quæ de parva pauper Diis libat acerrâ,
Thura minus grandi, quàm data lance, valent.

Non sine emphasi Josephus Hebræus. *Qui ad tolerandam omnem pro Dei gloria injuriam semel dicavit animum, is martyrium mihi videtur implesse. Summi ergo meriti est, semel fixisse sententiam, atque ideò, ut dixi, ratio principatum obtinet passionis: & si sors perpetiendi deneget facultatem, pertulit tamen cuncta, quæ voluit pati.* Verùm de bonæ voluntatis merito & progressu diximus aliâ occasione *lib.* 3. *num.* 203. Cæterùm Emblema istud etiam in malam partem interpretari licet. Unde Juvenalis. (Joseph. Hebr. sub initium lib. de Machab.; Voluntas mala.; Iuven sat. 13.)

Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

350. Falco, capitiis è collo pendulis, epigraphen tenet. RECEPTO VISU, LIBERTATEM ARRIPIT. Peccatorem hæc imago concernit, qui tenebrarum & caligantis animæ squamis è vultu excussis, libertatem, filiorum Dei propriam assequitur: Sauli exemplo, de quo, cùm jam ad frugem cæpisset redire, testatur Sacra Pagina. *Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, & visum recepit; & surgens baptizatus est.* Unde Sanctus Pater Augustinus ait, *Tota opera nostra in hac vita est, sanare oculum cordis, unde videtur Deus.* Huic symbolo affine est illud Salentini Archiepiscopi Coloniensis, in quo Falco, pendente ex collo perophtalmio, volat in aere, cum inscriptione. *Recepto visu libertatem arripio.* (Peccator conversus.; Act. 9. 18.; S. Aug. serm. 18. de Verb. Dom. cap. 5.)

FRINGILLA.

Cap. XXVIII.

351. Scipio Bargalius hanc Fringillæ epigraphen subdidit. CÆCITATE PERFICITUR. Ajunt enim hanc volucrem tantò fieri in canendo suaviorem ac meliorem, quò minus videt. Certè Christianus, quo minus in discernendis sanctæ fidei arcanis fuerit curiosus, tantò sese in credendo perfectiorem probat. S. Apostolo Paulo hæc imago cumprimis est tribuenda; de quo testatur Magnus Augustinus. *Eo tempore, quo cætera non videbat, Jesum videbat* (nimirum de tempore illo loquitur, quo *apertis oculis nihil videbat*, uti referunt Acta Apostolorum) *ita ex ipsa ejus cæcitate informabatur mysterium credentium, quod, qui credit in Christum, ipsum intueri debet, cætera nec nata computare.* S. Hieron. *Paulus*, inquit, *ex persecutore fit Prædicator, oculis carnalibus excæcatur, ut mente plus videat.* Et Beda, *Nequaquam potuisset* (Paulus) *benè rursus videre, nisi prius excæcatus fuisset benè*, Denique Aratus Poëta sacer. (Fides S. Paulus.; S. Aug. serm. 35 de divers.; Act. 9. 8.; S. Hieron. ep. ad Damas.; Beda in Act. Apost l. c.)

--- *cùm lumina claudit,*
Pectora tunc aperit, cælique agnoscitur auctor.

FULICA, seu Fulix.

Caput XXIX.

352. Fulica inter concitatos Oceani fluctus & undarum turbas plurimùm lætari solet. Eam proinde, veluti genuinam hominis invidi ideam, hoc lemmate notavit D. Aresius. EXULTABIT, SI MO- (Malignus.)

Animus generosus

MOTUM FUERIT; Regio Vate id suggerente. *Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero.* Æquè tamen hominem grandem ac virtutibus deditum imago illa concernit, qui orbe toto in ejus unius perniciem acerrimè jactato, non tantùm nihil inde conturbatur, sed contra plurimùm gaudet. S. Joannes Chrysostomus. *Tanta res est virtus, tam immortalis, tam invicta, tã nihil cedens hujus vitæ varietatibus, sed super malitiæ fluctibus volitans, quasi è sublimi specula quadam, sic omnia humana despicit, & sicut is, qui super excelsam petram stat, fluctus ridet, quos videt ad petram magno impetu disrumpi, ac protinus in spumam solvi; ita & virtuti vacans, in securo constitutus loco, nihil insuave fert à rebus turbulentis, sed tranquillus animo, & quietus sedet &c.*

S. Chrysost. hom. 1. in Genesin.

Animus generosus

353. Fulica, eodem Aresio authore, intra turbatum mare epigraphen habet. TEMPESTATE PRÆGAUDET. Haud secus invictus animus etiam inter horrendas tumultuantis mundi minas nihil terretur. Stephanus Cantuariensis, *Cetus*, inquit, *gaudet in tempestate, & sanctus in tribulatione.* Probè id expertus S. Paulus Apostolus, insigne de se ipso testimonium præbet, *Placeo mihi in infirmitatibus meis*; ubi acutè advertit Theodoretus, *non dixit sustineo, sed placeo mihi, hoc est, gaudeo, delector, lætor, & tranquillo animo sustineo ea, quæ accidunt.*

Steph. Cantuar. in cap. 1. Genes. 2 Cor. 12. 10. Theod. in hunc loc.

354. Fulica è terra patria, unde ortum duxit, nunquam se avelli patitur; unde licet alimoniæ penuriâ arctè pressa, modò vel cadavera ad vescendum reperire possit, suaviter ac læto animo in illa persistit; cum lemmate. PATRIAM NEC LINQUO FAMESCENS. At non volucri modo, sed & homini illam amoris vehementiam versus patrios lares natura ingeneravit. Ovidius.

Patriæ amor.

Ovid. l. 1. de Ponto Eleg. 4.

Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui,
Quid melius Româ? Scythico quid frigore pejus?
Huc tamen ex illa Barbarus urbe fugit.
Assuetos tauri saltus, assulta leones
(Nec feritas illos impedit) intra petunt.
Rursus amor patriæ ratione valentior omni.

Mundi amor.

Porrò Fulicam imitantur qui hanc, quam habitant, terram ægerrimè relinquunt, neque etiam ad cælum unquam suspirant, tametsi compluribus ærumnis indies exagitati. *O amatores mundi!* exclamat Magnus Augustinus, *cujus rei gratiâ militatis? ibi quid nisi fragile, plenum periculis, & per quod pericula pervenitur ad majus periculum? Pereant hæc omnia, & dimittamus hæc vana & inania. Vita hæc misera est, mors incerta subitò obrepit &c.*

S. Aug. lib. Confession.

Stultus Homo sorte sua contentus

355. Fulica vitam tenuem ac egenam in nativo solo meliorem arbitratur, quam opulentam in extero: Unde lemma. ALIBI NON QUÆRO POTIORA. Hominem stolidum, ac sortis suæ incurium hac icone depinges. Stylo tamen verso, illis etiam tribues, quæ vitæ suæ conditione, quamlibet paupere ac tenui, contenti vivunt. Horatius.

Horat. l. 2. Ode 16.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leves somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Hug. Vict. l. 1. de Best. c. 56.

In rem præsentem apprimè meus Hugo Victorinus, *Fulica in uno loco commoratur, & permanet usque ad finem, & ibi escam suam habet, & requiescit. Sic ergò omnis homo fidelis secundũ Dei voluntatem conservatur & vivit, non huc, atque illuc, per diversa loca oberrans.* Porrò Religiosi exindè discant, domi suæ se continere, nec etiã majoris perfectionis causâ ad alios Ordines vel Collegia transire; quia, ut Religiosissimus meus Thomas Kemp. docet, *Imaginatio locorum & mutatio multos fefellit.* Conquerentem audi S. Gregorium. *Sæpè de vita proximorum quærimur, mutare locum conamur, secretum vitæ remotioris eligere, videlicet ignorantes, quia si desit spiritus, non adjuvat locus. Si locus salvare potuisset, Sathan de cælo non cecidisset &c.*

Religiosus mutans locum. De Imit. l. 1. l. 9 nu. 1.

S. Greg. hom. 9 in Ezech.

GALLINA.

Cap. XXX.

356. Gallina, conscensa moro, pullis suis infra arborem maturos fructus rostro excutit: cum lemmate. ET MEMOR AB ALTO. Dei providentia ac beneficentia clientes, sibi devotos, uberrimis Paradisi fructibus beat. Christus, seipsum iteratis vicibus gallinæ comparans, verè fuit *memor ab alto*, quando, Apostolo referente, *Ascendens in altum, dedit dona hominibus.* B. Virgo, clientum suorum nunquam non memor, instar amantissimæ gallinæ, è sublimi cælo dona pretiosissima in eos effundit. Richardus à S. Laurentio, *Maria*, inquit, *vera est & unica Filii imitatrix; ex quo ascendit in altum, dabit & ipsa dona hominibus; siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas.*

Providentia Dei.

Ascensio Christi.

Ephes. 4. 8.

Mariæ Assumptio

Rich. à S. Laur. l. 4. de laud. Virg.

357. Securæ ac felicis tutelæ symbolum Gallina exhibet, quando minitante, jamjamque per aëra insidias struente milvo, pullitiem suam sub alas recipit; cum dicto. RECEPTU SECURITAS. vel, SERVAT IMMUNES. vel ut Georgiæ de Montenai placet. IBI LICET ESSE SECURIS. Bonitas ac sapientia Divina tutelam, hâc longè nobiliorem, nobis præstat. Testem habeto locupletissimum, S. Augustinum. *Hoc genus animantis*, inquit, *alis suis filios protegens, contra milvum pugnat. Sic & sapientia Dei protegit infirmitatem nostram, & resistit diabolo, ne nos rapiat. In quâ defensione, quod illa adversus milvum conatur affectu, hæc adversus diabolum perficit potestate.* Rursus illa Psalmi verba interpretatus, *Et sub pennis ejus*, vel, ut legit S. Augustinus, *& sub alis ejus sperabis*; ait, *si gallina protegit pullos suos sub alis; quantò magis tu sub alis Dei tutus eris, & adversus diabolum & Angelos ejus, qui aëreæ potestates, tanquam accipitres circumvolitant, ut infirmum pullum auferant.* Emblematis hujus constructrix Georgia in rem præsentem opportunè canit.

Protectio

S. Aug. l. 1. Evang. q. 3

Idem in Psal. 90.

Georgia in Embl. 84.

Gallina ut teneros alis regit anxia pullos,
Ex alto accipiter cùm facit insidias.
Sic quoque curabit Christus, contraria nobis
Ne sceleratorum facta nocere queant.

Cæterùm quisquis intra S. Ecclesiæ sinum receptus fuerit, vitam ab interitu immunem ac tranquillam agit. Luculentè id testatur Theophilus Antiochenus. *Deus*, inquit, *dedit mundo Ecclesias, in quibus veritatis doctrina fieret, ad quas confugiunt veritatis studiosi omnes, quotquot salvari, Deique judicium & iram evitare volunt.*

Ecclesia tuetur.

Theoph. Ant. l. 2. ad Auto.

358. Gallina, in nido recumbens, à Bargalio epigraphen accepit. ET CUBANS OPERATUR. Hinc perspectum habes, vitam religiosam sedendo & contemplando ut plurimum addictam, nihil habere cum otio commune, sed gravissimis negotiis assiduo distineri: Mellifluus Bernardus, *Otiosum non est*, inquit, *vocare Deo, imò negotium negotiorum omnium. Hoc est, quod, quicunque in cella non agit fideliter & firmiter, quodcunque agit, quod propter hoc nõ agit, scilicet ut Deo serviatur, in eo quod agit, otiatur.* Eidem Emblemati P. Lucretius Borsatus inscripsit. QUIESCENS OPERATUR. Innuebat videlicet, Gubernatorem, licet in conclavi sedentem, Provinciis ac regnis laboriosè moderari.

Vita contemplativa.

S. Bernard. ad fratres de Monte Dei.

Gubernator.

359. Jaco-

Princeps vigilans. 359. Jacobus VIII. Rex Britanniæ, Gallinam, pullos suos infra alas complexam, hoc lemmate insigniit: NON DORMIT, QUI CUSTODIT. Boni Principis est, subditorum tutelam, etiam cum quietis propriæ dispendio, suscipere, & commissæ provinciæ clavum indefessis manibus tenere; non aliter, atque Palinurus, navis navarchus, non interdiu solum, sed etiam concubiâ nocte per dubios fluctus vigil deferri cogitur; uti Poëta ait.

---- clavumque affixus, & hærens
Nusquam amittebat, oculosque sub astra tenebat.

D.Chrysost. Orat 1. de Regno. Psal. 120 4. D. Chrystomus de Principe ait, *Ne somnum quidem per totam noctem capere se debere putet, ut, cui nullum sit otium ad socordiam.* Et prior illo Psalmista. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.*

360. Ajunt, pullos gallinaceos escâ sparsim, ac veluti raptim carptâ, pinguiores evadere, multumque suaviores gustui parari, quàm copiosè ante ipsos affusâ. Unde lemma. RIMANDO PINGUESCUNT. vel de uno tantùm. PINGUESCIT, DUM ERUIT. Studiosus. Ad hanc ideam studiosus, oculis & manibus ad litteratorum volumina versanda assiduò intentus, ingenii sui famem opimis dapibus saginat, plurimoque doctrinæ succo pinguescit. Unde etiam jubet Christus, *Scrutamini scripturas.* S. August. *Ut nos exerceret sermo Divinus, non res in promptu sitas, sed in abdito scrutandas, & ex abdito eruendas majore studio fecit inquiri.* E Poëtis nonnemo pulchrè cecinit. Io. 5. 39. S. Aug lib. 15. de Trinit c 7

Rimatur vigili sophiæ secreta labore,
Qui cupit Aonicæ frondis honore tegi.

Industria. 361. Gallina cum pullis, escæ conquirendæ intenta, epigraphen tenet. PRÆBET INDUSTRIA VICTUM. Salomon ait, *Manus fortium divitias parat.* Sacra Genesis. *In laboribus comedes ex ea.* Et Jobus. *Homo nascitur ad laborem.* S. Paulus conopæis texendis operam collocans, victui providebat. Petrus & Joannes piscando oppidò fatigati, alimoniam parabant. Cleantes putei rotam versans; & Plautus ad clibanum laborans, corporis egestati succurrebant. &c. Unde hortatur Magnus Aug. *Surge, ara terram, ut possis habere unde vivas; quia sequitur te sententia damnati Adam:* In labore vultus tui edes panem tuum; *Cum autem transierit omnis labor & gemitus, erimus in terra viventium. Nihil ibi nascitur & crescit; quidquid ibi est, eodem modo est, & est semper.* Prov. 10. 4. Genes. 3 17. Iob 5 7. S Aug. serm. 12. ex addit. à Sirmond.

362. Sonorus tonitrui mugitus non parum negotii gallinis facessit, quippe quæ, dum ovis incubant, à molesto illo fragore impeditæ, pullos suos excludere ac in lucem proferre non valent. Ut tamen incommodo medearis, è Vincentii Beluacensis consilio, clavum ferreum ovis supponas, habebitque generatio optatû suum successum. Verba illius sic accipe. *Si subito tonat, sæpe fallunt; Remedium est contra tonitru clavus ferreus, sub stramine ovorum positus.* Unde gallina, quæ ovis incubans clavum habet suppositum, epigraphen tenet. MOX EXCLUDAM. Hoc Emblemate doceris, Christi patientis memoriâ, aut pietate erga sacrum illius clavum, Mediolani summâ veneratione asservari solitum, aptos nos, facilesq, reddi, ad cælestes virtutum, & sanctarum operationum partus feliciter enitendos. S. Petrus. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* S. Ambrosius. *Ad ejus similitudinem atque imaginem* (de Christo patiente loquitur) *justus suæ vitæ cupiens instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus, & non aperit os suum, ut illum imitetur, qui sicut agnus ad victimam ductus, non aperuit os suum.* Vinc. Beluac Spec Natur. lib. 16. c 85. Christus patiens. Pet 1. 21. S. Ambr. in Psal 37.

363. Gallina, pullos suos sub alis complexa, à Joanne Ferro epigraphen accepit. RECIPIT, ET TUETUR. Aloysius Ferrus eidem gallinæ, quæ, milvo ex uno latere, ictide verò ex altero insidias struentibus, pullos suos sub alarum præsidio tutatur, inscriptionem subdidit. FRUSTRA. Facilè hinc, quantùm tranquillitatis è Magnatum patrocinio in nos redundet, conjicies. Mariam Virginem hâc beneficêntiâ insignem deprædicat S. Thomas Villanovanus. *Sicut pulli, inquit, volitantibus desuper milvis ad gallinæ alas occurrunt, ita & nos sub velamento alarum tuarum abscondimur. Nescimus aliud refugium, nisi te. Tu sola es unica spes nostra, in qua confidimus &c.* Mariæ V. protectio. S. Th Villan. Conc. 3 in Nat Virg.

364. Sanctus Mediolanensium Archiepiscopus, Laurentius Litta, ævo illo calamitoso ac tristi vixerat, quo Christianorum innocentia ab effreni hæreticorum & schismaticorum violentiâ plurimùm affligi, ac perniciem penè extremam sustinere cogebatur. In hoc rerum articulo optimus Antistes partim, ne filiis suis spiritualibus quidquam exitii accresceret, timore perculsus; partim etiam amore, quo adversus illos flagrabat, immensum stimulatus, nunquam ab iis, summâ vigilantiâ propugnandis, destitit: gallinam apprimè imitatus, quæ, alis supra pullos explicatis, milvi insidias arcet; cum lemmate. HINC AMOR, INDE TIMOR. Jacob, cùm è fama didicisset, germanum suum Esau, numerosâ militum manu instructum, sibi venire obviam; mox timoris angustiis & amoris zelo correptus, ut familiam suam ab interitu vindicaret, anxiè curavit. Vera enim Pastoris aut Parentis erga subditos solicitudo è gemina illa radice, amore & timore, nascitur. De ejusmodi Pastoribus pronuntiat S. Gregorius Papa. *Illi præ cæteris Deum videre sublimem merentur, qui fidelibus gregibus præesse solicitè sciunt, & dum ipsi pie super gregem vigilant, Divina super eos gratia largius coruscat.* Pastor zelosus. Gen. 33. S Greg in hom.

365. Gallina, pennis aspectu hispidis & turbatis repræsentata, symboli loco epigraphen à me recepit. CUM INFIRMIS INFIRMOR. Genuina hæc charitatis est indoles, quæ proximis suis aliquid levaminis & auxilii allatura, eorum calamitates quàm maximè queritur; nec sine dolore suas interpretatur. *Quis infirmatur & ego non infirmor?* inquiebat S. Paulus. In hunc locum S. Petrus Damianus. *Beata anima,* ait, *quæ omnium miserias suas fecerat, ut omnes lucrifaceret.* S. P. Augustinus virtutem illam sapientiæ Divinæ propriam asserit. *Hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta, & ipsa infirmetur, sic etiam mater nostra sapientia Dei, per carnis susceptionem infirmata est quodammodo &c.* Charitas S. Paulus. 2. Cor. 11. 29. S. Pet. Dam. serm. 27. S. Aug l 1 q. evang q 36.

366. Prædicator, Gallinæ hieroglyphico significari solitus, altum clamet, necesse est; ut vagabundos, ac, pullorum instar, per diversa errorum abrupta distractos mortales reducat. Emblemati subscribes: CLAMAT, VT CONGREGET. Author operis imperfecti, *Sicut gallina, inquit, habens pullos, vocando illos non cessat, ut assiduâ voce vagositatem corrigat pullorum: sic & sacerdotes in doctrina cessare non debent, ut studio & assiduitate doctrinarum suarum negligentiam populi errantis emendent.* Prædicator. Author op. Imperf.

367. Quos æterna Dei providentia ad supremam beatitatem destinavit, ii, pullis non absimiles, Dei sui, veluti gallinæ, vestigia religiosè premunt. Emblemati inscriptum. VOCEM SEQVVNTVR. Dilucidè, pauculis mutatis, Christus; *Oves illum SEQUUNTUR; quia sciunt VOCEM ejus.* Et rursus. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me.* In hanc rem S. P. Augustinus. *Deus præcedat, tu sequaris. Qui enim voluerit Deum antecedere, consilio suo vult vivere, & non vult sequi præcepta Dei.* Prædestinati. Io. 10 4. & 10. 27. S. Aug in Psal. 62.

368. Gallina, pullitiem suam ab interitu vindicatura,

tura, milvo aut cani insidianti obluctatur; lemmatis loco hunc Tassi versum subdidere. SGOMBRA AMOR TEMERARIO OGNI PAURA. Id est. TIMOREM EXCUTIT AMOR. vel ut aliis placet. EDOCET AMOR. Ardor enim & animositas vernacula sunt amoris indicia. Marsilius Ficinus. *Audacia*, inquit, *amoris pedissequa est, non amor audaciæ. Non enim ex eo, quod audaces sunt, amore homines illaqueantur; sed ex eo plerumque, quod amore saucii sunt, audacissimi fiunt ad quæque pericula propter amatum intrepidè subeunda.* Jacob, præclarum amoris prototypon, tenerrimo & ardentissimo affectu versus uxorem & liberos accensus, armatum Esau leonino aggressus est pectore. Hoc nihilo remissiores sacra sponsa in cœlesti Epithalamio, & Magdalena, in Evangelio iteratis vicibus laudata; quippe quæ amoris Divini igne in cordium suorum penetralibus inflammatæ, armatas virorum excubias ac insultantes milites mediâ nocte imperterritæ penetrarunt.

Amor facit animosum. *Mar Ficin. in Conviv Platon. c. 5. Tract. 5.* Jacob. Magdalena.

369. In aula Norimbergensi verus Princeps Gallinæ symbolo depingitur, quæ, plurimis pullis infra & circum ipsam quiescentibus, epigraphen tenet. ALIT, ET PROTEGIT. In hunc sensum Constantini Panegyricus ait, *Patris pietatem sic imitaris, ac sequeris, ut omnibus ad te confugientibus, diversamq; opē aut contra aliorum injurias aut pro suis commodis postulantibus, quasi legata patris videaris exsolvere.*

Princeps. *2. Paneg Constantini Imp.*

370. Qui proprias virtutes vano ac jactabundo ore passim evulgat, Gallinam imitatur, quæ toties glocitat, quoties ovum aliquod enititur. Lemma, EFFOETA CANTILLAT. S. Vincentius Ferrerius idipsum animadvertens, ait, *Nota contra multas personas vanas, quæ non possunt tacere, si Deus dat eis aliquam gratiam vel revelationem, statim revelant & male. Tales sunt similes gallinæ, quæ non potest tacere quousque prodit ovum, quod posuit.* Paulus Maccius.

Jactare sua opera. *S. Vincent. Ferr serm. in Vigil. Nativ* *Paul. Macc. Embl. 56.*

Farra legens gallina, silet; si parturit ovum,
Clamat, & ingenti plurima voce glocit.
Jactator benefacta sibi sic objicit audax:
Quæ capit, reticet, quæ dedit, ol loquitur.

371. Gallina non propriis tantùm, sed & alienæ speciei ovis incubat: quin imò pullos, exindè natos, quamlibet à se diversos, ut anates, pavones, gallos Africos, aliosque, etiamnum pullulascentes, studiosè protegit, fovetque. Unde lemma. ET FOVET EXTRANEOS. Ita homines Apostolici suâ tutelâ ac præsidio neminem, quisquis ille sit, excludunt. De se ipso testatur S. Paulus. *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Et, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Author operis imperfecti S. Ecclesiam hâc virtute insignem commonstrat. *Quemadmodum gallina habens pullos, non solum suos calefacit, sed etiam cujusq; volatilis filios, exclusos à se, diligit quasi suos: Ita & Ecclesia non solum Christianos suos studet vocare, sed sive gentiles, sive Iudæi, sive suppositi illi fuerint, omnes fidei suæ calore vivificat, & in baptismo regenerat, & in sermone nutrit, & materna diligit charitate.*

Beneficentia universalis. *Rom. 1. 14. 1. Cor. 9. 21.* S. Ecclesia. *Author Op. Imperf.*

372. Gallina coram vase, aquis pleno, consistit, & cælum suscipit; cum lemmate. ET BIBIT, ET SUSPICIT. S. Thomam Aquinatem hoc Emblema spectabat, qui Galliarum Regis mensam accumbens, subitò exclamavit, *Conclusum est contra Manichæos*; eodem enim momento, quo sententia adversus Manichæos decreta fuerat, ipse è Dei revelatione illam compererat: Porrò Emblemate illo demonstratur, gratitudinem nostram omni loco & tempore Divinæ Majestati obstrictam esse. Id, quod nec ipsos etiam Gentiles latebat. Instar multorum unus audiatur Epictetus. *Si sani sumus*, inquit, *quid aliud nobis agendum & publicè & privatim, quàm Numen celebrandum & laudandum? &c. Nonne & inter fodiendum & arandum hymnus hic cantandus est Deo? Magnus est Deus &c.*

S. Th. Aquin. Gratitudo *Epict apud Lipsium Phisioleg l. 1. dissert. 21.*

373. Gallina, pulvere perfusa, ad solem consistit; cum Caroli Bossi lemmate. MUNDA REDIBIT. Pulvis enim, tametsi alias corpus deformet, sordidumque faciat, gallinæ tamen ad munditiem recuperandam mirificè deservit. Nimirum interiorem hominis puritatem hæc imago spectat, quæ pulvere, mortis inquam memoriâ, probè perfusa, nitorem immensum consequitur. Galfridus apud Tilmannum illam D. Matthæi historiam meditatus, *Secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autē foras miserunt*; hanc tropologiam subjungit, *sedendum nobis est juxta littus, ut mortis memoriam ante oculos statuentes, confessionis remedio mala omnia foras mittamus.* Haymo hæc ejusdem D. Matthæi verba, *Tauri & altilia occisa sunt*, ita interpretatur, *Tauri mei & altilia mea occisa sunt; ac si diceret; Patrum præcedentium mortes aspicite, & remedia vitæ vestræ cogitate.*

Mortis memoria *Galf apud. Tilman. in Matt. 13. 4* *Haym in Mat. 22. 4.*

374. Graves & indefessos hominis labores gallina significat, quæ ovis incubans, epigraphen tenet. NOCTU INCUBANDO, DIUQUE. Seneca eos, qui studiis dant operam, his moribus describit. *Nullus mihi per otium dies exit, partem noctium studiis vendico: non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigiliâ fatigatos, cadentesque in opere detineo.* Plinius junior assiduam hanc operandi industriam in Plinio majore, suo patruo, testatam facit, *Erat*, inquit, *acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia, lucubrare à Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causâ, sed studendi, statim à nocte multâ, hyeme verò ab hora septima, vel quum tardissimè, octavâ: sæpè sextâ: erat sane somni parcissimi, nonnunquàm etiam inter studia instantis, & deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem, reversus domum, quod reliquum erat temporis, studiis reddebat. &c.*

Assiduitas *Senec ep. 8.* *Plin junior l. 3. ep. 5.*

375. Qui Christi, Ducis optimi, vestigia studiosè sequuntur, ab Abbate D. Hercule Salarolo pullitiem imitari dicuntur, quæ Gallinam secuta, epigraphen sustinet. QUOCUNQUE IERIT; verbis ex Apocalypsi desumptis. *Hi sequuntur Agnum QUOCUNQUE IERIT.* In hunc locum S. Rupertus Abbas. *Sequuntur* (electi) *Agnum quocunque ierit, dum judicia ejus & per spiritum intelligunt, & per charitatem laudant, & justificant eum in eisdem omnibus judiciis ejus, & dum exemplum charitatis ejus imitantur usque ad mortem &c.*

Prædestinati. *Apoc. 14. 4.* *Rup Abb. in hunc. loc.*

376. D. Carolus Bossius rotundam corbem vimineam, congregandis pullis destinatam, symboli loco expressit; his enim solis, non verò ulli adultiori, per angustum illius ostiolum pro libitu ingredi aut egredi licet. Vnde lemma. PARVULIS TANTVM. Academiam hæc imago innuit, intra quam nonnisi tenues, & scientiarum ætate parum provecti ad doctrinæ rudimenta, ceu trivialia ac minuta grana, colligenda admittuntur; exclusis veteranis, & ingenii prudentiâ jamjam adultis. Porrò Deus spiritualem illustrationum, revelationum, ac sapientiæ escam solis demissis & humilibus reservat, procul exclusis superbis & mundi scientiâ inveteratis *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.* S. Hilarius in hunc locum ait, *Cælestium ergò verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, & parvulis revelantur, parvulis malitiâ, non sensu, sapientibus verò stultitiæ sue præsumptione, non prudentiæ causâ.*

Academia GratiaDei *Matth 11. 25* *S. Hilar Can. 10 in Matth relatus in Catena aurea S. Th*

376. Gallinam diversarum volucrum ovis incubantem, D. Sigismudus Laurentius hoc lemmate insignivit. DONEC FORMENTVR. D. Paulum

lum hæc imago spectat, qui charitatis ardore plenus, industriam aut laborem nullum prætermisit, ut Hebræorum, Græcorum, & Barbarorum animas quàm studiosissimè foveret ac perficeret. Ipse sibimet testis luculentus, dicebat, *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Et rursus. *Filioli mei, quos iterum parturio. DONEC FORMETUR Christus in vobis.* Idipsum de Ecclesia intelligit S. P. Augustinus. *Nascuntur*, inquit, *intra viscera Ecclesiæ quidam parvuli; & bonum est, ut formati exeant, ne abortivi labantur. In ventre quippe Ecclesiæ veritas manet, quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est, ut falsa loquatur.*

377. Gallina, rutam sub alis complexa, à fele & vulpe secura est. Lemma. SIC TUTA QUIESCO. Rutæ nomine mortificationem intellige, quâ instructus, nec carnis tuæ, ceu delicatæ felis, insidias; nec dæmonis, vulpis astutissimæ, vafritiem pertimesces. Hanc agendi rationem nobis ex Apostoli doctrina suggerit S. P. Aug. *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans; sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo*; ubi S. Doctor ait, *Castiga corpus tuum, & Diabolum vinces, hoc enim modo Paulus adversus illum docuit esse pugnandum.* Præclarum etiam est illud, quod simili in corpus suum odio exardescens S. Bernardus scripsit, fecitque. *Exurgat Deus, cadat armatus iste; cadat & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui, amicus mundi, servus diaboli. Quid tibi videtur? certè si rectè sentis, mecum dices; Reus est mortis, crucifigatur, crucifigatur.*

GALLINAGO.
Cap. XXXI.

378. Gallinagines, uti cæteræ volucres sylvestres penè omnes, tum demum gustui redduntur suaves & gratæ, quando illarum carnes putredini propinquant. Unde Gallinagines quasdam mortuas hoc lemmate notabis. SAPIUNT, CUM SAPIUNT. Justorum corda palati Divini orexin nunquam ita provocant, nisi quando dolorum & calamitatum carie probè contusa fuerint. Certè Tobias, ægrè decumbens, Deo summopere placuit. Jobus inter fimeti ac ulcerum fœtores Creatori suo suavissimus extitit. Lazarus ibi potissimum Dei amicus est declaratus, quando ipsius cadaver jamjam præ putredine ac fœtore diffluebat: unde aliis omnibus de ingrata ejus mephiti conquerentibus, *Domine jam fœtet*; Christus nihil horroris conceperat; siquidem, ut S. Chrysologus observat, *quod perditori fœtet, non fœtet Creatori.* Cæterum peccatores, gravi morborum putredine afflicti, sapere discunt; nam cordium suorum rationes ineunt, ad ingenium revocantur, errores damnant, Deique sui recordantur. Hujus exemplum præbet Rex Antiochus, qui *cœpit ex gravi superbia deductus, ad agnitionem sui venire, divinâ admonitus plagâ.*

GALLOPAVUS, seu Gallus Indicus.
Cap. XXXII.

379. Quantùm vultus humani venustas iracundiâ ac commotâ bili devastetur, è Gallo Indico haud obscurè conjicere licet, qui in iram concitatus, tumescere, livere, ac monstro similis, jactari solet: ut adeò iratam hanc volucrem illo Claudiani lemmate scitè insignias, RABIE SUCCENSA TUMESCIT. Ovidius.

Pertinet ad faciem rabidos componere mores,
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument irâ, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgoneo sævius angue micant.

S. Joan. Chrysostomus, *Quid in iracundo non turpe? oculi insuaves, os distortum, membra tremula, lingua infrenis, mens stupida, figura indecens, multa insuavitas &c.* Seneca inter cætera iræ extirpandæ temedia suadet, ut homini excandescenti speculum objicias; fore enim, ut omni studio sibi imposterum ab hoc vitio caveat, à quo se tantopere defœdatum cernit. *Quibusdam iratis profuit, aspexisse speculum, perturbavit illos tanta mutatio sui.*

380. Gallopavus, rubri coloris penitus impatiens, viso illo gravissimè exasperatur. Lemma. EXACERBATUR RUBEO. Superborum hæc est indoles, qui è crucibus & ærumnis, à Deo immissis, non tantùm non ad frugem redeunt, sed magis inde exacerbantur, contra Deum & homines insurgunt, obmurmurant, suæque famæ plurimum inde derogatum queruntur. S. P. Augustinus. *Qui doctus fuerit sperare prospera hujus sæculi, ipsâ prosperitate corrumpitur, supervenientibus adversitatibus sauciatur, aut fortassis extinguitur.*

GALLUS CAPUS.
Cap. XXXIII.

381. Gallus gallinaceus vigilis animi symbolum habetur; cum lemmate. NON DECIPIT SOMNUS. vel, EXCITAT AURORA. Christiano cumprimis opus est, ut æterno somno non obruendus, ad Deum suum vigiles conservet oculos S. P. Augustinus. *Qui vult ad æternam vitam pervenire, contra omnes diaboli laqueos debet fortiter vigilare; non enim qualis est ista vita, talis invenietur & illa.* Appositè Alciatus.

Instantis quod signa canens det Gallus Eoi,
Et revocet famulas ad nova pensa manus,
Turribus in sacris effingitur ærea pelvis,
Ad superos mentem quod revocet vigilem.

382. Academici excitati Neapolitani Gallo hanc è Virgilio subdidêre epigraphen. CANTU CIERE VIROS.

Ære ciere viros, martemque accendere cantu.

Gallus enim sonoro suo clamore homines ad negotia & labores excitat. In rem nostram scitè S. Basilius Magnus. *Ad opera conficienda te familiaris ac domestica excitat ales, acutâ inclamitans voce, cantuq; suo solem adhuc è longinquo advenientem prædicens, cumque viatoribus mane evigilans. & ad suos labores, atq; ad Messem agricolas educens ædibus.* Proinde volucrē hanc facundi Oratoris, Belliducis eloquentis, aut Concionatoris validi symbolum proprium statues.

383. Fuit, qui Gallo inscriberet; QUATIT ANTE CANTUM. vel ut Bargalio placet; EXCUTIT, INDE CANIT. vel ut Lucarino. SE QUASSU, CANTU EXCITAT ALIOS. Ita Patresfamilias, Prælati & Concionatores, priusquam alios excitandos instruendosque aggrediantur, cumprimis omnem vitiorum pulverem à se ipsis excutiant, & postea vocem intendant. S. Gregorius Papa, *Sancti*, inquit, *cùm verbum prædicationis movent, prius se in sanctis actionibus exercent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce; sed ante se per sublimia facta excutiunt, & tunc ad bene agendum alios sollicitos reddunt.*

384. Gallus, nascentem solem alarum vibratu & sonorâ voce prævertere solitus, ab Alcibiade Lucarino epigraphen accepit. GESTU, CANTUQUE PRÆ-

Margin notes: [M]agister [d]iligens. — [Ad Ro]m. 1. 14. — [Ga]lat. 4. 19. — Aug. in [Ps]al. 57. — [M]ortifica[ti]o. — Aug. in 1. [C]or. 9. — Bern. apud [R]odriq. p. 2. [t]ract. 1. c. 4. — [St]ulti infir[m]i. — Chrysolog. [se]rm. 65. — [M]orbi [p]rosunt. — Mach. 9. 11 — [Ir]acundus — laud de 4. [Ho]norii Con[su]l. — Ovid. l. 3. de [A]rte. — S. Chrysost. hom. in Acta — Senec l. 2. de Ira. c. 36. — Superbus. — S. Aug. de Pastor. c. 5. — Vigilantia. — S. Aug. cōtra Judæos, Pagan c. 20. — Alciat. Emb 15. — Virgil Æn. lib. 6. v. 105. — S. Basilius Hexameron. hom. 8. — Concionator. — Magister inculpabilis. — S Greg. l. 30. moral. c. 4.

Docere verbo & opere. *Hug.Vict.l.1 de Best c.36.*

PRÆNUNTIAT. Docet nimirum, subditos non minus factis quam verbis imbuendos esse. Hugo Victorinus. *Prius ergo alis insonant, quàm cantus emittant; quia antequam verba exhortationis proferant, omne, quod locuti sunt, operibus clamant.*

Imperterritus animus. *Virgil.6 Æn.*

385. Scipio Bargalius Gallo epigraphen Hispanicam indidit; DI PUGNAR NON RICUSO; quod ita vertas, NON ABNUO PUGNAM. Heroem imperterritum & Martio ardore resolutum hæc imago repræsentat; de quo Virgilius,

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Plat.1.Dial. de Leg.

Et Plato. *Duo sunt, quæ victoriam pariunt: adversus hostes quidem audacia; adversus amicos verò turpis infamiæ timor.*

Miles. *Iovius in vita. 1.Pet.5.8.*

386. Duæ potissimùm virtutes in Gallo excellunt; admiranda nimirum vigilantia, & grandis animositas. Unde lemma. ET VIGIL, ET PUGNAX. Belliducis gemina hæc virtus propria sit, necesse est. Certè utrâque illâ inter cæteras virtutes cumprimis enituit Galeacius I. Visconte; de quo Principe testatur Paulus Jovius, *Puer singulari vigilantiâ, & superbo spiritu, ac indomito vigore, pugnacis animi, generosum & ferocem gallum æmulabatur &c.* Ad easdem virtutes quemlibet Christianum hortatur S. Petrus Apostolus, *Sobrii estote, & VIGILATE, quia adversarius vester diabolus &c. circuit, quærens quem devoret, cui RESISTITE FORTES in fide &c.*

Paterfamilias. Prædicator. *S.Greg.p 3. Pastor.c.5. Rom.13.11.*

387. Gallo canenti geminam epigraphen, ex hymno Ambrosiano desumptam, subdidêre. JACENTES EXCITAT. & SOMNOLENTOS INCREPAT. Patremfamilias, Magistrum, ac Prædicatorem officii sui hæc imago commonefacit. *Prædicator etenim sanctus*, verba sunt S. Gregorii Papæ, *dum caliginoso hoc clamat in tempore, quasi gallus cãtat in nocte.* Certè instar vigilantissimi galli exclamavit S. Paulus; *Hora est, jam nos de somno surgere.*

Gratitudo *Epictet in Enchrid.*

388. Galli est proprium, oculos suos frequenter versus cælum levare. Unde illum Abbas Ferrus hoc lemmate notavit; ET ASPICIT CREBRO. Hinc disce, grato animi tui affectu sæpius ad Deum converti, ejusque infinitam bonitatem piè contemplari. Præclarè Epictetus. *Si luscinia essem, lusciniæ munere fungerer; si olor, oloris. Nunc cum rationale animal sim, Deus mihi laudandus. Hoc meum munus est, hoc facio. Neque stationem hanc deseram, quoad licuerit, vosque ad eandem cantilenam hanc hortor.*

Cælum desiderare *Lips. de const cap.11.*

389. Gallus, oculis ad cœlum levatis, epigraphen tenet, ET ASPICIT CREBRO. Ardentem beatæ patriæ contingendæ affectum, hæc imago innuit. Opportunè Justus Lipsius, *Cælum vera homini, germanaque patria est, ad quam aspiremus, ut cum Anaxagorâ ex animo possimus dicere fatuo huic vulgo quærenti. Nihil tibi curæ patria est? mihi verò illa patria. Et digitum mentemque in æthera intendamus.*

Cultus Dei *Matt.6.33.* *Bellarm. in vita Amedei*

390. Gallus, solem contemplatus, inscriptionem tenet. HINC EXORDIOR. Consentaneè nimirum ad illud Christi, *Quærite primùm Regnum Dei*, omnes nostræ operationes à Principio improducto exordium trahant. De B. Amedeo, Sabaudiæ Duce, testatur Robertus Bellarminus Cardinalis, *Initium operum suorum semper ab oratione ducebat: neque antea cum hominibus agere solebat, quàm Divino Missæ sacrificio audiendo, & conciliando sibi Numini operam dedisset.*

Iracundus *Psal.38.7.* *Senec.l 1. de Ira.c.1.*

391. D. Aresius hominem iracundum galli gallinacei coloribus exprimit; qui propriâ suâ imagine in speculo visâ, graviter excandescit; cum lemmate. FRUSTRA CONTURBATUR. Verbis è Psalmo desumptis. *In imagine pertransit homo; sed & frustra conturbatur.* Seneca. *Ira impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in id, quod cœpit, pertinax, & intenta, rationi consiliisque præclusa, VANIS AGITATA CAUSIS, ad dispectum æqui verique inhabilis &c.* Iracundus enim non solum ob levissimas causas sese concitari patitur, sed etiam inutilibus & vanissimis reculis indignatur, neque tandem è tot animi turbis quidquam aliud habet residuum, quàm peccata, & innumera pœnitendi argumenta. Scitè Horatius.

Horat.l.1. Epist.2.

---- *Qui non moderabitur iræ,*
Infectum volet esse, dolor quod suaserit, & mens,
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est, animum rege: qui nisi paret,
Imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catenis.

Vanitas mundan *Psal.l c. Hug.Cara in hunc l.* *S.Bern.ap. eundem.*

Verùm insanis ac inutilibus his motibus homo non tantùm in ira, sed etiã in ambitione, amore, avaritiâ, aliisque vanissimis passionibus *frustra conturbatur.* Ut adeò Hugo Cardinalis, in illud Psalmi commentatus, benè concludat, *Citò pertransit* (homo) *& ideò in parvo tẽpore vitæ suæ debet vel quiescere, vel laborare pro æterna vita. Hoc autem facit, sed & conturbatur frustra, id est, pro nihilo, quia pro transitoriis, quæ nihil sunt.* His pulcherrimam D. Bernardi sententiam subjungit. *Timent, quæ non oportet; amant, quæ non decet; dolent vanè, gaudentque vanius &c.*

S.Th Aqui

392. D. Thomas Aquinas sapientiæ suæ tonitru omnia hæreticorum monstra procul in fugam egit. Vnde in ejus honorem Galli gallinacei Emblema statuerunt, ad cujus clamorem leones tremebunda obvertunt terga, & in fugam aguntur. Epigraphen addidêre. FUGAT IMPAVIDUM. Cæterùm cùm Sacræ litteræ Dæmonem Leonis nomine compellent, *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*; ideò symbolo illo haud incongruè S. Vbaldum insignies, cujus merita vires adeò efficaces obtinuêre, ut Dæmones percelleret ac fugaret. *Cujus virtus*, inquit de illo S. Ecclesia, *præcipuè in effugandis spiritibus immundis elucet.*

S.Vbald: *1.Pet.5 8.*

Oratio. *S Aug.in Psal.55.*

Orationis clamore leo infernalis in fugam conjicitur. Vnde S.P. Augustinus. *Attendamus duos hostes, quem videmus, & quem non videmus. Hominem videmus, diabolum non videmus. Hominem diligamus, diabolum caveamus. Pro homine oremus, contra diabolum oremus.*

Pœniten incoacti. *Horat. Sat.*

393. Gallus, seipsum excutiens, epigraphen à me recepit: SE CONCUTIT IPSUM. Pœnitentem hæc idea spectat, qui ultro & nullâ impellente alterius operâ in pristinos animæ suæ errores studiose inquirit. Horatius.

---- *TE IPSUM*
CONCUTE, num tibi quid vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala.

Examen consciei tiæ. *Ribad.l.5. 1.vita.*

Eadẽ etiã examini conscientiæ convenit, cujus adminiculo humanum pectus, terreno pulvere expurgatum, munditiẽ deperditã denuò induit. S. Pet. Ribadeneira de S. Ignatio Loyola refert, *In horas singulas sese colligebat, & à reliquis animum in Deum avocabat, conscientiam suam discutiebat diligentissimè.*

Prædicator. *Hug.Vict.l. de Best.c.3*

394. Prædicatores ac Correctores viribus tantò validioribus agere debent, quò magis peccatores in vitiis suis obdormierunt: haud secus, atque Gallus CLAMOSIOR NOCTE PROFUNDA redditur. Præclarè, ut solet, meus Hugo de S. Victore, *Profundioribus horis noctis, valentiores ac productiores edere cantus solet, in quibus innuitur considerata Prædicatorum discretio, qui, cum iniquis adhuc mentibus prædicant, altis & magnis vocibus æterni judicii terrores intimant &c.*

Gal 5.26. Duellun

395. Duobus Gallis, mutuâ cæde collisis, epigraphen è D. Paulo subjunges istam; INVICEM PROVOCANTES. Duos impatientes, jurgiis ac conten-

Duellum. contentionibus assuetos, hoc Emblema adumbrat. Ita monomachi alternis injuriis sese ad duellum provocant. Goliad Davidem in peculiare certamen tamdiu evocavit, donec David cum illo congressus, insigni victoriâ duellum finierit. Ita quoque Argantes, priusquam confligerent, acerrimè sese mutuo lacessebant; unde de illis canit Tassus. 1.Reg. c.17 n.44. & 45 &c.

Ma poich' in ambo il minacciar feroce
Quinci, e quindi infiammò l'orgoglio, e l'irae
L'un come l'altro, rapido, e veloce
Del campo prende e subito si gira.

Impatiens. Ergò si superbum gallum imitari nolis, patiens esto, & provocatus, Magni Augustini consilium sequere. *Fili, si plores, piè plora; noli cum indignatione, noli cum typho superbiæ. Unde plangis? quod pateris, medicina est, non pœna; castigatio, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate; noli attendere, quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento.* S.Aug. in Psal 99.

396. Meus Concanonicus, D.Philippus Gallina Emblematis loco gallum exhibet, qui die jam adulto in sonoras voces solutus, epigraphen ex Ovidio mutuam sustinet. PROVOCAT ORE DIEM. Ovidii integrum distichon ita accipe, Ovid.1.Fast.

Nocte Deæ Nocti cristatus cædibus ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.

Concionator. Præclarum hoc Concionatoris exemplar est, qui suos Auditores ex obscurâ vitiorum nocte ad claram virtutum diem promovere studeat; in has cum Apostolo voces erumpens. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus &c.* Nam *quicunque operatur mala, in nocte operatur, non in diluculo*; inquit S.P. Augustinus. Rom.13.12. S Aug. in Ps. 61.

C A P V S.

397. ACademicus inter Furfuraceos Viperatus Symboli loco caponem præfert, qui viperæ carnes devorans, epigraphen tenet: RADDOPPIA IL MIO VALORE. Id est, NOVO ROBORE FIRMAT. Ita prorsus intellectus noster inter adversitates perficitur, & ærumnarum insultibus probè contusus, geminatas animo vires addit E S.Gregorii Nazianzeni sententiâ, *Ingenium acuit dolor.* S.Joannes Chrysost. illa D. Pauli verba examinans, *Tribulatio patientiam operatur,* attonitus exclamat, *Quid est? tribulatio patientiam operatur? Hunc maximum fructum habet, quod hominem afflictum ROBUSTIOREM REDDIT.* Calamitates utiles. S Greg Naz Orat in funere Patris. S.Chrysost. serm.14 de divers.novi Testam locis. Rom.5.3.

G L O T T I S.

CAPVT XXXIV.

398. GLottis, coturnicum consortio assueta, ab his per maris invia duces loco deligi solet; at misera avicula brevi, sive formidine, sive labore fractua, à cœpto tramite desistit, & ignava revertitur. Unde Aresius hominem, à cœpto negotio remissum, Glottidis symbolo repræsentat, quæ fugam à coturnicibus adornans, inscriptionem sustinet. DUX FUIT EORUM. His Protheis jure inaignatur Siracides, *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam*, Id est, interprete S.Gregorio Papa; *Sustinentiam quidem perdunt, qui bona inchoant, non consummant. Quibus nimirum væ esse dicitur, quia non solum incepti laboris mercedem perdunt, sed etiam apostolatus sui pœnâ feriuntur.* Inconstantia. Eccles.2. 16. S Greg in Reg. l. 5. c. 3.

GRVS. CAPVT XXXV.

399. GRus, Pigmæis, ad Nili paludes habitantibus, inimica est, bellisque assiduis cum illis congreditur; unde eorum insidias exploratura, noctu excubias agit, pede uno è terrâ sublato, & lapillum intra unguens sustentante. Lemma. EXCUBIAS AGIT. Vel, VIGILAT, NON FATISCIT. Vel NON DORMIT, QUI CUSTODIT. Singulas has inscriptiones jure sibi vendicat Angelus Tutelaris; *Nobis enim*, S.Petri Chrysologi verba sunt, *supernæ dominationes, nobis Angelorum officia excubiis militant indefessis.* Richardus de S.Victore. *Quis existimet*, inquit, *quantâ charitate & curâ circa commissos sibi vigilent? quomodò torpentes excitent, & solicitos atque ferventes ampliùs accendant? quomodò hinc mala excusent, inde bona Divino conspectui repræsentent, quomodò defendant; aut his gratiam obtineant, vide apud eundem plura, quæ de S.Angelo Custode disserit.* Angelus Custos. S.Pet Chrysol serm.69. Rich de S. Vict in Cant. c.4.

400. Grus, uno pede lapidem inter volandum sustinens, epigraphen habet. UT TUTE. Vel, ITER TUTISSIMUM. Vel, VOLATUS FIRMAMENTUM. Prælatos hæc imago concernit, qui ad regiminis sui vigilantiam conservandam, affectuum suorum pedibus petram, Christum inquam, firmiter teneant, ut hujus adminiculo securam in gubernando facilitatem sortiantur. *Lapis est Christus*, inquit meus Hugo Victorinus, *pes mentis affectus; si igitur ad custodiam sui vel fratrum vigilat, lapillum in pede, id est Christum in mente portet &c.* Protectio. Prælatus. Hug Vict l. de Best. c 39.

401. Grus diuturno labori vigilantiam jungit indefessam, dum lapidem pedibus sustentans, pro aliis excubias agit, eosque ab interitu vindicare allaborat. Unde lemma. VIGILEM CURA FATIGAT. Ita bonus Pastor aliorum quietem suomet incommodo ac solicitudine procurat. *Ille enim præesse debet aliis,* inquit S.Bernardus, *qui vino charitatis ebrius æstuat, immemor sui, ut non quærat quæ sua sunt, sed magis quæ Jesu Christi.* Imaginem hanc Academia Parthenia sequenti Epigrammate illustravit. Vigilantia cum labore. S Bernardus serm 2. de diversis.

Stat vigil, & lapidem pedibus Grus sustinet uncis,
Secura hunc circum cætera turba jacet.
Tu quoque sic vigiles, unum te cura fatiget,
Grex tuus ut tutâ corda quiete levet.

402. Tantùm abest, Gruem è saxeo pedum pondere quidquam à volando impediri, ut potius plurimum adminiculi & agilitatis inde capiat. Solini de illa testimonium est, *Sublatis lapillis ad moderatam gravitatem saburrantur.* Unde inscripsit Raulin. *JUVAT GRAVITATE VOLATUM.* Ita prorsus matura ac considerata gravitas operationum nostrarum celeritatem non remorantur, sed promovent. insuper morborum ac calamitatum pondera animam mirè acuunt, Deoque contingendo idoneam efficiunt. De se ipso testatur Magnus Aug. *Adhibita est tribulatio ad admonitionem, admonitio facta est ad tuam laudationem. Non enim intelligerem ubi essem, nisi de infirmitate mea admonitus essem.* Solin c.15. Maturitas. Calamitas elevat. S. Augustin. in Psal. 53.

403. Grus, ut somnum abigat, magni ponderis saxum pedibus tenet; cum dicto. NE DORMIAT. Dignitates & honores, si penitius considerentur, nil aliud sunt, nisi pondera, quæ hominem somno defraudant, & ad perennes vigilias compellunt. S.Gregorius Papa. *Quantò quis altiùs erigitur, tantò curis gravioribus oneratur.* S.Paulus dilucidè, *Oportet*, inquit, *Episcopum esse sobrium, prudentem*; seu ut S.Joannes Chrysost. legit, *sobrium atque vigilantem*; id est, interprete ipso, *clarissimâ mentis acie præditum, innumerosque habentem omni ex parte oculos, quibus acutissimè cuncta prospiciat. Vigilantem igitur necesse est il-* Dignitates somnum auferunt. S.Greg 17. Mor. c.12. 1.Tim 3.2. S Chrysost. hom 10 in hunc loc.

lum esse, qui non tantùm sui curam habeat, sed etiam reliquorum.

404. Grus inter multas suas socias, somno altùm sepultas, mediam occupat stationem, & instar procubitoris, pro illis excubias agit; Emblemati subscripsit. P. Hortensius Pallavicinus. UNA OMNIBUS Eminentissimum Cardinalem Alphonsum Littam, Archiepiscopum Mediolanensem hæc imago spectabat, qui, ut subditis quietem ac tranquillitatem providerет, studio ac vigilantiâ indefessâ allaboravit. Ad hoc propositum S. Pet. Chrys. *Pastor*, inquit, *adjungit noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi; ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio.* Et S. Joan. Chrys. *Decet esse pervigilem eum, qui ejusmodi est* (id est, Pastor animarum) *ducesq; omnes solicitudine atque industriâ superare, ut die noctéq; exercitum & castra perlustret, laboret, & sui officii munus diligentissimè impleat, atque OMNIUM CURAM & solicitudinem GERAT.*

Pastor vigilans. S. Pet Chrysol. serm. 24. S. Chrysost. hom. 10. in 1. Tim.

405. Lucretius Borsatus observatum habuit, Grues nunquam dissociatas, sed semper ingenti agmine collectas volare. Unde lemma. NONNISI GREGATIM, Probè enim è naturæ dictamine nôrunt, quosvis hostium incursus negotio tantò faciliore superari, quantò vires magis fuerint unitæ ac concordes. Tertullianus sanctos Martyres hortatus, *Inveniat*, inquiebat, *munitos, & concordia armatos, quia pax vestra bellum est illi.* Et meus Concanonicus Rich. Victorinus. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, quam nec voluntatum varietas, nec rerum proprietas animos dividebat, sed firmiter stringebat charitas, & suaviter cohibebat in unitate spiritus, mensa, & in vinculo pacis.*

Concordia ulilis. Tertull. l. ad Martyres c. 1 Rich Victor. de grad. char. c. 4.

406. Rigente brumâ, grues, uti & hirundines aliæque volucres, fugam in exteras regiones capessunt, atque adeo, asserente P. Henrico Engelgrave, RECEDUNT TEMPORE MALO. Nimirum alludit ad illud D. Lucæ, *Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*, S. P. Aug in illud Psal. *Conversi sunt in die belli*, ait, *Converti in die belli, est promittere in die auditionis; & deserere in die tentationis; armis quasi prolùdere, & ad horam certaminis nolle pugnare.* Eodem charactere fucatum & adulterinum amicum dignoscere licet, de quo Siracides; *Est amicus socius, non permanebit in die necessitatis.*

Tentatio. Luc 8. 14. S. Aug in Ps. 77. 9. Amicus falsus. Eccl. 6. 10.

407. Ea gruibus volandi lex est, ut una quidem alteram studiosè ac ordine insequatur, nulla tamen à primæ, ceu Ducis, vestigiis unquam exerret. Unde ita inter se coordinatæ, epigraphen tenent. UNA DIRIGIT OMNES. Idem in civitate aut Religione cernere licet; ubi populus, mirâ ordinum statuumque symmetriâ, iis morem & obsequia deferre solet, qui Principum ac prælatorum munere defunguntur, alisque operationum suarum exemplo viam præeunt. Et certè, ut quivis homo obediat præsidenti, ejusque voluntatem studiosè sequatur, disertè præcipit Deus, *Hæc est via, ambulate in eâ, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Obedientiæ te totum addic, & virtutem absolvisti. *O felix & abundans gratia!* exclamat jure merito S. Hieron. *In obedientiâ summa virtutum clausa est; nam simplici ingressu hominem ducit ad Christum.*

Exemplũ Majorum. Obedientia. Isa. 30. S. Hieronym. Reg. Monac. c. 6.

408. Grus, sublato pede lapidem stringens, epigraphen tenet. NUNQUAM RECIDET. Firmam in cœpto negotio perseverantiam hæc imago innuit. Regii Vatis consilium est. *Apprehendite disciplinam*; nam, interprete S. Hilario, *Apprehendenda est disciplina & invadenda quodam amplexu, & vinculo corporali, ne elabatur & excidat.*

Perseverare. Psal 2. 12. S. Hilar in hunc loc.

409. Eidem Emblemati subscribes. NE IMPROVISO. Nempe dubios fortunæ casus oculo semper vigili prævidere, iisque prudenti cautelâ ac solicitudine obviam venire docet. Hac virtute celebris Hannibal Carthaginensis, integras noctes insomnes ducere, & in armis vigil persistere consuevit, uti de illo Polybius & Sylius Italicus hoc versu testatur.

Cautela. Polyb l. 3. S. Ital. l 1.

---- *Noctemque vigil ducebat in armis.*

S. Petrus Chrysologus. *Semper ad omnia vigilias esse salutares nemo ignorat. Hinc est, quod Rex in procinctu pervigil, callidi hostis præcavet & evitat insidias. Tunc in castris miles supervenientes nocturnos impetus cautâ pernoctatione propellit.*

S Pet Chr. serm 24.

410, Nonnemo Gruem, lapide intra unguem gravidam, hoc lemmate notavit. STUDIO, ET VIGILANTIA, vel meâ quidem sententiâ, IN SOMNO INSOMNIS. Hîc te assiduos Senecæ labores & indefessam industriâ mirari volo, ipsumet teste sibi luculentum audi. *Cõsuetudinẽ meã nostis; brevissimo sõno utor, & quasi interjungo. Satis est mihi vigilare desivisse, aliquando dormisse mescio, aliquando suspicor.*

Vigilant. Senec. Epi 83 ad Luc.

411. Academici insensati Perusini Emblematis loco Gruum turmam circumferunt, quæ, lapide intra pedes sustentato, è littore solvunt, marisq; vastitatem pervolant: cum lemmate. VEL CUM PONDERE. Innuunt videlicet, se, tametsi arduo solicitudinum ac laborũ pondere gravatos, nihil tamen à virtutis, litterarum, ac gloriæ progressu retardari. Atq; adeo hoc symbolo animum resolutum & à cœpto virtutum tramite nunquã deturbandum significare licet. Ad hanc ideam, exactè efformatus S Paulus, prædicando, scribendo, aliisq; assiduis pro sanctâ fide laboribus ita indefessè invigilabat, ut quieti captandæ vix quidquam indulgeret. Ipsummet audi. *Ministri Christi sunt (ut minus sapiẽs dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modũ, in mortibus frequenter &c.* S. Gregorius Papa continua ægritudinum mole pressus, innumeros labores, non sine totius mundi admiratione, præstitit; de hoc testatur S. Ecclesia. *Admirabilia sunt quæ dixit, fecit, scripsit, decrevit, præsertim infirmâ semper & egrâ valetudine.* S. Marcellus Papa charitatis suæ alis universam Ecclesiã visitando, cõsolando, & consilia per litteras dispensando est emensus, idq; *vel cum pondere*; utpotè gravissimis Maxentii persecutionibus assiduò pressus.

Persevere. S. Paulus 2. Cor. 11. Brev. Rom 12. Marti Ibid. 16. Ia.

412. Grus, lapide instructa, & jamjam volatura, epigraphen à Francisco Lanco accepit. NON SINE PONDERE. Exinde discas velim, ad loquendum vel operandum nũquam sine gravi prudentiâ, maturo judicio, ac insigni cautelâ progrediendum esse. Hanc virtute Rex Theodatus, Cassiodoro referente, in Reginâ Amalasunthâ commendabat *In tractatibus acuta, sed ad loquendum summâ moderatione gravissima. Hæc est regalis procul dubio virtus, celerius necessaria sentire, & tardius in verba prorumpere &c.*

Prudent. Cassiod. v. l 10. ep. 4.

413. Andreas Alciatus de gruibus canit.

Arreptum gestant quæ pedibus lapidem
NE cessent, neu transversas mala FLAMINA RAPTENT

Alciat Em. 1 7.

Nam graves lapillo, pedibus prehenso, velati sustentaculo nituntur, ne ventorum impetu abreptæ, extra cœptum tramitem deflectere cogantur. Unde Grui, lapidem sustinenti, inscribes. NE FLAMINA RAPTENT. Hac ratione bonitas ac providentia Divina suis clientibus cavet; ut quos, gravi tentationum ac infirmitatum pondere pressos, ab ingruentis superbiæ vento validè munit. Perspicuè S. Paulus, *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ &c.* Opportunè S. Greg. *Aliquando quisque non pro præteritâ culpâ diluendâ, sed pro futurâ vitandâ percutitur, quod aperte Paulus Apostolus de semetipso testatur, dicens; Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus*

Calamit. præserv. 2. Cor. 12. S. Greg. in Exposit. Io. c. 5.

lus carnis meæ &c. Quia enim non ait, quia extulit, sed NE EXTOLLAR; apertè indicat, quod percussione illâ NE EVENIAT COMPESCITUR. &c.

414. Grus, inter complures socias dormientes media, & excubias agens, à D. Carolo Bosso epigraphen accepit. ME STANTE NIL TIMENDUM. Ita, dum Principes ac Prælati vigiles persistunt, Provinciæ ac Religiones nil, quod timeant, habent; illorum enim vigilantia, ad omnem hostium incursum attenta, quietem ac tranquillitatem felicissimam subditis præstat. Huc plurimùm confert illud Psalmi, *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te, Dominus protectio tua.* Nam Principe vigilias agente, satis præsidii habet civitas. Certè Christo nonnihil dormitante, jamjam Apostoli sese pelagi fluctibus haustos credebant; verum ut primùm *suscitaverunt eum, cessavit ventus & facta est tranquillitas magna.* S. Petrus Chrysologus. *Suscitatus à discipulis Christus mare hoc, id est mundum, corripit: tranquillat orbem, Reges mitigat, sedat fluctus, componit populos.*

Prælatus vigilans.

Psal 110,4.

Matt. 8.25. Marc. 4.39. S Pet. Chrys. serm. 20.

415. Grues, cuneatim volare solitæ, volando litteram Pythagoræam Y describunt. Ne verò illa, quæ cæteras ducis loco præcedit, aut labori succumbat, aut in superbiam elata, præcedendi honorem sibi soli deberi credat, hoc munere alternis vicibus singulæ funguntur. Unde Emblemati subscripsi. ALTERNE PRÆCEDUNT. Vel ut aliis placet. VICISSIM AGMINA DUCUNT. Hæc dignitatis commutandæ consuetudo planè sanctissima est, & in quavis republicâ vel Religione observatu dignissima. S. Ambrosius hanc doctrinam verbis ita enucleatis tradit, ut benevolo Lectori minimè grave futurum sensam, si ea ad verbum admetiar. *Præcedit una cæteris præstituto sibi tempore, & quasi ante signa præcurrit, deinde convertitur, & sequenti sortem dicendi agminis cedit. Quid hoc pulchrius? & laborem omnibus, & honorem esse communem, nec paucis arrogari potentiam, sed quadam in omnes voluntariâ sorte transcribi. Antiquæ hoc Reipublicæ munus, & instar liberæ civitatis est. Sic ab initio acceptam à naturâ, exemplo avium, politiam homines exercere cæperunt, ut communis esset labor, communis dignitas, per vices singuli partiri curas discerent, imperia, obsequiaque dividere: nemo esset honoris exors, nullus immunis laboris: Hic erat pulcherrimus rerum status, nec insolescebat quisquam perpetuâ potestate, nec diuturno servitio frangebatur,* vide, quæ prolixè adhuc prosequitur.

Vices mutare.

S. Ambr. l. 5. Hexam. c. 15.

416. Astronomum, & cumprimis Theologum Gruis Emblemate insignies, quæ volando ad cælum, sublevata, à Scipione Bargalio epigraphen recepit. INDAGAT SUBLIMIA. Verbis, ni fallor, è Pierio desumptis, qui gruem hoc encomio describit, *Sublimium rerum indagator.* Seneca de sapienti & philosophico hominis animo disserens, *Corpus hoc,* inquit, *animi pondus, ac pœna est, premente illo urgetur, in vinculis est, nisi accessit Philosophia, & illum respirare rerũ naturæ spectaculo jussit, & a terrenis dimisit ad Divina. Hæc libertas ejus est, hæc evagatio, subducit interim se custodiæ, in quâ tenetur, & cælo reficitur.* Et paulò post. *Animus in hoc tristi & obscuro domicilio clausus, quoties potest, apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requiescit. Sapientia quidem adhæret in corpore suo, sed optimâ sui parte abest, & AD SUBLIMIA INTENDIT.* Id quod de seipso candidè fatetur S. Paulus, *Nostra conversatio in cælis est,* quasi diceret interprete S. Gregorio Papâ, *Corpore ambulamus in terrâ, sed corde habitamus in cælo.*

Astrologus. Theologus.

Pier. l. 17. Senec. Epist. 65.

Philip. 3, 20.

S. Greg. l. 8. Moral. c. 13.

417. Gruem supra nubes procellosas figurârunt; veluti quæ clarâ ac tranquillâ cæli serenitate unicè delectatur: cum dicto; A STREPITU PROCUL. Emblemati huic construendo Pierius sequentibus verbis ansam dedit. *Si subsidere nubes infrà despexerit, nunquam ad terram se demittit, usq; adeò tempestates, & ventorum, procellarumque motus summo studio declinat, utpote quæ sit quietis amantissima.* Genuinum hoc Religiosi est ectypon, qui inquietis inferi hujus mundi turbis longè superior, solum è vitæ contemplativæ, & obsequii Divini obtutu suspensus hæret. Dionysius Richelius, *Sancti Patres,* inquit, *qui Ordines instituerunt, ipsos Religiosos vita, habitu, mansione à sæcularibus voluerunt esse distinctos, & habitationem eorum claustrum esse sanxerunt. Cur itaque, nisi quia habitatores ejus debent AB OMNI sæculari TUMULTU esse QUIETI, & passionum ac vitiorum inquietudine liberi &c.*

Pier l 17.

Religiosus

Dion Richel. Præfat ad serm de SS.

418 Grues cæptum volandi ordinem, quantùm fieri potest, prosequuntur, nec à tramite suo unquam sese diverti patiuntur. Unde lemma. NUNQUAM DESERUNT. Quisquis ad innocentiæ, perfectionis, ac vitæ sublimioris volatum accinctus es, extra decretam semitam nunquam dimoveare, necesse est; quin imò cum S. Jobo liberè pronunties. *Justificationem meam, quam cæpi tenere, NON DESERAM;* Memor sententiæ Chilonis, *Tardè quidem aggrediendæ esse omnia, verùm cum semel jam inceperis, constantissime in agendo perseverandum esse.*

Perseverantia.

Iob. 27. 6.

Chilo apud Silvan in serm de Prudentia

419. Aliæ volucres omnes, dum senescere incipiunt, pennas suas mutant, & colorem à primævo diversum induunt; solâ exceptâ Grue, quæ Gesnero teste, quantumvis annis confecta, formam ac colorem congenitum nunquam dimittit, Unde Bargalii lemma. COLOREM NEC ÆTATE COMMUTAT. Animum, in virtute constantem ac perseverantem, hæc imago repræsentat. Seneca. *Bene compositæ mentis existimo, secum consistere.* Et rursus, *Persevera, ut cæpisti.* In virtutis hujus palæstrâ mirabilem sese orbi probaverat Pius V. qui è D. Dominici familiâ ad purpuram Ecclesiasticam, & inde ad Summi Pontificatûs apicem evectus, nihil unquam à primævâ animi sui demissione ac corporis castigandi more remisit; mensam accumbens nimiùm quantùm sobriam, stataque jejunia irrevocabili servans lege. Unde nec ad extremam usq; cum morte luctam persuaderi unquam potuit, ut lecti, aut tunicæ interioris rigorem nonnihil temperaret. Et, ut compendio dicam, nec dignitate, nec morbo, nec senectute sese etiam à minima religiosæ pænitentiæ, aut corporis macerandi consuetudine vel semel dimoveri passus est.

Gesnerus in Grue.

Perseverentia.

Senec. ep. 4 ad Lucil.

B. Pius V.

420. Hugo Victorinus & Petrus Bercorius, Gesnero è diametro adversi, docent, grandævam gruem suas pennas squalido nigrore tingere. Hac opinione nixus, subscribere poteris. SENECTUTE NIGRESCIT. Pænitentem illum hæc imago spectat, qui juventutis suæ vanitatem & insaniam anxiè detestando, tandem resipiscit, ac senectam suam contriti pœnitentisque animi pulvere aspergit. Hugo Victorinus; *Cùm enim,* inquit, *quæ mala gessit, senex commemorat, in senectute colorem mutat. Mutat enim amorem pristinæ delectationis in dolorem contritionis.*

Hug Vict. l. 1. de Best c. 39.

Bercor. in Reduct mor. l 7. c. 30.

Pœnitens.

Hug. Vict. l. c.

421. D. Horatio Spinolâ è vivis sublato, Gruem symboli loco depinxêre, quæ supra tumultuantes nubes evecta, cælo sereno gaudebat; cum lemmate. REQUIES HIC CERTA. Quidquid enim infra lunam degit, illud omne veræ quietis penitùs est ignarum; solumque in cælo eam obtinere licet. *Nam vincula hujus mundi,* Magno Augustino teste, *asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* Apprimè Urbanus VIII.

Beatitudo.

S. Augustin. Ep. 39.

Urban VIII. Odo de S. Maria Magdal.

Nil tamen in tuto mortalibus, ultima donec
Recludat hora cuique sortem, gloria
Perennat una Cælitum
Extra vulneris ictum.

422. PRinceps aut Prælatus, pro recuperandâ subditorum quiete assiduis curis fatigatus, Gruem imitatur, quæ inter socias suas media, lapidem sublato pede sustinet, ac excubias agit; cum lemmate. UT ALII DORMIANT. De Imperatore Octaviano testatur Seneca, *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.* Sinesius, *Qui vigilare, inquit, & in maximo concursu solicitudinum versari sustinet, ut noctu & interdiu subditi malis omnibus vacent; hic in genere quidem ovium Pastor: in hominum verò genere Rex est.* Virtutem hanc in Philippo Macedonum Rege cumprimis deprædicabat Parmenio; Græcis enim die quâdam Regi acerbius indignantibus, quod inter illos medius somno opprimeretur, prompto ore respondit Parmenio. *Nolite admirari, si nunc Philippus dormit; nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat*, uti his omninò verbis refert Plutarchus.

Vigilantia Superioris

Senec. Consol ad Polyb. c. 26.

Sines. l. de Regno.

Plutarch.

423. Vitam solitariam, & ab hominum strepitu remotam ad contemplanda cælesti i esse omnium aptissimam, è Grue disces, quæ Solis aspectu gavisura, locum editiorem conscendit; cum Lucarini lemmate. LONGIUS AB ALTO. Richardus à S. Victore, *Qui internam quietem diligunt, ipsi de invisibilibus bonis mira cognoscunt, & quantò se à temporalibus amplius elongant, tantò magis æternis appropinquant.*

Rich. à S. Vict. c. 1. Apoc.

424. Mutuam subsidii conferendi opem è Grue docemur, quæ noctu excubias agit, ut sociæ, diurno labore fractæ, securam quietem captare possint. Epigraphen Lucarinus indidit. PRO DEFESSA VICEM. Possidonius de Magno Ecclesiæ lumine Augustino, refert, *Domus Ecclesiæ curam, omnemque substantiam ad vices valentioribus Clericis delegabat, & credebat*; tum, ut onera domestica non unius tantùm humeris incumberent, tum ne ullu assiduâ curâ insolesceret; tum denique ne aliorum ingenia otiosè diffluerent, & veluti derelictui haberentur.

Alterna auxilia.

Possid. c. 12. vita S. Aug

425. Grus, posteaquam præstituti temporis excubias persolvit, edito ingenti clamore, ad quietem se componit. Unde lemma: EMISSO CLAMORE QUIESCIT. Causam reddit S. Ambrosius, *Perfuncta munere, in somnum se, præmisso clamore, componit, ut excitet dormientem, cui vicem muneris traditura est.* Christi morientis hæc imago est, qui *clamans voce magnâ, emisit spiritum.*

S. Ambr. Hexam c.

Christu morien

Matt. 27.

426. Dum Grues montem, aquilis habitatum, prætervolant; inconditos clamores, ad quos à naturâ impelluntur, non sine violentiâ cohibent; probè gnaræ, è summo hoc silentio vitam ac incolumitatem suam unicè pendere. Epigraphen ex Horatio nonnemo subdidit. SILENTIO TUTA. Consentaneè quidam Poeta,

Silentiu.

Horat l. Carm. C

Quantùm etenim distant à morte silentia vitæ!

De Romanis testatur Valerius Maximus, quod *nunquam taciturnitatem, optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, labefactari volebant.* Et paulò post, *Fidum erat & altum Reipublicæ pectus Curia silentii salubritate munitum & vallatum undique.* In hanc rem D. Guido Casonus idiomate vernaculo canit.

Val. Max. c. 2.

Guid Ca Emblem.

Util, modesto auventuroso parto
De la prudenza è quel silentio industre,
Che quasi intimo spirito auviva, e informa
Gli altri maneggi, e ne la pace nutre
Con vitale, e dolcissimo alimento
L'alme, e gli studi, e se tal hor di Marte

Favo-

Favorisce l' imprese, orna fovente
Le vittorie di spoglie, e di trofei.

427. Prædicator vitiosus opere & exemplo destruere solet, quod voce extruit; unde D. Paulus Aresius illum Gruis Emblemate dignoscendum proponit quæ ducis munere ritè perfuncta, demum die jam adultâ volatum suum invertit, omniumq; ordinem turbat. Lemma. IPSE CONGREGAVIT. His acerbè indignatus meus S. Prosper, in hæc verba canit. (Prædicator vitiosus.) (S. Prosp. Epig. 7.)

Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis,
Ni pia mens habeat, quod benè lingua sonat.
Nam fari rectè miserum est, & vivere pravè
Damnat, nota malum regula justitiæ.

Et S. Joannes Chrysostomus. *Grandis condemnatio est, sermonem quidem suum componenti, vitam vero suam atque operam negligenti.*

428. Grui, lapillum sustinenti, inscripsêre. PONDERE TUTIOR. Certè Christianus, calamitatum pondere gravis, non tantùm nihil detrimenti, sed plurimùm ponderis recipit. S. Paulus pro avertendis difficillimis, &, suâ quidem opinione, nimiùm quantum ingravescentibus ærumnis tertia vice Deo supplex extitit; semper tamen preces suas expertus est frustratas, neque aliud nisi assistentiæ Divinæ promissum retulit; *sufficit tibi gratia mea*; prævidit enim optimus ac providentissimus Deus, è re precantis minimè futurum, si illa calamitatum pondera, ceu totidem securitatis & salutis obtinendæ instrumenta, auferret. Rich. Victor. *Paulum postulantem auferri à se stimulum carnis suæ meliùs exaudivit, Deus cùm non abstulit; quia si abstulisset, salvus non esset.* (Calamitas securum facit.) (2. Cor. 12. 9.) (Rich. Vict. c. 35. in Cant.)

429. Si fortè Gruem intra excubias somno opprimi contingat, mox lapillus, è pedibus prolapsus, DORMITANTEM EXCITAT. Quotidianâ experientiâ firmatum est, homines si aliquid damni perpessi fuerint, rebus suis imposterum majore studio invigilare, & veluti somno obrutos expergefieri. Joan. Stobæus Thaletis ore ait, *Non vides, quod multis negotiis occupati divites, studiis sapientiæ vacare nequeant: pauper verò, nihil habens quod agat, ad philosophiam se convertit?* ita planè anima vestra, intra blandientis fortunæ affluentiam stertens, & complurium vitiorum lethargo sepulta, tandem, excussis mundi prosperitatibus, è veterno suscitatur, & ad Dei amorem, virtutumque desideria reviviscit. Diogenes id probè perspectum habens, dicere consuevit, *Paupertatem esse subsidium ad Philosophiam.* Et Franc. Petrarcha *Sæpè quidem paupertas modestiam persuasit reluctanti animo.* Et paulò post. *Inter tentoria paupertatis sobriæ atq; solicitæ, luxus iners, sopor marcidus, ac vitia languida & enervata non subeunt.* (Calamitates excitant.) (Stob. ser. 95.) (Diog apud Stob. loc. cit.) (Franc. Petr. l. 2. de Remed Dial. 8.)

430. Christi passionem, jugi menti nostræ memoriâ agitatam, ad virtutis continuandæ studium excitare, D. Aresius è gruis symbolo demonstrat, quæ lapidem sustentans, epigraphen tenet. NE SOMNUS OPPRIMAT. Magni Augustini doctrina est: *Christi voluntaria passio, nostra est necessaria consolatio, ut quando talia forte perpetimur, intueamur caput nostrum, ut ejus exemplo commoniti, dicamus nobis: si ille, quid nos? & quemadmodum ille, ita & nos.* Ita Milthiadis victoriæ, attento animo consideratæ, omnem Themistocli somnum eripuêre, eumque, ut ad heroica facinora accingeretur, incitarunt. Cæterùm Emblemate illo etiam hominis cujusvis vigilantiam describere licet. (Passionis Christi memoria.) (S. Aug. in Ps. 34. Con. 2.) (Plutarch.) (Vigilantia.)

431. Temperatum prudentis hominis animum, & mediocri suâ sorte oppidò contentum, Henricus Farnesius Gruis Emblemate repræsentat, quæ lapidis sustentandi pondus ita justum observat, ut nec nimiùm gravem, quo deprimeretur, nec nimiùm levem, ut pote vigiliis ducendis inutilem, eligere soleat; Epigraphè addidit. NE QUID NIMIS. Unde Deo supplicarat Salomon, *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi*; alios verò imbuens, dicebat; *Noli esse justus multùm; neque sapias quàm necesse est.* In eandem sententiam concedens S. Gregorius Nazianzenus, canit. (Farnes. l. 1. Diphtera Elog. 7.) (Mediocritas.) (Eccl. 7. 17.) (S. Greg. Naz.)

Esse nimis justus, prudens nimis esse caveto:
Omnia summa nocent, sed moderata juvant.

432. Corporis gravitate impediuntur grues, quò minùs liberè sese in auras erigere valeant; etsi enim magnas extendant & quatiant alas, corpore tamen supra terram eluctari ægrè possunt. Unde lemma grui inditum. MOLE DEPRIMITUR. Ita homo, divitiis implicitus, neque magnum aliquid, aut generosum peragere vel cogitare potest, terrenis rebus identidem affixus. Verissimè S. August. *Obligata anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest: mundata verò ab affectibus sordidissimis sæculi, tanquam extensis pennis, volat; quo nisi ad Deum ascendit volando, quæ ascendit amando?* De militibus dicere solebat Lampridius. *Miles non timet, nisi vestitus, calceatus, armatus, & habens aliquid in zonula.* (Divitiæ onerant.) (S. Augustin. ser. 1. de Diversis c. 7.)

433. Mathias Archidux Austriæ Gruem, suspenso pede super arma stantem, exhibuit; cum lemmate. AMAT VICTORIA CURAM. Id quod de victoria corporali, vel maximè etiam de spirituali censendum est; neutra enim sine assiduâ ac vigili solicitudine comparatur. Unde hortatur Magnus Augustinus. *Necesse est, ut primùm cor mundemus, deinde carnem nostram per jejunia & vigilias ad laborem utilem castigemus, ne carnis libido mentem maculet.* (Solicitudo) (S. Aug. serm. 248. de temp.)

G R Y P H U S,
CAPUT XXXVI.

434. GRyphus Scythiæ thesauros anxiè custodire solet; unde adversus Arimaspos, qui auro è fodinis extrahendo inhiant, assiduo certamine confligitur Emblemati integrum hunc versum subscripsêre. UNGUIBUS, ET ROSTRO, ATQUE ALIS ARMATUS IN HOSTEM vel ut alii brevius. ET CUSTOS, ET PUGNAX. Genuina hæc Tutelaris Angeli idea est. Abbas Cellensis ait, *Totum quantum ad nos officium Angelicum, est, ut defendant nos à malo, & conservent nos in bono.* Et S. Pet. Dam. *Per hunc mundum cælestium virtutum quotidie multitudo discurrit, quæ nobis auxilii manus in certamine porrigit. Neque enim versutia tam callidi, tam exercitati hostis posset fragilitas humana resistere, nisi eos à tentationibus electorum virtus Angelica propulsaret.* Id ergò vel maximè provide, ut castimoniæ tuæ thesaurum, quem in vasis fictilibus, id est in corporis tui terrâ absconditum habes, cælestis illa volucris, Angelus nimirum custos, studiosè adversus hostes tueatur. (Angelus Custos.) (Alb. Cellens. l. de myst. exposit Tabernaculi) (S. Pet. Dam. l. 8 epist 17)

435. Gryphus, dimidiâ corporis sui parte aquilam, reliquâ verò leonem præferens, dignitatem utrobiq; regiam ostentat; illa enim volucribus dominatur, hic inter quadrupedes imperiũ tenet. Unde lemma. UNDIQUE PRINCEPS. Summus Pontifex instar Aquilæ, spirituali imperio conspicuus, cœlos recludit, ac Superûm thesauros, utpote supremas Christi vices gerens, dispensat; instar Leonis verò amplissimo terræ regno dominatur, quod Constantinus Magnus eidem unâ cum regiis insigniis liberalissimè obtulit; uti Gratianus & PetrusGregorius prolixè referunt. Porrò justus non tantùm res terrenas omnes sibi habet subditas, sed cœlestibus quoque, imo & ipsimet Deo imperat; Deus enim, teste Vate Regio, *Voluntatem timentium se faciet.* S. P. August. *Si ideo times Deum, ut tu facias ipsius voluntatem; ecce & ipse quodammodo ministrat tibi, & facit voluntatem tuam.* (Summus Pontifex.) (Gratian c. 13. & 14 Constantinus 59. distinct) (Pet Greg in Repub l 15. c. 1 n 11.) (Justus.) (Psal 144 19) (S. Aug in hunc loc.)

436. Illustrissima Sorbellonum familia, togâ sago-

Fidelitas. quæ grandis ac gloriosa, inter cætera sua Emblemata Gryphum præfert, cujus superior pars è nube prominens, epigraphen tenet. NEC VI, NEC VITIO. Innuit fortassis, familiæ suæ nobilitatem tametsi heroicis ac generosis factis ad summas dignitates, & ad ipsum usque cælum sublata sit, fide tamen ac candore semper integerrimo fuisse usam, fraude ac violentiâ, veluti nativis tyrannorum chracteribus procul à se rejectis. Hac agendi ratione Apostolus, civis Romanus, locoque non ignobili oriundus gloriatur, (2. Cor. 7.2) *Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus*; quasi diceret interprete Hugone Cardinali (Hugo Card. in hunc loc.), *Neminem læsimus per violentiam, neminem circumvenimus per fraudulentiam.* S. Joannes Chrysostomus (S. Io. Chrysost. hom. 14. in eundem loc.) in eundem locum ait, *Quid est, corrupimus? hoc est neminem in fraudem induximus. Neminem circumvenimus, non rapuimus, non insidias struximus.*

HIRUNDO. *CAPUT XXXVII.*

437. Hirundinum turmæ inscripsit Ferrus. HYEME AVOLANT. Personatos amicos, calamitatum tempore procul in fugam converti solitos, hæc imago adumbrat; id quod veterum, cumprimis verò Tullii sententiâ pridem firmatum est. (Ferrus in umbris apparentibus. Amicus falsus. Cicero l. 4. ad Herennium.) *Ut hirundines æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt, ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt, simul atq; fortunæ hyemem viderunt, èvolant omnes.* Expertus canit in hanc rem Ovidius (Ovid. l. 2. de Ponto.)

Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est,
Quæ simul intonuit, proxima quæque fugat.
En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis aura secunda meis:
Ut fera nimbroso tumuerunt æquora vento,
In mediis lacerâ nave relinquor aquis.

Haud aliter, idiomate tamen diverso Ludovicus Ariostus. (Lud. Ariostus cant. 19 st. 1)

Alcun non può saper da chi sia amato
Quando felice in su la rota siede:
Però ch' à i veri, e i finti amici à lato,
Che monstran tutti una medesima fide.
Se poi si cangia in tristo il lieto stato,
Volta la turbe adulatrice il piede;
E quel che di cuor amarimam forte,
E ama il suo signor dopo la morte. (Io. Aud.)

Breviter ac nervosè Joannes Audenus.

Invenies multos, si res tibi floret, amicos;
Si fueris pauper, nullus amicus erit.

438. Tametsi Hirundines naturâ suâ canoræ sint, illarum tamen pulli, si fame nonnihil premantur, flebili voce, ac rostris luctuosè hiantibus ingemiscunt. (Calamitas orationem docet.) Unde lemma. URGET SILENTIA FAMES. Ita Ezechias (Isa. 38. 13.), graviter afflictus, & inter extremas angustias jamjam suffocandus, voces suas ad Deum levavit, & hirundinum pullis non absimilis, opem petiit *Sicut pullus hirundinis sic clamabo.* In hunc locum S. Hieronymus ait (S. Hier. in hunc loc.), *In similitudinem hirundinis & columbæ, fletibus & gemitibus dies noctesq; jungebam, & à Deo solo, qui poterat subvenire, elevatis in altum oculis, auxilium præsto abar.* Ita nimirum ærumnas, necessitates & angustias, veluti totidem bonæ orationis addiscendæ magistras habemus.

(Prudentia. S. August. in Expos. quarundam propositionum ex Epist. ad Rom n. 49.)

439. Hirundinum turmæ volanti inscripsêre. ALIO HYEMANDUM, vel, HYBERNANDUM. Ita prudentia omnem periculi aut damni incurrendi occasionem, quantum licet, declinat, ac securiore viâ incedere nititur. Unde juxta S. Augustini Philosophiam, *Definitio prudentiæ in appetẽdis bonis, & vitandis malis explicari solet.* Propriè tamen falsum amicum imago illa refert, qui, fortunâ frontem (Amicus falsus.) nonnihil corrugante, mox terga obverti Ovidius. (Ovid. 4. de Pont. Eleg. 3)

Dum mea puppis erat valida fundata carinâ,
Qui mecum velles currere, primus eras:
Nunc quia contraxit vultum fortuna, recedis.

Et rursus.

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

440. Hirundo sine ullâ partialitate singulis suis pullis æqualem cibi mensuram & qualitatem dispensat: quod observans Joannes Ferrus, epigraphen addidit. (Educatio. Æqualitas) SINGULIS ÆQUE. Hanc ideam sagax natura Prælatis, Magistris, & Patribusfamilias exhibere voluit, ut inde veram subditorum, discipulorum ac filiorum tractandorum methodum condiscerent. Præclarè S. Ambr. (S. Ambr. l. de Ioseph) *Jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura.* S. Paulus Apostolus, omnis boni Patrisfamilias partes explens, cibum spiritualem sine discrimine ex æquo in omnes distribuit. Theodulus (Theod. in ep. Rom. 1. 7.) in illud D Pauli commentatus, *Omnibus qui sunt Romæ*, ait, *Non enim apud ipsum est discrimen inter divitem & pauperem.* Simili argumento usus D. Carolus Bossus, Hierundinem symboli loco statuit, quæ pullis suis in nido escam porrigebat; cum lemmate. CUIQUE SUUM. (Providentia.) Tales omninò Prælati, Parentes ac Judices, prout ex munere tenentur, singulis erogent, Deumque supremum imitentur, (Psal. 135. 25.) *Qui dat escam omni carni.*

441. Heros, qui etiamnum juvenis, equestres ludos, exercitationis causâ, decurrere privatim consuevit, ut olim aperto Marte gloriam consectari posset; hirundinis pullo se non absimilem probavit, qui, veluti (Exercitiũ.) volandi periculum & assuetudinem facturus, pedibus ad nidi marginem fixis, alas vibrare, ac volitantem imitari nititur (Veget. l. 1. c.). Lemma. NE PRÆCEPS IN AERA. *Scientia enim rei bellicæ*, inquit Vegetius, *dimicandi nutrit audatiam; nemo facere metuit, quod se benè didicisse confidit &c.* Idipsum observans Hugo Victorinus (Hug. Vict. de Instit. Novit.), *Sæpe illa*, inquit, *quæ in publico non valemus, necessariò quemdam prius in secreto exercitationis usum exposcunt, quia si ea prorsus in occulto negligimus, uti postmodum eis, dum opus est, in publico non valemus.*

442. Hirundo, in terram delapsa, propriis viribus (Auxilium.) nonnisi ægerrimè erigitur; at interveniente etiam minimâ alterius ope, felici velocique ascensu avolat. Unde lemma. TENDAM, PAULUM MODO TOLLAR IN ALTUM. Vel, ut magis succinctè D. Aresius. ELATA VOLABO. Inde disces, quantùm cuivis alterius adminiculo opus sit. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo &c.* (Psal. 54. 7.) exclamabat non sine suspirio Regius Vates. Quot perspicacia ingenia ex umbris ad supremum litterarum (Educatio) splendorem emergerent, si esset, qui expensas, ac liberalem opem indigentibus porrigeret? Cæterùm juvenes, instar hirundinum terris affigi soliti, ad virtutis volatum nunquam sese erigent, nisi alienâ manu (Peccator) suffulciente. Denique homo, in peccata prolapsus, surgere non potest, nisi Divinâ gratia adjutus. S. P. Aug. (S. Aug. serm. 15. de verbis Apost. c. 5) *Si non jaceres, mediatorem necessarium non haberes: quia verò jaces, & surgere non potes, mediatorem quodammodo Deus tibi porrexit brachium suum.*

443. Hirundo mavult vitam amittere, quàm caveæ angustias sustinere: & licet domos nostras incolere cupiat, illis tamen includi, ac veluti carcere detineri (Animus nobilis.) penitùs abhorret. Lemma. AMICA, NON SERVA. Ita animus nobilis aliis quidẽ liberè assistere desiderat, at servire ac cogi penitus renuit. (S. Aug. in Reg. c. 10. n.) His penè ipsis verbis sanctã suam regulam claudit Magnus Aug. *Donet Dominus ut observetis hæc omnia tanquã spiritualis pulchritudinis amatores, NON sicut SERVI, SED sicut LIBERI sub gratia constituti.* Mentem Emblematis sequenti poesi vernaculâ, hirundinum voce, expressi.

S'altri

S'altri crede per sorte,
Ch'a potenza tiranna
Mi voglia soggettar: certo s'inganna.
A i carceri, a i ceppi
Auvezzarmi non seppi:
E pria che la prigion, voglio la morte
Vivendo in libertà,
Domestica sirena altri m'haurà:
Mastretta in ferri: multo la proterva
Sono amica, non serva.

[Anicus nobilis.] 444. In encomium Aloysii Capelli hirundinem depinxêre; cum lemmate. VITAM POTIUS, QUAM LIBERTATEM, subintellige, *perdere cupit.* Hæc ipsa animi nobilis ac generosi mens est. Verè Salustius, *Libertatem nemo bonus, nisi cum animâ simul amittit.* Brutus dicere consuevit. *Ex duobus alterum esse eligendum; aut vitam liberam, aut mortem gloriosam.* [Sal. de Conjurat. Iison. l. 3. c. ex T. Livio.]

[Spes viva.] 445. Hirundo per oceani vastitatem bacillum secum deferre, eique, quietis capiendæ ac vitæ conservandæ causa, inniti solet: unde epigraphe. DEFESSA, NON DIFFISA. Ita homo, corporis laboribus nonnihil fractus, generosâ spe erigi, ac stimulari solet. S. P. Augustinus. *Tribulatio est nostra in præsenti sæculo, spes verò nostra de futuro sæculo; & nisi in tribulatione præsentis sæculi consoletur nos spes futuri sæculi, perimus.* Ovidius [S. Aug. Præf. in Psal. 123.]

[Ovid l. 1 de Pont. Eleg. 7]
Spes facit, ut videat terras cùm undique nullas
Naufragus, in mediis brachia jactet aquis.
Hæc facit, ut vivat fossor quoq; compede vinctus;
Liberaque à ferro crura futura putet.

[Bonus Latro. S. Crux.] 446. Hirundo, in mari supra bacillum sustentata, pium latronem in Cruce significat; cum lemmate. NE MERGAR. S. P. Aug. *Instituit (Deus) lignum, quo mare transeamus. Nemo enim potest transire mare hujus sæculi, nisi cruce Christi portatus.* [S. Augustin Tract. 2. in Io.]

[Quadragita Martyres.] 447. D. Aresius SS. quadraginta Martyres, in congelatis stagni cujusdam aquis simul submersos, quibusdam Germaniæ hirundinibus non absimiles dicit, quæ, rigente brumâ, magno numero unitæ, mutuoq; calore corroboratæ, infra aquas merguntur; ubi glacie coopertæ tamdiu persistunt, donec verè redeunte incolumes ac lætæ prodeant. Emblemati subscripsit. AD HYEMANDUM. Etiam S. Bern. hæc imago spectat, qui ad Religionis rigorem non modò germanos fratres suos omnes, sed insuper amplissimam exterorum juvenum catervam pertraxit. Deniq; Symbolo illo homines, mundi hujus incolas, significabis; siquidem S. Greg. teste, *Hiems est præsens vita, in quâ nos, etsi jam spes ad superna erigit, adhuc tamen mortalitatis nostræ frigidus torpor astringit.* [S. Bernardus. Sæculares. S. Greg. Papa l. 7. Moral. c. 4.]

[Religiosi.] 448. Hirundo Emblematis loco à ruinoso ædificio fugam molitur, cum lemmate. LAPSURA DESERIT. Illorum prudentia hinc significatur, qui mundo, nunquam non minitante ruinas, sese abdicarunt, & ad firmissimum S. Religionis asylum confugerunt. Jacobus de Vitriaco Cardinalis in rem nostram præclarè ait; *Hirundo LAPSURA culmina DESERIT; & sancti præsentis sæculi ruinam fugiunt, ne cum ruente opprimantur, & ruant.* [Jacob. de Vitr. Dom. 2. Adv.]

[S. Ursula cum sociabus.] 449. Hirundines ingenti agmine oceanum pervolant; cum lemmate. Unde EXIERUNT, REVERTUNTUR. D. Aresius hâc icone S. Ursulam & Socias significabat, quarum animæ, sicuti à Deo fuerunt creatæ, ita, ruptâ corporis compage, ad eundem Deum felicissimo maris itinere iterum sunt regressæ. Salomonis sententia est, *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.* Porrò quomodò indies ad Deum, unde omnia accepisti, revertatis; consilium accipe à S. Bernardo. *Remittatur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberius terræ refundatur. Qualiter inquis? qualiter aicit Apostolus: in omnibus gratias agentes. Quidquid sapientiæ quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei sapientiæ deputa Christo.* [Eccles. 1. 7. Gratias Deo agere. S. Bernardus Serm. 63. in Cant.]

[Christus in mundo conversatus.] 450. Christus, tametsi in palatiis, ac sceleratorum domibus conversatus, eorum tamen malignas operationes nunquam est imitatus; id quod Alcibiades Lucarinus hirundinum Emblemate demonstrat, quæ nido intra domum constructo, epigraphen tenent. DOMI, AT NON DOMESTICÆ. S. Petrus Chrysol. illa S. Lucæ verba interpretatus, *Hic peccatores recipit,* ait, *Peccator Deum non violat appropinquans, Deus peccatorem sanctificat, cùm propinquat. Pharisæe! Christus peccata non recipit, cùm recipit peccatorem; quia Deus non criminis, sed hominis est receptor.* S. Ambr. Divinum Patrem Incarnato Verbo ita loquentem introducit. *Inter peccatores versatus es, sed nullus usus potuit ad te transire peccati. Inter peccatores ita versatus es, quasi inter Angelos versareris.* [S. Pet. Chrys. ser. 50. in Luc. 15. S. Ambr. in Ps. 40.]

[Litterati.] 451. Lucarinus hirundinem, nido fabricando intentam, hoc lemmate insignivit. ET POSTERIS. Ita omninò viri litterati voluminum suorum structuras cùm propriæ famæ conservandæ, tum orbis futuri bono architectantur. D. Paulus Jovius ait, *Magnos profectò, & longe honestissimos studiorum fructus illi ante alios in hâc vitâ cepisse æstimantur, qui omnes ingenii facultates in id maximè opus sanctissimo fine proposito contulerunt, quo & prodesse bonis mortalibus ingenuo labore possent, ET sui memoriam præclarò litterarum testimonio POSTERIS commendare niterentur.* [Paul. Iov. præfat. in lib. Hist.]

[S. Carolus] 452. Quando hirundinis pullum excæcari contingit, protinus mater affectum illius oculum chelidoniâ inungit, ac sanitati restituit. Unde hirundo, chelidoniæ surculum rostro sustinens, & versus nidum ad excæcatos pullos volans, epigraphen habet. REDDET LUMEN. Aut verbis è Tertull. sumptis. NOVIT OCULOS REvel certè ex Hym. PROFERT LUMEN CÆCIS. S. Carolus Diœcesi ac Provinciâ Mediolanensi ad primævum nitorem restitutâ, filiis suis rerum Divinarum intelligentiam & existimationem recuperavit. Jacobus de Vitriaco Cardinalis, *Hirundo pullis visum per herbam chelidoniam reparans, designat justum parere filios Christo, eosque per veritatis pharmaca illuminare.* [Tertull. l. de pœnitentia. Iac. de Vitr. Dom. 2. Adv.]

[Mundu n relinquere] 453. Quisquis Deum sequi desideras, rebus charioribus cunctis exuâre, necesse est. D. Jacobus Certanus Abbas id ex hirundinis Symbolo dignoscendum proponit, quæ deserto solo natali suo, cum mane per Oceani vastitatem defertur; addito lemmate. NON L'ARRETRA L'AMOR DEL PATRIO NIDO. Id est, NEC PATRIÆ RETINETUR AMORE. S. Hieron. *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat mater, ostendat; licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hâc re esse credelem.* [S. Hier. Epist. ad Heliod.]

[Contemplativus.] 454. Meâ quidem sententiâ, Hirundo insigne contemplatricis animæ symbolum est, quæ cibum nunquam in terrâ quiescens, sed semper per aera volitans sumit; veluti cui nulla alia esca, nisi è cœlo subministrata, sapit. Emblemati subscripsit. VOLANDO VESCITUR. Hugo de S. Vict. testatur, *Hirundo cibos residens non sumit, sed, in aere hærens escas edit, quia qui terrena non diligit, remotus à terrenis, cœlestia quærit.* Benedictus Fidelis ad hanc hirundinis indolem reflectens, ait, Christianos, cibo Eucharistico pascendos, è terrâ ad cælum contemplandũ evolare debere. Verba ipsius ita accipe. *Hirundinem te esse oportet, è terrâ surgere, contemplationibus applicari, ut Eucharistiam sumas, quæ nonnisi à voluntate digne percipitur.* [Hug. de S. Vict. l. 1. de Best. c. 41. Euchariftiæ sumptio. Bened. Fid. Psal. 21 v. 2 Theorem. 7. n. 8.]

455. Cæteræ omnes volucres, quæ nobiscum commoran-

morantur, terræ semina absumunt, ac fructus devastant: solâ exceptâ hirundine, quæ nec minimam jacturam ulli rei infert; ut adeò epigraphen à P. Lucretio Borsato sit promerita. NOBISCUM INNOXIA. D. Antonnium Longum hæc imago spectabat, qui inter nobiles ministros Venetos, omni proprio commodo abdicato, solam subditorum utilitatem ac benevolentiam desiderabat. Porrò etiam veri cujusdam amici hæc imago est, qui nobiscum ita versatur, ut nec minimum damnum unquam inferre velit. Nam, Magno Augustino teste, *Tunc amas amicum, si oderis, quod nocet amico.*

Minister alijs utilis. Amicus verus. *S. Aug. serm. 237. de temp.*

456. Hirundo, genuina hominis loquacis, clamosi, & importuni idea, epigraphen tenet. COL SUO GUARRIR CI ANNOIA. Id est, GARRITU MOLESTA. Plutarchus, *Iucundius cum pravis, dexteri tamen ingenii, habere colloquium, quàm cum bonis, si sint garruli.* Rursus verbosos proclamat infelices, *quod nec audiunt, nec audiuntur.* Et paulò infra. *Animæ cæteri morbi partim sunt periculosi, partim odiosi, partim ridiculi: garrulitati autem hæc omnia accidunt.* Apollonius interrogatus, *Qui essent hominum optimi?* respondit, *qui in dicendo sunt brevissimi. Linguaces autem, si tantùm molestiæ caperent, quantâ reliquos afficiunt; haud sanè longos sermones facerent.* Isocrates rem compendio complexus, cum è blateronibus quempiam inter suos discipulos reciperet, duplicatum ab eo minerval petiit: unum quidem, quod doctè loqui disceret; alterum quod insulsè garrire dedisceret.

Garrulus. *Plutarch. lib de Garrul.* *Stobæus in ser. 36.*

457. Hirundo, ingrati animi hieroglyphicon, è domo, in qua aliquot mensibus sustentabatur, unà cum pullis recedit, ad mare transvolat, INSALUTATO HOSPITE. De ingratitudine gravior pronuntiat S. Bernardus. *Peremptoria res est ingratitudo hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis, quoniam pro meo sapere nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conversationis, quemadmodum ingratitudo.* Opportunè Paulus Maccius.

Ingratitudo. *S. Bern. serm. 2. in Dom. 6. post Pentec.* *Macc. Embl. 25.*

Vere novo nidum tectis affigit hirundo:
Hic parit, hic pullos nutrit & ipsa suos.
Mox abit, abducitque illos trans æquora ponti,
Inque salutatis avolat hospitibus.
Ingratum talem esse putes: opis indigus hæret,
Immemor accepti terga dat officii.

458. D. Cherubinus Brusonius hirundinum agmini, oceanum transvolaturo, epigraphen è Lucano subdidit. IN MELIUS, subintellige, *mutare locum.* Tam eorum hæc imago est propria, qui religionem ingressi, mundo nuntium remittunt; quàm qui novam amandi occasionem captāt. De priore sensu opportunè & breviter ait S. Bern. *Prudens negociator, qui videt in divitiis laborem, in honoribus pœnam, invidiam in gloria, facit sarcinā suā mundi contemptū, & fugit.*

Mutatio. *S. Bernardus serm. 61 de diversis.*

459. Hirundines nidorum suorum mollitiem ex aliarum volucrum evulsis plumis construunt. Unde lemma. ALIENA EGESTATE MOLLESCIT. Ita prorsus magna ædificia, dum sine magnâ necessitate construuntur, vix sine magno periculo, & manifesto conscientiæ discrimine, atq; evidente pauperum injuria fiunt. De immoderatis exactionibus Regem Joachimum accusans Hieremias, ait; *Væ qui ædificat domū suam in injustitia, & cœnacula sua non in judicio, amicum suum opprimet frustra, & mercedem ejus non reddet ei.* Doctus Ezechielis Interpres Hieron. Pratus verba illa Hiermiæ explicans, salutare documentum proponit. *Observa,* inquit, *rarò superba palatia, ædesq; magnificas construi nisi violatâ justitiâ, legibusque contemptis, oppressis civibus, operis defraudatis, atq; ejusmodi aliis iniquitatibus admissis, quibus sumptus minuūtur, & pecunia cōparantur.* Habacuc structores istos reprehendens, ait; *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas est, respondebit.* at quid clamabit lapis, quidve respondebit lignum? *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus;* id est, interprete B. Alberto Magno, *in sanguinibus seu oppressionibus pauperum, quos cogit in hoc sudare & laborare, in eoq; spiritus & sanguinem suum exhaurire.*

Ædificia. *Hier. 22. 13* *Pradus in c. 19. Ezech. v. 7.* *Habac. 2. 11.* *B. Alb. Mag in hunc loc.* *Hebr. 13.*

460. Hirundines, ætate jam adultâ in exteras terras migraturæ, epigraphen è D. Paulo accepere. NON HABEMUS HIC MANENTEM CIVITATEM. Vita hæc nostra nonnisi peregrinatio est, è quâ justi omnes nunquam non solum vertere, & cælesti patriæ propinquare festinant. Vitam suam peregrinationem vocavit Jacob, quando in hunc modum respondit Pharaoni; *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt.* si D. Chrysost. credimus, *Prima virtus est & tota virtus, peregrinum esse mundi hujus, & hospitem, & nihil commune habere cum rebus hujus sæculi, sed removeri ab eis sicut peregrinum.* Rex erat David, Propheta, in patriâ suâ degebat, confessus tamen Deo est; *Advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei;* nam, ut inquit S. Prosper, *Ibi quisq; est peregrinus, ubi absens est patriâ suâ. Iste ergò qui supremæ Jerusalem civis adscriptus est, peregrinum se profitetur in terra, quia certus est de hæreditate promissâ.* In illum Psalmi locum ait Magnus Augustinus. *Dicendo, sicut omnes Patres mei, justos procul dubio vult intelligi, qui eum tempore præcesserunt, & in hac peregrinatione gemitu pio sempiternæ patriæ suspirarunt.*

Peregrinatio est vita nostra. *Gen. 47.* *S. Chrysost To 4. hom 24. ex cap. ad Hebr.* *Psal 38.* *S. Prosp in Ps. 118.* *S. Aug. in eundem l.*

IBIS. *Cap. XXXVIII.*

461. Ibis, Ægypti inquilina, serpentes extremè odit; eosque etiam persequitur, abigit, & occisos devorat. Unde lemma. VENENOSOS PROPULSAT. Judicis, Inquisitoris, aut Prælati hanc ideam dixeris, qui omne vitiorum toxicum è patriæ confiniis eliminet, eâdem insuper Ars medica significatur, utpotè ab Averroe cognominata, *Ars factiva, quæ dum sanitatem tuetur, morbum depellit.* Demum SS. Eucharistia mysticè operationes illas cum ibidem prorsus communes habet. Præclarè, ut solet, Religiosissimus meus Thomas Kempensis; *Est hoc altissimum & dignissimum Sacramentum salus animæ & corporis, medicina omnis spiritualis languoris, in quo vitia mea curantur, passiones frenantur; tentationes vincuntur, aut minuuntur.*

Judex. Inquisit. Prælatu Medicii *Averr. Collectan c 6* Eucharistia. *De imit. l. 4 c. 3.*

462. Ibis Ægypti limites nunquam egreditur; imò extra illos delata, moritur. Unde lemma. SOLI PATRIÆ. Civem illum hæc imago repræsentat, qui tanto in patriam fertur amore, ut ei totam suam vitam sacraverit, omnibusque terris, quamlibet amœnis, illam anteponat. Cicero, *Omnia,* inquit, *quæ à nobis gerentur; non ad nostram utilitatem, & commodum sed ad patriæ salutem conferre debemus.* Et alibi, *si contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii; principes sunt, patria & parentes, quorum beneficiis obligati sumus,*

Patriæ amor. *Cicero a Quir po r.* *Idem 1. offic*

LOXIA. *CAPUT XXXIX.*

463. Loxia, bibendo exaturata, vasculum ante se positum rostro evertit, omnemque ex illo liquorem effundit. D. Aresius hanc hominis prodigi ideam statuit; cum dicto. DONEC DISPERDAT. S. Bernardus hoc vitium in Ecclesiasticis disertè redarguens, *Clamant nudi,* inquit, *clamant famelici, conqueruntur & dicunt, dicite Pontifices, in fræno quid facit aurum? nunquid aurum à fræno repellit frigus? aut esuriem? Nobis frigore & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis; nobis*

Prodig. *S. Bern. ep. 2 4 ad He u*

nobis crudeliter subtrahitur, quod INANITER EXPENDITIS.

463. Loxia (quam Germani, ob rostrum decussatum, avem crucis vocant) hominum contubernio summoperè gaudet. Unde lemma. HOMINUM CONSORTIA QUÆRIT. Christus, vera ac suavissima crucis avicula, inter primos suos amores hominem habet; ut amantissimæ illius voces, *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, nam *Christus*, interprete Beda, *summè desiderat in animis nostris quiescere, in iisque, quasi in templo & sacrario suo habitare.* Et idcircò, inquit P. Cornelius à Lapide, dedit se ipsum nobis in Eucharistiâ, in quâ verè deliciamur cum Christo, & Christus nobiscum. Lege vitam S. Gertrudis, & miraberis delicias Christi cum eâ. Inter alia dixit, *Ego Deus, qui sum purus & merus amor, cùm te mihi elegerim, ita desidero ut uniaris mihi indissolubili unione, sicut homo desiderat retinere halitum & spiritum suum, sine quo non potest vivere. &c.*

Christi amor erga homines.
Prov. 8. 31.
Beda in hunc loc.
Eucharistia.
Vita S. Gert. l. 3. c. 5.

464. Gesnerus testatur, Loxiam quâvis hyeme colorem suum mutare. Unde lemma. MUTATUR HYEME. Ita nonnullos reperire est, qui durante rerùm secundarum æstate vultum ostendunt serenum, placidum, & in obsequio Divino penitus immutabilem; at ingruente nonnihil adversitatum hieme mox colorem mutant, expallescant, meramque spirant impatientiam. De his S. Bernardus. *In ipsa obedientiæ viâ aliqua fortassis dura & aspera occurrere possunt, ut accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet salubria sint, minus tamen suavia videantur. Hæc si molestè ceperis sustinere, si dijudicare Prælatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleas quod jubetur, non est hæc virtus patientiæ, sed velamentum malitiæ. Necessè est ergo, ut illucescat dies patientiæ, per quam omnia dura & aspera tacitâ amplectaris conscientiâ.*

Impatiens.
S. Bern. ser. 3. de Circumcis. Dom.

465. Idem Gesnerus ait, Loxiam in hyeme tantùm canere; in æstate verò, aliis avibus canentibus, tacere. Lemma. ALIIS TACENTIBUS CANET. Ita assolent omnes justi, ceu veræ crucis aves; relinquunt enim brevissimas suas delicias ac voluptates caduco huic mundo; ipsi postea, dum terrena vitæ hujus æstas finierit, æternùm cantatur. *Felix ego*, exclamat, Magnus Augustinus, *si post resolutionem hujus corpusculi, audire meruero cantica, quæ cantantur à beatorum spirituum agminibus.*

Justus.
Aug. lib. Soliloq. c. 25.

466. Gesnero teste, loxia ita frigoris est patiens, ut totam, quantumvis rigidissimam hyemem, innoxia inter nives & ventos transigat. Lemma. NIL FRIGORA NOCENT. Sancti Martyres, ceu totidem crucis aves, inter acerbissimos cruciatus ac supplicia semper perstiterunt immoti, & innoxii. S. P. August. *Pagani persecuti sunt martyres, capti sunt, ligati sunt, in carcerem missi sunt, bestiis subjecti sunt, alii ferro percussi, alii ignibus concremati. Vicerunt persequentes, & victi sunt Martyres? absit. Quare gloriam martyrum apud Deum, quare foveam paganorum in confossâ conscientiâ;* Nam, ut alibi ait idem Hipponensis Doctor, *Nunquam Martyres tantas tribulationes tolerarent carne, nisi magnam quietem mente conciperent.*

S. Martyres.
Augustin. in Psal. 36.
Idem in Ps. 63.

467. Loxia è domo, quam inhabitat, omnem venenatam ac contagiosam luem propellit. Lemma. VENENA REPELLIT. Idipsum faciat bonus Prælatus aut Paterfamilias, ut omne vitiorum venenum è Collegio aut domo suâ procul proscribat. Ita quoque bonum unius hominis justi exemplum tantas in totâ domo exercet vires, ut vix præsente illo aliquod vitium inter domesticos radicem figere possit. *Est insitum bonis*, inquit S. Ambrosius, *ut castum pudicus, prudentem sapiens, misericors liberalem affectu pio diligat, & virtutes suis in aliis amet. In plerisque justi aspectus, admonitio correctionis est, perfectioribus lætitia est.*

Paterfamilias.
Ambr. in Ps. Beati Immaculati.

LUCIDIA seu Avis resplendens.

CAPUT XL.

468. HÆc volucris in Hercinia sylvâ nasci solita, Plinio teste splendorem è pennis suis spargit adeò clarum, ut viatores inter densas umbras ac veluti perpetuam sylvæ illius noctem tantâ luce illustrentur, quasi clarissimâ diei meridie, iter suum conficerent. Aresius Christum transfiguratum in eâ volucre commemorans, epigraphen subdidit. NOCTE ITER OSTENDENS. His non absimile est illud, quod Moyses de Deo refert, *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per noctem in columnâ ignis.* Cæterum Emblemate illo bonum exemplum, prudens consilium, & Angelum tutelarem appositè significabis, qui mentem nostram, tenebris quantumvis densissimis involutam, sanissimâ luce irradiant. S. P. Augustinus. *Lucerna est homo qui benè operatur. Luceat omnibus, videant, quod imitentur.*

Plin. l. 10. c. 47.
Christi transfiguratio.
Exod. 13. 21.
Bonum exemplū. Consiliū. Angelus Custos.
S. Aug. serm. 17. ex addit. à Paris c. 2.

469. Eidem symbolo inscripsere alii; IN LUMINE TUI SOLIUS. Illum hæc imago spectat, qui alterius consilio ac doctrinâ ita dirigitur, ut ab eo nunquam deflectat. Jobus inter calamitatum tenebras undique sepultus, nullius alterius, nisi Luminis Divini directionem sequi voluit. *Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, ad lucem ejus ambulabam in tenebris.* Regius David, de justis disserens, eos nullum alium Ducem, præter lumen, è vultu Divino coruscum, sequi affirmat. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt.* Isaias suos Israelitas ad splendoris Divini vestigia magnis passibus sequenda hortatur; *Domus Jacob venite, & ambulemus in lumine Domini.* Rursus religiosam Gentilium prudentiam laudat, quod felicitatis beatæ tramitem consecuturi, Ducem elegerint Verbum Incarnatum; *Ambulabunt gentes in lumine tuo.* Compendio Magnus Augustinus. *Qui non est in Deo, non est in lumine, quia Deus lumen est.*

Dependentia.
Iob. 29. 3.
Psal. 88. 16.
Isa. 2. 5.
Isa. 60. 3.
S. Aug. l. de Trin. c. 8.

470. Lucidiam hoc lemmate insignem videre est, CANTO IL GIORNO, E DI NOTTE COL FOCO. Id est. DIE CANIT, NOCTE LUCET. Prædicatorem omnibus numeris absolutum hæc imago repræsentat, qui ex æquo tam linguæ vocibus quàm operationum fervore auditoribus suis satisfaciat, eosque geminâ illâ methodo ad Dei vestigia sequenda validè impellat. Paucis plurima dixit S. Nilus. *Verbo virtutem doceto, opere autem eandem declara.* Et S. Bernardus, *Lucis & vocis testimonia credibilia facta sunt nimis, nec dubitare est de veritate, quæ se ingerit per utrasque, oculorum scilicet, auriumque fenestras.*

Prædicator.
S. Nil. Parænum 11.
S. Bern. ser. 3. Convers. S. Pauli.

MERGUS.

CAPUT XLII.

471. MErguli natura est, quod vitam suam in quodlibet è tribus elementis, aere, terrâ, & aquâ, ex æquo sustentare possit; unde etiam in alterutrum illorum, prout sibi magis commodum videtur, pro libitu se confert. Eam ob rem medio corpore infra aquas depictus, alasque, veluti exinde emersurus, sublevans; epigraphen tenet, MERSUS, EMERGAM. Illum hoc Emblema concernit, qui gravissimis ærumnarum fluctibus immersus,

tandem

S. Aug. in Ps. 5.
tandem se in libertatem emersurum sperat. Ad rem Magnus Augustinus. *Homo caligans inter procellas hujus sæculi, sentit se non videre quod cupit, & tamen sperare non desinit.* Eodem penè argumento afflictos suos Trojanos erigere conatus Æneas, exclamavit.

Virg. in Æn.

O socii! (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora! dabit Deus his quoque finem.

472. Mergus, opportunum cautelæ ac providentiæ symbolum, ad primum tumultuantis Oceani motum, littus repetit, securitati suæ consulturus. Unde littori insidens, epigraphen tenet. PRÆVIDI SIGNA PROCELLÆ. Ita peccator, sive interioris conscientiæ fluctibus agitatus, sive mortis æternæ aut temporalis formidine concussus, ad Christum, ceu tranquillam perennis felicitatis rupem, se recipiat. Ascanius Martinengus. *Quis Mergus est, nisi peccator, mortiferâ culpâ prostratus: qui dum memoria mortis angitur, è medio undarum, è medio voluptatum, ad Christum, veluti littus, rupemque tutissimam, cum clamore pœnitentiæ properat.*

Pœnitens.

Martineng. in Gloss. Mag fol. 1510.

473. Mergus, è maris fundo, in aëra evolans piscem ore sustinet; cum lemmate. AB IMO PRÆDAM. Concinna hæc Christi redivivi imago est, quando Sanctos veteris legis Patres, è limbi cavernis secum in libertatem sustulit. S. Bernardus illud Psalmi expendens, *Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit,* ait, *Constat clauso exiisse tumulo redivivum corpus, quod clauso Virginis utero natum, processit in vitam, & ad discipulos clausis introivit januis in conclave, sed est locus, unde clausis noluit procedere januis carcer utiq; gehennalis: confregit siquidem ferreos vectes, repagula universa contrivit, ut liberè suos educeret, quos redemerat de manu inimici, & plenis egrederentur portis agmina Sanctorum.* S. Martinus Turonensis, referente Severo Sulpitio, Dæmonem mergulo non absimilem dixit, qui hominibus, tametsi piscium more intra solitudinis profundum latitantibus, nunquam non insidias struit, sicque *ab imo prædam* obtinet. Sulpitii verba sunt. *Mergos in flumine conspicatos piscium prædam sequi, & rapacem ingluviem assiduis urgere capturis Forma,* inquit, *hæc dæmonũ est, insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exaturarique non queunt devoratis.*

Christus resurgens.

S. Bern. ser. 1. in die S. Paschæ. Psal. 106 15.

Dæmon.

Sulpit. in vita S. Mart.

474. Mergus, tametsi toto corpore aquis immersus, inde tamen ita siccus revertitur, ac si eas nunquam attigisset. Unde D. Aresii lemma. QUALIS INTRAVIT, EXIT. Haud aliter homo, mundi hujus oceanum nudus ingressus, nudus egredietur, nihil inde ablaturus eorum, quæ hactenus possidebat. Dilucidè Jobus, *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Nihil enim,* inquit S. Paulus, *intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possimus.* Repetens hæc verba Magnus Augustinus. *Nihil,* ait, *intulimus in hunc mundum, utique quando nati sumus: sed nec auferre aliquid possumus, utique quando de mundo eximus. Nihil attulisti, nihil hinc auferes.* Saladinus Ægypti Rex, referente S. Antonio, jamjam extremum cum morte luctaturus, ferale lineum, quod ipsius cadaveri involvendo destinatum erat, afferri jussit, illudque supremæ hastæ præfixum, per urbem circumferri, & à præcone publicè proclamari voluit, *Ecce Rex Orientis moriens, nil secum defert, præter hoc pallium vile.* D. Aresius illud ipsum Emblema Magnati proprium dicit, qui tametsi ad orbis clavum sedeat, ac supremos dignitatum gradus aucupet, nullis tamen avaritiæ aut quæstûs iniqui vitiis unquam contaminatur.

Homo moriturus

Iob. 1. 21.

1. Tim. 6. 7.

S. Aug. ser. 5. de Verb. Dom c. 7.

Officialis innocens.

475. Mergus, aquas egressus, ab Aresio inscriptionem recepit. NIL HÆRET HUMORIS. Id encomii S. Gregorio Papæ tribuit, qui è terrenis honoribus ad cælestes reversus, superbiam, fastum, avaritiam, aliosque penè individuos dignitatum comites nec minimùm contraxit. Emblemati explicando sequentes duos versiculos subjunxit Author.

S. Gregorius Papa.

E ne l' onde d' honor Gregorio immerso
Non fu già mai di loro affetto asperso.

Eâdem virtute præcellebat Samuel, qui abdicato regimine, ad populum conversus, in hæc verba de se ipso pronuntiare potuit. *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrùm bovem cujusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum: si oppressi aliquem: si de manu cujusquam munus accepi: & dixerunt; non es calumniatus nos, neque oppressisti, neq; tulisti de manu alicujus quidpiam &c.* Eos etiam hæc imago repræsentat, qui inter malos conversati, nihil unquam vitii contraxêre. S. P. Augustinus. *Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, & si redarguas; hoc est non communicare, non consentire: Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis vel approbationis adjungitur.*

Officialis innocens. *1. Reg. 12. 1*

Societas.

S. Aug. serm. de Verb. D. c. 18.

476. Mergulus, cùm adesse rapaces aves adverterit, celeri cursu intra aquas se abscondit, sicque mortem evadit incolumis. Imagini subscripsit P. Sebastianus à Matre Dei in firmamento suo symbolico; SUB TUUM PRÆSIDIUM. Deiparam significans, intra cujus sinum, veluti in aquis dulcissimis, recepti, nulla habent pericula, quæ metuant. Idipsum de Baptismo, vel lachrymis pœnitentium dicere licet, intra quas submersus homo, omnes dæmonis insidias felicissimè declinat. Pulchrè S. Hieronymus. *O lachryma humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, magis crucias diabolum, quàm pœna infernalis &c.*

Mariæ patrocinium.

Baptismus Lachrymæ.

S. Hier in ...

MEROPS,

Cap. XLII.

477. MErops arborum ramis, maximè verò vetustate jamjam corrosis, insidere solet, eosque rostro tamdiu pulsat, donec formicas, ob importunos pulsus exinde prorepturas, capere, & in escam suam convertere queat. Unde lemma. PULSANDO TANDEM. Hinc discas, perseverantiâ pro libitu omnia obtineri. De illo, qui ab amico panem accipere desiderat, dilucidè Christus; *Si perseveraverit pulsans, dabit illi, quotquot habet necessarios.* De Annâ Prophetissâ testantur Regum Fasti, eam filium, anxiè desideratum, obtinuisse, *cùm multiplicaret preces coram Domino;* nam *assiduè sonabat eadem,* inquit S. Joan. Chrysostomus, *Nec destitit iisdem verbis iterandis, multùm temporis absumere, & crebris ac frequentibus precibus adiit Deum.* Chananæa mulier, cum easdem preces ingeminare non desisteret, sanctos Apostolos sortita est suos caussidicos, *Dimitte eam, quia clamat post nos;* sicque voti sui effecta est compos. Compendio S. Basilius ait, *Nullâ laboris fatigatione debere te à suscepto proposito desistere, ut videlicet, quandocunque aliquid petieris, neque impetraveris, tamdiu perseveres, quoad impetres.*

Oratio perseverans.

Luc. 11. 8.

1. Reg. 1. 1

S. Io. Chrys hom. 1. de Anna.

Matt. 18.

S. Basil. co Monast. c.

478. Octavius Ferrus Meropi, arborem pulsanti, inscripsit. LATENTIA TENTAT. Studiosorum hoc Emblema est, qui intellectûs sui acumine doctrinas arcanas & reconditas, investigare nituntur. Porrò Verbum Divinum humanas mentes ita profundè penetrat, ut singula cordium secreta penitissimè discernat. *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Cæterùm cur Apostolus huic rei significandæ gladium utrimque acutum usurpet, causam affert non incongruam P. Ribera; *Mihi videtur,* inquit, *ita voluisse significare vim penetrandi, ut simul vim nocendi ostenderet. Videtur ergò*

Studiosi perspicaces. Christus Judex.

Heb. 4. 12.

P. Ribera in hunc loc.

ergò pertindè esse, ac si diceret. Nihil est tam absconditum, quò non perveniant oculi Christi, & quo non perveniant ejus manus & potestas.

479 Plinius testatur, meropem instar felis, directo gressu arbores conscendere. Unde Abbas Ferrus epigraphen subdidit; RECTA SCANDIT; eaque Nepotum suorum quempiam integerrimâ indole, moribus inculpatis, insigni obedientiâ, cæterisque virtutibus cumulatè præditum significabat. Eodem Encomio Sacræ Litteræ Patriarcham Jacob prosequuntur; *Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei.* Appositè S. P. Augustinus. *Præcipitur, ut rectè vivamus, hâc unque mercede proposita, ut in æternum beatè vivere mereamur.* Denique etiam illorum hæc imago est, qui directo virtutum ac meritorum tramite, nullis interrumpentibus, vitiorum mæandris, ad excelsa dignitatum, honorumque fastigia efferuntur.

[Margin: Operatio recta. — Sap. 10, 10. — S. Augustin. ad Simplic. qu. 2. — Dignitas.]

480. Merops solo certæ cujusdam herbæ contactu clavum, arbori profundè infixum, extrahere potest; Unde Lucarini lemma. EDUCIT TACTU. Ita Sancti diversa animæ corporisque mala solo contactu levant. De se ipso disserens Isaias, ait, *Volavit ad me unus de Seraphim, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetegit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*; Christus Naimi defuncto cuidam juveni obviam factus, vix *tetigit loculum*, moxque illum è sarcophago vivum eduxit, *& resedit qui fuerat mortuus.* Item in leprosum quemdam incidens, *& extendens manum, tetigit eum*; luesque maligna quantocyus ex affecto corpore discessit, *& confestim mundata est lepra ejus.* Denique Petri socrus febri decumbens, vix contrectatâ Servatoris manu, sanitatem recuperavit; *apprehensâ manu ejus, continuò dimisit eam febris.* Eodem planè modò conscientiæ remorsus cor nostrum tamdiu pulsat, donec vitia, intra illud recondita, evellantur. Denique sancta fides herba illa est, quâ è mundo ad Deum attrahimur. Ad rem S. P. Augustinus. *Tactus fidem significat, tangendo enim acceditur ad eum, qui tangitur.*

[Margin: Sancti eorumque virtus. — Isa. 6, 6. — Luc. 7. n. 14. — Matt. 8. 3. — Remorsus conscientiæ. — Fides. — S. Augustin. serm. 17. ex Ildit. à Sirmond.]

MERVLA.
Cap. XLIII.

481. BArgalius Merulæ inscriptionem, è Plinio mutuatam, subdidit. ÆSTATE CANIT, HYEME BALBUTIT. Eos hoc Emblema spectat, qui ridente fortunâ lætitiam præ se ferunt, calamitatum tempore toti in quærelas ac gemitus effusi. Ad eandem planè normam è sceleratis nonnulli, juventute inter mundi vanissimas illecebras traductâ, tandem ingruente annorum hyeme nec linguam nec facultatem pœnitentiæ aut justificationis eliciendæ habent. S. P. Augustinus. *Quomodò pœnitentiam agere potest, qui nulla jam per se opera satisfactionis operari potest?* Et rursus, *Multos solet serotina pœnitentia decipere, quem enim morbus urget, pœna terret, ad veram vix veniet satisfactionem, maximè cùm uxor & filii, quos illicitè dilexit, sint præsentes, & mundus ad se vocet.*

[Margin: Peccator moribundus. — S. Augustin. serm. 57. de temp. — Idem l. de vera & fals. Pœnit. c. 17.]

482. S. Marcellinus Papa & Martyr, Mortis horrore exterritus, non sine gravi crimine idolis thura adolevit: posteà tamen, facti pœnitens, generosum pro Christi fide martyrium subiit. Unde D. Aresius Merulam Emblematis loco in illius honorem depingi fecit, quæ exanimem pullum ante se collocatum habebat, cum lemmate. ITERUM PARTURIAM. Vera hominis Christiani prudentia est, opera, per peccatum mortificata, recentibus operibus vivis, & in gratiâ Dei elicitis, reparare. Consentaneè Siracides, *Septies in die cadit Justus.* Et S. Gregorius. *Justorum certè casus quodammodò status eorum est, quia aliquando permittuntur cadere ut semper valeant fortius stare.*

[Margin: S. Marcellinus. — Pœnitens. — Prov. 24. 16. — S. Greg. l. in Reg. c. 2.]

MONOCODIATA.
CAPUT XLIV.

483. HÆc volucris, Moluccas Insulas habitans, alis destituta, volat; & pedibus orba, graditur. Carnem penè nullam habet, totoque corpore oblongâ caudâ plumeâ tegitur. Natales quidem suos è terrâ trahit; verùm eam, quasi dedignata, nunquam contingit. Denique, quod maximè mireris, crescit, vivit, & generat, nec tamen comedit vel bibit unquam. Unde D. Aresius Monocodiatæ Emblemate S. Joannem Baptistam, Eremi incolam, depinxit; subjuncto D. Matthæi lemmate. NON MANDUCANS, NEQUE BIBENS. De eodem S. Joannes Chrysostomus ait, *Nec tecto, nec lecto indiguit, non mensam, vel aliquid hujusmodi requisivit, sed Angelicâ quâdam vitâ in carne mortali resplenduit.*

[Margin: S. Jo. Bapt. — Matth. 11. 18 — S. Chrysost. hom. 10. in Matth.]

484. Hæc volucris, idcircò forsan Paradisi avis cognominata, quod semper supra ventos in aëre suspensa videatur, à Camerario epigraphen recepit. TERRÆ COMMERCIA NESCIT. Persona spiritualis, & anima Deo contemplando affixa, hanc ideam sibi vendicant. S. Prosper. *Sunt quædam volatilia, quæ non habitant, nisi sup r montes: & horum nomine spirituales animæ significantur, aere libero, & cæli serenitate gaudentes.* De seipso testatus est S. Paulus. *Nostra autem conversatio in cælis est.* In hunc locum S. Macarius, *In eo enim*, inquit, *veri Christiani discrepant ab universo genere hominum. Nec parvum est inter utrosque discrimen: nempe in eo, quod animus atque intellectus Christianorum cogitationi cælesti semper sit deditus, æternaque bona contemplatur &c.*

[Margin: Contemplativus. — S. Prosp. in Psal. 103. — Philipp. 3. 20 — S. Macar. Hom. 5.]

485. Felicissima hæc volucris, quæ à Celso Mancino *Apis Indica* vocatur, diu noctuque volans, nunquam quiescit: cùm enim alarum pennas cordi infixas habeat; idcircò ab assiduo cordis palpitantis motu, etiam alæ ad continuum motum, sine ullâ operandi intermissione, impelluntur. Eam proinde Franciscus Raulinus hoc lemmate insignivit. ALTA PETIT FIXO CORDE. S. Victoriam Virginem & Martyrem hæc imago spectabat, quæ, corde carnificum manibus transfixo versus cœlum evolavit. Cæterùm etiam cor peccatoris, adversitatum telo trajectum, pernici gressu ad Deum contendit. Denique cor, amoris Divini motu æstuans, totum hominem ita agitat, ut nunquam quietus, unicè ad Deum suum properet. Audi his motibus exæstuantem Augustinum; *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Idipsum experiuntur, quorum corda ambitione aut alia cupiditate flagrant; nunquam enim permittuntur quiescere, semperque ad altiora ac suaviora nituntur. *Qui quærunt in hâc vitâ & in hac terrâ felicitatem*, inquit idem Præsul Hipponensis, *ablatus est somnus ab eis, & non dormiunt. Inflammantibus enim cupiditatibus agitati, in flagitia & facinora propelluntur, nec omninò requiescunt, desiderando ut acquirant, metuendo ne amittant.*

[Margin: Manc. l. de somniis &c. — S. Victoria — Adversitates elevant — Charitas Dei. — S. Aug. l. 1 Conf. c. 1. — Cupiditas. — Idem in Psalm. 65.]

486. Monocodiata, cœlum assiduò perambulans, à Principe de Concha epigraphen recepit.

NEGLI-

Animus nobilis. Contemplativus. S Greg. hom. 11. in Evang.

NEGLIGIT IMA. Ad hanc normam mens generosa ac nobilis; sicuti & justa aut contemplativa hominis anima inferum hujus mundi vulgus consortio suo dedignatur. S. Gregorius. *Qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte cognoverit, ac, quæ in terris amaverat, libenter cuncta relinquit; in comparatione ejus vilescunt omnia; deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei placebat specie, &c*

487. Hortensius Pallavicinus, nobilissimum societatis Jesu ingenium, in encomium D. Cardinalis & Mediolanensium Archiepiscopi Alphonsi Littæ, Monocodiatam depingi fecit; cum lemmate. IMA DESPICIT, SUMMA TENET, Animum scilicet grandem ac generosum insinuabat, qui nec quidquam inter res abjectas aut vulgares, sed inter sublimes duntaxat, & celestes conquiescit. Certè verus Dei servus nec nictante quidem oculo terram dignatur, totus in celestia defixus. S. Basilius illa Ecclesiastæ verba examinans, *Sapientis oculi in capite ejus*; admirabundus sciscitabatur, *Cujusnam oculi non sunt in capite?* & respondet, *Atqui hic in capite, id est, ut ea contemplentur, quæ in sublimi sunt; nam qui non ad bona, quæ in sublimi sunt, sed quæ in terrâ respectat, is utique defigit, detrahitque oculos in terram.* S. Paulus dicebat, *Nos stulti propter Christum*; id est, interprete S. Gregorio Nysseno; *perinde ac si diceret; nos cæci in iis, quæ pertinent ad hanc, quæ deorsum agitur, vitam: propterea quod sursum aspicimus & oculos habemus in capite.*

Animus grandis. Servus Dei. S. Basil Mag. in Eccl. 2. 14. S. Greg. Nyss. hom. 5. in Ecclesiast.

488. Non est mirum, hanc volucrem exoticâ agilitate ad cælum levari, cum plurimis undique circumdata, vix quidquam carnis habeat. Unde lemma: SINE PONDERE SURSUM. Felix ille, qui, excusso divitiarum jugo, agilitatem induit, ac paupertatis beneficio, cælum assequi properat. S. Bernardus illa Christi verba expendens, quibus paupertatem cælesti regno donandam testatur, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; Ita scribit, *Magna quædam penna est paupertatis, quâ tam cito volatur in regnum cælorum*

Paupertas voluntaria. Matth 5. 3. S Bern in hunc loc.

489. Hæ volucres turmatim ita volitant, ut semper una alterius dorso nitatur. Unde D. Aresius Mariam Virginem sustentante Divino suo Filio ad cælos sublevatam, hoc symbolo repræsentat; cum dicto. INNIXA ASCENDIT. Verbis è sacro Epithalamio mutuatis, *Ascendit innixa super dilectum suum.* In hunc locum Mellifluus Bernardus, *Super hunc (dilectum) innititur mater illa felicissima, & in aureo reclinatorio Divinæ Majestatis recumbens, inter sponsi, imò filii sui brachia requiescit. O quanta dignitas, quàm specialis gloria, inniti super illum, quem reverenter colunt Angelicæ potestates &c.*

Mariæ V. Assumpt. Cant. 8. 5. S. Bern in hunc loc.

490. Præsuppositis iis, quæ initio hujus Capitis diximus, nimirum Monocodiatam semper è cælo suspensam vivere, Carolus Rancatus inscripsit. VITAMQUE RELIQUIT IN ASTRIS; Virgilio id subministrante,

Plaudentem nigrâ figit sub nube columbam,
Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris.

Virg Æn.

Felicem hominis cujusdam extatici ac contemplativi mortem hæc imago exhibet; solenne enim ac commune est, omnem, qui benè vixit, benè mori; & qui Divinis obsequiis assiduè fuit deditus, tandem vitam suam inter Dei delicias terminare, cælumque possidere. Unde Regius Vates. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Id interpretatus S. Bernardus *Pretiosa est*, inquit, *mors sanctorum, pretiosa planè, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus.* De Mose, eximio Dei servo, testatum facit sacra pagina, *Mortuus est jubente Domino*; vel, ut exponit Cardinalis Cajetanus, *In osculo Domini.* De Maria Virgine affirmat S. Vincentius Ferrerius; *Sicut sine corruptione concepit, & sine dolore peperit, ita etiam sine dolore in manibus filii animam tradidit.* Denique S. Laurentius, morte jamjam ingruente, tametsi corpore supra candentem craticulam ligatus, mentem suam cœlo consignavit; *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui*; propè gnarus, quod amici Dei *vitam relinquunt in castris.*

Mors bona contemplativi. Psal. 115. S Bern. serm. in transitu S. Malachiæ. Deut. 34 5. Cajet. in hunc loc. S Vinc. F. serm 2. de Assumpt. M V.

491. Volucris hujus pennæ etiam post ipsius mortem mutantur, semperque novos colorum decores induunt. Lemma. INTERMINATIS FULGET HONORIBUS. ferè Horatius.

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus.

Hor l 3. 2.

Hinc discas velim, immortale esse virtutis pretium. Justos insuper, nobili ac glorioso corpore è mortuis resurrecturos, hoc Emblema significat. De his S. Thomas Villanovanus. *Electorum nova progenies, in gloriam filiorum Dei permutata, in spirituali carne fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

Virtus immortal. Resurrectio justorum. S. Tho V. Conc. 2. extrem.

492. In honorem Christinæ, Suecorum Reginæ, quæ terreno regno generosè abdicato, mentem suam ad sola cælestia sublevavit, Monocodiatæ volantis Emblema statuerunt, cum epigraphâ è D. Paulo mutuatâ; NON QUÆ SUPER TERRAM. Ad hanc cœli serenitatem præ omnibus terrenis deliciis sectandam facundè invitat Magnus Augustinus. *Si te ista delectant, quæ sub cælo sunt, cur non magis ea delectant, quæ super cælos sunt? si carcer ita pulcher est; patria, civitas, & domus qualis est? si talia sunt, quæ hîc incolunt peregrini, qualia sunt quæ ibi possident filii?* Et paulò post; *ubi nulla necessitas turbat, nulla adversitas angustiat, nulla molestia inquietat, sed perennis lætitia regnat: si quæris, quid ibi sit, ubi tanta, & talis beatitudo persistit? aliter dici non potest, nisi quod, quid quid boni est, ibi est: & quidquid mali est, ibi nusquam est.* P. Joannes Bapt. Bargioccus imaginis sensum hoc poëmate explicat.

Coloss. 3. Contemplativus. S Aug. l. de Conf. viitiorum.

Versicolor populis avis est notissima Eois,
Quæ refugit terras tangere, amica polo.
Sed melius quæ sunt sursum Christina requirit,
Quæque super terram spernere docta, fugit.
Nam cupiens animo volitare per æthera, linquit
Divitias terræ, divitiasque maris &c.

493. Quantùm memini, veteris cujusdam Metelli tumulo hæc verba incisa vidi. ME TELLUS; quasi diceret, se non amplius intra sepulchri angustias conclusum, cælos conscendisse. Proinde si huic inscriptioni, Emblematis loco, volantem Monocodiatam, terris nunquam affigi solitam, suppositueris; Mariam Virginem ad cœlos assumptam appositè significabis; de quâ S. Joannes Damascenus ait, *Hodie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cœlestibus educata cogitationibus, non in terram reversa est; sed cùm esset animatum cœlum, in cœlestibus tabernaculis collocatur.* D. Salvator Carducius in hoc argumentum canit.

Maria V. assumpta. S Io Damasc. Orat. 2. de Dorm. B.M.

Metellus tumulet? jam dixerat ille Metellus.
Dignius id Virgo, dum subit astra, canet.

MORFEX.
CAPUT XLV.

494. Miram volandi agilitatem hæc volucris accipit, quando superfluos cibos, quibus gravatur, è pectore revomit. Eos proinde, qui pænitentiis, jejuniis, aut eleemosynis student, hoc Emblemate adumbrabis; subjuncto Lucarini lemmate. TUTE VOLAT EXONERATA. Eundem planè effectum,

Pænitentia. Jejunium. Eleemosynarius.

effectum,metaphorâ tamen nonnihil dissimili, observans S. Joannes Chrysostomus. *Veluti leviores naves*, inquit, *maria velocius transeunt, & multis oneribus gravatæ submerguntur: ita jejunium quidem leviorem reddens mente, efficit, ut facilius hujus vitæ pelagus transmittat, & in cœlum, ac ea, quæ in cœlis sunt, respiciat.* So Chrys. ...n.1 de ...nit.

NOCTVA Cap. XLVI.

496. NOctua, compluribus cincta aviculis, epigraphen tenet. ILLUDIT, ET DETINET. vel, ALLICIT, ET DECIPIT. Mundi ac sensuum fallaciam, hæc imago ob oculos ponit, quâ incautis mortalibus miserrimè, & ad extremam usque perniciem, illuditur. Verissimè de his pronuntiat Magnus Augustinus, *Fallax felicitas, ipsa est major infelicitas.* Ascanius Martinengus Philosophorum artes ac mundi sapientiam, uti & curiales, Advocatos, aliosque hujus farinæ homines, ob diversas causas noctuis non absimiles dicit, quod eorum vafritie improvidi circumveniantur, & simplices fallantur. *Noctua suo apparatu, ac oculorum nictatione, atq; capitis gesticulatione, aviculas simplices illudit, atque illectas carpit & eviscerat. Ita sapientes mundi orationum apparatu, inanibus suis speculationibus, simplices decipiunt, sæpeque eorum substantias diripiunt.* Porrò inscriptio, superius adducta, ALLICIT, ET DECIPIT; fallacem circumforaneorum medicinam exprimit; dum diversis facetiis & actionibus ludicris populum attrahunt, ut eundem liberaliore dolo circumveniant.

...llacia. Aug. in ...al. 129. ...scan. Mart. ...ircumfo...neus.

497. Aviculæ circa ligatam noctuam jocabundæ, ac veluti derisuræ volitant; at improvidæ ab eadem, reciproco lusu, ipsâque adeò vitæ jacturâ, falluntur. Unde inscriptio. ILLUDENTES ILLUDIT. Ita frequenter videas, irrisores rideri, ac fallaces mensurâ prorsus eâdem falli. Seriò Salomon, *Ipse* (Deus) *deludet irrisores.* Et Cassidorus, *Jus enim exigit sagittas fraudis, redire in dolosum verticem sagittantis.* S. Nilus. *In alterius infortunio ne rideas, ne ridearis, à quibus non velis.*

...ar pari ...eferre. ...rov. 3. 34. ...assiod. l. 5. ...ist. Nilus n. ...6. Paren.

498. Noctua, dum aviculas jocabunda allicit, viscatis calamis miseras involvit, & libertate exutas, vitâ spoliat. Unde lemma. DUM LUDIT, ILLUDIT. Ipsissimæ hæ veteratoriæ mundi, voluptatis, ac vitiorum technæ sunt, quæ post nonnulla objecta illicia, incautos in extremam perniciem præcipitant. Sanctus Laurentius Justinianus, *Iste mundus*, inquit, *ditat & spoliat, blanditur & injuriatur, milleque modis mortalium genus ludificiendo percutit & occidit.* Et S. Anselmus. *Si mundus vel aliquid eorum, quæ sunt mundi, ridet tibi, noli arridere illi. Certè, frater, non ridet tibi, ut in fine risus tu rideas, sed simulat risum, ut te irrideat.*

...oluptas ...errena. ...Laur. Iust. ...pud Nova... in. Ris. ...ardon c. 1. ...Anselm. ...idem.

499. Ranutii I. Parmensis Ducis prudentia nunquam clarius, atque inter negotia maximè intricata eluxit: id quod nonnemo noctuæ Emblemate insinuans, inscriptionem subjecit. IN TENEBRIS CLARIUS. Enimverò genuina prudentia Aristoteli est *anima ex virtute operantis veluti oculus*; Et S. Joanni Chrysostomo *Lucerna animæ*; prudentia enim inter umbras magis obscuras sese longè clarissimam, ac pretio tantò majore æstimandam exhibet. Ab hac sententia non multum alienus Tertullianus, de serpente, animalium omnium prudentissimo, ait, *Totam prudentiam in latebrarum angulis torquet.* P. Joannes Rhò, *Nihil*, inquit, *tam novum, tam inopinatum attulit dies, quod illicò suis consiliis* (prudentia) *non excipiat, quidve ibi optimum factu sit,*

...rudentia. Arist. l. 6. ...thic c. 12. ...Io. Chrys. ...n Psal. 13. ...ertull. lib. ...dversus ...alentiam ...ap. 1. ...o. Rhò de ...ar. virtut ...istor. l. 5. c. 1

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Thom. I.

non intelligat: nunquam tam alienus, aut inopinus velis incidit flatus, ut non continuò antennarum cornua obvertere, & vela flectere noverit. Tota enim ejus vis in eo sita est, ut, quid ubique sit agendum, promptius expediat: viæ Dux, optimam eligat. &c.

500. Academicus, inter Errantes Brixienses Nocturnus, symboli loco Noctuam, noctu volantem, præfert; cum lemmate. PER AMICA SILENTIA LUNÆ. Ita persona, solitudinis studiosa, suas operationes clam aliis perficit, easque è mundi conspectu subduci, unicè gaudet. Unde etiam inscribi poterat; LUCEM REFVGIT. Cæterum solitudinem apud litteratos summo haberi amore, Horatius affirmat. Virtus abscondita. Horat. l. 2. ep. 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbē.

Etiam justis hanc indolem congenitam esse, ut aliorum oculos effugere studeant, testem locupletem se offert mens Hugo Victorinus. *Nicticorax, id est Noctua, LVCEM REFVGIT, quia justus humanæ laudis gloriam non attendit.* Hugo Victor. lib. 1 de Best. cap. 34.

501. Noctua, cum lemmate, LVCEM REFVGIT, è S. Ambrosii sententia Hæreticorum idea est, qui fidei Orthodoxæ lucem extremo odio aversati, diverticula ac errorum suorum umbras quæritant. *Nolo imitatorem esse noctuæ*, inquit, *quæ licet per noctem vigilet, per diem tamen pigra vel cæca est, quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, splendorem solis horrescit. Mirum enim in modum illuminatur obscuritate, luce cæcatur. Istud animal. Hæreticorum figura est, atque gentilium, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem Salvatoris horrescunt, & grandibus disputationum oculis cernunt vana, non resipiscunt ad sempiterna.* Hæreticus S. Ambr. ser. in Malachiā

502. Complures inter mundi negotia ad miraculum perspicaces sunt, Dei verò causam excutiente percurrunt oculo, noctuam imitati, quæ IN LVCE CALIGAT. Altum huic insaniæ illachrymatus S. Ambrosius, *Noctua*, inquit, *indicio sui declarat esse aliquos, qui cum oculos habeant ad videndum, videre non soleant: & visus sui officio solis funguntur in tenebris. De cordis oculis loquor, quos habent sapientes mundi, & non vident, in luce nihil cernunt, in tenebris ambulant, dum dæmoniorum tenebrosa rimantur, acuti ad vana, hebetes ad æterna.* Mundani. S. Ambr. l. 5. Hexam c. 24

503. Vivax quoddam ingenium, sine ulla Doctoris opera litteris ac scientiis amplissimis instructum, Noctuæ Emblemate à P. Tarquinio Gallutio repræsentatur; cujus lemma est istud. NIL INDIGA LVCIS. Ita S. P. Augustinus scientiarum fastigium sine alicujus ope conscendit; ut adeò ad hoc propositum faciat illud D. Gregorii Brunelli distichon. S. P. Augustinus.

Nulla suam fundunt quamvis mihi sidera lucem,
Mens tamen interno lumine clara micat.

Rex Atalaricus, referente Cassiodoro, personas illas, quæ regiis consultationibus adhiberentur, & populi causas è tribunali definirent, eâ prærogativâ cumprimis instructos voluit; nempè ut citra aliorum adminiculum, propriâ ratione subnixi, discernere, ac consilia agitare nôssent. *Assideat tibi propria & exercitata doctrina. Modo est felix & certa conditio negotiorum, quando ille sententiam dicit, qui non potest ignorare quod eligit. Non enim decet, judicem ministrum esse alterius. Certè, si in aliis tolerandum, nimis in Quæstore pudendum est, ut, qui eligitur ad Principis consilium, solatium expectet alienum.* Consul. Cassiod. Var. 8. Ep. 18.

504. Basilica S. Genovefæ Parisiensis inter cætera Emblemata Noctuam exhibet; hâc Psaltis Regii

Adversitates. S.Aug.in Psal 138. epigraphâ insignem. NOX ILLUMINATIO MEA. Magnus Augustinus noctis nomine adversitates intelligit, quæ hominem mirificè illuminant, & ad beatā vitam perducunt. *Dies*, inquit, *nobis prosperitas sæculi; nox nobis adversitas sæculi, sed si cognoscamus ob meritum peccatorum nostrorum nos adversitates pati; & dulcia nobis sunt flagella patris, ne sit amara sentententia Judicis; sic habebimus tenebras noctis hujus, quomodo lumen noctis hujus. Si nox est, quomodo ibi lux est? Non est, quia erratur hic à genere humano; nox est, quia nondum venimus ad illum diem, quem non coarctat hesternus & crastinus: Nox est ergò hîc, sed quandam lucem suam nox ista habet &c.* Cæterum S.Dionysium Areopagitam, Basilicæ S.Genovefæ Patronum, hoc Emblemate exornabat Author, quod is Christum morientem per solis deliquium, adeoque noctu agnoverit. Emblemati hoc elogium subjungit.

S. Dionysius Arcop.

Caligat Plato, qui lumen sine lumine negat conspici:
Nusquam melius, quàm è tenebris conspicias solem.
Inde Numen agnovit Dionysius;
Nox ejus illuminatio.
Nam cadente sole illuminatus est.
Noctuæ instar, expirantem surrexit ad solem,
Et quem ferre non potuit totâ circumfusum luce,
Deficiente sustinuit.
Imò hâc è nocte tantam hausit lucem,
Ut ex Atheniensi noctuâ, Evangelica factus Aquila,
Mundo vulgaverit Deum &c.

ONOCROTALUS.

Cap. XLVII.

505. ONocrotalus, seu Truo, in lacubus & mari victitans, voracitate est nunquam exsaturanda. Unde piscem ore complexus, epigraphen sustinet. PARVUS NON SUFFICIT AMNIS. Homines, abdomini natos, ac Inexplebiles gulæ charybdes, hâc imagine describes. Seneca è polyphagis hisce duos cumprimis recensens, ait, *Aspice Nomentanum & Apicium, terrarum ac maris* (ut isti vocant) *bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia.* Juvenalis.

Gulosus. Senec. l. de Beata vita cap. 2. Iuven. Sat. 11.

Interea gustûs elementa per omnia quærunt
Nunquam animo pretiis obstantibus, interiùs si
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.

Lucan. lib. 4. Et Lucanus.

- - - - *O prodiga rerum*
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu
Et quæsitorum terrâ pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ.

OTUS, seu Asio.

Cap. XLVIII.

506. OTus Plinio teste, bubone minor, noctuis verò major, avicula est stolida & captu facilis; simulque ita inutilis, ut nulli planè usui inserviat. Unde lemma. NEC ESUI, NEC USUI, vel VOLUPTATI. Homo triobolaris, ac inutilis, solûque *natus consumere fruges*, hoc iconismo repræsentatur. Cæterùm Asio planè inutilissimus ac turpissimus est blasphemiâ; alia enim vitia omnia aut voluptatem homini afferunt, aut quæstum, aliundè commodum; at blasphemia sola est sterilissima; nec quidquam producit, nisi summi Dei offensam & æterna supplicia. Verissimè P. Hieremias Drexelius. *Hoc vitium* (de blasphemia loquitur) *omnium vitiorum inutilissimum; quid enim utilitatis habet aut voluptatis, ore insano in cœlum & superos debacchari? Ad alia vitia pertrahimur voluptate, quamvis illa spurca sit, & homine indigna: quid autem hic oblectationis est, instar amentis & furiosi verba impia in Deum cœlitesque jacere? Nequitia est sterilissima.*

Homo inutilis. Blasphemia. Drexel. p. 1. Phaet. litt. B.

PASSER.

Cap. XLIX.

507. HOminem inconstantem ac inquietum Passeris Emblemate describes, qui nulli domicilio affixus, INCERTA SEDE VAGATUR. Amor, Ovidio teste, hanc volubilitatem congenitam habet.

Instabilitas. Amor. Ovid. l. 3 de Arte.

Errat, & in nulla sede moratur Amor.

Et rursus, referente Othone Venio.

Oth. Ven. Embl. Amor. fol. 94.

Acer & irrequietus amans animo omnia versat,
Ardet, & haud ullis permanet ille locis.

Unde Amor, utpotè erratica, instabilis, & caduca hominis affectio, alis depingi solet, quasi ocyus se in fugam daturus. *Corporum amorem*, inquit Isidorus Pelusiota, *ob eam causam pictores cum facibus & pennis depingunt, quia nunc libidinem inflammat, nunc rursus ob saturitatem avolat.*

Isid. Pelus. l. 2 ep 234.

508. Joannes Ferrus Passeri subscripsit. ET PASSIM VOLITANT; Lubrici ac instabilis animi hominem designans. Appositè meus Hugo Victorinus. *Sub passeris nomine designatur instabilitas mentis in quolibet homine. Est enim passer avis inconstans & instabilis, & ideò designat nobilitatem mentis.* Cæterum mentis inconstantia proprius est vitiosorum character; Juvenale teste,

Instabilitas. Hugo Vict. lib. 1. de Be. cap. 27. Iuven. Sat. 13.

Mobilis, & varia est ferme natura malorum.

509. Jacobus Catsius simboli loco Passerem depinxit, qui in cœlum evolaturus, vinculis retinebatur captus; cum lemmate. PROHIBENT VINCULA. Nempe & corpus animam, & conjux conjugem captivum retinet, quo minus Divinis se impendat. Verissimè proin, suam à cæna magna absentiam excusans ille, Domino nuntiari jussit, *uxorem duxi, & ideò non possum venire*; nulla enim animæ, à cœlestibus delitiis retrahendæ, potentior est remora, quam voluptas carnis aut mundi. Glossa ex S.Gregorio affirmat, *Amor rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum.* Unde sapienter hortatur Magnus Augustinus. *Tollamus ergò de medio excusationes vanas & malas, & veniamus ad cænam, quâ intrinsecus saginemur. Non nos impediat extollentia superbiæ, non nos extollat, vel non nos terreat curiositas illicita, & avertat à Deo. Non nos impediat voluptas carnis, à voluptate cordis &c.*

Caro gravat animam. Conjux. Luc. 14 20. Gloss in h. locum. S. Aug. de Verb. Dom. serm. 33.

PASSER SOLITARIUS.

Cap. L.

510. PAsser solitarius, tametsi tenerâ ac suavi voce cantillans, solis tamen erucis, vermibus, aliisque insectis pascitur. Unde lemma. SE PRETIOSO HO IL CANTO, HO L'ESCA INDEGNA. Id est. CANTU PRÆCELLENS, IMPURA VESCITUR ESCA. Genuinam hanc illius ideam dixerim, qui persuadent, consuluntque optime, at perversè operantur & pessimè vivunt. Justus Lipsius, *De Religione satis multi loquuntur, pauci vitâ exprimunt, & mores à professione discordant.* Sanctus Gregorius Magnus super illa S.Epithalamii verba, *Mel & lac sub lingua tua*, ait, *Falsi Prædicatores mel in lingua portant, quod sub lingua non habent, quia cœlestia gaudia aliquando prædicant tanquam vera sint, cùm ipsi terrestria*

Prædicator vitiosus. Lips. Cent. 3. ad Belg. ep 49. S. Greg. in c. 4 Cant. v. 11.

ria bona totis desideriis appetant. Nec multum abludit Ovidius.

Sic agitur censura, & sic exempla parantur;
Quum Judex, alios quos monet, ipse facit.

Preces continuandæ. 511. Picus, arborem rostro perforans, epigraphen tenet, REPETENDO PENETRAT. Ita, ut rem desideratam à Deo extorqueas, iteratis precibus illum pulses, necesse est. Catsii dictum est, *Sive gladiator, sive amator sis, & apud Deum deprecator, repete cum pico, ut vincas & obtineas.* S.P. Aug. in illud D. Lucæ, *Si perseveraverit pulsans &c.* ait, *Quid est, propter improbitatem? quia pulsare non destitit: quia & cùm esset negatum, se non avertit. Ille qui nolebat dare, quod petebatur, fecit, quia ille in petendo non defecit. Quanto magis dabit Deus bonus, qui nos hortatur ut petamus, cui displicet, si non petamus.* Vult enim Deus nos in oratione esse perseverantes usq; ad importunitatem, eâque delectatur; vultque nos magno affectu instare, pulsare, urgere, & quasi cogere Deum ad dandum: *Hæc vis grata Deo*, ait Tertullianus.

S.Aug.serm. de Verb. Dom. cap.5.

Tertull. lib. de Orat.

Psal.54.8. Solitudo. 512. Author Basilicæ S. Genovefæ Parisiensis inter cætera Emblemata volantem Passerem solitarium exhibet, cum Psaltis Regii lemmate. ELONGAVI FUGIENS, ET MANSI IN SOLITUDINE. Idipsum secum decernunt omnes ii, qui relicto mundo, vitam religiosam auspicantur, ac felicissimam solitudinem præ mundi turbis, amplectuntur. Nam, Seneca teste, *Solitudinem quærit, qui vult cum innocentibus vivere: optimus animus, & pulcherrimus Dei cultor est.*

Senec. lib. de morib.

PAVO. *Cap.* LI.

513. QUando Pavo syrmatis sui pompâ exuitur, tam acerbo doloris ac verecundiæ sensu cõstringitur, ut, dum decor ille renascatur, ab hominũ oculis removeri, & absconditus vivere consuescat. Unde hoc implumis pavonis Emblemate Ministrum quemdam, munere suo amotum, adumbrârunt; versu, lemmatis vice, subjuncto. PLENA VERECUNDI CULPA TIMORIS ERAT. Miserum protoparentem nostrum Adamum hic ipse fortunæ casus acerbè exagitavit; nam magnifico justitiæ & integritatis originariæ ornamento spoliatus, mox rubore suffundi, ac verecundiæ timorisque plenus, latebras inquirere cœpit. *Timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* In hunc locum Procopius. *Timor*, inquit, *invasit ob delictum, latebras quæsivit propter nuditatem.* Et sanctus Irenæus. *Adamus timore corripitur, & absconditur, non quasi posset effugere Deum, sed confusus, quoniam transgressus fuerat præceptum Dei, indignum se putavit venire in conspectum & colloquium ejus.*

Officialis depositus.

Peccator confusus.

Gen.3.10. Procop in hunc loc.

S Iren. lib.3. cont. hæres. cap.37.

Pulchritudo interior. 514. Pavo, gemmatam caudam in orbem flectens, epigraphen tenet. INTERNA PRÆSTANT. Nimirum interior animæ venustas ac perfectio, corporis pulchritudinem longis intervallis antecedit. Lucian. *Corporis nitor & venustas non sufficit, nisi veris & venustis ornamentis* (mulier) *decorata & exculta sit. Non autem dico, ut vestimentis purpureis & aureis, aut gemmeis monilibus exornata sit, sed morum elegantiâ, temperantiâ, æquitate, humanitate, ac aliis &c.*

Lucian. Dial imagines.

Proprius valor. 515. Pavo, conchatam caudam ostentans epigraphen tenet. SIBIMET PULCHERRIMA MERCES. Illius hæc imago est, qui proprii ingenii decore, non verò falsis adulatorum parergis exornatus, resplendet. Unde apertè de se ipso confessus est Magnus August. *Malim me reprehendi à reprehensore falsitatis, quàm ab ejus laudatore laudari.* Virtus enim nativâ suâ excellens venustate, emendicatos decores horret. Appositè Silius Italicus.

S.Aug. l.1. de Trin. c.3.

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

Mutatio. 516. Quidam, capillos suos mulierum causâ frequenter immutare solitus, à Joanne Ferro implumis pavonis Emblemate significabatur; cum lemmate BEL TA' PERDO SOVENTE, E LA RAQUISTO, Id est, SÆPIUS AMITTO, REPAROQUE COLORES. Idipsum de illo dixeris, qui frequenti morbo obrutus, toties convalescit; vel certè, qui iteratis peccatis contaminatus, ad interiorem animi integritatem revivisfcit. Ab hoc sensu non multùm alienus Salomon, ait, *Septies cadet justus & resurget.* De peccato veniali hoc loco sermo est, quod non quidem animæ vitam aufert, sed tamen illius venustatem plurimùm offuscat; appositè S.Bernardus. *It & redit spiritus, & qui stat eo tenente, deserente cadat, necesse est. sed non collidetur, quia Dominus rursum supponit manum suam. Et has alternare vices non cessat in his, qui spirituales sunt, vel quos potius spirituales providè ipse creare intendit, visitans diluculo, & subitò probans. Denique septies cadit justus, & septies resurgit, si tamen cadat in die & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, ut requirat manum adjuvantis, & dicat; Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.*

Pœnitens.

Prov.24.16.

S.Bern. serm 1. in Cant.

Beati in cœlo. 517. Pavo, Soli adversus, epigraphen tenet. SIC PULCHRIOR; Hominem justum hæc imago exhibet, qui, tametsi mille virtutum coloribus exornatus, majorem tamen splendorem è Divina præsentia participabit; ibi enim supremo venustatis suæ cultu fulgebit, quando Cœlitum albo insertus, Solis æterni lumine *facie ad faciem* gaudebit. Nam, Magno Augustino teste, *Hominis terreni memor est Deus, tanquam in longissimo positi; hominem verò cælestem visitat, quem præsens illustrat vultu suo.*

S. Aug in Psal.8.

Superbia vana. 518. Elatæ ac fastuosæ huic volucri subscripsit Villava; DEFORMES OBLITA PEDES; hominem superbum, humili tamen & obscuro loco natum significans. Ascanius Martinengus ait, vitium istud in eos potissimum cadere, qui corporis aut animæ dotibus supra vulgus eminent; hi tamen ipsi supercilium facilè ponent, si sortis suæ caducæ, ac felicitatis brevi moriturae meminerint. *Tumescit homo sæpè animi, corporisq; dotibus, fortunæ etiam muneribus turget: sed ubi ad pedes oculos demittit, ad mortis terribilem memoriam, ejus consideratione excruciatur, & stridet.* Pulchrè S.P. August. *Ama Dei bonitatem, time severitatem, utrumque te superbum esse non sinit: amando enim times, ne amatum & amantem graviter offendas.*

Ascan Mart in Gloss. Marg. fol. 1531

S Aug de Virgin. c.38.

519. Pavo, peregrinam suam venustatem contemplatus, totus undique inflatur, fastuque turget. Unde lemma. VENUSTATE, vel, FORMA SUPERBIT. Verbis ex Ovidio mutuatis.

Ovid de med. faciei.

Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat, & FORMA muta SUPERBIT avis.

Pulchritudo corporis. Et certè, corporis pulchritudo aliquantulum liberalior, comitem penè individuum, fastum, habet; eodem Poëta asserente.

Ovid. l.1. Fast.

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formā.

Velim hi, qui de corporis venustate superbiunt, vellicantem audiant Magnum Augustinum. *Jactet se quisque de divitiis, jactet se de pulchritudine, & de viribus corporis; ista certè omnia mortalia sunt. Ridendi sunt, qui se de mortalibus jactant, à quibus rebus plerumque aut vivi deseruntur, aut mortui eas necesse est ut deserant.*

S. Aug. in Ps. 58. Conc. 2.

Munditiæ. 520. Nitori ita est deditus Pavo, ut non solùm omni labeculæ contrahendæ studiosissimè caveat, sed etiam vel minimam contractam balneo abstergat; mors enim ex immunditie facillimè accersitur. Unde Divi Aresii lemma. IMPURITATIS

TATIS IMPATIENS. Hominem summæ puritatis studiosum, hæc imago repræsentat, qui mori potiùs, quàm obscæniore maculâ fœdari cupit. Talem se Susanna Deo probaverat, de qua S. Ambr. *Cùm hinc se videret urgeri periculo, inde opprobrio, maluit honestâ morte vitare opprobrium, quàm studio salutis turpem vitam subire.*

S. Ambr. l. 3. offic. c. 14.

521. Frustra sunt plumea Pavonis ornamenta, si nunquam ab ipso explicata, semper delitescant. Unde lemma. RESTRICTÆ DEPEREUNT. Quid, obsecro, divitiæ conducunt, si tenaci manu intra arcam premantur conclusæ? quid virtutum talenta, veluti unicum hominis decus, si tempore ac loco debito ea palam facere non liceat? De his ait Magnus Augustinus. *Si abscondis ab oculis hominum, abscondis ab imitatione hominum, laudem subtrahis Deo.* Scitè Claudianus.

Virtus abscondita.

S. Aug. Tract. 8. in Ioan. ep.

Claud. in 4. Consul. Honorii.

Vile latens virtus. Quid enim submersa tenebris
Proderit? obscuro veluti sine remige puppis;
Vel lyra, quæ recitet, vel qui non tenditur arcus.

522. Merula hanc in Pavone proprietatem observatam habet, quod, ubicunque vas veneno infectum repererit, illud quantocius evertat ac destruat. Unde S. Benedictus venenum, à perversis Monachis propinatum, manifestans; authore Lucarino Pavonis Emblemate repræsentatur; cum dicto. VENENUM DETEGIT, AC PERDIT. Hâc imagine Inquisitores, Judices, ac Medici significantur, qui hæresum, vitiorum, ac ægritudinum venena manifestant, perduntque. Hoc encomio Venerabilis Beda cumprimis S. P. Augustinum exornans, *Augustinus*, inquit, *omnia, quæ fidem turbare poterant, hæreticorum VENENA evacuat.* Et de S. Leone Papa Alphonsus Ciaconius. *Plurimos Manichæos latere intra urbem diligentiâ Papæ Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos, & oculis totius Ecclesiæ publicatos omnes dogmatis sui turpitudinem & damnare fecit, & perdere, &c.*

Merula l. 4.

S. Benedictus.

Inquisitor Judex, Medicus.

S. August.

Beda lib. de Tabernac.

Ciaconius.

523. D. Aresius sanctos Machabæos, persecutionibus, ærumnis, ac contemptibus plurimum exagitatos, pavonum pullis comparat, qui plumarum ornamento etiamnum destituti, à pavone mare, injuriis ac verberibus impetuntur: addito lemmate. NONDUM APPARUIT, QUID ERIMUS. Verbis è S. Joanne mutuatis. *Charissimi nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus*; quasi diceret: non quidem magni æstimat mundus, quia non cognoscit, quanta & quam eximia sit illa dignitas, quâ in Dei filios adoptamur; olim tamen id palam fiet, quando gloria nostra in cœlis fulgebit. *Nesciunt*, inquit S. Joannes Chrysostomus, *qui nos contumeliâ afficiunt, quales simus, utpote qui cœli cives, & supernæ patriæ adscripti, & Cherubim socii sumus. Scient autem in die judicii.* Et P. Cornelius à Lapide. *Mundus non novit nos, quia non videt internum nostrum decorem, sed videbit eum in die judicii, tuncq; noscet nos sed serò quia tunc non erimus amplius obscuri, viles, despecti; sed splendidi, quia similes erimus Deo, & erimus beati, gloriosi, divini.*

Machabæi

1. Ioan. 3. 2.

Persecutiones Sanctorum.

S. Chrysost. ho 78. in Io.

Corn. à Lap. in eund loc.

524. Merula author est, Pavam suos pullos nonnisi adultos pavoni exhibere. Unde Lucarini lemma. ADULTOS EXHIBET. Ita Maria Virgo clientes sibi devotos, suâque operâ in virtute ac meritis provectos, Deo præsentat, ne penitus implumes aut non agnoscantur, aut rejiciantur. Unde ad Deiparam conversus sanctus Bernardus, *Per te*, inquit, *accessum habeamus ad filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis &c.*

Merul. lib. 4.

Maria V.

S. Bernard. ser. 2. de M. V

525. Pava, ne ovis incubans, à pavone aliquid incommodi patiatur vel turbetur, locum occultum, & ab illius consortio remotum investigat; cum dicto; UT PERFICIAM. D. Caroli Bossi hoc Emblema fuerat, quando publicis negotiis spontè relictis, vitam petiit solitariam, ubi interiorem illam perfectionem ac virtutum profectum, ad quem se vocatum senserat, assequeretur. Et certè solitudo, unicum conservandi spiritualis animi remedium, amplissimam internæ felicitatis occasionem præbet. S. Basilius illa Psalmi verba interpretatus, *In corde meo abscondi eloquia tua*; ait, *Qui spirituales divitias habet in animo suo, illas abscondit, ne has per inanem gloriam prædatores animarum furentur.*

Solitudo.

S. Basil. in Psal. 118. n.

526. Ad funebrem Ranutii I. Ducis Parmensis pompam Pavonis Emblema erexêre; subjunctâ epigraphâ; NUNQUAM PUTRESCET: Hanc enim in Pavone proprietatem observatam habet S. P. Augustinus; *Quis enim*, inquit, *nisi Deus creator omnium, dedit carni Pavonis mortui, ne putresceret &c.* Innuebant nimirum, Principis illius famam ac insignem virtutem nullo unquam ævo esse intermorituram. Verissimè Euripides.

S. Aug. l. 21. de Civit. c. 4.

Virtus immortalis.

Neutiquam reliquias bonorum virorum aufert tẽ- (pus,
Sed virtus etiam morte peremptis lucet.

Eurip. Andromeda.

527. Pavus, adverso sole depictus, ad omnem corporis sui motum colores variat. Unde lemma. TRAHIT, MUTATQUE VICISSIM. Omnium horarum hominem, instabilem, & in diversos affectus facilè permutandum, hæc imago significat. Cumprimis tamen adulatoris est propria, qui sub Principis aspectu nunc hos, nũc alios colores, pro ipsius placito, induit. Nam, ut ait Beda, *Adulator est, qui tacet & dat consensum, ne offendat illum, quem credit habere propitium.* De amantibus canit Propertius.

Mutabilitas.

Beda lib. 2. in Lucam.

Prop lib. 2. ad Cynthiam.

Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quàm facilè irati verbo mutantur amantes.

E modernis nonnemo instabilem personæ cujusdam genium hâc satyrâ persequitur.

Asper, & urbanus: tetricus, festivus es idem,
Te sine, nec tecum vivere, Jane, queo.
Garrulus & tacitus, lætusque & tristis, & auceps
Mille refers vario more, vel ore vices.

536. In laudem S. Catharinæ Virginis & Martyris Pavonem depinxêre, qui caudâ in gyrum flexâ, epigraphen monstrabat. IN ROTA VENUSTAS. Fortissima enim hæc Amazon è rotâ, fatali martyrii sui instrumento, mirum decorem, & ornamentum prorsus singulare retulit. Hugo Cardinalis ait, Pavonis caudâ crebra Magnatum famulitia significari, quibus superbè incedunt, ac illustres vocantur. *Pavos*, inquit, *id est nobiles, qui secum habent pulchras caudas, id est familias, tales ducunt Legati, & vadunt cum tanto exercitu, quod videtur, quod in expeditione vadant.*

S. Catharina V. & M.

Magnatũ famulitia.

Hugo Card in 2 c. ep. ad Philipp

527. Pavoni, intra conchatam suam rotam superbienti, epigraphe convenit. LAUDATA SUPERBIT. De hac volucre canit Ovid. suprà citatus.

Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat, & formâ muta superbit avis.

Ovid. lib. de medicam. faciei.

Pulchritudo laudat

Ita nimirum pulchritudo aut virtus, si laudetur, in fastum desinit. Sacri Interpretes mirificè laudant Saram, quod à conjuge Abrahamo ob singularem formæ venustatem commendata, *Novi, quod pulchra sis mulier*, indolem fœminis congenitam vicerit, nulloque sit superbiæ sensu afflata. Inter cæteros id observans S. Joann. Chrysost. *Scio*, inquit, *quod mulier pulchra sis: considera, quantum confidebat moribus mulieris, non timens, ne fortè laudibus remissior fiat.*

Gen. 12. 11.

S. Jo. Chrys. hom. 42 in Gen.

528. Henricus Farnesius Pavonem, in solis conspectu resplendentem, hoc lemmate insignivit. NON

CORUS-

Princeps pius. CORUSCAT IN TENEBRIS. Innuit videlicet, Principem sine pietatis ac Religionis splendore nunquam fore gloriosum; siquidem, quidquid luminis Pavoni è Sole, idipsum Principi è sancto in Deum affectu accrescit. Joannes Papa ad Justinianum Imperatorem, *Nihil est*, inquit, *quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Principe.* Et Plinius in Trajani Panegyrico, postquam alios Imperatores redarguisset, quod Deorum nomina sibi arrogâssent, suasque statuas in templis adorandas erexissent, tandem Trajanum in hæc verba alloquitur. *Tu delubra nonnisi adoraturus intras: tibi maximus honor, excubare pro templis, postibusque prætexi: sic fit, ut Dii summum inter homines fastigium servent, cum Deorum ipse non adeptus.*

(Joan. Papa ad Justin. Imp. — Plin. in Paneg. Trajan.)

529. Idem Farnesius, Paracelsum secutus, observat, Pavonem, dum præter morem suum cantat, certam domestico nutritio suo mortem portendere. Unde Pavoni, supra domus fastigium collocato, inscripsit. EX CANTU MÆROR. Certè mundi illecebræ tandem in dolores, amaritudines, & ipsam denique tristissimam mortem desinunt. Calculo suo id confirmans Sapiens, *Risus*, inquit, *dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Meretricum blanditiæ, pavonum cantui non absimiles, plerumque mæroris acerbissimi finem sumunt. Opportunè S. Cyprianus. *Nunc blanditias exhibet meretrix, nunc verba mollia, & quod venenosius est super cuncta, psallere delectatur, cujus cantu tolerabilius est, audire basiliscum sibilantem.* Unde S. Hieronymus occinentis lupæ harmoniam vocat *vocis dulcedines per aures animam vulnerantes.*

(Paracels. l. de Præsagiis. — Mundi illecebræ. — Prov. 14. 13. — S. Cypr. de singul. Cler. — S. Hieron. ad ...)

530. Pavo, raram suam venustatem contemplatus, totus in lætitiam effunditur; verùm dum oculo nonnihil submissiore in pedum suorum deformitaté reflectit, mox tristitiam ac doloré contrahit. Unde lemma. EXULTAT, ET PLORAT. Ita prorsus mundi asseclæ nullas unquam delitias ita beatas experiuntur, quin aliquis sive æternus, sive temporalis vitæ dolor eorum jubilos assiduò interturbet. Vetus parœmia est; *ubi uber, ibi tuber: ubi mel, ibi fel.* Apuleius id confirmans, *Nihil unquam*, ait, *homini tam lætum divinitùs datum est, quin ei ad mixtum sit aliquid difficultatis: ut etiam in amplissima quaque lætitia sit quæpiam vel parva querimonia, conjunctione quadam mellis & fellis &c.*

(Mundi delitiæ. — Apul. lib. 2. Florid.)

531. Pavo occultam caudæ suæ pompam, superbè explicat, ut ab intuentibus observatus, plausum ferat. Lemma. UT RESPICIAR. Idipsum Hypocritæ assolent; hi enim quidquid virtutis aut coloris apparentis habent, id totum jactabundi ostentant, ut hominum oculos delinire, & aliquid nominis auspicari possint. De his Servator. *Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Prorsus Christianè Seneca. *Illud te admoneo, ne eorum more, qui non proficere, sed conspici cupiunt, facias aliqua quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia sint, &c.*

(Hypocrita. — Matth. 23. 5. — Senec. ep. 13.)

532. Sensum, priori Emblemati è diametro adversum, affert D. Mazzolenus, dum Pavoni, syrmate in gyram flexo, inscripsit. VANUM POST-HABET ORBEM. Verum Dei servum hæc imago concernit, qui totâ mundi vanitate longissimè relictâ, cum sancto Petro dicere potest; *Ecce nos reliquimus omnia*; Et cum S. Paulo, *omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora.* Seriò hortatur Chrysost. *Contemne divitias, & eris locuples: contemne gloriam, & eris gloriosus: contemne supplicia inimicorum, & tunc eos superabis: contemne remissionem & quietem, & tunc eam recipies.*

(Servus Dei. — Matt. 19. 27. — Philip. 3. 8. — S. Chrysost. serm. 25. in ep ad Hebræos.)

533. Pavo, ante serpentes aliquot fugitivos collocatus, è Lucretio Borsato epigraphé accepit; VOCE TANTUM. Illustrissimi D. Antonii Longi, Cremensium Gubernatoris, hoc elogium erat, qui suâ regendi virtute sceleratos omnes, vicinæ provinciæ passim infestos, deterruit, & in fugam egit. Certè magnanimus Dux solâ suâ voce, aut militaris generositatis famâ, hostibus terrorem incutiat & in fugam conjiciat. Prædicator quoque solâ suâ voce omne vitiorum venenum è mortalium animis profligat. S. P. August. *Quomodo theriaca bibitur, ne corporibus possint prævalere venena; hoc austerâ prædicatione geritur, unde animarum præparentur antidota.*

(Homo timendus. — Bellidux. — Prædicator. — S. Aug. serm. 67. de temp.)

534. Pavo, turpi pedum colore, sonoque vocis ingrato præditus, stellatâ in caudâ superbit. Lemma. FÆDA TEGIT, PULCHRISQUE SUPERBIT. P. Jacobus Masenius hanc indolem Aulicorum propriam dicit, qui sordida splendidis obvelant, & fæda sua vitia exornant auro ac purpurâ: Unde filios suos monet Magnus Legislator Aug. *Non affectetis vestibus placere, sed moribus.* In rem præsentem Innocentius Papa. *Superbus, ut magnificus videatur, satagit vestiri duplicibus, indui mollibus, pretiosis ornari: sed quid aliud est, ô homo, pretiosior ornatus, quàm sepulchrum foris dealbatum, intus autem spurcitia? Hyacinthus, purpura, & crocus, & byssus in limo putrescunt: aurum & argentum, lapides & gemmæ in luto sordescunt: dignitas & potestas in pulvere, honor & gloria male sedent in cinere.*

(Vestes pretiosæ. — S. Aug in Reg. — Innocent. de Vilitate cond. humana.)

PELICANUS.

Cap. LII.

535. Christus, salutis nostræ vindex, pretiosum suum sanguinem è sacrosanctis venis proliciens, Pelicanum imitatur, qui sanandis fovendisque pullis proprium pectus sauciat; cum lemmate. SIC HIS, QUOS DILIGO. Præclarè Hugo Victorinus. *Pelicanus sanguine suo pullos lavando vivificat, quia Christus proprio sanguine suo redimendo lavat: Mors enim Pelicani, passio est Christi.* Et S. Petrus Damianus, *Sapientia Dei in cruce pendens, latus aperuit; sicque peremptos ad vitam sacrosancti sanguinis sui profluvio revocavit.*

(Christus patiens. — Hugo Vict. l. 1. de Best. c. 33. — S. Pet. Dam. l. 2. ep. 18.)

536. Alphonsus IX Hispaniarum Rex, vel, ut alii volunt, Joannes II. Lusitaniæ Rex, aut fortassis simul ambo se ipsos Pelicani Emblemate repræsentârunt, qui viscera sua lacerat PRO LEGE, ET PRO GREGE. Innuebant videlicet, pro sancta fide, & populi incolumitate, proprium sanguinem, ipsamque adeò vitam profundendi, paratos & alacres sibi esse animos. P. Franciscus Mendoza in ejusdem Regis Joannis panegyri ait, *Veteres quidam Reges, ut suis medicinam morbis invenirent, puerorum sanguinem, quo se infunderent, effundebant. Joannes, ut suorum malis civium mederetur, suis ipse manibus vellicabat sibi pectus, lancinabat venas, exulcerabat corpus, intima ad præcordia penetrabat, ut, quidquid opis in se esset, totum id in suorum salutem civium, seu, ut ita dicam, potius filiorum exhauriret. Vere Pelicanus, qui, ut filios saturet, esurit; ut potet, sitit; ut reficiat, ut saginet, marcet; ut succo impleat, & sanguine, hausto suis visceribus cruore, extabescit &c.* Cæterum pro subditorum salute eviscerari, propriam esse veri Principis virtutem, Xiphilinus in Imperatore Othone demonstrat, qui violento ferro sibi mortem inferens, hæc verba epilogi vice pronuntiâsse fertur; *Faciam, ut omnes intelligant, quem Imperatorem elegeritis, qui non vos pro se, sed se pro vobis dedit.*

(Princeps subditorū amans. — Mendoz in Virid. Orat. I de Ortu Principis Hispan. — Xiphilinus in Oth. Imp.)

 537. Peli-

Crucifixus

537. Pelicanus, è sauciato pectore suos pullos salvans, epigraphen, Achillis lanceæ, aliisque Emblematis suffigi solitam, meretur. EX VULNERE SALUS. Crucifixi imaginem hoc hieroglyphico significabis, è cujus crebro vulnere salus optatissima mundo promanavit. Id quod fortassis Siracides his verbis innuere volebat; *Sapientia filiis suis vitam inspirat.* Affirmatè Apostolus, *Cujus livore sanati sumus.* Verissimum S. Ambrosii effatum est, *Plaga Christi nostra medicina est.* Unde cùm Apostoli in horto olivario, Christum vindicaturi, adversus irruentes satellites ferrum stringerent, ipse mox eorum impetum cohibens, clamavit. *Sinite usque huc, noluit enim*, inquit S. Ambrosius, *persecutorum vulnere defendi*, *qui voluit suo vulnere omnes sanare.*

Eccls. 4. 16. & 1. Pet. 2. 24. S. Ambr. lib. de Spiritu S. cap. 8.

Luc. 22. 51.

S. Ambr in hunc loc.

538. Pelicanus, perfosso suo pectore pullos mortuos in vitam revocat, cum lemmate. MORTUOS VIVIFICAT. D. Aresius hoc Emblemate S Matrem Monicam concinnè repræsentat, quæ lachrymarum sanguine, ac copiosis precibus penè eviscerata, filium Augustinum, fidei ac gratiæ jamjam mortuum, spirituali vitâ donavit. Id quod ipsemet S. P. Augustinus haud dubiè innuere voluit, quandò de illa scripsit; *Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deviare cernebat.*

S. Monica.

S. Aug. l. 9. Confess. c. 9.

539. P. Henricus Engelgrave Emblematis loco Pelicanum expressit, qui pectus suum rostro lancinans, pullos erumpente vivificat, pascitque sanguine. Epigraphen è Christi verbis addidit. UT VITAM HABEANT. Ita prorsùs sanguis, è patientis Christi venis copiosè profluens, animarum nostrarum vitam, morte jamjam suffocatam, denuò inspiravit. Concinnè in hanc rem Apostolus, *Deus autem*, inquit, *qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo &c.* Unde S. P. Augustinus, *Christus, eò quod occisus est, de sanguine suo fecit medicamentum ægrotis.* Cæterùm SS. Eucharistia verissimè dicitur *sanguis vivificus*; quippe quæ Christianorum vitam liberalissimè sustentat ac promovet.

Joan. 3.

patiens. Christus

Ephes. 2. 4.

S. Aug. in Ps. 58. Conc. 1

S. Eucharistia.

540. Bartholomæus Anglicus observatum habet, quod omnibus Pelicani pullis à matre profugis, unus semper, majore charitate flagrans, cùm illa perstitat. Unde Emblemati subscripsit Lucarinus. MANET AMANTIOR. En! insigne S. Joannis Evangelistæ ectypon! qui reliquis Apostolis omnibus præ timore in fugam actis, intrepidus ad ipsum usq; extremum Christi suspirium cum eo perseveravit. Hic nimirùm proprius veræ amicitiæ character est, quod ab amico, tametsi calamitatibus, ipsaque adeò crudelissimâ morte depressâ, nunquam se avelli patiatur. S Maximus, *Equi bonitatem*, inquit, *in bello, amici vero fidem in calamitate judicamus.* Et Isocrates. *Amicos probabis ex calamitate in vita, & communicatione periculorum. Aurum enim igne probamus, amicos in adversa fortuna cognoscimus.* Opportunè canit Ludovicus Ariostus.

Barth Angl. lib. 12.

S. Ioan. Evang.

Amicitia vera.

S. Max. serm. de amicitia. Isocrates ad Nicoclem.

Ariost. Cant. 19. st. 1.

Che quel, che di cor ama, riman forte,
Et ama il suo signor dopo la morte.

541. Pelicanus, opportuna hominis scelerati idea, solitudinem incolens, viperis ac bufonibus pascitur. Lemma. VENENATA DELECTANT. S. Gregorius Papa id observans. *Pelicanus*, inquit, *avis est, amans solitudinem, in qua venenatis animalibus vescitur: & ideò per eam peccator designatur, qui in deserto hujus mundi corde habitans, ærumnosis hujus vitæ captus illecebris, VENENO DELECTATUR diabolicæ persuasionis.*

Peccator.

S. Greg. in Psal. 101.

S. Carolus.

542. Ad D. Caroli apotheosin simboli loco Pelicanum statuêre, qui pullos saturaturus, copiosum è transfixo pectore sanguinem proliciebat, cum lemmate. TANTUS AMOR; vel ut alius, QUID NON COGIT AMOR? Innuebant videlicet, Divum illum assiduis laboribus evisceratum, vitam & alimoniam spiritualem suis subditis instillâsse. Certè Christus, sub Eucharistiæ speciebus delitescens, infinito amoris excessu proprium suum sanguinem ad aliorum salutem conservandam propinat. Attonitus in hanc rem S. Joannes Chrysostomus, *Quis Pastor*, inquit, *oves proprio pascit cruore? & quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.*

Eucharistia.

S. Io Chrys. hom 83. in Matth.

543. Academicus, inter Venatores Venetos Eviscceratus, symboli loco Pelicanum præfert, qui pullis escam subministraturus, proprio pectori rostrum infigit; cum dicto. VISCERA VISCERIBUS. Filios, utpote geminos viscerum paternorum partus & partes, ex integris visceribus ab his sustentari ac foveri oportet. Certè Deus, ut hominem, instar filii tenerrimè à se amatum, juvaret, è proprio sinu Verbum Divinum, vera nimirum Patris æterni viscera, obtulit, ac, veluti Pelicanus amabilissimus, pro salute humana donavit. P. Cornelius à Lapide illa Zachariæ verba interpretatus, *Per viscera misericordiæ Dei nostri &c.* ait, *Causam Messiæ incarnati assignat viscera misericordiæ, id est, visceralem, intimamque, & ex imo cordis sinu, fundoque manantem misericordiam Dei nostri, qui summæ miseriæ nostræ misertus, ut illi succurreret, sua viscera, id est, filium suum unigenitum in ejus incarnatione dedit, & quasi in nos effudit.*

Educatio sit amabilis.

Incarnatio Verbi

Corn à Lap. in Luc. 1. 8.

544. Prælatum charitate ita ferventem, ut gregis sui bono non facultates duntaxat, sed & ipsum sanguinem profundat, Pelicani Emblemate repræsentabis; qui sparso proprio sanguine pullos pascit. Epigraphen subjunges. SUA PER DISPENDIA. Hâc amoris flammâ longissimè resplenduêre S. Paulinus, S. Thomas Cantuariensis, S. Carolus Borromæus, aliique complures. S. Paulus, eâdem charitate succensus, sanguinem & vitam in egentes profundere, promtissimum se offerebat. *Ego autem libentissimè impendã, & super impendar ipse pro animabus vestris*, quasi diceret, interprete S. Anselmo, *Tanto affectu charitatis erga vos moveor, ut non invitus, sed libentissimè impendam vobis vel carnalia vel spiritualia bona, & post omnia, si opus fuerit, ego ipse superimpendar pro animabus vestris, ut moriar pro salute animarum vestrarum.*

Prælatus charitativus.

2. Cor. 12.

S. Anselm. hunc loc.

545. Pelicanus, Emblematis loco, pullis proprio succurrens sanguine, epigraphen tenet. PARIT, ET REPARAT. Deus, Pelicanus verè amantissimus, humanam vitam creavit, iterumque collapsam redemit. S. Bernardus. *Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus, quàm factus. Nam qui me semel, & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profectò, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed & indigna &c.*

Christus crucifixus

S. Bern Tr. de dilig. Deo

546. Pelicanus, pullos suos proprio refecturus sanguine, se ipsum eviscerat; cum lemmate. NEC SIBI PARCIT. D. Sigismundus Laurentius hoc Emblemate immensam D. Pauli charitatem versus proximum demonstrat, ut cujus salutem non sudore tantùm, sed & sanguine, ipsâque adeò vitâ suâ procurare studebat. Ipsummet testem sibi locupletissimum, audi; *Libenter impendam, & superimpendar pro animabus vestris.* Et, *Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Et rursus. *Ita desiderantes*,

Charitas S. Pauli.

2. Cor. 12. Rom 9. 3. 1 Thess. 2. 8

rantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras. Ut adeò meritò de S. Paulo exclamet Doctor Mellifluus. *Felix anima, facta sibi tanquam vas perditum, ut omnium miserias in sua continentia colligaret; totum se toti corpori Christi donaverat, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret.*

Bern. ser. S Magd.

547. S. Thomas Villanovanus, præsente quodam flagitioso Canonico, se ipsum flagris fœdè dilanians, illum à vitiis ad frugem revocavit. Hanc sancti Præsulis charitatem P. Eustachius Venator, Augustinianus Excalceatus, Pelicani Emblemate repræsentavit, qui cruorem, è sauciato pectore haustum, in pullorum salutem effudit; cum lemmate. SIC GENUISSE JUVAT. Idipsum, jure longè maximo de Christo dixeris, qui sanguine suo copiosè profuso, sanctam Ecclesiam, filiam suam amabilissimam, genuit, & hodie etiamnum liberalissimè pascit. S. P. Augustinus. *Sparsus est sanguis Justus, & illo sanguine, tanquam seminatione per totum mundum facta, seges surrexit Ecclesiæ.* Cæterùm Emblematis author mentem suam sequenti poësi vernaculâ explicat.

Amor erga subditos.

Christi sanguis.

S. August. in Psal. 39.

Dunq. per colpa altrui gira la mano
Su l'inocenti membra aspro flagello?
Se non si batte il peccator rubello,
Certo si dan tutti quei colpi in vano.
Ma nò; perche spetrar un cor humano
Il sangue solo val del sacro agnello;
Ne l'arte sa trovar miglior penello,
Per l'alma colorir d'un huom profano.
Porta su le sue spalle ei ch'e Pastore
Le colpe altrui: e perche mertan pena
Sù le sue spalle ancor versa il rigore:
Apprenda ogni Mitrato in quest a scena,
Che di vero Pastor mertà l'honore
Chi per altri saluar se stesso svena.

PERDIX. Caput LIII.

548. Scipio Bargalius geminam perdicem, marem & fœminam, depinxit, quarum quævis in separato nido collocata, uni ovorum, à se generatorum, parti incubabat; cum lemmate. EX UBAT UTERQUE SUA. Innuebat videlicet, quemlibet è familia, bene ordinata, debere muneri & officio suo invigilare, eique unicè attendere: maritus enim negotia externa, uxor verò œconomica ac domestica studiosè perficienda sumat. Unde inter cæteras connubii leges statuit Tiraquellu, *Triforensia & extranea curanto: uxores domestica administranto.* Clytemnestra maritum suum Agamemnonem his omninò verbis allocuta, ab Euripide dicitur.

Attendat quivis suo officio.

Andreas Tiraq. Lege 10. Connub.

Quin tu foris quæ sunt agas negotia:
Curas ego tractabo domesticas.

Naumachius Poëta Christianus, idipsum uxori inculcare nititur.

Naumach. apud Stobaum c. 71.

Extrema negotia, quæ conficere potest, ipsi relinquas.
Tibi verò curæ rei familiaris sit, & custodia domûs

549. Perdix aliena ova surripere solet, eaque intra nidum suum reposita, veluti propria fovet. Lemma. FOVET QUÆ NON PEPERIT; vel; DIREPTA FOVET; at quàm id nullo perdicis bono! nam pulli in lucem editi, ac ætate paululùm firmati, ad proprios parentes avolant, relictâ matre fictitiâ, ac derisui habitâ. Hunc naturæ morem admiratus Hieremias, ait, *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit, faciens divitias suas non cum judicio*; quasi diceret, dœmonem, instar malitiosæ perdicis, animas nostras quærere, easque, tametsi non suas, sed à solo Deo creatas, jugo tartareo submittere conari. Opportunè id animadvertens S. P. Augustinus. *Perdix*, inquit, *diabolus est, congregans, quæ non peperit. Non enim ille creator, sed deceptor.* Et S. Ambrosii sententiâ, Perdix, nativum avari symbolum est, qui opes alienas usurpans, eas postea aut legitimo domino restituere, aut morte invadente vel invitus deserere cogitur. Verba ipsius sunt. *Avarus opes, malis artibus conquisitas, corrodit, quas tamen mox aut invitus veris possessoribus reddere, aut usum earum, morte præventus, amittere, & aliis, sæpenumero ingratis relinquere cogitur.*

Hier. 17. 11

Dæmon.

S. Aug. To. 9. l. de Pastor. c. 12.

Avarus.

S. Ambr. l. 7. Epist.

550. Perdicis pullus, tametsi nondum perfectè natus, nec è putamine plenè exclusus, ut escam provideat, currit, volatque. Unde lemma. NULLA MIHI MORA EST. Vel, NON SUSTINET MORAS. Pueritiæ vivacis, ac solicitudinis indefessæ, proprium hoc symbolum est. Certè, nullam in agendo moram habuit S. Joannes Baptista, qui etiamnum in utero delitescens, præsentem agnovit Servatorem; vix natus, elingui patri vocem restituit, & paulò post in ætate etiamnum tenerâ eremum petiit, ibique vitam duxit austeram, ac tanto Christi prodromo dignam; adeò ut de illius infantia non sine omine quæsitum fuerit, *Quis putas puer iste erit?* Unde Origenes. *Sancta erat anima beati Joannis. & adhuc in matris utero clausa, venturaque in mundum, quasi per experientiæ sensum sciebat, quæ Israël ignorabat. Unde exilivit, & non simpliciter exilivit, sed in gaudio: senserat enim venisse Dominum suum, ut sanctificaret servum suum, antequam de Matris utero procederet.* De solicitudine, quæ omnis moræ est impatiens, canit Lucanus.

Pueritia vivax.

S. Joan. Bapt.

Luc. 1. 66.

Orig. in hunc loc.

Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

Lucan l. 2.

Et Ovidius.

Utendum est ætate: cito pede labitur ætas,
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

Ovid. l. 3. de Arte.

551. Eidem Emblemati subscripsit D. Aresius. TENERE QUIS POTERIT. Certè S. Joannes Baptista, etiamnum intra matris uterum clausus, nec quidquam contineri potuit, quin vivo pectore versus præsentem Christum exiliret. *Nondum nascitur*, inquit de illo S. Joannes Chrysostomus, *& saltibus loquitur: nondum ducit vitam, & Deum prædicat: nondum aspicit lumen, & Solem indicat: nondum paritur, & properat præcurrere: non fert enim præsente Domino contineri; non sustinet naturæ expectare terminum, sed contendit rumpere carcerem ventris &c.*

S. Joan. Bapt.

S. Io Chrys. apud Metaphrast.

552. Joannes Ferrus Emblematis loco duas perdices mares statuit, quæ pro fæmella, ex adverso stante acerrimè confligantur, cum lemmate. URGET AMATÆ PRÆSENTIA. Genuina hæc rivalium imago est. Porrò etiam Principis præsentia animos dimicantium validissimè accendit. Theodosius, filium suum Honorium imbuens, apud Claudianum ajebat.

Rivales.

Præsentia Principis.

Nunc eques in medias equitum te consere turmas
Nunc pedes assistas pediti. Tum promptiùs ibunt
Te socio, tunc conspicuus, gratusque geretur
Sub te teste labor.

Claud. in 4 Consul. Honor.

Dei quoq; præsentia miram adversus vitia superanda energiam subministrat. Philo id asseverat, *Nam si Seniorum aut Præceptorum, aut Magistratuum vel parentum aspectus movet ad reverentiam & modestiam; suáque præsentiâ vitam moresque corrigit: quantùm putamus ad honestatem virtutumq; præsidium*

Præsentia Dei.

Phil. lib. de Virt. & Legat. ad Cajum.

dium contingere animæ, si emergens super omnes creaturas, Deum increatum spectare didicerit.

553. Perdix fœmina, versus marem respiciens, à Lucarino epigraphen accepit. AUDITA VOCE FÆCUNDA. aut verbis è Plinio & Aristotele desumptis AURA, vel ODORE GIGNIT. Vel, ut alius inscripsit; AFFLATU FÆCUNDA. Virginem Mariam, ab Angelo salutatam, hæc imago spectat, quæ sine ullius viri concursu, solo percepto cœlesti nuntio, prodigiosè fœcunda evasit. *O conjunctio sine sordibus facta,* exclamat S. Fulgentius, *ubi maritus sermo est, & uxor auricula.* Et S. Eleutherius Episcopus Tornacensis, *O Virgo benedicta, O Virgo à Conditore mundi praelecta, illum, qui ante omnia sæcula genitus est absq; matre, ab æterno Patre concipies, marer effecta absque alicujus viri copulatione. Ibi enim auricula uxor fuit, Angelicus autem sermo maritus extitit.*

Annuntiatio M. V. — *S. Fulgent. de laud. Virg. S. Eleuther. ser in Annun. Virg.*

554. Perdicis pullus, è fracto putamine necdum perfectè natus, graditur, volatque. Epigraphen Emblemati subdidit Ferrus. VIX ORTA FUGIT. Expressa hæc labilis, caducæ, ac transitoriæ vitæ humanæ idea est. Scitè Justus Lipsius, *Vita hæc non mansio, sed via ad alteram vitam.* Et Seneca. *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque, cùm crescimus, vita decrescit, hunc ipsum, quem agimus, vitæ diem cum morte dividimus.* In hanc rem canit Josephus Baptista.

Vita humana. — *Lips. Centur. 1. ad Belg. Ep. 20. Sen. Ep. 24.* — *Bapt. nella 3. p. delle Poesie.*

Subito che si nasce
Porta in seno la morte il di natale;
E noi dentro te fasce
Celebriamo cò pianti il funerale,
Brevissimo sentiero
Tutto verso la tumba è il vivet nostro. &c.

555. Perdicis pulli fictitiæ matri tamdiu obsecundant, donec in veram inciderint: hanc enim è voce cognitam, protinus insequuntur; eâ penitùs desertâ, quæ nutricis potius, quàm matris loco hactenus ipsis fuerat. Unde Lucarini lemma. REDEUNT AUDITA MATRE. Ita peccatores, errabundo gressu fallaces mundi, dæmonis, aut sensuum delitias secuti, demùm, sive interiore gratiæ vocantis, sive exteriore Verbi Divini sono percepto, ad Creatorem suum revertuntur. Hugo Victorinus, *Cùm pulli vocem propriæ genitricis audiunt, quodam naturali instinctu eam recognoscunt. Similiter, cùm aliquis diabolo subjectus fuerit, & vocem Ecclesiasticæ prædicationis audit, ad Ecclesiam, quasi ad genitricem propriam, relicto diabolo transvolat, ut sub alis Divinæ protectionis ulterius in pace vivat.*

Reverti. Peccator. — *Hug. Vict. l. 1 de Best. c. 50.*

556. Perdix, exploratis aucupum insidiis, supina in terram recumbere, & cespite, pedibus sustentato, totam se cooperire solet; sicque incolumis evadit. Unde D. Aresii lemma. A FACIE PERSEQUENTIS. Velut Lucarinus, ipsomet Perdicis ore, inscripsit. TUEOR, DUM TEGOR. Ita prorsus mortis memoria à destinato hostium invisibilium excidio indubiè tuetur; S. Gregorio asserente, *Perfecta vita est mortis meditatio, quam, dum justi solicitè peragunt, culparum laqueos evadunt.* Quod si de ipsamet morte, aut etiam de sepulchrali marmore loqui lubeat, appositè dixeris, ab iis omnem calamitatum, ac maligniores fortunæ miseriam cooperiri. Seneca Marciam, è filii morte afflictam, in hæc verba solabatur. *Excessit filius tuus terminos, intra quos servitur: excepit illum magna, & æterna pax: non paupertatis metu, non divitiarum curâ, non libidinis per voluptatem animum carpentis stimulis incessitur &c. tandem ibi consistit, unde nihil eum pellat, unde nihil terreat,*

Mortis memoria. *S. Greg. l. 13. Moral c. 10.* — Mors bona. *Senec. in Consol. ad Marciam cap. 19 & 20*

557. Perdices, quæ aucupis manu captæ, etiamnum cespite suo teguntur, epigraphen tenent. ET DEPREHENSÆ LATENT. Ad hanc planè normam scelerati quidam ac malitiosi homines, tametsi vindicantis Justitiæ Divinæ dexterâ comprehensi, sese tamen infra excusationum & astutiæ suæ glebam occultare nituntur. Altum conquerenti Servatori, *Esurivi, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi potum &c.* protinus reposuêre Reprobi, *Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem &c. & non ministravimus tibi?* In hunc locum Origenes, *Malorum hominum,* inquit, *est, culpas suas excusationis causâ, aut nullas esse ostendere, aut leves & paucas.*

Excusationes. — *Matth. 25. 42.* — *Orig in Catena aurea D. Thom.*

PHASIANVS.

Caput LIV.

558. HÆc volucris, ut etiam Struthio, Perdix, aliæque, dum caput abscondunt, securas se ab aucupis insidiis opinantur. Unde Phasianus, capite intra nivem occultato, epigraphen tenet. FALLIT OPINIO. Insanum hunc opinionis lusum non rarò inter ipsos etiam homines deprehendas. Justus Lipsius multùm queritur; *Nimis citò opinionibus abducimur, & quid aliud ferè hodie nostrum dicere, aut docere? &c.* Ovidius canit:

-- --- Hominum sententia fallax.

Opinio. — *Lips. l. 3. Manud. dis. 8.* — *Ovid. 5. Fast.*

PHLOMELA.

Cap. LV.

559. PHilomela ex arbore versus viperam rapitur, & ab ea devoratur; cum lemmate. RAPITUR OBTUTU. Tales incautæ hominum mentes à lasciviæ fœminæ blanditiis in turpissimam perniciem detrahuntur; Salomone altum conquerente, *Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.* Hos lupæ impudicæ mores describens Chaldæus, ait, *Sicut fera rapiens oculis insidiatur, & venatur filios insipientes.* Consentaneè Phædrus.

Quidam decedens, tres reliquit filias:
Unam formosam, & oculis venantem viros.

S. Antiochi consilium est. *Fugiamus illarum consortium, sunt enim aliud nihil viro, quàm virus præsentaneum, ut quæ animas nostras suis irretiant pedicis, seu plagis venaticis.*

Libido. — *Prov 22.* — *Phæd fab.* — *S. Antioch. Hom. 17.*

560. Philomela, ex arbore præceps, in viperæ fauces liberrimo exitio ruit. Lemma. SESE INGERIT ULTRO. Hac inscriptione, etiam piscibus, intra nassam conclusis; aut avibus, reti implicitis, conveniente, proprii sui infortunii authorem significabis. Hujus exemplum dedit Cato, quando, Lucano referente cum exercitu in Africæ deserta perveniens, suosque milites à serpentum morsibus miserè interfectos cernens exclamavit.

--- --- Nihil Africa de te,
Nec de te natura queror. Tot monstra ferentem,
Gentibus ablatum, dederas serpentibus orbem:
In loca serpentum nos venimus.

Rupertus Abbas iisdem querelis protoparentem nostram Evam prosequitur, quæ infernali monstro obviam facta, omnem simul posterum orbem secum in ipsius fauces egit præcipitem. *Mulier corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulans, fortè prospectans qualis extra paradysum mundus esset, &*

Author proprii mali. — *Lucanus.* — *S. Rup. Ab in Genes.*

set, & dum serpens, utpote astutus, dulcedini terræ illius propius & ambitiosius inhiat, locus diabolo datus est, & occasio breviter porrecta, unde tentaret Evam. Apprimè Seneca.

Sec. Herc. Fent. Act.

Stygias ultrò quærimus undas.

561. Philomela, caveæ inclusa, suavius canit, quàm in libertate oberrans. Hanc volucris proprietatem innuens D. Cherubinus Brusonius, eidem, intra caveam clausæ, subscripsit. HINC SUAVIOR; vel ut aliis placet. NUNC SUAVIUS. Certè Religiosus, mundi libertati subtractus, & intra cœnobii septa clausus, Divinis auribus melos longè suavissimum insonat. Nam, Origine teste, *quamdiu quis permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse sanctus.* Bellè meus D. Salvator Carducius.

Religiosus

Orig. Hom. 8 in Lev.

Carcere nunc cantus Philomela suaviùs edit:
Sic quoque mens superis Religiosa canit.

562. Philomela pariturae suæ conjugi vicinum se statuit, eamque suavissimo cantu demulcet. Unde Lucarini lemma. MODULATUR PARITURÆ. Principem quamdam fœminam hæc imago concernit, quæ sacris exercitiis dedita, solemnem Christi natalem prævenit. Vel etiam Prædicatores, aliosque devotos spectat, quibus receptum est sacram Virginis parturientis Novenam ante Christi natalitia discursibus, musicâ, ac precibus transigere. S. Bernardus in illud Levitici, *Sanctificamini hodie, & estote parati: die enim crastinâ videbitis majestatem Dei in vobis*; ait: *Celebraturi Dominicæ Nativitatis ineffabile Sacramentum, jure quidem monemur, fratres, in omni sanctificatione præparari. &c.*

Devotio in Novena.

Levit. 20. Bern ser. in Vigil. Nat.

575. Philomelæ pulli eundem planè cantum, quem à parentibus percipiunt, efformant; adeoque AUDIUNT, ET REDDUNT. Ita nimirum filii ac subditi per omnia parentum ac Prælatorum suorum moribus respondent. Legati etiam, ac Principum Ministri, prout instructi fuerint, referunt. Denique Prophetæ, aliique Divinis obsequiis addicti, ea duntaxat populis annuntiant, quæ ipsis à Divina sapientiâ revelantur. S. Joannes Chrysostomus in illud Apostoli, *Domine quis credidit auditui nostro?* ait, *Non dixit doctrinæ nostræ, sed auditui nostro. Ubi ostendit, quod non proprium aliquid loquuntur, sed ea ipsa administrant, quæ audierunt à Domino.*

Juventus. Minister Principis. Prædicator.

Rom. 10. 16. Chrysost. hunc loc.

564. Tametsi Philomela in cantu magistram habeat naturam; illius tamen parentes nihil intermittunt, ad eam in musica excolendam, perficiendamque. Unde lemma. SUAVIUS UT CANTENT. Vel, EDOCTA SUAVIUS. Nempe juventus, tametsi nativâ suâ indole excellat, sedulâ tamen Magistri operâ modulos longè suaviores concipit. Porrò Oratores ac Verbi Divini præcones, licet vivacissimis naturæ dotibus instructi, ut tamen suaviore ac meliore linguâ utantur, aures arrigere, & Spiritui sancto, in sacris paginis, Sanctorumque Patrum unanimi ore disserenti, auscultare debent; hâc enim agendi methodo summam muneris sui perfectionem adipiscentur. S. Petrus Damianus; *Dominus in Evangelio, cùm de mittendo sancto Spiritu Apostolis loqueretur. Ille, inquit, testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis, tanquam diceret; idcirco idoneum testimonium de me perhibebitis, quia quidquid alios docueritis, longæ conversationis assiduitate ipsi ante didicistis.* Et S. Augustinus. *Sapienter dicit homo, tantò magis vel minus, quantò in scripturis sanctis magis, minusve profecit; quæ cum sapientia inseparabilem continent solidam eloquentiam.*

Juventus.

Concionator.

S. Pet. Dam. ser. 1. de S. Apollinari.

S. Aug. l. 4. de Doct. Christ. c. 5.

565. Animam nostram nullis unquam mundi illecebris, sed solâ virtutũ exercitatione satiari posse, Abbas Certanus Philomelæ Emblemate demonstrat, quæ curculionem manducans, epigraphen reddit. NON SAGINATUR; vel, NEC FAMEM MINUET. Eadem inscriptio etiam feli, lacertam glutienti, subjungi potest; utraque enim ab escis illis non modò non pinguescit, sed contra plurimùm maciei contrahunt, ac miserè extenuantur. Ad rem Jacobus Billius.

Voluptas mundana.

Billius Anthol. Sacr. l. 2.

Me miserum, namque omne meos jam deficit artus
Robur, & insolitus pectora languor habet.
Aruit ut fœnum mea mens. Cur aruit autem?
Scilicet oblita est vivere pane suo.
Panis enim virtus animi est, probitasq; fidesque,
Et quidquid Domini lex memoranda jubet.
Hic mentis cibus est, hoc pinguis redditur illa,
Augent, non minuunt, cætera quæq; famem.

S. Bernardus de mundi delitiis differens, *Quid hæc vobis prosunt?* inquit, *non sunt naturales cibi. Magis famem hæc provocant, quam extinguant: Panis namque animæ justitia est; & soli beati, qui esuriunt illum, quoniam ipsi saturabuntur.*

S. Bern. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia.

566. Luscinia juvenis canenti adultiori auscultat; cum lemmate. TEMPORE REDDET. Thomas Scarampus, Academicus inter Intentos Taciturnus, hoc symbolo significare volebat, se ætate etiamnum adolescente huic Academiæ annumeratum, primò debere vocem comprimere, aliorumque sapientiæ ac doctrinæ attentas præbere aures, donec etiam ipse temporis successu facundiam suam palam profiteri possit. Christus in cruce, veluti gemebunda Luscinia, Divino Patri pro suis inimicis ex corde supplex, in voces amoris & suspiriorum plenissimas erupit: at ecce! Protomartyr Stephanus, labia sua ad præeuntis Magistri vocem conformans, altùm exclamat. *Ne statuas illis hoc peccatum.* Et S. Jacobus Minor, pro interfectoribus suis ardentissimè in hæc verba oravit, *Ignosce eis Domine, quia nesciunt quid faciunt.* Unde proinde monet Magnus Augustinus, *Quoniam Christiani sumus, aut Christum imitemur, aut illos, qui eum imitati sunt.*

Imitatio.

Act. 7. 19.

Brev. Rom. 1. Maii.

S. Aug. ser. 1. ex addit. à Sirmond.

567. E solitudine opportunissimam animæ nostræ occasionem offerri, ut omnibus mundi negotiis tantisper facessere jussis, sese soli Deo conjungat; P. Henricus Engelgrave Lusciniæ symbolo demonstrat, quæ in solitudine arboris cujusdam ramo innixa; epigraphen tenet; DESERTUM FACIT ESSE DISERTUM. Isaacus certè, domũ egressus, accingebatur *ad meditandum in agro.* Moses oraturus, montis cacumen ascendit. Elias vastam solitudinem incolens, Divina oracula percepit. *Christus ascendit in montem solus orare.* De se ipso testatur Magnus Augustinus. *Solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur.*

Solitudo est orationi apta.

Gen. 64. 63.

Exod. 4. 18. 3. Reg. 19. 9 Matt. 14. 23 S. Aug. lib. 8 Confess. c. 12.

568. Philomela, pullis suis in nido incubans, assiduos suavissimosque cantus edit. Unde Lucretius Borsatus epigraphen addidit. ET CANTU EXCLUDIT. De hac lusciniæ proprietate Albertus Magnus, *Philomela,* inquit, *inter incubandum cantat; & dixerunt aliqui Platonicorum, ova ejus non posse sine cantu vivificari.* Ita sanè viri prudentes & Apostolici suos proximos ad virtutis ac gratiæ vitam non aliter, nisi suavi vocum concentu, & amænâ persuadendi harmoniâ deducere debent. Ælianus author est, Incolis Cretensibus receptum fuisse,

Benignitas utilis.

B. Alb. Mag. lib. Hist. 5. c. 9.

suos filios ad Deorum venerationem, ac virtuosarum operationum exercitia *cum quodam cantu* instruere. S. Franciscus Xaverius fidei rudimenta rhythmorum more in cantilenas reduxit, sicque miros in convertendis Indiarum gentibus profectus hausit. Cumprimis tamen Correctores, suavi & blandâ voce adhibitâ, suos proximos ad perfectionis vitam promovere studeant; Davidem imitati, qui cytharam leni digito versans, diabolicas turbas, in Saule concitatas, temperavit, ac pristinam tranquillitatem restituit. Præclarè id observatum habuit Seneca. *Objurgationi semper aliquid blande commisce: facilius penetrant verba, quæ mollia vadunt, quàm quæ aspera.*

Correctio suavis.

Senec in ep.

569. Bartholomæus de Rubeis symboli loco Philomelam depinxit; eamque nulli alteri usui, nisi cantui aptam, hoc lemmate insignivit. VOX, NIL ULTRA. S. Joanem Baptistam, qui fuit *Vox clamantis in deserto*, hæc imago spectabat; de quo ita „philosophatur Magnus Augustinus. Vox Joannes, „Dominus autem in principio erat verbum; Joan„nes vox ad tempus, Christus verbum in principio „æternum; Tolle verbum, quid est vox? ubi nullus „intellectus, soni est strepitus: vox sine verbo au„rem pulsat, cor non ædificat, nam quia discernere „difficile est à voce verbum, & ipse Joannes puta„tus est Christus: vox verbum putata est; sed agno„vit se, ne offenderet verbum; *Non sum*, inquit, „*Christus, nec Elias, nec Propheta*: responsum est „ergò; *quis es? Ego sum*, inquit, *vox clamantis in e„remo*: vox rumpentis silentium, *parare viam Do„mino.*

Matth. 3. 3. S. Joan. Bapt. *S. Aug. Tom. 1 serm. 5.*

P H OE N I X. *Caput* LVI.

570. PHœnix, inter flammas medius, epigraphen tenet. PERIT, UT VIVAT. vel, PERIT, NE PEREAT, vel, UT IN ÆTERNUM VIVAT. vel, VITA MIHI MORS EST. vel Idiomate Italico. MI FA'BEN, CHI MI NOCE; vel, NEMICA FLAMMA, AMICA VITA ADDUCE; aut vocibus è græco in in latinum hoc modo traductis, MORIENS, NON MORIENS: vel denique linquâ Hispanicâ. DAL MISMO MI MUERTE, Y MI VIDA. Hæc lemmata omnia S. Laurentio, S. Eustachio, S. Apolloniæ, aliisque SS. Martyribus hinc inde fuerunt attributa, qui, ceu totidem Phœnices, per voraces flammas imperterrito animo progressi, vitæ felicitatem nullo ævo interturbandam attigerunt. S. Gregorius Nazianzenus.

S. Laurentius. S. Apollonia. *S. Gregor. Naz. serm. 3 ad Virgines.*

Ut Phœnix moriens primos reviviscit ad annos,
In mediis flammis post plurima lustra renascens,
Atque novum veteri surgit de corpore corpus:
Haud secus egregiâ redduntur morte perennes
Dùm pia Divinis ardescunt pectora flammis.

Argumento non dissimili in amoris materia ad nobilem quemdam sponsum canit D. Fr. Cyrus di Pers.

Mà ben arder felice
Tu sol frà gli altri puoi,
Che i cari incendii tuoi
Dolci temperar ti lice.
Amorosa Fenice,
In sì bel rogo ardendo,
Rinascerari morendo.

571. Phœnix, intra lethalem rogum, flammasq; voraces depictus, epigraphen sustinet. EX FUNERE FOENUS. Prolem, inter proximæ mortis tormenta natam, hæc imago significabat. Ita Rachel, cum fatis extremùm luctata, Benjaminum enixa est. S. Ecclesia suos natales è Christi exanimis latere duxit. Servi Dei, & ipsa etiam S. Ecclesia, inter sanguinariam tyrannorum crudelitatem ad beatam perennis gloriæ vitam adolevêre. S. Gregorius Papa de Orthodoxa Ecclesia differens, ait, *Sæpè eam reprobi usque ad internecionem persecuti sunt, sed eò multiplicius ad statum sui profectûs rediit, quò inter manus persequentium moriendo laboravit.*

Calamitas utilis. *S. Greg. lib. 9. moral. c. 6 in Iob.*

572. Rigorem & acrimoniam, adversus scelератos usurpatam, nihil damni, sed contra plurimùm utilitatis conferre, flammæ demonstrant, quæ in Phœnicem grassatæ, epigraphen legendam offerunt. RENOVANT, NON EXTINGUUNT. Ad rem nostram Lipsius. *Extremè & desperatè malos sisti, & reprimi in suo nequitiæ cursu est pro ipsis.*

Rigor utilis. *Lips. de un. Religione.*

573. D. Aresius, S. Apolloniam Emblemate significaturus, Phœnici suprà rogum inscripsit; MULTIPLICABO DIES. Franciscus Raulinus verò, INDE VIVAM, UNDE CRUCIOR. D. Carolus Secchiarus, Canonicus Regularis, in honorem S. Laurentii eidem hanc epigraphen indidit. INNOVABITUR. Innuunt videlicet, mortem & martyria proximam esse beatitudinis, ipsiusque adeò vitæ recuperandæ occasionem. His inscriptionibus non absimile est illud S. Joannis Chrysostomi consilium. *Fac ut corpus tuum moriatur, ne moriatur. Nam si vivum manserit, nequaquam vivet: si verò mortuum fuerit, tunc denique vivet.*

S. Apollonia. S. Laurentius. Mortificatio utilis. *S. Chrysost. hom. 13. in ep. ad Rom.*

574. Ignis, Phœnicem ambiens, epigraphen habet. NON EXURIT, UT PERDAT. Ægrotos hoc Emblemate solari licebit; Deus enim febrium, aliorumque morborum aut calamitatum flammas non perdendo homini, sed reparando immittit. Porro qui ardentem ac discretum proximi corrigendi zelum habent, solis vitiis extirpandis sunt intenti, cætera verò ipsius omnia penitus intacta relinquunt. *Ignis est verbum Dei*, inquit S. Ambrosius, *bonus ignis, qui calefacere novit, nescit exurere, nisi sola peccata. Mundat hic ignis aurum, consumit errorem. Hoc igne urebatur rubus, & non exurebatur. Urit enim sermo Divinus, ut corrigat conscientiam peccatoris, NON EXURIT UT PERDAT. Debemus enim,* asserente Magno Augustino, *amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi.*

Calamitas utilis. Correctio zelosus. *S. Amb. l. 1* *S. Aug. de Verb. Dom*

575. Corporis nostri, è morte olim resurrecturi, ideam plenissimam Phœnix exhibet, qui, licet ab igne in favillas concrematus, epigraphen tamen è cineribus suis legendam offert. MOX EADEM; quasi nimirùm pauculo intervallo sese ad vitam, priore millies beatiorem, reversurum promitteret. S. Zeno, *Phœnix, avis illa pretiosa, resurrectionis evidenter nos edocet jura, quæ cùm maturi lethi tempus advenerit, à semetipsa incitatis sacris ignibus libentissimè concrematur: sepulchrum nidus; illæ favillæ nutrices, denique post monumentum festo exultat in tumulo, non umbra, sed veritas, non imago, sed phœnix, non alia, sed, quamvis melior aliâ, tamen prior ipsâ.*

Resurrectio mortuorum. *S. Zeno serm de resurrect.*

576. Idem reviviscentium corporum arcanum alio Phœnicis symbolo demonstratur; cui hoc lemma præfixum. DA LE CENERI MIE MI SVEGLIO IL VOLO. Id est, REDIVIVUS E CINERE. Præclarè S. Ambrosius. *Doceat nos hæc avis* (de Phœnice loquitur) *vel exemplo sui resurrectionem credere, quæ & sine exemplo, & sine rationis perceptione ipsa sibi insignia resurrectionis instaurat. Sit igitur exemplo nobis, quia auctor & creator avium sanctos suos in perpetuum perire non patitur, qui avem unicam perire non passus, eam sui semine voluit reparari.*

Resurrectio mortuorum. *S. Ambr. l. 1 Hexam. c. 2*

577. Eleonora, Austriæ Archidux, sponso suo, Fran-

Francisco I. Galliarum Rege fatis concedente, se ipsam Phœnicis Emblemate repræsentavit; cum dicto, UNICA SEMPER AVIS; decreverat enim integerrima Princeps omnem reliquam vitam in sanctæ viduitatis castimonia, à viri contubernio separatam, transigere. Hanc strenuè imitatæ sunt Elisabetha, Ludovici Urbinatum Ducis filia, mortuo Roberto Malatestâ, ipsius conjuge; Isabella Austriaca, Carolo IX. è vivis sublato; Maria Anna, Ferdinandi Imperatoris filia, post dulcissimi conjugis sui, Maximiliani Bojorum Ducis & Electoris mortem; aliæque complures; quarum cordibus illam Didonis Reginæ gnomam altum incisam fuisse crediderīs.

Castitas viduitatis.

Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit; ille habeat secum, servetque sepulchro.

Virgil. 4. Æn.

Illud ipsum Emblema Mariam Virginem cumprimis spectat, quæ ab omni viri consortio alienissima, unica semper, eaque castissima avis permansit; ut cujus virginitas nec minimam labem unquam est perpessa; nam, Magno Augustino asserente, *Virginis filius, & Virginum sponsus attulit matri fœcunditatem, sed non abstulit integritatem.*

Mariæ Virginitas.

S. Aug. lib. 3. de symb. c. 4.

578. Supra Domûs Pisanæ portam, Phœnicis Emblema, ære fusum, cernitur; qui lignorum fasciculum unguibus sustinens, epigraphen è Claudiano subjunctam habet. BUSTUMQUE, PARTUMQUE. Id est, ET ROGUM, ET CUNAS. Christum cumprimis hæc idea spectat, qui fatalem crucis trabem versus Golgothæam rupem propriis humeris bajulat. In eadem icone etiam SS. Martyres dignoscere licet, quibus ligneæ catastæ, ad vitam eripiendam constructæ, exoptatissima melioris ac gloriosæ vitæ incunabula extitēre. Præclarè S. Cyprianus, *Talis, & Martyrii primò casus, postmodum fructus est, qui morte vitam condemnat, ut morte vitam custodiat.* Cæterùm quantùm Christi mortem, veluti opportunam resurrecturi Servatoris occasionem, attinet, S. Epiphanium disserentem audi; qui, posteaquam Phœnicem descripserat; subjungit; *Cur igitur Judæi iniqui, Domini nostri Jesu Christi triduanam resurrectionem non crediderunt, cùm avis trium dierum spatio se ipsam suscitet? aut quomodo se ipsum a mortuis suscitare non potuit, cum de illo dixerit Propheta; Justus ut palma florebit?*

Christus crucem bajulans. SS. Martyres.

S. Cypr. de laud. Mart.

Resurrectio Christi.

S. Epiph. in Physiolog.

579. Phœnix, alarum vibratu flammas in propriam suam perniciem provocans, à D. Aresio inscriptionem accepit, FLAMMAS ALIT, Vel, ULTRO APPETIT. Vel ipsius Phœnicis ore. QUAS EXCITAVI, PATIOR. Hominem, propriæ suæ cladis authorem, his coloribus adumbrabis. Benè is cum Ovidio dixerit.

Author proprii mali.

Heu! patior telis vulnera facta meis.

Salvianus de Sodomæ incolis, à Divina Nemesi flammarum voracitate castigatis, scribit, *Diu flagitiosissimus ille populus ignem illum accenderat, quo peribat, & ideò completis iniquitatibus suis, arsit flammis criminum suorum*; quibus verbis apertè ad illa Numinis supremi verba alludit, ubi Isaiâ interprete inquit, *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis.* Origenes de sceleratis omnibus concludit, *His, qui operantur malū, ira & indignatio, tribulatio & angustia erit, secundum ea, quæ thesaurizaverunt sibi ipsi.* Author sermonum *ad fratres in Eremo*, quos imperitè S. Augustino pauculi aliqui adscribunt, hanc Phœnicis indolem hypocritis ac invidis propriam censet, *Phœnix*, inquit, *dum senescit, ad partes calidissimas volat, ligna siccissima congregat, & lignis congregatis, alis ligna percutit, & sic ignem accendit, & in eodem se comburi permittit, Sic & hypocrita facit, sic & invidus agit cunctis diebus vitæ suæ, intus & extra se ipsum comburens, se ipsum primò infestans, primò se ipsum vulnerans, & vexans.*

Salv. l. 4. de Ver. Iud. & Provid. Dei.

Isai. 50. 11.

Orig. in cap. 2. ad Rom.

Hypocrytæ invidus.

Auth. ser. ad fratres in Eremo ser. 18.

580. Ad interiorem hominem invocandum tā cælestis gratiæ auxilium, quàm cooperationis humanæ industria concurrant, necesse est. Phœnix certè, cùm radiorum solarium ardore, tum alarum suarum vibratu reparatur. Lemma. UTRIUSQUE AUXILIO, S. Basilius. *Neque in rebus bonis conatus humanus, sublatâ ope Divinâ, perfectè unquam, quod vult, poterit adipisci. Neque item vicissim Divinum præsidium ad nos, nullo nostro studio, venturum putandum est. Sed ad perfectum virtutis cumulum conjuncta simul utraque esse hæc oportet, & humanum studium, & auxilium cæleste.*

Cooperatio.

S. Basil. in Const. Monast. cap. 16.

581. Animam, piacularibus flammis excruciatam, nonnemo Phœnici persimilem dicit; qui inter rogi incendia medius, ad tristissimam mortem redigitur; cum lemmate; REDIVIVAM EXTINCTIS. Emblematis mens est, animam, lethalibus illis tormentis afflictam, tandem flammis subsidentibus, ad Dei conspectum & vitæ beatæ delitias iri resuscitatum. Porrò libidinis, ac vindictæ studiosi tum demum ad gratiam, amoremque Dei reviviscunt, quando Veneris & odii flammæ extinguuntur. Nam, *quando libido vincit, vincit & diabolus; quando libido vincitur, & diabolus vincitur*; inquit S. Augustinus.

Purgatorium.

Pœnitens.

S. Aug l. 5. cont. Iul c. 7

582. Lemma Phœnici intra flammas inditum; ARDORE FOECUNDA. Innuit videlicet, ingentem virtutum ac bonarum operationum copiam ibi vigere, ubi charitatis flammæ resplendent; *quandoquidem radix omnium malorum est cupiditas, & radix omnium bonorum charitas*; inquit Aëlredus. Unde tam solicitè monet Magnus Ethices Christianæ Magister Augustinus, *Cupiditas extirpetur, charitas plantetur.*

Charitatis vis.

Aelred. c. 16. specul. Chari

S. Aug. serm. 115 de Divers cap. 7.

583. Eidem supra rogum sistenti Phœnici, veluti ingenuino virtutis symbolo inscribendum censeo. POST FATA SUPERSTES, Ovidius, argumenti rationem suggerens, de se ipso scribit;

Virtus immortalis.

Ovid. l. 1. Amor. Eleg. 15.

--- Etiam cum me supremus adusserit ignis,
Vivam, parsque mei magna superstes erit.

Verùm non Virtus tantū, instar Phœnicis, post vitæ occasum etiamnum vivit; sed ipse etiam Homo Deus, Phœnici simillimus, è crucis gloriosæ rogo ad vitam rediit. Imò quivis justus è morte sua vitam æternam non sine ingenti solatio expectat. Nam, Magno Augustino asserente, *Passio Domini ostendit nobis vitam præsentis necessitatis, quā oportet & laborare & tribulari, & ad extremum mori: Resurrectio verò & clarificatio Domini ostendit nobis vitam, quam accepturi sumus:* Balthasar Bonifacius, Judæorum Synagogæ exprobrans, canit.

Resurrectio Christi.

S. Aug. in Psal 148.

Bonif. in Larario p. p. Epig. 8.

Quò te dira trahit rabies, ignobile vulgus,
Colluvies hominum quò recutita ruis?
Tunc Deos immortales vis dedere letho,
Divinumque putas posse perire virum?
Falleris: indigna sepelis quem morte peremptum,
Dormiet hic paulùm, mox redivivus erit.
Haud aliter (si parva licet componere magnis)
Unica post obitum viva resurgit avis.

584. Animus nobilis & generosus, omnes mundi aut fortunæ illecebras spernere ausus, Phœnicem imitatur, qui rogo insistens, epigraphen tenet. CUPIO DISSOLVI. S. Pauli hæc erant suspiria, *Deside-*

Mortem non timēs

Philipp. 1. 23.

Desiderium habens dissolvi &c. Seneca, *Maximum*, inquit, *mi Lucili, argumentum est animi ab altiori venientis sede, si hæc, in quibus versatur, humilia judicat & angusta, si exire non metuit &c.* Et rursus. *Nec unquam magnis ingeniis chara in corpore mora est. EXIRE, atque erumpere GESTIUNT, ægre has angustias ferunt: vagi per omne sublime, & ex alto assueti humana despicere.* (Senec. Ep. 120.)

585. Carolus Rancatus insigni Emblemate Phœnicem depinxit, qui supra lignorum struem collocatus, alas in Solis conspectu solicitè vibrabat, iis, ceu follibus, flammam excitaturus: addito Claudiani lemmate. INCENDIA POSCIT. S. Laurentium, Martyrem invictissimum, hæc imago spectat, qui supplici sui rogo insistens, alteram corporis partem, ab incendio etiamnum incolumem, flammis devorandam objici, enixè desideravit; tortorum tyrannidi generosâ ac magnanimâ mente insultare ausus. Illorum etiam hæc imago est, qui charitatis Divinæ incendio ardere cupiunt; Inter hos minimè postremus Magnus Augustinus, *Incipiamus*, inquit, *ardere charitate, donec totum mortale consumatur; & quod contra nos fuerit, eat in sacrificium Domino.* (S. Laurentius. Charitas. S. Aug. in Psal. 64.)

586. Phœnix concitatis alis sese propriæ morti vel ultrò offerens, vel certè eam invitans, aut gratulabundo corpore vicinam excipiens, epigraphen tenet. TROVA SOL NE I TORMENTI IL SUO GIOIRE. Id est, SUO FUNERE GAUDET. Hanc magnanimitatem, generosis mentibus propriam, describens Seneca. *GAUDENT magni viri*, inquit, *aliquando REBUS ADVERSIS, non aliter quàm fortes milites bellis, militares viri gloriantur vulneribus, læti profluentem meliori casu sanguinem ostentant.* Christus, referente Evangelistâ, ut crucifigeretur, Hierosolymam petens, *præcedebat eos*, discipulos suos, *& stupebant.* Opportunè in hunc locum Isidorus Clarius, *Videtur*, inquit, *Dominus majorem quamdam, quàm aliàs soleret, præ se tulisse proficiscendi alacritatem, idq; dum iret agendus in crucem.* Unde de illo ait Apostolus, *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem*; Et S. Cyrillus Alexandrinus. *Homo factus unigenitus Dei Filius, absque peccato omnia sustinuit, quæ Judæorum excogitare pervicacia potuit, nec unquam sputis decoratus, verbis derisus, verberibus cæsus, & tandem patibulo affixus, ullo mœrore affectus fuit, sed decenti semper ipse GAUDIO PLENUS, illa OPPROBRIA DELITIAS sibi esse PUTABAT.* (Patientia generosa. Senec l. 4. cur bonis viris &c c. 4. Christus Patiens. Isid. Clar. Hebr. 12 1. S. Cyr. Alex. l. 10. in Ioan. c. 21.)

587. Ignis Phœnici proximè deservit, ad vitæ novitatem obtinendam; unde lemma. PARTURIENTE ROGO. Ita lustrales purgatorii flammæ efficacem gloriosæ ac beatæ vitæ contingendæ virtutem suppeditant. S. Hieronymus illa Ezechielis verba interpretatus, *& aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium*, ait, *Habes carbones ignis, sedebis super eos, hi erunt tibi in adjutorium.* Eodem argumento demonstrat D. Basilius Paradisus, virtutem è persecutionibus sumere vires, & animi immortalitatem: poëtis ipsius hæc est. (Purgatorium. S. Hieron. in cap. 1 Ezech. Virtus inter persecutiones.)

Frà le spine la rosa,
E frà i rischi l' honor quasi fenice,
L' anima co' l soffrir fassi immortale.
Spiega la gloria l' ale
Dagl' incendii, el valore, ove fortona
Rogo e tomba gli di', trova la cuna.

588. Civitas Mediolanensis, copiosam ac majestate plenissimam humanitatem, Serenissimo Ferdinando, Hispaniarum Infanti & Cardinali, à primis totius Italiæ Magnatibus exhibitam, Phœnicis emblemate adumbravit, qui plurimo aquilarum, aliorumque alitum numero stipatus, inscriptionem præferebat; UT SOLIS COMITENTUR AVEM; Claudiano id suggerente; qui de Phœnice canit. (Claudian.)

Conveniunt aquilæ, cunctæque ex orbe volucres,
Ut solis comitentur avem.

Mariam Virginem hâc icone repræsentabis, quæ ceu Phœnix virginea, ad cœlos assumpta, non quidem sylvestrium volucrum, sed sanctorum Angelorum obsequiis coronata incessit. Cœlestem hunc Virginis triumphum recolens S. Joannes Damascenus, ait, *Choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, & virtutes glorificant, Principatus exultant, Potestates collætantur, gaudent Dominationes, Throni festum diem agunt, laudant Cherubim, gloriam ejus prædicant Seraphim.* (Assumptio M. V. S. Io. Dam. Orat. 2. de Dormit. Mariæ V.)

589. Maria Virgo inter cæteram magnificam pompam, ejus honori Mantuæ institutam, Phœincis emblemate expressa cernebatur, quem complures alites volando insecuti, epigraphen demonstrabant; DEDUCET CANENTES. Verbis è Divino Vate sumptis; *Et super excelsa deducet me victor in Psalmis canentem.* Mens Emblematis erat, devota Mariæ pectora plurimum gaudii ac delitiarum ab invicem recipere. Id probè edoctus S. Gregorius Thaumaturgus, virgini supplex exclamat, *Ave gratia plena, nam per te gaudium omni dispensatur creaturæ, genusque humanum antiquam dignitatem recuperat.* Et S. Amedeus. *Quis unquam ab ea æger, vel tristis, aut ignarus cœlestium mysteriorum abiit?* Denique S. Methodius, salve in æternum indefinens nostra lætitia, Dei genitrix Virgo. (Habacuc. 3. 19. Maria protectrix. S. Gregor. Thaum. ser. 2. de Annu. S. Amed. 7. de Virg. S. Method. ser. de Purif. M. V.)

590. Phœnix, neminis beneficio obstrictus, escam & educationem solus sibi exhibet. Unde lemma huic volucri inditum. NUTRIX IPSA SUI. Eorum hi colores sunt, qui, citra alterius adminiculum, seipsis grandia negotia moliuntur. Augustinus Steucus, Canonicus Regularis, instar Phœnicis, omni alienâ ope destitutus, plurimas scientias propriâ industriâ attigit. De hoc testatur P. Joannes Rhò; *Nullam facultatem, linguam nobiliorem nullam, scientiam nullam reliquam fecit, quam animo conciperet, atque informaret*; &, quod mireris, eas omnes *sine magistro didicit.* Phœnicem insuper Servatorem nostrum dixisses ibi, quando panem Eucharisticum, proprium inquam carnem & sanguinem, sibimet in vivæ & veræ vitæ nutrimentum propinavit. (Propriâ industriâ discere. P. Io. Rhò de Var. Virt. Hist. l. 7. c. 12. n. 1. Christus in ultima cœna.)

591. Joannes Baptista Rusca sacram Lipsanorum quorundam pompam, in Ecclesia Mediolanensi ad S. sepulchrum festivè exhibitam, Phœnicis Emblemate ornavit, qui inter pallidos rogi sui cineres revivifcens, epigraphen habuit; VIGET IN CINERE VIRTUS. Nempe non sine ingenio significabat, sacris Divorum cineribus miram inditam esse virtutem, ad plurima beneficia in homines transfundenda. Ita Elisæi Prophetæ cineres ac gelida ossa solo contactu pristinas vivendi vires cadaveri inspirârunt. S. Eligius, Episcopus Noviomensis; S. Cliceria Martyr; S. Hedvvigis, Regina Poloniæ; S. Elisabetha, Regina Hungariæ; S. Nicolaus Baricensis; aliorumque complurium corpora è mortualibus urnis cœleste balsamum, mille malorum præsentissimum pharmacum, stillant; uti eruditè & prolixè refert P. Thomas Bozius. Cæterùm eodem emblemate innuitur, æternam vitam nullibi certius in hoc mundo comparari, quàm in assidua mortis consideratione. Nam, quod Magnus Augustinus ait, *Scienti lætari in Domino, & intelligenti novissima, felicitas mundi non est honor, sed onus.* (Reliquiæ SS. 4. Reg 13. 2. Tho Boz. l. 1 c. 10 signo 6 de signis Ecclesiæ. Mortis meditatio. S. Aug. serm 110. de Divers. cap 10.)

592. In-

592. Inter cætera præclara poëmata, quæ de Phœnice cecinit Claudianus, etiam istud recensetur;

> -- -- -- *nam spontè crematur,*
> *Ut redeat, gaudetque mori festinus in ortum.*

Apollonia.

Quare Rancatus Phœnici, versus rogum volitanti, inscripsit. MORI FESTINAT IN ORTUM. vel brevius. SPONTE CREMATUR. Ita Sancta Apollonia, non carnificum manibus, sed liberâ ac spontaneâ voluntate (haud dubiè Spiritu sancto interiorem ipsius animum stimulante) in rogum præcipitanda accurrit. Porrò illorum omnium hæc imago est, qui mortem non tantùm non timent, sed ultrò appetunt, ut tandem æternæ vitæ dies, tot votis expetita, ipsis illucescat. Justis enim, è sancti Bernardi sententia, *erit mors janua vitæ, erit initium refrigerii, erit sancti illius montis scala, & ingressus in locum tabernaculi admirabilis, quod fixit Deus & non homo:* De S. Apollonia in Lalario suo canit D. Gregorius Bolzi.

Mors exoptata. *S. Bern. ser. 1. de Divers.* *S. Greg. Bolz in Lar. sub 9. Febr.*

> *Imbellem reputans membris, animoque puellam,*
> *Hanc jubet accenso Cæsar adesse foco.*
> *Hìc jacet ergò, Deum ni jussa repente Tonantem*
> *Fieret, in visis contumulanda pyris.*
> *Ecce inopina suas Virgo resoluta catenas,*
> *Se jacit in medios* SPONTE CREMANDA *rogos.*
> *Cæsar, an imbellis virgo est? te fortior imò est:*
> *Fortè negas? paribus te dato spontè focis.*

593. Inter omnes volucres solus Phœnix conjugalem thalamum nescit; sicuti enim sine carnis commixtione est genitus, ita nec alios generat; cœlebs semper, ac impudicos libidinum ardores nunquam expertus. S. Zeno, *Phœnix*, inquit, *nobilitatem generis sui non à parentibus accipit, non liberis tradit: ipsa sibi est uterque sexus; ipsa omnis affectus &c. non ex coitu nascitur &c.* Unde Emblemati subscribes. VIRGO SINGULARIS. Quo encomio Sancta Ecclesia solam Deiparam veneratur. Suavissimè in hanc rem Doctor Mellifluus. *Mixtura est, Virgo & Mater, admirabilis planè & singularis. A sæculo non est auditum, quod Virgo esset, quæ peperit, quod mater esset, quæ virgo permansit. Nunquam juxta rerum ordinem virginitas, ubi fœcunditas prædicatur; nec fœcunditas, ubi virginitas integra conservatur. Sola hæc est, in qua Virginitas & fœcunditas obviaverunt sibi. Ibi factum est, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

S. Zeno serm. de Resur. Maria V. *S. Bern. ser. in Vigil. Nat. Dom.*

594. Phœnicis concremandi flammæ non è silice aut terrâ, sed è clarissimo Solis radio originem sumunt. Unde lemma. NON D'ALTRO ARDOR, CHE DEL CELESTE AVAMPO. Id est, SOLO PROVENIT AB ÆTHERE FLAMMA. Omnem quidem animam contemplativam, Dei tantùm amore vivere solitam; cumprimis tamen Mariam Virginem hæc imago concernit, de qua non sine pietatis sensu ait Beatus Amedeus; *Ergò Divinis alloquiis ignita tota effecta es velut ignis, teque holocaustum Deo suavissimum obtulisti. O Phœnix aromatizans &c.* Et S. Bonaventura. *Quis dubitare potest omninò in charitatis affectionem transisse viscera Mariæ, in quibus ipsa, quæ Deus est, charitas, novem mensibus corporaliter requievit.*

Contemplativus. Maria V. *B. Amed. hom. 6. de laud. Virg.* *S. Bonav. in Specul. c. 14.*

595. Si Claudiano fides sit, Phœnix nec cibo, nec fonte utitur; uno Solis ardore pasci solitus.

> *Non epulis saturare famem, non fontibus ullis*
> *Assuetus prohibere sitim: sed purior illum*
> SOLIS FERVOR ALIT.

Proinde Jambertus Phœnici subscripsit. SOLIS FERVOR ALIT. Nativus hic illorum color est, qui vires ac delicias suas non aliunde, nisi à Deo recipiunt. Nam, Magno Augustino teste, *Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex Divinis eloquiis interior homo nutritur & pascitur.* Hos inter facilè excellit Sancta Catharina Senensis, aliquot mensibus nullo alio cibo, nisi solo Eucharistico victitans. *Inventa est aliquando à die Cinerum usque ad Ascensionem Domini jejunium perduxisse, solâ Eucharistiæ communione contenta.*

Contemplativus. *S. Aug. ser. 112. de Temp.* S. Catharina Senensis.

596. Phœnix, è rogo innovatus, ac denuò juvenescens, epigraphen habet. EADEM, NON EADEM; vel, ut meus Concanonicus D. Philippus Gallina volucrem illam è Verbis Apostoli loquentem introduxit. VIVO EGO, JAM NON EGO. Animus pœnitens & amoris Divini flammâ succensus, tametsi naturâ tenus à priore nihil diversus, moribus tamen ac vitæ consuetudine plurimùm ab eo differt. S. Laurentius Justinianus, *Inenarrabilis est*, inquit, *ô amor, virtus tua, ô amor! qui lutum transfiguras in Deum.* Et S. Bernardus. *Vivo, jam non ego; ac si diceret, ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo; si qua verò sunt Christi, hæc vivum inveniunt, & paratum.*

Brev. Rom. 5. April. *Galat. 2. 20.* Pœnitens. *S. Laur. Iust. in incend. Divini amoris cap. 3.* *S. Bernard. serm 7. in Quadrag.*

597. Phœnix, è cineribus suis redivivus, epigraphen à P. Jacobo Masenio accepit. EX VIRGINE VIRGO. Nam ut cinerem Phœnix, & Phœnicem cinis; ita Deus Mariam, Maria Deum genuit. De pariente Virgine disserens S. Cyprianus, *Quid mirum*, inquit, *si virgo conceperit, cum orientis avem, quem Phœnicem vocant, in tantum sine conjuge nasci vel renasci constet, ut semper & una sit, & semper sibi ipsi nascendo & renascendo succedat.* Emblemati explicando sequens Epigrama subjicit P. Masenius.

Maria V. *S. Cyprian. in Symb. Apost.*

> *Qualis odoriferâ Phœnix à morte superstes,*
> *Virgine progenitus, Virgo parente redit.*
> *Talis matre Deus natus de Virgine Virgo:*
> *Virgo cinis, Phœnix Christus, uterq; parens.*

598. Ludovicus Brethe de Clermont Can. Reg. in insigni ac erudita sua Basilica S. Genovefæ Emblematis loco Phœnicem, inter flammas medium, exhibet; cum lemmate. PEREAM, NE PEREAM. Odonem Abbatem S. Genovefæ piissimum, hæc imago spectat, qui ex Priore Domûs S. Victoris ad Regalem illam Abbatiã postulatus, morte imminente, in domum S. Victoris rediit, sicque instar Phœnicis, vitam suam ibi amisit, ubi eam per sacra vota adeptus est. Eodem Emblemate innuitur, mortem nemini non exoptandam esse, cùm hominem periculo eximat, ne olim inter tot peccandi discrimina præcipitatus, æternùm pereat. S. Augustino teste, *Fidelibus mors utilis reperitur; quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitate constituit.*

Mors exoptanda. *S. Aug. Prædest. sanct. cap. 14.*

599. Bartholomæus de Rubeis Phœnicem Emblematis loco statuit, qui sub Solis aspectu in monte super arida ligna combustus, epigraphen tenet. UT VIVAM. Sic nimirùm B. V. igne magis amoris, quam dolore soluta, cum Christo vivere desideravit. S. Ambrosius ait, ipsam febri esse defunctam, sed febri amoris; ita enim dicit: *Non minorẽ febrem amoris dixerim, quàm coloris.* Pulchrè suavissimum hoc mortis genus pertractat P. Paulus Barry. Societatis Jesu; è quo paucula hæc describere placuit, *Hoc amore SS. Virgo conficiebatur; quæ, quia post elapsos tres ac sexaginta annos amoris, in momenta singula crescentis, majori semper ardore fuit accensa, neque jam tenere se intra fines corpusculi potuit; necesse erat suavissimam ejus animam è corpore migrare,*

Maria V. moriens. *S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4.* *P. Paul. de Barry p. 2. Anni Mar. cap. 5.*

grare, ut in Dei amplexum veniret. Et in hunc modum solus unicusque amor Divinus proxima causa fuit, cur Maria moreretur.

PICA. *Cap.* LVII.

600. Daresius hominem avarum picæ Emblemate depingit, quæ posteaquam plurimos fructus, furto surreptos, abscondit, postea illorum oblita, planè ignorat, in cujus usum cessuri sint. Lemma. IGNORAT, CUI CONGREGAT. Ita sanè evenire amat; Avarus, inquit Vates Regius, *Thesaurizat, & ignorat, cui congregat ea.* Et rursus. *Insipiens & stultus peribunt, & relinquent alienis divitias suas.* In Patris sententiam concedens filius Salomon, *Detestatus sum,* ait, *omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro &c.* Hugo Cardinalis coronidem Emblemati imponens, *Hoc autem,* inquit, *præcipuè Clericis competit, qui ignorant, cui congregant, non enim habent determinatos hæredes, sicut Laici &c.*

Avarus. Psal. 38. 7. Psal. 48. 11. Eccles. 2. 18. Hug. Card. in Psal. 38.

601. Pica, loquaculum animal, humanas voces facili negotio imitatur. Unde lemma. PAREM SCIT REDDERE VOCEM. Hinc discat homo, ad aliorum genium se componere, eorumque operationibus amicè, quantùm fas est, respondere. Cum Socrates amicorum suorum aliquem, præsentibus aliis, acri censurâ perstringeret; Plato, reprehensionis impatiens, *Nonne,* inquiebat, *præstabat, ô Socrates, privatim te hominem monuisse?* cui extemplò & falsè Socrates, *Et tu non fecisses melius, si privatim seorsumque me monuisses?*

Par pari reddere. Bruson l. 5. cap. 16.

602. In Brasilia picæ reperiuntur, quæ os toto corpore majus gerunt; uti testatur Aldrovandus. Unde hominem garrulum, & ore impudentem adumbraturus Antonius de Burgundia, Picam illam expressit, cum subscriptione MINOR ORE SUO. Providè in hanc rem monet S. Ambrosius, *Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciviat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis contineatur, citò lutum colligit amnis & undas. Jugum sit verbis tuis & statera, atque mensura, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.*

Garrulus. S. Ambr. l. 1. in officiis.

PINTADELLUS.

Caput LVIII.

603. Pintadellus, in India occidentali, uti & in novæ Hispaniæ regno nasci solitus, nidum suum tantùm supra illos arborum ramos construit, qui aquis impendent; ut sic ab assiduis felium insidiis securus vivere possit. Unde vicinâ fele depictus Pintadellus, epigraphen ab Aresio recepit. VALLABIT ABYSSUS. Ita sanè Deus, non raro iisdem omninò malis, quæ gravissimè nos inundant, hominem defendit; imò & ipsos quoque dæmones, tartarumque ipsum, in salutis nostræ patrocinium adhibet. S. Ambrosius illa Dei verba examinans, quibus dœmoni liberam de Jobo tentando facultatem fecerat, *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serva,* attonitus exclamat, *Quanta vis Christi, ut custodiam hominis imperet & ipsi diabolo, qui semper vult nocere.* E S. Joannis Chrysostomi sententia Danielem Prophetam non Angeli sed Leones in lacu defenderunt, *Feræ non solùm non devorabunt, sed etiam Danieli erant loco satellitum.* Martialis leporem quemdam, in Theatro Romano à canibus exagitatum, hoc apostrophe sistit.

Calamitates defendunt. Dæmones custodiunt. S. Ambr. l. 1. de Pœnit. c. 13. Iob. 2. 6. S. Io. Chrys. in Psal. 100. Martial. lib. 1. Epigr. 14.

Si vitare canum morsus, lepus improbe, quaris,
Ad quæ confugias, ora leonis habes.

Hanc iconem mirificè illustrans Mambrinus Roseus, de Solymanno, Turcarum Imperatore, refert, quod captâ Budâ, Pannoniæ Metropoli, priusquam Constantinopolim reverteretur, Belgradi centurionem reliquerit, qui cum equestri suo exercitu in Austriam excurreret, & omnia sanguine ac igni vastaret; imò & Moraviam cum Cassonio, supremo equitum Magistro, invadens, totam sub Turcarum jugum cogeret. At Deus extremam populi sortem miseratus, pluvias ita copiosas immisit, ut regni illius flumina miris inundationibus undique intumescerent, iisque impedimento essent, quò minus durante autumno, aut ingruente hyeme, Tyranni imperia executioni mandare possent; uti idem Mambrinus Italico idiomate prolixè refert.

Mambr. Ro. p. 3. Histor. Mundi lib.

PSITTACUS. *Cap.* LIX.

604. Psittacus humanas voces adeò scitè imitatur, ut alterius linguâ sermocinari, videri possit. Unde Bargalii lemma. ALIENO LOQUITUR ORE. Psittacis non assimiles dixeris illos, qui orationes, alienâ industriâ compositas, recitant, vel qui Magnatum sunt Legati, eorumque negotia non proprio, sed Dominorum suorum sensu exponunt. Certè Prophetâ non propriâ, sed Dei suggerentis mente loquitur. Perspicuè Zacharias. *Locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* S. Gregorius Papa, Dei vocem à Samuële instar vocis ab Heli editæ acceptam fuisse animadvertens, in hæc verba ratiocinatur. *Quid est, quod Divinæ locutionis vox ab Heli voce non differt, nisi quia & per Patres veteres ipse locutionem profert. Vox namque Heli Dei esse cognoscitur, quoniam electi fratres, quidquid per sacra eloquia loquuntur, non à semetipsis, sed à Domino acceperunt.*

Legatus. Propheta. Luc. 1. 70. S. Greg. Pa. in lib. 1. Reg.

605. Psittacus, tametsi nonnullas voces Italicas, græcas, latinas, sacras & profanas articulatè ac distinctè pronuntiet, earum tamen sensum ac significandi vim non percipit. Lemma. DAT SINE MENTE SONOS, vel VOCES. Ita è discipulis ac Concionatoribus complures, validâ memoriâ, nullâ tamen rerum intelligentiâ instructi, integras paginas, ac difficillimas Metaphysicæ doctrinas recitant. P. Masius hanc iconem Balaamo, Caiphæ, aliisque similibus tribuit, *quibus, quamvis vitiosis instrumentis, Deus ad suæ Ecclesiæ utilitatem aliquando uti dignatus est, Divinorum consiliorum rudes, atq; expertes homines, non aliter atque si mente moti fuissent, dederunt SINE MENTE SONOS. Balaam nihil se in corde, sed ore duntaxat tenus, oracula, quæ fundit, concepisse fatetur.* Porrò sonos sine mente edunt, qui in Divina Psalmodia evagantur, nec quidquàm minus, quàm quod canunt, cogitant. Hos propheticâ objurgatione sugillat Servator. *Hypocritæ, benè de vobis prophetavit Isaias, populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Et quæ segnitia est,* inquit S. Cyprianus, *alienari & rapi ineptis cogitationibus, cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cùm te ipse non audias? vis esse Deum memorem tui cùm rogas, quando tu ipse tui memor non sis?* Pulchrè Prosper Aquitanicus.

Concionator indoctus. P. Masius in Iosue cap. 1 v. 22. Psalmodi distracta. Matth. 15. 7. S. Cypr. de Orat. Prosp. Epig.

Laus vera in Dominum depromitur ore precantis,
Si, quæ voce fluunt, intima cordis habent.

604. Psit-

606. Psittaco inscripsêre. ALIENÆ VOCIS ÆMULA. Eos hæc imago designat, qui imitandis clarissimis personis sedulam navant operam. Sic Plato Socratis vestigia successu adeò felici est insecutus, ut Socrates junior cognominaretur. Virgilius imitatus est Homerum; Horatius Pindarum; Torquatus Tassus Homerum, Virgilium, Lucanũ, aliosque; uti mille loca operum ipsius testantur. Porrò alienam Spiritus Sancti, Davidis, aliorumque Sanctorum vocem æmulantur, qui preces aut psalmos, ab ipsis decantatos. ore recitant; corde interea, Psittacorum more, in alia omnia evagante. *Magna sunt arma preces*, inquit S. Chrysostomus, *dummodò sobrii, & undequaque mente nostrâ collecti Dominum adeamus, totique nitamur ita loqui, ut non solùm verba, sed etiam mens verborum comes ad Deum accedat.* Unde adeò providè filios suos hortatur Magnus Augustinus. *Hoc versetur in corde, quod profertur in voce.*

Imitatio. Psalmodia distracta. S. Chrysost. hom. 30. in Gen. S. Aug. in Reg. cap. 5.

607. Carceris angustiæ, & ligamina, quibus Psittacus intra caveam constringitur, adeò nihil damni eidem afferunt, ut contra plurimùm commodi, nimirùm insignem linguæ eruditionem, & artem loquendi, cæteris avibus inconcessam, inde recipiat. Lemm. SERVITUTE CLARIOR. Ad hanc ideam Religiosi, votorum triade, ceu vinculis, constricti, & intra claustri angustias sepulti, clarissimum splendorem à Christo sortiuntur, artemque orandi, sanè difficillimam, feliciter addiscunt. Verè dixit Petrus Raulinus, *solitaria vita, cœlestis doctrinæ schola est, ac Divinarum artium disciplina.* S. Paulus, civis Romanus, jure poterat de illustri hâc suâ origine gloriari; at illâ insuper habitâ, dignitatem summam existimabat, servum Christi cognominari, *Paulus servus Jesu Christi*; probè gnarus, è Christi servitute plus nobilitatis ac splendoris, quàm ex omni Romanorum gloriâ, sibi accrescere. Faustinus Presbyter, *Nonne Deo subdita est anima mea? Hujus servum fieri, summi decoris est, & quasi quædam supereminens mundo nobilitas: ideo & Apostolus gloriam suam scribit; Paulus servus Jesu Christi.*

Religiosus. Pet. Raul apud Hibern. v. Monachus. S. Paulus. Rom. 1. 1. Faust. Presb. lib. contra Arianum. c. 5.

608. Psittacus, etiamnum adolescens, facili negotio omnia linguæ artificia percipit; quæ tamen adultiori nec blanditiis, nec verberibus, nec quâcunque aliâ diligentiâ imprimi possunt. Vetus Apuleii paræmia est, quam lemmatis loco accipito; SENEX NEGLIGIT FERULAM. Ita, qui inter vitia consenuêre, nec persuadendi dulcedine, nec castigandi terrore ad virtutis tramitem revocari facilè possunt. Unde monet S. P. Augustinus. *Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo, cùm parvula est, elide illam.* Euripides.

Apul. 2. Florid. Peccator inveteratus. S. August. in Psal. 136. Eurip. in ...

Quæ quis dedicerit, eadem vult servare
Ad senium. Itaq; filios bene instituite.

Et Horatius. (Horat.)

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.

Quibus assentitur Virgilius. (Virgil. l. 3. Georg. v. 163.)

Tu quos ad studium atq; usum, formabis agrestem,
Jam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.

609. D. Aresius vigilantem Episcopum Psittaci Emblemate depinxit, qui, sociis suis in campos ad escam conquirendam evolantibus, supra arborem excubias agit, hostesque fortè irruentes explorat. Epigraphen subdidit EXCUBAT IN CUSTODIA. Hâc enim virtute Episcopos cumprimis excultos voluit S. Paulus; *Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium*; Idiomate græco, ubi nos legimus *sobrium*, transfertur *niphaleos*, id est, *sobrium & vigilantem.* In hunc locum Salmeron, *Qui in cibo & potu temperantes existunt, illi etiam vigilantes esse solent, præstant enim clarissimâ mentis acie, & pervigiles sunt pro grege suo tuendo, juxta illud; sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret &c.* P. Nicolaus Caussinus canit.

Episcopus vigilans. Tim 3. Salmer. Disp. 11. in hunc loc.

Dum Psittacorum viridis exultat phalanx,
Unus sub alta nixus arbore excubat,
Solersq; vigili prospicit curâ suis,
Ne quod rapaces aucupis ludant manus,
Sic unus amplo consulens pastor gregi,
Somnos tuetur omnium, solus vigil.

Causs. Parab. Histor. l. 6. n. 101.

Illud ipsum lemma S. Angelum tutelarem spectat, assentiente S. Laurentio Justiniano; *Quis non ineffabili quodam exuberet gaudio, quum revolvit mente Sanctorum adjutorium Angelorum, qui sine fatigatione atq; intervallo EXCUBIAS CELEBRANT super plebem Dei, cœtusq; fidelium.* Richar. de S. Victore, *Angeli sancti*, inquit, *civitatem, id est, Ecclesiam vel Fideles custodiunt. Qui rectè vigiles dicuntur, quia vigilant & soliciti sunt circa electos, ut defendantur à tentatione, ut proficiant in bono, ut salventur &c. Horum ministerio & vigilantiâ Deus fideles suos protegit.*

S. Angelus Custos. S. Laur. Just. in fascicul. Amor. c. 17. Rich. à S. Vict. in Cant. cap. 4.

610. D. Octavius Boldonus symboli loco Psittacum exhibet, qui, ut Rom. Historiæ referunt, his verbis Cæsari acclamabat, *Ave Cæsar*, subjuncto lemate. NATURA, ET ARTE. Enimverò hæc volucris, tametsi ad imitandas hominum voces miram linguæ, rostri ac gutturis docilitatem à naturâ congenitam habeat, adhuc tamen artis magisterio & instructione indiget. Ita Vati Regio non tantùm dixit Deus, *Intellectum tibi dabo*, sed insuper, *& instruam te in via hac quâ gradieris.* Teste Magno Augustino, *Unaquæque disciplina, quamvis vilis & facilis, ut percipi possit, Doctorem aut Magistrum requirit.* Certè Poëtæ, tametsi insigni naturæ genio nati, arte tamen & industriâ excoluntur. Ovidius.

Ars. Psal. 31. 8. S. Aug. de Util. cred. cap. 1. Poësis.

Sunt faciles Musæ; ast habitant in rupibus altis,
Has superare labor, cætera plana via est,
Vince modò rupes, nec duro parce labori;
Atque ultrò venient in tua fata Deæ;
Ingenium non dura tibi natura negavit,
Et vincere potes, quâ decet arte potes.
Cur studium, & solum deprædas justè laborem? &c.

611. Loquenti Psittaco inscribes. HOMO VOCE; AT PECTORE BRUTUM. Illorum hæc imago est, qui preces aut psalmos mente persolvunt vagâ, & in res terrenas vel etiam inhonestas distractâ. Hugo de S. Victore. *In choro sum corpore, & aliquo negotio mente, nunc intus maneo, nunc foris exeo, aliud canto, & aliud cogito, psalmodiæ verba profero, & psalmodiæ sensum non attendo; sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, huc & illuc prospiciens, quæcunque ibi geruntur, perlustrans perspicio: habitum Monachi, non conversationem habens, in magna corona & ampla cucullа salva mihi omnia existimo.*

Oratio & Psalmodia distracta. Hug Vict. lib. 1. de Anim.

SELEUCIS,

Cap. LX.

612. HÆc volucris per campos volitare solet, locustas frugibus infestas, prohibitura. Lucarinus hoc Emblemate Judicem officii sui commonefaciens, epigraphen addidit. VENIT, ET DISPERDIT De hoc Judicis munere Siraci-

Judex.

Eccles. 7. 6. Siracides; *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*; seu, juxta contextum græcum, *tollere injustitias*. Justissimus hic sceleratorum ac scelerum extirpandorum zelus in Davidis corde triumphum duxit longè nobilissimum. Ipsemet testis sibi luculentus, Psal. 100. 7. *In matutino*, inquit, *interficiebam omnes peccatores terræ, ut DISPERDEREM de civitate Domini omnes OPERANTES INIQUITATEM.* Hanc animi Regii sententiam P. Cornelius Jansenius pulcherrimâ paraphrasi declarat; Corn Jans. in hunc loc. *Ante omnia in hoc incubui, ut sine cunctatione interficerem omnes peccatores terræ. Maturè quoque admodum, priusquam prævaleret iniquitas, subvertere studui, sine delectu personarum, omnes impios terræ mihi subjectæ: ut de Civitate Domini, quam solis Sanctis patere convenit, exterminarem quantùm fieri potest, omnes operarios iniquitatis.* Dignus tanto avo nepos Ezechias, è Regum fastis id testimonii sortitus est; 4 Reg. 18. 4. *Ipse dissipavit excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum. Ipse percussit Philisthæos.* Eodem encomio Sanctus Rex Josias in quarto libro Regum, integro capite trigesimo tertio prolixè deprædicatur. 4. Reg. 33. In hanc rem etiam authores prophani symbolam suam conferunt. Socrates, referente Platone, dicere solebat; Plato lib 2. de Legibus. *Civitates optimè gubernari, cùm injusti dant pœnas.* Lisander Rempublicam illum maximè commendabat, Plutarch. in Catone. *In qua fortibus viris, ac malis congrua redduntur.* Denique Cato affirmatè pronuntiabat; *Eos Magistratus, qui maleficos pœnis non coërcerent, non tantum non ferendos, sed lapidibus obruendos esse, ne ex pœnæ neglectu salus Reipublicæ labefieret.*

STRVTHIO.

Caput LXI.

613. Aiunt, Struthionem solo aspectu ova sua fovere, ac pullos ad perfectam vitam perducere. Præsentia Majorum. Unde lemma. OCULIS VITA. Vel, LUX VITAM; vel, meâ quidem sententiâ, FORMAT OBTUTU. Hinc discas velim, quantùm unius hominis justi, vel etiam Majorum nostrorum, comprimis Dei præsentia ad efformandam vitam nostrâ possit. Appositè Hugo Cardinalis; Hugo Card. super cap. 1. Epist. 2. ad Tim *Dicitur quod natura Struthionis est, quod visu suo fovet ova sua. Visus enim Sanctorum, & pia eorum admonitio, multùm confortant, & juvant ad gratiam confirmandam & obtinendam.* Abbas Thesaurus Matris Machabææ exemplo id confirmat, Abb Thesaur in Genealogia Christi. cujus præsentiâ septem filii ita fuêre accensi, ut æternitati vivere cœperint; Verba ipsius, quia ingenio plena, subjungere placet.

Spectat suos Heroës, spectata Herois,
Se ipsam in singulis miratur:
Et singulos tuetur, dum intuetur,
Afræ volucri similis, qu alumnos obtutu format.

614. Struthio, oculis in sua ova defixus, epigraphen, priore numero ab Abbate Thesauro insinuatam, recipere potest. Præsentia Dei. TUETUR, DUM INTUETUR. Ita Divina præsentia ab exterioribus malis propugnat, omnemque felicitatem in nos derivat. Psal 32 16. Affirmatè Regius Vates. *Oculi Domini super timentes eum, ut eruat à morte animas eorum &c.* Salv. l. 2. de Gubernat. Dei. In hunc locum Salvianus, *Ecce*, inquit, *cur aspicere justos homines Deus dicitur, utique ut conservet & protegat. Aspectus enim Divinitatis propitiæ, munus est conservationis humanæ*, Et S. Cyrillus Alexandrinus, S Cyrill. Alex. l. 3 in Ioan. cap. 23. *Cedit enim omnis perturbatio, cunctaque pericula desinunt, cùm Christus adsit.* Iidem effectus, Senecâ teste, in nos redundant, si virum aliquem virtuosum ac gravem nobis assiduò præsentem imaginemur. Senec. Ep. 11 *Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic, tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorũ tollitur, si peccaturis testis assistat.* Vide etiam Epistolam ipsius vigesimam quintam.

615. Explicatæ ac concussæ Struthionis alæ celerrimum ipsius cursum plurimùm promovent; Unde Jovius lemmatis loco Struthionem in hæc verba loquentem introducit; CURSU PRÆTERVEHOR OMNES. Celeritas Summam velocitatem hæc imago significat; qualem præsetulit Alexander Magnus, qui temporis intervallo exiguo, vastissimas Asiæ totius regiones occupavit; rogatus verò, quânam ratione tantam in agendo prosperitatem esset consecutus, respondit; *NIHIL PROCRASTINANS.* Unde Apelles cum penicillo adumbraturus, dexteram Alexandri, non sceptro Regio, nec militari hastâ, sed trisulco fulmine, veluti proprio celeritatis symbolo instruxit. Sophoclis dictum erat, Sophocl in Ant. *Urgentibus malis, celeritas optima est.*

616. Struthio, ferrum ore sustinens, Jovio authore epigraphen habet. DURISSIMA COQUIT. Dissimulare injuriam. Illius hæc imago erat, qui injuriam, longo tempore dissimulatam, tandem ultus est. Ita Absalon, intellecto turpissimo Thamaris, ab Ammone violatæ incestu; tunc quidem nullum indignantis animi indicium edidit; *Non est locutus Absalon ad Ammon, nec bonum nec malum*, idque, veluti Hugo Cardinalis observat, *ex odio occulto. Oderat enim Absalon Ammon*, inquit Sacer Textus, *eò quod violâsset Thamar sororem suam*: at certè! Absalon lethali odio duobus integris annis intra pectus abscondito, demùm vindictæ flammas palam est ejaculatus, fratremque astu circumventum interemit. Eandem vindictæ flammam damno suo expertus est Rex Astyages; nam cùm Harpagi filium immani tyrannide occidisset, eumque, cibi more conditum, patri manducandum obtulisset; *Harpagus*, Justino referente, Iustin. lib *ad præsens tempus dissimulato dolore, odium Regis in vindictæ occasionem distulit, ac regnum perdidit, &c.*

617. Fuit, qui Struthioni, ferrum devoranti, inscriberet; AL MIO CALORE OGNI DUREZZA CEDE. Charitas S Pauli. Id est; DURISSIMA VINCO CALORE. D. Pauli Apost. genuina hæc imago est, qui immenso charitatis suæ ardore omnem calamitatum duritiem superare noverat. Ipsummet loquentem audi, Rom. 8. 35. &c. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? &c. certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Unde idem Apostolus, haud dubiè propriâ ductus experientiâ, ait, 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, & Charitas omnia suffert.* In hunc locum S. P. Aug. S Aug lib Patient. *Quantò ergò major est in Sanctis Charitas Dei, tantò magis pro eo, quod diligitur, omnia tolerantur. Ac per hoc inde est patientia vera justorum, unde est in eis charitas Dei.*

618. Struthio, tametsi alas concutiat, nunquam tamen è terrâ sublevatur, unde Paradinus illi hypocrytas non absimiles asserit, Hypocrita. qui motu solum apparente versus cœlum levantur; addito lemmate. NIL PENNA, SED USUS; vel ut alius inscripsit. SCUOTE I VANNI. E NON VOLA. Id est. CONCUSSIS NON VOLITAT ALIS. Hugo Victorinus. Hugo Vict l. 1. de Best cap. 37. *Hypocritæ*, inquit, *habent quidem volandi pennas per speciem, sed in terra repunt per actionem: quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum sæcularium pondere prægravati, nullatenus à terra sublevantur.*

619. P. Ca-

Litteratus vitiosus.

619. P. Camillus Anticus hominem præclaro quidem ingenio, at depravatis moribus præditum, Struthioni comparat; cum dicto; NON SUBLEVAT ALA; Innuebat videlicet, hominem solâ scientiæ alâ nunquam emersurum, nisi vires suas junxerit charitas. *Levat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit &c.* inquit S. Bernardus, S. Ignatii Loyolæ constitutio est; *Omnes, qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum, & spiritualium rerum studium incumbant, ac in hujusmodi majus momentum, quàm in doctrina, vel aliis donis naturalibus & humanis constitutum esse ducant.* Et prior illo S. Isidorus; *Melius est,* inquit; *ut bene vivendi studium, quàm multa sciendi sequamur*; & mox subjungit, *Non pertinere ad beatitudinem consequendam, scientiam rerum, nec esse beatum multa scire; sed esse magnum beatè vivere.*

Ignat. Loy. Instit. p. 10. 8. — S. Isid. l. 2. de s. c. 1. n. 12

Humilis S. Paulus.

620. D. Aresius animum verè humilem Struthionis Emblemate repræsentat, qui alis instructus, nunquam sese ad volatum elevat. Lemma. SUBLIME NON SAPIT. Certè S. Paulus alis suis ad tertium usque cælum sublatus, infimè de seipso sentiebat. *Novissimè omnium tanquam abortivo visus est & mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum, & non sum dignus vocari Apostolus. Mihi omnium Sanctorum minimo data est hæc gratia.* Maria Virgo, Matris Divinæ titulo insignita, profundâ animi demissione ancillam se vocavit. *Et quantò fuit virtutibus præeminentior, tantò in ipsa humilitas mirabilior* inquit Richardus à S. Laurentio. Cæterùm eodem Emblemate hominem significabis, à nobilissimis natalibus, aut etiam à præclaro suo ingenio penitus degenerem, nullasque operationes, tot suis prærogativis dignas, exercentem. Vel, si lubet, etiam magnæ authoritatis, sed tamen simul animi vilis & abjecti virum icone illâ figurabis.

Maria V. — Rich. à S. Laurentio l.

Animus vis & affectus. — Iniuria condonata. — Senec. l. 1. de Clem. c. 10.

621. Struthionem ossibus, saxis, & etiam ferro digerendo parem esse ajunt; Unde ferrum rostro sustinens, ab Aresio epigraphen recepit. DEVORAT, ET DECOQUIT. Animum generosum, ac injuriarum facilè immemorem hæc imago designat. Hâc virtute plurimùm excelluêre Julius Cæsar, Titus Vespasianus, Adrianus &c. cumprimis tam Octavianum deprædicans Seneca, ait, *Bonum Principem Augustum, & bene illi convenisse Parentis nomen, fatemur, ob nullam aliam causam, quàm quod contumelias quoque suas, quæ acerbiores Principibus esse solent, quàm injuriæ, nullâ crudelitate exequebatur &c.*

Hypocrita

622. Struthio, veluti in sublime evehendus, alas quidem concutit; re tamen ipsâ nunquam è terra assurgit. Unde lemma. NEC IMA RELINQUIT. Hypocritam, aut hominem veste quidem Religiosum, moribus tamen & animo sæcularem hæc imago designat. De hac hominum sorte ait Hugo Victorinus. *Sublevare vos videtur species pennæ, sed in infimis vos deprimit pondus vitæ.* Et prior illo S. Gregorius Papa. *Hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat.* Denique S. Isidorus; *Qui imperfecti sunt in Dei amore, sæpè se à vitiis separari disponent: sed pondere vitiorum gravati, rursus ad ea vitia, quæ optant relinquere, revolvuntur.*

Hugo Vict. l. de Best. c. 3. — S. Greg. in Mal. — S. Isid. l. 2. de s. c. 2. n. 8

Maria V. partum expectans

623. Mariam Virginem, felicissimi partûs sui momentum attento animo præstolantem, Emblemate significaturus D. Aresius, Struthionis fæminam depingi fecit, quæ fixis oculis ad ovum suum intenta, epigraphen ferebat; DONEC EGREDIATUR. Debebat enim Beatissima Mater cogitationes omnes in Deum suum, quem utero gestabat, unicè defigere, secumque ipsâ inire consilium, quo obsequiorum genere supremæ incarnatæ Majestati ancillari deberet. Ejus personam agens S. Basilius Seleuciensis, ait, *Ecquid igitur tecum disceptabo? Lacte ne nutriam, an verò ut Deum colam? Ut mater curabo, an verò ut ancilla adorabo? Ut Filium amplexu fovebo, an verò ut Deum supplex invocabo? Lac ne porrigam, an verò thymiama offeram?*

S. Basil. Orat. de Annunt. M. V.

624. Struthio, uno oculo cælum, & altero terram intueri solitus, à Lucarino epigraphen recepit. ET ALTERO RESPICIT. Mariam Virginem hæc idea spectat, quæ uno oculo in Deum defixa, Alterum nobis intentum servat. Præclarè de illa B. Amedeus, *Motu celerrimo,* inquit, *Seraphim alas excedens, nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis, nunc terrat signis & virtutibus illustrans ubiq; suis, ut mater jucundissima & mirificentissima occurrit.*

Mariæ V. beneficentia. — B. Amed. Hom. 8 de Laud. Virg.

TINNVNCVLUS. *Cap.* LXII.

625. EA Tinnunculi est pietas ut columbas suis excubiis tueatur; aliisque avibus quæ iis insidias struunt, terrorem incutiat. Unde Lucarinus Tinnunculo, supra columbarium depicto, inscripsit. DEFENDIT, TERRETQUE. Eadem sanè Angeli Tutelaris est pietas. S. Joannes Chrysostomus, *Quamdiu circa nos est Angelus bonus, nunquam nos in tentationem potest impellere Angelus malus.* E Cassiodori sententia, geminam hanc vitam S.P. Augustinus cumprimis sibi vendicat; *Ipse etiam Doctor eximius Beatus Augustinus,* inquit, *bellator hæreticorum, defensor fidelium, & famosorum palma certaminum.* Eâdem Tinnunculi naturâ S. Franciscus Salesius humilitatem explicat. Verba illius, ex Italico in Latinum translata, sic accipe. *Tinnunculus avis, dum rapaces aves conspicit, vocem edit, itaque occultâ quâdam vi & proprietate naturali eas perterrefacit: hinc eum columbæ præ omnibus aliis avibus diligunt, tutasque se arbitrantur, dum apud eum agunt: sic humilitas Satanam repellit, gratiasque & dona Spiritûs Sancti in nobis conservat &c.*

S. Angelus Custos. — S. Augustinus. — Cassiod. l. de Divin. Lect. cap. 22. — Humilitas — S. Franc. Sal. Introduct. p. 3. c. 4.

TROCHILUS. *Cap.* LXIII.

266. TRochilus, tametsi avicula sit minima, non tamen recusat etiam cum aquila, regina volucrum, confligere. Unde lemma. NON DETRECTO. Tassus hoc Emblemate innuit, minorum virtutem plurimùm nonnunquam negotii majoribus facescere. Alciatus inter cætera sua Emblemata etiam hunc titulum recenset, *A minimis quoque abstinendum.* Cui affinis Publius Mimus, ait, *Inimicum, quamvis humilem, docti est metuere.* Et rursus. *Etiam capillus unus habet umbram suam.*

Minorum resistentia — Alciat. Embl. 169. — Publ. Mimus.

627. Ea aviculæ hujus est proprietas, ut veru infixa, se ipsam, nemine alio cooperante, suprà ignem circumvolvat. Unde D. Aresius S. Laurentium Trochili symbolo repræsentat; subjuncto lemmate. SICUT IN LECTO VERTITUR. Baptista Mantuanus.

S. Laurentius.

Martyr ad extremum, lecto prostratus aheno,
Uritur, & rapidâ pascuntur viscera flammâ.

Apprimè fortissimus hic Athleta cum Davide dixisset, CONVERSUS SUM in ærumna meâ, dum configitur spinâ; Benè de hoc S. Levita scripsit D. Pe-

Psal. 31. 4.

S. Pet. Chry-sol. ser. 135.

D. Petrus Chrysologus, *Astrictus est ferro, sed ille craticulam supplicii LECTUM quietis putabat.* Verùm non S. Laurentium duntaxat, sed omnes omninò Martyres, liberrimâ voluntate in sua tormenta provolutos, hæc imago concernit. Simonis Majoli quæsitum est, *Cui comparabimus avem Trochilum?* & respondet, *Martyrum voluntariam mortem significat, qui rebus nudati, & mente humiles, patienter omnia ferunt, & passioni cooperantur.*

SS. Martyres. Simon Majol. dierum Can. To. 1. Colloq. 6.

TURTUR.

Caput LXIV.

628. Turtur epigraphen præfert. IDEM CANTUS, ET GEMITUS. Vel, ut ego inscripsi. ET GEMIT, ET PLACET. quibus lemmatis etiam Lusciniam insignire licet. Ad hanc ideam Concionator auditorum suorum animos simul & amœnâ voce, & mœstis suspiriis ad pietatis ac pœnitentiæ sensum rapit. S. Bernardus de Turture disserens, ait, *Et vox quidem gementi, quàm canenti similior, peregrinationis nostræ nos admonet; Illius Doctoris vocem libenter audio, qui non sibi plausum, sed mihi planctum movet. Verè Turturem exhibes, si gemere doceas: & si persuadere vis, gemendo id magis, quàm declamando studeas, oportebit.*

Concionator amovens. S Bern ser. 59. in Cant.

629. Peccator ad frugem conversus, è D. Caroli Rancati sententiâ, Turturis Emblemate significatur, qui ulmo nixus, epigraphen è Virgilio mutuam præfert. NEC GEMERE CESSABIT.

Pœnitens.

Nec gemere aëriæ cessabit turtur ab ulmo.

Virg Eclog. 1.

Vel si mavelis, inscribas; NON CESSAT A GEMITU. Accommodatè ad illa Isaiæ verba, *Omnem gemitum cessare feci.* Emblematis mentem meus Concanonicus, D. Salvator Carducius his Jambis explicat.

Isa. 21. 2.

Gemebunda semper Turturis vox insonat:
Perenniter sic pœnitens fidus dolet.

Ita prorsùs Sancti Patres in Monachis, qui ex etymo suo luctum profitentur, omnem risum quàm longissimè proscriptum volunt. Certè S. Chrysostomus, *Verè*, inquit, *lugendi domus est Monasterium, ubi saccus, & cinis, & solitudo: ubi risus non est, neq; secularium turba negotiorum: ubi jejunium, & stratum humi cubile, omnia pura à nidore, cruoribus, tumultu, perturbatione, & vexatione.* In hac sapientiæ schola non tantùm Religiosi, sed omnes omninò Christiani discant se conformes reddere Magistro suo cœlesti; *Christum enim*, S. Bernardo asserente, *super Lazarum & super civitatem flevisse, & in orationibus pernoctâsse legimus, risisse verò & jocatum nunquam.* Et quod factis ostendit, sermone quoque docuit; *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Unde quæstionem movet D. Basilius, *An in universum ridere non liceat?* ac respondet, *Cùm Dominus eos damnet, qui in hac vita rident, admodùm perspicuum est, nullum omninò locum dari fideli, in quo ridere debeat; & maximè in tam magno numero eorum, qui per transgressionem legis Deum inhonorant, & in peccatis morti se dant, quorum vicem mœrere & gemere convenit.*

Religiosus gemens. S. Chrysost. Hom. 59. ad Popul.

Risus. S. Bern. ser. 4 d. Advent.

Luc. 6. 25. S. Basil. in hunc loc.

630. Hæc volucris unicam duntaxat conjugalis amoris sui consortem admittit; eâque mortuâ vitam ducit solitariam. Unde illam, Emblematis loco, hâc Minutii Felicis inscriptione insignies. AUT UNAM AUT NULLAM. Hâc icone tam viduorum castimoniam, quàm amorem conjugum significare licet. Bonus Christianus, asserente Tertulliano, *soli uxori suæ masculus nascitur.* Cui subscribit Minutius Felix. *Et cupiditati procreandi aut unam scit, aut nullam.* De hac affectuum singularitate canit Tibullus,

Amor conjugalis. Vidualis castitas. Tertullian. Tibull. lib. 4.

Tu mihi sola places, nec jam, te præter, in Urbe
Formosa est oculis ulla puella meis.

Et Propertius.

Prop. lib. 1 Eleg. 13.

--- --- Qui nunc jacet arida pulvis
Unius, heu quondam! servus amoris erat.

631. Turtures mutuum suum amorem non tantùm conservant illibatum, sed etiam semel conjugati, nunquàm amplius sese dissociari patiuntur. Unde Bargalius unitos duos Turtures hoc lemmate donavit; FIDA CONJUNCTIO. Talem affectum Homero referente, Ulysses versus suam Penelopen foverat: nam cùm Calipso & Circe ipsum, si pristino amori nuntium remitteret, immortalem efficere sponderent; ipse tantis promissis Penelopen longè præferens, maluit immortalitate, quàm sponsâ destitui. Andreæ Tiraquelli sanctio connubialis est. *Quicunque ab uxoribus amari cupiunt, eas quoque vicissim ipsi amant; omninoq; externarum congressibus abstinento.* S. P. Augustinus primum conjugii bonum numerat fidem conjugalem. *Bonum in conjugio*, inquit, *tripartitum est; fides, proles, Sacramentum.*

Fides conjugalis. Homer Odyss l. 5 & l. 7. & 23. Tiraq. Leg Connub. 1. S Aug. de Gen. ad li l. 9. cap. 7.

632. Turtur, mortuo conjuge, secundas nuptias constanter recusans, vitam ducit cœlibem. Unde Ferri lemma. ET SOLITARIA, ET SOLA. Lucarinus gemino Turturi inscripsit. NEUTRA UNQUAM ALTERIUS. Rursus hoc Emblemate fides conjugalis, & viduitatis pudicitia exprimuntur. Hoc argumentum prolixè pertractans S. Basilius, ait, *Turturem asserunt sejugatam à conjuge, nunquam societatem inire cum alio, sed sine conjuge vitam cælibem degere, recordatione amissi consortis conjugium alterius abnuentem. Audiant ipsæ mulieres, ut etiam apud animalia, ratione non prædita, honestas indecoro iterati conjugii anteponatur.* Eandem epigraphen, *Neutra unquam alterius*, Præsules dogmatis loco habeant, ne ab una Ecclesia, cui semel fuêre desponsati, ad aliam ditiorem transferri cupiant; illudque Evaristi Pontificis scriptum alto animo defixum habeant, *Sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec Episcopus Ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat, ad quam sacratus est, absque inevitabili necessitate, aut Apostolicâ, aut regulari mutatione, neque alteri se ambitûs causâ conjungat.*

Castitas vidualis. S. Basil. Hexam. l. 1. Episcopus non committentur. Evarist. Epist. 1. ad Episcopos Ægypti.

633. De Turturibus narrat Petrus Berchorius, *Quando volant versus Aquilonem, non habent rectorem; econtra verò, si ab Aquilone versus Austrum volaverint, tunc habent rectorem, quem sequuntur.* Unde Turtures, agmine facto versus Austrum evolaturi, epigraphen tenent. RECTORE INDIGENT. S. Greg. Nyssenus, Philo Carpathius, Justus Orgelitanus, Apponius, aliique, illud Canticorum interpretati, *Surge Aquilo, & veni Auster*, ajunt, Aquilone, propter vehementes flatus, significari adversitates, Austro verò ob lenem & placidam spirationem denotari sæculi hujus prosperitates: Unde seipsum explicat Berchorius. *Sic illi, qui in Aquilone id est, frigore adversitatis habitant, non egent rectore, quia vexatio dat intellectum; unde in illo stare potest homo, & se sufficienter regere per se ipsum. Sed illi, qui ad Austrum humanæ prosperitatis aspirant, rectore provido indigent, qui ipsos regat, & manu teneat.* Hoc est, quod magnus ille Theologus S. Greg. Nazian-

Berch. Reduct. moral l. 7. n. 10. Cant. 4. Prosperitas periculosa. Berc.

S. Greg. Naz. Or. 14. Nazianzenus dixit; *Profectò facilius esse videtur adversam fortunam ferre, quàm secundam conservare.*

S. Aug in Psal. 54. 634. De Turture testatur S. P. Augustinus, *Nihil tam amicum gemitibus, quàm columba; die noctuque gemit.* Unde lemma. DIE, NOCTUQUE GEMIT: Ita Justi, qui felicitatem suam extra labentia ac sophistica hujus vitæ bona constituunt, tamdiu suspirant, dum patriam, tantoperè desideratam, assequantur. Suspiravit Davidis anima præ tædio, & anhelavit ad supernam patriam, cum gemitu exclamans: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* De se ipso testatur Isaias, *Quasi columbæ meditantes gememus.* Quis enim Sanctorum in fletum & gemitûs in hac lacrymarum valle sedulò non incubuit? Pulchrè ingemiscens S. Ambrosius, *Procul,* inquit, *projectus sum à facie Dei mei, in hanc exilii cæcitatem, ubi expulsus à Paradisi gaudiis, deploro quotidie mecum super miserias captivitatis meæ, lugubre carmen, ingentesque lamentationes, dū recordor tui, Materlerusalem, dum stant pedes mei in atriis tuis, sancta & decora Sion.* Quoties ex oculis Magni Augustini non proruperunt flumina lachrymarum, acceptabile sacrificiū Domino? quoties ex amarissima cordis contritione durum dirumque casum Protoparentis nostri ac infelicium posterorum deplorando non ingemuit? *Quare sic nobis obscuravit lucem* (de Adamo conqueritur) *& obduxit tenebras? ut quid nobis abstulit vitam, & inflixit mortem ærumnosam? Unde sumus expulsi, unde præcipitati, quo obruti? à patria in exilium, à visione Dei in cæcitatem mentis, à jucunditate immortalitatis in amaritudinem & horrorem mortis. Misera mutatio est, sed de quanto bono in quātum malum! grave damnum est, gravis dolor, grave totum est.* Et rursus, *O Patria nostra, patria secura! à longe te videmus, ab hoc mari te salutamus, ab hac valle ad te suspiramus, & nitimur cum lachrymis, si quo modo ad te perveniamus.*

Desideriū cœli obtinendi. Psal 119.5. Is. 59. S. Ambr. in Lationibus. S. Aug in Medit. Idem in Soliloq cap 35.

635. Turtur, luporum incursus à pullis suis prohibiturus, squillæ foliis nidum suum insternit. Unde lemma. SIC TUTA QUIESCAM. S. Ambrosius hoc Emblemate vel jejunium, vel prudentiam intelligi vult; quia utraque hæc virtus infernalem lupum in fugam agit, & ab assiduis ipsius insidiis securitatem præstat. Verba S. Doctoris ita habent. *Quantam Dominus etiam minusculis infudit prudentiam! Turtur nido suo, ne pullos suos incurset lupus, squillæ folia superjacit. Novit enim, quod hujusmodi folia lupi fugere consueverint. Novit avicula, quomodo posteritatem foveat suam, & tu ignoras, tu negligis, quomodo adversum lupos nequitiæ spiritalis, posteritatem vitæ hujus habeas tutiorem.*

Jejunium Prudentia. S. Ambr. l. 6. Hexameron. cap 4.

VANELLUS.

Cap. LXV.

636. D. Aresius vanam aliquam mulierem Vanelli Emblemate significat; Salomonis sententiā lemmatis loco subjunctâ. PULCHRA, ET FATUA. Geminum hoc epitheton sexui illi accommodatissimum est, quo majore enim præditus est venustate, eò amplius deficit judicio ac prudentiā. Salonius & Hugo Cardinalis animam illam pulchram & fatuam cognominant, quæ scientiis exornata, actiones elicit malas & incultas; *Anima pulchra per scientiam, sed fatua per actionem.* Hæresis quoque, primo quidem intuitu pulchra, rationem habet penitus obsonam ac stultam. *Mulier pulchra ac fatua,* interprete S. Gregorio, *est doctrina hæretica, pulchra per verbum, fatua per intellectum.* Compendio P. Cornelius à Lapide. *Mulier fatua & pulchra, est anima fidelis in baptismo vel pœnitentiæ à peccatis abluta & dealbata, quæ deinde pristinis cupiditatibus illecta ad eas redit.*

Prov. 11. 22. Mulier vana. Scientia sine operatione. Hæresis. S. Greg. l. 31. Moral c. 1. Recidivus. P Corn à Lap in hunc loc.

VESPERTILIO.

Caput LXVI.

637. Vespertilio, nocturno tantum tempore volans, proprium est hæreticorum symbolum; cui proinde D. Aresius subscripsit. ILLUMINATIO MEA. S. Ambrosius. *Semper perfidis nox est, quæ lucem Christi tenebris obducere, &, quantum in ipsis est, fuscare conantur.* Consentaneè Philippus Presbyter, *Omnes sensus hæreticorum nocti & tenebris comparandi sunt &c.* Eâdem vespertilionis iconemeus Concanonicus D. Carolus Baliottus scriptores illos significari asserit, qui lucis publicæ exosi, volumina sua inter tenebras traducere malunt; unde ad horum aliquem conversus canit.

Hæreticus. S. Ambr lib. 1 de Abrah c. 2. Phil. Presb. cap 24. in Iob. Scriptor obscurus.

In van con fogli oscuri
La notte del oblio vincer procuri
Come può chiara fama
Trouar colui, ch' esser oscuro brama?
Quasi notturno augello
Sei dell' ombre seguace, al sol ribello.
Ma se vòni luce in parte
Donar a le tue carte,
Porgi le al foco in dono,
Poiche d' ogn' altra luce indegne sono.

638. D. Didacus Saavedra vespertilionem, à solis conspectu profugum, hoc lemmate notavit. EXCÆCAT CANDOR. vel ut alius, DIVENGO INFERMO AL FOLGORAR DEL SOLE. Id est, SOLIS FULGORE TABESCO. Nativa certè hominis invidi imago! qui alterius gloriâ ac splendore plurimùm offenditur. Breviter & verè Seneca: *Humanus oculus caligat in luce.* Antithesi prorsus eâdem, virtutis genuinæ radius, omnem malevolentiam procul fugat ac dissipat.

Invidus. Senec. ep. 52. Virtus vera.

639 Eidem Emblemati subscripsit D. Archangelus Conter. COECUTIT LUMINE. Saulus certè eo ipso momento, quo *circumfulsit eum lux de cælo,* oculos expertus est captos, *apertisque oculis nihil videbat.* Ita quoque homo, carni deditus, ad negotia Divina contemplanda nunquam eluctatur, & Apostolo affirmante, *non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* S. Augustinus ad Deum conversus, ait, *Qui se avertunt à lumine tuo, tanquam dorsum ad te ponentes, in carnali opere velut in umbra sua, defiguntur.* Denique ille etiam efficitur cæcus, qui, ardore nimium curioso, intellectûs sui aciem in sapientiæ Divinæ arcana, lucem nimirum inaccessibilem, defigere præsumit; nam, *qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.*

Saulus. Homo carnalis. 1. Cor 2 14. S. Aug lib 2. de lib arb. l. cap 16. Arcana Dei, impenetrabilia. Prov. 25. 27

640. Vespertilioni subscripsêre. SURGIT IN OCCASU. Sanctos Martyres hoc Emblemate afficies, qui vitâ in occasum urgente, ad clarissimum gloriæ splendorem resurgunt. S. Petrus Chrysologus ad illa Herodis verba animum advertens, *Quem ego decollavi Ioannem, hic à mortuis resurrexit;* ita Herodem affatur; *Ioannes resurrexit, sicut fateris: ipsa non hic persona, sed infirmitas perit: non hic Ioannes sed mors magis tali morte succubuit: illusa est pœna, carnifex habet irrisus: ipsa est cognitoris miseri decepta sententia, quæ interemptum non perdidit, sed promovit.* Eodem Emblemate Hæreticorum malitia depingitur, quæ timoris ac flagitiorum plena, nocturno tempo-

S. Martyr. Marc 6. 16. S Pet Chrys. serm. 173. Hæresis.

tempore sua conventicula cogit. Unde Calvini asseclæ, referente P. Famiano Stradâ; primitùs Hugonottæ, Italicè *Ugonotti*, à gemino vocabulo, *Ugo*, & *notte*, dicti sunt; siquidem noctu ad quamdam Tursensis civitatis portam, *Ugo* cognominatam, congregari soliti, ibidem intra quasdam cavernas fidei sua primordia ac incrementa jacere cœperunt.

641. Carolus Rancatus observat, nocturnas tenebras à vespertilione volitante præverti. Unde lemma. SERAS NUNTIAT HORAS. Verbis è Boëtio mutuatis: *Boet. lib. 4.*

Semper vicibus temporis æquis
Vesper seras nuntiat horas.

Nuntius tristis. Antichristus. Morbus. Infausto cuidam tristium novorum nùntiò hòc Emblema tribues; vel, si mavelis, Antichristo; cujus natalem extremus judicii dies, ac mundi epilogus subsequitur. Denique morbus seras nuntiat vitæ nostræ horas; mortemque è vestigio subsecuturam prædicit. S. Gregorius Papa; *Venit Dominus*, inquit, *cum ad judicium properat: pulsat verò, cum jam per ægritudinis molestias mortem vicinam esse designat.* *S. Greg. hom. 13. in Evang.*

642. Qui mundo famulantur, omni solicitudine ac conatu versus caducæ venustatis, coruscantis metalli, aut transitoriæ dignitatis splendorem tendunt; copiosâ cœlestis gratiæ ac gloriæ luce penitus neglectâ, ac contemptim repudiatâ. Ut adeò exoculatam hanc hominum sortem, meâ quidem sententiâ, non incongruè cum vespertilione comparaveris, quæ more suo versus accensam candelam volitans, epigraphen tenet, AT SOLEM ODI. Vel idiomate Italico. MA IL BEL LUME DEL CIELO ODIO: ED ISDEGNO. Accommodatè Jobus; *Ipsi fuerūt rebelles lumini; nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* In hunc locum S. Gregorius Papa. *Plerumque*, inquit, *perversi & cognoscunt quæ sequi debeant, & tamen sequi despiciunt quæ cognoscunt; lumini ergo rebelles sunt, quia sua desideria sequendo, bonum despiciunt, quod noverunt.* Homines terreni. *Iob. 24. 23. S. Greg 16. moral. c. 24.*

643. Si Plinio fidem habeas, vespertilio volitans pullos suos, semper sub alis è latere circumfert. Unde Lucarini lemma: ET MECUM PULLI. Maria Virgo, Christo infante intra virgineum ipsius sinum recepto, longinquum iter Nazaretho Ægyptum usque emensa est. S. Bonaventura. *Fugiebat Dominus ante faciem servi, imò potius servi diaboli. Portabat eum mater teneraque juvenis valdè, & sanctus Joseph vir ejus in Ægyptum per viam sylvestrem &c.* Ad hoc propositum sacri interpretes illud Isaiæ accommodant, *Ecce Dominus ascendet super nubem, & ingredietur Ægyptum.* *Plin. l. 10. cap. 61.* Mariæ V. fuga in Ægyptum. *S Bonav. opusc. de Medit vit. Christi cap. 12. Isa. 19. 1.*

644. Vespertilionum consuetudo est, ut, quâcunque ingruente necessitate, mutuam sibi ferant opem, sicq; junctis viribus difficultatem objectam superet. Scitè pro n° Emblemati subscribes; MUTUA NITUNTUR OPE. Nimirum tam naturæ, quam politices humanæ præceptio est; egenti auxiliares porrigere manus; id, quod charitatis leges in Christianis cumprimis exigunt; asserente enim Magno Augustino, *Illi portant invicem onera sua, qui habent charitatem: qui nōn habent charitatem, graves sunt sibi, qui autem habent charitatem, portant se.* Probè Menander. Auxilium mutuum. *S Aug in Psa. 129. Menander.*

Manus manum lavat, & digitus digitum.
Vir enim virum, & Civitas salvat civitatem.

645. Vespertilio volitans in corpora lucida vespèri passim impingit. Unde inscripsit P. Jacobus Masenius. NOCET HIC FULGOR. Ita multis, parum sapientibus, fulgor aularum & honoris plurimum detrimenti attulit. S. Gregorius; *Dejecisti eos*, inquit, *dum allevarentur: quum allevatur, dejicitur qui honoribus proficit, & moribus cadit.* Honor noxius. *S. Greg. in Registro.*

646. Vespertilioni idem subscribit Masenius. NOCTEM VERTERUNT IN DIEM. Verbis è Jobo mutuatis. Idipsum assolent Hæretici & peccatores, qui errorum ac scelerum suorum nocte veluti die clarissimâ utuntur, nihilque habent potius, quàm inter malitiæ suæ umbras assiduò circumvagari. Porrò etiam illi noctem vertunt in diem, qui compotationes ac symposia in multam noctem protrahunt, dieq; postero ad meridiem usque in lecto stertunt. De his Seneca; *Nonnulli*, inquit, *majorem partem noctis in conviviis exigunt, vino verò madentes, & mersi usq; ad horam sextam dormiunt; hoc est matutinum eorum.* Deniq; S. Gregorius epigraphen illam etiam de justis vult intelligi, quibus adversitatum nox instar gratissimæ & clarissimæ diei est. *Iob 17. 12.* Hæretici. Helluones. *Senec. ep. 85.* Justus. *S. Greg. l. in Iobum loc. ci.*

UPUPA.
Caput LXVII.

647. Hæc volucris; pulcherrimis òrnata plumis nidum suum inter stercora ac sentinas construit. Unde lemma. AMPLEXATUR STERCORA. Aresio authore, homines lascivos hæc imago loquitur; *qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Hugo Cardinalis, in hæc verba commentatus, eos stercora amplexari ait, qui aut rebus temporalibus; aut mulierum consuetudini inhærent; siquidem, Siracide teste, *Mulier fornicaria quasi stercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.* P. Cornelius à Lapide super adductam Threnorum sententiam ait, *Viri Religiosi & fervidi, qui olim quasi aquilæ versabantur cum Angelis, nunc quasi scarabæi volutantur in cœno & stercore voluptatum carnalium cum asinis & porcis &c.* Jure ergò exclamat Hugo; *O extrema libidinis turpitudo! quæ non solum mentem effæminat, sed corpus enervat, non solùm maculat animam, sed fœdat personam! Omne namq; peccatum, quod fecerit homo, extra corpus suum est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Semper illā præcedunt ardor & petulantia, semper comitantur fœtor & immunditia, semper sequitur dolor & pœnitentia.* Lascivus. *Thren 4. Hugo Card. in hunc loc. Ecc. 9. 10. Corn à Lap. in Thren cit. Hugo apud Hibern V. Luxuria.*

648. Upupa, avis venustissima, in stercore humano nidulatur. Lemma. NIMIUM NE CREDE COLORI. Ita splendidæ aulicorum, fœminarum, aliorumque vestes non rarò mores occultant fœdissimos. De viro pronuntiat S. Hieron. *Inter sericum & linteamina, quibus tibi videris fulgidus & formosus, intellige te nudum, conscissum, sordidum, mendicantem.* De fœminis Seneca. *Omnium istarum pulchritudinem contemnes, si expoliaveris. Equum empturus, solvi jubes stratum; detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant, ornamenta ipsa ementibus suspecta sunt, sive crus, sive brachium aspiceres alligatum, nudari juberes, & ipsum corpus ostendi. Mulierem involutam æstimas: si vis illam æstimare, totamque scire qualis sit, fasciam solve, multum mali sub illa latet.* Denique etiam Religiosos hæc imago concernit, qui sub pulcherrima Religionis veste, ceu veræ sanctitatis ac castimoniæ signo, varias abscondunt vitiorum sordes. Vestes pretiosæ. *S. Hieron. in epist. Senec ep. 81.* Religiosus.

649. Upupa, viti germinaturæ præcinens, boni est ominis, futuramque vini copiam prænuntiat. Lemma. CANENTE, SEQUETUR UBERTAS. Ita omnem animæ & corporis prosperitatem sperare poteritis, qui Deum sedulò oraverit, ejusq; opem & manum beneficam invocare non destiterit. Expertus id Regius Vates, posteaquam tam seipsum quàm alios ad laudes Dei dicendas excitâsset, *Sacrificate sacri-* Orationis fructus. *Psal. 4. 6.*

sacrificium justitiæ,& sperate in Domino; mox sacrificii hujus fructum uberrimum subjungit; *à fructu frumenti,vini,& olei sui multiplicati sunt.* Verissimè dixit Magnus Augustinus.*Nihil mihi deerit, si Deum habuero;& nihil mihi alia prosunt,si Deum non habuero.*Et rursus, *Si tu invocas Deum tanquam Deum, securus esto,exaudiris.*

Aug.lib.1. Symb.c. 3. &m in Ps.85

VVLTVR.
Cap. LXVIII.

650. VVltur nonnisi spirante vento, à quo volandi vigorem accipiat, per aëra fertur. Lemma.OVE ALZATO PER ME,NON FORA MAI. Id est.NON PROPRIA VIRTUTE SUBLATUS.Hominem alterius beneficiis nixum,favorisque exhibiti memorem,hæc imago significat.In proverbium abiit;*Sine ope divina nihil valemus*:vel,*Non absque Theseo*.S.P. Augustinus, *Habemus liberum arbitrium*, inquit, *sed ipso libero arbitrio quantum possumus,nisi nos adjuvet ille, qui jubet?* Porrò Prophetarum hoc Emblema est proprium,*Non enim*,asserente D.Petro,*voluntate humanâ allata est prophetia,sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines*: siquidem non propriis viribus,sed afflante Spiritu sancto ad penetranda Dei arcana sunt sublevati.Eâdem planè ratione Christiani,dum assiduis precibus ad Deum eluctantur,cumque sibi familiarem acquirunt,ad tanti honoris fastigium non se ipsis,sed succollante Spiritus sancti Favonio attolluntur. S.Ambrosius illa Apostoli verba examinans,*Orabo spiritu,orabo & mente*; ait, *Ut benè possimus orare,præcedit spiritus,& deducit eam,ne obrepant carnalia.*

Auxilium. Aug.in Psal 138. Propheta. Spiritus S. levat. Cor.14.15. Ambr.in .23.

651.Vultur,proprium pectus rostro fauciat, ut sanguine stillante pullos suos reficere possit.Lemma. PROPRIO NUTRIT CRUORE. Christus, amore plenissimus, mensam Eucharisticam propriâ carne & sanguine,veluti nutrimento pretiosissimo, liberaliter instruens,fideles omnes invitat,ut accumbant,ac nutriantur.*Christus*,inquit Magnus Augustinus,*de corpore ac sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem. Vita unicuique erit corpus & sanguis Christi,si, quod in sacramento visibiliter sumitur, in veritate spiritaliter manducetur, spiritualiter bibatur.*S.Remigius referente Hincmaro,geminum hoc hexametron calici incidi fecit.

Eucharistia. Aug.serm. de Verb. Apost. cap.1.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Injecto æternus quem fudit vulnere Christus.

Franciscus Braccio'in° in metris suis Italicis Christianorum castra,immani afflictâ fame, repræsentans; militem introducit,Manfredum nomine, qui è venis suis,proprio gladio incisis,sanguinem elicit, eoque famelicum filiolum Livium, jam jam cum morte luctantem,reficit.Poësis ipsius ita habet.

Franc.Bracciolini sua Croce Racquista lib.26 stanz.23.

Manfredi,all hor pioche,venirsi manco
Vede il figlivolo in cosi dura sorte,
O paterna pietà,dal proprio fianco
Trahendo il ferro,in se medesmo forte,
Taglia la maggior vena al braccio manco,
Per bagnarli le labbre aride,smorte
E porge al figlio suo,che à morte langue,
Poich' altr' esca non ha,la vita,e il sangue.
E dice hor sugi,e non m' hauere à schiuo,
Suggi il sangue figlivol dicui nascesti,
Ragione è bench' io ti mantegna vivo,
Se la vita da me tu prima havesti:
Suggi,non disdegnar sanguigno rivo,
L' anima ch' io diffondo in te si resti,
Fà,che cibo si caro alimenti pasca,
E quantò in me si muore,in te rinasca.

652. Vultur,solo ventorum afflatatu impregnari solitus,Mariam Virginem,ab Angelo salutatam, repræsentat;cui Henricus Eburo epigraphen subdidit: SINE VENERE.D.ARESIUS lemmatis loco illam Isaiæ gnomam substituit. VIRGO CONCIPIET.Et Lucarinus. CONCIPIT SPIRITU; illa Angeli verba innuens,*Spiritus sanctus superveniet in te*.Et,*Concipies in utero,& paries filium.*In hanc rem sapienter ratiocinatur Lactantius Firmianus. *Si animalia quædam vento & aurâ concipere solere omnibus notum est;cur quisquam mirum putet,cum spiritu Dei cui facile est quidquid velit, gravatam esse Virginem dicimus?* Idipsum argumento pulcherrimo deducit S.Ambrosius;cui P.Masenius hoc Epigramma subjunxit, cum lemmate. COELO SPIRANTE MARITO.

Eburo lib.1. Diphs Elog. 21. Isa.7 14. Annuntiatio M.V. Luc.1.35 & 31. Lact Firm.l. 4 Div.Instit cap.12. S.Ambr l.5. Hexam.c.20

Nescia connubii madidis fœcundior ab austris,
Quod Venus est aliis,hoc mihi ventus avi
Par virgo est volucri:facit hanc fœcunda parentem
Gratia;pro vento flatus Amoris erat.

653.Lucarinus Incarnatum Dei Verbum vulturis Emblemate dignoscendum proponit;cū inscriptione. GENITUS ABSQUE MATRE. Præclarè S.Ambrosius.*Impossibile putatur in Dei Matre,quod in vulturibus possibile esse non negatur? Avis SINE MASCULO parit,& nullus refellit;& quia desponsata Maria Virgo peperit,pudoris ejus faciunt quæstionem;Nonne advertimus, quod Dominus ex ipsa natura plurima exempla ante præmisit, quibus susceptæ incarnationis decorem probaret,& adstrueret veritatem?*

Incarnatio Verbi. S.Ambr.l.5. Hexam.c.20

654. Detractores, invidos, & malevolos, alienis imperfectionibus & vitiis duntaxat, nunquam verò virtutibus considerandis intentos,Vulturis Emblemate significare licet; qui,nativâ quâdam symphathiâ,ad carnes morticinas ac putridas velocissimè rapitur.cum lem̄ te.AD TABIDA FEROR. Opportunè S.Basilius.*Sicut Vultures per multa quidem prata, multa etiam amœna & odorata loco circumvolantes,AD TABIDA & feculenta loca feruntur; sic & invidi,vitæ splendorem ac rerum bene gestarum magnitudine minimè quidē respiciunt,manca verò & fragilia,& si quid erratum,tantum observant &c.*

Detractor invidus. S.Basilius hom de Invidia.

ALA.
Caput LXIX.

655. HOminem, lascivo amore implicatum, nunquam ad cœlos sublevari posse, Abbas Certanus è duarum alarum Emblemate demonstrat,quæ viscatis virgulis innixæ, epigraphen tenent.HAUD SIDERA PETENT. D. Benettus dell' Vua.

Libidinosus.

Ben ali da volar leggere,e snelle
Hai tu,che le ti die natura amica,
Mà se le intrica si tenace vischio.
Ne i primi voli,è maggior dubbio,e rischio.

S Bernardus .*Viscus delectationis terrenæ volare non patitur,& citiùs retrahit mentem, si fortè aliquando sublevetur.*

S.Bern serm. 2.Vigil.Nat.

656. Alam hoc lemmate insignies. ONUS LEVE. vel, AGGRAVAT,ET ALLEVAT. Ita ominò lex Divina,humeros nostros quidem onerat, sed pondere suavi, ac mirum in modum facili. Apprimè S.Bernardus. *Lex Christi onus est allevians, aut jugum liberans,similis pennis avium, quæ corpulentiorem reddunt substantiam,& agiliorem.*

Lex Evangelica. S.Bern. Ep. 72.

657.Uti

657. Ut volucris ad cœlum sublevari possit, pluribus, quàm unicâ tantùm alâ, instructa sit, necesse est. Unde lemma. NON SUFFICIT UNA. Ita prorsus, ut ad æternam vitam contendas; sola fides non sufficit, sed operibus conjuncta sit, oportet. Sic etiam gratiæ Divinæ auxilium, nonnisi comitante nostrâ cooperatione, cœlum penetrat. S. Macharius. *Veluti volucris, unam habens alam, hâc solâ volare non potest; sic etiam natura humana, si nuda per se maneat, & non misceatur, & particeps sit naturæ cœlestis, nihil præclarum efficit &c.*

Fides & opera.

S. Macharius homil. 32.

658. E Georgii Codini sententia, Ala eloquentiæ est symbolum. *Græci & veteres Romani*, inquit, *dicunt Mercurium Jovis & Mariæ filium esse, id est mentis & prudentiæ; nam ex mente & prudentia oritur Oratio, quam propter celeritatem faciunt volucrem; nihil enim est sermone velocius. Et Homerus alata verba dixit.* At S. Ambrosius alis virtuosas nostras operationes significari asserit; *Habet etiam alas anima suas, quibus se possit liberè levare de terris. Alarum verò remigium non materialis compago pennarum, sed continuus ordo bonorum factorum est &c.* Unde D. Aresius Alam hoc lemmate insignivit. SERPERE NESCIT. Cùm excelsam Oratoris cujusdam eloquentiam, tum generosi animi operationes nunquam non strenuas ac heroicas, hæc imago repræsentat.

Georg. Codin de Rebus Constantino.

S. Ambr l. 3. de Virginibus.

Eloquentia.

659. D. Aresius symboli loco alam depingi fecit, quæ manu sustentata, instar flabelli muscas abigit; cum lemmate. FUGANTUR DESIDES: forsan significaturus, otium & ignaviam per litteratorum exercitationes, aut etiam per virtuosas operationes quàm longissimè repelli. Unde monet S. Hieronymus. *Nihil otio deterius, sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit & deficit: quotidianis ac recentibus virtutū incrementis instaurandamens est, & vivendi hoc iter non de transacto, sed de reliquo metiendum.* In hanc rem meus D. Salvator Carducius.

Exercitatio virtuosorum.

S. Hier. epist. ad Demetr.

Muscæ fugantur desides flabellulo;
Et improbo labore cordis somnia.

660. Animas nostras nullibi aliàs, nisi in solo Deo, posse conquiescere, Gilibertus è duabus alis igneis demonstrat; addito lemmate. QUIESCIMUS IN SUBLIMI. Appositè S. P. Augustinus. *Quid appetit voluptas corporis nisi quietem? quæ non est, nisi ubi nulla indigentia, nulla corruptio.* Et P. Jacobus Billius.

Quies in Deo.

S. Aug. l. de Vera Relig. cap. 52
Iac. Billius Anthol.

Ancipitis vitæ qui vis superare labores,
Dilige quod semper verus amator habet.
In solo est mens tuta Deo, quem linquere nolens,
Nunquam erit æterno non opulenta bono.

661. Alæ Aquilinæ, compluribus aliarum volucrum aiis conjunctæ, à Saavedra epigraphen Hispanam recepêre: PROTEGEN, PERO' DESTRUYEN. Id est, PROTEGUNT, ET DESTRUUNT. His è Magnatibus complures se non absimiles probant; Ovidio observante.

Auxilium noxium.

Ovid. 3. Trist Eleg. 13.

Nam quamquam soli possint prodesse potentes,
Non prosunt; potiùs plurimum obesse solent.

Hujus exemplum Justinus Philippum Macedonem affert; qui, *dum contentiones civitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victas pariter, victoresque subire regiam servitutem coëgit.* Advocatis etiam hoc Emblema proprium est, qui in clientum tutelam assumpti, omnia alia machinantur, iisque maximam cladem inferunt. Hanc miseriam deplorans S. Bern. *Hi sunt*, inquit, *qui docuerunt linguam suam loqui mendacium, diserti adversùs justitiam, eruditi pro falsitate. Struunt de proprio calumnias innocentiæ, destruunt simplicitatem veritatis, obstruunt judicii vias.*

Advocatus.

S. Bern ad Eugenium.

662. Nonnemo, ut orbi palam faceret, se ingenii sui alis, quas ad litterarum studia indefessè applicabat, sublimes honorum gradus, famamq; in mundo celeberrimam attigisse; explicatis alis symboli loco inscripsit; EXPANSÆ SUBLIMEM. Certè virtus abscondita & otiosa, instar contractæ alicujus alæ, inclarescere aut progredi nunquam poterit; at illa, quæ assiduos operationum volatus molitur, universum orbem in sui venerationem trahit. S. P. Augustinus author est, alas nostras à vitiis constringi, &, ne cœlum versus subleventur, remoras pati: Immundis verò illis, terrenisque affectibus expeditæ, mox nativas vires resumunt, Deumque contingunt. *Mundata anima*, inquit, *ab affectibus sordidissimis sæculi, tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis Dei & proximi volat.*

Virtus operativ.

S. Aug in Psal. 121.

663. D. Aresius mutuam opem innuens, geminis alis inscripsit. PORTANTEM PORTANT. Ita qui Deum in corde circumfert, plurimùm patrocinii ac felicitatis ab eo invicem recipit; & qui suave legis Christianæ pondus jugi observantiâ humeris suis sustinet; ab eâdem, gressu penitus indubitato, ad vitam immortalem deportatur. S. Bern. de aliis differens, ait, *Mirum opus naturæ, unde grossescit materia, inde sarcina levigatur; & quantùm crescit in massa, tantùm decrescit de pondere. Hoc planè in pennis, Christi oneris explicat similitudinem, quod & ipsæ FERUNT, A QUIBUS FERUNTUR.* S. Ambrosii dictum est; *Beatam vitam efficiunt tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ.* Atque adeò è Doctoris hujus mente, homo geminis his alis in anima instructus, mirâ agilitate, ab iisdem ad beatitatis regiam defertur.

Mutuum auxilium

Lex Evangelica.

S. Bern. ep

DECIPULA.
Cap. LXX.

664. DEcipula, ostium apertum, escamque offusam exhibens, à D. Archangelo Conter epigraphen accepit. DOLOSE PATET. Fœminas flagitiosas hæc imago repræsentat, quæ miseros & incautos juvenes capturæ, corporis sui membra lascivè denudant. In hanc rem S. Clemens Alexandrinus de fœminis ait, *Caput tegere, & vultum adumbrare jussum est: neque enim honestum est CORPORIS PULCHRITUDINEM esse HOMINUM AUCUPIUM.*

Mulier fciva.

S. Clem. A 2 Pedag.

NIDUS.
Cap. LXXI.

665. DE Apodibus, brevissimorum pedum aviculis, testatur Plinius; *His quies nulla, nisi in nido.* Unde intra nidum depicta, epigraphen tenet. NULLA REQUIES EXTRA. vel, HIC MIHI SOLA QUIES. Ita prorsus humanum pectus in solo Deo quiescere potest, nec nisi turbas ac mille negotia molestissima extra illum reperit. Suspirantem audi Magnum Aug. *Deus*, inquit, *vera & summa vita, in quo, & à quo, & per quem bona sunt omnia, quæ beata sunt. Deus, à quo averti, cadere; in quem converti, resurgere; in quo manere, consistere est. Deus, à quo exire, mori; & in quem redire reviviscere; & in quo habitare, vivere est.* S. Prosper.

Plin lib. 11 cap 39.

Quies in solo De

S. Aug. in soliloquiis

S. Prosp. Epigram.

Instant terrenis infesta pericula rebus,
Fervent pro damnis prælia, proque lucris.
Et nihil est inter carnalia vota quietum,
Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis,
In solo est mens tuta Deo.

666. Avi-

666. Avicula, intra tenuem & angustum nidum recumbens, epigraphen tenet: RELICTURO SATIS, quasi diceret; iis angustiis se optimè contentam vivere; utpote quas succrescentibus membris olim sit desertura. Lemmate isto personam, voluntariâ paupertate obstrictam, insignies; quæ intra suam egestatem, paulò post cum cœlo commutandam, hilaris ac tranquilla degit. Inde etiam singuli mortales discant, vitam suam tenui ac caduco diversorio persimilem esse, in quo nulli concessum sit diu divertere, aut moras trahere longiores. Christianè prorsus Cicero. *Commorandi nobis natura diversorium, non habitandi dedit. Ex ipsa vita discedendum est, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo.* Et Justus Lipsius. *Fines habendi nobis ponamus, & quod naturæ satis, est etiam cupiditati.* Hermas, S. Pauli discipulus, *Scitis*, inquit, *vos Domini, servos in peregrinatione morari? Civitas enim vestra longè est ab hac civitate. Si ergò scitis civitatem vestram, in qua habitaturi estis, quid hîc metitis agros, & apparatis ædificia & habitationes supervacuas? Vide ergo, ut sicut peregrè consistens, nihil amplius compares tibi, quàm sit necessarium & sufficiens tibi.*

Paupertas voluntaria. Vita humana mere peregrinatio est. Cicero l. de senect. Lips. Cent. Miscell. ep. 41. Hermas tom. Pastorum. similit. 1.

OVUM.
Cap. LXXII.

667. OVum, rore plenum, quâdam naturæ vi à radiis solaribus in aëra sublevatur. Unde ovum, sub solis fulgore in aëre suspensum, epigraphen habet; QUIA RORE PLENUM. Mariæ Virginis hoc ectipon est, quæ charitatis, gratiæ, omniumque virtutum rore plenissima, cœlos conscendit. Hanc proinde Joannes Geometra sequenti disticho salutat.

Salve, quæ à terra rursus contendis ad astra,
Solaris sponsi percita amore pio.

S. P. Augustinus, sermone ad Deum converso, ait, *Quem tu imples, sublevas eum; & quia tui plenus non sum, ideò mihi oneri sum.*

Mariæ V. Assumpto. Jo. Geom. Hymn. 1. S. Aug. l. 10. Confess.

668. Alcibiades Lucarinus ovum, è radiorum solarium contactu versus cœlos elevatum, hoc lemmate donavit; RORE, ET CALORE. Ita mirum non est, Mariam Magdalenam in cœlis sublimi residere loco, ut quæ lachrymarum rorem, & charitatis calorem intra præcordia sua cumulatè nutriebat. Ad hanc ideam Prædicator non tantùm facundiæ rore, sed etiam sanctæ vitæ calore instructus sit, oportet. Arnolphi Luxoviensis doctrina est; *In prædicatore requiritur sanctitas conversionis, quia nisi fuerit prædicatoris commendabilis vita, non erit ejus prædicatio gratiosa; cujus enim vita contemnitur, restat, ut & prædicator contemnatur.*

S. Maria Magdalena. Prædicator. Arnold. Luxov. serm. in Conc. Turon.

669. Emblemate admodum gratioso vas vitreum, aquis plenum, exhibent; quod duo ova, unum in fundo, & alterum in suprema superficie, continet; cum lemmate. SURGIT INANE. Ad hunc planè modum, qui sunt pauperes spiritu, ad cœlos gressu auspicatissimo emergunt. Ita quoque plurimi, virtutibus penitùs inanes, ad dignitates evehuntur; qui plerumque, quo magis meritorum sunt inopes, eò incedunt superbiores. Præclarè Magnus Hipponensium Præsul, *Si es superbus, es inanis intra; nam UNDE SUPERBIRES, NISI INANIS ESSES?*

Humilitas exaltata. Indignitas in ligno elata. S. Aug. in Psal. 95.

670. E duobus ovis, in aquam projectis, illud, quod supernatat, irritum est ac inane; alterum verò, ad fundum descendens, plenum ac recens. Unde sicuti superiori ovo inscripsimus. SVRGIT INANE; Ita Lucarinus inferiori subscribit; IN FVNDO PLENVM. Eoque non obscurè innuit, sicuti homines minimæ frugis, omniumque meritorum inanes, nunquam non intumescunt, & ad sublimia eluctari contendunt; ita virtuosi comitem individuam habent humilitatem, seque ipsos loco semper infimo collocant. S. Joannes Chrysostomus. *Omnes sancti, si quando quopiam cumulatiore potiuntur honore, tunc demissius se dejiciunt &c.* Et Author quidam profanus. *Ut ova plena sidunt, inania fluitant; ita qui veris virtutibus aut litteris est præditus, minus ostentat se, quàm qui secus.*

Sapiens humilis. S. Io. Chrys. in Isa. cap. 6.

671. Ovorum cumulo subscripsi. CALORE FOETABVNT. Nimirùm subditi, charitatis affectu sustentati, optimos virtutum & obedientiæ fœtus edunt. Perspicuè Hugo Victorinus. *Quid enim per ova, nisi tenera adhuc proles exprimitur? quæ diu fovenda est, ut ad vivũ volatile perducatur. Ova quippe insensibilia in se ipsis sunt, sed tamen calefacta, in viva volatilia convertuntur.* Mariæ Virginis uterus, Spiritus sancti calore enutritus, Verbum Incarnatum, ceu volucrem cœlestem, orbi innixus est. Appositè S. Rupertus Abbas; *Sancti omnes antiqui, sicut panem Verbi Dei, & sicut piscem, id est, Christum, ità & ovum à Patre misericordiarum desideratissimè postulabant. Quod, vel quale ovum? Illud nimirum, cui Spiritus sanctus obumbrare dignaretur, superveniens in illud in modum volucris, ovo suo supersedentis, donec pullus in eo formetur. Sic enim futurum erat, & sic factum est. Spiritus sanctus, O Beata Virgo Maria, supervenit in te, & virtus altissimi obumbravit tibi, & ita concepisti, & peperisti filium volucrem, id est non terrenum corpus habentem.*

Educatio. Hugo Vict. lib. 1. de Best. cap. 27. Maria V. gravida. S. Rupert. l. 7 de gloria filii Dei.

672. Aquila ovum illud, quod ipsius cordi in nido magis vicinum est, amore ac æstimatione cæteris præfert. Unde Lucarini lemma. PROXIMVM CORDI CHARIVS. Quare S. Joannes Evangelista Divino Verbo non abs re præ cæteris charus extitit, qui in ipsius sinu, cordi proximus, recubuit. S. Cyrillus Alexandrinus; *Joannes*, inquit, *sic diligebatur à Christo, ut in sinu ejus sederet. Illi enim summoperè Deo propinquant, qui mundo corde sunt.*

S. Joan. Evang. S. Cyrill. Alex. l. 9. in Io. cap. 15.

673. Ovum, aceto maceratum ac probè emollitum, per angustum bombylii labium facilè transit. Emblemati subscripsit Lucarinus. ACETO DISPOSITVM. Hinc discas, homines diversarum calamitatum aceto à Deo aptos effici, ad angustas cœli fores penetrandas. Illa enim D. Lucæ verba, *Compelle intrare*, alium sensum non habent, nisi *quod providentiâ Dei sæpè nobis accidunt mala, ut variis calamitatibus hujus sæculi, & miseriis ad Dei servitutem redire cogamur*, uti interpretantur SS. Gregorius & Hieronymus.

Calamitas utilis. Luc 14. 23. S. Greg. hom. 36. in Evang. S. Hieron. in c. 2. Osee.

674. Ovo inscripsêre; DIMANI AVGELLO. Id est, CRAS AVIS ERIT. Christum, sepulchro clausum, aut captivum, paulò post è carcere liberandum, vel etiam hominẽ, è scelerum barathro, ad vitæ Divinæ libertatem sublevandum, hæc imago repræsentat. Unde eidem Emblemati ego inscriptionem ex Horatio mutuatam adjeci. MVTABOR IN ALITEM. Hugone Cardinali interprete, Verbũ vitæ Divinum, in humano corde receptum, ibiq; studiosè conservatum, tandem, instar ovi, alatos virtutum & sanctarum operationum pullos excludit. *Cor nidus*, inquit, *Verbum ovum, opus pullus. Fove & nutri; non vivificatur, nisi nutriatur.*

Christus sepultus. Mutatio. Horat. l. 2. Carm. Od. 20. Verbum Dei est frugiferum. Hug. Card. in Psal. 118. num. 73.

675. Ovum in aqua salsa fluitat, in dulci mergitur. Lemma. MERGITVR IN DVLCI. Ita homo inter mundi calamitates ad Deum sese erigit; haud dubiè mergendus, si prosperis, blandisve innataret. Hierosolomæus Rex David inter tot publicas privatasque clades, inter suorum cædes & funera, in tanta calamitatis varietate, velut in salsissimis undis, super-

Prosperitas nocet.

supernatabat erecto semper, celsoque animo, vir secundùm cor Dei, qui se ipsum ad omnes nutus Divinos accuratissimè formabat. At verò filius ipsius Salomon in dulcibus illis delitiarum ac voluptatum stagnis, velut ovum mergebatur. Disertè Apostolorum

Act. 14.21. S Hieron. ep. ad Ocean.

Acta; *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Unde concludit S. Hieronymus. *Si per multas tribulationes quibusdam cœlestis regni aditus aperitur, illis utique clauditur, qui nolunt sustinere vel paucas.*

676. Ut pullus, ovo clausus, in auras emitti possit, putamen rumpatur, necesse est: Lemma. NON-

Mors.

NISI E RUPTO. Ut homo fruatur Deo, moriendum est, ac corporis humani compages dissolvenda. Christus ipse mortuus, Mater Christi, Discipuli & amici Christi omnes mortui sunt. Apostolus id penè unum suspirabat, *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Nempè in cœlesti curia *statutum est omnibus hominibus semel mori.* Verissimè Siracides; *Testamentum hujus mundi, morte morietur.* Et Seneca.

Hebr 9.27. Eccles. 14 12. Senec. in Proverb.

Homo vitæ commodatus, non donatus est. Vita omnis brevis est; ideò immortalibus est mors honesta. Porrò priusquam ad cœlum evoles, carnis tuæ corticem crebrâ mortificatione effringere debes. Prototypi loco habeto Servatoris tui corpus, infami suffixum ligno; flagris, vepribus, clavis undique laceratum; sicque spiritui evolaturo amplissimam stravit viam.

Mortificatio. Christus patiens.

677. De ovis tradit Plinius; *Firmitas putaminis tanta est, ut recta nec vi, nec pondere ullo frangatur, nec nisi paululùm inflexâ rotunditate.* Ab experientia enim certum est, utrumque ovi cacumen, æqualiter pressum, adeò frangi non posse, ut sub ipsis manibus in marmor commutatum videri possit; concameratione firmitatem illam conferente. Unde ovum utroque suo cacumine à duabus manib⁹ validè compressum, epigraphen tenet. NON FRANGETUR. Ita homo utrâque Dei & proximi charitate, ceu gemino virtutum apice, obfirmatus, nullis unquam adversitatum viribus frangetur. Intuere, obsecro, Jobum, hominem cæterà fragilem, ac mille miseriis obnoxium, quem tamen virtus penè saxeum effecit. Diabolus equidē & mundus in viri hujus caput conjurârunt; hunc unum voluêre perditum, utrimq; vim omnē exeruerunt, ut ovum hoc comprimerent: sed conatu ita irrito, ut, Jobus in fimeto cecinerit, inter tot funera riserit, hostesque ambos triumphârit. Jobo concolor Paulus, ærumnis & cruciatibus cunctis insultare est ausus. *Quis nos superabit,* inquit, *à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames &c. sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Pulchre S. P. Aug. *Nemo nos separat à charitate Domini, minando mortem: idipsum enim quod diligimus, Deus, mori non potest, cum mors ipsa sit, non diligere Deum. Nemo ab ea separat pollicendo vitam; nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam. Non separat Angelus; non enim est Angelus, cùm inhæremus Deo, nostrâ mente potentior. &c.*

Plin. l. 29. c. 3. Justus inter adversa. Rom. 8.35. S. Aug. l. 1. de moribus Eccles. c 11.

778. Filum, medio ovo circumligatum, inter prunas & ignes illæsum manet. Imò Plinius testatur, lignū, ovo perfusum, non ardere; ac ne vestem quidem contactam aduri. Lemma. SIC NUNQUAM LÆDITUR IGNE. Siracides, ne in Deum ingratus esset, *Liberasti me,* ait, *à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.* Ignis est, qui toto grassatur orbe, ignis impurus, venereus, ex Orco emissus, de quo dilucidissimè Job; *Ignis est,* inquit, *usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Et ut probè sciretur, de libidinis igne sermonem esse, proximo versu præmisit,

Plin l. 9. hist. nat cap. 3. Eccles. 51. 4. Iob. 31. 12. Libido quomodo exhibenda

Si deceptum est cor meum super muliere. Atque hi Veneris ignes impurissimi sic latè grassantur, ut dici possit, *Ardet orbis.* Ecquis igitur flammas adeò vastas evadet? responsum in promptu est ovo: perfusus non ardebit. Quisquis beatitudinem & delitias cœlestes seriâ mente pertractaverit; & unà illud expenderit, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt,* ab illis ignibus sat tutus erit. Res liquida, & è Siracide certa; *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Disertè in rem præsentem S Prosper. *Cogitare, quale malum sit ab illo gaudio Divinæ consolationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate privari, fieri patriæ cœlestis extorrem, mori vitæ beatæ, morti vivere sempiternæ, in æternum ignē cum diabolo & Angelis ejus expelli &c Hæc & similia multa cogitare, nihil est aliud, quàm vitiis omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare.*

1. Cor. 15. 5 Eccles. 7. 4 S. Prosp l. 3. de vita co. temp. cap. 1

PENNA.
Cap. LXXIII.

679. PEnnarum fasciculus, ornamenti causâ supra galeam eminens, epigraphen tenet. TREMULUS, SED FIRMUS. Ita Justorum mentes, assiduo Dei timore concussæ, in illius obsequiis perseverantes & obfirmatæ persistunt. E Xenophontis sententia, *Metus plurimùm confert ad diligentiam custodiendam.* S. Hilarius illa Psalmi verba explicans. *Servite Domino in timore,* ait, quod Deus *non securum patitur aut negligens servitium: vult in omni servitutis officio admisceri timorem: ut enim metuentes servi diligentius Dominis carnalibus serviunt; ita & Deo servientes, si timeant per imminentem tremorem, non negligentes in eâ erunt, quā susceperint, servitutē.*

Timor Dei. Xenoph. l. 1 Oeconom. S. Hilar. in Psal.

680. Avium plumæ, in ordinem dispositæ, epigraphen tenent. VI NULLA INVERTITUR ORDO. Indefessam ac stabilem virtutem adversus quoscunq; exteriores hostium incursus inde edoceris. Cumprimis tamen Emblematis mens ad disciplinam millitarem collineat, in qua ordo, ab exercitu integrè observatus, præcipuum victoriæ obtinendæ medium est. Unde Vegetius. *Nihil magis prodesse constat in pugna, quàm ut assiduo exercitio milites in acie dispositos ORDINES INDESINENTER OBSERVENT:* Ordinis enim hujus beneficio militares cunei evadunt impenetrabiles, omnemque hostium phalangem sine negotio perrumpunt. Eam ob rem Spartani, militiæ gubernandæ peritissimi, nihil adeò habuêre observatum, quàm militum ordinē imperturbatum & integrum. De his Plutarchus, *Quàvis rei militaris omnium Spartiatæ peritissimi, & summi artifices: nullâ in re æquè laborabant, ac ne dissolutis ordinibus inconditi fluctuarent.* Hæc tamen non de sola corporali, verùm etiam de spirituali Religiosorum militiâ intelligas velim. S. Gilbertus, in Anglicana Lincolnensium Diœcesi Canonicorum Regularium Reformator, tantò Ordinis Canonici, ac disciplinæ Regularis zelo exarsit, ut diceret, *Prius se guttur secandum daturum, quam permitteret, primam sui vel suorum professionem, aut Ordinis statuta relaxare.*

Ordinei observa[ntia] Veget. l. 1. cap. 26. Plutarch. vita Pelopida. Offic. cap Reg. Late die 4. Febr

681. Penna Aquilina, inter complures aliarum volucrum pennas depicta, epigraphen habet. CUNCTAS DEVORAT UNA. vel brevius. DEVORAT OMNES. Ita omninò carnalis ac profanus amor, cunctos aut devorat, aut incendit. Avaros quoque ea imago spectat, qui omnium bonis sine discrimine inhiant, eaque simul cuncta deglutire cupiunt. S. Joanne Chrysostomo asserente, *Avarus in omnes, ut mors insiliens; omnes, ut infernus, deglutiens*

Carnalis amor. Avarus. S Io. Chry hom. 29 in Matth.

tiens:communis generis humani hostis. Mors etiam hoc Emblemate adumbratur, de qua Horatius; orat.l.2. tyr.2.

- - - - Neque ulla est
Aut magno, aut parvo lethi fuga.

yrannus. Idem etiam Tyrannum describit, qui immani suâ crudelitare neminem non devorare nititur. Deniq; ossessor iniquus. authore illustrissimo D. Hieronymo Francisco Miroglio, in Monte Ferrato; Casalensium Episcopo, symbolum illud divitias, maximè è bonis Ecclesiasticis, iniquè conquisitas significat, quæ, veluti pennæ Aquilinæ, reliquas omnes sacrilegi possessoris opes, quantumvis optimo jure obtentas, perdit, ac dissipat.

uræ mundanæ ravent nimam. 682. Penna, humore alieno madefacta, in terram deprimitur, neque facilè in sublime efferri potest. Lemma. TENDIT MADEFACTA DEORSVM. Abbas Isaac, si Cassiano credimus, dicebat; *Animam nostram persimilem esse pennæ cuidam levissimæ, quæ si humoris extrinseci superventu vitiata, aut gravis effecta non fuerit, à quovis etiam tenuissimo flatu adjuta, ad sublimia sustollitur, & quasi suâmet mobilitate in auras elevatur. Si verò humoris cujusquam aspergine vel infusione fuerit prægravata, non modò in nullos aëreos volatus naturali mobilitate raptatur, sed & ad ima terræ concepti humoris pondere deprimetur. Ita mens quoque nostra, si accedentibus vitiis, curisque mundanis aggravata non fuerit, noxiævè libidinis humore corrupta, velut naturali puritatis suæ beneficio sublevata, levissimo spiritalis meditationis afflatu sublimatur ad superna, & humilia deserens atque terrena, ad cælestia & invisibila transferetur.* assianus ollat.9. c.4. S.P. Augustinns in illa Christi verba, *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt*; ait, *Deum videre vis? prius ergo cogita de corde mundano, & quidquid ibi vides, quod Deo displicet, tolle.* S.Aug.serm. 2. in Ascens. Dom. qui est serm.175. de temp.

* * * *
* * *
**

FINIS LIBRI QUARTI.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER QVINTVS.
QUADRUPEDIA,
EORVMQVE PROPRIETATES.

Agnus Cap. 1.
Alces 2
Aper, dens aprinus. 3
Aries. 4
Asinus. 5
Bison. 6
Bos. 7
Bucephalus. 8
Camelus. 9
Canis, Millus. 10
Capra, Caper. 11
Capreolus. 12
Capricornus. 13
Castor, seu Fiber. 14
Cervus. 15
Cuniculus. 16
Cynocephalus. 17
Dama. 18
Elephas, Ebur. 19
Equus, Equus Trojanus 20
Erinaceus. 21
Felis. 22
Glis. 23
Hyæna. 24
Ictis. 25
Leo. 26
Leopardus, Pardus 27
Lepus. 28
Lupus. 29
Lutra. 30
Lynx. 31
Mantichora. 32
Melis, seu Taxo. 33
Monoceros. 34
Mula, Mulus. 35
Mustela alpina. 36
Oryx. 37
Ovis, Lana, Vellus aureum. 38
Panthera. 39
Phaina. 40
Porcus. 41
Rhinoceros. 42
Rupicapra. 43
Sciurus. 44
Simia. 45
Taurus, Taurus Perilli. 46
Tigris. 47
Ursus. 48
Urus. 49
Vulpes. 50

A G N U S.

Cap. I.

Virtus vera.

I. Bartholomæus Rossus Agnum candidissimum hoc lemmate insignivit. INTUS, ET EXTRA. Opportuna hæc hominis justi imago est, qui internam animi munditiem exteriori puritati conjunctam habet. E. S. Nili doctrinâ, *Exerce puritatem in corde, & castitatem in corpore. Ea enim utraque templum Dei te efficiunt.* Sanctus Ambrosius. *Quod sumus professione: actione potius, quàm nomine demonstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, & crimen immane; ne sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit deifica professio, & illicita actio. ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam; ne professionem monstremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam.*

S. Nil Paren. n. 86.

S. Ambr. l. de dignit. sacerd. c. 3.

Ambitiosus.

2. Quidam in Aulâ Romanâ inter assidua, sed tamen irrita, sublimioris gradus conscendendi suspiria tamdiu perduravit, donec miserè contabescens, decrepitum ac canum referre senem cœperit, suisque confectus desideriis, efflârit animam: Hunc D. Joannes Ferrus Abbas agni emblemate repræsentat, qui in agnili solus & unicus oberrans, epigraphen sustinet. DESIDERIO SENESCIT. Eam enim Agnorum proprietatem Varro his verbis describit, *Quùm depulsi sunt agni à matribus, adhibenda est diligentia, ne desiderio senescant.* Verè è Poëtis quidam cecinit.

Una dies cupidis senium mortalibus affert.

Et S. Gregorius Nazianzenus; *Profectò vel unicus dies, totius vitæ humanæ instar est, desiderio laborantibus.* S. Ambrosius de frustrata ambitiosorum spe ait, *Quo diutius abest quod desideratur, tanto expectantis desideria majori quâdam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur, & augetur.*

S. Greg. Naz. Orat in Max

S. Ambr. in Psal 118.

Benignitas inter honores servata.

3. Nonnemo, novâ Academiæ laureâ insignitus, nihil perinde à pristina sua benevolentia & affabilitate remiserat; unde Lucarinus illum Agni emblemate repræsentavit, qui dimidiâ parte tonsus, epigraphen ferebat; AT INTUS NON RENOVABITUR; quasi diceret; tametsi Agnus exteriore ornatu sit mutabilis, laneisque suis exuviis spoliari, iterumque succrescentibus aliis indui soleat; interiore tamen animi innocentiâ ac benignitate semper immotus persistit. Plinius inter cæteram Trajani panegyrim ait, *Reversus Imperator, qui privatus exieras, agnoscis & agnosceris: eosdem nos, eundem te putas, par omnibus: & hoc tantùm cæteris major, quò melior.* Et Xenephon de laudibus Agesilai, *Dignum est*, inquit, *ne Agesilai comitatem, affabilitatemque naturæ taceamus, qui cùm honore, potentiâ, atque etiam regno, eoque sine insidiis, &*

Plin Paneg. ad Trajan.

Xenoph de laud. Agesil.

cum

cum amore omnium potiretur, jactantiæ tamen obnoxius à nemine unquam notari potuit,

Iustus timidus. 4. Quæ Divinis obsequiis se manciparunt, vitæ suæ integritatem ac sanctimoniam assiduo timori conjunctam habent. Id quod Abbas Certanus ex Agni emblemate dignoscendum proponit, qui lemmatis loco hunc versum sustinet. E PARI A L' INNOCENZA ANCO IL TIMORE. Id est; INNOCENS, ET TIMIDUS. S. Zeno de homine justo ait, *Sine fine studet timere; ne quid præter Deum, quem diligit, timeat.* Et S. Gregorius Papa in illud Jobi, *Si ridebam cum servo meo*, inquit, *Electi quippe, quamdiu in hac vita sunt, securitatis sibi confidentiam non promittunt: horis enim omnibus contra tentamenta suspecti, occulti hostis insidias metuunt &c.* Zeno. serm. timore Dei. Greg. in Job. 29. 14.

Sequi magistrum. 5. Qui viam mandatorum Dei feliciter incedere cupit, è spiritualis Patris consiliis nec latum unguem recedat, necesse est: haud secus, atque Agnus matris præeuntis vestigia studiosissimè insequitur, & ab iis nec minimùm deflectere conatur. Emblemati subscripsit P. Certanus; SEQUAR, QUO IERIT, S. Bernardus, *Qui vias vitæ ingredi vult, præceptorem & ducem sibi assumat.* S. Ambr. assertum est, *Fructus magistri est discipulus obediens.* S. Laur. Just. de tyronibus ait, *Ne suo innitantur sensui, proprioque ducantur arbitrio, sed tanquam divino oraculo, suo in omnibus credant pædagogo, & ipsius in cunctis obtemperent voluntati.* Certè promptissimus ille discipulus, referente S. Matthæo, libero animo pronuntiavit, *Sequar te, quocunque ieris.* De Virginibus in cœlum receptis ait S. Joan. *Hi sequuntur Agnum quocunq; ierit.* Christi ad suos discipulos, Petrum & Andream, voces erant; *Venite post me; at illi, nullâ interpositâ morâ, continuò secuti sunt eum.* S. Bern. serm. 7. S. Ambr. in 1. Thessal. 2. S. Laur. Iust. de Obed. c. 20. Matth. 8. 19. Apoc. 14. 4. Matth. 4. 20.

Filii parentibus similes. 6. Filiorum ac discipulorum mores plerumque ad præceptorum vel parentum bonam malamve ideam efformantur Emblemate id demonstraturus P. Certanus, Agnellum depinxit, ovi vicinum; cum epigrammate. PARENTI SIMILLIMA PROLES. S. P. August. *Similitudinem patris, actus indicent sobolis, similitudo operis, similitudinem indicet generis; Actus nomen confirmet, ut nomen genus demonstret.* Marullus. S. Aug. serm. 76. de temp.

Scilicet est olim vis rerum in semine certa,
Et referunt animos singula quæque patrum.
Nec leporem canis Amathyus, timidamve columbā
Natus Hyperboreo falco sub axe creat.

Et Horatius. Horat. lib. 4. Carm. Od. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Innocentia oppressa. 7. Agnus, lupi faucibus prehensus, epigraphen tenet. BALAT IN CASSUM. P. Certanus hoc Emblemate innuit, hominis virtuosi innocentiam apud injustos ac impios parum attendi, sed deprimi & affligi. Aristoteles, *Amor*, inquit, *& odium, & proprium commodum, faciunt sæpe judicem non agnoscere veritatem.* Q. Curtius, *Nullis supplicum precibus crudelitas inhiberi potest.* Arist. 1. Rhet. Q. Curt. l. 7.

Iustus oppressus & patiens. 8. Innocentis cujusdam pauperis infelicitatem, Magnatum tyrannide plurimum exagitatā, omnique aliorum patrocinio destitutam, Agni Emblemate significabis, qui intra furibundi leonis, aut lupi sanguinarii fauces compressus, inscriptionem è Psalmo sustineat. NON EST, QUI REDIMAT. Salomon. *Vidi lachrymas innocentium, & neminem consolatorē: nec posse resistere eorum violentiæ cunctorū auxilio destitutos.* In hunc locum Hugo Cardinalis; *Cùm homo factus sit ad imaginem & similitudinem Dei, genus Dei sit, ut dicit Apostolus Act. 17. in hoc maximè de-* Psal. 7. 3. Eccles. 4. 1. Hug. Card. in hunc loc.

generem se comprobat, quod innocentes & pauperes non eripit à potente, opprimente eos. De se ipso testatur Siracides *circumdederunt me undique, & non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat.* Et Isaias. *Qui recessit à malo, prædæ patuit: & vidit Dominus, & malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium, & vidit quia non est vir, & aporiatus est, quia non est qui occurrat*; id est interprete Hugone Cardinali, *Non est, qui occurrat lupo, id est diabolo vel tyranno, devorare cupienti, & dissipare.* Ecclesiast. 5. 10. Isa. 59. 15. Hug. Card. in hunc loc.

Christus oblatus. 9. Agnus candidus, ligatus, & supra aram mox immolandus, epigraphen è Psalmo tenet. DEUS NON DESPICIES. Non potuit non Pater æternus oculos amabilissimos in unigeniti Filii sui sacrificium, pro universi salute instar purissimi Agni oblatum, convertere: D. Paulo asserente; *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis*; id est, interprete Cornelio à Lapide, *in odorem acceptissimum & gratissimum.* Opportune meus Concanonicus S. Leo Papa *Quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis? aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quàm verus Pontifex, altari crucis per imolationem suæ carnis impositus?* Ita planè fidelis, seipsum puro ac innocenti animo offerens, gratissima supremo Numini victima cadit. Unde Sanctus Joannes Chrysostomus ad illa D. Pauli verba reflectens, *Obsecro itaque vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, SANCTAM, DEO PLACENTEM*; ait, *Quoniam membra tua Deo sunt sistenda (quoniam hostia sunt) omnem ab illis maculam auferto, nam si maculam habuerint, hostia jam utique non erunt. Neque enim offerri poterit oculus scortationi serviens, neque manus rapiens ac defraudans, nec pedes claudicantes, theatraque visitantes, nec venter delitiis serviens, voluptatumq; desideria inflammans: nec cor iram aut tumorem, aut amorem fornicarium fovens: neq; lingua turpiloquens:* & post pauca, *sed oportet ex omni parte mundos esse.* Sicque victimam nostram, puritati, sanctitati & innocentiæ junctam, veluti agnum immaculatum, *Deus non despiciet.* Psal. 50. 19. Ephes. 5. 2. Corn. à Lap. in hunc loc. S. Leo Papa 12. de Pass. Domini. Innocentia Deo grata. S. Io. Chrys. in Rom. 12.

Lascivus 10. Lascivus, ut transitoriâ floris caduci voluptate perfruatur, proprias facultates profundere, ipsamque adeò summam egestatem incurrere, parvi ducit. Hunc P. Certanus Agni detonsi emblemate repræsentat, qui in campo pascuis intentus, epigraphen habet. VELLERA PRO DAPIBUS. Juvenis ille Evangelicus, aliquid mundanæ dulcedinis delibaturus, instar pecoris stultissimi, omnem suam substantiam sibi prodigè eripi permisit: *Dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriosè.* Verùm lascivi non facultatum modo, sed & existimationis, sanctitatis, & vitæ jacturam incurrunt. S. Basilius. *Fit sæpè*, inquit, *ut qui mortalem ardet, & corruptibilem speciem, non modo pecunias, omnemque substantiam, amoris gratiâ largè profundat, sed cibum etiam & somnum, & vestem, & habitum, & omnem existimationem, corpus denique ipsum, & corporis vitam, dum solo potiatur amore, contemnat.* Cæterùm eodem lemmate, *Vellera pro dapibus*, illorum gratitudinem demonstrare licet, qui alimenta, aliaque beneficia sibi exhibita, sedulò rependere student. Luc. 15. 13. S. Basil lib. de vera Virg. Gratitudo

ALCES.
Cap. II.

11. IN septentrionis regionib⁹ Alcē reperire est, quæ ut Plinius, Solinus, Cæsar, aliiq; memorant, cervo non absimilis, velocitate adeò mirâ viget, ut cursu diur- Plin. l. 8. c. 15 Solin c 32. Cæsar l 6 de Bell Gall.

diurno stadia plusquâ octingenta currendo absolvat. Vnde Andre..s Alciat⁹, eam inter familiæ suæ insignia præferens, lemmatis loco illud Alexandri Magni encomium subdidit; NIHIL PROCRASTINANS; Mentem verò Emblematis hoc tetrasticho explicat.

Constat Alexandrum sic respondisse reganti,
Quî tot obivisset tempore gesta brevi?
Nunquam inquit, differre volens. Quod & indicat
Fortior hæc, dubites, ocyor anne fiet. (Alce,

Solicitudo — Cæterùm exinde etiam disces, omnes nostras virtuosas operationes solicitudine aliquâ ac diligentiâ condiri debere. Socratis dictum erat, *Quidquid agas, promptissimè, atq; optimè, & diligenter age.* Lucanus. (Lucan. lib. 1. de Bell. Civili.)

Tolle moras, semper nocuit differre paratis.

Et Ovidius. (Ovidius.)

Sed propera, nec te venturas differ in horas;
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

12. Plinius & Cæsar, superiore numero adducti, referunt, Alcem nonnisi arbori cuidam acclinem dormire: unde hâc succisâ, Alces in terram prolabitur; & quia denuò resurgere non valet, venatoribus facilè in prædam cedit. Unde Aresius, Alcem cum anima damnata conferens, Emblemati subscripsit.
Damnati. CORRUET, ET NON RESURGET. Quisquis enim gressu semel incauto ad inferni profundum præceps ruit, nullâ amplius revertendi spe se ipsum solari poterit. Dilucidè Salomon; *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, &, si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem: in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Et Isaias. *Gravabit eam iniquitas sua, & CORRUET; ET NON adjiciet ut RESURGAT.* His concolor S. Joannes, *Fumus tormentorum suorum*, inquit, *ascendet in sæcula sæculorum.* S. P. Augustinus. *Mali florent felicitate sæculi, pereunt in virtute Dei; non enim quomodo florent, sic pereunt: florent enim ad tempus, pereunt in æternum: florent falsis bonis, pereunt veris tormentis.* (Prov. 11. 7. Eccles. 11. 3. — Isa. 24. 20. — Apoc. 14. 11. S. Aug. Ps. 53)

13. Ajunt, Alcem inter bestias, quæ ramosa gestant cornua, esse omnium maximam; cujus ungula epilepsiæ persanandæ præsentissimum sit remedium: Undè lemma. ET MINIMA PROSUNT. Adeò nimirùm verum est, res minimas non rarò plurimùm utilitatis conferre; experientiâ enim didicimus, eas, si sedulò à nobis attendantur, summæ felicitatis ac commodi instrumenta evadere. S. Gregorius Papa. *Nemo repente fit summus, sed in bona conversatione à minimis quisquis inchoat, ut ad majora perveniat.* S. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis ait, *Sicut paulatim homo à minimis vitiis in maxima proruit; ita à modicis virtutibus gradatim ad ea, quæ sunt excelsa, contendit.* Et S. Basilius Magnus. *Nam modicum modico apponere, non magis in argenti, quàm in cujusque alterius scientiæ additione ad amplitudinem valere, existimandum est.* (Minima sunt attendenda. — S. Greg. hom. 15. in Ezech. — S. Isid. l. 2. sent. c. 36. num. 3. — S. Basil. Mag. Orat. 6.)

APER. DENS Aprinus.

Cap. III.

14. APer cubili suo tantâ pertinaciâ insistit, ut occidi potius, quàm indè sese extrahi patiatur. Unde Bargalius Aprum, posterioribus pedibus inter quosdam arborum stipites obfirmatis, depinxit; qui, tametsi venabulo mortem ipsius capiti intentante, nec minimùm è statione dimovebatur: cum lemmate. MORI POTIUS, QUAM DESERERE. Nativum hoc hominis duri & obstinati symbolum habetur. Cynegirus, miles Atheniensis, adversus Persarum exercitum dimicans, navem brachio ita pertinaci apprehendit, ut, tametsi centies vulneratus, manu tamen nunquam retractâ, vitam potius, quàm navim semel arreptam relinquere voluerit. Id quod etiam inter litteratos nonnunquam experiri licet, ubi obstinata quædam ingenia suis etiam manifestè cognitis erroribus, sententiâ ita pertinaci inhærent, ut sese ad veritatis tramitem nullâ rationum vi pertrahi sinant. Justus Lipsius. *Sententiæ suæ tenaces,* inquit, *judicia communia, & consilia spernunt aliorum: qui, quam viam semel ingressi sunt, nec omittunt, etiam manifesto errore.* (Pertinacia — Lips. Cent. 2. epist. 47.)

15. Aper inter canes, à se non sine vulneribus prostratos, medius; epigraphen tenet. CÆDE SIBI VIAM. Mentem hominis sanguinariam, Principem tyrannum, aut militem crudelem hæc imago repræsentat. Julius Cæsar sibi viam ad imperium plus unâ hominum myriade interemptâ stravit. Tarquinii dictum erat, regio diademati, supra caput suum stabiliendo, unicam superesse viam, ut nimirum præcipuis regni Magnatibus caput cervice præscinderet. De hâc hominum sorte Cornelius Tacitus ait, *Provinciarum sanguine provincias vincunt.* (Victor crudelis. Tyranni — Tacit lib. 4 Annal.)

16. Aper, adversus venatoris irruentis venabulum concitatus, epigraphen habet; CONTRA AUDENTIOR. Nicolaus Bargnanus, Academicus inter Errantes Animatus, hoc suo symbolo generosum, & inter præsentia gravissima discrimina imperterritum hominis pectus significat. Virgilius. (Animos — Virg. lib. 6. Æneid. v.)

Tu ne cede malis, sed CONTRA AUDENTIOR ito,
Quam tua te fortuna sinet.

Spes enim, quâ hostem superare confidimus, animi nostri generositatem exstimulat, ut validiore impetu in hostem ruamus. Cornelius Tacitus testatur, *Fortes & strenuos etiam contra fortunam insistere spei.* Cæterum eodem Emblemate hominem, irâ prædominante excæcatum, depinges; de hoc Seneca. (Tacit. lib. 1 histor. — Iracund — Seneca in Medeâ Ac)

Cæcus est ignis stimulatus irâ,
Nec regi curat, patiturque frenos:
Haud timet mortem, cupit ire in ipsos
Obvius enses.

In hunc sensum S. Antonius de Padua ait, *Iracundus dicitur quasi aper, qui se venabulo sponte suâ infigit. Hinc Saul, qui semper David oderat, tanquam aper, gladio est occisus.* (S. Ant de Pad. serm. ad martyr.)

17. Virgilius Aprum, ad prælia committenda accinctum, his versibus describit. (Virgil. l. 3. Georg. v. 2)

Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus,
Et pedibus subigit terram: fricat arbore costas,
Atque hinc, atque illinc humeros ad vulnera durat.

Unde Aper, humeros suos in adversa arbore fricans, à meo Concanonico, D. Gregorio Brunello, epigraphen accepit. HUMEROS AD VULNERA DURAT. Ita animus providus ac generosus in omnes adversos casus nunquam non stat accinctus. Agesilaus, ut à præteritæ vitæ rigore nonnihil remitteret, admonitus, *At ego,* respondit, *me consuefacio, ut, quæcunq; inciderit fortunæ mutatio, non quæram ipse mutationem;* uti his omninò verbis refert Plutarchus. (Præpara. — Plut. in Laconicis.)

18. Aper, canibus & venabulis undique infestatus, illos interimit, & hæc in frusta concidit; cum lemmate. L'ARDIR CRESCE AL PERIGLIO. id est, ARDOR INTER DISCRIMINA CRESCIT. Agis, Archidami filius cum militum suorum aliquos viso ingenti hostium numero exterritos adverteret, dixisse fertur, non debuisse in hostium numerum inquiri ab iis, quibus decretum fuerat, invicto ardore in hostem irruere. Pedaretus, percepto immen- (Animus generosi)

immenso hostium exercitu, liberè respondit, etiam victoriam suam è tanto hoste devicto magis gloriosam ac immensam fore; uti refert Plutarchus. Fortis enim ac generosus animus, Tullio teste, *nec adversis infestando frangitur, nec prosperis blandiēdo elevatur*

Plut. in Laconicis. Cicero in Rhetoricis.

19 Aper, vineam ingressus, uvas devorat, vites exscindit, & obvia quæque depopulatur. Unde lemma. DEPASCITUR, ET EXTERMINAT; Verbis è Psalmo mutuatis; ubi Regius Prophetes de Palestina afflicta, ut de Nabuchodonosore & Antiocho; vel certè de Tito & Vespasiano queritur; *EXTERMINAVIT eam aper de silva, & singularis ferus DEPASTVS EST eam.* Militem insolentem; malitiosum civitatis cujusdam ministrum; aut Prælatum vitiosum, hæc imago vivis coloribus spectandum exhibet: enimverò singuli illi Provinciam, Rempublicam, aut Religionem, devorando ac exterminando devastant. Certè sanctus Bernardus apertè fatetur, Prælatos malos esse maximos vineæ Christianæ hostes. *Heu, heu!* exclamat, *Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, & universam deinceps liberè & potestativè tradunt incendio civitatem. Misera eorum conversatio, plebis tuæ miserabilis subversio est.*

Tyrannus *Psal. 79. 14.* Miles insolens. Minister malus. Prælatus vitiosus. *Bern. serm. in Convers. Pauli.*

20. Bernardus Porcara in gentilitiis armis aprum præfert; unde ut orbi palam faceret, se sub Cardinalis Cæsaris Montii patrocinio deinceps victurum, aprum supra montis cacumen depinxit; cum lemmate. NON ALIBI TUTIUS. Sacra Pagina Christum frequenter montis aut petræ nomine significat; unde peccator, veluti bellua fœdissima, nullibi asylum adcò securum reperiet, quàm in Christo, monte, omnibus hostium machinamentis inaccesso: Sanctus P. Augustinus. *Sic descendit ad te Christus, ut maneret in se; descendit ad te, ut fieret tibi vallis plorationis; mansit in se, ut esset tibi mons ascensionis.* Cæterùm Emblematis author mentem suam sequenti disticho aperuit.

Protectio. Christus refugium peccatorum. *Aug. Præf. in Psal. 119.*

Si totum fortuna furens permisceat orbem,
Non alibi tutius liceat esse mihi.

DENS APRINVS.

21. DEns aprinus, à fœminis ad linteamina polienda usurpari solitus, epigraphen tenet. COMPRIMENS ÆQUAT. Eâdem omninò ratione calamitates, dum aggravant, simul etiam lævigant, animamque nostram, tot offendiculis ac vitiorum sordibus asperam, ad justam planitiem expoliunt. Sapientissimus meus Idiota, *Tribulatio,* inquit, *elationem deprimit, lascivium reformat, intemperantiam edomat, & denique omnes actus illicitos.*

Calamitas utilis. *Idiota l. 2. de vera patientia.*

22. Aper dentibus suis maximè est formidandus, quibus feroces quosvis molossos fulminat, & venatores audacissimos in fugam agit; Martiale teste.

Dente timetur Aper.

Idem tamen dens etiam fæminis ad telas complanandas ac poliendas inservit. Unde lemma. ET FERIT, ET POLIT. Ita sanè calamitates simul & corpus humanum feriunt, & animam omni vitio expoliunt. S. P. Augustinus. *Cum torquent aliqua mala, sed non extorquent opera mala, non solum anima per patientiam possidetur; verùm etiam cum per patientiam corpus ipsum ad tempus affligitur, vel amittitur, in æternam stabilitatem salutemque resumitur, & ei per dolorem & mortem inviolabilis sanitas, & immortalitas comparatur.* Denti aprino etiam lingua est persimi-

Calamitas prodest. *Aug. l. de Patient. c. 8.* Lingua.

lis, quæ utramque & lacerandi & adulandi peritiam conjunctam habet. Denique Saulus uno penè momento sanctam Ecclesiam evertere, ac ornamento prorsus singulari condecorare visus est. S. Paulus.

23. Apro epigraphen, è Martiale desumptam, subjunges. DENTE TIMETUR. Homines litigiosos, aut calumniis vel detractionibus deditos, hâc icone depinges; qui ob theoninos dentes obviis quibusvis, sine discrimine, non tamen sine gravi vulnere, infigi solitos, à nemine non vitari debent. De lingua maledica graviter pronuntiat Bernardus, eam spinis, clavis, & lanceâ Christi crudeliorem esse. *Nec verò,* inquit, *ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum corpus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro, nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis &c.*

Litigiosus. Detractor. *S. Bern. serm. 17. de diversis.*

ARIES.
Cap. IV.

24. HOc animal, priusquam confligat, nonnihil retrogredi, viresque suas colligere solet, ut postea geminato robore in hostem irruere, & adversus illum arietare queat. Emblemati subscribes. VT VALIDIUS. Vindicta Divina, quantò sese in castigando tardiorem exhibet, tantò evadit in sceleratos vehementior. *Lento enim gradu,* inquit Valerius Maximus, *ad vindictam sui Divina procedit ira, tarditatemque supplicii, gravitate compensat.* Et Juvenalis.

Vindicta Dei. *Val. Max. l. 1. cap. 1. Iuven. sat. 13*

Vt sit magna, tamen certè lenta, ira Deorum est.

25. Aries retrogressus, ad conifcandum accingitur; cum lemmate. CEDIT, UT CÆDAT. Eandem gnomam etiam sagittæ, ab arcu extortæ, subjunges. Milites, huic symbolo non absimiles, nonnunquam fugam simulant ac paulùm retrocedunt, ut commodius in hostem irruere possint. Ad hoc propositum Virgilius canit.

Cedere Stratagema.

Fidentemque fugâ Parthum, versisque sagittis

Eâdem planè ratione proditor pacem mentitur, ut alterius perniciē tantò commodius machinari queat. Idipsum etiam de Adulatore ait Seneca, qui nihil non concedit alteri donec miserum præcipitet. *Malum hominem,* inquit, *blandè loquentem, agnosce tuum laqueum esse.* Cæterùm Emblematis mentem sequenti Jambo meus Carducius proponit.

Proditor. Adulator. *Senec. in Ep.*

Ut cadat, arte cedit invadens caper:

Primam applicationem ita explicat.

Stratagema disce miles, & hostem doma.

Et secundam;

Sic proditor figmenta venditat fugâ.

26. Equites Tusinii inter insignia sua torquem, chalybeis laminis, & intercurrentibus silicibus distinctam præferunt, è cujus infima parte suspensus aries vellus aureum, seu vellus Gedeonis repræsentat; cum lemmate. PRETIUM NON VILE LABORUM. Innuunt nimirum, Ordinis illius insigne nemini nisi ob exhibitos labores optimè merito, conferri. Cumprimis tamen epigraphe illa æternam beatitudinem concernit; de qua S. Bernardus *Non erecti planè, sed perversi animi est, ante quærere gloriam, quā exercere virtutem, & velle coronari, qui legitimè non certaverit. Frustra ad celsitudinem innititur gloriæ, qui prius non claruit virtute.*

Beatitudo *S. Bern. serm. 1. de S. Victore*

27. Guilielmus Zincgrefius symboli loco Arietem exhibet, qui adversus arbores arietando sese exercet; cum lemmate. FORTIOR UT REDEAT. Ita nimirum privata exercitatio publicis negotiis semper

Exercitatio.

S.Aug.Enchrid c.59. est præmittenda. S.P.Aug. teste, *Non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium, se scire quod nesciunt.* Porrò idem S.Doctor asserit, Martyres totâ vitâ se per patientiæ opera exercuisse ad palmam adversus veritatis hostes referendam. *Martyres,* inquit, *se usque ad mortem pro veritate certare, non armatâ potentiâ, sed potentiore patientiâ præparârunt.*

S.Martyres. S.Aug l. 8. de Civit. cap.54.

ASINUS.

Cap. V.

28. E Joannis Ferri sententia, asino subscribes, SEMPER AD ONUS. vel, PLAGIS, ET ONERI. Utrumque lemma peccatorum est proprium, qui ex hominibus in belluas, metamorphosi prorsus abominandâ, commutati, assiduo premuntur pondere, tam interiore, vellicantis identidè conscientiæ; quàm exteriore, mille calamitatum ac miseriarum. David sub peccatorum jugo ingemiscens, *Ego,* inquit, *in flagella paratus sum;* Et, *iniquitates meæ sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Apprimè in hunc locum D.Bernardus; *Ubi malum, flagellum quoque appropinquet, necesse est; semper enim malum pœna comitatur.* Et Juvenalis.

Peccator. Psal.37.n.18. & 5. S.Bern.in hunc loc. Iuven.sat.4.

Nemo malus fœlix.

29 Haud facilè definiverim, num Asinus stoliditatis vitio, an verò fortitudinis virtute agatur, quod nullum unquam onus sibi impositum respuat. Lemma. NIL ONERA CURAT. Ad verbum S.Bernardus; *ONERAMUS ASINUM, & fatigamus in laboribus plurimis, & NON CURAT, quia asinus est.* Ita peccatoris animus, gravi Veneris, Plutonis, Martis, & Megæræ, id est, libidinis, avaritiæ, inimicitiæ, ac vindictæ sarcinâ onustus, pondera hæc enormia, quibus horrendum premitur, nec quidquam curat. De hoc Isaias, *Confractus est Bel, contritus est Nabo: factasunt simulachra eorum bestiis, & jumentis: onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem &c.* Neque tamen libertatem suam, tantoperè prægravatam, vindicare con ntur. Verè dixit Magnus Augustinus; *Scienti lætari in Domino, felicitas mundi non est honor, sed onus.*

S.Bern serm de Primordiis & novissimis. Peccator. Isa 46.1. S.Aug.ser. 110 de Divers c.10.

30 Asinus, quantumvis enormi sarcinâ onustus, nihil tamen unquam conqueritur. Lemma. GESTAT SINE MURMURE PONDUS. Miram patientiam, solis Dei servis famili rem, hæc imago repræsentat; Illi enim, asserente meo Concanonico, Absalone Abbate, *Primo manè intrantes vineam Domini, PORTANT PONDUS diei & æstus SINE MURMURE & simulatione.* Supremum apicem hæc virtus in Dei filio conscendit, è cujus ore in acerbissima ipsius passione nec minimum queritantis indicium deprehendere erat. Unde Sanctus Cyprianus, *Inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus indicia Divinæ Majestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore servavit.*

Patiens. Absal. Abb. serm.38. S.Cypr lib de bon o patientia.

31. Asinus, immani pondere pressus, plagis insuper; aliisque injuriis ab agasone exceptus, nihil unquam obmurmurat, nec dentes aut calcem in vindictam exerit. Emblemati subscripsit meus D. Carducius. SUSTINET, HAUD CALCITRANS. Ita Justi omnia calamitatum & opprobriorum pondera viribus perferunt invictis, neque permittenti Numini, aut affligenti homini quidquam obloquuntur: *quia patientes in injuriis sustinent omnia pro eo, cui se probaverunt;* inquit Absolon Abbas, superiore numero citatus. Nam, ut benè observat Doctorum Phæbus, *Patientes malunt mala non committendo ferre, quàm non ferendo committere.*

Justus patiens. Absal. Abb. loc.cit. S Aug.lib patient.c.

32. Jumentum hoc, in egestate ac vili fortunâ natum, sorte suâ contentum vivit; nec, sive immanibus sarcinis, sive hominum insidentium pondere nimium prægravatum, unquam dolet aut conqueritur. Unde lemmâ, asino inditum; SUA VILITATE CONTENTUS. Lemmatis hujus occasionem è doctrinâ Absolonis Abbatis, superiore numero adducti, desumpsi; qui de justis mortificatis ac patientibus ait, *Extrema vilitate contenti, gaudent abjecti esse in domo Dei: imò in hoc accipiunt responsum conscientiæ, si omnibus inferiores videantur.* Huic suffrag tur Petrus Bercorius; *Verus obediens,* inquit, *vel Religiosus, si alii sedeant super ipsum, id est, si alii sint eminentes, & ipse inferior & subjectus, non conqueritur, sed assentit, respectu omnium se humilians & prosternens.*

Justus patiens. Absal loc. Pet.Berc Educt l 1.c 8 num.1.

33. Duo, inter se penitùs adversa, Asino conveniunt; nimirum cibus parcissimus, & labor maximus; Lemma. PARVIQUE CIBI, GRANDISQUE LABORIS. Vita Apostolica, immodicis quidem laboribus; at simul ciborum inediâ, assiduis jejuniis traducta, jumenti hujus virtutem sibi propriam habuit, Unde sanctus Paulus vitam egit, ipsomet testante, *In laboribus plurimis, in plagis supra modum,* & rursus, *In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis &c.* Cæterùm homines ad studia applicati, parcè comedant, multumque laborent, necesse est; *Qui enim sapientiæ sit operam daturus, eum oportet victu esse tenui, nullum denique sit onus, quod detrectet;* inquit Commentator Alciati.

Vita Apostolica. 2 Cor. 11. Studiosi. Alciat E. 2.

34. Asinus, si sarcinam spectes, magnoperè fortis est; si sudorem, quo eam bajulat, apprimè patiens: ut adeò epigraphen mereatur. FORTIS, ET PATIENS. Gemino hoc epitheto Jacobus virtutem filii sui Isacchar deprædicavit; *Isacchar asinus fortis, supposuit humerum suum ad portandum.* In hoc argumentum S.Bernardus, *Scio,* inquit, *similitudinem aliquam jumentorum homini commendari: sed planè non eam, quæ in insipientiæ, sed patientiæ imitatione consistat.*

Fortitudo cum patientia. Gen 49. S Ber ser. in Psal Qui habitat.

35. Picrius refert, Asinum ab aliquibus symbolum fuisse dictum animi effrontis ac temerarii; eò quod *castigationes contemnat, verbera etiam nihili faciat;* adeòque simul & pelle crassus, & animo stolidus; NIL VERBERA CURAT. Indurati, ac temerarii peccatoris hæc idea est, qui, tametsi suppliciis à Deo castigatus, non tamen expergiscitur, nec sensu ullo pulsantem percipit. Inter hanc hominum fæcem loco minimè postremo numerabatur Israëlis populus, de quo Hieremias: *Domine,* inquit, *percussisti eos, & non doluerunt; attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.* Unde ipse etiam Deus ejusdem Prophetæ ore altum conqueritur; *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* S.P. Augustinus; *Ita perseveraverunt Iudæi in malis suis, ut sibi de medicamentis vulnera facerent; & inde acquirerent mortem, unde poterant obtinere salutem.*

Pier.lib. Peccator stupidus. Hier.5.3. Hier.2 30 S. Aug ser. 204.de tp

36. Sancto Bernardo Asinus FATUUS ET IMMUNDUS dicitur. Tales certè quosvis peccatores, intellectu stultos, animo verò ac corde impuros, jure pronunties. Hos inter vide sis, obsecro, juvenem illum Evangelicum; stolidum ac insanum, cum è paterno sinu extra natale solum in alienas terras discederet; immundum verò, cùm inter carnis & libidinis sentinam altùm volutaretur, suamque

S Bern. in Parab.de 2 filii &c. Peccator.

que operam porcis pascendis addiceret. *Peregrè profectus est in Regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè &c.* De hoc S. Petrus Chrysologus, *Affectionis desertor*, inquit, *pietatis refuga deputatur porcis. porcis addicitur, porcorum traditur servituti: porcorum pascua lutulenta percurrit, inquieti gregis teritur & maculatur excursu, ut sentiat, quàm miserum sit, amarum quàm sit, quietis paternæ beatitudinem perdidisse.* (Luc. 15. 13; S. Pet. Chrys. serm 1.)

37. S. Ambrosius asinum gemino hoc probro notat. PIGER, ET AD ONUS. Huic imagini ad amussim conformis peccator, in Dei ac virtutum negotio supinè torpet; nec nisi proprii commodi ac vitiorum ponderibus alacria promptaque colla submittit. Magnus Augustinus Dei ore, *Jubet*, inquit, *avaritia, ut mare transeas, & tempestates: jubet ut te ventis, procellisque committas: jubeo ego, ut ante ostium tuum ex eo, quod habes, des pauperi: piger es ad faciendum ante te opus bonum; & strenuus es ad transeundum mare: quia avaritia imperat, servit; quia Deus jubet, odisti.* Insaniam hanc cumprimis in illo est deprehendere, qui referente S. Lucâ ad cœnæ beatæ delitias invitatus, extremè socors, quinque gravia jugorum onera à se empta causatus, nec pedem domo movere voluit; *Juga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te, habe me excusatum.* In hoc argumentum S. Bernardus, *An verò*, inquit, *comparatum jumentis quis dubitet hominem, qui sibi juga emerit jumentorum? Nisi quod eò sanè ipsis quoque jumentis convincitur stolidior, & bestialior bestiisque comprobatur, quod juga necessitatis earum propriâ ipse subeat voluntate.* (S. Ambros. l. 5 Hexam. c. 3.; Peccator.; S. Aug. in Psal. 118.; Luc. 14. 18.; S. Bern in Declamationibus)

38. Ex illis Isaiæ verbis, *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui;* Sanctus Basilius observatum habet, quod, bove herum suum agnoscente, asinus neminis alterius, nisi stabuli & præsepi notitiam habeat; *Bos*, inquit, *suum novit possessorem, asinus autem præsepe.* Unde opportunè inscribes, PRÆSEPE, NON HERUM, subintellige *agnoscit.* Eundem defectum Christus ævi sui Judæis exprobrabat, qui panem ac mensam, sibi ab eo instructam, non verò dignitatem ac meritum oblatum, æstimabant. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Asinis persimiles sunt ii, qui terrenis voluptatibus dediti, Divina dona assiduò quidem percipiunt, de Deo verò vix quidquam cogitant. Providè hortatur Magnus Augustinus; *Quomodo caro pascitur cibo, sic reficiatur anima Dei verbo: Nam si sola carne reficitur, & anima Dei verbo non pascitur, ancilla satiatur, & domina fame torquetur.* (Isa. 1. 3.; Ingratus.; Ioan. 6. 26.; S. Aug. ser. 26. de Temp.)

39. Stolidus peccator legis Divinæ fræno nec auscultat, nec obedit unquam; hunc proinde Carolus Rancatus cum Asino, habenis sustinendis penitus inepto, comparat; addito lemmate. IGNARUS HABENÆ. Emblema hoc ad mentem Pierii Valeriani est, qui asinum indocilis animi hieroglyphicum statuit: epigraphen verò Claudianus suppeditat. (Stolidus Peccator.; Claud. de Bello Gildonic.)

Dextra movet jaculum: prætentat pallia læva,
Cætera nudus eques, sonipes ignarus habenæ.

Obstinatam hanc reluctandi insaniam in filiis Heli videre erat, qui à proprio parente, ut à gravissimis scandalis desisterent, toties moniti ac reprehensi, toties omni tam paternæ authoritatis, quàm legis Divinæ freno excusso, in obvia quævis mala ruebant præcipites, neque luxurianti malitiæ suæ alium, quàm vitæ terminum posuerunt. Nempe, Magnus Augustinus quæritur, *Homines, cùm rationabiles à Deo facti sunt, neque semetipsos regere potuerunt, neque Dei regis patienter moderamina pertulerunt.* (S. Aug. ser. 87. de Temp)

40. Apuleio asserente, Asinus est MISERRIMI LABORIS VICARIUS. Eum hæc idea contingit, qui in egestate victitans, assiduis calamitatibus subjacet. E Plauti sententia, (Apul. in fine octavi libri.; Pauper miser.)

Omnibus modis, qui pauperes sunt homines, miseri vivunt. (Plaut Rudent.)

Theognidis quærelæ erant, *Vah misera paupertas! quid meis incumbens humeris, dedecore tum corpus afficis, tum mentem nostram?* (Theog. apud Stob. ser. 96.)

41. Asinus panibus onustus, tribulos vorat; cum lemmate. QUI MAXIME ABUNDAT, EGET MAXIME. P. Masenius hoc Emblemate avaros denotat, qui cum opibus bonisque omnibus affluant, parcissimè vivunt, & vix non fame pereunt. Pythagoras ajebat, *Avaros homines pupillos brevis ætatis esse, nihil enim de suo uti licere.* Unde avaro cuidam locupleti dixit, *O stulte, divitiæ tuæ in te pereunt, paupertatisque similes sunt, quum in his esuris, sitis, & alges.* Senecæ sententiâ Avarus *neque habendi fructu est felix, & cupiditate quærendi miserrimus.* (Avarus.; Pyth. in Proverb. Philos.; Senec Epist.)

B I S O N.

Caput L V I.

42. Solinus Bisontem in omnibus Septentrionis regionibus; Plinius in Scythiâ; Laurentius Surius in Lithuania reperiri asseverant. Formam verò bovi non absimilem refert, nisi quod molem corporis crassiorem, jubas oblongas, ac celeritatem maximam habeat: porrò quod in eo mireris, linguâ instructus est adeò scabrâ & asperâ, ut carnem solo contactu vulneret, & venatorum vestes, semel arreptas, validissimè ad se trahat. Unde Aresii lemma. IN LINGUA EJUS LABOR ET DOLOR. Verbis è Psalmo mutuatis sensus est; belluæ illius linguam laboris esse causam, dum homo semel ab ea prehensus, difficillimè elabatur. Doloris verò; quando è corporis vulnerati carne sanguinem prolicit. Unde linguam maledicam, in obvios quosvis non sine ingenti damno grassari solitam, cum Bisonte conferas. Sanctus Bernardus. *Levis res sermo, tenera, mollis, & exigua caro linguæ hominis, quis sapiens magni pendat? Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed GRAVITER VULNERAT; leviter transit, sed graviter urit, &c.* (Solin c. 23.; Plin l 8 c. 15; Laur Sur. in Comment. 1507.; Psal 10. 7.; Lingua maledica.; S. Bernard. de Tripl. Custod.)

43. Appianus damna, Bisontis linguâ afferri solita, his verbis recenset. *Eorum lingua quidem angusta, sed asperrima, tanquam ferrum limare potest, ut, cum lingit, sanguinem eliciat.* Eò reflectens Aresius, epigraphen subjunxit. DUM LINGIT, FRANGIT. Vel, VULNERAT, DUM LAMBIT. Ita prorsus lingua adulatoris suavibus quidem laudis blanditiis lambit, at simul sanguinem ac exitium provocat. Consentaneè Divinus Psaltes, *Oleum autem peccatoris non impinguet;* vel ut Hebræus traducit, *non franget caput meum*, Interprete S. P. Augustino; *Vendunt oleum adulatores, qui sive falsa, sive ignorata laudando, animas in errorem mittunt, & eis vana gaudia, tanquam fatuis, aliquâ de his mercedem, sive ciborum, sive pecuniæ, sive honoris, sive alicujus commodi temporalis accipiunt.* (Adulator.; Psal. 140. 5.; S Aug. Libro 83. Quæst. q 59.)

44. Bisontis linguam adeò scabram esse dicunt, ut quamcunque rem contactam, instar harpaginis, tena-

Martin. Cromer.lib.1. Polonic. Histor. tenaciter apprehendat, & ad se trahat. Martini Cromeri hac de re testimonium est; *Linguâ longius exertâ, attrahunt ad se hominem, si vel extremam vestis ejus oram contingant.* Quare Bisonti inscribes. LINGUA TRAHIT UT HAMO. Eædem Oratoris sunt vires, cujus facundia per aures ad humanum pectus penetrat, illudq; pro libitu in suas partes rapit. *Conciliatricula res, & efficax capiendis alligandisque animis eloquentia,* inquit Nicolaus Caussinus. Et paulò post; *Dici non potest, quot sunt lenocinantis facundiæ mites præstigiæ, quot & quàm admirabiles effectus.* Ut adeò benè canat Alciatus;

Eloquentia.

Nicol Causs. de Eloquent. cap.4 l.1. Alciat. Embl.181.

> *- - --- quamvis durissima corda,*
> *Eloquio pollens, in sua vota trahit.*

45. De Bisontis lingua idiomate vernaculo canit Dominus Aresius.

> *Non è di ferro, ò di veleno armata,*
> *E pur ferisce, e fa sanguigna piaga:*
> *Non è spada, ò ver hasta, e pur vibrata*
> *E' prontamente qual acuta daga.*

Detractor.

Quasi diceret, linguam Bisontis nec ferro, nec veneno armatam, acutè ferire, & instar gladii sauciare, sanguinemque elicere. Unde lemma. NON E' DI FERRO, E FA' SANGUIGNA PIAGA. Id est, SINE FERRO LINGUA CRUENTAT. Ita omninò lingua maledica & detractoria, tametsi physicè spectata tantùm sit carnea, instar ferri tamen vulnerat, & ad ipsam ossium medullam penetrat. Perspicuè David, *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Et Siracides. *Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa.* Unde de Judæis ait Magnus Augustinus; *Judæi Christum gladio linguæ occiderunt.*

Psal.54.22. Eccles.28.21. S.Aug. Psal. 63.

Mori potius velle quàm servire.

46. Hector Boëthius in descriptione Scotiæ de quadam Bisontum specie refert, quod, si captos se adverterint, mœrore ita conficiantur, ut exanimes cadant; quasi nimirùm mortem ipsam servitute tolerabiliorem censerent. Unde Bison, in reti vel vallo clausus, epigraphen habet. PEREAM NE PAREM. Eâdem phrenesi inter homines agitati non pauci, violentas manus sibimet inferre maluerunt, quàm aliorum obsequiis submitti. Seneca Catonem, pectus suum ob desperata consilia jamjam pugione transfixurum, in hæc verba loquentem sistit. *Nihil egisti fortuna, omnibus conatibus meis obstando. Non pro mea adhuc, sed pro patriæ libertate pugnavi, nec agebam tantam pertinaciam, ut liber, sed ut inter liberos viverem. Nunc quoniam deploratæ sunt res generis humani, Cato deducatur in tutum; impressit deinde mortiferum corpori vulnus &c.* Idem afflicto cuidam diabolicum hoc consilium suggerit; *Si æger animus, & suo vitio miser est, hujus miserias finire secum licet;* & subjungit, *Quocunque respexeris, ibi malorum finis est. Vides illum præcipitem locum? illac ad libertatem descenditur. Vides illud mare, vides illud flumen, illum puteum? Libertas illic in imo sedet. Vides illam arborem, brevem, retortam, infelicem? pendet inde libertas.* Et paulò infrà, *Quæris, quod sit ad libertatem iter? qualibet in corpore tuo vena.*

Senec.Ep.24

Senec. de Ira l.3.c.15.

Laur. Sur. loc.cit.

47. Laurentius Surius inter cætera de Lithuaniæ Bisontibus refert, quod sint *pilis moschum redolentibus, oculis grandioribus & torvis, quasi ardentibus;* veluti diceret, ab hirsuto Bisontis corpore fragrantem odorem exhalari, & è torvis illius oculis igneas quasdam scintillas vibrari. Atque adeò asserente meo Carducio; Bison FRAGRAT VILLIS, OCULO FLAGRAT. Ita Hypocritæ exteriore vultu suavissimum vitæ exemplaris ac Christianæ thymiama evaporant; oculis tamen luxuriæ ac implacabilis vindictæ flammâ impiè ardentibus. Ad rem Sanctus Bernardus, *Hypocritæ affectio,* inquit, *elongatur à Christo, & vanis favoribus delectatur: Ungit potius semetipsum, ut propriæ fragrantiam opinionis respergat &c.* Carducium meum eruditè canentem audi.

Hypocrita.

S.Bern ser. 1.de Iejunio.

> *Incutit horrorem species monstrosa Bisontum:*
> *Moscum vellus olet; fulgura lumen habet.*
> *Dixeris Hypocritæ simulacra libidinis esse,*
> *Corde Venus flagrat, fragrat in ore pudor.*

Religiosus austerus.

Eodem Emblemate etiam virum religiosum, moribus quidem insignem, at vultu & disciplinâ rigidum depinges: quo sensu denuò Carducius.

> *Monstrifera nutrit Lithuania stirpe Bisontes,*
> *Pellis odora trahit; lux truculenta fugat.*
> *His (reor) austeræ vivit virtutis imago;*
> *Christi accersit odor corda, fugatq; rigor.*

48. Bison, naturâ suâ quidem ferox, in furorem tamen longè acerrimum ac maximum concitatur, si nonneminem rubro colore vestitum habet obvium, Unde lemma. EFFERATUR IN OSTRUM. Dæmon, juratus gentis humanæ hostis, adversus illos omnium gravissimè exacerbatur, quos charitatis purpurâ, aut virtutis ostro insignes cernit. S. Gregorius, *Cùm Divina lux in mentes humanas spargitur, mox ab occulto adversario contra fulgentem mentem tentamenta succrescunt.* Eodem Emblemate bonum Reipublicæ vindicem exornaveris, qui indignatione plenus, in eos concitari solet, qui tyrannidis ostro cooperti, ad Monarchiam aspirant. Exemplum prævêre Cassius & Brutus, quando ingenti ac Martio furore adversus imperialem Julii Cæsaris purpuram progressi, eam, hactenus summâ violentiâ usurpatam, in frusta conciderunt; uti refert Plutarchus.

Dæmon.

S Greg l.29. Moral.c.12.

Reipublicæ propugnatore.

Plut.in vit

Malignitas.

49. Eidem Emblemati inscripsit meus P. Carducius. PURPURA SÆVUM, subintellige, *reddit,* Iracundam ac pessimam illam fœminam hæc imago spectabat, quæ domesticis Sanctæ Catharinæ Senensis obsequiis addicta, intemperiis tantò gravioribus agitari solebat, quantò cumulatiores charitatis flammæ è purissimæ illius Virginis pectore promicabant. Eodem symbolo diabolus repræsentatur, qui in furorem acerrimum agitur, si pœnitens de peccatis suis sanctum aliquem ruborem coram Deo conceperit. Pulchrè S. P. Augustinus; *Fortes milites Christi, dum arma Sacramentorum suscipitis, pugnam adversus diabolum indicitis: dum ejus operibus renuntiatis, vehementius in vos ejus furias provocatis.* Denique etiam lascivum amatorem icone istâ significare licet, qui observatâ verecundâ Virginis lacessitæ modestiâ, œstro longè insaniore adversus illam concitatur. Apposite Carducius.

Pœnitens.

S Aug l.2. de symb. c.1.

Amator lascivus.

> *Efficit ut sævum rubra purpura visa Bisontem:*
> *Sic durum reddit Nympha pudica procum.*

Ingratus.

50. Ingenium humanum, elephantes, leones, aspides, aliasque feroces belluas edomare solitum, in Bisonte cicurando omnem operam studiumque perdit; ut quem, Solino referente, captivum quidem, at nullâ arte mansuetum reddere licet. Unde lemma. CAPITUR, NON CICURATUR. Hominis ingrati hæc idæa est, in quem quidquid beneficii conferas, nunquam tamen vultu placi-

placidum aut humanum experieris. Apopthegmatum Collector hominem ejusmodi belluinum refert, qui prolixis & assiduis beneficiis à Domitio cumulatus, ne tanto Mecænati suo gratificari, aut ullam mentis reciprocæ significationem exhibere cogeretur, illius conspectum omni studio declinabat; *Ipsius conspectum vitans, ne cogeretur agnoscere Patroni beneficium.* Superi! quantos favores ac gratias unicus Judas à Servatore retulit! Inter illius domesticos receptus, Apostolis annumeratus, sacri Collegii Oeconomus creatus, ad mensam accumbens, gratiosissimâ & Angelicâ buccellâ honoratus, è tot beneficiis nec minimum grati animi sensum concepit, sed contra acerbius efferatus, innocentissimum Agnum rabidis canibus prodidit. S. Joannes Chrysostomus. *Judas maxima non evitabit supplicia, quia omnipotentiæ, humilitatis, benignitatis Domini tanta habens argumenta, omnem feram belluam crudelitate superavit.*

Collect. Apoph. lib. 7. — Judas. — *Io. Chrys. Hom. 4. in Matth.*

51. Prorsus paradoxum est, stupendæ Bisontis magnitudini vivacissimam agilitatem esse conjunctam. Epigraphen meus Carducius addidit. IMPIGRA MOLES. Vel, MAGNUS, ET IMPIGER. Ad hanc ideam Magnates sese conforment, ut ingenio, dignitate, ac meritis grandes in operando sint prompti & agiles. Inter hos facilè excelluit Alexander, titulo & regiâ potentiâ Magnus, simulque ita in exequendo velox, ut fulminis imagine repræsentari soleret. De S. Joanne Baptistâ vaticinatus est Archangelus; *Erit magnus coram Domino*: huic tamen magnitudini promptissimam voluntatem conjunctam habuit, quâ in solitudinem properans, perfectionis curriculum celerrimè emensus est. Summam gratiæ magnitudinem assecuta est Dei Mater; *fecit mihi magna, qui potens est*; quæ tamen iter suum sine morâ absolvit; *exurgens abiit in montana cum festinatione.* Vide in hanc rem perquam pulchrè philosophantem, & tandem his omninò verbis concludentem Sanctum Patrem Augustinum; *Homo gravis velocius currit, quàm macer.*

Magnates. — S. Joan. Baptista. *Luc. 1.15.* — Maria V. *Luc. 1.49. Ibid. v. 39.* — *S. Aug. ser. 47 de Temp. c. 7.*

52. Bison calorem adeò immodicum intra viscera & sanguinem fovet, ut venabulum, eidem infixum, instar liquefacti plumbi emolliatur, possitque in omnem partem flecti; uti inter cætera sua Emblemata refert D. Aresius. Unde Bison, ferreo venabulo vel gladio transfixus, à Carducio epigraphen recepit. TENERESCUNT TELA CRUORE. Flagella, crux, spinæ, clavi, cæteraque passionis Dominicæ supellex, naturâ quidem suâ erat dura, terribilis & amara; at Servatoris nostri viscera pervadens, ejusque pretiosissimo sanguine tincta, miram teneritudinem & facilitatem induit. Unde Sanctus Bernardus; *Christus Dominus*, inquit, *pro peccatis nostris mortuus est; & crucem amaram suis amaroribus dulcoravit.* Et Sanctus Laurentius Justinianus, *Ipsius tentatio nostrarum singulare levamen est; dulcescunt nostra, cùm considerantur illa &c.*

Ares. Embl. 79 n. 3. — Sanguis Christi nostras calamitates facit dulces. — *S. Bern. serm. de Pass. Dom.* — *S. Laur. Iust. de Casto conub. c. 6.*

53. Pausanias in Phocæ gestis refert, Bisontem omnium ferarum esse captu difficillimum, nec nisi in locis deviis & lubricis sterni posse. Emblemati subscripsit Carducius; LUBRICA PERDUNT. Vellet quidem Deus, homines etiam in virtute provectos, non adeò frequenter agi præcipites; nec alia tot lapsuum gravissimorum est causa, nisi occasio proxima, ceu lubrica ac salebrosa via, quâ obvii quicunque cespitant, & miserè dejiciuntur. David oculis in Bethsabeam fixis, adulter evasit; Samson inter Dalilæ brachia, Philistæorum vincula incurrit; Petrus, cum perfidis ad focum hærens, Dominum suum iteratò perjurio negavit. Optimè Sanctus Bernardus; *Non est stare omninò in pendulo.* Nempe; *Periclitatur castitas in delitiis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc mundo*; ut idem Doctor mellifluus asserit.

Occasio proxima præcipitat. — *S. Bern. apud Tilmannum in Gen. 28. Idem in sermon.*

54. Sigismundus in Moscoviæ Commentariis refert, stupendam adeò Bisontis fortitudinem esse, ut non aliquot tantùm, sed numerosis, ac benè grandibus, profundisque vulneribus confixus, vix sterni possit. Unde Emblematis occasionem desumens Card. subscripsit. NON UNO VULNERE VITAM, subintellige, *amittit.* De viro forti id dixeris, qui inter calamitatum centurias immotus persistit: Cassiano authore, *Vir vocatur à viribus, qui nescit in adversis tolerando deficere, aut in prosperis aliquâ elatione se jactare: sed animo stabili defixus, & cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus.* Torquatus Tassus insignem Sueni, Daniæ Principis fortitudinem deprædicans, canit.

Fortitudo heroica. — *Cassian. super Psal. 1. Beatus vir.*

Si frágli altri Sueno alza la fronte,
Ch'ageuol e ch'ogn' un vedere il possa;
Di sangue un rio, d' huomini accisi un monte,
D'ogn' interno gli fanno argine e fossa.

Tass. nella Liberata Cant. 8. stanz. 16.

Et rursus.

In contro à la barbarica ruina
Partone il petto intrepido, e costante;
Tempra non sosterrebbe, ancorche fina
Fosse, e d'acciacio nò mà di diamante
I feri colpi, ond'egli il campo allaga,
E fatto e il corpo suo solo una piaga,
La vita nò, mà la virtù sostenta
Quel cadavero indomito, è feroce:
Ripercote percosso, e non s'allenta;
E quant' è offeso più, tanto più noce &c.

Ibid stanz. 22.

Franciscus Pona, Julii Cæsaris mortem commemorans, ait, ad grandem illam animam, à corpore dissociandam, compluribus vulneribus fuisse opus.

Virtus horrida & suavis.

Ingentes fovisse animos in pectore Cæsar
Dicitur, & vero consona fama fuit:
Nam quo spiritibus par tantis exitus esset,
Præpandit latas plaga iterata vias.

55. Bison, quantumvis aspectu formidandus, carnes tamen comestu suavissimas habet. Unde Carducii lemma. SÆVO FLUIT ORE VOLUPTAS. Vel, SOTTO CRUDO SEMBIANTE, ESCA SOAVE. Id est, *Sub crudo aspectu prædulcem continet escam.* Iconem hanc virtutis propriam dixeris, quæ primo intuitu horrida & formidanda, postea si penicius inspiciatur, suavissima homini accidit. Seneca. *Vide*, inquit, *quàm altè ascendere debeat virtus. Scies illi non per secura vadendum esse.*

Senec. lib. de Provident. in fine

ARDUA PRIMA VIA est, & quâ vix manè recentes
Enituntur equi: medio est altissima cœlo:
Unde mare & terras ipsi mihi sæpè videre
Fit timor, & pavidâ trepidat formidine pectus,
ULTIMA PRONA via est.

BOS. Caput LVI.

56. Bos olim tam legis Mosaicæ quàm Gentilium sacrificiis inserviebat, assiduis

simul terræ subigendæ laboribus destinatus. Unde P. Onuphrius Panvinus symboli loco bovem depinxit, è cujus dextro latere ignis supra aram accensus; ex altera verò aratrum & subjugium spectabantur; cum lemmate. IN UTRUMQUE PARATUS. Virgilius Sinonis ore canit.

Indifferentia.

Virg. 1. Æn.

--- --- --- In utrumque paratus
Aut versare dolos, aut certæ occumbere morti.

Senec. Epist. 24. Animum hominis indifferentem, & sive ad labores, sive ad mortem tolerandam, ex æquo promptum; atque adeò ad Dei voluntatem integerrimè conformatum, hæc imago significat. Religiosissimè Seneca. *Pauper fiam? inter plures ero. Exul fiam? ibi me natum putabo, quò mittar. Alligabor? Quid enim? Num solutus sum? ad hoc me natura grave corporis mei pondus astrinxit. Moriar? hoc dicis: desinam ægrotare, desinam alligari posse, desinam mori posse.* *Idem Epist. 107.* Et rursus. *Sic alloquamur Jovem. cujus gubernaculo moles ista diriguntur, quomodo Chleantes noster versibus disertissimis alloquitur.*

Duc me parens, celsique Dominator poli
Quocunque placuit, nulla parendi mora est,
Assum impiger: &c.

Maturitas. 57. Bos, ætate confectus, à Scipione Bargalio epigraphen recepit. PRESSIUS FIGIT PEDEM; & ab alio, LENTO GRADU. Inde Magistratus maturum in agendo pondus, & prudentiam condiscat; utpotè quem Deus elegit, ne propriis commodis & affectibus esset deditus. *S. Greg. in Reg. cap. 1.* S. Gregorius, *In suis judiciis,* inquit, *faciles non sint, sed cuncta prius rationabiliter intus ordinent, ut ea foris irreprehensibiliter disponant.* Talem se exhibet Deus; *Lento enim gradu ad vindictam sui Divina procedit ira, &c.* inquit Val. Max. *Val. Maxim. l. 1. cap. 1.*

58. Renatus, Rex Siculus, bovi inscripsit. A PAS, A PAS. Id est, LENTO GRADU: vel, ut alius. TARDE, SED TUTO. Innuebant nimirùm, sententiam minimè præcipitandam esse; ut quæ è maturis ac circumspectis consiliis plurimùm incrementi sortitur. Maturitas *Herod. l. 7.* Herodotus; *Omnis res properando parit errores, unde magna detrimenta fieri assolent: in cunctando autem bona adsunt, si non talia, quæ statim videntur bona, certè quæ suo tempore bona quis esse comperiat.* *Apud. Fulgos. l. 8. c. 2.* Unde Augustus Cæsar *illud semper citò factum posse dici ajebat, quod, cùm factum esset, bene haberet.*

59. Bos in medio campo, epigraphen sustinet. Profectus. MELIORA QUÆRO. Eos hæc imago designat, qui majori semper rerum suarum, cùm spiritualium, tum corporalium, incremento solicitè invigilant. *Philipp. 3. 13.* S. Paulus, *Quæ retrò sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor.* *S. Ambr in hunc loc.* In hunc locum S. Ambrosius, *Hoc est,* inquit, *quod suprà dixit, quia ideo laborare significat, ut quotidiè in melius proficiat, semper extendens se ad potiora, ut illa, quæ retrò acta sunt, obliviscens, MELIORA SECTETUR, &c.*

60. D. Aresius quarto Emblematum suorum libro bovem, canem, & ciconiam præfixit; cum lemmate. QUILIBET APTA SIBI; quasi diceret, in suo volumine quibusvis eruditi, vel rudis; delicati, vel impoliti ingenii hominibus nutrimentum congruum ac proportionatum subministrari. S. Scriptura. Sacra Scriptura hanc iconem sibi propriam vendicat, quæ alimenta, cuivis opportuna, suggerit. S. Bernardus, *S. Bern. ser. 64. ex Br.* *In Catholicæ doctrinæ mensa juxta modulum intelligentiæ, sufficientes singulis epulæ apponuntur.* Cæterùm tam lemma quàm Emblema D. Aresius ex Seneca accepit mutuum, *Sen. Ep. 108.* qui de antiquis Philosophis differens ait, *Non est quod mireris, ex eadem materia suis quemque studiis apta colligere. In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum. Cùm Ciceronis libros de Rep. prehendit hinc Philologus aliquis, hinc Grammaticus, hinc Philosophiæ deditus: alius aliò curam suam mittit.*

61. Aresius S. Lucam Evangelistam symbolo exornaturus, Bovem expressit, hoc lemmate insignem. NASCITUR AD LABOREM. Tametsi enim hoc Jobi pronuntiatum, *Homo nascitur ad laborem,* *Iob. 5. 7.* originariè Adamum contingat, illud tamen peculiari & optimâ ratione etiam S. Lucæ est proprium, S. Lucas. qui in medicina pro fidelium salute sine suo commodo exercendâ; in Mariæ Virginis icone tam penicillo pingendâ, quàm graphio sculpendâ; in sacro Evangelio, & Apostolorum Actis propriâ manu scribendi; in vastissimis Provinciis cum S. Paulo peragrandis, assiduè ac indefessè laboravit. Labor assiduus. Horum veluti epitomen exhibens Sanctus Vincentius Ferrerius, ait, *Lucas triginta septem annis laboravit cum Paulo inter fideles, ut fuisset Martyr, sed nullus eum voluit occidere.* *S. Vinc. Ferr* Nempe, quod Magnus Augustinus ait; *Non finitur labor, nisi cùm finita fuerit via. Oportet in via laborare, ut in patria gaudeamus.* *S. Aug. in Psal. 102.* Cæterùm ob eam quoque rationem D. Aresius S. Lucam bovis Emblemate sapienter repræsentat, quod S. Ecclesia Catholica eundem semper bove, ceu proprio symbolo, ab aliorum Cœlitum statuis discernat. P. Joannes Masculus eximios & graves Sancti hujus labores sequenti elogio enumerat.

Expressus es in oraculis vituli specie,
Quod à sacrificiis sis auspicatus historiam.
Quamquam tu quoq; splendenti linguæ vomere
Proculcasti feracem religionis agrum
Cum felici jactu sementis.
Magno fuisti proventu frugifer,
Sive cùm ut vitulus sacrum agrum inarâsti,
Sive cùm ut Historicus litteras exarâsti;
Collecta utrimque est messis gloriæ.

D. Gregorius Bolzi, sacra hujus ævi Musa, summos & gravissimos Sancti Lucæ labores hoc epigrammate exhibet. *D. Greg Bolz. Epig 134 in Mer se Octob.*

Inclyta Apellæis formare coloribus ora
Cœlituum Lucæ dextra perita solet.
Illa eadem libris, gessit quæ Christus in orbe,
Atque sequax gessit, quæ pia turba notat.
Ille Machaonias callens doctissimus artes,
Ægra pius medicâ corpora sanat ope.
Circuit hic idem spatiosi compita mundi,
Oreque cælestem vulgat ubique fidem.
Dic rogo, num potuit plus sumere Mundus ab uno
Fortè viro? nec plus excupiisse potest.

62. S. Thomas Aquinas primùm *bos mutus,* postea verò ob vitæ castimoniam *Angelus,* & demum ob doctrinæ excellentiam *Doctor Angelicus* cognominatus, S. Thomas Aquinas. Emblematis loco Bovem illum, in primo Ezechiëlis capite descriptum, accepit; quem ille ipse Propheta postea, capite decimo, non amplius bovem, sed Cherubinum vocat. Epigraphen addidêre. INDUET IN CHERUBIN. Blasius Vega hanc iconem singulis Dei servis propriam asserit; quippe qui in præsenti vita gravissimo crucis, laboris, sudoris, & sanguinis jugo depressi, olim in cœlis Cherubinorum agilitatem, claritatem, & gloriam æquabunt. Martyr. *Sanctorum facies,* inquit, *in hac vita mortali, facies bovis est in terra laborantis & sudantis; quæ tamen postea in faciem Cherub pulcherrimam commutabitur, abstersis videlicet lachrymis,* *Blas. Veg. in Apoc. c. 7 sect. 9. in fin*

chrymis, detersó pulvere, deniq; mortalitate in immortalitatis gloriam conversâ. Unde hortatur Magnus Augustinus. *Labora hic, venturus ad finem, labora, ne, cùm vis hic laborare, venias ad finem vitæ, & nunquam venias ad finem laborum.* (S. Aug. in Psal. 48.)

63. Bos cum lemmate, FUSTE, JUGOQUE, apertè innuit, eos, qui vivendo stolidas bestias imitantur, duris verberibus exercitandos, & laborum pondere premendos esse. S. Paulus, cùm Candiæ Incolas Tito asperè tractandos commisisset, hanc rationem subjunxit, *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè*. In hunc locum Sanctus Anselmus *Increpa illos non molliter, ut soles, sed durè, & dura eorũ corda penetret increpatio dura.* (Peccator obstinatus. Tit. 1. 12. S. Anselm. in hunc. loc.)

64. Beatitatis assequendæ promissum omnes mundi calamitates indulcare, ac faciles reddere novit. Abbas Certanus Bovis Emblemate id demonstrat, qui collo jugum sustinens, in amœno prato pascitur; cum lemmate. PERCHE PIU PRONTO A LA FATICA IO TORNI. Id est, UT PROMPTE LABOREM. Hoc sensu S. Bernardus illa Christi verba interpretatus, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, ait, *Laborantes ad refectionem invitat, ad requiem provocat oneratos. Non interim onus subtrahit aut laborem, magis autem onere alio, alio labore commutat, sed onere levi, suavi jugo, in quibus requies & refectio, & si minus appareat, tamen inveniatur.* (Spes præmii. S. Bern. ser. 15. in Psal. Qui habitat. Matth. 11. 28.)

65. Hominem sceleratum, criminum à se commissorum nunqam sine singulari complacentia memorem, Abbas Certanus cum Bove comparat, qui cibum suum ruminans, humi recumbit, addito lemmate. L' ESCA RICHIAMO A LUSINGARMI IL GUSTO. Id est, RUMINATA RECREOR ESCA. Eandem tamen proprietatem etiam in virtutis amatoribus non sine laude reperias, qui, Philone teste, in seipsos accuratè inquirunt, omnesque præteritas actiones ad limam revocant, ut novis identidem, novisque virtutum delitiis pasci possint. *Quemadmodum*, inquit ille, *quodlibet animal ruminas cibum semel devoratum, & rursum sub dentes revocatum atterit; sic anima cujuscunq; disciplinarum studiosi, postquam per aures recipit contemplatione dignũ aliquid, oblivioni hoc non tradit, sed per otium secum ipse retractat singula, & cuncta sibi reducit in memoriam.* Ruffinus, *Omnis homo, qui audit, sic debet in cor mittere, ut non piger sit ea cogitare, ut, quando audit, sit similis manducanti: cùm autem audita in memoriam revocat, & cogitatione dulcissimâ repetit, fiat similis ruminanti.* S. P. Augustinus ait, *Auditor similis esse debet animantibus, qui ab hoc, quod ruminant, munda esse dicuntur, ut non pigeat cogitare, quæ in alvo cordis concipit, & cum audit, sit similis edenti: cùm audita in memoriam revocat, sit similis ruminanti.* Denique Author Operis imperfecti. *Ille est*, inquit, *Spiritualis & sanctus, qui audiens verbum tractat, & cùm intellexerit, memoriæ; quasi utero tradit, & iterum de memoria, tanquam ex utero ad os revocat, ruminat, & retractat.* (Reminisci peccatorum. Studiosus. Philo lib. de Agricult. Ruffinus in Psal. 45. August. de vera Innoc. c. 110. Auth. Op. imp. Hom. in Matt.)

66. Bos, jugum collo sustinens, totusque confectus macie, epigraphen à me recepit. FRANGIT OPUS. Ita qui negotiis suis nullum unquam interponit otium, tandem oneri succumbat, & frangatur, necesse est. Providè hortatur Magnus Augustinus; *Nostra actio non frangatur negotio, nec frigida sit otio.* Ad rem Ovidius. (Labor frangit. S. Aug. Epist. 1. Ovid. l. 1. de Pont. Eleg. 5)

Cernis, ut in duris (& quid bove firmius?) arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus.
Quæ nunquam vacuo solita est cessare novali,
Fructibus assiduis lassa senescit humus.

67. Dum homo inter delitias pro libitu lascivire, & felici rerum successu optimè frui à Deo permittitur, pessimo indicio ad inferni macellum reservari videtur; haud secus, ac bos, obeso corpore inter pascua luxurians, lemmate à me indito, SAGINATUR AD MORTEM. Præclarè S. Gregorius Papa. *Injustus, ad debitam mortem currens, effrænatis voluptatibus utitur; quia & vituli, qui mactandi sunt, in liberis pascuis relinquuntur.* (Felicitas infelix. S. Greg. Pap. l. 21. Moral.)

68. Bos, toto obesus corpore, frontem ac cornua sertis coronata, collum verò superbâ torque spectandum ostentat; cum lemmate. DUCOR AD VICTIMAM. Ita sanè homines mundo dediti, omnique bonorum affluentiâ felices, sese inter sortem adeò opimam rectâ ad Tartarum dilaniandos duci, excæcatâ mente non observant. Iteratò sacra pagina. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et, *Risus dolore miscebitur & extrema gaudii luctus occupat.* Minutius Felix. *Miseri*, inquit, *in hoc altiùs tolluntur, ut decedant altius; hi enim ut victimæ ad supplicium saginantur, & hostiæ ad pœnam coronantur.* (Mundani. Iob 21. 13. Prov. 14. 13. Minut. Fel. in Octavio.)

69. Bonus Princeps aut Gubernator non tantùm authoritate & potentiâ, sed etiam industriâ & arte instructus sit, necesse est: Henrico Farnesio authore id è bove discendum, qui in medio campo aratrum trahens epigraphen sustinet. ARTE, ET VIRIBUS. Vel ut D. Octavius Boldonus, argumento prorsus eodem, duos boves sub jugo, cum vicina falce messoria, aratro, occa, ligone, cæteràque rusticorum suppellectile, depinxit; addito lemmate. ARTE MULTIPLICI. Enimverò bonus Princeps, variâ ac multiplici arte, clementiam & rigorem, simulationem & dissimulationem, minas & promissa, præmia & supplicia, suis quæque temporibus & causis, adhibeat. In pace benignus, in bello ferox, suo loco & tempore reluctari ac cedere nôrit: Paucis æquè ac multis, prout necessitas tulerit, ex æquo, & pro cujusvis conditione, se exhibere sciat. Opportunè in rem nostram Philo, *Reipublicæ moderator*, inquit, *debet esse multiformis ac multiplex, alius in pace, alius in bello, aliter se paucis, aliter se multis opponet &c.* (Gubernator. Philo lib. de Ioseph.)

70. Hominem consideratum, prudentem, & in decernendo gravem, Bovis Emblema repræsentat; addito lemmate. SERIUS, UT GRAVIUS. Certè Deus, ubi suprà ex Valerio Maximo insinuavimus, quantò in vindicta expetenda tardior, tantò in suppliciis inferendis est severior. *Lento enim gradu ad vindictam sui Divina procedit ira; tarditatemque supplicii gravitate compensat.* (Maturitas. Val. Max. l. 1. c. 1.)

71. Bos, cornu ad pedem alligato; lemmatis loco unicum hoc verbum habet; SUSTINE. Hinc discant mortales, calamitatum eventus tranquillo ac silenti ore excipiendos esse. Sapienter dixit Epictetus; *Sustine, & abstine*; ærumnæ enim, fortiter toleratæ; & voluptates, prudenter recusatæ, ad perfectionis fastigium evehunt. Horatius (Patientia.)

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa TULIT, fecitq; puer, sudavit & alsit,
ABSTINUIT Venere & Baccho. (Horat. in Arte.)

De sola hac vocula, *sustine*, optimè cecinit Virgilius. (Virg. 5. Æn.)

--- --- Qui fata trahunt, retrahuntq;, sequamur.
Quidquid erit, superanda omnis fortuna FERENDO est.

Et Ju

Lipſ Centur. 2. Epiſt. 47. Et Juſtus Lipſius. *Omninò levius omne malum fit leniter ferendo. Qui interpretando auget, qui velut ſcalpit ſuum ulcus, facit quod qui onus ſibi addunt.*

72. Emmanuel Theſaurus Abbas Bovis marini iconem, Emblematis loco ſtatuit, qui cujuſvis loci vicini colores participare ſolet. epigraphen ſubjunxit. SAPIENS NON SE MUTAT, SED APTAT. Hâc ratione de ſe ipſo confeſſus S. Paulus, *Factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer; factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* Beatus Jordanus, ſecundus Ordinis ſui poſt S. Patriarcham Dominicum Generalis, dicere eſt ſolitus, *Totâ vitâ meâ ſtudui me accommodare cuilibet, ut eſſem miles cum milite, nobilis cum nobili, plebeius cum plebeio, procurando ſemper hâc ratione eorum emendationem.* Uti in ipſius vita habetur proditum.

Accommodari omnibus. *1. Cor. 9. 20.* — *B. Iord. in vita.*

73. Videri poſſit, Suſidis boves Arithmeticam percalluiſſe; cùm enim conſtitutum haberent diurnæ operæ penſum, centumque aquæ cados ex more exantlarent; nec popiſmatibus, nec minis, aut etiam fuſtibus adduci poterant, ut vel unum cadum ſupra centeſimum educerent; uti prolixè refert Ælianus. Emblemati proinde ſubſcribes; NIL ULTRA DEBITUM. Chriſtianis quibuſdam ſevera adeo eſt Arithmetice, ut ultra operis præſcripti menſuram nec minimum quid ſibi excidere patiantur; unde ſemel tantùm in anno animam exomologeſi purgare, ſolis Paſchalibus feriis ſacram Synaxin accedere, nunquam niſi Dominicis aut feſtis diebus templum frequentare, firmiſſimum ac penè ſanctum habent. In rem præſentem convenit illud Apoſtoli; *Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Nam,* Interprete Jacobo Alvarez, *Spiritu Sancto gubernati, non velut mancipia timore pœnæ legi ſe ſubdunt, ſed ut filii chariſſimi ob patris amorem legem complectuntur, quia vident Dei voluntatem eſſe, ut eam opere compleant. Quæcunq; autem nôrunt huic Divinæ voluntati grata, ac Domini ſuaſioni conformia, hâc eadem ratione, quod juxta voluntatem Dei ſunt, licet non ſint præcepta, ſuſcipiunt.* Caſſianus, *Non eſt tam laudabile,* inquit, *ſi ab illicitis, quàm etiamſi à licitis temperemus, & his propter ejus reverentiam non utamur, quia ea nobis propter infirmitatem noſtram utenda permiſit.* Sanctus Dorotheus, *Data ſunt decem præcepta mortalibus omnibus, & ad ea obſervanda quiſq; compellitur. Sunt hæc vectigalia annua regi debita. Quis igitur non perſolvens debita hæc vectigalia regi, mulctam effugiet? Sunt autem in ſæculo clari & Illuſtres viri, qui non ſolum regi vectigalia annua perſolvunt, ſed & munera offerunt; atque hi digni habentur honore, munificentiâ, & liberalitate Regiâ; ſic igitur & Patres noſtri, non ſolùm præcepta Dei obſervavêre debita; ſed & gratuita munera pariter obtulêre. Qualia? virginitatem, caſtitatem, inopiam omnium. &c.*

Ælian. lib. 7 de animal. c. 1. Supererogatoria opera nulla facere. *Galat. 5.* *Alvar To. 1. de perfect. l. 5 part. 3. c. 32.* *Caſſian. Coll. 21. c. 5.* *S. Dorotheus Doct. 1.*

74. Boves, magnitudine impares, in eodem aratro ſub jugum coacti, epigraphen à P. Jacobo Maſenio accepêre; MALUM PAR, QUOD IMPAR EST. Nam, providè obſervat S. Hieronymus; *Uxorem pauperem alere, difficile eſt, divitem ferre, tormentum eſt. Pulchra citò adamatur, fœda facilè concupiſcit; difficilè cuſtoditur, quod plures amant; moleſtum eſt poſſidere, quod nemo habere dignetur.* Ut adeo inter inæquales conjuges nunquam non ſit reperire miſerias & calamitates. Ad rem Ovidius.

Conjugiũ inter inæquales. *S. Hieron. lib. cont. Iovin.* *Ovid. in Epiſt. Heroid.*

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor eſt, ſed onus, ſpecies læſura ferentes,
Si quà voles apte nubere, nube pari.

75. P. Blaſius Palma Clericus Regularis S. Pauli in ſuâ Palma ſpirituali bovem exhibet, qui in ſpatioſo campo meliora legens gramina epigraphen tenet. MELIORA SECERNO. Ita homo in ſuis actionibus illas ſemper exercendas eligat, quæ magis ad Dei gloriam & animæ ſalutem faciunt; Monente Apoſtolo, *Æmulamini chariſmata meliora.* Apoſtolo non abſimilis Præſul Hipponenſ. *Convertamus nos* inquit, *ad meliora, dum in noſtra ſunt poteſtate remedia.* Certè meliora ſecernere eſt ſolitus Reverendiſſimus Alanus de Solminihac, ex Can. Reg. Epiſcopus Cadurcenſis; qui raro prorſus exemplo quartum votum, majorem Dei gloriam in quibuſvis majoris momenti negotiis quærendi adinſtar Seraphicæ Matris Sanctæ Thereſiæ, Anno 1626. emiſit; uti erudito calamo refert D. Dominicus Biſſelius, Can. Reg. ad S. Crucem Auguſtæ Vindel.

Operari meliora. *1. Cor. 12.* *S. Aug. lib. Hom. hom*

B V C E P H A L V S.

Caput VIII.

76. HIc Magni Alexandri equus eâ erat indole, ut ſolum Alexandrum habenas ſuas moderari, ſibique inſidere pateretur, omnibus aliis grandi ſupercilio in terram excuſſis. Unde lemma. NEC ALIUS. Vel certè, ET ALIOS REJICIT. Hominem vel Rempublicam hoc Emblemate exornaveris, qui ſua obſequia nemini alteri, niſi cui ultrò voluerint, addicunt. Certè bonus Religioſus ſoli Deo famuletur, neceſſe eſt; omni aliâ ſervitute repudiatâ. Unde monet S. P. Auguſtinus; *Omnis ſervitus amaritudine plena eſt: omnes conditione ſervili obligati, & ſerviunt & murmurant. Nolite timere Domini ſervitutem, non erit ibi gemitus, non murmur, non indignatio &c.* Joannes Paſchalius canit.

Servitus vera. *S. Aug. in Pſal. 99.*

Præter Alexandrum, cum dorſo inſidere tentat
Alter; Bucephalus reſpuit, atq; fremit.
Nec ſua qui ſacris devovit tempora clauſtris,
Excepto, nulli ſerviat ipſe, Deo.

C A M E L U S.

Caput IX.

77. CAmelus, ſufficiente ſarcinâ ſeſe onuſtum ſentiens, ſuâ ſponte è terra erigitur. Unde lemma Hiſpanum; NO PUEDO MAS; id eſt. IMPOTENS AD GRAVIORA. Ita homo prudens nulla unquam onera, quæ ipſius vires excedunt, ſuſcipit. Cato,

Miniſte pruden

Quod, potes, id tentes, operis ne pondere preſſus
Succumbat labor; & fruſtrà tentata relinquas.

Seneca, cùm ab ampliſſimo divitiarum ſuarum pondere Romanorum Principum invidiam, & ipſius quoque Neronis odium adverſum ſe concitari animadverteret; mox omnibus ſuis opibus ante illos abjectis, Cornelio Tacito referente, in hæc verba ratiocinatus eſt, *Tantùm honorum atque opum in me cumulâſti, Imperator, ut nihil felicitati meæ deſit, niſi moderatio ejus; mihi ſubveniendum eſt. Quomodo in militia aut via feſſus adminiculum orarem; ita in hoc itinere vitæ ſenex, & leviſſimis quoque curis impar, cùm opes meas ultrà ſuſtinere non poſſim,*

C. Tacit. 14 Annal. n. 1

posim, præsidium peto. *Iube eas per Procuratores tuos administrari &c.*

Prudentia. 78. Camelus; non plus sarcinæ, quàm sustinere queat, sibi imponere passus; epigraphen Hispanam præfert. NO MAS QUE PUEDE. Id est, NON SUPRA VIRES. vel PRO VIRIBUS. Inde discas iis solùm officiis defungi, quæ viribus & ingenio tuo commensa fuerint. Seneca. *Aptare onus viribus debet, nec plus occupari, quàm cui sufficere possumus.* Et rursus; *Inspicere debemus primum nosmetipsos, deinde quæ aggredimur negotia &c. Ante omnia necesse est se ipsum æstimare, quia ferre plus nobis videmur posse, quàm possumus.* In hoc argumentum Martialis.

Senec. Epist. 58. Idem libr. de Tranquillit. Animi c. 4.

Martial.

Qui sua metitur pondera ferre potest.

Bonitas Dei. Sicuti onera pro virium magnitudine Camelo imponuntur; ita Deus suos Fideles nullâ unquam majore calamitatum sarcinâ, quam sufferre valeant, premere solet. Paulus id disertè testatur; *Fidelis Deus, qui NON patietur vos tentari SUPRA ID, QUOD POTESTIS.* Et quidem interprete S. Ephremo, *sicut hominibus suis jumentis NON PLUS oneris imponunt, QUAM FERRE QUEANT: multò minùs hominibus plus tentationum aut afflictionum imponet Deus, quàm ferre possint.*

1. Cor. 10. 13. Ephræm. act. de Patient.

Consuetudo. 79. Fuit, qui Camelo onusto inscriberet; LABORE FORTIOR. Nam assidua laboris exercitatio vim adeò miram habet, ut vires assiduis oneribus perferendis assuefactæ, tandem fiant validiores, & ab ipsa consuetudine vigorem accipiant. S. Bernardus ait, *Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis, si assuescas, judicabis non adeo grave: paulò post & leve senties: paulò post etiam delectabit &c.* In hanc rem præclarè Cornelius Celsus; *Oportet varium habere vitæ genus: modò ruri esse, modo in urbe, sæpiusque in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Siquidem ignavia corpus hebetat, LABOR FIRMAT. &c.*

Bern. l. 1. de Consid. c. 2. Corn. Celsus, l. 1. c. 1.

Christus Crucem bajulans. 80. Camelus genuflexus, & ad plurimas mercium, passim circumjacentium, sarcinas suscipiendas paratus, epigraphen tenet. LUBENS AD ONUS. Genuina hæc Filii Divini idæa est, qui formidandam Crucis sarcinam sponte suâ propriis imponi humeris voluit; Sancto Joanne teste, *Et bajulans sibi crucem.*

Jo. 19. 17.

Peccator Studiosus. Eodem Emblemate studiosum, voluntariis laboribus distentum, insignies; vel certè peccatorem, qui ambitionis, avaritiæ, libidinis aliorumque scelerum pondere ultrò prægravatus, libertatem exuit, & propriâ voluntate, instar jumenti aut mancipii, ad jugum durissimum condemnatur. Seneca; *Ostende*, inquit, *qui non serviat; alius libidini, alius avaritiæ, alius ambitioni, omnes timori. Nulla servitus turpior, quàm voluntaria.*

Senec. Ep. 47.

81. Camelus, priusquam bibat, aquas ante se positas pedibus turbare assolet. Unde lemma. TURBIDA PLACET; Homines seditiosos, & ambitionis plenos, hæc idæa spectat; qui è civium turbis sua incrementa capiunt. Cicero, *Ambitiosi homines, honores, quos quietâ republicâ desperant, perturbatâ se consequi posse arbitrantur.* Ad eandem planè rationem Caussidici, & Advocati; rerum suarum augmenta inter clientum litigia, & partium turbas quærunt. De his ad Eugenium suum Bernardus, *Miror,* inquit, *quomodo religiosæ aures tuæ audire possint hujusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quàm ad inventionem proficiunt veritatis, &c.*

Seditiosus. *Cicero in Catil. iam.* Avocati. *Bern. l. de Consid. ad Eugen.*

82. Camelus, tametsi gravissimis laboribus defungatur, nec tamen itineris difficultate aut diuturnitate enervatur, nec etiam aquarum, alteriusve refrigerii penuriâ deficit. Id quod hoc lemmate innuitur, NEC JEJUNIO, NEC VIA, subintellige, *deficit.* Vivum hinc militaris constantiæ, assiduitatis, & inter expeditiones gravissimas perseverantiæ ectypon habes. Idipsum Justi assolent, qui in salebrosa mundi hujus viâ assiduis jejuniis ac calamitatibus onusti incedunt, neque tamen succumbunt unquàm, sed semper in Deo suo lætantur. Magno Augustino teste, *Omnes Sancti, qui Deo fideliter serviunt, lectioni vel orationi vacare, & in bonis operibus perseverare contendunt, sicque per ignem absque ulla violatione transeunt.* Torquatus Tassus laudem hanc Danis illis attribuit, qui Suenum, Regem fortissimum, sunt secuti; eorumque aliquem hoc poëmate vernaculo loquentem sistit.

Infatigabilis. Militaris Perseverantia. *S. Aug. serm. 41. de Sanct.*

Hor di fero di cibo, hor camin duro
Trouammo, hor violenza, & hor aguati;
Mà tutti fur vinti i disagi, e furo
Hor uccisi i nemici, & hor fugati.

Tass. Gerus. Liberat. Canto 8. stanz.

83. Camelus, asserente Scaligero uno die centum millia passuum conficit; simulque sarcinarum septingenta, & nonnunquam etiam mille pondo circumfert. Siti tolerandâ adeò est singularis, ut quatuor, imò, ut nonnulli referunt, quindecim integros & continuos dies eam sustinere sine ullo potu queat. Ut adeo illum hoc lemmate non incongruo insignivěris, SUSTINET, ET ABSTINET. S. Carolus, methodo ad Emblematis hujus mentem penitùs conformatâ, pro Diœcesis suæ incolumitate, diu noctuque visitando, eamque totam percurrendo, fatigatus, simul abstinentiam adeò rigorosam adhibuit, ut præter panem nonnisi aquam, & interdum aggrestes aliquos lupinos alimenti loco sumeret. S. P. Augustinus cujusvis hominis vitam stadium esse dicit, in cujus decursu & sustineamus gravia calamitatum onera, & abstineamus à mundi voluptatibus. *Duo sunt*, inquit, *quæ in hac vita veluti laboriosa præcipiuntur à Domino, CONTINERE, ET SUSTINERE; Iubemur enim continere ab his, quæ in hoc mundo dicuntur bona; & sustinere, quæ in hoc mundo abundant mala. &c.*

Scalig. Exer. 209. n. 2. S. Carolus. Vita humana. *S. Aug. ser. 243. de Temp.*

84. Aristoteles, & cum ipso Plinius, observatum habent, sinistrum pedem à gradiente Camelo nunquam præponi dextero. *Pes sinister non transit dexterum, sed subsequitur.* Unde lemma. DEXTERO SEMPER ANTERIOR. S. Carolum hoc Emblema spectabat, qui præfixo semper dextero religionis & honoris Divini pede, laevum politicorum ac terreni commodi retrò cohibuit. Non absimili ratione Scipio Africanus, sive ficto, sive superstitioso animo, religionē aliis quibusvis negotiis anteponens, *non ante ad negotia publica vel privata ibat, quàm in cella Iovis Capitolini moratus esset*; uti de ipso refert Valerius Maximus.

Arist. Histor. animal. li. 2. c. 1. Servus Dei. *Val. Maxim. l. 1. c. 2.*

85. Patres Societatis JESU, cùm D. Carolus solemni ritu in Sanctorum album recenseretur, symboli loco Camelum, crucibus, libris, calicibus, ciliciis, aliâque sacrâ suppellectile onustum exhibuêre; assiduos Divi illius labores, omnis macerationes, aliaque pietatis exercitia significaturi. Epigraphen subjunxerunt. NUNQUAM SATIS. Idipsum Mortificatio. etiam S. Franciscum Xaverium, Indiarum Apostolum & doctissimi nostri Martini Navarri, Canonici Regularis piissimi, avunculum per omnia simillimum, repræsentat; ille enim animi sui vaticinio singulas

gulas calamitates ac persecutiones, olim perferendas, intuitus; generoso pectore exclamavit, *PLVS DOMINE, PLVS, PLVS.* Quod si verò Emblematis mentem in deteriorem partem interpretari volueris, illud homini avaro proprium dixeris; de quo Horatius;

Avarus. *Horat. sat. 1.*

At bona pars hominum, decepta Cupidine falso,
NIL SATIS EST, inquit.

Senec. Epist. 110. Alexandri exemplo id confirmatur, de quo Seneca. *Post Darium & Indos pauper Alexander Macedo, quærit, quod suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit novas, & ut ita dicam, mundi claustra perrumpit; quod naturæ SATIS est, homini NON EST; inventus est, qui concupisceret aliquid post omnia.*

Humilitas. Sorte suâ contentum esse. *Horat. l. 1. Ep. 2.*

86. Patres Societatis JESU Camelum Pontificum mitris, Cardinalium galeris, & pedis pastoralibus onustum, hoc lemmate insignierunt; SEMPER SATIS. Quo rursus eximiam Divi Caroli humilitatem innuebant, qui mirâ animi sui moderatione omnes mundi honores ac titulos est aversatus. Apposite Horatius.

Quod SATIS EST cui contingit, NIL amplius OPTAT.

Senec. apud Lips. l. 2. manud. dissert. 21. In hoc argumentum Seneca: *Teneamus, sciamusque unam hanc esse viam ad tuta vadendi, & externa despicere, & honesto contentum esse.*

Ambitiosus.

87. D. Aresius hominem ambitiosum Cameli typo describit; is enim, dum munera ac beneficia desiderata recipiat, Mœcenati suo profundè inclinatur, infimamque animi demissionem exhibet. Unde Camelum, flexo depictum genu, hoc lemmate notavit; DONEC ACCIPIAT. Ad verbum Siracides. *DONEC ACCIPIANT, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam.* S. Ambrosius, *Ambitio*, inquit; *ut dominetur aliis, prius servit; curvatur obsequio, ut honore donetur: & dum vult esse sublimior, fit demissior.* Et S. Bernardus, de Romanis proceribus disserens, ait, *Hi inverecundi ad petendum, ad negandum frontosi. Hi importuni ut accipiant, inquieti DONEC ACCIPIANT, ingrati ubi acceperint &c.*

Eccl 29.5. S. Ambros. in Luc. S. Bern. l. 4. de considerat.

Christus in horto.

88. Camelus, sub sarcina genuflexus, epigraphen ab Alcibiade Lucarino accepit; FLEXUS AD PONDUS. Christus hoc Emblemate repræsentatur, qui in horto Gethsemanæo dolorum pondere, seu verius, totius mundi delictis prægravatus, in terram pronus corruit; S. Matthæo teste, *Procidit in faciem suam.* In hunc locum P. Cornelius à Lapide, *id est*, inquit, *prono & prostrato in terram capite, faciem terræ affigens, ut hoc gestu primò summam suam afflictionem ostenderet; secundùm, ut insigne humilitatis exemplum daret; tertiò ut summam Deo Patri reverentiam exhiberet; quartò ut onus immane peccatorum nostrorum, quod ipse in se susceperat, repræsentaret: hoc enim ipsum suo pondere degravavit, & affixit in terram &c.* Paulus Zazzoronus Christum, *inclinato capite* mortuum, hoc poëmate afficit.

Mat. 26.39 Corn à Lap. in hunc loc. *Io. 19. 20.*

Fu si grave, e pesante
L' incarco del peccato;
Del mondo rebellante
Che da portar fù dato
Del Monarca Divino al sacro Pegno,
Che s' incurvo al sostegno.

S. Jacobus Minor.

89. Idem Lucarinus in honorem S. Jacobi minoris Camelum symboli loco statuit, cujus genua callo obducta, epigraphen tulêre. COL PIEGAR SPESSO FIEN CALLOSE, E FORTI. Id est; MULTO FLEXU DURANTUR. Assiduam nimirum orandi consuetudinem innuebat, quæ in Apostolo illo fuit prorsus admiranda. De hoc S. Ecclesia. *Cui assiduitas orandi ita callum genibus obduxerat, ut duritia Cameli pellem imitari videretur.* Inde liquet, vires nostras è laboris iterati consuetudine, robur àc incrementum non leve capere. *Difficilè surgit*, inquit S. P. Augustinus, *quem moles malæ consuetudinis premit.* Verissimè Ovidius,

Brev. Rom. die 1. Maii.

Consuetudo. *S. Aug. tract. 49 in Ioan. Ovid. in Theatro magno relatu sub titul. Assuetud.*

--------- Corpusque quod antè laborum
Impatiens nobis, invalidumque fuit,
Sufficit, atque ipso vexatum INDVRVIT VSV.

Superbu.

90. D. Carolus Bossus Camelum genuflexum depinxit, qui merces aliquot involutas circùm se intuitus, lemmatis loco pentametron istud pronuntiat. NON SUNT HÆC HUMERIS PONDERA DIGNA MEIS. Superbus & elati animi homo hâc icone notatur, qui de seipso plurima ac summæ quæque præsumens, officia oblata, nisi fuerint excelsa & grandia, indignabundus recusat. Eandem iconem meliore sensu etiam homini tranquillo & humili tribues, qui quamcunque dignitatem oblatam suo intellectu ac prudentiâ longè superiorem censet. Hos inter S. Vincentius Ferrerius galerum Cardinalitium constanter recusavit; vires suas eidem sustinendo penitùs impares ac indignas asseverans; S. Bernardus Archiepiscopatum Mediolanensem; & S. Thomas Aquinas Neapolitanum accipere penitus abnuerunt. S. Philippus Nerius, plurimùm *humilitati addictus, ab honoribus semper abhorruit, atque Ecclesiasticas dignitates, etiam primarias, non semel ultrò delatas, constantissimè recusavit.* Denique Emblema istud etiam contemptorem mundi designat; qui soli Deo attentus, cæteras delitias ac honores omnes humeris suis indignos, & tam nobili hominis animo longè inferiores censet. Verissimè Magnus Augustinus; *Quisquis futuræ vitæ cor præparaverit, totam istam contemnit: contempta ista securum facit expectare diem, de quo expectando Dominus terruit.*

Dignitat recusata *Brev. R. 26. Maii* Contemptus mundi. *S. Aug. in Ps. 147.*

Ambitiosus.

91. Idem Camelum genibus nixum, & sarcinâ non satis grave onustum, hoc lemmate affecit; AUCTO PONDERE SURGAM. Politicum ambitiosum hæc imago designat, qui Mecænatem suum diversis obsequii generibus colere, ac penè adorare non cessat, nisi reciprocis favorum, munerum, & beneficiorum cumulis onustus. Peccatoris etiam hic typus est; qui levioribus tantùm calamitatibus pressus, è terra nunquàm sublevatur, sed identidem inter voluptates suas reptare pergit, ac verò, ubi graviora ac decumana miseriarum pondera ingruere cœperint, tum demum erigere sese, & virtutum tramitem sublimiore vestigio incedere allaborat. Regius Vates de Israëlis populo id testatus, ait, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Namque, interprete Magno Augustino, *abundante delicto, multiplicatæ sunt infirmitates eorum, & postea acceleraverunt, quia ingemuerunt, & invocaverunt, ut ipso adjuvante impleretur, quod ipso jubente non implebatur.* Denique symbolum illud etiam Peccatorem contritum spectat, qui leviore pœnitentiâ à Confessario impositâ è sacro tribunali discedere recusat, nisi majore onere satisfactorio recepto.

Peccat. *Psal. 15. S. Aug. in Ps. 67.* Peccat. contr.

Humilitas exalt. *Horat.*

92. Genuflectentem & inclinatum Camelum hoc lemmate spectandum proponens; UT FERAM: D. Carolus Bossus hâc icone significavit, demissi animi hominem, Magnatibus profundè inclinatum, ad celsissima munia sublevari. Horatius,

----- Ius imperiumque Phraates
Cæsaris excepit genibus minor.

Maria

Maria Virgo, se ipsam postremam & infimam Dei ancillam cognominans, *Ecce ancilla Domini*, digna extitit, quæ Verbum Divinum, humanâ vestitum carne, in utero suo circumferret. S. Thomas Villanovanus, *Grandi ergo mysterio*, inquit, *altissimoque Deitatis instinctu conceptura Deum, sui meminit ancillatus &c.* Ab hoc argumento non multùm alienus S. Cæsarius Arelatensis, ait, *Sicut de fonte terreno, & corporali fluvio non potest aliquis bibere, si se noluerit inclinare: ita & de vivo fonte Christo, & Sancti Spiritûs fluvio nemo aquam vivam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit.*

[Maria V. — Luc. 1. 38. — Thom. Vill. — Cæsar. Arel. Homil. 34.]

93. Camelus genuflexus auro & argento oneratur; cum lemmate. NON ULTRA JUSTUM. Caussidicos, Procuratores, ac Judices illos hæc imago spectat, qui ultrà justitiæ & æquitatis dimensum nullas unquàm opes aut munera recipiunt: vel etiam Reges, qui ultra debitum tributum à subditis quidquam exigere, Religioni sibi ducunt. Mente adeò sanctâ imbutus Theodoricus, referente Cassiodoro, hanc sibi legem statuit; *Cùm omnes Reipublicæ nostræ partes æqualiter desideremus augeri, incrementa tamen fiscalium tributorum justissimo sunt pensanda judicio.*

[Procurator discretus. — Rex benignus. — Theod. apud Cassiod. l. 4. Var Ep. 38.]

94. Emblematis loco Camelum, equum, mulum, & asinum juxtà diversas ac paratas sarcinas depinxêre; cùm lemmate. CUIQUE PRO VIRIBUS. Innuebant videlicet, officiorum ac dignitatum, tàm majorum quàm minorum, pondera ex æquo, & pro ingeniorum capacitate, distribuenda esse. Id accuratè observans Herus ille Evangelicus, S. Matthæo referente, diversis ministris plures pauciorésve pecunias ad negotiandum commisit, *unicuique secundùm propriam virtutem*; seu, ut Arabicus contextus traducit, *juxtà posse virtutis suæ*. Perspicuè in hunc locum S. Hieronymus; *Non pro largitate & parcitate alteri plus, & alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus.* Cui subscribens S. Joannes Chrysostomus, ait, *Ne supra virtutem opus injungens, ipse causa ruinæ existeret.* Cæterùm huic symbolo accommodatum videtur illud D. Pauli effatum, *Unicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.*

[Dignitates respondeant meritis. — Matth. 25. 14. — S. Hieron. in hunc loc. — S. Io. Chrys. in eundem loc. — Ephes. 4. 7.]

CANIS, MILLUS.

Caput X.

95. CAnis, in demortui heri sui rogum insilens, (quod sæpius accidisse, Historiæ ferunt) epigraphen tenet; EADEM FLAMMA CREMABIT. Enimverò intensus & fidelis amor vim adeò gravem in homine exercet, ut malit morientem amicum sequi, quàm ulteriore vitâ perfrui. S. Bernardus exclamat, *O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuosus &c.!* Et Urbanus VIII.

[Amicus verus. — S. Bern. ser. 79. in Cant. — Urban. VIII. Ode de S. Mar. Magd.]

Amor pericli nescius horridi,
Ut morte perstat fortior?

96. Verus amicus, non propriis, sed alterius commodis intentus; vel Minister regius, assiduis negotiis ad permovendum Regis quæstum occupatus, symboli loco canem venaticum præferant, qui ore prædam portans, epigraphen à Ferro accepit; ALIIS PRÆSTAT; vel ALTERI PARTAM. Ad rem Martialis,

[Amicus verus. — Marc. l. 14.]

Non sibi sed Domino venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Prædicator, asserente Hugone Cardinali, instar vertagi prædatum excurrat, & animas, suâ industriâ captas, non ad proprium laudis transitoriæ quæstum, sed sine ullis ambagibus ad Deum referat. Hanc doctrinam præclarè inculcans Eminentissimus Cardinalis. D. Carolus Rosetus, ait, *Quid, quid aut est, aut potest ipse* (Concionator) *Domino acceptum adscribere satagat; quidquid apud alios loquitur, dicatum inscribere Domino; quoscunque demum alloquitur, devotos Domino conscribere. Ad animas quippe Deo reconciliandas ac reducendas destinatus, animarum quidem salutem, tanquàm proximum sibi præfixum scopum; ipsius autem Dei gloriam & honorem, tanquàm ultimum suum finem sic assequi contendat, sicut organum in artificis laudem sua munera obiturum.* Porrò zelosus Prælatus, canis venatici industriam imitatus, animas dissolutas & in errorem proclives, Christo recuperare allaboret. Petrus Blesensis, *Aliud venationis genus*, inquit, *incumbit præsertim Prælatis, ut venentur in omni mente animas aberrantes, quasi in prædam ad obsequium Christi, rapiendo in eminentia scientiæ & doctrinæ &c.*

[Concionator. — Carol. Roset. admon. ad Prædic. §. 1. — Prælatus zelosus. — Pet. Bles. Epist 58.]

97. Patres Dominicani, in Episcopi cujusdam honorem, symboli loco canem pecuarium, gregi vicinum, depinxêre; addito lemmate. NON DORMIT, QUI CUSTODIT. Hujus vice epigraphen, Emblemati propriam, subjunges istam; CUSTOS, ET PERVIGIL. Ad verbum Sanctus Petrus Chrysologus, *Canis dormientibus Dominis noctè, & custos & pervigil, prodit, extraneum turbat furem, occurrit latroni, ut curam relevet, & solicitudinem servulorum.* De Octaviano Imperatore Seneca, *Omnium domos*, inquit, *illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.* S. Damasus Papa, illa Jacobi verba expendens, *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*, ait, *si ergò sic laborat & vigilat, qui pascit oves Laban; quanto labori, quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei?* His colophonem jungens meus Concanonicus, D. Absalon Abbas, ait, *Cura excubiarum, solicitudo pastoralis est.*

[Vigilantia. — S. Pet. Chrys. ser. 100. — Senec. l. de Brevit. vitæ. — S. Damas. Epist. 4. — Genes. 31. 40. — Absal. Abb. ser. 48.]

98. Nonnemo, illustrissimæ Columnarum familiæ maximo affectu addictus, seipsum cani, ad columnâ ligato, non absimile dicere potuit; additâ inscriptione; E PER ELETTINE, E PER DESTINO. Id est, VOLUNTATE, ET FATO. Cujusvis Damnati hanc iconem propriam dixeris; quippe qui liberrimâ voluntate iniquè operatus; justâ Dei sententiâ ad obscuram Tartari rupem, vinculis æternùm non dissolvendis, alligatur. Unde Cardinalis Cajetanus, *Constat autem*, inquit, *quod propriis peccatis, propriis meritis* (*quæ Deus non vult, sed sustinet patienter*) *reprobi sunt vasa vindictæ. Non enim Deus priùs est ultor, quàm homo fit peccator: & consequenter à se ipsis reprobi sunt vasa, ablata suis meritis in interitum æternum.*

[Damnatus. — Cajetanus in Epist. ad Rom. 9. 22.]

99. Cani, lambenti vulnera, inscribes; EX ORE SALUTEM: verbis è S. Paulo mutuatis; *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Eoque Confessionis Sacramentalis beneficium perspicuè demonstratur. Præclarè meus Hugo Victorinus; *Lingua canis, dum lingit vulnus, sanat: quia peccatorum in confessione emundantur vulnera, Sacerdoti factâ confessione.* Et Sanctus Nilus. *Initium salutis est sui ipsius accusatio.* Unde S. Ambrosius; *Ex ore tuo justificaberis: etenim pretium immortalitatis est nostra confessio, quia, sicut scriptum est,*

[Rom. 10. 10. — Confessio. — Hug. Vict. l. 2 de Best. c. 17. — S. Nil. in Parænes. n. 1. — S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 5.]

Idem. in Ps. 37. *est, ore confessio fit ad salutem.* Et rursùs. *Ut febres, in alto sita, non queunt mitigari, cùm foras eruperint, spem afferunt desinendi: Ita peccatorum morbus, dum tegitur, inardescit: si confessionibus proditur, evaporat.* Compendio Seneca. *Omnia vitia in aperto leviora sunt, morbi quoque ad sanitatem tunc inclinant, cùm ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt. Et avaritiam itaque & ambitionem, & cætera mala mentis humanæ, tunc perniciosa scias esse, cùm simulatâ sanitate subsidunt.*

Seneca Ep. 56

100. Sylvius Piccolominius, ut demonstraret, alium quempiam perfruitum esse fructibus speculationum, ab ipso excogitatarum, leporem depinxit, qui in sylva ab odoro cane excitatus ac detectus, posteà in canis turbinis fauces deprædandus incidit. Epigraphen à cane odoro pronuntiandam addidit; EGO DETEXI. Idipsum infortunium etiam Luciano accidit, qui, cum celebrem illam, moribusque formandis aptissimam de aureo asino fabulam suo ingenio elaboràsset, & publicis tabulis transscripsisset, eam postea Lucius Apuleius, ut à se excogitatam, passim evulgavit, nullâ unquam authoris mentione factâ. Idipsum conquestus est Virgilius, cùm ingenii sui partum ab alio veluti proprium jactari cerneret.

Author invento suo fraudatus.

Virgilius.

Nocte pluit totâ, redeunt spectacula mane,
Divisum imperium cum Iove Cæsar habet.
Hos ego versiculos feci, tulit alter honores &c.

Plutarchus. Verùm hi alienæ gloriæ prædones illam Plutarchi sententiam alto animo impressam habeant. *Non debemus suffurari gloriam eorum, qui nos in altum extulerunt.*

101. Grandem ac generosum hominis animum Molossus repræsentat, qui taurum aut aprum jacentem obvium habens, neglectim illos transit, veluti nonnisi cum stantibus, & ad pugnam paratis congredi dignaretur. Unde lemma. MAJORA EXPECTO. Eos omnes hæc imago spectat, qui Alexandri Magni vestigia sequuntur. Seneca. *Habet hoc in se generosus animus, quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant & sordida. Magnarum rerum species ad se vocat & extollit.*

Generositas.

Senec. Ep. 39.

Magnanimitas.

102. Canis congenitam habet magnanimitatem adcò generosam, ut minorum canum latratum contemptim præteriens, nonnisi cum leonibus congredi dignetur. Lemma. SPRETIS MINIMIS. vel, PIGET IRRITARE MINORES. Seneca, *Ille magnus & nobilis est, qui, more magnæ feræ, latratus minorum canum securus exaudit.* Et rursùs. *Proprium est magnitudinis veræ, non se sentire percussum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit.* David, à maledico Semei irritatus, in sui patrocinium nihil reponere dignatus est; at verò à Leone, à Gigante, & ab immenso militum exercitu in certamen vocatus, animum adversus ipsos alacrem ac generosum ostendit, moxque pugnâ acceptatâ, victoriam, nullo ævo oblitterandam, obtinuit.

Senec. l. 2. de Ira. c. 32.

Idem l. 3. de Ira c. 25.

Obstinatio.

103. Animum hominis vel imperterritum & invictum; vel certè pertinacissimè obstinatum, Canis ille Indicus repræsentat, qui, teste Diodoro Siculo, leonem dentibus prehensum, tametsi primùm caudâ, & postea singulis quatuor tibiis truncatus, nunquam dimisit, sed etiam mortuus, prædam suam tenacissimè retinuit. Emblemati subscribes. NEC CÆSUS CEDAM. vel, NEC MORTE RELINQUAM. Facinoris hujus præclarum specimen edidit Cynegrius, miles Atheniensis, qui adversus

Diod. Sicul. l. 17.

Persarum classem dimicans, à Justino id encomii retulit; *Tantam in eo virtutem fuisse, ut non tot cædibus fatigatus, non amissis manibus ambabus victus, ad postremum truncus, & veluti fera rabida dentibus dimicuerit.* D. Carolus Rossetus Cardinalis S. Joanni Baptistæ virtutem illam nativam fuisse ait; quippe qui, Divinæ legi observandæ, ac vitiorum odio prædicando unicè intentus, capite potiùs truncari, quàm à cœpto opere desistere voluit. *Veritati testandæ ac prædicandæ ita insistebat, ut nec membrorum quidem principe, capite, truncatus, ac diminutus desisteret.* Homines scelerati, accommodatè ad imaginis præsentis Emblema, nec post mortem à pravis moribus, quibus in vita sua assueverunt, desistunt. Epulo Evangelicus, pridem in inferno sepultus, fratrum suorum commoda anxiè adhuc curabat; carnali affectu, quo vivus erga illos flagrabat, etiamnum in acerbissimis flammis retento. *Lazari quidem anima.* inquit S. Gregorius Nyssenus, *non est erga præsentia sollicita, nec retorquet se ad aliquod relictorum. At dives, quasi quodam visco, etiam post mortem à vita detinetur carnali. Nam si quis omninò carnalis secundum mentem fiat, nec postquam corpus exuerit, removetur à passionibus ejus.*

Iustin. lib. 2.

D. Carol. Ross. Admonit. ad Prædic. § 2.

Peccator.

S. Greg. Nyss. in Cat. aur. D. Thomæ.

104. Cani epigraphen, è Pindaro mutuatam, indidit Tassus: BLANDITUR AMICIS. Hinc Principes & Magistratus benevolentiam & affabilitatem erga benè meritos discant: Contra verò Bargalius è lemmate, suprà Molossum posito, IMMITIS IN HOSTES; eosdem Principes instruit, in sceleratos & hostes, pro Reipublicæ bono, severe ac justè animadvertendum esse. Argumento haud absimili quidam è Serenissimis Ducibus Mantuanis se ipsum terribilis molossi symbòlo adumbravit; additâ inscriptione: FERIS TANTUM INFESTUS. Alius demùm, unico lemmate rigorem & benevolentiam complexus, cani subscripsit. MORDE GLI ESTRANI, ET A GLI AMICI APPLAUDE. Id est, *Extraneos mordens, solis blanditur amicis.* Plato mansuetudinem & rigorem, à Magistratu in populo gubernando exercendum, commonstraturus, canem exhibet, domesticis excubiis intentum. *Ubi namq; mansuetudo, iracundumque ingenium reperiuntur, in aliis animalibus? In hoc utique videre licet, & non minimè in eo, cum quo nostrum custodem comparabamus: nosti enim generosi canis hunc esse à natura morem, ut adversùs familiares & notos mitissimus sit; contra verò adversùs ignotos.* S. Gregorius Nazianzenus geminum hunc affectum in Herone Alexandrino observans, ait, *Adesdum canis non impudentiâ, sed oris libertate; non ingluvie, sed quia in diem vivis, non latratu, sed boni custodiâ, vigiliisque pro animarum salute susceptis, atque etiam quia virtutis quidem familiares ac domesticos mulces, alienis autem oblatras.* Proindè Hero simul & pastor verus, & Concionator sapiens extitit, dum suavi voce miseras oviculas solari ac sublevare; lupos verò sanguinarios terrere & in fugam agere est solitus. Christus in extremò judicio ad hanc ideam componendus S. Isidoro videtur, *Pro diversitate conscientiarum,* inquit, *& mitis apparebat in judicio Christus electis & terribilis reprobis: nam qualem quisque conscientiam tulerit, talem & judicem habebit, ut manente in suâ tranquillitate Christo, illis solis terribilis appareat, quos conscientia in malis accusat.* Cæterùm D. Marinus iisdem coloribus importunos dæmonis mores describit, qui in hac vita exteris ac hostibus suis mordax, sceleratis verò, utpotè amicis suis, blandus existit. Poëma ipsius ita sonat.

Magistratus.

Plato l. 2. de Republ.

S. Greg. Naz. Orat. 23.

Christus Judex.

S. Isid. l. 2. sent. c. 30.

Dæmon.

D. Marinella Lyra p. 3.

Io pur

Io pur ti fuggo, e tù mi segui è giungi.
Rompo ceppi e catene, e non mi sciolgo
Mostro perverso, e più m'assal e pungi,
Quanto più per lasciatti il piè rivolgo.
Hor che da le tue man minuolo, e tolgo
Eche da te per Buon sentier vo lungi,
Più tentato da te mi lagno, e tolgo
E forze à forze, ad armi aggiungi.
Tale il Socero iniquo, alhor che feo
L'amorosa rapina, armato vide
Tosto à suoi danni il fuggitivo Ebreo.
Cosi MASTIN dal uscio, oue s'asside
Hor mansueto, hor minaccioso è reo
MORDE GLI ESTRANEI, ET A GLI AMICI ARRIDE.

Detractor. 105. Homo, detractionibus & calumniis deditus, dum proximo suo malignum dentem infigere conatur, propriam famam vituperio non exiguo commaculat: haud secùs atque canis, lapidem efferatis dentibus comprimens, sanguinem è propriis faucibus elicit, seque ipsum vulnerat. Unde Torquati Tassi lemma. DEL PROPRIO SANGUE SUO MACCHIATO, E MOLLE. Id est, SUOMET SANGUINE FOEDUS. Dilucidè Siracides, *Susurro inquinabit animam suam, & in omnibus odietur.* S. Joannis Chrysostomi monitum est, *Noli maledicere, ne te ipsum polluas.* Ad propositum Monosticha ista faciunt. *Eccl. 21. 31. S. Io. Chrys. in Ps. 49.*

Damnum reportant plerumque viri maledici:
Qui alii maledicit, sibi convitium facit.

Vindicta. 106. Franciscus Sforzia I. Dux Mediolanensis, obtento regimine, rebusque omnibus armorum violentiâ ad summam tranquillitatem compositis, symboli loco sedentem canem turbinem depingi fecit; subjuncto lemmate. QUIETUM NEMO IMPUNE LACESSET. Nimirùm expeditam vindictam iis minitabatur, qui novas ciere turbas auderent. Valerius Maximus, *Ultionis*, inquit, *quemadmodum acres, ita justi aculei sunt, qui lacessiti concitantur, acceptum dolorem pensare cupientes.* *Val. Maxim. l. 9. c. 10.*

Contemptor rerū cœlestium. 107. Hominem sacrilegum, ac rerum cœlestium contemptorem, canis repræsentat, qui lunam allatrans, epigraphen præfert; DESPICIT ALTA. Sensu non absimili Balthasar Bonifacius de Lupo canit. *Balth Bonif. PP Lararii. Epig. 1.*

Horrendum exululat lupus, os ad sydera tollens:
Flebile demisso vertice balat ovis.
Illum, qui contra Superos infanda procaci
Scommata voce vomit, novimus esse lupum.
Illum, qui lachrymas humili de pectore fundit,
Asserti esse suo de grege Christus ovem.

S. Cyprianus eâdem methaphorâ adversus Demetrianum, impium & sacrilegum hæreticum, usus; in hæc verba scribit: *Oblatrantem, & adversùs Deum, qui unus & verus est, ore sacrilego, & verbis impiis obstrepentem, frequenter, Demetriane, contempseram &c.* *S. Cyprian. contra Demetr.*

Jactabundus. 108. Hominem stolidè jactabundum canis exhibet, qui sonoris vocibus in cœlum sparsis, epigraphen tenet. FRUSTRA AGITUR VOX IRRITA VENTIS. Tertullianus. *Nihil*, inquit, *debuccinemus eorum, quæ apud Deum mercedem merebuntur, nec ea ab hominibus compensemus.* Dionysius Carthusianus in Saule, etiamnum adolescente observat, quod domesticis suis de jumentis recuperatis nuntium lætum perferens, nullam penitùs sui, in Regem uncti, mentionem fecerit. *De sermone autem regni non indicavit eis. Quo exemplo*, inquit, *quorundam jactantia, vanitas, insipientia arguuntur,* *Tertull. libr. de veland. virg in c. 13. 1. Reg. 10. 16. Dionys. Carthus. in hunc locum.*

qui nihil nôrunt celare, & præsertim, si quid gloriæ & honoris eis exhibitum aut exhibendum, silere non valent, & propriam pandunt stoliditatem. Denique Emblema istud Hæreticorum voces & canum latratibus non absimiles, spectat; tametsi enim assiduò adversùs orthodoxam Ecclesiam jactatæ, frustrato tamen ac irrito conatu identidem evanescunt.

Seipsum juvare. 109. Qui propriâ virtute & industriâ è calamitatibus eluctantur, symbolum non incongruum è cane mutuant, cui solenne est, suis vulneribus nullo alio, nisi propriæ linguæ pharmaco mederi. Lemma. SIBI MEDETUR. Dignum in rem præsentem est illud Plinii junioris consilium; *Dispice, ne sit parum providum sperare ex aliis, quod tibi ipse non præstes.* *Plin. Iun. l. 2. Ep. 10.*

Amans modestus. 110. Canis vulneratus os suum fiscellâ obductum habet; cum Hispano lemmate. NI LANNAR, NI CURAR; id est, NEC CONQUERI, NEC CURARI. vel, NEGATA MEDELA. Eos hoc Emblema concernit, quibus via omnis obstructa est, quâ se ab aliorum calumniis purgent; vel qui amore succensus, nihil inhonestam à fœmina postulare audet. In hunc sensum Horatius, *Horat. l. 1. Epist. 17.*

Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.

Damnati. Ibi præsertim, quando malum occultatum non tantùm omnis remedii est expers, sed semper ad deteriora vergit. Certè Damnatorum calamitas penitùs desperata, & immedicabilis, æternùm perlistet, utpote qui ad vulnera lambenda linguam, humilitatem inquam, suorumque scelerum confessionem, penitùs præcisam habent. *Alioquin si humiliter flere,* (verba sunt Galfridi) *si dicere possent. Nos quidem justè digna factis recipimus; audeo dicere, ignis ille inexpugnabilis, tamen extingueretur.* *Galfrid. ap. Tilm in inc. 21. Matth.*

Confessio. 111. Canis, nisi vulnerum linctu sanetur, immedicabili malo sese obnoxium facit, cum lemmate; NI LINGAT, LANGUET. Ita peccator non alio pharmaco, nisi propriâ linguâ malis suis mederi, salutemque recuperare potest. Nathan Davidi Regi commissum scelus exprobrare jussus, sermonem ita dexterè coordinavit, ut David propriâ linguâ se mortis reum pronuntiaret: idque, S. Irenæo teste, sapientissimus Vates eo fine fecerat, *ut ipse dans sententiam de semetipso, & semetipsum dijudicans, misericordiam consequeretur, & remissionem à Christo.* *S. Iren. l. 4. c. 45.*

S. Joannes Baptista. 112. Canis affectum suum erga domesticos etiam gestibus exprimere novit. Unde lemma. VEL NUTU FIDES, ET AMOR. Ita S. Joannes Baptista, tametsi intra matris uterum clausus, præsente tamen Christo *exultavit in utero ejus. Propheta enim*, inquit S. Gregorius Papa, *parente acutius videt & audet, salutatque prophetatum: sed quoniam verbis non poterat, saltat in utero &c.* Et S. Joannes Chrysostomus, *Nondum nascitur, & saltibus loquitur, nondum ei permittitur clamare, & per facta auditur.* *Luc. 1. 41. S Greg. Pap. in Cat. au. S Io. Chrys. ap.*

Reverti. 113. Reverentis fidelitatis, & devoti obsequii hieroglyphicon catellus exhibet, qui tametsi baculi minas expertus, mox tamen iterum ad minitantem revertitur. Lemma. ET TAMEN REDIT. Samson Dalilæ amore captus, posteaquam tertiâ vice ab illa pessimè habitus ac proditus fuerat, adhuc tamen, quasi nullâ unquàm acceptâ injuriâ, etiam quartâ vice fraudulentum ipsius sinum repetit, donec tandem libertatis, oculorum, & vitæ jacturam fecerit. Porrò homo, à Deo castigatus, mox ad illum revertitur, nec ab amore suo quidquam amittit. Nam *Timor Dei*, Magno Augustino teste, *non est servilis, sed castus; gratis amans, non puniri timens, sed separari ab eo, quem diligit.* *Iud. cap. 6. S. Aug. in Ps. 18. Enar. 2.*

Concionator. 114. Aloysius Ferrus Cani, propè vineam, vel certè juxtà gregem excubias agenti, inscripsit: PROHIBET ET INDICAT. Ita prorsùs Theologi & Concionatores, è munere suo, Catholicum gregem, aut sanctam Ecclesiæ vineam ab Hæreticis & infernalibus lupis per doctas & animosas voces propugnent; hos quidem in fugam conjiciendo, illos verò indicando. *Quis est grex* inquit S. Gregorius, *sanctæ Ecclesiæ, nisi multitudo fidelium? vel qui alii hujus gregis canes vocantur, nisi Doctores sancti, qui eorundem fidelium custodes extiterunt? qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigiliis intenti, clamaverunt; magnos, ut ita dixerim, latratus prædicationis dederunt.* Et S. Cyrillus Alexandrinus; *Qui gregem sequuntur canes, undique circumeuntes semper, nec somno, nec dormitatione vincuntur. Si quod enim animal efferatum conspicitur, allatrant fortiter, & omnibus viribus à pecore arcere satagunt. Atque hoc officium gregis, ratione præditi, proceribus incumbit, Præceptoribus videlicet, & Doctoribus, ut curam habeant subjugatorum, & omnibus modis eos abigant, qui injuria & incommodo volunt afficere.*

S.Greg l 20. moral.c. 9.

S.Cyril. Alex l.4. in Isa.

115. Canis Indicus, dum in terra versatur, animal quadrupes est; aquis verò injectus, piscis evadit. Unde eidem, in undas mergendo; D. Aresius subscripsit; MUTABOR IN ALIUM. Ita homo mores iis conformes assumit, quorum societate utitur. S. Paulum imago ista cumprimis repræsentat, qui cœlestis gratiæ aquis immersus, è lupo in agnum, è persecutore in Prædicatorem, &, ut compendio dicam, è feroci Saulo in mansuetissimum Doctorem, metamorphosi non minùs insolitâ quàm admirandâ est commutatus. S. Ambrosius, *Priusquam hic Apostolus præceptis spiritualibus lavaretur, erat blasphemus, persecutor & Saulus; at ubi pluvia super eum lavacri cœlestis influxit, necatur blasphemus, persecutor necatur, & Saulus; & vivificatur Paulus, ut cum moribus mutaret & nomen.* Cæterùm peccator è pœnitentiæ Sacramento; & Christianus è Religionis ingressu, penitùs innovantur, & homines, à prioribus longè diversissimos, induunt.

Mutatio. S. Paulus.

S. Ambros. serm. 31.

Pœnitens. Religiosus

Studiosus cautus. 116. Divina arcana non esse intellectu nimiùm curioso investiganda, & Aresius è Canis Ægyptii symbolo persuadere conatur, qui è Nilo flumine sitim levaturus, crocodilorum metu, aquas vix momento & primoribus labiis attingit; lemmate è D. Paulo addito. NON PLUS QUAM OPORTET. Apostoli verba sunt; *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Hunc locum interpretatus S. Bernardus, ait, *Perscrutari prohibemur, & plus sapere quàm oportet; sed amare etiam plus, quàm possumus, præcipimur.* Et certè, *si neque scientiâ*, inquit S. Basilius, *minutissimæ formicæ assecutus es naturam, quomodo incomprehensibilem Dei potentiam cogitatione comprehendisse gloriaris?* Creatus noster, & tot limitibus circumscriptus intellectus perfectam creaturæ cujusvis vilissimæ cognitionem nonnisi difficillimè assequi potest; & quî amabo, ad comprehendendam rerum Divinarum infinitatem sublevetur? Salomonis hoc ratiocinium est, *Difficilè æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore; quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?* Optimè monet Aristoteles, *Nunquàm verecundiores simus, quàm cùm de Deo agitur.* Horatius eos, qui res quasvis penitiùs, quam par est, penetrare nituntur, stultitiam suam potiùs, quàm sapientiam prodere asserit.

Rom. 12. 3.

S Bern. opusc. de charit. c. 4.

S. Basilius.

Sap. 9.17.

Insani sapiens nomen feret, æquus iniqui,
Ultrà, quàm satis est, virtutem si petat ipsam.

Horat. l.1. Epist.5.

117. Hominem; intenso quidem amore inflammatum, sed tamen simul modestum; canis rabidus repræsentat, qui aquas intuitus, eas attingere non audet: Unde lemma. ARDET, NEC AUDET. Ovidius in hanc rem puellæ cujusdam exemplum adducit.

Amans modestus.

Noctis erat medium, curasque & corpora somnus
Solverat, & virgo Cinyreia pervigil igne
Carpitur indomito, furiosaque vota retractat,
Et modò desperat, modò vult tentare: pudetq;,
Et cupit, & quid agat non invenit.

Ovid. l. 10. Metamor.

Torquatus Tassus de Olindo, Sophroniæ amante, canit.

Tass nella Liberat. Cato 2 stanz. 16

Et che modesto è sì, com' essa è bella.
BRAMA ASSI, poco spera, e nulla chiede.
Nè sà scoprire, ò NON ARDISCE, & ella
O lo sprezza, ò no'l vede, o non s' auuede.

Denique diabolus instar rapidi canis, adversùs hominis salutem accensus, eum lachrymis & pœnitentiâ madentem, attingere non audet. *Qui seipsum accusat in peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die judicii; si tamen confitens pœnitendo deleat quæ fecit, nec iterùm renovet quæ egit*; inquit S. P. Augustinus.

Pœnitentia.

S Aug. serm 66. de Temp.

118. Canis turbo, ad quietem compositus, in terra recumbit; cum lemmate. OTIOR, UT OCYOR; Id est, *quiesco, ut velocior evadam.* Inde constat, quantùm levaminis in negotiis nostris promovendis capiamus, si inter labores nonnunquam respirare liceat. Aristoteles; *Omnis laborans requie indiget.* Et Ovidius.

Otium utile.

Arist. 8. Polit.

Otia corpus alunt animus quoque pascitur illis.

119. D. Carolus Bossus sedentem canem pernicem lemmate, priori non absimili, notavit; UT VALIDIUS. Academia Restauratorum hanc iconem symboli loco præfert, in qua religiosa studiosorum juventus unâ hebdomadis die deambulatum in hortum concessit, ibidem vires defatigatas honestis exercitationibus, ad Scolasticos labores alacrius percurrendos, recreatura. Dio dicere solebat; *Dominari oportet moderatè, & recreari cupientibus id permittere. Remissiones enim ad novos labores præparant. Et arcus, & lyra, & homo quietè vigent.*

Recreatio

Dio in Oeconomicis apud Stobeum serm. 62.

120. Detractor; alterius nomini & famæ lacerandæ assuetus, canem imitatur; qui adversùs dore adem concitatus, epigraphen sustinet. LATRATU, ET MORSU. Quantum quidem latratum attinet, perspicuè Seneca; *Quibusdam canibus sic innatum est, ut non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.* Et subjungit; *Malè de se loquuntur? Bene nesciunt loqui, faciunt, non quod mereor, sed quod solent.* Quantùm verò ad morsum spectat, Anonymus, in illud psalmi commentatus, *Circumdederunt me canes multi*; ait, *sicut canes dentibus mordent & lacerant: sic isti (Judæi) Christum detractionibus mordendo, ejus famam lacerabant.*

Detracto

Senec. de rem. fort.

Anonym. Ps. 21.

121. Resolutus & constans hominis animus canis Emblemate significatur, qui cervam insecutus, ab ea se nunquàm destiturum, in hæc verba, lemmatis loco, protestatur. DONEC CAPIAM. Præclarè S. Joannes Chrysostomus; *Non satis est, semel cum laude rem gerere, sed perpetuò: Etenim qui, postquam decem delichos cucurrit, si post deficiat totam laudem perdidit, & nos, si semel aggressi bona opera, postea defecerimus, totum amisimus, totum perdidimus.*

Perseverantia.

S. Io. Chr. Hom. 1. in Epist. ad Phil.

122. Nobile quoddam ingenium, cùm canes dormientes nonnunquàm latrare observasset, omninò sibi persuasum habuit, eos somniis agitari. Unde canem pernicem, somno obrutum, hoc lemmate insignivit. MENS TAMEN IN SYLVIS. Verùm quidquid de canibus objeceris, de eo saltem non dubi-

Peccator dormiens aut moribundus.

dubitabis, peccatorem, mortis lethargo aut somno sepultum, illas ipsas curas assiduâ mente revolvere, quibus per vitæ decursum assuevit. Conquerentem audi Magnum Augustinum, qui secundùm quietem res illas volvebat animo, quas non sine Dei offensa olim interdiu exercuerat. *Adhuc vivunt in memoria mea rerum imagines, quas ibi consuetudo mea fixit: & occursant mihi vigilanti, quidem carentes viribus; in somnis autem non solùm usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem, factumq; sim illimum.* Claudianus.

S. Aug. lib. 10. Conf. c. 30.

Claud. Pref. in 6. Honor. Consulatu.

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa toro cùm membra reponit,
Mens tamen ad sylvas, & sua lustra redit.

Lucret. l. 4. de rer. natura.

Vide complura adhuc disticha, quæ ibidem his subjungit. In eandem sententiam concedunt Lucretius Petronius Arbiter: & Seneca.

Senec. in Octavia.

Quæcunque mentis agitat infestus vigor
Ea per quietem sacer, & arcanus refert
Veloxque sensu &c.

Fulv. Testi nelle Poesie Liriche p. 1.

Denique Fulvius Testi in Poësi suâ Lyricâ idiomate vernaculo canit.

A lusingar le sonnachiose menti
Suol da le porte eburne
De sogni uscir la faccolosa schiera:
E l'immagin del ben, che più si speta
Fan con ombre notturne
Che vivamente al cor si rappresenti.
Il Duce avezzo à sanguinosa pugna,
Sognando il ferro impugna;
Preme il nemico à la vittoria intento,
E di vane ferite impiaga il vento.
Il caviator tutto anhelante, e lasso,
Per solitario lido
Di fuggitiva cerva incalza l'orme;
Stilla sudor dal crine, e sè ben dorme.
Pur rauco inalza il grido,
E del veltro fedele affretta il passo.
Vede l'avaro in chiusa parte ascoso
Tesoro luminoso;
E mentre parch' el prenda, e che lo stringa,
Di pretiosa froda il cor lusinga &c.

123. Bellidux, exercitum suum, haud secus ac cor exteriores corporis partes, dirigere solitus; vel homo privatus, inter viros armatos incedens, canis emblemate repræsentatur, qui millo, muricibus & clavis probe munito, indutus; epigraphen præfert: TUTUS INCEDIT. Vel ipsius canis voce; SECURUS INCEDO. Hanc iconem supra Domûs Pisanæ ostium ære fusam cernere licet; eâque hominis patrocinium & tutela significatur. Christiani eandem securitatem è calamitatibus capiunt, siquidem à lupo tartareo nunquam ita tranquilli vivunt, nisi quando acerbis ærumnarum mucronibus cincti fuerint. S. P. Augustinus de Davide disserens, *Erat*, inquit, *in infirmitate tribulationis suæ tantò in Deum intensior, quantò miserior videbatur: utile quiddam est tribulatio, utile medici ferramentum, tanquam contra diaboli tentamentum.*

Patrocinium.

Cautela.

Calamitas securum facit.

S. August. in Ps. 21.

124. Canis, perfectæ obedientiæ Symbolum, Lucarino authore epigraphen habet. AD NUTUM OBSEQUENS. Abrahamus, jamjam gladio in ictum vibrato, unicâ Dei voce auditâ, ferrum in aëre suspendit, & promptè respondit, *Adsum.* Poterat cum S. Basilio Hispalensi subjungere, *Non sacra meâ lentitudine defœdavi.* Cùm à Deo in mandatis accepisset, *Egredere de terra tua, & de cognatione tuâ*; supremum hoc imperium celerrimè executus, Chrysostomo asserente, *mox ut audivit, egredere de terra tua, non moras nexuit, non distulit, sed obediens imperanti, quod imperatum erat, mox fecit.* Abrahamo nec quidquam inferior S. Josephus, cùm parvulum JESUM fugâ salvare, & in Ægyptum transferre juberetur, eâdem adhuc nocte morem gessit, *Et accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum.*

Obedientia.

S. Basil. Orat. 5.

Gen. 12. 1.

S. Chrysost. hom 32. in Gen.

S. Josephus.

Matth. 2. 14.

125. Canis, homini cæco ducis loco inserviens, ab Alciabiade Lucarino epigraphen tulit. DUCIT TUTE. Tutelaris Angeli hæc idea est. Unde juvenis Tobias de Angelico suo duce ajebat, *Me duxit, & reduxit sanum.* S. Bernardus, *Quid*, inquit, *sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minùs autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris; fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt: quid trepidamus? tantùm sequamur eos, adhæreamus eis &c.*

Angelus Custos.

Tob. 12. 3.

S. Bernn. in Ps. Qui habitat.

126. Canis, generosi & grandis animi typus, prædâ superatâ, ac humi dejectâ, nil ultrà tentat, eamque relinquit intactam. Unde Lucarini lemma. VICTORIAM, NON PRÆDAM. Hanc ipsam fuisse mentem celeberrimi Belliducis Godefridi testatur sequenti poëmate Tassus; cum enim audiret dici à capto Altamoro,

Animus generosus.

Tass. liberata Cant. 20. st. 142.

Me l'oro del mio regno, e me le gemme
Ricompreran de la pietosa moglie.

Mox respondit,

-------- Il ciel non diemmè
Animo tal, che di tesor s'invoglie;
Ciò, che ti vien da l'Indiche maremme
Habbiti pare, ciò che Persia accoglie,
Che de la vita altrui prezzo non cerco:
Guerreggio in Asia, e non vi cambio, ò merco.

P. Hortensius Pallavicinus, illustri suo ingenio castrum Casalense commemorans, quod Marchio de Caracena, à se expugnatum, mox Serenissimo Carolo II. Duci Mantuano consignârat, inter viginti elogia, in hanc rem composita, etiam hoc recenset.

Hort. Pallav. Elog. 17.

Hoc est Divinitatis more agere
Acquirere præter justam & solidam gloriam, nihil.
Amasii æternitatis Heroës
Solam nominis immortalitatem amant.
Ingens sibi pretium est,
Fama mũdo æqualis, Gloria cœlo contermina:
Victoria regno digna: triumphus sæculis Major.
Nulla major bellicâ victoriâ,
Quàm sui esse victorem,
Et ex hostis victi manubiis
Nihil referre præter victrices manus.

His jungendos censui vivaces ac concinnos illos versiculos, qui Patavii in nostra Canonia S. Joannis di Verdara suprà aliquot immensæ magnitudinis globos tormentarios, in obsidione Paduana ab Imperatore adhiberi solitos, scripti reperiuntur sequentes versiculi:

Ales Iovis ter maximi,
Matris Deorum bijuges,
His lusitabant sphærulis,
Non lucri ergo nec sanguinis,
Sed Imperii, sed gloriæ.

His omnibus longè superior Abrahamus, posteaquàm è quinque devictis Regibus gloriosam palmam retulerat, nec minimam superbæ illius prædæ particulam sibi reservare aut attingere voluit. De hoc S. Ambrosius; *Quantùm autem illud, quod de præda*

S. Ambros. l. 1. de Abraham. c. 3.

præda victoriæ nihil voluit contingere Patriarcha, neque oblatum sumere? Minuit enim fructum triumphi mercedis susceptio, & beneficii arrodit gratiam, plurimùm enim refert, utrùm pecuniæ, an gloriæ dimicaveris &c.

Judex. 127. Idem Lucarinus, sagacem Judicem cum cane odoro comparans, epigraphen addidit. ET OLFACTU INDAGAT. Eos quoque hæc imago spectat, qui suavissimum virtutis odorem omni studio investigant & sequuntur. Philo; *Quemadmodum canes venatici à longinquo ad feras perveniunt, odorem sequentes, cujus eximio sensu à natura sunt præditi; eodem modo à justitia, cæterisque virtutibus exhalantes suaves auras amator scientiæ vestigat, cupiens originem tantæ voluptatis assequi, huc illuc cursitans, & vel ipso honestatis odore, tanquam sacro nidore, se recreans.* Huic ex integro conformis S. Thomas Villanovanus; ait, *Nonnisi longo & laborioso discursu, veluti canis olfactu lepores, cæcutiendo inquirimus veritatem: ad quam vix unquam post diuturnam meditationis & ratiocinationis inquisitionem cum animi vexatione & afflictione pertingimus.*

Desideriū virtutis. Philo lib. de Somn. S Tho Villa. Conc de D. Mich. Arch.

Confessio. 128. Canis propriâ suâ linguâ vulneri medetur; cum lemmate: HINC SALUS. Pœnitentem hæc imago concernit, qui, delictis suis propriâ linguâ ad sacrum tribunal delatis, animæ salutem consequitur. Succincto, sed sufficiente acroamate Absalon Abbas; *Lingua canis*, inquit, *medicina pœnitentialis.* Et S. Joannes Chrysostomus. *In mundanis quidem atque forensibus judiciis, post accusationem & criminum confessionem restat mors, at apud Divinum tribunal, post utramque, corona &c.*

Absal. Abb. serm. 48. S. Io. Chrysost Hom. 3. de Iosia,

Insatiabilitas. 129. Stultus, vanus, & insatiabilis hominis animus, ut incertas opes acquirat, certas insanè dimittere solet: haud secùs atque canis Æsopi, carnis frusto è faucibus abjecto, illius umbram, supra aquas expressam, est sectatus. Unde lemma huic cani inditum. FUGITIVA SEQUOR. vel, EXPETIT ID, QUOD ABEST. Justus Lipsius. *Miseria aut insipientia nostra! Nunquam desideriis aut judiciis quiescere, absentia petere, præsentia contemnere: & vitam semper inter vota suspensam habere.* Et Hugo Victorinus; *Quod canis carnem in flumine propter concupitam umbram dimittit; significat homines propter ambitionem ignotæ rei, id quoque, quod proprii est juris, relinquere, unde fit, ut, dum non valent adipisci id quod cupiunt, frustra volunt quod reliquerunt.* Eodem argumento S. Asterius diaboli lapsum, è peccato secutum, exprimit; *Diabolus*, inquit, *cùm eminentissimam Archangeli dignitatem & ordinem obtineret, tyrannidem ac rebellionem adversùs Divinitatem, quam captabat, adeptus est; & Archangeli, quo fulgebat, honorem amisit; canis instar illius, in Græcorum fabulis, qui & carnem perdidit, & umbram prehendere non potuit.*

Lips Centur. Miscell. Ep. 28. Hug Vict. l.2 de Best. c.17. Damon. S. Asterius Hom. de Avaritia.

Celeritas. 130. Joannes Ferrus Cardinalem Scagliam, celeri virtutum suarum gressu ad supremum Purpuræ Ecclesiasticæ apicem promotum, Emblemate exornaturus; canem ipsius gentilitium hoc lemmate insignivit; CURSU PRÆDAM. Et certè res grandes nonnisi celeritate assequi licet. Plutarcho referente, *Cæsar magna facinora facienda ajebat, non deliberanda.* Idem Cæsar, Pharnace ad primum statim incursum devicto, famosas has voculas ad suos familiares perscripsit, *Veni, vidi, vici*; veluti totius victoriæ suæ felicitatem unicè in celeritate sitam fuisse diceret. Silius Italicus.

Plutarch. in Apoph. Sil. Ital. l.4.

Pelle moras, brevis est magni fortuna favoris.

Virgil. 8. Æn vers. 462.

131. Sicuti canis herum suum studiosè insequitur, &, quod Virgilius apud Joannem Ferrum lemmatis loco ait; GRESSUM COMITATUR HERILEM. Ita filius Patris, servus Domini, subditus Principis aut Prælati sui vestigia pede nunquam exerrante premant. Plinius. *Flexibiles quamcumque in partem ducimur à Principe, &, ut ita dicam, sequaces sumus.* Paterfamilias, instar Pastoris Evangelici, reliquam familiam suam exemplo præcedat, quem illa, simplicissimarum ovium more, è vestigio sequatur. *Ante eas vadit, & oves illum sequuntur.* Hæc Apostoli verba interpretatus S. Cyrillus Alexandrinus, *Ante eas vadit*, inquit, *quia rectè vivendi exemplum, quasi vestigia pedum ipsorum oculis objiciens, quid faciendum, aut quid fugiendum, opere docet, & oves illum sequuntur.*

Plin. ad Trajanum. Exemplū. Io. 10: 4. S. Cyrill. Alex. in hūc loc.

Prædicator Deus. 132. Canis venaticus, ferarum vestigia insequens, epigraphen tenet. SEMITAS NON IGNORAT. Ita Verbi Divini præcones, peccatorum moribus probè investigatis ac detectis, eos è vitiorum cavernis ad Deum reducunt. Imò ipse quoque Deus infinitâ suâ sapientiâ omnium nostrûm vestigia rimatur; Jobo asserente, *Observasti omnes semitas meas*, Cui assentiens David, *Intellexisti*, inquit, *cogitationes meas de longè, semitam meam & funiculum meum investigasti; & omnes vias meas prævidisti.* Und S. P. Augustinus. *Quæsivit vos Deus, antequam quæreretis eum; & invenit vos, ut inveniretis eum.*

Iob. 13. 27. Ps. 138. 3. S. Aug. in Ps. 138.

Juventutis disciplina. 133. Canes venatici nonnunquam arctis funibus à venatoribus retinentur, ut iis postea laxatis, majore impetu in feras ruant. Unde similem canem, muro alligatum, hoc lemmate affecerunt; POST VINCULA CELERIOR. Eosdem effectus in juvenibus videas, qui intra arctioris vitæ limites providè constricti, postea, dum in libertatem asseruntur, integro conatu versùs virtutem tendunt. Paulus Maccius.

Paul. Macc. Embl. 24.

Multa feras, faciasque puer, nec sudor, & algor
Dimoveant duri ferre laboris onus.
Nec te vincla pati pigeat, nec verba regentis,
Ut cursu metam liberiore petas.
Copula sic VINCTOS solvit prius arcta molossos,
Ut capiant CELERES per juga summa feras.

Calamitas, ad Deum stimulat. Idipsum de tribulatione dixerim, quæ ad Deum tantò celerius investigandum impellit. Unde Sanctus P. Augustinus; *Imples tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te; ne delitiis & securitate perversâ seducantur.*

S. Aug. in Ps. 55.

Educatio. 134. Catellus, cervinis exuviis latrando insultans, subscriptionem à me recepit: ROBORAT AD ARDUA PECTUS. Inde discas velim, quantùm viribus nostris accrescat, si ætate etiamnum tenerâ in virtutum palæstrâ decurrere, iisque probè assuefieri conemur. Unde hortatur Magnus Augustinus; *Filii à juventute vestrâ eligite doctrinam, & usque ad canos invenietis sapientiam.* Horatius tàm sensum quàm corpus Emblematis suggerens, in hæc verba canit.

S. Aug. serm. 240. de Temp. Horat. Epist. l. 1. ad Collium.

—— —— —— Venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aulâ,
Militat in sylvis catulus.

Idem l. 4. Carm. Ode 6.

Et rursùs,

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Laus animat. 135. Pectori nostro ex hominum acclamatione vires animumque ad illustriora facinora perpetranda addi; Ferrus è cane venatico demonstrat; cui hanc epigraphen præfixit. CLAMORE PREMOR. Cassiodorus Regis Theodorici ore, *Debetis*, inquit, *benè gerentibus, ut eos laudis vestræ comitetur assensus. Nam si equorum cursus, hominum clamoribus incitatur, & sonantium manibus agitur, ut à mutis animalibus*

Cassiod. l. Var. Epist. 13.

malibus velocitas appetatur, quantùm inde homines simulari posse credimus, quos ad laudis aviditatatem natos singulariter invenimus?

Dependentia. 136. Canis ad portam excubias agens, epigraphen tenet; DOMINO MANDANTE. Strictam ab alterius voluntate dependentiam hæc imago repræsentat. Ad propositum D. Joannes Paschalius.

Stat vigil ante fores, Domino mandante, catellus;
Imperiis prompti signa clientis habens.

Psal.102.n.10. & 21. Perfectam hanc obedientiam, & voluntatem, alterius nutui penitùs affixam, Regius Vates in Angelis miratus, eosque cognominat *Potentes virtute, FACIENTES VERBUM ILLIUS, ad audiendam vocem sermonum ejus*; Et paulò infrà, *Ministri ejus, qui faciunt voluntatem ejus.* Idem de stellis ait Baruch Propheta, Baruch. 3. 4. *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: VOCATÆ sunt, & DIXERUNT ADSUMUS.* Samuel humanam promptitudinem Divinæ dispositioni arcto, sed tamen gratioso vinculo connexam habebat; unde, quod Regum Fasti memorant, Heli illum in hæc verba Deo vocanti respondere docuit; 1.Reg.3.9. *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Adeo nimirum Deus sua præcepta apertis auribus, & prompto gressu ab homine excipi cupit. Verùm Abrahamus in hoc obedientiæ, ac voluntatis ad Deum conformandæ studio, plerisque aliis palmam præripit. Enimverò *Domino* acerbam circumcisionem *mandante,* Gen.17. 23. *circūcidit carnem præputii eorū* (nempe servorū suorū) *statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus.* In hunc locum Abulensis, Abul. in hunc loc. *Verus obediens moras nescit; nec diu in agendo deliberat, cùm mandatum fuerit: sicut nec veris moratis nihil agendo moratur, postquam consiliatum fuerit, ut ait Aristoteles 6. Ethic. cap. de Eubulia. Eundem locum habet obedientia, & Eubulia, quia sicut POST CONSILIUM perfectum nihil manet, nisi OPERARI; ita proposito mandato obedienti, solum operatio sequitur.*

137. Canis, coturnices excitans, epigraphen tenet. ERRANDO PRÆDATUR. Quo Emblemate Academicus, inter Errantes Brixienses Intentus, utitur. Huic affine est alterum Academici, inter Errantes Inventivi; in quo canis odorus exhibetur, demisso capite campos oberrans, cum lemmate. Studiosus. ERRAT, UT INVENIAT. Innuebant nimirum, hominem studiis ac speculationibus indefessè deditum, tametsi fructu suo aliquamdiu frustretur, tandem tamen ad rei desideratæ intelligentiam perventurum. S.Cyrillus Alexandrinus, S.Cyrill Al. in Ioa. l. 10. c. 1. *Canes venaticos imitatur prudens ac sapiens auditor, huc illucque feras quærentes. Ipse enim non intellectam rem, sæpè ac multum investigans interrogansque, tandem assequitur.* Diligentia reperit. Inde etiam perspicuum habes, felicitatis cujusvis apicem nonnisi per laboris & industriæ vestigia, sedulò percurrenda, obtineri. Verissimè dixit Pindarus Pindaris. *Si vero aliqua est inter homines felicitas, ea non sine labore existit.* Et Otho Venius de Amore canit.

Venator saltus, atque invia lustra pererrat,
Sectaturque vagas per juga summa feras:
Nec cessator eris; quod amas, quæsisse necesse est:
Non petit ipsa tuum præda cupita sinum.

Objectum vicinum plus desideratur. 138. Academicus, inter Philopponos Faventinos Avidus, Symboli loco canem præfert, qui leporem insecutus, epigraphen habet. QUO PROPIOR, AVIDIOR. Enimverò res anxiè desiderata, quò nobis accesserit vicinior, eò majorem sui cupidinem & anxietatem excitat: hujus experimentum habent Ambitiosi versus concupitam dignitatem; Lascivi versùs caducam formam &c. libido enim è rei lascivæ præsentiâ incrementum capit, tantoque urit vehementius, quò fuerimus occasioni propiores. Occasio. Ut adeò provide hortetur Magnus Augustinus; *Ab omnibus Christianis, præcipuè tamen Clericis, sive Monachis, indigna & inhonesta familiaritas fugienda est; quia sine ulla dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò delabitur in ruinam.* S Aug. serm. 250. de Temp. cap. 1. Meus D. Salvator Carducius Emblematis mentem hoc disticho explicat.

Quò propior, magis est avidus canis, assecla prædæ;
Quò propiora videt, cor magè læta sitit.

139. Aliquot catelli leonem quiescentem, eorumque penitùs incurium, iteratis quidem, sed tamen irritis conatibus provocant. Quibus proinde subscripsit Gambertus; SECURI INSULTANT. Generosus animus non curat debilium insultus. Leo enim; consideratâ illorum vilitate, suarumque virium magnitudine, cum hoste adeò inæquali in arenam descendere dedignatur, insultusque eorum generosè contemnit. Idipsum homo, Deo addictus, assolet; mundumque sive blandientem, sive adversantem, velutì ipsius irâ aut obsequio indignum, generosè contemnit. *Vivamus benè*, inquit S. P. Augustinus, S.Aug.serm. 52 de Tem. cap. 5. *mundum contemnamus, nihil nobis sit omne, quod transit.* Martialis leporem quemdam, cùm se à vicino Leone devorandum timeret, facetè consolatur, eumque ad mortem adeò illustrem nequaquam destinatum esse ait; Mart. lib. 1. Epigr. 17. siquidem Leo ignobiles hujusmodi prædas suâ indignatione & assultu dignari non soleret.

Desperanda tibi est ingentis gloria fati;
Non potes hoc tenuis præda sub hoste mori.

140. Lucretius Borsatus canem, sub nocturno cœlo ad palatii cujusdam fores excubantem, repræsentat; cum lemmate. QUO OPPORTUNIUS, EO VIGILANTIUS. D. Antonium Longum hoc Emblemate honorabat, qui patriam tanto majore vigilantiâ & solicitudine tuebatur, quò necessitas & occasio id ampliùs exigebant. Vigilantia. Ad rem S. Petrus Chrysologus, *Pastor adjungit noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi, ne quâ lupis, suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio.* S. Pet. Chrysol. ser. 24.

141. Cani, virgâ percusso, inscripsi; SFERZATO IMPARA. Id est; FLAGELLATUS DISCIT. Calamitas utilis. Ita homo, Numinis supremi manu nonnihil accerbiore percussus, ad legis obsequium majore studio contendit. S. P. Augustinus. *Qui te FLAGELLAT in isto sæculo, AD EMENDATIONEM, non ad damnationem facit.* S. Aug Tract. 12. in Ioan.

142. Canum vulnera, non mordaci dente, sed molli linguâ persanantur; S. Gregorio teste, *Canum lingua vulnus dum lingit, sanat.* Correctio mansueta. Unde lemma. LINGENDO SANAT. Ita spirituales proximi infirmitates ac defectus, non quidem superbâ & mordaci agendi ratione, sed mansuetâ & suavi coriguntur. S. Nili parænesis est; *Si peccatorem admones, misce compassionis verba, & aures emollientur, cor vero illuminabitur.* S Nil. Paræn. n. 10. Cui assentiens meus Concanonicus D. Absalon Abbas; *Lingua canis*, inquit, *medicina pœnitentialis est, quâ sanantur illi, qui post graves lapsus peccatorum & criminum fortiores resurgunt. Dum enim à Prælatis Ecclesiarum fructuosæ pœnitentiæ visitantur consiliis, quasi linctu canis pristinæ restituuntur sanitati;* Absal. Abb. serm. 48. si porrò linguæ hujus caninæ usum perdiscere cupias, mox subjungit; *Piâ compassione benignè suscipiat, & consolatione paternâ mulceat.*

143. D. Cæsar Antonius Bendinellus juvenem quemdam, lascivæ fœminæ insidias declinare solitum

tum, canis Ægyptii symbolo repræsentat; qui, ne Crocodilis in prædam cedat, Nili undas nonnisi fugiendo lambit: lemmate, præceptionis vice, addito: NE PEREAS, PER EAS. Et certè inter carnis insidias nonnisi è fugâ consilium petere licet; Concinnè Ovidius;

Fugere occasionem. Ovid. 2. de Arte.

Cùm mora non tuta est, totis incumbere remis
Utile, & admisso subdere calcar equo.

S. Basil Const Monast. c. 4. S. Basilius, *Fugiendum est*, inquit, *cùm primùm quæcunque in conspectum nostrum adducta, refricata libidinum memoria; consilium; rationemque in nobis perturbant atque confundunt.* Breviter, sed nervosè Sanctus Gregorius Nazianzenus, (S. Greg Naz.)

Stare volens, extrà limina stato mali.

Ovid. l. 2. de Remed. Enimverò, ut Ovidius observat, in malorum societate non præcipitari, penè est impossibile,

Non facile esuriens, positâ retinebere mensâ,
Et multum saliens incidat unda sitim.
Non facile est taurum visâ retinere juvencâ,
Fortis equus visâ semper adhinnit equâ.

Totius doctrinæ præsentis epitomen è celebri illo disticho petes, cujus dimidium pentametron lemmatis loco usurpavimus.

Quid facies, facies Veneris, si veneris ante?
Ne pereas, per eas; ne sedeas, sed eas.

Adulatio. 144. Canis, genuinum adulatoris symbolum, epigraphen præfert; ET BLANDIOR, ET NOCEO. Huic enim vitio solenne est, nocere dum blanditur. Ad rē nostram S. Hieron. *Nunc rara fides est, aliud in labiis, aliud in corde versatur. Venenum animæ linguæ mella contegunt.* Idipsum Advocatus, Meretrix, & Usurarius assolent, qui omnes simul & blandiuntur, & nocent. (S. Hieron. in Matth.)

Spes præmii. 145. Æternæ quietis contingendæ spem ad cumulatas hujus mundi calamitates superandas plurimum conferre, è canibus haud obscurè conjicere licet; qui, dum turbido flumini innatant, Virgilii epigraphen sustinent. RIPÆ ULTERIORIS AMORE. S. P. Augustinus; *Operarius deficeret in via, nisi attenderet, quod accepturus esset. Cùm enim attenderis, quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris.* Et S. Gregorius, in illa Apostoli verba commentatus; *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*; ait, *Paulus semper se ipso robustior, contra adversa erigitur: quia nimirum finem sui operis sicut mercenarius præstolatur. Grave namque, quod sustinet, æstimat; sed leve hoc per præmii considerationem pensat.* (Virgil 6. Æn. vers. 314. S. Aug serm. 14. de Sanct. Rom. 8. 18. S. Greg. l. 8. Moral. c. 5.)

146. Aliquot canes, dum, transmisso flumine, jamjam ripam contingunt; epigraphen tenent: PER AQUAM IN REFRIGERIUM. Ad verbum Regius Psaltes, *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Inde ingens animæ, inter piaculares flammas detentæ, gaudium colligere licet, quâ lætitiâ tantò prolixiore ad cælestem Pharum emergit, quò acerbius in expiatoriis cruciatibus affligebatur. *Opportunè siquidem*, inquit S. Bernardus, *post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus; Placet cunctis securitas, sed ei magis, qui timuit: jucunda omnibus lux, sed evadenti de potestate tenebrarum jucundior &c.* (Ps. 65. 12. Purgatorium. S. Bern. ser 68. in Cant.)

147. Academicus, inter Venatores Venetos Curiosus, Symboli loco Canem odorum præfert, qui feras investigans, se quieti tamdiu non indulsurum protestatur, DONEC ABDITA PANDAT. Studiosi cujusdam ad profundæ & subtilioris scientiæ thesauros perquirendos assiduam industriam hæc imago significat. Judicem quoque concernit, sceleratis quibusdam detegendis intentum: vel etiam Avarum, cujus ea potissimum est solicitudo, ut desideratas opes conquirat. Hoc sensu de Macedonibus ait Plutarchus, *Ibi Macedones primùm, gustato auro, argento, mulieribus, & vita barbarica, sicut canes olfactis vestigiis, maturabant insequi, atque investigare Persarum divitias.* (Studiosus diligens. Judex. Avarus. Plutarch. in vit. Alexan.)

Invidia. 148. Cani, nonnisi exteros allatrare solito, inscribes; IGNOTOS ALLATRAT. Ita invidia iis duntaxat dentes suos infigere consuevit, quos recenti & improviso felicitatis gradu sublimes cernit. Plutarchus; *Ut canis ignotos allatrat, erga notos mitior, sic invidia novos homines, & nuper evectos potissimum infestat, in notos jam mitior.* (Plutarch. in Moralibus.)

149. Marchio Guido de Villâ, in bello occisus, Sabaudiæ Ducis salutem & exoptatum ab hoste triumphum conservavit. Unde inter cæteram funebrem ipsius pompam Emblematis loco canem depinxêre, cujus labia purpureo sanguine perfusa, epigraphen ferebant. EX NECE TRIUMPHUS. Imago hæc ad purpuræ inventionem alludit, quam Pollux, aliique complures ita recensent; Herculem Tyrium, Nymphæ cujusdam amore captum, canis secutus est, qui piscem, cui purpura nomen, per scopulos repentem conspicatus, mox ad eum accurrit, & ex devoratâ illius carunculâ, sua sibi labia cruore puniceo infecit; unde postea, coloris præstantiâ è canis ore manifestatâ purpurei panni initium fecêre; ut adeò è purpurâ interemptâ hodie etiamnum tanti, tamque regii, ac triumphalis coloris splendor per orbem fulgeat; sicuti etiam Sabaudiæ Duces ex interempto Guidone victoriam, hodie adhuc gloriosam, summeque proficuam reportârunt. In hoc argumentum canit D. Marinus. (Mors gloriosa. Pollux lib. de Verbis idon. ad common. D. Marin. Lyr p. x Capric.)

Conca di belle porpore feconda
Ruppe col fero dente aspro mastino
Ma ne se scaturir vivo rubino,
Che di lucide grane asperse l' onda,
E così d' huom maligno a spirito egregio
Non noce ira mortal. Sangue che smalta
Innocente valor, gli aggiunge fregio.

Cæterùm etiam Servator noster, interveniente suâ morte, triumphum è devicto Orco immortalem retulit. Tarsensis Pauli verba sunt; *Et expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*; id est, interprete Origene, *triumphans illos in ligno crucis.* Unde S. Leo Papa. *Clavi illi*, inquit, *qui manus Domini, pedesque transfoderunt, perpetuis diabolum fixêre vulneribus, & Sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum; sic suam Christò consummante victoriam, ut in ipso & cum ipso omnes, qui in eum crediderunt, triumpharent.* (Christus patiens. Coloss. 2. 15. Orig. Hom. in Iosue. S. Leo serm. 10 de Pass.)

150. Henricus Farnesius cani, ante palatium excubanti, subscripsit. INCORRUPTA FIDE. Innuit videlicet, Aulas, & Majestatem regiam à fidelibus amicis omnium optimè conservari & defendi. *Nam fida regum custodia*, asserente Socrate, *non turribus, non propugnaculis, non mœnibus, non armis, non satellitibus, sed amicorum præsidiis, & civium benevolentiâ asservatur.* Hâc præceptione probè imbutus Scipio Africanus, Polybio referente, nihil ita solicitè curabat, nisi ut aliorum amicitiam sibi devinciret, & ipsos etiam hostes, in necem & injurias ipsi inferendas paratos, beneficiis in suas partes traheret. (Henr. Farn. Diphtera l. vis l. 1. Ele. 11. Fidelitas salvat Principem.)

151. Academici Furfuracei duo Symbola exhibent, non multum inter se diversa. Primum canem, coram cibo stantem, exhibet; addito lemmate; CHE MAI NON EMPIE LA BRAMOSA VOGLIA

litteratorum ad sapientiam cupiditas. VOGLIA. Id est; NUNQUAM SATUR, vel; NON SUFFICIT ESCA VORACI. Alterum; canem cibo jam devorato proponit; cum inscriptione; E DOPO L' PASTO HA' PIU' FAME CHE PRIA. Id est, POST ESCAM FAME TABESCIT. Utraque imago aviditatem Litteratorum inexplebilem, & quibuscunque virtutum & sapientiæ studiis nunquam exaturandam, significat. Verissimè Divina Sapientia. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient*; *Gratia enim*, inquit Faustus Regiensis, *de gratiâ nascitur, & profectus profectibus serviunt, lucra lucris, & merita meritis locum faciunt; ut quantò plus quis acquirere cœperit, tantò plus acquirere conetur, & quantò avidius de sapientiæ bonis hauserit, tanto plus haurire desideret*: Eâdem planè ratione Animæ, in Dei amorem abreptæ, S. Machario teste, *Quantò magis abundant donis spiritualibus, tantò vehementius, & sine satietate desiderii cœlestis inquirunt; quantòque magis spiritualem profectum in se senserint, tantò plus esuriunt ac sitiunt participationem & augmentum gratiæ*.

Eccl. 24.29. Faust. Reg. instruct. ad Monach sub finem. S. Machar. Hom. 10.

152. Canis, pro pecore excubias agens; epigraphen meretur; SERVAT, ET ARCET. Geminâ hâc dote imbutus prælatus, gregem suum solicitè tueatur, omnesque sive tartareos, sive humanos vitiorum lupos quàm longissimè propulset. S. Ambrosii monitum est; *Sic polleat Episcopus sapientiâ, ut non solùm sibi creditum populum sufficienter doceat, verùm etiam cunctarum hæresum quærat conditiones à Catholicâ repellere Ecclesiâ*. Supremam laudem in servando & arcendo assecutus S. Petrus, quotannis ab Ecclesiâ hoc epinicio excolitur.

Prælatus. S. Ambr. in Pastoral. S. Petrus. Hymn i. Augusti.

Ovilis ille Pastor, & Rector gregis
Vitæ recludit pascua, & fontes sacros
Ovesque SERVAT creditas, & ARCET lupos.

153. Antonius de Burgund. Emblematis locò canem pinxit, qui pedum alienorum ulcera lambens; epig. sustinet. ETIAM ULCERA LAMBIT. Adulatorum hic genius est; qui ipsa etiam Regum suorum vitia, ceu ulcera fætissima, gratiæ aucupandæ causâ, lambunt, iisque gratulantur, & laudant. Talem in Henrici VIII. Angliæ Regis, aulâ se exhibuit Franciscus Brianus, Eques auratus; cùm enim Rex Annæ Bolenæ, filiæ suæ, amoribus captus, cogitaret eam in uxorem ducere; è Briano quæsivit, *quale peccatum videretur, matrem primùm, deinde filiam cognoscere?* respondit Brianus, *Omninò tale, O Rex, quale gallinam primùm, deinde pullum ejus gallinaceum comedere*; uti refert Sanderus. Hoc nimirum jam olim conquestus Regius vates, *Laudatur*, inquit, *peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur*. Id explicans Sanctus Hieronymus, ait, *Qui dicit justum injustum, & injustum, justum, abominabilis uterque apud Deum est. Similiter qui sanctum dicit esse non sanctum; & rursum non sanctum asserit sanctum, abominabilis apud Deum est*.

Adulator. Sand. l.1. de Schism. Angl. Psal. 9. S. Hier. Ep. ad Philem. in Iur. Can. 11. q 3. Can 54. & 55.

154. Aulicum, sine ullo incremento aut profectu in aulis fatigatum, canis odorus repræsentat; cum lemmate. AURAS MOMORDIT INANES. Certè venti sunt inanissimi, omnes tituli & honores terreni, quos stulti mortales ita avidè sectantur. *Tollantur de medio inanes venti*, inquit S. Pater Augustinus, *tollatur de medio fumus, qui crescendo evanescit; prorsùs pro salute ista contemnantur.* Nam ut alibi ait, *Quidquid aliud habueris sine Deo, totus inanis eris.*

Aulicus. Honor terrenus. S. Aug. serm. 59. de Verb. Dom c. 10. S. Aug. in Ps. 85.

MILLUS.

155. Millus muricatus, seu clavis ferreis probè munitus, canibus defendendis, uti & arcendis luporum injuriis, deservit. Lemma. SAUCIAT, ET DEFENDIT. Vel PER CHI BENE, E PER CHI MALE. Ita milites, à Principe conducti, Provinciam quidem tuentur, populum tamen plurimum gravant. Judices, versùs innocentes oppressos benefici, in sceleratos animadvertunt. Verbo calamitates justis exoptatam felicitatis contingendæ occasionem, malignis verò supplicia & interitum afferunt. Certè fornacis Babylonicæ flamma innocuis Hebræis refrigerio, iniquis tortoribus autem exitio fuit. De igne hoc, cautissime discernente; S. Zeno Veronensis; *Ubi jactati sunt in fornacem ignis ardentis. hos devotè cupidus ignis accepit. Lambunt roscidos flammæ blandientes. Incensores incendio cremati sunt; & qui incensi sunt, incendio suo superstites, triumphantes de camino procedunt*. Et Psellus, *Eadem vis tribulationis bonos purgat & vivificat, malos damnat & devastat*.

Milites. Judex. Calamitates. S. Zeno serm. de tribus pueris. Psell. In Allegor. Tilm.

156. Sicuti canes venatici multo latratu, & indefessis laboribus sylvas percurrunt, ut ferarum vestigia insequantur; ita Prædicatores plurimis incommodis, pro animabus ad Deum revocandis, defungantur, necesse est; Unde D. Primus Aloysius Tatti inscriptionem Emblemati subjunxit, è Psalmo desumptam; VENIENT CUM EXULTATIONE. Quo loco Regius Vates interprete Lyrano, de Apostolis & Prædicatoribus disserit; qui *cum maximis & laboribus & persecutionibus seminabant Verbum Dei, Postea tamen cum exultatione portabant manipulos suos; scilicet fructus suæ sanctæ prædicationis*. Illi enim infinitâ gaudiorum segetem è labore suo expectare possunt, non modò ob ingens lucrum; Divinæ Majestati acquisitum; sed etiam ob propriam mercedem, olim cumulatè tribuendam;

Prædicator. Psal. 25. Lyran in hunc loc.

157. Molossus, catenâ è palatii foribus otiosè pendente, ultrò ac liberè ante illas excubat; cum lemmate. OBSEQUOR IPSE LUBENS. Ita fideles sua obsequia Deo liberrimè offerunt seque ipsos vigiliis, laboribus, cæterisque vitæ religiosæ observantiis ultrò consecrant. S. P. Augustinus. *Unaquæque anima tantò est pietate purgatior, quantò privato suo minùs delectata, legem universitatis intuetur, eique devotè ac libenter obtemperat. Est enim lex universitatis Divina sapientia*. D. Salvator Carducius.

Religiosus. S. Aug. lib. 83 quæst. q. 79.

Ad fidum obsequium non ferrea vincula ducunt
Latrantem vernam, sed regit unus Amor.
Discito, qui cœlo famularis; ut astra sequaris,
Extima non te vis; intimus ardor agat.

CAPRA CAPER.
Cap. XI.

158. Salicis folia, aliàs amara, capræ palato prorsus dulcia videntur. Unde capra, cibum illum comedens, epigraphen tenet. AT MIHI DULCE. Accommodatum est de Servatore nostro illud sacri Epithalamii pronunciatum; *Similis est dilectus meus capreæ*; quippe qui ingratissimos passionis amarores gustu ita avido accepit, veluti suavissimæ mellis guttulæ fuissent. Unde sensuum tenus potum illum vocabat quidem horribilem, *Transeat à me calix iste &c.* At verò voluntate suâ, cum æterni Patris decreto penitùs conformatâ, nihil calice illo suavius ducebat. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Opportunè P. Maldonatus; *Loquitur Christus utrobique de* morte

Christus patiens. Joan 18. 11. P. Maldon. ad Vers. 54. c. 26 Matth.

morte suâ, eamque calicem appellat; sed in oratione, antequam Patris sententiam audiret; calicem, id est, rem difficilem & horribilem appellabat: nunc Patris cognitâ voluntate, eandem mortem calicem, id est rem sibi jucundissimam appellat: nihil enim non dulce, nihil non suave est obedientiæ.

159. Mira admodum vis illa est, quam Majorum exempla in subditorum animos exercent; quidquid enim egerint, illud subditi quantocius, veluti prototypon, assequi & imitari conantur. E Caprâ id perspicuum habes, quæ eryngium herbam decerpens, mox immota persistit, simulque omne vicinum caprarum pecus firmo ac veluti attonito pede sistere solet. Unde subscripsit Bargalius. E QUAL LA PRENDE, E QUAL L' E' PRESSO ARRESTA. Id est; EDENTEM SISTIT, ET ASSECLAS. Ita superiores, sive vitiis, sive virtutibus dediti, subditos in utrumlibet latus exemplo suo, seu unco, trahunt. Plutarchus, *Reges, si Musicam ament, multos efficiunt musicos: si litteras, litteratos; si athletas, exercitationibus corporis deditos.* Et S. Ambrosius, *Ostendunt Adolescentes, eorum se imitatores esse, quibus adhæserint, & ea convalescit opinio, quod ab his acceperint vivendi consuetudinem, cum quibus conversandi hauserint cupiditatem. Inde Sanctus IESUS Nave, quod eum non solùm erudivit ad legis scientiam Moysis copula, verum etiam sanctificavit ad gratiam.* Eosdem planè successus in vitiis imitandis experiri licet. Juvenalis,

(Exemplú efficax. — Plutarch. — S. Ambros. l. 2. Offic. — Iuven. sat. 2.)

---------- Grex totus in agris
Unius scabie cadit, & porrigine porci.

Plutarchus in libro, cui titulus, *Maximè cum principibus viris Philosopho esse disputandum*, eâ capræ proprietate demonstrare nititur, Principis doctrinam viribus adeò magnis pollere, ut eâdem etiam subditorum animos imbuere possit. Verba ipsius ita accipito. *Eryngium herbam ajunt, si una capella in os sumat, ipsam primùm, mox totum gregem subsistere. Sic Philosophica doctrina, si in Principem virum, ac in republicâ versantem, rebusque gerendis deditum illabatur, eumque studio virtutis impleat; multis per unum prodest.* Porrò colloquia spiritualia non solùm ipsimet loquenti utilia existunt, sed insuper, amplissimo beneficio, ac inexplicabili suavitate, etiam in auditores redundant. Quamobrem Sacrum Epithalamium ferventis animæ labia fasciæ non dissimilia ait, quâ auscultantium pectora arctissimè stringi, & persuadendi dulcedine in omnem partem flecti consueverunt. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce*: seu, ut alii traducunt, *sicut resticula.* In hunc locum Sanctus Ambrosius, *Per resticulam*, inquit, *vinculum persuasionis agnoscimus.*

(Plutarch. — Doctrina Principis. — Colloquiú spirituale. — Cant. 4. 3. — S. Ambr. Tract. 18 in Ps. 118.)

160. D. Alexander de Cuppis, Canonicus Regularis, Symboli loco duas capras expressit, quæ supra angustum pontem subimet obviam factæ, nequaquam mutuo & inimico impulsu inter se collidebantur, sed, modo non minùs amico, quàm sagaci, ita sibi invicem cesserunt, ut una corpore profundè inclinato, alteri liberum & innoxium transitum supra se fecerit. epigraphen addidit. PROCEDAMUS IN PACE. Hominis pacifici, benigni, & mansueti hæc idea est, cui illud Apostoli imo pectore sepultum hæret, *Supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam &c. Quid enim sufferat, qui fratrem non suffert?* inquit in hunc locum opportunè S. P. Augustinus. Cæterùm Emblemati huic construendo occasionem dedit Plinius; qui de capris in hæc verba testatur. *Solertiam ejus animalis Mutianus visum sibi prodidit in ponte pertenui duabus obviis è diverso: cùm circumactum angustiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate cæcâ, torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatæ supergressam.* Hinc conjugati mutuam pacem discant, nam supra matrimonii pontem conductis, nullus omnino è vinculo indissolubili regressus patet; quin imò, nisi ob angustias, inde enasci solitas, stulto lapsu præcipitari velint; mutuò sese supportent, & alterni amoris indiciis sibi invicem cedere, salutemque procurare studeant. Hâc planè ratione in aulâ Norimbergicâ capram, supra angustum pontem stratam, videre est; quæ à transituro capro calcata, epigraphen præfert. SIC CEDERE JUVAT. Emblemate isto princeps illa politicorum præceptio innuitur, nimirum patriæ bono unum alteri, minorem cumprimis majori, cedere debere.

(Cedere. — Coloss. 3. 13. — S. Aug. in Epist. 81. Plin. l. 8. c. 50. — Conjuges se mutuo sufferant.)

161. S. Ambrosius in illud Psalmi, *Oculi mei*, ità de capra disserit; *In altis grex iste pascitur, audax in monte, itaque ubi aliis præcipitia, ibi capris nullum periculum, spectantur à pastoribus suis dumosâ de rupe pendentes, ubi luporum incursus esse non possunt.* Unde capra, supra præcipitem & excelsam rupem figurata, epigraphen sustinet. IN PERICULO TUTA. Ità innocentia inter quævis minas & terrores secura persistit. Hâc doctrinâ probè imbutus Titus, cùm antecessores suos gravissimis injuriis à plebe lacessitos audiret, Xiphilino authore, respondit; *Nemo me injuriâ afficere, aut contumeliâ potest; quia nihil agò, quod alios lædere possit.* Quasi diceret, è vitæ innocentiâ scutum sibi securissimum patere. Alphonsus Aragonum Rex, quod Panormitanus memorat, olim interrogatus, cur contra aliorum morem sine militum excubiis prodiret? respondit, comitem se habere innocentiam.

(S. Ambr. Ps. 118. Octon. 16. — Innocétia securum facit. — Xiphil. in vita Vesp. — Panorm. in vita Alph.)

162. D. Carolus Rancatus capram, præcipiti ac horridâ rupe nixam, hoc lemmate insignivit. DURO INTERRITA CLIVO. Silius Italicus, constantiam hominis, inter gravissima pericula imperterritam, insinuans, ad verbum canit;

(Sil Ital. li.)

Explorant adversa viros, perque aspera DURO,
Nititur ad laudem virtus INTERRITA CLIVO.

Eidem Emblemati ego subscripsi; PER ARDUA TUTE. Eos significabam, qui per invias & laboriosas virtutum, pœnitentiæ, & mortificationum salebras securo, liberoque gressu incedunt. S. Gregorius Nyssenus de caprâ refert, *quod per saxa sine ulla pedum offensione tendat, & circa vertices montium versetur, per loca transitu difficilia, præruptaque fidenter incedens*; id aptè ad eos accommodabitur, *qui præclarè asperam virtutis viam conficiunt.*

(Mens imperterrita Constantia. — S. Greg. Nyss. Hom. 15. in Cant.)

163. Capra, olivam lambens, mox eam sterilem efficit; sicque quod Lucarinus lemmatis vice ait, ETIAM LAMBENDO OFFICIT. Ita prorsus adulatoris lingua, tametsi mera mentiatur mella, perniciem tamen præsentissimam affert. Cicerone teste, *Nulla in amicitiis pestis est major, quàm assentatio, blanditiæ, adulatio.* Stephanus Cantuariensis; *Adulatoris lingua*, inquit, *admodum locustæ, totum virorem gratiæ depascit.* Et Petrus Bercorius, *Quando capra, id est adulator, lambit, & lactat aliquam olivam, id est aliquem bonum virum, ipsum scilicet commendando & extollendo, tunc ipsum facit sterilescere à fructu bonorum operum.* Huic veritati firmamentum addit Isaias; *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.*

(Adulator. — Cicer. in Lælio. — Steph. Cant. in Iudith c. 2. n. 11. — Bercor. l. 10. Reduct. c. 21. — Isa. 3. 12.)

164. Capra sylvestris, tametsi capta, & laqueis constricta, quietum tamen, suavemque somnum ducere solet. Unde Lucarini lemma. ET ILLAQUEATA

Petrus in carcere. QUEATA SOPOREM. S.Petrum, in carcere detentum, hoc Emblema spectat, qui corde in Dei voluntatem conformato, suaviter dormiit, nec è solitâ quiete sibi quidquam eripere est passus; *Erat Petrus dormiens inter duos milites.* In hunc locum P. Cornelius à Lapide *Quasi securè quiescens,* inquit, *in Dei providentiâ, paratusque vel vivere, vel mori, prout Deus nôrat expedire. Dormit verò securè in sinu Dei, qui cum illo sentit, & dicit.*

Act.12.6. *Corn. à Lap. in hunc loc.*

---Quò fata trahunt, retrahuntque, sequamur.

Peccator moribundus. Eorum insuper hæc imago est propria, qui gravi infirmitatis compede constricti, morte jamjam imminente, etiamnum alto peccatorum letargo decumbunt. *Nam ista, quæ te delectat, falsa vita est, quasi in somnis hic vivis,* inquit Magnus Augustinus. *S.Aug. l.50. Homil. hom. 13.c.3.*

165. Capræi imago, ad maris littus collocata, Sargos pisces, mirâ voluptate sub illius umbra quiescere solitos, ad se extra aquas trahit; Unde Lucarinus inscripsit; ET IMAGINE POLLET. Ita prorsus umbra S Petri, ut Apostolorum acta testantur, virtutem habuit, in juvandis creaturis penitus admirandam. Hâc re excitatus perspicax Magni Augustini intellectus, ita philosophatur. *Si tunc opem ferre poterat umbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quantò plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis?* Verùm non S. Petri solùm, sed & Christi umbra miram illam, ac veluti sympatheticam attrahendi virtutem habuit: aliqui enim latronem, ad Christi dexteram crucifixum, non ob aliam rationem pœnitentiæ, fidei, & salutis consequendæ gratiam obtinuisse ajunt, nisi quod umbrâ, à Christi corpore sparsâ, tactus fuerit. Id quod S. Vincentius Ferrerius perspicuè in hæc verba testatur, *Christi in cruce umbram percussisse latronem, qui dexter erat, eique sanctitatem contulisse.*

S. Petri umbra. *Act 5. 15.* *S.Aug. de serm.29.* Christus crucifixus. *S.Vinc.Fer. ser.in Parasceve.*

166. Capra pinguescens, sterilis efficitur. Unde inter horti delitias oberrans, epigraphen tenet. STERILESCIT OBESA. Ita complures sub angustiore fortunâ amplissimis virtutum frugibus abundabant, postea in sublimiore gradu penitus steriles, bonorumque omnium inanissimi. Antigonus, Lysimachus, & Ptolomæus inter Alexandri Macedonis aulicos recensiti, merissimam affabilitatem, clementiam, & benignitatem præferebant: ubi verò Regiis coronis fuere insigniti, mox à pristinâ virtute degeneres, in superbiæ, fraudis, tyrannidis, luxuriæ, aliorumque vitiorum monstra defecerunt. Adeò nimirum fortuna affluens, vitioso animo excepta, hominem in Dei & proximi amore, uti & in cæteris virtutum exercitiis omnibus, sterilem efficit ac infœcundum. Moses calculo suo id confirmans, ait, *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit. Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Huic conformis Esdras; *Comederunt, & saturati sunt, & impinguati sunt, & abundaverunt divitiis in bonitate tua magnâ. Provocaverunt autem te ad iracundiam, & recesserunt a te, & projecerunt legem tuam &c.* Unus ille purpuratus Epulo Evangelicus Emblemati huic illustrando sufficeret; qui divitiis amplissimè impinguatus, eò sterilitatis devenit, ut famelicum Lazarum nec analecten sustinere voluerit De hoc S.Hieronymus; *Nihil aliud refertur habuisse criminis, nisi quòd opibus & divitiis affluens, manum egeno, & pauperi Lazaro non porrigeret, & ne hoc quidem misero daret, quod projiciendum erat.*

Abundantia nocet. *Deut.32.15* *2.Esdr.9.25.* *S. Hieron. in c.16. Ezech.*

CAPER.

167. Capri carnes, nisi ætatis fuerint teneræ, variisque condimentis præparatæ, mensis inferri nequeunt; utpote fastidium, nauseamque maximam palato nostro creare solitæ; annis enim crescentibus semper fiunt deteriores, donec tandem duritiem, ac putredinem ingratissimam contrahant. Unde lemma Capro inditum. INCREMENTO DETERIOR. Mundi asseclæ, accommodatè ad hanc ideam, indies evadunt pejores. Cainus, primum tepidus, viliores identidem, quos habebat, fructus offerebat: mox livore adversus fratrem agitari cœpit; demum audaciore animo adversus fratrem odia, cædem, delicti admissi negationem, diffidentiam, ac de Divinâ misericordiâ desperationem, vitiis horrendum concatenatis, concepit. Ejusdem farinæ fuêre Absalon, Jezabel, Athalia, Judas, aliique, qui vitia ex aliis alia nectere soliti, indies evasere deteriores, donec sceleratissimi audierint. Unde quantò magis in vitiis crescimus, tantò amplius Divino gustui efficimur insipidi, & abominandi, Magno Augustino teste, *quisquis vitiis atque peccatis à Deo se alienat, non modò beatus non est, sed ne Deo quidem vivit propitio.*

Peccator. *S. Aug. de Beata vita. Disp.2 diei.*

CAPREOLUS. *CAPUT XII.*

168. EA Capreoli versus parentes est pietas, ut patri decrepito, & ad alimenta curanda inhabili, non solum arborum frondes cibi loco, sed & proprio ore aquas siti levandæ afferat Id quod observans Bargalius, epigraphen addidit. VICES REPENDIT. Grati animi filium, & vicis rependendæ erga parentes studiosum, hoc symbolo exornabis. Salvianus; *Et natura ipsa hominum, consuetudoque communis hàc ipsâ generali cunctos lege constringit, ut à quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratiæ debeamus. Arctat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio. Ante usum enim & munificentiam liberalitatis alienæ liber est quispiam, beneficiorum fœnore non gravatus. Coguntur autem omnes ipsâ conscientiâ suâ ad repensationem vicissitudinis, postquam esse cœperint debitores.*

Gratitudo *Salv. l.2. de Ecclesia.*

169. Capreolus, generosi animi symbolum, dum à canibus infestatur, unico saltu in adversam rupem transilire solitus, salutem consequitur; cum lemmate. UNICO SALTU LIBER. In hoc argumentum Joannes Paschalius.

Animus resolutus.

Quà caper à canibus deprehendi rupe pavescit,
Exilit, atque alio sistitur arte jugo.
Sic virtus generosa viri laqueata resultat,
Nec patitur longas, sit licet arcta, moras.

Justus, instar Capreoli, per obstacula, ab insidiante mundo interposita, currit; sicque ad liberam quietem & ad animi beatitatem defertur. S Gregorius eandem propritatem in cervo observatam habens, ita discurrit. *Cervus est, cùm montium juga transcendit, quæque aspicit aspera, quæque se objiciunt sensibus illigata, dato saltu transgreditur, & absque ullo cursus sui obstaculo in superioribus elevatur: ita etiam electorum mentes, quæ sibi in hoc mundo obsistere atque obviare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more cervorum, despectis terrenorum sensibus in superna se evehunt.*

Justus. *S.Greg. 16. Moral. c 10.*

170. Comes Carolus Capreolus, Academicus inter Errantes Brixienses Impatiens, symboli loco capreolum præfert, qui per montem iter agendo, multas, diversasque vias in illo conspicatus, ne aberret,

nentram ingreditur; cum dicto; INVIUS, NON DEVIO. Acuti & perspicacis ingenii hoc symbolum est, quod alterius directione minimè indigum, suas operationes proprio Marte citra omnem errorem elicit; atque adeò de se illud Horatii pronunciet;

Operari se ipso. *Horat. ep. 19.*

Libera per vacuum posui vestigia Princeps;
Non aliena meo pressi pede.

Senec. ep. 80. Et illud Senecæ *Non ergò sequor priores? Facio, sed permitto mihi & invenire aliquid, & mutare, & relinquere.*

171. Agilissimus est Capreolus, miroque naturæ impulsu semper ad sublimiora montium cacumina petenda incitatur. De hoc Bercorius; *Capreolus de locis altis ad altiora ascendit.* Proinde meâ quidem sententiâ subscribes; AD ALTIORA. Dei servos cumprimis hæc imago attinet, quibus illa Isaiæ cohortatio imo pectore habetur incisa, *Venite & ascendamus ad montem Domini*; nimirum ad juge virtutum, perfectionisque incrementum. Unde animam sanctam crebrò suspirantem audire licet, *Ascendam in palmam*; Et, *vadam ad montem myrrhæ, ad collem thuris*; de eadem animâ etiam refertur, quod *ascendit de deserto.* S. Bernardinus Senensis de Divinâ Matre, utpote genuinâ summi profectus ideâ, ait, *Tota fuit profectus devotionis, quæ ascendit, semper enim ascendebat, dum vixit.*

Bercor. l. 10. Reduct. c. 21. n. 3. Profectus. *Isa. 2. 3.* *Cant. 7. 8. Cant. 4. 6. Cant. 8. 5. S. Bern. Sen. serm. de Assumpt.*

172. Capreolus montium cacumina, quæ homines & jumenta nonnisi difficillimè adire possunt, mirâ agilitate, & sine ullo pedum offendiculo transilit. Unde de hâc animantum specie Ælianus testatur; *Longè maximâ ad saliendum habilitate sunt.* Proinde epigraphen subdidi, ARDUA FACILIUS. Ita animus heroicus in negotia illa majore celeritate ac promptitudine fertur, quæ magis sunt ardua, majoremque præbent difficultatum superandarum occasionem. Unde etiam hortatur Magnus Augustinus, *Delectet vos, ut per charitatem impleatis, quod per timorem implere difficilè est.* Cùm in Flandriâ de tranando voraginoso quodam maris sinu, quatuor millium passuum longo, ageretur, ut armati possent in Insulam Duvallandiam pervenire; mox, referente Famiano Stradâ, *Huic trajectioni certatim obtulere sese ex omni exercitu milites, ostentatione quadam Martialis animi, atque ex periculo gloriam accersentes.* Adeò nimirum hodie etiamnum obtinet illud Senecæ pronuntiatum, *Avida est periculi virtus.*

Ælian. l. 14 c. 15. Generositas. *S. Aug. in Psal. 32. Conc. 1.* *Fam. Strad. Dec. 1. l. 8. de Bell. Belg.* *Seneca.*

173. Tanta est capreoli celeritas, ut, instar venti, non currere, sed volare censeatur. Æliani verba sunt; *Turbinis instar velocissimè fertur.* Atque adeò capreolus, præterquam quòd per montium cacumina saliat, ut superiore numero dictum est; facillimam insuper saliendi agilitatem habet. Unde lemma. AD SUBLIMIA CURSU. Idipsum assolent servi Dei, qui ad perfectionis fastigium celerrimo cursu feruntur. De se ipso testatur David, *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Isaias; *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Et S. Paulus, modo alios incitans, *Sic currite, ut comprehendatis:* modò de se ipso loquens, *Cursum consummavi.* In hunc locum S. Thomas Aquinas *Dicitur cursus profectus Sanctorum, quia cum festinatione currunt &c.*

Ælian. l. 14 c. 14. Profectus. *Ps. 118. 32. Isa. 40. 31.* *1 Cor. 9. 24. 1 Tim. 4. 7.* *S. Tho. Aquin. in hunc loc.*

174. Capreolus, per montium fastigia saliens, epigraphen tenet. NON INFERIORA SEQUITUR. P. Sigismundus Laurentius hoc Emblemate excelsam D. Pauli pietatem commonstrat, qui inferum hunc mundum aspernatus, mentem uni Deo affixam habuit. Ipsummet testem sibi locupletissimum audi. *Legi mortuus sum, ut Deo vivam, Christo confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, inde vivo Filio Dei, qui dilexit me &c.* Et S. P. Augustinus, *Pecora campi sunt homines, in carnis voluptate gaudentes, ubi nihil arduum, nihil laboriosum ascendunt.*

Servus Dei *Galat. 2. 19.* *S. Aug. in Psal. 8.*

CAPRICORNUS.

CAPUT XIII.

175. Capricornus, Rupicapræ species, solitudinis est amans; unde supra rupem figuratus, epigraphen sustinet. INSUETUM PER ITER. Iis hoc Emblema proprium est, qui perfectionis apicem per vias quidem admirandas, non tamen imitandas, contingunt. His ipsis coloribus etiam hominem depinges, qui speculando, novas semper opiniones sectatur, viamque à communi diversam, incedit: ut adeò cum Hypocrate possit dicere; *Mihi verò invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa sunt, quod ipsum notum, quàm occultum esse præstant, scientiæ votum, & opus esse videtur.*

Opera insolita. *Hypoc. in Arte, in initio in Hom. ne litterat. p. 2.*

176. Joannes Ferrus eidem Emblemati inscripsit; ROTATUS EXULTAT, seu, TRANSILIT. Plinius, hanc epigraphen subministrans, refert, capram ab uno montis jugo in aliud saltaturam, in gyrum rotare solere. S. Catharina Virgo & Martyr, cui Ferrus hanc iconem sacratam voluit, è fatali rotâ ad suppremum Sinai & gloriæ montem festivo triumpho transportata fuit. Cæterùm inde discas, priusquam negotium aliquod arduum aggrediaris, potentias, viresque tuas cautè circumspiciendas esse; facilè enim agimur præcipites, si temerè aliquid moliamur. Unde Seneca. *Non tibi dabis impetus liberos: sed circumspicies, quò eundem sit, & quousque.* Nam, ut alibi ait, *Velox consilium sequitur pœnitentia.*

Plin. l. 8. c. S. Catharina V. & M. Consilium. *Senec. in ep. Idem l. de I.*

177. Capricornus mirâ agilitate ab uno cacumine in aliud transilit. Æliani verba sunt; *Ex cacumine in aliud longè distans cacumen transiliunt.* Atque adeò hi quadrupedes instar volucrum per aëra aguntur præcipites, viamque per invia tentant. Unde lemma. PER INVIA VIAM. Iis hoc symbolum est accommodatum, qui ad grandia sua molimina gressu utuntur penitus insolito. Simeon, Daniel, & Alipius, salutis assequendæ causâ, vitam suam supra columnæ fastigium traduxêre; unde etiam, referente Laurentio Beyerlinck stylitarum cognomina sunt sortiti. P. Famianus Strada author est, mille & septingentos generosissimos viros è Philippolandiâ in Duvellandiam quatuor milliarium spatio intra maris aquas transiisse; atque adeò ibi liberum, firmumque fixisse pedem, ubi naves fluctuando vacillant. Simon Magus, ævi sui Dædalus, Imperatore, totâque Româ spectantibus, per aera volare molitus est; uti refert Baronius. Cæterum via Christi inter homines mundanos penitus est invia, & dura; quæ tamen sola ad æternam patriam ducit; *Ipse verè Christianus est,* inquit S. P. Augustinus, *qui non aspernatur viam Christi, sed vult viam Christi sequi per passiones ipsius. Noli per aliam viam velle ire, quam per illam, quâ ipse ivit. Dura videtur sed ipsa est tuta via. Alia fortè delitias habet, sed latronibus plena est.*

Ælian. l. 1. de animal. c. 16. Generositas. *Beyerlinck in Magno Theatro V. Solitarii* *Fam. Strad. Decad. 1. de Bell. Be.* *Baron. Ann. Christi 68.* Christus via. *S. August. Psal. 36. Conc. 2.*

178. Æliani de Capricorno testimonium est; *Tametsi ob nimiam intervallorum distantiam per prærupta*

Ælian. l. 6.

rupta

rupta saxa praeceps agitur, nihil tamen laeditur; idque ob nimiam capitis, cornuum, caeterique corporis firmitatem. Unde Carducii lemma. CORRUIT INCOLUMIS. Vel, ut mihi placet; NEC ALLISA CADENDO. Idipsum servo Dei accidere amat; qui Davide asserente, *cùm ceciderit, non collidetur*: sive enim in peccatum veniale lapsus fuerit, *non collidetur, quia per hoc à gratiâ non decidet*; sive in peccatum lethale, iterum *non collidetur*, siquidem Deus *per poenitentiam eum reducit ad gratiam*: uti Lyranus, & magis prolixè Anonymus explicant. In eundem locum S. P. Augustinus; *Cadere visi sunt Martyres, cùm percuterentur: sed audi, cùm ceciderit Justus, non conturbabitur. Sic ergò conquadramini, ad omnes tentationes parati; quidquid impulerit non vos evertat; stantem te inveniat omnis casus.*

Justus. *Psal. 36. 24.* *Lyran. in hunc loc.* *S. August. in Psalm. 80.*

CASTOR, seu FIBER.
CAPUT XIV.

179. TAmetsi alii Scriptores absolutè negent, multi tamen affirmant Castorem, à venatoribus impetitum, nativo quodam instinctu sibimet genitalia sua (castoreum vocant Medici) amputare; cùm enim non ignoret mortem sibi tantùm ob ea, utpote ad medicinam utilissima, intentari; ideò praecisis iis, venatoris insidias praevertere, suaeque vitae consulere nititur. Tullii de Castore verba sunt, *Redimunt se eâ parte corporis, propter quam maximè expetuntur.* De hâc ejusdem proprietate scripsêre Plinius, Solinus, Apuleius, & Juvenalis;

Cicero pro Scauro. *Plin. l. 8. c. 3.* *Solin. cap. 13.* *Apul. l. 1. Asi.* *Juven Sat 12*

—— imitatus Castora,
Eunuchum facit &c.

Unde epigraphen addidit Camerarius? MODO VITA SUPERSIT. Meâ tamen sententiâ, meliorem ex Juvenali substitues! UT VITAM REDIMAT.

Amor vitae

Ut vitam redimas, ferrum patieris, & ignes.

Inde colligas licet, quantum vitae amorem natura cuivis animali ingeneraverit, adeò ut illi conservandae nullus non moveatur lapis. Seneca, *Sui cuique amor est, & conservandi se, permanendique insita voluntas, atque aspernatio dissolutionis.* S. Gregorius Nazianzenus verae vitae nomine Deum intelligit; cui conservando rerum omnium jacturam existimemus facilem & exiguam.

Senec apud Lips. Manud. l. 3. diss 13. *S. Greg Naz. In sentent. l. 1*

Spargenda cuncta, dummodò serves Deum.

180. D. Aresius Castori inscripsit; CAPIANT, NE CAPIAR. Vel, SAEVIO, NE SAEVIANT. Vel. CLEMENTER SAEVIO; vel ut Archangelo Conter placet; SECURIS ABIBO. Ut enim vitam suam salvet Castor, propria genitalia morsu resecat, eâque, à venatoribus unicè expetita, in illorum manibus relinquit, sicque fugâ sibi consulit. Iis hoc Emblema tribues, qui in mundo diversis curarum, hostium, ac mille occasionum periculis infestati, sese divitiis & voluptatibus omnibus exuunt; ac cum Biante liberè proclamant: *Abite pessum malae cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Mirificè ad hoc propositum S. Petrus Damianus; *Tu quoque*, inquit, *si vis casses intimi venatoris eludere, solerter à te stude titillantes illecebrosae libidinis fomites amputare. PRAECIDE à pectore tuo omne luxuriandi propositum, & sic quasi RADICEM LUXURIAE VERENDA repellis, dum libidinis actum cum ipsâ voluntate deponis.*

Castitas voluntaria. Religiosus. *Biantes Philosophus.* *S. Pet. Dam. l. 2. Epist. 18.*

181. Castor, ubi, pede vinculis constricto, sese captum animadvertit; mox, ut deperditam libertatem recuperet, ligatum pedem dentibus arrodit, ac praescindit. Unde lemma. PEREAT, NE PEREAM. Vitae ac libertatis amorem exinde colliges; nam, è prudentiae legibus, ut totum serves incolume, nonnunquam praestat aliquam corporis partem abjicere. De hâc Castoris proprietate canit D. Julius Strozzi.

Amor libertatis. *Iul. Strozzi nel Guiscard Cant. 23. st. 103.*

---Suole il Castor d'humida tana
Sempre solingo habitator palustre,
Mentre la prigionia gli sembra strana,
Far per la liberta un atto illustre,
Col dente mordacissimo, che seda
Gli alberi, tronca il piè, ch' altri gli lega.

Eruditè Justus Lipsius, *Plumarum potius aliquid amittamus, quàm ut de vitâ, aut carne periclitemur.* Hâc praeceptione probè imbutus Egesistratus Elaeus, cùm à Lacaedemonibus interceptus, uno pede validâ catenâ detineretur; mox eâ pedis parte, quâ stringebatur, praecisâ; hostium manus effugit, & pristinam libertatem est consecutus; uti ex Herodoto refert Astolphus in officinâ Historicâ.

Lips Miscel. Centur. Ep. 85 *Astolph. lib. 2 c. 10.*

182. Castor, ubi arborem aliquam rodere coeperit, tamdiu non desistit, donec penitus attritam, eversamque cernat; Quare Camerarius Emblemati subscripsit. PERSEVERANDO; vel ut D. Are. QUAM COEPI, NON DESERAM. Ita ad negotium aliquod accinctus, in id unum quàm maximè incumbat, ut in coepto opere, donec coronidem imposuerit, perseveret. S. Bernardus, *Prorsus*, inquit, *absque perseverantiâ nec qui pugnat, victoriam; nec pallium victor consequitur.* Et S Basil. de anima orante disserens, ait, *Etsi mensis praeterit, etsi annus, etsi trennium & quadriennium, acriter perseverato tamen, donec impetres.*

Perseverantia. *S. Bern Epist 129* *S. Basil. in Const. Monast.*

183. Hominem, in alterius ruinâ procurandâ pertinacem, Castoris symbolo exprimendum censeo, qui in arbore arrodendâ tamdiu non acquiescit, DONEC DECIDAT. Talis erat Judaeorum nequitia, qui immanibus detractionum & calumniarum dentibus Christum adorti, non destiterunt, donec illum fatali mortis ictu dejectum, contritumque aspexerint. Porrò imago illa etiam diabolum repraesentat, qui hominem tamdiu infestare non desinit, donec aut in peccatum fuerit lapsus; aut morte abreptus. S. P. Augustinus; *Non cessat diabolus insurgere super nos quotidie, & illudere velle infirmitati & fragillitati nostrae, deceptionibus, tentationibus, & quibuscunque laqueis irretire, cum in terrâ adhuc vivimus.* Denique mala conscientia, ubi hominis pectus semel arrodere coeperit, instar Castoris, ab eo lacerando ad ipsam usque supremam vitae horulam non desistit. Expertus cecinit Ovidius;

Continuare. Diabolus semper tentat. *S Aug in Ps. 58.* Conscientiae remorsus. *Ovid l 1. de Pont. Eleg.*

Sic mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo consiciantur, habent.
Nec prius hi mentem stimuli, quàm vita, relinquēt,
Quisque dolet citius, quam dolor ipse, cadet.

CERVUS. *Cap. XV.*

184. GLoriosae memoriae S. Carolus Borromaeus in Academiâ Salvatorum Papiae, symboli loco Cervum habuit; qui à serpente morsus, ad fontem currit; cum lemmate. UNA SALUS. Nî fallor, ad illud Davidis alludebat; *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat*

Psalm.

Deus. *derat anima mea ad te Deus.* Mens imaginis erat; Cor humanum, instar cervi, à venenatis mordacium curarum aut vitiorum serpentibus lancinatum, salutem suam antidoto nullibi aliàs validiore recuperare posse, nisi coram Deo, omnis felicitatis largissimo fonte.

Liber. Josephus Bassus perlecto libro illo, quem D. Aresius de tribulationibus in lucem edidit, sanctè testatus est, in eo solatia pro afflictis ita efficacia offerri, ut nemo non, illo calamitatum aculeo infectus, ad hæc Aresiana pharmaca, veluti cervus ad fontem, properare debeat.

Pluribus ut spiris cervum circumplicat anguis,
Lethiferam cupiens examinare feram.
Præcipiti cursu placidis se immergit in undis,
Tunc serpens orbes scindit, & ima petit.
Curæ sunt angues, mordent, feriuntque ne cantque,
His velut aspidibus mens laniata dolet.
Aresii librum si festinabit adire,
Omnis, ut inter aquas, cura maligna cadet.

Baptismus. S. Augustin. l. de Sacram. Baptismi aqua, afferente Magno Augustino, illa est, cui Adami posteri immersi, salutem, suis originariæ toxico, & serpentis tartarei insidiis deperditam, recuperant. *Per aquam Baptismi,* inquit, *transitus est de terrenis ad cœlestia. De peccato ad vitam, de culpâ ad gratiam, de inquinamento ad sanctificationem. Qui per hanc aquam transit, non moritur, sed exurgit.*

185. Cervo, aquis immerso, epigraphen subdidi, è D. Gregorio Comanino sumptam; IL SUO VIGOR RIPRENDE. Id est, VIGOREM RECIPIT. Certè peccator, lachrymarum fonte tinctus, vires, per peccatum debilitatas, felicissimè restaurat. S. Maximus; *Videte,* inquit, *quantùm fletus profuit Petro: antequam fleret, lapsus est; & postquam flevit, erectus est.*

Pœnitens lachrymans. S Max Hom. 3 de Pœnit. Petri.

Vindicta. 186. Cervus, serpentibus cinctus, in vindictam effervescit, eorumque alios in frusta concisos enecat, aliis verò terrorem & vulnera incutit: cum lemmate. NON INULTUS EVADO. S. Jordanus, *Quid forti suavius,* inquit, *quàm vindictam manu sumere? Magnum munus à natura (corrupta) animum ultione sanare.* Et Valerius Maximus. *Ultionis, quem admodum acres, ita justi aculei sunt, qui lacessiti continuantur, acceptum dolorem pensare cupientes.*

Jord de rebus Gethitis. Val. Max l. 9 c. 10.

187. Cervus, solo afflatu serpentem è lustro suo fugare solitus, Bargalio authore epigraphen Hispanam sustinet; CON EL SOFLO L'AHUYENTA. Id est, SOLO FLATU FUGAT. Ita generosus animus haud difficulter etiam adversus gravissimos hostes victoriam refert. Gregorius Castriottus, vulgò Scanderbegus, *cùm jamjam supremum spiritum exhalaret,* verba sunt Petri Matthæi, *adhuc suis hostibus terrorem incussit.* Nam Turcæ, circum Antigoniæ fines in Dalmatiâ grassati, cùm exercitum suum per Castriotti cohortes ducerent, ipsumque Castriottum præsentem crederent, subitò tantâ formidine perculsi sunt, ut, tametsi quindecim millibus equitum instructi, non solùm rupto ordine in fugam se conjecerint, sed insuper prædam, in Chalcedonis regione factam, post se reliquerint. Eodem Emblemate Christum & Cœlites significabis, qui solo habitu vel imperio morbos ac dæmones è corporibus humanis fugant. Inter cæteros Divos Maria Virgo hâc virtute cumprimis excellit, de quâ Sancti Patres & Interpretes illa Geneseos verba interpretantur, *Ipsa conteret caput tuum.* In hunc locum Joannes de la Haye acutè observat, ubi nos legimus, *conteret;* hebraicam vocem, *suph,* propriè significare, *exsufflare.* Et ubi legimus, *caput;* in hebraico

Generositas. Pet. Matth in Histor. Ludovici XI. vol. 1. l. 4. Sanctorũ potestas. Maria V. Gen. 3. 15 Io. de la Haye in hunc loc.

contextu poni, *rosh* id est, *toxicum.* Unde concludit; *Quid hoc significat, nisi virginem vehementi flatu primordiale virus, à capite descendens, exhalâsse, à se quàm longissimè removisse, nec eo fœdatam esse?*

Conceptio M.V.

188. Præstantem medicum, occultos morbos detegere, & detectos è corpore humano fugare solitum, Cervi Emblemate exornabis; qui serpentes, in cavernâ absconditos, extrahit, extractosque necat; cum dicto; EXTRAHIT LATITANTES. Vel, EVOCAT, ET ENECAT. S. Basilius hominem sanctum, hostem scelerum fatalem, cum Cervo, serpentum inimico infensissimo, comparat. *Sanctus cervus ob id dicitur, quod adversetur improbitati & nequitiæ.* Hugo Cardinalis hunc cervi morem Concionatoribus proprium dicit, qui è munere suo omnem operam impendant ad lethiferum peccatorum serpentem è pectoris humani cavernâ extrahendum. *Per cervam,* inquit, *quæ maximè odit venenum, & serpentem extrahit è cavernis, significatur prædicatio.* Idipsum etiam probis ac prudentibus Confessariis convenit. Cæterùm, è Manilii sententiâ, symbolo illo Christus Judex significatur, qui occulta crimina in propatulo statuet, sceleratosque irato fulmine sternet.

Justus. S. Basil in Psal 28. Hugo Card in c. 4 Epist ad Galat. Prædicator. Christus Judex. Manilius

Quæsitor scelerum veniet, vindexque reorum,
Qui commissa suis rimabitur argumentis,
In lucemque trahet, tacitâque licentia fraude.
Hinc etiam immitis terror &c.

189. Cervus, serpentes è cavernis extrahens, Emblematis loco titulum præfert; NULLA FRAUS TUTA LATEBRIS. Extremò Judici hanc iconem tribues; de quo S. Matthæus testatur, *Nihil opertum, quod non reveletur, neque occultum, quod non sciatur.* S. Hilarius, in hanc sententiam commentatus, ait; *Dominus diem judicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet, & ea, quæ nunc OCCULTA existimantur, luce cognitionis publicæ DETEGET.*

Judicium extremum. Matt. 10. 2 S. Hilar. in hunc loc.

190. Theodorus Trivultius Cardinalis, etiamnum Siciliæ Prorex, in seditiosos aliquot homines mortis supplicio animadvertit; unde hanc illius justitiam vindicantem D. Haymo Corius symbolo repræsentaturus, Cervum depinxit; qui serpentibus dilaniandis occupatus, epigraphen tulit; LANIATQUE NOCENTES. Moses, tametsi hominum omnium mansuetissimus, justâ tamen, & ingenti strage adversus Idololatras excanduit: ipsummet audi fulmina potius, quàm verba spargentem; *Ponat vir gladium super femur suum: ite & redite de portâ usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Ceciderunt que in die illâ quasi viginti tria millia hominum.* Sic enim prudentissimus Israelis Dux populum suum *in præsenti salubriter terruit, & disciplinam imposterum sanxit,* uti loquitur S.P.N. Augustinus.

Justitia vindicativa. Exod. 32 28. S. Aug l. 22 Cont. Faust cap 79

191. Cervus saucius, jaculo etiamnum intra viscera hærente, fugitivus undique oberrat; cum lemmate. E PIU DUOLSI; id est, CRESCIT DOLOR. Vel, HÆRET UBIQUE Animam, assiduo vellicantis conscientiæ aculeo in omni loco & tempore arrodi solitam, hæc imago repræsentat. Præclarè, ut reliqua omnia Magnus Augustinus; *Servus peccati, quo fugit se, cùm se habet, quocunque fugerit? Non fugit se ipsam mala conscientia, non habet quo eat.* Seneca. *Animum debes mutare, non cælum; licet vastum trajeceris mare, sequentur enim te, quocunque perveneris, vitia. Quid miraris, tibi peregrinationes non prodesse, cùm te ipsum circumferas?* Et Georgia de Montenai.

Conscientiæ remorsus. S. Aug. in I Seneca. Greg. Mont Embl. 24

Cra-

Crabrones ut equum mediis in vallibus urgent,
Ilia cervorum & saucia arundo premit;
Sic ultrix vindicta Dei sua spicula torquet;
Quò fugis ah demens! undique tela necis.

Sermo vitiosus. Hominis scelerati sermones, veluti totidem jacula, pectus nostrum validè transfigunt, &, quocunque fugiamus; semper scandalosas ilias perversæ doctrinæ cuspides in animo circumferimus; Seneca; *Sunt quidam, qui vitia gestant, ea in alios transfundendo ac communicando; horum sermo multum nocet. Nam etiamsi non statim officit, semina in animo relinquit, sequiturque nos etiam, cùm ab illis discesserimus, resurrecturum postea malum* (Senec ep. 123.)

192. Cervus, jaculo per viscera transfixus, nullum penitus doloris levamen è solicitâ suâ fugâ recipit. Unde lemma è Petrarchâ inditum; EL FUGGIR NON M'AITA. Id est, NEC FUGA SALUTEM. Ita prorsus humanum pectus, amoris telo saucium, quocunque se converterit, suum ubique tortorem præsentem habet. Appositè Sanctus Joannes Chrysostomus; *Quemadmodum cerva, confixa jaculo in vitali corporis parte, etiamsi venatorum effugiat manus, nihil inde fert lucri; sic & anima, accepto concupiscentiæ jaculo: si cum eo permittatur abire, ipsa per se corrumpitur; ac perit.* Hieronymus Gratianus in nobilissimo suo poemate de Granatâ recuperatâ canit; (Amans. S. Io. Chrysost. hom. 3. in illud Isaiæ, Vidi Dominum. Grat. del Conquisto di Granata Conto 3. st. 2.)

Come dal Cacciator cerva piagata
Scorrendo và per solitarie piagge,
Mà fugge in van da la saetta alata,
Che nel fianco sanguigno affisa tragge;
Così Elvira dolente erra agitata
Da suoi vary pensier, ne si sottrage
Da lo strale d'amor, per cui trafitta
Versa in lagrime ogn'hor l'anima afflitta.

Religiosus. 193. Quisquis Deo verè famulari desiderat, cervum imitetur, necesse est; qui ad inaccessa montium cacumina sese recipere solitus, vastam, horidamque solitudinem incolit; cum lemmate, AVIA PETO. Dionysius Cartusianus; *Sancti Patres,* inquit, *qui ordines instituerunt, ipsos Religiosos vitâ, habitu, mansione à sæcularibus voluerunt esse distinctos, & habitationem eorum claustrum appellare sanxerunt. Cur itaque, nisi quia habitatores ejus debent ab omni sæculari tumultu esse quieti, & passionum, ac vitiorum inquietudine liberi, ab omni carnalitate, & sæculari proprietate abstracti?* (Dionys. Cart Præfat ad Ser. de Sanct. ad Religiosos.)

194. Plinius author est, Cervum cornibus suis privatum, ab aliorum oculis remotum & absconditum vivere, nec nisi nocturno tempore pabulatum prodire. Unde deperditis cornibus in sylvam discessurus, epigraphen tenet. PROJECTIS AVIA PETIT. S. Matronianum, Eremitam Mediolanensem, hæc imago spectabat, qui facultatibus suis omnibus in egenos distributis, solitudinem petiit. Nam tum demum Religiosus in sanctam suam solitudinem dignè & cum gaudio se recipit, quando superbiæ & honorum terrenorum cornua radicitus excusserit. Unde Religiosos suos affatus S. Bernardus, *Quam benè,* inquit, *commutastis, dilectissimi quidquid habere potuistis in sæculo, quando nunc relinquendo ea, proprii esse meruistis authoris sæculi, & eum habere propriam possessionem, qui sine dubio portio & hæreditas est suorum.* Emblematis mentem D. Salvator Carducius hoc distichо explicat. (Plin. l. 8. c. 32. S. Matronianus. Religiosus. S. Bernardus serm. 1. in Dedic. Ecclesiæ.)

Cornigero fustu exutus petit avia Cervus;
Ardua sic virtus non nisi nuda petit.

195. S. Andreas Corsinus, corporis sui membra assiduis jejuniis, flagellis, ciliciis, aliisque castigationibus maceraturus, solitudinem in sanctâ Religione Carmelitanâ elegit; unde eò allusêre Patres Carmelitæ ad Sanctum Joannem in Conchâ Mediolani, quando ipsius honori Cervum, inter montium, alpiumque deserta pinxerunt; addito epigrammate; TUTIOR AVIIS. Ut adeò insignis ille Sanctus potuerit hæc psalmi verba jure de se pronuntiare; *Perfecit pedes meos, tanquam cervorum, & super excelsa statuens me.* Id est, interprete Magno Augustino; *Perfecit amorem meum ad transcendenda spinosa, & umbrosa impligamenta hujus sæculi, & super cœlestem habitationem figet intentionem meam, ut implear in omnem plenitudinem Dei.* (Solitudo securitatē præstat. Psal. 17. 34. S. Aug. in hunc loc.)

196. Miser Cervus, reti involutus, frustra eluctari nititur. Unde lemma Italicum; TENTA DISCIORSI, E NON GLI E' DATO IN SORTE. Id est, *Non est concessum dissolvere vincula capto.* Homo, ad mundi leges compositus, nonnisi ægerrimè è libidinis compedibus extricari potest. Sanctus Nilus; *Ut cervus in plagas incurrens, haud facilè potest ex illis effugere, sic qui in mundo cupiditatibus indulget, difficilè potest se à peccati laqueis explicare. Pravæ enim cupiditates & voluptates catenæ sunt insolubiles,* (Peccator obduratus. S. Nilus Instit. ad Monach.)

197. Plinius observat, Cervos, dum flumina gregatim transmittunt, ne cornibus prægraventur, eo ingenio uti, ut quilibet caput suum in præcedentis tergo reponat; primus verò, si labore debilitatus fuerit, mox secundo primum committat locum, donec singuli alternis vicibus ad id muneris ordine successerint. P. Gambertus epigraphen, è Virgilio mutuatam, subjunxit; ALTERNIS FACILIS LABOR. Ita omninò disciplina regularis, excubiæ militares, aliæque virtuosæ exercitationes ac Magisteria negotio haud difficili peraguntur, si ordinatâ vicissitudine ex alio alius eidem oneri sustinendo lacertos supponat. Pulchrè in hanc rem hortatur Magnus Augustinus; *Dilectionis proximi officium est invitem onera portare. Sed hoc officium, quod sempiternum non est, perducet sanè ad beatitudinem æternam, in quâ nulla erunt nostra onera, quæ in vicem portare jubeamur. Nunc verò cùm in hâc vitâ, id est, in hâc viâ sumus, onera invicem nostra portemus, ut ad eam vitam, quæ caret omni onere, pervenire possimus.* (Plin. l. 8. c. 32. Virgil. 1. Georg v. 79. Vicissitudo officiorum & laborum. S. Aug. l. 83. Quæst. q. 7.)

198. Complures cervi, qui in transmittendo flumine suum singuli caput præcedentis clunibus imponunt, à minore Parthenicâ Academiâ Mediolanensi epigraphen accepere. DANT ANIMOS VICES. Vel ut Academicus Intentus Papiensis inscripsit; PER MUTUA NIXI. Animum ad comunes Reipublicæ labores sustinendos alacrem & promptum hæc imago innuit; de quo Seneca; (Labor communis. Senec. Troan. Act. 4.)

Ferre quam sortem patiuntur omnes,
Nemo recusat.

Mutuam insuper hominum opem significat; Præclarè, ut solet, Magnus Augustinus; *Cervi,* inquit, *quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se in vicem ponere dicuntur. Nonne quosdam cervos alloquitur Apostolus, dicens, Invicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et S. Thomas Villanovanus, *scriptum est, alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Non solùm corporalia onera, mæstos consolando, infirmos visitando, egenos adjuvando, sed etiam spiritualia, defectus, ignorantias, stultitias, malitias tolerando.* Compendio Eusebius Emyssenus; *Alter alterius commodis studeamus, & invicem labores, & opera nostra portemus,* (Auxilium mutuum. S. Aug. in Psal. 40. S. Tho. Villan in serm Dom 4. Post. Pasc. S. Euseb. Emyss Homil. advers. Arundinem quassatam.)

199.D. Aresius observat, Cervum illum, qui in trajiciendo flumine reliquos præcedit, nullius alterius tergo inniti posse. Unde lemma; UBI RECLINET,NON HABET. Propria hæc est Filii Dei imago, qui vitam & mortem in egestate ac miseriâ ita deplorandâ traduxit, ut, cùm totam humanam gentem Ducis & Servatoris loco præcederet, exclamare tamen sit coactus; *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Quasi diceret, interprete S. Euthymio, *Vulpibus & volucribus sum pauperior, neque enim receptaculum habeo, nec quantum sufficit ad caput reclinandum.*

Christi paupertas.

Matth. 8. 20.

S. Euthym. in hunc loc.

200. Surius, aliique testantur, S. Brunonem è percepta ac prodigiosè manifestatâ publici cujusdam Doctoris damnatione, ad vitæ sanctimoniam pertigisse; Unde Aresius illum Emblemate exornaturus, Cervam depinxit, quæ fulminum fragore exterrita, partum suum eniti solet; epigraphen addidit. A FACIE TONITRUI; vel, OBSTETRICANTE COELO. Opportunè Psaltes, *Vox Domini præparantis cervos*; seu, Cajetano interprete, *Parere facit cervas.* Et S. Hieronymo, *obsterricans cervas.* Enimverò homines, Divino terrore perculsi, ad sanctos virtutum partus proferendos incitantur; Isaiâ testante, *A facie tuâ concepimus, & quasi parturivimus spiritum?* vel, ut Septuaginta traducunt; *Propter timorem tuum Domine, in utero accepimus, & parturivimus, & peperimus spiritum salutis tuæ.* Unde S. P. Augustinus; *territi præcavemus*, inquit, *præcaventes securi erimus.*

S. Bruno.

Psalm. 28. 9

Timor Dei.

Isa. 26. 18.

S. August. in Psal. 147.

201. Fatale & assiduum Cardinalis Horatii Spinolæ adversus vitia odium, à nobili quodam ingenio Cervi emblemate est repræsentatum, qui serpentem è spelæo extrahens epigraphen tulit; USQUE AD FINEM FORTITER. Verbis è Salomone desumptis. In hunc sensum S. Isidorus Pelusiota, *Forti ac strenuo animo consiste adversus peccatum, ad extremum usque spiritum dimicans.*

Sap. 8. 1.

S. Isid. Pelus. l. 3. Ep. 144.

202. Cerva gravida, ac partui vicina, herbam seselem, alvo purgandæ, & partui facilitando idoneam, comedere solet. Plinii verba sunt. *Fæmina* (de cervis loquitur) *ante partum purgantur herbâ quâdam, quæ seselis dicitur, faciliore ita utentes utero.* Unde Lucarinus Cervam, dum seselem comedit, hoc lemmate notavit. PARTUM PRÆPARAT. Maria Virgo accommodatè ad hanc idam, sanctis contemplationibus, fervidis ad Deum precibus, & assiduis mortificationibus sese studiosissimè ad Divinam prolem, sine labe pariendam, disponebat. Eâdem methodo verus Pœnitens, dolore de peccatis suis excitato, cæteraque sanctâ penitentium amaritudine pastus, sese aptum reddit, ad abominandos scelerum suorum fœtus, obstetricante Confessario, ejiciendos. Nam, ut è modernis P. Hermanus Busenbaum docet, *Ad Sacramentum hoc* (pœnitentiæ) *requiritur saltem attritio formalis, supernaturalis, efficax, & universalis respectu mortalium, concepta in ordine ad confessionem.* S. P. Augustinus; *Quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod antè dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente; jam tunc benè ingemisces in Deum.*

Plin. l. 8. c. 32.

Maria V. gravida.

Pœnitens dolens.

P. Herm. Bus. l. 6. Tract. 4. c. 1. dub. 2.

S. Aug. serm. 7. de Temp.

203. Lucarinus Christo, in Ægyptum fugienti, Cervi Emblema attribuit, qui vento insequente currens, inscriptionem subjunctam habet; NEC VESTIGIA REMANENT. Hinc vitæ nostræ, totiusque felicitatis terrenæ ludibria & vanitates dignoscito, quæ, concitato cursu ad mortem fugitivæ, nullum sui vestigium relinquunt. Virûm sapientissimo id credes; *Transierunt*, inquit, *omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens: & tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire.* Verissimè meus Thomas à Kempis; *Dic mihi*, inquit, *ubi sunt modò omnes illi Domini & Magistri, quos benè novisti, dum adhuc viverent, & studiis florerent? Jam eorum præbendas alii possident, & nescio, utrum de eis cogitatur. In vitâ suâ aliquid videbantur, & modò de illis tacetur.* Nempe, nec vestigium illorum remanet. Et S. Gregorius Nazianzenus;

Christi fuga in Ægyptum.

Felicitas & vita mundi

Thom. à Kemp. l. 1. de Imit. c. 3. n

S. Greg. Naz. l. 2. sentent.

Prompta est voluptas omnibus fruentibus,
Sed, ceu lapis, velut advenit, sic mox abit.

204. Tum demum Paterfamilias suos subditos efficaci ac validâ doctrinâ imbuet, si idipsum, quod aliis persuadere nititur, prævio suo exemplo comprobaverit. Id quod Lucarinus Cervi Emblemate commonstrat, qui coram hinnulis suis exiliens, epigraphen tenet. INSTRUIT EXEMPLO. *Nam & columba sæpè una avolante*, inquit S. Joan. Chrysostomus, *statim sequuntur omnes, & pullus generosus in equorum armento insiliens, secum rapit omne armentum. Similiter & ovis reliquum gregem. Ita & nos &c.* Herodianus de Severo Imperatore id testatur, *Severus Imperator sæpè per altissimos montes, hyeme sæva, nivibus è cœlo ingruentibus, ivit aperto capite, ut milites ad alacritatem, patientiamq; laborum re ipsa cohortaretur.* S. Ambrosius præclari exemplaris loco Davidem Regem producit, qui siti inflammatus, oblatá aquâ abstinuit, milites suos ad similem tolerantiam invitaturus; *Vicit ergò naturam, ut sitiens non biberet, & exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus tolerare sitim disceret.*

Exemplû.

S. Io. Chryso. serm. de Contin. Ioseph.

S. Ambros. Apolog. de David.

205. Cerva, utero ingravescens, Plinio referente, solitudinem petit. Unde lemma. ABIT A CONCEPTU. Mariam Virginem hoc Emblemate demonstrat Lucarinus, quæ Verbo Divino gravida, quantocius *abiit in montana cum festinatione. Quo enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet?* inquit S. Ambrosius. Et meus D. Carducius.

Visitatio M. V.

Luc. 1. 39.

S. Ambr. l. 2. in Luc.

Gavata fœtu Cerva montes transilit.
Fœcunda verbo Virgo montes appetit.

206. Lactantius Finettus, Academicus inter Intentos Papienses Provisus, symboli loco Cervum præfert, qui olivæ ramum decerpens, epigraphen subjunctam habet. TU SOLA MEDELAM. Innuens nimirum, sicuti cervus ægrotus, morbo depellendo, amaris olivarum frondibus pascitur; ita intellectum suum laboribus Academicis, ceu antidoto adversus calamitates ac solitudines præsentissimo, sustentari. Hîc tamen observes velim, Finettum symboli hujus usurpandi occasionem è Thesibus sumpsisse, quas typo excusas, die quodam infra Passionis Dominicæ septimanam de Christi Servatoris nostri Cruce in Academiâ illâ publicè propugnandas susceperat: volebat enim significare, animam hominis infirmam è Sanctissimæ Crucis arbore, veluti è pingui & amarâ olivâ, alexipharmacum saluberrimum recipere. Rabanus ad S. Crucem venerabundus; *Tu sancta Crux*, inquit, *peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentum, desperatorum securitas, infirmorum felicitas.* Et S. Laurentius Novariensis, *Crux est arbor optabitis, salubri MEDICAMINE PLENA.*

Virtus

Crux.

Raban. de laude Crucis

S. Laur. Nov. Homil. de Pœnit.

207. Ludovicus Lanzavecchia, Academicus inter Intentos Velox, symboli loco Cervum præfert, intra densum nemus currentem, &, ne ab obviis frutetis remoras pateretur, cornua sua supra dorsum

dorsum reclinantem; addito lemmate Gallico. SANI ENPE-CHEMENT. Id est; *sine impedimento*, veluti diceret; se ad virtutum metam sine obice assequendam, omninò statutum habere, animi sui facultates per intricatam hujus mundi sylvam tenere demissas, ac probè edomitas; eâdem planè ratione, quâ cervus impendentes arborum ramos, ceu cursûs sui obices, capite elevato, ac cornibus in dorsum resupinus, declinat. S.P. Augustinus; *Humiles quærite: quod cùm inveneritis, ad securam altitudinem venietis.*

Moderatio

Humilitas.

S.Aug. ser. 8. de Divers. c. 1

108. In eadem Intentorum Academiâ tria Emblemata, inter se penitùs similia, cernuntur; unum Marci Antonii Andolphi, qui hinnulo, cervam matrem suam per spinosos & salebrosos calles insequenti, subscripsit; I PRÆ SEQUAR. Alterum Scipionis de Cellâ hinnulum exhibet, qui, præeunte Cervâ matre, generoso saltu unà supra rupem præcipitandus, epigraphen monstrat; TE DUCE FERT ANIMUS. In postremo Ludovicus Sforzia, Marchionis de Caravaggio frater, hinnulum proponit, qui natandi causâ in mare sese præcipitaturus, retrò cervos majores consistit; cum lemmate. DANT ANIMUM DUCES. Innuunt nimirum, majorum exemplo gravissimas quasvis difficultates ac pericula adiri, superarique. In hanc rem Philo dicere solebat; Veterum Patriarcharum opera fuisse *leges & jura non scripta*. S. Bernardus è sponsæ verbis observatum habet, quod in singulari exorsa, in plurali finiat. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* veluti diceret, *Non curram ego sola, etsi solam me trahi petam. Current adolescentulæ mecum, Curremus pariter, curremus simul: ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo.*

Exemplū majorum.

S.Bernardus serm. 21. in Cant.

209. Odoricus Carrettus, Academicus inter Intentos solitarius, symboli vice Cervum habet, qui adverso sole recumbens, sub cornua sua illius radiis indurat; cum lemmate. DONEC AD FORTIA ROBUR. quasi diceret; sicut Cervus, cornibus otiamnum cereis, & ad impellendum ineptis, nihil omnino certaminis adversus belluas molitur, sed solitarius manet, dum Planetæ illius calore cornua obfirmentur; ita se tamdiu ab aliorum consuetudine victurum exulem & alienum, quoad virtute Academicâ obduratus, vires roburque acciperet, ad manus in publicæ concertationis arenâ cum litteratis conferendas. Certè sancti Machabæi, instar pavescentium Cervorum, adversus robustos Idololatras sibimet visi omninò impares intra solitudinis cavernas perstitêre absconditi: at vero virium & sociorum incremento nonnihil aucti, in apertam lucem prodierunt, omnemque gentilium proterviam felicissimè debellârunt, Judæis in libertatem, tantoperè desideratam, assertis. De his S. Joannes Chrysostomus; *Quando grave quidem bellum ingruebat, nec quidquam possent facere quod prodesset se abscondebant: Postquam autem parum respirarunt, tanquam generosi quidam catuli ex antris exilientes, & latebris emergentes, statuerunt non se amplius solos servare, sed etiam alios, quoscunque possent.* Tertullianus eodem prorsus modò de SS. Martyribus ratiocinatus, ait, eos à providentiâ Divinâ intrâ carceris angustias recludi, ut viribus inde resumptis, postea palam progredi, & tortoribus imperterritâ mente insultare, omnemque mortis supellectilem, Cruces, sertagines, gladios, flammas, patibula, equuleos, ipsamque adeò mortem triumphare possent. Verba Tertulliani ita habeto. *Epistates vester,* (id est, Director, vel Procurator) *Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, & ad scamna* (in arenam) *produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem, à liberiori conditione seponere. UT VIRES CORROBORARENTUR in vobis, nempè cùm & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, UT ROBORI ÆDIFICANDO vacent.*

Solitudo.

S.Io. Chrysost. in Psal. 43.

S.Martyres.

Tertull. l. 1. ad Mart. c. 3.

210. Cervus, cornuum suorum vires periclitaturus, adversus arborem impellitur, cum lemmate. EXPERIAR. Francisco Panizzoni, Academico inter Intentos Dubio, cùm publicas conclusiones *de Monstris* esset propugnaturus, hoc symbolum inserviit: eoque significavit; sicuti cervus, cornibus ad solem induratis, aliorum societatem necdum frequentat, donec eorum vires, adversus arborem allisas, expertus fuerit: ita se, diuturno tempore inter litterarios æstus obfirmatum, in Concertatione illâ ingenii & doctrinæ suæ periculum facere velle, num deinceps vires suppetant, non tantùm ad ardua quævis Reipublicæ negotia tractanda, sed etiam ad adversariorum impetus generoso animo reprimendos. Milites Romani, Vegetio teste, diversis bellorum simulachris militiam præveniebant; nam gravi clavâ, gladii vice; & ingenti cetrâ, è viminibus contextâ, ceu scuto, muniti, adversus palum, in terrâ defixum, acerrimè dimicare solebant; ut imposterum, hâc exercitatione instructi, vires suas exerere, ac hostium cuneos perfringere valerent. *Contra illum palum*, inquit, *tanquam contra adversarium tyro cum crate illâ, & clavâ, velut gladio, se exercebat, & scuto: ut nunc quasi caput aut faciem peteret, nunc a lateribus minaretur, interdum contenderet poplites, & crura succideret, recederet, assultaret, insiliret, & quasi præsentem adversarium, sic palam omni impetu, omni bellandi arte tentaret.* Et paulò ante; *Eo modo non tantum manè, sed etiam post meridiem exercebantur ad palos.*

Exercitatio.

Veger. l. 1. c. 11.

211. S. Bernardus in ætate etiamnum juvenili flammam minus castam intra præcordia sua persentiscens, sese in congelatas stagni cujusdam aquas, illam extincturus, præcipitavit. Quare Lucarinus, ad facinus adeò heroicum alludens, Cervum depinxit, aquis immersum; addito epiphonemate. MERGOR OB ÆSTUM. Ad idem propositum collimat aliud Academici cujusdam Gelati symbolum, in quo Cervus exhibetur, intra aquas submersus, soloque capite supra illas eminens; cum dicto, EX GELIDO ANTIDOTUM. Enimverò S. Bernardus è frigoris illius rigore non tantum ad præsentis flammæ cruciatus restringendos pharmacum; sed insuper adversus ignes imposterum excitandos antidotum præsentissimum procuravit. S. Gregorii dictum est, effrænes carnis motus, & inhonestas tentationum flammas lachrymis potissimum, fletuque de noxis præteritis extinguendas esse. Atque adeò ad libidinis incendia reprimenda medium non habemus efficacius, quàm vel lacharymis, vel mortificationum aquis altum immergi. D. Hieronymi vox est, *Ardentes diaboli sagittæ jejuniorum & vigiliarum rigore extinguendæ sunt.* Nec refert, corpus inde debilitari, ejusque labefieri valetudinem; cùm longè satius sit, ut ait idem Hieronymus, *Stomachum dolere, quàm mentem.* Cæterum P. Joannes Andreas Albertus de illo S. Bernardi facto concinnè in hæc verba ludit.

S. Bernardus.

Libido lachrymis & mortificatione sedatur.

S. Greg. ap. Rodric. p. 3. de Perfect. tract. 4. c. 8.

S. Hieron. ep. ad Furoam

Aspectu mulieris flammas concipit,
Quibus extinguendis vix glaciale stagnum sufficit,
Aquis emersus, & flammis
Mortalia prorsus odisse constituit.
Qui sospes evaserat fluctibus,
Seipsum telo pudicitiæ devovet,
In glacie sic obriguit;
Integris ut videatur sylvis egere,
Sylvas itaque meditatur &c.

212. Cervi molestos illos labores, quos in flumine transmittendo experiuntur, parvi æstimant, si odoratu suo fœcundas citerioris terræ, tametsi nondum à se visæ, delitias percipiant. Unde imagini subscripsit

pſit Lucarinus; OLFACTU APPELLUNT. Innuit videlicet, æternæ vitæ felicitatem, à fidelibus creditam, tametſi necdum viſam, omnes calamitatum amarores edulcare, vireſque cumulatas ad difficillima quæque ſuperanda conferre. Origenes; *Futurorum ſpes laborantibus requiem parit, ſicut in agone poſitis dolorem vulnerum mitigat ſpes coronæ.* Et S.Gregorius Papa, *Paulus ſemper ſeipſo robuſtior, contra adverſa erigitur: quia nimirum finem ſui operis ſicut mercenarius præſtolatur.*

Spes præmii. Orig. hom. 9. in Exod. S.Greg. l. 8. Moral. c. 5.

213. Idem Lucarinus, Beati Bernardi Ptolomæi ſolitudinem Emblemate ſignificaturus, Cervum depinxit, intra ſylvas ſeſe recepturum; cum lemmate, ABDITUR IMPINGUATUS. Huic inſcriptioni multum affinia ſunt illa D. Lucæ de Chriſto verba; *Jeſus autem, plenus Spiritu ſancto, egreſſus eſt à Jordane, & agebatur à ſpiritu in deſertum.* Id enim aſſolent Sancti, quod virtutibus repleti, è mundi ac hominum oculis ſe ſubducant, & in ſolitudinem ſe recipiant, Magno Auguſtino aſſerente, *Omnes boni latent hic, quia bonum eorum intus eſt, abſconditum eſt; in corde eſt, ubi fides, ſpes, charitas, ubi theſaurus illorum.*

Solitudo ſanctorũ. Luc. 4. S.Aug. in Pſ. 53.

214. Cervus genuinum hominis invidi ectypon, dextrum ſuum cornu, utpotè præſentiſſimum adverſus varios morbos remedium, defodere & occultare ſolet. Unde Lucarini lemma. SALUBRIUS CONDO. Apprimè S.Joannes Chryſoſtomus; *Sicut invidiæ eſt, quædam abſcondere; ita inſipientiæ, omnia dicere.* Eadem imago etiam avarorum eſt propria, qui aurum, ad complurium egeſtatem ſublevandam opportuniſſimum, tenaci ſerâ recondunt. S.Baſilius adverſus hanc hominum malevolentiam eruditè excandeſcens, *Ingens inſania,* inquit, *cùm quidem in montibus eſt aurum, terram perſcrutari; cùm autem in conſpectu eſt, rurſus ipſum in terram occultare.* Cui non multum diſſimilis eſt Seneca; *Avaritia iterum ſub terras refert, quæ malè egeſſerat.*

Invidus. S.Jo.Chryſoſt. apud Lorin. in Act. 10. v. 20. Avarus. S.Baſil. hom. 7. ex var.

215. Quantùm levaminis & profectûs è voluntariâ paupertate, omniumque rerum temporalium abdicatione capiamus, Joannes Ferrus Cervi emblemate commonſtrat, qui rejectis cornibus, epigraphen præfert; PROJECTIS AGILIOR. Seneca; *Multis ad philoſophandum obſtitere divitiæ. Paupertas expedita eſt, ſecura eſt ſi vis vacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis.* Et paulò ſuprà; *Projice omnia iſta, ſi ſapis, imò ut ſapias: & ad bonam mentem magno curſu, ac totis viribus tende &c.*

Paupertas volnutaria. Seneca ep. 7.

216. Cervus Emblematis loco infra palmam conſiſtit; ubi ex uno latere jaculo, è palmâ vibrato, tranſfixus; ubi ex altero dictamnum, vulneri ſanando, decerpit; cum lemmate. HINC VULNUS, SALUS, ET UMBRA. Hoc Emblema, ob multiplices ac confuſas figuras nonnihil vitioſum, calamitatis eſt propria; cui ſolenne eſt, hominem ferire, ſanare, & umbram aliquam aſpergere &c. Idipſum etiam ſancto Patri Auguſtino inter æternos honorum arcus ſuſpendes, de quo Caſſiodorus in hæc verba loquitur; *Ipſe Doctor eximius Beatus Auguſtinus, bellator hæreticorum, defenſor fidelium, & famoſorum palma certaminum.* S.Bernardus idipſum de verbo Dei teſtatur; Verbum Dei *& cibus noſter, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies.*

Calamitas. S.Auguſt. Caſſiod. de Divin. Lect. c. 12. Verbum Dei. S.Bern. de multipl. util. Verbi Dei.

127. Aquila, minutiſſimo pulvere intra alas collecto, ſeſe inter cervi cornua collocat; ubi pulverem omnem in miſeri cervi oculos excutit, cumque tandem penitus excæcatum, è rupe præcipitat, & quaſſatis oſſibus, vitâ privat. Lemma. EX PULVERE MORTEM. Ita omninò Dæmon venialium peccatorum minutiis, quæ à nobis vix quidquam æſtimantur, miſerum hominem agit præcipitem, nec raro æternâ vita ſpoliat S.Cyprianus; *Dominus prudentes nos eſſe juſſit, & cautâ ſolicitudine vigilare præcepit, ne adverſarius vigilans ſemper, & ſemper inſidians, quando in pectus obrepat, de ſcintillis conflet incendia, & parvis maxima exaggeret, & dum remiſſis & incautis leniore aurâ, & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei, & ſalutis, ac vitæ naufragia moliatur.*

Peccata venialia. S.Cyprian. ſerm. 12. de zelo & livore.

218. Cervus, ſerpentem comedens, ab Academico, inter Errantes Præſervato, epigraphen recepit. ET INDE LONGÆVUS. Cervus enim è cibo illo vitam ſuam per integros trecentos annos prorogare ſolet. Inde diſcas velim, eum, qui obvios quoſvis amarores & ærumnas forti animo digerere noverit, vitam diuturnam, ac ſenectutem feliciſſimam victurum. Divinæ ſapientiæ id credes. *Dulcedo animæ, ſanitas oſſium.* Galenus tria documenta ſibi à ſuo patre tradita refert, quibus obſervatis ad decrepitam ætatem ſaniſſimus perveniret; *Primum; imperterritus & immotus ad ea omnia, quæ quotidie in vita accidunt, maneo; ſicut patrem manere tunc intuebar: ita neq; jactura, neq; interitus rei cujuſpiam perturbatione me ullâ afficit. Secundum; Aſſuefecit me pater, gloriam & honorem contemnere, ut unam, nudamque veritatem haberem in pretio. Video enim quoſdam, cùm ſe ab aliquo ſperni arbitrantur, aut cùm pecunias aliquas amiſerunt, magno dolore confici. Tertium; non eſurire, non algere, non ſitim pati.*

Patiens. Prov. 16. Galen. l. de dignoſcend. curandiſque animi morbis c. 8. Vita quomodo di ſervanda.

219. Cervus, iliis ſagittâ transfixis, quaquaverſum fugiendo curſitat; cum lemmate, e NEMINE PERSEQUENTE. Joannes Orozcus hoc Emblemate terrorem, à malâ conſcientiâ incuti ſolitum, denotat. Nempe Salomone aſſerente, *Fugit impius, nemine perſequente.* Cui adſtipulatur Jobus; *Sonitus terroris ſemper in auribus ejus; & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.* Unde Seneca; *Sceleris in ſcelere ſupplicium eſt.* Et Plato; *Tyrannus intra ædium parietes formidoloſus, velut mulier, commoratur.* Et alibi, *Conſcientia ante peccatum eſt frænum, poſt peccatum eſt flagrum.* At fugiat impius, quantùm voluerit; demum tamen, aſſerente Iſidoro, *Omnia fugere poterit homo, præter cor ſuum. Non enim poteſt à ſe quiſque recedere. Ubicunque enim abierit, reatus ſui conſcientia illum non derelinquit.* Joannes Audenus canit,

Conſcientia mala. Prov. 28. 1. Iob. 15. 21. Senec. ep. 9. Plato l. 9. de Republ. S.Iſid. 1. ſent. c. 16. Io. Aud. in Monoſtica moralibus.

Conſcia mens recti nullo commota pavore eſt;
Ut mala mens ſemper ſolicitata ruit.

220. Cervus, in flumine traijciendo prænatans cæteris inſequentibus, epigraphen tenet. PRÆNATO, SEQUENTUR. Ita omninò Chriſtus Martyrum caput, paſſionis torrentem primus eſt ingreſſus, ſuoque exemplo alios eò pertraxit. S.Bernardus, *Sermo vivus & efficax exemplum operis eſt, facile faciens ſuadibile, quod dicitur; dum demonſtrat factibile, quod ſuadetur.* Et S.Petrus Damianus; *Chriſtus primò paſſus eſt, quem protinus Apoſtoli ſunt ſecuti, quorum & nos veſtigia præcipimur imitari.* Claudiani in hanc rem ſententia eſt;

Exemplũ. S.Bern. ſerm. 2do Reſurr. S.Pet. Dam. l. 6. Epiſt. 1. circa finem. Claud. de laud. Stilicon.

Scilicet in vulgus manant exempla regentûm,
Utque ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Quivis homo, extremum diem obiturus; peculiari verò ratione Abel, omnium primus ex hâc vitâ in alteram abreptus, opportunè cum cervo illo dixerit, *prænato, ſequentur;* Illam enim viæ ſemitam omnes, lege penitùs irrevocabili, incedent. Religioſiſſimè Seneca; *Cogitemus citò nos eò perventuros, quò mortuum pervenire mœremus. Et quem putantus periiſſe, præmiſſus eſt.*

Mors. Senec. ap. Lipſ. l. 3. Phyſic. diſſert. 11.

221 Academicus, inter Venatores Venetos captivus,

ptivus, symboli loco cervum præfert, qui in vivario conclusus, epigraphen tenet; IN CAPTIVITATE SECURUS. Inde disces, calamitates & angustias plerumque fortissimi propugnaculi loco nobis accidere. Opportunus in rem præsentem est Francisci Petrarchæ Dialogus; *DOL. Carceri mancipatus. RAT. Quid scis, an fortasse non carcer, sed, ut dicitur, custodia sit; quotiens vinculis explicitos hostilis mucro, sive hoste sævior paupertas invasit; quotiens evasisse pænituit, & carcerem, quem diuturnum quæri cæperant, non fuisse perpetuum, questi sunt?* Cumprimis tamen hæc imago personas religiosas spectat, quæ claustri septis circumscriptæ, miram non modò adversus mundi retia, & Tartari sagittas, tranquillitatē; sed insuper moralem æternæ vitæ consequendæ securitatem sibi promissam habent. Verbis, solatio plenissimis, S. Bonaventura. *Moriens vix unquam aliquis à cellâ in infernum descendit, quia vix unquam, nisi cælo prædestinatus, in eâ fidelis usque ad mortem perseverat.*

[Margin: Captivitas. Petrarcha l. de Remed. Dial. 64. Religiosus. S. Bonav. l. 4 Pharet. c. 19.]

222. Desideria nostra nonnisi intra Divinitatis fontem submersa exaturari posse, cervus demonstrat, versus undas anhelans; cum lemmate. MERGET IN AMNE SITIM. Iteratis vicibus id confessus David, ait, *Apud te est fons vitæ.* Et, *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Et, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Unde S. P. Augustinus; *Quisquis ista terrena vel propter supplementa necessitatis, vel propter aliquam infirmitatem desiderat, nonnisi ab illo desideret, qui est fons omnium bonorum.* Pulchrè Hermannus Hugo.

[Margin: ...uies in Deo. Psal. 35. 10. Psalm. 4. 1. Psalm. 16. 15. S. Aug. in Psal. 66. Herm. Hug. Suspir. 11]

Celestes animus sitit insatiabilis undas,
Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.

223. Cervus, flumine jam transmisso, pedes suos citeriori ripæ imponit; cum lemmate. JAM TIMOR OMNIS ABEST. Ita prorsus timor noster ibi demum cessabit, quando terram sepulchralem contingemus; & multo amplius, quando ad perennis beatitatis littus, aspirante Divinâ bonitate, appellemus. Seneca Marciam suam, è filii morte consternatam, in hæc verba solatur; *Excessit filius tuus terminos, intra quos servitur. Excepit illum magna & æterna pax; non paupertatis metu, non divitiarum curâ, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur, non invidiâ felicitatis alienæ tangitur, nec suâ premitur, nec convitiis quidem ullis verecundiæ aures verberantur: nulla publica clades conspicitur, nulla privata: non solicitus futuri pendet ex eventu, semper incertiora rependenti. Tandem ibi constitit, unde nihil eum pellat, ubi nihil terreat.*

[Margin: Mors bonis. Senec. in Consol. ad Marciam c. 19.]

224 Ardens Dei consequendi desiderium in nobis, nonnisi proscriptis vitiis, accendi, Cervus commonstrat; qui, serpentibus circum se interemptis, ad fontem, sitis levandæ causâ anhelat; cum lemmate. PEREMPTIS, FONTEM ANHELAT. Certè Filius prodigus, vitæ suæ luxuriem detestatus, paternum sinum ingenti desiderio repetiit. Magdalena præteritæ vitæ spurcitiem abominata, ad pietatis fontem festinâ mente accurrit. Unde Magnus Augustinus; *Quid est in cervo? serpentes necat, & post serpentium interemptionem, majori siti inardescit. PEREMPTIS serpentibus, AD FONTEM acrius CURRIT. Serpentes vitia sunt; consume serpentes iniquitatis, tum amplius desiderabis fontem veritatis.*

[Margin: ...itiis ex... ...nctis ad ...eum ...opera... ...us. S. Aug. in Psal. ... Pœnitens.]

225. Homo mundanus inter calamitates plerumque viribus ac consiliis omnibus deficit, quibus, fortunâ etiamnum affluente, plurimùm videbatur abundare. Id quod Abbas Certanus Cervi emblemate demonstrat, qui unico propinquante cane in fugam actus, epigraphen refert; BENCHE ARMATO DI CORNA, E PAVE, E FUGGE. Id est, NON REDDUNT CORNUA TUTUM. Hanc animini debilitatem ac miseriam detestatus S. Gregorius Nazianzenus; *Est autem turpe:* inquit, *ac præposterum, extra periculum philosophari; in ipso autem periculo philosophiæ expertem esse.* Et S. Bernardus; *quod scimus, cùm necesse non est; in necessitate nescimus.* Certè peccator, tametsi armis undique munitus, in corde tamen timorem assiduò lancinantem circumfert. David, needum ullâ peccati labe infectus, facinora, magnanimo leone digna, patravit; at ubi peccaverat, mox timidus evasit cervus, & medios etiam inter militum cuneos trepidabat; ab Absalonis enim, proprii filii sui, conspectu fugam, formidine plenissimam, arripuit, qui antea Goliathos & leones prostravit.

[Margin: Munda... nus. S. Greg. Naz. ep. 12. S. Bern. l. 2. de Consid. Peccator timidus.]

226. Cervu, serpentibus pasci solitus, subscriptionem reddit; VERTIT IN BONUM. Ita prorsus homo, eodem Certano authore, si virtutibus semel assueverit, etiam gravissimas calamitates in utilitatem suam convertere novit. Unde Seneca; *Scias licet, idem viris bonis esse faciendum, ut dura, ac difficilia non formident, nec de fato querantur. Quidquid accidit, boni consulant, IN BONUM VERTANT; Non quid, sed quomodo feras interest.* Et rursus de homine sapiente differens, ait, *Naturâ magistrâ utitur, ad illius leges componitur, sic vivit, quomodo illa præscripsit: cui bona sua nulla vis excutit: qui MALA IN BONUM VERTIT, certus judicii, inconcussus, intrepidus &c.*

[Margin: Prudentia. Senec. lib. de providens. Idem ep. 45.]

227. Venatores, cervum comprehensuri, filum, diversis volucrum plumis ac pennis distinctum, per oblongum facilioris viæ spatium extendunt; unde plumeo hoc septo à ventis agitato, cervus ingentem timorem concipit; illudque declinaturus, è lustro suo se proripit, & inopino lapsu intra vicinum rete præcipitatur. Eò alludens Virgilius, canit;

[Margin: Virgil. l. 3 Georg. v. 37...]

----- Agitant pavidos formidine pennæ.

Seneca; *Sic feras lineæ, & pinnæ clausas continent: easdem à tergo telis eques incessat.* Et Statius;

----- feras indago latentes
Claudit, & admotis paulatim cassibus arctat.

[Margin: Senec. l. 2 de Clementia. Stat. l. 1. Achil.]

Proinde cervus, à plumeo illo filo exterritus, epigraphen sustinet; FORMIDO CASSIBUS ARCTAT. Peccator, ruboris contrahendi formidine à confessione prohibitus, intra scelerum & Tartari retia illabitur. Apprimè Sanctus P. Augustinus; *Cùm verentur infamiam falsam, veram incurrunt; instar ferarum, quæ circumdantur pennis, ut cogantur in retia.* Et Sanctus Hieronymus, *Pavidorum more cervorum, dum pennarum evitatis, fortissimis retibus implicamini.*

[Margin: Peccator timidus. S. Aug. lib. 1. de Nupt. & Concup. S. Hieron. cont. Luciferian.]

228. Cervus, naturâ suâ timidus, ut primùm corniculi venatorii stridorem, canum latratus, aut venatorum clamores percipit, mox formidine perculsus, fugam arripit, & incauto cursu retibus implicatur. Unde lemma è Virgilio mutuatum: PREMIT AD RETIA CLAMOR.

[Margin: Virgil. l. 3. Georg. v. 413]

Ingentem clamore premes ad retia cervum.

Ita sonorus D. Bernardi clamor Guilielmum, Aquitaniæ Ducem, ferocis & indomiti animi hominem, ad eremi angustias, sanctarumque virtutum retia compulit. Ita quoque prædicatorum clamor peccatores, serpentibus & vitiâ animali instar cervorum enutritos, ad rete Evangelicum cogit. S. P. August. *Vocamur prædicatione pænitentiæ, justificamur in vocatio-*

[Margin: Correctio gravis. Prædicator. S. Aug. Præf. in Psal. ...]

vocatione misericordiæ, & timore judicii. Vocati renuntiamus diabolo &c

Maritus adulteræ. 229. Maritus, injuriam passus, & uxoris adulteræ causâ à Magnatibus defensus; Cervi Emblemate à Carolo Rancato exprimitur, cujus frons à superbis & ramosis cornibus inumbratur: lemmate ex Ovidio addito; PRÆBET SIBI CORNIBUS UMBRAS.

Ovid l.3. metam.

Ingens cervus erat, lateque patentibus altas
Ipse suo capiti præbebat cornibus umbras.

Superbus. Porrò superbus quoque præbet sibi cornibus umbras; dum enim arrogantiæ cornibus sublimis incedit, ab omnibus contemnitur, & non hominum tantùm, sed Dei quoque odium incurrit; juxta illud Siracidis. *Odibilis coram Deo est & hominibus superbia*; Unde S.P. Aug. *Exultent superbi de præsenti felicitate; tumeant honoribus, fulgeant auro, redundent familiis; prætereunt ista, & transeunt tanquam umbra. Cùm ille finis venerit, ubi omnes, qui modò in Deo sperant, gaudebunt; tunc illis veniet sine fine tristitia.* Cæterùm, Emblemati explicando, ad uxoris adulteræ maritum hanc apostrophen subjungere placet.

Ecclesiast. 10. 7. S. Aug. in Psalm. 74.

Ombra propitia, e grande
Sopra di voi si spande:
Mà se ben io l'osservo:
Come adombrato e da le corna il Cervo,
L'ombra vostra provieno
Non da le dense nubi, ò da le foglie,
Mà da la vostra fronte, e da la moglie.

Vigilare. 230. Hieronymus Doria Cardinalis symboli loco cervum præfert; cum lemmate, VIGILANTIBUS. Innuit videlicet, sicuti cervus nonnisi vigilantibus in prædâ occurrit; ita ut gloriam & præmia assequaris, vigilandum. Iis tamen cumprimis est vigilandum, qui Deum, æternamque salutem aucupantur. Ipsummet Deum habeto testem; *Qui manè vigilant ad me, invenient me.* Unde S. Ambrosius, *Occurre ergo*, inquit, *ad solis ortus, ne lumina tua primus diei fulgor exagitet: si hunc solem (Christum) præveneris, antequam iste surgat, aspicies Christum illuminantem; ipse prius in tui cordis illucescet arcano.* Hanc Divinæ gratiæ captandæ artem probè edoctus Rex David, iteratò ait, *Domine manè exaudies vocem meam.* Et *Manè oratio mea præveniet te.*

Prov. 8. 17. S. Ambr. serm. 19. in Psalm. 119. Psal 5. 4. Psal. 87. 14.

Adulatio. 231. Cervus, tibicinis modulatu detineri solitus, facillimè intercipitur. Lemma. INCAUTUM MODULAMINA STERNUNT. Idipsum illis usuvenire solet, qui vel adulatione, vel mundi illecebris decepti, perniciem temporalem aut æternam incurrunt. S Hieronymi dictum est, *Plus nocet lingua adulatoris, quam gladius persecutoris.* Ut adeò Magnus Augustinus adulationem verè definiat; *Adulatio est fallaci laude seductio.* De muliere in rem præsentem appositè ait idem Præsul Hipponensis; *Mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam: in risum aliquando dissolvitur: nunc blanditias exhibet, &, quod est venenosius super cuncta, psallere delectatur, aut cantare: cujus cantu tolerabilius est, audire basiliscum sibillantem.*

S Hieron. in Psalm. S. Aug. in Psalm. 69. Mulier fallit. *S. Aug in lib. de fin. Cle.*

CUNICULUS.

CAPUT XVI.

232. Cuniculus, lepori perquam similis, intra terræ cuniculos, à quibus & nomen sortitus est, habitare solet. De hoc Martialis.

Mart l.13.

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris;
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Unde epigraphen præfert. DEGIT IN ANTRIS, hominem timidum hæc imago depingit, qui vitæ suæ tutelam etiam intra terræ viscera perquirit. Certè David, Saulem exhorrescens, Odollæ speluncam propugnaculi loco habitavit. Centum Prophetæ, ab impiâ Jezabele diris persecutionibus exterriti, saluti suæ, Abdiâ protegente, *in speluncis* consuluere. Matathias comitantibus generosis suis filiis, ut Antiochi furorem effugeret, intra montium cavernas securus delituit. De his S. Paulus; *In solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ.* Porrò etiam lucifugas illos hâc icone significabis, qui facta sua omnia ab hominum oculis subducunt, nec nisi in antris operantur. De his Seneca. *Quidam adeò in latebras refugiunt, ut putent, in turbido esse, quidquid in luce est.*

Timidi. *1. Reg. 22. 3. Reg. 18. 1. Mach. 1. Hebr. 11.* Lucifug. *Senec. l. 2.*

233. Milites, hoc animalculo magistro, cuniculos agere, terram excavare, & per hypogæa occulta in hostem irruere didicerunt; uti hoc pentametro testari videtur Martialis, superiore numero adductus;

Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Unde illum hoc epigrammate non incongruo afficies; VIAM DOCET IN HOSTES. In sensu deteriore Emblema istud infames illos homunciones spectat, qui, durante bello, hostibus exploratorum loco deserviunt, suamque patriam nequissimè produnt. Tales fuere Æneas & Antenor, dum Trojam, patriam suam, Græcis, nocturno tempore in civitatem per portam (quæ, Sabellico referente, equi formam habebat) admissis, tradidere. In sensu tamen meliore sanctis quibusdam est proprium, ut Hilarioni, Paulo, Arsenio, & aliis; qui intra terræ antra commorati, solitudinis, paupertatis, & mortificationis semitas, ad dæmones & vitia, fatales animæ nostræ hostes, superandos, docuere. Origine teste tamdiu sanctus esse, & hostibus superior evadere non poteris, quamdiu turbis permixtus vixeris. *Quamdiu quis permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse sanctus.*

Prodito. Eremiti exempla. *Orig. hom in Levit.*

234. Abstemius hunc de cuniculo apologum refert; Aquila cuniculi catulos in prædam suis pullis auferebat, matris cuniculi intercedentis preces, minasque deridens. Hinc cuniculus arborem, cui nidus impendebat, radicitus ita suffodit, ut postea ventorum impulsu dejecta, aquilinos simul pullos egerit præcipites. Unde Emblematis loco Cuniculus arborem, cui nidus aquilinus innititur, suffodit; cum lemmate. ET MINIMUM SPREVISSE, NOCEBIT. Hinc discas, hostem, licet imbecillem ac modicum, vix tamen unquam sine gravi damno contemni; experientiâ enim constat, Principes, etiam celsissimos, hominum tenuissimorum neglectu subversos esse. Porrò peccata venialia, & imperfectiones humanæ, instar cuniculorum sunt, quæ, si neglectim prætereantur, non tantùm animas nostras, sed integros etiam Religiosorum Ordines tandem evertunt. Unde S. Basilius *Nullum sit erratum, quod parvipendas, quamvis illud tenuissima bestiola minutius sit.* Et S. Aug. *Noli despicere peccata tua, quia parva sunt: nam etiam pluviarum guttæ flumina complent, & moles trahunt; & ARBORES cum suis radicibus TOLLUNT.* Notanda est aurea sententia S. Anselmi; *Certissimum signum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in monasterio, ubi minima distinctè custodiuntur, ibi rigor monachorum inviolabilis manet, ibi pax inter fratres, & in capitulo proclamationes conquiescunt. Ubi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus ordo paulatim dissipatur & destruitur.*

Hostis exiguus non spernendus. Peccata venialia imperfectiones non spernendae debent. *S. Basil. in Ascet. S. Aug serm de temp. S. Anselm. 6. ad Monach. Cister.*

GYNO-

CYNOCEPAHLVS.
CAPVT XVII.

235. Cynocephalus, unâ parte simiam, & alterâ canem referens, ad lunæ crescentis vel decrescentis vicissitudines suum visum perdit, recuperatvo. Unde vultu ad planetam istum converso, epigraphen tenet. Perdo CON TE LA LUCE, E LA RACQUISTO. Id est; *Lucem amitto tecum, & accipio.* Ita prorsus te omnibus conformem geras, necesse est. Porrò homo, consentaneè ad hanc ideam, crescentibus annis, ampliorem judicii ac prudentiæ lucem sortitur; contrà verò, corpore ad senectutem deficiente, simul etiam ingenii acies, hactenus vivacissima, decrescere ac imminui solet. Scitè Lucretius.

Conformitas. Cum ætate deficit & crescit ingenium. Lucret. l. 3.

----- Gigni pariter cum corpore, & una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneroq; vagantur
Corpore; sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoq; majus, & auctior est animi vis.
Post ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus;
Claudicat ingenium, delirat, linguaque, mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.

Cynocephali icone etiam avarum describes; quippe cujus cor augescente pecuniâ crescit, & deficiente decrescit. S. Bernardus avaro cuidam dixit; *Conformaris crumenæ tuæ, tanquam servus Dominæ suæ: cum crescente marsupio tuo, crescis pariter animo; & cum decrescente decrescis.*

Avarus. S. Bern. ser. ... in Cant.

236. Camerarius Cynocephalum, vultu ad lunam converso, hoc lemmate insignivit. PENDET AB ILLA. Percivallus verò illum, lemmatis loco, in hæc verba loquentem introducit. ALTRA VISTA NON FIA CHE MI CONFORTE. Id est HOC SOLO LUMINE LÆTOR. Verum ac intimum amorem, unicæ cuidam rei affixum, hæc imago denotat. S. Joannes Chrysostomus; *Sicut casta mulier, quæ virum suum amat, nullum alium amat; si autem alium amaverit, jam non amat virum. Ita homo, si Deum amat, mundum non amat, si autem mundum amaverit, jam Deum ex toto corde non amat.*

Amor verus. S. Io Chrysost. hom. 26. in Matt. ex var.

237. Lunari sidere, ob suam cum sole conjunctionem, ex oculis nostris subducto, Cynocephalus penè totus mœrore confici, nihilque alimenti sumere ...let: Unde etiam, quando idem planeta infra hemisphærium nostrum descendit, Cynocephalus ventre in terram prostrato recumbit; veluti amici sideris absentiam lugeret. Quare, Lunâ delitescente, Cynocephalus in terram prostratus, epigraphen tenet; DONEC REDEAT. Vel, ut eidem Academicus, inter Errantes sufferens, inscripsit; PER FIN CHE CINTHIA SPONTI. Id est, DUM CYNTHIA SURGAT. Cor, ob hominis, vel alterius rei dilectæ absentiam afflictum, hoc emblemate exhibetur. Nam, ut Magnus Augustinus ait, *Quantò magis, quod abest, desidero; tanto magis, donec veniat, fleo.* Baptista Guarinus canit.

Absentia amati. S. Aug in Psal 38. ... Guarin. Magdri. le 93

Comme sian dolorose
Longe da voi del viver mio le tempre,
Chiedetele al mio cor, ch' è con voi sempre.
Mà se in lingua d'amor egli favella,
Che voi non intendete,
Con quella mente di pietà rubella,
Almen l'intenderete
A i sospiri, a le lagrime, al sembiante,
Ch' io moro sensa voi, misero amante.

238. D. Ascanio Piccolominio, Archiepiscopo Senensi, & Academico Philomato, è vivis decedente, cæteri Academici Philomati Academiam suam Cynocephali emblemate repræsentarunt, qui, lunâ ad occasum inclinante, epigraphen tulit; LUMINE ORBATUR. Veluti dixissent, insignem illum Prælatum (cujus gentilitia arma lunam præferebant) vitæ suæ occasu Academiam clarissimâ luce, dignissimo inquam, ac optimo Mecenate, destituisse. Porrò homines mundani, si voluptatem aut honorem aliquem terrenum, naturâ sua instar lunæ instabilem, deperdant; mox dejiciuntur, tristantur, extremumq; dolent; veluti nihil amplius solatii admissuri. Cæterum de iis, qui ex alterius morte tristantur, ait S. P. Augustinus; *Necesse est ut tristes simus, quando nos moriendo deserunt, quos amamus. Contristamur in nostrorum mortibus, necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur, inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc sanat Divina promissio.* Et meus Carducius, symboli mentem his jambis explicans,

In morte. Mundanus. S. Aug. serm. 32. de Verbis Apost c. 1.

Lunâ cadente, lucis est expers fera:
Ruens Mecænas sic clientes nubilat.

239. D. Aresius Adulatoris symbolum, Cynocephalum depinxit; qui, lunâ occidente, humi stratus epigraphen tenet; UT DEFICIS, DEFICIO. In hunc sensum S. Petrus Damianus; *Si Dominus fervet, iste (adulator) sudat; si ille æstum, iste calorem conqueritur; si ille dormire vult, hic accidiatur, si satur est, hic ructare compellitur.* Et Plutarchus; *Adulator, cum se similem præstare nequeat in his, quæ digna sunt studio, nihil in turpioris imitatum relinquit.* Eodem Emblemate etiam vivum amorem, & miram affectuum sympathiam denotare licet; qualem Tassus in Gildippe & Odoardo fuisse sequenti poemate testatur.

Adulator. S. Pet Dam. Opusc. 22. c ... Conformitas. Tass. Geruf. Liberat. Canto 1. Stanz. 57.

Và sempre affissa al caro fianco, e pende
Da un fato solo l'una, e l'altra vita
Colpo che ad un sol noccia un qua non scende,
Mà indiviso è il dolor d'ogni ferita:
E spesso è l'un ferito, e l'altro langue,
E versa l'alma quel, se questa il sangue.

240. Lucarinus hominem, vita sublatum, Cynocephali Emblemate repræsentat, qui luna occidente in terram prostratus, gravique sopore penè exanimis jacet; cum lemmate. LUCESCENTE EXCITABOR. Innuebat videlicet, mortuos in extremo judicio ad justissimi solis exortum, denuò è mortis suæ somno fore redivivos. Mors enim somni est æmula, D. Paulo innuente; *Nolumus autem vos fratres ignorare de dormientibus;* ubi, interprete S. Joanne Chrysostomo, *Non dixit, de morientibus, sed de dormientibus; somnum esse mortem ostendens.*

Resurrectio. 1 Thes. 4. 12. S. Io. Chrys. in hunc loc.

D A M A.
CAP. XVIII.

241. ABbas Ferrus Damam, è canum insidiis fugativam, hoc lemmate notavit; PONE SOL NE LA FUGA OGNI SUO SCAMPO; vel, ut ego: FUGA SALUTEM. Hoc nimirum libertatis & castimoniæ, inter occasionum insultus conservandæ, asylum penè unicum superest: Justo Lipsio suffragante, *Malorum effugium in fugâ.* Cui non absimilis Horatius;

Fuga adversus vitia. Lips. l. de const. Horat l. 1. ep. 1.

Virtus est, vitium fugere.

Id quod cumprimis libidine incursante observandum

1 Cor 6.18. S. Ambr. l. de fuga saeculi c. 4.

dum monet S.Paulus conceptissimus his verbis, *Fugite fornicationem.* Hanc Apostoli praeceptionem iteratò inculcans S.Ambrosius; *Fugite fornicationem,* inquit, *persequuntur enim nos peccatorum illecebrae, persequitur libido. Sed tu fuge tanquam furiosam Dominam &c.* D.Basilius Paradisi in Poësi suâ Lyricâ canit.

Saggio colui, ch' esperto
Ne gli effetti d'amor, le gioie infide
Co'l Trojano Campion fugge di Dido.
Saggio chi l'empio lido
Oue habiter le femmine homicide
Co'l Britanico Eroe lascia il deserto,
Sol di vincere è certo
Chi tutto il suo valor pon ne la fuga
Che solo è vincitor chi fugge, ò fuga.

242. Hominum sceleratorum vitam Damis non absimilem dixeris, quae pabula ac delitias suas nonnisi supra praerupta ac horrida montium cacumina sumunt. Unde P.Certani lemma. IN ARDUIS ESCAM. Salomon facinorosorum ore dicit; *Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles.* Opportunè Origenes; *Haedi dicuntur omnes mali, quia aspera & dura saxa malè ascendunt, & per praecipitia eorum incedunt.*

Mundani. Sap. 5.7. Orig. Tract. 34. in Matth. 25.

243. Dama ad hostes superandos nullis penitùs instructa est armis, Martiale teste;

Dente tuetur aper, defendunt cornua cervum;
Imbelles Damae quid nisi praeda sumus?

Unde imbecilitatis suae probè conscia, sese supra rupium praecipitia recipit, ibique, veluti in unico asylo, domicilium suum figit. Lemma. DEGIT IN EXCELSIS. Ita anima justa, affectibus suis à mundo penitùs separata, assiduò vel supra rupem Golgothaeam ad contemplandos Servatoris dolores; vel supra mõtem Thaboraeum ad metandam immensam illam gloriam, quae Dei servis est praeparata, consistit. Optimè dixit Petrus Bercorius; *Vir justus debet morari in excelsis rupibus per contemplationem &c.* Modum ascendendi disce ex magno Augustino; *Corpus peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus; Si amaveris terram, peregrinaris à Deo; si amaveris Deum, ascendis ad eum.*

Contemplativus. Bercor. l. 10. Reduct. c. 20. n. 1. S. Aug. in Ps. 119.

244. Dama visu est ita acuto, ut res longissimè dissitas clarè perspiciat. Unde lemma. EMINUS INTUETUR; vel, PROSPICIT A LONGE: Jobo illud suggerente, ubi de aquila testatur, *De longe oculi ejus prospiciunt;* Prophetas haec imago spectat, qui lumine ac revelatione Divinâ confortati, res longinquas, tam praeteritas; uti Moses totius Universi creationem; quàm futuras, ut Hieremias, Ezechiel, Daniel, aliique, perspicuè intuentur. Siracides encomium istud Isaiae attribuens, *Spiritu magno,* inquit, *vidit ultima, & consolatus est lugentes in Sion; usque in sempiternum ostendit futura, & abscondita antequam evenirent.* Caeterùm emblemate illo etiam sagax ac providum hominis judicium significatur, quod, conjecturâ non multùm abludente, secundos adversosque rerum quarumvis eventus praevidere novit. Egregiè Seneca; *Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, & quae possunt contingere, animo tuo cuncta propone: nihil tibi subitum sit, sed totum antè prospicias. &c.*

Iob. 39.29. Prophetae. Ecclesiast. 49.27. Prudentia. Senec. de 4. virtutibus.

245. Dama non intra amoenas aut pingues valles, nec inter diffusam camporum planitiem, sed supra solitaria montium praerupta tranquillitatem suam reperit; imò quantò cacumina fuerint horridiora, magisque inaccessa, tantò plus quietis & securitatis ipsi promittunt. Unde lemma; TUTIOR IN ARDUIS. Ita anima, inter effrenis mundi illecebras mille periculis exposita, supra solitudinis religiosae rupem certâ ac felicissimâ securitate circumfluit. Idipsum innuit Regius Vates; *Perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me;* Id est, interprete Magno Augustino, *Perfecit amorem meum ad transcendenda spinosa, & umbrosa implicamenta saeculi, & super excelsa, id est, super coelestem habitationem, figet intentionem meam, ut implear in omnem plenitudinem Dei.*

Religiosus. Psal. 17. 3. S. Aug. in hunc loc.

ELEPHAS. EBVR.

CAPVT XIX.

246. PHysici referunt, Elephantem, dum arbori innixus, somno indulget, ab insidiante Dracone morderi, &, sanguine per vulneris hiatum exhausto, ad lapsum cogi, sicque occidi; qui tamen ipse, supra Draconem ruere solitus, eum, veluti talionis lege, exanimi suo pondere opprimit, & enecat. Emblemati Bartholomaeus Rossus inscripsit. VICTOREM VINCO. Ad illam morientis Christi victoriam, è morte ac daemone devicto reportatam, haec imago collineat. De victoriâ hâc ipsemet Servator, Oseae ore testatus, ait, *Ero mors tua ô mors &c.* Unde eidem symbolo inscripsit Lucarinus; CAEDIT, DUM CADIT. Quam gnomam etiam S.Ecclesia Christo attribuit his verbis; *Qui mortem nostram moriendo destruxit;* Ut adeò non incongruum censeam lemma; OCCISUS, OCCIDIT: argumento & verbis è Magno Augustino sumptis, ubi de Christo ait; *Mortem ab inimicis sustinuit, eamque in suo corpore OCCISUS OCCIDIT.*

Christi morien[s]. Oseae. S. Aug. ser. 30. de tem[p].

247. E D.Aresii sententiâ, Elephas serpentem, illius interimendi causâ desuper ex arbore proreptantem, corporis sui mole ita validè adversus arborem comprimit, ut ei vitam eripiat, Unde Emblemati, cui etiam suffragatur Plinius, non incongruè subscribes; EX IPSA, ET PER IPSAM. Quasi diceret, sicuti serpens arborem, è quâ descendit, malitiae suae exequendae instrumentum adhibet; ita vicissim elephas eadem arbore, ceu opportunissimo instrumento, ad comprimendum serpentem utitur. Unde Christum, Cruci affixum, hâc icone significabis; quippe qui è crucis arbore adversus serpentem tartareum opportunè praevaluit, cùm hic omnem hominum, ex Adamo descendentium seriem arboris interventu in extremam perniciem conjecerit. *Ut, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur,* inquit S.Ecclesia. S.P. Aug. *Non incongruè Crux Christi significat principatum; nam per ipsam & diabolus vincitur, & totus mundus ad Christi notitiam vel gratiam revocatur.* Baptista Mantuanus, S.Andream crucifixum exhibens, canit;

Plin. l. 11. Christi crucifi[xu]s. S. Aug. ser. de temp. Bapt. Mant. de sacris [die]bus.

----- *clamabat ab altâ*
Arbore ad astantes populos, Christumque docebat
In ligno voluisse pati, quod femina mortis
Traxerit à ligno princeps in stemmate nostro.

248. Fuit, qui Elephanti foeminae, uterum gestanti, inscriberet; NASCETUR: quasi diceret; tametsi illa mensium cumplurium intervallo partum suum eniti differat; in eâ tamen diuturnâ morâ foetum ipsius ad tantam majestatem ac molem maturescere, quam orbis universus postea sit admiraturus. Pierii Valeriani hâc de re poëma est.

Maturi[tas]. Pier. Val. l. 58.

Nam rerum natura parens nihil edere magnum,
Spectandumque solet, longo nisi tempore adultum;
Ipsa etiam majora suos animalia partus
Jussa diu gestare, decem bos Luca per annos
Parturit, ingentem prolem paritura, nitensque
Dentis ebur, decora ampla virum, decora ampla Deorum.

Haud

Haud aliter animi nostri decreta, si maturo judicio agitata fuerint, optimos effectus pariunt. Herodotus; *Omnis res properando parit errores, unde magna detrimenta fieri adsolent. In cunctando autem bona insunt, si non talia, quæ statim videantur esse bona, certè, quæ suo tempore bona quis esse comperiat.* (Herod. lib. 7.)

249. Ad D. Caroli apotheosin, Mediolani festivè celebratam, Elephantem illum depinxère, quem Plinius, Pierius, aliiq; sæpius Romæ visum, tantæ docilitatis fuisse testantur, ut oculis ad cælum levatis, supra extentum funem erectus incederet. Lemma è Cicerone addidère; ASCENSU NITENS ARDUO. Innuebant videlicet, D. illum ad sanctimoniæ & perfectionis apicem per difficilem, arduamque legis Divinæ semitã tetendisse, corporis sui pondere, *quod aggravat animam*, probè coërcito & subjugato. Et sanè nemini hactenus, nisi arduâ illâ ac laboriosâ semitâ superatâ, virtutem contingere licuit. Ovid. (Sanctitas. Sap. 9. 15. Ovid. 2. de Arte.)

Ardua molimur, sed nulla nisi ardua vincunt,
Difficilis nostrâ poscitur arte labor. Et rursus; (Idem lib. 2. de Ponto.)
--- --- --- *Tendit in ardua virtus.*

250. Emmanuel Philibertus, Dux Sabaudiæ, generosam suam benignitatẽ insignis cujusdam elephantis emblemate repræsentavit, qui, tranquillo gressu inter oviculas oberrans, epigraphen tulit; INFESTUS INFESTIS. Innuebat nimirum, se, nisi offensum aut lacessitũ, nemini quidquam damni aut molestiæ creaturum. Aurelius Victor de Octaviano Imp. testatur, quod, *justis de causis nunquam genti ulli bellum intulit.* Petrus, Comes Sabaudus, Joanne Botero referente, Othonis IV. Imperatoris conspectum subiit, vestem gestans, è latere dextero copiosis parergis, opere phrygio, gemmis & auro splendidam; è sinistro verò chalybe, ferro, armisque horridam: rei insolentiam interrogatus, respondit, vestem, è dextro latere pretiosè segmentatam, Cæsaris obsequium spectare; reliquam verò armorum supellectilem adversus Cæsaris hostes paratam esse. (Princeps benignus. Io. Boter lib. 2. dict. mem.)

251. Elephas, inter oviculas depictus, epigraphẽ sustinet; MANSUETIS GRANDIA CEDUNT. Unde animus hominis generosus & nobilis, grandẽ hanc belluam imitatus, inferioribus ac subditis facilè cedit, iisq; benignum & suavem se exhibet. *Equidem ipse*, inquit, Isidorus Pelusiota, *humilitatem ab animo magno & excelso, superbiam autem à vili & abjecto proficisci existimo.* Mirè in hanc rem facundus Cicero, de Philippo Macedone, & Alexandro ejus filio, ita ratiocinatur. *Philippum quidem Macedonum Regẽ rebus gestis, & gloriâ superatum à filio, facilitate verò & humanitate video superiorẽ fuisse, itaq; alter*, id est Philippus, *semper Magnus; alter*, id est Alexander, *sæpè turpissimus fuit. Ut rectè præcipere videantur, qui monent, ut, quãtò superiores sumus, tantò nos submissius geramus:* Doctrinã hanc è Siracide hausisse videri possit; *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* (Cedere. Isid. Pelus. lib. 3. ep. 188. Cicero lib. 1. offic. Ecclef. 3. 20.)

252. Elephas, grandis & benigni animi symbolũ, inter oviculas incedit LENTE, NE LÆDAT. Populus Israëliticus, Regis Edomitici provincias transiturus, Mose authore legatum ad eundem misit, qui proficiscendi licentiã rogaret; at facultate denegatâ, *divertit ab eo Israel*, aliamq; viam ingressus est. Olealter in hunc locũ, *Quid hoc est, Domine Deus*, inquit, *ut non audeas intrare cum populo terram Edom, nisi à Rege permissus? Docet nos in summa potentia nunquã violentiâ uti, & suaviter omnia disponere. &c. Discãt ex hoc loco Reges patientiã, videntes, quantâ hic utitur Deus &c. ne puniat Edom.* Solenne hoc Deo est, ut suppliciis identidem dilatis, eâ temporis diuturnitate peccator resipiscat, & offensæ Divinæ fulmina declinet. Chrysol. *Hæc est Christi magna, larga, sola misericordia, quæ judicium omne in diem servat unũ, & homini totum tempus ad pœnitentiæ servavit inducias: ut quod de vitiis infantia suscipit, rapit adolescentia, invadit juventus, corrigat vel senectus; & de peccato vel tunc pœniteat, quando sentit jam se non posse peccare: & tunc saltem reatum deserat, quando illum reliquerit jam reatus &c.* (Benignitas. Num. c. 20. v. 14. & 21. Olaft. in hunc loc. Misericordia Dei. S. Pet Chrysol serm. 42.)

253. Alius eidẽ Elephanto, inter oviculas diversanti, epigraphẽ politicã junxit. REGNI CLEMENTIA CUSTOS. Appositè Seneca; *Illius principis magnitudo stabilis, fundataq; est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se sciunt: cujus curam excubare pro salute singulorum, atq; universorum quotidie experiuntur. Quo precedente, non tanquam malũ aliquod, aut noxium animal cubili prosilierit, diffugiunt: sed tanquam ad clarum & beneficũ sidus certatim advolant.* (Clementia. Sen. ec. ad Lips. dissert. ad Albert. &c.)

254. Joannes Ferrus Elephantẽ, duabus præcipuè prærogativis insignẽ, hoc epigramate notavit; NEQ; VORAX, NEQUE RAPAX. Ad hanc ideam Episcopus conformetur, necesse est; quippe cui epig. illa. *Neq; vorax*, maximè convenit, cumque Apostolus cumprimis *Sobrium* vivere præcipit. In hunc D. Pauli locũ S. Anselm. *Sacerdotes enim*, inquit, *qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinum & siceram bibere*; vetante nimirùm lege Mosaicã, *NE in CRAPULA & ebrietate GRAVENTUR corda eorũ.* Sed & alterã lẽmatis partem, *neq; rapax*, Episcopi propriam esse, idem Apostolus declarat, dum verbis mox subjunctis illum *non cupidum* esse jubet. *Avaritiam enim & cupiditatem*, inquit S. Anselmus, *esse vitandam sacerdoti, & ipse Samuel exemplo suo docet, NIHIL se cuiquam RAPUISSE coram populo PROBANS.* (Sacerdos. 1. Tim. 3. 2. S. Anselm. in hunc loc. Ibid. v. 3. S. Ansel. l. c.)

255. Alexander, Dux Farnesius, Emblematis loco Elephantem præfert; addito lemmate Hispano: NO BUELUO SIN VENCIR. Id est, NON REDEO, NISI VICTOR. Innuit videlicet, se è bello nunquam, nisi victorẽ, rediisse. Encomiũ hoc cumprimis Augustissimo Imp. Carolo V. tribues, qui, Famiano Stradâ testante, gloriosus extitit, *tam multis ex omnium hostium genere victoriis, tantâ felicitate reportatis, ut à nullo ferè Carolus provocatus bello fuerit, quem non modo victum, sed (quod rarò legitur) vinctum etiam captivumq; non viderit.* Ita enim à Carolo fusi, superatique fuère Franciscus I. Rex Galliæ, Henricus Rex Navarræ, Clemens VII. Guilielmus Dux Cliviæ, Fridericus Elector, Dux Sabaudiæ, Ernestus Dux Brunsuiciæ, Philippus Landgravius Hassiæ, aliique. S. Ambrosius idipsum elogium Davidi statuit; *IN OMNIBUS VICTOR PRÆLIIS.* Nam circiter vigesies cum hostibus acerrimè conflictatus, clarissimam semper victoriã reportavit. (Generositas. Fam. Strad. lib. 1 de bello Belg. S. Amb. l. 1. officior. 25.)

256. Quantã cordis animiq; puritatẽ præferat ille, qui Deo aut invocando, aut adorando propinquare cupit, ex Elephante conjicere licet, qui recentem lunam more suo veneraturus, prius fonte ablui consuevit. Unde lemma. UT PURUS ADOREM. Opportunè David: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine, ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua.* Ita nimirùm optima Dei colendi & adorandi dispositio est affectuum nostrorum puritas; uti etiam observat Seneca; *Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus.* (Oratio pura. Psal. 25. 6.)

257. Elephas, intra fontem lavans, epigraphen sustinet SIC ARDUA PETO. Quasi nimirum cordis animiq; munditiès validum & efficax esset ad gravissima quævis negotia perficienda instrumentum. Onosandro authore, Bellidux, priusquam in arenam cum hoste descendat, victimas Deo consecret, earumq; viscera attento oculo scrutetur, num præsagum aliquod victoriæ omen contineant. Verùm misso hoc religionis superstitiosæ documento, sanctius illud à P. Andr. Pinto observatum attendas velim: (Puritas interna. Onosander cap. 10 strat. P. And. Pint. Notat. 19 in cap 14. Isaiæ n. 1428.)

lim. *Habet religiosus longe extispicium, & multo certioris augurii, meus Princeps in bellum profecturus: si cor, si viscera sua vitio pura, adhærentia Deo, introspexerit; jam propitio Numine poterit decertare.*

258. Elephas suos dentes adversus arborem allidit, eosque ibidem excussos relinquit; Unde lemma. LASCIAI DI ME LA MIGLIOR PARTE A DIETRO. Id est; MELIORA RELINQUO: [*Peccator inveteratus.*] Ita sanè peccator inveteratus optimam juventutis suæ partem, ad effrenes sensum voluptates ac crebra vitiorum offendicula allisam, miserè deperdidit. [*S. Io Chrys. in Psal. 14.*] S. Joannes Chrysostomus id deplorans, ait, *Et cum juventutem peccato exhauserit, languidam & enervatam senectutem virtuti reservet.*

259 D. Aresius eidem Emblemati, nimirum Elephanto, dentes suos in terram excutienti, inscripsit; LASCIAI DI ME LA PIU' VIL PARTE A DIETRO. Id est, PEJORA RELINQUO. [*Religiosi.*] Religiosis, sanctisque personis hæc imago nativa est, qui opes ac mundi illecebras prompto, hilariquo animo projiciunt. [*Paupertas voluntaria*] Huc multum conferre videtur elegans Francisci Petrarchæ dialogus; *DOLOR. Patrimonium paternum habui, perdidi, quid consilii capiam? RAT. Patrimonium paternum duplex; alterum ex rebus pereuntibus, quod fortuna moderatur: ex virtutibus & doctrinis alterum, quod extra fortunæ regnum procul in tuto positum lædi nequit.* [*Petrarch. de Remed. l. 2. Dial. 9.*]

260. Elephas, miræ dexteritatis, agilitatis, & magnanimitatis bellua, dum adversus hostem committitur, nullis exteris aut emendicatis aliorum viribus, sed proprio robore res quasvis maximas conficit. Unde lemma. SUIS VIRIBUS POLLENS. [*Propriis viribus agere.*] David, cum Giganthe conflictaturus, à Rege Saule galeâ, loricâ, gladio, aliisque armis munitus incedebat; [*1. Reg. 17. 38. S. Ambr. l. 1. offic. cap. 35.*] verùm horum omnium inexpertus, *deposuit ea*; siquidem victoriā adeò illustrem non armorum subsidio; sed innatâ suâ generositate perficiendam censebat. S. Ambr. *David adversus Goliam, immani mole corporis virum, singulari certamine dimicaturus, arma, quibus oneraretur, respuit. Virtus enim SUIS LACERTIS magis, quàm alienis integumentis nititur.*

261. Elephanti subscripsêre; IN SUIS VIRIBUS PRETIUM. [*Virtus vera.*] Genuinæ virtutis hoc ectypon est, quæ pretium existimationemque suam non ab extero splendore, aut aliorum auxilio, sed ab interna animi sui forma recipit. [*S. Aug. serm. 44. de sanct. Claudian in Consul Theo*] Pulchrè Magnus Augustinus; *Victoria nostra, gloria nostra intus est, non foris est: foris despecti, intus dilecti.* Claudianus.

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur; plausuque petit clarescere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis.

262. Elephas, grandis ac resoluti animi symbolum, in aperto campo nunquam pavescere, nec etiam, nisi à gravissimo impetu, superari solet. Unde lemma. VI PARVA NON INFLECTITUR. [*Animus resolutus.*] Ita justus neminem, nisi solum Deum, timet; Dæmonem, mundum, cæteraque adversa omnia parvi pendens. [*S. Aug in Psal 55. Idem Psal. 1*] S. P. Aug. *Nec hominem, nec diabolum timeamus; nec ille, nec iste facit aliquid, nisi quantum permittitur: permitti autem nihil potest, nisi quod nobis prodest.* Et rursus; *Noli timere, si Christianus es, Dominum hominem; Dominum Deum tuum semper time.* Cæterùm Torquatus Tassus Suenonem, Daniæ Regem, hoc elogio insignem fuisse testatur; ut qui innumero Arabum exercitu à Solimanno horrendum infestatus, animum nequidquam abjecit; sed etiamnum imperterritus, numerosas & violentas vires hosti opposuit. [*Tassi Gerus. Liberat. Cant. 8 stanz 23.*] Tassi hāc de re poema ita percipito.

Ripercote percosso, e non s' allenta;
Ma quant' offeso e più, tanto più noce.
Quand' ecco furiando à lui s' avventa
Homo grande, c' hà sembiante, e guardo atroce
E dopo lunga, ed ostinata guerra,
Con aita di molti al fin l' atterra.

263. Quantæ vires pectori nostro ad omnes calamitates perferrendas è Christi passione probè considerata accrescant, D. Aresius Elephantis Emblemate demonstrat; [*Passio Christi.*] qui vinum, ab uvis expressum, attentè aspiciens, veluti stimulo ad prælium concitatur. Epigraphen subjunxit; ACUOR IN PRÆLIUM. vel, SANGUIS ROBUR ADAUGET. Guido Vanninus ad verbum de Elephante canit. [*Guid. Van. l. 1. de arte amandi D*]

Dant animos plagæ, sanguis quoq; robur adauget.

S. Bonav. [*S. Bonav. p. stimul. cap*] *Passionis Christi meditatio continua elevabit: quid agendum, quid meditandum, & sentiendum sit, indicabit; te deinde ad ardua inflammabit, teque vilificari & contemni, & affligi faciet affectare &c.* Et S. Greg. Papa; *si passio Christi ad memoriam revocatur, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter toleretur.* Et his omnibus superior Apostolus; [*Hebr. 12.*] *Per patientiam curramus ad propositum certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Jesum.* D. Marinus imaginem hanc de Christo interpretatur, [*D. Marini nella 3. p. della Lira*] dum sanguineum sudorem stillans, ad mortem sustinendam plurimùm roboris acquisivit; [*Christus in horto*]

Suda sangue il mio,
Elephante guerriero in pugna hostile,
Ch' a la vista del sangue, ardito, e forte
Divien, già moribondo, incontro a morte.

Eandem iconem Richardus à S. Laurentio beatissimæ Patronæ nostræ, Mariæ Virgini, supra Calvariæ clivum stanti, attribuit. [*Maria in monte Calvarii. Rich. à S. Laur. lib. de Laud. B. M. V.*] *Elephas, inquit, viso sanguine non timet mori, sed magis acuitur in prælium. Et beata Virgo, viso sanguine filii, effuso in Cruce, mori cum ipso non timuit, sed magis optavit: & si animam pro ipso non posuit, exposuit tamen, & quod potuit fecit.*

264. Augustinus Mascardus Symboli loco elephantem, plurimis sagittis confixum, præfert; subjuncto epiphonemate. CITRA CRUOREM. Ad verbum Lucanus; [*Lucan. l.*]

Sic Lybicus densis elephas oppressus ab armis,
Omne repercussum squalenti missile tergo
Frangit, & hærentes motâ cute discutit hastas;
Viscera tuta latent penitùs, CITRAQUE CRUOREM
Confixa stant tela ferâ: tot facta sagittis,
Tot jaculis, unam non explent vulnera mortem.

Innuebat videlicet, omnes malevolorum aculeos nihil unquam detrimenti sibi allaturos. [*Virtus læsa.*] Seneca. [*Senec Ep.*] *Incredibilis vis Philosophiæ est, ad omnem fortuitam vim retundendam. Nullum telum in corpore ejus sedet, munita est, solidaque: quædam defatigat, & velut levia tela laxo sinu eludit: quædam discutit, & in eum usque, qui miserat, respuit.* His conformis est Hieronymi Gratiani vernacula Musa; [*Hier. Gr. nella Grata Cant. 86.*]

Che in un core innocente in van dirette
Son di maligna accusa empie saette.

Et Comes Fulvius Testi;

Io sò, che di mortal veleno infette
Invidia arrota l' armi,
E che m' assale indiosa a tergo;
Ma se virtù d' adamantino usbergo
Mi cinge, e che può farmi
Importuno livor con sue saette?
Faran le mie vendette
Gli strali istessi: e l' innocenza illesa
Rilancierà ne l' offensor l' offesa:

Succinctè Salomon; [*Prov. 12. Psal. 63*] *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Et sapientissimi filii optimus Parens; *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.*

265. Sagittarum acumina, adversus Elephantem vibrata,

vibrata, ipsius vires nihil diminuunt, potiusque iram ac furorem acerrimè provocant. Unde lem̃a. FORZA NON TOGLIE, E ACCRESCE IRA, E FURORE. Id est, DANT VULNERA ROBUR. Ita injuriæ, adversus potentiores sparsæ, nil nisi eorum furorem ac indignationem, priore longè acerbiorem, accendunt. Ita injuriam in Deum aut proximum spargens, tantùm abest, illis exinde aliquid nocumenti accrescere, ut potiùs eorum gloriam plurimùm promoveas, Divinamque Nemesin contra te solum quàm maximè provoces. Unde ait Magnus Augustinus; *Martyrum persecutores plus sibi nocent, quàm Martyribus*; Et rursùs: *Multùm errant homines, qui putant injustitiam suam aliis nocere, & sibi non nocere.* Argantes, duello congressus cum Tancredo, in terram prostratus est, multoque cruore è recenti plaga effuso, totus debilis ac penè exanimis jacuit: misertus hominis conditionẽ Tancredus, illum ad amicitiam suaviter invitavit; at cum Argantes rursùs adversùs Tancredum manus conserere jamjamque vulnus infligere moliretur, ab eo, acerrimè irritato, interfectus est; uti hoc poëmate testatur Tassus.

Virtus offensa aut irritata.

S. Aug. in Psal. 36. Conc. 2. Idem Præfat in Ps. 93.

Tass Conquist Cant. 19. st. 25.

Renditi grida, e gli fà nove offerte
Senza noiarlo il vincitor cortese.
Quegli di furto in tant il ferro caccia,
E sù'l talion il fiede, indi il minacia.
Infuriossi à l'hor Tancredi, e disse;
Così abusi fellon, la pieta mia?
Poi la spada gli fisse, e gli refisse
Ne la viscera, ove accertò la via &c.

266. Elephas, aberranti intra sylvam homini obviam factus, ducis munus suscipit, eumq; benevolentiâ perquàm officiosâ, ad directam viam reducit. Unde lemma. DUX ABERRANTI. Ita omninò Dei filius, humanas exuvias indutus, salutis æternæ semitam suomet exemplo monstrare ac præire voluit. *relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Porrò etiam Pastores populi, & Patresfamilias subditos aut filios suos per virtutis ac gloriæ æternæ tramitem benevolè deducere, eosque inculpato exempli sui gressu undique præire studeant. Præclarè S. Petrus Damianus; *Sacerdos, qui in regno cœlorum vult esse magnus: sit IN POPULO PRÆVIUS, ut, quod voce se sequentibus dictat, primus ipse vivis operibus impleat.*

Bonum exemplũ. *1. Pet. 2. 21.* *S. Pet. Dam. Ep ad Firm.*

267. Voluntas, in alterius dispositionem resignata, & obedientia, ad quasvis res perficiendas prompta; Elephantis emblemate demonstrantur; qui, inaudito spectaculo à Galba Imperatore Romanis exhibitus, suprà extentum funem incedere doctus erat. Epigraphen subjunges; QUO ME CUNQUE FERET. Religiosissimus meus Thomas à Kempis; *Pone me ubi vis, & liberè age mecum, in omnibus in manu tua sum, gyrà, & reversa me per circuitum, en servus tuus sum ego, paratus ad omnia, quoniam non desinero mihi vivere, sed tibi.*

Obedientia. *De imit. l 3. cap. 5.*

268. Elephas, priusquam Lunam adoret, lavari solet; unde intra aquas depictus, epigraphen sustinet; SIC GRATIOR. S. Petrus Lachrymarum undis altum immersus, coram Deo magis, quàm antea venustus ac gratus comparuit; nam, ut Arnobius testatur, *Major gradus redditur plorãti, quàm fuerat sublatus deneg.ãti.* Id quod de iis omnibus intelligas velim, qui seriâ delictorũ suorũ pœnitudine ducũtur.

Puritas. S. Petrus Pœnitens. *Arnob in Psalm. 138.*

269. Elephas sagittarum imbre impetitus à D. Aresio epigraphen accepit; VISCERA TUTA LATENT. Ad verbum Lucanus, suprà adductus.

Lucan. lib. 6

Sic Lybicus densis elephas oppressus ab armis,
Omne repercussumsqualenti missile tergo
Frangit & hærentes motâ cute discutit hastas;

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

VISCERA TUTA LATENT penitùs, citraq; cruorem
Confixâ stant tela ferâ. &c.

S. Sebastianum cumprimis hoc Emblema spectat, qui corpore innumeris telis transfixo; nihil penitùs nocumenti in anima sustinet. Servatoris monitum est; *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* In hunc locum S. Hilar. *Non timentes eos, quibus cùm sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est &c.* D S. Jobo, mille stratagematis à dœmonum tyrannide exagitato testatur S. Cæsarius; *Minimè per corporea vulnera lædebatur animus, nec vermes. licet utrem perforarent, intus repositum thesaurum adoriri poterant.* Et S. Prosper; *Tot jaculis emissis, illæsus manet Job.*

S. Sebastianus. *Matt. 10. 28. S. Hilar in hunc loc.* Martyres. Job. *S. Cæsar dialog. 3. S. Prof. de Promiss. p. 1. cap. 22.*

270. Elephas serpentem adversus eandem arborem validè comprimit, è qua hic, ad excidiũ elephanti inferendum, proreptabat. Unde lem̃atis loco Elephantem hâc prosopopœiâ non invenustâ introduxêre; QUI SUSTULIT, INTERIMAT. Id est, *Arbor, quæ serpentẽ fovebat, etiam occidat.* S. Crucem, arborem illam vel ipsis cœlis admirandã, hæc imago significat, è qua Divina Sapientia serpẽtis Tartarei mortẽ ob eam etiam causam est operata, quod is humanã gentem arboris interventu egerit præcipitem. *Primus enim homo,* S. Andreæ Apostoli ad Egeam verba sunt, *per lignũ prævaricationis mortẽ induxit; & necessarium hoc erat generi humano, ut per lignum passionis mors, quæ ingressa fuerat, pelleretur.*

S. Crux. *S. Andreas in sua Passione ad Egeam*

271. Elephas naturâ quidem suâ aquis delectatur; at, quia natãdi penitus imperitus, sine vitæ discrimine eas ingredi non potest, idcircò satis ipsi est, circa illarum marginem ambulare: Aresio subscribente; GODO LA SPONDA, NON PORTENDO L'ONDA. Id est; *Cùm Lympha nequeam, gaudebo littore lymphæ.* Ita persona prudens & modesta fortunam suam mediocrem, dum sublimiorẽ obtinere nequit, tranquillo animo amplectitur. Justus Lipsius Emblemate illo modestũ rerũ Divinarũ indagitorẽ repræsentat. *Ut elephantes etsi amnibus impensè delectentur, haud temerè tamen eos ingrediuntur, cùm inscii sint natandi: idem in Theologia piis, salutaribus ejus aquis animus tingendus, non mergendus.*

Contentum esse. Theologus. *Iust. Lipsius.*

272. Elephas soricis indici, animalis libidinosissimi, consortium extremè fugit. Lemma. TANTUS HORROR FOEDI. Grande ac fatale illud odium hæc imago significat, quo S. Franciscus Xaverius adversus impuras cogitationes exarserat. De hoc P. Horatius Turselinus testatur. *Insignis profectò in illo amor castimoniæ, insigne odium libidinis fuit: adeò ut vel minimas hujus generis labeculas exosus, ipsum horrerent libidinis nomen.* Eodem encomio insignem se probavit Magnus August. quando in Confessionum suarum libris libidinem extremè detestatus ait; *Nihil jam hujusmodi quæro, nihilq; desidero, sed etiam cum horrore & aspernatione talia recordor.*

Castitas. S. Francis. Xaverius. *Tursel lib. 6. cap. 6. vitæ.* *S. August. lib. Confess.*

273. Elephas, muscarum aculeis infestatus, pellem suam in rugas contrahit, & in illis muscas, ceu tumulo conclusas, suffocat, & interimit. Unde Lemma Hispanicum; ALLA MEYOR QUE PUEDO. Id est; PRO VIRIBUS. Sicuti enim Elephas modo, quo potest, optimo se adversus hostes tuetur; ita homines calamitatũ obelos viribus, quàm possunt, cõmodissimis perfringere, seseq; contra hostes ulcisci conantur. Velim tamen eum in ulciscendo modum observes, quem providè præscribit Magnus August. *Peccat, qui per immoderationem injustè vult vindicari: non peccat autem, qui modũ adhibens, justè vult vindicari: Remotior tamen est à peccato injustæ vindictæ, qui non vult omninò vindicari.* Cæterùm Emblemati explicando, elephantem ita loquentem introduxi;

Vindicare. *S. Aug. lib. 19. cont. Faust. c. 25.*

 Dumque

Dumque brutte porcelle,
Importune, & ardite,
Sin contra un Elefante insolentite?
Come, neglio potrò
Me ne vindicarò.
Farouvi per dolor veder le stelle
Solo co' l raccrespar questa mia pelle,
E haurete in pena de la rea pontura
La morte; ma non mai la sepoltura.

274. Idem elephas, dum muscas & tabanos, intra corrugatam suam pellem enecatos, à se excutit; epigraphen Hispanam legendã offert; SIN PELEAR ME VENGO. Id est; SINE PUGNA VINDICTAM. Vel, ME VENGO, Y NO ME CANSO. Id est; SINE LABORE VINDICTA. Carolus Bossus hanc iconem Philippo II. Hispaniarum Regi propriam dixit, dum nonnulli inferiores Principes adversus ipsius m jestatem videbantur conjurâsse, innuebat enim, sicuti elephas, à muscis aut tabanis lacessitus, hostes adeò infirmos nequaquam militari suâ proboscide dignatur, sed penitùs immotus, solâ suâ pelle nonnihil contractâ eos suffocat; ita perduelles illos à tanti Regis majestate ac potentia sine ulla armorum militumque vi, solâ Regiæ benevolentiæ bonitate contractâ, in extremam perniciem præcipitari posse. Magnates enim, & cumprimis Deus, facillimam semper ac paratam habent adversus sceleratos vindictam. *Habet enim potestas Dei & severitatem vindicandi, & clementiam liberandi*; uti loquitur Magnus Augustinus.

Vindicta Magnatũ facilis.

S. August. de Moribus Eccl. cap. 7.

275. Lucarinus Symboli loco aliquot Elephantes ad fluminis ripam statuit, è quibus minores in illo transmittendo anteriorem locum occupare solent; subsequentibus Majoribus; Unde jamjam natantibus minoribus inscripsit; SEQUENTUR MAJORES. Mens imaginis illum spectabat, qui tenui aliquo volumine in lucem edito, alia grandiora, propediem subsecutura promiserat. Plinii de Elephante testimonium est, *Elephantes, amnem transituri, minimos præmittunt, ne majorum ingressu atterente alveum, crescat gurgitis altitudo.* Emblemati explicando sequens poëma addidit Lucarinus;

Scriptor grandis promittẽs. *Plin. l. 8. c. 5.*

Se di fiume profondo
Vedicon mente intrepida, e guerriera
L'onde varcar la pargoletta schiera,
Non n'ammirar. ch' al fine
Senza temer, senz' aspettar invito,
Seguirà de maggior lo stuolo ardito.

Ita quoque levibus noxis, quas parvi solemus æstimare, tandem gravissimæ succedunt. Huic dicto adstipulatur S. Bernardus, dum ait; *A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt. Verissima enim sententia est; Nemo repentè fit summus.* Horatius.

Peccatum veniale. *S. Bern. de Ord. vit. & mor. Instit. Horat lib. 1. Epist. 20.*

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram:
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

276. Militem benignum, affabilem, & humanum Lucarinus Elephanto non absimilem dicit, qui erga oviculas blandus, epigraphen sustinet; TANTUNDEM BELLATOR. De equitibus Templariis S. Bernardus ait, *Miro quondam & singulari modo cernebantur & agnis mitiores, & leonibus fortiores.* Haud aliter de Græco Achille Statius;

Miles benignus. *S. Bern. ad Milit. Temp. cap. 4. Stat lib. 1. Achill.*

Attamen arma inter festinatosque labores
Dulcis adhuc visu, niveo natat ignis in ore
Purpureus.

277. Elephas, illustre vigilantiæ symbolum, dormiendo non recumbit, sed erectus, & arbori aliquãtulum innixus, somnum capit. Emblemati subscripsit Lucarinus; NEC JACET IN SOMNO. Maria Virgo, huic imagini plurimum similis, dum somno nonnihil indulgebat, cor nunquam recline, sed plus quàm aliàs versus cœlos erectum habuit. Id quod testis locuples Sanctus Ambrosius de Virgine gloriosissimâ his omninò verbis tradit. *Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit. Et tamen cùm quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat.*

Vigilantia M. V. *S. Ambr l. 2. de Virginib.*

278. Elephas adultior minori, flumen aliquod transmissuro, auxiliatum venit. Epigraphen Lucarinus subjunxit. SUPPETIT APPULSUM. Vel inde discant homines, afflictis aut junioribus venire subsidio, manusque adferre socias. Ex Ovidii sententia. *Conveniens hominum est, hominem servare, voluptas.* Certè animæ, è piacularibus flammis ad æternæ beatitatis portum appulsæ, miseros, & in his terris etiamnum errabundos mortales sedulâ curâ adjuvant. Richardus à Patre Pepe citatus, ait, *Animæ ereptæ de purgatorio, dum adsunt cœlesti gaudio, miro modo interpellant, exorando pro his, qui eis subvenerint in hoc sæculo, &c.*

Auxilium. *Ovid. 2. de Pont. Eleg. 9.* Animæ Purgatorii. *Rich. ap. P. Pepe serm. 21 num. 9.*

279. Compertum equidem est, arbore, cui elephas innititur, in terram ruente, etiam elephantem eâdem ruinâ involvi: Id tamen simul constat, hunc lapsum sine ulla pedum offensa elephanti accidere; habet enim bellua ista duo crura, veluti geminas columnas, penitùs inflexibilia; uti S. Ambrosius, aliique testantur. Unde Lucarinus hominem innocentem & justum, è vita in mortem prolapsum, Elephantis emblemate significavit; addito lemmate. CADIT NON FLEXUS. Talem se probavit Eleazarus, qui quidem è vita in mortem præcipitari potuit, animo tamen nec quidquam ad facinus, suæ nobilitati & religiosæ educationi probrosum, incurvato. Unde omnium Martyrum hæc imago est; inter quos plurimùm excelluit Annas de Montmorenico, supremus in Gallia Equitum Magister; qui, cùm octoginta annorum senex, adversus Calvini asseclas dimicaret, lethali vulnere è sclopo pugillari sauciatus, mente adeò imperterritâ mortem oppetiit, ut, cùm vir quidam Religiosus eum, in lecto decumbentẽ, ad extremam luctam animandum inviseret, serenâ fronte ad illum conversus dixerit, nollet ipsi molestus esse; qui enim octoginta annis scivisset vivere, non ignoraturum, etiam uno horæ quadrante mori. S. P. Augustinus, *Martyrum pressa est caro, coronata est anima; Ejecta est anima de carne, nec carni aliquid factum est, quod obesset imposterum. Incensa, percussa, laniata sit caro, nunquid ideo subtracta est Creatori, quia data est in manus persecutoris?*

Martyr intrepidus. *2. Mach. 6.* *S. August. in Psal. 139.*

280. Elephas nonnunquam proboscide suâ herbas versùs cœlum spargere solet, veluti religiosum tributum eo ritu persoluturus. Unde epigraphen à Lucarino tulit; OBLATIONE PRECATUR SANITATEM. Vel, MUNERE POSCIT OPEM. Eorum hæc imago est propria, qui benignitatem Divinam non inani duntaxat vocum sono, sed & cordium, operationum, & diversorum munerum oblationibus sibi conciliare student. Ovidius;

Oratio & operatio.

Munera, crede mihi, placant hominesq̃, Deosque,
Placatur donis Jupiter ipse meis.

Jonas, certis quibusdam votis intra balænæ ventrem editis, mox preces suas coram Divinâ majestate ratas expertus est. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcumque vovi, reddam pro salute Domino. Et dixit Dominus pisci; & evomuit Jonam in aridam.* Magdalena, æternæ suæ saluti consultura, *attulit alabastrum unguenti.* In hunc locum B. Al-

Ioan 2. 10. *Luc. 73. 7.*

Alb. Mag. in hunc loc. B. Albertus Magnus; *Cùm esset indigna, vacuis manibus non apparebat in conspectu Domini,* Rei seriem paucis confirmans S. Isidorus Pelusiota; *Oratio,* inquit, *non nudis verbis, sed probis potiùs actionibus dirigitur.* S. Isid. Pelus. Epist. 386.

281. Ea Elephantis erga lunam est pietas, ut pleno lumine innovatam venerabundus adoret, hosque reverentiæ actus iterum iterumque repetat; veluti illos intercurrentibus diebus omissos compensaturus. E lemmate id colliges; INTERMISSA REPENDO. Ita prorsus devotus pœnitens virtutum suarum exercitia, hactenus otiosè ac temerè neglecta, geminato studio recuperare conatur. Eò spectare videntur illa S. Dorothei a d Dositheum discipulum verba, quibus eum, de levibus quibusdam noxis accusatum, ita est allocutus; *Ignoscet tibi Deus: surge, & jam hic denuò sumamus initium, & nobis posthac caveamus.* Unde laude suâ dignissimum judicabis sanctum illum inclytæ Societatis Jesu morem, quæ geminâ in anno vice, nimirum Servatoris nati & Reviviscentis diebus, religiosa vota innovare, &, si fortè aliquid Divini fervoris intra mundanæ consuetudinis pulverem fuisset deperditum, distractumve; restaurare consuevit. Renovare.

281. Si verum est, Elephantem, semel in terram prolapsum, non amplius posse resurgere; non abs re epigraphen subjunges. NEC ULTRA CONSURGET. Et licet hoc de Elephante fortassis fabulosum sit, in animabus damnatis tamen verissimũ esse, Divinâ fide firmatum habemus. Ecclesiastes; *SI CECIDERIT lignum ad Austrum aut Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, IBI ERIT. Ibi,* inquit S. Bernardus, *erit immutabiliter, & irretractabiliter. Videat quò casura sit, antequam cadat; quia postquam ceciderit, non adjiciet ut resurgat, sed nec ut se vertat.* Vulpes illa apud Horatium, de Leonis caverna disserens, præclaram Tartari ideam proposuit. Damnati. Eccl. 11. 3. S. Bern. serm. 85. de Divers. Horat. lib. 1. Epist. 1.

--- --- --- Me vestigia terrent
Omnia te adversum spectantia, NULLA RETRORSUM.

Nec aliter Virgilius. Virgil. Æn 6

--- --- --- facilis descensus Averni.
Sed REVOCARE GRADUM, superasque evadere ad auras.
HOC OPUS HIC LABOR est.

282. Etsi verum non sit, Elephantem unâ solùm vice parturire; unicamque tantùm eniti prolem; certè enim Elephantum species hâc ratione jam sub ipsum mundi exordium cœpisset interire; Mariæ tamen Virgini illud naturæ prodigium, parturienti Elephanti à quibusdam attributum, verissimè & ex omnium sententia competit; quippe cujus proles ex primogenita, & unigenita, sine ulla purissimæ Matris labe, in lucem est edita. Emblemati subscribes; SEMEL, ET UNUM. Hugo Cardinalis in illud Lucæ, *Peperit filium suum primogenitum,* ait, *Non post quem alius, sed post quem nullus,* quo sensu periodum illam etiam interpretatus est Venerabilis Beda. Dionysii Richelii expositio est: *Peperit filium suum primogenitum, scilicet Christum, qui dicitur primogenitus per exclusionem prioris, non per respectum sequentis, seu posterioris.* Maria V. parturiens. Hug. Card. in Luc. 2. 7. Dion. Rich. in eundem loc.

283. Beatus Aloysius Gonzaga, in hanc lucem procreandus, gravissimum vitæ discrimen subiit; cùm verò necdum plenè natus, sacro baptismate ablueretur, mox omne periculum evasit. Eò alludens Lucarinus, Elephantem depinxit, qui teste S. Epiphanio, partum suum intra aquas enititur; addito lemmate. REPARAT UNDA PARTUM. Atque adeò penitùs indubitatum est, sacram fontis lustrici undam vitæ nostræ reparandæ unicam superesse medelam. *Baptismus igitur,* inquit S. Greg. Nazianz. *splendor est animarum, vitæ in melius mutatio, carnis est abjectio, Verbi participatio, figmenti instauratio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum depulsio &c.* Ad hoc propositum mirificè facit illa Sacræ Paginæ præceptio; *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia non est aquâ lustrationis aspersus.* B. Aloysius Gonzaga. S. Epiph. c. 4. Baptismus. S. Greg. Naz. Orat. 40. Num. 19. 20.

284. Elephas eburneas dentium suorum opes in adversa arbore effringens, epigraphen tenet. HAUD LÆDAR. Vel certè, DESERAR EDENTULUS. Ita nimirum paupertas voluntaria mirum securitatis obtinendæ remedium est; S. Joannes Chrysostomus, *Paupertas,* inquit, *est tutum asylum, perpetua securitas, portus tranquillus, deliciæ periculorum extorres, voluptas sincera.* Juvenalis. Paupertas voluntaria. S. Io. Chrys. Hom. de recipiendo Severiano. Iuven. sat. 10.

Pauca licet portes argenti vascula puri
Nocte iter ingressus, gladium, contumq; timebis:
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbras,
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Præclarè dixit Seneca; *Paupertas expedita est, secura est. Cùm classicum cecinit, scit non per se peti &c.* Petrarcha conquerenti cuidã afflicto, *Domũ meã occupat paupertas;* respõdit, *Jam nullus tibi superbiæ locus erit; nec invidiæ, nec damnis insignibus, nec damnorum metus, nec suspicionibus mille, nec insidiis &c.* Senec. Ep. 17. Petrarch. l. 2. de Remed. Dialogo 8.

285. Christus, peccatis omnibus condonatis, ad gratiæ statũ sublevare solet; id quod Lucarinus Elephantis Emblemate commonstrat, qui sociũ, in terrã prolapsum, ope suâ erigere consuevit; addito lẽmate. ILLAPSO OPEM. Omniũ propriissimè hanc iconẽ Filio Divino attribues, qui profundissimâ humilitate è cœlo in terram descendit, humanam naturam, miserrimè prostratã, ac penè exanimẽ, erecturus. De illo canit S. Ecclesia, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutẽ descendit de cœlis.* Et, veluti Propheta est vaticinatus, *in terris visus est, ut hominem perditum ad cœlestia regna revocaret:* inquit S. Greg. Nazianz. de Christo disserens, *Servi formam accepit, ut nos libertatem recipiamus; descendit ut evehamur; tentatus est, ut vincamus; contemptus est, ut nos gloriâ afficiat; mortuus est, ut servet; ascendit, ut ad se ipsum trahat humi provolutos in peccati lapsu.* Et S. Jo. Chrysost. *Cùm ergò audieris, quod Filius Dei sit, & David, & Abrahæ. dubitare jam desine, quod & tu, qui filius es Adæ, futurus sis filius Dei: non enim frustrà, nec vanè ad tantam humilitatem ille descendit; sed ut nos ex humili sublimaret; natus est enim secundùm carnem, ut tu nascerere spiritu &c.* Denique S. Paulinus; *Idcirco Rex gloriæ & Dominus majestatis exinanivit se, formam servi accipiens, & invisibilem magnitudinem suam visibili abjectione contexit, ut nos veteri illo male conceptæ arrogantiæ morbo foris altos, intus obtritos, in formam sublimitatis suæ per formulam nostræ in se humilitatis attolleret.* Adjutoriũ Christi erga homines. Baruch. 3. 38. S. Greg. Naz. Orat. 1. de Paschate. S. Io. Chrysost. Hom. 2. in Matth. S. Paulin. Ep. 2. ad Amand.

286. Idem Lucarinus, castimoniam conjugalem Emblemate significaturus, geminos elephantes, marem & fœminam, depinxit; addito epiphonemate. NULLA NOSCUNT ADULTERIA. Hanc virtutem Plutarchus cumprimis in Spartanis celebrat, *apud quos adulterium fuit inauditum.* Et alibi; *Horum fœminæ tantæ castitatis fuerunt, ut neque adulterium, neque illegitimum concubitum ibi arcipisse unquam proditum memoriæ sit.* Ad hanc casti amoris munditiem invitans B. Umbertus ait, *sit cor nostrum per castimoniam thronus eburneus, sit fons clarus.* Ea planè est ratio, cur sponsi venter in sacro Epithalamio cognominetur eburneus; *Venter ejus eburneus;* siquidem eboris candor expressa castitatis dea est. In rem præsentem Aloysius Novarinus; *Conjugati,* Castitas conjugalis. Plut. in Lycurg. Idem l. de mulierum virtut. Umb. c. 13 de tribus malis incontinentia. Cant. 5. 14. Novar. Aqu Nupt. n. 30.

jugati, inquit, *ideirco eburneo ventri comparantur, quia puritatem ac candorem præseferre debent, & castimoniam studiosè colere.*

287. Elephantibus consuetum est, nobilores & magis excelsas palmas humi sternere, ut earum fructibus vesci possint. Lucarinus Emblemati gnomam subjunxit istam. ET PROSTERNUNT EXCELSAS. Tyrannorum hic typus est, quibus penè omnibus cum Tarquinio solitum ac commune est, ut subditos, divitiis, nobilitate, ac meritis sublimiores, è medio tollant. Nero, insignem Plauti ac Syllæ virtutem pertimescens, Senecâ teste, dicere consuevit; *Quidquid excelsum est, cadat.* Periandri consilium erat; *Civitatis principes tolle, sive illi amici, sive inimici videantur; quippe tyranno amici quoq; suspecti sunt.* Petrus Bercorius eandem Elephantis propietatē ita explicat; *Diabolus, quando videt altam palmam, id est, virum justum in perfectionis altitudine SUBLIMATUM, & fructibus bonorum operum fœcundatum, ipsum PROSTERNIT aliquoties per peccatū; & sic fructus ejus, id est, bona ipsius opera devorat & consumit.*

Tyrannus.

Seneca in Octav. Act. 2.

Periander Ep ad Trasib apud Arist. 5. Polit. cap. 10.

Bercor Reduct. lib. 10. c. 37. n. 13.

288. Elephas, tametsi plurimis sagittis impetitus, eas tamen omnes mirâ facilitate excutit; nempè, ut lemma loquitur, DISCUTIT MOTA CUTE. Lucano id asserente.

Lucan. lib. 6.

Omne repercussum squalenti missile tergo
Frangit, & hærentes MOTA CUTE DISCUTIT hastas.

Ita vir ègregiè doctus; animus grandis; aut Rex coronatus; quasvis infestas hostium & calamitatum insidias citrà negotium excutiunt. De homine justo id apertè significans Magnus Aug. ait, *Spiritales nec tormentis separantur à Christo, carnales verò interdum etiam otiosis fabulis separantur. Illos non separat nec crudelis gladius, istos verò separat carnalis affectus. Spiritales nec dura frangunt, carnales etiam blanda corrumpunt.* Etiam Pygmæorum agmina adversus Herculem, somno nonnihil indulgentem, sunt concitata: sed quo id effectu? Alciatum audi;

Defensio.

S. Aug. serm. 54. de Temp.

Alciat. Embl 58.

Excitus ipse, velut pulices, sic proterit hostem.

289. Hominem in necessitate suâ à quibusvis, nonnunquam etiam minimis, adjuvari, ac suppetias recipere posse, D. Cæsar Antonius Bendinellus Elephantis emblemate demonstrat, qui in terram prolapsus, à minore erigebatur; addito lemmate; DEBILIORES ERIGUNT. Hanc veritatem experimento suo didicêre Smyrnenses, arctâ obsidione cincti; cùm enim oppugnatoribus decretum esset, obsidionem aliâ conditione non solvere, nisi civium uxores omnes ipsis, libidinis exercendæ causâ, è civitate in castra transmitterentur; populo, quid in tanto discrimine & re admodum ambiguâ concluderet, penitùs ignorante; ancilla quædam focaria opportuno consilio suasit, ut omnes ancillæ, herarum vestibus indutæ, extra urbis mœnia ad hostes ablegarentur. Quo facto, Smyrnenses, hostibus in Venerem dispersis, eruptionem è civitate fecerunt, iisque omnibus captis, gloriosam victoriam in extremo salutis suæ articulo sunt consecuti. Cæterum qui plura exempla beneficentiæ & auxilii, à servis aut inferioribus delati, desideraverit; Officinam Historicam Ioannis Felicis Astolphi, in hâc re copiosam, consulat. Inde discas non raro optima consilia etiam à minimis & infimis accipi. Disertè Sacra Pagina; *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, id est,* inquit Magnus Augustinus, *à superbis & arrogantibus; Et revelasti ea parvulis, id est, infirmis & humilibus*; ut idem Hipponensis Præsul interpretatur.

Auxilium à debilioribus.

Io. Fel. Astolph. officin Histor l. 5. cap. 15.

Matth. 11. 25.

S. Aug serm 3 de Divers. cap. 2.

290. Princeps suos hostes semper suspectos habeat, nec etiam fidem suam unquam illis concredat, necesse est. Hoc Politices scitum Henricus Eburo Elephantis emblemate persuadere conatur, qui caducam aliquam arborem firmissimam ratus, eique, ceu fulcro, innixus; mox, ruente illâ, miserè corruit. Epigraphen subjunxit; INSIDIOSA FIDE. Ita Cyrus, à Messagetis hostili agmine incursatus, fugam, veluti timore perculsus, simulavit; omnesque sarcinas in tentoriis ab iis deprædandas reliquit. At paulò post crapulâ somnoq; sepultos repetiit, & ad internecionem delevit. Absalon convivium amicissimum mentitus, Ammoni vitam eripuit. Eodem astu etiam Ptolomæus Simonis Machabæi mortem est machinatus. Præclarè adeò monet Magnus Ethices Divinæ Magister Augustinus; *Expedit multò magis benè timere, quàm malè fidere.* Et Ovidius.

Henr. Eburo lib. 1. Diph. Elog. 64

Insidiari.

S. Aug. de Sing. Cleric. rum.

Ovidius.

Quos credis fidos, effuge, tutus eris.

291. Academicus, inter Venatores Venetos Intrepidus, Symboli loco Elephantem præfert, qui plurimis quidē sagittis impetitus, non tamen transfixus, epigraphen sustinet. UNUS TELA OMNIA CONTRA. Horatii Cochletis memoriam hæc imago refricat, qui mirâ fortitudine universo Hetrusco exercitui è fronte oppositus, eum tamdiu repressit, donec pons ille famosus à tergo corruerit. De hoc Petrarcha canit;

Animus imperterritus.

Oratio sol contra Toscana tutta.

Porrò Symbolum istud etiam S. Pauli Apostoli, S. Ignatii Martyris, S. Francisci Xaverii, aliorumque est propria; qui adversus omnes tyrannorum, carnificum, ac dæmonum vires imperterrito pectore soli & unici sunt progressi. Justus enim non tantùm cum Apostolo audet in se unum provocare gladios, cruces, tormenta, mundum & inferos, sed integra etiam hostium agmina cum Davide superare novit; *si consistant adversum me castra, non timebit cor meū.* Nam, inquit in hunc locum Magnus Augustinus, *etsi castra munita sint, sed quid munitius Deo? si exurgat in me bellum, quid mihi facit bellum? potest mihi auferre spem meam? potest mihi auferre, quod dat omnipotens? sicut non vincitur qui dat, sic non aufertur, quod dat.*

Justus.

Psal. 26. 3.

S. August in hunc Psal.

292. Tantùm abest, Elephantem visâ sanguinis effusi copiâ despondere animum, ut potiùs recentes è conspectu illo capiat vires, magisque, quàm unquàm aliàs, in hostem concitetur. Unde Carolus Rancatus epigraphen è Virgilio subdidit. ARDET IN ARMA MAGIS. Ita S. Mauritius Legionis Thebeæ Dux, milites suos, quod idolis thura adolere nollent, minutim concisos intuitus, ex eorum sanguine magis in Christi amorem excanduit: unde sanctam fidem suāmet constantiâ propugnaturus, fatalem gladium cum reliquis sociis hilari animo excepit, simulque Martyrii lauream est consecutus. Porrò viso sumptoque sanguine Eucharistico ingentes haurimus spiritus ad passiones refrænandas, & tentationes pervincendas. Nempè ideò *paravit* instruxitque *in conspectu nostro mensam* sanctissimæ carnis & sanguinis sui *Dominus, adversus eos, qui tribulant nos.* In cæteris quidem mensis cum inimicis convivere tutum non est, at ex hac surgimus heroës invicti; *Quin tanquam leones ignem spirantes ab hac mensa recedimus, facti diabolo terribiles,* inquit S. Chrysost. Neque obscurè Christus ipse hunc nobis effectum innuit, dum Apostolis post supremam illam epulationem, primamque sui corporis & sanguinis communionem dixit, *Surgite, eamus hinc*: quasi diceret; sat jam corporibus, sat animis vestris accessit virium; ad dimicandum & vincendum modò promoveamus Hinc adeò è SS. Patrum mente videmus, primis Ecclesiæ temporibus, cum Divina hæc mensa admodum frequentaretur, Christianos non solùm legis Divinæ custodes rigidissimos, sed etiam Tyran-

Virgil. 12. Æ

S. Mauritius

Eucharistia.

Psalm. 22.

S. Chrysost. Hom 61 ad Pop & 45. in Ioan.

Ioan. 14.

Tyrannorum, cruciatuum, periculorum quorumvis contemptores fuisse generosissimos.

293. Dominicus Gambertus Elephantem, plurimis sagittis infestatum, depinxit; inscriptione è Statio subjunctâ. E VULNERE VIRES. Ita militaris hominis pectus, tametsi plurimis vulneribus saucium, ardore tamen semper majore in hostē fertur. Magni Augustini doctrina est, animam nostram ad Dæmonem superandum majores vires non accipere, nisi è mortificatione; unde in illud Apostoli, *Castigo corpus meum*, ait, *Castiga corpus tuum, & diabolum vinces; hoc enim modo Paulus adversus illum docuit nobis esse pugnandum.*

Stat. lib. 1. Thebaid.

Mortificatio.

Augustin.

Cor. 9. 5.

294. Narrat Ælianus, Elephantem, dum furit, quantociùs mansuescere, omnemque iram abjicere, si formosam mulierem aspexerit. Imagini subscripsit P. Sebastianus à Matre Dei; JAM ALIUS ECCE! Deiparam significans; quæ irato Numini supplex objecta, illius mentem mitigat, nobisque conciliat. *Quid enim?* inquit S. Bernardus, *Potestnè Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum planè. Semper hæc Virgo inveniet gratiam, & sola est gratia, quâ egemus, &c.*

Ælian lib. 1. de Animal. cap. 38.

Maria V. Deum concilias.

S. Bern ser. de Virgine Deip.

Iustus.

295. Elephas, proboscidem suam elevans, simul & cœlum veneratur, & adversùs serpentes dimicat. Lemma. UNI OBSEQUIUM, VIM ALTERI. Ita homo justus versùs Deum est religiosus ac submissus; contra dæmones verò, aliosque salutis suæ hostes, generosus: quales fuêre David, Samson, Judas Machabæus, & alii. Utrumque enim, & humilem esse, & generosum, ad genuinam virtutem pertinet. Unde Magnus Augustinus; *Habes, contra quod pugnes in te; habes, quod expugnes in te. Sed habes, quem invoces, ut pugnantem adjuvet te, & vincentem coronet te, qui non existentem fecit te.*

S. Aug. in Psal. 143.

296. Ab elephante ajunt, nihil magis fugi, quàm porcorum grunnitus. Lemma. INSULSA DECLINAT. Ita Regum ac Superiorum est, nugaces aut obscænas aliorum voces extremè odisse. Religiosos suos admonet Mellifluus Abbas Bernardus; *Fratres*, inquit, *dico vobis, si sequeremini vestigia ejus* (Christi) *non tam facilè in vanis cogitationibus & otiosis sermonibus, in jocis & scurrilitatibus laberemini: quia in his multum perditis & de vita vestra, & de tempore vestro.* Laconicè Magnus Augustinus; *Oportet ut senilis sermo non solum sit gravis, sed etiam brevis.*

Verba jocosa aut obscœna.

S. Bern serm. in obitu Humberti Monachi.

S. Aug. serm. 9. de Temp.

297 Elephas, à culicibus obsessus, eorum morsum nec sentit, nec curat. Emblemati subscripsit Zincgrefius; EGO VERO HAUD MORDEAR. Ita animus generosus, principis præsertim aut superioris, irâ admodùm sit rarâ, nec obviis quibusvis offensis moveri se permittat. Præclarè Seneca. *Pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem: mures & formicæ, quà manum admoveris, ora convertunt; inde exitia se lædi putant, si tanguntur.* Unde idem Lucanus Satyricè in hominem vilem canit,

Animus generosus.

Senec. l. 2. de Ira c. 34.

Lucan. lib. 6

--- --- --- *Dignum te Cæsaris irâ*
Nullus honor faciet.

EBVR.

298. Elephantis dens piscis cujusdam cute, cui squatinæ nomen, ab artificibus poliri solet: tantam enim exuviarum suarum asperitatem piscis ille habet, ut ebur, iis probè delimatum, ad tersissimæ formæ perfectionem reducatur. Unde dens ille, squatinæ cuti suppositus, epigraphen tenet. ASPERITATE POLIT. Ita cilicia, flagella, cæteraque corporis castigandi supellex; vel etiam rigida educatio, & asperioris vitæ disciplina, ceu instrumenta opportunissima, ad spiritum nostrum perficiendum, explanandumque deserviunt. S. Bernardus. *O quam compositum reddit omnem corporis statum, nec non & mentis habitum disciplina. Cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frænat gulam, sedat iram, format incessum.*

Mortificatio.

Correctio aspera.

S. Bern Ep. 113.

299. Pila eburnea, non è superficie tantùm, sed & interius candida, epigraphen præfert; EADEM ET INTUS. Vel idiomate Italico; A QUEL CHE SCOPRE FUOR, DENTRO RISPONDE. Ita sanè interior sinceri cordis affectus, exterioribus verbis & operationibus ex integro respondeat. De hac hominum sorte S. Greg. *Sapientia justorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, quæ vera sunt, diligere.* Hoc encomio insignem se probaverat Jobus; nam e sacræ Paginæ testimonio, *Erat vir ille simplex & rectus*; id est, juxta Gasparis Sanctii paraphrasin, *animo sincero & simplici.* Salomone teste, cùm simplicibus Deus sermocinari consuevit. *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Hunc candorem in Ferdinando Secundo Imperatore ad miraculum videre erat; De hoc Guilielmus Lamormainus; *Nullus*, inquit, *in illo dolus, nulla fraus; in ore, quod in corde; in corde quod in ore; sensa verbis, verba sensis respondebant: fingere, fallere, ab ejus sinceritate alienissimum.*

Sinceritas.

S Greg. Papa lib. 10 c. 16. Moral super cap. 12. Iob.

Iob. 1. 1.

Prov. 3. 32.

Lamorm. 12. vita.

300. Eboris candor annorum progressu croceam quandam rubedinem contrahit. Id quod Hieremias, Nazaræos dilaudans, testabatur; *Rubicundiores ebore antiquo*; Unde lemma Ebori inditum. CUM CANDORE RUBESCIT. Quisquis puritatis candorem, aureo vel purpureo charitatis affectu tinctum habet; hanc iconem ectypi loco sibi vendicat. Guerricus Abbas, Mariam Virginem, cùm Ebore conferens, ait; *Quàm candidum simul & rubicundum, quod candor lucis æternæ, ignisque Spiritûs Sancti universâ sui plenitudine replevit? Maria siquidem & ipsâ candidior nive, & rubicundior ebore antiquo:* porrò quo rubore, candoreve instructa fuerit, ita declarat; *Cui scilicet incomparabilem castitas candorem, & charitas, seu Martyrium, rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem &c.*

Hieremias Thren. 4. 7.

Maria candida & rubicunda.

Guerric. serm 1. Annuntiat. Virg.

301. De eburneo Salomonis throno testatur sacra Pagina; *fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem*; Eò alludens, Ebori inscribes; REGALEM THRONUM ADORNAT. Familiare hoc Mariæ Virginis Symbolum est; cujus purissimum sinum, ceu thronum præ ebore candidissimum, Rex gloriæ occupavit. S. Petrus Damianus; *Ipsa est*, inquit, *thronus ille mirabilis, de quo in Regum historia legitur; Fecit Rex Salomon thronum ex ebore grandem*; Et paulò infra; *Salomon noster non solùm sapiens, sed & sapientia patris, fecit thronum, uterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa majestas, quæ nutu concutit orbem.*

3. Reg 10. 18.

Maria V. Dei thronus.

S. Petr. Dam serm. 1. in Nativ. Virg.

EQUUS.

Equus Trojanus. *Caput* XX.

302. QUidam Eques, ut palàm faceret, se decoris ac nobilitatis suæ limites nunquam excessurum, equum, fræno & ephippio instructum, depinxit qui in catadromo agitatus, epigraphen tulit; EXSILIO, NON TRANSILIO. Hæc animi moderandi ratio, quam Eutrapeliæ nomine vocant, ludicram amœnitatem cum decoro permixtam habet. Seneca de Scipione majore ait; *Scipio triumphale*

Moderatio. Eutrapelia.

Senec. lib. de Tranquill. animi. cap. ultimo. phale illud & militare corpus movit ad numeros, non molliter se infringens, ut nunc mos est, etiam incessu ipso ultra muliebrem mollitiem fluentibus, sed, ut illi antiqui viri solebant inter lusum ac festa tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum, etiamsi ab hostibus suis spectarentur.

303. Academicus Incitatus Romanus Symboli loco equum barbarum præfert, qui tegete instratus, à globulis, ex ejus fimbriis per latera pendentibus, dum bravio adipiscendo currit, identidem pulsatur; addito lemmate. DANT ANIMOS PLAGÆ. Ita calamitatum verbera ad decursionem, in Virtutis stadio perficiendam, plurimum incitant. Seneca; *Nolite, obsecro vos, expavescere ista, quæ Dii immortales velut stimulos admovent animis. Calamitas virtutis occasio est.* (Calamitas incitat. Senec lib. cur bonis viris.)

304. Idem Equus barbarus, durante cursu, assiduis sphærularum ictibus circa latera pulsatus, à D. Archangelo Contero epigraphen recepit; UT CITIUS. Eorum hæc imago est, qui duris ciliciis, ferreis catenis, cingulis muricatis, crebris flagellis, aliâque corporis edomandi supellectile in se ipsos desæviunt, & omni, quâ possunt, celeritate durum mortificationis, perfectionis, & gloriæ tegumen sufferre conantur. Unde ad Deum conversus Magnus Augustinus, ait, *Imples tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te; ne deliciis & securitate perversâ seducantur.* Emblematis mentem hoc disticho aperuit Carducius. (Mortificatio. S. Aug in Psalm 55.)

Ocyor ut currat sonipes, sua terga flagellat;
Sic sua membra ferit, qui celer astra petit.

305. Academicus, inter Errantes Brixienses Velox, eidem barbaro currenti inscripsit; VELOCITATE PALMAM. A dissimili rem eruditè comprobans S. Chrysostomus; *In stadio terrestri*, inquit, *unus modò, qui prior venerit, coronatur: in cœlesti, quisquis pervenerit: Illic velocitas quæritur corporis, hîc animæ optatur effectus Illic festinans & properans, hîc perveniens & proficiens coronatur.* (Velocitas. S Chrysost. serm. de Fide Spe & Charitate.)

306. Equus barbarus, genuina perseverantiæ idea, stadium suum currendo aggressus, nihil otii unquam interponit, dum præfixam metam contingat. Lemma. DONEC AD METAM. Vel, FERVIDUS AD METAM. Ad verbum Michael Hoierus, Augustinianus Excalceatus; (Perseverantia. Hoierius in flammulis Amoris lib. 1. Eleg. 1.)

Hanc meus ad metam fervidus iret equus.

Opportunè S. Paulus; *Sic currite, ut comprehendatis.* In hæc verba commentatus S. P. Aug. ait, *Sic curramus, ut comprehendamus. Curramus credendo, sperando, desiderando; curramus, corpus castigando, & eleemosynas in dandis bonis, malisque ignoscendis hilariter ex corde faciendo---& sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis.* Et magis succinctè S. Nilus. *Sic curre, ut assequaris scopum; hoc est indesinenter. Oportet enim juxta virtutem vivere, donec vitæ stadium exuperemus.* Cum Diogeni diceretur, *Senex es, jam quiesce à labore:* respondit; *Quid enim, si in stadio currerem, ad finem oporteret cursum remittere, & non magis intendere?* Id quod etiam respondisse fertur Sapientissimus & religiosissimus meus Concanonicus D. Martinus Navarrus. (1. Cor. 9. 24. S. Aug lib. de Perfect. Iust. S Nil Paranes. n. 111. Laert. lib. 6.)

307. Veredus epigraphen sustinet; ALIIS INSERVIENDO CONSUMOR. Ministros publicos, Legatos, Visitatores, eosque omnes, qui principi, Religioni; aut Patrifamilias suam operam addixêre, hæc imago concernit. Jacob, Labani servitiis deditus, diesque noctesque laborando traduxit: unde illius suspirium fuerat; *Diu noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* S. Paulus pro conservanda amicorum incolumitate se ipsum obtulit, omnemque quietis, divitiarum, ac propriæ vitæ jacturam facilem duxit. *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Verbo: Pastor Evangelicus hanc indolem præse ferat, necesse est; siquidem *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Certè Christus, *ut jumentum factus*, corpus & sanguinem suum omnem profudit, ut captivum hominem redimeret; Magno Augustino teste, *Venit Christus accipere contumelias, dare honores; venit haurire dolorem, dare salutem; venit subire mortem, dare vitam.* (Visitator. Servitus. Gen. 31. 40. Pastor. 2. Cor. 12. 1 Ioan. 10. 11. Psalm. 71. S. Aug. in Psalm 30. Conc. 1.)

308. Equus velatis oculis epigraphen tenet; OCULATA CÆCITAS. Ita fidelis, quò rariore oculorum excursione utitur, tantò se Divinis arcanis penetrandis habilorem efficit. Justus Lipsius; *In Divinis, superisque, unum acumen est, nihil cernere: una scientia, nihil scire.* Et Guidobaldus Bonarellus Comes; (Fides. Lips. de Co. l. 2. cap. 13. Bonarell. nella sua Filli di Sciro.)

Che le cose del Ciel sol colui vede,
Che serra gli occhi, e crede.

309. D. Vincentius Nolphus, Academicus inter Firmienses Extenebratus, symboli loco Equum pavidum (Italicè. *Cavallo ombroso*) præfert, qui, oculis velo obductis, epigraphen sustinet; UMBRIS ADIMIT UMBRAS. Hoc artificio Deus Saulum adortus, ut mentis Judaicæ umbras excuteret, paucis diebus illum oculorum luce privavit; De hoc S. P. Augustinus; *Cæcus sanè factus est, ut interiore luce fulgeret. Exterior lux ad tempus subtracta est persecutori, ut redderetur prædicatori.* (S. Pauli conversi. S. Aug. serm. 35. de diver.)

310. Quantum audita & commendata virtutis alienæ fama in juvenum cordibus ad gloriæ studium excitandum valeat, Equus, ephippio instratus, demonstrat; qui à tuba, classicum insonante, ad generosos ausus provocatur; cum lemmate. PUGNÆ ASSUMIT AMOREM. Ferrus, ad tubam alludens, eidem Emblemati inscripsit; VIRES ANIMUMQUE MINISTRAT. Ita quoque Christi exemplum reliquos Martyres omnes ad pugnam contra fidei Catholicæ hostes animavit, S P. Augustinus, *Christus Imperator Martyrum, sibi non pepercit, militibus imperans pugnam: prior pugnavit, prior vicit, ut pugnantes exemplo suo hortaretur;* Ovidius. (Exempli. S. Aug. Præfat. in Psal. 40. Ovid. 2. de Pont. Eleg. 1)

Acer, & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Themistocles, auditâ Miltiadis victoriâ, noctes exegit insomnes, suumque pectus nunquam non ad arma adeò generosa imitanda stimulari persensit. S. P. Augustinus, Manichæorum cæno sepultus, cùm præter mirificos S. Antonii progressus, etiam S. Victorinum ad fidem Orthodoxam conversum, attonitus perciperet, mox è terra eluctari, & intra S. Ecclesiæ sinum, non sine interioris animi incitamento, contendere cœpit.

311. Encomia, quibus litteratorum virtuti applauditur, animum viresque addunt, ad sublimiorem scientiarum semitam tentandam: haud secus, atque Equus tubarum clangore tam ad bellum, quàm ad decursiones ludicras fortissimè stimulatur. Lemma. MOTUS CLANGORE TUBARUM. Verissimè dixit Seneca, *Spiritus assurgit, si laudatur, & in spem sui bonam adducitur.* Epigraphen Rancatus è Lucano desumpsit; (Laus animat. Senec. lib. 2. de Ira c. 21. Lucan lib. 4. Pharsal.)

----- Sonipes, motus clangore tubarum,
Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frenos
Ora tenens, spargitque jubas, & surrigit aures.

Meus

Meus Concanonicus, D.Salvator Carducius Emblematis mentem hoc disticho explicat.

Bella, tuba sonipes clangore animosior, urget :
Sic magè mirandum laude fit ingenium.

312. S Andream Corsinum, adhuc juvenem, inter diversas effrenis animi voluptates luxuriantem, equi soluti & calcitranis emblemate repræsentârunt : additâ inscriptione. LIBER ABERRAT. Vel; SOLUTUS ABERRAT. In hoc argumentum S. Thomas Villanovanus; *Qui succedentibus prosperis, veluti equus hinnulus, nimio furore spumabat, & fremens ac frendens alios morsibus & calcibus lædebat & turbabat, tribulationis assiduæ pondere pressus &c. de cætero quietè vivit.* (Frenis dissolutus. S. Tho. Villan. Conc. de S. Quirino &c.)

313. Hominem scrupulosum, in virtutis assequendæ decursu assiduò turbatum & inquietum, equus militaris repræsentat, qui ad obvias quasvis umbras exterritus, refugit, trepidatque; cum lemmate, EXTERRITUS UMBRIS. Ad verbum Silius Italicus; (Scrupulosi. Sil. Ital. l. 7.)

Cunctantem impellebat equum; negat obvius ire,
Et trepidat crassâ sonipes exterritus umbrâ.

De iis, qui minis quibusvis inanibus sese terreri patiuntur, illud Psalmi pronunties: *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Ne verò ob timoris hujus umbras à directo legis Divinæ tramite umquam abripiare, consilium suggerit Magnus Augustinus. *Eum timere debet homo, à quo factus est homo. Quod supra homines est time, & homines te non terrebunt.* Concinnè ad hoc propositum meus Carducius. (Timor vanus. Psalm. 13. 5. S. Aug. in Psalm. 63.)

In præceps ruit en sonipes, deterritus umbris!
Sæpius exagitat sic proba corda nihil.

314. Imperterritum ac generosum Herois animum Equi emblemate apprime depinxeris; quippe qui, Jobo teste, *In occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio &c.* Appositè Virgilius; (Job 38. 21. Virgil. l. 2. Georg. V. 77.)

Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponti,
Nec vanos horret strepitus.

Unde Emblemati subscripsit Rancatus; NEC HORRET STREPITUS. Ita prorsus Justi solo nituntur Deo, neque ullas hominum aut inferorum turbas motusque timent; S.P. Augustinus; *Nullum adversarium timebis, si Regem Deum in te habere merueris.* Hoc encomio insignem se probavit Maria Magdalena; cui proindè S. Ecclesia accinit. (Generosi. S. Aug. ser. de Temp.)

Adstare non timet cruci,
Truces nec horret milites.

315. Equus, ephippio instructus, & ad prælium ineundum paratus; epigraphen è Virgilio sustinet; CAMPO SESE ARDUUS INFERT.

At bellator equus campo sese arduus infert. (Virgil. l. 2. Georg. V. 145)

Equus enim, generoso spiritu plenus, suâque invalescens magnanimitate, ad conflictum effunditur; Jobo testante, *Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis.* Generosi Belliducis hæc imago est; uti & Christi, qui adverso militum agmine viso, non sine animi gaudio, fortiter ipsis obviam processit, *Surgite eamus, ecce appropinquavit, qui me tradet.* Et; *Judas ergo, cùm accepisset cohortem &c. venit cum laternis & facibus & armis: Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant, processit, & dixit eis : Quem quæritis &c.* Denique Justus, armis spiritualibus accinctus, imperterrito animo in arenam cum dæmone & mundo descendit; S.P. Aug.; *Fortes milites Christi, dum arma sacramentorum suscipitis, pugnam adversus diabolum indicitis; dum ejus operibus renuntiatis, vehementius in vos ejus furias provocatis.* (Job. 39. 21. Generosi. Matth. 26. 46. Joan. 18. 3. August. l. 2. de Symb. c. 1.)

316. Equus, dum militaris tubæ clangorem percipit, mox, veluti hydrargiro intra venas ejus diffuso, contineri nescius, efferatur, cōcutitur, saltat, spumat, neque intra præfixos limites persistere potest. Lemma è Virgilio additū; STARE LOCO NEQUIT. (Virgil. l. 3. Georg. v. 83.)

— — Si qua sonum procul arma dederunt,
Stare loco nescit, micat auribus &c.

Virtus, hoc charactere cumprimis conspicua, motibus gaudet assiduis, otii penitùs inimica. Unde de Cæsare canit Lucanus; (Virtus inimica otii. Lucan. lib. 1.)

— — — Sed nescia virtus
Stare loco.

Eâdem planè ratione verus amans, interioris animi calore stimulatus, nulli unquam indulget otio, sed assiduo curarum motu agitatur, Perspicuè S Dionysius Areopagita; *Amor est quiddam mobile, incessabile, acutum, fervens, & superfervens.* (Amor. S. Dion. Areop. de Cæl. Hier.)

317. Pullus equinus, ab equisone in saltuares gyros flecti, pedesque ex arte movere edoctus, authore P. Henrico Engelgrave, inscriptionem sustinet; DUM FACILES ANIMI. Verbis è Virgilio sumptis. (Virgil. lib. 3. Georg.)

— — — Viamque insiste domandi,
Dum faciles animi.

Adeò nimirùm juventus in ætate etiamnum tenerâ bonis præceptionibus imbuatur, necesse est. Providè Siracides; *Filii tibi sunt; erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* S. Isidorus Pelusiota. *Pueris*, inquit, *etiamnum teneris, de Dei excellentia ac providentiâ, postea de virtute præcepta sunt inserenda, ut grandiores jā facti, in virosq́; jam formati, cùm Dei optimi maximi amantes, tum prædıti evadant virtute,* Et Vegetius, *Incipientem pubertatem ad delectum cogendam nullus ignorat: non enim tantùm celerius, sed etiam perfectius imbibuntur, quæ discuntur à pueris.* (Educatio. S. Isid. Pelus. lib. 5. Epist. 506. Veget l. 1. c. 4)

318. Virtuti incrementum non leve è calamitatibus accedere, Equus demonstrat; qui à lupo ad coxendices dentibus prehensus, epigraphen habet; MORSU PRÆSTANTIOR. Argumento non multùm dissimili D. Cherubinus Brusonus Equum saucium, lupo vicinum, depinxit; cùm lemmate. HINC FEROCIOR. Justus enim, à lupo infernali tentatus, vires sortitur longè amplissimas, magisque ad hostem superandum accenditur. S. Greg. Papa; *Sanctorum mentes, æternitatis præmia præstolantes, vires ex adversitatibus sumunt; quia crescente pugnâ, gloriosorem sibi non ambigunt manere victoriam.* Quare Equus ille, in Emblemate repræsentatus, jure potest dicere; (Virtus afflicta. S. Greg. in Moralibus.)

Ben feroce m' assale,
Ben vorace m' addenta,
Mà il mio vigor non scema, e non s' allenta:
Che mai sempre diventa
Ne i contrasti più forte un nobil core,
E radoppia irritato il suo vigore.

319. Philippus II. Hispaniarum Rex, non tantùm vasta Europæ regna, sed & Indias moderatus, à Patribus Dominicanis Equi emblemate fuit repræsentat⁹, qui aliquem Circi Romani orbem currendo transiliens, pulcherrimam epigraphen tulit; NON SUFFICIT ORBIS. Neque enim immensis Philippi virtutibus ac meritis unius mundi peripheria respondere aut sufficere poterat. David, tot regnis & provinciis amplissimis minimè contentus, ad cœleste ac æternum regnum identidem aspiravit; unde in has voces erupit; *Satiabor cū apparuerit gloria tua. Omninò me non satiaret Deus* (Magni Aug paraphrasis est) *nisi mihi promitteret se ipsum Deū. Quid est tota terra? quid est totum mare? quid est totum cœlum? quid sunt omnia sidera? quid sol; quid luna? quid exercitus Angelorum? Omnium istorum creatorem scio, ipsum esurio, ipsum sitio &c.* Etiam S. Ignatius Loyola, & S. Franciscus Xaverius unicum hunc mundum suo fervori & zelo nimis angustum judicabant. Unde Petrus Henricus (Monarchia Austriaca vasta. Psalm. 16. 15. S. Aug. serm. 16. de verbis Apost c. 7. SS. Ign. & Xav.)

ricus Engelgrave Equum figuravit, qui, primum catadromi circulum egressus, alterum intrabat; cum lemmate; ORBIS NON SUFFICIT UNUS. Nobilis quidam Poëta Divorum illorum simulachra, juxta globum geographicum depicta; hoc tetrasticho insignivit.

Europam tenuit Loiola, Xaverius Indos;
Et duo sub sociis regna duobus erant.
Cur extra terram nunc ergò locantur utramque;
Orbis uterque viro parvus utrique fuit.

Insatiabilis. Inde etiam desumes, insatiabilem cordis humani famem nullâ unquam, quantumvis vastâ mundi mole, exaturari posse: Alexander Macedo, ubi è deliro quodam Philosopho didicerat, præter hunc complures alios mundos superesse, altum ingemuit, veluti totius Orientis imperio nimium quantùm coarctatus. De hoc Juvenalis; *Juven. Sat. 10.*

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi.

Claud. in Ruffin. Huic inexplebili cupidini jure indignatus Claudianus, canit.

Quo vesane ruis? teneas utrumque licebit
Oceanum; laxet rutilos tibi Lybia fontes,
Iungantur solius Cræsi, Cyrique tiara,
Nunquam dives eris.

Moderatio. 320. Nobilissima est Magnatum illorum moderatio, qui in suprema authoritate constituti, extra legum præscripta, tametsi possent, nunquam evagantur; sicuti sanè admirandum est, si equus generosus & vivax, in catadromo agitatus, præfixum illius orbem nec latum umquem transiliat Lemma. FEROX NON TRANSGREDITUR. Philostratus author est, Apollonium Tianæum, ubi Ægyptum optimis legibus gubernari viderat, ex illius Rege quæsivisse; *Num vobis hæc legibus præfinita sunt, an tu ipse regnum ad hanc vivendi normam, rectitudinemque constituisti?* Cui Rex Pharao; *Ego, modestè institutis legibus, modestius etiam utor.* Idem Apollonius, quod rursùs recenset Philostratus, Imperatorē Vespasianum in hæc verba est affatus; *Rex, tibi etiam lex dominetur: eris enim in illis dādis modestior, si tu quoque illa non contempseris.* Siracidis sententia est; *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus.* *Philost. lib. 5.* *Ecclesiast. 31. 10.*

321. Naturæ miraculum satis grande est, Equas solius venti virtute, intra matricem recepta, prolem concipere; uti affirmatè tradunt Aristoteles, Homerus, Solinus, & inter alios Virgilius; *Aristot. l. 6. Hist. Animal c. 18.* *Homer, Iliad 16.* *Solin c. 57.* *Virgil. lib. 3. Georg. v. 271.*

Continuumq; avidis ubi subdita flamma medullis,
Ore omnes versæ in Zephirum, stant rupibus altis;
Exceptantque leves auras, & sæpè sine ullis
Conjugiis, vento gravidæ (mirabile dictu) &c.

Inde Ludovicus Cerda plurimas eruditiones colligit. Itaquè Equa, ore versùs ventum aperto, epigraphen tenet. AUSTRO SPIRANTE CONCIPIAM. Vel, CONCIPIT AURA. Silius Italicus de Hispania testatur; *Silius Italicus lib. 3.*

Hic adeò cùm ver placidum, flatusque tepescit,
Concubitus servans tacitos, grex prostat equarum,
Et venerem occultā genitali CONCIPIT AURA.

Spiritus S. Ita prorsùs cor humanum, fœcundâ Sancti Spiritus aurâ, & virtuosâ assistentiâ afflatum, optimas cogitationes concipit, virtutumque partum mirificè promovet. Guerricus Abbas. *Gratias tibi ago Sancte Spiritus, qui ubi vis, spiras. Video in munere tuo non unam tantum, sed innumeras fidelium animas illo generoso germine gravidas.* Eodem planè sensu ad Deum conversus Magnus Augustinus, exclamat, *Deus lumen cordis mei --- & virtus maritans mentem meam.* *Guerric. Abb serm. 2. in Annunt. M.V.* *S. Aug. l. 1. Confess. c. 13.*

322. Equa adverso vento stare solet, ut spirantis illius fœcunditate prolem concipiat. Lemma. NON-COMMIXTA PARIET. Vel, INTEMERATA PARIET. Vel, ut Alcibiadi Lucarino placet, SPIRANTE FOECUNDA. Maria Virgo hoc emblemate unicè insignis, solâ Spiritûs Sancti virtute Divinum verbum intra viscera sua concepit; De hac S. Bonaventura; *M.V. annuntiata* *S. Bonave. in Psal. m. Quinqua.*

Ave Virgo, quam perflavit,
Et perflando fœcundavit
Auster fructu spiritali.
Christo flore virginali.

Et Lactantius; *Quod si animalia quædam vento aut aurâ concipere, solere, omnibus notum est: cur quisquam mirum putet, cùm Spiritu Dei, cui facile est quidquid velit, gravatam esse Virginem dicimus?* *Lactant. l. cap. 12.*

323. Equi demortui calvaria, occultâ quâdam naturæ vi, feras & aves ex hortis fugat, sicque damna, frugibus inferenda, prohibet; ut, præter authorum testimonia, indies experimur. Unde Lemma. ETIAM POST FUNERA VIRTUS. Sacra Divorum lipsana ad dæmones, morbosque pellendos miram habent efficacitatem. S. Gregorius Nazianzenus; *Dæmonum profligationem, morborum depulsionem, futurarum rerum præscientiam, hæc quidem omnia vel cineres ipsi Cypriani, modò fides adsit, efficiunt.* Hanc iconem de Equi Calvaria sequentibus rythmis vernaculis explicatam habe. *Reliqui. SS.* *S. Greg. N. Orat. in Laud. S. Cypr. Ma.*

Con bellicoso ardore,
Se vivendo fuggò l'horride schiere,
Dispettose, guerriere,
Benche morto ei si giaccia
Da gli orti predatori anco discaccia,
Tale doppo l'orrore
Del mortal corpo, e della tomba oscura
La virtù de gli Eroi mantiensi, e dura.

Hujus insigne experimentum affert Bartholomæus Calleonius primò Venetorum, postea Pauli II. summus Belli Dux: quippe cujus exercitus quatuordecim annis solâ ipsius jam defuncti memoriâ & authoritate gubernabatur; uti sepulchrale Calleonii marmor in Civitate Bergomensi testatur. *Miles p[...] morten terrific[...]*

324. D. Aresius, in encomium S. Theodoræ pœnitentis, Equam depingi fecit; quæ, rescissis jubis, se ipsam intra lacum contemplata, erubescebat, tantamq; sui fœditatem detestabatur: addito lemmate; SIBIMET DISPLICET. Ita sanè quivis peccator, si animæ suæ jacturam ac deformitatem sanctiore oculo intueretur, ingentem ruborem, summumque vitæ præteritæ odium conciperet. Eò enim collineant illæ Dei voces; *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* S. P. Augustinus Dei ore, ait; *Modò te non vides, faciam ut videas te; quia si videres te, & displiceres tibi, & placeres mihi; quia verò te non videns placuisti tibi, displicebis & mihi & tibi: mihi, cùm judicaberis, tibi, cùm ardebis.* *S. Theodora.* *Pœniten[...]* *Psalm. 49.* *S. Aug Ho 4. ex 50. Et Exposit Psalm. 48.*

325. Equus, in circo agitatus, epigraphen sustinet; PER APERTA VAGABOR; quasi diceret, se intra orbis illius angustias probè & artificios institutum, postea in apertum campum ad generosa facinora perpetranda emittendum esse. Ita nimirùm exercitationes militares, ac belli simulachra magnanimos heroum ausus, expeditionesque magis arduas præcedere debent. Cassiodorus. *Dicat miles in otio, quod proficere possit in bello. Animos subitò ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos, præmissa exercitatione, confidunt.* Et Tertullianus, *etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati jam ediscunt in armis deambulando, fossam moliendo &c. De umbra ad solem, de sole ad Cœlum; de tunica ad gloriam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum.* *Exercitiū militare.* *Cassiod. l. 1. Epist. 40.* *Tertull lib. ad Martyr. cap. 3.*

326. Equus, solo amento; nullo autem freno instructus, epigraphen tenet. OMNIA NUTU. Perfectam

obedientiam. fectam ac promptam obedientiam hæc imago innuit; S. Joannes Chrysostomus; *Eum equum laudârim maximè, qui sine ulla habenarum vi, pro NUTU COMPESCITUR; si verò fræno cogente eum commodè subegeris, nequaquam mirum: neque enim pecudis generositate, sed fræni necessitate ipsa modi observatio putabitur. Idem & in homine licet intueri &c.* De hac obedientiæ promptitudine S. Bonaventura; *Obedientiæ filii se totos ad obediendum exponant, moxque, ut Prælati vocem audierint, quasi divinitus imperetur; moram pati nesciant: sed relictis omnibus, ad injuncta quæque fideliter exequenda, promptâ devotione consurgant, ut vicino obedientiæ pede, velut uno momento, jubentis vocem facti exhibitione sequantur.*

Jo. Chrys. hom. 4. de Pœnit. — S. Bonav. p. 1 Specul. cap. 4.

327. Si generosum equum in medio cursu cespitare, aut cadere contingat, mox viribus magis, quàm umquam aliàs, resumptis, instar Antæi, resurgit, & prompto celerique pede iter suum prosequitur. Lemma. EX LAPSU VELOCIOR. Dei servos hæc idea spectat, qui, fragili pede nonnunquam ad vitii cujusdã offendiculum alliso, mox rubore suffusi, vires animumque colligunt, & concitato pede in virtutis stadio, æternum bravium recuperaturi, decurrunt. Eleganter id explicans S. Amb. *Sancti Domini*, inquit, *qui consummare pium certamen gestiunt; & currere cursum salutis, sicubi fortè ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate; quàm peccandi libidine, acriùs ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina: ut non solùm nullum attulisse æstimetur LAPSUS impedimentum, sed etiam VELOCITATIS INCENTIVA CUMULASSE.*

Pœnitens. — Ambr. de Apolog. David l. 1.

328. Academicus Extimulatus Symboli loco Equos, supra repagem collocatos, habet; ante quos accensa fax epigraphen sustinet; ADDIT ANIMUM. Forsan ad personæ amatæ præsentiam alludit, quæ belli simulachro, aut ludo Trojano assistens, certantis animum acerrimè stimulat. Omnium tamen maximè Principum præsentia ad quævis operationum momenta incitat, viresque addit.

Præsentia Majorum.

------ *Urget præsentia Turni.*

Inquiebat Virgilius; & Silius Italicus;

------ *Præsentia sævi*
Extimulat Ducis.

Virgil. l. 9. Æneid. v. 73. — Sil. Ital. lib. 5

Unde, referente Ammiano Marcellino, Signifer quidam Julianum Imperatorem in hæc verba est affatus; *Imperator, ut factus antesignatus & fortis, experiaris, quid miles sub conspectu bellicosi ductoris, testisque individui gerendorũ, modò adsit supernum Numen, his rebus efficiet excitatus.* Josephus Hebræus scribit, Romanos acerrimè conflictatos esse, *Inspectore scilicet Tito.* Easdem vires longè cumulatiores è Dei præsentia accipimus. S. P. Aug. id eruditè confirmans, ait, *Non te Deus sic spectat in agone certantem, ut populus aurigam, qui clamare novit, adjuvare non novit. Dum spectat Deus athletam suum, plus laborat & adjuvat sedendo, & vires subministrando, quam ille luctando.* Cæterùm etiam propositi præmii contingendi spes ardorem ac fortitudinem mirificè promovet.

Amm. Marcell. lib. 6. — Joseph. Hebr. lib. 7. de Bello cap. 5. — Dei præsentia. — S. Aug. serm. 104. de Temp.

329. Multum quidem oneris supra dorsum sustinet equus; at pectoris sui robore currum trahens, longè graviora perferre potest. Epigraphen Lucarinus subdidit; PECTORE GRAVIORA. Innuebat videlicet, animi calamitates longè esse atrociores corporalibus. Eodem Emblemate etiam peccatoris miseria significatur, qui exteriore vultu acerbè afflictus, interiorem animum longè tristissimum experitur. Marcus Tullius; *Non ob ea solum incommoda, quæ eveniunt improbis, fugienda improbitas est: sed multò etiam magis, quod, cujus in animo versatur, nũquam sinit eum respirare, nunquam acquiescere.*

Synderesis Peccatoris. — Cicero lib. 1. de finibus.

330. Equo onerario inscripsêre; VALIDUM NON EXIMIT ÆTAS. Inde disces, neminem, quoad vires suppetunt, à Reipublicæ vel Religionis laboribus sustinendis sub senectutis prætextu eximium esse debere. Abraham, nonaginta novem annorum senex, viribus tamen etiamnum valens, à Deo jussus est; *Ambula coram me, & esto perfectus;* Sicque Deus vel Abrahami mentem, nonnihil à pristino fervore laxatam, restituere; vel saltem innuere volebat, hominem, ad animum ab omni noxa conservandum etiam in suprema ætate ab operando desistere nunquam debere. Procopii verba sunt; *Aut apparuit nondum reprehensibili; aut ut tali, cui necesse esset operari semper id, quod est inculpabile, qui semper foret irreprehensibilis.*

Perseverare. — Gen. 17. 1. — Procop. in hunc loc.

331. Animum hominis gravem, circumspectum & prudentem Emblemate significaturus; Equum depinges, pedibus ligamine revinctis; cum dicto, PEDETENTIM. Hæc virtus, si in ullo alio, cumprimis in Judice est necessaria; quippe qui fatalem sententiam adversus sceleratos pronuntiandam, diu, multumque expendat. S. Paulus Dei judicium ait esse justum. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.* Hunc locum interpretatus S. Cyprianus, ait; *Justum judicium Dei dixit esse; quia serum est, quia multum diuque differtur, ut hominis ad vitam longâ Dei patientiâ consulatur.*

Maturitas in Judicando. — Rom. 2. 5. — S. Cypr. Ep. 11

332. Equus barbarus currendo semper magis magisque concitatur. Unde lemma. SEMPER ARDENTIUS. Hanc operandi methodum iis ideæ loco præscripserim, qui beatitudinis ac Dei consequendi viam insistunt, semper enim majore ac intensiore proficiendi conatu invalescant, donec vitæ suæ terminum contigerint. S. Bern. *Profectus noster in eo consistit, ut nunquam arbitremur nos apprehendisse, sed extendamur ad exteriora, incessanter conemur in melius.* S. Gregorius Nazianzenus de eximio Dei servo S. Basilio refert; *Cum fermè mortuus, & exanimis esset, maximâque ex parte vitâ perfunctus, circa extremos sermones robustior fit.*

Profectus. — S. Bern. serm. 2 de Purific. M. V. — S. Greg. Naz. Orat. 20.

333. Quantum parva consuetudo in animis nostris possit, Equus barbarus demonstrat, cum Lucarini lemmate. IMPELLOR CURSU. Enimvero cæpto semel vitiorum cursu; ab ipsamet consuetudine acrius semper, & ad graviora mala incitamur. Seneca; *Tibi insanabilis animus est, & scelera sceleribus contexens; & jam non causis; quæ malo nunquam defuturæ sunt, impelleris; sed satis tibi est magna ad peccandum causa, peccare.*

Consuetudo mala. — Senec. lib. 1. de Ira cap. 16

334. Equus, ore lupatum sustinens; à Sodalibus Parthenijs epigraphen accepit; AUT PRÆCEPS RUET. Certè juventus, nisi Divini ac humani timoris fræno coërcita, in mille exitia ruit. Orig. *Equus si non assidui sessoris patitur calcem, & frænis ore ferratis obteritur, indurescit, Sic & puerilitas, si nulla plagæ assiduitate curvetur, insolentem simul, & ad vitia præcipitem juvenem reddet.* Similem doctrinam, tametsi dissimili metaphorâ, tradit Justus Lipsius; *Ut aucupes nobiliores illas aves non patiuntur libero evagari, sed loco illigatas revocant, aut retinent: sic præceptores melioris ingenii adolescentes monitiunculis interdum acuunt vel sistunt, necubi à vera illa veri honoris (ut sic dicam) prædâ aberrent.*

Educatio. — Orig. lib. 3. Periarch. 6 — Lips. Centur. 1. ad Belg. Epist. 60.

335. D. Didacus Saavedra Symboli loco manum depinxit, quæ simul & virgam sustinens, & equi comas mulcens, epigraphen habuit; AMORE, ET TIMORE. Gemina hæc virtus boni Prælati aut Principis est propria, qui rigore ac benevolentiâ, ceu gemino vinculo, suis subditis benignum amorem, ac justum timorem ingenerat; S. Bernardus cum Prælatis in hæc verba ratiocinatur; *Discite subditorum*

Clementia & rigor. — S. Bern. serm. 43 in Cant.

ditorum vos matres esse,non Dominos: studete magis amari,quàm metui:Et si interdum severitate opus est, paterna sit,non tyrannica;matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. S.Hilar.in illud Isaiæ, *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*; ait, *Floris suavitate, virgæ asperitatem temperavit Divinum Oraculum, ut una & eadem virga florida, & vulnus præbeat, & vulneris remedium.*

S.Hilar.in Isai.11.1.

336. Accuratam obedientiam, & ad omnem Superioris dispositionem nutumque penitùs exactam, Equi Emblemate descripsi, qui habenas ore sustinens à dirigente manu sese in omnem partem flecti sinit; cum lemmate. QUA DIRIGIT, GRADIOR. Veluti diceret, *Non quod ego volo, sed quod tu.* S. Valerianus; *Doceant nos servare ordinem disciplinæ tam dociles equorum animi, cum in gyrum ducti, flexuosis gressibus membra componunt, & sub unius habenæ retinaculo ita laxari se consentiunt, ut & currendi, & standi modus sub quadam legum dispositione servetur.*

Obedientia. Marc.14.36. S.Valer. Hom.1.de bono disciplinæ

337. D. Aresius è libris suis uni, Equum præfixit, qui molam versans, epigraphen tenet. META NULLA LABORIS. Homo, studiis deditus, consentaneè ad hanc ideam, nullos umquam terminos in laboribus suis litterariis invenire potest. Eodem symbolo perseverantia, in virtutum exercitio assidua & indefessa, significatur. Nam de bonis operib⁹ scribit Apostolus; *quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus*; seu, ut contextus Græcus sonat, *ut in iis circũambulemus*. In hunc sensum S. Joannes Chrysostomus; *In operibus bonis*, inquit, *quæ præparavit Deus, ut in iis ambulemus, non ut incipiamus, sed ut ambulemus: perpetua enim virtute nobis opus est, & extensa usque ad nostrum decessum.* Cæterùm etiam avarus nullam umquam laboris sui metam reperit. Unde Hugo Cardinalis in illud Psalmi, *In circuitu impii ambulant*; ait, *Id est, in labore temporalium:* & subjungit; *Sicut enim ille, qui ambulat in circuitu, semper est quasi in principio motus sui, & semper habet ad ambulandum, sic isti semper habent, quod negotientur.*

Studiosus infatigabilis. Ephes.2.10. S.Io.Chrysost Hom.4. HugCard.in Psalm.11.9. Avarus.

338. Sacratissimum Servatoris nostri corpus è multiplici vulnere nihil deformitatis, plurimùm tamen honoris & pretii recepisse, Equus demonstrat, cauterio signatus; cum lemmate, PREGIO NON FREGIO Id est, PRETIUM, NON DECUS; S.Bernardus, ad Crucifixum conversus, exclamat; *Quam mihi decorus es, Domine mi, in ipsa tui hujus positione decoris: etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit.* Et S. Ambrosius; *Vulnera suscepta pro nobis cœlo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri pretia nostræ libertatis ostenderet.*

Vulnera Christi. S.Bern serm 45.in Cant. S.Ambr.Luc ultim.

339. Academicus, inter errantes Frenatus, Symboli loco Equum præfert, qui fræno coërcitus, epigraphen monstrat; TUTIOR IN FRÆNIS. Innuit videlicet, non tantùm juventutem, sed universum genus humanum è legis Divinæ vel humanæ fræno nihil ponderis aut damni, sed plurimùm nobilitatis & commodi referre. S.Hieronymus; *Lex data est, ut hominem, malè libertate suâ abundantem, qui prius ferebatur improvidus, & per præcipitia labebatur, fræno legis retineat, & compositis doceat incedere gressibus.* Cæterùm etiam silentii virtus hominem à mille periculis tuetur. Philippus Abbas id apertè testatus, ait, *Qui linguam volubilem modesto refrænare non vult silentio, profectò sibi confusionis ædificium machinatur.*

Lex Dei vel hominum. S.Hieron quæst 8.ad Algasiam. Silentium. Philipp.Abb. de Silent. Cle cap. 11.

340. Amor, quò arctiore formidinis aut modestiæ freno retentus, eò vires sumit ampliores: haud secus, ac Equus, freno & lupato coërcitus, epigraphen tenet; PRENDE FORZA DAL FRENO. Id est, ROBUR A FRENO. Ità Animæ nostræ fortitudo è mortificatione plurimùm incrementi capit; nam, S.Gregorio teste, *Fortitudo justorum est, carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere &c.* Cæterùm de primo Emblematis sensu opportunè canit Baptista Guarinus.

Amor frenatus intensior. Mortificatio. S Greg! Moral. Guar.in F.Atto.1 Scena 2.

Mirtillo, Amor fù sempre un fier tormento,
Mà più quant' e più chiuso;
Però ch' egli DAL FRENO,
Ond' è legata un' amorosa lingua
FORZA PRENDE, e s' avanza &c.

341. Equus, ephippio instratus, à Comite Germanico Herculano epigraphen recepit; IN QUODCUNQUE BELLI MUNUS. Vel ut Carducio placet; AD QUÆVIS MUNERA BELLI. Equus enim ille, sarcinis portandis, machinis militaribus trahendis, equiti sustentando, viæ capescendæ, aut exercitui juvando, ex æquo accommodatus; indolem hominis vivacem, & ad omnes expeditiones paratam, repræsentat. Porrò Justus in hac vita, veluti in militia, ad quævis munera, contra carnem aut dæmonem suscipienda, numquam non accinctus stat; præsertim, quod, Magno Augustino teste, *Quantùm accedunt dies, augentur tribulationes. Non nobis promittunt scripturæ nostræ in hoc sæculo, nisi tribulationes, augmenta dolorum, abundantiam tentationum. Ad ista nos præcipuè parèmus, ne imparati deficiamus.* Carducium, Emblematis interpretem, audi.

Indoles valida. Justus. S. Aug.in Psalm.3[illegible]

Impiger, ut sonipes ad quævis munera belli;
Indolis excelsæ talis & ardor erit.

342. D. Archangelus Conter aliquot equis, in hypodromo versùs bravium currentibus, inscriptionem è D. Paulo subjunxit. UNUS ACCIPIT. Idipsum usuvenit, quando multi ad viduam Prælaturæ aut Principatûs dignitatem, nonnisi uni conferendam, aspirant. Ita prorsùs excellens Paradisi aureola non omnibus indiscriminatim, sed iis tantùm obtingit, qui plus cæteris, dum vivebant, in consiliorum ac legis Divinæ stadio occurrerunt, aliosque virtutum ardore, & operandi assiduitate superârunt. P.Cornelius à Lapide; *Apostolus propriè respicit ad bravium, id est, aureolam, & excellens præmium, quod non omnibus electis, sed paucis heroicè certantibus datur, ut iis, qui non tantùm præcepta, sed & consilia Christi heroicè sequuntur.* Porrò currendi methodum tradens Magnus Augustinus, ait, *Curramus credendo, sperando, desiderando; curramus corpus castigando, & eleemosynas in dandis bonis, malisque ignoscendis, hilariter & ex corde faciendo.*

Dignit. P.Corn.à Lap.in 1 Cor.9.24 S. Aug.de Perfect. Iust.cap.8

343. Tametsi complures equi ad destinatam metam currant, bravium tamen, ut P. Archangelus Conter lemmatis laco ait, nonnisi ANTERIORI datur. Ita scilicet æternum præmium nobis nonnisi solicitis, & assiduo virtutum studio fatigatis, obtingit. Eò fortasse collimans S. Paulus, Patriam cœlestem vocat *Ecclesiam primitivorum*; justos videlicet, ac perfectionis studiosos *primitivorum* nomine intelligens; In hunc sensum luculentus interpres Chrysostomus, ait, *Primitivos autem quos dixit? Fideles videlicet, & Spiritus perfectorum*; concluditque Sanctus Pater, eos, qui in vitæ curriculo cæteros animi puritate, charitatis ardore, eleemosynæ distribuendæ copiâ, injuriis condonandis,

Solicitudo. Heb.12. S Io.Chr in hunc l.

donandis, aliisque virtutibus antevertunt, etiam aureolâ, præ cæteris gloriosâ, donandos esse.

344. Homo, ad labores melius sufferendos nonnihil quieti & animi relaxationi indulgens, ab Abbate Certano Equi emblemate repræsentatur, qui in uberrimo campo luxurians, frenum ex ephippii nodo otiosè pendulum habet; cum dicto; OTIO VIGOREM EXCITAT. vel Italicè, PERCHE PIU PRONTO A LA FATICA IO TORNI. Id est, UT ROBUSTIOR AD ONERA. Marcus Seneca; *Omnibus quidem prodest subinde animum relaxare. Excitatur enim otio vigor, & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur*. Unde Rex Atalaricus apud Cassiodorum dicere solebat; *Consultè relaxamus ætatis nostræ breves ferias, ut suis incrementis devota, posterius robustior ad imperii pondera subeunda consurgat.*

[Re]creatio.

Senec. in [Pro]em lib. [Co]ntrovers.

[Ca]ssiod. lib. 8 [V]ar. 9.

345. Equus, rupto freno, auscultare recusat. Unde lemma. INFRÆNIS INUTILIS. Ita divitiæ, nisi rationis & prudentiæ freno ad opportunos usus dirigantur, nil penitùs prosunt. Socratis apud Stobæum parœmia erat: *Nec equo sine fræno, neque divitiis sine ratione tutò quis uti poterit.*

[D]ivitiæ.

[Sto]b. serm. 3. [de] prudentia

346. Equorum pedes nonnunquam funibus colligari solent, ut passibus æquis, & ad præscriptam normam distantibus, incedere assuescant. Unde lemma. DOCET COMPONERE GRESSUS. Ita lex Divina, & prudens educatio, directam virtutum semitam percurrere docent. Perspicuè S. Hieron. *Lex data est, ut hominem malè libertate sua abundantem, qui prius ferebatur improvidus, & per præcipitia labebatur, fræno legis retineat, & compositis doceat incedere gressibus.* S. P. Augustinus in illud Psalmi. *Viam veritatis &c.* ait; viam veritatis elegi, *ubi currerem*: judicia tua non sum oblitus, *ut currerem*: adhæsi in testimoniis tuis, *cùm currerem*: Domine noli me confundere, *quò curram, pertendam, quò tendo, perveniam.*

[L]ex Divina

Hieron. q. 8 [a]d Algasiam.

Aug. in Ps. [11]8. Con. 18.

347. Miles quidam stipendia, à diversis Principibus liberaliter oblata, generosè recusavit; obsequia sua nullius alterius, nisi Imperatoris, fore, protestatus. Hunc Julii Cæsaris equo non absimilem dixeris, qui, tametsi cætera esset equus, pedes tamen habebat humanos, nullumq; alium admittebat sessorem, nisi Cæsarem. Unde lemma. SOLI CÆSARI. Ita prorsus anima, voluntatis ac beneplaciti Divini unicè studiosa nemini alteri, nisi soli Divino Imperatori suam operam addicere decet. S. P. Augustinus illa Christi verba examinans, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; ait, *Cum ait, toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & locum dare, ut aliâ re velit frui.*

[R]eligiosus

Aug. lib. de [D]octr. Christ. [ca]p. 22. 27. [M]att. 22. 27.

348. Philippum II. Sabaudiæ Ducem mirè bellicosum, P. Aloysius Juglaris militari equo non absimilem dixit, qui, omni suâ ætate in bello transactâ, epigraphen tenet; PACEM INTERDICIT ORIGO. quasi diceret; fieri non posse, generosum illum nepotem ignobili otio marcescere, qui militarem animum ab istis incunabulis per Avos bellicosissimos acceperat ingeneratum. Idipsum Christiani assolent, qui ab ipsa sua origine assiduum bellum adversus carnem & dæmonem gerunt. Unde Magnus Augustinus ait, *Pax cum bonis & bellum cum malis semper habendum est.* Nam asserente S. Gregorio Nazianzeno, *Melior est talis pugna, quæ Deo proximum facit, quàm pax illa, quæ separat à Deo.* De primo Emblematis sensu canit Horatius;

[N]atales. [B]ellum spi[ri]tuale.

Aug. serm. [1]6. de Temp.

Greg. Naz. orat. l. 4. de 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus &c.

349. Equi solares, Phaëtontis imperitiâ penitùs facti effrenes, epigraphen accepêre; FRÆNABIT APOLLO. Mens Emblematis erat; familiam, Heri sui absentia dissolutam, ejusdem, vel alterius gravis personæ præsentiâ & authoritate denuò componi. Virgilius;

Præsentia majorum.

Virgil. l. 1. Æn. v. 153.

Ac veluti magno in populo quum sæpè coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus,
Jamq; faces, & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate gravê, ac meritis si fortè virum quem
Conspexêre, silent, arrectisque auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet &c.

Nec aliter Pindarus;

Pind. Od. 8. Nem.

Potentior vir cedat præcedentem litem.

Aristides refert, ad unius Periclis præsentiam omnes tumultuantis populi turbas conquievisse. Tassus ingentem militum cohortem, ob existimatam Regi-naldi mortem in seditiosas factiones concitatam, refert; quæ tamen, perceptâ Godefridi exprobrantis præsentiâ, quantocius morem gessit, Ducemque insecuta est. Verissimus adeò Hippocratis aphorismus est; *Cupiditates discedere, ubi primùm sapientia se in conspectum dat.* Justus Lipsius dicere solebat, Apollinem illum, qui effrenes hominum animos in officio continere posset, Religionem esse; *Sine Religione non Princeps officium suum, non subditi facient, sine ea societas non erit, quia non fides, non justitia, non virtus, sed fraus, licentia, protervitas, &, uno verbo, confusio hominum ac rerum, Quod frænum erit peccatoris, Qui metus sat validus? Nam externum illum, qui a pœnis aut morte est, multi contemnunt, & desperatio, impetus, iracundia eo ducunt. Est igitur vinculum, & firmamentum reipublicæ Religio.*

Aristid. in 2. Platonica.

Tass. Cant. 8. della Gerus. Liberata.

Religio.

Lips. monit Polit. cap. 1.

350. Academici Furfuracei Equum symboli loco præferunt, qui curru trahendo fatigatus, sacculum, furfure, aut alio alimento plenum, sub ore pendentem habet; cum dicto, CO'L DILETTO L'AFFANO DISACERBO. Id est, UT INDE VIVIDIOR. Idipsum assiduos Apostolorum labores penitùs jucundos ac toleratu faciles reddidit, cum fidei orthodoxæ curru in barbaras regiones pertracto, uberrimam segetem, à Divino Magistro suo prævisam, intuerentur; *Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.* Et rursus; *Ego misi vos metere, quod non laborastis.* Enimverò humano intellectu ad frugis colligendæ dulcedinem advertente, omnis incommodi & laboris amarities temperatur. Verissimè dixit S. Hieronymus, *Spes præmii solatium est laboris.*

Præmium roborat.

Ioan. 35. ib. 38

S. Hieron. ep. ad Demetr.

351. Equum Sejanum, magnitudine inusitatâ, cervice arduâ, colore phœniceo, flavâ & comanti jubâ, cæteráq; omni equorum laude insignem, nemo non expetiit, qui non maximum inde damnum retulit. Eum enim fato adeò maligno fuisse ajunt, ut, quisquis eum possidebat, cum tota familia, domo, fortunisque omnibus everteretur. Unde de hominibus calamitosis manavit proverbium; *Ille homo habet Equum Sejanum*; uti Aulius Gellius refert. Proinde Equum illum hoc lemmate spectandum propones; PERNICIES DESIDERATA. Magna & nimium blandiens fortuna equus Sejanus est, ab omnibus enim desiderata, nullum admittit sessorem, quem non excutiat. Perspicuè Seneca, *Neminem fortuna eo provexit, ut non tantùm illuminaretur, quantùm permiserat.*

Aul. Gell. l. 3. cap. 9.

Fortua.

Senec. ep. 4.

352. Equus, ætate fatiscens, oneribus succumbit, symbolo epigraphen addidit P. Jacobus Masenius; NON PLUS ULTRA. Ita nimirum negotia nostra, dum vires, ætasque permittunt, exequenda sunt; senectus enim, laboris omnis impatiens, quieti à natura destinatur. In rem præsentem facit proverbium

Laborandum in juventute.

Corn. à Lap. cant. 1. n. 30.

Arabicum; *Esto in diebus æstatis formica.* Id est, interprete P. Cornelio à Lapide, *Labora & congrega fructus in æstate, quibus vivas in hyeme; operare in juventute, ut lucreris ea, quibus vivas in senectute.* Concinne Ovidius.

Ovid l. 2. de arte.

Dum vires annique sinunt, tolerate labores;
Jam veniet tacito curva senecta pede.

353. Peritus eques furiosum præcipitemque equum fræno ita coërcere, suaque arte & industriâ facilè assuefacere novit, ut ad imperantis nutum, quocunque voluerit, gressum flectat. Lemma. REPRESSUS OBEDIT. Ad eundem plane modum effræni impotentique equo corporis nostri, frænum perpetuò adducendum, subjiciendaque calcaria sunt: quâ ratione, quidquid ipsi imperaveris, facilè obtinebis: quod compendium si neglexeris, ipse tui paulatim dominari incipiet, tandemq; elidet te, excussumq; in mille præcipitia dabit. Optimè doctrinam hanc explicat S. Dorotheus; *Cùm aliquis oppugnatur aut affligitur ab aliqua vitiosa passione & cogitatione, si ad actum illam perducit & complet, sciat passionem illam validiorem fieri, ac robustiorem adversus eum. Ipse enim invalescere eã facit contra se, & veluti vires quasdam ei suggerit, ut magis eum oppugnet & affligat. Rursus verò si ille contra certaverit, & sese illi cogitationi & passioni vitiosæ opposuerit, debilitatur vitium illud, atq; ad oppugnandum & affligendum eum, deinceps impotens fit & invalida.* Sed & accommoda valde huic proposito est S. Bernardi doctrina, ita nos instruentis; *Docendus est homo sic habere corpus suum, sicut ægrotum commendatum; cui etiam multùm volenti, inutilia sunt neganda: utilia verò & nolenti ingerenda.*

Mortificatio. — S. Doroth. ser. 3 in Bibl. SS. PP. Tom. 3. — S Bern epist. ad fratres de Monte Dei.

354. Equo mortuo inscripsit P. Masenius; NUPER HONORI, NUNC HORRORI. Ita sanè Divites & Magnates, quos nuperrimè adoravimus, post mortem non sine horrore aspicimus. Corporis quoq; forma, ab hominibus mundanis tantoperè desiderata, tandem in putridum cadaver, nemini non abominandum desinit. Hugo de S. Victore. *Nihil aliud est caro, cum qua tanta est societas, nisi spuma, caro facta, fragili decore vestita. Sed erit quandoq; cadaver miserum & putridum, & cibus vermium.*

Mors. — Hug. Vict de Claust. anim lib. 1. c. 1.

EQUUS TROJANUS.

355. D. Didacus Saavedra symboli loco Equum illum ligneum expressit, qui sub pietatis ac voti exolvendi specie, intra Trojæ mœnia admissus, toti civitati extremam perniciem ac excidium creavit. Epigraphen addidit. SPECIE RELIGIONIS. Enimverò sub hoc Religionis schemate non rarò gravissima damna inferuntur. Verissimè Justus Lipsius; *Ambitio & avaritia sæpè velantur religionis mantello.* Et Juvenalis;

Simulatio. — Lips. lib. de una Religione. — Juven. sat. 13.

Fallit enim vitium specie virtutis, & umbrâ.

Absalon, victimæ, incensique Deo libandi, & voti solvendi causâ, sese in Hebron proficisci simulans, sub velamine adeò religioso proprium parentem regno & vitâ exuere, immanis parricida, destinabat. Herodes, annosa illa vulpes, ubi servatoris natales inaudiit, magis persuadere conatus est, ut ejus cunas sedulò investigarent, seque etiam ea de re facerent certiorẽ, ut regem recens natum adorare posset. *Et cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum:* Verùm sub commentitio hoc reverentiæ exhibendæ pigmento fatale odium, ac sicam, in parvuli recens nati jugulum destinatum, occultabat.

Matth. 2. 9.

Exclamat amens nuntio;
Satelles, I ferrum rape;
Perfunde cunas sanguine.

Præclarè S. Gregorius Papa, *Herodes, nativitate Regis nostri cognitâ, ad callida argumẽta convertitur: & ne terreno regno privaretur, renuntiari sibi, ubi puer inveniatur, postulat. Adorare eum velle se simulat, ut hunc, si invenire posset, extinguat.* Has hominum malitiosorum technas idem S. Pater etiam in dæmone observatas habet, qui sub sancti & religiosi operis velamine nostram ruinam, & extremam perniciem machinari solet. *Hostes armati sunt immundi spiritus, innumeris contra nos fraudibus accincti: qui cùm suadere nobis iniqua non queunt, ea SUB VIRTUTUM SPECIE nostris obtutibus opponunt, & quasi sub quadam larva se contegunt, ne in sua malitia à nobis nudi videantur.*

S. Greg h. 10 in Ev. — Dæmon — S. Greg l. moral c. 1

356. Generosi milites, in Equi Trojani visceribus magno numero conclusi, civitatis portas ingenio astutissimo penetrârunt, totamque everterunt civitatem. Lemma. ADDITO AD VIRTUTEM DOLO. Innuit videlicet, astutiâ & stratagematis dimicandum esse, ubi vires deficiunt. Exemplo suo id docuêre Hannibal, Fabius Maximus, Alcibiades, Epaminondas, Antiochus, aliique sexcenti, à Frontino enumerati. Porrò diaboli hæc idæa est, qui naturâ ingenii acutissimi virtute instructus, varias homini molitur technas, sicque incautum non rarò ad extremam perniciem deturbat. S. Isidorus; *Diabolus quando decipere quemquam quærit, prius naturam uniuscujusque intendit, & inde applicat, unde aptum hominem ad peccandum inspexerit.*

Stratagema. — Front. in Stratagem. — Diabol decipit. — S. Isid lib de summ. bono.

357. Equo Trojano epigraphen, è Siracide desumptam, subjunges; INTERIORA EJUS PLENA SUNT DOLO. De adulatoribus & amicis dolosis id intelligas velim; qui, exteriore vultu pietatem & benevolentiam mentiti, paulò post furorem, quem in animo occultum fovent, in proximum evoment. De his S. Cyprianus; *Facilior cautio est, ubi manifesta est formido; & ad certamen minus tunc præstituitur, quando se adversarius confitetur. Plus timendus est, & cavendus inimicus, cum latenter surrepit: cum per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit.* In rem præsentem de Hypocrita ait Siracides; *Est qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo.*

Ecclesiast. 19. 23 — Adulator Amicus falsus. — S. Cypr. in — Hypocrita. — Eccl. l. c.

ERINACEUS.

Cap. XXI.

348. Aculei, quibus Erinaceus toto corpore munitus incedit, eidem non tantùm, ceu totidem lanceæ, ad seipsum propugnandum, & ad vicinos hostes valido ictu feriendos, inserviunt; verum etiam illos, instar sagittarum, adversus insidiatores longè dissitos ejaculari solet. Unde Taegii lemma. COMINUS, ET EMINUS. Ita detractoris lingua, tam lanceam, quam sagittam imitari solita, nemini unquam parcit, & in absentes æquè, ac præsentes grassatur. Unde ubi in Psalmo dicitur, *Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ*, alii pro hac voce, *arma*, legunt, *lanceæ*. In rem præsentem Hugo Cardinalis; *Verba detractoria, quibus* (Detractores) *corrodunt alios, sunt arma & sagittæ. Per arma impugnantur propè stantes. Unde ubi habemus arma, alia littera habet lancea. Per sagittas impugnantur longè stantes. Et ipsi detrahunt tam propinquis, quàm remotis; tam domesticis, quàm extraneis &c.*

Detract. — Psal 56. 5. — Hug. Card in hunc loc.

359. Erinaceus, pomis, pyris, aliisque frugibus onustus, eas ad suos catulos defert, cum lemmate, NON SOLUM NOBIS. Hominem, aliorum egestati sublevandæ pronum, hoc Emblemate exornabis. Apostoli

Beneficentia.

Gal. 6.10. *Aug lib. de Salut. Doct. cap 46.* *Senec.lib. 4. de Benef.c.26* *Lucan.lib.2.*

postoli monitum est; *Operemur bonum ad omnes.* In hæc verba Magnus Augustinus, *Ad omnes*, inquit, *non per partes, non ad unum, vel ad duos, vel ad tres, sed ad omnes homines.* Seneca; *Si Deos imitaris, da & ingratis beneficia. Nam & sceleratis sol oritur, & piratis maria patent.* Lucanus.

-- --- Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, finemque tenere,
Naturamq; sequi, patriæq; impendere vitam:
NEC SIBI, SED toti genitum se credere MUNDO.

Animosus [...]niles.

360. Erinaceus nequaquam expectat, donec canes vicini eum dentibus prehendere, ac minutim lacerare valeant; sed justo adhuc intervallo à se dissitos videns, mox spinas suas, ceu totidem sagittas, ejaculatur; sicque prælium auspicari, hostemque lacessere audet. Lemma. NIL MOROR ICTUS. Hinc nimirum Belliduces ediscunt, primum magnanimi pectoris, ac felicis victoriæ fundamentum esse, non expectatâ hostis irruptione, eum priore assultu invadere. Vegetius de Belliduce disserens, ait, *Semper autem studere debes, ut prior instruas aciem, quam hostis, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi utile judicas, cùm nullus obstat, deinde & tuis auges confidentiam, & adversariis fiduciam minuis: quia fortiores videntur, qui provocare non dubitant. Inimici autem incipiunt formidare, qui vident contra se acies ordinari. Huic additur maximum commodum, quia tu instructus, paratusq; ordinantem, & trepidum adversarium præoccupas. Pars enim victoriæ est, inimicum turbare antequam dimices.*

Veget l. 3. cap.18.

Innocentia.

361. Erinaceus, virtuosi & tranquilli animi symbolum, dum à canibus infestatur, penitus nihil concutitur, sed potiùs propriâ virtute nixus, in globum convolvitur, & hostium assultus aut insidias securus ridet. Lemma. CURANT, SED IPSE NIHIL. Innocentiæ enim est proprium, semper, etiam inter medios hostes, vivere tranquillè, neque lædi aut superari unquam. S. Joannes Chrysostomus: *Gaude de Innocentia & exulta: gaude inquam; quia ubique illæsa est, ubique secura: si tentaris, proficis; si humiliaris, erigeris; si pugnas, vincis: si occideris, coronaris &c.* In hoc argumentum Poëta.

S.Io. Chrys. in hom.

Integritas, virtusque suo munimine tuta,
Non patet adversæ morsibus invidiæ.

Concordia vincit.

362. Erinaceus, canibus cinctus, sese in orbem constringit, & aculeis, ceu lanceis, in sui tutelam adversus hostes oblatrantes utitur, penitusque redditur impenetrabilis. Unde Bargalii lemma. TEMER NON PVOTE IN SE STESSO RACCOLTO. Id est, NIL PAVET COLLECTUS IN UNUM. Christianorum acies, in charitatis & concordiæ globum collecta, nec ab ipso Tartaro concuti potest S. Greg. Papa, illud sacri Epithalamii interpretatus, *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, ait, *Notum expertis est, quod milites, cùm in procinctu contra hostes vadunt, si strictim & concorditer gradiuntur, ab hostibus contravenientibus timentur, quia dum in eis aditum per scissuram non aspiciunt, qualiter eos penetrent, hæsitantes non inveniunt; illisque impenetrabile hoc munimen efficitur, quod concorditer ordinati seipsis [semetipsos tuentur. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ, dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, necesse est, ut pace charitatis constringatur, quâ salva fit. Si enim pacem tenet, terribilis hostibus apparet; si per discordiã scinditur, undique ab hostibus leviter penetratur.*

S.Greg. in cant.6,v.3.

363. Ericius in globum convolutus, spinis undique riget; nullamque corporis sui partem aut armis destitutam, aut hostium injuriis perviam relinquit, Lemma. UNDIQUE TUTUS. vel ut Academico, inter venatores Venetos Assecurato, placet; UNDEQUAQUE MUNITUS. Hinc disces, non solum cor & caput hominis, sed & oculos, aures, linguam, cæterosque sensus omnes densis virtutum spinis esse muniendos, ne vel unicus illorum minus cautè custoditus hostium irruptioni ad perniciem struendam pateat. Certè, Abbas totus coopertus armis, solum latus inerme reliquerat, unde jaculo accessus patuit; ibique incautus est interfectus. Goliathus totum corpus chalybe obturaverat, solâ exceptâ fronte; quæ tamen ipsa, asserente S Ambrosio, *Patebat ad mortem.* Providè de singulis sensibus, cumprimis verò de auribus monet Siracides; *Sepi aures tuas spinis, & ori tuo facito ostia & seras.* S. P. Augustinus. *Qui accipis verbum sanum in domo disciplinæ, sepi aures tuas spinis, ut ille, qui importunè intrare ausus fuerit, non solùm repellatur, sed etiam compungatur. Repelle illum à te: dic, Christianus sum, Christianus es: non hoc accepimus in domo disciplinæ, non hoc didicimus sub illo magistro, cujus cathedra in cœlo est; noli mihi ista dicere, aut noli ad me accedere.*

Defensio. Sensus munire. *S.Ambr. l. de David.* *Eccl 28. 28* *S.Aug.Tract de DomoDiscipl.c.1.*

564. Ad funebrem pompam Philippi III. Hispaniarum Regis justissimi & clementissimi, Echinum symboli loco statuerunt, qui spinas aliquot ejaculatus epigraphen tulit; RECTE ET PARCE. Innuebant videlicet, severitatem à summo illo Monarchâ nonnisi rarissimè, & urgente necessitate adhibitam fuisse, Providè Seneca de Principe ait, *Illum hortamur, ut manifestè læsus, animum in potestate habeat, & pœnam, si tutò poterit, donet; sin minus temperet.* Ovidius

Severitas. *Senec. l.1 de Clem.c 20.*

Si quoties peccant homines sua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

265. Tametsi Ericius cavernam, quatuor portis, juxta totidem ejus latera, distinctam, habitare soleat; tres tamen ventorum incursibus, semper observatas retinet, solâ illa apertâ, quæ solem & tranquillum illum aërem respicit. Eam ob rem Ericius sub cavernæ ostio depictus, à Comite Bernardino Mandello, Academico inter Intentos Papienses Attento, epigraphen recepit. UNI TANTUM. Innuebat videlicet, se in patriam è publicis aulæ ac militiæ negotiis reversum, omnes suos sensus adversus molestos solicitudinum mundanarum ventos velle claudere, solo illo aditu reserato, qui virtutis & doctrinæ Academicæ lucem recipiendam spectat. Quidam sacræ Scripturæ Interpres hanc iconem dicto illo Evangelico illustrat; *Nemo potest duobus Dominis servire.* Quinimo Deus, Sophoniæ ore, etiam minas adjungit; *Disperdam eos, qui jurant in Domino, & jurant in Melchon*; seu, ut septuaginta vertunt, *Jurant in Domino, & jurant in Rege.* In hunc locum S. Hieronymus *Disperdet*, inquit, *Dominus eos, qui adorant Dominum & Melchon, qui sæculo pariter & Domino putant se posse servire, qui militantes Christo, obligant se negotiis sæcularibus.*

Attendere. Servitus. *Sophon.1.5.* *S.Hier. in hunc loc.*

366. Ericius adversus canum infestationes sese armis, à natura concessis, tuetur. Unde lemma è Virgilio sumptum; DECUS, seu SPES, ET TUTAMEN IN ARMIS.

Virg l. 5. Æneid.

Donat habere viro decus, & tutamen in armis.

Nec abs re arma vocantur militum spes & securitas; siquidem armis destituti, corpora nuda, vulneribus omnibus, & ipsi etiam morti exposita, circumferunt. *Detectis pectoribus & capitibus,* inquit Vegetius, *Congressi contra Gothos milites nostri, multitudine sagittariorum sæpè delitescunt.* Econtra iidem, armis benè

Defensio. *Veget l. 1. cap. 20.*

Veget ibid. benè muniti, majore ardore & securitate confligunt. Unde concludit Vegetius; *Instruendos igitur ac protegendos omni arte pugnandi, & quocunq; genere armorum constat esse tyrones. Necesse est enim, ut dimicandi acriorē sumat audaciam, qui munito capite, vel pectore non timet vulnus.* Quod tamen non de tyronibus solùm, sed & de veteranis, & in militia provectis intelligas velim. Certè bona opera homini Christiano instar armorum sunt, eique splendorem & securitatem tribuunt. Huc collineans Apostolus, *Induamur,* inquit, *arma lucis.* Hunc locum interpretatus Cardinalis Cajetanus, ait, *Opera, luci consona, appellavit arma lucis: quia non solùm sunt opera luci consona, sed sunt arma tum defensiva, tum offensiva hostium, virtute Divinæ gratiæ.*

Opera bona. *Rom 13.12.* *Cajet.in hunc loc.*

367. D. Aresius Echinum, frugibus onustum, hoc lemmate notavit; IMMUTAVIT NATURAIEM USUM Eamque imaginem ad S. Sebastiani honorem hoc sensu est interpretatus; sicuti Ericius aculeos, naturâ suâ ad dolores & vulnera infligenda destinatos, in salubrem gratumque usum convertit, ac frugibus colligendis applicat; ita crudeles sagittas, quibus S. Sebastianus undique transfixus erat, omnem doloris ac offensæ sensum exuisse, summamque ei contulisse fortitudinem ac felicitatem. Opportunè Aponius, *Martyribus,* inquit, *convertuntur amphiteatra in Paradisum; craticulæ & sartagines in mollissimam plumam; flammarum globi in gratissimos flores; liquefactum plumbum in balsamorum unguenta; Ipsa quoque mors, pro Christo suscepta, omni gaudio, omnique jucunditati, & dissecto pretiosissimo lapidi anteponitur.*

Calamitas suavis. *Apon. l.3. in Cant.*

368. Erinaceus epigraphen è Martiali subjunctam habet; CORTICE DEPOSITO, MOLLIS ECHINUS ERIT.

Mart.l.13.

Iste licet digitos testudine pungat acutâ,
Cortice deposito, mollis echinus erit.

Ita nonnulli, dum militaribus armis muniti incedunt, res quasvis maximas videntur audere; at verò illis ablatis, spiritum & generositatem omnem exuunt. Lipsius; *Ars quædam est tractandorum armorum, non professio nominis, nec vultûs aut cultûs immutatio militem statim reddunt.*

Apparentia. *Lips. de milit. Rom. lib. 5. Dialog. 20.*

369. Ericii caverna non quatuor ostiis, ut superius n. 365. è quorundam opinione recensuimus, sed ex aliorum sententia duobus tantùm distinguitur; uno quidem versus plagam Australem, & altero versus Aquilonarem; illo tamen, quo ventus incursat, semper obturato. Unde Caputii lemma. TEMPORI SERVIO. vel, ut alius in tertia persona; TEMPORI PARET. Ita homo prudens, ut meliore quovis modo sibi consulat, diversas temporis & occasionis vicissitudines attendit, suamq; causam pro illarum ratione disponit. Tullius inter cæteras veterū Philosophorum præceptiones etiam hæc recenset; *Vetera præcepta Sapientûm jubent TEMPORI PARERE, & sequi Deum, & se noscere, & nihil nimis.* Idem consilium etiam Pittacus subministrat; dicere solitus, *Nosce tempus.* Et Phocilides.

Prudentia. *Tull. l.3. de finibus.*

Temporibus semper cautus servire memento,
Nec ferri velis adversus flamina venti.

Cic. ad Brut Rursus Cicero; *Tibi nunc populo, & scenæ* (id est tempori) *serviendum est. Nam in te non solùm exercitûs tui, sed omnium civium, ac penè gentium conjecti sunt oculi.* Nec aliter S. Paulus; nam ubi nos legimus, *Spiritu ferventes, Domino servientes,* S. Ambros. vertit, *tempori servientes.* Inter modernos verò prolixè hanc materiam prosequitur Bocchius, maximè in symbolo illo, cui hoc initium,

Rom. 12.11.

Quod tempori & scenæ putes, mi Romule,
Nunc serviendum, maximè

Laudo & probo nec est, quod inconstantiæ
Crimen timendum sit tibi &c.

370. Erinaceus, è meridionalis venti calore nonnihil respiraturus, portam occidentalem aperit; si verò Aquilonis rigores postea hanc plus æquo incursare incipiant, mox præcluso ejus aditu, denuò versus meridiem prospicit. Lucarinus epigraphen subdidit. ALTERUTRI PROVIDET OPPORTUNE. Ad hanc ideam prudens Christianus vitam suam componat: enimverò asserente meo Concanonico, D. Ascanio Martinengo, *Si flat*[9] *prosperitatis exsufflat, edi scas ad septentrionem respirare meditatione tribulationum, judicii, mortis, & inferni; hæc enim suavitatem omnem evanescere faciant: Quòd si procella adversitatis in te insurgit, convertere statim ad Austrum, ad vitæ inquam futuræ perennem tranquillitatem.* Prudent. *Ascan. Martin in Glos. M. fol. 156.*

371. Ericii fœmina, quò tardius fœtum suum enititur, eò magis illius aculei excrescunt, & intra maternum uterum obdurantur; sicque doloribus indies acerbioribus pungitur. Unde lemma. PROCRASTINANDO FORTIOR. Vel, QUO TARDIUS, HOC MAGIS ANGOR. Eorum hæc imago est, qui malorum suorum remedia semper procrastināt. Pierius de Ericii fœmina ait, *Damni alicujus, ob procrastinationem ingruentis, hieroglyphicum est, propterea, quod alvo stimulata, quamdiu potest, partum differt, quo fit ut fœtus magis insolescens, majorem postmodum in pariendo dolorem afferat.* Nisi Mosis progenitores infantem tribus mensib[9] enutrivissent, doloribus domi forisq; postea toleratis, penitus fuissent immunes. Philo eos in hæc verba loquentes introducit; *Debueramus recens natum exponere, per tres menses aluimus, nobis majorem tristitiam parantes &c.* Idipsum peccatoribus evenire amat, qui, quò magis peccata sua ad sacrum tribunal deponere differunt, eò gravioribus malæ conscientiæ aculeis torquentur.

Procrastinatio. *Pier l. 8. à fin.* *Philo lib. 1. Vita Mosi*

372. Erinaceus, frugibus onustus, ad angustum cavernæ suæ ostiolum propinquat, cum lemmate, NIL DEFERET INTRO. Nimirùm homo, divitiis, quantumvis maximis, in hac vita cumulatus, dum tumulum inevitabili lege subire cogetur, omnes illas foris relinquere debebit. Affirmatè Ecclesiastes, *Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, & NIHIL AUFERET SECUM de labore suo.* In hunc locum Campensis; *Ita,* inquit, *nudi eo revertentur, unde prodierunt, nec ulli quidquā eorum hinc secum asportabunt, quæ tantis molestiis acquisierunt,* Et prior illo David, *Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo, & cū multiplicata fueri[illegible]ria domus ejus, quoniam, cùm interierit, non sumet omnia;* Id est, *non sumet ex omnibus, nihil omninò sumet.* His concolor Jobus, *Dives,* inquit, *cùm dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, & nihil inveniet.*

Mundanus moribundus. *Eccl. 5.14.* *Camp. in hunc loc.* *Psal. 48.17.* *Iob. 26.19*

373. Erinaceus, hostium assultu incursitus, nullam tutelā aliundè, nisi à se ipso recipit. Lemma. SE TUTISSIMUS UNO; vel certè, ut ego, verbis è Claudiano sumptis, inscripsi. EXTREMAM NON QUÆRIT OPEM. De Ericeo canit Poëta,

Scipso operari.

Se pharetrâ, sese jaculo, sese utitur arcu.

Homo verè virtuosus, proprio ingenio nixus, advers[9] quasvis hostium injurias arma validissima habet. Porrò justus contra quosvis hostiū incursus solum Deū, quem in pectore suo gerit, instar omnium armorum habet: exteriore mundi ope aut solatio penitus neglecto. Cassianus; *Quid tibi opus sunt arma? ipse enim pro te pugnat, cui nullus resistit; ipse insequitur, quē nullus declinat.* Scitè ad Emblematis mentem Horatius.

Virtus. *Cassian in Psal. 55.*

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna;

Laudo

Laudo manantem: si celeres quatit
Pinnas, resigno quæ dedit, & MEA
VIRTVTE ME INVOLVO, probamque
Pauperiem sine dote quæro.

374. Judicem, in sceleratos sine rancore, odio aut alio peculiari affectu animadvertere solitum, Erinacei Emblemate significabis, qui per terram volutatus, spinis suis obvios serpentes configit & occidit: addito epigrammate, NON LIVORE LIVOR. Quod quatuor flumina intra terrestrem paradisum exorta, totidem virtutes cardinales repræsentent, S. Ambrosius & Philo Hebræus locupleto testimonio tradunt; ajuntque, justitiam peculiari ratione cum Euphrate comparari. Hoc præsupposito, P. Andreas Pintus è Geneseos historia acutè observat, Provincias à reliquis tribus fluminibus aut durâ obsidione constringi, aut hostili impetu incursari. Genesis verba sunt: *Nomen uni Phison, ipse est, qui* circuit *omnem terram Hevilath. Et nomen fluvii secundi Gethon, ipse est, qui* circuit *omnem terram Æthiopiæ. Nomen vero fluminis tertii Tygris, ipse vadit* contra *Assirios.* De Euphrate verò solumodò dicitur, *Fluvius autem quartus ipse est Euphrates.* Undè Andreas Pintus in hæc verba interrogat, *Cur bellum aliquod Euphratis, seu justitiæ, injustis & iniquis illatum non profertur? An non justitia injustitiæ opponitur, dũ destruit iniquos?* Et respondet, *Opponitur quidem, sed non belli odio; destruit, sed non felle dissidii.* Consentaneè Philo, antea citatus; *Justitia, quam nobis refert Euphrates flumen, nec oppugnat quemquam, nec circumvallat, nec habet adversarium. Quare? quia hujus est, suum cuique reddere: & est loco non accusatoris, sed Judicis.*

375. P. Camillus Anticus in Erinaceo Detractorem spectandum exhibet; neuter enim quemquam sine offensa tangit. Lemma. SI TANGIT, PUNGIT. Opportunè S. Valer. *Nihil est sævius, nihil violentius amaris, asperisque sermonibus, quorum vulnera tantò difficilius curantur, quantò facilius proferuntur.* Et Psaltes; *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ*; vel ut Genebrardo *placet, habent verba dentata, & sagittantia: & lingua eorum gladius acutus.*

376. Erinaceus adversus canum injurias è spinarum duritie, quibus toto corpore munitus incedit patrocinium sumit. Unde lemma. ASPERITATE TUTUS. Haud aliter setoso ciliciorum horrore, aliaque corporis castigandi suppellectile, Tartareos canes, damnis nostris unicè intentos, validissimè reprimimus. Meus Concanonicus, D. Ascanius Martinengus opportunè in rem præsentem ait, *Circumcingitur Herinaceus pelle, crebris & acutissimis spinis munitâ: Eremi cultor carnis afflictionibus & incommodis, uti spinis, vitam conseptam ducit. Venator horum dæmon est, cum assiduis tentationum jaculis vulnerare contendit. Studeant igitur Eremitæ, quando tentationum, suggestionumque pravarum lenocinia sentiunt, spinis refertâ pelle concludi, mortificatione inquam, asperitateque vitæ, omni voluptate abdicatâ se concludere, in carnisque mollitiem spinas jejuniorum afflictionumque jacere.*

377. Non cuivis facilè est, Ericium stringere aut tenere; imò plurimâ dexteritate opus est, ut illum spinis undique armatum, inoffensâ manu verseris. Unde D. Didacus Saavedra Emblematis loco Ericium, à loricata manu sustentatum, depinxit; addito Tassi lemmate. COL SENNO, E CON LA MANO. Id est, ARTE, ET VIRIBUS; vel, DEXTERA, ET DEXTERITATE. Ita nimirum, qui benignioris fortunæ particulam apprehenderit, eidem conservãdæ judicium & prudentiam adhibeat, necesse est. Verissimè Q. Curtius; *Facilius est, quædam vincere, quàm tenere.* Et Publius Mimus; *Fortunam magnam citius invenies, quàm retineas.* Optimum proindè Q. Curtii consilium est, *Fortunam tuam pressis manibus tene, lubrica est.*

378. Idem D. Didacus Saavedra galeæ cujusquam fastigio Erinaceum aculeatum imposuit; addito lemmate. DECUS IN ARMIS. vel ipsius Ericii ore, ORNO L'ARME CON L'ARME, Id est, STEMMATA ARMIS EXORNO. Innuebat videlicet, nobilitatis ac familiæ insignibus novum ornamentum è magnanimitate, armisq; victoriosis accrescere. Certè prima toga, primumq; honoris ornamentum, quo Germani filios suos induebant, scutũ, gladius, aliaque arma militaria erant. Cornelius Tacitus; *Scuto, frameâq; juvenem ornant: hæc apud illos togæ, hic primus juventæ honos.* Salomonis pulchritudo ingens incrementum ab armis, è latere pendentibus, recepit; *Accingere gladio super femur tuum, potentissimè: specie tuâ, & puchritudine tuâ intẽde, prosperè procede &c* Ab hoc argumento non multùm alienus S. Joann. Chrys. *Quæ enim utilitas, inquit, ex claris & probis parentibus originem ducere; si tu bonæ vitæ atque virtutum sis expers? Aut, quod damnum fuerit, si parentes & majores tui fuerint ignobiles & obscuri, ipse autem virtutibus floreas?*

379. Erinaceus, frugibus onustus, versus suam cavernam progreditur; cum lemmate. VENTURI PROVIDUS ÆVI. EN nobili hominis industrii ac providi paradigma, illius præsertim, qui plurimos virtutum fructus solicitè in hac vita colligit, ut iis totâ æternitate perfruatur. Eâ planè ratione, tametsi diversâ metaphorâ, hortatur Salomon; *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias ejus: parat in æstate cibum sibi, & congregat messe quod comedat.* In hunc locum pulchrè S. P. Aug. *Recondè æstate, ne esurias in hyeme. Hyems est dies novissimus, dies tribulationis, hyems est dies scandalorum, & amaritudinis. Collige quod ibi tibi sit imposterum. si autem non facis, simul imprudens & insipiens peribis.*

380. S. Thomas Villanovanus omnes Valentini Archiepiscopatûs sui proventus in egenos erogavit. Unde illius honori Erinaceum depinxère, qui poma, sub arbore collecta, ad cavernam defert; cum lemmate, ALIENAM PASTURA FAMEM. Sancti illius honorem erudito calamo prosequitur P. Joannes Rhò, eique etiam Cardinalem Stanislaum Hosium, S. Carolum Borromæum, aliosque charitatis & eleemosynæ distribuendæ studiosos accenset. Nam, quod Magnus Aug. ait, *Illi dant pretium redemptionis animæ suæ, qui non cessant eleemosynas facere.*

981 Ericius, à capite ad calcem aculeis munitus, integram panopliam secũ videtur circumferre. Unde inscriptionem, ex Horatio mutuatam, subjunges; NON EGET JACULIS. Homo ferox, iracundus, & in agendo præceps, non expectatis malorum consiliariorum suggestionibus, se ipso, sine aliorum impulsu, pungere, vulnerare, occidere, & sanguinariæ vindictæ tyrannidem passim exercere solet. Hoc furore agitabantur Simon & Levi adversus Sichimitas; Theodosius Imperator adversus Thessalonicenses; Narsetes Eunuchus adversus Græcorum Imperatorem &c. Eodem Emblemate significatur, hominẽ, ciliciis, flagellis, aliisque mortificationum generibus deditum, non habere ullis mundi aut vindictæ armis opus, quibus dæmonum tentationes, aut hostiũ calumnias reprimat: semper enim *Vir patiens, etiã cum vinci videbitur, loquetur victorias.* Scivit virtutis hujus adversus hostes omnes necessitatẽ S. Franciscus Borgia; unde eum dicere solitum accepimus; *Unum illum diẽ futurũ sibi fuisse sine ulla dubitatione amarissimũ, quem sine aliqua corporis afflictatione meminisset exactum:* addiditque, inconsolabilem similiter futurum

Margin notes: Index. — Ambr. in Hexamer. Philo lib. 1. Allegor. — Gen. 2. 11. — And. Pint. in hunc loc. — Philo l. c. — Detractor — Valer. hom. de oris indecentia. — Psal. 56. 5. — Mortificatio. — D. Ascan. Marti. Gl. ss. maj. r fol. 35. — Fortuna. — Cõservare — Q. Curtius. — Proprius valor. — C. Tacit. de mor. Germ. — Ps. 44. 4. — S. Io. Chrys. hom. 2. in Genes. — Providentia. — Prov. 6. 6. — S. Aug. in Psal. 48. — Eleemosynarius. — S. Aug. in Psal. 48. Conc. 1. — Horat. lib. 1. Ode 22. — Iracundus impetuosus. — Mortificatio. — L. 4. c. 5. Vitæ.

sibi dolorem lucis illius fuisse, quâ scivisset; ex hujus vitæ statione sibi excedendum, non præmissâ insigni prius aliquâ corporis diverberatione.

382. Ericius, necessitate hostium imminentium compulsus, aliquot spinas in corpore suo ejaculatur; priusquam verò armis illis, è proprio dorso evulsis, alium feriat, ipsemet gravissimos ab evulsâ spina dolores experiri cogitur. Unde Gamberti lemma. ME PRIUS CRUCIAT; vel, ut ego inscripsi; TORQUETUR, DUM SPICULA TORQUET. Genuina hæc clementis principis idea est, qui supplicia adversùs sceleratos nō sine gravi suo dolore decernit S. Th. de Villanova, Archiepisc. Valentinus, cum personas quasdam Ecclesiasticas, ob gravia delicta, carcere, aliisque pœnis castigare cogeretur, *Lachrymis haud quāquam temperabat; nam ferro in amica corpora sine animi sui dolore medici non utuntur.* E Senecæ sententia, *Constituit bonos mores civitati Princeps, & vitia ejus facilè compescit, si patiens eorum est, non tanquam probet, sed tanquam invitus; & cum magno tormento ad castigandum veniat.*

Princeps clemens.

Io. Rhò de Var. virt. hist. l. 7. c. 7. n. 13.

Senec. l. 1. de Clem. c. 22.

383. Manifestum imprudentiæ argumentum est; personas, ingenio & calamo acutas, canino dente lacessere, sentiet enim lingua illa temeraria sese paulò post vulneribus ac sanguine miserrimè perfusam. Nam magni ingenii homo, instar Ericii, nunquam non armis in sui patrocinium abundat. Symboli loco Erinaceo inscribes. MORDENTES SAUCIABUNTUR. Providè monet Scriptura; *Noli diligere detrahere, ne eradiceris.* In hunc locum S. Hieron. *Magis tuam vitam ornare disce, quàm alienam carpere: ac semper memor esto scripturæ dicentis; noli diligere detrahere, ne eradiceris.* Horatius Poëtam maledicum hâc satyrâ exagitat.

Maledicus offensus.

S. Hieron ad Celantiam

Horat Epodon Ode 6. in Cassium Sever Poetam maledicum.

Quid huc inaneis, si potes, vertis minas:
Et me remorsurum petis?
Cave: cave: namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua
An, si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

394. Echinus cubile duabus fenestris instructum habet; una versus Austrum, & alterâ versus Aquilonē. Unde quaquaversum imminentes explorat ventos; eaque parte fenestram obturat, quâ illos incursaturos putat: sicq; adversus quosvis ventorum impetus semper tranquillus vivit. Lemma. SUMMA QUIES SEMPER. Ita vir probus duas in corde fenestras fabricatur; unam versus terram, alteram versus cœlum, si à terra oppugnetur, aperit fenestram, quæ cœlum respicit, & indè pacem ac quietem suam desumit; rursum si è cœlo ingruant calamitatum venti, terram resp icit, cogitatque se, creaturarum abjectissimam, quibusvis injuriis & ærumnis pro meritis infestari. Præclarè dictum à Sapiente, *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Novit nimirùm cùm S. Leone, quod, *Christiana paupertas dives est, quia plus est quod habet, quàm quod non habet: nec pavet in isto mundo indigentiâ laborare, cui donatum, in omnium rerum domino omnia possidere.* Temporalium jactura justum non perturbat, quia Deum & cœlum auferre nequit. Generosè & Christianè Alphonsus Aragoniæ ac Siciliæ Rex, fœdus cum Principibus Christianis contra Turcas initurus, *Si vincemus,* ajebat, *terram: si vincemur, cœlum habebimus:* uti de ipso refert Ludovicus Mart. Siculus.

Calamitates.

Prov. 12. 21.

S. Leo ser. 4. de Quadrag.

Mart. Sicul. de Mirab. Hisp. lib. 11.

385. Erinaceus, tametsi integrâ spinarum sylvâ instructus, eas tamen temerè aut inconsideratè in alios vibrare non solet. Unde lemma, CONTENTA MINARI. Verbis è Claudiano sumptis.

Claud. de Istrice.

--- *Iraque nunquam*
Prodigia telorum: cautè contenta minari.

Ita clementia verè regia minitando potiùs, quàm feriendo subditos suos in officio continet. Nam ut benè Seneca, *Nulla Regi gloria est ex sæva animadversione. Quis enim dubitat posse, at contra maxima, si vim suam continet, si multos iræ alienæ eripuit, neminem sic impendit.*

Princeps clemens.

Senec. lib. de Clem. c.

386. Erinaceus spinas nonnisi in sui defensionem ejaculatur. Lemma; SUA MEMBRA TUETUR. Ita Rex justus arma sua nonnisi provinciæ aut regni tuendi causâ adversus hostium irruptiones sumit. Sanctus P. Augustinus; *Justa bella solent diffiniri, quæ ulciscuntur injurias, si gens vel civitas plectenda est, quæ vel judicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum est.* Nam, ut alibi ait S. Doctor, *Non quæritur pax, ut bellum exerceatur; sed bellum geritur, ut pax acquiratur.*

Bellum.

S. Aug in l q super Ios q. 10.

Idem ep. 2[illegible]

387. Bartholomæus de Rubeis Ericium exhibet; qui à canibus exagitatus, morsusque epigraphen præfert. LÆDENTEM LÆDIT ILLÆSUS. Ita vir fortis & patiens, invidorum calumniis appetitus non sine gravi lædentium offensâ; illæsus persistit. Compendio Magnus Augustinus; *Invidus ut alterum lædat, sibi prior tormento est.*

Invidus.

S. Aug l. ev. Secund. c. 1

FELIS.

Cap. XXII.

388. Catus, murem ore sustinens, à D. Aresio epigraphen accepit. PARIA CUM FECERIT. Judicem vitiosum hæc imago designat, qui, cato persimilis, aliorum furta acri censurâ perstringit ac castigat, plurimorum ipse, longèque graviorum reus. Valerius Max. *Quæsitum erat à Socrate, cur rideret: respondens ait; video magnos latrones ducentes parvum latronem ad suspendium, qui digniores sunt suspendio. Sacrilegia,* inquit, *minuta puniuntur, sed magna in triumphis feruntur.* Tamberlanus, Tartarorum Rex, alienas provincias assiduis & enormibus rapinis invadere solitus, in furta quævis minutissima, ab exercitu suo patrata, severissimè animadvertit. Unde S. Vincentius Ferrerius hortatur, *Si suspendetur, vel condemnabitur latro &c. bonus judex ei compatiatur, dicendo; Et ego miser, qui ex rapina, vel usura, vel ex furto secreto, vel ex retentione salarii servorum, vel decimarum, vel ex mortuis malè emendo vel vendendo tanta furatus sum, fortassis magis merui mortem. O Domine! magnus latro condemnat minorem.*

Judex vitiosus.

Val. Max l.

S. Vinc. Ferr serm. 1. Dom. 10. post. Tri

389. Cato & cani, simul colludentibus, D. Alexander de Cuppis epigraphen subdidit. QUOD SIMUL CREVERINT. Innuit videlicet, educationis eas esse vires, ut animos, ingenio & naturâ dissimilimos, componere, & mutuam consuetudinem inter eos conciliare possit.

Educatio.

Virgil l. 2. Georg.

Adeò à teneris assuescere multùm est,
Inquit Virgilius; cui assentitur Ovidius;
Assimilemque sui longâ assuetudine fecit.

Ovid Eleg. 5 lib. 1 Trist.

Et S. Maximus; *Benè consuetos pudebit dissuescere, & quod in juvētute addiscitur, in maturâ ætate servatur*

S. Max serm de S. Io Bapt

390. Catus excrementa sua cooperire solitus, lemmatis vice hoc unum participium præfert. TEGENDUM. Hinc discas, defectus, sive proprios, sive alienos, non esse temerè divulgandos, sed potiùs modesto comprimendos silentio. Deus proprio suo

Abscondere.

suo exemplo id testatus, postquam homini scelerato singulas suas noxas exprobravit, subjunxit; *Hæc fecisti, & tacui.* In hunc locum S. Petrus Damianus; *Nunquid*, ait, *alicui ministrorum suorum, qui vindices sunt iræ ejus in hoc ipsum constituti, revelavit ignominiam tuam? Ecce videt, & tacet: videt, nec manifestat; videt, nec vindicat; videt, & videre dissimulat.* Cautam hanc in occultandis proximi nostri vitiis diligentiam ex Evangelico illo Samaritano perspicuè discere licet, qui miserum quemdam spoliatum, concisum, ac proprio madentem sanguine conspicatus amore ac prudentiâ plenus, *appropians, obligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum:* ubi observes velim, tametsi primùm vulnera vino perfundere, postea oleo delinire, ac tum demum fasciis obligare debuisset; illum nihilominus ab obligando initium facere voluisse, haud dubiè significaturus, eam in sceleratorum consuetudine primariam adhibendam esse diligentiam; ut, quantùm licet, eorum vitia obtegantur, ac coram exterorum oculis serventur quàm maximè abscondita. Haud aliter Lex Mosaica leproso, genuino hominis flagitiosi typo, in mandatis dedit, ut portaret *os veste contectum*; eoque indicabat, ipsius delictum nequaquam propalandum, sed silentii velo studiosè occultandum esse. Unde, Origine interprete, *Habebit os veste contectum, ne fœtorem peccati loquendo diffundat.*

Psal. 49. 21.

S. Pet. Dam. Ser. 56 de S. Martino.

Delictus occultare.

Luc. 10. 34.

Levit. 13. 45.

Orig. in hunc loc.

391. Fuit, qui felem, caveæ inclusam, depingeret, muribus circum illam, non sine hostis captivæ probro ac irritamento, tripudiantibus; addito lemmate. CAPTIVAM IMPUNE LACESSUNT. Idipsum mala conscientia experitur, quæ peccatorum vinculis clausa, passim à rebus vilissimis terretur, & à propriis noxis arroditur, misereque habetur ostentui. *Conscientia rei semper in pœna est*, inquit S. Isidorus, *Nunquam securus est reus animus: mens enim mala conscientiæ propriis agitatur stimulis.* Porrò ingloriû vulgus nonnunquam militem, in aperto campo omnibus formidandum, dum invidente fortunâ evadit captivus, miseris ac indignis modis lacessit. Hanc calamitatem expertus est ille Philistæorum terror, Samson; cùm enim libertate etiamnum gauderet, omnium animos suo robore perculit: at postea per insidias traditus ac ligatus, nemini non extitit irrisui. Hector quoque dum vixit, terrore Græcos coërcuit; at Achillis dexterâ interemptum, & exanimem, pleno ac crudeli impetu minutim dilacerandum incursârunt. Unde Alcit.

Conscientia mala.

Isid. lib. 2. Soliloq.

Illudere.

Alciat. Emblem. 154.

--- — *Sic cassi luce Leonis*
Convellunt barbam vel timidi lepores.

392. Prædonem, in viatores ex improviso è spelunca prosilire solitum, Catus repræsentat; qui, dum insidias struit, quietus ac tacitus persistit; at murem, vix extra foraminis limina incautè proreptantem, conspicatus, mox concitato cursu miserum obruit & occidit. Lemma. EXILIT, ET OPPRIMIT. In hanc rem Radulphus Monachus opportunè de Milvo ait; *Quum rapere voluerit, improvisus adest, & ferè in omni rapina sua maximè insidiis utitur; sunt in prædonibus multi similes, qui, ubi viribus non fidunt, incautis insidiantur.*

Prædones.

Radulph. Hom. cap. 11. in Luc.

363. Catus, fœminæ lascivæ symbolum, diu quidem, multumque cum muribus jocari solet; sed tamen eos demum ita fatigat ac comprimit, ut se vix amplius movere possint. Lemma. CUM LUDIT LÆDIT. Unde S. P. August. *Nihil esse sentio, quod magis ex arte dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminæ &c.* Experto id credes Samsoni, quando cum Dalilâ suâ effusè jocabundus, paulò post libertatis, oculorum, & ipsius adeò vitæ jacturam incurrit. De Hero suo quidam servus Comædus querebatur,

Meretrix.

S. Aug. lib. 8. Soliloq.

Meretrix meum Herum miserum suâ blanditiâ intulit in
Pauperiem, privavit bonis, luce, honore, atq; amicis.

In Tertul. de cultu.

394. Catus, interceptum murem dilanians, à D. Joanne Bapt. Mazzolleno epigraphen recepit; NOXIUS NOXIIS. Bonus Judex, nonnisi sceleratis formidandus, nemini aliàs quidquam nocumenti affert. S. Pauli doctrina est; *Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* Optimè Seneca; *Judex damnatur, cum nocens absolvitur.*

Judex.

Rom. 13. 3.

Senec. in Pro verb.

395. Lucretius Borsatus cato, murem devoranti, inscripsit; CUM ILLO LICET LUSERIT. Perfidi ac scelerati hominis hæc idea est, cui mores adeò sunt depravati, ut eos ipsos, quos paulò ante solatii ac voluptatis suæ sodales habuit, opprimere, ac injuriis lacerare non vereatur. Dalila cum Samsone lascivè jocata, paulò post eundem prodidit, & ad extremam perniciem præcipitavit. Ad hanc ideam omnes mundi voluptates indiscriminatim conformatæ, dum blandiuntur, occidunt. Seneca. *Voluptates præcipuè exturba, & invisissimas habe. In hoc nos amplectuntur, ut strangulent.*

Traditor.

Iudic. 16.

Voluptates terrenæ.

Senec. Ep. 51.

396. E Claudii Paradini sententiâ, feli hæc inscriptio convenit. CARCERIS IMPATIENS. Enimverò catus ægerrimè tolerat, si obserato cubili includatur. Unde veteres Alani, Burgundiones, ac Suevi, Methodio teste, catum, in vexillis militaribus depictum, præferebant; *Libertatis appetentiam connotantes*, ut idem Paradinus loquitur. Christianus quivis terreni hujus carceris sit impatiens, illamque æternam cæli libertatem appetat, monente Magno Augustino; *Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat.*

Libertas.

Method.

S. Aug. de vera Relig. cap. 48.

397. Catus, cùm exactæ ac rigorosæ justitiæ, tum barbaræ tyrannidis symbolum, minores catellos, tametsi suæ sint speciei, devorare solet. Unde Borsatus inscripsit; ET PROPRIOS. Ita Manli. Torquatus proprium suum filium, quod contra parentis imperiû cum hoste dimicârit, occidi jussit. Medæa quoq; proprios filios jugulavit. His affinis Herodes, Antipatrum, Aristobulum, & Alexandrum, lectissimos suos filios, nefando scelere interemit. Porrò Prælatus malus subditos, sibi concreditos, exemplo suo miserè occidit. Hugo de S. Victore, *Prælati negligentes rectos & fortes occidunt: revocant verbis, occidunt exemplis.*

Tyrannus

Parricida.

Hug. de 12. Abusion. claust.

398. Catus, ad foramen muribus invigilans, epigraphen tenet. UT CAPIAT, VIGILAT. Idipsum dæmon aut seductor assolent; qui nullis vigiliis & laboribus parcunt, ut miseram hominis animam unguibus suis diripiant. S. P. Aug. providè monet; *Qui vult ad æternam vitam pervenire, contra omnes diaboli laqueos debet fortiter vigilare: non enim qualis est ista vita, talis invenietur & illa.*

Dæmon.

S. Aug. lib. cont. Iudæos cap. 20.

GLIS.

Caput XXIII.

399. ACademicus, inter Nocturnos Bononienses somnolentus, symboli loco Glirem dormientem præfert; cum lemmate. IN LONGAM DIEM; Hæc imago, naturâ suâ otiositatem, ignaviam, & torporem significans, in sensu tropologico animam, scelerum lethargo

Otium.

Peccator consuetudinem induens. thargo sepultam, innuit. Huic autem vellens S. Paulus, altum inclamat; *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis.* In hunc locum S. Ambrosius; *Perfidi & vitiosi, demersi in cœnum sub desperatione vitæ, ut resurgant sive emergant, admonentur.* Rursus idem Apostolus vociferatur; *Hora est jam nos de somno surgere;* Id est, interprete S. Anselmo, *Surgendum est à somno desidiæ, ut mente vigilemus, & bonis operibus occupemur. In vitiis nostris requiescebamus torpentes & veluti quodam sopore detenti: sed nunc scire debemus, quia hora est, ut jam ab illo somno mentis surgamus.* Cæterùm etiam defuncti dormiunt *in longam diem*; quippè quorum somnus cum cœlorum revolutione durabit; suosque oculos tum demum aperient, quando *Dominus ipse in jussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent.*

Ephes. 5.14. S. Ambr. in hunc loc. Rom. 13.11. S. Anselm. in hunc loc. Mortui. 2. Thessal. 4. 15.

400. Glires filiorum erga parentes pietatem & gratitudinem referunt; dum iis egestate, morbo, aut senectute pressis, ultrò ac liberaliter succurrunt, vitæque sustentandæ necessaria provident. Plinio teste; *Genitores suos, fessos senectâ, alunt insigni pietate.* Unde Carducii lemma. ÆGRIS GENITORIBUS ESCAM. Hanc pietatem ex integro assecutus David, cùm à Saule fugam arripere cogeretur, pauperes suos parentes Moabitarum Regi commendavit. Tobias decrepito & exoculato patri medicamentum & salutem propriâ manu providit. Christus, cruci affixus, & inter dolorum acervos jamjam exanimis, etiamnum dulcissimæ Matris suæ meminit, eamque Joanni, charissimo discipulo suo, protegendam tradidit. Seneca; *Quid eo adolescente præclarius, qui sibi ipsi dicere poterit; Patrem meum beneficiis vici? Quid eo fortunacius sene, qui omnibus ubique prædicabit, à filio suo se beneficiis victum?*

Plin. l. 8. c. 57. Filiorum gratitudo erga parentes. 1. Reg. 22. Tob. 11. Joan. 19. 26. Senec. lib. 3. de Benef. c. 38.

401. Mirâ adeò horum animalium est indoles; ut glires domesticos, & in eadem regione natos omnes, ingenti benevolentiâ prosequantur; exteros verò fatali infestent odio, & occidant; uti Plinius, superiore numero adductus, testatur. Adeòque Glis opportunè cognominari potest, EFFERUS EXTRANEIS. Judices quosdam injustos, ac privatis affectibus regi solitos, hæc imago spectat; sunt enim, qui adversus alienigenas nimium exacerbati, conterraneis suis omnia connivent. Huic classi jure accenseas Davidem, qui audito infami ac violento Ammonis, filii sui, cum sorore Thamare, incestu, nec verbulo tantum scelus ulcisci parabat, sed tacitâ indulgentiâ id præteribat. *Et noluit contristari spiritum Ammon filii sui, quoniam diligebat eum.* At ubi exterus quidam de ovicula, furtim sublatâ, ad suum tribunal delatus fuerat, mox excanduit; *Iratus indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan; vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* Pulchrè Beda. *Statera dolosa non tantum in mensuratione pecuniæ, sed in judiciaria discretione tenetur. Qui enim aliter causam pauperis, aliter potentis, aliter sodalis, aliter audit ignoti, staterâ utique librat iniquâ.*

Plin. loc. cit. Judex injustus. 2. Reg. 13. 21. 2. Reg. 12. 5. Beda lib. 2. in illud Prov. statera dolosa.

402. Glis, rigente hyeme totâ, altum dormire solet; at verè denuò ridente, & floribus undique conspersо, rursum expergiscitur; ac pristinum vigorem induit. Unde Carducii lemma. VER VIGILEM, BRUMA SOPITUM. Nativus hic falsi amici color est, qui fortunâ blandiente propinquat; ingruente verò calamitatum glacie, pedem refert, omnemque amicitiam, dormitanti simillimus, altâ oblivione sepelit. Verissimè Siracides; *Sodalis amico conjucundatur in oblectationibus, & in tempore tribulationis adversarius erit.* S. P. Aug. *Quando amicus pauper est, non ei frangenda est fides, permanendum cum illo est, nec mutanda amicitia facultate mutatâ, sed servanda fides voluntate firmata.*

Animus falsus. Ecclesiast. 37. 5. S. Aug. ser. 11. ex addit. Sirmond.

HYÆNA.

Caput XXIV.

403. Ajunt; Venatorem, si hyænam brachio ac latere dextero contingat, immodicum stuporem contrahere, totumque reddi attonitum; contrà verò si latere sinistro eam aggrediatur, felici eventu belluam succumbere & occidi. Unde Ferri lemma. NON QUAVIS PARTE NOXIA. Morbus, egestas, ac persecutio è corporis humani parte damna satis gravia & acerba pariunt; alteram verò animæ mirificè promovent, magnisque augent incrementis. Optimè S. Ambrosius; *Pressuris, plagis, fame, siti, frigore, nuditate, caro corrumpitur, sed anima renovatur.* In hanc rem adduci potest id, quod de alia materia canit Poëta;

Calamita. S. Ambros.

Sono come il coltel, che se t' ul prendi
In quella parte, ove per uso humano
La man s' addatta, a chi l'adopra e buono:
Ma ch' il prende ove fere, e spesso morte:

404. Hyænam, mortuorum cadavera è sepulchris effodere ac dilaniare solitam, Scipio Ammiratus, lemmatis vice, hoc hemistichio notavit; JAM PARCE SEPULTO. Eodem improperio temerarias detractorum linguas à mortuorum famâ impiè lacerandâ, eorumque quiete interturbandâ, dehorteris. S. Gregorius Nazianzenus;

Detracto. S. Greg. Naz. lib. 3. Sent.

Parce peregrinis; sed manibus, æthere cassis,
Hic qui liquerunt omnia, parce magis.

Hæque non Sanctorum Patrum tantùm, sed & Philosophorum de non turbanda mortuorum quiete præceptio est. Seneca, huic Emblemati subscriptionem suppeditans, canit;

Senec. Epigr. 2. ad Corsicam.

Parce relegatis, hoc est, jam parce sepultis,
Vivorum cineri sit tua terra levis.

Et rursus reverentiam erga defunctos sequenti poëmate conatur persuadere.

Idem Epigr.

Quisquis es, & nomen dicam? Dolor omnia cogit,
Qui nostrum cinerem nunc, inimice, premis:
Et non contentus tantis, subitisque ruinis
Stringis in extinctum tela cruenta caput.
Crede mihi, vires aliquas natura sepulchris
Attribuit; tumulos vindicat umbra suos.
Ipsos crede Deos hoc nunc tibi dicere, Livor,
Hoc tibi nunc manes dicere crede meos.
Res est sacra miser. Noli mea tangere fata,
Sacrilegæ bustis abstinuere manus.

405. Eidem Emblemati, Hyænæ nimirum, cadavera è tumulis effodienti, subscripsit D. Aresius; QUASI THESAURM EFFODIENS. S. Hieronymi laudem hæc imago loquebatur, cujus supremum ac penè unicum erat studium, è mortuis, id est, è litteratorum libris, reconditos sapientiæ thesauros eruere; Jobo epigraphen subministrante, *Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cùm invenerint sepulchrum.* Et rursus; *Trahitur autem sapientia de occultis.* Huic argumento assentiens S. Joannes Chrysostomus; *Meritò, inquit, thesauro confertur Divinarum litterarum lectio. Nam in sacra Scriptura indicibiles divitias invenire licet.*

S. Hieronymus. Studiosus. Job. 3. 21. Job. 28. 18. S. Jo. Chrys. Hom. 3. in Gen.

406. Mi-

406. Mirum est, quod de Hyænâ testatur Plinius; nimirùm voces humanas articulatè ab ea proferri; simulque tantæ astutiæ esse, ut incolarum nomina addiscens, eos extra domos evocet, ac devoret. Plinii verba ita habeto; *Sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenque alicujus addiscere, quem evocatum foras, laceret.* Unde lemma. LA VOCE HA' D' HUOMO, E L'OPERE DA FIERA. Id est; *Humanas simulans voces, ut bellua sævit;* Ad hanc ideam conformati Usurarii, Procuratores, ac Tyranni, sermones edunt, humanitate ac benevolentiâ plenissimos; operatione verò belluarum crudelitatem inexplibilem aut superant, aut imitantur. Verissimè Petrus Bercorius; *Hyæna est usurarius, caussidicus, vel princeps raptor, ipsi se fingunt habere vocem hominis, id est vocam pium & humanam; sed verè hoc non faciunt, nisi ut simplices possint attrahere, comedere & devorare.* Idipsum de muliere lasciva dixeris, Chrysostomo asserente; *Ego quidem existimo*, inquit, *nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri malæ.*

...a lib. 8. ...p. 30.

...furarius. ...rocurator. ...yrannus.

...et. Bercor. ...educt. l. 10 ...50. n. 3.

...ulier ...sciva.

...Chrysost. ...r de S. Ioan ...apt. decoll.

407. Hyænæ pelle accinctus, medios hostes illæsus penetrare fertur. Lemma. HOC TEGMINE TUTUS. Ita humilitatis, aut patientiæ exuviis indutus, neminem timet adversarium, totasque hostium phalanges innoxius penetrat. S. P. Augustinus; *Contra vim dæmonum patientiâ pugnatur, contra insidias prudentiâ; ut ad perniciosam consensionem nec cogendo nos flectant, nec fallendo decipiant.* Et rursus; *In humilitate est fortitudo, nolite timere superbos. Humiles tanquam petra sunt; Petra deorsum videtur, sed solida est. Superbi quid? quasi fumus, & si alti sunt evanescunt.*

...atientia. ...umilitas.

...Aug cont. ...esundinum ...ap. 10.

...dem in ...sal. 92.

ICTIS.

Cap. XXV.

408. ICtis, serpentum inimica, ingenti ardore cum iis dimicare solet: priusquam tamen eos aggrediatur, rutam, antidoti loco, manducat. Unde, serpente è regione collocato, rutam ore sustinet, cum lemmate. CAUTIUS PUGNAT. Vel certè, UT PUGNET. Prudentiam militarem inde discere licet, quæ nonnisi armis ac viribus probè munita, manus conserit, dubiumque Martem tentat. Idipsum innuens Magnus Dux Franciscus Mediceus, symboli loco Ictidem figuravit; cum inscriptione, AMAT VICTORIA CURAM. Onosandri præceptio est; *Bellorum initia validissimè statuenda, & stabilienda esse: Ut autem optimus Gubernator, priusquam solvat è portu, navem omnibus armamentis instruere solet: ita etiam providus Imperator, quæcunque usui sibi fore putabit, præparet diligenter, &c.* D. Alvarus de Bazzano, Architalassus præstantissimus, dicere solebat, diligentiam secundioris fortunæ matrem esse. Quare priusquam ad expeditionem aliquam classicam accingeretur, opportuno ordine omnia disponebat, & singulas naves, num debitâ annonæ quantitate, panibus, aquâ, oleo, nitrato pulvere, glandibus, nautis, militibus, cæterisque necessariis ex æquo instructæ essent, præsens arbitrabatur. Unde contigit, illius classem, industriâ adeò providâ in hostes emissam, nunquam non rediisse victricem; uti refert Joannes Boterus.

Providentia.

Onos. in strateg. c. 4.

Io. Boter. Dict. Memor. p. 1. f. 60.

409. Ictis, rutam ore sustinens, epigraphen habet; PRÆGUSTAT, ET PUGNAT. Illius hæc imago est, qui malum imminens sedulò prævertere conatur: opportunè nimirùm ad illud Senecæ pronunciatum attendens.

Diligentia.

Serum est cavendi tempus in mediis malis.

Sen. Thyest.

Ita extremum cum morte luctaturi, Eucharistiæ cibo, veluti præsentissimo adversus quævis pericula antidoto, muniantur. S. Cyprianus, de SS. Martyribus disserens, ait, *Quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus.* Et S. Hieronymus. *Hæc mensa est nervus nostræ salutis, mentis vinculum, fiduciæ fundamentum, spes, salus, lux, vita.*

SS. Eucharistia.

S. Cypr. Epist. 54.

S. Hier Hom. 24 in Epist 1. ad Corinth.

410. Henricus Eburo symboli vice Ictidem exprimit, quæ bufones ac serpentes debellatura, rutam, oris amaricandi causâ, comedere solet: addito lemmate. EX AMARIS VICTORIA. Innuit videlicet, virtuis studium cumprimis debere calamitatum amaritie instructum esse; veluti quâ gustatâ, celeberrimas victorias ab hoste, sive terreno sive infernali referimus. Tertullianus, de Christo disserens, ait, *Favos post fella gustavit, nec ante Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm Rex Judæorum proscriptus in crucem.*

Calamitas.

Tertull lib. de Corona milit. cap. 14.

411. Ictis, tametsi bufone callidior, frequenter tamen in illius fauces, infelix præda, delabitur. Lemma. CALLIDIOR ERAT. Ita non rarò contingit, homines ingenio superiores, magisque astutos ab imprudentioribus circumveniri. Salomon, sapientiæ prodigium, in Idumææ mulierculæ sinum præceps corruit. Idipsum Æsopi apologus innuit, ubi vulpem, ab animalibus vafritie & malitiâ longè inferioribus, superatam introducit. Multis deplorat Magnus Augustinus illorum ruinam, qui veluti sanctimoniæ giganthes, jamjam cœlum contigisse videri poterant, & tamen ab unius mulierculæ insidiis horrendum fuère præcipitati. *Cedros Libani*, inquit, *Duces gregum sub hac peste cecidisse reperi: de quorum casu non magis suspicabar, quàm Ambrosii vel Hieronymi impudicâ turpitudine.*

Astutia.

Mulier lasciva.

S. Aug. de cohabit Cleric. & Mulierum.

412. Ictis murem, etiam dum salutis quærendæ causâ intra foramen profugit, persequitur; cum lemmate. PERSEQUAR INTRO. Synteresin, seu conscientiæ remorsum hæc imago describit, quæ etiam abditissimos cordis nostri recessus penetrat, nullâ unquam pace aut tranquillitate concessâ. S. Joannes Chrysostomus; *Invidi, Avari, & raptores, bellum undequaque circumferentes, & intus sedentes inimicos habentes, quocunque recesserint, pugnam non possunt effugere.* De Tiberio, omnium penè vitiorum mancipio, ait Cornelius Tacitus; *Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse pœnas fateretur.*

Conscientiæ remorsus.

S. Io. Chrysost.

C. Tacit. lib. 6. Annal.

413. Aliquot Scriptorum testimonio firmatum est, Ictidem suos fœtus per aurium foramina concipere. Unde Mariam Virginem, ab Angelo salutatam, Ictidis Emblemate repræsentârunt; cum dicto. CONCIPIT AURE. Richardus à S. Laurentio; *Per fidem concepit, unde & per aurem dicitur concepisse, id est, per fidem dictorum, quia fides ex auditu.* Præclarè S. Ambrosius; *Verbum Dei vivum & efficax, per aurem penetrat ad viscera sine læsione: & homine assumpto, Verbum inter homines nascitur sine sui diminutione, & Maria Virgo generat sine corruptione. Venit Christus de cœlo, aure concipitur, & talis Maria remansit postquam peperit, qualis fuit, antequam Verbum AURE CONCEPIT, & utero gestavit.*

Annunciatio M. V.

Rich. à S. Laur. lib. 1. de laud. Virg cap. 3.

S. Amb in cap. 30. Proverb.

* * *

LEO.

LEO.

Caput XXVI.

414. CHristus, Lazarum defunctum ingenti clamore, ac sonoro fremitu ad vitam revocans, Leonis Emblemate à Scipione Bargalio repræsentatur, qui suos catulos, profundo somno sepultos, solo vocis rugitu excitare solet. Lemma. VIVIFICAT RUGITUS. Vel; EXCITAT RUGITUS. Vel ipsius Leonis ore; UT EXCITEM. Ita correctio vehementior ignavos excitat, & ex otii veterno ad viva virtutum exercitia revocat. Sanctus Antonius de Padua; *Leo rugitu suo fœtum mortuum suscitat, id est, ad vitam excitat; sic Prælatus mortuos per pravitatem, vel negligentiam, vel injustitiam, exhortatione suâ, & oratione vivificat.*

Correctio vehemens

S. Ant. de Pad. ser. 3. de Evangelistis

415. Leo, versus dormitantes catulos suos altum irrugiens, à Francisco Raulino epigraphen accepit. EXCITAT NON DISCERPIT. Ducis Odoardi Farnesii benignitatem hæc imago innuebat, qui subditos filiorum loco habere solitus, si quemdam vitiorum lethargo sepultum adverteret, ejusdem excitandi gratiâ, solo vocis suæ sono ac minis, non verò suppliciorum rigore uti consuevit. Certè Deus, intonante leoninâ Jonæ voce, Ninivitas è scelerum veterno revocavit, nullâ penitùs sanguineâ strage adversus illos usurpatâ. Verissimè Magnus Augustinus; *Sicut est plerumque crudelis fallax adulatio, ita semper misericors est justa correptio.* Eidem Emblemati epigraphen subjungens D. Salvator CARDUCIUS, NON TUMULAT, STIMULAT; mentem suam hoc disticho aperit.

Correctio benigna.

S. Aug. lib. 2. Cont. Petil. c. 67.

Non tumulat, stimulat, segnes leo verbere natos:
Sic divexat amans crimina sæpe rigor.

416. Sonoræ leonis voces, in dormientium catulorum auribus altum irrugire solitæ, eò duntaxat collimant, ut effugatâ soporis umbrâ, expergefiant, ac lucis claritate perfruantur. Id quod è subjecto lemmate disces; VOCE EXCUTIT UMBRAS. S. Augustinum, intra hæresis Manichææ umbras miserè sepultum, leoninæ S. Ambrosii voces, cùm è pulpito, tum in familiaribus colloquiis, ita validè penetrârunt, ut umbris illis excussis, *eum ab errorum tenebris ad lucem Evangelicæ veritatis excitârit:* nam, ut idem Hipponensis Doctor ait, *Infideles homines tenebræ sunt, qui per fidem conversi ad Deum, quadam præmissa illuminatione lux fiunt.* Cæterùm ultima supremi judicii tuba mortuos omnes è tumulis in apertam lucem evocabit.

Prædictor fructuosus.

Offic. Can. Reg. die 5. Maii

S. Aug. Epist. 120. c. 23

Judicium extremum

417. Leo, è facis accensæ conspectu fugere solitus, epigraphen sustinet. MAGNOS VANA FUGANT. Nimirum generosa ac grandia heroum pectora non rarò à vanissima mulierculæ comptioris flammâ superari, & in turpissimam virtutum fugam agi solent. Hujus dedecoris non sine lachrymis meminit Sanctus Cyprianus; *Quantos leones,* inquit, *domuit una muliebris infirmitas delicata, quæ cùm sit vilis, & misera, de magnis efficit prædam.* Hannibalem, obsecro, contemplare, qui de universa Romanorum potentiâ jamjam triumphaturus, à Capuanâ libidine ita est enervatus, ut in fugam conjectus, infami morte perierit. Marcus Antonius classem illam, in qua totius mundi Monarchia vehebatur, jamjam manibus victam tenens, cùm Cleopatram cerneret fugitivam, etiam ipse fugam arripuit, & pede non minus stulto quàm infami, fœminam est insecutus, &c.

Generositas à muliere superata.

S. Cyprian. de singul. Cleric.

418. Leo, è flammæ conspectu profugus, epigraphen, à priore nihil diversam, præfert; SOLUS FORTES TERRET IGNIS. Ecquis non miretur Eliæ vires ab unica Jezabele, fœminâ præ quovis incendio furibundâ, esse labefactatas? siccine Virûm ille potentissimus, qui Monarchis intentare minas, improperare Regibus, integros hostium cuneos, adversum se concitatos, effringere, ac superare ast ausus; qui cœlos pro libitu claudere ac tolerare; omnesque naturæ leges ad sua jussa flectere poterat; ille, inquam, unius fœminæ flammam pertimescat, ac penè exanimis fugiat? Admirabundus Chrysostomus, *Timuit mulierem,* inquit, *qui totius mundi statum, & cœli pluviam, agri speciem in linguæ potestate portaverat, qui ignem è cœlo eduxerat, & per virtutem orationis mortuos suscitaverat, hic timuit mulierem, &c.*

Fœmina in fugam agit.

S. Io. Chry Hom. 15. i Matth. et variis.

419. Leo, è flammæ conspectu in fugam conjectus epigraphen sustinet; FUGOR EX INTUITU. Hanc præceptionem in libidinis occasione velim. Præclarè dixit S. P. Augustinus; quod D. Paulus, *cùm omnibus vitiis prædicaverit resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit resistite, sed fugite fornicationem.* Haud aliter Jobus, qui instar magnanimi leonis toti Orco frontem intrepidus obvertere audebat, cùm materiem hanc lubricam & fragilem tractaret, protestatus est, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Ad hoc propositum S. Joannes Chrysostomus; *Quis non admiretur, videns virum hunc cum diabolo viriliter certantem, & omnes maligni machinas vincere; Virginis autem faciem fugere, & à formosæ puellæ aspectu oculos subducere? Diabolum accedentem non fugit, sed mansit sicut Leo, viribus fidens, Virgine autem visa, non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, sed statim secessit.* Compendii loco consulentem audi S. Nilum; *Cave ne diu ante oculos mulieris species obversetur, ne cupiditatis ignē accendat, & animæ tuæ arcam exurat.*

Fæmina fugiend.

S. Aug. ser. in Dom. 2 post Trinit

Iob. 31. 1.

S. Io. Chry Hom. de Castin. Ioseph

S. Nil. Or de Luxur

420. Prudentiam & fortitudinem in Principe conjugatas esse debere, D. Didacus Saavedra Leonis Emblemate demonstrat, cujus capiti serpens in orbem circumflexus, coronæ loco, insidet; addito lemmate. UT SCIAT REGNARE. Alius verò, prior illo, serpentem leonis collo circumligatum depinxit, cum epigrammate. NIL APTIUS, NIL DECENTIUS. Ab his non multùm alienus Carolus Ghioldus, Leonem, gravi majestate incedere solitum, hâc epigraphâ insigniit. FORITUDINEM PRUDENTIA. Geminam hanc virtutem cumprimis in Davide observatam habet S. Ambrosius, quando de illo ait; *PRUDENTIÆ FORTITUDINIS COMITEM habuit in prælio; ideo in omnibus victor præliis &c.*

Princeps fortis & prudens.

S. Ambr. l. 1. Offic. c. 3

421. Leo, se ipsum caudâ cædere solitus, epigraphen tenet, è Tasso desumptam; PER ISVEGLIAR LA FERITA NATIVA, Id est, UT EXCITET IRAM. Neque enim sufficit, præclaris naturæ dotibus instructum esse, nisi eas, tempore & loco congruo adhibendas studiosè excites, stimulesque. P. Nicolaus Caussinus hanc proprietatem iis tribuit, qui flagellis, aliâque corporis subigendi supellectile, ad spiritum provocandum, tentationesque reprimendas maximè accommodatâ, in se ipsos animadvertunt. *Cruciatus corporis,* inquit, *voluntariè suscepti, paratiores nos ad pugnam cum dæmonibus ineundam faciunt;* siquidem eodem asserente, *Dos virtutis, pati.*

Mortificatio.

Nicol Caus. Parab. Histor lib. 7. n 65.

422. Negotia, quantumvis ardua, tandem ab hominum industriâ ac prudentiâ perfici, Leonis Emblema demonstrat, cujus os, lupato, & habenis

Diligentia.

benis instructum, ab humana manu pro libitu reprimitur. Lemma; DIES ET INGENIUM: vel; DOCUIT LONGA DIES. Ad verbum Tibullus; *Tibull l. 1. Eleg. 4.*

Longa dies homini docuit parere Leones.

Leonis instar in pectore humano sæviunt ira, libido, vindicta, cæterique malignioris naturæ affectus; quos tamen crebrâ mortificatione, uti & assiduâ cœlestis præmii contemplatione, ceu freno, tandem edomabis, & in meliorem partem flectes. S.P.August. *Animæ consuetudo facta in carne, propter carnalem affectionem, in Scripturis Divinis caro nominatur, sed in spiritualia mente suspensa, atq; ibi fixa & manente, hujus consuetudinis impetus frangitur, & PAULATIM REPRESSUS extinguitur.* Prolixus in hanc rem Ovidius. *Passiones effrænatæ.* *S. Aug lib. 6. de Musica c. 11.* *Ovid. lib. 4. Trist. Eleg. 5.*

Tempore ruriculæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incurvo colla premenda jugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore sævorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.

423. Leo, magnanimitatis imperterritæ symbolum, à Patribus Dominicanis epigraphen recepit; REBUS ADVERSIS ANIMOSUS; Horatio eam iisdem penè verbis suggerente, *Horat lib. 2 Carm. Od. 10*

Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare.

Similem generositatem plurimi Scriptores in Christophoro Columbo non sine admiratione deprædicant; ab immenso enim ac penè infinito Oceano vallatus, à perduellibus sociis infestatus, annonæ caritate afflictus, & in extremas omnium ferè calamitatum angustias conjectus, nunquam sese superari, aut animo dejici est passus; eâque animi sui invictâ generositate hemisphærium, hactenus ignotum, manifestavit. *Quis generosus?* inquit Seneca; *cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere.* *Animus intrepidus* *Senec Epist. 44.*

424 Maximilianus, Archidux Austriæ, Leonem symboli loco præferebat; cum lemmate. FORTIBUS RESISTIT. Ita animus grandis neminem, nisi robore ac viribus sui similem, aggreditur. Claudianus; *Animus imperterritus.* *Claud. in Epigram.*

Prætereunt subjecta feræ, torvique leones
Quæ stravisse valent, ea mox prostrata relinquunt,
Nec nisi bellantis gaudent cervice juvenci.

Iis etiam hoc Emblema convenit, qui violentos adversæ fortunæ assultus magnanimo ac invicto pectore superant. Hos inter facilè excelluêre Reginaldus Polus, Joannes Fischerus, Thomas Morus, gloriosi Angliæ pugiles; Vincentius, Laurentius, Ignatius Martyr, Paulus Apostolus, è Judæorum tribu fortissimi Leones; Tecla, Agatha, Catharina, cœlestes Amazones; quas insecuta est Francisca Romana, cujus pectus non mariti exilio, non filiorum morte, non facultatum rapinâ, non denique assiduo dæmonum conflictu unquam dejici, aut labefactari potuit. Verissimè dixit Seneca. *Verberat nos & lacerat fortuna? patiamur. Non est sævitia, certamen est, quo sæpius adierimus, fortiores erimus. Præbendi fortunæ sumus, ut contra ipsam ab ipsa duremur.* *SS Martyres.* *Senec. lib. de Provid. c. 4.*

425. Leo cum ignobilibus animalculis confligere dedignatur, solosque elephantes, pantheras, aliasque grandis momenti belluas roboris sui metas statuit. Lemma PUSILLA NEGLIGIT. Grandis, generosi, ac nobilis animi hæc idea est. Aristoteles; *Magnanimus*, inquit, *parvi facit ac negligit omnia, præter admodum pauca. Magnis & gravibus se objicit, in quibus nec vitæ parcit.* Martialis leporem, leone conspecto, è theatro profugum, faceto hoc tetrastico alloquitur. *Magnanimus.* *Arist lib 4 Ethic. cap 3.* *Mart lib. 1. Epigr. 67.*

Quid nunc sæva fugis placidi lepus ora Leonis?
Frangere tam parvas non didicêre feras.
Servantur magnis isti cervicibus ungues,
Nec gaudet tenui sanguine tanta sitis.

D. Marinus, in encomium venantis Caroli Emmanuelis. Sabaudiæ Ducis, feras sequenti poëmate vernaculo affatur. *D. Marin. nella 2 part. della Lira.*

Non sia di voi che il mio signor paventi
Semplici Damme, e mansuete Cerve,
Tanta nel nobil petto ira non ferne,
Che l'irriti á ferir fere innocenti.
Solegna di vili, e fuggitivi armenti
Præda vulgar, che gli ubbidisce, e serve,
Solo á damar rubello alme alme proterve
Sente non regio cor stimoli ardenti.

Et P. Franciscus Spinola Mediolanensis; *Franc Spin. lib. 1. Epigr.*

Spicula musarum contemnit flammiger ales,
Magnanimus mures & leo ridiculos.

426. Leo, genuinum imperterriti & invicti cordis ectypon, ungue uno resciso, epigraphen sustinet; SI NON VIRES, ANIMUS. Ita SS. Martyres, tametsi corpore à tortoribus superato, animum tamen retulêre invictum, & tormentis omnibus superiorem. S.P. Augustinus; *Morientibus Martyribus, animæ Martyrum mortuæ non sunt.* Horatius heroicam hanc magnanimitatem eleganti dialogo exprimit. *Animus intrepidus SS. Martyres.* *S. Aug. in Psal. 40* *Horat. lib 1. Epist 17.*

Vir bonus & sapiens audebit dicere; Penthen
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? Adimam bona; nempe pecus, rem,
Lectos, argentum. Tollas licet. Et manicis, &
Compedibus sævo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simul atque volam, me solvet. Opinor,
Hoc sentit, Moriar; mors ultima linea rerum est.

427. Leoni subscripsêre; AD NULLIUS PAVEBIT OCCURSUM. Ad verbum sacra Pagina? *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* Ubi, si sensum metaphoricum spectes, de invicto, & in sustinendis calamitatibus imperterrito hominis animo sermo est. S. Ambrosius; *Perfecti viri est, quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire, & quasi providum Gubernatorem, navem in tempestate regere, atq; occurrendo insurgentibus fluctibus, magis vitare naufragium sulcando undas, quàm declinando.* Ita anima innocens, nulliusque culpæ conscia, spiritu verè leonino, nihil unquam timet. Nervosè Joannes Audenus alibi relatus; *Prov. 30. 30.* *Magnanimus.* *S. Ambr. lib. de Iacob & vitâ beatâ. cap 6.*

Conscia mens recti nullo commota pavore est.

428. Catulus Leoninus nativam suam generositatem, ac fortitudinem passim prodere solet; Unde Bargalii lemma. E FORTI GREGE. Hinc disces, quantùm virtutis è generosa stirpe in posteros promanet. Idipsum, quod in parentibus carnalibus, etiam in Magistris, Præceptoribus, cæterisque parentibus spiritualibus experimur, quod plerumque filii illorum virtutes imbibant, &, pro educationis ratione, boni sint, vel mali. *Facile est enim*, inquit Seneca, *teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creverunt.* Horatius; *Natales.* *Senec lib 2. de Ira c 18.*

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

429. A-

429. Animum quidem generosum & grandem, sed tamen simul sincerum in Leone reperire est.
Animus nobilis. Lemma. NEC ASPICIT, NEC TORVE VULT ASPICI. Hinc vultûs comitatem ac benevolentiam, veluti dotem bono Principi in suos subditos propriam, omnes penè Doctores exigunt.
Nic. Greg. Hist. Byzant lib. 0. Nicephorus Gregorius. *Hoc*, inquit, *illud est Indorum Sapientûm præceptum, Principem, quò natura sublimior sit, eò humaniorem se præbuerit inferioribus, charissimum populo futurum.* Seneca pauculis his
Senec. lib. 1. de Clement. c. 13 proprietatibus, ceu lineamentis, bonum Principem depingit; *Sermone affabilis, accessuq; facilis, vultu, qui maximè populo demeretur, amabilis.* S. Ambro-
S. Ambr lib. 2. offic. cap. 7 sius; *Popularis & grata est omnibus bonitas, nihilque, quod tantopere illabatur humanis mentibus; ea, si mansuetudine morum ac facilitate animi, & affabilitate sermonis, verborum honore, modestiaque adjuvetur gratiâ, incredibile est, quantum procedit ad cumulum dilectionis*
S. Paulin. ad Auson. S. Paulinus, ad Ausonium scribens de se ipso testatur.

> --- --- *Ipso te lædere vultu*
> *Semper, & incautâ timui violare figurâ:*
> *Cumque tua accessi venerans, mea cautius ora*
> *Composui, & læto formavi lumine frontem.*

430. Leo, ferarum venatui in aperto nemore intentus, epigraphen habet; VENATUR INGE-
Magnanimus. NUE. Ita animus sincerus, omni fraude & stratagemate rejecto, negotia sua palam perficere solet. Cùm Alphonsus, Aragoniæ Rex, Venetos, quod Ducatum Mediolanensem in suam potestatem redigere molirentur, armis à conatu repellere pararet; quidam ad Venetorum armamentarium comburendum sese ultrò offerebat; cui Rex pro congenito suo candore mox respondit; *Sibi non infidus, sed aut virtute vincendum, aut nunquam profectò vincendum esse*; addiditque, *Nunquam sibi victoriam placuisse, cujus postea pigendum, pudendumve esset.*
David Chit. in Chronol. de Rege Alph. Anno 1448. Uti de ipso refert David Chitræus.

431. Animum virilem & invictum Leo demonstrat, qui compluribus lanceis impetitus, epigra-
Resistere. phen tenet. FORTITER RESISTENDUM. In hunc sensum Horatius.

Horat. l. 2. Satyr. 2.

> --- --- *Vivite fortes,*
> *Fortiaque adversis opponite pectora rebus.*

Sen. Ep. 60. Et Seneca; *Vir sapiens ad omnem incursum invictus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet, usque adeo patiens est, &c.*

432. Politicæ scitum est; non prudentiæ tantùm, sed & militaris fortitudinis argumentum sat magnum esse, si irruenti adversario nonnunquam cede-
Cedere. re, & opportunâ fugâ tibi consulere possis. E Leonis Emblemate id disces, qui aliquot vibratas lanceas declinans, hoc se lemmate purgat; FORTUNÆ CEDENDUM. Vel; BLANDE CEDIT. Polybius; *Est optimi Ducis, scire & vincere, & cedere*
Polybius. *prudenter tempori.* Antigonus, Macedonum Rex, olim fugam capessens, dixit, *se non fugere, sed utilitatem, à tergo positam sequi.* Nicolai Picinini dictum erat; melius esse, si dicatur, Picininum fugiendo securitatem attigisse, quàm stando victum, ac cum exercitu ad internecionem deletum esse. Certè David, Hannibal, aliique innumeri, nobilissimos victoriarum honores è fuga receperunt.

433. Leo capite cooperto feritatem suam exuit, & citra negotium ligari potest. Unde Leonis caput, velamine obductum, & ab humana manu alligatum cernitur; cum lemmate. SUPERAT SO-
Astutia. LERTIA VIRES. Mille exemplis comprobatum est, belluarum ferociam ac immanes vires ab hominum industriâ vinci ac edomari. S. P. Augustinus;
S. Aug L. Quæst q. & 30. *Inter multa, quibus ostendi potest, hominem ratione bestiis antecellere, hoc omnibus manifestum est, quod belluæ ab hominibus domari & mansuefieri possunt, homines à belluis nullo modo.* Euripides.

Eurip. apud Plutarch. de Solert. Animal.

> *VIRES exiguæ sunt mortalium,*
> *Sed CALLIDITATE multiplici*
> *Belluas maris, & terrestria,*
> *Et sub cœlo volitantia*
> *Omnia HOMO DOMAT.*

434. Leo, nobilis ac generosi animi symbolum,
Animus nobilis. epigraphen tenet; SERVIRE NESCIT. In hanc rem prolixus Philo Hebræus, inter alia complura exempla, etiam hoc recenset; *Celebratur Laconis*
Phil. Heb. quod pro. sit liber. *pueri mira quædam ingenuitas. Captivus enim abductus à quodam Antigoni milite, liberalia quidem non recusavit ministeria; servilia verò negavit se exhibiturū, quod abhorreret à servitio. Præsenti vitæ violentam mortem prætulit, ut feliciorem: & desperans redemptionem, libens sibimet manus intulit.* Vide, si lubet, plura exempla apud eundem.

435. Leo, frenum ore recipere abnuens, lemmatis vice unicum hoc adverbium sustinet; INCASSUM.
Animus nobilis. Peccato obstinat. Hâc imagine non modò nobilem animum, servire nescium, sed & pertinacem; & inter scelera obstinatum significabis, qui omnis legis tam Divinæ, quàm humanæ frenum recusat. Opportunè S. Ambrosius; *Fervet primo culpa impetu, & omnem recti co-*
S. Ambr. de Abrah c. 7. *gitationem prævenit; motuque immaturo exilit, cervice tumidâ recusans jugum correctionis.* Et S. Joan. Chrysost. de malitioso ac effreni Absalone disserens;
S. Io. Chrys Tom. 1. ser. de Absalon *Parricidæ furor*, inquit, *non minuitur, non frænatur. Ardescit in pejus, in majus accenditur.*

436. Philippus III. Rex Catholicus, se ipsum ad militaris fortitudinis, & Religionis Christianæ exercitia promptum demonstraturus; Leonem depinxit,
Fortitudo & pietas qui uno pede hastam, & altero crucem sustinens, epigraphen tulit. AD UTRUMQUE. Enimverò Heroum est, extrema tam bellicæ suæ magnanimitatis, quàm virtutis Christianæ pericula facere. Illustre hujus exemplum præbuit Anselmus Petra-Malarius, quando à S. D. N. Pio V. cum numeroso Capucinorum, sodalium suorum, exercitu, Christianis, navali prælio adversus Turcas dimicantibus, assistere jussus fuerat; Nam *missus à Pio V.* Verba sunt P.
Io. Rhò de Var. Virtu Histor. l. 6 61. n. 13. Joannis Rhò, *ut pugnantibus Christianis militibus piè adesset, fecerat ille quidem egregiè officium, quum in triremem, quâ vehebatur, agminatim Turcas insilire conspicatus, deposito in puppi Christi è cruce pendentis signo, quo circumlato animos pugnantibus addebat, grandem arripuit gladium, utrâque vibrandum manu, voceque ac viribus terribilis, pugnantibus se immiscens, plurimos hostium obtruncavit, ac non minima victoriæ ipse pars fuit.*

437. Princeps, ob venustam vultûs sui majestatem ab omnibus amatus; simulque ob intemeratam ju-
Pulchritudo terribilis. stitiam nemini non terribilis; Leonis Emblemate repræsentatur: cui illum Torquati Tassi versum, lemmatis loco, subjunxêre, BELLO IN SI' BELLA VISTA ANCH' E L'ORRORE. Id est; HORRORE DECORUS. Huic Italico versui alterum
Tas. Geruf. Liberat. Cant. 20. stanz. 30. subjungit idem Tassus;

> *E di mezzo la tema esce il diletto*

Lucanus. Consentaneè Lucanus;

> --- --- --- *Metuenda voluptas,*
> *Cernenti, pulcherque timor.*

S. Epi-

Epiph. l. 3. contr. Hæres. hæres. 78. — Psalm. 18. — S. Aug. in hunc loc.

S. Epiphanius, de Leone disserens; *Regium hoc animal*, ait, *inter omnia animantia violentissimum ac fortissimum, & pergratiosissimum est.* Hoc venustatis & terroris connubium in Rege Salomone observans David; *Ipse*, inquit, *tanquam sponsus procedens de thalamo suo; Exultavit ut Gigas.* Hæc Regii Vatis verba de Deo incarnato explicans Magnus Augustinus ait, *Speciosus ut sponsus, fortis ut Gigas; amabilis & terribilis; severus, & serenus; asper malis, pulcher bonis.*

Christus Judex. — S. Aug. serm. 9. de Verb. Dom.

438. Christum Judicem, sceleratis formidandum, justis verò amabilem, Joannes Ferrus Leonis emblemate repræsentat, qui vocis rugitu catulos suos in vitam revocat, & feras percellit, exanimatque. Lemma. VIVIFICAT ET TERRET. S. P. Augustinus; *Deus nos non solùm docere suaviter, sed etiam terrere salubriter non cessat; fomentis lenibus, quibus consolatur, sæpè etiam mordacissimum medicamentum tribulationis adjungens &c.*

Libertas. — S. Hieronym. Epist. 62.

439. Phileleutri Veneti Leonem symboli loco præferunt, qui libertatis suæ hostibus generosè indignatus, jugum, à se excussum, pedibus conterit; addito irrascentis animi lemmate; AD COLLA JUVENCI. S. Hieronymus, *Citò indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat à libero, quàm qui servire non cogit.*

Horat. lib. 1. Od. 1. — Animus nobilis. — Senec. Ep. 77. — Num. 14. 3.

440. Leo, jugum disruptum calcans, à Dominico Gamberto epigraphen ex Horatio accepit; INDOCILIS PATI. Animus enim generosus ignobile servitutis jugum tolerare, eique humeros submittere nequaquam potest. Certè Spartanus ille juvenis, cùm captivus abriperetur, summâ contentione vociferatus, id unum ingeminabat; *Non serviam*, coactus verò ad munus, nobilitate suâ indignum, subeundum; Senecâ teste, vitam amittere, quàm morem gerere maluit. Verba Senecæ sunt; *Ut primùm jussus est fungi servili & contumelioso ministerio; afferre enim vas obscœnum jubebatur; illisum parieti caput rupit. Tam propè libertas est, & servit aliquis?* Haud aliter in vastâ solitudine Hebræi, *Utinam pereamus*, inquiebant, *& non inducat nos Dominus in terram istam, ne uxores ac liberi nostri ducantur captivi.*

Stat. lib. 7. Thebaid. — Jacob. 4. 6. — S. Aug. serm. 3 de verb. Dom c. 8. — Ovid.

441. Sicuti Leo adversantes belluas ingenti furore aggreditur; ita imbelles illas, quas coràm pedibus suis prostratas ac timidas videt, mansuetus præterit. Lemma. PROSTRATA RELINQUIT, SATIS PROSTRASSE. P. Gambertus epigraphen, è Statio desumptam, addidit; PROTINUS IRA MINOR. Nimirum animus grandis & generosus hunc sibi characterem, veluti proprium, vendicat, *Parcere subjectis*. Idipsum Deus, *Leo de tribu Juda*, assolet, ut qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Unde providè monet Magnus Hipponensium Præsul; *Si extollis te, Deus dejicit te; si tu dejicis te, Deus elevat te.* Ovidius,

Corpora magnanimo satis est prostrâsse Leoni.

Claudian.

Et Claudianus;

------ *Torvique Leones*
Quæ stravisse valent, ea mox prostrata relinquunt,
Nec nisi bellantis gaudent cervice juvenci.

Animus nobilis. — Senec. l. 1. de Clement c 3

442. Martialis refert, leporem quemdam innocuo ac securo pede propè Leonem saltitâsse, imò, cùm à canibus mox devorandus, infestaretur, patrocinio ita valido à Leone vindicatum esse, ut nihil detrimenti sit passus. Unde Leo, vicinum lepusculum adversùs hostes propugnans, epigraphen tenet; OBLITUS NOCENDI. Principum ac Magnatum hæc indoles esto, ut summâ clementiâ in omnes utantur, neque offensâ vel minimâ quemquam onerent. E Senecæ doctrina; *Nullum clementia ex omnibus magis, quàm Regem aut Principem decet. Pestifera vis est, valere ad nocendum.*

Spes vera. — Mortis memoria. — Humilitas. — S. Aug. lib. 8. de Trin. c. 7.

443. Maritimi Veneti Leonem in mari præferunt, qui pedibus fundum contingens, symboli loco epigraphen habet; SUB PEDIBUS TERRAM. Hinc nimirùm Serenissimæ illius Reipublicæ supremum in ambo hæc elementa Imperium, & immota inter omnes fluctuantis fortunæ vicissitudines persistentia significatur. In eos etiam hæc imago convenit, quorum spes ac fiducia non rebus caducis & transitoriis, sed æternùm duraturis innititur; vel qui inter divitiarum affluentiam mortalitatis suæ meminêre; vel denique qui dignitatis, fortunæ, aut alterius boni Oceano altum immersi, cor suum in humilitatis basi nunquam non firmum retinent; probè gnari, quòd, Magno Augustino asserente, *Potentior est & tutior solidissima humilitas, quàm ventosissima celsitudo.*

Servitus Dei. — Ps. 58. 10. — Card. Hugo in hunc. loc.

444. D. Aresius quemdam Sanctum, qui propriam suam excellentiam ab hominum oculis studiosè subducens, eam unicè ad Dei servitutem, & animæ ornamentum reservat, Leonis emblemate depinxit, cujus ii sunt mores, ut progrediens, ungues suos intra pedes abscondat. Epigraphen è Psalmo addidit. FORTITUDINEM MEAM AD TE CUSTODIAM. In hunc locum Hugo Cardinalis; *Duplex est fortitudo. Una spiritualis, scilicet animæ; alia naturalis, scilicet corporalis, & utramque debemus custodire Domino, à quo est. Fortitudinem autem istam custodire ad Dominum, est omne bonum virtutis, & operis non sibi, sed Domino adscribere; aliter enim non custoditur, sed perditur.*

Diligentia. — Veget. citatus à Lipsio de milit. Rom. l. 5. Dial. 10. — Horat. l. 1. Epist. 1.

445. Vincentius Gilibertus Leonem, freno coërcitum exhibet; addito lemmate. INDUSTRIA, ET LABORE. veluti diceret, voluntatis humanæ studio & industriâ nihil non perfici posse. Vegetius; *Nihil est, quod non assidua meditatio facillimum reddat.* Et Horatius.

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeò ferus est, ut non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Peccator obstinatus. — Prov. 18. 3. — S. August. in Ps. 68.

446. Peccatorem, in sceleribus obstinatum, Leo exprimit, qui in puteum præcipitatus, epigraphen tenet; AL ENTRAR STOLTO, ET AL USCIR PROTERVO. Id est, STULTUS IN INGRESSU, PROTERVUS IN EGRESSU. Salomon libidinis & idololatriæ barathrum insano consilio ingressus, num pedem inde revocârit, nullo equidem Divinæ paginæ loco constat; quamvis complures Interpretes non sine dolore affirmatè teneant, eum inter vitia sua mortuum, atque adeò ad æternos cruciatus damnatum esse. Verissimè Sacra Scriptura; *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Ad rem præsentem S. P. Augustinus; *Si videritis hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum. Quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius, & dixeris, quid enim mali feci? factus est defensor peccati sui, clausit super eum puteus os suum, quà eruatur, non habet.*

Gratitudo. — S. Bern. ser. 68. in Cant.

447. Gratum hominis animum, & ad beneficia rependenda pronum, Leo exhibet; qui solaribus radiis attactus, claritatem aliquam reflectere dicitur: unde Lucarini lemma. LUCENTI RENIDET. S. Bernardus; *Ille mihi quia benignus & misericors est; ego illi, quia non sum ingrata: ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia; ille meæ liberationi, ego illius honori; ego illius voluntati, ille saluti meæ; ille mihi & non alteri; quia una sum columba ejus; ego illi & non alteri, non enim audio vocem alienorum.*

Prudentia Principis. Philo lib. 1. Allegor. 448. De Leone testatur Plinius, quod præcipua ipsius virtus ac vigor in oculis consistat; *Omnis virtus constat in oculis.* Unde P. Raulinus inscripsit. IN OCULIS ROBUR. Innuit videlicet, è Principis prudentia, ceu unico hominis interioris oculo, ingentes vires civibus & Reipublicæ accrescere; Philo; *Quemadmodum caput prima, summaque pars est in animali, secunda pectus, inguem tertia; rursumque in anima, prima pars rationalis, secunda irascibilis, tertia concupiscibilis: ita & virtutum prima est, quæ circà præcipuum animæ, quod est rationale, versatur, & circà summum caput habitat, Prudentia &c.*

449. Leo, oculis velatis, epigraphen tenet; LUX ADDET VIRES. Nempè, sicuti Leo, oculis fasciâ obligatis, vires suas amittit; eâque amotâ, pristinum vigorem iterum recipit: ita animus noster, gratiæ Divinæ, & innocentiæ radiis collustratus, miram operandi vim recuperat. Haud aliter terreni Principes, pietatis Christianæ, & sanctæ fidei luce conspicui, immodicas vires capiunt, & ad gravissima negotia perficienda invalescunt. S. Gregorius Nazianzenus, postquam dixerat, quod Jovinianus, Imperator clarissimus, sanctæ fidei lucem, passim jam collabi, & inter hæreticorum umbras delitescere visam, acerrimè propugnando ac dilatando, Imperii sui firmamenta plurimùm stabiliverit; mox subjungit, hanc fidei propagandæ solicitudinem maximum, non fidei tantùm, sed & Imperatori, incrementum attulisse; *ut simul, & ei ROBUR afferret, & vicissim ab eo ACCIPERET.* S. P. Augustinus de Constantino Magno scribit, eum, gentilium tenebris etiamnum involutum, gravissimas quidem expeditiones felici sorte, ac maximo robore perfecisse: at ubi sanctæ fidei radio illustratus fuit, ipsius vires ac magnanimitatem eò excrevisse, ut simul amplissimam civitatem extrueret, vitæ ac Imperii sui fines propagaret, ferocissimos quosvis hostes subigeret, ac de iis felicissimè devictis passim triumpharet. *Constantinum Imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere civitatem, Romano Imperio sociam, concessit, diu imperavit, universum orbem Romanum Augustus unus tenuit, & defendit: in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit; in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est.* Chlodovæus, Rex Galliæ, militaria sua signa ab Allemannis aperto Marte strata & in fugam conjecta cernens, Aureliani, amici sui, hortatu, de sacro Baptismate, post obtentam victoriam suscipiendo, voti religione se obstrinxit; simulque Chlotildis, conjugis suæ, precibus Deum ardenter rogavit, vellet in extremis constituto suppetias ferre: nec irrita fuêre vota; mox enim dispersæ ipsius cohortes denuò collectæ ac unitæ tanto impetu in hostem sunt effusæ, ut Allemannis ad internecionem deletis, felicissimam victoriam reportârit, ut refert Nicolaus Caussinus.

Gratia Dei.

S. Greg Naz. Orat. 21.

S. Aug lib. 5. de Civit Dei c. 25.

Nicol. Caus. Aula sancta Divis. 6.

450. Leo, apertis oculis somnum capere solitus, à Lucarino epigraphen recepit; NEC IN SOMNO QUIES: & ab Haymone Corio; VIGILAT IN SOMNIS; vel ipsius Leonis ore; IN SOMNO VIGILO. Regii cujusdam ministri vigilantiam hæc imago spectat, qui rempublicam, ac munimenta fidei suæ concredita, assiduis curis, oculisque nunquam non vigilantibus tuetur. Eâdem planè ratione contemplativus hominis animus, etiam dum quiescit, ad cœli arcana sublevatur, mentemque Deo suo constanter affixam tenet. S. Petrus Damianus; *Leo apertis oculis dormit, & tu sic quiesce sepositus à mundo, ut pervigiles semper oculos habere perseveres in Domino: sic dicitur; ego dormio, & cor meum vigilat.*

Minister regius.

Contemplativus.

S. Pet. Dam. Epist. 39.

Et S. Ambrosius; *Est etiam Sanctorum somnus operarius, secundùm quod scriptum est; ego dormio, & cor meum vigilat, secundùm quod Iacob sanctus Divina dormiens videbat mysteria, quæ vigilans non videbat.* S. Franciscus Xaverius, durante somno, in clarissimas ardentissimæ pietatis voces, & viva amoris Divini suspiria prorumpere solitus, haud dubiè vigilabat dormiens.

S. Ambros. Epist. 66.

S. Francus Xaverius

451. Leo, elevatis palpebris dormire solitus, à nonnemine suprà terram recumbens epigraphen accepit; ET DORMIO, ET VIGILO. Consentaneè nimirùm ad illas sacræ sponsæ voces; *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hæc enimverò amantium est indoles, quod etiam ad quietem & somnum compositi, vigiles & assiduas cogitationes de re amata versent. Ovidius de amante canit;

Cant. 5. 2.

Amans.

Ovid. Met.

------ Placidâ resolutâ quiete
Sæpè videt, quod amat.

Et S. Joannes Chlimacus, *Ego*, inquit, *propter naturæ necessitatem dormio, sed cor meum propter amoris copiam vigilat.* Certè Justus & dormit, & vigilat; postquam rerum terrenarum cognitione, veluti mentis humanæ oculo, penitùs abdicatâ & clausâ, animum suum solis Divinis ac cœlestibus constanter affigit. S. Gregorius Papa. *Sancta mens, quo se à strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eò verius interna cognoscit: tanto alacrius ad intima vigilat, quantò se ab exteriori inquietudine occultat.* Huic concolor Magnus Augustinus, ait, *Ego dormio, & cor meum vigilat; ego requiesco à negotiosis actibus, & animus meus Divinis se impendit affectibus.* Hanc doctrinam à Beatissima Virgine probè observatam asserit Sanctus Ambrosius; quippe in qua *dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit, & tamen, cum quiesceret corpus, vigilaret animus.* Eandem iconem de Christo sepulto explicaveris, de quo vaticinatus Jacob, ait, *Requiescens accubuisti ut Leo*; nam, cùm humana Christi natura mortis somno jaceret oppressa, ipsius Divinitas assiduò vigilabat. Præclarè in rem præsentem meus Hugo victorinus; *Dormivit enim caro in Cruce moriendo, Divinitas verò vigilabat cuncta protegendo.*

Io. Climac Gradu 30.

Contemplativus.

S. Greg. Pa l. 5. mor. c. 2.

S. Aug. Tra 57. in Ioan.

S. Maria V. S. Ambr. l. 2. de Virgin.

Christus sepultus. Gen. 49. 9. Hug. Vict. l. de Best. c. 1.

452. Leo, apertis oculis dormiens, epigraphen tenet. SECURUS DORMIO. Ita Princeps ac Prælati securissimè dormiunt, animumque ad quietem facilè componunt, si negotia sua à prudente ac probato ministro ritè administrari sciant. Suidas ait, *Oculos Regis vocârunt Satrapas, per quos omnia Rex spectaret, sicut Regis aures delatores, per quos Rex audiret omnia.* Unde Alexander quieto ac tranquillo somno se frui est testatus, quod sciret, Ephestionem sui loco excubias agere.

Minister Principis prudens & fidelis. Suid Cent. 1 Proverb. 52.

Plutarch.

453. Lucarinus observat, Leonem apertis oculis nasci; Unde lemma. ET IN ORTU CONSPICIT. Prudentem ac vivacem pueri intellectum hoc Emblemate figurabis. De se ipso testatur Sapiens; *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Jure tamen optimo S. Joannes Baptista hanc iconem, veluti propriam sibi vendicat, qui, vix in matris sinu conceptus, illicò perspicaces ac leoninos suos oculos ad Divinum Verbum, intrà Virginis Matris uterum delitescens, reseravit. De hoc S. Joannes Chrysostomus; *Cùm ad nos advenisset Redemptor nostri generis, venit protinus ad suum amicum Ioannem, dum adhuc esset in ventre matris: quem cùm EX UTERO in utero aspexisset Ioannes, terminos naturæ concutiens, exclamat: VIDEO Dominum, qui naturæ imposuit terminos.* Et paulò post. *Nondum ducit vitam, & Deum prædicat: nondum aspicit lucem, & Solem indicat: nondum paritur, & properat præcurrere.*

Pueritia vivax.

Sap. 8. 19.

S. Jo. Bapt.

S. Io Chrysost. apud metaph mense Iulio.

454. Leoni

Miles terribilis. Christus in horto. S.Thom. Aquin. Opusc. 50. de Human Christi.

454. Leoni subscripsêre; ET RUGITU TERREFACIT. Magnanimum militem, maximè tamen Christum, hæc imago spectat; qui vocis suæ tonitru, instar generosi Leonis, omnem militum turbam in horto olivario perculit, ac prostravit. S.Thomas Aquinas. *Una vox turbam, odiis ferocem, armis terribilem, sine ullo telo percussit, repulit, ac stravit, virtute latentis Divinitatis. Quid faciet judicaturus, qui hoc fecit judicandus?*

Horat. in Epodo. Magnanimus. Panorm. l. 5. c. 38.

455. Leo, intra turrim captivus, epigraphen ex Horatio sustinet; NON MUTAT FORTUNA GENUS. Ita nimirum Herois congenita magnanimitas nec è carcere, nec ab exilio, nec ab omni adversantis fortunæ violentiâ quidquam detrimenti accipere potest. Alphonsus, Rex Aragoniæ, tametsi bellò captus, authoritatem tamen ac majestatem regiam ità conservavit incolumen, *ut interdum victoribus ipsis non victus, sed victor appareret:* unde in navi, ubi captivus detinebatur, naucleris ac ductoribus quotidie ordinem & agendi rationem dictabat; adeò, ut ipsius voluntati studiosissimè sint obsecuti, dederintque prudentibus affirmandi occasionem; *In omni fortuna Alphonsum & videri, & existimari meritò Regem;* Ità Panormitanus. S. Paulus Dei genere se natum gloriabatur; *Genus ergò cùm simus Dei:* unde à Deo, ceu generis sui radice, nec carcer, nec aliud quodcunque supplicium eùm avellere poterat. *Quis ergò nos separabit à charitate Dei? tribulatio? an angustia? &c. certus sum, quia neque mors, neque vita &c. poterit nos separare à charitate Dei.* S. P. Augustinus; *Nolite putare quia veri in miseria fuerunt fideles, cùm in catena ambulaverunt: habebant gaudia in catastâ, qui Christum prædicabant inter tormenta.*

Carceres SS.Martyrum. Act 17.29. Rom. 8. S.Aug. in Ps. 96.

Miles beneficus. Eucharistiæ institutio. Christus mortuus. Aug. serm. 107. de Temp.

456. Defuncto Ranutio Farnesio, Parmensium Duce, Leonem depinxêre, circùm cujus fauces apum examen volitabat; cum lemmate, A FORTI DULCE. Innuebant videlicet, ab eo, veluti studiorum Mecænate, plures Academias, cumprimis verò Universitatem Parmensem, ortum suum trahere. Alius, militem benignum & affabilem significans, eidem Emblemati inscripsit; A FORTI DULCEDO. Idipsum nonnemo non sine ingenio de Dei filio intelligit, qui in castigandis mundi sceleribus formidandum Leonem sat diu imitatus, paulò post, morte propinquante, dum SS. Eucharistiæ Sacramentum instituit, in melleos favos longè suavissimos se ipsum convertit. Aliter S. P. Augustinus; *De mortui leonis ore, id est de Christi morte, qui accubans dormivit ut Leo, apum, id est, Christianorum processit examen.* Eò Devotus quidam collimans, de interempto Samsonis Leone canit.

Obvia crudeli laniârat corpora morsu
Armatus rabie, dentibus, ungue, Leo.
Nunc jacet exanimis, mirum! nunc morte peremptus,
Egerit è forti mella, favosque sinu:
Qui leo terrificis totum laceraverat orbem
Ignibus, undisonis fluctibus, atque minis,
Mitescit moriens, ac mellea munera præbet;
De forti dulcis, de comedente cibus.

Judic. 14. 14. Mors dulcis. Aug in Gal. 115.

457. Eidem leoni mortuo, & apibus circùm ipsius fauces volitantibus, inscripsi; HORRIDA, SED MELLEA. Mens Emblematis est, mortem, Samsonis Leoni persimilem, priusquam Christus de illa triumphârat, omninò formidandam extitisse: at verò ab eo superatam, fauces, suavissimo melle condulcatas, exhibere. S. P. Augustinus; *Omnes mori gemimus. Consolatus est ille, qui mortuus est, ne mori timeremus.* P. Ægydius à S. Joanne Baptista, Augustinianus Excalceatus, in rem præsentem canit.

Hausit inexpleto multos fera bellua rictu
Mortales animos mors, ubi viva fuit.
Hinc ubi salvifico cessit mors mortua Christo,
Protinùs imbelli nil tibi dente nocet.
Horrida conspectu, sed dulci est mellea fructu,
Ambigis? I gusta, quos gerit ore, favos.

S.Petrus. S. Aug. in Joan. c. 18.

458. D. Petrus, ad focum consistens, penitùs turbatus, Magistrum suum negavit; Gallo verò audito, totus compunctus, ad frugem rediit. Unde Lucarinus, miram hanc Apostoli metamorphosin ob oculos positurus, Leonem expressit, qui ex uno latere flammam, ex altero verò gallum habebat, cum lemmate; ALTERUTRO COMMOVEOR INSPECTO. Sicuti enim Leo visâ flammâ aut gallo audito plurimùm commovetur, ac turbatos in pectore fluctus ciere solet; ita idipsum sensit Apostolus, tam è flammæ præsentia, quàm è galli auditu altùm exterritus. Unde Leoni huic, paulò ante fortissimo, nunc autem à reculis vilissimis exterrito, commiserans Magnus Augustinus; *Ecce*, inquit, *Columna firmissima ad unius auræ impulsum contremuit: ubi est illa promittentis audacia, & de se plurimùm præsumentis? ubi sunt verba illa, quandò ait; Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo?* Quare sibimet exprobrans Apostolus, ità potest canens introduci.

Che maraviglie strane,
In questo sen protervo,
Con mia vergogna, e mio tormento observo?
Se presso al foco jo giaccio,
Del mio spirto il ardor diventa un ghiaccio,
E se il solare augello inalza il canto,
Io mi distillo in pianto.
Non d' huomo hai tù: mà d' un rio mostro il core,
Cui le flamme, ed il gallo empion d' orrore.

Homo formidolosus. Senec l. 3. de Ira cap. 30. S. Joan. Chrys. sest. Hom. 2. in Matth.

459. Si præsupponas, Leonem è flammæ conspectu, aut è cantantis galli auditu, vel etiam è prætereuntis rotæ strepitu terrificari, epigraphen subjunges; TURBATUR FRIVOLIS. Ita omninò fieri amat, maximi animi homines nonnunquam levissimâ occasione concuti ac turbari. Seneca in hanc rem facundè ait; *FRIVOLIS TURBAMUR, & inanibus. Taurum Color rubicundus excitat, ad umbram aspis exurgit, Ursos, Leonesque mappa proritat. Omnia, quæ natura fera ac rapida sunt, consternantur ad vana. Idem inquietis, & stolidis ingeniis evenit: rerum suspicione feriuntur, &c.* S. Joannes Chrysostomus de Herode; *qui turbatus est*, ait, *semper major potestas Majori timori subjecta est. Sicut enim rami arborum, in excelso positarum, etiamsi levis aura flaverit, moventur; sic & sublimes homines, etiam levis nuntii fama conturbat.*

Eleemosyna. Confessio. Orig. Hom. 2. in Ps. 37.

460. Leo, sese ingluvie oneratum sentiens, mox cibo è faucibus retracto, pristinam agilitatem recipit; Unde cibum è gutture repetens, epigraphen tenet. SPONTANEUM LEVAMENTUM. Ita eleemosynis elargiendis dediti; vel pœnitentis, ad sacerdotis pedes prostrati; propriam conscientiam à vitiorum gravedine exonerare conantur. Origenes. *Sicut hi, qui habent intus inclusam escam indigestam, si vomuerint, revelantur; ita etiam hi, qui peccaverint, siquidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecùs urgentur, & propemodùm suffocantur. Si autem quisque sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam.*

461. Leo, ursus aliæque similes belluæ, linguam instar limæ asperam habent. Unde P. Camillus Anticus Leonem Emblematis loco exprimit, qui manum lambens, vivum ex illâ sanguinem

Detractor guinem elicit; addito Lemmate. VULNERAT ET LAMBENS. Ita prorsùs Detractorum linguæ, dum blandiri ac laudare censentur, offensas & vulnera infligunt. S. Bernardus; *Levis res sermo: tenera, mollis, & exigua caro lingua hominis --- levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat.*

S.Bern. ser. de Tripl. Custod.

462. Joannes Ferrus medicinæ symbolum Leonem statuit, qui simiam devorans, subscriptionem habet; MORBUS DEPELLITUR ESCA. Eam enim proprietatem sibi Leo à natura ingeneratam habet, quod ægritudini suæ medicaturus, simiam pharmaci loco conquirat; eam que avidè glutiat. Unde lemma. MIHI MEDELAM. P. Nicolaus Causinus hoc Emblemate Magnatum illorum tyrannidem describit, qui insatiabilem suam cupidinem egenorum strage exaturare conantur. Verba ipsius sunt; *Leo vir potens, ira morbus; simia tenuis homo. In tenuiorum enim jugulis potentium ludit mucro &c.* Porrò divites utilitatem ac quæstum suum in conquisitis aliorum bonis investigant, sicque, Leonum more, egenos devorant. S. P. Augustinus; *Devorant populum, qui sua commoda ex illo capiunt, non referentes ministerium suũ ad gloriam Dei, & ad eorum, quibus præsunt, salutem.*

Medicina. Tyrannus. Nic. Causin. Parab. Hist. l. 7. c. 71. S. Aug. in Psal. 13.

463. Cardinali San-Sisto ab Abbate Ferro Leonis Emblemate est honoratus; qui apertis oculis dormire solitus, epigraphen tenet. DEGIT IN EXCUBIIS. S. Ambrosius, illa D. Lucæ verba contemplatus, quòd Christus *erat pernoctans &c.* ait; *quasi quia aliter Patrem nobis reconciliare non posset, sed ut, qualis advocatus esse debeat, demonstraret, qualis Sacerdos, ut non solùm diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat precator assistere.* Quare Ministri Dei vigilantiam ab ipso Deo suo discere allaborent. De hoc Lipsius; *Vigilat semper Divinus oculus, & cùm dormire eum censes, connivit.* Et Andreas Alciatus;

Vigilantia. S. Ambr. ser. 10 in Ps. 118. Luc. 6. 12. Lips. l. 2 de Constant. c. 15. And. Alciat. Embl 15.

Est leo, sed custos, oculis quia dormit apertis,
Templorum idcirco ponitur ante fores.

464. Carolus Rancatus indefessam Principis vigilantiam Leonis recumbentis emblemate delineat, hemistichio lemmatis vice addito. DORMIT, NEC LUMINA CLAUDIT. vel idiomate vernaculo. SE BEN DORME TAL HORA, OCCHIO NON SERRA. Christianorum hi mores sunto, ut corpore dormiente, apertos semper habeant animarum oculos, & ad Deum vigiles. S. P. Augustinus; *Illud cavere debemus, ne ipsa anima nostra dormiat: malus est enim somnus animæ; bonus somnus corporis, quo reparatur valetudo corporis: somnus etiam animæ est, oblivisci Deum suum: quæcumque anima oblita fuerit Deum suum, dormit.* Cæterùm lemma Italicum D. Marinus subministrat, ubi in panegyrico suo poëtico Henricum IV. Galliæ Regem dilaudans, canit;

Vigilantia. S. Aug. in Ps. 62. D. Marin in Paneg. Poet. Stanz. 92.

Quasi quasi leone ardito, e fiero,
Se ben dorme, tal hor occhio non serra;
Posa, s' non assonna, e con pensiero
Sol di pace amator vigila in guerra.
Per ministri guerregia; e mentre siede,
Nulla oblia, molto cura, e tutto vede.

465. Leo, capite cooperto, & oculis velamine obductis, pristinam ac nativam crudelitatem exuit, miramque induit mansuetudinem. Plinii verba sunt; *Vix credibili modo torpescente tantâ illâ feritate, quamvis levi injectu operto capite.* Unde lemma. MITESCIT IN UMBRIS. Certè Deus, ab orbe condito instar leonis formidandus; posteaquam humanitatis nostræ exuviis fuit coopertus, & intra sinus virginei umbr. s repositus, prorsùs benignum, & pro libitu nostro placidum sese exhibere cœpit. S. Antoninus; *Deus ultionum puniens terribiliter, intrans in uterum Virginis, totus factus est benignus, suavis, & humanus.*

Plin. l. 8. c. 16. Deus in Mariæ V. utero. S. Antoni. p. 4 tit. 15. 22.

466. Leo summum in pectore robur habet; Plinio asserente, *Vis summa in pectore.* Unde Gambertus Leoni, in theatro adversùs belluam quamdam confictanti, epigraphen è Statio subjunxit. IN PECTORE VIRES; vel; IN PECTORE ROBUR. Adeò nempe Heroum fortitudo in corde principem suam sedem collocatam habet; unde generosum hominem, veluti proprio epitheto; *cordatum* dicimus. Horatius;

Stat. 2. Theb. Generositas. Horat. in E

Nec tu corpus eras sine pectore.

Porrò hominis Christiani robur spirituale omne in corde situm est; *In omni namque creatura, quæ sub sole vanitatibus mundanis occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque Deo similius reperitur: quapropter nihil aliud quærit à te, nisi cor tuum; Fili præbe cor tuum mihi.* Hactenùs Hugo Victorinus.

Hug Vict l. de Anim.

467. Leones, terrâ nivibus undique conspersâ, maximis viribus, ac robore intensissimo invalescunt: cùm enim naturâ suâ toti sint ignei, illorum calor, inter hyemis rigores per antiperistasin magis collectus, ardentissimè accenditur. Unde Leo, inter nives depictus, epigraphen tenet. AUGENT CONTRARIA VIRES. Generosus miles, hostem magnanimum ac bene munitum è fronte cernens; mox pectoris sui vires colligit, & geminato robore illum aggreditur. S. Ephræm Syrus de gloriosis Christi athletis disserens, ait, *Subjecta oculis expavescenda tormenta adversùm se parata, non solùm nihil reformidarunt, sed & majori constantia decertantes, omnia perferendo fortiter superaverunt.*

Generositas. SS. Martyres. S. Ephr in SS Mart. laudatione.

468. Hostium assultus magnanimo pectori adeò nihil terroris incutiunt, ut potius, instar cotis, ad ipsius vindictam & generositatem exacuendam deserviant. Haud secus ac lanceæ, adversùs leonem vibratæ, Gamberto asserente; ACUUNT IRAS. Ad verbum Virgilius;

Generositas offensa. Virgil. l. 2. Æneid. v. 590.

--- Magnisque acuunt stridoribus iras.

Ita cùm Turnus, stimulante animi furiosi rabie, adversùs armatum Ænæam concitaretur;

Idem, v. 101

Æneas acuit Martem, & se suscitat irâ.

Idem Æneas, ab insidiantis Messapi lanceâ se vulneratum sentiens, in justissimas iras exarsit;

Ibid. v. 494

Tum verò assurgunt iræ, insidiisque subactus,
Terribilis sævam nullo discrimine cædem
Suscitat.

Porrò superbus, ærumnis & calamitatibus à Deo impeditus, adeò exinde non mitescit, ut potiùs in impatientiam, & indignationem majorem effervescat; *Elatum enim cor*, inquit S. Bernardus, *durum & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis.*

Superbus. S. Bern. ser 1. de Divers

469. Princeps benignus & affabilis, cum domesticis aut subditis suis familiariter agere non dedignatus, Leonis Emblemate exhibetur, qui cum minoribus leonibus ludens epigraphen sustinet; IMPARIBUS ULTRO. Lampridius hanc humanitatem in Alexandro Severo mirè deprædicat; *Tantæ*, inquit, *moderationis fuit, ut omnibus se*

Princeps affabilis. Lampr. in Alex. Sever.

se blandum, affabilemque praeberet, ut amicos non solùm primi, ac secundi loci, sed etiam inferiores aegrotantes viseret. Eodem encomio Theodosium Imperatorem celebrat Claudianus; [Claud. de 6. Consul. Honor.]

------ Cùm se melioribus addens
Exemplis, civem gereret terrore remoto,
Alternos cum plebe jocos, dilectaque passus
Iurgia, patritiasque domos, privataque passim
Visere, deposito dignatus lumina fastu.

470. Idem Abbas Ferrus magnanimitatem Cardinalis San-Sisti Emblemate significaturus, Leonem depinxit; cum inscriptione, UBIQUE LEO. Ab hoc argumento non multùm alienus D. Didacus Saavedra, ut imperterritum ac generosum Principis animum, inter omnes sive blandientis, sive adversantis fortunae vicissitudines numquam sibi dissimilem, exprimeret, Leonem figuravit; qui se ipsum in plurimis unius speculi fragmentis contemplatus, suam imaginem ubique ita aequalem vidit, ut in majore speculi particulâ aeque, ac in minore, totam, eandemque deprehenderet. Epigraphen addidit. SEMPER IDEM. Piso à Galba in filium adoptatus, inter has fortunae blanditias immobilem se ostendit; *Ferunt*, inquit de illo Cornelius Tacitus, *nullum turbati, aut exultantis animi motum prodidisse. Sermo erga Patrem, Imperatoremque reverens, de se moderatus, nihil in vultu, habituque mutatum; quasi imperare posset magis, quàm vellet.* Eodem planè vultu Otho Imperator fortunam adversam, ipsamque adeò totius Imperii jacturam excepit; *Placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lachrymas coërcens.* His tamen longè superior Alphonsus, Aragoniae Rex, utriusque fortunae lusum adeò tranquillè est expertus, ut, Antonino Panormitano teste, *Idem illi semper in omni fortunâ vultus; idem habitus, sermo idem, mansuetudo, benignitas, humanitas &c.* [Animus imperterritus. Generositas.] [Corn. Tac. l.1. Hist. n.6.] [Idem. l.1. Histor.] [Panorm l.4. c. 10.]

471. Alcibiades Lucarinus jacenti Leoni subscripsit. TERTIA DIE RESURGET. Ajunt enim, dormientem leonem nonnisi tertiâ die expergefieri. Christus, accommodatè ad hanc ideam, in sepulchro recumbens, tertiâ die prodiit redivivus. Hujus typum praemiserat Deus in Isaaco, qui Supremo Numini in victimam destinatus, tertiâ die ad charissimae matris suae amplexum incolumis est reversus. Jonas Propheta post tres dies è balaenae visceribus extractus, vitam ac sanitatem recepit. Dilucidè id vaticinatus est Oseas; *In die tertiâ suscitabit nos*; id est, tanto dierum intervallo Christus redemptionis nostrae negotium plenè absolvet: cui ipsemet Servator assentiens, *Solvite templum hoc*, inquit, *& in tribus diebus excitabo illud.* Et S. Paulus; *Quia resurrexit tertio die secundùm Scripturas.* Jonam Prophetam multis cum Christo comparans Sanctus Pater Augustinus, tandem ait; *Tertio die Propheta littori incolumis est redditus, die tertio Christus de sepulchro surgens, super coelos est exaltatus, &c.* [Christus resurgens.] [Osea. 6. 3.] [Io. 2. 19.] [1. Cor. 15. 4.] [S. Aug. lib. 4. de Symb. c. 6.]

472. Ranutio I. Parmensium Duce, ex hac in alteram vitam decedente, Leonis emblema statuerunt; addito epigrammate. PAR ANIMO ROBUR. Innuebant videlicet, animi generositatem corporis robori in Principe illo ex aequo respondisse. Et certè si de Leone sermo sit, luculentum ejus testimonium è Cornelio à Lapide his omnino verbis accipe; *Vidimus*, inquit, *Leonem, in quem immissi canes venatici, & molossi, cùm unus eum fronte apprehenderet, alii auribus, alii caudâ, alii dorso, & alii pectore, immotum persistere: ac cùm jam planè canibus circumdatus esset, singulos pedibus complecti, ac omnes ex ordine à primo ad ultimum sigillatim lacerare & discerpere, eâ facilitate & quiete, quâ chartam discerpimus.* Si verò de generosis & invictis Principibus ideam expectas; Godefridum, Austrasiae Ducem, intuere; ut Davidem, Samsonem, Judam Machabaeum, aliosque innumeros praeteream. Inter hos cumprimis etiam excellit Georgius Castriottus, Epirotarum Princeps, qui, non sine ingenti Othomannicae potentiae probro, rempublicam suam validissimè vindicavit: eo insuper brachii robore instructus erat, ut unico ictu apri & tauri capita amputare; vel etiam duos homines simul transversim dissecare posset: plura, si lubet, de illo ad miraculum legito apud Petrum Matthaeum. Caeterùm Sancti Martyres; coelesti robore instructi, parem demonstrârunt animum; quando tyrannos ac supplicia omnia generosè devicerunt. *Habetis virorum fortium magna exempla*, inquit S. P. Augustinus; *Vicerunt Martyres mundum. Inter quos Martyres mares, etiam foeminae repertae sunt.* [Magnanimitas & fortitudo.] [Corn. à Lap. in ca. 28. v. 1. Proverb.] [Pet. Matt in Hist. Ludov. XI. Vol. 1. l. 4.] [SS. Martyres.] [S. Aug. de Temp. barbar. c. 5.]

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath Tom. I.

473. Leo, à caprâ vinctus & subjugatus, epigraphen non injucundam sustinet; E DI TAL VINCITOR SI GLORIA IL VINTO. Id est; DE TALI VICTORE TRIUMPHAT. Heroum illorum insaniam hinc colliges, qui non rarò unius lascivae muliercul ae imperiis animum & colla submittunt. Inter hos minimè postremus Samson, penè solatii loco habuit, à sceleratâ ac perfidâ Dalilâ ligari. S. Ambrosius; *Samson validus & fortis leonem suffocavit, sed amorem suum suffocare non potuit. Vincula solvit hostium, sed suarum non solvit nexus cupiditatum. Messes incendit alienas, sed unius ipse mulieris incensus igniculo, messem suae virtutis amisit.* Hercules, Joles amore totus insanus, colum supra humeros portare, & ipsâ jubente, muliebri veste indutus, nere visus est. Emblematis mentem nobili disticho ita explicat meus Carducius. [Miles lascivus.] [Iudic c. 16.] [S. Ambr. l. 1. de David.]

Horribilis Leo, dum capreo innodatur amore,
Fit caprae lusus, qui modo terror erat.
Heroum leo sic Samson, terrorque Philistim,
En! Dalilae vinclis fit jocus ipse lupae.

474. D. Didacus Saavedra Leonem apertis dormitantem oculis, hoc lemmate insignivit; NON MAJESTATE SECURUS. Innuens videlicet, Principis securitatem non unâ duntaxat Majestate ac potentiâ niti debere, sed necesse insuper esse, ut oculos vigiles & in omnem partem apertos habeat. Christianus quoque, tametsi ad Dei imaginem creatus, plurimisque virtutum ornamentis conspicuus, numquam tamen non vigilet, ne hostis vaferrimus incautum sternat. Nam, quod S. Gregorius docet, *Quibusdam saepè magnitudo virtutis fuit occasio perditionis: ut, cùm de confidentia virium inordinatè securi essent, per negligentiam inordinatè morerentur. Mater enim negligentiae solet esse securitas.* In rem praesentem opportunè à Saavedra adducitur Homerus; [Princeps cautus.] [Securitas.] [S. Greg. in Pastoral.] [Saaved. Symb. 45.]

Non decet ignavam totâ producere fortem
Nocte virum, sub consilio, sub nomine cujus
Tot populi degunt, cui rerum cura, fidesque
Credita summarum.

475. D. Jacobus Certanus Abbas Symboli loco Leonem statuit, qui apertis oculis dormiens, epigraphen tenet; SE BEN HO' GLI OCCHI APERTI, IO NULLA SERNO. Id est; OCULIS NIL CERNIT APERTIS. Ita humana prudentia plerumque omnium maximè caligat, quando se oculatissimam credit. Perspicuè id è Judaeorum concilio cernere licet, in quo de Christo interficiendo consultabant. *Est autem*, inquit de iis Origenes, *per ea, quae dicuntur ab ipsis, considerare eorum insipientiam, & caecitatem. Insipientiam quippe, quia testificabantur illum & multa peregisse miracula,* & [Prudentia mundi.] [Orig. in Cat. Thom. super Ioan.]

& tamen æstimabant, se posse adversùs eum æmulari &c. Cæcitatis autem hoc ipsum erat, ad facientem enim tot miracula pertinebat, ut se ab eorum insidiis eximeret &c.

476. Leo, è caverna sua progrediens, vestigia, à se impressa, pulvere explet, & caudâ complanat, ne venatoribus ullam sui investigandi suspicionem relinquat. Unde lemma. CONTEGO, NE DETEGANT. Ita prorsùs verus pœnitens, ne venatoris tartarei casses incurrat, præteritæ vitæ suæ vestigia virtutum & sanctarum operationum acervo studiosè exequare conetur. E B. Alberti Magni doctrinâ, *Necesse siquidem nobis est, ut vestigia malorum operum, quæ facimus, caudâ boni operis maturè deleamus, ne in manus diaboli, qui est animarum venator acerrimus, incidamus.* Horatius;

Pœnitens.

B. Alb. M. serm de S. Marco.

Horat. 3. Carm. Ode. 24.

Scelerum si benè pœnitet,
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa.

Eandem leonis proprietatem, etsi diverso modo, applicat S. Antonius de Paduâ; *Leo*, inquit, *vestigium suum caudâ delet, ne à venatoribus capiatur: sic Prælatus consideratione supremi finis bona sua debet occultare à vana gloria, & quasi annihilare.* Quare opera nostra bona, ne assiduis Orci insidiis Pateant, sedulò abscondantur, necesse est.

Vana gloria.

S. Ant. Pad. serm. de Evang.

477. Leonibus, uti & lupis, aliisque feris animantibus, inscriptio convenit; RAPTO VIVERE JUVAT. Tyrannos, eosque omnes, qui Marti aut violentiæ addicti, rapinis vivere solent, hæc imago spectat. Justus Lipsius; *Furta in bellis quis hodie punit? imò quis raptus? imò quis cædes? Nā stupra & adulteria jā inter facinora militaria censentur & quæ poscant aliquam coronam.* Nero deripiendis aliorum bonis totus quantus deditus, quoties aliquem novo munire initiârat, dicere est solitus; *Scis, quibus mihi est opus, & hoc agamus, ne quis quid habeat*; quæ verba latronem potiùs, aut Harpygiam, quàm Principem & Imperatorem decuissent; Vespasianus Imperator homines quosvis rapacissimos ad dignitates & reipublicæ munera ideò solum promovebat, ut postea omnes eorum opes, ingenti numero collectas, fisco addicere, & in proprium commodum convertere posset: unde in adagium transiit, Imperatoris Ministros spongiarum loco deservire, quæ ingurgitarentur aridæ, & comprimerentur plenæ.

Rapina.

Iust. Lips. lib. 5. de Milit. Rom. Dial. 20.

Apoph. Lycost de Rapacit.

478. In aliquot Africæ partibus, quando Leones provinciam ingenti numero oberrant, passimque omnia depopulantur; Incolæ è leonibus unum, cruci affixum, ac mortuum, publico loco exponunt; quo viso, reliqui omnes exterriti, fugam arripiunt. Unde Leo, in crucem fixus, epigraphen habet; PER PENA, E PER TERRORE. Id est; UT DET POENAS, ET TERREAT. Ita Romani si exercitum contra honestatis leges delinquere contigisset, missâ sorte, decimum quemvis capite plectere sunt soliti. *UT METUS*, Tullii verba sunt, *AD OMNES, POENA AD PAUCOS perveniret.* S. Cyprianus de suppliciis, quibus Deus in sceleratos animadvertere solet, ait; *PLECTUNTUR interim QUIDAM, UT CÆTERI CORRIGANTUR. Exempla sunt omnium, tormenta paucorum.*

Castigare.

Tull. pro Cluent.

S. Cyprian. serm. 5 de lapsis.

479. Leo tantam è vultu suo majestatem diffundit, ut minores feræ, solo illius aspectu exterritæ, aufugiant, & ipsi etiam venatores insolito aliquo stupore capiantur. Unde lemma. FUGAT ASPCTU. Dæmones, visis S. Ubaldi Lipsanis, è corporibus energumenorum diffugiunt, suosque inferos repetunt. Porrò etiam ad unam Principis præsentiam homines facinorosi, terrore perculsi, extra civitatis aut Provinciæ limites jugantur. Agapytus; *Quemadmodum leone subsistente, ac respectante, hærent venatores, sit etiam principe constanter agente, malorum impetus franguntur.*

S. Ubaldus.

Præsentia Principis

Agap. Epist. Paræn. ad Iustin.

480. E Senecæ sententiâ, Leo tantò plus habet venustatis, quò plus horroris spirat. *Hic impetu acer, speciosus ex horrido, cujus hic decor est, non sine timore aspici.* Unde epigraphen subjunxi. HORRORE DECORUS. Austera Religiosorum vita, consentaneè ad hanc ideam, ab ipso severioris disciplinæ rigore, studiosè & ad amussim observato, plurimùm ornamenti ac reverentiæ sortitur. Ita etiam intemerata Virginum conditio pretium ac existimationem sui tantò majorem accipit, quò adversùs hostium insidias extiterit rigidior. Eundem Senecam audi. *Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem ex æquo Deos, non subibit te veneratio ejus? &c.* Annæo Senecæ concolor Seneca Tragædus;

Senec. Epist. 41.

Religiosorum vita austera.

Virginum vita.

Senec loc cit

Senec. in Hippolit Act 2.

Quàm grata est facies torva viriliter,
Et pondus veteris triste supercili!

481. Leo, per nemoris invia concitato furore oberrans, à D. Archangelo Conter illa D. Petri verba lemmatis loco accepit; QUÆRIT, QUEM DEVORET. Tyranno, aut avaro, vel etiam vitioso Principis ministro hæc imago convenit, quorum unica est solicitudo, quomodò aliorum divitias & sanguinem crudeli ore exugere queant. Sensum hunc ipsamet Sacra Pagina subministrat, ubi Pharaonem, avarum ac crudelem principem, cum leone, per sylvas divagari solito, comparat. Ezechielis verba sunt; *Leoni gentium assimulatus es.* Quare geminus hic character, nimirum sanguinaria crudelitas, & insatiabilis rapina, tyranno cum Leone communis est. Ab hoc argumento non multùm alienus S. Hieronymus, de quodam Africæ tyranno ait, *Quasi Orcus in Tartaro, non tricipitem, sed multorum capitum habuit Cerberum, qui CUNCTA TRAHERET, AC LACERARET.* Unde Petrus Gregorius, sicut zelum, & sedulam ad subditos juvandos industriam vocat veri Principis indicium, ita vicissim ait, quòd *Tyrannorum proprium est, & signum, omnia, quæ in republica agunt, potissimum ad suam utilitatem, honorem, gloriam, seu ambitionem, aut lucrum agere: unde evadunt populis odiosi, meritò, ut pro pastoribus facti lupi rapaces.* Huic vitio antesignanos sese præstitêre David, qui Uriæ à se interempto, uxorem & sanguinem eripuit. Achab, qui innocuo Nabori vineam & vitam extorsit. Herodes, qui sacrilegas manus in præcursoris viscera convertit &c.

Avarus. Tyrannus

Ezech. 32.

S. Hieron. Epist. ad Demetr. de servanda Virgin.

Pet. Greg. Republ. c. 8. l 24. n. 12.

482. Leo, capite obvelato, vilescit, omnemque majestatis suæ terrorem perdit. Unde lemma Hispanum; SU BRAVEZA SE PIERDE. Id est; VILESCIT ANIMI ROBUR. Ita Judex, oculos suos affectuum aut proprii commodi velamine obduci passus, genuinam Judicis authoritatem perdit, ac libertatem, muneri suo convenientem, captivat. S. Ambrosius; *Munera excæcant oculos Iudicum, & vim authoritatis inclinant.* Huic malo Deus cautum volens, sapientissimè præcepit, *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Id quod plurima in orbe testantur exempla. Jacob munerum violentia militares ac formidandas Esau fratris sui manus cohibuit, iisque

Judex vitiosus.

S. Ambr. 1. Corinth.

Exod. 23. 8

Gen. 32. 14

Reg.19.26. iisque sua excussit arma. David muneris cujusdam robore ad injustissimam sententiam, pro Sibâ adversus Miphibosethum pronuntiandam, est persuasus. Abi-
Reg.25.18. gail, donis quibusdam instructa, foribundas flammas, in offensi Davidis pectore succensas, extinxit; eumque Leone terribiliorem, in mansuetissimam oviculam commutavit. &c.

Animus imperterritus. Horat. 483. Imperterritum hominis animum Leonis emblemate adumbrabis, qui lanceis ac sagittis impetitus, epigraphen ex Horatio sustinet; IMPAVIDUM FERIENT.

Iustum & tenacem propositi virum
Non civium ardor, prava jubentium;
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solidâ, &c.
Si fractus illabatur orbis
IMPAVIDUM FERIENT ruinæ.

S. Prosp. Epigr. ultimo. S. Prosper de heroica ac imperterrita sua fortitudine sequens epigramma concinit.

Ignem adhibe, rimare manu mea viscera tortor,
Effugient pœnas membra soluta tuas.
Carcere si cæco claudar, nectarque catenis,
Liber in excessu mentis adibo Deum.
Si mucrone paret cervicem abscindere lictor,
Impavidum inveniet mors; ita pœna brevis.

Prov. 28. 1. Et Salomon; *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit.* In hunc sensum canit Joannes Audenus;

Qui recte vivit, contemnit jura superba.
Conscia mens recti nil timuisse potest.

Opes abconditæ. 484. Divitiæ, quantò arctius intra scrinium fuerint asservatæ, tantò majorem sui possidendi ardorem in avari pectore succendunt. Huic rei significandæ Leonem, in carcere coarctatum, depinxêre; cum
S.Io.Chrysost. Hom. 14. de Avaris. lemmate. ANGUSTUS EFFERATUR. S. Joannes Chrysostomus; *Leones, dum includuntur, coercenturque in tenebris, erigunt animos, acuuntque iras. Itidem & divitiæ, dum includuntur & defodiuntur, acrius rugiunt quàm leones, perturbantque omnia.*

Animus imperterritus. 485. Marchione Guidone de Villa in obsidione Cremensi interempto, funebris Symboli loco duos Leones depinxêre, qui mutuâ cæde congressi, epigraphen sustinebant. CEDI, QUAM CEDERE. Innuebant videlicet, magnanimum herois pectus mori malle, quàm hostium conatibus cedere. Leonidas, Spartanorum Bellidux, cum trecentis duntaxat concivibus suis adversus immensum Persarum exercitum, ab ipsomet Rege Dario conductum; arma sumpturus, pauculos quosdam cibos militibus suis;
Cicero Tuscul. & Plutarch. prandii loco obtulit; eosque ad pugnam generosè committendam hoc dicto excitavit; *Prandete hîc commilitones, tanquam apud inferos cœnaturi;* uti refert Cicero.

Pœna. 486. Qui leonem cicurare, ac dicto obedientem efficere cupiunt, nunquam illum, sed ejus vice propinquum canem percutere solent, ne ob plagas proprias in furorem actus, intractabilis evadat. Unde lemma; DAL ALTRUI PENA IMPARO. Id est; ALTERIUS POENA PROFICIO. Ita supplicia, in aliquos sparsa, cæteris documenti ac
Prov. 19. 25. cautelæ loco sunto. Dilucidè Divina Pagina; *Pesti-*
S.Greg.Naz. *lente flagellato, stultus sapientior erit.* S. Gregorius Nazianzenus; *Pœna*, inquit, *sæpè eos, qui peccant, meliores reddit: sin minùs, eos, qui ad ipsos accedunt: etenim aliorum cruciatus, multos ad meliorem frugem*
Hug. Card. in c. 32. Ezech. *convertunt, metuentes, ne eadem patiantur.* Succinctè, & plurimum ad rem nostram Hugo Cardinalis; *Canis verberatur, ut leo timeat. Eodem modo dæmones & peccatores puniuntur, ut boni timeant.*

Minor prævalet contra majorem. 487. Gallo canente, mox Leo cedere, ac fugam moliri solet. Unde lemma. CEDIT IMBECILLIORI. Ita non rarò ingens exercitus unico belliduci, tametsi infirmiori, cedit. Certè Regis Antiochi exercitus, equis ac militibus numerosissimus, ab exiguo peditum Hebræorum manipulo, Duce Judâ Machabæo, iteratis vicibus fusus fugatusque est.
Maffeius Hist. Indic. lib. 3. Laurentius Almeida, undecim tantùm navibus, ac octingentis militibus Lusitanis instructus, immensam Zomorini classem, sexaginta navibus onerariis, ac centum & triginta minoribus constantem, innumeris insuper militibus & armis munitam, superavit,
Idem l. 15. ac sex millia hostium interfecit; sex tantùm è suorum numero desideratis. Rursus quatuor mille & trecenti pedites Lusitani, ac centum octoginta equites integrum Turcarum & Arabum exercitum, nimirum octo millia peditum, & septingentos equites, ad internecionem deleverunt. Dæmones quoque, instar ferocium leonum, cum sagarum turmis inter nocturnas umbras passim circumvecti, percepto gallicinio, in fugam convertuntur. De his Prudentius;

Ferunt vagantes dæmoneas,
Lætos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos,
Sparsim timere & cedere.

Cedere. Cæterùm vir prudens, ab omni litigio alienissimus, passim omnibus, præsertim minoribus & imbecillioribus cedit, veluti tam ignavo sanguine cruentari no-
Cassian. in Psalm. lens. Providè monet Cassianus; *Summoperè jurgia fuge: nam contra parem contendere, anceps est; cum superiore, furiosum; cum inferiore sordidum.*

Calamitas utilis. 488. Leo, caudâ percussus, ab Academico, inter Venatores Venetos Expergefacto, inscriptionem accepit; DANT ANIMOS PLAGÆ. Ita virgarum ictus juventutem ad litteras & virtutes probè perdiscendas excitant. Divina quoque flagella ignavis hominum mentibus stimulos subjiciunt, ad veram bonitatem ac perfectionem sectandam. Perspicuè A-
Hebr. 12. 6. postolus, *Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit;* Id est, interprete S.
S. Ambr. in Ps. 118. Octon. 41. Ambrosio, *Asperioribus exercet pater filium, quàm Dominus vernaculum: sed dura patris non æstimantur flagella; quia vult filium meliorem esse, quam servum.*

Virtus. 489. Tametsi mundi malevolentia debitos virtuti honores, plausus, ac præmia deneget; ipsa tamen sibimet pretium ac gloria sat ampla est, neque emendicato aliorum splendore indiget. Emblemate id demonstraturus D. Pompeius Vizanus, Nem ei leonis exuvias ab Herculis clavâ sustentatas, depinxit; addito lemmate. SIBIMET PULCHERRIMA MERCES. vel PRETIUM IPSA SIBI. Ad verbum Silius Ita-
Sil. Ital. l. 13. licus;

Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces.

Senec. Ep. 66. Præclarè Seneca; *Errare mihi visus est, qui dixit; Gratior est pulchro veniens de corpore virtus; nullo enim honestamento eget; ipsa & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat.* In rem præsentem Ovidius.

Ovid. 2. de Ponto.
------- Per se que petenda est
Externis virtus incomitata bonis.

Et Claudianus;

Claud. in Consul. Manlii.
Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi.
Divitiis animosa suis immotaque cunctis
Cladibus; ex alta mortalia despicit arte.

490. Militem, victoriis ac clementiâ insignem, leonis

leonis Emblemate describes; qui leporem; ad pedes suos prostratum, incolumem relinquit; cum lemmate. SINE STRAGE VINCIT. Philippus Norcarmius à S. Aldegunde, cùm à Margaritâ Austriacâ Valencenatum superbiam reprimere, & turbas, adversus Philippum II. concitatas, componere juberetur; negotium istud dexteritate ita felici est executus, ut, tametsi intra sex ac triginta horarum spatium tria millia plumbearum glandium è tormentis bellicis in civitatem sparserit, id tamen omne *mœnium, quàm hominum majori strage* factum est: unde postea explicatis vexillis publicum Valencenæ forum ingressus est, *sine cujusquam cæde, aut direptione domûs, quamvis civium opulentia invitaret, contumacia mereretur*; uti refert P. Famianus Strada. Ita nimirum Principes sine strage vincant, suosque subditos authoritate potiùs, ac clementiâ, quàm gladio aut suppliciis in officio continere nitantur. Seneca; *Nullum clementia magis ex omnibus; quàm Regem aut Principem decet; nam pestifera vis est, valere ad nocendum.*

Victor clemens.

P. Fam. Strad. Decad. 1. l. 6. de Bello Belg.

Princeps clemens.

Senec. l. 1. de Clem. c. 5.

491. Patris exemplum filios ad sui imitationem valido impulsu provocat; haud aliter, ac Leo, catulis suis cinctus, eos prævio exemplo crudeles efficit. Unde lemma. CO L' PROPRIO ESEMPIO A' INCRUDELIR GLI ACCENDE. Id est; EXEMPLO SÆVIRE DOCET. Id quod de parentibus corporalibus, longè maximè etiam de spiritualibus intelligas velim. Unde de Episcopo ait S. Hieronymus; *Domus Episcopi & conversatio, quasi in specula posita, magistra est publicæ disciplinæ; quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant.* In rem præsentem canit Torquatus Tassus;

Exemplû.

S. Hieron. in Ep. ad Heliod.

Tass nella Gerus. Conquist. l. 10. st. 28.

Così fero leon, gli orridi figli
Cui sù l'iergo la coma anco non pende:
Ne con gli anni lor sono i fieri artigli
Cresciuti, e l'arme de la bocca orrende;
Mena seco a la præda; & a i perigli;
E con l' esempio a incrudelir gli avende &c.

492. Catulus leoninus, in lucem edendus, maternum uterum disrumpit. Lemma. VIS NESCIA CLAUSTRI. Ita omninò Sanctus Christi Prodromus Joannes Baptista, in utero materno exilire; ac concuti visus est; veluti, carceris adeò angusti impatiens, egredi, ac liberâ aurâ perfrui desideràsset. De hoc S. Joannes Chrysostomus; *Non sustinet naturæ expectare terminos; sed contendit rumpere carcerem ventris &c.*

S. Jo. Bapt.

S. Io. Chrys. apud Metaphr. 2. Iulii.

493. Leo, audito vicini galli cantu, in fugam actus; epigraphen ex Horatio sustinet. FUGIT INERMEM. Dæmonis imbecillitatem hæc imago denotat, qui, tametsi, referente S. Petro, *sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret*; ad unius tamen, etiam inermis, hominis virtuosi vocem pleno impetu in fugam agitur. *Mihi credite*, inquiebat ad discipulos suos S. Antonius, *pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia; & unico sanctissimæ Crucis signo debilitatus aufugit.*

Horat. l. 1. Ode. 22.

1 Pet. 5. 8.

Dæmon timidus.

S. Ant. Abb. in Vit. Pat.

484. Alphonsus III. Dux Mutinensis, relicto Ducatûs sui dominio, Capucinorum ordinem est ingressus, ibique ad obedientiam, pauperrimus Religiosis exhibendam, solemni voto se obstrinxit; resolutionem adeò magnanimam P. Dominicus Gambertus Regii leonis emblemate significavit, qui à simplici puerulo passim circumductus, illa Statii *de leone simplici Imperatoris* verba, lemmatis loco subjuncta habuit; DIDICIT PARERE MINORI. Haud dubiè Princeps religiosissimus Divinum filium, Josepho nutritio, & Virgini Matri subditum, imitari, ejusque vestigia sequi voluit. In hanc rem Origenes; *IESVS Filius Dei subjicitur Ioseph & Mariæ.* Et S. Ambrosius; *Non utique infirmitatis, sed pietatis est ista subjectio.*

Obedientia.

Luc. 2. 51.

Orig. in C. aur. D. T.

S. Ambros.

495. Homo prudens, gravi offensâ lacessitus, nonnihil connivet, donec ad justas de illa pœnas expetendas majore vehementia accingi possit. Id quod meus D. Gregorius Brunellus Leonis emblemate demonstrat, qui ab altero sauciatus, corpore penitùs tranquillo tamdiu persistit; TOTAM DUM COLLIGIT IRAM; uti epigraphen hanc subministrans canit Lucanus.

Dissimulatio injuriæ

Lucan. 1. Pharf.

----- ----- Sicut squallentibus arvis
Æstiferæ Libies viso Leo cominus hoste
Subsidit dubius, totam dum colligit iram.

Absalon, infamem Ammonis incestum, cum Principe Thamare, sorore suâ, commissum, edoctus; injuriam adeò gravem duorum annorum intervallo prætermisit inultam; at postea, cùm Ammon minimè sibi caveret; inadvertentem in frusta concidit. Harpagus, cùm Astyages Medorum Rex ipsius filium trucidâsset, & inscio patri in convivio manducandum apposuisset, *ad præsens tempus dissimulato dolore, odium Regis in vindictæ occasionem distulit*, uti his omninò verbis refert Justinus. Nam paulò post Harpagus universorum Medorum exercitum Cyro, Persarum Regi, prodidit, & Monarchiam nobilissimam in extremam perniciem deturbavit.

2. Reg. 13.

Iustin. lib. 1

496. D. Philippus Maria Gallina, Canonicus Regularis Lateranensis, Leonem, sagittâ transfixum, hoc lemmate notavit; RESERVAT IRAM. Verbis è Siracide mutuatis; *Homo homini reservat iram.* Emblematis hujus corpus à Pierio Valeriano, in facinore quodam historico repræsentando adhibetur; aitque, illius imaginem hanc esse propriam, qui acceptam injuriam, compluribus annis in pectore suo dissimulatam, tandem loco & tempore opportuno ulciscitur. Certè Absalon infamiam, ab incestuoso Ammone sibi inultam, totò biennio texit, tandemque illam crudeli & sanguineâ strage ultus est. Clodovæus, Galliæ Rex, à milite quodam Gallo gravissimâ & temerariâ ignominiâ oneratus, *præter opinionem injuriam tulit patientissimè, dissimulatâque ira, vindictam in tempus reservavit*; eamque etiam post unius anni decursum in opus redegit, uti refert Zacharias Lippelous. Tales hodie leones potius, quàm homines, reperias complures, qui injurias, jamjam sepultas & inveteratas, oblatâ occasione revocant, & quàm possunt, acerrimè ulciscuntur. Tullius; *Turpe est maximè homini virtuoso (quidni & Christiano?) refricare injurias, & odiorum sopitos cineres denuò suscitare.*

Ecclesiast. 28. 3.

Vindicta.

2. Reg. 13. 22

Zach. Lippel in vitaS Remigii. 1. Octob.

Cicero l. de Amicit.

497. Leo cicur, in domus cujusdam pergulâ depictus, epigraphen è Statio refert; DEDIDICIT CÆDES. Concinnum hoc P. Dominici Gamberti emblema appositè Saulo, in Paulum commutato, attribues; qui paulò antè instar Leonis, *spirans minarum & cædis*, postea intra subdiale Christianorum ambulacrum deductus, totus evasit mansuetus, omnesque vires ad animas Deo lucrandas impendit; *Continuò in Synagogis prædicabat IESVM.* Porrò homo, si cœlestem aulam velit ingredi, cædes ac vindictas dediscat, necesse est; nam, Magno Augustino teste, *Iumenta mansueta vult habere Dominus. Esto jumentum Dei, sed ille super te, ipse regit te.*

Stat. de Leone mansueto

Paulus conversus

Act. 9. 1.

Ibid. n. 20.

Vindicativus.

S. Aug. in Ps. 33.

498. Cùm D. Cardinalis Benedictus Odescalcus, in Episcopum Novariensem electus, insigni pompâ ad S. Gaudentium, dignitate Pontificali inaugurandus, deduceretur; ad arcum quemdam triumphalem, illius honori erectum, gemini Leonis emblema

emblema affigebatur; quorum unus, Odescalcorum familiæ gentilitius, supra terram; alter verò intra Zodiaci fasciam in cœlo collocatus cernebatur; addito lemmate. TERRIS DOMINATUR; ET ASTRIS. Innuebant videlicet, tàm hunc, quàm omnes prævios antiquæ ac nobilissimæ illius civitatis Episcopos non spirituali tantùm Diœcesis Novariensis dominio; sed & temporali quoque Lacûs d' *Orta*, & confinium terrarum, donatos esse. Cæterùm hæc imago cumprimis Summo Pontifici, & aliis Principibus Ecclesiasticis est propria; ut adeò imago illa vaticinii loco fuisse videri possit, cùm Benedictus Odescalcus, hodie Innocentius XI. summo totius mundi applausu in Romanum Pontificem est electus; ubi potestate supremâ *terris dominatur & astris*, juxta illud Christi promissum; *quidquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis &c.* Cæterùm Emblema istud cumprimis Christus, *Leo de tribu Iuda*, sibi vindicat, qui *cœli & terræ cùm sit Dominus*, verissimè *terris dominatur & Astris.* S. P. Augustinus; *Christus in cœlo, Christus in terra: simul Christus & in cœlo & in terra, Christus apud Patrem, Christus in utero Virginis; Christus in Cruce, Christus apud inferos subveniens.*

Princeps Ecclesiasticus. Summus Pontifex. Matth. 16. Christus Dominus. Ioh. 17. 24. Aug. ser. 8. de verb. Dom. c. 4.

499. Leo, apertis oculis dormiens, à D. Sigismundo Laurentio epigraphen accepit. NEC IN SOPORE SOPITUR. S. Paulus, proximorum saluti vigilantissimè intentus, hâc icone repræsentatur; Ipsummet testem sibi locupletem audi; *Quis infirmatur*, inquit, *& ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror &c. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis &c.* Religiosis, aliisque piis animabus, eadem imago convenit, qui etiam cùm negotiis vacant, & ad quietem componuntur, cordis sui oculos semper ad Deum apertos retinent; possumque cum Magno Augustino dicere; *Ego requiesco à negotiosis actibus, & animus meus Divinis se intendit affectibus.* Et cum Sponsa; *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Vigilans Pastor. 2. Cor. 11. 29. & 6. 4. Otium sanctum. S. Aug. Tract. in Ioan. Cant. 5. 2.

500. S. Epiphanius author est, catulum à leæna edi cæcum, & (ut ita dicam) mortuum; in quem illa oculos suos toto triduo defixos habet; transacto tandem hoc intervallo, leo accedens, in exanimem catulum spirat, eumque & lumini & vitæ restituit. Emblemati meus Concanonicus D. Alexander Luzon de Millares epigraphen subdidit. SPIRITUS INTUS AGIT. Ita Ecclesia Catholica Spiritum Sanctum unanimi sensu & consensu vivificantem appellat, non aliâ ratione, quàm quia vitam spiritualem infundit; quia animam Deo affinem efficit; quia sine Sanctissimo Numinis ipsius afflatu nihil æternâ vitâ dignum efficere possumus;

S. Epiph. lib. Physiol. Spiritus S.

Sine tuo Numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Disertè S. P. Augustinus; *Si lux jubens adsit; & Spiritus juvans desit, per ipsam prohibitionem peccati, desiderio vincente atque crescente, etiam reatus prævaricationis accedit.* Et alibi; *Tantum Spiritu Sancto accenditur voluntas prædestinatorum; ut ideò possint, quia sic volunt: ideò sic velint, quia Deus operatur, ut velint.*

Aug. li. 21. Civit. c. 16. Idem de Con. Spirit. & Grat. c. 13.

501. Leo, fallendis venatoribus, omnia pedum suorum vestigia solet caudâ obducere, ac veluti oblitterare. Emblemati meus D. Alexander Luzon de Millares insigni suâ Ideâ Politica subscripsit; NOXIA TOLLO. In viris Religiosis cogitationes mundanas, ceu sæculi relicti vestigia, identidem videre est. Illæ tanquam indices & notæ supersunt; illæ nobis præcedentem superbiam, luxum, vanitates, libidines, voluptates, mundum denique cum omni vitiorum catervâ, veluti agmine facto, repræsentat. Illa vestigia nobis delenda sunt oblivione, aut certè obducenda, si diaboli casses exitare velimus: qui, tanquam callidus venator, nobis à tergo instat, jamjamque apprehendit. Demetriadem suam sic instruit S. Hieronymus; *Incentiva vitiorum statim in mente jugulabis, & parvulos Babylonis allides ad petram, in qua serpentis vestigia non reperiuntur.* Si è Magni Augustini præscripto, culpabile est, ea quærere in Monasterio, quæ in sæculo haberi non potuerunt; num minùs reprehensibile judicabitur; quòd derelictâ militiâ sæculari, etiamnum desideria sæcularia, ceu veteris mundi vestigia, foveant? quòd, dum Filius hominis non habet ubi caput reclinet, amplas porticus, & ingentia tectorum spatia cogitationibus metiantur? quòd sub Magistro humilitatis ambitione turgeant? omnesque gradus & honores Ecclesiasticos spe ac cogitatione devorent? Vel ab Ethnicis insaniam hanc dedoceamur: *Augustus est animus*, inquit Seneca, *quem terrena delectant: ad illa abducendus est, quæ ubique æque apparent, ubique æque splendent, & hoc cogitandum est, ista veris bonis perfusa, & pravè credita obstare.*

Religiosus sæcularis. S. Hier. Ep. ad Demetr. S. Aug. in Reg. Senec. Consol. ad Helv. c. 8.

502. Physicorum aliqui testantur, Leænam unicâ tantùm vice parere. Unde P. Jacobus Masenius Leænam, leunculo, fœtui suo generosissimo, vicinam, hoc lemmate insignivit; SEMEL PARIT, AT LEONEM. Mariæ Virginis hæc imago est, quæ quidem semel tantùm, at Leonem *de tribu Iuda* invictissimum, Christum Jesum, enixa est. Ad verbum S. Epiphanius; *Si Dominus Leoni assimilatur, non secundum naturam, sed propter ænigma, profectò etiam genitricem ejus leænam dixerim. Unde gignitur Leo, si non leæna mater vocabitur? Leænæ autem non contingit secundus partus, ergò non amplius partum novit maria.* Pulchrè in rem præsentem canit P. Masenius;

Maria V. patiens. S. Epiphan. hæres. 78.

Thressa Leæna semel parit, at parit illa leonem;
Multorumque instar, partus hic unus habet.
Te meritò dicam parientem, Virgo, Leænam;
Dissimile hoc solùm est; nil feritatis habes.

503. P. Joannes Baptista Bareta, è Societate JESU, ad funebrem Philippi IV. pompam, Mediolani celebratam, inter reliqua Emblemata Leonem depinxit; qui oculos tenens apertos, cæteris suis membris jacentibus suavissimam quietem conciliabat; addito lemmate. EXCUBIÆ CAPITIS FECERE QUIETEM. Innuebat videlicet, subditos civitatis aut religionis felicissimâ quiete perfrui, quando Rex vel Prælatus pro iis excubias agunt. Nam S. Gregorio teste, *Quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam.* Verissimè monet Divinus de Christo imitando Libellus; *Curre huc vel illuc, non invenies quietem, nisi in humili subjectione sub Prælati regimine.*

Prælatus vigilans. S. Greg. Hom. 11 in Ezech. Tho. à Kemp. l. 1. c. 9. n. 1.

504. Idem P. Bareta ad exequias illas alterum Leonis Symbolum statuit, qui adversus plurimos canes dimicans, semperque rediens victor, epigraphen subjunctam habuit; OMNIBUS UNUS. Mens iconis erat, tantam esse unius Hispaniarum Regis potentiam, ut multorum exercituum assultibus reprimendis sufficiat. Idipsum Justus de Orco, mundo, ac hostibus universis assolet; audetque cum Regio Vate dicere; *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Pulchrè S. P. Augustinus; *Protegitur Imperator scutatis, & non timet; protegitur à mortalibus mortalis, & securus est; protegitur mortalis ab immortali, & timebit, & trepidabit?*

Justus non timet. Psal. 26. 3. S. Aug. in hunc loc.

505. Leo-

505. Leonis fœtus ita nascitur debilis & infirmus, ut videatur mortuus, unde Leo illum afflatûs sui calore assiduò fovet, donec exanimem suscitet, eique vitam inspiret. Lemma. NUNC MELIOR PATER. Majoris enim beneficii loco habendum, magisque Patris nomen promeretur, qui vitam conservat, aut eam benè instituendam docet, quàm qui solam vitam dat. Certè Alexander Aristotelem, cui puer formandus fuerat traditus, summâ veneratione prosequebatur; causam rogatus, dixit; se illi non minus, quàm patri debere, quòd à patre vivendi, à præceptore benè vivendi initium accepisset, uti refert Plutarchus. Seneca de Præceptore ait; *Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.*

Præceptor.

Plut. in vita Alexand. Senec l 6. de Benef c. 16.

LEOPARDUS.

Cap. XXVII.

506. IN Leopardo, velocissimi cursùs belluâ, id cumprimis mireris, quòd propositum iter, gressu nunquam in alterutrum latus deflectente, sed tramite semper rectissimo, & veluti ad amussim ex acto, percurrat. Eò alludens Joannes Ferrus, epigraphen subdidit; ET VELOX, ET RECTA. Cardinalem Maphæum Barberinum hoc Emblema spectabat, qui operationum suarum rectitudine & celeritate per omnes dignitatum Ecclesiasticarum gradus progressus, ad ipsum usque Summi Pontificatûs apicem propinquavit. Inter profanos Scipio Africanus, etiamnum in primâ juventute supremus militiæ Magister nominatus, honorem adeò eximium ac sublimem bellicâ suâ virtute promeruit; Romanis ætatem ipsius teneram, quòd prudentiâ & fortitudine annos longè præverteret, obstupescentibus. Inter sacros verò encomium illud S. Joanni Baptistæ cumprimis debetur, qui, adhuc puerulus, tantam passim virtutem diffuderat, ut universam Palæstinam in sui admirationem raperet. Porrò Religiosus viam perfectionis non tantum percurrat gressu directo nunquam ad illecebras terrenas deviando; sed etiam celeriter, nullas otii aut ignaviæ moras interponendo. Providè monet Magnus Augustinus; *A multis curre ad unum, dispersa collige in unum; manè apud unum, noli ire in multa, ibi est beatitudo.*

Meritum. S.Jo.Bapt. Religiosus. *S. Aug. ser. 47. de Divers.*

507. Leopardi ea est indoles, ut, nisi prædam destinatam primis duobus vel tribus saltibus assequatur, eam ultrò penitùs dimittat. Unde feræ cujusdam vestigia insequens, epigraphen tenet. AUT CITO, AUT NUNQUAM. Animus hominis resolutus, ac moræ impatiens, hoc Emblemate significatur. Petrus Bercorius eandem agendi rationem etiam in dæmone observatam habet; *Si diabolus præceps fertur ad prædam, id est, animam capiendam, quia pro ea capienda facit plures saltus; primum, qui est cogitatio; secundum, qui est delectatio; sed si deficit ad imprimendum tertium, scilicet consensum vel operationem, tunc præ superbia resilit quasi victus, quia secundùm sanctos, quando diabolus tentans vincitur ab aliquo, nunquam de eodem crimine amplius tentat eum.* Cæterùm illorum etiam hæc imago est, qui, nisi rem desideratam statim à Deo acquirant, mox ab oratione desistunt, sicque nunquam, quod petunt, adipiscuntur. S. P. Augustinus super illa D. Lucæ verba, *Si ille perseveraverit pulsans, dico vobis &c. dabit illi, quotquot habet necessarios;* ait, *Quid est propter improbitatem? quia pulsare non destitit: quia & cùm esset negatum, se non avertit. Ille, qui nolebat dare quod petebatur, fecit, quia ille petendo non deficit. Quanto magis dabit Deus bonus, qui nos hortatur ut petamus; cui displicet, si non petamus?*

Impatiens. Dæmon. *Pet. Bercor. l. 10 Reduct. cap. 5 n. 2.* Oratio assidua. *Luc. 11. 8. S. Aug. ser. 5. de Verb. Dom. c. 5.*

508. Leopardo, uti & Tigridi vel Pantheræ, inscriptionem non incongruam subjunges istam; A MACULIS DECOR. Eorum enim animalium pelles, nigricantibus aut interalbicantibus maculis distinctæ, ingens exinde ornamentum acquirunt. Ita planè gloriosa SS. Martyrum corpora è crebra fatalium vulnerum cicatrice nihil deformitatis, sed plurimum decoris & gloriæ sortiuntur. S. Thomas ait, *S. Augustinus dicit in 22. de Civitate Dei, quod fortassis in illo regno (* beatitudinis *) in corporibus Martyrum videbimus vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. &c.*

Martyr in cœlo. *S. Tho. 3. p. q. 54. art. 4. Corp.*

509. Pardus, agili ac veloci saltu exiliens, venabula, adversum se vibrata, illæsus evadit. Lemmatis loco D. Gregorius Brunellus hoc hemistichion subjunxit; SUPER VENABULA FERTUR. Verbis è Virgilio mutuatis;

Ut fera, quæ densâ venantûm septa coronâ
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit, & saltu SUPER VENABULA FERTUR:
Haud aliter juvenis medios moriturus in hostes
Irruit &c.

Virgil lib. Æneid. 550.

Cùm Nazareni Servatorem nostrum præcipitem agere molirentur, *Ipse transiens per medium illorum ibat.* S. Athanasius, armatis suis hostibus obviam factus, liberrimè eos est allocutus, cœptum iter celerrimè prosequerentur, Athanasium enim non multum ab iis distare: sicque illorum tyrannidem ac insidias declinavit. Porrò homo, mente ad Deum sublevato, quasvis mundi sagittas, ac calamitatum tela securus evitat. S. P. Augustinus; *Sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem; ne putrescat in terrâ.*

Insidias superare. *Luc. 4.* Cor sublevare ad Deum. *S. Aug in Ps. 90. Conc. 2.*

LEPUS.

Cap. XXVIII.

510. LEpus, animæ contemplativæ symbolum, oculis dormit apertis. Unde Bargalii lemma. APERTI GLI OCCHI DORMO. Id est, OCULIS DORMIT APERTIS. Anima enim, rebus terrenis mortua, affectuum suorum oculos ad Dei arcana contemplanda apertos ac vigilantissimos retinet: ut adeò verè cum sanctâ illâ Animâ dicere possit; *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Id est, interprete S. P. Augustino, *Ego requiesco a negotiosis actibus, & animus meus divinis se intendit affectibus;* S. Ambrosius, quâ ratione somnus cum vigilantia conjungendus sit, demonstrans, *Dormiat,* inquit, *caro tua, vigilet fides, dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia &c.*

Contemplativus. *Cant. 5. 2. S. Aug Tract. 57 in Ioan. S. Ambr. Exhort. ad Virg.*

511. Lepus, cubile suum intra petram benè firmam collocare solitus, epigraphen tenet. INVALIDUS IN VALIDA. Haud aliter Divinus Sapiens; *Lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum.* Servorum Dei hæc prudentia est, qui securitatem suam in crucifixi vulneribus, veluti in tutissima petra, recipiunt. Hugo Cardinalis, *Lepusculus, plebs invalida, id est, Sanctus quilibet de se non confidens, in petra collocat cubile suum, id est, in consideratione petræ, quæ est Christus.* S. Bernardus; *Et verè, ubi tuta, firmaque infirmis securitas, & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado, firmatus enim sum supra firmam petram.*

Sperare Deo. *Prov. 30. 26. Hug. Card. in 4. Cor c. 10. S. Bern serm. 61. in Cant.*

512. Car-

512. Cardinalis Maphæus Barberinus, mirâ velocitate ac insigni meritorum, virtutumque suarum cursu per celsissima Ecclesiasticarum dignitatum fastigia progressus, à Joanne Ferro Abbate Leporis emblemate significatur, qui supra collem exiliens, epigraphen præfert; ASCENSU LEVIOR. Servi Dei, instar leporum, ad Dei gloriam & virtutem obtinendam mirâ agilitate exiliunt; totoque conatu à mundi vestigiis properant. S. Hieronymus illa Zachariæ verbe interpretatus, *Lapides sancti elevabuntur super terram*, ait, *Lapides sancti volvuntur super terram, instar rotarum, paululum tangentes humum, & volubilitate suâ ad cœlestia festinantes.*

[margin: ...astus ...mper ...rogredi-...ir. Hieron. in ...ach. 9. 16.]

513. Academicus, inter Venatores Venetos Audax, Symboli loco leporem præfert, qui montis cacumen saliendo ascendens, epigraphen tenet; ARDUA FACILIUS. Ita generosum & magnanimum hominis pectus multò libentius negotia ardua, quàm facilia aggreditur. Seneca; *Habet hoc in se generosus animus, quòd concitatur ad honesta; neminem excelsi ingenii virum humilia delectant, & sordida. Magnarum rerum species ad se vocat, & extollit.*

[margin: Generosi-...s. ...nec. Ep. 39.]

514. Lepus, ad montis radicem consistens, epigraphen habet; IN ARDUA NITOR. Hanc iconem non modò pectori generoso, ut superiore numero dictum; sed etiam contumaci propriam statues; In hunc sensum Romanus Sapiens; *Naturâ contumax est humanus animus, & IN contrarium atque ARDUUM NITENS.* Uude etiam trita inolevit paræmia; *Nitimur in vetitum.*

[margin: Contu-...ax. ...nec. lib. 1. Clem. c. 16.]

515. Lepus vitæ ac incolumitati suæ nonnisi fugâ consulit. Lemma. FUGA SALUTEM. Hinc discas velim; sicuti lepus, canibus insequentibus, versus dumetum confugit; ita tibi, occasionum, suggestionum, & cumprimis carnis voluptatibus impetito, arma omnium efficacissima è fuga desumenda esse. In hanc rem idiomate vernaculo Hieronymus Preti.

[margin: ...uga.]

L'armi, el foco d'amor fuggano i cuori,
Ch'a gli assalti d'Amor schermo non vale;
Chi pugna incontra lui, perde, e si strugge;
Ne le guerre d'Amor vince chi fugge.

Jacobus Billius canit;

[margin: ...c. Billius ...thol. l. 2.]

In reliquis vitiis sequitur victoria pugnam;
Vincitur ac celeri sæva libido fugâ.

Et S. P. Augustinus; *Cùm cætera vitia pugnando vinci soleant; sola libido est, quæ fugiendo potius, quam pugnando superatur.*

[margin: Aug. li. de ...onest. Mul. ...p. 1.]

516. D. Archangelus Conter Emblematis loco leporem expressit, qui à canibus infestatus, ad rupem, è mari prominentem, compellebatur, ubi vel iis in prædam cedere, vel in subjectas undas præcipitari, ac submergi debebat. Inscriptionem addidit; DESPERATA SALUS. Hominem, gravibus animi angustiis coarctatum, hoc lemmate describes. Peccator, qui in vitæ suæ decursu nulla salutis media providit, postea mortis acerbitate, & senectutis aut ægritudinis mole pressus, salutem difficillimè consequetur, &, instar leporis, miserrimè, quò se vertat, ignorabit. Salubrea admodum Hieremiæ consilium est, *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis & in caliginem.* Et S. P. Augustinus; *Qui semper vult vivere, & non timere mortem, teneat vitam, ut mors superetur à vitâ.*

[margin: ...eccator ...noribun-...us. ...ierem. 13. ...6. ...Aug. l. 2. ...Symb. c. 8.]

517. Tanta leporis est fæcunditas, ut dum conceptos fætus etiamnum informes in utero gestat, simul alios jam in lucem editos ablactet, & insuper alios adhuc parturiat. Æliani verba sunt; *Uno & eodem tempore quædam in utero inchoata & imperfecta fert; alia parturit; alia modo peperit.* Unde Aresii lemma. PARIENS, SIMUL ET PRÆGNANS. vel ut aliis eidem, catulos suos ablactanti, inscripsit; NUNQUAM NON PARIENS. Miram ac raram hanc fæcunditatem cumprimis in Dei servis reperire est, qui bonis operibus, à se peractis, nunquam acquiescunt, sed ex aliis alia identidem concipiunt, pariuntque. S. Ambrosius; *Mens quando aliquid videtur incipere, ad finem usque contendat, & operis sui terminum quærat. Quando finit aliquid opus, non quasi consummato opere finiatur, sed in alia recurrat opera, & semper incrementa virtutis exerceat.*

[margin: ...lian de ...nimal. l. 2. ...p. 12. — Fæcunditas. Profectus. S. Ambr. l. de Noe. c. 23.]

518. Lepus, nivem devorans, epigraphen sustinet; UNA SALUS IN INOPIA. Inde duram necessitatis legem conjicere licet, quæ ad alimenta, etiam maximè absona, famelicum adigit. Certè Hebræi, compluribus obsidionibus coarctati, alimoniam, ab humano usu & gustu prorsus alienam, plenamque fastidio, sumere cogebantur. Eodem Emblemate etiam naturæ prudentia ac providentia significatur, quæ etiam in extremis angustiis necessitati suæ consulere novit. *Necessitas*, asserente Architâ, *omnia docuit; quid enim non inveniret?*

[margin: Necessitas. Archit. apud Stobæum. serm. 43.]

519. Lepus, undique gladiis impetitus, inscriptionem sustinet; MALO UNDIQUE CLADES. Sceleratos, internis externisve calamitatibus nunquam non afflictos, hæc imago concernit. Perspicuè Divinum Oraculum; *Foris vastabat eos gladius, & intus pavor.* In rem præsentem Cicero; *Animi conscientiâ improbi cruciantur: tum etiam pœnæ timore, quâ aut afficiuntur, aut semper sunt in metu, ne afficiantur aliquando.* Et Justus Lipsius; *Nemo crimen in pectore gerit, qui non inde Nemesin in tergo.*

[margin: Peccator. Deut 32. 25. Cicero 2. de finibus. Lips. l. 2. de Const. c. 13.]

520. Lepus assiduo hostium ingruentium timore agitatur, ut adeò etiam, dum quietem dormiendo capit, totus inquietus, oculos retineat apertos, veluti adversus subitaneum assultum excubias acturus. Unde D. Sigismundus Laurentius dormienti hoc epiphonema subdidit; INQUIETUS IN QUIETE. S. Paulus, innocentissimæ conscientiæ quiete perfruens, identidem sanctâ quâdam formidine concutiebatur; adeò, ut ingenuè fateretur; *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Quare Eusebius Gallicanus; *Ecce, inquit, Beatus Paulus, jam Christi habitaculum, jam vas electionis effectus, intelligit, sibi non sufficere solam gratiam, nisi gratiæ adjungat solicitudinem vigilantiæ, & laboris industriam.*

[margin: Timor sanctus. 1. Cor. 4. 4. Euseb. Gall. Hom. 1. in Quadrag.]

LVPVS.

Cap. XXIX.

521. QUando Lupus, per viam incedens, forte frondes aut bacillorum congeriem pedibus premit, mox à strepitu inde excitato, terreri solet: at postea sese vano timore perculsum ac deceptum deprehendens; pedem, veluti se ipsum erroris causâ castigaturus, mordet. Unde pedem dentibus arrodens, epigraphen tenet; PER PENA, E PER RICORDO. Id est; SE PUNIT, ET REDARGUIT; vel, UT PUNITUS REMINISCAR. Ita pœnitens, vitam seriò emendaturus, quoties immoderatos affectus suos nonnihil à præfixo tramite deflectere senserit, severè in se ipsum animadvertere debet. Petrus Bercorius; *Si pes noster, id est, affectus allidat se per desiderium, & amorem ad res mundi, ita quòd ex corde nostro faciat strepitum malarum cogitationum, & delectationum, statim debemus eum mordere per compunctionem, nosmetipsos redarguendo, & puniendo &c.* Ad hanc ideam sese

[margin: Pœnitens. Pet. Bercor. Reduct. Mor. l. 10. c. 63. nu. 25.]

ſeſe conformans S. Ignatius Loyola, cùm in converſionis ſuæ principio ſeſe ad cachinnos pronum ſentiret, conſuetudinem illam flagellorum duritie edomabat, totidem ictus corpori ſuo noctu admenſus, quoties interdiu riſiſſet; Præclarè S. P. Auguſtinus; *Deus non poteſt, ut non puniat peccatum; puniendum eſt peccatum; ſi puniendum non eſſet, nec peccatum eſſet; Præveni illum; non vis ut ipſe puniat, tu puni.* (S. Aug. in Pſ. 44.)

522. Quantum in lupo corporis eſt robur, tantum etiam oculorum acumen eſt. Et quidem fortitudine ſuâ nixus, non pecora ſolùm, ſed & homines aſſilire, ac terrefactos ſuperare ſolet: perſpicaciâ verò tantâ viget, ut intra denſam noctis caliginem paſſim circuiens, nuſpiam exerret. Unde lemma. ROBORE, ET INTUITU. Bonum militem in prævidendis periculis perſpicacem, & in ſuperandis hoſtibus fortem eſſe oportet. (Miles.) S. Paulus (de quo Magnus Auguſtinus illa Geneſeos verba interpretatur, *Benjamin lupus rapax*) inſtar lupi, tantò fuit inſtructus robore, ut de ſe ipſo teſtaretur, *Cum infirmior, tunc potens ſum.* Viſu quoque fuit perſpicaciſſimus; quippe, qui *raptus eſt uſque ad tertium cœlum, & audivit arcana verba &c.* (S. Paulus. Gen. 49.27. S. Aug. in Pſ. 78.) Quare genuina fortitudo non tantùm eſt robur, quo hoſtem ſuperamus; ſed etiam perſpicax ſcientia, evitandi pericula, malaque omnia declinandi. (Fortitudo vera.) Seneca; *Fortitudo non eſt inconſulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitio: ſcientia eſt diſtinguendi, quid ſit malum, & quid non ſit. Diligentiſſima in tutela ſui fortitudo eſt.* (Senec. Ep. 85.)

523. Lupi in monte Tauro nati, ad caniculæ conſtellationis auſtralis exortum, intra ſpeluncas ſuas ſe recipere, & occultari ſolent. Eò nonnemo alludebat, quando cuidam Flandriæ Magnati, ad Ducis Albanenſis adventum ſeſe in fugam convertere coacto, Lupi emblema attribuit; qui præſente illo ſidere cavernam ſuam repetens, epigraphen tulit; HOC ORIENTE FUGOR. vel, TE ORIENTE FUGIT. Ita Principis adventus ſceleratos omnes; uti & Divina præſentia cunctos infernales generis humani hoſtes, procul in fugam agunt. (Præſentia majorum. Præſentia Dei.) Jambicus; *Refulgente,* inquit, *poteſtate Dei, quæ replet omnia bonis, perturbatio omnis, quæ ſolet à ſpiritibus malis accidere, nullum habet locum, ſed repentè diſperditur. Bonis enim Numinibus omninò præſentibus, mali ſpiritus evaneſcunt.* (Iambl. l. de Myſteriis.) Ejuſdem argumenti eſt illud, à nobili ingenio excogitatum emblema, in quo lupus luminis conſpectu fugitivus exhibetur; cum dicto. VISO INVISO. Eoque innuebat, Dæmonem, veluti lupum Tartareum, viſo gratiæ Divinæ ſplendore, à Sancta Thereſia longè lateque diffuſo, non ſine probro faceſſere debuiſſe. (Dæmon.) Mens Emblematis hoc diſticho explicatur.

Terga dat ut viſo inviſo lupus igne, Chelydrus
Sic ſtygis, audito nomine, Diva, tuo.

524. Scipio Bargalius miram utilitatem, è vicino proximorum auxilio nobis accedere ſolitam, Luporum emblemate demonſtrat, qui caudis propriis inter ſe colligati, ac mutuo robore adjuti, grande flumen incolumes trajiciunt; ſubjuncto lemmate. TUTO TRANSIGUNT. (Auxilium mutuum.) Seneca; *Quo alio tuti ſumus, quam quòd mutuis adjuvamur auxiliis? Hoc uno inſtructior vita, contraque incurſiones ſubitas munitior eſt, beneficiorum commercio.* (Senec. lib. de benef. c. 18.) Et S. Hieronymus; *Vera charitas & nullo violata livore, quantò augetur numero, tantò creſcit & robore.* (S. Hieron. in cap. 5. Matt v. 45.)

525. Joannes, Rex Hungariæ, Lupam, plenis turgentem uberibus, Symboli loco habuit; cum gnoma; SUA, ALIENAQUE PIGNORA NUTRIT. (Princeps beneficus.) Innuebat videlicet, amorem ac beneficia ſua non in ſubditos ſolùm, ſed & in exteros liberaliſſimè diffundi. S. Paulus non ſolis Iſraëlitis, ſuis conterraneis; ſed etiam gentilibus, ſanctæ fidei lac propinavit: unde etiam mortuus, ſanguinis vice lac è venis ſtillavit; veluti ipſorum quoque carnificum ſuorum vitam eo alimento ſuſtentaturus; ipſummet de ingenti hâc beneficientiâ teſtem ſibi locupletiſſimum audi: (S. Paulus. 1. Cor. 9.) *Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer: iis qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſem (cùm ipſe non eſſem ſub lege) ut eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem; iis qui ſine lege erant, tanquam ſine lege eſſem (cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* Hæc ultima verba, *Omnibus omnia factus ſum,* repetens S. P. Auguſtinus, ſubjungit, *non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu; id eſt, non omnia mala hominum fallaciter agendo, ſed aliorum omnium malis omnium, tanquam ſi ſua eſſent, miſericordis medicinæ diligentiam procurando.* (S. Aug. Ep. 19. c. 8.)

526. Lupus ovium gregem, à canum aut paſtorum excubiis derelictum cernens, aſſilire ſolet; cum lemmate. INCUSTODITA RAPIT. D. Archangelus Conter hâc icone docet, juventutem illam vitiis ac dæmoni facilè in prædam cedere, quæ patris aut præceptoris aſſiduâ induſtriâ deſtituta, inter educationis debitæ limites non coërcetur. (Juventus malè educata.) S. P. Auguſtinus; *Furantur lupi inſidiantes, rapiunt leones frementes, cùm oves non hærent paſtori.* (Paſtor abſens. S. Aug. l. de Paſtor c.)

527. Olaus Magnus refert, lupos hyemis tempore plus, quàm aliàs, crudeles & ſanguinarios effici. (Olaus M. l. 4. c. 13.) Unde lupus, intra nivem depictus, epigraphen tenet. RIGORE NOCENTIOR. Ita peccator, aſperæ ac indiſcretæ correctionis rigore obrutus, ex cerbatur, ac mentem in vitiis obſtinatiorem acquirit. (Correctio dura.) S. Joannes Chryſoſtomus maritos hortatur, ne in uxores ob nativos quoſdam defectus violentis verberibus animadvertant; futuras enim inde longè, quam antea, pejores; (S. Io. Chryſoſt. Hom. 26 in 1 Cor.) *Sed ſtulta eſt, ebria, iracunda?* inquis, *Igitur,* Chryſoſtomo Doctore, *dolendum eſt, non iraſcendum, & Deo ſupplicandum eſt, & ipſa admonenda, & adjuvanda conſilio, & omni conatu adnitendum, ut illis liberetur affectibus. Quod ſi verberaveris, exaſperabis morbum.* Propriâ experientiâ comprobatum habuit S. Bernardus, quòd rigore, adverſus proximum adhibito, eum ad virtutis ſemitam non tantùm non perduxerit, ſed inter vitiorum abrupta plus, quam ante, effecerit contumacem & obſtinatum. (S. Bern. ſerm. 42. in Cant.) *Volui,* inquit, *perimere hoſtem, & eripere fratrem, & non feci ſic, magis autem contrarium accidit, nam læſi animam, & culpam auxi.*

528. Lupus, ſi Homero fidem habeas, SENESCENDO DETERIOR evadit. (Homer. l. pugna beſtiarum.) Bercorio authore, nativa hæc peccatorum contumacium idea eſt, qui æquali & annorum & flagitiorum incremento, quo plus ætatis ſortiuntur, eò fiunt deteriores. (Peccator.) *Tales ſunt,* inquit, *peccatores, & maximè avari, quia quantò magis ſenuerunt, tantò ſunt deteriores per iniquitatē, crudelitatem, & rapinam &c.* (Bercor. Reduct. l. 10. c. 3. n. 13.) Cornelius Tacitus, de Vitelio diſſerens, ait; *Regendis provinciis priſcâ virtute egit. Unde regreſſus, & formidine Caji Cæſaris, & familiaritate Claudii turpe in ſervitium mutatus, exemplar apud poſteros adulatorii dedecoris habetur. Ceſſeruntque prima poſtremis, & bona juventutis ſenectus flagitioſa oblitteravit.* (Corn. Tac. 5. Annal.)

529. Inter cæteras Lupi proprietates cumprimis inſatiabilitatem numeres. De hac Ovidius. (Ovid. in l. Taſſ nell Conquiſt. Gieruſal. Conq. l. 1. ſtanz. 2.)

Inſatiabilibus præda relicta lupis.

Unde lemmatis loco illum Taſſi verſum ſubjunges; AVIDO PUR DI SANGUE ANCOR CHE SATIO

SATIO. Id est, SANGUINE SATUR, ET AVIDUS. Solimannum, militem implacabilem, crudelem, nullisque flectendum precibus, ille Tassi versus spectat. Ab hoc nihil difformes fuère cæteri Tyranni, Caligula, Nero, Domitianus, Diocletianus, & alii. Avari quoque, tametsi opibus abundè satiati, aliorum tamen sudorem, sanguinem, & bona, instar rapacium luporum, magis semper magisque expetunt. S. P. Augustinus; *Concupiscis satiare avaritiam! O vota inania, & facta nequissima! Expectas ergo satiare avaritiam? illa te potest premere, tu illam non potes satiare.*

Tyrannus. Avarus. S. Aug. fer. 11. de verb. Apost. cap. 3.

530. Dum lupi omnes suos conatus ad pecora diripienda, & enecanda impendunt; pastores vicissim lupis capiendis & occidendis assiduas struunt insidias. Unde Rancatus lupis quibusdam interceptis epigraphen subdidit. EGUAL MENTE DAN MORTE, E SONO ESTINTI. Id est, NECANTUR, DUM NECANT. Ad verbum Tassus,

Talionis lex. Taff nella Geruf. Liber Cant. 9 st. 51.

Ne la gente fidel, più che l'infida,
Ne più questa, che quella il campo tinge,
Ma gl'uni, e gli alteri, e vincitori, e vinti,
Egualmente dan morte, e sono estinti.

Eandem talionis legem ipsemet Deus adversus homines facinorosos, sicarios, & sanguinarios decrevit. *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Item; *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis.* Et denique; *Qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Theophylactus ait, Christum his verbis prænuntiâsse, *quod Judæi, contra se gladium accipientes, Romanorum gladio* (veluti talionis lege) *essent perituri.*

Facinorosi. Gen. 9. 4. Isa 33. 1. Matt. 26. 52. Theoph. in hunc loc.

531. Lupus duobus potissimùm modis, deprædando nimirum & occidendo, damnum inferre solet; Unde lemma. RAPAX, CUPIDUSQUE CRUORIS, Ad verbum Ovidius;

Ovid. 1. Trist. eleg. 5.

Utque rapax stimulante fame, cupidusque cruoris
Incustoditum captat ovile lupus.

Carolus Rancatus aliud, è S. Joanne desumptum, addidit; UT FURETUR, ET MACTET. *Fur non venit, nisi ut furetur & mactet.* Ad hanc ideam conformati Tyranni, latrones, & dœmones, nonnisi rapinam ac perniciem inferre parant. De diabolo ait S. P. Augustinus; *Non cessat diabolus insurgere super nos quotidie, & illudere velle infirmitati & fragilitati nostræ, deceptionibus, tentationibus, & quibuscunque laqueis irretire, cum in terra adhuc vivimus.*

Ioan 10. 10. Tyrannus. Dæmon. S. Aug in Psal 58.

532. Lupus, unicam saltem oviculam prædaturus, totam gregem aggreditur. Ovidius;

Ovid. 3. de Arte.

Ad multas lupa tendit oves, prædetur ut unam.

Unde lemma. PRÆDETUR UT UNAM. Vel, AD MULTAS, UT UNAM. Carolus Rancatus hunc hominis lascivi typum statuit, qui compluribus honestis virginibus struit insidias, ut saltem unam libidinis suæ abripiat, vel etiam e cacodæmonis, qui ad unicam animam sternendam, plurimas suggestionum suarum incursibns tentat. Argumento haud dissimili P. Gallina lupum depinxit, qui oviculam coram vicino grege laceraturus, epigraphen tulit; EX OMNIBUS UNAM. Judæ Iscariotis animam ex Apostolico ovili à diabolo miserrimè direptam, hæc imago significabat; tanta enim ipsius adversus animas nostras est invidentia, ut laborem suum, quo neminem non perdere tentat, optimè collocatum existimet, si vel unicam præcipitet. S. P. Augustinus; *Diaboli nobis invident regnum cælorum; ipsi nolunt, ut nos ascendamus illuc, unde illi dejecti sunt.*

Lascivus. Dæmon. S Aug. Psal. 30. Conc. 3.

Mundi Symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

533. Lupus lapidum concussione in fugam agitur; Lemma. TIMORE PLAGARUM. Nimirum homines scelerati, ac mundi illecebris dediti, quosvis calamitatum aut adversæ fortunæ impulsus horrent; iis econtra, qui inter Divinos greges numerantur, nihil exinde trepidantibus. Certè S. Stephanus inter saxorum grandines animo perstitit integerrimo; quin imò *lapides torrentis illi dulces fuerunt.* S. Gregorius Nyssenus docet, à S. Stephano illam Christi beatitudinem esse initiatam; *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Idcircò,* inquit, *magnus ille Stephanus gaudet, lapidibus undique petitus, ac veluti suavem quemdam rorem, crebros lapidum ictus, in modum floccorum nivis incidentium, corpore cupidè excipit, ac benedictionibus nefarios homicidas prosequitur &c. currenti ei per confessionem, quod sperabatur, ostenditur cœlum apertum.*

Calamitas. S. Stephanus. S. Greg Nyss. Tract. de Beatitud.

LVTRA.

Caput XXX.

534. Lutra, quadrupes amphibium, inter lacus & stagna victitans, piscibus nutritur, ac pilos mollibus plumis similes habet. Ex aquis tota sicca egreditur, nullo penitus ullius madoris vestigio hærente. Unde Bargalius Lutræ, ex aquis progredienti, epigraphen subdidit; NE PUR BAGNATA. Id est, NEC MINIMUM MADET. Illorum hoc paradigma est, qui è sceleratorum consuetudine nihil unquam flagitiosi madoris contrahunt. Tales fuère Samuel, inter filios Heli educatus; Abrahamus inter Chaldæos; Loth inter Sodomitas; aliique complures, qui vitiosorum assiduâ familiaritate usi, puritatem ac innocentiam suam semper conservârunt illibatam. S. Gregorius Nazianzenus, individuus S. Basilii comes, cum eo in Academia Atheniensi studiis navabat operam: & licet tam civitatis illius, quàm civium mores fuerint, S. Gregorio asserente, *pestilentes*; ii tamen ambo vitam suam ita caute traduxerunt, ut hic ingenuè fateatur, *Nobis nihil detrimenti ab iis allatum est, quin potius, quod vix credibile est, hinc ad fidem confirmati sumus. Quod si quis est, aut esse creditur fluvius per mare dulcis fluens, aut animal in igne, quo omnia consumuntur, saliens; hoc ipsi inter æqualium greges eramus &c.*

Societas bonorum inter malos. S Greg Naz. Orat. 20 de funere S. Basil.

535. Voracissima est Lutra, simulque crudelitatis adeò immodicæ, ut non solum eos pisces, qui ipsi in cibum abundè sufficiunt, sed & alios longè plures interficiat. Hominis avari hoc ectypon dixeris, cujus illud penè unicum est studium, ut aliorum sanguinem immiti ore exsugat. Vel etiam Tyranni hæc imago est, qui omnium ædes suâ violentiâ ac immanitate cruentare solet. Epigraphen Emblemati subjunges; SÆVIT IN OMNES. Avaritia accommodatè in rem præsentem ab Hugone Victor no definitur; *Avaritia est, sua illicitè retinere, & aliena concupiscere.* Tyrannidem sequentibus coloribus depingit Claudianus;

Avarus. Tyrannus. Hug. Vict. l. 2 de Claust. Animæ.

Instat terribilis vivis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.
Nulla quies: oritur, prædâ cessante, libido,
Divitibusque dies, & nox metuenda maritis.
Quisquis vel locuples, pulchrâ vel conjuge notus,
Crimine pulsatur falso &c.

Cl aud. de Bello Gildo.

Etiam morti inscriptio illa convenit, de qua Maphæus Vegius canit:

Mors. Maph Veg. l. 13. Æneid.

Heu mortem invisam, quæ sola ultricibus armis
Elatos frænas animos, cammunia toti
Genti, sceptra tenens, æternaque fœdera servans,
Quæ magnos parvosque terit, quæ fortibus æquat
Imbelles, polisque Duces, seniumq; juventæ.

Ovid l. 3 Eleg.

Et Ovidius:

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat.
Omnibus obscuras injicit ille manus.

536. Lutra jejuna adverso flumine fertur, satura secundo. Unde illam, adverso flumine nitentem, hoc lemmate insignies; ADVERSAS JEJUNA PER UNDAS. Ita homo jejunus non modò pravos animi sui affectus, sed ipsos etiam dœmones, aliasque adversitates citra negotium superat. Sanctus Basilius, jejunium prolixis ac meritis elogiis extollens, *Vno*, inquit, *temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Ægyptiacam idololatriam turpissimè devolutus est. Ex quo si utrumque simul conferas, videre licet, jejunium ad Deum ducere, delitias verò salutem perdere. Quid Esau inquinavit, servumque fratris reddidit? Nonne esca una, propter quam primogenita vendidit? &c. Jejunium prophetas genuit, potentes confirmat atque roborat. Jejunium Legislatores sapientes facit: animæ optima custodia, corporis socius securus, fortibus viris munimentum & arma, athletis & certantibus exercitatio. Hoc præterea tentationes propulsat, ad pietatem armat, cum sobrietate habitat, temperantiæ opifex est, in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet.* Et S. Athanasius; *Quisquis ab immundo spiritu vexatur, si hoc animadvertat, & hoc pharmaco utatur, jejunio, inquam, statim spiritus malus oppressus abscedet, vim jejunii metuens. Valde enim dœmones oblectantur crapulâ & ebrietate, & corporis commodis. Magna vis in jejunio.*

Jejunium. S. Basil Hom. 1. de jejunio.

S. Athan. Tom. 3. de Virginit.

LYNX. *Cap.* XXXI.

537. LYnx, acutissimo visu animal, Emblematis loco montem ita acriter intuetur, veluti intima ejus viscera videndo penetraturus. Epigraphen Joannes Baptista Porta subjunxit. ASPICIT, ET INSPICIT. Vel, INSPICIT, ET PERSPICIT. Vel ut aliis placet; INVISIBILE LUSTRAT. Perspicax & speculativum hominis ingenium, cumprimis tamen infinitam Dei sapientiam, etiam occultissima quævis cordium arcana penetrare solitam, hæc imago repræsentat. Apostolo teste; *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* S. Gregorius Papa; *Exteriora opera*, inquit, *patent oculis hominum: longe verè incomparabiliter interiores, absolutissimæ cogitationes nostræ oculis Dei &c.* S. Petrus Damianus, postquam illud oculorum acumen de Lynce retulerat, in hunc sensum argumentatur; *Si ergò mutum pecus tam vivax intuitûs acumen habet; humanæ mentis intima Deus omnipotens quanto profundius videt?*

Perspicacia.

Sapientia Dei.

Hebr. 4. 13.

S. Greg. l. 19. Moral c. 9.

S. Pet Dam. l. 2. Epist. 18.

538. Ajunt Lyncem memoriâ omni adeò destitutum esse; ut quantumvis famelicus, & ante cibum collocatus, si fortè caput in aliam partem vertat, mox præsentis escæ oblivisci tur. Solini verba sunt; *Lynces, tergum respicientes, non meminerunt priorum; & mens perdit, quod oculi videre desierunt.* Unde D. Aresius Emblematis loco lyncem, capite in dorsum contorto, coram prædâ suâ depinxit; cum lemmate; NON MEMORABOR AMPLIUS. Ita S. Matthæus Apostolus, posteaquam telonio suo, ac mundi facultatibus semel tergum obverterat, illarum penitus immemor, cogitationes omnes à mundo ad Deum convertit. Idipsum S. Paulus asserit; *Quæ quidem retro sunt, obliviscens &c.* Hæc verba interpretatus S. Augustinus, subjungit; *Unum autem inquit, quæ retro sunt obliviscens. Hoc fac & tu, & vitam præteritam malam obliviscere. Si te delectavit aliquando vanitas, non te delectet.* Porrò animal illud verum pœnitentem repræsentat, cui omnis vitiorum, ac vitæ præteritæ memoria excidit. Hoc planè argumento S. Hieronymus adversus Chrysostomum amicè conquestus est; *Tu*, inquit, *quod naturâ lynces insitum habent, ne post tergum respicientes meminerint priorum, & mens perdat, quod oculi desierint; ita nostræ es necessitudinis penitùs oblitus, ut illam epistolam, quam in corde Christianorum scriptam, Apostolus refert, non parvâ liturâ, sed imis, ut ajunt, ceris eraseris.* Denique etiam homines ingratos hoc symbolo, ceu stygmate notabis; qui accepta beneficia, tametsi coram se posita, ex animo abjicere, & oblivione obscurare conantur. Verissimè de beneficiis ait Seneca; *Ingratissimus omnium, qui oblitus est.* Et D. Claudius Casonus.

Solin. cap. 18

S. Matthæus.

Philipp. 3. S. Aug. in Psal. 122.

Pœniten[s]

S. Hieron. Epist. 44.

Ingratus

Senec. de Benefic. Cason Em Polit. 18.

L'ingrato è fiero più, d'ogni altra fera,
Lacerando le gratie le divora,
E è guisa di Lince, che si scorda
Il cibo, che gli è inanzi, perche oblia
Smemorato il favor ch'ai chiese, o pure
Il nega, ò biasma ò impicciolisce almeno.

539. Lynci, animalium perspicacissimo, Carolus IV. Imperator inscribi fecit; NULLIUS PAVET OCCURSUM. Innuebat videlicet, animum audacem & imperterritum à perspicacia seu providentia haberi; quod mala prævisa longè minùs terreant. S. Gregorius Papa: *Minus jacula feriunt, quæ prævidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur.* Et Seneca: *Hoc est, quod sapienti nihil contra opinionem dicamus accidere. Non illum casibus hominum excepimus, sed erroribus: nec illi omnia, ut voluit, cedunt, sed ut cogitavit. Imprimis autem cogitavit, aliquid posse propositis suis resistere.*

Præscien[s] non metuit.

S. Greg. Ho 35. in Eva. Senec l. de Tranquill. anim. c. 13.

MANTICHORA. *Cap.* XXXII.

540. HOc animal, si Æliano, Solino, & Plinio fidem habeas, monstrificâ formâ & horrore plenum est, omnesque reliquas belluas sævitie superat. Nam faciem habet hominis, membra leonis, colorem igneum, pilos oblongos ac promissos, oculos fulgurantes, ac tres dentium caninorum ordines. Caudam insuper post se trahit oblongam, ac pungentibus aculeis, ceu totidem sagittis, undique armatam: eâque in anteriorem, posteriorem, & utriusque lateris sui partem pro libitu vibrari solitâ, insecutores quosvis validè transfigit. Huic proindè, nativo Tyrannorum ectypo, epigraphen subdidit Aresius; NEMO DOMARE POTEST. Polybius de Tyranno ait, *Quò quid gravius aut perniciosius dici potest? Hoc enim nomen, quasi seminarium in se continet crudelitatis, & omnes hominum injurias, sceleraq; complectitur.* Porrò etiam Detractorem hoc Emblemate exactè figurabis, qui vultum præferens humanum, mentem crudelissimi leonis congenitam habet; igneo insuper iracundiæ colore succensus, trinâ dentium caninorum serie famam omnium passim arrodit; ac verborum aculeos, veluti sagittas,

Tyrannus.

Polyb. l. 2.

Detractor.

tas, nemini non, tam domestico, quàm extero, infigit. Ut adeò S. Jacobus de hac detractoris lingua gnomam illam suam, à D. Aresio lemmatis loco usurpatam, propriissimè intellexeris; *Linguam autem NULLUS hominum DOMARE POTEST.* Eâdem notâ S. Basilius invidos afficit. *Quod animal tam agreste est, quod feritate non vincunt? Canes namq; educatione mansuescunt: Leones obsequio tractabiles fiunt: invidi tantùm officiis agrestiores evadunt.*

Iob.

Invidus.

S. Basil. Hom. de invidia.

MELIS, seu TAXO.

Caput XXXIII.

541. HOc animal, somno nimium quantùm deditum, occasionem obtulit, ut dormitanti subscriberetur; EXPERGISCAR. Juvenem hoc emblema spectat, qui vitiorum lethargo altum immersus, illum olim excutere, & ad virtutis vigilias expergisci statuit. Huic certè Apostolus iterata voce aurem vellicat; *Surge qui dormis.* In hunc locum S. Clemens Alexandrinus ait; *A somno quidem recte excitat, & ab ipsis tenebris, eos, qui aberraverunt, facit surgere. Expergiscere,* inquit, *qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Porrò etiam mortui, hoc Emblemate significantur, qui ad extremum judicii diem vocandi, insonante Angelicâ tubâ, oculos reserare, ac reviviscere debebunt. Mortem enim nihil aliud, nisi profundum somnum dixeris. Opportunè S. Paulus; *Nolumus autem vos fratres ignorare de dormientibus;* Hunc locum interpretatus Magnus Augustinus, ait, *Quare dormientes vocantur, nisi quia suo die resuscitantur?*

Resipiscentia.

Ephes. 5. 14.

Clemens Alex. in hunc loc.

Resurrectio.

Thess. 4. 12.

S. Aug. serm. 3 de Verb. Dom.

MONOCEROS. Cap. XXXIV.

542. MOnoceros, dum cornu suum aquis, bufonum aut serpentium veneno infectis, immergit, mox salubres illas ac suaves reddit. Unde cornu intra aquas tincto, epigraphen habet; NOXIA PELLIT. Certè Christus, intra turbidas ac venenatas passionis suæ undas mersus, omnem ab ea malignitatem sustulit; adeò ut nulli non sit suavissima, ac summè desideranda. Theofridus, Abbas Esthernacensis, ait, *De amaritudine sua amarissima dulcissimam suam dulcedinem transfudit in omnia acerbissima Sanctorum cujuscunq; supplicii genera, & carnis, per illustrationem Spiritus sanctificatæ, quantacunq; & qualiacunq; supplicia, in corporum & animarum suavissima ac saluberrima transtulit oblectamenta & remedia; ut quasi immutato & converso naturæ ordine, omnes cruciatuum materiæ, electorum corporibus adhibitæ, ardentius appetantur, quam exquisitissimæ epulæ, quàm opulentissimæ totius mundi deliciæ.* Eodem plenè argumento P. Columbus aquis, à Monocerote contactis, inscripsit; SINE NOXA BIBUNTUR.

Christus patiens.

Theofrid. Abb. in Epitaph. Sanct. 4. c. 4.

543. Christum, intra Jordanis aquas baptizatum, Monocerotis Emblemate depinxerunt; qui, cornu aquis immerso, epigraphen præfert. SIC UNDA SALUBRIS. Vel ut alius; CONTACTU SALUBRIS. Inde demonstrare licet, quanta facilitate Servator noster aquas sanctificârit. S. P. Augustinus; *Ad baptismum descendit Dominus Iesus, non quod baptismi Sacramento & lavacro egeret, sed ut aquas, quas quamvis in delicto Adæ Deus non maledixerit terræ, quâ continebantur, maledictione infectas, purgaret.* Et Jacobus de Valenzia; *Unicornis, sive Monoceros, ejus virtutis est, ut suo cornu attacta aqua, etiam aliquo veneno corrupta, reddatur salubris: ita Christus sua humanitate aquas pestiferas reddidit salubres ad peccatorum remissionem.*

Christus baptizatus.

S. Aug. lib. 1. mirabil. Sacr. Script. c. 3.

Iac. de Val. in Psal 42.

544. Academici sitibundi Neapolitani, S. Thomam Aquinatem Emblemate significaturi, Monocerotem pinxêre; qui, sequentibus plurimis animalibus, fontem ingressus, epigraphen tulit; HOC DUCE TUTI. Securi enim in scientiarum pelago incedunt, qui Ducem sequuntur Doctoris Angelici doctrinam. Certè Julius Cæsar, eos, quos sibi vicinos habebat, omnis periculi immunes dicere est solitus; unde peritissimo cuidam nauclero, inter aquarum tempestates & ventorum fremitus exterrito, respondit: *Perge, age, quid times? Cæsarem vehis, ejusque fortunam;* veluti diceret, dum Cæsarem tecum habes, simul omnem securitatem tecum habes. Cæterùm nocumenti nihil unquam accipere potest, quisquis Christi præeuntis vestigia studiosè legit; Nam, Magno Augustino authore, *ipso ducente non errabimus, per ipsum ad ipsum eamus.*

S. Thom. Aquin.

Christus Dux.

S. Aug. ser. 55 de Divers.

545. Diversa Emblemata de Monocerote exhibet D. Aresius; Unde illorum uni subscripsit; EXPELLIT, ET ALLICIT. Innuit videlicet, geminâ animantis hujus virtute & venenum depelli, & cæteras bellüas ad fontis expurgati undas invitari Ad hanc normam Princeps suum genium conformans, simul & benignitate & justitiâ polleat. Ex Agapeti consilio, *si velis bifariam approbari; ut pulcherrima quæque gerentes honoras, ita teterrima patrantibus succense.*

Princeps justus & Clemens.

Agap. Epist. Paræn. n. 28.

456 Prope aquas consistenti Monoceroti inscripsit D. Aresius. PRÆBIBO BIBENDA. Ita Christus, passionis acerbissimæ calicem bibens, cum postea cunctis fidelibus bibendum obtulit. S. P. Augustinus. *Amarum poculum prior Medicus bibit, ne bibere timeret ægrotus.* Et S. Ambrosius, *Videamus, quæ causa fuerit, ut jejunia Salvator indiceret, & ipse primum, ut bonus humani generis Medicus jejunares. Bonus enim medicus prior gustat poculum, quod ægro daturus est, ut peritiam artis suæ ante in se demonstret, & experimentum æger accipiens securus sit de poculo, securior de salute.*

Christus passionem dulcem reddit.

S. Aug. in Psal. 98.

S. Ambr. ser. 39.

547. Idem Aresius Monocerotem, fonti vicinum, hoc lemmate auxit. PRO POTU ANTIDOTUM. Sicut enim animal illud ex aquis potum, ita aquæ reciproco beneficio ab illo virtutem præservatricem, & contra venena alexipharmacum recipiunt. Grati animi affectum, & promptam beneficii rependendi voluntatem hoc Emblema significat. *Beneficium beneficio respondeat,* inquiebat Euripides. Et Terentius, *Par pari referto:* quibus suffragatus Salvianus, *Ante usum,* inquit, *ac munificentiam liberalitatis alienæ liber est quispiam, beneficiorum fœnore non gravatus: coguntur autem omnes ipsa conscientia suâ ad repensationem vicissitudinis, postquam esse cœperunt debitores.*

Gratitudo.

Eurip. in Hel.

Terent. in Eun.

Salv. l. 4. ad Ecclesiam Cath.

548. Monoceros simul & siti levandæ, potum procurat, & sanitati procurandæ, sitim levat. Unde D. Aresii lemma. SALUTI, ET SITI. Medici geminum hoc officium est, qui potu refrigerat, & pharmaco sanat. Eâdem planè ratione Concionator eloquentiæ suæ deliciis auditorum sitim levat, & simul internæ mentis infirmitati discursuum ac invectivarum temperamento medetur. S. P. Aug. *Prædicator laboret; ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur: ad Deum levet animam sitientem, ut ructet, quod biberit, vel quod impleverit, fundat.*

Medicus.

Concionator.

S. Aug. l. 4. Doct. Christ.

549. Idem Monoceros, cornu intra aquas merso, ab Aresio inscriptum habet. ET MIHI, ET ALIIS. Adeò enim in hoc animali prompta est benefaciendi voluntas, ut infectas aquas non propriæ

Beneficentia.

Beneficentia.

tantû, sed & alienæ salutis causâ expurgare conetur. Mulier Samaritana Patriarcham Jacob hâc virtute insignem deprædicabat; ut qui non propriæ tantùm, sed & subditorum, filiorum, & pecorum indigentiæ fontem uberrimum providit. *Jacob dedit nobis puteum, & IPSE ex eo BIBIT, ET FILII ejus, & pecora ejus.* *Quia,* interprete B. Alberto Magno, *tanquam bonus pater, optimas aquas libenter filiis procurabat.*

Ioan. 4. 12. *Alb. Mag. in hunc locum.*

Charitas Divina. *Psal 28. 6.*

550. Monoceros, cornu suum intra aquas tingens, à Carolo Bosso epigraphen recepit; ET FERVET IN UNDIS. Haud aliter Dei Filius, juvenis & validus Monoceros in sacris Literis cognominatus, *Dilectus quemadmodum filius unicornium,* charitate suâ in Judaicæ malitiæ frigore medius comparuit, eamque accendere conatus est. Unde Prophetæ ore dixerat, *pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* S. P. Augustinus ad illa Christi verba alludens, quibus in cruce Divinum Patrem pro Judæis est precatus, ait; *Ipse dicebat, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; quoniam in profundo malignitatis reddebant ipsi mala pro bonis, ille in summo benignitatis reddebat bona pro malis.*

Psal 108. 4. S. August. in hunc loc.

551. Idem Bossus Monocerotem figuravit, qui retis explicati septa transiliens ac dilacerans, epigraphen tenet. FRUSTRA TENDUNTUR. Ita homo prudens ac virtuosus omnes mundi aut Tartari insidias superare novit. Poterat equidem Ægyptia adultera casto Josepho plurimas insidias pro libitu struere; at nunquam adeò validas, quin ipse, instar candidissimi Monocerotis, liberrimum è tanto discrimine egressum reperiret. Poterant Judæi, Herodis adminiculo, innocuam Christi vitam indagare, ejusque agendi rationem vigili oculo arbitrari, *ut caperent eum in sermone;* et demum non sine ludibrio receptui canere irriti venatores coacti sunt. &c. Pulchrè Salonius; *Frustra rete, id est, laqueus diaboli, objicitur sanctis & electis viris; quia facilè superare possunt insidias diaboli, qui suam conversationem habent in cœlis.*

Insidiæ superatæ.

Salon. in Prov 1.

552. Iram rationi ac prudentiæ subjici debere, D. Didacus Saavedra è Monocerote demonstrat, qui in frontis medio propè oculos oblongum cornu præferens, eo, veluti firmâ lanceâ, vindictam exercere solet, epigraphen addidit; PRÆ OCULIS IRA. S. Jacobi monitum est; *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Theodosii Imperatoris edicto cautum erat, ne mortis sententiâ, adversus aliquem pronuntiatâ, unquam, nisi post triginta dies, executioni mandaretur. S. Bernardus; *Ira hominum,* inquit *affectio naturalis est; sed abutentibus bono naturæ, gravis perditio est, & miseranda pernicies Occupemus illam, in quibus expedit, ne forte ad inutilia illicitaq; prorumpat.*

Ira moderata.

Iacob. 1. 19.

S Bern. ser. 12. in Psalm. Qui habitat

553. Ad D. Caroli apotheosin, Mediolani celebratam, symboli loco gentilitium Borromæorum Monocerotem statuêre; addito Virgilii lemmate, STAT VERTICE ROBUR. veluti dicerent; quemadmodum totum generosi illius animalis robur intra caput, validissimo arm. tum cornu, residet; ita Sanctissimi hujus Archiep. vires cumprimis in sapientia, prudentia, providentia, fide, aliisque virtutibus, in ipsius capite collocatis, fuisse sitas. Porrò totum corporis Religiosi aut Christiani robur in capite, seu superiore, consistit; hoc enim deficiente, brevi reliqua moles tota corruet, & tartareo venatori in prædam cedet; unde Prælatum alloquens S. Bernardus, ait: *Misisti manum ad aratrum, opus est fortitudinis & constantiæ; speculator factus es, opus est prudentiæ; debitor es sapientibus & insipientibus, opus justitiæ; prædicare debes, opus est temperantiæ.* Idipsum verissimè de exercitu dixeris; cùm omnis belli ac militum nervus potissimum à Belliduce, ceu capite, pendeat. Ut adeò verè dixerit Cabria, *Terribiliorem esse cervorum exercitum, Leone Duce, quàm Leonum agmen, ducente cervo.* Et Jacobus Gaddi;

Prudentia.

Prælatus.

S. Bern. in Epist.

Bellidux.

Plutarch. in Apopht.

Viribus armatis prudentia præstat inermis,
Vir majora gerit robore consilii.

554. Academicus, inter Venatores Venetos Providus, symboli loco Monocerotem habet; cum lemmate. FERT VITAM, ET FUNUS EODEM. Hâc inscriptione etiam Achillis lanceam, aliaque corpora Emblematica complura afficere licet. Cæterùm genuina hæc calamitatis imago est, quæ simul & sensus nostros mortificat, & spiritum vivificat. Certè Dei Filio ad supremum judicium veniente, etiam gloriosus apparebit sanctæ Crucis truncus: *Tunc parebit signum Filii hominis.* Ibi verò eadem crux, quæ nuper salutem humani generis vindicaverat (*qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti.*) Postea hostes suos contumaces perdet, confundetque. Theophylactus; *Veniet Christus contra Judæos, habens crucem, ut magnam justificandi materiam, & testimonium. Veluti si quis lapide percussus, ostendat lapidem, &c.*

Calamitas

Judicium extremû.

Theophyl.

555. Monoceros, cornu suo adversus durissimam petram arietans, epigraphen tenet; UT GRAVIUS FERIAT. Milites hæc imago instruit, ut priusquam cum hoste confligant, simulachra bellica, cæterasque militiæ exercitationes sedulò decurrant. Justus Lipsius; *Proprium militis est, arma peritè tractare, & habere aut defendendum, aut offendendum. In ipsa securitate animus ad difficila se præparet, & contra injurias fortunæ inter beneficia firmetur, miles in media pace sine ullo hoste decurrit, vallum jacit, & supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessariò possit. Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerceas.*

Diligentia.

Lips. l. 5. de Milit dial. 14.

556. Monocerotis cornu, humanæ indigentiæ plurimùm conferre solitum, ab hominibus vicissim summo habetur pretio ac existimatione, aliàs certè ab iis conculcandum ac neglectui habendum. Inde Joannes Sambucus Emblematis construendi ansam mutuans inscripsit; PRETIOSUM, QUOD UTILE. Ovidius:

Utile pretiosum.

Ovid 2. de Pont. Eleg

Turpe quidem dictu (si nos modo vera fatemur)
Vulgus amicitias utilitate probat.
Ipse decor recti, facti si præmia desint,
Non movet, & gratis pœnitet esse probum.
Nil nisi QUOD PRODEST CHARUM est: en detrahe menti,
Spem fructûs avidæ, nemo petendus erit.

Vespasianus Imperator olim reprehensus, quod, quæstu turpissimo. tributa, etiam ob urinam pendenda imponeret; Suetonio teste, respondit; *Lucri bonus odor ex re qualibet.*

Sueton. in vita Vesp.

557. Monoceros ob celeritatem, plus æquo præcipitem, adeò validè adversus arborem impingit, ut cornu non sine gravi suo damno altum eidem infigat. Emblemat subscripsit D Emmanuël Thesaurus Abbas; CONSILIIS INIMICA CELERITAS. Agapytus, *Periculosum est, admodum inconsiderata in rebus temeritas: si quis enim, quæ ex inconsulta mente proveniunt mala, conceperit animo, facile comperiet boni consilii commoda.*

Consilia præpropera.

Agap. Epist Paræn. n. 2

558. Tanta est Monocerotis ferocia, ut nullum aliud animal antro suo propinquare patiatur; Anonymi hac de re testimonium est; *Unicornis est talis naturæ, quod nullum aliud animal permittit ad suum*

Anonym. in Psal. 69

suum cubile accedere. Unde Monoceroti, intra cavernam suam commoranti, subscribes; SINT EXTERI PROCUL. Ita prorsus Deus, cognominatus *Dilectus quemadmodum filius unicornium,* solus cor nostrum vult habitare, nec patitur alienos animi nostri affectus sibi municipes. De sapientia ait Seneca; *Magna & spatiosa res est sapientia, vacuo illi loco opus est.* Et S. Petrus Damianus Cardinalis; *Quisquis ergò in corde suo cujuslibet malitiæ venena concepit, festinet de pectoris sui fovea vulpes excutere, ut in eo Dei Filius caput suũ meritò debeat reclinare.*

Deus. *Psal. 28. 6.* Seneca. S. Pet. Dam.

S. Paulus. 559. Heroicam D. Pauli fortitudinem, omnibus penè calamitatibus imperterrito animo è fronte oppositam, D. Sigismundus Laurentius Monocerotis emblemate repræsentat; qui, inter plurimos canum assultus persistens liber ac intrepidus, epigraphen subjunctam habet; TERRET, NON PAVET. Tantùm enim abest, Monocerotem è canum insultibus quidquam formidinis concipere, ut potius illos conterat, spernatque. S. Paulus adversus integras hostium ac calamitatum phalanges concitatus, de se ipso testari potuit; *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an perturbatio? an gladius? Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neque Principatus, neq; Virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Præclarè argumentatur Seneca; *Qui fortis est, sine timore est; qui sine timore est, sine tristitia est; qui sine tristitia est, beatus est.*

Fortitudo heroica. *Rom. 8. 35.* *Senec. epist. 85.*

Solin cap. 53. Ælian lib. 7. cap. 5. 560. MOnoceros, è Solini, Æliani, & S. Isidori testimonio, cùm sit animal ferocissimum, nullo humano labore, aut industriâ capi potest; proindè hâc eum arte venatores deludunt. Virginem ei vicinam statuunt, vestibus & odoramentis mirè ornatam. Hanc conspicatus Monoceros, oculis ita capitur, ut depositâ feritate velut agnus mansuetissimus, ad virginis sinum properet, ibique ludens ac benevolus, sese illi pro libitu tractandum exhibeat; donec inter blandientis virginis manus somnum ita validum concipiat; ut venatores ex insidiis prodire, & cornu, nihil observante belluâ, præsecare queant. Emblemati epigraphen subjunges; VIRGINEO MANSUESCIT AMORE. Virginis nomine Deiparam, ceu Reginam Virginum, intellexeris; intra cujus sinum sese Monoceros horrendus submisit, suumque sibi cornu passus est frangi. Deus enim in priscâ lege cornu feriebat horribili, & perquàm acuto. Testatur Noëticum diluvium, quo haustus orbis; Sodomæum incendium, quo exusta Pentapolis; Ægyptus, primogenitorum funeribus referta; Pharaonis ingens exercitus, mari sepultus; funesta Sennacheribi castra, ducentis penè millibus nocte unicâ interfectis, &c. Hem! quàm terribilis fuit hic Monoceros! quàm immensas strages feriente cornu edidit! Jam hic ipse Monoceros in sinu Virginis dormit, *Dilectus quasi filius unicornium.* In rem præsentem S. Thomas Villanovanus; *Quid Filio Dei similius, quàm filius unicornium? captus est & ipse amore Virginis, & majestatis oblitus, carneis vinculis irretitur.* Et S. Rupertus; *Fortissimus spirituum Deus, velut unicornis, id est potentiæ singularis, Deus incomprehensibilis & invictæ virtutis, virginei tractus odore uteri, illique inclusus est, & ex eo tantùm comprehendi potuit, & occidi.*

Maria V. Deipara. *Psal. 28. 6.* *S. Tho. Vill. Conc. 4. in Nat. Dom.* *S. Rup. apud Corn. à Lap. in Num. 23, 22.*

Virginitas. 561. Monoceroti, intra Virginis sinum quiescenti, D. Ludovicus Bretthe, author eruditæ Basilicæ S. Genovefæ Parisiensis, Emblematibus illustratæ, epigraphen præfixit; VIRGINITATIS AMORE.

RE. Tanta enim virginitatis est prærogativa, ut ejus amore delapsum sit in terras Numen; veluti prolixè in virtutis hujus laudem tradunt S. P. Augustinus & Bernardus. *Quanta est virginitatis gratia!* clamat S. Ambrosius, *quæ meruit à Christo eligi, ut esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitavit plenitudo Divinitatis: Virgo genuit mundi salutem, Virgo peperit vitam universorum.*

Virginitas

S Ambr lib. de Offic.

MULA, MVLVS.

Caput XXXV.

562. MUlæ pedes, donec æquali gressu progredi discant, funibus colligari solent Unde Bargalii lemma. GRADIATUR UT APTE. Ita homo, inter peccata *sicut equus & mulus* oberrans, à Deo calamitatibus, morbis, ac persecutionibus constringitur, ut effrenem ac dissolutum vitiorum gressum dedoctus, ad virtutis dimensum incedere discat. Opportunè in rem præsentem Plinius; *Nuper me cujusdam amici languor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut avaritia, aut libido solicitat? non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur, &c.* Pessimè quidem famosus ille Latro evangelicus incessit, dum per viarum calles passim oberrans, viatorum facultatibus ac vitæ struebat insidias: at postea pedibus vinctis, & ad crucem prope Servatorem suum fixis, gressus adeò justos exegit, ut directo ac regio tramite adæternitatis portum pertigerit.

Calamitas.

Plinius Iunior. lib. 7. Ep. 26.

563. Abbas Ferrus nonneminem, à Majorum suorum ingenuis moribus & nobilitate degenerem, Mulæ symbolo affecerat; cum lemmate. EX FOECUNDIS INFOECUNDA. Samuël, tametsi sanctus, filios aluit sceleratissimos; *Et non ambulaverunt filii ejus in viis ejus, sed declinaverunt post avaritiam.* Moses, Philone teste, vir perfectissimus, *Erat stupori hominibus familiaribus, tanquam novum naturæ miraculum; incertis, qualis mens habitaret in ejus corpore, humanave an Divina;* & tamen filii ipsius ab optimi parentis moribus ac sanctitate quam longissimè recesserunt. Noë, à Justitia summè commendatus, filium nutriit effrontem ac petulantem, Chamum. Jacob perfectionis prototypon, filios sanguinarios, incestuosos, & omnium offendiculo expositos habuit. Salomon sapientissimus, tantæ stultitiæ filium genuit, ut suâ imprudentiâ, & scelestâ agendi ratione decem regni partes amiserit, &c. Cæterùm Emblemate isto etiam hominem ingratum dignoscere licet; qui plurimis acceptis beneficiis nec minimum unquam respondet.

Filius degener.

1. Reg. 8. 3.

Phil l 1. de vita Mosis.

Ingratus.

564. Mulus, fœcundo aliorum semine procreatus, vitam traducit sterilem ac infœcundam. Lemma. GENITUS NON GENERAT. Homo ingratus, consentaneè ad hanc ideam, tametsi plurimis beneficiis cumulatus, nullâ tamen unquam gratianimi significatione respondet. Cardinalis Toletus, referente Francisco Mendozâ in illud Psalmi, *Nolite fieri sicut equus & mulus*; per *mulum, qui generatur nec generat, ingratum hominè intelligit, qui gratiam accipit, non rependit.* Cæterùm etiam mulum imitatur homo, qui à Deo creatus, & tot beneficiis affectus, bonis operibus penitus est inanis ac infœcundus. Unde monet Magnus Augustinus: *Duo sunt, quæ principaliter attendere debet humana circumspectio, & dignitatem suæ conditionis, ut peccare timeat; & excellentiam redemptionis, ut gratiæ redimentis non ingratus existat.*

Ingratus.

Franc. Mend To. 1. in lib. Reg. cap 2 annot. 14 sect. 2. n. 14.

S Aug. ser. 182. de Tem.

565. Mulo inscripsêre. INCRASSATUS RECALCITRAT. Hominis ingrati hæc imago est, qui plurimis beneficiis cumulatus, Mecænati suo obluctari, ac calcem ei obtendere audet. Argumenti ratioem è Mose desumptam credo; *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit.* Huic conformis Esdras, *Comederunt,* inquit, *& saturati sunt, & impinguati sunt, & abundaverunt divitiis in bonitate tua magna. Provocaverunt autem te ad iracundiam, & recesserunt à te, & projeeerunt legem tuam post terga sua.* Et Hierem. *Magnificati sunt, & ditati, & incrassati, & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè.* Denique Jobus: *Contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus Deum erecto collo, & pingui cervice armatus est.* Hunc locum interpretatus S. Gregorius Papa, ait, *Contra Deum armatur, qui rebus temporalibus tumens, contra præscripta veritatis, quasi de magnitudine carnis erigitur.*

Ingratitudo.

Deut. 32. 15. 2. Esd. 9. 25.

Hierem. 5. 28

Iob. 15. 25.

S Greg. l. 12. Moral c. 2.

MVSTELA ALPINA.

Cap. XXXVI.

566. MUstela armenia seu alpina, candidissimis cooperta pilis, adeò puritatis est amans, ut morte potius, quàm luto aut maculâ affici velit. Lemma. POTIUS MORI, QUAM FOEDARI. Hoc Ferdinandi, Regis Neapolitani, vel, ut alii volunt, Alphonsi XI. Hispaniarum Regis Emblema, Castissimam Susannam, aliasque virginitatis propugnandæ fortissima Heroides spectat. Pythagoras dicere est solitus; *Satius est mori, quàm per incontinentiam animum obnubilare.* In hanc sententiam concedens Blanca, Galliarum Regina, Ludocum filium suum, postea Sanctorum albo adscriptum, ita consuevit alloqui: *Fili, potius mortem appetas, quàm in peccatum incidas.* Hujus virtutis encomio etiam Michaël Guarinus insignis extitit, de quo sepulchrale ipsius marmor in hæc verba testatur.

Innocentia.

Castitas.

Guarinus Michaël juvenilibus occidit annis;
Moribus ambiguum, major, an ingenio.
Sola Venus potuit lento succurrere morbo,
Ne se pollueret, maluit ille mori.

Mustelæ candorem exactè imitari, aut etiam superare visæ sunt purissimæ Christi sponsæ, Iphigenia, Lucia, & Agnes; quibus omninò decretum erat, potius sanguinis sui purpurâ, è propriis exundante venis, quàm illibato virginitatis candore vel minimum destitui. Romanum Breviarium SS. Bibianæ & Demetriæ hoc elogium statuit. *Illæ neque blanditiis, neque minis à recta fide declinantes, paratæ POTIUS MORI, QUAM FOEDARI moribus Ethnicorum, prætoris impietatem constantissimè detestantur.* Iisdem c stimoniæ violandæ insidiis acerrimè infestata fuerat S. Eurosia; at mustelam imitata, mortem habuit potiorem, quàm pudicitiæ jacturam. Unde eidem Emblemati, nempe mustelæ alpinæ, luteo aggere vallatæ, epigraphen subjunxit D. Primus Aloysius Tattis; MORS POTIOR. Emblemati vero sequens Epigramma subdidit, in quo Heroidis illius facinus describit.

Fides.

Rom. Brev. 2. Decemb.

Candida ut insidias Mustela eludit, accita,
Quæ colit, effuso currit ad antra gradu.
Hâc sese tutam caveâ putat illa, sed atris
Excipitur vigili rursus ab hoste dolis.

Protinus exoso nam cingitur undique vallo,
Insonti ut pateat semita nulla fugæ.
Obstruitur cæno, quo ne se polluat, ipsi
Se potius morti devovet, inde neci.
Eurosio ancipiti discrimine pressa, pudorem
Servet ut incolumem, fata cruenta subit.
Candida servato candore apparuit: ipso
Facta est effuso sanguine candidior.

Fides. S. Casimirus quoque; *Gravi pressus infirmitate, MORI POTIUS, quam castitatis jacturam ex medicorum consilio subire constanter decrevit.* Eos denique omnes hoc symbolo exornabis, qui vitam malunt perdere, quàm fidem. In rem præsentem canit Guido Casonus; Guid. Cason. Embl. Polit. 6.

E come l' armelino il suo candore,
Solo per non bruttar la morte elegge,
Cosi vuol l' huomo valoroso, e forte,
Morir più tosto, che macchier la fede.

Pulchritudo scandalosa. 567. Hoc animal, dum generationis actui vacat, putidissimos fœtores spargit. Unde lemma. ALBUS EST, ET MALE OLET. Corporis humani venustatem, malè ac impudicè usurpatam, hoc emblemate notabis. In hanc rem Juvenalis; Juven. Sat. 10.

---- *Rara est adeò concordia formæ*
Atque pudicitiæ.

Ita Alcibiades, Plutarcho referente, faciem quidem pulcherrimam, at mores corruptos, & vitam sordidissimam habuit. Suetonius Neronem insigni formâ præditum fuisse testatur; qui tamen *Pudicitiam suam prostituit, contaminatis ferè omnibus membris.*

Puritas M.V. 568. Mustella alpina, locum penitus mundum habitans, epigraphen tenet; IN PURO TANTUM. Dei filius intra Mariæ Virginis uterum, ab omni vitiorum labe penitùs immunem, novem integris mensibus suavissimè conquievit, S. Bern. *De singulari Virgine nulla est ambiguitas, quia ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimioris sanctificationis genere mundata sit; utpote sanctuarium illud, in quo Deus & Dei filius carnem fuerat suscepturus.* Breviter & expressè Joannes Geometra. S. Bern. ser. de privil. S. Ioan. Bapt. Io. Geomet. hymno III.

Gaude, quæ Christo corpus mortale dedisti;
Gaude primævi libera labe patris.

Fides. Virginitas Deus. 569. D. Gambertus Mustelam alpinam illo Statii lemmate ornavit; MACULAS HORRET. Fidem aut virginitatem, omni etiam tenuissimâ labe expertem, hic typus demonstrat. Certè Deus, infinita puritas; omnem peccatorum maculam extremè horret, nec nisi animas puras & innocuas sectatur. Verissimè S. Nilus; *Ut in sordida pauperis casa Regem habitare non decet, ita Christus in anima, peccatorum sordibus contaminata, non habitat.* Stat. 2. Theb. S. Nil. instit. ad Monach.

Virginitas 570. Virginitatem, nullâ unquam labe temeratam, D. Thesaurus mustelæ armeniæ symbolo repræsentat; inscriptione ex Horatio mutuatâ; INTAMINATIS FULGET HONORIBUS.

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus. Horat. l. 3. Ode 2.

His ipsis parergis purissimas Virgines exornans S. Paschasius, ait, *Vos estis, quæ secundum nobilitatem generis flores estis Ecclesiæ, quæ virore pudicitiæ, & splendore castæ dilectionis, sponso serta componitis &c.* Et Thomas Cantipratanus; *Beata virginitas lilio comparatur: tum propter candorem niveum, tum quia ex sex foliis reparandis constat, ut cordi primo: deinde quinque sensibus corporis ab omni contagio illibatissimè caveatur.* S. Pasch. lib. 1 in Psal 44. Tho Cantip. l 2. c. 29. n. 4.

571. Mustela alpina epigraphen præfert; FOEDARI NESCIA. Sigismundus Laurentius D. Paulum hâc icone exornavit, cujus conscientia nec minimam peccati labem contraxit. Unde Felici Judici affirmatè dixit; *Ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper.* Rursus ad Corinthios hoc de seipso testimonium tulit; *Nihil mihi conscius sum, atque adeò,* inquit in hunc locum S. Hieronymus, *Qui hoc dicebat, nullius utique peccati sibi conscius erat.* Innocens. Act. 24. 2. Cor. 4. 4. S. Hieron. in hunc loc.

Castitas. 572. Mustela alpina inscriptum refert; CANDOREM PRÆFERO VITÆ. Religiosorum hæc idea est, qui voluptatibus omnibus ita se abdicârunt, ut mori malint, quàm castimoniæ candorem lædere. Generosè enim quibusvis pudicitiæ suæ hostibus cum Susannâ exprobrare audent; *Melius est mihi manus vestras non evadere, quàm in conspectu Dei peccare.* In hanc rem S. Ambr. *Tacebat in periculis Susanna, & gravius verecundiæ, quàm vitæ damnum putabat: nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam salutem: soli Deo loquebatur, cui poterat casta verecundia eloqui: refugiebat ora intueri virorum.* Quod de castitate diximus, simili ratione de quavis innocentia intelligas velim. Unde Magnus Augustinus docet; *Si tibi diceretur, aut bibas, aut morieris; melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.* Dan. 13. 22. S. Ambr. l. 1. de offic. c. 19. Innocentia. S. Aug. ser. de temp.

O R Y X.

Cap. XXXVII.

573. ORyx, Ægypti animal, ac capræ species solem & lunam, supra hemisphærium nostrum exorientes plurimùm aversatur. Eò alludens Joannes Ferrus, Orygem ad lunæ exortum capite depinxit abscondito, cum lemmate, OFFENDOR LUMINE. Ita prorsus invidi, ut primum aliorum felicitatem conspexerint, mœroribus confici incipiunt. Perspicuè S. Petrus Chrysologus; *Quot sunt prosperitates hominum, tot tormenta sunt invidorum.* Et S. Greg. Nazianzenus, *Pessimum itaque malum, amarus zelus; pessimi item homines invidi, alieni boni inimici sunt, & communis pacis hostes.* In hoc argumentum opportuna est S. Joannis Chrysostomi quæstio, cur Judæi animo ita tranquillo tulerint, cùm a Christo, instar mancipiorum, flagellis cæsi, ac templo ejecti fuerint, postea verò visâ miraculorum claritate, ipsis tantoperè proficuâ, in vindictam penitus implacabilem exarserint: Idque idcircò evenisse respondet, *Quia multo magis aliena GLORIA OFFENDIT INVIDOS, quàm proprium malum.* Invidus. S. Pet. Chrys. serm. 172. S. Greg Naz Orat 27. S. Io. Chrys.

574. Oryx, postquam sitim bibendo explevit, aquam turbare solet, proprietate etiam coturnicibus consueta. Lemma. ALTRUI POSCIA L'INTORBIDO. Id est; ALIIS TURBARE SOLET. Iisdem planè moribus imbuti invidi, sustinere nequeunt, si alii forte nonnunquam perfruantur benigniore; unde passim perturbant, invertuntque omnia. Verissimè dixit Lypsius; *Callidi omnia, & omnes perturbant.* Hæretici quoque, genuino sacræ scripturæ sensu malitiosè turbato ac perverso, miseram plebem nonnisi aquarum fæcibus pascunt. S. Rupertus Abbas; *Quis populus magis turbidus, quàm hæreticorum cætus, qui alios turbida, & cænolenta potant doctrina, velut turbida aqua.* Mali concionatores, orygibus non absimiles, limpidissimos doctrinæ ac virtutum latices è Divinis Bibliis hauriunt; eosque postea, pessimo vitæ suæ exemplo turbatos, in auditores ac populum, non sine sordibus, diffundunt. Opportunè meus Concanonicus D. Absalon Abbas; *De his, qui mandata Dei corde retinent, & ea opere* Invidi. Lips. Cent 1. ep. 81. Hæretici. S. Rup Abb. l. 2. in Sophon. Concionator vitiosus. Absal Abb. serm 21.

 non

non custodiunt, in Ezechiele scripum est; Cùm ipsi limpidissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris conturbabitis, & oves meæ, quæ conculcata erant pedibus vestris, pascebantur, & quæ pedes vestri turbaverunt, hæc bibebant. Quid enim aliud est, limpidissimam aquam bibere, quàm mandata Dei corde retinere? Vel eandem aquam pedibus conturbare, quid aliud est, quàm mandata Dei pravis operibus confundere? Unde aqua hæc turbata ovibus potanda porrigitur, quando simpliciores quiq; non à bonis, quæ audiunt; sed à pravis operibus, quæ vident, exemplũ vivendi assumunt.

575. S. Franciscus Xaverius, erga animarum salutem, & martyrium pro Dei gloria tolerandum, siti nunquam exaturandâ succensus, Orygis emblemate fuit repræsentatus, qui è fonte bibens; siti semper accendi solet majore. Lemma. ATTAMEN SITIO. Certè inexplebile hominis justi desiderium intensiore semper virtutum siti inardescit. S. Bernardus; *Justus semper esurit, sititque justitiam, ita ut, si semper viveret, semper quantum in se est, justior esse contẽderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur.* Eadem effecta in Beatis deprehendere licet, qui in cœlo bonorum omnium fonte exaturati, eandem beatitatem, siti æternum duraturâ, nunquam non volent degustare. Quare S. Greg. illa D. Petri verba interpretatus, *In quem desiderant Angeli prospicere;* ait, *Deum quippe Angeli & vident, & videre desiderant, & sitiunt intueri, & intuentur. Desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur: & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis, simul atque satietas, quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.*

Profectus. S. Bern. ep. 2?? ad Guarin. — Beati. — 1. Pet. 1. 12. S. Greg l. 18. moral. c. 28.

OVIS, LANA. VELLUS Aureum.

Caput XXXVIII.

576. OVis, sive pascatur, sive lavetur, sive tondatur, sive etiam occidatur, voce semper eâdem balare solet. Unde Bargalii lemma. VOCE SEMPER EADEM. Patientis ac tranquilli animi hominem hoc Emblema demonstrat. Lugduni in Gallia Diaconus quidam, Sanctus nomine, cùm ab Aureliano Imperatore suum nomen, familiam, patriam, conditionem; item num liber ac captivus esset, interrogaretur? tametsi à tortoribus, ut responsum daret, aut in voces, Christiano indignas, prorũperet, variisque & acerrimis tormentis excruciatus, constantiâ tamen summè heroicâ omnẽ suppliciorũ immanitatem contempsit, nec quidquam aliud, nisi pretiosa hæc, cœloque dignissima verba identidem reposuit, *Christianus sum,* ut refert Boterus. Porro ver⁹ Christianus, & maximè Religiosus, inter omnes mundi sive blandientis, sive adversantis casus, eâdem semper voce utitur, Deoque in omnibus agit gratias. Unde hortatur Apostolus; *In omnibus gratias agite.* Vide insignem homiliam S. Basilii, quam de gratiarum actione scripsit; ubi inter cætera sic ait; *Accumbens mensæ, aut esitans panem, largitori gratiã rependito; tunicam indueris? gratias agito benigno datori & nullo tuo merito plecteris? gaudium tibi inferat futurorum spes. Justo es supplicio addictus? gratias agas, quod hic potius luas pœnas, quàm in futuro.*

Patientia. — Martyris fortitudo. — Boter Dictor memorab p. 2. fol 334. — Gratias agere Deo in omnib⁹ — S Basil hom. de grat. act.

577. Ovis, à grege & pastore longius distracta, manifesto vitæ discrimini exponitur. Unde D. Archangelus Conter aberranti inscripsit. DISJUNCTA PERIBIT. Argumento è Psalte Regio desumpto; *Erravi sicut ovis quæ periit.* Certè S. Thomas, ab Apostolorum Collegio dissociatus, infidelitatis fauces incurrit. Judas, è D. Chrys. sententiâ, ex ovili apostolico digressus, infernali lupo in prædam cessit. *Nisi exisset ille,* inquit, *proditor factus non esset; nisi con discipulos deseruisset, non periisset: nisi sic ipsum extra ovile proripuisset, non eum lupus offendisset, neq; devorâsset: nisi seipsum à Pastore segregâsset, belluæ præda factus non esset.* Ita sanè quisquis à sanctæ Ecclesiæ grege longius discesserit, non potest non lupis hæreticis dilaniari & occidi. S. Petrus Chrysologus; *Ovis,* inquit, *vocem pastoris oblita, dum lupinis ululatibus credit, & caulas perdidit salutares, & tota lethalibus est sauciata vulneribus.*

Ps. 118. 176. — Separatio. — S. Thomas Apostolus — S. Io. Chrys. Tom 6. serm. de Baptis. Christi. — Hæreticus — S. Pet. Chrys. serm. 168.

578. Natura cæteris animalibus omnibus aliquod membrum providit, quo armorum vice uti, & vim adversam repellere valeat. Nam, asserente S. Joanne Chrysostomo, *Bruta corpore gestant arma; puta bos cornua, dentes aper, ungues leo &c.* Martialis;

Dente timetur aper, defendunt cornua cervum.

Solam oviculam armis omnibus destitutam voluit. Undè lemma. UNDIQUE INERMIS. Christus, suos Apostolos ad universum orbem convertendum ablegaturus, eos instar ovium dimisit; *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum;* & ut revera essent oves, ab iis, *neque peram in via, neque calceamenta, neq; virgam* circumferri voluit. In hunc locum P. Cornelius à Lapide ait; *Matthæus hic loquitur de matte, id est, virgâ defensoriâ, quam Christus Apostolis vetat.* Et paulò post; *Per virgam ergò hic synechdochicè qualibet arma intellige, hæc enim Christus vetat Apostolis, quos jubet non armis, sed Deo fidere, atque fidem non pugnando, sed patiendo propagare.* Unde Concilium Pictaviense statuit; *Clerici, portantes arma, excommunicentur, arma enim Clericorum sunt preces & lachrymæ.* Cæterùm inermis illa ovicula etiam genuinus innocentiæ & simplicitatis apostolicæ typus est.

S. Io. Chrys. — Martial. l. 13 Epigr. — Apostoli. — Matt. 10. 10 — Corn. à Lap in hunc loc. — Arma clericorum. — Innocentia apostolica. — Cap 2. de V & honest. Cleric. Item gl in habilis in c. ex multa si de voto.

579 Eidem Emblemati nonnemo hanc gnomam subjecit. MENS IGNARA NOCENDI. Hæc enim mentis innocuæ & sanctæ effecta sunt, ut nemini quidquam exitii aut nocumenti unquam afferat. S. Paulus; *Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.* Nempè magistrum suum imitatus est Apostolus. is enim, instar oviculæ, non tantùm neminem unquam vel minimùm læsit, sed insuper *Pertransiit benefaciendo & sanando omnes.* Atque adeò, teste Magno Augustino; *Ista est vera innocentia, quæ nec inimico nocet.*

Innocentia. — 2. Cor. 7. 2. — Act. 10. 38. — S. Aug in Psal. 17.

580. Oviculam, me judice, opportuno hoc epigrammate insignire licet. INTER OMNES MITIS. Benignissimam Virginem Mariam hæc effigies concernit, de qua S. Ecclesia canit;

Virgo singularis
Inter omnes mitis &c.

Eandem laudem Divina oracula etiam Mosi tribuunt. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes, qui morabantur in terra.* Et S. Hier. *Dux ille Israelitici exercitûs, inter omnes homines, quos terra tunc generavit, mansuetissimus prædicatur: & ideò per quadraginta annos obtinuit principatum. &c.*

Maria V. Mansuetudo. — Num. 12. 3. — S Hieron e ad Theophi

581. Ovicula, quantumvis malè habita, spoliata, verberibus cæsa, & interfecta, nihil unquam doloris aut querelarum spargere, nec etiam crudelitatem adversario exprobrare solet. Sicque ut nonnemo lẽmatis loco dixit; NON HABET REDARGUTIONEM; Verbis è D. Psalte mutuatis; *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Hâc prærogativâ Deus incarnat⁹ cumprimis excelluit; *Qui, cùm malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* Ad hoc exemplar etiã servi

Patientia — Psalm. — Christus. — 1. Pet. 2. 23.

Ambr. in Psal. 37. servi Dei suas operationes efformant; S.Ambrosio teste, *Ad ejus similitudinem atq; imaginem justus suæ vitæ cupiens instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus, & non aperit os suum, ut illum imitetur, qui sicut Agnus ad victimam ductus, & non aperuit os suum.* Idipsum peculiari ratione in SS.Martyribus cernere licet, de quibus S.Ecclesia canit; Isa. 53.7.

Cæduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia,
Sed corde impavido mens bene conscia,
Conservat patientiam.

Philippus Apostolus. 582. D. Aresius eximiam S.Philippi Apostoli in Christo sequendo alacritatem, oviculæ symbolo demonstrat, quæ versus oblatum viridem ramusculum festinans, epigraphen tenet. OSTENDERE SUFFICIT. Argumento prorsus eodem S.P.Aug. *Ramum viridem,* inquit, *ostendis ovi, & trahis illam; nuces puero demonstrantur, & trahitur; si ergo ista, quæ inter delitias & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est; Trahit sua quemque voluptas: non trahit revelatus Christus à Patre? &c.* Inde discas velim, quantâ suavitate voluntas humana ad vocationis Divinæ consensum moveatur. Aug. tract. 26. in Ioan. post initium. Vocatio Divina.

583. Plinius refert, in Insula Ponto oves absynthio pasci eamque herbam, quantumvis felleam & amaram, ab iis instar suavissimi mellis libari. Unde nonnemo oviculæ, absynthium versanti, inscripsit; DULCESCIT AMARUM. Christi labia, instar innocentissimæ oviculæ melleum ac suave reputârunt, quidquid myrrhæ, fellis, & aceti in cruce propinatum fuerat. Unde devotus quidam, Servatorem suum, sitientem ac felle potatum, hoc epigrammate alloquitur. Christus patiens. Iacob Bidermannus lib 1 Epigr. 39.

Christe rogas gelidam labris arentibus undam,
Sed datur imbutum fellis acore merum:
Barbara si vitæ nolebas parcere turba;
Cur saltem extremam non miserere sitim?
Perge tamen: potius madeat licet omnis aceto;
Melleus ambrosio fiet in ore liquor.

Passionis Christi meditatio. Cæterùm Divinam passionem ac crucem meditanti, omnes calamitatum amatores videbuntur in his terris suavissimi. S.Gregorius Papa; *Nihil adeo grave, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur.* S.Greg. in ep.

584. Ovis mater, insequentibus agnellis, epigraphen è S.Joanne desumptam sustinet; AGNOSCUNT ME MEI. Hâc ratione, inquit D. Aresius, veri filii ac boni fideles sanctam Matrem Ecclesiam Romano-Catholicam venerantur, nullo unquam vel minimo gressu ab ejus vestigiis deflectente. P.Cornelius à Lapide, illa D.Joannis verba interpretatus, in Christi personâ ait; *Cognoscunt me mea oculis fidei, spei, & charitatis, quia in me credunt, sperant, meque summè amant.* S.P. Augustinus; *Sancti tenent Deum Patrem, tenent Ecclesiam matrem; nec illum parentem, nec istam offendentes; sed in amore utriusque parentis viventes, & ad hæreditatem æternam properantes, non læso patre, non læsa matre, datur unicuique hæreditas.* Ioan. 10. 14. Fidelis. Corn. à Lap. in loc cit loã. S Aug serm. 11 de Temp. cap. 9.

585. Capra, lupum nutriens & ablactans, epigraphen tenet; POSTEA SANGUINEM. Emblematis mentem explicans Alciatus, canit; Alciat. Emb. 64.

Capra lupum, non sponte, meo nunc ubere pasco,
Quod malè pastoris provida cura jubet.
Creverit ille simul, mea me post ubera pascet
Improbitas nullo flectitur obsequio.

Illum cumprimis hæc imago spectat, qui, benevolentiæ suæ lacte in hominem ingratum liberalissimè effuso, postea etiam sanguinem fugendum præbere, & gravissima mala ab eo in beneficiarum vicem tolerare cogitur. Nero, humana illa bellua, sapientiæ lacte, quod è Seneca hauserat, minimè contentus, etiam venas eidem incidit, ac vitam abstulit. Popilius, Ciceronis labore & eloquentiâ, ceu lacteo flumine, salutem ac incolumitatem consecutus, eundem postea vitâ privavit &c. Verissimè conquestus Seneca; *Beneficia in scelus versa sunt: & sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est. Gladio ac venenis beneficia sequimur.* Cæterum symbolo hoc etiam innuitur, vitia, quantumvis minimis fomentis nutrita, aut etiam joco cœpta, gravissimum postea sanitati, sanguini, aut etiam vitæ dispendium accersere; tantùm enim virium levissima quævis initia habent. Ingratus. Senec l 5 de Benefic. c. 15. Peccatum veniale.

586. Ovis, herbarum virorem in aperto campo videns, facilè ad illum allicitur. Unde Lucarini lemma. SEQUOR ALLECTA. Ita Apostoli, majestate, gratiâ, cæterisque benevolentiæ argumentis, quæ è Servatoris vultu ac colloquio copiosè resplendebant, plurimum sunt abrepti, & ad ejus vestigia sequentia, ceu vinculis, tracti. *Certè fulgor ipse, & majestas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes, trahere poterat aspectu &c.* inquit S.Hieronymus. Vocatio. S.Hieron. l. 1. Comment. in Matth. c. 9.

587. Ovium carnes, lupi faucibus semel attactæ, novum ac gravissimum saporem acquirunt. Unde ovis, lupi dentibus prehensa, inscriptionem habet; FIT SUAVIOR. Ita justus, mundi, hominumque malevolentiâ laceratus, ac pessimè habitus, cibus evadit palato Divino suavissimus. S.P. Augustinus; *Nullus hominum est tantâ justitiâ præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis; vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem:* Suavior enim sapit in afflicto animo virtus. Opportunè Poëta; Calamitas utilis. S.Aug. lib. 2. cont Faust. cap. 20.

Dum premitur fastus, fit gratior hostia olympo;
Sic quoque fit morsu suavior agna lupi.

588. S. Ambrosius author est, lupos, dum ovibus rapiendis insidias struunt, ovile circumdare, omnesque canum & pastorum mores callidè explorare; ubi verò illos somno obrutos, hos verò à grege sejunctos adverterint, mox miserum gregem adoriri, & ovile in macellum convertere. *Lupi,* inquit, *bestiæ sunt, quæ insidiantur ovibus, circa pastorales versantur casas, somnum canum, absentiam aut desidiam pastoris explorant.* Unde oviculæ, intra lupi fauces hærenti, epigraphen subdidi. DUM VIGILES DORMIUNT. vel ut D. Carolo Rancato placet; CONTICUERE CANES. Verbis ex Ovidio desumptis; S. Ambr in c. 10. Luc. Ovid lib. 4. Fast.

Jam color unus adest rebus, tenebrisque teguntur
Omnia, jam vigiles conticuère canes.

Adeò nimirùm dormitantium pastorum negligentia, & ignava taciturnitas, deplorandum ac præsentissimum exitium subditis animabus conciliat. Isaias; *Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti, non valentes latrare, ridentes vana, dormientes, & amantes somnia.* S.Ephræm, *Non exiguum sibi damnum conciliat pastor, qui extra ovile dormit ovium. Somnolentia enim pastorum, luporum est gaudium.* Pastor negligens. Isa. 56. 9. S. Ephræm Tract. de timore Dei. tomo 3. initio.

589. Ovium gregi, lue interempto, inscripsit Rancatus; UNIUS SCABIE. Ad verbum Juvenalis; Iuven sat. 2.

Dedit

---- Dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures, sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit. &c.

Societas vitiosa. Plato lib. 2. de leg. Ita nimirum unius vitium facili labore in plures diffunditur, eosque plagâ, non raro lethali, inficit; *Qui se probis immiscet*, inquit Plato, *necesse est eadem pati & agere, quæ tales agere & loqui inter se didicerunt.* Ps. 105. 35. David de suis Israelitis plurimùm conqueritur; *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum.* Ecclesi. 13. 1. Verissimè Siracides, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.*

590. Complures agni fœcundo unius ovis ubere pascuntur; cum lemmate, OMNES PENDEMUS AB UNA. Maria V. Mariæ Virginis hæc effigies est, à quâ, ceu matre benignissimâ & fœcundissimâ, omnes in hoc mundo pascimur & fovemur: ut adeò verè à S Bonaventura cognominetur, S Bonav. in Lyran. *Mammilla orphanorum & parvulorum*; & ab Abbate Philiberto; Phil. Abb. l. 1 Cant. c. 14. *Nutrix Nutritoris omnium.* Ipsa quoque sacra Pagina de illa ait; *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ.* Cant. 8. Emblematis mentem hoc distichio explicat P. Jacobus Masenius;

Materno fragiles pendemus ab ubere nati:
Lacte ovis; at Virgo pascit amore suos.

LANA.

591. LAna, instrumento arcuato discussa, carminata, ac per chordam repercussa, tandem candorem & perfectionem debitam acquirit. Unde D. Caroli Bossi lemma. ALBESCIT AB ICTU. Castitas mortificatio. Ita castitatis votum hominem quidem reddit candidum, ac Deo gratum; at ipsius candor nonnisi è carne, crebris flagellis, aliisque mortificationibus maceratâ, ac probè edomitâ, obtinetur. De se ipso testatur Apostolus; 1. Cor. 9 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Cassianus ait; Cass. l. 4 de Instit. c. 8. *Multis experimentis edocti sancti Patres, tradunt, monachum, maximè juniores, ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrænare posse, nisi prius mortificare se didicerint.*

VELLUS AVREVM.

592. SOdales Parhenii Vellus aureum symboli loco affixêre; cum lemmate, NON SEGNI RAPIENDA MANU. Præmium præsupponit laborem. Enimverò Heroum præmia, & grandia munera, cumprimis verò æterna beatitudo nostra, nonnisi assiduo labóre ac industriâ obtinentur. S. P. Augustinus; S. Aug. in Psal. 102. *Non finitur labor, nisi cùm finita fuerit vita. Oportet in via laborare, ut in patria gaudeamus.* Unde è Poëtis nonnemo cecinit,

-- Par est fortuna labori.

Ovid. l. 2. de arte. Et Ovidius;

Ardua molimur: sed nulla nisi ardua vincunt,
Difficilis nostrâ pascitur arte labor.

593. Vellus expansum, ac rore cœlesti perfusum, epigraphen tenet; TACITIS ROS INFLUIT ASTRIS. M. V. Annuntiatio. Nempe sicuti solum Gedeonis vellus cœlesti rore madebat, arente reliquâ circum terrâ; ita Deus incarnatus, cùm totus orbis illum sitiret, in solum Virginis Mariæ uterum depluit; suspirante Prophetâ; Psal 71. 6. Method. Orat de Hypap *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum.* Perspicuè vaticinatus est Psaltes, *Descendet sicut pluvia in vellus.* Ut adeò Deipara Virgo à Methodio verè cognominetur, *Vellus imperceptibilis roris.* & à S. Pet Chrys. serm. 143. S. Petro Chrysologo, *Vellus virgineum, cui cœlestis imber placido se fudit illapsu.* In rem præsentem canit P. Jacobus Masenius;

Immaduit sudo vellus Gedeonis olympo?
Sicca tamen circum rore carebat humus.
Tota salutares tellus sitiebat ad undas;
Virgo Deum tacito condidit una sinu.

PANTHERA.
Cap. XXXIX.

594. PAnthera odorem exhalat adeò suavem, ut co illecta cætera animalia, Æliano teste, illam ingenti numero sequantur. Ælian l. 5. cap. 40. Lemma. ALLICIT OMNES. vel ut D. Aresius ipsius Pantheræ ore inscripsit; OMNIA TRAHAM. Christus in terra conversatus. Certè Deus, humanis exuviis vestitus, virtutum odorem adeò suavem spiravit, ut orbem universum in gloriosa sua vestigia traxerit. Hugo Victorinus; Hug Vict. l. de Best c. 23 *Quid suavius aut dulcius esse potest odore Domini nostri Iesu Christi? Ita enim suavis est, ut omnes, qui prope per fidem, & per opera sunt; & qui adhuc fragilitate gravati, longè sunt, audiant vocem ejus. Repleti enim & recreati suavissimo odore mandatorum ejus, requirimus eum, semper sequentes eum.* In eundem sensum Magnus Augustinus; S. Aug. in Psal. 90. *Amemus & imitemur, curramus post unguenta ejus: venit enim & olévit, & odor ejus implevit totum mundum: unde odor? de cœlo; sequere ergo ad cœlum &c.* Virtus. Virtus, miro odoris magnetismo, plus quàm Panthera, omnium animos ad se sequendam, vel saltem admirandam rapit. *Attrahit enim ad se*, inquit, S. Greg Nyssenus, S. Greg. Nyss. lib. de vita Mosis. *natura ipsius boni omnes, qui ad pulchritudinis radios sanis possent oculis respicere, ita fit, ut cœlestium desiderio semper ad majora, ut Apostolus ait, consurgat, & semper in altiora pervolet.*

595 Panthera, cæteras feras suavissimo suo odore ad se pertrahens, eas postea improviso assultu adoritur, ac devorat; Lemma. ALLICIT, UT PERIMAT. vel, ut Ferro placet; ATTRAHIT ILLECEBRIS. vel, ALLICIT INCAUTUM. Familia lasciva. Mundi prosperitas. Hanc iconem de mundi fallacia; de mulieris lasciviæ aut voluptatum fraudibus; & de fortunæ dolis interpretabere. S. Joannes Saresburiensis; S Io Sarisb l de Curia nugis. *Noverca virtutis prosperitas: sic applaudit, ut noceat, & infelici successu sic fortunatis obsequitur, ut in fine perniciem operetur: convivis suis ab initio propinans dulcia; & cùm inebriati fuerint, lethale virus admiscet.*

596. Scipio Bargalius, ficte Nymphæ loco, Pantheram depinxit, è vestigio plurimis cinctam animalibus; cum lemmate, DAL ODOR SUO RAPITI Id est, RAPIUNTUR ODORE; Maria V. consentaneè nimirum ad illa sacri Epithalamii verba; Cant. 1. 3. *In odorem unguentorum tuorum currimus.* De B. Virgine Maria ait Mellifluus Bernardus. S Bern serm 4. in Assum M V. *Digna planè, quam respiceret Dominus, cujus decorē concupisceret Rex, cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu.* Virtus. Homo quoque virtutum suarum fragrantiâ cæteros omnes ad se venerandum, sequendum, & admirandum cogit, Themistocles ad ludos olympicos delatus, vix populi conspectum subiit, cum omnium oculi in eum unum converterentur, ac Græcorum linguæ passim de illo coram exteris celebrando personarent: unde tam immodico populi applausu plurimùm recreatus, dixit, *Hoc ipso die laborum, quos pro Græcia suscepi, fructum reportavi.*

597. Vini suavitate plurimùm delectatur, eoque etiam inebriari solet Panthera; at quamprimum è vase, à venatoribus præparato, bibit; mox soporem contrahit, sicque ebria capitur. Lemma. POTU CAPI-

dex cor ruptus. CAPITUR. Judicum ac magistratuum quorundam hæc idea est, qui proprii quæstûs dulcedine excæcati, nonnunquam sese capi, & in adversam, quantumvis deteriorem, partem flecti patiuntur. Sacri Interpretes plurimum mirantur Davidē, quod se persuaderi permiserit, ut dimidiam hæreditatis paternæ partem, per decretoriam sententiam à Miphibothesо sublatam, servo cuidam scelerato ac maligno adjudicârit. At Liranus fraudem deprehendit, aitque, Davidem muneribus, à vaferrimo servo oblatis, fuisse captum; *Regi enim veniebat obviam cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, centū ligaturis uvæ passæ, & centum massis palatharum, & duobus utribus vini*. Hoc nimirùm vini odore optimi Judicis cerebrum penitùs turbatum, pro sinistra parte pronuntiaverat. *Hic duo consideranda sunt*, inquit Nicolaus de Lyra. *Primum est cautela malitiosa Sibæ detractoris, qui considerans David, & servos ejus in angustia positos, & fugâ, & fame fatigatos, obtulit David pauca respective, ut per hoc mendaciter acquireret hæreditatem Domini sui detrahendo sibi: & consimiliter faciunt in curiis magnatorum cupiai & avari. Secundum est periculum potentum in verbis talium detractorum, quia David sanctus ex verbis & dono, licet modico, hujus adulatoris & detractoris in tantum fuit deceptus, quod sine verborum ejus examinatione, dedit ei hæreditatem Domini.* Eâdem planè ratione peccator infamis Babyloniæ meraco temulentus, Tartareo venatori in prædam cedit, extremamque perniciem, morte æternum duraturâ, præceps incurrit. S. Laur. Justinianus; *Illos igitur solos, qui ignorant Deum, & futura non prævident, decipit mundus, aureo enim eos inebriat calice, variis donis pollicitationibus deludens, ad sempiternum trahit exitium.* Certè, miserrimus Loth, vino obrutus, infamem incestum committit. De hoc sanctus Petrus Damianus; *Pudoris munditiam, vinum in solitudine unâ nocte suasit amittere, quem inter tot adulteros ipsa non potuit Sodoma violare.*

Reg 19.26. Nicol Lyran. hunc loc. Reg. 16. 2. Nicol Lyr. loc. cit. Mundanus. Laur Iust. fascicul divin. amor cap. 11. Ebrietas. Pet Dam.

598. Panthera maculam supra dorsum circumfert, quæ juxta majoris vel minoris Lunæ vicissitudines crescit ac decrescit. Unde emblema Pantheram, macula illâ conspicuam, sub luna exhibet; cum dicto; SIC MUTOR AD ILLAM. vel, MUTATUR AD ILLAM. Si hanc iconem benigniore sensu interpreteris, animam, voluntati Divinæ, ac dispositioni cœlesti penitus conformem, significat. In hanc rem S. P. Augustinus; *Duæ voluntates sunt; sed voluntas tua dirigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei torqueatur ad tuam.* Et meus Carducius.

Conformitas cum voluntate Dei. S. Aug. in Psal 31.

Cynthiæ ad aspectum maculam panthera colorat;
Sic sequitur virtus fida poli regimen.

Adulator. In sensu autem deteriore adulator, ad heri sui nutum volubilis ac inconstans, exindè demonstratur; Unde idem Carducius, postquam lemmatis loco dixit, quod Pantheræ macula, infra lunam collocata, sit MULTIFORMIS ÆMULA; mentem suam his Jambis explicat.

Labes Dianæ est multiformis æmula:
Cor sic adulans, & vacillans volvitur.

599. Panthera capras sylvestres, cervos aliaque animantia odoris sui suavitate ad cespitem, ubi ipsa recumbit, attrahere solet, ibique incautos improviso assultu obruit, ac devorat. Lemma. BLANDIMENTO PRÆDATUR. Ita omnino voluptas, omnesque mundi illecebræ, miseros mortales non sine blanditiis attrahunt, eosq; crudeli sorte in extremam perniciem præcipitant. Plutarchus; *Fera est sibi mancipans homines voluptas, sed mitis: nam si aperto pugnaret, citò caperetur. Nunc autem etiam ideò invisa magis, quod celat inimicitiam, induta habitum benevolentiæ.*

Voluptas mundana. Plut apud Stobæum serm. 6.

600. Henricus Farnesius symboli loco Pantheram exprimit, quæ, capite intra virgultum abscondito, multis feris circumdatur; cum lemmate. NON VI, SED GRATIA. Innuebat videlicet, Principi dexteritate potius, ac cautâ dissimulandi ratione, quàm terrore aut violentiâ in dirigendis subditorū animis opus esse; ejusque imperia non proprio, sed aliorum genio attemperari debere. S. Greg. Papa gratiosam hanc regendi methodum Childeberto, Galliarum Regi, his omninò verbis persuadere est conatus: *Benignum Excellentia vestra suis subjectis semper se exhibeat, & si quæ sunt, quæ ejus animum offendere valeant, ea indiscussa non sinat.* Haud aliter D. Paulus proximos nostros non violento aut crudeli modo, sed temperato ac suavi ad virtutem pertrahendos voluit; *Vos qui spirituales estis*, inquiebat ad Galatas, *hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* In hunc locū Cardinalis Cajetanus; *Hæc*, ait, *est forma reparandi lapsos, ut actio correctiva procedat in spiritu mansuetudinis; ad differentiam eorum, qui impetuosè sæviunt in delinquentes. Et creditur, Paulum hæc dixisse, eò quod Pseudo-Apostoli contra delinquentes indignabundi procedebant.* Hâc animi moderatione insignis erat Sertorius, qui, tametsi naturâ suâ terribilis ac crudelis, seipsum tamen temperamento adeò dextero emolliit, ut nemini non videretur mansuetus. Idipsum de sancto Ignatio Loyolâ historiæ memorant, quod naturâ igneus ac vehemens, operationes suas tantâ suavitate condierit, ut quidam, accuratiore oculo eas contemplatus, Ignatium non cholericum, sed phlegmaticum judicârit; Eandem corporis animique temperandi rationem etiam nostro ævo in Cassalensi Episcopo, Hieronymo Francisco Miroglio, suscipit ac veneratur orbis.

Henr. Farn. l. 1 Diphi. Elog 10. Princeps benignus. S. Greg. l. 8. epist. 4. Galat. 6. 1. Cajet. in hunc loc. S. Ignatius Loyola.

601 Panthera, mirâ pulcherrimorum colorum varietate distincta, ferociam insigni huic venustati adeò immanem conjunctam habet, ut, qui propriæ saluti consultum voluerit, procul ab ea recedere debeat. Unde epigraphen, è Virgilio mutuatam, exhibet; NE CREDE COLORI.

Virgil. Eclog. 2. v. 17.

O formose puer! nimium ne crede colori.

Forma fugienda.

Ita nec mulieri, quantūvis comptæ; nec homini cuiquam terreno, plus æquo fidas. Senec. *Mulierem involutam æstimasti; si vis illam æstimare, totamque scire, qualis sit, fasciam solve: multùm mali sub illa latet.* Ovidii consilium est;

Ovidius.

Sint procul à vobis juvenes ut fœmina compti.

Neque etiam variis verborum pigmentis, quibus detractores & adulatores uti solent, benevolum te exhibeas; quippe quæ gravissima damna post se trahunt.

Detractor

PHAINA.

Cap. XL.

602. PRudens Oeconomus, aut industrius Paterfamilias, indefessa ac penè unica solicitudine in domesticas necessitates attentus, Phainæ Emblemate repræsentatur, quæ, diversa obstacula, viasque invias ingenti labore percurrens, integrum ovum supra caudam sustinere, & ad catulos suos, non

sine

Amor facit industrium.

Philost lib. 2. c. 7. de vita Apol.

Plutarch lib. de solertia animalium.

S. Aug. ser. 9. de Verb. Dom. cap. 3.

sine ingenio, deferre solet. Emblemati D. Josephus Pallavicinus Abbas subscripsit; ARTEM DOCET AMOR. Amor enim brutorum cordibus, ut sese erga fœtus suos beneficã exhibeant, subtilissimos quosvis modos dictat. *Nam Elephantes*, Philostrati verba sunt, *suos pullos deferunt, vinculis, ne forte cadant, eos amplexi. Ursi, licet feritate cæteras belluas superent, pro catulis tamen omnia faciunt. Itidem quoque faciunt lupi, rapinis tamen intenti: fœmina enim partus custodit, masculus autem pro catulorum salute cibos ad ipsam defert. Balæna autem faucibus filios abscondit, si quando majorem belluam fugere eos contigerit.* Si plura desideraveris, Plinium, Plutarchum, sanctum Ambrosium, sanctum Basilium, aliosque in Hexameris hâc de re consulas. Verissimè dixit Magnus Augustinus; *Omnia sæva & immania prorsus facilia & propè nulla facit amor.*

PORCVS.

Caput XLI.

Avarus.

Hect. Pintus in Ezechiel. cap. 16.

603. PORco jugulato inscripsit Bargalius; TANTUM FRUGI. Et Camerarius; HAUD ALITER PRODEST. vel, TANTUM IN FUNERE PRODEST. Certè avarus nec mundo quidquam emolumenti affert, nec proximum juvat, nisi à morte interemptus. Hector Pintus; *Nonnulli hujus temporis Christiani non relinquunt pauperibus opes nisi in morte, quando illæ eos relinquunt. Sunt veluti pecora, quæ non manducantur, nisi mortua & cocta. Non potest ex illis pauper quidquam comedere, nisi eos concoquat prius mors. At quanto tutius esset in vitâ manum pauperi porrigere &c.*

Profectus

Alciat Embl 45.

604. Porco consuetum est, dum in campo pascitur, nunquam retrò tendere, sed ulterius semper progredi. Unde lemmatis loco hoc adverbium addidère. ULTERIUS. Arduum in re quavis profectum hæc imago innuit. In rem præsentem canit Andreas Alciatus.

Progreditur semper, nec retrò respicit unquam,
Gramina cùm pando proruit ore vorax:
Cura viris eadem est, nec spes sublata retrorsum.
Cedat, & ut MELIUS sit quod ET ULTERIUS.

S. Fulg. de Orat. cap. 3.

Et S. Fulgentius; *Sicut qui ad patriam tendit, donec perveniat, semper habet ubi ambulet, sic etiam nos, quamdiu in hoc mortali corpore constituti peregrinamur à Domino, præsens vita nobis est via, in qua semper habemus, ubi possimus proficere.*

Eucharistia.

S. Io. Chrys. hom 61 ad populum.

Tibull. lib. 2. Eleg. 1.

605. Emblematis loco porcum depinxère, amœnissimo roseto vicinum: cum Ovidii lemmate, NON BENE CONVENIUNT. vel, QUID SUIBUS, ET ROSIS? Ita homo, libidinis fœtorem instar porci redolens, S. Eucharistiæ sacramento iniquissimè propinquat. S. Joannes Chrysostomus, *Quomodo Christi assistes tribunali scelestis manibus, & labiis ipsum corpus impetens? & fatente quidem ore tuo regem osculari non auderes; regem verò cœli fætente anima deoscularis? factum hoc est contumelia.* Tibullus;

--- *Discedat ab aris,*
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis &c.

Matth 7. 6.

S. Ambr. l. 2. de Pænit. c. 9

Hæc nimirum Christi ad Apostolos præceptio erat; *Nolite dare sanctum canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos. Hoc est*, interprete S. Ambrosio, *Immundis spiritibus sacræ communionis non facilè impertienda consortia.*

Lascivu[s]

S. Clem. A[lex.] ad gent.

S. Io. Chr[ys.] hom. 48. i[n] Matth.

Io. Nitius Dialog. de Pænitent.

606. Porco hunc titulum præfixère; LUTUM UNA VOLUPTAS. En! vernaculam hominis lascivi effigiem! qui nullis aliis deliciis, nisi sensuum & carnis spurcitie, delectatur. S. Clemens Alexandrinus, *Illi instar vermium in cœno & voraginibus, nempe voluptatis fluentis, inutilibus & stultis pascuntur deliciis, suilli quidē homines. Sues enim cœno magis delectantur, quam aquâ mundâ. Ne ergò porcis efficiamur similes.* Idipsum de libidine asseruerat Sanctus Joannes Chrys. *Quid isthæc fœditas non inducit; sues ex hominibus facit, immò verò etiam suibus deteriores. Sus enim in luto volvitur, & stercore nutritur; hic verò lascivus homo abominabilem sibi mensam constituit, iniquas commixtiones excogitans, & amores nefarios.* Concinnè Janus Nitius canit,

Pudet, pigetque proloqui
Quæ duxerim solatia
Luto tenaci, ac sordido
Hærere totis sensibus.
Nam si quod usquam cernerem
Olere cœnum fœtidum,
Conabar illud tendere;
Aura & sagittis ocyus &c.

Invidus

S. Io. Chry. hom. 4[.] i[n] Matth.

Eodem Emblemate S. Joannes Chrysostomus hominem invidum, inter proximi sui calamitates & infortunia, veluti in cœno, non sine suavi sensu, volutari solitum, commonstrat. *Quemadmodum sues lutuosâ immunditiâ, & dæmones nostris damnis lætantur, sic invidi calamitate proximorum exultant.*

Peccato[r] proterv[us]

S. Aug. l. ad Orosiu[m] quæst. 38.

607. Peccator, liberâ ac protervâ voluntate in scelerum sentinas ruens, Porci Emblemate ab Abbate Certano repræsentatur; qui in cœnosam cloacam mersus, epigraphen sustinet; PETIT ULTRO. Hanc insaniam, homine indignissimam, eruditè ac multis exaggerat S. P. Aug. *Humanum est peccare, at de industria peccare, ac peccato gaudere, atque gloriari, penè diabolicum est. Nihil enim spiritum sanctum perinde contristat, imò ad iracundiam concitat, quàm non imbecillitate humanâ, seu repentino aliquo impetu peccare, sed CONSULTO, atque apertis, ut ita dicam, oculis, IN SCELUS PRORUERE.*

Lascivu[s]

S. Cyrillu[s] Apolog. [...] l. 4. c. 1.

Io. Sylveri[a] lib. 4 in E[...] vang. c. [...] num. 42.

608. Academici Furfuracei Porcum symboli loco præferunt, qui capite intra lintrem submerso, fœtentem culinæ proluviem exindè haurire contendit; addito lemmate; AMBROSIA, E NETTAR NON INVIDIO A GIOVE. Id est, MIHI DELICIÆ SORDES. vel, SPERNO JOVIS NECTAR. In hunc sensum S. Cyrillus, *Porcus*, inquit, *in vicino cœno fœtido se volutans, cutem turpissimâ jactatione hujusmodi sordidabat; dicens; O quàm amœnissimus lectus, & stratus dulcissimus mihi hic est! ô quàm mihi delectabilissimus sensus! ô quàm suave balneum carni meæ! quàm dulcis hæc aqua refrigerii! quàm nobilis hæc stilla roris, transcendens Libani latices, Damasci fontes, & Panormitana balnea sospitate!* Hanc animalis spurcissimi fœditatem exactè imitantur lascivi, qui in abominanda scelerum mephiti volutantur, omnesque ab optimo Deo oblatas delicias respuunt. Opportunè Joannes Sylveria; *Per porcos*, inquit, *significantur homines impuri, voluptatibus dediti, valdè indociles in doctrina cœlesti, contemptores Divinorum, terrenorum amatores, qui solùm terrena meditantur.*

609. P. Sebastianus à Matre Dei, Carmelita excalceatus, Mariam Virginem, etiam in ingratos beneficam, Emblemate significaturus, Quercum depinxit, ingenti glandium numero fœcundam; ad cujus radicem porcus glandes, copiosè sparsas,

fas, avidè devorat; cùm lemmate, NON RESPICIS, A QUO ACCIPIS. Porcus enim ingratitudinis Symbolum, oculos nunquam eo sustollit, unde cibum accipit, secus atque alia animalia solent. Maria Virgo, ceu procera Quercus, ingratos plurimos alit, qui nec benefactricem suam respicere, nec ora sua ad gratias referendas attollere dignantur. Apposité in rem præsentem cum terra Deiparam comparat Propheta; *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem,* terra enim ingratis benefacit, qui multis eam injuriis afficiunt, conculcando, arando, conspuendo &c. Porrò Rebeccam Deiparæ typum asserit Richardus, quod ab Eliezer rogata, non solùm ipsi, sed & camelis potum aquæ obtulerit; camelus enim ingrati animi est symbolum, cùm aquam, unde sitim levavit, turbet, & ex pellucida turbulentam reddat. Ita Maria non solum in homines gratos, sed ingratos quoque sua beneficia effundit S. Bernardus ad Deiparam conversus, *Tu,* inquit, *Peccatorem, quantumlibet fœtidum non horres, non despicis. Tu illum à desperationis barathro piâ manu retrahis, spei medicamen aspiras, foves, nec deseris, quousq; horrendo Judici miserum reconcilies.* Cæterùm imago ista cuivis, adversus Mecænatem suum ingrato, convenit.

[Maria V. ingratos benefica.] [...45.] [Richard l.2.] [Bern. ser. de Virg. Deipara.] [Ingratus.]

RHINOCEROS.

Cap. XLII.

630. ID elogii de Rhinocerote habetur scriptis proditum, *Rhinoceros nunquam victus ab hoste redit.* Unde lemma. NON REDEO, NISI VICTOR. Belliducum illorùm honorem hæc imago repræsentat; qui, quot præliis, tot victoriis ab hoste insignes revertuntur; Tales fuêre Cæsar, Alexander Magn⁹, Carolus Quintus; alii. Ennodius in Theodorici panegyrico ait, *Si Regis mei bella numerem, tot invenio, quot triumphos. Congressui tuo nullus hostium, nisi qui laudibus adderetur, occurrit. Militavit trophæis, qui resistit voluntati. Nam semper aut pietatis tuæ peperit subjectus gloriam, aut qui præsumpsit, tela virtuti &c.* Christus, aperto Marte cum suppliciis ac morte congressurus, verissimè de se ipso pronuntiare poterat, *Non redeo, nisi victor*; unde etiam eidem redivivo S. Ecclesia hoc epinicion accinit;

[Miles fortunatus.] [Ennod. in Panag. Theod.] [Christus patiens.]

Consurgit Christus tumulo
VICTOR REDIT de barathro,
Tyrannum trudens vinculo,
Et paradisum reserans.

611. D. Aresius hanc Rhinoceroti gnomam subjecit; MORI POTIUS, QUAM SUBDI. Generosum militis animum, & invictam Martyris constantiam hæc imago designat; argumento è Machabæorum fastis desumpto, ubi de Razia commemoratur. *Eligens nobiliter mori potiùs, quàm subditus fieri peccatoribus.* Athenienses, immensam Xerxis aciem bello invasuri, Philone teste, *correptis armis eam expeditionem susceperunt, quasi debellaturi cum ingenti strage hostem, contemptis mortibus & vulneribus, ut saltem insepelirentur libero solo patriæ.* S. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis, *Dei servus*, inquit, *adversitate ulla non frangitur, sed se pro veritatis defensione ultrò certamini offert, nec unquam pro veritate diffidit.*

[Generositas.] [2 Mach. 14. 42.] [Phil Hebræus l. quod omnis probus liber.] [S. Isid. lib. 1. sent. cap. 26.]

612. Rhinoceros, grandis, sed tamen impatientis animi symbolum, ubi vel minimam offensam fuerit passus, mox, ulciscendi libidine penitùs inconciliabili, in hostem ruit. Lemma. NON EGO REVERTAR INULTUS. Oseas propheta, mortis jaculo in Christi persona transfixus, & intra mortis fauces compressus, reclamabat, *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero inferne.* veluti diceret, interprete Cornelio à Lapide; *Ego Christus mordebor à te, ô mors, & ô inferne, sed ita, ut à te morsus, te vicissim mordeam, ita ut à te quasi absceptus, viscera tua disrumpam &c.* Hominem, vindictæ cupidum, alloquens Magnus Augustinus, ait; *Sitis vindictam, nec prius ab intentione desistis, donec de illo, qui te læserat, vindiceris. Si Christianus es, expecta regem tuum: prius se vindicet Christus: nondum enim vindicatus est, qui pro te tanta perpessus est.*

[Vindicta. Christus sepultus.] [Osee 13.14.] [Corn à Lap. in hunc loc.] [S. Aug. serm. 37 de Divers. cap. 4.]

613. Prudentiam militarem è Rhinocerote discere licet, qui cum hoste conflicturus, cornu suum in adversa petra ante congressum exacuit. Unde Burgalii lemma. PUGNÆ UT PARATIOR. Hæ enim præviæ exercitationes ac belli simulachra victoriæ obtinendæ bases sunt. *Animos enim subitò ad arma non erigunt,* inquit Cassiodorus, *nisi qui se ad ipsa idoneos, præmissâ exercitatione, confidunt.* Et Vegetius; *In certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est, quàm rudis, & indocta multitudo, exposita semper ad cædem.*

[Exercitatio militaris] [Cassiod. Var. l. 1. Epist 40.] [Veget. l. 1 c. 1.]

614. Rhinoceros, veluti congenito robore, & viribus ad hostes sternendos validissimis minimè contentus; insuper industriam conjunctam habet adeò providam, ut prælium auspicaturus, cornu suum instar lanceæ vibret; illudque longâ exercitatione præparet, ne ictu fortè irrito aut minus dextero adversus hostem dimicet. Unde exercitanti subscribes, NATURA, ET ARTE. Idipsum planè in militia requiritur, ut præter dotes, à natura ingeneratas, etiam corpus probè exercitatum ac industrium afferas. Opportunè Vegetius; *Adversus omnia profuit, TYRONEM SOLERTEM ELIGERE, JUS (ut ita dicam) ARMORUM DOCERE, disciplinam quotidiano exercitio roborare.*

[Miles.] [Veget. l. 1. c. 1.]

615. Ajunt, Rhinocerotem, quantumvis furibundum, si intra virginis brachia recipiatur, totum mansuescere. Quare intra Virginis brachia conquiescenti inscripsit Lucarinus; CUM VIRGINE CICUR. vel ut aliis placet; CÆTERIS INDOMITUS. Certè Deus, summè terribilis, postquam Virginis beatissimæ uterum habitare cœpit, placidum se, ac penitus mansuetum orbi exhibuit. S. Bonaventura; *Christus,* inquit, *per mansuetissimam Mariam mansuescit & placatur, ne se de peccatore per mortem æternam ulciscatur.*

[Incarnatio.] [S. Bonav in Specul c. 13.]

616 Rhinoceros cum infirmiore animali dimicare dedignatur, suasque vires nonnisi adversus elephantes, aliasque eximii roboris belluas exercere solet Unde Lemma. URGET MAJORA. Animum verè generosum ac Herculeum hæc imago innuit. Scitè Seneca Tragædus;

[Generositas.] [Senec Herc. Fur Act 2.]

Virtus est domare, quæ cuncti pavent.

Proprium enim est magnanimitatis veræ, Inquit Annæus Seneca, *non sentire se percussum: Magna enim fera ad latratum canum lenta respicit.* Torquatus Tassus hanc magnanimitatem in Emireno, Supremo Regis Ægyptii Belliduce, deprædicat;

[Senec. lib de Moribus] [Tass Gerus. Liberat Cāt 20. stanz. 138.]

Contra il maggior Buglione il destrier punge
Che nemico veder non sà più degno,
E mostra, ov' egli passa, ov' egli giunge
Di valor disperato ultimo segno.

617. Rhinoceros nativo quodam instinctu intelligit,

intelligit, sibi à venatoribus nonnisi ob cornu, quod maximo habetur pretio, insidias ac perniciem strui. Quare ubi insequentes illos advertit, mox cornu, ad petram summo impetu allisum, venatoribus relinquit, sicque illorum manus facilè evadit. Unde cornu adversus petram contrito, epigraphen reddit; UT EVADAM. Compertum omninò habemus, quòd nos venator Tartareus undique insequatur: allidamus proindè cornu superbiæ nostræ ad petram, quæ est Christus; discamus ejus humilitatem & mansuetudinem; præmonente illo, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Hâc enim ratione diaboli insidias impetumque effugiemus. Ad saniorem mentem rediit Nabuchodonosor, & confessus est, *quod dominetur excelsus,* quando elevatum ipsius cornu à Deo est confractum; quando segregatus ab hominum consuetudine, inter bruta animantia vivere est coactus; fæno ac gramine pecudum more pasci, Divino urgente decreto Expertissimo Augustino teste, *Nulla fere pagina est Sanctorum librorum, in qua non sonet, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Superbia. Humilitas. *Matth.11.29* *S.Aug.l.3. de Doctr. Christ.c.23.*

RUPICAPRA.
Cap. XLIII.

618. JOannes Ferrus Abbas, Urbani VIII. Pontificis Maximi, poësin, eloquentiam, ac doctrinam Emblemate commonstraturus, Rupicapram depinxit; quæ ad inaccessi montis fastigium exiliens, epigraphen tulit; NEC INACCESSUS APEX. Nec Joannem Ferrum tantùm, sed & alios litteratos complures sublimis illa Urbani sapientia in sui admirationem ac laudem traxit; Certè Joannes Baptista Laurus ea ipsius opera *Mel merum, ac nectar suavissimum* vocat. Joannes Barclajus de illis in hæc verba pronuntiat; *Gemmea illa, & virilis scribendi felicitas.* Universitas Parisiensis ipsius poemata hoc elogio exornavit; *Divina Carmina, cœlesti quodam instinctu fusa.* Cæterùm Emblema istud comprimis Sanctum Paulum spectat, qui visionis beatificæ apicem, hactenus omnibus in hoc mundo inaccessum, conscendit; nam *usque ad tertium cælum raptus in paradisum, audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Eminentia obtenta. *Barclaius.* S.Paulus. *2.Cor.12.3.*

619. Emblematis loco, Rupicapra montis fastigio insistit; compluribus canibus ad montis mediam & infimam partem frustra contra illam latrantibus. Lemma. EFFUGIA PERDUNT. Ita prorsus virtus apice adeò sublimi nititur, ut à mordacis invidiæ dente nullam offensam possit accipere. Seneca; *Quemadmodum minuta lumina claritas solis obscurat, sic dolores, molestias, injurias, virtus magnitudine suâ elidit atque opprimit.* Silius Italicus;

Virtus invidiam superat. *Senec. Epist. 66.* *Sil.Ital. l.13.*

Magnanima invidiâ virtus caret.

Et Claudianus; *Claud in Stilicon.3.*

Est aliquod meriti spatium, quod nulla furentis
Invidiæ mensura capit.

620. Aloysius Ferrus Rupicapræ, supra montis verticem collocatæ, inscripsit; ALTISSIMA TUTE. Inde colliges, solam illam spem, quam in cœlo ac Deo collocatam habemus, veram ac securam esse. Vix David edixerat, *Altissimum posuisti refugium tuum*; Mox subjungit, *Non accedet ad te malum.* Et Guerricus Abbas, *Omninò,* inquit, *pulchra pax, & securitas sempiterna, habitare in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorari &c.* Unde quando Apostolus ait, *spes autem non confundit;* Beda docet, non spem in homine collocatam, utpote semper defectuosam, & assiduis fortunæ casibus obnoxiam; sed felicissimam illam, ac securitate plenam, quam in Deo reponimus, intelligendam esse. *Confunderis,* inquit, *quia fefellit te spes posita in mendacium. Omnis enim homo mendax, si autem ponas spem tuam in Domino Deo, non confunderis, quia ille, in quo spem posuisti, fallere non potest.*

Spes in Deo. *Guerric. s. 2. de S. Benedicto.* *Rom 5 5.* *Beda in hunc loc.*

SCIURUS.
Cap. XLIV.

621. SCiurus, amnem trajecturus, exiguo aliquo ligno sustentari solet. Unde Aresius bonum latronem Emblemate significaturus, epigraphen subdidit. DEDUCET ME. Nam Crucis lignum, cui affixus incumbebat, eum ad æternæ salutis portum deduxit. S.Ambr. *Ubique Latro diu oberrans & naufragus, aliter ad patriam redire non poterat, nisi fuerit arbori alligatus.* S.P.Augustinus; *Instituit lignum, quo mare transeamus; nemo enim potest transire mare hujus sæculi, nisi cruce Christi portatus.* Et S. Clemens Alexandrinus; *Ligno,* inquit, *alligatus, eris solutus ab omni exitio, gubernabit te verbum Dei, & ad portum cælorum te adducet Spiritus Sanctus*; quibus verbis ad Ulyssis fabulam alludit, quando navigii malo alligatus, Syrenum insidias declinavit.

Latro bonus. S.Crux. *S.Ambros. serm.55.* *S.Aug.To. 9.Tract.2 Ioan.* *S.Clem. Al. lib.1. Pæda cap.ult.*

622. Sciurus, tametsi corpore exiguus, ac viribus debilis, integra tamen flumina trajicere valet; remis verò, aliisque tranandi subsidiis destitutus, navigii loco tenuem truncum conscendit, & propriâ caudâ, in altum sublatâ, pro velo utitur: eâque industriâ virium imbecillitatem compensans, adversam ripam feliciter contingit. Unde etiam ab una arbore in aliam transilire solitus, caudam suam alæ loco vibrat. Camerarius Emblemati subscripsit. VINCIT SOLERTIA VIRES. vel, VIRIBUS INGENIUM POTIUS. vel ut melius Academicus inter Errantes Brixienses Astutus; AST EGO INGENIO. Verissimè dixit P. Æmilius Probus; *Ingenium hominis omnia domat* Et Manilius;

Industria. *P. Æmil.* *Manil. lib.*

Omnia conando docilis solertia vincit.

623. Æstivo sole nimiùm quantùm urente, Sciurus, ingenio usus, umbrosam suam caudam umbellæ loco interponit, sicque æstuantis cæli ardores declinat. Unde etiam, caudâ illâ coopertus, pluvias, cæteramque nubium intemperiem à se prohibet. Quare Bargalius inscripsit, E DA SOLE, E DA PIOGGIA. Id est; SOLEM ARCET, ET IMBRES. Hinc nimirùm orbis omnem suam fiduciam in una Dei bonitate ac providentia collocatam habere discat, quæ, si tantâ sollicitudine vilis hujus animalculi indigentiam sublevare, eamque adversus omnes cæli injurias munire solet, quantò magis homini, utpote Divinitatis imagini, tutelam ac securitatem præstabit? *Tabernaculum,* inquiebat Isaias, *erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluvia.* Eodem Emblemate significabis, mortis memoriam (quam, utpote hominis finem, appositè cum Sciuri cauda comparare licet) adversus omnes odii, libidinis,

Defensio Providentia Dei. Mortis memori[a]

libidinis, aliarumque passionum ardores, fortè in animo nostro enasci solito, validissimè protegere. Argumento consimili Hugo Cardinalis in illud Proverbiorum, *Justus quasi leo confidens*, ait; *Leoni comparatur Justus, quia sicut leo rugitu suo stare facit animalia, & caudâ suâ describit limites, quos non audent alia pertransire; ita justus rugitu compunctionis animales motus compescit, & caudâ, id est, consideratione mortis, limites describit eis, ut non procedant ulterius.* Hug. Card. in Proverb. 28.1.

624. Sciurus cavernam habitat, duobus ostiis distinctam: unde, si tempestatem præviderit, mox ostium illud, quod vento adversum patet, studiosè obturat, altero reserato. Quare D. Aresius Sciurum, intra apertam portam depictum, hoc lemmate notavit. ALTERAM INVASIT SPIRITUS. Et meus Carducius; NON ME SPIRITUS AFFLAT. Homo prudens pectoris sui portam adversus vitiorum suggestiones studiosissimè obturat, eamque solis virtutibus relinquit perviam. Pauculis immutatis Magnus Augustinus ait; *Ostium aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad confessionem peccati.* In rem præsentem Sciuri ore canit meus Carducius; Occasio fugienda. Prudentia. S. Aug. in Psal. 140.

Hinc feror, hostilis quia non me spiritus afflat;
Sic Stygii Boreæ, mens pia flabra cavet.

625. Sciurus caveæ suæ rotam, è filis ferreis contextam, assiduò quidem volvit, revolvitque; sed conatu planè irrito, & ob finem penitus nullum. Unde lemma, meo quidem judicio non incongruum. LABOR IRRITUS OMNIS. Ita humana industria, dum assiduos labores volvit, & indefessa negotia molitur, demum fatigata, nullum aliud operæ suæ pretium refert, nisi vertignem, confusionem, & vires debilitatas. *Cùm me convertissem*, inquit non sine gemitu Salomon, *ad universa opera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Neque enim, inquit S. Gregorius Thaumaturgus, *facilè quis vel unam aliquam recensebit utilitatem, concinnatam ex omnibus, quæ homines, super terram reptantes, tanto corporum animorumque molimine parturiunt. Et licet in his temporalibus efficiant nihil, sed magis ab eis vincantur, & fatigentur; ad contemplanda tamen super cælestia generosiores mentis oculos attollere nolunt.* Labor inundanus. Eccl. 2.11. Greg. Thau. in cap. Eccl. v. 3.

626. Sciurus, quantumvis in rota illa volvenda, revolvendaque fatigetur, nunquam tamen progredi, aut in sublime tendere potest. Unde lemma; AT SEMPER IN IMO. vel ipsius Sciuri ore; NUNQUAM EXTOLLOR. Ita omninò mundi hujus sapientes, assiduâ industriâ voluminibus versandis intenti, plurimùm quidem fatigantur: at quia omnem suam operam solis vanitatibus terrenis affigunt, nunquam ad cælestium arcanorum fastigia eluctari possunt; & dum se sublimes ac vastos sapientiæ giganthes mendaci oculo circumspiciunt, instar serpentum (symbolo ab Antiquis ad hanc hominum farinam accommodato) infimos terræ angulos, pygmæis viliores, perreptant. Sanctus Hier. in illud Ecclesiastæ, *Transivi ad contemplandam sapientiam*, ait; *Dicit se post delitias voluptatesque damnatas revertisse ad sapientiam perquirendam, in qua plus erroris stultitæque repererit, quàm veræ certæque prudentiæ. Itaque illa, quæ novimus, opinari nos potius, quàm tenere puto, & æstimare magis, quàm scire, quod verum est.* Scitè Poëta; Sapientia mundi. Eccles. 2.12. Hieron in hunc loc.

Tale giganthæum legitur genus, ut nihil altum
Cogitet, at spernat, vel neget esse Deum.
Et tantùm, quantùm sensu exteriore movetur,
Commodat ad præsens se, vel ad id, quod adest.
Hoc genus anguipedum mythici finxêre Poëtæ,
Quorum AFFECTUS HUMI (SEGNIS AD ALTA) REPAT.

Apud Ioan. Thuil super 5. Emblema Alciati.

SIMIA.

Caput XLV.

627. Simia, humanos calceos induens, à Cæsare Antonio Bendinello epigraphen recepit; LAQUEOS SIBI PARAT. Ita, qui majorum suorum talentis destitutus, eorum tamen actiones imitari præsumit, gravissima damna, & nonnunquam etiam ipsius vitæ jacturam sibi accersit. Eos insuper hoc Emblema denotat, qui propriæ calamitatis suæ sibimet sunt authores; sicque se ipsis in miseriarum compedes temerè conjecti, simiarum more, nullam aliorum commiserationem vel auxilium promerentur. Ita curiosus non rarò se ipsum diaboli laqueis miserè implicat, & æternum capitur. S. P. Augustinus; *Cupiditati, quæ in curiositate est, opponitur timor mortis.* Pulchrè Seneca; Author proprii mali. S. Aug. lib. 1. Quæst. Evang. q 47. Senec. in Hyppol Act. 2.

Quem fata cogunt, hic quidem vivat miser;
At si quis ultro se malis offert volens,
Seque ipse torquet: perdere est dignus bona;
Qui nescit uti.

628. Simia suos catulos amplexu ita affectuoso stringit, ut eos incautis brachiis suffocet & occidat. Unde Camerarii lemma; PERDIT AMANDO. Ita Pater, suis filiis stulto amore, ac educatione nimium quantùm tenerâ, blandiens, eos in extremam perniciem cogit, ac interficit. David, Ammonem suum simiarum affectu complexus, tametsi hispidum illum, & è flagitioso incestu, cum Thamare patrato, penitus monstruosum cerneret; ejus tamen animum nec verbulo aliquo duriore, nec ullo etiam supplicio amaricare voluit; *Et noluit contristare spiritum Ammon filii sui, quoniam diligebat eum.* At quantam hæc patris indulgentia struxit catastrophen! Absalon, è stulto illo patris amore opportunam vindictæ occasionem mutuatus, Ammonem vitâ, & ipsummet Davidem vix non regno & fortunis omnibus exuit; ut adeò, si rem moraliter spectes, nimius ille patris amor, Ammonem filium verissimè occiderit. Modum diligendi filios è Magno Augustino disce; *Verè filios tuos diligeres, si Christum filiis præferres, ipsosque filios ipsi committeres; Verè filios tuos diligeres, si in ipso illos diligeres; qui eos tibi dedit, ut diligas.* Educatio nimium blanda. 2. Reg. 13.21. S Aug. de Temp. Barb. cap. 3.

629. Plinius de Simiis refert; *Simiarum generi præcipua erga fœtum affectio.* Et paulò post; *itaq; magnâ ex parte complectendo necant:* Unde catulum suum amplexu suffocans, epigraphen tenet. COMPLECTENDO NECAT. Genuina hæc voluptatis mundanæ, omniumque delitiarum effigies est; De his consultò Seneca; *Voluptates, inquit, præcipuè exturba, & invisissimas habe; latronum more, quos Philetas Ægyptii vocant, in hoc nos AMPLECTUNTUR, UT STRANGULENT.* Eandem iconem etiam de adulatore, aut Judâ proditore intelligere licet. Plin l. 8. c. 54. Voluptas terrena. Senec. Ep. 51. Adulator, Judas proditor.

630. Emblematis loco simiam depinxêre, quæ, avari cujusdam divitias è fenestris projiciens, significabat; opes malè conquisitas, malè

malè disperdi: addito epigrammate; MALE PARTA, MALE DILABUNTUR. Honorius Imperator Symbolo suo hoc effatum incisum habuit; *Malè partum, malè disperit.* Et Seneca;

Opes male partæ.

Senec. Thebiad Act. 4.

Iniqua nunquam imperia retinentur diu.

Paræmia omnium ore decantatissima est;

De malè quæsitis non gaudet tertius hæres;

Idipsum inter antiquos calculo suo confirmavit Euripides.

Injustè ne possideas pecunias, si velis longo
Tempore in ædibus manere. Quidquid enim iniquè
Domi cumulaveris, non potest esse salvum.

Acchill. Bocch. Symb. 47.

Et inter modernos Acchilles Bocchius;

Perduntur benè parta sæpè. Semper
Perduntur malè parta, & author ipse.

Io. Thuillius super. Embl. 130. Alciati.

De hoc argumento prolixè differentem consule Joannem Thuillium.

631. Subtile ac perspicax hominis ingenium, quod rebus è superficie tantùm cognitis minimè aquiescens; etiam illarum viscera rimatur, & intima quævis studiosissimè examinat; Simiæ Emblemate ab Abbate Ferro repræsentatur, quæ castaneam decorticans, epigraphen præfert; INTIMA, NON EXTIMA. Ita Sacræ Scripturæ studiosus non externo tantùm, ac litterali verborum sensui, sed insuper mysteriis magis reconditis animum adjiciat, coneturque nobilissimum ac suavissimum spiritualis alimoniæ nucleum eruere. Apprimè S. Hieronymus; *Totum, quod legimus in Divinis libris nitet quidem, & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est*; quare homo, soli exteriori scripturæ sensui incumbens, nullâ unquam verâ ipsius dulcedine perfruitur, haud secus, ac si fructuum corticibus assiduò corrosis, eorum medullam nunquam contingeret. Hæreticos hâc insaniâ affectos asserit S. Gregorius Papa, dum illa Jobi verba examinans, *Qui rodebant in solitudine, & mandebant herbas, & arborum cortices*; ait, *Quia per supernam gratiam non adjuti, hanc* (intellige, Scripturam Sacram) *comedere nequeunt, quasi quibusdam illam nisibus rodunt, exterius quippe illam contrectant, cum quidem conantur, sed non ad ejus interiora perveniunt.* Neque hoc loco prætermittendam censeo Hugonis Carensis sententiam, qui super illud proverbiorum, *Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt*, ait, *Ideò despiciunt, quia tantùm eam exterius considerant, sicut simia nucem.*

Consideratio.

Studiosus S.Scripturæ.

S Hieron. Epist 13 ad Paulin de Institut. Monach.

Hæretici.

S.Greg. Papa l.20. Moral. c.11.

Iob.30.3.

Hug Carens in Prov. 1.7.

Amans sui

632. D. Aresius hominem, sui amantem, simiæ non absimilem dicit, quæ speculum manibus suis tenens, tam immodicum erga se amorem concipit, & oculos adeò irretortos in illud defigit, ut cæcitatem incurrat. Lemma; SE IPSAM SEDUCIT. Verissimè Plutarchus; *Quisquis amat, hallucinatur, ac cæcutit in eo, quod amat.* Et S. Gregorius; *Sunt multa peccata, quæ committimus, sed idcircò gravia non videntur, quia privato nos amore diligentes, clausis nobis oculis, in nostra deceptione blandimur.*

Plut de discrim. Adulat

S.Greg. Hom 4. in Ezech.

633. Simia, versus sublimem arboris ramum, ad fructus decerpendos, exiliens, membrorum suorum deformitatem eò magis detegit, quo celsior evaserit. Lemma; QUANTO PIU SALE, I BRUTTI MEMBRI SCOPRE. Id est; ASCENSU TURPIA PRODIT. Idipsum iis evenire solet, qui, citra suam dignitatem aut merita ad sublimes honorum gradus evecti, fructus exindè alios non referunt, nisi quod monstrosam animi sui deformitatem omnibus faciant manifestam, & verecundiæ rubore passim suffundantur. Emblemati construendo ansam suggessit Paulus Maccius hoc poëmate vernaculo;

Indignus exaltatus.

Paul Maccius Embl.

La simia, che su'l pomo i frutti prende,
Quanto sale più sopra,
Tant auvien più che i brutti membri scopra.
Cosi quant' huom più in ato impuro ascende,
Tanto più quell' ascesa
Le sue brutte vergogne apre, è palesa.

Unde ubi vulgata editio legit, *Secundum altitudinem tuam multiplicâsti filios hominum*; Pagninus ex Hebræo traducit; *Cùm exaltati fuerint, vilitas est filiis hominum. Claras enim,* inquit Cassiodorus, *suas maculas reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliquâ reprehensione sordescunt. Alioqui expedit non videri, quàm cunctorum irrisione signari.* Eodem planè sensu Sanctus Bernardus de homine, muneris sui indigno, ait, quod sit *eò deformior, quò illustrior.* Et paulò post; *Simia in tecto, rex fatuus in solio sedens.* Denique Plutarchus; *Fortuna, cùm ingenium vile magnis & splendidis rebus extollit, ideò magis demonstrat, atque infamia exponit.*

Psal. 11.

Cassiod. 12. Var. Ep. 2.

S. Bern. l. 2 de Consid.

634. Simia nullam homini utilitatem aut commodum affert, contrà atque alia animalia, ut bos, equus, ovis, canis &c. solent; sed tantùm ad tempus fallendum, jocosque excitandos inservit. Unde epigraphe. RISUI, NON USUI. Parasitorum ac mimorum hæc idea est, quorum operationes omnes nonnisi ad risum excitandum, & gratiam popularem aucupandam collineant. Quare Religiosus, nisi simia esse velit, usui sit, non risui: neque enim risum omnem à sacris Religionibus aliâ de causâ ita severè proscribunt SS. Patres, nisi quod exercitiorum religiosorum usui penitus adversetur. Graviter Christus; *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia flebitis.* Et Sanctus Benedictus; *verba in risum moventia æterna clausurâ damnamus*; Inter alia Humbertum suum multis dilaudans Sanctus Bernardus; ait, *Nunquid aliquis vestrûm eum ridentem, & inter multos ridentes invenit? serenabat quidem vultum suum assidentium gratiâ, ne fieret onerosus: sed risum integrum, si benè recolitis, non admisit.*

Luc. 6.

S. Bern. in Regula.

S. Bern ser in obitu H

635. Simia, castaneas in prunis repositas cernens, ingenti illarum desiderio exarsit; cùm verò proprios pedes adurere timeret, vaferrimo ingenio usa, felem apprehendit, ejusque unguibus, ceu harpagine, castaneas extraxit; quantumvis ob adusti pedis dolores horrendum vociferante fele. Lemma. ALIENA VICTITO CLADE. Idipsum avari assolent, quibus solemne est, aliorum bonis ac sudoribus locupletari. S.P. Augustinus; *Inexplebilis est sola avaritia divitum: semper rapit, & nunquam satiatur: nec Deum timet, nec hominem reveretur; non patri parcit, non matrem agnoscit; nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat; viduam opprimit, pupilli rem invadit; liberos in servitutem revocat, testamentum falsum profert. Res mortui occupantur, quasi non & ipsi, qui hæc faciunt, moriantur.*

Avarus.

S. Aug. serm. 25. de Verb. Dom. cap. 1

636. Simia, ceu dulci amoris phyltro ebria, catulos suos, quantumvis monstruosos, cæteris animantibus omnibus pulchriores judicat. Lemma, NON FORMA, SED AMORE; vel ut Cortio placet; DELICTA OPERIT CHARITAS.

Amor

Amor enim formæ condimentum est; qui nisi studiosè caveret, ne quid inelegans aut defectuosum in oculos amantium incurreret, rarissimus omninò foret inter mortales amor. Horatio teste, præ amoris vehementia,

---.-- Strabonem
Appellat pætum pater; & pullum, malè parvus
Si cui filius est: ut abortivus fuit olim.
Sisyphus.

Plutarchus author est, quod *amoris ministerio nuptiarum concordia non ex paribus & univocis, sed ex imparibus inter se consonantibus conformetur.* Ex Seneca; *Ipse per se amor, omnium aliarum rerum negligens, animos in cupiditatem formæ, non sine spe mutuæ charitatis, accendit:*

[Margin: ...moris ... Horat.lib.1. Satyr.3. Plut. in Moral. Senec.Ep.9.]

TAVRVS. Taurus Perilli.

Cap. XLVI.

637. PHysici testantur, fici foliis tauri mitigandi virtutem inesse. Unde Tauri collo torquem, è fici frondibus contextam, circumdedêre; addito Virgilii lemmate. MUTATUS AB ILLO. Ita Heroum fortitudo, si libidine ac mundi voluptatibus affluere cæperit, mox vilescit, & in mollitiem effæminatam degenerat. Milo Crotoniates, fortitudinis humanæ prodigium, dexterâ suâ manu pomum ita validè constringere est solitus, ut nec ipsius manus dissolvi, nec pomum extorqueri, ullis aliorum viribus potuerit: qui tamen à colludente amasiâ in omnem partem summâ felicitate flectebatur. Samson, militiæ terror, inter Dalilæ brachia virum penitus exuisse videri poterat. Hannibal è Campanis illecebris adeò fuit enervatus, ut, metamorphosi admodum turpi, è generoso leone in ignobilem ac formidolosum cuniculum sit transformatus. De hoc Valerius Maximus; *Campana luxuria perquam utilis civitati nostræ fuit. Invictum enim armis Hannibalem, illecebris suis complexa, vincendum Romano militi dedit. Illa vigilantissimum Ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantiâ, Veneris usu lasciviore, ad somnum, & delitias evocavit. Ac tum demum fracta, & contusa Punica feritas est, cùm Seplasia ei, & Albana castra esse cæperunt.*

[Margin: Lascivia. Val Max. lib.6.cap.1.]

638. Henricus Eburo Taurum, ficui sylvestri alligatum, hoc lemmate notavit; EX ATROCI MITIS. Innuebat videlicet, barbaras quasvis, & efferatas gentes religione ac cultu Divino edomari posse. Experimento id didicit S. Patricius, meus Concanonicus; quando Evangelii semĕntem in Hybernia sparsurus, *gentes duras, & efferas offendit; quas tamen tum verbo, tum sanctæ conversationis exemplo sic domuit, ut illius prædicatione tota Insula suavi Christi jugo colla submitteret.* Quin imò etiam Deus, in veteri lege sylvestrem, ferum, ac terribilem taurum imitatus, posteaquam incarnationis suæ tempore intra Virginis Mariæ sinum, veluti in amœnissimo pietatis, charitatis, amoris, aliarumque virtutum omnium ficeto, ligatus fuerat, penitùs mansuetum ac placidum sese orbi exhibuit. In rem ipsissimam S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, *Taurus, inquit, quantumcunque ferus, si alligetur ficui, mansuescit: ita Dei filius alligatur Virgini dulcissimæ vinculo charitatis, ex qua incarnatus, effectus est mansuetus.*

[Margin: Religio. Offic. Can. Reg Later. die 17. Martii. Christus incarnatus S. Anton. p 3. tit.31.c.2. §.4.]

639. Taurus ad ficum, suavissimæ dulcedinis arborem, ligatus, longè facilius cicuratur, quàm verberibus, aut aliâ violentâ methodo tractatus. Lemma. SUAVITATE, NON VI. Mens humana, quantumvis ferox & indomita, suavi tamen ac placidâ agendi ratione in omnem partem flecti potest. Verissimè Seneca; *Naturâ contumax est humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens, sequitur que facilius, quam ducitur.* Et Plutarchus *Dico, inquit, ad liberalia studia instruendos esse pueros verbis, adhortationibusque, non mehercle terroribus &c.*

[Margin: Educatio suavis. Senec l.1.de Clemēt.c.16. Plut.l.de liber.educ.]

640. Inter victimas plerumque numerabatur Taurus; *Neptuno, Apollini, & Marti Taurus immolatur,* inquit Alexander ab Alexandro; Et rursus; *Athenienses annua solemnia Minervæ tauris & agnis exhibere solent.* Gedeon quoque, Divino jussu, taurum immolare debuit. Rursus cum Arca Dei solemni ritu deduceretur, septem tauri victimæ loco fumabant. Jobi amici septem tauros, Deo sacratos, mactabant. Ut adeò taurum, floribus redimitum, & altari vicinum, jure hâc gnomâ insignias. NATUS AD SACRA. vel, NATUS AD ARAS. S. Andream Corsinum hoc Emblema spectabat, cujus nativitas assiduis parentum precibus, ac voto, eâ conditione edito, impetrata fuit, ut Dei ac Deiparæ obsequiis consecraretur. Idipsum in Sancto Alberto Carmelitâ, in Sancto Francisco de Paula, & olim in veteri illo Israëlis Judice Samuele contigit. Cæterùm Religiosus, per sanctam professionem unicè ad aras & Dei cultum natus est; Præclarè Sanctus Hieronymus; *Sicut Martyres laudant Deum purè in regione vivorum, ita & Monachi, qui die & nocte psallunt Deo, debent eandem puritatem habere Martyrum, siquidem ipsi Martyres sunt. Quod enim faciunt angeli in cœlis, hoc Monachi faciunt in terris.* Vel Tullio id credes; *Religio est,* inquit, *per quam reverenti famulatu cæremoniæ Divini cultûs exhibentur.*

[Margin: Alex.ab Alex.Genial lib.3 cap.12. Iudic.6.26. 1.Paral.15.26. Iob.42.8. Servus Dei Religiosus S.Hieron. in Psalm. Tull l.de Nat. Deor.]

641. Taurus, tametsi à canibus infestatus, simul tamen ab iis timetur & in fugam agitur. Unde lemma, HOR FUGGE, HOR FUGA. Id est; MODO FUGIT, MODO FUGAT. Verbis è Tasso desumptis; quibus subjungit,

Così tauro tal hor ne l' ampio agone,
Se volge à cani le fiere dure corna:
S' arretran quelli; e s' à fuggir si pone,
Ciascun latrando ad assalire il torna.

[Margin: Tass.Gerus. Conquist lib. 4.st.37 & st 38.]

Ita generosus miles nonnunquam fugiendo hostem terret, vincitque. Porrò si peccandi periculis & occasionibus, præsertim lascivis, impetaris, victoriam nonnisi fugiendo referes. Sanctus Bernardus; *Fugere, dum in hoc corpore sumus, à facie tentationis persequentis oportet. Quod si minus celeriter fugimus, aliquando, ut assolet, impellimur & evertimur.*

[Margin: Miles terribilis Fuga. S.Bernard. serm 2 in Psal.90.]

642. Taurus, à molossis immani rabie incursatus, fumum naribus, oculisque flammas imperterrito corpore spargit, simulque, cornibus in terram depressis, adversus illos concitatur. Lemma; PUR CHE DIA MORTE ALTRUI, MORTE NON CURA. Id est, DUM PERIMAT, PERIMI GAUDET. Militem generosum hæc idea concernit, qui cùm Juda Machabæo, Eleazaro Machabæo, & Sampsone quasvis mortis minas contemnere audent. Porrò homo, vindictæ cupidus, parùm æstimat omnem tam præsentis quàm æternæ vitæ jacturam, modò injuriam adversus hostem ulcisci possit: toties enim te ipsum perimis,

[Margin: Miles intrepidus 1.Mach.9.10. Ibid.c.6.44. Iudic.13.30.]

Aug ser. 18 ex incdit. perimis, quoties hostem peremptum cupis. S.P. Augustinus; *Omnis homo, qui vult de inimico suo vindictam, provocat in se vindictam Dei.*

643. Taurus, in terram prostratus, ac venabulo secundùm latera transfixus, epigraphen ex Ausonio, *De fera à Cæsare interfecta*, sustinet. VIS LETHI MANUS EST. Innuit videlicet fortitudinem hostium non ita ab armorum, militumque copia, aut robore, uti à generosi belliducis manu ac directione expugnari. Eodem Emblemate invicta Magni Augustini manus repræsentatur, quæ innumeris ac Divinis suis scriptis hæreticos, ceu totidem immanes tauros, prostravit. S. Hieronymus, alter ille Christianæ eloquentiæ Tullius, encomium inter alia multa de S. Augustino tale habet; *Absque tui nominis mentione ne unam quidem horam præterire patimur, qui contra flantes ventos ardore fidei præstitisti. Macte virtute, in urbe celebraris; Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt; & , quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur, & me pari persequuntur odio; ut, quos gladio nequeunt, voto interficiant.* Unde etiam Sanctus Bernardus illum cognominat *Malleum hæreticorum robustissimum.*

Miles victor. *S.Hieron. Epist 50.* S.Augustinus.

644. D. Carolus Bossus Emblematis loco Taurum statuit, qui intra vallum conclusus, Leoni è fronte opponebatur, suaque cornua adversus illum, capite in terram depresso, ardentissimè stringebat; cum dicto, HIS SECURUS. Nî fallor, indicare voluit, potentiâ & divitiis, ceu geminis cornibus, omnem, quantumvis violentam hostium fortitudinem superari. Eamobrem etiam exercitus, in ordinem dispositus dextri ac sinistri cornu figuram, nomenque sortitur; veluti cornuum usus optima esset patriæ conservandæ, ac hostilis violentiæ reprimendæ ratio. Cæterùm pecuniæ ac divitiarum affluentia hominibus gemina imponit cornua, quibus nihil non in hoc mundo penetrare ac vincere possunt. S.P. Augustinus; *Proverbium divitum est, quantum habebis, tantus eris: id est, quantùm habueris pecuniæ, quantum plus acquisieris, tantò plus poteris.*

Potentia tuetur. Divitiæ. *S. August. in Psal 51.*

645. Taurus, erectis pedibus depictus, in compluribus Magnatum armis gentiliciis reperitur; cui Alcibiades Lucarinus subscripsit. INNOXIUS ERECTUS. Ita Christianus, oculis è terra in cælum defixis, nunquam ad ullam Dei aut proximi offensam proclivis erit. Magno Augustino asserente, *Magna est cautela peccati, Dei semper præsentiam timere. Qui perfectè Deum timet, diligenter se à peccatis custodit.* Scitè D. Joannes Paschalius canit.

Præsentia Dei. *S. Aug serm. 13 de temp*

Cùm bovis arrectæ plantæ, non noxius adstat:
Stet Deus ante oculos, stat procul omne scelus.

646. Plutarchus, Ovidius, Plinius, Virgilius, & eruditè Ludovicus Cerda, observatum habuêre, quod Taurus, priusquam cum hoste confligat, cornua sua adversus arborem impellat, eorumque vires aut experiatur, aut acuat. D. Didacus Saavedra Emblemati subscripsit; IN ARENA, ET ANTE ARENAM. Hinc disces, quantùm emolumenti afferat exercitatio, etiam extra bellum frequentata. Vegetius; *In omni autem prælio non jam multitudo, & virtus indocta, quàm ars & exercitium solent præstare victoriam*; idque cùm hoc, tum aliis libri hujus capitibus prolixè demonstrat: inter cætera verò ait, *A singulis autem tyronibus singuli pali defigantur in terram. Contra illum palum, tanquam contra adversarium, typo cum crate illa & clava, velut cum gladio, se exercebat, & scuto, ut nunc quasi caput aut faciem peteret, nunc à lateribus minaretur, & quasi præsentem adversarium, sic palum omni impetu, omni bellandi arte tentaret.* Haud aliter Sanctus Nilus; *Patientiam, etiam antequam necesse est, exerce: ut ipsius armaturam paratam invenias, etiam in necessitate.*

Plut de solert animal. Ovid. l. 4. de Trist. Eleg. 9. Plin l. 8. c. 45. Virgil l. 12. Æneid. v. 103. Lud. Cerda in hunc loc. Virgil. Exercitatio. *Veget l. 1. cap... 9. 10. 11. & 12.* *S. Nil Parænes. n. 113.*

647. Vitulus, ore aculeato instructus, eodem tempore materna ubera & appetit & repellit. Lemma. QUÆ DEPERIT, ARCET. Haud aliter peccator, ad misericordiæ Divinæ ubera avidissimè recurrens, sese illorum ob vitia sua incapacem efficit, ac repulsam patitur. Unde providè monet Magnus Augustinus; *Potestatem Dei timete, misericordiam ejus amate: nec sic de misericordia ejus præsumatis, ut potestatem contemnatis; nec sic potestatem timeatis, & de misericordia desperetis.* Emblematis mentem meus Carducius hoc disticho explicat.

Peccator se gratiâ privat. *S. Aug. in Psalm. 61.*

Ubera ferrato, quæ deperit, ore repellit;
Munera sic cæli culpa petita negat.

648. Tauro furenti inscribes; DIFFICILES ADITUS HABET. Verbis ex Ovidio mutuatis, *Ovid l. 1. de Remed.*

Dum furor in cursu est, currenti cede furori;
DIFFICILES ADITUS impetus omnis HABET.

Nempe insanè furentibus & iratis aliquid cedendum, concedendumque, dum ad mentem redeant. Animum enim turbatum correctio non tantùm non emendat, sed magis exasperat. *Nam ab iratis*, inquit Tullius, *si perspicuè pax & benevolentia aperitur, non modò ea non reperitur, sed etiam augetur odium, atque inflammatur.* Sanctus Gregorius, posteaquam multis fuerat conatus persuadere, animum turbatum ac iracundum esse correctionis penitùs incapacem, tandem subjungit; *Quum tranquilla mens fuerit, fac quod placet,*

Corriger iratum. *Cicero in Prolog Rhe* *S. Greg. l. 5 Moral.*

TAVRVS PERILLI.

649. PErilli Taurus, supra accensum rogum collocatus, prospiciente per lateralem ipsius fenestellam humano corpore, epigraphen tenet. QUAS STRUIT, SIBI PARAT INSIDIAS. vel brevius, verbis è Martiale desumptis, NOCET ARTIFICI. Illius hæc imago est, qui suis artificiis propriæ ruinæ architectum egit; ut adeò illud Senecæ de ipso verùm sit.

Martial. l. 1. Epigr 47. Author sui mali *Senec in Thyeste*

Sæpè in magistrum scelera redierunt sua.

Claudianus; *Claud. lib. 1 Eutrop.*

Quàm benè dispositum terris, ut dignus iniqui
Fructus consilii primis auctoribus instet;
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funesta novo fabricaverat æra dolori,
Primus inexpertum, Siculo cogente Tyranno,
Sensit opus, docuitque suum mugire juvencum.

Porrò invidus, dum aliorum perniciem quærit, sibimet in pectore rogum struit accensum, quo miserrimè excrucietur. *Invidus, ut alterum lædat, sibi prior tormento est*, inquit Doctorum Phœbus, Augustinus. Invidus. *S. Aug. cont. Secund. c. 10*

650. Homo invidus flammis, propriâ ipsius malitiâ suscitatis, torqueri solet; haud secùs, atque Perilli taurus, in suummet artificem crudeli incendio est grassatus. Emblemati subscripsit Bartholomæus Rossus; CONDIGNA MERCES. Invidia.

S. Petrus

Pet. Chrysol. ser. 172. S. Petrus Chrysologus: *Invidia suorum carnifex semper extitit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit. Et quid plura? Hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem.*

Author proprii mali. 651. Eidem tauro epigraphen, ipsius Perilli ore pronuntiatum subjunges; INGENIO EXPERIAR FUNERA DIGNA MEO. Nimirùm Divina Nemesis iisdem suppliciis in sceleratos animadvertit, quæ ipsi in alios destinârunt. Ammon in eandem trabem suffixus fuerat, quam pauperi Mardochæo paulò ante erigi curavit. Babylonii iisdem conflagravêre flammis, quas in Hebræorum perniciem succenderant. Judæi ab iisdem militibus Romanis extrema quævis experti sunt, quos nuperè adversùs Christum concitaverant, &c. Imò quivis peccator, dum scelerum flammis passim exæstuat, olim talionis lege flammis ardebit æternis. Sanctus Pater Augustinus; *In se ipsum crudelis est, qui sibi perpetuas peccatis præparat flammas.* Achilles Bocchius illud Perilli factum hoc epigrammate describit. (S. Aug. ser. 103. de temp.; Ach. Bocch. symb. 116.)

Mugitus hominis ferus igni subditò aheni
Tauri opifex Siculo pollicitus Domino.
Primus opus, primusque periclum jure Perillus
Fecit in Authorem pœna sequax rediit.
Non etenim melior lex est, neq; justior ulla,
Quàm necis artifices arte perire suâ.

Crapula. 652. Optimè nonnemo dixit, In Perilli tauro VENTER, NON CORNU TIMENDUM. Gravissima damna è crapula nasci solita, hoc emblemate significantur. Plutarcho teste, *Ægyptii ventrem defunctorum exemptum, & excisum, quasi caput scelerum omnium, ab homine admissorum ejiciunt.* (Plut. l. de Esu carniū.)

Apostoli. Prophetæ. 653. Eidem Tauro inscripsêre; VOCE MUGIT ALIENA. Apostolorum ac Prophetarum hæc imago est propria; nam è Magni Augustini sententia, *Boves dicuntur Apostoli, boves dicuntur Propgetæ;* quippe qui labiis suis Divinas voces pronuntiant, ac linguis, veluti vicariis, cœlestia arcana per universum orbem promulgant. De Prophetis testatur S. Paulus; *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* De Apostolis verò ipsemet Christus; *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et est sensus,* inquit S. Remigius, *Vos acceditis ad certamen, sed ego, qui prælior. Vos verba editis, sed ego sum qui loquor. Hinc Paulus ait 2. Cor. 13. 3. An experientiam quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* (Heb. c. 1.; Matt. 10. 20.; S. Remig. in Cat. aur. D. Thom.)

T I G R I S.

Caput XLVII.

654. VEnator, equo pernicissimo vectus, explorato Tigridis è spelunca egressu, mox catulos omnes surripit, ac celerrimè fugit. Tigris reversa, & vacuum direptæ sobolis cubile inveniens, illicò raptoris vestigiis insistit; viam catulorum odore edocta: at venator feram propinquam advertens, S. Ambrosio teste, sphæram vitream specularem projicit, in qua fera, ob radios inde ad tigridis vultum reflexos, suam imaginem intuens, catulorum unum intra eam delitescere putat; ideoque catoptrico catulo blanditur, stringit amplexu, osculatur, & tandem illum lactatura, sphæram frangit. Hic verò delusam se sentiens bellua, concitato cursu venatorem iterum insequitur, qui rursus aliâ sphærâ vitreâ projectâ, ei eadem bis terve illudit, donec venator, conscensa navi, in locum tutum evadat. Sicque miserum animal, cassâ imagine circumventum, simul & prolem, & raptoris ulciscendi occasionem perdit. Unde Tigris, speculo versando intenta, epigraphen habet; FALLITUR IMAGINE. vel, SPECIES DECIPIT. Ita sanè miseri mortales; mundo, libidini ambitioni, avaritiæ, aliisque vitiis detenti, à vanis & apparentibus rerum terrenarum formis turpissimè sibi imponi, suosque oculos fallacissimis coloribus subliniri patiuntur. Justus Lipsius; *Juventus, ignara judicandi, in fraudem facilè inducitur, & spretis melioribus, vana amplectitur.* (S. Ambr. l. 6. Hexam. c. 6. Et Alb. Mag. 22. de animalibus c. 1. Tract. 2.; Mundanus. Lascivus. Lipsius in Dispunct.)

655. Tigris, à vitrei globi imagine retenta, epigraphen sustinet. FALLIT IMAGO SUI. Miseriam hanc in multis juvenibus experiri est, qui, nisi vanâ propriæ prudentiæ opinione, aut stulto sui amore essent excæcati, in virtutum curriculo plurimùm promoverent. Contra hos apertè pronuntiat S. Paulus *Si quis existimat, se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse SE SEDUCIT.* In hunc locum S. P. Augustinus ait; *Se ipsum seducit, non enim eum seducunt laudatores, sed ipse potius,* Et rursùs; *Qui putant aliquid se habere, cùm hic vivunt, superbiendo non acquirunt, quod deest; quia magnum putant esse, quod adest.* (Amor proprius. Galat. 6. 3. S. Aug. in Psal. 38.)

656. Tigris, catulos suos intra vitream sphæram conspicata, mox à cœpto cursu desistit, omnemque furorem deponit. Lemma. VITREÆ, seu PROPRIÆ TARDATUR IMAGINE FORMÆ; verbis è Claudiano mutuatis. Inde discas velim, quantùm mortis memoria in humano corde possit. Enimverò si Tigris, propriâ imagine intra vitrum conspecta mansuefiat; haud dubiè etiam superba pectora nostra è transitoriæ, fragilis ac vitreæ imaginis suæ intuitu detumescent, & à vitiorum furore retardata, placidam virtutum quietem induent; ibi præsertim, cùm attentè perpenderint, quod *in imagine pertransit homo.* S. Ambrosius ait, *Corpora nostra à fragilium expressione signari, quæ brevi lapsu præcipitata franguntur, & vitro propter sui fragilitatem non immeritò comparantur.* Cæterùm hoc emblemate, ad funebres Philippi III. Hispaniarum Regis arcus suffixo, significarunt, Regiam illam Majestatem è perspicaci sui ipsius ac propriæ dignitatis contemplatione didicisse, etiam inter gravissimas offensas clementissimam se exhibere: Seneca enim nullum aliud iræ antidotum præscribit, nisi attentam sui considerationem. (Claud. l. 3. de rapt. Proser.; Memoria mortis. Psal. 38. S. Ambros. in hunc loc. Senec. lib. de Ira.)

657. Quando Tigris, è direptis, iterumque recuperatis catulis unum, quantumvis magnum, ad cubile defert; tantùm abest, eam ab illo pondere quidquam doloris, aut fatigationis sentire, ut potiùs à congenito amore reddatur agilior, cursuque longè velociore agatur. Unde lemma. NEC RETARDATUR PONDERE vel, PONDERE VELOCIUS ACTA. vel, PONDUS ALLEVAT AMOR. Ita paternum cor, animam quandam ad perfectionem deferens, à charo illo pondere, quantumvis gravi, nihil unquam laboris aut molestiæ persentiscit. Id quod argumento prorsùs eodem dixit Franciscus Salesius in proloquio suæ Introductionis ad vitam perfectam. S. Gregorius ait; *Quid grave non leviter tolerat, qui amat? quidquid enim diligitur, cum magna devotione,* id est, promptitudine, facilitate, & hilaritate, *portatur.* Et S. P. Augustinus; *Ubi est amor, non est labor.* (Amor non sentit onus. S. Greg. l. 5. c. 2. in Reg. 12. S. August. in Ioan. 21. 15.)

Vindicta. 658. Venator, direptis catulis à tigride deprehensus, equum suum eidem minutim dilacerandum relinquit; dum enim bellua cum equo luctatur, eumque in frusta discerpit, venator, periculi securus, fugam arripit. Lemmatis loco illud Ovidii hemistichion addidère; MINUIT VINDICTA DOLOREM.

Ovid. lib. 1. Amor.

At tu ne dubita, minuet vindicta dolorem,
Quaslibet infirmas adjuvat ira manus.

Idem Epist. 12. Et rursus.

Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas;

Præclarè in rem præsentem facit Dialogus Francisci Petrarchæ; *G. Ulcisci juvat. RAT. Ultionis momentanea delectatio est, misericordiæ sempiterna. Duorum nempe delectabilium illud præferendum, quod diutiùs delectat. Fac tu hodie, quò perpetuò delecteris.* *Petrarcha Dialog 101.*

Peccator obstinatus 659. Plutarcho, Pierio Valeriano, aliisque testantibus, Tigris, audito tympani pulsu, in immanem furorem concitatur: quinimò nonnunquam sonitu illo adeò efferatur, ut se ipsam dilaceret. Unde lemma; FIT FERA MAGIS. Ita homines vitiosi, justâ aliquâ correctione perceptâ, mox impatientiæ œstro agitati, ingentes animo turbas ciere & horrenda implacabilis iræ signa spargere solent. Certè Judæi, à Christo reprehensi, mox ingenti furore sunt vociferati, *Benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Et à S. Stephano convicti, *Dissecabuntur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.* Verissimè dixit Petrus Raulinus. *Perversum corrigere, nihil aliud est, quàm stimulare insanum, quàm oleum adhibere camino, & ventis incendia superare.* *Ioan. 8. 48.* *Act. 7. 54.* *Pet. Raulin. in sermon.*

Tyrannus. 660. Efferatum ac implacabilem tyrannum torvæ ac sanguinariæ tygridis effigie delineabis; addito Caroli Rancati lemmate; PIETAS NON MITIGAT ULLA. Ad verbum Virgilius.

Virgil l. 5. Æneid. v. 781.

Junonis gravis ira, & inexaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes,
Quam nec longa dies, PIETAS NEC MITIGAT ULLA.

Obstinatus. Nec de Tyranno tantùm, sed de quovis obstinato peccatore id intelligas velim, quem nec Sanctorum exempla, nec majorum adhortationes ad frugem revocare possunt S. Joannes Chrysostomus; *Coërceri omninò nequit animus, pravâ semel voluntate vitiatus; quia zelus sapere nescit, & ira consilium non habet.* *S. Chrysost. in Matt. c. 2.*

Tyrannus. 661. Hominem crudelem, prædonem, aut ulciscendi libidine ardentem, Tigridi, leoni, aut lupo non absimilem dices; addito lemmate. SANGUINE GAUDET. Tigridi enim cumprimis convenit id, quod de belluis in genere canit Hugo Cardinalis;

Bestia stulta, rapax, crudelis, SANGUINE GAUDET.
Terrens voce; vorax, venatrix saltibus, ungue.

S. Bern in Cantica.

De Tyranno ait S. Bernardus, *Valde velox est, ad effundendum sanguinem, qui nec innocentiâ sistitur, nec patientiâ retardatur, nec timore frenatur, nec pudore inhibetur.*

662. Tigris, nunquam non torvis oculis excubans, immanique furore agitata, lemmatis loco hunc versiculum præfert, VESANA TORVO SPIRITU. Decantata hæc S. Ecclesiæ de scelerata Judæorum perfidia Poësis est;

Judæa tunc incredula
Vesana torvo spiritu, &c.

Jezabel, Dei servos crudeli odio persecuta; & Elisabetha Angliæ Regina, jurata Catholicorum hostis, hoc Emblemate significantur. Porrò hominem iratum eâdem tigridis icone, seu ectypo, repræsentabis; quippe qui torvus est vultu, totoque corporis habitu vindictam ac indignationem spirans; vesanus verò, utpote solo tempore à stulto differens. Seneca; *Quidam è sapientibus viris iram dixerunt brevem insaniam: æquè enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit, pertinax & intenta, ratione consiliisque præclusa &c. Ut autem scias non esse sanos, quos ira possidet, ipsum illorum habitum intuere &c.* Iratus. *Senec. l. 1. de Ira cap. 1.*

URSUS.

Cap. XLVIII.

663. Titianus Vecellius, pictor ad miraculum celebris, ursam penicillo expressit, quæ catulos suos lambens, epigraphen tenet; NATURA POTENTIOR ARS; vel ut alius; NATURA, ET ARTE; vel, AB ARTE PERFECTIO. Quos enim informes ac crudos genuit ursa, postea lingentis linguæ artificio perficit. Similus apud Stobæum; Ars. *Stob ser. 6.*

Neque natura sine arte sufficit
Cuiquam omninò quocunq; in studio,
Nec ars per se sine præ dio naturæ.

Senec. Ep. 1

Seneca; *Nullâ sapientiâ naturalia corporis aut animi vitia ponuntur: quidquid infixum & ingenitum est, lenitur arte.*

664. Patres Eremitæ ad S. Jacobum Bononiæ symboli loco ursam depinxère, quæ catulos suos lambens, epigraphen tulit. UT PERFICIAM, vel, ut alius subscripsit; FINGAT UT AD RECTUM. vel, UTINAM PERPOLIATUR. vel, CREBRO LINCTU; vel ut ingeniosè alius; REPARAT INDUSTRIA FORMAM. Hinc disces, ut cœpta negotia ad perfectionem reducantur, necessariò talem adhibendam esse diligentiam, quâ non tota simul, sed à principiis rudibus & imperfectis paulatim ad exactam suam integritatem ac perfectionem promoveantur. Certè Deus, primùm informi ac vasto mundi chao creato, posteà molem illam indigestam sex dierum successu ad debitam suam perfectionem deduxit. Nimirùm interprete S. Ambrosio, *Imitatores sui nos Deus esse voluit, ut prius faciamus aliqua, postea venustemus, ne, dum simul utrumque adorimur, neutrum possimus implere.* Successiva fit perfectio. *S. Ambros. 1. Hexam.*

665. Ursa informes ac monstrosos suos fœtus non quidem aculeatâ ac mordaci dentium duritie, sed linguæ suaviter lambentis mollitie ad debitam perfectionem effingit. Unde Joannis Ferri Abbatis lemma. LAMBENDO FIGURAT. vel, LAMBENDO PERFICIT. vel, LAMBENDO REFORMAT. Inde discas velim, proximi nostri vitia ac defectus non calumniis aut mordacibus verborum aculeis, sed suavi ac benignâ agendi ratione corrigendos esse. Sanctus Bernardus de corrigendi suavitate differens, ait, *Eme à Domino moderatam correptionem, quia omninò magnum quoddam bonum, & datum optimum est, & quod habeant pauci: volat irrevocabile verbum; & quod sanare debuerat, quia mordacius fortè videtur, exasperat & exulcerat magis.* In hunc sensum canit meus Concanonicus, D. Salvator Carducius; Correcti suavis. *S Bern ser 2. de Resu. Dom.* Amans.

Lambendo informem sobolem magis ursa reformat,
Sic removet fœdum blanda loquela nefas.

Otho

Otho Venius eodem Emblemate demonstrat, personam amatam, quamlibet rigidam ac severam, placidis amantis obsequiis facilè posse emolliri. (…b. Ven. in …mbl. Amor)

Ursa novum fertur lambendo fingere fœtum
Paulatim & formam, quæ decet, ore dare.
Sic Dominam, ut valde sit cruda, sit aspera, amator
Blanditiis sensim mollit, & obsequio.

666. Ursa, suos catulos linguâ demulcens, & ad debitam perfectionem formans, inscriptionem è S. Paulo recepit. QUOS ITERUM PARTURIO. B. Andreæ Avellini symbolicum hoc simulachrum erat; qui assiduis laboribus apostolicis, & industriâ planè maternâ defunctus, pravos peccatorum mores reformare, & animas è portentosa vitiorum mole in genuinas Dei imagines effingere studuit. Opportunè in hoc argumentum S. Ambrosius: *Festina, inquit, anima, formare partus tuos, properantiùs absolvere, celerius, quos genueris, enutrire.* (…al. 4. 19. — B. Andreas Avellinus. — Apostolica diligentia. — S. Ambros. lib. 2. de Abel c. 1.)

667. Ursorum catuli solâ matris diligentiâ ad debitam formam perveniunt. Id quod unicum verbulum, lemmatis loco subscriptum, explicat. STUDIO. Adeò nimirùm liberi è studiosa ac diligenti educatione maximos profectus hauriunt. Seneca; *Educatio maximam diligentiam, plurimumque profuturam desiderat: facilè est enim teneros adhuc animos componere.* Tametsi enim bona indoles, naturæ beneficio acquisita, plurimùm prosit; longè tamen plus virtutis è bona instructione, aliisque adventitiis auxiliis eidem accrescit. Horatius; (Educatio. — Senec. l. 2. de Ira c. 18. — Horat. lib. 4. od. 4.)

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promoves insitam,
Rectique cultus pectora roborant &c.

668. Ursus, oculorum ac visûs debilitate laborans, mox alveare accedit; ibique linguam, apum aculeis tamdiu lancinandam exporrigit, donec plurimo sanguine à puncturis illis, ceu sacrificatione, profuso, caput ad debitam temperiem exoneretur, ac visum recipiat. Unde Academicus Caliginosus Anconæ Emblemati subscripsit; ACUIT VULNERA VISUM, vel, ACIEM ACUUNT ACULEI, vel ut Academicus, inter Errantes illustratus, ipsius ursi ore inscripsit. REVIXIT DIES. Apum aculeis non absimiles calamitates ac persecutiones, instrumenta sunt aptissima, ac veluti phlebotomi, quibus cœcorum oculi denuò reserentur, caputque, malignis humoribus infectum, expurgetur. Verissimè dixit Sanctus Gregorius Papa, *Omnis peccator prudens erit in pœna, qui stultus erat in culpa; quia ibi jam dolore constrictus, ad rationem oculos aperit, quos hic voluptati deditus clausit: & pœnâ torquente exigitur ut sapiat, qui hîc excœcante se superbiâ desipiebat.* Et Horatius; (Calamitas utilis. — S. Greg. l. 15. moral. c. 13. — Horat. l. 2. Satyr. 8.)

--- --- --- Ingenium res
Adversa nudare solent, celare secundæ.

669. Ursus sauciatus, vulneri explendo res quasvis obvias, ut herbas, spinas, ligna, saxa, &c. arripit, ac hianti foramini inserit, quâ tamen paradoxâ curandi methodo non tantùm sanitati suæ non consulere, sed potiùs gravissimum vitæ discrimen sibimet accersere solet. Unde lemma; LÆDENTIA QUOQUE, vel ut Poëtæ cuidam placet MORTIFERO VELEN DENTRO V'HO POSTO. Id est, PLAGAS CORRUMPO VENENO. Ita planè homines, calamitatum suarum plagas obligaturi, levamina quævis obvia adhibent; at verò quia creatis magis, quàm Divinis auxiliis confidunt, suis infirmitatibus nunquam exonerantur, sed magis semper magisque premuntur. Hebræi gravibus gentilium ærumnis pressi, fiduciam suam, de properato consilio, unicè in Ægypti Rege collocârunt; à quo non multò post, cùm sperarent malis suis adhibitum iri remedium, plus quàm aliàs unquam fuêre exasperati, debueruntque Judæam rapinis passim devastatam, ac totam penè Hierosolymam eversam intueri. *Quæ est ista fiducia, quâ confidis?* inquiebat ad Ezechiam Rabsaces, Assyriorum Rex, *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam.* Sanctus P. Augustinus; *Speras in pecunia? observas vanitatem. In his omnibus cùm speras, aut tu expiras, & ea hic dimittis; aut cùm vivis, omnia pereunt, & tu in spe tua deficis.* (Auxilium humanum fallax. — S. Aug. Psal. 30. Conc. 1.)

670. Ursi, nubilo & obscuro cœlo, ob spem futuræ serenitatis, mirificè lætari solent. Unde lemma. SERENABIT. Eadem ratio hominibus afflictis inter calamitatum umbras aliquid levaminis afferre potest; consultâ enim vicissitudine tempestatem excipere solet serenitas. Tibullus; (Sperare. — Tibull. lib. … Eleg. 6.)

Venit post multos una serena dies.

Et Sanctus Joannes Chrysostomus; *Sicut post vehementes imbres mundus aër, ac purus efficitur; ita etiam post lachrymarum pluvias serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas.* Idipsum Tobias, ad Deum conversus, dixit; *Post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum exultationem infundis.* (S. Io Chrys. Hom. 6. in Matth. — Tob. 3. 22.)

671. Quando ursus animadvertit, se venatorum insidiis resistere ulterius non posse, ungues capiti defendendo imponit, totoque corpore in globum convoluto, per montium rupes sese præcipitem rotare solet, ut vel sic saluti suæ in extremo discrimine consulat. Emblemati subscripsit Bargalius; EXTREMIS EXTREMA. Ita animus resolutus, vitæ servandæ causâ, etiam ipsius vitæ discrimen subire non abhorret. Certè Martyres, ne venatori tartareo in prædam cederent, vitam suam extremis suppliciis, ipsique adeo morti, ultrò objecerunt. S. P. Augustinus. *Mortem hominibus comminatus est Deus, ne peccarent; mortem Martyribus comminatus est inimicus, ut peccarent. Illi, ut morerentur peccaverunt. Martyres mortui sunt, ne peccarent. Unde illis pœna inflicta, inde illis gloria suscitata.* Scitè Martialis, (Desperatio. — Martyr. — S. Aug. ser. 75. ex addit. à Sirmond. — Mart. ad Charemon.)

Rebus in angustis facilè est contemnere vitam.

Et Ovidius; (Ovid. l. 2. de Pont.)

Qui rapitur fatis, quid præter fata requirit?
Porrigit ad spinas, duraq; saxa manus &c.

672. Ursus totâ hyeme, nimirùm sex continuis mensibus, dormire solet. Unde somnolenti Bononienses, universalis symboli loco, Ursum præferunt; cum lemmate: SPERO AVANZAR CON LA VIGILLA IL SONNO. Id est, VIGILIIS SUPERABO SOPOREM. vel ut aliis placet. MAJOR POST OTIA VIRTUS. Eorum hæc idea est, qui tardius ad virtutum aut litterarum studia applicati, iisdem postea geminato ardore invigilant, ac pristinum soporem veluti compensant. Hinc conjicere licet, pœnitentem serum ad idem præmium pervenire posse, quod debetur iis, qui totam (Pœnitens serus.)

vitam

vitam in Divino cultu traduxerunt. Certè operariis, undecimâ horâ ad vineam vocatis, non minor respondit merces, quàm iis, qui à prima hora portârunt

Matt.20.12.

pondus diei & æstus; quia, ut Cornelius à Lapide ait, *Christus in præmio cœlesti non habet rationem antiquitatis temporis, aut diuturnitatis laboris, sed majoris fervoris.* Unde Origines ait; horâ primâ vocatum Adamum, & horâ undecimâ Paulum, qui, tametsi pleramque vitæ partem inter gentilium ac vitiorum tenebras exegerit, reliquos tamen ferè omnes præmio longè antecedit. S. Chrysost.; *Undecimâ horâ vocantur, qui in senectute vocantur. Composita est ergò hæc parabola, ut eos avidiores faceret, qui in ultima senectute convertuntur, ne existimarent, se minus aliquid habituros.*

Orig. in hunc locum.

S.Chrysost. in hunc loc.

973. Ursus, à tauro incursatus, supino corpore in terram prosternitur; sicque ab hoste se victum simulans, eundem callidè vincit, & occidit. Unde Aresii lemma. ARTE METUM SIMULANS. Veluti diceret, cedendo ac humiliando quosvis hostes superari. S.Petrus Chrysologus; *Bellicosus miles, quod in bello fugit, ARTIS EST, NON TIMORIS.* Certè Jacob, David, Paulus & S. Athanasius fugiendo tulêre plausum & victoriam. Unde S.Cyprianus; *Estote timidi, ut sitis intrepidi; & licet timor in certamine infirmitas esse videatur, tamen virtus in infirmitate perficitur.*

Cedere. Fugere.

S.Pet.Chrys. serm. 150.

S.Cypr. de sing. Cler.

674. E Cæsaris Antonii Bendinelli sententia, Ursus veri amoris typus est; quippe qui CRESCET, DUM VIVET. Gaspar Schottus testatur; *Ursos semper crescere, quidam affirmant; inventosque longitudine quinque cubitorum, latitudine tantâ, ut quodvis bovis tergum vincerent.* Ratione haud multùm absimili voluptas carnalis, instar flammæ infernalis, in corde humano succensa, nonnisi cum vita augescere desinit. Unde Siracides, *Homini fornicario omnis panis dulcis: non fatigabitur transgrediens* legem Dei, *usque ad finem* vitæ. *Tenacissima enim*, inquit Interpres P. Cornelius à Lapide, *est libido, & consuetudo fornicandi adeò, ut cum senectute non consenescat, sed vivat & vigeat, imò ardeat usque ad mortem, nec nisi cum ea moriatur.* Cæterum de amore in rem præsentem ait S.Augustinus; *Charitas non novit, nisi crescere magis, magisq; Si enim amamus, quem non videmus; quomodo amaturi sumus, cum videbimus?*

Amor verus,

Gasp.Schott. l.8 Phy.Cur. cap.76.

Libido.

Ecclesiast.

Corn. à Lap. in hunc loc.

S.Aug. in Psal 91.

675. Alexander Ursinus Cardinalis, symboli loco, Ursum præfert, è dextero ungue sugentem; cum lemmate, IPSE ALIMENTA SIBI. Ad verbum Propertius,

Prop. lib. 3. Eleg 20.

Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.

Volebat nimirùm sapientissimus Cardinalis dicere, se ipsum per propria merita esse splendoris ac immortalis gloriæ suæ authorem. De Urso in hæc verba testatur P. Gaspar Schottus; *Ursus pinguior effectus, latibulum ingreditur, & in eo quadraginta dierum spatio extenuat corpus, quatuordecem immobilis, dexteri pedis se sustentat luctu.* Ab urso discas, alimoniam, victumque tuum proprio labore ac industriâ perquirere. Hoc sensu David; *LABORES MANUUM TUARUM quia MANDUCABIS, beatus es, & bene tibi erit.* Et Salomon; *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.* S. Paulus, tametsi nobilis Romanus, & Apostolorum Princeps, vitam propriis manibus sustentavit. *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Probus Imperator, quod Flavius Vopiscus de illo commemorat, milites suos ad assiduos labores cohortatus dixit, *Annonam gratuitam militem comedere non debere.*

Proprio labore emere.

P. Gasp. Schott. loco cit. §. 2.

Psal. 127.

Prov.16.26.

Act.24.34.

676. Academicus inter Venatores Venetos stimulatus, symboli loco ursum præfert, multis gladiis sauciatum; cum lemmate, GENEROSIOR AB ICTU. Ita animus grandis & virtuosus incrementum suum etiam inter adversa capit. Sapientissimè Seneca; *Virtutem enim intelligo animosam & excelsam, quam INCITAT, QUIDQUID INFESTAT.* Et Lucanus,

Virtus offensa.

Sen. Ep. 71.

Crescit in adversis virtus.

678. Joannes Baptista Ruscellus præclaro Emblemate Ursam exhibet, quæ catulos suos ad debitam perfectionem effingens, epigraphen tenet; NON PEPERISSE SATIS. Neque filios parturiisse, & in lucem procreasse sufficit, nisi etiam sollicitâ & assiduâ diligentiâ à parentibus educantur. S.P. Augustinus in illa Apostoli verba, *Filioli mei, quos iterùm parturio*, ait, *parturitionem hanc pro curarum angoribus positam intelligamus, quibus eos parturivit, ut nascerentur in Christo, & iterum parturit, propter pericula seductionis, quibus eos conturbari videt.* Cæterùm quod de parentum liberis, etiam de authorum libris intelligas velim; posteaquam enim volumina sua componendo enixi sunt, ea etiam censoriâ virgulâ perstringere, sedulâ diligentiâ, veluti alterâ tertiâve limâ, perpolire debent. Optimè canit Poëta;

Educatio.

Gal. 4. 9. S.August. exposit. Ep. ad Gal.c.4.

Libri perficiuntur.

Non satis est ursæ sobolem peperisse ferinam,
Ni ferat informi lingua magistra decus.
Non secùs ingenii qui partus edit in auras,
Progenitos scriptor sedulus arte polit.
Splēdor enim ingenio paritur, dum pignora gignit,
Dum tamen exornat, pulchrior inde nitor.

679. Ursus, pinguior effectus, latibulum ingreditur, ibique quadraginta dierum spatio corpus extenuat; uti testatur Aristoteles. Lemma. ÆGRUM JEJUNIA SANANT. Jejunium quadragesimale hoc symbolo significatur; istud enim ante Pascha tempore verno institutum, non tantùm sanctitati animæ, sed & sanitati corporis plurimùm confert, uti eruditè ostendit D.Viringus, Medicinæ Professor Lovanii; in vere enim ebullit sanguis, effervescuntque humores cæteri ita, ut febres, aliosque morbos sint procreaturi, nisi jejunii abstinentiâ & piscium frigore restinguantur. S. Gregorius Papa; *In hoc mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, & per voluptates ejusdem corporis præceptis Dominicis contraimus. Præcepta enim Dominica per Decalogum sunt accepta. Quia ergo per carnis desideria Decalogi mandata contempsimus, dignum est, ut eandem carnem quater decies affligamus.* S.P. Augustinus de Quadragesimali jejunio disserens, *sine dubio*, inquit, *peccatorum suorum vulnera diligit, qui in diebus pœnitentiæ, jejunando, orando, & psallendo medicamenta sibi spiritualia non requirit. Abundant, & nimiùm abundant negligentiæ, quas per totum anni spatium congregavimus: & ideò vel in istis diebus, quod ad nitorem vel purgationem animæ pertinet, agere studeamus.*

Arist l.6. Histor. Anim c 30. & l.8.cap.17.

D Viring. li de jejunio. Medic. Ecc.

Jejunium quadragesimale.

S.Greg Hom 16. in Evang.

S.Aug ser. 73 de temp.

* * *
* *

URUS.

VRVS.

Caput XLIX.

680. IN sylva Hercynia, quod Cæsar testatur, propria Urorum sedes est. Sunt ii magnitudine paulò infra elephantes; specie verò, colore, & figurâ tauros imitantur: estque mirum ipsis robur, & eximia velocitas. Quando arborem, tametsi altâ radice defixam, semel evellere aggrediuntur, à cœptis tamdiu non desistunt, dum eam funditùs humi prostraverint. Unde Alcibiades Lucarinus hominem generosum, & in laboribus indefessum, Uri emblemate repræsentat, qui ad arborem sternendam accinctus, epigraphen sustinet; NEC FIRMITUDINE TERRITUS. Ita sanè, quando vitio, sive in te, sive in tuis proximis extirpando semel manum admoveris, ab eo, quantumvis inveterato, operam tuam non retrahas, donec ad finem perveneris. In hoc argumentum S. Isidorus Pelusiota; *Forti ac strenuo animo consiste adversùs peccatum, ad extremum usque spiritum dimicans.*

Cæs. l. 5. de Bell. Gall.

Perseverantia.

Isid. Pelus. l. 3. Ep. 284.

681. Plinius Uros duabus præcipuè prærogitivis à naturâ instructos ait; nimirùm grandi robore, ac mirâ velocitate. Plinii verba sunt; *Gignit Germania excellenti & vi, & velocitate uros.* Lemma. VI ET VELOCITATE. Utraque hæc virtus generoso Belliduci congenita esto; quippe qui virium suarum robori celerem expeditionum militarium curam conjunctam habeat. Certè Tullius, Belliducis prærogativas enumerans, ait: *Labor in negotiis, FORTITUDO in periculis, industria in agendo, CELERITAS in conficiendo, consilium in providendo, &c.*

Plin. l. 8. c. 15.

Belliduх.

Cicero Orat. pro lege Man.

VVLPES.

Cap. L.

682. VUlpes, ad fraudes faciendas & promptissima & astutissima, dentes à natura accepit, morsibus infigendis aptissimos. Unde lemma; ASTU, ET DENTIBUS. Hominem astutè crudelem hæc imago describit; Hannibal hujus artis facilè princeps, à Plutarcho cognominatur; *Crudelissimus Dux, & in fallendis hominibus callidissimus.* Certè adulator, quantumvis dentes habeat ad nocendum aculeatissimos, vafritie tamen utitur adeò callidâ, ut meram amicitiam præseferre videatur. Seneca; *Malum hominem, blandè loquentem, agnosce tuum laqueum esse. Habet enim suum venenum blanda oratio &c.*

Astutia crudelis.

Adulator.

Senec. in Ep.

683. Vulpes epigraphen subjunctam habet, ASTU POLLET. Certè militia è stratagematis plurimum proficit: Xenophon dicere est solitus; *Nihil utilius in bello, dolis.* Antigonus interrogatus; quomodo hostis aggrediendus esset? respondit, *Aut dolo, aut vi, aut apertè, aut insidiis.* Plutarcho teste, Agesilai dictum erat, *Hostes in bello fallere, non justum solummodo, valdeq́; gloriosum, sed etiam suave & lucrosum est.* Corebus à Virgilio in hæc verba loquens introducitur;

Xenophon in Hyparcho.

Plut in Agesilao.

Virgil. l. 2. Æneid. v. 390.

> --- Dolus, an virtus quis in hoste requirat?

Denique Justus Lipsius; *Latissimus est campus stratagematum, & non aliâ re plures victoriæ, aut trophæa parta.*

Lipsl. 2. de milit. c. 20.

684. Vulpes, toto corpore humi distenta, ac mortuam sese fingens, curiosas aviculas ad se allicit; easque subitò prehensas, devorat. Lemma; RAPIT ET DEVORAT ASTU. Ita, prô dolor! contingit sæpissimè, illos se simulare quietos, qui aliorum damno nimiùm quantùm invigilant: frequenter enim, etiam nullis explicatis retibus, homines, quantumvis cautos, obruunt ac jugulant. Certè Adulatores, quidquid bonorum ab aliis emungunt, nonnisi astu ac vafritie obtinent. Verissimè dixit Cassiodorus; *Ficti adulatores, quum cœnas divitum captant, nihil prius meditantur, quam illud, quod putant gratissimum auditoribus fore: nam nec aliter impetrabunt quod petunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint.* Seneca;

Fingere.

Decipi.

Adulator.

Cassiod. in quadam Ep.

> *Ab inquietis sæpè simulatur quies.*

Senec. in Oedip. Act 3.

Et Plautus.

> *Qui cavet ne decipiatur, vix cavet, cùm etiam cavet. Etiam cum cavisse ratus est, sæpè is cautor captus est.*

Plaut. in Capt.

685. Vulpes, humi distenta, mortuam se simulat, passimque corpus suum ab avibus pungi permittit; at subitò exiliens, incautas adoritur ac devorat Lemma. CUM ARRIDET, IRRIDET. Fortunæ ac voluptatis hic typus est, qui blanditias, jocosque mentitæ, extremam perniciem nostram machinantur. S. Bernardus; *Magnus, qui incidens in adversa, non excidit vel parum à sapientia; Nec minor, cui præsens fœlicitas, SI ARRISIT, non IRRISIT.*

Fidelitas mundi.

S. Bern. l. 2. de Consid.

686. Vulpes, quantumvis quietam ac mortuam se fingat, nullam tamen fidem ei tribuere licet; ut quæ modò pacem ac mansuetudinem mentita, brevi sanguinariam se prodet. Apprimè dixit Iuvenalis; FRONTI NULLA FIDES. Certè, Hypocrita, genuinum vulpis ectypon, nullam unquam mereatur fidem; nam externâ facie sanctum simulans, paulò post mentem suam fucatam, veteratoriam, ac vitiosam deteget. S. Hieronymus; *Perfacilè est, aliquam vestem habere contemptam, & suspirare crebrius, & ad omne verbum peccatorem ac miserum se proclamare: sed si vel levi sermone offensus fuerit, continuò videbis attollere supercilium, levare cervicem, & delicatum illum oris sermonem insano clamore repentè mutare.*

Iuvenalis Satyr 2.

Hypocrita.

S. Hier. Ep. 1. ad Demet.

687. Vulpes gravida, seu prolis amore majorem cautelam adhibitura, seu etiam cursui sese minus idoneam deprehendens, venatorum insidias cautius, quàm hactenus consueverat, declinat. Unde D. Aresii lemma. REDDIT AMOR CAUTAM. Matrem providam, & in familia ac liberis gubernandis cautam & prudentem, hæc imago significat. Illorum enim amore nunquam non in conquirendis necessariis, in avertendis periculis, & in re domesticâ promovenda solicitam ac cautam se exhibet; Talis Magno Augustino teste, fuit S. Mater Monica; *Domum suam piè tractaverat; Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te (Deo) deviare cernebat; ita curam gessit, quasi omnes genuisset; ita servivit, quasi ab omnibus genita fuisset.* Valerius Flaccus:

Cautela.

S. Monica S. Aug. l. 6. Conf. c. 9.

> *Est amor, & rerum cunctis cautela suarum.*

Val. Flac. lib. 5.

688. Vulpem, reti illapsam, hoc lemmate notavit D. Aresius: FATO PRUDENTIA MINOR. Ita nimirùm prudentia ac vafrities humana adversus Divinam voluntatem nil penitùs potest. Velleius Paterculus; *Ineluctabilis fatorum vis, cujuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.* Et D. Jovius; *Occulta vis fati sæpenumerò prudentes ad insaniam vertit.* Verissimè Pierius Valerianus, Hyppoliti Cardinalis Medicei, & Alexandri Nepotis mortem delorans, cecinit;

Prudentia humana infirma.

Vell. Pat. l. 2.

Iov. Hist. l. 3.

Pier. Valer. lib. 44. sub finem.

> *Mens nulla prudens est adeò, ut queat*
> *Obstare fatis, vel petulantias*
> *Ictusque fortunæ cavere.*
> *Aut varios subitosque casus.*

689. Vul-

Par pari referre.

689. Vulpes, gallinam prædatura, Emblematis loco à cane interveniente capitur. Unde illam hoc Ariosti lemmate conquerentem introduxêre; BEN LA MERCEDE HAURO SECONDO IL MERTO. Id est; QUOD MEREAR, PATIAR. Hæc nimirùm supremæ sapientiæ dispositio est, ut idipsum, quod in alios molimur, tandem in nos devolvatur. Isaias id perspicuè minatur; *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Aristotele teste, Rhadamanti pronuntiatum erat, *Justum est, ut, si quæ quis fecit injustè, eadem & patiatur.* Sennacherib, Palæstinam summo contemptu direpturus, se ipsum omnium rapinis ac contemptibus exposuit; ipsius enim exercitu per Angelum fulminato, à propriis filiis occisus jacuit. Nero, posteaquam sanctos Apostolos contemptim enecari jussit, ipsemet paulò post à Senatu populoque Romano spretus, propriâ manu sib violentam mortem intulit. Domitianus, Aurelianus, Decius, aliiaque tyrannidis humanæ portenta, post plurimos Christianos contemptui habitos, ac crudelissimè jugulatos, tandem & ipsi hostibus suis jugulum præbere debuerunt, &c.

Isa. 33. 1.
Arist. lib. 5. Ethic.

690. Grus vulpe ad convivium invitatâ, cibos in angusti & oblongi oris bombylio conclusos apposuit; cui cum vulpes caput immittere non posset, jejuna recedere debuit; grue intereà oblongo suo rostro cibum omnem facilè extrahente. Atque hæc Gruis astutia adversus vulpem reciproca erat; quippe quæ illam paulò ante simili ludibrio exceperat. Proindè Emblematis loco gruem seu ciconiam statuêre, quæ ex oblongi & angusti colli bombylio escam hauriebat, frustrà esuriente vicinâ vulpe; Lemma addiderunt. FRAUS FRAUDE COMPENSATA. Nempe vulpes, paulò ante in cibo largiendo admodum parca, postea etiam illius recipiendi indigna fuit: quæ enim alios ad inediam tolerandam cogebat, etiam ipsa ad illum famis languorem sustinendum optimo jure compellebatur. Francisci Petrarchæ hac de re poëma vernaculum est;

Par pari referre.
Plutarch. in triumpho Amor. c. 2.

Che chi prende diletto di far frode,
Non si de lamentar s'altri l'inganna.

Et S. Gregorius Nazianzenus. — *S. Greg. Naz.*

Adiit me inops, abiitq; nil ceptum ferens
O Christe, gratiæ indigens vacuus tuæ,
Vereor, ne & ipse loge discedam meâ:
Quod namq; quis dedit minus, speret minus.

691. Emblematis loco vulpem, igne ad ipsius caudam suspenso depinxêre: alludebant nimirùm ad trecentas Samsonis vulpes, quæ, facibus ad caudas ligatis, in Philistæorum agros concitatæ, priusquam hos flammis devastarent, in se ipsis crudele illud incendium omnium primò experiri debuerunt. Lemma. VINDICTA TRAHIT EXITIUM. Ita nimirùm, dum aliorum exitio procurando intendis, ruinam ac supplicia in te ipsum concitas. Opportunè Magnus Augustinus; *Læsus, & injuriam passus, vindicari vult; de aliena pœna sibi quærit medicamentum, & acquirit grande tormentum.* Semei, Davidem lapidibus impetere ausus, paulò post à Salomone interfectus est. Fornacis Babylonicæ flamma, adversus innocuos juvenes succensa, in ipsos carnifices grassata est. Danielis delatores, cùm illum à leonibus devorandum perciperent, iisdem leonibus in escam cessêre. Apprimè David; *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem; Contritio & infelicitas in viis eorum.*

Vindicta authori perniciosa.
S. Aug. ser. 4 de verb. Dom. cap. 1.
Psal. 13. 3.

692. Vulpes, congelatum flumen transgressura, priusquam tanto discrimini se committat, auribus versus flumen inclinatis acutè explorat, num aliquod subterfluentis aquæ murmur percipere possit: eo enim audito, mox conceptam mentem revocat, penitusque ab illo trajicienda desistit. Unde emblemati subscripsêre; FIDE, ET DIFFIDE. Et certè in mundo assidua hæc cautela ac diffidentia penitùs est necessaria; siquidem Justo Lipsio asserente, *Nihil hodie tam receptum, quàm fallere fidem.* Epicarmi consilium est; *Sobrius sis, & memor esto; nulli temerè credere seu confidere.* Theognides canit:

Cautela fidendo.
Lips. Cent. Epist. 59.

Res mihi fractâ FIDE, res DIFFIDENDO retenta.

Denique Siracides; *Cave tibi, & attende diligenter auditui tuo: quoniam cum subversione tua ambulas.* Et rursùs: *Et à filiis tuis cave, & à domesticis tuis attende.*

Eccles. 13.
Ibid. 32. 2.

693. Vulpes, auribus suprà congelatum flumen inclinatis, undarum fortè subterlabentium strepitum explorans; à D. Aresio epigraphen recepit; NEC FIDE, NEC DIFFIDE. Hominem prudentem, & in agendo circumspectum, hæc imago designat; neque enim fidem nimium facilem, neque etiam difficilem nimium, aliis tribuere oportet. Sapienter monet Seneca; *Nulli fidem adhibere, unum idemq; vitium est, atque omnibus credere.* Apollonius Thianæus, Philostrato referente, olim à Babyloniæ Rege interrogatus, quâ ratione regnum suum feliciter stabilire posset: respondit, *Si multos honoraveris, paucis verò credideris.*

Fidere.
Senec. Ep.
Philost. l. vita.

694. Vulpes, tametsi flumen glacie obductum videat, eidem tamen experiendo etiam aures, majoris securitatis gratiâ, in consilium advocat, &, num aquæ subterfluant; studiosè auscultat. Lemma, NON JUXTA INTUITUM. Ad verbum Regum fasti; *Nec juxta intuitum hominis ego judico. Homo enim videt ea, quæ parent; Deus autem intuetur cor.* Quare nunquam patiaris te externâ aliorum formâ in judiciis formandis decipi, sed semper interiores illorum animos penetrare coneris. Perspicuè Christus: *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate.* Porrò mundus varias spondet delitias, externâ quidem facie sat speciosas; at propius ei aurem admove, deprehendesque, interiora ejus plena esse dolo. S. P. Augustinus; *Quidquid nobis temporaliter mundus arridet, magis est periculum, quàm ornamentum nostrum.* Atque adeò inter assidua pericula cautus ac circumspectus sis, necesse est; nam quod Horatius canit,

1. Reg. 16.
Judicare
Io. 7. 24.
Mundus fallax.
S. Aug. ser. 53 de verb. Dom. cap.
Cautela

Quod quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas.

Horat. l. 3. Carm. od.

665. Ad exequias Ranutii I. Parmensium Ducis, symboli loco vulpem statuêre, quæ aures congelato flumini admovens, epigraphen tulit: MURMURA NON FALLUNT. Sagax Principis illius judicium, & insignè prudentiam hæc imago innuebat, qui ab imperiti vulgi oblocutionibus nunquam deceptus, summi momenti negotia, obstupescente mundo, semper intimè penetravit, suamque Rempublicam tot annis feliciter administravit. Porrò illud ipsum Emblema cuivis Principi præceptionis loco esto, ne adulatorum fraudibus ac susurris, utpote ad egenos ac innocentes opprimendos unicè destinatis, aures præbeat, sibique imponi permittat.

Prudens & cautela.

Hâc

Psal. 100. 5. Hâc cautelâ imbutus David, de se ipso fatetur, *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* In hunc locum præclarè Agellus; *Aures suas calumniatoribus atque obtrectatoribus minimè patuisse dicit; hoc enim vitium est maximum Regum ac Principum, quod adulatoribus & detractoribus, & exploratoribus aures libenter accommodant, & falsis detractionibus atque calumniis, ac delationibus à scelestis hominibus illecti, perniciem innocentibus afferunt.* Sanctissimum Luciani consilium est; *Quid faciet vir prudens in re ambigua? sanè, opinor, quod Homerus in Syrenum fabula docet, perniciosas talium sermonum fabulas ac delitias navigio prætereat, obturet aures, nec passim aperiat affectui cuipiam obnoxiis, sed janitore sedulo ac fido adhibito, ratione videlicet ac judicio animi, recta dicentes reclusis foribus excipiat, inutiles nugas obducto pessulo arceat.*

Agel. in hunc loc.

Lucian. l. de non temerè credendo calumniæ.

696. Vulpes, demisso capite fluminis conglaciati crassitiem explorans, ab Abbate Ferro epigraphen recepit. AURIBUS INDAGAT. Ita Christianus Divinæ fidei arcana solis auribus, non verò oculis, penetrare potest. Dilucidè Apostolus; *Fides ex auditu.* In hunc locum Dionysius Richelius ait, *Fides ex auditu tam ejus, qui in fide instruitur, quem oportet audire prædicantem: quàm ejus, qui prædicat, quem oportet audiri. Auditus autem, qui ad fidem exigitur, est per verbum Christi, quo venit ad aures corporis, & aperit aures mentis.* Atque adeò sancta fides animæ nostræ domum intrat, ibique sedem figit, non quidem per oculorum portas, utpote quibus evidentia ac perspicacia est propria; sed per obscuras aurium cavernas, ad fidei arcana recipienda præ cæteris omnibus sensibus accomodatissimas. Sanè, Centurio non è Christi crucifixi aspectu, sed ex auditis ipsis vocibus ad sanctam fidem amplectendam persuasus, *Videns autem Centurio, quia sic clamans expirasset,* ait, *verè hic homo Filius Dei erat.* In hunc locum S. Bernardus, *Ex voce*, inquit, *agnovit filium Dei, & non ex facie. Erat enim fortasse ex ejus ovibus, quæ vocem ejus audiunt. AUDITUS INVENIT, quod non visus; oculum species fefellit; AURI VERITAS SE INFUDIT.* Eâdem planè ratione Maria Magdalena Christum, in horto visum, olitorem esse credidit; at auribus ad ipsius vocem percipiendam reseratis, verum Dei filium agnovit.

Fides. Rom. 10. 17

Dion. Rich. in hunc loc.

Fides,

Marc. 15. 39

Bernardus serm. 28. in Cant.

697. Joannes Orozcus Emblematis loco globum terrestrem depinxit, qui ab Atlantis humero supra pellem vulpinam sustentabatur; cum lemmate, HOC MODO SUSTENTOR; Non sine ingenio volebat innuere, mundum totum assiduis niti fraudibus ac fallaciis. Verissimè Magnus Augustinus; *Mundi promissa semper fallunt; Dei autem promissa nunquam falliunt. Sed quia mundus, quod pollicetur, hic videtur daturus, id est, in hac terra morientium, in qua nunc sumus: Deus autem, quod pollicetur, in terra viventium nobis daturus est, multi fatigantur expectare veracem, & non erubescunt amare fallacem.* Ovidius;

Mundus fallaciis plenus.

Aug. serm. 3. de Verbis Apost. c. 1.

Ovid. 1. Met.

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero: fratrum quoq; gratia rara est;
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita Novercæ:
Filius ante diem patrios inquirit in annos;
Victa jacet pietas.

698. Vulpis exuviæ, sub regio throno collocatæ, inscriptionem præferunt; UT SCIAT REGNARE. D. Didacus Savedra hoc emblemate ad illud Lysandri, Spartanorum Belliducis, dictum alludebat; *Quod leonis pellis attingere non posset, Principi assuendam vulpinam.* Hanc verò doctrinam Magnatibus persuadere haud operosum est; siquidem, Seneca asserente, maximus & frequentissimus illius in aulis usus est. Astutia in Principe.

Senec. in Thyeste.

Ut nemo doceat fraudes, & sceleris viam,
Regnum docebit.

699 Vulpes, in agro resupina, se mortuam simulabat, ut aves, veluti ad cadaver advolaturas, captaret, at jacenti supervenit canis, eamque dentibus mordicus invasit. Lemma. INSIDIAS SUSTINET IPSA SUAS. Ita nimirum mala, quæ aliis inferre cogitamus, ipsimet justissimâ lege tolerare cogimur. S. P. Augustinus, *Qui fraudem volunt facere generi humano in omnibus nequitiis suis, fraudem & ipsi patiuntur, ut terrena bona eligant, relinquunt æterna.* Verissimè dixit Abstemius, *Insidias qui facit, sæpe patitur.* Fraus delusa.

S. Aug. in Psalm. 72.

700. Vulpes, in hyeme piscans, caudam aquis immittit, ut pendentes ex eâ pisces ad se attrahere, ac devorare possit: at fraudem, sub odorati pisces, tamdiu in aquis irritâ spe natantem relinquunt caudam, donec glacie constringatur; unde capta vulpes, ac veluti fune retenta, venatoribus non sine ludibrio in prædam cedit. Lemma, SIC ARS DELUDITUR ARTE. Quisquis enim aliis vel illudere, vel fraudem facere cogitat, brevi se omnium ludibriis ac fraudibus expositum sentiet. Proinde dixit Magnus Ethices Christianæ magister, Augustinus; *Compone tecum: non vis falli? noli fallere: quod pati non vis, noli facere. Vis venire ad vitam, ubi non fallaris? age modò vitam, ubi non fallas.* Damno ac ludibrio suo expertus id est ex Sportiarum familiâ Galeacius, qui licentiâ juvenili elatus, Bartholomæo Bergomati, Venetorum Duci, viro quidem exactæ ætatis & callidissimo, sed tamen pari aliorum astutia nonnunquam circumvento, annosam vulpem misit, caveâ interceptam. Dux, adolescentis illusionem & arrogantiam sentiens, ut paria refunderet, accipitrem remisit, loris compeditum, & puerilibus crepundiis nolisque instructum: quo illius puerilitatem, ferocemque ingenii levitatem, loris constringendam, non inscitè adumbravit; uti refert Paulus Jovius. Fraus delusa.

S. Aug. ser. 112 de Diversis c. 10.

Paulus Jovius, in Eleg. Berg l. 3.

FINIS LIBRI QUINTI.

MUNDI SYMBOLICI.

LIBER SEXTUS.

PISCES.

Pisces in genere	1	Cyprinus seu Carpus	18	Polypus	36
Acarne	2	Delphinus	19	Pompylus	37
Anguilla	3	Echinus marinus	20	Purpura	38
Anthia	4	Ensis seu Xiphias	21	Rana	39
Apua	5	Episcopus	22	Remora, seu Echeneis	40
Aquila	6	Glanis	23	Salmo	41
Asellus	7	Hippopotamus	24	Sarda	42
Balæna	8	Hirundo	25	Sargus	43
Barbus	9	Lucerna	26	Scarus	44
Calionymus seu Vranoscopus	01	Lucius seu Lupus	27	Scolopendra	45
Cammarus	11	Melanurus	28	Sepia seu Loligo	49
Cancellus	12	Monachus	29	Silurus	47
Cancer	13	Muræna	30	Spongia	48
Cephalus seu Mugil	14	Nautilus	31	Stella	49
Channe	15	Orata seu Aurata	32	Testudo	50
Conchilium	16	Pastinaca	33	Thynnus	51
Crocodilus	17	Petracnolus	34	Torpedo	52
		Phoca, seu vitulus marinus	35	Truta	53

PISCES in genere. *CAPUT I.*

1. Pisces, libero impetu versus hamū delati, epigraphen tenent. ULTRO SE VOLUERE CAPI. Genuina hæc hominum mundanorum idea est, qui non tantùm sublimiores honorum gradus ambitiosè inquirendo, sese voluntarios aliorum captivos efficiunt; sed etiam per illecebrosa sensuum vestigia progressi, hamos, æternum cruciaturos, incurrunt. Sapientissimus Idiota de amore carnali disserens, *Talis amor*, inquit, *est laqueus animæ, interfectio leniens: mel felleum, pernicies delicata, dulce venenum, MALUM SPONTANEUM, sapida jugulatio, & omnium rerum calamitas*. Et S.P. Augustinus; *Quanta iniquitas, & quàm lugenda perversitas, ut animam, quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisq; propter unius momenti delectationem libidinis, Diabolo vendat!* Atque adeò damnati, gravissimis torti doloribus, neminem alium, nisi se ipsos incusare possunt; qui, voluptatum escâ liberrimè admorsâ, suppliciorum hamo implicati pendent.

Ambitiosus. Libidinosus. *Idiota l. de Amore Divino.* *S. Aug. serm. 230, de Temp.* Damnati.

2. Piscatores nonnunquam aliquot cucurbitas vacuas, plurimis innexas hamis, sub aquis recondunt; quas conspicati pisces, eam fami suæ opportunam escam credunt; at hamis miserè implicati, infelicem captivitatem subire coguntur. Unde lemma. PRÆDÆ SPES VANA CAPIT. Eâdem planè ratione delusi miseri mortales per fastus ac voluptatis terrenæ vanitates assiduò vagantur, neque ibi aliud reperiunt, nisi pericula, dolores ærumnas. Verissimè sanctus Gregorius Papa; *Præsentis vitæ gloria quasi in alto cernitur, sed nullâ stabilitate solidatur.* Torquatus de Almidâ canit, quod amatores ad illam, tot hamis, quot artibus, instructam passim accurrerint.

Mundani. *S. Greg. l. 20 moral. c. 24.* *Torq Tassus. Gerus. liberat. cant 4. st. 87.*

Usa ogni arte la donna, onde sia colto
Ne la sua rete alcun novello amante:
Ne con tutti, ne sempre un stesso volto
Serba: mà cangia a tempo atti, e sembiante.
Hor tien pudica il guardo in se racolto;
Hor il rivolge cupido, e vagante,
La sferza in quegli, il freno adopra in questi,
Come lor vede in amar lenti, o presti.

Amans lascivit.

At tandem singuli spe suâ delusi; *Ibid. Stanz. 95.*

Stanco, e deluso poi di speme il toglie,
E si rimam qual cacciator, ch' à fera,
Perda al fin l' orme di seguita fera.

Sicq; incauti mortales inter dolores & spem irritam se ipsos consumunt; excruciantur q;, ut Petrarcha canit, *Petrarcha.*

Fra le vane speranze, e'l vane dolore.

3. Piscis, ex hamo suspensus, non ob aliam causam aquis & vitâ privatur, nisi quod paulò ante ab insidiosâ escâ sese liberè allectari permiserit. Unde lemma. QUOD ILLECTUS, ABSTRACTUS. Verbis ex sancto Jacobo mutuatis; *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus.* Idipsum homines mundani quotidianâ experientiâ comprobant, dum sensuum illecebris circumventi, violentâ morte ex hâc vitâ rapiuntur. Samson, Dalilæ blanditiis *illectus*, cum libertate oculos perdidit, hostiumque captivus evasit. Ammon, incestuoso affectu erga Thamarem *illectus*, armorum furore è mundo *abstractus* est. Tres seneciones, apud Danielem, Susannæ formâ *illecti*, honoris, dignitatis, ac vitæ jacturam fecerunt &c. Ut adeò jure exclamet S. Hieronymus; *O quàm acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio!*

Libido vitam aufert. *Iacob 1.15.* *S. Hieron. epist.*

4. Piscis escam, ex hamo suspensam, prehendit; cum lemmate, DUM CAPIO, CAPIOR. Ita post acceptum beneficium, Mecænatis captivus efficeris. Apprimè dixit Publius Mimus,

Benefactor.

Beneficium accipere, libertatem vendere est.

Eâdem planè ratione lascivus, sensuum voluptate semel delibatâ, captum sese, ac peccatorum hamo miserè saucium sentiet. Stephanus Cantuariensis illud Sacræ Paginæ arcanum interpretatus, *Totum in hamo sublevabis* ait, *In hamo esca voluptatis desiderabilis ostenditur, sed uncus tenax latet, qui cum esca comeditur. Sic in concupiscentiâ carnis ostendit diabolus escam voluptatis, sed latet aculeus peccati.* Etiam mors & infernus, cùm Servatoris nostri carnem, è Crucis hamo suspensam, deglutire molirentur, ipsimet vicissim ab eo deprædati, & in captivitatem abducti fuerunt. Sanctus Cyprianus; *Sicut hamum, esca conceptum, si piscis rapiat, non solùm escam cum hamo non removet, sed & ipse de profundo, esca aliis futurus, educitur: ita & is, qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Jesu, non sentiens in eo hamum divinitatis inclusum, sed ubi devoravit, hæsit ipse continuò, & disruptis inferni claustris, velut de profundo tractus traditur, ut esca cæteris fiat.* Cæterùm

Lascivus. *Steph. Cant. l. Allegor. in Habac. c. 1. n. 15.* Christus resurgens. *S. Cypr. in Symb.*

Maria Magdalena. rùm aliâ non ignobili ratione idem Emblema S. Mariam Magdalenam spectat, quæ suis capillis Christum veluti pretiosam castissimi amoris escam, comprehensura, eventu prorsus contrario, illius captiva evasit. Concinnè Marius Bettinus canit;

Mar. Bett. l. 1 Eutrapelia 3.

Magdala, mortales quibus illaqueârat amantes,
Ausa Deum passim illaqueare comis.
Dum jacit auratos sacra in vestigia casses,
Prædatrix prædæ præda fit ipsa suæ.

5. Emblematis loco cymbam depinxere, quæ lumine, & tridente ad pisces transfigendos instructa, epigraphen habuit; STERTENTES OPPRIMIT. Innuebant videlicet, insidiantem hostem adversus otiosos, ac somnolentos triumphum haud operosè ducere. S. Ambrosius; *Remissas excubias callidus insidiator irrumpit.* Et S. Hilarius; *Vigilare nos Dominus propter adventum furis admonuit. Furem enim esse ostendit Zabulum, ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem, ut ea incuriosis nobis, & somno deditis, consiliorum suorum, atque illecebrarum jaculis perfodiat.* (Otium. — S. Ambr. Tr. in Ps. 118. — S. Hilar. in Matth. c. 26)

6. Verum pœnitentem in corpore & spiritu castrigando ingentem gustum ac suavitatem sentire, piscium Emblemate demonstrat D. Aresius; qui intra amaras oceani undas delineati, epigraphen sustinent; QUASI LAC SUGENT. Verbis è Deuteronomio sumptis; *Innundationem maris quasi lac sugent.* Certè Martyr, uti etiam homo fortis ac patiens, omnem adversæ sortis amarorem, veluti saccharo ac melle obductum, avidissimè degustat. Optimè dixit Umbertus; *Homo patiens malum in bonum convertit, mare quasi lac sugit; mœrorem in fœlicitatis æternæ gaudium commutabit.* Quin imò etiam amantes mundani non rarò mille calamitatum absynthia, veluti quovis melle dulciora, glutire solent. *Hi voluptatum amore quot mala perferunt?* inquiebat attonitus S. Joannes Chrysostomus; *Alapis verberibusque cæsi, irrisi, innumeris conviciis lacessiti, blando tamen morbo comprehensi, omnia sibi tranquilla & felicia arbitrantur.* (Pœnitens. — Deut. 33. 19 — Martyr patiens. — Umbert. de utilit. patient. c. 42. — Amans mundanus. — S. Io. Chrys. hom. 8. in Joan.)

7. Alcibiades Lucarinus hanc gnomam piscibus indidit; ANIMATI AD NATANDUM. Vel, ut alius; VIX NATI NATANT. Pueritiam vivacem; vel etiam hominum calamitatem hoc Emblemate significabis, qui vix in hunc orbem nati, inter lachrymas & vagitus natare, plurimisque ærumnis nunquam non affluere solent. Accommodatè S. P. Augustinus; *Vita humana misera est, laboribus plena, doloribus, periculis, tentationibus. Quare puer à fletu incipit vivere; Ridere nondum novit, quare plorare jam novit? quia cœpit ire in istam vitam.* Nec aliter Jobus; *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Certè SS. Innocentes, paulò ante in hanc lucem editi, per vastum proprii sanguinis sui pelagus ad paradysi portum transnatare debuerunt. (Miseria humana. — S. August. in Ps. 125. — Job. 14. 1. — SS. Innocentes.)

8. Piscis, intra aquas depictus, epigraphen non incongruam sustinet. MORIAR, SI EGREDIAR. Tertullianus hoc argumento beneficentiam, è calamitatibus in nos proficisci solitam, describit; *Pisciculi sumus, qui in aquâ* baptismi *nascimur, nec aliter, quàm in aquâ* lachrymarum ac calamitatum *permanendo, salvi erimus.* Aliâ ratione S. Joannes Chrysostomus docet, orationem ad progressus in vitâ spirituali faciendos, non minus esse homini necessariam, atque aqua corporalis piscium saluti. *Si te ipsum oratione destitueris, inquit, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraxeris. Ut enim piscis vita est aqua, ita tibi deprecatio.* Cumprimis tamen imago Religiosorum est propria, qui, ficuti vitam intra claustri limites incolumen servant, ita extra illos præsentissimum discrimen subeunt. *Claustrum quippe Monasterii,* inquit S. Petrus Damianus, *Vivarium est animarum, ibi quippe vivunt pisces, qui juxta legis edicta pinnulas habent. &c.* In hunc sensum sanctus Antonius Abbas, à Magnate quodam rogatus, ut nonnunquam diutius apud ipsum moraretur; respondit, sicut pisces ab aquâ extracti, mox in arenti terrâ moriuntur; ita & Monachos, cum secularibus retardantes, humanis statim resolvi confabulationibus, *Ob id ergò,* concludebat, *convenit, ut pisces ad mare, ita nos ad montem festinemus, ne tardantibus nobis, aliqua propositi succedat oblivio.* (Tribulatio utilis. — Tertullian. — Oratio necessaria. — S. Io. Chrysost. l. 2 de orando Deum. — Religiosus in claustro. — S. Pet. Dam. l. 2. ep. 18. — S. Anton. apud S. Athanasium.)

9. Piscis in aquis vivit incolumis, statimque, extrà illas constitutus, moritur. Lemma. IN ARIDO MORIAR. ita sanè libido non quidem inter assiduam victûs, vini, & crapulæ affluentiam, sed ad jejunii ariditatem ejecta, suffocatur. B. Albertus Magnus, *Sicut pisces in arido moriuntur, sic etiam luxuria in austeritate vitæ, & jejunio moritur.* Perspicuè Isaias; *Computrescent pisces sine aquâ, & morientur in sicco.* (Lascivia. — B. Alb. Mag. serm. Dom. 1. Quadrag. — Isa. 50. 2.)

10. Mantuæ, inter cæteram solemnem Deiparæ coronatæ festivitatem, Emblematis loco pisces cernebantur depicti, qui turbato ac fulgurante cælo in mari natabant; cum lemmate, TUTI CONTEMNIMUS ICTUS. Non enim, quod pertimescat, habet, qui intra Mariæ sinum ac tutelam, veluti in Oceano securissimo, conquiescit. Cosmus Hierosolymitanus ait, *Insuperabilem, Deipara, spem tuam habens, servabor; defensionem tuam possidens non timebo.* Et Richardus à sancto Laurentio; *Potens est Maria ad proptegendum, unde ipsi potest securè servus ejus illud Job. 17. 3. Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* (Maria V. protectrix. — Cosm. Hieros. hymno 5. — Rich. à S. Laur. l. 2. de laud. Virg. p. 1.)

11. Homo, inter sceleratos justus & innocens, pisci non absimilem se probat; cui, intra maris salsuginem commoranti, inscripsit Abbas Certanus; NEL AMARO DEL MAR DOLCE HO LA VITA. Id est; E MARI DULCEDINEM. Hâc prærogativâ insigis extitit Sanctus Malachias; qui sancto Bernardo teste, *De natali barbarie traxit nihil non magis, quàm de sale materno pisces maris.* Porrò avarus, accommodatè ad hanc iconem dulcedine nullibi majore perfunditur, quàm inter solicitudinum terrenarum amarores. Quare Hugo Cardinalis in illud Ezechielis, *Commovebuntur à facie meâ pisces maris;* ait, *per pisces maris intelliguntur avari & curiosi, qui nesciunt vivere, nisi in amaritudine curarum hujus mundi.* (Justus inter malos. — S. Bernardus in vita S. Malach. — Avarus. — Hug. Card. in Ezech. 38. 20.)

12. Adami, protoparentis nostri casum pisci non absimilem dixeris; cui, ex hamo pendenti, inscribes; MORSU IN MORTEM CORRUIT. Verbis ex hymno illo mutuatis; *Pange lingua gloriosi Lauream &c.* Eorum hæc imago est, qui immodico cibo aut potu mortem sibi accelerant. Septimus Severus, carnibus crudis, ac digestu difficillimis, plus justo devoratis, medius crepuit. Valentinianus Imperator nimiâ intemperantiâ sibimet vitam immaturo fato abrupit. Jovinianus, referente Ravisio, à ciborum cruditate, intra stomachum collectâ, suffocatus est. Hugo Victorinus; *Ebrietas judicium rationis offuscat, contentiones & bella procurat, robur & naturalem virtutem enervat, infirmitatem generat, mortem naturalem adducit, rebus temporalibus spoliat, &, quod deterius est, Divinam maledictionem inducit.* (Adamus. — Crapula. — Hug. de S. Vict.)

13. Immodica adeò piscium est voracitas, ut nec propriæ speciei parcant. Verùm piscis major, minorem devorans, paulò post, veluti reciprocâ crudelitate, pœnas dat; dum & ipse alterius, adhuc majoris, gulam subire cogitur. Unde piscis, minorem devo-

devorans,epigraphen à me recepit. PRÆDA MAJORIS ERIT. Justissimmè à Deo sancitum,usitatumque est; ut,qui crudeli imperio suos subditos traduxerit ac devoraverit,etiam ipse aliorum,adhuc potentiorum, crudelitati substernatur. Præclarè in rem præsentem Magnus Augustinus; *Quis optat hæreditatem,nisi morte alterius? quis optat lucrum,nisi damno alterius? Quàm multi aliorum defectione cupiunt sublimari? O piscis male! prædam vis de parvo,præda efficeris magna.* S.Basilius tam emblematis materiem, quàm ipsius sensum suggerens, ait; *Major pars piscium liguriunt alter alterum,& minor apud illos esca majoris est; & si evenerit, ut is,qui minorem superaverat,alterius præda fiat,ambo tum simul deglutiuntur, & unà ultimi piscis immersi ventrem ingrediuntur: quid igitur nos homines aliud agimus, cùm vim inferimus inferioribus? Et quoties hoc contigit; quod divites & potentes suis usuris, exactionibus, litibus protractis, opprimunt & fatigant pauperes? &c.*

Par pari referre.

S.Aug.in Ps. 64.

S.Basil.hom. 7.Hexam.

14. Pisces inter consuetas occeani turbas assiduò tranquilli ac taciturni viunt; unde lemma. FRA I SONORI TUMULTUI OGN'HOR SILENTI. Id est, INTER STREPENTIA SILENS. Ita homines justi inter medias civitatis turbas, & fori frequentiam, semper sese Deo unicè affigere, ac solitudini vacare norunt. Facem his prævivere Elias in Samariæ aulâ; Simon Stylites in Ægypti civitate; Joannes Lusitanus, in medio amplissimæ civitatis Mediolanensis ipsos triginta & plures annos vitam ducens eremiticam &c. Optimè dixit S.Gregorius Papa; *Qui corpore remotus vivit,sed tumultibus conversationis humanæ terrenorum desideriorum cogitatione se inserit, non est in solitudine: si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos sæcularium curarum tumultus in corde patiatur, non est in urbe.*

Solitudo vera.

S.Greg.super illud Iob; Cui dedi in solitudine domum.

15. Piscis adverso flumine, sive labente, sive currente,citra negotium deferri solet. Lemma. NULLIUS AUXILIO. D. Carolus Bossius hoc symbolum in D.Præsidis Bossi honorem erexit,qui ad officium illud sublevandus, omnem Serenissimi Ducis Hetrusci oblatam opem recusavit, eumque gradum solâ suâ congenitâ virtute, sine emendicatis aliorum subsidiis, conscendit; haud secus, atque piscis nativo suo impulsu per adversas currentes undas natare, aut per labentes in altum ascendere valet. Eodem encomio insignes extitere, Josephus, ad Ægyptij Proregis fastigium sublevatus; Samuel Judicis tribunal supra Israelis populum conscendens; David ad regium solium, non quidem suffulciente hominum favore, sed solo virtutum suarum merito promotus &c. Pulchrè ait Magnus August. *Gloriam & honorem non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem. Vnde honores, quos expetunt multi, Cato petere non debuit, sed eos civitas ob ejus virtutem non petenti dare.*

Proprius valor.

S. August. de civitat. Dei l.5.

16. Abbas Certanus, ut fortunæ blandientis insidias, & fallacem illius consequendæ spem ob oculos poneret,piscem depinxit, qui hamum jamjam admorsurus,epigraphen tenet. SPE DECIPITUR. Opportunè Seneca, *Ad omne fortuitum bonum suspiciosi pavidique subsistite. Et fera, & piscis, SPE aliqua oblectante DECIPITVR. Munera ista fortunæ putatis? insidiæ sunt.*

Bona mundi.

Senec.epist

17. Maris animalia majora sunt, magisque vegeta, quàm terrestri; quia illa præ istis vitam ducunt absconditam. Terrestra enim animalia,ut in aperto vivunt, sic aduruntur à sole, infestantur ab aere, multas à temporum mutationibus ac cœli intemperiis patiuntur injurias. Unde piscem hoc lemmate spectandum propones; VIVACIOR, QUIA OCCULTIOR. Genuina hæc Religiosæ vitæ idea est quæ tantò degit felicior; quantò ab hominum consuetudine remotior: ut adeò solitudo fœcunda sit virtutum & æternæ vitæ parens. Divus certè Blasius Sebastensis, Armeniæ Episcopus, libens ex urbe digressus est in sylvas, arctatus in specu, ut animum ibi dilataret, virtute suâ feras efficiens humanas. Sapientissime Magnus August. *Difficile est, in turba videre Christum. Solitudo quædam necessaria est menti nostræ: quadam solitudine intentionis videtur Deus. Turba strepitum habet, visio ista secretum desiderat.* Breviter & bene Ovidius;

Solitudo

S.Aug.Tr. 17. in Ioan

Benè qui latuit, benè vixit.

18. Piscis, escam hamatam avidè glutiens, epigraphen à P. Jacobo Masenio accepit; BREVIS VOLUPTAS, LONGUS DOLOR. Idipsum de voluptate terrenâ pronuntians Magnus August. ait, *Ad præsens Deus habenas laxat, sed post astringet Noli gaudere ad piscem, quia in esca sua exultat: nondum traxit hamum piscator: nam ille habet hamum in faucibus, & quod tibi videtur longum, breve est.*

Voluptas terrena.

S August. Psalm. 57

19. Piscis, ex hamo captivus; epigraphen sustinet:

TENET

TENET, ATQUE TENETUR. Eundem voluptas cum hamo rem servat. Opportunè S.P. August. *Gaudet piscis, quando hamum non videns, escam devorat: sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt: veniet tempus, ut sentiant, quanta tormenta cum aviditate devorarint.* Et Ovidius.

Saucius arrepto piscis retinetur ab hamo;
Non benè de laxis cabus exit aper.

Voluptas terrena. S. Augustin. Agone Christi, c. 7. Ovid. l. 2. de Amor.

ACARNE.

CAPUT II.

20 Hic piscis immodicos calores patitur; unde etiam sub æstatem macie totus extenuatur. Quare Emblematis loco infra solis æstivi radios collocatus, epigraphen habet; ABSUMITUR ÆSTU. Ita veneris mancipia, à libidinis æstu non animam tantum, sed & corpus miserrimè confectum recipiunt. Cicero; *libidinosa, intemperansque adolescentia, effætum corpus tradit senectuti.* Hesiodus de fœminâ lascivâ canit;

Libidinosus. C. de senect.

--- Hæc, quamvis validum, sine torre maritum
Urit, & exsiccat, citiusque senescere cogit.

ANGVILLA.

CAPUT III.

21. PIscatores aquis, ubi anguillæ morantur, turbatis, eas facillimo negotio capiunt. Unde Anguilla emblematis loco inscriptionem sustinet; TURBATO FLUMINE CAPTA. Dæmon, hominis animam prædatirus, omnium primò illam diversis odii, luxuriæ, avaritiæ, aliorumque vitiorum turbis agitare conatur. Homines enim, præsertim Religiosi, diabolica retia nunquam certius incurrunt quàm turbata pacis ac charitatis fraternæ aquâ. S. Gregorius; *Sicut nihil est pretiosius Deo virtute charitatis; ita nihil desiderabilius diabolo extinctione eharitatis. Quisquis ergo seminando jurgia, dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiarius servit.* Eodem argumento Aristophanes hominem quemdam seditiosum, non sine gravibus civitatis ac reipublicæ turbis ad dignitatem sublevatum, descripsit;

Tentatio. Discordia. S. Greg. in Pastorali. Seditiosus. Aristoph. in Equitibus.

Namq; accidit tibi, quod iis, qui anguillas aucupantur,
Ubi quieta stat palus, nil piscium capiunt;
Contra si seorsum & deorsum lutum moverint,
Capiunt. Ita ipse capis, ubi rempublicam inquietas.

21. Lucarinus S. Bartholomæum Apostolum anguillæ excoriatæ symbolo figuravit; addito lemmate; ADHUC VIVO. Certè SS. Martyres, toto corpore dilaniati & occisi, hodie etiamnum vitam vivunt in cœlo gloriosissimam; S. P. Augustinus; *Pervenit gladius persecutorum ad corpora Martyrum, sed percusso corpore, cor mansit illæsum.* In hanc rem pulchrè canit meus Concanonicus D. Gregorius Brunelius;

S. Bartholomæus. SS. Martyres. S. Aug. in Psalm. 36.

Quamvis crudeli deglubat corpora cultro,
Pellemque tollat lanius,
Vivit adhuc, corioque suo est anguilla superstes,
Spernitque ferri vulnera.
Auferat usque tuam licet impia dextra pellem
O Bartholomæe, nihil
Deperdis vitæ: sed luce beatior omni,
Cœli sedes te recipit,
Ut byssus nudos, ac purpura vestiat artus,
Pellisque nesciens senium.

23. Quævis mundi illecebræ, quantumvis tenacissimè ab hominibus prehensæ, falsissimè tamen, anguillarum instar, elabuntur. Unde lemma anguillæ inditum; ET COMPRESSA DILABITUR. *Lubricæ adeò sunt*, inquit de Anguillis Ascanius Martinengus, *ut nunquam comprimi facilè possint. Ita res terrena, vilis, & putrida omninò fugax est, & tunc evanescit, cùm nostram esse putamus.* Et Seneca; *Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. Id quoque, quod tenetur, per manus exit &c.* Lucianus fugitivam hanc lubricitatem in divitiis observans, Mercurium in hæc verba loquentem introducit. *Ut levis ac lubricus es Plute, retentu difficilis ac fugax, neque ullam præbens ansam certam, quo prensus teneare: sed nescio quomodo, anguillarum ac serpentum in morem inter digitos elaberis.* Cæterùm eandem figuram nempè Anguillam manu compressam, etiam hoc lemmate notabis; CUM STRINGITUR, LABITUR. Ita sanè homo versipellis, callidus, ac dolis texendis assuetus, dum jam arctè creditur constrictus, adhuc tamen manus, ac captiones quasvis attentissimas effugere novit.

Mundi illecebræ. Ascan. Mart fol. 1502. in Gloss mag. Senec ep. 101. Divitiæ. Lucian in Dialog Timone. Astutus.

24. Anguilla, ob lubricitatem suam è manibus elabi solita, foliis ficulneis, utpote penitus scabris & asperis, facilè stringi potest. Unde lemma; SCABREDINE FIRMAT. Ita prorsus mortificatio plurimum cavet, ne sensuum nostrorum congenita lubricitas ad vitia & inordinatos affectus prolabatur. *Est corpus castigandum*, inquit Sanctus Basilius, *Ac feræ cujusdam instar cohibendum, & ab ipso adversus animam tumultus orientes, mortificatione, veluti flagello, compescendi &c.* Et Sanctus Vincentius Ferrerius. *Caro nostra habet conditiones anguillæ, quæ labitur, nec potest retineri, nisi sit voluta in arenâ, vel cum arenâ. Hoc est de carne nostrâ, quam si vultis tenere delicatiore in cibo, potu, vestibus, & lecto, non poteritis retinere eam: ideò necessaria est religiosa asperitas in cibo & potu, & sic tenebitis eam.*

Mortificatio utilis. S Basil l. de legendis Gent libris. Vinc. Ferr. serm. 2. Dom. 3. Advent.

25. Majolo teste, vinum, in quo anguilla fuit suffocata, vini fastidium bibenti affert. Unde P. Sebastianus à Matre Dei Emblemati subscripsit; NON BIBES AMPLIUS. Res terrenæ humanum alliciunt affectum, & quidem adeò, ut vesanus homo præferat illas ipsimet Deo: ergò tantæ stultitiæ antidotum habeto timorem Dei, qui rerum terrenarum fastidium felicissimum tibi ingenerabit. S Joannes Chrysostomus; *Solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, & omnis boni tribuit facultatem.* Porrò voluptatum terrenarum vinum non sine ingenti fastidio rejicies, si illarum vanitatem, incertitudinem, ac delicias, quàvis anguillâ lubriciores, probè consideraveris.

Majol. Dier. Canic. collo 9. de piscibus. Timor Dei. S. Io. Chrysost serm. de S. Io Bapt Voluptas terrena.

26. Anguillæ, utpote squamis destitutæ, nullum cum cæteris piscibus consortium est. Lemma. CONSORTIA VITAT. Religiosus, negotiorum ac imperfectionum sæcularium squamis exutus, hominum consuetudinem penitùs ejuret, ac solitudinem, virtutum omnium parentem fœcundissimam, unicè sequatur. S. Hieronymus; *Si cupis esse, quod diceris, Monachus, id est, solus; quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum.*

Solitudo. S Hieron. in epist.

ANTHIA.

CAPUT IV.

27. Anthia, quam etiam piscem sacrum cognominant, quocumque maris loco extiterit, tantam ubique securitatem præstat, ut nec à ferocibus belluis, nec ab animalibus venenatis, nec etiam ab ipsis urinatoribus ulla cuiquam offensa creari possit. Unde, Pierio afferente, in pisce illo, veluti proprio hieroglyphico, *Securitas, periculis libera*, repræsentatur. Ut adeò oportunè subscripserit Lucarinus; HAUD CIRCUMSTANT NOXIA. Hanc adversus hostes virtutem præservatricem longè certissimam in Divinâ præsentiâ habemus, utpote quâ allucescente, nec vitiorum assultus, nec hominum malitia, nec ipsæ etiam Tartari furiæ quidquam incommodi afferre possunt. S. Bernardus, *Ipsam si necesse est intrare gehennam, securus medias penetrans flammas, læta docantet conscientia. Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Pier. Val. l. 30. — Præsentia Dei. — S. Bern. epist. 42.

28. Anthia cæteros suæ speciei pisces affectu adeò grandi complectitur, ut, si illorum aliquem reti aut hamo implicatum viderit, mox ipsa cum aliis eidem auxiliatum accurrat, captumque liberatura, omnibus viribus adversus sagenæ fila, aut hami setam rumpendam arietet. Emblemati subscripsit Bargalius, CHARI NON DESERTOR AMICI. Ethai, tametsi advena & Gethæus, Davidem tamen affectu adeò amico est complexus, ut eo, ob Absalonis turbas, in fugam acto, individuus afflicto Regi comes adhæserit: quin imò, ubi revertendi licentiam ab optimo Rege acceperat, ille tamen, *Vivit Dominus*, inquiebat, *& vivit Dominus meus Rex: quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vitâ, ibi erit servus tuus.* Affectu haud infirmiore Theodosium, etiam mortuum ac sepultum, prosecutus est S. Ambrosius: Ipsemet locuples sibi testis, *Dilexi*, inquit, *& ideò prosequor eum usque ad regionem vivorum; nec deseram, donec fletu ac precibus inducam virum, quò sua merita vocant, in montem Domini sanctum.*

Amicus verus. — 2. Reg. 15. 21. — S. Ambros. orat. in obitu Theodosii

APUA.

CAPUT V.

29. Apuæ, pisciculi tenuissimi, è providæ naturæ instinctu semper confertim, ac magno numero simul incedere solent, ut à majori aliquo pisce infestatæ, mutuam sibi opem ac securitatem præstare queant. Unde arecto unitæ nexu, epigraphen tenent. TUTOS CONJUNCTIO PRÆSTAT. Hinc nimirum vel ab exiguo pisciculo ingentem unionis ac concordiæ utilitatem disce. *Nostine*, inquit Boëtius, *quod omne, quod est, tamdiu manere atque subsistere solet, quamdiu sit unum; sed interire atque dissolvi pariter, quando unum esse desierit?* Iseus Sophista, cùm, Spartanorũ civitate non sine discrimine ab hostibus incursatâ, cives de mœniis ac propugnaculis in patriæ præsidium extruendis consultarent; ipse in publicum progressus, coram maximâ populi frequentiâ versum illum Homerianum recitavit;

Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atque viro vir.

Simulque subjunxit; *Sic mihi state Lacedemonii, & muris cincti sumus.*

Concordia — Boet. l. 4. de Consolat.

30. Hic pisciculus carnem habet adeò delicatam ac teneram, ut, Pierio asserente, *ubi vel minimum concaluerit, coctus sit: quasi satis sit ad ejus cocturam, spectâsse tantum ignem.* Unde lemma. VISO TENERESCIT AB IGNE. Ita, pro dolor! homines mundani ad primum venustrioris formæ obtutum non rarò victoriâ cadunt, & emolliuntur. Opportunè meus Concanonicus D. Salvator Carducius;

Pier. Val. l. 30 — Amor citò accendit.

Appua vel viso subitò tenerescit ab igne:
Sic etiam emollit pectora visa Venus.

Laida, famosæ libidinis mulier, *Cum Cubatam Cyrenensem aspexit*, Æliano teste, *ardentissimo in eum amore cœpit flagrare*, Cleopatra, *statim visâ, M. Antonii pectus emollit*. uti refert Appianus. Virgilius;

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!

Torquatus de Tancredo canit, quod è prælio calens, fontem accesserit, animi refrigerandi causâ;

Ælian. l. 10 var. c. 2 — Appian l. 5. — Virg. Eccl. g. v. 41. — Tassus nell. liberata can. Instanz. 47.

Quivi a lui dimpro viso una donzella
Tutta, fuorche la fronte armata apparse,
Era Pagana, e la venuta anch'ella
Per l'istessa cagion di ristorarse:
Egli mirolla, & amirò la bella
Sembianza, e d'essa si compiacque, e n'arse
O meraviglia: Amor, ch' a pena nato
Già grande vola, e già trionfa armato.

31 Pierius author est, Apuam *ex solâ pluviâ procreari*. Unde lemma huic pisciculo inditum; PROGNATUS AB IMBRE. Ita prorsus doctrina Evangelica, veluti pluvia fæcundissima, è nubium apostolicarum sinu sese in universum orbem copiosè diffudit, ac populum Christianum enixa est. De hâc S. Greg. *Super arentem terram humani pectoris sanctæ prædicationis imbres fuderunt.* Emblematis mentem hoc disticho explicat meus Carducius.

Pier. Val. l. — Christian — S. Greg. l. 9. moral. c. 6.

Appua sum piscis, supero prognatus ab imbre:
Sic pluvio Verbo Numinis orta salus.

32. Mira Apuarum est indoles, de quibus testatur Ælianus; *Nullo cibo ad sese alendas egent, namque ad vitam eis satis est, mutuo linctu se lambere.* Unde lemma. MUTUUS NUTRIMINA LINCTUS. Mutuæ charitatis hoc ectypon est, quæ unicum conservandi orbis Christiani firmamentum habetur. Meus D. Salvator Carducius canit;

Ælian. l. 2. Animal. c. 1 — Charitas mutua.

En Apuis præbet mutuus nutrimina linctus,
Sic fraternus amor nutrit in orbe decus.

De mutuo hoc Christianorum subsidio perspicuè S. Paulus ait; *Obsecro ergo vos fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem sancti spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris.* In hunc locum Cardinalis Toletus; *Nota*, inquit, *humilitatem Pauli, qui aliorum precibus apud Deum juvari vehementer exoptat; & considera etiam, quantùm proximorum auxilio indigeamus, cùm Paulus sibi opem spiritualem ab aliis ferri deprecetur &c.* Cæterùm si Emblematis mentem in sinistram partem interpretari libeat, haud obscurè aulicos in eo dignosces, qui mutuis linguæ affectatæ palpis sibi splendidè adulari & assentiri solent. Unde Simon Majolus inter cæteras præceptiones, Aulicis observandas, etiam hanc recenset.

Rom. 15. 30. — Tolet in hunc loc. — Aulicus adulator. — Sim Ma. ol. Coloq. de Aula.

Excute sinceram recto cum pectore mentem;
Ingenuumque tuo prodeat ore nihil.
Indue serviles animos, fictoque favore
Vel minimis famulis, quâ potes arte, place.
Blandus adulator, levis assentator haberi
Ne pudeat &c.

Nec aliter Cassiodorus; *Adulatio blanda omnibus applaudit, Prodigos vocat liberales, avaros porcos, lascivos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantos, pigres maturos, & graves &c.*

Cassiod. in Theatro magno.

AQUI-

AQUILA.

CAPUT. VI.

33. LUcarinus, Margarithæ Hiſpaniarum Reginæ mortem Emblemate ſignificaturus, Aquilam piſcem adumbravit; addito lemmate. PERIT, DUM PARIT. Nempe hâc piſcis illius proprietate Margaritham, è partu mortuam, ſignificare volebat. Idipſum tamen non incongruè de peccatore intellexeris, qui ſcelerum portentis gravidus, acerbos malæ conſcientiæ dolores, ipſamque adeò animæ mortem ſuſtinere cogitur. S. Joannes Chryſoſtomus; *Cùm perpetratur peccatum, & priuſquam perpetratur, & poſtquam perpetratum eſt, acerbus nobis imminet accuſator, maximè verò poſtquam perpetratum fuerit. Nam dum parturimus, concipimuſque corruptos affectus, delectamur, gaudemuſque. Cæterùm ubi fuerimus enixi malùm illum puerum peccatum, tum conſpectâ fœditate partûs, diſcruciamur gravius, quàm mulieres parturientes.*

[In] morte. — Peccator. — Io. Chryſoſt. Conc. 4. de Lazaro.

ASELLUS.

Cap. VII.

34. ASelli carnes ob nimiam ſiccitatem ad coquendum penitus ineptæ ſunt; tuditibus tamen probè contuſæ, cibum humano palato gratiſſimum conſtituunt. Unde Aſellus, ſub tudite depictus, epigraphen tenet; NON NISI CONTUSUS. Haud aliter peccator contumax, & inter peccatorum ſordes obduratus, omne obſequium Deo debitum rejicit; donec à Divinâ manu graviter percuſſus, variiſque calamitatibus acerbè jactatus, emolliatur, & ad frugem redeat. Pharao, à Divino Legato ob Iſraelis populum dimittendum humaniſſimè rogatus, ingenti faſtu reſpondit, *Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam;* Sed ecce! quantùm indurata ipſius arrogantia paulò poſt detumuit! nam Nemeſis Divinæ flagellis iteratò pulſatus, illicò in has voces, ſubmiſſione ac lenitate pleniſſimas erupit, ac veluti præcedentis ſuperbiæ palinodiam cecinit; *Orate Dominum, ut auferat ranas à me.* Origenes, *Nemo ergò,* inquit, *ineruditus ſit Divinæ diſciplinæ, ut flagella Divina perniciem putet, & verbera Domini pœnalem credat interitum. Ecce Pharao duriſſimus, tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum neſcit; verberatus, ſupplicari pro ſe Dominum rogat.* Et Oleaſter; *Idcircò à Deo flagellamur, ut Deum cognoſcamus iratum, quem nolumus cognoſcere propitium.*

Peccator obſtinatus. — Exod. 5.2. — Exod. 8.8. — Orig. Hom. 3 in Exod. — Oleaſt. in Exod. 7.5.

35. S. Clemens Alexandrinus teſtatur, Aſellos marinos cor in ventre habere. Unde lemma; IN VENTRE VIGOREM. Aſellis non abſimiles dixeris illos, qui gulæ & ventri adeò ſunt addicti, ut in eo cor, cogitationes, omnemque curam ſuam unicè repoſitam habere videantur. De his Apoſtolus; *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt.* Seneca; *Aſpice,* inquit, *culinas noſtras, & concurſantes inter tot ignes coquos noſtros: unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? Aſpice veterana noſtra, & plena multorum ſæculorum vindemiis horrea; unum putas videri ventrem, cui tot Conſulum regionumque vina conduntur? Aſpice, quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant? unum putas videri ventrem, cui & in Siciliâ, & in Africâ ſeritur?* Scitè Tullius; *Non vivimus, ut edamus; ſed edimus, ut vivamus.*

Gula. — Philip. 3.18. — Senec ep. 104.

BALÆNA.

Caput VIII.

28. HOminem, proprii mali ſui authorem, Balænæ ſymbolo delineabis, quæ vaſtâ corporis ſui mole extra undas longius evagata, tandem, ubi terram ſiccam contigerit, ibidem hærere, ac miſero fato perire cogitur. Unde lemma; MOLE RUIT SUA. Quæ Horatii verba hominem inſigni quidem fortitudine, ſed tamen nullâ illius adhibendæ prudentiâ inſtructum, concernunt.

Vis, conſilii expers, MOLE RUIT SUA.

Seneca; *Languent per inertiam ſaginata: nec labore tantùm, ſed mole, & IPSO SUI ONERE DEFICIUNT.* Juſtus Lipſius ruinam hanc in iis obſervatam habet, qui de ſe ipſis nimium confidunt. *Ruunt,* inquit, *multi in pericula, fiduciâ virium, quas habere ſe putant, nec habent &c.* In hunc ſenſum Religioſiſſimus Thomas Kempenſis; *Nullus hoſtis acrior tibi, quàm tu ipſe tibi graviter commotus.*

Author proprii mali. — Horat l. 3. Carm. Od. 4. — Senec. l. cur bonis viris c. 2. — Tho. Kemp. Hortul. Roſ. c. 10.

29. Balæna, minoribus piſciculis prædandis inhians, ob vehementiorem curſum in terram ſiccam abripitur, ibique undarum penuriâ jacens, ſui evadit impos, ac vitam amittit. Lemma: DUM IRRUIT RUIT. Ita homines ſanguinarii ac vindicativi, dum aliorum exitio inhiant, ipſimet ruinam, nullâ unquam ætate vindicandam, incurrunt. Expertus id teſtatur Argantes, de quo canit Taſſus;

Quel doppia il colpo orribile, & al vento
Le forze, e l'ire inutilmente hà ſparte,
Perche Tancredi, a la percoſſa intento
Se ne ſottraſſe, e ſi lanciò in diſparte.
Tu dal tuo peſo tratto in giù col mento
N'andaſti Argante, e non poteſti aitarte,
Per te cadeſti.

Vindicativus. — Taſſ. della Geruſ Liberat. Canto. 19. ſt. 24.

Ab hoc propoſito nihil alienus Regius Vates, de vindicativo ait; *Incidit in foveam, quam fecit:* Et, *Convertetur dolor ejus in caput ejus.* In hunc locum S. Joan. Chryſoſtomus; *Si voluerit quis ulciſci quempiam, vel prior injuriam facere, vide quot mala patitur! Furore repletur, ab irâ diſcerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum, & ante eum, quem eſt injuria affecturus, ſe ipſum perdit.* Proximè tamen, & penè ad verbum Emiſſen attinhuic accedens S. Leo Papa, poſtquam demonſtravit, quantum detrimenti diabolo accreverit ex injuriis in Servatorem noſtrum paratis, ſubjungit; *Malitia nocendi avidus, Dum IRRUIT, RUIT.*

Pſalm. 7.16. — S. Io. Chryſoſt in Hunc loc. — S. Leo ſerm 9 de Paſſ. Dom.

30. Philoſtrato referente, Balæna, ſuos fœtus à tempeſtatum injuriis vindicatura, eos omnes in hiantes ſuas fauces colligere, ibique incolumes ſervare ſolet. Lemma. QUOS PERDERE VISA, TUETUR. P. Aloyſius Juglaris hanc iconem Victorii Amedei, Sabaudiæ Ducis, honori dicavit, qui Ducem Namurcenſem ingenti exercitu adortus, milites ab ipſo conductos profligavit, ejuſque parentem ad veniam rogandam compulit. Haud aliter Deus iis ipſis inſtrumentis, quæ extremam perniciem videbantur allatura, noſtram ſalutem ac tutelam eſt operatus. Huic rei confirmandæ vel unus ſuffecerit Jonas; de quo ſacræ Literæ teſtantur; *Præparavit Dominus piſcem grandem, ut deglutiret Jonam,* Id eſt, interprete S. Hieronymo, *Ut præcipitem Jonam in ſuos ſinus, reciperet, & pro morte præberet habitaculum.* Atque adeò, pergit S. Hieronymus, *Advertendùm, quòd, ubi putabatur interitus, ibi cuſtodia ſit.* Ad idem propoſitum S. Ambroſius inquit; *Quid de Jona dignum loquar,* quem

Philoſt l. 2. de vita Apol c. 7. — Calamitas utilis. — Ioan. 2.1. — S. Hieron. in hunc loc. — S. Ambr. l 5. Hexam. c. 11

quem cetus excepit ad vitam, reddidit ad prophetandi gratiam? Consentaneè Sedulius;

Sedul l.1. Pasch.

Jonas puppe cadens, ceto sorbente voratus,
In pelago non sentit aquas: vitale sepulchrum,
Ne moreretur, habens.

31. Miseri mortales, caducis rerum terrenarum bonis nimium quantùm immersi, geminato damno, Mundani. & cœli & terræ jacturam faciunt. Balænæ symbolo id demonstrat Aresius, quæ dum vacuum dolium, navigantibus objectum, inani labore, ac lusu prorsus inutili jactat, iisdem opportunam fugæ ac salutis capescendæ moram relinquit. Epigraphen addidit; FRUSTRA DECIPITUR. Verissimè enim totam hominum mundanorum vitam nil nisi meram vanitatem, ac lusum continuum, inanissimumque, dixeris. Inter Scriptores Sacros apertè id testatur S.Gregorius Papa; *Vana sunt gaudia sæculi: quasi manentia abblandiuntur, sed amatores suos citò transeundo decipiunt.* Et inter prophanos Seneca; *Citò nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit & transit, & penè antequam veniat, aufertur.*

S.Greg. l.1. in Reg c.12. Senec. in Consol. ad Polib c.12.

32. Balænæ, cæteraque piscium majorum prodigia, nonnisi intra salsas oceani aquas victitant. Lemmma. VIVIMUS IN SALSO. Ita vir generosus vitam inter tentationes laudabilissimam traducit, timetque certam è fortunâ suaviore ignaviam & interitum. Est enim hæc haud postrema tentationis utilitas, quod hominem efficiat pervigilem, ne spiritum unquam torpere sinat aut intepescere. Docuit, hodieque docet non rara experientia, animos militum, quos continens armorum usus penè invictos reddiderat; diuturnâ pace atque otio diffluere. Unde Cato, Romanorum integerrimus, *Censebat, Carthaginem non delendam, ne Romani otio & torpore languerent. Væ Romæ præsagiens, si Carthago non steterit;* uti refert Manutius. Disertè S.Joannes Chrysostomus; *Quando malignus ille perterret nos, atque probat, tunc frugi efficimur, tunc nosmetipsos agnoscimus, tunc ad Deum omni studio recurrimus.*

Tentatio utilis. Paul. Manut apopht. fol 113 Psal. 4. S.Io. Chrysost. l.5. de Provident.

B A R B U S.
CAP. IX.

33. BArbus, quò ætate provectior, eò carnes acquirit magis pretiosas, humanoque palato suaviores. Unde Camerarii lemma; NON ILLAUDATA SENECTUS. Ita omninò verus Dei servus, cum annis, assidua virtutis ac perfectionis incrementa capit. S.Paschasius acutè observat, Divinam sponsam in sacro Epithalamio comparuisse quidem *in vestitu deaurato*; fimbrias tamen, extemas nimirum vestimenti partes, non deauratas tantùm, sed è solido auro fuisse confectas; veluti ex his verbis, *In fimbriis aureis*, colligere licet. Ipsummet S.Paschasium loquentem audi; *Cùm superius Regina in vestitu deaurato stare dicatur, hic fimbriæ ejusdem vestis aureæ leguntur. Ex quo intelligitur quia perfectior & pretiosior semper esse debet finis vitæ, quam principium.*

Profectus. Pasch. in Psal. 44.

CALLIONYMVS, seu Vranoscopus. Cap. X.

34. HIc piscis oculos suos in superiore capitis parte collocatos habet; unde etiam assiduo obtutu cœlum contemplari cogitur. Lemma. NIL PRÆTER COELUM. Vel, AD SIDERA VULTUS. Genuina hæc hominis contemplativi ac spiritualis idea est. Ovidius;

Contemplativus. Ovid l.1. Met.

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, & erectos AD SIDERA tollere VULTUS.

Seneca; *Quemadmodum corporum nostrorum habitus erigitur, & spectat in cœlum: ita animus, cui, in quantùm vult, licet porrigi, in hoc à naturâ rerum formatus est, ut paria Diis velit, ac se in spacium suum extendat.* Sensu Catholico Justus Lipsius; *Nihil hominis tam proprium, quàm erigi, & spectare alta, id est, quæ ad æthercam partem pertinent, & cœlitus immissam nobis mentem.*

Senec. ep. 93. Lip. Centur 2. Epist. 7.

35. Inter cæteram solemnem pompam, quam civitas Mediolanansis D. Alphonso Littæ, recens inaugurato Archiepiscopo, & nunc Cardinali, decreverat, Vranoscopi Emblema cernebatur; qui, tametsi unico tantùm oculo instructus, eo tamen omnes suas necessitates videt ac providet. Epigraphe subjuncta erat; UNO OMNIA LUMINE. Nimirum Archiepiscopi cujusvis prudentiam significare volebat; quæ, veluti unicus animæ humanæ oculus, omnium egestates perspectas habere, iisque omnibus providere debet. Appositè Petrus Gregorius; *Oculus animæ prudentia, qui videt facienda & fugienda, & ita præit ad benefaciendum, & consulit, quid sibi & aliis conveniat facere.*

Prudentia. Pet. Greg. de Republ. l.10 c.4. n.4.

C A M M A R V S.
CAPUT XI.

36. CAmmaro, retrogradi solito, inscripsêre; RETROCEDENS ACCEDIT. Proditoris hoc symbolum est, qui insidias suas nonnisi à tergo struit. S.Petrus Damianus eodem diabolum significat; *Quid est*, inquit, *per figuram cancer, qui post se naturaliter graditur, nisi apostata spiritus, qui postquam semel à Conditore recessit, in posteriora relabi nunquam desiit? Unde & diabolus interpretatur deorsum fluens.* Porrò iconem illam hominum illorum propriam dices, qui dignitatibus terga daturi, ad eas, disponente Deo, proximè accedunt. S. Albinus, meus Concanonicus, ad Andegavensem Infulam promotus, *licet modis omnibus repugnans, omnium votis eligitur.* S.Ubaldus, itidem meus Concanonicus, in Perusinum Episcopum assumptus, ut tantam dignitatem effugeret, totis viribus renitebatur, diuque in eremo delitescebat. S. Gregoris Papa, cùm ad supremam tiaram Pontificiam vocaretur, illius declinandæ causâ, alienis vestibus indutus, intra speluncam sese occultavit. S. Calimerus Martyr, & Archiepiscopus Mediolanensis, ad gregis hujus pedum unicè invitatus, vix catenis eò trahi potuit. *Quod munus usque adeò recusare contendit, ut catenis vinctus, ad illud accesserit.* Et, ut compendio dicam, meus S.P. Augustinus de de se ipso in hæc verba testatur; *Usque adeò autem timebam Episcopatum, ut, quoniam cœperat esse alicujus jam momenti inter Dei servos fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, non illo accederem; cavebam hoc, & agebam quantùm poteram, ut in loco humili salvarer;* At verò quantumvis retrogrado gressu id conaretur, tamen *apprehensus, & Presbyter factus, per hunc gradum pervenit ad Episcopatum.*

Proditor Diabolus. S.Pet. Dam l.2. Epist.2. Humilis exaltatus. Offic. Can. Reg. Later. 2 Martii. Breviarium S.Ambrosi. 1. Ilii S Aug. serm. 49. ex Divers.

37. Fortunatus Averoldus in exequiis Comitis Lucretii Cammaræ, symboli loco, cognominem ipsi

ipsi cammarum statuit; cum lemmate. VERSA FUGA NULLUS DARE TERGA COEGIT. Vel brevius; NUNQUAM TERGA CONVERTIT. Nimirum imperterritum familiæ Cammaranæ pectus, in gravissimis expeditionibus militaribus iteratò demonstratum, significare volebat; suamque mentem hoc disticho aperuit.

Mens imperterrita.

Cancer terga dabit; Numquam; ecquando inclytâ bello
Gens sua tantillum Gambara terga dedit.

M. Ann. Senec. l. Suasor. nas. 2.

Verissimè ac compendio dixit Marcus Annæus Seneca; *Turpe est cuilibet viro, fugisse.*

Instabilis. Senec. ep. 45.

38. Camaro inscripsêre; SIMUL ANTE RETROQUE. Tale omninò est inquietum ac instabile hominis ingenium. De hoc Seneca. *Oppamus contra id, quod optavimus: pugnant vota nostra cum votis, consilia cum consiliis.* Homo enim constans, nulli unquam proposito affixus, modò virtutem, modò vitium sequitur, assiduâ vicissitudine nolitionem ac volitionem, desiderium ac fugam, odium & amorem &c. versans.

Mundus semper peior. S. Cypr. Tract. cont. Demet.

39. Cammarus, semper retrogradi solitus, è nonnè minis sententiâ mundum, assiduò deteriorem, significat; addito lemmate. ORBIS ITER. S. Cyprianus hanc propositionem ab enumeratis hodiernæ naturæ defectibus comprobat; *Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est: non frugibus æstate torrendis, solita flagrantia: non sic verna de temperie sata læta sunt: nec adeò fœtibus arboreis autumna fœcunda. Minus de effossis & fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ: minus auri & argenti opes suggerunt exhausta jam metalla & pauperes venæ.* Et paulò post; *Hæc sententia mundo data est, ut omnia orta, occidant, & aucta senescant: ut infirmentur fortia, & magna minuantur, ut, cùm infirmata & diminuta fuerint, finiantur.* Vide sis hunc S. Patrem prolixè & eruditè eâ de re disserentem.

CANCELLUS.

Cap. XII.

Plin. l. 9. c. 31.

40. DE Cancello testatur Plinius; *Huic solertia est, inanium ostrearum testis se condere.* Undè S. Matthias Apostolus, in extorris Judæ locum suffectus, cancelli symbolo à D. Aresio repræsentatur, qui ostream ingressus, epigraphen tenet. VACUAM REPERIT. Hâc icone omnia illa compendiò exhibentur, quæ Apostolorum acta de S. Mathiâ commemorant; *Tu Domine, qui corda nôsti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii hujus, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Eandem cancelli iconem etiam de diabolo aut peccato interpretari licet, quibus solenne est, animam otio diffluentem, & bonis operibus vacuam, intrare. Ut adeò Emblemati huic etiam illa Plinii verba lemmatis loco non abs re subjunxerim; SE CONDIT INANI. Mirificè hanc veritatem comprobans S. Matthæus, de cacodæmone, ad insidias homini struendas nunquam non paratissimo, ait; *veniens invenit eam* (animam) *vacantem.* Eam ob rem, *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi* Nam, quod S. Chrysologus ait, *Diabolus hominum damnum suum computat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc se existimat acquisisse.*

S. Matth. Apost. — Act. 1. 24. — Dæmon. Peccatum. — Matth. 12. 44. — S. Chrysolog. serm. 92.

Plin. l. 9. c. 31.

41. Cancelli, intra vacuas concharum testas delitescere soliti, tamdiu ibi morantur, donec corpore suo in ampliorem molem excrescente, angustius illud domicilium dimittere, & capaciori inhiare cogantur; eumque morem toties repetunt, quoties membrorum incrementum faciunt. Plinii de cancello verba sunt; *Et cùm accreverit, migrat in capaciores.* Ut adeò hi pisces vitam suam inter assiduos transitus ac peregrinationes traducant. Unde lemmatis loco aliquot cancellos in hæc verba loquentes introduxi. SIMUL EMIGRABIMUS OMNES. Vitâ nostra, consentaneè ad hanc ideam, nullâ unquam gaudet stabilitate, sed assiduis mutationibus obnoxia, quietem nonnisi in sepulchro reperit. Religiosè Seneca, *Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usque ad hesternum, quidquid transiit temporis, periit. Hunc ipsum, quem agimus, diem cum morte dividimus &c.* Præclarè adeò dixit ille; *Commorandi natura diversorium, non habitandi dedit.*

Vita humana. Senec. ep. 24.

42. Cancellus, sese proprio robore ac patrocinio destitutum cognoscens, alienam opem inquirit. Unde lemma, ALIENIS INNITOR. Vel in tertiâ personâ; ALIENIS ADHÆRET. Eorum hæc imago est, qui propriæ virtutis aut ingenii dotibus penitus inanes, nonnisi Majorum suorum prosapiam ac merita jactitant. His indignatus Juvenalis, canit;

Jactantia prosapiæ. Iuven. Sat. 8.

Quis fructus generis tabulâ jactare capaci
Fumosos æquitum cum Dictatore Magistros,
Si coram Lepidis male vivitur?

Et S. Joannes Chrysostomus; *Quid enim prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara?*

S. Io. Chrysost. hom. in Matth.

43. Cancellus, intra alienas ædes delitescere, habitare, ac vivere solitus, inscriptionem refert; NON SUO TEGMINE FRETUS. D. Simon Majolus, Episcopus Vulturariensis, hâc icone aulicum pauperem significari ait, qui ædis propriæ indigus, in Principis palatio vivere cogitur; *Cancellis quoque,* inquit, *mirandum inditum ingenium est; cùm aulicis persæpè commune: cùm etenim nudus sit, & absque domicilio, ALIENIS SE PROTEGIT vestibus ac domibus.* Porrò homo hunc mundum & omnia bona non ut propria, sed viatoris modo, tantùm ut diversoria incolit. S. P. August. *Tota ista vita, & omnia, quibus uteris in hâc vitâ, sic tibi debent esse, tanquam stabulum viatori, non tanquam domus habitatori.*

Aulicus. Simon Majol. To. Dierum Canic. Collop. 9. — Vita humana. S. Aug. in Psal. 34.

44. Eidem Emblemati subscribes; INQUILINUS, NON POSSESSOR. Cancello non absimilis est homo, qui non tantùm suis ædibus ac bonis, sed toto hoc mundo debebit cedere; ut adeò non illorum sit possessor, sed inquilinus. Præclarè, ut solet, Magnus Augustinus; *Homo est in hac vita INQUILINUS, NON POSSESSOR domus. Domus locata est, non donata; etsi nolis, migrabis. Inquilinus es in terra, possessor eris in cœlo.*

Vita humana. S. Aug. in Psalm. 146.

CANCER.

Caput XIII.

45. CAncer juxta temporum vicissitudines mutari solet, pristinisque abjectis crustis, novas ac recentes induit. Unde lemma; HYEME SUPERATA NOVATUR. Servum hæc imago concernit, qui in Domini obsequiis indefessus, alias itentidem, aliasque laborandi vires resumit. Eodem Emblemate etiam resurrectio mortuorum; cum-

Resurrectio.

Ephes.4.33. cumprimis vero vitæ, consuetudinis, ac morum renovatio, significantur. De hâc S.Paulus; *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem.* S.P.Augustinus; *Cùm de mutando præciperet homine, subjecit & ait; Quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem: hoc est, quod ait, exuite veterem hominem, & induite novum: hoc dixit, mutate mores; sæculum diligebatis, Deum Diligite; Nugatoria iniquitatis, temporales voluptates diligebatis, proximum diligite.* Et Nicetas; *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est. Quod perinde est, ac si diceret: Discite, O Ephesii, veterem hominem, id est, flagitiosam vitam, non secus ac vestem quandam exuere.*

S. Augustin. l de decem chordis c.7.

Nicet super Orat 41 S.Greg.Naz.

46. Cancrum, retrogradi solitum, illo Virgilii lemmate notarunt. VESTIGIA RETRO. Ita nimirum mundus assiduis passibus decrescit, ac deterior evadit. S. Cyprianus; *Decrescit in arvis agricola, in mari nauta, miles in castris, innocens in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina.* Enimverò hodie nullos amplius videas in arte mechanicâ Apelles, Phidias, & Parrhasios; in politicâ Catones, Solones, & Lycurgos; in bellis Achilles, Scipiones & Alexandros; in curiis Horrensios, Cicerones, & Demonstenes; in Poeticâ Pindaros, & Homeros, & Virgilios &c. Cæterùm hoc Emblemate ii etiam significantur, qui, cùm in artificiis aut virtutibus deberent proficere, contra magis semper; magisque pristinæ optimæ suæ indolis jacturam faciunt, & amplis passibus deficiunt.

Mundus semper peior.

S.Cyprian. cont.Demetr

Deficere.

47. Cùm Amasius quidam fæminam, Cynthiam, seu Dianam, vel Lunam nomine, deperiret, symboli loco cancrum infra lunam depinxit; addito lemmate, FORMA TENGH' IO DAL VARIATO ASPETTO. Id est, MUTOR AB ASPECTU. Vel ut alius eidem inscripsit; AD MOTUM LUNÆ. Volebat enim ex hâc cancri proprietate suam cum personâ amatâ conformitatem ac dependentiam demonstrare. Hi tamen ipsissimi adulatorum mores sunt, qui suam indolem ac colorem ad Magnatum placita exactè componere nôrunt. Pontiliano improperans Martialis canit;

Amans.

Adulator.

Mart.Epig. n.12.

Mentiris? crede: recitas mala carmina? laudo:
Cantas; canto: bibis Pontiniane? bibo, &c.

Terent. in Eunucho. Act.2. Sce. 2.

Terentius;

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt;
Nec sunt: hos sector, hisce ego non paro me, ut irrideant,
Sed his ultrò arrideo, & eorum ingenia admiror simul:
Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque;
Negat quis, nego: ait, aio: postremò imperavi egomet mihi
Omnia assentari &c.

Et Athenæus; *Scribit Satyrus in Philippi vitâ, quòd, cùm oculus percussus fuisset Philippi, accedebat ad eum Chisophus, eundem ligatus oculum: ac rursus ubi vulnerata fuisset Philippi tibia, cum rege claudicans incedebat: quare si quod acre edulium Philippus commedisset, ipse quoque vultum formabat, velut idem edisset.*

Athen. l.6. Dypnosoph. c.6.

48. Quantum humani ingenii industria ac vafrities possint, è cancri emblemate constat; qui durissimam conchæ testam superaturus, lapillum intra hiantem illam projicit. Imagini subscripsit Henricus Farnesius; NON VI, SED ARTE. Et certè artem robore potiorem esse, mille experientiis comprobatum est. Certè diabolus, tametsi fortissimus, voluntatem tamen nostram aliter non superat, nisi vafritie ac imposturis. *Non enim cogendo*, inquit Magnus Augustinus, *sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Ovidius;

Ars.

S.Aug ser. 197 de Temp. Ovid.l.1.de Arte.

Arte citæ veloque rates, remoque reguntur,
Arte levis currus, arte regendus Amor. &c.
Sed tamen & tauri cervix oneratur aratro,
Frenaque magnanimo dente teruntur equi.

49. Cancer lapidem intra hiantis conchylii sinum projiciens, ab eodem Henrico Eburone inscriptionem recepit; OMNIA IN TEMPORE. Nempe, ut prudenter & maturè operaris, occasionis opportunitatem captes, necesse est. Seneca; *Nihil est tentandum, nisi cùm aptè poterit, tempestivèque tentari.* Regius Psaltes idipsum in Filii Divini personâ dixit; *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* At, inquies, qui convenit, parentem ac Dominum temporis velle tempus expectare, eique conformari; Difficultati acutè satisfacit Magnus Augustinus; *Accepit tempus*, inquit, *ut filius hominis; gubernat tempora, ut Filius Dei.* Quinimò Dei Filius ob eam quoque rationem voluit inservire tempori, ut nobis ejus tempestivè captandi exemplum præiret.

Tempus captare.

Senec.ep.21

Psal. 74.3.

S. August i hunc loc.

50. Ostrea, littori insidens, geminam suam concham aperire solet, ut illâ, ceu forcipe, propinquantem cancrum constringere, ac prædari possit. At apertas conchas conspicatus cancer, ne amplius claudi possint, lapillum in earum sinum projicit; sicque ostreæ insidias astutè eludit, & ipsius carnes in suam prædam convertit. Lemma; DECIPIENS CAPITUR. Vel, ut Aresio placet; DECEPTOR CAPITUR. Usque adeò verum est, justissimis offensis præveniri eos, qui alios offendere parant. Justus Lipsius; *Amittere sua non injustè incipit, qui aliena, aut alios injustè læsit.* Et S. Chrysologus; *Fremit dolositas se deceptam, & in se fraus reversa colliditur.*

Par pari redderei

Lip.l.4. Admir.c.4. S.Chrysolog serm.152.

51. Emblematis loco Cancrum statuere, qui chelas ad ostream deprædandam extendens, ab eadem constringitur & occiditur. Lemma. INSIDIIS CAPIOR PROPRIIS. Juvenalis;

Author proprii mali.

Iuven.sat.1

--- --- --- *Multis*
Et sua mortifera est facundia. Viribus ille
Confisus periit; admirandisque lacertis.

Perspicuè Salomon; *Supplantatio perversorum vastabit eos.* Et Siracides; *Qui foveam fodit, incidit in eam, & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alii ponit, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur.* Ammanus certè iisdem machinamentis, quibus Mardochæi perniciem struxerat, præceps concidit, & vitâ privatus est. *Erit ergò iniquitas ejus super ipsum, cùm ipse iniquitati suæ subdetur*; inquit in hanc rem Magnus Augustinus.

Prov.2.11.9

Eccles.27.2

S.Aug.in Ps 7.

52. Cancri iconem reperire est, qui chelis in sublime elatis, papilionem prætendit; cum lemmate, MATURA. Innuit videlicet, occasionem, dum propè est, solicitè ac studiosè arripiendam esse. Joannes Jovianus Pontanus; *In omni occasione capiendâ, inceptisque prosequendis, duo potissimum servanda sunt: alterum, quod factu opus est, MATURE id ut fiat: alterum, ut suo res quæque geratur ordine.* Hinc discas bonis operibus invigilare, dum tempus suppetit; hoc enim post vitam brevissimam præterito, sera ac irrita erit beatitatis captandæ voluptas. Nam, quod Doctorum Phœbus ait, *Pena*

Occasio arripiendi

Pont.l.1. Histor.

S. Augustin in Psal.6

tus extra Deum est, quisquis, dum tempus est, corrigi non vult.

53. Ea cancri est pietas, ut ostream pungendo commonefaciat, si ab alio cancro ad eam devorandam prædatrices chelas extendi videat. Unde Emblemati subscripsère; PERCUSSAM EXCITAT. D. Aresius hâc icone singularem Angeli tutelaris affectum delineat, quo nostram salutem adversus diabolum sedulò vindicat, omnesque ejus insidias eludit. Præclarum hujus solicitudinis specimem edidit Angelus ille, in Apostolorum actis adductus; qui *PERCUSSO LATERE Petri, EXCITAVIT eum, dicens, surge velociter*; eâque ratione Apostolum ab imminente morte liberavit. *Quotiens ergò*, subdit Mellifluus Doctor, *gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulationibus.*

Angelus Custos. Act. 12. 7. Bernardus in Psal. 9. Serm. 12.

54. Cancer, projecto in ostreæ sinum lapide, facillimè illam deprædari ac comedere potest. Lemma; ASTUM DAT PASTUS. Enimverò ventris egestas, ac cibi conquirendi necessitas, subtilissimos ingenii & industriæ modos suggerunt. *Aspice*, inquit Seneca, *quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant; unum putas videri ventrem, cui & in Siciliâ & in Africâ seritur.* Verè dixit Comicus Græcus;

Necessitas facit astutum. Senec. ep. 114

Fames docere multa mortales solet.

Et Persius;

Quid expedivit Psittaco suum chere,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingeniique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.

Pers. in Proœmio Satyr.

55. Cancer facillimo negotio progredi, retrogradi, aut transversim incedere solet. Unde lemma; QUAQUAVERSUM INCEDIT; vel, VERSATILI GRESSU. Ita prorsus homo inconstans modò proficit; modò deficit; modò lætum, modò tristem vultum præfert; hodie temperantiæ, cras ebriati studet; jam virtutum, paulò post vitiorum exemplar præbet; ut ex Jo. Scolastico refert in Hieroglyphicis Pierius Valerianus; Monstrosam hanc varietatem ac inquietudinem in homine abominatus Seneca; *Aliud*, inquit, *ex alio placet, vexatque nos. Fluctuamus, aliudque ex alio comprehendimus: petita relinquimus, relicta repetimus: alternæ inter cupiditatem nostram & pœnitentiam vices sunt. &c.*

Inconstantia. Senec. l. de beata vita c. 28.

56. Oleum operamque omnem perderet mundus, si cancro directum incedendi gressum inculcare, ac docere conaretur. Ex Aristophanis sententiâ,

Rectum iter ut carpat cancer, non viceris unquam.

Genuinum adeò hominis scelerati symbolum Cancer est; cum lemmate. OBLIQUO TRAMITE PERGIT. Experientiâ enim constat, sceleratos nunquam regiâ illâ ac directâ semita incedere, quam legis Divinæ, ac proprii judicii ratio suadet; sed, gressu semper retrorsum, aut transversim inflexo, adversus omnes conscientiæ suæ impulsus niti. De his Salomon; *Quorum viæ perversæ sunt, & infames gressus eorum.* Et S. P. Augustinus; *Peccatores, obscurati intelligentiâ, alienantur à viâ Dei.* S. Gregorius Nazianzenus;

Sceleratus. Prov. 2. 15. S. Augustin. in Psal. 118. S. Greg Naz. Carm. de Virg.

At velut OBLIQUO gradientes TRAMITE cancri,
Aut velut obliqui sinuose membra trahentes
Angues, vivetis depressi pondere carnis.

57. Cancer ita à lunâ dependet, ut cum eâ crescat, decrescatque. Emblemati subscripsit P. Masenius; VACUUM SINE LUMINE CORPUS. Aulicorum quorundam hæc imago est, qui Principis sui favore destituti, mox decrescere, & in pristinam suam egestatem relabi solent. Cumprimis tamen de homine id dixeris, qui sine gratiæ Divinæ lumine corpus est planè vacuum, omnique virturum ornamento inane. Pulchrè Magnus Augustinus; *Nisi gratiâ meâ plenus esses, nonne ante Baal etiam ipse genuflecteres? Gratiâ autem meâ plenus es, quia nihil de tuâ virtute, sed totum de meâ gratiâ præsumpsisti.* Et rursus; *Est liberum arbitrium, sed nil valet sine gratia Dei.*

Dependentia. Gratia Dei. S. Aug. ser. 7. de Verb. Dom. c. 2. Idem ser. 11. de verb. Apost. c. 7

58. Fax accensa cancros noctu è cavernis provocat, mox capiendos. Lemma. EDUCIT, ET SEDUCIT. Ita fallax honorum aut voluptatum splendor plurimos ad se pertrahit, ac interitu æternum irreparabili, involvit. Unde sapienter monet Magnus Augustinus; *Mali florent felicitate sæculi, pereunt in virtute Dei; non enim quomòdo florent sic pereunt; florent enim ad tempus, pereunt in æternum: florent falsis bonis, pereunt veris tormentis.* Porrò Religiosos illos hæc imago concernit, qui falso sive propriæ, sive alienæ utilitatis promovendæ splendore è claustris suis educuntur, ac miserrimè seducuntur. De his S Isidorus; *Multi Monachorum amore parentum non solùm terrenis curis, sed etiam forensibus jurgiis involuti sunt, & pro suorum temporali salute, suas animas perdiderunt.*

Voluptates mundi. S. Aug. in Ps. 53. Religiosus. S. Isid. l. 3. de summo Bono

CEPHALVS, seu MUGIL.

Caput XIV.

59. JUcundum visu est, quando piscatores, cephalos capturi, nocturno tempore ad navigii proram clarum lumen statuunt; quo conspecto, cephali nativo impulsu extra aquas versus lumen in navim prosiliunt, ac piscatoribus ingenti numero in prædam cedunt. Quamobrem D. Aresius epigraphen subjunxit; AD LUCEM VENIUNT. S. Apostolos Simonem & Judam hoc emblema spectat, qui relictis Galileæ aquis, versus lucis Evangelicæ splendorem exilierunt. Huic proposito admodum conformis est illa vatis Regii cohortatio, *Accedite ad eum & illuminamini ab eo, quia*; interprete Hugone Cardinale, *ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Qui ergò accedit ad eum, illuminatur; & qui magis prope accedit, magis illuminatur.* Illum ipsum locum explicans Magnus Augustinus, ait; *Resurgat anima ad Deum; illuminetur ab illo.* Accedite ad eum, *& quid vobis erit?* & illuminamini. *Si ergò accedendo illuminamini, & recedendo tenebramini, non erat in vobis lumen vestrum, sed in Deo vestro. Accedite ut resurgatis; si recesseritis, mortemini.*

SS. Simon & Judas. Psalm. 33. 6. Hugo Card. in hunc loc. Deus accedendus. S. Aug. Tract. 19. in Ioan.

60. Pierius Valerianus refert, Cephalum, quando se retibus circumventum videt, mox caput versus cœlum elevare, totoque conatu supra undas jactatum, subera, è retibus pendentia, transilire; atque ita capturam effugere. Unde cephalo, caput suum erigenti, subscribes; CAPTURAM EVADET. Cuivis homini Christiano hi mores consueti sunto, ut tentationum retibus circumdatus, mox oculos & cogitationes integro animo in cœlum attollat, sicque hostium insidias evitet. *Anima ergò nostra*, inquiebat S. Ambrosius; *alta petat, supra nubes volet, cælo volatus suos inferat, ubi laqueos incurrere non possit.*

Pier. Valer. l. 30. Tentationes. S. Ambrosius.

CHAN-

CHANNÆ.

CAPUT XV.

61. Plinius author est, hunc piscem sine masculi concursu generare ac parturire. Unde Lucarini lemma; ABSQUE MARE FOECUNDA. Unica inter homines Maria Virgo hanc iconem sibi propriam vendicat. Magno Augustino teste, *Præter vinculum concupiscentiæ carnalis natus est Christus sine masculo, ex Virgine concipiente de Spiritu Sancto.* De hâc canit Prudentius;

Maria V. fœcunda. *S. Aug. in Psal. 50.*

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei;
Intacta NESCIENS VIRUM,
Verbo CONCEPIT filium.

Et S. Ecclesia ipso Nati Servatoris die; *NESCIENS VIRGO VIRUM, PEPERIT sine dolore Salvatorem sæculorum &c.*

CONCHYLIUM.

CAPUT XVI.

62. Beatam Virginem Mariam, ab Angelo salutatam, Conchæ symbolo repræsentabis; addito lemmate, RORE PURO FOECUNDA. Huic concolor est alterum ejusdem conchæ emblema, quæ simul & rore destillante, & explicato copioso solis radio perfusa, epigraphen tenet; HIS PERFUSA. Enimverò Deipara Spiritus Sancti virtute illustrata, Verbum Divinum in utero suo concepit. In rem præsentem meus Hugo Victorinus ait: *Conchus figuram gerit S. Mariæ, quæ accipit rorem cælestem, verba scilicet, quæ dicta sunt ad eam ab Angelo; quod autem aperit os suum concha, significat, ubi Maria dixit ad Angelum; Ecce Ancilla Domini, & statim accepit Spiritum Sanctum in se, & virtus altissimi, tanquam sol justitiæ, clarificavit eam.*

M. V. Annunciata. *Hugo Victor. l. 2. de Best. c. 35.*

63. Conchylium nonnisi benignos cæli radios, ac crystallinas roris guttulas sinu suo excipere solet, nullis unquam terræ sordibus admissis. Unde lemma, è S. Joannis Baptistæ hymno desumptum; NESCIENS LABEM.

Puritas Virginalis.

O nimis felix, meritique celsi,
Nesciens labem, nivei pudoris.

Cordis virginei, animæ puræ, innocentis, ac sanctæ, cumprimis tamen illibatæ Dei Genitricis Mariæ, hic typus est; de quâ Magnus Augustinus ait; *Christum non carnaliter concupiscendo, sed spiritualiter credendo, Maria Virgo concepit.*

S. Aug. in Ps. 67.

64. Concha, margaritam sinu suo complexa, epigraphen accepit; THESAURO GRAVIDA. Illos hoc emblema spectat qui litteris ac virtutibus probè instructi, eas non vanè ostentant, sed modesto silentio premunt. Paupertas quoque, tametsi exteriore vultu horrida & aspera, interius tamen maximi pretii thesauros reconditos habet. Sanctus Ambrosius; *Bona paupertas, quæ si thesaurum non habet pecuniæ, habet tamen thesauros sapientiæ & scientiæ.* Denique etiam SS. Eucharistiam imago illa concernit; de quâ Sanctus Thomas Aquinas ait, *Non unam tantum rem in Eucharistiâ abscondit, sed plures, scilicet personam, opus, & modum: in his discimus, in nobis quoque tria virtuosè abscondi, nostram personam, opera nostra bona, & bonorum operum intentionem.*

Virtus abscondita. Paupertas. *S. Ambros. in Apolog. c. 11.* *S. Thom. Aquin. Opusc. de Euch. c. 8.*

65. Scipio Bargalius concham clausam hoc lemmale insignivit; TANTUM APERIT IGNIS. Hinc conjicere licet, quantùm in obduratis mentibus possint amor & charitas; his enim humana pectora, quantumvis saxea, suisque sententiis pertinacissimè affixa, emolliuntur. S. P. Augustinus; *Amor sanctus ad superna elevat, & ad æterna inflammat, & de profundo inferni levat ad cœlum.* Milonis Crotoniatæ dextera, quando pomum comprehenderat, neminis viribus aperiri potuit; cam tamen ipsius amasia planè ceream experta, & manum aperuit, & pomum excussit. Samson ænigma suum nemini detegere, firmum fixumque habuit; at amoris igne emollitus, cor sensusque suos omnes latissimè explicavit, & mulierem tanti arcani participem fecit. Christus, vitæ suæ epilogo adveniente, Apostolis altissima mysteria, non nisi ab intensissimo amore persuasus, detexit.

Amoris vis. *S. August. Psal. 121.*

66. Conchâ abortum patitur, si fortè; dum impregnatur, cœlum fulguret. Unde lemma, CONCEPTUS REDDIT INANES. Haud aliter subditi aut filii, nimio ac vitioso Majorum rigore exterriti, multoties à virtutum partu concipiendo desistunt. Plutarchus; *Dico ad liberalia studia adducendos esse pueros verbis, adhortationibusque, non me herculè verberibus, aut terroribus, torpent enim & abhorrent sic tractati à laboribus, partim ob dolorem plagarum, partim ob contumelias.*

Correctio aspera. *Plut. de lib. educ.*

67. Pisces minores, ostream devoraturi, clausam illius testam tamdiu circumstant, donec reseretur; at eventu plerumque minus secundo: nam dùm apertam prehendere volunt, illa, ad minimum quemvis contactum coire solita, miseros prædones arctissimè stringit & occidit. Unde lemma; INCULPATA TUTELA; vel ipsius conchæ ore, SOLO IL MIO SCAMPO, E NON L'OFFESA INTENDO. Eorum hoc Emblema est, qui suas actiones ad propriam duntaxat incolumitatem referunt, necquidquam intento alterius damno, citra opinionem fortassis emergente. Nam, ut compendio & benè docet Curtius; *Vi opus est, ut vim repellamus.* Et Ovidius;

Tutela cita. *Q. Curt. 8.* *Ovid. l. 3 Arte.*

Judice me, fraus est concessa, repellere fraudem,
Armaque in armatos sumere jura sinunt.

Ab hoc argumento non multum abludit Emblema Alciati nonagesimum quintum.

68. D. Aresius cuidam è suis voluminibus concham præfixit, dimidiâ parte apertam, ac beryllo gravidam; cum lemmate, UTILE DULCI. Ita qui è libris suis plausum referre, ac hominum gustui scribere cupit, necesse est, & utilitatem spectet, & dulcedinem. Certè *Deus*, Magno Augustino teste, *docet suavitatem, inspirando delectationem; docet disciplinam, temperando tribulationem, docet scientiam, insinuando cognitionem.* Horatius;

Studiosi. *S. August. Psalm. 11 Conc. 10.* *Horat. in Poetica.*

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.

Acchilles Bocchius utramque illam virtutem, scilicet & utilitatem & dulcedinem, suis symbolis conjunctam esse, hoc poemate innuit;

Acch. Boch. l. 1. symb.

Ergò nemo mihi objiciat, quod seria inani
Picturâ gravium ostendendo pondera rerum
Miscere annitar summâ curâ utile dulci,
Si quâ fortè queam laudis punctum omne tulisse,
Ne satias quemquam capiat, Naturam imitari
Constitui, & varias sensis inducere formas.

69. Ea-

Virtus abscondita. 69. Eadem libri Aresiani frons etiam concham clausam præfert; cum lemmate, PRETIOSUS LATITAT. Inde discas velim, insigniores dotes ac talenta, quæ à Deo & natura accepimus, humili animo esse occultanda. Unde apud Velleium Paterculum dicere solebat Cato; *Numquam rectè feceris, ut fecisse videaris.* Iis etiam libris hoc emblema tribues, qui exteriore facie simplices & impoliti, re ipsâ tamen plurimum eruditionis in se complectuntur; uti sunt Fabulæ Æsopi, Merlini Cuccay, seu verius, Joannis Baptistæ Folengi Macheronæa, aliique. Folengi ore canit Jo. Bapt. Marinus;

Vell. Pater. lib. ... Doctrina abscondita. Marin nella Galerin.

La gran Maccheronea da me composta,
E fatta appunto come i maccheroni,
Che sopra di formaggio hanno la crosta,
E dentro son fodrati di capponi.
Perche tanta dottrina u' è nascosta,
Che non è da inghiottirla in dui bocconi:
E se ben la coverta è saporita,
Chi tocca il fundo si lecca le dita.

Virtus abscondita. 70. Eodem loco Aresius concham clausam spectandam exhibet, intra cujus sinum gemma delitescens præsupponitur, cum epigrammate, ABSCONDITA INUTILIS. Ita litteratorum virtus & doctrina, si abscondantur, nemini quidquam emolumenti afferunt; Verissimè Claudianus;

Cl. de 4. Cons. Hon.

Vile latens virtus.

Eccl. 20.32. Consentaneè pronuntiat Siracides; *Sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* In hunc locum prolixè & doctè disserentem vide S. Gregorium Papam. Eò etiam collineabat S. Zosimus Abbas, cùm Mariæ Ægyptiacæ persuaderet, ut angelicam suam vitam, septem supra quadraginta annos in deserto traductam, orbi manifestam faceret; ratus, non leve beneficium hominibus accessurum, si tanta virtus in omnium oculis versaretur, nec sub inutili silentio delitesceret. *Omnia, quæ circa te sunt, edicito*, inquiebat ille, *ut Dei magnalia facias manifesta. Sapientia enim abscondita, & thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque?*

S. Greg. p. 3. Pastor. admon. 26.

Christus sepultus. 71. Tale à Christo electum fuit sepulchrale marmor, in quo nullum unquam exanime hominis corpus jacuit. Alcibiades Lucarinus id Emblemate demonstraturus, concham vacuam, cum rore, in illam destillante, depinxit: addito lemmate. TANTUM IN JEJUNA. S. Joannis Evangelistæ hâc de re testimonium est, quod sanctissimum Christi cadaver in monumento recubuerit, *in quo nondum quisquam positus fuerat.* Præclarè Magnus Augustinus ait, *Sicut in Mariæ Virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.* Quare hoc symbolo æquè opportunè Verbi Divini incarnationem, atque ejus sepulturam significare licet.

Jo. 19. 41. S. Aug. tract. 120. in Ioan. Incarnatio Verbi.

Contemplativus. 72. Idem concham apertam hoc lemmate insignivit; SOLO GAUDET COELO. Animam contemplativam, nullibi aliàs, nisi rebus Divinis ac cœlestibus delectari solitam, hæc imago denotat. S. Paulus hortatur, *Gaudete in Domino semper.* Id est interprete S. Anselmo, *Cor vestrum exhilarate, & omne bonum, unde gaudendum est, statuite vobis in Domino, non extra, & totos lætitiâ spirituali vos repleat.* Idipsum S. Gregorius Papa ex illa D. Matthæi historia tropologicè deducit; ubi astutus negotiator, *Inventâ unâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam;* nam si pretiosæ margaritæ loco cœlestem felicitatem intelligas, homo contemplativus omnes suas cogitationes ad eam unam acquirendam dirigit, cæteris quibusvis mundi blanditiis ultrò relictis. *Pretiosam margaritam invenit, qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfectè cognoverit: ea, quæ in terrenis amaverat, libenter cuncta relinquit, in comparatione ejus vilescunt omnia: inardescit in cœlestibus animus, nihil in terris libet, deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente.* Porrò epigraphen illam, *solo gaudet cœlo*, Maria Magdalena sibi peculiarem ac propriam vendicat; quippe quæ, animo suo in spiritualem Christi dulcedinem unicè defixo, non tantùm omnem rei domesticæ curam seposuit, sed etiam Principum commercia, in Lazari exequiis adeunda, neglexit; solumque Servatoris sui vultum extaticis oculis est contemplata. De hac Sanctus Basilius Hispalensis; *Curis omnibus humanis ad Magistri præsentiam excussis, tota in hoc fuit, ut Magistro esset honori.* Quin imò tametsi ipsimet sancti Angeli eandem intra sepulchrum clarissimâ suâ præsentiâ ac verborum suavitate attrahere conarentur; illa tamen Angelos, eorumque delitias nihil morata, anxio vultu unicam Dei sui præsentiam inquirebat. Sanctus Laurentius Justinianus; *Nequaquam ipsorum visione se temperavit à fletu, quoniam non Angelos, sed Angelorum Dominum cupiebat.*

Phi. 4. 4. S. Ansel. in hunc loc. S. Greg. Pap. hom. 11. in Evang. Matt. 13. 46. S. Maria Magdalena. S. Basil. Seleuc. Orat. 42. S. Laur. Iust. de Triump. agone. c. 4.

Concionator. 73. Concha pingues ac limpidas guttulas, è fœcundo cœli rore intra ipsius sinum destillantes, tandem in gemmas convertit. Emblemati subscripsit P. Camillus Anticus, DAT PRETIUM SUPERIS. vel, PRETIUM COELESTIBUS ADDIT. vel idiomate Italico; DE I TESTORI DEL CIELO IL PREZZO ACCRESCE. Prædicatorem hoc Emblema spectat, qui gravi ac sublimi suâ facundiâ in Auditorum animos tam sacræ Scripturæ, quàm virtutis & æternæ felicitatis pretium & æstimationem distillat. Ab hoc argumento non multùm alienus Magnus Augustinus, Sanctos Patres cognominat lapides pretiosas ac Ecclesiæ gemmas. *Sunt*, inquit, *in Ecclesia lapides pretiosi, & semper fuerunt, docti scilicet, abundantes scientiâ & eloquentiâ, & omni instructione legis. Pretiosi planè isti lapides sunt; de ipsis fuit Cyprianus, de ipsis fuit Ambrosius;* quibus jure meritissimo subjungas, *de ipsis fuit Augustinus &c.* Propriè tamen & ad mentem nostram S. Ambrosius super illis Apocalypseos verbis, *Duodecimus amethystus*; de SS. Apostolis, aliisque omnibus Viris Apostolicis ait, *Per amethystum Apostoli, eorumque similes intelliguntur, qui ornamentum fuerunt Dei, qui eum per universum mundum prædicaverunt. Ornamentum Dei fuit Petrus, de quo scriptum est, quod clarificaverit Deum morte suâ. Similiter & cæteri ornamentum Dei fuerunt, quia eum prædicando, miracula faciendo, pro nomine ejus moriendo, clarificaverunt.*

S. Aug. serm. 218. de temp. S. Ambros. in Apocal. c. 21.

In morte. 74. Inter cæteram funebrem pompam Isabellæ Borboniæ, Hispaniarum Reginæ, Emblematis loco concha aperta cernebatur; in cujus sinu margarita fracta jacebat, cum lemmate; QUA DIVES, NUNC MISERA. Imaginis hujus argumentum forsan è D. Hieronymo est mutuatum, ubi defunctam Paulinam, Pammachii uxorem, deplorans, ait; *Fractum est pretiosissimum margaritum; virens smaragdi gemma contrita est.* Cæterùm Emblemate illo significabatur, Hispaniam, vivente optimâ illâ Reginâ cognominatam felicem, nunc è mortuâ extremè afflictam ac miseram esse. Plurimùm tamen hæc imago ad dedecus, puellis illis exprobrandum, inservit, quæ virgineam suam integritatem, ceu gem-

S. Hieron. Epist. 16. ad Pammach. Virgo deflorata.

S. Ambros. Tract. ad Virginem lapsam. c. 2. mam pretiosissimam, temerè ac sorte suâ pessimâ ruperunt. Has acri invectivâ prosecutus S. Ambrosius, ait, *Unde incipiam? quod primum, quod ultimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti, an mala defleam, quæ invenisti? Eras Virgo in Paradyso Dei, utique inter flores Ecclesiæ. Eras Christi, eras templum Dei, eras habitaculum Spiritus sancti; Et quoties dico, eras, necesse est, ut toties ingemiscas, quia non es, quod fuisti.* Ibid. initio cap. 3. *Et; væ tibi misera, & iterum væ, quæ tanta bona parvi temporis luxuriâ perdidisti. &c.*

75. Concha non aliundè, nisi pretiosis humoribus, & cœlo distillantibus, impraegnatur. Unde Lucarini lemma; FOECUNDA EX ALTO. Mariam Virginem, ab Angelo salutatam, hâc icone adumbrabis. Maria V. annuntiata. Quamobrem S. Ecclesia illud Isaiæ suspirium millies ingeminat, Isa. 45. 8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum* (En fœcundum è cœlo rorem!) *aperiatur terra* (En Virginis consensum, ac uterum, Divinum fœtu, ceu rore pretiosissimo, ditatum!) *Et germinet Salvatorem*; gemmam nimirùm illam, præ omni gemma infinities æstimandam. Unde Deiparæ Virgini supplex accinit Joannes Geometra; Io. Geomet. Hymn. 1.

Salve concha marina, ex qua verè Unio natus,
Fulgore ex dio, & purpureo latice.

Et S. Joannes Damascenus; S. Io. Dam. Orat. 1. in Nat. B. Virg. *Hodie peflârunt auræ lætitiæ totius orbis prænuntiæ, lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mundi mare: in ipso enim conchâ gignitur, quæ cœlitùs ex Divinitatis fulgetro in utero concipit, & Christum ingentis pretii unionem pariet.*

76. Gratitudinis argumentum minimè obscurum è concha desumere licet; Gratitudo quæ sinu suo pretiosis ingravescente gemmis, eas omnes è sola cœli liberalitate in se derivatas fatetur; cum lemmate. DITESCO MUNERE COELI. Hoc sensu Jacob, numerosâ prole fœcundus, illud solius Dei donum est protestatus; Gen. 33. 5. *Parvuli sunt, quos donavit mihi Dominus.* Porrò munera ad superbum Esau ablegans, non ea tantùm, sed etiam reliquas divitias suas omnes è Dei manu sibi advenisse confessus est; Gen. 33. 11. *Suscipe benedictionem, quam attuli tibi, & quam donavit mi..i Deus tribuens omnia.* Et verò ut omnia tibi è cœlo profluere credas, Magnum Augustinum audire juvat; S. Aug. in Ps. 7. Conc. 1. *Hæc est tota scientia magna hominis, scire, quia ipse per se nihil est; & quoniam quidquid est, à Deo est, & propter Deum est.*

77. D. Carolus Rancatus concham, lemmatis vice, eleganti hâc metaphorâ insignivit. COELO FOECUNDA MARITO. Maria V. annuntiata. Mariam Virginem hæc imago spectat, quæ fœcundo Spiritus Sancti radio perfusa, Verbum æternum, humanâ carne vestitùm, intra viscera sua concepit. Dilucidè Archangelus Gabriel; Luc. 1. 35. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et Sanctus Matthæus; Matth. 1. 18. *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* S. Joannes Chrysostomus ad illa D. Lucæ verba reflectens, ait; S. Io. Chrys. Hom. 49. in Gen. *Spiritus Sanctus veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; sic poteris parere, totum operatione Spiritus Sancti erit. Ne igitur spectes ad terram, è cœlis operatio venit, Spiritus Sancti gratia est quod fit.*

78. Concha roris cœlestis guttulas, in sinum suum collectas, non tantùm studiosè conservat, sed etiam non sine maximi pretii augmento, in nobiles ac illustres gemmas convertit. Gratia & cooperatio. ACCEPTUM CUSTODIT, ET AUGET. Vel brevius; CUSTOS ET ALTRIX. Ita anima Christiana Divinam gratiam in se diffusam, non tantùm custodit, sed felici quoque meritorum virtutumque incremento locupletat. Unde hortatur Magnus Augustinus; S. Aug. serm. 1. de ten. *Quibo-ni sunt, cum Dei gratia contendant perseverare in operibus bonis; quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* In hoc argumentum canit meus D. Carducius;

Custos & altrix concha fulget nectaris?
Tu corde dona conde, auge Numinis.

79. Concha rorem cœlestem nonnisi extra aquas, in litore collocata, recipit. Lemma. CONCIPIT EMERSA. Solitudo ad gratiam disponit. Certè, sanctæ cogitationes, virtutes, ac cœlestia gaudia ibi demùm à nobis percipiuntur, quando è tumultuante terrestrium negotiorum pelago abrepti, supra solitariæ ac religiosæ vitæ littora conquiescimus. Non sine gestientis animi indicio ajebat David, Ps. 39. 3. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Et statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum novum &c.* Et sancta illa Divini Epithalamii anima; Cant. 8. 1. *Quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te foris, & deosculer te?* In hunc locum S. Ambrosius; S. Ambr. l. de Isaac. c. *Bona anima, inquit, quæ foris est, ut verbum intus sit: illa extra corpus, & verbum habitet in nobis.* Et copiosius alibi: Idem. serm. 2. in Ps 11. *Feriatus ab omni interpretatione mundanæ solicitudinis, & voluptatis, Divinis vacabit oraculis, quæ solent singulariter sedentibus revelari*; alluditque ad illud Threnorum; Thren. 3. *Sedebit solitarius & tacebit è quia levavit super se.*

80. Conchylio clauso subscripsêre; GEMMA LATET. S. Thom. Aquin. Virtus abscondita. D. Thomæ Aquinatis honorem hæc imago spectabat; de quo memoriæ habetur proditum, quod exteriore vultu adeò fuerit composito & humili, ut nequaquàm vir ille summus, qualis erat, videri potuisset. Eucharistia. Eodem Emblemate etiam SS. Eucharistia significatur, cui complures è SS. Patribus illud Apocalypsis proprium dicunt, Apoc. 2. 17. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum.* Unde Guerricus Abbas, Guerr Abb. serm 1. de Resurr. *Agnus paschalis*, inquit, *quem esuritis, tantò dulcius comeditur, quantò latens abstrusius & studiosius quæritur, & difficilius invenitur.* Et S. Paschasius, S. Pasch. l. de Sacram. c. *Avidius requiritur quod latet, & pretiosius est, quod cùm fide quæritur.*

81. Concha vacua, supra tapetem reposita, epigraphen è Famiano Stradâ accepit, EXUVIIS SUUS EST HONOR. In morte. Hoc symbolum, tametsi à Famiano Strada in Margarithæ, Hispaniarum Reginæ, exequiis usurpatum; præclarè tamen etiam ad Sacra Divorum lipsana transferri potest. Reliquiæ SS. De his S. Joannes Chrysostomus; S. Io. Chry. apud Ares. Impr. 76. n 28. *Pretiosa sunt corpora Martyrum, quoniam plagas pro Domino susceperunt, & sicut corona regalis undique decorata fulgores varios emittit; ita & Sanctorum Martyrum corpora sunt pretiosis lapidibus, acceptis pro Christo vulneribus, distincta, omni Regum diademate pretiosiora, & spectabiliora redduntur.* Et S. Basilius in illud Psalmi, S. Basil in Ps 115. V. 1 *Pretiosæ censentur reliquiæ Sanctorum ejus.*

82. Ad D. Caroli apotheosin, Mediolani celebratam, conchæ apertæ emblema cernebatur; quæ intra gremium suum maximæ venustatis gemmam complexa, epigraphen habuit; HAC PROLE SUPERBIT. Innuebant videlicet, Mediolanensem Rempubl. ob eximium illum Sanctum è sinu suo in hunc orbem progenitum, pio quodam fastu incedere. Eandem epigraphen etiam parentes illi sibi propriam vendicant, qui liberos alunt generosos, ac virtutibus insignes. Filii generosi. Orator quidam celeberrimus, posteaquam Philippi, Macedonum Regis, merita plurimis ambagibus deprædicaverat, tandem subjunxit; *Hoc dixisse*

Jussi-

sufficiat, filium te habuisse Alexandrum. Cornelia Romana, cum quædam matrona, ad eam invisens, pretiosam suam supellectilem, aureas murenulas, summi pretii armillas exquisitas gemmas, cæterumque mundum muliebrem superbè ostentaret, illa sermonem eousque protraxit, donec gemini Gracchi, ejus filii, è schola domum redirent: tum ad hospitem conversa, simulque digito in liberos intento; [En], inquiebat, hæc ornamenta mea, hæ catenulæ aureæ, hæ omnes pompæ meæ; his plus, quàm cæteris thesauris omnibus, cor meum gloriatur, & *hâc prole superbit.* [Val. Max. l. .. c. 4.]

[Filia unica] 83. Concha, unicam quidem, eximii tamen pretii gemmam sinu suo recondens, epigraphen tenet, UNICA PROLE DIVES. Vel, SAT UNA DECORI. Mater illa hanc iconem sibi vendicet, quæ quidem unicâ tantùm filiâ, sed tamen virtutibus adeò præclaris exornatâ gloriatur, ut instar multarum sit. Hâc laude sponsam suam prosecutus Salomon, ait, *una est matris suæ, electa genetricis suæ.* Id quòd de B. V. Maria cùmprimis intelligas, in quam SS. Trinitas omnem suum amorem ita transfudit; ut una instar omnium sit; acceperitque à Deo tot gratias, quot homines universi, simul sumpti; uti eruditè testatur Suarez. In hunc locum Guilielmus apud P. Cornelium à Lapide, *hæc est*, inquit, *columba per fœcunditatem, & mea per singularis partus novitatem: columba mea, cui ego singularis pullus sum, perfecta mea, cui nihil deest ad gratiam & gloriam.* P. Gabriel de S. Maria, Augustinianus Excalceatus, inter cætera voluminis sui encomia, ad honorem S. Theclæ composita, etiam istud recenset, quòd fuerit *unigenita matris suæ*; quam meriti adeò insignem fuisse ait, ut illius mater ob prolem adeò præclaram sanctè potuerit superbire. Unde hoc tetrastichon de illa subjungit;

[Cant. 6. 8. Maria V.] [Suar p. 3. qu. 37. Disp. 18. sect. 4.] [Corn. à Lap. in Cant. 6. 8.] [S. Thecla V. & M.] [P. Gab. de S. Mar. Tetr. 3.]

Nec post se natam, neque viderat ante sororem,
Unica nam propriæ filia matris erat.
Prudens natura est, quia contulit omnia Thechlæ,
Prolem non geminat, ne sine dote foret.

[S. Anna.] 84. Concha, candidam ac pretiosam margaritam sinu suo complexa, epigraphen tenet; ME PROLES NOBILITAT. Vel, A PROLE NOBILITAS. Ita S. Anna, Mariæ Virginis felicissima parens; supremum ac inæstimabilem splendorem ab hac gloriosissima filia sua recepit. Unde Rudolphus Agricola eidem hoc tetrasticho accinit;

Conspicuos præstant alios benefacta parentum,
Tu contrà natæ nobilitate nites.
Magna quidem meritisque tuis, pietate, fideque,
Quis neget? at Nata hæc splendidiora facit.

[Maria V. gravida.] Nec S. Anna tantùm è filia Maria, sed & Maria quoque è Divino suo Filio nobilitatem ac gloriam immensam participavit; S. Bernardus; *Magnum est Angelo, ut minister sit Domini, sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit Mater. Fœcunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantoque excellentior Angelis facta munere singulari, quanto differentius præ ministris nomen Matris accepit. Parum est: quod ex ea natum est, sanctum vocatur, & est Filius Dei.* [S. Bern. ser. 2. de B. Virg.]

[Euchari-stia.] 85. Concham clausam hoc epigrammate notavit Joannes Ferrus; OPTIMA LATENT. SS. Eucharistia, accomodatè ad hanc ideam, sub specierum velamine ipsummet Deum, ter optimum, maximum, complectitur. Eusebius Gallicanus; *Verè unica, & perfecta hostia, fide æstimanda, non specie, neque exterioris censenda visu, sed interioris affectu &c.* Exinde etiam virtutes tuas modesto silentio tegere discas; id quod S. Ambrosius Christi exemplo persuadere conatur; *Nemo hic fulgere quærat, nemo sibi arroget, nemo se iactet. Nolebat sic Christus hic cognosci, nolebat prædicari in Evangelio nomen suum, cùm in terris versaretur; venit ut lateret sæculum hoc. Ergo & nos simili modo abscondamus vitam nostram Christi exemplo, fugiamus jactantiam &c.* [Euseb. Gall. Hom 5. de Pascha] [Virtutem abscondere.] [S. Ambr. l. 3. Offic. c. 5.]

[Virtuosus deformis.] 86. Concham clausam hoc lemmate spectandam propones; PRETIUM INTUS. Hominem, vultu ac corpore deformem, animo tamen nobilem & virtuosum; hæc imago spectat. Sapienter dixit Seneca; *Non deformitate corporis fœdari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari.* Iis insuper imago illa convenit, qui suas virtutes ac prærogativas modestè tegere nôrunt. Justus Lipsius; *Latent plerumque verè probi, & in pectore intimo Domicilium virtus habet.* Inter beatam hanc hominum sortem cumprimis excellit casta Susanna, de qua S. Ambrosius ait; *Accusabatur, & tacebat, ducebatur ad mortem, silentio se tegebat, ne nudaret pudorem* [Senec Ep. 66.] [Lips. Centur. 1. Epist. 22.] [S. Ambr. in Ps. 37.]

[Euchari-stia.] 87. Concha marina cœlo tumultuante clauditur; aperitur Tranquillo. Unde supra undas collocata, epigraphen tenet; CLAUDITUR IRATO; solos ambit Pacificos, procul exclusis iracundis. Præclarè in hanc rem canit S. Ecclesia; *Qui pacem ponit fines Ecclesiæ, frumenti adipe satiat nos Dominus.* Joannes Climachus de antiquis Monachis refert; quòd mutuis odiis fortè turbati; *à mensa tantisper arcebantur, quoad, positis odiis, amicitiam redintegrarent.* [Io. Climac. Scala grad. 4.] [Pax reconciliata.]

88. Carolus Rancatus pacem, inter Hispanos & Gallos publicis tabulis sancitam, conchæ emblemate repræsentavit, quæ sub sereno cœlo *Unionem*, intra viscera sua conceptum formatumque, exhibebat. *Unio* enim Latinis, æquivocâ voce, & concordiam & Margaritam significat. Epigraphen ex Ovidio addidit; COELO MANIFESTA SERENO. [Ovid. 1. Met.]

Est via sublimis, cœlo manifesta sereno.

[Veritas detecta.] Manifestatam hominis innocentiam, aut veritatem detectam hoc Emblema denotare potest. Pax enim, innocentia, aut veritas, tametsi inter turbas nonnihil lateant, tempestate tamen subsidente, instar clarissimi Unionis, palam resplendent. S. Joannes Chrysostomus; *Talis est conditio falsitatis vel erroris; ut etiam nullo sibi assistente consenescat; ac destituat; talis autem, è diverso veritatis status, ut etiam multis impugnantibus, suscitetur & crescat.* [S. Chrysost. Hom. 3. de Laud. Pau.]

[Beati in patria.] 89. Emblematis loco cumplures conchas depinxêre, quæ sinu suo multas, perfectasque Margaritas complexæ, inscriptionem sustinebant; TENUERE QUOD OPTANT. Ubi, tametsi verbum, *tenuere*, primo intuitu vitiosè cum altero verbo, *optant*, componi videatur; cùm prius illud rem possessam; posterius verò rei needum possessæ desiderium significent; nihilominus tamen hæc imago animabus beatis exquisitè conformis est; quæ in cœlum admissæ, quatuor corporis gloriosi dotibus, ceu totidem gemmis, illustres; Deoque per intellectum & voluntatem arctissimè connexæ; simul & possidendo gaudent, & gaudendo beatissimam Dei suavitatem desiderant. Perspicuè Sanctus Gregorius Papa; *Beati*, inquit, *desiderantes satiantur, & satiati desiderant.* [S. Greg. l. 18. Moral. c. 28.]

90. Sancti Martyres Divinam animi sui Pacem, ac

ac cordis lætitiam inter persecutionum fluctus, ac suppliciorum procellas, illibatam conservarunt. Ut adeò illos conchæ clausæ symbolo eleganter repræsentaveris, quæ supra turbati ac spumantis Oceani undas collocata, epigraphen à P. Joanne Bartholomæo Pancero, Augustiniano Excalceato, accepit; MA LA GIOGIA HO NEL SENO. Id est; SUAVIS LAPILLUS; AT INTUS. Hoc argumentum mirificè illustrans Magnus Augustinus, super illis Apostoli verbis, *quasi tristes, semper autem gaudentes*, ait, *Unde quasi tristes? contumeliis, opprobriis, persecutionibus, flagellis, plagis, carceribus, catenis, lapidationibus. Quis non eos miseros tunc existimaret?* At, *Hominibus foris tristes videbantur; INTUS autem GAUDEBANT Deo.*

Pati cum gaudio. — S. Aug. in Ps. 138. — 2. Cor. 6. 10.

91. Idem P. Pancerus aliam conchæ iconem expressit, quæ supra maris littus recumbens, cœlestem rorem hiante sinu excipiebat; cum dicto, SOL A' QUESTE APRO IL SENO. Id est, HIS TANTUM APERTA. Ita mens religiosa suos affectus nemini alteri, præterquàm virtutum, bonorum cœlestium, ac gaudiorum Divinorum rori explicatos habet; Inter hos facilè palmam obtinuêre Anna Prophetissa, quæ sibimet testimonium præbens, dixit, *Exultavit cor meum in Domino.* Et David; *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Hunc locum interpretatus S. Augustinus, *Non exultavit*, inquit, *in hoc mundo, non in divitiis, non in honore, non in luxuria, non in ebrietate, non in vanitatibus mortuis, & citò cum omni suo amore morituris, sed in Deum vivum.* Hâc de re consule numerum. 72. Libri hujus sexti; ubi varias considerationes reperies.

Religiosus — 1. Reg. 2. 1. — Psal 83. 3. — S Aug. To. 10 Hom 33. l. 10 Homil.

92. P. Christophorus Haunoldus eruditissimæ suæ Theologiæ Scholasticæ concham præfixit, quæ rorem, è cœlo stillantem, aperto sinu excipiens, epigraphen tenet; STILLANTEM COLLIGO ROREM. Innuebat videlicet; subtilitates Theologicas, quas ad invidiam usque doctissimè in opere illo proponit, è solo Magni Augustini, & D. Thomæ Aquinatis calamo in se profluxisse. Porrò anima Christiana, ac cumprimis Religiosa, omnem gratiæ Divinæ rorem è solo cælo anxiè desiderat, & acceptam solicitè custodit. In rem præsentem Doctorum Princeps; *Debet homo de Deo præsumere, & inde sperare auxilium, non de se. Non enim de terra pluit sibi, aut lucet sibi. Quomodo autem terra de cœlo expectat pluviam & lucem; sic homo de Deo debet expectare misericordiam & veritatem.*

GratiaDei — Religiosus — S. Aug in Ps. 46.

93. P. Jacobus Masenius Emblematis loco concham exhibet, quæ purpureo rubens latice candidum unionem in sinu fovet; cum lemmate. IN CANDORE RUBOR. Mariam Virginem hoc Emblema spectat, ex cujus purissimo sanguine candidissimus prodiit Unio, JESUS Christus; Ut adeò Deipara Virgo à Sancto Ephræmo verè cognominetur, *Concha marina veri unionis, ex cœlesti fulgore, & purpureo latice procreati.* Et à Butheone, *Concha, quæ Divinam purpuram Regi virtutum sanguine suo coloravit.* Emblemati explicando sequens epigramma habeto;

Maria V. gravida. — S. Ephr. de Marg. pret. — But. Hymn. Græco.

Purpureos inter latices natat unio candens,
Cumque nitore rubet, cumque rubore nitet.
Virgo cruentatam sobolem dum sustinet ulnis;
Quam similis concha tum fuit illa rubra.

CROCODILUS.

Cap. XVII.

94. Uxor quædam, maritum suum assiduis cruciatibus & suppliciis affligere solita, nunquam non commiserationem ac dolorem erga illum simulabat; haud secùs atque Crocodilus, devorando humano corpori intentus, epigraphen habet; PLORAT, ET DEVORAT. Lusum hunc probè edocta Dalila, Samsone inter hostium manus solâ ipsius operâ tradito, in copiosas prorupit lachrymas. Bassianus Imperator, referente Elio Spartiano, toties ingenti mærore videbatur cōsternatus, quoties Getæ, fratris ab ipso occisi, meminerat, aut imaginem illius inspexerat. In rem præsentem meus Ascanius Martinengus; *Crudelis homo*, inquit, *sæpè deplorat, cum diro animo ad vindictam, seu severam justitiam incedit, quòd excussâ à corde omni pietate, ad feritatem armetur.* Eodem symbolo malevolam detractoris indolem examussim descripseris; S. Bernardus; *Videas præmitti alta suspiria, sicque quâdam cum gravitate & tarditate, vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangenti, egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quantò creditur ab his qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, quam malitiosè proferri.*

Mulier fallax. — Simulare — Ascan Mar. in Glossa fol. 1592. — Detractor — S Bern ser. 24. in Cant.

95. Mulierem, insidiis ac exitio parando assuetam, plangenti Crocodilo non absimilem dices; cum lemmate, INSTRUIT INSIDIAS LACHRYMIS. Ad verbum Cato;

Instruit insidias lachrymis, cùm fœmina plorat.

Eandem veritatem comprobans Ovidius, canit;

Vidi etiam lachrymas, an & est pars fraudis in illis?
Hæ quoque habent artes; quoq; jubentur, eunt.

Verissimè scribit Herodotus; *Mulier, quod verbis excusare non valet, hoc lachrymis excusat; blanditur oculis, seducit osculis, instat amplexibus &c.* Idipsum testatur Tassus; ubi de Armidia & Goffredo in hæc verba canit,

Mulier dolosa. — Ovid Ep. Demophoontem. — Herod. apud Aug. ad Joc. volentem nubere. — Tass. Cant. stanz. 74.

A quel parla chinò la donna, e fisse
Le luci in terra, e stette immota al quanto:
Poi sollo vole ruggiadose, e disse;
Accompagnando; i flebil atti in pianto.
Misera, & a qual altra il ciel preferisse
Vita mai grave &c.

Et subjungit;

Qui tacque, e parve ch' un regale sedegno
E generoso l' incendesse in vista:
E l' pie vulgendo, di partir fea sedegno;
Tutta ne gli atti dispettosa, e trista.
Il pianto si spargea senza ritegno;
Com' ira suol produrlo a dolor mista;
E le nascenti lagrime à vederle
Erano a i rai del Sol cristalli e perle.

Tandem concludit;

Quello finto dolor da molti elice
Lagrime vere, e i cor più duri spetra. — stanz. 77.

96. Crocodilus, malignum animal, ac insidiis struendis unicè deditum, dum è Nili aquis progreditur, epigraphen subjunctam habet; PRODIT, UT PRODAT. Infamem Proditoris genium hæc imago repræsentat, qui in publicum nunquam prodit, nisi improviso exitio alios oppressurus. Idipsum Hæretici assolent, qui è tenebris ac cavernis suis prorepunt, ut miseros mortales fallant,

Proditor — Hæretici

& dæmoni æternùm cruciandos prodant. De Hæretico ait magnus Augustinus; *Lupus est, agnoscite; serpens est, ejus capita conquassate. Blanditur, sed fallit; multa promittit, sed decipit.* Emblemati explicando canit meus Concanonicus D. Salvator Carducius;

[*S. Aug. l. 2. de symb. c. 13.*]

Prodat ut indigenas, Crocodilus prodit ab undis;
Detegit alterius sola ruina dolos.

97. Physici testantur, Crocodilum, quamdiu vivit, crescere. Unde lemma; CUM TEMPORE CRESCIT. Certè vitia nullum incrementi sui terminum aut mensuram habent, Verissimè Seneca; *Ista, quantumvis exigua sint, in majus excedunt, nunquam perniciosa servant modum &c.* Bernardinus Rota, uxore suâ è vivis sublatâ, Crocodili emblemate, seu rectius hieroglypico, usus est; addito epigrammate; *Nostri simulachra doloris*; eoque innuebat, suos ob defunctam conjugem dolores nullo unquam fine terminandos esse.

[Peccatum. *Seneca.* In morte.]

98. Crocodilus, ad majorem semper molem excrescens, assiduum in virtute profectum denotat; cui proinde D. Aresius è Psalte subscripsit; MAGNITUDINIS EJUS NON EST FINIS. In rem præsentem, sensu quamlibet diverso, Seneca; *Magnitudo*, inquit, *non habet certum modum.* De virtutis incremento præclarè S. Prosper;

[*Psal. 144. 3.* Profectus.]

Semper enim Sanctis superest, quò crescere possint;

Illud sapientiæ prodigium, Solon, jamjam in extrema vitæ periodo fatiscens, adhuc metrum aliquod intellectu assequi voluit, ut suos in virtute progressus ad ipsum usque supremum vitæ halitum continuaret. Salvius Julianus, quod Pandectæ referunt, dicere est solitus; *Etsi alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc addiscere vellem.* In hoc argumentum insigniter S. Gregorius Nyssenus ait; *Ita se habere, ut ad ulteriora semper in virtute homo velit ascendere, idipsum forsan humanæ naturæ perfectio est.*

[*l. 4 tit. de Fidei commiss. l. apud Iuliã. S. Greg Nyss. lib. de vita Mosis.*]

99. Henricus Farnesius Eburo, ut demonstraret, è principiis tenuissimis res nonnunquam maximas enasci, Crocodilum depinxit, ovis suis vicinum; cum lemmate; MAXIMA DE MINIMIS. NAM animalis hujus ova, anseirnis paulò majora, tandem vastam belluæ molem, nullo unquam crescendi termino continendam, excludunt. Ælianus; *Me verò non clam est, maximorum sæpè bellorum tenuissima, contemptissimaque principia fuisse. Persicum enim ex Mæandri Samii cum Atheniensibus dissidio fuisse ortum perhibent. Peloponnesiacum verò propter Megarensium tabellam &c.* Et S. Joannes Chrysostomus, *Quid enim est risus, aut quid unquam ex risu mali sequetur? Ortã tamen ex immoderato risu paulisper scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta. Sic A MINIMIS AD MAXIMA gradatim Diabolus ducit, & inde ad desperationem detrudit.*

[Peccatum veniale. *Ælian de Var. hist. l. 52 c. 53. S. Io. Chrys. Hom. 87. in Matth.*]

100. Ambitiosus, ulteriore honoris aucupandi occasione præcisa, angustiis torquetur, morte ipsâ crudelioribus: haud secus atque Crocodilus, tamdiu crescere, quamdio vivere solitus, ibi demum mori incipit, quando amplius augescere nequit. Emblemati subscripsit D. Aresius, NI MAJOR, MORIOR. Accommodatè D. Gregorius Brunellus canit;

[Ambitiosus.]

Oritur ad Pharii septemplicis ostia Nili
Bellua dente ferox,
Inq; dies crescens, longos ni protrahat artus,
Protinus illa perit.
Ambitiose, tuos Crocodillus pandere fastus,
Stultitiamq; potest.
Crescit honoris amor, quantum ipsa potentia crescit;
Et nisi crescat, obit.

Porrò Religiosus, ubi in virtute proficere cessaverit, mox incipit deficere, mortemque spiritualem incurrit, S. P. Augustinus; *Quantumcunque hîc vixerimus; nemo dicat sufficit mihi, justus sum. Qui dixerit, remansit in vita, non novit pervenire. Ubi dixerit sufficit, ibi hæsit.*

[Profectus. *S. August. in Ps. 69.*]

101. Ichneumon, Dormientis Crocodili viscera ingredi solitus, eum occidit. Unde lemma; DORMIENS FIT PERVIUS HOSTI. Ita homo incurius & somnolentus quibusvis hostium ac mortis assultibus nunquam non patet. Certè, agricolis dormientibus, maligna insidiantis inimici manus uberrimum agrum infelicibus zizaniis respersit, ac devastavit. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania.* In hunc locum S. Petrus Chrysologus. *Insidiator in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit, appetit dormientes. &c.* Damno suo id expertus fortissimus Samson, cum somno nonnihil indulgeret, hostium catenis vinctus, miserrimè periit. Princeps Isbosethus, Saulis filius, dum *dormiebat super lectum suum in conclavi*, à Rechab & Baanâ, fato prorsus infelicissimo, trucidatus est.

[Otium. *Matth. 13. 25. S. Pet. Chrys. serm 97. Iudic. 16. 19. 2. Reg. 4. 7.*]

102. Crocodilus, Ibidis pennam è superiore capitis parte præferens, adeò efficitur stupidus, ut versus prædam, tametsi proximè appositam, nec minimum moveatur. Emblemati subscripsit Aresius; NON MOVEBOR AMPLIUS. Ita prorsus homo, capite terrenis vanitatibus occupato, nunquam ad felicitatis æternæ prædam, quantumvis acquisitu facillimam, aspirare potest. S. P. Augustinus *Anima, dedita temporalibus, sic multiplicata est, ut non possit agere quod præceptum est.* Eodem Emblemate etiam Hæretici significantur, qui, temerario ac effreni ausu adversus orthodoxam Christi Ecclesiam grassare soliti, conspectâ validâ cujusdam scriptoris pennâ, animum despondent, & attoniti consternantur. Experimento suo, id comprobârunt Vigilantius à S. Hieronymo acerrimè expugnatus; Manichæi à S. P. Augustino convicti; Arriani validissimis S. Ambrosii viribus superati &c.

[Vanitas mundi. *S. Aug in Ps. 4.* Hæretici confusi.]

103. Peccator, in ipsa adhuc vitæ suæ meridie, non expectata mortis imminentis nocte, è scelerum cæno emergens, Crocodili prudentiam imitatur; quem Lucarinus, è squalido Nili alveo progredientem, hoc lemmate notavit; EMERGIT INTERDIU. De S. Maria Magdalena ait Magnus Augustinus; *Nec ipsa se reservavit, ut in fine vitæ pœnitentiam ageret; sed dum adhuc poterat peccare, sic voluit peccata deserere, ut illam de adulteriis suis non necessitas subtraheret, sed voluntas.*

[Pœnitens solicitus. Maria Magdalen. *S. Aug serm 58. de Temp.*]

104. Crocodili dorsum tantâ est duritie, ut ferream lanceæ cuspidem, adversum se vibratam, validè reprimere ac contorquere soleat; sicque omnes hostium plagas impenetrabilis eludat. Emblemati subscripsit Henricus Farnesius; SEMPER INVICTUS. Tranquillum, & inter persecutiones, ærumnasque temporales generosum hominis pectus Emblemate isto describitur. S. Ecclesia, ad Deum conversa, de SS. Martyribus canit;

[Patientia. SS. Martyres.]

Hi pro te furias, atque minas truces
Calcarunt hominum, sævaq; verbera.
HIS CESSIT lacerans fortiter UNGULA,
NEC CARPSIT PENETRALIA.

De S. Vincentio refert Historia Ecclesiastica; *Nullâ aut tormentorum vi, aut acerbitate, vel lenitate verborum à proposito deterreri potuit.* Et licèt, *In craticulâ positus, prunis ardentibus suppositis, ac ferreis* ungui-

[*Brev. Rom. 22. Ianuarii.*]

unguibus excarnificatus; tamen, *INVICTUS Vincentii animus VICIT OMNIA, & ignis, ferri, tortorum immanitate superatâ, victor ad cœlestem Martyrii Coronam avolavit.* Verissimè dixit Magnus Augustinus; *Ille invictus homo est, qui cohæret Deo; non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud, quam ipsum hærere Deo bonum est.*

S. Aug. de vera Relig. c 47.

105. Octavianus Augustus, postea quàm Ægyptum, expeditione à nemine unquam ante illum tentatâ, subjugaverat; Symboli loco Crocodilum statuit, qui ad Palmam arborem ligatus, epigraphen habuit; COLLIGAVIT NEMO. Id est; *Nemo antea religavit.* Christi, Servatoris nostri, triumphum hæc imago spectat, qui devictâ Mundi Ægypto, dæmonem ad crucis suæ arborem, vinculo penitùs ineluctabili, constrinxit. Præclarè Magnus Augustinus; *Tunc Dominus noster IESUS Christus illum tenebrarum, mortisque principem colligavit, legiones illius perturbavit &c.*

Christus moriens.

S. Aug. serm. 137. de Temp.

Senec. Quæst. Nat. 4. c. 2.

106. De Crocodilo scribit Seneca; quòd sit *fugax animal audaci, audacissimum timido.* Hinc gemino Emblemati construendo opportuna materies suppeditatur; uni quidem inscribes, FUGAX AUDACI; alteri verò, IN TIMIDOS AUDAX. Utrùmque illud malignos quosdam homines concernit, qui debiles ac mansuetos ausu nimiùm quantum petulanti & temerario infestare soliti, è generosorum conspectu desides ac consternati aufugiunt. Optimus Jacob intra paternas ædes vitam ducens tranquillam ac pacificam; *Iacob vir simplex, habitabat in tabernaculis;* Fratrem suum Esau tanto odio contra se furentem est expertus, ut quantociùs neci tradendus videretur; *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* At ubi Jacobum cum numerosâ filiorum ac servorum catervâ è Mesopotamiâ revertentem vidit, totus jam pacificus Esau, meram spirabat benevolentiam, fratrique advenienti non sine congratulatione & amplexu factus est obviam. *Currens itaque Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum.* Saul, Diabolico furore adversus pauperem ac mansuetum Davidem concitatus, nihil nisi ejus mortem volvebat animo. *Quem persequeris Rex Israël? Canem mortuum persequeris, & puli em unum?* At idem Saul aliorum hominum flagitiosorum & audacium minis per omnia connivebat, quód illos fastu ac Martio ardore plenos sciret. *Filii Belial dixerunt, Num salvare nos poterit iste? & despexerunt eum, & non attulerunt ei munera. Ille verò dissimulabat se audire.* Dæmon, Crocodili genium exactè imitatus, è Christianorum Athletarum fronte nunquam non exanimis ac timidus concidit. S. Antonio Abbati id credes, de cujus verbis & operibus disertè testatur Historia Ecclesiastica, *Dæmones ita contempsit, ut illis exprobraret imbecillitatem: ac sæpè discipulos suos excitans ad pugnandum contra Diabolum; Mihi credite, dicebat fratres; pertimescit Sathanas piorum vigilias, orationes, jejunia.* At verò Stygius ille veterator, ubi in effœminatum ac vitiosum hominis animum inciderit, mox vires suas exerit, & ingenti pectore illum incursat. Dilucidè Sanctus Pater Augustinus; *Venit Christus, & alligavit Diabolum. Sed dicet aliquis; si alligatus est, quare adhuc tantùm prævalet? Verum est, fratres charissimi, quia multum prævalet; sed tepidis & negligentibus.* Achilles Bocchius ex hâc Crocodili proprietate sensum, à priore longe diversum, eruens, geminam hanc epigraphen subdidit; FUGIENTIBUS INSTAT. Et; SECTANTES FUGITAT. Præclara ac genuina hæc honoris & gloriæ imago est; honor enim generosos hominum animos, ex ipsius conspectu fugere solitos, è vestigio insequitur; aliis econtra, qui eidem contingendo superbos & importunos conatus nunquam non habent, à tergo relictis. Emblemati explicando hanc poësin habeto.

Animus vilis.

Gen 25, 27.

Gen. 27. 41.

Gen. 33. 4.

1. Reg. 24. 15.

1. Reg 10. 27.

Dæmon.

Breu. Rom.

S Aug serm 197. de temp.

Achill. Bocch symb. 99.

Gloria.

Nota Paræthonii Crocodilus bellua Nili;
Sectantes fugitat, qui fugiant sequitur.
Si vera instantes spernit, spernentibus instat
Gloria, quin major spreta redire solet.

Ab hoc nihil difformis alius Poëta, eundem sensum sub diversâ tamen metaphorâ, ita exprimit.

Sectantes velut umbra fugit, fugientibus instat,
Addita corporibus scilicet umbra comes.
Sic fugit immeritæ captantes præmia laudis,
Demissis contra juncta stat illa comes.
Et tamen haud falsò trutinans examine, quidnam
Laus hæc omnis erit? scilicet umbra levis.

107. Zincgreffius hanc Crocodilo epigraphen junxit; CEDENTIBUS ATROX. Ita nimirum è fugâ non modò nullam adversus dæmones & ærumnas securitatem sortimur, sed contrà plurimùm discriminis incurrimus. Sapienter Seneca; *Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus, sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti & adverso.* Unde hortatur Apostolus; *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* S. Bernardus ad Robertum, qui Cisterrtio Cluniacum fugerat, ait; *An quia fugisti ex acie, putas te manum hostium evasisse? libentius te insequitur adversarius fugientem, quàm sustineat repugnantem; & audacius insistit a tergo, quàm resistat in facie n.* Sapienter S. Cyprianus; *Tam paratus ad repugnandum semper animus debet esse, quàm ad impugnandum semper inimicus.*

Adversis cedere, vinci est.

Senec. Ep. 7

Iacob. 4. 7.

S Bern. Ep. ad Rob.

S. Cypr. serm. de livore & Zelo.

CYPRIANUS, seu CARPUS.

Cap. XVIII.

108. MUltorum sententia est, nobilem hunc piscem auro pasci. Fuit proinde, qui eidem inscriberet; PRETIOSA PASCITUR ESCA. Ita persona contemplativa, vilibus rerum terrenarum alimentis minimè contenta, nonnisi pretiosis cœli delitiis nutriri ac exaturari cupit. Certè Magdalena, cùm Martha dapibus Servatori parandis distinaretur, voluptate adeò extaticâ versùs bonum illud infinitum absorpta fuit, ut præter animæ suæ nutrimentum nihil cogitaret aliud. De geminâ hâc sorore Magnus Augustinus ait; *Laborabat illa,* id est, Martha; *vacabat ista,* id est Magdalena; *Illa erogabat, hæc implebatur. Erat enim Maria intenta dulcedini Verbi Domini. Intenta erat Martha, quomodò pasceret Dominum; Intenta Maria, quomodò pasceretur à Domino. A Marthâ convivium Domino parabitur, in cujus convivio Maria jam jucundabitur: Mirâ enim suavitate tenebatur: quia profectò major est refectio mentis, quàm ventris.* Insuper Christianis illis hoc Emblema inservit, qui Dei Verbum, auro gemmisque infinities pretiosius, audiendo degustant. Quare S. Joannes Chrysostomus contra illos plurimùm est conquestus, qui pretiosum illud alimentum, vix receptum, mox infirmo animæ suæ stomacho iterum rejiciunt; *Nos, inquit, posteaquam longè auro, gemmisque pretiosiora suscepimus eloquia, & inæstimabiles spiritualium opes bonorum, nequaquam ea in thesauro animæ recondimus continendæ, sed passim, atque negligenter mentes*

Contemplativus.

S. Aug. To. serm. 26. de Verb Dom.

Auditor concionis.

S. Io. Chrys. Hom 5. in Matth.

nostras

S. Euchàristia.

Tho. Aq. opusc. 57.

nostras effluere permittimus. Ratione prorsus eâdem homo, Sacrosanctæ Eucharistiæ cibo refectus, escam nullo unquam pretio satis æstimandam sumpsit; De alimenti hujus dignitate penitùs incomparabili, attonitus exclamat S. Thomas Aquinas; *O PRETIOSUM, & admirandum CONVIVIUM, salutiferum; & omni suavitate repletum. QUID enim HOC CONVIVIO PRETIOSIUS esse potest? &c.*

DELPHINVS.

Cap. XIX.

109. DElphinus non vigil tantùm; sed dormiens, assiduò movetur: nam somnum capturus, supremam aquæ superficiem ascendit; ac dormiendo, sensim sese ad fundum usque demittit: ubi verò terram contigerit, mox experrectus, denuò in sublime se effert; rursusque, vicibus semper alternantibus, demittitur, emergitque; donec somnum absolverit. Unde Bargalii lemma. IN MOTU QUIETEM. Studiosorum, ac mercatorum solicitudo hâc icone demonstratur, quæ nullum reperit felicius otium nisi inter negotia. S. Gregorius Papa; *Qui in hoc appetit mundo prosperari, cæteros excedere rebus, & honoribus tumere, huic nimirum cura sæcularis in delectatione est, & QUIES IN LABORE.* Hinc etiam vigilantia, veluti propria Principis, ac cumprimis belli ducis virtus dignoscitur. Silius Italicus de Hannibale canit;

Studiosus mercator. Greg. l. 16. Moral. c. 29.

Miles. Silius Ital. l. 12.

Pœnus, ut ad somnos vix totam cursibus actã
Indulsit pubi noctem, vigil ille, nec ullam
Ad requiem facilis, credensq; abscedere vitæ,
Quod sopor eripiat tempus.

110. Experientiâ compertum habetur Delphinum, dum ad aquæ supremam partem emergit, ibique jocabundus saltitat, tempestatis, proximè ingruentis, prognosticon indubitatum edere. Unde lemma. METUENDA PROCELLA. vel, HAUD PROCUL TEMPESTAS. Ita nimirum omnes mundi delitiæ, convivia, tripudia, ac cætera vanitatis humanæ gaudia, infallibili præsagiò vicinam portendunt alterius vitæ calamitatem. Breviter & nervosè Stephanus Cantuariensis dixit; *Ludus ceti, signum est tempestatis; ita gaudium divitum, signum est tempestatis æternæ.* Sanctus Nilus; *Adversa res in vita, gaudium; ipsum enim lubricum est, & præcipitat exultantes.* Et Seneca;

Felicitas mundana.

Steph. Cant. Allegor. in Gen. cap. 1. S. Nil Parænes. n. 51. Seneca in Thyeste.

Nemo tam Divos habuit faventes,
Crastinum ut possit sibi polliceri:
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Turba Solymæa, paulò antè apparatu prorsus festivo Christum excipiens, mox mutatâ sententiâ, horribilem crucis ac mortis tempestatem adversus illum concitavit.

111. Mari funditus commoto, & decumanos jactante fluctus, Delphinus supra aquas hilariter exilire ac tripudiare solet, proditque non tantùm heroicæ suæ fortitudinis, sed & insignis lætitiæ argumentum. Unde lemma; IN ADVERSIS EXULTAT. Homines justos hæc imago loquitur, qui mundanos fluctus, tametsi immani injuriarum tempestate jactatos, læto animo excipere norunt. In hac patientiæ palæstra facem præluxit ipsemet Servator, de quo Isidorus Clarius ait; *Videtur Dominus majorem quandam, quàm alias soleret, præ se tulisse proficiscendi alacritatem, idque cum iret agendus in crucem.* D. S. Stephano in hæc verba testantur Historiæ; *Impii super justum jacturam fecerunt, ut eum morti traderent; at ille gaudens suscepit lapides.* S. Andreas crucem, destinatum necis suæ instrumentum, conspicatus; exclamavit; *O bona crux, diu desiderata, &c. securus & gaudens ad te venio.* Cæterum Emblemate illo etiam turbati ac maligni animi hominem describes, qui nullâ re magis, atque publicis, privatisque seditionibus ac turbis delectatur. Eâ ratione D. Philippus Gallina Delphino inscripsit; SERENO A' SE' FA' DE L' ALTRUI TEMPESTE. Id est, IN TEMPESTATE TRANQUILLUS.

Pati hilariter.

Isid. Clar.

Malignitas.

112. Delphinus, aliquot piscibus intra fauces suas receptis, retia effringit, eosque secum in libertatem reducit. Lemma; VEL CUM PRÆDA ERUMPENS. Christum, è Patrum lymbo progredientem, hoc typo significabis. *Salvator enim*, inquit S. Maximus, *Prædam quodammodo sustulit, cùm hominem, quem suscepit, inferni raptum faucibus, portavit ad cœlum.* Ut adeò S. Ecclesia in Paschatis solemnitate benè de illo canit;

Christus resurgens. S. Maxim. Homil. 45.

O verè digna hostia
Per quam fracta sunt tartara,
Redempta plebs captivata:

Et rursus.

Mundus exultans jubilat
Gemens infernus ululat;
Cùm Rex ille fortissimus
Mortis confractis viribus
Pede conculcans Tartara,
Solvit à Pœna miseros.

113. Antiqui Reges Seleucus & Nicanor; & post illos duo Imperatores Octavianus & Vespasianus Symboli loco anchoram è Delphino suspensam, habuere; cum dicto, FESTINA LENTE. Innuebant videlicet, in Principe nec præcipitem celeritatem, nec ignavam tarditatem, sed justum utriusque temperamentum reperiri debere. Cicero; *Illæ vero sunt virtutes Imperatoriæ; labor in negotio, fortitudo in periculis; industria in agendo, CELERITAS in conficiendo; CONSILIUM in providendo.* Huic consentiens Sallusthius; ait; *Antequam incipias, consulito: ubi consulueris, maturè facto opus est.* Et Aristoteles; *Ajunt de quibus jam deliberaveris, ea celeriter esse peragenda, cunctanter autem consultandum.* Biantes, à Diogene Laertio relatus, dicere solebat; *Cunctanter aggrediendum negotium; verum in suscepto constanter perseverandum.*

Celeritas consultata. Cicero pro Lege Manil.

Aristot. l. 6. Ethicor.

114. Anchora spei hieroglyphicum habetur. Unde nonnemo illam, è Delphino suspensam, hoc lemmate notavit; TUTIUS UT POSSIT FIGI. Plinius enim lib. 18. ait, anchoram, ut fortius infigi possit, à Delphino teneri & aggravari. Forsan significare volebat, se, ut securiore firmamento niteretur, rem suam in quodam Magnate è Delphinorum familiâ defixam habere. At verò quisquis spem suam certo ac infallibili eventu defigere cupit, eam in solo Deo reponat, necesse est. Unde Beda illud D. Pauli interpretatus; *Spes non confundit*; ait, *Quis est, qui confunditur? qui dicit; ego quod sperabam, non inveni: Et meritò, sperabas enim de te, aut sperabas de homine amico? Maledictus autem qui spem suam ponit in homine. Confunderis, quia fefellit te spes posita in mendacium. Omnis enim homo mendax. Si autem ponas spem tuam in Domino Deo, non confunderis*

Protectio. Spes in Deo.

Beda super Rom. 5. 5.

deris, quia ille, in quo spem posuisti, fallere non potest.

115. Delphinus, dorso suo infantem sustinere, & ad littus transferre solitus, epigraphen habet; SERVIT, NON SÆVIT. Ita, qui juventuti imbuendæ dant operam, non quidem severitate ac tyrannide, sed tranquillo, suavique animo teneram ipsius indolem excipere debent. Principum quoque Ministri, populo gubernando destinati, Dominis suis inserviant, subditos tamen crudelitate suâ adversus illos non concitent. Denique inde infertur, Prælatos ac Principes, quò fuerint dignitate majores, eò magis esse obstrictos, ut subditis in necessitatibus sublevandis, ac bonis providendis inserviant. Christi præceptio est, *Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* In hunc locum Magnus Augustinus; *Præstet nobis Deus, ut benè serviamus. Nam velimus, nolimus servi sumus: & tamen si volentes sumus, non necessitate, sed charitate servimus. Quodammodò enim quasi superbia servorum stomachata videbatur, cùm diceret Dominus, Erit vester servus, qui voluerit inter vos major esse.* Statius mirificè laudat Rutilium Gallicum, Imperatoris Ministrum, qui circumspectâ suâ gubernandi methodo, Romanorum animos plurimum affecerat. Encomia ipsius hoc compendio recenset.

Magister. Minister benignus. Prælatus. *Matth. 20. 26.* *S. Aug. in Ps. 115.* *Stat. lib. 1. Sylv.*

--------- Tristes invitum audire catenas,
Parcere verberibus, nec, quâ jubet alta potestas,
Ire: sed armatas multum sibi demere vires,
Dignarique manus humiles, & verba precantum:
Reddere jura foro; nec perturbare Curules. &c.

116. Delphinus ad perceptas musicas voces celeri cursu abripitur. Unde S. Jacobum Minorem Emblemate veneratus D. Aresius, Imagini illi subscripsit. VELOX AD AUDIENDUM. verbis è Canonicâ Jacobi Epistolâ mutuatis. Peculiaris enim Apostolo illi congenita erat audiendi, & divinis vocibus auscultandi velocitas: siquidem ipsius vocatio in Sacris Evangeliis nullibi describitur; sed contrà Apostolorum cœtui absolutè & ultrò annumeratus reperitur; quin imò, probabile est, illum eodem momento, nullâ interveniente morâ, vocanti Divinæ voci respondisse. Quâ in virtute imitatus est sanctos Angelos, de quibus Regius Psaltes canit, *Facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.* Atque adeò de Sancto Jacobo verum est, quod D. Bernardus ait; *Uno eodemque momento procedit & imperantis Imperium, & obsequium obsequentis.* Nimirum doctrinam illam in se ipso experiri volebat, quam aliis in Epistolâ suâ Canonicâ persuadere nitebatur; *sit autem omnis homo VELOX AD AUDIENDUM. &c.* id est, promptus, & alacer ad sapientiæ leges percipiendas; nihil omninò, quod ad interioris hominis profectum facere potest, negligendo. Hugonis Victorini, mei Concanonici, doctrina est; *Ab omnibus libenter disce, quod tu nescis, quia humilitas commune tibi fecit, quod cuique proprium fecit. Sapientior omnibus eris si ab omnibus discere volueris. Qui ab omnibus accipiunt, omnibus ditiores sunt.*

Iacob. 1. 19. S. Jacobus minor. Obedientia. *Ps. 102. 20.* *S. Bern. de Virtut. Obed.* *Iacob. 1. 19.* *Hug. de S. Vict. lib. 3. Didascalic.*

117. Delphini juniores, tumultuante mari, mox matris suæ uterum ingrediuntur, ibique tuti latitant. Unde Aresii lemma. ITERATO INTROEUNT. Peccatoribus illis hæc imago convenit, qui exteriorum calamitatum tempestate, aut malæ conscientiæ procellis jactati, ad Dei sinum, unde prodierunt, revertuntur. Tales fuêre Petrus post Christum perfidè negatum; Thomas post infidelitatem; Filius prodigus, qui fame pressus, sinum ac ædes paternas repetiit. Unde istorum exemplo peccatores omnes invitat Sanctus Chrysologus, ut, fortassis lubrico pede è Dei sinu prolapsi, ad eum alacres denuò revertantur. *Si abscessimus,* inquit, *si substantiam Patris totam luxuriosè dispersimus, si quidquid usquam commisimus facinoris & delicti, si ad impietatis præruptum totum, totam venimus ad ruinam, surgamus aliquando, & ad talem patrem, tali invitati redeamus exemplo.*

Pœnitens. *S. Petrus Chrysol. s. 3.*

118. Delphinus, inter turbati maris procellas hilari corpore exiliens, epigraphen habet; HINC LUDUS, ET ESCA. Ita generosus animus violentos adversæ fortunæ motus non forti tantùm, sed & hilari fronte tolerare novit. Certè Socrates venenum, à carnifice propinatum, mente adeò immotâ ebibit, veluti Diis sacrificaturus, pretiosi liquoris, aut insignis nutrimenti calicem sumpsisset: cùm verò, lethali pharmaco jamjam se in venas diffundente, nonnemo è circumstantibus semianimi ac rigescenti ipsius pectori manum admoveret, Socrates, ad eum conversus, dixit, se jam optimè habere, debereque Æsculapio gallum pro sanitate integerrimè restitutâ. Idipsum, encomio longè præstantiore, de Sancta Agatha, Virgine & Matre, testatur Sancta Ecclesia, *Lætissimè & glorianter ibat ad carcerem, & tanquam ad epulas invitata &c.* De quovis S. Martyre ait Magnus Augustinus; *Qui tribulatur in carne, gaudet in corde.*

Pati cum gaudio. *S. Aug. in Ps. 91.*

119. Delphinus, tametsi corporis mole sit crocodilo longè inferior, ei tamen in Nilo flumine assiduas struit insidias; nam infra crocodili ventrem demissus, dorsi sui spinis eam disrumpit, & occidit. Unde Aresii lemma. SUBEST, SED OBEST. Eadem subditorum quorundam protervia est, qui divitiis, authoritate, ac viribus longè inferiores, suis tamen majoribus graves offensas irrogare audent. Herodotus; *Subditi potentes, à Rege & summo Principe contumeliâ affecti, sæpè sese acerrimè, etiam cum totius patriæ, & ipsius regni jacturâ, ulciscuntur, & vindicant.*

Offendere majores. *Herod. lib.*

120. Aristoteles inter cæteras Delphini proprietates observat, quod socios suos, maris impetu jactatos, seu vivos, seu mortuos, adjuvet, iisque opem, quàm potest, maximam ferat. Unde Lucarinus auxiliantem socio suo Delphinum hâc epigraphâ insignivit; ADJUTUS NON MERGITUR. Alienam opem ac patrocinium hoc Emblemate significabis. E Dei manu copiosè id expertus David, non sine grati animi argumento dixit, *Misit de cœlo, liberavit me.* Et alibi ad eum clamat; *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me, de aquis multis.* De Sancto Petro appositè in rem nostram ait Matthæus; *Cùm cæpisset mergi, clamavit dicens; Domine salvum me fac. Et continuò IESUS extendens manum, apprehendit eum &c. In Petro itaque,* Inquit Magnus Augustinus, *Communis omnium nostrûm considerandu conditio est, ut si nos in aliquo tentationum ventus conatur subvertere, vel undâ submergere, clamemus ad Christum.*

Aristot. 11. Anim. lib. c. 48. Auxilium. *Ps. 56. 4.* *Ps. 143. 7.* *Matth. 14. 30.* *S. Aug. ser. 14. de Verb. Dom.*

121. Delphinus, thynnos pisces intra rete pertrahere solitus ipsemet foris remanet. Emblemati subscripsit Lucarinus; INTRUDIT, NON CAPTUS. Ita Prædicatores quidam aliorum animas ad virtutem ac beatitatem perducunt, ipsimet

ipsismet neque hanc, neque illam ingredientibus. Id quod nonnemo campanæ similitudine expressit, quæ alios ingenti clamore convocans, ipsamet, omnis sensus expers ac stupida, foris remanet. Apprimè Joannes Thuilius;

Æra gravi cunctos veluti campana sonore,
Ipsa licet penitus sit sibi surda, ciet.
Sic es, recta docens alios, perversa secute,
Quique aliis sapiens, non sapis ipse tibi.

Idipsum S. Paulus dixit; *Qui alios doces, te ipsum non doces.* S. Gregorius Papa; *Si negligis implere quod doces, aliis messem seminas, & ipse a frumenti participatione jejunas.*

122. Delphinus, reti inclusus, ab eodem hanc recepit epigraphen. INCLUSUS HILARITER PASCITUR. Gemino sensu hanc iconem interpretari licet. Primò quidem cor generosum, ac magnanimâ fiducia plenum, significat; quali instructus erat Daniel, qui in profundo leonum lacu securus prandere potuit. Dein etiam peccatorem, salutis suæ incurium, denotat; qui, tametsi dæmonum reti implicatus, dies tamen traducere lætos, ac hilariter convivari novit. Certè Evangelicus ille Epulo, destinatum cacodæmoni mancipium, *epulabatur quotidie splendidè.* Nempè quod Magnus Augustinus ait; *Iniqui præsentes lætitias amaverunt; & futura supplicia non crediderunt.* D. Salvator Carducius primum Emblematis sensum hoc tetrasticho explicat;

Delphinus, retis fluitanti carcere clausus,
Æquoris horrisoni pabula lætus edit.
Sic Daniel inter feralia septa leonum
Magnanimo cœli fercula corde cepit.

Et alterum sensum isto;

Æquore Delphinum dum retia jacta catenant,
Lætior oblato pascitur ipse cibo.
Non secùs in casses Epulo conjectus Averni,
Lethiferis epulis membra saginat ovans.

123. Delphinus, minores suas proles insequens, à Joanne Ferro epigraphen recepit; ET COMITATUR EUNTES. Discant hinc parentes suis filiis solicitè assistere, eorumque assiduam curam gerere. Diligentiam hanc persuasurus S. Ambrosius, cornicum exemplo utitur. *Discant parentes amare filios ex usu & pietate cornicum; quæ, etiam volantes, FILIOS COMITATU SEDULO PROSEQUANTUR, cibum suggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia non relinquunt.*

124. Athenæus & Aristoteles affirmant; inter omnes pisces solum Delphinum felle carere. Unde lemma. VISCERA FELLE CARENT. Clementem ac benignum Principem hæc imago spectat. Justus Lipsius; *Nullum*, inquit, *ex omnibus magis clementia, quàm Regem & Principem decet.* Fridericus Imperator dicere est solitus; *A Deo, cùm oro, misericordiam peto, non justitiam: Cur igitur me subditis clementem atque misericordem non exhibeam?* uti refert Æneas Sylvius. Sanctus Sinesius de Osiride, Ægypti Rege; veluti optimi Principis prototypo testatur, eum in benevolentia ac gratiis dispensandis etiam erga immeritos & hostes, profusissimum fuisse. *Nulla cuiquam res pro merito defuit: nisi, si, cùm malum aliquod deberetur, cum eo verò pro meriti ratione non agebat, id enim magno studio efficere nitebatur, ut morum humanitate & beneficiis etiam impudentissimos homines superaret.*

125. Delphinus, tempestatum impetu forte in terram ejectus, mox vitam, quam in alto mari diutissimè conservasset incolumem, miserrimè perdit. Guido Vanninius, Delphinos alloquens, de hac proprietate canit;

Vos tellus vix tacta necat, vos luditis alto.

Eò reflectens Henricus Farnesius, Delphino, ad littus ejecto, & jamjam exanimi, epigraphen subdidit. IN ALTO VITA. Inde disces, vitam spiritualem ab iis tantùm possideri, qui à terra, ejusque negotiis abstracti, intra religionis solitudinem degunt. Hâc de re, tametsi diversâ metaphorâ, disserens Author Operis Imperfecti, ait; *Sicut difficile est, arborem, juxta viam positam, fructus suos usque ad maturitatem servare, sic difficile est, virum fidelem, juxta istum mundum viventem; id est in actibus ejus justitiam immaculatam usque in finem servare. Si vis ergo fructus justitiæ usque in finem tenere, recede de via, & plantare in loco secreto, ut nec mundus tecum aliquid habeat commune, nec tu cum mundo.*

126. D. Josephus Pallavicinus Abbas hominem, inter mundi tumultus imperterritum, Delphini emblemate significavit; qui inter maris tempestates suavi indulgens somno, epigraphen tulit; PER ME DI NEMBI IL CIEL S' OSCURA INDARNO. Id est; NULLAS FORMIDO PROCELLAS. De viro justo ait Magnus Augustinus; *In adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissimus, in hospitalitate latissimus, inter veros fratres lætissimus, inter falsos patientissimus.* Idipsum Horatius, alibi à nobis adductus, canit;

Iustum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor, prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ: neque Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iovis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

127. Grandior Delphinus minores ducit, viamque exemplo præit. Lemma; CASUS ARTESQUE DOCET. Zincgrefius hoc suo Emblemate persuadere nititur, Reges, Doctoresque exemplo suo præire debere. Seneca ait; *Omnis turba plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit.*

ECHINVS MARINVS.

CAP. XX.

128. Spinosum hoc animal, tametsi in multa frusta discerptum, si projiciatur in mare, mox confluentibus sponte in unum partibus, iterum coalescit, & ad pristinam formam solidissimè componitur. Huic Pieri Valeriani hieroglyphico Lucarinus epigraphen subdidit; CONFLUUNT, ET CONNECTUNTUR. Ita corpus humanum, tametsi mille locis dispersum, ac in cineres redactum, olim tamen reviviscet, suamque integritatem assequetur. Emblemate haud dissimili ad exequias Marchionis Villæ, Ferrariæ celebratas, Echinum marinum depinxêre, qui minutim concisus, epigraphen habuit; ET DISCERPTUS INSTAURATUR. Geminus imaginis hujus sensus esse poterat; Primus quidem; militem illum, tametsi corpore tenùs violentis Bellonæ ictibus disruptum, famam tamen ac nominis splendo-

Marginalia (left column): ...edica... vitio... | ...Thuil. ...ibl 15. ...ciati. | ...m 2. 21. Greg. in ...storali. | ...iducia ...isti. | ...eccator ...curius. | ...uc. 16.19. | ...Aug in ...s. 124. | Educatio. | S. Ambr. in Hexamer. | Princeps clemens. | Lips. civil. Doctrinar. lib. 2. c. 12. | Æn. Sylv. l. 2. c. 48. | Synes. lib. 1. de Provid.

Marginalia (right column): Guid. Vann. l. 1. de Arte amandi Deũ. | Religiosus | Aut. Op. Imp. Hom. 36. in Matth. | Mens imperterrita. | S. Aug serm. 29. de Temp. | Horat. lib. 3. Ode. 3. | Exemplũ. | Senec. Epi. 6. | Pier. Val. l. 28 | Resurrectio.

Famæ integritas. splendorem integerrimum conservare. alter; Marchionem illum in communi omnium resurrectione ad insignem tàm corporis, quàm animæ vitam ac integritatem rediturum, Tatianus, *Quamquam*, inquit, *in fluviis, aut in mari contabescam, aut à feris dilanier, condor tamen in penu prædivitis Domini, quod, licet pauperes & impii nesciant, Deus tamen, qui regnat, substantiam suam, sibi soli conspicuam, quando voluerit, ad pristinam integritatem reducit.*

Tatianus contra Græcos.

129. Echinus marinus inter tempestatum tumultus saxo cuidam fortissimè adhærere solet, damnum illud evitaturus, quod ipsi accidere posset, si pro fluctuum libidine passim in scopulos alliderertur. Emblemati subscribes; HÆRET, NE PEREAT. Ita sanè Fideles supra Christum, veluti unicam securitatis ac refugii petram, stabiliti, indubitatam salutem assequantur. Sanctus Ambrosius; *Echinus, cùm procellam ventorum præsenserit, calculum validum arripit, eumque velut saburram vehit, & tanquam anchoram trahit; ne excutiatur fluctibus. Itaque non suis se liberat viribus, sed alieno stabilit, & regit pondere.* Et Ascanius Martinengus; *Petra erat Christus: ad hunc calculum per pœnitentiam se recipit pavidus peccator, atque hoc munitus, nulla imminentia reformidat.*

Adhærere. Spes in Deo.
S. Ambr. lib. 5 Hexam. c. 9.
Ascan Mart. fol. 1499.

ENSIS, seu XIPHIAS.

Cap. XXI.

130. HIc piscis, reti implicatus, osseo ac cuspidatissimo suo rostro, quod instar ensis ori præfixum habet, omnes retis funiculos præscecat, ac periculum egreditur. Hanc multis insolentis ideam D. Aresius sequenti lemmate notavit; DISCERPENS EXIT. Compendio nimirum violentos ac crudeles militum mores repræsentare voluit. Apprimè dixit Tertullianus; *Quis ense accingitur, & non contraria lenitati & justitiæ exercet? id est, dolum, & asperitatem, & injustitiam, propria scilicet negotia præliorum.* Huic concolor Justus Lipsius; *Vir*, inquit, *& injuria ferè est, quæ hodie militem alit.* Meus D. Matthæus Bossus de Alexandro Gonzagâ, Ludovici Secundi Marchionis, & hodie Ducis Mantuani, fratre, per prosopopœiam disserens, ait, *Arma ubi refulserint, quam integram, oro, virtutem relinquunt? quos mores incorruptos? quot direptiones & prædæ? quot stupra? quot homicidia? quot urbium eversiones & populorum committuntur?*

Miles insolens.
Tertull. l. cont. Iud.
Lips l. 5. de Milit. Dial. 16.
Matth. Boss. de toleran. advers. Collat.

131. Xiphias, reti, ubi concludebatur, dirupto, non se tantùm, sed & alios pisces, carcere illo retentos, in libertatem asserit. Unde lemma, VICTORIA VICTO. Meâ quidem sententiâ, præclarum hoc Christi reviviscentis ectypon est, quando è lymbo progressus, captivas Patrum animas secum in libertatem eripuit. Sanctus Ambrosius in illud Apostoli, *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*; ait, *Infirmum Dei non est infirmum, quia infirmitas Christi magna victoria est, VICIT enim, CUM VICTUS VIDERETUR. Victor enim existit, qui injustè occiditur, reum constituens, à quo occiditur.* Nervosè S. Ignatius Martyr; *Descendit Christus in infernum solus, ascendit verò cum multitudine, & diripuit maceriam, quæ erat à sæculo.*

Christus resurgens.
S. Ambr. in 1. Cor. 1. 25.
S. Ign. Mart. Epist. 5. ad Trallens.

132. Xiphias oblongo ense osseo, quem ori suo præfixum habet, obvios quosvis pisces dissecat, devoratque. Lemma. OBVIA QUÆQUE SECAT. Idipsum homo maledicus ac detractor assolet, qui linguâ, ceu gladio acutissimo instructus, nemini unquam parcit, sed obvios quosvis indiscriminatim offendit, eorumque famam, quantum potest, occidit. Adversum istos jam olim conquestus David; *Lingua eorum*, ajebat, *gladius acutus. Gladius equidem anceps*, inquit S. Bernardus, *imò triceps est lingua detractoris. Nec vero ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro, nec jam examine fodit, sed facit examine fodiendo.* Sanctus Pater Augustinus illum linguæ gladium non tantùm in sensu deteriore de Judæis, sed etiam in bono de Christo vult intelligi. *Noli attendere inermes manus*; inquit, *sed os armatum; gladius processit, quo Christus occideretur; quo & de ore Christi, unde & Judæi occiderentur. Habet enim ille gladium bis acutum, occidentis, & resurgentis: & resurgens percussit eos, & divisit ab eis, quos faceret fideles suos. Ille bonum gladium, illi malum; ille sagittas bonas, illi malas. Nam habet & ipse sagittas bonas, verba bona; unde sagittæ? cor fidele, ut ametur.*

Detractor
Psal. 56. 5.
S. Bern. ... de Dive...
Christus resurgen...
S. Aug. in Ps. 56.

EPISCOPVS.

Cap. XXII.

P. Gasp. Schott. Ph... Curios. l. 3.

133. IN mari piscis reperitur, quem Episcopum cognominant, eò quòd aspectu Prælatum, pontificiis insigniis vestitum, referat; uti illum calamo descriptum, & ære incisum exhibet Pater Caspar Schottus. Hunc proinde D. Aresius Episcopi indigni Symbolum statuit; cum lemmate, SPECIEM, NON VIRTUTEM. Ab hoc argumento parum recedit illud Joannis Geometræ de Hyppocrita epigramma.

Episcop... ineptus. Hypocri...

Idolum, & qui se ostentat inaniter, unum
Efficiunt: auro nam simulachra nitent.
Cùm pice sint & plena luto intus: sic quoque & iste,
Cùm sacer extra sit, non tamen intus is est.

Certè hi, sive Hypocritæ, sive Prælati, Cornelio Tacito asserente, *inter claros magis, quam inter bonos numerari gaudent.* Verissimum est, quod Absalon Abbas dixit, *Nemo sibi blandiantur de bona spe exterioris conversationis, formam pietatis foris prætendens in bonis operibus, si conscientia criminosa est, si desideriis carnalibus intus æstuat, si odio vel invidia, cæterisque vitiis spiritualibus, intus obsessus est, quia bonis exterioribus non pascitur Christus, quæ charitatis pinguedine non informantur.* Mirificè in rem præsentem ait Sanctus Gregorius Papa; *Ad pœnam nostram Episcopi vocamur, qui honoris NOMEN, NON VIRTUTES tenemus.*

C. Tacit. l. ... Histor.
Absal. Ab. serm. 8.
S. Greg. Pa... Hom 16. ... Evang.

GLANIS.

CAP. XXIII.

134. HIc piscis adeò dexterè circa hamum versari solet, ut surreptâ ex illo escâ, non capiatur. Emblemati subscripsit Bargalius; NON CAPIAR, ET CAPIAM. Ita homo prudens & astutus vel ab ipsis hostibus commodum aliquod extorquere novit, nullo unquam detrimento sibi inde irrogato. Porro Litteratos illos hoc emblema spectat, qui è gentilium ac hæreticorum libris, ceu hamatis escis, ingentem utilitatem capiunt, eorumque venenatos aculeos penitus illæsi versant. Cassiodorus Origenis volumina, gravibus erroribus

Astutia.
Studiosu...

bus passim respersa, hâc censurâ perstringit. *Cautè, sapienterque legendus est; ut sic inde succos saluberrimos assumamus, ne pariter ejus venena perfidiæ, vitæ nostræ contraria, sorbeamus.*

135. Glanis in amando, defendendo, & adjuvando suo fœtu nulli piscium cedit. De hoc Ælianus; *Ex piscibus suorum fœtuum amantissimus est.* Et licet glanis mater, fœtum enixa, nullam amplius videatur ipsius curam gerere, *assiduum tamen se præstans mas custodem ad conservationem sobolis, eam TVETVR, ET insidias omnes ARCET.* Unde epigraphen subjunges; SOBOLEM TUETUR, ET ARCET. Idipsum etiam testatur Pierius Valerianus, ex quo hanc inscriptionem mutuare potes; PROLIS AMOR VIGILEM, seu SOBOLIS TUTELA SAGACEM. subintellige, *reddit.* Piscis hujus ore canit meus D. Salvator Carducius;

Prolis amor vigilem me reddit in æquore fervens.
Nempe vel in gelidis fluctibus ardet amor.

Et rursus;

Impigra me reddis sobolis tutela sagacem;
Discito, quo vigeat robore verus amor.

Cæterùm Paterfamilias, bonæ liberorum educationi solicitè intentus, hoc Emblemate repræsentatur. Seneca parentum erga liberos curam & amorem describens, *Non vides,* inquit, *quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora, ac repugnantium, diligenti cura fovent; & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt: & mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad ultimum audacem juventam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur, coactam applicant. &c.*

HIPPOPOTAMUS.

Cap. XXIV.

136. Hippopotamus, latinè Equus fluviatilis, animal amphibium est; nam Nili aquis habitans, nonnunquam, instar crocodili, extra illas progreditur, ac terram obambulat. Unde Lucarini lemma; AQUA, TERRAQUE POLLET. Graves D. Pauli labores & peregrinationes, quas terrâ marique perpessus est, hoc emblemate significantur. Ipsemet testis sibi locupletissimus ait, *In laboribus plurimis ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum &c.* Adeò ut subjungat Magnus Augustinus; *Ista pericula numerari quidem possunt, sed tolerari, nisi Spiritu Sancto juvante non possunt.* Cæterùm Emblemate illo etiam Principem, terrâ marique potentem, significare licet.

137. Hippopotamus, si valetudinem suam nonnihil languere sentiat, mox ligni cujusdam cuspidi ceu phlebothomo, allisus, venam aperit, profuso sanguine, sanitatem recuperat. Lemma. IN VULNERE SALUS. Ita nimirum Reipublicæ, ceu corporis mystici incolumitas è suppliciis adversus sceleratos ut plurimùm pendet. Justus Lipsius; *Profectò periit hodie Ducum authoritas, quia severitas: nec alia res militem in turbas & scelera movit, quàm solutæ leges. In sanguine & cæde qui versantur, ferociam & contemptum induunt, nec nisi sanguine & cæde coercentur.*

138. Correctionem duram efficax esse salutis alienæ recuperandæ pharmacum, haud obscurè ex hippopotami Emblemate colligere licet; qui ad vicini stipitis cuspidem allisus, venam incidere solet; cum dicto. DOLEAT, UT VALEAT. Correctionis duræ methodum & utilitatem è Magno Augustino disce. *Foris terribilis personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio; neque consentientes sitis malis ut approbetis, neque negligentes ut non arguatis &c.* Opportunè Ovidius;

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignem,
Arida nec sitiens ora lavabis aquâ.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.
Dura aliquis præcepta vocet mea; dura fatemur
Esse, sed ut valeas, multa dolenda feres.

139. E Magnatibus nonnemo, fœminæ cujusdam venustæ amorem insigni suâ magnanimitate aucupaturus, sese gravissimo militiæ discrimini liberrimè exposuit. Hunc P. Certanus Hippopotami symbolo expressit, qui junci spinis seipsum injicere solitus, sanguinem copiosum elicit; cum dicto, CON LE FERITE SU COMPRA LA VITA. Id est, EMIT SIBI VULNERE VITAM. Verius tamen Servator noster imagine istâ exprimitur, qui vulnerum ac sanguinis sui pretio hominum vitam ab interitu vindicavit, eosque ad sui amorem, nunquam intermoriturum, obstrinxit. Unde Propheta Apocalypticus ad illum clamat; *Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo.* Et Sanctus Pater Augustinus, *Sacrificium, ubi Sacerdos est victima; redemit nos fuso sanguine; Creatoris: non tantùm creavit nos cum sanguine, sed redemit sanguine.*

140. Hippopotamus, sanitatem è vena incisa recuperans, Camerario authore epigraphen sustinet; CONTRARIA PROSUNT. Quotidianâ experientiâ constat, calamitates ac miserias, quantumvis exteriore vultu pernitiosas; re ipsâ tamen mirificè prodesse. Præclarè, ut solet; Magnus Augustinus; *Sint ergò tentationes, sint tribulationes? consummaris in eis, non consumeris.* Albertus Valltaimus, etiamnum juvenis, & Archiducis Austriæ Ephebus; pertinaci voluntate Lutheri hæresim amplexus est: at cùm è fenestra præceps rueret; mox saniora edoctus, ad Catholicorum sacra redire decrevit.

141. Hippopotamus; lateri suo cuspidem infigens, inscriptionem à Camerario recepit; VULNERE RECREOR. S. Franciscum Assisiatem, sacris cicatricibus insignem; & S. Theresiam, igneo telo ab Angelo transfixam, hoc Emblema spectat. Idipsum peccatoribus quoque convenit, qui charitatis Divinæ jaculo saucii, veternum excutiunt, suæque animæ vitam ac sanitatem recuperant. S. Gregorius Papa; *Corda nostra malè sana sunt; cùm nullo Dei amore sauciantur; Sed vulnerantur, ut sanentur, quia amoris sui spiculis Deus mentes insensibiles percutit, moxque eas sensibiles per ardorem charitatis reddit.*

142. De Hippopotamo refert Plinius; *Assiduâ satietate obesus, exit in littus: atque ubi acutissimum videt stirpem; imprimens corpus, venam quâdam in cruce vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidum aliàs corpus exonerat.* Unde Hippopotamo, ad spinæ aculeum alliso, epigraphen subjunges; SAT VEL UNA SALUTI. Ita animo nobili & ingenuo una solùm correctionis spina sufficit, ut è vitiorum lethargo experrectus animæ suæ salutem denuò recipiat. Saulus, tantùm à Christo,

Marginalia (left column): Isid. l. 1. Divinis Lion. c. 1. — Ælian. l. 12. Animal. c. 14 — Pier. Val. li. .. sub. fin. — Educatio liberorum — Parentes. — Senec. l. 6. de Benef. c. 25. — S. Paulus Apostol. — 2. Cor. 11. 25. — S. Aug. serm. 2. de Verb. Apost. c. 2. — Princeps potens. — Justitia vindicativa. — Lips. lib. 5 de Milit. Rom. Dialog. 18.

Marginalia (right column): Correctio aspera. — S. Aug. serm. de Verb. Domin. — Ovidius. — Amans. — Christus patiens. — Apoc. 5. 9. — S. Aug. ser. 8. ex addit. à Sirmond. — Calamitas utilis. — S. August. in Ps. 94. — S. Franciscus. S. Theresia. Calamitas utilis. — S. Greg. l. 6. Moral. — Plin. l. 8. c. 26 — Correctio.

Act. 9. 6. à Christo reprehensus, furorem exuit, & instar oviculæ mansuetus evasit. David, primâ vice à Nathane correptus, convaluit, & pristinas animæ vires recuperavit. De hoc Salvianus; *Agnoscit David reus culpam, humiliatur, COMPUNGITUR, confitetur, luget, pœnitet, sanatur. &c.*

2. Reg. 12. Salv. l. 2. de Guber. Dei.

HIRUNDO.

Cap. XXV.

143. HUnc piscem, utpote alis instructum, aliqui *piscem volantem* cognominant. Id cumprimis in illo mirandum est, quòd ex ore seu branchiis lucem spargat adeò claram, ut noctis tenebras illuminet. Unde Bartholomæi Rossi lemma. FULGET IN TENEBRIS. Innuere voluit, Divum Carolum doctrinæ, cumprimis verò sanctimoniæ suæ splendore mundanam peccatorum caliginem latissimè diffipasse. Justus Lipsius idipsum de litteratorum virtute tradit, qui nonnunquam invidorum malevolentiâ obnubilati, tandem morte imminente mirificè resplendent. *Vivos*, inquit, *& superstites premere in rectè factis etiam livor aut invidia potest; at mortuos, & cùm tractu veritas invalescit, splendor ille famæ & virtutis irradiat, & sera scripta ad memoriam tradunt posterorum.* Cæterùm Emblema istud etiam nostram in agendo prudentiam, veluti unicum mentis humanæ radium, demonstrat. Guido Casonus in hanc rem canit;

S. Carolus. Calamitas. Lips. Præfat. in lib. 1. de Milit. Rom. Prudentia. Guid. Cason. Embl. 4.

Vede ne la caligine profunda
De l'incertezza de gli humani eventi
Ciò che seguir, ciò che fuggir si deve.

144. D. Aresius hominem sanctum, vitæ activæ & contemplativæ ex æquo deditum, piscis hujus Emblemate describit; addito epigrammate, SURSUM, ET SUBTER. S. Petrus Damianus; *Quid pennatis avibus, nisi electæ animæ significantur, quæ profectò solæ in cœlestis Ecclesiæ corpus transeunt, quia modò virtutum pennulis fultæ, saltus dare per cœleste desiderium sitiunt; ut superna per contemplationem appetant, quamvis in semetipsas iterùm ex mortali carne relabantur.* Et S. Gregorius Nazianzenus; *Pulchra res est contemplatio, pulchra item actio: illa hinc assurgens, usque ad sancta Sanctorum contendens, mentemque nostram ad id, quod sibi cognitum est, reducens. Hæc verò Christum excipiens, eique inserviens, ac vim amoris per opera indicans.* Intellectus humanus ad sublimia & infima quæque sese extendere solitus, hoc symbolo opportunè significatur. Justus Lipsius; *Mens hominis momento SUMMA, IMA, propinqua, disfita, permeat, & pervadit.*

Vita activa & contemplativa. S. Pet. Dam. Epist. 18. S. Greg. Naz. Orat. 16. Iust. Lips. lib. 1. Admir. c. 13.

145. Hirundo, piscium aliorum injuriis infestata, in aëra sublevatur, ac volatu sibi consulit. Unde lemma huic pisci inditum; PERSECUTUS ATTOLLITUR. Eorum hæc imago est, qui mentem suam ibi tantùm ad Deum erigunt, quando calamitatum impetu concutiuntur. S. Anselmus; *ADVERSIS IRRUENTIBUS separatur à terrenis cupiditatibus ECCLESIA, id est, fidelis anima, & COELO FIT PROXIMA,* Haud aliter S. Gregorius Papa; *Mala, quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt.* Prolixè in hanc rem meus Concanonicus D. Matthæus Bossus; *Tentat afflictionibus nos Deus, & ducit per ignem & aquam, ut semper evigilemus orantes, & terrenis, humanisque despectis, de sublimibus cogitemus, atque cœlestibus, quod nemo efficit, qui præsentibus rebus magnoperè gaudet tranquillus, atque immotus.* Et paulò post; *Cùm tentamur, flagellis quatimur, molestiis conterimur, cùm morbi subeunt, pavor ingruit, oculos repente in cœlum attollimus. Divinam opem & digitum propensius quæritamus.*

Calamitas. S. Anselm. S Greg. Pap. D Matth. Boss. de tolerand. advers. Collat. 1.

146. Persecutiones undique patitur misera hæc hirundo; nam intra aquas degens, à validis hostibus infestatur: extra illas verò ad declinandas aliorum piscium insidias sublevata, ab avibus quibusdam devoratur. Atque adeò in utrolibet elemento secura vivere nequit. Lemma; NEC AURA, NEC UNDA. Eandem tyrannidem nunquam non experiri cogitur innocentia; Salusthius testatur; *Innocentiæ plus periculi, quàm honoris esse.* Hanc calamitatem meus Concanonicus, S. Prosper, iis omnibus communem asserit, qui vitam volunt traducere innocuam.

Innocentia oppressa. Salusth. in Iugurth. S. Prosper.

Nunquam bella bonis, nunquam discrimina desunt.
Et cum quo certet, mens pia semper habet.

147. Nonnemo hunc piscem, terrâ, marique infestatum, hoc lemmate notavit; UNDIQUE ANGUSTIÆ. Conscientia mala, accommodatè ad hanc ideam, terroribus ac minis undique concuti solita, verè cum Caino pronuntiaverit; *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Et quidem si adversarii desint, interioris animi tortores nunquam deficient. Benè dixit S. Joannes Chrysostomus; *Invidi, avari, & raptores, bellum undequaque circumferentes, & intus sedentes inimicos habentes, QUOCUNQUE RECESSERINT, PUGNAM NON POSSUNT EFFUGERE.*

Conscientia mala. Gen. 4. S. Io. Chrys. in nunc lo.

LUCERNA.

Cap. XXVI.

148. DE hoc pisce testatur Plinius; *Lingua ignea, per os exerit, tranquillis noctibus lucet.* Atque adeò hic piscis linguam, multo illustrem splendore, præsefert; addito lemmate. A LINGUA JUBAR. Ita excellens quidam Academicus cæteris omnibus facem ac discendi normam prælucere potest. Celebris Orator non patriæ duntaxat, sed & toti Provinciæ illustrandæ sufficit. Verbo; hominum Apostolicorum linguæ, ceu totidem lucernæ, clarissimos doctrinæ radios, & eximium charitatis ardorem passim diffundunt. S. Gregorius Papa; *Linguas igneas Doctores habent, quia dùm Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant.*

Plin. l. 9. c. 1. Orator. Apostoli. S. Gregor. Hom. 30. in Evang. Plin. l. 6.

149. Prædictâ piscis hujus proprietate, & Plinii testimonio nixus, epigraphen ei subjunges; TRANQUILLA NOCTE RELUCET. Ita omninò illuminata correctoris aut consiliarii lingua obscuros ac tenebricosos, sed tamen simul tranquillos, nulloque passionum æstu agitatos hominum animos clarissimis radiis perfundere solet. P. Julius Nigronius; *Splendor, inquit, ex ignea lingua & ardenti effulgens, est ipse sermo spiritualis, qui noctes tranquillas requirit ad capturam: hoc est mentem auditorum, in ignorantiæ quidem tenebris, ac nocte versantem; sed tamen sine vehementi perturbatione, pravâque dispositione tranquillam.* De sapientia testatur S. Pagina, quòd animam malignis affectibus turbatam, nunquam sit ingressura: *In malevolam animam non introibit sapientia.* Unde monet S. P. Augustinus; *Puri, atque purgati sensibus & cogitationibus esse debemus, ut nos dignos Dei visitatione & illuminatione faciamus; quia perversæ cogitationes separant à Deo.*

Correcti. S. Paul. N. Regula 4. n. 13. Sapientia. Sap. 1. 4. S. Aug. serm. 183. de Temp. Sap. 1. 3.

150. P. Hor-

150. P. Hortensius Pallavicinus Lucernam piscem, inter nocturnas umbras resplendentem, hoc lemmate insignivit; EXTERNÆ NON INDIGA. Innuebat videlicet, Illustrissimum Comitem, Alphonsum Littam, recens inauguratum Archiepiscopum Mediolanensem, & tunc Eminentissimum Cardinalem, tantos nobilitatis, virtutum, ac meritorum splendores habere congenitos, ut ad eos locupletandos aliis ab intrinseco emendicatis opus minimè sit. Eandem planè significationem referebant duodecim gemmæ, quæ, utpote duodecim tribuum figuræ, summi Hebræorum Sacerdotis pectus exornabant. Nam asserente S. Gregorio Nysseno, *Lapides ita erant varii, ut nullius ad alterum esset similitudo, proprio enim singuli splendore fulgebant*; Hanc nimirum Deus cujusvis animæ ideam ob oculos posuit, ut virtutis propriæ splendore, non verò exteris, ac emendicatis ornamentis inclarescere satagat.

Proprius valor.

S. Greg. Nyss. lib. de vita Moysis.

151. Hic piscis Lucernæ nomen à linguæ suæ splendore recepit. Lemma? NOMEN LINGUA DEDIT. Ita Viri litterati famam in hoc mundo clarissimam è linguæ suæ facundiâ sortiuntur. Plurimorum instar habeto Ciceronem, Hortensium, Marcum Antonium, Demosthenem, & Periclem, quorum fama nonnisi orbe deficiente peribit. S. Paulum antonomasticè Apostolum vocat, quod prædicando, propagandoque Dei verbo cæteros Apostolos longè anteverterit. Sanctus P. Augustinus; *Apostolus cùm dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur, nisi Paulus; quia pluribus est epistolis notior, & plus omnibus illis laboravit.*

Fama augetur virtute

S. Aug. l. 3. ad Bonifac. c. 3.

152. Eidem pisci, ingenti splendore sub nocturno cœlo per undas natanti, subscripsit P. Blasius Palma; TENEBRÆ NON COMPREHENDERUNT. Deum hæc imago repræsentat, omnis sanctitatis & splendoris fontem. *Quia non est sanctus, ut est Dominus.* Porrò homo justus, mente in cœlum sublevatâ, nullis involvi potest scelerum umbris, sed assiduam spargit virtutum lucem. Sanctus P. Augustinus; *Qui sursum habet cor, luminare est, in cœlo fulget, NEC VINCITUR TENEBRIS.*

Deus.

Reg. 2.

Justus.

Aug. Præfat. in Ps. 93.

LVCIVS, seu LVPVS.
Cap. XXVII.

153. TAnta piscis hujus tyrannis est, ut omnes alios, etiam propriæ speciei, pisces sine discrimine devoret. Unde juniorem Lucium voraciore complexus, epigraphen tenet; PROPRIIS NEC PARCIT ALUMNIS. Princeps tyrannus, ac parens crudelis hoc symbolo delineantur, qui nec subditorum bonis, nec filiorum vitæ parcunt. Inter hos Primipilus Artexerxes, Sabellico referente, quinquaginta filios jugulavit. Tigranes, Armeniæ Rex, quod Baptista Fulgosus testatur, filium suum natu majorem occidit. Titus Manlius Torquatus proprium filium capite plecti jussit. Constantinus Imperator innocentem Crispum; & Herodes Antipas tres suos filios, Antipatrum, Aristobulum, & Alexandrum vitâ privârunt. Seneca; *Quæ alia via esset, si leones, ursique regnarent, si serpentibus in nos, ac noxio cuique animanti daretur potestas? illa rationis expertia, & à nobis immanitatis crimine damnata, abstinent suis, & tuta est inter feras similitudo: quod homines tantum nec è necessariis quidem rabies temperat.* Et Seneca Tragœdus;

Pater crudelis.

Tyrannus.

Senec. lib. de Ira.

Senec in Hyppolyp. Act. 3.

A fratre frater, dexterâ nati parens
Cecidit, maritus conjugis ferro jacet,
Primumque fœtus impia matres suos.

154. Lupus piscis, alium minorem lupum devorans, epigraphen subjunctam habet; PRÆDA MAJORI MINOR. Eâdem planè ratione Tyrannus crudeli avaritiâ adversus minus potentes grassari solet. Contra hanc hominum immanitatem conquestus David; ait, *qui devorant plebem meam ut cibum panis*, Id est, interprete P. Gregorio Hesero, *Qui dispoliant fortunis, infamiâ contegunt, eliminant è vita, penitusque consumunt cultores meos, eum ad modum, quo devoratur à famelico panis cum crustâ, cum medullâ, de quo nec mica supersit.* In eundem Psalmi locum quærit Magnus Augustinus; *Quid addidit in cibo panis?* Et respondet, *Cætera, quæ manducamus, poscimus modò illa, modò illa; non semper hoc olus, non semper hanc carnem, non semper hæc poma, semper autem panem. Quid est ergò, devorant populum meum in cibo panis? Sine intermissione, sine cessatione devorant, qui devorant populum meum in cibo panis.* Seneca;

Tyrannus.

Psal. 52. 6.

Georg. Hes. Comment. in Psal. 52.

S. Aug. in hunc Psal.

Rupêre fœdus impius, lucri furor,
Et ira præceps, quoque succensas agit
Libido mentes, venit imperii sitis
Cruenta, factus PRÆDA MAIORI MINOR
Pro jure vires esse &c.

155. Nonnunquam Lucii capiuntur oculis privati, ac penitus cæci: idque, Physicorum opinione, ranarum operâ contingit; quæ, dentatas Luciorum ferias nihil formidando, iis astutè propinquant; moxque supra illorum frontem collocatæ, miseros excæcant. Emblemati subscripsêre; ASTU, NON VI. Dæmon, ut gratiæ Divinæ lumen homini eripiat, plurimum allaborat, idque, si violentiâ nequeat, astutiâ exequi conatur. Sanctus Gregorius Papa; *Cavenda est hostis astutia, ne, quos apertâ nequit tentatione subvertere, labente telo sævius valeat trucidare.* Porrò hominis oculus recta est intentio, cui eruendo nihil non molitur vaferrimus hostis; probè gnarus, omnem hominis felicitatem aut interitum ab oculo illo pendere. Nam, ut præclarè ait Magnus Augustinus; *Quod non bonâ intentione facis, non tibi proderit: quia quomodò feceris, non quomodò illud evenerit, tibi imputabitur.*

Dæmon.

S. Greg. l. 7. Epist. 3. ante med.

Intentio.

S. August. Tract. in Matth. 6. si lumen; quod in te est &c.

MELANVRVS.
Cap. XXVIII.

156. MElanurus tranquillo mari ad imum fundum sese mergit, ibique inter algæ latebras delitescere solet, ut piscatorum insidias, eo tempore frequentes, effugiat: at verò turbato mari, de illorum præsentiâ ac insidiis securus, supra aquas emergit, & littori vicinum se statuit. Unde lemma. IN TEMPESTATE SECURUS. Vel, SPERAT INFESTIS; &, METUIT SECUNDIS. Verbis ex Horatio mutuatis, ubi hominum cautum, nec inter prospera fidentem, nec inter adversa timendum describit.

Calamitas utilis.

Horat. l. 2. Ode. 10.

Sperat infestis, metuit secundis,
Alteram sortem, benè præparatum
Pectus.

Hinc discas velim, quantùm securitatis è calamitatum tempestate nobis accrescat. Præclarè, ut S. Aug in Psal. 30. solet, Magnus Augustinus; *Multi res adversas timent, prosperas non timent. Periculosior est res prospera animo, quàm adversa corpori. Prius corrumpit prospera, ut inveniat, quod frangat adversa.*

157. Melanurus, humano gustui penitus insipidus, ut à cæteris piscibus internosci possit, caudam nigrâ quâdam notâ distinctam habet. Unde lemma. Scelerati fugiendi. GUSTARE NEFAS. Hominum sceleratorum hæc idea est, quos, atro notatos flagitiorum thetâ, longissimè fugere, eorumque commercia omnia abhorrere jubemur. 1. Cor. 5. 11. Perspicuè Apostolus; *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere.* S. Ambr. in hunc loc. In hunc locum Sanctus Ambrosius; *Cum fratre, in quo vitia hæc reperiuntur, non solum Sacramenta non edenda, sed nec communem escam, docet: ut erubescat quum vitatur, & se corrigat.*

MONACHVS.

Cap. XXIX.

Casp. Schott. Phys. Curios. lib. 3. c. 3. 158. PAter Caspar Schottus ex Rondeletio & aliis refert, in Norvvegiæ oceano marinum aliquod monstrum nostro hoc ævo captum esse, quod humanâ erat facie, capite cucullum gestans, totoque reliquo corpore instar Monachi efformatum, unde etiam ab incolis nomen accepit, ut prolixè describit, & eleganti icone exhibet idem eruditissimus P. Scottus. Religiosus Quare piscem illum symboli loco hâc inscriptione notabis. HABITUM, NON VIRTUTEM. Præclarè in rem præsentem ait religiosissimus Thomas Kempensis; De Imit. l. 1. cap. 17. n. 2. *Habitus & tonsura modicum conferunt; sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum, verum faciunt religiosum.* Quisquis enim in religione perversam ducit vitam, belluam marinam imitatur, exteriore quidem habitu religiosam, sed animâ ac pectore efferatam, immanem, & abominandam. Sanctus Bernardus, S. Bern. ser. 25. in Cant. *Omnis Sanctorum cura, spreto ornatu cultuque superfluo exterioris sui hominis (qui certè corrumpitur) omni se diligentiâ occupat decorando interiori illi, qui ad imaginem Dei est, & revocatur de die in Diem. Certè sunt enim, non posse esse Deo quidquam acceptius, imagine suâ, si propria fuerit restituta decori.* Anth. ser. ad frat. in Eremo serm. 27. Author sermonum ad fratres in Eremo (qui falsò tribuuntur Sancto Augustino) ait, *Cogitate ergò fratres, quàm reprehensibile sit, si sub tali habitu superbia lateat vel luxuria. Summè igitur necessaria est in eremo morantibus ipsa humilitas, quæ designatur per* Ifid. ser. 28. *vestem.* Et rursus; *Nos, qui videmur gerere in corporis nostri habitu figuram crucis, & nomen religionis habemus, nigram vestem humilitatis portamus, zonis etiam præcincti apparemus, caveamus, ne similes simus sepulchris dealbatis, quæ foris pulchra & dealbata apparent, sed intus plena sunt fœtore, & ossibus mortuorum.* Psalm. 44. Sapienter monet Vates Regius; *Omnis gloria filiæ Regis* (nimirum animæ Religiosæ) *ab intus.* S. Aug serm. 67. de Temp. Coronidem jungens Magnus Augustinus; *Vera conversio*, inquit, *sine vestimentorum commutatione sufficit sibi; Vestimenta verò religiosa sine bonis operibus non solum remedium habere non poterunt, sed etiam justum Dei judicium sustinebunt.*

MURÆNA.

Cap. XXX.

159. DE Murænâ scribit Plinius; *Murænas, ajunt, fuste non interimi: easdem ferulâ protinus.* Atque adeò Murænam, levi percussam virgulâ, hoc lemmate afficies; LEVITER ICTA PERIT. Ita prorsus culpa, in proximi nostri pectore, instar Murænæ, serpere solita, dum levi correctionis discretæ ferculâ percutitur, protinus emoritur, & è statione cedit. Correct. suavis. Sapienter dixit Salomon; *Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Prov. 23. Virga enim moderatæ castigationis symbolum est. Sanctus Gregorius Papa; *Curandum est, ut Rectorem subditis & matrem pietas, & patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc solicitâ circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa.* S. Greg. p. Pastor. [illegible] Et inferius: *Hinc David; Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virgâ enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergò est districtio virga quæ feriat; sit & consolatio baculi, quæ sustentet.*

160. S. Ambrosius testatur, Murænam, serpentis sibilo vocatam, protinus è maris profundo emergere, moremque invitanti gerere promptissimum. S. Ambr. Hexam. *Vipera*, inquit, *nequissimum genus bestiæ, & super omne, quod serpentini generis est, astutior, ubi coëundi cupiditatem assumpserit, murænæ maritimæ notam sibi requirit copulam, vel novam præparat, progressaque ad littus, sibilo testificata præsentiam sui, ad conjugalem amplexum eam vocat. Muræna autem invitata non deest, ut venenato serpenti expeditos usus suæ impertiat conjunctionis.* Unde lemma. AD SIBILUM PROPERAT. Evam protoparentem nostram, hæc imago spectat; quæ serpentis Tartarei sibilo invitata, Eva. mox consensum dedit, & relicto totius bonitatis Oceano, Deo, in vitiorum omnium libidinem imprudens ruit. Porrò etiam verus obediens Emblemate illo describitur, qui unico, etiam minimo, Obedie[ns]. Superioris nutui promptè respondet. Opportunè Divinus Vates Zacharias ait, *Sibilabo eis, & congregabo eos.* Zach. 10. In hanc sententiam admirabundus Stephanus Cantuariensis, ait, *quasi solo sibilo opus sit, non prædicationis tubâ.* Steph. C[ant]. in Allego. Godefrid. Tilmann. Eandem in auscultando alacritatem excipit Apostolus; *Admone illos Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* Tit. 3. 1.

161. Muræna, serpentis sibilo allecta, è mari progreditur, ac fidem, consorti suæ debitam, infringens, cum eo commiscetur. Quare D. Aresius hanc mulieris adulteræ imaginem statuit, cum lemmate. ALIENUM ADAMAT. Adulterium. S. Basilius, *Adulterium naturæ quoddam est viperæ, murænæque mutuus ille complexus. Discant igitur ii, qui alienis insidiantur nuptiis, cuinam reptili sint similes.* S. Basil. H. 7. Hexam.

162. Murænæ, Siculi maris piscis, à sole adustus, mari rursum mergi nequit. Lemma. NON SUBMERGETUR ADUSTUS. Ita homo, Charitas. charitatis Divinæ ardore flagrans, soli adhæret Deo, neque flagitiorum undis sese unquam amplius immergi patitur. S. P. Augustinus; *Si qua es anima, quæ cupis possidere virtutem charitatis, quæ omnia tolerat, relinque mundum; confuge ad crucis lignum, non metuas procellas & turbines diluvii: non mergeris, si ligno portaberis; novit gubernare, quid dignatus est creare; tantùm adsit virtus charitatis, quæ omnia tolerat.* S. Aug. ser. 46. de Temp. cap. 3. Et rursus: *Quisquis vetus peccatum vis extinguere, mandato novo extingue cupiditatem,* S. Aug. ser. de Temp.

ditatem, & amplectere charitatem. Diu quidem in vitiorum omnium pelago volvebatur Augustinus; at postea charitatis Divinæ flammâ adustus, nullo amplius graviore delicto Deum offendit; id quod etiam de S. Paulo, Mariâ Magdalenâ, & aliis dicendum est.

NAVTILVS.

Cap. XXXI.

163. PLinius testatur, Piscis hujus faciem ac membra adeò mirè à naturâ esse composita, ut integram ac veluti animatam navim exhibeat: nam alienis ornamentis, funibus, velis, tabulis, cæteràque nautarum supellectile minimè indigus, ea omnia in membris suis ita exactè continet, ut navigaturus, nullâ alterius operâ aut subsidio opus habeat. Unde Aresii lemma; NULLIUS EGEO. Hominis superbi hæc idea est; qualis ille, in Apocalypsi notatus fuerat; *Dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo &c.* Adversus hoc vitium more suo disertus Sanctus Basilius; *Intolerabilis*, inquit, *est superbiæ argumentum, existimare, se nullius egere consilio.* Iis etiam hoc Emblema convenit, qui cunctis suis necessitatibus citra alterius operam providere nôrunt. Talis Hippias ille fuit, qui ludos olympicos olim ingressus, omnium scientiarum & artium, cùm liberalium, tum mechanicarum sese peritum jactabat; quinimò, Quintiliano asserente, tanti pretii & existimationis seipsum fecerat, ut nullâ *cujusvis alterius ope indigeret, nevè alterius rei.* De eodem refert Apuleius; *Venit Hippias iste quondam certamine olympio Pisam, non minus cultu visendus, quàm alaboratu mirandus; omnia secum quæ habebat, nihil eorum emerat, sed suis sibi manibus confecerat, & indumenta, quibus indutus, calceamenta, quibus inductus, & gestamina quibus conspicuus erat.* Adeoque suis sibi manibus vestimenta calceosque consuebat, annulum elaborabat, gemmam poliebat, imò *& ampullam oleariam lenticulari forma* conficiebat. Cæterum imago illa etiam hominem litteratum ac sapientem concernit, de quo Antisthenes ait; *Sapiens autem, etsi omnia desint, solus sufficit sibi.*

[Margin: Plin. lib. 9. cap. 29. — Superbus. Apoc. 3. 17. — Basil. in cap. 1. Isaiæ. — Proprius labor. — Quintil. l. 12. cap. 11. — Apul lib. 2. Florid. — Sapiens. Antisth. ap. Laertium.]

164. Nautilo inscripsère; PER SUPREMA, PER IMA. Intellectum, rebus omnibus indagandis sufficientem; vel hominem, vitæ contemplativæ & activæ ex æquo deditum, hæc imago repræsentat. In hanc rem S. Nili parænesis est; *In labores & orationes oportet animam partiri: sic enim non multos in nobis introitus inveniet diabolus.* Haud aliter Seneca; *Natura ad utrumque nos genuit; Et CONTEMPLATIONI rerum ET ACTIONI.*

165. Alius ejusdem Nautili symbolo inscripsit; TEMPESTATIS EXPERS. Hominem, inter adversa tranquillum & virtuosum, hæc imago significat, qui, quidquid calamitatum ab inimicâ sorte objicitur, nunquam non evadit superior, neque se ullis viribus submergi patitur. Nam, quod unum sapientissimus testatur, *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit.* Seneca de vero sapiente ait; *Qui prudens est, & temperans est; Qui temperans est, & constans; Qui constans, & imperturbatus est. Qui imperturbatus est, sine tristitia. Qui sine tristitia est, beatus est.*

[Margin: Vita activa & contemplativa. — S. Nil paræn. num. 78. — Senec. apud ipsum l. 2. Senec. Epist. 85. — Justus.]

ORATA, seu AURATA.

Cap. XXXII.

166. AUratæ proprium est, crescente lunâ, candorem; decrescente verò, nigredinem induere. Unde infra augescentem lunam supra aquas depicta, epigraphen tenet; TE CRESCENTE CANDESCO. Sinceri cujusdam famuli hæc idea erat, cujus adversus herum suum fidelitas tantundem incrementi ceperat, quàntùm ipse in dignitate ac potentiâ crescebat. Certè, dum Maria Virgo, ceu luna mystica, ad cœlos est assumpta, æternæque gloriæ splendore conspicua existere cœpit, singuli è Cœlitibus consuetum gloriæ ac beatitatis suæ nitorem plurimum auxerunt. Sanctum Anselmum testem habeto locupletissimum; *Omnia quæ in cœlo sunt, per glorificationem tuam inexistimabiliter decorantur.* Ita etiam, quantum gratiæ Divinæ claritas in nobis excreverit, tantò ampliorem puritatis ac internæ munditiæ candorem sortiemur. Cæterùm servus ille, Oratæ voce, non abs re cecinerit;

[Margin: Subditus fidelis. — Maria V. — S. Anselm. lib de Excell. Virg. c. 8. — Gratia Dei]

Come di Cinthia in regolari aumenti
Crescendo gli splendori,
De l' Orata gli argenti
Si fregian di più lucidi candori.
Così crescendo in voi mi Prence, e Duce
Del Dominio la luce,
Crescer nel vostro servo anco si vede
Il candor de la fede.

167. Orata, superius promicante lunari sidere, lemmatis loco hanc unicam vocem subjunctam habet; DE ALBABOR. Quisquis Mariæ Virginis patrocinio obumbratur, næ! is, tametsi animo imbutus obscuro & caliginoso, protinus evadet lucidus, & gratiæ Divinæ radio conspicuus. Richardus à S. Laurentio; *Sicut impossibile est, de tenebris noctis venire ad lucem, nisi mediante aurora, sic impossibile est, de tenebris vitiorum venire ad lucem gratiæ & virtutum, nisi intercessione Mariæ.* Et siquidem, interprete S. Gregorio, Maria Virgo mons ille est, de quo vaticinatur Isaias; *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium*; acutè observat Oleaster, quòd, ubi nos legimus, *fluent ad eum omnes gentes*, in contextu Hebræo, loco illius vocis, *fluent*; substituatur verbum *nahar*, id est, *illuminabunt. Verbum Nahar*, inquit, *quod hîc vertitur currere, seu fluere, significabat etiam illuminare, ut sit sensus; & illuminabunt se ad eam omnes gentes.*

[Margin: Maria illuminatrix. — Rich. à S. Laur. — Isa. 2. 2. — Oleast. in hunc loc.]

PASTINACA.

Cap. XXXIII.

168. PAstinaca caudam trahit, aculeo armatam; quo homines & cæteros animantes vix contactos, mox vulnere prorsus immedicabili occidit. Æliani verba sunt; *Pastinacæ marinæ radius ab omni medicinâ invictus existit: etenim primum ut pupugit, statim interficit.* Unde lemma, QUOS PUNGIT, PERIMIT. Vel, PUNGENDO OCCIDIT. Detractoris linguam hoc typo adumbrabis, quæ proximi sui famam malum plerumque irreparabili ferit, & suo modo occidit. Opportunè Sanctus Jacobus

[Margin: Ælian l. 1. de Anim. c. 56. — Detractor.]

Iac. 3. 8. bus; *Linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero.* Certè, de Judæis testatur Magnus Augustinus. *S. Aug in Psal. 63.* *Judæi Christum gladio linguæ occiderunt. Et vos ô Judæi occidistis. Unde occidistis? gladio linguæ. Acuistis enim linguas vestras. Rei magis isti, qui clamando sævierunt, quàm qui obtemperando administrabant. &c.*

169. Nonnullis observatum est, quod Pastinaca, jamjam ad lethalem ictum infligendum accincta, nihil penitus moveatur, neque etiam ullo iracundiæ indicio edito, pungat, feriatque. Lemma, QUIESCENS LÆDIT. *Proditor.* Ita proditor offensas, aliis minimè observatas, infligere solet. Huic nihil dissimilis calumniator, proximi sui vitam occultis *Calumniator.* aculeis lacerare consuevit. Tales erant scelerati illi, de quibus primum conquestus David, ait, *Psal. 63. 4.* *Exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent IN OCCULTIS immaculatum.* *Eccl. 10. 11.* Et postea Ecclesiastes; *Si mordeat serpens in silentio; nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Tales etiam fuêre Aulici illici, de quibus Sallustius; *Illic ad reprehendenda aliena dicta & facta ardet omnibus animus, vix satis apertum os aut lingua prompta habetur.* Verbo; tales sunt malitiosi illi omnes, *qui secretis criminationibus infamant ignarum, & quò cautius decipiare, palam laudatum*; uti *C. Tacit. l. 1. Histor.* ait Cornelius Tacitus,

170. Pastinaca, si carnem spectes, optima est, ac nutrimento utilissima; si verò aculeum, perniciosissima. Geminam hanc illius proprietatem nonnemo Emblemate comprehendens, inscripsit; HAC NUTRIO, HOC NOCEO. Ad hanc *Princeps bonus.* ideam verus Princeps ex æquo, prout necessitas tulerit, & castigare, & consolari sciat. *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*; inquiebat *Psal. 100. 1.* Deo Psaltes Regius. Sanctus Basilius & Theodoretus censent, Davidem ibi Josiæ Regis nomine *Justitia & misericordia.* locutum esse; locumque illum ita interpretantur. *S. Basil. in hunc loc.* *Quoniam enim & injuria affectos miserabatur, & injuria afficientes admirabilis Josias condemnabat, illorum narrationem, laudem misericordiæ, & judicii nuncupavit.*

Ælian. l. 17. de Animal. cap. 18. 171. Æliano referente, Piscatores jucundum tenent Pastinacæ capiendæ modum. *Ridiculum quidam in piscatoria navicula saltat, & dicteria ad tibiam (si nôrit) canere incipit*: quamprimum ergò pastinaca à cantilenis & saltibus illis se allici ac circumveniri permiserit, subitò reti incauta implicatur: *Et dum voluptate tota mulcetur & nihil metuit, capitur.* Unde lemma; CAPITUR ILLECEBRIS. Vel, DAT FUNERA LUSUS. Vel, DANT CANTICA LUCTUM. Vel denique; SALTUSQUE CANORQUE CATENAS. *Mundani decepti.* Indies, prô dolor! miseri mortales hos lusus ludunt, dum à voluptatibus exorsi, scenam funesto ac deplorando epilogo claudunt. In rem præsentem meus Carducius;

Blanda veneniferum dant nautæ cantica luctum;
Nempe voluptatis lachryma fit soboles.

Et rursus.

En pastinacam saltusque canorque catenant,
Congenito risus nempe dolore perit.

Babyloniæ populi, auditâ cytharæ, sambucæ, *& omnis generis musicorum* harmoniâ, in idololatriæ retia sunt prolapsi. *Dan. 3. 7. Marc. 6. 21.* Herodes, lascivos temerariæ puellæ saltus conspicatus, carnis, tyrannidis, & diabolicæ crudelitatis mancipium evasit. Sanctus P. Augustinus; *Puella saltat, & mater sævit, & inter delicias & lascivias convivantium temerè juratur, & impiè quod juratur impletur.* *S. Aug. serm. 116. in novi* En! malorum penè omnium Iliadem, puellam unicam curioso oculo visam saltantem! Vide Luciani dialogum de saltatricibus, ubi multis exemplis ac Philosophorum sententiis docet, *Lucian. in Dialog. de saltatric.* quod animum, etiam virilem & durum, emolliat, & ad libitum inflectat scita ad modos musicos saltatio. Providè dixit Siracides; *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficaciâ illius.* *Eccles. 9. 4.*

172. E peritorum sententiâ; pastinaca, non viva tantùm, sed & mortua, venenato suo aculeo necare obvios quosvis solet. Unde lemma; ET MORTUA NECAT. *Hæretici libri.* Ita hæretici etiam post funera incautos mortalium animos interimunt. Ad propositum D. Ascanius Martinengus; *D. Asc. Ma fol. 1500. Gloss. Mag* *Cavendum igitur est summoperè ab aculeo pastinacæ, quoniam hæretici non modò dum vivunt, evitandi sunt, sed etiam post mortem eorum scripta sunt odio & abominationi habenda, cùm mortifero conspersa sunt veneno, & animam impiâ doctrinâ inficiant.* Porrò venusta mulier, *Fœmina mortua nocet.* tametsi mortua, adhuc tamen venenatis formæ suæ jaculis amantium corda per imaginationem lethaliter transfigit. Expertus id testatur Tancredus, *Tass nella Conquist. Cant. 12. stanz. 97.* qui Clorindæ amore implicatus, cùm ad defunctæ tumbam excurreret, in hos singultus vernaculos prorupit;

O sasso amato, & honorato tanto,
Che dentro hai le mie fiamme, e fuori il piant
Non di morte sei tù: mà di vivaci
Ceneri albergo, où è riposto Amore
E ben sent' io da tol' usate faci,
Men dolci sì, mà non men calde al core.

173. Pastinaca capta, ac hamo implicata, mox venenatam caudæ suæ spinam, ceu unica sua arma, abjicit. Lemma, PROJICIT CAPTIVA VENENUM. *Pœnitens.* Pœnitentem hæc imago significat, qui gratiæ Divinæ hamo captus, vindictam, cædes, aliaque scelera projicit, meramque induit pietatem ac mansuetudinem. Certè D. Paulus, *S. Paulus* paulò ante *spirans minarum & cædis*, mox, ubi equo excussus, oculisque captus est, ad saniora redit, & *vas electionis* pretiosissimum evasit. Audi de hoc disserentem Magnum Augustinum, *S. Aug. l. 5 Homil hom. 14. c. 2.* Paulo per omnia simillimum; *Cùm autem Paulus Apostolus, prius Saulus crudelissimus esset, & immanissimus persecutor, nihil omninò boni merebatur, imò merebatur plurimum malum. Et ecce subitò, cùm mala faceret, & mala mereretur, unâ cœlesti voce prosternitur: persecutor dejicitur, Peccator erigitur.*

PETRAGNOLUS.

Cap. XXXIV.

174 Petragnolus hamum, escâ obductum, probè perspiciens, ab eo contingendo cautè abstinet; cum dicto, NON CAPIAM, NE CAPIAR. *Cautela.* Inde animum in perspiciendis munerum oblatorum insidiis, & in periculis adeundis providum ac cautum discere licet. Justi Lipsii parænesis est; *Lips. Cent. 2. Epist. 43.* *Cautè inter captatores homines ambula, te cela, linguam preme.* Idem Emblema

ma etiam hominem in agendo circumspectum attinet, qui voluptatum violentiam evitaturus, ab earum insidiis ac blandimentis studiosè cavet. Magni Augustini consilium est; *Hæc gaudia, velut venena diaboli, repudiare debemus, quia non solùm corpora, sed & animam nostram perpetualiter necare festinant.*

Aug. lib. de salutar. docum. c. 11.

PHOCA, seu Vitulus marinus.

Cap. XXXV.

175. INter calamitates immobilem ac quietum esse, è Phocâ discere licet; quæ tempestatum fluctibus jactata, scopulo propinquat, ibique somno indulget suavissimo ac quietissimo. Unde lemma; SIC QUIESCO. Vel, ut Camerario placet; SECURE. Quisquis inter malevolorum turbas vitam desideras tranquillam, summo Deo, ceu lapidi angulari, adhæreas velim; ab hoc enim, & in hoc securissimam quietem capies. Dionysius Richelius illud Threnorum interpretatus; *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est*; ait; *Conquiescere studeamus in Deo; ipse est enim finis noster, ad quem semper respicere, & adspirare debemus: in quo solo vera, & salutaris quies consistit &c.*

Quies in Deo. — Dion. Rich. in Threnor. c. 1. v. 8.

176. Quidquid turbarum ac tempestatum concitet Oceanus, Phoca tamen, scopulo innixa, somnum capit suavissimum, neque à tot fragoribus vel minimùm dimovetur, aut expergiscitur. Lemma; NEC RUMPITUR QUIES. Ita animus grandis ac imperterritus, quidquid adversitatis malignior fortuna machinata fuerit, semper persistit immotus, neque animi sui quietem unquam perdit. De Francisco Sforzia, Mediolanensium Duce, scribit Joannes Simonetta, quòd in campo versatus, tametsi ante tentorii fores tympana pulsarentur, insonarent tubæ, mugirent bombardæ, & altissimus ab exercitu concitaretur strepitus; *Ille altiori videbatur teneri somno, non modò ferebat æquo animo, quæ fierent, sed lætabatur.* Haud aliter Jonas cum mare ad navim evertendam decumanis intumesceret fluctibus, & nautæ mercibus, ob vitam conservandam, in quas projectis, omnem artem & animum jam desponderent; ille, veluti omnis periculi securus, imperturbatâ quiete, suavique somno indulgere potuit. *Dormiebat sopori gravi.* In hunc locum Sanctus Hieronymus; *Prophetæ mens secura describitur: non tempestate, non periculis conturbatur: eundem & in tranquillo, & imminente naufragio animum gerens. Denique alii clamant ad Deos suos, vasa projiciunt; nititur unusquisque quod potest: iste tam quietus est & securus, animique tranquilli, ut ad navis interiora descendens, somno placidissimo perfruatur.*

Mens intrepida. — Simonet. l. 31. — Jon. 1. — Hieron. in hunc loc.

177. Phoca, etiam inter medias æquoris jactati procellas, somnum capere potest suavissimum. Unde lemma, FLUCTUAT, ET QUIESCIT. Ita verus sapiens, vel rectius, bonus Dei servus, tametsi mille ærumnis agitatus, interioris animi quietem nunquam sibi eripi patitur. Sanctus Hilarius; *Nunquam dulcius Sancti requiescunt, quàm cùm laboribus fatigantur.*

Justus intrepidus. — Hilar. in 11. Matth.

178. Physicis compertum est, hominem ab hoc pisce summoperè diligi: unde etiam homini salutando nonnunquam voces suas extollit: quin imò ab homine vocatus, mox respondit. Quare epigraphen subdidit D. Ferrus. ET RESPONDERE PARATUS. Maffei Barberini Cardinalis, postea Urbani VIII. Pontificis Maximi, benevolentiam & affabilitatem hæc imago adumbrabat, qui omnes sibi supplices benignâ aure excepit, nullumque non precum suarum votis, aliisque gratiis beavit. Davidem hâc virtute insignem deprædicat Sanctus Ambrosius; *Quid sanctus David, electus ex omnibus ad plebem regendam, quàm mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu?* Eadem virtus etiam Alexandro Severo resplenduit, qui, teste Lampridio, *tantæ moderationis fuit, ut nemo unquam ab ejus latere dimoveretur; ut omnibus se blandum, affabilemque præberet.* His nihilo inferior Constantinus Magnus; de quo Nazarius, *Quid facilius aditu? Quid aures patientissimas? Quid benigna responsa? Quid vultum ipsum augusti decoris, gravi hilaritate permixta &c.*

Princeps benignus. — S. Ambr. l. 2. offic. c. 7. — Nazar. in Panegyr.

179. Peccator, inter turbatæ & obversantis conscientiæ terrores nunquam expergefactus, afferente D. Jacobo Certano Abbate, vituli marini symbolo repræsentatur; qui à tumultuantis Oceani fluctibus percussus, scopulo immobilis adhæret, suumque somnum continuò prosequitur. Epigraphen addidit; NEC FLUCTIBUS EXCITOR. Ruffinus, illa Psalmi verba interpretatus; *Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt omnes*, ait: *Ecce ipse Deus Jacob increpat peccatores, intonat iras suas, minatur judicium, minatur æternales pœnas, Inter tanta tonitrua adhuc dormiunt, adhuc vitam veterem nolunt damnare, neque in novam vigilare.*

Peccator obstinatus. — Ruffin. in Psal. 75. 6.

180. Phoca, miræ benevolentiæ animal, inter omnes Marinas belluas sola non percutitur fulmine; uti testatur Plinius. Lemma. FULMINE TUTA. Nempe quisquis in alios mitis, benignus, ac misericors fuerit, non poterit non coram extremo Judice securus, omnique suppliciorum fulmine immunis stare. Christi promissum est. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sanctus P. Augustinus; *Quomodò misericordiam à Deo expectat vel sperat, qui crudelis est in conservos suos? Si quis cupiat Deum sibi misereri, ita & misereatur debitoribus suis. Certissimè indulgentiam expectare poterit, qui aliis indulgere novit.*

Plin. l. 2. cap 55. — Misericors. — Matth. 5. 7. — S. Aug. serm. 103. de Temp.

POLYPUS.

Cap. XXXVI.

181. POlypus inter tumultuantis pelagi fluctus scopulo adhærere, sicque incolumis evadere solet. Unde lemma; ITA SECURUS. Nempe, quisquis Magnatum potentiâ ac familiaritate utitur, facilè quævis discrimina superat. David, inter omnes adversantis mundi turbas uno nixus Deo, salutem suam felicissimè vindicavit. *Dominus petra mea*, inquiebat, *& robur meum, & Salvabor meus, Deus fortis meus, sperabo in eum.* Et Sanctus Joannes Chrysostomus, cùm de eo in exilium relegando ageretur, invicto animo respondit: *Multi quidem fluctus & undæ immanes: sed submergi non vereor, quia supra petram sto*; Christum intuens; de quo Sanctus Paulus *Petra autem erat Christus.*

Adhærere. — Sperare in Deo. — 1 Reg. 22. 2. — S. Io Chrys. Hom cùm de expuls. ejus ageretur.

182. Polypus, odoris cujusdam fragrantiam exhalans, plurimos pisces ad se insequendum allicit. Unde lemma, IN ODOREM TRAHIMUR. Illius hæc imago est, qui prævià suâ virtute ingentem hominum catervam post se trahit;

Adhærentia.

hic. Nonnemo, virum eximiè litteratum honoraturus, eidem Emblemati inscripsit; SIC NOS TUA VIRTUS. Doctissimus Idiota ad suavissimas Deiparæ virtutes admirandas, imitandasque abripi unicè desiderabat. *Trahe me*, inquit, *ignorantem, ut me reddas scientem, ut curram in odorem unguentorum tuorum; id est, in fragrantiam sanctarum virtutum tuarum.* B. Amedeus inter cætera Deiparæ encomia etiam hoc recenset; *Currit post Jesum non tantùm in odore unguentorum, sed etiam in multitudine dolorum, non solum in gaudio consolationum, verùm & in abundantiâ passionum &c.*

Idiota de Mar. Virg. cap. 1. — Maria V. — *B. Amed. Hom. 5 de Laud. M. V.*

183. Polypus odoris sui fragrantiam etiam à morte retinet. Unde Ferri epigramma; ET MORTUUS OLET. Vel, ET MORTUUS BENE OLET. Hominem, plurimâ virtute, fide, ac vitæ sanctimoniâ insignem, hæc imago spectat. Certè S. Odoardus Martyr & Angliæ Rex, Usuardo referente, suavissimum odorem è defuncto corpore exhalat. Ægydius Albornozzus, gloriosæ memoriæ Cardinalis, pretiosam è cadavere suo fragrantiam spirat. De S. Theresiâ Virgine testatur S. Ecclesia; *Ejus corpus, usque ad hanc diem incorruptum, odorato liquore circumfusum, piâ veneratione colitur.* Certè virtus post mortem omnium maximè fragrat; Seneca; *Si quod est pretium virtutis ex famâ, nec hoc interit. Ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo; tamen etiam non sentientes colet, ac frequentabit. Nulli non virtus & vivo & mortuo retulit gratiam.*

Fama post mortem. — *Brev. Rom. Lect. VI.* — Virtus. — *Senec. Epist. 79.*

184. Tanta piscis hujus est voracitas, ut, si alios cibos conquirere vel nequeat, vel pigeat, proprias suas brachias ac cirros devoret. Huic proinde D. Aresius subscripsit; DOCUIT OTIOSITAS. Hominis otiosi hæc idea est; de quo Ecclesiastes; *Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas.* Hunc locum interpretatus Olympiodorus ait; *Otiosus, manus clausas & complicatas tenens, cùm subinde pœnitentiâ tangitur, ac dolore tabescit, dicitur meritò carnes proprias devorare. Mystico autem sensu: qui operationes animæ suæ non exercet in virtutibus, carnes devorat suas, cùm ipse sit suppliciorum mediator, & tormentorum proxeneta.*

Otiosus. — *Eccles. 4. 5.* — *Olymp. in hunc loc.*

185. Polypo, cirros suos rodenti, non incongruè subscribes; SE DEVORAT IPSUM. Idipsum invidus assolet; de quo Salomon; *Putredo ossium invidia.* S. Ambrosius; *Fuge invidiam*, inquit, *quæ non solùm alienos, verùm multo magis eum, quem possederit, lacerare consuevit.* Et S. Prosper; *Invidiâ justius nihil est, quæ protinus ipsum auctorem perimit, excruciatque suum.* Et Jacobus Sannazarius,

L'invidia figlivol mio se stesso macera.

Invidus. — *Prov 14. 30.* — *S. Ambr de fuga sæculi.* — *S Prosp. l. 3. de vitiis & virtut.*

186. Polypus piscium, à se devoratorum, putamina revomere solet. Unde Lucarini lemma. PUTAMINA EGERIT. Ita pœnitentes in sacro tribunali suas culpas, veluti operationum humanarum quisquilias, rejiciunt. Abbatis Godefridi cohortatio est; *Veniamus ad confessionem, qua venenum antiqui serpentis evomitur.* Ab hoc nihil alienus Seneca; *Projice*, inquit, *quæcunque cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum ipsis evellendum erat.*

Pœnitens. — *Abb. Godef. serm. 2. de Resurr. Dom.* — *Senec. Ep. 51.*

187. Polypus cujusvis vicini scopuli aut saxi colorem induit. Unde lemma; MI COLORO DEL MIO SOSTEGNO. Id est; A FULCRO SUMO COLOREM. Hominis fucati & adulatoris hæc imago est; Verissimè cecinit apud Plutarchum Theognides;

Ut polypus petræ faciem mentitur inhærens,
Sic mentem variat subdolus arte novâ.

Adulator.

S. Clemens Alexandrinus, de hac hominum sorte disserens, *Nescio*, inquit, *quomodo una cum locis habitum & mores mutant, non secus ac polypos dicunt petris, quibus adhærescunt, assimulatos, videri quoque colore esse tales.* Et S. Basilius; *Talibus eos moribus præditos esse constat, qui ad usus necessitudinesque singulas occurrentes se accommodant, nec in eadem semper voluntate persistunt, sed alii, diversique facilè fiunt: sobrietatem cum sobriis laudant; intemperantes sunt cum intemperantibus; atque ad id, quod cuique placet, sententiam suam vertunt.*

S. Clem. Alex. 3. Pæda. c. 11. — *S. Basil. Hom. 7. Hexamer.*

188. Polypus è rigido scopulo tam sustentaculum, cui innitatur, quam colores, quibus conformetur, recipit. Quare Abbas Certanus Polypum symbolo nixum, hâc epigraphâ insignivit; E MI SOSTENTA, E MI COLORA UN SASSA. Id est, COLOR ET FULCRUM A RUPE. Christum sacra Pagina petram dicit; *Petra autem erat Christus*; Ergò hanc petram tenere, ejusque vitam imitari debes; recepturus inde & firmissimum sustentaculum, & veram sanctimoniæ formam. Unde hortatur Magnus Augustinus; *Resiste perturbationibus, ne consentias amori sæculi; titillat, blanditur, insidiatur, non ei credatur, Christus teneatur.* Eadem imago hominis astuti & sagacis est propria, qui avari cujusdam ære ac expensis victitat; avarum enim Plautus appositè saxo comparat;

1. Cor. 10. 4. — Christus fulcrum nostrum. — *S. Aug. serm. 26. ex addit. à Sirmond.* — Dependentia astuta. — *Plaut in Aul. Act. 2. Scena 4.*

Pumex non æque avidus est, atque hic senex,
Quia Divûm atque hominum clamat continuò fidem,
Suam rem periisse, seque eradicarier,
De suo tigillo fumus si quà exit foras.

189. Quidam S. Andreæ Avellino devotus, symboli loco Polypum expressit, qui saxo firmissimè affixus, inscriptionem, ex ipso Avellini cognomine desumptam, habuit; AVELLINE POTES. Nimirum validum S. Andreæ Avellini patrocinium significare volebat, quo clientes sibi commissos fovere ac tueri solet. Porrò verus amicus, quidquid rerum sive adversarum, sive felicium acciderit, nunquam à socio se avelli patitur, sed ad ipsum usque extremum halitum individuus ei assistit. Salomone teste, *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Seneca; *Amicos secundæ res optimè parant, adversæ certissimè probant.*

Profectio stabilis. — Amicus verus. — *Prov. 17.* — *Seneca.*

190. Polypus, scopulo innixus, generosi hominis pectus significat: is enim potiùs in mille frusta lacerari, quàm alienis viribus à saxo illo sese avelli permittit. E lemmate Gallico id constat; PRIMIER LA PIECE, QUI SE DESTACHE. Id est; DISCERPI, QUAM DISJUNGI. Ita SS. Martyres ad petram, quæ Christus est, maluerunt millies occidi, quàm ab illâ separari. S. P. Augustinus; *Quid possunt facere inimici? Pecuniam tollere, expoliare, in exilium mittere, ad postremum OCCIDERE; NON possunt me SEPARARE à Deo.* Porrò peccator obstinatus latius habet, mille vitas amittere, quàm à vitiis abstinere. Ille ipse etiam fervidi amantis est animus; qualem Baptista Guarinus hoc poëmate vernaculo describit.

Generosi. — SS. Martyres. — *S. Aug. in Psal. 137.* — Obstinatus. — Amans constans. — *Bapt. Guarinel. P. F. Act. 3. Scena 6.*

Prima che mai cangiar voglia, ò pensiero
Cangerò vita in morte.

Et paulò post;

Arda pur sempre, ò mora,
O languisca il cor mio,
A lui fien lievi pene
Per si bella cagion pianti e sospiri;
Stracio, pene, tormenti, esigli, e morte,

Purche

Purche prima la vita,
Che questa se schoglia,
Ch' assai peggio di morte e il cangiar voglia.

191. Polypo brancheas suas ad prædandam ostream extendente, mox ista testaceas suas conchas comprimit, ac prædonem captivum validissimè stringit; Unde lemma; E PRÆDANTE PRÆDATUS. Ita nimirum ars vincitur arte, & fraus fraude; Propheta teste, *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Idipsum de Christi interfectoribus Judæis, quamvis sub aliâ metaphorâ, canit Vates Regius; *Foderunt ante faciem meam foveam: & ipsi inciderunt in eam.* In hunc locum Magnus Augustinus; *Quoniam fecerunt, quod facere non debuerunt; factum est in illos, quod pati debuerunt. Quod enim persecuti sunt Christum, Christo non obfuit, sed ipsis obfuit.* In hanc rem opportunum exemplum suppeditant Machabæorum Fasti; postquam enim, Simone parente per insidias interfecto, Ptolomæus ad Joannem quoque, ipsius filium, occidendum quosdam ablegaverat; ille mortis destinatæ per amicos certior factus, eos ipsos, qui mortis inferendæ legati advenerant, sine morâ necari jussit. *Præcurrens quidam nuntiavit Joanni in Gazaris, quia periit pater ejus, & fratres ejus, & quia misit te quoque interfici. Ut audivit autem, vehementer expavit. Et comprehendit viros, qui venerant perdere eum, & occidit eos.*

Ir pari ildere.
Psal 56.7.
Aug. in hunc. loc.
Mach. l. 1. c. 16.

192. Polypus, quamcunque rem apprehensam tam firmiter tenet, ut eidem agglutinari videatur; ante enim se discerpi patitur, quàm ab eâ avelli. Pierius Valerianus de Polypis testatur; *Eos potius detrunces, quàm possis ullo conatu petris, aut quidquid apprehenderint, avellere. Ajunt tamen, eos aquâ dulci superfusâ protinus resilire.* Unde veteres quamdam dulcioris aquæ guttulam, Polypo affusam, depinxêre; addito lemmate, DISCESSIO SUBITA; vel, ME GUTTULA DULCIS AVELLIT. Ex hominibus plurimi polypis se similes probant, qui Christo, ceu Petræ, tenacissimo intimi amoris nexu hactenus semper affixi, identidem cum Apostolo exclamârunt, *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* gaudent se securos habitare *in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ.* Sed ecce! ad unum fortuitum mulierculæ occursum, ad unum oculorum nutum sic dissolvuntur, sic emolliuntur, ut post habitâ sanctissimâ Christi amicitiâ, repente ab illâ petrâ resiliant, malintque siliquis delectari porcorum, inconcessæ libidinis infamem ac fugitivam sequi voluptatem, quàm Dei familiaritate, bono illo æterno & infinito, frui. Ut adeò quibusvis, quantumvis in sapientiâ provectis, sapientissimè consulat Magnus August. *Qui vult castitatem custodire, mulierum familiaritatem vitare contendat.*

Pier. Valer. l. 27. c. 27.
Cor. 10. 7.
Rom 8. 35.
Aug. serm. 50 de Temp.

193. Polypus, pro loci diversitate colorem mutare solitus, à P. Jacobo Masenio epigraphen recepit; SCIT SERVIRE LOCO. Idipsum Aulici, ac cumprimis adulatores consueverunt. Rectè Cassiodorus; *Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salve dicit; prodigos vocat liberales, avaros parcos & sapientes, lascivos curiales, garrulos affabiles, & obstinatos constantes, pigros maturos & graves.*

Aulici. Adulator. Cassiod in Epist.

P O M P Y L U S.
Cap. XXXVII.

194. POmpylus, naves errabundas insequi solitus, ducis loco nautis inservit; eo enim præeunte facilè conjiciunt, num longius proficisci, an verò gradum sistere debeant. Unde Camerarii lemma; ME DUCE NAVIS EAT. vel, ut magis succinctè Bargalius eidem, ante navim depicto, inscripsit. DUCIT IN TUTUM. Angelum tutelarem hâc ideâ exactè descripseris; qui inter assidua mundi discrimina assistere, ac saluti nostræ conservandæ, promovendæque Ducem agere solet. Perspicuè Regius Vates; *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Junior Tobias de Angelo disserens, ait; *Quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? me duxit, & reduxit sanum;* ubi insuper multa alia beneficia, ab Angelo in ipsum profecta, enumerat. S. Basilius illud Psalmi interpretatus, ait; *Ob magnitudinem ejus, qui te custodit, castra tibi, munitionesque præbet Deus propter Angeli virtutem veluti circumvallat te undique securitate, quæ est per illum. Hoc namque, in circuitu, significat. Sicuti enim muri civitatis circumducti, omni ex parte abarcent, propulsantque hostiles impetus, sic & Angelus te præmunit à fronte, & à tergo custodit, & nihil utrimque incustoditum relinquit.*

Angelus custos.
Psal. 33. 8.
S. Basilius hom in hunc Psal. 33.

195. Joannes Ferrus Pompylum, prævium navigii ducem, hoc lemmate insignivit. PRÆMONSTRAT ITER. Non Angelorum duntaxat, sed & Principum hæc imago est propria, qui hujus mundi rempublicam, instar navis assiduò fluctuantem, prævio suo exemplo dirigunt, & in omnem portûs contingendi semitam flectunt. Verissimè Velleius Paterculus; *Facere rectè cives suos Princeps optimus faciendo docet: cumque sit imperio maximus, exemplo major est.* Alphonsus Aragoniæ Rex, Panormitano referente, *Magnum quidem esse dicebat, adversus hostem ducem esse, sed & illud maximum, ad omnem virtutem civibus ducem esse.* De Julio Cæsare testatur Suetonius, *In agmine nonnunquam in equo, sæpius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol, seu imber esset.* Tandem de Angelo Tutelari ait S. Basilius; *Quod singulis fidelibus adsit Angelus, ut pædagogus quidam, & pastor ad vitam dirigendam, nemo contradicit.*

Angelus, Princeps est suorum exemplar.
Vell. Paterc. lib. 2.
Panormit. lib. 4. c. 11.
Sueton. cap. 57. Vitæ.
S. Basil l. 3. Cont. Eunom

P U R P U R A.
Cap. XXXVIII.

196. PUrpura conchyliorum est species, quam piscatores hoc astu capiunt. Conchas enim aliquot apertas purpuræ vicinas collocant; è quibus illa escam raptura, linguam concharum hiatui imponit, at hæ levissimo quovis attactu coire, ac validissimè comprimi solitæ, miserum prædonem stringunt ac capiunt. Adeoque Purpura, dum cibum anxiè perquirit, ipsamet, fato sanè miserrimo, evadit cibus, vitæque suæ jacturam facit eo ipso alimento, quo eam sustentare cogitabat. Lemma. SIC PRÆDÆ PATET ESCA SUÆ. Has pedicas etiam nobis gulæ luxuries nunquam non struit, nosque ipsos voraces misertimè devorat; crapula enim in corporis humani compagem crudeliter grassatur, ejus sanitatem absumit, ac denique interficit. Verissimè Seneca; *Multos morbos multa fercula fecerunt.* Siracides; *Propter crapulam multi obierunt.* Et Franciscus Patritius, *Gula plures occidit, quàm gladius, estque fomes omnium malorum.* Consentaneè Juvenalis;

Crapula.
Seneca ep 7.
Eccl. 37. 34.
Franc. Patr. de Repub. lib. 4. c 8.
Iuvenalis Satyr. 1.

--- *Quanta est gula, quæ sibi totos*
Ponit apros, animal propter convivia natum?
Pœna tamen præsens, cum tu deponis amictum
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas:
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus &c.

197. D. Didacus Saavedra Emblematis loco duo panni purpurei volumina supra mensam depinxit; cum lemmate, PURPURA JUXTA PURPURAM.

RAM. Ita Princeps singulas actiones Majorum suorum vitæ, veluti archetypo, conformare studeat. Platonis hâc de re præceptio est; *Tanquam in speculo ornare, & comparare vitam tuam ad alienas virtutes stude*, Idipsum Matathias fortissimos suos filios edocuit; *Mementote operum patrum, quæ fuerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen &c.* Emblematis hujus corpus ex eo, quod Flavius Vopiscus recenset, plurimùm illustratur. *Meministis fuisse in templo Jovis Opt. Max. Capitolini pallium breve purpureum lanestre, ad quod cùm matronæ, atque ipse Aurelianus jungeret purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur cætera Divini comparatione fulgoris.* Lemma verò ex illâ Græcorum paræmiâ desumptum est; *Purpura juxta purpuram dijudicanda est.* Applicationem Emblematis Quintilianus suppeditat, ubi de mediocritate dicendi ait, eam multâ quidem laude esse dignam; quamvis cum sublimiore facundiâ comparata, omnis encomii & existimationis fiat expers. *Habet admirationem, neque immeritò. Nam nec illud quidem facile est, sed evanescunt hæc, atque moriuntur comparatione meliorum, ut lana, tincta fuco, citra purpuras placet; at si contuleris, etiam lacernæ conspectu melioris obruetur.* Achilles Bocchius eâdem metaphorâ demonstrat, Philosophicam gentilium doctrinam, cum Catholicâ comparatam, omni splendore exui;

Conformare. *Plato in Timæo. 1. Mech. 2. 51. Flav. Vopisc. in vita Aureliani Imp. Quintil. l. 12. cap. de gen. dicendi. Achil Bocch symb. 127.*

Namque ostrum ut melius collato noscitur ostro,
Sic pretium est operæ veterum conferre Sophorum
Doctrina eximiæ ad pietatis dogmata nostra.

198. Ad funebrem Horatii Spinolæ Cardinalis apparatum, Purpuram depinxêre, quæ inter duas petras compressa, purpureum ac pretiosum liquorem stillabat; cum lemmate. COMPENDIA MIHI DISPENDIA; id est, *ex jacturâ meâ lucrum capio.* veluti dixissent, Principem illum inter pastorales Archiepiscopatûs sui labores vitâ defunctum, è morte adeò gloriosâ supremam virtutum ac splendoris sui coronidem recepisse. Eandem imago etiam S. Stephanum repræsentat, qui sanguine profuso, ad æternam gloriæ possessionem sese invitatum vidit. Atque adeò sancti Martyres jure gaudeant, tantillum corporis dispendium quæstu immenso ac infinito compensari. De S. Theodoreto scribit D. Gregorius Nazianzenus; *Carnifices etiam ipsos accusaret ut contumeliosos, nec totum corpus decorantes, sed aliquid inconscissum, profanumque relinquentes, eosque, ne huic parcerent, hortaretur.* De Christo patiente S. Hilarius, *Ipso*, inquit, *virtutum cœlestium Domino AD INCREMENTUM GLORIÆ, & maxillas palmis, & flagris scapulas offerente.*

Jactura utilis. S. Stephanus. SS. Martyres. *S Greg. Naz. Orat de S. Theodoret.* Christus patiens. *S Hilar. can 4. in Matth.*

199. Ad Marchionis Guidonis Villæ, in obsidione Cremonensi, Anno 1648. occisi, exequias, Ferrariæ celebratas, Purpuram symboli loco statuerunt, quæ à generoso cane occisa interfectoris labia pretioso purpurei liquoris sui ornatu vestiit. Lemma; EX NECE TRIUMPHUS. Nobile ac dignum tanto milite symbolum! Galli enim, cum quibus Guido bellum gesserat, ad obsidionem illam non sine ingenti clade solvendam paulò post ipsius mortem coacti fuêre; sicque invictissimus Heros ex nece triumphum reportavit. Propriè tamen Principi Christiano imago illa convenit, cujus gloria nullum potest majus incrementum capere, quàm dum, sanguine religionis causâ effuso, moritur. S. Ambrosius de Judæ Machabæi morte disserens, ait; *Gloriosam magis mortem, quàm turpem fugam suasit; ne crimen, inquit, nostræ relinquamus gloriæ. Itaque commisso prælio, cùm à primo ortu diei in vesperum committeretur prælium, dextrum cornu, in quo validissimam manum advertit hostium, facilè avertit. Sed dum fugientes sequitur, à tergo vulneri locum præbuit, ita GLORIOSOREM TRIUMPHIS MORTEM invenit.* Cæterùm Emblemate illo etiam Christum patientem, & SS. Martyres repræsentare licet.

Miles occisus. Princeps pro fide occisus. *S. Ambr. l. 1. offic. c. 40.* Christus patiens.

200. Eadem ipsa concha, quæ purpureo liquore tota rubescit, candidissimum beryllum generat; uti ex Aristotele & Plinio demonstrat P. Sylvester Petrasancta. Quare Purpuræ concham, beryllo gravidam, hoc lemmate distinxit; DAT PRETIUM CANDOR. Caraffarum familiam hoc Emblema concernebat, quæ ortum suum ex Aragoniæ Regibus trahens, non tantùm illorum purpurâ, sed & propriæ virtutis candore resplendet, Enimverò Ovidio teste.

P. Sylv. Petr l. 9. de symb Ingenuitas. *Ovid. 4 de Pont. eleg. 1*

- - - Non census & clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos, ingeniumque facit.

Porrò emblema illud etiam sanctam Catharinam, aliasque Virgines significat, quæ martyrii sanguine perfusæ pretiosam virginitatis margaritam in animo & corpore illibatam conservârunt. Denique etiam innuit, candidum virginitatis beryllum nullibi tutius, quàm intra charitatis Divinæ purpuram abscondi. Scitè Magnus Augustinus; *Custos virginitatis charitas, locus autem hujus custodis humilitas.*

Martyres Virgines. Virginitas *S. Aug. l. de Virgin. c. 5*

RANA.
Cap. XXXIX.

201. MEcænas, sub Octaviano Imperatore supremâ penè authoritate terram ac mare suis imperiis coërcens, Claudio teste, Ranæ symbolo fuit honoratus; cui hoc lemma præfixum erat; MIHI TERRA, LACUSQUE. Idipsum alius Ludovico XII. Galliarum Regi post recuperatam Genuam attribuit. In hanc rem Petronius Arbiter;

Dominiũ vastum. *Petr. Arbi Satyr c. 79.*

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Quà mare, quà terræ, quà m sidus currit utrumque
Hic satiatus erat.

Eadem imago etiam hominem prudentem, ubivis locorum optimè conversandi gnarum, concernit; haud secus atque Rana, animal amphibium, terrâ marique ex æquo victitare novit. Hoc sensu canit Bapt. Guarinus;

Prudens. *Bapt. Guarel Pastor. F. Atto. 5. scena 1.*

Per tutto e buona stanza, ou' altri goda,
E ogni stanza al valent' huoma è patria.

Denique etiam hominis gulosi est propria, cui exaturando tellus & mare inserviunt. Scitè Innocentius Papa, insigne Canonicorum Regularium decus; *Gulosis non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non pisces maris, non bestiæ terræ, non aves cœli; sed quæruntur pigmenta, parantur aromata, ad irritandam gulam, non ad sustentandam naturam &c.*

Gulosus. *Innoc de vilitate cond tionis humanæ.*

202. Rana, sonoris vocibus coaxans, guttur inflat, ac pectore intumescit. Lemma; DUM COAXO, TUMESCO. Ita non rarò homines jactabundos de suis vanitatibus altum inflari ac superbire videas. Inter hos minimè postremus numeratur Moab, de quo Hieremias; *Audivimus superbiam Moab superbus est valde: sublimitatem ejus, & arrogantiam & superbiam, & altitudinem cordis ejus &c.* Ranam putes superbum Prædicatorem, qui, dum è pulpito clamat, intumescit, aliorum plausum sollicitè expectat, seq; ipsum vanissimè circumspicit. Providè monet S. meus Prosper; *Prædicator non in verborum splendore, sed in operum virtute totam prædicandi fidu-*

Superbus jactabundus. *Hier. 48. 29* Prædicator. *S. Prosp. l. 1. de vita contemplativa*

diffiducia ponat: non vocibus delectetur populi clamantis, sed fletibus; nec plausum à populo studeat expectare.

S.Pet. Dam. l. 6. ep. 11. 203. S.Petrus Damianus deRanâ dicit; *Rana clamosum est animal, & IN LIMOSIS VOCIFERATUR ex more paludibus: cui similes judicantur Hæretici ac Philosophi, qui velut super paludes limosas, hoc est, inter turbas, squalore perfidiæ sordidas, vanis adversus Christum vociferantur obloquiis.* Unde Ranæ inscribes; E LIMO COAXAT. Porrò sicuti Rana, in limo coaxans, è S. Petri Damiani mente hæreticum designat; ita D. Ascanius Martinengus eandem cum detractore comparat; *Ranæ, in limo jacentes, quæ maximè vociferantur, atque earum ingens coaxatio pluviam portendit; indicant desidiosum murmuratorem, in vitiorum sordido cœno considentem, & alios oblatrantem.*

Hæretici. Detractor. Ascan Mart.

204. Rana Ægyptiaca, ab hydro serpente infestata, mox bacillum ore prehendit, sicque vitam suam tuetur; nam hydrus, quia ranam cum bacillo totam à se devorari non posse videt, totam relinquit intactam, & innoxius discedit. Unde lemma. VIRTUTE, NON VI. seu, INDUSTRIA, NON VI. Nempe, ingenii vivacitas robori ac viribus quibusvis maximis præstat. Porrò bacilli illius nomine sanctam Crucem intelligere licet, quâ apprehensâ, inter omnes mundi ac dæmonum insidias securi incedimus. Apprimè P. Petrus Damianus; *Crux Christi clavis est paradisi, hæc INFIRMORUM BACULUS, pastorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ salus & corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum datrix.*

Ingenium. Crux. Pet. Dam. c. 4.

205. Alcibiades Lucarinus humanam resurrectionem Emblemate significaturus, ranas in cœno depinxit; cum lemmate; RENASCIMUR, UNDE RESOLVIMUR. In rem præsentem Tertullianus; *Ubicunque resolutus fueris, quæcunque te materia destruxerit, hauserit, aboleverit, in nihilum prodegerit, reddet te.* S.P. Augustinus; *Non perit Deo terrena materies, de quâ mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem, cineremque solvatur, in quoslibet halitus, aurasque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur; ille animæ humanæ puncto temporis reddit, quæ illam primitus, ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit.* S.Petrus Chrysologus; *Hoc est totum fidei documentum, si carnem, quæ corrupta est, quæ putrefacta est, quæ perit, per Deum resurgere, repaginari redire posse credas, quem posse omnia, quando omnipotentem confessus es, tunc jurasti.* Et prior omnibus Ezechiel; *Ossa arida, audite Verbum Domini. Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis, & dabo super vos nervos.*

Resurrectio. Tertull. Apologet. c. 48. Aug. in Enchirid. cap. 88. Pet. Chrys. serm. 41. Ezech 37. 4.

206. Lucarinus Ranæ inscripsit; ET IN ORTU INFORMIS: quod verbis paululum transpositis melius ita reddideris; *Informis in ortu.* Hoc Emblema hæresi, seditioni, &, ut compendio dicam, vitiis omnibus convenit; ut quæ ab ipso jam exordio suo ingentem ac monstruosam deformitatem præseferunt. Animam quoque, peccatis immersam, hæc imago repræsentat, quæ jam ab ipso vitæ suæ principio ob labem originariam horrendum deformata, novis identidem, ac quotidianis maculis conspurcatur. Hoc sensu Magnus Augustinus dixit; *Fœdam te diabolus genuit, cùm peccatricem fecit; pulchram te Christus regenerat, qui justificat impium.* Hujus rei imaginem exhibet Esau, qui, ceu vera hominis perversi ac reprobi idea, ipso statim natali suo die hispidus ac horridus apparuit. *Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus*; inquit ipsius genealogus Moses.

Peccatum. S. Aug in Psal. 44. Gen. 25. 24.

207. Abbas Certanus peccatorem redivivum ranæ emblemate describit; quæ, è terrâ siccâ in cœnum prosiliens, epigraphen tenet; LIMOSA REPETIT. De hac hominum fæce S.Petrus; *Contigit eis illud proverbii; Canis reversus ad suum vomitū, & sus lota in volutabro luti.* Et S. Bernardus; *Fiet filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuò sordes inciderit.*

Recedivus. S. Bern. ser. 2 de assumpt.

208. Rana, si vel minimam pedis sui partem à serpente apprehensam senserit, sese totam paulò post ab eo devorandam, omine minimè vano, prævidet. Unde lemma; MOX TOTA VORABOR. vel TOTAM INDE DEPASCIT. Ita peccatum aut dæmon, si vel minimam animæ nostræ particulam possidere cœperint, tamdiu non acquiescent, dum totam rapuerint. Seneca; *Si das aliquid juris tristitiæ, timori, cupiditati, cæterisque motibus pravis, non erunt in nostrâ potestate. Si illis permisisti incipere, cum causis suis crescent, tantique erunt, quanti fiunt. Adjice nunc, quod ista, quantumvis exigua sint, in majus excedunt, nunquam perniciosa servant modum. Quamvis levia initia morborum serpunt.* Vix ad Josue aures pervenerat, ex Israëlitarum copiis, quæ è civitate Hai progressæ fuerant, pauculos aliquos milites prælio cecidisse, mox ipse totius exercitûs internecionem ominari ac deplorare cœpit. *Audient Chananæi & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos; atque delebunt nomen nostrum de terrâ.* In hunc locum Emmanuel Nazera; *Josue*, inquit, *non metu obturbatus, sed prudentia edoctus, cùm aliquid hostibus, vitiorum imaginibus, in Israelitas nonnullos licuisse intuetur, omnium stragem sapiens extimescit; quia scit, vitia in reliqua frequenter se extendere, si jus in aliqua semel obtineant.*

Vitia serpunt. Senec. ep. 85. Jos. 7. 9. Em. Naz. in hunc loc. n. 105. §. 22.

209. Ibi cumprimis altùm coaxant, obstrepuntque Ranæ, quando nocturnæ umbræ ac quieta silentia mundum premunt. at, quàmprimum lampadem accensam stagno propinquare contigerit, mox illius splendore perculsæ, obmutescunt. Unde lemma; LUCIS FULGORE MUTESCUNT. vel; PERCULSÆ LUMINE SILENT. Ita detractores in hominum optimorum famâ proscindendâ nullum non conatum adhibent; at, si vir quidam, meritis ac virtutibus illustris, intervenerit, quantocyus linguam contrahunt, & obmutescunt. Scitè Poëta;

Detractor.

Lumine perculsæ cessant maledicere ranæ;
Et victus veri luce Sophista tacet.

Ursacius & Valens, Episcopi Arriani, ingentes turbas adversus S. Hilarium concitârunt, cœlumque passim clamoribus replevērūt: at ubi publicâ disputatione cum illo congredi, ac fidei veritatem collato pede propugnare sunt jussi, subitò, *cùm præsentis eruditionem pertimescerent*, comparuēre elingues, & Imperatori pro Hilario, in pristinum Episcopatum restituendo, supplicârunt. Cæterum Dæmon, rana illa nunquam non molestissimè obstrepera, objecto sanctæ fidei, orationis, vigiliarum, & mortificationis lumine, quantocyus obmutescit, & in fugam agitur. Unde Magnus Augustinus hortatur; *Luce vigiliarum resistamus rectoribus tenebrarum.*

Hæretici. Dæmon. S. Aug. serm. 77 de Divers.

210. Rana, à serpente apprehensa, tametsi, veluti innocentiam suam testatura, miserandos ejulatus spargat, vitæque inducias altum inclamet; nihil tamen impetrat. Unde lemma; IN VAN SI DUOLE. Id est; VOX IRRITA VENTIS. Ita quisquis in potentûm fauces prolapsus fuerit, nihil pietatis aut commiserationis reperiet, sed ad ultimam vitæ bonorumque particulam crudelissimè devorabitur. Salomon; *Vidi calumnias quæ sub sole geruntur,*

Innocentia oppressa. Eccles. 4, 1.

runtur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio testitutos. In hunc locum Campensis; *Nec esset, qui eos consolaretur, multo minus, qui de violentis opprimentium manibus eos eriperet.*

Camp in hunc loc.

211. Formam penitus informem Rana præfefert: pectore enim amplo, collo brevi, ore diducto, oculis tumidis, pedibus infirmis, cute maculatâ, alioque corporis squalore plurimo constat: hanc tamen omnem suam spurcitiem maximè auget, dum in cœno volutata, obvias quasvis sordes ac fœtores contrahit. Unde D. Philippus Gallina, Canonicus Regularis, Emblemati subscripsit; LA MIA DEFORMITA, NEL FANGO ACCRESCO. Id est; A LIMO DEFORMIOR. Eorum hoc Emblema est, qui corpore vultuque deformes, animum insuper vitiorum sordibus immersum tenent. Porrò homo, carnali concupiscentiæ immersus, nunquam non peccata texit ex aliis alia, sicque animam suam assiduò fœdiorem efficit. Verissimè dixit Magnus Augustinus; *Ex carnali concupiscentiâ oriuntur cuncta peccata; quidquid enim est peccatorum in dictis, in factis, in cogitationibus, non exoriuntur, nisi ex malâ cupiditate, non exoriuntur, nisi ex illicitâ delectatione.*

Peccator deformis. Concupiscentia.

S. Aug. ser. 6. de Verb. Apost. cap. 1.

212. Rana, sole ad ripam lucente & educente, ex putrido nascitur; lemma, CLARO DE PATRE PROPAGO. Non tantùm filium à patre degenerem; sed & quemvis peccatorem hæc imago concernit, qui Patre genitus Deo, & ad ipsius similitudinem factus, formam præfefert carnalem, diabolicam, & ab optimo Deo longè alienissimam. *Deus enim*, afferente Magno Augustino, *Patrem se voluit vocare ab homine, & pro filiis habere, quos fecit ex limo terræ.*

Degener.

S. Aug. serm. 128. de temp.

REMORA, seu Echeneis. Cap. XL.

213. NAvis, in altò mari plenis carbasis, ventoque secundo volitans, si à pisciculo echneide apprehendatur, mox vi adeò mirâ ac validâ in medio cursu sistitur, ut iter suum frustra conetur prosequi. Plinius hoc naturæ prodigium verbis admodum concinnis ita describit. *Quid violentius mari, ventisque, & procellis? quo majori hominum ingenio in ullâ sui parte adjuta est, quàm velis, remisque? tamen omnia hæc, pariterque eodem impellentia, unus ac parvus admodum pisciculus, echeneis appellatus, in se tenet. Ruant venti licet, & sæviant procellæ. Imperat furori, viresque tantas compescit, & cogit stare navigia: quod non vincula ulla; non anchoræ pondere irrevocabili jactæ. Infrænat impetus, & domat mundi rabiem nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo, quàm adhærendo;* Idque prolixè adhuc prosequitur. Unde navim, ab Echeneide retentam, hoc lemmate affecerunt; SIC FRUSTRA. vel, ut alius; SIC PARVIS MAGNA CEDUNT. Mille experientiis comprobatum est, virtutis cursum, tametsi secundis ventis institutum, à minutiis ac delictis venialibus, incuriè transmissis, penitùs retardari; Andreas Alciatus;

Plin. l. 32. in proœmio. Ibid initio capitis 1.

Peccatum veniale.

And. Alciat. Embl. 83.

Sic quosdam ingenio, & virtute ad sidera vectos,
Detinet in medio tramite causa levis.

Eamobrem S. Bernardus Lotharium Imperatorem opportunè monuit; *Verendum est, ne minimorum neglectus impedimentum sit maximorum.*

S Bernard. ep ad Loth.

214. Nonnemo phaselum, in alto mari ab echeneide retardatam, hoc lemmate notavit; VEL MINIMA OFFENDUNT. Hanc doctrinam inter sexcentos alios comprobant S. Isidorus, ubi explicat, quod, quamprimum homo prudens *à torpore mentis evigilaverit, ea, quæ levia existimaverit, confestim quasi horrenda, atque atrocia pertimescet.* S. Petrus Damianus; *Perexigua mala, largissima sæpius bona corrumpunt.* S. Ephræm; *Quæ parva videntur esse delicta, non afferunt exiguum, aut qualecunque detrimentum.* Denique Ovidius;

Peccatum veniale. S. Isid l. 2. sent. c. 10.

S. Ephr. To. 1 adhort. r. S Petr Dam. Apolog. c. 7.

Ovid. l. 2. de remed.

Parva necat morsu spatiosum vipera taurum,
A cane non magno sæpè tenetur aper.

215. D. Aresius retardatam à remotâ navim hoc lemmate distinxit; A MODICO NON MODICUM. Nimirum linguæ facundioris vim explicare volebat, quæ immensam civitatis aut Reipublicæ navim, instar remoræ, pro libitu firmat, versatque. Certè Rex Pyrrhus plures urbes eloquentiâ Cyneæ, quàm machinis muralibus, aut militum numero expugnâsse fertur. Demosthenes Philippum Macedonem, ejusque militares copias, majore violentiâ cohibuit, quàm totus Græcorum exercitus. Eodem Emblemate innuitur, à rerum modicarum incuriâ damnum plerumque non modicum nobis accrescere. Audi S. Chrysostomum; *Ob id majora scelera subierunt. quod majoribus debita correctio non adhiberetur.* Et; *In animis, qui pusilla dissimulant, majora invitant.* S. Gregorius Nazianzenus suadens Virgini, ut minima non æstimet minima, pœnam illam gravissimam, quam omnes post Adamum ob unius pomi esum sustinere debemus, ita expressit;

Eloquentia.

Peccatum veniale.

S. Chrysost. ad Galat. 1.

S. Greg. Naz. car. 3. advirgines.

Exiguus cibus mihi mortem invexit acerbam,
Nam scelus hoc, scelerum densissima turba secuta est,
Non aliter, quàm cùm perruptis mœnibus urbem
Ingreditur miles, sequiturque exercitus omnis.

216. Cùm Regia sua celsitudo, Carolus Emmanuel, Sabaudiæ Dux, ingentem Ludovici XIII. Galliarum Regis exercitum, è Ducatu Mediolanensi ejectum, militaribus suis copiis sisteret ac firmaret; symboli loco regiam navim, à parvulâ echeneide retentam, depingi fecit; cum lemmate, PARVA LICET. Si hanc iconem ad mores humanos transferre libeat, haud obscurè exinde colliges, unicam interdum cogitationem, minimi à nobis existimatam, non raro, instar remoræ, omnem animæ nostræ profectum reprimere ac impedire. Opportunè Joannes Carpatius; *Etiam parva tentationi indulgendo impeditur in progressu virtutis cupidus. Fidem tibi faciet Echeneis, tantillus pisciculus, qui prægrandem onerariam solo attactu sistit, ejusque cursum cohibet penitùs. En! vides REM MAXIMAM PRÆPEDIRI A MINIMA.* P. Cornelius à Lapide eâdem Remoræ proprietate ingens pigritiæ ac otii detrimentum ob oculos ponit; otium enim, quamlibet opinione nostrâ leve, in virtutis ac meritorum curriculo maximè retardat. *Pigritia*, inquit, *omnes animi vires, omnia corporis membra, ac ingentia mentis molimina, velut naves vento actas, inhibet ac sistit.*

Peccatum veniale.

Io. Carpat. Docum sp rit. n. 14.

Otium.

Cor à Lap. in cap. 18. v. 8. Prov.

217. Navis, ab Echeneide cohibita, Abbate Ferro authore, epigraphen sustinet, MINIMO DETINEOR. Defectus veniales, ac leves, sæpiusque inobservatos animi nostri motus hæc imago repræsentat, quibus à virtutis ac perfectionis cursu magnoperè reprimitur. Ut adeò bellè nonnemo cecinerit;

Peccatum veniale.

Ut remora ingentem potis est retinere carinam,
Hæc licèt optato naviget usque Noto:
Ingentis obstat sic magnis parva voluptas.

Ad idem propositum de arte amandi Deum canit Guido Vanninus;

Guid Vann. l. 1 de arte amandi Deum

Aspice prægrandi remoram non corpore, nomen
Velivolas puppes quod remoretur, habet.
Brachia nautarum contra lassantur, & artus
Ille hæret: navis stat remorata solo.

Sic

Sic premit humanus puppis retinacula fastus,
Sydereum portum quæ subitura volat.

Charitas ... mat ... um Dei. Ascanius Martinengus, eandem remoræ proprietatem spirituali sensu explicat, atque, tantam esse charitatis in miserrimo homine vim, ut gravissimam Dei iracundiam sistere, ac veluti in medio cursu cohibere possit. *Mirificum est*, inquit, *quod exiguus hic piscis naves stare cogat: sed magis mirificum, quod homo charitate fervidâ Deum iratum, ad vindictam properantem sistat.* (Ascan. Mart. Cos. Mag. p. 1499.)

218. D. Primus Aloysius Tattus Emblematis locò navim pinxit, quæ, in mari turbato fluctuans, & adversis ventis jactata, à remorâ cohibetur; cum lemmate, AFFIXA TUETUR. Sanctam Eurosiam hæc imago spectabat, quæ, interpositis suis ad Deum precibus, Provinciam ac civitatem sibi commissam ab interitu vindicavit. Idipsum prolixè in Mariâ Virgine reperire est, ut quæ illud Siracidis jure de se pronuntiaverit; *In me omnis spes vitæ & virtutis.* De hâc S. Bernardus; *Ad te Domina mea stillant oculi nostri: te devotionis clamore valido obsecramus, ut Filii tui, Domini nostri, iram, quam graviter peccando succendimus, erga nos mitiges; ejusque gratiam, à quâ ingrati excidimus, nobis tua conciliet, &c.* (Eurosia. Mariæ V. ... atroci... ium. Eccl. 24. 25. Bern. ser. ... B. Virg.)

SALMO.
Cap. XLI.

219. Hirundines fatales adeò Salmonis hostes sunt, eique tam pertinaciter inhærent, ut neque intra aquas concussus, neque scopulis affricatus, molestos hospites excutere unquam possit, donec tandem, assiduis cruciatibus fatigatus, toto corpore tabescat. Unde hirundinum illarum cuique inscripseris; HÆRET UBIQUE. Tales omninò conscientiæ nostræ remorsus sunt; cujus dentes, pectori nostro semel infixi, ad ipsum usque extremum vitæ nostræ suspirium non acquiescunt. *Nunquid inexpertis loquor?* inquit S. Bernardus, *Semper penè & ubique remordet conscientia, occultum jugiter vulnus mentis subjiciens, eamque super ipsius latebris anxiè & durè reprehendens. O vermis, qui, quamdiu vivit, nunquam interiora cordis comedere & depascere omittit, qui nunquam vivere & per hoc nunquam rodere desinit.* Ovidio, hanc miseriam liberalissimè experto, credes. (Remorsus conscientiæ. Bern. ser. 4 Dominic. Palmarum. Ovid. lib. 1. de Pont.)

Cumque sit exilium, magis est mihi culpa dolori,
Estque pati pœnam, quàm meruisse minus.
Ut mihi Dii faveant, quibus est manifestior ipse
Pœna potest demi, culpa perennis erit.
Mors faciet certè, ne sim, cùm venerit, exul;
Ne non peccârim, mors quoque non faciet.

200. Piscatores, Salmonem capturi, fæmellam ipsius comprehendunt, ac vivam, funiculo alligatam, in flumen demittunt; ad quam reliqui Salmones mox turmatim accurrunt: at miserè decepti, dum novæ hospitæ gratificantur, in retia incidunt, ac capiuntur. Unde Camerarii lemma. OFFICIOSA ALIIS, EXITIOSA SUIS. His ipsis verbis usus est Alciatus, ubi insidias anatis, ad alias intra rete perducendas edoctæ, describit; (Alciatus Embl. 50.)

Altilis allector anas, & cærula pennis
Assueta ad Dominos ire, redire suos.
Congeneres cernens volitare per aera turmas,
Garrit, in illarum se recipitque gregem;
Prætensa incautas donec sub retia ducat,
Obstreptant captæ, conscia at ipsa silet.
Perfida cognato se sanguine polluit ales,
Officiosa aliis, exitiosa suis.

Illorum malevolentiam hæc imago ob oculos ponit, qui exterorum salutem vindicaturi, suos præcipitant, Talis erat Sp. Tarpeii, custodis Capitolini, filia, quæ T. Livio referente, Sabinos in Capitolium proditoriè introduxit. Talis Romilda, Sigulphi Ducis Forojuliensis, uxor, quæ cum marito in quodam Austriæ castello obsessa, maritum, cum civitate, Ungarorum Regi Cacano tradidit. Tales etiam Æneas & Anthenor, qui Trojam, patriam suam, Græcis prodiderunt; hostibus per portam instar equi efformatam, clam introductis; uti testatur Sabellicus. Tales fuêre Judas, aliique proditores sexcenti. Talis hodie etiamnum est lasciva mulier, quæ, propriæ aliorumq; carni blandiens, tam suam, quàm illorum animas æternùm perdit. Vexissimè dixit meus Hugo Victorinus; *Pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento verò lenocinantis sermonis subvertit mentem. Diligit mulier, ut capiat; decipit, ut rapiat; amat quod habes, non quod es.* (Proditio. Livius Dec. 1. cap. 1. Boter dict. memor. l. 1. part. 2. Sabell. l. 7. Æn 1. Fœmina lasciva. Hug. de S. Vict lib ad socium volentem nubere.)

SARDA.
Cap. XLII.

221. Sarda, in infimis undis delitescens, ab oratis piscibus assiduas patitur insidias, ac devoratur; si verò ad superiorem aquarum partem emergat, mox à fulicis ac mergis incursata, rapitur, ac miserrimè consumitur. Emblemati subscripsit Alciatus; OBNOXIA INFIRMITAS. Innuit videlicet; pauperes ac imbecillos omnium persecutionibus obnoxios vivere. Mens Emblematis hoc epigrammate explicatur; (Persecutio debilium.)

Pisciculos aurata rapit medio æquore sardas,
Ne fugiant pavidæ, summa marisque petant.
Ast ibi sunt mergis, fulicisque voracibus esca.
Eheu! intuta manens undique debilitas.

Opportunè Virgilius; (Virg. Eclog. 2.)

Torva leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam,
Florentem cytisum sequitur lasciva capella.

Ita nimirum inferiores semper coguntur à majoribus affligi, ac innumeras sustinere offensas. Salvianus; *Infelicissimi pauperes; sic sunt, quasi inter concertantes procellas in medio mari positi, nunc istorum, nunc illorum divitum fluctibus obruuntur.* (Salv. l. 5. de Provid.)

SARGUS.
Cap. XLIII.

222. Hic piscis capram nativâ quâdam sympathiâ plurimùm amat, eâque supra littus conspecta, mox ex aquis prosilit, ut sub ipsius umbrâ quiescere possit. Unde piscatores, sargos capturi, pellibus caprinis induuntur, & supra littus collocati, escam farinaciam, caprarum adipe permixtam, in aquas spargunt; sicque improvidos pisces retibus facillimo negotio implicant. Emblemati nonnemo subscripsit; FALLACIS FRUCTUS AMORIS. Opportunè in hanc rem Alciatus; (Mundani decepti. Alciatus Embl. 75.)

Villosæ indutus piscator tegmina capræ,
Addidit ut capiti cornua bina suo;
Fallit amatorem stans summo in littore sargum,
In laqueos imi quem gregis ardor agit.
Capra refert scortum: similis fit sargus amanti,
Qui miser obscæno captus amore perit.

Mulierem lascivam hoc symbolo affeceris, quæ impuros juvenes, veluti totidem incautos sargos, in vanissimæ voluptatis retia, non sine libertatis ac vitæ dispendio, allicit. S. Ambrosius; *Janua, diaboli, via iniqui-* (S. Ambr. l. 1. de officiis.)

iniquitatis, scorpionis percussio, nocivumque genus est fœmina: quum proxima, stimulat, ignem accendit, flammigero igne percutit conscientiam pariter habitantis & exurit fundamenta montium. Verè cecinit Faustus Andrelinus;

Nil aliud scortum est, nisi blanda & subdola Syren,
Quæ trahit humanum sub vada cæca genus.

SCARUS.
Cap. XLIV.

223. SCarus, reti aut nassæ inclusus, nec capite molitur exitium, nec etiam ullam anteriorem corporis sui partem ad libertatem obtinendam adhibet: sed caudâ vimineas fores tamdiu, tamque violenter percutit, donec ruptæ laxarentur, ac retrorsum egressuro liberrimam viam pandant. Cassiodorus; *Scarus, cùm junceum carcerem cæperit introire, mox ut se ad exitium suum invitatum fuisse cognoverit, in caudam labitur, paulatim se ab angusto subducens.* Unde Bargalii lemma; AVERSUS ERUMPIT. Pierius Valerianus hanc hominis callidi imaginem esse affirmat, qui vinculis ac compedibus sese astuto consilio exsolvere novit, verba ipsius sunt; *Magnâ est prudentiâ Scarus, per quem callidum captivitatis declinatorem significari tradunt.* Porrò Parthi, Scaris non absimiles, hostium furorem obverso tergo declinant, eosque superant; Poëta teste,

Cassiod. l. 11. var. epist. 40.

Astutus.

Pier. Val. l. 30. Hieregl.

Fidentemque fugâ Parthum, versisque sagittis &c.

Ita sanè, quæ castimoniæ suæ consulere, ac meretricis insidias evitare cupit, blandienti tergum obvertat: fugamque arripiat, necesse est. Rabanus Maurus; *Qui verba vel oscula meretricis libenter amplectitur, quasi januâ jam gehennalis pulsat abyssi, citoque mergetur, si pedem cautius non RETRAHIT, si non membra cætera vicina COHIBET pœnalis foveæ.* Et meus Concanonicus Matthæus Bossus; *A Venere, inquit, atque cupidine spolia victor nemo retulit unquam, nisi certè fugiendo. Cum vitiis cæteris congredi, avideque luctari magnificum, & gloriosum apprimè est. A libidine autem celeriter fugere, ac congressum detrectare.*

Fugere.

Rab. Maur. lib. 1. in Prov cap. 22.

Matth Boss. de Institutien. sapient. D. 5.

224. Si Scarum retibus implicari contingat, mox reliqui Scari eidem auxiliatū veniunt, & caudâ mordicus prehensum tamdiu retrahunt, donec libertati restituatur. Rursus Cassiodorus; *Scarum, inquit, si alter ejusdem generis cognoverit irretitum, extrema ejus mordicus trahit, ut, qui sibi captus non potest subvenire, alterius solatio probetur evadere.* Emblemati subscripsit D. Aresius; E CARCERE EDUCUNT. Ita S. Petrus, Christianorum precibus è carcere est liberatus. *Petrus quidem servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesiâ.* In hunc locum P. Cornelius à Lapide; *Hæc oratio, inquit, fiebat efficax, & per miraculum sanctum Petrum è carcere eduxit, tum quia erat densa, & communis omnium fidelium, qui tunc ferè erant sancti, imò in sanctitate eximii; tum quia erat fervida, & continua etiam noctu.* S. P. Augustinus ait, D. Paulum orationis virtute è gentilium ac peccatorum carcere esse liberatum; *Credimus tunc à sanctis, quos persequebatur, non inaniter oratum esse pro Saulo, ut ad fidem, quam vastabat, voluntas ejus converteretur.*

Cassiod. l. 11. var. ep. 40.

Oratio multorū.

Act. 12. 5.

Corn. à Lap. in hunc loc.

S. Aug. l. 2. ad Bonifac. cap. 19.

225. Scarus, piscatorum retia dextertimè eludere doctus, epigraphen tenet; NON TIMET ARTE CAPI. Lemmate è Guidonis Vannini Poëmatis desumpto;

Anthia non te prætereat, Mullusque, Scarusque,
Quorum postremus non timet arte capi.

Guid. Van. lib de arte amandi Deum.

Homines astutos, uti Leonidem, Hannibalem, Ulyssem, aliosque similes hoc ectypon spectat, qui aliorum insidias ac retia nec minimùm timent. Horum prolixam seriem suppeditat Joannes Ravisius in Officinâ. Porrò verus Christianus mortem imminentem adeò non timet, ut ex ipsius vinculis facilè se expediat, & paulò post ad æternæ libertatis gloriam evolet. S. P. Augustinus; *Ultimus dies vitæ occultus. Vis non timere diem occultum? quando venerit, inveniat te paratum.*

Astutus.

In Ravis. officin p. 2.

Mors.

S. Aug de Pastor. c. 1.

SCOLOPENDRA.
Cap. XLV.

226. DE Scolopendris testatur Plinius, *Scolopendræ, terrestribus similes, quas centipedes vocant, hamo devorato, omnia interanea evomunt, donec hamum egerant, deinde resorbent.* Unde D. Aresius scolopendræ, ejecta sua viscera rursum devoranti, subscripsit; RECEPTURA DESPICIO. S. Erasmum hoc Emblema repræsentabat, qui sua viscera, à tortoribus erepta, sponte intra crudeles eorum manus reliquit; probè gnarus, illa omnia non sine gloriæ incremento sibi in cœlis restitutum iri. Emblematis hujus occasionem author eruditissimus ex illo Raziæ facto desumpserat, qui proprium pectus gladio secans, viscera omnia suimet manibus è corpore rapuit; uti his omninò verbis tradunt Machabæorum fasti; *Intestina sua utrisque manibus projecit super turbas, invocans dominatorem vitæ ac spiritûs, ut hæc illi iterum redderet.* Cæterùm idem Emblema iis omnibus convenit, qui sanguine ac vitâ spontè profusâ, in resurrectione totam illam ubertimè recuperandam cogitant. *Nunquam enim,* inquit S. Ambrosius, *hanc vitam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent. Prompti enim pereunt, in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.* Denique etiam eleemosynarii hæc idea est, qui opes, Dei causâ erogatas, grandi fœnore olim recipiet.

Plin. l. 9. c. 43.

S. Erasmi

2. Mach. 14. 46.

Martyr.

S. Ambros. serm. 14.

Eleemosynarius.

227. Scolopendra viscera sua, vomitu ejecta, iterum devorat; cum lemmate; REJECTA RESORBET. Mali Religiosi, aut recidivi pœnitentis hæc idea est, qui opes, pridem ejuratas, avido ore recipiunt, & vitiis iterum iterumque inhiant. Horum quivis à S. Petro, non sine gravi notâ, cognominatur *Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.* In hunc locum breviter ac nervosè Magnus Augustinus; *Quid rursus converteris ad vomitum tuum? si canis hoc faciens, horret oculis tuis; tu quid eris oculis Dei?*

Peccator recidivus

2. Pet. 2. 22

S. Aug. in Psal. 38.

228. Superiori Emblemati subscripsit Bagalius; NOXIA VOMIT. Hominis pœnitentis hæc idea est, qui ad sacerdotis pedes provolutus, de suis delictis se accusat. Hoc planè sensu Godefridus Abbas Vindoscinensis ait, *Veniamus ad confessionem: quâ VENENUM antiqui serpentis EVOMITUR.* Idipsum demonstraturus S. P. Augustinus, metaphoram ab homine illo desumpsit: qui apostemate in præcordiis acerbè excruciatus, postea, sanie maturescente, vitiosam ex ore putredinem vomit, ac morbo dimittitur. *Dum confitentis conscientia saniem collegerat, & apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere te non sinebat. Confitere, EXEAT IN CONFESSIONE, & defluat omnis SANIES: jam exulta, jam lætare.*

Pœnitens

Godef. Ab ser. 5. de Resurr. Dom

S. Aug in Psal. 66. n.

229. Scolopendræ, viscera sua è faucibus rejicienti, subscripsit Lucarinus; VISCERA QUOQUE. Hunc typum studiosè imitatus S. Matthæus Apostolus, non divitiis tantùm, sed & visceribus, nimirum

S. Matthæus Apostolus

mirum uxori, filiis, fratribus, patriæ, ipsique adeò propriæ animæ, generosum nuntium remisit. Ipsemet sibi testis locupletissimus S. Matthæus, dixit; *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Porrò viscera sua relinquit, quisquis Dei causa non tantùm omnia mundi bona; sed & ipsum eorum affectum ac cupiditatem abjicit; S. P. Augustinus de Petro Apostolo ait; *Non solum dimisit quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat. Quis enim pauper non turgescit in spe hujus sæculi? quis non quotidie cupit augere quod habet? ista cupiditas præcisa est.*

Mt. 19. 27.

S. August. in Ps. 103. Cōc. 3.

SEPIA, seu Loligo.

Cap. XLVI.

230. QUamprimum Sepia piscatorum insidias advertit, mox liquorem aliquem nigrum, ceu atramentum è corpore suo fundit; sicque turbatis aquis, salutem consequitur. Eò collineans nonnemo, epigraphen subdidit; HAC ELUDIT RETIA FRAUDE. vel, NON FUGA SALUTEM. Tales S. Gregorio Nazianzeno asserente, ii sunt, qui rationum momentis in causæ suæ patrocinium destituti, eam injuriis ac contumeliis propugnare nituntur. *Non indoctè docemus*, inquit ille, *neque injuriis decertamus, quemadmodum accidit multis, qui sermone pugnant contra loquentes, parvitatem intellectûs injuriis quandoque detegunt. Illi enim sermones, quemadmodum & sepiæ atramentum, contra seipsos expuunt, quo effugiant venantes, aut lateant indagantes.*

Injuriis contendere. S. Greg. Naz. Orat. coram 150. Episcop.

231. D. Aresius Notarium falsum cum loligine comparat; sicuti enim ista piscatores atramento fallit, ita ille veritatem obscuritatibus, amphibologiis, mendaciis adeò densè inumbrat, ut totum mundum defraudet, circumveniatque Lemma, IN OBSCURO LATET. In hanc rem dixit Hieremias, *Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum.* Hos exagitans expertissimus Cyprianus, ait, *Qui sedet crimen vindicaturus, admisit; & ut reus innocens pereat, fit nocens judex, flagrantque ubique delicta, & passim multiformi genere peccandi, per improbas mentes nocens virus operatur. Hic testamentum subjicit, ille falsum capitali fraude conscribit, &c.* Hunc sepiæ morem optimè edocti Hæretici, ut doctrinæ suæ faciliores fucos illiniant, suosque defectus dexterè cooperiant, veritatem, quantumvis limpidam, diversis paralogismis offuscare, ac sophismatum nigredine turbare nôrunt. Ad propositum Simon Majolus; *Utitur sepia atramento, suæ consulens saluti: at homo vafer, veluti hæreticus est, atramento veritatem aspergit: cùm enim convinci se animadvertit, nebulas, nugasque, ac tenebras offundit, ne convinci videatur.* Eodem penicillo dœmonem adumbrans S. Bonaventura ait; *Solet in aqua turbida latere piscaturus animas coluber tortuosus.*

Notarius falsus. Jer. 8. 8. S. Cypr. Ep. ad Donat. Hæreticus. Simon Majol. Dierum can. To. 1. colloq. 9. Dœmon. S. Bonav. in Eccl. Discipl p. 1.

232. Hominis astuti ac callidi symbolum sepia est; cui epigraphen hanc Hispanam subdidêre; E QUANTO MAS LE BUSCO, MAS S'ASCONDE. Id est; SUO SE CONDIT HUMORE. In hunc sensum D. Ascanius Martinengus; *Sepia venenosa, quæ effuso atramento aquas nigrescere facit, ut se abscondat, cogitationes nobis indicat animi, cuncta versutiâ occultantis.* Nôrunt enim homines vaferrimi gravissimas quasvis inimicitias dexterrimè tegere, & sub dulcium verborum involucro, ceu atramento, occultare. De his verissimè pronuntiat Magnus Augustinus; *Ille inimicus difficilè devitatur, qui in labiis bona portat, & in corde occulta mala.* Scipio Cellensis ob æmulorum calumnias patriâ se proscriptum ideò potissimùm querebatur; quod ipsius perniciem, sepiarum more, adeò subdolè & occultè fuerint machinati, ut vix à prudentissimis observari potuisset. Unde Cardinalem Doriam in hæc suspiria est affatus;

Ascan. Mart. Gl. 1183. in Glossa Mag. Duplicitas. S. August in Psal. 139.

Il sai, buon Doria, e giusta doglia, e sdegno.
Ben la giust' alma, e'l nobil corti rode,
Mà non quanto convienſi al caso indegno,
Che la scaltra calunnia usa sua frode,
E'l tuo sguardo cervier con finto segno
Pur anco inganna, e ne trionfa, e gode:
Sepia così dal pescator s'asconde,
Mentre il suo sparso inchiostro annera l'onde.

233. Lucarinus Christum è sepia dignoscendum proponit; sicuti enim ista hostium insidias occultando declinat, ita ille necem, sibi à Judæis intentatam, evitaturus, se abscondit. Lemma; VELAMENTO SALUS. De hoc Christi facto testatur S. Joannes; *Abscondit se, & exivit de templo.* Id est, Interprete S. Gregorio, *Cœlicâ potestate invisibilem insidiantibus se constituens, per medium illorum exivit.* Porrò etiam bona opera, taciturnitatis ac modestiæ velo cautè occultata, quasvis hostium insidias facilè effugiunt, ac meritis suis integra conservantur. Optimè ac compendio dixit S. Gregorius; *Thesaurus absconditur, ut servetur.*

Christus se abscondens. Joan. 8. 59. S. Greg. Hom. 18. in Evan. Opera abscondita.

SILURUS.

Cap. LXVII.

234. SIlurus, uti & Lucius, aliique, reliquorum piscium omnium hostes sunt, eosque occidunt ac devorant. Lemma Siluro inditum; OMNIBUS INFESTUS. Talem omnino se exhibet homo inquietus, violentus, ac tyrannidi deditus. S. Asterius crudelitatem, nemini non infestam, in avaro deprehendit; *Avarus*, inquit, *propinquis est odiosus, famulis gravis, amicis inutilis, exteris difficilis & vix affabilis, vicinis molestus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus atque sordidus educator, sui ipsius malignus curator, &c.* Dæmon quoque, infensissimus generis humani hostis, assiduas nobis struit insidias, *quærens quem devoret.*

Tyrannus. Avarus. S. Asterius Hom. de Avaritia. Dæmon. 1. Pet. 5.

SPONGIA.

Caput XLVIII.

235. SPongiam quoque inter pisces numerare licet: nam scopulis per vim avulsa, eos purpureo liquore, ceu sanguine, perfusos relinquit; violento autem ferro succisa, mox contrahitur, seque in angustum colligit. Lucarinus spongiam, scopulo connexam, & inter tempestatum assultus nunquam dimoveri solitam, hoc lemmate insignivit; NON DIVELLOR FLUCTIBUS. Eoque symbolo cùm stabilem in virtute & amicitia persistentiam; tum obstinatam in malo contumaciam significare voluit. Certè Justus nullis unquam adversitatibus se à petra, quæ Christus est, separari patitur. Audi Magnum Dei servum, Augustinum; *Sæviat quantum potest inimicus; non me separat à Deo.* Mariam Magdalenam, rupi Golgotheæ, & postea sepulchrali Servatoris marmori tenacissimè affixam, hoc encomio celebrat S. Ecclesia;

Persistentia. S. Aug. in Psal. 137. S. Maria Magd.

Adstare non timet cruci,
Sepulchro inhæret anxia,
Truces nec horret milites, &c.

236. Spon-

236. Spongiam, manu compressam, hoc lemmate loquentem introduxerunt; PRESSA REDDAM; vel in tertiâ personâ; PREMIT, UT EXPRIMAT. Ita Deus, è peccatorum cordibus pretiosum eleemosynæ, contritionis, & lachrymarum liquorem provocaturus, diversis calamitatibus eos constringere solet. Petrus Bercorius; *Deus videns, quod isti nolunt aliquid de istis aquis absorptis, & avarè acquisitis per largitatem dimittere, solet eos per tribulationes, vel per mortem primere, & sic pro certo, quidquid biberat de divitiis, evomere & dimittere compelluntur.* Unde Magnus Augustinus ait, *Tribulatio medicamentum est ad salutem, non pœna ad damnationem,*

Calamitas.

Pet Bercor lib. 9. Reduct cap. 107 n. 2

S. August. in Psal. 21.

237. Spongia, se ipsâ admodum levis; si aquas imbiberit, pondus acquirit sat grave; adeoque, quod nonnemo lemmatis loco dixerat, PONDUS AB UNIS, subintelige, *recipit.* Haud aliter orationis virtus, aut Rhetoris facundia, si lachrymis permisceantur, mirum efficaciæ & authoritatis incrementum sortiuntur. Apprimè Ovidius;

Lachryma

Ovid. 3. de Pont. Eleg. 1.

Interdum lachrymæ pondera vocis habent.

Et Magnus Augustinus; *Post imbres lachrymarum, inane non potest esse, quod tam vehementer rogatur ab eo, qui est fons omnium misericordiarum,* Porrò cùm aquarum nomine etiam sapientia intelligatur; non abs re dixeris, animam, sapientiæ undis probè tinctam, ingens pondus, magnam inquam authoritatem, constantiam, & ad hæresum ac vitiorum assultus reprimendos patrocinium habere. Id quod è Siracide constat; *Aquâ sapientiæ salutaris potabit illum, & firmabitur in illo,* id est, ut cum aliis interpretatur Joannes Pinna; *Potu sapientiæ nutritus, firmus & stabilis perseverabit;* quia, *qui sacræ lectioni incumbit, contra imminentes procellas, contra hæreticorum versutias firmitatem capit.*

S. Aug. in Psal. 6.

Litteratus

Eccles. 15. 3. Ioan. Pinna in hunc loc.

238. Symboli loco spongiam depinxêre, quæ notas è charta musica delebat; addito lemate, MELIORA SEQUENTUR. Innuebant videlicet, Davidis, Magdalenæ, aliorumque pœnitentûm lachrymis omnes vitiorum characteres fuisse extersos; suavissimis virtutum harmonicarum notis in eorum vicem substitutis. S. Joannes Chrysostomus; *Magna peccatorum spongia sunt lachrymæ: lachrymas mitte, & obliterantur; lachrymas mitte, & purus illic liber reperitur.* Ea quippe bonitatis Divinæ est ordinatio, ut atras vitiorum notas, in pectore nostro per oculorum curiositatem ac lasciviam admissas non aliter, nisi planctu ac dolore, eluere valeamus; nam cor ad pretiosos gratiæ ac virtutum characteres recipiendos nunquam erit idoneum, nisi innocentiæ candore eâ ratione obtento. Hoc sensu Georgius Pisida;

Pœnitens.

S. Io. Chrys. in Psal. 50.

Lachrymæ.

Georg Pisid. de Mundi opificio.

Sed enim per oculos cum notas turpes trahat,
Rursus per ipsos lachrymas fundit pias,
Egressione ut eluat, quæ ingressæ sunt.

239. Spongia, nullo inter aquam, oleum, vinum, aut venenum discrimine habito, quosvis liquores avidè sugit & absorbet. Unde lemma; HUMENTIA SUGIT, vel; EXUGIT TACTU MADOREM. Ita anima humana, spongiæ simillima, proximi sui mores, cumprimis verò vitiosos, facillimè imbibit. Huc illa Davidis sententia, quantumvis alio sensu pronuntiata, collineat; *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* S. Ephræm, *Sicut spongia, humidis admota, subjectam humiditatem haurit, participatq; Ita quoque cogitationis infirmitate laborans; si ad carnales homines accesserit, aut multum cum eis sermonem miscuerit, commune cum eis damnum participabit.*

Societas.

Psal. 17. 26.

S. Ephræm. Tract. de mala convers. vitand.

240. Spongiæ subscribes; HUMENTIA SICCAT. Hominem, charitatis studiosum, hæc imago designat, qui suâ commiseratione, ceu spongiâ, aliorum lachrymas extergit, suisque solatiis quasvis calamitates mitigat. Unde S. Gregorius ait, D. Paulum de se ipso verissimè pronuntiâsse? *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quia,* inquit ille, *in se trahebat damna infirmitatis alienæ.*

Charitas

2. Cor. 11 29.

S Greg. Hom. 32. in Evan.

241. Spongia nihil unquam liquoris attingere potest, nisi simul illum attrahat. Unde lemma, DUM TANGIT, ABSORBET. Oeconomos, Tutores, Thesaurarios, ac publicos ministros hæc idea spectat, qui plerumque, dum res alienas administrant, eas simul in usum suum convertunt, rapiunt, diminuuntque; Villico illi Evangelico non absimiles, *qui diffamatus est apud illum* (Dominum suum) *quasi dissipâsset bona illius.* In hunc locum Theophylactus; *Cùm non exercemus dispensationem opum ad libitum Domini, sed ad proprias illecebras commissis abutimur, criminosi villici sumus.*

Minister infidelis.

Luc. 6. 1.

Theophyl cat aur.

242. Spongia, nativâ quâdam ariditate aquas cæterosque liquores, à se contractos, avidè quidem absorbet; eos tamen, si validè compressa fuerit, integrè restituit. Unde lemma: REDDIT, QUOS RAPUIT. Ita alienarum facultatum direptores, Divinâ manu, aut justitiæ rigore coarctati, illas vel restituunt, vel amittunt. Jobus de impio ac vitioso homine disserens, ad rem oportunè ait; *Divitias, quas devoravit, evomet: & de ventre illius extrahet illas Deus.* Certè Zachæus, vix Divinâ Christi voce tactus, mox in hæc verba prorupit? *Ecce! dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Hæc est enim sapiens illa stultitia,* inquit Beda, *quam de Sycomoro publicanus, quasi fructum vitæ legerat, rapta reddere, propria relinquere, visibilia contemnere.*

Restitutio coacta.

Iob 20. 15

Luc. 9. 8.

Beda in hunc loc.

243. Spongia, humano pugno coarctata, minimum & angustissimum locum occupat; ut primùm verò manum explicaveris, mox turgere, & in omnem partem dilatari solet: adeoque, D. Carolo Bosso asserente, LAXATA TUMESCIT. Indoles humana, consentaneè huic symbolo, quamdiu à providâ Dei manu constricta fuerit, intra modestiæ limites se continet: at illâ nonnihil laxatâ, adeò superbè intumescit, ut adversus ipsum Deum inflari audeat. Dilucidè sacra pagina; *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: Incrassatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Ita, ubi nos in vulgato Jobi contextu legimus, quod impius, in felicitate provectus, *contra omnipotentem roboratus est;* S. Gregorius interpretatur; *Contra Deum armatur; quia rebus temporalibus tumens, contra præscripta veritatis, quasi de magnitudine carnis erigitur.*

Natura humana.

Deut 32. 1

Iob. 15. 25

S. Greg l. 1 Moral. c. 1

STELLA. Cap. XLIX.

244. Hic piscis inter medias aquas semper ardet, & quidquid contigerit, calefacit, ac inflammat. Unde Arcsii lemma; QUASI FACULA ARDET. Iisdem penè verbis Eliam dilaudat Spiritus Sanctus; *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Fervidos Concionatores hoc Emblema spectat; quales fuêre Sancti Apostoli, dum linguis igneis à Spiritu Sancto fuêruntinstructi; *Pro eo scilicet,* inquit Origenes, *quod Evangelii verbum prædicaturi, ignei vigoris deberent gratiâ roborari, ut auditorum animæ flammam*

Eccl. 48. 1

Orig. Hom. in Psal. 38

per

...oncio- ...tor ...rvidus.

per sermonis traducem sumerent. Horum vestigia probè assecuti sunt S. Franciscus & S. Dominicus; dum prior ille, charitatis Divinæ ardore mundum inflammavit; iste verò, facem ore præferens, vastissimas provincias suâ doctrinâ illustravit. Sanctus Bernardus quoque sermonibus adeò ignitis exarsit, ut, quisquis eum dicentem audiret, miro fervore incenderetur. Sanctus Ignatius Loyola in cordium humanorum caligine illuminanda merum fuit incendium &c. Cæterùm etiam hominis maligni lingua, instar tartareæ facis, ardet, inficit, ac devorat. Disertè S. Jacobus; *Et lingua ignis est, universitas iniquitatis: lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna.*

...etractor

c. 3. 6.

245. Hic piscis, quidquid contingit, adurit, Plinio teste; *Huic tam igneum fervorem esse tradunt, ut omnia in mari contacta adurat.* Unde lemma, TANGENTEM ADURIT. Ita sanè fœmina levi quovis contactu incendit, ac instar flammæ devorat. S. Hieronymus. *Sicut stuppa, ubi ignem olfecit, statim accenditur, & non opus est multâ operâ, sic fœmina, masculi corpus contingens, non opus habet multo labore, sed simul ut contingit, statim habet latenter incensam voluptatis scintillam.* Non minus etiam malum exemplum vicina omnia comburit ac devastat. Verissimè Juvenalis;

in lib. 9. p. 60. ...emina. *Hieron. ...ist. 47.* ...lalum exemplum.

> --- --- --- --- *Velocius & citius nos*
> *Corrumpunt vitiorū exempla domestica, magnis*
> *Cùm subeant animos authoribus.*

...venalis ...tyr. 14.

246. Hic piscis in mediis aquis ardet quidem, non tamen lucet. Unde lemma; NON LUCET, ET ARDET. Ignem infernalem hæc idea describit, qui immodico suppliciorum ardore succensus, nullum unquam solatii splendorem fundit. De hoc Sanctus Basilius; *Adhæc cogites profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore, urendi quidem vim habentem, sed privatum lumine.* Cæterùm Emblemate isto etiam hominem, fervido quidem, sed tamen occulto amore ardentem depinges: qualis erat Olindus, de quo Tassus canit;

...gnis inferni. *Basil. in ...al. 33.* *...ss. nella ...ruf Liber ...int. 2 st.*

> *Ei che modesto e sì, com'essa è bella,*
> *Brama assai, poco spera, e nulla chiede,*
> *Ne sà scoprirsi, non ardisce, & ella*
> *O lo sprezza, ò nol vede, ò non s'auvede:*
> *Così sin hora il misero hà servito*
> *O non visto, ò mal noto, ò mal gradito.*

247. Tam immodicus stellæ hujus est ardor, ut nec totus Oceanus illi extinguendo sufficiat. Lemma, NEC PONTUS EXTINGUIT ARDOREM. Genuinum hoc cordis amantis est hieroglyphicon; cujus amor, sive Divinus, sive profanus, nullis unquam adversis viribus extingui potest. *AQUÆ MULTÆ NON POTUERUNT EXTINGUERE CHARITATEM, nec flumina obruent illam.* Et quidem de amore profano testem se offert Seneca Tragædus.

...haritas ...mor ...ofanus. *...int. 8. 7.* *nec in ...ppolit.*

> *Hæc regna tenet puer immitis:*
> *Spicula cujus sentit in imis*
> *Cærulus undis grex Nereidum,*
> *FLMMAMQUE NEQUIT RELEVARE MARI.*

De amore Divino ait S. Ambrosius; *NULLA DILUVIA passionum CHARITATEM EXCLUDERE POSSUNT, nulla cum acerbitatum flumina inundare. Sicut enim arca in illo mundi diluvio totius orbis spatiis innocua ferebatur; ita & tu adversus omnium tentationum fluctus immobilis perstas.*

Ambr. lib. Isaac c. 8.

248. Hic piscis, vicina quævis in medio mari adurere solitus, è D. Vincentio Giliberto epigraphen recepit. QUID IN ARIDO? veluti diceret; si stellæ ardor, contrario elemento circumdatus, in materiem malè dispositam tantas vires exerere possit; qualis, obsecro, quantaque ardoris illius foret vehementia in terram siccam, & ad ignem concipiendum probè accommodatam? Eodem Emblemate insignem Divinæ gratiæ efficacitatem significabis, quæ si Publicani, Chananeæ, & Samaritanæ mulieris corda, in peccatorum pelago altum submersa, ita validè accendit; quas non habebit vires in pectora sancta ac purificata? *Nam Deus,* Magno Augustino teste, *secundùm quod unumquemq; ornatum bonis moribus viderit, ita illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit.* Porrò iconem istam S. Franciscæ Romanæ, S. Ignatio Loyolæ, aliisque similibus tribues; qui, si etiamnum in mundo suprà stellas marinas, instar stellarum cælestium, longè latèque refulserint, suoque calore vicinos omnes passim inflammârint; quis miretur, eos, è mundi pelago in sanctam religionem translatos, summo virtutum splendore exarsisse?

Gratia Dei. *S. Aug ser. 1. de Temp.*

249. Eidem pisci inscripsêre; A LUCE PRIMORDIA DUCIT. Ni fallor, Emblema istud ad piscis hujus splendorem alludit, quem ab ipso vitæ suæ exordio diffundit. Unde illos hâc icone significabis, qui singula sua negotia à pietatis ac religionis luce exordiuntur. Id quod Sinesius cuivis bono Principi sapientissimè persuadere nititur; *Pietas,* inquit, *primum substernitor fulcrum & crepido, cui firmiter insistat simulachrum hoc regni.* De Scipione Africano testatur Livius; *Ex quo togam virilem sumpsit, nullâ die ullam publicam, privatamque rem egit, quàm in capitolium iret, ingressusque ædem consideret, &c.* De S. Thoma Aquinate referunt Historiæ, quod nunquam, nisi præmissis in oratorio, aut coram altari precibus, cathedram conscenderit. Præclarè in hanc rem meus S. Laurentius Justinianus; *Omnes Christi servi, Deo placere cupientes, primordia diei & actionum conentur consecrare altissimo, quatenus cætera secutura opera suo non declinent principio: quapropter mox ut somno evigilant, semper cor suum erigere contendant. Prima vox, prima cogitatio, primus affectus Divinam resonet laudem, ignitam ad Deum dirigat supplicationem.*

Religio. *Sinesius.* *S. Th. Aq.* Intentio. *S. Laur Iust. lib. de discipline.*

TESTUDO. *Caput L.*

250. SCipio Bargalius, suam uxorem Emblemate significaturus, testudinem expressit; cum lemmate, TACITA DENTRO AL GUSCIO OGNO'HOR SICURA. Id est; SILENS SUB TEGMINE TUTA. Gemina enim hæc virtus, taciturnitas & solitudo, mulierum honestati conservandæ penitùs est necessaria. Et certè de testudine ait T. Livius; *Testudinem, ubi collecta in sinum tegmen est, tutam ad omnes ictus esse: ubi exerit partes aliquas, quodcunque nudavit, obnoxium atq; infirmum habere.* Quantùm verò Emblematis applicationem attinet, Alciatus Cupidinem, Veneris statuæ loquentem, exhibet; quæ à Phidia, celebri artifice, testudinem uno pede calcans sculpta fuerat;

Mulieris castitas. *Livius l. 36. n. 12.* *Alciatus Embl 196.*

> *Alma Venus, quænam hæc facies? quid denotat illa*
> *Testudo, molli quam pede Diva premis?*

Me sic effinxit Phidias, sexumque referri
Fœmineum nostrâ jussit ab effigie.
Quoque MANERE DOMI, & TACITAS docet esse puellas,
Supposuit pedibus talia signa meis.

Io. Thuil. in illud Alciati. Joannes Thuilius fœminam loquacem & vagabundam præcipitio ac castitatis jacturæ proximam esse docet. Epigramma illius ita habeto.

Fœmina, quæ loquitur multum, passimque vagatur,
Saltat, & in cunctis desidiosa locis,
Quæque vel ignotos nimis ambitiosa salutat,
Si quid agat, quæras: appetit illa mares.

Sulpit. Dial. 2. Sulpitio referente, prudenter dixit S. Martinus: *Mulier intra murorum munimenta se contineat, cujus hæc prima virtus, & consummata victoria est, non videri.* Certè, *Egressa est Dina, filia Liæ, ut videret mulieres regionis:* Gen. 34. 1. sed quo id eventu? *cum vidisset eam Sichem, adamavit eam, & rapuit, & dormivit cum illa: vi opprimens virginem.* Paupertas. Senec. in Octavia, sub finem. Cæterùm Seneca hanc vivendi felicitatem omnium optimè in paupertate conservatum iri existimat, quod humiles casas nullæ aliorum insidiæ infestare soleant;

----Benè Paupertas
Humili tecto contenta latet,
Quatiunt alias sæpè procellæ
Aut evertit fortuna domos.

251. Capacius testitudinem hoc lemmate loquentem introducit; INTRA ME MANEO. Prudens modestus. Hominem prudentem ac modestum hæc imago refert, qui intra suos contentus limites, eos nunquam ultra debitum transcendit. De hac virtute Justus Lipsius; Lips. lib. 1. Manud. diss. 10. *Compositæ mentis signū est, secum posse morari & consistere.* Eos insuper hoc Emblema spectat, qui ab hominum frequentiâ abstracti, solitudinem amant, Solitudo. ac secum ipsis vivere gaudent; Præclarè Seneca; Senec. Ep. 10. *Sic est, non muto sententiam. Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam unum. Non habeo, cum quo te communicatum velim, Non invenio, cum quo te malim esse, quàm tecum.*

252. Testudo, alis instructa, ac veluti volatura, epigraphen tenet; AMOR ADDIDIT. Amans promptus. Tametsi verò hæc imago boni Emblematis leges excedat; eâ tamen, ni fallor, homo mundanus haud incongruè significari potest, qui naturâ suâ ignavus & rudis; amore stimulante, promptus ac velox evadit: celeritas enim individua amoris comes est. De amante ait Sacrum Epithalamion; Cant. 8. 6. *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum*; vel, ut septuaginta legunt; *Alæ ejus, alæ ignis.* Nam asserente Sancto Laurentio Justiniano, S. Laur. Iust. lib. de casto connub. in fin. *qui ferventius diligit, fatigatur vehementius, quamvis ipsum amoris immensitas non permittat considerare laborem.* Huic argumento conforme est illud Othonis Venii Emblema, ubi Oth. Ven. Embl. Amor fol. 114. jumentum alis ab amore instruitur; addito sequenti epigrammate.

Nemo adeò est stupidæ natura mentis asellus,
Cui cor & ingenium haud indere possit Amor.
Pegaseas pecori Arcadico ille accommodat alas:
Mopsum hebetem in blandum format & arte procum.

253. Plinio referente, multorum opinio est, testudinem ova sua solo oculorum obtutu fovere, & ad justam corporis molem reducere; Plin. 9. c. 10. *Quidam*, inquit, *oculis spectando quoq; ova foveri ab iis putant.* Quare testudo, oculis in ovum defixis, epigraphen tenet; OCULIS VITAM. Prælatus vigilans. Hæc inscriptio, etiam struthioni subjungi solita, Prælatum concernit, qui suâ vigilantiâ, ceu oculo, subditorum vitam, tam corporalem quàm spiritualem, conservat, promovetque. Et S. Gregorii sententiâ, S. Greg. Hom. 12. in Ezec. *Quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per viam, ut possit prodesse per providentiam.* Scitè Poëta;

Ova enixa parens defixo lumine spectat,
Atque oculis fœtus elicit ipsa suos.
Vis tanta est oculis, ut solo è lumine matris
Progenies vitam sumere parva queat.
Cerne tuas sic Pastor oves, & lumine fixo
Invigila: hinc populis vita perennis erit.

254. Ascanius Piccolominius testudinem hoc adverbio, ceu lemmate, insignivit; PEDETENTIM. cujus vice alius sequens documentum morale subjunxit; SIC FESTINANDUM. Maturitas. Adeò nimirum in operationibus nostris nihil unquam deproperandum est, sed singula matura ac prudenti consilio examinanda. D. Ascanius Martinengus ait, D. Ascan. Mart. fol. 1501. Gloss. Mag. *Christicolam erudiri video à testudine, lento gradu ad humana negotia peragenda progredi.* Verùm maturam hanc progrediendi virtutem non à testudine duntaxat, utpote pauperrimo amphibio; sed ab ipso Patris Divino Verbo persuasam accepimus, quando dixit; Ioan. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* In quem locum acutè observat S. Bernardus; S. Bern. ser. 18. ex parv. & variis. *Descendit autem, dictum est, non cecidit: quia qui cadit, sine gradu ruit; qui autem descendit, GRADATIM pedem ponit. Sunt ergo gradus in descendendo, sunt in ascendendo: In descendendo primus quidē gradus est à summo cœlo usque in carnem, secundus usque ad crucem, tertius usque ad mortem. Vidimus descensum, videamus & ascensum. Sed & ille quoq; triplex est, & ejus primus gradus gloria resurrectionis, secundus potestas judicii, tertius consessus ad dexteram Patris.* Judex. Et quidem si omnes nostras operationes gradatim, & nonnisi interpositis moris peragere oporteat, certè illa in agendo tarditas ab iis cumprimis observanda est, qui ad definitivam sententiam, adversus reos decernendam, pro tribunali sedent; nam bonus Judex non tantùm in judicii forma exactè observanda, sed & in decretis maturè ac circumspectè ferendis cunctabundo, &, ut ita dicam, testudineo gressu incedat, necesse est; probè memor, ab ipsamet sapientia Divina, tametsi infinite perfectâ, cunctos sceleratos cum ad vitæ suæ terminum pro judicio peculiari, tum ad mundi finem pro judicio universali reservari. Præclarè Sanctus Petrus Chrysologus; S. Pet. Chrysol. serm. *Hæc est Christi magna, larga, sola misericordia, quæ judicium omne in diem servavit unum, & homini totum tempus ad pœnitentiæ servavit inducias: ut quod de vitiis infantia suspicit, rapit adolescentia, invadit juventus: corrigat vel senectus, & de peccato vel tunc pœniteat, quando sentit jam se non posse peccare: & tunc saltem reatum deserat, quando illum reliquerit jam reatus:* Huic conformis Sanctus Zeno Episcopus & Martyr Veronensis; S. Zeno in Psal. 128. *Justus Dominus*, inquit, *patiens scilicet in ultionem, dissimulator ad pœnitentiæ tempus: non inter exordia iniquitatis promptus ad pœnam, sed desinendi à criminibus, seram licet voluntatem peccatoris expectans &c.* Dæmon. Etiam cacodæmon hunc testudinis gressum imitari novit; ut qui animas nostras fulmine nequaquam subitaneo ac vehementi obruit, sed sensim ac cunctanter unum ex altero vitium suadet, nullamque quietem interponit, donec singula persuaserit. Sanctus Joannes Chrysostomus hanc dæmonis vafritiem S. Io. Chrys. Hom. 87. in Matth. in Caino cumprimis fuisse exercitam ait; *Non confestim cædem fratris illi suggessit, sed prius*

prius persuasit deteriora offerre, nullum id dicens peccatum. Deinde invidiæ veneno succendit, nihil etiam hinc mali subsecuturum persuadens. Ita SENSIM IN EUM ILLAPSUS, ad cædem fratris, ad negationem sceleris impulit, nec prius cessavit, quàm malorum omnium verticem posuit.

Suavissi-rè & tar-dè.

255. Aloysius de Esthe, Cardinalis, testudini inscripsit; CUM TEMPORE. Veræ enim Sapientiæ proprium est, pedetentim res quasvis perficere. *Non enim leviter ad perfectionis culmen pertingitur*, inquit S. Bernardus, *sed paulatim virtutum gradibus ad apicem charitatis per violentiam pervenitur.* Et quidem ipsemet Deus exemplo suo hanc doctrinam confirmat; etsi enim ipsius omnipotentiæ, sapientiæ, ac virtuti infinitæ ad totum universum in unico momento procreandum penitùs nihil obstitisset, maluit tamen illum determinato sex dierum tempore producere, ac tres distinctos mundi ordines adeò severè observare, ut primò res è nihilo creatæ, deinde diversa elementa, ac postremò creaturæ animatæ conderentur: neque id etiam sine mysterio contigit; primo enim opere supremam suam omnipotentiam, altero infinitam sapientiam, ac tertiò singularem bonitatem demonstrare voluit: uti prolixè refert ac testatur Moses; & communi suffragio comprobant S. Joannes Chrysostomus, S. Ambrosius, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, & Scholastici omnes.

S. Bern. ser. de Pasch. — Io. Chrys. hom. 3 in Genes. Amb. l. 1 Hexam. c. 7. Basil. Ho. in Hexam. Greg. Naz. orat. 43. Scholast. in dist. 12.

256. Serenissimi Hetruriæ Principes Symboli loco testudinem præferunt, quæ, turgente velo nautico supra dorsum instructa epigraphen habet; FESTINA LENTE. Innuunt videlicet, celeritatem nunquam debere esse præcipitem, sed semper cum maturitate non ignavâ conjungendam. Joannes Audenus;

Operatio prudens.

> *Judicium præceps insani judicis index,*
> *Omnia nec longis discutienda moris.*

Leo Imperator inter cæteras præceptiones, quas ante arma, cum Turcis conserenda, observari voluit; etiam hanc recenset: *Delibera TARDE, nisi aliqua necessitas celeritatem requirit; ubi consulueris, si nullum impedimentum sit, MATURE FACITO.*

257. Cosmus I. Magnus Dux Hetruriæ, symboli loco testudinem habuit, quæ montis verticem conscendens, epigraphen legendam offerebat; TARDE, SED TUTO. Ita homo prudens id cumprimis curet, necesse est, ut operationes eliciat graves, maturas, sanoque consilio probè ponderatas. Unde veteri paræmiâ dicitur latera habere fortissima, id est, tutò inter quævis ardua negotia incedere, qui iteratis ac maturis consiliis utitur. S. P. Augustinus; *De aliquo dicitur, bona latera habet, id est, bonis consiliis vivit & regitur.* Guido Cassonus.

Maturitas. — Aug. in Psal. 117. — Guid. Casson. Embl. 4.

> *Non la pompa real sostien l'impeto,*
> *Ma la conserva, e a vera gloria invia*
> *Il consiglio fedel, grave, e sicuro*
> *D'una candida mente, amica, e saggia,*
> *Ma l'ardito consiglio in fretta nato*
> *Dal'impeto de l'ira, e da leggera*
> *Confidenza, ò risorto da interessi.*
> *Privati, cade, e ruinoso tira.*
> *Nel precipitio suo l' altrui fortuna.*

258. Superba Domûs Pisanæ porta inter cætera emblemata testudinem exhibet, ære fusam, & volantis aquilæ ungibus sustentatam; cum lemmate, FEROR, UT FRANGAR. Christum hæc imaimago spectat, quem Hierosolymas solemni pompâ receptum, paulò post crudelissimæ mortis catastrophe subsecuta est. Verissimè Seneca:

Christus Hierosolymam ingressus.

> ------ *Quidquid in altum*
> *Fortuna tulit, ruitura levat.*

Hanc vicissitudinem in Christo admiratus S. Bernardus, ait, *Quàm dissimile, Rex Israël, & non habemus Regem nisi Cæsarem? Quam dissimiles rami virentes, & crux? flores & spinæ? Cui prius sternebantur vestimenta aliena, ecce suis exuitur.* Huc opportunè facit distichon illud;

S. Bernard. ser. 2. in Domin. Palm.

> *Frondentes hodie tantùm Christe accipe ramos:*
> *Truncum, qui superest, mox tibi turba dabit.*

Quare homo prudens nullam unquam fortunæ blandienti fidem habet; ut quæ perversam hanc indolem congenitam ac veluti individuam gerit, quod gravissimo lapsu præcipitandos plurimùm evehat. Sanctus Basilius; *Beatus, qui non per voluptatis inescationem circumactus est ad interitum.*

Fortuna blandiens. — S. Basil. Ho. 1. in Psal. 1.

259. Testudo præclarum illorum ectypon est, qui paupere suâ sorte contenti, opibus proprio sudore partis gaudent. Unde D. Arcsius testudinem hoc lemmate loquentem sistit; SUB PARVO, SED MEO. In hanc rem Magnus Augustinus; *Quantùm tibi dederit Deus, ex eo tolle quod sufficit. Cætera, quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur.* Celebris Poëta, Ludovicus Ariostus, angustam, sed tamen illustrem domum, à se extructam, hoc disticho ornavit;

Contentum esse sorte suâ. — S. August. in Psal. 147.

> *PARVA, sed apta mihi, sed nulli obnoxia, sed non*
> *Rordida, PARTA MEO, sed tamen ære domus.*

260. Testudo nunquam non domi suæ est; quippe quam ubivis terrarum secum defert. Unde Arcsii lemma; NUSQUAM HOSPITA. Ita Religiosus, quocunque locorum abierit, in singulis Monasteriis, veluti domi suæ, recipitur. S. Ambrosius, *Quocunque accesserit sapiens, ubique civis est, ubique sua omnia intelligit, nusquam se peregrinum, nusquam hospitem judicat.* Seneca; *Magno animo nos non unius urbis mænibus clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus; patriamque nobis mundum professi sumus, ut liceret latiorem virtuti campum dare.* Et rursùs: *Nulli loco addicere debemus animum. Cùm hac persuasione vivendum est; Non sum uni angulo natus: patria mea totus hic est mundus.* S. Gregorius Nazianzenus de seipso fassus est; *Mihi omnis terra, & nulla terra patria est.* Enimverò omnis locus illi patria erat, quia totum mundum, sine locorũ discrimine, instar patriæ habebat: nullus verò locus illi patria erat, cùm in nullo altero, præterquam in cœlo, sedem stabilem figere decreverit. Cæterum hæc D. Nazianzeni sententia etiam sequenti symbolo illustrando deservit.

Religiosus. — S. Ambr. Ep. 21. ad Sabin. — Senec. l. de tranquill. c. 3. — Idem Ep. 28. — S. Greg. Naz. Orat. 28.

261. Idem Arcsius Testudini epigraphen, superiori Emblemati è diametro contrariam, subjunxit; NUSQUAM NON HOSPITA. Testudo enim, utpote amphibia, nullo non loco peregrina est, cùm inter terrestria animantia vocari possit aquatilis; & inter aquatilia terrestris. Ita sanè nostra humanitas in his terris assiduam agit peregrinationem, neque ullibi locorum stationem occupat propriam aut stabilem. Divus Petrus, *Obsecro vos*, inquit, *tanquam advenas & peregrinos.* Et David, *Advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut*

Vita humana peregrinatio — Psal. 38. 13. 1. Pet. 2. 11.

sicut omnes patres mei. Idipsum sapienter indicare volebat ille, qui supra domus suæ ostium hæc verba marmori incidi fecit; *A Deo mutuum,* Apposite Sanctus Joannes Chrysostomus; *Sæpius risi, testamenta legens, dicentia; Ille quidem habeat agrorum vel domorum dominium; usum verò alius. Omnes enim usum habemus; Dominium autem nemo. Etsi enim nobis per omnem permaneat vitam; velimus, nolimus, in fine aliis cedemus, ipsarum usu solo decerpto: dominio autem nudi, & orbati ad illam vitam migrantes.*

S. Io. Chrys. Hom. 1. ad Popul.

262. Testudo ex osseo suo clypeo, uti oneris multùm, ita & plurimùm tutelæ accipit. Aresio subscribente, ONERAT, ET ARMAT. Ita calamitates tantundem virium ac felicitatis, quantùm ponderis in nos conferunt. Sanctus Joannes Chrysostomus; *Animæ, quæ periculis, laboribus, & ærumnis afflictionis Dei causâ sunt expositæ, atque ipsis enutritæ, ferro ipso vel adamante solidiores fiunt, ac generosiores, & ex eo, quod assiduè vexentur, inexpugnabiles adversariis redduntur, & invictum quendam patientiæ ac fortitudinis habitum acquirunt.* Ejusdem sententiæ erat Origenes, quando proposuit ac dissolvit hoc dubium; *Quid est, quod, quamvis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur? Unde apparet, quia velut custodia quædam, & munimen ei tentationes adhibentur.*

Calamitas utilis.

S. Io Chrys. serm. 14 de divers. novi testam. locis

Orig Hom. 27. in Num.

263. Vellet equidem ignavus hominis animus nonnunquam è vitiorum pondere eluctari; firmo tamen decreto id in opus redigere semper abhorret; Testudini non absimilis, quæ, asserente Certano Abbate, assiduum è sarcina sua egressum simulat, nec tamen reipsâ id unquam exequitur. Lemma; NEC TAMEN EGREDITUR. Hanc miseriam in seipso cumulatè expertus Magnus Augustinus, ait: *Ita sarcinâ sæculi, veluti somno assolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, quæ tamen superati soporis magnitudine remerguntur. Non enim erat, quod tibi responderem dicenti; surge qui dormis, & exurge à mortuis. Non erat omninò, quod responderem veritate convictus, nisi tantùm verba lenta & somnolenta. Modò, ecce, modò, sine paululùm; sed modò, & modò, non habebant modum, & sine paululum in longum ibat.*

Peccator piger & irresolutus.

S. Aug lib 8 Confess. c. 5.

264. Henricus Farnesius Eburo coctam testudinem hoc lemmate circumscripsit: AUT EDE, AUT NON EDE. veluti diceret, quemadmodum testudinis carnes, si parcè comedantur, ventris dolorem pariunt; copiosiùs verò manducatæ, eundem dolorem sanant; ita etiam *Nec bellum, nec imperium ineundum, nisi acriter ineatur.* Negotia enim aut omnino non attingenda sunt, aut, si attingantur, virili ac indefesso animo tamdiu continuentur, dum victor redieris. Adagiorum Collector similem græci cujusdam versus paræmiam affert, quæ in latinum traducta ita sonat:

Henr. Farn. Ebur. lib 1. Dipht. Elog. 8.

Operari viriliter.

Paulus Manutius.

Testudinis carnem, aut edas, aut non edas.

Cui mox subjungit; *perinde quasi dicat: aut bellandum est, aut non bellandum; aut studendum, aut non studendum;* aut heroico ac virili pectore versandum opus, aut penitùs intermittendum. Huc magnoperè facit illa minitantis ac exprobantis Dei sententia; *Utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Acerbè enim iis indignatur Deus, qui solâ fide instructi, nullum ferventioris operis affectum eliciunt; his certè longè foret satius, nullam Dei cognitionem habere, quam cognito illo, in animæ negotiis frigescere. Unde Religiosos illos cumprimis abominatur Deus, qui perfectionis semitam liberè aggressi, eam debito fervore non prosequuntur. Prorsus Christianè Salustius: *Non votis, neque supplicationibus muliebribus auxilia Deorum parantur; sed vigilando, agendo, bene consulendo, omnia prosperè cedunt: ubi socordiæ atque ignaviæ te tradideris, nequidquam Deos implorabis.* Quare Christiani omnes, ac cumprimis Religiosi, virtutibus avidè, ac toto conatu inhient; probè memores, Divinam nauseam tepore provocari; contrà verò sollicitudine & labore æternam beatitatem nobis obtingere: siquidem *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam.*

Apoc. 3. 15.

Salust in Catilina.

Matth. 5 6.

265. D. Aresius testudinem hoc epigrammate loquentem introducit; CONTEGOR, NON CONDOR, seu, *cooperior, non abscondor.* Sanctos, Divinis contemplationibus deditos, hoc emblema spectat; quorum corpora non abs re diversoriis, & carceribus minimè obscuris comparare licet. Illorum quoque hæc imago est, qui vel Religionem, vel solitudinem ingressi, extra mundi turbas degunt. De beata hac hominum sorte Philo Hebræus; *Vir bonus,* inquit, *vitæ quietæ amator, secessum quærit & solitudinem, latere cupiens, non odio hominum: est enim, si quis alius, eorum amans; sed quia fugit, & proculcat vitia, quibus vulgus delectatur, gaudere solitum iis quæ dolenda sunt, & dolere iis, quæ gaudenda.*

Contemplativus.

Religiosus

Philo lib. Abraham.

266. Testudo, quantumvis viam conficiat diuturnam ac longam, tectum tamen suum nunquam egreditur. Unde lemma; GRADITUR, NON EGREDITUR. Ita moderatus hominis animus suas operationes ita cautè instituit, ut modestiæ limites nunquam egrediatur. De se ipso testatur Seneca: *Si disputarem, nec manum jactarem, nec vocem attollerem, sed ista Oratoribus reliquissem; contentus, sensus meos ad te pertulisse, quos nec exornassem, nec abjecissem, ut non delectent verba nostra, sed prosint.* Eodem Symbolo Ministrum Principis afficies, qui intra Domini sui leges ita ad perpendiculum incedere solet, ut illas nec minimum unquam excedat; æquitatis ac justitiæ undequaque tenacissimus. Moses simili ratione transitum per Regis Edom provincias tam pro se, quàm pro Israelis populo rogavit; *Obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam: Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur viâ publicâ, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos.*

Modestia

Senec Ep. 6

Minister Principis.

Num. 20. 16

267. Testudini subscripsêre; AD LOCUM TANDEM. Hominem, post innumeros labores tandem ad desideratam metam deductum, hæc imago denotat. Proprius autem creaturarum omnium locus, ad quem rectâ viâ coguntur tendere, est ipsa eorum destructio, consummatio, ac interitus. Atque ineluctabile hoc occumbendi, moriendique fatum non sola animalia, à contrariis elementorum qualitatibus assiduò impugnari, tandemque sterni solita; sed & ipsas quoque civitates, Respublicas, ac vastissima quævis imperia manet. Verissimè Seneca; *Certis eunt cuncta temporibus: nasci debent, crescere, extingui, quæcunque vides supra nos currere, & hæc, quibus innixi atque impositi sumus, velut solidissimis, carpentur, ac desinent. Nulli non senectus sua est.* Et paulò-post; *Omne humanum genus, quodque est, quodque erit, morte damnatum est. Omnes, quæ usquam rerum potiuntur, urbes, quæque alienorum imperiorum magna sunt*

Appellere.

Senec. Ep. 71.

sunt & decora, ubi fuerint aliquando, quaeretur, & vario exitii genere tollentur. &c.

268 Maris Indici testudines sub radiis solaribus ad supremam aquarum superficiem sese natando sublevant; ibique ab aëris tepore, non sine voluptate, respirant. At eo loco diutius ac plus æquo detentas solis ardor ita exiccat, ut amplius infra undas submergi, ac pristinum fundum repetere nequeant. Unde Testudo, solari ardore exiccata, epigraphen habet; IMMERSABILIS, Velut Ferro placet; L' ARDOR M' ARSICCIA, E MI TRATTIENDI SOPRA. Id est; EXICCANS ME SUSTINET ARDOR. Ita quisquis cor suum terrenâ voluptate, sensuum illecebris, aut caducâ venustate inflammari sinit; postea, tametsi velit, ad pristinæ solitudinis ac mortificationis consuetudinem nunquam, aut nonnisi ægerrimè, reverti poterit. Accommodatè in rem præsentem D. Ascanius Martinengus; *Testudines, si laxatæ se solis radio exponunt, adeò exsiccantur, enervanturq;, ut in gurgitem redire nequeant: ita qui illecebris carnis nimis se allici permittet, adeò amore devio mundanoq; enervabitur, ut vix ad suam consuetam mortificationem, atque vitæ duritiem redire possit.* Et S. P. Augustinus; *Carnalis venumdatus incurrit culpam. Non agit, quod vult; cùm vult, non potest; quia quando poterat, noluit: Per malum velle, perdidit bonum posse.*

Voluptas terrena. — Asc. Mart. Coll. Mag. 1501. — Aug. ser. de Verb. Apost. c. 2.

269. Testudinem, infra solis radios exiccatam, & submergendi potentiâ penitùs destitutam, Abbas Ferrus hoc lemmate notavit; L' ARDOR MI TIENE, OVEL' ARDIR MI SPINSE; id est, QUO TRAXIT AUDACIA, NUNC DETINET ARDOR, Vel, GIA TROPPO ARDITA, Hor TROPPO ARDENTE IO SONO. Id est; OLIM AUDAX, NUNC ARDENS. Volebat nimirùm hominis mundani ore dicere; Nimiùm ardoris in contemplanda aliena voluptate recepi, justo proindè supplicio nunc ardeo. Quare utramque epigraphen dæmonibus & animabus damnatis non incongruè tribues, qui paulò ante insano ardore adversus Deum elati, nunc æterno ardore justissimè excruciantur. S. P. Augustinus! *Illi miseri sunt, quorum corda sunt carnali concupiscentiâ pollutâ; quia æternas merguntur in pœnas.*

[...]mans [pr]ofanus. — Anima damnata. — Aug. ser. 9. de Temp.

270. Alius eidem testudini, solaribus radiis exustæ ac exiccatæ, magis succinctè inscripsit, ABSUMITUR ÆSTU. Homo lascivus, concupiscentiæ sese inflammandum, debilitandumque permittens, ab ea, veluti igne, sub amasiæ, ceu solis, aspectu miserrimè acceditur. Eâdem planè phrasi Sacræ Litteræ utuntur, quando de vetulis illis, in Susannæ venustatem abreptis, ajunt; *Exarserunt in concupiscentiam ejus.* S. Joannes Chrys. *Ut ignis, ubi fœnum arripuerit, nihil moratur, sed simul ut attigit materiam, accendit flammam; itidem & ignis concupiscentiæ, simul atque per oculorum intuitum elegantem attigerit formam, protinus exurit animam.*

[...]mans [pr]ofanus. — [D]an. 13. 8. — Io. Chrys. [H]om. 3 de [V]erb. Isaiæ.

271. Testudini subscripsit D. Carolus Rancatus; CURRUS, Et AURIGA. Prælatos illos hæc imago spectat, qui, regiminis pondere semel suscepto, ab aliorum directione dependere penitùs nolunt, sicque simul & oneri colla submittunt, & familiam suam gubernant. Hanc laudem à sequace suo Elisæo retulit Elias; *Pater mi, Pater mi, currus Israel & auriga ejus.* Quo tamen encomio etiam Elisæum postea prosecutus est Rex Joas. Sicuti enim testudo sibi & currus est & auriga, ita & Prælatus currum agit, dum, instar Doctoris, aliorum defectus suffert ac corrigit; aurigam verò, dum illos exhortando ad meliora dirigit. Audi S. Gregorium; *Doctor, qui mores populi & per patientiam sustinet, & sacri eloquii verbis docet, & currus dicitur & auriga. Currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agitat. Currus, quia mala sustinet; auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet.*

[Pr]ælatus ipsû gu[be]rnans. — 4. Reg. 2. 12. — 4. Reg. 13. 14. — Greg. l. 2. in Ezech. hom. 21.

272. Testudo, humi lente repens, orbis semel ex alto spectandi cupida, aquilam, ut se levaret, exoravit. Illa, ubi eam in aëre sustulit, denique, ceu satis spectatum, in rupem dimisit; ubi confracta, volucri in prædam cessit, digno ambitionis præmio. Lemma. ELATA PERIBIT. De ambitione in rem præsentem ait S. Bern. *Potestatis ambitio Angelum felicitate angelicâ privavit; scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloriâ spoliavit. Non Evam cibus deflexerat, non mandatorum destituerat oblivio, sed promissi honoris ambitio illecebrosa decepit.*

Ambitio. — S. Bern. in sermonibus.

THYNNVS.

Caput LI.

273. Thynni, naturâ suâ timidi, cum varios pisces sibi insidiari sciant, nonnisi ingenti agmine simul mare circumeunt. Hanc eorum proprietatem observans Plinius, ait; *Intrant è magno mari Pontum verno tempore gregatim*; Idque paulò infrà repetit. Unde lemma; GREGATIM INCEDUNT. Dei servos hæc idea concernit, qui in orbis conspectu uniti ac concordes incedere solent, plurimamq; è mutua illa amicitia utilitatem ac profectum referunt. Hugo Cardinalis ait, Regum Fastos non sine mysterio de vaccis, ad currum colligatis, dicere, *Itinere uno gradiebantur*: nam interprete ipso, *In uno itinere unitatis concordia insinuatur, quâ debent habere doctores in docendo, & Prædicatores in prædicando.* Eò etiam Salomonis sententia collineat; *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.*

Plin. lib. 9 cap. 15. — Concordia. — 1. Reg. 6. 12. — Hug. Card. in hunc loc. — Prov. 18 19.

274. Thynnus, etiamnum parvulus, nunquam se ab aliorum societate avelli permittit; at viribus ac ætate provectior, suopte ingenio per aquas divagatur. Lemma, SOLUS JAM GRANDIOR ERRAT. Filius prodigus, necdum adolescentiæ annos egressus, intra patrios lares se continuit; at natu major, mox exteras regiones solus & vagabundus circuire cæpit. S. Petrus Chrysologus; *Adolescentior iste, planè non ætate, sed censu: sui congregavit bona patris, & abiit longè plus mente, quàm loco: ut dato, non accepto pretio, miseræ se venderet servituti*, suamque fortunam omnem inter meras prodigeret nugas & vanitates.

Prodigus Evangelicus. — S. Pet. Chrys. Serm. 1.

275. Thynnus tam immodicâ est pinguedine, ut nonnullis porcus marinus vocetur: visum verò habet admodum imbecillem & infirmum. Unde lemma; PINGUIS, AT OCULIS HEBES. Ita homo mundanus, divitiis amplissimè impinguatus, oculos plerumque habet ad Dei obsequia & animæ salutem penitùs hebetes ac lusciosos. Ex hac hominum sorte fuerat utraque tribus Ruben & Gad, cum dimidia tribu Manasse: Hi enim supra Jordanis flumen collocati, ac regionis pinguedine allecti, omni reliquâ, quantumvis magnâ terræ promissæ affluentiâ ultrò se abdicârunt; uti Numerorum Liber refert. In hunc locum Procopius; *His*, inquit, *similes nonnulli sunt, qui curis hujus vitæ victi, studio erga Deum elanguescunt. Etsi enim vocati ad fidem fuerint, tamen propter voluptates in numero proborum permanere nolunt.* Et S. Gregorius, *Dum extra Jordanem ea, quæ viderant, campestria concupiscunt, in repromissionis terrâ hæreditatem habere noluerunt.*

Mundanus. — Num. 32 5. — Procop. in hunc loc. — S. Greg. l. 27. Moral. c. 7.

Plin. l.c. 276. De Thynnis observatum habet Plinius, eos ob nimiam pinguedinem subinde rumpi. *Pinguescunt, & in tantum, ut dehiscant.* Unde lemma; SAGINA DEHISCIT. Complures mundanos
Epulo. hæc imago concernit, qui nimiâ bonorum affluentiâ ac pinguedine ægrotârunt, vitamque amiserunt cùm æternam, tum temporalem. Veritatem
Luc. 16. n. 19. & 22. hanc exemplo suo comprobat Epulo ille Evangelicus, de quo cùm paulò ante dictum fuisset, *Epulabatur quotidiè splendidè*, mox subjungitur; *Mortuus est hic dives:* Satis perspicuè innuendo, eum nonnisi crapulâ, & obeso abdomine fuisse suffocatum.
S. Chrysost. apud Anton. in melissa. p. 1. s. 14. S. Chrys. *Venter crassius mentem subtilem non parit. Multa vorare ad pardum, ursum & leonem pertinet; pedum dolores & capitis gravitates, & oculorum hebetudines, & manuum ægritudines, & tremores, & resolutiones, & aurigo, & febres longæ ac horrentes ex voracitate & repletione produci solent. &c.*

277. Thynni dulcibus aquis mirificè delectantur. Unde si in alto mari versantibus cœlum obtingat siccum & impluvium, mox macie extenuantur: ac pluviis denuò insequentibus, immodicè iterùm
Ares. Impr. 189. n. 3. pinguescunt. Eo alludens D. Aresius, Thynno subscripsit. PINGUESCIT AB IMBRE. Si Verbum Divinum, Mose teste, pluviis sit simile; certè
Verbū Dei impinguat Christiani Thynnos imitantur; uti pluribus locis comprobat S. Gregorius Papa; hi enim è Verbo Dei omnem animæ suæ pinguedinem ac felicitatem derivant. Quare S. Gregorius Nazianzenus, forsan il-
S. Greg. Naz. Orat. 15. in plagam grandinis 6. 7. lam D. Pauli sententiam innuens, *Terra venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo* ita ratiocinatur, *Quemadmodum pluvia, leniter ac tranquillè defluens, altissimèque illabens, pinguiorem terram efficit &c. Ita oratio mentem penetrat, dilatatumque os spiritu implet, nec in ipso ortu extinguitur, sed frugem ingentem paucis syllabis gignit.*

278. Ubi sinister Thynni oculus caligare cœperit, dextero oculo longè acutius videre solet; unde fit, quod dextero potissimùm oculo uti solitus, iter
Plin. lib. 9. cap. 15. suum nonnisi versus dexterum latus instituat. *Thynni dextrâ ripâ intrant ex Oceano in mare nostrum mediterraneum; id accidere existimatur, quia dextero o-*
Ælian de Hist. Anim. *culo plus cernant.* Uti his planè verbis cum Æliano testatur Plinius. Unde epigraphen subjeci; DEXTRO PLUS OCULO CERNIT. Personæ spiritualis hæc idea est propria, quæ, dextero tantùm
Contemplativus. oculo uti solita, nonnisi virtuti, pietati, ac Deo intendit; atque adeò sinistro oculo ad vitia, mundum, & caducas sensuum illecebras aucupandas penitùs destituta est. Sponsus cœlestis, sponsam suam dilau-
S. Greg. Nyss. Orat. 8. in Cant. dans, ait; *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*; Non quasi illa uno tantùm oculo instructa fuisset; nec etiam quasi alter oculus sponso displicuisset, sed quia nullum aliud habebat videndi objectum, nec etiam alio intenta erat, nisi in solum Deum. Ad hoc propositum S. Gregorius Nyssenus; *Qui ad solam Dei naturam visûs acumen dirigit, is in cæteris omnibus cæcus est, ad quæ multorum oculi respiciunt.*

279. Rigente hyeme, Thynni nunquam per
Plin. l. c. mare oberrant; &, ut Plinii verbis utar, *brumâ non vagantur.* Quæ verba paululùm transposita, hanc epigraphen subministrant; NON BRUMA VAGANTUR. Hominis prudentis hoc symbolum
Homo prudens. est, qui rigente tentationum brumâ, nihil decernit, nec etiam quidquam erroneè proponit, sed ad humilitatis fundum demissus, nihilum suum studiosè expendit, uti de operationibus ritè exercendis tradit S. Ignatius Loyola. Eos quoque hæc imago spectat, qui cœlestem semitam ingressuri, nequaquam annorum suorum brumam, ætatem inquam decrepitam, aut mortis præsentiam expectant; sed maturè, annis nimirùm adhuc vernantibus, illam percurrunt. Matth. 24. 20.
Huc collimans Servator monuit; *Orate, ut non fiat fuga vestra hyeme &c.* Tandem etiam hominis ignavi hic typus est, qui ingruente quâvis difficultate, Ignavus.
laborem intermittit, & in angulos se recipit; Pulchrè dixit Seneca; *Generosos animos labor nutrit:* Senec Ep.
Laborem si recuses, parum esse potes. Non est viri, timere sudorem.

280. In Asiâ, propè Chalcedonem, Plinio teste, *saxum miri candoris* reperitur; *hujus affectu* Plin. l. c.
Thynni *repentè territi adversum Bizantii promontorium præcipiti petunt agmine.* Unde Thynnus, è saxi illius aspectu in fugam actus, epigraphen tenet; CANDORE TERRITUS ABIT. Haud aliter
Dæmon, si Mariam Virginem (utpote *Petram deserti* cognominatam) ejusque purissimum candorem Dæmon Mariam timent.
intueatur, mox ingenti terrore perculsus, fugam petit. Richardus de S. Victore, meus Concanonicus; Rich. de S. Vict. in Ca cap 26.
Virgo, inquit, tenebrarum principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes & fervor devotionis, stupebant immunem à peccatis. &c.

281. Leander Albertus in descriptione Calabriæ refert, Thynnum quendam, in reti repertum, rostro fuisse, instar aliorum piscium, duro, & viribus adeò robustis, ut rete, tametsi ferreum, rumpere potuerit. Labia verò ita habuisse tenera & debilia, ut, re ti vel minimùm contacto, ingentes dolores ei creârint. Unde hic piscis, labiorum doloribus mitigandis occupatus, facillimè capitur, vitamque perdit; cum lemmate, PER LE LABBRA SALVAR PERDO LA VITA. Id est, PERIT, NE LABIA LÆDAT. Imprudentes illos Christianos hæc Verecundiæ in Confessionali.
imago adumbrat, qui, verecundiâ persuasi, peccata sua in Confessionali reticent: dum enim labiis ad culpas manifestandas parcunt, iisque insano amore blandiuntur, subitò intra dæmonis rete constricti, vitam amittunt, mortemque incurrunt æternam.
Unde non sine gemitu exclamat S. Bernardus; *O verecundia, expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris, & honestatis!* S. Bernard Epist 185.

282. Thynnus, naturâ suâ ferocissimus, si reti implicatus, popysmis circa collum demulceatur, mox impetum & furorem omnem exuit; uti P. P. Const lib 3. cap. Mundi gr dis
Constantinus Notarius testatur. Unde lemma; POPYSMATE MITIS. Hinc discas, proximum tuum impetuosum ac ferocem, si correctione diri- Correct suavis.
gatur suavi & amorosa, mox mansuescere, & ad frugem redire. Verissimè S. Joannes Chrysostomus; S. Io Chry Hom. 30 Epist. ad
Multâ lenitate opus habet, qui corripit &c. Non videtis medicos, quando urunt, vel secant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent? multo amplius corripientes oportet hoc agere. Nisi enim, inquit S. Gregorius Papa, *verecundæ mentes fuerint palpando reprehensæ, ita ut ex aliis rebus audiant, quod consolationem assumant per increpationem, protinus in desperationem cadunt.* S. Greg. H 11. in Eze

TORPEDO.
Cap. LII.

283. MUliebris venustas mundanos homines ita reddit attonitos, tantoque stupore fascinat, ut à gravioribus curis abstracti, nihil aliud mente agitent, nisi formam illam per fas, nefasque possidendam. Hos torpedinis symbolo delineabis, quæ piscatoris manum, in ipsius insidias extentam penitus

[Mu]liebris [a]stus. penitùs efficit stupidam, ac torpentem. Lemma; STUPEFACIT INSIDIANTES. De se ipso fatetur Lucianus; *Visâ summâ formâ muliebre, parùm aderat, quo minus ego saxum ex homine factus sim, spectaculi admiratione rigore attracto.* Idipsum S. Greg. Thaumaturgus docet; *Mulier, si manu solâ contingat, tenet: si in amplexetur, vinculis trahit.*

[Lu]cian. in [Di]alog Imag. [S.] Gre. Thau [in] Ecclesia[st].

284. Damnorum illorùm epitomen facturus, quæ nobis à sceleratorum contubernio accrescunt, Torpedinem Symboli loco exprimes; cum lemmate, STUPEFACIT TANGENTES, vel, ut D. Gallinæ, meo Concanonico placet; TACTU VENENAT. In hanc rem meus D. Ascanius Martinengus; *Torpedo, quæ, quos attingit, stupore afficit impii animi est indicium, ac figura, qui conversatione, quasi contagio, cæteros fœdat ac necat.* Hanc veritatem probè perspectam habens Seneca, ad quæsitum illud, quinam amicorum loco habendi? respondit, eos tantùm, *quos scilicet vacuos, quantùm fieri poterit, à cupiditatibus eligemus. Serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliunt, & CONTACTU NOCENT: Itaque uti in pestilentia cavendum est, ne corruptis jam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuq; ipso laborabimus, ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quàm minimè inquinatos assumamus.*

[So]cietas [m]ala. [D.] Asc. Mart [f.]1483. [Se]nec. l. de [Tr]anquill. [an]imi c. 6.

285. Bernardus Tassus piscatoris manum, à torpedine stupefactam, hoc lemmate notavit; E PRÆDA STUPOR. Emblemati applicationem subjungens Camerarius, inscripsit; MUNERA SIC ANIMUM. Et certè piscatoris manus, à torpedine comprehensa, non adeò effici potest stupida, & in agendo torpens, quàm Judicis dextera à muneribus. S. Petrus Damianus; *Acceptis muneribus, si contra datorem quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentia præpeditur; Mens quippè, percepti muneris conscia, debilitat judicialis censuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem.* Haud aliter Poëta.

[M]unera. Pet Dam. [Ep]ist. 23.

Annè manus torpent tibi, cùm clam munera sumis?
Non sentis? Certè mens, animusque stupent.

286. Torpedo, tametsi admodùm pigra, velocissimos tamen pisces, si ipsi propinquaverint, devorat: aliquâ enim torporis qualitate per aquas diffusâ pisces vicinos ita stupefacit, ut corporibus movendis penitus inhabiles, ei in prædam cedant. D. Aresius hanc mulieris lasciviæ effigiem proponens, inscriptionem addidit; NON SALVABITUR VELOX. Enimverò venenum, è muliere transfusum, adeò malignum est, ut homines etiam agilissimos, & in virtute plurimum provectos, nonnunquam inficiat. Frequenter namque lascivam hanc torpedinem aut non pro viribus fugiunt, aut etiam fugiendo lethale illud animæ toxicum secum ferunt. Sapienter id obsérvans S. Ambrosius, *Nosmetipsos*, inquit, *videamus diligenter, ne dum illam fugimus, nobiscum eam portemus.* Et S. Cyprianus; *Videmus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Episcopi, simul & Clerici & Laici, post Confessionem victoriarum, post calcata certamina, post magnalia & signa, vel mirabilia usquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, dum volunt in navi fragili navigare. Quantos Leones domuit una muliebris infirmitas delicata? quæ, cum sit vilis & misera, de magnis efficit prædam.*

[M]ulier lasciva. Ambr. l. 1. [d]e Pœnit. [c]ap. 14. [S.] Cypr. l. de [s]ingul Cler.

TRUTA.

Cap. LIII.

287. Nobilis hic piscis semper adverso torrente nititur; ibique maximè solet delectari, & in sublime exilire, ubi aquæ ex alto præcipites cadunt. Unde lemma; IN ARDUA NITOR. Ita nobilis ac generosus animus, ut majore existimatione inclarescat, difficultates quasvis gravissimas perrumpere nititur. Seneca peculiari ratione, quamvis sub diversa metaphora, id attingens, ait; *Quemadmodùm flamma surgit in rectum, jacere ac deprimi non potest, non magis quàm quiescere; ita noster animus in motu est, eò mobilior & actuosior, quò vehementior fuerit.* Huic Emblemati etiam peccator obstinatus similem se probat, qui nunquã non adversus gratiæ Divinæ impulsum nititur. Contra hanc hominum sortem detonans S. Stephanus, *Dura cervice*, ajebat, *& incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Et Jobus; *Cucurrit adversus Deum erecto collo.*

Animus generosus. Senec. Epist. 39. Peccator pertinax. Act. 7. 51. Iob. 15. 26.

288. Ajunt Trutam auro pasci. Undè lemma; AURUM ALIMENTA MINISTRAT. Vel, DAT PASTUM AUREA SEGES. Vel; EFFOSSO NUTRIOR AURO. Hanc Trutæ indolem imitantur, qui Sacræ Scripturæ, aut Sanctorum Patrum voluminibus versandis delectantur: hæc enim non quidem Midæ mensam instruunt, quæ aurum, ventre jejuno relicto, offerebat; sed cibos aureos propinant, fami ac palato intellectuali exaturãdo gratissimos. S. Theodorus Studita; *Nobis quidem, ceu opipara quadam mensa, præbita doctrina Sanctorum est, alio hinc sermonem quasi quasdam condiente cupedias, inde alio velut aurum divina moliente verba, ac seriò alusque hinc & inde acclamationum delicias comparantibus.*

Studiosus rerum sacrarum. S. Theod. Stud Serm. 73.

289. Ælianus, comprobante experientiâ, affirmat, hamum seu filum, è piscatoris manu suspensum, à truta nihil penitùs timeri; quia adversus filum concitata, dentium suorum acumine illud perrodit, & abrumpit. Unde lemma; VINCULA RIDET. vel si placet, etiam hanc epigraphen, columbæ propriam, ei subjunges; DIRUPTO LIBERA VINCLO. Ita Samson, inter vincula jocatus, ea, veluti aranearum telas, dirupit. Et Filius Dei, mortis ac inferni insidiis vallatus, *contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* S. P. Aug. *Christus morte suâ, uno verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat, purgavit, abolevit, extinxit, & suâ resurrectione in novam vitam nos prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit.*

Samson Christus resurgens. Psal. 106 16. S Aug. l. 4. de Trinit. cap. 13.

FINIS LIBRI SEXTI.

MUNDI

MUNDI SYMBOLICI
LIBER SEPTIMUS.
SERPENTES, & Animalia venenata.

Amphisbæna.	Cap.1.	Hydra.	6.
Aspis.	2.	Scorpius.	7.
Basiliscus.	3.	Serpens.	8.
Bufo.	4.	Tarantula seu phalangium, & stellio.	9.
Draco.	5.	Vipera.	10.

AMPHISBÆNA.
Caput I.

1. AMphisbæna, è Serpentum genere, duo habet capita, unum collo, & alterum extremæ caudæ connexum, quibus & progredi & retrogradi pro libitu solet. Unde Aresius, fucati ac duplicis animi hominem descripturus; Amphisbænam expressit; cùm lemmate; DUABUS VIIS INGREDITUR; Argumento è Sacris Litteris desumpto; *Væ peccatori, terram ingredienti duabus viis.* S. Gregorius hanc sententiam de iis vult intelligi, qui Deo & mundo simul servire conantur. *Duabus quippè viis*, inquit, *peccator ingreditur terram, quando & Dei est, quod opere exhibet; & mundi, quod per cogitationem quærit.* Et S. Bernardus; *Clamat ad vos mea monstrosa vita, mea ærumnosa conscientia. Ego enim chimæra mei sæculi, nec clericum gero, nec laicum. Nam Monachi jam dudum exui conversationem, non habitum.* Idipsum comprobans Simon Majolus, Episcopus Vulturariensis, ait; *Amphisbænam iis compararim, qui ancipiti sunt semper animo, neq; in fidei certâ ratione constant, deinde in utramque partem claudicant, ac modò Catholico vivunt ritu, modò hæretico; modò aliquem sequuntur Magistrum fidei, modò illo contempto, hæreticum quempiam sibi proponunt sequendum.*

(Duplicitas animi. — Eccl. 2. 14. — Hypocrysis. — S. Greg. Pap. lib. 1. Moral. c. 12. — S. Bernard. Epist. 249. — Sim. Majol. Dier. Can. To. 1. Coll. 8.)

2. Abbas Ferrus Amphisbænæ inscripsit; AD LÆDENDUM BICEPS. Vel ut D. Jacobo Certano placet; GEMINO INFICIT ORE. Vel; MORDET UTRIMQUE. Hominis maligni hæc idea est, qui palam & occultè, præsentes & absentes, sive bonos sive malos offendere, & injuriis passim lacerare solet. In hanc rem videtur facere illa Joannis Apocalyptici visio; *Potestas equorum in ore eorum est, & in caudis eorum: nam cauda eorũ similes serpentibus, habentes capita, & in his nocent.* Hunc locum interpretatus meus Concanonicus Richardus à S Victore, ait; *Os significat suggestionem manifestam, cauda occultam fraudulentiam: & mali, dum non possunt ore, cauda nocent: quia conantur occultè perficere, quod non valent apertè.* S. Petrus Damianus Emblemate illo bicipitem avaritiæ malevolentiam significari vult, quæ gemino ore inficere ac mordere consuevit; opes enim, injustè conquisitas, iniquè possidet; & alieno dominio subjectas, violenter rapit. *Amatur acquisita pecunia, amat nihilominus acquirenda. Avaritia quippe quasi biceps est coluber, utroque consuevit ore mordere, utroque pestiferum virus influere, dum aut aliena res quæritur, aut habita delectabiliter possidetur.*

(Detractor Malignus. — Apoc. 9. 19. — Rich. de S. Vict. in hunc loc. — Avaritia. — S. Pet. Da. Epist. 23.)

3. Alcibiades Lucarinus Amphisbænam hoc lemmate notavit; ET RETRORSUM ASPICIT. Hominem prudentem, industrium, vigilantem, & in agendo circumspectum hæc imago significat. Hâc ratione de se ipso fatetur David; *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in monte habui.* In sensu tamen deteriore Emblema istud peccatorem, affectu & desiderio ad pristinæ vitæ sordes reversum, designat. Damno suo id docet Lothi uxor, quæ *aspiciens retrò, versa est in statuam salis.* Hunc locum interpretatus S. Rupertus Abbas, *Hinc*, inquit, *ad pœnitentes egregium fit documentum, ne ad prioris vitæ scelera oculos animosque retorqueant, propter periculum certum relabendi.* Quare sanissimum Magni Augustini consilium est; *Liberati ergò à Sodomis præteritæ vitæ, non respiciamus retrò.*

(Pruden. — Psalm. — Reverti. — Gen. 19. 2. — S. Rup. Al. in hunc l. — S. Aug. in Psal. 83.)

ASPIS.
Cap. II.

4. UT primùm aspis advertit, se veneficis vocibus à mago esse fascinandam ac capiendam, mox unam aurem terræ affigit, & alteram extremâ suâ caudâ obturat, ne incantantem audire, ejusque vocibus stringi possit. Unde Emblematis loco diversas inscriptiones sustinet; videlicet, MENTEM NE LÆDERET AURIS. Vel, NE CORRUMPAR; Vel ut alius; AB AUDITIONE MALA. Vel, ut Scipioni Bargalio placet; NE LÆDAT CANTUS. Alius denique aspidem ita loquentem sistit; ALTRO SCHERMO NON TROVO, CHE MI SCAMPI. Id est; HAC ARTE SALUTEM. Singula hæc lemmata ore cautum te esse jubent, voluntque aures ad exitiosas maledicorum, detractorum, hæreticorum, aliorumque, cumprimis verò impudicarum sirenum voces, probè clausas servare. S. Gregorius Nazianzenus, ad Ulyssis fabulam alludens, qui, ad occinentium Sirenum insidias evitandas, utramque aurem cerâ obstruxerat, in hæc verba canit;

(Prudent. — Cautela. — S. Greg. N.)

Occlude cera orationi aures levi,
Et delicatis, mollibusque cantibus.

Op-

H. Vict. l. de Best. c. 30. Opportunè in rem nostram meus Concanonicus Hugo de S. Victore: *In aspidum natura est quo imitemur, ut contra Syrenum, id est voluptatum illecebras, & fraudulentas blanditias interiores occludamus aures, ut simus juxta Verbum Domini prudentes ut serpentes.*

Ostinati. 5. Peccator obstinatus, & ad Dei, hominumque monita surdus, Aspidis Emblemate denotatur; quæ ad humanas voces evitandas, utramque aurem obturat; cum lemmate, NE CANTU MOVEAR. S. Petrus Damianus Cardinalis, *Aspis*, inquit, *quoniam incantationibus aures obturat, obstinatæ mentis inobedientiam signat.* Haud aliter Hugo Victorinus; *Aspis peccatorem rectè significat, qui in pravam consuetudinem suam trusus, pertinaciter renititur, ne justis monitis acquiescat.* Divinus Psaltes, Cassiodoro & Theodoreto observantibu, eodem planè sensu efferatam Saulis Regis pertinaciam descripsit; qui, tametsi à paupere Davide ardentibus & submissis precibus rogatus, nunquam tamen emolliri, aut animi sui aures advertere voluit; *Furor illis*, inquit, *secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Ad candem normam conformati Judæi, S. Stephano pro concione dicente, *continuerunt aures suas.*

(S. Pet. Dam. lib. Ep. 18. — H. Vict. Inst. Mon. ser. 34. — Ps. 57. 5. — Act. 7. 56.)

Ostinatº 6. Cor obstinatum, omnisque cohortationis & consilii inimicum, aspidis Emblemate à Carolo Rancato exprimitur; quæ obstructis auribus, epigraphen tenet; E PER STAR EMPIO, IL CANTO UDIR NON VVOLE. Id est; NE VITIUM EXUAT. Ad verbum Ariostus;

(Arist. Cant. 32. 19.)

> *Sà quest' aliter ch' io l' amo, e ch' io l' adoro;*
> *Ne mi vuol per amante, ne per serva:*
> *Il crudel sà, che per lui spasmo, e moro;*
> *E dopo morte ad armi aiuto serva.*
> *E per che io non gli narri il mio martoro,*
> *Atto à piegar la sua voglia proterva;*
> *Da me s' asconde, come aspido suole:*
> *Che per star empio al canto, udir non uvole.*

(Zach. 7. 11.) Idipsum in Israelis populo detestatus est Isaias: *Noluerunt attendere, & averterunt scapulam recedentem; & aures suas aggravaverunt, ne audirent.* Providè monet Magnus Aug. *Audiamus Deum dum rogat, ne nos postea non audiat ille, dum judicabit.* (S. Aug. serm. 1. de Tem.)

Detractor 7. D. Aresius in aspide observatum habet, quod aculeum infigens, levissimè pungat, & dulci quodam sopore per humanum corpus diffuso, omnem ei sensum adimat; atque adeò miserum hominem; veluti inadvertentem, occidat. Medicum homicidam hæc imago spectat; cum lemmate, MORDET IN SILENTIO. Iisdem planè verbis Detractorem afficit sapiens; *Si mordeat serpens in silentio, nihil eò minus habet, qui occultè detrahit.* Quod

Medicus homicida. verò facilitatem illam attinet; quâ Medicus humanò corpori nocere potest, Plinium audire juvat; *Discunt*, inquit, *periculis nostris; & experimenta per mortes ajunt: Medicoque tantùm hominem occidisse impunitas summa est: quin imò transit convitium, & intemperantia culpatur.* Plutarchus de Pausania refert, eum ab amico reprehensum, quod medicum quemdam, hactenus ipsi penitùs inexpertum, vituperasset, repondisse; *Si expertus eum essem, non viverem.* Idem Pausanias, cum quidam Medicus ei ob senectutem integram ac optimè constitutam gratularetur; id ob eam potissimum causam sibi contigisse respondit, *quia te non adhibui Medicum.* Hadrianus Imperator sepulchrali marmori hanc epigraphen non sine ratione incidi fecit: *Multitudo Medicorum perdidit Cæsarem.* Verissimè ad propositum nostrum Hieronymus Cardanus, Medicus peritissimus, ait; *Complures ab indoctis Medicis longè occiduntur, alioquin victuri; quàm morituri ab eruditis salventur: timeo, ne magno malo potius, quàm bono, ut pleraq; alia mala mortalibus Medicina accesserit.*

(Plin. l. 29. c. 1. — Plut. in Apo. phthegm. Lonic. — Hier. Card. lib. de Meth. medendi cap. 100.)

Detractor Hæc imago, ut suprà memoravi, detractorum maximè est propria; de quibus Ecclesiastes ait; *Si mordeat serpens in silentio, nihil eò minus habet, qui occultè detrahit.* S. P. Augustinus in illud Psalmi commentatus, *Acuerunt linguas suas sicut serpentes*, ait, *In serpente maxima astutia est, & dolus nocendi, propterea etiam serpit. Non enim vel pedes habet, ut ejus vestigia, cùm venit, audiantur: in itinere velut lenis est tractus, sed non est rectus. Ita ergò & isti* (loquitur de malignis ac detractoribus) *repunt & serpunt ad nocendum, habentes occultum venenum & sub leni contactu.*

(Eccl 10. 11. — S. Aug in Psal. 139.)

8. Ajunt, humanos sensus ab aspidis morsu adeò effici stupidos ac soporatos, ut, quisquis ipsius aculeo fuerit saucius, sine ullo dolore moriatur. Hinc persuasa Cleopatra, aspidis morsum, præ omni reliquo veneno, mortis suæ instrumentum adhibuit. Henricus Farnesius Adulatorem aspidi non absimilem dicit, quæ tauro aculeum suum infigens, epigraphen reddit; SINE DOLORE NECAT. Re-

Adulator. gius Vates de malitioso ac fucato homine disserens, ait; *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Hoc loco S. Bern. studiosè observat, Adulatoris voces non *molles*, sed *mollitas* vocari; Verba ejus ita accipito; *Pulchrè non molles, sed molliti dicuntur sermones, vel suasoris adulatoris vel suasoris iniqui; quod sit in eis non tam vera & solida, quàm superducta & simulata suavitas.* Author operis imperfecti

(Psal. 5. 4. — S. Bern. lib. sententiar. in fine.)

Usura. eadem aspidis proprietate pecuniam usurariam significat *Similis est pecunia usuraria aspidis morsui: sicut enim, qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, & sic per suavitatem soporis moritur sic & qui accipit pro usuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipit, sed sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit: sic usura per totas facultates ejus discurrit, & convertit eas in debitum.*

(Aut. Op. Imp. in Matt. Hom. 12.)

9. Aspidis venenum omnes vulneratorum sensus stupore adeò occulto inficit, ut, nullo periculo aut dolore animadverso, veluti attoniti, è vita excedant. Cælius Rhodiginius ait, *A Sisenna dici somniculosam aspidem scimus, quia somnum morsu inducat lethiferum.* Unde lemma; SOPIT, QUOS INFICIT. Ità omninò Adulatores & Detractores iis, quos ad audiendum pronos habent, suavem quidē, sed tamen adeò fatalem aculeum infigunt, ut mox sopore obruti, vitam exhalent. P. Joannes Lorinus; *SOPIT assentator, & dolosus artifex, QUOS INFICIT, ac decipit.* Doctissimus Idiota, meus Concanonicus, eodem aspidis Emblemate libidinem dignoscendam proponit; *Luxuria*, inquit, *est venenum aspidis, induens hominem ad dormiendum; quem postea dormientem enecat. Sic enim luxuria primò hominem dormire facit per delectationem; quem tandem per consensum occidit.*

(Cæl. Rhod. lib. 27 c. 14. — Adulator. Detractor. — Jo. Lorin. in Psal. 12. v. 3. — Libido. Idiota lib. 5. Contempl.)

* * *

SILISCUS.

Cap. III.

10. QUidam Mundanus, cùm observatum haberet, exitiosissimum hoc animal non tantùm pestifero suo sibilo seu afflatu, sed & solo visu lethales inferre noxas; epigraphen Basilisco subjunxit; E DA GLI OCCHI, E DAL CANTO. Id est, OCULI PROCUL, ET AURES. Innuebat videlicet, ne venustæ Cantatricis veneno abriperetur, geminatâ oculorum, auriumque cautelâ opus esse. S. P. Augustinus; *Mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, in risum aliquando dissolvitur; nunc blanditias exhibet, &, quod est venenosius super cuncta, psallere delectatur aut cantare: cujus cantu tolerabilius est audire Basiliscum sibilantem.* In hanc rem Joannes Audenus;

Cautela.

S. Aug. lib. de fin. Cleric

Mulier lasciva.

Tutius in sylvis basiliscum audire frementem,
Quàm moles cantus, fœmineumque melos.

Novar. Aqu Nupt. n. 516.

Et P. Aloysius Novarinus, ad Ulyssis factum alludens;

Auribus obstructis Syrenas fugit Ulysses,
Si fugis hanc, aures obstruito, atque oculos.

11. Basiliscus iis nihil penitus nocet, qui solam colorum varietatem, & maculas eleganter in ipso distinctas intuentur; solùmque in eos lethale virus spargit, qui vultum suum in ipsius oculos defigunt. Unde lemma, PURCHE GLI OCCHI NON MIRI. Id est, MODO NON LUMINA CERNAT. Ita sanè, tametsi mundum muliebrem, cæterasque venustioris fœminæ ornamenta nonnunquam sine dispendio intueri liceat, in ipsius tamen oculos, vultumque, defixus, certissimam perniciem subibis. Franciscus Petrarcha; *Fœmina non aliter oculis, quàm basiliscus interficit, & ante contactum inficit: carpit enim vires paulatim, uritque videndo fœmina.*

Aspectus muliebris.

Franc. Petr. de vita solita lib. 2. Tract. 3. c. 3.

12. D. Petrus Toletanus solâ nominis sui famâ Turcas ab Hydruntino promontorio in fugam egit. In hujus encomium Basiliscum depinxêre; qui aliquot serpentes solo suo affectu in fugam conjicit; addito lemmate, TU NOMINE TANTUM: veluti dicerent; si Basiliscus alios solâ sibili aut vultus sui virtute in fugam conjicere valeat, tu multò magis obstupescendus, solâ generosi nominis tui famâ, toto orbe notissimâ, neminique hostium non pertimescendâ, sternis, fugasque. Idipsum de Georgio Castriotto, Albaniæ Duce, dixeris, cujus vel solùm nomen Turcas acerrimè perculit. Eundem famæ triumphum amplissimè sortitus est Hunniades, miles Christianus, cujus magnanimitas Saracenis adeò extitit formidanda, ut matres filiolis suis, à malitiâ absterrendis, passim minitarentur; *Aquiesce mi fili; Ecce venit Hunniades.* Denique horum nulli palmam cedit Ecdicius, Bellidux generosissimus, de quo Sidonius Apollinaris testatur; *Vix duo de viginti equitum sodalitate comitatus, aliquot millia Gothorum, non minus die, quàm campo medio (quod difficile sit posteritas creditura) transisti. AD NOMINIS TUI RUMOREM, personæque conspectum, EXERCITUM exercitatissimum STUPOR OBRUIT, ita ut præ admiratione nescirent Duces partis inimicæ, quàm se multi, quam te pauci comitarentur.* Porrò S. Antonius Abbas, *sic dæmonibus erat formidolosus, ut multi per Ægyptum ab illis agitati, invocato nomine Antonii liberarentur;* De hoc canit D. Gregorius Bolzi;

Magnanimitas.

Sidon Apol. lib 3. Epist. 3.

Brev Rom. 17. Ian.

D Greg Bolz in Larario.

Illius ut resonat vocali murmure nomen,
Tota pavet stygii plebs scelerata lacûs.
Nomen ut id profert stygiis insessus ab umbris,
Deserit insessum styx pavefacta latus.

13. Basilisci Emblemate discimus, quantum exitium nobis è detractoris, hæretici, aut lascivi commercio ingruat. Unde epigraphen subjunges; HALITU MORTEM. Hoc omninò sensu de hæreticis disserens Vincentius Lyrinensis, ait; *Devita quasi viperam, quasi scorpionem, quasi Basiliscum, ne te non solùm tactu, sed etiam visu, afflatuque percutiant.* Et S. Ambrosius *Peccatum unius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat, imò omnes, qui norunt, & non devitant.*

Societas mala.

Vinc. Lyr.

S Ambr. in 1 Cor c. 5.

14. Basiliscus non equidem dentibus, alieno corpori infixis, nec etiam vulneribus profundè incussis, sed solo lethali afflatu interficit. Unde lemma, NECAT ANTE VULNUS. Ita fœmina vel solo aspectu miseram intuentis animam necat: ut adeò providè in Regula sua moneat Magnus Augustinus; *Nec solo tactu & affectu, sed aspectu quoque appetitur & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis, vos habere animos pudicos, si oculos habeatis impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* Illis ipsis lemmatis hujus verbis de metu canit P. Caussinus.

Fœminæ aspectus.

S. Aug. in Regul

Timor violentus

P. Caussin. in Solyma. Act 3. scen.

---Carnifex alium metus
Necat ante vulnus.

Eadem penè verba de quodam Herculis filio adhibet Seneca;

Perit ante vulnus, spiritum rapuit timor.

Sener. Her cul. Fur.

Tantùm nimirum concepti timoris violentia in pectore humano potest.

15. Basiliscus è visceribus suis vapores adeò venenatos exhalat, ut non aëra tantùm, sed & ipsum quoque cœlum æthereum inficiat. Unde lemma; VIRUS IN ÆTHERA VOMIT. Verbis à Caussini Tragædiâ mutuatis, ubi Angelus in Nabuchodonosorem; Regem sacrilegum, his verbis invehitur;

Blasphemus.

Causs in Trag ad Nabu Act. 5.

Senile monstrum, virus in cœlum vomis.

Hominem blasphemum, oreque temerario in ipsos quoque Superos impium, hæc imago spectat. Opportunè de hac hominum colluvie ait David; *Posuerunt in cœlum os suum.* Quot, prô dolor! hodie reperire est, qui ponunt in cœlum os suum! Audi Magnum Augustinum; *Omnia vitia blasphemant Dominum; Superbia quippe dicit, Deum non bonum esse, invidia & ira dicunt, Deum non benè fecisse; illa quia alii malum contulit; ista, quia sibi intulit. Sic tria hæc vitia specialiter ad injuriam Dei spectare videntur, in quibus summum bonum, quod Deus est, rationalis mens perversè deserit.*

Psal 72. 9

S. Aug Tr de septem vitiis Tom.

16. P. Gambertus Basiliscum cum speculo, è regione collocato, expressit; illam Physicorum experientiam innuens, quod Basiliscus, halitu venenato è speculi glabritie in ipsummet reflexo, mortuus concidat. Epigraphen è Seneca desumptam addidit; AUT PERIT, AUT PERIMIT. Significavit nimirùm, libidinis assultum aut à nobis debere reprimi, ac perire, aut, si prævaleat, incautos mortales sternere ac interficere. S. Gregorius Papa, *si carni plus, quàm debemus, tribuimus, hostem nutrimus.* Mei Carducii hâc de re poësis est;

Libido

S. Greg. hom. 3. in Ezech.

Aut

Aut perit, aut perimit refluo fera bella veneno;
Si stas culpa ruit: si manet ista, cadis.

17. Basilisci halitus non modo quadrupedia, volatilia, & plantas, sed, è speculo repercussus, ipsum quoque basiliscum interficit. Unde quisquis propriâ loquacitate aut falsitate, ceu veneno maximè nocivo, malum sibimet accersit, symboli loco Basiliscum præferat; qui speculo è regione vicinus, epigraphen sustinet; SUIS PERIBIT VIRIBUS. Rectè de homine maledico pronuntiat Magnus Augustinus; *Erit iniquitas ejus super ipsum, cùm ipse iniquitati suæ subdetur.* Gratiosum hac de re nonneminis epigramma est;

Author proprii mali. S. Aug. in Psal. 7. 17.

Acer in adverso dum figit lumina vitro,
Niliacæ serpens pestis acerba plagæ:
Obscurat glaciale decus lethalibus auris;
IN CAPUT AUTHORIS sed redit omne scelus.
Namque repercusso in corpus spiramine, vitam
Quam dederat (mirum!) spiritus ipse rapit.
Sic cum pestiferæ torques convitia linguæ,
In puros, PROPRIO TE JUGULAS GLADIO.

18. Aresius Basilisco, ante speculum collocato, inscripsit. DOLOR IPSIUS IN CAPUT EJUS. Verbis E Psalmo desumptis; *Convertetur dolor ejus in caput ipsius &c.* Eundem Basiliscum, reflexo proprii visûs sui veneno occidi solitum, hoc lemmate loquentem sistit Abbas Ceranus, S' IO MIRO, MORO. Id est; DUM VIDEO, PEREO. Ita prorsus peccator, in vitæ suæ epilogo constitutus, dum animum suum ad pristinas vitiorum sordes advertit, mox malignis illorum radiis è conscientia, veluti è speculo, reflexis, occiditur, ac desperabundam exhalat animam. *Arguam te*, inquiebat Prophetæ ore Deus, *& statuam contra faciem tuam.* Id est, interprete S. P. Aug. *Arguam te, & quid tibi faciam arguendo te? quid tibi faciam? modò te non vides, faciam ut te videas, constituam te ante faciem tuam, videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas.*

Psal. 7. 17. Peccator agonizans. Psal. 49. 21. Aug. in hunc loc.

19. Alcibiades Lucarinus Basilisco inscripsit; PROSTERNIT INTUITU. Ita Deus solo aspectu sternit, terretque perfidos, ut exanimes concidant: neque enim infinitæ ac omnipotenti huic Majestati illud Herculis factum impossibile dixeris, cujus filius, solo patris intuitu exterritus, vitam efflavit. De hoc Seneca;

Deus Judex. Senec. in Hercul. Fur.

Pavefactus infans igneo vultu patris,
Perit ante vulnus, spiritum rapuit timor.

Peccatum, instar monstruosi Basilisci, tantâ est deformitate, ut peccatores, in ipsius vultum defixos, miserè occidat. Certè Origenes (quantùm memini) docet, Ananiam & Sapphiram non aliâ ratione à S. Petro fuisse occisos, quam sceleris commissi fœditate ante eorum oculos collocatâ. Porrò etiam mulieris oculus & aspectus mortem accersit; Salomone teste; *Propter speciem mulieris multi perierunt.* Exemplo est Bethsabæa, quæ incautè visa, Davidem prostravit. Concinnè Otho Venius;

Peccatum. Muliebris venustas. Otho Ven. Embl. Amor. l. 150.

Nil opus est armis Veneris tibi nate, nec arcû,
Ecce oculis telum nostra puella gerit.
Jugiter hoc ferit illa, facitque in vulnere vulnus,
Ah! nimium in pœnas lumina pulchra meas!

Invidia quoque oculis instructa est adeò malignis, ut solo visu inficere, & obvios quosvis præcipitare queat. S. Basil. *Invidos existimant nonnulli, non solùm rebus aliis, sed oculis etiam officere, incommodaque afferre: unde & corpora vegeta pubescentium, aliorumve, ætate, formâque florentium, prosperam habitudinem inficiunt, atque debilitant.* Denique malum exemplum, quovis Basilisco deterius, in suos spectatores horrendum grassatur, ipsamque adeò animam eripit. Præclarè, ut solet, Magnus Augustinus; *Qui in conspectu populi malè vivit, quantum in se est, omnes se videntes interficit.*

Invidia. S. Basil. hom. de invid. Malum exemplum. S. Aug. lib. de Pastorib.

20. E Physicis complures testantur, Basiliscum, si oculos suos prior in hominem, aliudve animal defigat, certam ei necem creare, contrà verò eundem, priùs ab homine aut alio animali visum, quantocius extingui, ac exanimem cadere. Unde Lucarini lemma; PRÆVIDENS CÆDIT, PRÆVISUS CADIT. Ita prorsus homines scelerati à morte, quam in vitæ suæ decursu nunquam habuêre prævisam, æternum jugulantur; contrà verò justi eandem, assiduis contemplationibus longissimè prospectam, felicissimè superant. Unde Seneca rem acu minimè tetigit, quandò de morte dixit; *Interest nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos*; tantùm enim discriminis inter illam prævenientem ac præventam intercedit, quantùm inter victorem & victum. Providè monet Magnus Aug. *Redime te homo, dum vivis & potes, dum pretium in manibus habes; ne dum te mors avara prævenerit, & vitam simul & pretium perdas.*

Mors. Senec. ep. 69. S. Aug. serm. 219. de temp.

21. Henricus Eburo in Horo observatum se habere testatur, quod Basiliscus à nullo animali lædi possit. Unde epigrapheu subdidit; SEMPER INVICTUS. Imperterriti ac generosi animi hæc idea est. Anaxarchus, maris tumultuantis injuriâ ad Insulam Cyprum deportatus, ibidem à Nicocreonte Tyranno, crudeli sententiâ damnatus est, ut vivus in mortarium conjectus, pistillis contunderetur; cumque carnifex, ferali ac ferreâ illâ suppellectile jam accinctus, operi manum admoveret, Anaxarchus, occidendus potiùs quàm vincendus, asperrimos illos cruciatus adeò tranquillè tulit, ut, Laertio teste, iteratò exclamaret; *Tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundes.* Socrates omnem alternantis fortunæ libidinem vultu semper eodem ac immutato excepit. Alphonsus, Rex Neapolitanus, libertate deperditâ, & exercitu ad internecionem deleto, vultum tenuit adeò generosum, ut, tametsi victus, animum tamen semper conservârit invictum; adeò ut morum suorum majestate, ac imperandi gravitate victor censeri potuisset. De homine, charitatis studioso, pronuntiat Magnus Augustinus; *Sola charitas est, quæ & VINCIT OMNIA, & sine quâ nihil valent omnia, & quæ, ubicunque fuerit, trahit ad se omnia.*

Mens intrepida. Charitativus. S. Aug. de Verb. Dom. ser. 55. c. 6.

22. Basiliscus venenum spargit adeò lethale, ut solo visu enecet hominem: quod si verò speculum occurrenti bestiæ objiciatur, mox concidente Basilisco, incolumis evadit homo. Unde Basilisco, speculum intuenti, subscripsit P. Sebastianus à Matre Dei; IPSE PERIBIT. Mariam Virginem, ceu *speculum sine macula*, hæc imago concernit; quot enim in mundo sunt creaturæ, tot sunt nociva animalia, quæ aspectu suo hominem ad desideria illicita provocant, interimuntque: ne igitur inter tot discrimina quidquam detrimenti capias, speculum illud purissimum, Mariam Virginem, objicito, & noxia omnia concident, vel solo ejus aspectu enecata. Sanctus Bernardus de dæmonibus, solo Mariæ aspectu exterritis, ait; *Timor & tremor venerunt super eos, ita ut dicerent, Ecce plus quam Eva hæc: castra Dei sunt hæc, fugiamus Israelem. Tu ergò bellatrix egregia primò eum, qui primus supplantavit omnia, expugnare viriliter aggressa es. Omnis ante faciem tuam spiritualium nequitiarum militia in fugam conversa est.*

Maria V. dæmones fugat.

S. Bern ser. 1. ad B.V.M.

BUFO.

Cap. IV.

23. Bufoni versum illum, è Tasso desumptum; lemmatis loco subdidêre; SOTTO DEFORME ASPETO ANIMO VILE. Id est; ANIMUS TURPI SUB CORPORE VILIS. Innuebant videlicet, deformem ac monstruosam hominis faciem frequenter turpis fædæque animæ indicium esse. Ad hoc propositum Petrus Franciscus Spinola, Poëta Mediolanensis.

Tass nella liberat. cant. 4 st. 40.

Turpitudo corporis.

Non mens esse valet deformi in corpore pulchra,
Quæ exteriora sui signa dat ingenii.

Theophilactus, celebris sophista, Terpsitheam, fæminam ex æquo & vitiosam & monstruosam, reprehendens, ajebat; *Naturæ miratus sum sapientiam, quæ improbissimæ animæ corporis non credidit venustatem.*

Theoph. ap. Causin. de eloquent. l. 2. cap. 14.

24. Bufo, in medio igni collocatus, epigraphen tenet; TUTTO IN RANCORE. Id est; UNDIQUE VIRUS. Ita prorsus cor humanum, si intra amoris flammas exæstuans, res suas minus è voto succedere animadvertat, in rabiem agitur. Certè Armida, cùm Reginaldum nullis precibus in mutuum amorem flectendum cerneret, exlamavit.

Amans iratus.

Tass nella Gerus liber cant. 16. st. 69.

Vattene pur, crudel con quella pace
Che lascia me, vattene iniquo homai,
Me tosto ignudo spirto, ombra sequace
Indivisibilmente à tergo haurai
Nova furia co' serpi, e con la face
Tanto t' agiterò, quanto t' amai.
E s' è destin, ch' esca dal mar, che schivi
Gli scogli, e l' onde, e che à la pugna arrivi;
Là tra' l' sangue, e le morti, egro giacente
Mi pagherai le pene, empio guerriero &c.

Porrò homo iracundiæ flammâ succensus, nihil non audet, passimque flagitiorum omnium venena evomit. Sanctus Gregorius Papa; *Per iram justitia relinquitur, quia, dum perturbata mens judicium*

Iracundu

S. Greg. l. 5. mor.

Iracundus *dicium sine ratione exasperat: omne, quod furor suggerit, rectum putat. Per iram mansuetudo amittitur, per iram concordia rumpitur; per iram lux veritatis amittitur: quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit.*

S. Greg. l. 5. Mor.

25. Joannes Baptista Helmontius ait, Bufonem esse animal adeò timidum, ut severiore ac imperterrito hominis oculo aspectus, mox vim omnem perdat, ac emoriatur. Lemma: ANIMOSITATE VINCITUR. Ita diabolus acerrimo quidem tentationum veneno mortales infestat; at generoso & imperturbato animo exceptus, ita recidit enervis, ut nec damnum aliquod creare, nec vires suas amplius exercere queat. Theodorus Studita; *Timidus*, inquit, *est diabolus, rejiculus, imbellis, ideoque ANIMOSITATE quâdam longè ABIGENDUS; ut idcircò germanus Dei clamet Apostolus; Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*

Tentatio resistendum. Theod. Stud. 68. Jacob. 4. 7.

DRACO.

Cap. V.

26. DRaco, ad mala aurea intra Hesperidum hortos custodienda pervigil, epigraphen tenet; NON DORMITABIT. Verbis e Psalmo mutuatis; *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.* Prælatum quemdam, versus subditos suos indefessè vigilem, hoc Emblema spectabat; de quo meritò dici poterat, eum non tantùm non dormire, sed nec momento oculos claudere. Nam, quod sanctus Gregorius observat, *Dormit pastor, quando omninò negligit curam subditorum, quia eorum vitam neq; scit, neque corrigit. Dormitat etiam, quando cognoscit quidem, quæ reprehendi debent, sed pigredine deprimente ea dissimulat, ac propter mentis socordiam dignis ea concrepationibus non emendat.*

Psal. 120. 4. Vigilantia pastoralis. Greg in Pastoral. p. 3. admon. 5.

27. Draco, intra Hesperidum hortos pro pomis aureis excubias agens, Emblematis loco inscriptum refert. NON SAT VOLUISSE. Virtus & gloria eandem cum pomis illis rationem habent; neutrum enim homini obtingit, si inanibus tantùm votis aut desideriis negotium aggrediatur, nullamque Draconi sternendo, & adversitatibus superandis vim adhibeat. Horatius;

Labor. Horat in Arte.

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit,
Abstinuit venere & vino.

Idipsum confirmans S. P. Augustinus, *volo*, inquit, *ut velis, sed NON SUFFICIT UT VELIS. Adjuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis.* Et rursus Horatius;

S. Aug. serm. de Verb. Apost. c. 10. Horat l. 1. Satyr. 9.

--- Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

28. Cardinalis Buoncompagnus suis armis gentilitiis Draconem incisum tenet; cui Joannes Ferrus, symboli loco, epigraphen subdidit. COLIT VIRIDARIA. Nimirum patrocinium illud innuere voluit, quo Buoncompagnus viros literatos ac virtuosos omnes excipere est dignatus. Hâc laude etiam vetus ille Mecænas celebrem se reddidit. De Scipione Africano testatur Velleius Paterculus; *Tam elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ & admirator & fautor fuit, ut Polybium, Panætiumque, præcellentis ingenii viros, domi militiaque secum habuerit.* Eundem erga litteratos affectum etiam cernere licuit in Octaviano, Vespasiano, Antonino Pio; & nostro ævo in Cosmo Mediceo, Leone X. Alphonso Rege Aragonio, aliisque.

Protector litteratorum. Vell Patere. in Scip. Afr.

29. Idem Abbas Ferrus insignem Cardinalis de Cueva magnanimitatem Emblemate significaturus, Draconi inscripsit; ARDUUS INSURGIT: In hanc rem Seneca; *Avida est periculi virtus, & quò tendat, non quid passura sit, cogitat. Quoniam & quod passura est, gloriæ pars est.*

Magnanimitas. Senec. lib. de Provid.

30. Abbas Ferrus ejusdem Cardinalis de Cueva eloquentiam, & dicendi ardorem, Draconis Emblemate repræsentavit; addito epigrammate, MICAT ORE. Eliam Prophetam hoc ectypon refert de quo Siracides; *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Id quod de quovis Prædicatore intelligas velim; Sanctus Gregorius; *Linguas igneas Doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientiũ inflammant. Nam & otiosus est sermo Doctoris, si præbere non valet incendium amoris.* Idem quoque Sacro Apostolorum Collegio convenit, quod, ad orbem, Divini amoris igne calefaciendum, à suprema Numinis providentiâ linguas igneas accepit. Denique symbolo illo Periclem, inter Oratores celeberrimum, affecerat Plutarchus; quando de illo dixit, *Coruscationes effundere, ciere tonitrua, horrendum in lingua fulmen gerere putabatur.*

Eloquentia. Eccles 48. 1. S. Greg hom. 30. in Evang. Plut. in vita

31. Draco, malorum aureorum excubias agens, epigraphen refert; NON SUIS INCUBAT. vel, CONSERVAT ALIIS. In eos hæc imago convenit, qui vel aliorum bona injustè usurpant; vel suas opes avarè, sine cujusvis utilitate, possident, arcisque ferreis, ceu carcere ineluctabili, custodiunt. Sanctus Joannes Chrysostomus; *Avarus custos est, non Dominus pecuniarum; servus, non possessor.* Haud aliter Martialis;

Avarus. S. Io Chrys. hom. 2. ad pop. Mart. l. 12. Epigr. 45.

Nummi cùm tibi sint, opesque tantæ,
Quantas civis habet: Paterne, rarus,
Largiris nihil, incubasque gazæ
Ut magnus Draco, quem canunt Poetæ
Custodem Scythici fuisse luci.

Et Cornelius Gallus;

Corn. Gal. Eleg. 5.

Efficior custos rerum magis ipse mearum,
CONSERVANS ALIIS, quæ periêre mihi.
Sicut in auricomis pendentia plurimus hostis
Pervigil observat NON SUA poma Draco.

Compendio sanctus Basil. *Ego non video, quid prosint illius divitiæ, nisi forte more Draconum in fabulis jucunditatem aliquam afferat, thesauris defossis invigilare* His subjunges Jacobi Gaddi distichon;

S Basil. hom. de legend. lib. Gentil. Iac. Gadd.

Servat ut Hesperidum radiantia vellera serpens
Non secus arcanas servat avarus opes.

Et Pauli Manutii epigramma;

Paul Man. Embl. 56.

Pervigil intactos qui servat in arbore ramos,
Et sibi non custos aurea mala Draco:
Par tibi dives opum. Vigil torqueris amore,
Sed miser extructas non tibi claudis opes.

32. Mariam Virginem, sine labe originaria conceptam, Draconis Emblemate repræsentarunt, qui venenatos vapores è faucibus copiosè exhalans,

halans, affixam cœlo lunam frustra inficere conatur. Lemma; HAUD INFICIT ALTA. Innuebant videlicet, benedictam Deiparæ animam nullo unquam dæmonis aut peccati contagio afflari potuisse. Piissimè de Maria V. Origenes; *Mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta &c. quæ neque persuasione serpentis decepta est, neque ejus afflatibus venenosis infecta est.*

Conceptio M.V. — *Orig hom. 1. in Divers.*

33. Plinius refert, in abscisso, contritoque Draconis capite pretiosam gemmam, Draconitidem nomine, reperiri. *Draconites, sive Dracontia è cerebro fit Draconum: sed nisi viventibus abscisso nunquam gemmescit.* Unde P. Raulinus clavam, in Draconis caput destinatam, pinxit; cum lemmate, CONTRITUS GEMMAM DABIT. Ita peccator, calamitatum malleis probè contusus, gemmam, cœlo pretiosissimam, exhibet, pœnitentiam inquam, quâ scelerum suorum veniam gravi ac serio dolore precatur. De Israëlitis canit Psaltes Regius; *Cùm occideret eos, quærebant eum, & diluculo veniebant ad eum.* Sapienter dixit Cassiodorus; *Justorum consuetudo est, sive antequam mala patiantur, sive cùm patiuntur, Deum fideliter quærere. Scelerati autem tunc ad ipsum inæstimabili voluntate concurrunt, quando aliqua necessitate turbantur.*

Plin. lib. 37. cap. 10. — Peccator afflictus. — *Psal. 27. 37.* — *Cassiod in hunc. loc.*

34. Insomnis Draco, aurea Hesperidum poma custodire solitus, epigraphen præfert; NEMO ERIPIET. Eleemosynæ hæc idea est, quæ opes, in sinum suum collatas, æternâ ac vigili custodiâ asservat. Disertè sanctus Ambrosius; *Ostendo tibi, ubi melius tua frumenta custodias, ubi benè sepias, ubi fures ea tibi auferre non possunt. Include ea in corde pauperum, ubi nulla tinea, nullus gurgulio consumat, nulla corrumpat vetustas.* Senecâ teste, M. Antonius, fortunis omnibus erogatis, in has voces, planè Christianas, erupit. *Hoc habeo, quodcunque dedi*, probè gnarus, nihil minus nobis eripi, quàm quod in alios beneficé expendimus. Titus Vespasianus, verus Patriæ, & cumprimis pauperum Pater; cùm olim in cœna meminisset, toto illo die nihil alienæ opis à se præstitum, vocem hanc memorabilem, ac Cedro dignam, edidisse fertur; *Amici, diem perdidi*; perditum quippe diem illum censebat, quem beneficentiæ asservandum non commisisset. Affirmatè sanctus Joannes Chrysostomus; *Dives est, non qui multa possidet, sed qui multa expendit.*

Eleemosyna. — *S. Ambr. l. de Nab c. 12.* — *Senec lib. 6. de Benef* — *Sueton in vita.* — *S Io. Chrys. tom 4 hom 2. ad Antioch*

HYDRA.

Cap. VI.

35. Hydra, uno è suis capitibus truncato, epigraphen à Taegio recepit; VULNERE VIRESCO, vel, SECTIS FORTIOR ARTUBUS. Verbis è Michaële Hoiero desumptis;

Mich Hoi. Flam. Am. lib. 1.

Hæc Hydra sectis fortior artubus.

Hanc iconem in bonam malamvè partem ex æquo interpretari licet. Sancta Ecclesia, assiduis jactata persecutionibus, & copioso SS. Martyrum sanguine perfusa, incrementis identidem amplissimis virescit. *Proprium Ecclesiæ est*, inquit S. Hilarius, *ut tunc vincat, cùm læditur: tunc intelligat, cum arguitur: tunc obtineat, cùm deseritur:* Et sanctus Hieronymus; *Fundendo sanguinem, & patiendo magis, quàm faciendo contumelias, Christi fundata est Ecclesia. Persecutionibus crevit, martyriis coronata est.* Sanctus Ambrosius eodem argumento hæresin describit, quæ tantò amplius repullulat, quò sæpiùs præcisa: *Hæresis*, inquit, *velut quædam hydra fabularum, vulneribus suis crevit, &, dum sæpè reciditur, pullulavit, igni debita, incendioque peritura.* Idipsum de seditione dixeris, quæ inter furcarum & suppliciorũ rigores novis itentidē viribus, instar Hydræ, succrescit. Cùm Flandria perduellium turbis passim concuteretur, Princeps Lamoralius, Comes Egmontius, & Comes Philippus Hornanus capite plexi sunt; sed tantùm abfuit, motus illos inde fuisse compositos, ut è politicis complures affirmârint, *eâ cæde stabilitas tunc primum esse Fœderatorum partes*; prædicerentque, *brevi Belgium omne tumultibus, contra quam Albanus existimaverat, involvendum*, uti, referente Famiano Stradâ, re ipsa postea contigit. Denique Bernardinus Rota, suo ob defunctam uxorem dolori significando, Hydram depinxit, quæ è præcisis aliquot capitibus alia identidem succrescentia monstrabat. Epigraphes loco hunc versum subjunxit;

S. Ecclesia. — *S Hilar. l. 7. de Trinit.* — *S. Hieron. epist. 62 ad Theoph.* — Hæresis. — *S. Ambros.* — Rebellio — *Fam. Strad. de Bel Belg Dec 1 lib.*

Non altrimenti il mio dolor rinasce.

Id est,

Sic mihi continui succrescunt inde dolores.

36. Hydra, aliquot truncata capitibus, Emblematis loco facem, scaturienti è collo sanguini admotam, habet; cum lemmate, NON FERRO, SED IGNE. Inde constat, severæ correptionis ferrum nihil penitùs efficere, conatumque adhibere prorsus irritum, nî gratiæ Divinæ flamma interveniat, & renascentia identidem vitiorum capita in ipso semine suo exscindat. Andreas Biancus de hæresi, ceu hydrâ venenatissima canit;

Correctio placida. — Hæresis. — *And Bian p. 1. Epig. 24*

Bellua, lernæis olim quæ prodiit antris,
Multifidum cæsa est, atque recisa caput.
Hæresis icta licet rationum concidat ense,
Igne tuo tantùm, Christe, perire potest.

Nec hæresis tantùm melius igne illo cœlesti, quàm terreno ferro extirpatur; sed omnis omninò discordia, inimicitia, & odium, ceu totidem hydræ, per vindictæ ferrum magis provocantur, & veluti fomento accepto crescunt; amore autem ac beneficiis felicissimè suffocantur. Providè D. Paulus; *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hæc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Hunc locum interpretatus D. Thomas Villanovanus, *Tolle*, inquit, *malitiam à fratre. Fac ut destruas illam, sed quomodo? si videris inquit, Apostolus, inimicum tuum, ciba illum &c, hoc enim agens, carbones ignis congeres super caput ejus, & accendetur charitas, & destruetur malitia, & cessabit inimicitia, & erit frater, quem inimicum putabas.* Hanc veritatem ipsimet etiam Gentiles calculo suo firmatam tradunt. Complurium instar Valerius Maximus, postea quam Ciceronem hostium ac persecutorum suorum patrocinium frequenter sumpsisse dixerat, concludit; *Spe iosius aliquanto injuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odii pertinacia pensantur.*

Inimicitia — *Rom 12. 20.* — *S Tho. Vill. ferm. 11. in fer. 6. Cinerum.* — *Val Max. l. 4. c. 2. n. 4.*

37. Hydra symboli loco epigraphen præfert; DOMATUR IGNE. Ita humana malitia, allucescente Divino Spiritûs Sancti igne, penitùs evanescit. Joannes Cassianus, *Potens*

Hæresis. — *Cassian l 1. de Incarnat.*

Potens est Dominus Deus noster, ut quod de morte Hydræ illius Gentilium falsitas finxit, hoc in Ecclesiarum bellis veritas peragat. Ignitus Spiritûs sancti gladius ita in extinguenda novella hæresi omnes penitus medullas perniciosæ generationis exurat, ut tandem prodigiosa fœcunditas, morientibus venis, patere desistat.

30. Sanctus Thomas Aquinas, ab impura fœmina solicitatus, Hydram hanc libidinosam generosè ac radicitus edomuit, dum brachium suum, accenso titione armatum, adversus illam vibravit. Heroicum hoc facinus Emblemate significaturi, facem depinxêre, quæ in adversam Hydram grassata, epigraphen è Seneca tulit; VETUITQUE RENASCI. Ita videlicet antidotum adversus vitiorum venena præsentissimum ac optimum est, si occasionem omnem præscindas, extirpesque. Quamprimum Moses populum suum in Idololatriam prolapsum viderat, mox, *Arripiens vitulum combussit.* In hunc locum sanctus Ambrosius; *Comminuit vituli caput, atque in pulverem redegit, ut omnia impietatis absolveret vestigia.* Ovidius;

--- Immediabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

Et rursus.

Utile propositum est sævas extinguere flammas,
Nec servum vitii pectus habere suum.

SCORPIUS.

Caput VII.

39. ALoysius Gonzaga Scorpioni subscripsit; QUI VIVENS LÆDIT, MORTE MEDETUR. Ita Tyrannus, etiamnum vivus, plurimos quidem suis offensis exagitat; at occisus, omnem à populo calamitatum tollit. Avarus quoque totam familiam vivens affligit, mortuus verò recreat. Et, ut compendio dicam, omnis peccator, quantùm exitii ac damni in vita affert, tantundem levaminis ac beneficii conciliat defunctus. Id probè perspectum habens, Jonas, cùm nautas sui causâ in extremum vitæ discrimen conjectos animadverteret, *Tolle me*, ajebat, *& mittite me in mare, & cessabit mare à vobis.* Idipsum sacer Deut. textus innuit, nam ubi nos legimus, *Maledictus à Deo, qui pendet in ligno*; Oleaster ex Hebræo vertit, *Alleviatio terræ suspensus. Videtur enim*, ejusdem Oleastri commentarium est, *terra, onerata malis hominibus, alleviari, cum illi è terra eliminantur.*

40. Scorpius epigraphen, etiam Achillis lanceæ propriam, sustinet. VULNUS, OPEMQUE GERIT. Ita calamitates acerbum quidem corpori nostro aculeum infigunt, at simul animæ salutem magnoperè promovent. E Jasonis Thessali eventu id comprobatur; cui cum in pectore ulcus, Medicorum judicio, immedicabile tumesceret, fortè hosti suo obviam factus, pugione adeò felici ab eo incursatus est, ut apostematis tumorem, directâ acie transfixum, aperuerit, & necis intentatæ loco, vitam ac sanitatem restituerit. De Deo inquiebat Eliphaz; *Ipse vulnerat, & medetur.* Quod ipsum etiam de provida, ac benefica ipsius castigatione dixeris. Eleganter in rem præsentem Magnus Augustinus; *Illa*, inquit, *est vox Domini, Ego percutiam, & ego sanabo. Percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris. Faciunt hoc medici, secant, percutiunt, & sanant; armant se, ut feriant, ferrum gestant, & curare veniunt.*

41. Joannes Ferrus uno Emblemate complures Scorpiones expressit, qui mutuò inter se connexi, instar catenæ, à domus cujusdam tecto eousque propendebant, ut hominem in lecto decumbentem contingere, eumq; aculeo ferire potuerint: aliam enim hominis pungendi viam non habuêre, cùm lecticæ pedes, intra vas, aquâ plenum, & in medio cubiculo collocati, omni eos aditu prohiberent; uti hodie etiamnum in Lybia, ad animalculi hujus morsus evitandos, more receptum est. Epigraphen addidit; MALORUM SEMPER MALA CONSPIRATIO. De hac malorum concordia S.P. Augustinus; *Tunc*, inquit, *secum CONCORDANT, quando IN PERNICIEM JUSTI; non quia se juvant, sed quia eum, qui amandus est, simul oderunt.* Absalon Abbas, posteaquam justorum in laude & obsequio Divino unionem deprædicârat, subjungit; *Est alia unanimitas malorum, quâ mali in persecutione justorum confœderantur, quæ est fundamentum dissolutionis, nutrix scelerum, malleus justorum.*

42. P. Camillus Anticus Scorpium lemmate, è Plinio desumpto, notavit; CAUDA SEMPER IN ICTU. Ita homines quosdam perversi animi reperire est, qui assiduam proximi offendendi occasionem inquirunt. Plinii de Scorpione verba sunt; *Semper cauda in ictu est, nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. Ferit & obliquo ictu, & inflexo &c.* Eadem etiam hominis, in vindictam proni, aut Detractoris idea est, qui ad perdendos alios nulli non occasioni invigilant. De diabolo ait Magnus Augustinus; *Dæmones semper habent voluntatem nocendi; nec si placentur, nec si rogentur, desinunt nocere velle.*

43. Scorpius erga rem vicinam, veluti amplexurus, utrumque brachium extendit; at mox flexuosam suam caudam intorquens, lethiferum aculeum ei infigit. Unde lemma; AMPLEXATUR UT PERDAT. Idipsum voluptates ac blanditiæ terrenæ assolent. De his Petrus Cellensis; *Monstri hujus facies blanda, ut decipiat; sed in posterioribus circumfert aculeum scorpionis, ut perimat.* In rem præsentem, more suo concinnè ac suaviter contra mundum canit D. Marinus;

Ahi che con frode insidiosa, e rea
Il mondo mentitore alletta, e inganna,
Copre il tosco di mele, e' l fel di manna,
E promette Rachele, e poi dà Lia.
Non si creda à suoi vezzi, aduli, ò finga,
E ministro di pianto adhor che ride,
E studia di tradir mentre lusinga.
Cosi s' auvien, ch' altrui con arti infide,
O vipera, ò scorpion lambisca, ò stringa,
BACIANDO MORDE, ED ABBRACCIANDO UCCIDE.

Hanc scorpionis indolem exactè imitatus Joab, Abnerum inter amplexus occidit. Judas, Christum ambobus brachiis stringens, ac osculo salutans, prodidit. Dalila blandiendo Samsonem tradidit. &c. Cæterùm Joannes Thuilius hos Scorpii mores de Principum aulis vult intelligi, quæ procos suos, blandè primùm receptos, paulò post acerrimis moribus exagitant.

Margin notes (left): …ssan. l. 1. Incarnat. — Senec. in Agamem. Act. — Occasio. — Exod 32. 20. — Ambr. ep. ad Rom. — Ovid 1. Met. — Idem l. 1. de Remed. — Tyrannus — Avarus. — Peccator. — Joan. 1. 12. — Deut. 22. 23. — Oleast in. hunc loc. — Calamitas utilis. — Iob. 5. 18. — S. Aug. in Psal 50.

Margin notes (right): Concordia malorum. — S. Aug. in Psal. 76. — Abs. Abb. serm. 50. — Plin. l. 11. c. 25. — Vindicativus. — Detractor Dæmon. — S. Aug. in Psal. 61. — Voluptas mundana. — Pet Cell. l. 2. ep. 1. — De Marin. p. 2. Lyra. — Proditor. — Aula. — Io Thuil Embl. 87.

Blanditur, sed post mordet, ceu scorpius, aula.

Vindicta. 44. Justam vindictam è scorpione discere licet, qui à D. Hercule Salarolo Abbate, Canonico Regulari Lateranensi, supra manûs explicatæ palmam depictus, epigraphen tenet; NON LÆDO, NI LÆDAR. Illius hæc imago est, qui neminem unquam offendit, nisi provocatus. Sanctus Gregorius Papa illa Jobi verba examinans, *De humo non orietur dolor*; ait, *De humo dolor non egreditur, quia nequaquam pœna de ea nascitur creaturâ, quæ percutit, de ea procul dubio, quæ peccando vim percussionis extorsit.*

S.Greg.lib.6. in Iob.c.5.

Ovid.l.3. Fast. 45. Eidem scorpioni inscribes; EXTREMA PARTE VENENAT. vel ut Patri Gallinæ, verbis ex Ovidio mutuatis, placet; METUENDUS ACUMINE CAUDÆ. Ita fallacissimus mundus, post melleam voluptatis spem vanissimè ingestam, demum omnem illam amaricare, ac toxico respergere solet. Sidonius Apollinaris de paupere quodam aulico, debitâ suâ mercede defraudato, ait; *Quem cruentavit fortunæ diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum, ut scorpius, ultimâ sui parte percussit.* Eadem imago voluptatum carnalium damna clarè ob oculos statuit; quippe quæ ab exordio suo blandiri solitæ, sub finem mille remorsus, pœnitudines, turbasque innumeras propinant. De Scorpione scribit Gesnerus; *Blandum, ac quasi virgineum dicitur habere vultum: sed in cauda nodosa venenatum aculeum habet.* Idipsum affirmat Salomon, ubi metaphoricè de fœmina libidinosa ait; *Ne intuearis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Denique sanctus Gregorius Emblemate isto hominum flagitiosorum malevolentiam describit, qui exteriore vultu amorem ac blanditias mentiuntur, donec captatâ occasione, tartareum ac lethale vitiorum venenum spargant *Scorpio*, inquit, *palpando incedit, sed cauda ferit: nec mordet à facie, sed à posterioribus nocet. Scorpiones ergò sunt omnes blandi & malitiosi, qui bonis quidem in facie non resistunt, sed mox, ut recesserunt, derogant, qui blandi & innoxii facie videntur, sed post dorsum portant, unde venenum fundant.*

Voluptas mundi. Sidon. Apol. lib.2 ep.13. Gesnerus l.4 de scorp.n.60 Prov.23.31. Malignus. S.Greg.hom. 9 in Ezech.

46. Geminam cumprimis malitiam in scorpione observare licet; venenatam nimirum inficiendi consuetudinem, & malignas in veneno transfundendo insidias. Nam dolosum hoc animalculum inter saxorum commissuras occultari solet, unde vicinis quibusvis lethalem aculeum infigere possit. De hoc in Theriacis cantat Menander;

Menand. in Theriac.

Scorpius insidias parvâ sub caute tetendit;

Huic assentiens Simon Majolus, ait, *Mira sanè in scorpiis est dolositas juncta veneno.* Unde lemma; FERIT EX INSIDIIS. vel; CUM DOLO VENENAT. Genuinum hoc proditoris est ectypon, qui alios, cùm minimè suspicantur, lædit & occidit. Certè Joab infelicem Amasam inter amplexus, exteriore vultu suavissimos, jugulavit. Dalila quoque suum Samsonem blandis quidem, sed subdolis vocibus, in hostium manus præcipitavit. De Hæreticorum veneno, non minus lethifero quàm fallaci, ait Magnus Augustinus; *Insidiantur hæretici, pallio velati nominis Christiani: intus in ipsa Ecclesia vim patitur frumentum à palea.*

Sim.Majol. Tom.1.Dier. Canic.Colloq.5. Proditor. Hæretici. S. Aug.in Psal.60.

47. Scorpius, aquis immersus, epigraphen sustinet; DEMERSUS INNOCUUS. Nam scorpiones, uti & serpentes, venenum suum nonnisi in terra exercere possunt; intra aquas verò nec minimùm nocumenti unquam creant. Pierius Valerianus id testatur; *Et qui prævalent in sicco, si præcipitentur in aquam, innoxii efficiuntur.* Ita Paulus Constantinus Imperator, aliique, primis vitæ suæ annis, pernitiosissimum in orbe virus sparserunt; at intra sacri baptismatis aquas submersi, ab omni exitio aut injuriâ inferendâ extitere alienissimi. Sanctus P. Augustinus; *Quidquid concupiscentia carnis egit in nobis præteritorum peccatorum, sive in factis, sive in dictis cogitationibus, totum deletum est sacro baptismate; omnia debita delevit una indulgentia.*

Pier.Val.l. 16.Hierog. Baptismi. S.Aug.ser. de Verb. A post.cap.9.

47. Philotheus in symbolis Christianis leonem quiescentem exhibet, cujus fronti aculeum infigit scorpius, cum lemmate, NON NIMIUM SECURUS. Sicuti enim Leo, cæteris animantibus fortior, viribusque formidabilior, dum majorum quadrupedum insidiis securus, in aperto quiescit campo, sæpè á minimo occiditur scorpione, securitatisque suæ pœnas luit; ita, quamquam omnem calamitatum vim virtute tuâ hactenus superâris, insignique excellas fortitudine; vereor tamen, ne blanda te seducat securitas, ut nimiâ tuâ abusus libertate, in lethalia peccata ruas. Providè monet Magnus Augustinus; *Nemo debet esse securus, donec ad illam patriam venitur, unde nemo exit amicus, quò nemo admittitur inimicus.* Emblematis author mentem suam sequenti epigrammate explicat.

Securitas noxia. S.Aug.in Ps. 68.Conc.1.

Terribiles quatit ore jubas, & murmure vasto
Infremit indomitus per vaga rura leo.
Non ulli dat terga feræ: sed bellua cuncta
Agnoscit Domini sceptra tremenda sui.
Ast ubi graminco recubat securior ostro,
Magnanimum parvus scorpio lædit herum.
Lædit, & affligit lethali vulnere Regem,
Jamque animam grandem, purpureamq; vomit.
Quid vili cecidisse feram indignamur ab ictu?
Heu secura nocet fortibus ipsa quies!

Adulator. 49. Scorpio, DUM BLANDITUR, PUNGIT. Idipsum assolent Adulatores, qui sub verborum lenociniis fatalem abscondunt aculeum. Cognitam habebat, perspectamque adulatorum indolem Constantinus Imperator, illudque pessimum judicabat inimicorum genus. Unde, Nicephoro teste, eos tineas & sorices palatii vocare consueverat. Sigismundus Imperator, referente Æneâ Sylvio, cuidam adulatori alapam dedit; dicentique, *Cur me cædis Imperator?* respondit, *cur me mordes adulator?* Bene tales cavendos monuit Ezechiel, ubi dixit, *Subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas*; quorum *cauda*, ut Plinius testatur, *semper in ictu est, nulloque momento meditari cessant, ne quando desint occasioni.* Verissimè Magnus Augustinus; *Duo sunt genera persecutorum; vituperantium, & adulantium; plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris.*

Niceph.l.8. cap.54. Æn.Sylv.l. de gestis Alph. Ezech.2.6. Plin.l.11.c.2. S.Aug.in Psal.69.

SERPENS.
Cap. VIII.

50. Serpens per angustam petræ rimam progredi nititur; cum lemmate, LASCIO LA VECCHIA, E NOVA SPOGLIA PRENDO. Id est; NOVUS, EXUTA PELLE, RESURGO. Morum ac vitæ innovatio hac icone significatur. S. Paulus monet; *Expoliantes vos veterem*

Mutatio vitæ. Coloss.3.9.

Cyrill. Hier. Catech. 2. rem hominem cum actibus suis, & induentes novum. Ad rem nostram S. Cyrillus Hierosolymitanus; *Si potest serpens deponere senectutem, cur nos peccatum non deponamus:* Et S. Isidorus Pelusiota; *Serpens arte ac versutiâ vetustatem exuit: in arcta quadam & angusta rima sese comprimens, ac senium deponens: vult igitur nos quoque per arctam viam, & afflictionem, veterem hominem exuere, ac pro eo novum induere, qui ad ejus imaginem renovatur.* Hactenus S. Isidorus, illa Christi verba expendens; *Estote prudentes sicut serpentes.* Denique Georgia de Montenay;

Isid l. 2. Epist. 26.

Pœnitens.

Georg Mont. Embl. 41.

Ponere scit veteres coluber reparabilis annos,
Et novus, exutâ pelle, resurgit homo.
Illius exemplo primævus ablue sordes,
Qui vitâ in Christo vis meliore frui.

51. Inter pœnitentiæ & mortificationis angustias vitiosi hominum mores exuuntur; sicuti serpens, arctam saxi rimam penetrans, veteres abjicit exuvias, novasque resumit. Unde Abbatis Certani lemma: ANNOSO NUDATUR AMICTU. Guerricus Abbas, illa Isaiæ verba interpretatus, *Via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus;* ita discurrit; *O mi Isaia, ibunt igitur, qua polluti sunt, per aliam viam? Imò potius huc omnes, huc veniant, hâc incedant.* Et paulò post: *Admittit via sancta pollutum, sed statim abluit admissum, quia diluit omne commissum. Propterea namque via hæc pollutum admittit, sed pollutum non transmittit; quia via arcta est, & quasi foramen illud angustum est, quo serpens innovandus cum exuviis suæ vetustatis venire potest, sed cum ipsis transire non potest: sed novum, suâque nuditate melius vestitum, transitur angustia, trajicit, extricans omnem, quem attulerat, squalorem vetustatis. Bene ergò prudentiam serpentis imitari rogamus, qui nec aliter innovari possumus, nisi per angustum coarctemur.*

Pœnitens.

Guerr. Abb. serm. 5. in Advent. Dom. Isa. 35. 8.

Calamitas lustrat. Christus resurgens.

52. Quisquis è persecutionibus ac calamitatibus gloriæ aut nominis incrementum capit, serpentis Emblemate significari potest, qui, rupis angustias penetrans, epigraphen tenet. ANGUSTIIS AUGUSTIOR. Certè Christus, per tumuli angustias progressus, coronam nunquam intermorituram attigit. S. Joannes Chrysostomus; *Cùm affixus sit cruci, flagellis cæsus, & insputus: in his ipsis, quæ opprobrii, & ignominiæ plena esse videbantur, ipsum rursus verbum clarissimum apparuit.* Ea insuper S. Patriarchæ Josephi idea est, cui horrendus Ægypti carcer instrumenti loco deserviit, ut instar sagacissimi serpentis, ex illo pedē referens, purpurâ regiâ insigniretur. Apprimè in rem præsentem facit illustre D. Thesauri de Josepho elogium;

S. Joannes Chrysost.

Josephus Ægyptius.

Liberalius ducens Joseph
Servili compede, quàm herili amplexu constringi,
Carcerem subire maluit, quàm mereri.
Sed virtus, quidquid intrat, Condecorat.
Læta ac mœsta somniante Pharaone,
Ut ambages solvat, vinculis solvitur,
Anguem diceres, per latebras tractum,
Ut exiret nitidior.

Pœnitens.

53. Qui vitam suam cum meliore commutaturus, se ipsum intra cellulæ angustias recludit, vel cilicio carnem suam constringit, vel severis jejuniis corpus extenuat, aut aliâ pœnitentiæ ratione maceratur, serpentis emblemate significari potest, cui, intra angustum petræ hiatum constricto, epigraphen è Virgilio subjunges; POSITIS NOVUS EXCUBIIS. Vel NOVUS EXORIOR; Vel ut Gamberto placet, PARANS EXORDIA

Virgil. 2. Æn. v. 473.

FORMÆ. S. Petrus Damianus hanc proprietatem observans, concludit; *Nos etiamsi aliquando à juvenili sancti desiderii fervore tepescimus, per arctæ pœnitentiæ transeamus angustias? ut, dum veterem exterioris concupiscentiæ deponimus pellē, ad pristinam redeamus interioris hominis novitatem.* Huic assentiens S. Isidorus Pelusiota, affirmat, è duris pœnitentiæ angustiis miram animæ nostræ invocationem, summamque interiori homini claritatem advenire.

S. Pet. Dam. lib. 2. Ep. 18.

Paupertas voluntaria.

54. Paupertatis voluntariæ encomium è serpentis Emblemate desumes, qui exuvias suas intra saxorum fissuras abjicit; cum lemmate. SPOLIATA ILLUSTRIOR. Hoc sensu S. Paulinus, Episcopus Nolanus dixit;

Ut copiosa luce vestiamini,
Estote nudi sæculo.

S. Paulin. de Celso puero.

Eâdem ratione dixeris, veram virtutem nullis affectuum pigmentis involvi velle, sed tantò comparere illustriorem, quò nudiorem. Hâc de re præclarè Petrus Cellensis; *Virtus in oculis suis pretiosior, emendicatis recusat offuscari nitoribus, pudet eam alienis onerari magis, quàm ornari splendoribus: NUDA FORMOSIOR est, aperta decentior, intuita coruscis luminibus pulchrior.*

Virtus.

S. Cellens. l. de panibus cap. 16.

Paupertas voluntaria.

55. Idem paupertatis voluntariæ argumentum alio serpentis Emblemate significatur, qui detractis exuviis, epigraphen tenet; SUPERVERTITUR. Vel ipsius serpentis ore; UT MELIOREM INDUAM. Apprimè ad rem nostram S. Antonius Paduanus; *Serpens ut novam pellem acquirat, per arctum foramen transit; sic & Apostoli rerum temporalium pellem, & parentum carnalium pellem, id est, omnem curam propriæ carnis pro Christo exuerunt, sed pelle vetere depositâ, novū indui meruerunt, id est, stolâ immortalitatis.*

S. Ant. Pad. serm. 5. de Apost.

Spes præmii.

56. Serpens, exutâ pelle, meliorem sperans, eandem inscriptionem præfert; UT MELIOREM INDUAM. Hinc conjicies, quantùm supremæ mercedis recipienda fiducia in humano corde possit. Homo enim immortalitatis veste probè consideratâ, omnem cujusvis boni carnalis jacturam nihili æstimat. S. Paulus, de exordientis Ecclesiæ Christianis disserens, ait, *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes, vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Et S. Petrus Damianus; *Nunquam planè de sui corporis nuditate qui clarâ mentis acie futuræ præmia retributionis contemplatur, nec perhorrescit plagarum sub momento vorantem asperitatem, qui providè considerat eam, quæ sibi compensanda est, suavitatis æternæ dulcedinem.*

Heb. 10. 34.

S. Pet. Dam. lib. 6. Epist. 1.

Joseph Patriarcha

57. Patriarcha Joseph, omnem ex adulteræ commercio labem evitaturus, pallium suum in ipsius manibus reliquit; ut adeo Alcibiades Lucarinus illum non incongruè cum serpente comparet; qui abjectis exuviis, epigraphen refert. EXUTUS VENUSTIOR. Veluti diceret; Josephi puritatem, castimoniam, & formæ excellentiam tum demum omnium maximè enituisse, quando veste spoliatus apparuit. Idipsum animadvertens S. Cyprian. ait; *Ipsas vestes reliquit, corporis nudi sinceritatem habiturus innocentiæ testem.* Et S. Zeno Veronensis; *Joseph in repugnatione vestem sibi violenter extortam relinquens, ex impudicitiæ fovea NUDUS aufugit. Ac proinde SPLENDORE VESTITUS, post calumniosam damnationem, & liberatus à Deo est, & honoratus.* Eâdem plane ratione Princeps Jonathas nunquam extitit illustrior, quàm dum vestibus, proprio corpori detractis, amicum suum Davidem

S. Cypr. l. de bono pudic.

S. Zen. Veron. serm. de Pudic.

1. Reg. 18. 4.

exornavit. Ipse etiam David tum maximè gloriosus evasit, quando ad arcam Dei honorandam, regia sua 2 Reg. 6. 20. insignia abjecit; ut adeò illas Reginæ Micholis voces non ironicè, sed reipsà de piissimo Rege pronunties; *Quàm gloriosus fuit Rex Israël, discooperiens se!* S. Martinus. Denique S. Martinus, cùm pauperculi cujusdam nuditatem cooperturus, sagum suum divideret, æternam beatitatis infinitæ splendorem eà vestis suæ jacturâ est promeritus.

S. Bartholomæus. 58. D. Aresius, S. Barholomæum Apostolum Emblemate significaturus, serpentem inter saxa depinxit; cum lemmate, RENOVABITUR JUVENTUS. Ad hanc renovationem alludens S. Antonius Paduanus, ait; S. Ant. de Pad ser. 5. de Apost. *Pellem exuit Beatus Bartholomæus, qui excoriatus fuit; sicut Jonathas exuit se tunicâ suâ, & dedit eam David, & ideo ei nova vestimenta data sunt, ablatis sordidis.*

Religiosus habitus. 59. Religiosum, vestibus quidem, non verò moribus sæcularibus exutum, serpentis emblemate repræsentat Lucarinus; qui intra muri fissuram suis exuviis spoliatus, epigraphen sustinet; AT VIRUS NON EXUITUR. S. Bern. in Cantic. S. Bernardus; *Corporis quidem conversio, si sola fuerit, erit nulla: forma quidem conversionis est, non veritas, vacuam virtutem gerens, & formam pietatis.* Idque apertius alibi tradit, dum nonneminem reprehendit, qui relicto sæculari habitu, Monasticum induerat, vitiis interea Idem ser. 2. in Quadrag. ac sæculi affectibus maximè retentis; *Attende solerter, inquit, quid diligas, quid metuas: unde gaudeas aut contristeris: & sub habitu religionis animum sæcularem, sub pannis conversionis invenies cor perver-* 3. Reg. 21. 27 *sum.* Ita sceleratus Achab, idololatriæ, tyrannidis, violentiæ, aliorumq; gravissimorũ criminum cumulatè reus, auditâ minitantis Dei voce, *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam:* nimirum, instar vaferrimi serpentis, detractis regalibus insigniis, per aculeatas cilicii angustias progressus, non æquè venenatos ac vitiosos suos affectus exuit: quia pœniPœnitentia ficta. tentiam exteriore quidem vultu mentitus, in perverso pectore pristinam suam malitiam etiamnum Franc Mendoz in lib. 1. nu. 25. concept. 32. integerrimè fovebat: uti P. Franciscus Mendoza eruditè observat.

60. Regio quodam Ministro è Gallicis servitiis ad Hispanica transeunte, serpentem symboli loco depinxêre, qui pristinâ pelle abjectâ, epigraphen sustinebat; ALTERA MELIOR. Vel certè; NIResurrectio mortuorum. TIDIOR. Hoc Emblemate claritatem, agilitatem, subtilitatem, & gloriam, quatuor nimirum corporis beati dotes, explicare licet, quibus olim Cœlites, è sepulchris suis redivivi, vestientur. Perspicuè S. 1. Cor. 15. 42. Paulus; *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute, &c.* S. P. S. Aug. l. 13. de Civit. Dei cap. 20. August. *Corpus spiritui summa & mirabili obtemperandi facilitate subdetur, usque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate, & tarditate detracta.*

61. Brtholomæus Bossus S. Caroli tumbam serpentis exuviis, intra vicinæ petræ hiatum detractis, exornavit: addito lemate, DELECTANT, NON TERRENT. Eundem effectum in singulis DivoSS. Reliquiæ. rum lipsanis compertum habemus, quorum sacra ossa & crania nullo penitus horrore, sed maximo Christianorum solatio ac veneratione visuntur. S. Hieronymus de Samuëlis Prophetæ ossibus, è Palæstina Constantinopolim translatis, ait; S. Hieron. Ep adversus Vigilantium *Omnium Ecclesiarum populi occurrerunt sanctis reliquiis, & tanta lætitia; quasi præsentem, viventemque Prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudem una voce resonarent.* Emblemati explicando sequentem poësin Italicam habeto.

L'essanimate, e cinericie spoglie
Di sacri, ed evangelici serpenti
Questo adorato avello in seno accoglie.
Su ne' leterre soglie,
Frà le beate menti,
Come lo spirto loro, alto, immortale,
Al chiaro lume del Divino oggetto,
S'empie di giocondissimo diletto;
Tal di quagiu, la frale,
E del composto lor men nobil parte,
Non terror, mà conforto altrui riparte.

62. P. Sylvester Petrasancta Eucharisticas species, post consecrationem sine ulla panis substanEucharistiæ species. tia residuas, pellis serpentinæ Emblemate depinxit, quæ intra saxi cujusdam hiatum relicta, epigraphen monstrabat; COGNATI CORPORIS EXPERS. S. Thomas Aquinas; S Tho. Aq. Opusc. 57. *Acidentia etiam sine subjecto in eodem existunt, ut fides locum habeat, dum invisibile visibilter sumitur sub aliena specie occultatum, &c.*

63. Serpens, corpore suo in orbem circumflexus, Cognitio sui. extremamque caudam ore præmordens, epigraphen à Scipione Bargalio recepit; AD ME REDEO. S. Aug. de spirit & anima. Hominem, sui ipsius cognitioni intentum, hic typus repræsentat. S. P. Augustinus; *Scientiam cœlestium & terrestrium rerum laudare atque amare solent homines, sed multò meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt noscere se ipsos; laudabilior siquidem animus est, cui nota est miseria sua, quàm qui, ea non aspecta, vias siderum, & naturas rerum scrutatur.* Eadem etiam illorum imago est, qui conscientiæ actioExamen conscientiæ. numque suorum examini assueverunt. Præclarè Seneca; Senec. l. 3 de Ira. *Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cùm se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum. Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Quid ergò pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? Utor hac potestate, & quotidie apud me causam dico, &c.*

64. Camerarius symboli loco serpentem depinVita humana. xit, qui caudam ore suo prehendens, epigraphen subjunctam habuit; FINISQUE AB ORIGINE Manil in Astronom PENDET. Humanæ vitæ fragilitatem hinc contemplabere, quæ vix nata, in mortem declinat, suumque principium fini conjunctum habet, lege non minus miserandâ, quàm inevitabili. Apprimè Manilius;

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Et Justus Lipsius; Iustus Lips. Centur. 1. ad Belg. Epist. *Ad mortem maturi omnes nos sumus ex quo nati.*

65. Serpens, extremam caudam dentibus admordens, corpore suo circulum describit; cum lemÆternitas mate, NUSQUAM FINIS. Antiquis Ægyptiis ea imago ad rerum æternitatem significandam deservivit; dum, Deo sic disponente, unius interitum mox alterius productio, assiduâ & inevitabili lege, insequitur; hâc enim rerum vicissitudine mundus conservatur. Pierius; Pier. l. 14. Tit. mundi machina. *Serpens, inquit, caudam depascitur suam, ut generum immortalitatem, quàm rerum naturam Deus insignivit, ostentet: ut principium ad finem directum esse, finemq; ad principium reflecti doceat.* Hoc Ægyptiorum de Mundo pronuntiatum, non abs re etiam microcosmo, homini inquam, attribues. Insuper peccator, scelerată suâ Peccator. vivendi ratione, venenatum serpentem imitari solitus, nullum unquam malitiæ suæ terminum præfigit: nam si æternùm ac sine fine in his terris liceret vivere, etiam ipse sine fine peccare, & inter flagitiorum suorum sordes volutari vellet: unde fit, eun-

dem

dem ob hanc, quantùm in ipso est, sine fine peccandi voluntatem a justissimo Deo ad inferni supplicia, sine fine duratura, condemnari. S. Gregorius Papa; *Iniqui voluissent, si potuissent, sine fine vivere, ut possent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergò justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.* Idem serpens, caudam suam ore complexus, à Joanne Audeno epigraphen accepit; NUSQUAM FINIS. Eoque charitatem significare voluit, cui proprium est, nullis unquam claudi terminis. Mentem Emblematis hoc Monastico explicavit:

Greg. l.4 Dialog. c.44

Charitas.

Aud. in Monost. Mo l.

Nunquam vera fuit charitas, quæ desiit esse:
Nam nullus veri finis amoris erit.

Alludebat, nî fallor, ad illud D. Pauli effatum; *Charitas nunquam excidit.*

Cor.13, 8.

66. D. Aresius, Sanctissimæ Incarnationis arcanum Emblemate commonstraturus, serpentem depinxit; qui supremam caudam ore admordens, epigraphen tenet; EXTREMA COPULAT. Enimverò tametsi inter duas illas naturas una sit extremè felix, & altera extremè misera; una infinita, altera finita; una mortalis, altera immortalis; una Divina, altera humana; adeoque longissimo intervallo inter se dissideant; eas tamen in mysterio illo arctissimè connexas cernimus. S. Rupertus Abbas; *Junxit se initium sui, id est, Deus homini, & ita hæc, scilicet initium & finis, occurrerunt sibi in utero Virginis.* Et S. Thomas Aquinas; *Quid sanè sapientius, quàm quod ad complementum totius universi fieret conjunctio primi & ultimi, id est, Verbi Divini, quod est omnium principium, & humanæ creaturæ, quæ in operibus sex dierum fuit ultima omnium creaturarum?*

Incarnatio Verbi.

Rup. Abb. in Matt.

Thom. in Opusc. 60.

67. Bernardinus Rota, uxore suâ è vivis exemptâ, serpentem figuravit, qui medio corpore transversim dissectus, extremis partibus adhuc palpitabat; cum lemmate, NEC MORS, NEC VITA RELICTA. Innuebat videlicet, vix quidquam vitæ sibi superesse, extremoque dolore affici ob jacturam illius, in qua vitam & solatium suum omne repositum habebat. Damnatos etiam hoc Emblema spectat, qui inter atrocissimas inferni pœnas æternum moriuntur, sine fine victuri; & æternùm vivent, assiduò morituri. Verissimè S. Gregorius Papa; *Mors sine morte, & finis sine fine, quia & mors vivit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.*

in morte.

Damnati.

Greg. l. 9. Moral c. 49.

68. Serpens, lanceâ trajectus, ac terræ infixus, dum ad hastam præ rabie mordendam caput erigit, lemmatis loco adverbium subjunctum habet; INDARNO. Id est, FRUSTRA. Emblematis hujus tam corpus, quàm lemma ex Ludovico Ariosto desumptum est; ubi Marganoris iram describit, qui filium violentâ morte extinctum cernens, cùm vindictam suam in neminem alium, nisi in Drusillam, homicidii quidem ream, sed tamen veneno jam sublatam, exerere posset, in has voces erupit;

Lud. Ariost. Cant. 37. 78.

Qual serpe, che nel hasta, ch'à la sabbia
La tenga fissa, INDARNO i denti metta,
O qual mastin, ch'al ciottolo, che gli habbia
Gittato il viandante corre in fretta,
E morda in vano con stizza, e con rabbia,
Ne se ne voglia andar senza vendetta:
Tal Marganor d'ogni mastin, d'ong'angue.
Via più crudel fa contr'il corpo essangue.

Unde illos hæc imago concernit, qui à Superioribus oppressi, desideratam vindictam in opus redigere nequeunt. His Magni Augustini consilium præ oculis statutum velim; *Si vindicare te vis de inimico tuo, ad ipsam iram tuam te converte: quia ipsa est inimica tua, quæ occidit animam tuam.* Porrò homo prudens vel ex serpente discat, se, aliorum calumniis transfixum, adeò difficulter è malo illo eluctari posse, ut plerumque conatus omnes in sui patrocinium adhibitos, experturus sit irritos; cùm vix ullum tanto malo supersit remedium. Julius Cæsar Scaliger de calumnia canit;

Vindicta.

Aug. ser. de Divers. cap. 6.

Calumnia

Scalig. lib. 1. Epidor.

Si forsitan nos implicaverit semel
Vis illa monstri, tam suos scit fortiter
Nodare cirros, ut licet te liberes,
Impressa restent semper hinc vestigia.

69. Plurimi Scriptores affirmant, è corporis humani spina serpentem generari. Plinius; *Anguem ex medulla hominis spinæ gigni, accepimus à multis.* Ovidius, Pythagoræ sententiâ nixus, canit,

Plin. l. 10. cap 6.

Ovid. lib. 15. Metam.

Sunt, qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro,
Mutari credant humanas angue medullas.

His assentiuntur Plutarchus, S. Isidorus, aliique non pauci. Eò collineans Virgilius, serpentem pacificum describit, quem Æneas ex Anchisis sepulchro proreptantantem conspicatus, secundi ac lætissimi ominis loco habuit. Unde Joannes Baptista Rusca serpentem depinxit, ex sepulchrali marmore progredientem; cum lemmate, SALUTIFER ADSUM. Certè Servator singularem mundo felicitatem ac salutem attulit, quando immortalitatis veste amictus, instar serpentis, è tumuli sui marmore prodiit, seque ipsum fidelibus spectandum exhibuit. De hac Christi beneficentia S. Petrus Chrysologus ait; *Transacta nocte Dominicæ Passionis, stetit Iesus in littore, ut in antiquum terminum revocaret universa, firmaret dubia, jactata compesceret, turbata componeret, & statione suâ ipsa fundamenta orbis, quæ sic commota fuerant, stabiliret; quo mox mundus ad sui recurreret authoris obsequium. Sicut Jesus in littore ut Ecclesiam præcipuè, in qua Discipuli amaris tunc fluctibus jactabatur, ad fidam fidei suæ reduceret stationem.*

Plutarch. in Cleomene.

S. Isidor. l. 12 c. 4.

Virgil 5. Æneid.

Christus resurgens.

S. Pet Chrysol. ser. 78.

70. Præsuppositâ superioris numeri doctrinâ, nimirùm hominem mortuum è spinæ suæ medullâ, serpentem generare; Emblematis loco serpentem depinxêre, qui intra horridã osseæ illius spinæ compagem recumbens, epigraphen ferebat. EX BONO MALUM. Ita homo ingratus omne beneficium, à Deo acceptum, perversâ voluntate in malum convertit. Hoc vitium Deus Israëlitis Oseæ ore exprobrans, *Ego*, inquit, *dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Ita nimirùm dona Dei in ejusdem offensam & injuriam convertuntur. Origenes illa Prophetæ verba tropologicè interpretatus ait; *Dedi vobis sensum & rationem, qua me Deum & sentire possetis, & colere: vos autem sensum & rationem, quæ in vobis est, ad colenda dæmonia transtulistis.*

Ingratitudo.

Osea cap.

Orig. Hom. 2. in Cant.

71. Serpens, gladio in duas partes dissectus, epigraphen reddit; DUM SPIRO, SPERO. Idipsum animus generosus & imperterritus inter omnem adversantis fortunæ tyrannidem assolet. S. Joannes Chrysostomus hanc magnanimitatem cuivis pœnitenti necessariam existimat. *Peccasti?* inquit, *Pœnitere. Millies peccasti? millies pœnitere, si vulneratus es adhibe tibi curam, dum spiras, etiam in ipso lecto positus, etiamsi dici potes animam efflans, etiamsi de hoc mundo exeas, non impeditur temporis angustia misericordia Dei.*

Spes.

S. Io. Chrys. Hom 2. in Psal. 50.

72. Quisquis vitiosorum consuetudine utitur, vix

Societas mala. vix ullis cavebit viribus, quin exitiali illorum veneno inficiatur. Serpentis enim genium imitantur flagitiosi, qui à plurimis vespis compunctus, venenum suum in singulas effundit. Unde lemma; TRANSFUNDIT PASTA VENENUM. S. Basilius metaphorâ quidem diversâ in rem tamen præsentem plurimùm accommodatâ, ait: *Quemadmodum in pestilentibus locis sensim attactus aër latenter corporis morbum injicit, sic itidem in prava consuetudine & conversatione, maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur, idcircò adversus serpentem irreconciliabilis nobis indita est inimicitia.* Eodem Emblemate justa vindicta significatur, dum serpens, vesparum morsibus lacessitus, in earum mutuam offensam ac perniciem exardescit. (S. Basil.) (Vindicta justa.)

73. E Scriptoribus complures testantur, hominis jejuni salivam serpenti lethalem, ac instar veneni esse. Quare ad jejunii virtutem ac vires significandas, serpentē depinxêre, qui hominis jejuni sputo occisus, epigraphen subjunctam habuit; SOBRIETATIS OPUS. Appositè S. Ambrosius; *Jejuni hominis sputum si serpens gustaverit, moritur. Vides, quanta vis jejunii sit, ut à sputo suo homo terrenum serpentem interficiat, & merito spiritualem.* Et rursus; *Jejunium culpæ interfectivum est.* Huic conformis S. Petrus Damianus, *serpens,* inquit, *mox ut sputū jejuni hominis gustat, protinus interemptus expirat. Non ergò, serve Dei, te pigeat jejunare, ut moriatur ille, qui te cibo turgidum nititur deglutiens absorbere.* Ad hanc serpentis proprietatem alludit D. Gregorius Bolzi, ubi de S. Francisco Salesio factum illud generosum describit, quo effrontis fœminæ blanditias sputo repressit; (Jejunium.) (S. Amb. l. 6 Hexam. c. 4.) (Idem lib: de Elia c. 10.) (S Petr. Dam. l. 2. Epist. 18.) (Greg. Bolz. in Lario 28. Ianuarii.)

Fœmina dum tandem castæ parat oscula fronti,
Vibrat in effrontes sputa is ab ore genas.
Sputo tacta, statim devicta puella recessit,
Quid mirum sputo cesserit? Anguis erat.

74. Ingenioso Emblemate herbarum ac florum fasciculus exhibetur, cujus umbilicum serpens, instar ligaminis, stringit; cum dicto, PHARMACUM EX UTRISQUE. Prudentiæ hic typus est, quæ è re quavis, sive bona, sive mala; sive sancta, sive vitiosa; sive Angelicâ, sive diabolicâ, utilitatem ac commodum eruere novit. S. Gregorius Papa de S. Scriptura disserens, ait; *Non solum nobis eorum* (id est Sanctorum) *virtutes asserit, sed etiam casus innotescit: ut & in victoria fortium, quid imitando arripere, & rursum videamus in lapsibus, quid debeamus timere.* (Prudentia.) (S Greg. l. 2. Moral. c. 1.)

75. Serpens, supra petram in fugam actus, epigraphen ex Salomone sustinet; NULLUM VESTIGIUM. Genuinum hoc omnipotentis illius virtutis est symbolum, quâ Christus cacodæmones ex energumenis ita validè fugavit, ut nec minimum vestigium post se reliquerint. Eodem Emblemate Innocentia Christi, nullo unquam peccati vestigio temerata, demonstratur. *Petra est caro Christi,* inquit S. Ambrosius, *in qua serpentis, id est, diaboli vestigium non apparet.* Denique idipsum etiam de augustissimo Incarnationis mysterio, & Christi nativitate intelligere licet; quia Verbum Divinum, utpote serpens mysticus, per virginalis uteri petram transiit, nullo penitùs temeratæ integritatis vestigio relicto. S. Petrus Chrysologus; *Qui ingreditur & egreditur, & introitus sui & exitus nulla vestigia relinquit, Divinus habitator est, non humanus &c.* (Innocentia Christi.) (S. Ambr. l. de Salomon c. 4.) (Incarnatio Christi) (S Pet Chrysol ser. 142.)

76. Serpens, infra solis sphæram recumbens, caput suum vivaci motu in altum erigit; cum epigrammate è Virgilio desumpto; ARDUUS AD SOLEM. Iis hoc symbolum convenit, qui è Divina præsentia confortantur, ac virium suarum incrementum capiunt. De Juda Machabæo, ejusque exercitu, testatur sacra pagina; *Judas, & qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati.* Porrò Emblemate illo significatur, Invidorum serpentinam rabiem adversus eos cumprimis efferri, qui cæteros virtute ac meritis præcellunt. Justus Lipsius; *Livor & obtrectatio passim bonorum operum impedimenta, aut venena.* Et Petrus Franciscus Spinola, Poëta Mediolanensis; (Præsentia Dei.) (2. Mach. 15 26.) (Invidia bonos persequitur.) (Lips. Cent. 2. Epist. 70)

Spinola si indoctus, miser, & pauperrimus esset,
Non hunc morderes invidiosa manus. (Spinol. l. 1. Epigram.)

Denique S. Petrus Chrysologus de persecutionibus, adversus Dei servos à Dœmone concitari solitis, ait; *Vidit Sathanas firmitatem fidei, stabilitatemque. Vidit eam pietate dogmatum septam: vidit eam operum bonorum fructibus abundantem, & ideo pro his omnibus ad insaniam venit, & rabie furoris exarsit, ut scinderet concordiam, ut convelleret charitatem, ut disrumperet pacem.* (Virtus inter persecutiones.) (S. Pet. Chrysol. ser. 149)

77. Serpens, terrâ ac luto pasci solitus, authore D. Jacobo Certano Abbate homines lascivos repræsentat. Lemma; HÆ MIHI OPIPARE DAPES. Eâdem metaphorâ in rem præsentem utitur S. Ambrosius; *Non immeritò,* inquit, *Sanctus Moyses delectationem serpentis figuravit similitudine. Prona est enim in ventrem sicut serpens, ei terra cibus est, sicut serpens, quoniam escam nescit cœlestem. Corporalibus enim pascitur, atq; in in varias mutatur species cupiditatum, & tortuosis angulatur anfractibus.* (Libidinosus.) (S. Ambr. E. ad Sabinum)

78. Serpens, in medio igne collocatus, epigraphen tenet; TOLLIT FLAMMA VIRUS. Ita nimirum odii venenum charitatis ardore; & humanæ malitiæ venenum Spiritûs Sancti igne felicissimè absumuntur. S. Gregorius Nazianzenus ad propositam quæstionem, cur Spiritus Sanctus in linguis igneis comparere voluerit? *Cur autem in linguis igneis?* respondet; *Propter purgationem. Deus enim noster ignis consumens est, & quidem ignis improbitatem absumens.* Et Sanctus Hieronymus: *Quia tumet lingua mea, & pus habet, venenum habet: primum sagittis tuis vulnera, ut pus possit exire, deindi carbones tuos & ignem pone, ut quidquid malum fuerit, excoquat, & desertum faciat.* (Spiritus S.) (S. Greg. N. Orat. 44.) (S. Hieron. Tom. 8 in Psal. 119.)

79. Serpens, spineto cinctus, versus vicinam flammam prosilit, cum lemmate, MALO QUAM VULNERA FLAMMAS. Simili Emblemate idem serpens, fraxini ramis, extremè sibi inimicis circumdatus, in vicinam flammam desultat; cum dicto: MALO IGNEM. Peccatorum hæc idea est, quibus cum liberum sit, vel pretiosa legis Divinæ vincula, & suave Crucis Christianæ jugum induere, vel certè in æternas Tartari flammas præcipitari, has potius cum omni suppliciorum cumulo, quàm Divinam legem, & suave Servatoris jugum, stultissimâ electione, amplectuntur. Sapientissimus Idiota, *Cognoscebam,* inquit, *quod ante oculos meos erat vita & mors, bonum & malum, gloria & pœna, & quum liberum arbitrium haberem, eligendi alterum ex his, elegi tanquam fatuus & iniquus mortem, malum, & pœnam.* Meliore sensu imaginem illam de Dei servo interpretaberis, qui potius eligit extremo inferni angulo sepeliri, quàm unico peccati vinculo obstringi, aut ullâ vitiorum umbrâ contaminari. Animo certè generoso imbutus (Generositas.) (Author proprii mali.) (Idiota Contempl. l. 4.) (Justus constans.)

S. An-

S. Anselmus dicere solebat; *Si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò uni eorum immergi deberem, potius infernum, quàm peccatum appeterem.*

80. Plutarcho teste, serpens oculos suos expurgaturus, eos lignis asperis & spinosis affricat. Unde Lucarini lemma; PURGANT ACULEI. Certè S. Franciscus, inter spinarum acervos volutatus, impuros libidinum motus, quibus acerbè infestabatur, validè repressit. Ita quoque homo, charitate ac zelo Divino insignis, dissolutam nostram vivendi rationem verborum suorum aculeis expiat, corrigitque. *Bona vulnera charitatis*, inquiebat S. Ambrosius, *quæ non sunt timenda, sed optanda, cùm in illis sit vera salus, & vita.*

81. Serpentibus è vinea profugis, Lucarinus inscripsit. FLORESCENTE FUGIUNT. Ita Dæmones & vitia ab anima, virtutum, pietatisque floribus probè excultâ, fugam procul capessunt. S. Bernardus, postea quam hanc serpentis proprietatem retulerat; *Ajunt florescentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec ullatenus novorum ferre odorem florum*; mox eam moribus formandis applicans, subjungit: *Quod volo, attendant Novitii nostri, & fiducialiter agant, cogitantes, qualem spiritum acceperunt, cujus primitias dæmones non sustinent:* tandem in hæc verba concludit. *Si sic novitii fervor, quid erit absoluta perfectio?*

82. Symboli loco serpentem depinxêre, toto corpore adeò in globum convolutum, ut, quo loco caput reconditum habeat, non facilè deprehendas. Lemma; NEC QUO, NEC AD QUEM. Hanc Didaci Saavedræ figuratam præceptionem Princeps prudens sibi familiarem habeat, semperque magnoperè caveat, ne occulta sua consilia ab ullo penetrentur. Deus eâ formâ, totâ nimirùm facie, totisque pedibus velatis, sese Isaiæ spectandum præbuit. *Duabus* (alis) *velabant faciem ejus, duabus & velabant pedes ejus.* S. Joannes de Spiritu S. affirmat. *Nescis unde veniat, aut quò vadat.* Severè ad propositum nostrum Justus Lipsius: *Consilia & judicia de Republicâ submittere hodiernis linguis, aut censionibus, non dicam parum tutum esse, sed & hominis parum tuti.*

83. Academici Renovati Romani, symboli loco, aliquot serpentes præferunt, qui toto corpore squalidi, sub ardente sole recumbunt; cum lemmate; QUOS BRUMA TEGEBAT. Forsan indicare volunt, virtutem nunquam penitùs remanere sopitam, sed suo loco & tempore, ibi cumprimis, quando Magnatum præsentiâ excitatur, pristinas vires resumere. Ita squalente inter vitiorum sordes toto mundo, Sol æternus, Christus, illuxit, omnemque squalorem detersit. S. P. Augustinus: *Christus carne factus est præsens, virtute nunquàm absens. Venit in carne, carnis vitia mundaturus.* Hoc ipso argumento Virgilius generosam Pyrrhi, in prosternenda Regii palatii porta, magnanimitatem describit.

> *Vestibulum ante ipsum, primoq; in limine Pyrrhus*
> *Exultat telis, & luce coruscus ahenâ.*
> *Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus*
> *Frigidâ sub terra tumidum quem bruma tegebat,*
> *Nunc positus novus exuviis, nitidusque juventa.*
> *Lubrica convolvit sublato pectore terga,*
> *Arduus ad solem, & linguis micat ore trisulcis.*

84. Serpens, fœniculi ramum ore sustinens, epigraphen reddit. INDE LUX, ET JUVENTA. Ad illam Plinii de serpente doctrinam hoc Emblema alludit; *Anguis, hyberno situ membranâ corporis obductâ, fœniculi succo impedimentū illud exuit, nitidusque vernat.* Re ipsâ tamen geminum hoc lucis & juventæ donum è Dei manu cumulatè accipimus; quippe qui *Est lux vera, quæ illuminat omnem hominem:* Et qui *Lætificat juventutem meam.* Porrò fœniculi succo gratia Dei, vel contemptus mundi significari possunt, quorum beneficio omnem immunditiam, sub assidua rerum terrenarum hyeme contractam, detergere possumus. S. P. Augustinus: *Si despicitis mundum, habebitis cor mundum, & videbitis eum, qui fecit mundum. Et sicut ille vicit, ita & vos in ejus gratiâ vincetis hunc mundum.*

85. Serpens, exuviis suis intra petram relictis; epigraphen sustinet; PIU BELLA; E PIU SPEDITA. Id est, PULCHRIOR, ET AGILIOR. Ita animus, in paupertatem voluntariam concedens, terrenis sarcinis liberatur, majoremque splendorem contrahit; uti supra è S. Paulino ostendi; *Ut copiosâ luce vestiamini, estote nudi sæculo:* quinimò oneribus illis excussis, ad sublimem gloriæ apicem longè facilius evolare licebit. Hanc artem probè edocti SS. Martyres, Joannes & Paulus, liberrimâ voluntate *sua bona distribuerunt pauperibus, quò expeditiores ad Dominum migrare possent.*

86. Dipsas serpens, genuinum libidinis & avaritiæ symbolum, quem mordet, siti interimit; & quod Lucanus ait; INCENDIT VISCERA TABE. Quantùm ad avaritiam spectat, Juvenalem audi;

> *Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit,*
> *Et minus hanc optat, qui non habet. Ergò paratur*
> *Altera villa tibi, cùm rus non sufficit unum;*
> *Et proferre libet fines &c.*

Quoad libidinem verò S. Hieroymum; *Libido furtiva nunquam satiatur; & cùm videtur extincta, reaccenditur, usu crescit & deficit, nec rationi paret, sed impetu fertur.*

87. Serpens, cui Præstero nomen, si animal quoddam morsibus suis prehenderit, ingentem in sauciata illius parte tumorem excitat, & paulò post mortem immedicabili damno infert; uti testatur Solinus. Unde lemma; PERIMIT INFLANDO. Haud secus adulator veneno, è labiis destillante, vitiosum superbiæ tumorem in humana mente producit, quem paulò post miserrima ruina, & ipsius adeò vitæ interitus, excipiunt. Huic malo providè consulens Magnus Augustinus, super illis Psalmi verbis; *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum,* Olei nomine adulationem vult intelligi; *Noli,* inquit, *gaudere ad talia, noli annuere, noli consentire, noli inde gratulari. Si ille attulit oleum adulationis, sed caput tuum integrum maneat, non inflatum sit, non tumescat. Si enim INFLATUM fuerit, & tumuerit, facit pondus & PRÆCIPITABIT TE.* Idipsum assolet superbia, tartareo ac serpentino suo morsu hominem inflare, ac interficere solita. P. Benedictus Fernandus illud Evæ responsum examinans, *Serpens decepit me,* ait, verbum, eo loco adhibitum, è duplici radice Hebraica deduci posse; si punctum in verbi illius cornu sinistro collocetur, significat, *elevare, comburere, ardere: collocatum verò in cornu dextro,* significat, *decipere, desolare, destruere.* Et subjungit; *Et quidem hæc omnia simul inveniuntur in vitio superbiæ, quo primi parentes infecti, superbam sobolem ediderunt. Serpens igitur, ait, me decepit, me desolavit, me destruxit; serpens me sublevavit, scilicet in superbiam, fecit me ardere, combussit.* Denique etiam ambitioni hæc imago convenit, cujus nocumenta à Seneca, verbis huic lemmati plurimùm

[Margin notes, left: Anselm. ... in ejus vit. — Plutarch. de Solert. Anim. — S. Fran... — Correctio fraterna. — S. Amb. l. 2. ... c. 18. — Sanctitas. — S. Bern. serm. 6 in Cant. — Consiliū secretum. — ... 6. 2. — Joan. 3. 8. — Justus Lips. ... Præfat. ad ... — Mutatio. — Christus ... — S. Aug. ser. ... de Temp. — Virgil. l. 2. Æn. v. 469. — Gratia Dei. — Plin. lib. 8. cap. 27.]

[Margin notes, right: S. Aug. ser. 8 de Divers. c. 2. — Paupertas voluntaria. — S. Paulin. Ep. — 26. Junii. — Lucan. l. 9. — Avaritia. Juvenalis Satyr. 14. — Libido. S. Hieron. Ep. ad Matrem & filiā. — Solin. c. 40. — Adulator. — S. Aug. in Psal. 140. — Superbia. — Bened. Fer. in Genes. c. 3. sect. 29. n. 1. — Ambitio.]

mùm affinibus, ita enumerantur. *Relinque ambitum : tumida res eſt, vana, ventoſa: nullum habet terminum. Præteri iſtos gradus divitum, & magno aggeſtu ſuſpenſa veſtibula. Non in prærupto tantum iſtic ſtabis, ſed in lubrico.*

Senec. Epiſt. 84.

88. Cùm D. Franciſcus Viſcontus, recens inauguratus Epiſcopus, ſolemni apparatu Cremonam ingrederetu, P. Leonardus Velli cæteris in ipſius honorem affixis Emblematis. ſerpentem addidit, qui ſinuoſo corpore circulum deſcribens, caudam ore ſuſtinebat; cum dicto, RELEGENS EXORDIA. Verbis è Claudiano mutuatis, ubi Temporis cavernam deſcribens, canit:

Claud l. 1. de Stilicone.

--- --- *Complectitur antrum*
Omnia qui placido conſumit nomine ſerpens,
Perpetuumque viret ſquammis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapſu.

Prudentiam hæc imago inſinuat, cujus eſt proprium, præteritos eventus ſtudioſè conſiderare, ut eorum exemplis edocta, quibuſvis præſentibus ac futuris providere poſſit. Eos inſuper hoc Emblema ſpectat, qui natalium ſuorum vilitatem aſſiduâ memoriâ revolvunt. Amos, tametſi à Deo ad prophetiæ munus evectus, pauperem tamen Paſtorem ſe profeſſus eſt; *Verba Amos, qui fuit in Paſtoribus Thecue.* Willigiſus, Moguntinus Archieoiſcopus, Patre carpentario oriundus, inter omnem dignitatis ſuæ celſitudinem, inſignium loco rotas præferre eſt ſolitus, ſibique aſſiduò objecit; *Willigiſe, quis fueris, memento.* Iſaac, obſcuriſſimo loco natus, propriis viribus ſub Bajazethe, Turcarum Imperatore, primas dignitates conſecutus eſt: ne tamen ignobilitatis ſuæ memoriam oblitteraret, in media palatii ſui aula, ubi audientiam exhibere conſueverat, calceum, funibus conſutum, ſuſpendi voluit; ſuoſque filios his vocibus frequenter compellabat: videte proſapiæ tenuitatem, è qua deſcendi; & dignitatis celſitudinem, ad quam aſcendi. Cæterùm quemvis hominem ad originis ſuæ crebram reminiſcentiam excitans Magnus Auguſtinus; *Bonum eſt homini,* inquit, *ut redeat ad pulverem ſuum; ſi enim te confeſſus fueris pulverem, Deus de pulvere faciet hominem.*

Pruden-tia. — Modera-tio animi. — *Amos. 1.1.* — *Boter. Dict. memorab. fol. 79.* — *S. Aug in Pſal. 75.*

89. Serpens, aquilæ unguibus conſtrictus, eandem, gulâ prehenſam, mordet. Unde efferato inter mutuam hanc pugnam ſerpenti inſcripſit D. Petrus Caſcina; E QUANT' E OFFESO PIU', TANTO PIU' NOCE. Id eſt; LÆSUS NOCENTIOR. Ita animus generoſus, & ad vindictam pronus, ob acceptam injuriam pares, juſtaſque ab hoſte pœnas expetit. In hanc rem canit Taſſus, Poëta Italus;

Vindicta generoſa. — *Taſſ nella Geruſ. Liber Cant. 7. ſt 75*

La virtù ſtimolata è più feroce,
E s'aguzza de l'ira a l'aſpra core.

Diabolus quoque, ſerpens ille Tartareus, quo graviore reſiſtentiâ à nobis conſtringitur, eò in jugulum & perniciem noſtram evadit ferocior. S. P. Auguſtinus; *Fortes milites Chriſti, dum arma Sacramentorum ſuſcipitis, pugnam adverſus diabolum indicitis; dum ejus operibus renuntiatis, vehementius in vos ejus furias provocatis.*

Dæmon. — *S Aug l. 2. de ſymbol. c. 1.*

90. Serpens, alterius violentiâ compreſſus, epigraphen à me recepit; EXACUET IRAS. Nimirùm injuſta oppreſſio homines efficit generoſos, & ad extrema quævis audenda provocat. Exemplo ſuo id edocuit Iſraëlis populus, qui à Roboamo crudeliter oppreſſus, graviter excanduit, totuſque ab illo defecit. S. Hieronymus; *Citò INDIGNATUR libertas, CUM OPPRIMITUR. Nemo plus impetrat à libero, quàm qui ſervire non cogit. Qui ſcorpionibus cædit, & lumbis patris habere ſe putat digitos craſſiores, citò regnum manſueti David diſſipat. Certè Romanus populus ne in Rege quidem ſuperbiam tulit.* Opportunè canit Guido Caſonus.

3 Reg. 12. — *S. Hieron. Epiſt. 62.* — *Guid. Ca. Embl. 6*

Dura neceſſità, che in lor comparte
Nova virtù, gli rende invitti, e toglie
Ne perigli il timor d'ogni periglio,
E nel morire indomiti, e feroci
Sprezzan l'error de l'incontrata morte.
L'ardire altrui gli fà più arditi, e quegli
Ch'à lors' oppone valoroſo, e forte
Con maggior sforzo è ſuperato, e morto.

91. Serpens, in gyrum convolutus, caput ſuum unicè ac ſtudioſè abſcondere ſolet. Unde lemma; TUTUS, NI CAPITE LÆSUS. Ita Chriſtianus omnem patriæ, facultatum, & ipſius adeò vitæ jacturam pro obſervanda fide, facilem exiguamque ducat; eâ enim retentâ, nihil penitùs amiſiſſe videbimur. Sanctus Joannes Chryſoſtomus; *Nam quemadmodum ſerpens totum ſe ipſum tradit, nec minimum curat, ſi corpus inciditur, donec caput ſuum integrum ſervet: eodem tu quoque modo, præter fidem, cætera perdere non cures, profundas univerſam tuam pecuniam, tradas corpus, vitæ, ſi opus eſt, minimè parcas, dummodò fidem ſerves, quæ caput eſt, & radix; quâ ſervatâ, etiam omnia perdas, omnia tamen rurſus majore cum magnificentia recuperabis.* Sanctus Hieronymus illa Chriſti verba interpretatus, *Eſtote ergò prudentes ſicut ſerpentes*; ait, *Serpentis aſtutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, ut illud, in quo vita eſt, protegat. Ita & nos toto periculo corporis, caput noſtrum, qui Chriſtus eſt, cuſtodiamus, id eſt, fidem integram, & incorruptam ſervare ſtudeamus.* Idipſum etiam de Prælato, Principe, aut Patrefamilias dixeris: hi enim, ſi, utpote ſubditorum capita, à gravioribus culpis immunes vixerint, reliquum totum familiæ aut Reipublicæ corpus ſalvum conſtituunt, & incolume.

Fides. — *S. Io. Chr Hom 34. Matth.* — *S. Hieron. Matt. 10.* — Superiores.

92. Complures ſerpentes, ab unicâ manu validè conſtricti, eam conatu prorſus irrito offendere tentant. Emblemati ſubſcripſit Sitarchus Canalis; IN VANUM LABORAVERUNT. Innuebat videlicet, omnes malignorum vires nihil penitus adverſus genuinam virtutem poſſe. Seneca; *Quemadmodum minuta lumina claritas ſolis obſcurat: ſic dolores, moleſtias, injurias, virtus magnitudine ſua elidit atque opprimit.* Emblemati explicando cecinit Baptiſta Pittonus.

Virtus infeſtata. — *Senec. in Epiſt.*

Le venenoſe lingue, invide, e preſte
Come ſerpi a vibrar i toſco fuore,
Indarno ſono a la virtù moleſte,
E eercan d'oſcurar l'altrui ſplendore,
Queſte al chiaro Canal furon infeſte,
Ma l'invidia non può contra il valore,
Ch'egli divenne ogn'hor più ſaggio, e forte,
E pergiovar a noi corſe a la morte.

93. Quod ſuperiore loco de aſpide diximus, non abs re cuivis ſerpenti attribui poteſt: nempe IN SILENTIO MORDET. Detractoris genuinus hic typus eſt: Salamone teſte, *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eò minus habet, qui occultè detrahit.* In hunc locum S. Hieronymus, *Serpens,* inquit, *& detractor æquales ſunt, quomodo enim ille occultè mordens venenum inſerit, ſic iſte clam detrahens virus pectoris ſui effundit in fratrem, &c.*

Detractor. — *Eccl. 1. 11.* — *S. Hieron. in hunc loc.*

94. Ser-

94. Serpens æneus, Mose referente, sublimi palo in deserto affixus, omnes homines quotquot oculos in eum conjecere, instar antidoti à morte præservavit. Unde Placentiæ in nostra Canonica epigraphen subjunctam habet; ASPICIENTES VIVENT. Certè, qui fidei ac spei oculos in Crucifixum erexerit, omnem inde possibilem prosperitatem refert. P. Cæsarius Arelatensis; *Tam prompta aderat salubritas medicandi, quàm velox inerat felicitas intuendi. Sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium, quia latebat in serpente mysterium.* S. Ambrosius; *Habentes Dominum IESUM, qui nos passione suâ liberavit, in ipsum aspiciamus semper; & de ipsius signo speremus nostris vulneribus medicinam: hec est r, si forte nobis venenum avaritiæ se diffundit, ipsum consideremus, & sanat. Si scorpionis nos libido compungit, ipsum rogemus, & curat. Si terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, eundem precemur, & vivimus. Hi enim sunt spirituales serpentes animarum nostrarum; propter quos conculcandos Dominus crucifixus est.* Oleaster eosdem effectus nobis è peccati commissi consideratione advenire ait; *Quantumcunque à serpentibus peccatorum sis morsus; si postmodum ea quâdam animi propensione consideres, facillimè sanaberis. Recogitabo, ait quidam, omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Tu verò dic; considerabo omnes serpentes meos ad sanitatem animæ meæ.*

95. Joannes Orozcus serpentem æneum, palò affixum, hoc lemmate insignivit. UNA SALUS. Neque enim aliunde salutem sperare licet, nisi è fide, invocatione, & morte Filii Divini, in Crucem fixi. Unde Sanctus Petrus; *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* S. P. Augustinus; *Fratres, ut à peccato sanemur; Christum Crucifixum intueamur. Quomodo, qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum; sic qui intuemur fide Christi mortem; sanamur à morsibus peccatorum.*

96. Symboli loco solem nascentem in arietis signo depinxêre, sub cujus radiis serpens innovabitur; cum lemmate; SOLE RECENTE RECENS. Mediolanensium civitati; cujus labara serpentem præferunt, hæc imago inserviit; quando Philippo Prospero, Hispaniarum Principe, ac Regiæ Majestatis Philippi IV. Filio, in hanc lucem edito; tota juvenescere, viresque pristinas innovare videbatur. Cæterùm redeunte quotannis sanctissimo Servatoris nostri Natali, Christiani omnes serpentum innovandorum prudentiam imitari, & sub nascentis Solis Divini radiis in virtutibus ac pietate refici deberent. Providè in Servatoris nati festivitate suos commonefecit Doctor Mellifluus; *Celebraturi Dominicæ Nativitatis ineffabile sacramentum, jure quidem monemur, fratres, in omni sanctificatione præparari. Adest enim Sanctus Sanctorum, adest ipse qui dixit; Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

97. Flagitiosus hominis animus, rapinis, inimicitiis, ac vindictis pasci, continuumque malevolentiæ suæ incrementum facere solitus, serpentis Emblemate describi potest; qui bufonem, mox deglutiendum, dentibus sustinet; cum lemmate, ALIT VENENA VENENO. Certè invidus aliter nō pascitur nisi alieno malo. Sanctus Pater Augustinus; *Omnis superbus invidus est, & si invidus est, malis alienis pascitur.* Opportunè Paulus Maccius;

Deprehensum Hydrus aquis bufonem glutit; alitq́;
Dira venenatis viscera visceribus.
Improba mens, animusq́; malus sibi non satis: addat
Ni sceleri scelus, & crimina criminibus.

98. Duo serpentes, arctissimè inter se connexi, mutuos sibi morsus infigunt; cum lemmate; ALTERNO VULNERE CADENT. Vel, MORS JURGIA FINIT. Propria hæc conjugum ideâ est, qui mutuas suas injurias, & assidua jurgia nullò terminant fine, donec mors, sæpiùs acerba & violenta, interveniat, modumque discordiis imponat: Veri[ssi]mè de malis conjugibus dixit Sanctus Valerius; *Amarè pungunt, & afflictioni vacant, usque ad divisionem corporis & spiritus.* Paulus Maccius.

Innexi caudas, alternosq́; orbibus orbes
Aspicis, ut se angues implicuêre duo?
Mordicus & retinet, quæ dente petivit uterq́;,
Alter ab alterius vulnere dum pereat?
Conjugium referunt animis discordibus iras,
Semina qui rabidæ seditionis alunt.
Nupta viro, nuptæ vir miscet prælia, dum mors
Jurgia devoti finiat una thori.

99. Serpenti, juxta theriacam posito; inscribes; E MALO BONUM. Sicuti enim ex veneno theriaca, è toxico antidotum, & ex contrariis præstantissimum amuletum conficitur, ita è malis bonum elicere nunquam non possumus; quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quin, etiam è gravissimis injuriis utilitatem maximam colligere licet. Causam investigans S. Eusebius Emissenus, quæ D. Stephanum impulit, ut pro hostibus, qui illum immani lapidum & calumniarum grandine obruebant, preces adeò ardentes fuderit? respondet; *Nec mirum esse, si eis nescit irasci, per quos sibi videt aulam regni cœlestis aperiri, per quos se intelligit æternis sæculis consecrari.* Animus enim, ad injurias condonandas facilis, famam non in terris duntaxat, sed & in cœlis æternam sibi fabricatur. Probè id edoctus Alexander Macedo, cùm audiret, se à quodam contumeliis impetitum, respondit, regium esse, cùm facias benè, audire malè. Alphonsus Aragoniæ Rex, à quibusdam benè de se meritis lacessitus, ac probris oneratus; Regum esse, dixit, non solum benè facere, sed mala etiam patienter audire. Suadentibus nonnullis Ludovico XII. Gallarum Regi, ut ultum iret injurias, sub Carolo VIII. acceptas, cum Ducis Aurellanensis titulo adhuc gauderet; respondisse fertur; Regem Franciæ non decet ulcisci injurias Ducis Aurelianensis. Præclarè in rem præsentem Magnus Augustinus; *Cùm ignoscis ei, qui peccat in te, inde dimittis; sed nihil amittis, imo verò abundantius irrigaberis.*

100. Ni serpenti, dum loco angusto sese insinuare nititur, caput præscindas, facilem reliquo corpori transitum præbes. Quare serpens, capite per angustum foramen promoto, epigraphen tenet; SEQUETUR RELIQUUM. Hinc disces libidinem, ceu viperam venenatissimam, ut primùm caput attollere, & animi nostri sensum penetrare nititur, quantociùs præsecandam esse. Hic, si ullibi aliàs, principiis obstandum, omneque in mora periculum esse censet Divus Hieronymus. *Nolo,* inquit, Eustachium suam de virginitate custodiendâ erudiens, *sinas cogitationem crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice.* Præclarè S. Dorotheus; *Ut pernoscatis,* inquit, *quòd ex minimis his, & natura vi-*

Crucifixus. S. Cæsar. Ar. hom. 2 de Sch. S. Ambr. ser. 5. Oleast. in c. 21. Num. Peccati consideratio. Ies in Deo. Act. 4. 12. S. Aug. in Joann. tract. 12. Renovatio. Bern. serm. in Vigil. Nat. Dom. Levit. 19. Malitiosus. Invidus. S. Aug. in Ps. 100. Paul. Macc. Embl. 13. Conjuges discordes. S. Valer. in Ep. ad Rufin. Paul. Macc. Embl. 19. Injurias condonare. S. Euseb. Emis. Hom. de S. Steph. S. Aug. l. 50 Homil. hom. 27. c. 2. Libido. S. Hieron. Epist. 22. Sanct Dorot. ser. 3. To. 2.

Biblioth. SS. PP.

libus, ad magna & prægrandia contemnenda perfacilè labamur, cùm cœperit quispiam dicere, quid refert, si verbum hoc dixero? quid refert, si in hanc rem intendero? ex hoc enim quid est hoc? & quid est illud? quid refert hoc, aut quid refert illud? mala ac perversa, & amara consuetudo admittitur, & imbibitur, & datur initium, ut magna & graviora contemnamus. Davidem in homicidium propellere cùm vellet diabolus, otium illi primò suggessit ac torporem, mox oculum nequam, hinc adulterium; denique, istis præmissis, homicidium.

Minima præcavenda.

101. Serpens nil æquè horret, ac hominis jejuni salivam; utpote solo illius contactu necandus. Lemma. JEJUNA SALIVA NECABIT. Orcinus coluber nil sperat victoriæ, ubi congrediendum est cum homine sobrio & jejuno. Id clare Basilius affirmans, *Jejunium*, inquit, *contra exercitum dæmonum dat arma.* Cui accinens S. Hieronymus; *Pulchra res est*, inquit, *jejunium, quod etiam dæmones terret.* Sic alii ordine Patres loquuntur. Magnus Augustinus ex omni numero priscorum Patrum facilè Princeps, tàm succinctè, quàm verè ac nervosè; *Nullus*, inquit, *sine jejunio vicit diabolum.*

Jejunium. S. Basil. hom. 1. de jejunio. S Hieron l. 2. cont. Iovin. S. Aug. l. 4. Hypognost. cont. Pelag.

TARANTULA, seu Phalangium, & stellio. *Cap. IX.*

102. Stellio, formâ lacertam præferens, nomen suum à venustis coloribus, quibus, ceu totidem stellulis, distinctus est, recepit. Adeòque dorso stellis relucens, è visceribus venenum diffundit. Unde D. Didaci Saavedræ lemma; SUB LUCE LUES. Stellionibus non absimiles proditores, adulatores, & homines fucati, sub amœnitatis & benevolentiæ schemate venenum, suorumque affectuum pestem spargunt. S. Rupertus Abbas verba illa, à Doëgo Idumæo in laudem Davidis pronuntiata; *Ecce vidi filium Isai, Bethleemitem, scientem psallere, & fortissimum robore, & virum pulchrum*, ita expendit; *Omnia quæ de David in laudem dixisse videtur, in odium ipsius dixisse dicitur, quia volebat inimicitiæ causâ, & invidiæ livore ut ad Saul veniret: quatenùs ibi qualibet occasione necaretur.* Eâdem planè ratione de Hæreticis ait Vincentius Lyrinensis; *Tantò magis cavendi & pertimescendi sub Divinæ lucis umbraculis latitant. Sciunt enim fœtores suos nullis esse placituros, si nudi & simplices exhalentur, atque idcirco eos cœlestis eloquii velut quodam aromate aspergunt.*

Proditor. Adulator. S. Rup. Abb. in 1. Reg. 16. Vinc. Lyr. Com. 1. c. 35.

103. Stellio, externâ facie illustres stellas ostentans, interius corpus suum infami veneno deturpatum habet. Unde lemma; STELLATO SUB CORPORE VIRUS. Ita homines fraudulenti sub sanctitatis velamine pectus circumferunt, vitiorum veneno, dæmonumque spurcitie undique contaminatum. Horum cuipiam acerrimè improperans S. Hieronymus; *At tu infelix*, inquit, *transfiguras te in Angelum lucis, & minister Sathanæ ministrum justitiæ simulabas: sub vestitu ovium latebat lupus.*

Hypocrita. S. Hieron. Epist. 48.

104. Stellio veteres suas exuvias quotannis, instar serpentum, exuit; quia tamen non ignorat, præsentissimum antidotum adversùs epilepsiam ex illis confici, idcircò medicinam adeò præstantem homini invidens, totam pellem ut primùm detracta fuerit, quantocius non sine gravi malevolentiâ devorat, quemadmodùm Theophrastus & ex illo Plinius, observant. Unde Stellio, dum pellem suam devorat, epigraphen tenet; VORAT, NE PHARMACA PRÆSTET. Nativus hic hominis fraudulenti, invidi, & maligni typus est. Seneca; *Invidia invidum torquet & macerat, BONA, odit & EXTENUAT, injurias verò dilatat atque auget.* In rem præsentem Alciatus.

Plin. l. 8. c. 3. & l. 30. c. 10. Invidus malignus Senec. in E

Alciat. in Embl. 39.

Parva lacerta atris stellatus corpore guttis,
Stellio, qui latebras, & cava busta colit.
Invidiæ praviique doli fert symbola pictus. &c.

Unde eruditi tradunt, nomen stellionatus (delictum, quod certum nomen in jure non habet, stellionatus dicitur; estque fraus omnis, dolus malus, & impostura: ut si quis re aliquâ venditâ, postea aliam tradat; aut rem, jam alicui obligatam, iterum obliget alteri &c.) à fraudulento hoc animali ortum suum trahere. Plinius instar plurium esto; *Nullum animal fraudulentius invidere homini tradunt. Inde stellionum nomen ajunt in maledictum translatum.*

Stellionatus. Plin l. 30. c. 10.

☞ 105. Cælius Rhodiginius de Tarantula scribit; *Cujus exitiale virus stuporem læsis inducit, genuum labefactationem, demumque universi corporis tremorem.* Unde lemma; STUPORE, TREMOREQUE REPLET. Eadem planè effecta in suppliciis Divinis, adversùs sceleratos destinatis, experimur. Certè Balthasar, characteres de præcipiti suo lapsu in pariete descriptos cernens, immodico tremore concussus est. *Facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.* Isaias de Ægyptiis, à Deo castigatis, ait; *Stupebunt & timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum.* Saulus cœlesti fulgure percussus, in terram prostratus, & utroque lumine orbus, *tremens ac stupens dixit; Domine, quid me vis facere?* Nempe, quod Magnus Augustinus ait; *Infideles experturi sunt in suppliciis potestatem Dei, cujus in donis misericordiam contempserunt.*

Cæl. Rh. Lect. ant. l. 7. c. 16. Supplicia Divina. Dan. 5. 6. Isa 19. 16. Act. 9. 6. S. Aug. Spir. & L. c. 33.

106. Si Plinio fidem habeas, stelliones nullo alio cibo, nisi rore & araneis pascuntur. *Rore tantùm viventes, præterque araneis.* Unde lemma; ROS, ET ARANEA CIBUM. Genuinam hinc malorum Religiosorum ideam desumere licet, qui quidem rore cœlesti, sanctissimis nimirum sacrificiis, meditationibus, & orationibus, indies pascuntur; simul tamen etiam aranearum veneno victitant, dum animos rancoribus, aut profanis affectibus nutriunt; Caino non absimiles; qui victimas litaturus, manus quidem devotas, cor autem livore & odio squalidum præferebat. Sermone ad hunc converso præclarè ait S. Bernardus; *Quid miraris, o Cain, si non respicit ad te (Deus) qui ita divisus es in te? si manum devotioni, quid animum das livori? Non concilias Deum tibi, discors tecum non placas sed peccas.*

Plin. l. 1. c. 26. Religiosi vitiosi. S. Bern. in Cant. 24.

107. Stellio, rore pasci solitus, cœlestem ac purissimum hunc liquorem pessimâ indole in abominandum & infame venenum convertit. Lemma; EX RORE VENENUM. Hæretici, accommodatè ad hunc typum, è vivaci ac suavissimo Sacræ Scripturæ rore lethalem perversissimi veneni liquorem conficiunt. De his meus Concanonicus Lucas Tudensis; *Exterius sacrarum scripturarum carpentes malè superficiem, ad veritatis medium nunquam veniunt: sed semper in dulcedine quærunt amaritudinem, in vita mortem, in candore nigredinem, in scripturis veritatis errorem.* Et Petrus Bercorius; *Hære-*

Hæretici. Luc. Tud. Præfat. l. 1. de alt. vita.

[...] Bercor. Reduc. [...]38. *Hæretici*, inquit, *rorem Sacræ Scripturæ legunt, student, & hauriunt: veruntamen exinde nunquam meliores funt, quin per corruptas expositiones ipsum rorem Divinæ scripturæ in venenum suæ hæreticæ opinionis convertant.*

108. Tarantulæ venenum, in humanum corpus transfusum, quantumvis lethale ac pestilens sit, antidotum tamen adversùs illud habetur præsentissimum & unicum, si quantocyùs tibiæ aut citharæ cantus, certo quodam sono attemperatus, adhibeatur. *Huic pesti, & tam præsenti malo*, inquit Alexander ab Alexandro, *unum hoc salubre remedium esse compertum est, si protinùs tibicen, aut citharista varios concinat modos &c.* Unde proprium Tarantulæ lemma est; LENIT MUSICA MORSUS. Ita interioribus proximi malis nunquam securius medemur, quàm suavi & discretâ verborum harmoniâ; nam corrigendi benignitas miram energiam congenitam habet, ad humanas mentes temperandas persanandasque. Providè monet Magnus Augustinus; *Debemus amando corripere non nocendi aviditate, sed studio corrigendi.*

[Margin: Alex. ab Al. Genial. l. 2. 17. — Correctio suavis. — Aug. serm. 5. de Verb. Dom. c. 2.]

109. Salomonis effato, *stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Unde lemma stellioni inditum; MANIBUS SUBLIMIA POSCIT. Dicere volebam, homines, excellenti ingenio ad assequenda dignitatum culmina destitutos, manuum suarum industriâ & labore ad ipsam supremam Dei aulam efferri posse. Hugo Cardinalis illud Proverbiorum explicans, *Fideles simplices*, inquit, *qui non habent alas scientiæ: sed labore manuum, & sudore vultûs sui vescuntur pane suo, tandem cum sanctis in cœli palatio sunt moraturi.* Et S. Gregorius; *Plerumque aves, quas ad volandum penna sublevat, in vepribus resident: & stellio, qui ad volandum pennas non habet, nitens manibus, regis ædificium tenet: quia nimirum sæpe ingeniosi quique, dum negligentiâ torpent, in pravis actionibus remanent, & simplices, quos ingenii penna non adjuvat, ad obtinenda æterni regni mœnia virtus operationis levat.*

[Margin: Prov. 30. 28. — Labor ad cœlum levat. — Hug. Card. in illum loc. — S. Greg. lib. 6. Moral. c. 5.]

110. Phalangium, Athanasio Kirchero teste, aranei genus est, quod & Tarantulam dicimus; dirum animalculum, tactu pestilens; & si nisum quæras, nulla vis est; si potestatem, ictum hominem veneno interficit. Degit in cavernulis, quas inter segetes ædificat. Atque cùm æstu anni flagrantissimo assiduus sol campos Apuliæ torret, tum maximè seu afflatu noxio, seu æstu accensa hæc phalangia, tam exitiali licentiâ in humanos artus grassantur, ut, quotquot ab hac pestifera lue libantur, irrequieti vel canant, vel saliant, vel lacryment, vel delirent, aut tam lethali stupore pressi jaceant, ut membra omnia senescente tabo putrescant, & sic animam extrudant. Huic tamen tantæ pesti reperit pharmacum humana solertia: sed nec aliud, nec certius, quàm cantum. Atque ita cum quis à tarantula læsus jam nec gradi, nec loqui, nec ullo sensu fungi valeat, habeaturque morti vicinissimus; mox ubi tibiæ modos audit, miti illo sono demulsus ac velut gravi somno excitus, oculos attollit parumper, mox se in pedes erigit, sensim vestigia ponit, cantûs tamen lege servatâ. Jamque augescente concentu, quasi firmato iterum animo, in saltus gestusque nec indecoros, nec à citharæ sono dissonos erumpit, atque sic valetudinem recipit, non sine mirando tripudio. Unde lemma; CANTU SANABITUR ICTUS. Phalangiis non absimiles dixeris extorres cœlo Spiritus; prorepserunt illi ante natum Servatorem ex flammeis inferorum cavernis; & in humanam gentem palam sævierunt. Æstuabat universa terra, imò ardebat infandorum scelerum flammis. Admordebantur passim ab acheronticis illis Tarantulis innumeri mortales; & tamen, quod in morbis pessimum, non habebant mali sensum. Edebatur, bibebatur, ludebatur, certabatur, quis citiùs, quis gravius periret. Jacebant homines animæ lethargo tacti, & miserè spirabant viva Plutonis funera. Sed ecce! inter tot pestilentissimos morbos adest mitissimus Deus, musicos mittit, qui cantent, qui sanent, qui fugent venenum omne, qui nepenthes propinent vocum concentu. Canunt cœlestes genii, & pacem indicunt, moxque infernas tarantulas in spelæa sua sic retrudunt Symphoniacâ voce, ut jam ille solùm lædi possit, qui lædi velit. Atque adeo recens nato in hunc orbem Deo, Angelisque solemne illud suum occinentibus, *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; Salus tota mundo redit. Cæterùm eandem vim ad depellendos animæ morbos etiam sacræ Psalmodiæ tribuit Magnus Augustinus; *Psalmorum nobis per modolos apta sunt carmina. Revera enim animas illuminat ac mentem. Et si cubi quis, quamvis fero ac rabidissimo furore rapiatur, si fortè fuerit Psalmi, ut ita dixerim, carminibus incantatus, continuò omnis rabies ferocitatis ejus abscedit.*

[Margin: Athan. Kirch in Musurg. & Phonurg. — Christus nascens. — Luc 2. 14. — Psalmodia. — S. Aug. in Prolog. psal. morum.]

VIPERA.

CAP. X.

111. PAusanias refert, viperas, constructo sub balsami arboribus nido, mox venenum perdere, & innoxias mordendo effici. Unde Pater Sylvester Petrasanctâ viperam, balsamo vicinam, depinxit; cum lemmate; VENIO, POSITURA VENENUM. Ita planè homo Mariæ Virgini, ceu suavi balsamo, propinquans, venenum omne exuit, ac delicti cujusvis noxam amittit. Idipsum de bonorum societate dixeris; illorum enim consuetudine utens, pristinas culpas facilè dedocebere. Præclarè Seneca; *Quidam canent tecum, quia digni sunt, quidam ut fint. Si quid enim in illis ex fordida conversatione servile est, honestiorum convictus excutiet.* Et rursus; *Nulla res magis honesta inducit, dubiosque, & in pravum inclinatos revocat ad rectum, quam virorum bonorum conversatio; paulatim descendit in pectora, & vim præcepti obtinet.*

[Margin: Pausan. in Boet. l. 9. — Maria V. — Societas bona. — Senec. Epist. 47. — Idem Ep. 91.]

112. Alcibiades Lucarinus Symboli loco viperam depinxit, quæ balsami folia mandens eorum ope venenum suum exuere solet. Unde lemma; PERDIT OB PABULA VIRUS. Innuebat videlicet, frequenti SS. Eucharistiæ usu venenatam vitiorum luem è pectore nostro proscribi. S. Bernardus; *Si quis vestrûm non tam sæpè modo, tamque acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi; gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Quamobrem Sancti Patres Eucharistiam, appellatione minimè alienâ, *pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, vitam in Deo concilians per Christum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala*, ex S. Ignatio Martyre, cognominârunt.

[Margin: Eucharistia. — S. Bern. ser. 1 in Cœn. D. — S. Io. Mart. Epist. ad Ephe. in fine.]

113. Complurium Scriptorum testimonio constat, viperam, priusquàm fonti propinquet, venenum deponere. Unde P. Certanus eam fonti vicinam, hoc lemmate insignivit; VIRUS NON DEFERT. Documenti loco id esto, ut, Verbi Divini fonte sitim levaturus, omne vitiorum virus è corde procul abjicias. S. Epiphanius; *Debemus igitur*, inquit, *& nos*

[Margin: Oratio sit pura.]

S. Epiph. ad Physiolog. c. 6. nos, qui ad perennem, puramque, & Divinis ac cœlestibus eloquiis scaturientem aquam in Dei Ecclesia properamus, malitiæ venenum non deferre-sed omnem pravitatem, & jurgium, & omnem malam cogitationem deponere. Idem Hæresi 37. Et rursùs; Serpens, quando siti pressus à latibulo procedit ad aquam, ut bibat, non simul accipit secum venenum: sed in latibulo relinquit, & sic progressus, potum aquarum sumit: proinde & ipsi hoc imitemur, ut, quando ad Ecclesiam, preces, aut ad mysteria venerimus, malitiam nobiscum non feramus.

114. Vipera, priusquàm cum murænâ coëat, venenum omne abjicit. Unde Lucarini lemma; DEPOSITO JUNGITUR VENENO. Matrimonium. Eos, qui connubio jungendi sunt, hoc Emblema instruit, ut, mutuam matrimonii felicitatem consecuturi, omne congenitæ crudelitatis, asperitatis, & malevolentiæ virus longissimè projiciant. S. Basil. Hom. 7. Hexamer. S. Basilius; Audiat & vir ipse accommodatam, seque decentem admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venerationem evomit. Tu duritiam animi, tu feritatem, tu crudelitatem ob unionis reverentiam non deponis? Alciat. Embl 192. Ad hæc verba, nî fallor, alludens Alciatus, suum de vipera Emblema cum sequenti epigrammate formavit.

Cum furit in Venerem, pelagi se in littore sistit
Vipera, & à stomacho dira venena vomit:
Murænamque ciens ingentia sibila tollit,
At simul amplexus appetit illa viri.
Maxima debetur thalamo reverentia: conjux
Alternùm debet conjugi & obsequium.

Præparatio ad Eucharistiam. Porrò quisquis Deo Sacramentaliter conjungendus, Divinum altare accedere parat, omne venenum deponat, necesse est. S. Nil. Parem. n. 120. S. Nilus; Ab omni corruptione abstine, & mysticæ cœnæ omni die particeps fias: sic enim Christi corpus, nostrum fieri incipit. S. Aug. ad Iulian. Com. de perfecta Iustitia. S. P. Augustinus eodem Emblemate perfectam orationis frequentandæ methodum tradit. Quemadmodùm, inquit, serpentis quoddam genus, cùm it ad bibendum, priusquam ad fontem venit, omne venenum evomit: ita Christianus, cùm ad orandum accedit, omnem iracundiam, & odium proximi deponat.

115. Duabus viperis libidine coëuntibus, fœmella apprehensum masculi caput devorat, eumque occidit: Pineda To. 1. in Iob c. 20. v. 16. n. 4. uti cumulatè testantur Herodotus, Nicander, & S. Isidorus apud Pinedam. Unde Camerarius Symboli loco duas viperas, mutuo amore junctas, depinxit; cum lemmate; VENUS IMPROBA. Vel, ut D. Archangelo Conter placet; NECAT AMANTEM. Mulier lasciva. Vel, PERDIT, QUOS DEPERIT. Vel denique; DULCEDINE NECAT. Mens Emblematis erat, mulieres lascivas non tantùm intellectu & sanguine, sed non r rò ipsâ etiam vitâ suos amantes spoliare. Prov. 5. 9. Studiosè id præcavens Salomon, ne des, inquit, alienis honorem tuum, & annos tuos crudelibus. S. Cypr. lib de singul. Cleric. Et S. Cyprianus, de fæmina impura disserens, ait; Per infinita dedecora, multiplices mortes invehit in perniciem perditorum. Ingratus. Mundus fallax. Cæterùm eâdem viperæ icone hominem ingratum, vel etiam Mundum fallacem describere licet, qui suos asseclas, dum blandiuntur, occidunt. Hug. Card. in c. 13. Lucæ. Hugo Cardinalis; O quàm fraudulentum osculum, quod tradidit Iudas. Tale osculum mundi; illum enim solum prodit, quem osculatur.

116. Vipera, genuinus hominis avari typus, epigraphen præfert; N' OFFENDE VIVA, E NE RISANA MORTA. Vel, VIVA LA MORTE, E MORTA IO DA LA VITA. Idest; QUÆ VIVENS LÆDIT, DEFUNCTA MEDETUR. Id quod è Poëtis nonnemo, de vipera canens, concinno hoc disticho, per modum ænigmatis, expressit.

Dum vivis, morior; moreris dum vipera vivo.
Perpetuò ut vivam, perpetuò morere.

Avarus. Certè Avarus, viperæ simillimus, quoad vivit, facultates omnes ingenti aliorum damno corradit, mortuus verò suos hæredes ac posteros plurimis beneficiis, quamlibet invitus, remuneratur. S. Aug. Verb. Do. serm. 25. c. De Avaris ait Magnus Augustinus; Inexplebilis est sola avaritia divitum; semper rapit, & nunquam satiatur; non patri parcit, non matrem agnoscit; nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat; viduam opprimit, pupilli rem invadit; Res mortui occupantur, quasi non & ipsi, qui hoc faciunt, moriantur. Quæ est ergò ista animarum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum? Otho Ven Embl. 54. Ad Emblematis hujus mentem dixit nonnullus, Avarum nihil unquam utile præstare, nisi cùm moritur. Horat. Apertè Horatius;

Avarus, nisi cùm moritur, nihil rectè facit.

117. Franciscus Raulinus Symboli loco manum figuravit, quæ theriacam præparatura, exanimem viperam forcipe sustinebat; Iustitia vindicativa. cum lemmate, VENENO VENENUM PARAT. Vel, PERDIT VENENA VENENO. Ita justus Princeps, mortis supplicio in sceleratos animadvertens, enormes è civitate noxas, & vitiosa scandala profligat. Certè Deus supplicia nulla in hunc mundum destinat, nisi, S. Aug ser. 109. de Te. cap. 3. quæ animabus corrigendis, persanandisque deserviant. S. P. Augustinus; Omnia, quæ in hac vita infliguntur à Domino, admonitiones sunt, & stimuli correctionis nostræ.

118. Peccatorem, propriò peccati fætu occidi solitum, parturienti viperæ Emblemate repræsentabis; Peccator. quæ, gravidis visceribus à propria prole ruptis, infelicem mortem subire cogitur: atque adeò, si authoribus hâc de re fidem tribuas, vipera PERIT, DUM PARIT. Iacob. 1. De peccatoribus dilucidè testatur Sanctus Jacobus; Peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem. S. Aug. L. 50 Homil. hom. 42. c. Pulchrè in hunc locum Sanctus Pater Augustinus; Noli dare consensionis amplexum, ne plangas partum: quia si consenseris, id est, amplexatus fueris, concipis. Cùm concupiscentia conceperit, parit peccatum. Nondum times? peccatum generat mortem; vel mortem time. Si peccatum non times, time quò perducit peccatum. Prædicator vitiosus. Eadem imago Prædicatorem, vitiosis moribus instructum, concernit; ut qui aliorum animas suâ facundiâ in vitam protrahit, seipsum verò ad æternæ mortis supplicium condemnat; viperarum more, dum filios pariunt, ipsi moriuntur; S. Pet D. inquit de vitiosis Concionatoribus Sanctus Petrus Damianus.

119. Si proprietatem, superiore numero adductam, præsupponas; nimirum viperam utero à propriis fætibus dirupto, parere; Emblematis loco viperæ parturienti subscribes; FOETU DIRUMPOR. Loquacitas. Illius hæc imago est, qui è propria loquacitate damnum capit. Plutarchus; Iaculos & viperas proprii rumpunt fœtus: sic garrulus vel cum sua pernicie promit arcana. Plutarch. Moral. Eodem symbolo, ut superiore numero insinuavimus, etiam conscientiam sceleratam afficere licet, quippe cujus viscera à propriis delictis, veluti à totidem viperinis fætibus, acerrimè dilaniantur. Remorsus conscientiæ. Non est enim talis partus (inquit S. Joan-

Io. Chryso. Ps 7. S. Joannes Chrysostomus in illud Psalmi, *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem*; ubi in sensu litterali de peccatorum suppliciis sermo est, *) qualis est in mulieribus; sed quemadmodum in viperis uterum discerpunt, & latera dilaniantes fœtus procedunt, ita etiam in fraudibus, & injustitia*: idque in iis perspicuè experimur, qui conceptâ alterius vindicandi aut offendendi voluntate, mille tormentis ac cruciatibus in animo suo exagitantur. Io. Chrys. l. cit. *Si voluerit quis* pergit ille, *ulcisci quempiam, vel prior injuriam facere; vide quot mala patitur: furore repletur, AB IRA DISCERPITUR, movet innumerabiles fluctus cogitationum, invadit timor, pavor, ac tremor: quomodo offendet, quomodo rem perficiet: & ante eum, quem est injuria affecturus, se ipsum perdit.* Nil. Abb. tract. de Ira. S. Nilus Abbas eodem argumento docet, quot damna nobis ex iracundiæ turbis accrescant. *Iracundæ cogitationes*, inquit, *tanquam viperæ fœtus, cor, unde exortæ sunt, exedunt.*

Judas proditor. Ambr. in Psal. 120. D. Aresius Judam proditorem viperæ Emblemate describit, quæ marem suum suaviter amplexata, illius caput suismet dentibus præscindit. Lemma; DOLO OCCIDIT. Apprimè ad rem nostram S. Ambrosius; *Venenum infundit osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo? quod sacræ pacis insigne est? osculo? quo amicitia fida firmatur? Osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes?* Paschas. l. 11. in Matth. Et S. Paschasius; *Pignus offers veræ pacis, sed vulnus infigis & venenum serpentis.* Petrus Chrysol. serm. 7. Exquisitissimè S. Petrus Chrysologus; *Inter amplexus & oscula cruenta Iudæ, Christi caput est expetitum, & ore petitum. &c.*

Prudentia. 121. Homo prudens ac discretus quævis ingruentia mala in saniorem partem convertere novit; haud secùs atque vipera, minutim contusa, saluberrimam theriacam conficit. Seneca l. cur bonis viris &c. c. 2. Unde lemma; VERTIT IN MEDELAM. Seneca *de viris bonis* disserens, ait; *Dura ac difficilia non reformident, nec de fato querantur; quidquid accidit, boni consulant, & IN BONUM VERTANT.* Terent. Heauton. Act. 1. Scen. 2. Et Terentius;

> *Quid reliqui est, quin habeat, quæ quidem in homine videntur bona,*
> *Parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias.*
> *Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:*
> *Qui uti scit, ei bona: illi qui non utitur rectè, mala.*

Bonum è malo colligere. Theodor. Serm. 1. de curac. affect. Theodoretus eodem argumento persuadere nititur, è gentilium libris, quamlibet vitiosis, doctrinas colligi posse virtuosissimas. *Veluti corporum curatores è venenatis feris, atque serpentibus salutares medicinas conficiunt, deque ipsis viperis alia quidem rejicientes, alia verò elixantes, multos harum rerum præsidio morbos propellunt, ita & nos vestrorum Poëtarum, Historicorum, Philosophorumque monumenta versantes, noxia & pestifera declinamus, alia sparsim nostræ doctrinæ inserentes, auxiliarem nobis, salubremque medicinam afferimus.*

Luc. 1. 71. 122. Aliquo, serpentes ad conficiendam theriacam in frusta concisi, à nobili quodem ingenio epigraphen è Zachariæ Cantico accepêre. SALUTEM EX INIMICIS NOSTRIS. Calamitas utilis. Adeò nimirum etiam è calamitatibus, morbis, aliisque incommodis utilitatem capere licet; Pet. Dam. opusc. 53. c. 2. S. Petrus Damianus; *Tyrus planè genus serpentis est, ex cujus cruore theriaca fit: quæ videlicet grassantem pestem in his, qui venantur, extinguit. Si ergò venenum veneno novit homo depellere, quantò magis mirabilius prævalet Deus ex alienis contritionibus nobis utilia providere?* Theoph. Cer. Orat. 1. de Cruce apud Gretserum. Et Theophanes apud P. Gretserum; *Serpens non modò habet lethale venenum, sed etiam pharmacum, lethalia venena propulsare consuetum, ministrat. Medici quippe ex carne serpentinâ contrarium veneno conficiunt medicamentum.*

Invidia. 123. Si verum est quod ajunt, parturientis uterum à vipera nascente rumpi, epigraphen non incongruam subjunges; GIGNENTIS VISCERA VORO. Invidia, hâc icone, ceu ectypo, delineatâ, proprii parentis sui pectus ac viscera horrendùm corrodit. Unde Jacobus Sannazarius in Arcadiâ canit;

> *L' invidia figliuol mio se stesso macera,*

S. Basil. Hom. de Invidia. S. Basilius; *Sicut viperas dicunt abrupto matris ventre nasci; sic & invidia concipientem se animam corrodere simul, atque tabescere solet.*

Calamitas utilis. 124. Cebetes testatur, hominem, viperæ dentibus semel prehensum, nulla deinceps venena formidare. Unde amans quidam profanus Emblemati subscripsit; ME VIPERA TUTUM. Vel, ut alius; ARCET VENENA VENENO. Veluti diceret, animum suum, unius affectu occupatum, alieni amoris admittendi penitùs incapacem esse. S. Greg. Naz. lib. 1. sent. Iis etiam hoc Emblema convenit, qui bonum è malis elicere nôrunt. Certè Deus libidinis ignes febrium ardore, & odii flammas mortis imminentis terrore reprimere solet. Optimè dixit S. Gregorius Nazianzenus.

> *Ex hoste & ipso commodum decerpitur.*

Hujus rei experientiam Magnus Augustinus in D. Paulo deprehendit; S. Aug. de Verb. Apost. serm. 3. Deus enim illum opportuno antidoto adversùs superbiam munire volens, serpentes, utpote superbiæ authores, in eum concitavit. 2. Cor. 12. 7. Ipsummet Augustinum eruditè disserentem audire juvat, qui verba illa Apostoli expendens, *datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet*; ita ratiocinatur; *Videte medicamentum, quod sibi dicit appositum. Ne extollar, inquit, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ. O VENENUM, quod non CURAT nisi VENENO! datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Caput cædebatur, ne caput extolleretur. O antidotum, quod quasi de serpente conficitur, propterea theriacum nuncupatur: serpens enim ille superbiam persuasit; gustate & eritis sicut Dii; superbiæ persuasio est: unde cecidit, inde dejicit, meritò ergò venenum serpentis de serpente sanatur.*

Aristot. l. 8. Histor. anim. c. 29. 125. Aristoteles prolixè testatur, scorpionem à vipera devorari. Unde lemma; DIRA DIRIS PASCUNTUR. Adeò nempè verissimum habetur, nullas alias malevolorum delitias esse, nisi malitiam; Peccator. neque crudelem ac impium hominis animum aliis exaturari cibis, nisi quos à tyrannide subministratos accipit. Herodes, mensæ instructissimæ accumbens, cùm gratias impertiri, & S. Joannem, citra ullam culpam in carcere detentum, vinculis exolvere debuisset; Crudelitas crudelem mortis sententiam adversùs ipsum pronuntiavit. Hoc Tyranni decretum expendens S. Ambrosius, attonitus interrogat; S. Ambr. l. 3. de Virgin. *Quid crudelitati cum delitiis? quid cum funeribus voluptati?* moxque sibimet Oedipus respondet, *hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis vesceretur.* Inde ad inhumanum ac barbarum Regem con-

conversus, *intuere*, inquit, *Rex acerbissime, tuo spectacula digna convivio. Porrige dexteram, ne quid sævitiæ tuæ desit, ut inter digitos tuos rivi defluant sacri cruoris. Et quoniam non exaturari epulis fames, nec restingui poculis potuit inauditæ sævitiæ tuæ sitis, bibe sanguinē scaturientibus adhuc venis exsecti capitis profluentem.* Adeóque inter ciborum affluentiam innocentis interitus quærebatur, ut Herodis rabies, nullis regiæ mensæ delitiis exaturanda, crudeli ac barbarâ illâ nece pasceretur.

Peccator. *S. Aug serm. 141. de Divers. c 2. S. Io. Dam. in Histor. Barlaam. cap.18.*

126. Viperam, ab erumpente fœtu occisam, meus Concanonicus, D. Alexander Luzon de Millares lemmate hoc morali spectandam exhibet; PECCATUM PECCANDI SUPPLICIUM. Enimverò peccator à scelere, intra animum concepto, miserrimè depascitur, ac æternùm occiditur. S. P. Augustinus; *Pater mortis peccatum est; si enim nunquam peccaretur, nemo moreretur.* Et S. Damascenus; *Peccatum est immortalis animæ mors.*

Justo nihil adversum est. *Act. 28. 5.*

127. Vipera fatales suos dentes carni duntaxat, ac rebus mollibus, non verò duris aut saxeis infigit. Unde lemma; MOLLIA TANTUM. Ita libidinis & calamitatum spicula adversùs justum nihil unquam possunt, utpote ferreo & inexpugnabili gratiæ Divinæ scuto undique munitum. In Melitam Insulam cum aliis S. Paulus appulerat, ibidem ab incolis, barbaris licet, perhumaniter exceptus. Accidit verò, ut, dum sarmenta igni fovendo colligeret, vipera manum ejus invaderet: *Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est.* Durior fuisse videtur Apostoli dextera, quàm ut vipera spiculo linguæ eam penetrare posset: eventûs hujus caussam reddit Oecumenius; *Vipera, injectis manui Apostoli dentibus, cum peccati mollitiem non reperisset, protinùs resilut, ac in ignem saliit, tanquam sibi pœnam infligens, quòd corpus sibi nullo modo conveniens petiisset, ac oppugnâsset.* Contrà verò de flagitioso Caino testatur S. Ambrosius; *Potuit quidem & incursus bestiarum timere, qui legis Divinæ jura violaverat, nec præsumere de subjectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi.*

Oecum in hunc. lo *S Ambr. de Cain.*

Minimi hostes contemnendi.

128. Vipera taurum morsu lædit; cum lemmate, IN PARVIS VIS MAGNA FREQUENTER. Nempe discrimini non minimo se objicit, qui res etiam minimas negligit, aut contemnit. Pulchrè Ovidius;

Ovid. l. de Remed. Rabbi Ben Azai in Pirke av. c. 4.

Parva necat morsu spatiosum vipera taurum,
A cane non magno sæpè tenetur aper. &c.

Sapienter proinde monet Rabbi Ben Azai; *Nullum hominem spernas unquam, aut rem quampiam nihili facias, quantumvis tibi nullius ponderis esse videatur; cuique enim rei suus locus est & usus, sicut & cuilibet homini suum tempus.*

FINIS LIBRI SEPTIMI.

MVNDI

MUNDI SYMBOLICI
LIBER OCTAVUS.
INSECTA.

Apis. Mel. Cera.	1	Cochlea. Limax.	8	Musca.	16
Araneus.	2	Crabro, Scarabæus.	9	Papilio.	17
Bombix, globus bombycinus.	3	Formica.	10	Pyrausta.	18
Bruchus.	4	Hirudo. Sanguisuga.	11	Salamandra.	19
Camæleon.	5	Ichneumon.	12	Talpa.	20
Cicada.	6	Lacerta.	13	Vespa. Tabanus. Asilus.	21
Ciçindela.	7	Locusta.	14		
		Mus.	15		

A P I S. Mel. Cera.

Cap. I.

1. *Laborare pro aliis.* QUidam, laborum suorum fructibus gaudere prohibitus, Symboli loco apum examen adhibuit, quod fumo è proprio alveari expulsum, epigraphen è Virgilio sustinet; SIC VOS NON VOBIS. Ita prorsùs Avari suas opes, anxiè conquisitas, aliis tandem relinquere coguntur. *Sanct. Cypr. Epist. 2. ad Donat.* Sanctus Cyprianus; *Pecuniam suam dicunt, quam, velut alienam, domi clausam solicito labore custodiunt, ex qua non amicis, non liberis quidquam, non sibi denique impertiunt. Possident ad hoc tantùm, ne possidere alteri liceat.* *Judæi. Hug. Card.* Eodem Emblemate Hugo Cardinalis Judæorum miseriam ab oculos ponit, qui è Christo, gravissimis tormentis dilaniato, suavissimum quidem salutis humanæ mel expresserunt, nullâ tamen illius guttulâ sibimet reservatâ. *Rectè*, inquit, *apibus comparantur Iudæi, quia scilicet apes mellificant aliis, non sibi: sic Iudæi mellificaverunt nobis dulcedinem in passione Christi, & ipsum nobis dulciorem fecerunt, unde eis potest dici; sic vos non vobis mellificatis apes.* *Eleemosynarius. Docere.* Homo, suam doctrinam, ingenii profectum, aut divitias liberà voluntate in alios erogans, *Sanct. Ioan. Chrysost. Hom. 12. ad Pop. Antioch.* Sancto Joanne Chrysostomo teste, apem imitatur: enim verò. *Sicut apis circumvolat omnia prata, ut promptam alteri præparet mensam; sic & tu fac, homo, sive pecunias congreges, in alios expendi; sive doctrinæ verba habeas, ne defodias, sed apponas indigentibus in medium.* Huic *Galfrid. Aleg in Matth.* conformis Galfridus; *sibi quidam mellificant*, inquit, *sed non solis, dum fruuntur dulcedine, quam ex floribus suxerint scripturarum, & eisdem suos reficiunt auditores.*

2. *Labore proprio gaudere.* Apis, proprio melle pasci solita epigraphen habet; SIC VOS VOBIS. Eandem cum ape felicitatem sortiuntur ii, quibus proprii laboris fructu gaudere licet. *Psal. 127. 2. Eccl. 5. 17.* In hanc rem David; *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Et Salomon; *Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis, & bibat, & fruatur ex labore suo, quo laboravit ipse sub Sole.* Id interpretatus *Thaumat. in hunc loc.* Taumaturgus, ait; *Non negaverim etiam opes bonas esse, Dei enim donum est, si homo latè perfruatur laboribus suis; modò opes illæ à Deo sint concessæ. Talis enim benefico in omnes est animo, & in munere Divino exultat, & omnem vitam suam bonis operibus ac largitationibus adornat.* Verè cecinit Vivianus;

Dixi hunc beatum, qui, lare
Nitente, vitam temperet
Modico làbore & gaudio.

3. Ludovicus Ariostus, ut orbi palam faceret, se pro plurimâ virtutum ac meritorum suorum industriâ, in præmii vicem, nonnisi graves ac infandas injurias recepisse, Symboli loco apes supra alveare depinxit, quæ fumo exagitatæ, epigraphen referebant; PRO BONO MALUM. *Ingratus. Hierem. 18. 20.* Verbis ex Hieremia desumptis, ubi Christi voce adversum ingratos Judæos conqueritur Vates; *Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ?* Sanctus Pater Augustinus; *Iudæi retribuerunt mala pro bonis; acceperunt à Christo pluviam, & fructum non dederunt, sed spinas dolorum.* *Sanct. Aug. in Ps. 44.* Emblematis mentem Baptista Pittonus sequenti poëmate explicat;

Produce l' ape il mel suave, e grato,
Predando vaghi, ed adorati fiori,
E poscia dal villam fero, & ingrato,
Col fumo è uccisa di cocenti ardori:
Cosi PER BENE, MALE hà ritrovato
Ostia, od esca dal sue albergo fuori:
Colse il buon Ariosto il frutto tale,
D'havere il suo Signor fatto immortale.

4. Bargalius Ferdinandum I. Magnum Hetruriæ Ducem, Emblematis loco, Apum Regi non bsimilem dixit; qui inter minorum apum examina *Plin. l. 11. cap. 17.* medius, geminam vocem, è Plinio desumptam,

Princeps clemens. præferebat; MAJESTATE TANTUM: Volebat nimirum Principis illius majestatem ac clementiam, omni tyrannidis aculeo penitùs destitutam, significare. Appositè Seneca; *Iracundissimæ, & pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt: Rex ipse sine aculeo est. Noluit enim natura nec sævum esse, nec ultionem magno staturam petere, telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit.* Ab hoc nihil alienus Sanctus Basilius; *Ipse autem Rex,* inquit, *est aculeo præditus, spiculoque armatus, & nunquam irritatur ad ultionem, nunquam utitur illo. Leges quædam istæ profectò naturæ sunt, tardos eos ad vindictam, pœnamque sumendam esse oportere, qui maximas obtinent potestates.*

Senec. l. 1. de Clem. c. 19. S. Basil. l. 8. Hexam.

5. Præsuppositâ illâ de apum rege doctrinâ, quòd vel aculeo penitùs sit destitutus; vel, si aculeum habeat, eo nunquam in alterius damnum utatur; epigraphen subjunges; QUIA INNOCENS IMPERAT. Inde disces, clementiam proprium esse Principis characterem; quippe cujus operâ sese imperio, ac populo gubernando dignum probat. Moses virûm mansuetissimus, populum suum non quidem dominicis Imperiis, sed paternis affectibus gubernare solitus hoc à Sancto Hieronymo elogium retulit; *Dux ille Israëlitici exercitus, ad cujus Imperium cœlum & terra & maria serviebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generavit, mansuetissimus prædicatur, & ideò per quadraginta annos obtinuit principatum, qui potestatis superbiam lenitate & mansuetudine temperabat.* Seneca; *Nullum,* inquit, *clementia ex omnibus magis, quàm Regem, aut Principem decet.* Et rursus; *Magnam fortunam magnus animus decet. Magni autem animi est proprium, placidum esse, tranquillumque*; & paulò post; *Servare proprium est excellentis fortunæ: quæ nunquam magis suspici debet, quàm cùm illi contingit idem posse, quod iis, quorum beneficio in lucem edimur, tàm boni, quàm mali.*

Princeps clemens. S. Hieron. Epist. 62. ad Theophil. Senec. l. 1. de Clem. c. 3. Idem c. 5.

6. Apes, aculeis instructæ, & in aciem dispositæ, epigraphen tenent; PRO REGE EXACUUNT. Tali nimirum zelo subditi erga Principum suorum incolumitatem ac tutelam ferantur. Seneca de horum quodam scribit; *In prima fronte currens, & adversa vulneribus pectora ferens, ne Imperatoris sui signa vertantur.* Hunc animi ardorem in Mose & Levitis cernere erat, quando temeratum Dei honorem vindicaturi, generosas suas manus adversus proprios consanguineos armârunt. *Ponat vir gladium super femur suum,* inquiebat Moses, *& occidat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.* His solo tempore inferior Petrus, ubi Dominum suum circumventum viderat, *exemit gladium suum, & percutiens servum Principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus.* Tales denique etiam Sancti Ecclesiæ Doctores, qui nullâ alterius, nisi Regis Divini gloriâ stimulati, calamos suos adversus hæreticorum phalanges stringunt.

Zelus subditorum. Senec. l. 1. de Clement. Exod. 32. 27. Matth. 26. 51. Doctores.

7. Apum Regi inscripsit Tassus; ARMATA CLEMENTIA. huic concolor est D. Ascanii Salimbeni lemma, Api inditum; SE PORTA SECO IL MIEL, LA PUNGE ANCORÀ. Id est; CONJUNGIT VULNERA MELLI. De hac apum proprietate testatur S. Ambrosius; *Habent & spicula sua, & inter mella fundunt venenum.* Eâdem Sanctus Bernardus Divinam Justitiam, nunquam ab infinita misericordia dissociatam, repræsentat; *Sicut apis habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem. Hujus apis, quæ Christus est, mel & aculeum non ignorat, qui misericordiam & judicium ei decantat cum Propheta.* Haud aliter verus Magister doctrinæ suæ dulcedinem cum rigoris aculeo attemperatam habeat; Benè dixit Galfridus; *Sine aculeo apis inutilis, quod sapientum verba, ut stimuli in altum defixi.* Plautus affirmat, voluptatis terrenæ indolem esse adeò fucatam, ut, primâ fronte nonnisi mella destillans, paulò pòst innumeros dolorum aculeos infigat.

S. Ambr. l. 1. Hexam. c. 21. Misericordia. S Bern. ser. 2. Advent. Magister. Galfrid. Matth. Adeger. Voluptas mundi. Plaut. in Cistell.

Amor & melle & felle est fæcundissimus;
Gustui dat dulce, amarum ad satietatem usque aggerit.

Huic adstipulatur Boëthius;

Boeth. l. 3. Consol. Met. 7.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumq; par volantûm,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corde morsu.

Eodem argumento S. Gregorius Papa Detractorum malitiam ob oculos ponit; *Apes,* inquit, *in ore mel habent, in aculeo vulnus; & omnes, qui linguâ blandiuntur, sed latenter ex malitia fuerint, apes sunt; quia loquendo mellis dulcedinem proponunt, sed occultè feriendo vulnus inferunt.* Denique Guido Cassonus imagine istâ Adulatores dignoscendos proponit, quibus receptum est, suum Principem melleis blandimentis offendere, & è gradu præcipitare; illius poëma ità habet.

Detracto. S. Greg. Hom. 11 in Ezech. Adulator. Guid Casson. Embl. 17.

Così l' adulator, che dolce instilla
Nell' orecchio del Principe le lodi,
Susurrando il traffigge? ond' ei temere
Più deve assai l' adulatrice lingua,
Che del nemico le minacci, e l' armi.

8. Apes, manui cuidam aculeum infixuræ, à Joanne Orozco epigraphen recepêre; MUY MAYOR ES VESTRO DANNO. seu brevius; SIBI MAGIS, subintellige, *nocent.* Ita nimirum, quisquis aliorum offensis studet, damna adversum se ipsum longè graviora concitat. S. Joannes Chrysostomus; *Non dicam,* inquit, *si læseris inimicum, sed si oderis cum tantum, AMPLIUS TIBI NOCUISTI. Illi forsitan nihil noces odiens eum, te autem ipsum sine dubio lædis.* Huic assentiens S. Petrus Chrysologus; ait, *Carere dementiâ furor nescit; in se namque sævit, quoties in alterum tendit: se punit; dum percellit insontem: sibi lethalis est totus, cùm erga justum crudelis existit.*

Injuriam inferre. S. Io. Chrys. Hom. 1 Im in Matth. S. Pet. Chrys. serm. 178.

9. Apis, aculeum suum manui infigens, epigraphen, ni fallor, opportunam è S. Ambrosio refert; ANIMAM IN VULNERE PONIT. Hanc metaphoram primus usurpavit Virgilius;

S. Ambr. l. Hexamer. cap 1 Virgil. l. Georg. 4.

Illis ira modum supra est, læsæque venenum
Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt
Affixæ venis, animasque in vulnere ponunt.

Eandem etiam, uti D. Herculi Salarolo Abbati placet, hoc lemmate loquentem introduces; DUM FERIO, PEREO. Ita, quisquis aliorum perniciem machinari consuevit, gravissima damna, in seipsum devolvenda, sentiet. Hugo Cardinalis de malefica hac hominum sorte disserens, ait; *Plus sibi nocent, quàm aliis: quia cùm alios vulnerant, & sagittant, se ipsos gladio peccati occidunt.* Idipsũ S. Joannes Chrys. hac similitudine confirmat; *Insidiator, & calumniator, non aliter se ipsum prius interficit; quàm qui accendit ignem;*

Peccator Author sui mali. Hug Car. in Ecclesia. cap 18. S Io Chry homil. 43. Matth.

ignem, prius concalescit, ut qui duros silices manu cadit, ipse non lapides vapulat, qui ad stimulos calcitrat, se ipsum ferit. Coronidem jungit Sanctus Prosper;

Nam quicunque alium molitur lædere, primùm
Ipsum se jaculo percutiet proprio.

10. Abbas Certanus api subscripsit; PUNGIT, ET MELLIFICAT. Innuit videlicet, persecutionibus suavitatem gloriæ consequendæ prorsus melleam annexam esse. Urbanus Papa; *Apes*, inquit, *& si inferant punctionis dolorem, amantur tamen, quia mellis dulcedinem administrant. Sic & persecutores meos Domine, amare volo, & punctiones, quas mihi amaris conatibus inferunt, tribulato spiritu tolerare, ut mellita jucunditas subsequatur.*

11. Homo prudens ac discretus, amicorum beneficia sine ullo eorum dispendio recipere solitus, api simillimum se probat; quæ florem occupans, succumque eliciens, nec minimum ei damnum creat. Unde lemma; SINE INJURIA. Inter cæteras præceptiones, quibus Servator suos discipulos ad disseminandum Evangelium instituerat, etiam hæc numerabatur, ut à benevolo hospite admissi, in illius domo quieti persisterent, neque receptis ab eo convenientibus alimentis, ad aliorum ædes diverterent. D. Lucæ verba sunt; *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Nolite transire de domo in domum*: cur verò hospitia mutare prohibiti fuerint, diversa habentur Sanctorum Patrum responsa. Inter plurimos ad propositum nostrum unus sufficiat Theophylactus; *jubet autem*, inquit, *manere, & non de domo in domum ire, ne videantur primos, qui susceperant, injuriâ afficere.* Nam si, hospitiis temerè mutatis, alia identidem divertissent, priores benefactores non abs re se contemptos judicâssent, fuissentque injuriam illam suam interpretati: ut ergò alimenta sine ullius offensâ sumerent, ab illa hospitii mutandi frequentia sibi cavere jussi sunt.

12. Apis, flori insistens, amæno illius odore plurimum quidem delectatur, nullum tamen vel levissimum damnum ei irrogat. Unde Henrici Engelgrave lemma; VISITAT, HAUD VITIAT. Inde discas, qualem te, dum ad alios invisis, gerere debeas. Optimam visitandi, conversandique regulam suppeditat Magnus Augustinus; *In omni contractu atque conversatione cum hominibus, satis est servare unum hoc vulgare proverbium; nemini faciant, quod pati nolunt.* Huic symbolo illa quoque imago est concolor, quæ apem, lilio nixam, repræsentat; cum lemmate; CITRA DAMNUM. Utrumque D. Salvator Carducius, Canonicus Regularis, hoc disticho explicat;

Visitat, haud vitiat lætos Apis inclyta flores;
Innocuo Inspector sic pede corde premat.

13. D. Aresius inter plurimos flores apem figuravit; cum lemmate; NULLI ONEROSA. Ita Sanctus Paulus Evangelii prædicandi causâ diversas civitates peragrans, nihil unquam oneris aut incommodi cuiquam intulit. Ipsummet testem sibi locupletissimum habe; *Ego ipse non gravavi vos. Donate mihi hanc injuriam. Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos; & non ero vobis gravis.* Sanctum Joannem Chrysostomum iisdem planè moribus cum gentium Apostolo imbutum deprædicat Metaphrastes; *Studebat, sicut Paulus, esse omnibus sine offensione, & sicut ille omnibus sine sumptu præbebat Evangelium, sic ipse quoque ex iis, quæ erant Ecclesiæ, & quibus securè licebat omnibus Episcopis, nullo modo est usus, ut, qui nunquam aspexerit ad delicias ac recreationes.*

14. Api subscripsêre; PARVA, SED NON SEGNIS. Hominem, staturâ quidem exiguum, & viribus imbecillem, industriâ tamen, judicio, & laboribus solicitum ac indefessum hæc imago adumbrat. Forsan Emblema hoc ad illud Siracidis dictum collineat; *Ne spernas hominem in visu suo. Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Certè Agesilaus, Philippus Macedo, Aristoteles, S. Paulus, aliique, contracto ac tenui corpore præditi, ingentes, & virtutum suarum mole paradoxas, admirandasque animas à natura habuere concessas. Catonis consilium est;

Corporis exigui vires contemnere noli;
Ingenio pollet, cui vim natura negavit.

Quamobrem, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, *nihil est à sapiente spernendum, quoniam unaquæque res habet suum loco & tempore momentum: neque tam attendendum est ad exiguitatem molis, quàm ad quantitatem virtutis. Plurima namque, parvitate molis exigua, granditate virtutis sunt maxima.*

15. Apes, supra lilia collocatæ, LEGUNT, NON LÆDUNT: vel, ut D. Aresio placet; DELIBANT, NON CARPUNT. Studiosos hæc imago concernit, qui Eruditorum volumina ita in usum ac profectum suum convertunt, ut ipsorum doctrinæ nec minimum inde decrescat. Sanctus Joannes Chrysostomus de hoc argumento disserens; *Narrant*, inquit, *quod apiculæ levibus pennis arborum & herbarum floribus insident, latentemque in flosculis liquorculum innocuâ deprædatione avehunt, ut tandem dulcissimos mellis favos hominibus præstent. Ita & Ecclesiæ Doctores super humana, vernantiaque scripturarum viridaria, levi mentis alâ residentes, & insitum literæ succum spiritûs haurientes, soliciti sunt, ut dulcissimum mel fidei auditorum cordibus planè instillent.*

16. D. Aresius Christum Servatorem, in Mariæ Virginis utero positum, Apis Emblemate significavit; quæ flori innixa, epigraphen tulit; NEC LÆDIT, NEC ONERAT. Et certè Beatissima Virgo è Divina Prole, intra uterum suum conceptâ, adeò nihil offensæ aut ponderis sensit, ut potius ingens virium suarum incrementum ceperit, potueritque, ad Elisabetham invisens, montium prærupta festino gressu pertransire. Sanctus Bernardus; *In ipso conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur; Maria totâ alacritate montana conscendit, ut Elisabeth ministraret: sed & ascendit Bethleem, imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans ONUS LEVE.*

17. Apis & aranea, supra rosam figuratæ, à Jacobo Bruck epigraphen recepêre; USU DIVERSO. Innuebat videlicet, res quasvis ab utentis animo ac intentione bonas malasve reddi.

Usu diverso diversa insecta probantur;
Colligit hæc virus, colligit illa favum.
Ut cuique est animus, quoque sic operatur, & una
Usus diversos res habet atque capit.

Ita planè stomachus sanus cibos omnes efficit sanos; infirmus verò eosdem, naturâ suâ optimos in pessimos convertit. S. P. Augustinus; *Intentio est, quâ facimus, quidquid facimus. Quæ si munda fuerit*

Marginalia: Prosper. in Epigram. — Calamitas utilis. — Urban. Pap. in Ps. 50. — Discretio. — Luc. 10. 7. — Theoph. in 10. Matth. — Visitatio innocua. — S. Aug. l. 2. de Ordin. c. 1. — S. Paulus. — Discretio. — 2. Cor. 12. 13. — Metaphrast. in vita. — Staturâ parva & virtuosa. — Eccles. 11. 3. — Cato. — S. Cyrill. Al. l. 1. Apolog. Moral. c. 18. — Studiosus discretus. — S. Jo. Chrys. in Ps. 44. — Christus in utero Mariæ Visitatio. — S. Bern. serm. in signum magnum. — Intentio. — S. Aug. l. de serm. D. in monte c.

& recta. & illud aspiciens, quod aspiciendum est; omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est, bona sint.

18. Bartholomæus Rossius dulcedinem illam, quam Sanctus Carolus è Dominicæ passionis meditatione percipere est solitus, Apis emblemate repræsentavit; quæ supra thymum, herbam amarissimam, residens, epigraphen præfert. ETIAM EX AMARO. Hominem patientem, adversa quæque boni consulere solitum, hæc imago spectat. Beatus Umbertus; *Homo patiens*, inquit, *de felle favum mellis elicit, malum in bonum convertit.* Ab hoc argumento nihil alienus Carolus Bovius, api, supra thymum residenti, inscripsit; DULCESCIT AMARUM; Eoque significavit, Sanctum Ignatium Loyolam è mortis consideratione dulcissimum amoris mel collegisse. Sanctus Franciscus Salesius, *Considera apiculas*, inquit, *in thymo, & circa thymum volitantes; vide ut ex eo succum quemdam amarissimum exsugant, sed eum mox in mel, quod hæc earum natura sit, convertant.* Et subjungit; *Multum quidem, fateor, ô mundane, devotæ animæ suis in mortificationis exercitiis amaritudinis sentiunt, sed eadem obeundo, ipsa paulatim in dulcedinem & suavitatem transire faciunt.* Plutarchus hoc symbolo Auditores ad pretiosum doctrinæ subministrata succum avidè percipiendum excitat. *Ut apes etiam amarissimo thymo insident, atque inde mellificium colligunt, sic oportet auditorem, non flosculos orationis, voluptatis causa sectari, sed vim sententiarum & utilitatem.* Theodoretus de veterum Philosophorum libris disserens, ait; *Apes non solùm floribus insident, sed etiam qui sunt amarulenti, cùm tamen solam dulcedinem ex amaro & dulci flore sugunt, amaritudinem aversantur. Harum exempla imitamur, & è vestris illis amarulentis pratis, dulce & perquam utile mel nobis componamus.*

Meditatio passionis. Patiens. *B. Umbert. de utilit. Tacenti c. 42.* Meditatio mortis. Mortificatio dulcis. *S. Franc. Sal. Introduct. ad vit. devot p. 1. cap. 2.* *Plutarch.* Auditores. Studiosus. *Theod. ser. 1. de Græc. affect.*

19. Apis in horto epigraphen præfert; MELIORA LEGIT. vel, ut ego ipsammet apem in Emblemate illo loquentem introduxi; QUOD UTILE CARPO. Ita studiosus discretus, ac litteris percipiendis unicè deditus, è Doctorum libris materiem nonnisi utilem seligit, rejectâ vitiosâ. Sanctus Basilius; *In talibus sermonibus, quidquid est utile, carpentes noxium vitemus.* Et Sanctus Hieronymus, alludens ad Deuteronomii 21. 12. ait; *Quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ sæcularis, si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus; si quid verò superfluum de idolis, de amore, de cura sæcularium rerum, hæc radimus, his calvitium inducimus, hæc in unguium morem ferro acutissimo desecamus.*

Studiosus discretus. *S. Basil. de legend. Gent. libris.* *S. Hier. Epist. 146. ad Damasum.*

20. D. Aresius api, supra florem collocatæ, inscripsit; EX IPSIS, NON IPSOS. Innuebat videlicet, libros non promiscuè carpendos, aut totos transcribendos esse, sed eorum medullam sagaci judicio excerpendam. Eandem præceptionem nobilis Bibliotheca nostræ Canonicæ ad Sanctam Mariam de Passione Mediolani foribus suis præfixam exhibet his verbis; *Ut è floribus apes.* Ad rem præsentem Sanctus Basilius; *Veluti apes non omnibus similiter insidunt, neque ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed quantum ipsis ad opus necessarium fuerit, comprehendentes, reliquum dimittunt. Nos etiam ut sobrii sapientesque, quantum congruum nobis, propinquumque veritati ex ipsis fuerit, prosequamur, reliquum prætereamus.*

Studiosus verus. *S. Basil. de legend. lib. gentil.*

21. Abbas Ferrus prudentem ac maturam eligendi rationem, à D. Barberino Cardinali in exponendis Ecclesiæ Prælatis adhiberi solitam, apis gentilitiæ symbolo descripsit, quæ in prato volitans, epigraphen sustinebat; ELECTIS HERBIS. Agapitus Diaconus id consilii Justiniano Imperatori suggerens, *Terrarum orbis*, inquit, *à Deo cùm tibi creditum sit regnum, cave ne aliquo utaris ex pravis ad rerum administrationes; quæ enim illi perperam fecerint, eorum rationem reddent Deo, qui peccandi facultatem ipsis indulserit. Magna igitur, & diligenti cum perscrutatione magistratuum promotiones fiant, oportet.* De hac eligendi circumspectione Sanctus Petrus Damianus; *Beati Apostoli, super quos, quasi solidissimas bases, sancta fundatur Ecclesia, non novitium, non indoctum, sed illum ordinant, quem in doctrina, & sanctæ conversationis studio perspexerint esse maturum. Hoc quærit Petrus in Mathia, cùm eligit in Apostolatum; hoc in Apollinare, cùm promovet in Episcopatum.*

Electio. *Agap. Di. Epist. Par. n. 30.* *S. Pet. Da. ser. 1 de S. Pollinar.*

22. Sanctos Magos, ad vagientis Christi incunabula accinctos, D. Aresius apum emblemate repræsentat, quæ volatu versus rosam tendunt, cum lemmate; IN ODOREM CURRIMUS. Ad eandem metam assequendam stimulos subjicit Magnus Augustinus; *Amemus*, inquit, *& imitemur, curramus post unguenta ejus: venit enim, & olevit, & odor ejus implevit totum mundum. Unde odor? de cœlo; sequere ergò ad cœlum.*

SS. Ma[gi] *S. Aug. in 90.*

23. Academia Parthenia Patrum Societatis Jesu Romæ, symboli generalis loco, aliquot apes, intra hortum volitantes, præfert; cum lemmate è Virgilio desumpto; LABOR OMNIBUS UNUS. Haud aliter Unanimes de Salo, apum examini epigraphen ex eodem Virgilio subdidêre; OMNIBUS IDEM ARDOR. volebant nimirum omnium Academicorum, suorum in suavissimo studiorum melle colligendo concordiam demonstrare. Eandem epigraphen quævis Religiosorum familia, veluti propriam præferat; quippe qui virtutes illas, ab Hugone Victorino de apibus pronuntiatas, omninò suas interpretentur; *Unam*, inquit, *omnes incolunt mansionem, unius patriæ clauduntur limine domus, COMMUNIS est OMNIBUS LABOR, cibus, operatio, usus, fructus, & volatus.*

Virgil. l. 4. Georg. Concordia. Religio[si] *Hug. Vict. de Best. c.*

24. Significandæ Religiosorum concordiæ opportunum habetur Apum Emblema; cum Virgilii epigrammate, MENS OMNIBUS UNA. Prima hæc ac princeps præceptio est, quam Regulæ suæ præfixit Magnus Augustinus; *In unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima una & cor unum in Deo.* Iisdem Religiosis etiam illud Virgilii de apibus pronuntiatum convenit; OMNIBUS UNA QUIES.

Virgil. l. Georg. v. Concordia Religiosorum. *S. Aug. in Regula. c.* *Virgil. l. Georg. v.*

25. Api, intra horti amœnitatem volitanti, geminam illam Horatii vocem, lemmatis loco, subjunxit Dominicus Gambertus; STUDIOSA FLORUM. Hominem, ad amœnissima poëseos, Rethoricæ, aliarumque scientiarum studia applicatum, hæc imago spectat. Et certè illos maximè florum studiosos esse oportet, qui sacris litteris dant operam; nam Magno Augustino teste, *Sunt in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur ne vilescant, ad hoc quæruntur ut exerceant, ad hoc appetuntur ut pascant.*

Studiosi eruditus *S. Aug. in Præfat. ps. 140.*

26. Aliqui populi, suam sub Principis cujusdam etiamnum quidem ætate teneri, benevolentia tamen ac humanitate maximi, imperio ac tutelâ tranquillitatem significaturi, Apum emblema expressêre, quæ versus olivam, floribus undique onustam, volitabat; cum Virgilii lemmate;

Protect[io]

Mariæ V. patrocinio.

mate, FLORE GAUDENTES, ET UMBRA. Ita sanè sub Mariæ Virginis patrocinio victitans, & florum delitiis, & olivarum umbrâ cumulatè perfruitur: ea quippe vocatur; *quasi plantatio rosæ in Iericho*; Et, *quasi oliva speciosa in campis.* Audi suavissimum Mariæ pullum Bernardum; *Ad hunc misericordiæ cumulum totâ solicitudine miseria nostra recurrat: Virgo benedicta! sit pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo: reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium & liberationem obtinendo.*

Eccl. 24. 18. S. Bern. serm. 4. Assumpt. B. M. V.

27. Scipio Bargalius Emblematis loco Apes proposuit, quæ ad crepitaculi, alterius vasis ænei sonitum, omnes uno cumulo ad melitonem colliguntur; cum lemmate, CONGREGANTUR SONITU. seu verbis ex Ovidio mutuatis; COEUNT TINNITIBUS ACTÆ. Academici Musici Senenses, Philomeli nomine, dum ad harmoniæ suavitatem se congregari permisêre, hanc iconem symboli loco receperunt. Idipsum de Christianis dixeris, qui, audito prædicationis Apostolicæ sono, instar apum, ad sanctæ Ecclesiæ alvearium convolant. S. Antonius de Padua; *Vasa ænea*, inquit, *sunt opera misericordiæ & redemptionis Christi, in quibus nos quasi perditos recolligit.*

Ovid. l. 3. Flor. Musici. Fideles. S. Ant. Pad. serm. 4. de ... g.

28. Apes, percepto cymbali sonitu congregatæ, epigraphen sustinent; TINNITUS ADVOCAT. verbis è Plinio mutuatis, ubi de apibus scribit; *Gaudent plausu, atque tinnitu æris, eoque convocantur*; Unde P. Gallina, ad cymbalum percussum alludens, eidem Emblemati epigraphen, ex Ovidio desumptam, subdidit; COLLIGIT ERRANTES. Homines curiosi hâc icone adumbrantur, qui ad quemvis strepitum aut novitatem accurrere consueverunt; cumprimis tamen vitium istud in fœminis cernere licet; unde etiam à Sancto Paulo cognominantur *otiosæ*, & quæ *discunt circuire domos*; quin imò *non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet.* Saniore tamen sensu Emblemate illo Religiosos, unico campanulæ nutu ad chorum, triclinium, capitulum, somnum, disciplinam, aliaque eorum munia evocari solitos, significabis. Cassianum de quibusdam ævi sui Monachis disserentem audi; *Considentes*, inquit, *intra cubilia sua, & operi ac meditationi pariter intendentes, cùm sonitum pulsantis ostium, ac diversorum cellulas percutientis audiverint, ad orationem eos scilicet, seu ad opus aliquod invitantis, certatim è cubilibus suis unusquisque prorumpit, ita ut is, qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoare litteram, finire non audeat, sed in eodem puncto, quo ad aures ejus sonitus pulsantis advenerit, summâ velocitate prosiliens, ne tantùm quidem moræ interponat, quantum capti apicis consummet effigiem. &c.* Meminerint enimverò Religiosi trium Magorum, excitenturque illorum promptitudine, quando, visâ stellâ, inter se ajebant; *Hoc signum magni Regis est; eamus, & offeramus ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Cæterùm imaginem istam non incongruè etiam de homine illo interpretaberis, qui à rerum spiritualium tramite ad terrenas vanitates, & vitiorum invia distractus, auditâ Psalmorum harmoniâ, aut lecto pio aliquo libello, vel etiam adhibitâ vocali oratione, sese denuò colligit, & ad Deum revertitur: haud secùs atque errabundæ ac dispersæ apes, percepto æris campani sono, iter suum ad pristinum alveare repetunt. Vide prolixum hâc de re Julium Mazarinum.

Plin. l. 11. c. 20. Ovid. 3. Fast. Curiosus. 1. Tim. 5. 13. Religiosi. Cassian. l. 4. de institut. cœnob. ... Lectio spiritualis. Iul. Maz. Disc. 71. sup. Ps. Miserere.

29. Apes nascente sole pastum evolant, eoque ducis loco utuntur; Unde lemma, TE DUCE. Religiosorum hic typus est, qui in suis operationibus ab alterius directione ac consilio pendent. S. Hieronymus, Rusticum suum instituens, *Mihi quidem placet*, inquit, *ut habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es.*

Religiosi. S. Hieron. Ep. ad Rustic.

30. Apes in horto sub æstuante sole epigraphen præferunt; TUA OPE FERVET OPUS. vel ut magis distinctè Joannes Ferrus; SUB SOLE LABOR. Mens Emblematis est, è Dei aut Magnatum præsentiâ ingentes labori promovendo stimulos subjici. De adjutorio Divino pronuntians Theologorum Princeps Augustinus; *Prorsus*, ait, *si defuerit adjutorium Dei, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante liberâ voluntate, sed malè. Ad hoc idonea est voluntas tua, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla. Cùm dico tibi, sine adjutorio Dei nihil agas, nihil boni dico. Nam ad malè agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem, quamquam non est illa libera.* De Magnatum præsentiâ idipsum testatur Claudianus, ubi Theodosium parentem Honorio filio ita loquentem introducit.

Adjutorium Dei. S. Aug. serm. 13. de Verb. Apost. c. 11. Magnatū præsentia. Claud. in Honor.

——— *Tum promptius ibunt*
Te socio, tunc conspicuus gratusque geretur
Sub te teste labor.

31. Academici Industrii, suam in litteris assiduitatem emblemate commonstraturi, Apibus inscripsêre; NULLA DIES DUM LICET. alludit nimirum hoc lemma ad illud Apellis dictum; *Nulla dies sine linea*; vel ut aliis placuit; HORA NULLA VACAT. Maximam nimirum in agendo diligentiam ac solicitudinem hæc imago innuit; qualem Plinius junior in Plinio Historiographo dilaudans, *Erat*, inquit, *acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia, lucubrare à vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causâ, sed studendi statim à nocte multâ, hyeme verò ab hora septima, sæpè sexta: æstate, si quid otii, jacebat in sole, liber legebatur, adnotabat, excercebatque*, quin imò, etiam mensæ accumbens, aut in balneo lavans, identidem vel prælegentem audire, vel audientibus prælegere solebat. De Sancto Hyacintho refert Sancta Ecclesia; *Nullum diem prætermisit, quo non præclara aliqua fidei, pietatis, atque innocentiæ argumenta præstiterit.*

Assiduitas. Plin. l. 3. Ep. 5. Brev. Rom. 16. August.

32. Apes, ut tenellas suas alas nocturno tempore à destillante rore illæsas conservent, supino corpore dormire solent. Unde lemma; INFIRMIORA PROTEGUNT. Inde non prudentiam tantùm, sed & charitatem colligere licet, cui proprium est, debilioribus, magisque infirmis, majore semper solicitudine, ac præ cæteris providere. Jobus, testis sibimet luculentus, ait, *Oculus fui cæco, & pes claudo.* In hunc locum Sanctus Joannes Chrysostomus; *Pro naturâ quidem melior, quàm quivis medicus, curator erat hominum mancorum, ac membris captorum: nam quæ arte corrigi nequibant, solatio ipse, ac mira prudentiâ usus recreabat.* Eâdem benevolentiæ laude Alexandrum Severum prosequitur Lampridius; *Pauperes juvit honoratos; quos pauperes verè non per luxuriam aut simulationem vidit, semper multis commodis auxit &c.*

Charitas. Iob. 29. 15. S. Io. Chrys. in Catena aurea græca. Lamprid. in Alex. Sev.

33. Aristoteles testatur; apes quando turmatim, ac collecto agmine volitant, pluviarum prognosticon esse. Unde Lucarini lemma; PRÆSAGI-

Aristot. l. 9. Hist. Anim. cap. 40.

SAGIUNT IMBREM. Ad illud Simeonis vaticinium hoc emblema alludit; *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur.* Meâ tamen sententiâ iconem illam de mundi felicitate interpretaberis, quæ dum bonis omnibus videtur affluere, manifestum imminentis m seriæ argumentum præbet; haud secùs atque apes, confertim volare solitæ, ingentem quidem mellis copiam vehunt, at simul tempestatem portendunt. Verissimè Innocentius III. *Semper mundanæ lætitiæ tristitia repentina succedit; & quod incipit à gaudio, desinit in mœrore, &c.*

Delitiæ mundi.

Innoc. III. l. 1. de Contempt. mundi c. 21.

34. Apum Regi Lucarinus inscripsit; NEC IRASCI QUIDEM. Hæc enim, Aristotele referente, illius est proprietas. Ita prorsùs generosi ac prudentis animi argumentum est, affectuum suorum ardorem coërcere posse, utpote quo prædominante, mens humana nimium quantum extra se abripitur, & in monstrnm degenerat. D. Matthæus Bossus eruditis rationibus singulos judices, Principes, & gubernatores ad cohibendas suas animi passiones animat; in eamque rem diversa Architæ Tarentini, Socratis, Platonis, Pythagoræ, Pisistrati, Julii Cæsaris, & Octaviani Augusti exempla adducit, qui adversus omnes iracundiæ assultus triumphum adeò nobilem duxêre, ut in eorum cordibus nulla tyrannidis aut motûs insolentioris vestigia superessent. Præclarè de hoc moderamine Sanctus Ambrosius; *Si servus convitium dicat, justus tacet; & si pauper criminetur, justus non respondet: hæc sunt arma justi, ut cedendo vincant.*

Aristot. l. 1. c. 14. Animus grandis. *D. Matth. Boss de gerendo Magist. c. 11.* *S. Ambr. l. 1. Offic. c. 5.*

35. Apum Regem Henricus Engelgrave illo Ovidii lemmate insignivit; NATURA MITIS. Hæc virtus nimirum mansuetudo, non in Principum tantùm, sed in cujusvis Christiani pectore sedem figat. Ipsummet Servatorem audi; *Discedite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Cui Siracides hâc commonitione prælusit; *Affabilem te facito &c.* Nam, ut Magnus Augustinus de Christo testatur, *Mansuetudine Rex noster vicit diabolum.*

Ovid Ep. 45. Mansuetudo. *Matth. 11. 29.* *Eccl. 4. 7.* *S. Aug. in Ps. 131.*

36. Apes suum regem omni affectu ac obsequio prosequuntur, eumque, iter agentem, omni loco individuæ sequuntur. Unde Lucarini lemma. STIPATUS AMANTER. vel ut alius inscripsit; ÆMULANTUR OBSEQUIIS. Innuebant videlicet, Principem, subditorum amore cinctum, securiorem incedere, quàm ingenti excubiarum globo vallatum, Agapyti documentum est; *Existima tunc demum te tutò regnare, cùm volentibus imperas hominibus; quod enim invito animo subjicitur, seditionibus fluctuat, captâ occasione: quod verò vinculis benevolentiæ regitur, stabilem servat erga rectorem benevolentiam.* Huc enim animum advertens Sanctus Franciscus Salesius, ait; *Apum Rex nunquam foras provolat, nisi omni populo & subditis suis stipatus: sic nunquam charitas animam alicujus ingreditur, quin simul reliquarum virtutum satellitium & chorum secum trahat.*

Amor subditorũ. *Agap. Epist. Paræn n 31.* Charitas. *S Franc. Salesius p. 3. Introduct. c 1*

37. Apis intra arboris cujusdam gummi, aut intra ambaræ massam clausa ac congelata, ab Alcibiade Lucarino epigraphen recepit; DA IL PREGIO, E' IL PRENDE. Id est, DAT PRETIUM, ET RECIPIT. Principem, ad dignitatem Cardinalitiam evectum, hoc Emblema spectat; qui sicuti à sacra purpura plurimum condecoratur, ita, gratiâ reciprocâ, nòn minorem venustatem ac splendorem in eandem refundit. Idipsum etiam de quavis eximiæ sanctitatis aut doctrinæ personâ, ad sublimem aliquem dignitatis gradum evectâ, dixeris. Omnium tamen opportunissimè Christo convenit, qui instar dulcissimæ apis, intra carnem humanam conclusus, honorem & accipit & dedit. Et quidem quòd è carne humana ingens ornamentum acceperit, testem se offert Sanctus Paulus, *cum in nomine IESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Quòd verò caro nostra vicissim à Christo immensum sit honorata; idem Apostolus testatur, quia Deus *cum illo omnia nobis donavit.* Opportunè Magnus Augustinus: *Incarnatio Christi fuit commercium inter Deum & homines. Quale commercium, dedit, & quid accepit? Dabat homo quod habebat, & accipiebat quod non habebat. &c.*

Mutuus decor. Incarnatio Christi. *Philip. 2. Rom. 8. 32. S. Aug. ser. 34. e x ad. à Simond.*

38. Seditiones nonnisi divisionibus superari, D. Didacus Saavedra ex Apibus demonstrat; quæ in aëre instar agminis coordinatæ, pauxillo pulvere desuper projecto, dissociantur & aufugiunt; inscriptionem addidit; COMPRESSA QUIESCUNT. verbis è Virgilio mutuatis, ubi de apum certaminibus ita canit;

Vigil. l. 4. Georg. v. 8

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.

Eodem Emblemate significatur, mortalitatis nostræ memoriâ, quæ cineris ac pulveris nomine significatur, omnem superbi animi motum facilè reprimi, ac edomari. Sanctus Petrus Damianus; *Superbiæ spiritus inflat? sepulchrum ad mentem redeat: necessariò illic rigidæ cervicis tumorem premimus, ubi cinerem nos procul dubio, pulveremque pensamus. Ira fortassis efferat animam? dirige protinus oculos ad sepulchrum: mox enim omnis amaritudo deponitur; dum, quò furor humanus vergat, mens provida contemplatur.*

Mortis memori. *Sanct. Petr. Dam. Opu 15. c. 23.*

39. Quantum mortis & sacrorum cinerum memoria ad animi nostri turbas componendas possit, Alcibiades Lucarinus ex Apibus commonstrat; quæ in aëre agminatim compressæ, mòdico depluente pulvere, in fugam aguntur & conquiescunt. Lemma; ASPERSÆ CONQUIESCUNT. Sanctus Pater Augustinus; *Divitiis flores? majorum nobilitate te jactas, & exultas de patria, & pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur? Respice te ipsum, quia mortalis es; & quia terra es, & in terra es, & in terram ibis, &c.*

Mortis memori. *sanct. Au. ser. 388. Prosp coll.*

40. Verbum Divinum, humanâ carne vestitum, Apis Emblemate à Lucarino repræsentatur; quæ sine maris congressu concipi solita, epigraphen sustinet; ABSQUE CONCUBITU. Idipsum insinuavit Isaias; quando vaticinatus est; *Ecce Virgo concipiet.* Sanctus Pater Augustinus in hunc locum ait; *Virgo sine viro gravidatur: viri nesciam, sermo Dei maritat, simul facta est Mater & Virgo Mater facta, sed incorrupta, virgo habens filium, nesciens virum, semper clausa, sed non infœcunda &c.*

Incarnatio Verb. *sanct. Au. ser. 31. de t.*

41. Apis, lapillum pedibus sustinens; & polypus, scopulo affixus, à D. Vincentio Giliberto epigraphen recepêre; AD FLATUS; AD FLUCTUS. Geminatum hoc emblema S. Stephani honorem concernit, cui lapides salutis ac securitatis conquirendæ occasionem præbuêre. Ab Emblematis hujus mente nihil recedit illa D. Cypriani sententia; *Graves viros, & semel super petram robustam solidâ stabilitate fundatos, non dico aurâ levi, sed nec turbine commoveri &c.*

S. Stephanus. Perseverantia. *sanct. Cypr. 4. Epist. 2.*

42. Eadem apis, pede lapillum sustinens, epigraphen

graphen subjunctam habet; NE DEVIET IMPETUS EURI. Ita sanè voluntaria corporis castigatio, aut calamitatum gravitas, debitum adversus tentationum molimina pondus subministrant. Eidem Emblemati Abbas Certanus inscripsit; NE FLABRA PRÆCIPITENT. Appositè S. Ambrosius; *Apis illa sapiens, cùm aeris motus suspectos habet, lapillis sæpè sublatis per inania se librat nubila, ne leve alarum remigium præcipitent flabra ventorum. Et tu cave illius apiculæ modo, ne alarum tuarum volatum aura mundi hujus extollat.*

(ortifica- /). / alamitas. / *Ambrof. l. de Virg.*)

43. Apis, aliquot floribus insidens, epigraphen tenet; AL SUGO SOLO INTENDE. Id est; SOLI INHIANS SUCCO. Ita homo avarus, aut usurarius, nullibi non lucro suo inhiant; studiosus quoque ex authorum voluminibus utilitatem suam potiùs, quàm vocum coloratarum lenocinia colligere satagit. S. Basilius; *Velut florum reliquis quidem usque ad odorem & colorem est usus, apes autem mel ex ipsis excerpere noverunt: sic & qui diligentes in legendo existunt, non solùm quod dulce, jucundumque fuerit, in eorum libris persequuntur, sed quamdam ex iis utilitatem animo referre contendunt.*

(zarus. / udiosus. / *Basil de le-nd Gent. ris.*)

44. Apes, ex mortuo corpore bubulo generari solitæ, epigraphen præferunt; ALIENO E FUNERE VITAM. Generale hoc Vivificatorum Firmensium symbolum habetur; eoque hominum quorundam felicitas, ex aliorum pernicie ac detrimento nasci solita, significatur. Propriissimè tamen Dominicæ passionis vires & amplissima merita hoc emblemate denotantur; quia Christus, in crucem actus & occisus, innumeram fidelium turbam suâ morte ad vitam revocavit. S. Ambrosius; *Quid clementius, quàm quod mihi suas donavit injurias? plenius tamen, quod tantùm contulit nobis, ut qui moriturus non erat, quia Deus erat, nostra ille morte moreretur, ut nos ejus spiritu viveremus.* Et rursus; *Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur, & vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam.* Breviter ac nervosè de Christo canit S. Ecclesia; *Traditus est ad mortem, ut vivicaret populum suum.* Porrò cùm apes, uti diximus, è vituli occisi morte vitam recipiant, idcircò eundem Christum in filii prodigi historiâ vitulus occisus significat, cujus operâ juvenis iste, in Divinâ gratia languescens ac mortuus, ad pristinam vitæ felicitatem rediit. Opportunè S. Petrus Chrysologus. *Historiam loquimur adhuc, & jam cogitamus arcanum nudare mysterium. MORTUUS filius, vitulus SUSCITATUR EX MORTE; & unus vitulus totius familiæ funditur in saginam.*

(ucrum. / hristus / ortuus. / *Ambrof. l. 3. de Spi- S.* / *em l. 10. Luc.* / *Responso- n. sabba- i sancti.* / hristus / ortuus. / *Pet Chryf. m. 3.*)

45. Qui virtuosas exercitationes, olim in juventute cœptas, etiamnum, ætate provectus, assiduò ac indefessè prosequitur, Api non absimilem se probat; quæ, quantumvis annis adulta, semper mellificat, neque inerti otio unquam indulget; Unde lemma; NEC VETUSTATE PIGRESCIT; seu, FATISCIT. Ad hanc virtutem invitans S. Ambrosius, prototypi loco Deum statuit; *Et Deus*, inquit, *ab operibus mundi quievit, sed non ab operibus sanctis, cujus sempiterna, & jugis operatio est, sicut filius ait; Pater meus usque modò operatur, & ego operor.*

(erseve- / ntiæ. / *Ambr. l. 7. Luc.*)

46. Apes mortuæ, verno soli expositæ, ac tepido cinere sedulò coopertæ, reviviscunt; uti testatur Plinius; *Sunt*, inquit, *qui mortuas, si sole verno torreantur, ac ficulneo cinere toto die foveantur, putent reviviscere.* Hâc doctrinâ nixus Alcibiades Lucarinus apum emblema proposuit; quæ infra solares radios supra cinerem collocatæ, epigraphen tulerunt; CINERE REVIVISCUNT. Mens Emblematis erat, sacros cineres, primo quadragesimæ die supra fi-

(*in. l. 11. p. 20.* / ortis / emoria.)

delium capita spargi solitos, ad spiritualem peccatricis vitam innovandam deservire. In hanc rem plurimùm confert mirus ille eventus, ab Hieronymo Mercuriale relatus. *Lucio affecto lateris dolore, & desperato à cunctis hominibus, oraculum reddidit Deus, veniret, & ex arâ tolleret cinerem, & unâ cum vino misceret, & poneret supra latus, & convaluit.*

(*Hier. merc. de arte gem. nast. l. 1. c. 1.*)

47. Apis, succum è floribus hauriens, epigraphen tenet; UT PROSIM. Præclara hæc hominis litterati idea est, qui omnem suam operam posteris juvandis, promovendisque impendit. Optimè dixit S. Basilius; *Discendum absque ullo pudore, & docendum absque invidiâ, & si quid ab altero hauserimus, id ipsum non est celandum.* Plinius Marcum Catonem, Orpheum, Musæum, & Hesiodum summis laudibus extollit, quod omnem suam de herbarum virtute experientiam ac doctrinam cum orbe postero communicârint. *Nihil ergò*, inquit, *intentatum, inexpertumque illis fuit: nihil deinde occultatum, quod non prodesse posteris vellent*; moxque reprehensionem adversus illos subjungit, qui invidiâ persuasi, opes suas litterarias abscondunt; *At nos elaborata iis abscondere, atque supprimere cupimus, & fraudere vitam etiam alienis bonis &c.*

(Studiosus. / *S. Basilius Orat. 6.* / *Plin. l. 25. c. 1. & 2.*)

48. Homo, suo in studiis profectui è cujusvis libri lectione consulens, Apem imitatur, quæ in campo florescente depicta, epigraphen sustinet; AB UNOQUOQUE UTILIA. Hâc agendi virtute excellebat Plinius major, de quo testatur ipsius Nepos; *Nihil legit, quod non excerperet; dicere etiam solebat; nullum esse librum tam malum, ut non aliquâ parte prodesset.* S. Ephræm de rectâ vivendi ratione disserens, ait; *Instar sapientis apiculæ, mel ex floribus sibi colligentis, fructum ex iis, quæ legis, pro animi medelâ desumito.* Et Petrus Cellensis; *Discurre scripturarum amantissimos campos, lege, & recondein alveolo memoriæ, suavissimi odoris flores, castitatis, patientiæ rosam.* S. Petri Damiani præceptio est, ut novitius apiculam imitetur, & à singulis in perfectione adultioribus aliquem virtutis liquorem hauriat. *Tu ab alio promptam obedientiam, ab alio ferventissimam charitatem, ab isto pernoctationis excubias, ab illo diuturni silentii disce censuram, quatenùs ex variis sanctorum virorum virtutibus, unius in te veri Dei restaures imaginem.*

(Studiosus. / *Plin. junior l. 3. ep. 5.* / *S. Ephr. de rect. vivend. ratione.* / *Pet. Cellens. lib. 3. ep. 12.* / Novitius. / *S. Pet. Dam. Opusc. 49. cap. 7.*)

49. Apis pretiosos è floribus liquores non colligit, nisi cœlo tranquillo, & ventorum injuriis libero. Unde lemma; LEGAM, NI FLABRA RETARDENT. Mens emblematis est, hominem doctum, ad litteratæ melliginis favos construendos, omni fastidio & importunâ solicitudine liberum esse debere. Verissimè Statius;

(Studiosus. / *Stat. lib. 4. Militia &c. Dialog. 10.*)

Horrent tyrrhenos Heliconia plectra tumultus.

Et Ovidius;

Carmina proveniunt animo deducta sereno,
Carmina secessum scribentis, & otia quærunt.

(*Ovid lib. 1. de tristibus.*)

In hanc rem Justus Lipsius; *Per bella civilia*, inquit, *non spirant musarum venti.*

(*Lips. Cent. 1. epist. 69.*)

50. Apis, supra florem depicta, epigraphen tenet; SUGGE, MA'NON DISTRUGGE. Id est; SUGIT NEC OFFICIT. Princeps in exigendis subditorum tributis hanc sibi normam præfixam habeat. Unde Alexandrum Macedonem dicere solitum refert Plutarchus, *Hortulanum odi, qui ab radice olera scindit.* Guido Casonus canit;

(Princeps discretus. / *Plut. in Alex Mag* / *Guid. Cason. Embl. 19.*)

--- Il Prencipe giusto, con soave
Mano accoglie; tributi, & a se stesso
I popoli conserva, e non i svelle
Da le radici le sostanze loro.

In rem præsentem plurimum facit Salomonis consilium;

(*Prov. 27. 27.*)

Prov. 27. 27. filium; *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domûs tuæ.* Enimverò, ut Jansenius in hunc locum observat, Principibus non ipsos agnos aut capras rapere, sed solo illorum lacte perfrui licet; utpote quod suavi ac veluti blandiente manu, citra omnem violentiam, ex uberibus elici solet. *Ut mulgeant quidem subditos,* inquit in eundem locum P. Ferdinandus de Salazar, *tributa justa ab illis exposcentes, ne tamen ipsos severius cædant, ne scilicet exuta humanitate, in ipsos sævi & crudeles sint.*

Jans. & P. Ferd. Salaz. in hunc loc.

51. Apibus, intra hortum supra obvios, quamlibet exiguos ac humiles flosculos volitare solitis, D. Aresius inscripsit; ET HUMILIORA DIGNANTUR. Ita prudens studiosus nullum librum, quantumvis stylo ac materie humilem, dedignatur. S. Thomas Aquinas ingenuè fassus est, se è quovis, etiam minimæ molis, libello perlecto, aliquod doctrinæ suæ incrementum hausisse. Idipsum sensit Magnus Doctoris Angelici Magister Augustinus, quando dixit; *Non valdè duro superborum, imperitorumque judicia qui similiter in legendos libros, atque in salutandos homines irruunt; Non enim cogitant quales ipsi, sed qualibus induti vestibus sint, & quantâ pompâ rerum fortunæque præfulgeant.*

Studiosus discretus.

S. Aug. lib. 1. de Ord. c. 11.

52. Apis haustas è flore melleas stillulas, postea longè efficit perfectiores, & ad dulcorem magis exquisitum convertit, Unde lemma è Virgilio inditum; IN MELIUS REFERET. Hic studiosorum genius esto, ut, quidquid in authoribus vitiosum aut impium deprehenderint, ad virtutis ac pietatis gustum referant. Plutarchus; *Apis à naturâ hoc habet, ut ex acerrimis floribus, spinisque asperrimis lenissimum mel, optimumque eliciat: sic pueri, in poëmatis rectè instituti, etiam ab his, quæ absurditatis & pravitatis suspecta sunt, commodi aliquid, & utilitatis trahere discent.*

Studiosus.

Plut. lib. de audiend. Poetis

53. Philippus III. Hispaniarum Rex, suos exercitus per omnes terræ partes insigni authoritate ducere solitus, in Apum Rege ab Emmanuele Thesauro dignoscendus proponitur, qui innumeris minoribus apibus cinctus, epigraphen refert. QUA SE CUNQUE. Mentem Emblematis sequenti epigrammate explicatam habe;

Rex velit; Hispanâ liquidus trabe vapulat Athlas;
Rex velit; Arctoâ sub nive candet eques.
Frustrà, Nile pater, caput inscrutabile condis;
Rex velit; educes, abdite Nile, caput.

Authoritas regia.

Regis enim ad exemplum ita componitur orbis, ut quocunque velit, sive in bonam, sive in malam partem, facillimè subditos pertrahat. S. P. Augustinus; *Rex in omni gente prior est; quoniam Rex ducit, populus sequitur.*

S. Aug. in Psal. 134.

54. D. Franciscus Visconti, recens inauguratus Episcopus, cum Cremonam, metropolim suam solemni pompâ ingrederetur, symboli loco à P. Leonardo Velli ingens apum examen recepit, quæ florentem campum deprædaturæ, ex alveari provolabant; cum lemmate è Virgilio desumpto; AMOR URGET HABENDI. Integer Poëtæ versus ita sonat;

Virgil. lib. 4. Georg. V 177.

Cecropias innatus apes AMOR URGET HABENDI.

Sedulam hominis industriam hæc imago innuit; sicuti enim apes, cellulas suas melleis instructuræ opibus, eas ex omnium florum medullis colligunt; ita homo industrius nullam profectûs sui promovendi occasionem negligit. Certè, iis, quos lucri, aut questûs faciendi cupido incessit, nulli labori ad opes accumulandas parcunt. S. P. Augustinus; *Homo volendo dives esse, æstuat, sitit, &, tanquam hydropisis morbo, plus bibendo, plus sitit.*

Industria.

Usurarius.

S. Aug. serm. 10. ex addit. à Cartus.

55. Apes, supra flores figuratæ; inscriptionem à D. Aresio recepêre. ORE LEGUNT SOBOLEM. Ad verbum Virgilius;

--- Ipsæ foliis NATOS & suavibus herbis ORE LEGUNT.

Virgil. l. 4. Georg. v. 20

Ita Concionatores, & homines Apostolici, verborum suorum virtute ingentem fidelium numerum in S. Ecclesiâ pariunt. Eodem argumento Lactantius Firmianus Christum sine ullo maris congressu, solâ verborum virtute incarnatum demonstrat; *Si quibusdam minutis animalibus id præstitit* (Deus) *ut sibi è foliis natos, & suavibus herbis legant: cur existimet aliquis ipsum Deum, nisi ex permixtione sexûs alterius, non posse generare?*

Concionator. Incarnatio Verbi.

Lact. Firm. lib. 1. cap. 8.

56. Apis, Plinio asserente, tantò existit melior ac fœcundior, quantò minor. Unde lemma; MAJOR IN MINIMA VIRTUS. Hominem, staturâ quidem exiguum, at ingenio grandem, hoc symbolo describes. Sæpius enim experimur illud Poëtæ.

Plin. l. 11 c.

Statura parva.

Major in exiguo regnavit corpore virtus.

Certè S. Hieronymus tantò erat corpore minor, quantò ingenio grandior; cùm tamen ævo suo haberetur invictissimum Christianæ fidei asylum, ac totius mundi oraculū; uti testatur Ribadineira. S. P. Aug. inter prodigia, quæ unquam parturiit Africa, maximum, & ingeniorum omnium Phœnix, corporeadeò fuit tenui, ut de seipso dixerit; *Quæso per Dominum, ne vos homuncionis fœditas offendat*; Et rursus; *Obsecro vos fratres, ut oretis pro me exiguo & pusillo.* Carolus V gloriosissimi nominis Imperator, & Philippus II. Hispaniarum Rex, sapientiâ & prudentiâ plenè incomparabiles, corporis mole fuêre non admodum grandi. P. Cornelius à Lapide, mirâ eruditione, infinitâ copiâ; & animo prorsus giganthæo in omnia penè Bibliorum volumina commentatus, aspectu quatuor palmorum masculum referebat. De hoc P. Joannes Rhò; *Cornelium à Lapide habuit Collegium Romanum, hominem, qui perpusillo corporis modulo ingentem animum, & nullis studiorum laboribus fractum claudebat.*

S. Aug. Hom. de Transf. Dom.

Idem serm. 6. inter Co.

Io. Rhò l. 7 de Var. Vi. Hist. c. 12. n. 7.

57. Apis supra thymum, ingentis amaroris herbam, figurata, epigraphen refert; CANGERO' L'AMAREZZE IN DOLCI FAVI. Idest; AMARA IN DULCIA VERTAM. Ita Divina gratia quosvis afflicti aut peccaminosi pectoris nostri amarores suavissimâ dulcedine condire novit. S. Macharius; *Gratia quod amarum est, mutat in dulce; quod autem asperum, in planum.* Ea ipsa etiam veri ac vivi amoris effecta sunt, qui instar ingeniosæ apis, omnem laboris amaritiem ita efficit suavem ac jucundam, ut sensus humanos non tantùm non fatiget, sed contrà plurimum recreet. S. P. Augustinus; *Quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus: omnia suavia, & propè nulla facit amor.*

Gratia.

S. Machar. Hom. 16.

Amor.

S. Aug. ser. 9. de Verb. Dom.

58. Inter cæteram Marchionis Guidonis Villæ pompam funebrem, Ferrariæ celebratam, Apis Emblema cernebatur; cum lemmate, MISCET VULNERA FAVIS. Benevolentia ac severitas, in celebri illo Belliduce miro temperamento conjunctæ, significabantur. Hoc geminæ virtutis connubium S. Gregorius Papa in quovis bono Prælato exigit; *Sit itaque rigor,* inquit, *sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderatè sæviens, ut dum se in arce regiminis justitia, clementiaque permisceant, is, qui præest, corda subditorum & terrendo demulceat, & tamen terroris reverentiam demulcendo constringat.* Hæretici, apibus exactè similes, dum verba melle oblita fundunt,

Princeps.

Justitia misericordia.

S. Greg. P.

Hæretici

dunt, simul errorum suorum aculeis mentem lethali vulnere sauciant. S. Petrus Damianus; *Apes ore mella ferunt; sed aculeis pungunt. Sic & Haeretici verbis quidem manifestè blandimenta praetendunt; sed quasi post se erroris aculeo contegunt. Primò distillant ore dulcedinem; sed postmodum spargunt aculeatae falsitatis errorem.* Denique prudens Concionator eodem sermone auditorum animos blandâ suavitate demulcere, & vivis affectibus ferire solet. Hâc ratione Pericles coram Atheniensibus plausum tulit; qui *in labris ejus hominis melle dulciorem leporem fatebantur habitare: inque animis eorum, qui illum audierunt, quasi aculeos quosdam relinqui praedicabant.*

S. Pet. Dam. Opusc. 32. c. 8

Concionator.

59. Virgilius Apum iracundiam describens, ait;

Illis ira modum supra est, laesaque venenum
Morsibus inspirant;

Virg. l. 4. Georg. v. 236.

Unde symboli loco subscribes; INSPIRANT MORDENDO VENENUM. Ita Detractores proximi sui famam diffuso mordaci veneno laedunt. His nihilo inferiores sunt Haeretici; quia, Apostolo teste, *Sermo eorum ut cancer serpit*; id est, sana hominum membra instar carcinomatis inficit. Verissimè dixit Magnus Augustinus; *Haeretici suasionibus suis malis majus damnum inferunt Ecclesiae, quàm persecutores.* Meus D. Carducius, aspidem & apem uno emblemate exhibens, epigraphē subdidit; DENTE VENENUM; suamq; mente hoc disticho explicat;

Detractor.

Haeretici.

2. Tim. 2. 17. Aug in Psal. 147.

Aspis apisque simul diffundunt dente venenum:
Dum Satyrus merdes dira venena jacit.

60. Apis, in aperto horto supra complures flores luxurians, à Carolo Rancato epigraphen cepit; LIBAT, UT LUBET. Studiosum haec imago spectat, qui omnium scientiarum varietate delectari solitus, modò ex hoc, modò ex alio authore materiem ac succum, gustui suo accommodatum, delibat. Quare, ut benè observat Magnus Augustinus, *Utile est, plures à pluribus libros fieri diverso stylo, non diversâ fide, etiam de quaestionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat: ad alios sic, ad alios autem sic.* Unde eidem Emblemati etiam inscribi potest; PER FLORES, PER THYMA; verbis ex Ovidio mutuatis;

Litteratus.

Aug l. 1. de Trinit. cap. 3.

Ac ut apis fatusque suos, & olentia nacta
Pascua, per flores, & thyma summa volat.

Ovid lib. 1. de Arte amand.

Meus P. Carducius imagini explicandae hoc distichon subjunxit;

Ut lubet, ambrosiam libat de floribus Ales:
Sic quoque vir sapiens nectar ubique legit.

61. Apum Rex, ante suum examen collocatus, epigraphen à me recepit; EXAMINA DUCET. Ad verbum Virgilius;

Ut cùm prima novi ducunt examina Reges.

Virgil. l. 4. Georg. l. 21.

Ita Superiorum exempla subditos omnes in sua vestigia facillimè trahunt. Verissimè Plinius; *Vita Principis censura est, ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo.* Eò etiam aliud apis Emblema collineat, quae volatu ingentem minorum apum turmam praecedens, epigraphen sustinet; EXCITAT AD OPUS. Theodoricus Imperator, densos hostium cuneos non sine gravi discrimine perrupturus, copias suas Ducis loco praecessit; proprioque exemplo militibus ad confligendum animos addidit. De hoc testatur Ennodius; *Invictissimus ductor apparuit, tali muniens adstantes alloquio. Quisin hostili acie vitam desiderat, me sequatur. Non respiciat alterum, qui dimicandi poscit exemplum.*

Exemplum.

Plin. in Panegyr.

Ennod in Panegyr.

62. P. Jacobus Masenius Emblematis loco apum examen producit, quod fucos à favo melleo repellere nititur; cum lemmate, NEC A FUCIS, NEC PRO FUCIS. Mariam Virginem haec imago

Maria V.

spectat, cujus favores ac gratiae nec ab haereticis, nec pro illis colliguntur; unde rectè à Sancto Ruperto cognominatur *Favus Christi mellis*; Et à Richardo de S. Laurentio; *Dulcedo credentium animarum.* Mentem Emblematis ab authore sic explicatam accipito;

S. Rup lib. 3. in Cant. Rich à S. Laur. lib. 4.

Nil fuco dibere favus censetur inani,
Sed neque pro fuco mella recondit apis.
Dulcis Virgo favus, mel gratia creditur esse;
Haereticis fucis gratia nulla favi est.

Idipsum etiam de SS. Eucharistiâ, ceu favo mellis suavissimo, quae nec à malae conscientiae fucis degustanda est, nec pro illis eroganda, intelligitur.

Eucharistia.

93. Apes, quamvis aculeo sint instructae, nativa tamen ac princeps earum proprietas est mellificare, non verò pungere: nisi quando lacessitae, injuriam coguntur reprimere. Unde lemma api inditum; IRRITATA NOCEBIT. Ita Deus nonnisi lacessitus, & quasi à peccatis coactus, castigat, condemnatque. Verè adeò à S. Ecclesiâ Deus praedicatur; *cui proprium sit, misereri semper & parcere.* Egregiè D. Bernardus; *Quòd miseretur Deus, proprium illi est, ex se enim sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod judicat & condemnat, nos eum quodammodò cogimus.* Adeò, *ut miserendi causam & originem sumat ex proprio, judicandi vel ulciscendi magis ex nostro.*

Misericordia Dei.

S. Bern ser. 5 de Nativ. Dom.

64. Mariam Virginem, in templo praesentatam, Apis significat, quae flores in horto delibans, epigraphen sustinet. MELLA PARAT, CERAMQUE APIS. Deipara enim in templo, veluti in horto amoenissimo, collocata, mox suavissima virtutum mella colligere, suaque obsequia omnia unicè ad Dei cultum & gloriam facere coepit. De hâc S. Hieronymus; *Beata Virgo in pueritiâ & adolescentiâ sua, quando in templo morabatur, cum aliis puellis suis coaevis, vitam suam validè ordinatam ducebat; nam à manè usque ad tertiam orationibus insistebat; à tertiâ verò usque ad nonam operi manum intendebat, à nonâ verò adhuc orationem suam incipiebat, à quâ non recedebat, quousque illi Angelus appareret, de cujus manu escam accipere solebat, & sic semper melius in amore Dei proficiebat.* Eadem imago Religiosum spectat, qui in amoenissima religionis tempe admissus, singulas suas actiones ad gloriae & honoris Divinini incrementum peragat.

Mariae V. praesentatio.

S. Hier Ep. ad Heliod.

Religiosus.

65. S. Josephum, Virginis Deiparae sponsum, in Apum Rege dignoscendum proposuêre; qui simul & maritus & virgo, epigraphen sustinebat; FIDE, NON CORPORE CONJUNX. Penè ad verbum S. P. Augustinus; *Non fallaciter dictum est ab Angelo ad Joseph; noli timere accipere Mariam conjugem tuam. CONJUX vocatur EX primâ FIDE desponsationis, quam NON CONCUBITU cognoverat, nec erat congeniturus; nec perierat, nec mendax manserat conjugii appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio.* S. Bernardus; *Virum nominat Evangelista S. Matthaeus, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat.* Et S. Petrus Chrysologus; *Joseph maritus solo nomine, conscientiâ sponsus.*

S. Josephus sponsus Mariae.

S. Aug. l. 1. de Nupt. & concup. cap. 11.

S. Bern. Hom. 2 super Missus.

S. Pet. Chrys. serm. 175.

66. Apes è floribus simul & semen hauriunt, unde nascantur; & escam, unde nutriantur. Lemma; UNDE GENUS, VICTUS. Ita filii à parentibus & vitam & alimenta accipiunt. Jure tamen longè aequiore de Deo id intellexeris, à quo & in hanc lucem creati sumus, & indies adhuc sustentamur. S. P. Augustinus; *PASCIT te QUI FECIT te: qui pascit latronem, non pascet innocentem? si pascit damnandos, non pascet liberandos?*

Parentes.

Deus pascens hominem.

S. Aug. in Psal. 36.

APES CIRCA ALVEARE.

67. APibus circa alveare inscribes; VIRGINITAS FOECUNDA. *Virgines Religiosæ.* Proprissimo hoc Emblemate sacras numerosi cujusdam Parthenonis Virgines significabis, quippe quæ, instar apum, virginitatis suæ florem conservant illibatum, & simul Virginum numero indies crescunt. *Galfrid in Alleg Tilm.* Galfridus; *Quàm multos hodie parit sanctissima illa, fœcundissimaque virginitas. Quàm felix ejusmodi generatio, fœcunda & incorrupta posteritas!* Hâc de re adeò propriè & apertè disserit eruditissimus D. Joannes Mauburnus, *D Io Maub. Tit. 50. Alch. 63 memb. 2.* meus Concanonicus, ut omnia ipsius verba recensere opportunum existimaverim; *Virgines, inquit, rectè apibus simulantur; nam VIRGINITATEM carnis servant CUM FOECUNDITATE spirituali. Nam sicut apes nullo concubitu miscentur, nulla libidine resolvuntur, nec partus dolore quatiuntur, & tamen maximum constituunt examen filiorum, duplici cæteras fœcunditate antecedentes; sic virgines nostræ corporum integritatem custodiunt, immunes à libidinis fœtoribus, exemptæ à parientium doloribus, nihilominus Deo multum fructificantes, in spiritualibus operum fœtibus, carne scilicet & mente, exemplo alios trahentes. Unde dicit Isaias; Multi filii desertæ magis, quàm ejus, quæ habet virum.*

Prædicator. 68. Apibus, circum alveare volitantibus, inscripsit; UTILE DULCI. Ita bonus Ecclesiastes aut Orator non minus auditorum utilitatem quàm oblectamentum spectare debet. *Recreatio religiosa.* Idipsum in colloquiis suis observent Religiosi, ut utile semper misceant dulci, sitque illis id unum volupe, quod vel pietatē, vel proximi utilitatem; vel Dei gloriam concernit. *S Basil. de renuntiat. sæcul. & spir. perfect.* Pulchrè S. Basilius; *Si futiles habeantur sermones, tu magnopere ne attendito; sed si quæ ex Divinis Litteris, ad salutem animæ pertinentia, memorari audieris Acerba gustatu tibi esse finito, quæcunque de mundanis rebus memorentur; contra quæ favis mellis assimilia, quæ à pietatis colentibus viris narrentur.* Appimè Horatius.

Omne tulit punctum, qui miscuit UTILE DULCI.

Studiosus. 69. Scriptor, aliorum doctrinas, variis locis sparsas, uno volumine complectens, Apibus se non absimilem probat; quæ omnem florum diversorum melliginem ex horto in alveare suum colligunt; cum lemmate, E PLURIBUS UNUM Joannis Audeni consilium est;

Instar apis debes variis excerpere libris,
Mellifluo ut maneat dulcis ab ore liquor

Senec. Epist. 84. Seneca; *Apes debemus imitari, & quæcunque ex diversa lectione congessimus, separare: melius enim distincta servantur. Deinde adhibita ingenii nostri cura & facultate in unum saporem varia illa libamenta confundere, ut, etiamsi apparuerit unde sumptum sit; aliud tamen esse, quàm unde sumptum est appareat.* *Rich. de S. Vict. in c. 3. Cant. c. 28.* Richardus Victorinus, illud sacri epithalamii explicans; *Favus distillans labia tua,* ait, *Hunc favum congerit anima de diversis scripturæ floribus, hos perquirit, his insidet, de his suavitatem spiritualis dulcedinis extrahit, & elicit.*

Vana gloria fugienda. 70. Hominem, in virtutibus suis occultandis, & vanâ gloriâ fugiendâ admodum cautum, api non absimilem dices, quæ circum alveare volitans, epigraphen sustinet; COLLECTA RECONDIT. Ea enim apum est indoles, quòd mel, aliosque labores suos nonnisi intra arborum cortices, & loca, ab intuentium oculis remota, conficiant. *S. Antioch. Hom. 43.* S. Antiochus; *Vir intelligens ingeniosam & solertem imitatur apiculam. Quos externè selegerit flores, defert in alvearium, interne mellificium, favumque operosius perficit.* Inde hoc documentum subjungit; *Ne labores tuos humanæ isti gloriosæ exponas.*

71. Apes, è prato ad alveare suum reversæ, epigraphen à Lucarino recepêre; REVERTUNTUR ONUSTÆ. Et à Bargalio; COLLECTA DOMUM PORTAT. Tales omninò illos dixe *Studiosus.* ris, qui è libris, sive sacris, sive profanis, profectum aliquem referre student: *Doctrina auditorum* vel etiam qui audito Dei verbo, utilissimis documentis instructi, domum revertuntur. *Senec. Epist. 108* Seneca; *Qui ad Philosophorum scholas venit, quotidie secum aliquid boni ferat, aut sanior domum redeat, aut sanabilior.* Et Absalon Abbas; *Absal. ser. 34* *In hoc campo nostra apicula flores quærit diversarum sententiarum, quibus succum dulcem elicit, quia intellectum spiritualem ore memoriæ extrahens, in alveario cordis reportat & deponit.* *Charitas.* S. Joannes Chrysostomus *S. Io. Chrysost. Hom. 3 Epist. 1. ad Cor.* in eâdem solicitâ ape, quæ COLLECTA DOMUM. PORTAT, charitatem humanam dignoscendam proponit; hæc enim bona omnia, diversis locis ac temporibus collecta, pleno sinu in dilecti gremium ac domum profundit. *Charitas, inquit, velut frugi quædam apicula, bona omnia undique COLLECTA IN AMANTIS ANIMAM COMPORTAT.*

72. Apibus, circum alveare in florescente horto volitantibus; Dominicus Gambertus è Virgilio inscripsit; *Virgil. l. 9 Æneid.* CONVECTARE JUVAT PRÆDAS. Belliducis, in annonâ ac commeatu providendo solertiam hæc imago significat. Ad rem nostram Vegetius; *Veget. lib. 3. cap. 3.* *Antequam inchoetur bellum, de copiis expensisque solers debet esse tractatus, ut pabula, frumentum, & cæteræ annonariæ species, quas à Provincialibus consuetudo deposcit, maturius exigantur, & in opportunis ad rem gerendam, ac munitissimis locis amplior semper modus, quàm sufficit, aggregetur.* *Bellidux providus.*

73. Gratiæ Divinæ dulcedinem nonnisi intra se- *Gratia.* cretiora pectoris nostri penetralia effundi, haud obscurè ex ape conjicies, quæ circum alveare volitans, epigraphen tenet; MELLIFICAT INTRO. S. Macharius; *S Machar. Hom. 16.* *Quemadmodum apis secreto favum conficit in alveo; sic & gratia dilectionem suam secretò in cordibus exercet.* Verus Christianus ideæ loco apem *Virtus abscondita.* habeat, suam umque virtutum melliginem in locis occultis conficere sedulò studeat. Quisquis enim ostentationem odit, summam in operando solicitudinem amat; eleemosynas quidem cumulatè erogat, sed videri non ambit; corpori castigando assiduam impendit operam, foris tamen ne quidem illius vestigium prodit; denique inter preces fundendas nullos, præterquam Divinos oculos attendit, S. Bernardus; *S. Bern. ser. 80. in Cant.* *Orare volentes, jubemur intrare cubiculum utique secreti gratiâ. Id quidem ad cautelam, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum.*

74. Physicis observatum est, juniores apes mellis colligendi causâ in campos excurrere, adultioribus interea domi suæ ac intra alvearia operantibus, Aristoteles; *Arist. l. 9 Histor. A* *Apum seniores intus operantur, adolescentes foris negotium exercent.* Plinius; *Plin. l. cap. 10.* *Quibus est earum adolescentia, ad opera exeunt; seniores intus operantur.* Et Virgilius, *Virgil. l. Georg.*

------ Grandævis oppida curæ. &c.
At fessæ multâ referunt se nocte minores.

Unde volantibus circum alveare junioribus apibus inscribes; AT NEGOTIUM SENIORUM INTUS. Mens Emblematis est, senibus è munere suo incūbere, ut secreta consilia, ac leges Reipublicæ bono accommodatas, domi statuant; *Consiliarius.* Juvenibus interea aperto

aperto Marte in patriæ tutelam dimicantibus. Petrus Gregorius; *Senes imprimis*, inquit, *& Magistri populi propter rerum experientiam eligendi sunt: qui enim diu multumque in rebus populi sunt versati, aptiores sunt consilio Reipublicæ, sive tempore pacis, sive belli. Consilium senum parabat stabilimentum regni Roboamo Regi, si admisisset.* In rem præsentem facit sententia illa, à Græcis frequenter usurpata, *Opera sunt juvenum, bella virorum, at consilia senum.* Unde olim ad publica Romanorum consilia nonnisi senes, ætate venerabiles, eligebantur; à quibus etiam Senatus etymon suum accepit, si Ciceroni fideles habeatur. Idipsum, referente Tito Livio, Spartanus; & Xenophonte teste, Persis more receptum erat.

P. Greg. l. de Republ. 5. n. 1.

Cicero l. de Senectute.

Livius l. 4 Bell. Macedon.

Xenoph. in Pædia Cyri.

75. Fuit, qui alveario inscriberet; NIL INTUS AMARUM. Ita Dei servus & anima contemplativa interiorem suum spiritum suavissimâ & assiduâ dulcedine perfusum habent. Divinæ sponsæ id eloquium erat; *Favus distillans labia tua sponsa.* Eo ipso Emblemate etiam Sanctissimam Eucharistiam jure affeceris, utpote *omne delectamentum in se habentem.* Denique cœlestis civitas alveario simillima, ab omni amarore longè est alienissima. Unde Isaias, de Beatis disserens; ait, *Lætitia sempiterna super capita eorum; gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Monasteria quoque meris affluunt animi deliciis, nec quidquam amarum intus habent. S. Petrus Chrysologus; *Juxta sententiam cordis mei, si paradisus in hac vita præsenti est, vel in claustro, vel in Scholis est. Quidquid enim extra hæc duo est, plenum est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, solitudine, & dolore.*

Contemplativus.

Cant. 4. 11.

Eucharistia.

Cœlum. Isa. 35. 10.

Monasterium.

S. Pet. Chrys. in sermon.

76. Sancta Ecclesia, extra Synagogam congregata, apum examini comparatur, quod ab alveari segregatum, Lucarino authore, epigraphen præfert; NOVUM SEPATAT AGMEN. Hoc apprimè facit illud Oseæ vaticinium, à D. Paulo adductum. *Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco, ubi dictum est eis; Non plebs mea vos, ibi vocabuntur Filii Dei vivi.* S. P. Augustinus; *Accepit Christus Ecclesiam, & eam in loco constituit Synagogæ. Per infidelitatem enim Synagoga à Deo separata, & mortua est: & per fidem Ecclesia Christo conjuncta, & vivificata est.*

S. Ecclesia. Oseæ c. 2. apud S. Paul. ad Rom. 9. 24.

S. Aug. ser. 5. de Temp.

77. Idem Lucarinus Mariam Virginem Emblemate significaturus, apes depinxit, alveari vicinas; cum lemmate, OPEROSIOR IN ANGUSTO. Enimverò Virgo Deipara tenuem ædiculam, Laureti hodie visendam; & insuper angustum præsepe habitans, res utrobique maximas est operata: in illâ quippe filium suum Divinum concepit; in hoc verò enixa est. S. Petrus Damianus; *O quanta tunc erant Regum mundi turrita palatia! quanta miris lapidibus ornata triclinia! Et tamen omnia illa contempsit, qui præsepium ad cunabula suæ nativitatis elegit. Non lectos petiit, auratis vestibus obsitos, non purpura, vel pictis tapetibus adornatos: sed in catabulo recubuit animalium, qui innumeris vallatur Angelorum agminibus.* Eorum etiam hæc imago est propria, qui, vanæ gloriæ fugiendæ causâ, in loca, ab hominum consuetudine remota, se recipiunt, ibique grandia operantur.

Maria V. pariens.

S. Pet. Dam. ser. in Nat. Dom.

Vana gloria fugienda.

78. Tantam Regi suo venerationem exhibent apes, ut ex alveari progredientem omnes veluti obsequia sua delaturæ, sequantur. De his Aristoteles; *Reges nunquam prodeunt foras, vel ad pastum, vel quavis alia causa, nisi universa cum plebe.* Plinius; *Mira plebi circa eum obedientia. Cùm procedit, unà est totum examen.* Et Virgilius;

Arist. l. 9. Hist. Anim. Plin. l. 12. cap. 17.

--- *illum admirantur, & omnes*
Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes.

Virgil. l. 4. Georg. v. 215.

Quare P. Borsatus Apum Regem, cum universo examine ex alveari progredientem, hoc lemmate insignivit; NEC UNA REMANET. Eoque communia illa obsequia significare volebat, quibus omnes Cremonæ Primores D. Antonium Longum, non sine singulari amoris ac reverentiæ testificatione, exceperunt. Porrò Christum, Regem æternum, quando ad universale judicium progressurus est, omnes cœlites, nec uno quidem remanente, comitabuntur. Dilucidè Zacharias; *Veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo.* Et S. Judas Apostolus; *Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis.* Id est, interprete P. Cornelio à Lapide, stipatus innumeris legionibus Angelorum & Sanctorum. Quod expavescens Magnus Augustinus, exclamat; *Tot Judicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono: tot argumentibus confundar, quot mihi præbuerunt benè vivendi exempla; tot convincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos dederunt justis actionibus.*

Gubernator honoratus.

Judicium extremum. Zach. 14. 6. Jud. n. 14.

S. Aug. in Medit. c. 4.

79. Alveare, apibus circumdatum, epigraphen à D. Didaco Saavedra recepit; NULLI PATET. Innuebat videlicet, Principum arcana, & politicas artes à nemine penetrandas esse. Si Valerio Maximo credas, *Taciturnitas optimum, atque tutissimum rerum administrandarum vinculum habetur.* Idipsum providè cavebat Michæas Propheta; *Ab eâ, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Idipsum in Divino conclavi fieri assolet; S. Ambrosio asserente, *Dei consilium humana vota non capiunt, nec quisquam interiorum potest esse particeps Christi.*

Secretum Principis. Val. Max. lib. 2. cap. 22.

Mich. 7. 5.

S. Ambr. l. 5. in Luc.

80. Alveario inscripsêre; NON DESIDI SEDES. vel, NON FUCO LOCUS. Utrumque hoc lemma ad illam apum proprietatem alludit, quâ ignavas, & otio deditas, è contubernio suo proscribere solent. Aristotelis hâc de re testimonium est; *Socias otiosas & desides, vel minus parcas, pellere in more est apibus.* Militum vitam, inter assiduos labores traducendam; vel cœlestem patriam, inertibus arctissimè clausam, solisque operariis perviam, hoc Emblema spectat. Unde providè monet Magnus Augustinus; *Noli esse piger in labore breviter, & gaudebis ineffabiliter.* Licet tamen illud ipsum Emblema etiam terreno amori cum Ovidio tribuere, qui de hoc ita pronuntiat;

Arist. l. c.

Otiosi.

S. Aug. in Psal. 93.

Amor terrenus.

Ovid. l. 2. de Arte.

----- *Amor ODIT INERTES.*

Et post pauca,

Militiæ species amor est: discedite segnes,
Non sunt hæc timidis signa tuenda viris.
Nox & hyems, longæque viæ, sævique labores
Mollibus his castris, & dolor omnis inest.
Sæpè feres imbrem cœlesti nube solutum,
Frigidus in nudâ sæpè jacebis humo.

81. Apes, industriæ & laboris amicæ, quando ignavam ac desidiosam aliquam deprehendunt, mox eam alveario interdicunt, castigant, & occidunt. Perspicuè Plinius; *Pigras & ignavas proturbant.* Aristoteles; *Apes expellunt ab alvearibus & pigras, & non parcas.* Et Virgilius;

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.

Plin. l. 11. c. 19. Arist. l. 9. de Hist. anim. Virgil. l. 4. Georg.

Unde Api subscribes; PROTURBAT IGNAVAS. vel, ARCET IGNAVOS. Hæ omninò cuivis Principi aut civitati de proscribendis otiosis statæ sanctæque leges sunto. Probus Imperator, otiositatem inter milites extremè detestatus, dicere solebat; *Annonam gratuitam militem comedere non*

Otiosi ejiciendi.

re non debere. Chinenses, otii eliminandi causâ, cæcos molendinis versandis; claudos verò, aut manibus destitutos aliis convenientibus exercitiis destinant; nullo unquam, qui otio difflueret, intra regni limites tolerato; uti refert P. Maffæus. Hortantem audi Magnum Augustinum; *Noli modò putare; tempus laboris est, tempus seminis est, tempus frigoris est. Etsi inter ventos, etsi inter pluvias, semina. Noli esse piger, æstas veniat, quæ te lætificet, in quâ te gaudeas seminâsse.*

S. Aug. in Ps. 36. Conc. 3.

82. Josephus Daganus, SS. Theologiæ & J. U. Doctor, Rhetoricæ Professor, Seminarii Rector, & Placentiæ ad S. Pauli Parochus, ut emblemate demonstraret, omnium subditorum animos ab Isabellæ de Esthe, Ducissæ Parmensis, benignitate raptos fuisse; plurimas apes depinxit, quæ versus insigne aliquod lilium volitabant, cum lemmate; TRAXIT ODORA VOLUPTAS. De hâc apum proprietate Plinium consule. Principis clementis hæc idea est, de quo canit Claudianus.

Plin. l. 21. c. 12. Princeps clemens. *Claud. de Consul. Manlii.*

--- Peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit: mandataque fortius urget
Imperiosa quies.

Maria V. Porrò sicuti apes ad odoriferum hortum, ita nos ad virtutum omnium fragrantissimam suavitatem, Mariam, curramus, utpote quæ est *lilium inter spinas*; Sapienter de illâ dixit Salomon; *In odorem unguentorum tuorum currimus*; Providè monet Magnus Augustinus; *Curramus post unguenta ejus, venit enim & olevit, & odor ipsius implevit totum mundum.*

Cant. 1. 3. *S. Aug. in Psal. 90.*

83. Apes singulæ laboribus nonnisi communibus in alveari distinentur. Unde lemma; PRIVATI NIL HABET ISTA DOMUS. De apibus in hæc verba testatur Plinius; *Rempublicam & mores habent, & nihil noverunt nisi commune.* Religiosis hic typus convenit, quibus sacrilegum est, è communibus bonis quidquam sibi vendicare proprium. Hanc vivendi rationem dilertè præscribens Magnus Canonicorum Legifer Augustinus; ait, *Omnia opera vestra in unum fiant, tanto majore alacritate, quanto magis communia, quàm propria vestra curaveritis.* D. Basilius; *Qui dicit suum aliquid esse, se ipsum alienum reddit ab Ecclesia Dei, & à charitate Christi.* S. Gregorius; *Ubi peculiaritas à Monachis habetur, ibi nec charitas in eadem congregatione poterit permanere.* Cassianus ait, *hanc legem, suo tempore ab ascetis observari solitam, ut ne verbo quidem auderet aliquis dicere quid suum.*

Plin. l. 11 c. 5. Communis labor. *S. Aug in Regula.* *S. Basil in qq. Brevior. q.* *S Greg. ep. ad Io. Diac.* *Cass de Inst. renuntiat.*

84. Alveare, suavissimos mellis favos ministrans, authore P. Sebastiano à Matre Dei hanc epigraphen sustinet; SI VENIES, INVENIES. Deiparam hæc imago spectat; cùm enim amarus esset mundus, plenusque colocynthidis; Deus illius loco providit Virginem Deiparam, quæ suis clientibus veras, sanctasque delitias ministraret. Unde Samson mel in ore leonis non sine mysterio in oppidi vineis invenit; *Vinea enim*, S. Bernardo teste, *Deiparæ imago est; nunquam enim contingit vineam hanc benedictam invisenti, non respondere cœlestes delitias, quovis melle dulciores.*

Maria V. *Iudic. 14.* *S. Bern. ser. 3. in Salve Regina.*

85. Fuci ac vespæ ab apibus ex alveari proscribuntur. Unde lemma; ARCENT, NE MUNERA PERDANT. Jure enim timent provida animalcula, ab insolente illorum genio destruendam esse omnem suam melliginem, quæ à Virgilio donum cœleste vocatur.

Virgil. lib. 4. Georg.

Et nunc aerii mellis cœlestia dona. &c.

Expelli. Philippum, Hispaniarum Regem, hæc imago spectat, qui omnes hæreticos ingenti & sacro zelo armis ex Indiâ profligavit, ne sanctæ fidei Catholicæ, magno utique cœlesti dono, ullum detrimentum ab iis crearetur. Porrò compertum habemus, plurima bona opera, ac virtuosas operationes, ceu suavissimam melliginem, in sacro Religionum alveari à perversis religiosis impediri; unde providè decernit Magnus Canonicorum Legifer Augustinus; *De vestrâ societate projiciatur. Non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.* Invaluit idipsum in aliis antiquis Religionum legibus. S. Basilii est; *In vitio perseverantem, perinde ac sui ipsius corruptorem, non sine lachrymis, lamentationibusque, ut membrum penitùs vitiatum ac inutile, medicorum more, à reliquo corpore præscindere convenit.*

S. Aug. in Reg. *S. Basil. in Reg. Disp. interlin. 28.*

86. Apes fumo ex alvearibus suis pelluntur: Lemma; CEDUNT COACTÆ. Ita Angelus bonus ab hominum societate per sceleris fumum ac fœtorem pellitur. Hâc ratione à Doctoribus intelligitur illa colloquentium Angelorum sententia, ab Hieremiâ prolata: *Curavimus Babylonem, & non est sanata; relinquamus eam.* S. Basilius opportunissimè; *Peccatum*, inquit, *instar fumi est, quo apes dissipantur, unde justissimo titulo ab Angelo derelinqueris, ut qui tam incultum hospitium ei præparare non metuis.* Et in illud Psalmi, *Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt*; ait, *Qui prius amici & omni tempore familiares fuerunt, de longè steterunt, mecum vivere nolentes, eminus flentes. Isti Angeli sunt boni & ministri Dei, & juxta peccata ipsius David ad tempus recesserunt adversantes.*

Angelus peccato pellitur. *Hierem. 51.* *S. Basil. in Psal 37. hom. 10.*

MEL.

87. Nullus liquor melle est gravior, reliqui enim omnes melli innatant: ideò mellis copia nimia ventriculum onerat, reliquis alimentis subsidit, & ad imum stomachi demittitur. Dilucidè Salomon; *Qui mel multum comedit, non est ei bonum.* Unde lemma; IMMODERATUM NOCET. Instar mellis dulce, imò prædulce est honoris & gloriæ humanæ fastigium; sed sicut mel immoderatè sumptum officit stomacho, ita felicitas nimia, supra vires, supra facultates, & conditionem ingesta, nunquam non perniciosa est. Quando fortuna Ammanum dulcedine suâ ad summum repleverat, nauseam ipsi subitò provocavit; *Necdum verbum de ore ejus* (scilicet Regis Assueri) *exierat, & statim operuit faciem ejus.* Nam è Persarum more, homini, mortis reo, velabatur facies. Porrò parum gustati mellis Jonathæ, Sauli filio, tanti stetit, ut extemplò in absynthium amarissimum sit conversum; unde gravissima ipsius lamenta; *Parum mellis comedi, & ecce morior!* Salomonem sistit Chrysostomus, qui hujus rei exactam cepit experientiam. *Hunc sanè, inquit, nemo unquam deliciis, gloriâ, sapientiâ dominatu, omniumque rerum ad voluntatem successu anteivit, nihil tamen ex omnibus cepit utilitatis, quin ea omnia vanitatem vanitatum appellat, & vana universa, cujus vanitatis non simplicitatem, sed excessum expressit; cedamus obsecro ei, qui rerum hujusmodi experientiam consecutus est, morem obtemperemus, inquam, illi, & his rebus incumbamus, in quibus nihil est inane: sed vera omnia certa, ac stabilia sunt, & cuncta lapide desuper constructa, in quibus, inquam, nihil senescit, nihil præterit, quin virent omnia & florescunt, neque quidquam vetustate confectum ad interitum tendit.*

Prov. 25 27. Honor terrenus. *Esth. 8. 10.* *S. Io. Chry. to. 2. ser 22*

88. Physicis compertum est, mel, si ab homine comedatur, præ reliquis cibis maximè in fel converti. Unde lemma, FEL ERO, SI COMEDAS. Idipsum

Voluptas. Idipsum in voluptatibus terrenis expetimur, quæ primùm quidem palato humano accidunt amænæ & suaves, paulòq; tamen post in amarissimum fel vertuntur. S. P. Augustinus; *Flu sempiternæ mortis insultare non cessant, jactantes suas delitias temporales, quæ ad tempus obdulcavit fauces eorum; postea verò amariores felle invenient eas.*

S. Aug. ser. 3. de Verb. Apost. c. 1.

CERA.

89. Cera, igni admota, liquescit; Lemma, IGNI VICINA, LIQUESCIT. Ita mens humana ad blandos fortunæ ac prosperitatis calores emollescit & perit. Unus è millibus est, qui prosperitatis patiens, non in transversum agatur. S. Bernardus Eugenium suum, Pontificem Maximum, solitâ & prolixâ scriptione admonens; *Quàm*, inquit, *charus extitit, qui non vel modicè in prosperitate animum relaxaverit à sui custodiâ & disciplinâ! Sapiēs David, sapientior Salomon fuit; sed blandientibus nimis secundis rebus; alter ex parte, alter ex toto desipuit.* S. P. Augustinus; *Fallax felicitas major est infelicitas. Felicitates sæculi somnia dormientium. Attendite, ut discernatis vos, attendite, ne putetis veram felicitatem esse, quam sibi optant homines aut infirmi, aut infimi. Fratres mei, adversus felicitatem acrius vigilandum est.*

Prosperitas. S. Bern. l. 2. Consid. ad Eugen. c. 12. S. Aug. in Psal. 50.

ARANEUS.

Cap. II.

90. Mundi hujus legibus solam plebem, non verò Magnates teneri, ex aranei telâ dignoscere licet, quæ, unâ parte lacera ac perrupta, alterâ aliquot muscas implicat, stringitque, cum lemmate, DISCINDUNT MAGNA. Anaxarchus dicere solebat; *Ut aranearum telas corvi corrumpunt, muscæ implicantur; ita leges plebeculam vexant, ac à potentibus violantur impunè.* Justus Lipsius eandem iconem homini generoso tribuit, qui, instar Samsonis, omnes, si non Dalilæ funes, certè tamen invidentis fortunæ casses disrumpit. *Ut aranearum casses, iniqui animalia fortia perrumpunt; sic fortunæ laqueos mens robusta.* S. Hieronymo asserente, aranearum telis etiam hæreses comparantur, quæ homines simplices tantùm, & in fide leves; non verò doctrinâ aut ingenio graves illaqueare valent. *Opus araneæ*, inquit, *incassum texitur, quo super persona hæreticorum scriptum est in Isaia; Telas araneæ texuerunt, quæ parva possunt capere animalia, ut muscas, culices, & cætera hujusmodi, à fortioribus autem rumpuntur. Instar levium in Ecclesia, simplicium que, qui eorum decipiuntur erroribus, cùm viros in fidei veritate robustos, non valeant obtinere.*

Leges humanæ. Anax. apud Plutarch. Generositas. Lips. Centur. Miscell. ep. 59. Hæresis. Hier. ep. ad Cyprian.

91. Aranei tela, à robustis animalibus sine negotio rumpenda, minora, corpore ac viribus imbecillia, facilè retinet, illigatque. Unde lemma; DEBILES ILLAQUEAT. vel, VILIORA, seu, INFIRMIORA PRÆDATUR. Ita hæreticorum ratiocinia, veluti aranearum telæ, infimos ac debiles imperitorum intellectus facilè quidem irretiunt; at ubi Theologos, solidâ doctrinâ graves, suis insidiis tentaverint, mox perrupto paralogysmi filo, superantur, & ignobiles concidunt. S. Gregorius Nazianzenus, Eunominatarum hæreticis exprobrans, *Cur*, inquit, *aranearum telis imbecilliores illaqueas, quasi rem eo pacto sapienter, ac præclare geras?* Hunc locum explicans Elias Cretensis, ait; *Cur ratiocinationum tuarum retibus nexis quidem illis instar aranearum telæ, at infirmis, illaqueare imbecilliores conaris? Eleganter autem ad eas telas syllogismos ipsorum, pravasq; ratiocinationes comparavit: Nam ut illic muscæ, parvaque tantùm animalcula capiuntur; sic eas contra robustiores perrumpunt. Eodem modò syllogismis hujusmodi homines, imbecilla scientia præditi, implicantur, à robustioribus autem facilius etiam, quàm aranearum tela, discerpuntur, ac dissipantur.*

Hæresis. S. Greg. Naz. Orat. 1. Elias Cret. in hunc loc.

91. S. Thomas Aquinas vestem suam religiosam, in ætate etiamnum juvenili nonnunquam laceratam, quantocius resarciebat; araneam imitatus, quæ telam, omni parte laceram, incolit; cum lemmate; RESARCIAM. vel ut alteri placuit; RETEXAM. De hâc araneæ proprietate Aristoteles; *Si quis telam laceraru, texere iterum incipit.* Ita generosus animus, tametsi adversis viribus plurimùm infestatus, nihil tamen à cœpto opere remittit. S. Joannes Chrysostomus; *Nullus mercator, postquam naufragium fecit, desistit navigare. Sed denuò mare pertransit, & longos pernavigat sinus, & pristinas recuperat divitias. Frequenter athletas cernimus post multos lapsus coronatos. Jam verò miles quoque, qui fugit, postea se strenuum exhibet, & hostes superat. Eorum quoque multi, qui propter tormentorum pavorem Christum negaverant, denuò certamen inierunt, & cum martyrii rece, sère coronæ &c.* Denique verus pœnitens, consectaneè ad hanc araneæ ideam, omne damnum, ab infernalibus venatis aut hostibus adversus animam suam concitatum, resarcire, & assiduâ virtutum Christianarum exercitatione restituere satagit. Explicatissimè Petrus Bercorius; *Aranea est homo, tela sua est congeries virtutum & morum, muscæ sunt bona temporalia, quæ insistant, & solicitant cor humanum. Si ergo tela tua, id est congeries virtutum & morum, & velamen fuerint aliquo casu dirupta per aliquod peccatum mortale, pro certo non debes vacare venationi muscarum, id est, acquisitioni bonorum temporalium, nisi prius per pœnitentiam tela ista fuerit integrata.*

S. Tho. Aquin. Animus resolutus. Arist. l. 9 hist. anim. c. 39. S. Io. Chrys. hom. ult. ad pop. Ant. Pœnitens. Pet. Bercor. Reduct. mor. l. 10. c. 7. n. 10

93. Bartholomæus Rossus indefessum sancti Caroli in operando studium & vigilantiam Emblemate significaturus, araneam in telæ suæ medio depinxit; cum lemmate, NUNQUAM OTIATUR. Hâc araneæ proprietate Petrus Bercorius anxios hominum mundanorum labores, & assiduam in caducis opibus conquirendis industriam demonstrat. *Aranea*, inquit, *semper telæ intenta, nunquam cessat à labore. Tales sunt sæculum diligentes, divites scilicet mundani, quia nunquam quiescunt ab angustia vel labore, ut patet generaliter in omnibus statibus, Isaiæ 57. In multitudine viæ tuæ laborasti, non dixisti, quiescam.* Egregiè de homine mundano dixit Magnus Augustinus; *Piger es ad faciendum opus bonum, & strenuus es ad transeundum mare, quia avaritia imperat, servis; quia Deus jubet, odisti.* Denique etiam diabolum hæc imago spectat, qui hominibus nunquam non struit insidias, studioque indefesso ad eos illaqueandos laborat.

Assiduitas. Pet. Bercor. Reduct. mor. l. 10. c. 7. n. 1. S. Aug. in Psal. 128. Diabolus.

94. Araneus, telam suam exorsus, epigraphen refert, DONEC PERFECERIT. Hinc disces, negotia cæpta ad finem ac perfectionem suam esse deducenda. S. Ambrosius; *Mens, quando aliquid videtur incipere, ad finem usque contendat, & operis sui terminum quærat.*

Continuatio. S. Ambr. l. de Noe c. 23.

95. Araneo, supra florem figurato, inscriptionem è Guidone Casono indidi; RICEVUTO BENCANGIA IN VELENO. Id est, EX BONO VENENUM. Idipsum homo ingratus assolet; nam, uti definit Doctor Mellifluus, *Ingratitudo est inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio.* Non enim veretur ingratus, optima quæque beneficia vel omninò contemnere, vel in deteriorem partem interpretari. Ca-

Guid. Cassen. Embl. mor. 18. Ingratus. S. Bern. serm. in Cant.

soni hâc de re poema est.

Infelice quel cor ch' ama l' ingrato,
Porche semina il ben per coglier male,
Mentre le gratie à lui pronto concede,
Che le gode con odio, e le converte
Ne la sua velenosa empia natura.

96. Eduardus II. Britanniæ Rex, symboli loco araneum sibi præferri voluit, qui telis suis texendis operam nunquam impendit majorem quàm inter afflantium ventorum incursus. Epigraphen addidit; AUDENTIOR IBO. Hanc nimirum Rex optimus magnanimitatis ac constantiæ suæ imaginem esse voluit, omnesque hostium & calamitatum vires in se unum generoso animo provocavit; haud dubiè illam Cornelii Taciti gnomam alto defixam animo habens; *Fortes & strenuos, etiam contra fortunam insistere spei.* Ad verbum Virgilius;

Generositas. — C.Tacit. l.2. histor. — Virg. l.6. Æn. v.95.

Tu ne cede malis, sed CONTRA AUDENTIOR ITO,
Quàm tua te fortuna sinet.

97. Araneis congenitum est, turbato ac pluvio cœlo plus, majoreque ardore, in texturas suas conficiendas incumbere, quàm sereno ac tranquillo. Unde lemma; IN NUBILO TANTUM. Ita prorsus homines maligni tum demum vindictæ & passionum suarum fila quàm ardentissimè pertexunt, quando æmulos calamitatum nubilis turbatos viderint. Certè Achitophel, ob vitium, nepti suæ Bethsabeæ à Davide illatum, acerbè quidem fuerat offensus; ulciscendi tamen animum tamdiu distulit, donec Absalon, proprio suo parenti perduellis, commodam ei occasionem suppeditârit, ad extremam perniciem Davidi per sua consilia machinandam. Eadem imago etiam ignavos quosdam laboris hostes concernit, qui nonnisi extremâ necessitate aut miseriâ, veluti cœlo nubilo, compulsi, operari, ac negotia sua tractare solent. Unde quosdam in ipsâ etiam æternâ salute suâ ita desides reperias, ut pœnitentiæ opera nonnisi morte imminente, vel in extremâ necessitate constituti perficere curent. De his graviter Deus; *Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas irruerit, tunc invocabunt me; & non exaudiam &c.* Pulchrè Magnus Augustinus; *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne & ipsa moriatur. Et ideò quicunque invenire vult misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, ut sanus esse valeat in futuro.*

Malignus. — Ignavus. — Pœnitentia sera. — Prov.1.27. — S.Aug serm. 57. de temp.

98. D. Aresius mercatorem fraudulentum araneo persimilem dicit, qui teti suo conficiendo totus insistit; cum lemmate, ANIMA TABESCENTE. Hoc sensu Cardinalis Bellarminus super illud Psalmi, *Tabescere fecisti sicut araneam animam ejus;* ait, *Instar araneæ, quæ laborat in texendâ telâ, ut capiat muscas, & interim ipsa exsiccatur & consumitur. Sic enim animæ hominum carnalium justo Dei judicio perpetuò laborant in rebus temporalibus acquirendis, & in eo labore consumunt ingenium & mentem, & inde anima exsiccatur omni humore gratiæ, ut ne cogitent quidem de salute suâ, neque ullo desiderio tangantur veræ felicitatis.* Eodem argumento Petrus Blesensis illorum stultitiam arguit, qui mentem suam gloriolæ terrenæ affectibus, aut plausûs mundani desideriis inquinant. *Aranea siquidem,* inquit, *de suis visceribus telam texit, & texendo tabescit. Quid aliud facit homo, qui se eviscerat in expensis, & in curis, ut muscam odoriferæ opinionis, & favorem linguæ meretricantis acquirat?*

Mundanus. Bellarmin. in Psal.38. v.12. — Mundanus. Pet. Bles. epist.16.

99. Araneus, telæ texendæ intentus, epigraphen ab Alcibiade Lucano accepit; VISCERA PRO MUSCIS. Egregiâ sanè hominis stultissimi ideam! qui aliqualem gloriolam aut progressum venaturus, miserè torquetur, fatigatur, curisque conficitur. Accommodatè Petrus Blesensis; *Perdita vita homines se laboribus torquent, cruciant curis, expensis eviscerant. Nonnè figuram araneæ gerunt, quæ de suis visceribus telam texit, ne capiat muscam vilissimam? Quid est inanis gloria, quam venantur? nisi musca vilissima, murmurosa, sordida?* Argumento haud multùm dissimili de luctatoribus & athletis disserit Lucianus; qui pulvere ac ceromate conspersi, proprioque perfusi sudore, antagonistam sternendum in arenam descendunt; ibique è contusis membris, ac venis horrendum dilaniatis vivum sanguinem copiosè fundunt, nec rarò ipsam etiam animam ingenti cruciatu ex imis visceribus ejiciunt: & tamen, quod mireris, è tantis laboribus nullam aliam mercedem ab agonothetâ expectant, nisi corruptibilem pomi aut pini fructum. *Itaque,* inquit, *hoc mihi magis risu digni videntur viri illi, ut tu ais, optimi, frustra tanta sufferentes, talibusque difficultatibus conflictantes, ut eas pulchritudines, & heroicas corporum proceritates ita turpiter arenâ, atque tumentibus vulneribus fœdantes, ut partâ victoriâ pomo aut pinu potiantur.*

Mundanus. — Pet. Bles. epist.14. — Lucianus opere de Gymnast.

100. Ut orbi persuadeas, calumniam haud operosè dissolvi ac superari; araneæ telam, venti cujusdam flamini expositam, pinge; cum dicto, LEVI DIRUMPITUR AURA. Ratione consimili S. Gregorius Papa in illud Jobi, *Et sicut tela aranearum fiducia ejus;* ait, Hypocritæ actiones à plausûs humani aurâ totas lacerari, & in nihilum redigi. *Aranearum tela,* inquit, *studiosè texitur, sed subitò venti flatu dissipatur: quia quidquid hypocrita cum labore peragit, aura humani favoris tollit. Et dum in appetitu laudis opus deficit, quasi in ventum labor evanescit.* Ita quoque omnis mundi felicitas, veluti araneæ tela, maximis quidem laboribus comparatur, negotio tamen facillimo iterum dissolvitur. Petrus Bercorius; *Tela araneæ miro naturæ artificio de araneæ visceribus contexitur, magno labore, & longo tempore perficitur; sed miro modo faciliter dissipatur. Talis est tela mundanæ prosperitatis. Hæc omnia paulatim, & successivè, laboriosè, & tædiosè conficiuntur. Sed pro certo, faciliter talis tela dissipatur, & per subitam mortem, & insperatam adversitatem totus iste labor destruitur & cassatur.* Idipsum de vitæ humanæ lubricitate pronunciaveris; de quâ David; *Et tabescere fecisti sicut araneam ejus.* In hunc locum S. P. Augustinus; *Quid,* inquit, *tabidius araneâ? animal ipsum dico, quamquam & ipsis telis aranearum quid tabidius? Attende & ipsum animal, quàm tabidum est. Pone suprà leviter digitum, ruina est: nihil omninò tabidius.* Idem sanctus Doctor animæ nostræ imbecillitatem, quovis levissimo tentationum vento sternendam, aranei telæ non absimilem dicit. *Nihil,* inquit, *infirmius animâ nostrâ, positâ in mediis tentationibus sæculi, in mediis gemitibus & parturitionibus molestiarum, nihil ea infirmius, donec hæreat soliditati cœlesti, & sit in templo Dei.*

Calumnia. — Hypocrit. — S. Greg l.8. Moral c.2. Iob.8 14. — Prosperitas mundi. — Bercor. l. Reduct. moral c. — Vita humana. — Psal 38.12. — S. Aug. in hunc loc. — Anima. — S. Aug. in Psal. 122.

101. Subtile videtur aranearum opus, sed inutile; curiosa tela, sed fragilis & imbecilla; continuo studio & viscerum impendio intexta, sed nonnisi muscis vel culicibus irretiendis apta. Unde meus Concanonicus D. Alexander Luzon de Millares symboli loco araneam exprimit, quæ complures muscas in extentâ suâ telâ implicans, epigra. præfixâ habet; VILIS PRÆDÆ TABESCIT AMORE. Ita prorsus homines carnales perpetuò laborant, sudant, seq; ipsos eviscerant: quid agunt? telam araneæ caducam, futilemq; ordiuntur, & in texendo ac retexendo ætatem consumunt, nullo præterea fructu, nisi ut fætentes ac sordidas voluptatum terrenarum muscas capiant. Adversus istos altùm conquestus Isaias, ait;

Mundanus labor.

Telas

S. Gregor. l. 2. Val. c. *Telas aranearum texere, est pro mundi hujus concupiscentiâ temporalia quælibet operari, quæ, dum nulla stabilitate solidata sunt, ea procul dubio ventus vitæ mortalis rapit.*

102. Araneus & apis eidem flori insident; hæc quidem mel, ille venenum colligendo. Lemma; IDEM NON OMNIBUS IDEM. Ita probi ex eâdem pecuniâ, honore, cibo, &c. suavissimum virtutis mel colligere solent; improbis contrà nonnisi venenum ac mortem exsugentibus. Dilucidè Apostolus; *Omnia munda mundis; coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia.* De cibis differens S. P. Augustinus; *Infideles,* inquit, *sive comedat, sive abstineat, non sanctè vel justè comedit vel abstinet, quia pravâ opinione utrumque facit.* Imò probi etiam ex improborum malis bonum colligere nôrunt, cùm tamen hi ex optimis quibusvis proborum operibus malum desumant. Pulchrè ac compendio idem Doctorum Phœbus; *Sicut malis obest bonitas justorum, sic bonis prodest iniquitas impiorum.*

Tit. 1. 15. Aug. l. 31. in Faust. c. 4. Aug. in Psal. 39.

103. Aranea, in telæ suæ centro residens, epigraphen tenet; EXPECTAT PRÆDAM. Dæmonis hæc imago est, qui humano generi nunquam non tendit insidias, expectatque sollicitè, quos teris suis implicet. Disertè S. Athanasius; *Hostiles dæmonibus contra omnes Christianos, maximè verò contra Monachos & virgines Christi, odium est. Eorum semitis laqueos tendunt, earum mentes impiis & obscænis cogitationibus nituntur evertere; sed nihil nobis in hoc terroris incutiunt; fidelium enim orationibus & jejuniis ad Dominum statim corruunt. Nec tamen, si paululum cessaverint, prorsus plenam putetis esse victoriam, solent saucii gravius assurgere, & multa arte pugnandi, cùm cogitatione nihil egerint, pavoribus terrent.* Idipsum etiam Caussidicis quibusdam convenit, qui clientibus, eorumque bonis assiduò & anxiè inhiant.

Dæmon. Athan. in vita S. Antonii. Advocatus.

BOMBYX. Globulus Bombycinus.

Cap. III.

104. Bombyx, contexto suo globulo bombycino claudendus, epigraphen à Bargalio recepit. UT PURUS HINC EVOLEM. Ita homo, intra claustri angustias receptus, toto animo purificatur, tandemque ex illis ad æternæ vitæ beatitatem evolat. S. Bernardus; *O sancta vita!* exclamat; de monasticâ disserens, *tu mentium secreta purificas: tu conscientiarum squalorem diluis, atque ad angelicæ munditiæ puritatem pervenire facis animas.*

Religiosus in claustro. S. Bern. ser. Super simile est regnum cælorum homini negotiatori &c.

105. Bombyx, intra calatiscum suum bombycinum clausus, epigraphen ex Horatio præfert; MUTABOR IN ALITEM. Enimverò, sicuti bombyx, fuso suo inclusus, è verme in papilionem convertitur; ita homo, ordinis religiosi claustrum ingressus, pristinum vitiorum vermem exuit, & mirâ metamorphosi alatus, ad cœlos paulò post evolat. Ab hoc argumento non multùm alienus Seneca; *Quemadmodum,* inquit, *novem mensibus nos tenet maternus uterus, & præparat, non sibi, sed illi loco, in quem videmur immitti; sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, in alium naturæ sumimur partum; alia origo nos expectat, alius rerum status.* S. Bernardus, de vitâ claustrali explicatè ac prolixè disserens, exclamat; *O vita mirabilis, spiritualis habitaculum, quæ de superbis humiles facis, de gulosis sobrios, de crudelibus pios & sanctos, de iracundis mites, de luxuriosis pudicos, de inobedientibus obedientes, & de osoribus facis in fraterna dilectione ferventes.* Atque adeò, quisquis hactenus, instar obscœni vermis, per vitiorum ac transitoriæ voluptatis terram serpere, ventremque ignobilem trahere est solitus, in vitâ religiosâ mox virtutum ac meritorum alis instruitur, & candidissimi papilionis more cœlum versus contendit.

Horat. l. 2. Carm. Od. 20. Religiosus. Senec. ep. 103. S. Bern. loc. cit.

106. Sanctum quemdam, compluribus miraculis, & assiduo abstinentiæ rigore insignem, è bombycis emblemate dignosces, qui serico texendo occupatus, cibum omnem respuit. Unde Lucatini lemma; OPEROSUS NON PASCITUR. Nam, ut, propriâ experientiâ edoctus, ait Magnus Augustinus; *Jejunium in gaudio est, cùm tantò minus delectent carnalia, quantò spiritualium major sagina est.* In hanc rem D. Joannes Paschalius, Canonicus Regularis.

Sanctus sobrius & miraculosus. S. Aug. l. 2. quæst. Evang. q. 13.

Stamina dum bombyx operosus serica nectit,
Nauseat ille dapes, nauseat ille cibos.
Sic quoque, seu modicis dapibus, seu pascitur ullis,
Qui compar superis nectareis mira parat.

107. Carolus Bovius Emblematis loco bombycem exhibet, qui relictâ calathisci sui mollitie, in papilionem mutatur, cœlumque versus evolat; cum lemmate, QUIA MOLLIA LIQUIT. S. Ignatium Loyolam hæc imago spectat, qui patriæ ac nobilissimæ familiæ suæ delitias generoso animo egressus, ad cœlos contendit, & hodie etiamnum per totius mundi ora, inter gloriosa encomia, volat. Unde Tertullianus ait, *Virtus duritia extruitur, mollitie verò destruitur.* Et S. Joannes Chrysostomus; *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt; qui verò talia non habent, in cœlis sunt.* D. Jo. Augustinus Lengueglia, clarissimum Congregationis Somascenæ lumen, in Colosso, ad S. Bassiani, Episcopi Novariensis, honorem formato, ita canit;

Delitiæ relictæ. S. Ignatius Loyola. Tertull. in lib. ad Mart. S. Io. Chrys. in Matth. 11.

Quel verme industre, che formando sete
Si fà sepolchro, e la propria danni stenta;
Se lascia i ricchi stami, a l'aure liete
Già spiegal' ali, e volator diventa;
E questo par che a noi mortali avenne,
C'huom lasciando richezze aquista penne.

108. Posteaquam Comes Maximilianus Stampa, Mediolanensis, D. Annam Moronam, fœminam raris ac nobilissimis naturæ dotibus illustrem, matrimonio sibi junxerat, symboli loco bombycem insixit, qui morum arborem conscendens, ipsius folia, utpote unicum alimentum suum, carpebat; addito lemmate, SOL DI CIO' VIVO. Id est; NON ALIUNDE VITAM veluti dixisset; sicuti bombyx nullam escam aliunde, nisi è *Moro* desiderat; ita suos amores ac calidos affectus nonnisi in pulcherrimâ ac virtuosissimâ conjuge Anna *Morona* pasci. Cæterùm tametsi hæc imago cùm ad propositum illud, tum ad conjugalem castimoniam significandam plurimùm leporis ac venustatis habeat; eam tamen non minore opportunitate etiam de hominis mundani vanitate interpretaberis, qui nullis aliis epulis delectatur, nisi caducis ac fragilibus foliis; rebus, inquam, vanis, inutilibus, ac transitoriis. De his Jobus; *Rodebant in solitudine, & mandebant herbas, & arborum cortices.* Et Magnus Augustinus; *Vita quæ fructu corporis delectata, negligit Deum, inclinatur ad nihilum, & est nequitia.*

Amor conjugalis. Mundanus. Iob. 30. 3. S. Aug. de vera relig. cap. 11.

109. Peccator, noxas suas excusans, authore D. Aresio, Bombycem imitatur, qui texendo suo calatho insistens, epigraphen reddit; ILLAQUEATUR ORE. Verbis è Salomone desumptus; *Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus.* In

Excusatio. Prov. 6. 2.

S. Ambr. l. de Mendac. c. 26. Psal. 58.

In hanc rem S. Ambrosius; *Ipsi nobis tendimus retia, quibus involvimur, & implicamur: ipsi nobis vincula nectimus.* Et S. P. Augustinus, ad illa Psalmi verba reflectens, *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem*; ait; *Est quædam iniquitas, quam qui operatur, non potest fieri, ut misereatur ei Deus: ipsa est defensio peccatorum. Quando quisque defendit peccata sua, magnam iniquitatem operatur, hoc defendit quod Deus odit.*

Peccator obscænus. S. Pet. Dam. ser. de vitiis linguæ.

Porrò homo obscænus verborum suorum spurcitie seipsum illaqueat, ac condemnat. S. Petrus Damianus; *Cùm immunda quæque, ac vana proferimus, quid aliud, quàm LAQUEOS nobismetipsis LOQUENDO COMPINGIMUS?*

S. Joan. Bapt. in carcere. Bapt. Marin. p. 3. Lyra.

Domino Joanni Baptistæ Marino eadem imago ad S. Joannis Baptistæ carcerem ac catenas significandas inserviit; quippe quas ipsemet sibi paràsse videri poterat, dum nefando Herodis ac Herodiadis incestui reprehendendo zelosam suam linguam exeruit. Unde ad sanctum hunc conversus, canit;

Da le tue labra uscir, verace messo
De la vera salute i lacci, e gli hami,
Che t'hanno (ingrato premio) a torto oppresso.
Così di propria bocca i ricchi stami
Vomita industre verme, ond' a se stesso
Fabrica la prigion, tesse i ligami.

110. Bombyx, è propriis visceribus serica fila trahens, dum ea in globulum convolvit, miserrimâ conditione, sibimet ex illis vincula ac tumulum construit. Lemma; SUIS SE GAZIS ILLIGAT; vel, SIBI SEPULCHRUM APPARAT; vel, ut meo Concanonico D. Salvatori Carducio placet; SIBI FUNERA TEXIT.

Avarus.

Hominis avari hoc symbolum est; cujus labores omnes in ipsiusmet exitium ac miseriam vertuntur. Pulchrè ad rem nostram Magnus Hipponensium Præsul Augustinus; *Avarus dicit in corde suo, qui fortè non audet linguâ suâ; quis nos separabit à cupiditate auri? Tribulatio, an angustia, an persecutio? possunt & avari dicere auro; propter te occidimur tota die.* Eruditè canit P. Nicolaus Caussinus;

S. Aug. serm. 30. de Sanctis. Nicol. Causs. Traged. Felicitas Act. 4.

Qualis genistris instruens bombyx opus,
Diducta fila viscera excernit leni,
Et tot fluentes colligens ovo sinus,
Se ipse claudit opibus implicitum suis
SIBI SEPULCHRUM corpore exeso PARAT:
Sic gazam avaro corde sudatam impia
In damna condunt.

111. Symboli loco bombyces intra ahenum figurabantur, addito alabro, quo pretiosis suis staminibus spoliarentur. Lemma; MISERI, QUOD DIVITES. vel de uno tantùm; MISER, QUIA DIVES.

Divitiæ noxiæ.

Hunc enim morem divitiæ receptum habent, quod calamitates, rapinas, & ipsam adeò violentam mortem non rarò adversus Dominos suos concitent. Certè Insulæ fœcundiores maximas à piratis injurias sustinent: naves quoque insidias tantò pertimescere debent graviores, quò fuerint mercibus magis onustæ. S. P. Augustinus; *Multi pauperes tutius latebant: divites facti, præda fortioribus fuerunt.* Appositè meus Concanonicus D. Salvator Carducius;

S. Aug. in Psal. 53.

Fit miser en! bombyx, nitido quia stamine dives:
Sic ubi risus ovat, germinat inde dolor.

Bona pro malis reddere.

112. Bombyx, intra aheni aquas acerbè excruciatus, in tot tormentorum vicem pretiosa sua stamina rependit. Eò animum advertens P. Carducius, inscripsit; TORTORI DELITIAS. Vel hoc bruti animalis exemplo disce, ô homo! inimicis tuis beneficia ac gratias referre. *Disce diligere inimicum,* inquit Magnus Augustinus, *si vis cavere inimicum. In quantum autem in te charitas crescit, efficiens te & revocans te ad similitudinem Dei, pertendit usque ad inimicos.* Unde bombycis ore canit meus Carducius;

S. Aug. in Psal. 99.

Tortori paro delitias, dum evisceror igne:
Tu quoque munificus sic bona redde malis.

113. Bombyx, in papilionem transmutatus, è globulo suo bombycino in aëra evolat: ut adeò idem calathiscus, quem bombyx paulò ante urnæ sepulchralis loco habebat, postea in papilionis renascentis cunas convertatur. Unde epigraphen subjunxit meus Carducius; AB URNA CUNABULUM. Veritas, hoc typo adumbrata, tametsi aliquamdiu sepeliatur, brevi tamen rediviva in apricum prodibit.

Veritas sepulta resurgit.

Dat urna molle bombyci cunabulum:
Sic veritas sepulta mox repullulat.

Memoria mortis vivificat.

Inde etiam disces, hominem Christianum, si intra mortis antrum jugi consideratione detineatur, tandem ad fidei & gratiæ vitam auspicatò evolaturum. Quare S. Petrus Chrysologus de tribus Mariis, quæ ad Christi sepulchrum devotè invisebant, ait; *Ingrediuntur sepulchrum, ut consepultæ Domino, totam fidei resurgerent in salutem.* Eò etiam illud Regii Vatis collimat; *Qui exaltas me de portis mortis.*

S. Pet. Chrys. serm. 77. Psal. 9. 15.

114. Bombyx in texendis sericis suis aulæis plurimùm quidem industriæ ac laboris collocat, eò tamen animum suum nunquam reflectit, cujus tandem bono tot curæ ac labores cessuri sint. Unde Caroli Rancati gnoma symbolica, A PRO DI CUI NON SA'. Id est; CUI LABORET, IGNORAT.

Avarus.

Eandem miseriam in avaris anxiè deplorat Salomon: qui immensis curis indies fatigati, ac penè obruti, planè ignorant, quisnam olim tanti sudoris fructu gavisurus sit. *Reperi,* inquit, *& aliam vanitatem sub sole: unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens: cui laboro? &c.* Altùm sibi gratulabatur Dives Evangelicus; *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* cui tamen respondit Deus; *Stulte, hâc nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parâsti, cujus erunt?* S. Ambrosius; *Sæpe quod avarus summa congesserat sollicitudine, præcipiti diffusione dilapidat hæres luxuriosus: & diu quæsita, turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improvidus, quadam absorbet voragine. Sæpe etiam speratus successor invidiam partæ acquirit hæreditatis, & celeri obitu extraneis addita successionis transcribit compendia.*

Eccl. 4. 7. Luc. 12. 20. S. Ambr. l. offic. c. 49.

115. Bombyx pretiosi staminis sui fila assiduo labore ducens, epigraphen ab eodem Rancato accepit; ALTRUI SERICO AMMANTO, A'SE LA TOMBA. Id est; ALIIS SERICUM, SIBI CONSTRUIT URNAM.

Avarus.

Hominem avarum hoc symbolo affeceris, qui proprio labore ad extremas vitæ angustias redactus, cumulatas suas facultates aliis relinquit. S. P. Augustinus de Divite Evangelico, quem superiore numero adduximus; ait, *Quanti sunt & modò, qui dicunt, tantùm habeo, tantùm facio, tantùm valeo, quibus respondendum est: stulte, hac nocte anima tua auferetur a te; quæ congregasti, cujus erunt? Lætatur dives stultus, nocte moriturus, quantumcunque cupiditas radices suas ubique distendat, quantumcunque rapiat, necesse est in una hora totum dimittat.* Scitè Joannes Owenus;

S. Aug. l. 50 hom. hom. 4 tom. 10.

Arte mea pereo, tumulum mihi fabricor ipse,
Fila mei fati duco, necemque neo.

Cæterùm Emblematis hujus argumentum ex aureis poëma-

Poëmatis Hetrufcis Urbani VIII. defumptum eft;

Voglia intensa d'haver n' lbuoni prevale
In tenaci pensier, si Ch' egli oblia,
Che datagli fu l' anima immortale,
Perch' al ciel torni, onde sen venne pria.
Ne per volo spiegar gli manca l' ale,
Mà sotto vile incarco usanzâria
Stretto con lacci d' or tienlo in balia,
Onde il bel di là sù mette in non cale.
Per tesori ammassar la cieca mente
A prò di cui non sà brama gl' impresse
Che di terreni affetti il cor glimbi omba.
Tal picciol verme a noi dal oriente
Traslato di sua spoglia ordisce, e tesse
Altrui serico ammanto, à se la tomba.

116. Omnes quidem bombyces globulis fuis conficiendis maximam impendunt operam; veluti fperarent, fe paucorum dierum intervallo candidis alis inftructos, è textili fuo clauftro in aëra evolaturos: at opinione complures deluduntur; nam illorum multi, intra ferventes aheni aquas fubmerfi, penitùs intereunt. Ut adeò, texendis fuis calathifcis intenti, benè de feipfis dixerint, NON OMNES IMMUTABIMUR. Ad propofitum Sanctus Paulus; *Ecce myfterium vobis dico; omnes quidem refurgemus, fed non omnes imutabimur.* Hoc Caroli Rancati Emblemate innuitur, plurimos reperiri Chriftianos, qui fefe in extremo judicii die ad æternam gloriam refurrecturos fperant, cùm tamen ad Tartarum, calamitate nunquam intermoriturâ, fint ablegandi. Nam, ut opportunè ait Magnus Auguftinus, *Refurget pius populus, ut veteris hominis fui reliquias transformet in novum. Refurget autem impius populus, qui ab initio ufque ad finem veterem hominem gefferit, ut in fecundam mortem præcipitetur.*

117. Bombyx aurea fua fila, ad nobiliffimorum Magnatū ac principum fœminarumq; pompam veftiariam fuffectura, non aliunde, nifi è propriis vifceribus trahit. Quare pretiosâ fuâ falivâ globulum bombycinum conficiens, epigraphen tenet; ALIUNDE NIHIL. Scriptoris illius hæc idea eft, qui fingulari naturæ bono inftructus, omnē voluminum fuorum materiē è proprii ingenii fæcunditate defumit, nullâ illorum parte ex alienis libris emendicatâ. Talem fe jactitans Manilius, de fuis poëmatis canit,

Noftra loquar. Nulli vatum debebimus orfa,
Nec furtum, fed opus veniet.

Ifaacus, Jacobo filio fuo benè precatus, dixit; *Ecce odor filii mei, ficut odor agri pleni.* Tametfi verò ad virtuofam filii fui fragrantiam fignificandam, præ analogiis agreftibus & rufticis, adducere potuiffet magis fpeciofas ac nobiliores; ut mofchum, thus, balfamum, aquam angelicam &c. quia tamen thus, balfamum, cæteraque fuffimenta nonnifi ex arborum vifceribus; mofchus è congelato animalium fanguine; aqua angelica è liquatis & maceratis floribus capiuntur; folus verò ager ornamentis minimè adventitiis, fed propriis fuis floribus ac fructibus abundat, odoremque domefticum, non verò peregrinum, aut aliunde emendicatum fpargit, idcircò filii fui odorem præ cæteris omnibus cum folo agro conferre voluit; haud dubiè fignificaturus, Jacobum nullis quidem nobilitatis, divitiarum, aliorumque bonorum titulis exoticis, aut aliunde derivatis, fed propriis ingenii ac virtutum dotibus confpicuum effe. Cæterùm Princeps; inftar nobiliffimi bombycis, in alios è propriis bonis maximè beneficum fe exhibeat, nihil unquam injuftè aut violenter aliunde exigendo. Laertio referente, animo prorfus regio dicebat Bion; *Optabilius effe, fuam meffem alteri largiri, quàm alienam decerpere.* Domefthenes rogatus. *Quid Deo fimile haberent homines?* refpondit, *Benefacere.* Ita Maximus.

118. Scipio Bargalius; fratrem fuum mortuum Emblemate fignificaturus, bombycem expreffit, qui intra globulum bombycinum claufus, epigraphen tenebat; RESURGAM, ET VIVAM. Reviviſcentiam mortuorum hæc imago innuit; illofq; non tantùm refurrecturos, fed & victuros afferit; vitâ nimirum immortali, & nullis Parcarum injuriis amplius interrumpendâ. *Quia*, ut inquit Doctor Angelicus, *in refurrectione non folùm à corporibus veftris auferetur quod fint mortua, id eft, neceffitatem mortis habentia, fed etiam quod fint mortalia, id eft, potentia mori &c.*

119. Pifis ad S. Frigidianum, in Chori pavimento, marmor parium vifitur, quod complures globulos bombycinos, & aliquot bombyces, in papilionum fpeciem tranfmutatos, eleganti opere exhibet; cum lemmate, IMMUTABIMUR. Ad hanc univerfalis refurrectionis ideam opportunè ait S. Paulus; *Mortui refurgent incorrupti: & nos immutabimur.* Ubi tamen advertas velim, unico lemmatis præfentis verbo integrum juftorum à reproborum reviviſcentiâ difcrimen comprehendi. *Reprobi namque*, inquit S. Thomas Villanovanus, *terreni imaginem portantes, carnales, deformes, & ponderofi, licèt incorruptibiles, furgent propemodum quales fuerunt in hâc vitâ mortali: electorum verò nova progenies, in gloriam filiorum Dei permutata, in fpirituali carne fulgebunt &c.*

120. Bombyx, in papilionem converfus, dum è calathifco fuo progreditur, epigraphen fuftinet; IDEM, ET ALTER. Ita pœnitens, pofteaquam ad frugem redire cœpit, corpore tenus prorfus quidem eundem refert, quoad mores verò à priore longè diverfiffimus exiftit. Unde P. Salarolus Abbas eidem Emblemati infcripfit; VIVO EGO, JAM NON EGO. Illius hæc imago eft, qui è mundi turbis intra religiofi clauftri anguftias receptus, ad Deum convertitur, cœlumque affiduis contemplationibus pervolat. S. Bernardus; *Omninò felix mors, quæ fic immaculatum fervat, imò penitùs alienum facit ab hoc fæculo. Ad alia quidem (inquit Apoftolus) omnia mortuus fum, non fentio, non attendo, non curo: fi quæ verò funt Chrifti, hæc vivum inveniunt, & paratum.*

121. Bombyx, dum in papilionem tranfmutatus, calathifcum fuum egreditur, à D. Afcanio Piccolominio epigraphen recepit; MUTATUS EXIT. Iis hæc imago convenit, qui morbo aut carcere detenti, demùm, priftinæ vitæ moribus in meliores commutatis, prodeunt; vel qui, priore fuâ vitâ intra religiofum clauftrum penitùs immutatâ, ad cœlos evolant; nam facram religionem exorfi, plurimis imperfecti animi fordibus fcatebant, quas poftea cum excuffo fæculo rejecerunt, ac fanctitatis religiofæ confuetudinem induerunt. S. Bernardus de vitâ monafticâ differens, altùm exclamat; *O vita mirabilis, fpirituale habitaculum, quæ de fuperbis humiles facis, de gulofis fobrios, de crudelibus pios, & fanctos, de iracundis mites, & luxuriofis pudicos, de inobedientibus obedientes, & de ofcitibus facis in fraternâ dilectione ferventes.*

Margin notes: Urbani VIII. ... fol. 12. — ... Cor. 15. 51. — Damnati. — S. Aug. l. de ... Relig. ... 27. — Ipso operari. — Manil. l. 1. — Gen. 27. 27. — Proprius valor. — Benefacere regium est. — Laert. l. 4. cap. 7. — Maximus serm. 8. — Resurrectio mortuorum. — S. Th. Aquin. apud Novar. Paul. exp. n. 203. — Resurrectio. — 1. Cor. 15. 52. — S. Th. Vill. Conc. 2. de Iudic. extr. — Pœnitens. — Religiosus. — S. Bern. serm. 7. in Quadrag. — Mutatio. — Religiosus. — S. Bern. hom. super simile est Regnum cælorum homini negotiatori.

121 Bom-

Contemplativus. 122. Bombyx, è serico suo globulo progrediens, epigraphen tenet; CUPIT ÆTHERA. Idipsum anima verè perfecta assolet, cujus suspiria non aliò, nisi ad Deum, suamque cum ipso unionem, tendunt. Talis erat Paulus, quando scripsit; *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* Opportunè S. Gregorius; *Benè Paulus, æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat; Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Dissolvi enim non quæreret, nisi se proculdubio vinctum videret.* Religiosissimus meus Thomas Kempensis, ex intimis animi sui visceribus ad Deum suspirans, exclamat; *O mi dilectissime Sponse Jesu Christe! quis mihi det pennas veræ libertatis ad volandum, & pulsandum in te? O quando ad plenum dabitur mihi vacare, & videre, quam suavis es Domine Deus meus? quando ad plenum me recolligam in te? ut præ amore tuo non sentiam me? &c.*

Philip. 1. 23.

S. Greg. l. 3. Mor. c. 30.

Tho Kemp. l. 3. de Imit c. 21. n. 3.

Resurrectio. 123. Bombyx, è bombycino suo tumulo progrediens, apertum Christi, & hominis è morte resurrecturi, symbolum habetur. Unde Bargalii lemma; RESURGIT CLARIOR. Hoc sensu S. Basilius Magnus; *Cùm vos ô mulieres, ordimini, & retorquetis fila, quæ ad vos usque Seres transmittunt, ad raras istas, ac præmolles vestes concinnandos; veniat vobis in mentem hujusce varietas animalis in formas, atque mutatio, indeque resurrectionis dilucidam, certamque sententiam sumite &c.*

S. Basil. Hom. 8. Hexamer.

124 Bombyx, in papilionem mutatus, è calathisco suo progreditur, & in aëra evolat. Emblemati subscripsit Joannes Bapt. Rusca; SERVANDÆ SOBOLI. Ita Sanctus Patriarcha Noe, cum paupere suâ familiâ arcam egressus, à Deo ad propagandam gentis humanæ seriem, quæ in diluvio miserè interrupta, ac penè extincta fuerat, reservabatur. De hoc S. Gregorius Nazianzenus; *Noe in periculo servatus est, ipseque in exiguo ligno mundum servans, nationumque semina, orbis terrarum diluvium fugientium, ut terra rursus sanctioribus habitatoribus ornaretur.* Et rursus de eodem Noemo disserens, *Cui*, inquit, *arca commissa est, & qui secundi MUNDI SEMINA, parvo ligno concredita, in aquis SERVAVIT.* Cæterùm hæc imago etiam magnates illos spectat, qui, singulari sedis Apostolicæ indulgentiâ, è Cœnobiis discessêre, ut illustrissimas suas familias, jamjam intercituras, erigere, ac postera prole propagare possent. Complurium instar, unum alterumve adducere placet. Nicolaus Justinianus, Religiosum Ordinem professus, Alexandri III. gratiâ uxorem duxit, ut nobilissimæ suæ prosopiæ, jamjam extinguendæ, suppetias ferret. Casimirus, Diaconus, & solemnibus votis Deo obstrictus, supplicante Poloniæ regno, à Benedicto IX. permissus est, è Cluniacensi Galliæ Monasterio egredi, & regiam Poloniæ seriem in conjugio propagare. Constantia, Siciliæ Regis filia, ut Henrico IV. nuptui tradi posset, voti religione, quod in Monasterio edidir, soluta est; ut testatur Platina.

Noë.

S. Greg Naz. Orat 1. in Iulian.

Idem Orat. de S Basil.

Religiosi è Monasteriis dimissi per Papam.

Platin. in vita Clem. III.

125. Joannes Baptista à Portâ hominem, amoris vinculo exsolutum, cum bombyce comparat, qui è calathisco suo prorumpens, epigraphen tenet; ET FECI, ET FREGI. Huic affine est lemma Bargalii; CONSTRUXI, DESTRUXI. Hoc sensu Hieronymus Preti canit;

Amans liberatus.

Hier. Preti in Canzone SPEGNO.

Amor dunque degg' io
Adorar chi mi sdegna?
Seguir onda, che fugge; Aura che vola?
Folle amor, van desio
Amar chi d' odio è degna,
Che mentre a lei mi dono, a me s' invola,
Sdegno, ah in mi consola.
Poich' Amor, e costei ride al mio pianto,
Si si FUI GIA' LEGATO, HOR SCIOLGO IL LACCIO.
Foco fui, sono un ghiaccio.

Et Fulvius Testi;

Fulv. Test nelle sue rime p. p.

Cinta, i' nganni: son non sono più qual fui,
Sdegno, e ragion l' antica fiamma han spento,
E sciolto da tuoi l' acci il cor contento
Gioisce in rammentar gli affanni sui.
Non può cor generoso, alma ben nata,
Benche amando tal' or erri, e deliri,
La tirannia soffrir di dona ingrata.

Eodem Emblemate etiam pœnitentem, è pristinis scelerum vinculis extricatum, describes. De hoc S. P. Augustinus; *Nos aliter salvi fieri non possumus, nisi confiteamur pœnitentes, quod iniquè gessimus negligentes.*

Pœnitens

S. Aug. serm. 66. de Temp.

126. In Cœnobii angustiis pennas acquirimus, quarum beneficio ad cœlos evolemus; E Bombycis emblemate id demonstratur, qui è serico suo carcere progressus, epigraphen tenet; E CARCERIBUS ALAS. Vel ut meus Concanonicus D. Salvator Carducius inscripsit; DANT VINCULA PENNAS. Mentem ipsius hoc epigrammate explicatam habe;

Religiosi

Serica dant volucres tumulato vincula pennas;
Liberior cœlo mens religata volat.

Præclarè dixit S. Bonaventura, Religiosum, liberâ voluntate intra cellulæ suæ angustias conclusum, directo itinere ad cœlos evolare; *Moriens*, inquit, *vix unquam aliquis à cellâ in infernum descendit, quia vix unquam, nisi cœlo prædestinatus, in eâ usque ad mortem persistit.* Idem lemma etiam ægrotis, afflictis, & captivis solatium affert, quod è suis angustiis vel preces tantò calidiores fundere, & animo in Deum sublevari discant; vel certè non ita multò post evasuri sint illustres ac gloriosi; uti Josepho contigit, qui è carcere progressus, primos Ægypti honores conscendit.

S. Bonav. l. Pharet. c.

Calamitates.

127. Bombyx, è globulo suo provolans, epigraphen sustinet; E CELLULA COELICOLA. Ita nimirum intra Cœnobii angustias receptis facillimum est ad paradysi felicitatem sublevari. Probè id perspectum habens S. Petrus Damianus, ait; *Reprimatur quilibet frater nunc in angusto suæ remotionis ergastulo: ut infinitæ magnitudinis domus sibi paretur in cœlo.*

Religiosi

S. Pet. Dam. Opusc. 12. c. 32.

128. Academici Philomati funebrem D. Ascanii Piccolominii apparatum bombycis emblemate ornârunt, qui in papilionem conversus, è serico suo calatho erumpebat, cum lemmate; NEC VITÆ QUÆRIT ALIMENTA PRIORIS. Bombyx enim, è verme in alitem conversus, à consuetis pristinæ vitæ suæ cibis penitus abstinet. Ita prorsus homines, è mundo ad cœnobium conversi, pristinas orbis scelerati delitias penitus fastidiunt. His non absimiles pœnitentes, dum Divinæ gratiæ alis innovantur, omnem prioris vitæ consuetudinem abjiciunt. Nazaræi, homines à mundo separati, solisque Divinis obsequiis singulari virtute ac perfectione consectari, hanc à Moyse legem acceperant; *Acetum ne bibant*; quâ quidem præceptione Deus non ipsam verborum superficiem attendi volebat, neque id præcisè spectabat, ut aceto, ob nativam suam acrimoniam aliàs parum grato, abstinerent; sed potius sub illo verborum volucro significabat, iis omni vitiorum sæcularium acore, cui semel renuntiaverant, temperandum esse. Unde Rabanus in hunc locum ait; *Acetum bibunt, qui post vitæ sanctitatem*

Religiosi

Pœnitens

Raban. in hunc loc.

ritate in vetustate præteritorum vitiorum labuntur, & correptione veteris nequitiæ delectatur. Idipsum apertè innuit S. Petrus Damianus; *Quicunque frater sæculum perfecto corde deseruit, ea ipsa, quæ sibi jam nota sunt, si noxia probantur esse, dediscat, & oblivioni perpetuæ in quantum prævalet, tradat. Nesciat igitur jam disputare de quovis, ignoret esculentiores præferre lautioribus cibis. Jejunium amet, necessariarum rerum penuriam diligat, aspectus hominum fugiat, sub silentii se censura constringat, ab exteriori se negotio subtrahat, &c.* (S. Pet. Dam. Opusc. 13. c. ...)

129. Homo, omnem in operando vanam gloriam effugere, suasque virtutes occultare desiderans, bombycem imitatur, qui calathisco suo texendo occupatus, sensim filorum cassibus totus obtegitur. Unde lemma; OPERITUR, DUM OPERATUR. Has virtutes Salomon in Divina sponsa observans, eam hortum conclusum cognominat; *Hortus conclusus soror mea sponsa*; hortum quidem, eò *quod ibi semper aliquid oriatur*, inquit Hugo Cardinalis, conclusum verò, quod omnem in operando ostentationem fugiens, solitudinem ambiat. S. Bernardus; *Conclusus hortus sancta anima mea esse dicitur, dum amore vitæ æternæ à strepitu sæculari se abstrahit, dum visus hominum fugit, dum bona, quæ agit, propter laudes hominum abscondit, dum se propter Deum, ne ab hominibus videatur, includit, dum humanas laudes contemnit.* (Animum gloriam fugere. Cant. 4. 12. Hug. Card. in hunc loc. S. Bern. ser. ... cap. 4.)

130. Bombyx, tametsi calathiscum suum ingrediens, abjectam, maculosam, spurcam ac horridam vermis speciem referat, ubi tamen ex illo reversus fuerit, totus comparebit agilis ac candidus. Unde lemma: CANDIDATUS EXIBIT. Ita prorsus Sacratissimum Servatoris nostri corpus, cum sepulchrale marmor intraret, sanguine, sputis ac livore miserè dilaniatum cernebatur; postea verò membris omnibus illustre ac gloriosum prodiit. Apprimè S. Paulus; *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Hunc locum S. Anselmus de omnibus mortuorum fidelium corporibus interpretatus, ait; *Seminare est sepelire; quia sicut triticum tegitur in agro, ut resurgat innovatum, sic corpus defuncti in sepulchro ponitur, ut inde resurgat melioratum. Seminatur ergò in corruptione, id est, sepelitur corpus hominis corruptibile, sed surget in incorruptione, quia jam corrumpi non poterit. Seminatur in ignobilitate, id est, sepelitur in vilitate & abjectione, ut fœteat, & vermibus scateat; sed surget in gloria, id est, gloriosum & lucidum.* (Christus sepultus. 1 Cor. 15. 42. S. Anselm. in hunc loc.)

131. Nobilis hic vermiculus cellulam suam, quâ paulò post cooperiatur, ipsemet studiosè construit. Unde illum P. Rancatus hoc lemmate loquentem sistit; CONDO, UT CONDAR. Prudentûm illorum hæc idea est, qui hæredum, plerumque ingratorum ac mendacium, fidem nihil morati, tumulos suos, quibus mortui condantur, etiamnum vivi extruunt. Consultissimè Plinius; *Tam rara in amicis fides, & tam parata oblivio mortuorum, ut ipsis nobis debeamus conditoria extruere, omniaque hæredum officia præassumere.* Eos insuper hoc Emblema deprædicat, qui charitatis studiosi, egenos omnes amico affectu excipiunt, ut & ipsi olim in tantæ beneficentiæ vicem ad cœlestem gloriam admittantur. (Sepulchrum sibi facere. Plin. Junior l. 6. Ep. 10. Charitas.)

132. Bartholomæus de Rubeis symboli loco bombycem statuit, qui è propria sua cella alatus exibat; cum lemmate, IN EGRESSU NOBILIOR. Christi resurgentis hæc idea est, qui post gravissimos cruciatus & labores, pro humana gente toleratos, tandem è sepulchro gloriosus, & è mundo triumphans ad cœlos abiit. Idipsum etiam de Religiosis (Christus resurgens. Religiosi.)

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

dicere licet, qui, ut Sanctorum Patrum phrasi utar, *è cella ad cœlum* evolant. Religiosissimè mei Thomæ Kempensis aureus de Christo imitando libellus; *Cella continuata dulcescit, & malè custodita tædium generat. Qui se abstrahit à notis & amicis, appropinquabit illi Deus cum Angelis sanctis. Qui intendit ad interiora & spiritualia pervenire, oportet eum cum Jesu à turba declinare. Nemo securè apparet, nisi qui libenter latet.* (Th. Kemp. l. 1 de Imit. cap. 20 n. 2. & 5.)

133. Bombyx, se ipsum eviscerans, è Monacensi Societatis Jesu Collegio epigraphen recepit; VISCERA DONAT. Innuebat videlicet, tantam S. Francisci Borgiæ erga omnes fuisse charitatem, ut se ipsum iis impendere, summæ voluptatis loco habuerit: Mosi non absimilis, qui pro populi salute de libro vitæ deleri non abhorruit. In hunc locum S. P. Augustinus ait; *Beatus Moyses, cùm frequenter eum populus rebellis non solùm contemnere, sed etiam lapidare vellet; Divinæ charitatis memor, ita pro illis Domino supplicabat, ut clamaret & diceret, si non dimiseris peccatum populi tui, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Cæterùm ingeniosa est inscriptio, quam idem Collegium Emblemati præsenti suffixit. (Charitas. Exod. 32. 31. S. Aug. serm. 168. de Tem. S. Franciscus Borgias.)

Franciscus omnibus omnia factus,
Postquam sibi nil esse cœperat, ----
Publicæ salutis memor, quia non immemor suæ.
Amorem daturus aliis, rapuit sibi.
Omnes cùm vellet optimos, se voluit omnibus meliorē.
Ita vacans sibi, ac si cæteros neglexisset;
Ita cæteris, ac si se negligeret. &c.

134. Eruditè bombycem describens meus Concanonicus, Reverendissimus D. Adamus Weberus, Præpositus Hegelvvertensis, ait; Bombyx, si ratio consulitur, est artifex non minus laboriosus, quàm artificiosus, & nendis Regum vestibus natus textor: si oculorum exquiritur judicium, est animalculum despicatissimum, utpote carne & sanguine, nervis, ossibus, venis, arteriis, Intestinis, oculis, auribus, pilis, squamis, spinis destitutum: &, ut paucis complectar multa, ex luto & sanie conflatum insectum, hactenus ille. Unde epigraphen subjicies; VIRTUS METIENDA LABORE. Christi præceptio est; *Nolite judicare secundùm faciem*; Et Siracidis; *Non laudes virum in specie, neq; spernas hominem in visu suo*; frequenter enim experieris, in deformi corpore pulchram latere indolem, & hebetem in formoso. Ex Euripidis sententia. (D. Adamus Weberus in Arte discur. fonte 5. Exempl. 3. Deformis virtuosus. Ioan 7. 24. Eccles. 11. 2.)

Animus spectandus est: nihil pulchritudo
Juvat, cum quis mentem non bonam habet.

Et alibi;

Deformis sim potius, quàm pulcher & malus.

Egregiè Seneca; *Potest è casa vir magnus exire, potest è deformi, humilique corpusculo formosus animus & magnus: ut intelligamus, non deformitate corporis fœdari animam, sed pulchritudine animi corpus ornari.* Ita plurimùm extitêre deformes Æsopus, Hipponax, Socrates, Crates, Gellius, Agesilaus, Aristoteles parvus, gibbosus, deformis, balbutiensque &c. qui tamen sapientiâ & virtute excelluêre. Verissimè Cato; (Senec. Ep. 66. Cato in distichis.)

Corporis exigui vires contemnere noli,
Ingenio pollet, cui vim natura negavit.

135. Bombyci, assiduis laboribus fatigato, viride mori folium substerni solet, ut illo nutritus, gavisusque, fila sua serica perficiat. Emblemati subscripsit eruditissimus Philotheus; UT PERFICIAT. Ita sanè corpus nostrum abstinentiis & jejuniis quidem intra limites continendum, non tamen frangendum, ut & labore suo fungi, & ad Dei gloriam illum (Abstinentia moderata.)

 perfi-

Ioan Caff de Inst Monast liv. 5. perficere queat. Benè dixit Joannes Cassianus; *Melior est rationabilis quotidiana cum moderatione refectio, quàm per intervalla arduum longumque jejunium. Novit immoderata inedia non solùm mentis labefactare constantiam, sed etiam orationis efficaciam reddere corporis lassitudine enervatam.* Emblemati explicando sequens epigramma subjungit Philotheus.

Bombyci folium mori manus admovet escam,
Lætius assumpto crescat ut inde cibo.
Non satis, ut primo vermis nascatur ab ovo,
Cara sed illius vellera feres avent.
Quid cœpisse juvat telam, nisi finiat auctor?
Nemo decus, nisi res perficiatur, habet.
Non solùm è terris tu me, Deus alme, creâsti,
Sed quoque ritè tuum perficis auctor opus.

GLOBULUS BOMBYCINUS.

136. HIc globulus, bombycis industriâ constructus, beneficum suum artificem intra se, veluti hospitio, recipit; ubi etiam ille plurium dierum intervallo commoratur; donec tandem in candidum papilionem transmutatus, foras erumpat, orbisque conspectum subeat. Unde D. Gregorius Bolzi, maximum Congregationis Samascenæ decus, huic globulo inscripsit. CHI MI FORMO, NEL SENO MIO RIPOSA. Id est, QUI ME FORMAVIT, MEO IN SINU RECUMBIT.

Maria V. gravida. Præclarum hoc Mariæ Virginis symbolum habetur, quæ gravido suo utero ipsummet Creatorem portavit. Ut adeò Sancta Ecclesia illius ore hæc Siracidis verba propriissimè pronuntiet; *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Hugo Cardinalis inter *Hugo Card. in hunc loc.* cæteras expositiones hanc tenet; *Qui creavit me singulare templum sibi, requievit novem mensibus, & sex diebus in tabernaculo meo, id est, in utero meo.* S. P. Augustinus, *Christus,* inquit, *Virginem Matrem, quam eligeret, creavit; de qua crearetur, elegit.* *S. Aug. l. 2 de Peccat. merit. c. 24.*

BRUCHUS. Cap. IV.

137. PEccatorem pertinacem, & in prosequendis suis flagitiis obstinatum, Bruchi emblemate describes, qui à frondibus corrodendis tamdiu non desistit, donec totus consumpserit. Unde Lucarini lemma; DONEC CONFICIAT. De hac bruchi proprietate canit D. Joannes Paschalius; *Peccator obstinatus.*

Non prius assiduus desistit rodere bruchus
Herbas, quàm totum dempserit ante decus.
Atropos indignæ quam stamina fregerit auræ,
Nec genus humanum despicit ante secum.

Vana gloria. Porrò vana gloria, ubi hominem semel occupaverit, instar bruchi, tamdiu in ipsum grassatur, donec omnes virtutes, ceu frondes amœnissimas miserè depopulata fuerit. S. Bernardus; *Quantos,* inquit, *vana gloria trudi fecit in tenebras exteriores, veste spolians nuptiali, & virtutum exercitia fructu pietatis evacuans? Quantos pestis hæc nequiter supplantatos, turpiter quoque dejecit, ut cæteri quique, quos latuit occultus effossor, subitam expavescerent ad ruinam? quid verò hunc fovet vermem aliud, quàm mentis alienatio, & oblivio veritatis?* *S. Bern. in Psal. 90. serm. 6.*

Religiosus 138. Bruchus, folliculo cuidam involvi solitus, epigraphen, etiam bombyci propriam, sustinet; UT EXTOLLAR. Ita homo, intra cœnobii angustias conclusus, volatu longè expeditiore versus Deum sublevatur. S. Bernardus, de statu Religioso disserens, exclamat; *O porta præclarissima, per quam in sanctam civitatem intratur, per quam regnum cœlorum rapitur & possidetur! Tu mentium secreta purificas, tu scala Jacob, quæ animas perducis ad paradisum. Tu via regia paradisi, quæ homines perducit ad patriam.* *S. Bern. Hom. sup. r sim est regnum cælorum h[...] mini nego-tiatori.*

CHAMÆLEON, Cap. V.

139. CHamæleon, teste Simone Majolo, inter omnia animantia solus *nec potu, nec cibo alitur, nec alio, quàm aeris alimento.* Unde uni tantùm chamæleonti subscribes; VESCITUR AURA. Certè, homo ambitiosus, vel aulicus adulator nonnisi vanissimo aëre pascitur. Ad propositum Andreas Alciatus; *Sim. Maj. Dier. Can. Tom. 1. Col loq. 8.* Ambitiosus. Adulator. *Alciatus Embl. 53.*

Semper hiat, semper tenuem, qua vescitur auram
Reciprocat Chamæleon -----
Sic & adulator populari vescitur aura, &c.

Si verò complures chamæleontes uno Emblemate depingere libeat; epigraphen subjunges, SPIRITU VIVIMUS. Verbis è D. Paulo mutuatis; *Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.* Personas contemplativas, & in Deo penitus absorptas, hic typus exprimit, S. Basilius, uti de eo testatur S. Ecclesia; *tantùm spiritu vivens, præter ossa & pellem, nulla præterea corporis parte constare videbatur.* Hoc nihilò inferior S. Catharina Senensis, integro mense nullum, nisi SS. Eucharistiæ cibum sumpsit. &c. S. Bernardus, illum Apostoli locum explicans, ait; *Si caro non prodest quidquam, sed spiritus est, qui vivificat ipsam; separare oportet pretiosum à vili, & digniorem præponere partem, ut secundùm spiritum ambulemus, non secundùm carnem. Ad spiritum enim debet fieri conversio carnis, ut serviat ipsa, & non serviatur ei.* Contemplativus. *Galat. 5. 2.* *Brev. Rom. 14. Iunii.* *S. Bern. 23. de Div. sis.*

140. Præsuppositâ illâ chamæleontis proprietate, quod aere pasci soleat; quidam Dynasta, cùm Dominam Lauram Cibò San Vitale sibi matrimonio junxisset, Emblematis loco Chamæleontem depinxit, cujus lemma ad sponsæ illius nomen & cognomen eruditè alludebat; CIBO VITALE M' E'L'AURA; Id est, VITALEM CIBUM MIHI SUGGERIT AURA. Eoque amoris sui viscera adversus tantæ virtutis fœminam explicare volebat. Alius simili argumento amorem suum erga fæminam, cui Dariæ nomen, Chamæleontis emblemate adumbravit; addito lemmate. D'ARIA E'LA VITA MIA. Id est, EX AERE VITAM; vel ut aliis placet; SUFFICIT AURA. Quodsi iconem hanc ad mores formandos applicare libeat, eam homini ambitioso propriam dices, qui nonnisi aëre, vanissimâ inquam mundi gloriolâ, pasci consuevit. Seneca; *Relinque ambitionem; timida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum; tam solicita, ne quemquam ante se videat, quàm ne se post alium.* Statius, ambitiosos suos affectus ingenuè confessus, accommodatè ad hoc Emblema cecinit; Ambitio. *Senec. Ep.* *Stat. l. 4. Sylv. 4.*

---- ---- --- Nos otia vitæ
Solamur cantu, ventosaque gaudia famæ
Quærimus.

141. Chamæleon, ad humanæ vitæ volubilitatem significandam, authore Carolo Rancato, illa Jobi verba instar lemmatis pronuntiat; VENTUS EST VITA MEA. His coloribus etiam hominem ambitiosum, nonnisi popularibus ventis, & vanissimâ aurâ pasci solitum, depinges. P. Cornelius à Lapide illa Oseæ verba interpretatus, *Ephraim pascit ventum;* vel, ut Hebræus legit: *Ephraim pascitur vento:* ait, *Ambitiosi pascuntur vento:* *Iob. 7. 7.* Ambitiosus. *Osea. 12.*

quid

quid enim est honor, nisi popularis aura, & ventus in omnem partem mobilis, statimque evanescens? Sunt ergò quasi chamæleontes, qui feruntur vivere & nutriri vento. Unde S. P. Augustinus: *Tollantur de medio inanes venti, tollatur de medio fumus, qui crescendo evanescit: prorsus pro salute ista contemnantur.*

S. Aug. ser. 59. Verb. Dei. c. 10.

142. Aristoteles, Plinius, Plutarchus, Petrus Crinitus, aliique plures testantur, chamæleontem colores suos mirâ facilitate mutare, rerumq; omnium quibus propinquat, colorem imitari: ut adeò videri possit, nullam aliam huic animanti constantiam superesse, nisi quod in forma sua, singulis momentis immutandâ, constantissimè sit inconstans. Unde lemma; STABILE E'SOLO IN VARIAR GLI ASPETTI. Id est; IN VARIETATE STABILIS. Emblemati occasionem subministravit nobile D. Basilii Paradisi poëma, ubi varias fortunæ mutationes describens, canit;

Mundus mutabilis.

Labile ogni fortuna
Precipita a momenti il gaudio: e'l duolo
Bil pianto, e il riso immortalmente alterna,
Con inconstanza eterna
D'onde a pena posò spiegando il volo,
Diman dispergerà quant'oggi aduna,
E in sembianza importuna,
Fatta cameleonte a suoi diletti,
Stabile è solo in variar gli aspetti.

Eâdem icone Cassiodorus malitiosi debitoris vafritiem demonstrat, qui, ut creditori imponere possit, mille fraudum pigmenta induit. *Fugere siquidem nescius, sed suæ sponsionis ignarus: obliviosus, cùm relinquitur; trepidus, cùm tenetur. Mutat verbo, variat constituta: nec in una dicti sui qualitate contentus, diversis imaginibus immutatur. Meritò chamæleonti bestiæ conferendus, quæ, quoties humanos aspectus incurrerit, dum ei fugiendi velocitas denegatur, nimiâ timiditate confusa, colores suos multifariâ qualitate commutat, &c.*

Piscator dolosus. Cassiod. l. 5. Var. 34.

143. Chamæleontis colores duplicem varietatis & assiduæ mutationis suæ causam habent; primam quidem intrinsecam, quando amoris aut iracundiæ affectu flagrat; alteram verò extrinsecam, dum lucis radii in ipsius corpore reflexi, directo aut obliquo oculo aspiciuntur. Hujus Doctrinæ locuples testis Seneca; *Chamæleontes,* inquit, *& reliqua animalia, quorum color aut ex ipsis mutatur, cùm irâ vel cupidine accensa, cutem suam variant humore suffusco: aut positione lucis, quam, prout rectam vel obliquam receperint, ita colorantur.* Quare Chamæleontem, solaribus radiis expositum, hoc lemmate affecêre; NEL SUO BEL LUME SI TRASFORMA, E VIVE. Id est; HINC VITA COLORQUE. Aulicum adulatorem hoc emblemate describes, qui sub Principis aspectu se totum ad illius mentem ac genium in omnem partem effingere novit. Talem se exhibebat Piletus, quando, Statio referente, hero suo dixit;

Senec lib. 1. Quæst. Nat. c. 5.

Adulator.

Stat. l. 2. Silv. 6.

—— Tecum tristisque, hilarisque; nec unquam
Ille suus: vultumque tuo sumebat ab ore.

Oleaster hanc animi & affectuum varietatem omnibus Principum ministris communem affirmat; nam *sicut iniquus omnes ministros impios habet, sic justus omnes justitiâ præditos: & ut plurimum cujus fidei est Dominus, ejusdem est servus; & quali vultu Dominus aliquem recipit, tali & ministri ejus.* Iidem etiam hominis amantis mores sunt, qui ad omnes personæ amatæ nutus & affectus se studiosissimè componere satagit. *Amor,* inquit P. Cornelius à Lapide, *instar chamæleontis amantem conformat rei amatæ.* Id quod amantis ore exprimit Otho Venius.

Oleast. in Prov. 44. 23.

Amans.

Corn. à Lap. in Cant. 2. 17.

Oth Ven. in Embl.

Quod cupis, id cupio; quod spernis sperno, tuumq;
Velle meum velle est, nolleq; nolle meum.
Te propter varios, ut Protheus, induo vultus,
Inque modum Chamæ, crede, leontis ago.

144. Chamæleon, serpentem sub arbore conspicatus, mox hujus ramos insilit, suoque veneno sensim ac directè è faucibus supra serpentis caput demisso, illum interficit. Unde D. Aresii lemma; PLAGÆ ILLIUS NON EST SANITAS. Ex hoc schemate lethiferum ac insanabile detractionis virus colligere licet; Unde perversus quidam consiliarius, Plutarcho referente, dicere eil solitus; *Quodvis in quosvis esse confingendum; ut enim vulnus maximè sanet, manet tamen cicatrix.*

Detractor

Plutarch.

145. Serpens è chamæleontis veneno, per arboris ramos distillante, occisus, epigraphen tenet; MORTIFERO MORTEM. vel, AB ALIO, QUOD ALIIS. Hæ nimirum talionis leges sunt, ut easdem calamitates, quas aliis struxisti, ipsemet patiaris. Seneca hâc talione, ceu ariete, crudeles hominum animos expugnare, & à tyrannide avertere nititur;

Talionis lex.

Senec. in Thyeste Act. 3.

Vos, quibus rector maris, atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos, tumidosque vultus:
Quidquid à vobis minor expavescit,
Major hoc vobis Dominus minatur,
Omne sub regno graviore regnum est.

Balthsar Bonifacius de Herode & Herodiade canit:

Balth Bon. in Larario. p. p. Epig. 8.

a-- --- Deus affuit ultor
Sacrilegis: Vobis offensi Numinis instat
Sera quidem, gravis ira tamen: qui vincula circum
Colla dedit justi, meritò vincitur & ipse:
Assyrio tandem superatus ab hoste; Puella
Saltatrix, saltans moritur: resoluta, choreas
Ducentem, glacies imum detrudit in amnem,
Quæque caput petiit, capiti temeraria sancto
Insultans, afflata sacro perit ore; Tyranni
Discite justitiam: gravis ò! gravis ira Tonantis!

Justus Lipsius coërcendæ militum insolentiæ opportunam hanc methodum præscribit, *In sanguine & cæde qui versantur, ferociam & contemptum induunt, nec nisi sanguine & cæde coërcentur.*

Lips. lib. 5. de Milit. dialog. 18.

146. Chmæleon serpentem quidem interficere, non tamen devorare solet. Unde lemma; MACTO, NON MANDUCO. Ita Judex, omni munere recusato, omnique propriâ utilitate relictâ, justitiæ leges exequatur, & in sceler tos liberrimâ authoritate animadvertat. Nam, ut verè ait Magnus Augustinus; *Accipere munera, est propter munera laudare hominem, adulari homini, judicare contra veritatem.* Horatius:

Judex justus.

S. August. in Psal 25.

Horat. l. 5. Ode 9.

Judex honestum prætulit utili: &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu: & per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.

146. Chamæleon, serpentem occidens, epigraphen tenet; NEC SPE, NEC METU. vel; NEC ESUI, NEC ULTIONI. Enimverò chamæleon ad illam serpentis cædem patrandam nec escæ, aut alterius commodi capiendi spe; nec odio aut imminentis mali formidine; sed solâ nequitiæ destruendæ animo ducitur. Præclarum hoc vindicantis justitiæ prototypon ob omnium Judicum oculos statutum velim.

Judex rectus.

Cicero lib. 2. de Orat. velim. Adversus injusta hominum judicia conquestus Tullius, ait: *Plura judicant homines aut amore, aut cupiditate, aut iracundiâ, aut dolore, aut lætitiâ, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliquâ permotione mentis, quàm veritate, aut præscripto, aut juris normâ aliquâ, aut judicii formula, aut legibus.* Et S. Anselmus; *Quatuor modis judicium humanum pervertitur: timore, cupiditate, odio, amore.*

148 Chamæleon è rebus quibusvis vicinis colorem mutuare solet. Unde illum purpureæ rosæ propinquantem depinxêre: addito lemmate, MAGE PULCHER AB OSTRO. Ea ipsa felicitas etiam Principum domesticis ac familiaribus obtingit, quippe à quorum vicina authoritate illustrissimum honoris ac gratiæ splendorem recipiunt. *Principû Domestici.* *Meditatio passionis Christi.* Porrò homo Christum, in Cruce fixum, ac sanguine undique perfusum, piâ consideratione accedens, nobilissimum inde amoris Divini colorem refert. S. Bernardus, *S. Bern. ser 1. de Verbis Isaiæ.* *Quia si compatimur, & conregnabimus, sit interim meditatio nostra. Fratres, Christus, & hic crucifixus. Ipsum ponamus signaculum super cor, signaculum super brachium nostrum. Ipsum amplectamur brachiis quibusdam vicariæ dilectionis, ipsum sequamur studio piæ conversationis. Hoc enim iter, quo ostendatur & nobis ipse, qui est salutare Dei: sanè non jam sine specie & decore, sed in claritate tanta, ut majestas ejus repleat orbem terrarum.*

149. Chamæleon à vicinis objectis omnem colorem, præterquam album, in se recipit. *Adulator.* Lemma. SOLUM NON INDUIT ALBUM. Adulatoris hic genius est, qui, solo candore excepto, reliquos omnes pro Principis placito induunt. Sanctus Joannes Chrysostomus; *S. Chrysost. in Polycrat. de vestig. Philost. lib. 3.* *Eliminat à palatiis adulatio veritatem; Adulator omnis veritatis inimicus est, & quasi clavum figit in oculo illius, cum quo sermonem confert; eoque magis cavendus est, quò sub amantis specie nocere non desinit, donec rationis obtundat acumen, & modicum illud luminis, quod adesse videbatur, extinguat.* *Peccator.* Porrò homines flagitiosi quosvis aliorum colores ac vitia in se recipiunt, præterquam innocentiam & animi puritatem.

CICADA.

Cap. VI.

150. Hominem, quæstûs terreni studiosissimum, & inter assiduos opum corradendarum labores vix non frangi solitum, Cicadæ symbolo repræsentabis; *Quæstuosus.* addito lemmate: QUESTU DIRUMPAR. ubi inter geminam hanc vocem, *questus*, & *quæstus*, æquivocationem non ingratam observes velim; illa enim lamentum, hæc verò lucrum significat: quamvis utraque in mundanorum cordibus, conjugio penè indissolubili, habitet; ut quæ, nullis unquam exaturanda opibus, quæstum assiduis quæritant questibus ac suspiriis. S. Ambrosius; *S. Ambr. l. 3. Epist. 20.* *Quid nobis cum istius sæculi via, habitare in luteis domibus, dies & noctes in lucris ponere, & de lucris semper cogitare atque (ut cicadas ajunt) aura quadam pasci cupiditatum? Vere sicut cicadas, quia de die in diem vivunt, QUESTU QUÆ RUMPUNTUR suo.*

151. *Peccator.* Cicada, soli æstuanti exposita, epigraphen tenet; SILET, DUM NON ARDET. Ita Peccator, nonnisi febrium, aliarumque calamitatum ardore percussus, ferias in cœlum preces spargit. Disertè de Judæis testatur Regius Prophetes; *Psal. 106. 6.* *Clamaverunt ad Dominum, cùm tribularentur. Quo tempore* subdit Cassiodorus, *Cassiod. in hunc loc.* *clamor cordis totis viribus excitatur, quando & imminens periculum timetur, & præsumptio humana subducitur.* Quare Leo X. hunc Psalmi versiculum, *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi,* sibi pro symbolo delegit; *Psal. 119.* ut in ipsius vita refert Alphonsus Ciacconius. Eâdem ratione etiam Prophetis tamdiu voces hærent, *Prophe*[tæ.] dum Spiritûs sancti ardore succensi, clamoribus suis toto orbe personare cogantur.

152. Eidem Emblemati subscripsit D. Aresius; NON SILET, DUM ARDET. *Zelus.* Nimirum animus, salutis alienæ zelo, aut charitate erga proximum succensus, non se continet, quin crebrò cordis sui voces sonorâ linguâ prodat. Jobus, quamlibet acerrimè excruciatus, tormenta tamen omnia ore taciturno, ac mirè tranquillo toleravit; at ubi blasphema uxoris adversus Deum consilia inaudiit, mox sancto zelo inardescens, cohibere se ultra non potuit, quin altùm exclamaret, eamque severâ hâc censurâ reprimeret; *quasi una de stultis mulieribus locuta es.* *Iob. 2. 10* In hunc locum S. Joannes Chrysostomus; *S. Io. Chr[ys.] & Lyran. hunc loc.* *Cùm ea verba stomacum Jobo movissent (id quod superiora mala facere minimè potuerunt) pleno iracundiæ vultu, trucique respectu ad uxorem convertitur.* Et Lyranus, *Quamvis afflictiones proprias patienter sustinuerit, tamen injuriam Dei absque reprehensione propria sustinere non potuit.* Cor humanum, cicadæ non absimile, *Amor.* quando amoris flammâ semel incalescit, ægrè sibi imperat, quin in poëticos aut musicos concentus prorumpat. Vetus ac vera Plutarchi, & aliorum paræmia est; *Musicen docet Amor.* Huic conformis Magnus Augustinus, ait; *Cantare amantis est.* *S. Aug. [serm.] 256. de t[emp.]* Joannes Jovianus Pontanus non eo tantùm tempore se cicadæ similem fuisse affirmat, *Io. Iov. P[ont.] l. 1. Erid.* quando urente adhuc juventutis Syrio, ab amoris flamma stimulatus, cecinit; sed etiam dum, rigente jam senii brumâ, ad eosdem cantus, miserâ ac inquietâ sorte repetendos, ab amore concitatur.

Cantando luces peragit sub fronde Cicada,
Et mulcet sylvas carmine læta suo.
At tenebras sub rore levi, sub deside somno
Transigit, & noctes, nocte juvante suas.
Cantando moritur, sentit nec tædia mortis,
Quin cantu vitam ducit, & exequias.
O felix ortu, interitu felicior! At me
Et nox nigra gravat, vexat & atra dies.
Ante fores jaceo gelidæ sub frigore brumæ,
Nec pudet ætatis, Pieridumque senem
Ante fores, sub sole leo dum fervet, & ignis
Ustulat Icarius, conqueror usque senex.
Uror amans, tabesco senex, lux omnis amara,
Nox inimica mihi est, noxque, diesque, nocet.
Sors juvenum miseranda, senum deflenda, cicadæ
Sors felix. O jam discite quid sit Amor.

153. D. Augustinus Lampugnantus cicadam, sub solaribus radiis in cantus solutam, hâc epigraphâ loquentem sistit; CALESCIMUS ILLO. Verbis ex Ovidio mutuatis;

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Alius eidem Emblemati inscripsit; DANT LUMINA VOCES. Ita nimirùm Prophetarum ac Concionatorum voces scaturiginem suam è Spiritûs sancti lumine trahunt, *Spiritu[s]* eoque urente, incalescunt. S. Prosper; *S. Prosp. [in Psal.] ad Dem[etr.]* *Implet igitur Spiritus Sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda sanctorum.*

154. Cicada, quia terræ virorem, & solis calores æternùm duraturos credit, ideo imminentis penuriæ prorsus incuria, nihil alimentorum sibi providet. Unde Aresii lemma; PRÆVIDERE NESCIT. Homines improvidos, omnique

curâ

causâ solutos, hæc imago spectat. De his Seneca; *Imprudentium ista fiducia est: Fortunam sibi spondere. Sapiens utramque partem ejus cogitat.*

Calamitas. 155. Animam, nonnisi inter calamitatum ac violentiæ ardores ad Deum recurrere solitam, Cicadæ persimilem dixeris, quæ canit tantùm SOLE SUB ARDENTI. Verbis è Virgilio mutuatis;

Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

Certè S. P. Augustinus, etiamnum juvenis, omnique felicitate affluens, nec Deum, nec Divina Sacramenta unquam cordi habuit; at, *cum quodam die*, inquit de seipso, *pressius stomachi dolore repentè æstuarem penè moriturus, vidisti Deus meus, quo motu animi, & quâ fide baptismum Christi tui, Dei & Domini mei, flagitavi.*

156. Anima, Deo supplex, suasque voces ex imis visceribus, non sine impetu, ac corporis totius motu, eructans, Cicadam imitatur, quæ suos cantus validâ laterum ac ventris concussione eliciens, epigraphen ex Isaiâ desumptam habet. QUASI CITHARA VENTER. vel, MIHI CITHARA PECTUS. vel, A PECTORE VOCES. S. Isidori doctrina est; *Oratio est cordis, non labiorum; neque enim verba Deus attendit, sed cor aspicit orantis.* P. Joannes Lorinus, *Stridens cicada*, inquit, *non ore, sed totius corporis agitatione, designat ferventem, intimam, & ex corde, totoque pectore orationem.* Et Amalatius: *Nostri cantores non tenent cymbala, neque lyram, neq; citharam manibus, neque cætera genera musicorum, sed corda. Quanto cor majus est corpore, tantò Deo devotius exhibetur, quod per cor fit, quàm per corpus. Ipsi cantores sunt tuba, ipsi psalterium, ipsi cithara, ipsi tympanum, ipsi chorus, ipsi chordæ, ipsi organum, ipsi cymbala.* Adeoque Amalatii ævo nullis musicorum instrumentis in Ecclesia opus erat.

157. Angelus Politianus canentem cicadam hoc poëmate describit:

Nigra dum raucum, tremulis evibrat ab alis
Carmen, & epoto canit ebria rore cicada.

Inde gemini Emblematis occasionem desumpsi. Primum quidem Cicadam refert, cum lemmate: CANIT EBRIA RORE. Ita Prophetæ, Divino sapientiæ, doctrinæ, ac cœlestium revelationum rore perfusi, toto orbe personabant. Apostoli quoque Spiritu Sancto, ceu rore agilissimo, pleni, Sanctum Evangelium per universum mundum prædicârunt; adeò ut non pauci ex auditoribus in has voces prorumperent; *quia musto pleni sunt isti.* Nam, ut acutè observat Magnus Augustinus: *Qui pleni erant, loquebantur, & qui inanes erant, tacebant.*

158. Cicada alis, supra latera inter se collisis, canere solet, unde epigraphen è superioris numeri versiculis addidi: CARMEN EVIBRAT AB ALIS. Idipsum Ezechiël peculiari ratione in Cherubinis observatum habuit, qui alis inter se collisis sonum excitârunt. *Et audiebam sonum alarum.* Et rursus: *Audivi post me vocem commotionis magnæ & vocem alarum animalium.* Et verò si, ut S. Ambrosius docet, alarum nomine operationes virtuosæ intelligantur; ille alarum voces edit, qui sanctis operationibus Divinam benevolentiam sibi conciliat, & ad optatam felicitatem pertingit, asserente enim Magno Augustino: *Cùm gaudio gratias agere, & ordinatissimè uti corpore, est cantus animæ spiritualis.*

159. Inter cætera D. Berlingerii Gessi emblemata cicadam cernere est, addito Petrarchæ epigrammate; INFIN A L'HORA ESTREMA. Id est, EXTREMAM CANTAT IN HORAM. veluti diceret, cantum à cicada per totam vitam, ad ipsum usque extremum vitæ spiritum, industriâ nunquam interruptâ, ac præclaro genuinæ perseverantiæ typo, continuari. Sanctus Antonius Paduanus, psalmis & hymnis usque ad supremum vitæ spiritum repetitis, animam Deo reddidit. Sanctus Ludovicus, Galliarum Rex, *decessit in illa oratione; Introibo in domum tuam.* S. P. Augustinus, *sensibus integris, in oratione defixus migravit in cœlum.* S. Franciscus, *Psalmum illum pronuntians: Voce meâ ad Dominum clamavi, in eo versiculo, me exspectant justi, donec retribuas mihi, efflavit animam &c.*

160. Carolus Bovius, ut Embemate demonstraret, pios, ac frequentes Sancti Ignatii Lojolæ cantus nonnisi ex amoris flammâ, quâ ipsius pectus totum ardebat, originem suam traxisse, Cicadam depinxit, cum epigrammate, CANTUS AB ÆSTU. Eoque, nî fallor, ad illam Platonis doctrinam alludebat, Amorem esse eximiam ac penè maximam Poëseos magistram; quippe quod homo, quantumvis ingenio rudis, si Amorem sortiatur inquilinum, mox Poëta evadat. Plutarchus, vetus illud pronuntiatum adducens, *Musicen docet amor*, ait, *Amor, vino persimilis, facit calidos & hilares, ac dissolutos, & qui tales sunt redditi ad cantillandum, vocesque mensurâ contentas, maximè efferuntur.*

161. Blateronem quemdam, verborum suorum strepitu nullibi non audiri solitum; cùm vitâ defungeretur, Carolus Rancatus mortuæ cicadæ symbolo expressit, eique epigraphen è Virgilio subjunxit: CONTICUIT TANDEM.

Sic Pater Æneas, intentis omnibus, unus
Fata renarrabat Divûm, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine, quievit.

Garrulorum descriptionem satis accommodatam è Magno Augustino accipe: *Garruli*, inquit, *propriè dicuntur, qui à vulgo verbosi appellantur; nec valentes, nec volentes tacere*, donec mors inquietis illorum linguis frenum injiciat, ac silentium imponat.

CICINDELA. *Caput* VII.

162. PRudentia suos radios nullibi copiosius, atque inter adversitatum umbras spargit, quemadmodum Cicindela nonnisi NOCTE NITESCIT. *Prudentia enim*, inquit P. Cornelius à Lapide, *est oculus animæ, & qui eâ pollet, prudenter videt, prævidet & providet ubi figat actionis suæ gressus: quare securò incedit, perinde ut qui in tenebris prævi am facem sequitur. Qui verò prudentiâ caret, velut cæcus, in tenebris hujus vitæ ambulat, & cespitat.* Nam, ut bene advertit Seneca, *Quidquid à sapiente diligenter prævidetur, cum ad rem agendam perventum fuerit, facilius superatur, atque attenditur.*

163. Lemma, Cicindelæ inditum, IN TENEBRIS LUCET, originem suam è D. Joanne trahit: *Et lux in tenebris lucet*: veluti diceret, ex Incarnato Dei Verbo insignem quemdam splendorem versus hominum animos, naturâ suâ penitus obscuros, diffundi. Origenes: *Lux itaq; in tenebris lucet; quia Dei Verbum, vita, & lux hominum in nostra natura, quæ per se investigata & considerata, informis quædam tenebrositas invenitur, lucere non desinit &c.* Hugo Cardinalis ad propositum nostrû opportunè ait, Incarnatum Verbum Divinum, instar clarissimæ lucis, omnes infidelitatis & idololatriæ tenebras, quæ mundum longè latèque occupaverant, dissipâsse, vel certè resplenduisse *inter persecutiones & tribulationes*

Marginalia (left column): Senec. l. 4. de Benef. c. 34. — Calamitas. — Virg. Eclog. 2. v. 13. — S. Aug. l. 2. Confess. c. 11. — Oratio. — S. Isid. l. de summo bono — P. Lorin. in Psal. 101. 18. — Amalat. l. 3. de Offic. Eccl. cap. 3. — Ang. Polit. in Manto. — Prophetæ. — Apostoli. — Act. 2. 13. — S. Aug. ser. 5. ex addit. — Cartus. — Operatio bona habet vocē. — Ezech. 1. 24. — & 3. 12. — S. August. in Psal. 12.

Marginalia (right column): Perseverantia. — Amor ducet Musicam. — Plut. lib. 1. Sympos. quæst. cap. 5. — Mors hominis loquacis. — Virgil. l. 3. Æn. v. 716. — Prudentia. — P. Cor à Lap. in Proverb. cap. 19. v. 2. — Senec. de mor. — Ioan. 1. 5. — Verbum Incarnatum. — Origen. Hom. 2. in Diversis. — Hug. Card. in locum cit.

bulationes mundi, quæ tunc abundabant; Sereniſſimæ pacis claritate productâ, *& toto orbe in pace compoſito*, Vel denique, *in tenebris lucet, id eſt, in medio deſperationis*; tales nimirum lapſo homini ſuppetias ferendo, quales univerſa omnium creaturarum virtus tribuere nunquam potuiſſet.

164. Natalium ſplendorem ac nobilitatem cicindela commonſtrat, hoc lemmate inſignis: MEUS IGNIS AB ORTU. Nam ut benè ait Caſſiodorus, *Laudabilis vena ſuam ſervat originem, & fideliter poſteris tradit, quæ in ſe glorioſa tranſmiſſione promeruit.* Hoc ſenſu canit Statius in Protreptico ad Criſpinum.

Nobilitas. *Caſſiod l. 3. Epiſt.* *Stat. lib. 5.*

---- Non te ſeries inhonora parentum,
Obſcurum proavis, & priſcæ lucis egentem
Plebeia de ſtirpe tulit, non ſanguine cretus
Turmali, trabeque, & remis, ac paupere clavo
Auguſtam ſedem, & Latii penetrale ſenatus
Advena pulſaſti, ſed præcedente tuorum
Agmine.

Horat. lib. 1. Ode 1. Et Horatius;

Mecænas atavis edite regibus.

Eorum etiam hoc emblema eſt proprium, qui è materno utero congenitam habent flammam ſeu generoſitatis, ut Hercules; ſeu odii, ut Hannibal; ſeu libidinis, ut Semiramis, quæ, primis jam vitæ ſuæ annis violata, nunquam ſe virginem fuiſſe mamineràt. &c.

165. Vilis hic vermiculus ſuam lucem non capiti aut pectori, ſed poſteriori ac extremæ corporis parti inditam habet. Unde, authore meo Concanonico D. Salvatore Carducio, epigraphen tenet; POST TERGA JUBAR. Prælatum indoctum hæc imago ſpectat, qui ſubditos, doctrinâ & eruditione conſpicuos, faſtidio habet, eoſque omni conatu depreſſos cupit. De hoc cumprimis verum eſt illud Magni Auguſtini; *Quod quis ignorat, amare nullo pacto poteſt.* Mentem ſuam ſequenti diſticho explicat D. Carducius.

Inimicus virtutis. *S. Aug. l. 10. de Trinit c. 1.*

Ut rejicit poſt terga jubar tenebroſa volucris;
Inſipiens, ſophiæ negligit omne decus.

166. P. Lucretius Borſatus inter cætera ſymbola panegyrica, ad honorem D. Antonii Longi, Cremenſium Gubernatoris, compoſita, cicindelam exhibet; quæ in obſcuro campo figurata, epigraphen legendam offert; NON D'ALTRA LUCE VAGA. Id eſt: LUCE NON ALIENA. veluti diceret; quemadmodum cicindela ſplendore minimè emendicato, ſed proprio lucet; ita Magnatem illum ad gloriæ ſuæ radios, per orbem ſpargendos, non mutuatis patriæ, familiæ, aut Rhetorum deprædicantium luminibus indigere, ſed propriarum virtutum ac ingenii nitore id totum cumulatè præſtare. In eos quoque hæc imago convenit, qui propriâ ſuâ virtute ac ſcientiâ, non verò parentum nobilitate, ceu extero ac emendicato quodam ſplendore, gloriantur. In hanc rem Caſſiodorus; *Nobilitas à me procedens, eſt mihi cordi plus, quàm quæ ex patrum procedit nobilitate: quia in quo deſinit cujuſque nobilitas, tunc avorum nobilitate congruè indiget.*

Valor proprius. Nobilitas. *Caſſiod. in Epiſtol.*

COCHLEA. LIMAX.

Caput VIII.

Scandaloſus.

167. Cochlea, quocunque repit, ſordidi phlegmatis ſui veſtigia relinquit. Unde lemma; LINQUIT UBIQUE LUEM. Ita homo laſcivus, aut ſcandaloſus, omnia loca ſordium ſuarum maculis reſpergit. D. Aſcanius Martinengus; *Terrenis obvolutus animus, & terrenum affectum geſtans, eo lento gradu terram tergere, concupiſcentiæque ſuæ ubique luem reliquere compellitur.* Hanc operandi rationem Hæretici quoque congenitam habent, qui, ubicunque ſerpere cœperint, veneni ſui contagia relinquunt. P. Hieremias Drexelius hâc cochleæ proprietate demonſtrat, quantum detrimenti è verbis ſordidis & obſcœnis in audientium animos cadat; *Limaces*, inquit, *& cochleæ, quacunque repunt, veſtigium ſui relinquunt, tenacem & glutinoſum humorem: ita omninò verba ſordida, & illota, undecunque ad aures perferantur, impuritatis aliquid & turpitudinis affricant.*

Aſcan Ma. Gloſſ. Mag. fol. 1502. Hæreſis. Verba obſcœna *P. Hier. Dr xel de viti Linguæ c. 5 num. 1.*

168. Cochleæ inſcripſit Camerarius; FERT OMNIA SECUM; vel, OMNIA MEA MECUM. Alludebat nimirum ad illud Biantis dictum, qui hominem, virtute inſtructum, omnibus mundi bonis affluere reputabat. Haud aliâ ratione Plautus;

Virtus. *Plaut. in Amphitr. Act. 2.*

--- --- Virtus præmium eſt optimum,
Virtus omnibus rebus anteit profectò,
Libertas, ſalus vita, res, parentes;
Patria, & prognati tutantur, ſervantur:
Virtus omnia in ſe habet, omnia adſunt bona, quem
penes eſt virtus.

Juſtus Lipſius de ſcientiis & artibus liberalibus diſſerens, ait; *Artes pacem dirigunt, bellum dirimunt, vitia virtuteſque premunt, aut excitant: teſtes temporum, arbitræ meritorum.* Meus Concanonicus D. Aſcanius Martinengus, in Cochlea humanum pectus, rebus terrenis adeò validè affixum, dignoſcit, ut ab earum cogitatione avelli penitus nequeat. *Doctores ſacri animum, terrenis affectibus mancipatum, ſimilem cochleæ eſſe dixêre, quæ ita domui ſuæ eſt applicata, ut eam ſecum ferre cogatur.* Idem Emblema Monacenſi Societatis Jeſu Collegio deſerviit, ad inſignem S. Franciſci Borgiæ paupertatem ſignificandam; addito ſequenti elogio:

Scientia. *Lipſ. l. de Cruce Pri ad Ord. Brab.* *Aſc. Mart Gloſſ. Mag fol. 1501.* Paupertas.

Omnia abjecit, ut nihil deſideraret.
Inter opes pauperē, divitem ſe in paupertate expertus.
Mercator è Duce factus, cœli divitias licitari
Inſtituit,
Impari ſed bono contractu,
Pomum pro orbe dando.
Nil peculiare voluit habere, quo omnia poſſideret, &c.
Deum ut haberet, Deo mancipatus.
Beatum eſt, ſic pauperem eſſe, dum iſti cœlum
Habent, antequam poſſideant.

169. Fuit, qui limaci ſubſcriberet; PROPRIO ALITUR SUCCO. Eorum hic typus eſt, qui, alienâ beneficentiâ minimè indigi, proprio ſuo labore ac induſtriâ victitant. S. Paulus, hâc virtute inſignis, de ſe ipſo confeſſus eſt; *Memores eſtote, fratres, laboris noſtri, & fatigationis, nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus, prædicavimus in vobis regnum Dei.* Et rurſus, *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Symmachus, Auſonium ſuum litteris compellans, eâdem cochleæ metaphoâ utitur; *Ajunt cochleas, dum ſitiunt, atque illis de cœlo nihil illiquitur, ſucco proprio victitare. Ea res uſu mihi venit; qui deſertus eloquii tui paſtu, meo adhuc core ſuſtentor.*

Labore proprio vivere. *1. Theſſ. 2.* *Act. 20. 34* *Symm. Epi ad Auſon. ejuſdem Auſonii operibus poſita.*

170. Limax, ad excelſum parietis locum prorepens, à Joanne Cappono Doctore epigraphen repit; SUCCO MEO. Illos hoc ſymbolo affeceris, qui propriis ſuis meritis, ſudore ac induſtriâ, abſq; aliorum beneficentiâ aut favore, ad ſublimem dignitatis gradum perveniunt. Præclarè ad rem noſtram Ariſti-

Proprius valor.

Aristides: Miltiades & in se recepit omnia, & præstitit, quod tu præscribebas: non debere virum fortem, prudentem, modestum, in aliis potius, quam in se ipso spem habere positam. Eandem epigraphen, SUCCO MEO, cochleæ, intra concham suam conclusæ, subjunges; quæ totâ hyeme, nullo exteriore alimento recepto, glutinosis duntaxat humoribus suis victitat. S. Hieronymus morem istum etiam helluonibus proprium dicit, qui malignos, ac indigestos ventris humores duorum aut trium dierum abstinentiâ concoquere solent, sicque interea superfluis illis cibis, quibus stomachum plus æquo onerârunt, nutriuntur. *Crapulâ distentus*, inquit, *ventris ingluviem jejunando decoquit, ut in cochlearum morem SUCCO VICTITENT SUO.*

Aristides Or. 2 Plat.

Helluo.

Hieron. Ep. ad Lætam.

171. Limax, totâ hyeme intra concham suam delitescere solitus, à D. Josepho Pallavicino Abbate epigraphen recepit. DI ME STESSA MI PASCO Id est, ME PASCOR AB IPSO. Ita homo, intra vitæ solitariæ angustias receptus, taciturnitate, ac corporis maceratione pascitur. S. Sylverus Papa & Martyr, ad Insulam Pontiam exul, cuidam Episcopo in hæc verba scripsit; *Sustentor pane tribulationis, & aquâ angustiæ.* His querelis affines sunt illæ Psaltis Regii voces; *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Magnus Augustinus; *Panes suaves erant ipsæ lachrymæ, sitienti mihi illum fontem; quem quia bibere nondum poteram, avidius lachrymas meas manducabam.*

Solitudo.

Psal. 41. 4.

Aug in Psal. 41.

172. Cochleæ, supra prunas figuratæ, inscripserunt; CANTUS, NON GEMITUS. Ita è Dei servis complures, linguas suas in mediis ignibus solverunt, vocesque, cantu ac lætitiâ magis, quàm dolore plenas, ediderunt. Multorum instar tres Hebræi Juvenes, *quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace. Quid dicam de tribus pueris*, inquit attonitus S. P. Aug. *qui, cum nollent imaginem regiam adorare, ignes riserunt? In quibus pueris micans gratia ita emicuit, ut ligati in fornacem mitterentur, deambulantesque viderentur, os aperientes, Dominumque laudantes &c.* His nihil dissimiles SS. Eustachius, ejusque filii, in ardente tauro æneo conclusi, *Divinis laudibus martyrium consummârunt.* Alios plurimos, quos Annales Ecclesiastici prolixè recensent, brevitati consulens omitto.

Pati cum gaudio.

Dan. 3. 51.

Aug de temp. Barb. cap. 4.

173. Limax, assiduò mutus; si supra prunas abjiciatur, sonoras voces edit. Unde Capaccii lemma; URGET SILENTIA MOEROR. Ita homines mundani, felicitatis tempore penitus elingues, nullas unquam ad Deum preces fundunt: at calamitatum igne nonnihil ustulati, mox è cœlo suppetias ingenti clamore flagitant. S. P. Augustinus; *Ad hoc permisi diem tribulationis tibi fieri, quia fortè, si non tribulareris, non invocares me. Obtorpuerat quidam, & friguerat à fervore orationis, & dixi; Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.* Hæc nimirum axiomatis illius mens est; *quod nocet, docet.* Cui, ni fallor, consentanea est illa Davidis confessio; *Bonum mihi, quia humiliâsti me, ut discam justificationes tuas.*

Calamitas

Aug in Psal. 49.

Psal. 118. 71.

174. Hominem ignavum ac socordem, qui vitam & alimenta absque ulla nobilioris momenti operatione consumit, Limaci non absimilem dices; qui intra testaceam suam Domunculâ moratus, à D. Jacobo Certano Abbate epigraphen recepit; OTIO TORPET INERTI. Ad verbum Seneca; *Mortalium miserrimos judicet, in quantiscunq; opibus refulgeant, ventri, ac libidini deditos, quorum animus INERTI OTIO TORPET.* S. Joannes Chrysostomus; *Nemo erubescat ex his, qui sunt artifices: sed hi, qui NIHIL AGENTES ALUNTUR, & sunt otiosi, qui multis utuntur ministris; perpetuum enim opus facientem, inde ali, genus est Philosophiæ: eorum sunt animæ puriores, eorum mentes robustiores, ac firmiores. Nam qui est otiosus, multa temerè loquitur, & multa agit temerè, & toto die nihil operatur; torpore, veterno mentem repletam habens.*

Otium.

Senec. l. 7. de Benefic. cap. 2.

S. Io. Chrys. Hom. 5. in Epist. 1. ad Cor.

175. Christianos è solitudine præsentissimum antidotum adversus innumera mala desumere, Cochlea demonstrat; cum lemmate, CONTRACTIONE TUTIOR. Probè id expertus S. Joannes Baptista, ut animæ suæ integritati consuleret, intra montium cavernas, & sylvarum abrupta sese abdidit. S. Hieronymus; *Joannes Baptista sanctam habuit matrem, Pontificisque filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis.*

Solitudo.

S. Hier. Ep. 4. ad Rustic.

176. Homines nonnullos reperias, domesticis curis ita superfluè intentos, ut debitis aliis negotiis vix quidquam relinquant otii; cochleis non absimiles, quæ in proprio suo tuguriolo inseparabiles hærent. Unde lemma cochleæ inditum; DOMUI APPLICATA SEMPER. Opportunè Pierius Valerianus, *Per Cochleam Divinæ lectionis interpretes fere omnes animum, terrenis affectibus mancipatum, intelligunt.* Huic doctrinæ conformis Hesiodus, cochleam cognominat *Domiportam, quod ita sit DOMUI suæ APPLICATA, ut eam secum assiduè portet.* Porrò Religiosus tam quoad hominem interiorem, quàm exteriorem, semper domi suæ vivat, & intra se collectus maneat. Pulchrè dixit meus Hugo Victorinus; *Monachi sibi claustra faciunt, quibus homo exterior teneri possit; sed utinam claustra facerent, quibus homo interior ordinatè teneretur.*

Mundan⁹

Pier. Valer. lib. 28.

Religiosus

Hug Vict. de claus. anim. lib. 1.

177. Cochlea, hominis prudentis symbolum, nunquam progredi solet, nisi suis corniculis (quæ ipsi, è Physicorum sententia, instar oculorum deserviunt) viæ securitatem præsentaverit. Unde Bargalii lemma; NON NISI PERTENTET ITER. De hac cautela Joannes Jovianus Pontanus ait; *Circumspectorum proprium est, hominum metiri res, actionesque, & quid servandum, quid fugiendum, quid prodesse, quid obesse, quid commodi exoriri possit vel incommodi, circumspicere, quid sive consulto, sive ex inopinato contingere. Quæque enim circum, & tanquam eminenti in specula circumspectus vir positus, & metitur cuncta, & procul aspicit, seq; illis vel accommodat, vel adversùm ire, aut obsequi instituit.* Et S. Gregor. Papa; *Qui solerter in vitæ consilio figit mentem, cautè sese in omni actione circumspiciendo considerat: & ne ex re, quæ agitur, repentinus finis, adversusque subrepat, hunc prius molliter posito pede cogitationis palpat &c.* Circumspectam hanc agendi rationem Ovidius cumprimis in Poëtis exigit, ut, priusquam operi manum admoveant, vires suas sedulò explorent.

Cautela.

Io. Iov. Pont. l. 4. de Prud. cap de Circumspect.

S. Greg. in Iob. lib. 1. c. 10

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & tentate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

David præclarum hujus doctrinæ specimen dedit, quando cum Goliatho congressurus, armorum experimentum capere voluit. *Cœpit tentare, si posset armatus incedere.* Verbo; nullus unquam exercitus progredi, aut è loco movere solet, nisi viarum planitie ac securitate per exploratores benè perspecta.

1. Reg. 17. 39.

178. Cochlea, domi suæ assiduò hæsitans, homini documentum esto, ut bonis sibi à Deo concessis acquiescat, neq; ad aliorum fortunam diripiendam sese persuaderi sinat. Unde lemma, è Persio desum-

Solitudo.

Perf.Sat.4. ptum; TECUM HABITA. Verba Persii sunt;

Respice quod non es: tollat sua munera credo,
Tecum habita, & noris, quàm sit tibi curta supellex.

Ovid. l.3. Trist. Eleg. 4 Ad rem nostram insigniter Ovidius;

Crede mihi, BENE QUI LATUIT, BENE VIXIT, ET INTRA FORTUNAM DEBET QUISQUE MANERE SUAM.

Senec. apud Lips. Cent. 1. ad Belg. Epist. 94. Et Seneca; *Compositæ mentis signum est, posse consistere, & secum morari.*

179. Sicuti res, facili negotio constructæ, eâdem facilitate iterum dissolvuntur, ita vicissim, quæ maturâ cunctatione prodierunt, ætatem ferre, ac exoptatæ felicitatis terminum contingere solent. Jacobi Bruckii hâc de re epigramma est,

Iac. Bruck Embl. 37.

Quod sapit æternum tarda incrementa, morasque
Victurum, & vasto nomen in orbe capit.
Et lento quamvis incedat cochlea passu,
Tarda tamen tandem culmina celsa subit.

Tarditas. Hinc desumpta Emblematis construendi occasione, cochleam depinxi, quæ ad pyramidis verticem eluctata, epigraphen ferebat; AD CULMINA LENTE. Id quod non tantùm in dignitatibus, aliisvè negotiis, sed vel maximè etiam in scientiis assequendis contingere solet. S.P. Augustinus, *Noli festinare audire quod non capis, sed cresce ut capias.* S. Aug in Psal. 38.

180. Cochlea, seu Domiporta, caput exerens, facilè conteritur. Unde lemma; TUTIUS ILLA LATET. Religiosos, ac cumprimis Virgines hæc imago spectat, quibus proximum, ac præsentissimum impendet excidium, si extra domos & claustra vagentur. Mariæ Virginis exemplo id persuadere conatur S. Ambr. quæ domi suæ assiduò morari solita, cùm foras prodire, & ad Elisabetham invisere cogeretur, magna id *cum festinatione* peregisse scribitur. *Discite Virgines*, inquit, *non circumcursare per alienas domos, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones: Maria in domo sera, festina in publico, mansit apud cognatam tribus mensibus.*

Religiosus. Virgo domicella. Luc. cap. 1. S. Ambr l. 2. in Luc. cap. 1.

181. Limax, sale aspersus, epigraphen à Catsio recepit; SALE TANGE, LIQUESCET. Hâc Limacis proprietate innuitur, dura & obfirmata hominum pectora tum demum emolliri, quando calamitatum sale asperguntur. Inde etiam disces, tentationes, illas præsertim, quæ à libidine proficiscuntur, nunquam iri mitigatum, nisi corpus crebrâ mortificatione aspersum fuerit. S. Bernardus; *Carnis concupiscentia ipsius mortificatione vincitur: Certum quippe mundi triumphati testimonium est, si corpus castiges, & subjicias servituti, ne pernitiosâ libertate serviat voluptati.*

Calamitas. Tentatio. S. Bern. serm 1. in Octava Pascha.

CRABRO SCARABÆUS.
Caput IX.

182. SCipio Bargalius, sceleratorum conventicula Emblemate significaturus, duos scarabæos depinxit, qui globulum, è bovis excremento concretum, versabant; cum lemmate, CONSENSUS IN IDEM. Egregiè de hac agendi ratione S. Bernardus; *Videas*, inquit, *ambulare seorsum, convenire sibi, & sedere pariter, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrum; ineunt familiariter ad maledicendum.*

Conventicula. Detractor S. Bern serm 24. in cant.

183. Crabrones, ingenti strepitu circumvolare solitos, Joannes Ferrus illis Plinii verbis notavit; MAGNO CUM MURMURE. Hoc typo superba, inquieta, ac seditiosa quorundã capita describere licet. Corn. Tacitus; *Acerrima seditionum, ac discordiæ incitamenta homines sanguinarii, scelere ac metu vecordes, miscere cuncta, modo palam turbidis vocib⁹, modò occultis ad principem litteris.* Similem petulantiam S. Cyprianus in Demetriano hæretico observatam habuit, qui, nonnullis fidei articulis in dubium vocatis, plurimas effrontes ac temerarias voces impio ore protulit. Verba Sancti Doctoris sunt; *Cùm ad me sæpè studio magis contradicendi, quam voto discendi venires, & clamosis vocibus personares, malles tua impudenter ingerere, quàm nostra patienter audire: ineptum videbatur congredi tecum &c.* Solenne enim indoctis est, clamoribus evincere, quod rationibus nequeunt.

Seditio. C. Tacit. l. 1. Histor. Ignorans. Petulans. S. Cyprian. Cont. Demet.

184. Sicuti columba ex odoramentorum suavitate vires recuperat, ita vicissim scarabæis lethifera est. Unde Scarabæum, rosæ vicinum, hoc lemmate affecerunt; SUAVIS EFFUGAT ODOR. Ita homines flagitiosi virtuosam justorum fragrantiam extremè abominantur, omneque illorum consortium fugiunt. S. Greg. Nyssenus; *Quomodo idem unguentum, si fuerit appositum scarabæo & columbæ, non idem efficit in utrisq; sed columba quidem per bonum unguenti halitum fit robustior, interit autem scarabæus: ita magnus Paulus in Divino illo suffitu, si erat quidem quispiam aliqua columba, aut Titius, aut Sylvanus, aut Timotheus, eum impertiebat bono odore unguenti, ut qui in omni bono suâ proficeret doctrina, & exemplo; sed si quispiam erat Demas, aut Alexander, aut Hermogenes, non ferentes suffitum continentiæ, non secus atque scarabæi, fugabantur à bono odore.*

Vitiosi justos fugiunt. S. Greg. Nyss Hom 1. in Cantic.

175. Scarabæus, fœtidis jumentorum excrementis versandis plurimùm delectari solitus, epigraphen à me recepit; GAUDENS PUTENTIA VERSAT. Vel, TROVA SOL NE I FETORI IL SUO DILETTO. Id est; MIHI STERCORA LUXUS. Eorum hoc ectypon dixeris, qui in carnis ac libidinis cœno volutantur, omnemq; in eo beatitudinem suam reponunt. Beati Ægydii dictum erat, *Caro nostra similis est scarabæo, quem delectat semper equinum versare stercus.* Constantinus Copronymus Imperator, fœtorem ac graveolentiam omnem tantâ voluptate excepit, ut se totum putidissimo jumentorum fimo perlinire soleret; existimaretque, sibi idcircò maximas ab amicis laudes deberi. Unde etiam palpones quosdam, sordium illarum encomiastas, maximis honorum & amicitiæ argumentis est prosecutus. Lutherum, non minus Doctrinâ, quàm operatione sordidissimum, hoc epigrammate depingit Andreas Dulcianus;

Carnalis. B. Ægyd. l. de contemp. mundi.

Stercora dum præ se ducit quæcunque Lutherus,
Oreque spurciloquo nil nisi stercus habet.
Num, rogo, stercoreum dices hunc esse prophetam?
Qualia verba viri, talis & ipse vir est.

186. Scarabæus è rosâ, quam attingit, perniciem sibi parat. Emblemati subscripsit P. Blasius Palma; TURPIBUS EXITIUM. Ita peccator, Sanctissimam Eucharistiam sacrilego ore contingere præsumens, interitum sibi machinatur. Dilucidè Apostol⁹; *Quicunq; manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* In hunc locum sapientissimæ sanctitatis interpres Augustinus; *Non ait, quia illa res mala est, sed quia ille malus, malè accipiendo, ad judicium accipit bonum, quod accipit. Num enim mala erat buccella, quæ tradita est Judæ à Domino? absit. Medicus non dedit venenum: salutem medicus dedit: sed indignè accipiendo, ad perniciem accepit, quia non paratus accepit.*

Eucharistiæ sumptio indigna. 1. Cor 11.27. S. Aug. Tract. 6. in Ioann.

FOR-

FORMICA.
Cap. X.

Providentia.

187. Formica,granis colligendis, accumulandisque intenta,epigraphen à Joanne Ferro accepit;CONDIT IN ANNUM. Ita homo industrius senectutis suæ necessitates probè perspicit, iisque opportunè providet.Ovidius;

vid. lib. 3. de Arte.

Venturæ memores jam nunc estote senectæ,
Sic nullum vobis tempus abibit iners.

Prov.6.6.

Homini ignavo exprobrans Salomon,*Vade*, inquit, *ad formicam ô piger,& considera vias ejus,& disce sapientiam;parat æstate cibum sibi,& congregat in messe, quod comedat.*In hunc locum S.Hier.*Formica dicitur strenuus quisque & providus operarius, qui in præsenti vita,velut in æstate,fructus justitiæ,quos in æternum recipiat,sibi recondit.* Et Hugo Cardinalis;*Vade ad formicam,ut exemplo ipsius congreges tibi in hac vita præsenti,unde vivas in futura.*

S.Hier.in hunc loc.

188. Ea formicarum est sagacitas, ut granorum oculos, ne denuò cum ingenti annonæ collectæ dispendio in herbam pubescere, aut egerminare valeant,penitus corrodant.Unde lemma, NE MADEFACTA FLORESCANT. Vel, ut Lucarino placet; HAUD GERMINAT AMPUTATUM. De hac formicarum proprietate Plinius. *Semina arrosa condunt,ne rursus in fruges exeant è terra.* Et S. Hieron.*illæ, venturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, illata semina præcidebant.* Inde cautam ac industriam solicitudinem,cùm in conservandis bonis acquisitis, tum in præcavendis eorundem jacturis, doceare. Insuper exinde discas velim, facultates tuas solicitè quidem esse custodiendas,semper tamen justâ aliquâ portione ex superfluis ad egenos juvandos reservatâ. Præclarè Hugo Cardinalis; *Grana DETRUNCAT, ne germinent,vel putrescant. Sic debet quilibet Prælatus superflua resecare, & dare pauperibus, NE simul omnia reservata PUTRESCANT.*

Plin.lib.11. cap.30. S.Hier.de vita Malchi

Cautela.

Hug.Card. loc.cit.

189. Bartholomæus Rossus S.Caroli, etiamnum adolescentis, prudentiam formicæ emblemate repræsentavit,quæ, priusquam humeros submittat oneri,virium suarum periculum facit, easque, num moli sustinendæ pares sint, sedulò explorat. Unde lemma;EXPERIAR,ET FERAM. Biantis hàc de re consilium est;*Considera, & postea rem aggredere.* Seneca;*Inspicere debemus primùm nosmetipsos, deinde quæ aggredimur negotia. Ante omnia necesse est se ipsum æstimare:quia ferè plus nobis videmur posse,quàm possumus. Æstimanda sunt deinde ipsa, quæ aggredimur,& vires nostræ cum rebus,quas tentaturi sumus, comparandæ.Debet enim semper plus viriũ esse in latere,quàm in onere.* Salomon; *Astutus omnia agit cum consilio,id est,cautus & prudens omnia agit cum scientia,id est,* ut interpretatur P.Cornel.à Lapide, *cum ratione,cum consilio,cum deliberatione,cum providentiâ. Antequam enim quid aggreditur cogitat,& providet difficultates,successus,& exitus rei,item media,quibus difficultates superari, & res confici possit.* Et rursus in illud Proverbiorum, *Qui festinus est, pedibus offendet*; ait, *Prudens lentè progreditur ad opus;prius enim considerat ejus rationem,qualitatem, modum,pericula,commoda &c.* Juvenes, consentaneè ad hanc ideam,priusquam sacræ religionis oneri ferendo se ipsos devoveant,vires suas, num tantæ moli æquales sint, integro tyrocinii anno periclitantur.

Prudentia

Senec.l.de Tranquill.c.4.

Prov 13.6 Corn à Lap. in hunc loc.

Idem in Prover.19.2

Novitiat⁹.

190. Homo avarus divitiis cumulate collectis nec ipsemet gaudet,nec alios iisdem gaudere concedit; formicæ Æthiopicæ haud absimilis; quæ, aurum intra cavernulas suas coacerva resolita, epigraphen à Lucarino accepit; CONGREGAT,SED CUI? in hunc sensum Horatius;

Avarus.

Horat l.1. Satyr.1.

Quid juvat,immensum te argenti pondus, & auri
Furtim defossâ timidum deponere terrâ?

S.Asterius;*Nullum percipere fructum voluptatis potest,quisquis insatiabilis est: estq; domus ejus similis conditoriis,sive sepulchris,quæ sæpè plena sunt auro,atque argento,cùm,qui utitur,existat nemo.* Et S.Cyrillus; *Fossus humi census non est hominis, sed telluris.* Adeòque ipsimet avari è coactis ac sepultis opibus nullum recipiunt beneficium,penitusque ignorant, quibus demùm hæredibus eæ transcribendæ sint, Adversum istos disertè S.Joannes Chrys. *Quid fuerit à ratione alienius homine, qui timere & cum sui capitis malo ac discrimine orbem terræ percurrit, & innumerabiles pecunias COLLIGIT,non sibi,sed Aliis, QUI ipsi quoque NON COGNOSCUNTUR, sæpè autem sunt hostes & insidiatores?* Et prior illo Salomon;*Est & aliud malum, quod vidi sub sole & quidem frequens apud homines.Vir,cui dedit Deus divitias,& substantiam,& honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus,ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud;hoc vanitas, & miseria magna est.* Hugo Cardinalis hâc sententiâ quorundam Prædicatorum &Magistrorum spiritualium stultitiam ac inconsiderationem arguit,qui in aliorum utilitatem doctrinas colligunt optimas ac pretiosissimas, nullâ penitùs illarum particulâ in propriæ animæ commodum reservatâ. *Multi*,inquit,*totâ vitâ suâ congregant,ut alios pascant prædicando,docendoque;& ipsi nunquam de verbo suo comedunt. Hoc est illud malum, de quo Ecclesiastes 6.1. est aliud malum, quod vidi sub sole &c.*

S.Asterius Hom.de Avarit. S.Cyrill.l.3. Apolog Mor. cap.4.

S.Io.Chrys. Hom in Psal.48.

Eccles.6.1.

Prædicator vitiosus.

Hug.Card. in cap.6. Proverb.

191. Ea formicarum erga socias mortuas est pietas,ut,vespillonum munere perfungi solitæ,funus adornent,& exanimem sepulchro condant. Plinius; *Sepeliuntur inter se viventium solæ,præter hominem.* Inter sacros verò D.Hieronymus S.Malchi ore idipsum testatur;*Hæ luctu celebri,corpora defuncta deportabant.*Unde Lucarinus Emblematis loco complures formicas depinxit,quæ defunctam sociam offerebant; cum lemmate, PIETATE PARENTANT. Nicodemum,& Josephum Arimathæum, cum Christi exequias celebrarent, hæc idea spectabat.Id affirmans S.Joan. inquit, *Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa,ut tolleret corpus Jesu; venit ergò,& tulit corpus Jesu:Venit autem & Nicodemus ferens mixturam myrrhæ,& aloes quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu,& ligaverunt illud linteis,cum aromatibus &c.*Et S.Joannes Damascenus.

Plin.l.11. cap.3. S.Hier.in vita Malchi

Exequiæ Christi.

Ioan.19.38.

S.Io.Damas. in Cant Eccl Dominic. ad Matutin.

Inclytus Josephus
E ligno crucis detraxit
Sacratum corpus tuum,
Sindoneque pura involvens,
Et aromatis
Monumento novo parentans imposuit.

192. Petrus Franciscus Moneglia fatalem sese otii hostem esse,atque adeò,ad æterni supplicii horrores declinandos,ingentem bonorum operum cumulum conquirere,formicæ Emblemate demonstravit, quæ grana versus cavernam suam deferens, epigraphen sustinebat;TERRET HYEMS. Sensu non absimili Horatius;

Prudentia

Horat.l.1. Sat.1.

Mag-

------ Magni formica laboris
Ore trahit quodcunq; potest, atque addit acervo
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri
Quæ simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur ante
Quæsitis sapiens.

Hug. Card. Prov. 6. 8. Eò reflectens Hugo Cardin. ad illud Proverbiorum, *Formica parat æstate cibum sibi, & aggregat in messe, quod comedat in hieme*; ait, Et *tu modò debes parare, & colligere, unde vivas in futuro. Qui modò non congregat in æstate, id est, in vita præsenti, fame morietur in hyeme, id est, in die judicii.* S. Hieron. in loc. cit. S. Hieron. *Debes in præsenti bonorum operum fructus congregare, quibus in æternum vivas in futuro. Hæc etenim vita in eo messi comparatur, & æstati, quod nunc inter ardores tentationum tempus est colligenda futurorum merita præmiorum. At dies judicii hyemis similatur rigoribus: quia tunc nimirum nulla relinquitur facultas pro vita laborandi, sed tantùm cogitur quisque de horreo priscæ actionis, quod recondidit, proferre.*

Providentia. Horat. l. c. 193. Priusquam senectutis, aut mortis brumâ obruaris, omninò necesse est, aliquot virtutum ac meritorum fructus à te colligi. E formica hanc providentiam discas velim; cui Rancatus hanc ex Horatio gnomam præfixit, NON INCAUTA FUTURI. Vel, ut ego compluribus formicis, frumento coacervando intentis, inscripsi; VENTURÆ HYEMIS MEMORES. Vel; QUÆSITA REPONUNT. Virgil. l. 4. Georg. V. 155. Verbis è Virgilio mutuatis ubi de apibus canit;

Venturæque hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.

S. Aug. ser. 24. ex addit. à Sirmond. Idem serm. 57. de Temp. Consultò monet sapientissimus Augustinus; *Elige hoc tempore, quam partem teneas in futuro.* Et rursus; *Quicunque invenire vult misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, ut sanus valeat esse in futuro.*

Studiosus. 194. Formica, grana sparsim jacentia legens, inscriptionem à Carolo Rancato cepit; RELICTA RELEGO. Ita studiosus industrius Doctorum volumina assiduò labore legit relegitque; sicque geminam ac æquivocam hujus vocis, *religio*, significationem, tam relegendo, quam colligendo observat. S. Anast. Sin. in prooemio lib. 1. Hexam. Præclarè ad propositum istud S. Anastasius Sinaita; *Instar formicæ RELICTA grana RELEGO, tanquam canis micas colligens lauti & opipari Patrum epuli & convivii.*

Animus generosus. 195. A cœpto opere, quantumvis viribus nostris nonnihil superiore, animum non esse despondendū, formica docet; quæ, cellulam suam penuriam instructura, granis, se ipsa longè majoribus, humeros ac colla submittere audet. Unde lemma; MAJORA VIRIBUS AUDET. S. Ambr. l. 6. Hexam. c. 4. S. Ambr. hâc de re cohortatio est; *Est in natura quadrupedum, quod imitari nos sermo adhortatur propheticus, quo exemplo caveamus desidiam, exiguitate vel infirmitate corporis à virtutis studio non reflectamur; neq; revocemur ab ullius propositi magnitudine. Exigua est enim formica, quæ MAJORA suis AUDET VIRIBUS &c.*

Constantia. 196. De formicis testatur Aristoteles; *Eadem semita semper ambulant, & cibaria recondunt.* Unde, meâ quidem sententiâ, appositè subscribes; SEMITA SEMPER EADEM. Propositi nostri, sive boni sive mali, perseverantiam ac stabilitatem hæc imago innuit. Senec de Constan. c. 19. Opportunè Seneca; *Etiamsi premeris, & infesta vi urgeris, cedere tamen turpe est, assignatum à natura locum tuere.* Concinnè meus D. Salvator Carducius;

Tramite decurrunt formicæ semper eodem:
Sic stabuli virtus corda tenore regit.

197 Formica, quantumvis plurima grana in penario suo accumularit, nunquam tamen exaturata, plura semper ac plura, non sine sociarum inquiete, emendicare solet; quia illa solum, quibus caret, non verò quæ possidet, intuetur. Unde lemma; NELA COPIA MENDICO, id est, verbis ex Horatio desumptis; INTER OPES INOPS. Horat. l. 3. Carm. 16. En insignem hominis avari ideam! Avarus. quantumvis enim grandibus divitiis coacervatis, animum semper sentit irrequietum, & ad majores aspirat. Imò inter amplissimarum opum affluentiam semper sibi videtur inops, egenus, & omnium commiseratione dignus. Præclarè dixit S. Hieronymus; S. Hieron. *Tam deest avaro quod habet; quàm quod non habet.* Et Bion; *Cupiditas habendarum opum, nisi aliquâ societate cohibeatur, extrema pauperie longè deterior est: majores enim cupiditates egestatem quoque majorem arcessunt.* Optimè avaro cuidam suasit Epicurus; *Non est, quod opes augeas, sed tollas cupiditatem.*

198. Vana gloria, formicæ perquam similis, fructus, ingenti aliorum labore collectos, prodigè dissipat. Vana gloria. Unde formicam, frumenti cumulo vicinam hoc lemmate notavi; CONGREGATA DISPERDIT. S. Joannes Chlimacus; S. Io. Clim. de inanis vitæ fuga. *Inanis gloria formicæ comparatur, quæ brevis licet & pusilla, ingentes tamen segetum fructus, gravi labore quæsitos, rapit &c.*

199. Formicæ, tametsi corpore debiles & exiguæ, frumenti tamen grana, seipsis longè majora & graviora, humeris imponunt, ac intra penarium suum deferunt. De hac proprietate Plinius; Plin. l. 11. cap. 30. *Si quis comparet onera corporibus earum, fateatur, nullis portione vires esse majores.* S. Hieronymus; S. Hier. in vita Malch. *Aspicio formicarum gregem ferre majora onera, quàm corpora.* Et S. Ambrosius; S. Ambros. l. 6. Hexam. cap. 4. *Exigua est formica, quæ majora suis audet viribus.* Proindè parvulam formicam, quæ granum corpore suo majus, sustinet, hoc epigrammate notabis; EXCEDUNT PONDERA VIRES. Vel; MAJUS ROBORE PONDUS; vel certè idiomate Hispano; MASQUE PUEDE. Haud facile definiverim, num generosum, an verò temerarium dixerim illum, qui onera, viribus suis majora, Audacia temeraria. aggrediens, præsentissimum sui illudendi discrimen subit. Polydamus, gigas græcus, fortè cum amicis pransurus, montis cujusdam cavernam intravit: saxis verò non sine ingenti ac subito fragore ruinam minitantibus, socii omnes exterriti, ne tantâ mole obruerentur, celerem arripere fugam, suæque saluti consulere cœperunt. At Polydamas, propriis viribus nimirum nixus, fractis sociorum animis effusè illudebat; moxque se in pedes erigens, brachia sua, veluti geminas columnas, ad vastam montis, jamjam collabentis, molem sustinendā sublevabat. At dedit temeritatis suæ pœnas: nam majore, quam ferendo erat, pondere prægravatus, montis dirupti casu occisus est, totusque momento sepultus; uti referunt Nicolaus Leonicenus. & alii. S. Aug in Psal 54. Sapienter monet augustissimus Augustinus, *Si de tuis viribus præsumere volueris, inde cades, unde præsumpseris.*

200. Formica, genuinus charitatis ac concordiæ typus, Charitas. sociam suam, plus æquo onustam, nimioque succumbentem oneri, adjuvat. Unde lemma; SOCIAM SUB PONDERE LEVAT. Idipsum Paulus jusserat; Galat. 6. 2. *Alter alterius onera portate.* Hunc locum interpretatus S. Bernardinus ait; S. Bernardi. Ser 7. de Eleemosyn. art. 2. c. 3. *Ut intelligatur, quod divitum onera, quæ sunt divitiæ & peccata, pauperes quodammodo ferre debeant, atq; divites paupe-*

rum

Absal. Abb. serm. 10.

rum obligentur infirmitates & necessitates sustentare. Et meus Concanonicus D. Absalon Abbas; *Pacis & concordiæ vivum exemplum formica reliquit, quæ suum comparem, forte plus justa oneratum, naturali quadam charitate alleviat, ne supra vires grandi pressum onere modicum corpus deficiat.*

Quæstuosus. Ovid. l. 1. Trist. Eleg. 8.

201. Hominem, quæstus sui adeò studiosum, ut nunquam, nisi certissimi lucri causa, è loco dimoveri soleat, formicis non absimilem dixeris, quæ versus jacentium spicarum fascem prorepunt; cum lemmate, AD INANIA NUNQUAM. Ad verbum Ovidius;

Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

Voluptates. S. Aug. ser. 8 ex addit. à Cartus. Amicus falsus. Horat. l. 1. Ode. 35.

Illud ipsum Emblema etiam innuit, hominem nunquam ad inanissimas mundi voluptates ac divitias, sed ad solum Deum, summum infinitumque bonum converti debere. S. P. Augustinus; *Omnis homo inanis est; si vult impleri, accedat ad plenum.* Denique adulterini amici, instar formicarum, nonnisi manifesto suo commodo perspecto, fidem servare solent, De his Horatius;

Diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici.

Avarus. Horat. Sat. 1.

202. Hominem avarum, nullisque exaturandum opibus, formicæ emblemate repræsentabis, quæ granum versus cavernam suam deportat; addito lemmate, QUODCUNQUE POTEST. Vel; SUPERADDET ACERVO. Utrumque suppeditat Horatius;

Parvula (nam exemplo est) magni formica laboris,
Ore trahit QUODCUNQUE POTEST: atque ADDIT ACERVO.

S. Bernard. Eccles. 14. 9. Studiosus.

De inexplebili hac cupiditate S. Bern. *Divitiarum amor insatiabili longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret esu suo.* Et Siracides; *Insatiabilis oculus cupidi*; seu, ut Tigurina vertit; *Oculus avari nulla portione satiatur.* Eam ob rem Diogenes, referente Stobeo, dicere solebat, sicuti hydropicus, quo plus bibit, eò amplius sitit; ita avarus, opibus quamlibet maximis cumulatus, majores identidem coacervare nititur. Cæterùm in sensu meliore iconem istam de solicito ac diligente Studioso interpretaberis, qui assiduò ac indefesso labore diversas doctrinas & eruditiones, hinc inde in voluminibus sparsas, colligit, intellectumque suum, ceu amplissimum penarium, quam potest, uberrimè instruit.

HIRUDO. seu Sanguisuga.

Cap. XI.

Insatiabilis. Horatius.

203. Hirudo, ubi venam humanam semel complexa fuerit, tamdiu ab ea se avelli non patitur, donec membris omnibus plena, ac veluti ebria, ventrem trahat sanguine distentum. Huic insatiabilis animi symbolo inscripsit Bargalius; NON NISI PLENA. verbis ex Horatio desumptis;

NON missura cutem, NISI PLENA cruoris hirudo.

Avaritia. P Corn. à Lap in Prov cap 30. v. 15. Ebrius.

Eodem argumento avaritiam depingens P. Corn. à Lapide; *Per sanguisugam, inquit, accipias avaritiam: sanguisuga enim sugere non cessat, donec totam se sanguine repleat: tunc verò sugere desinit, & decidit. Unde Plinius: Decidunt satietate, pondere ipso sanguinis detractæ.* Idipsum non incongruè de Ebriis interpretari licet, de quibus accommodatè ad hujus ævi mores S. P. Augustinus; *Jam, si quis vino se ingurgitet, si bibat mensuras sine mensura, parùm est, etiam viri fortis accipit nomen: tantò nequior, quanto sub poculo invictior.*

S. Aug serm. 4. de verb. Apost c. 5.

Amor carnalis. Theocryt. Idyll. 2.

204. Camerarius pendentem è vena hirudinem hoc lemmate distinxit; VIX IMIS SATIANDA MEDULLIS. Idem planè amoris terreni genius est; de quo Theocrytus;

Heu crudelis amor, nostro saturare cruore
Summæ affixa cuti, veluti humi suxisset hirudo.

Fœmina lasciva. S. Io. Chrys. ap Corn à Lap loc. cit.

Hoc sensu S. Joannes Chrysostomus lascivam fœminam cum inferno comparat, quæ, amasio suo ad extremam calamitatem ac pauperiem redacto, necdum acquiescit, nisi eidem venas quoque ad vitam lethali morsu inciderit. *Mulierum genus,* inquit, *temerarium est, & inferno simile; & inferno ejus assimilatur cupiditas: tunc cessat, cum amantem omnibus rebus spoliavit: imò ne tunc quidem sed magis convitiatur, & insultat jacenti.* Hactenus S. Chrysostomus;

Ebrius. Ambitiosus. S. nec l. 2. de Benef.

205. D. Aresius, insignem helluonem emblemate significaturus, hirudinem expressit, venæ inhærentem, cum lemmate, DONEC IMPLEATUR. Idipsum de ambitioso pronuntiat Seneca; *Nunquam improbæ spei quod datur satis est, & majora cupimus, quo majora venerunt. Æque ambitio non patitur quemquam in ea bonorum mensura conquiescere, quæ quondam ejus fuit impudens votum.*

Insatiabilis. Avarus. S. Basil. Hom. 22 in var Scriptur. loc.

206. Hirudo, quamlibet sanguine hausto turgida, nunquam tamen sugendo desistit. Unde Mutius Pusterla inscripsit, NEC CUTE PLENA. Ita homo sceleratus, ebrietate, intemperantiâ, avaritiâ, lasciviâ, aliisque vitiis horrendum distentus, necdum acquiescit, sed novam semper insatiabili fami suæ escam, novumque siti inexplebili liquorem quærit. Hanc cupiditatum voraginem in avaro cumprimis deprehendens S. Basilius, *Avarum,* inquit, *quid retinere poterit? Igne vehementior est omnia continuando finibus occupat, ea, quæ sunt vicini, sibi aufert. Mox ubi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt, ad se rapit. Non ob ea, quæ possidet, lætatur, sed ob ea, quibus caret, angitur: neque iis, quæ congregavit, fruitur, sed cupiditate plura consequendi se magis excruciat.*

Usurarius. S. Aug. ser. 150. de Temp. Crisc nel. P. F Atto. 4. Scena 1.

207. Usurarius, quæstûs sui occasionem tenacissimè sectari solitus, asserente Abbate Ferro, hirudini persimilem se probat; cui hoc affixum lemma esto, ET DUM ATTIATUR, ADHÆRET. Verissimè dixit Magnus Augustinus; *Contemnenda est avaritia, quæ velut ignis, quanto magis acceperit, tantò amplius quærit.* Hoc planè sensu de se ipsa ad Satyrum canit Corisca;

--- Il hò scernito sempre,
E fin che sangue hà ne le vene hauuto,
Come sansuga i l'hò succhiato.

Concupiscentia. P Corn. à Lap. in c. 30. Proverb.

P. Cornelius à Lapide in eadem hirudinis icone concupiscentiam dignoscit; *Sanguisuga,* inquit, *tenaciter adhæret corpori, unde dicitur hirudo ab hærendo, ait Pontanus: sic concupiscentia tenacissimè adhæret animæ, ut facilius dentem ex ore, quam concupiscentiam ex anima excusseris.*

Calamitates. S. Pet Dam. Opusc. 53.

208. Hirudo, venæ affixa, epigraphen tenet; MORDENDO SANAT. Hinc disces, ex ipsis etiam calamitatibus utilitatem capi posse. S. Petrus Damianus, *Deus omnipotens, qui est medicus animarum, sic nos occulta sui moderaminis arte disponit, ut ex alienis*

Corrector *alienis vulneribus nobis medicamenta conficiat, quatenus, dum nobis hostile vulnus infligitur, ex eo potissimum salutis antidotum procuretur.* Ita, qui correctoris aut concionatoris munere ritè fungitur, flagitiosos mordendo restituere ac sanare solet.

Crapulo. 209. Sanguisugam, venæ inhærentem, hoc lemmate afficies; SUCTU DISCERPAR. Hominem ebrium, nimiâ intemperantiâ occisum; aut divitem avarum, nimiâ opum aut delitiarum affluentiâ interfectum, hæc imago spectat. Eruditè meus D. Ascanius Martinengus; *Dives & præpotens est hyrudo, quæ nunquam sanguine satiatur; dumq; venas cunctas SUCTU exangues reddere conatur, suspensa crepit, atque DISCERPITUR: Ita dives pauperis substantiarum, quæ illi alterius sanguinis loco sunt, nunquam satur, dum nimis locuples & dives efficitur, vitæ luxu & deliciis mortem sibi assolet consciscere.*

Asc Martin. Gloss Mag fol. 1492.

210. Hirudo, peculiari quâdam naturæ providentiâ, vitiosum tantùm, & affectum sanguinem è venis sugit, puro & sano studiosissimè intra illas relicto. Unde venæ affixam, hoc lemmate loquentem sistes; IL MEN PURO M' AGGRADA. Vel, TABIDO RECREOR. Ita planè vitiosus ac perversus hominis animus suas delitias nonnisi intra morum corruptelam, & abominandam libidinis, fraudis, vindictæ, aliorumque scelerum putredinem quærit; eamque solam magno studio ad se trahit, summo, infinitoque rerum cœlestium bono penitùs neglecto. Facem huic symbolo prævivit P. Corn. à Lapide, *Sanguisuga*, inquit, *purum sanguinem non tangit sed tabidum, & corruptum, eoq; delectatur: sic & concupiscentia nonnisi pravis desideriis, cogitationibus & operibus gaudet &c.* Martinus Roa sanguisugam hominis malevoli & detractoris typum statuit. *Hirudinum mihi similes hi* (Calumniatores) *videntur, quæ ad malè affectam corporis partem adhærescentes, vitiosum sanguinem exugunt, purum, justumque relinquunt. Sic illi virtutes, quæ in aliis insunt, ut in quemque inciderint, omittunt: si quod est vitium, tametsi levissimum, id verò exaggerant & extollunt.*

Peccator. *P. Corn à Lap loc. cit.* Detractor *Mart. Roa. To 1. l. 1. Singul. c. 18.*

ICHNEUMON.

Cap. XI.

211. Ichneumon, fatalis crocodili hostis, in luto volutari, ac postea ad solis ardorem exsiccari solet; tum loricâ illâ terreâ munitus, crocodili ventrem ingreditur, eumque corrosis visceribus, miserè interficit; sicque tandem, veluti victoriâ potitus, ex occisi cadavere iterum revertitur. Unde Igneumonem, luto volutatum, hoc lemmate notavit Scipio Bargalius; UT TUTIUS VINCAT. Hominem industrium ac prudentem hæc imago spectat. Potest insuper ad illos applicari, qui, Davidem ac Ninivitas imitati, corpus suum mortis contemplandæ cineribus respergunt; iisque veluti loricâ, muniti, quosvis hostium aut vitiorum impetus superant. S. Gregorius; *Mors ipsa, quum venerit, vincitur; si priusquam veniat, semper timeatur.*

Prudentia. Mortis meditatio. *S. Greg. in Hom. sint. lumbi. vestri*

212. D. Aresius Ichneumonem, luto coopertum, hoc lemmate è D. Paulo insignivit; UT CONFUNDAT FORTIA. Verba Apostoli sunt: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* In hunc locum S. Thomas Aquinas; *Ad gloriam Dei pertinet, dum per abjectos, sublimes in sæculo ad se trahit:* constat enim Apostolos, homines è luto sumptos; Deo ad regna, totumque mundum subjugandum deservisse. S. Antonius Paduanus; *Apostoli*, inquit, *luto paupertatis & humilitatis involuti, in ora tyrannorum insiliebant, & verbis infidelitatis eorum apertè contradicebant, & sic per mortem devorabantur, sed tamen ipsi tyranni, quasi ex morte eorum occidebantur, & Apostoli quasi vivi ab eis evadebant, quando mors eorum redibat ad augmentum fidei, & honorem Christi.*

Apostolatus. *1. Cor. 1. 28.* *S. Tho. in hunc loc.* *S. Ant. Pa. Serm. 5. de Apost.*

213. Alcibiades Lucarinus extremæ unctionis sacramenrum Igneumonis emblemate repræsentavit, qui cum hoste luctaturus, in luto volutatur, rursumque se ad solem exsiccat. Epigraphen addidit; MUNITUR PUGNATURUS. Maximam enim ab eo sacramento tutelam ac munimentum recipimus. Perspicuè Regius Propheta; *Oleo sancto meo unxi eum. Quibus verbis mox potissima unctionis illius effecta* subjungit; *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei &c.* Eandem iconem simili ratione etiam de Confirmationis sacramento interpretari licet; de quo Melchiades Papa: *Sicut exigit militaris ordo, ut, cum Imperator quemcunq; receperit in militum numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptismo recipitur homo in malitiam, & in confirmatione coarmatur ad pugnam.*

Extrema unctionis Sacramentum. *Psal. 88. 21* Cofirmationis sacrament. *Melchiad. distinct. 5. Can de hi de Consec.*

214. Igneumon, dormientis Crocodili fauces perrumpens, lemmatis loco inscriptum tenet; DORMIENTEM INVADIT. Iis hoc Emblema proprium est, qui hominibus, fidei ac patrocinio suo concreditis, perniciem struere non verentur. Tales fuêre Rechab & Baana, qui Isbosethum, domi suæ dormientem, jugulârunt. Eodem penicillo etiam dæmonem, adversus otiosos nunquam non triumphare solitum, adumbrabis. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit Zizania.* Cassianus; *Hæc*, inquit, *est apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita sententia; Operantem Monachum dæmone uno pulsari: otiosum verò innumeris spiritibus devastari.* Rem totam quatuor verbis dixit sapientissimus Augustinus; *Vigilat hostis: dormis tu;*

Proditor. Dæmon. *Matth. 13.* *Cassian. l. cap 23.* *S. Aug. in Psal 65.*

215. Ichneumon, ex interfecti Crocodili ventre victor rediens, à Lucarino epigraphen cepit; ESUS EXESUS, ET EXIT. Certè Christus, è sepulchro redivivus, eandem ipsam mortem, à qua paulò ante videri poterat devoratus, felicissimè subegit ac triumphavit. S. Petrus Damianus; *Quid Hydrus, nisi victoriam innuit Salvatoris? Limo igitur hydrus obvolvitur, dum Redemptor noster humanæ carnis limo vestitur. Hic ventrem ingreditur crocodili, quia Dominus claustra penetravit inferni. Hic demolitur intima viscerum: Et Dominus mortis evertit imperium. Ille corroso ac penetrato cadavere, post victoriam redit: quia Salvator noster, postquam infernum moriendo momordit, cum triumphali de sepulchro gloriâ resurrexit.*

Christus resurgens. *S. Pet. Dam. lib. 2 Ep. 1*

LACERTA.

Cap. XIII.

216. Lacerta, homini amicissima, quandò serpentem pueris vel puellis insidiantem advertit, mox ad suppetias accurrit, hostemque ingenti ardore reprimere nititur. Unde lemma; DEFENDIT AMANTEM. Vel, VITÆ DEFENSOR. Angelum tutelarem hæc imago innuit; de quo S. Ecclesia canit;

Angelus custos.

Custo-

Custodes hominum psallimus Angelos,
Naturæ fragili quos pater addidit,
Cælestis, comites insidiantibus
Ne succumberet hostibus.

Vinc. Fer. 7 Domin Advent. S. Vincentius Ferrerius; *Sancti Angeli*, inquit, *habent ad nos pietatem, quâ respiciunt nos per fenestras, & quando vident nos in periculis & miseriis, veniunt ad defendendum nos.*

217. Ea lacertæ natura est, ut vitam potius, quàm rem, semel dentibus prehensam, sibi extorqueri patiatur. Unde nonnemo fœminam, Margaritham nomine, unicè deperiens, ut obstinatum suum affectum erga ipsam demonstraret, se ipsum lacertæ symbolo expressit, quæ margaritham ore sustinebat, cum lemmate, AUT MORTE, AUT NUNQUAM. Ita prorsus conscientia remordens, ubi dentes suos humano peccatori semel infixerit, ad ipsum usque postremum vitæ suspirium lancinat. Verissimè Magnus Augustinus; *Quid dulcius bona conscientia? quæ si non est, & male pungit, amara sunt omnia.* Et Juvenalis;

Amor constans. Remorsus conscientiæ. Aug serm. 5 de divers. cap 8. Juven sat. 13

Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis,
Quas aut sævities gravis invenit, & Radamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

218. D. Josephus Pallavicinus, Can. Reg. Lateranensium Abbas, vir natalium splendore, ac ingenii præstantiâ illustrissimus, Lacertam figuravit, quæ, omnis veneni expers, serpentem dentibus prehensum stringit, & suffocat; addito lemmate, VENENUM NON VENENO. vel, NON VENENO VENENATA DISPERDO, vel denique, SONTEM ULCISCITUR INSONS. Ita Prælatus petulantem ac temerariam subditorum frontem vivo & inculpato ardore reprimit. Exemplum præiverat David, qui, cum se mundum ac innocentem fuisset protestatus; *Perambulabam IN INNOCENTIA cordis mei in medio domûs meæ*; mox, veluti ob innocentiam illam sese ad flagitiosos castigandos, exterminandosque dignum reputâsset, subjunxit; *INTERFICIEBAM omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes OPERANTES INIQUITATEM.* In hunc locum ad Religiosorum familias prorsus accommodatè ait S. Hieronymus; *Civitas Domini est Ecclesia Sanctorum, congregatio justorum: Disperdam, hoc est, arguam, & increpem eum qui peccat, ut pœnitentiam agat, & disperdat iniquitatem de corde suo.*

Prælatus justus. Psal. 100. 2. S. Hieron. in hunc loc.

219. Quidam Academicus, Pertinax nomine seipsum lacertæ symbolo repræsentavit, quæ rem quandam dentibus prehensam sustinebat, cum dicto, MALO MORI. In sensu saniore hanc iconem iis tribues, qui bonis suis propositis ita constanter inhærent, ut mori malint, quàm ab illis vel minimum deflectere. Animo prorsus generoso Jobus; *Donec deficiam*, inquit, *non recedam ab innocentia mea, Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram.* S. P. Augustinus; *Hæc est mors optima, ut in cupiditatum cohibitione à terrenis in spe cœlestis hæreditatis, homo usque in finem perseverans, diem vitæ hujus ultimum claudat.*

Peccator obstinatus. Perseverantia. Iob. 27. 5. S. Aug. in Psal. 67.

LOCVSTA.
Cap. XIV.

220. Locusta, ex uno in alium locum saltitando deferri solita, epigraphen præfert, QUANDOQUE EXTOLLOR. Eos hoc Emblema spectat, qui non assiduò, sed interruptis duntaxat motulis, ad virtutis ac perfectionis fastigium evehuntur. Hoc vitium in Judæis observans S. Gregor. Papa, ait; *Ipsos* (Judæos) *Locustæ significant subditos saltus dantes, sed protinus ad terram cadentes. Saltus enim dabant, cùm præcepta Domini se implere promitterent: sed citius ad terram cadebant, cùm per prava opera hæc se audisse denegarent. Locustæ ergò erant, quia habebant saltum per vocem, & casum per actionem.*

Instabilitas. S. Greg. l. 31. Moral. c. 12.

221. Locusta, asserente Pierio Valeriano, serpentis caput pungere ac ferire solet. Unde Lucarini lemma; STAT, ET CONTERIT. Mariæ Virginis hoc symbolum est, quæ è serpentis Tartarei conflictu semper triumphum retulit. Ut adeò verè de illa dicatur, *Ipsa conteret caput tuum.* Eadem effecta in Verbo incarnato deprehendens S. Leo Papa, ait; *Deus omnipotens & clemens, statim ut diabolica nos malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia præsignavit, denuntians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem suâ virtute conteret, Christum scilicet in carne venturum, Deum, hominemque designans.* Simili argumento Glossa interlinearis de S. Ecclesiâ ait; *Sancta Mater Ecclesia, Christo à mortuis resurgente, diaboli caput contrivit, quoniam virtute Domini mundum devicit, & dæmones ei subjecti fuere.*

Pier. Val. l. 28. Maria V. Genesis 3. 15. Verbum incarnatum. S. Leo in 5. distinct. c. cum exi. &c. S. Ecclesia. Gloss. Interl. in cap. 3. Gen. v. 15.

222. Andreas Alciatus locustarum turmam depinxit, quæ segetes, fructus, ac herbas horrendum depopulata, epigraphen tenebat; NIHIL RELIQUI. Mentem Emblematis sequenti epigrammate explicavit;

And. Alciat. Embl. 123.

Scilicet hoc deerat post tot mala, denique nostris
Locustæ ut raperent quidquid inesset agris.
Hæ fænum, milium, farra omnia consumpserunt.
Spes & in angusto est, stant nisi vota super.

Barbarum ac violentum prædonem, divitias, honorem, libertatem, & ipsam adeò vitam passim diripere solitum, hoc Emblema spectat. Haud aliter peccatum miseros homines bonis omnibus spoliat, & ad extremam calamitatem redigit. Unde solius peccati causâ non sine gemitu exclamavit David; *Ad nihilum redactus sum.* Opportunè dixit Magnus Augustinus; *Qui deserit eum, à quo factus est, inclinatur in nihilum.*

Prædo. Peccatum. Psal. 72. v. 22. S. Aug. in Psal. 7.

223. Locusta assiduos quidem saltus urget, sed tamen sine ullo suo profectu; vix enim è terra in altum sublevata, mox ad pristinum profundum recidit. Unde lemma; SALIT, ET DECIDIT. Ita plerumque superbi, posteaquam ad dignitatum fastigia non sine solicitudine & labore eluctati fuerint, mox iterum præcipites aguntur. Stulto Babyloniorum Regi exprobrans Isaias, ait; *Quomodo CECIDISTI de cœlo Lucifer, Qui manè ORIEBARIS; CORRUISTI IN TERRAM. Tu qui dixisti, ASCENDAM super altitudinem nubium, AD INFERNUM DETRAHERIS &c.* In hunc locum S. P. Augustinus; *Qui se voluit æqualem facere Deo, cùm non esset; cecidit, & ex Angelo factus est diabolus.* Cæterùm Emblematis hujus occasionem & materiam è nervoso illo Absalonis Abbatis, mei Concanonici, dicto desumpsi; *Locusta, saltus dans & citò cadens, superbiam signat.*

Superbus. Isa. 14. 13. S. Aug. Tract. 17. in Ioan. Absal. Abb. serm 5.

224. Locusta, non expectatâ fructuum maturitate, eos adhuc intra herbam florescentes depopulatur. Quare Pisidas inter cætera de Locustâ canit;

Pisid. apud Thuil. in Embl. 128. Alciati.

- - - Perimit ante tempus, ante diem metit:

Unde in adolescentis funere locustâ depinges, quæ, in fruges, adhuc pubescentes & immaturas grassari

Mors immatura.

sari solita, epigraphen præferat; PERIMIT ANTE TEMPUS. vel certè, ANTE DIEM METIT. Mortis hoc ectypon est, quæ maturos, immaturosque flores; senes inquam & juvenes, indiscriminatim abripit. Probè id perspectum habens S.P. Aug. *Conceptus est puer, inquit, forte nascitur, forte abortum facit, ita incertum est. Forte crescit, forte non crescit. Forte senescit, forte non senescit. Nunquid potes dicere, forte moritur, forte non moritur?*

S. Aug. serm. 11 de verb. Dom. c. 3.

MUS. Muscipula. Cap. XV.

225. MUs in muscipula epigraphen Hispanam sustinet; POR BUSCAR DA COMER. Id est, DUM QUÆRITAT ESCAM. Sæpius enim contingit, murem, dum vitæ sustentandæ alimenta conquirit, mortem invenire. Jonathas, favo mellis vix degustato, ad macellum damnatus est. *Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce morior.* Claudius Imperator, è ficorum dulcedine & fungorum sapore nonnihil voluptatis capturus, violentum ab Agrippina toxicum, & unà mortem recepit. Famianus Strada author est, Ferdinando, Albaniæ Duce, cum exercitu è Lombardia in Flandriam per Austrasiæ confinia movente, quemdam magni illius Belliducis equitem sclopetarium suspendio enecatum fuisse, quod, commilitonibus suis mensam nonnihil pinguiorem instructurus, è vicino grege vervecem abstulerit. Cumprimis id experti fuere Protoparentes nostri, qui incauto unius pomi esu & seipsos, & omnem posteritatem suam miserrimè occiderunt. S.P. Augustinus; *Dederat Deus panem præcepti. Nam panis animæ quid nisi verbum Dei? suggerente serpente, prævaricante muliere, tetigit vetitum, oblitus est præceptum, oblitus est manducare panem suum, & bibit venenum.*

Cibus occasio mortis.

1. Reg 14.43.

Fam. Strad. lib. 6. Dec. 1. de Bell Belg.

S. Aug in Psal. 105.

226. Caverna, in qua mus delitescit, diversis foraminibus distincta est; Unde Bargalii lemma; NON UNI FIDIT ANTRO. Circumspectam ac prudentem in agendo cautelam hæc imago innuit; optimum, plurimaque experientia firmatum consilium est, ut plures tibi amicos, ad quos in egestate recurrere possis, prospicias; tranquillior enim est navis, pluribus firmata anchoris, magisque munita civitas, quo crebrioribus cincta vallis. Unde ad eleemosynam faciendam non ob aliam rationem tantoperè hortatur Servator, nisi ut per illam nobis amicos conciliemus, qui in necessitatibus patrocinium nostrum suscipiant. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Nam, è S. Chrysostomi sententia, *Ars artium peritissima est eleemosyna; non enim domos nobis fabricat luteas, sed vitam æternam impendit.* Ad rem nostram Plautus;

Cautela.

Luc. 16. 9.

S. Io Chrys. in Catena.

Plaut. in Truculent.

Sed tamen cogitato, mus pusillus quàm sit sapiens bestia,
Ætatem qui uni cubili nunquam committit suam,
Quia si obsideatur unum, aliunde præsidium gerit.
Magis succinctè alius;
Mus miser est, antro qui solum clauditur uno.

227. Ea murium adversus socios est pietas, ut eorum uno in puteum ad fontem delapso, mox unus post alterū, è superioris cauda instar catenæ suspensus, in scrobem serie tam longa demittatur; donec infimus afflictum contingere, ac extrahere possit. Iis proindè, oblongo ordine intra puteum pendentibus, Abbas Ferrus inscripsit. MUTUO SE SUBTRAHUNT. Inde hominibus mutuum auxilium discere licet. Concinnè Menander.

Mutuum auxilium

Vir enim virum, & civitas salvat civitatem,
Manus manum lavat, & digitus digitum

Salomonis consilium est; *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses;* ubi de infelicibus illis loquitur, qui malignis aliorum insidiis in extremam perniciem præcipitati, opem & auxilium nostrum inclamant. Hanc charitatis legem probè observàrunt Ruben & Judas in liberando Josepho; Daniel in vindicanda Susanna; David, oviculas è luporum faucibus rapiens. &c. In hoc argumentum S. Ambr. *Eripe eum, qui ducitur ad mortem, hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratiâ, tu sacerdos, aut tu Imperator, eripe subscriptione indulgentiæ, & solvisti peccata tua, eruisti te à vinculis, vinculis enim peccatorum suorum unusquisque constringitur.* Et verò si in corporalis vitæ discrimine mutuam opem ferre jubeamur, quantò magis animas, tuâ forsan injuriâ aut incuriâ in scelerum voraginem dejectas, eripere, ac pristinæ incolumitati restituere obligaris? Constat quippè, quod *Unicuique Deus mandavit de proximo suo.*

Prov. 24.11

S. Ambr. s. 8. in Psal. 118.

228. Mus intra muscipulam, è filis ferreis cancellatam, clauditur, & exterius à fele infestatur; cum lemmate è D Paulo desumpto. FORIS PUGNÆ, INTUS TIMORES. Peccator, extremam cum morte luctam subiens, & jamjam in agone fatiscens, hoc symbolo demonstratur; quippe qui exteriore corpore innumeris doloribus afflictus, animam, vindictæ Divinæ, & supremi Judicis timore concussam sentit. S. Joannes Chrysostomus; *Veluti qui per obscuram noctem iter faciunt, et si nihil metuendum sit, metu tamen concutiuntur: sic qui scelus aliquod admittunt, et si nemo id videat, nemo reprehendat, nihil tamen melius sibi fidunt, sed omnia formidant, omnia suspicantur.*

2. Cor. 7. 5. Peccator in agone

S. Io Chrys. hom. 4. in Ioan.

229. Qui solâ voluntate aut desiderio delinquunt, à conscientiæ cruciatibus; priusquam re concupitâ perfruantur, miserè torquentur ac pereunt; Muri per similes; qui, nullo adhuc laridi sapore percepto, in muscipulam delabitur. Unde lemma; PRIA DI GIUNGER A L'ESCA, A MORTE IO GIUNGO. Id est; DUM PRÆDAM PETO, PEREO. De his S. Paulus; *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Ita nimirum miserrimi hi, dum à bono concupito longissimè coguntur abesse, solâ voluntate illud habendi implicantur, ac pereunt. Acutè ac compendio dixit S. Ambrosius; *Dum prædam petis, laqueo te nectis.*

Peccator.

1 Tim. 6. 9.

S. Ambros. ser 14 in Psal. 118.

230. Spei humanæ vanitatem è mure dignoscere licet, qui in muscipulam delapsus, lemmatis loco non sine gemitu exclamat; TROVO LA MORTE; OVE SPERALIA VITA. Id est; PEREO, DUM APPETO CIBUM. Id sanè frequenter experiuntur illi, qui mundi ac sensuum blanditiis stultè se permittunt: hæc enim exteriore vultu escam maximè desiderandam præbent; re ipsa verò omnium calamitatum, & ipsius adeò mortis hami sunt. Sanctus Basilius; *Voluptas sempiterni vermis nutrix: quæ eum, qui se fruitur, ad aliquod tempus delinit, post autem felle amarius digeritur.* Et S. Gregorius Nazianzenus; *Omnis vitii esca est voluptas objecta, ad exitii hamum avidiores animos attrahens.* Præclaram hujus effigiem in Podoliæ, Russiæ, aliarumque Septentrionalium regionum ursis cernere licet, qui mellis dulcorem intra arborum cavitates gustaturi, ligneos fustes, acutissimis clavis munitos, in insidiis offendunt, iisque

Spes humana.

S. Basil Exhort ad Bap.

S. Greg Naz in Tetrast.

iisque prostrati, interficiuntur: uti testatur Olaus Magnus.

Voluptas cum dolore.

231. Mus, laridum devorans, muscipulâ intercipitur; cum lemate, NULLUM EST ABSQUE DOLORE BONUM. *Ita*, Comico asserente, *Diis placitum est, ab eodem culmine voluptas, & ei comes mæror sequitur*. Et Apuleius, *Verbum*, inquit, *verum est profectò quod ajunt; Nihil quidquam homini tam lætum datum est divinitus, quin ei admixtum sit aliquid difficultatis: ut etiam in amplissima quaq; lætitia subsit quæpiam vel parva querimonia, conjugatione quadam mellis & fellis: ut, si quid illud solvit, hoc restringat.* Opportunus in hanc rem se offert Platonis Apologus. Voluptas & dolor apud Jovem se mutuò accusabant, convitiisque lacessebant. Ille, cúm pacem & amicitiam inter eos conciliare vehementer niteretur, nihil efficiebat. Tandem adamantinâ catenâ eos colligavit, ut, quantumcunque odiis dissiderent, semper tamen simul essent, seseque mutò comitarentur.

Apul.l.2. Floridor.

Plato in Phædro.

MUSCIPULA.

232. COncinna P. Constantini Pulcharelli *de mure* elegia occasionem mihi præbuit, aliquot Emblemata de muscipula consiciendi. Quare scutellatam testam eo situ depositâ figurabis, ut mus sese supra illam insinuare possit: cum lemmate, MINIMO FULTA. Quippe quod tota illius muscipulæ scutella nonnisi unico nucis nucleo, aut casei particulâ sustentetur. Nihil abs re dixerim, si familiã, nullo altero hærede, nisi unico parvulo & infirmo puello nixam, significem. Porrò quisquis honoribus aut voluptatibus terrenis se permittit, scutellâ nititur lubricâ, ac momento ruiturâ. Mundus enim, teste Magno Aug. *Pascit fallacibus voluptatibus, quæ neque permanent, neque satiant, sed torquent doloribus, & implicant ærumnis.* Cæterùm inscriptionem Emblematis ex supradicti Pulcharelli poëmate desumpsi;

Familia cadens.

Mundus fallax.

S. Aug de vera relig. cap.20.

Composui curvam levi super assere testam,
Ictius ut PARVO vimine FULTA cubet.

233. Eadem muscipulæ scutella, momento ruitura, nec nisi ex unico tantum latere fallaciter sustentata, epigraphen reddit. PROMPTA RUINA. vel, TACTU LENTO DECUMBET. Verbis è superioris numeri poëmate desumptis;

Nec patitur longas prompta ruina moras.

Et;

Sic tamen ut lento vimen decumbere tactu
Possit.

Ita prorsus vita humana quovis levissimò impulsu præceps agitur. Verissimè S. Ambrosius ait; *Corpora nostra fragilium expressione signari, quæ brevi lapsu præcipitata franguntur.* Certè, Plinius refert, fumum è lucerna evaporantem, ad mortem homini accersendam sufficere; additque, *Potes perire serpentis ictus dente, aut etiam, ut Anacreon Poeta, acino uvæ passæ, ut Fabius senator, in lactis hausto uno pilo strangulatus.*

Vita humana.
S. Ambros.
Plin. l.7.

234. Muscipulæ scutella situ non minus lubrico quàm ingenioso ita in altum sublevatur, ut levissimo pede tacta concidat. Unde lemma; CASURA STRUITUR. Verbis è citato poëmate mutuatis;

Casurâ struitur fallax testudine tectum.

Mundi majestatem, potentiam, ac felicitatẽ, assiduis casibus obnoxiam, hæc idea describit. Hujus rei exempla habeto amplissimas Assyriorum, Medorum, Græcorum, & Romanorum Monarchias; tot insuper familias, Regumq; series, angusto tempore in sublime evectas, mox tamen dirutas, & funditus eversas. Unde de quavis rerum terrenarum spe pronuntiat Magnus Augustinus; *Ipsi sunt, qui malè cadunt, qui spem suam in hoc sæculo ponunt.*

Mundi majestas.

S Aug. in Psal 30.

235. Muscipula, suavem escam vicino muri offerens, epigtaphen tenet; NE CREDE VOCANTI. De voluptatibus ac deliciis terrenis id explicat S. P. Aug. *Tendit diabolus & Angeli ejus, tanquam venantes tendunt muscipulas; & longè ab ipsis muscipulis ambulant homines, qui in Christo ambulant. Non audet enim in Christo tendere muscipulas; circa viam ponit, in via non ponit. Via autem tua Christus sit, & tu non cades in muscipulam diaboli. Aberranti à via, jam ibi est muscipula; hinc atque hinc ponit laqueos, inter laqueos ambulas: sed si vis securus ambulare, noli declinare in dexteram aut sinistram, & sit tibi via ille, qui tibi pro te factus est via, ut perducat te ad se per se.*

Mundus fallax.
S. Aug in Psal 90.

236. Muscipula sub fallaci escâ ruinam minitatur; cum lemmate, FRAUDEM PROPONIT IN ESCA. Ita diabolus non rarò fraudem facit improvido homini, dum miserum, voluptatibus, divitiis, aliisque cupediis allectum, implicat, perditque. S. P. Aug. *Tu desiderio tuo facis locum diabolo. Ecce enim diabolus proposuit lucrum, & invitavit ad fraudem. Lucrum habere non potes, nisi fraudem feceris. Sed lucrum esca est, fraus laqueus. Sic attende escam, ut videas & laqueum; quia lucrum non potes adipisci, nisi fraudem feceris; fraudem autem si feceris, capieris.*

Voluptas.

S. Aug. in Psal. 139.

MVSCA.
Cap. XVI.

237. TÆdium non leve nobis creare solet musca, dum sæpius propulsata, iterum iterumque ad pristinum locum hospes importunissima redit. Unde lemma; ASSULTANT SÆPE REPULSÆ. Verbis ex Homero desumptis, ubi pugilem, centies profligatum, toties ve reversum, hoc poëmate describit.

Homer.
Importunitas.

Atque illi vim muscæ inter præcordia misit,
Quæ quamvis de pelle viri sit SÆPE REPULSA,
ASSULTAT morsura tamen.

Malas cogitationes, ac vitiosas tentationes non incõgruè muscis simillimas dixeris; sæpius enim, fortiterq; repulsæ, iteratis identidem viribus stationem pristinam, non sine fastidio nostro, repetunt. Religiosissimus meus Thomas Kempensis id testatur; *Non est homo securus à tentationibus totaliter, quamdiu vixerit. Unâ tentatione seu tribulatione recedente, alia supervenit: & semper aliquid ad patiendum habebimus. Multi quærunt tentationes fugere, & gravius incidunt in eas.* Concinnè meus D. Carducius canit;

Tentationes.

De Imit. Christi l.1. cap 13.

Musca infesta redit, licet ante repulsa flabello;
Sic vitii species irrequieta redit.

238. Peccatorem, calamitatibus quidem pressum, necdum tamen ullâ vitiorum pœnitudine ductum, muscis persimilẽ dixit Aresius, quæ flabello depulsæ, epigraphen è Psal. sustinent; DISSIPATÆ, NON COMPUNCTÆ. Verba Psalmi sunt; *Dissipati sunt, nec compuncti.* Eosdẽ mores in Hebræorum populo deprehendens Ruffinus, ait; *Cùm vires illius frequens percussisset afflictio, nihilominus in impietatis studio permanebat.* Providè monet Magnus Aug. *Modo compungere, ne in te fiat, quod dictum est de quibusdam detestabilibus: Dissipati sunt, nec compuncti. Videtis dissipatos, & non videtis compunctos.*

Peccator impœnitens.

Psal. 34.16.

Ruffin. in Osea c.7. v.8.
S. Aug in Psal. 34.

239. Hominem importunum Joan. Ferrus Muscæ emblemate repræsentat: cum dicto, ET ABACTA REDIBIT. Nî fallor, imaginis hujus construendæ occasio ex Hori Apollinis Hieroglyphicis desumpta est, ubi scribit; Ægyptios, *Impudentiam notantes*, *muscam*

Importunitas.
Hor. Apoll. lib.1. n.48. Hieroglyph.

Malæ cogitationes *muſcam pingere, quod hæc, etſi crebrius abacta, nihilominus accedat.* Eandem tamen, ut ſuperiore numero dictum eſt, etiam de malis cogitationibus interpretari licet, quæ iteratis vicibus è phantaſmate noſtro propulſatæ, toties moleſtæ revertuntur. Muſcis affines erant volucres illæ, quæ Abrahami victimas involabant, magnoque ſtudio & ſolicitudine ab ipſo arcebantur. S. Ildebert^{9}, de avibus illis diſſerens, ad pravas cogitationes, quibus ipſemet infeſtabatur, alludit; *Deſcenderunt*, inquit, *volucres ſuper cadavera, & abigebat eos Abraham: Has ego infelix, cum ſacrificante Abraham ſacrificans, & ipſe perfero. Sed cum abigente nondum datum eſt abigere.* Et S. Ephræm Syrus; *Pyratæ ſunt cogitationes ſordidæ atq; moroſæ, hi ſunt pyratæ impudentiſſimi & peſſimi, qui nunquam ceſſant, nec ullius malitiæ ſaturitatem capiunt. Et quamvis vincantur, ſemper ſe tamen intrudunt, atque ingerunt.*

Gen.15.11. *S. Ildebert. ep.37.* *S. Ephræm. ſerm de virginit.*

240. Muſcam, flabello propulſatam, hâc gnomâ affecit Ferrus; REDITURA FUGIT. Verbis è Seneca deſumptis, ubi de luna canit;

Senec. Herc. Fur. Act.1. in Choro.

Phæbique fugit reditura ſoror.

Tentatio. Ita, prô dolor! impuræ cogitationes ac tentationes, quantumvis fortiter in fugam actæ, iterum tamen iterumque importuniſſimè revertuntur. Muſcas illas etiam peccator imitatur, qui vitiis tantiſper relictis, Recidivus mox eadem repetit; haud ſecus atque Jordanis aquæ, dum arca per illas tranſibat, curſum ſuum nonnihil cohibuêre; at eâ vix recedente, *Reverſæ ſunt aquæ in alveum ſuum, & fluebant ſicut ante conſueverant.* Adverſus Recidivos iſtos facundè S. Bernardus; *Reverſus ad vomitum canis, odibilis erit multò plus quàm ante, & fiet filius gehennæ multiplicter, qui poſt indulgentiam peccatorum in eaſdem denuò ſordes inciderit.*

Joſue 4.18. *S. Bern. ſer.2. de Aſſumpt.*

241. Calumnia ſolis ſceleratis pernitioſa eſt, nihilque adverſus innocentes poteſt. E muſcarum emblemate id conſtat, quæ, tametſi ingenti agmine circa ſpeculum cryſtallinum volitent, damnum tamen nec minimum ei creare poſſunt. Lemmatis loco ſubſcribes; LABUNTUR NITIDIS, SCABRISQUE TENACIUS HÆRENT. Juſtus Lipſius eodem argumento homines querulos ſignificat; *Ut muſcæ*, inquit, *& ejuſmodi inſecta lævibus, politiſq; locis non diu inſident, ſcabris adhæreſcunt: ſic querula mens meliorem ſortem leviter transvolat, aſperam non dimittit. Tractat, inſpicit, & ingeniosè plerumque auget.*

Calumnia. Detractor. *Juſt. Lipſ. l.2. de Conſt. c.2.*

242. Muſcæ, unguenti dulcedine illectæ; quantocius ad illud advolant; cui veluti viſco immerſæ, moriuntur. Iis proinde meus Concanonicus, D. Alexander Luzon de Millares lemmatis loco illud Horatii ſubdidit; NOCET EMPTA DOLORE VOLUPTAS. Verba Poëtæ ſunt;

Horat. l.1. ep 12.

Sperne voluptates, nocet emptâ dolore voluptas.

Voluptas. Epiphonemate in rem præſentem opportuniſſimo uſus eſt Demoſthenes, quando Thaidi, formoſiſſimæ lupæ, ut ſui copiam faceret, decem drachmarum millia impudentiſſimè poſcenti, reſpondit; *Pœnitere tanti non emo.* Subtiliter enim vir ſapientiſſimus expendit pretii magnitudinem, mulieris improbitatem, voluptatis brevitatem, & conſcientiæ nunquam non accuſaturæ carnificinam. Nam S. Auguſtino teſte, *Sub momento libidinis impetus tranſit, & opprobrium infelicis animæ pendet.* Vix primis labiis delabitur voluptas; (*Favus enim diſtillans labia meretricis.*) quod propinat, molle eſt, leve, lene, lubricum. Tantùm dat ſtillam mellis, mox datura ingentes acervos fellis. Præbet captapotia ſaccharo illita, ne inſanienti palato faſtidium creet; *Noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium.* S. Joannes Chryſ. *Meretrix amare neſcit, ſed inſidiatur tantùm; venenum habet illius oſculum, & toxicum os pernitioſum. Si verò non ſtatim apparet, propterea ipſam magis fugere oportet, quoniam obtegit perniciem, & mortem habet celatam.* Concinnè è Poëtis nonnemo.

S Aug. hom. 25 0 de temp. *Prov. 5.3.* *Ibid. v 4.* *S. Jo Chryſ. hom 14 ad popul.*

Nil amor eſt aliud, niſi triſtis & ægra voluptas,
Nil niſi dulce malum, nil niſi triſte bonum.

243. Muſca, ſymboli loco, epigraphen præfert; UNGUENTI ODOREM. Ad verbum Eccleſiaſtes; *Muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti.* S. Hieronymus muſcæ nomine peccatum vult intelligi; ſicuti enim illa, unguento immerſa, ſe ipſam interimit, & unguentum fædat; ita peccatum omnem gratiæ & famæ ſuavitatem perdit. De peccatis & concupiſcentiis diſſerens S. Bern. *Hæ*, inquit, *prorſus muſcæ ſordidæ & pungentes, quæ in nobis decorem naturæ fædant, mentem curis & ſolicitudinibus lacerant, ſocialis gratiæ ſuavitatem exterminant.* S. Franciſcus muſcæ nomine Religioſum otioſum ſignificabat; unde, teſte D. Bonav. *Si quem cernebat otioſum & vagum, aliorum velle manducare labores, fratrem muſcam nominandum cenſebat, eò quod talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilem omnibus ſe reddat.* Denique ſicut muſcæ unguentum, ita hæretici ac ſcelerati alios etiam probos inquinant.

Eccleſ 10. Peccatum. *S. Bern. ſer. 44. in Cant.* Otioſus. *S. Bonav. vita cap. 5.* Societas mala.

244. Infeliciter muſcis ea cedit temeritas, quâ in aranearum telam imprudentes ſe dimittunt: nam filis implicitæ tenuiſſimis, curioſitatis ſuæ pœnas luunt, correptæque ab inſidiante araneâ, ad paſtum mactantur. Unde Sereniſſimus Philotheus muſcam, araneæ telâ captam, hoc lemmate notavit; SE INTRICAT. Hoc ſchemate doceris, quàm celeriter ex mortalibus plerique in ſuum ruant interitum, qui tritam vulgaremque faſtidientes viam, in rebus civilibus præcipitia tantùm amant, illiſque temerè ſe immiſcent negotiis, quæ, ſicuti auſpiciis ſuis ardua, ita eventu periculoſa, triſtem cultoribus ſuis exitium relinquunt. Semper ſanè nocuit, difficillimis, & captu ſuo remotis ſe implicuiſſe negotiis. In horum numero primi ſunt, qui judicio ſuo perſcrutari arcana Dei, eaque ſuæ ſubjicere rationi aggrediuntur; digni, quos in his ſpeculatoribus corripiat Divina vindicta, & confuſo animo ſpirituque proſtituat, Providè monet Siracides: *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Nam, ut verbis Magni Auguſtini utar, *Magis in iſtis temeraria præſumptio, quàm cauta ignoratio culpanda videtur.* Coronidè toti huic emblemati addit aurea illa ejuſdem Hipponenſis Epiſcopi gnome, *Cùm non poſſis eſſe, quod velis; velis id, quod poſſis.* Emblemati explicando ſequens epigramma ſubjungit Author;

Ambitio. *Eccleſ. 3.22.* *S. Aug. contra Priſcill. c.* *S. Aug. lib. vita beata.*

Me quoque, quum trito ſorderet ſemita calle,
Inſuetum & praeceps carpere juvit iter.
Magnarum aggredior perplexa negotia rerum,
Conſilioque placent ardua quæque meo.
Sed nimis infido ſuſpenſa negotia filo,
Vix tetigi, & noſtras implicuiſtis opes!
Sic ubi ſubtilem temeraria carpſit Arachnem
Muſca, revincta pedes, triſte pependit onus.

245. Quanta miſeria ſit eorum, qui ſuis indulgentes voluptatibus, ventri gulæque obediunt, & corporis ſe ingurgitant deliciis, admonet nos ex minimis animalculis viliſſima muſca; quæ butyrum degluttiens, dulci hoc veneno ad mortem nutritur. Unde idem Sereniſſimus Philothei Author ſymboli loco muſcam depinxit, butyro propinquantem; cum lemma-

lemmate, MORTEM DABIT IPSA VOLUPTAS. Nam nefandæ mortalium cupiditates, ubi corporis servitio, luxuique animum mancipârunt, & vires utriusque immaturâ imbecillitate consumunt, & suavi veneno æternam mortem sibi depascunt. Verissimè, ac proprio exemplo doctus Magnus Aug. *Voluptas transitura*, inquit, *sine prudentia desideratur; verùm cum transierit, cum pœnitentia cogitatur.* Unde sapientissimè concludit; *Bibant alii mortiferas voluptates, portio calicis mei Deus est.* Emblemati suo sequens epigramma subdit Philotheus.

Voluptas. — S. Aug. serm. de verb. Apost. c. 9. — Idem in Psal. 15.

Pascitur apposito temeraria musca butyro,
Inde illi gelidæ causa parata necis.
Pascitur ad mortem. Fugite hinc; latet anguis in herba,
Dum pasci gaudet stridula musca, perit.
Sola nocet, turpisque emitur vel morte voluptas,
Et valet in clades ingeniosa suas.
Sperne voluptates. Divis se mentibus æqua,
Pectore qui casto suevit adire Deum.

PAPILIO.

Cap. XVII.

246. Homo mundanus incautos oculos in mulieris venustatem crebrò defigens, paulò post, inobservato malo, illius amore ardebit: haud secus, atque papilio, circa lumen temerè volitans, demum alis adurit, & vitam perdit. Unde lemma; ALLICIT, ET INCENDIT. vel ut alteri placet; COSI VIVO PIACER CONDUCE A MORTE. Id est, LETHALIS ISTA VOLUPTAS. Baptista Guarinus in rem præsentem canit;

Amor mundanus. — Capt. Guar. del Madrig. 7.

Una farvalla cupida, e vagante
Fatt' e il mio cor amante;
Che và quasi per gioco.
Scherzando intorno al foco
Di due begliocchi, e tante volte e tante,
Vola, e rivola, e fugge, e torna, e gira;
Che ne' l amato lume,
Lascerà con la vita al fin le piume.

Gravi & oportunâ sententiâ dixit P. Algerus; *Libido appetitu suo ALLICIT, ET INCENDIT, actu suo fœdat, & enervat, usu lubricat & illaqueat, adeò ut placendo displicens, displicendo placens, difficilem aut nullam sui pœnitudinem admittat.*

Alger. l. 2. de Sacram. cap. ult.

247. Papilio, circum lumen volitans, lemmatis loco has voces pronuntiat; E SO' BEN CH' IO VO' DIETRO, A QUEL CHE M' ARDE. Id est; SEQUOR URENTEM. Amantis mundani hæc idea est, qui exitio suo indefessè ac continuò inhiat, veluti liberrimâ ac propriâ voluntate in extremam perniciem præcipitandus. Opportunè monet Siracides; *Post concupiscentias tuas non eas*, vel ut clarius vertit Tigurina, *ne sequaris cupiditates tuas, & appetitus tuos inhibe.* S. Bernardus loquens de Filio prodigo, qui sua omnia cum meretricibus dissipavit, ait; *Quænam hæ meretrices? carnales utique concupiscentiæ, de quibus scriptura saluberrime te admonet; Post concupiscentias tuas non eas.* D. Petrus Bembus de juvenili sua licentia opportunè canit;

Amans mundanus. — Eccles. 18. 30. — S. Bern. serm. 24 in cant.

Il Divini chiaro sguardo si mi piace,
Ch' io ritorno a perir de la sua vista,
Come farfalla al lume che lus face.

248. Papilio, versus flammam volitans, à Carolo Rancato illum Ariosti versum lemmatis loco accepit, NON POSSO FAR DI NON MI DARGLI IN PRÆDA. Id est; VIS TRAHIT INVITUM. Prava, seu libidinis, seu avaritiæ consuetudo hâc icone innuitur. illa enim, si hominem semel occupaverit, vim adeò validam ei adhibet, ut prurituì suo imperare, aut veternum excutere, nonnisi difficillimè possit. Verissimè dixit Magnus Aug. *Vincere consuetudinem, dura pugna.* Unde provide hortatur; *Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo, cum parvula est, elide illam.* Experto id credes Ovidio.

Ariost. cant. 45. st. 34. — Consuetudo mala. — S. Aug. in Psal. 30. — Idem in Psal. 136. — Ovid. 7. Met.

--- Si possem sanior essem,
Sed trahit invitum nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud suadet.

His optimè exprobrans D. Basilius Paradisi, canit;

Basil. Par. nelle, sue Poesie.

Del cor colpa e la brama,
Che crucia il cor; se v'e beltà ch' alletta,
Non ci è necessità che ne constringa.
La bellezza lusinga,
Non incatena, & è miseria eletta
Il non odiar un ben, che mal si brama:
Se medesimo disama,
Chi ama il suo male &c.

249. Papilioni, versus lumen volanti, non abs re illum Ariosti versum lemmatis loco subjunges; E NON NE PUO L' LONTAN VIVER CONTENTA; Id est; HINC NEQUIT ESSE PROCUL. Ita sanè mens, amore capta, rei amatæ absentiam ægerrimè tolerat. Probè id perspectum habuit Magnus Aug. quando dixit; *Quem quisque diligit, etiam cum videt cum sine fastidio, semper vult esse præsentem, hoc est, semper quærit eum esse præsentem.* Et paulò antè; *Est Deus sine fine quærendus, quia sine fine amandus. Dicimus etiam præsenti alicui, non te quæro, id est, non te diligo: ac per hoc, qui diligitur, etiam absens quæritur, dum charitate perpetuâ, ne fiat absens, optatur.* Unde amans quidam, Ferrariensis ore canit;

Ariost. cant. 45. st. 34. — Amans. — S. Aug in Psal 104.

Son simile, all' avar, ch' ha al cor si intento
Al suo tesoro, e si ve' l hà sepolto,
Che non ne può lontan viver contento
Ne, non sempre temer, che gli sia tolto.

250. Haud facilè definiveris, num major sit papilionis cæcitas, an pertinacia? nam alis paulò antè à vicino lumine, non sine vitæ dispendio, adustis, mox eidem discrimini iterum, iterumque se objicit. Unde Rancatus illum hoc lemmate loquentem sistit; M'INVAGISCE DOVE PIU M' ACCENDE. Id est, ALLICIT, QUOD INCENDIT. Eandem papilionis stultitiam hodie etiamnum in peccatoribus recidivis, iis præsertim, qui terreno amore capti sunt, experimur. Graviter in rem præsentē S. Chrys. *Cogita, ô homo*, inquit, *graviorem esse culpam post veniam; renovatum vulnus pejus dolere post curam, Sanitatis indignus est, qui semetipsum, postquam sanatus est, vulnerat. nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat.* Cæterum epigraphen Italicam è Petrarcha desumpsit Emblematis Author.

Amans. Recidivus — S. Io. Chrys. in homil. — Petrarch. p. 1 Canz. 5.

Ma solo Amor, che nel suo altero lume
Piu m' invaghisce dove più m' accende.

251. Papilio, lumini propinquans, dum voluptatem aut commodum quærit, damnum ac perniciem recipit. Unde nonnemo, voluptatis suæ vanitatem Emblemate significaturus, consumptum à lumine papilionem expressit; cum lemmate, GIOIR SPERA. Id est GAUDIA SPERAT. S. P. Augustinus; *Speras in pecunia, observas vanitatem? speras in honore & sublimitate aliqua potestatis humanæ, observas*

Spes humana fallit. — S. Aug. in Ps. 36. Conc. 1.

vas vanitatem?speras in aliquo animo potente, observas vanitatem? in his omnibus CUM SPERAS, aut tu EXPIRAS, & ea hic dimittis ; aut cum vivis, omnia pereunt, & in spe tua deficis. Eandem perniciem experiuntur illi, qui fiduciam suam in falsis amicis reponunt. D. Gregorius Comaninus in Affectibus mysticæ Theologiæ canit;

S. Greg. Com. lib. 2. c. 2.

Come farfalla, che scherzante, e sciocca
D'intorno al lume innamorata vola,
S'abbrucial' ale, e tosto muor se'l tocca.
Cosi chi s'assicura, ò di parola
Dolce d'huom finto, ò del giocondo aspetto,
E requie, e pace à se medesmo invola.

Amans mundan⁹.

252. D. Jacobus Certanus hominem quemdam mundanum papilionis Emblemate repræsentat; sicuti enim iste alas suas intra flammas miserè perdit, ita ille amoris æstu adeò insano nonnunquam abripitur, ut, toto corpore macie confectus, vix ossibus hæreat. Lemma ; INEXPLEBILI LUMINE PERIT. Et verò lascivus ille ardor non abs re *inexplebilis* dicitur, quippe qui ignem aut Oceanum imitatus, nullâ unquam affluentiâ saturatur. Unde sapienter canit Poëta;

Omnia cum possunt expleri, TEMPORE NULLO
EXPLERI POSSUNT FÆMINA, FLAMMA, fretum.

Dicearch. ap Stob.

Huic conformis Dicearcus, Stobeo referente, dicere solebat; *Magnes enim ferrum, meretrix verò aurum & argentum ad se trahit.* Et Calalius;

Insani meretrix censum expiscatur amantis.

Amans lascivus.

253. Enorme amantis illius delirium erat, qui extremam perniciem, sibi è libidine paratam, manifestè prævidens, vitæ potiùs, quam voluptatis illius jacturam sustinere voluit. Unde se ipsum papilioni, intra flammas ardenti, similem dixit ; addito lemmate, M'E PIU' GRATO IL MORIR, CHE IL VIVER SENZA. Id est ; MALO MORI, QUAM PERDERE LUMEN. vel ut D. Carolo Rancato placet ; ALTRO PIACER CH' IL MIO MORIR NON CHIEGGIO. Id est; MORI MIHI SOLA VOLUPTAS. Hanc miseriam probè perspectam habuit S. Nilus; quando dixit, *Fæminæ species ita decipit, ut vitam etiam contemnere persuadeat.* Haud aliter D. Bembus ;

S. Nil. Orat. de luxuria.

Io voglio anzi per voi tormento, e morte,
Che viver, e gioir in altra sorte.

Marin. p. 1. delle Rime Liriche. son. 8. degli Amori.

Et Marinus;

Arda, anzi pera il cor; che s'io vagheggio
Begli occhii vostri rai da si bel foco
Altro piacer, che'l mio morir non chieggio.

Eodem Emblemate, maximè si primam ipsius epigraphen attendas, ingentem Principis Absalonis affectum describere licet, quando criminis causâ Hierosolymis proscriptus, omnique parentis aspectu interdictus, Joabum in hæc verba compellabat; *Obsecro, ut videam faciem Regis, quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Veluti diceret; *Malo mori, quam perdere lumen,* id est, aspectum Patris. Denique imago ista etiam pœnam damni, ab animabus in piacularibus flammis sustinendam, explicat. Tanti enim supplicium istud æstimant, ut, optione factâ, omnes gravissimæ mortis cruciatus tolerare, quam amabilissimo Dei aspectu diutius privari mallent.

2 Reg. 14. 32

Purgatorium.

Occasio proxima.

254. Hominem, peccandi occasioni proximum, Papilioni similem dices, qui lumini vicinus, epigraphen non ingratam sustinet; TETIGISSE PERISSE EST. Ad hoc propositum illud Geneseos plurimùm facit; *Præcipit nobis Deus, ne comederemus, & tangeremus illud, ne fortè moriamur;* sciebant enim fructuum illorum contactui mortem esse connexã. S. Hieronymus illa Apostoli verba pulcherrimè exponens; *Bonum est homini, mulierem non tangere,* ait, *Animadvertenda Apostoli prudentia; non dixit: bonum est homini, uxorem non habere; sed bonum est, mulierem non tangere, quasi in tactu ejus periculum sit, quasi qui illam tetigerit, non evadat.*

Gen. 3. 3.

S. Hieron. 50. Apol a Pamm. 1. Cor. 7. 1

Faber si mali.

255. Camerarius papilionem, lumini vicinum, hoc lemmate notavit ; FUGIENDA PETO. Id ipsum congenito vitio assolet humanum genus; Magno Augustino teste, *Est vitium primum animæ rationalis, voluntas ea faciendi, quæ vetat summa & intima veritas.* Verissimè ad hodierni ævi genium canit Ovidius;

S. Aug. de vera Relig. c

Ovid. 7. M.

--- *Video meliora, proboque ;*
Deteriora sequor.

Certè Juventus, ubi libertatem consequitur, papilioni simillima, nonnisi damnis suis inhiat. Unde Joannes Baptista Bartolus in Dædalo de Phaëtonte canit;

O come mal s'accorda
In juvenil etade
Sonno, con libertade
Non se le dian le piume,
Non se acconcin l'ale,
Perche come farfalla intorno al lume,
Ella non sà volar, che per suo male.

Volupt. mundan.

256. Idem Camerarius sensualem voluptatem papilionis emblemate adumbrat, qui delitias è flamma capturus, ab eadem in cineres redigitur. Inscriptionem subdidit. BREVIS EST DAMNOSA VOLUPTAS. Huic affinis est illa Euripidis gnome ; *Breve voluptatis gaudium parit tristitiam.* Eandem miseriam anxiè deplorans Siracides; *Propter speciem mulieris,* inquit, *multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Miseros proindè mortales dixeris, qui in delitiarum vicem nonnisi tormenta & æternos ardores recipiunt. Sapienter præmonens Rabbi Ben-Sira, *Abstrahe,* inquit, *carnem tuam à muliere gratiosa, tanquam à carne prunarum.* Rationem subjungit Virgilius ;

Eccles. 9.

Rabb Ben Sira Alph. ad litter. Daleth.

Virg. lib. Georg. v. 6

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Fœmina.

Ovid. 7.

Et Ovidius;

-- *Usque adeò nulla est sincera voluptas,*
Solicitumque aliquid lætis intervenit.

Inconsideratus.

257. D. Aresius hominem inconsideratum papilionis Emblemate repræsentat, qui incauto ac imprudente ausu lumini insultans, epigraphen præfert; AUDACTER PROVOCAT. Ad stultam & improvidam hanc levitatem reflectens S. Ambr, acri invectivâ in lascivos animadvertit; *Vidisti,* inquit, *meretricem, & captus vultu ejus, decoram putasti? Erraverunt oculi tui, perversa viderũt, aliena nuntiaverunt; nam si verè vidissent, deformem meretricis affectum vidissent, inhorrentem procaciam, indecentem impudentiam, manentes libidines, tetram colluvionem, animæ vulnera, conscientiæ cicatrices.*

S. Ambr. de bono mort. cap. 9.

Lascivus occisus.

258. Hominem libidinosum, in effrontis ac lascivi amoris sui pœnam, miserè interfectum, papilionis symbolo significabis: qui luminis amati causâ extinctus, inscriptionem à Rancato accepit : PER CHE FUI

FUI TROPPO ACCESA, IO RESTO ESTINTA. Id est, IN MORTEM ME IMPULIT ARDOR. Exemplo suo id expertus est Ammon, Davidis Filius; de quo in hæc verba testantur Regum Fasti; *Ammon solus mortuus est, quoniam in ore Absalon erat positus ex die, quâ oppressit Thamar sororem ejus.* Verissimè dixit Magnus Augustinus: *Concupiscentia mala quasi ARDOR est ignis; Ignis consumit vestem, libido CONSUMIT animam.*

2. Reg. 13. 32. *S. Aug. in Psalm. 57.*

259. Papilio, à lumine dissitus, illius desiderio excruciatur, vicinoque gaudere cupit: ubi verò vicinum acquisiverit, ejus ardore torquetur, & in cineres redigitur. Ut adeò, Carolo Rancato authore, illam Petrarchæ sententiam instar lemmatis pronuntiaverit; E DA LUNGEMI STRUGGO, E DA PRESS'ARDO. Id est; ARDEO, DUM PROPE SUM; LANGUEO, QUANDO PROCUL. Ita sanè mundi amatores nullo unquam perfecto gaudio ac quiete undique felici perfrui possunt. In rem præsentem dixit Magnus Augustinus; *Malâ voluntate vel solâ miser efficitur quisque, sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur.*

Mundana gaudia. *S. Aug. lib. 13 de Trinit. c. 5*

260. Papilionem, lumini vicinum, Carolus Rancatus in hæc verba loquentem sistit, AMANDO MORRO. Id est; AMANDO PERIBO. Amantem profanum, inter immodicos affectuum suorum æstus tabescentem, hoc symbolo delineabis. Idipsum tamen etiam sancti amoris studiosos concernit, qui Divinâ charitate succensi, toti mundo moriuntur. Unde Sacri Epithalamii dictum est; *Fortis ut mors dilectio.* In hunc locum Sanctus Gregorius; *Sunt nonnulli, qui sic diligunt Deum: ut omnia visibilia negligant; & dum mente in æterna tendunt, ad omnia temporalia penè insensibiles fiunt &c.* Et S. P. Augustinus; *Sicut mors animam avellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentiis carnalibus.*

Tancred in Gerus. Liber. Cant 12. st. 100. Amans constans. *Cant. 8. 6.* *S. Greg. in hunc loc.* *S. Aug. Ep. 39. ad S. Hieronym.*

261. S. Andreas Avellinus charitatis Divinæ ardore ita immodico fuit inflammatus, ut languere, ac corporis infirmitatem contrahere cœperit: papilionis more; qui vicino lumine crematus, epigraphen præfert; PATITUR, DUM FRUITUR. In hoc argumentum præclarè Dionysius Carthusianus; *Ex tanto contemplationis excessu, amorisque impetu, ardore & ebullitione, generantur per redundantiam quamdam in parte sensitiva ac corpore languor, debilitas, mœror, ac macies, detestatio corporei alimenti, impotentia usûs ac motûs membrorum ac sensuum, & totius corporis rigor.* Hæc amoris affecta in S. Catharina Senensi, in S. Francisca Romana, in S. Theresia, aliisque cernere licuit, quæ Divinis voluptatibus immersæ, gravibus corporis deliquiis ac infirmitatibus detinebantur. De S. Dionysio Areopagita, in exthasin rapto, dicitur, quod *patiebatur Divina.*

Charitas. *Dion. Cartus. Tract. de fonte Lucis. art. 18.*

262. Papilio ab eâdem flammâ, quam tantoperè desiderabat, occiditur ac devoratur. Unde lemma; HAC PEREO, QUAM DEPEREO. Adeò nimirùm è bonis terrenis, quæ maximè deperimus, maximum nobis periculum imminet; S. P. Aug. *Hic de bonis terrenis gaudere molestum est, & periculosum nimis: ne sic gaudeas, ut hæreas, & gaudendo malè pereas.* Cæterùm Emblematis verba ex illo Othonis Venii disticho desumpta sunt, ubi amantem quemdam mundanum, ab amasia sua in extremam perniciem præcipitatum, introducit;

Amans mundanus. *S. Aug. in Psal. 137.* *Oth. Ven. Emb. Amor. fol. 190.*

Ut quâ nutritur pinguedine tæda liquescit,
Quâ vivo, hâc morior; quam pereo, hâc pereo.

263. ANima, è piacularibus flammis ad æternam beatitatem producenda, papilionem imitatur; qui igni vicinus, epigraphen præfert; UT POTIAR, PATIOR. S. Ambrosius;

Anima purgatorii. *S. Ambr. in Psal. 118. serm. 21.*

sius; *Omnes oportet per ignem probari, quicunque ad Paradisum ire desiderant. Non enim otiosè scriptum est, quod, ejectis Adam & Evâ de Paradiso, posuit Deus in exitu Paradisi gladium igneum versatilem, Omnes oportet transire per flammas.* Anima contemplativa, accommodatè ad hanc ideam, anxio volatu prope Servatorem suum versatur, qui, instar accensæ facis, supra Crucis candelabrum positus, eam intra supremæ felicitatis suæ ignem recipit, ac consumit. Ad hoc propositum Abbas Grillus canit;

Contemplativus.

Abb. Grill. p.p de suor Piethosi affetti.

Piccioletta farfalla,
Vaga d'incendio pio
Vola l'anima mia d'intorno intorno
Al tuo bel lume adorno,
O dolcissimo fuoco del cuor mio:
Deh se mai s'accende, ò lei felice,
Morrà forfalla, e sorgerà fenice.

Amans mulieris pudicæ.

Guarino Madrig. 16.

264 Homo lascivus, in pudicæ cujusdam mulieris formam exardescens, papilionem imitatur, qui versus accensam facem fertur, cum lemmate; PATIETUR, NON POTIETUR. Hanc calamitatem deplorans D. Guarinus, canit;

Che dura hai nel tuo regno Amore?
L'amare non gioire
E troppo insoportabile martire &c.

Hos cruciatus apprimè expertus Sichemitarum Princeps, posteaquam atrocissimo circumcisionis, & ipsius adeò violentæ mortis dolores sustinuerat, nunquam tamen pulcherrimæ Dinæ amplexu, tantoperè à se desiderato, gaudere potuit. Eorum etiam experimentum fecerat Holofernes, qui in lecto recumbens, pro venustissima Juditha, feralem sicam collo recepit. Eos denique miserrimi senesciones experti sunt, qui ad Daniëlis tribunal delati, & extremo supplicio affecti, castissimæ Susannæ formâ perfrui nunquam potuerunt. Susannæ ore ait S. Ambrosius; *Ego, inter duos Presbyteros posita, inter duos Judices populi, sola inter silvas Paradisi constituta, vinci non potui, quia non volui.* Exprobravit nimirùm castissima mulier cuivis è duobus illis adulteris; *patieris, non potieris*; quam gnomam omnibus virginibus inter procerum insidias unicè familiarem velim.

S. Ambros. ad Virginem. lapsam c. 4.

PYRAUSTA.
Cap. XVIII.

S. Laurentius M.

265. D. Carolus Sechiarus, Can. Reg. Lateranensium Abbas, S. Laurentium Martyrem pyraustæ symbolo exornavit, quæ intra succensæ fornacis flammas posita, epigraphen tenuit: NON SENTIT INCENDIUM. Hanc gnomam suppeditans Magnus Augustinus, ait: *Hoc igitur igne Beatus Laurentius accensus, flammarum NON SENTIT INCENDIUM; & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit.* Neque solùm anima, charitatis Divinæ incendio absorpta, nullas suppliciorum flammas in sensibus suis sustinere debebit, sed illa etiam, quæ libidinis, & amoris mundani igne ardet, quasvis miserias & calamitates imminentes parvi æstimat. In hanc rem Fulvius Testi canit:

S. Aug ser. 30. de SS.

Amor.

Fulv Testi nelle Rime pp.

Cosi leggiarda è la belta ch'adoro,
CHE MIO PENARE, EL MIO LANGVIR NON SENTO.
Et si vago ogeto hò' l core intento,
Che non mi cal se per amare io moro:
Anzi cagior sicara hà il mio tormento,

Che de le pene mie page, e contento
Altera pace non curo, altro ristoro.

Iis insuper hæc imago convenit, qui è lascivorum contubernio nec minimam impuri ardoris scintillam contrahunt. Tales fuêre Loth inter Sodomitas; Josephus inter venerea Ægyptiæ adulteræ illicia, S. Carolus Borromæus, & D. Thomas Aquinas inter lascivæ mulieris tentamenta &c. Denique etiam ingratum hominis pectus *non sentit incendium*: sæpius enim beneficâ charitatis flammâ à Mecænate invitatum, rigente semper, ac stupido sensu respondet. Hujus ideam habeto in Hebræis, qui ex Ægyptia servitute liberati, per maris vastitatem siccis pedibus conducti, Angelorum escâ nutriti, integri regni possessione locupletati, tandemque à Dei Filio suavissimè visitati, tantam Numinis bonitatem ac charitatem agnoscere nec minimùm voluêre; sed contra indies majore obstinati animi frigore concepto, omnem allucescenti flammæ aditum præcluserunt.

Societas mala.

Ingratus.

266. Pyraustam, exoticâ proprietate, inter flammas incolumem, beatamque vivere ajunt; iis verò exemptam, miserè mori. Luculento testimonio Plinius; *In Cypri ærariis fornacibus, ex medio igni majoris muscæ magnitudinis volat pennatum quadrupes: appellatur pyralis, à quibusdam Pyrausta. Quamdiu est in igne, vivit: cum evasit longiore paulò volatu, emoritur.* Unde intrà ignem figurata, epigraphen tenet; MORERER EXTRA. Vel, MORIAR, SI EVASERO. Vel certè; PROCUL PEREO. Deus, ignis in sacrâ Pagina cognominatus, adeò homini est necessarius, ut ab ipsius amore ac reverentia alienus, certam perniciem incurrat. Perspicuè Vates Regius; *Ecce, qui elongant se à te, peribunt.* Huic sententiæ opportunam ac elegantem paraphrasin subjungens P. Franciscus Titelmannus, ait; *Qui se faciunt per transgressionem tuorum præceptorum à te alienos, qui per peccata se dividunt, ac separant à te, qui per alienos amores rerum mundanarum, mox pereuntium, suum affectum à te avellunt, tibi amore non adhærent, hos certa manet perditio, & æternus interitus.* Rem totam compendio dixit Magnus Augustinus: *Si hærere Deo vita est; recedere ab illo, mors est.*

Plin. lib. 11 cap. 39.

Deum requirere.

Psal. 72. 27

Franc. Tit in hunc l.

S. Aug in Psal. 145.

267. Pyrausta intra flammas, constantiæ nunquam dimovendæ argumentum præbet; Unde Lemma; HIC NASCOR, ET MORIAR. Ita homo prudens, laud bili cuidam muneri semel applicatus, eidem constanter prosequendo omnem operam impendat, necesse est. Præclarè Justus Lipsius; *Fluctuatio & timor abjicienda sunt: genus vitæ sumendum, & IN SUMPTO FIRMITER HÆRENDUM.* Et S. Gregorius Nazianzenus *Tu verò in hoc elaborabis, ut animus, naturâ suâ perpetuò volubilis, in te fixus & constans sit.* Porrò lascivus, vitam suam inter meros concupiscentiæ ardores traducere solitus, verè cum pyrausta dixerit; *Hic nascor, & moriar*; ut qui cum libidinis flamma & vivit & moritur. De hoc Jobus; *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Certè qui à teneris annis libidini ac intemperantiæ litavit, nonnisi difficillimè senectam suam ab idoli illius incendio avellere poterit: atque adeò lascivo vitæ suæ exordio epilogum quoque lascivum connectet. Hanc miseriam probè expertus Magnus Augustinus, ait; *Dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* P. Balthasar Corderius illum Jobi locum pulchrâ hâc paraphrasi explicat; *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, Id est,*

Constantia.

Lipsius Cent tur 1. ad Belg Ep. 38.

S. Greg. Naz. in sentent.

Lascivus.

Iob. 20. 11.

S. Aug. l. 6. Confess c. 12

Corderius in hunc locum Iobi.

est, vitiis, quibus puer assuevit, vacabit per totam vitam usque ad senium, & usque ad mortem. Cur quæso, non dicit caro, sed ossa ejus? quia nimirùm, sicut quæ ossibus insident, cum ipsis durescunt ac durant; ita planè vitia juventutis quotidie duriora existunt, adeoq; inolescunt, ut etiam in senectute solidentur; & quod deterius est, non imminuta, sed plerumque multiplicata.

SALAMANDRA *Cap.* XIX.

Ingratus.

268. SAlamandra eundem ignem, quo nutritur, extinguit. Unde lemma; MI NUTRISCO L'ESTINGUO. Id est, EXTINGUIT ALENTEM. Ingratum hominis animum hæc imago notat, qui plurimis beneficiis cumulatus, & liberaliter enutritus, eos ipsos mœcenates suos lacessere, ac injuriis onerare non veretur. Horum facilè primipilus extitit, Judas, quem David prophetico ore incusans, ait, *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Et cum veritate Christus; *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* S. Ambrosius ait; *In proditore Dominus hoc gravissimum invenit, quo ejus condemnaret perfidiam, quod gratiæ vicem non repræsentaverit, & conviviis amicitiæ venenum malitiæ miscuerit.*

Psal. 40.13. Matth. 26. S. Ambros. l. 3 de Offic. cap. ultimo.

Misericordia & justitia. *Agapyt. Paræn. 48.*

369. Franciscus I. Galliarum Rex, symboli loco Salamandram habuit; cum lemmate, NODRISCO, ED ESTINGUO; Id est, NUTRIOR, ET EXTINGUO. Nempe seipsum, utpote bonorum Mecœnatem, & malorum excidium, significare volebat. Eadem Agapyti ad Justinianum Imperatorem paræneſis erat; *Esto subditis, pientissime Imperator, & formidabilis ob excellentiam potestatis, & amabilis ob largitionem beneficentiæ: & tam mansuetudinem præseferens haud aspernabilem, quàm nimiam & aspernabilem familiaritatem immiti severitate castigans.*

Generositas. Patientia. *S. Pet. Dam. l. 2. Ep. 18.*

270. Joannes Aragonum Rex, seipsum Salamandræ symbolo figuravit, quæ ignem sine offensa habitans, epigraphen tulit; DURABO. Nimirùm imperterritum & invictum suum inter quævis adversa animum significabat. Certè patientia, instar Salamandræ, per omnes hostium ac calamitatum assultus, quantumvis igneos, innoxia incedit. S. Petrus Damianus; *Salamandra, si casu aliquo in igne mergitur, omnis ignea vis, tanquam inundantis aquæ profluvio, protinus extinguitur; ut per hoc figuretur, quod humilitas patientiæ reprimit flammivomum à fervore vindictæ.*

Innocentia. Boni inter malos.

271. Salamandra in igne, lemmatis loco illum Abbatis Ferri versum præfert; NEL MEZZO DE L' ARDOR NON RESTO OFFESA. Id est, ILLÆSA PER IGNES. Hominem, inter persecutiones salvum, & inter impuræ occasionis tentamenta incolumem, hæc imago concernit. Anonymus quidam innocentiæ virtutem hoc distichο exornat:

> *Ambulat en! medios Salamandra illæsa per ignes,*
> *Nempe illæsa manet semper & integritas.*

S. Io. Chrysost. Hom. de Ioseph vendito.

Gaude innocentia, exclamat S. Joannes Chrysostomus, *quia ubique illæsa es, ubique secura. Si occideris, coronaris: tu in servitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta; tibi boni parent, mali invident, inimici succumbunt, nec poteris unquam victrix non esse, etiamsi tibi inter hostes judex justus defuerit.* De iis qui inter occasionum flammas nunquam aduruntur, egregiè B. Umbertus; *Omni laude dignum, in carne præter carnem vivere, & inter spinas esse; sed spinarum aculeos non sentire. Salamandræ sunt tales similes, quæ in igne non comburitur.*

Umb, c. 22. de Castit.

Lascivus.

272. Hominem, impuro amori assuetum, cum Salamandra comparat Carolus Rancatus; addito è Petrarcha lemmate. DI MIA MORTE MI PASCO, E VIVO IN FLAMME. Vel, ut eodem planè sensu inscripsit Otho Venius; MEA VITA PER Ignem. Mentem suam sequenti epigrammate explicat Venius:

Oth. Ven. Embbl. Amor fol. 228.

> *Heu fatum crudele mihi! mea vita per ignes*
> *Crescit, & in mediis ignibus esse juvat.*
> *Me nutrit, veluti Salamandram, Cyprius ardor,*
> *Plus juvat in te, quàm te sine flamma mori.*

Et certè libidinosus perpetuis æstuat flammis; vivens enim Venereo ardet incendio; mortuus verò æternos habitabit rogos, horrendum quidem urendus, sed nunquam comburendus. De his S. P. Augustinus; *In se ipso crudelis est, qui sibi perpetuas peccatis præparat flammas.*

Malignus. Generositas.

273. Salamandra, cœlo sereno squallida ac tristis, in solitudinem se recipit: at cœlo pluvio, alacris ac læta rursum progreditur. Unde lemma, COELO TURBATO ALACRIOR. Homo malignus, inter aliorum calamitates exultans; vel generosum herois pectus, adversus quosvis hostium assultus imperterritum, symbolo illo repræsentantur. Divinam sese Salamandram probavit Christus, quando, in Crucem agendus, fatalem Golgathæ montem hilari semper, serenoque vultu conscendit. De hoc Isidorus Clarius; *Videtur Dominus majorem quamdam, quàm aliàs soleret, præsetulisse proficiscendi alacritatem, idque cùm iret in crucem agendus; ut nobis exemplo esset, ferendi alacri animo cruces nostras.*

Isidor. Clar.

Invidus.

274. Salamandra, genuinum hominis invidi ectypon, sub sereno cœlo maciem contrahit, ac miserè torquetur. Unde lemma; SERENITATE DEFICIT. Vel, SOLIS RADIO TABESCIT. Horatius;

Horat. l. 1. Epist. 2. Antioch. Homil. 55.

> *Invidus alterius marcescit rebus opimis.*

Huic affinis S. Antiochus; *Qui enim*, inquit, *cuipiam invidet, animi angore discruciatur, contabescit, miserè eliquatur totus.* Talis erat Philippus Rex Macedonum, de quo Demosthenes; *Omnia præclara facinora, sua esse, videri volebat, & magis indignabatur Ducibus ac Præfectis, qui prosperè & laudabiliter aliquid gesserant, quàm iis, qui infeliciter & ignavè.*

Mundani.

275. Alcibiades Lucarinus Salamandræ inscripsit; SURGENS IMBRE, CADIT SERENO. Homines mundani, ad scelera patranda alacres, ac viribus integri, quando virtutis aut gratiæ lucem subire jubentur, prorsus imbecilles, omnibus robore exhaustos se simulant. Sanctus Gregorius; *Omnes hujus sæculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles. Nam pro temporali gloria usque ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua ne parum quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet injurias tolerant, & pro cœlesti mercede vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant.*

S. Greg. l. 19. Moral. c. 16.

Judex.

276. Salamandra ignem quidem suâ frigiditate extinguit, ab eo tamen nec minimum offensæ recipit. Unde D. Joannes Ferrus Abbas illam hoc lemmate notavit; LÆDIT, NON LÆDITUR. Cardinalis Cennini virtutem hoc symbolo spectabat; qui justitiæ administrandæ causâ in sceleratos animadvertens, seipsum à malevolorum crisi penitùs immunem, ac vitæ integritate innocuum conser-

conservavit. Ut verò sine animi tui offensa judicis munere fungaris, audi saluberrimum Magni Augustini consilium: *Judex esse vis? Prius propter te esto judex in te, prius judica de te, ut de penetrali conscientiæ securus, procedas ad alterum.* S. Aug. ser. 94 de Temp. c. 6.

TALPA. *Caput* XX.

277. Multùm à verò ablusêre veteres, seque ipsos talpis demonstrârunt cœciores, quando talpam oculis privatam docuerunt. Habet proinde talpa oculos, organis omnibus perfectè dispositos; uti Pierius luculentâ & eruditâ anatomiâ comprobat. Id tamen verum est, eos cartilagine adeò crassâ obductos esse, ut misellum animalculum nullo unquam lucis radio gaudere possit. Unde præclarum D. Salvatoris Carducii lemma; OCULATA CÆCUTIT. Isaias Ægyptiorum idola cum talpis comparat; utpote quæ, Davide teste, *Oculos habent, & non videbunt.* Genuina insuper hominum indoctorum; vel ut Eucherio placet, hæreticorum, hæc idea est: *utpote qui, licet aliquid cernere videantur, ipsum liquidæ veritatis lumen minimè discernunt.* Pier l. 23. Hierogl. Indoctus. Hæreticus.

278. Plinius his omninò verbis talpas deplorat; *Rerum naturâ esse damnatas cæcitate perpetuâ, tenebris etiamnum altis defossas, sepultisque similes.* Unde epigraphen subjunges: NE LE TENEBRE VISSI OGN'HOR SEPOLTA. Id est, IN TENEBRIS JUGITER. Easdem Plinii de Talpa querelas jure longè æquiore de avaro pronunties, qui toto vitæ suæ decursu terrenis opibus accumulandis intentus, animæ suæ oculos ad cœli splendorem nunquam attollit. In hunc sensum Hugo Cardinalis: *Talpæ similes sunt pauperes, qui, dum terrenas divitias, quas nunquam assequentur, ardentissimè cupiunt; excœcati supernum lumen nunquam respiciunt.* De quovis peccatore idipsum affirmans S. P. Augustinus; *Christianus malè vivens,* inquit, *in luce quidem est, sed clausis oculis. Malè vivendo enim videre non vult eum, in cujus nomine tanquam cœcus est in lumine constitutus, nullâ visione veri luminis animatus.* Plin. l. 30. cap. 3. Avarus. Hug. Card. in cap. 11. Levit. n. 30. Peccator. S. Aug. in Psal. 25.

279. Quasvis divitias ac thesauros jactitet mundus; talpa tamen, præter terram, nullos alios thesauros æstimat. Unde lemma Talpæ inditum; THESAURUS UNICA TELLUS. Ægydius, inter cæteras suas sententias de avaro disserens, illum cum talpâ, ceu genuino typo, comparat; *Hic enim nullum thesaurum credit, nisi in terra, quam excavat, & inhabitat.* Optimum Magni Augustini consilium est; *Avarus fervet in amore auri; tu Christiane ferve in amore Christi, & eris beatus in regno Christi.* Avarus. S. Aug. ser. 233 de Temp.

280. Talpa, inter assiduas tenebras habitare solita, epigraphen tenet: ARTIS OBSCURA TENEBRIS. Ille ipse hominis scelerati genius est, qui inter vitiorum umbras altum sepultus, nullâ unquam virtututum aut gratiæ luce perfruitur, sicque infelices suos dies in tenebris plusquam cimmeriis transigit. Boëthius: Peccator, Boet. Consol. Philos. lib. 1. Metr. 2.

Heu quàm præcipiti mersa profundo
Mens hebet, & propriâ luce relictâ,
Tendit in externas ire tenebras,
Terrenis quoties flatibus acta
Crescit in immensum noxia cura.

Et appositè quidem peccatrix anima tenebris circumdata dicitur; nisi enim rationem immoderatis affectibus obnubilatam haberet, nunquam sanè ad infinitam Dei Majestatem offendendam provocandamque persuaderi posset. *Nisi enim,* inquit S. Chrysostomus, *in tenebris animus esset, non sanè, timore Dei abjecto, tantâ duceretur licentia. Nam nisi prius rationalis pars caligaret, non tam licenter peccata in nos impetum facere potuissent.* Atque adeò, Chrysostomo teste, in omnibus vitiosis nostris actionibus tenebræ prædominantur, estque rationis lumen penitus obnubilatum & extinctum. Unde subjungit: *Nam quemadmodum latrones, & parietum perfossores, cùm quid pretiosum rapere volunt, extincto lumine id aggrediuntur, sic in peccatoribus corrupta ratio &c.* S. Io. Chrys. Hom. in 1. Cor.

281. Immundum hoc animalculum odio adversus lucem adeò fatali fertur, *ut,* Pierio teste, *simul ac ad diurnam claritatem educta fuerit, emoriatur.* Quare sicuti reliqua animalia ibi vivere incipiunt, quando lucem ingrediuntur; ita è diametro talpa, dum lucem subit, vitam amittit. Unde meus D. Carducius illam hoc lemmate loquentem sistit: LUX LIBITINA MIHI. Haud aliter calumnia, quamdiu abscondita manet, totam pervadit terram, omniumque aures occupat; at ubi in lucem progreditur, exanimis ac ingloria concidit. Eâdem planè ratione tentatio, ut primum Patri spirituali detecta fuerit, mox vires remittit, ac extinguitur. Dilucidè Joannes Cassianus; *Illicò, ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcessit.* Pier. l. 13. tit. Cæcita. Calumn. Tentatio. Io. Cassian. Coll. 2. c.

VESPA. TABANUS.
Cap. XXI.

282. Henricus Farnesius Eburo plurimas vespas, circa testudinem volitantes, depinxit: addito lemmate, NON PENETRANT. Ita planè calumnia nonnisi difficillimè aliquam virtuti perniciem creat. Omnis quoque Tyrannorum rabies, adversus innocentes concitata, impervios illos, nullisque hostium viribus penetrandos offendit. S. Petrus Damianus de Deo ait: *Separat ab electis suis reproborum turbines persequentium, & quasi furentes coërcet impetus tempestatum, quos etsi furere ad infligenda corporibus tormenta concedit, ne tamen animas lædant, invicta eos, atque pervigili brachii sui protectione custodit.* Calumn. Tyrannus. S. Petr. Da. serm. 23.

283. Tabanus, quem Latini etiam Asilum vocant, æstivo maximè tempore, dum Syrius urit, armentis molestus accidit, eaque acri aculeo excruciat. De hoc Appianus:

--- --- --- *ferum Asylum,*
Qui ipsis arido cane recens exorto
Aculei pernitiosi velox infigit robur.

Et Virgilius. Virgil. l. 3. Georg. v. 15

--- --- *Mediis fervoribus acrior instat.*

Lemmatis loco Tabanus istud Virgilii hemistichion præfert. FERVORIBUS ACRIUS INSTAT. Amoris pruriginem hic typus explicat; nulli enim ætati acriores ille stimulos subjicit, atque juvenili; utpotè omnium ferventissimæ. S. P. Augustinus; Amor. S. Aug. de vera Relig. c. 24.

Carnalibus formis inhærere amore pueros necesse est; adolescentes verò propè necesse est: hinc jam procedente ætate non est necesse.

FINIS LIBRI OCTAVI.

MUN-

MUNDI SYMBOLICI
LIBER NONUS.
ARBORES, FRUCTUS, EORUMQUE PROPRIETATES.

Abies. 1
Agnus castus, seu vitex. 2
Amygdalus. 3
Arbor. 4
Arundo. Mel arundineum. 5
Aurantium. 6
Balsamum. 7
Castanea. 8
Cedrus. 9
Cerrus. 10
Cydoneus 11
Cypressus. 12
Ficus Caprificus.
Ficus Indica.
Ficus Ægyptia seu Sycomorus. 13
Fraxinus. 14
Hedera. 15
Laurus. 16
Larix. 17
Lignum, Baculus, Virga. 18
Malus Punica seu Granata. 19
Mespilus. 20
Morus. 21
Myrrha. 22
Myrthus. 23
Nux. 24
Olea, Oliva. 25
Palma. 26
Persicus, & Persicum. 27
Pinus. Nux Pinea. 28
Piper. 29
Platanus. 30
Pomus. Poma aurea. 31.
Quercus. Robur. Glans. 32
Ramus. 33
Rubus. 34
Salix. 35
Sorbus. 36
Spina 37
Suber. 38
Surculus inoculatus. 39
Sylva. 40
Taxus. 41
Tilia. 42
Truncus. 43
Vitis. Uva. Vinum. 44
Ulmus 45.

ABIES.
Caput I.

1. ABies non ramos tantùm, sed & folia recta explicat. Unde epigraphen, è Plinio mutuatam, subjunges; NON IN LATERA PRONI. Excelsos ac nobiles hominum animos; vel etiam Judicem hæc imago afficit, qui nec amoris inclinatione, nec odii pondere se è recto tramite in transversum agi permittit. Hoc encomium etiam à fatalibus inimicis retulit Christus; *Scimus*, inquiebant, *quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.* In hunc locum S. Petrus Chrysologus. *Æquitas*, ait, *cui Judex obsequitur, sinistram odii vel amoris dexteram odit.* Ludovicus Galliarum Rex, inter cætera gravissima monita, quibus, jam extremam agens animam, Philippum successorem instituerat, etiam hoc recensuit; *In administranda justitia sis rectus, & severus, & ita, ut leges præscribunt, eam exerceas erga subditos, neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectens &c.* Philo Hebræus dicit, Principem è Lege Divinâ, probè cognitâ, discere, ut semper ad perpendiculum progredi, neque unquam vitiosè deflectere possit; *Assequar, ut in neutram partem deflectam, velut in æquilibrio rectâ regiâque via mandatorum Divinorum incedens, firmis passibus, nec unquam offensantibus.* Et rursus; *Nec ad dexteram, nec ad sinistram à regia via deflectendum est; sed progrediendum per mediam. Nam ad utrumvis latus diverticula ob nimietatem defectumve culpantur.* Denique homo prudens se nunquam in extremas partes detorqueri patitur, easque, utpote nunquam non vitiosas, abominatur; proindè semper mediâ, rectâ, ac securâ bonarum operationum viâ incedit. Hanc præceptionem studiosè complexus S.P.N. Augustinus, in victu & vestitu pretiosam semper mediocritatis virtutem tenuit; Possidonio teste; *Vestis ejus, & calceamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum; quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere: Ex utroque non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt quærentes. At iste beatus medium tenebat, neque in dextram, neque in sinistram declinans. Mensa usus est frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmos continebat &c.*

[Margin: ...n. l. 16. ...c. 30. — ...dex ...ctus. — ...tt. 21. 16. — ...er. Chrys. ...hunc loc. — ...l. Heb. l. ...Creat. ...ic. — Idem l. quod Deus sit immutabilis. — Mediocritas. — Possid. c. 22. Vitæ S. Aug.]

2. Abietis proprium est, animalia pascere ac refrigerare; vicissim verò arboribus vicinis nocumentum ac perniciem creare. Unde illam, inter arbores & animalia mediam, hoc lemmate affecerunt; HINC FOVET, INDE NOCET. Haud aliter Deus, ex quo justus & misericors, eodem momento solatia & calamitates dispensat. Eleganter S. Chrysologus; *Apud Deum nec pietas sine justitia est,*

[Margin: Deus justus & misericors. — Chrysol. ser. 145.]

S. Crux. S. Machar. Hom. 47.

est, neque sine pietate justitia. Adversa hæc juvandi & nocendi effecta S. Macharius in S. Crucis ligno observata habet. *Virga Moysis,* inquit, *duplicem gerebat imaginem. Nam hostibus occurrebat ut serpens mordens, & enecans; at Israëlitis erat loco baculi, quo nitebantur: sic etiam verum lignum Crucis, hostium quidem spiritualium mors est, animarum verò nostrarum baculus, tuta sedes, & vita, in qua quiescunt.* Et Cassiodorus; *Crux est humilium invicta tuitio, superborum dejectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cœlestium confirmatio, mors infidelium, vita justorum.*

Cassiod. in Psal. 4.

Ruell. lib. 1. cap. 46. Pauper spiritu. Innocentia vitæ. Religiosus purus. S. Greg. lib. 5 c. 2 in 1. Reg.

3. Physicis compertum est, Abietem ob congenitum medullæ calorem, rectâ lineâ è terra versus cœlum protendi. De illa S. Isidorus; *Abies dicta, quod præ cæteris arboribus longè eat, & in excelsum promineat.* Et magis succinctè Ruellius; *Procera arbor est, & recta.* Unde D. Salvatoris Carducii lemma; RECTO SUBLIMIA GRESSU. Pauperes spiritu hâc effigie exprimuntur, qui à terrenarum solicitudinum frigore abstracti, animum suum nunquam ad mundanas opes advertunt, sed recto semper tramite versus cœlum contendunt; vel qui nullâ unquàm lethali noxâ contaminati, mirâ rectitudine ad Deum sublevantur. S. Gregorius Papa eandem iconem de puro ac fervente Religioso interpretatus, *Via bona,* inquit, *& recta est, cùm ad religiosam vitam convertimur, Divina obsequia cum instanti fervore magnæ devotionis exercemus;* additq; *Hæc quidem via bona & recta est, quia ad æternam vitam tendit, & velociter pervenit.*

Juventus ad vitia facilis; Horat. in Arte. S. Ambr l. 1. de Abel. c. 3. L. 1. de Interp. Iob. c. 7.

4. Abies, pinguis ac viscosi humoris plena, ignem facillimè concipit, fovetque; asserente Ruellio; *Ignem facilè concipit &c.* Unde Epigraphe; CITO CORRIPIT IGNEM. Ita prorsus juvenilis ætas haud operosè libidinis, iræ, aliorumque vitiorum flammas admittit. Horatius;

Imberbis juvenis &c.
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper;

Et S. Ambrosius; *Ipsam in exordiis juventutem variarum illecebris passionum fervere quis abnuat?* Et rursus; *Adolescentia est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens &c.* Unde David, inquit idem S. Doctor, *totius temporis ejus veniam sibi à Domino postulavit, dicens; delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine, quia tunc maximè calor corporis fervet, & æstu sanguinis vaporantis ignescit.*

Miles benearmatus. Peccator malitiosus. S. Greg. in Pastoral. p. 3. adm. 12. Soph 1.14.

5. Abies tot corticibus, libris, ac tunicis vestita est, ut Joanni Ruellio cepæ non absimilis videatur. *Tota, instar cepæ, multiplici cortice tunicatur.* Unde inscriptionem subjunges; CORTICE MULTIPLICI. Militem strenuum ac prudentem, *cui robur & æs triplex circa pectus,* & instar Ajacis, *scuti septemplicis* præsidio munitum, hæc imago repræsentat. Eidem iconi non absimiles sunt peccatores, qui pessimam suam agendi rationem mille technis, ac excusationum involucris tegere nituntur. S. Gregorius Papa, illud Sophoniæ examinans, *Dies Domini venit magnus & horribilis &c. Super omnes civitates munitas, & super omnes angulos excelsos,* ait; *Quid per civitates munitas exprimitur, nisi suspectæ mentes, & fallaci semper defensione circumdatæ, quæ quoties eorum culpa corripitur, veritatis ad se jacula non admittunt? Et quid per excelsos angulos, nisi duplicitas impuræ mentis intelligitur? Duplex quippe semper est in angulis paries. Quid per angulos parietis, nisi impura corda signantur? quæ dum veritatis simplicitatem fugiunt, ad semetipsa quodammodo duplicitatis perversitate replicantur &c.* Et paulò ante; *Malitiosæ mentis duplicitas, sese intra se colligens, abscondit in tenebris defensionis.*

Plin. l. 16. cap. 30. Religio relicta. Osee 8. 5. Arias Mo in hunc lo.

6. De Abietibus testatur Plinius; *Cacuminibus eorum decisis, moriuntur.* Unde Emblematis loco falcem depinxêre, quæ abietis vertici truncando imminens, epigraphen habuit; MOX TOTA PERIBIT. Ita nimirum Respublica vel civitas, religione, utpote supremâ ac dignissimâ illarum parte, deperditâ, mox exanimes cadunt, & in extremam perniciem præcipitantur. Oseas, de Samaria disserens, quæ verâ religione ac cultui Divino relicto, ad execrandam vituli adorationem defecerat, ait: *Projectus est vitulus tuus Samaria,* vel, ut ex Hebræo traduci potest, *Projecit te vitulus tuus Samaria;* quasi diceret; En! miserrime Israelis popule, exitii ac infelicissimæ calamitatis tuæ unicum instrumentum, vitulum, à te sacrilego cultu in Samariâ erectum! Arias Montanus, hunc locum interpretatus, ait: *Significat Israëlem, cujus Regia Samaria fuit, cornu petitum, & projectum esse ab eo vitulo, quem ipse sibi aluerat, &c. Significat autem abductionem & captivitatem Israëlitarum, qui propria idolomaniæ culpa, à suis sedibus ejecti sunt, perinde, ac si cornibus vituli, quem ipsi nutrierant, expulsi, & exturbati fuerint.*

Solitudo religiosis utilis. S. Basil in de Laud. Erem. S. Greg l Moral. c.

7. Ruellius superiore numero adductus, de Abiete testatur; *Gaudet frigidis umbrosisque, in quibus longè pulchrior, quàm apricis assurgit.* Unde inscripsi; PULCHRIOR AB UMBRIS. Certè anima inter sacros recessus ac religiosas solitudines pulcherrima evadit; quinimò à vitiis expurgata, insignem virtutum ac gratiæ Divinæ formam induit. S. Basilius, apostrophe ad solitudinem factâ; *Tu fornax,* inquit, *ubi superni Regis vasa formantur, & ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percussa, ac lima salutiferæ correctionis erasa, perveniunt: In quâ nimirum dissolutæ animæ rubigo consumitur &c.* Et S. Gregorius in illud Davidis, *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini;* ait, *A tumultu rerum corporalium magnum quemdam secessum petierat, quietam mentem, in quâ tanto purius Deum cerneret, quantò hunc cùm se solum inveniret.*

Societ malorũ utilis. S. Bruno Psal. 22. 4.

8. Castor Durantes Abietis umbram ait esse lethalem, & instar veneni mortiferam;

Effugias umbram, nocet Abietis umbra
Veneni instar.

Proindè Abietem hâc gnomâ ornabis; UMBRA LETHALIS. Umbram ac tenebras imitantur flagitiosi, è quorum viciniâ mortem nobis accersimus. Explicatè S. Bruno illa Psalmi verba contemplatus, *Si ambulavero in medio umbræ mortis,* ait, *Iniqui sunt umbra mortis, id est frigidi à calore S. Spiritûs, & obscuri in intellectu, sicut umbra frigida est & obscura: & alios ad mortem æternam exemplis & persuasionibus suis deducentes, sicut umbra herbas, quæ sub se diu sunt, interimit.*

Diligentia no... Ælian Var. Hist. 14. c. 39.

9. Vera pulchritudo, nullâ exteriore industriâ aut emendicatis parergis indiga; quinimò cerussâ, stibio, cinnabari, aliisque pigmentis oneranda magis, quàm ornanda, Abietis effigie repræsentari potest, quæ naturæ dotibus cumulatè instructa, omnem olitorum cultum, veluti decori suo maximè exitiosum respuit. Iterum Ruellius suprà adductus, id testatur; *Cultum abies aspernatur, quapropter hominum diligentia degenerat.* Proinde epigraphen subdidi; CULTU DETERIOR. Ælianus author est, Persarum Regem olim Antalcidæ, cùm Oratoris munere apud ipsum fungeretur xenii loco roseam corollam, pretiosis unguentis undique respersam, obtulisse: cui Antalcidas; *Suscipio quidem donum,*

donum, atque animi promtitudinem laudo: sed rosarum odorem, naturaque fragrantiam, artis adulteratione perdidisti. Atque adeò sicuti rosæ, naturâ suâ amænissimè, emendicatis odoribus, & inani unguentorum profusione deteriores fiunt, ita plurimæ picturæ supremam elegantiam, & artem obtinerent, ni superfluis pigmentis ob pictorum impatientiam corrumperentur.

10. Abies eandem cum palmâ virtutem habet; nimio enim pondere pressa, ramos suos non versus terram molliter inclinat, sed oneri imposito generosè resistens, illos ad cœlum usque directè protendere solet: Ruellio asserente; *Non citò flectitur onere, sed renititur.* Unde Carducii lemma; FLEXILIS HAUD ONERE. Ita Heroum fortitudo nihil unquam adversitatibus concedere, sed generoso animo in eas ferri solet. *Fortitudo*, inquit S. Gregorius, *non nisi adversitate ostenditur. Tantò enim quisque se ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quanto aliena mala robustius tolerat.* Horatius;

—— Vivite fortes;
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

Et Plautus;

Hem! ista virtus est, quando usui est, qui malum fert fortiter.

Denique Seneca; *Nunquid dubium est, quin certius robur sit quod non vincitur, quàm quod non lacessitur, cùm dubiæ sint vires inexpertæ: ad meritò certissima firmitas habeatur, quæ omnes incursus respuit. &c.*

11. Olaus Magnus refert, in regionibus septentrionalibus tantam esse hiemis inclementiam, ut terra densis undique nivibus tegatur, totusque Oceanus glacie obfirmetur: unde ne viatores à directo tramite deflectant, regionum illarum incolæ sub nive ac glacie aliquot Juniperi aut Abietis ramos, justâ proportione inter se dissitos, plantare solent. Quare Abietis ramos, eo ordine distinctos, hoc lemmate notabis, SIGNAT PER INVIA VIAM. Vel, NE VIATOR ABERRET. Ita S. Crucis lignum cogitationibus nostris tranquillam, omnisque periculi expertem viam sternit; S. Leone, Pontifice Maximo teste; *Cùm quisque observantiæ Christianæ se limitem sentit excedere, & in id cupiditates suas tendere, quòd eum à recto itinere faciat declinare, recurrat ad Crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis affigat.* Idipsum de SS. Angelis Tutelaribus intelligas velim, quorum operâ per lubricos hujus vitæ anfractus progredimur. Abulensis super illud Geneseos, *Mittet Angelum suum coram te*, inquit, *Angeli dirigunt vias nostras, tollendo nocumenta, quæ magis accidere possunt in itineribus.* Et prior illo S. Bernardus *Non est omninò quod timeat, ne vel in via aliquod offendiculum patiatur; illi nempe viam parant Angeli Sancti.*

12. Abies, tenello adhuc trunco sub sole & pluviâ crescens, à Georgio Armiaco Gallo epigraphen recepit; ALTIORA PETO. Ita homo, Solis Divini splendore, ac cœlestis gratiæ pluviâ excultus, in immensam virtutum molem assurgit. S. P. Augustinus; *Cultor Deus si recedat ab homine, desertus fit ipse homo: cultor homo, si recedat à Deo, desertus ipse homo. Nec crescit Deus accidente te, nec decrescit discedente te.* Porrò homo, inter calamitatum ardores constitutus, ingens gloriæ ac nominis fastigium conscendit.

Fortitudo heroica. | Greg. l. 5. Moral. c. 13. | Plaut. in Asinaria | Senec. l. quod in sapientem non cadit injuria. c. 3. | Olaus Mag. l. 1. c. 3. & 14. | S. Crux. | S. Leo ser. 19. de Pass. Dom. | Angelus Custos. | Abul. in Gen. c. 24. 7. | S. Bern. serm. 7 in Psalm. Qui habitat. | Gratia Dei | S. August. in Ps. 145. | Calamitates.

AGNUS CASTUS, seu Vitex.
CAPUT II.

13. Agnus castus, seu vitex, fruticum species est; cujus semen ac frondes, sive in potu aut cibo sumptæ, sive jacenti suppositæ, hominem reddunt castum, ac puritatis studiosum. Adhæc maximâ serpentum fugandorum virtute pollet; eosque vel solâ umbrâ suâ in fugam agit. Utramque proprietatem hoc poemate complectitur Castor Durante.

—— Morsibus Ictos
Adjuvat, & castos homines facit, pellitque venena.

Unde Parthenii Neapolitani plurimos serpentes, è viticis conspectu profugos, depinxere, cum lemmate, NOCENTIA FUGAT. Veluti dicerent, à beatissimâ Virgine, sub cujus tutelâ hactenus vixerunt; & ab assiduâ virtutum exercitatione, cui indies assueverunt, vitiosos affectuum suorum serpentes procul esse fugatos. Et certè quod Deiparæ vires adversùs dæmonum tentamenta attinet, perspicuè meus Richardus Victorinus ait, *Virgo tenebrarum principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint.* Et S. Bonaventura; *Non sic timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum: fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis, ubicunque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, solicitam imitationem.*

14. Agnus castus seu Vitex eandem cum Fraxino epigraphen præfert; VENENOSA PROPULSAT. Vel, STANT PROCUL AB UMBRA; Rursus hæc imago, serpentes à viticis umbrâ profugos exhibens, tutelam, è Mariæ Virginis patrocinio in nos derivari solitam, repræsentat. Animo prorsùs filiali S. Bonaventura; *Domina*, inquit, *ut non noceat mihi calliditas inimici, sub umbra alarum tuarum protege me.* Haud aliter P. Cornelius à Lapide testatur, adversùs venenatos ac callidos obscænarum cogitationum serpentes nullum præ Mariæ Virginis invocatione validius ac præsentius reperiri antidotum. *Nullum remedium*, inquit, *contra carnis tentationes præsentius cultu, & invocatione Deiparæ. Illa enim est Virgo virginum, castitatis asylum, puritatis antistes, acerrima virginitatis custos & vindex.*

15. Agni casti semen, certâ mensurâ haustum, lac in nutricibus auget. Castoris Durantis verba sunt; UBERA LACTE REPLET. Et mei Carducii; UBERA LACTAT. Uberum spiritualium nomine Apostolicos S. Ecclesiæ viros intellige, qui à Spiritu Sancto, ceu Agno castissimo, mirum amoris ac sapientiæ lac concipiunt. Guerricus Abbas, de SS. Apostolis Petro & Paulo disserens, ait, *Duo ubera Ecclesiæ Petrum & Paulum esse*; Et Paulò inferius; *Ecce autem repente Spiritu misso de cœlo, tanquam lacte de propriis Christi uberibus effuso, Petrus impletus est lacte plurimo: nec multò post de Saulo fit Paulus, Prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice. &c.*

16. Inter cæteras Viticis virtutes non postremam recenset Castor Durantes, quòd ipsius semen ad castimoniæ affectum disponat & alliciat; *Et castos homines facit.* Unde, Carducio authore, eam hoc lemmate insignies; VENA PUDICITIÆ. Maria Virgo, pudicitiæ vena locupletissima, animabus sibi devotis castimoniæ spiritum instillat; eamque ob causam nos assiduò in hæc verba supplices habet;

Maria protectrix. | Rich. Vict. c. 26. in Cant. | S. Bonav. in Spec. B. V. | Maria protectrix. | S. Bonav. in ... B. M. V. | Corn. à Lap. in Prov. 7. 22 | Apostoli sunt ubera Spiritus S. | Guerr. Abb. serm. 1. de SS. Pet. & Paul. | Maria reddit castum.

Mites fac, & castos.

Hanc virtutem S. Germanus etiam ipsi virgineæ Deiparæ Zonæ inditam ait, quando exclamat; *O Zona, quæ iis, qui ad te confugiunt, das lumborum quidem mortificationem ad vitia; animi autem fortitudinem ad virtutis operationem.*

S.Germ. in adorat zonæ Virgineæ.

17. Ajunt, viatorem, si viticis baculum manibus teneat, nunquam ex itinere fatigandum esse. Perspicuè Castor Durantes.

---- Virgaque ejus si quando viator
Nitatur, non lassus erit. &c.

Quare eidem inscribes; LASSITUDINEM ARCET; vel, VIATOREM LASSESCERE VETAT. Præclarum hoc sanctæ spei symbolum est, quæ pectori nostro inter præsentis vitæ anfractus assiduum robur affundit, ne spiritu ac viribus deficiat. Benè dixit Abbas Isaias; *Per baculum spes indicatur, & fortitudo tendentium ad terram promissionis.* Et S. Cyrillus Alexandrinus; *Virga autem & baculus in manu significat spem, quæ nos confirmat ac sustentat &c*

Spes roborat.

Abb. Isaias Orat. 22.

S. Cyrill. Alexan. l. 2. Glaphyr. in Exod.

AMYGDALVS.
CAPVT III.

18. Amygdalus, insuaves & amatos fructus proferre solita, ad dulcissimos illos producendos disponitur, si ipsius truncus cuneo aut clavo perforetur. Luculentè Plinius; *Amygdalæ ex amaris dulces fiunt, si circumfosso stipite, & ab imâ parte circumforato, defluens pituita abstrahitur.* Unde Joannes Baptista Rusca eam, clavo transfixam, hoc lemmate notavit; EDULCABITUR. Deus, seipsum Prophetarum ore iteratò cum Amygdalo comparans (nam D. Hieronymo teste, *Quidam virgam vigilantem, seu ut Aquila traducit, amygdalinam, intelligunt Dominum*) posteaquam prioribus legis antiquæ temporibus amarissimos suppliciorum ac mortis fructus protulit, altùm suspirante Hieremiâ; *Replevit me amaritudinibus*, tandem in rupe Golgotheâ sacris clavis transfixus, fructus gratiarum ita dulces & amænos produxit, ut mox Latroni paradysum, tortoribus veniam, & universo mundo suavissimam è diuturnâ captivitate redemptionem providerit. Optimâ proinde ratione Sancta Ecclesia canit; *Dulce lignum, dulces clavos!* Cæterùm etiam calamitatum arbor se ipsa fructus nonnisi dolore & amaritie plenissimos generat; at clavis, Christi inquam crucifixi consideratione, perforata, suavissimum dulcorem inducit. *Ipsius quippe tentatio,* inquit de Servatore Crucifixo noster S. Laurentius Justinianus, *nostrarum singulare levamen est.* DULCESCUNT NOSTRÆ, *cùm considerantur illius. Afflictiones nostræ propè nihil sunt, comparatione pœnarum ejus. Propterea qui tentantur, qui aliquo dolore cruciantur, proponant sibi exemplum sponsi, & percipient consolationem non minimam.*

Plin. l. 17. c. 27.

S. Hieron. in c. 1. Hier. Hierem Thr. 3. 15.

Passio Christi.

Passionis Christi meditatio.

S. Laur. Just. de cast. conn. c. 6.

19. Superiore numero diximus, Amygdalum, clavo aut alio quovis ferro transverberatam, ex amarâ fieri dulcissimam. Hâc proinde illius proprietate nixus D. Aresius, Amygdalum, sagittâ trajectam, depinxit; cum lemmate, DE FORTI DULCEDO. Innuebat videlicet, è ferri, durissimi metalli, vulnere miram fructuum suavitatem nasci. Certè S. Theresia, ferreo ac ignito jaculo transfixa, suavissimę dulcedinis fructum retulit. De hâc P. Ribera; *Dolor ita erat gravis, ut in parvulos quosdam gemitus prorumpere cogeretur, cùm ad clamores & alta suspiria nullas haberet vires. Simul tamen suavitas, quam dolor ille in ipsius pectus effuderat, adeò erat grandis, ut nec dolorem illum sibi desideraret auferri, nec rebus aliis inferioribus, nisi solo Deo, exsaturari posset.* Idipsum etiam expertus est Magnus Augustinus, qui tempore sat diuturno amaros vitiorum ac hæresum fructus protulit, at tandem amoris Divini sagittâ toto pectore transfixus, dulcedinem adeò immodicam induit, qualem nunquam non admirabitur Christianus orbis. Unde ait; *Cùm transfixa fuerint corda sagittis verbi Dei, amor excitatur, non interius comparatur.* Cæterùm D. Aresius mentem suam sequenti poemate explicat;

S. Theresia P. Ribera lib. c. 10.

S. Augustinus.

S. August. Psalm. 119

E traffita nel cor, ne però more
Pianta tal' hor, anzi che nova acquista
Vita, de la passata assai migliore.
Molto men, de la piaga ella s' attrista,
E se pur se ne duole, al suo dolore
Una dolcezza inusitata, è mista:
E tal Teresa, già nel cor ferita,
Quasi godeva un paradiso in vita.

20. Amygdalus inter omnes arbores prima florescit. Unde Gilibertus Divinam providentiam ac munificentiam, in consolandis creaturis promptissimam, cum Amygdalo comparat; addito lemmate, CELERITER FLOREO. Hanc in beneficiis erogandis celeritatem demonstrans Propheta Regius, *Desiderium, pauperum,* inquit, *exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Quæ verba satis dilucidè persuadent, hominis invocantis preces ab optimo Deo præveniri. Id quod etiam S. Joannes Chrysostomus in illo Petri & Joannis miraculo, ad portam templi Salomonis patrato, observat; non enim post peractas ad Deum preces, sed dum ad eas peragendas accingebantur, grande illud prodigium sunt operati. *O gloriosum meritum Apostolorum,* inquit, *qui antè in templo operantur, quàm ipsi Dominum deprecentur, antè virtus ostenditur, quàm oratio ad Dominum præmittatur: effectu preces præveniunt: virtutes desideria antecedunt: nec expectatur, ut vota ad Dominum præmittantur, quia Dominus ipse antè efficit, quàm oretur.* Cæterùm Absalon Abbas in Amygdalo præ cæteris arboribus florescente, nativam Mariæ Virginis effigiem deprehendit; *Amygdalus,* inquit, *quæ ante cæteras floret arbores, Mariam significat quæ præ cæteris sanctis floribus virtutum emicuit; imò & ante cæteros florem illum, specie & odore excellentem, Christum videlicet, de se protulit, &c.*

Providentia Dei.

Psal. 9. 17.

S. Io. Chrys. To. 1 ser in c. 3. ap.

Maria V.

Absal. Abb serm. 35.

21. Amygdalus ob flores acceleratos ac præmaturos non rarò brumæ inclementiam tantò suo damno incurrit, ut fructus perfectè dulces proferre nequeat. Unde lemma; CON MIO DANNO AL FLORIR M'AFFRETTO OGN' ANNO. Id est; PRÆCOCI FLORE TABESCO. Homines, verbis aut factis præcipites ac inconsideratos, hoc Emblemate notabis. Cornelius Tacitus; *Festinatio multos bonos pessumdedit, qui spretis quæ tarda cum securitate, præmatura vel cum exitio præparant.* Et Evagrius; *Amygdalas, quæ omnium stirpium primæ florent, pruina corrumpere solent: sic homines ferè linguæ temeritas & præceps loquacitas.*

Celeritas.

Corn. Taci l. 3. Annal.

Evag. apud Ant. Meliss. p. ser. 60. & 70.

22. Amygdalus, fructibus onusta, indubitatum fertilissimi anni, & frumenti copiosissimi prognosticon habetur, uti multiplici experientiâ testatum est. Unde arbor illa, copiosè florescens, epigraphen tenet; FRUMENTA SEQUENTUR. Virgilius huic Emblemati formando ansam præbet, ubi de Amygdalo canit?

Virgi l. 1. Georg. v. 18

Contemplator item cùm se nux plurima silvis
Induet in florem, & ramos curvabit olentes:
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.

Et

Philo l. 2. de vita Mosis. Et Philo; *Fertur è vernis arboribus prima florere amygdalus, proventum prænuntians fructuum arborum.* Ita ab efflorescente Superiorum virtute vaticinium minimè vanum desumere licet, paulò post uberrimos, optimosque bonorum operum fructus in subditis ac hæredibus subsecuturos. Petrus Bercorius;

Exemplū Superiorum. Pet. Bercor. reduct l. 12. c. 1. Greg. l. 32 Moral. c. 12.

Prælatus, inquit, *debet citius quàm cæteri parturire, & florem bonorum exemplorum & virtutum ostendendo alios prævenire*, S. Gregorius Papa; *Amygdalus florem prius cunctis arboribus ostendit. Et quid in flore Amygdali, nisi sanctæ Ecclesiæ primordia designantur? quæ in prædicatoribus suis primitivos virtutum flores aperuit, & ad inferenda poma bonorum operum, venturos sanctos, quasi arbusta sequentia prævenit.*

23. Amygdalum, ventorum violentiâ suis floribus spoliatam, D. Carolus Rancatus Præpositus hoc lemmate insignivit; PROPERE, NON PROSPERE. Ita non rarò spes optima, de vivaci adolescentis ingenio concepta, tandem in pessimum ac vanissimum finem degenerat. Hoc sensu S. Bernardus; *Timemus omninò floribus intempestivis. Sic sunt aliqui, quorum fructus, quia nimis PROPERE, MINUS PROSPERE, oriuntur.*

Spes delusa. S. Bern. serm. de S. Bened.

ARBOR PLANTA.

CAPUT IV.

24. IGnavum ac vilem hominis animum, qui primo hostium incursu tergâ vertere, aut obviis quibusvis suggestionibus cedere solet, arbori non absimilem dices, quæ humi prostrata, Emblematis loco securim vicinam habet: cum inscriptione, ET UNO DECIDIT ICTU. In hoc argumentum Justus Lipsius; *Ignavi animi AD PRIMUM ICTUM CONCIDUNT.*

Animus vilis. Lips. Centur. 1. ep. 57.

25. Arbori prostratæ inscribes; NON UNO DECIDIT ICTU. Ita generosum hominis pectus, priusquàm concidat, pro viribus resistit. S. Joannes Chrisostomus hoc typo demonstrat, quantùm roboris iterata correctio habeat; *Sicut arbor*, inquit, *cum plures ictus acceperit, & uno postmodum repente corruerit, non uni illi tantùm, sed cæteris pariter imputatur: ita si quis post diuturnam multorum admonitionem derepente ad novissimi unius cujuspiam correctionem resipiscat, non postremo, sed prioribus acceptum referendum est.* Eodem argumento idem S. Doctor nostras ad Deum preces assiduò ingeminandas esse persuadet. *Si uno ictu arbor non conciditur, nonne & alterum ictum addit, nonne quartum, nonne quintum, sextum, nonne decimum? Idem tu facito.* D. Sueno canit Torquatus Tassus;

Resistere. S. Io. Chrysost. hom. 5. in 2. Tim. Correctio iterata. Oratio perseverans. S. Io Chrys. Hom. de non [illegible] Eccl. Tass. Gerus. Lib. Cant. 8. st. 23.

Ripercote percosso, e non s' allenta;
Mà quanto offeso è più, tanto più noce.
Quando ecco furiando à lui s' auventa
Huom grande, c' hà sembiante, e guardo atroce,
E dopo lunga, & ostinata guerra,
Con l' aita di molti al fin l' atterra.

26. Augustinus Barbarigus, Venetiarum Dux, symboli loco arborem statuit, quæ nimiis fructibus ingravescens, dirupta erat; cum lemmate; COPIA ME PERDIT. Innuebat videlicet, magna negotia, unico homini, quamlibet eximio, imposita, tandem illius sanitatem ac vitam abrumpere. Haud aliter filiorum multitudo, nimia felicitas, ac divitiæ cumulatiores proximam occasionem ad interitum præbent. Justus Lipsius; *Opes impediunt, & velut sarcinæ, aut laciniæ sunt ituris ad bonam mentem.* Trebellius Pollio de Zenobia scribit; *Ducta est igitur per triumphum eâ specie, ut nil pompabilibus populo Romano videretur, jam primùm ornata gemmis ingentibus, ita ut ornamentorum onere laboraret. Fertur enim mulier fortissima sæpissimè restitisse, cùm diceret, se gemmarum onera ferre non posse.*

Abundantia nocet. Divitiæ noxiæ. Lips. Manud. l. 1. diss. 24.

27. Arborem, nimiâ frugum ubertate ruptam, hoc lemmate notarunt; STERNIT UBERTAS. Aut verbis ex Ovidio mutuatis; INOPEM ME COPIA FECIT. Ita nempe rerum terrenarum abundantia ut plurimùm nullos alios fructus profert, nisi calamitates ac exitia. Unde Seneca; *Magni animi est, magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. Illa enim utilia sunt; & hæc eò quod superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur; sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit.*

Ovid. 3 Met. Abundantia nocet. Senec. ep. 39.

28. Dominicus Gambertus eidem Symbolo, arbori nimirum, ob nimias fruges diruptæ, epigraphen è Martiale subdidit; PONDERE VICTA SUO. Hominem, nimiis laboribus fractum, aut etiam divitiarum copiâ obrutum, hæc imago significat; Unde Magnus Augustinus ait; *Facta est in homine abundantia laboriosa, &, si dici potest, copiosa egestas, dum aliud & aliud sequitur, & nihil cum eo permanet.* Porrò etiam Monarchiam, nimiâ vastitate suâ dissociatam; aut fœminam gravidam, à prole, quam parturiit, exanimatam, symbolo illo afficies. Rachelem, à proprio fœtu in parturitione occisam, hoc epitaphio sum prosecutus;

Mart. l. 1. Epigr. 41. Labor. S. August. de vera Relig. c. 21. Fœmina è partu moriens.

Dum filio vitam inspiraret,
Anima expiravit,
Quæ moriebatur, quòd non pareret,
mortua dum peperit,
frugifera velut arbor,
Suâmet ubertate est conscissa.

29. E Magnatum morte gravem subditis ruinam imminere, Carolus Rancatus vastæ arboris Emblemate demonstrat, quæ turbinibus quassata, multas in ambitu suo minores arbores prostravit. Epigraphen è Catullo desumptam addidit; COMINUS OMNIA FRANGIT. Verba Poetæ sunt;

Mors magnatis.

Nam veluti in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigerem sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit, illa procul radicibus extirpata
Prona cadit, lateque & COMINUS OMNIA FRANGIT.

Porrò Superior, veluti arbor inter subditos suos procera, nunquam in peccatum labitur, quin malo suo exemplo illos sternat, & ad eandem noxam trahat. Unde providè monet S. P. Augustinus; *Ut facilius sanetis, sani permanere debetis. Corrigite arguendo, consolamini alloquendo, exemplum præbete benè vivendo.*

Exemplū malum. S. Aug. Præf. in Psalm. 50.

30. Arbor pluribus locis lacera ac dirupta, ab eodem Rancato epigraphen recepit; PUR VIVO ANCORA. Id est; ADHUC MIHI VITA SUPERSTES. Illorum hanc ideam dixeris, qui hostium tyrannide, aut calamitatum ventis horrendum infestati, etiamnum magnanimes persistunt. In hanc rem S. Paulus ait; *Quasi morientes, & ecce vivimus*, id est, interprete Cornelio à Lapide; *Qui videmur propter quotidiana pericula, flagella, & ærumnas semper mori, Deus ecce nos vivos conservat, illæsos, & vegetos.* Unde de SS. Martyribus ait Magnus August. *Martyres*

Persecutio superata. 2. Cor. 6, 9. Corn. à Lap. in hunc loc.

S. August. in Ps. 118. Conc. 20. *tyres vivificati sunt, ne amando vitam, negarent vitam.*

31. Hypocrita, omni interioris animi virtute destitutus, nihilque aliud nisi exteram & apparentem illius speciem efformans, Rancato authore arborem venustam quidem & opacam, sed tamen infructuosam, imitatur; cum lemmate, FRUCTUM EXPIRAT IN UMBRAS. Ad verbum Statius; (Hypocrita; Stat. Sylv. l. 5)

---- Ceu nescia falcis
Sylva, comas tollit, fructumque expirat in umbras.

Hypocrisis, teste Hugone Cardinale, *speciem sanctitatis tenet exterius, sed interius rem veritatis non habet.* Unde Hypocritæ ideam ficum illam, à D. Matthæo descriptam dixeris, in quâ Servator *nihil invenit, nisi folia tantum.* (Hug. Card. in 40 Iob. — Matth. 21. 19)

32. Arbores, solaribus radiis illustratæ, mox vastissimam umbram spargere solent. Unde lemma; UMBRAS PRO LUCE REPENDUNT. Homines ingratos hæc imago spectat, qui tantò diffusiorem scelerum caliginem reponunt, quantò cumulatiore cælestium gratiarum luce illustrati fuerint. Quibus, obsecro, quantisque beneficiis Deus Judæorum animos sibi conatus est devincire! *Plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in eâ torcular, & ædificavit turrim.* Imò; *Novissimè autem misit ad eos filium suum.* At luci tam gratiosæ non aliter responderunt homines flagitiosissimi, nisi quod supremum luminis Authorem, Christum, ad extremas mortis crudelissimæ umbras deturbarint. *Hic est hæres, venite occidamus eum.* In rem præsentem Magnus Augustinus; *Plantata est vinea lege datâ in cordibus Judæorũ. Missi sunt Prophetæ quærentes fructum, bonam vitam eorum, Prophetæ ab eis contumeliis affecti, & occisi sunt, Missus est & Christus, unicus filius Patrisfamilias, & ipsum occiderunt hæredem, & ideò perdiderunt hæreditatem.* Idipsum in Judâ, paulò antè Apostolo, & postea proditore, cernere licet. (Ingratus. — Matth. 21. 33. — Ibid. v. 37. — S. Aug. ser. 59 de Verb. Dom. c. 2.)

33. Homines, non quales sint, sed quales temporum successu evadere possint, considerandi sunt, unde nemo ob præsentis vitæ conditionem neglectui haberi aut contemni; sed contrà, ob illam facilè olim emendandam, honorari debet. Ex arbore id disces, quam, hyeme sæviente defrundatam, Gambertus hoc Virgilii lemmate visendam proposuit; INDUET IN FLOREM SESE. Certè Saulus, Christianos acerrimè persecutus, arborem repræsentavit horridam ac infelicem; at sanctæ fidei pietate incalescens, virtutum flores adeò cumulatos protulit, ut paulò post fæcundissimus evaserit. Notarius ille fraudulentus ac falsarius, cujus in S. Antonii Paduani vitâ fit mentio, ab omni virtute alienissimus, arbor sterilissima, solisque inferni titionibus augendis apta videri poterat; qui tamen, uti Sanctus ille vaticinatus est, non ita multò post Martyrii laureâ insignis extitit. S. P. Augustinus; *Non nôsti, qualis futurus sit apud Deum aliquando, quem vides idolum adorantem: convertetur ut adoret Deum fortassis religiosius quàm tu, qui eum paulò antè ridebas.* (Virgil. l. 1 Georg. — Spes conversionis. — S. Augustin. serm. 121. de Temp.)

34. Inter cætera P. Gaberti Emblemata, ad funebrem serenissimi Ducis Francisci I. d'Este apparatum affixa, arborem cernere erat, è cujus radice plurimi surculi pòrgerminabant, cum lemmate; FRUITUR POSTERITATE SUA. Ita Paterfamilias, è numerosâ, nobili, ac laudatissimâ suâ prole plurimùm solatii recepit, seque ipsum in eâ reviviscere credit. Tales fuere Jacob, Matathias &c. Nam, ut benè ait Doctorum Phœbus; *non jam felicitas est, habere filios sed bonos habere.* (Pater fæcundus. — S. Aug. in Ps. 127.)

35. Gambertus arborem, aliquâ sui parte frondibus spoliatam, illo Claudiani lemmate notavit; TENUI DAMNO. Veluti diceret, rerum terrenarum jacturam admodùm levem esse, parvique æstimandam. Certè Jobus, omnibus fortunis, exutus, nihil exinde parturbationis in animum admisit, sed sereno ac grandi animo se ipsum solatus, ajebat; *Dominus dedit, Dominus abstulit &c. sit nomen Domini benedictum.* saluberrimam hanc Jobi Philosophiam prolixè perpendens Origenes, subjungit; *Quæ sunt terrenæ hæ atque infidæ divitiæ, quæ sunt hodie, & crastinâ die non sunt? Fumus est deficiens, flos est transiens, herba est arescens. Et qui habent illas, tanquàm non habeant, quia diutius non habent: & qui non habent illas, tanquàm nihil amiserint, quia non permanentes relinquũtur. &c.* Heli quoque, posteaquam sibi à Deo omnes divitias, honores, ac ipsos adeò filios auferendos indudiit, maximâ animi moderatione *respondit? Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat.* (Jactura rerum terrenarum levis est. — Iob. 1. 21. — Orig. in hunc loc. — 1. Reg. 3. 18)

36. Dei Filius, quando è Judæorum lege circumcisus fuerat, simul & cultro vulnus, & gloriosum nomen JESU accepit. Unde significandæ huic solemnitati, P. Henricus Engelgrave arborem depinxit, cujus cortex singulas sanctissimi nominis JESU litteras ferro incisas referebat; addito lemmate è Virgilio; PULCHRUM PER VULNERA NOMEN. Joannes Baptista Masculus de Christo circumciso canit; (Virgil. l. 9. Æneid.)

Triumphale nomen hoc est, quod inditur,
Licet vulnere partum Ducis.

Cæterùm etiam SS. Martyres, è vulneribus suis nomen adeò gloriosum retulere, ut de iis testetur Magnus Augustinus; *Martyres in Ecclesiis locum suum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt.* (SS. Martyres. — S. August. in Psal. 6)

37. Arbores, visu jucundæ, ut Abies, Platanus, Myrtus &c. soli hortorum splendori inserviunt; cæterà steriles & infructuosæ. Proinde illarum unam hoc lemmate è Virgilio notavit Rancatus; INFÆCUNDA, SED LÆTA. Verba Poetæ sunt; (Virgil. l. 2 Georg.)

Sponte suâ quæ se tollunt in luminis oras,
Infæcunda quidem, sed læta, & fortia surgunt.

Hominem, paupertate ac sorte suâ infimâ optimè contentum, hâc icone significabis. Seneca; *Honesta res est, læta paupertas: illa verò non est paupertas, si læta est: cui cum paupertate benè convenit, dives est: Non qui parùm habet, sed qui plus cupit, pauper est.* Torquatus Tassus Pastorem quemdam ita loquentem sistit; (Pauperis. — Senec. ep. 2. — Tass. Ger. Lib. Cant. 7. st. 9.)

Ne gli avidi soldati a preda alletta
La nostra povertà vile, e negletta.
Altrui vile, e negletta, e me si cara,
Che non, bramo tesor, ne regal verga,
Ne cura, è voglia ambitiosa, ò avara,
Mai nel tranquillo del mio petto alberga &c.

38. Arbor, adolescente vere copiosis ornata floribus, olitorem optimè ac lætissimè sperare jubet, se adultiore anni tempore pretiosis fructibus fore gravidam. Unde Rancati lemma; MELIORA SEQUENTUR. Verbis è Virgilio desumptis; (Spes.)

Tu pro Germano si quid præsentius audes,
Perge, decet, forsan miseros meliora sequentur.

Ita omninò Juvenes, ingenio vivaces ac floridi, certissimum optimi progressus olim futuri prognosticon faciunt. S. Cyprianus; *Sicut fructus non invenitur in arbore, in quâ flos prius non apparuerit, sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicujus exercitatione non laboravit.* Tales ergò sequentur senectutis fructus, quales in juventute flores (Juvenis vivax. — S. Cyprian. de 12. abus.)

flores bonæ vel malæ educationis habuerimus.

39. Sterilem & aridam arborem nil nisi secures ac flammæ manent. Unde, Rancato authore, hanc sibi sententiam lemmatis loco pronuntiat; CÆSA SECURIBUS URAR. Opportunè & ad verbum Ovidius; Ovid. l 7. Met.

Si qua fides misera, hoc me, per Numina juro,
Non meruisse nefas, patior sine crimine pœnam.
Viximus innocuæ, si mentior, arida perdam
Quas habeo frondes, & cæsa securibus urar.

Bonis operibus carens punitur. Audi, obsecro, minitantis Dei supplicia, adversùs animas steriles, ac virtutibus exsuccas, decreta. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Hæc sententia,* subjungit Magnus Augustinus, *evidenter ostendit; quia non solum malum fecisse, sed etiam bonum non egisse; damnabile erit.* Matth. 3. 10. & 7. 19. S. Augustin. l. 50. Homil. hom. 16.

40. Quod Virgilius de Quercu dixit, etiam de Palmâ, Cypresso, cæterisque similibus arboribus pronuntiare licet; nempe, DURANDO SÆCULA VINCIT. Rancato authore, hæc idea illustrem familiam, oblongâ annorum serie conservatam; vel certè Monarchiam, plurimis annis nunquam interruptam, significat. &c. Cæterùm justus nullis unquam occumbet temporibus, sed vitam coram Deo æternam vivet; S. P. Augustinus; *Potest nullâ annorum temerariâ supputatione dies judicii octavus intelligi, quod jam post finem hujus sæculi, acceptâ vitâ æternâ, tunc non erunt animæ justorum obnoxiæ temporibus.* Virgil. l. 2. Georg. Nobilitas antiqua. Justus. S. Augustin. in Psal. 6

41. Homo tantò majore benevolentiâ & humanitate abundare solet, quò solidiore virtute ac sapientiâ instructus fuerit; ut adeò illius doctrinam è comitate, ceu lydio lapide, periclitari liceat: haud aliter, atque arbor, quò cumulatiore fructuum thesauro ingravescit, eò profundius inclinatur. Unde lemma; HUMILIOR, QUO ONUSTIOR. Præclarè in hanc rem Hector Pintus; *Quemadmodum arboris ramus, quò est plenior, eò est gravior, quantò plures & uberiores fructus producit, tantò profundius se abiicit: sic qui sapientior est, humilior est; quo quisq; magis est sapientiæ fructibus onustus, eò magis se deorsum submittit & inclinat.* Insuper magnatum illorum hæc effigies est, qui erga subditos quosvis tantò se exhibent humaniores ac magis benevolos, quantò majora dignitatum pondera suscipiunt. Pacatus inter cætera Theodosii, Imperatoris piissimi, elogia etiam hoc recenset; *In ipsis statim imperii auspiciis privatorum domos adibat, & urbis angulos, qui nunquam imperatorium solem vidissent, pio lumine complebat.* Litteratus humilis. Hect. Pint. in c. 1. Ezech. Princeps benignus. Pacat. in Paneg. Theod.

42. Arbusculus transplantatus epigraphen tenet; QUI' MILIOR FRUTTO ATTENDO. Id est; DABIT UBERIORES. Ita homo, relicto mundo, sacrum Ordinem ingressus, uberiores virtutum fructus proferet. Explicatè Regius Psaltes; *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt: adhuc multiplicabuntur in senectâ uberi.* S. Bernardus de homine, è sæculo ad cœnobium transeunte, ait; *Fit de divite ditior: de nobili generosior: clarior de illustri: & quod his omnibus majus est, sanctus de peccatore.* Religio. Ps. 91. 14. S. Bern. Epist. 110.

43. Juvenis, scholas ac Magistros suos frequenter permutare solitus, symboli loco arbusculum recepit; cum epigrammate, SOVENTE TRANSPIANTATA, NON ALLIGNA. Id est; SÆPE TRANSLATA PERIBIT. In rem præsentem Seneca; *Nihil æque sanitatē impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quæ sæpius transfertur; nihil tam utile est, quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo* Inconstans. Senec. ep. 2

Idipsum de Religioso inconstante, seu, ut D. Benedictus in Regula sua vocat, *gyrovago,* intellexeris.

44. Subditus, majorum suorum ferociam aut impetum demisso & obediente animo frangere solitus, arbusculum imitatur, qui vento irruente incurvetur, sicque ejus impetum declinat. Lemma, CEDENDO VINCIT. Atque adeò, asserente Justo Lipsio, *Robur pugnæ fatalis in patiendo est; & VICTORIA IN CEDENDO.* Concinnè Ovidius; Cedere. Lips. Centur. 1. ep. 43. Ovid. l. 2. de Arte.

Cede repugnanti, cedendo victor abibis.

45. Academicus, inter Gelidos Bononienses Incultus, symboli loco arbusculum sylvestrem præfert, qui, ex solo inculto natus, inscriptionem è Virgilio sustinet; SPONTE SUA. Hominem proprio Marte, & sine aliorum operâ aut consilio res suas perficere solitum, hæc idea repræsentat. Ovidius, à nemine altero stimulatus aut adjutus, proprii ingenii fæcunditate poemata sua enixus est. S. P. N. Augustinus decem Aristotelis Categorias, totamque Philosophiam absque Magistro intellexit ac explicavit. Eò etiam collineabat Sacra sponsa, quando dixit, *Surrexi ut aperirem dilecto meo; manus meæ stillaverunt myrrham;* Nimirum Deo uberrimos mortificationis fructus liberâ voluntate, citra omnem violentiam aut coactionem, sese obtulisse dixit: ideò autem operationes suas voluntarias cum myrrhâ comparavit, quod myrrha prima seu electa sponte suâ, non expectatâ ferri incisione, destillet. Plinio teste, *Sudant SPONTE, priusquam incidantur, stacten dictam, cui nulla præfertur.* Unde, è Flavii Josephi sententiâ, Deus Abelis potiùs, quàm Caini sacrificium habuit acceptum; quòd Abel agnos, voluntario affectu ac naturâ suâ generari solitos, obtulerit; Cain verò spicas, nonnisi aratro, & laboriosâ violentaque terræ culturâ obtinendas, *Hujus sacrificium,* inquit, *Deo fuit acceptum, quòd SPONTE naturæ genitis constaret; quàm ea, quæ homo avarus & industrius per vim quandam à naturâ extorserat.* Virgil. l. 2. Georg. v. 47. Seipso operari. Cant. 5. Operatio voluntaria. Plin. l. 12. c. 15 Joseph. l. 1. Antiquit. c. 4

46. Arbor, ventorum impetu rupta, epigraphen tenet; SIC PERTINACI. Hinc constat, gravissima è cœlo supplicia in eos destinari, qui Divinis inspirationibus contumaces resistunt. S. Ambrosio teste; *Mitigat judicem pudor reorum; excitat autem pertinacia denegantium.* Guerricus Abbas illa Isaiæ verba examinans; *Cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur,* ait, *Vadunt retrorsum per apostasiam, cadunt in criminalia, illaqueantur mortifera delectatione, vel quâdam inextricabili peccandi necessitate, ut nec velint, nec possint pœnitere: capiuntur improvisâ morte, conteruntur æterna damnatione,* Obstinatio punita. S. Ambr. l. de Cain. Guarric. Abb. serm 1. in Isa. c. 28. 13.

47. Maria Virgo & Josephus inter assiduos persecutionum ardores mutuis sese solatiis erexerunt; id quod Alcibiades Lucarinus Emblemate demonstraturus, arborem sub radiis solaribus depinxit, quæ à vicinis aquis refrigerata, vicissim suavissimam umbram in aquas spargebat; cum lemmate, MUTUA REFRIGERANTUR OPE. Idipsum hoc versu Italico expressit Tassus;

Con bel cambio frà lor, d'umore, e d'ombra. Auxilium mutuum.

Hanc mutui auxilii ideam probè compertam habuit sacra Sponsa, quando dixit; *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* S. Cyrillus Alexandrinus, *propter hoc etiam,* inquit, *duo creati sunt oculi, alæ duæ, manus totidem, ac pedes dualitate consimiles, ut pluralitate munerum, & unitate formarum, membris omnibus ex simili adjutorio sit provisum.* Et Seneca; *Quo alio tuti sumus, quàm quòd MUTUIS JUVAMUR OFFICIIS? Hoc uno instructior vita, contraq; incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio.* Cant. 6. 2. S. Cyrill. Alex. l. 2. apolog. moral. c. 7. Senec. l. 4. de Benefic. c. 18.

48. Eâdem

Mors. 48. Eâdem omninò mortis falce omnes homines, tam supremos quàm infimos, sterni, ex Arboris Emblemate demonstrat Lucarinus, culter enim illius ramis sublimibus æque ac humilibus imminens, epigraphen tenet; ET PROPE, ET PROCUL. Horatius;

Horat. l. 2. Ode. 18

---------- Æqua tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris; nec satelles orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus, hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coercet, hic levare functum
Pauperem laboribus.
Vocatus, atque non vocatus audit.

Et Menander.

Moritur sutor eodem modo ac Rex.

Educatio 49. Patresfamilias prolis suæ educandæ ac nutriendæ debitum ex arbore discant, quæ tenellum surculum è radice suâ proferens, epigraphen subjunctam habet; ET GENITUM ALIT. S. Thomas; *Debitum filii ad parentem adeò est manifestum, quòd nullâ tergiversatione potest negari, eò quòd pater est principium generationis, & esse, & insuper educationis, & doctrinæ.* Hieronymus Oleaster verba illa, à Deo post hominis & animalium creationem pronuntiata, expendens, *Ecce dedi vobis omnem herbam &c. & universa ligna &c. ut sint vobis in escam: & cunctis animantibus terræ, omniq; volucri cœli;* ait, *Commovet locus iste eos, qui Ministros habent, victum illis præstare. Quid, quæso, ministerii, bone Deus, ab illis, quos tam sumptuosè alis, consequeris? Quid tibi aves, quid bruta, quid homines præstant? tantùm abest, ne injurii sint. Sed QUIA CREAVERAS, PROVIDERE DIGNATUS ES.*

S. Tho. 1. 2. q. 100. art. 5. ad 4.

Oleast. in c. 1. Gen. 29.

In morte. 50. D. Alexander de Cuppis, Canonicus Regularis prostratæ cuidam grandi arbori inscripsit; ET MAGNA JACET. Mens Emblematis erat, nec gravissimos quosvis Principes mortis legibus solutos esse. S. P. Augustinus; *Morituri sumus omnes. Nec agit quidquam, qui cupit evadere, ut mortem auferat.* Idipsum è celeberrimi Scipionis Africani epitaphio conjicere licet;

S. Augustin. serm. 2 ex additis Carthus.

Devicto Hanibale, captâ Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes:
Cui non Europa, & non obstitit Aphrica quondam,
(Respice res hominum,) quàm brevis urna premit?

Divisio regnorum 51. Provinciarum divisiones proximam esse Regnorum ruinam, D. Didacus Saavedra ex arbore dignoscendum proponit, quæ, unico ramo per vicinam manum avulso, epigraphen sustinet; DUM FRANGITUR, FRANGOR. Petrus Gregorius; *Est & hæc species interitus regnorum, quando unius principatûs divisio fit.* Id quod eo loco prolixis Macedoniæ, Judeæ, Imperii Romani, aliorumque regnorum exemplis testatum facit. S Gregorius Papa Judæam, plurimis principibus simul subjectam, vel ex hoc solo capite miseram & infelicem dicit; quia in tot partes divisa, non potuit non irreparabili damno interire. *Voce enim Redemptoris dicitur: omne regnum in se divisum desolabitur: liquet ergò, quod ad finem regni pervenerat, quæ tot regibus divisa subjacebat.* Cæterùm Judeæ Reges eodem tempore hi numerabantur; Romanus Imperator, cujus vicem agebat Pilatus; Herodes Antipas; Philippus, Herodis frater; & Lausanias.

Pet. Greg. de Republ. l. 25. c. 1. n. 1.

S. Greg. Hom 20. in Evan.

52. Pastoribus olim receptùm erat, hominum amatorum nomina arborum corticibus incidere. Hunc morem innuens Lucianus, de quodam Veneris Guidiæ amasio ait; *Omnis mollicularum arborum cortices Venerem prædicabant.* Et Theotricus in Helenæ Epithalamio;

Theotr. in Epith. Hel

Litteræ in cortice scribentur, ut quis præteriens
Legat: Dorice, venerare me; nam Helenæ arbor sũ.

His subscribit Virgilius;

Virgil. Ecl. 10 vers. 5

Certum est, in sylvis, inter spelæa ferarum
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illæ, crescetis amores.

Denique Tassus Erminiam habitu & exercitio pastoricio ita loquentem introducit;

Tass. Geru Lib Cant. 7. st. 19

Sovente al hor, che sù gli estivi ardori
Hiacean le pecorelle à l'ombre assise,
Ne la scorza de faggi, e de gli allori,
Segnò l'amato nome in mille guise;
E de suoi strani, ed infelici amori
Gli aspri successi in mille piante incise &c.

Consuetudo crescit cum ætate. Proinde Emblematis loco, aliquot characteres cuidam arboris cortici incides; addio lemmate, CRESCENT, DUM CRESCET. Ita prorsus crescente hominis ætate, etiam judicium, prudentia, cæteræque animi dotes crescunt. Unde Lucretius canit;

Lucret. l.

----- Gigni pariter cum corpore, & una
Crescere sentimus, pariterque, senescere mentem.

In rem præsentem S. Lucas testatur; *Jesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.* Ita prorsus etiam consuetudo, tam virtuosa quàm vitiosa, simul cum vitâ nostrâ incrementum capit. Apprimè S. Gregorius; *Tenent pravæ consuetudines, quem semel ceperint, atque quotidie duriores existunt, & nonnisi cum peccatoris vitâ finiuntur.* Idem in illud Jobi, *Ab infantia crevit mecum miseratio,* ait; *Nonnulli quoad ætatem crescunt, quoad innocentiam decrescunt. Electis verò, cùm foris ætas corporis, intùs, si dici liceat, crescit ætas virtutis.*

Luc. 2. 52.

S. Greg. l. 1. Moral.

Idem in Iob. 31. 18.

Solitudo 53. Emblematis loco Arborem depinxere, quæ cæteris ramis omnibus recisis, unicum surculum proferebat; cum lemmate, LEVABIT SE. Ita cor humanum, superfluis curis ac mundi affectibus penitus exsolutum, mirâ vivacitate ad Deum sublevari potest: S. Gregorius Nazianzenus; *Clausis, compressisque corporis sensibus, atque extra carnem, mundumque positis, in seque collectis, nec in summa necessitate impellente, quidquam humanarum rerum attingentes, atq; & secum in se, & cum Deo colloquentes, superiorem rebus visibilibus vitam agunt.* Et S. Clemens Alexandrinus; *Planta cœlestis cùm sit homo, ut cœlestes quoque virtutum fructus ferat, inutiles vitiorum stolones pœnitentiæ ferro circumcidat.*

S Greg. Naz. Apolog. 1.

S. Clem Alex. Orat ad Gent.

54. Nobilis arbusculus, è reciso ac veteri trunco non sine frondium virore progerminans, epigraphen subjunctam habet; VICI MEA FATA SUPERSTES. His omninò verbis Virgilius Evandrum loquentem sistit;

Virg. l. 15. Æneid V. 160.

-------- Vici mea fata superstes.

Renovatio. Eadem imago, in Novariensi foro depicta, significat, civitatem illam, post sanguineas Bellonæ clades, & miserrima præteriti sæculi excidia, tandem in hodiernam felicissimam speciem revixisse. Ninive, accommodatè ad præsentem ideam, è divino decreto mox funditus evertenda, incolumis evasit. Roma, iteratis vicibus à Barbaris destructa, iterum iterumque in pristinam formam excrevit. Mediolanum, à Friderico Barbarossa solo æquatum ac sale consperfum, majestatem, priore longè magis eximiam am-

amplioremque recuperavit. Idipsum de Samaria, Israelitici regni metropoli, scriptum reliquit Oseas; *PEREAT Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum. IN GLADIO pereant, parvuli eorum elidantur:* mox verò subjungit; *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè, quia aversus est furor meus ab eis: Ero quasi ros, Israel GERMINABIT quasi lilium, & erumpet RADIX EJUS ut Libani. IBUNT RAMI EJUS &c.* Unde etiam alibi, ut advertit S.Gregorius, *afflictæ Judeæ dicitur, ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.* Cæterùm etiam Jobus, suis calamitatibus superior; Ezechias è decreto mortis articulo revocatus; Lazarus, è sepulchro redivivus; aliique singuli de se Virgilianum illud verissimè pronuntiaverint; *Vici mea fata superstes.*

Osea 14.1. Ibid. n.5. S.Greg. l.31. Moral. c.8.

55. Arbor, recisâ lateralium ramorum luxurie, tantò evadit altior, quò magis in latitudinem se diffundere prohibetur. Unde lemma; ALTIOR, QUO ANGUSTIOR. Certè anima, è sensuum vanitate subducta ac constricta, in celsissimum perfectionis apicem excrescit. S.Gregorio teste; *Intentioni animæ, si exterior evagatio clauditur, interior secessus aperitur, quia & in altum crescere arbor cogitur, quæ in ramos distendi prohibetur.*

Solitudo. S.Greg. Papa

56. Arbor, quò amplius ramos suos versus terram explicat, eò minus in cælum erigitur. Unde lemma; HUMILIOR, SI LATIOR. Ita prorsus anima terrenis nogotiis plus æquo affixa, ægerrimè ad cœlestes delitias suspirat. *Cùm animus dividitur ad multa,* inquit S.Gregorius, *fit minor ad singula, tantoque ei in unaqualibet re surripitur, quantò latius in multis occupatur.*

Mundanus egrè ad Deum levatur. S.Greg. Pap.

57. Arbor, inter hederæ amplexus succi a & suffocata, inscriptionem reddit; SIC PERIRE JUVAT. Vel; COSI' MORIR MI PIACE. Depravatam hominis lascivi pervicaciam hinc colligere licet, qui mavult ab impudico scorto fortunis omnibus exui, ipsâque adeò vitâ privari, quàm, excussis illius amplexibus, libidini valedicere. *Debellandæ sunt inprimis voluptates,* inquit Seneca, *quæ, ut vides, sæva quoque ingenia rapuerunt.* Propertius illo Veneris æstu abreptus, inter obscænos amplexus spiritum exhalare optabat; unde ipsius gnoma,

Lascivus. Senec. ep.28. Prop. l.2. Eleg 1.

----- ----- Laus in amore mori.

Huic non absimilis Ovidius, canebat;

Ovid. l.2. Amor. El.10.

Felix, quem Veneris certamina mutua perdunt;
DI faciant, lethi causa sit ista mei.

Et paulò infrà;

At mihi contingat Veneris languescere motu,
Cùm moriar, medium solvar & inter opus.

58. Arbor, hederam, quamlibet sibi noxiam ac fatalem, sustentans, epigraphen tenet; PERIMENTEM PORTAT. Abbas Certanus hoc Emblemate generosum ac grandem hominis animum demonstrat, qui, tametsi ab hostibus gravissimè offensus, eos tamen beneficiis ac favoribus exornare assiduò studet. De Josepho Patriarchâ inquit Hamerus, *Quis unquam crediturus esset, illum tam civili in fratres suos animo futurum, ut tam insignem illorum in se crudelem injuriam, & injuriosam crudelitatem, non solùm condonaret, sed etiam ingentibus beneficiis fratres afficere in animum induceret;* Alexander Magnus, Æneâ Sylvio referente, dicere solebat, *Regis id esse proprium, à quibus malè audierit, in eo beneficentiâ majore ut utatur.* Carolus IV. quod idem Sylvius testatur, posteaquam intellexerat, perduellem quemdam sibi necem machinari, eum, ad se vocatum, mille coronatis donavit, ut illis pecuniis filiæ suæ dotem constituere posset: unde tantâ tamque generosâ beneficentiâ victus sicarius, pristinum animum ejuravit, ac Principis adeò munifici obsequiis æternum se devovit;

Beneficentia erga hostes. Hamer apud Joan. Haye To.3. fol.828. Æn. Sylvius 1.c.37. Idem l.4.c.28

59. Inter cæteram funebrem Machionis Guidonis Villæ pompam arbor cernebatur, humi prostrata, & in statuæ cujusdam figuram efformata; cum lemmate, ET IN FUNERE PERENNITAS. Sic nimirum virtus nec oblivione, nec morte sepelitur: Virtutis enim individua comes est immortalitas. *Est aliquid,* inquit Magnus Augustinus, *si manet, si constat, si semper tale est, ut est virtus* Et Anonymus.

Virtus immortalis. S. Augustin. l. de vita beat disp.1. diei.

Discite virtutem juvenes: nam sola beatos
Nos facit, & diræ non timet arma necis.

Denique Seneca Tragædus;

Senec. in Herc. Oeta.

Nunquam stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus, vivite fortes.
Nec Lethæos sæva per amnes
Vos fata trahent.

60. Arbor, ramis putata, epigraphen sustinet; IMMINUTA GRANDESCET. Ita vitiorum ac sensuum affectibus è corde proscriptis, mirum gloriæ, virtutisque incrementum capies. S.Eusebius, *Cacumen arborum, si præcidantur surculi inferiores, eò surgit sublimius: oppressis & afflictus sensibus, mens attollitur & viget.* Theodoretus in eâdem icone S.Ecclesiam dignoscit, quæ Martyribus suis imminuta, indies magis magisque excrescit. Illius verba ita habent; *Sicut lignatoribus sylvam cædentibus, multò plures pullulant propagines ab radicibus, quàm sint rami, qui incidunt: ita nunc quoque piis compluribus interfectis, multò plures quotidie ad doctrinam Evangelicam accedebant.* Sensu non absimili S.Gregorius Nazianzenus.

Religiosus. S.Euseb. ap. Novarin. Tom 3. Elect. l.13. n.57. S.Ecclesia. Theod. l.9. de Leg. S.Greg. Naz. l.1 sentent

Perferre damni quidpiam lucrum puta,
Ut fructuosam si repurges arborem.

61. Christina, Suecorum Regina Catholicæ fidei causâ regno suo sese abdicans, Symboli loco arborem accepit, quæ recisis ramis, epigraphen tulit; POMIS PER DAMNA GRAVESCET. Mens Emblematis erat, eam per temporalis regni jacturam ad cumulatos æternæ beatitatis fructus perventuram. Certè Eleemosynarius, quantò in erogandis facultatibus liberalior, tantò in divitiis multiplicandis evadit felicior. Perspicuè S.Antonius Paduanus; *Sicut arbor, ramis superfluis moderatè proscissis, melius fructificat, sic ei, qui de proprio eleemosynas facit, Dominus residuum multiplicat magis.*

Eleemosynarius. S. Anton. Ser.1. de Vir.

62. Arbor, ramis putata, à Carolo Bovio epigraphen recepit; SPE DIVITE PAUPER; vel ut aliis placet; AUGEAT UT VIRES. Illa enim, quamlibet ramis nuda, copiosam tamen uberrimorum fructuum spem de se relinquit. Arbori non absimilis Dei servus, quò magis rerum terrenarum bonis fuerit exutus, tantò se cœlestibus divitiis cumulatiorem probat. Verissimè S. Franciscus; *Paupertatem scitote fratres, specialem viam esse salutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem: cujus est fructus multiplex, sed occultus: Hæc enim est Evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia &c.* Et meus Concanonicus D.Salvator Carducius;

Paupertas religiosa. S.Francisc. Collat.5.

Augeat ut vires ferro rescinditur arbor,
Hoc magè Crœsus eris, quò magis Irus eris.

63. Arbusculus, supra veterum truncum enatus, lætis-

Spes. lætiſſimam poſteritatis ſpem exhibet. Lemma, FRUCTUM ET SEMINA FERET. Opportunè Jacobus Bruck; *Iac Bruck. Embl. mor.*

Exſiccâ ſurgit radice en plantula florens,
Quæ quondam fructum, & ſemina grata feret.
Sæpe Deus ſobolem, ſtirps cùm periiſſe videtur,
Suſcitat, in gentem ſurgat ut illa novam.

S. Joannes Baptiſta. Cumprimis id in S. Eliſabetham convenit; quæ annis jam provecta, Joannem, Chriſti prodromum, feliciſſimè enixa eſt. Unde Angelus Beatiſſimæ Virgini de illa nuntiavit; *Eliſabeth, cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſuâ &c. Nam Eliſabeth,* inquit, Magnus Auguſtinus, *quæ longævis temporibus caſtè cum marito vixerat, & ambo fideles ante Dominum fuerunt, meruit jam de mortuo ſemine filium, qui & ſanctitate parentes ornaret, & prædicatione multos infideles converteret.* *Luc. 1. 36. S. Auguſtin. ſer. 7. de temp*

64. Arbor, frondibus ſpoliata, epigraphen è Pſalmo ſuſtinet; DABIT IN TEMPORE. Juvenem hæc imago ſpectat, qui, tametſi modò pretioſis virtutum fructibus ac floribus deſtitutus, ſucceſſu tamen temporis eos cumulatè proferet. B. Albertus Magnus cùm diſcipulos ſuos D. Thomæ Aquinati illudere, ac bovem mutum illum cognominate audiret, reſpondit, univerſum orbem ſonorâ bovis hujus voce olim repletum iri. Titelmannus ſub Emblematis hujus arbore Virum juſtum intelligit, *qui in legis Divinæ meditatione jugiter ſeſe exercitans, continuâ irrigatione ſpiritualis gratiæ, & viſitationis Divinæ fœcundatus, & modò, dum tempus eſt operandi, fructū dabit bonarum operationum, & in tempore retributionis fructum accipiet ſuæ prioris juſtitiæ, mercedem retributionis æternæ.* Tibullus; *Pſal. 1. 3. S. Tho. Aq* Juſtus. *Titelm in illud Pſalmi. Tibull. l. 1. Eleg. 4.*

Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certâ lucida ſigna vice.

Et Ovidius; *Ovid l. 4. Triſt. Ele. 5.*

Tempus ut extenſis tumeat facit uva racemis;
Vixq; merum capiant grana quod intus habent.
Tempus & in canas ſemen producit ariſtas &c.

65. Arbor, ex uno latere penitùs defrondata, ex altero verò, quâ ſolem reſpicit, copioſis frondibus vireſcēs, epigraphē tenet; IN MELIUS REFERET. Ita nimirum è Dei, ceu ſolis æterni, præſentiâ omnium bonorum copiam referimus. S. P. Auguſtinus; *Ut ſit homo aliquid, convertat ſe ad illum, à quo creatus eſt: recedendo enim frigeſcit, accedendo ferveſcit; recedendo tenebreſcit, accedendo clareſcit.* Idipſum etiam de Principis præſentia pronuntiare licet; Dion. Caſſius de Ariano Imperatore ait; *Civitates ſocias, atque tributarias, & ſubditas mirificè juvit, multas earum inviſit, & quas nullus ante ſe Imperatorum viderat, atque omnibus aliquid opis & auxilii tulit.* Præſentia Dei. *S. Auguſtin. in Pſalm. 70*

66. Arbor, humi proſtrata, epigraphen ſubjunctam habet; DOLATA NITEBIT. Ita nimirum calamitatum ferro, martyrii plagis, ac ſuppliciorum vulneribus homines etiam miſerrimi & abjectiſſimi inſignem gloriæ æternæ ſplendorem ſibi conciliant. Compendio Magnus Auguſtinus; *Corpora habebunt magna ornamenta, in quibus paſſi ſunt magna tormenta.* Certè S. Eccleſia, metaphorâ nonnihil quidem differente, ad rem tamen noſtram plurimum opportunâ, de Divis Cœlitibus canit; Calamitas illuſtrat. *S. Auguſtin. ſer 117. de Diverſ.*

Tunſionibus, preſſuris
Expoliti lapides,
Suis coaptantur locis. &c.

67. Philipponi Faventini pulcherrimam arborem ſupra montis faſtigium collocatam, ſymboli loco præferunt; cum lemmate, DIFFICILIS CULTU. Virtutis ac gloriæ hanc ideam dixeris; quippe quæ ſui colendi & adipiſcendi facultatem nonniſi maximo labore vendunt. Silius Italicus canit; Virtus labore paranda. *Sil Ital. l.*

Ardua virtutum profert via.

Heſiodus;

----- Via longa eſt, atque acclivis ad ipſam,
Ardua namque prius ſed cùm ad faſtigia ventum,
Fit facilis.

Et, quantum memini, Horatius;

Virtutum poſuere Dii ſudore parandam.

Eamobrem, teſte S. Clemente Alexandrino, Poetæ finxerunt, virtutem ſupra ſolitaria, & inacceſſa rupium cacumina habitare. Opportunè Seneca; *ſtudiorum ſalutarium, etiam citra affectum, laudanda tractatio eſt. Quid mirum ſi non aſcendunt in altum? arduos aggreſſus virtutis ſuſpice; etiamſi decidunt, magna conantur.* *S. Clem. Al. l. 4. Strom. Senec. l. de vita beat. c. 20.*

68. Arbor, à ventis incurſata, epigraphen tenet, CONCUSSIONE FIRMATUR. Certè S. Fides, vel generoſus animus, inſtar Quercus, nunquam magis, atque inter adverſos hoſtium aut tentationum impetus, ſtabilitur. S. Joannes Chryſoſtomus, *Fides noſtra oppugnata,* inquit, *magis floret; & ſeditione agitata, incrementa majora ſumit.* Idem in illa Apoſtoli verba commentatus, *Oportet & hæreſes eſſe,* de magnanimi ac firmo hominis pectore ait; *ut arbores benè & diligenter radicatæ, ventorum vi cùm aguntur; hinc & inde, ſolidiores fiunt; ſic & benè ſolidatos in fundamento veræ fidei animos, quæcunque irruunt hæreſes, reddunt fortiores.* S. Petrus Damianus eandem iconem de humanâ naturâ interpretatur, quæ tantò firmiores in Dei obſequio radices agit, quantò majoribus ærumnis fuerit exagitata. *Quò magis caro per tormenta concutitur, eò mens in Deum fixa firmius roboratur.* Fides. *S. Io. Chryſ. ſer in inventium. Idem in illa Apoſtoli. S. Petr. Dam. ſerm. 3.*

69. Academicus, inter Errantes Brixienſes Reciſus, Symboli loco arborem præfert, humi proſtratam, & hoc lemmate inſignem; A PIU' BELL' OPRE. Id eſt; AD PRÆSTANTIUS OPUS. Idipſum in S. Paulo monſtravit Deus, de quo Magnus Auguſtinus ait, *Proſtravit perſecutorem, & erexit prædicatorem; Occidit Saulum, & vivificavit Paulum.* Porrò hæc D. Pauli converſio in Sancto Ignatio videri poſſit innovata; quippe qui bombardæ fulmine proſtratus fuerat, ut impoſterum, relicto mundo, ſoli militaret cœlo; neque jam arma vibraret ad defendendum propugnaculum, ſed ad Crucifixi honorem; non ob terrenam victoriam, ſed ad cœli obſequia retinenda. Calamita utilis. *S. Aug. Tra 8. in Epiſt. I.* S. Pauli converſio. S. Ignatii Loyola.

70. Arbor Virgiliana, ramis conſtans aureis, ſolo aſpectu monſtra infernalia placet, terretque. Unde lemma; TERROR AVERNI. Genuina hæc S. Ubaldi noſtri effigies eſt, qui miram virtutem ad ſuperbas Orci larvas effugandas à Deo conceſſam habuit. *Cujus virtus præcipuè,* Breviarii Romani verba ſunt, *in effugandis ſpiritibus immundis elucet.* Eandem vim Hiſtoria Eccleſiaſtica etiam S. Antonio Abbati tribuit, cujus vel ſolo nomine pronuntiato, avernales umbræ exterritæ, energumenos relinquerunt. *Sic autem dæmonibus erat formidoloſus; ut multi per Ægyptum ab illis agitati, invocato nomine Antonii, liberarentur.* Denique Maria Virgo, arbor verè aurea, maximus eſt Averni terror, cujus præſentia quoſvis dæmones in fugam agit. Unde in ſacro Epithalamio dicitur *terribilis ut caſtrorum acies ordinata,* quia ut ſubdit S. Bernardus, *per illam terrentur* S. Ubaldus. S. Antonius Abbas. *Brev. Rom. 7. Ian.* Maria V. *Cant. 6. S. Bern ſerm 91. de Diverſ.*

ventur & fugantur dæmones, acquiruntur & conservantur virtutes.

Irresolutus. *Ovid. l. 10. Metam.*

71. Arbor, postremam stipitis sui partem ex utroque latere æqualiter incisam habens, epigraphen monstrat; QUA CADAT, IN DUBIO EST. Hoc argumento Ovidius ancipitem & irresolutum amantis animum explicat, qui à duobus objectis allectus, cui assensum præbeat, ambiguus hæret.

—— Utque securi
Saucia trabs ingens, ubi plagâ novissima restat,
QUO CADAT, IN DUBIO EST, omniquè à parte timetur:
Sic animus, vario labefactus vulnere, nutat,
Huc levis, atque illuc, momentaque sumit utroque.

Prædestinatio occulta. *Augustin. serm. 221. de temp.*

Idipsum de quovis Christiano intelligas velim; neque enim de illorum aliquo certum quidpiam conjicere licet, num à mortis falce succisus ad dexteram prædestinationis, an verò ad sinistram reprobationis sit casurus. Egregiè, ut solet, Doctorum Doctor; *Qui boni sunt, sustineant malos; qui mali sunt, imitentur bonos. Nec boni in superbiam erigantur, sed mali periculosâ desperatione frangantur. Modo enim qui boni sunt, possunt Deum offendere, & qui mali sunt, si citò se emendaverint, possunt Dei misericordiam promereri.*

Calamitas utilis. *Augustin. in Psalm. 98. conc. 1.*

72. Arbor percussa, fructus spargit; Unde D. Joannis Baptistæ Mazzoleni lemma; PERCUSSA, seu EXCUSSA FRUGES. Innuebat videlicet, calamitates, quas Deus adversus clientes suos spargit, ad pœnitentiæ ac meritorum fructus colligendos destinari. Unde Magnus Augustinus testatur; *Miseria affert ex tribulatione fructum bonum: felicitas autem corrumpit animam perversa securitate, & dat locum diabolo tentatori.* Idipsum meus Carducius his Jambis docet;

Arbor flagello excussa fruges depluit:
Cœlo tonante terra sic fructus parit.

Sapiens humilis. *Prov. 30. 2.* *Theod. Hist. Patr. c. 26* *S. Bern. serm. 13 in Cant.*

73. Arbor frugum copiâ ingravescens, versus terram inclinatur; Unde lemma, FERACITATE HUMILIOR. S. Thomam Aquinatem hoc Emblema spectabat, qui tantundem humilitate, quantum sapientiâ excelluit. Eadem virtute Salomon se insignem probavit, quando hominum sapientissimus à Deo cognominatus, de se ipso non sine animi demissi prodigio confessus est; *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.* Sanctus Franciscus, ævo suo sanctissimus, neminem in toto mundo majorem peccatorem, se ipso, dicebat. Illud mundi prodigium Simeon Stylita, Theodoreto teste, *in tantis laboribus, tantaque rerum gestarum magnitudine, & miraculorum multitudine, est tanta morum modestia ac moderatione præditus, ac si sit dignitate postremus omnium hominum.* De hoc humilitatis ac meritorum aptissimo connubio preclarè S. Bernardus, *Magna,* inquit, *& rara virtus, ut, magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem; mirabilem te apparere, & contemptibilem te reputare.*

Maria V. Elisabetham invisens. *S. Antonin. p. 4. tit. 15 c. 24.*

74. D. Archangelus Conter eandem arborem symboli loco expressit, quæ frugum suarum pondere onusta, ramos versus terram deprimebat; cum lemmate, ONUSTIOR, HUMILIOR. Quod apographum autographo, idipsum Mariæ Virgini hæc imago præstat; quippe quæ gravida, ac Deo plena, ad Elisabethæ domum invisit, ejusque obsequiis humillimè se addixit. *Intrat Virgo domum Zachariæ,* inquit attonitus Beda, *ut mulieri provectæ ætatis virgo juvencula ministerium sedula impenderet.* Præclarè ad propositum nostrum S. Antoninus; *Virgo cum Elisabetha tribus mensibus stetit; ut in partu, tunc futuro, ei serviret. Et quis unquam audivit talia, ut Regina gravida pergat ad servam suam ad ministrandum ei?*

Principia parva. *Senec. l. 3 de Benef. c. 29.* *Senec. in Troade.*

75. Arbor, Horozco authore, epigraphen tenet; TEMPORE VIRGA FUI. Illius hanc effigiem dixeris, qui tametsi ingenti dignitate, summisque meritis excellens, tenuem tamen natalium suorum sortem nunquam non recenti memoriâ tenet. Eodem Emblemate etiam innuitur, res quasvis maximas à minimis principiis scaturire. Verissimè Seneca; *Nulla non res principia sua magno gradu transit.* Et Seneca Tragædus;

Quæ tenera cæso virga de trunco stetit,
Par ipsa matri, tempore exiguo subit,
Umbrasquè terris reddit, & cœlo nemus.

Claudian.

Idipsum Claudianus in Romanorum imperio observat;

Armorum, legùmque parens, quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula juris,
Hæc est, exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes, parvâque à sede provecta,
Dispersit cum sole manus &c.

Ovid. l. 1. de Remed.

Successiva hæc rerum incrementa etiam in animi passionibus locum habent; nam si illarum una vel levissima prædominari semel cœperit, paulò post in horrendi sceleris monstrum excrescet. Optimè Ovidius;

Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine siste pedem.
Opprime dum nova sunt subiti mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat equus.
Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas,
Et validas segetes, quæ fuit herba facit,
Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,
Quæ posita est primum tempore virga fuit.

Hypocrita. *S. Greg. in Moral.* Non perseverans.

76. Academicus, inter errantes Brixienses infructuosus, Symboli loco arborem illam depinxit, quæ Majus cognominatur, quòd primo die Maii ante ædes erigi soleat. Inscriptionem addidit; SOLEMNITATI TANTUM. Eos hæc imago concernit, qui fructibus omnibus destituti, solam exteriorem hominis Christiani faciem repræsentant. In rem præsentem S. Gregorius ait; *Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hic ostendit in imagine, quod non habet in veritate?* Eorum insuper Emblema istud est, quorum virtus unico tantùm die perdurat; vel qui solo Paschatis festo aliquam pietatem præseferunt, reliquo toto anno inter vitia sua aridissimi.

Rebellio. Correctio. *S. Augustin. serm. 16 de Verb. Dom. è 1.* *Guid. Cason. Emblem. 15.*

77. Emblematis loco arborem depinxere, quæ, primario stipite reciso, complures è trunco stolones ac vivaces surculos progerminabat; cum lemmate, CÆDE VEGETIOR. Ita rigor, si adversus subditos, tametsi reos, fuerit nimius, non modò scelerum stolones non amputat, sed potius majorem egerminandi occasionem præbet, suosque hostes, ac perduelles magis irritat; uti in celeberrimis Flandriæ Provinciis hodie etiamnum, non sine totius Europæ luctu, experimur. Genuinam corrigendi methodum è Magno Augustino disce; *Debemus amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi.* Guido Casonus;

Il Principe crudel non troua pace
Con la morte de sudditi, ne quali
Con la fortuna la virtu florisce,
Mà pullular fà gli odi, e lo cengiore.

El-

Eidem Emblemati, nimirum arbori, ramis suis præciso, inscripsêre; GEMINABIT CÆDE VIROREM. Sanctam Ecclesiam hi characteres cumprimis spectant, quæ vires tantò cumulatiores recipit; quò plus offensæ ac suppliciorum in Sanctis suis Martyribus sustinet.

S.Ecclesia.

79. Ut demonstres, hominem totidem oneribus, quot dignitatibus accumulari, Arborem depinge, frugibus onustam; & hoc lemmate insignem; DANT PONDERA HONOREM. Apposite Cassiodorus; *Durarum dignitatum gloriosa quidem cura, sed & laboriosa custodia est, quæ tibi copiosum fructum decoris afferunt.* Et rursus; *Constat, felicem esse rempublicam, quæ multis civibus relucet ornata. Nam sicut cœlum stellis redditur clarum, sic relucent urbes lumine dignitatum.*

Dignitas. *Cassiod l.6. Var. Ep.7. in fine. Ibid. Epist.11.*

80 Arbusculum, ab impetuoso vento ruptum, hoc lemmate notavi; CONCIDIT ANTE DIEM. Juvenem, immaturâ morte abreptum, hæc imago significat. Cæterùm ventus ille, tot hominum plantulas ante diem succidens, gula est, tot immaturis mortibus, quot clientibus infamis. Unde, teste S.Hieronymo, *Galenus, & doctissimus Galeni interpres, in exhortatione Medicinæ dicit, quorum vita adeps, & ars sagina est, nec vivere posse diu, nec sanos esse.* Franciscus Petrarcha præmaturam lauræ mortem plangens, canit;

In morte. Gula. *S.Hieron. In Epist. Fran. Petr. p.2. sonn.10*

NE L' ETA SUA PIU BELLA, E PIU' FIORITA,

Quand' haver suor amor in noi più forza,
Lasciando in terra la terrena scorza,
E L' aura mia vital da me partita.

Postea verò rupti arbusculi metaphoram assumens, ita pergit;

Idem p.2. Canzon. 3.

In un boschetto novo i rami santi
Fiorian d'un Lauro giovinetto, e schietto,
Ch' un de gli arbor par è a di paradiso;
E di sua ombra uscian sì dolci canti
Di vari augelli, e tanto alto diletto:
Che dal mondo m' havean tutto diviso
E mirandol io fiso,
Congiossi il Ciel intorno, e tinto in vista
Folgorando'l percosse, E DA RADICE
QUELLA PIANTA FELICE,
SUBBITO SUELSE, onde mia vita è trista,
Che simil ombra mai non si racquisti.

81. Procera arbor, sub umbrâ suâ aliquot arbusculos claudens, epigraphen recepit; SUBNASCENTES SUFFOCAT. Ita nonnulli è Magistratu seniores omnem solent adhibere conatum, ut juniorum virtutes ac merita suffocent. In rem præsentem Plutarchus; *Arbores invidæ, vetulæq; subnascentes arbusculos umbra sua premunt, nec sinunt efflorescere. Non sic faciendum senioribus Magistratibus; sed invitandi potius, & adjuvandi juvenes.* Porrò Prælatus ignavus & otiosus malo suo exemplo, ceu marcente inutilis arboris umbra, proprios subditos miserè inficit, & ad virtutum fructus proferendos penitus reddidit ineptos ac socordes. S.Petrus Chrysologus, *Infecunda arbor, si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subjectis vitibus umbram, inimica non sibi soli, sed etiam palmitibus fit fœcundis: ita homo deses, ignavus, si præsit populis, non sibi soli fit noxius, sed multis: dum sequentes se suo vitiat & perdit exemplo.*

Invidia. *Plutarch. in Moral.* Malum exemplum *S.Chrysolog. serm.106.*

82. Olim Pastores illarum nomina, quas deperibant, arborum corticibus insculpsêre. Unde hîc in Quercu legebatur Phyllis, ibi in fraxino Amarillis, illic in Plantano Galatea &c. Quæ nomina, cum corticibus dilatari solita, sensim mirum in modum excreverunt. Quare Emblematis loco arborem, inciso quodam nomine spectandam, hoc lemmate insignies; CRESCET IN ANNOS. Hâc icone amorem tuum versus amicum cum ætate augescere significabis. Porrò in animæ potentiis, nimirum intellectu, memoriâ, & voluntate, velut in corticibus, varia creaturarum nomina & figuras incidit diabolus: illarum cumprimis; quas homines vitioso naturæ instinctu depereunt. In his nummos aureos & argenteos, in illis coronas & sceptra, in aliis pateras viro optimo spumantes, in plerisque Veneres, Nymphas, Cupidines, & cætera voluptatum simulachra insculpsit, ut sic creaturarum affectus cum ipsis incrementum sumat. Denique Concionator è munere suo in auditorum cordibus Divinos virtuum characteres incidit, qui in ipsis adolescant, donec justæ magnitudinis ac perfectionis suæ terminum sortiantur. Certè S.Paulus, in eâ pingendi arte peritissimus, Corinthios non solùm vocat Epistolam suam, quòd ipsius operâ & studio ad sanctam fidem efformati fuerint, sed insuper illos nominat, *Epistolam Christi, scriptam, non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Epistola Christi, O Corinthii, vos estis*; quorum scilicet in cordibus, ministerio meo, ceu calamo, scriptus, est Christus, seu, ut D.Pauli ore interpretatur S.Chrysostomus; *Nos ita vos* (Corinthios) *comparavimus, ut litteras exciperetis; Quemadmodum enim Moses lapides & tabulas sculpsit; sic nos quoque animas vestras. Nam quæ Deus cum omnibus aliis, tum vobis etiam nota & perspicua esse volebat, hæc in cordibus vestris inscripta sunt.*

Amor. Diabolus tentans. Concionator. *2.Cor.3.2. S.Chrysost in hunc loc.*

83. Arbor, fructus foliisque inter hyemis injurias nudata, epigraphen ex Ovidio sustinet; TURPIS SINE FRONDE. Verba Poetæ sunt;

Ovid. l.3. de Arte.

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Ita hominis vita, si otio diffluat, & operibus bonis, ceu frondibus, destituatur, nemini non fastidium creat, S.P.Augustinus; *Quid sitivit Christus in Cruce nisi bona oepra? in illis enim crucifigentibus quia nulla bona opera invenerat, jejunabat.* Porrò fides, instar stipitis defrondati, *sine operibus mortua est*, ut loquitur S.Jacobus Apostolus.

Opera bona. *S. Augustin Psal 34. Cont 2* Fides sin operibu

84. Arbor, quò profundiores agit radices, eò evadit procerior, ævum respicit longius, fructumque ampliorem profert; juxta illud, *Mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Unde lemma; QUO PROFUNDIOR, EO SUBLIMIOR. Ita quò quis altius jacit humilitatis fundamentum, tantò plures etiam in ipsius animo succrescent omnis generis virtutes. Inter alia gravissima dicta Angelici Doctoris, unum etiam erat de virtute humilitatis, illudque ejusmodi; *Qui honoris est cupidus, contemnique refugit, &, cùm contemnitur, excandescit, etiamsi mirabilia imò miracula faceret, à vera perfectione longissimè abest; nulla enim ibi esse virtus potest, ubi virtutis fundamentum deest, humilitas.* Notum est illud Magni Augustini; *Magnus esse vis? à minimo incipe, cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Quantò erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum.*

4.Reg 17. Humilit. *Histor. O. Præd.c.37. p 1. l.3. S.Aug ser 10. de Ver Dom.*

85. Arbores, quarum radices altius descenderint, ab aquâ, aere, soleque ipso redduntur firmiores, fertilioresque: quæ contrà summo inhærent solo, iis hæ causæ & *influentiæ*, quas vocant, exitiales sunt. Unde arborem, altâ radice humi defixam, hoc

hoc lemmate notabis; PROFUNDAM PROMOVET ÆSTUS. Ita humilem, qui in se ipsum profunde descenderit, correctio emollit, delinit, facitque in majus crescere; qui contrà neque humilis est, neque dum firmas in hâc terrâ radices egit, occasionem sæpius accipit exarescendi, indurescendique. Aurea in hanc rem S. Basilii præceptio est, *Eâ mente animadversionem* Superioris *suscipiendam esse, quâ* ægrotus aliquis, *de retinendâ vitâ anxius, quandocunque curatur à medico, licet acerba sit, & aspera curationis ratio, rejectâ prorsus omni de charitate, peritiáve ejus qui sibi illam irroget, dubitatione, cum summo desiderio recuperandæ sanitatis. &c.*

Correctio

Basilius 17. Brev. n. 58.

86. Arbor in hyeme & deformis est & squalida; sed renovabitur. Quando? redeunte vere. Unde arborem frondibus ac floribus destitutam, hoc lemmate insignivit P. Sebastianus à Matre Dei; INNOVABIT NOVUS, subintelige, *annus*. Ver novum, annusque novus dici potest Maria Virgo, ut quæ nobis & attulit solem novum Christum, & novos adfert pectori humano virtutum flores. Porrò vernum S. Paschatis tempus hominem innovat, ut, rejecto scelerum squalore, per annuæ pœnitentiæ ac confessionis media pulcherrimum gratiæ Divinæ ac virtutum florem induat. S. P. Augustinus; *Celebratur Pascha in veteri populo, occisione Agni cum azymis, ubi occisio ovis Christum significat, azyma autem, novam vitam, hoc est, sine vetustate fermenti.*

Maria V.

Pascha.

Augustin. serm. 6. de verb. Apost.

87. P. Joannes Baptista Bareta è Societate Jesu ad exequias Philippi IV. Hispaniarum Regis, arborem depinxit, quæ, ab hortulano putata, ramos decisos undique circumjacentes habebat; cum lemmate, AUGEAT UT VIRES. Innuebat videlicet, Optimum Regem aliquot Flandriæ partibus se abdicasse, ut pax universalis, tantoperè exoptata, certius obtineri, ac subditi pristinas suas vires iterum resumere possent. Cæterùm paupertas voluntaria, & temporalium bonorum abdicatio, ingentes animæ nostræ vires; ac æternæ gloriæ fructus tribuunt. Christo teste, *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem &c. centupum accipiet, & vitam æternam possidebit. Ego*, inquit Magni Augustini ore Deus, *sum divitiæ tuæ, noli attendere quod mundus permittit, sed quod promittit Conditor mundi. Attende quod tibi promisit Deus facienti justitiam, & contemne, quod tibi promittit homo, ut abducat justitiam, & adducat injustitiam.*

Pax universalis.

Paupertas voluntaria.

Matt. 19. 27.

Aug. in Ps.

88. Arbor, inquilinas aves suis ramis protegens, ab eodem Bareta epigraphen recepit; TUTATUR RAMIS. Mens Emblematis erat, sub Regis tutela omnes subditos felicissimè protegi. Id quod de Divino patrocinio longè maximè verum est. S. P. Augustinus; *Deus Rex noster est, protegit nos, qui et est Deus, ne moriamur; regit nos, quia Rex est, ne cadamus.* Denique Maria Virgo misericordiæ suæ ramos amplissimè explicat, sub quibus beati ac incolumes vivamus.

Protectio.

Deus protector.

Augustin. in Psal. 47.

Maria V. protectrix.

89. Ventorum furorem eludit arbor, quæ radices semel egit validas, fibrisque fortius per terram divisis, ipsam stirpem robore armavit. Unde Serenissimus Philotheus in Symbolis Christianis Arborem expressit, quæ vento infestante immobilis persistit; cum lemmate, SECURA SUIS RADICIBUS. Ita animus Deo devotus suâ in superos fiduciâ, humilitate, cæterisque virtutibus nititur, tantumque abest, eum adversis terrenarum calamitatum assultibus dimoveri, ut tantò fortius erigatur, quantò vehementius imminent & insontem quatiunt. Nam, ut præclarè docet Magnus Augustinus, *Nec felicitas hujus sæculi facit nos beatos, nec adversitas miseros: opus est justitiam tenere, fidem diligere, sperare in Deo, diligere Deum & proximum; Post istos labores habebimus diem sine occasu.* Cæterum Emblematis mentem hoc Epigrammate explicat Philotheus;

Fides in Deo.

August. in 138.

Dum furit effusis violentior Æolus austris,
En virgulta sibi deteriora timent.
Sed firmata suis perstans radicibus arbor,
Excipit atroces, si fremuere, notos.
Illa, suo defixa loco, non flectitur Euro,
Non timet, unda, tuas, nec timet, aura, minas.
Mens innixa Deo, pavidam minitante ruinam
Orbe, nihil quidquam, quod moveatur, habet.

90. Perituræ virent arbusculæ, quæ in ruinis & ruderibus veterum ædificiorum crescunt; jamjam casuræ, ubi parietum istorum fragmenta, per lubricitatem suam soluta, corruent. Unde idem sapientissimus Philotheus succrescenti è ruderibus arbori inscripsit; PERITURA VIRET. Ita diuturna esse nequit felicitas, quæ vitiis, sceleribusque superstructa, verum pietatis fundamentum, quod solum æternum est, haud sibi substraverat. Florent impii, ut pereant. Et licet sæpius videamus, impiis maximas opes affluere, cumulari fortunas, singula ex animi sententia succedere, ad extremum tamen, serâ prodeunte pœnâ, feralem illam, exitialemque fuisse felicitatem comperimus, quum subitâ cultores suos eversione mulctet. Verissimè Magnus Augustinus; *Via impiorum felicitas transitoria, finitâ viâ peracta est felicitas.* Eundem Philotheum, suimet interpretem eruditissimum, audi.

Felicitas mundana.

S. Augustin. Ps. 36. Conc. 2.

Si resupinatis procumbent atria muris,
Atria ruderibus mox tumulanda suis:
Tunc simul arboreos involvent rudere fœtus,
Qui viridem in saxis explicuere comam.
Sic peritura viret muris labentibus arbor,
Nec manet inde suo, quo stetit ante, loco.
Floreat, & multo mens impia surgat honore,
Nil equidem invideo; nam peritura viret.

91. Ludovicus Brethe Canonicus Regularis Congregationis Gallicanæ in eruditissimâ Basilicâ S. Genovefæ Arborem supra montem statuit, quæ suavem diffundens umbram, epigraphen è Psalmo præfixam habet; OPERUIT MONTES UMBRA EJUS. Mens Emblematis erat, Benjaminum Brichantæum ad S. Genovefæ & Laudunensis Ecclesiæ culmina evectum esse, ubi virtutum umbram adeò felicem sparsit, ut subditi Canonici Regulares suavissimè sub illâ requiescerent. Cæterùm S. Crux, supra Montem Golgothæum fixa, omnes Christianos umbra suâ potegit. Nam, ut benè testatur Doctorum Phœbus, *Si Sancta Crux elevata non esset, Christianus populus in æternum periisset.* Cæterùm in Brichantæi elogio ad propositum nostrum ait Emblematis Author;

Ps. 79.

Protectio.

S. Crux.

S. Aug. ser. 90. de Temp.

Quærenti Deum, turbæ valedicendum est,
Et terræ etiam, quantum licet. &c.
Hinc Sancta Genovefa collem ascendit;
Hinc & Laudunensis Ecclesiæ sublatus est in culmen,
In quo didicit, terris exempto,
Breviorem superesse in astra viam.
Quidni montes operiret Brichanthæus,
Qui comatæ arboris instar,
Montes hos infularum insignibus obumbravit? &c.

ARBOR.

ARBOR PUDICA, seu Anonymus.

92. Clusius, aliique rerum Indicarum scriptores referunt, apud Antipodas famosam esse arborem, cognomento pudicam, quæ sic à naturâ comparata sit, ut ad quemcumque hominis, alteriusve animalis accessum aut tactum ramos contrahat, eosdemque ad recessum rursum explicet. Unde lemmatis loco illud Joannis subscribes; NOLI ME TANGERE. Instruit hæc arbor illos omnes, quorum pudicitia ab accessu tactuque lascivorum hominum periclitatur. Magdalena Servatori suo propinquans, id responsi tulit, *Noli me tangere.* Causam subjungens S. Epiphanius, *Christus*, inquit, *ut daret nobis exemplum purissimæ & perfectissimæ castitatis, noluit permittere, ut magdalenæ hîc, utpote mulier, sola solum tangeret.* Addit S. Hieronymus, mulieris tactum viro contagiosum, ac cumprimis fugiendum esse. *Non dicit Apostolus*, inquit, *Bonum est uxorem non habere, sed, bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit, quod, qui illam tetigerit, non evadit: nempe quæ virorum pretiosas animas rapit, & facit adolescentium evolare corda. &c.* Verissimè Poeta;

Tactus lascivus.

Ioan.20.17.
S.Epiphan. Hæres.26.
S.Hieron.l.1. contr.Iovin.

Regulus ut visu, Siren Acheloia cantu,
Et necat affrictu Thessala saga levi:
Sic oculis, manibus, sic urit fœmina cantu;
Sic trifidum fulmen Vejovis esse queat.

93. Arbor pudica, ubi primum hominis cujusdam præsentiam perceperit, mox veluti se ab sconsura, ramos colligit. Unde lemma è Jobo desumptum; NON ASPICIAT ME VISUS HOMINIS. Aresius propriissimam hanc Virginis, Deo sacratæ, ideam censet. Ad rem præclarè Tertullianus; *Vera & tota & pura virginitas nihil magis timet, quàm se ipsam, confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus tentationum ictus, adversus jacula scandalorum, adversus suspiciones, & susurros, & æmulationem, ipsumque livorem. Timebit Virgo censorium lumen, & gaudebit, sibi & soli Deo nota: quis audebit oculis suis premere faciem clausam, faciem non sentientem?* S. Hieronymus observat, hanc vocem *alma* (quod Isaias in illis verbis usurpat; *Ecce Virgo concipiet*) propriè significare *abscondita*; aitque, *Quæ abscondita est, juxta idioma linguæ Hebrææ, consequenter & virgo est. &c.* Eundem secessum etiam Ovidius virgini suadet;

Virgo sacrata Deo.
Tertull.l.de Veland Virg.
S.Hieron. quæst. Hebr.in c.28 Genes.
Ovid.ep.16

Disce meo exemplo formosis posse carere,
Est virtus placitis abstinuisse bonis.

94. Similem arborem adducit Castor Durantes, eamque *Anonymi* nomine vocat; cujus miram adeò virtutem esse ait, ut fortè digito attacta, statim se colligat ac retrocedat. Ipsius de hâc arbore poesis ita habet.

Mira est Anonymus naturæ planta, manuque
Tacta, statim retrahit sese, & constringitur unà.

Unde epigraphen subjunges; TACTA SE RETRAHIT. Homini ex actè modesto ac pudico hæc idea est concolor: qualem se probaverat Josephus, dum ab effrontis Ægyptiæ manu tentatus, fugiendo se retraxit. *Noster Joseph*, inquit S. Hieronymus, *quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus; & quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium, quod tetigerat, abjecit.* Christophorus Giarda de S. Francisco Salesio testatur, quòd Patavii ab infamis fœminæ manu constrictus, & ad pudicitiæ jacturam acerrimè provocatus, ab eâdem non aliter, atque à venenato serpente se retraxerit; Unde de illo canit D. Gregorius Bolzi;

Pudicitia servata.
S.Hieron.l.1. cont.Iovin.
Christ. Giard.p.1 c.5. Vita.

Admovet ista manus manibus, sed retrahit ille,
Et refugit, quando tendit in ora manus.

Greg.Bo in Larar Poet. Jud. Ian.Epig.19

ARBOR TRISTIS, seu Melancholica.

95. Arbor tristis, quam Castor Durantes melancholicam cognominat, nonnisi concubiâ nocte florescit ac germinat. Unde Aresii lemma; OBSERVAT CALIGINEM. Homines scelerati, qui perversa conventicula cogere, furta, adulteria, aliaque flagitia moliuntur, tenebras studiosissimè inquirunt. Verissimum Christi hâc de re effatum est; *Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Jobus, è quo Emblematis hujus gnomam desumpsimus, explicatissimè idipsum de sceleratis tradit; *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus. Manè primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem: per noctem verò erit quasi fur. Oculus adulteri OBSERVAT CALIGINEM, dicens, non me videbit oculus, & operiet vultum suum. Perfodit in tenebris domos.* Unde in rem præsentem ait S. Ambrosius; *Malus studet latere, eùm Deum latere non possit, qui intra profundum abyssi, & intra hominum mentes non solùm tractata, sed etiam volvenda cognoscit. &c* His subscribens Juvenalis, canit;

Vitia lucem [...]git.
Ioan.3.2.
Iob.24.1
S.Ambr. Offic.c.1

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones

96. De eâdem arbore scribit Castor Durantes,

---- ---- nunquam floret, nisi nocte.

Unde lemma, NONNISI NOCTE FLORET. Vel, IN TENEBRIS FLORET. Eorum hæc imago est, qui ad omnem ostentationem declinandam, nocte duntaxat virtutum suarum flores explicant, ut è mundi conspectu subducti, solius Dei oculos incidant. Certè Tobias *Rapiebat corpora occisorum, & mediis noctibus sepeliebat ea.* David intempestâ nocte pietatis suæ florem Deo offerebat; *Media nocte*, inquit, *surgebam ad confitendum tibi. Dicit itaque Beatus David*, inquit S. Basilius, *etiam in strato jacens, jucundissimo somno abjecto, singulis vigiliis de te meditabar, & hymnis tibi propter beneficia impensa gratias agebam.* Quin, ipsemet Dei Filius. *Erat pernoctans in oratione Dei.*

Virtus sine ostentatione.
Tob.2.9.
Psal. 116.
S.Basil. [in] schol. [in] Psal.

ARUNDO, MEL Arundineum. CAPUT. V.

97. Arundinem exteriore vultu formosam, viridem ac frondibus exornatam, hoc lemmate notavi. INTUS INANIS. Hypocrita, è superficie res maximas præferens, interiorem animum penitus informem, omnique virtutum flore inanem circumfert. Hector Pintus, *Hypocrita*, inquit, *specie exteriore virtutis ornatur foris, intus autem à vera virtute penitus alienus. &c* Haud aliter de quovis homine mundano ratiocinatur S. Hilarius, *In arundine*, inquit, *homo talis ostenditur de gloria sæculi, vitæ suæ inanitate speciosus: ipse autem fructu veritatis vacuus; exterior placens, & NULLUS INTERIOR.*

Hypocrita
Hect. Pin. [c.] 40 in Ezech.
S.Hilar. in Matth.Ca. 11.

98. Arundinem, cuivis ventorum flamini cedere ac incurvari solitam, Abbas Salarolus hoc epigrammate insignivit; CEDIT, NE CADAT. Prudens Bellidux, ubi vires suas hostium incursui impares

Miles prudens.

Antigonus. impares videret, è fuga salutem quærit. Certè Antigonus, Demetrii Regis filius, cùm ab hostibus in fugam ageretur, dicebat, *se non fugere, sed utilitatem à tergo positam sequi.* Nicolaus Picininus dicere solebat, satius esse, si homines dicant, Nicolaum securitatem arripuisse, quàm Nicolaum superatum & occisum esse. Cæterum etiam verus obediens, ne in peccati culpam cadat, cuivis Superiorum nutui pronus cedit. Errare non potest, quisquis ritè obedit. Quare meritò exclamat S. Hieronymus; *O summa libertas, quâ obtenta vix possit homo peccare!* adeò ut certo quodam modo obedientia nos reddat *impeccabiles.*

Obediens.

S. Hier. in Reg. Mon. c. 6

Constantia in homine fragili.

99. Arundo, quantumvis vento agitata, nunquam tamen evellitur. Unde lemma; FIRMA, LICET INFIRMA. Arundini similia dixeris illa hominum pectora, quæ viribus quidem infirma, constantiæ tamen plurimum demonstrant; uti prolixè in Machabæorum Martyrum Matre, in S. Felicitate, in S. Symphorosa, aliisque compluribus cernere licet; hæ enim, quamlibet sexu fragiles, pectore tamen prorsus magnanimo adversus omnes tyrannorum insultus perstiterunt, suosque liberos ad patibuli tolerantiam, & Martyrii coronam obtinendam generosè animârunt. S. Ambrosius invictum animi robur in S. Agnetis tenerâ ætate ac fragili sexu mirificè celebrat. *Hæc*, inquit, *tredecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas, quæ nec minusculæ pepercit ætati. Immò magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium invenit ætate. Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit, quò ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret &c.*

S. Ambr. l. 1. de Virg.

100. Arundo, naturâ suâ imbecillis, & vix ullo fundamento nitens, ad cujusvis venti afflatum contorquetur: ac columnæ, arbori, vel palo alligata, præsidium adeò validum sortitur, ut quovis incursante vento immobilis ac firma perstitat. Unde palo connexa, hanc gnomam pronuntiat; NON QUATIAR ULTRA. Ita prorsus cor humanum ob fragilitatis congenitæ vitium ad quamcunque minimam levissimæ tentationis auram fluctuat, partemque in omnem flectitur: at sanctæ Crucis palo affixum; vel Servatori suo per gratiæ Divinæ vincula connexum, instar cautis Marpesiæ stabit, omnesque tentationum incursus sine negotio eludet. Thomas Stapletonus super illud Matthæi, *Arundinem vento agitatam?* ait, *Ut arundo columnæ alligata, nullo vento concutitur; sic homo fragilis, Christo adhærens, nullâ tentatione commovetur.* Et S. P. Augustinus; *Deo adhærendo pacamur, huic incumbendo firmamur.* Huic innitens *vir sapiens, nec pluviâ irruente illabitur, nec flumine inundante subvertitur, nec ventis flantibus commovetur.*

Adhærere.

S. Crux.

Tho. Stapl. Dom. 2. Adv. in Matth. 1. 7.

S. Aug. ser. 16 ex addit. à Parif. e. 1.

101. Arundo, debili ac infirmâ radice intra terram sustentata, quovis afflante levissimo vento nutat, partemque in omnem flectitur. Lemma, LENI PERVOLVITUR AURA. Homo, in suis propositis malè firmatus, quâvis emergente occasione sententiam mutat. Ex hac arundinis proprietate Christus argumentum à dissimili mutuatus, immobili Prodromi sui, Joannis Baptistæ, constantiam demonstravit. *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Quod videlicet*, interprete S. Gregorio, *non asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe, mox ut aura contigerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur, qui mox, ut favore vel detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur. Arundo ergò vento agitata Ioannes non erat, quem à statûs sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat.*

Instabilis.

S. Jo. Bapt.

Matth. 11. 7.

S. Greg. Hom. 5. in Evang.

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

Eodem sensu S. Ambrosius; *Arundines sumus, nullâ validioris naturæ radice fundati. Et si levis aspiraverit prosperioris aura successûs, vago motu proximos verberamus, inopes ad suffragandum, faciles ad nocendum.* Unde falsum amicum non abs re cum arundine comparaveris; quippe cujus charitas, vix è pectoris superficie radicata, ad quamcunque levissimam suspicionis, injuriæ, aut quæstûs alieni auram dissolvitur, & in adversam partem torquetur. Petrus Cellensis; *Nescit veræ amicitiæ naturam, qui in amore imitatur arundinem vento agitatam. Sine profundâ radice amicitia accidens est, non substantia, species non virtus. &c.*

S. Ambr. l. 9. in Luc. c. 7.

Amicus falsus.

Pet. Cellens. l. 5. Ep. 21.

102. Arundo, cuivis vento cedere, & in omne latus quò aura impellit flecti solita, epigraphen habet; QUA FLAMINA VERGUNT. Exactam obedientiam, & voluntatem ad omnem Superiorum nutum conformatam, hæc imago repræsentat. Ita Seraphini, ab Ezechiele descripti, *Ubi erat impetus spiritûs, illuc gradiebantur.* Idem etiam falsi amici typus est, cujus affectus nullâ unquam persistentiâ stabilitur, eoque semper vergit, quò proprii commodi aura invitat. S. Isidor. *Non sunt fideles in amicitia, quos munus, non gratia copulat: nam citò deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim, quæ munere glutinatur, eodem suspenso dissolvitur.*

Obedientia.

Ezech. 1. 12.

Amicus falsus.

S. Isid. l. 3. de sum. Bon.

103. Arundo, assiduo ventorum impetu in omnem partem jactata, semper iisdem radicibus, eodemque situ nititur: ut adeò unico momento simul & instabilem & constantem se exhibeat. Unde P. Henricus Engelgrave lemmatis loco illud Ovidii hemistichium subjunxit; CONSTANS IN LEVITATE SUA. Homines, mundo dediti, nullibi se constantiores probant, atque inter inconstantes & vanissimas mundi illecebras. Audi de rebus terrenis differentem Magnum Augustinum; *Corpus mutatur per ætates: corpora cœlestia de locis in loca mutantur: anima humana quantis mutationibus & cogitationibus variatur? mens ipsa hominis mutabilis est, non est idipsum: modò vult, modò non vult; modò scit, modò non scit.* Vides, nihil in mundo ita esse constans, præter inconstantiam! Opportunè meus Carducius.

Ovid. l. 5. Trist. Eleg. 8.

Mundanus instabilis.

S. Aug. in Ps. 121.

In levitate sua constans agitatur arundo:
Sic vani studium cordis inane labat.

104. Arundo, opportunum patientis, tranquilli, & humilis animi symbolum habetur: nam à ventis infestata, epigraphen tenet; FLECTOR, NON FRANGOR. Eodem sensu plures arundines, in flumine radicatas, hoc lemmate insignies; FLECTIMUR, NON FRANGIMUR. S. P. Augustinus; *Spiritales nec dura frangunt, carnales etiam blanda corrumpunt. Spiritales nec tormentis separantur à Christo, carnales verò interdum etiam otiosis fabulis separantur. Illos non separat nec crudelis gladius, istos verò separat carnalis affectus.* Hoc sensu Virgilius;

Patientia.

S. Aug. serm. 54. de Temp.

— — — Quò fata trahunt, retrahuntque, sequamur,
Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.

Virgil. l. 5. Æneid.

Et Georgia de Montanay;

Concutitur tantùm ventis, quia cedit, arundo,
Arbor at, inflexo robore, fracta cadit:
Vos etiam fastu elatos feret exitus idem,
Ast humiles animos gratia multa manet.

Georg. Mont. Embl. 58.

105. Arundines in fluminis medio collocatæ, epigraphen tenent; ABLUIMUR, NON OBRUIMUR. S. Martyres, intra sanguinis sui fluenta loti ac submersi, nunquam ullâ tyrannorum violentiâ superari potuerunt. *Obsecro autem*

Martyres. Calamitas utilis.

eos, qui hunc librum lecturi sunt, inquit Machabæorum Historiographus, *ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, sed correptionem esse generis nostri.* In hanc rem S. Pater Augustinus; *Ut mali bonis sæpè temporaliter noceant, potestatem in eos accipientes, ad majorem fit bonorum utilitatem, propter exercitationem patientiæ.*

2. Mach. 6. 12

S. Aug. lib. 83. Quæst. q. 79.

MEL ARUNDINEUM.

106. Mel arundineum, tametsi naturâ suâ pretiosam, miramque dulcedinem habeat congenitam, igne tamen excoctum, & in spissitudinem aliquam concretum, ingens dulcoris sui auctarium capit. Unde lemma; MELIUS, CUM CANDUIT IGNE. Erant certè Sancto Apostolorum Collegio optimæ ac præclarissimæ dotes; at Spiritus Sancti igne in die sacro Pentecostes calefactum, perfectionem longè majorem recepit. Porrò homo, quò majore charitatis igne flagraverit, eò evadit Superis suavior; Unde monet Magnus Ethicæ Christianæ Magister Augustinus; *De cellario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei; quidquid profers accende charitate.* D. Salvator Carducius, meus Concanonicus, primam Emblematis mentem hoc disticho explicat.

Apostoli in Pentecoste.

Charitas.

S. Aug. in Ps. 55.

Dulcis arundo reddit melior, cum canduit igne:
Sic sacra nobilior turba fit igne poli.

AURANTIUM.

Cap. VI.

107. Si Aurantii malus inter hyemis rigores semel defrondata fuerit, nullos imposterum fructus proferet, & vix pauculas aliquas frondes æstate redeunte emittet. Unde lemma; BRUMA EXUTA VIX FRONDESCIT. Ita qui vitiorum frigore suavissimum charitatis Divinæ fructum semel sibi excidere passus est, facilè pravam consuetudinem induit, nec nisi difficillimè ad pristinam frugem redit. Nam, ut compendio dicit Magnus Augustinus; *Vincere consuetudinem, dura pugna.* Lucarinus eodem Emblemate viduam quandam significavit, quæ secundo viro nupta, sterilis remansit. Unde viduam hanc, recens nuptam, ita loquentem introduxi;

Consuetudo.

S. Aug. Ps. 30. Conc. 1.

Vidua sterilis.

Come arancio gentile,
Che frà il rigor d' orrido inverno, e crudo
Resta sfrondato, e nudo,
Al ritor nar del vago Aprile, a pena
Di frondeggiar, non di fruttare ha lena;
Tal io, benche ritorni
Un lieto Aprile à serenarmi i giorni,
Mentre del primo Amor spogliata, piango,
Infeconda rimango.

108. Eadem malus, pomis ac floribus onusta, Lucarino authore epigraphen tenet; DELECTAT, SAPIT, NUTRIT. Concionatori hæc virtutum trias domestica esto. *Scio enim,* inquit Arnolphus Luxoviensis, *quia tria solent, in Prædicatoribus requiri; Plenitudo scientiæ,* quâ sapit; *fœcundior eloquentiæ vena,* quâ delectat, *sanitas conversationis,* quâ nutrit. De verbo Dei ait Sanctus Bernardus; *Simulatur cibo, qui triplici quâdam eminet gratiâ, DELITIOSA AD SAPOREM, solida AD NUTRIMENTUM, efficax ad medicinam.*

Prædicator.

Arnolp. Lux serm. in Conc. Turon.

S. Bern. serm. 67. in Cant.

Author multorum voluminũ.

109. D. Aresium, indies nova volumina in publicam lucem eniti solitum, Lucarinus mali hujus Emblemate significavit; quæ diversis fructibus, aliis quidem immaturis, aliis verò maturitati proximis, & aliis perfectè maturis simul gravida esse solet. Epigraphen addidit; DECIDUIS SUBNASCUNTUR ALII. Eandem vicissitudinem homines, cæteraque animantia omnia, in vivendo experiuntur, unius enim interitum alterius generatio assiduâ lege excipit; sicque hâc rerum alternantium serie suis quæque speciebus perennant, & mundus iteratâ semper productione conservatur. Illam ipsam operandi methodum, nunquam interruptam, S. Ambrosius etiam in spiritualium fructuum operibus adeò studiosè observandam esse docet, ut unâ actione terminatâ, mox altera, nullo unquam interveniente otio, concipiatur. *Mens,* inquit, *quando finit aliquod opus, non quasi consummato opere finiatur, sed in alia recurrat opera, & semper incrementa virtutis exerceat.*

Successio

Operatio continuata.

S. Ambr. l. ... Noe. c. 23.

110. Aurantii malus, simul & floribus & fructibus gravida, à P. Camillo Antico epigraphen recepit; AUTUNNO IN SENO, E PRIMA VERA ACCOGLIE. Id est, AUTUMNUM CONTINET, ET VER. Maria Virgo, accommodatissimè ad hanc ideam, intemerato Virginitatis flori uberrimos maternitatis fructus conjunctos habet. Hâc de re non sine animi dulcedine quidam Devotus canit;

Maria V... fœcunda

Partus & integritas, discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Et S. Bernardus; *Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem; GAUDIA MATRIS HABENS, CUM VIRGINITATIS HONORE. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri: singulare est, sed continuò etiam indicibile invenitur.*

S. Bern. serm. 3. de Assum.

111. Eadem malus hyberno tempore ligneis tegetibus ita cooperiri solet, ut solaribus radiis contingi penitus nequeat: unde, sole extra ipsius tegetem posito, epigraphen sustinet; PER LUI PUR VIVO. Id est; EJUS SPIRITU VIVO. Amorem, in personæ amatæ absentia constantem & assiduum; vel etiam creaturas hæc imago designat, quæ tametsi Deum oculis suis nunquam contingant, vitam tamen, cæteraque bona omnia, beneficentiâ nunquam interruptâ, ab eo recipiunt. *Ipse dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Unde Magnus Augustinus ait; *Video quæ fecerit Deus meus, non autem video ipsum Deum meum qui fecit hæc.* Præclarè meus Carducius;

Amor constans.

Gratitud...

Act. 17. 2...

S. Aug. in ... 41.

Dum cedrus tegitur paleis, haud lumine gaudet
Solis; at ipsa tamen sole fruente viget.
Non secus ætherei qui Numinis ardet amore,
Etsi non videat, se fovet inde tamen.

112. Abbas Certanus aurantii pomum, seu arboris illius frugem, hoc lemmate notavit; EXPRESSA PROBATUR. Et Jo. Franciscus Bonomus; COMPRIME, NOSCES. Veram virtutem, fidem, & amicitiam hoc Emblemate, ceu lydio lapide, dignosces; quippe quæ indolem suam nullibi apertius, atque inter calamitates & persecutiones produnt. Et quidem de virtute dilucidè testatur Seneca; *Magnus es vir, inquit, sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Opus est ad notitiam sui experimento. Quid quisque possit, nisi tentando, non discit. Itaque quidam ultrò se cessantibus malis obtulerunt, & virtuti ituræ in obscurum occasionem, per quam enitescerent, quæsierunt.* Et paulò post; *Ipsis Deus consulit, quos esse quàm honestissimos*

Virtus i... ter adve... cognosc... tur.

Fides.

Senec. l. ... bonis vi... c. 4.

stissimos cupit, quoties illis materiam præbet, aliquid animosè, fortiterque faciendi. Ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate; Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. De Fide Deus manifestum experimentum cepit, quando Abrahami fidem periclitaturus, illum in angustias adeò insolitas conjecit, ut unigenitum filium propriâ manu interficere jusserit. Explicatè Moses; *Tentavit Deus Abraham &c.* In hunc locum S. Basilius; *Tentatum est cor Abrahæ, an Deum tota anima diligeret, quando Isaac jussus est immolare. Est enim,* teste Ambrosio, *exercitium fidei, tentatio.* Denique de amicitia idipsum affirmans Valerius Maximus, ait; *Sinceræ fidei amici præcipuè in adversis rebus cognoscuntur: in quibus quidquid præstatur, totum à constanti benevolentia proficiscitur.*

[Amicitia.] [Gen. 22.1. S. Basil. in hunc loc. S. Ambr. in Luc. 8. Valer. Max. l.4.c.7.]

113. Aurantia in acervum collecta, epigraphen tenent; PRESSA DABUNT SUCCUM. Calamitatum hæ vires sunt, ut è cordibus nostris, aliàs pumice siccioribus, copiosas pœnitentiæ, & lachrymarum stillulas exprimere queant. Exemplo suo id comprobat Magnus Canonicorum Regularium Pater S. Augustinus; qui, etiamnum juvenis, ætate totâ inter otium & voluptates traductâ, Dei voluntatem minimo loco habuit; At, *cùm quodam die, pressus stomachi dolore, repentè æstuarem, penè moriturus*, tum demum, inquit de se ipso, *vidisti Deus meus, quo motu animi, & quâ fide baptismum Christi tui, Dei & Domini mei, flagitavi.*

[Calamitas.] [S. Aug Lib. 1. Confess. c. 11.]

114. Inter cætera symbola Panegyrica, à P. Lucretio Borsati in honorem D. Antonii Longi affixa, Aurantium cernebatur, hoc lemmate distinctum; PONDERE NOSCITUR. Innuebat videlicet, Magnatis illius virtutem è gravissimis negotiis, summoque sapientiæ ac rerum agendarum pondere dignosci: unde etiam Ægyptii, prudentiam significaturi, gruem, lapide instructam, depinxêre, uti refert Pierius Valerianus. Porrò Religiosus humilitate, ceu genuino virtutum pondere, innotescit; Unde Sanctus Gregorius docet, *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat.*

[Prudentia.] [Pier Val l.17 Hierogl c.29] [Humilitas.] [S. Greg. Hom. 6.]

115. Aurantii arbor, etsi pulchritudine & æstimatione longè antecellat cæteras, fructus tamen perfectè maturos nunquam profert, nisi cœli beneficio, pluviis nimirum, recreata ac irrigata, identidem sese erigere possit. Unde hæc arbor, pluviis irrigata, à Serenissimo Philotheo in symbolis Christianis epigraphen recepit; ERIGOR, DUM IRRIGOR. Ita Deus distinxit hominum genus, ut hi alto loco nati, imaginibus majorum fulgeant; illi præstantissimi ingenii dotibus emineant: alii mediocri conditione aut virtute se commendent: omnes tamen ab eodem Creatore foveantur; huic vitam suam, huic conditionem, huic omnem virtutis gloriam debent. Is dum irriguâ gratiâ nos aspicit, pariter erigimur, & in fructus nostros solvimur: cœlestique illo rigore tincti, decus quisque suum & æstimationem accepimus. Monentem audi Magnum Augustinum; *Dic Deo tuo sanctus sum, quia sanctificasti me; quia accepi, non quia habui, sed quia tu dedisti, non quia ego merui.* Mentem Emblematis erudito Epigrammate ita explicatam habe;

[Gratia Dei.] [S. Aug. in Ps. 85.]

Fertilius crescit pluviis labentibus arbor,
Promitq; exsertis mitia poma comis.
Subtrahe fœcundos, qui manant cœlitus, imbres,
Mox aret, fructus quæ dedit ante suos.
Nos ferimus dulces, velut arbor idonea, fructus,
Gratia si tua nos, ô Deus alme, rigat.
Sed tua si gravidos inhibet clementia succos,
Nos pietatis inops arbor & umbra sumus.

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

BALSAMVM.

CAP. VII.

116. HÆc arbor, vitri fragmento, aut osseo, saxeove cultello incisa, è vulnere suo medicum, ac plagis persanandis opportunissimum liquorem stillat. Unde Camerarii lemma; VULNERE VULNERA SANO. vel, ut melius ac brevius Abbas Ferrus; VULNUS OPEM. Haud aliter Deus clementiæ suæ fructus inter medios calamitatum rigores fundit, & illis ipsis instrumentis, quibus humanam mentem paulò ante acerbissimè sauciaverat, salutem providet. Nempe *flagellum medicamentum est contra peccatum*, ut inquit Magnus Augustinus; In rem præsentem canit Hermannus Hugo;

[Calamitas utilis.] [S. Aug. Ps. 37. Herm. Hug. l.1. Gemit. 6.]

O bone terrigenum custos, tutelaque mundi
Publica, suspendit tot cui vota salus:
En tua se media clementia monstrat in irâ!
Quâque manu gladios, hâc quoque tendis opem.

117. Franciscus Raulinus Balsamum, pretiosas opobalsami guttulas eliquans, hoc lemmate ornavit; IN PRETIO LACHRYMÆ. Mirificum sui pretium exhibent contemplativorum ac pœnitentûm lachrymæ; ibi præsertim, quando è genuina virtute ac Dei amore scaturiunt. S. Joan. Chrysostomus; *Respice lectum Davidis, in quo tanquam margaritæ super subsellium per singulas noctes erant congelatæ Prophetæ lachrymæ.* Et S. Gregorius; *Dum commissa attentius lugemus, in justitiæ splendorem membra deauramus.*

[Lachrymæ pretiosæ.] [S. Io. Chrys. Hom. 22. ad Pop.]

118. Eadem arbor, ferro saucia, pretiosum, & pharmacis condiendis saluberrimum liquorem è vulnere suo stillat. Lemma; SAUCIATA MEDETUR. Servator noster hanc balsami iconem sibi propriam vendicabat, quando è Sacrosanctis venis copiosum sanguinis sui opobalsamum, ipsismet etiam tortoribus suis salutiferum, eliquavit. S. P. Augustinus; *Christus*, inquit, *sic voluit mori, ut sanguine suo effusores ejusdem sanguinis redimeret.* Et alibi de Judæis ait; *Illi perditâ mente sæviebant, & Medici sanguinem sæviendo fundebant: hic autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamentum faciebat.*

[Christus patiens.] [S. Aug. in Ps. 58. Idem. serm. 9. de Verb. Apost.]

119. Opobalsamum, suâ sponte è balsamo destillans, pretio habetur longè majore, magisque vulneribus sanandis congruit, quàm ferri violentiâ expressum. Unde hæc arbor, medicum suum rorem absque ulla incisione eliquans, epigraphen tenet; SPONTE FLUENS, MELIUS. Ea beneficii est indoles, ut prompto ac liberali animo collatum, pretio sit longè majore, quàm importunis aut violentis precibus extortum. Seneca; *Major est muneris gratia, quò minus diu pependit. Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis, citò facere. &c.* P. Athanasius à S. Carolo, Augustinianus Excalceatus, eodem symbolo demonstrat, venam Poëticam, libero fluxu è calamo stillantem, longè feliciorem ac gratiis longè amplioribus acceptam esse, quàm coacto ac invito incedentem pede.

[Beneficiū promptū.] [Senec. l. 2. de Benef. c. 5.] [Poësis voluntaria.]

Quæ canis invitus, nil sunt, cùm justa capessis:
Quæq; volens fundis, sunt meliora satis.
Qualia more suo melius tunc balsama sudant,
Cùm redolens humor cortice sponte fluit.
Dicite nunc vates, Parnasia in æde morantes,
Dicite Divini vos Heliconis honos:
Quando vestra citò modulata est tibia versu?
Tunc cùm Pindaricas sponte bibistis aquas.

120. Tametsi Balsamum corticem suum vulnerari patiatur;

patiatur; lignum tamen, omnis sectionis impatiens, non sine totius arboris dispendio inciditur. De hoc Plinius; *Ferro lædi vitalia odit. Emoritur protinus, eadem amputari supervacua patiens. Incidentis manus libratur artificis temperamento, ne quid ultra corticem violet.* Unde cultellus, balsamo secando applicatus, epigraphen tenet; NON ULTRA CORTICEM. Ita flagella, spinæ, cæteraque tyrannidis Judeæ supellex solam Christi humanitatem transfixêre, Divinitate penitus inoffensâ; Joannes à S. Geminiano. *In Christo sola caro incisa est, & læsa ligno; Divinitate nullam passionem vel læsionem sentiente.*

Plin. l. 12. c. 25. — Christus patiens. — *Io. à S. Gem. l. 3. c. 69.*

121\. Balsami viscera liquores adeò pretiosos exsudant, ut vicinos quosvis, non sine valetudinis conservandæ aut recuperandæ emolumento, recreet. Unde lemma; UTILE FINITIMIS. Hominem, charitatis studiosum, hæc idea describit; quippe qui in suos proximos suppeti s tam spirituales, quàm corporales benigno ac liberali animo profundit. Hebræis hanc beneficentiæ exercendæ virtutem in memoriam revocans Apostolus, ait; *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci.* Et Galatis; *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Hanc præceptionem alto animo impressam habebat Alexander Severus, dum olim interrogatus, *Quis esset proximus?* respondit, *Qui amicos muneribus retinet, & inimicos beneficiis ambit, & reconciliat.*

Charitativus. — *Hebr. 13. 16.* — *Gal. 6. 10.*

122\. Physicis compertum est, viperas, quæ sub balsami umbra commorantur, venenum omne amittere. Unde hæc arbor, Emblematis loco aliquot serpentes sub se fovens, epigraphen tenet; AUFERT VIRTUTE VENENUM. Ita unius hominis justi præsentia & societas plurimos peccatores convertere, & ad sanioris animi modum revocare potest. Agapyto asserente, *Qui una cum bonis degit, vel imitationem honestorum edocetur, vel diminutionem vitiorum condiscit.* Cæterùm Maria Virgo instar suavissimi balsami, omne vitiorum virus à clientibus prohibet.

Societas bona utilis. — *Agap. in Ep. Paranet.* — Maria V.

123\. Balsami liquor scisso arboris cortice promanat. Lemma; ALIIS MEA PLAGA MEDETUR. Ita vulnera Christi nobis adversus animæ ac corporis morbos antidota fuêre præsentissima. S. P. Augustinus; *Christus medicus accessit, medicamentum adhibuit, vulnera in cordibus videbat, & unde vulnera cordium curaret, in corpore cicatrices ferebat.*

Vulnera Christi. — *S. Aug. ferm. 145. de Temp. cap. 3.*

124\. Balsami arbor, aversam suem juxtà habens, epigraphen à P. Masenio accepit; NON CUIVIS SPIRAT. Maria Virgo, veluti balsamum suavissimum, solis castis placet hæreticis ac libidinosis extremè eam aversantibus. Unde meritò à nostro Hugone Victorino cognominatur, *Balsamum, mundum opinionis optimæ redolentiâ inæstimabiliter complens.* Mentem Emblematis etiam de Virginitate hoc disticho explicat Author;

Maria V. — *Hug. Vict. ser. 47.* — Virginitas.

Grata licet placeant, nil spirant balsama porcis.
Hæreticus sus est, balsama Virginitas.

CASTANEA.

CAP. VIII.

125\. Castaneæ arbor, echynatis suis calicibus onusta, à D. Jo. Baptista Mazzoleno epigraphen recepit; MATURAS RESERABIT OPES. Innuebat videlicet, sicuti arbor illa suas glandes, etiamnum teneras, sub spinoso cortice clausas tenet, casque non nisi plenè maturas in lucem enititur; ita ingenii partus, adhuc informes, ab homine erudito occultari; ibique tandem publico exponi, quando iteratâ limâ exculti, omnem perfectitatem suam attigerint. Unde Magnus Augustinus Juliano Hæretico, improbos ac immaturos suos libros proferenti, ita exprobravit; *Puto, quod ipsum libri tui atramentum erubescendo convertitur in minium.*

Maturitas librorum. — *S. Aug. Lib. cont. Iul. c.*

126\. Glans castanea, intra echinum suum clausa, epigraphen sustinet; EXTRA SPINÆ TANTUM. Dei servos hæc idea commonstrat, dum exteriore vultu calamitatibus, ac rigorosæ vitæ spinis formidandi, internam mentem penitus tranquillam ac suavem servant. In hanc rem olim ita cecinit;

Servus Dei.

Cingon di questo frutto orride spine,
Ben si l'esterne spoglie,
Ma soave dolcezza in seno accogie:
Tale chi si dispoglie
Dal ossequio del mondo, e le Divine
Leggi per norma al viver suo prescrive;
Lieto nel duol sen vive,
E sotto scabra, e rigorosa asprezza,
Gode vera dolcezza.

Paupertas quoque, Valerio Maximo teste, nullum alium, nisi externum horrorem præfert; quippe quæ medullam, suavitate ac delitiis innumeris fœcundissimam continet. *Quorsum attinet*, inquit, *aut divitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miseriarum statu ponere? Cùm & illarum frons hilaris, multis intus amaritudinibus sit referta: & hujus horridior aspectus solidis & certis bonis abundet.*

Paupert. — *Val. Max. 4. c. 4.*

127\. Glans Sardiana, intra echinum suum conclusa, horridam & aculeatam speciem refert; at penitius, & ablato spinoso illo involucro, considerata, mitem, gustuique amœnam se exhibet. Unde lemma; SUB CORTICE MITIS. Ita sanè Religiosa, vel alterius cujusvis spiritualis vitæ disciplina, exteriore vultu meros rigores & austeritates præferens, interius ac re ipsâ suavissimo melle, miraque dulcedine abundat. *Omnis sapientia*, inquit Justus Lipsius, *procul intuentibus severa & tetrice apparet; cùm propius accesseris, lenis & clemens reperitur: & mitior & amicior ipsa amorum Dea.* Et S. Gregorius Nyssenus; *Aspera, & continens, duraque debet exterius esse Sacerdotis vita; intus autem in occulto suave quidpiam, & dulce continere.*

Vita Religiosa. — *Lips. l. 1. Const. c. 12* — *S. Greg. Nyss. l. de vita Moysi.*

128\. D. Antonium longum, Nobilem Venetum, cùm etiamnum Cremensium Gubernator, gratias minimè prolongatas, aut supplicum libellis extortas, sed promptas ac voluntarias passim distribueret, P. Lucretius Borsatus castaneæ fructibus non absimilem dixit, qui ex apertis suis echinis spontè prosiliunt. Unde Emblemati subscripsit; SPONTE PROSILIUNT. Eâdem planè ratione Deus Isaiæ ore insignem suam beneficentiam nemini non exhibet; *Sitientes*, inquit, *venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, & emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.* Sanctus Gregorius Nazianzenus de Deo disserens, ait; *Promptâ, munificâ, atque prolixâ natura est, jucundius dat, quàm alii accipiunt.*

Gratia prompta. — *Isa. 55. 1.* — *S. Greg. Naz. in sanct. Bapt.*

129\. Com-

129. Complures malas proprietates in castaneæ glandibus reperire est: primò quidem digestu sunt duræ ac difficiles, *ægreque coquuntur*, ut loquitur Castor Durantes. Unde castaneam hoc lemmate notabis; DIGERITUR ÆGRE. Castaneis persimiles experimur morbos, paupertatem, injuriam, contumeliam &c. hæ quippe à debiliore stomacho nonnisi difficillimè concoquuntur. Et quidem de injuriâ satis dilucidè id testatur S. Bernardus; *Beneficiorum memoria labilis est, injuriarum verò tenax.* Et Seneca; *Naturâ comparatum est, ut altius injuriæ, quàm merita descendant, & illa citò defluant, has tenax memoria custodiat.*

Infirmitas, paupertas, injuria ægrè idigeruntur.

Bern. ep. 11. Senec. lib. 1. de Benef. c. 1.

130. Castaneæ in humano corpore crudos humores generant, &, eodem Durante teste, *caput offendunt.* Unde castaneæ glandi rursus inscribes; IN CAPUT SÆVIT. Carnalis voluptas, his coloribus apprimè delineata, fœces exhalat humidas, mentis aspergit caliginem, omnisque judicii sensum tollit. Ad rem nostram opportunè S. Clemens Alexandrinus; *Quemadmodum exhalationes, quæ è terra, & ex lacunis, ac voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem, & umbrosam vertiginem; ita etiam carnalium cupiditatum vapores malam animæ inurunt habitudinem, voluptatis spectra animæ repræsentantes, & ante eam effundentes: intelligenti itaque luci tenebras offundunt &c.* Et ut sexcentos alios taceam, exempli loco habeto Samsonem, Davidem, & Salomonem.

Voluptas sensum tollit.

S. Clem. Alex. l. 2. Strom.

131. Castaneæ, quia plurimùm ventosæ, libidinem provocant. Unde Durantes canit;

-------- Venerique vigorem
Præstant.

Quare castaneam hoc epigrammate notabis; NON CASTOS EXCITAT IGNES. Castanea enim, temetsi CASTÆ nomen è fronte præferat, motus tamen minimè castos excitat. Certè fœmina, quantumvis casta, mentem tamen ac oculos, in ipsius speciem defixos, cogitationibus incastis inficit. Eamobrem S. Paulus fæminas, quamlibet litteratas, exemplares, ac religiosas, pro concione dicere penitus prohibuit; *Docere autem mulieri non permitto:* dictionis enim suæ castimoniam persuasuræ, vocum mollitie ad libidinem stimularent. *Sermo quippe earum*, inquit in hunc locum Dionysius Cartusianus, *luxuriam potius incitat sæpe quàm devotionem.* Et verò si dictis fidem abnuas, exemplis haud dubiè credes. Sichem è solo castæ Dinæ aspectu in stuprum concitatus fuit. Holofernes, visâ castâ Judithâ, in fornicationis flammas exarsit. Castæ Susannæ forma duobus senecionibus adulterandi mentem injecit. Andreas, Episcopus Fundanus, quandam probatæ vitæ ac castimoniæ fæminam, S. Gregorio referente, intra palatium suum receperat, *certus de sua ejusque continentia*; at parum abfuit, quin paulò post intra hanc libidinis fornacem in cineres redigeretur. Lege, obsecro, curiosam, ac moribus formandis multùm idoneam hanc historiam, quam idem Ecclesiæ Doctor prolixè recenset. Ut adeò eruditè concludat meus Carducius;

1. Tim. 2. 12.

Dion. Carthus. in hunc locum.

Fæmina ad libidinem invitat.

Greg. l. 3. Dialog. c. 7.

Castanea ut castæ titulo Cyprium excitat ignem;
Sic Veneris peperit casta Susanna faces.

CEDRUS.

Cap. IX.

132. Cedrus, floribus ac fructibus onusta, epigraphen tenet; DELECTAT, ET JUVAT. Evangelicos Oratores hæc imago spectat, qui eloquentiæ suæ suavitate delitias, & doctrinæ energiâ auxilium præstant. Arnolphus Luxoviensis; *Perfectio scientiæ quæritur, ut habeat Prædicator, unde possit de thesauro cordis sui proferre nova & vetera, & eruditum noverit expectantibus explicare sermonem, & secundùm personarum qualitates temperare quod dixerit, ut sciat, quibus debeat lac potum dare non escam, quibus solidiorem cibum debeat ministrare: eloquentia desideratur: ad quid? quia sicut si non habuerit scientiam, non habebit quid dicat, ita nisi habuerit eloquentiam, non habebit quomodò dicat.*

Prædicator.

Arnolph. Lux. serm. in Conc. Turon.

133. Cedrus, suis floribus recreare, & fructibus pascere solita, à P. Gamberto inscriptionem è Virgilio recepit; PASCIT, ET OBLECTAT. Principem, tantundem providum ac liberalem, quantùm gratiosum & benignum, hac imagine depinges. In Tito Imperatore, qui Suetonio referente, *Amor & delitiæ generis humani, & natura benevolentissimus erat, illas prærogativas idem Suetonius mirificè deprædicat. Non modo Principis solicitudinem, sed & parentis affectum unicum præstitit: nunc consolando per edicta, nunc opitulando quatenus superesset facultas &c.*

Princeps benignus.

Sueton. c. 1. & 8.

134. Cedri fructus, ex arbore dependens, ab ingeniosis hortulanis ita artificiosè intra modulum quemdam constringi solet, ut in tenera sua cortice quasvis imagines aut characteres recipiat, impressosque distinctè exhibeat. Unde intra modulum constricto inscripsit P. Carolus Bovius; DONEC FORMETUR. Certè Juvenes sub optimis regulis tamdiu comprimendi sunt, donec virtutis imaginem ac pietatis characterem repræsentent. Hanc operandi methodum in formandis suis Galatis studiosè observans S. Paulus, ait; *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Nam, interprete Sancto Cyrillo Alexandrino, *Paulus quosdam parturiebat, quousque formaretur Christus in eis, id est, quousque magni, ineffabilesque ejus Divinitatis characteres in eorum animos perpulchrè imprimerentur.*

Educatio assidua.

Galat. 4. 19.

S. Cyrill. Alex. l. 7. in Gen.

135. P. Primus Ludovicus Tatti, Clericus Regularis Congregationis Somascenæ, Sacerdos virtute ac doctrinâ ex æquo insignis, ut Emblemate demonstraret, Sanctum Maurum ingentes gratiarum ac beneficentiæ cumulos in suos clientes effundere, Cedrum depinxit; quæ, toto anno gravida, semper aut flores, aut fructus, mirâ fertilitate parturit. Epigraphen subdidit; OMNI TEMPORE. Philo Hebræus hanc operandi formam cumprimis familiarem esse ait; *Deum esse perpetuum, idem est, ac si diceretur largitor perpetuus ac benefaciens, non aliquando tantùm, aliquando verò minimè, sed semper, continuò, ac indesinenter, dona donis jugiter, ac indefessè accumulans, nullum benefaciendi tempus prætermittens.*

Deus benefactor.

Phil. Hebr. lib de Deo.

136. Fracastorius, voce ad Cedrum semper virescentem, opacam & floridam conversâ, canit;

Sic tibi sit semper viridis coma, semper opaca,
Semper flore novo redolens: sic semper honesta
Per viridem pomis sylvam pendentibus aureis.

Fracast. 2. Syphil.

Unde Epigraphen non incongruam subjunges istam; SEMPER FLORE NOVO. Ingeniis fœcun-

Litteratus. fœcundis ii sunt mores, ut litteratorum lycea recentibus identidem intellectûs sui floribus recreent.

Profectus. Ita quoque homo justus novos semper virtutum flores parturire, ac nunquam non proficere studet.

S. Aug. in Epist. 95. Nam, ut sapienter ait Magnus Augustinus; *In hac vita, deficiente cupiditate, & charitate crescente proficimus: in alta vita, cupiditate extinctâ, & charitate completâ, perfecti sumus.*

137. Horatium Spinolam Cardinalem, virginitate prorsus intemeratâ conspicuum, inter cæteram funebrem pompam Cedri Emblemate honorârunt, quæ congenitâ suâ proprietate nullam unquam cariem aut putredinem patitur. Lemma addidêre; A PUTREDINE TUTA. Plinius de hac Cedri proprietate ita testatur; *Materiæ ipsi æternitas. Itaque & simulachra Deorum ex ea factitarunt.* Tametsi verò corpus nostrum nullis antidotis adversus corruptionem præservari queat; animam tamen ab omni vitioso affectu intemeratam custodire possumus. *Mulier innupta & virgo*, inquit S. Paulus, *Cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* In hunc locum Petrus Abailardus ait; *Corpore toto, non uno membro, ut ad nullam scilicet lasciviam in factis vel in dictis ejus aliquod membrorum declinet. Spiritu verò tunc sancta est, quando ejus mentem nec consensus inquinat, nec superbia inflat.*

Plin l. 13. c. 5.

Animæ integritas.

1. Cor. 7. 34.

Pet. Abail. Epist. 8.

Maria V. fœcunda.

138. Maria virginitatis flori pulcherimum maternitatis fructum, miro conjugio, copulatum habuit. D. Aresius, hoc V. Matris prodigium emblemate significaturus, Cedrum expressit, copioso flore ac fructu onustam, simulque hoc lemmate è Canticis insignem; NOVA ET VETERA SERVAVI TIBI. Sanctus Petrus Damianus; *Immensum concepit, æternum genuit: genitum ante sæcula parturivit, qui sibi & munus fœcunditatis attulit conceptus, & decus virginitatis non abstulit natus.* Et Sanctus Petrus Chrysologus; *Deum mulier virgineo portabat in templo: hinc est, quod & acquisivit honorem Matris, & virginitatis gloriam non amisit.*

Cant. 7. 13.

S. Pet. Dam. ser 3 de Nat. B Virg.

S. Pet. Chrys. ser 59.

139. D. Archangelus Conter Cedri ramusculum Emblematis loco figuravit, qui copiosos flores, & totidem ex illorum umbilicis protuberantes fructus parturiit; cum epigrammate; NEL FIORE IL FRUTTO. Id est, FRUCTUM IN FLORE. Ad hanc ideam Prædicatores conformatos vellem; quippe qui ex æquo floridos & fructuosos se exhibere tenentur. Maria Virgo, ad hanc amussim exactè composita, purissimæ Virginitatis flori Divinum uteri sui fructum conjunxit. *Quæ & genitricis dignitatem obtinuit, & virginalem pudicitiam non amisit, uti luculento testimonio canit S. Ecclesia.* In rem præsentem ait B. Amedeus; *Dei Verbum adiit Virgineum habitaculum, & inde prodiit clauso Virginis utero, quippe qui facilè posset extra Virginem corpus creare de nihilo, facilè potuit corpus acceptum de Virgine, extra, sine carnis scissione trajicere.*

Prædicator.

Maria V. fœcunda.

Prov. Rom. in Concept. B. V.

B. Amed. Hom 3. de Maria V.

140. Mira adeò est Cedri fœcunditas, ut illius fructus stupendâ fertilitate, assiduò sibi succedant: nam illorum uno ad perfectam maturitatem redacto, alter florem protrudere ac gemmare incipit. De arbore hâc Theophrastus testatur; *Fert semper poma aliis decidentibus, aliis subnascentibus, aliis maturescentibus.* Et Dioscorides; *Arbor ipsa, omnibus anni temporibus pomifera, sibi invicem succedente fructu.* Quare Marcus Antonius Bonciarius Juvenum Collegium, cujus ipse Rectorem agebat, Cedri Emblemate significavit, quæ, floribus ac fructibus gravida, epigraphen tulit, è Tasso desumptam; MENTRE CHE SPUNTA L' UN, L' ALTRO MATURA. Id est; UNO FLORENTE, MATURESCIT ALTER. Innuebat nimirum, fore, ut Juvenes, ætate etiamnum immaturi, ac intellectu rudes, paulò post ad plenam judicii ac doctrinæ perfectionem maturescant. Idipsum etiam de quibusvis aliis rebus temporalibus dixeris, ubi unius senectam ac interitum è vestigio alterius excipit generatio ac juventa. Teste Magno Augustino, *Omnia temporalia deficiunt, ut possint præteritis futura succedere.* In familia quoque avis & parentibus succedunt nepotes, ac cætera filiorum series, assiduâ fœcunditate. Unde in hanc rem cecini;

Successio

S. Aug. l. 3. de lib. Arch. c. 15.

Sembra d' un nobil Cedro illustre pianta
Questa d' incliti Eroi Stirpe feconda,
Che di stupendi parti ogn' hora abbonda;
Sempre di novi frutti ella si vanta,
E con lieta avventura,
Mentre che spunta l' un l' altro matura.

Cæterùm quod Bonciarius de discipulorum suorum fœcundâ successione, id etiam Guidobaldus Bonarellus de lascivo amore, intra humanum pectus sensim excrescere solito, pronuntiat: Idque è columbarum proprietate demonstrans, in hæc verba canit;

Amor successivus.

Bonar. nel sua Filli di Sciro Atto 2. Scena 1.

Nel cor de l' huom vedrai
Pullular gli Amoretti
A guisa de colombi.
Ove mentre che l' uno
Hà l' ale grandi, e vola
Spunta a l' altero la piuma.
L' un tronfo, e pettoruto
Và toneggiando, e routa,
L' altro co' l petto in terra
Vien pigolando, e scrpe.
Nasce l' uno da' l vova,
Mentre l' altro si cova.

141. Alcibiades Lucarinus Cedrum, frugibus gravidam, hoc lemmate donavit; EPESO GRAVE E' IL FRUTTO. Id est; NON SINE PONDERE FRUCTUS. Patresfamilias hoc lemma cumprimis spectat, qui plerumque à suis filiis, utpote ventris sui fructibus, plus oneris quàm voluptatis referunt. Probè id expertus Jacob Patriarcha, Rubenum, primogenitum suum, his omninò verbis alloquebatur, *Tu principium doloris mei*; vel ut Septuaginta vertunt, *Principium filiorum meorum*; quasi diceret, Principium filiorum haud quidquam à principio laborum ac miseriarum discerni posse. Scitè Tertullianus; *Liberorum amarissima voluptas.* Et Terentius;

Filii onus sunt patr.

Tertull. l. ad Uxor. Nupt. c. 4.

Terent. Adelph. Act. sc. 4.

Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi! nati filii,
Alia cura: porrò autem dum studeo illis, ut quamplurimum
Facerem, contrivi in quærendo vitam, atque ætatem meam.

142. Cedrus, fructibus onusta, epigraphen tenet; NUNQUAM SPOLIATA. Anima, Deo amica, hoc typo significatur, quæ sacris operationibus nunquam non fœcunda, internos virtutum habitus, & inculpatos mores nunquam exuit. Increata ac Incarnata Dei sapientia, referente D. Lucâ, non illas laudavit animas, quæ Divinam vocem, olim perceptam, custodierunt, eique virtutum suarum operationibus responderunt; sed illas tantùm encomiis suis dignata est, quarum aures ad gratiæ Divinæ præceptiones audiendas assiduò patent. Unde etiam ob indefessos illos virtutum fructus cum para-

Perseverantia.

Luc. 11. 28.

paradysi arboribus, nunquam infæcundis, comparantur; *Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*; ubi, interprete Cajetano Cardinali, *Non dicit audierunt & custodierunt, sed qui audiunt, & custodiunt: ut intelligamus, solos perseverantes audiendo & custodiendo esse beatos.*

Card. Cajet. in hunc loc.

143. Cedrus, ob nimiam frugum copiam dirupta, inscriptionem à Lucarino accepit; SUO SCISSA PONDERE. His consonant illa Tassi verba;

Ess. Gerus. Conq. l. 23. 103.

Tu DAL GRAN PESO TUO tirato al Piano,
CADESTI. Argante: e non potesti aitarre.

Ovidius de homine, qui alterius gratiâ excidit, ait & canit;

Ovid. l. 2. Pont. Eleg. 7.

Artibus ingenuis quæsita est gloria multis:
Infelix PERII DOTIBUS IPSE MEIS.

Labor nimius.

Ita non rarò videmus, homines nimiis suis laboribus ac negotiis succumbere, tandemque frangi. Unde providè monet Magnus Augustinus; *Nostra actio non frangatur negotio, nec frigida sit otio.* Idem Emblema etiam hominem, proprii infortunii authorem, designat. Exinde etiam conjicitur, quantùm detrimenti è fœcunditate parentibus accidat. Omnium tamen optimè fæmina, è partu mortua, symbolo illo significatur.

S. Aug. ep. 81.

Mulier è partu mortua.

144. Pruni surculus, supra Cedrum inoculatus, ab Henrico Farnesio epigraphen retulit; ADERUNT NON SPERATA. Sicuti enim prunus, insitionis virtute, fructus suos tam hyeme quàm æstate proferet; ita homo, artis ac industriæ beneficio, ordinarias naturæ vires longè superare ac transcendere potest. Porrò Deus per gratiam suam ita liberæ hominum voluntati adesse, eamque modo ita miro disponere potest, ut assiduò virtutum ac bonorum operum sit fœcunda. Nam *Dei providentiam administrat universam creaturam, & naturas, & voluntates: naturas ut sint; voluntates autem ut nec infructuosæ bonæ, nec impunitæ malæ sint*, inquit Magnus Augustinus.

Industria.

Gratia Dei.

S. Aug Lib. 8. Gen ad litt. cap. 23.

145. Cedri arbusculus, è dirupto testaceo vase extracta, epigraphen tenet; AUGUSTIUS UT STET. Funebrem magnatis cujusdam apparatum nonnemo hâc icone exornavit; veluti diceret, ipsius animam è facto corporis terreni vase ad stationem longè nobiliorem à Deo translatam esse. Ab hoc argumento non multum alienus S. Gregorius Nyssenus, *Morte*, inquit, *vas ad tempus dissolvitur, ut, ubi vitiositas effluxerit, reformetur genus humanum, atque integrum, ac purum à permixtione vitiositatis in pristinum vitæ statum restituatur.*

Mors utilis.

S. Greg Nyss. Orat. in fun. Pulcheriæ.

146. Excelsa Cedrus, sublimi collocata monte, epigraphen tenet; ET IPSA PERIBIT. Excelsas Cedros nonnunquam putes homines quosdam ingenti fastu ac supercilio supra vulgus elatos: at num æternum stabit hæc gloria? Oculatum testem audi Psaltem Regium; *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut Cedros Libani. Et transivi; & ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* In hunc locum S. Ambrosius; *Vides*, inquit, *Cedrum in monte altissimo superexaltatum, sed vento frangitur, sed igne exuritur, sed vetustate dissolvitur. Ita est dives in sæculo, fulget quidem splendore quodam gloriæ sæcularis, ut Libanus nixus est mundi potentiâ, opibus & divitiis exultat; videtur tibi aliquid esse, antequam dicas, transiens videbo.* Concinnè sacer quidam Poëta cecinit;

Vanitas terrena.

Psal. 36. 37.

S. Ambros. Enarr. in hunc. Psal.

Vidi ego, qui lætis rerum successibus utens,
Tollebat tumidum stultus ad astra caput.
Immemor ille Dei prorsus, rebusque secundis
Ebrius, æthereas despiciebat opes.
O leves hominum mentes, ô pectora cæca!
Quàm nihil est magni, quidquid hic orbis habet!
Vix ergo transieram, cùm protinus ora retorquens,
Cum fastu hunc vidi jam periisse suo.

147. Cedrus, in excelso monte, epigraphen à P. Jacobo Masenio accepit; IN SUMMO SUMMA. Mariam Virginem, in cœlis supremo post Deum loco conspicuam, hæc imago repræsentat; ut adeò è multiplici capite à D. Bonaventurâ cognominetur *Cedrus exaltata in Libano, & Cypressus in monte Sion.* De hac Deiparæ celsitudine ait S. Bernardus; *Fœcunditas Virginis supereminens gloria est tantoque excellentior Angelis facta munere singulari, quanto differentius præ ministris nomen Matris accepit.* Mentem Emblematis hoc disticho explicat Author,

Maria V. summa.

S. Bonav. in Ps. Miserere ex Eccl. 24. S. Bern ser. 2. de Deip.

Summa petit Cedrus; superat virtute Maria:
Illa subit nubes, grandior illa polos.

CERRUS.

Cap. X.

148. Hominem ferocem, nullisque sive ingenii, sive mechanicæ artibus, sed solis armis tractandis idoneum, D. Jacobus Certanus Abbas Cerro non absimilem dicit, quæ frugibus omnibus sterilissima, solam lanceis ac hastis conficiendis materiem præbet. Unde lemma è Claudiano inditum; ROBUR IN ARMIS. Turcarum Imperium, solis armis versandis exercitandisque deditum, omnes politiores litteras exulare jubet: arma quippe princeps civitatis aut Reipublicæ tuendæ præsidium habentur. Rex Theodoricus, Cassiodore referente, dicere est solitus; *Propositi nostri est, ut provincias, nobis Deo auxiliante subjectas, sicut ARMIS DEFENDIMUS, ita legibus ordinemus.* Nimirum Rex sapientissimus certam illam ac infallibilem Aristotelis regulam pectori incisam habebat, *Eos, qui Domini sunt armorum, esse Dominos status Reipublicæ.*

Claud. de laud. til. Miles.

Cassiod. Var. l. 4 ep. 11.

Arist. l. 7. pol. c. 9. apud. Pet Greg. de Rep. l. 22. c. 11. n. 1.

SYDONEUS.

Cap. XI.

149. Franciscus Sforzia, postea Mediolanensium Dux, symboli loco aliquot poma cydonia habuit; cum lemmate, FRAGRANTIA DURANT. Innuebat videlicet, generosa Heroum facta pretiosum famæ suæ odorem longo ac penè æterno tempore illibatum conservare. Eâdem planè metaphorâ Spiritus sanctus Josiæ Regis virtutes ac merita celebravit; *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta*; Quæ verba, ex mente P. Cornelii à Lapide, cuivis sancto accommodari possunt, quippe cujus opera instar thymiamatis, pretiosam fragrantiam, nullâ ætate intermorituram, diffundunt. *Iosias*, inquit, *est quivis vir sanctus, & zelator honoris Divini, qui acervum virtutum, quasi thymiama, sibi miscet & componit, cujus proinde memoria & gloria longè lateque spargitur & perennat.* Unde etiam ait S. Augustinus; *Odor bonus bona fama est.* Alius eidem Emblemati versum hunc integrum subjunxit; HERCULEA COLLECTA MANU FRAGRANTIA DURANT. Enimverò Heroum facta, generosa fortique manu patrata, nullo ævo oblitterabuntur.

Virtus immortalis.

Eccles. 49. 1. Corn. à Lap. in hunc loc.

S. Aug. l. 3. de Doct. Christ. cap. 12.

150. Academici Absconditi de Cologna symboli universalis loco tria Cydonei poma præferunt; cum lemma-

Virtus abscondita.

Virtus abscondita. Solitudo. S. Jo. Bapt. lemmate, INCLUSA POTENTIUS HALANT. Ita virtus modesto silentio retenta, nulloque inanis gloriæ vento afflata, odorem longè suavissimum spirat. Certè S. Joannes intra eremum delitescens, populum in summam sanctimoniæ suæ admirationem rapuit. De hoc S. Nilus; *Ioannes quidem Baptista in solitudine versabatur; & civitates ipsæ cum hominibus ad eum confluebant: & qui sericis vestibus induebantur, ad zonæ pellicæ spectaculum concurrebant.* Et paulò inferius, *Fugiamus civitatum & vicorum celebritates, ut, qui in civitatibus & vicis habitant, ad nos concurrant: amemus solitudines, ut qui nos in præsentia fugiunt, ad nos pelliceamus.* Haud aliter S. Antiochus; *Quemadmodum Virgo interim, dum custoditur; multis, qui externi sunt, in desiderio est; Ita Monachus, tantisper extorris, dum vivit à civitate & puplico alienus, magno in honore habetur apud Deum & Angelos; quin & hominum ore celebratur.*

S. Nilus in Ascetico. S. Antioch. hom. 102.

CYPRESSVS.

Cap. XII.

S. Ambr. in Psal 118. Oct. 4.

151. S. Ambrosius de Cypresso ait; *Genus hoc arboris nunquam amittit viriditatem suam; hyeme juxta, verè, atque æstate comam pascit, nec diverso colore mutatur; solam hanc arborem ventus nunquam suo honore dispoliat.* Adeòque ventorum injuriis nunquam spoliata, virorem suum quâvis anni parte illibatum conservat. Unde illam hoc Ovidii lemmate pro meritis insignies; SEMPER HONOS, NOMENQUE TUUM.

Ovidius.

Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Perseverantia. S. Ambr ibid.

Præclarum hoc perseverantiæ symbolum habetur, quæ virtutum ac meritorum virorem assiduum conservat; Uti idem Ambrosius mox subjungit in hæc verba; *Sic Apostolica quoque gratia nescit defectum, sed venustate sic floret. Anima ergò corrumpi nescit, quæ florentibus meritis vigens, semper justitiæ, cæterarumque virtutum culmina patienti magnanimitate sustentat.*

Virtus æterna.

152. Cypressum, ad Cardinalis Theodori Trivultii exequias publico loco suffixam, D. Haymo Corius hoc lemmate insignivit; ÆRE PERENNIOR. Dicere volebat, sicuti Cypressus, nullis teredinum injuriis subjecta, æternum conservatur, ita Principis illius memoriam nullo esse intermoriturам ævo. Nam Philosopho teste, *Heroum gloria immortalis*; Huic assentiens Pindarus, ait; *Non oblitterari prolixum laborem virorum*, Et Joannes Audenus.

Pindar. Isthm 5. Io Audenus Monost. moral.

Omnia cum pereant, est virtus sola perennis:
Hæc immortales reddere sola potest.

Nobilitas vetus.

153. Siquidem verum est, genuinæ nobilitatis radicem è familiæ vetustate desumi, P. Dominicus Gambertus annosam Cypressum non abs re hoc lemmate notavit; SÆCULA PROSUNT. Sicuti enim iste tantundem majestate & altitudine, quantùm annis excrescit; ita familia tantò majus nobilitatis suæ incrementum sortitur, quò plura sæcula ab exordio suo numerat. Unde ipse etiam Deus, naturâ suâ nobilissimus, *Antiqus dierum* cognominatur. Porrò etiam homini justo sæcula prosunt; quò enim plures vivit annos, eò magis in virtutibus proficit, Deoque evadit similior; Nam teste Magno Augustino, *Tantò efficimur similiores Deo, quanto magis in ejus cognitione & charitate proficimus.*

Dan. 7. 9. Profectus. Senex justus. S. Aug. ep. 6.

Hypocrita

154. Cypressus, visu quidem admodum venusta, at tota sterilis ac infæcunda existit. Unde nonnemo inscripsit; PULCHRA COMA, NIHIL ALIUD. Hypocrytam, exteriore vultu quidem plurimum elegantem, at virtutum frugibus sterilem, ac penitùs infœcundum, hoc simulachro significabis. Alciatus;

Alciatus Embl. 199.

Pulchra coma est, pulchro digestaque ordine frondes,
Sed fructus nullos hæc coma pulchra gerit.

Plutarch. Apoph.

Phocion, Plutarcho referente, cùm Leosthenes Orator summâ facundiâ, summisque promissis Athenienses ad bellum capessendum invitaret, respondit, *Ejus orationem cupresis esse similem, quæ cùm pulchræ sint & proceræ, nullum tamen fructum ferunt.*

Religiosi pœnitens

155. Cypressus, medio trunco dirupta, epigraphen tenet; NON REVIRESCET. Religiosi ac pœnitentes hanc ideam cautelæ loco habeant, ne mundi ac sensuum affectiones, è corde suo semel rescissas, denuò in herbam excrescere ac luxuriare sinant. Honorius; *Sicut cypressus recisa non revirescit, ita ipsi* (Religiosi) *nunquam sæcularia repetunt.* Porrò virginitas semel deperdita, nunquam amplius revirescere, ac pristinæ integritati restitui potest.

Honor. in c. Cantic. Virginita

Virginita perdita.

156. Falx, Cypressi ramos resecans, epigraphen à me recepit; NEC DAMNA REPARAT USQUAM. Vel, IRREPARABILI DAMNO. Talis omninò est virginitas semel temerata; de qua propriissimè dixisse fertur Aristoteles, *A privatione ad habitum non datur regressus.* Cui assentiens Ovidius, canit;

Ovid. ep.

--- Nullâ reparabilis arte
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Senec. in gam. Act. Horat. lib. carm. Ode.

Et Seneca;

Redire, cùm perit, nescit pudor.

Horatius illud ipsum damnum etiam è morte nobis advenire ait;

Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ:
Nos, ubi decidimus,
Quò pius Æneas, quò Tullius dives, & Ancus?
Pulvis & umbra sumus.

Iob. 14. 7.

157. Coliculus è vite, aut ramus è pomo, pyro, salice, aliisve arboribus præcisus, si supra alterius arboris truncum inoculetur, aut in terram depangatur, rursus germinare, suæque pristinæ vitæ restitui incipit. Luculentè Jobus; *Lignum habet spem; si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant.* At ramus, è Cypresso præcidaneus, nullam vitæ recuperandæ spem habet; atque adeò irreparabili damno extinctus, inscriptionem sustinet; RECISUS PEREO. D. Archangelus Conter hoc Emblemate demonstrat, animam, è gratiâ & amicitiâ Divinâ rescissam, mortis evadere mancipium. Nam, teste S. Gregorio, *Umbra mortis est, quâ caro separatur ab anima; & vera mors est, quâ anima separatur à Deo.* Eâdem planè ratione homo, proprio suo arbitrio temerè è S. Ecclesiæ gremio recedens, certissimam sibi perniciem struit. S. Cyprianus; *Quisquis ille est, & qualiscunq; est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. Iactet se, & Philosophiam, vel eloquentiam suam superbis vocibus prædicet, qui nec fraternam charitatem, nec Ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam quod prius fuerat amisit.*

Peccator Hæretici S Cypr. con Novatian.

158. Cypressus nec vetustatem sentit, nec cariem; neque etiam foliorum viriditate orbatur, sive æstatis infestet ardor, seu duræ inclementia hyemis. Unde olim gentes Diti hanc arborem fecêre sacram, & defunctorum æternitatem adumbraturi, eam propè sepulchra statuerunt. Quare complures Cypressos, ad ambulacri marginem in horto amœnissimo ordine collocatas, hoc lemmate insignivit Serenissimus Philotheus; DURABUNT. Ita animus noster, Divinâ cognitione imbutus, adversus omnes casus felicissimè se

sime se corroborat; neque enim dolore aut atrocibus periculis concidit, nec rebus adversis consenescit, nec prosperis diffluit, sed pulcherrimâ constantiâ & fortitudine præditus, æternum durabit. Hanc animi rationem summis votis exoptavit Magnus Augustinus; ipsummet Deo supplicem ac suspirantem audi; *Fac me huic mundo funditus extingui, ut præ magnitudine amoris tui, nec blandis corrumpar, nec adversis concutiar.* Emblematis mentem hoc epigrammate explicat eruditissimus D. Paulus Hachenberg;

Sicut odoratæ stantes per sæcla cupressi,
Nulla senectutis signa labantis habent.
Sic mentes etiam, queis sunt cœlestia curæ,
Perpetuum servant, & sine fine decus.
Omnia tempus edax consumit, & omnia perdit,
Quidquid habent homines, quidquid & orbis habet.
Durabit mens sola Deo sacrata, nec unquam
Temporis invidiam, nec mala fata timet.

Aug. lib. edit. c. 35.

159. Thomas Morus, pro conservandâ Pontificis Romani authoritate securi percussus, miram ac æternam heroicæ virtutis suæ fragantiam sparsit. Unde in ipsius honorem Cypressum statuêre, quæ securi truncata, epigraphen tulit; SUAVIUS OLET. Cujusvis Martyris hæc idea est propria, qui vitæ suæ jacturam passus, universum orbem mirâ suavitate perfundit. Imò & mortificationis falce circumcisus, odorem Deo suavissimum litabit. S.P. Augustinus; *Duplex à nobis sacrificium quærit Deus. Unum, ut simus casto corpore; aliud, ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriore altari, id est, in corpore nostro, offerantur opera bona, in corde odorem suavitatis redoleat cogitatio sancta.* De Thoma Moro in rem præsentem eruditè canit sapientissimus D. Picinellus in Elogiis extemporalibus.

Martyr. Mortificatio. Aug. serm. 55 de temp.

FICUS Caprificus. Ficus Indica. Ficus Ægyptia, seu Sycomorus.

Cap. XIII.

160. Ficus, florum vice, fructus producit; Sancto Ambrosio teste, *Hæc sola ab initio germinat poma pro floribus.* Unde lemmatis loco illam Siracidis sententiam pronuntiat; FLORES MEI FRUCTUS. Maria Virgo, fico longè felicior, illibato virginitatis flori, fœcundæ maternitatis fructum conjunctum habuit. Alius eidem fico inscripsit; POMA PRO FLORIBUS. Hominem, factis potius quàm verbis insignem; vel Prædicatorem, vitæ Apostolicæ magis, quàm Academicæ studiosum, hoc Emblema repræsentat. S. Hieronymi documentum est; *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lachrymæ auditorum laudes tuæ sint. Verba solvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est.*

Ambr l. 7. Luc. c. 13. Eccl. 24. 23. Maria V. fœcunda. Prædicator fructuosus. Hier. ep 2. ad Nepot.

161. D. Aresius S. Sylvestrum Papam, cujus ævo Ecclesia Romana exoptatam è diuturnâ persecutione tranquillitatem ceperat, fici germinantis Emblemate exornavit; addito epigrammate; PROPE EST ÆSTAS. Mentem suam ita explicat Aresius;

S. Sylvester

De la bella stagion certo forieto
Frà l'altre piante si dimonstra il fico. &c.
E sù lla Chiesa di vicina pace
Di Silvestro il fiorir segno verace.

Veluti diceret, S. Sylvestrum pacis, in Ecclesiâ futuræ, certum fuisse prodromum; sicuti ficus gravida indubitatum temporis amœnissimi prognosticon habetur. Cæterum etiam hominem eleemosynis erogandis deditum, hâc icone repræsentabis, ut qui cœlestis gloriæ æstatem ibi demum experietur sibi proximam, quando ad aliorum indigentiam sublevandam copiosos fructus produxerit. Vadem se præbens S. Nilus Abbas, ait; *Si vis manuum tuarum labores Divinos, & non terrenos fieri; quædam ex iis communicabis cum egentibus.*

Eleemosynarius. S. Nil. Abb. Paræn. 82.

162. Ficus, nativum hominis proficientis symbolum, fructus tantò cumulatiores profert, quò magis senescit. Unde lemma; SENECTUTE FÆCUNDIOR. S. Gregorius Nazianzenus;

S. Greg. Naz. sent. l. 1. Profectus.

Operanda cuique semper est salus sua,
Sed id requirit terminus vitæ magis.

Et S. Paschasius; *Perfectior, & pretiosior semper esse debet finis vitæ, quàm principium.* S. Ambrosius ad rem nostram accommodatè docet, animam in ætate grandæva maximam fructuum virtuosorum copiam sortiri. *Senectus ipsa*, inquit, *in bonis moribus dulcior, in consiliis validior, ad constantiam subeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior.*

S. Pasch in Ps. 44. S. Ambr. l. 1. Hexam. c 8.

163. Meâ quidem sententiâ, ficus ingrati animi idea est; quippe quæ tantò evadit deterior, quò magis irrigatur. Quare epigraphen addidi; IRRIGATIONE DETERIOR. Theophrasto teste, *Dum rigatur, deteriorem fructum facit.* Franciscus Mendoza, illa Jobi verba interpretatus; *Ipsi fuerunt rebelles lumini*, ait, *Quia quò major Divinæ beneficentiæ splendor illos illustrabat, eò ipsi in majores se flagitiorum tenebras compingebant.* Et S. Ambrosius; *Magna illecebra delinquendi est rerum affluentia secundarum: supinat, extollit, oblivionem auctoris infundit.* Propria tamen hæc Judæ Iscariotis imago est, qui post pedum ablutionem in tanti obsequii & charitatis vicem adversus optimum Magistrum suum indies evasit deterior, ipsumque, ingratitudine horrendâ, tandem prodit. Eamobrem Carolus Rancatus impii ac sacrilegi hujus proditoris symbolo ficum incidi fecit, cum lemmate; RIGET, DUM RIGATUR. Nam Judas, pedibus à Dei filio benignissimè ablutus, magis indies rigere, & in nequissimo proposito obfirmari cœpit. De hoc S. Bernardus; *Tam diram & duram perversi propositi obstinationem incurrit, ut nec familiaritate contubernii, nec humilitate obsequii, nec suavitate colloquii à concepta malitia potuerit revocari.*

Ingratus. Theophrast. l. 2. c. 8. Iob. 24. 13. S. Ambr. l. 1. interpell. in Iob. c. 5. Judas. S. Bern. tom. 2. serm. 55 art. 8.

164. Fici fructus, aspectu informis & rugosus, à D. Archangelo Conter inscriptionem cepit. DULCOREM, NON SPECIEM. Ita frequenter virtus ab interiore animo, non verò ab exteriore vultu metienda est. Unde Euripides canit;

Virtus in corpore deformi.

Animus spectandus est: nihil pulchritudo
Iuvat, cùm quis mentem non bonam habet.

Et rursus.

Deformis sim potius, quàm pulcher, & malus.

Certè Æsopus, Socrates, & Diogenes, aspectu deformes & monstruosi, nobilissimas ac virtuosissimas mentes continebant. His accensendus Aristoteles, corpore nanus, gibbosus, balbutiens, & deformis, ingenio sapientissimo, & ad miraculum perspicaci instructus fuit. Porrò calamitates hujus mundi, quantumvis exteriore formâ asperæ, si penitiùs inspiciantur, ingentem dulcedinem in se continent; Apertè id propriâ experientiâ edoctus testatur Magnus Augustinus; *Nihil dulcius, quàm inter amaritudines hujus vitæ, Divinæ dulcedini inhiare.*

Calamitas dulcis. S. Aug. lib Medit. c. 37

165. Exuviæ, quibus fici fructus cooperitur, nullam quidem auri flavedinem, nec purpuræ vivacitatem, ut cerasa, poma, pyra, aliæque fruges, ostentat; at-

tat; attamen sub obscura, nigra, & informi sua cortice dulcedinem adeò miram abscondit, ut pretiosissimi mellis suavitatem æmuletur, cæterisque fructibus omnibus palmam præripiat. Proinde epigraphen, è Bartholomæo Rogati desumptam, addidi; SUB CORTICE MELLA.

Barth. Rog. l.3.Eleg. 19.

Et mihi SUB tenero CORTICE mella latent.

Religiosa vita. Vita Religiosa, fico simillima, sub exteriore squalore miram, vereque melleam consolationum dulcedinem reconditam habet. *Multi*, inquit Mellifluus Bernardus, *vident nostras cruces, qui non vident nostras unctiones.* Rei hujus prototypon in S. Joanne Baptistâ cernere licet, qui hirsutis Cameli exuviis vestitus, prærruptas, saxeasve montium cavernas habitabat; insuper insipidis duntaxat aquis sitim reprimens, nonnisi locustas ac mel sylvestre fami sedandæ adhibebat; Et tamen, quod mireris, inter tantos corporis rigores interiorem animæ suæ vitam suavissimo ac melleo dulcore indies condire noverat.

S. Bernard. S. Jo. Bap.

166. Grossus, è fico prorumpens ac crescens, viridi colore spectandus est; at maturitatem consecutus, nigredinem induit. Unde ficorum acervo inscribes; MATURATI NIGRESCUNT. Ita Dei Filius, quem Cornelius à Lapide ob plurimas analogias fico similem dicit, nigredine ac deplorando livore totus perfusus, è Crucis trunco pependit, ac intra sepulchri angustias recubuit. Opportunè Richardus à S. Laurentio hanc Christi effigiem suggerens, *Ficus*, inquit, portat fructus dulcissimos, *qui MATURATI NIGRESCUNT, & signat Christum, qui in fine vitæ suæ temporalis niger & discolor jacuit in sepulchro.*

Corn. à Lap. in cant. 2. 13. Christus patiens. *Rich. à S. Laur. l. 12. de laud. B. M.*

167. Physicis observatum est, lac vaccinum, cum lacteo & unguinoso fici humore permixtum, condensari. Unde lemma; LAC SUO LACTE CONDENSAT. Quivis Justus hanc proprietatem sibi familiarem habeat, ut copioso innocentiæ & charitatis candore, veluti coagulo imbutus, proximos suos unire, eorumque animos conciliare studeat. Eruditè ad rem nostram Petrus Bercorius; *Vir perfectus*, inquit, *debet esse lacteus, per castitatem, unctuosus per pietatem, coagulans per charitatem. Charitas enim coagulat & conjungit. &c.* Porrò Servatoris nostri sanguis, D. Gregorio Nazianzeno teste, discordibus fidelium animis conciliandis plurimum inservit. *Exiguæ cruoris guttæ orbem universum instaurarunt, atque idem, quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt, in unum nos conjungentes, & constringentes.*

Charitas unit proximos. *Pet. Berc. Reduct. Mor. lib 12. c. 55. S. Greg. Naz. Orat. 42.* Sanguis Christi.

168. Habet equidem lacteus fici humor præsentissimam vaccini lactis condensandi, coagulandique virtutem, ut superiore numero dictum; at si eidem lacti jam coagulato affundatur, illud iterum dissolvit, ac penitus extenuat. Unde, hâc Castoris Durantis experientiâ nixus, epigraphen subdidi; LAC DENSUM LACTE RESOLVIT. Gratia Divina, instar dulcissimi lactis, obstinata ac densissimè coagmentata peccatorum corda, de quibus Psaltes canit, *Coagulatum est sicut lac cor eorum*, in contritionis lachrymas dissolvit. Nam ut Theologorum Primas, Magnus Augustinus, docet; *Gratia, quæ occultè humanis cordibus Divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.*

Cast. Durant in Herbar. Gratia Dei. *Ps. 118. 70.* *S. Aug. de Prædest. SS. c. 8.*

CAPRIFICUS.

169. Caprificus, propè murum crescere solita, hunc, quantumvis firmus sit, effringit, ac diruit. Unde lemma; INGENTIA MARMORA FINDIT. Porrò, Castore Durante teste, ejusdem arboris rami virtutem adeò acutam ac penetrabilem exhalant, ut frustum carnis, ex se suspensum, mox consumant. Addit Hugo Benzius, bubulam carnem, bullientibus caprifici ramis conjunctam, penè momento lixari. Unde epigraphen subjunges; ET DURISSIMA MOLLIT. Libido caprificum exactè imitata, generosissimos ac firmissimos hominum animos superare novit. Ad hoc propositum benè ex Antiquis nonnemo cecinit.

Castor. Dur. in Herbario. *Hug. Benz. in Regulis sanitatis c. 3.*

MULIER BLANDA & bella, etiam SILICEUM EMOLLIT ANIMUM,
Corporis robur, viresque animi libido effæminat.

Libido. Complures, teste S. Cypriano, adversus Tyrannorum crudelitatem, carcerum squalorem, carnificum ferociam, omnesque mortis incursantis minas collato pede steterunt, eamque immanitatem omnem invicto pectore superârunt; at postea à vili muliercula tentati, sua corda, veluti adamantes à vitro fracto fractus, rumpi ac debellari permiserunt. *Quanti*, inquit, *& quales post confessionum, victoriarumque calcata certamina; post magnalia, & signa, vel mirabilia usquequaq; monstrata noscuntur cum his omnibus naufragasse? Quantos leones domuit una muliebris infirmitas delicata, quæ cùm sit vilis & misera, de magnis efficit prædam.* S. Hieronymus, Nepotiani sui castimoniæ ac puritati consulturus, eum à mulierum consuetudine alienissimum esse voluit; unde argumenti rationem è Davide sanctissimo, Samsone fortissimo, & Salomone sapientissimo; viris utique inter homines supremis ac celeberrimis, sed tamen à libidine superatis, desumpsit. *Hospitiolum tuum*, inquit, *aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior &c.*

S. Cypr. l. sing. Cler. *S. Hieron. ep. 2.*

170. S. Isidorus, Archiepiscopus Hispalensis, insigne Canonicorum Regularium decus, testatur, *Ferocissimos tauros, ad fici arborem colligatos, mansuescere.* Huic conformis Pierius Valerianus, ait, *Caprifico ea vis est, ut lascivientium taurorum, & quantumvis ferocientium naturam usque adeò compescat eorum collo circumdata, ut immobiles propemodum eos reddat.* Unde Caprificam, ferocienti tauro colligatam, hoc lemmate afficies; MANSUESCERE COGIT. Christus in SS. Eucharistia, instar fœcundæ ac dulcissimæ arboris, lacteas stillulas adeò suaves eliquat, ut feroces ac indomitos quosvis hominum animos reprimere, & ad saniora revocare valeat. Nam, doctore D. Thomâ, *Corpore Christi fit homo mansuetior, sed correptione patientior. &c.* Saul, instar ferocientis tauri, adversus innocuum Davidem concitatus, nil nisi sanguineas strages meditabatur, at suavibus Jonathæ verbis, ceu caprifico ligatus, totus detumescere, mentemque placidissimam induere cœpit. *Saul placatus voce Ionathæ, juravit; Vivit Dominus, quia non occidetur.* Tantùm nimirùm in humano pectore, quantumvis effreni ac irato, unicum bonum consilium potest.

S. Isid. l. 2. Ethym. c. *Pier. Val. l.* Eucharistia mansuefacit. *S. Tho. Opu. 59. c. 5.* Consilium bonum placat iratos. *1. Reg. 19.*

FICUS INDICA.

171. Unicum hujus arboris folium, ab hortulanis decerptum, & mediâ sui parte in terram plantatum, paulò post non solùm radices agit, sed etiam alia folia ex se producit; quæ folia non minus fœcunda, iterum generant, donec, longo semper ordine alia ex aliis sine ullo ramo succrescentia, tandem arborem satis diffusam, altamque constituat. Hanc foliorum, in vastam molem excrescentium, seriem

riem Castor Durantes, cum succinctâ descriptione, æri incisam exhibet, passimque in nostris hortis asservatur. Unde D. Salvator Carducius epigraphen subdidit; FRONDE PARIT SYLVAM. Malum exemplum, hoc schemate non obscurè adumbratum, gravissima & innumera mala ex se uno parit; Senecâ teste, *Unum exemplum aut luxuriæ, aut avaritiæ, multùm mali facit.* Inde etiam discas velim, unicum peccatum, tametsi leve, instar unius folii, tandem in densissimam enormium flagitiorum sylvam excrescere. Apertè S. Chrysostomus; *Hæc quia parva sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè resurgere. Undè citò EX PARVIS MAXIMA FIUNT. &c.*

172. Ficus indica in supremo foliorum acumine fructus suos producit. Adeòque fructus foliis conjunctos habet, & Carducio asserente, DAT FRUCTUS E FRONDIBUS. Hanc iconem ideæ loco habeas, ut verborum tuorum foliis nunquam non copiosos virtutum fructus præfigas, ibi cumprimis, si Prælati aut Concionatoris munere fungaris. Idipsum hortatur meus S. Eucherius; *Salutis verba tanquam vitæ semina agro pectoris commendata velut in germina nutriantur, & quasi in segetem multiplicentur.*

FICUS ÆGYPTIA, seu Sycomorus.

173. Siquidem verum est, quod *Ficus dicatur à fæcunditate*, certè Sycomorus cumprimis sibi fici nomen vendicat; quippe quæ, Castore Durante teste, unico anno tertiâ aut quartâ vice fructificat. Proinde Carducius epigraphen subjunxit; PLURIES AUTUMNAT IN ANNO. Hinc disce virtutum fructus assiduâ & indefessâ fæcunditate in anima producendos esse. Apostoli monitum est; *Bonum autem facientes, non deficiamus*; Hunc locum interpretatus S. Hieronymus; *Quale est*, inquit, *ut, cùm peccatores quotidie in malis operibus augentur, nos in bono opere lassemur?*

174. Hæc arbor, fructibus fertilissima, eos ad perfectam maturitatem perducere nequit, nisi ferreis uncis incisi, superfluos humores exonerare, ac justam succi temperiem acquirere possint. Eò reflectens meus Carducius, inscripsit; MATURAT VULNERE FRUCTUS. Certè fideles nonnisi interni doloris falce, aut externis pœnitentiæ, mortificationisque plagis probè vulnerati, ad veræ perfectionis maturitatem promoventur. Audi Petrum Bercorium; *Ad hoc, quod homines possint maturescere per perfectionem, & mores, necesse est, quod primò incidantur per contritionem unguli ferreis, id est, asperitate pœnitentiæ sculpantur, & sic mutabuntur per morum perfectionem.* Et S. P. Augustinum; *Compungat pœnitentia criminum, quos hucusque transpunxit delectatio voluptatum: erigat adjuncta virtus, quem vitia prostraverunt: aperiant medicamento pœnitentiæ nares suas, quibus illis fœteat consuetudo peccati.*

175. Vix uno fructu ex arbore illâ decerpto, mox eodem loco alius enascitur; & huic rursus maturescenti, illico tertius, quartus, aliique ex aliis succedunt. Unde Carducii lemma, aliquâ sui parte ex Virgilio mutuatum. UNO AVULSO, GERMINAT ALTER. Hanc virtutum exercitationem in quovis hominum optaverim, ut, nullâ intercedente morulâ, unam semper ac quantocius excipiat altera. S. Ambros. *Mens quando finit aliquod opus, non quasi consummato opere finiatur, sed in alia recurrat opera, & semper incrementa virtutis exerceat.*

176. Mira huic arbori natura est, quod è trunco recissa, virorem suum semper retineat, neque unquã, nisi in aquas projecta, arescat. Eam ob rem P. Carducius inscripsit; ARESCIT IN UNDIS. Ingratum hominis animum hoc Emblemate, ceu obelo, notabis; qui gratiæ Divinæ affluentiâ inundatus, ariditate indies majore languescit. Certè Jeroboamus, decem Israëlis tribus Divinâ ope suis imperiis coërcens, duos ex auro vitulos effinxit, ac populum Israëliticum, à Deo, maximo benefactore suo, abstractum, ad exercendos dæmonum cultus adegit. Hebræi instar filiorum à Divina bonitate habiti, enutriti, & ad optima quæq; sublevati, tandem cornua sua adversus supremum hunc benefactorem suum jactârunt, &, ubi, *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*, bove ac jumentis longè stolidior homo, *me non cognovit.* Et verò quoties hodie adhuc Numini ingratos nos exhibemus? Nam, Magno Augustino teste, *Per hoc gratiæ invenietur ingratus, qui propter illam vult vivere in peccato, per quam morimur peccato.*

177. Castor Durantes refert, verè adolescente, utilissimum ac saluberrimum liquorem è Sycomoro colligi; idque maximè mirandum est, quod superior illius cortex, lapillo quodam leviter pulsatus, liquorem istum copiosissimè reddat; gravius verò percussus, punice evadat aridior, omnemque humorem deneget. Huic proprietati animum advertens meus D. Carducius, epigraphen subjunxit; LENI VERBERE PLORAT. Præclarum hoc generosi ac nobilis animi ectypon habetur, qui, severiore modo castigatus, in furorem agitur; at suavius correptus, mox errores suos agnoscit, & in pretiosas lachrymarum, eleemosynæ, aliarumque virtutum liquores dissolvitur. Sapienter consulit Magnus Augustinus; *Nihil nocendi cupiditate fiat, sed omnia consulendi charitate: quia & plectendo & ignoscendo, hoc solùm benè agitur, ut vita hominum corrigatur.*

FRAXINUS. Cap. XIV.

178. Plinius testatur, Fraxini umbram è congenitâ suâ proprietate serpentibus fatalem esse, ac celerrimè fugam agere. Unde serpentes, è fraxino profugi, epigraphen tenent; STANT PROCUL AB UMBRA. Haud aliter vitia & peccata à virtuosorum consuetudine, ac locis, hominum sanctimoniâ conspicuis, longissimè exulant. Seneca; *Magna pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus authoritate etiam secretum suum sanctius facit.*

179. Franciscus Raulinus serpentes, è Fraxino profugos, hoc lemmate notavit; FLAGELLAT UMBRA. Meus Emblematis erat; quemadmodum serpentes non ab arboris illius ramis percussi, sed solâ umbrâ exterriti, fugantur; ita Principem clementem in sceleratos non suppliciis, sed solâ suppliciorum umbrâ animadvertere; adhibendo videlicet solos minarum terrores, & à suppliciorum rigoribus penitus abstinendo. De Deo testatur Magnus Augustinus; *Doctrina, per quam minatur impiis futurum interitum, interficit præsentem iniquitatem.*

180. D. Certanus Abbas, ad eandem Fraxini proprietatem reflectens, serpentibus, ab illius umbra in fugam conjectis, subscripsit; VIRULENTO VIRUS. Et P. Aloysius Juglaris; NOCENTIBUS NOXIA. Princeps justus & pius, accommodatè ad hanc ideam, è regno suo homines sceleratos, impios, & sanctæ fidei hostes procul facessere jubet. David se ob eam præcipuè causam ad regni solium evectum protestatur, *Ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Josiam sacræ litteræ miris

Margin notes (left column): Cast. Dur. in Herbar. — Malum exemplũ. — Peccatum veniale. — Io. Chrys. hom. 87. in Matth. — Verba cũ factis. — Prædicator. — Euch. ser. Verb. ibi duo vel tres congrega-. — Cast. Dur. in Herb. — Operã cõtinuata. — Gal. 6. 9. S. Hieron. in hunc. loc. — Pœnitentia utilis. — Per Bercor. Reduct. l. 12. c. 55. — S. Aug. serm. 1. de Temp. — Operatio continua. — S. Ambros.

Margin notes (right column): Ingratus. — 3. Reg. 12. 28. — Isa. 1. 3. — S. Aug. ep. 45. — Cast. Dur. in Herbar. — Correctio mitis. — S. Aug. ep. 54. — Plin. l. 16. c. 13. — Præsentia piorum. — Senec. ep. 11. — Minæ suppliciorum fugant vitiosos. — S. Aug. annot. in Iob. c. 39. — Princeps justus. — Ps. 100. 8.

4.Reg.23. à n. 5. &c. ris encomiis celebrant, quia *Delevit aruspices, quos posuerant Reges Iuda ad sacrificandum, & efferri fecit lutum de domo Domini feras. Destruxit quoque ædiculas effæminatorum*, uti prolixius in Regum fastis videre est. Haud aliter Maria, Henrici VIII. Angliæ Regis filia, & Philippi II. Hispaniarum Regis conjux, vix regio diademate insignita, mox supra triginta hæreticorum millia è regno proscripsit. Philippus III. innumeros Mauros ex Hispaniis ejecit. Sixtus V. omnes suas Provincias sicariis & latronibus expurgavit.

S.Crux. Cæterùm eodem Fraxini Emblemate sanctam Crucem insignire licet, è cujus umbra venenati ac lividi inferorum serpentes exterriti fugantur. Hoc sensu S. Ecclesia canit; *Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ.* S. Macharius, in Mosis virga genuinam S. Crucis figuram observans, ait, *Virga Mosis duplicem gerebat imaginem; nam hostibus occurrebat ut serpens mordens, enecans: at Israëlitis erat vice baculi, quo nitebantur. Sic etiam verum signum crucis, hostium quidem spirituum mors est, animarum verò nostrarum baculus.* S. Joannes Chrysostomus de Cruce differens, *Ea*, inquit, *Dæmones ulciscitur, ea tollit morbos animæ, ea est armatura invicta, ea murus inexpugnabilis; ea est munimentum insuperabile, quæ non solùm barbarorum irruptiones & incursiones hostium, sed ipsorum etiam immanium dæmonum phalanges perrumpit.*

S. Machar. hom. 47.

S.Io. Chrys. in Ps. 109.

Præsentia justi. 181. Serpentes, è fraxini vicinia in fugam acti, epigraphen tenent; VENENOSA REPELLIT. Ita nimirum hominis cujusdam virtuosi præsentia omnes defectus & errores à proximo suo propulsat. Seneca; *Quidam carent tecum, quia digni sunt; quidam ut sint. Si quid enim in illis ex sordidâ conversatione servile est, honestiorum convictus excutiet.* Certè S. Crucis signum monstruosos Tartari serpentes indubitatâ fugâ dispergit. Leo Imperator; *Violenter quidem persecutor me insecutus est: sed ab omni impetu cohibitus est, terribili quodam obstaculo objecto: vidit Divinam armaturam, & concidit potentia. Vidit regium sceptrum impius ille genius, & horrore perfusus, in summas angustias detrusus est.*

Senec. ep. 47.

S.Crux.

Leo Imper. Orat. de Exalt S.Cruc.

Fuga libidinis. 182. D. Aresius serpentes, è fraxino profugos, hoc epigrammate notavit; FUGÆ PRÆSIDIUM QUÆRIT. Hoc contra vitia, potissimum tamen adversus libidinem, consilium longè opportunissimum habetur. S.P. Augustinus; *Cùm cætera vitia pugnando vinci soleant, sola libido est, quæ fugiendo potiùs quàm pugnando superatur.* Neque sancti Patres tantùm, sed & Authores profani ac Poëtæ hoc consilium suggerunt; Inter alios canit Jul. Hiacynt. Ronconus.

S. Aug. serm. 250. de temp.

Iul. Hiacint. Ronc. nel. lib. delle Rimo.

Fuggiam, mio cor, fuggiamo
L'aspetto di costei, che si possente
Ad assalir ne viene.
Gli strali, e le catene
Del' aureo guardo, e del bel crin lucente
Non han, chi lor resista.
Fuggiam, fuggiam la vista
Di si rara belta, se non vogliamo
Debellati restar: che solo, o core,
Con Partico pugnar si vince Amore.

HEDERA.

Cap. XV.

Ingratus. 183. Hedera, ingrati animi symbolum, illam ipsam arborem, cujus ope è terrâ in altum excrevit, violentiâ suâ dissecat. Unde Abbatis Certani lemma; PORTANTEM PERIMIT. Plutarchus; *Ut hedera, adhærens arborum ramis ope aliena in altum erigitur; sic obscuri, consuetudine potentum crescunt, deinde præfocant eos, à quibus sunt evecti in altum.* Judicum libri referunt, humilem rhamni arbusculum, unanimi cæterarum arborum suffragio in Regem electum, mox Cedros Libani flammis adjudicâsse; *Egrediatur ignis de rhamno, & devoret Cedros Libani.* Hîc nô abs re interroges, si rhamnus non minus Cedrorum, quàm aliarum arborum calculo ad regiam dignitatem pervenerit; *Dixerunt omnia ligna ad Rhamnum: Veni, & impera super nos.* Cur, obsecro, Cedrorum perniciem tam solicitè expetivit rhamnus? opportunè respondet Glossa; omnibus hominibus, ad dignitatem quandam citra merita sua elevatis, commune hoc est vitium, ut benefactoribus suis, grati animi loco, offensas ac excidia rependant. *Per rhamnum*, inquit, *significantur homines indigni promotione, qui graviter pungunt, & ignem dissensionis emittunt, quo promotores sui destruuntur.*

Plutarch. Apoph.

Iudic. 9.

Gloss in hunc locum.

Mulier lasciva. 184. Hedera, murum amplexata, tandem illum humi sternit. Unde Bargalii lemma; AMPLECTENDO PROSTERNIT. Mulier impudica, hæderæ simillima, incautos amantes suis amplexibus in extremam perniciem præcipitat. Novarinus;

Novar. l. quæ nupi n. 77.

Enecat amplexu serpens hedera arboris altæ,
Quo sustinetur, stipitem:
Sic & amica procax, hedera formosior alba,
Lentis adhærens brachiis:
Quem semel amplexa est, lascivo excidit amore,
Sugens opes & sanguinem.

Vana gloria. Eadem damna S. Nilus animabus nostris è vanâ gloriâ accrescere testatur; hujus enim vitio omnes virtutum ac meritorum vires inciduntur, & enerves concidunt. *Hedera sic arborem complectitur, ut, cùm altius sese sustulerit, radicem ejus arefaciat. Inanis gloria sic juxta virtutes nascitur, ut non recedat, priusquam vim illarum exciderit.*

S. Nil. Or. 7.

Contemplativa. 185. Anima contemplativa, totis affectibus in Crucifixum defixa, à Bartholomæo Rosso hederæ symbolum recepit, quæ trunco arctissimè connexa, inscriptionem habuit; NUNQUAM DIVELLAR. Hoc sensu S. Paulus; *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Hederam imitatus S. P. Augustinus, ingenuè de se ipso fatetur, *Sæviat quantùm potest inimicus, non me separat à Deo;* Et Divina Sponsa; *Tenui eum, nec dimittam;* Insinuabant videlicet, se Domino suo, instar hederæ, ita arctè connexos vivere, ut corporeæ vitæ potiùs, quàm Divini amoris sui jacturam facere decreverint. Eâdem planè metaphorâ P. Hermannus Hugo animæ illius suspiria explicat.

Rom. 8. 35.

S. Aug. in Ps. 137.

Cant. 3. 4.

Herm. Hug. l. 2. Eleg. 3.

O mea lux, video, te nunc video, mea vita,
Involo in amplexus, sponse reperte, tuos.
Iamq; ego te teneo, neq; per vaga compita quæram,
Ludibrium vigili nocte futura gregi.
O mea si geminis mutentur brachia vinclis,
Atque manus manicis, compedibusq; pedes.
Quàm te complicitis, mea lux amplecterer ulnis,
Arctius amplexu vitis, & ulme tuo.
Arctius anguipedû manibus, pedibusq; hederarum
Queis obit annosas herba marita domos.

Amor constans. 186. Viduam, tenaci amore versus defunctum maritum affectam, D. Aresius hederæ non absimilem dixit, quæ trunco arido connexa, epigraphê subjunctam habeat; NEQUE MORS SEPARABIT.

BIT. Verbis è D. Paulo mutuatis: *Quis nos separabit à charitate Christi? Neq; mors &c.* Certè homo justus, quantumvis à Deo videatur derelictus, ac Divinis consolationibus arescens, nunquam tamen ab ipso se avelli patitur; quia, Magno Augustino teste, *Nonnisi peccatis homines separantur à Deo.* Propertius teneros amoris hujus affectus ita explicat; Rom. 8. 35. Aug. l. 10. de Civ. c. 22. Propert. l. 2.

Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius magnos sol agitabit equos:
Quàm possim nostros alio tansferre colores:
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero.

187. Hedera, trunco connexa, inscriptionem habet; NEC RCISA RECEDIT. Animi perseverantis, aut obstinati hæc imago est. S. Asterius tenacem hunc nexum in Avaritiæ vitio deprehendens, *Avaritiæ morbus,* inquit, *hujusmodi malum est, ut vix unquam eo liberari possis, & quemadmodum hæc semper virens atque frondens hedera, adsitas irrepens arbores, validè circumvolvitur, & adhæret, ac ne ramis quidem fatiscentibus aut arefactis recedit, nisi quis flexus istos, & sanguineos quasi gyros ferro secet; ita nec avari mentem, sive juvenis hic, sive senex, in libertatem facilè vindicaris, nisi sobrio prudentique consilio, velut machæra, morbum descideris.* Eadem etiam amoris est indoles: qui corpore viribus fatigato, & senectute penitus confecto, non raro firmas adhuc radices intra præcordia habet. Otho Venius; Persistentia. Avaritia. S. Asterius Hom. 3. Amor.

Tempus edax rerum pennas decurtet Amoris:
Sed vim, tela, faces, non domat ulla dies.
Sic licet imminuat Venerem ætas languida amanti,
Non tamen affectus tollitur omnis ei. Othh. Venius Emb. Amor. fol. 236.

188. Videri quidem possit, hederam sumptuoso muro eximium decus afferre; at reipsà ejus lapides, tenacibus suis ramis prehensos, dissolvit, turbat, totamque demum machinam prosternit. Adeoque quod Joannes Franciscus Bonomus ait, ORNANDO PRÆCIPITAT. Ita, eodem authore, Aulici è Principum suorum gratia ornamentum aliquod apparens, verumque præcipitium colligunt. *In vanis,* inquit, *hujus hederæ (magnatum imaginis) amplexibus ruentem effuge parietem. Favorabilis regnantium hedera quo sincerius stringit, eo damnosius præcipitat.* Favor Principis. Io Franc. Bonom. in Chiron. Achill. Embl. 39.

189. Goropius Becanus hederam iis locis exponi observat, ubi vinum venditur. *Hedera,* inquit, *semper in sublime nititur, non suis quidem viribus, sed alienis freta.* Unde lemma; NITITUR IN SUBLIME. Hedera ergò, semper ascendere solita, hâc sua proprietate *monet,* inquit ille, *vinũ eo bibendum, quo terrenis curis soluti, ad Divina subvolemus, & alacres, hilaresque Deo, tanti muneris datori, hymnos concinnamus.* Adeoque ex hedera gratitudinem, Divino benefactori debitam; uti & assiduum in virtute profectum discere licet. Gorop Bec. l. 2. Hermat. Gratitudo Loc. cit. Profectus.

190. Idem Goropius de hedera scribit. *In sublime nititur, non suis viribus, sed alienis freta.* Unde lemma, NITITUR ALIENIS. Hominem, alterius ope ac præsidio nixum, hoc symbolo afficies. Illius exemplum præiens Sacra Sponsa, *ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum.* Hunc locum interpretatus S. Gregorius, ait: *Super dilectum innititur, quia in solius Christi auxilio confidens, eo largiente ab exilio ad patriam revocatur.* Et Cardinalis Ailgrinus: *Non suis meritis, sed ipsius innitebatur gratiæ, qui gratiam tribuit. &c.* Cæterùm etiam iis hæc imago convenit, qui propriis meritis ac ingenio destituti, ad negotii sui finem consequendum, aliorum operà & virtute nituntur. Gorop. l. c. Dependentia. Cant. 8. 5. S. Greg. in hunc loc. Ailgrin in hunc loc.

191. Hedera, suum virorem tam ardente Syrio, quàm rigente brumâ illibatum servare solita, epigraphen meretur; VIRORE PERENNI. Hinc, Goropio authore, tuam versus Deum gratitudinem & amorem semper integrum ac viridem conservare disces. *Perennis viror,* inquit, *quid aliud sibi vult, quàm & vinum viridem juventam hominibus conciliare; & præterea semper nos virides esse debere in æterno Divini amoris complexu.* Monentem audi Præsulem Hipponensem: *Noli ambulare secundùm hominem, sed secundum eum qui fecit hominem. Ab eo, qui fecit te, noli deficere.* Perseverantia. Gorop l. c. S. Aug. l. de Contin. c. 4.

192. Hedera, marmori sepulchrali arctè connexa, ac veluti concreta, à P. Raulino epigraphen recepit, MORERER DIVULSA. Illos hæc imago repræsentatat, qui defunctis quibusdam immodico affectu addicti, ad eorum sepulchra diu multumq; commorantur; uti S. Hilaria ad tumulum S. Afræ Martyris, filiæ suæ; S. Constantia ad sepulchrum S. Agnetis; S. Magdalena, quæ *a monmento Domini, etiam Discipulis recedentibus, non recedebat,* ut testatur S. Gregor. Cæterùm illud ipsum emblema etiã homo contẽplativus usurpaverit, qui animæ mortem sese incursurũ timeret, nisi assiduâ mortis meditatione detineretur. Affectus erga defunctos. Martyrolog. 12. Augusti. 28. Februar. S. Greg. Pap. Hom. 25. in Evang.

193. Hedera, arbori colligata, hominem significat, alterius ope ac præsidio nixum. Lemma; VIX NATA SUSTINEOR. Hæc bonitatis Divinæ effecta in se ipso cumulatè expertus David, infinitam illius providentiam jam ab ipso natalium suorum exordio præsidii ac tutelæ loco fuisse testatur. Unde non sine grati animi affectu, in hæc verba prorupit; *In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ, Deus meus es tu;* veluti diceret interprete S. Basilio, *Cùm essem ad ubera matris, spes mea à providentia tua dependit.* Et rursus: *Suscepisti me de utero matris;* Id est, eodem Basilio interprete, *Semper obsepivisti, providisti, ac munivisti me à prima ætate, & inde à cunabulis meis.* Vel ut Theodoretus explicat; *Tu mihi es & pædagogus, & gubernator, & præceptor, & cùm primùm ex vulva exivi, tua providẽtia perfruitus sum.* Auxilium. Psal. 21. 11. S. Basil. in hunc loc. Psal. 138. 13. S. Basil. in hunc loc. Theod in hunc loc.

194. Ad funebrem Victorii Amedei, Sabaudiæ Ducis, apparatum, P. Aloysius Juglaris symboli loco hederam, emortuæ arbori connexam, depinxit; eâque Regiæ conjugis ergà defunctum sponsum stabile ac constans amoris pectus significare voluit, Epigraphẽ addidit; VINCTI PERFUNT, SED VINCLA PERENNANT. Vel ut alius eandem hederam hoc epigrammate loquentem sistit; ET ARIDA TECUM. Huic imagini planè concolor est illud Alciati Emblema, ubi vitem, ulmo arente nixã, producit; cum titulo, *Amicitia post mortem durans,* quò benevolum Lectorẽ remitto. Porrò morienti in Cruce Divino suo Filio constantissimè adstitit Maria Virgo, *Stabat Maria,* inquit S. Anselmus, *in fide Jesu constantissima & patientissima; nam discipulis fugientibus, cunctisq; viris recedentibus, in gloriam totius fœminei sexus, inter tot pressuras filii sui constanter ipsa sola (instar virentis hederæ) Stabat in fide Jesu firma. &c.* Amor constans. Alciatus Embl. 160. Maria V. juxta Crucem. S. Anselm. in Joan. 19.

195. Hedera epigraphen sustinet; EXTERIUS VIRIDIS, CÆTERA PALLOR HABET. Adulatorem, aut invidum hæc imago concernit, qui, exteriore vultu nescio quem amœnum virorem mentiti, proximi sui laudes ac merita nonnunquam deprædicant, at in pectore suo turpem malevolentiæ pallorem continent, omnemqu illius opprimendi occasionem captant. Unde Cato canit; Adulator invidus.

Sermones blandos, blæsosque cavere memento:
Simplicitas veri forma est; fraus ficta loquendi.

Alciatus eandem iconem litteratorum propriam dicit, qui studiis fatigati, maciem ac pallorem, simulque famæ nunquam intermoriture virorem contrahunt. Litteratus Alciatus Embl. 204.

Pallescunt studiis; laus diuturna viret.

Cæterùm Emblemate isto etiam mundum dignoscendum proponere licet, qui venustam divitiarum, honoris, Mundus.

honoris, & gloriæ formam effingens, reipsâ pallorem, mæstos inquam cineres & exequias, ceu comites individuos habet. Verissimè dixit Magnus Augustinus; *Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.*

S. Augustin. Epist. 39.

196. Nonnemo suam ab alterius virtute dependentiam significaturus, se ipsum hederæ symbolo repræsentavit, quæ circum pyramidem fastigiata, hanc retulit gnomam; TE STANTE VIREBO. Vel, ut alius eandē muro, seu magis propriè, arbori connexam statuit; cum lemmate, SI VIVET, VIVAM. De Joa Rege testantur Sacræ Litteræ; *Fecitq́; Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojadas sacerdos.* Adeoq; optimo illo sacerdote adhuc vivente, Rex Joas, ad illius sancta consilia penitus conformatus, nonnisi pietatis, fidei, ac religionis virorem exhibebat. At mortuo Jojada, Rex, veluti hedera malè fulta, sensim labascere, & mox in idololatriam, apostasiam, homicidium, sacrilegium, aliaque innumera flagitia proruere cœpit. De hoc Alphonsus Tostatus: *Quia Jojada erat cultor Dei magnus, fecit ut Rex toto tempore suo coleret Deum; & quia dioitur, omnibus diebus, quibus docuit eum Jojada; innuitur, quod mortuo Jojadâ malus fuerit, & verum est, quia declinavit ad idola in tantum, ut jusserit occidi Zachariā, filium Jojadæ, quia increpabat eum.*

Dependentia.

4. Reg. 12. 2

Alph. Tost. Quæst 1. in c 12 lib 4. Reg.

197. Hedera, ad pyramidis radicem serpens, epigraphen tenet; UT ERIGAR. Nempe discipulus, ut profectui suo consulat, ad Magistri præceptiones sese affigat, necesse est. Seneca; *Imbecillioribus ingeniis necesse est, aliquem praire: Hoc vitabis, hoc facies.* Et paulò inferiùs: *Pueri ad præscriptum discant: digiti illorum teneatur, & alienâ manu per litterarum simulachra ducuntur: deinde imitari jubentur proposita, & ad illa reformare chirographum; sic animus noster, dum eruditur ad præscriptum, juvatur.* Cicero; *Ineuntis ætatis inscitia, senum constituenda & reddenda prudentia est.* In hanc rem nobilis & magnus spiritualis vitæ Magister Basilius ait; *Acerrimâ in omnes partes animi circumspectione operam dato, ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus deinceps dilectæ tibi vitæ studiis certissimum ducem sequare, ejusmodiq́; qui rectum iter ad Deum volentibus pergere sciat commonstrare.* Et posterior illo Cassianus; *Seniorum vestigia subsequentes, neq́; agere quidquam novi, neq́; discere nostro judicio præsumamus, sed quemadmodum nos traditio illorum, vel vitæ probitas informarit, gradiamur.*

Discipulus.

Senec Ep. 94

Cic. l. 1. Offic.

S Basilius Tract de ab dic. rerum.

Cassian Coll. 2. c 11.

198. Juventus, hederæ persimilis, Magistro opus habet, cujus auxilio educetur, dirigatur, ac sustentetur. Huic rei significandæ hederam Pyramidi vicinam statues, cum lemmate; UT RECTA SUSTINEAR. Ipsissimum hoc S. Laurentii Justiniani documentum est, ubi juventutem cum tenero ac fragili arbusculo, qualis hedera est, comparat; illa enim, nisi prudentum consiliis assiduò suffulta ac sustentata, mox gressu in omnes lapsus facillimo corruit. *Incipientes namque, ait, tanquam novellæ plantationes, ex Ægypti divulsæ nemore, quoniam proni sunt redire ad illā, quæ reliquerunt in sæculo, veluti delicati, debiles, & minus capaces, per hominem dirigendi sunt.* Porrò etiam anima nostra, assistentis gratiæ adjutorio destituta, persistere nequit, suique planè impotens concidit. Exemplum habeto optimum Regem Davidem, qui, auxiliari Numinis dexterâ paululùm subductâ, mox inglorius defecit. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Educatio.

S. Laur. Iust de casto Connub. cap. 5.

Gratia.

Psal. 29. 8.

199. Duos, in litterariæ disputationis arenam congressuros, hederæ ac lauri symbolo significabis, quæ mutuò collisæ, flammas eliciunt Lemma; ATTRITÆ FLAMMESCUNT. Enimverò in litterariis concertationibus non semper doctrinæ flammas ac gloriæ radios, sed nonnunquam etiam immodica iracundiæ, odii, ac tumultuum incendia experimur. Justus Lipsius; *Contentiosa aut curiosa scriptio, factionum sæpe causa & fomentum.*

Disputatio.

Iust Lips. de una R.

200. Hedera, arborem complexa; eam suffocat & interimit. Unde Emblematis loco depicta, malitiosi cujusdam Oratoris eloquentiam significabat, quâ Judicum animos ad injustas sententias ferendas inflectere est solitus. Epigraphen addidêre; IMPROBITAS SUBIGIT RECTUM. Probè id compertum habuit Alphonsus, Aragonum Rex; cum enim ipsi innotuisset, Gallum quemdam, relictâ suâ medicinæ professione, caussis pro tribunali dicendis se addixisse, ac ingenii vivacitate Judices gravissimis sophismatis implicare; *Illum*, referente Panormitano, *foro prohibuit, decreto edito, ut omnis lis, quam Gallus patronus susciperet, ipso jure haberetur iniqua & injusta.*

Advocatus vitiosus.

Panorm 4. cap. 38.

201. Castor Durantes testatur, craterem, ex hederæ lignis confectum, tali naturâ esse, ut solum vinum purum retineat, aquis per meatus suos porosos foras effusis. Unde lemma è Virgilio desumptum; EXSUDAT INUTILIS HUMOR. Ita homo, solitudinem aut religionem ingressus, omne vitiorū frigus, fortè intra animam suam contractum, procul excludit, solumque virtutis ac spiritûs fervorem servat. Eadem imago etiam principem justum spectat, qui homines sceleratos, veluti malignos reipublicæ humores, aut in exilium ejicit, aut mortis supplicio è medio tollit. De hoc perspicuè Salomon: *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimū. Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur justitiâ thronus ejus.* Id est, ut Septuaginta traducunt; *Interfice impios à facie Regis, & recta procedet in justitia thronus ejus.* Unde Cassiodoro referente, Atharicus Rex dicere est solitus; *Regnum jure dicitur integerrimum, si nusquā fuerit imminutum. Hoc fieri potest, cum undiq́; submoventur effrenatæ licentiæ, nec datur ausus mēti malignè sub abominabili libertate peccare.*

Religio.

Princeps justus.

Prov. 25 n. 4. & 5

Cassiod. 6. Epist 2.

202. S. Carolus, Crucifixo contemplando intentus, maximum perfectionis suæ incrementum cepit. Rossus id Emblemate demonstraturus, hederam, palo complicatam, produxit; cum lemmate, INNIXA SURSUM. S. Antonius Paduanus hoc argumento persuadet, hominem opulentum, si egenos, veluti beatitudinis consequendæ fulcra, complectatur, facili negotio ad suprema merita sublevari posse. *Hedera, inquit, quæ in altum per se elevari non potest, sed alicujus inhærens ramis arboris, altiora petit; significat divitē hujus mundi, qui non per se, sed pauperum eleemosynis, quasi quibusdā brachiis in cælū elevatur.*

Contemplatio.

Eleëmosyna.

S. Ant. H. in cap. 4. Ionæ.

203. Hedera, tametsi nullius hominis industriâ aut labore culta, sed contemptim relicta, miros tamen in crescendo progressus habet. Adeoque NEGLECTA VIRESCIT. Ita sanè omnis culpa, primo quidem intuitu exigua & venialis, si neglectim prætereatur, mirum est, quantùm paulò post excrescat, luxurietve. Heraclius Imperator Mahumetis lolium, recens sparsum, nihili, vel è superficie tantùm æstimans, illud non multò post in immensum monstrum excrevisse sensit. Idipsum etiam hoc ævo nostro de lethiferis Lutheri & Calvini doctrinis dixeris, quæ, Catholicis identidem conniventibus, & in suo *Interim* hærentibus, horrendum egerminârunt. Proinde ergo monet Hæreticorum Malleus; *Maximè memoriæ commendanda sunt, quæ adversus hæreticos valent plurimùm, quorum insidiæ infirmiores quosq́; & negligentiores circumvenire non cessant.*

Peccatum veniale.

Hæresis

S. August. Epist. Ioan. Tract. 2.

204.

204. Hedera, altius altiusque per arborem enitens, à Patribus Societatis Jesu in Belgio epigraphen recepit; NEXUS NON SUFFICIT UNUS. Innuebant videlicet, Societatem per frequentem votorum innovationem sese arctius Deo obstringere. Porrò ut in sacra religione te totum Deo devoveas, triplex votorum nexus requiritur, nimirùm obedientiæ, castitatis, & paupertatis. Status enim religionis, Doctore S. Thomâ Aquinate, *est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se & sua offert Deo. Habet autem homo triplex bonum, secundùm Philosophum. 1. Ethic. Primò quidem Exteriorum rerum, quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntariæ paupertatis. Secundò autem bonum proprii corporis, quod aliquis præcipuè offert Deo per votum continentiæ, quo abrenuntiat maximè delectationibus corporis. Tertium autem bonum est animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam. &c,*

Votorum renovatio. Vota Religiosorũ. S.Tho.2.2. q.186 a.7.

LAURUS Cap. XVI.

205. LAurus undique virescens, pulchra, & inter complures arbores, fulmine prostratas, media, epigraphen tenet; INTACTA TRIUMPHAT. Mariam Virginem, inter omnes creaturas solam nullius peccati fulmine temeratam, hæc imago spectat. Nam, ut de gloriosa hac Dei Matre pronuntiat Magnus Augustinus. *De hac* (Maria Virgine) *propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* Argumento non absimili Joannes Geometra, Virgini supplex, canit;

Maria V. intacta.

S. Aug. l. de Nat. & Grat. cap. 36

---- Salve procera Laurus, stirps, quæ procul arces
Fulguris haud fulmen, dæmonis ac faculas.

206. Laurus nec à fulminum flammis, nec ab hyemis frigore quidquam detrimenti unquam sustinet; Lemma: NEC FULMEN METUIT, NEC HYEMEM. Ita generosus ac imperterritus hominis animus, quibusvis calamitatibus superior, nullâ unquàm violentiâ sternitur. Porrò justus quascunque, sive libidinis, sive acediæ tentationes nunquam non triumphat; S. P. Augustino teste, *Omnes tentationes adversitatesque diaboli vincunt sancti orando; non enim aliquem vincit aut subjugat, nisi societate peccati. Ergò in ejus nomine vincitur, qui hominem assumpsit.* Virtus quoque, ac gloria easdem cum luto prærogativas habent, neque temporis aut mortis injuriis unquam succumbunt. Eleganter de virtute canit D. Angelus Maria Arcionus Abbas;

Mens generosa. Justus.

S. Aug. l. 10. Civit. c. 12.

Ang. Mar. Arcion Ode 3

-- D'arco sonoro in van non s' armi
La man; sien strali i carmi:
E faccian d'un alloro al capio ignudo
Dal fulminar di morte ed elmo, e scudo.

De virtute & gloria simul canit Ovidius;

Ovid. Epist. ad Liviam.

Facta Ducis vivent, operosaque gloria rerum,
Hæc manet, hæc avidos effugit una rogos.

207. Eadem Laurus epigraphen sustinet; FERVIDOS EXCLUDIT ICTUS. Verbis ex Horatio mutuatis;

Horat. l. 2. Carm. Od. 15

---- Spissa ramis laurea, fervidos
Excludit ictus.

Maria Virgo, genuinum lauri exemplar, iræ Divinæ fulmina potenter cohibet. *Quid enim?* inquit S. Bernardus, *Potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Neutrum planè. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum. Feliciter. Semper hæc* (Maria) *inveniet gratiam, & sola est gratia, quâ egemus.* Unde quidam Virgini devotus canit;

Protectio M.V. S. Bern. ser. 2 de Virg. Deip.

Fulmina si metuas Nati, venerare Parentem;
Oppositu Matris fulmina nulla cadent.

Eodem lemmate etiam homines illos castos, ac puritatis studiosos significare licet, qui cum Jobo dicere possunt, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Et cum Ovidio;

Iob. 31. 1.

Ovid Ep. 5.

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina compti.

208. Gambertus Laurum, nullâ unquam fulminis irâ sternendam, sub cœlo nubilo, ac tempestuoso figuravit; cum lemmate, NULLIS OBNOXIA FATIS. Alius eandem, fulguri vicinam, hâc gnomâ insignivit; ILLÆSA REFULGET. Alius denique infra fulminum minas collocatæ, inscripsit; TIMEANT ALIÆ. Hominem virtute, ac vitæ integritate illustrem, hæc imago concernit, cui malevolorum fulmina nihil unquam exitii creare possunt. Nam ut expertus testatur Magnus Augustinus; *Qui in Cruce Christi gloriatur, non vult placere in carne, quia persecutiones carnalium non timet.* Semper ergò cum cygno illo canit;

Virtus nil timet.

S. Aug. in Epist. ad Gal. cap. 6.

Fulgura non metuo, pellunt ea germina lauri,
Fortunæ insultus despicit integritas.

209. Franciscus Raulinus inter cæterum funebrem Serenissimi Ducis Odoardi Farnesii apparatum, Laurum suffixit; fulmine concisam, & hoc lemmate insignem; JAM NIHIL TUTUM. Dicere volebat, sicuti, Lauris, quas antiquitas Cæli privilegio immunes credidit, hodie à fulminum injuriâ cæsis ac prostratis, reliquarum arborum nulli imposterum securæ esse licet, ita dum Magnates, immortalitate dignissimi, sub mortis fulmine fatiscunt, imposterum neminem ab hoc ictu immunem vivere posse. *Mortem timetis?* inquit ad mundi pullos Magnus Augustinus, *ventura est, si timeas non efficies, ut non sit quod times.*

Mors inevitabilis.

S. Aug. l. de Discipl. Christ. c. 11.

210. Cœlo passim fulgura, tempestates, ac fulminum ictus minitante, Laurus quidem aliquo coruscationum splendore illustratur, exitii tamen nec minimum sustinet. Unde lemma; FULGORE NON FULGURE. Ita omninò Servi & amici Dei è persecutionibus ac hominum tyrannide plurimum pretiosissimi splendoris, nullam tamen ullius jacturæ umbram referunt. Philo Hebræus de Israëlitis, in fornace calcaria per Pharaonem Ægyptium miserrimè afflictis, ait; *Qui delere cupiunt vos, inviti servabunt, & cum maximè vastari videbimini: tunc maximè enitebit gloria vestra.*

Persecutio illustrat.

Philo Hebr. lib. 1 de vita Moysi.

211. Laurus, ferro nunquam circumcisa, deformem frondium luxuriem contrahit, sylvasque in gloria habitat. At crebris falcibus incisa ac supputata, demum ramos, triumphantium coronis, aliisque festivis apparatibus sufficiendos, progerminat. Unde lemma; CÆSA TRIUMPHO. Ita ferrum, in Sanctos Martyres deseviens, ad felicissimos æternæ beatitatis triumphos assequendos iisdem deservit. S. Hieronymus de Ecclesia disserens, ait; *Persecutionibus crevit, martyriis coronata est.* S. Leo ad Tyrannum, qui S. Laurentium interfecerat, ait; *Auxisti palmam, dum aggeras pœnam.*

Martyr.

S. Hieron. in vita Malchi.

212. Carolus Bovius Emblematis loco aliquot lauros statuit, quæ, prope vineam plantatæ, eam quidem à solarium radiorum ardore vindicant, at uvas acerbas, ac vindemiæ tempore cassas efficiunt. Epigraphê addidit; ORNANT, SED IMPEDIUNT. Innuebat videlicet, è dignitatibus, Prælaturis, & honoribus aliquid ornamenti accrescere, interiorem tamen animi ac virtutum profectum maximè retardari.

Honores sunt impedimenta.

Gilibertus serm. 29. dari. Gilibertus, ambitionē prorsus incautam exprobrans, *Festinamus*, inquit, *ingredi in labores prælationis, in solicitudinum molestias, & materiam lapsus.* Unde vitis, ficus & oliva, ad regiminis majestatem supra reliquas arbores suscipiendam invitatæ, eam, veluti fructuosæ felicitatis remoram, penitus abnuerunt. Moses, ne à Deo suo avelleretur, sapienter veritus, in Pharaonis filium adoptari recusavit. S. Calimerus Mediolanensem infulam coactus, & catenis compulsus, suscepit. S. Anselmus, testis sibimet luculentus, Episcopatûs fastigium penè exanimis & angore confectus ascendit. S.P. Augustinus, ubi episcopalem civitatis cujusdam thronum vacare sciebat, ne in tanti oneris molem, utpotè profectus sui impeditivam, sufficeretur, eam intrare sedulò cavebat. S. Gregorius, ne summi Pontificatûs apicem conscendere juberetur, *alieno vestitu in spelunca delituit.*

Dignitas exosa. S Anselm l 3 Ep. 1. Brev Rom 12. Martii.

213. Laurus, fœcunda honorum parens, totidem coronas ad victorum tempora cingenda, quot ramusculos, parturit. Unde P. Henricus Engelgrave subscripsit: PLURES PARIT ILLA CORONAS. Hanc iconem non sine ingenio de S. Ursulâ intelligit Author; *Ursula* enim anagrammatis artificio *Laurus* evadit. Ne verò hanc nominis significationem censeas irritam, Virgo illa sanctissima exempli sui magnanimitate ac generosis exhortationibus coronam, undecim sociarum virginum millibus contextam, peperit. Porrò S. Crux tot suppeditat Martyribus & afflictis coronas, quotquot ad illam, veluti ad calamitatum omnium asylum confugiunt. *Crux Christi*, inquit Magnus August. *nobis, usque ad mortem pro veritate certantibus, imitandum præbuit exemplum.*

S. Ursula. S. Crux. S. Aug. Tra. 98. in Ioan.

214 P. Dominicus Gambertus ad exequias Francisci I. Mutinæ Ducis, Laurum detruncatam statuit, è cujus radice recentes ac vigorosi surculi progerminabant; cum inscriptione, è Claudiano desumptâ; EX PARTE SUPERSTES. Mens iconis erat, Serenissimum illum Principem, tametsi mortis falce succisum, etiamnum tamen in optimis filiis ac hæredibus vivere. Dilucidè ad rem nostram Siracides; *Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* Unde apud Quintilianum Pater ille exclamabat; *O quàm grave est mori! quantò gravius, quod ego vivo superstes filii mei!*

Claud. l. 2. de Rapt Proser. In morte. Eccles. 30. 4.

215. Siquidem omnes Poëtæ virtutis & excellentiæ suæ firmamentum ad Phæbum, ceu Poëseos parentem, referunt; idcircò, Carolus Rancatus Poëtastrum quemdam obscurum & imperitum Lauri Emblemate figuravit, quæ in loco, à solaribus radiis penitùs remoto, epigraphen tulit; INSCIA PHÆBI. Non multū ab hoc argumento alienus Seneca, canit;

Poëta obscurus. Senec in Oedip.

Diffusa ramis umbra defendit nemus,
Tristis sub illa lucus, & Phœbi inscius.

Porrò homo ethnicus, aut vitiis immersus, obscura habitat loca, in quibus vel non cognoscit, vel cognoscere negligit Deum. S.P. Augustinus; *Pravi corde tres habent sententias de Deo; aut non est Deus, aut injustus est Deus, aut non gubernat Deus res humanas.*

Ethnicus. S. August. in Psal. 31.

216. Laurus, exactum militaris vitæ prototypon, inscriptionem sustinet; NE SOL CURA, NE GELO. Id est; NEC SOLEM CURAT, NEC GELU. Vegetius; *Nunquam credo potuisse dubitari, aptiorem armis rusticam plebē, quæ sub Dio, & in labore nutritur, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris, &c.* Haud aliter miles spiritualis, perfectus inquam Christianus, assiduam felicitatis & miseriæ vicissitudinem eodem excipere novit imperterriti animi vultu. Adeoque S. Hieronymo asserente, *Per bonam famā & malam, à dextris & à sinistris, Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate, & læta contemnit, & tristitia; per diem sol non urit eum, neq; luna per noctem.*

Miles. Veget. l. 1. cap. 3. Justus. S. Hier. Ep. 2 ad Nepotia.

217. Laurus circumcisa ac putata, epigraphen habet; CRESCET MELIUS. Mens Emblematis erat, Christinam, Sueciæ Reginam, posteaquam regno se abdicârat, summum gloriæ ac felicitatis suæ incrementum cepisse. Eleganter de hoc Reginarum prodigio canit Joannes Baptista Bargioccus;

Bapt Barg l. 3 Epig. 1c

Si melius crescunt decusso vertice lauri;
Detonsisque comis, gratior umbra cadit;
Clarior abjectâ surget Christina coronâ,
Augebitq; suum frons viduata decus.

Cæterùm Emblemate isto etiam immensos quæstus, nobis ex religiosa ac voluntaria paupertate advenire solitam, colligere licet. Etsi verò S. Hieron. in illud Matth, *Omnis qui reliquerit domum &c. centuplum accipiet*; hoc *centuplū* de bonis spiritualibus ita accipiat, *ut qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recepturus sit, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus cōparetur.* Cassianus tamen de his ipsis etiam bonis externis confirmat, per eadē illa Matthæi verba, Religiosos in hac quoq; vita *centuplum accipere.* Id quod prolixè recenset ac explicat P. Alphonsus Rodriquez.

Paupertas voluntaria. Matth. 19. S. Hier. l. 3 in Matth. Cass. Coll. ult Abb. Abrah. Rodriq. p. de Perfect. Tract. 3 c.

218. Laurum, nive coopertā, hoc lemate afficies; TUNC MAXIME VIRET. Animus verè generosus magnanimitatē suam nunquam reddit illustriorem, nisi inter adversitatum cumulos. Aristoteles; *Quamvis circa fiducias & timores versetur fortitudo; non simili modo tamen in utrisque, sed in timendis rebus magis spectatur. Qui enim in his imperturbatus fuerit, sicutq; debet se gesserit, is magis est fortis, quàm qui in illis, quæ fiduciam afferunt. Tolerandis igitur molestis rebus homines fortes dicuntur.* Haud secùs Divina misericordia tùm demum maximè virescit, quando cor humanū frigore ac vitiorū brumâ riget.

Generositas. Aristot. l. 3 Ethic. cap. Misericordia Dei.

219. Dominæ Lauræ Cesis favore nonnemo à gravissimis suppliciis vindicabatur; unde illam Emblemate significaturi, aliquot lauros depinxêre, ad quarum radices falcem collocârunt; cum lemmate, HIS CADENTT FULMINA CÆSIS. Ita populus, sanctorum aut virtuosorum patrocinio destitutus, mox gravissimarum calamitatum, & supplicii Divini fulmine sternetur. Ab hoc argumento nihil alienus S. Ambrosius, ait; *Cùm aliquis hujusmodi decidit* (loquitur de emeritorum hominum morte) *quamvis longâ senectute depositus, afficior: quia destituitur grex juvenum muro senili. Deniq; perituræ urbis aut malorum imminentium, vel futuræ labis hoc primum indicium est, si decidant viri consultores.*

Protectio sanctorū. S. Ambr. l. de Cain c.

220. D. Octavius Boldonus, inter cæteras à brumæ rigoribus defrondatas arbores, Laurum virentē pinxit, cum lemmate; VICTRIX TEMPORIS. Virtus, lauro simillima, toto pereunte mundo, æternum persistit incorrupta. S. Gregorius Nazianzenus;

Virtus non moritur. S. Greg N. sent lib. 3.

Omnia sunt hominum vitâ hac indigna caduca,
Extra virtutem, quam coluisse velis.

Hominis etiam virtuosi hæc imago est propria, qui gloriæ suæ famam, nullo unquam ævo oblitterandā, æternitati transmittit. Dilucidè Siracides; *Non recedente memoriâ ejus, requiretur à generatione in generationem*, id est, interprete Tigurinâ, *Multi perpetuò laudabunt hujus sapientiam, nec memoria ejus deficiet aut abolebitur: sed nomen ejus vigebit per sempiternas sæculorum ætates.* Unde Cardinalis Alciati sepulchrale marmor Romæ in Templo S. Mariæ de Angelis hoc epitaphium incisum refert.

Eccl. 39. 13

Virtute vixit,
Memoriâ vivit,
Gloriâ vivet,
Fama per ora volat,
Spiritus astra tenet.

221. Academicus, inter Errantes Brixienses sensibilis symboli loco ramum laureum præfert, qui in igne ustulatus, epigraphen habet; NON SINE CREPITU. Homo impatiens, nonnihil offensus, mox excandescit, suumq; sensum verbis, minis, aliisq; vindictæ prodromis, quantum potest, demonstrat. P. Cornelius à Lapide ait; *Linguatus verbis & clamoribus strepitu strepit & crepitat, instar lauri virentis, igni impositæ.* Hisque illud Diogenis dictum subjungit; *Magis vociferatur, quàm laurus viridis incensa.*

Impatiens.

Corn. à Lap. in Eccles. 8.4

222. Lauri ramus, intra flammas figuratus, epigraphen à me recepit; RESONAT USTA. Eorũ hoc simulachrum est, qui calamitatibus exagitati, vel in querelis dissolvuntur; vel, vocibus ad cœlum sublevatis, Divinam opem inclamant. Inter hos minimè postremus David, *Ad Dominum*, inquit, *cum tribularer, clamavi.* Quia teste Magno Augustino, *Tunc in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur.* Populus Hebræus, Ægyptiarum fornacum ardore, & Pharaonis Regis, ejusque ministrorum tyrannide horrendum excruciatus, Divinas aures altissimo pulsavit clamore; adeò ut responderet optimus Deus; *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi.* Jonas, in balænæ utero sepultus, sub ignis illius ardore, quem infernali similẽ censebat, totis viribus ad Deum vociferatus est; *De ventre inferi clamavi, & exaudisti vocem meam.*

Querelæ.

Psal. 119. 1. S. Aug Psal. 118. Conc. 29.

Exod. 3. 7.

Ioan. 2. 3.

223. Prælatus zelosus, subditorum suorum defectibus nunquam non obloqui ac resistere solitus, Lauro se non absimilem probat, quæ, flammarum ardore correpta, sonoros strepitus edit; Unde lemma; URI, ET TACERE NESCIT. S. Petrus Damianus Domino Petro, insignis Basilicæ ad S. Joannem Lateranensem Archipresbytero, in hæc verba gratulatur; *Tanto zelo vidi te semper adversus perditos mores medullitus inardescere, ut Phinees vel Eliæ judiceris incendio non egere.* Et paulò inferius; *Nam velut egregius canis aulæ regiæ custos, nocturnas aures claris bombatibus impetit, eosq; ne libidinis suæ facibus palatiũ regale comburant, mordicus apprehendit.*

Zelus.

S. Pet. Dam. Prolog. Opusc. 18.

224. Laurus epigraphen, è Plinio desumptam, jure præfert. SEMPER DICATA TRIUMPHIS. Huic prærogativæ prolixè subscribunt Pierius Valerianus, P. Ludovicus Cerda; Joannes Thuilius, aliiq;. Maria Virgo eandem cum lauro virtutem habet, quæ clientibus suis millies assistens, ac opportuna victoriæ obtinendæ arma suppeditans, nunquam non ab hoste triumphat. Ut adeò à S. P. N. Augustino verissimè cognominetur, *Virtus pugnantiũ, & palma victorũ.*

Plin l. 15. c. 30. Pier. Val. l. 10. Hierogl. Lud. Cord. in Eclog. 7. Virg. v. 13. n. 14. Io. Thuil. in Embl 211. Alciat.

Maria V.

S. Aug. ser. de Nat. B. Virg.

225. Laurus, cum alterius lauri vel hederæ ramo collisa, Pierio Valeriano teste, ignem, veluti è silice excussum, spargit, Lemma; ATTRITU CONCIPIT IGNEM. Ita quisque hominum vitiosorum consuetudine utitur, paulò post, libidinis ardore intra pectus suum diffuso, impudicas flammas eliciet. S. Ephræm Syrus ait; *Cogitationis infirmitate laborans, si ad carnales homines accesserit, aut multùm cum iis sermonem miscuerit, commune cum iis damnum participabit.* Et S. Cyprianus; *Vitiorum exempla oppugnant animum, impellunt, transformant: miraculo erit, inter incendia vel non consumi, vel certè non calescere.* Compendio rem explicans S. Gregorius Nazianzenus canit;

Societas vitiosa

S. Ephrem. Tract. de mala conver. s vitanda.

S. Cypr. l. de Spectaculis.

S Greg Naz. in suis Tetrestichis.

Si frequens sis cum malis, eris malus.

226. Qui vocanti Deo citra moram respondens, copiosa virtutum germina producit, laurum imitatur; cum inscriptione è Plinio mutuatâ; PRIMO GERMINAT FAVONIO. S. Maria Magdalena, excitantis pratiæ invitamento vix cognito, mox sanctarum operationum virorem spargere, & in amplissima virtutum germina excrescere cœpit. Latro, in promptissiæ voluntatis suæ præmium, cœlum accepit. Præclarè, ut solet, Magnus Augustinus de illo ait; *Citò ignoscit Dominus, quia citò ille convertitur.* Eâdem conversionis acceleratæ virtute insignes extitêre S. Paulus, Zachæus, S. Matthæus, & alii. S. Bernardus, ad virtutem sine morâ amplectendam fortiter exstimulans, *Cum* inquit, *à Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Ab ore putei gehennæ eripior, & inducias petam?*

Plin. l. 15. cap. 30.

Conversio prompta.

S. Bernard. in Declamat.

227. Duos lauri ramos, mutuò attritos, flammam elicere, experientia docet; Lucretio teste;

Exprimitur validis extritus viribus ignis,
Et micat interdum flammati fervidus ardor.
Mutua dum inter se rami, stirpesque teruntur.

Unde lemma; FLAMMESCIT UTERQUE. Certè mutuus duorum amantium occursus, vivaces in utroque flammas provocat. Bene dicit proverbiũ Hispanicum; *Encuentro de hermosura saca llamas de afficion.* Et Otho Venius;

Amantiũ occursus.

Due legni insieme scossi a poco a poco
Dan fiamma ardente; onde non men l'amante
Che palpa, ò incontra una beltà prestante
E se gli desta al core un vivo fuoco.

Oth. Venius Embl. Amor. fol. 134.

Ita quoque Eruditi, quando, de litteris aut virtutibus disputaturi, congrediuntur, mutuam sibi lucem afferunt; sicuti vicissim flagitiosi ac lascivi è coactis conventiculis in concupiscentiæ, errorum, aut scelerum flammas longè ardentissimas concitantur. Seneca; *Ut quædam in contactos è corpore vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus fortem, &, si liceat, virum emollit. Avaritia in proximos virus suum transtulit.*

Societas.

Senec. l. 3. de Ira. c. 8.

228. Laurus, igne correpta, amœnum odorem exhalat. Und inscripsi; FRAGRAT, CUM FLAGRAT. Illius hæc imago est propria, qui vitiosis affectibus acerbè exagitatus, suavissimam virtutum fragrantiam diffundit. S. Ambrosius testatur, Theodosium Imperatorem nunquam majorem clementiæ odorem sparsisse, quàm ubi iracundiæ motibus omnium maximè commotum se senserat. *Tunc proprior erat veniæ, cùm fuisset commotio major iracundiæ. Prærogativa igoscendi erat, indignatũ fuisse. &c.* Propriè tamen, & ad litteram imago ista S. Marcianum, primum Tortonæ Episcopum & Martyrem, concernit, cujus corpus, ignitis laminis excruciatum, pretiosissimum odorem spirabat.

Justus.

S. Ambros.

S. Marcianus Mar- tyr.

229. Josephum Laurentium, Justi Lipsii discipulum, hominem eruditissimis voluminibus, in publicam lucem editis, illustrẽ, & amicum meum in paucis charum, cùm vivis excessisset, ejusque justa funebria solemni apparatu in civitate Lucensi persolverentur, & ego aliquot Emblematis, veluti totidem pristinæ consuetudinis meæ extremâ syngraphâ, prosecutus sum. Primum ergò Emblema lauro constabat, quæ ex uno latere coronam lauream; ex altero verò aliquot aves, pro laureis baccis decerpendis certatim advolantes, ferebat; cum lemmate, ET DECUS, ET ESCAM. Innuebam videlicet, illum in Auditores ac discipulos cùm virtutum suarum ornamenta, tum amplissimæ eruditionis alimenta derivâsse. Gemina quippe Doctoris aut Prædicatoris virtus, ac veluti nativus character esto, ut suos auditores & ornatu,

Virtus.

Prædicator.

natu, & utilitate dicendi pascant. *Pro qualitate audientium formari debet sermo Doctorum, ut sua singulis congruant, & tamen à communis ædificationis arte nusquam recedat*; inquit S. Gregorius Papa. *S. Greg. in Pastoral.*

230. Ad ejusdem apparatum funebrem, aliam suspendi laurum, cujus radices, à falce incisæ, complures surculos progerminabant. Epigraphen ex Horatio addidi; NON OMNIS MORIAR. Significabam nimirùm; illum in posthumis suis voluminibus æternùm victurum. Horatius de se ipso ac poëmatis suis canit: Mors literati.

Horat. l. 3. Carm. Od. 30

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ Pyramidum altius:
Quod non imber edax: non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum
NON OMNIS MORIAR: multaq; pars mei
Vitabit Libitinam.

Et Propertius: *Propert. ad Cinthiam.*

Ingenio stat sine morte decus.

De virtute idipsum experientia testatur, quod non in viris tantùm, sed & in mortuis æterna sit; Unde Seneca; *Nulli non virtus; & vivo & mortuo retulit gratiam, si illam bonâ secutus est fide.* Et Urbanus VIII. de virtute differens: Virtus. *Senec. Ep. 80* *Vrb. VIII. ad Ioan. Ciampel.*

Hanc colit Pindi chorus, Hippocrenes
Phœbus hanc limphis alit, ut perenne
Laureis frontem redimita sertis
Vivat in ævum.

231. Quantumvis hyems in infernum hunc orbem sæviat, singulaque elementa in crudelitatis suæ partem ita advocet, ut aër, niveos despumans floccos, humum undique tegat, & terra frigoris duritie in glaciem undique concrescat; Laurus tamen, his omnibus cœli injuriis longè superior, virorem suum assiduò conservat incolumem. S. Isidorus; *Laurus à verbo laudis dicta. Hanc arborem Græci daphnim vocant, quod nunquam deponat viriditatem, inde illâ potius victores coronantur.* Proindè Laurus, nivibus undique cooperta, totoque conglaciata trunco epigraphen à me recepit; ÆTERNUMQUE VIREBIT. Innuebam videlicet, Laurentium, morte ac cineribus sepultum, nullam gloriæ ac nominis sui jacturam sustinuisse; Psalte Regio suffragante; *In memoria æterna erit justus. Eo ipso enim,* subjungit S. Greg. Papa, *quo facta sua solius Dei oculis imprimit, nomen suæ memoriæ in æternitate figit.* Huic conformis Siracides, de hominibus virtuosis pronuntiat; *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem.* *S. Isid. l. 18. Orig. l. 7.* Virtuosus est immortalis. *Psal. 111. 7.* *S. Greg. l. 11. Moral c. 54.* *Eccl. 44. 14.*

232. Lauri ramo, intra flammas collocato, inscripsi; ET FRAGRAT, ET RESONAT. Dicere volebam Laurentium, illum, utpotè optimum sacerdotem, cum celsissimæ doctrinæ famâ, illustrium virtutum fragrantiam miro conjugio copulatam habuisse; bene monet Magnus Augustinus: *Adde scientiæ charitatem, & utilis erit scientia; non per se, sed per charitatem.* Eadem imago etiam S. Laurentii Martyris est propria, qui intra Martyrii sui flammas suavissimum sanctimoniæ ardorem, & justas adversus impiissimum tyrannum querelas sparsis; *Dum in craticula superpositus ureretur, ad impiissimum tyrannum dixit; assatum est, jam versa, & manduca, &c.* In hanc rem Joan. Bapt. Bargioccus canit. Scientia cum virtute. *S. Aug tract. 27. in Ioan.* S. Laurentius. *Io. Baptist. Barg. l. 1. Epigram. 19.*

Dum cubat ardenti Laureus resupinus in igne,
Quàm miros usto fundit ab ore sonos!
Verte, ait, immitis mea torrida membra Tyranne,
Et rabidam assata comprime carne famem.
Tu tamen haud juvenem mireris in igne loquentē,
Nam flammis semper Laurus adusta sonat.

233. Plerisque scriptoribus certum est, Laurum ab omni fulminum injuria immunem esse. Quare Tiberius Cæsar, referente Joanne Sarisberiensi, *turbatiore cælo lauream coronam gestabat in capite: quia hoc genus frondis fulmine negetur afflari.* Hanc ego Emblemati formando occasionem captans, fulmen depinxi, quod supra lauri verticem è nube prorumpens, intactam illam prætereat; cum epigrammate; INOFFENSA PERENNAT. Mens imaginis erat, Josephum Laurentium, tametsi mortis fulmine tentatum, suâ tamen illustrium virtutum famâ æternos victurum annos. Ovidius; *Ioan. Sarisb. lib. 1. de nugis Curial. c. 13.* Mors hominis literati. *Ovid. l. 3. Pont Eleg.*

Corpora debentur mæstis exanguia bustis;
Effugiunt structos nomen, honosque rogos.
Occidit & Theseus, & qui comitavit Orestem:
Sed tamen in laudes vivit uterque suas.

Eodem Emblemate demonstratur, hominis justi animam inter detractionum & calamitatum fulmina innoxiam vivere. Præclarè Magnus Augustinus. *Nolite timere contumelias, cruces, & mortem: quia si nocerent homini, non eam pateretur homo, quem suscepit filius Dei.* Justus. *S. Aug. l. de Agone Christi. cap. 11.*

234. Laurus, geminâ peculiari prærogativâ, & à fulminum ardore defendit, & Imperatorum ac Poëtarum frontes coronat. Unde lema; PRÆSIDIUM, ET DECUS. Idipsum virtus assolet, quæ suos clientes pulcherrimis ornamentis, & valido adversus hostes præsidio afficit. Nam, *Omnis virtus*, teste Magno Augustino, *quantò melior atque sublimior, tantò firmior invictiorq; est.* Opportunè meus Carduc. Virtus. *S. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 11*

Fulmina restinguit laurus, crinesque coronat;
Præsidium virtus nempe, decusque parat.

235. Guilielmus utriusque Bavariæ Dux laudatissimus & sanctissimus, symboli loco laurum prætulit, à fulmine illæsam; cum lemmate, VINCIT VIM VIRTUS. Uti enim fulmina laurus, ita animus, virtute munitus, omnem hostium vim haud operosè declinat. S. P. Augustinus; *Corpus, qualecunq; sit, animum virtute præditum, non vincit: nullusque vitiosus animus virtute armatum animum superat.* Virtus est invicta. *S. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 10*

LARIX. Cap. XVII.

236. Larix, è pinorum genere, igni imposita, calesit, non tamen ardet; vel, ut alius docet, ARDET NON CONSUMITUR. Damnatorum hoc symbolum est proprium. Unde nonnemo eidem hanc subjecit gnomam allegoricam; COMITE NEQUITIA. Jobus mirificè in rem nostram; *Luet, quæ fecit (impius) nec tamen consumetur.* Id est, interprete Pinedâ, *Sempiternis cruciatibus corpore & animo afficietur, & ita ipse impius non consumetur.* Minutius Felix; *Illic sapiens ignis membra urit & reficit; carpit & nutrit; sicut IGNES FULMINUM CORPORA TANGUNT, NEC ABSUMUNT: sicut ignes Æthnæ & Vesuvii, & ardentium ubique terrarum, FLAGRANT, NEC EROGANTUR: ita pœnale illud incendium, non damnis ardentium pascitur, sed inexesâ corporum laceratione nutritur.* Et S. Eusebius Emissenus; *Illud autem quis explicet, cùm cœperit inexpiabilis caro sævis gehennæ æstibus penetrari, & more ardentium metallorum inextinguibili fervore tota hominis substantia intus infundi, & depascentibus flammis corpora atque animas ex parte consumi, ex parte nutriri, ut inter medios ignium globos damnata natura det pabulum, & accipiat incrementum?* Comes Fulvius Testi amoris sui vehementiam ita explicat; Damnatus. *Iob. 20. 18.* *Pined. in hunc locum* *Euseb. Emiss. Hom. 1 ad Monach.* Amans. *Testi in un suo sonnetto facendo parane dei sui amore con la zolfatara di Bozzuolo.*

Quel ch'arde, e non consuma eterno ardore
Vero ritrato è pur de miei martiri,
Poch' ARDE, E mai NON SI CONSUMA il core.

237. Larix inter medias flammas nihil penitùs detrimenti accipit. Plinio teste, *Larix nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi consumitur.* S. Caroli patientia, tametsi mille adversitatum flammis tentata, semper tamen imperterrita ac firma perstitit. Hanc proinde Bartholomæus Rossius cum larice, intra ignem collocatâ, comparat; additâ inscriptione; ILLÆSA SERVATUR. Sanctos illos hoc Emblema spectat, qui rogis ac fornacibus accensis injecti, incolumes evasêre; uti Juvenes Hebræi in fornace Babylonica; S. Joannes in ebullientis olei lebete; S. Januarius Martyr in medio fornacis ardentis, aliiq; Homo quoq; patiens inter quæcunq; adversitatum incendia semper persistit illæsus: Unde supplex Deo Magnus Aug. orat. *Tu Domine, qui exterius flagella irrogas, da semper interius indeficientem patientiam.* Cæterùm illi etiam hâc icone significantur, qui, libidinis ardore stimulati, mentem suam puram, nullaq; sorde temeratã conservant; uti Loth inter Pentapolitanorũ spurcitiem; Josephus Patriarcha inter adulteræ violentiã; Crispus, Constantini Magni filius, inter ignea Faustæ Imperatricis tentamenta; Ut adeò quivis illorum, ad Deum conversus, Siracidis ore exclamaverit; *Liberâsti me à pressura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.*

lin. l. 16. 10. — Patientia. — Justus inter malos. — Aug lib. Medit c. 38. — Eccles 51. 6.

LIGNVM. BACVLUS. Virga Cap. XVIII.

238. Lignum, teredine vitiatum, Emblematis loco teredinem vicinam habet; cum dicto; ETIAM EX ARIDO. Hinc patet, etiam ibi defectus aliquos nasci, ubi omnis malorum fomes consenuisse, ac pridem extinctus esse videbatur. Sicuti enim ex arido ligno nascuntur vermes, ita non rarò ex effœto & arente corpore libidines aliaque vitiorũ infecta. S. Gregorius Papa refert, Ursicinum Presbyterum, cum jamj. m animam exhalaturus, fæminam cerneret, illius invisendi causâ propinquantem, protinus eam facessere jussisse, cum dicto; *Recede mulier, quia adhuc igniculus est.*

Peccati occasio. — Greg. Pa. in Moral.

239. P. Camillus Anticus ligno putrido ac relucenti subscripsit; EX PUTRIDO LUMEN. Vel; QUIA PUTRUIT, NITET. S. Jobi hanc effigiem dixeris, qui è putredine, in sterquilinio contractâ, splendorem mirum ac prorsus gloriosũ induit. *Illud STERQUILINIUM,* inquit S. Joannes Chryſ. *quàvis REGALI SELLA SPLENDIDIUS.* Et rursus; *Job clarus quidem erat & in quiete, CLARIOR autem POST TRIBULATIONEM.*

Job. — Io Chryſ. in Caten. Grac. — Idem Hom. 6. ad Pop.

240. Venetiis, & alibi, ad ædium fundamenta stabilienda firmum è palis, densè in terram defixis, stratum supponere solent. Unde Academia Veneta ligneum illud stratum, cum instrumento, ad palos defigendos destinato, Emblematis vice usurpat; addito lemmate, HINC ATTOLLERE MOLES. Innuit videlicet, res quasvis maximas originem suam à rebus exiguis ac vilibus trahere. Certè Christus S. Ecclesiam, totius universi Dominam, hominibus excalceatis ac rudibus, ceu fundamento, imposuit; ut adeò vastissima illa moles basi hâc debilissimâ nitatur. Præclarè dixit Magnus Augustinus; *Cogitas magnam construere fabricam celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis.*

Principia exigua. — Aug. ser. 10 de Verb. Dom

241. Quantùm Horatius Spinola Cardinalis pro aliorum emolumento fatigari sit solitus, nobile quoddam ingenium in funebri ipsius pompâ è ligni Emblemate dignoscendum proposuit; quod vitem, uvis onustam, sustinebat; cum lemmate, LABORAVI SUSTINENS. Verissimè scripsit meus Concanonicus S. Ivo Carnotensis Episcopus, *Quid est Episcopatus, nisi cruciatus? QUID Aliud EST hic HONOR, NISI ONUS?* Unde S. Paulus Episcopatum vocat *Opus ministerii.* Nam interprete S. Isidoro Pelusiotâ, *Opus est hæc res, vir optime, non ludus atque animi oblectatio; cura, non luxus; munus, non imperium.*

Episcopatus fatigat. — Ivo Carnot. Epist 17. — Ephes. 4. 12. — S. Isid. l. 3. Epist 216.

242. Baculus, mediâ parte extra aquas, & reliquâ intra illas figuratus, tametsi re ipsa nullam habeat curvitatem, oculos tamẽ nostros ita fallit, ut curvus esse videatur. Unde nonnemo subscripsit; FALLIT IMAGO. Et Saavedra; FALLIMUR OPINIONE. Hinc collige, quàm frequentibus fallaciis opinio ac potentia nostra imaginatrix subjaceant. *Plura sunt,* inquit Seneca, *quæ nos terrent, quàm quæ premunt, & sæpius opinione, quàm re laboramus.* Et rursus; *Magno animo de rebus magnis judicandum est: alioquin videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est. Sic quædam rectissima, cum in aquam demissa sunt, speciem curvi, præfractique visentibus reddunt.* Haud aliter Epictetus ait, quod homines *non rebus sed iis, quas de rebus habent,* OPINIONIBUS PERTURBANTUR. His S. Joannem Chryſ. jungo; *Quomodo,* inquit, *non puerilis sit mentis, CIRCA UMBRAS attonitum esse, & in his tabescere, quæ paulò post transeunt? Ait enim; præterit figura hujus mundi. Cùm igitur audieris quod transit, quid ampliùs jam quæris? Cùm audieris, quod figura tantùm sunt omnia humana, veritate carentia, quare sponte DECEPTIONEM SUSTINES?* Plurimi, prô dolor! sunt, qui baculos intra aquas defixos, imitati, humilitate ac Dei timore profundissimè videntur incurvari, re tamen ipsâ meri sunt hypocritæ, neque sub adulterinâ facie quidquam aliud aspectantibus objiciunt, nisi dolos & fallacias.

Falli. — Senec. Ep. 13. — Epist. 71. — S. Io Chryſ. Hom 19. ad Popul. — Hypocrita.

243. Joannes Ferrus, integritatem ac justitiam Emblemate significaturus, halterem, seu baculum illum statuit, quem funambuli, ad corpus suum ex æquo librandum, manibus gestant. Unde halteri illi, supra extentum funem transversim depicto, inscripsit; ET ÆQUO PONDERE. Judicis hoc munus est, ut ex æquo, & ad legis perpendiculum, sepofito omni peculiari affectu, nullâque præcipiti levitate admissâ, juxta maturum judicii pondus, decernat. Opportunè S. Ambr. *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ propositio voluntatis, sed juxta leges & jura pronuntiat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati &c.* Et Cassiodorus; *Quamvis nomen odiosissimum furum, generalis persequatur assensus, tamen quia de effusione humani sanguinis agitur, nihil subitum aut indeliberatum jubemus assumi.*

Judex prudens rectus. — S. Ambr ser. 20 in Ps. 118. — Cassiod. l 7. Var. Ep. 8.

244. P. Dominicus Gambertus Symboli loco virgam imperatoriam, seu baculum, belliducibus usitatum, depinxit; eumque, à veterum Imperatorum ac Belliducum manibus sustentatum, hoc Claudiani lẽmate insignivit; INDOCILIS FLECTI. Belliducẽ, in suis expeditionibus firmum ac constantem, hæc imago designat. Peccator quoque, in vitiis obduratus, nonnisi difficillimè ad virtutem inflectitur. Denique Christus Judex, sententiæ suæ fulmine semel adversus reprobos vibrato, sese in aliam partem flecti æternum non patietur: Probrosum enim non tantùm Christo, sed etiam cuivis alteri Judici foret, si à recta sententia unquam se detorqueri permitteret. *Turpe est mutare sententiam, sed veram & rectam. Nam & stultam & noxiam, & laudabile & salubre est;* inquit Magnus Augustinus.

Claud. l. 1. de Rapt. Proserp — Bellidux resolutus. — Christus Judex. — S. Aug Epist. 2 0.

245. Fasciculus virgarum, epigraphen subjunctam habet; SIMUL JUNCTÆ. Ad Siluri, Scytharum Regis, factum hæc imago alludit; significatque, quãtùm adversùs hostes possit sola populorũ ac provin-

Concordia.

Prov. 18. 19. ciarum concordia. Dilucidè Salomon; *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Agesilaus, interrogatus, cur Spartanorum civitas sine mœnibus esset? mox vultu ad suos cives, fortissimè unitos, & armatos, converso, iisq; digitum intendens, respondit; *Hi sunt Spartes civitatis mœnia.* Tertullianus, ævi sui Christianos ad infernum triumphandum opportunis artibus instituens, ajebat, *Inveniat munitos, & concordiâ armatos, quia pax vestra bellum est illi.* Hugo Victorinus noster, ad illa Psalmi verba reflectens; *Factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum;* subjungit; *Ex quibus verbis patet, quod omnia diabolica arma frangit concordia.*

Plut in Apop. Lacon. — Tertull. l. ad Mart cap 1. — Psal 75. 3. — Hug Vict. in cap. 1. Reg. S. Aug.

246. Æneas Sylvius Picolominius, postea Pius II. cùm citra omnem expectationem, non verò citra omnia merita, ad Summi Pontificatus apicem promoveretur, sibimet Aaronis virgam, Symboli loco, statuit, cum dicto; INSPERATA FLORET. Ita omninò Divina pietas ac beneficentia frequenter in rebus desperatis opportunissimos felicitatis flores producit. Videbatur equidem omnis emergendi spes in Isrëelis populo præcisa, quando adulti inter Ægypti fornaces conficiebantur, eorumq; infantes publico decreto in Nilo flumine submergendi erant. Sed ecce quàm nihil adversùs Superûm providentiam possit omnis humana prudentia! eodem tempore, quo omnium minimè sperari poterat, gratias suas efflorescere fecit optimus Deus, &, cum recens nato Mose, etiam populi illius felicitatem, tot votis hactenus expetam, nasci voluit. Aloysius Lippomannus; *Nascitur tunc salutis auctor, dum maximè gloriatur perditionis crudelitas: & ubi omnis spes desinit, & humanum auxilium, tunc adest Divinum.* Providè monet Magnus Augustinus; *Nec sic de misericordia Dei præsumatis, ut potestatem contemnatis; nec sic potestatem timeatis, ut de misericordia desperetis.*

Misericordia Divina — S. Aug. in Psal 61.

247. Inter cæteros solemnes apparatus, Mantuæ ad honorem Mariæ Virginis exhibitos, Symboli loco Aaronis virgam depinxere, quæ inter complures alias arentes & exsuccas, efflorescens, epigraphen habuit; SOLA FLORET. Prærogativa enim Mariæ Virginis eximia & prorsus singularis fuit, quod inter omnes mulieres sola Dei filium, instar suavissimi floris, è virgineo utero suo, absq; ullo maris congressu, conceperit, &, æterno totius mundi bono, enixa sit. De hoc virginis miraculo ac privilegio vaticinatus Isa. ait; *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Hunc locum exponens S. Hier. *Nos,* inquit, *virgam de radice Jesse Sanctā Mariam Virginem intelligamus, quæ nullum habuit sibi fruticem cohærentem, de qua supra legimus. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & florem Dominum Salvatorem.*

Maria V. fœcunda. — Isa. 11. 1. S. Hier. in hunc loc.

248. Aaronis virgam, *quæ,* asserente Richardo de S. Laur. *nec radicata plantario, nec defossa sarculo, nec animata succo, nec fœcundata semine floruit, fronduit, nucesq; peperit;* hoc epigrammate loquentem introduxi; ET ARIDA FLORUI. Enimverò Jesum Christum, florem longè pulcherrimum, ac fructum pretiosissimum, Maria Virgo sanctissima, ab omni maris complexu ac semine prorsus aliena, peperit. Proindè idē Richard. subjungit; *Virgo Maria est arida virga Aaron, quæ sine humore virilis seminis peperit amygdalam, Christum videlicet.* Philippus Abbas dicit, quod virgo sacratissima fuerit *Virga Aaron arida, absque fomentis naturalibus fructificans.*

Rich. à S. Lau l. 10. de laud. Virg. — Maria V. fœcunda. — Idem l. c. — Philipp. Abb. l 1. in Cant. v. 16.

249. Nobile quoddam ingenium S. Theresiam, innumeris prodigiis illustrem, cum virga Mosis comparabat; addito lemate, HAC MIRABILIA. Mentem Emblematis hoc disticho explicatam accipe;

S. Theresia

Acta manu Hebræi Ducis admiranda patravit
Virga dim at nostro tempore Virgo Dei.

Mariæ Virginis hanc iconem proprissimam dixeris, quæ Deo, ad summi momenti prodigia, instrumenti loco deserviit. Absalon Abbas ait; *Virga Moysi, per quā fecit signa in Ægypto, Maria est, per quam Deus FECIT MIRABILIA in mundo, è quibus unum de maximis est, quod versa in colubrum, dracones Ægyptiorum devoravit: quia cum de se Christum in similitudinem carnis peccati genuit, omnia crimina, omnes hæreses impiorū, quæ hujus mundi Ægypto illudebant, tum virtute prolis, tū exemplo suæ sanctitatis delevit.* Cæterùm icone illâ etiam miracula, per Servatoris nostri Crucem producta, non incongruè significare licet. De hac S. Ecclesia canit; *Ad Crucis contactum surgunt mortui, & Dei magnalia reserantur. Adsunt prodigia Divina in Virga Moysi primitus figurata.*

Maria V. — Absal. Al Serm. 34. — S. Crux. — Brev Rom 3. Maii.

250. Virga oculata epigraphen sustinet; VIGILAT, ET CORRIPIT. Explicatissima hæc Divinitatis idea est; unde & veteres Ægyptii, teste S. Cyrillo Alexandrino, *Volentes significare Deum, pingebant oculum, cui baculum substituebant;* Sicque in oculo perspicacem Dei vigilantiam; in virga verò justissimum illius rigorem repræsentabant. Cæterùm Prælati ac Principes, quos Deus in mundo vices suas agere voluit, ad illius hieroglyphici normam sese cōponant, studeantq; pro regiminis commissi exigentiâ, & indefessè vigilare, & discretè castigare.

Deus. — S. Cyrill. l. 9. cont I — Princeps Prælatus

251. Virga Mosis à P. Jacobo Masenio epigraphen recepit; ET PETRAS VERBERE FRANGIT. Mariam Virginē hæc imago spectat, quæ durissima quæq; hominum pectora emollire, & in lachrymas resolvere potest. Unde verè à Buteone cognominatur, *Virga mystica.* Et à Joanne Geometrâ, *Petra melle, id est verbo fluens.* Mentem Emblematis ita explicat Author;

Maria V. — But. in hymn. Gr. p. 1. — I. Geom. in Cat. au ad cap. 1 I.

Virga suo potuit tactu diffindere petras;
Saxea quantumvis pectora Virgo movet.
Optatas traxit Moyses de rupibus undas:
Eliciet lachrymas Virgo vocata tuas.

252. Virga aromatica, odores suos nonnisi intra flam̄as spargere solita, eodem Masenio authore epigraphē sustinet; MORIENS PLACET. Maria Virgo à Raymundo Jordane rectè vocatur *Virgula fumi;* quippe quæ amoris igne succensa, suavissimos virtutum odores sparsit, tandemque etiam animam suam in illo amoris incēdio exhalavit. De hac Virgine dulcissimâ quasi attonitus exclamat Sacri Epithalamii Spōsus: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertα, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris? Et bene quasi virgulā fumi,* subjungit S. Hier. *quia gracilis & delicata, quia Divinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pii amoris, & desiderio charitatis. Ut virgula fumi ex aromatibus, nimirum, quia multis repleta est virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suavissimus odor, etiam spiritibus Angelicis.* Emblematis mentem sequenti Epigrammate explicat P. Masenius;

Maria V. — Raym. Ior. p 14 c. 56. — Cant. 3. 6. — S. Hier Ep. ad Pau & Eustoch

Ignis in optatos dissolvit aromata fumos,
Et lento sensim pascit odore polos.
Virgo virga fuit; virtus suffecit odores;
Ignis amor, fumus vita, quiesque Deus.

MALUS PUNICA, seu Granata. Cap. XIX.

253. AD honorem B. Andreæ Avellini, D. Aresius simboli loco malum punicum statuit, quod naturâ suâ per medium dissiliens, è tanto granorum numero nec unicum sibi excidere sinit. Epigraphen addidit. NEC UNUM CECIDIT. Innuebat videlicet, Beatum illum è tot animabus, regimini ac

Cura animarum.

S. Antioch. in III.

ac curæ suæ concreditis, nullam unquam perdidisse. Ad hoc argumentũ S. Antioch ait; *Oportet, ut pastor totus sit mens oculusq́, virgam seu baculum gestet oculatum & vigilantem, ut ne una quidem concreditarum sibi pecudum fiat rejicula, & indigna, quæ recipiatur à Domino.* Vel certè significabat, Andream regularis observantiæ ita fuisse studiosum, ut nullum unquam ipsius apicem neglexerit, aut inobservatũ sibi excidere sit passus. Cæterùm quia Emblematis hujus gnoma è Regum Fastis desumpta est, *crevit autem Samuel, & Dominus erat cum illo; & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terrã;* idcircò cumprimis Prophetarum vaticinia denotat, quæ, nullo unquam effectu suo frustrata, certissimo & infallibili semper constitêre eventu. Unde Josue de promissis, Hebræorum populo à Deo factis, testatur; *Ne unum quidem verbũ, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritũ fuit, sed rebus expleta sunt omnia,* seu, ut Hebræus ac Græcus contextus traduxêre. *Non cecidit verbum ex omnibus verbis bonis, quæ locutus est Dominus.* Eâdem planè ratione verbum Dei, universo orbi per ministros Evangelicos annuntiatum, quâvis minimâ sui particulâ plurimùm utilitatis confert.

[Margin: Religiosus observans. — Reg. 3. 19. — Prophetia impleta. — Jos. 21. 43. — Verbũ Dei]

254. Theobaldus, Cardinalis Aragonius, Symboli loco malum granatum, tenuissimâ fissurâ apertum, habuit; cum lemmate, SUB CORTICE TEGO. Vel, ut alii, PULCHRIORA LATENT. Emblemate isto Principem, in arcanis suis occultandis prudentem, vel in protegendis subditis benignum significare licet. Idem etiam hominem modestum, suas virtutes abscondere solitum, concernit. Venerabilis Beda *Sicut cortex mali punici solum quidem ruborẽ foris ostendit, sed multa interius grana, quibus exuberat, occultat; ita anima, Deo devota, ac salubriter verecunda, plura virtutum genera, quæ foris minimè apparent, continet.* Cæterùm imago illa etiam amoris occulti est propria, de quo Hermannus Hugo canit;

[Margin: Secreta abscondi. — Protectio. — Ven. Beda in Cant. 6. — Amor occultus. — Herm. Hug. Desid. Eg. 13.]

Quæ mea sint igitur, dum triste gemo, lamenta,
Nonnisi nos soli novimus, ille, & ego.
Quid voveam tacitis, dum compleo littora, votis,
Nonnisi nos soli novimus, ille, & ego;
Quid clamem, mea dum sese suspiria rumpunt;
Nonnisi nos soli novimus, ille & ego.

In hanc rem plurimùm gratiæ habet Othonis Venii Emblema, ubi Cupidinem larvato vultu cum amasiâ loquentem sistit;

[Margin: Oth. Ven. Embl. Amor. 220.]

Larvatus licet incedo, coopertus & ora,
Non est quòd metuas, chara puella, dolos.
Sum tibi sincerus, populo fucatus: Amoris
Garrula ne nostrum lingua revelet opus.

255. Prælatum quemdam, è dignitate Episcopali, ad Eminentissimorum Cardinalium Purpuram evectum, mali granati symbolo repræsentavi; istud enim primâ suâ ætate virescens, tandem sub ardore solari coccineum purpuræ colorem induit. Epigraphen addidi. PURPURAT EX VIRIDI. S. Ecclesiam hæc imago denotat, quæ è nupera Christi institutione adhuc virescens, copiosos SS. Martyrum sanguine, ceu purpurâ, tincta fuit. S. P. Aug. *Purpurata est universa terra sanguine Martyrum, floret cælum coronis Martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis Martyrum, insignita sunt tempora natalibus Martyrum, crebrescunt sanitates memoriis Martyrum.* Cæterùm Emblemate illo meus Carducius S. Thomam Cantuariensem, Canonicum Regularem, ex Archiepiscopo Martyrem, insignivit;

[Margin: Ecclesia. — S. Aug. Psal. 3. Conc. 30. — S. Thomas Cantuariensis.]

Purpurat ex viridi gemmatum germine pomum:
Martyris en Thomæ sic rubet ense viror.

256. Homines, dignitatum purpurâ conspicuos, debere intellectu experto, ætate maturâ, ac virtutum meritis instructos esse, P. Dominicus Gambertus è mali punicæ fruge demonstrat, quæ, etiamnum tenera ac viridis, epigraphen subjunctam habet; PURPUREUM MATURA COLOREM. Hanc præceptionem probè observatam habebat magnus ille Moses, quando ad Judæi imperii purpuram non juvenes suos filios, sed Josue, virtutibus ac meritis longè maturiorem, tametsi ab extera tribu oriundum, elegit. De hoc S Hieron. *Moyses, amicus Dei, potuit utique successores principatûs filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus de alia tribu eligitur Jesus: ut sciremus, principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ.*

[Margin: Purpura debetur meritis. — S. Hier. Epist. ad Titum cap. 1. n. 5.]

257. Malum granatum, mediâ parte diruptum, epigraphen tenet; UT VIVANT, PEREO. Affectûs paterni hoc simulachrum est, qui, ut filios efficiat beatos ac felices, non rarò propriæ vitæ jacturam facere non abhorret. Hunc amoris excessũs Ambr. in Christo, tot suppliciis ac doloribus nostri causâ excruciato, deprehendit. *Tantum contulit nobis,* inquit, *ut, qui moriturus non erat, quia Deus erat, nostrâ illâ morte moreretur, ut nos ejus spiritu viveremus.* Et alibi; *Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur: & vestigiis nostris descendit usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam.*

[Margin: Affectus paternus Christus crucifixus. — S. Ambr. l. 3. de Spirit. S. c. 18. — Idem in Luc. lib. 10.]

258. Malum granatum, suâ sponte dirumpi solitũ, purpureos ærarii sui rubinos cuivis obvio, munificentiâ non minùs liberali quàm apertâ, offert. Unde lemma. QUANTO POSSO DONAR; TUTTO VI DONO. Id est, QUOD HABEO, LARGIOR. Hanc summæ charitatis liberalitatem sibi familiarẽ habuêre S. Martinus Episcopus, S. Thomas Villanovanus, S. Paulinus Nolanus, & S. Carolus Borromæus; qui ad aliorum egestatem sublevandam ipsos quoq; episcopatuum suorum redditus profuderunt, eosque, intra palatia sua receptos, propriis vestibus, cæterisque bonis liberalissimè donârunt. Probè enim hi edocti erant illud Magni Augustini effatum; *Qui manus ad eleemosynas expandit, dextralia à Christo percipiet.*

[Margin: Liberalitas — S. Aug. lib. 50 Homil. hom. 26.]

259. Malum punicum, adhuc integrum, visu quidem perquam venustum est; utpote quod verticem coronatum, ac reliquũ corporis sui orbem purpurâ auroque vestitum habet. At lacerum ac divisum, formâ præstat longè pulchriore: nam intra viscera ingentem granorũ cumulum, ceu totidem rubinos, superbè ostentat. Unde lemma; PULCHRIUS, CUM FATISCIT. Vel ut meo Concanonico, D. Philippo Mariæ Gallinæ placet; QUANTO LACERO E' PIV'; TANT' E PIV' BELLO. Id est; DISCISSUM PULCHRIUS. Unde Divina Sponsa, Sancta nimirum Ecclesia, genas, mali granati fragmento similes, habere dicitur. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Quantò enim majore hostium tyrannide fuerit sauciata, tantò majorem Sanctorum Heroum copiam spectandam exhibet. Oppportunè Venerabilis Beda; *Sancta Ecclesia, quò amplius eam frangi adversis contigerit, eò clarius, quot virtutum grana unius fidei tegmine complectatur, reserat.*

[Margin: S. Ecclesia. — Cant 4. 3. — Beda in hunc loc.]

260. Academici Secreti symbolo suo malum granatum incisum habent; cum lemate, LATENDO MITESCUNT. Innuunt videlicet, sicuti acida & aspera illius pomi granula, dum sub malicorio delitescunt, dulcedinem admodum gratam sortiuntur; ita obdurata & aspera quævis peccatorum corda, intra solitariæ vitæ angustias recepta, perfectionem, Deo suavissimam, induere. Aliis eidem symbolo hanc gnomam subjicere placuit; LATENDO NITESCUNT. Nam pomi illius granula, sub corticis velamine collecta, splendorem diaphanum acquirunt. Religiosis hanc iconem cumprimis affinem dixeris, qui intra solitudinem suam congregati, lucem longe clarissi-

[Margin: Religio. — Solitudo.]

S Ant. Pad. Dom. 4 Adv clarissimam, & existimationem coram mundo prorsus singularem sibi conciliant. Præclarè dixit S. Antonius Paduanus. *In deserto nitent virtutes, adstat gratiosus Deus*, Et Metaphrastes; *Metaph. ap. Lippomann. 29. Aug.* *Cur Joannes erat in deserto? Ne evanesceret in eum populi reverentia, quæ offuscatur conversationis assuefactione.*

Martyres. 261. Malum punicum, suâ sponte divisum ac reseratum, inscriptionem habet; SPONTE MAGIS. Sanctos Martyres hæc figura denotat, qui, non expectatâ carnificum violentiâ, se ipsos, suaque viscera tyrannis dilanianda ultrò obtulerunt. *S. Ambr. lib. Exhort. ad Virgin.* S. Ambr. de S. Sotere Virgine & Martyre scribit; *Illa ubi audivit hanc vocem* (nimirum. quod colaphis esset cædenda) *vultum aperuit, soli invelatâ atq; intecta martyrio, & volens injuriæ occurrit, vultum offerens, ut ibi martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris.*

262. Academici Secreti, supra citati, malo granato inscripsêre; MATURATA PRODIBUNT. Innuebant videlicet, se ingenii sui partus, nonnisi oblongâ temporum revolutione examinatos, in publicam lucem eniti velle. *Maturitas in loquendo.* Hâc diligentiâ S. Ambrosius quemvis sermonem nostrum condiendū existimat; *S. Ambr in Psal 48. 4.* unde super illa Psaltis verba, *os meum loquetur sapientiam*, ait; *Admonemur non tumultuarium proferre sermonem, sed exercitio quodam meditationis, & staterâ mentis internæ examinare dicenda.*

263. Mali punici granula, simul collecta, sese mutuò ita perficiunt, ut tandem miram suavitatem, ac formam, vel ipsis etiam rubinis invidendam, sortiantur. Unde lemma; MITESCUNT SIMUL. Vel ut meo concanonico D. Salvatori Carducio placet; *Societas bonorum.* GEMMASCUNT SIMUL. Hanc perfectionis communicationem certò sibi pollicere ausit, quisquis *S. Aug in Psal. 115.* virtuosorum consuetudine usus fuerit. S. P. Aug. *Sic se tenet corpus Christi, membra socia sic compinguntur & adunantur in charitatem, & in vinculum pacis, cum quisque id, quod habet, præstat ei, qui non habet.* Carducii hâc de re distichon est;

Gemmascit soboles, cætu sociata decoro:
Quam probus est socius, tam pretiosus eris.

264. Inter omnes arborum fructus solum malum granatum in vertice coronā regiam præfert. Proinde *Maria coronata.* hanc epigraphen sibi propriam vendicat; SOLUM CORONA PERSPICUUM. Scipio Bargalius hâc icone Mariā Virginē, in cœlis coronatam, ac reliquis *S. Bonav. in Specul. Virg. cap. 3.* cœlitibus longè superiorē, significat. Integerrimo adversus Deiparā affectu exclamat S. Bonaventura; *Virgo revera Domina est cœlestium, terrestrium, & inferorum.* *Rich à S. Laur. lib. 2. de laud Virg.* Et Richardus à S. Laurentio, *Omnis sanctus, respectu Mariæ, est sicut arena respectu auri.* Rem totam compendio proponens S. Ecclesia, eam passim hoc *Christus.* encomio salutat, *Regina Sanctorum omniū.* Cumprimis tamen æterni Patris Verbū illo mali granati Emblemate significatur, utpote quod è Virginis utero progerminans, præ cæteris creaturis omnibus coronam promeretur. Quod verò solus Christus eam *Prov. 8. 15.* promereatur, vel inde constat, quia mero illi⁹ favore ac gratiâ omnes mundi Reges inferum hunc orbē gubernant; ipsomet test. nte, *per me Reges regnāt.* Porrò corona Christo debetur, quia supremâ potestate, ci- *Dan. 2. 21.* tra cujusvis injuriâ, *transfert regna atq; constituit.* Insuper soli illi ea debetur, quia, D. Paulo asserente, *Bea- 1. Tim. 9. 15.* *tus & solus potens est, Rex regum, & Dominus dominantiū.* Denique coronā sibi uni propriam vendicat, quia clarissimi illi Monarchæ, in Apocalypsi descripti, corpore inclinato, ac coronis ad ipsi⁹ soliū depositis, se submississimos tāti Regis cliētes confessi sūt. quin, *Perseverantia.* etiā potentissimos hujus ævi Principes, Canutum Angliæ Rege, Godefridū Hierosolymarum Rege, aliosq; cōplures, diademata sua ad Crucifixi pedes demittere vidimus. Cæterum cùm omnes virtutes ex hominis justi anima, ceu totidem fructus è fœcunda arbore *S Bernar.* dependeant, non abs re interrogabis, cuinam illarum omnium debeatur corona? Quæsito respondens S. Bernardus, eam solius perseverantiæ propriam esse affirmat. Unde etiam consilii loco fidelissimè suggerit; *Studete perseverantiæ, quæ SOLA virtutum CORONATUR.*

265. Idem Bargalius poëmate pastoritio malum granatam expressit, quæ, fructibus onusta, infra aliarum arborum umbram erat collocata; cum lemate, MEGLIO MATURA AL OMBRA. Id est; MELIUS MATURESCO SUB UMBRA. Virgines, *Virgo.* etiamnum juvenculæ, hanc iconem documenti loco *S. Aug li d sacr. Virg* sibi ob oculos figant. De his S. P. Aug. *Dominica Virgo primitus publicos debet vitare conspectus, & platearum frequentiam devitare: atque in domo posita, operi lanifico insistere, vel lectioni divinæ.* Haud aliter bo- *Religio.* nus Religiosus, solitudinis beneficio, ad veræ perfectionis apicem promovetur. S. Bern. *Labor, & LA- S. Bernar in Epist.* *TEBRÆ, & voluntaria paupertas, hæc sunt Monachorum insignia, hæc vitā solent nobilitare monasticā.*

266. Rogatus à quodam è purpurato S. Ecclesiæ Senatu, ut Emblemare exprimerem, quod ipse cogitationum & affectuum suorū sanctimoniā, hactenus intra pectoris sui angustias conclusam, opportuno tēpore palā sit facturus, malū granatum expressi, quod, necdum quidem diruptum, sui tamen opportuno tempore aperiendi certissimam spem relinquit. Epig. addidi; MOX INTIMA PANDAM. Philo Carpa- *Intenti.* tius in rem nostram illa Sacri Epithalamii verbā ac- *Phil. Ca. in Cant. 3.* commodatè interpretatus, *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua*, ait, *Comparatur sancta anima malo punico, quia fovet in sinu suo cogitationum & desideriorum optimorum grana pulcherrima, quæ se OPPORTUNO TEMPORE PROMUNT, & aperiunt.*

267. Joannes Orozcus symboli loco malum granatum præfert, cum lemmate; AGRO DOLCE. Id est; *Misericordia & justitia.* DULCIS, ET ACER. Hinc Principes justitiæ suæ rigori clementiam affundere discant. Unde symbolum istud etiam Henrico Quarto tribuitur. S. Greg. *S. Greg li. Moral. c.* *Miscenda*, inquit, *est lenitas cum severitate, & faciendum quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur.* Et alibi Prælatum instru- *Idem lib. Epist. 8.* ens, ait; *Ipsa in te dulcedo, cauta non remissa sit, correctio vero diligens sit, non severa, sed sic alterum condiatur ex altero, ut boni habeant amando quod caveant, & pravi metuendo quod diligant.* *Amor.* Idipsum etiam de amore dixeris, cujus dulcedo semper individuum quemdam amatorem conjunctum habet. Unde Petrus Bembus canit;

Usato di mirar forma terrena
Questi anni à dietro: e torbido splendore,
Vidi la fronte di celeste honore
Segnata, e più che sol pura serena,
Corsemi un caldo al hor di vena in vena
Dolce, & acerbo; e passò dentro al core:
Del qual poi vissi, come vol'e amore
C'hor pace e gioia: hor mi da guerra, e pena,
La pena è sola: ma la gioia mista
D'alcun tormento sempre, e quella pace
Poco secura, onde mia vita è trista &c.

268. Me judice, pomum granatum hanc non incongruam epig. sustinet; PLURIMA LATENT. *S. Scriptura.* Ita quævis Sacræ Scripturæ periodus aut littera plurimos sensus, documenta, ac mysteria habet recondita. *S. Greg. in Ezech. 1* Unde de illa disserens S. P. Greg. ait; *In ea magna sunt volumina sententiarum, cumuli sensuum.* Ratione *S. Eccel.* haud multum dissimili in S. Ecclesiæ visceribus imensi virtutum & gratiarum cumuli asservantur. Appo- *S. Ambr. 3. Hexam.* sitè S. Ambr. de fructibus illis pronuntians. *Ecclesia*, inquit,

inquit, *Christi cruore dotata, simul plurimos intra se fructus usu istius pomi sub una munitione conservans, & virtutum negotia multa complectens. &c.*

269. Sincerum ac candidum hominis pectus D. Archangelus Conter malo granato, ceu typo, comparat, quod in plures partes divisum, epigraphen tenet; INTERIORA PATENT. Servator noster hujus virtutis observandæ plurimos modos suis amicis præscribit. Imprimis enim eos docet interioris animi sui clarissimas virtutes etiam in exteros diffundere; *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. &c.* Dein eosdem ad columbæ simplicitatem imitandam invitat, quæ technarum omnium penitus ignara, puram semper & ingenuam se aliis præbet. Opportunè Tertull. *Nostræ columbæ domus simplex: etiam in editis semper, & apertis, & ad lucem, nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondit.* Denique eos, *neq; peram, neque calceamenta* circumferre jubet, ut receptam in corde suo paupertatem etiam exteriore habitu manifestam facerent. Idipsum observans S. Bonaventura, ait; *Voluit autem Dominus hoc discipulis injungere, ut non solum essent pauperes, verum etiam apparerent.*

Sinceritas. Matth. 5. 16. Tertull. lib. cont. Valent. cap 3. Luc. 10. 4. S. Bonav. in hunc loc.

270. Malus granata, si myrto vicina fuerit, longè magis evadit frugifera, quam ubi ab arborum consortio remota existit. Unde Ferrus aliquot malos punicas myrtis propinquas, hoc lemmate notavit; PROXIMITATE FOECUNDIORES. Tantùm videlicet bona ac virtuosa hominum societas emolumenti affert. S. Isidorus; *Sicut bona multa habet communis vita sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum.*

Societas bona. S. Isidor. l. 2.

271. Pomum granatum, toto suo orbe ruptum, epigraphen tenet; NEMINI SUA MUNERA CLAUDIT. Hâc icone cùm personam liberalem ac generosam; tum gratiam ac bonitatem Divinam significare licet. Utraque enim versus omnes copiosè diffunditur, suasque opes liberalissimè communicat. S. Hildebertus; *Deus, ad excludendum periculosæ excusationis refugium, præparat hominibus gratiam suam, cui innitantur: distribuit instrumenta, quæ suffragentur: offert præmia, quibus excitantur. &c.*

Gratia Dei. S. Hildebert. Epist. 33.

272. S. Basilius testatur, malum granatum, pineo quodam cuneo diffissum, si antea fructus generaverit acidos, postea suaves, gustuique amænos proferre. Lemma; VULNERE PERFICITUR. Certè Saulus, paulò ante *spirans minarum & cædis*, vix cœlesti fulmine ac cæcitate percussus, victas illicò manus dedit, summamque suavitatem induit. Antiochus, Judæam deprædaturus, posteaquam ingenti suâ plagâ repulsam tulit, eidem tributarium se obtulit. S. Ignatius Loyola, vulneris dolore prostratus, cœlestem veræ perfectionis scholam attigit. *Nullus hominum*, Magno Augustino teste, *est tantâ justitiâ præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem.*

Act. 9 1. Calamitas utilis. S. Aug. l. 22. cont Faust. cap. 20.

273. Mali punici granula, quamdiu simul collecta manent, illustrem verticis sui coronam conservant incolumem & illibatam: at dispersa ac mutuò separata, mox eam perdunt, & diademate adeò insigni privantur. Unde P. Eustachius Venator, Augustinianus Excalceatus, inscripsit; LINQUUNT SEJUNCTA CORONAM. Ita homo, à proximi sui charitate alienus, indubitatam æternæ coronæ jacturam facit. Nam, ut benè ait Magnus August. *Membra Christi per unitatis charitatem sibi copulantur, & per eandem capiti suo cohærent, quod est Christus.* Exemplo suo id comprobat miserrimus Presbyter Sapricius, qui, Surio referente, post plurimos cruciatus, invicto animo pro sanctâ fide toleratos, tandem in martyrii sui pegmate jamjam securi feriendus, Nicephoro, veterem quamdam injuriam submississimè deprecanti, veniam omnem pertinaciter abnuit; unde factum, quod à sancto suo proposito ita miserè sit dilapsus, ut momento martyrii palmam, coronam, ac gloriam cœlestem, Deo ac Cœlitibus perjurus, amiserit. Patris Carducii hac de re epigrâma est;

Discordia. S. Aug. de Unit. Eccles. cap. 2. Surius 9. Februarii.

En super impositam linquunt sejuncta coronam,
Splendida dum renuunt degere grana simul.
Non secus Ecclesiæ nexu nisi corda ligentur,
Cælica sejunctis dempta corona perit.

274. Malum punicum apertum, inscriptionem legendam offert; QUOT GRANA, TOT GRATIÆ. Mariam Virginem hæc imago spectat, quæ ab Angelo salutata est. *Gratia plena.* Et *benè quidem*, subdit S. Hieronymus, *plena, quia cæteris per partes præstatur; Mariæ verò se tota infudit plenitudo gratiæ.* Unde P. Franciscus Suarez prolixè & eruditè demõstrat, Mariam Virginẽ à primo conceptionis instanti, usq; ad supremum vitæ, sua merita ita semper duplicando auxisse, ut in gradibus gratiæ & meritorum omnes omninò homines & Angelos simul sumptos longè superârit. Emblematis mentem hoc disticho explicat P. Masenius;

Maria gratia plena. S. Hiron. ser. de Assumpt. B. Virg. Franc. Suar. p. 3 Disp. 18. sect. 4.

Grana tot auratis non condit Punica malis,
Gratia quod Virgo pectore dona suo.

275. In encomium Cardinalis Julii Mazarini, pomum granatum, mediâ parte apertum, produxêre; cum lemmate, NOBILIORA LATENT. Sensum Emblematis ita explicatum accipe;

Quot grana ostentat, tot Sydera punica malus,
Sydera sub granis nobiliora latent.
Magna licet pateant de te, majora teguntur,
Dum te aperis, intus nobiliora tegis.

Porrò tametsi Justus exteriore corporis ac morum compositione plurimùm venustatis habeat, interior tamen animi decor longè est pulchrior. Id quod de Sacra sponsa sub eodem mali granati schemate expressit cœlestis Sponsus; *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absq; eo, quod intrinsecus latet.* Quasi diceret, interprete P. Cornelio á Lapide, *major est pudor & pudicitia interna, quam inde prodiens rubor & pudor genarum externus.* S. Gregorius de homine justo ait; *Valdè honestum est, quidquid in exterioribus operatur; quod simpliciter inter homines conservatur, quod ea, quæ videt, temporaliter concupiscere dedignatur &c. Sed vehementer pulchrius est & honestius, quod cordis desiderium illibatum conservare conatur, quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet, erecta contemplatur, quod in his, quæ interius videt, suaviter requiescit & mundatur.*

Justus. Cant. 4. 3. P. Cornà Lap in hunc loc. S. Greg. l. c.

276. Serenissimus Philotheus, inter cætera symbola planè elaboratissima, malum punicum exhibet; cum lẽmate, INTERIORA PLACENT. Sicuti enim non exterior pomi illius facies, utpote crasso ingratoque cortice circumdata, sed interior granorum dulcedo ac saporis suavitas spectanda est, Ita vir prudens neminem ab exteriore judicet vultu formâque; cum sæpè dura aspectu & ingrata rem pulcherrimam tegant; ex adverso grata, & jucunda exteriore cultu, interioribus laborent vitiis, & scrutantem penitius, inquirentemque turpiter deludant. In rem nostram S. P. Aug. *Corporis hujus, id est, exterioris hominis ornamenta, quantò magis appetuntur, tantò fiunt interioris majora detrimenta: quantò autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tanto magis moribus pulchris homo interior adornatur.* Corodinis loco sequens epigramma, veluti imaginis hujus Oedipum, habeto.

Interior pulchritudo. S. Aug. ser. 18 de Verb. Apost cap. 11

Punica

Punica mala suis stagnant uberrima granis,
Quæ pascunt oculos, & simul ora juvant.
Exteriora tibi, quæ sunt, si fortè probentur,
Gratulor. At nobis interiora placent.
Quid juvat exterior cortex, quid amica coloris
Gratia, si nobis interiora neges?
Pectoris interior virtus, & conscia recti,
Et mens, sinceræ simplicitatis amans.
Hæc mihi grana placent, has primum respice dotes,
Cætera villosi corticis instar habe.

MESPILUS.
Cap. XX.

277. Zincgreffius Mespilum, ex arbore sua pendulum, hoc lemmate notavit; NON MATURUM PRIUS, QUAM PUTRIDUM. Innuebat videlicet, hominem in senio primum maturè sapere. Platonis dictum est; *Mentis oculus tunc acutè incipit cernere, cum primũ corporis oculus deflorescit.* Præclarè in rem nostram S. Hier. *Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit. Unde & sapiens ille vir Græciæ Themistocles, cum expletis centum & septẽ annis, se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod tunc egrederetur e vita, quando sapere cœpisset. Plato octogesimo primo anno scribens mortuus est. Isocrates nonaginta novem annos in docendi scribendiq́; labore complevit.* Cicero Solonem prædicat, qui solus restitit Pisistrato, rempublicam per tyrannidem invadenti; cumque ille rogaret, *quâ re fretus hoc auderet?* respondit, *Senectute.* Hinc illud Homeri de Heroe quodam Ægyptio; *Qui jam senectute incurvus erat, & multa rerum experientiâ sapiens.*

Senectus sapit. Plato in Symp. S. Hieron. Ep 2 ad Nepot. Cicero lib. de Senect. Homer. in Odyss. P.

MORUS. MORUM.
Caput XXI.

278. Scipio Bargalius moro inscripsit; SERO FLORET, CITO MATURAT. Eorum hoc ectypon est, qui serâ ac tardâ pœnitentiâ ducti, postea celeres sanctimoniæ fructus faciunt. His jure optimo felicem Latronem, in vitæ suæ epilogo conversum, accenseas. Joannes Diadreus; *Morus novissima omnium germinat, & tamen parit inter primas: ita qui tempus idoneum opperiuntur rei conficiendæ, etiamsi serius cœperint, tamen maturius conficiunt.*

Latro bonus. Joan. Diadr. Tit Opportunitas.

279. Morum, quia tardè generatum, oblongo durat tempore. Unde Camerarii lemma; CUNCTANDO PROFICIT. Ita nimirum res omnes, lentis consiliis maturescere solitæ, ætatem ferunt, ac felicitatem diuturnam assequuntur. Verissimè Titus Livius; *Omnia non properanti, clara rectaque erunt*, Fabius Maximus, Hannibale ob crebras victorias plurimum fastuoso & arrogante, adversus hostem adeò magnum solâ in pugnando tarditate est usus, eâque Carthaginensium vires ad internecionẽ usq; fatigavit; Romanis interea, qui animum jam despondebant, denuò erectis, & roboratis; atque adeò *cunctando restituit rem.* Zeuxes, Plutarcho teste, longissimas in eadem icone pingendâ moras trahebat; causam interrogatus, respondit; *Diu pingo, quia pingo æternitati.*

Maturitas. Livius Deca 3. lib. 2. Plutarch.

280. Morus, pruinâ aut grandine percussa, epigraphen sustinet; FATO PRUDENTIA MINOR. Hinc colligere licet, quantùm Divina provdentia cuivis hominum sagacitati prævaleat. Pro Emblemate intelligendo advertas velim, in eo illa Divini Psaltis verba tacitè innui, ubi, inter cæteras Ægypti plagas, etiam moros à pruina quassatas recenset; *Et percussit in grandine vineas eorũ, & moros eorum in pruina.* Quantumvis enim arbores istæ in fructibus suis proferendis prudentem cautelam & diuturnas moras adhibeant, simulque frigoris rigores penitus sublatos, ac summam cœli temperiem expectent; nequaquam tamen Divinam potentiam, quavis sapientia & fortitudine superiorem, effugere potuêrunt. Verè dixit Sapiens; *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum; qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat.* Sic nimirum, asserente Chysostomo, *improbo homine nihil imbecillius: propriis armis capitur; quemadmodum ferrum à rubigne, & lana à tinea, ita etiam improbus à vitio,* Colophonem jungit Ovidius;
Plus valet humanis viribus ira Dei.

Prudentia humana. Psal 77. Prov. 21. S. Chrys. Psal 9. Ovid lib. Amor. 1. 9.

281. Morus, teneris vestita frondibus, epigraphen non incongruam sustinet; NONNISI FRIGORE LAPSO. Verbis ex illo Alciati disticho mutuatis;
Serior at morus nunquam, nisi frigore lapso,
Germinat; & sapiens nomina falsa gerit.
Idipsum affirmans Plinius; *Morus,* inquit, *novissimã arborum germinat, nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima arborum.* Hoc prudentis personæ symbolum interpretatus Joannes Thuilius, ait; *Ita vir prudens graviora negotia & consilia omnia consultò prorogat, neq́; ante tempus sese effert, sed maturam occasionem, citra noxam & periculum, expectat.* Nam, ut benè observat magnus Augustinus, Ubi *initium sine prudentiâ,* ibi *finis cum pœnitentia.*

Alciat. Embl 1. Plin. l. 1. cap 25. Prudentia. Io Thuin cit Emb. S. Aug 1 82.

282. D. Aresius Emblematis loco morum figuravit, quæ inter complures frondibus ac floribus ornatas arbores sola necdum germinare cœpit, cum dicto, TEMPUS MEUM NONDUM ADVENIT. Sanctum Patriarcham Franciscum hæc imago significabat, qui extremam paupertatem totis viribus amplexus, cunctis terræ delitiis ac mundi voluptatibus longissimè objectis, nonnisi in alterius vitæ æstate opum suarum flores recipere voluit. Hanc viri sanctissimi conceptam mentem probè assecutus S. Bernardus, piissimæ cuidam Virgini, ad modestiam & mundi contemptum penitus inclinatæ, id consilii suggessit *Quod si tibi exprobraverint filiæ Belial, illæ, quæ extento collo, fractis incedunt gressibus, compositæ & circumornatæ ut similitudo templi; responde, Regnũ meum non est de hoc mundo; responde, TEMPUS MEUM NONDUM ADVENIT; responde, gloria mea abscondita est cum Christo in Deo.*

Humilitas S Francisci. S. Bernd. Epist 113

283. Tametsi morus arborum omnium sit prudentissima, utpote quæ, omnem hyemis injuriam evitatura, tardius cæteris arboribus florescit; nihilominus tamen græco nomine vocatur, *Moros,* id est, *stultus.* Unde nonnemo illã hoc Alciati hemistichio ornavit. NOMINA FALSA GERO. Eorum hæc imago est propria, qui nomina, operationibus ac genio suo penitus contraria, præferunt. Ita Simeon Abbas, Surio referente, stulti cognomen habuit, tametsi profundâ sapientiâ, miraque virtute fuerit insignis. Ita etiam celeberrimus ille è Canonicorum Regularium Ordine Scriptor, se ipsum notissimo Idiotæ nomine compellans, doctissimos de Matris Divinæ gloriâ libros posteritati transmisit. Ausonius eâdem omninò ratione Heliogabalum Imperatorem reprehendit, quod Antonini nomine, tum temporis illustrissimo, ac solorum Magnatum virtuosorum proprio, donatus, opera tanto nomine digna, non exercuerit;
Tune etiam Augustæ sedis penetralia fœdas,
Antoninorum NOMINA FALSA GERENS?

Alciat. l. cit. Sur. 1. Iā. Nomen contra factis.

Comes

Comes Fulvius Testi, suorum operum poëticorum initio, fœminam quandam Indicam, æquè vultu pulchram, ac pectore rigidam, introducit; eamque Aprilem nomine, ita alloquitur;

Má se April siete voi,
Se col lume divino
Scacciate il verno, e serenate il die;
Ond' e, cruda, che poi
Di ghiaccio adamantino
V' armate il core á le querele mie?
Se cosi dolci, e pie
Vostre sembianze son, si caro è il nome:
Perche richiude il petto
Cosi contrario affetto?
Hor si, Donna crudel m' avveggio come
Cieco vi diede Amore
D' April il nome, e di Decembre il core.

pt.Guar. Madrig.123. Baptista Guarinus de Barbaræ nomine ita canit;

Dunque può star con barbara fierezza
Angelica bellezza?
Dunque di si bel viso
Barbaro è il Paradiso?
Barbara quella man, quella favella
Cosi soave, e bella?
Barbara a torto il mondo oggi vi chiama:
Barbaro è chi non v' ama.

Christ. Fin. lich. 51. Christophorus Finottus, Franciscum Mariam Rosatum epitaphio exornaturus, ad illius cognomen ita allusit.

Quid jacet in tumulo? Rerum sine imagine nomen,
Namque ROSA absque rosa, THUS sine thure jacet.

284. D. Octavius Boldonus ait, hominum decreta & operationes, quantumvis diuturnis consiliis agitentur, posse tamen promptas & acceleratas dici, modò naturâ suâ utiles ac proficuæ fuerint. Huic doctrinæ significandæ, Morum depinxit, quæ frondes ac fructus suos serò quidem, sed tamen unico penè momento simul producere solet. Epigraphen addidit; CITO, SI TUTO. Augustus Cæsar, apud Baptistam Fulgos. *Illud semper cito factum posse dici ajebat, quod, cum factum esset, bene haberet.* Catonis paræmia erat; *Sat cito, si sat bene.* Hujus effati memor S. Hier. ait; *Scitum est illud quoque Catonis, sat citò, si sat benè: quod nos quondam adolescentuli, cùm à perfecto Oratore in præfatiuncula diceretur, risimus.*

[Margin: ...onsulta-...; ...lg. l.7.c.2.; Hieron. ep. Pammach.]

285. Homini intra necessitatis angustias constituto, res quasvis, etiam minus delicatas & asperas, plurimum videri suaves & amænas, D. Carolus Rancatus è mori Emblemate demonstrat, cujus baccæ, supra dumeta ac spineas sepes sparsæ, hanc Virgilii gnomam inditam habent; NON ASPER EGENIS. Verba Poëtæ sunt;

[Margin: ...ecessitas ...cit aspe- dulcia.; Virgilius 8. Æneid.]

Aude hospes contemnere opes: & te quoque dignum.
Finge Deo, rebusque veni NON ASPER EGENIS.

Expertus id comprobat Darius Rex Persarum, qui ab Alexandro Macedone prælio victus & fugatus, maximam è fuga sitim contraxerat. Hinc aquam turbidam, in galea propinatam, tantâ voluptate bibit, ut fassus sit, se omni vitâ suâ suavius nunquam bibisse. *Quia scilicet*, ut Cicero subjungit, *Nunquam sitiens bibit.* Theodosius quoque Imperator, è venatione fatigatus, ad Monachi tugurium divertit, ibique panem aceto atque oleo maceratum tantâ aviditate comedit, ut candidè fassus sit; *Nunquam in palatio meo tantâ cum voluptate sumpsi cibum.*

[Margin: Cicero l. ult. Tusc. quæst.]

MYRRHA.
Caput XXII.

286. PRetiosus ac fragrans myrrhæ fructus duplici modo è nobili hoc arbusculo colligitur. Primo quidem suâ sponte aliquot guttulas è cortice suo exsudat; easque utpote summo pretio haberi solitas, Stacten seu Electam vocant. Secundò etiam, ferri acumine, per corticem transfixo, myrrhatas è vulnere guttulas fundit, quæ, quantumvis nobiles & odoræ, prioribus tamen virtute & pretio longè sunt inferiores. Proindè Lucarinus Myrrhæ arbusculum Emblematis loco statuit, eique, gummosum suum rorem citra violentiam exstillanti, subscripsit; PRÆSTANTIOR PRIMA. Ita quoque pœnitentia, mortificatio, Eleemosyna, aliæque similes virtutes, sponte suâ è pectore ac manibus nostris proficisci solitæ, longè magis à Deo æstimantur, quam reprehensionum aut morborum violentiâ extortæ. Ob eandem planè rationem beneficium, promptâ ac liberali voluntate erogatum, longè arctius gratos aliorum animos devincit, quàm violentis ac importunis precibus expressum. Demetrius, Stobeo referente, dicere solebat; *Si benè de aliquo mereri vis, citissimè da: morâ enim ingratum redditur, & parum amabile, quidquid dederis.* Idipsum, Luciani sententiâ, Ausonius suasit.

[Margin: Opera voluntaria.; Beneficiũ promptũ.; Stobeus.]

Si benè quid facias, facias citò: nam citò factum
Gratum erit; ingratum gratia tarda facit.

Et Theodoricus Rex apud Cassiod. *Apud conscientiam nostram leonis genus est, profutura tardare: nec possumus æstimare jucundum, quod ingratá fuerit dilatione suspensum.* Vetus paræmia est, *Qui citò dat, bis dat.*

[Margin: Cassiod. l.3. var ep.40.]

287. Comes Fulvius Testi de nobili hoc arbusculo testatur, eum, modicè incisum, in odoras ac suavissimas lachrymas dissolvi. Verba ipsius vernacula, pauca quidem, sed tamen amæna, hæc sunt;

E la pianta gentile
Che ferita nel sen lagrima odori.

Unde Ferrus illũ, à vicino cultello incisum, hoc lemmate ornavit; STILLAT INCISA. Eundem omninò morem in patientia ac verá virtute deprehendere licet; ut quarũ fragrantia ab homine justo nonnisi inter calamitates & offensas promanat. S. Ambros. *In vineis Engaddi lignum est, quod si quis compungat, unguentum emittit; si non incitatur lignum, non ita fragrat & redolet. Ita homo justus &c.* Iconem hanc Abbas Ferrus etiam iis tribuit, qui nonnihil offensi aut afflicti, gemitus ac suspiria emittunt. Propriè tamen, Bercorio afferente, sanctissimam Servatoris nostri humanitatem concernit, quæ clavis ac lanceis altùm transfixa, sanguinem suum, veluti myrrham, ad peccatorũ animas persanandas accommodatissimã profudit. *Christus*, inquit, *quando fuit incisus in passione, lancea scilicet, seu clavis, tunc vere exindè stillavit myrrha, id est, suus sanguis pretiosissimus, qui animam liberat peccatricem ab omni putredine peccatorum.*

[Margin: Virtus provocata; S. Ambr ser. 3 in Psal. 118.; Christus crucifixus.; Pet. Berc. Reduct. l. 12 cap. 98 n 1.]

288. Bargalius Christum in horto olivario cum hac myrrhæ arbore comparat, quæ pretiosos & amaros destillans sudores, epigraphen tenet; EMITTIT SPONTE. Simon de Cassia; *Sudat Salvator sudores sanguineos, voluntariè illos scaturiens, fundendũ sanguinẽ ex verberibus, clavis, lancea præfigurans; ut ostẽdat, totum esse voluntarium, quod agebat.* Et Joannes Rusbrochius Canonicus Regularis; *Christus ipse tunc myrrha fuit, quæ est arbor amara valdè, utpote cujus natura corporea maximo tunc angore & tremore correpta fuit, spiritus verò vehementi amoris ardore flagrabat: atque ex his duobus manabat myrrha per arbo-*

[Margin: Christus in horto.; Sim. de Cass.; Ioan. Rusb. in Tabern. Fæd cap. 111.]

ris corticem, id est sudor sanguineus ex sacro illius corpore. D.Gregorius Bolzi ad myrrham, à sanctis Magis Christo infanti oblatam reflectens, eruditè in hæc verba canit.

P. Greg. Bolz. in Lazario. Ianuarii.

Regia Oronteam donat gens cernua myrrham,
Grata minus pueris munera, Pupe tibi.
Excipis hanc festo, sed cur, bone Pupule vultu?
Contemne hac refugâ munera amara manu.
Ah! scio, cur atros, dextrâ plaudente, liquores
Pube probas, lætus cur data dona capis.
Succos sponte suos profundit myrrha: cruorem
Sponte effundendum prædocet illa tuum.

689. Ingentem myrrhæ copiam hic arbusculus exsudat, quando vel ferro inciditur, vel immodico ventorum robore concutitur. Proinde incisum hoc lemmate afficies; INCISIONE UBERIOR. Ventis verò jactatum; CONCUSSA, seu CONCUSSIONE UBERIOR. Ita Divina bonitas ibi demum suas gratias copiosissimè diffundit, quando maximè ab homine offenditur ac peccatis provocatur. Virtus quoq; calamitatibus probè exagitata, omnium gloriosissima evadit. Nam, Magno Aug. teste, *Non pati adversitatem carnis, sed duci a carne, damnatio est.* Opportunè canit Camerarius;

Misericordia Dei.

Virtus inter persecutiones.

S. Aug. Expos. ep. ad Galat. cap. 5.

Major in adversis virtutis gloria vera est,
Uberior ventis myrrha agitata fluit.

290. Hujus arbusculi truncus, sagittâ transfixus, medicos ac pretiosissimos è vulnere suo liquores fundit. Unde D. Aresii lemma; ET EGO SANABO. Eorū hæc idea est, qui injurias, sibi illatas, beneficiis compensant. S.Ambr. observat, Christum, lanceâ transfixum, liberalem è vulnere suo aquam & sanguinem profudisse. *Lancea militis percussum latus, aquam effudit & sanguinem: aqua ad lavacrum, sanguis ad pretium. Aqua nos abluit, sanguis redemit.* In hoc argumentum S.P.Aug. ait; *Et de sanguine suo, interfectori suo, medicamentum fecit.*

Misericordia Dei.

S. Ambr. de Benediction. Patriarch. cap. 4.

S. Aug. ser. 8. de verb. Ap.

291. Myrrha, gustui quidem amara, corpori tamen ab infirmitatibus sublevando plurimum utilis accidit. Venerabilis Beda, in rem nostram concedens, super illud Canticorū, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, ait; *Myrrha est, quantùm medendis infirmitatibus salubris; tantum gustui amara.* Unde lemma; AMARA, SED SALUBRIS. Ita sanè Divini Servatoris nostri passio, gravissimis amaroribus plena, commodū ac salutem nostram mirificè promovet. Beda; *Salvator noster*, inquit, *de suis vulneribus vitæ nobis & salutis sacramenta profundit.* Et post illum Corn. à Lap. *Myrrha est symbolum Christi, quia repræsentat ejus dolores & passiones.* Et rursus; *Myrrha incorrupta servat corpora: sic Christi passio & mentibus & corporibus incorruptionem inspirat.* Eâdem icone etiam calamitates, toleratu quidem amaras, saluti tamen ac æternæ felicitati acquirendæ saluberrimas describes. Appositè S.Bern. *Myrrha amara res, dura & aspera, tribulationem significat. Erit quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modò est fasciculus myrrhæ.*

Beda super Cant. 1. 13.

Passio Christi.

Beda l. c.

Corn. à Lap. in eund. loc.

Tribulationes.

S. Bern. ser. 43. in Cant.

292. Fœminam in planctus & amarores solutam, uti geminam pœnitentiæ ideam Mariam Magdalenā & Mariam Ægyptiacam, meâ quidem sententiâ, opportunè cum myrrha conferes, quæ amarum liquoris sui rorem destillans, epigraphen sustineat; VERSA IL DOLORE IN LACRIMO E STILLE. Id est, DOLOREM LACHRIMIS EXPRIMIT ILLA SUIS. Ad verbum canit Tassus;

Pœnitens.

Tassinella. Geruf. Conq. l. 12. st. 45.

Balsamo, cassia, incenso, amomo, e croco
Vi sono, e piante, & erbe a mille, a mille;
Mirra ivi ancor nel dilettoso loco,
Versa il dolore in lacrimose stille.

Nam, ut benè in rem præsentem observat Magnus Augustinus. *Sicut comes pœnitentiæ dolor est, ita lachrymæ sunt testes doloris.*

S. Aug. l. Homil. ... cap. 1.

MYRTUS.

Cap. XXIII.

293. Myrtus & malus granata symphatiam inter se adeò miram habent, ut, ubi vicinæ fuerint, vigorem & fructum solito liberaliorem producant. Unde Bargalius utramq; illam hoc lemmate insignivit; PROPINQUITAS FERACITATEM. Ita nimirùm è virtuosorum hominum viciniâ ac consuetudine plurimum generosi animi nobis accrescit. Certè, è D. Ambr. sententiâ, Josue omnem virtutis suæ excellentiam à Mose, cujus consuetudine assiduò utebatur, in se derivatum habuit. *inde*, inquit, *tantus Jesus nave, quod eum non solùm erudivit ad legis scientiam Mosis copula; verum etiam sanctificavit ad gratiam. &c.*

Societa bona.

S. Ambro. 2 offic. c. 2.

294. Myrtus, tametsi nullis fructibus fœcunda, perennem tamen virorem conservat: unde horti amœnum hunc arbusculum solius voluptatis causâ alunt. Ferrus hanc ei gnomam subdidit; GENIO, ET VOLUPTATI. Poësin hæc idea spectat, quæ ab oblectatione, ceu causâ finali à genio verò & nativa Poëtarum inclinatione, ceu causâ efficiente, promanat. Unde iis ait Magnus artium omnium Princeps Aug. *Poetarum fabulas ad voluptatem excogitatas animorum, Grammatici ad aliquam utilitatem referre conantur.* Poësi hâc in parte Academicorum exercitationes non sunt absimiles, quæ ingeniis, cum ad eloquentiæ & Poëseos venustatem, tum ad amœnum, simulque eruditam litteratorum voluptatem efformandis, deserviunt.

Poësis.

S. Aug. de Catech. r. cap. 6.

295. Symboli loco quandam è Myrto figuram intra hortum depinxêre, addita vicina manu, quæ, veluti luxuriantes Myrti surculos resecatura, forficē putatoriam tenebat; cum lemate, ORNOR, DUM EXONEROR. Eninverò omni redundanti germine è myrtina figura amputato, exactam semper leonis, aquilæ, phœnicis, vel alterius cujusq; rei effigiem non sine decore conservat. S. Joan. Chrys. ab erogata eleemosyna immensam eleemosynarii animo gloriam accrescere testatur. *Circumdemus*, inquit, *nobis ipsum ornatum, torquem hunc aureum animæ aptemus, eleemosynam dico, quamdiu scilicet hic fuerimus.* Porrò mediante examine conscientiæ semper hominis figuram retinebis, ac superfluas imperfectiones resecabis, secus, brevi in stolonem aut bestiam, Deo abominandam degenerabis.

Eleemosyna.

S. Io. Chrys. in ep. ad Philipp. in dict. moral.

Examen conscientiæ.

296. Myrtus, diversis ligata vinculis, artificiosam figuram exhibet. Unde D. Joannis Baptistæ Mazzoleni lemma, DANT VINCULA FORMAM. Innuit videlicet, juventutem, arcto legum rigore constrictam, insignium virtutum formam adeò eximiam acquirere, qualem angustiis illis exsoluta nunquam recepisset. Simili argumento Plato ait; *Leges sunt Rerumpublicarum vincula.* Et Petrus Gregorius; *Hominis corrupta natura, & prona ab adolescentia ad malum, nisi arte regatur, non potest diu in congregatione persistere.*

Leges astrictæ juventutem formant.

Plat. l. de legibus

Pet. Greg. de Republ. l. n. 17.

297. Figura, è myrto constructa, dum excrescentia ejus germina à periti olitoris putatoria forfice reciduntur, maximam è mutilatione illa venustatem ac perfectionem recipit. Unde lemma; VULNERE PERFICIT. vel, EX VULNERE DECOR. Ita Dei servus è carnificum ferro, ac persecutionū plagis, clarissimum decorem accipit. Dilucidè Apostolus; *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Et S. Hilarius; *Ipso virtutum cœlestium Domino ad incrementum gloriæ, & maxillas palmis, & flagris scapulas offerente.*

Calamis illustrat

Hebr. 2. 9.

S. Hilar. c. 7. in Ma

298. P. Carolus Bovius artificiosis diversorum quadrupedum & animalium figuris, è myrto confectis, putatoriam forficem addidit; cum lemmate, SERVAT SOLERTIA FORMAM. Significare volebat, nostras virtutes rigorosâ quotidiani examinis censurâ, quâ in conscientiam nostram assiduò corrigendam reformandamque inquirimus, sedulò ac studiosè conservari. S. Joan. Chryf. *Hæc, inquit, fiant singulis diebus, nec prius dormieris ô homo, quam mente versaveris, quæ à te intediu perperàm acta sunt: & die sequenti eris omninò tardior ad ea ipsa rursus aggredienda.* Post paucula interjecta; *singulis diebus*, inquit, *vesperi ab anima rationem exige, & cogitationem, quæ peccavit, condemna, veluti in ligno suspende, & torq; & jube ne amplius te aggrediatur.* P. Carduc.

Examen conscientiæ. *S. Io. Chryf. Tom. 1 in Psal. 4.*

Myrtigenam ferri servat solertia formam:
Et censura fovet cordis amica decus.

NUX. Cap. XXIV.

299. Maximum ex hac arbore nocumentum accrescit iis, qui sub illius umbra recumbunt; Castore Durante teste;

Humano capiti nocet arboris umbra; satisque
Omnibus hanc juxta conjectis. &c.

Unde D. Aresii lemma; QUIESCENTES LÆDIT. Complures Caussidicos hæc idea concernit, qui, dum clientes sub illorum umbram reclinatos, deberent protegere, gravissimis injuriis eos offendunt. Innoc. III. *Sæpè*, inquit, *causas tantum differunt, quod litigantibus plus quam totum auferunt, quia major est expensarum sumptus, quàm sententiæ fructus, nec terminantur negotia pauperum capta, quousque eorum marsupia sunt evacuata.* S. Cyprianus, tam litigantium miseriam, quàm Caussidicorum quorundam malitiam describens, ait; *Quis inter hæc verò subveniat? Patronus? sed prævaricatur & decipit &c* Cæterùm Magnates omnes, si Ovidio fidem habeas, plurimum damni aliis, præsertim vicinis, creant.

Advocatus. *Innoc. III. de vilit. condit. humana.* *S. Cypr Epist ad Donat.* *Ovid. 3. Trist. Eleg. 4.*

Nam quamquam soli possint prodesse potentes,
Non prosunt, potius plurimum obesse solent.

300. Eadem Nucis umbra omnibus plantis, sibi subjectis, detrimentum affert. Id quod é Poëtis nonnemo ipsius arboris ore ita exprimit;

Me, sata ne lædam (quoniam sata lædere dicor)
Imus in extremo margine fundus habet.

Proindè meus Concanonicus, D. Aloysius Figinus Abbas, symboli loco Nucem figuravit, cujus umbra plantulam quamdam, penitus languidam ac debilem, sub se continebat, cum lemmate; OFFICIT OFFICIO. Vel ut meo D. Philippo Gallinæ placet; OFFICIT UMBRA. Malignos tutores hæc idea concernit, qui, patrocinii ac tutelæ loco, pupillos sibi concreditos destruunt, & in extremam perniciem præcipitant. Certè Ludovicus Sforzia, Mediolanensium Dux, Joannem Galeazzium, Nepotem suum, etiamnum juvenem, ac legitimum Reipublicæ illius Ducem, tutelæ suæ commissum, non modò fortunis omnibus, sed ipsâ etiam vitâ nequissimè exturbavit. Cæterùm arbor ista etiam homines vitiosos, ac moribus depravatos, spectat, qui, asserente Cosmâ Damiano Hortulano, Canonicorum Regularium Abbate, *Improbo vitæ suæ exemplo, impiaq; doctrinâ, eos, quibuscum versantur, maximè lædunt, nec fructus ullos Evangelicos ferre permittunt.*

Tutor malitiosus. Vitiosus noxius. *Cosm. Dam Hortul. Com in Cant. l. 4.*

301. Nux, propriissimum hominis vitiosi ectypon, inscriptionem tenet; DARE I FRUTTI NON VUOI, SE NON RESPONSA. Idest; FRUGES PERCUSSA DISPENSAT. Certè ab ea hominum farragine nullum virtutis aut pœnitentiæ fructum referes, nisi obstinatos & ignavos illorum animos crebris calamitatibus, morbis, ac persecutionibus probè contundas. Præclarè Abbas Hortulan. *Quemadmodum agricola ab ea arbore (Nuce) nisi perticis & lapidibus ictâ, fructum nullum capit, sic olim Deus à Synagoga, nisi prius gravissimis exercitâ persecutionibus & incommodis, nullum fructum retulit.* Idipsum expertus Magnus Augustinus, de se ipso fatetur, *Percussisti cor meum verbo tuo, & amavi te.*

Peccator obstinatus. *Hortul. Abb loc. cit.* *S Aug l. 10. Confess c. 6.*

302. Ibi demum persecutiones omnium maximè sæviunt, ubi virtus est intensissima. E nuce id haud obscurè discere licet; quæ tanto percutitur gravius, quo fructibus magis fuerit onusta. Unde illius sunt suspiria; ICOR, DUM DITOR. vel, QUA FELIX, MISERA. Ad rem Ovidius;

Virtus exagitata. *Ovid Elegia de Nuce.*

Nux ego juxta viæ, cùm sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.
Nil ego peccavi, nisi si peccare videtur,
Annua cultori poma referre suo.

Justus Lipsius; *Non raro*, inquit, *quorum meritis in Rempublicam & populũ ipsum singularibus, nulla gratia, nulla merces digna ne cogitari quidẽ potest, populo disceptatore, pro mercede pœnam, pro laude ignominiam, pro gratia indignationem acceperunt.* Et S. Pet. Chrysol. *Vidit Satanas firmitatem fidei, stabilitatemque: vidit eam pietate dogmatum septam; vidit eam operum bonorum fructibus abundantem; & ideo pro his omnibus ad insaniam venit, & rabie furoris exarsit, ut scinderet concordiam, & convelleret charitatem, ut disrumperet pacem.*

Iust. Lips. Opere Critico. Præfat lib. 1. Var. Lect. *S. Pet. Chrys. serm. 149.*

303. Nux, ob frugum copiam durissimè percussa, epigraphen sustinet; FRUCTUS OBEST, vel PEPERISSE NOCET. vel; NOCET ESSE FERACEM. vel ipsius nucis ore; EST MIHI PRÆDA MALO. Singulas has inscriptiones Ovidius uno suppeditat disticho;

Ovid. Eleg de Nuce.

Fructus obest: peperisse nocet: nocet esse feracem:
Quæque fuit multis, est mihi præda malo.

Certè Italia, ob felicissimam ubertatẽ infelicissima, frugum suarum copiâ ac suavitate barbaras exterorum gentes ad se incursandam, devastandamq; allexit. Narsetes Alborinum, Longobardorum Regem, ad Italiam occupandam stimulaturus, generosissima terræ illius vina, ac optimos fructus eidẽ transmisit, cum dicto; *ut pauperrima Pannoniæ rura desererent, & ad Italiam, cunctis refertã divitiis, possidendam venirent*; uti refert Paulus Diaconus. Aruntes Clusinus, ad pœnas adversus Lucumonem ob injuriam sibi illatam expetendas, Gallos nobilibus Italiæ vinis, ceu aptissimâ belli provocandi escâ, pellexit. Apertè id fatetur Lucius Florus; *Creticum bellum, si vera volumus dicere, ipsi nos fecimus, sola vincendi nobilem Insulam cupiditate.* Adeò nimirum mundus eos semper majoribus ærumnis solet exagitare, quos meritis ac virtute præ cæteris fœcundos viderit.

Bonitas malè habita. *Pul. Diacon. lib. 2 cap. 5.* *Tit Livius Dec 1. l. 5.*

304. Nucis fructum, meâ quidem opinione, hoc epigrammate notabis; SOTTO AMARA CORTECCIA HO' DOLCE IL FRUTTO. Id est; AMARO SUB CORTICE DULCIS. Ita sanè calamitates, pœnitentiæ, ac correctiones, exteriore vultu molestæ & horridæ, pretiosissimas opes intra se reconditas habent. S. Hier. *Quomodo nux amarissimũ habet corticem, & testa durissima cingitur, ut detractis austerioribꝰ & duris, fructus dulcissimus reperiatur, sic omnis correptio, & labor continentiæ, amara quidẽ videtur ad præsens, sed fructus parit dulcissimos.*

Calamitas Pœnitentia. Correctio *S. Hier in c. 1. Hierem.*

305. Nucem cassam & fatuam levitas arguit. Unde lemã, CASSA, SI LEVIS. Ita Religiosus, nugis ac levitatibus deditus, signum minimè vanum edit modici admodum in spiritu profectûs, animi inanis, Divinoque Spir. levissimè tincti. S. Basil. filium quemdam suum

Religiosus levis. *S. Basil ad filium Spirit. Exhortat.*

suum spiritualem formare desiderans, his illum verbis alloquitur; *Neq; in modum parvuli jocare verbis assiduè, quia non convenit ei, qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus. &c.* Gravissimè S. Bern. *Inter sæculares nugæ, nugæ sunt; in ore Sacerdotis, blasphemiæ: Consecrasti os tuum Evangelio; talibus jam aperire, illicitum; adsuefacere, sacrilegium est.*

S. Bernard.

OLEA. OLIVA.

Caput XXV.

306. PHilippus III. Hispaniarum Rex, symboli loco, oleæ ramum, fulmini colligatum, habuit; cum lemmate, IN OPPORTUNITATE UTRUMQUE. Innuebat videlicet, se tempore ac loco congruo benevolentiam aut rigorem demonstrare posse. Eadem effecta in Deo observans David, *Potestas Dei est*, inquit, *Et tibi Domine misericordia.* Quo loco S. P. Aug. *Potestatem ejus timete; misericordiam ejus amate; Nec sic de misericordia ejus præsumatis, ut potestatem contemnatis.*

Misericordia & justitia. *Psal.61. 12.* *S. Aug in hunc loc.*

307. Rudolphus I. Imperator, symboli loco brachium armatum depingi fecit, illudque, oleæ ramo, ac militari clavâ instructum, hoc lemmate notavit; UTRUM LUBET. Atque adeò hostibus plenam sive pacis sive belli eligendi facultatem fecit. Haud aliter Agesilaus, aliena propugnacula adortus, ex obsessis quæsivit, num illum lanceâ elevatâ, an verò depressâ incedere vellent. Moses coram Israëlis populo protestabatur; *Testes invoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem;* velut diceret, ex eorum arbitrio stetisse in alterutram partem concedendi. Ita nimirum, Doctore Magno Augustino, *Cùm vivimus, vigilare debemus, & eligere debemus, quod in futuro teneamus.* Simbolo nō absimili P. Masenius olivæ ramum decussatim cum gladio exhibet addito lemmate; ELIGE. significatque, Innocentium X. pacis quidem fuisse studiosissimum, neque tamen ignorâsse etiam gladio adversus hostes uti Masenii hâc de re Epigramma ita habet;

Electio. *Deut.30. 19.* *S. Aug ser.21 de Verb Dom cap.5.*

Elige, sive petas gladium, seu quæris olivam:
Serviet officiis ille, vel ista, tuis.
Bella petant alii, juvat hæc nos pacis oliva:
Ense cadunt, si quos ense ferire juvat.
Irrita non moneo; sunt conscia sidera, Martem
Quot voluere viri, tot periere viri.

308. Olea, reciso trunco, in plurimos surculos progerminat. Lemma; TANTO UBERIUS. Hinc disces, virtutem tantò amplius detescere, quo magis fortunæ bona defecerint. Vel etiam S. Ecclesiam incrementis tantò amplioribus dilatari, quantò acerbiore tyrannorum ferro sauciata fuerit. *Sæpè namque*, inquit S. Gregorius, *eam reprobi usque ad internecionem persecuti sunt; sed eò multiplicius ad statum sui profectûs rediit, quo inter manus persequentium moriendo laboravit.*

Paupertas utilis. Persecutio Ecclesiæ. *S.Greg.lib 9 in Iob cap.9.*

309. Mirami olea cum myrto sympathiam congenitam habet. Unde Tassus eas, mutuo complexu junctas; hoc lemmate insignivit; MUTUO AMORE CRESCUNT. Hinc facilè conjicies, quantùm totius familiæ aut civitatis progressus, è conjugali ac fraternâ concordiâ promoveatur. Verissimè dixit Sallusthius, *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ magnæ dilabuntur*, Regius Psaltes non sine admiratione exclamat; *Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum.* Et Petrus Blesensis; *Vos, quibus unicum & præcipuum votum est, initiatæ Ecclesiæ videre profectum, certissimè noveritis, quod nonnisi PER UNITATEM HABITURA EST INCREMENTUM.*

Concordia. *Sallust de Bello Iugurt. Psal. 132.1. Pet Bles. Epist.78.*

310. Inveteratus oleæ truncus, recentem surculum propè radices generans, epigraphen tenet; EXPERS INTERITUS. Vel, MORIENS REVIVISCIT. Hoc Emblemate hominem, suâ sponte ad meliorem frugem innovatum; vel discipulos, suorum parentum aut Magistrorum vestigia insecutos, significabis. *Successio enim filiorum Sanctorum*, Rabano asserente, *qui post Patres suos, ex hac vita decedentes, bonum eorum studium in sancta Religione, & bona conversatione imitantur, mortuos parentes, quasi redivivos exhibent, cum eorum doctrinam & disciplinam in suis dictis & factis omnibus servando manifeste declarant.* Ita S. Petrus revixit in suis discipulis Lino, Clemente, & Cleto; S. Paulus in Tito, Timotheo, Onesymo, & Lucâ; S. Joannes in Prochoro, Ignatio, Polycarpo. &c.

Renova... Posterit... *Raban. in Eccles.30*

311. Olea, ramis putata, tenellos aliquot surculos è stipite pullulascentes habet; cum lemmate, VITA LONGIOR. Enimverò Sanctorum Martyrum vita, á carnificum ferro succisa, gloriæ & famæ æternitatem, eodem ferro promovente, attigit. Siracidis Testimonio, *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivet in generationem & generationem.* S. Cyprianus, *Pretiosa*, inquit, *mors hæc est, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, quæ accepit coronam in consummatione virtutis.*

Martyrium. *Eccles.44.* *S.Cypr Exhort ad Martyr.*

312. Henricus Farnesius Oleæ, propè vitem plantatæ, inscripsit, CERTUS INTERITUS. Hæc autem fatalis arborum istarum adversitas ex sola antipathia, ipsis cognitâ, ortum suum trahit; uti prolixè testatur idem Farnesius. Mens ergò Emblematis, Farnesio interprete, erat, pessimum & difficillimum esse Bacchi & Palladis; vitii & virtutis; ebrietatis & scientiæ connubium. Ratio in promptu est; quia nativus calor, intellectualibus theoriis applicatus, ægerrimè ad digerendos cibos, in ebrio stomacho plus æquo accumulatos, sese adhiberi patitur. Adeoque homo, multis studiis deditus, pauca alimenta sumat, necesse est; secus enim, animo litteratis phantasmatis, simulque stomacho copiosis cibis onusto, nativæ vires obruentur; suique impos, non multò post extremam sanitatis & animi perniciem incurret. Verissimè ait Magnus Augustinus; *In ebriis non ratio ulla, non ullum vitæ gerendæ consilium, nec ulla artium, nec gestorum, aut lectionum memoria, aut industriæ providentia est.*

Farnes. in Dipht Iov l.1. Elog.2 Studiosus ebrius. *S. Aug. lib. sacr Virg.*

313. Resectus oleæ truncus, surculum è radice suâ proferens, epigraphen tenet; PERO', E SPERO. Id est; DUM PEREO, SPERO. Religiosos Juvenum Machabæorum animos hæc imago repræsentat, qui, vitâ deperditâ, indubitatam corporis sui reviviscentiam sperârunt. Illorum unus, tyranno exprobrans, libero ore exclamabat; *Tu quidem scelestissime nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Et alius carnificibus linguam & manus amputandas explicavit, cum dicto; *E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso ea me recepturum spero.* Nempe, Magno Augustino teste; *Habent gaudium bonæ animæ, cùm de sæculo exierint. Sed cum facta fuerit resurrectio, bonorum gaudium amplius non erit.*

Resurrectio. *2.Mach.7.* *Ibid.n 14.* *S Aug Tra 49. in Ioan.*

314. Olea, duos tantum è trunco suo progerminans surculos, à Bargalio epigraphen recepit; TARDE, SED DIU. Ita nimirum res, tardâ industriâ productæ, ætatem ferunt, & quam diutissimè perdurant. Vnde Zeuxes, inter prisci ævi pictores celebertimus, operi suo diutius, quàm artificem tam eximium deceret, immorari solitus, cùm interrogaretur, cur tam exactè quaquaversum omnia, & tam

Duratio.

tam moroso lentoque penicillo effingere? *Diu*, respondit, *pingo, quia æternitati pingo.* In hanc rem Fulvius Testi canit;

F. Testi *delle sue rime*

--- Non produce
Le miraviglie grandi in fretta il fato,
Ne presto mai può concepirsi Aloide.
Fior che subbito ride.
Subbito langue, e sol la gloria dura
Che trà i sudor longa virtù matura.

315. Olea, hirco vicina, epigraphen sustinet; NOLI ME TANGERE. Eucharistia, oleæ pinguedinẽ ac pacem continens, lascivos omnes procul à sefacessere jubet. Libanius id rotundè asserit; *Non licet iis qui scortati fuerint, participare sacris.* Et Tibullus;

- - - Discedat ab aris,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis.

316. Plinius de olea testatur, quod quidem ferro purgari, non tamen ligno percuti absque gravi suo damno possit. Unde vetus illa paræmia; *Oleam ne stringito, neve verberato.* Unde lemma; VULNERE, NON VERBERE GAUDET. Ita animus nobilis ac generosus fustium plagas ægerrimè concoquit; vulnera verò, ense incussa, honorem ac magnanimitatis suæ incrementum interpretatur. *Ad magnanimum pertinet*, inquit Tullius, *ea, quæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil à statu naturæ discedat, nihil à dignitate sapientis.*

Generos?

Tull. lib. 1. ... *ic.*

317. Olea terris potissimum montosis ac saxis gaudet. Unde inter petras figurata, epigraphen tenet; NULLIBI FELICIUS. Mens Emblematis est, virtutem, pietatem, innocentiam, ac vitæ puritatem nullibi tranquillius, atque inter mortificationis salebras proficere. Gilibertus Abbas, tametsi non de olea, sed de liliis differens, in rem tamen præsentem accomodatè ait; *Nusquam lætius nascuntur lilia, quã in monte myrrhæ; nusquam magis illæsa servantur, quã in monte myrrhæ, ubi carnis universi mortificantur affectus, ubi lilia castimoniæ, lilia gratiarum & pure nascuntur, & perpetuò florent.* P. Jacobus Masenius sapientiam & pacem sterili potius ac frugali, quàm redundante conviviorum terrâ acquirendam ait; unde oleam, in collibus glareosis fertilem, & in pratis infæcundam, hoc lemmate donavit; STERILI NUTRITUR IN AGRO. Emblemati hoc epigramma subjecit.

Mortifica... utilis.

Gilib. Abb. ser. 28. in Cant.

Fertilibus tenuis macrescit oliva viretis,
Nutritur sterili pinguis oliva solo.
Quas glareæ lapidesque premant, vult Pallas olivas,
Pax; oleæ similis, ferti itate perit.
Nascitur exhaustis melius pax aurea terris:
Spes igitur reducis proxima pacis adest.

318. Carolus Bovius spiritualem illam dulcedinem significaturus, quam S. Ignatius Loyola eo tempore cumulatè percepit, dum ad sacra Palæstinæ loca invisens, ibidem Servatoris nostri cruciatibus contemplandis devotos suos affectus laxabat; Emblematis loco oleam inter saxa depinxit; cum lemate, INTER DURA DULCESCIT. Idipsum de justo afflicto, & calamitatum amaritie perfuso dixeris; nam, Magno Aug. teste, *Nihil dulcius, quam inter amaritudines hujus vitæ, Divinæ dulcedini inhiare.* Porrò ipsummet S. Ignatium hoc epigrammate loquentem intoducit Author;

Contemplatio.

Aug. lib. Medit. c. 37.

O mihi amara nimis, nimium quoq; dulcis Idume!
Quæ tristi è Domini funere mella liquas.
Mella sed hæc mortem durâ hâc in morte propinant
Inde fruens patior, & patiendo fruor.
Dulcedo fit amara mihi, fit dulcis amaror,
Est mihi amaror amans, ut sit amarus amor.
Sed mihi amara jubes, Jesu, hæc dulcescere: amoris
Factus enim dulci est syncope amaror, amor.

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

319. Dominicus Gambertus aliquot oleas, rigente brumâ virides ac venustas, hoc lemmate insignivit; NESCIVERE HYEMEM; Verbis è Virgilio mutuatis. Ita nimirùm militaria Principis arma etiam inter truculentas hostium minas florent. De Mose, qui centenario major, visum suum integrum, ac dentes illibatos servabat; de S.P.N. Augustino, qui, septuaginta annos excedens, ad extremum usque halitum *sensibus sui corporis incolumis* perseveravit; & de aliis pluribus dixeris, *nescivere hyemem*; id est, miserias, deliquia, ac infirmitates, senectuti plerumq; cognatas, non senserunt. Absalon Abbas eandem effigiem Mariæ Virgini tribuens, ait, si quidem verum est, quod *Hyemis nomine præsens vita accipienda est, quæ & mortalitatis astringitur frigore, & diversis tentationum ventis impellitur. Oliva nostra & æstate, & hyeme virorem suum retinet, quia B.V. Maria, humore spiritualium gratiarum perfusa, præsentis vitæ torpore non aruit, & æternæ vitæ amœnitatem inter omnes filias Evæ gloriosa suscepit.*

Arma victoriosa.

Senex san... Maria V.

Absal. Abb. serm. 18.

320. Oleæ radix, cortex, ac folia saporem habent amarissimum; fructum verò, insigni dulcedine plenum. Unde Raulinus inscripsit; EX AMARA DULCEDO. Ita Divina supplicia initio quidem amaros præferunt terrores, paulò tamen post ipsorũ fructus suavissimis solatiis erit refertus. Nahum Prophetæ id credes; Deus, inquit, *Æmulator, ulciscens Dominus, & habens furorem &c. Dominus patiens, & magnus fortitudine.* Et rursus; *Ante faciẽ indignationis ejus quis stabit? Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis.* Nam, ut sapienter observat Magnus Aug. *Omnes boni, etiam in tormentis quibuslibet, Dei fulti adjutorio, spe illius finis, beati dicuntur, quo fine (seu calamitatum fructu) beati erunt.*

Calamitas in gaudiũ desinit.

Nahum. 1. 2.

Ibid. n. 6.

S. Aug. ep. 52.

321. Olivæ, mutuò unitæ ac collectæ, felicius maturescunt. Unde Arefii lemma; MUTUO FOVEBUNTUR. Siracide id subministrante, *Si dormierint duo, FOVEBUNTUR MUTUO.* Mens Emblematis est, Christianos, ac maximè Religiosos, mutuâ concordiâ & charitate junctos, uberrimos in virtute progressus ac fomenta saluberrima sibi præstare. S. Greg. *Sancti se invicem suis virtutibus tangunt, & sese ad profectum excitant ex consideratione virtutis alienæ, atque excitati ad profectum volant.*

Eccles. 4. 11

Concordia.

S. Greg. hom. 10. in Ezech.

322. Olivæ, intra salsas aquas repositæ, amarorem suum exuunt. Unde rursus Aresii lemma; AMARITUDINE DULCESCUNT. Sanè vitiosus hominis animus, ac flagitiis horrendum amaricatus, si correctionis aut supplicii salsedinem subeat, ad debitam perfectionis suavitatem revertitur. Concinnè Ovid.

Correctio aspera.

Ovid. l. de Remed.

Dura aliquis præcepta vocet mea: dura fatemur
Esse, sed ut valeas, multa dolenda feres.
Sæpè bibi succos, quamvis invitus, amaros
Æger; & oranti mensa negata mihi est.
Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignes;
Arida nec sitiens ora levabis aquâ.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

Porrò pœnitens, mortificationis voluntariæ amarorẽ amplexus, ad interioris animi dulcedinẽ, veramq lætitiam promovetur. Enimverò Christo testante, *Tristitia vestra vertetur in gaudiũ.* De se ipso ait Magnus Aug. *Recolo vias meas nequissimas in amaritudine recogitationis meæ, ut tu (Deus) dulcescas mihi.*

Pœnitens.

Ioan. 16. 20.

S. Aug. lib. 2. Confess. c. 1.

323. Olivarum congeries, trapeto, seu mole olivariæ subjecta, epigraphen tenet; COMPRESSA UBERIOR, vel, TERENDO SUCCUS. Ita peccatores, pœnitentiæ & amoris Divini fructus nunquam proferunt, nisi mortis aut infirmitatum pondere gravati. Dilucidè Vates Regius; *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant*

Calamitas

Psal. 77. 34.

S. Aug. in Psal 55. *niebant ad eum*, S.P.Aug. *Tenetur in torculari corpus ejus.id est, Ecclesia ejus. Quid est in torculari? in pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura est.* Et rursus? *Ingressus es torcular: præpara te ad pressuras; sed noli esse aridus, ne de pressura nihil exeat.*

324. Oliva, virginis manibus sata, uberior provenit. Lemma; DAT VIRGO VIGOREM. Mariam Virginem hæc imago spectat, quæ sicuti ipsius Dei fuit fœcundissima parens, ita alios quosvis homines Deo felicissimè generare potest. Unde à Butcone vocatur *Arbor, fructum ferens splendidum, unde fideles aluntur.* Et à Richardo de S. Laurentio, *Quasi oliva speciosa in campis*, Mentem suam sequenti epigrammate explicat imaginis author P. Masenius;

Maria V.

But hymn Græ p. 125.

Rich. à S. Laur l. 12 ex Cant.

> *Virgo oleam plantet: fœcundis major olivis,*
> *Sentiet admotæ virginitatis opem.*
> *Quos igitur de te fructus sperare licebit,*
> *Quæ plantas ipsum virginitate Deum?*

325. Ramus olivæ, è cæteris ramis manu selectus epigraphen à P. Masenio accepit; HUNC PRÆFERO. Ita nimirùm pax, cujus oliva est symbolum, præ cæteris omnibus in mundo est optatissima. Verissimè dixit Magnus Aug. *Sicut nemo est, qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit.* De Pamphilio, viro pacis amantissimo, canit idem symbolographus:

Pax optabilis.

S *Aug. l. 19. de Civit c. 12*

> *Diversos diversa juvant. Hunc Martia cornus*
> *Afficit, hunc Clario laurus amica Deo.*
> *Non eadem sapimus, delectat oliva Minervæ*
> *Pamphilium, mitem pacis imago Virum.*
> *Corno cede tuâ Mavors, ac Delia lauru:*
> *Judice me, primas Palladis arbor habet.*

326. Olivæ fructus maturè in vasa colligendi sunt, ne, ut fieri solet, morâ pereant Emblemati subscripsit P. Masenius: INGRATA MORA EST. Idipsum in pœnitentia accidit, quæ, nisi maturè perficiatur, Divino palato ingrata & insipida evadit. Inter pœnitentiæ & voluptatum extrema jactatus Magnus Aug. de se ipso exclamat: *Usquequo Deus? quamdiu cras & cras? quare non modò, quare non hac horâ finis turpitudinis meæ?* Emblematis Author ait, pacem tantò minus esse proficuam, quò magis inter Bellonæ furores differtur: Unde ad Legatos pacis canit:

Pœnitentia sera.

S. Aug. l. 8. Conf. c. 12.

Pax.

> *Et mora certa juvat, succosq; refringit amaros:*
> *Et perit ingratis bacca relicta moris.*
> *Matures potius, minus hâc in parte nocebis:*
> *Discite Legati: pax ut oliva perit.*
> *Noxia quæque mora est, nisi maturare lubebit,*
> *Sero virens pacis fructus acerbus erit.*

327. Olea caduca fulcitur stipite. Lemma, à P. Masenio inditum: ADJUTA STABIT. Idipsum de voluntate nostra dixeris, quæ, nisi Divino auxilio adjuta, miserrimè ruet. S.P.N. August. *Quid valeat liberum arbitrium, non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi: ad malum non, nisi adjuvetur à Deo.*

Gratia Dei

S. Aug. de Cantico novo. cap. 8.

328. Oliva, ventis quassata, radices agit altiores. Lemma à P. Masenio additum? CONCUSSIO FIRMAT. Idipsum in virtute experimur, quæ tantò firmatur altius, quo majore adversitatū impetu concussa fuerit. *Pertinet ad Christianam firmitatem,* inquit Magnus Aug. *non solùm operari quæ bona sunt, sed & tolerare quæ mala sunt.* De pace, tot bellis, turbisque nullibi non concussâ, canit P. Masenius?

Virtus.

S. Aug de Pastor. c. 6.

Pax.

> *Proficit adversis virtus: firmatur oliva*
> *Altius offensis exagitata notis.*
> *Undiq; concussis quamvis Mars obstrepat armis*
> *Paxque minis trepidet, perfidiaque fides,*
> *Pacis adhuc, fideique suis venerabile terris*
> *Nomen erit, donec Roma polusque ruant.*

329. Oliva inter quasvis anni vices ac tempestates semper viret. Unde lemma; CONSTAT UBIQUE SIBI. Ita vir sapiens ac generosus inter quævis adversa mentem tenet pro Deo & populo immutabilem. *Turpe est*, inquit Magnus Augustinus; *mutare sententiam, sed veram & rectam. Nam & stultam & noxiam, & salubre & bonum est.* De S. Ecclesiæ immutabilitate canit p. Masenius;

Immutabilis.

S. Aug. ep 210.

S. Eccles.

> *Non metuit gladio brumas aquilone rigentes,*
> *Quæ viret æstivâ mitis oliva togâ.*
> *Est aliquid, constare sibi, cum prælia mavors*
> *Dura fremit, cum sors mutat acerba vices*
> *Non aliter Romana suas Ecclesia vires*
> *Virtutemque, fide non ruitura, probat.*

330. Oliva, igni adusta, sterilis efficitur. Unde P. Jacobi Masenii lemma; NE VIOLA; ubi ludit anagrammaticè, nam *oliva* versis litteris *viola est.* Meo tamen judicio rectius inscribes; STERILESCIT ADUSTA. Ita prorsus homo, libidinis flammâ semel adustus, vix unquam amplius genuinos virtutum fructus proferet. Quia Magno Aug. teste, *Nihil tam inimicum est bonæ voluntati, quàm libido* Et alibi; *Violatur ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cujus ipse author est, libidinis perversitate polluitur.* Cæterùm P. Masenius eodem Emblemate demonstrat, pacem, semel temeratam, ægerrimè reflorescere;

Libido.

S. Aug. lib. de lib arbi cap 13. Idem l 3. Conf cap. 8

Pax.

> *Nil mihi cū flammis, procul hinc, procul este favillæ*
> *Tacta focis molles perdit oliva comas.*
> *Dum nova bellorum mavos incendia nutrit,*
> *Et paci cupidas admovet arte faces,*
> *Nil sperare licet; frustra, manus altera flammas*
> *Dum gerit; admotas altera præbet aquas.*

331. Oliva, temperatis irrigata pluviis, frugifera efficitur; copiosis autem obruitur ac sterilescit. Unde imber, supra olivam deciduus, epigraphen à P. Masenio accepit, JUVAT, ATQUE NOCET. Ita moderatæ divitiæ hominem in Dei obsequio conservāt, nimiæ depravant, Sapienter Deum oravit Salomon; *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo necessaria.* Idipsum dixit Plato; *In quocunque hominum cætu nec inopia nec divitiæ sunt, hic justissimi mores aderunt, neq; enim ibi contumelia aut injuria locum habent.* P. Masenius ait, nimias opes bellorum esse fomenta, & pacis exterminia.

Divitiæ.

Prov. 30 8.

Plato l 3 de legibus.

Pax.

> *Qui juvat imbelles imber moderatus olivas,*
> *Obfuit immodicis æthere fusus aquis.*
> *Aut oleum, aut pingues oleis dabit imber amurcas,*
> *Sæpius optatas copia tollit opes.*
> *Copia, pacis opes minuit, fovet improba Martis:*
> *O inopes, quibus has pax perit inter opes.*

332. Oliva, multis luxurians frondibus, sterilis efficitur. Unde P. Masenii lemma; INOPEM ME COPIA FECIT. Ita plures occidit divitiarum copia, quos in virtutum & æternæ beatitudinis felicitate servâsset inopia. Verissimè dixit Magnus Aug. *Divitiis crescentibus, crescit inopia, quæ amatoribus suis, quantò fuerint ampliores, non auferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem. Divitem tu putas, qui minus egeret, si minus haberet?* Et S. Chrys. *Dives est, non qui multa possidet, sed qui non multis indiget.*

Divitiæ.

S. Aug ser. 15 de divers. c. 15.

S Chrys. ap. S. Maximum ser. 13.

333. Gladius, in olivam impactus, ob ejus duritiem frangitur. Lemma; FRANGERIS, ANTEQUAM FRANGAS. Ita vir justus ac generosus inter adversa & prospera ita semper stat inconcussus ut mundus potius sit ruiturus, quàm ipse à proposito suo dimovendus. S.P. Aug. *Bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malis frangitur.* De oliva canit P. Masenius;

Vir fortis

S Aug. lib 1. de Civit. c 8

> *Qui petis adversam ferro mucronis olivam,*
> *Cede minor; chalybe est durior illa tuo.*

334. Olivæ pernicies indubitata ab hederæ amplexu adve

Socius malus. advenit. Unde olivæ jam marcescenti connexa hedera, epigraphen à P. Masenio accepit; MALA FEDERA PERDUNT. Ita è malorum societate plurimum damni accipimus. Dilucidè Vates Redius; *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* Optimè S. Isidorus; *Melius est, habere malorum odium, quàm consortium; sicut bona multa habet communis vita Sanctorum, sic plurima mala affert societas malorum.* Et S. Cyprianus, *Esse jam inter nocentes innoxium, crimen est. Malos quisquis non imitatur, offendit.* Eodem Emblemate demonstrat P. Masenius, cautè prospiciendum esse Principibus, cum quibus fœdera ineant. (Psal. 17. 26. — S. Isid. l. 2. Soliloq. — S. Cyprian. — Fœdera.)

Fœdera cautus ini, cuivis ne crede soduli;
Vulgus amicitias utilitate probat.
Quod molles hederis rami cingantur amicis,
Crede mihi, exitio fiet oliva tuo.
Quæ malè diversæ sociabis fœdera genti,
Fœdera in exitium sunt valitura tuum.

335. Oliva diuturnis annis stare solita, tandem & ipsa fato inevitabili succumbit, ruitque. Unde arida, & senio deficiens, à P. Masenio epigraphen recepit; NIHIL IMMORTALE TENEMUS. Quod de olea diximus, id ipsum jure longè majore de homine intellexeris, cujus omnis corporis membra ita sunt caduca, ut serius aut citius morti sint cessura in prædam. S. P. Augustinus; *Peccato transgressionis mortales ex immortalibus facti sumus.* Nam ut alibi ait S. Doctor, *Homo, quando nascitur, jam cum morte nascitur, quia de Adam peccatum trahit.* Emblematis author inde demonstrat, assiduas esse pacis bellique vices; (Mors. — S. Aug. de duab. animab. cap. 13. Idem Tract. 43. in Ioan.)

Omnia deficiunt, tacito pede labitur ætas,
Quæque diu viguit, marcet oliva senex.
Longa quies hominum, paxque interitura senescit,
Et vitio sensim carpitur illa suo.
Ipse suas spargit Mavors per tempora vires,
Quæque diu jacuit, pace triumphat humus.

PALMA.

Caput XXVI.

Matrimonium. 336. PAlma, à cæterarum arborum consortio separata, sterilescit; iis verò juncta ac vicina, plurimos fructus profert. Unde solemnibus nuptiis gratulaturus, duas palmas vicinas depinges; cum lemmate, MUTUA FOECUNDITAS. Vel, PROXIMITATE FÆCUNDITAS. Hoc altero lemmate etiam demonstrabis, corda, quamlibet sterilia & infœcunda, ab hominis præclari consuetudine ad optimos virtutum fructus proferendos incitari. Eam ob rem Deus præcepit, ut civitas, à Levitis habitari solita, hominibus sanguinariis esset civitas refugii; cum nullibi facilius, nisi à Sacerdotum consortio, ad sanctimoniæ, pacis, & innocentiæ frugem disponi possent, Hieronymus Oleaster, *Crediderim,* inquit, *hoc factum, ut hujusmodi homicidæ ex Levitarum conversatione fierent meliores, ut sciant Dei ministri tales esse se debere, quibus facile credantur homines impii, ut eos ad meliorem convertant frugem.* (Societas bonorum. — Num. 35. 6. — Oleast. in hunc loc.)

337. Maria Virgo, Sancti Josephi Sponsa, à nobili quodam ingenio palmæ symbolo fuit repræsentata, quæ, frondibus suis versus vicinam palmam inclinatis, epigraphen habuit; INTACTA MARITOR. Magnus Augustinus, *Virgo,* inquit, *sine viro gravidatur. Viri nesciam sermo Dei maritat: simul facta est mater & virgo: mater facta, sed incorrupta; Virgo habens filium, nesciens virum: semper clausa, sed non infœcunda.* Idipsum Sedulii ore canit S. Ecclesia; (Maria V. sponsa. — Aug. ser. 13 de Temp.)

Domus pudici pectoris
Templum repentè fit Dei,
Intacta nesciens virum,
Verbo concepit filium.

338. Palma, à cæteris arboribus dissociata, arescit. Lemma; DONEC LONGINQUA. Eandem omninò miseriam & ariditatem in filio prodigo cernimus comprobatam, qui, à paterno sinu remotus, in extremam egestatem rediit. Verissimè Regius Propheta de miserrimis hominum animabus, è Dei amicitia excussis, protestatur; *Ecce, QUI ELONGANT se à te, PERIBUNT.* Nam, *si hærere Deo vita est, recedere ab illo mors est,* ut sapienter advertit Magnus Augustinus. (Separari à Deo. — Psal. 27. 72. — S. Aug. in Psal 145.)

339 Palmam genuinum vel perseverantis, vel etiam obstinati animi typum dixeris; quippe cujus folia nec decidunt, nec mutantur unquam. E lemmate id disces; NUNQUAM MUTATA FRONDE. Meus Hugo Victorinus; *Palmam,* inquit, *nec frigus hyemis, vel nimius calor æstatis impediunt, quin semper virescat. Similiter justus vivit, nec ab aliquo impeditur, quin IN PROPOSITO bonæ operationis PERSEVERET.* (Perseverantia. — Hug. Victor. lib. 1 de Bestiis cap. 21.)

340. Palmam hoc lemmate insignivi; NEC FOLIUM DEFLUIT; Assiduam in cœpta virtute perseverantiam innuens. Opportunè Regius Vates; *Et folium ejus non defluet.* Hunc locum eruditè interpretatus S. Ambrosius, ait; *Palma virens semper manet conservatione & diuturnitate, non immutatione foliorum. Nam quæ primò germinaverit folia, ea sine ulla substitutionis successione conservat. Imitare ergò eam, homo, ô homo, ut dicatur tibi, statura tua similis facta est palmæ. Serva viriditatem pueritiæ tuæ, & illius innocentia naturalis, quam à primordio recepisti, & folium tuum non defluat.* (Perseverantia. — Psal. 1. 3. — S. Ambros. l. 3. Hexamer. cap. 17.)

341. Servi Dei, quasvis calamitates collato pede, & generoso animo excipere soliti, Palmæ non absimiles se probant, quæ pondere prægravata, epigraphen tenet; INCLINATA RESURGO. Quia verò Aresius vocabulum illud, *inclinata,* de palma pronuntiari posse negat, idcircò hanc epigraphen substitues; ADVERSUS PONDERA SURGO. Vel brevius, ONERATA RESURGIT. Unde Jacobus Bruck canit; (Generositas.)

Alma licet virtus adversâ sorte prematur,
Pressa tamen victrix altius ire solet.

Christianos affatus Magnus Augustinus, ait: *Quidquid molestiarum passi fueritis in terra, quantumcunque Christianum cor deorsum humiliatum premat inimicus, summa petit ardor dilectionis.* Torquatus Tassus eâdem metaphorâ heroicam ac imperterritam illam magnanimitatem repræsentat, quam Reginaldus in obsidendis ac conscindendis Hierosolymis demonstravit; (S. Aug. serm. 87 de Divers. — Tass. Cam. 18. st. 78.)

E resiste es'avanza, e si rinforza;
E come palma suol, cui pondo aggreva,
Suo valor combattuto hà maggior forza,
E ne la oppresion più si solleva.

342. Christus, mortalium animas sanctificans, Palmæ non absimilem se probat, cujus truncus instar scalæ efformatus, epigraphen ab Aresio accepit; ITER FACIT EI, QUI ASCENDIT. Ad propositum S. Bernardus: *Sequemur te per te ad te, quia tu es via, veritas, & vita. Via in exemplo, veritas* (Christus sanctificans. — S. Bern. ser. 1. de Ascens.)

veritas in promisso, vita in præmio Et S. Basilius; *Omnis actio, omnis item sermo Salvatoris nostri Jesu Christi, excolendæ pietatis, virtutisque obeundæ regula est.*
S. Basil. Const. Monast. c. 2.

S. Crux.
Eadem imago etiam S. Crucis est propria, quæ ad virtutis fastigium ac gloriæ possessionem contingendam, scalæ loco inservit. S. Leo; *Cum quispiam observantiæ Christianæ se limitem sentit excedere, & in id cupiditates suas tendere, quod eum à recto itinere faciat declinare, recurrat ad crucem Domini, & ligno vitæ motus noxiæ voluntatis adfigat.* Et Hugo Victorinus. *Palma juxta terram est gracilis & aspera; versus cœlum grossior & pulchra. Ascende igitur in palmam, id est, attende crucis victoriam. PER SCALAM siquidem CRUCIS ASCENDES ad solium victoris.* Cæterùm etiam crebras virtutes & exempla, in Sanctis Patriarchis & Religionum Fundatoribus, ut in S. Antonio Abbate, Augustino, Benedicto, Dominico, aliisque observata, veluti totidem scalas nobis ob oculo ponamus. In his enim ultrò sese offerunt gradus, à Protoparentibus istis adeò triti & faciles, ut posteri eorum mores ac vitam studiosè imitando, ad paradisi celsissimum culmen indubitato gressu pertingant.
S. Leo ser. 19. de Pass. Dom. *Hugo Vict. l. 1 de Best. c. 23.* Exemplum.

Plut. l. 8. Sympos. q. 4.
345. Plutarchi testimonio, *Palma lignum, si superne onere imposito premas, non deorsum affligitur, aut concedit, sed contra incurvatur, quasi vi renitens prementi.* Unde Raulinus inscripsit; NEQUE FLECTITUR AURO. Innuebat videlicet, erectam Odoardi Farnesii Ducis æquitatem & justitiam, ab omni Indiarum auro nihil unquam inflectendam, cuivis assultui semper invictam se objicere. Ut adeò generoso Principis hujus animo præceptio illa profundè incisa videri potuerit, quâ Basilius Imperator filium suum Leonem instituit; *Excelsum atque invictum Principis animum non adeò magnitudo dignitatis ostendit, ac pecuniæ contemptus, in eo enim generositas animi elucescit maximè. Si ergò tu excelso animo esse vis, esto præcipuè in mentis inductione pecuniæ contemptor.*
Princeps justus. *Basil. Imp. ad fil. Leon. c. 14*

Plin. l. 17. cap. 18.
344. E Plinii doctrina, aqua salsa, hortorum floribus & herbis sterilitatem & aritudinem creare solita, palmis plurimum incrementi ac virium tribuit. *Palmæ*, inquit, *salsis aquis aluntur.* Unde Raulinus palmam hoc lemmate insignivit; SALSIS ALITUR UNDIS. Ita pœnitens, integro corde contritus, nullum suavius animæ suæ nutrimentum habet, atque lachrymarum amaritiem, ubertim ac devotè profusam: adeò ut cum Davide exclamet, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* S. P. Augustinus hæc Psalmographi verba profunè meditatus ait; *Fuerunt mihi lachrymæ meæ non amaritudo, sed panis suavis sitienti mihi illum fontem, quem quia bibere nondum poteram, avidius meas lachrymas manducabam.*
Pœnitens lachrymans. *Psal 41. 4.* *S. Aug. in hunc loc.*

345. Tametsi palma, ut S. P. Augustinus observat, ex infimo suo trunco plurimum rigoris & asperitatis habeat; *Aspera*, inquit ille, *radix videtur in terra*; Plinius tamen illius medullam in cacumine dulcissimam esse docet; *Dulcis medulla earum*, inquit de Palmis Plinius, *in cacumine.* Unde lemma; IN CACUMINE DULCIS. Exacta hæc virtutis idea est, quæ principio quidem ardua & difficilis, in suavissimam amœnitatem desinit. Appositè Pierius;
S. Augustinus. *Plin. l. 13. c 4.* Virtus.

Pier. l. 50.

Pastus amaritiem rigidæ radicis acerbam,
Molliculi glutit dulcia mella favi.
Hoc sophiæ asperioris iter Superantule pergas,
Dummodo post fellis pocula nectar habes.

Beda in Cant 7. 7.
Beda in illud Canticorum, *Statura tua assimilata est palma*, ait, *Aspera est palma juxta terram, quia persecutionem patiuntur propter justitiam electi: pulchra est, & dulcis in summo, quia gaudent in pressuris, & exultant scientes, quoniam merces eorum copiosa est in cælis.*

346. Eruditis omnibus compertum est, Palmam Victoribus triumphaturis præmii loco cessisse, non quidem integram, sed dissectam, & in plurimos ramos divisam. Unde Gambertus Palmæ ramum hoc Claudiani lemmate donavit; SIC APTA TRIUMPHIS. Reginaldum V. de Esthe hoc Emblema spectabat, quando à Reipublicæ negotiis ultrò sese abstrahens, vitam religiosam aggressus est. Ille enim triumphis, in cœlesti Capitolio ducendis, omnium habetur aptissimus, qui à rebus terrenis secedens, quasvis mundi divitias voluntariæ paupertati postponit. S. Bernasdus acutè observat, cœlum pauperibus re ipsâ ac de præsenti donari, non verò primum post oblongi temporis intervalla donandum promitti. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ipsiusmet Bernardi verba ita accipe. *Magna quædam penna est paupertatis, quâ tam citò volatur in regnum cœlorum: nam in aliis virtutibus, quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur. Paupertati non tam promittitur, quàm datur.*
Claud. de Bell. Getic. Paupertas voluntaria. *Matth. 5. 3.* *S. Bern. ser. 4. Advent.*

347. Authore P. Cornelio à Lapide, *Palma in summo vertice coronata est.* Gambertus inde Emblematis conficiendi ansam mutuatus, hanc è Claudiano inscriptionem subdidit. SESE IPSA CORONAT. Ita justitia & sanctimonia animabus sibi addictis, quàvis aliâ mercede deficiente, instar nobilissimæ coronæ inserviunt. Unde S. Hieronymus de Bonoso, vitam Monasticam auspicato, ait, *Frater ille, virtutis corona, & ob quotidiana martyria stolatus agnum sequatur.*
Corn. à Lap in cap. 41. Ezech. *Claud. de Rapt. Proserp.* Virtus. *S. Hier. Epi 41. ad Rufi*

348. Palma ab hyemis inclementia nihil unquam detrimenti accipit. Unde rursus Gambertus hanc è Claudiano epigraphen sustinuit; PARCERE NOVIT HYEMS. Næ! præclarum hoc Mariæ Virginis prototypon dixeris, quæ Crucifixo supra Golgothæam rupem proxima, & inter crudelissimos hostes media, nec minimam injuriam à Judaicæ persecutionis hyeme recepit; Imò inter tot calamitatū grandines, heroina incomparabilis *juxta crucem stetit.* Audi Sanctum Ambrosium, *Stabat ante crucem Mater, & fugientibus viris, stabat intrepida, stabat non degeneri mater spectaculo, quæ non metueret peremptorem. &c.*
Maria V in monte Calvariæ. *S. Ambros. ser de Instit. Virg. cap. 7.*

349. Palma infimo suo trunco scabra & rigida, verticem habet mirè elegantem, summâque Majestate spectandum. Unde Gambertus, eam hoc Statii lemmate insignivit; HORRORE DECORO. Belliducem eodem momento & terribilem & amabilem, hæc imago spectat. Seneca;
Stat. in Ep. Pil. Vers. Miles amabilis.

Quam grata est facies torva viriliter!

Plutarchus de Regis Demetrii facie disserens, ait; *Eadem venustatem & gravitatem, terrorem & hilaritatem habebat.* Et Statius;
Stat. lib. 1. Achill.

Attamen arma inter, festinatosque labores
Dulcis adhuc visu &c.

350. Nepotes, à forti ac victorioso Belliduce; vel vel etiam ab industrio & laborioso mercatore progeniti, divitias, à majoribus suis tanto studio ac diligentiâ partas, commodissimâ felicitate usurpant. Unde Gambertus parentes illos palmæ non absimiles dicit, quæ naturâ suâ amplissimè excrescit, FACTURA NEPOTIBUS UMBRAM; Verbis è Virgilio mutuatis;
Divitiæ pro nepotibus cumulatæ. *Virgil. 2. Georg.*

Nam quæ seminibus jactis se sustulit arbos,
Tarda venit, seris factura nepotibus umbram.

De

Christus. De Christo idipsum dixeris, qui humanam gentem ab infausto diaboli ac peccatorum ardore liberaturus, misericordiæ ac passionis suæ brachia, instar palmæ, amplissimè explicavit. S. P. Augustinus; *Voluit te amor mundi, tene Christum. Propter te factus est temporalis, ut tu fias æternus; quia & ibi sic factus est temporalis, ut maneret æternus. Accessit illi aliquid ex tempore, non decessit ex æternitate.* Aug tract. 2 in Ioan.

351. Petrus Maffeius refert, Palmam in Insulis Maldivis utilitate esse ita multiplici, ut incolæ, hominem quempiam frugi ac industrium laudaturi, palmâ utiliorem appellent. Nam exterius illius operimentum stuppam præbet, texendis funibus aptissimam. Fructuum cortex in pocula figuratur. Ipsa verò pomi caro, pinguedine quâdam, & sapore non ingrato non lactescens, comedenti non per se tantum amœna & salubris est, sed etiam, exhausto lacte, paulatim in oleum eliquatur. Totus enim racemus, dum ex eo tener adhuc emicat fructus, opimum destillat succum, qui variè coctus, in mel, saccharum, vinum, & acetum convertitur. Folia scribentibus pro papyro sunt; &, tegularum loco, domibus imposita, pluvias arcent; quinimò, etiam in vestium formam facili simul ac spisso contextu nectantur. Denique una eademque arbor omnia prorsus ad rem nauticam instrumenta & maceriem præbet: quippe è trunco & ramis malum, assamenta, clavosque; è comis vela; è stupâ funes; & è cocco onera conficiunt. &c. Unde Aresius non abs re inscripsit; AD OMNIA UTILIS. Lignum S. Crucis, huic symbolo non absimile, S. P. Augustino teste, portavit *omnium nobis bonorum thesaurum.* Eodem insuper patientiam & pietatem, in quavis hominum necessitate utilissimas, exornare licet. De hac S. Paulus; *Pietas ad omnia utilis, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* (I. Maff. 1. Ind. l. 7.) (Crux.) (Aug. To. 10. Serm. 49.) (Patientia. Pietas.) (1. Tim 4. 8.)

352. Præsuppositâ multiplici illâ utilitate, quam superiore numero de palma enumeravimus, inscriptionem, nî fallor, non incongruam subjicies; OMNIBUS OMNIA. Verbis è D. Paulo mutuatis; *OMNIBUS OMNIA factus sum, ut omnes facerem salvos.* Id enim omnis anima charitativa congenitum habet, quod ad proximi sui egestates sublevandas millies sese immutari, & in omnem partem trahi patiatur. S. P. Augustinus hanc agendi rationem in bonitate ac providentia Divina observans, *Deus,* inquit, *tibi totum est. Si esuris, panis tibi est, Si sitis, aqua tibi est. Si in tenebris es, lumen tibi est. Si nudus es, immortalitate tibi vestis est.* S. Ambrosius similiter; *Omnia Christus est nobis. Si vulnera curare desideras, medicus est; si gravaris iniquitate, justitia est: si febribus æstuas, fons est: si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est.* Et S. Cyrillus Hierosolymitanus; *Unicuique varius fit Salvator ad utilitatem, & OMNIBUS fit OMNIA.* (1. Cor. 9. 22.) (Charitatis.) (Dei bonitas.) (Ambr lib. 3. de virgin.) (Cyrillus Catechef.)

353. Alcibiades Lucarinus, in eadem palma SS. Eucharistiæ figuram deprehendens, epigraphen subdidit; VICTUI SATIS. Ipsissimet Christi Verbis hæc imago respondet; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam, &c.* Ad hoc propositum cum Durando nostro observabis, hanc vocem *panis,* originem suam trahere à græco *pan,* quod latino idiomate *omne* significat. *Panis dicitur,* inquit, *græcè à pan: quod est totum, quia hic & in futuro est tota vita nostra.* Si itaque Euchraistia *est panis vivus & vitalis, omnem* suavitatem, *omnemque* bonum complectitur, & vel sola ad vitæ nostræ felicitatem complendam sufficit. Compendio dixit Magnus Augustinus; *Deus tibi totum est; si esurieris, panis tibi est.* (Eucharistia.) (Ioan. 6. 57.) (Durand in Rational. Divin Offic. l. 4. c 30.) (Aug tract. in Ioan.)

354. Palma Japonica, si aquis rigetur, protinus emoritur. Unde Aresius eam juxta vas, aquis plenum, & ad illius radices effusum, depinxit; cum lemmate, MORS MIHI EST. Ita sanè voluptates ac delitiæ terrenæ non ad vitam sustentandam, sed ad mortem accersendam hominibus justis deserviunt. D. Paulus, id apertè testatus, *Vidua,* inquit, *quæ in delitiis est, vivens mortua est.* Nam interprete Theodoreto, *Immodicæ delitiæ rationem obruunt, & efficiunt, ut in corpore, tanquam in aliquo sepulchro jaceat.* (Voluptas.) (1. Tim 5 6.) (Theod in hunc loc.)

355. Palma, quantumvis in arente terrâ, & sub climate nimium quantùm calido plantata, vigorem tamen ac venustatem suam nunquam exuit. Unde epigraphen promeretur; NEC IN ARIDO DEFIT, seu, DEFICIT. Eximios Dei servos hæc imago repræsentat, qui inter spiritus sui ariditatem nihil penitus ab animi fervore remittunt, sed in Divinis obsequiis vigorem longè majorem conquirere allaborant. Ad hanc ideam etiam misericordia Divina exactè conformata, intra sterilissimos & infœcundos hominum animos mirificè fœcunda est. *Ostentat immensas divitias suas,* inquit de Deo Philo Hebræus, *quod sufficiant etiam his, qui non magnam utilitatem inde capiunt; quoties enim pluit in mare, fontes producit in locis desertissimis; tenuem, & asperam, sterilemque terram rigat, inundans fluminibus, quid aliud exhibet, quàm nimietatem divitiarum benignitatis suæ?* (Dei servus) (Misericordia Dei.) (Phil Iud. l. 1 Reg. Allegor.)

356. Fuit, qui palmæ inscriberet; SERIO QUÆRENDA, ET LUDO. Innuebat nempe, victoriam, palmæ symbolo figurari solitam, sive seriò & aperto Marte, sive strategematis & jocis procurandam esse. Antigonus interrogatus, quâ ratione hostis esset aggrediendus, respondit; *Aut dolo, aut vi; aut apertè, aut insidiis.* S. P. Augustinus illa Josue verba interpretatus, *Ponite insidias post civitatem.* ait; *Cùm justum bellum suscipitur, utrum apertâ pugnâ, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest.* Ludovicus Ariostus in rem præsentem canit; (Victoria.) (Ios 8. 4.) (S. Aug. in hunc loc.) (Ariost Cant. 15. Stanz. 1.)

Fu il vincer sempre mai laudabil cosa,
Vincasi ò per fortuna, ò per ingegno.

357. Generosus hominis animus, sive ad vincendum, sive ad moriendum paratus, Palmæ symbolo repræsentatur, quæ cypresso connexa, epigraphen sustinet; ERIT ALTERA MERCES. Imaginem hanc tam symboli, quàm hieroglyphici loco usurpare licet. In hoc argumentum mirificè facit Hannibal, quando milites suos, jamjam è Romani exercitus fronte constitutos in hæc verba est allocutus; *Vobis vincula, necessitatesque fortuna circumdedit: dextrâ, lævâque, duo maria claudunt, nullam, ne ad effugium quidem, navem habentibus: Circa Padus amnis, à tergo Alpes urgent, vix integris vobis, ac vigentibus transitæ. Hic vobis vincendum, aut moriendum milites est. &c.* Aut enim cypressus, mortis symbolum, aut palma, victoriæ tessera accipienda. (Animus resolutus.) (Tit Livius Hist lib. 21.)

358. Palmæ frondes à Lucarino hanc epigraphen recepêre; AVELLIMUR, NON DECIDIMUS. Beneficia illa his coloribus depinguntur, quæ voluntate coactâ & importunitate potius, quàm liberâ, & ad alienam egestatem sublevandam compositâ, erogantur. De his Seneca; *Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit; quod quis ægrè dimittere visus est, & sic dare, tanquam sibi praeriperet.* Unde etiam id consilii suggerit *Sic demus, quomodò vellemus accipere. Ante omnia libenter, citò, sine ulla dubitatione.* Ita quoque profanis hominum mentibus hæc imago convenit, quæ suis (Beneficiũ extortum.) (Senec. l 2. de benef. c. 1.) (Mundi bona.)

suis concupiscentiis, opibus, aliisve mundi blanditiis ita pertinaciter inhærent, ut sese non propriâ voluntate, sed merâ exterioris cujusdam necessitatis violentia ab illis abstrahi patiantur.

Virtus.

Senec. lib. de vita beata cap. 6.

359. Palma, locis spatiosis & apricis assueta, virtutis ideam præfert, quæ cœli aperti serenitate delectatur. Unde ejusdem Lucarini lemma. TANTUM IN APRICO. Haud aliter Seneca; *Altum quiddam est virtus, excelsum, & regale, invictum, infatigabile. Voluptas humile, servile, imbecillum, caducum, cujus statio & domicilium fornices & popinæ sunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus. Voluptatem latitantem sæpius, ac tenebras captantem &c.*

Justus.

S. Greg. in Cant. c. 7. v. 7.

360. Palmæ truncus, prope terram contractissimus, quò magis versus cœlum porrigitur, eò amplius dilatatur; ut adeò hæc arbor inversæ pyramidi non absimilis videri possit. Lucarinus gnomam subdidit; TURGESCIT IN ALTUM. Anima hanc sibi in operando ideam præfixam habeat, ut mundi ac terræ negotia vix contingere, cœlestibus verò latissimè immorari discat. S. Gregorius, *Palma*, inquit, *dum crescit, deorsum stringitur & sursum dilatatur; sic sancta anima ab imis incipit, & paulatim ad majora crescendo, usque ad amplitudinem perfectæ charitatis pervenit.*

Res inexpectata.

S. Aug. in Psal. 94.

361. Academicus Tardus palmam hoc lemmate insigniit. NON EXPECTATA DABIT. Palma enim, tametsi centum annorum spatio nullos fructus proferat, penitusque videatur sterilis & infœcunda, postea tamen, dum minimè cogitatur, pretiosos suos dactylos parit. Ita Jason Maynus, etiamnum juvenis, ingenium prorsus rude, ac sublimioribus studiis ineptum demonstravit: at postea, patre nil minus cogitante, adeò celsum jurisprudentiæ gradum est adeptus, ut vasta ipsius volumina incredibilem ac gloriosam lucem quibusvis litteratis afferant. Idipsum etiam in pietatis, religionis, cæterarumque virtutum moralium materie contingere solet; frequenter enim aliquos in iis subitò excellere videmus, qui maximè fuerant hactenus illarum inanes. Unde S. P. Augustinus ait; *Utinam, qui nos modò exercent convertantur, & nobiscum exerceantur: tamen, quamdiu ita sunt, ut exerceant nos, non eos oderimus, quia in eo, quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus sit, ignoramus. Et plerumque cùm tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis. &c.*

S. Aug. in Psal. 92.

S. Ecclesia.

Justus.

Hugo Victor. l. 1. de Best. cap. 22.

362. Palmæ truncus eâ parte, quâ terram proximè contingit, penitus asper & impolitus est; superiores verò partes, versus cælum protensas, omninò pulchras & majestate plenas habet. S. P. Augustino testante; *Aspera radix videtur in terra, pulchra coma sub cœlo est.* Proinde, me judice, subscribes; IN CULMINE PULCHRA. S. Ecclesiam, aut cujusvis hominis justi animam hoc typo describere licet; utraque enim diversis calamitatibus in hoc mundo exagitata, faciem in cœlo gloriosam & clarissimam sortitur. Hugo Victorinus; *Stipes rugoso cortice, id est, Ecclesia circumdata tribulationum asperitate, in terrâ figitur; & rami, id est, Sancti in æterna felicitate gloriantur.*

Calamitas est via ad cœlum.

Boet. de Consf. Philos.

363. Palma, uti superiore numero diximus, corticе suo asperrima, fructus admodum dulces parit; quamvis illos non sine ingenti labore colligere liceat. Unde lemma; FRUCTUS DULCIS, ET ASPER. Idipsum Boëtius cecinit;

Armata spina rosas, mella tegunt apes.

Et alius quidam Cygnus;

Dulcia non meruit, qui non gustavit amara.

Luc. 24. 26

S. Aug. lib. de Civit.

Utrumque compendio dixit S. Lucas; *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Et S. P. Augustinus; *In malis sumus, quæ patienter tolerare debemus, donec ad illa veniamus bona, ubi omnia erunt, quibus ineffabiliter delectemur.*

Gloria æterna.

Æschin. ap. Clem. Al. l. 4. Strom.

S. Leo ser. de Transfig.

364. D. Aresius cuidam suorum voluminum è fronte palmam præfixit, cum lemmate, VINCENTI DABITUR. Ita omninò Divorum Cœlitum gloriam, palmæ symbolo exprimi solitam (*& palmæ in manibus eorum*) ii tantùm assequuntur, qui contra infernum & vitia impigrè decertârunt. Æschines dicere solebat, *Laborem quisquis tulit, debetur huic laboris natus, gloria.* Et S. Leo Papa; *Inter tentationes hujus vitæ, prius nobis tolerantiam postulandam esse, quàm gloriam.*

Incarnat. Verbi.

S. Ildepho. de Virgini. Mariæ c.

365. Duæ palmæ, protensis ramis sese mutuò complexæ, epigraphen ab Aresio receperunt; CASTUM CONJUGIUM, NEC INFOECUNDUM. Opportuno hoc Emblemate Verbum Divinum, humanâ carne vestitum, & intra Virginis beatissimæ uterum Spiritûs S. virtute, citra ullam integritatis virgineæ labem conceptum, & in hunc orbem genitum, afficere licet. S. Ildephonsus; *Non Matrem virginitatis deserit decus. Non virginem maternus impedit partus: & virginem non violat fœtus; & Matrem nobilitat pudor virgineus.*

Religio.

Titus Liv.

366. Tassus, symboli loco, Deæ cujusdam simulachrum expressit, ad cujus pedes palma progerminans, titulum hunc præferebat; EX RELIGIONE VICTORIA. Hanc militandi, vincendique ideam omnibus Christianorum militum cordibus altum incisam, & ob oculos assiduò positam velim. Camillus ad populum Romanum perorans; *Intuemini*, inquiebat, *horum annorum vel secundas res, vel adversas: invenietis omnia prospera evenisse sequentibus Deos, adversa spernentibus.*

Maria Elisabetham invisens.

S. Ioan. Chrys. Ho. 3. ad Pop.

367. Duæ palmæ, veluti mutuis osculis sese salutaturæ, fastigia sua inclinant, cum lemmate, BLANDA SE PACE SALUTANT. Petrus l'Abbé hanc Mariæ Virginis ad Elisabetham invisentis, imaginem statuit. Nam, ut in rem præsentem ait S. Joannes Chrysostomus, *Sanctorum non tantùm verba, sed & ipsi aspectus spirituali gratiâ pleni sunt.*

PERSICUS & PERSICUM.

Cap. XXVII.

Mutatio.

And. Alcia. Embl. 143.

368. PErsicus à Ludovico Dominicano epigraphen recepit; TRANSLATA PROFICIT; vel ut aliis placet; TRANSLATU MELIOR. Innuebat videlicet, sicuti malus ista, intra Persiâ penitùs venenata, si ad nostras terras transfeRatur, insignem perfectionem & salubritatem sortitur; ita hominem, in exteras regiones profectum, aut veteri suâ consuetudine exutum, non rarò optimos mores induisse. Apposite canit Andreas Alciatus:

Translatu facta est melior, quæ noxia quondam
In patria, hic nobis dulcia poma gerit.
Tu procul à patria in pretio es majore futurus.

Religiosus.

S. Petr. Chrysol. in serm.

Ædes Lauretana.

Porrò homo, è mundo in sanctam Religionem translatus, miræ suavitatis ac perfectionis fructus edit; quia, S. Petro Chrysologo teste, *quidquid extra claustrum est, plenum est anxietate, inquietudine, amaritudine, formidine, solicitudine, & dolore.* Denique icone istâ D. Gregorius Bolzi sacram ædem Lau-

Lauretanam significat, quæ è Palæstina in Dalmatiam, & hinc in Italiam translata, gratiarum suarum fructus longè amplissimè & uberrimè spargit.

369. Superiore numero diximus, Persicum ab exteris regionibus in nostras translatam, congenitum suum venenum, omnemque nocendi materiem exuere. Carolus Rancatus epigraphen, è Columella desumptam, addidit; OBLITA NOCERE. (Colum. de cultu hortorum l.10.)

--- ---*Quæ barbara Persis*

Miserat, ut fama est, patriis armata venenis,

Ambrosios præbet succos, oblita nocendi.

Eos in hoc schemate dignoscere licet, qui, cùm adhuc in sæculo degerent, tyrannidi, rapinis, usuris, cæterisque vitiis unicè vacabant; posteà verò in Religionis topiarium transplantati, nonnisi Divinam complacentiam, liberalitatem, eleëmosynam, aliasque virtutes cumulatè ostentârunt. His jure accensendus S. Paulus, qui etiamnum in synagoga hærens, *erat spirans minarum & cædis*; at verò intra S. Ecclesiæ hortum translatus, *vas electionis* factus est: nullo amplius stragis inferendæ veneno, sed salutifero Ecclesiæ instaurandæ balsamo fœcundus. Ita nimirum, Magno Augustino teste, *Nisi injustus voluntatem mutaverit, bonum operari non potest.* (Mutatio vitæ. — Act. 9. 1. — Ibid. v. 15. — Aug cont. ...cad 26.)

370. Arboris hujus folia humanæ linguæ, fructus verò cordis figuram exhibent. Camerarius hominibus fucatis ac simulatoribus hoc Emblemate aurem vellicans, epigraphen addidit; CONCORDIA CORDIS, ET ORIS. Idipsum observans Alciatus, sibimet occinit; (Sinceritas. — Alciat l.c.)

Fert folium linguæ, fert poma simillima cordi:

Alciate hinc vitam degere disce tuam.

Seneca: *Hæc sit propositi nostri summa; quod sentimus, loquamur; quod loquimur, sentiamus. Concordet sermo cum vita.* (Senec Ep. 75.)

371. Persicum, in medio apertam, & in duas partes divisum, haud obscurè demonstrat, ossiculum suum carneo cortici vehementer connexum fuisse. Unde ab Aresio hanc gnomam, è Psalmo mutuam recepit; ADHÆSIT OS MEUM CARNI MEÆ. Hanc verò iconem S. Ignatio Martyri tribuens idem Aresius, mentem suam ita explicat. Cùm ossium durities, seu fortitudo maximè sit Deo propria. Propheta asserente, *Deus Dominus fortitudo mea*; carnea verò pulpa humano pectori, ad quosvis Dei nutus citra negotium inflectendo, conveniat, juxtà illud Ezechiëlis, *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Idcircò S. Ignatius optimo jure de seipso affirmare poterat, *Adhæsit os meum carni meæ*; quia Deum pectori suo nexibus adeò firmis unitum habuit, ut non solùm charitatis Divinæ plenus fuerit, sed insuper sanctissimum Incarnati Dei nomen imo pectore suo prodigiosis characteribus exaratum monstrârit. Hugo Cardinalis docet, S. Joannem, instar ossis, carni inhæsisse, quando supra Golgothæam rupem Mariæ Virgini adstitit intrepidus & imperterritus astitit. *Adhæsit os meum carni meæ*, inquit, *id est, Joannes, fortis, discipulus, Matri meæ. Tunc etiam adhæsit os carni, quando ipse Christus commendavit matrem Joanni.* Porrò quivis Justus de se ipso pronuntiaverit, aliqua vitiorum ossicula carni suæ adhærescere; enimverò quantumvis anima nostra gratiæ Divinæ succu, ac virtutum dulcore imbuta fuerit, semper tamen aliquam vitiorum duritiem, quam deploret, connexam habet. S. Gregorius, tametsi hanc rem compluribus locis testatam fecerit, unicum tamen de Isaaco Spoletano exemplum, ab ipso adductum, afferre placet. *Hic cum virtute abstinentiæ, contemptu rerum transeuntium, prophetiæ spiritu, orationis intentione esset incomparabiliter præditus; unum erat, quod in eo reprehensibile esse videbatur, quia nonnunquam tanta lætitia ei inerat, ut illis tot virtutibus, nisi sciretur esse plenus, nullo modo crederetur.* Cæterùm cùm è sacris Litteris constet, fœminam è viri osse à Deo efformatam fuisse, ideo maritus, conjugalem amorem, quo versus sponsam suam flagrat, explicaturus, verissimè dixerit, *Adhæsit os meum carni meæ.* (Psal. 101. 6. — Habac 3. 19 — Ezech. 11. 19. — S. Joannes Evangelista. — Hug. Card. in Psal 101. — Justus um defectu. — Greg l. 3. Dial. c. 14. — Martialis amor.)

372. Malum Persicum diversis pollet viribus; nam pars exterior, frigido succo gravis, dum comedentium delectat appetitum, simul stomachum labefactat: interior autem pars succurrit humanæ valetudini, mitigatque latente medullâ malum, quod ab intemperanti exterioris partis usu adhæsit. Unde Philotheus, non minus dignitate quàm intellectu serenissimus, malo Persico inscripsit; ET PRODEST, ET OBEST. Non absurdè hic fructus corpori & animæ humanæ similis dicitur; dum enim caro nostra, pars exterior, nos ad persequendas allicit delitias, noxiâ voluptatum dulcedine capti in graviora incidimus mala, quæ suo nos veneno penitus extinguerent, nisi pars interior, quæ anima est, nos ad justam pœnitentiæ revocaret medicinam, criminisque dolori succurrens, pristinam restitueret integritatem. Sensit contraria hæc corporis animique effecta Paulus, quando dixit; *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Hic enim appetitus, ut ait Magnus Augustinus, *mentem resistentem, repugnantemque solicitat; ut ipse conflictus, etiamsi non sit damnabilis, quia non perficit iniquitatem; sit tamen miserabilis, quia non habet pacem.* Emblèmatis mentem ita explicat Author; (Concupiscentia. — Rom. 7. 23. — S. Aug l. 2. de Nupt. & Concup. c. 2.)

Huc mea mens, illuc corpus me pertrahit: in me

Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

Externa internis pugnant. Hæc crimina suadent,

Illa docent vetitum prætериisse nefas.

Solus homo exterior tantis non sufficit ausis;

Ni simul interior subsit, opemq; ferat.

Da mihi, sancte Deus, qui tot mihi dona dedisti,

Ut placeant oculis interiora tuis.

PINVS, NVX PINEA.
Caput XXVIII.

373. PInus, detracto cortice, diutius servatur; nam complures vermes inter truncum & corticem ob nimiam ligni pinguedinem generari soliti, paulatim ipsius stipitem penitus curiosum enecant, & arborem sternunt. Eò animum advertens Abbas Ferrus, nonneminem, qui amplissimis opibus dilapidatis, tandem in extrema paupertate sese prudentibus consiliis & saniore animo imbui patiebatur, pino non absimilem dixit, cum Lemmate, RECISO CORTICE VIRET. vel, CORTICE SPOLIATA PERENNIS. Sicuti enim opulentia mille vitiorũ ansam ei subministravit, ita ab egestate occasionem accepit in omni virtutum genere sese exercendi. S. Ambrosius in illa Apostoli verba commentatus, *Radix omniũ malorum est cupiditas*, ait, *Ut rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum, sic harum ablegatio generatrix, nutrixque omnium virtutum.* Idem Emblema etiam S. Bartholomæo maximè est propria, qui corrouptibili pelle deperditâ, æternitatis gloriosæ virorem recuperavit. (Paupertas utilis. — S. Ambr. in 1. Tim. 6. 10. — S. Bartholomæus.)

374 Pinus, inferioribus ramis præcisis, vertice suo ad miram celsitudinem excrescit. Unde Ferrus; RAMIS RECISIS ALTIUS. Ita sanè opibus, aliisque inferæ hujus terræ reculis abjectis, summá (Paupertas elevat.)

S Gregor. summâ facilitate ad Deum sublevamur. S. Gregor. *Quanto plus in temporalibus deficimus, tantò magis in spiritualibus proficimus.* Unde S.Franciscus, filios suos imbuens, dixit, *Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos hæredes regni cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium.* Idipsum S.Bernardus, tametsi metaphorâ diversâ, insinuans, *Magna quædam penna est paupertatis*, inquit, *quâ tam citò volatur ad regna cœlorum.*

S.Franc in Rgul c 8.

S Bern serm 4. de Advent.

375. Pinus, horti cujusdam mœniis cincta, & à ventis quassata, epigraphen tenet; QUID IN PELAGO? veluti diceret, si me, in loco securo collocatam, & radicibus altum defixis, prosterni contingat; quid, obsecro, intra pelagi tempestates jactata, tolerare deberem? si Deus Jobum, amicum suum clarissimum, tot gratiæ fluentis protectum, tot virtutibus validum, tantoq; sanctimoniæ cultu virescentem, calamitatibus adeò insolitis exercuit; quantis, amabo, cruciatibus suos olim inimicos, in æterno amarissimi inferni pelago jactatos, conficiet? S.Gregorius Papa; *Cum recognosco Iob in sterquilinio, cogito, qualiter Deus in futuro cruciabit, quos reprobat; qui ita durè affligit, quos amat.*

Damnati.

S Greg. in Iob.

376. Ajunt, tantam esse Pini fertilitatem, ut, uno fructu ex illa decerpto, eodem mense iterum alius excrescens maturescat. Unde in hac arbore verificatur fabula illa, quam de Armidæ horto recenset Torquatus Tassus;

Tass Gerus. Liberat. Cât 16 stanz. 10.

Coi fiori eterni, eterno il frutto dura,
E mentre spunta l' un, l' altro matura.
Nel tronco istesso, e trà l' istessa foglia
Sovra il nascente fico invecchia il fico.
Pendono à un ramo un con dorata spoglia,
L' altro con verde, il novo, e il pomo antico;
Lussureggiante serpe alto, e germoglia
La torta vite ov' è più l' orto aprico:
Qui l' uva hà in fiori acerba, e qui d' or haue,
E di piropo e già di nettar grave.

Unde lemma; SEMPER FERTILIS. Exinde assiduam in virtute perseverantiam ac fœcunditatem discas velim. Dilucidè Apostolus monet; *Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles: ABUNDANTES IN OPERE Domini SEMPER* Nam, teste Magno Augustino, *Certi estote, quia non erit inanis labor vester, si in bono proposito proficientes, perseveretis usque in finem.*

Perseverantia.

1.Cor.15. 58.

S.Aug. de grat & lib. arb cap 23.

377. Nux pinea, in igne collocata, epigraphen reddit; ODOR, ET FRUCTUS. Vel, ut aliis placet; HINC FRUCTUS, ET ODOR. Generale hoc Accensorum Senensium symbolum fuerat, eoque significabant, se cumulatos virtutum fructus, unaque suavissimam honorum fragrantiam in orbem spargere. Cumprimis tamen Prædicatores illud ideæ loco sibi præfixum habeant, discantque sermonis sui fructus cum sanctimoniæ & boni exempli odore conjunctos habere. Nam, ut S.Gregorius ait: *Ille uberes fructus sanctæ prædicationis colligit, qui semina bonæ operationis præmittit: nam loquendi authoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur.*

Virtus.

Prædicator.

S Greg in Pastoral.

378. Nux pinea epigraphen sustinet; NONNISI FRACTA DAT ESCAM. Vel ut P. Contero placet; NONNISI FRACTA PROSUM. Avaros hæc imago significat, qui nonnisi è vita sublati, vel etiam gravibus ærumnis contusi, suas opes ac beneficia in alios erogant. Verbum quoque Divinum, Prædicatoris judicio ac prudentiâ explicatum, suavissimam escam fidelium animis præbet. Denique corpus nostrum tum maximè ad æternam salutem, & ad genuinas virtutes assequendas prodest, quando sacris mortificationibus probè effringitur. Magno Augustino teste; *In jejuniis & vigiliis, & omni castigatione corporis quamplurimum adjuvatur oratio.*

Avarus.

Verbum Dei.

Mortificatio.

S. Aug Ep 121. cap. 10

379. Nux pinea, intra flammas reposita, á D. Aresio epigraphen recepit; CALORE SOLVITUR. Certè obduratum Magdalenæ pectus inter charitatis Divinæ flammas tenerrimum evasit, & instar durissimi corticis ruptum est. Porrò imago ista quemvis alium obstinati hominis animum spectat, qui ægritudinis, aut alterius calamitatis flammâ adustus, mox resipiscit, & pristinæ vitæ pœnitudine ducitur. Petrus Bercorius; *Quando homo est durus per obstinationem, tunc ponit eum Deus super ignem fortis adversitatis, & sic dissolvitur per contritionem, & aperitur per confessionem.* His flammis simillima libido, generosissima & fortissima quævis heroum pectora emollire solet. *Campana luxuries*, inquit Valerius Maximus, *invictum armis Hannibalem illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tribuit.* Et paulò infrà; *Quid ergo his vitiis fœdius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur.* Haud aliter S.Basilius Magnus de Samsone ait; *Cum se ebrietati, amorique meretricio dedisset, robur omne penitus amisit &c.*

Obstinatus.

Bercor. l. Reduct c. 108. n. 3.

Libido.

Val. Max. c 1.

S. Basil. Or 5. de Iejun

380. Ignis majore vehementiâ adversus nucem pineam etiamnum viridem, quàm siccam grassatur. E lemmate id disces; IN VIRIDI MAGIS. Ita sanè libidinis ardor in ætate juvenili omnium est vehementissimus. S.Ambrosio teste; *Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum, fervore calentis inflammatur libidinis.*

Libido.

S. Ambr. l 1. de Vidui

381. Nux pinea, solaribus radiis exposita, inscriptionem sustinet; CALORE FOETUS EXCLUDET. Hinc disces, suavi & affectuosâ agendi ratione res quasvis ab hominibus, etiam tenacissimis, extorqueri posse. Perspicuè Plinius; *Longè valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor.* Et Themistius, *Nihil ad alliciendam voluntatem efficacius est benignitate & beneficentiâ; longeque id optimum esse Principi, amore ac gratiâ subditos allicere, non metu ac terrore dominari. &c.*

Benignitas

Plin. l. 5. E ultim.

Themist. Orat. 9.

382. Nucis pineæ nucleus intra putamen suum ita validè est conclusus, ut non sine negotio erui possit. Unde epigramma; NON SINE LABORE. Ita sanè virtutis præmium, & æternæ gloriæ beatitas, nonnisi operosè conquiruntur; Horatius canit,

Virtus.

Gloria.

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit & alsit.

Et S.Gregor. *Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores &c.* Philo Hebræus, tametsi non de pinea, sed de communi nuce disserens, plurimum tamen in rem præsentem ait, *Nucis extremum putamen est amarum: ligneus cortex interior est austerus & solidus: quo fit, ut fructus non sit in promptu, clausus utroq; munimine. Hâc figurâ docetur anima, exercens se in virtutis stadio, esse opus laboribus. Labor autem durus, & difficilis, unde felicitas provenit. Quapropter perdurandum est. Nam qui fugit laborem, fugit felicitatem.*

S. Greg. Ho 27. in Eva

Phil Hebr 3. de vita Mosis.

383. Nuci pineæ subscripserunt; IL BUONO E' DENTRO. Id est, ut aliis placuit; MELIORA LATENT. Hominem, proprias suas virtutes modesto silentio comprimere solitum, hæc imago

Virtus abscondita

Prov. 10. 14. *S. Aug. in Ps. 53.*

imago concernit; juxta illud Salomonis; *Sapientes abscondunt scientiam.* In rem præsentem dixit Magnus Augustinus; *Omnes boni latent hîc; quia bonum eorum intus est, absconditum est, in corde est, ubi fides, spes, charitas, ubi thesaurus illorum.* Porrò Prælatum quemdam, in armis suis gentilitiis nucem pineam præferre solitum, hæc imago encomii vice spectabat; eamque Emblematis Author sequenti epigrammate est interpretatus;

Pinea nux dulces glabro sub cortice fructus
Ut fovet; hic animo sic bona rara tegit.
Clauditur hoc animo pietas, hoc pectore virtus:
Hæc sunt interius quæ meliora latent.

Charitas. *Aug. serm. de temp.*

384. Prælato cuidam, eleemosynis erogandis apprimè dedito, symboli vice Pinum, è gentilitiis ipsius insignibus desumptam, erexère, quæ à radiis solaribus contacta, nuces suas copiosè in terram spargebat; cum lemmate, APERIT ÆSTUS. Tanta enim est charitatis vis, ut ad aliorum egestates sublevandas nulla non rumpat, emolliatq; hominum pectora. *O quàm felix & beata est anima*, exclamat Magnus Augustinus, *quæ charitatem in se habere meretur! charitas sitienti potus est, esurienti cibus, in amaritudine positis dulcedo, in tristitia constitutis vera & grata consolatio, fluctuantibus portus, errantium via, peregrinantibus patria.* Porrò Emblematis mens hoc tetrasticho explicatur;

Arida phœbeos si pinus sentiat ignes,
Excludit glandes, prodiga facta, suas.
Non secus hic, æstu divi succensus amoris,
Promit opes. Pauper munera grata cape.

PIPER.
Cap. XXIX.

Vindicta. *Ovid l. 10. Metam.* *Aug. ep. 5.*

385. Piper, dum contunditur, tundentem lædit; Unde lemmatis loco nonnemo dixit; TUNDENTEM LÆDIT. Hinc facilè colliges, hominem, naturâ suâ igneum & impatientem, vix unquam sine reciprocâ offensâ provocari; Ovidio teste;

------ *In audaces non est audacia tuta.*

Sapienter monet Magnus Augustinus; *Cavendum est, ne vindicandi cupiditate amittatur patientia, quæ pluris habenda, quàm omne, quod potest etiam invito inimicus auferre.*

Ecclesia. Virtus. *Pet. Cell. l. 5. ep. 4.* *S. Tho. Vill. de SS. Quiri. &c.* Virtus in persecutionibus. *S. Paulin. ep. ad Sever. m.*

386. Piperi subscripsère; CONTUSUM ACRIUS. Certè S. Ecclesia, & homines justi, quantò majoribus calamitatibus exagitantur, tantò ampliorem excellentiæ suæ odorem spargunt. Petrus Cellensis; *Species aromatica pistillorum TUNSIONE FRAGRASCIT, Ecclesia oppressione malorum crescit; Virtus quoque bonorum, adversariorum infestatione lacessita, flore vernat, & fructu.* Et S. Thomas Villonovanus; *Nisi sanctum Iob tribulationibus pulsasset; virtus, quæ in eo intus latebat, non emicuisset. Granum piperis & synapis, nisi confractum & emollitum fuerit, quid intus caloris & vigoris lateat non apparet.* Eadem omninò metaphorâ S. Paulinus quibusvis Christianis persuadere nititur, ut hæreticorum linguis ac persecutionibus contusi, proprias fidei & charitatis suæ vires ardentius excitant. *Memento si granum synapis conteratur, accendi magis, & magis virtutem suam excitare. Quamobrem debemus quasi naturæ nostræ in hoc respondere, ut adversis sermonibus contriti, inardescamus ad fidem, & eos ipsos, qui nos quasi granum synapis frangere conantur, uramus.*

Animus generosus. *S. Pet. Dam. ser. in Assumpt. B. V.*

387. Diversa aromata, pistillis in mortario contusa, epigraphen à priore nihil alienam habent; TUNSA MAGIS. Animus generosus, quo acerbioribus plagis & ignominiis impetitur, tantò virtutum suarum odorem magis suavem diffundit; S. Petrus Damianus; *Species quidem integræ odorem reddunt; sed non tantum, quantum confractæ: crebris enim tunsionibus supertritæ, remotiorem etiam locum odoriferâ conspersione refundunt: sic & VIRTUTES in pace quidem REDOLENT, sed FORTIUS IN TRIBULATIONE.*

Pati cum hilaritate. *Act. 5. 41.* Virtus afflicta. *S. Isid. Pelus. l. 3. ep. 182.*

388. Piperi, intra mortarium tunso, subscripsère; CONTUSUM EXULTAT. Eos hos Emblema spectat; qui vultum inter calamitates, & ignominias hilarem, immutatumque conservant. Certè Apostoli *Ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Eorum insuper imago illa est propria, qui ab hostibus iniquè lacessiti, ac oppressi, eos ipsos demum generoso animo superant. S. Isidorus Pelusiota; *Apostoli, cùm flagris cæderentur, eos à quibus cædebantur, superabant: & cùm vexarentur & exagitarentur, vexatores suos vincebant, & cùm mortem oppeterent, vitâ præditos in fugam vertebant.*

PLATANUS.
Cap. XXX.

Hypocrita. Mundi felicitas. *Alcuin. ep. 46.* *Euthym. in psa. 72. 20.*

389. SCipio Bargalius platano inscripsit; UMBRA TANTUM. Arbor enim ista, fructibus omnibus destituta, soli umbræ spargendæ inservit. Hypocrita, hoc ectypo non obscurè delineatus, præter exterioris umbræ apparentiam alios fructus nullos parturit. Omnis quoque mundi felicitas nonnisi caducas & vanissimas umbras venditat. *Umbratica est felicitas mundi*, inquit Alcuinus, *vera tantummodò in futuro spectatur.* Et Euthymius; *Humana felicitas, vera felicitas non est, tametsi esse videatur; sed ut imago aut umbra imitatur tantùm felicitatem.*

Protectio. Virtus.

390. Joannes Ferrus Abbas hanc platano epigraphen indidit; OBUMBRAT, ET RECREAT. Patrocinium ac tutelam hæc imago innuit. D. Gregorius Brunellus virtutis ideam in platano deprehendens, canit;

Protegit, & recreat virtus, ceu Platanus ingens,
Quæ firmans vires, dat robur atque animum.

Eucharistia. *S. Laur. Iust. de discipl. perfect. Monast.* Maria V. *Eccles. 24. 19.* *S. Bonav. in psa. Virg. in* *B. Amed. hc. 8. de laud. Virg.* *Absal. Abb. serm. 28.*

Idem Emblema etiam SS. Eucharistiæ significandæ inservit. De hac S. Laurentius Justin. ait; *Est sacramentum hoc tanquam cellarium quoddam omnium aromatum, in se continens pretiositatem & virtutem. In ipsum qui ingrediuntur, refocillantur ab omni fatigatione, nec deficiunt, donec præsens vitæ terminus finiatur. Est etiam mysterium hoc quasi ingens arbor, virentibus referta foliis, sub quam quicunque fugiunt, laborantes & peregrinantes proteguntur in ipsius umbraculo ab æstu diei &c.* Maria V. *obumbrare ac protegere* solitâ de se ipsâ testatur, *Quasi platanus exaltata sum juxta aquam.* Quare S. Bonaventura eidem supplex exclamat; *In umbrâ alarum tuarum Domina requiescam, quia delectabile est mihi refrigerium tuum.* B. Amedeus, *Virgo elegantissima, inquit, orta de radice Iesse, ramorum suorum mirabili extensione sese ubiq; terrarum expandit, ut dispersos filios Adæ ab æstu, à turbine, & à pluvia umbra desiderabili protegeret.* Et meus Concanonicus Absolon Abbas, de eadē gloriosissima Virgine disserēs; *Sub umbrâ ejus pausandū est: ubi in æstu vitiorū refrigeriū, in pressuris sæculi umbraculū,*

& in omnibus laboribus, qui vitæ huic fastidium ingerunt, quietem assequamur.

Plin. l. 12. cap. 1. 391. Plinius de Platano in hæc verba scribit; *Commendatio arboris ejus nulla alia major est, quàm Solem æstate arcere, hyeme admittere.* Unde Bargalius arborem istam, sub Sole depictam, hoc lemmate insignivit; DI STATE IL CACCIA, E LO RACCOGLIE IL VERNO. Id est; ÆSTATE ARCET, HYEME ADMITTIT. Eadem omninò proprietate Mariam Virginem illustrem cerno, quæ indignantis Dei ardores, instar platani, à nobis avertit; postea verò, ingruente rigidæ mortis brumâ, gloriosum beatificæ visionis splendorem accersit. S. Bernardus; *Sinum suæ misericordiæ Maria omnibus aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi; captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam. &c.* Unde eidem Emblemati satis eleganter inscripsit P. Jacobus Masenius; FRIGUS PROHIBEBIT, ET ÆSTUM; suamque mentem hoc epigrammate aperuit;

Maria V. protectrix.

S. Bernard. hom. super Missus est.

Suavius in platani nunquam requiescimus umbrâ,
Sub patrocinio quàm, bona Virgo, tuo.
Frigoris hæc frangit vires, hæc temperat æstum:
Æstus amor, frigus crimen, & umbra Parens.

POMUS. POMA AUREA.

Cap. XXXI.

392. COmplura poma acerba & immatura, uno cumulo collecta, epigraphen à Ferro acceperunt; COLLECTA MITESCUNT. Ingentem utilitatem, è bonorum societate nobis accrescere solitam, hoc Emblema spectat; ea enim animi nostri affectibus modū ponit, & mores, quamlibet perversos & inveteratos, corrigit. Dilucidè Ecclesiastes; *Melius est ergò duos esse simul, quàm unum: habent enim emolumentum societatis suæ.* S. Hieronymus illud Isaiæ oraculum expendens; *Habitabit lupus cum agno, pardus cum hædo accubabit;* observat, lupum juberi cum agno habitare, non verò agnum cum lupo; ut bellua illa ab innocentis agnelli consuetudine ferociam suam moderari ac edomare assuescat. *Notandum*, inquit, *quòd non agnus, & hædus habitant, & accubant cum lupo & pardo; sed lupus & pardus agni & hædi imitentur innocentiam.* In veteri Lege Levitarum tribus Deo erat consecrata, nec nisi ad pacem inter populos conservandam, & altaris cultui destinata. Unde etiam à Deo sancitum fuerat, ut omnes Levitarum civitates homicidis ac sanguinariis essent refugii, immunitatisque loco. *De ipsis oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata.* Sciebat nimirum infinita Dei sapientia, turpidos ac furibundos illorum animos è tranquillo Levitarum consortio facillimè iri mitigatum. Oleastri doctrina est; *Crediderim hoc factum, ut hujusmodi homicidæ ex Levitarum conversatione fierent meliores.*

Societas.

Eccles. 4. 9. S Hieron. in Isa. 11. 6.

Num. 35. 6. Oleast. in hunc loc.

393. Pomus, frondibus & frugibus vestita, gnomam præfert; POTEGIT, ET NUTRIT. De hoc SS. Eucharistiæ symbolo dilucidè canit Vates Regius; *Panem Angelorum manducavit homo*, seu, ut ex Hebræo traduci potest, *panem fortium*: enim verò panis ille cœlestis nutriendo fortificat, & fortificando nutrit. Unde S. Laur. Justin. ait, *Si quis inedia tabescit, vel fatigatus in prælio reparare vires concupiscit, sacrosancta corporis Christi fideliter sumat mysteria, & statim convalescet, in melius pristinâ restaurata virtute.* Quòd si ad Matrem Virginem à Dei filio transire lubeat, illa certè, in quodam hymno græco *Pomum salutiferum* cognominata, protegit & nutrit; út adeò de se ipsâ verissimè protestetur; *Ego murus, & ubera mea sicut turris.* Nam, Guilielmo Abbate interprete, *Ubera mea non tantùm sunt ubera: sed etiam turris: non tantùm nutriendi, sed etiam protegendi vim habent. Nullus me putet habere, quo nutriam; & non habere, quo muniam. Materna pietas mea quos NUTRIT, etiam MUNIT.* Denique etiam beneficio Principi ea imago convenit, cujus indolem his coloribus depingit Seneca Tragædus;

Euchari-stia.

Psa. 77. 25.

S. Laur. Iust. de discipl. mor. convers. cap. 19.

Maria.

Cant. 8. Guil. Al. Martinu. Delrium.

Princeps benefic.

------------ Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodesse miseris, supplices fido lare
PROTEGERE.

Senec. M. Actu 2.

Denique etiam bono Patrifamilias convenit, qui suis filiis tam cibum corporalem, quàm spirituale adversùs vitia munimentum providere solitus, eos *protegit & nutrit.* S. Gregorius observat, terram hominum commodo non tantùm spicas ad eorum famem sublevandam, sed & arbores ad umbram inter cœli ardores spargendam producere. Unde in illud Geneseos commentatus, *Protulit terra herbam virentem & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum*, hanc tropologiam subjungit: *Per terram significatur Ecclesia, quæ & verbi nos pabulo REFICIT ET patrocinii umbraculo CUSTODIT; quæ & loquendo PASCIT, ET opitulando PROTEGIT.*

Paterfamilias.

S. Greg. l. moral. c.

Gen. 1. 11.

394. Pomo acerbo inscripsêre; MITESCET. Hinc disce, res quasvis asperas, & insuaves, temporum successu esse indulcandas. Peccator quoque, quantumvis malus, & coram Deo insipidus, suavissimas virtutes, Divinâ opitulante gratiâ induet: S. P. Augustinus; *De conversatione nullius desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam eum adducit.* Ovidius;

Meliora.

Peccator convers.

S. Aug. l. de Bapt. c. t. Donat. c.

Ovid. l. 4. de trist.

Tempore paret equus, lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compescitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit antè, manet.
Tempus & in canas semen producit aristas,
Et ne sint tristi poma sapore facit.
Hoc etiam sævas paulatim mitigat iras,
Hoc minuit luctus, mœstaque corda levat.

395. Bargalius Christum, è cruce depositum, pomo non absimilem dicit, quod, arundine ex arbore decussum, epigraphen tenet; MATURUM DELIGITUR. Superiores hoc Emblemate commonefiunt, ut in quovis delectu instituendo, viros eligant maturos, prudenti ingenio illustres, & non fortuitò tantùm, sed diuturnis meritis probatos. Atalaricus Rex ministeriis suis exequendis solum Toloricum præficere voluit, quòd sciret, eum ante hac Theodorico, avo suo, non sine ingenti laude inservisse. *Ad revelandam florentissimæ ætatis nostræ solicitudinem, visum est te virum prudentissimum convenienter adhibere, quem constat etiam Domini avi nostri tractatibus jugiter & laudabiliter adhæsisse.* Ita Cassiodorus.

Christus è Cruce depositus.

Electos.

Cassiod. l. epist. 9.

396. Pomi fructus, cultello decorticatus, epigraphen à me recepit; UT MUNDUS INVENIAR. S. Ignatio Martyri hæ voces erant familiares; *Dentibus bestiarum molar, UT panis MUNDUS INVENIAR.* Nam, ut ait Magnus August. *si despicitis mundum, habebitis cor mundum, & videbitis eum, qui fecit mundum.* S. Bartholomæus Apost. hac icone cum-

Calamit.

S. Aug. Ser. de divers.

S. Bartholomæus Apost. cumprimis significatur, quippe qui propriâ pelle inter carnificum manus deperditâ, munditiem ac puritatem longè maximam recuperavit.

Hypocrita. Fæmineus decor. 397. Rubescenti pomo D. Carolus Rancatus inscripsit; INTUS EST VERMIS. Hypocrita, exteriore vultu charitatis purpuram mentitus, fædum in animo vitiorum vermem nutrit. Ita quoque muliebris forma non rarò sub minimâ superficie, sordidissimam diversarum ægritudinum luem tegit. S. Gregorius Nazianz. *Pulchritudo, quæ in coloris elegantiâ, & aptâ membrorum compositione animo fingitur, temporis & morbi ludibrium est.* Exemplo suo id testatum reliquit Raymundus Lullus, nobilissimus Cataloniæ Eques; cùm enim in ætate etiamnum juvenili, pulcherrimæ cujusdam fæminæ formâ ardentissimè captus, omnem ejus acquirendæ adhiberet conatum, illa econtrà, pudicitiam causata, amantis importunitatem omnibus modis declinare studuit: tandem verò obstinato Raymundi amore sese vinci passa, secretò illum convenit, &, veste nonnihil diductâ, pectus fœtente, sordidoque carcinomate exesum inspicere jussit: cujus rei insolentiâ Raymundum adeò perculit, ut creaturarum amore ejurato, spiritualem Christianorum sit amplexus.

S. Greg. Naz. Orat. 31.

Educatio bona. 398. Rancatus optimos filiorum quorundam mores, & bonam parentum educationem Emblemate significaturus, exquisiti decoris ac miræ perfectionis poma depinxit; cum lemmate, TRUNCOS SENSERE VALENTES. Verbis è Virgilio mutuatis;

Virgil. l. 2. Georg. v. 426.

Poma quoque ut primum truncos sensêre valentes,
Et vires habuêre suas, ad sydera raptim
Vi propriâ nituntur, opisque nil indiga nostræ.

Ita nimirum è liberis benè educatis haud obscurè sanctam ac validam parentum erga ipsos dilectionem conjicere licet; quia Magno Augustino teste, *Pater & mater filios quantò amplius diligunt, tantò amplius ad bonam vitam compellunt.*

S. Aug. epist. 157.

Maria V. protectrix. 399. P. Jacobus Masenius Symboli loco malum depinxit, sub quâ genius inter æstivos Solis ardores quietem & fructus capit; cum lemmate, ALIT, ET TEGIT. Mariam Virginem hæc imago spectat, de quâ illud Sacri Epithalamii passim intelligi volunt Authores; *sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios, sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Ut adeò Magna Dei Parens à S. Bonaventurâ jure cognominetur *Placitum Dei Umbraculum.* Emblemati explicando canit P. Masenius;

Cant. 2. 3. S. Bonav. in Lytan. B. V.

Frondibus æstivas malus rapit obvia flammas:
Quosque tegit foliis, fructibus arbor alit.
Exhibet hospitibus fructum Virgo, exhibet umbras,
Ne tibi displiceat; visa placere Deo est.

Correctio vera. 400. Cruda poma manibus avelli debent, matura verò sponte decidunt. Lemma; IMMATURA RESISTUNT. Ita sana correctio tempus expectat opportunum, & mentem peccatoris benè dispositâ, secus enim mille experietur resistentias, eritque penitus irrita. S. Isidorus; *Princeps justus malorum errores dissimulare novit, non quòd iniquitati eorum consentiat, sed quòd aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia vel emendare valeat, vel punire.*

S. Isid. l. 3. de summo bono in fin.

Tempore agendum. Atque adeò suo res quælibet tempore aggredienda est. Ovidius.

Ovid. l. 2. de Amor.

Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis?
Pomaque crudeli vellis acerba manu?
Sponte fluent matura suâ, sine crescere nata.
Est pretium tardæ non leve vita moræ.

Mundi Symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

POMA AUREA.

401. Inter cætera insignia, quibus Herculis simulachrum superbit, etiam poma aurea numerantur, quæ ei in prædam cesserunt, quando horrendum Draconem, ad poma illa custodienda pervigilem, intra Hesperidum hortos occidit. Unde poma illa aurea, ab excubante Dracone custodita, hoc lemmate circumscribes; MONSTRO RAPIENDA PEREMPTO. vel, DANT RAPTA TRIUMPHUM. Poteris etiam pomis istis aureis epigraphen, à nobili quodam ingenio velleri aureo inditam, subjungere; NON SEGNI RAPIENDA MANU. Nam vocabulum *Mila*, à Græcis in eâ Velleris aurei fabulâ usurpari solitum, asserente Natali Comite, simul *& oves, & mala, & fructus*, significat. Cæterùm è symbolo præsenti haud obscurè colliges, virtutis thesaurum ab iis duntaxat acquiri, qui adversùs vitiorum monstra generoso animo confligunt: nam cœlestis victoriæ trophæa nonnisi edomito perduellium cupiditatum hoste eriguntur. S. Ambrosius; *Rapimus ex hoc mundo palmam salutis, & quasi excubantibus obsessos serpentibus fructus pervigili labore decerpimus, ita tamen, ut non furtiva sublatio, sed direptio sit triumphalis.* Achilles Bocchius Herculem, pomis aureis, clavâ, & leonis exuviis instructum, hoc epigrammate depingit;

Natal. Com. Mytol. lib. 7. cap. 1.

Virtus labore obtinetur.

S. Ambr. l. 5. in Lucam. propè fin. Achill. Boch. Symb. 55.

Quæ statua insignis clavâ, Nemeique leonis
Exuviis, lævâ quæ tria mala tenet.
Magnanimi Alcidæ vera, & sapientis imago est,
Aurea qui victo poma Dracone tulit.
Nempe Draco in nobis nihil est, nisi dira cupido;
Extinctâ hac, triplex illicet extat honos.
Comprimitur furor iræ, & habendi sacra libido
Interit, & Veneris desidiosus amor.
Fortem animum exuviæ signant, clava illa potentem,
Qui domitis victor sensibus imperitat.

Mariæ V. pulchritudo. 402. Fingitur à Poëtis, Eridem Deam pomum aureum in medium Dearum è cœlo projecisse, cum inscriptione; DETUR PULCHERRIMÆ. Pomi aurei nomine plenitudinem Divinæ gratiæ intelligere licet, quæ nulli alteri creaturæ poterat convenire, nisi omnium pulcherrimæ, Virgini inquam Mariæ. Sicuti enim Christus fuit *speciosus forma præ filiis hominum*, ita B. Virginem pulcherrimam fuisse inter filias hominum docet eruditione & pietate Magnus Albertus. Ab ejus sententiâ stat S. Gregorius Nazianzenus, qui, B. Virginem inter pudicas, pulcherrimas, atque venerandas primam vocans, exclamat, *O Virgo, quæ forma nitore præis cæteras.* Richardus noster Victorinus *ter pulchram* appellat; nimirum *pulchram facie, pulchram mente, pulchram corpore.* Et rursus eam dicit fuisse *Vultu Angelico.* Sed quid alios recenseo? vel solùm audi Divinum sponsum, omni testimonio majorem; qui de B. Virgine attonitus exclamat, *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* Et; *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es!*

Albert. Mag. apud Dionys. de laud. M. V. lib. 1. c. 34. S Greg. Naz. in Trag. Christ. patiens. Rich. Victor. lib. 26. in Cant.

Cant 4. 1. & 1. 14.

QUERCUS, ROBUR, GLANS.

Cap. XXXII.

Animus imperterritus. 403. Animum invictum ac imperterritum è Quercu dignosces, quæ, tametsi ventorum furore incursata, SEMPER IMMOTA, vel ut alius inscripsit, IPSA HÆRET, vel, NON QUATITUR, seu, IMMOTA SUPERBIT. Hominé

Senec. ep. 27 magnanimum describens Seneca, ait; *Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere: nulla illum res minorem facit, nihil illi eorum, quæ ferenda sunt, displicet: quidquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur: vires suas novit; vicit virtute fortunam.* Eandem iconem Alciatus, apostrophe ad Turcas factâ, in honorem Caroli V. Imp. applicat; Alciatus Emblem. 41.

Oceanus quamvis fluctus pater excitet omnes,
Danubiumque omnem, Barbare Turca, bibas:
Non tamen irrumpes perfracto limite, Cæsar
Dum Carolus populis bellica signa dabit.
Sic sacra quercus firmis radicibus adstant,
Sicca licet venti concutiant folia.

404. Eidem quercui inscribes; IMMOTA MANET. Verbis è Virgilio mutuatis; Virgil. l. 2. Georg. v. 293.

Ergò non hyemes illam, non flabra, nec imbres
Convellunt, immota manet.

Obstinatus. Ita obstinatum hominis pectus nec senectute, nec Spiritus sancti afflatu, nec calamitatum impulsu è pristino vitiorum statu se dimoveri patitur. Nam, ut S. August. epist. 210. sapienter observat magnus Augustinus, *sicut constantia nec sinit hominem depravari, ita pertinacia non sinit corrigi.*

405. Lignum quernum, quia apprimè solidum & forte, integris sæculis durat. Lemma; DURANDO SÆCULA VINCIT. Virgilius his omninò verbis de Quercu canit; Virgil. l. 2. Georg. v. 294.

- - - - Immota manet: multosque per annos
Multa virum volvens Durando sæcula vincit.

Virtus. Ita hominum virtuosorum memoria quovis temporum intervallo est major, nullamque annorum seriem pertimescit. Siracidis ore de hominibus justis testatur Deus; *Nomen eorum vivit de generatione in generationem.* Alphonsus Aragonum Rex, teste Panormitano & Æneâ Sylvio, adolescentem, qui mortem horrebat, consolans, *Non est*, inquit, *cur mortem adeò timeas, cùm hæc benè pureque viventibus, sit vita, atq; eius vitæ principium, quæ neque doloribus neque timori, neque invidiæ, neque ærumnis ullis subjecta est.* Ovidius? Eccles. 44. 14. Panormit. & Syl. in vita. Ovid. l. 15. Metã. in fine

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

l. de Amor. in fine. Et alibi;

Imbelles Elegi, genialis musa, valete:
Post mea mansurum fata superstes opus.

406. Quercus grandis & spatiosa, symboli loco, plures plantulas sub se complectitur; cum lemmate, TEGIT UMBRA MINORES. Verbis è Caussino desumptis; Caussin Trag. ed Solym. Act. 3. Scen. 1

---- Ut altis quercus assurgentes comis
Regnata tenuit nemora non parvo ambitu
UMBRA MINOREM, nobilis plebem tegens.

Protector Deus. Principem benignum, pupillis ac pauperibus tuendis deditum, hæc imago deprædicat. David eam protegendi pietatem in Deo animadvertens, sermone ad illum converso, ait; *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Et Cassiodorus; *Persona tua refugium sit oppresso, infirmo defenso, præsidium aliquâ calamitate concluso.* Psal. 9. 14. Cassiod. 12. Var. 1.

407. Dominicus Gambertus vastam quercum, ab aliquot ventis impetitam, hoc Virgilii epigrammate exornavit; SESE MOLE TENET. Ita vir fortis suo robore ita nititur, ut nullis adversitatum ventis sit dejiciendus. Cassianus; *Vir vocatur à viribus, qui nesciu in adversis tolerando deficere: sed animo stabili defixus, & cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus.* Porrò grandem Monarchiam imago ista designat, quæ propriâ suâ vastitate ac robore diversorum hostium vires, instar ventorum adversùm se jactatas, infringit. Hoc sensu cecini; Virg. 7. Æn. Vir fortis. Cassian. in psal. 1.

Tema, che n'hà ragione
Chi di forze è minore:
Il nemico furore
Che atterrare una potenza vasta,
Ogni sforzo non basta:
Che quantunque smembra, ed abbatuta,
Dal l' istessa sua mole è sostenuta.

408. Rempublicam & Monarchiam Romanam; imperium Græcum, dominium Hebræorum, aliasque prostratas gentium diversarum potentias, Rancatus cum annosâ quercu comparat, quæ, in terram prostrata, epigraphen sustinet; COMMOTA TANDEM. Seneca de Quercu canit; Potentia prostrata. Senec. in Hercul. Oet. Act. 5. scen.

Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitque cuneos, resilit excussus chalybs,
Vulnusque ferrum patitur, & truncum fugit:
COMMOTA TANDEM est. &c.

In rem præsentem ait Magnus Augustinus; *Quid ex pavescis, quia pereunt regna terrena? Ideò tibi cœleste promissum est, ne cum terrenis perires.* S. Aug. ser. de Verb. Dom. cap. 7.

406. Quercus, grandine ac ventis percussa, gnomam reddit; NULLI CEDIT. Heroicum & invictum hominis pectus ex hâc ideâ, ceu ectypo, dignoscere licet. *Sapiens enim*, inquit S. Ambr. *non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur. Ubi enim sapientia, ubi virtus est, ibi constantia, ibi fortitudo.* Virtus heroica. S. Ambr. ep. ad Simplic.

410. Quercus ventorum ac tempestatum furori non tantùm resistit, sed etiam virium suarum incrementum longè maximum ab eorum violentia recipit, & firmissimas radices agit. Unde lemma; INCURSIONIBUS SOLIDATUR. Ita genuina virtus inter adversa non modò nihil diminuitur, sed contrà plurimùm augescit. Seneca; *Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ictus incursat: ipsâ enim vexatione constringitur, & radices certius figit. Pro ipsis ergò bonis viris est, ut esse interriti possint, multùm inter formidolosa versari, & æquo animo ferre, quæ non sunt mala, nisi malè sustinenti.* Haud aliter Justus Lipsius; *Ut arbores, ventis agitatæ, altius radices agunt; sic boni in virtute magis comprehendunt, impulsi aliquoties adversitatum flabris.* Idipsum etiam animadvertens S. Joannes Chrysostomus, *Arbores*, inquit, *quò magis ventilantur & agitantur à ventis, eò fiunt fortiores & densiores.* Otho Venius eadem metaphorâ verum amantem describit; Virtus afflicta. Senec. lib. eu bonis viris c. 4. Lips. l. 2. de Constant. S. Io. Chrys. hom. 19. in epist. ad Heb. Oth. Ven. Embl. Amor. fol. 116.

L'arbor, da venti scossa, e da tempesta,
Più s'interna, e resiste ad ogni assalto
Contra ogni disfavor qual fermo smalto
Si mostr' il vero amante, e immobil resta.

411. Nonnemo, à serenissimâ Roberianorum domo plurimis favoribus protectus, animi sui fiduciam è quercu seu robore dignoscendam proposuit; cum lemmate, NULLA EST HAC TUTIOR UMBRA. Certius tamen hanc gnomam de SS. Servatoris nostri Cruce, vel de Mariæ Virginis patrocinio pronuntiaveris. De hâc Richardus à S. Laurentio testatur; *Potens est Maria ad protegendum: unde ipsi potest securè dicere servus ejus illud Iob. 17. Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* S. Crux. Mariæ V. protectio. Rich. à S. Laur. l. 2. de laud. Virg. p. 1.

412. Qui-

412. Quidam è Roberianorum familiâ aulicus, beneficentiam à suo Domino sibi exhibitam Emblemate significaturus, quercum delineavit; cum dicto, CIBOS, ATQUE SALUTEM. Nempe illum Veterum morem hæc imago innuit, qui alimenta sua è quercu recipere sunt soliti; uti Alciatus hoc distocho testatur.

Beneficentia.

Alciatus Embl. 200.

Glande aluit veteres, solâ nunc proficit umbra:
Sic quoque, sic arbor officiosa Iovis.

Providentia Dei.

S. Greg. Papa 32. Mor. c. 6.

Eadem effecta S. Gregorius Papa in Deo versùs egestatem nostram deprehendens, ait, *Nos parvulos Dominus dum protegit, nutrit; & non gravi atque onerosâ, sed levi & blandâ protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, &c.*

413. Quercus, nullis teredinum injuriis obnoxia, à Bargalio epigraphen retulit; CARIEM NON SENTIT. Et à Rosso; PROCUL A TINEA. Anima innocens hoc symbolo delineatur, quæ nullos vellicantis conscientiæ vermes unquam sentit. S. P. Augustinus; *Cubile nostrum est cor nostrum, ibi tumultum patimur malæ conscientiæ, & ibi requiescimus, quando bona conscientia est.* Idipsum de virtute dixeris, quæ temporum vetustate longè superior, nunquam consumitur; Ovidio testante,

Innocentia

S. Aug. in Psal. 35.

Ovid. Eleg. de Medicam. faciei.

Longum probitas perdurat in ævum.

Virtus.

Eccles. 40. 12

Calculo suo id confirmans Siracides, *Fides*, inquit, *in sæculum stabit.* Id est, interprete P. Cornelio à Lapide, *fidelitas, veritas, sinceritas, iustitia, integritas, quâ quis à recto nec prece, nec pretio se divelli sinit, in æternum stabit.*

414. Joannes Ferrus Abbas, Urbinatum Ducem symbolo exornaturus, quercum, veluti gentilitium Principis illius insigne, depingi fecit; cum lemmate, SUO SE ROBORE FIRMAT. Innuebat videlicet, Ducem illum, nullâ alterius ope indigum, propriis consistere viribus. Huic affine est alterum D. Caroli Rancati Emblema, ubi ad D. Hyacinthi Orrigoni, Regii Mediolanensium Senatoris honorem, quercum depinxit, quæ ex gentilitiis ipsius armis desumpta, epigraphen tulit; PONDERE FIXA SUO. Consentaneè ad illud Lucani;

Proprius valor.

Lucan. lib. 1.

Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteres populi, sacrataque gestans
Dona ducum, nec jam validis radicibus hærens
Pondere fixa suo est, &c.

Fortis.

Tull. in Rhet.

Ita vir magnanimus propriâ fortitudine ita nititur, ut nullis adversitatum viribus unquam possit concuti, aut in alterutram partem sterni. Cicero; *Fortitudo est immobilis inter adversa, gloriosa animi claritudo, res arduas pulchrè administrans, quæ nec adversis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo elevatur.*

415. Corona, Romanorum more, è quernis foliis contexta, epigraphen tenet; SERVANTI CIVEM. Iis enim corona illa in præmium cesserat, qui civem quempiam ab interitu vindicâssent. Inde Andreas Alciatus Emblematis construendi ansam mutuans, hoc distichon subjunxit.

Præmium

Alciatus in Emblem.

Grata Iovi est quercus, qui nos servatque, fovetque,
Servanti civem querna corona datur.

Ita nimirum nulla unquam subditorum merita sine præmiis sunt dimittenda, veluti quæ ad ampliora merita stimulū præbent fortissimū. Cassianus; *Tribuenda est iustis laboribus compensatio meritorum, quia exprobrata militia creditur, si irremunerata transitur. Athletam populis palma designat esse victorem: sudores bellicos cincta corona testatur.* Cæterùm Carolus Rancatus D. Orrigono, ad senatoriam dignitatem promoto, Emblematis vice quercum, utpote magnatis illius insigne, depinxit; cum hoc poëmate,

Cassian l. 2. epist.

Quercus glandiferam nectebat fronde coronam
Servanti civem, qui periturus erat.
Et tibi jam quercus; populus te fronde coronat
Cum librâ, ac libris te duce liber eat.

Denique Angelus Politianus, Laurentii Medicei frontem in villæ suæ horto fortè querno ramo inumbratam conspicatus, extemporale hoc distichon pronuntiavit;

Quàm benè glandifera cingis tua tempora quercu,
Qui CIVEM SERVAS non modò, sed populū.

416. D. Hyacintho Orrigono, inter Mediolanenses Senatores recensito, Carolus Rancatus, illius familiam Emblemate honoraturus, Quercum, Orrigonorum insigne, depinxit; cum lemmate, NON ALIUNDE FASCES. Ex hoc paradigmate disces, honores & majestatem nonnisi è laboribus, quercu figurari solitis, scaturire. Salomon id apertè testatus, ait; *Manus fortium dominabitur.* Veluti diceret; manus, assiduis exercitationibus distentas, & generosi animi negotiis probè fatigatas, ad imperii fasces eluctari. Rectè dixit S. Hieronymus; *Non est dignum, ut inde exigas honorem, unde refugis laborem.* Certè Romani maximam mundi partem suis imperiis non aliter subjugârunt, nisi in brachio forti, & manu, militaribus studiis probè exercitatâ. Græci, Assyrii, Persæ, Germani, aliique dexteræ suæ viribus amplissima ubique terrarum fixêre trophæa, & vastissimas Provincias sunt consecuti.

Honores laboribus acquiruntur.

Prov. 12. 24.

S. Hieron. Epist.

417. Virgilius de Æsculo, quercuum specie, canit; Virgil. l. 2. Georg. v. 29

------ Quantùm vertice ad auras
Æthereas, tantùm radice in Tartara tendit.

Unde sublimem quercum hoc lemmate efficies; IN TARTARA RADIX. Eorum genuina hæc imago est, qui excelsis meritis conspicui, profundissimam humilitatem in animo fovent. S. Paulus, proprissimâ antonomasiâ Vas electionis, Princeps Apostolorum, & ad tertium cœlum raptus, de se ipso pronuntiavit; *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus*: utque idipsum etiam opere comprobaret, manuum suarum labore victum sibi paravit, & Corinthiorum precibus, veluti unicè sibi necessariis, anxiè se commendavit. Christus quoque Dei filius, sese filium hominis cognominatus, in stabulo nasci, pedes incedere, & Romanis tributum pendere voluit; quin imò, *quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, cæpit lavare pedes discipulorum.* Rem totam explicans S. P. Augustinus, *Bonum est*, ait, *sursum habere cor; non tamen ad se ipsum, quod est superbia, sed ad Dominum, quod est obedientia, quæ nisi humilium non potest esse. Est igitur aliquid humilitatis miro modo, quod sursum faciat cor; & est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor.*

Humilitas

1. Cor. 15.

Ioan. 13. 3.

S. Aug. l. 14. de civit. c. 13.

418. Quercus suas glandes animalibus dispensat, tametsi nullis hominum manibus percussa. Unde Henricus Farnesius Eburo subscripsit; SUFFRAGIA NON EBLANDITA. Ita nimirum beneficentiam nostram adversùs egenos oportet esse promptam & liberalem, non verò importunis precibus extortam aut invitam. Democritus dicere est solitus; *si benè facturus es, statim facito. Tarditas enim vitiosum reddit munus.* Ausonius;

Eleemosyna prompta.

Democr. apud Ant. Meliss. ca. 2. de Benef.

Gratia quæ tarda est, ingrata est gratia: semper,
Quæ fieri properat gratia, grata magis.

Mirificè in rem noſtram Seneca; *Omnis benignitas properat, & proprium facientis cito facere. Si de die in diem trahens profuit, non ex animo fecit. Itaque duas res perdidit, & gratiam & tempus.* Et David; *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem,* ſeu interprete S. Brunone, *Beatus qui intelligit, id eſt, ut etiam non petentibus pauperibus offeratur eleemoſyna.*

Senec.

Pſal. 40. 2.

S Brun. in hunc loc.

419. Glans, mole quidem tenuis; ſi tamen ſeminetur, immenſam arborem è viſceribus ſuis producit Unde lemma; MINIMA MAXIMAM FACIT. Haud aliter exigua quædam ac venialis culpa non raro enormium delictorum ſementem facit. Veriſſimè Tullius. *Omnium rerum principia parva ſunt, ſed ſuis progreſſionibus uſu augentur.* Et Ælianus; *Me verò non clam eſt, maximorum ſæpe bellorum tenuiſſima contemptiſſimaque principia viſa fuiſſe.*

Peccatum veniale.

Tull. lib. 5. de finibus. Ælian. de Var. Hiſt. lib. 12. c. 53.

420. Quercus ab infeſto fulmine, ſæpius tantâ vi pecutitur, ut nuſquam tuta, omnibus lacerata ramis, convulſâque ſtirpe, radicitus conflagret. Et ſi fortè hanc calamitatem effugerit, mille adhuc expoſita eſt tempeſtatibus, ventorumque ac pluviarum furoribus, quando cæteris arboribus procerior, verticem nubibus immittit. Emblemati ſubſcripſit Sereniſſimus Philotheus; NUSQUAM TUTA. Neque nos uſquam tuti vivimus, ſi ſuperbè elati iram Dei atque indignationem graviſſimam incurrimus. Ab eo enim ſemel deſtituti, nihil eſt, quod amplius regere nos & defendere poſſit, licet vel maxima potentiâ viribuſque ſubnixi ſtaremus. Tunc omnibus expoſiti tempeſtatibus, noxium caput lacerandum affligendumque præbemus, neque refugium reperimus, quò miſeros nos ab incumbenti pœna eripiamus. Magno Auguſtino teſte, *Nulla ferè pagina eſt ſanctorum Librorum, in quâ non ſonet, quòd Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Emblematis mentem ita explicatam accipe.

Superbus.

S. Aug. lib. 3. de doctrin. Chriſt. c. 23.

Inter tela Iovis circumvolitantia nuſquam
Abdit tuta *ſuum quercus adulta caput. &c.*
Quos habet attonitos diri mens conſcia facti,
Perpetuo cadit verbere pœna ferox.
Nuſquam tuta, ſuo ſemper mens crimine pallet,
Et mordace premit pectora ſæva metu.
At pia mens, ſævis dum motibus intonat æther,
Sola ſtat, & facilem ſentit adeſſe Deum.

421. Idem eruditiſſimus Philotheus Emblematis loco glandē depictam habet, quæ immittitur terræ, conditurque humo, ut ſpectabilem producat quercum, quæ in plures annos frugifera atq; robuſta, tot animalium millibus inſerviat, ſylvæque ſuæ ſit ornamento. Epigraphe; CONDITUR, UT SURGAT. Glans, in validiſſimam arborem excreſcens, documento nobis eſt, corpora noſtra non perpetuò ſepeliri, ubi morte rapti, terris mandamur, ſed expectari glorioſiſſimam illam reſurrectionem, quâ in amplexum Salvatoris noſtri abrepti, cœlum conſcendemus. S. P. Auguſt. *Habent gaudium bonæ animæ, cùm de ſæculo exierint. Sed cùm facta fuerit reſurrectio, bonorum gaudium amplius erit.* In rem præſentem canit Philothei Interpres;

Reſurrectio mortuorum.

S. Aug Tract 23. in Ioan.

Quæ latuit, taboque atro reſoluta cubile
Obſcurum infecit glans putrefacta ſuum;
Nunc petit aerias annoſo robore ſedes
Quercus, & haud tumulo ſe latuiſſe dolet.
Quando meos cineres, corpuſque exſangue ſepulchro
Reddam, atque ingeſtâ contumulabor humo:
Æthereas rurſum veniam formoſus in auras,
Et mea cœleſtis tempora ſtringet apex.

422. P. Jacobus Maſenius gentilitiam Chiſiorum Quercum depinxit, quæ ramos ſuos in Crucis ſpeciem decuſſatos præſeferebat; cum lemmate, ROBUR MEUM CRUX EST. Ita nimirum, aſſerento Magno Auguſtino, *Apprehenſo ROBORE CRUCIS Chriſti STABILES ſumus.* Ad Fabium Chiſium in rem præſentem canit Emblematis Author.

S. Crux.

S. Aug ep. 5.

Mens tibi ceu robur ſolidum; tamen addita crux eſt,
Omnia quo vincas, in cruce robur habes.

423. Idem P. Maſenius Symboli loco Genium depinxit, qui teneræ quercûs ramos in crucis formā inflectit; cum lemmate; TENERO SIC FLEXA SUB ÆVO EST. Tantùm nempe intereſt, à teneris addixiſſe virtuti animum. Seneca; *Nulla erit proceſſu temporis difficilis clementia Principi, qui in annis puerilibus didicit ſervire pietati.* Unde ad Fabium Chiſium canit Emblematis Author.

Educatio.

Senec. Ep.

Dum licet, & primis vernat nova planta capillis,
Flecte; dabit juſſas ad tua vota comas.
Et curvam revocare datum eſt, & flectere rectam,
Illa crucem quæ fert planta, tenella tulit.
Quam fers, Magne Fabi, teneris adolevit ab annis,
Et propè cum vitâ Crux tibi nata fuit.

424. Noxia ramorum luxuries in quercu præputatur, cum lemmate, ex Horatio deſumpto; AB IPSO OPES ANIMUMQUE FERO. Ita nimirum calamitates & perſecutiones plurimùm ornamenti & utilitatis nobis afferunt; nam *Ipſa medicamenta tormenta ſunt, ut homines à pœnarum exitio pœnali eruantur auxilio.* Rurſus canit P. Maſenius de Fabio Chiſio;

Calamitas utilis.

S. Aug. l 22. de Civit. c. 22.

Sæpè brevis dolor eſt longi medicina doloris,
Et mala vitandis ſunt adhibenda malis.
Vidimus elatis quercus ſubſurgere ramis:
Noxia luxuries enſe ſecanda fuit.
Auxit opes ferrum, tibi per tolerantia ferri:
Quod ſecuit corpus, pectoris auxit opes.

425. Glandes perticâ de quercu excutiuntur; cum lemmate, UBERIUS PERCUSSA DABIT. Hinc conjicere licet, quantùm calamitates proſint, ad uberiores virtutum fructus faciendos. S. P. Auguſtinus; *Miſeria plerumque affert ex tribulatione fructum bonum: felicitas autem corrumpit animam perversâ ſecuritate, & dat locum diabolo tentatori.* Ad Fabium Chiſium canit P. Maſenius.

Calamitas utilis.

S. Aug. in pſ. 68. Conc. 1.

Uberius percuſſa ſuos dant robora fructus.
Eſt aliquid duras appoſuiſſe manus.
Largos crede mihi, multis patientia fructus
Protulit, exemplo diſcimus illa tuo.
Virtutis, fateor, fructus extendis agendo:
Si quid agendo facis; plus patiendo facis.

426. Quercus, fulmine lacerata, epigraphen ſuſtinet; CITIUS FRANGOR, QUAM CEDO. Conſtantiæ hæc imago eſt, & cumprimis SS. Martyrum, qui potius membris omnibus lacerari, quàm Tyrannorum improbitati vel minimum cedere voluerunt. Unde exclamat Magnus Auguſt. *Quàm magna conſtantia Martyrum! quàm bona fides Sanctorum! qui pro nomine Chriſti multa tormenta libenter ſuſcipiebant; & tamen eadem tormenta contemnendo, in ſuis perſecutionibus diabolum ſuperabant.* Audi de Fabio Chiſio canentem P. Maſenium.

Conſtantia SS. Martyres.

S. Aug. ſer: 38. de Diverſ. c. 1.

Cùm ſemel illuſtres recti conſtantia mentes
Occupat; inflecti vix rigor ille poteſt.
Munera deſpernit robuſtum munera pectus:
Vim moveas; ridet fulmen inane, minas.
Nec terror Fabium, nec flectent munera quercum;
Ille poteſt robur roboris eſſe ſui.

427. Quer-

427. Quercus, ventis concussa, epigraphen à P. Masenio accepit; ADVERSIS FIRMIOR AURIS. Ita nimirum vir fortis ac justus nullibi majus fortitudinis suæ incrementum capit, atque inter adversitates. S. P. Augustinus; *Molestiis corporalibus exercitata vita justorum splendidius enituit, & eas per patientiam superando, majorem gloriam comparavit, sed adjuta gratia Dei, non superba voluntate se extollens, sed humili confessione fortitudinem promerens.* Audi Emblematis Oedipum ipsummet Masenium;

Adversi-tas. S. Aug. l. de lib. arb. & grat. c. 13.

Tu quicunque pati disces, hoc disce ferendo,
Quò quis plura tulit, plura ferendo potest.
Vincere fortunam fortuna docebit iniqua,
Auras quod superet quercus, id aura facit.
Hæc ventis quatitur, ventis firmatur iisdem
Quæ modò dura, Fabi, fers, patiendo levas.

428. Quercus excisa columnis & trabibus palatii aptatur; cum lemmate, NOBILIUS EXCISA RESURGIT. Ita Justus, quando à mortis falce abripitur, tantùm abest, inde aliquid damni ipsi accrescere, ut potius ingentem gloriam in cælis adipiscatur. S. P. Augustinus; *Veri fideles moriuntur, & abundantius habebunt vitam, veniendo, quò Pastor præcessit, ubi nunquam deinde moriatur.* Rursus de Fabio Chisio canit Emblematis Author P. Jacobus Masenius;

Mors Justi. S. August. tract. 45. in Jo.

Cernimus excisas firmare palatia quercus,
Regalesque apto robore ferre domos.
Cætera plantarum pars est obnoxia flammis:
Sed fato quercus nobiliore cadunt.
Digna tuis quercus fatis, O Nobilis Heros,
Cœlestis moriens pars eris una Domûs.

429. Corona civica, ex quernis ramis inflexa, lemmatis loco voculam illam Apocalypticam à P. Masenio accepit; VINCENTI. Eos nimirum corona cœlestis expectat, qui adversus animæ hostes triumphaverint. S. P. N. Augustinus; *Corona victoriæ non promittitur, nisi certantibus. In Divinis autem scripturis assiduè invenimus promitti nobis coronam, si vicerimus.* Porrò animarum curatores hæc imago spectat, qui ex unâ servatâ animâ æternam coronam sibi vendicant, sicuti olim corona querna ob unicum servatum civem Romanum dabatur. In hanc rem de Fabio Chisio canit Emblematis Author.

Apoc. 2. Cœlestis corona. S. Aug. initio l. de Agon. Christ. Parochus.

Querna triumphales foliis ambire capillos
Ausoniis quondam visa corona fuit.
Magnus honor, civi servato debitus olim:
Quot tibi debentur Maxime serta Fabi!
Mille tibi cives debentur, mille coronæ:
Has dare mortalis dextera nulla potest.

430. P. Jacobus Masenius Emblematis loco quercum depinxit, quæ in gentilitiis Chisiorum collibus fundata, epigraphen è Psalmo habuit; FUNDAMENTA IN MONTIBUS. Hominem contemplativum hæc imago spectat, qui vitam suam omnem in monte, cœlo nimirum, collocatam habet. Porrò de S. Ecclesia id intelligens Magnus Augustinus, ait; *Qui sunt montes sancti, super quos fundata est ista civitas: Prophetæ & Apostoli. Quare sunt fundamenta Prophetæ & Apostoli? quia eorum authoritas portat infirmitatem nostram.*

Ps. 86. 1. Contemplativus. S. Ecclesia. S. August. in h. loc.

RAMVS.

Caput XXXIII.

Divinitas Gratiæ V.

431. D. Aresius B. V. Mariæ Nativitatem Emblemate significaturus, arboris ramum, necdum inoculatum, depinxit; cum lemmate, PERMANET IN SIMPLICITATE. Veluti diceret, integerrimam innocentiam, qualem protoparens noster Adamus habuit, in Maria Virgine intactam permansisse. De hâc S. Petrus Damianus; *Germinavit virga Jesse, ac de tortuosa radice generis humani in rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem.* S. Pet. Dam.

432. Homine quodam è vivis sublato, Lucarinus ramum, violenter ab arbore decussum, figuravit, cum lemmate; AD INSERENDUM ALIBI. Lætissimo nimirum hominis defuncti auspicio significabat, illum, mortis falce è terrâ sublatum, intra cælestes hortos plantandum esse. *Nunc*, inquit Magnus Augustinus, *Sanctorum animæ defunctorum ideò non habent gravem mortem, quæ separatæ sunt à corporibus suis; quia caro eorum requiescit in spe.* Franciscus Petrarcha in Lauræ morte canit;

In morte. S. Aug. l. 13. de Civit. c. 20. Patrarch p. 2. Sonet. 50.

Quel vivo Lauro, ove solean far nido
Gli alti pensieri, e i miei sospiri ardenti,
Che de bei rami mai non mossen fronda,
Al ciel traslato, in quel suo albergo fido,
Lasciò radici. &c.

433. D. Didacus Saavedra, Symboli loco, ramum figuravit, qui, in vase testaceo radices agens, ab arbore non amplius dependere, nec truncum, unde originem traxit, agnoscere solet; uti frequenter in hortis videre est. Epigraphen subjunxit; A SE PENDET. Ita non rarò Ministri, ad summam dignitatem evecti, Principum suorum imperia excutiunt, & à nemine altero, nisi à propriâ voluntate, dependere nituntur. Inter hos minimè postremus Jeroboamus, qui provinciâ quâdam administrandâ à Salomone donatus, paulò post adversus illum perduellis evasit. Quin, hoc nostro ævo Dux Fridlandiæ potestatem absolutam, & à Cæsareâ Majestate independentem, sibimet arrogare ausus, gravissimam cladem in Germaniâ excitavit. Idipsum de supremo omnium Domino *dixit insipiens* ac superbus *in corde suo, non est Deus.* Nam, ut sapienter observat Magnus Augustinus, *Superbus à se longè facit Deum, non locorum spatio, sed mentis affectu.*

Independentia. Psal. 52. 1. S. Aug. l. 6. de Music. c. 13.

434. Fuit, qui ramum aureum, manu quâdam avulsum, hoc Virgilii lemmate insigniret; SEQUITUR VOLENS. Nostrum liberum arbitrium, huic Virgilii ramo aureo perquàm simile, ordinationis Divinæ nutum sponte ac liberè sequitur. Jobus de se ipso ingenuè testatus, *Voca me*, inquiebat, *& ego respondebo tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram.* Et Sacra Sponsa; *Trahe me, post te curremus &c.* Adeoque anima, ad Divinam voluntatem unicè composita, hoc symbolo repræsentatur. Joannes Thaulerus, in celebri illo Theologi & mendici dialogo, hunc ita loquentem introducit; *Ego nunquam me infortunatum fuisse respondi: novi enim cum Deo vivere, certusque sum, quidquid ille facit, non posse non esse optimum.* Et paulò pòst; *Soli Divinæ voluntati inhærere statui, in quam sic integrè meam transfudi voluntatem, ut, quidquid ille vult, & ego velim, & meam ipsi voluntatem ex integro resignarim.*

Virg. 6. Æn. v. 146. Libertas. Job. 14. 15. Cant. 1. 3. Conformitas. Jo. Thaul. in Colloq. fol. 685.

435. Aureus ille Virgilii ramus, ab arbore avulsus, geminam epigraphen sustinet; UNO AVULSO NON DEFICIT ALTER. vel brevius; NON DEERIT ALTER. Verbis ex eodem Virgilio desumptis. In Magnatis cujusdam morte hanc iconem affigere licet, quem mox hæredes, dignitate, doctrinâ, & meritis illustres, ac penitus similes insequuntur. Insuper hominem quemdam litteratū hoc Emblemate exornabis, qui, uno volumine in lucem publicam edito, mox aliud nititur. Denique etiam Divinam munificentiam spectat, cujus infinitæ bo-

Virg. l. 6. Æneid. v. 143. Successio. Litteratus.

tæ bonitati congenitum est, à suis thesauris liberalissimè erogandis nunquam desistere; nam uno beneficio collato, mox ex aliis alia, favore nunquam deficiente, elargitur. Hanc Theologiam non sine cœlesti eloquentiâ tradens Philo Hebræus, ait; *Illud verò, quod dictum est, Deum esse sempiternum, idem est, ac si diceretur largitor perpetuus ac benefaciens, non aliquando tantùm, aliquando verò minimè, sed semper, continuò, ac INDESINENTER, DONA DONIS jugiter ac indefessè ACCUMULANS, beneficia semper uberiora annectens, &c.*

Dei beneficentia.

Phil. Hebr.

436. Ramus viridis, tametsi à multis oviculis visus, unam tamen duntaxat, alteramvè trahit. Proinde P. Henricus Engelgrave inscripsit; TRAHIT UNAM E MULTIS. Verbis ex Ovidio desumptis;

Ovid. l. 3. de Arte.

Quem TRAHAT, E MULTIS forsitan VNVS erit.

Vocatio Dei.

Ita Gratia & vocatio Divina, tametsi invitet plurimos, nonnisi tamen pauculæ animæ ei respondent; ut Mulier Chananæa, Magdalena, Saulus, &c. *Multi enim,* Christo, *teste, sunt vocati, pauci verò electi.* S. P. Augustinus; *Quòd pauci in comparatione pereuntium liberantur, gratiâ fit, gratis fit.*

Matth. 10. n. 16. & c. 22. n. 14. &c.

S. Aug. de Corrept. & grat. c. 10.

437. Ramus, ab arbore divisus, exarescit, lemma; PERDO DIVISUS HONOREM. Ita quisquis à Deo & bonorum stirpe separatur, omnem fortunam & honorem amittit. Perspectum id habuit Vates Regius, quando dixit; *Ecce, qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur ab se.* Unde ipsemet Deus, Oseæ ore, minatur; *Væ eis, quoniam recesserunt à me: vastabuntur, quia prævaricati sunt in me &c.* Hinc D. Bernardus monet; *Cavendum magis peccatum, quàm peccati pœna; & eò studiosius à malo, quàm à flagello declinandum, quò periculosius, & omninò infelicius sit, à Deo animam, quàm à corpore separari.*

Separ: à Deo.

Psal. 72. 27.

Oseæ 7. 13.

S. Bern. ser. 10. in Ps. 90.

RUBUS.

Caput XXXIV.

438. Rubus ardens, inter flammas innocuus, epigraphen tenet; FLAGRAT, NON CONFLAGRAT. Mariam Virginem hæc imago significat, quæ inter obloquentium hæresum flammas non tantùm nihil detrimenti, sed contra plurimum splendoris accipit. Item quæ Verbum Divinum, ceu lumen æternum, illæsâ virginitate peperit. S. Gregorius Nyssenus; *Ut frutex incendit ignem & non crematur; itidem etiam Virgo & lumen parit, & non corrumpitur.* Unde rectè à Proclo vocatur *Rubus naturæ animatus, quem ignis Divini partus non combussit.* Porrò Rubus incombustus hominem significat, inter obscæna tentationum incendia illæsum; qualis fuit S. Thomas Aquinas, &c. vel etiam inter tribulationum flammas illustratum magis, quàm læsum; De primo Emblematis sensu canit P. Masenius;

Mariæ V. Virginitas.

S. Greg. Nyss. Orat. de Christi nativitate.

Procl. Orat. de Nat Dom.

Tribulatio

Innocuo qualis rubus incombustus ab igne
Flagrat, & ardenti fert alimenta rogo.
Talis in accenso flagrat hæresis igne Maria,
Livor alit jactas, sed sine clade, faces.

SALIX.

Caput XXXV.

439. Aliquot formosæ ac validæ salices, propè aquas plantatæ, epigraphen sustinent; MODO

MODO FLUMINA LAMBANT. Nimirum homo, gratiæ Divinæ fluentis, aut fæcundo bonæ educationis humore crebrò irrigatus, in optimam felicissimæ vitæ spem adolescit. Hoc sensu David hominem justum ait esse *tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia, quæcunque faciet, semper prosperabuntur.* Cæterùm beneficentiam illam, è gratiæ Divinæ fluxu in nos derivari solitam, haud obscurè perspexisse videtur Plato, quando dixit, *Respublica nequaquam probè gubernari potest, nisi ejus gubernator jungatur Deo, & ab eo cognitionem hauriat, quâ & ipse vivat, & alios gubernet.* Quantum verò ad bonam educationem attinet; uberrimi sanctimoniæ fructus, quos S. Stephanus, Hungarorum Rex, protulit, nemini alteri tribuuntur, nisi sacris Adalberti, Monachi Benedictini, præceptionibus; De illo Antonius Bonfinius in hæc verba testatur; *Instituit Pater ille gravissimus, quomodo infans aleretur, quâ diligentiâ educaretur, illudque imprimis, ut, cùm per ætatem fieri posset, cum lacte præcepta sacræ legis imbiberet, in timore Dei semper instrueretur. &c.*

Gratia Dei. Psalm. Plat. l. 4. de Republ. Educatio. Bonfin. Dec. .12.

440. In Hypocritas lemma illud convenit, quod salici subscripsit nonnemo; FRUCTUS INVISUS. Eamobrem S. Gregorius Papa in illa Jobi verba commentatus, *Circumdabunt eum salices torrentis,* ait; *Benè dicitur circumdabunt eum salices torrentis, quia infructuosi quique, dum amori vitæ præsentis inserviunt, antiquo hosti perversis moribus familiarius obsequuntur.* Et Absalon Abbas; *Per salices, quæ infructuosæ sunt arbores, homines peccatores & infructuosos accipimus.* Porrò omnis humana spes salicem exactè imitatur, dum inani virore superba, fructum omninò nullum profert, & pectoris humani cupidines ingenti fame relinquit excruciatam. Unde meus Concanonicus D. Carolus Baliottus inter cæteram Moralem suam Musam ita canit;

Hypocrita. S. Greg. 33. Moral. c. 6. Absal. Abb. serm. 30. Spes humana.

Esci homai dal mio cor speranza infida,
Esca, e focil de le mie fiamme ardenti;
Che promettendo pace a' i miei tormenti,
Traditrice di me fosti homicida
Odi cieco desir fallace guida,
Fuggi, e vattene à i regni imi, e dolenti;
Però ch' à tormentar l' alme nocenti
Manchi soltù, dove ogni mal s' annida.
Empia tiranna del' humana voglia,
Ch' almio lungo aspettar altro non rendi,
Che con fior infecondo inutil foglia.
O se tal' hor la mano co' i frutto stendi,
Poiche ratto m' l celi: ondi io n' l toglia
Gioco di me, qual di fanciul ti prendi.

441. Salicis ramusculum hoc lemmate spectandum produxère; LEGO PIEGANDOMI. Id est, CEDENDO VINCIT. Hinc deduces, benevolentiam & humanitatem ad devinciendos aliorum animos mirificè conducere. Alphonsus Rex Neapolitanus, iter faciens, fortè in molitorem incidit, qui, transeuntium opem ingenti planctu inclamans, asinum, farinâ onustum, è luto, in quod gressu minus cauto prolapsus fuerat, extrahere conabatur. Rex ergò, hominis vicini sortem miseratus, ex equo desilit, & luctantem pro voto adjuvit. Negotio peracto, aulici supervenère; quos ubi misellus ille omnes Regi advolutos, & in luto, à regiis vestibus detergendo, occupatos viderat, mox, cujus operâ usus esset, è tantâ famulorum frequentiâ ominatus, sese veniæ precandæ causâ ad Regis pedes abjecit. *Parvi quidem momenti res,* subjungit Antonius Panormitanus, *sed quæ nonnullos Campaniæ populos Regi conciliaverit.* De homine verè sapiente ac prudente scribit Sanctus Gregorius Nazianzenus, quòd nullâ exterâ adversitate aut violentiâ superandus, quævis hostium tentamenta facilè vincat. *Nihil,* inquit, *inexpugnabilius Philosophiâ, nihil tranquillius, omnia prius cedunt, quàm Philosophus. Est enim Philosophus, non materialis in materie, in corpore circumscriptus, in terrâ cælestis, in affectibus imperturbatus, ubique inferior cæteris, præterquam animi magnitudine, & CEDENDO VINCENS illos, qui se vincere putant.*

Benignitas. Ant. Panor. lib. cap. 25. Prudentia. S. Greg. Naz. ap. Anton. in Meliss. p. 1. c. 50.

442. Salici inscripsi; FIRMIOR, SI INFIRMIOR. Cui, nî fallor, affinia sunt illa D. Pauli verba; *Cùm infirmor, tunc potens sum.* Nam homo re ipsâ diversorum morborum languore excruciatus, ingentes spiritui suo vires adversùs vitiorum machinamenta addit. *Consummatur enim,* S. Ambrosio teste, *carnis in infirmitatibus fortitudo.* Et rursus; *Noli timere carnis infirmitatem, quia sanctus, cùm infirmatur, potentior est.*

2. Cor. 12. 10. Infirmitas utilis. S. Ambr. l. 1. de Pœnit. c. 12. Idem super Psalm. 37.

443. Salix, si incidatur, ligaminibus construendis fit aptior. Unde, meâ quidem sententiâ, gnomam non inopportunam è D. Paulo subjunges; INFIRMITATE PERFICITUR. Idipsum hoc Emblemate confirmatur, quod superiore numero diximus, nimirum è corporis infirmitate maximas animæ vires accrescere. S. Ambrosius; *Christiana infirmitas fortitudo est; unde ait Apostolus, Cùm infirmor, tunc fortior sum.* Et S. Salvianus; *Imbecillitas carnis, mentis vigorem exacuit, & affectus artubus, vires corporum in virtutes transferuntur, ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum.*

2. Cor. 12. 10. Infirmitas utilis. S. Salvian. Epist. ad Caturam.

444. Salix, aquis imposita, flectitur ac tenerascit. Unde lemma; REMOLLITUR TRACTABILIS. Certè humanum pectus muneribus ita emollitur, ut summam suavitatem ac benevolentiam induat. Ovidius;

Munera. Ovid. l. 2. de Arte.

Quid faciet sapiens? stultus quoque munere gaudet,
Ipse quoque accepto munere mitis erit.

Jacob, fratrem suum Esau pertimescens, hâc conditione illum accessit; *Placabo illum muneribus, quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi.* Uti etiam felici successu contigit. Abigail Davidem, marito suo iratum, placatura, muneribus ei se obviam stitit, omnemque indignabundo vindictam excussit. &c. Succinctè in partem symboli deteriorem S. Ambrosius; *Munera excæcant oculos judicum, & vim authoritatis inclinant.*

S. Ambros. in Ep. ad Cor. 1.

SORBVS.

Caput XXXVI.

445. SOrbi, uti & Mespili, fructus, nonnisi putredine emolliti, humano gustui sapiunt. Lemma; UTILES CUM PUTRES. Ita avari tum demum alios juvant, quando intra tumulos putrescunt; ibi enim opes, hactenus inutiliter in arcis sepultæ, liberè in hæredes dispensantur. In hanc rem, meâ quidem sententiâ, concinnè ita canas;

Avarus.

Avaraccio, che guardi
Sì fisso à queste sorbe?
Il tuo ritratto è qui Mira, son sorbe;
Ch' all' hora appunto à l' altrui gusto piaccione:
Quando corrotte, e vizze elle si giacciono.
Tal, da te, benche tardi
Quando sarai già imputridito, e guasto
Hauran gli Eredi un dilettoso pasto.

Porrò

Humilitas & mortificatio. S. Greg. l. 27. Moral. Porrò virtutes tùm demum Deo placent, quando ex humili & mortificato animo procedunt. Nam, ut benè docet S. Gregorius; *Origo virtutis humilitas est. &c.*

446. Illustrissima familia Sorbellona Symboli loco Sorbi pomum præfert, cujus sapor humano palato suavissimus accidit, si diuturno tempore maturescere, suamque perfectionem plenè adipisci sinatur. Lemma; SERVATA SAPIT. Mens imanis, nî fallor, eò collimat, quòd celsissima illa familia, factis tam militaribus quàm politicis cumprimis gloriosa, omnem suam agendi rationem maturo ac diuturno judicio discutiat; probè gnara, *Bona consilia*, Cornelio Tacito asserente, *morâ valescere.* Nam, si T. Livio fidem habeas, *Omnia non properanti, clara certaque sunt.* Unde Pius II. ait; *Scriptura, quæ ait, ubi multa consilia, ibi salus; consiliorum multitudinem non requirit, sed maturitatem & digestionem.* Et Jovianus Pontanus; *Omninò autem prudentis est proprium, naturam rerum imitari, quæ frugum ipsarum fructus ad maturitatem tempore suo perducit, quippe qui, nisi maturi fuerint, nullo modo probantur. Quid enim acerbum suavè; Ejusmodi autem intempestivæ sunt actiones, ac perquàm festinata negotia. Quocirca qui gerendis atque administrandis rebus tempus idoneum servant, ii ipsi sunt, qui maturi dicuntur, habitusque ipse maturitas; cujus ea natura est, ut hinc agendis acerbitatem maturescere permittat, illinc opportunitatem elabi minimè patiatur, nihilque præter tempus aut operam, ubi ea, opus est, remittat.*

(Margin: Maturitas. — Tacit l. 1. hist. — T. Livius l. 22. — Pius II. lib. 1. Epist. 387. — Iovian. Pont. l. 4. de Prud.)

447. Sorbi fructus, meâ quidem sententiâ, hoc Minutii Felicis lemmate insignies, ÆTATE MATURANT. Nam poma illa nonnisi temporis progressu ad perfectionem debitam reducuntur. His pomis multum affinia dixeris bona consilia, quæ succedente tempore melius examinata, demum stabiliuntur. Id nimirum Romanis persuasit, ut consulibus suis secures, virgis colligatas, veluti suppliciorum instrumenta, præferri juberent; existimabant quippe, sententiam capitalem, judicio minimè præcipiti exequendam, dum secures à virgis dissolverentur, maturius perpendi posse. Plutarchus; *Cur Prætorum fasces colligati feruntur appensis securibus? An id signo est, iram Magistratûs non debere esse in proclivi & solutam? an solutio fascium, quæ paulatim fit, moram aliquam iræ injicit, & cunctationem, & nonnunquam facit, ut sententia de supplicio exigendo mutaretur?* Eandem ob causam Sanctus Ambrosius effecit, ut Theodosius, post stragem Thessalonicam, sententias, è tribunali suo decretas, nonnisi peracto triginta dierum intervallo executioni mandari voluerit, ne irâ, aliovè animi impetu præcipitatæ, suum maturitati tempus præriperent.

(Margin: Consilia. — Plut Quæst. Rem. 82.)

SPINA.

Cap. XXXVII.

448. Abbas Salarolus, Emblemate non ingrato, aliquot ramusculos spineos, circum arbusculum quemdam consitos, depingi fecit; cum lemmate, PUNGUNT, SED PROTEGUNT. Hinc disces, humanam mentem, nonnunquam gravibus ærumnis aculeatam, patrocinium ex his ipsis calamitatum spinis amplissimum sortiri. Clarissimè S. Gregorius Papa; *Aliquando quisque, non pro præteritâ culpâ diluendâ, sed pro futura vitanda percutitur.* S. Benedictus, libidine tentatus, nuda sua membra supra spinas volutavit, ut aculeos illos, toti corpori undique infixos, sepimenti loco haberet, quo se adversus violentas Tartari vires muniret. Huic devotus nonnemo canit;

Virgineum sepit florem Benedictus acutis
Vepribus, & proprii rore cruoris alit.

(Margin: Calamitas. — S. Greg. Pap. Præfat. in Expos. Iob cap. 5.)

449. Cespes spineus, venti cujusdam injuriâ suis frondibus spoliatus, epigraphen sustinet; LASCIA LE FRONDI SI' MA NON LE SPINE. Id est; FOLIA, NON SPINÆ RECEDUNT. Peccator obstinatus, huic iconi non absimilis, potius divitias, sanctimoniam, ipsamque adeò æternam vitam, quàm ullum ab animâ suâ vitium sibi extorqueri patitur. Aaron, à populo Israëlitico idolum constituere jussus, ut tantum nefas reprimeret, inaures aureas, ad mulierum ac filiorum ornamenta destinatas, requisivit; *ut populus*, Oleastro asserente, *dispendium monilium considerans, à peccato cessaret.* At conatu prorsus irrito; nam gens illa obdurata potius habuit, nobilissimarum opum jacturam facere, quàm spinosos idololatriæ affectus è sacrilegis cordibus rejicere.

(Margin: Peccator obstinatus. — Oleast. in hunc loc.)

450. D. Aresius spinis, circum rosam consitis, inscripsit; VALLANT, NON VIOLANT. Mens Emblematis erat, calamitates optima præsidii nostri instrumenta esse, quæ, principum satellitiis non absimiles, salutem nostram non tantùm non lædunt, sed vindicant. Hanc doctrinam probè edoctus S. Paulus, stimulum carnis, corpori suo ingeneratum, optimum animæ tutandæ patrocinium censuit. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ.* Gilibertus Abbas in hunc locum ait; *Paulus stimulatur, ne extollatur. Et quomodò, qui hæc audis, refugis stimulari?* Et S. P. Augustinus; *Clamavit Paulus, ut auferretur ab eo stimulus carnis, & non est exauditus, sed non ad insipientiam, sed ad sapientiam, ut intelligat homo, medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem.*

(Margin: Calamitates. — S. August. Psal. 21.)

451. Ramus spineus epigraphen sustinet; PUNGENDO STIMULO. Ita omninò hominum prudentum admonitiones ac consilia ignavos ad virtutis semitam assiduò decurrendam stimulant. *Verba sapientum*, Salomone teste, *sicuti stimuli, & sicut clavi in altum defixi.* In hunc locum Olimpiodorus ait; *Sicut enim stimuli boves pungunt, urgentque aratro sulcum proscindere: ita & Theologorum verba excitant nos, qui sic bona aramus, proscindere sulcum spiritualem; ut cùm purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutis surculos conseramus.* Cæterùm etiam conscientia, dum suos cordi aculeos & remorsus infigit, validissimè mentem nostram stimulat, ad virtutem, perfectionemque amplectendam.

(Margin: Correctio. — Eccles. 12. — Olymp. in hunc loc.)

452. Petro Francisco Malaspinâ Marchione, Ducis Odoardi Farnesii Avo, solemnibus exequiis deducto, sequentia Emblemata, ex illustrissimæ illius familiæ insignibus desumpta, affixêre. Primum quidem oblongam ac prominentem spinam exhibebat, cum lemmate; NON LATET IN INSIDIIS. Sincerum ac generosum Magnatis illius animum significârunt, qui nonnunquam ad vindictam expetendam compulsus, eam non occultè aut stratagematis, sed magnanimitate est executus. Cùm Veneti, Florentini, & Franciscus Sfortia adversus Philippum Mariam, Mediolanensium Ducem, bella gererent, Philippus, propè Addam fluviũ ingenti clade acceptâ, Alphonsi Neapolitanorum Regis suppetias imploravit, easque, voti sui compos factus, mox ingenti ac valido auxiliarium copiarum numero recepit. Inter hos verò aliquot se Alphonso Regi

(Margin: Sinceritas generosa.)

ſo Regi ultrò obtulêre ad Venetorum navale, ſi Regiæ ſuæ Majeſtati placeret, certiſſimo comburendum; quibus Rex; *ſibi non inſidiis, ſed aut virtute vincendum, aut nunquam profectò vincendum eſſe*; addiditque, eam victoriam nunquam ſibi fore gratam, de quâ ſemper erubeſcere deberet. Haud aliter Ferdinandus II. Imperator, cùm de perduellibus ſuis clanculo interficiendis opportuniſſimum conſilium acciperet, reſpondit; *Hoc neque Chriſtianum eſſe, neque cæſareum: acturum ſe publicè, & armis ſuam cauſam quæ juſta eſt, defenſurum.* Ut in ejus vitâ refert P. Lamormainus. Eâdem mente imbutus Alexander, Plutarcho referente, dicere ſolebat; ſe victoriam acquirere, non furari velle. *Non furor victoriam.* Et de Romanis affirmat Ælianus; *Virtute vincere Romani aſſueverunt, non dolo & furto.*

[Margin: ...an. Santen. Chronolog. ...t. Alphonſ. l. 255. — ...amorm. in ...it. Ferdin. ...p. 11. — Ælian. l. 12. Var. Hiſt.]

453. Spina, nec culturæ, nec cujuſvis alterius adminiculi indiga, epigraphen tenet; VI PROPRIA NITITUR. Verbis è Virgilio mutuatis, ubi de pomi arbore canit;

[Margin: Virgil. l. 2. Georg. v. 28.]

Vi propriâ nitetur, opiſque haud indiga noſtræ.

Innuebat videlicet, Magnatis illius nobilitatem & opulentiam adeò fuiſſe eximiam, ut nullâ exterâ tutelâ indigeret. S. Iſidorus Peluſiota; *Si quis ex ſemetipſo ſecuritatis habeat pignora, decipi non poterit, & hoſtium inſidias ſuperabit.*

[Margin: Valor proprius. — S. Iſid. Ep. 69]

454. Magnatis illius rigor nunquam eouſque obduruit, quin frequenter beneficentiæ ac ſolatii temperiem affunderet. E ſpinæ ſymbolo id dignoſcere licet, cum lemmate; NON SEMPER SINE ROSA. Hanc operandi methodum ſtudioſè obſervat Deus, qui ſuos clientes nunquam penitus calamitatum ſpinis transfigi patitur, ſed aliquo identidem ſolamine recreat. Apertè id teſtatur S. Joannes Chryſoſtomus; *Quod in ſanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates ſinit habere continuas: ſed tum de adverſis, tum ex proſperis juſtorum vitam, quaſi admirabili varietate contexit.*

[Margin: Calamitas. — S. Io. Chryſoſt. Hom. 8. in Matth. inte med.]

455. Symboli loco ſpinam depinxêre, è cujus adverſa parte manus erat, ſanguine perfuſa; cum lemmate, PUGNAT CONTRA PUGNANTES. Ita nimirum violentas aliorum vires juſtâ vindictâ reprimere licet. Hanc regulam in Sauli vocatione obſervans ipſemet Deus, illum ingenti rigore, violentiâ, ac caſtigatione proſtravit, fulminavitque; quippe qui eodem momento *ſpirans minarum & cædis*, adverſus Chriſti diſcipulos graſſabatur. S. P. Auguſtinus; *Dum igitur portat Saulus funereum contra Chriſti milites gladium, fulmineum de cœlo accipit telum: dum graſſatur, percutitur. &c.*

[Margin: Vindicta juſta. — S. Aug. ſerm. 18. de Sanctis.]

456. Spina eos tantùm vulnerat, qui illam veluti repreſſuri, directè & adverſo acumine contingunt, non verò, qui ipſius lateri duntaxat manum admovent. Unde lemma; VULNERAT EX ADVERSO. Nempe hâc icone ſignificabatur, Magnatem illum nullâ unquam offensâ quempiam provocâſſe, niſi quos ultrò ac malitioſè ſibi adverſos experiebatur. De vindictâ Divinâ ait Magnus Auguſtinus; *Sicut parata eſt ſeveritas, peccata, quæ invenerit, vindicare; ita non vult charitas, quod vindicet, invenire.* Hanc agendi methodum Deus cum Saulo perſecutore obſervavit, quando illum, adverſus Regem gloriæ acerrimè concitatum, humi proſtravit, ac fulmine dejecit: ut adeò veriſſimè ipſi objectum fuerit; *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* In hanc rem Plautus;

[Margin: Vindicta juſta. — S. Auguſt. Epiſt. 109. — Act. 9. 5. — Plautus in Truculent.]

Si ſtimulos pugnis cædis, manibus plus doles.

457. Spina inſcriptionem habet; APTA VEL AD NECEM. Innuit videlicet; res quaſvis minimas pœne nunquam inadvertente aut otioſo præter eundas eſſe, quippe è quibus non rarò graviſſima damna, & ipſa adeò vitæ jactura nobis impendet. Certè de Henrico II. Galliarum Rege teſtantur Petrus Matthæus, Catharinus Davila, aliique graviſſimi hiſtoriographi, eum, ſubtiliſſimâ feſtucâ ligneâ per oculos transfixâ vitam cum viſu, non ſine extremo totius Galliæ luctu, amiſiſſe. Sic nimirum, Magno Auguſtino teſte, *Minimis bonis benè & malè quiſque uti poteſt.*

[Margin: Peccatum leve magni æſtimandum. — S. Aug. l. 2. de lib. arb. cap. 19.]

458. Carolus Rancatus ſpinis detruncatis, aridis, & ad ignem deſtinatis, inſcripſit; NOS QUOQUE FLORUIMUS. Lemmate ex Ovidio deſumpto;

[Margin: Ovid. l. 5. Triſt. Eleg. 8.]

Nos quoque floruimus, ſed flos fuit ille caducus,
Flammaque de ſtipulâ noſtra breviſque fuit.

Eos hæc imago repræſentat, qui priſtinâ ſuâ virtute ac perfectione relictâ, indies deteriores evadunt. His jure merito illos accenſeas, de quibus Sanctus Matthæus teſtatur, *Multi dicent mihi in illâ die; Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: diſcedite à me &c.* Nam, teſte Magno Auguſtino, *Sunt homines, qui incipiunt ſperare, ſed non perſeverant; incipiunt pati tribulationes aliquas, vident homines iniquos felicitate temporali pollere; & quoniam talia ſperabant de Deo, ut hîc eſſent felices, deſinunt ſperare in Deo.* Ita ſanè Populus Hebræus, ſi religionem ſpectes; Græci, ſi ſapientiam; & veteres Romani, ſi fortitudinem & dominium temporale; veriſſimè de ſe dixerint; *Nos quoque floruimus.*

[Margin: Perfectio deficiens. — Matth. 7. 22. — S. Auguſt. in Pſal. 129.]

459. Spina, Carduus ſativus, urtica, aliæque ſimiles herbæ ac virgulta, hanc gnomam, me judice, non inopportunam tenent; NON TANGOR IMPUNE. Ita impatiens, vindicativus, ac ſanguinarius hominis animus, leviſſimâ quâvis offensâ tentatus, pungit, vulnerat, occidit. Jacobus Salianus de Nabal Carmelo ait; *Eâ erat morum perverſitate, ut quaſi rubum aculeatum nemo poſſet impunè tangere; idque ſignificant illa verba; 1. Reg. 25. 17. Et ipſe eſt filius Belial, ita ut nemo poſſit ei loqui.*

[Margin: Vindicativus. — Salian. Anno mundi 2977. n. 27.]

SUBER.

Cap. XXXVIII.

460. AJunt, hanc arborem, ſecuri percuſſam, & cortice ſpoliatam, mirum capere incrementum. Unde lemma; EX VULNERE VIGOR. Hi Dei mores ſunt, ut hominem calamitatibus afflictum promoveat, & plurimo robore ſtabiliat. Sanctus Hieronymus idipſum Dei ore confirmans, ait; *In hoc quoque oſtendam clementiam meam, inſtar medici, qui putridis non parcit carnibus, ut ſana membra ſerventur. Non parcit ut parcat; crudelis eſt, ut miſereatur; non ponderat patientis dolorem, ſed vulneris ſanitatem.* Sanctus Ignatius Loyola, accommodatè ad hanc ideam, lethali bombardæ vulnere ſauciatus, maximas ad Dei obſequia vires eſt conſecutus.

[Margin: Calamitates. — S. Hieron. in Ezech. lib. 7. — S. Ignatius Loyola.]

461. Plurimorum opinio hactenus fuit, arborem iſtam ex ignis vicini ardore plurimum incrementi & utilitatis accipere. Unde igni propinqua, epigraphen tenet; ADDITUR VIGOR. Eorum hæc effigies eſt, qui morborum flammis, aut perſecutio-

[Margin: Calamitas.]

secutionum incendio tentati, plusquam alias unquam in virtute invalescunt. De civitate Lugdunensi, fortuito quodam incendio penitus devastatâ, scribit Seneca; *Fortasse consumpta est, ut in melius excitaretur. Sæpe majori fortunæ locum fecit injuria. Multa ceciderunt, ut altius surgerent & in majus. Timagines felicitati Urbis inimicus, aiebat Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quòd sciret, meliora resurrectura, quàm arsissent.*

Senec. Ep. 91.

462. Suberes, ob levitatem suam, ad piscatorum retia allevanda usurpantur. Unde Bargalius subeream massulam, supra aquas fluctuantem, hoc lemmate notavit; IMMERSABILIS. Virtus, hâc icone depicta, inter stygias tentationum & adversitatum procellas nunquam submergitur. Nam, ut sapienter docet Ethicæ Christianæ Magister S. P. Augustinus; *Diabolus forinsecus oppugnat, non vincit illum, qui intus possidet.* Seneca;

Virtus. — S. August. Tract. 4. in Epist. Ioan. — Senec. Herc. Fur. Act. 5.

Nunquam stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus: vivite fortes,
Nec Lethæos sæva per amnes
Vos fata trahent: sed cum summas
Exiget auras consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet.

Et Horatius, de Ulysse canens,

Horat. lib. 1. Epist. 2.

Qui domitor Trojæ, multorum providens urbeis,
Et mores hominum inspexit, latumque per æquor
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit; adversis rerum immersabilis undis.

463. Nonnemo subereos fasces, inter tempestuosi & irati maris procellas agitatos, hoc epigrammate insignivit; NISU GRAVIORE RESURGUNT. Grandis ac generosus animus, quibusvis aliorum violentiis semper superior, nunquam opprimitur; quia, ut in rem præsentem testatur Magnus Augustinus; *Nullus vitiosus animus virtute armatum animum superat.* De Hebræorum populo, ab Ægyptiis miserè afflicto, testantur Sacræ Litteræ; *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.*

Resistere. — S. Aug. l. 2. de lib. arb. c. 10. — Exod. 1. 12.

SVRCVLVS INOCVLATVS.

Caput XXXIX.

464. Ramulus inoculatus epigraphen tenet; HUMOR AB ALIO. Hominem, alterius beneficio ac favore nixum, significat. S. Thomas Aquinas nobilissima quidem Angelicæ doctrinæ germina protulit; ea tamen nonnisi è supremæ sapientiæ humore sibi advenisse, ingenuè solitus est confiteri. *Fratri Reginaldo dicere solebat, verba vitæ ipsius sunt, quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quàm Divinitus traditum accepisse.*

Dependentia. — S. Tho. Aqu.

465. Surculus emplastratus lemmatis loco inscriptum reddit; IDEM, ET ALTER, vel ut Henricus Engelgrave verbis ex Ovidio mutuatis inscripsit; NON SUM QUI FUERAM. Genuina hæc pœnitentis lineamenta sunt, qui non jam vitiis, sed virtuti; non sensibus, sed spiritui; non Orco, sed cœlo; non sibimet ipsi, sed Deo vivit. In hanc rem S. Paulus; *Vivo ego, jam non ego &c.* Et rursus; *Prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutus sum.* S. P. Augustinus; *Omnis homini, converso ad Deum, mutatur delectatio, mutantur delitiæ; non enim subtrahuntur, sed mutantur.*

Ovid. l. 5. Trist. Eleg. 11. — Pœnitens. — Gal. 2 20. — 1. Tim. 1. 13. — S. August. in Psal. 74.

466. Arbor inoculata, si debitum vigorem acquirat, brevi in robustos ramos excrescit, & paucorum annorum intervallo uberes ac pretiosos fructus profert. Unde lemma è Virgilio desumptum; NEC LONGUM TEMPUS.

Virgil. l. 2. Georg. v. 8.

----- Nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes, & non sua poma.

Certè Saulus, vix Ecclesiæ Christianæ insertus, *continuò in synagogis prædicabat Jesum.* Sanctus Ambrosius, paulò antè sacro baptismate ablutus, illicò stupendos litterarum fructus protulit, ac mirâ celeritate doctissimos *in Lucam &c.* commentarios scripsit. Petrus quoque, Apostolorum Princeps, vix à Christo vocatus, amoris Divini indicia edidit prorsus prodigiosa. De hoc S. P. Augustinus; *Petrus, in Apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus.*

Act. 9. 20. — Operari promptè. — S. Aug. ser. 1 d. Verb. Dom. cap. 1.

467. Arborem inoculatam non abs re hoc epigrammate illustraveris. NON SUA GERMINA PROFERT. Virgilio id suggerente;

Virg. loc. cit.

Miraturque novas frondes, & non sua poma.

Et Sidonio.

Sidon. Paneg. Antem.

Protulit excisus jam non sua germina palmes.

Eos hoc Emblema concernit, qui litteras ab aliis compositas vel recitant, vel typo committunt, vel jactabundo ore suas venditant. Certè virtutum & meritorum nostrorum operationes à Deo potius, quàm à nobis ortum suum trahunt, velutì quas nonnisi gratiâ Divinâ aspirante enitimur. *Quid enim habes, quod non accepisti?* Ita nimirum, Magno Augustino teste, *Nemo cantat Deo digna, nisi qui ab illo acceperit, quod cantare possit.*

Opera aliena. — Merita nostra à Deo sunt. — 1 Cor. 4. 7. — S. August. in Psal. 34.

468. Nobilis ac domesticæ arboris ramus supra truncum sylvestrem emplastratus, malignam hujus naturam corrigit, neque imposterum fructus acerbos & insuaves, sed exquisito sapore indutos generat. Unde arbor, sylvestribus ramis spoliata & inoculata, à P. Gambetto hanc Virgilii gnomam recepit; SUCCOS OBLITA PRIORES. Eidem D. Joannes Baptista Mazzolenus inscripsit; UT MELIORA FERAM. Ego arborem inoculatam, ac copiosis fructibus gravem, hoc lemmate insignivi; TRANSTULIT IN MELIUS. Eos opportunâ hâc icone exornabis, qui vel religionem ingressi, vel scelerum suorum pœnitudine, ducti pretiosos virtutum fructus progerminant. De homine Religioso ait Magnus Augustinus, *Egestas animæ sanctæ in abundantiam versa est animæ religiosæ.* Cæterùm etiam honores ac dignitates hominem non raro ad virtutes præclaras & supra opinionem excellentes disponunt. Ausonius de Vespasiano canit;

Virg. 2. Georg. — Pœnitens. — S. Aug. l. 50 Homil. hom. 18. — Ausonius Tetrast. 10.

Olim qui dubiam privato in tempore famam
Par aliis, princeps TRANSTULIT IN MELIUS.

469. Inter complures surculos inoculatos non raro unicus duntaxat olitoris voto respondet, fructusque exoptatos producit, reliquis omnibus à felici progressu, & arboris subjectæ nutrimento exclusis. Proinde Henricus Engelgrave plurimos surculos, diversis arboribus insertos, hâc Ovidii gnomâ illustravit; E MULTIS FORSITAN UNUS. Enimverò plurimos quidem sanctâ fide instructos, baptismatis fonte irrigatos, & ad virtutum fruges proferendas variis auxiliis invitatos cernimus, paucissimos tamen, qui meritorum suorum operationi-

Ovid. 3. de Arte. — Prædestinatio paucorum.

Matth. 20. 16. operationibus sese ad æternam beatitatem prædestinatos probant. *Multi enim,* D. Matthæo teste, *sunt vocati, pauci verò electi.* Cui suffragatur S.Paulus; *Omnes currunt, sed unus accipit.* S.P. Augustinus; *Quantis turbis implentur Ecclesiæ? pauciores sunt verè conversi, plures verò falso conversi.* 1.Cor.9 24. S.August.in Ps. 39.

470. Bargalius surculo inoculato subscripsit; CONJURAT AMICE. Vel; ALTERIUS SIC ALTERA. Mutuam affectuum & cogitationum bevolentiam, aut amicas subsidii exhibiti vices hoc Emblema innuit. S.Augustinus; *Illam legem amicitiæ justissimam esse arbitror, quâ præscribitur, ut sicut non minus, ità nec plus quisque amicum, quàm se ipsum diligat.* Eodem quoque nuptias, fœdera, aliaque negotia similia repræsentantur. Horatius; S.Augustin. l Soliloq.c.3 Horat. in Arte.

—— *Alterius sic*
Altera poscit opem res, & CONJURAT AMICE.

471. Surculus se emplastrari non patitur, nisi pristinâ ramorum luxurie è trunco penitus recisâ. Unde Ferri epigraphe; DIMISSIS ALIIS. Sanè, qui Divinam charitatem pectori suo inserere cogitat, omnes vitiorum stolones procul à se ipso præsecet, necesse est. Eamobrem S.Gregorius Nyssenus in illa D.Pauli verba commentatus, *Mihi vivere Christus est,* ait; *Hisce verbis tantùm non clamat Apostolus, nullam in se affectionem humanam vivere, non fastum, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non injuriaurm memoriam, non invidiam, non vindictæ, avaritiæ, honoris, aut gloriæ cupidinem; sed his omnibus abrasis, solus* (inquit) *ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio, & puritas, & immortalitas &c.* [...]sparatio. Philip.1.21. S.Greg.Nyss. hom.15 in Cant.

472. Si inter truncum & surculum inoculandum antipathia quædam intercedat, nullis unquam viribus sociari possunt: atque adeò nonnisi amoris sympathetici virtute sese uniri patiuntur. Unde Ferrus inscriptionem subjunxit; JUNGIT AMOR. Nam D.Dionysio Areopagitâ asserente, prima ac princeps amoris prærogativa est, quòd amantium corda uniat. *Amor,* inquit, *est virtus faciens unionem.* Quin ipsamet sacra Pagina in hanc nostram sententiam concedens, de geminis sponsis Adamo & Evâ dicit; *Et erunt duo in carne unâ.* [A]mor. Dion. Areop. de Div.nom.c.4 [G]en 2.24.

473. Surculus inoculatus nexu ita arctò truncum complectitur, ut de duabus ac distinctis rebus in unicam coalescat. Unde lemma; UTRAQUE UNUM. De marito & uxore hoc symbolum interpreteris; quippe quos illa Paginæ Divinæ præceptio spectat, *Et erunt duo in carne unâ.* Vel de duobus amicis, quibus eadem placent vel displicent. Nec incongruè dixeris, etiam Christianum icone istâ significari, qui, sumptâ SS Eucharistiâ, Deo ità conjungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo quiescat. Sanctus Cyrillus Alexandrinus; *Si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum Christo ita conjungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur.* [M]atrimonium. [G]en.2.24. [A]mici. [E]ucharistia. [S].Cyrill.l 4. in Ioan.c.17.

474. Ad arctam quorundam necessitudinem significandam, duobus surculis, supra unicum truncum inoculatis, subscribi potest. E GEMINIS UNUM. Amoris hæ vires sunt, ut è geminis animabus unicam efficiat. Certè, amore colligante; *In cœlo omnes unus, in uno ad unum erimus, quia deinceps multi dispersi non erimus.* In rem præsentem sacra Genesis de sponsis ait; *Erunt duo in carne una.* Otho Venius Cupidinem inoculationi faciendæ intentum, hoc epigrammate explicavit; Amor. S.Aug.in Ps. 147. Gen 2.24. Otho Ven. in Emblem.

Felix insitio, qua ramum ramus adoptat;
Arbore de duplici fiat ut una, facit.
Atque amor E GEMINIS concinnat amantibus UNUM,
Velle duobus idem, nolle duobus idem.

475. Surculum emplastratum hoc lemmate loloquentem statuerunt; INNITAR. Enimverò homo, virtuti deditus, in eà immobilis persistat, necesse est. Præclarè Socrates; *Virtutis studiosus, BONO PROPOSITO NIXUS, immobilis esse debet.* Et S.Paulus; *Radicati, & super ædificati in ipso, & confirmati fide.* Perseverantia. Socrat. apud Ioan.Stoban. serm 1. Coloss.2.7.

476. D. Mutius Peregrinus, in Academiam quandam receptus, sibimet, emblematis loco, surculum, & nobili trunco insertum, præfixit, cum lemmate, ET PEREGRINUM ALIT. Veluti diceret, se, tametsi cognomine peregrinum, & necessariâ Academicorum virtute destitutum, nihilominus inter eos benignissimè receptum fuisse. Cæterum charitatis est proprium, non domesticos tantùm, sed & exteros gratiosè suscipere ac sustentare. Ita Abrahamus die æstuante viatores congregavit, Loth, affectu prorsus liberali ac solicito, quosvis transeuntes invitavit. Cleophas cum socio Christum, quem peregrinâ specie obvium habuere, secum pasci ac recreari coegerunt. S.Gregorius Papa ad propriam suam mensam advenas & egenos, veluti gratissimos hospites, vocabat. Simon Metaphrastes in vitâ S. Auxentii Abbatis testatur; *Monachi omnes benignè excipiebant, promptoque & alacri animo, magni propter victum facientes apparatum, adeò ut fieret illud Monasterium tanquam Abrahæ tabernaculum; omnes enim ferè, seu dignos, seu indignos, tanquam Angelos Dei accipiebant.* Charitas. Sim.Metaph.

477. Vitricum, privignos suos benignè sustentans, aut maritus adulterinos aliorum filios, domi suæ natos, optimâ fide enutriens, à Comite Emmanuele Thesauro arborem inoculatam symboli loco recepere, cum lemmate ex Ovidio desumpto; SUCCOS ALIENO PRÆSTAT ALUMNO. Vel brevius; ALIENUM ALIT ALUMNUM. Emblemate prorsus eodem etiam novercam vel egenam mulierem, ad alienos filios educandos compulsam, significare licet; nisi quod præcedentibus hæc epigraphe substituenda sit; ALIENA STIRPE GRAVATA. Christum cumprimis primum symboli hujus lemma spectat, qui nostri amore è cœlo descendens, pretiosi sanguinis sui succo nos veluti alumnos alienissimos, fovere est dignatus. S.P.Augustinus, *Eleemosyna græcè misericordia est; quæ autem major esse misericordia super miseros potuit, quàm illa, quæ cæli Creatorem de cælo deposuit, & terreno corpore terræ induit Conditorem.* Pater putatius. Noverca. Christus. S. Augustin. serm.21. de Divers.

478. Arbor adulta, asserente P.Carolo Bovio, inoculatur NON AD UMBRAM, sed ad pretiosos & uberes fructus proferendos. Ita, inquit ille, sanctus Ignatius Loyola ætate jam adultâ grammatices rudimenta addiscere voluit, non quidem mundani splendoris recipiendi causâ, sed ad spiritualem proximi sui progressum uberius promovendum. Et certè omnium studiosorum industria ad hanc optimi parentis mentem, ceu ideam, componi deberet. S.P. Augustinus; *Multi sunt, qui dicta sapientiæ studiosissimè inquirunt, eamq; in doctrina, non in vita volunt habere; ut non per mores, quos jubet sapientia, perveniat ad* S. Ignatius Loyola. Studere cum profectu. S. Augustin. in Psal.118. Conc.29.

ad Divinam lucem, quod est in ipsa sapientia; sed per sermones, quos habet sapientia, perveniunt ad hominum laudes, quod est vana gloria. Carducius hanc de S. Ignatio Loyolâ imaginem sequenti poemate explicat.

Non gloriosam spectat umbram consitum
Germen: sed amplam fructuum vindemiam:
Sic grammatum Loyola se studio jugat,
Non gloriæ, sed commodo orbis serviens.

479. Sanctus Joannes Evangelista, B. Virginem ab ipsomet Christo Matris loco commendatam habens Aresio authore truncum imitatur, qui inoculato surculo instructus, epigraphen reddit; ACCIPIT IN SUA. Verbis è S. Joanne desumptis; *Accepit eam discipulus in sua.* Id est, Joannes Virginem veluti donum cœleste, recepit, eamque inter bona pretiosissima reposuit; observavitque. Vel certè, recepit eam *in sua officia*, quibus illam, veluti Matrem, assiduò cogitare, ac indefessis obsequiis demereri studebat. Vel denique recepit eam *in sua*, id est, in suâ hæreditate, quam reliquis omnibus mundi thesauris longè antetulit, nec post Deum ullam majorem expectavit. Præclarè, ut solet, Magnus Augustinus; *Suscepit eam discipulus in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat.*

S. Joannes Evangelista. *Ioan. 19. 27.* *S. Augustin. Tract. 119. in Ioan.*

480. Alcibiades Lucarinus virgulam inoculatam hoc lemmate notavit; GERMINAT JUNCTA PRIUS. Hinc constat, tametsi propriis viribus in salutis nogotio nihil omninò possimus, è voluntate tamen nostra pendet, cum gratiæ Divinæ auxiliis nobilissimos virtutum fructus progerminare. Confidenter Apostolus; *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Explicatissimè ipsemet Christus; *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Unde Magnus Augustinus *Ad Deum securus perveniam, si in finem usque sua gratia non deserat.*

GratiaDei. *Philipp. 4. 13.* *Ioan. 15. 5.* *S. Augustin. serm. 46. de Temp.*

481. Sponte quidem sua arbusculos producit naturâ, hi tamen, si fortè fructus acerbos & insuaves parturiant; inoculationis artificio ita dexterè corriguntur, ut omni perfectione ablatâ, suavissimi evadant. Unde lemma; PERFICITUR ARTE. *Insitio enim*, inquit S. Clemens Alexandrinus, *eas, quæ erant inutiles, facit generosas, & quæ erant steriles, cogit esse fertiles arte agriculturæ.* Ut adeò vetus illa paræmiâ etiam hîc obtineat; *Ars naturam perficit.* Idipsum quoque in hydraulicæ prodigiis, in hortorum structuris, aliisque rebus similibus cernere licet, ubi naturæ vires, ab hominum industria adjutæ, mirificos effectus producunt. Eò animum advertens Rex Theodosius, dicere est solitus; *De arte veniat, quod vincat naturam.*

S. Clem. Alex. l. 6. strom. 6. Industria. *Cassiod. l. 1 Var. 6.*

482. Lucense S. Michaelis Seminarium, symboli loco, topiarium, arbusculis inoculatis consitum, præfert cum lemmate; TRANSLATÆ FERACES. Mens iconis est, juvenes ibidem variis doctrinis imbutos, postea ad diversas Ecclesias transferri, ac cumulatos insignium virtutum fructus producere. D. Salvator Carducius hos jambos, symboli interpretes, subjunxit;

Mutatio.

Translatæ alumnæ arbusculæ vivariis,
Fructu feraces uberi progerminant.
Quidni juventa extracta seminariis,
Pareciisque juncta sit cœlo ferax?

Homo è mundi dumeto in hortum vitæ religiosæ translatus, uberrimos virtutum fructus haud operosè profert. S. Bernardus; *Claustralis paradisus ad suavem spirans austri clementiam, quasi tot floribus vernat, quot virtutibus abundat.*

Religio. *S. Bern.*

483. Surculos inoculandos falcium ictus præcedat, necesse est. Hæc tamen vulnera plurimum felicitatis conferunt; nam arbor, ramis suis spoliata, ac crebrò incisa, suavitatem longè nobilissimam obtinet. Unde arbor emplastrata epigraphen sustinet; CUM FOENORE VULNUS. Haud aliter plagæ, à calamitatibus incussæ, mille beneficiorum feraces sunt. Absalon Abbas; *Foris quidem pugna, sed magna victoria reponuntur præmia, ubi luctus in gaudium, labor in quietem, paupertas in affluentiam, miseria in jucunditatem, mortalitas in æternitatem convertitur.*

Calamitas utilis. *Absalon serm 2.*

484. D. Primus Aloysius Tatti, Præsul Somascenus, Sanctam Eurosiam Martyrem, manibus ac pedibus truncatam, Emblemate exhibiturus, arborem depinxit, quæ ramis recisis, & in terrâ sparsim jacentibus, duos surculos, ad inoculandum dispositos, conjunxit; addito epigrammate; NOVAM DE VULNERE VITAM. Enimverò fatalis carnificum supellex Dei servis non modò nihil detrimenti affert, sed ad vitam innovandam aptissimum est instrumentum. Unde sicut Salomon dicit, *Sapientia immolavit victimas suas*, seu, ut Septuaginta traducunt, *jugulavit filios suos.* Ita Siracides protestatur *Sapientia filiis suis vitam inspirat*, Tertullianus id interpretatus ait, *Sophia sapientia est, quæ sapienter jugulavit, dum in vitam; & rationabiliter, dum in gloriam.* Et paulò infra exclamat; *O paricidii ingenium, quæ idcircò occidit, ne moriatur, quem occiderit.*

Martyr vivifica. *Prov. 9.* *Eccles. 4* *Tertull. Scorpiace*

485. Arbor, aliquot surculos inoculatos ostentans, epigraphen tenet; DULCIA POSTHAC. Ita peccator pœnitens, post pessimos & acerbissimos libidinis, vindictæ, scandali, aliorumque vitiorum fructus cumulatè productos, tandem gratiæ Divinæ germine in animâ recepto, ad suavissimos virtutum, ædificationis, ac perfectionis fructus disponitur. Opportunissimè etiam illos hæc idea spectat, qui è sæculari ad vitam religiosam transgressi, immoderatos affectus suos resecant, &, moribus ad regularem normam compositis, intra cellæ solitudinem, veluti in terrestri paradyso, ad suavissimas fruges temporis progressu è cordis sui arbore producendas, disponentur. Sensu non dissimili S. Basilius, *Ocella, inquit, spiritualis exercitii mirabilis officina, in qua certè humana anima Creatoris sui imaginem in se restaurat, & ad suæ reddit originis puritatem, ubi sensus obtusi ad subtilitatem sui acuminis redeunt, & pro vitiata natura, synceritatis azyma reperitur. Tu das, ut jejuniis videantur ora pallentia, & mens Divinæ gratiæ sit pinguedine saginata. Tu das, ut homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis obvolutus tenebris, Deum & ipsum prius ignorabat &c.* Et Sanctus Isidorus Pelusiota ad Pachomium scribit; *Dei regnum monastica vita est, ut quæ nulli vitiosæ affectioni succumbat: verum alta sapiat, ac virtutes cœlo superiores præstet.*

Pœnitens. Religiosus. *S. Basil. Tract. ae v. Erem.* *S. Isid. Pel. l. 1 Ep. 12*

486. Ut peccatorem, optimo animo ad pœnitentiam conversum, Emblemate repræsentes, arborem, ad postremum usque truncum amputatam, depinge, cum manu, quæ recentem surculum supra eâdem inoculet; addito lemmate, RECEDANT VETERA. Opportunè S. Jacobus; *Abjicientes omnem immunditiã, & abundantiã malitiæ, suscipietis insitũ verbum.*

Pœnitens. *Iacob. 1. 21*

H. Card. in hunc loc. *verbum.* Hunc locum intenpretatus Hugo Cardinalis, ait, *Insitum dico, ut RAMUS VETERIS CONVERSATIONIS à trunco cordis ABSCINDATUR, & novus inseratur, qui renovatur de die in diem.* Clarissimè celebris ille de SS. Sacramento hymnus.

RECEDANT VETERA, nova sint omnia,
corda, voces, & opera.

487. Meus Concanonicus, D. Josephus Pallavicinus Abbas, præclaro & nobili Emblemate ramum, è domestica arbore præcisum, depinxit, qui fructibus onustus, supra spinosum ac sylvestrum truncum erat inoculatus; cum epigrammate, FRUGIFER OPE SUA. Hominis verè virtuosi hæc imago est propria, qui clarissimis ingenii frugibus non aliunde, nisi è proprio suo intellectu desumptis, orbi innotescit. Plinius Junior Ruffino, amico suo integerrimo persuasurus, ut aliquos diuturni studii sui fructus orbi postero relinqueret, ajebat, *Effinge aliquid, & excude, quod sit perpetuò tuum. Nam reliqua rerum tuarum, post te, alium atque alium Dominum sortientur: hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cœperit.* Antonius Panormitanus de Alphonso, Aragonum Rege, momorat, illum, cùm à nonnemine miris excomiis celebraretur, quod non tantum Rex, sed & Regis filius, Regis frater, & nepos Regis, ornamento rarissimo & prorsus singulari, cognominaretur, respondisse veram suam laudem non ab avorum majestate, aut fortunæ donis emendicandam esse, sed à generosis factis & virtutibus, quas ipsemet edidit, desumi debere. Conformiter ad mentem nostram ait Salomon; *Quodcunque facere potest MANUS TUA, instanter operare.*

[Margin: ...lor proprius. — Plin. Junior l. Ep. 3. ad Ruffinum. — Anton. Panor. l. 1. de ...bus Alphonsi. — Eccles. 9. 10.]

488. D. Alexander Luzon de Millares, Concanonicus Reg. in insigni suâ Ideâ Politicâ surculum depinxit, arboris trunco insitum, & hoc lemmate insignem; NOVA SINT OMNIA, seu, RECEDANT VETERA. Arbor quippe, insitionis beneficio, in unam cum recenti surculo naturam coalescit. Adoptionis hanc effigiem dixerim, quæ è Jurisprudentiæ præscripto definitur; *Legis actio, seu legitimus actus, quo qui in naturâ liberi non sunt, lege efficiuntur.* De eadem Ausonius;

[Margin: Adoptio. — Auson. apud ...tierm Vult. ... Instit.]

-----Imitatur adoptio prolem,
Quâ legisse juvet, quam genuisse volet.

Et Calphurnius Flaccus, *Adoptio,* inquit, *res sancta est, quæ beneficia naturæ & artis imitatur.* Atque adeò adoptio, naturæ æmula, personas aliquas, pristinâ natalium diversitate penitus oblitteratâ, in eandem sanguinis & facultatum sympathiam arctissimè connectit. Hæc ipsa idea viris Religiosis ob oculos pendeat velim: sicuti enim arbor, cui recens surculus insertus est, proprios ramos abjicere, & à veteri naturâ degenerare debet, ut novam insiti assumat, illiusque fructus proferat; ita quisquis oliva frugifera fieri desiderat in domo Dei, omnes ramos terrenæ cupiditatis amputari sinat, ut surculus gratiæ solus inseratur ac fructificet. Tollendus est apex ambitionis, corona superbiæ, patens luxuriæ coma, omnesque expansi rami, ceu totidem brachia ad malum amplectendum extensa. Unde saluberrimæ illæ D. Pauli voces, Religiosis tyronibus assiduò ingeminandæ. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum. &c.* Hanc hominis Religiosi, imò cujusvis Christiani metamorphosin opportunè exprimens Chrysostomus, *Oleaster,* inquit, *mutandus est in olivam, lupus in ovem, non naturæ de conversione, sed propositi. Non similiter factum in arcâ Noe, quæ animalia suscepit, & animalia conservavit. Ecclesia verò animalia suscipiens, eadem transformat. Accipiter in arcam introivit, accipiter exivit. Introivit in Ecclesiam quis accipiter, columba exeat necesse est. Introivit lupus, ovis egrediatur, agnus introivit, & exeat agnus, non transmutatâ naturâ, sed malitiâ exclusâ.*

[Margin: Religiosus. — Coloss. 3. — S. Chrysost. Hom. 3. de Pœnit.]

SYLVA.
CAPUT XL.

489. MUndi ac sensuum molestias, humano pectori nunquam non infestas, à sacrarum Litterarum studio procul fugari, Abbas Certanus sylvæ umbrosæ symbolo demonstrat, cum epigrammate, EXULTAT ÆSTUS. S. Gregorius; *O quam mira est profunditas eloquiorum Dei! libet huic intendere, libet ejus intima, gratiâ Duce, penetrare. Hanc quoties intelligendo discutimus, quid aliud, quàm sylvarum opacitatem ingredimur, ut in ejus refrigerio ab hujus sæculi æstibus abscindamur.*

[Margin: Studium sacrarum Litterarum. — S. Greg. Hom. 5. in Ezech.]

490. Idem in umbroso nemoris umbilico retia, avibus decipiendis tensa, depinxit; cum lemmate, VINCULA LATENT. Innuit videlicet, fœminarum ornamenta, mundumque muliebrem humanis cordibus implicandis proximas esse tendiculas. Isidorus Pelusiota. *Mulier, ornandi corporis nimis studiosa, atque ob eam causam in forum se conferens, aut per fenestras prospiciens, ut juvenes irretiat etiamsi conatu suo excidat, tamen perinde ac si cor irretiisset, condemnatur. Id enim omne, quod in ipsius potestate erat, effecit, ut quæ venenum miscuerit, & retia expanderit.*

[Margin: Muliebris venustas. — Isid. Pelus. l. 2. Ep. 289.]

491. Lucarinus Sacramentum Confirmationis Emblemate significaturus, sylvam depinxit, intra quam aliquot arborum corticibus incisa erant signa, cum lemmate; SERVANTUR SIGNATÆ. In rem præsentem D. Paulus; *Unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Et David, *Impinguasti in oleo caput meum, & misericordia tua subsequetur me.* Rursus Sanctus Paulus; *Nolite constristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* Unde etiam Apocalypsis eos ab omni nocumento liberos testatur, qui Angeli manu signati fuerint. Denique S. Hieronymus in illa Ezechielis verba commentatus, *Signa Thau super frontes virorum gementium,* ait, *Præcipitur sex viris, ut præter eos, qui possunt dicere, signatum est super nos lumen vultus tui Domine, cunctos interficiant.*

[Margin: Confirmatio. — 2 Cor. 1. 21. — Psal. 22. 5. — Ephes. 4. 30. — Apoc. 9. 3. — S. Hier. in Ezec. 9. 4.]

492. Celebris Academia Gelidorum Bononiæ, symboli universalis loco, complures arbores defrondatas præfert, addito epigrammate; NEC LONGUM TEMPUS. Veluti dicerent; tametsi initio fuissent exigui ac debiles, tempus tamen non adeò longum præteriisse, quo uberrimos operationum fructus, & insignes ingenii flores produxerant. Hoc scemate hominum sanctorum virtutes ac gloriam describi putes; quippe quæ nonnunquam è mundi oculis subductæ & occultatæ, non multò post splendorem suum, obstupescente mundo, rursus diffundunt. S. P. Augustinus; *Sic abscondita est apud Deum vita Sanctorum, ut, qui modo laborant in terra quasi tempore hyemis arbores, non habentes fructum, & folia novo sole exorto, illud quod in radice vivebat, in fructibus appareat. Licet castiget, flagellet, amet judicium, non derelinquet sanctos suos.*

[Margin: Virtus abscondita. — S. Augustin. Psal. 26.]

493. Multæ arbores, hyeme defrondatæ, dum flumini vicinæ, ab aquarum præterlabentium impetu concutiuntur ac inundantur, lemmatis loco hanc voculam inscriptam habent. PROSPERABUNTUR. Hinc disces, præsentis vitæ ærumnas futurâ cœli felicitate tantò majore compensatum iri. Id quod è primo Psalmo testatum fit, ubi Regius Propheta, de homine justo disserens, ait; *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur.* S. P. Augustinus; *Si aliquas vel insultationes vel tribulationes pro nomine Christi passus, non defeceris à fide, nec à bonâ viâ deviaveris, & majorem mercedem accepturus es.*

Calamitates felicitatem pariunt. *Psal. 1.* *S. Augustin. de Catech. rud. c. 25. & 27.*

494. Aliquot arbores, quæ aliquâ sui parte jam sunt defrondatæ, & adhuc foliorum reliquias identidem abjiciunt, epigraphen sustinent; MUTANTUR IN ANNOS. Idipsum sanè nostris moribus, habitibus, litteris, consuetudinibus, &, ut compendio dicam, rebus sublunaribus omnibus accidere solet; aliam quippe stabilitatem nullam habent, nisi quod stabilissimè sint instabiles. Horatius;

Mutatio. *Horat. in Arte.*

Ut sylvæ foliis pronos mutantur in annos:
Prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas,
Et juvenum ritu florent modò nata, vigentque.

Seneca, *Quid non mutationis periculo exceptum? Non terra, non cœlum, non totus hic rerum contextus, quamvis Deo agente ducatur. Non semper tenebit hunc ordinem, sed illum ex hoc cursu aliquis dies dejiciet.*

Seneca. apud Lipsium l. 2. Physiolog dissert. 20.

495. Lucus, nobilissimis arboribus, ut cypressis, Pinis, cedris, aliisque similibus consitus, gnomam è Lucano mutuam sustinet; NUNQUAM VIOLATUS AB ÆVO. Lucani verba sunt;

Lucan. lib. 3.

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo.

D. Carolus Ranc. hâc icone antiquam & incorruptam illustrissimæ cujusdam familiæ nobilitatem significabat. Idipsum de SS. Ecclesia dixeris, quæ inter hæresum turbidines non tantùm non violatur, sed incrementis identidem majoribus invalescit. S. P. Augustinus; *Ecclesia fructificat & crescit in universo mundo. Adhuc enim habet quò crescat, donec impleverit orbem.*

Nobilitas vetus. Ecclesia *S. Augustin. Ep. 80.*

TAXUS.
CAPUT XLI.

496. Taxus, spinis undique munita, quosvis, ipsius offendendi causâ propinquos, pungit; cum lemmate, LÆDENTEM LÆDO. Eos hoc Emblema spectat, qui, ad talionis leges conformati, quasvis injurias ulcisci solent. Quidam, Midias nomine, ingenti petulantiâ Diogeni colaphum incussit, cum dicto, *Tria millia tibi in mensâ posita sunt*; tantum enim pecuniarum mulctam pendere debuerunt ii, qui verberibus alios exceperant. At Diogenes alterâ die temerarium illum tenacissimis è corio flagellis reciprocè cædens, totidem verba admensus est, *tria minia tibi in mensâ posita sunt.* Atque adeò benè poterat dicere, *lædentem lædo.*

Vindicta. Par pari reddere. *Diog. Laert. l. 6. c. 2.*

497. Ajunt Taxum, naturâ suâ venenatum, nihil amplius nocumenti afferre posse, quando clavo transfixa fuerit. Unde Lucarinus illius truncum, clavo transfixum, hoc lemmate ornavit; INFIXO INNOXIA. Haud aliter Crux, ante hac formidanda, ac suppliciis destinata, postea quam Servatoris nostri clavis perforari cœperat, saluberrima evasit. Quid, obsecro, humanitas nostra ab ipso exortu suo est aliud, nisi spinea ac venenosa taxus? quæ tamen ipsa, si crucifixi clavis transfigi non renuat, summam innocentiæ ac sanctimoniæ puritatem induit. *Infige ergò*, S. Ambrosio cohortante, *pectori tuo, & cordi tuo hoc signaculum Crucifixi; infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint. Nihil in his criminis reviviscat, nihil erroris resurgat &c.*

Crux. *S. Ambr. Psal. 118 Octonar.*

498. Taxus, umbram plurimum nocivam spargens, à Carolo Rancato epigraphen recepit; DAT, ET INFICIT UMBRA. Ad verbum Ovidius;

Ovid. l. Metam.

Jamque puellari corpus candore ruborem
Traxerat, haud aliter, quàm si super atria velum
Candida purpureum similem dat, & inficit umbrā.

Prælati ac principes vitiosi malo suo exemplo homines, sub imperii sui umbram receptos, miserrimè inficiunt. S. Gregorius; *In hoc sæculo,* inquit, *potens quilibet, si fructum non habet operationis bonæ, etiam impedimentum præstat ceteris: quia quicunque sub ipso sunt, exemplo pravitatis illius, quasi umbrâ perversitatis ejus premuntur. &c.*

Prælatu[s] vitiosus. *S. Greg. H. 31. in Ev.*

TILIA.
CAPUT XLII.

499. Tilia ramos quidem & brachia explicat latissimè, gratam diffundit umbram, infestas arcet pluvias, odoriferis triumphat floribus: sed pomum aut pirum nec quidem unicum edit, à fructibus sterilissima: quidquid enim alimenti è terrâ trahit, in truncum, in ramos, in folia prodige consumit. Unde lemma; PULCHRA, SED STERILIS. Ita plurimos reperias homines opulentos, succi plenos, auro validos, qui amplas fundunt radices, brachia diducunt, comas jactant, sumptuosè vivunt; sed misericordiæ fructus in eis quære, & nullos invenies. Nabal copiosus & locuples, sibi ipsi benignus & liberalis, immitis fuit aliis. Regum fasti de eo sic loquuntur; *Et ecce erat ei convivium, quasi convivium Regis, & cor Nabal jucundum.* Cùm autem David, insidias Saulis fugiens, à Nabale sibi suisque copiolis non aliquot plaustra vino & panibus onusta posceret, sed modestissimè, *quodcunque invenerit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David.* Hic Nabal elato supercilio: *Tollam ergò panes meos*, inquit, *& aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio unde sint.* Ita nec unicum panem, nec vel sextarium vini dedit. Ea res Deo supra modum displicuit. *Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* Hoc opulentæ tenacitatis præmium fuit. Animo fidentissimo dixit S. Hieronymus; *Non memini, me legere, malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores, & impossibile est, multorum preces non exaudiri.* Grandius quid Tobias dixit; *Elemosyna ab omni peccato liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

Avariti[a]. *1. Reg. 25.* *S. Hieron. Nepotian.* *Tob. 4. 11.*

500. Tilia altissimas radices agit; tantoque sublimius extollit ramos, quantò profundius demittit in terram fibras. Lemma; HOC ALTIOR,

QUO

Humilitas extollit. QUO PROFUNDIOR. Humilitas hoc schema est, quæ hominem tantò extollit altius, quò magis ad ima deprimitur. S.P. Augustinus; *Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.* S. Augustin. Tract. 104. in Ioan.

TRVNCVS.

Cap. XLIII.

501. TRuncus, ramis omnibus destitutus, illa Principis Hussæi verba lemmatis loco præfert; HABET SPEM. Aut, si jamjam in frondes se effundat, hoc Virgilii hemistichon subscribito; FRONDE VIRERE NOVA. Iis hanc effigiem propriam dices, qui calamitatibus detenti, ad meliorem fortunam emergere sperant. Non abs re tamen icone istâ etiam mortuos, olim ad vitam revocandos, significare licet. Jobus; *Lignum,* inquit, *habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cùm primum plantatum est.* Et Minutius Felix; *Vide quoniam in solatione nostri resurrectionem futuram omnis natura meditatur: sol demergitur & renascitur: astra labuntur & redeunt: flores occidunt & reviviscunt: post senium arbusta frondescunt, semina nonnisi corrupta reviviscunt.*

Virgil. 6. Æneid v. 206 Spes. Resurrectio. Job. 14. 7 Minut. Felix Octavio.

502. Victores olim arma, sive propria, sive à devictis hostibus recuperata, è trunco, frondibus & frugibus destituto, suspendere solebant. Unde è Serenissimis Sabaudiæ Ducibus nonnemo truncum, armis onustum, hoc Juvenalis epigrammate distinxit; SPOLIATIS ARMA SUPERSUNT. Animum hæc imago demonstrat, etiam inter violentos hostium incursus generosum. Et certè, qui bonis suis injustè spoliatur, vix aliud malo suo remedium habet, nisi arma & vindictam. Ovidius;

Desperatio. Ovid.

- - - - -Dum peiora timentur,
Est locus in voto. sors autem ubi pessima rerum est,
Sub pedibus timor est, securaq; summa malorum.

Et Horatius;

Horat. l. 3. Carm. Od. 24. Juvenalis Sat. 8.

Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis & facere, & pati.

Omnium tamen optimè Juvenalis, è quo Emblematis inscriptionem mutuavimus;

Curandum imprimis, ne magna injuria fiat;
Fortibus, & miseris tollas licet, quod usquam est,
Auri, atque argenti; scutum, gladiumque relinquens,
Et jacula, & galeam, SPOLIATIS ARMA SUPERSUNT.

Cæterùm, Historicum hâc de re successum desiderans, Ælianum consulat lib. 14. Var. Hist. cap. 24.

503. D. Didacus Saavedra trunco, compluribus trophæis onusto, inscripsit; ALIENIS SPOLIIS. Eoque innuere volebat, gloriam, hæreditario jure à parentibus & nobilitate in nos derivatam, minimè sufficere debere, sed insuper veram gloriam propriis nostris meritis ac virtutibus investigandam esse. Cassiani sententiâ, *Si inveteratæ & per genus ductæ divitiæ nobilem faciunt, multo magis præstantior est nobilitas, cujus origo thesauris prudentiæ locuples invenitur. Emblematis hujus gnoma illum cumprimis spectat, qui, veluti Æsopi corvus, pennis emendicatis superbus, & alienis sumptibus locuples incedit.* Opportunè Juvenalis;

Proprius valor. Cassian. l. 3. Instit.

Juvenal. Sat. 3.

Hic ultra vires habitus nitor, hic aliquid plus,
Quam satis est, interdum alienâ sumitur arcâ.
Commune id vitium est, hic vivimus ambitiosâ
Paupertate omnes.

504. Petrus Medices, filius Laurentii, Ducis Urbini, Emblematis loco quatuor truncos virides, in tetragonum dispositos, succensosque, hoc lemmate donavit; IN VIRIDI TENERAS EXURIT FLAMMA MEDULLAS. Medullâ autem tenellæ arboris consumptâ, ante tempus exarescit. Ita prorsus, qui in adolescentiâ cupiditatibus ac libidine exuruntur, plerumque vitam & corporalem & spiritualem immaturè perdunt. S. Hieronymus; *Sicut ignis in lignis viridibus suffocatur, ita sapientia in adolescentia, tentationibus & libidine impedita, non explicat suum fulgorem, nisi labore, & studio, & oratione incentiva juventutis intra repellantur.* Libido in Juvene. S. Hieron. Ep. ad Nepot.

VITIS. UVA. VINUM.

Cap. XLIV.

505. VItis, uvis necdum maturis onusta, epigraphen tenet; SESE MELIORIBUS OFFERT. Promittit videlicet, se temporis successu fructus longè suaviores facturam. Ita Juvenis, re ipsâ virtuosus, magnam grandium olim virtutum spem edit. S. Cyprianus; *Sicut fructus non invenitur in arbore, in quâ flos prius non apparuerit, sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentiâ disciplinæ alicujus exercitatione non laboravit.* Horatius; Profectus. S. Cypr. de 12 Abusion. Horat. l. 1. Ep. 2.

--- ---Adhibe puro
Pectore verba puer, nunc TE MELIORIBUS OFFER.

506. Uxor quædam, defuncto marito, vitem pingi fecit, ex ulmo, quo nitebatur delapsam, cum lemmate; NON SUFFICIT ALTER. Eundem planè affectum S. Bernardus in Maria Virgine deprehendit, quæ ob sanctissimi Filii sui mortem acerbissimè afflicta, parum vel omninò nihil solatii, quin imò tormenti plurimum ceperat, quando in vicem moribundi filii optimum Joannem Apostolum sibi proponi inaudiit. Unde os illud Mellifluum, oratione ad Deiparam conversâ, *Annon,* inquit, *tibi, ô virgo plusquam gladius fuit sermo ille reverà pertransiens animam tuam. Mulier ecce filius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur: servus pro Domino, Discipulus pro Magistro, homo purus pro Deo vero. &c.* Vidua derelicta. Maria V. supra Calvariæ montem. S. Bern. in signum Mag.

507. Hominis derelicti symbolum vitis est, quæ humi prostrata, inscriptionem reddit; NON HA' DOVE S' APPOGGI. Id est, JACET, DUM STIPITE CARET. Ad verbum Ariostus. Homo derelictus. Ariost. st. 9. Canto 10.

Sareste come inculta vite in orto;
Che non hà palo, ove s'appogi, ò piante.

Eadem miseria compluribus litteratis accidit, quos propria præstantia vix quidquam juvat, si Magnatum adminiculo destituantur. Justus Lipsius; *Ut vitis jacet, nec fructum fert, nisi ad stipitem aut arborem applicata, vix etiam litterati, nisi gratiâ & favore Magnatum subnixi.* Christus tamen, appositissimè ad hoc symbolum, instar pendentis vitis, omnium ope destitutus inter mortis suæ tormenta erat. Ut adeò bene de se ipso dixerit, *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Iust. Lipsius Centur. ad Belg. Epist. 1. Christus in passione. Luc. 9. 58.

508. Vitis, naturâ suâ debilis, anxiè desiderat ulmum, cujus vertice nixa, sublevari, & solaribus radiis propinquior, dulcissimos fructus suos procreare possit. Unde vitem, humi repentem, hoc lemmate instruxi; DESIDERAT ULMOS. Verbis è Juvenale mutuatis; Iuven. Sat.

Stratus humi palmes viduas DESIDERAT ULMOS.

Juventus. Sanè Juventuti, naturâ suâ ad vitium proclivi, morum & virtutum Magistro unicè opus est, ut hujus præceptionibus sustentata, versus cælum ad suavissimos virtutum fructus producendos evehatur. Nam, è D.Cypriani Ethicâ, *Adolescens sine obedientiâ, adolescens sine disciplinâ est.* S. Cypr. de 12 abusion.

509. Quædam puella, donec nuptui collocaretur, assiduò suspirans & inquieta, se ipsam viti similem dixerat, quæ supra terram repens, ulmo sustineri cupit; cum lemmate, JUNCTA QUIESCAM. Matrimonium. Anima nostra nullibi aliàs quiescere potest, nisi Divinis brachiis sustentata. *Fecisti nos ad te Domine, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Quies in Deo. Exclamabat non sine intensissimo in Deum suspirio Magnus Augustinus. S. Augustin. l.1. Confess. c. 1.

510. Tenella vitis, ulmo nixa, epigraphen sustinet; VIX NATA SUSTINEOR. Providentiam illam prorsus paternam, ac supremam beneficentiam hoc symbolo demonstrabis, quâ Deus miseros mortales jam ab ipsis incunabulis liberalissimè sustentat. Protectio Divina. David id ingenuè confessus, dicebat; *In te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus.* Psal. 21. 11. Et rursus; *Suscepisti me de utero matris meæ.* Ps. 138. 13. Certè pueritia, instar vigorosæ, ac tenellæ vitis, inter obvia quævis flagitia luxurians, celerrimè, & ab ipso ætatis suæ exordio cupit prudentis cujusdam Magistri humero sustineri, ut ulmi munere defunctus, eam ab interitu vindicet. Pueritia. S.Hieronymus Lætam de recens editâ Paulâ benè educandâ instituens, *Igitur*, inquit *quæ de repromissione nata est, dignam habeat ortu suo institutionem parentum. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. &c.* S. Hieron. ep. ad Lætam. Et Plato; *Multis quasi frænis constringendus est puer, & cùm primum à Matribus nutricibusque sejungitur, Pædagogis continuo tradendus est, qui ejus lasciviam regant atque doment. &c.* Plato l. 7 de Legibus.

511. Scipio Bargalius Sponsam, recens nuptam, ac conjugi suo propinquam, Emblemate significaturus, vitem depinxit, ulmo vicinam, cum lemmate, SUFFULTA FÆCUNDA. Adhærentia. In hanc rem quoddam Catulli epithalamium; Catull in Epith.

Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvā,
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluêre juvenci:
At si fortè eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci.

David omnem suam felicitatem ex eo profluxisse confessus est, quod Deo adhæserit; *Mihi autem*, inquiebat, *adhærere Deo bonum est, quia*, interprete Magno Augustino, *Si non manebo in illo, nec in me potero. Ille autem in se manens innovat omnia.* Psal. 72. 28. S. Aug. l. 7. Conf. c. 11.

512. Vitis recens, ac pampinis gravida, dum aridam ulmum complectitur, epigraphen tenet; ET ARIDA TECUM. Hoc symbolo, si Alciato fidem habeas, *Amicitia, post mortem durans,* significatur. Amicus verus. Alciatus Embl 160. Similem amicitiam, etiam à morte perstituram, Mecœnati suo promiserat Virgilius; Virgil. ad Mecæn.

Et decet, & certè vivam tibi semper amicus,
Nec tibi, qui moritur, desinet esse tuus.
Ipse ego, quidquid ero cineres interque favillas,
Tunc quoque non potero non memor esse tui.

Eodem argumento Sapiens; *Omni tempore diligit, amicus.* Prov. 17. 17. Et Horatius; Horat. l. 1. Ode 13.

Felices ter, & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsus querimoniis,
Supremâ citiùs solvet amor die.

513. Vitis, sine fulcro, humi strata, epigraphen reddit; ADHUC VIRESCO. Ita generosus hominis animus, tametsi afflictus, & omnium ope destitutus, nunquam virtutis ac meriti sui virorem abjicit. Generosus. Tales se exhibuêre Jobus in sterquilinio: Tobias, cæcitatis tempore; Paulus inter assiduam gravissimorum cruciatuum tolerantiam. Hunc magnanimi pectoris virorem, etiam inter adversissimos incursus conservatum, in Cajo Mario cernere erat, cujus pater, Aurelius Victor, ita de illo refert; Aurel. Vict. *Sullanis armis oppressus, post Minturnensem paludem inventus, & in carcerem conjectus, immissum percussorem Gallum vultûs authoritate deterruit, acceptaque naviculâ, in Africam trajecit, ibi diu exulavit; mox Cinnanâ dominatione revocatus, ruptis ergastulis, exercitum fecit, cæsisque inimicis, injuriam ultus, septimo consulatu, ut quidam ferunt, voluntariâ morte decessit.* Eadem omninò ratione sublimia ac præclara ingenia, licet instar vitium, omni virtutis amatore, cui innitantur, penitus careant; Litteratu[s] derelictu[s]. adhuc tamen, quamlibet neglecti, operum suorum excellentiâ, famæque claritate, æternum virescunt, pretiosissimos eruditorum voluminum fructus producunt. Ovidius, se ipsum solatus, cecinit; Ovid l. 3. de Trist. Eleg.

En ego cùm patriâ caream, vobisque, domoque
Raptaque sint, adimi quæ potuêre mihi.
Ingenio tamen ipse meo comitorque, fruorque,
Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.

514. Fuit qui vitem, humi stratam, hoc Virgilii lemmate insigniret; OPIS INDIGA. Virgil l. 2. Georg v. 4 Juventutis propria hæc idea est, quæ è terrâ, ad virtutum fructus producendos sublevanda, aliorum præceptionibus, ac crebrâ Magistri industriâ unicè opus habet. Justus Lipsius. *Ut viti pedamentis quibusdam OPUS EST, ne jaceat; sic Juventuti monitis, NE CADAT.* Justus Lips. Dialog. de rectâ pronunt. Et Plato, *Primâ luce pueri in ludum litterarium proficiscantur. Quoniam verò nec pecudes neque ullum animal sine custode vivere debet, neque pueri etiam sine Pædagogis, neque sine Dominis servi. Idcircò multis quasi frænis constringendus est puer. Deinde Præceptoribus commendandus est ad eas disciplinas discendas, quæ liberum hominem decent.* Plato l. 7. de Legib.

515. Vitis, celso quodam fulcro sustentata, in ingentem altitudinem excrescit; quin imò quo sublimiore ulmo nititur, tantò major evadit. Exempl[um]. Unde meo judicio, vilis, coliculis suis sublimem ulmum amplexata, hoc lemmate notetur; QUO ALTIUS FULCIMENTUM. Educati[o]. Hinc colligere licet, filios ac discipulos in virtutis palæstrâ tantò amplius progressuros, quantò Majorem suorum exemplum sublimius fuerit. Sanctus Basilius; *Exemplis veterum hominum, beatorumque sensus nostros in sublime erexit, neque permisit in humum nos esse dejectos, ac dignos esse, qui conculcemur, ut jugi affectu sursum versus feramur, & quasi scansiles arbustivæ vitæ, nos ipsos adæquemur sublimium fastigiis arborum.* S. Basil. hom. hexamer.

516. Bargalius S. Josephum, Virginis Deiparæ Sponsum, ulmi Emblemate repræsentavit, quæ vitem sustinens, epigraphen tulit; TANTUMMODO FULCIMENTUM. S. Josephus. Idipsum, Sancto Clemente Alexandrino teste, de doctrinis Evangelicis pronuntiare licet; Prædicator. hæ enim, quamlibet naturâ suâ validæ ac fructuosæ, sacros Oratores

S. Iren. Alex. ad Lipsium Annud. l. 1. dissert. 3.

tores omninò requirunt, quorum operâ in orbis conspectu sustineri, ac malevolorum sophismata reprimi queant. *Etsi ipsa sibi sufficit*, inquit, *nec opis alienæ eget doctrina Servatoris, cùm sit potentia & sapientia ipsius Dei: tamen philosophia si accessit, non quidem validiorem facit veritatem, sed sophisticos insultus ab eâ amolitur, & insidias omnes avertens, sepes, & lorica est Dominicæ vineæ.*

Calamitas utilis.

In. 11. 2. S. Greg. in hunc loc.

517. Humoristæ Cortonenses vitem putatam hoc lemmate ornarunt; RECISA FOECUNDIOR. Perspicuè S. Joannes, *Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, UT FRUCTUUM PLUS AFFERAT.* Hunc locum interpretatus S. Gregorius, ait; *Palmes fructuosus purgari dicitur, quia per disciplinam RECIDITUR, UT AD UBERIOREM GRATIAM PRODUCATUR.* Videlicet, calamitates quibusvis fidelibus aptissima instrumenta præbent ad amplissimos in virtute progressus faciendos.

Paupertas voluntaria.

Ennod. ad Steph. Sum. Pontif.

518. Bartholomæus Rossus vitæ putatæ inscripsit; SPOLIATA DITIOR, & alius; PAUPERTATE FERACIOR. Eos hæc epigraphe describit, qui vel inter persecutiones proficiunt; vel eleemosynis erogatis, aut abjectis quibuslibet bonis terrenis, ad æternas opes perveniunt. Ennodius ad Stephanum, Pontificem Maximum scribit; *Sola pietatis lucra, quæ vobis de liberalitate nascuntur, qui divitias, dum tribuitis, accipitis. Avara est dispensatio sanctorum, quæ nil reservando, universa proprium reducit ad meritum. Nulla sunt potiora, quæ vobis eveniunt DE LARGITATE COMPENDIA.*

Calamitas utilis.

S. Ambros. l. 3. Hexam. c. 12

519. Vitem, à falce incisam, hoc lemmate loquentem sistunt; VULNERE DITIOR. Quia verò post putationem lachrymari, ac dein gemmascere solet, idcircò alius inscripsit; GEMMAT POST GEMITUS. Innuit videlicet, è calamitatum vulneribus nostros in virtute progressus plurimùm promoveri. Prolixè argumentum hoc expendens S. Ambrosius, de vitium culturâ ait; *Quemadmodum vitis circumfoditur, inde reciditur, ac religatur, ut erigatur, pullulet, propagetur, florescat, emittat germina, uvæque maturescant, & vinum suave reddat: ita anima à Deo foditur contritione, reciditur tribulatione, religatur charitate, erigitur spe, ut pullulet sanctis desideriis, propagetur eorum studio, florescat gratiâ, emittat opera sancta, maturescat perseverantia, & reddat fructus, vita æterna condignos.* Et S. Cyprianus; *Mors magis deducit ad gloriam; sic quoties ferro vitis abscinditur, erumpentibus pampinis melius uva vestitur.*

Cyprian. de laudibus Martyrii.

Ovid. l. 9. Metam.

Ecclesia.

520. Vitis, quo magis ferri acumine incisa, eò majore fructuum copiâ ingravescit. Proinde à Rancato epigraphen ex Ovidio desumptam cepit; VULNERIBUS FÆCUNDA SUIS. Sanctam Ecclesiam his coloribus afficere licet, quæ, quanto acerbiore gentilium tyrannide excruciata, tanto uberiores ac feliciores gratiarum, virtutum, & victoriarum fructus peperit. S. P. Augustinus; *Ecclesia Catholica, per totum orbem diffusa, impetus paganorum, Judæorum, hæreticorum prioribus temporibus frangens, magis roborata est non resistendo, sed perferendo. Nunc verò insidiosas eorum quæstiones fide irridet, diligentia discutit, intelligentia dissolvit.*

S. Augustin. de agone Christi c. 24.

Plutarch. apud Muretum l. 8. Var. lect. c. 24.

521. Plutarchus de Dejotaro Rege testatur; *Ei plures fuisse filios; quorum cùm ipse uni relinquere omne patrimonium suum cuperet; quo id facilius efficeret, cæteros omnes manibus suis trucidavit: vinitorum exemplo, qui, cùm vitis aliqua plures emiserit surculos, unum modò ex eis relinquere, alios amputare consueverunt, ut is, qui relinquitur, major & robustior fiat.* Unde Joannes Orozcus, illius, aliorumque similium tyrannidem Emblemate significaturus, vitem depinxit, quæ omnibus suis coliculis, præterquam uno, destituta, epigraphen habuit; UNIUS COMPENDIUM MULTORUM DISPENDIUM. Hæc imago Emblemati illi affinis est, cui Alciatus hunc titulum præfixit, *Opulentia tyranni, paupertas subditorum.*

Monarchia.

Fiscus.

Alciat Embl. 147.

Religiosus.

Virtus.

522. Memini, me vitem, hoc lemmate insignem vidisse; VINCTA FERACIOR. Hoc symbolo vel hominem religiosum significabis, qui votorum ligamine constrictus, uberrimos virtutum fructus enititur: vel animam gratam, Mecænati suo inter beneficiorum vincula nunquam non copiosè respondere solitam; vel denique virtutem Christianam, à tyrannorum crudelitate arctissimè quidem vinctam, assiduis tamen, ac indefessis virtutum passibus ad cælos progredientem. Unde S. Cyprianus; *O pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur! ô pedes ad præsens in sæculo ligati, ut sint semper in cælis apud Deum liberi.*

S. Cyprian. ep. 72.

523. D. Alexander de Cuppis, Canonicus Regularis, vitem putatam, & lachrymantem, hoc epigrammate ornavit; UT MERO GAUDEAM. Sensû haud absimili canit Venantius Fortunatus;

Venant. Fort. l. 1. Carm. 9

> *Caudice desecto lachrymat sua gaudia palmes;*
> *Unde merum tribuit, dat modò vitis aquam.*

Huic consonat Angelus Politianus;

> *Mira lavità le, che a capo chino*
> *Acqua hor distilla; per versar poi vino.*

Mens Emblematis est, æternam felicitatem nonnisi post lachrymas & angores obtentum iri. *Sicut enim mundi gaudium tristitiæ consortio copulatur, ita etiam,* inquit S. Joannes Chrysostomus, *secundùm Dominum, lachrymæ jugem pariunt, certamque lætitiam.* Et idiota; *Scio quod post culturam sequitur vindemia, & post afflictionem lætitia.* Christo Servatori id credes; *Plorabitis & flebitis vos, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Atque adeò mortales, instar vitis incisæ, brevi temporis intervallo lachrymas ex oculis stillabunt, postea cum uvâ, vino plenâ, utpote genuino veræ felicitatis symbolo, æternum gavisuri.

Calamitates felicitatem pariunt.

S. Io. Chrys. super verba, Gaudete in Domino semper per Philipp. 4.

Idiota l. 2. de vera pat.

524. Fuit, qui viti lachrymanti inscriberet. VERTETUR IN GAUDIUM. Lemmate, ut superiore numero diximus, è S. Joanne mutuato. Mens Emblematis est, lachrymas, è pœnitentum cordibus ac oculis profusas, in amœnissimæ, æternæ beatitatis vindemiam desinere. S. Ambrosius, de Davide disserens, ait; *Potum cum fletu miscebat, ut vespertinis lachrymis matutinæ sibi lætitiam redemptionis acquireret. Unde igitur plurimum gaudere meruit, nisi quia plurimum flevit, & tanquam lachrymarum pretio suarum futuræ sibi gloriæ gratiam comparavit?*

Ioan 16. 20.

Lachrymæ lætitiam pariunt.

S. Ambr. l. de viduis.

525. Vitis à Græcis [illegible], id est, vitis recta cognominata, se ipsâ sustentatur; nullius pali adminiculo indiga. Unde lemma; SE SUSTINET IPSA, Virtus; nullâ opis alienæ necessitate duci solita, hoc Emblemate demonstratur. Benè Tullius dixit; *Virtus ad beatè vivendum se ipsa contenta.* Et Achilles Bocchius;

Virtus.

Cicero l. 5. de Fin.

Achill. Bocch. symb. 65

> *Semper enim virtus sufficit ipsa sibi.*

Seneca; *Is beatus, quem nulla res minorem facit, tenet summa, & ne ulli quidem, NISI SIBI INNIXUS. Nam qui aliquo auxilio sustinetur, potest cadere.*

Senec. Ep. 92. sub initium.

526. Coliculus vitis, etiamnum tener ac recens, epigraphen sustinet; DURESCENS FRUCTIFICAT. Enimverò gloria, veluti propriissimus meritorum nostrorum fructus, non quidem ceptæ tantum, sed continuatæ virtuti respondet. Neque in, qui durant, sed qui in patientiæ vinea obdurescunt, æter-

Perseverantia.

Patientia.

nam mercedem assequuntur. E languido illo id disces, qui nonnisi post triginta & octo annorum spatia corporis & animæ salutem consecutus est. Ut adeò benè dixerit David; *Patientia pauperum non peribit in finem.* id est, interprete S. Joanne Chrysostomo, *Nunquam peribit, sed proprium fructum omninò recipiet.*

Psal. 9.19. S. Io. Chrysost. in hunc loc.

527. Vitis veterna, traducibus ac virescentibus surculis infra terram propagata, à Bargalio epigraphen recepit; EX INTIMO SUI SURGIT. Vel certè, REDIVIVUM SURGIT. Parentem, senio confectum, hæc idea concernit, qui teneram prolem, è visceribus suis progenitam, haud aliter intuetur, ac vitam sibimet recens concessam & innovatam: filii quippe nihil sunt aliud, nisi viscera patris, & ipsissima ejus imago. Unde Siracides; *Mortuus est Pater, & quasi non est mortuus, similem enim filium reliquit post se.* Et Nicetas; *Omnis filius patris sui tacita ratio & definitio est.*

Filius Patris senis. Eccles. 30.4. Nicet super Orat. 43.8. Greg. Naz.

528. Vitis, humo condita, epigraphen reddit; RENOVATA VIREBO. vel, INNOVATA RESURGET. Christum sepultum hâc icone afficeris, cujus ore Regius Propheta ait; *Caro mea requiescet in spe.* Et rursus, *Refloruit caro mea.* In hunc locum Cassidorus; *Benè autem dixit, refloruit caro mea, quia & primo floruit: quippe quæ ex Virgine sine peccato tanquã pulcherrimi floris singulare decus emicuit. Refloruit ergò, significat resurrexit: quasi in æthereas auras admirabili decore prorupit.* Et Anonymus; *Iste flos campi, & lilium convallium in morte deperisse videtur, quia omnis ejus pulchritudo periit, in tantum, ut Propheta de ipso dicat Isa. 53. Vidimus eum, & non erat ei aspectus. Refloruit autem caro Christi, quando per resurrectionem immortalis & gloriosa surrexit.*

Christus sepultus. Psal. 15.9. & 27.7. Cassiod. in hunc loc.

529. Pius IV. coliculum vitis amplissimè propagatum, hoc epigrammate insignivit; NON DEGENER; forsan significaturus, suam in operando dexteritatem à gravissimâ illâ existimatione nihil degenerare, quâ purpuratorum Patrum Senatui causam præbuit, sui ad Summi Pontificatus apicem sublevandi. Vel certè innuere voluit, tametsi filii & nepotes frequenter à Magnatum & progenitorum virtute degenerent, uti Spartanius his omninò verbis testatur, *Constat neminem propè magnorum virorum optimum & utilem filium reliquisse.* Idque è Ciceronis, Augusti, Scipionis, Catonis, Trajani, aliorumque filiis confirmat; Pium IV. tamen insignem Mediceæ familiæ magnificentiam, æquitatem, generositatem, liberalitatem, religionem, beneficentiam, cæterasque virtutes omnes, veluti hæreditario jure congenitas habere, easque tanti stemmatis dignissimam sobolem, non sine amplissimo orbis Christiani incremento, excercere. S. Cypriani hâc de re monitum est; *Si Dominus nobis & Pater Deus est, sectemur patientiam Domini pariter & Patris: quia & servos oportet esse obsequentes, & filios NON decet esse DEGENERES.* Cæterum in sinistro sensu iconem istam de Hebræorum populo intelligere licet; sicuti enim germina à trunco suo nihil degenerant, ita gentis illius posteri, protoparentum suorum vitiis conformes, flagitia, à Majoribus patrata, studiosissimè sunt imitati *Sicut patres vestri, ita & vos*, inquiebat non sine zelo S. Stephanus.

Non degenerare. Spartan in vita Alex. Severi. S. Cypr. tract. de bono patientiæ. Populus Hebræus. Act. 7.51.

530. Symboli loco vites depinxi, propè rivuli aquam plantatas, cum lemmate; LÆTITIÆ, NON TEMULENTIÆ. dicere volebam, quibusvis animi gaudiis temperiem ac moderationem affundi debere. In hanc rem S. P. Augustinus; *Vinum Deus nobis AD LÆTITIAM cordis, NON AD EBRIETATEM donavit, bibamus ergò, non quantùm gula exigit, sed quantum necessitas postulat.*

Moderatio. S. Augustin. l. de salutar. document.

531. Eandem omninò agendi rationem nobiscum observat Deus, atque vinitor cum vitibus; hic enim vitem, NE SYLVESCAT, crebrâ & acutâ falce circumcidit. Certè Deus congenitam vitiorum luxuriem ac sterilia fruteta è pectore nostro amputaturus, assiduam ei incidendo operam impendit. Optimè S. Clemens Alexandrinus; *Sylvescit vitis, nisi putetur, ita & homo: eorum autem, qui peccant, increpatio habet scopum salutem, Deo se concinnè applicante pro cujusq; moribus.* Quin imò, S. Cæsario cohortante, nobis ipsis vitiosa affectuum ac cupiditatum germina è corde præscindere incumbit, ne anima, virtutum fertilitate destituta, in vanos ac immoderatos scelerum coles excrescat. *Quomodo*, inquit, *in vita tua totos superfluos palmites amputas, & duos, aut tres, qui sunt legitimi, derelinquis: sic & in anima tua omnia desideria, quæ res alienas malè respiciunt, & pessimè concupiscunt Spiritus sancti gladio, & crucis falce debes incidere.*

Calamit. utilis. S. Clem. Alex. Pæd. l. 2. c. 8. Mortificatio. S. Cæsarius hom. 20. de cura anim.

532. Joannes Orozcus, Emblematis loco, osseam mortis compagem, ad vitis cujusdam radices jacentem, pinxit; cum lemmate, EN LA MUERTE ESTA' LA VIDA. Id est, IN MORTE VITAM. Ita nimirum præsentis vitæ calamitates æternam vitam pariunt. S. Cyprianus id perspicuè testatus, ait; *Mors quippe integriorem facit, mors magis deducit ad gloriam.* Unde ubi in sacris litteris legimus, *Sapientia immolavit victimas suas*, seu ut septuaginta vertunt, *Jugulavit filios suos*, Tertullianus traducit, *Sapientia filiis vitam inspirat.* Veluti spiritus nostri vita non aliunde adveniret, nisi è mortis & occasûs visceribus.

Calamit. utilis. S. Cypr. de laud. Mart. Prov. 9.2.

533. Idem Orozcus in alio Emblemate mortis simulachrum statuit, quod inter coliculorum propagines, è recenti vite pendulas, collocatum, epigraphen tenebat; EN LA VIDA ESTA' LA MUERTE. Id est; MORS IN VITA. Innuebat videlicet, præsentis vitæ felicitatem nonnisi deploranda fastidia, gravissimas ærumnas, & vitæ epilogum manere. Ut adeò Lotharius I. symbolo suo non abs re hos characteres incidi fecerit; *Ubi mel, ibi fel.* Plutarchus, *Lubrica res*, inquit, *est admodum valida corporis constitutio: & corpora, ubi ad summum provecta sunt vigorem, non consistunt, sed momento in contrarium impelluntur.* Et Plautus;

Felicitas miserabilis. Plut. in Sympos. l. 5 q. 7. Plaut. in Amph.

- - - Ita comparatum
Est in ætate hominum, ita Diis placitum, voluptati ut mæror
Comes consequatur: quin incommodi plus, malique illicò
Adsit, boni si obtigit quid

534. Nonnemo mortuum Emblemate significaturu, vitem expressit, cujus coliculus in terrâ sepultus, epigraphen tulit; UT ABUNDANTIUS HABEAT. Veluti dixisset, mortem, putredinem, ac interitum verissima æternæ vitæ instrumenta esse. Explicatè Tertullianus; *Reverà fænore, injuria, & interitu, usura & lucro, damno semel dixerim universo conditio recidiva est. Omnia in statum redeunt, cùm abscesserint, omnia incipiunt cùm desierint; ideò finiuntur, ut fiant, nil deperit, nisi in salutem.*

In morte. Iactura utilis. Tertull. l. de Resurrecti. carnis c. 12.

535. Vitis, ulmo nixa, vicinam falcem habet, cum lemmate, DISCINDITUR, NON DISSOLVITUR. Lucarinus hanc veri amici effigiem interpretatur, qui malignioris fortunæ violentia potest quidem à corporeâ socii sui consuetudine avelli; id tamen impediri nequit, quin pristinum amorem & affectum conservet. Teste S. Gregorio Magno, *Amissio felicitatis interrogat vim dilectionis: nec prosperitas quippe amicum indicat, nec adversitas inimicum celat.* Paulinus canit;

Amicitia vera. S. Greg. in moralib. Paulin. ad Ausonium.

Toto

---Toto licet abstrahar orbe, vel ævo,
Non animo divisus agam, prius ipsa recedet
Corpore vita meo, quàm vester pectore vultus.

536. D. Aresius symboli loco vitem expressit, quæ pretiosis botris locuples, ac palo sustentata, inscriptionem prætulit; ONUS LEVE. Si iconis Oedipum agere liceat, haud abs re dixerim, in vite Mariam Virginem, in botro Jesum infantem, & in palo S. Josephum significari; hujus enim adminiculo tam suavissima Mater, quàm dulcissima proles nitebatur. Meritò proinde de illo exclamat S. Bernardus; *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium!* Cæterùm mentem suam hâc poesi vernaculâ explicat Emblematis Author.

[S.] Josephus.

Bern. hom. super Missus.

Di vite verdeggiante il dolce peso
Sostien senza fatica arido legno,
Ne da suoi casti abbracciamenti offeso
E del figlio di lei caro sostegno.
Dolce impresa d'Eroe, che al collo appeso
Il bambino Giesù portar fù degno:
E la Madre di lui tenersi à canto,
Seco congiunta in matrimonio santo.

537. Vitis, post putationem lachrymari solita, epigrphan tenet; IN LACHRYMIS FERACIOR. Vitis enim, humoribus illis exonerata, uberior evadit, & ad suavissimos fructus proferendos plurimum disponitur. Haud aliter anima peccatrix, è contritionis vulnere ad lachrymas fundendas parata, in virtutibus generandis summam ubertatem sortitur: uti videre est in S. Petro pœnitente, in S. Magdalenâ contritâ, in S. P. Augustino recens ad Deum converso, aliisque innumeris. Opportunè S. Petrus Damianus; *MOX, inquit, UT LACHRYMÆ, ex munere intimi inspectoris, ERUPERINT, protinus ANIMA REVIRESCIT, torporis ignavi frigore solvitur; & tanquam arbor verna, austri fomite recalescens, redivivo virtutum suarum flore vestitur.*

[L]achrymæ

Pet. Dam. opusc. 13. c. 4.

538. D. Octavius Boldonus vitem, sub signis vernis germinantem, hoc lemmate insignivit; NATIVO HUMORE RUBESCAM. D. Cæsarem Montium, Pontificis Maximi in Hispanias Oratorem, hæc imago spectabat, cujus meritis sacra purpura, postea ab Urbano VIII. unà cum Archiepiscopo Mediolanensi dignissimè collata, jam tum debebatur. Porrò sanctorum Martyrum hæc imago est propria, qui proprio sanguine, ceu purpurâ, insigniuntur. Nam teste Magno Augustino, *Martyres jam evaserunt, & in exultatione cum Christo sunt recepturi corpora jam incorrupta, eadem ipsa, quæ primò erant corruptibilia; in quibus passi sunt pœnas, inde illis fient ornamenta justitiæ.*

[P]roprius calor.

[M]artyres.

[S.] August. in [P]ræf. in [P]s. 123.

539. Idem viti defrondatæ inscripsit; ALTIUS HÆRET VIGOR. Illos ex hâc ideâ dignoscere licet, qui, facultatibus, aliisque terrenis bonis omnibus miserrimè deperditis, invictum ac magnanimem spiritum conservant. Seneca; *Stilicon, captâ patriâ, amissis liberis, amissâ uxore, cùm ex incendio publico solus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, num quid perdidisset; omnia, inquit, bona mea mecum sunt. Ecce vir fortis, ac strenuus. &c.*

[A]nimus intrepidus

[S]eneca Ep. 9

540. Vindemiâ peractâ, & uvis è vite sublatis, mox hæc, quæ, paulò antè tot frugibus gravida, sponsam repræsentabat, monilibus, topaziis, ac rubinis ornatam; squalore afficitur, pampinis spoliatur, pali pedamento deijcitur, humi raptatur, & instar vilissimi virgulti neglecta jacet. Unde, nî fallor, opportunam epigraphen sustinet; SINE FRUCTU NEGLECTA. Emblematis argumentum S. Ephræm Syrus suggerit, in hæc verba pronuntians; *Vitis, jam vindemiata, vilis redditur atque abjecta.* Haud aliter Christianus, si virtutis ac meritorum fructibus spolietur, coram Deo ac cœlitibus contemptissimus apparet.

[S]. Ephræmus [S]erm. in [T]ransfigur. [D]om.

Virtute spoliatus.

541. Inter vitem & ulmum non injucunda mutuæ beneficentiæ vicissitudo intercedit: nam ulmo vitem sustentante, hæc vicissim illam pretiosissimorum fructuum ornamentis, ceu totidem monilibus ac parergis, vestit. Unde vitem, frugibus onustam, & ex ulmo pendulam, hoc lemmate notavi; EI MI SOSTIENE, ED IO DI FRUTTI IL CINGO. Id est, PRO FULCRO PORRIGO FRUCTUS. Appositè S. Joannes Chrysostomus; *Sicut ulmus fructuosa dat humorem viti, ut vitis pro se, & pro ulmo proferat fructum; ita tua res proficiant ad pauperis sustentationem in hoc sæculo, & illius sanctitas proficiat ad tuam sustentationem in illo.* Haud aliter S. Cæsareus Arelatensis; *Arbor ulmea, inquit, & vitis satis sibi convenientes esse videntur; Arbor enim ulmea, licèt amœna & sublime porrecta, nullum tamen fructum habere probatur. Vitis verò, quamvis sit parva & humilis, fructibus plena esse cognoscitur.* Et paulò post; *Hoc expedit fieri, ut quomodo arbor ulmea extendit ramos suos, & erigit, vel sustinet vitem; sic dives sæculi hujus porrigat ramos suos, id est manus, & sustentet pauperes Christi. Quod si fecerit in hoc mundo, sine dubio ab ipsis pauperibus Christi multipliciter repensabitur in futuro.* Idipsum divites experiuntur, qui, dum egenos alimentis sustentant, ab his vicissim amplissima meritorum fruge locupletantur. Nec incongruè illud etiam de Magnatibus pronuntiaverim, qui generosâ munificentiâ in viros litteratos profusi, ab his, insigni vicissitudine, gloriosis encomiis illustrantur.

Gratitudo

S. Io. Chrysost. hom. 12 Oper. Imperf.

S. Cæsar. Arel. hom. 24. tom. 2. Biblioth. Patrum.

Eleemosyna.

Adherentia.

542. Academicus, inter Errantes Inclinatus, symboli loco vitem præfert, ulmo sustentatam, & hac lemmate insignem. ET VEGETIOR, ET FÆCUNDIOR. D. Aresius eandem, palmâ nixam, hoc epigrammate notavit; INNIXA UBERIOR. Poteris etiam subscribere; FULCIMENTO VEGETIOR. Vel, JUNCTA FOECUNDIOR. Sensus est, quemadmodum vitis, quo nobiliore ac fortiore arbore sustentatur, eò suaviores fructus profert; ita juventutem tantò ampliùs in virtute ac scientiâ progredi, quantò præstantioris magistri operâ utitur. S. Cypriani de bonâ educatione sententia est; *Disciplina est custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis.*

Educatio.

S. Cyprian. tract. 1. de hab. Virgin.

543. Vitis, ad usus fabriles penitus inepta, nullibi aliùs adhibetur, nisi vel ad proferendos fructus, vel ad nutriendas flammas. Proinde inscripsi. VEL FRUCTUM, VEL IGNEM. Ad mentem nostram S. P. Augustinus; *Unum de duobus palmiti congruit; aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit.* Certè Christianus, in vite figurari solitus, ex munere suo vel virtutum & æternæ vitæ fructus producere, vel secus æternis flammis indispensabili lege excruciari debet. S. Nilus Abbas, *Ut vitis, inquit, nisi fructus bonos ferat, exciditur, ne frustra solum occupet; sic quicunque Spiritus sancti fructus non producit, a Domino eradicabitur.* Et sapientissimus Idiota, meus Concanonicus, *Quia arbor sterilis & infructuosa fui, in ignem æternum projectus ardebo.*

Opera bona.

S. Augustin. tract. in Ioan. sub medium

S. Nil. Abb. instruct. ad Monach.

Idiota l. 4. Contempl.

544. In hominis morte vitem depinges, quæ humo cooperta, epigraphen ferat; ALIO RESURGAM. Mortuos olim ad vitem revocandos, hæc imago spectat. Quippe Magno Augustino asserente, *Nascimur de Adam, ut moriamur; resurgemus per Christum, ut semper vivamus.* Hoc omninò sensu Juvenis ille Machabæus imbutus erat, quando ab Antio-

Resurrectio.

S. August. Ps. 35.

Antiocho tyranno, instar tenellæ vitis, in caliginis barathrum, & funestos tumuli horrores præcipitatus, voce liberâ, ac fiduciæ plenâ, exclamavit, se olim ad vitam & immortalitatem resurrecturum. *Tu quidem scelestissime in præsenti vitâ nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternâ resurrectione suscitabit.* Porrò eadem vitis, persopopæiâ non ingratâ, etiam sanctam fidem Romano-Catholicam exhibet, quæ, tametsi Lutheri, Calvini, aliorumque hæreticorum injuriâ in multis civitatibus ac Provinciis Germaniæ, Galliæ, Scotiæ, Angliæ, Bataviæ, &c. sepulta jaceat, apud Chilos tamen, Chinenses, Æthiope s, Peruanos, Floridos, aliasque gentes barbaras latissimè germinavit; Patribus Franciscanis, Dominicanis, Augustinianis, & Jesuitis terras illas assiduâ industriâ, sudore, & sanguine irrigantibus.

2. Mach. 7. 9. — S. Fides.

545. Vitis, omni uvarum foliorumque ornatu spoliata, epigraphen tenet; SUNT ALIIS MEA DAMNA LUCRUM. Mariam Virginem hæc imago spectat, quæ filio suo Divino, ceu botro pretiosissimo, passionis tempore spoliata, toti mundo salutem & felicitatem attulit. Ut adeò verè à Buteone cognominetur, *Vitis vera, quæ racemum maturum aluit, vinum stillantem, quo exhilarantur animæ.* Et à S. Bonaventura, *Vitis ferens botrum, per quem pulsa mundi sitis.* P. Jacobus Masenius Emblematis mentem hoc disticho explicat.

Maria V. in passione. — *Buteo hym. græc p. 135.* — *S. Bonav. in Psalt. min. quinq. e.*

Ut prosim, raptis jaceo viduata racemis:
Hoc Mariæ est Christus, quod fuit uva mihi.

546. Vineæ florenti P. Jacobus Masenius inscripsit FRUCTUS IN FLORE VIDENTUR. Juventutis hæc idea ac veluti prognosticon est; plerumque enim in ætatis flore conjicere licet, quales virtutum aut vitiorum fructus olim sit productura. Certè de Maria Virgine recens nata canit sacer Vates; *Surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Unde ab Hesychio cognominatur. *Vitis, uvarum ferax, valde florens, intacta.* Canentem audi P. Masenium;

Juventus. — Maria V. *Cant. 7.* — *Hesych. Or. 2. de Deip.*

Vinea floriferis dum panditur ebria baccis,
Non vanam fructus spem facit illa sui.
Dum Virgo teneris pulcherrimâ floruit annis,
Ingentem fructus spem dedit illa boni.

547. Vitis, ramis luxuriantibus putata, epigraphen sustinet; EXPOLIATA DITIOR. Ita Religiosi è terrenis opibus abjectis quæstum amplissimum sortiuntur, suntque, teste Apostolo, *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* De his scribit S. Greg. Nazianzenus; *Vita eorum sunt opes in egestate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, patientia in in infirmitate, proles egregia in cælibatu: qui delitias aspernari in delitiis habent, qui regni cœlestis causa humilitatem amplectuntur, qui in mundo nihil habent & mundo superiores sunt; qui cùm in carne sint, extra carnem tamen vivunt; qui pro portione Deum habent, qui propter regni spem inopia laborante & propter inopiam regnant.* Idipsum etiam de Eleemosyna discertè pronuntiat Christus; *Date & dabitur vobis.* S. P. Augustinus; *Attende,* inquit, *quid facit fœnerator, minus vult dare certe, & plus accipere: hoc fac & tu. Da modica, accipe magna, Vide quàm latè crescat fœnus tuū. Da temporalia, accipe æterna. Da terram, accipe cælum* Fertur Monasterium quoddam largis eleemosynis, quas dabat, evasisse locuples, iis deinde denegatis ad pauperiem redactum. Cumque hac de re Procurator quereretur apud peregrinum quemdam ibidem hospitem, ab eo audivit; *Date & dabitur* sunt sorores. Vos ejecistis priorem, cui nomen *Date,* mox ejectam sororem secuta est ejus comes individua, cui nomen *Dabitur:* si ergò vultis ut illa redeat, revocate priorem, ac largas, ut priùs, date eleemosynas.

Religiosus *2. Cor. 6. 10.* — *S. Greg. Naz. Orat. 1. de Pace.* — Eleemosyna. *Luc. 6. 38.* — *S. Augustin. in Psalm. 63.*

548. Vitem, undique alligatam, hoc lemmate notarunt; CRESCIT PER VINCULA VIRTUS. Totum versum ita habeto;

Quæ reptaret humi, crescit per vincula virtus.

Idipsum in, sanctis Martyribus cernimus, qui vinculis & carceribus detenti, amplissima virtutum incrementa ceperunt. S. P. Augustinus; *Nolite putare, quia verè in miseria fuerunt fideles, cùm in catena ambulaverunt. Latus fuit carcer fidelibus, leves fuerunt catenæ confitentibus. habebant gaudia in catastâ, qui Christum prædicabant inter tormenta.* Religiosos quoque, triplici votorum funiculo colligatos, hæc imago spectat.

Martyre[s] — *S. August. Ps. 96* — Religios[i]

VITIS CVM VVA.

549. Vitis, uvis onusta, epigraphen tenet; DEEST ALBA DECORI. P. Octavius Boldonus hoc Emblemate significabat, Cæsaris Montii Cardinalis splendori ac gloriæ nihil, præter candidam vestem papalem, defuisse. Eodem etiam militem generosum ac nobilem, sed fidei candore destitutum; aut fæminam formosam, illustrem, divitem, & humanam, at pudicitiæ, honestatisque eburno indigam afficere licet. Nan, ut Magnus Augustinus docet, *Pudor ætatum viridiorum magnum est ornamentum.*

Defectu[s] — *S. August. l. 2. ad Si[mpl.] q. 2.*

550. Vites, uvis gravidæ, ac sub autumni signis figuratæ, ab eodem P. Boldono inscriptionem receperunt; PRUINA COQUET. Enimverò sicuti uva nonnisi sub pruinæ frigore perficitur, ita omnia, patientiæ rigoribus probè exercitata, ad supremæ bonitatis excellentiam maturescit. S. Laurentius Justinianus; *Quis sufficienter narrabit, ad quantum perfectionis culmen sanctum Job evexerit tentatio?* Et magis enucleatè Georgius Venetus; *Pruina significare potest justitiam Dei punitivam, quæ etsi improbos dedestruit, benè tamen dispositos, & cum patentia eam suscipientes maturat & perficit.*

Calamit[as] utilis. — *Laur. Iust. Casto con[n]ub. c. 6.* — *Georg. Ve[net.] Can. 1. T. 7. c. 18. ap[ud] Hieron. Laurent. Syl. alleg. Geln.*

551. Uva acerba, è vite suspensa, & solaribus radiis exposita, inscriptionem præfert; HINC DULCESCET. Vel ut aliis placet, DULCIS ERIT. Ita nimirum omnis felicitas & ærumna humano gustui facilem, suavemque se præbet, si vitam & voluntatem nostram è Dei præsentia nunquam subtrahamus. S. Joannes Chrysostomus; *Si videmus mente semper Deum; si semper in recordationem ejus convertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia. &c.*

Præsent[ia] Dei. — *S. Io. Chry[s.] Hom. 26. ep. ad Hel[br.]*

552. Joannes Orozcus uvas, è vite pendulas, lunaribus radiis exposuit, cum lemmate, NON MATURESCENT. vel certè; INANIS CONATUS. Henricus Ferncsius hâc suâ imagine docet, è mundi favoribus qui ut plurimùm instar lunæ frigescunt, conatu prorsus irrito aliquam dulcedinem aut felicitatem expectari. Eamobrem Justus Lipsius; *Omnia dic principium, infida, intuta: nec viri solatii usquam spes, quàm in se cuique.*

Spes hu[mana]. — *Lips. Cent[.] Ep. 55.*

553. Qui Principum obsequiis deditus, nullum exinde quæstum, sed steriles tantùm titulos & aliquam honoris speciem coram mundo refert, se ipsum uvæ. Emblemate significaverit, quæ lunaribus radiis exposita, epigraphen ferat; SALTEM ILLUSTROR Ita nimirum, Magno Augustino teste, *Hujus mundi cupiditas, vanitas, sed Christus, qui ex mundo liberat, veritas.* Emblematis mentem ita explicat meus Concanonicus D. Salvator Carducius.

Honor. — *S. Aug. in [Ps.] 118. Conc[.]*

Illu-

Illustror saltem lunari lumine botrus.
Sic solis titulis Principis ornat honos.

554. Uvam, è vite quidem pendulam, sed tamen simul in terram usque reclinatam, hoc lemmate loquentem proposui; INHÆRENDO PUTRESCAM. Certè anima, mundo affixa, nonnisi gravissimas miserias & damna accipit. Opportunè S. Nilus; *Racemus, humi jacens, facilè putrescit: & virtus, inani gloriæ inhærens, corrumpitur.* Et S. Ambr. *Anima, sicut uva, proxima terris corrumpitur, in superioribus maturatur.*

Mundanus. *S. Nilus Orat 7. S. Ambr. l. 6. Luc.*

555. Vitis, ad uvam acerbam facilius perficiendam, omnibus suis pampinis spoliata, epigraphen reddit; UT CITIUS, subintellige, MATURESCAT. Ita sanè bonorum temporalium egestas internæ perfectionis acquirendæ instrumentum est efficacissimum. In hanc rem conferunt illa Josephi verba, *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Id est, interprete S. Antonio Paduano, *In terrâ paupertatis, non abundantiæ, in illâ crescere, in istâ decrescere. &c.* Levitæ omnium temporalium bonorum possessione destituti, cognominabantur *Sancti*, seu ut Græcus vertit, *Agius*, id est, *sine terra.* Veluti ad illud sanctimoniæ fastigium à divitiarum contemptu unicè sublevati fuissent. Ex eadem vite defrondatâ S. Ambrosius deducit, animam, terrenis affectibus ac negotiis liberam, ad pretiosissimos virtutum fructus disponi. *Procul a nobis debemus sæculares solicitudines abdicare, quæ mordent animum, mentem adurunt, ut maturos fructus culturæ diligentis possimus adipisci.* Huic affinis Joannes Baptista Bargioccus, canit;

Paupertas voluntaria. *Gen. 41. 52. S. Anton. Pad. ser. infra Oct. Nat. Domini. Ambr. l. 5. in Luc. Bapt. Barg. Epig. 103.*

Ut maturescant, viduantur frondibus uvæ,
Densa quibus, solem dum vetat, umbra nocet.
Scilicet ille Deo reddit dulcissima vina,
Pampineâ cœlum cui sine fronde patet.

556. D. Vidone inter purpuratos S. Ecclesiæ Patres recensito, præstans quoddam ingenium illius personam uvæ symbolo repræsentavit, utpote quam Princeps ille in gentilitiis familiæ suæ armis è vite suspensam tenebat. Epigraphen addidit; MATURA RUBUIT. Servator noster, in sacro Epitalamio *Botrus Cypri* cognominatus, sanctissimam suam humilitatem ad eam symboli normam efformasse videri possit; nam nonnisi annis maturescentibus, & à Divino Patre definitis, corpus suum sanguine, ceu purpurâ, respergi voluit. S. Athanasius; *Ipsum Verbum, propter nos homo factum, non indignum putavit, cùm quæreretur, abscondere se, fugere, & insidias declinare: cùm autem ad se definitum tempus ipse addixisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultrò se ipsum tradidit insidiantibus.*

Cant 1. 13. Christus. Passus.

557. P. Jacobus Masenius Emblematis loco poma cruda, & uvas immaturas repræsentat, quæ sese ab arbore nonnisi ægerrimè avelli patiuntur, & decerpenti manui pertinaciter resistunt, inscriptionem subjunxit; IMMATURA RESISTUNT. Innuit videlicet, res quasvis tempore suo aggrediendas esse. Sapienter Salomon; *Omnia tempus habent; Tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum est.* S. P. Augustinus; *Quid est redimere tempus, nisi, cùm opus est etiam cum detrimento temporalium commodorum ad terrena quærenda & capessenda spatia temporis comparare?* Appositè Ovidius;

Tempori serviendū. *Eccles. 3. 2. S. Augustin. Homil. m. 1. c. 2. Ovid. l. 2. de more.*

Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis?
Pomaque crudeli vellis acerba manu?
Sponte fluent matura suâ; sine crescere nata,
Est pretium tardæ non leve vita moræ.

558. Nunquam generosissima vitis in maturos se solvit fructus, quibus humanum gustum recreet, nisi ferventi sole nutrita & inflammata. Epigraphen subdidit serenissimus Christianorum symbolorum Author; INDE ET VITA, ET VIRTUS. Pariter & fortitudo, & omnes cæteræ virtutes ex solâ Divinâ gratiâ originem vigoremque ducunt, quâ absente, virtutes optimæ in pessima degenerant vitia; nosque ipsi densâ occæcati caligine, stolidissimè erramus, atque indies magis magisque vitam flagitiis inquinamus. Adeoque, teste Magno Aug. *Qui à semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est, in Christo non est; qui in Christo non est, Christianus non est. Non ait, sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* Emblematis sensum hoc epigrammate aperit symbolographus;

Gratia Dei. *S. Augustin. tract. 81. in Joan.*

Nectareas vitis cum tempore procreat uvas;
Si nitidus roseo Phœbus ab axe micat.
Uva parit dulces, sed sole loquente, liquores,
Qui recreant homines, qui recreantque Deos.
Sed cessent radii solis, lux aurea cesset,
Nullus erit Bachus, frigida vitis erit.
Si Deus illustrat mentis cælestibus auris,
Quisque bonos fructus, hoc generante, feret.
Quid jactas propriæ validissima robora dextræ?
Qui vigor accessit, cœlitus ille venit.

UVA.

559. Academici Clarificati uvas, intra labarum seu alveum effervescentes, hoc lemmate ornarunt; CLARESCUNT, DEPURANTURQUE. Ita litterati è mutuis congressibus ac colloquiis plurimùm perfectionis acquirunt. Justus Lipsius; *Inter plures*, inquit, *non libentius solùm, sed plus discunt pueri.* Idipsum tamen non de pueris solum, sed etiam de adultis, omnique aliâ virtutum materie intelligas velim; quisquis enim cum præclaris hominibus est frequens, animum suum à scelerum fæce inter consortia illa facilè expurgat, & splendorem minimè vulgarem contrahit. Seneca; *Nulla res magis animos honesta induit, dubiosque, & in pravum inclinantes revocat ad rectum, quàm bonorum virorum conversatio.* Et alibi; *Non tamen valetudini profuit utilis regio, & salubrius cælum, quàm animis parùm firmis in turba meliorum versari. Quæres quantum possit, intelliges, si videris, feras quoque convictu nostro mansuescere: nullique immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est. Retunditur omnis asperitas, paulatimque inter placida dediscitur.*

Litterati. *Lips. l. 1. Centur. ad Belgas. ep. 38.* Societas. *Seneca Ep 94. Idem l. 3. de Ira c 7.*

560. D. Joannes Baptista Mazzolenus uvam, è vite suspensam, simulque, ut à vesparum & crabronum morsibus intacta maneret, in bombylio vitreo conclusam depinxit; cum lemmate, MATURESCIT ILLÆSA. Innuebat videlicet, juventutem, intra Collegii septa studiosè detineri solitam, ad eximiam judicii maturitatem excrescere, multaque vitiorum discrimina innocuam transire. Idipsum etiam de Religiosis ac Sanctimonialibus, intra claustra sua obseratis, intelligas velim. De his enim omnibus pronuntiare licet id, quod Tertullianus de Martyribus, in carcere detentis, dixerat; *Non vides alienos Deos, nec imaginibus eorum incurvaris. Non clamoribus spectaculorum cedis, non in loco libidinum publicarum oculi tui impingunt, vacas à scandalis, à tentationibus malis, jam & à persecutione, &c.*

Juventus stricta. Religiosus. *Tertull. ad Martyres.*

561. Botrus, etiamnum tenellus, si in bombylio reponatur, postea, uvis in majorem molem excrescentibus, nonnisi fracto vitro extrahi posse. Unde D. Aresius inscripsit; DONEC ALTERATUR. Et P. Carducius bombylii voce; DONEC DISRUM-

Habitus vitiosus. RUMPAR. Certè habitus vitiosus, in pectore nostro diutius augescens, nonnisi difficillimè retrahitur, sed plerumque persistit, dum anima in hominis morte salvatur à corpore. Perspicuè Jobus. *Ossa ejus implebuntur vitii adolescentiæ ejus, & cùm eo in pulvere dormient.* Seneca; *Ne ipsa quidem universæ Philosophiæ vis, licet tota in hoc vires suas advocet, duram jam, & veterem animis extrahet.*

Iob.20.11.

Senec.ep 54.

562. D.Carolus Bossius Patrem, Claudium Aquavivam, Societatis Jesu Generalem, Emblemate honoratus, botrum expressit, in amphorâ vitreâ conclusum; cum lemmate, INVIUS EXITUS. Mens iconis erat, Archiepiscopatum Neapolitanum à Summo Pontifice oblatum, viro illi religiosissimo minimè acceptum fuisse, nec etiam in animum suum inducere, aut persuaderi potuisse, ad religiosæ vitæ angustias, in quibus à tenerâ ætate ad supremam usque senectutem educatus fuerat, deserendas. Insigne hujus documenti exemplar nobis extitit ipsemet Servator, qui, tametsi crudelissimæ passionis suæ angustias effugere potuisset, id tamen nec minimum unquam tentare voluit. Quin imò, à Judæis crucis deserendæ causâ admonitus, ad extremum usque halitum in eâ perstitit. S.Bernardus; *Non descendit Dominus, ne daret occasionem surripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur; & ne faceret obmutescere Prædicatorum linguas, consolationum pusillanimes, & dicentium singulis, tu LOCUM tuum DESERAS. Quod sine dubio sequeretur, si respondere possent: quia Christus suum deseruit.*

Perseverantia.

S.Bern ferm. 1.in die Pasch

563. Uvæ, ab hyemis injuriâ conservandæ, in autumno supra paleas extenduntur. Unde Academicus, inter Furfuraceos Conservatus, symboli loco, magnam uvarum copiam, supra paleas repositam, præfert; cum epigrammate, A LA STAGION PIU' TARDA. Id est; AD BRUMAM SERVATUR. Cautam prudentiam, & sagacem providentiam, quâ imminenti necessitati opportunè consulamus, Emblemate illo edocemur. Et quia in sacris Literis vites cognominamur, omninò nobis incumbit, ut bonorum operum uvas accumulemus, quibus in vitæ nostræ termino perfrui ac recreari valeamus. Venerabilis Bedæ hâc de re consilium est; *Nunc inter ardores tentationum tempus est colligendi futurorum merita præmiorum. Nam dies judicii hyemis similatur rigoribus: quia tunc nimirùm nulla relinquitur facultas pro vitâ laborandi, sed tantum cogitur quisque de horreo priscæ actionis, quod recondidit, proferre.* Et S. Gregorius Papa; De justis per Psalmistam dicitur; *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Ad examen quippe judicii portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mereantur, ostendunt.*

Providentia.

Beda in c. 6. Proverb.

S.Greg.l.7. in Iob.11

564. Uvas, sub torculari, lemmate illo notabis, quo Themistocles, è patriâ proscriptus, usus est; PERIERAM, NISI REPERISSEM. Ita æterna Sanctorum felicitas non aliunde, nisi è persecutionibus ac ærumnis, quibus in hâc vitâ oppressi fuêre, promanavit. S.P.Augustinus; *Sicut oliva & Uva, priusquam ad usum valeant humanum, premi debent in torculari: ita debet homo persecutionem pati, priusquam idoneus sit ad regnum cœlorum.*

Calamitas utilis.

S. Augustin. l.100. Hom. ferm.8

565. Christus in horto Gethsemanæo purpureos sudores stillans, uvarum ectypo repræsentari potest, quæ supra tabulam accumulatæ, nemine premente, copiosum mustum exsudant. Epigraphen subjunges: STEMPRA SE STESSA. Id est; A SE IPSA LIQUOREM. De totâ sanctâ Christi passione in rem præsentem D Bernardus super illud Isaiæ, *Oblatus est, quia ipse voluit*, ait; *Oblatus est, non quia meruit, non quia Judæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine, quia voluntariè oblatus pro meâ salute, non pro tuâ necessitate.*

Christus in horto.

Passio Christi.

S Bern de Purif. B. Mar ser.3.

566. Botrus, manu compressus, hanc à me gnomam retulit; PRESSUS EMITTAM. Proprium sanè hominis mundani paradigma! qui virtutum suarum liquores nonnisi diversis ærumnis coarctatus fundit. S.P.Augustinus; *Uva in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat; mittitur in torculari, calcatur, premitur, injuria videtur fieri uvæ: sed ista injuria sterilis non est, imò si nulla injuria accederet, sterilis remaneret.*

Mundanus.

S.Augusti in Psal.4

567. Uvæ botrus tum demum sapit, si maturus, probeque excoctus fuerit. Unde lemma; RECREAT BENE COCTA SAPOREM. Ludovicus Blosius virum, benè mortificatum, pulcherrimo uvæ botro, maturo, excocto, dulci ac sapido comparabat; malè verò mortificatum botro acido, duro, amaro, gustuique ingrato, conformiter illi Prophetico; *Expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas.* Hoc est discrimen inter filios Dei & hujus sæculi, quod hi, relegatâ à se mortificatione, ductum suorum sensuum sequantur; *qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Rectè adeò pronuntiat S.Hieronymus; *Tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris.* Et super verba illa Jobi, *Nec invenitur in terra suaviter viventium*, negat, *sapientiam timoris Dei*, de quâ ibi Jobus, esse penes eos, *qui nullo jugo disciplinæ tenentur: adeoque veram sapientiam non habet quisquam, nisi carnem suam crucifixerit cum vitiis & concupiscentiis*; S. Franciscus Borgia, cum laudari quempiam tanquam sanctum perfectumque inaudiisset, subjungebat; *Omnino talis est, si mortificatus est.*

Mortificatus.

Lud.Blos Instit spir c.2.

Isa.54. Gal.5.

S.Hieron Iob.c.5.

In vita l. c.5.

VINUM.

568. HUmanum pectus maximam è necessitate audaciam & generositatem sortitur; neque ullum crudelius est certamen, quàm quod de speratis auxiliis & præsenti vitæ discrimine suggeritur. E vino id disces, quod in dolio obturatum, vires suas germinat, ruptoque retinaculo, foras erumpit. Proinde epigraphen subjunges; ANGUSTIIS VIOLENTIUS. Seneca; *Nullus perniciosior est, quàm quem audacem angustiæ faciunt; longeque violentius semper ex necessitate, quàm ex virtute corrigimur.*

Necessit roborat

Seneca.

569. A sensuum illecebris humanum pectus opprimi, mentemque ligari, Abbas Certanus ex vini utre demonstrat, cui vicinam pinxit Pantheram soporatam, cum lemmate, ALLETA IL GUSTO, ED INCATENA IL PIEDE. Id est; SPERNIT, DUM RECREAT. S. Cyrillus Alexandrinus; *Semper voluntatem, mundana diligentem, involuntariæ servitutis necessitas comitatur.*

Delitiæ mundanæ

S Cyrill lex l. de a rat in spi.

570. Vini dolio illa S. Ambrosii verba non incongruè incidi facies; VETUSTATE PROFICIT. Assiduum in virtute progressum, maximè tamen in ætate grandæva exercendum, hæc imago innuit; De hâc Seneca. *Hæc ætas optimè facit ad hæc studia, jam despumavit, jam vitia primo fervore adolescentiæ indomita lassavit, non multum superest, ut extinguat. Et quando, inquis, tibi proderit istud, quod in exitu discis, aut in quam rem? In hanc, ut exeam melior. Non est tamen, quod existimes, ullam ætatem aptiorem esse ad bonam mentem, quàm, quæ se multis experimentis, longâ ac frequenti rerum patientiâ domuit, quo ad salutaria mitigatis affectibus venit.* Et alibi etiam senibus proficien-

S Ambr ferm.22. Epiph.

Seneca Ep

Profect

Idem ep.

ficiendum esse indicans, ait, *Tamdiu discendum est, quamdiu nescias, & si proverbio credimus, quàm diu vivas.* Et paulò post. *Etiam seni discendum est.*

571. Sicut vinum, immoderatè haustum, in humano corpore gravissimarum infirmitatum est seminarium, ita contrà, si ad dimensum ac temperatè bibatur, stomachum maximè roborat, vires deperditas restituit, & sexcenta incommoda prohibet. Unde D. Rancatus vini amphoram hoc lemmate descriptam exhibet; MEDICE, SI MODICE. S. Paulus, in hanc sententiam dilucidè concedens, charissimum suum Timotheum his omninò verbis hortatur; *Modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Eò reflectens S. Ambrosius; *Non ergò*, inquit, *propter voluntatem bibendum est, sed propter infirmitatem. Pro remedio igitur parcius, pro delitiis redundantius.* Et S. Joannes Chrysostomus; *Vino modico utere: etenim ipsum modicum propter infirmitatem permisit. &c.*

[Vinum moderatè bibendum.] [1. Tim. 5. 23.] [Ambr l. 10 epist 82.] [Io Chrys. hom 1. ad popul.]

572. Vinum, in dolio jamjam evacuatum, & ad fundum pertingens, pristinam dulcedinem exuit, acoremque minimè gratum induit. Unde lemma; AD EXTREMUM ACESCIT. Eorum hæc idea est, qui annorum progressu deteriores fiunt, &, virtutis suavitate exolescente, aliis gravissima scandala præbent: vel etiam, qui in senectute ad extremam ægritudinem provecti, impatientes, cholericos, & iracundos se exhibent. De primo Emblematis sensu ait Magnus Augustinus; *Asserimus donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem; perseveratur in Christo: finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodò periculum est, ne cadatur.* De secundo canit è Poëtis nonnemo;

[Perseverantia.] [Senex morosus.] [Aug l de dono persev. cap. 1 & 8.]

Parva cadis vini reliqua est quæ portio, acescit,
Portio melliti quæ fuit antè meri.
Sic totam exhausit qui vitam, est pronus ad iras,
Ipse suo tandem tristis acore senex.

573. Mustum, vasi inclusum, vi erumpit. Lemma; SI PREMIS, ERUMPIT. Ita juventutem, disciplina nimium arctâ coërcitam, nonnunquam vi ad noxiam libertatem prorumpere experimur. De filiis educandis saluberrima Platonis præceptio est; *Hæc nostra est sententia, delitias puerorum mores reddere difficiles, morosos, iracundos, & qui levibus occasionibus vehementer percellantur. Contrà vero nimiam & feram severitatem eorundem mores reddere humiles, illiberales, ab humanæ societatis commerciis abhorrentes.* Et mox mediocritatem inculcans, ait; *rectam vivendi rationem ita esse constitutam, ut neque voluptates tantùm persequatur, neque à doloribus omninò abhorreat, sed medium quoddam amplectatur quod medium ego nunc tranquillum pacatumque habitum vocabam.* Unde S. Gregorius Nazianzenus docet, filios moderatè castigandos esse, quòd nimia severitas impudentiam, flagitiorum omnium parentem, generet. sic enim canit;

[Educatio.] [Plato lib. 7. de Legibus.] [Greg. Naz. in Carm. ad Vitalian.]

Ne tenerum abrumpat reprehensio dura pudorem,
Auxilium patribus quo nullum firmius usquam est;
Probra etenim effrenes faciunt, bonitasque modestos
Et venia, ac natos præsertim laudis amantes.

574. Ajunt, in Provinciâ (Italis *Provenza*) vineam florere, oleis circumseptam; ubi, mirâ mixturâ, vinum ab oleo, & oleum à vino saporem contrahit. Unde lemma; MIXTUS UTRIQUE SAPOR.

Nascitur ex Baccho Pallas, ex Pallade Bacchus;
Hæc amor, hic timor est; mixtus utrique sapor.

Ita nimirum amor & timor ergaDeum eo jungantur connubio, ut neuter alteri quidquam detrahat, sapiatque timor amorem, ne desperet; & amor timorem, ne effrenis evadat. S. P. Augustinus; *Amor malus inflammat, timor humiliat. Humiliat & bonus timor, accendit & bonus amor.*

[Amor & timor Dei simul junguntur.] [S Aug. in Psal. 79.]

VLMUS.

Cap. XLV.

575. Ulmus umbram spargit ita benignam, ut herbis, sub se recumbentibus, plurimum incrementi tribuat. Id quod Bargalius hoc lemmate innuit; QUOD OPERIT, NUTRIT. Benevolam & affectuosam alterius protegendi voluntatem hoc symbolo depinges. David hâc virtute cumprimis eximius, dum se generosum Miphibosethi tutorem ac patronum ultrò obtulit, eundem insuper Regiæ suæ mensæ assiduum convivam accumbere jussit. *Ne timeas*, inquiebat, *quia faciens faciam in te misericordiam propter Jonatham Patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensâ meâ semper.* Sed quid Davidem memoro? ipse Deus quoque hanc operandi methodum familiarem habuit, quando se populi Israëlitici Dominum demonstraturus, non tantùm supremæ authoritatis suæ tutelâ assiduò illum protexit, sed etiam alimenta, vitæ sustentandæ necessaria, liberalissimè est elargitus. *Vespere*, inquiebat, *comedetis carnes, & manè saturabimini panibus: scietisque, quòd ego sum Dominus Deus vester.* In hunc locum Hieronymus Oleaster ait, *Munus Domini est, sua necessaria providere. Considera, quæso, in quo se Dominum suum ostendat, non in bonis auferendis sed dandis: non in exigendo ministerio, sed in donis exhibendis.* Eodem Encomio Plinius Trajanum Imperatorem, subditorum suorum penuriam benignissimâ manu sublevare solitum, celebrat. *E cœlo*, inquit, *nunquam benignitas tanta, ut omnes simul terras uberet, foveatque hic omnibus pariter, si non sterilitatem, ac mala sterilitatis exturbat: hic si non fœcunditatem, at bona fœcunditatis importat.*

[Protectio.] [2 Reg. 9. 7.] [Exod. 16. 12.] [Oleast in hunc loc.] [Plin in Panegyr Traj.]

576. Abbas Certanus quemdam, aliorum compositiones veluti suas venditare solitum, Ulmo non absimilem dixit, quæ, tametsi naturâ suâ sterilis, fructibus tamen à vite productis, sibique innitentibus, tota onusta est. Epigraphen addidit; LE VINDEMMIE PORT JO, NON LE PRODUCO. Id est; VINDEMIAS FERO, NON PARIO. Ad hominem, veluti sterilissimam ulmum, Apustolus; *Quid enim habes, quod non accepisti?* Hunc locum interpretatus Magnus Augustinus, ait; *Intelligat homo gradum suum, & confiteatur Deo, & audiat Apostolum dicentem homini superbienti, & elato, & extollere se volenti: quid enim habes, quod non accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis? Intelligat ergò homo, quia accepit, qui volebat suū dicere, quod non est ejus*

[Gloriâ vana.] [1. Cor. 4. 2.] [S. Aug. Tract. 14 in Ioan. cap. 3.]

577. Carolus Rancatus ulmum, nullis quidem fructibus, sed solis frondibus gravidam, hoc Ovidii lemmate notavit; NIL PRÆTER FRONDES. Ita sanè Hypocritæ, virtutum frugibus sterilissimi, copiosas exterioris apparentiæ frondes jactitant. Adamus, deperditis paradisi fructibus, frondes corpori suo tegendo quæsivit. Eò animum advertens S. Ambrosius, *Justus*, inquit. *fructum quærit, peccator folia tantùm.* Et Hugo Cardinalis; *Hypocrisis speciem sanctitatis exterius tenet, sed interius rem veritatis non habet.* Eodem Emblemate sacrum Oratorem, eloquentiæ frondibus magis, quàm frugibus colligendis deditum, significabis.

[Ovid l 14. Metam.] [Hypocrita] [S. Ambros.] [Hug. Card. in Iob c. 40.] [Prædicator Academicus.]

FINIS LIBRI NONI.

MUNDI SYMBOLICI LIBER DECIMUS.

HERBÆ.

Acanthus. 1
Aconitum. 2
Amaracus, seu Samsucus. 3
Aspalathus. 4
Basilicon. 5
Borago. 6
Brassica. Caulis. 7
Capillus Veneris, seu Adiantum. 8
Capparis. 9
Carduus. 10
Cepa. 11
Crocus. 12
Cucurbita. 13
Ferula. 14
Felix. 15
Fœniculum. 16
Fœnum. fœnum græcum. 17
Fragum. 18
Frumentum. Granum. Spica. 19
Fungus. 20
Gramen. 21
Juncus. 22
Lactuca. 23
Legumina. 24
Linum. Linum asbestinum. 25
Lotus. 26
Lupinus. 27
Mandragora. 28
Melopepon. 29
Milium, Nardus. 30
Nymphæa. 31
Oryza. 32
Pisum. 33
Porrum. 34
Pulegium. 35
Rapa. Rapanus. 36
Sedum. Semper vivum. 37
Spinacea. 38
Trifolium. 39
Tuber. 40
Vrtica. 41

ACANTHVS.

Cap. I.

1. ACanthus, quem etiam unguem ursinum vocant, quantò magis deprimitur, eò amplius crescit. Unde lemma huic herbæ indidi; DEPRESSA RESURGIT. Haud aliter virtus incrementum nullibi majus, nisi inter calamitates sumit. Luculento suo exemplo id comprobrans Hercules, trophæa tantò celsiora fixit, quò pluribus hostium monstris fuit provocatus. Josephus infamias, depressiones, ac carceris squalores instrumenti loco habuit ad gloriam suam amplissimè propagandam. Jobus, quò profundius à dæmonum insolentiâ depressus, tantò evasit dignitate & viribus sublimior. De hoc S. Ambrosius; *Fortior æger, quàm cùm sanus, se ipso inventus est; fortior enim æger Job, quàm cùm sanus fuerat, secundùm quòd scriptum est, Virtus in infirmitate perficitur. Ergo & Job, cùm infirmabatur, tunc validior erat.* In rem nostram accommodate Seneca; *Da mihi adolescentem incorruptum, & ingenio vegetum, dicet fortunatiorem sibi videri, qui omnia rerum adversarum onera rigidâ cervice sustulit, quàm qui supra fortunam extat. Non mirum est, in tranquillitate non concuti. Illud mirare, ibi EXTOLLI aliquem, VBI omnes DEPRIMUNTUR; ibi stare, ubi omnes jacent. Quid est in tormentis, quid est in aliis, quæ adversa appellamus, mali? Vt opinor, succidere mentem & incurvari, & succumbere: quorum nihil sapienti viro potest evenire. STAT RECTUS SUB quolibet PONDERE.*

Virtus depressa.

S. Ambr. c. 2. Enarrat. in Iob.

Senec. Ep. 71.

2. Acanthus inter cæteras suas virtutes etiam phthisin curat, & pulmones, ulceribus, & putredine obductos, sanitati restituit. Castor Durantes id compendio exprimens, ait; *Taboque medetur.* Proinde epigraphen subjunges; TABIDA CURAT. Pœnitentia hoc symbolum sibi vendicat, quæ adversus fœtida peccatorum apostemata præsentissimam opem affert. Guerricus Abbas è myrrhæ amarore verum pœnitentis dolorem dignosceris, ait; *Myrrha in corde tuo dolor est. Myrrha namque amarissimum gustum sui etiam nomine prodit, effectu autem præter alias sui utilitates corruptioni resistit. Et quid gustu amarius, quid effectu salubrius, quam dolor, quo peccator ad pœnitentiam contristatur? sed omnis hæc amaritudo nihil aliud, quam myrrha est, vindicans à corruptione iam luxuriarum in quibus computruit; quàm vermium immortalium, quos meruit.* Cæterùm, quòd Pœnitentiæ virtus *tabida curat*, è S. Gregorii Nazianzeni poëmatis explicatissimè colligitur.

Pœnitentia.

Guerric. Abb. serm. Epiphan.

S. Greg. Naz. Carm. ad Vitallian.

Et quem non scelerum superavit mole Manasses?
Vrbibus ex cunctis Ninive cui crimine cessit?
Denique quid dextrâ publicani nequius usquam?
Attamen hoc etiam Christus, commissa dolentes
Crimina, donavit venia, noxasque remisit.

ACONITVM.

Cap. II.

3. INter cæteras venenatæ hujus herbæ proprietates Physici etiam istam numerant, quod adversus oculorum deliquia remedium sit præsentissimum, ipsisque adeòque ferocibus belluis violentam mortem inferat; uti luculento testimonio comprobant Plinius & Castor Durantes.

Est aconitum oculis ægris satis apta medela,
Appositoque cibis perit omnis bestia; porcos,
Panterasque, luposque necat.

Plin. l. 27. c. 2. & 3.

Unde

Unde inscriptionem addidi, GLI OCCHI RISANA, E DA' LA MORTE A I MOSTRI. Id est; PROSTERNIT MONSTRA, ET LUMINA SANAT. Eandem omninò indolem calamitates à Deo immissæ, congenitam habent; earum enim beneficio crudelia, rapacia, & carnalia affectuum nostrorum portenta profligantur, & infirmi, caligantesque oculi, ad claritatis Divinæ, cæliqué delitias, irretortâ acie contemplandas, validè acuuntur. S. P. Augustinus; *Tribulationes temporales plerumque prosunt, vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam exercendamque patientiam, vel ad quæcunque flagellanda & abolenda peccata. Tamen nos nescientes, quid ista prosint, ab omni tribulatione optamus liberari.*

Calamitates. — S. Aug. Epist. 121. cap. 14.

AMARACUS, seu Samsucus.

Cap. III.

4. Notissima hæc herba, odorem admodum suavem & gratum è frondibus suis exhalans, in compluribus hortis delitiarum causâ plantatur; estq; Plinio teste, *in summo terræ leviter hærens.* Unde lemma; TERRÆ LEVITER HÆRET. Homines spirituales, & Divinis contemplationibus deditos, hâc icone depingere licet; quippe qui terras nonnisi necessitate compellente attingere solent, maximamque partem ad cœlos sublevati vivunt. Talem se probavit Paulus, quando dixit, *Nostra conversatio in cœlis est. Hos namque,* interprete S. Gregorio, *esse speciale specimen electorum solet: quòd sic sciunt præsentis vitæ iter carpere, ut per spei certitudinem noverint jamse ad alta pervenisse, quatenùs cuncta, quæ præterfluunt sub se esse videant, atque omne, quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent. Hoc enim est, quod sequenti se animæ Dominus per Prophetam dicit; sustollam te super altitudines terræ:* Idem omninò meus D. Salvator Carducius hoc disticho explicat;

Plin. l. 21. cap. 11. — Contemplativus. — Philipp 3.20. — S. Greg Papa l. 31. Moral cap. 19.

TELLURI LEVITER, dum frondet, Amaracus HÆRET,
Non secus in terris ætheris hæret amans.

5. Catullus in amaraco suavem odorem deprehendens, hanc de illo apostrophen ad Hymenæum efformat;

Catull in Epithal.

Cinge tempora floribus
Suave olentis amaraci.

At Plinius eundem odorem acrimoniâ plenum esse docet. *Abrotanum,* inquit, *& amaracus graves habent odores.* Proinde, nî fallor, opportunè inscribes; SUAVIS ODOR, ET ACER. Geminam hanc prærogativam misericordia Divina congenitam habet, quæ justos quidem amabilissimâ dulcedine demulcet ac roborat, simul tamen nunquam non quamdam calamitatum acrimoniam affundendo. Huc plurimum confert illa S. Ambrosii consideratio, quòd Christus, post acceptum à Judâ osculum, hæc verba tacitè pronunciârit; *Ego osculum non nego; ipse videris, qui violaveris osculi sanctitatem. Nec immeritò graviore telo tantæ dignationis percussus est Judas, quàm si eum fulmine percussisset.*

Plin. l. 21. cap 7. — Misericordia Dei timenda. — S. Ambr in Psal. 39.

6. Dioscorides, referente Joanne Ruellio, de amaraco ait; quòd sit *odore gravi, sapore amaro.* Exinde hanc epigraphen formabis; ODOR GRAVIS, SAPOR AMARUS. Iidem peccati mores sunt; quippe quod fœtore quodam individuo respersum, animæ nostræ palatum ingratissimo amarore inficit. Quantùm ad fœtorem spectat, dilucidè in rem nostram concedit Doctorum gemma, S. P. Augustinus; *Habet aliquis sanum olfactum animæ; sentiet quomodò puteant peccata.* Quantùm verò ad amaritiem, S. Ambrosius ait; *Peccator, quamvis foris abundet, & delitiis affluat, odoribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit.*

Ioan Ruell. de Natura Stirpium l. 3. cap 34. — Peccatum fœtidum & amarū. — S. Aug. in Psal. 37. — S. Ambr. l. 1. Offic. cap. 12.

7. Crebros quidem labores & assidua obsequia in amaraco, aliisque similibus herbis fovendis collocamus; at quid inde referimus præmii? prô hominum vanitatem! unicum sertum, ex ipsius foliis contextum, donarii loco tandem accipimus, nullâ prorsus utilitate aut lucro accedente. Ruellii verba sunt; *Folio tantùm coronant Jovis flos, amaracus, hemerocalles, abrotanum, &c.* Unde epigraphen subdidi; FOLIO TANTUM CORONAT. Mundus idipsum assolet, clientes suos nonnisi inutilibus & vanissimis foliis coronans. Ut adeò S. Basilius juste adversus Christianos illos improvidos invehatur, qui ludis olympicis gravissimè fatigati, non aliam mercedem ab agonothetâ recipiunt, nisi quatuor frondes, in coronæ formam contextas. *Sic,* inquit, *omnes contra se mutuò Dæmon debacchari facit: sic locum insaniæ & impietatis officinam fidelem civitatem Diabolus efficit. Et his omnibus PRÆMIUM CORONA DE FRONDIBUS Dedecoris argumentum, donum ridiculum, & fallacia est appellationis. &c.*

Ruell. de Nat Stirpium lib. 1. cap. 14. — Mundi dona vana. — S. Basilius Seleuciensis Orat. 27.

8. Porci, inter obvios quosvis fœtores suavissimè volutari soliti, amaracum extremo odio, & instar lethiferi veneni abominantur. Lucretio id observatum est;

Lucret. l. 6.

Denique amaracinum fugitat sus, & timet omne
Unguentum; nam setigeris SUBUS ACRE
VENENUM est.

Unde subscribens; SUBUS ACRE VENENUM. Haud aliter homines carnales, spurcissimis sordibus unicè immersi, purioris conscientiæ fragrantiâ, plurimum offenduntur. Eamobrē, teste Divinâ sapientiâ, impiis solenne est in hæc verba prorumpere; *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis. &c. Gravis est nobis etiam ad videndum, &c.* Sic nimirum, teste D. Augustino, *Omnes mali persequuntur bonos. si non ferro & lapidibus, sed vitâ & moribus.* Ad propositum nostrum meus Carducius,

Impii horrent justos. — Sap. 2. 12. — S. Aug ser. 24. de Verb. Dom. cap. 2.

Majorana viret, suibus lachrymabile virus:
Sic Venerem perimit candida virginitas.

9. Italis hæc herba duplice nomine vocatur, nimirum *Majorana,* & *Persa.* quorum primum, si ad litteram in latinum vertatur, *majoritatem,* alterum verò *perditionem* significat. Quare ex hinc doctrinam, ad mores formandos aptissimam colligere licet; nempe ambitiosos illos ut plurimum æternum *perdi,* qui aliis *majores* videri, & dignitatibus excellere cupiunt. Unde lemmatis loco, Amaracus Italicò idiomate de se ipso pronuntiet. SON MAJORANA, E PERSA. Emblematis mentem hâc eclogâ vernaculâ aperui;

Dignitas periculi plena.

Non è, com' altri stima, alta ventura,
Il regnar frà i maggiori;
Mà fiera, e deplorabile sciagura.
Sovente al grado primo
Succedon primi, e tormentosi orrori
Del abisso ne'l imo.
E con revolta strana,
Chi già fu Majorana,
Trova sorte diversa,
Piangendosi alla fine anima Persa.

Dilucidissimè Salomon; *Judicium durissimum his, qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.* S. Hieronymus in illa Ezechielis verba, *Primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti,* ait; *Grandis dignitas sacerdotum; sed grandis ruina ipsorum, si peccent. Lætamur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti mæroris de sublimioribus corruisse*

Sap. 6. 6. — S. Hieron. in Ezech. 44. 30.

Author libri *de duodecim abusionibus*, de Rege iniquo ait; *Sciat Rex, quòd, sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, nisi justitiam fecerit, primatum est habiturus. &c.*

ASPALATHVS.

Cap. IV.

10. ASpalathus, humilis statura frutex, nativum, suavemque odorem exhalat; qui tamen mirificè in ipso augescit, si iridem cœlestem supra se conspicuam habeat. Plinii hâc de re verba sunt; *Tradunt, in quocunque frutice curvetur arcus cœlestis, eandem, quæ sit aspalatho, suavitatem odoris exire, sed in aspalatho inenarrabilem quemdam.* Eò reflectens nonnemo, aspalathum sub iride cælesti pinxit, cum lemmate; VIRTUS HINC MAJOR. Haud aliter sapientia naturâ quidem suâ pretiosum odorem spargit; at gratiæ Divinæ ac charitatis supremæ arcu cincta, intensissimum fragrantiæ incrementum capit. Ita quoque Maria Virgo, tametsi ante Verbum Divinum, in utero suo conceptum cœlestibus gratiis ad miraculum plena fuerit, earumque fragrantiam, instar aspalathi, latissimè diffuderit; posteaquam tamen naturam Divinam & humanam, veluti gemina iridis cœlestis capita, in se unitas, & incarnationis Divinæ momento copulatas habuit, pretiosissimus ille sanctitatis & meritorum odor eousque excrevit, ut universus orbis exinde recrearetur. P. Cornelius à Lapide de Mariâ V. ait; *Licet illa ante Verbi conceptionem & incarnationem plena esset gratiâ, uti salutata est ab Angelo; tamen mox ubi Verbum in se concepit & corporavit, quasi plena Deo, mirabiles, sapientiæ & sanctitatis odores & ardores in Judeâ, ac deinde per universum orbem sparsit.* Et Salomon Mariæ Virginis ore; *Cùm esset Rex*, Deus nimirum incarnatus, velut iris cœlestis, *in accubitu suo; nardus mea dedit odorem suum; Nardus quippe*, subinfert Doctor Mellifluus, *herba humilis est, & pectus purgat; ut manifestum sit, humilitatem nardi nomine designari, cujus odor & decor invenerit gratiam apud Deum.* veluti diceret, Mariæ Virginis virtutes nunquam fragrâsse suavius, quàm Verbo incarnato, ceu Iride Cœlesti, illustratas.

Plin. l. 12. c. 24. — Litteratus justus. — Maria V. gravida. — *Corn. à Lap. in Ecclesiast. cap. 24. 10.* — *Cant. 1.* — *S. Bern. de Assumpt. ser. 4.*

11. Aspalathus, in vino decoctus, plurimum utilitatis habet cùm ad oris, tum ad partium genitalium ac sordidarum maligna ulcera curanda. Proinde non incongruè epigraphen, è Castore Durante mutuatam, eidem subjunges; ULCERA PURGAT. Sapientis correctoris, aut Confessionis sacramentalis hoc symbolum est; eorum enim beneficio fœdissima maledici oris ac libidinis ulcera expurgantur, ac pristinam sanitatem recuperant. Compendio dixit Magnus Augustinus; *Initium operum bonorum confessio est operum malorum.* De Correctore canit meus Carducius;

Correctio. Confessio. — *S. Aug Tract. 12. in Ioan.*

Frondibus & fibris Aspalathus ulcera purgat
Tabida corrector famine corda polit.

BASILICON.

Cap. V.

12. BAsilicum, levi manu fricatum, suavissimos odores spargit; at, si durius tractetur, eosdem malignos & insuaves senties. Unde lemma, QUO MOLLIUS, EO SUAVIUS. Ita sanè noster proximus, humanâ ac prudenti methodo correctus, amœnum pœnitentiæ thymiama exhalat; at asperius, quàm par est invasus, gravissimè exacerbatur, & ingratissimos scelerum & vindictæ fœtores evomit. Rectè monet S. P. Augustinus; *Nihil nocendi cupiditate fiat, sed omnia consulendi charitate: quia & plectendo & ignoscendo hoc solùm benè agitur, ut vita hominum corrigatur.* Eruditè Joannes Paschalius;

Correctio suavis. — *S. Aug. in Epist. 54.*

Ozima, si leviter tractes, leviterque terendo
Frices, ad nares gratior halat odor.
Corrige, sed leviter crimen correctio pungat,
Exiet è molli vulnere vera salus.

13. Inter celebriores Basilici proprietates hanc cumprimis deprædicat Castor Durantes, quòd ipsius semina

Exhilarant tristes, & mentis nubila pellunt.

Unde Emblematis locò apposité subscribes; MENTIS NUBILA PELLIT. Ipsissima hæc Spiritûs sancti in animam nostram effecta sunt; tristibus enim mentis humanæ effectibus procul fugatis, serenissimâ ac jucunda quiete eam profundit. Verissimè testatur Apostolus; *FRVCTVS SPIRITVS EST charitas, GAVDIVM, pax &c.* Lectio S. Pauli è S. Augustini pectore omnes hæsitantis ingenii nubes, quibus inter tot hæreses caligabant, disjecit: vix enim paucula hæc verba legerat, *Induimini Dominum Jesum Christum*, nullâ interpositâ morâ, *statim ab eo omnes dubietatis tenebræ diffugerunt.* Ita quoque præstantis Theologi aut Prædicatoris doctrina omne pristini erroris nubilum è sceleratorum animis profligat.

Spiritus [...] — *Galat. 5. 2[...]* — S. Scriptura. — *S. Possid. in vita S. Au[...]* — Doctrina

14. Mira est Basilici proprietas, quòd, dum seminatur, injuriis ac probris oneratum, felicissimè progerminet. Plinii verba sunt, *Cum maledictis & probris serendum præcipiunt, ut lætius proveniat.* Unde lemma; A PROBRIS FELICIUS. Certè, homines Apostolici inter malevolorum insultus ac sceleratorum contumelias miris incrementis promoventur. Testatissimè Christus; *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Audi S. Augustinum; *Neque timendum est, ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim facturus est? multa mala dicturus, opprobria jaculaturus, in conviciis sæviturus, sed quid tibi? Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces vestra magna est in cœlo. Ille in terrâ geminat convitia, tu in cœlo lucra.*

Plin. l. 19. c. 7. — Injuria utilis. — *Matth. 5. 11* — *S. Aug. in Psal. 54.*

BORAGO.

Cap. VI.

15. BOrago, floribus undique vestita, epigraphen tenet; FERT GAUDIA CORDI. Hanc Boraginis proprietatem probè perspectam habuêre veteres, unde illam etiam coraginem vocârunt. Idipsum effectu longè efficaciore in nobis operatur contemplatio cœli, illiusque possidendi fiducia. *Exaltatio oculorum*, Salomone teste, *est dilatatio cordis.* Regius Propheta, Creatorem suum affatus, de gratiæ Divinæ largitione dixit; *Dedisti lætitiam in corde meo.* Huic consonans Anna Prophetissa de se ipsa testatur, *Exultavit cor meum in Domino.* Quæ verba satis dilucidè persuadent, veram felicitatem non aliunde, nisi à solo Deo in animam nostram derivari posse. Nam, S. Bernardo asserente, *Illud verum & solum est gaudium, quod non de creaturâ, sed de Creatore concipitur.* Eâdem planè ratione virtus & bona conscientia pectori nostro suavissimam voluptatem affundunt. Clarissimè S. Paulus; *Fructus spiritûs est charitas, gaudium, pax &c.* Hunc locum interpretatus

Contemplatio cæ[li] — *Prov 21. 4* — Gratia D[ei] — *Psal 4. 7.* — *1. Reg. 2. 1.* — *S. Bernard. Epist 115.* — *Galat. 5. 2[2]*

Cæsar. A. l. Hom. 12.

tus S. Cæsarius Arelatensis, ait; *Verum gaudium non possidetur, nisi pax & justitia teneatur. Prima enim, & quasi radix justitia, secunda pax, tertia gaudium: de justitiâ nascitur pax, de pace gaudium generatur. Justitia & pax, quasi bona opera esse videntur: gaudium verò fructus esse bonorum operum intelligitur.* Et S. Bernardus, *Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terrâ quietius est & securius bona conscientiâ?* His omnibus subscribens Tullius, affirmatè pronuntiat; *Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum.* Et Seneca; *Bonum mansurum circumspice. Nullum autem est, nisi quod animus ex se sibi invenit. Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum.* Et alibi; *Sapiens nunquam sine gaudio est. Gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientiâ. Non potest gaudere, nisi fortis, nisi justus, nisi temperans.* Denique nervosè, & metro ad mores formandos accommodatissimo, Joannes Audenus canit.

Bern. lib. de considerat. — Cicero Epist. l. Familiar. Torquat. — Senec. Ep. 27. — Idem Ep. 59. — Auden. in Monost.

Gaudia vera dabit mens omnis criminis expers,
Heu mihi! quàm pauci gaudia vera ferent.

BRASSICA, CAVLIS.
Cap. VII.

16. GAbriel Viridarius, ad cognomen & insignia sua alludens, sequentia quatuor symbola è Brassicâ efformavit. Imprimis quidem Brassicæ inscripsit; UBIQUE VIGEO. Nam hæc herba, teste Joanne Ruellio, *nullam terram aversatur.* Innuebat nimirum, se etiam extra patriæ limites posse vitam ducere felicem, siquidem, quod Nero Imperator Symboli loco dixit, *Artem quævis terra alit.* Baptista Guarinus canit;

Virtus. — Bapt. Guar. suo P.F. Idyll.

Per tutto è buona stanza, ou' altri goda:
Ed ogni stanza al valent' huomo è patria.

17. Brassica, hiemis amans, nunquam evadit gratior, quàm rigente brumâ; uti ab experientiâ observatum habet Joannes Ruellius his omninò verbis; *Cùm gelicidia sensit, gratior cibus, teneres citque frigoribus.* Unde Brassicam, sub hyemis inclementiâ figuratam, hoc lemmate afficies; FRIGORE PERFICITUR. Cui affine est illud Caroli Rancati; DUM RIGEO, MAGIS VIGEO. Hinc disces, animam nostram, calamitatibus probè exagitam, ad perfectionem amplissimam excrescere. Compendio rem totam proponens Magnus Augustinus, ait; *Non vult refici, non vult perfici, non consummari, qui tentationes fugit.* Et S. Laurentius Justinianus; *absque spinis redolens nascitur rosa, NEQUE SINE TENTATIONIBUS PERFICITUR VIRTUS.*

Ruell. de Nat. Stirp. l. 2. c. 54. — Calamitates. — Aug. in Psal. 42. — Laur. Just. de Casto Connub.

18. Brassica, undique aperta, epigraphen sustinet; ME IPSUM PANDO. Ita sincerus hominis animus, fucum ac duplicitatem omnem extremè detestari solitus, interiora cordis sui sensa candidissimè explicat. Iis insuper hæc imago convenit, qui honoris sui incrementa non ex emendicato aliorum labore, sed à propriâ virtute sortiuntur. Ad hoc propositum Franciscus Petrarcha ait; *In te sit, aut ex te prodeat necesse est, unde obscurus aut clarus fias.*

Sinceritas. — Proprius valor. — Franc. Petr. de Remed. l. Dial. 6.

19. Brassica, nativâ suâ proprietate, herba omnes altitudine superat. Unde Ruellius, supra citatus, ait; *Nulla temere herba cole fit amplior.* Et rursus; *Visa est, ut fertur, septem cubitorum.* Eamobrem Gabriel Viridarius, quarti Symboli loco, Brassicam inter herbulas humiliores depinxit, cum epigrammate; VEL INTER HERBAS MAGNA. Significabat videlicet, pluris sibi videri, inter parvos esse magnum, quàm inter magnos parvū. Tantum enim præferebat generositatem, ut, quod vetus paræmia dicit, maluerit *esse caput lacertæ, quàm cauda leonis.*

Ruell l. c. — Animus generosus.

20. Nativa Brassicam inter & vitem antipathia est; nam brassicæ cibus omnes vini vapores reprimit, æstusque immoderatos, ab eb iet. te excitatos, temperat. Id quod Castor Durantes de Brassicâ hoc versu testatur;

Discutit & crapulam vini, noxamque repellit.

Proinde inscriptionem subjunges, NE GRAVET EBRIETAS. Verbis è S. Lucâ mutuatis; *Attendite, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Quando nonnunquam homines, nimiæ prosperitatis vino temulenti, passim inter vitia luxuriantur, suorumque affectuum habenas laxant, Deus, veluti noxiam illorum licentiam repressurus, calamitatum brassicâ eos pascit. *Non frustra instituta sunt supplicia,* inquit Magnus Ethicæ Christianæ Doctor Augustinus; *Hæc enim cum timentur, & coercentur mali, & quietius inter malos vivunt boni.*

Luc. 21. 34. — Calamitates utiles. — S. Aug. Ep. 54.

21. Brassica, naturâ suâ melancholiæ fomentum ac causa dicitur; Castore Durante teste;

-------- Mœroreque succus
Torpet.

Unde lemma; MOESTITIA REPLET. Eadem penè peccat in animam nostram effecta sunt; nam intra illam receptum, melancholiæ ac tristitiæ humores cumulatè affundit. Plutarchus id observans; *Pravitas,* inquit, *absque ullo apparatu simul atque dejicit, implet dolore, lamentis, mæstitia, pœnitentia hominem.* Certè Jonas, inobedientis & contumacis animi stimulis agitatus, ad navis sentinam, quietis capiendæ causâ, descendit; *Descendit ad interiora navis.* Id est, interprete Theodoreto, *Conscientiæ stimulis vexatus, mæstitiaque afflictatus, cogitationum suarum aculeos non ferre valens, ex somno sibi moliebatur consolationem.* In eundem locum commentatus P. Cornelius à Lapide, ait; *Mala enim conscientia parit mærorem, mæror somnum &c.*

Peccatum tristitiæ causa. — Plut. lib. an vitiositas ad infelicitatem suff. — Ion. 1. 5. — Theod. in hunc loc. — Corn. à Lap. in hunc loc.

22. Inter complures Brassicæ virtutes etiam hanc numerant, quòd exanimes fœtus è matris utero facillimè ejiciat. *Pellit & enectos fœtus,* inquit Castor Durantes; & prior illo Plinius, *Crudus caulis, si mandatur, partus quoq; emortuos pellit* Proinde epig. addere licet; EXTRAHIT ENECTOS PARTUS. Magni judicii ac prudentiæ Confessarium hoc Emblema spectat, qui suavi suâ methodo pœnitentem inducit, ut mortuos scelerum fœtus, intra ipsius animam, veluti in maternâ alvo miserè conclusos, expellat. Cæterùm quod de Confessario dictum, etiam de ipsâ Confessione intelligas velim. De Confessione ait Magnus Augustinus; *Deus confessionem nostram desiderat, ut habeat justam ignoscendi causam. Confessio justificat, confessio veniam peccatis donat, omnis spes veniæ in confessione consistit.* De Confessario canit meus Concanonicus Carducius;

Plin. l. 20. cap. 9. — Confessarius. — Confessio. — S. Aug. serm. 66 de Temp.

Extrahit enectos exesa ut brassica partus;
Ex animo crimen docta loquela trahit.

CAPILLUS VENERIS, seu Adiantum. Cap. VIII.

23. CApillus Veneris, quem alio nomine Adiantum vocant, nec inter æstatis ardores virorem suum amittit, nec inter brumæ rigores marcescit. Plinii verba sunt; *Æstate viret, bruma non marcescit.* Unde Bargalius inscripsit; IMMARCESSIBILIS. Hoc ectypo justum ac sapientem hominis animum delineabis, cujus ornamenta nec inter for-

Plin. l. 22. cap. 21. — Perseverantia.

tunæ blandientis prosperitates, nec inter adversantis ærumnas jacturam ullam patiuntur. S. Petrus Damianus Cardinalis hominem justum graphicè describens, ait; *Quem vel ventosa felicitas, vel adversitas turbida, vel cujuslibet peccati aura tenuior non inflectit.* Explicatissimè Spiritus sanctus; *Clara est*, inquit, *& quæ NUNQUAM MARCESCIT, sapientia*, seu, ut contextus græcus habet; *Splendida est, & IMMARCESSIBILIS.*

S. Pet. Dam.

Sap. 6. 13.

Plin. lib. 22. cap. 21.

24. Plinius de Adianto elegantissimè in hæc verba scribit; *Umbrosas petras, parietumque aspergines, ac fontium maximè specus sequitur, & saxa manantia, quod miremur, cùm aquas non sentiat.* Et paulò superius de eodem ait; *Aquas aspergit.* Adeoque quod mireris, nativâ suâ indole easdem aquas respuit, quarum viciniâ unicè delectatur. Unde lemma; RESPUIT ET APPETIT UNDAS. Genuina hæc Religiosi, nimium quantum ad res sæculares affixi, imago est; nam è vita mundana ad cœnobii septa transgressus, terrenis negotiis omnibus nuntium remittere decrevit; at postea voluntate illâ deserta, mundi vanitates anxiè curat, aulas frequentat, mercimonia instruit, litibus implicatur, usuris inhiat. &c. S. Hieronymus; *Si cupis esse, quod diceris, Monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum.* Et meus Carducius.

Religiosus mundanus

S. Hieron. in Epist.

Respuit effusus Adiantus, & appetit undas:
Sic petit ejectas Religiosus opes

25. Adiantum ita omni destitutum est radice, ut Plinius, superiore numero adductus, in hæc verba de illo scribat; RADIX NULLA. Religiosum hoc epigramma significat, qui conditionis suæ memor, in rebus terrenis nullas omninò radices defixas habet, sed totus in sublime ad Deum ascendit. S. Hieronymus, *Apostolici fastigii, perfectæque virtutis est, omnia simul vendere, & pauperibus erogare, & sic expeditum, cum Christo ad cœlestia volare.* Meus Carducius in rem præsentem canit;

Religiosus

S. Hieron. in Epist.

Alligat ut radix adiantum nulla cavernis,
Sic virtus fibras non iacit una solo.

Aulicus.

Convenientius tamen hoc Emblema aulicos repræsentat, qui palatii parietibus adhærescentes, externum quemdam virorem ostentant; at radice penitus destituti, Principum gratiis semper diffidere, ac caducos favores nunquam non formidare debent. David illos candidè monens, *Nolite*, inquit, *confidere in principibus, nec in filiis hominum, in quibus non est salus.* Rursus meus Carducius;

Psal 145. 2.

Germinat ut nullis fibris adiantus in antris:
Sic sine fibrâ aulæ spes foliosa viret.

26. Adiantum, aquis perfusum, siccum manet. Illud proinde Zincgreffius hoc lemmate notavit; NEC TAMEN HÆRET. Idipsum de illo dixerim, qui contumelias in se jactas tranquillo animo negligere ac dissimulare potest. Diogeni quidam dicebat, *plures te irrident: Ego verò*, respondit, *non irrideor, quia nihil risu illorum inferior & moveor.* S. P. Augustinus; *Quidquid delectabile de temporalibus rebus mundus ingesserit, respuatur: quidquid infremuerit asperum atque terribile, contemnatur. Et qui sic agit, non dubitet, se Christi adhærere vestigiis.*

Patientia.

S. Aug serm 37 de Diversis cap. 4.

CAPPARIS.

Cap. IX.

27. CApparis, tametsi inter saxorum hiatus, aut petrarum fissuras plantata, suum tamen virorem integrum ac illibatum conservat. Unde Bargalii lemma; IN ARIDO VIRET. Vera virtus, hoc typo exactè descripta, inter calamitatum squalores, ac ærumnarum duritiem felicissimè floret. De generosâ quâdam viragine Salomon, veluti admirabundus, quærit; *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens?* Enim enim è loco arido deserto, ac horroris pleno ascenderit, nobilissimis tamen ornamentis, omnique mundo muliebri amicta incedebat. Porrò virginitas cappari simillima, nonnisi *in arido viret.* quippe quæ virorem suum nullâ aliâ ratione intemeratum conservare solet, nisi abstinentiæ, mortificationis, ac carnis extenuatæ rigoribus probè macerata. Quin, ipsum etiam humanū corpus inter abstinentiæ & jejunii ariditates melius custoditur, suamque sanitatem diutius propagat. S. Joannes Chrysostomus id luculentè affirmans, ait; *Moderatè edentium corpora robusta sunt, sensusque expeditè munus suum explent: illorum verò, qui gulæ & luxuriæ student, flaccida, & quâvis cerâ molliora, & morborum examinibus obsessa.*

Virtus.

Cant. 8. 5

Virginit.

S. Io Chry. Orat. de Ingluvie.

28. D. Archangelus Conter capparim, intra petras felicissimè crescere solitam, hoc lemmate insignivit; DURA PLACENT. Heroicum hominis pectus nullibi aliàs, nisi inter durissimam adversæ fortunæ tyrannidem augescere cupit. Hoc sensu Cato apud Lucanum;

Heroicus animus.

Lucan.

----- Serpens, sit, ardor, arenæ,
Dulcia virtuti; gaudet patientia duris.

Eâ ipsâ imagine etiam sancti Martyres exhibentur, qui malorum perpessione mirificè gaudent. De S. Paulo testatur D. Chrysostomus; *Tribulationibus ut deliciis utebatur; livoribus, quasi quibusdam gloriabatur coronis, squalore carceris ut paradisi amænitate gaudebat.* Et de S. Stephano Ecclesia canit; *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Denique omnes Eremitæ illani sibi propriam vendicant, qui civitatum deliciis contemptis, liberrimâ voluntate intra horridas ac desertas saxorum cavernas domicilium figere decreverunt.

Martyres.

S. Chrysost.

Eremita.

CARDVVS.

Cap. X.

29. CArduus, ut candorem induat, hyemis tempore humo cooperiri solet. Unde lemma; PURGATUR OMNE PESSIMUM. Devotus quidam miseras animas, in piacularibus flammis detentas, hoc Emblemate significat. Tertullianus; *Et ille te (Angelus executionis) in carcerem mandet infernum, unde non dimittaris, nisi modico quoque delicto morâ resurrectionis expenso.* Idipsum in homines etiam vivos convenit, qui ab hostibus miserè depressi, suffocati, ac penè sepulti, conscientias ab omni scelerum sorde expurgatas sortiuntur. Præclarè S. P. Augustinus; *Tuum corpus premit adversitas, illius persequentis animum putrefacit iniquitas. Nam & quidquid in te profert, in illum redit. Illius enim PERSECUTIO TE FACIT PURGATUM, illum reum.* Arcta regularis observantiæ disciplina humanam mentem ab omni labe purissimam conservat. S. Bernardus; *Non ætatem teneram ordinis asperitas terreat, memento quòd asperior cardo pannum facit leniorem, conversatio conscientiam.*

Purgatorium.

Tertull. L. Anima c.

Rigor religiosus ulis.

S. August. Psal. 36. Conc. 2.

S. Bernard. Epist. 351.

30. Carduus ab hortulanis tamdiu detinetur sub terrâ sepultus, donec pristino amarore relicto, gustui arrideat, ac suavem saporem contrahat. Unde lemma; DONEC DULCESCAT. Hanc normam

studiosè

studiosè observans Deus, homines flagitiosos iteratis calamitatibus tamdiu deprimit, donec saporem virtuosum, ac palato Divino suavem induant. Assyriorum Bellidnces, Deo sic ordinante, *cœperunt Manassen, & vinctum catenis, atque compedibus, duxerunt in Babylonem*, ibique in carceris profundo conclusum detinuerunt; at verò, *postquam coangustiatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde.* Unde etiam paulò post Hierosolymas reductus, solium regium, unde exciderat, denuò recuperavit. Rectè de tribulatione pronuntiat Magnus Augustinus; *Humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem semper viventem.*

31. Carduus spinosus poliendis ac complanandis pannis inservire solet. Lemma; EXPOLIT, ET LÆVIGAT. Eosdem effectus mens humana è calamitatibus sortitur; certè Pharao, multis modis afflictus, tandem resipuit. Antiochus, dolorum acerbitate exagitatus, sese Deo submississimè devovit. Saulus, cùm horrendas minas jactaret, oculis captus, & in terram prostratus, mox voce mansuetissimâ Deum inclamavit; *Domine quid me vis facere?* Ut adeò S. Gregorius Papa optimè dixerit, hostium & persecutorum injurias instrumenti loco deservire, ut anima nostra, pristinis defectibus liberata, veræ perfectionis planitiem induat. *Mali enim bonos magis hujus mundi desideriis expediunt, dum affligunt.*

32. Scotiæ Equites, quibus à Carduo nomen, Symboli loco carduum præferunt; cum epigrammate; NEMO ME IMPUNE LACESSIT. Nempe animum suum promptum & resolutum demonstrant, ad quasvis irrogatas injurias ex æquo vindicandas. Hæc enim ulciscendi libido humano pectori nimiùm quam ùm adhæresit; siquidem, asserente Justo Lipsio, *Lubentius homines injurias, quàm beneficia meminimus, & ultioni, quàm gratiæ parati sumus.*

33. Carduus sylvestris, quâvis parte acutis & pungentibus spinis armatus, inscriptionem subjunctam habet; NON NISI ACULEOS. Linguam mordacem ac satyricam, nec unquam non ad offensas irrogandas aculeatam, hæc imago describit. Opportunè de hâc hominum sorte vaticinatus Habacuc, ait; *Nunquid non repentè consurgent, qui mordeant te, & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?* Et expressissimè David; *Filii hominum, dentes eorum arma, & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.* Certè aculeis undique fornudanda Michol, ubi Regem Davidem veste nonnihil succinctâ ac humili ante arcam saltare conspexit, quantocius contumeliam hanc mordacissimam in maritum defixit, *Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est quasi si nudetur unus de scurris.* Judæi quoque, in Christum aculeatissimi, linguam habuêre tot fatalibus spinis armatam, quot in eum verba sparserunt; Unde magnus Augustinus ait; *Judæi occiderunt gladio linguæ, quando clamaverunt, crucifige.* Cæterùm nisi Emblematis hujus corpus admodum esset vile, Scriptoribus ill s accommodari posset; qui ingenio vivacissimi, sua volumina meris acuminibus respergunt: uti præ reliquis fecere Cornelius Tacitus, Seneca, S. Hieronymus, maximè in Apologiis, & alii.

* * *

CEPA.

Cap. XI.

34. Cepæ ab Ægyptiis Deorum loco adorabantur. Plinio teste, *Allium, cepasque inter Deos habebat Ægyptus.* Eò animum reflectens Joannes Ferrus, simulque observans, cepas rusticorum esse cibum, epigraphen subjunxit; NUMEN, ET OBSONIUM. Ipsissimæ hæ lascivorum sunt delitiæ; Idola enim fœtidissima adorant, usque, ut pote cibo vel ipsis vermibus abominando, avidissimè pascuntur. Quod verò infamis fœmina instar Numinis adoretur, Aristotelis exemplo probatur, de quo testantur Aristippus & Laërtius, ipsum, post peractam cum meretrice libidinem, *gaudio elatum, immolâsse mulieri, ut Athenienses Eleusinæ Cereri.* Quòd insuper fœmina à lascivis gratissimi cibi loco habeatur, celebris quidam Poëta, à Joanne Tuilio adductus, hoc poëmate testatur;

Mentre la Nicolosa
Durò giovane, e fresca,
A la fame amorosa
Fù sempre public' esca &c.

35. Cepæ lachrymas ex oculis nostris provocant; Plinio teste, *Omnibus etiam (cepis) odor lachrymosus.* Unde Abbas Ferrus inscripsit; CIT LACHRYMAS. Haud aliter voluptates terrenæ, ac crebra peccandi licentia, omnium calamitatum & lachrymarum sunt scaturigines. Benè dixit S. Gregorius Papa; *Quid per porros & cepas exprimuntur, quæ plerumque, qui comedunt, lachrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis, quæ à dilectoribus suis & non sine luctu agitur, & tamen cum lachrymis amatur.* Eadem veritas nec ipsos quoque Gentiles fugiebat, inter quos facilè primus Seneca, ait; *Si appetis voluptates, & undique, & omnes, scito tantum tibi ex sapientia, quantùm ex gaudio deesse. Ista, quæ sic petis, tanquam datura lætitiam, ac voluptatem, causæ dolorum sunt.*

36. Cepa, vulgari symbolo, fucatum ac duplicem hominis animum designat. Ut adeò, meâ quidem sententiâ, non abs re eidem inscripseris. NON TEGMINA DESUNT. Idipsum sanè, quod olim Cassianus de vanâ gloriâ, etiam de homine simulato ac vitioso pronuntiare licet. *Pulchrè seniores nostri naturam morbi hujus (cenodoxiæ) in modum cepæ, bulborumque describunt, quæ uno decorticata tegmine, alio rursum inveniuntur induta, totiesque reperiuntur objecta, quoties fuerint expoliata.* Quòd si diversa hominum fucatorum stratagemata videre cupis, S. Gregorium consulito, qui super illa verba, *Deridetur Justi simplicitas*, ait; *Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare.* Et mox subjungit; *Ab eis (vitiosis) hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas urbanitas vocatur, &c.*

37. Henricus Farnesius observat, cepas, lunâ crescente, extenuari ac decrescere. Unde cepæ, infra lunam figuratæ, inscribes; TE CRESCENTE, DECRESCO. Hominis invidi pectus tantundem decrementi accipit, quantùm aliorum prosperitati ac gloriæ accrescit. S. Cyprianus; *Qualis est animi tinea zelare in altero felicitatem: in malum proprium aliena bona convertere: illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam &c.*

Fff 4 38. Cepa,

(Margin notes, left column: [...]alamitas [...]ilis. — Paralipp. [...] 11. — [...] d n. 13. — Aug. in [P]salm — [c]alamitas. — [...]7. 9. 6. — Greg. l. 26. [M]oral. c. 9. — [V]indicta. — [...]ſ. in ſa[...]rnal. — [Li]ngua [m]ordax. — [...]ib. 2. 7. — [...]l. 56. 5. — Reg. 6. 20. — Aug. in [...] l. 63. — [In]genium [ac]utum.)

(Margin notes, right column: Plin. l. 19. cap. 6. — Mulier lasciva. — Laertius in vita. — Io. Thuill super Embl. Alciati. — Plin. l. 19. c. 6. — Peccatum. — S. Greg. l. 20. Moral. c. 16. — Senec. Ep. 59. — Animus duplex. — Cassian. lib. 11. c. 5. — S. Greg Papa l. 10. Moral. cap. 16. — Henric. Far. de Virtut. Princ. l. 1. Elog. 28. — S. Cypr. l. 2. de zelo & livore.)

38. Cepa, quamdiu vestita manet, humanis sensibus penitus est innoxia. At cortice suo nudata, mox odore nares oculosque offendit, & lachrymas ex iis violenter exprimit. Unde lemma; NUDATA NOCET. Ita quamdiu silentio & temporis longinquitate, quasi sub quibusdam involucris, premuntur vitiosæ hominis cogitationes, nullius dispendii aut offendiculi materiem subministrant; confestim verò, ut cortina removetur, & spectantibus aliis in opus prodeunt, tum enimverò pessimi exempli, scelerumque plurimorum sentinam advehunt. Eodem Emblemate disces, animi nostri affectus, ne facilè in nostram & aliorum perniciem erumpant, sedulò custodiendos, ac prudentiæ velo probè coërcendos esse: sensibus enim minus circumspectis eliciti, ingratum sive propriæ, sive alienæ calamitatis odorem spargunt. Unde inopinatâ morte extinctus dicitur Isboseth, quia domui custodiendæ non ostiarium, sed ostiariam præfecit. Fortis namque, virilisque sensus præ pectoris nostri foribus excubare debet, quē nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. Salomonis consilium est; *Omni custodiâ serva cor tuum; de corde enim exierunt cogitationes malæ.* Quocirca senex ille apud Moscum hoc singulare suis dabat monitum; *Esto janitor cordis tui, ut nihil, nisi te conscio, tuâque ratione probante in illud ingrediatur vel egrediatur.*

Silentium.

Affectus custodiendi.

Prov. 4. Matth.

Mosch. in Prato spirit. c. 110.

CROCUS.

Cap. XII.

39. De croco scribit Plinius; *Gaudet calcari & atteri, pereundoque melius provenit.* Quare herba ista epigraphen sustinet; CALCATA VIRESCIT. Vel, ATTRITU MELIOR. Argumentum hinc minimè obscurum delumes, mortificationis adminiculo, ceu sensuum gravamine, animam in suavissimos virtutum vırores, progressusque optimos efflorescere. Cassiodorus super illud Psalmi; *Qui sanat contritos corde,* ait; *Mirabile genus curationis edicitur: ut si restaurari volumus, nosmetipsos vivacissimè conteramus; sed ista contritio ad redintegrationem pertinet, ad soliditatem deducit. &c.* Nec aliter S. Franciscus Salesius, *Honores,* inquit, *tituli, nomina, gradus, & dignitates adinstar croci sunt, tunc melius crescentis, & latius provenientis, cùm pedibus conculcatur.*

Plin. lib. 21. cap 6.

Calamitas juvat.

Cassiod. in Psal. 146. 3.

S. Franc. Sal. p. 3. Introd. cap. 4.

40. Crocon, pedibus conculcatum & depressum, incrementa longè maxima sortitur. Unde lemma; CONCULCATUM UBERIUS. Vel, PULCHRIOR ATTRITA RESURGO. Certè hominis justi anima, vel Sancta Ecclesia inter hostium insultus ac contumelias felicissimum augmentum capiunt. Appositè S. Hilarius; *Hoc proprium habet Ecclesia, ut, DUM OPPRIMITUR, CRESCIT; dum contemnitur, proficit; dum læditur, vincit; dum arguitur, intelligit; & tunc stat, cùm superari videtur*

Persecutio utilis. S. Ecclesia.

S. Hilar. de Trinit.

41. Nativa Croci proprietas, quòd nimiùm usurpatus, hominem tantâ hilaritate perfundat, ut illum risu enecet. Castor Durantes de eo testatur;

- - - - - Risu concutit usque.
Lætitiâque necat nimia.

Proinde epigraphen subjunges; LÆTITIA NIMIA NECAT. Mundum hæc idea cumprimis spectat, qui humanum pectus crapulâ, libidine, ambitione, otio, cæterisque vanissimis & stultis suis illecebris deliniens, tandem in extremas angustias præcipitat. Hoc sensu S. Gregorius Nazianzenus hominis mundani ore canit;

Mundus.

S. Greg. Naz.

Id facio, quod mens mea damnat, & odit
Oblectorque malis, mortemque in pectore fixam
Rideo Sardonico risu.

CUCURBITA.

Cap. XIII.

42. Nonnemo, modestiæ conservandæ causa, proprias virtutes abscondere solitus, licet animam sapientiæ sale probâ habere conditam, vultu tamen exteriore se hominem incultum ac rudem demonstrabat. In hujus encomium cucurbitam depinxêre, sale repletam, ac hoc Intronatorum Senensium lemmate insignem; MELIORA LATENT. S. Petri Damiani documentum est, *OCCULTANDA SUNT ergò fratres, BONA, quæ agimus &c.* Huic conformis Richardus Victorinus, ait; *Occultat bona sua anima devota, ut laudes non audiat.* Eandem doctrinam, S. Paschasio asserente, sedulò observatam habuêre Sancti Magi, qui thesauros suos, è Mundi ac Herodis conspectu studiosè subductos, solius Dei oculis spectandos reservârunt. *Suis apertis thesauris,* inquit, *et munera obtulisse Scriptura testatur. Quo facto magnum Religionis nostræ sacramentum aperitur. Unde THESAUROS nostros in via MINIME PANDAMUS, donec transpositi soli Domino devoti ex reconditis secretorum cordium thesauris munera offeramus.*

Virtus al[...] condita.

S. Pet. Da[...] Ser. de S. Ba[...] batione

Rich. de S. Vict. in Car[...] p. 2. c. 29.

S. Paschas. l. 2. in Matt[...]

43. Cucurbita, penitùs excavata, epigraphen tenet; MELIORA UT RECIPIAT. Ita Eleemosynarius opes suas terrenas liberali voluntate erogat, bonis æternis paulò post cumulatè locupletandus. *Dum enim,* inquit meus Hugo Victorinus, *justi se & sua pro Domino in præsenti sæculo tribuunt, in futura beatitudine, pro transitoriis & commutabilibus, æterna possidebunt.* Affirmatè in nostram sententiam concedens Venerabilis Beda, ait; *Qui propriam pro Domino substantiam novit dispensare, remunerante ipso, pro terrenis cœlestia dona recipit.*

Eleemos[...] narius.

Hug. Vict. l[...] de Bestiis c.

Beda in Pro[...] cap. 12. v. 2[...]

44. D. Nicolaus Cancellarius, Nobilis Pistoriensis, qui antiquissimam prosapiam suam cum illustrissimâ doctrinâ connubio prorsus raro & excellenti, junctam habebat, Symboli loco cucurbitam sibi pinxerat, solaribus radiis expositam, & hoc lemmate poëtico insignem; SECCATO IL SEME S' EMPIRA' DI SALE. Id est; SEMINE DISCUSSO, SALINUM. Dicere volebat, animam humanam tum demùm sapientiæ Divinæ sale pro meritis suis plenam fore, quando vanitatibus terrenis ex integro evacuata fuerit. Eamobrem Propheta Regius, bonitati Divinæ supplex, clamabat; *Velociter exaudi me Domine; defecit spiritus meus.* Tantundem enim se gratiæ Divinæ recipiendæ capacem ac dignum existimabat, quantùm ab omni rerum mundanarum affectu expurgatus fuerat. Mirâ animi sui voluptate piissimus Augustinus Deum suum his vocibus inclamabat; *Impleat me spiritus tuus, quia defecit spiritus meus. Ipsa est causa ut citò exaudias, quia defecit spiritus meus. Factus sum jam pauper spiritu, beatum me fac in regno cœlorum.*

Sapientia Dei cor va[...] cuum inhabitat.

Psal. 142. 7.

S. Aug. in hunc loc.

45. Scipio Bargalius Cucurbitam, toto suo orbe plenam ac planam, hoc lemmate exornavit; ABSQUE NODIS, ET RUGIS. Eandem animi planitiem in homine sincero, simplici, & innocente deprehendere licet. Hoc sensu Servator de Nathanaële testatus est *Ecce verus Israëlita, in quo dolus non est.* Encomium non absimile Jobus à Deo retulit; *Erat vir ille simplex & rectus.* Joannes Pineda in hunc locum ait; *Ut simplicitas veritatem quamdam efferat, omnis falsitatis & simulationis expertem.*

Sinceritas.

Joan. 1. 47.

Iob. l. 1.

Io. Pineda in hunc loc. n. 51.

46. Cucurbita, mari innatans, epigraphen tenet; ABLUOR, NON OBRUOR. Ita calamitates, instar turbati maris, adversùm nos jactatæ, mentibus humanis expurgandis potius & abstergendis, quàm suffocandis inserviunt. Explicatè S. Joannes Chrysostomus; *Qui in mediis tentationum procellis constituuntur, si solertes admodum sunt, & studiosi, omnem socordiam abstergunt, & à se depellunt.* Et rursùs; *Tunc ANIMA PURGATUR, CUM propter Deum TRIBULATUR.*

[margin: Calamitas codest. — Io. Chrys. cap. 5. Isa. im Hom. 5. ad Pop.]

47. Omnium fructuum cortices, veluti humanis usibus penitus inutiles, in sterquilinium abjici solent; solo Cucurbitæ cortice excepto, qui sali, vino, leguminibus, hortorum seminibus, aliisque rebus asservandis opportunissimè deservit. Eò animum advertens Alcibiades Lucarinus, epigraphen addidit; ET CORTEX AD USUM. Ita benigni & officiosi animi homo aliorum commoda promovendo mille rationes excogitat. Porrò quia cortex propriissima est operis externi imago, idcircò non abs re dixeris, sicuti cortex cucurbitæ aridus, omnique medullâ destitutus, etiamnum humanis usibus deservit; ita externos nostros modestiæ, pacis, aliarumque virtutũ mores ad proximi nostri utilitatem plurimùm conferre. S. Hilarius; *Utilis est præsentia Sancti timentibus Deum, quia necesse est, profectum aliquem ex imitatione illius consequantur.* Et S. Ambrosius. *Plerisque justi aspectus admonitio correctionis est.* Exemplo suo id comprobat S. Lucianus Martyr, qui, Laurentio Surio teste, etiam cùm taceret, solâ vultus sui compositione, modestiâ, serenitate, ac gravitate præsentibus Ethnicis firmissimè persuasit, Deum, à Luciano adorari solitum, verum, unum, ac solum esse.

[margin: Persona officiosa. — Præsentia justi. — Hilar. in Psal. 118. 74. Ambr. ser. in Ps. 118. 47. 7. Ianu.]

48. Cucurbitam, frondibus undique ornatam, & pino nixam, hoc lemmate affecerunt; CITO NATA, CITO PEREUNT. Vel ut aliis placet; BREVIS GLORIA. Hinc discas velim, quàm labilis & caduca sit quævis mundi voluptas. Verissimè S. Gregorius Nazianzenus,

[margin: Felicitas brevis. — S. Greg. Naz. Sent. lib. 2.]

> *Felicitatem non ames, quam fert dies;*
> *Nam QUOD DIES CONSTRUXIT, ID SOLVIT DIES.*

Et Menander; *Quàm facilè cadunt, qui secunda fortuna utuntur!* Andreas Alciatus, apologum illum, à Petro Crinito & S. Cyrillo scriptum, innuens, Emblematis loco cucurbitam pinxit, quæ foliis ornata, ac pini cacumine nixa, epigraphen tulit; IN MOMENTANEAM FELICITATEM. Mentem Emblematis hoc epigrammate explicat;

[margin: Alciatus Embl. 125. Pet. Crinit de honestâ discip. l. 2 c. 14.]

> *Aëriam propter crevisse cucurbita pinum*
> *Dicitur, & grandi luxuriâsse comâ.*
> *Cùm ramos complexa, ipsumque egressa cacumen,*
> *Se præstare aliis credidit arboribus.*
> *Cui pinus, Nimium brevis est hæc gloria; nam te*
> *Protinus adveniet, quæ malè perdat hyems.*

Eodem sensu S. Cyrillus, superiore loco adductus, ait; *Quod maturè crescit, citò decrescit.* Et Comicus;

[margin: S. Cyrill. loc. cit.]

> *Esse non potest celebre, quod celeriter nascitur.*
> *Fructus esse diuturnus, ac præcox nequit.*
> *Fortuna, quem raptim effert, raptim destruit.*

49. Cucurbita, frondibus suis excelsam transcendens arborem, epigraphen è Martiali subjunctam habet; IMMODICIS BREVIS ÆTAS. Verba Poëtæ sunt;

> *IMMODICIS BREVIS est ÆTAS, & rara senectus.*

Ita nimirum benignior fortuna, quò magis inexpectata ac grandis homini accidit, eò fragilior censeri debet. Apollodorus, Comicus Græcus, apud Joannem Thuilium canit;

[margin: Felicitas caduca. — Io. Thuil. Embl. 125.]

Ha-

Habent per ampla bona fortunæ metum,
Periculoque non carent prælustria,
Nec ulla celsa tuta sunt mortalibus,
Quæ evertere vel invidia, vel tempus solet;
Felicitatis culmen ubi quis attigit.

Juvenal. Sat. 2. Juvenalis;

------------ Jam nunc ad culmina rerum
Injustos crevisse reor: tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Seneca in Thyeste. Et Seneca;

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Coronidem addit verissimum Comici dictum;

Clarius quò fulsit ignis, citius hoc extinguitur.

FERULA.

Cap. XIV.

50. IN Apuleiâ, Campaniâ, Romaniâ, & Tyrrheno Senensium littore copiosissimas ferulas reperire est, quæ ad eam altitudinem excrescunt, ut hominis staturam adæquent. Illarum stipites, si exarescant, adeò duræ & leves efficiuntur, ut tremulis senibus aut ægrotis firmissimi baculi loco inserviant. Castoris Durantis de ferulâ testimonium est;

Calefacit, extenuat ferula, est baculusque senectæ.

Spes in Deo. Unde D. Salvator Carducius Ferulæ, Emblematis loco, inscripsit; FULCIMINA SENI. Spes, in solo Deo collocata, non abs re cum ferulâ comparatur; veluti quæ senes, jamjam collapsuros; ac homines, infirmitate præcipitandos, firmissimè sustentat. *S. Laur. Iust. c. 2. de spe.* S. Laurentius Justinianus, idipsum de spe testatus, *Ipsa est*, inquit, *baculus necessarius peregrinantibus in viâ præsentis vitæ, non enim fatigantur vel debilitantur sperantes in Domino &c.* *S. Aug. Conc. 1. in Psal. 32.* Et S. P. Augustinus; *Dominus tuus factus est tibi quasi baculus securus; homo incumbit, quia ille non succumbit.*

51. Hæc herba asinis cibum præbet gratissimum, reliquis verò jumentis omnibus, instar veneni, mortifera & fatalis accidit. Rursus Castor Durantes canit;

------ Asinis gratissima, verùm
Jumentis reliquis hæc dicitur esse venenum.

Eamobrem D. Carducius epigraphen subjunxit; Tribulatio NEX BRUTIS, ROBUR ASELLIS. Ita omninò diversissima calamitatum effecta sunt; nam, instar ferulæ, in animos hominum patientes plurimum utilitatis conferunt; contrà verò peccatoribus, brutorum simillimis, extremam perniciem creant. Idipsum, quamvis diversâ metaphorâ, explicans S. Laurentius Justinianus, ait; *S. Laur. Iust. l. de pat. c. 2.* *Sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; ita unâ, eâdemque tribulatione irruens, bonos probat, purificat, & elucidat; malos autem damnat, vastat, & exterminat.* Et Petrus Bercorius: *Pet. Bercor. l. 11. c. 64.* *Ferula, id est, adversitas, vel etiam disciplina, vel correctionis severitas, quæ bonos juvant, malos occidunt spiritualiter, & indurant exemplo Pharaonis &c.*

52. Succus, è ferulæ stipite destillans, Castore Durante teste, oculorum debilitati medetur. Verba ipsius sunt;

----- Lumina clara facit.

Tribulatio utilis. Unde D. Carducii lemma; SUCCO LUMINA LUSTRAT. Indicabat haud dubiè, calamitatum & suppliciorum ferulam animo nostro aperiendo & excitando mirificam opem præbere. Isaias id dilucidè affirmans, ait; *Isa. 28. 19* *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Et S. Gregorius, de peccatore differens; *S. Greg. l. Moral. c.* *In pœnâ suâ oculos aperiet, quos diu tenuit clausos in culpâ.*

FILIX.

Cap. XV.

53. PLinius duas filicis species affert, easque ambas floribus ac semine destitutas. *Plin. l. 2 cap. 9.* *Filicis*, inquit, *duo genera, nec florem habent, nec semen.* Quare suppositâ hâc doctrinâ, filici inscribes; FLORE, ET SEMINE CARET. Indocti Hominem, omni insigniore talento destitutum, hoc Emblema concernit; quippe qui proprio decori promovendo nullos virtutum flores, nec ullum doctrinæ semen in aliorum commodum proferre potest. Unde ad Sacerdotes S. Chrysostomus; *S. Chrys. in 3. Math. super illis, quæcunque dixerint vobis, facite* *Apibus herbæ non sunt necessariæ, sed flores; sic & vos flores doctrinæ colligite, & conversationem relinquite.*

54. Filicem, tam marem, quàm fœminam, generationis humanæ hostem fatalem esse ajunt; siquidem utraque, Castore Durante teste,

---------- Abortum
Et facit, & sterilem reddit.

Plin. l. c. Huic conformis Plinius; ait, *Neutra danda mulieribus, quoniam gravidis abortum, cæteris sterilitatem facit.* Proinde filici inscribere poteris; ABORTUS, ET STERILITAS INDE. Ita omninò malum Exemplum malum. exemplum, & vitiosa consilia conceptos virtutum fœtus enecant, ac deplorandam sanctarum operationum sterilitatem in animam inducunt. S. P. Augustinus; *S. Aug. l. de Pastor.* *Qui in conspectu populi malè vivit, quantum in illo est, eum, à quo attenditur, occidit.*

55. Tametsi Plinius, superiore numero adductus, doceat, nullum filici semen esse; *Plin. l. c. Dur. in Filb.* Castor Durantes tamen observat, è posteriore foliorum parte illius semen adeò minutum delitescere, ut oculos fallat, nec nisi difficillimè discerni possit. Unde Carducius lemmatis loco subjunxit; SEMEN HABENT FRONDES. Et quidem, cum è SS. Patrum sententiâ, frondes verborum nostrorum sint symbolum, verissimè omninò dicitur, *semen habent frondes*; nam verba nostra, sive bona, sive mala, in auditorum aures ac pectora individuum virtutis aut vitii semen spargunt. Eâdem icone magistrâ discamus, Verba & facta. verborum nostrorum frondibus virtutis semen conjungere, ut & laudis reddamur capaces, & illam D. Prosperi sententiam assiduo animo volvamus;

Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis,
Nipsa mens habeat, quod benè lingua sonat.

Optimam S. Isidori Pelusiotæ cohortationem ita accipe, *S. Isid. Pel. l. 5. Ep. 26* *Consulendum est dicturo, ut non verbis tantùm, sed re ipsâ persuadeat auditoribus, &c.*

56. Si verum est, quod, referente Castore Durante, vulgus sibi persuasissimum habet, nimirum filicis maris semine dæmones fugari; non abs re eidem cum D. Carducio hanc epigraphen subjunges: SEMEN TARTARA TERRET. Certè Christus, ex A- Christus dæmones terret. brahami semine natus, omnibus inferni monstris formidandus extitit. Ad rem nostram egregiè declamans S. Chrysostomus: *S. Chrys. Hom. 8. in Ep. ad Ro.* *Sunt nobis*, inquit, *incantationes spirituales ipsum nomen Domini nostri Jesu Christi: tum ipsius Crucis potentia. Hujusmodi*

incantatio non solùm Draconem à spelæ abigit; atque in ignem conicit, sed etiam vulneribus quoque medetur. Et prior illo S. Joannes Evangelista; *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

Joan. Epist. 1. cap. 3. 8.

57. Miram de silice fæmellâ proprietatem refert Castor Durantes, quòd, si ipsius germina baculo decutiantur, succus ex iis destillans, radices omnes interficiat. Proinde herbam istam, stillante ramorum suorum succo madefactam, D. Carducius hoc lemmate affecerat; SOBOLIS ME FUNERAT HUMOR. Patrem, filiorum culpâ ad extremas ærumnas detractū, hæc imago spectat. David, ob Absalonis lapsū intensissimè afflictus, *& flevit, & sic loquebatur vadens. Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* Et prior illo Jacob, de Josephi sui morte factus certior, *scissis vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore;* quin, solatium omne respuens, inquiebat; *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Denique Mariam Virginem sub Cruce ex Divinæ *sobolis humore* tristissimam, ac penè *funeratam*, hæc imago repræsentat; S. Ildephonsus; *Beata Dei genitrix jure plusquàm Martyr est, quæ nimio amore vulnerata, testis extitit Salvatoris, & præ mærore in animo cruciatum sustinuit passionis.*

Cast. Dur. in Herbario. — Pater ob filii culpam mœstus. — 2. Reg. 18. 33. — Gen. 37. 34. — Maria V. sub cruce. — S. Ildeph. ser. de Assumpt.

FOENICVLVM. Cap. XVI.

58 E communi Physicorum suffragio, fœniculum gustatum oculos mirificè juvat. Multorum instar Bercorius esto; *Succo ejus*, inquit, *serpentes oculos liniunt, & herbam ejus in pastu sumunt, & sic visum clarificant.* Et Durantes; *Exacuitque oculos.* Unde subscribere licet; LUMINA CLARA FACIT. Magistri spiritualis hæc idea est, qui, ignorantiæ fuligine à filiorum ingeniis abstersâ, eorum obtutum virtute suâ apostolicâ perfectè illustrat, ac splendoris Divini acumine imbuit. S.P. Augustinus; *Debet Divinarum Scripturarum Doctor fides, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, & hoc opere & sermone conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus, quid expectare debeant, intimare.*

Bercor. l. 12. Reduct. c. 63. — Magister spiritualis. — S. Aug. l. de Doctrin. Christ.

59. Fœniculum à serpentibus plurimùm laudis & nobilitatis accipit; ut qui, eo gustato, veteres suas exuvias deponere, ac quotannis innovari solent. Plinius consuetâ suâ elegantiâ id exprimens, ait, *Anguis hyberno situ membranâ corporis obductâ, fœniculi succo impedimentum illud exuit, nitidusque vernat.* Quare meus Carducius fœniculum hoc epigrammate donavit; SENIUM SERPENTIBUS AUFERT. Verbum Dei hos ipsos effectus in hominibus Christianis producit; illius enim beneficio pristinas culpas, à veteri Adamo reliquas, abjiciunt, & virtuosis orthodoxæ vitæ radiis illustrantur. Certè S. Paulus hunc prædicationis suæ fructum apud Colossenses unicè expetit; *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum &c.* Interpretem audi Magnum Augustinum; *Renovatur autem*, inquit, *nunc secundùm interiorem hominem, ubi secundùm sui Creatoris imaginem reformatur, exuens se injustitiam, hoc est veterem hominem; & induens justitiam, hoc est, novum hominem.*

Plin. l. 8. c. 27. — Verbum Dei. — Coloss. 3. 9. — S. Aug. l. 24. cont. Faust. c. 2.

60. Balthasar Pisanellus inter cæteras fœniculi virtutes cumprimis hanc recenset, quod matrum ubera copiosè lacte repleat. Idipsum observans Castor Durantes, ait; *Mammas lacte replet.* Et rursùm alibi; apostrophe ad infantem factâ, de fœniculo canit;

Cast. Dur. in Herbario. — Idem in Thesauro sanitat.

Ride infans; poterit reclusi munera lactis,
Si viride hortense est, mox revocare tibi.

Proin' fœniculo opportunè inscribes; RECLUDIT MUNERA LACTIS. Apostolicus hominis animus hâc ideâ describitur, qui lactes affectuum suorum rivulos copiosè effundit, ut filios, etiamnum teneros, sanctis æternæ vitæ ac fidei alimentis enutriat. Hâc mente cumprimis illustres extitêre gemini Apostolorum Principes; S. Paulus, *Lac*, inquit, *vobis potum dedi.* Et S. Petrus; *Sicut modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis.* Lac dulcissimum etiam propinat Sacra Scriptura, de quâ Magnus Augustinus testatur; *Ubera Ecclesiæ duo testamenta Dei. Hinc sugatur lac omnium sacramentorum. &c.*

Magister spiritualis. — 1. Cor. 3. 2. — 1. Pet. 2. 2. — S. Aug. Tract. 3. in Epist. 10.

FOENUM. FOENUM Græcum Cap. XVII.

61. FOEnum græcum, pedibus contritum, majorem vigorem acquirit. Unde lemma, huic herbæ inditum; PRESSA VALIDIOR. Virtus ac magnanimitas, hoc ectypo descriptæ, inter injurias & adversitates magis invalescunt. *Nam virtus*, teste Apostolo, *in infirmitate perficitur.* Quin etiam anima nostra, diversis corporis calamitatibus prægravata, vires suas incremento illustrissimo promovet. *Imbecillitas enim carnis mentis vigorem exacuit*, inquiebat Salvianus. Et S. Ambrosius; *CONSUMMATUR enim carnis IN INFIRMITATIBUS, ANIMÆ FORTITUDO.*

Virtus oppressa. — 2. Cor. 12. 9. — Salvian ad Caturam sororem. — S. Ambr. l. 1. de Pœnit. c. 12.

62. D. Aresius, ad eandem fœni græci proprietatem reflectens, quòd nimirum majores vires sortiatur conculcatum, epigraphen addidit; FRUCTUM AFFERT IN PATIENTIA. Certè fideles, sceleratorum injuriis tranquillo animo superatis, gloriosos & amplissimos voluptatis æternæ fructus referunt. S. Gregorius Papa; *Nulla sunt bona, inquit, quæ agimus, si non æquanimiter etiam proximorum mala toleramus: fructum ergo per patientiam reddunt, quia cùm humiliter verba suscepta post flagella ad requiem sublimiter cum gaudio suscipiuntur.*

Patientia. — S. Greg. Papa Hom. 15. in Evang. citat in Catenâ aur. S. Tho. Luc. 8. 15.

63. Fœni, etiamnum herbescentis, fasciculus à Rosso epigraphen cepit; CITO ARESCET. Humanam vitam, nimiùm quantùm brevem & caducam, hæc imago ad vivum exprimit. Explicatissimè David; *Homo sicut fœnum, dies ejus tanquam flos agri sic efflorebit.* Huic consonans Siracides, ait; *Omnis caro sicut fœnum veterascet.* Et E. Jacob. *Sicut flos fœni transibit &c.* Denique S. Petrus; *Omnis caro ut fœnū, & omnis gloria ejus tanquam flos fœni &c.* Unde ad mirabundus exclamat Magnus Augustinus; *Quid superbit fœnum ad tempus, modò florens, post paululum exarescens? Quid superbit fœnum, ad tempus vigens, & hoc ad parvum tempus, donec sol candescat? &c. Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, flos fœni est. Multi anni tibi, breve tempus Deo.* Sensu nihil dissimili Homerus;

Vita humana. — Psal 102. 15. — Eccles. 14 18. — Jac 1, 10. — 1. Pet 1. 24. — S. Aug. in Psal. 102.

Tale quidem genus est hominum, quale & foliorum.

Et Gabriel Chiabrera;

In van speme mortal sorge superba:
Forza di tempo ogni valor consuma:
A punto è l' huom, come nel prato è l' herba,
E gli honor suoi, come nel mar la spuma.

Hom. apud Lipsium l. 2. Manud Dissert 4. — Gab Chiabr. Canzon. Moral.

64. Fœnum, ceu herbula vilis, parvique, aut nullius pretii, quando in campis resecatur, exiguam nobis dolendi occasionem relinquit. Idipsum sanè de vitâ

Vitæ jactura levis.

virâ humanâ pronunties, quæ tot scatet miseriis, ut mortis falce recisâ, levissimum damnum patiatur. Proinde succisam herbam hoc lemmate notavi; LEVIS JACTURA. S.P. Augustinus; *Vita humana, quam ingressi sumus, misera est, laboribus plena, doloribus, periculis, tentationibus. Nolite seduci gaudio rerum terrenarum, flenda in rebus humanis adventitio.* Opportunè ad rem nostram Caussinus;

S. Aug in Psal. 125.

Caussin. Tragœd. de Nabuchod. Act. 4.

Commune damnum est vita muscarum, simul
Hominumque, cujus tota jactura est levis.

FRAGUM.
Cap. XVIII.

Animus nobilis humili loco natus.

65. E Locis infirmis ac sylvestribus nonnunquam animos prodire nobiles & generosos, fraga demonstrant, quæ illustri minio obducta, & in alpium desertis nata, à Carolo Rancato epigraphen cepêre; SYLVESTRI NATA SUB UMBRA. Verbis ex Ovidio mutuatis;

Ovid. 3. Met.

Ipsa tuis manibus sylvestri nata sub umbrâ
Mollia fraga leges.

Talis omnino Epithalamii Divini sponsa erat, quæ *ascendit de deserto, deliciis affluens.* Et rursùs, *sub arbore malo suscitavi te.* Idipsum de Religiosis, in eremo aut vitâ solitariâ degentibus, intelligas velim: Petrus Raulinus; *Solitaria sanè vita, cœlestis doctrinæ schola est, ac Divinarum artium disciplina.* Statius de Arcadiæ populis canit;

Cant. 8. 5.

Pet. Raulin.

Stat. 4. Theb.

----- Quercus, laurique ferebant
Cruda puerperia: ac populos umbrosa creavit
Fraxinus, & fatâ viridi puer excidit orno.

FRUMENTUM. GRANUM. Spica. Cap. XIX.

66. DEus virtutum nostrarum fructus non alio instrumento, nisi plagis & calamitatibus elicit. E spicis, in areâ jacentibus, id haud obscurè disces: hæ enim cùm à tritorum flagellis, tum à solis æstu validissimè percussæ, epigraphen tenent, ÆSTU, PLAGISQUE. Israëlis populus cumprimis hanc veritatem expertus est, de quo David; *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum. Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum &c.* Non abs re etiam dixeris, spicas, id est, animas nostras, nonnisi calamitatum æstu, ac plagarum duritie à vitiosorum affectuum paleis expurgari. Galfridus, observans, quòd Deus spicarum primitias hoc ritu offerri jusserit; *Torrebis igne, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino, ait; Notum est, quòd spicæ viventes, nisi adustæ igne, & confractæ, palearum integumenta non deponunt. In hunc modum mentes, quæ per primitias frugum congruè designantur, desideriorum carnalium humoribus ad huc gravidæ, absque tribulationis igne, & propriæ voluptatis confractione, mundanorum affectuū paleas à se maximè abjiciunt.* S. Laurentius, igne ac verberibus acerrimè exagitatus, tandem granum optimè purificatum prodiit. De hoc S. Leo Papa; *Laceros artus, & multâ verberum sectione conscissos, subjecto præcipit igne torreri.*

Opera bona.

Psal. 77. 34.

Tribulatio utilis.

Godefrid. in Levit 2. 14.

S. Laurentius.

S. Leo serm. de S. Laur.

67. Ut significes, familiam quamdam, hodie divitiis ac dignitatibus conspicuam, paulò ante jacuisse neglectam ac vilem; Symboli loco frumenti spicam depinges, granis ubique turgidam ac sublimem; addito Caroli Rancati lemmate, FUIT HERBA. Verbis ex Ovidio mutuatis;

Nobilitas recens.

Nam mora dat vires, teneras mora præcoquit uvas,
Et validas segetes, quæ FUIT HERBA facit.

Ovid de med. Am.

Homo, gratiæ ac gloriæ Divinæ ornatu illustris, paulò ante sine illis creatura extitit vilissima, &, ut S. Scriptura vocat, *filius iræ*, humi repens inter carnis & sensuum spurcitiem. Disertè Apostolus; *Eramus natura filii iræ, Deus autem convivificavit nos Christo.* Et S. Bernardus; *Eramus & nos filii iræ? cujus iræ filii? nempe filii ignorantiæ, ignaviæ, captivitatis. Sic ergò nascimur universi primùm quidem viæ civitatis habitaculi prorsus ignari, deinde imbecilles, & ignavi, ut etsi nota nobis esset via vitæ, propria tamen præpediremur & detineremur inertiâ &c.*

Gratia D.

Ephes. 2. 3.

S. Bern. ser. de Purific. B. Mariæ.

68. Spicarum congeries, supra aream sparsa, dum alternis flagellis crebrò percutitur, altùm exilit, Unde lemma è Bartholomæo Rogato desumptum; SALIT VERBERE PULSA.

Barth. Rogat. lib. 2 Eleg. 21.

Dum SALIT alterno VERBERE PULSA
Seges.

Ita omninò homines Apostolici, durissimis flagellis à Synagogâ contusi, mirificè exultarunt. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii. &c.* Quin etiam, ceu frumenti grana, domiciliis, bonisque suis omnibus spoliati, tolerantiam & hilaritatem, inter tot calamitates prorsùs obstupescendam, demonstrabant. Ad hos conversus S. Paulus, ait; *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* D. Franciscus Tregiamus, antiquæ & nobilissimæ familiæ, quòd R. D. Cutbertum Maynum, Seminarii Duaceni sacerdotem & Martyrem hospitio excepisset, amplissimo patrimonio spoliatus est, & viginti quinque annos captivus vixit. Cùm verò sententia de bonorum amissione & perpetuis carceribus lata esset, bysso candidâ vestitus comparuit, cum dicto; *Pereant bona, quæ si non periissent, fortassis Dominū suum perdidissent.*

Act. 5. 41.

Pati cum lætitia.

Hebr. 10.

Didacus Yepes lib. hist. persec. Anglic.

69. Seges in agro, sub Leonis ac Cancri constellationibus flavescens, epigraphen à me recepit; MEDIO SUCCIDITUR ÆSTU. Verbis è Virgilio desumptus;

Virg. 1. G.

----- Rubicunda Ceres medio succiditur æstu.

Cui affinis Catullus, de agricolâ canit;

Sole sub ardenti flaventia demetit arva.

Catul. Ep. 65.

Achabum Samariæ Regem: Josiam Israëlis Regem, Judam Machabæum, D. Sebastianum Lusitaniæ Regem, Gustavum Suecorum Regem, Comitem Pappenhemium, aliosque milites, in medio Bellonæ æstu mortuos, hoc Emblema spectat. Vel, si mavelis, hominem lascivum, inter concupiscentiæ calores à morte abreptum, imagine illâ significabis. Cornelio Balbo. Q. Ætherio, & aliis, à Tiraquellio adductis, id accidit, qui, Plinio teste, in ipso actu Venereo vitam amiserunt. Proindè libidinosos monet Magnus Augustinus; *Acceptum immisceri desiderius perdere non debes, quia quàm citò pertranseat nescis.* In hanc rem plurimum facit Epitaphium, Menelai sepulchro affixum.

Mors in bello.

Mors in libidine.

S. Aug. l. conflictu vitiorum

Inter opus medium lascivâ morte solutus
Hic situs est, & init jam Menelaus humum.
Qui blandæ Veneri vitæ sacraverat annos,
Haud aliter vitam ponere jussus erat.

70. Octavius, Dux Farnesius in ætate adhuc juvenili, Emblematis loco, manipulum virescentium spicatū præferebat, cū lemmate; FLAVESCENT. Promiserat nimirum, se temporis progressu maturis ac illustribus factis insignem futurum, siquidem, Ovidio asserente,

Spes.

Tempus & in cana semen producit aristas.

Ovid. l. 4 Trist. Eleg.

Prin-

Princeps enim, inter teneros adhuc annos virtuti deditus, non potest non lætissimum omen edere, se, cùm adultior fuerit, optimè regnaturum. Seneca teste, *Nulla erit processu temporis difficilis clementia Principi, qui in annis puerilibus didicit servire pietati.* Seneca in ep.

71. Spica, illustre animi grati, liberalis, & generosi symbolum, fructus sibi concessos amplissimo fœnore reddit. Unde lemma. PLUS QUAM ACCEPERIT. Enimverò unicum granum sexagies, & nonnunquam centies multiplicatum messori respondet. Mira hæc fœnerandi licentia etiam eleëmosynæ consueta est, cujus occasione homines Christiani exiguas reculas in egenos profusas, grandi bonorum cumulo recipiunt. Salomon id apertè testatus, ait, *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt.* Unde S. Petrus Chrysologus; *Non sit manus tua pauperi vacua, ut tibi plena sit semper. Quia dives, quantum largiter profundit, tantum largiter redundat in rebus.* Porrò sententiam suam confirmans Salomon, inquit, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis; & vicissitudinem suam reddet ei.* Atque adeò Eleëmosyna est *ars omnium quæstuosissima,* uti prolixis integræ Homiliæ argumentis probat S. Joannes Chrysostomus. Ipsemet enim Deus opes erogatas in suis pauperibus, ceu vicariis recipiens, sese debitorem ac retributorem amplissimum constituit. Neque id tantùm, quod accepit, eleemosynario reddit, sed insuper centena bona in præsenti vita, & innumera in altera refundit. S. Gaudentius; *Qui miseretur pauperi, Deo fœneratur; recipit enim magna pro modicis, & cœlestia pro terrenis.* S. Gregorius Nazianzenus in rem nostram canit; Gratitudo. Eleëmosyna. Prov. 11, 24. S. Pet. Chrys. ser. 104. Prov. 19, 17. Jo. Chrys. hom. quod eleemos. sit quæstuos. Gaudent. serm. 13. Greg Naz. Tetrast.

Livori, & atræ deme quid rubigini,
Ac debitorem præfer omnibus Deum,
Frusto rependit sceptra qui cœlestia.

S. Joannes Chrysostomus, *Mercatura*, inquit, *est cœlum, da panem, & accipe paradysum; da mortalia, & accipe immortalia.* Et S. Petrus Chrysologus: *Qui dederit esurienti panem, dabit sibi regnum. Amore pauperis Deus suum regnum vendit; & ut emere illud omnis homo possit, fragmentum panis ponit in pretium.* Jo. Chrys. hom. 6. de ... nit. Pet. Chrys. serm. 41.

72. Theodorus Trivultius, Marchio de Pizzighetone, spicas maturas, in fasciculum colligatas, ac gentilitiis familiæ Trivultianæ armis consuetas, symboli loco usurpavit. Illas ipsas etiam Ferdinandus Davalus, Vastii Marchio & supremus Caroli V. Imperatoris Bellidux, inter propria sua symbola numerari voluit; addito D. Pauli Jovii lemmate, FINIUNT PARITER. RENOVANTQUE LABORES. Sicuti enim maturescentes spicæ, pretiosis suis granis vix in terram profusis, quantocius ad alia producenda se disponunt; ita excellentissimæ illius familiæ Magnates, numquam non ad summa quævis perpetranda intentos, vix unâ heroicâ expeditione finitâ, mox aliis auspicandis animum addicere. Hanc verò indefessam laboris persequendi industriam non solùm olim in Magno Jacobo Trivultio, bellorum fulmine, ac historiarum splendore; verum etiam hac nostra ætate in Eminentissimo Principe ac Cardinali Theodoro Trivultio cernere licet; qui nullâ quiete interpositâ, è supremo exercitûs Italici Duce complurium Principatuum ac regnorum, Aragoniæ, Sardiniæ, & Siciliæ gubernator creatus, populos passim tumultuantes ac perduelles ad pristinam fidem Regi Catholico sancitam, reduxit; & postea in Aula Romana Orator, congenitâ suâ prudentiâ gravissima Regis Hispani negotia composuit. Demum Mediolanensium Gubernator nominatus, elogium illud à Velleio Paterculo in Scipionis Afri- Continuatio laboris. Vell. Patere. lib. 1. histor.

cani laudem pronuntiatum, cumprimis meretur. *Semper enim aut belli, aut pacis servit artibus; semper inter arma & studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit.*

73. Ager, compluribus spicis, tam erectis, quàm inclinatis consitus epigraphen tenet; MATURITATE INCLINANTUR. Vel ut Lucarino placet; PENDENT ONUSTÆ. Inde argumento haud vulgari disces, hominem, quò majore sapientia, valore, aut merito gravidus fuerit, eò humilius de seipso sentire. S. Joannes Chrysostomus in illud Isaiæ, *Væ mihi, quia vir pollutus labiis &c.* inquit, *Omnes sancti, si quando quopiam cumulatiore potiuntur bonore, tunc demissius se dejiciunt.* Et Justus Lipsius: *Sicut in segete spicarum vacuæ attolluntur, gravidæ & feraces inclinant; ita quò quis sapientior, eò magis se dimittit.* Litteratus humilis. S. Io. Chrys. ad v. Isa. 6. 5. Lipsius in Dispunct.

74. Sententia, priore numero ex Lipsio adducta, nimirum, *In segete spicarum VACUÆ ATTOLLUNTUR*, Emblematis construendi ansam mihi suppeditavit; campum enim, spicis flavescentem depinxi; quarum aliquæ versùs terram incurvatæ, reliquæ verò ad cœlum erectæ, inscriptionē monstrârunt; EXTOLLUNTUR INANES. Ita nimirum homines virtutibus, meritis, & intellectu inanes, cunctisque inferiores, præsumptione, superbia, temeritate, ac contemnendi libidine omnibus sunt superiores. Bene dixit Plutarchus; *Agricultores inter spicas vident cupidius illas, quæ inclinatæ sunt, & ad terram vergunt: surrectas verò præ levitate inanes & fallaces ducunt. Ex adolescentibus item, quæ maxime cassa sunt, nec pondus habent, ferociunt, ac gestum, incessum vultum habent, contemptûs fastidiique plenum omnium despicientiâ.* Cæterùm Emblemate illo demonstratur, homines, meritis, virtute, bonitate, ac doctrina penitùs destitutos, non rarò in Religionibus ac Reipublicis supra reliquos omnes exaltari. Ignorans superbus. Plut. Opusc. quemadmodum sentias, te in virtute proficere. Dignitas in immeritos collata.

75. Granum, intra spicam conclusum, & à solaribus radiis percussum, hoc lemmate distinxi; PERFICITUR ÆSTU. Innuebam videlicet, Christianis è persecutionum & charitatis ardore plurimum incrementi accedere. Ad rem nostram S. Laurentius Justinianus; in illa D. Pauli verba, *Fructus autem spiritus charitas,* ait; *quæ enim alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum, nisi charitas, sine qua cæteræ virtutes non reputantur esse virtutes? Ante enim, quam ipsa adsit, nullus fructus gratus est, ubi vero charitas, ibi multus fructus.* Et S. P. Augustinus: *Venitur ad passionem, & tamen nihil prodest; quia charitas deest. Adde charitatem & prosunt omnia.* Eadem imagine etiam animas, in piacularibus flammis detentas, significare licet; hæ enim à justitiæ Divinæ æstu percussæ, ad exoptatam puritatem pertingunt, habilesque efficiuntur, quæ in felicissimo paradisi granario recumbant. Calamitas. Galat. 5. S. Laur. Iust. tract. de charit. cap. 3. S. Aug. ser. 50. de Verb. Dom. Animæ in purgatorio.

76. Fuit, qui grano, in terram cadenti, inscriberet; SPES ALTERA VITÆ. Humanitas nostra, quamlibet lapsa & in pulverem conversa, indubitatam reviviscentiæ spem retinet. Tertullianus: *Certè semina nonnisi corrupta & dissoluta fœcundius surgunt, omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur.* Et Prudentius: Resurrectio. Tertull. in Apolog. c. 48. Prud. lib. 2. contr. Symmach.

-- -- -- -- -- -- -- In ipsis
Seminibus natura docet revirescere cuncta
Post obitum; siccantur enim pereunte vigore,
Quo vixêre prius: tunc sicca: & mortua sulcis,
Aut foveis mandata latent, & morte sepulchri
Obruta, de tumulis redivivo germine surgunt.

S. Ambrosius: *Quid de fructibus loquar? Nonne tibi viden-*

S. Ambr. de fide resurr. *videntur occidere cùm decidunt; resurgere, cùm revirescunt? Quod satum est, resurgit; quod mortuum est, & in eadem genera, & in easdem species reformatur. Hos terra primùm reddidit fructus, in his prima naturæ nostræ speciem resurrectionis imitata est.* Ibidem. Et rursus; *Quid dubitas de corpore corpus resurgere? Granum seritur, granum resurgit; pomum decidit, pomum resurgit.*

77. Spicæ, quò magis granorum felicitate, plenitudine, & copiâ luxuriantur, eò amplius ob nimium suum pondus deprimuntur. Unde versus terram incurvatæ, subscriptionem reddunt; MIHI PONDERA LUXUS. Felicitas noxia. Ita sanè delitiæ opes, cæteraque mundi blandimenta hominum ingeniis plurimùm nocumenti & oneris creant. *Immoderata suarum commoditatum ac voluptatū congeries,* inquit Claudius Paradinus, *præclaris ingeniis, & alioquin benè natis est nocentior.* Claud. Par. Et Sinesius: *Felicitas onus esse videtur plumbo gravius: eum ergo subvertit & deprimit, qui eam humeris imposuerit, nisi planè sit robustus.* Sinesi. de Regno. Hujus experimentum ceperat Epulo Evangelicus, opum pondere ad ipsam usque inferorum abyssum depressus. *Mortuus est hic dives, & sepultus est in inferno.* Luc. 16.

78. Herbascentis grani nimia luxuries, priusquam in spicam fastigietur, falce resecari solet. Unde lemma; SURGET UBERIOR. Eleemosyna. Certè nostræ facultates, ob nimiam in pauperes liberalitatē nonnihil diminutæ, amplissimo fœnore succrescunt. Eam ob rem S. Petr. Chrysol. illa Patris Divini verba considerans, *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt,* ait; S. Pet. Chrys. serm. 25. *Videtis, quia Pater iste ditare vult filios, non nudare. Novo modo, imò cœlesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recondit erogādo, dum amittit, acquirit.* Luc. 12. 33.

79. Animæ justæ, ad lethalem mortis ictum excipiendum optimè præparatæ, Carolo Rancato authore maturas spicas imitantur, cum lemmate; EXPECTANT FALCEM. Justi expectant mortem. Ad verbum Virgilius: Virg. lib. 1. Georg. v. 421

--- *Non ulla est oleis cultura: neque illæ*
Procurvam expectant falcem.

Mors expectata. Huic consilio tam dando quàm assequendo sancti omnes strenuam dedêre operam. D. Hieronymus S. Marcellæ epitaphium hoc elogio cumprimis exornavit; S. Hieron. in Epitaph. Marc. *Sic ætatem duxit, & vixit, ut semper se crederet esse morituram.* De seipso verò testatur idem Hieronymus; *Sive comedo, sive bibo, sive studeo, sive quid aliud ago, semper ultima illa tuba resonat auribus meis; Surgite mortui, venite ad judicium.* Grandis ille Simeon Stylites, uti in appendice ad Bibliothecam Sanctorum Patrum videre est, nullum alium sermonem posteritati reliquit, nisi solum illum, cujus hic est titulus, *De semper mente complectendo suū discessum.* S. Greg. Naz. in sent. S. Gregorii Nazianzeni monitū est, *Mortem, velut præsentem, semper tibi ob oculos pone.* S. Basilius, filium suum spiritualem instituens, *Semper,* inquit, *ante oculos tuos versetur ultimus dies.* S. Basil. ad filium spirit. Compendio rem totam complexus Plato ait; *Omnem sapientum vitam esse meditationem mortis.* Plato.

80. In Academia, cui à furfure nomen, symboli loco frumentum herbascens depictū cernitur, quod cœno ac glacie circumdatum, plurimas inde vires circa radices accipere solet. Lemma; IN RITARDAR S'AUVANZA. Id est; MORA PROFICIT; allusione forsan ad illud Ovidii factâ; Ovid. l. 1. de Remed.

Nam MORA dat vires, teneras mora percoquit uvas,
Et VALIDAS SEGETES, quod fuit herba FACIT.

Certè ingenii humani partus, quo diuturniore maturitate in nativâ authoris sui tellure demoratur, tantò majore perfectione & excellentiâ æternæ gloriæ, famæque immortalitatem promeretur. Opportunè Homerus;

Tarda & sera nimis; sed fama & laude perenni.

Maturitas utilis. Maturam hanc procedendi methodum probè observatam habuit Dominus de Casa, qui è poëmatis suis nullum unquam in lucem publicam emisit, nisi, posteaquam compositum erat, aliquot mensium revolutione in scrinio conclusum, rursumque omni particulari affectu seposito ad limam revocatum, & correctum fuisset. Sermo maturus. Quod de liberis edendis, idipsum de sermone instituendo observatum cupit S. Ambrosius; S. Ambr. de Offic. *Sermones,* inquit, *proferamus, librâ justitiæ examinatos, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.*

81. Academici Furfuracei in symbolo suo granum præferunt, cribro excussum ac purgatum; cum lemmate, VAGLIATO VAGLIO. Id est, A CRIBRO PRETIUM. Doctrina ventilata. Nempe argumento non ingrato demonstrant, doctrinam, quò crebrioribus eruditorum ventilabris ac disputationibus examinatam, eò plus fidei & existimationis recipere. Justus afflictus. Justus quoque instar grani, à calamitatibus jactatus, pretiū & existimationem longè maximam sortitur. S. Aug. en. 2. in Psal. *Illius persecutio te facit purgatum,* inquit Magnus August. & Basilius; S. Basil. Cit. 11. de Fatis. *Homines Christianos probatio, quæ ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit.*

82. Granum, dum supra aream excutitur, jactati ventilabri flamine adjutum, ab omni pulvere, festucâ, cæterâque immunditie expurgatur. Spiritus purificat. Unde Lucretii Borsati lemma; NON SINE FLATU. Certè animus ac conscientia nostra nonnisi afflante Spiritûs S. gratiâ, imperfectionum suarum pulveres excutiunt. Explicatissimè David; *Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Psal. 103. 30. Et S. Gregorius; S. Greg. in Moral. c. 8. *Unusquisque Sanctorum tactus flatu S. Spiritûs, coalescit, & usum vetustæ conversationis abjiciens, novi hominis formam sumit.*

83. Granum eventilatum, ac supra aream excussum, non modò nihil nocumenti aut jacturæ accipit, sed contrà maximè emundatur. Calamitas purificat. Eam ob rem Lucarinus subscripsit; SPIRANTE PURGOR ELATUM. Ita calamitates adversus justos sparsæ, ad eos promovendos ac expurgandos potius, quàm offendendos conducunt. S. Paulus, naufragiis agitatus, virgis cæsus, ac hostium domesticorum tentamentis acerrimè incursatus, nullibi aliàs majus perfectionis suæ incrementum sumpsit; Præclarè S. Cyprianus; S. Cypr. serm. de mortalit. *Quando area fruges terit, ventos grana fortia & robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portatæ rapiuntur. Sic & Paulus post naufragia & flagella, post carnis & corporis gravia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit in adversis.*

84. Frumentum, ut in agris conservari, & exoptatam maturitatem contingere possit, SOLE, SOLOQUE, ceu geminâ & individuâ causâ, indiget. Gratia Dei & cooperatio hominis. Ita omninò, ut in virtute progrediamur, assiduo cooperationis nostræ & gratiæ Divinæ connubio opus est. Et quamvis hanc rem plurimis exemplis comprobare pronum esset, unum tamen alterumve instar omnium adducere libet. Deus, ceu sol vivacissimus, beneficam suam opem in Jacobum cumulatè quidem effudit, omnemque securitatem adversus fratris sui Esau insidias præstitit. Gen. 32. At Jacob incolumitatem illam non aliâ ratione tenuit, nisi industriâ & sagacitate studiosissimè adhibitâ. Promptum quidem se Deus, optimèque dispositum exhibuit, ad pauperis Sareptanæ viduæ oleum ac panem multiplicandum; 3. Reg. id tamen non antea effectum obtinuit, nisi post eleëmosynas liberali manu in Eliam erogatas. Cælestis quidem claritas & Angelorum virtus, ad S. Petrum è carcere liberandum, comparebant; Act. 12. prius tamen id

in

in opus redactum non fuit, nisi cum accinctus ac calceatus nobilissimos illos Duces suâ cooperatione insequeretur. Compendio S. Joann. Chrysostomus: *Et terra non germinat, nisi pluviam susceperit, nec pluvia fructificat sine terra.* Eadem ratione nonnemo dixerat, exercitui conservando unicè necessariam esse cùm regionis ubertatem, tum aëris temperiem, cuivis nationi accommodatam. — *S. Io. Chrys. hom. 32. in Matth.*

85. Nunquam simul omnes belli vires eidem ac unico discrimini à Principe objiciendas esse, sed in plurimas partes distribui debere, haud obscurè ex Emblemate illo constat, ubi manui, frumentum seminanti subscripsêre; NEC SEMEL, NEC SIMUL. Enimverò, inquit Emblematis author, *Partim educendæ sunt in hostem copiæ, ne temerè insultet, non autem simul, ne semel fiat, quod semper ferendum.* Doctor Evangelicus, bono satori non absimilis, nunquam unico jactu omnem doctrinæ suæ sementem supra auditorum agros spargere, sed paulatim, & ad prudentiæ dimensum illam distribuere debet; secus enim nonnisi ægerrimè aliquem laboris sui fructum sperare poterit. Pater Cornelius à Lapide argumento paululùm variato ait; *Sapientiæ Doctor leniter per modica præcepta docet sapientiam, ne eorum multitudine & pondere rudem discipulum obruat; sed sensim, & sensim, plura & plura illi instillans, tandem omni sapientiâ, instar fluminis eum imbuit & implet.* — Paulatim. — Prædicator. — *Corn. à Lap. in Prov. 28.*

86. Veteres Romani consuêrunt, insignium suorum loco fœni fasciculum, è militari hasta suspensum, præferre; uti Alexander ab Alexand. his omninò verbis testatur; *Signa militaria, quæ exercitum præire consueverant, quum acies educendæ & manus cum hoste conserendæ forent, à principio fœni manipulos fuisse accepimus, quos, hastis alligatos, signiferi deferre solebant.* Hunc Romanorem morem attendit Academicus ille Farfuraceus, qui, si non fœni, certè tamen spicarum fasciculum, ex hastâ suspensum, figuravit; addito lemmate, SOTTO IL QUAL SI TRIONFA. Id est; SUB IPSO TRIUMPHI. Huic Romanorum signo non absimilis SS. Eucharistia, ad gloriosam victoriam, ab hostibus tam visibilibus, quam invisibilibus reportandam, & vires & directionem subministrat. Benedictus Fidelis illam Isaiæ sententiam considerans, *Radix Jesse, qui stat in signum populorum,* ait, quod Evangelicus hic Propheta *aptè loquitur, dum signum dicit; signum est namq; militiæque nostræ vexillum,* quia *sub ea quotidie sacro elevata à ministro, velut vexillo quodam unimur & congregamur.* Atque adeò S. Eucharistia instar vexilli erigitur, sub quo Fideles palmam ac triumphos adipiscantur. Id probè edoctus Henricus I. Imperator, nullum unquam prælium aggressus est, priusquam totus exercitus sub Eucharisticis signis incaluisset. D. Joannes de Austria ad nullum unquam conflictum accingi est solitus, nisi prævio robore è SS. Eucharistia mutuato. Primevæ Ecclesiæ Martyres in tyrannidis ac martyrii arenam nunquam descenderunt, nisi sacro Altaris Divini frumento, & purpureo Servatoris sui sanguine, veluti ceromate, confirmati. S. Cyprianus; *Quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini jure communionis admittimus?* Isaiæ textum, suprà citatum, S. Vince. Ferr. de SS. Eucharistia interpretatus, ait; *Radix Jesse vocatur Christus, qui stat in signum populorum, scilicet in Missa, quando elevatur hostia, sicut in passione fuit elevatus in Cruce.* — *Alex. ab A. lex. gen. dierum l. 4. c. 2.* — Eucharistia. — *Bened. Fidel. in Psal. 22. l. 3. Theorem. 5. Isa. 11. 10.* — *S. Cypr. Orat. de lapsis.* — *S. Vinc. Ferr. serm. 5. in Pasch.*

87. Granum, dum seminatur, à Joanne Orozzo epigraphen cepit; RENOVATA SPES. cujus loco ego subscriberem; SPEM RENOVAT ANNI. Hinc disces, si olim beatas æternitatis fruges colligere desideres, copiosam virtutum sementem in hac vita spargendam esse. S. P. August. id præclarè explicans, ait; *Apostolus inquit, bonum facientes non deficiamus;* Galat. 6. 9. *tempore enim suo metemus, infatigabiles itaque, dum tempus habemus, ait operemur bonum ad omnes. Hoc est semen tuum, quod erit in benedictione. Terræ committis, & tantò amplius colligis; Christo committis, & perdis?* — Opera bona. — *S. Aug. conc. 3. in Psal. 36.*

88. Emblematis loco manum pinxi, quæ grano seminando intenta, epigraphen monstrabat; DISPERDIT, UT CONGREGET. Exactam hanc, & venustam Elleëmosynarii ideam dixerim; hic enim opes erogatas amplissimo fœnore recuperat. Testem habeto luculentum S. Pet. Chrys. ubi ait: *Da homo pauperi terram, tu accipias cœlum; da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum.* Quin, nec Ovidium id latuit, in hæc verba canentem: — Eleemosyna. — *S. Pet. Chrys. serm. 8.* — *Ovid. 3. Pont Eleg. 8.*

Nam te, cùm donas, ista juvare solent.

Explicatissimè S. Joannes Chrysostomus; *Qui dives fieri vult, fiat pauper, ut dives fiat, insumat ut colligat: spargat, ut congreget: quæ ipsa, si tibi nova, ac parùm credibilia videntur, eum contemplato, qui sementem facit &c.* — *S. Io. Chrys. hom. 8. in ep. ad Rom.*

89. Frumento, reipsâ seminato, inscripsi; CRESCET IN CENTUPLUM. vel certè ad grana, in terras sparsa, alludens; MULTIPLICATA RESURGENT. Utroque lemmate S. Ecclesiam & SS. Martyres significare licet. De his Hugo Victor. testatur; *Cadentibus igitur granis paucis, seges multiplicata surrexit, quia inde auctus est in vivis numerus fidelium, unde in morientibus minus videbatur.* Et S. Leo Papa; *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur: & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* — Ecclesia infestata. — *Hug. Vict. l. 4. de Vanit. mundi.* — *S. Leo serm. 1. in Natali SS. Pet. & Paul.*

90. Spicas albescentes fato inevitabili & proximo nonnisi falces messoriæ monent. Unde lemma: ALBESCUNT AD MESSEM. Emblematis ansam ipsamet sapientia incarnata his omninò verbis subministrat; Videte regiones, *quia albæ sunt jam ad messem.* Ita sanè caput nostrum, canitie maturescens, indies Parcarum lethale vulnus pertimescat. S. Greg. Nyssenus: *Caput jam canescit? propè est æstas vitæ: in nos fortè falx acuitur, & timeo, ut nobis dormientibus, & in una spe occupatis, repentè accedat messor terribilis.* — *Ioan. 4. 35.* — Canities mortis indicium. — *S. Greg. Nyss. Orat. adv. eos, qui differunt Baptismum.*

91. Ager frumento sementico respersus, epigraphen subjunctam habet, CUM FOENORE REDDET. Verbis è Tibullo mutuatis: — *Tibull. l. 2. Eleg. ult.*

--- --- --- Spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddet ager.

Vel ex S. Luca; PRO UNO CENTUPLUM. Exinde quivis Christianus acres concipiat stimulos, ut, tanti fœnoris particeps futurus, suas opes, veluti sementem, in egenos liberalissimè dispenset. Candidè monens S. Joan. Chrysost. *Sementem,* inquit, *& nos jaciamus, cœlumque tanquam agrum colamus, ubi & multa cum abundantia metamus.* Et S. Leo de eleëmosynis erogatis disserens, ait; *Non solùm integræ manent, sed etiam modo augentur, & qualitate mutantur.* — *Luc. 8. 8.* — Eleemosyna. — *S. Io. Chrys. hom. 8. in ep. ad Rom.* — *S. Leo ser. 2. de jejun. sept. mensis.*

92. Spicæ, quò pluribus turgent granis, hoc magis incurvescunt; contrà rectæ, segetem minimè lætam promittunt. Lemma: CURVANTUR ONUSTÆ. Ita homo, quantumvis cœlestibus donis insignitus, se tamen ipse pluris non æstimat, quam si nihil omninò commendatione dignum obtineret. Facilè siquidem propria internoscit ab alienis, doctus suum cuique tribuere; inde & dona sibi desuper com- — Humilitas.

communicata non tanquam sua, sed tanquam precariò accepta considerare,& mentis oculos in barathrum sui nihili, in quod sibi relictus momento recideret, continuò defigere. Imo quò pluribus Deus animum ejus virtutibus exaggerat, hoc ipse profundius in se descendit. *Ut enim arbores,* inquit S. Doroth. *cùm multo fructu onustæ fuerint, inclinant ramos, & eos plerumque frangunt; quia autem ramus nullum habet fructum, in altum attollitur, & rectus assurgit; sic anima, quantò plures fructus attulerit, tantò magis humiliatur.*

S. Doroth. serm. de humilitate.

93. Paucula grana in terram spargis, sed plurima colligis; unde agrum, copiosâ refertum segete, hoc lemmate insignivit P. Sebastianus à Matre Dei; PRO PAUCIS PLURIMA TOLLE. Mariam Virginem hæc imago significat, cujus typus, est terra, juxtà illud Isaiæ, *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Terra enim ista quævis, etiam minima obsequia, uberrimè compensat. *Quis enim,* inquit ad Mariam V. integerrimus tantæ Matris pullus, Mellifluus Bernardus, *Misericordiæ tuæ, ô benedicta longitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra. Sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris & in umbra mortis obtinuit redemptionem. &c.*

Maria V.

S. Bern serm 4. de Assumption. M V.

94. Soluto spicarum fasciculo inscripsêre; TERRÆ RETINACULA SOLVIT. Ita homo spiritualis nullâ unquam re terrenâ se detineri patiatur. Porrò etiam illi terræ retinacula solvunt, qui post confessionem suorum delictorum in album filiorum Dei recipiuntur. S. P. Augustinus; *Solvitur unusquisque à vinculis cupiditatum malarum, vel à nodis peccatorum suorum. Remissio peccatorum solutio est.* Cæterùm Emblema istud Christinam, serenissimam Suecorum Reginam spectabat, quæ fidei orthodoxæ causâ triplex regnum, exemplo prorsus prodigioso, reliquit. Mentem suam hoc disticho aperuit Author;

Confessio.

S Aug Conc 1. in Ps. 101

Hærebat, terræque seges retinacula solvit;
Nec te terra, triplex, nec diadema tenet.

95. Grano, è manu in agrum sparso, inscripsi: UT SURGAT IN ORTUM. Verbis è Seneca Tragædo sumptis;

Generosa in ortus semina exurgunt suos.

Ita corpus nostrum terræ committitur, resurrecturum decretorio illo Judicis supremi die. Audi Magnum Augustinum, indubitatum Canonis hujus Catholici testem; *Ipsam,* inquit, *resurrectionem carnis, quæ partim tardius, partim omninò non creditur, ita certam teneamus, ut certius nobis non sit solem, cùm ceciderit, oriturum.*

Resurrectio.

S. Aug de quant anim cap. 33.

96. Prima recensque seges, humo suâ vix exiens, quæ hyberno tempore nivibus oppressa jacebat; tandem redeunte solis calore in tantam surgit exiguo tempore proceritatem, ut & quadrupedibus majoribus inserviat, & tegumentum præbeat. Unde tenellæ adhuc segeti sub æstivo sole inscribes; ILLO SPLENDENTE LEVABOR, ita homo, sive in peccatorum, sive in calamitatum humo tantisper sepultus, mox aspirante Divinâ gratiâ, ad lætissimam gloriæ formam assurget. S. P. Augustinus; *Qui creavit, per gratiam levat ruentem; per ipsam curat ægrotantem, per ipsam coronat vincentem.* Emblematis Author, Serenissimus & jam sæpius laudatus Philotheus, concinnè in rem præsentem canit;

GratiaDei

S. Aug. serm. 13. de Temp. cap. 1.

Prima seges tenera vestit lanugine campum,
Atque humilis pronum lambit arista solum.
Sed jam sol splendet, dum ridet pulcher Apollo,
Mox flavum tollit fulgida ad astra caput.
Tunc Ceres attonitis jactat sua regna colonis,
Miraturque decus, spica procera, suum.
Sume animos, mea mens. Si me respexerit æther,
Ignava victor tollar alacris humo.

FUNGUS.

Caput XX.

97. Fungus marinus, se ipso mollissimus, quamprimùm solari radio ac calore contingitur, mox instar petræ obdurescit. Unde Alphonsus Petra, Comes de Sylvano, cui inter Papienses Lapidescentis cognomen obtigit, Empblematis loco fungum, radiis solaribus intra undas marinas expositum statuit; cum epigrammate, DURESCIT AD ORTUM; veluti dixisset, sub beneficis Academiæ radiis ingentis virtutis litterarum soliditatem sibi accidisse. Iis omnibus hæc imago convenit, qui ætate etiamnum juvenescente in virtutis exercitio obduruerunt. Sic Germanorum filii, vixdum nati, intra gelidas Rheni aquas mergebantur. Spartanorum juventus à teneris ad famem, sitim, ac verbera æquo animo toleranda assuefiebat. S. Joannes Baptista penè ab ipso vitæ limine eremi horrorem incolebat. &c. Cæterùm eodem Emblemate etiam peccatorem obstinatum significare licet, qui gratiæ Divinæ radio tactus, renititur, & propriâ suâ malevolentiâ indurescit. S. Stephanus, Judæis exprobrans, inquit, *Dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, &c.* Nimirum Deus erga reprobos, veluti ignobiles fungos, solem agit; Nam, Magno Augustino teste, *Deus miseretur gratuito dono, obdurat autem justissimo merito.*

Studiosus

Educatio

Peccator obstinatus.

Act. 7.

S Aug. ep. 1[illegible]

98. Fungus, nocte unâ generari solitus, epigraphen à Bargalio recepit; NOCTE UNA. Rem hæc imago significat, seu multâ facilitate, seu improviso animo productam. Josephus, Mardochæus, Saul, aliique complures, accommodatè ad hanc ideam, minimi temporis intervallo è pristinâ ac vili suâ conditione ad immensa honorum culmina fuêre sublevati. Et, quod mireris, idipsum non in aliquot tantùm, particularibus personis, sed in integris etiam Provinciis ac populis cernere licet, quorum omnis felicitas nonnunquam intra unius noctis angustias ad votum excrevit. Insuper sicuti unicâ nocte omnes Ægypti primogeniti fuêre occisi, ita omnes Jacobi pronepotes in vitam & libertatem è durissima captivitate asserti sunt. Unica nox sancto Regi Ezechiæ, gravissimâ obsidione presso, gloriosam victoriam peperit, centum octoginta quinque hostium millibus, Angelorum operâ, fulminatis, ac in cineres redactis. Unicâ nocte miserrima Bethulia ruinam, jamjam imminentem effugit; dum Herois illa fortissima Judith, temerario Holoferne interempto, omnem Assyriorum exercitum fudit, fugavitque. Cæterùm Castor Durantes ait, non esse mirum, quod fungus unicâ nocte totus excrescat, cùm res quævis noxia & vilis, qualis itaque fungus est, incrementum capiat velocissimum.

Celeritas

Exod. 14.

4. Reg. 19. 3

Judith. 13.

Funge vale; genitum nil miror nocte sub una;
Sic properant rapido noxia quæque pede.

Ita nimirum, quisquis proposita, consilia, aut cogitationes, proximè & quasi tumultuario opere natas, sequitur, partus proferet, veloces quidem, sed fungis, rebus inquam vilissimis, comparandas. Rectè dixit Publius Mimus; *Ad pœnitendum properat, citò qui judicat.* Et Ovidius;

Quilibet ignavi præcipitata premunt.

Publ. Mim Ovid. 3. Trist.

99. Fun-

Res improvisa.

99. Fungum non incongruè hâc gnomâ affeceris; INSPERATUS ENASCOR. Res quævis, inexpectato eventu subsecuta, hoc emblemate significatur. *Nam id præcipuum fuit, estque adhuc apud omnes hieroglyphicum fungi,* inquit Pierius Valerianus, *ut quotiens novi aliquid præter expectationem repentè factum apparuerit, Fungum id dictitemus.*

Pi. Val. l. 58.

Vita humana.

100. Fungus, ab ipso exortu suo indies corrumpi solitus, atque adeò fragilissimus, epigraphen sustinet; CITO VANESCIT. vel, VEL NON DIU CONSISTAM. vel, EGREDITUR, ET CONTERITUR. vel, ut Carducio meo placet, VELOX ORIOR, MORIOR. Propria hæc vitæ humanæ effigies est, de qua S. Jacobus: *Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Et prior illo Jobus: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis: qui quasi flos EGRDITUR, ET CONTERITUR.* In rem nostram aliquot Authores non sine acumine super illud Psalmi, *Dominus custodit introitum tuum & exitum tuum,* observant, quod humana vita duobus solùm terminis, nativitate scilicet & morte, componatur, nullo propè persistentiæ medio intercurrente. Verissimè dixit Dominus Marinus:

Iac. 4. 15.

Iob. 14. 1.

Psal. 120. 8.

Da la culla à la tomba è un brieve passo.

Eadem imagine etiam caducam divitiarum, ac rerum quarumvis terrestrium vanitatem haud obscurè significabis. Siquidem, Salustio asserente, *Omnia orta occidunt, & aucta senescunt.* Cui accinens meus Carducius, rem totam hoc disticho complectitur:

Salust.

En velox orior fungus, moriorque vicissim:
Qui citò fit Crœsus, protinus Irus erit.

101. Fungus, palato humano plurimùm amœnus & gratus, non rarò venenatâ suâ qualitate mortem accelerat; Unde P. Carducius fungo inscripsit; DUM PLACEO, EXITIUM. Ita sane peccaminosa mundi voluptas eodem momento & gaudium, & perniciem conciliat. S. P. Augustinus de se ipso fatetur: *Non me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis, & futuri judicii tui.* Emblematis mentem hoc disticho explicat meus Carducius:

Voluptas mundana.

Aug. l. 6. conf. c. 16.

Dum placeo, exitium comedentibus infero fungus;
Blanda voluptatis pabula cor perimunt.

GRAMEN. *Cap.* XXI.

102. HOmo, tantò magis proficere, quò magis affligi solitus, hanc herbam imitatur; cum lemmate, QUO MAGIS DECERPAR. vel, ut Abbas Ferrus dicit; NON SI STERPA GIA' MAI, CHE NON RINASCA. id est, SEMPER AVULSA RENASCOR. Certè vitia, quantumvis assiduæ industriæ ferro è Christianorum cordibus succisa ac eradicata, nunquam non repullulant, & indefessam vigilantiæ nostræ operam exigunt. Optimè monet S. Bernardus: *Parum est ergo semel putâsse, sæpè putandum est, imò (si fieri potest) semper; quia semper quod putari oporteat (si non dissimiles) invenis.* Porrò etiam conscientiæ remorsus nunquam adeò conquiescit, quin identidem reviviscant. Tertulliani dictum est: *Conscientia potest obumbrari, quia non est Deus; extingui non potest, quia à Deo est.*

Vitium.

S. Bern. ser. 58. in Cant.

Conscientiæ remorsus.

Tertull apud Lips. Monit. polit. l. 2. c. 6.

Potens avarus.

103. Gramen adeò dilatatur, suasque radices ita copiosè multiplicat, ut infelicem illam terram, quam occupat, ad omnes alios nobiliores flores, herbas, aut fructus proferendos penitus reddat ineptam. Unde lemma. INOPEM SUA COPIA FACIT. Hæc operandi methodus etiam aliquot hujus mundi Dominis usuvenit, qui propriam suam potentiam & authoritatem ad tot provinciarum spatia extendunt, ut omnes eorum vicini sese ab iis suffocatos, debilitatos, & ad extremam perniciem deductos conquerantur. De hac hominũ sorte Seneca; *Videatur,* inquit, *& avaritia magni animi. Acervis auri, argentiq; incubat, & provinciarũ nominibus agros colit, & sub singulis villicis latiores habet fines, quàm quos consules sortiebantur.* Et alibi ait, quod illius aviditas *agros agris adjicit, vicinum vel pretio pellit agro, vel injuria*; & quod *in provinciarum spatium rura dilatat.*

Seneca l. 1. de Ira sub fine.

Idem ep. 90.

104. Graminis tam herba, quam radix & decoctio miram vulneris consolidandi virtutem habet. Unde Castoris Durantis lemma; VULNERA JUNGIT. Anima, charitatis studiosa, dissolutos proximos componere, discordes ad pacem revocare, inimicos conciliare, & amicitiæ Christianæ vinculis omnes conjungere satagit. Nam, ut probè monet Ethicorum Magister S. P. Augustinus; *Nisi fervor charitatis accendit, multa in unum conflari non possunt.* Hoc sensu meus Carducius;

Pacificare.

S. Aug. tract. 10. in ep. Ioan.

Ut gramen exoluta jungit vulnera;
Sic charitas divisa corda colligat.

Spiritus S.

Spiritus sanctus, eâdem omninò virtute omnes interioris animi nostri plagas benignissimè persanare solitus, sanctam Ecclesiam sibi in hæc verba supplicem habet, *Sana quod est saucium.*

105. Gramen, ut lætius crescat, falce demetitur, & humo tenus conciditur. Symbolo subscripsit Philotheus, ingenio & natalibus serenissimus; LÆTIUS UT SURGAT. Non mirandum, si quandoque pii molestiis, miseriisque vexentur, & pœnis Divinis affligantur. Etenim Deus, quos quâdam singulari gratia ad suum elegit cultum atque sinceram venerationem, multis hinc inde pœnis, calamitatibusque variis exercet, ut fidei constantiam in iis expertus, majori deinceps felicitate eos extollat. Non itaque rigor iste respicit horum perniciem; sed affliguntur, puniuntur, ut postea præsenti auxilio ex miseriis erepti, extollant magis Divinæ benignitatis magnitudinem, aliosque suo exemplo ad pietatem trahant. Opportunissimè S. P. August. *Non videantur tibi felices, qui florent ad tempus, Tu castigaris, illis parcitur. Fortè tibi castigato & emendato filio hæreditas reservatur.* Concinnè, ut solet, Emblematis Author:

Calamitas utilis.

S Aug Conc 1 in Psal. 70.

Qui modo ridebant vernanti gramine campi,
Nunc virides secti deposuêre comas.
Crudelis falcem submisit messor acerbam,
Maturumque hausit dextera sæva decus.
Quid voco crudelem? quæ messuit, illa benigna
Dextera, & in campos officiosa suos.
Lætius ut crescant, tollant ut celsius udum
Gramina læta caput, messuit illa manus.
Si mea luxuriat rebus fortuna secundis,
Cæde illam, ut surgat sanctior inde Deus!

IUNCUS Cap. XXII.

106. JUnci, in palude figurati, simulque undarum fluctibus, ac ventorum procellis impetiti, epigraphen tenent: FLECTIMUR, NON FRANGIMUR. Eorum hanc effigiem dixeris, qui loco ac tempore opportunè cedere docti, omnes adversantis fortunæ impetus superant. Semper quidem, Magno August. teste, *Tentat labor, aut dolor, ut frangat;* sed

Cedere.

Virtus superat adversitates.

S. Aug lib. 4 cont Iul. c. 6

sed conatibus in magnanimo pectore semper irritis. In rem præsentem Baptista Pitonus de Virtute canit;

Piega impeto di vento, orrido, insano
Giunchi in molle palude, e non gli spezza.
Così l'alma virtù percossa è in vano,
Da molesta fortuna al male auveza.

107. Alius eosdem Juncos, ventis incursatos hoc dogmate politico, ceu lemmate, insignivit; TEMPESTATI PARENDUM. Maxima quippe prudentiæ pars est, tempori obsecundare, ac fortunæ cedere. Phocidides, Lipsio referente, dixit; Prudentia. *Phocid apud Lipsium l.2. Dial. 8. de Milit.*

-- -- -- -- -- Memento
Temporibus servire, nec adversarier Austris.

Ovidius; *Ovid. l. 1. de Remed.*

Dum furor in cursu est, currenti cede furori
Difficiles aditus impetus omnis habet.
Stultus, ab obliqua qui cùm discedere possit,
Pugnat in aversas ire natator aquas.

Eccles. 4. 32. Siracidis monitum est; *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.* Paucis omnia complexus Justus Lipsius, ait; *Honestè cedit, qui tempori cedit.* *Lips. de una Religione.*

108. Scipio Bargalius Juncis inscripsit; HUMILES, ET ABSQUE NODO. Anima simplex ac innocens iis omninò proprietatibus insignitur, quæ nullius peccati nodum in se protuberare patitur. Nam Tullio teste, *Innocentia est puritas animi, omnem injuriæ illationem abhorrens.* Argumento non absimili Franciscanorum familia Mariam Virginem, sine originaria labe conceptam, demonstrat; *Hæc est virga, in qua NEC NODUS originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Innocentia. *Cicero de offic.* Conceptio M.V.

109. Idem Bargalius Junco, frondibus miserè spoliato inscripsit; NUDUS LICET, EX SE STAT. E hanc junci effigiem tribues, qui gravissimis ærumnis pressi, animum imperterritum, & ab aliorum ope independentem, conservant. Apostolus, se, suique similes describens, ait; *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aperiamur* (id est, interprete Lyrano, *depauperamur*) *sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur.* Ita Gentilibus quoque Fabriciis, Fabiis, Regulis, Camillis &c. paupertas & afflictio honori magis, quàm oneri fuit. Salviano teste, *Quidquid acciderit iis, quicunque verè Religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quantumlibet aspera nulli lætiores sunt; quàm qui hoc sunt, quod volunt.* Animus imperterritus. *2. Cor. 4. 8.* *Salv. l. 1. de vero judicio.*

110. Junci, quantumlibet paludibus immersi suum tamen incrementum omne ab aquis cœlestibus capiunt. Unde Emblematis loco sub cœlo pluvio depicti epigraphen sustinent; CRESCUNT CONSPERSI DESUPER. Ita sane verum hominis Christiani augmentum è gratiæ Divinæ favore potius, quàm à beneficiis terrenis derivatur. *Itaque*, inquit Apostolus, *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Sapientissimè S. P. Augustinus; *Nos loquimur, sed erudit Deus: nos loquimur, sed Deus docet. Non enim beatus dictus est, quem docet homo, sed quem tu erudieris, Domine. Nos plantare possumus, & rigare, sed DEI EST, INCREMENTUM DARE.* Gratia Dei. *1. Cor. 3. 7.* *S. Aug. ser. 4 de verbis Apost.*

LACTUCA Cap. XXIII.

111. PLinius author est, Lactucæ nomen celebri huic herbæ è lactis copia, quâ in radice, stipite, & foliis abundat, accessisse. Unde lemma; LACTE PRÆDIVES. Hanc charitatis Christianæ ideam habeto, quæ alterius egestati sublevandæ nunquam non copioso & dulcissimo lacte affluit. Eâdem omninò ratione Prædicator Evangelicus, suos Auditores suavi nutrimento recreaturus, lacteos amœnissimæ facundiæ rivulos in lingua circumfert. P. Cornelius à Lapide illam sacri Epithalamii sententiam, *Mel & lac sub lingua mea,* de Doctoribus ac Verbi Divini Præconibus interpretatur; *Qui os & labia habent stillantia lac & mel sacræ doctrinæ, ideoque plena suavitatis & dulcedinis, ut stillent lac teneris & rudibus, mel vero, id est solidiorem doctrinam magis provectis.* Charitas Christiana. Prædicator. *Corn. à L. in Cant. 4*

112. Lactuca, naturâ suâ humida ac frigida, sitim extinguit, stomachi ardores temperat, & cholerææ acrimoniam refrænat. Tametsi verò ob bonitatem suam humano palato nunquam non sapiat, inter æstatis tamen fervores omnium gratissima habetur. Unde Castor Durantes in suo sanitatis Thesauro ad eam conversus canit;

GRATIOR æstivo es, DUM SYRIUS ÆSTUAT, orbe.

Eam ob rem symboli loco subscribes; GRATIOR SUB SYRIO. Ita sanè gratia Divina nunquam nobis accidit suavior, atque inter extremas angustias ac summos calamitatum ardores. Nam quidquid emolumenti pluvia in æstate, manna in deserto, & in ultimo vitæ discrimine cibus affert, idipsum in eo articulo à gratia recipimus. De hac suppetiarum ac beneficiorum sorte Seneca prudenter pronuntians, inquit, *In beneficio sensus communis, tempus, locum, personas observet; quia momentis quædam grata & ingrata sunt. Quantò acceptius est, si id damus, quod quisquis non habet, quàm cujus copia abundat? quod diu quærit, nec invenit, quàm quod ubique visurus est.* Gratia in extremis angustiis. *Senec. l. 1. Benef. cap.*

113. Lactuca saporem præbet palato nostro gratissimam, ibi cumprimis, quando nullis abluta aquis, mensæ infertur. Unde inscripsi; NON LOTA SUAVIOR; argumenti ratione ex eodem Durante mutuata;

Si modò sit mundus cultor, NON LOTA PLACEBIS.

Benevolentiam minimè fucatam, & sinceram, apertamq; amicitiam hoc symbolo edoceris. Eam commendans Seneca, *Nihil tamen*, inquit, *æque oblectaverit animum, quàm amicitia fidelis. Quantum bonũ est, ubi sunt præparata pectora, in quæ tutò secretum omne descendat, quorum conscientiã minus, quàm tuã timeas, quorum sermo solicitudinem leniat, sententiã consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, &c.* Amicitia sine fuco. *Senec. lib. de Tranquill. cap. 7.*

114. Ajunt, Lactucam, naturâ frigidam, omnem Veneris impetum validè refrænare. Quare Athenæus testatur; *Venerem inter lactucas Adonin condidisse allegoricè innuentibus Poëtis, eos ad Venerea imbecilles esse, qui lactucis assiduè vescerentur.* Idipsum Laurentius Lippus de Colle inter distichorum suorum reliqua affirmat; *Athen. l. 2. Dipnosophi cap. 32.*

Surgentem Venerem mollis lactuca moratur.

Et Castor Durantes, poëmate ad lactucã converso;

-- -- -- Valeas, si vult gaudia nostra Venus.

Denique Andreas Alciatus lactucã cognominat *Amuletum Veneris*; id est, remedium & alexipharmacum ad Veneris insultus reprimendos validissimum. Proinde lactucam hoc lemmate afficere licet; CARNIS TEMPERAT ÆSTUS. Joannis Thuilii doctrina est, *Libidinem, turpemq; voluntatem ciborum moderatorum usu sopiendã, & reprimendã esse. Nihil enim æquè conducit ad motus illicitos cohibẽdos, quàm victûs ratio temperata.* Enimverò victus tenuis ac sobrius, in lactucæ frigescentis & humidæ symbolo repræsentari solitus, omnes impuri amoris flammas citra negotium restinguit. Temperantiam veluti è nativa sua sede definiens Magnus August. ait; *Temperan-* *And. Alcia Embl. 77.* *Ioan. Thuil. sup Embl. citatum n.* *S. Aug l. 3. Quæst.*

perantia est rationis in libidinem, atq; alios non rectos impetus, animi, firma & moderata dominatio.

115. Lactuca humiditate suâ somnum conciliat. Lemma è Castore Durante mutuatum; SOMNI DULCIS ALUMNA. Innocentiæ hanc typum putes; ea enim, quocunque loco candoris sui lac derivarit, quietis suavissimæ somnum, nullo extero strepitu unquam interrumpendum, confert. Salomonis consilium est; *Custodi legem atq; consilium, & erit vita animæ tuæ, tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget: si dormieris, non timebis; quiesces, & suavis erit somnus tuus.* Exemplo suo luculentè id comprobat S. Petrus Apostolus, qui ad mortem damnatus, in fœtidum carcerem detrusus, ferreis catenis constrictus, & militum excubiis validissimè cinctus, mirâ corporis animique quiete perfruebatur; *Et erat dormiens inter duos milites*: nimirum pectoris sui candore ac innocentiâ securus. Benè dixit S. Hieronymus; *Innocens inter ipsa tormenta fruitur innocentiæ bono; & inter malignitates, cum de pœna metuit, de innocentia gloriatur.*

Innocen-tia dulcem facit quie-tem. Prov. 3. 24. Act. 12. 6. S. Hieron. Ep. ad Demetri-ad.

LEGUMINA.
Cap. XXIV.

116. D. Carolus Bossus Emblematis loco Legumina figuravit, quæ aquis immersa, partim in illarum superficie, partim in fundo hærebant; cum lemmate, DETERIORA FERUNTUR. Illustres ac præclaras personas hæc imago innuebat, quæ temporum injuriâ ad infirmæ sortis fundum cernebantur depressæ, aliis interea hominibus vanis, & inutilibus ad dignitatum fastigia sublevatis; haud secus atque vitiosis leguminibus ex aquarum superficie suspensis, utiliora in fundo hæsitare coguntur. Infelicitatem istam deplorans Franciscus Patriarcha, *Quotiens*, inquit, *indigni dignissimis præferuntur, & quotiens indignos indignissimi judicant.* Dicto huic comprobando exemplum subjungit; *Lucius Flaminius, mox ob indignum facinus judicandus, & ordine senatorio amovendus, Scipioni Nasicæ prælatus fuit, viro omnium optimo, Senatus & populi sententiis judicato, Vatinius Catoni, illaudatus laudatissimo &c.* Exemplo tamen longè illustriore id testatum facit S. Matthæus: cùm enim Judæi liberam haberent optionem, vel Christum Servatorem, vel Barrabam seditiosum, latronem, & homicidam dimittendi; mox justo, innocente, ac sancto ad mortis fundum depresso, hominem indignum & sceleratum libertate donârunt. *Datâ optione*, inquit Beda, *pro Jesu latronem, pro Salvatore interfectorem, pro datore vitæ elegerunt ademptorem.* Et S. Ambrosius; *Illi quibus dicitur; Vos ex patre diabolo estis, verò Dei Filio Patris sui filium Anti-Christum prælaturi esse dicuntur.* Similem miseriam in Anglia, Elisabethæ ævo accidisse non sine lachrymis commemorat P. Edmundus Campianus; quando Ministri Calviniani, homines vilissimi, indoctissimi, & sceleratissimi aliis, nobilitate, virtute, & scientiâ ad miraculum excellentibus imperare sunt visi. Verba ipsius sunt. *Hæresis pessimè audit apud omnes, nec ullum genus hominum vulgo vilius aut putidius est, ipsorum ministris. Meritò indignamur in tam perdita causa homines tam indoctos, tam sceleratos, tam dissectos, tam abjectos, cultissimis ingeniis dominari.*

Indigni honorati. Franc. Petr. l. de Remed. dial. 38. Matth. 26. Beda in c. 15. Marci. Ambr. in cap. 22 Luc. Edm. Camp. Epist. 10.

117. Tametsi legumina, ab ebullientium aquarum impetu agitata, in aheno exiliant; extra hujus marginem tamen nunquam feruntur. Unde lemma; EXILIUNT, NON TRANSILIUNT. Juvenes illos hoc Emblema depingit, qui modestiam cum vivaci pectore ita arctè connexam habent, ut animo relaxando intenti, nunquam extra virtutis orbitam progrediantur. S. Clemens Alexand. *Tanquam animalia ratione prædita oportet nos temperatè componere studii nostri acrimoniam, & nimiam intensam vehementiã moderatè remittentes, non autem inconcinnè dissolventes.* S. Joannes Chrysostomus; *Quod malum est risus? inquis: Non est malum risus, sed malum, quando fit importuno tempore, & immoderatè. Risus inest animæ nostræ, ut remissionem aliquando habeat anima, non ut diffundatur.* S. Thomas Aquinas, illa Apostoli verba interpretatus; *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*, ait; *Quasi dicat, ita sit moderatum gaudium vestrum, quod non vertatur in dissolutionem.*

Recreatio modesta. S. Clem. Alex. l. 2. Pedag. cap. 5. S. Io. Chrys. Hom. 5. in Ep. ad Hebr. S. Thom. Aquin. Philipp. 4. 4.

LINUM. LINUM.
Albestinum. Cap. XXV.

118. NOn rarò miseros agricolas tota sua fallit spes, dum linum seminatum frequenter in lolium degenerat. Caducam hanc lini indolem describens Joannes Ruellius, ait; *Linum in lolium degenerare, Theophrastus prodidit.* Unde epigraphen subdidi; DEGENER IN LOLIUM. Idipsum affectibus nostris haud rarò accidit, quando laudabiliter & castissimè versus personam aliquam concepti, postea in vitiosas libidines desinunt. Verissimè dixit S. P. Augustinus, magnus ille morum Magister; *Amor fœminarum, quantumcunque spiritualis, sæpè vertitur in carnalem.*

Io. Ruell. l. 2. c. 3. Affectus degenerans. S. August.

119. Lino qualitas adeò venenata ac exsiccans est congenita, ut illius vitio omnes campi, quos incolit, marcescant. Virgilius id observans, canit;

Urit enim lini campum seges;

Et Plinius; *Linum urit agrum*, quibus accedens Ruellius, ait; *Obesse solo virus lini, quia sit fervidæ naturæ, ait Tremellius.* Quamobrem lemmatis loco subscripsi; PINGUE SOLUM EXHAURIT. Genuina hæc peccatoris imago est, cujus præsentiâ ac cohabitatione integras Provincias, quamlibet pingues & fortunatas, arescere, ac in steriles eremos deficere non rarò experimur. Testem habeto clarissimum, Davidem; *Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* Clarius id proponens S. P. Aug. ait; *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salinas. Unde? quo merito? à malitia inhabitantium in ea.* Tertullianus de Sodomæo incendio canit.

Virg. 1. Georg. Plin. in Præf. libri 19. Ruell. l. c. Peccator noxius. Psal. 106. 34. S. Aug. Tract. in hunc Psal.

Tota regis regio est, hinc atro horrore favillæ,
Hincque situ cano cineres incendia signant,
Occidit illa prior feritas, quam prospiciens Loth. &c

Tertull. Carm. de Sodoma incendio.

120. Etsi Physici in diversas abeant sententias, quænam terra lino omnium sit gratissima; Ruellius tamen, superiore numero adductus, illud uliginosâ ac pingui humo cumprimis gaudere testatur. *Gaudet*, inquit, *uliginosis tractibus, & limosis.* Unde lemma; LIMO PRÆGAUDET. Peccator obscœnus, limo non absimilis, dies suos geniales inter terræ fœtores transigit. Ad hoc propositum Suidas, referente P. Aloysio Novarino, ait; *Evidentes animi sordes significat lutum; si somniaris, te in luto aut cœno versari, peccata & errata tibi significantur.* Ita homo lascivus sensuum impuritate unicè delectatur. De avaro Caligulâ narrat Suetonius; quod *contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, sæpè super immen-*

Ruell. l. c. Peccator sordibus gaudet. Novar. To. 2. Adag. n. 744. Suetonius.

mensos aureorum acervos, patientissimo diffusos loco, & nudis pedibus spaciatus, & toto corpore aliquando volutatus est.

Mortificatio illustrat.
Corn. à Lap. in Ezech. 44. 17.
S. Hieron in Ezech. c. 16.

121. Lini præstantia ex ipsius subtilitate dignoscitur. Unde lemma; MELIUS QUOD TENUE. Ita Christianus, jejuniis ac mortificationibus probè extenuatus, pretiosum sui conspectum mundo exhibet. Cornelius à Lapide in rem nostram ait; *Tenuissima ex bysso fila texuntur in veste Pontificis, ut denotetur, mysticam veræ sanctitatis vestem non crasso (quod ajunt) filo, sed tenui atque subtili esse texendam.* Et S. Hieronymus super illa Ezechielis verba, *Cinxit te bysso*, ait; *Bysso accinguntur renes, quotiens pinguia libidinis incendia tenuanda sunt: nihilque in eis crassi humoris relinquitur.*

Puritas servorum Dei.
S. Aug. Hom. 45. de quinquaginta.

122. Nobilis illa est lini proprietas, quod tinea, reliquas & vestes omnes nocivo dente corrodere solita, pannis lineis propinquare non audet. Unde epigraphen sustinet; IMMUNIS A TINEA. Linteum illud, Sacerdotibus *Corporale* dictum, supra quod Sanctissimum Servatoris nostri Corpus consecratur, non sine mysterio è lino confici solet. Innuere enim vult Ecclesia, fidelium animas, instar panni linei, ab omni scelerum tineâ præservatas, Christi recipiendi dignas esse. Opportunè S. P. Augustinus; *Qui vult ad mysterium Ecclesiæ Catholicæ pertinere, excludat de corde suo corruptionem malarum concupiscentiarum, & ita incorruptibiliter firmetur in fide, ut pravis cogitationibus, tanquam tineis, penetretur &c.*

Calamitas utilis.
Beda in Proverb. 31.
Lud. Alcaz. in Apoc. c. 1. v. 13. Notat. 11.

123. Plurimas torturas, quibus linum afficitur, ordine percenset Plinius: nam è terra evulsum, in arctos fasces constringitur, ad solem torretur, in aquas mergitur, saxis opprimitur, rursumque exsiccatur, frangibulo conteritur, stupariis malleis tunditur, ferreo pectine carminatur, in subtilissima fila contorquetur, ac rursus petris alliditur, sæpiusque lavatur. His verò omnibus enumeratis, demum lemmati construendo subjungit; SEMPER INJURIA MELIUS. Opportunè Venerabilis Beda, *Byssus de terra vires oritur, sed per exercitationes longas ac multificarias amisso humore ac virore nativo, ad decorem candidæ vestis perducitur.* Genuina virtus, lino simillima, quò pluribus injuriis exagitatur, tantò majore meritorum & excellentiæ incremento invalescit. Ad rem præsentem Ludovicus Alcazar, *Linum (ait Plinius) semper injuria melius. Quod optimè exprimit, quantoperè vera sanctitas rebus adversis, ærumnis, ac persecutionibus augeatur.*

Benefacere inimicis.
S. Chrysost. hom. 9. in Matth.
Fulv. Test. p. 2.

124. Animus eximiè benignus & generosus, qui offensas sibi irrogatas beneficiis compensare solet, lini Emblemate depingi potest; illud enim eradicatum, stagnis immersum, percussum, maceratum, ac per ferreos pectines tractum, à D. Philippo Mariâ Gallinâ, meo Concanonico, epigraphen recepit, QUANT' OFFESO EGLIE PIU', TANTO PIU' GIOVA. Id est; SEMPER INJURIA MELIUS. Disertè S. Chrys. *Quidquid à quolibet hominum passi fuerimus injustè, aut remissionem accipiemus omnium peccatorum: aut si tanta in nobis delicta non fuerint, clarioribus honorabimur coronis.* Argumenti rationem suppeditat Comes Fulvius Testi, in lini laudem canens;

O bel fregio de campi,
Prima gloria de l'erbe, unica spene
De l'afflitta virtù, lino beato.
Te con sereni lampi
Fecondi il sole, è nutra in piaggie amene
Di perpetua rugiada amore amato.
Tu ne l'ingiurie grato
Ripari il mondo, e ne gli oltraggi tui,
Quant' offeso sei più, più giovi altrui.

In Morte.
Calamitas utilis.
S. Io. Chrysost. in cap. Isaiæ.

152. Philomusi ad solennes D. Ascanii Piccolominii exequias, symboli loco, linum depinxêre, quod frangibulo contritum, à floccis, corticibus, cæterisque partibus imperfectis secernebatur ac expurgabatur; cum epigrammate; PESSIMUM DECIDIT; veluti aixissent, illum exanimi corpore sepulto, partem minus nobilem perdidisse. Eodem Emblemate significatur, vitiorum excrementa calamitatum beneficio è pectore humano studiosissimè proscribi. S. Joannes Chrysostomus; *Qui in mediis tentationum procellis constituuntur, si solerter admodum sunt & studiosi, omnem socordiam abstergunt, & à se depellunt.*

Calamita.
S. Pasch. in Thren. 33.
S. Ambr. in Psal. 47.

126. Linum inter ferreos pectines figuratum, epigraphen sustinet; ASPERITATE POLITUM. Vel, ut Lucarino placet; AT PURGATUR. Indè haud obscurè colliges, ærumnas, à Deo immissas, animi nostri expurgandi, poliendi & emendandi instrumenta esse aptissima. S. Paschasius super illud Threnorum, *Tantum in me vertit & convertit manum suam*, ait; *Vertit enim Deus manum suam, totâ die, tantùm ut supra membra ejus, quæ colliguntur in virum perfectum, & mensuram plenitudinis Christi, ut ea excruciet, & emendet, & corrigat in præsentiarum dum vivitur, & convertit parcendo, auxiliando in futuro, ut misereatur.* Et S. Ambrosius; *Dum ad perfectionem fidei desiderant Dei famuli pervenire, commacerent corpus suum, castigando severius, & redigendo in ministerium servitutis, ne reprobentur &c.*

Calamita.
2. Cor. 4. 16.
S. Ambr. in hunc loc.

127. Linum, inter frangibula sua collocatum, gnomam subjunctam habet; FRACTUM PERFICITUR. Haud aliter plagæ ac vulnera animabus perficiendis instrumenta sunt accommodatissima. Hoc sensu S. Paulus; *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem*; id est, interprete S. Ambrosio, *Pressuris, plagis, fame, siti, frigore, nuditate caro corrumpitur, sed anima spe futuri renovatur.*

Calamita utilis.
S. Aug. in Psal. 85.

128. Linum contusum, laceratum, & carminatum, inscriptionem reddit, POLIOR, DUM EXPOLIOR. Linum enim tantò evadit comptius ac magis pretiosum, quò diligentius à vilissimis stupis & corticibus expurgatum fuerit. Humani cordis hunc typum credas, quod mundanis vitiorum exuviis spoliatum, Dei & Angelorum oculis gratissimum accidit. S. P. Augustinus; *Debet præparari cor ad videndam Divinitatem Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, in quam non visam credimus, & credendo cor, unde videri possit, mundamus.* Concinnè meus Carducius canit;

Dum expolior, polior; soboles ait arida lini:
Nempe cor exuto pulchrius orbe nitet.

2. Cor. 11.
Calamitates.
S. Chrysost. in moral. Hom. 25. & 26.

129. Linum, inter pectines ferreos raptatum, epigraphen tenet; PER QUOT DISCRIMINA? Ita sanè Christianus, ad exoptatam perfectionem sublevandus, innumeras angustias & labores percurrat, necesse est. Unicum obsecro intuere Paulum, quot *periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti &c.* Fuerit acerrimè jactatus, donec *coronam gloriæ* acciperet? Verissimè dixit S. Chrys. *Paulus undique pressus, nec oppressus, cedere nescius, clarior semper redit, patiendo victor, & millies Martyr.* Et meus Carduc.

Nobile lina decus per quot discrimina formant?
Improbus exornat nonnisi corda labor.

Cristus coronatus

Isa.53.1.

S.Aug.serm. 1. de Temp.

130. D.Aresius Christum, spinis coronatum, lino non absimilem dixit, quod inter ferreos pectines carminatum, epigraphen monstrat; PULCHRITUDINEM COMPLENT. Huic argumento affine est illud Isaiæ oraculum; *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Valde speciosus est in stola sua.* Hunc locum interpretatus S.P.Augustinus, ait; *Ascendebat enim cruoris rubore perfusus, à trophæis victricibus laureatus. Viderunt cœlites cuncti speciosum vulneribus Christum, & admirantes fulgentia Divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis &c.*

Munda conscientia. Pœnitentia.

S.Cypr.de Laud.Pœn.

131. Monacense Societatis JESU Collegium ad solemnem S.Francisci Borgiæ apotheosin, symboli loco, linum expressit, quod in campo fullonis assiduò irrigatum, candescebat; cum lemmate, CANDOR HIC A LACHRIMIS. Nempè Franciscus, bis quovis die conscientiæ suæ labeculas expiare solitus, illum tandem animi candorem contraxit, ut in sanctorum album transferri promeruerit. *O pœnitentia,* exclamat S. Cyprianus, *quid de te novi referam? omnia ligata tu solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas.* Cæterùm Emblemati explicando sequentes versus addidêre.

Huc mittat niveas Bruma licet nives:
Victas non solitus corripiet rubor.
Sicci quidquid olores
Albent invidiâ nivis.
Huc adsint, veniat candor oloribus
Insultans: pluviis vos quoque balneis
Docta albescere lina:
Uni cedite Borgiæ.
Bis quovis animos emaculat die:
Nec secum patitur fullo foris niger
Labem, candidus intus,
Per contraria pulchrior.
Si plumas olor, & candidulæ nives,
Contra Gandiadem vellera jactitent:
Tunc demum sine risu
Dicas, esse nigram nivem.

Obedientia.

Luc.9.

S.Bonav. in vita ejus c.6

132. P. Blasius Palma symboli loco linum mundum, erice fultum, statuit; quod, pro pictoris arbitrio, quibusvis lineis aut imaginibus perpingendum, epigraphen sustinet; QUOS VIS; ET QUOT VIS. Hominem obedientem hæc idea repræsentat, qui propriæ voluntati ita renuntiavit, ut Superioris arbitrio formandum se permittat. Christi præceptio est; *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Teste D.Bonav. *S. Franciscus, Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. Tam enim uberem asserebat sanctæ obedientiæ fructum, ut eis, qui jugo ipsius colla submitterent, nihil temporis sine lucro transiret. Unde & fratri, cum quo solitus erat ire, semper obedientiam promittere consueverat, & servare.*

LINVM ASBESTINVM.

Castitas.

133. Linum asbestinum, mappis texandis accommodatum, flammarum voracitati nil penitus subjacet, iisque occultâ suâ vi semper evadit superior. Unde etiam epigraphen subjunctam habet; INACCENDIBILE. Eorum hæc effigies est propria, qui inter medias occasiones nullam amoris scintillam concipiunt. Certè Scipio Africanus, captâ Carthagine, nobilem ac venustissimam puellam sponso suo illibatam consignavit. Xenocrates totâ nocte cum Phryne, stupendæ venustatis fœminâ, concumbens, adeò sibi ab omni libidine temperavit, ut juraverit illa, se non homini, sed statuæ propinquam dormiisse. Penelope, Ulyssis uxor, absente marito, viginti continuis annis ab importunissimis amantibus solicitata, effreni illorũ voluntati nunquam consensit. Unde Ovidius canit; Ovid.l.3. Eleg

Penelope mansit (quamvis custode careret)
Inter tam multos intemerata procos.

At paradoxa hæc sunt, & Doctoris Melliflui acroamate temperanda; *Subtrahenda nobis occasio est, & opportunitas fugienda peccati.* S.Bern.ser. 14 de Divers.

Spiritus S.

134. Oldradus Imperator Emblematis loco mappam, è lino asbestino contextam, ac flammis undique cinctam, prætulit; cum lemmate. TERGIT, NON URIT. Vel ut aliis placet; PURGAT, NON CONSUMIT. Ipsissima hæc Spiritûs Sancti effecta sunt, cujus virtute humanum pectus mirificè purificari, nunquam verò consumi solet. S. Ambr. *Deus noster ignis dicitur, sed vivus, Divinus, & æternus, qui non istas materias temporales consumit, sed conscientias peccatorum purificat, & in sui charitatem corda nostra succendit.* Haud aliter animæ, ad purgatorii flammas relegatæ, purgantur, non consumuntur. Isaias; *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu judicii, & spiritu ardoris,* Et S. Paulus; *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

S.Ambros. Tract. in symbol. cap.21.

Purgatorium.

Isa 4.4.

1.Cor.3.15.

Resistentia

135. Marcus Antonius Columna vestem, è lino asbestino consutam, inter medias flammas figuravit; cum lemmate, SEMPER PERVICAX. Eoque militarem suam generositatem, constantiam, & mentem in resistendo imperterritam significabat. Appositè Seneca; *Quemadmodum quædam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa rigorem suum, habitumque conservant, ita sapientis animus solidus est, &c.* Senec.l.2.de Tranquill. cap.3.

Plin.l.19. cap 1.

Tentationes calamitates illustrant.

S. Aug.l. 22. cont.Faustum cap 20.

136. Ignis mappam, è lino asbestino contextam, ambiens, Raulino ac Plinio testibus, AUGET DECOREM, NON URIT. Ita lasciva Ægyptiæ adulteræ flamma castissimo Josepho nullam penitus labem, plurimum verò honestissimi candoris attulit. Ita quoque calamitates homini exornando, non destruendo inserviunt. S.P.Aug. *Nullus hominum est tantâ justitiâ præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis; vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem.*

LOTVS.

Cap. XXVI.

Plin l 13. cap.18.

137. Plinius, posteaquam Lotum arborem descripserat, subjungit; *Est autem eodem nomine & herba,* simulque eam exactè considerat ac describit. Inter cætera verò hanc herbam, naturâ suâ palustrem, in Euphratis flumine reperiri, ac proprietatibus adeò miris instructam esse testatur, ut, sole oriente, extra aquas emergat; occidente in aquis se abscondat, ac submergatur; vergentem verò ad meridiem rectà insequatur. Unde lemma; EMERGO TECUM, ET COMMERGOR. Ita filii ac subditi, loto non absimiles, ad Majorum suorum prævias operationes exactè conformantur, eosque, veluti soles suos, sive ad virtutis exortum, sive ad vitiorum occasum, studiosissimè insequi solent. S. Hier. Heliodoro Episcopo in hæc verba loquitur; *In te omnium oculi diriguntur, domus tua, & conversatio tua, tanquam in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant.*

Conformitas. Exemplũ. Majorum.

Senec. Epist. ad Heliod.

138. Ea-

138. Eadem herba, oriente sole extra undas progrediens, epigraphen habet; EMERGO LUCENTE SOLE. Poterit etiam, lemmate ad solem reflectente, inscribi; UT RESPEXIT, EREXIT. Gratioso hoc Emblemate S. Petri Apostoli conversionem significare licet, qui ad unicum Solis Divini aspectum ex errorum suorum Oceano fuit eluctatus. *Conversus Dominus respexit Petrum, & egressus foras, flevit amarè.* In hunc locum commentatus Nicolaus Lyranus, ait, quod Servator *intuitu provocavit ad lachrymas quasi in mentem ei reducens, quoties negaverat, quod ei prædixerat. NEC POTUIT IN TENEBRIS REMANERE, QUEM LUX MUNDI RESPEXIT.* Et prior illo S. Leo Papa; *Dominus Jesus, qui intra Pontificale Concilium solo corpore tenebatur, trepidationem discipuli foris positi Divino vidit intuitu, & paventis animum MOX UT RESPEXIT, EREXIT.* Ea ipsa imago etiam subditum spectat, qui benigno heri sui aspectu ac favore recreatus, miseriis omnibus liberatur.

S. Petri conversio. Luc. 22. 61. Nicol. Lyr. in Gloss. Ord. S. Leo ser. 9. de Pass. Dom.

139. Marcus Antonius Gambara heroicum ejusdem herbæ symbolum efformavit, quæ nocturno tempore intra Euphratis aquas submersa, epigraphen subjunctam habuit; EXTRAHET UNA DIES. seu, meâ sententiâ, melius; EXTRAHET ORTA DIES. Innuebat videlicet, hominis cujusdam virtuosi merita, malevolorum tenebris, ac calumniantium fluctibus oppressa, olim in apertam lucem protractum iri. Emblematis mentem Comes Emmanuel Thesaurus sequenti epigrammate explicat;

Veritas aliquando patefit.

Candida nocturno latitans sub gurgite Lotos,
Surget ab arcanis, sol ubi surgat, aquis,
Obruat ingentem tenebrosa calumnia laudem;
Hanc tamen e tenebris EXTRAHET UNA DIES.

Porrò gens humana è sepulchris suis extrahetur, quando sol justitiæ in extremo judicii die apparebit. S. P. Augustinus; *Deus Judex est, quem nemo potest corrumpere, à quo nemo potest se abscondere.*

Christus Judex. S. Aug. ser. 2. ex addit à Carthus.

140. D. Octavius Boldonus Lotum, sole occidente intra aquas submersum, hoc lemmate insignivit; TE DUCE DULCE MERGI. Hinc subditi ac inferiores discant Majorum suorum exemplis promptè obsequi, & calamitates illatas, quas Magnates patienter perferunt, tranquillo animo sustinere. Seneca;

Exemplû Majorum. Senec. Troad. Act. 4.

Æquior casum tulit, & procellas,
Mille qui ponto pariter carinas
Obrui videt.

Et Ovidius;

Ovid. l. 15. Metam.

--- Nec enim fortuna querenda
Sola tua est; similes aliorum respice casus,
Mitius ista feres.

Certè S. Joannes Chrysostomus innumeras miserias, ab aliis Sanctis patienti animo acceptas, considerans, ad mille calamitates mirâ alacritate perferendas, sese extimulavit. Unde cùm ad Cyriacum Episcopum scribens, crebras persecutiones, ab Eudoxia Imperatrice adversum se concitatas, percensuisset, tandem subjungit; *Si vult secare, secet; idem passus & Isaias, subscribam illi. Si vult in pelagus me mittere, Jonæ recordabor. Si vult in caminum injicere, idem passi sunt tres illi pueri.*

S. Io. Chrys. ad Cyriac. Ep.

141. Lælius Lucarinus loto, ad primum solis exorti radium extra aquas progredienti, inscripsit; DUM RESPICIS, DETEGOR. Amici cujusdam fiduciam hæc imago describit, qui benigniore oculo ab altero acceptus, penitissimos suos affectus eidem manifestat. Porrò cùm herba illa ibi potissimum ex aquis emergat, quando à ridente ac calido solis radio demulcetur; idcircò non abs re dixeris, homini pœnitenti illam toti iconem cumprimis convenire; quippe qui, è vitiorum suorum pelago eluctaturus, culpas suas nunquam apertiore animo ad Confessarii oculos deponit, nisi ubi hunc benignum, suavem, ac serenum expertus fuerit. Mirum enim est, quantum in humano pectore benignitas ac clementia possint. Optimum S. Ambrosii consilium est; *Id agamus, ut omni placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominũ. Popularis enim & grata est omnibus bonitas, nihilque, quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea, si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæque adjuvetur gratia, incredibile, quantùm procedit ad cumulum dilectionis.*

Confidentia. Pœniten. S. Ambr. l. de offic. c. 7.

LUPINUS.
Caput XXVII.

142. Bargalius Emblematis loco scapum depinxit, qui plurimos Lupinos, valvulis suis inclusos, ferebat; cum lemmate è Plinio, AMARITUDINE TUTUM. Ita nimirum homines vindicativos, felle ac veneno plenos, magis reveremur, quam benignos, & naturâ suâ suaves. Item quo loco calamitatum amarities reperitur, ibi adversus scelerum aculeos præsentissimum habetur antidotum. Ore aureo in rem nostram pronuntiat Chrysostomus; *David, quando mirabilis fuit & gloriosus? nonne dum in tentationibus fuit? Absalon autem quoad fugiebat, nonne modestus erat? postquam autem rediit, & tyrannus, & parricida factus est.*

Plin. l. 18. cap. 14. Vindicativus. Calamit. præserva. S. Chrysost. Hom. 66. ad Pop.

143. Lupinus, citra ullius cultum aut industriam robustus ac pulcher è terra nascitur. Unde lemma; FERAX ABSQUE CULTU. Vel ut P. Lucretio Borsato placet; UBIQUE FERAX; Ubique terrarum enim venustas ac vivax progerminat. Eos hoc Emblema concernit, qui negotia sua proprio Marte, nemine alio dirigente perficiunt, vel qui beneficentiæ suæ ubertatem nulli non diffundunt. Ita S. Paulus. *Omnibus omnia factus*, & Evangelium ubique annuntians, gratis omnia præstitit. *Quæ est*, inquit, *merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium*, id est, interprete P. Cornelio à Lapide, *ut Evangelium à sumptibus immune reddam.* Et rursus; *Nulli onerosus fui.* Unde S. P. Augustinus; *Non simulantis astu, sed commiserantis affectu omnibus omnia factus est Paulus.*

Beneficentia. 1. Cor. 9. 22. 1. Cor. 9. 18. 2. Cor. 11. 9. S. Aug. Ep. 9

144. Lupini, naturâ suâ amarissimi, quando aquis immerguntur, dulcorem induunt, seu ut experientiâ magistrâ asserit Bargalius; DULCESCUNT. Haud aliter P. Aloys. Novarinus ait, *Peccati amaritiem à nobis tollit tribulationis aqua.* Vel certè, si aqua sit sapientiæ symbolum, juxta illud Siracidis, *Aquâ sapientiæ salutaris potabit illum*, non incongruè inferes, hominis litterati ac sapientis consilio aut discursu omnem ex afflicto corde amaritiem proscribi, sicuti lupini amarores intra aquas tolluntur. Justus Lipsius; *Ut lupini aquâ affusâ macerantur, & mitescunt; sic tristia molliuntur dissertatione & linguâ hominis eruditi.* Eodem argumento demonstravit Zeno, conviviorum hilaritate animabus mœstis solamen affundi. Interrogatus enim, *Cur cùm esset*

Tribulatio peccatum tollit. Novar. Aq. Nept. n. 100. Eccl. 15. 3. Discursus tollit tristitiam. Lips. l. 2. Dialog. 7. de Milit. Rom. Conviviũ

esset naturâ severus, in convivio tamen hilaresceret? respondit, Et lupinum, cum sit suapte naturâ amarum, tamen aquâ maceratum dulcescere. Cui subjungit Laërtius; *Naturale est, cibo potuque rigato corpore, discuti tristitiam.* Laërt. l. 7. cap.

145. Campo, lupinis undique cooperto, inscripsi; ARVA PINGUESCENT. Agricolis enim compertum est, lupinos instar optimi fimi ad impinguandos agros deservire; uti præter continuam experientiam testatur Plinius; *Pinguescere hoc satu arva, vineasq; diximus. Itaque adeo non eget fimo, ut optimi vicem repræsentet.* Opportunè Sanctos illos hæc imago repræsentat, qui amaris lupinis pasci soliti, immensam virtutum pinguedinem ac suavitatem contraxerunt. Ita S. Carolus *solis quandoque lupinis contentus vixit.* Hebræi Juvenes, in Babylonia captivi, quando vilibus & rusticis leguminibus vescebantur, præ cæteris omnibus pingues ac venusti prodierunt. Danielis Prophetæ verba sunt; *Apparuerunt* post cibos illos integris decem diebus continuatos, *vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.* Porrò quanta pinguedo spiritui nostro ex amaritudinum alimonia accrescat, cumprimis è sacratissima Servatoris nostri anima conjicere licet, cui præter ignominias, contumelias, ipsamque adeò mortem nullum aliud præstantius alimentum superesse videbatur: tametsi enim unica sanguinis illius guttula, Divinitati hypostaticè unita, mille mundis redimendis abundè suffecisset, ea tamen his minimè contenta, ac veluti famelica, sputis fœdari, derideri, vilipendi, aliosque innumeros amarores, utpote ad animæ pinguedinem maximè necessarios, recipere voluit. Optimè Tertullianus; *Taceo quod figitur, in hoc enim venerat: nunquid tamen subeundæ morti etiam CONTUMELIIS opus fuerat? sed SAGINARI voluptate patientiæ discessurus volebat. Despicitur, verberatur, irridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. &c.*

Plin. l. 18. c. — Junium. — Vita S. Caroli. — Dan. 1. 15. — Christus patiens. — Tertull. lib. de Patient.

146. Lupinus, infra solem figuratus, animum significat, ad aliorum obsequia pronum ac conformem. Unde lemma; CIRCUMMOVEOR TECUM. De lupino testatur Plinius; *Cum sole quotidie circumagitur.* Certè homo sapiens, ad voluntatis Divinæ ordinationem exactè compositus, eidem assequendo continuò studet. Sapientissimè Epictetus; *Semper,* inquit, *magis volo quod Deus vult, quàm quod ego. Adjungar & adhærebo illi, velut minister & assecla: cum illo appeto, cum illo desidero, & simpliciter atque uno verbo; quod Deus vult, volo.*

Plin. l. 18. c. 14. — Conformitas. — Epictet. in Enchirid.

MANDRAGORA.
Cap. XXVIII.

147. Tanta est Mandragoræ vis, ut hominem rationis usu privet, mentemque philtro quodam perturbatam, non rarò in alterius affectum per alienationem abripiat. Unde illam alio nomine Circæam appellant, à Circe veneficâ maximâ, & hominum fascinandorum peritissimâ. Epigraphe; MENTEM DISTRAHIT. Amoris hoc paradigma est, qui naturâ suâ extasin in homine efficit, & amantes quasi amentes reddit. *Amare porrò & sapere,* ait Publius Syrus, *vix Deo conceditur.* Adeò quippè extra se rapit, & transfert in rem amatam, ut, Magno Augustino teste, *anima plus sit ubi amat, quàm ubi animat.* De se ipso fatentem audi S. Paulum; *Vivo ego,* inquit, *jam non ego, vivit verò in me Christus.* Et S. Dionysius Areopagita; *Divinus amor* (idem de mundano judicium) *excelsum efficit, dum amantes sui juris esse non sinit, sed amatorum jubet existere.*

Amor. — Galat. 2. — S. Dion. Areop. de Divin. Nomin.

MELOPEPON.
Cap. XXIX.

148. Spectatâ exteriore Melopeponis formâ, haud operosè conjicies, num interius acerbus & insipidus, an verò gustui suavis & maturus habeatur. Unde D. Joan. Franciscus Bonomus Melopeponem Emblematis loco hâc gnomâ distinxit; AB EXTERNIS INTERNA. Ita Cæsar, exteriore Bruti ac Cassii facie considerata, omine haud vano, quales interius fuêre, deprehendit. Divinationem non absimilem, suoque comprobatam effectu, edidit S. Gregorius Nazianzenus è sola Juliani Apostatæ physiognomia. Rectè dixit Tullius, *Vultus ac frons animi est janua, quæ significat voluntatem abditam ac reclusam.* Præclarè Jacobus Catzius;

Quisque suo vitium, quot tegit, ore gerit.

Et multò melius D. Bonomus, Emblematis hujus mentem sequenti disticho explicans;

Est animi speculum corpus, quod debile vitrum est,
Fit clarum hoc, quidquid mens tenebrosa tegit.

Externis cognoscuntur interna. — Cicero de pet. Consul.

149. Melopeponis perfectio è fragrantia & pondere dignoscitur. Optimus enim est, quando FRAGRAT, ET GRAVITAT. E gemina hac prærogativa, quam etiam in nobili Cedrorum fructu reperire est, veras cujusvis Prælati dotes conjicio; is quippe non tantum omnis virtutis, doctrinæ, ac perfectionis religiosæ fragrantiam, sed & insignem animi, morumque gravitatem omnibus exhibeat. Constitutiones Canonicorum Regularium Lateranensium in Abbate Generali exigunt, quod sit *prudentia, & rerum gerendarum experientia, MORUM GRAVITATE, ET VITÆ PROBITATE, ET SACRARUM LITTERARUM SCIENTIA optimè probatus.*

Prælatus. — Const. Can. Reg. Later. p. 3 cap. 17.

150. Melopepon, naturâ suâ frigidus, non ob aliam rationem calidissimo anni tempore maturescit, nisi ut homini, ab æstatis ardoribus inflammato, temperiem affundere queat. Unde Castor Durantes; MITIGAT ÆSTUS. Bonum amicum hæc idea concernit, qui prudentiæ ac sanissimi consilii fragrantiam dispergens, proximi sui animum calamitatum ardore æstuantem, ac penè fractum, mitigat, erigitque. Verissimè Salomon; *Unguento, & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis anima dulcoratur.* Et Siracides; *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis.* E Cassiodori sententia; *Sine amicis omnis cogitatio esset tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, sine quorum solatio vivere esset mori.*

Amicus est medicina calamitatum. — Prov. 27. 9. — Eccles. 6. 16. — Cassiod. in Epist.

MILIUM. NARDUS.
Cap. XXX.

151. Quædam vidua, in familiæ suæ insignibus milium præferens, ab advena quodam in uxorem postulabatur. Unde è civibus nonnemo illud ipsum viduæ, amicæ suæ, symbolum depinxit; cum lemmate, BARBARUS HAS SEGETES? Verbis è Virgilio mutuatis;

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes?

Repulsa — Virgil. Eclog. 1. v. 71.

Hanc

Hanc allegoriam P. Ludovicus Certanus ita explicat; *Respuis aliquem generum, cui non vis dare filiam in matrimonium, dicas tum : habebit barbarus meas segetes?* Milii nomine animam intelligere licet, quam diabolo, infensissimo hosti, nonnisi imprudentissimè per peccata & caducas voluptates desponsamus. S.P. Augustinus, *Unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, acceptâ tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.*

Peccatum

S. Aug Expos. Ep ad Rom. propos. 42.

152. Odoriferæ nardo inscripsit P. Jacob Masenius; SPIRAT PRESSA SUAVIUS. Opportunè Maria Virgo à Ludovico Blosio vocatur *Nardus pudicitiæ*, quippè quæ nunquam virtutum suarum odorem adeò magnum sparsit, quàm calamitatibus & ærumnis pressa. Nunquam certè ipsius magnanimitas ita eluxisset, nisi sub cruce visa fuisset stare, animumque inter tot adversa non abjicere. S. Antoninus, *Stabat*, inquit, *Virgo ita Divinæ voluntati conformis, quod si oportuisset ad implendam secundum rationem voluntatem Dei, ipsa Filium in Cruce posuisset & obtulisset. &c.* Interpretem Emblematis audi eundem P. Masenium;

Ludo. Blos. in precibus.

Maria V.

S. Ant p. 4. Theol tit. 15. c. 41. §. 1.

Sensimus oppressis nardum spirare capillis,
Suavius ad duros & redolere pedes.
Nardus virgo fuit, tot pressa doloribus una est,
Sed virtutis odor, non dolor, iste fuit.

NYMPHÆA.
Cap. XXXI.

153. NYmphæa, in aquis tantummodò efflorescens, à Raulino epigraphen cepit; SOLA HILARATUR AB UNDA. vel; FLORESCIT IN UNDIS. Ita sanè anima nostra serenitatem ac virorem nullibi præstantiorem induit, nisi inter lachrymas è pietate scaturientes. doctissimè Idiota, meus Concanonicus; *Post lachrymarum pluvias serenitas sequitur atque tranquillitas.* Et S. Petrus Damianus, *Mox ut lachrymæ erupenrint, protinus anima revirescit, & redivivo virtutum suarum flore vestitur.*

Lachrymæ lætificant.

Idiota Tract. de 8 beatid. cap 4.
Pet. Dam. opusc. 13. cap. 12.

ORYZA.
Cap. XXXII.

154. ORyza nullibi felicius nascitur ac crescit, quàm ubi aquæ per declives & effossos campos reside motu decurrunt. Unde meus Concanonicus D. Salvator Carducius epigraphen subjunxit; GERMINAT INTER AQUAS. Ita Christi fideles, vix in hunc orbem nati, per baptismatis aquas transire, & totum vitæ suæ decursum inter assiduos calamitatum fluctus jactari coguntur. Verissimè dixit Tertullianus; *In aqua nascimur, nec aliter, quam in aqua permanendo salvi erimus.*

Fidelis.

Tertull.

155. Nonnemo, innumeris vulneribus saucius, ac gravissimis persecutionibus durissimè oppressus, quin & in singulis pene actionibus acerrima censurâ reprehensus, tandem omnem suspicionis sinistræ corticem abjecit, ac sese universo mundo innocentem, scelerisque purum demonstravit. Hunc D. Carolus Bossus Orizæ symbolo spectandum exhibuit, quæ, utpote frumenti species, intra mortarium collocata, epigraphen tulit; MUNDA, SED ILLÆSÆ. Oryza enim, quantumvis à pistillis alternè deciduis contrita, præter rudem, ignobilem, & inutilissimam glumam, quâ cooperiebatur, nihil amittit, suumque candorem ac venustatem illibatam conservat. Ita Sanctorum Martyrum animæ post durissimam corporum exagitationem, candidæ adeò ac mundæ perseverârunt, ut de ipsis Sacra Pagina testatum faciat, *Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni.* Et S. Ecclesia in illas Threnorum voces erumpens, ait; *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte.* Cæterùm quod iidem Sancti Martyres ab omni hominum tyrannide nihil nocumenti in anima sustineant, dilucidè affirmat Christus, eos his omninò verbis extimulans; *Ne terreamini ab iis qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant.* Sanctus P. Augustinus; *Quicunque te vult occidere, usque ad corpus ei licet, usque ad animam non licet. Anima tua non morietur, nisi tu eam volueris occidere. Perimat aliena iniquitas carnem tuam, dum servet veritas animam tuam.*

Virtus infestata.

S.S. Martyres.

Apoc. 7. 14.

Thren. 4. 7. Offic. Pass.

Luc. 12. 4.

S. Aug. in Psal. 69.

PISUM.
Cap. XXXIII.

156. OMnes pisi qualitates, à Joanne Ruellio enumeratæ, ad rerum terrenarum imbecillitatem ac instabilem naturam significandam deserviunt. Scapo enim sustentatur tenui, ac copiosis foliis onusto. Siliqua illius imitatur formam cylindriacam, fructus verò rotundam, flores producit candidos, ac volanti papilioni non absimiles; sicque nullibi non exactum rei vanæ ac transitoriæ typum exhibet. Ad propositum tamen meum illa Ruellii verba cumprimis faciunt; IMBECILLA RADICE. Enimverò res quævis terrena adeò infirmâ radice nititur, ut nonnisi brevissimo tempore, ac penè momento, conservari queat. Pulcherrimè S. Cyprianus; *Vana enim*, inquit, *sunt universa quæ cernimus, & quæ INFIRMIS RADICIBUS posita, soliditatis suæ vim nequeant sustinere* Et Seneca; *Hæc, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem, & quodcunque invectitium gaudium est, FUNDAMENTO CARET.*

Io Ruel de Nat. stirpi lib 2. c. 34.

Bona mundi instabilia.

S. Cypr. l. de laud Mar.

Senec Ep.

157. Pisum, tametsi exiguâ radice sustentetur, altum tamen progerminat, ac scapum mirè sublimem producit. Eò reflectens D. Salvator Carducius, inscripsit; IN MINIMO GRANDE. Hinc disces, in parvulis corporibus non rarò ingenia excelsa ac illustria delitescere. Illius exempla habeto in Alexandro Magno, in S. Augustino, in Cornelio à Lapide, aliisque compluribus, qui, corpore quidem depressi, militari tamen robore, ingenii præstantiâ, ac litteris maximos se orbi probârunt. Hominem quoque humilem imago ista repræsentat, qui in hoc mundo minimus, ac vilissimo loco habitus, versus cœlum duntaxat excrescit, & immensum progerminat. Præclarè S. P. Augustinus; *Si fueris humilis, erigeris; si fueris elatus curvaberis; non enim deerit Deo pondus, unde te curvet.* Emblematis mentem hoc disticho explicat D. Carducius;

Res parvæ grandes producunt effectus.

Humilis

S. Aug in Psal. 37.

Dat piso molem radix pygmæa gyganthis;
I nunc, in minimo grande latere nega.

158. Ruellio teste, *Pisum apricis seri debet*; Unde inscripsi; GAUDET APRICIS. Quare in piso genuinam operationis virtuosæ, meritoriæ, & sanctæ imaginem dignoscere licet; quemadmodum enim vitiis caligo placet; ita virtus, ad Dei gloriam, ac proximi ædificationem unicè intenta, claram lucem ac solis conspectum amat. Servatoris nostri præceptio est; *Luceat lux vestra coram*

Opera bona.

Matth 5. 16.

Math.5 16. *coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Genuinam præceptionis hujus mentem explicans S. Gregorius, ait; *Ea quæ agimus & occultanda sunt, ne ipsi laudemur; & tamen ostendenda sunt, ut laudem cœlestis Patris augeamus.* Et verò sicuti virtutes omnes, ita cumprimis Evangelica fides ac veritas in propatulo esse cupiunt. S. reg. Papa p. Pastor ... 36.

159. Piso indolem adeò temperatam esse ajunt, ut nonnisi aperto cœlo, in locis tepidis, ac soli expositis plantari velit. Ruellii de illo verba sunt; *Pisum apricis seri debet, nam tepidum locum, & cœlum frequentis humoris desiderat*, estque *frigoris impatientissimũ.* Unde lemma; FRIGORIS IMPATIENS. Idem omninò hominis verè devoti mores sunt, qui sanctimoniæ flammis penitus succensus, nihil interioris frigoris sustinere valet. S. Franciscus Salesius ait; *Vera devotio nil aliud est, quàm verus quidam Dei amor, & quædam agilitas, & vivacitas spiritualis, cujus adminiculo charitas suas in nobis actiones (aut potius nos per illam) promptè affectuoséq; exequitur & operatur.* Certè Abrahamus, devotionis suæ experimentum facturus, mediâ nocte, animoque prompto, sacrificii instruendi causâ, surrexit. Talem etiam se probavit Zachæus, qui à Christo vocatus, *festinans descendit &c.* Unde S. Ambrosius testatur, quod sit *ubique impigra devotio.* Devotio. Franc Sal. Introd. ... Ambr. lib. I Cain.

160. Pisum, ut in fructibus proferendis tanto felicius progrediatur, ab arboris cujusdam virgâ, ceu fulcro, sustentari cupit. Ruellii de eo verba sunt; *In altum scandit, arboris ramo, cui accubet, adfixo.* Brevitati consulens, subscribes? SCANDIT INNIXUS. Ita humanum pectus, auxilio Divino nixum, è deserto ad cœlum, è vitio ad virtutem, è miseria ad æternæ beatitatis gaudia sublevatur. S. Gregorius, illa Salomonis verba interpretatus, *ASCENDIT de deserto, INNIXA super dilectum*; ait, *Super dilectum innititur, quia in solius Christi auxilio confidens, eo largiente, ab exilio ad patriam transfertur.* Et S. Ambrosius; *Perfectiores enim supra Christum recumbunt, sicut & Joannes in Christi pectore recumbebat.* Iustus à gratia adiutus. Greg. in Cant 8.5. Ambr l. Isaac. c.8.

161. Pisum ramosæ cujusdam arboris duritiem suâ sponte amplectitur, ac è propriis visceribus capreolos, ceu ligamina generat, quibus eidem sese voluntarium servum implicet & involvat. Unde epigraphen subdidi; SESE ULTRO DEVINCIT. Ruellius de piso ait: *sese capreolis vinciens illigat.* Infelix peccator, piso non absimilis, instar Absalonis propriâ suâ cæsarie, id est, vitiorum suorum excrementis, ultrò ligatur, &, veluti mille calamitatum meta, è suppliciorum arbore suspenditur. Opportunè canit S. Ecclesia; Peccator.

---- Mens gravata crimine
---- Nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.

Prov.5.22. Et Salomon; *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Unde ad Deum conversus Magnus Augustinus, in rem præsentē ait; *Solvis à vinculis, quæ nobis fecimus, si jam non erigamus adversum te cornua falsæ libertatis; avaritiâ plus habendi, & damno totum amittendi, amplius amando proprium nostrum, quàm te omnium bonum.* Aug l.3. Confess c.8.

***
**

PORRUM.

Cap. XXXIV.

162. E Concordi Balthasaris Pisanelli, & Hugonis Benzii sententiâ, Porrum nullo non tempore, ætate, ac corporis constitutione cibus pessimus habetur, estque alimentum humano usui detestabile, ac maximè vitiosum. Præterquàm enim quod capitis dolores provocet, visum debilitet, gingivam rumpat, ac ventris tumores excitet, insuper, Castore Durante teste, SOMNIA TETRA PARIT. Genuina hæc peccati imago est, quod, turbatâ conscientiæ quiete, somnum in hominis flagitiosi pectore molestissimis spectris interrumpit. De Caligula scribit Suetonius, quod vix tribus horis somno indulgere potuerit; *ac ne his quidem placidâ quiete, sed pavidâ miris rerum imaginibus.* Nero quoq; *terrebatur evidentibus portentis somniorum*, ibi cumprimis, quando matrem suam Agrippinam, & Octaviam Conjugem interfecit. Otho nocte illâ, quæ Galbæ necem insequebatur, horrendis larvis exterritus in altissimos gemitus prorupit &c. Conscientia mala turbat quietem. Sueton in Caligula.

163. Inter cæteros effectus malos, à porro generari solitos, Castor Durantes etiam hunc recenset, quòd acutissimos dolores, & *irati tormina ventris* excitet. Unde inscriptio; TORMINA GIGNIT. Haud aliter peccatum, ubi animam nostram invadit, assiduâ & indefessâ carnificinâ eam excruciat. Quare ubi nos in Jobo legim⁹, *Cunctis diebus suis impius superbit*, Regia traducit *se excruciat*; & Pagninus, *dolet ut parturientes fœminæ.* De omnibus mundi voluptatibus pronuntians S. P. Aug. *Vincula hujus mundi*, inquit, *asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* Nec Juvenalem id fugit; Conscientia mala torquet. Iob 15.20. S. Aug. in Epist. 39. Iuvenalis Satyr 13.

--- Quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum patiente animo tortore flagellum.

164. Porrum, in tertio gradu calidum, ad libidinis ardores concitat. De hoc Castor Durantes in suo sanitatis Thesauro ita canit,

Hoc colat, ingratæ cui fœmina cura colendæ,
Quique nec adstrictis renibus esse velit.

Proinde è mei Carducii sententiâ subscribes; AD VENEREM STIMULO. Lenones infames, ad Veneris lascivas aras provocare & allicere solitos, hæc imago spectat. Inter hos antesignani extitēre Tiberius, Caligula, & Nero, uti præter complures alios testantur Suetonius, Zonaras, & Xiphilinus. Eandem porri indolem etiam muliebris venustas congenitam habet; quippe quæ ad carnis ac sensuum blandimenta acerrimos admovet stimulos. Providentissimè S. Cyprianus; *Timendo fœminarum blandimenta vincamus. ACULEUS PECCATI facta est FORMA FÆMINEA.* Leno. Forma muliebris. S. Cypr. de Singul. Cler.

PULEGIUM.

Cap. XXXV.

165. PUlegium, tametsi recisum, & in fasces colligatum è domorum tectis suspendatur, nihilominus rigente hyeme flores ac virorem concipere solet. Unde D. Octavius Boldonus hanc herbam sub Capricorno, brumalis solstitii signo, depinxit; cum lemmate, RECISA FLORET. Ita virtus, acerrimè exagitata, inter extremas quasvis calamitates pulcherrimè effloreſcit. Petrus Abbas Cellensis; *Virtus bonorum, adversariorum infestatione lacessita, flore vernat & fructu.* Virtus inter persecutiones. Pet Cel l.5. Ep.4.

166. Joannes Ferrus Pulegio inscripsit, HYEME FLORET. Et alius; DUM HYEMAT, VERNO. Non importunum hoc fœminæ illius est symbolum, quæ corporis vires, vivum colorem, & vultûs amœnitatem etiam inter provectos senectutis suæ annos conservat. Talem Sancti Patres Saram, Abrahami conjugem; & Authores profani Helenam fuisse testantur. De harum una, epigrammate non inconcinno, canit Balthasar Bonifacius;

Venustas in senectute.

Balth Bonif. l 4. Stichidion Epigr. 36.

Sed rugis, canisque tuis est tanta venustas,
Herculis ut conjux sic anus esse velit.
Quid mirum fugitiva Deas si præterit ætas?
Ver aliis hyemat, sed tibi vernat hyems.

Virtus in senectute.

Cæterùm imagine illâ ad mores formandos accommodatâ, non abs re dixeris, illos hoc symbolo denotari, qui sanctarum operationum ac virtutum studio in extrema senectute unicè incumbunt. Joannes Dadræus ait, homines malos eo significari, qui, grassante seditionum hyeme, ad meliorem fortunam efflorescunt, alias semper neglecti & ignobiles. *Ut pulegium ipso brumæ die floret, cùm marcent omnia: ita rebus pessimè vexatis regnant mali, quorum in pace nullus est respectus.* Simon Majolus, Episcopus Vultuariensis, ait, Pulegium animi fortis ac generosi ideam esse, qui persecutionum frigore altum constrictus, miros virtutum flores producit. *Ea*, inquit, *Pulegii natura, quæ hyeme floret, rigente ubique frigore, fortem virum indicat in adversis florere.*

Vitiosi fortunati.

Io. Dadræus. tit. Magistratus.

Animus generosus

Sim. Majol. Tom. 1. Dierum Canic. Colloq. 10.

167. Comes Emmanuel Thesaurus pulegio, inter nives ac hyemis ardores efflorescenti, subscripsit; ADVERSO TEMPORE. Ita perfectus amor, rigente adversitatum brumâ, clarissimus evadit. Cassiodori sententiâ, *Necessitas amicum probat, & intimæ charitatis ardorem splendor exhibitiæ subventionis elucidat.* Certè Ovidius, patriâ extorris, ad amicum scripsit;

Amor verus.

Cassiod. in Epistol.

Nam cùm præstiteris verum mihi semper amorem,
Hic tamen ADVERSO TEMPORE crescit amor.

168. Persecutionis Herodianæ brumâ totam infestante Palæstinam, Sancti Innocentes amœnissimè efflorуerunt. In eorum honorem D. Aresius pulegii fasciculum depinxit, qui è pariete suspensus, florem induebat, cum lemmate; IN DIE FRIGORIS. Iisdem ad rem nostram opportunissimè applaudens S.P. Augustinus, *Jure*, inquit, *dicuntur martyrum flores, quos IN MEDIO FRIGORE infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Ecclesiæ gemmas quædam persecutionis pruina decoxit.*

SS. Innocentes.

S. Aug serm. 10. de Sanct. in Append. 71

169. Pulegium inter medios hyemis rigores florem concipit, cum lemmate; DUM CÆTERA LANGUENT. Anima verè virtuosa, quantumvis malorum consuetudine utatur, nunquam se à sanctis operibus dimoveri patitur. Tales se probârunt Jobus inter Hussitas; Abrahamus inter Chaldæos; Loth inter Sodomitas; Josephus inter Ægyptios; Daniel, Ananias, Azarias & Misaël inter Idololatras Babylonios; Nicodemus inter Rabbinos, &c. Nam ut in rem præsentem observat Magnus Augustinus; *Peccata aliorum, bonorum societatem maculare non possunt. Neque enim boni communicant peccatis alienis; quibus utiq; faciendis non consentiunt; quamvis cũ ipsis, qui ea faciunt, Dei Sacramenta communicent.*

Virtuosus inter malos.

S. Aug lib. 4. contr Crescon c. 26.

170. Lemma, pulegio florescenti inditum, ET REMOTISSIMO SOLE, eos innuit, qui virtutum suarum flores non ibi tantummodò producunt, quando in Solis conspectu, ac mundo intuente, observantur; verùm etiam dum remotis arbitris solitarii degunt, & præter propriam suam conscientiam nullos alios testes vicinos habent. Eodem Emblemate etiam Sancti Martyres Innocentes significantur, qui, pulegio non absimiles, pretioso Martyrii flore ibi demum coronati incessêre, quando verbum incarnatum, veluti Sol Justitiæ, è Judææ climate ad remotiſsimas Ægypti terras transiit. Ad hanc rem proprio suo quæsito divinè prorsus respondens S. Petrus Chrysologus, *Quid dicemus*, inquit, *quod Rex ipse, qui stare debuit, fugit solus, & fugit monente patre? Fugere istud est amoris intimi, non timoris ignaviæ. Si stetisset Christus, haberet eos Synagoga filios, hos Ecclesia martyres non haberet.*

Operari in secreto.

SS. Innocentes.

S. Pet Chr. Serm. 153.

RAPA. RAPHANUS.
Cap. XXXVI.

171. Plinius, rapas miris encomiis extollens, eas quibusvis animalibus semper opportunas & accommodatas esse ait; *Ante omnia namque cunctis animalibus nascuntur*; sive enim crudæ, sive coctæ, omnibus hominibus, jumentis, pullis, ac piscibus alendis inserviunt. Ut adeò, meâ quidem sententiâ, illis Plinii verbis non abs re hoc lemma efformaveris; CUNCTIS ENASCOR. Vel, DAT OMNIBUS ESCAM. Eandem indolem cuivis homini congenitam esse velim. Antoninus Imperator, quem Philosophum cognominabant, dicere erat solitus; *Hominis naturæ conveniens esse, ut omnium hominum curam gerat.* Et Prior illo Seneca; *Hoc*, inquit, *ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest, multis: sin minus, paucis: sin minus, proximis.* Ab his non multum alienus S. Cæsarius Arelatensis, ait; *Si diligenter attenditis, evidenter agnoscitis, quòd nullus hominum sibi soli vivit, & nullus sibi moritur. &c.*

Plin l. 18. c. 13.

Beneficentia humana.

Anton. I. lib. quem se ipso scrit cap 2

Senec. l. d. vita beat cap. 30.

S. Cæs. A. Hom. 35.

172. Castor Durantes in suo Sanitatis Thesauro de rapis canit;

----- *Rigido gaudentes frigore rapæ.*

Unde lemma rapæ inditum; FRIGORE GAUDET. Homo desidiosus, & in obsequii Divini ac virtutis amore frigidus, hanc ideam exactè sequitur. Siquidem *Acedia*, teste S. Joanne Climacho, *est remissio animæ & resolutio mentis, pusillanimitas exercitationis.* Vel ut S. Thomas definit; *Est tædium benè operandi, & tristitia de re spirituali.* Richardus eam describens, ait; *Est torpor mentis, bona inchoare negligentis.* Vel è Tullii sententiâ, *Est pigritia, & inertia, & fatigatio animi, quâ quis bonum inchoatum fastidit.*

Acedia.

S. Io. Clim.

S. Tho. 2. q. 35.

Cicero Tu. Quæst.

173. Plinius, superiore numero adductus, ait frigoris ac pruinæ inclementiam raparum magnitudini ac venustati plurimum conferre. *Nebulis*, inquit, *& pruinis, ac frigore ultrò aluntur amplitudine mirabili.* Unde lemma; FRIGORE FIT AMPLIOR. Vel ut meus P. Gallina; A RIGORE VIGOREM. Et alius; JOVIS INCLEMENTIA CRESCIT. Hinc disces, animam nostram, quò acerbiore calamitatum terrenarum tempestate obruitur, tantò in Dei fiducia ampliùs excrescere. S. Gregorius Magnus; *Sanctorum conscientia dilatatur, cum mundi hujus adversitatibus exterius premitur. Nam cùm à præsentis vitæ securitate repellitur, intus ad se impingitur, ut ad speranda superna tendatur. &c.*

Plin l. 18.

Calamitas utilis.

S. Greg. M. l. 24. Mor. cap. 8.

174. Idem Plinius rapis miram è cœli inclementiâ suavitatem accrescere testatur. *Frigore*, inquit, *dulciores fieri existimantur.* Et Joannes Ruellius; *Algoribus dulcescit.* Unde Rapam Emblematis loco hâc gnomâ insignivi; FRIGORE FIT DUL-

Plin. l. c. Ruell. de natur. stirp.

Rigor utilis. DULCIOR. Moderatus prudentis reprehensionis rigor ipsissima hæc effecta habet; nam pristinâ vitiorum asperitate extra humanam mentem proscriptâ, suavissimo virtutis & perfectionis melle eam perfundit. Hanc veritatē persuasurus S. Joannes Baptista, Judæos non sine vocum rigore compellavit; *Matth.3.7.* *Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere à ventura ira.* Et ipsemet Christus; *Matt.23.31.* *Filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt; & vos implete mensuram patrum vestrorum: serpentes, genimina viperarum.* Denique S.P. Augustinus; *Aug l. de peccat meritis.* *Ut ipsa asperitate verborum duritiam cordis emollirent.*

175. Tametsi rapa humano nutrimento multùm conducat; id tamen inficias nemo iverit, viscera humana ab iis, in stomachum demissis, vitiosos tumores ac flatus contrahere. Unde Castor Durantes;

Cruda alimenta parit, NUTRITQUE, humectat & ipsa, ET GIGNIT FLATUS.

Epigraphen subjunges; NUTRIT, ET INFLAT. Mundus. Mundi hic typus est, qui nonnihil quidem terrenæ utilitatis ac beneficii confert, paulò post tamen offēsas & damna longè maxima creat. Petrus Bercorius, *Pet. Bercor. Reduct. Mor. l.12.c.135.* hanc Emblemati construendo ansam suppeditans, ait; *Est rapa mollis & dulcis, corpus præ cæteris radicibus melius nutrit, inflationem tamen generat. Talia sunt mundi bona, quæ licèt sint dulcia, & licet nutriant corpus, inflationem tamen superbiæ generant & inducunt.* Providè monet Magnus Augustinus; *S. Aug. Ep. 119 cap.15.* *Ab ipsius mundi amicita jejunetur, quæ utique fallaciter blandiri non cessat.*

176. Rapa & Raphanus, quò diutius in terra defixi hærent, tantò majorem bonitatis suæ jacturam faciunt; indies enim mole crassiores, duriores, & ut compendio dicam, deteriores evadunt. Eò animum advertens D. Josephus Pallavicinus Can. Reg. Abbas, Retrocedere. inscripsit; ALITUR IN DETERIUS. Rudia & agrestia illa hominum ingenia hoc Emblemate significantur, quæ intra artium suarū officinas non modo progressus nullos faciunt, sed indies majore obruuntur caligine, ac deteriora fiunt. Eandem ideam etiam infelices illi imitantur, qui, religiosæ perfectionis adipiscendæ causâ, in terram fertilem ac pinguem plantati, retrocedunt, &, Judæ non absimiles, dum instar Ingratus. Angelorum sunt exorsi, tandem vitæ epilogum prorsus diabolicum subnectunt. Denique ingratus, quò cumulatiore beneficiorum humore alitur, tantò magis redditur stupidus, obduratus, & inhumanus. De his Seneca; *Senec. Ep 49* *Quidam quo plus debent, magis oderunt; leve æs alienum, debitorem facit gravem inimicum.*

177. Rapa, sicuti digestu est difficilis ac tarda, ita stomaho occidit inimica, ventrem inflat, venas aquis replet, & poros obstruit. Unde in suo sanitatis Thesauro Castor Durantes ait; PRAVA ALIMENTA PARIT. Ita sanè mundana prudentia nonnisi vitiosos mores, æternamque perniciem parturit. Prudentia mundana. *Nam, Apostolo teste, prudentia carnis mors est.* *Rom 8.6.* Hunc locum interpretatus S. Ambr. *S. Ambr in hunc loc.* *Prudentia carnis*, inquit, *peccatum est, quod generat mortem. Prudentia enim ideò dicitur, cùm res stulta sit, quia sæcularibus hominibus errores ex visibilibus concepti, sive in sensu, sive in actu contra legem Dei, prudentia videntur; maximè quia omnis industria est astutia illorum in eo, ut peccent; sapere enim sibi videntur, si istud diligentius curent.* Porrò Adulator, rapæ non multùm absimi- Adulator. lis, animam humanam pessimis alimentis distendit; vitia enim virtutum schemate tegens, superbiam, avaritiam, libidinem, alioque fatales animæ tumores fraudulenter ingerit. De hoc meus S. Prosper canit; *S. Prosper. Epigr. 86.*

Lingua assentatrix vitium peccantis acervat,
Et delectatum crimine, laude ligat.
Nulla fit ut lapso reparandæ cura salutis
Blanditur sonti dum malè suasus honor.

178. Histrio quidam, militem imitatus, scuto suo raphanum incidi fecit, cum idiomatis Bergomensis lemmate, PIU' FORT CHE NOU' CREDI. Id est; FORTIOR, QUAM ÆSTIMAS. Personam, aspectu quidem exiguam; at ingenti virtutum cumulo locupletem, hæc raphani imago innuit; Virtus abscondita. ut adeò hinc neminem, quantumvis humilem, facilè contemnendum esse discas. *Hi enim*, inquit S. Greg. *S. Greg l. 15. Moral.* *quos despicimus fortasse, possunt vitam nostram ferventioribus studiis anteire.* Ne autem volumini nostro quidquam amœnioris Musæ desit, haud dubiè, benigne Lector, optimâ tuâ veniâ poësin illam Bergomensem subjungere licebit, quâ Emblematis præsentis mens non inconcinnè explicatur.

Tugga i dis c' ol Remolaz
L'è un lavor, che val nagot,
Che l'ha nigher ol mostaz;
Che l'è meschi, e che l'è biot:
Mà nò i sà mò, chè sò rabios;
Che senza deng mordi anca mi;
E che in la coa porti [illegible]os
On cert veni, che fà planzi;
Si che i me car homegn, brut sem vedi,
Asò però piu fort, che nos credi.

Id ita interpretabar;

Vil di natali, e in faccia al mondo oscuro
Io'l sò ch'agn' un mi vede;
Ma forte assai più son ch' altri non crede.
Del mio seno ben puro egli è il candore;
Mà mordace hò il sapore;
E s' altri ardisce d' addentarmi alquanto,
Gli ricavo da gli occhi acerbo pianto.

Et D. Laurentius Longus Somascenus;

Acrior est raphanus, multisque potentior herbis,
Aspectu quamvis sit rudis esca viri.
Rusticus urbano sic milite fortior, armis
Aptior inventus Marte furente fuit.
David ab aspectu non sat fuit agnitus olim,
Et minor, & major fratribus ipse suis.
Isque Philistæum potuit superare giganthem,
A quo contemptus ceu puer ante fuit.
Sic Phrygis Æsopi major sapientia fulsit,
Deformis vili quò magis ore fuit.
Non sat ab aspectu robur cognoscitur, ac mens;
A vultu virtus non reputanda viri.

179. Plantæ, quò radices profundiores agunt, eò minores herbas extra terram proferunt, ut in cepis, rapis &c. experientia testatur. Unde lemma, QUO PROFUNDIOR, EO MINOR. Ita prorsus Mundani. homines mundani, quo magis rebus terrenis fuerint immersi, eò minores fructus cœlo inferunt. Dilucidè Apostolus; *1 Cor. 2.14.* *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei.* Unde ne à spiritu retrahamur, *Matth. 6. 25.* *Deus nos omnem etiam proprii corporis nostri curā abjicere voluit. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Causam assignans Magnus Augustinus; *S. Aug l. de vera Relig. c 46.* *Nemo inquit, potest perfectè diligere, quo vocamur nisi oderit, unde revocamur. Vocamur autem ad perfectam naturam humanam, qualem ante peccatum nostrum Deus fecit; revocamur autem ab*

ejus dilectione, quam peccando meruimus. Quare oderimus oportet, unde ut liberemur, optamus. Oderimus ergò temporales necessitudines, si æternitatis charitate flagramus.

SEDVM. seu SEMPER VIVVM. Cap. XXXVII.

180. HÆc herba, supra domorum tecta, in murorum fissuris, aliisque locis aridis ac remotis nasci solita, ab Academico, inter Nocturnos Bononienses Rorulento, epigraphen è Virgilio accepit: NOCTIS NON DEFICIT HUMOR. Veluti dixisset, tametsi è sterili & aridâ ingenii sui terrâ nullam posset sperare fertilitatem, sibi tamen omninò persuasum esse, quod nobilissimæ illius Academiæ præstantissimis viris adjutus, fruges minimè tenues facturus sit. Iis etiam hæc imago convenit, qui cordis teneritudine à Deo donati, ne perenni virtutum virore unquam excidant, animi sui plantam assiduis lachrymis irrorant. Sanctum Ephræm Syrum, eo lachrymarum dono insignem, S. Greg. Nyssenus his omninò verbis deprædicat; *Sicut cunctis hominibus citra intermissionem spiritum ducere est propriũ; ita Beato Ephræm assiduè lachrymas profundere naturâ quodammodò videbatur insitum. Nulla quippè dies, nulla nox, nulla diei noctisque pars, nullumque brevissimi temporis momentum fuit, in quo non vigiles ipsius oculi lachrymis conspicerentur perfusi.*

Virgil. l. 1. Georg. v. 290 — Adjutoriũ — Lachrymæ — *S. Greg. Nyss. in Vita S. Ephræm.*

SPINACEA. Cap. XXXIX.

181. SPinacea suum nomen à spineo & aculeato semine derivat. Ruellius id observans, ait; *Quod tam glabræ & mollis herbæ semen in spinas occalescat, inde spinaceum olus* Et paulò inferius; Exit semine spinulis horrido. Exinde Emblematis ansam mutuans inscripsi; SPINOSO SEMINE PRODIT. Ita omninò genus humanum è radice vitiosa, spinea, ac per originariam Adami labem corruptâ, natales suos trahit. Huic miseriæ altum illachrymans S.P. Augustinus, de Adamo ait; *Post peccatum exul effectus, stirpem quoq; suam, quam peccando in se, tanquam in radice, vitiaverat, pœnâ mortis & damnationis obstrinxit &c.* Et meus Carducius;

Ruell. l. 2. cap. 53. — Homo in peccato natus. — *S. Aug. Enchirid. cap. 25. &c.*

Spinoso in lucem spinacea semine prodit;
Spinea & humanum gignit origo genus.

182. Spinacea radicibus debilissimis, & ita tenuibus nititur, ut subtilissimos capillos non excedant. De illa Ruellius; *Exiguâ radice, multiplici, tenuibusque capillamentis fibrata.* Proinde epigraphen non incongruam subjicies; EXIGUA RADICE VIRET. Certè humana vita, aspectu debilissima, & quasi radice penitus destituta, celerrimè extinguitur. Verissimè S. Ambrosius; *Hodie videas adolescentem validum, pubescentis ætatis virtute florentem, gratâ specie, suavi colore; crastinâ die tibi facie & ore mutatus occurret. &c.* Idipsum peculiari ratione in homine impio deprehendens Eliphazus, ait; *Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam.* Meus Carducius Emblematis hujus mentem sequenti disticho aperit;

Ruell. l. c. — Vita humana. — *S. Ambr. lib. 1 Hexam. c. 7.* — *Iob. 15. 29.*

Exiguâ radice viret spinacea; terris
Edita sic hominum vita caduca manet.

183. Spinacea, nullam omninò terram spernens, felicissimè ubique progerminat & virescit. De hac Joan. Ruellius. *Nullum solum respuit, sed quocunque provenit lætissimè.* Unde lemma; LÆTISSIMA SURGIT UBIQUE. Ita Divina Sapientia, Providentia, & bonitas omni loco mirè vivaces ac fertilissimæ comparent. Unde Siracidis ore Divina Sapientia inquit; *Gyrum cœli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, & IN OMNI TERRA STETI &c.* Magni Augustini sententia. *Ipsa est perfectio sapientiæ ubique esse, & longè esse à malis, qui ubique sunt.*

Sapient. & provideutia[?] — *Eccles. 24.* — *S. Aug. in Psal. 140.*

184. Ludovicus Bertaldus ait, quod spinaceæ frondes, caulis, flores, ac semen nunquam non virescant. Unde lemma; UNDIQUE GRATA VIRET. Haud aliter virtus, è radice ac semine spinoso progressa, amabilem ac felicissimum florem assiduò circumfert: nihil enim patietur virtus, quod aut fœdum sit, aut aridum. S.P. Augustinus; *Totum quod pulchrum est in anima, virtus & sapientia est.* Ad rem præsentem meus D. Salvator Carducius;

Lud. Bert. Annot. ad gul. sanit. Hug. Ben — Virtus. — *S. Aug. C. 1. in Psal.*

Undique grata viret læto spinacea vultu:
Sic pariter virtus pectore tota viret.

185. Ruellius de spinacea ait; *Citra aquam coquitur, utpote cum magnam vim humoris inter coquendum remittat, & veluti proprio contentum jure, alienum aspernetur.* Proinde spinacea, in aheno supra ignem collocata, epigraphen promeretur. SUO JURE CONTENTA. Moderatum hominis animum hâc icone significare licet, qui sorte suâ contentus, nemini alteri quidquam nocumenti afferre cogitat. Cæterùm eadem spinacea, cum lemmate, HUMORE SUO DECOCTA, animam lascivam concernit, quæ in inferorum abyssum præcipitata, miserrimè excruciatur. De hac S. Cyprianus ait; *In adipe suo frixæ libidines ebullient.*

Contentum esse suo. — Libido cruciata — *S. Cyprian.*

TRIFOLIVM. Cap. XXXIX.

186. SCipio Bargalius trifolium illo Plinii lemmate insigniit; IN IMBREM ERIGITUR. Eorum hæc imago est propria, qui plurimis donis à Deo cumulati, tandem eidem Deo perduelles obniruntur. Adversum istos Oseæ ore conquestus Creator, *Ego,* inquit, *dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Dicere volebat, interprete Origene, *Dedi vobis sensum & rationem, quâ me Deum & sentire possetis & colere: vos autem sensum & rationem, quæ in vobis est, ad colenda Dæmonia transtulistis.* Eodem Emblemate etiam resistentiam illam nativam, ac omnibus creaturis congenitam significare licet, quâ vim vi repellere, omnemque hostium impetum ulcisci conantur. Propertii scitum est;

Ingratitudo. — *Osea 2. 8.* — *Origen in hunc loc.* — Resistentia. — *Propert. l. ad Cynthi*

Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem,
Verùm etiam instanti læsa repugnat ovis.

187. Trifolium, sole eclypsin sustinente, languorem contrahit ac penitus flavescit. Unde lemma, TUO LANGUORE LANGUESCIMUS. Nobile quoddam ingenium hâc icone amicos, è Cardinalis Horatii Spinolæ obitu extremúm afflictos, significabat. Verius tamen illam de rebus omnibus creatis interpretari licet, quæ fatalem Solis Divini eclypsin in rupe Golgothæâ conspi-

In morte Christus mortuus

consþicatæ, unanimi mœrore commovebantur; quantocius enim *obscuratus est sol, & velum templi scissum est &c.* Atque adeò languente Christo, creaturæ omnes in acerbissimos languores dissolvi sunt visæ. S. Chrysostomus; *Non poterat ferre creatura injuriam Creatoris: unde sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora.*

TUBER.

Cap. XL.

188. SI Medicis fidem habeas, Tubera naturâ suâ plurimùm ventosa sunt; neque id, Castore Durante teste, mirùm esse debet, cum nonnisi flantibus ventis, mugientibus tonitruis, ac pluviis cadentibus generentur.

Si turgent, æquum est: ventosa tonitrua, & imbres
Hæc genuère.

Et Prior illo Joannes Ruellius ait; *De tuberibus hæc traduntur. Cùm fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tunc nasci, & maximè è tonitribus.* Unde Emblematis construendi ansam Tubera suppeditant; addito lemmate, TONANTIBUS IMBRIBUS ORTA. Eorum hoc symbolum dixeris, qui virtutum suarum fruges nonnisi calamitatum formidine, ac supplicii Divini fragore compulsi proferunt. Ita Hebræi *clamaverunt ad Dominū cum tribularentur.* Saulus intra vocum Divinarum tonitrua, ac cæcitatis plagas supremam Numinis voluntatem lubens excepit. Mulier Chananæa, ubi filiam suam dæmonum fremitu tortam, ac proprium pectus dolorum oceano immersum senserat, Christi fidem amplexa est. &c. *Quo tempore*, inquit Cassiodorus, *clamor cordis totis viribus excitatur? quando & imminens periculum timetur, & præsumptio humana subducitur.*

189. Hugo Benzius docet, propè tubera nullas herbas nasci, quia illa, è terræ uligine generari solita, vicinam pinguedinem omnem in sui nutrimentum attrahunt, nullâ penitus in aliarum herbarum alimoniam relictâ. Unde P. Carducius Tuberi subscripsit; CALVAM REDDIT HUMUM. Innuebat videlicet, pectoris humani terram, atris vitiorum tuberibus consitam, gratiæ Divinæ herbis miserrimè destitui. Emblemati explicando hoc distichon subjungit;

Calvam reddit humum Tuber, in qua delitet ortū;
Sic ubi crimen inest, gratia nulla viret.

Hujus exemplum satis luculentum in Judâ Iscariote habes, qui Sathanâ vix intra animam suam recepto, *exivit continuò* è cænaculo, ubi Christus accubuit. Opportunissimè S. Ambrosius; *Ubi Sathanas immisit se in cor Judæ, Christus recessit ab eo, momentoque eo, quo illum recepit, hunc amisit.*

190. E medicorum sententia, Tuber humano corpori plurimum nocumenti creat; quippè quod ventrem inflat, nervos ac caput debilitat, stomachum offendit, & frequenter usurpatum, apoplexiam generat &c. Castor Durantes in suo sanitatis Thesauro de illo canit;

Tubera bilem atram generant, ægreque coquuntur,
Et capiti, & nervis, ventriculoque nocent.

Unde Carducius epigraphen subjunxit; PECTORA NUBE TEGIT. Ita sanè peccatum humano cordi cæcam timoris, mœstitiæ, ac cruciatuum nubem offundit. S. Joannes Chrysostomus ait;

Quemadmodum mulieres parturientes à doloribus discerpuntur; ita etiam qui facit dolum, discerpitur, & non levi aliquo, sed vehementissimo dolore afficitur. Carducius sui explicandi causâ hoc distichon subjungit;

Pectora nube tegit Tuber esum, tristia gignens:
Sic genitum reddit nubila corda scelus.

191. Joanni Ruellio, inter cæteram Tuberum naturam observatum est, ea nullis omninò radicibus niti, *nullis*, inquit, *fibris, nullisque capillamentis nixa.* Quare epigrahen subjungere licet; NULLIS FIBRIS INNIXA. Ita sanè omnes mundi voluptates cum fungis & tuberibus comparaveris; quæ, tametsi palato humano nonnihil sapiant, nullam tamen ullius constantiæ radicem connexam habent. Mirificè in rem præsentem Valerius Maximus; *Caduca nimiùm hæc & fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis sunt, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repentè dilabuntur. NULLO IN LOCO, nulla in persona, STABILIBUS NIXA RADICIBUS CONSISTUNT &c.*

192. Ludovicus Bertaldus affirmat, tubera nec ullum semen emittere, neque etiam ab ullo semine generari. Unde tuberum ore è Poëtis nonnemo canit;

Semina nulla Damus, nec semine nascimur ullo.

Quia verò è Servatoris nostri doctrina, *Semen est Verbum Dei*; idcircò illam tuberis naturam in duo symbola distinguere libet; Primum quidem hanc epigraphen præfert; SEMINA NULLA DAMUS. Certè Prædicatores illi his terræ excrementis se non absimiles probant, qui in solam auditorum voluptatem attenti, sermones suos vanissimo verborum tumore excolunt, nullo penitus dogmatis Evangelici semine in illorum cordibus relicto. Alterum lemma esto; NEC SEMINE NASCIMUR ULLO. Idque rursus Prædicatores illos spectat, quorum verba nonnisi ex inani & vana mundanæ eloquentiæ formâ protuberant, neque fæcundo Divinæ Paginæ, SS. Patrum, aut vitæ emendandæ semine nascuntur. S. Hieronymi sententiâ; *Sermo Presbyteri, nisi lectione scripturarum condiatur, verba volvit celeritate dicendi.*

URTICA.

Caput XLI.

193. VRtica, cum lemmate, LEVITER SI TANGIS, ADURIT, Rusticos spectat; quibus ea est indoles, ut benevolè ac perhumaniter habiti, nonnisi offensas reponant, utpote qui omnem tenerioris amicitiæ rationem penitus insolitam & alienissimam ducunt; contrà verò durius excepti, modestè, &, quantum possunt, benignissimè respondeant; unde de illis vetus paræmia obtinuit;

Ungentem pungit, pungentem Rusticus ungit.

Insuper ea imago homini cholerico, & ad vindictam expetendam præcipiti, convenit: vel etiam fœminarum familiaritati; utpote quæ levissimâ manu contrectatæ, libidinis flammas evomunt. S. Antiochus; *Mas, inquit, & fœmina, si ab invicem semotius disparentur, neutiquam exardescet ignis; sin mari se fœmina propius admoverit, ignis conflagrabit.*

Margin notes (left): ...27.45. | S. Chrys. in Gen. ex ... in de Pi. Dom. | Cast. Dur. in Thesauro Sanitatis. | Ruell. ... de ... Stirp. | Operari timore. | ... l. 106. 6. ... 9. | Luth. 15. | Cassiod. in hunc loc. | Peccatum excludit gratiam. | ... 13. 30. | Ambr. l. 2. Abel. c. 4. | Peccatum horrore implet. | Io Chrys. in Psal. 7. 15.

Margin notes (right): Ruell. de Nat. Stirp. l. 2. c. 78. | Voluptas terrena. | Val. Max. lib. 6. sub finem. | Lud. Bertald in Annot ad Regulas Janit. Hug. Benzii. | Luc. 8. 11. | Prædicator vanus. | S. Hieron. Ep. ad Nepot. | Rusticus. | Vindicta. | Fœmina lasciva. | S. Antioch. Hom. 18.

Insolentia repressa.

194. D. Aresius observat, urticam, arctiore manu compressam, nihil nocumenti creare posse; Epigraphen addidit; COMPRESSA NON URIT. Ita prorsus homo, naturâ suâ mordax, & injuriis spargendis assuetus, si validiore mortificationum pugno stringatur, aculeos & offensas omnes exuit. Eâdem ratione caro, arctiore disciplinâ à nobis castigata, effrenem ac indomitam suam urendi vim prorsus didiscit. S. Nilus; *Carnem tuam*, inquit, *debilitato bonis laboribus: penitus vero eam non domari posse existima.* Magis dilucidè ad propositum nostrum Camerarius;

Mortificatio. *S. Nilus paræn. n. 59.*

Læditur is meritò, parvum qui negligit hostem,
Fortiter urticas qui premit, ille sapit.

Cor imperterritum.

195. Manus, Symboli loco urticas stringens, nihil sese offensæ recipere, hoc lemmate protestatur; NIL ME LÆDITIS. Domino Aresio hæc idea ad imperterritam hominis magnanimitatem significandam deservivit, quippè quòd aculeis, vulneribus, ipsique adeò morti è fronte obluctari audeat, nullo unquam nocumento inde relato. Thomas Stapletonus; *Acedia*, inquit, *velut urtica, in mollitie remissionis aculeū pungentem habet, & multas tentationes affert: sed actione ferventi compressa, PUNGERE DESINIT.* Tullii sententia, *Ad magnanimum pertinet, ea, quæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil à statu naturæ discedat, nihil à dignitate sapientis.*

Thom. Stapl. Prompt. Moral Dom. 4. Advent. n. 5. *Tull lib. 1. de Offic.*

196. Urtica adhuc recens ac juvenis urit; unde lemma, URIT MATURE. Consentaneè ad illud Poëtæ;

Urit maturè, quod vult urtica manere,
Et rosa maturè se probat esse rosam.

Juventus.

Juventutem hæc imago concernit, quæ, vix nata, haud obscurè indicat, quibus olim disciplinis, malis an bonis, addictura sit animum. Magnus Augustinus, hæreticorum malleus & acerrimus hostis in senectute habitus, ab ipsis penè incunabulis inter coætaneos excelluit, & ob ingenii acumen summam doctrinæ suæ spem præbuit. Ipsummet sibi testem audi; *Deus meus, libenter fabulas didici, & eis delectabar miser, & ob hoc bonæ spei puer appellabar.*

S. Aug. l. 1. Conf. c. 16.

Juventus ad libidinem prona.

197. Urtica, adhuc tenella, omnium acerrimè urit. Lemma; DUM TENERA EST, URIT. Ita juventus, ad libidinis flammas pronissima, facilè animam adurit, nisi fomenta omnia studiosè subtrahantur. S. Chrys. *Juventus pyra quædam est, quæ omnia succendit; idcirco Timotheus* (aquâ semper contentus, & demum, ex Apostoli consilio, vino nonnisi modico propter stomachum utens) *eam undique obstruebat, & flammas extinguebat. Infirmetur, inquit, corpus, & non infirmetur animus; refrænetur caro, & animæ ad cœlum cursus non impediatur.*

1. Tim. 5 23. S. Chrys in hunc loc.

Juventus fervida

198. Urtica, quò fit adultior, eò minus urit; Lemma, MITIGATUR ADULTA. Idipsum in Juventute experimur, quæ ob nativum fervorem, longè est injuriarum impatientior, quàm senectus; tantoque mitigamur magis, quò amplius in ætate provehimur. S. Ambr. *Rara sanè juvenibus est humilitas: ideoque miranda dum ætas viget; dum vires solidæ, dum sanguis æstuat, dum solicitudo nescitur, dum ignoratur debilitas, dum lætitia frequentatur, tunc fervet jactantia, tunc se juventutis extollit affectus, tunc humilitas quasi vilescit, abjecta contemnitur, tunc subjectio de genere conscientiæ æstimatur infirmitas.*

S. Ambr. in Psal. Beati immacu.

Patient vera.

199. Urtica, quamdiu non attingitur, neminem lædit; at vel minimum tacta, aculeos exerit, & acerrimè offendit. Lemma, NISI TACTA, QUIESCIT. Ille ipse hominum multorum est genius, qui sibi inter prospera miram pollicentur patientiam, omnesque passim benignissimè excipiunt; at vel levissimè tacti, prô! quot vindictæ flammas evomunt! quantum turbantur! integros Vesuvios intra præcordia fovere putes. Ergò genuinam patientiam ab adulterina nonnisi inter adversa discernere licet. Opportunè S. Bern. *Sunt*, inquit, *alii mites, sed quamdiu dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio, sed quàm longè sunt à patientia, apparet, si levis oriatur occasio.* Et S. Gregorius. *Nunquam est patientiæ virtus in prosperis. Ille verè patiens est, qui & adversis conteritur, & tamen à specie suæ rectitudinis non curvatur.*

S. Bern in sermon. *S. Greg. in Ezech. Hom. 7.*

Timor Dei.

200. Manus cataphracta urticam innoxia tangit. Lemma; NIL OFFICIT ARDOR. Ita homo, timore Dei munitus, inter medias calamitatum, rerumq; obscænarum ardores, nihil unquam læditur. In rem præsentem S. Chrysost. *Solus*, inquit, *est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, & omnis boni tribuit facultatem.* S. P. Augustinus; *Time Deum, qui super omnes est, & hominem non formidabis.* Et S. Basilius; *Ii, quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, & obstrepentem occasionem vitant.* Et rursus; *Nisi timor instituendæ vitæ nostræ rudimenta jaciat, impossibile fuerit, castitatem, sanctimoniamque legitimè observari.* Denique P. Petrus Pennequin S. J. in Isagoge ad amorem Divinum refert, sanctimonialem quamdam, obscænis repræsentationibus vexatam, ab Angelo tutelari fuisse monitam, ut versum hunc frequenter haberet in ore; *Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui.* Inde enim ipsi accessurum levamen, uti revera evenit. Similem Historiam videre licet apud Cæsarium *l. 8. Hist. cap. 42.*

S. Chrys. in serm de S. Ioan. Bapt. *S. Aug in Psalm* *S. Basil. Hom. in Psal. 33. ad vers. 10* *Pet. Pennequin p. 3. c 22. num. 5.*

FINIS LIBRI DECIMI.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER UNDECIMUS.
F L O R E S.

Flos.	1	Granadilla seu flos passonis, vel Indicus.	8	Lilium.	14
Amaranthus.	2	Heliochrysum, seu Chrysanthemon.	9	Miraculum Hispanicum.	15.
Anemone. Flos Adonidis.	3	Heliotropium.	10	Papaver.	16
Caltha.	4	Hortus.	11	Pœonia.	17
Campanula.	5	Hyacinthus.	12	Rosa.	18
Caryophyllum.	6	Jasminus.	13	Tulipa.	19
Corona Imperialis.	7			Viola.	20

F L O S. Caput I.

1\. PRatum, floribus amænè consitum, epigraphen tenet; STATIM LANGUET. Genuinam hanc vitæ humanæ, ac cujusvis majestatis terrenæ imaginem dixeris. De hominum vita S. Ambrosius: *Hodie, inquit, videas adolescentem validum, pubescentis ætatis virtute florentem, grata specie, suavi colore; crastina die tibi facie & ore mutatus occurret.* Et succinctè Propheta Regius; *Tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* D. Claudius Trivultius in suis Rhytmis quosdam introducit, qui, dum fœnum resecabant, ad fœminas conversi, in hunc modum cecinêre:

[Margin: Vita humana. — Ambr. l. 1. Hexam. c. 7. — Psal. 36. 2. — Majestas terrena.]

Donne, quel fior, che ride,
E da noi si recide
Sembrà vostra beltà te
Cui depreda l'etate
L'atà, che in poco d'hora
Ogni cosa divora
SI che vostra ventùra
A pena si può dir che poco dura.

Quantùm verò mundi majestatem attinet, dilucidè S. Augustinus: *Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, minæ, tumores, flos fœni est.* Et S. Ambrosius: *Momento cuncta prætereunt, & sæpe honor sæculi abiit antequam venerit.*

[Margin: August. in Psal. 103. — Ambros. in Luc. 4.]

2\. Florum vita brevissima est; quippe qui vix unius diei intervallo persistere soliti, ætate suâ etiamnum juvenescente ac tenerâ, miserrimam senectutem subire coguntur. Unde lemma: IN JUVENTUTE SENESCIMUS. Haud aliam vitæ humanæ indolem esse, perspicuè testatur Jobus; *Quasi flos egreditur, & conteritur.* S. Cyprianus: *Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectute desinit, sed incipit à senectute.* Et Torquatus Tassus:

[Margin: Vita humana. — Job. 14. 2. — Cypr. Epist. ad Donatum. — Torq. Geruf. conquist. l. 3. stanz. 15.]

Così trapassa al trapassar d'un giorno
De la vita mortale il fire, e il verde.

3\. Flores in prato, adversus cœli serenissimi stellas collocati, epigraphen recepêre: ÆMULANTUR, NON ASSEQUUNTUR. Eos hoc Emma spectat, qui, omni adhibito conatu, summam alterius excellentiam nullâ ratione assequi possunt. Ita omnibus sanctis patientiam, humilitatem, charitatem, obedientiam, paupertatem, aliasque virtutes, velut totidem stellas, in Incarnati Verbi cœlo conspicuas, imitari quidem licet, at ex æquo illas possidere nunquam valent; omnis enim humana industria ab infinitis Christi meritis immenso intervallo recedit, solamque facultatem habet, illud admirandi. Denique fortitudo, patientia, castitas, aliæque virtutes, in antiquis Græcis ac Latinis heroibus celebratæ aliquam quidem cum Sanctorum Martyrum nostrorum virtutibus analogiam habent, at à genuina illorum excellentia spatio tam amplo dissident, quantò terra ac homines terreni à cœlo ac cœlitibus. Illi enim ob finem nonnisi humanum, ac gloriolæ cujusdam transitoriæ, vel caduci honoris adipiscendi causâ operabantur; hi verò ad finem longè celsiorem collimant, suasq; pugnas ac triumphos ad Bonitatis supremæ obsequia dirigunt, uti prolixè & eruditè demonstrat P. Theophylus Raynaudus, quem hac de re consulere, operæ pretium erit. Porrò omnium Sanctorum puritas & gloria simul sumpta non adæquat summum illarum pretium in una Deiparâ Virgine Maria. S. Bernardus; *Quæ enim vel Angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit, Spiritûs sancti sacrarium fieri, & habitaculum filii Dei? si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris Angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. &c.*

[Margin: Æmulatio. — Theoph. Rayn. de Virtut. & vitiis l. 5. c. 8. — S. Bern. ser. 4 de Assumpt. M. V. — Mariæ V. puritas & gloria.]

4\. Flores, in vase quodam collocati, epigraphen sustinent; DECORANT, ET PROSUNT. Ita virtus litteræ, & diversæ eruditiones in homines doctos plurimum utilitatis & ornamenti conferunt. Justus Lipsius; *Litteras summum solatium, & utilissimum instrumentum censere licet humanæ vitæ.*

[Margin: Litteræ. — Lips. Cent. ad Belgas. Epist. 59.]

5\. Flores, in vase quodam consiti, ex uno latere solis splendorem, ex altero verò nubem pluviam spectabant; cum lemmate, UTRIUSQUE AUXILIO. Hinc disces, civitatis, Reipublicæ, aut Regni cujusvis incolumitatem tum demum felicissimè florere, quando beneficus gratiarum splendor, à principe passim diffusus, atram vindicantis justitiæ ac suppliciorum nubem conjunctam habet. S. Gregorius Magnus; *Circa subditos suos, inquit, inesse rectoribus debet, & justè consolans misericordia, & piè sæviens disciplina.* Nec abs re dixeris, ut bonis omnibus efflorescamus, operationis nostræ sudorem cum gratiæ Divinæ radiis copulandam esse. Agapiti ad Justinianum Imperatorem parænesis erat; *Debes igitur*

[Margin: Justitia & misericordia. — S. Greg. Papa l. 20 Moral. cap. 6. — Gratia & cooperatio.]

Agap. Epist. Paræn. n. 20.

igitur, cordatissime Rex, tum consilio prudentiore, tum precibus ad Deum impensioribus exquirere diligenter, quæ mundo sunt expeditura.

6. Argumento à præcedente haud multum absimili, Franciscus Villava florem, in loco aprico figuratum, hoc Poëtæ hemistichio, ceu lemmate insignivit; FIRMAT SOL, EDUCAT IMBER. Et verò si homo è compluribus Sacræ Paginæ testimoniis florem imitetur, *Qui quasi flos egreditur.* Et, *Gloria ejus quasi flos agri.* Item, *Sicut flos fœni transibit*; certè non incongruè dixeris, illus fomentū unicè necessarium cùm è gratiæ Divinæ lumine & calore, tum è pœnitentiæ ac pietatis imbre scaturire. Unde S. P. Augustinus; *Justitia sit, sed & gratia sit; à Deo tibi sit, non tua sit.*

Iob. 14. 2. Isa. 40. 9. Iacob. 1. 10.

S. Aug. ser. 15. de Ver. Apost. c. 9.

7. Anima nostra, compluribus miseriis & calamitatibus inundata, tantundem vigoris inde recipit, quantum flos è pluviis, quibus opportunè irrigatur. Uterque enim fit OPPRESSIONE VIVACIOR. In rem nostram clarissimè S. Joannes Chrysostom. *Sicut pluvia in terram descendens elevat semina, sic & TRIBULATIO ANIMAM intrans, ERIGIT desideria.* Quin & Romanorum felicitas, quò magis oppressa, eò uberiùs excrevit. De his Justus Lipsius: *Magnitudinem populi Romani adversis propè rebus admirabiliorem, quam secundis esse ait Livius.* Et L. Florus; *Magna populi Romani Fortuna, sed semper in malis major resurrexit.*

Calamitas roborat

S. Chrysost. Hom. 8. in Matth.

Lips. l. 4. de Magnit. Rom. cap. 5.

Virtus afflicta crescit.

L. Florus.

8. Aliquot flores, à Lunæ, intra eclypsin delitescentis umbrâ percussi, epigraphen sustinent; TUO LANGUORE LANGUESCIMUS. Nobile quoddam ingenium hâc icone amicos, è Cardinalis Horatii Spinolæ obitu extremum afflictos, significabat. Eos insuper hæc imago spectat, qui, cum aliter non possint, amicorum suorum ærumnas saltem commiseratione sublevant. Ita Chusai tenerrimum animi sui affectum Davidi fugitivo exhibiturus, *Occurrit ei scissâ veste, & terrâ pleno capite.* In rem præsentem S. Joannes Chrysostomus; *Chusai vir probus, Davidis amicus, suam in eum amicitiam perpetuò conservavit: & cum nihil aliud posset, lachrymarum affert consolationem, &c.*

In morte.

Amicus verus.

2 Reg. 15. 32.

S. Io. Chrys. in Psal. 7.

9. P. Sylvester Petrasancta flori, intra horti cujusdam sulcum figurato, inscripsit; NON ALIBI MELIUS. Innuebat videlicet, Religiosum nullibi securius, atque in suo claustro ac templo comparere. Ab hoc sensu nihil alienus Psaltes, canit; *Plantati in domo Domini, in atriis domûs Dei nostri florebunt.* Religiosissimè meus Thomas Kempensis; *Tutior locus non est servo Dei in hoc mundo, quàm latere in secreto: ubi Patrem ores liberâ mente, ostio cubiculi clauso. Periculosus semper exitus cellæ, mansio ejus quies devotissima vitæ &c.*

Religiosus in claustro.

Psal. 91. 14.

Tho. Kemp. Exercit. spir. cap. 4.

10. Aliquot floribus subscripsi; VENENATA RECONDUNT. Alludendo ad illud Virgilii;

Virg. Eclog. 3. v. 92.

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, O pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

Ita sanè mundi voluptates nonnisi amaritiem, ac mortis extremos cruciatus recondunt. Absalon Abbas; *Sub specie florum quandoq; latent scorpiones, lacertæ & serpentes, & dum volueris capere florem, calcabis serpentem. Si ergò delectat te recreatio floris, terreat suspicio veneni; quia admodum fugienda est delectatio, quæ periculo veneni comparanda est.* Et S. Hieronymus; *Mihi credite, venenum sub melle latet.*

Voluptas humana.

Absal. Abb. serm. 38.

S. Hieron. Epist. 57. ad Damasum.

11. Flos, languente ac inclinato vertice, intra vitream ampullam, aquis plenam, collocatus, epigraphen tenet; EXALTABIT CAPUT. Verbis è Psalmo mutuatis. Hinc constat, quantum utilitatis in proximos nostros conferre possimus, si vel famelicis alimenta, vel afflictis consilia aut solatia suggeramus. Eandem virtutem lachrymæ congenitam habent, quarum beneficio peccator vires suas deperditas recuperat, & pristinum dignitatis suæ gradum conscendit. S. Hieronymus *Petrum*, inquit, *ter negantem, amaræ in suum locum restituêre lachrymæ.* Hâc omninò ratione Hieronymus Preti aliquot rosas pallentes ac flaccidas, veluti extremæ calamitatis suæ imaginem, uxori transmisit, cum dicto, eas nonnisi vel proprio sanguine, vel illius lachrymis ad pristinas vires revocatum iri. Porrò mentem suam hoc poëmate explicabat;

Psal. 106. Auxilium

Lachrymæ.

S. Hier. Ep. 29. ad Vi[...] Hermonen[...]ses.

Ite in dono à colei pallide rose,
A cui l'alma donai senza mercede.
E poi ch'il mio penar non cura, ò crede,
Siate del mio morir nunzie amorose.
Vidi voi d'ostro già tinte; e pompose
D'ostro, ch'il labbro suo forse vi diede,
Hora il pallor di morte in voi si vede,
Imitatrici del mio duol pietose.
Dite (se pur vi mira, e se v'accoglie)
Ch'io son mal vivo, e sarò tosto esangue,
Come voi moribonde, aride foglie.
E se'l vostro color pallido langue,
Ella ravvivi l'adorate spoglie,
Bagnandovi nel pianto, ò nel mio sangue.

12. Complures flores videre est, qui, inter nocturnas umbras clausi, nonnisi sole affulgente explicantur. Unde P. Gambertus clausos illorum calices hoc Virgilii lemmate distinxit; AD SOLEM SESE PANDENT. Et alius; LUX ORTA RECLUDET. Innuebat nimirùm, quævis arcana negotia à Divina perspicacia, aut Principis sagacitate reserari. Vel Justorum virtutes ac merita, hodie quidem occulta, olim à suprema Dei providentia amplissimis encomiis corā universo mundo esse manifestanda. S. Hilarium teste accipe; *Abstrusam*, inquit, *voluntatis nostræ conscientiam prodet: & quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget.*

Virg. 1. Æ[...]

Arcanum publicatum.

Virtus manifestanda.

S. Hilar. [...] Matth. c. [...]

13. Flores, in horto à ventis agitati, eodem Gamberto authore, epigraphen ex Horatio sustinent; CRESCIT ODOR. Certè hominis justi virtus, quò acerbiore calamitatum vento jactata, tantò fragrantiam uberiorem diffundit. Sapientissimus meus Idiota; *Sicut unguenta redolere non solent, nisi agitentur, & aromata fragrantiam suam emittere, nisi incendantur; ita viri justi virtutes tribulationibus maximè innotescere solent.*

Horat. l. [...] Ode 2.

Idiota l. 2. de vera pa[...]tientia.

14. P. Henricus Engelgrave flores, ligaminibus constrictos, in pulcherrimæ coronæ orbem inflexit; lemmatis loco illa Virgilii verba subnectens; VINCULA SERTIS. Mens symboli erat, crudeles SS. Martyrum catenas gloriosis illorum coronis arctissimè connexas esse. Ita quoque infirmitas, hominem stringere ac ligare solita, illius capiti sertū texit, nullâ ætate corrumpendum. Denique votorum vincula æterni diadematis construendi opportuissimum instrumentum præbent. Siracides, de sapientia disserens. *Injice*, ait, *pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum.* Et subjungit; *Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ. &c.* Colophonē jungens Magnus August. ait de Religiosorum votis; *Felix necessitas, quæ in meliora compellit.*

Virg. Eclo[...]

Vincula coronar[...]

Vota Re[...]ligiosorū

Eccles. c. 6. n. 25. & 3[...]

S. Aug. Ep. ad Arm. & Paulin.

15. Thophrastus docet, fragrantiam, è compluribus ac variis odoribus mixtam, geminatum augmentum accipere. *Odores quidem omninò ex mixtione sunt.* Idipsum etiam Virgilius docet;

Theophra[...] Opusc. de Odoribus.

Virg. Eclo[...]

Et

Et vos, ô lauri, carpam, & te proxime myrte;
Sic positæ quoniam suaves miscetis odores.

Unde fasciculus è Narcissis, hyacinthis, rosis, violis, aliisque venustis ac diversi generis floribus contextus, epigraphen reddit; JUNCTI SUAVIUS. vel ut alius inscripsit; SUAVIORES SIMUL. Virtutes quibus anima nostra, ceu floribus, exornatur, tametsi singulæ fragrantiam quandam peculiarem diffundant, simul tamen junctæ tantò evadunt suaviores, quò major fuerit illarum numerus. Siracides de Josiâ Rege ait; *Memoria Josiæ in compensationem odoris facta opus pigmentarii.* Et de sacrâ sponsâ Salomon; *Ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarii.* Eodem encomio Isaacus Jacobum suum celebrans, dicebat; *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Hunc locum interpretatus S. Ambrosius, inquit; *Ecce odor filii mei tanquam odor agri pleni; erat enim perfectus in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis, atque cœlestis beatitutinis redolebat gratiam.*

Virtus aggregata. Eccles. 49. 1. Cant. 3. 6. Gen. 27. 27. S. Ambros. l. de Iacob. 1.

16. Floribus id fatum est; brevi marcescere, ultrò defluere, & tandem (quod Plinius testatur) in vermiculos converti. Unde meus D. Alexander Luzon de Millares symboli loco florem, caule celsiore nixum, depinxit, cujus defluentia folia in vermes resolvuntur; cum lemmate, HUC REFER EXITUM. De homine affirmat Jobus, *Quasi flos egreditur:* eadem enim, quæ florem, etiam hominem manet metamorphosis, dum sive regio, sive privato spectandus statu, secundùm corpus in vermes transit. Abeunt omnia eodem cum illo; honor, majestas, corona, sceptrum, in vermes transformantur. cujuscunque potentiæ ac magnificentiæ *huc refer exitum.* Si quæ fuerint humanæ mortalitatis obliti, hîc debent fasces ponere, & communem matrem agnoscere, primordia generis humani, terram scilicet & vermes. Quod & aliqui ante mortem fuerunt experti, ut certum mortalitatis demonstrarent argumentum. Arnulphus Imperator, Caroli Crassi successor, ita carnibus corruptus est totus, ut in vermes abierit. Lucii Syllæ corpus, seipsum erodens, passim scatebat vermibus. Herodes Agrippa, Rex Judæorum, sedens pro tribunali, regioque vestitus cultu, concionabatur ad populum, quo Dei voces & non hominis acclamante, statim percussus est ab Angelo, & ob summam arrogantiam consumptus à vermibus, expiravit. S. P. N. Augustinus: *Totus splendor generis humani, honores, potestates, divitiæ, flos fœni est: & sicut vix annua est pulchritudo agri, & perexiguo tempore transeunt flores, qui sunt virtutes herbarum, sic & humana prosperitas.*

Job. 14. 1. Homo fit vermis. Apt. Egnatius. Plin l. 7. cap. 43. Act. c. 12. Aug. in Psal. 102.

17. Flos è virga arida progerminans, epigraphen tenet; SINE SEMINE GERMEN. Mariæ Virginis hæc imago est, è qua flos venustissimus, Christus, veluti ex arente Aaronis virgâ, sine semine prodiit. Ut adeò rectè à Philippo Abbate cognominetur *Virga Aaron arida, absque fomentis naturalibus fructificans.* à S. Damasceno; *Planta feracissima virginitatis.* à S. Bernardo, *Planta cœlestis, pretiosior cunctis, & sanctior universis.* Et à S. Augustino; *Virga Aaron frugifera supra naturam.* Dilucidè Isaias; *Egredietur*, inquit, *virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* Emblematis sui interpretem audi P. Jacobum Masenium;

Maria V. Deipara. Phil. Abb. l. in Cant. 16. Damasc. or. 1. de Nat. B. V. Bern. ser. 2. Adv. Aug. serm. de Temp. c. 11. 1.

Cernis ut arenti vernans rosa stipite surgit,
Et nunc flore viret, quod modò truncus erat.
Virginis effigies parientis virga putatur;
De virga flos est: Virgine matre Deus.

18. Flos à radice ita dependet, ut, truncatâ istâ, illo mox exsiccetur. Lemma; PERIT, PEREUNTE RADICE. Certè virtus, quæcunque demum illa, si humilitatis radice destituatur; protinus exarescit. Unde humilitas, D. Gregorii Magni sensu, est *Magista, parens, radix, & origo omnium virtutum.* Vox S. Cypriani est; *Humilitas est sanctitatis fundamentum.* S. Hieronymi; *Prima virtus Christianorum humilitas.* Et S. Bernardi; *Humilitas est fundamentum, custosque virtutum.*

Humilitas mater virtutum. S. Greg. l. 23. Moral. c. 13. S. Cypr. ser. de Nat. Christi. S. Hier. Ep. ad Eustoch. S. Bern. ser. 1 de Nat.

19. Flores, grassante siccitate, infirmantur, arescunt, & ad terram inclinati, quasi emoriuntur. Verùm pluviâ destillante, mox eriguntur, & vigorem pristinum recuperant. Emblemati subscripsit P. Sebastianus à Matre Dei; ERIGET IRRIGUUM. Jobi ore, Deum cum flore hominem comparat; *qui quasi flos egreditur & conteritur &c.* Unde caduco huic flori pluviam Deus providit saluberrimam, Virginem inquam Mariam, quæ homines morti, sive corporali, sive spirituali vicinos in vitam revocat, erigitque languentes. Opportunè S. Hieronymus, Mariam Virginem cum *Jordane fluvio* confert; sicuti enim Naaman sanitatem efflagitans, ab Elisæo jussus est, ut in Jordanem descenderet; ita *ad Deiparam relegantur languentes, ipsi enim commissum est, ut eos reddat sospitati.*

Maria V. auxiliatrix. S. Hieron. Ep. ad Fabiolam.

AMARANTHVS.

Caput II.

20. Amaranthus, instar holoserici purpurascens, tempore diuturno persistit; & jamjam exsiccatus, si aquis irrigetur, denuò reviresit. Unde aliquot amaranthi flores, in fasciculum colligatos, hoc lemmate afficies; NUNQUAM LANGUESCIMUS. Vivos ac constantes hominis affectus; vel certè paradysi gaudia, nullo ævo terminanda, hoc symbolo propones. S. Petrus beatitatem nostram vocat *hæreditatem incontaminatam & immarcessibilem*, metaphora, asserente P. Cornelio à Lapide, ex Amaranthi floribus mutuatâ. Appositè S. Clemens Alexandrinus: *Pulchra*, inquit, *amaranthi corona illi reposita est, qui rectè se gesserit: hunc florem terra ferre non potest: cœlum solummodo eum ferre potest.*

Amor constans. Beatitudo. 1. Pet. 4. S. Clem. Alex. lib. 2. c. 8.

21. Bernardinus Rota amico cuidam defuncto amaranthum, aquis immersum, ac denuò revirescentem, depinxit, cum lemmate allegorico: AT LACHRYMIS MEA VITA VIRET. Jure merito Maria Magdalena idipsum de se pronuntiet, quæ primo quidem intuitu arida & exsucca, posteaquam lachrymarum undis irrorata fuerat, amœnissimum paradysi florem induit. S. Damiano teste, *Mox ut lachrymæ eruperint, protinus anima revirescit, & tanquam arbor verna austri fomite recalescens, redivivo virtutum suarum flore vestitur.*

In morte. S. Maria Magdalena. S. Pet. Dam. Opusc. 13. c. 22.

22. Magnatem quendam, vitâ defunctum, & amicorum lachrymis copiosè irrigatum, Franciscus Raulinus Amarantho non absimilem dixit: addito lemmate, MADEFACTUS REVIVISCIT. Plinius hos characteres subministrans, de Amarantho ait: *Madefactus aquâ reviviscit.* Ita lachrymæ, in exequiis ac die anniversariâ ex oculis nostris sparsæ, potissimum ad exanimis amici merita in memoriam revocanda deserviunt. Eam ob rem *in Israël consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, & plangant filiam Jephte Galaaditis diebus quatuor.* Hunc ipsum morem etiam defuncto Josiâ & Adonide observârunt. Vitam quoque spiritualem, in peccatis extinctam, revocat lachrymarum imber: Unde animo ita ardenti precatus

In morte. Plin. l. 21. cap. 8. Lachrymæ in morte. Iudic. 11. 39. 2. Paral. 35. 25. Ezech 8. 14.

precatus est Magnus Augustinus: *Da mihi quæso lachrymas ex toto affectu internas, quæ peccatorum meorum possint solvere vincula, & cœlesti jucunditate semper repleant animam meam.*

S. Aug. lib. Medit. c. 36.

23. Qui, rebus suis ad extremam egestatem devoluis, tandem in mari pristinas opes mercimoniorum beneficio recuperat, amaranthi Emblemate significari potest, cum dicto; UNDIS VIRESCO. Anima nostra, lachrymarum fluentis probè rigata, efflorescit ac vigorem inducit. S. Gregorius; *Sicut hortus, receptâ suavi pluviâ, evidenter germinat; ita caro lachrymarum fluentis rigata, bonorum operum, & justitiæ germen emittit.*

Lachrymæ. S. Greg. in Psal. 1. Pœnit.

24. Indolem adeò constantem hi flores exhibent, ut, quod suprà diximus, è nativa sua terra recisi, purpuram ac virorem suum nunquam abjiciant. Eos proinde D. Vincentius Gilibertus Sanctorum Innocentum Imaginem symbolicam statuit; cum lemmate, RECISA VIRESCUNT. Eam tamen omnium SS. Martyrum propriam dixeris, qui à ferri tyrannide succisi, in paradysi horto ac Ecclesiæ memoriâ tantundem æterni viroris conservant, quantum ab hostium crudelitate lacerati fuêre. Optimè dixit S. Ambrosius; *Tolle Martyrum certamina, tulisti coronas: tolle cruciatus, tulisti beatitudinem: nonne tentatatio Joseph, virtutis est consecratio? Nonne injuria carceris, corona est castitatis?*

SS. Innocentes. Martyres. S. Ambr. l. 4. in Lucam.

25. Qui è suorum consuetudine aut amicitia proscriptus, animum non despondet, ac lætus persistit; amaranthum imitatur, cum lemmate; NEC RECISUS LANGUET. His ipsis characteribus etiam heroïcam ac imperterritam illius mentem significabis, qui vivâ suâ carne aut membris è corpore recisis, tristitiam ac languorem penitus nullum contrahit. S. Gregorius Nazianzenus, post adductum Anaxarchi exemplum, qui manu suâ intra mortarium contritâ, nihil turbati aut impatientis animi ostenderat; subjungit, *Alter, cùm crus illi frangeretur, velut in alieno corpore philosophabatur, citiusque crus perfractum esse visum est, quàm ipse vim doloris persensisse.*

Perseverantia. Animus imperterritus. S. Greg. Naz. Ep. 64.

26. Amaranthus etiam inter acerbissimi temporis injurias integer persistit, & NEC GELU, NEC ÆSTU vastatur. Genuina hæc pectoris imperterriti ac constantis imago est. Ita Jacob, Rachelis amore captus, tametsi *die noctuque æstu ureretur & gelu*, calidos tamen ac castos suos affectus nullo unquam frigore sibi eripi passus est. Compendio dixit Seneca; *Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere.* Eadem imago etiam virtuosos ac litteratos illos hominum flores concernit, qui Musis probè irrigati, veluti in terra fertilissima, nullâ unquam frigoris aut caloris inclementiâ immutantur, æternumque durant. Unde Claudianus Serenæ Reginæ capiti coronam incorruptibilem, atque præ omni aureo ac gemmeo diademate æstimandam, ex amaranthi floribus contexuit. Verba ipsius ita accipe.

Perseverantia. Gen. 31. 40. Senec. Ep. 72. Claud. de Laud. Serenæ.

Dic mihi Calliope, tanto cur tempore differs
Pierio meritam serto redimire Serenam?
Vile putas donum, solitam consurgere gemmis
Aut rubro radiare mari, si floribus ornes
Reginæ Regina comam? si floribus illis,
Quos neque frigoribus Boreas, nec Syrius urit
Æstibus æterno sed veris honore rubentes
Fons Aganippeâ parnassidos educat undâ.

ANEMONE, seu FLOS ADONIDIS. *Cap.* III.

27. Anemone à nonnullis *Flos Adonidis* cognominatur, quod Adonide, juxtà Mythilogos, per aprum occiso, ex ipsius cruore prodierit. vulgò tamen *flos venti*, græcè *Anemone* vocatur; tum quia nonnisi spirante vento aperitur, tum etiam, quia à vento nonnihil vehementiore concussus, tenerrima sua folia ac semina protinus in terram dejicit. Illum Vincentius Tanara ita loquentem introducit.

Vinc. Tan. lib. 5. Oeconom.

Meq; malè hærentem, & nimiâ levitate caducum,
Excutiunt iidem, qui perflant omnia venti.

Quamobrem Abbas Ferrus eidem inscripsit; TENUI DISCUTITUR AURA. Ita sanè muliebris venustas quovis adverso flamine incursante, fragilissima concidit. Domitianus, Suetonio referente, dicere est solitus: *Nec gratius quidqam decore, nec brevius.* Et S. P. Augustinus; *Pulchritudo corporis à Deo quidem factum, sed temporale, carnale infirmum bonum.* In rem præsentem Joannes Baptista Marinus canit;

Pulchritudo mulieris. Sueton. c. S. Aug. l. de Civit. c. 22.

L'ostro vivace, el'oro;
Sarà pallido argento;
De le perle il tesoro
Cadrà qual foglia al vento,
E fiano in un momento,
Di solchi, e di pruine
Arato il volto, e seminato il crine.

Et posterior illo Bernardus Morandus Comes;

Bern. M. lib. 1. Rosilind.

Humana beltade
Appunto d'un fiore
Non dura già più:
Si tosto ella cade,
Si presto ella muore
Che quasi non fù:
Di nostra gioventù
Dura si poco il verde,
Che quando a noi si mostra, all'hor si perde.

Eandem levitatem S. Hieronymus in muliebris pudicitiæ fama deprehendens, ait; *Tenera res in fæminis, fama pudicitiæ est, & quasi flos pulcherrimus citò ad levem marcescit auram, leniq; flatu perrumpitur; maximè ubi & ætas consentit ad vitium, & maritalis deest auctoritas.*

S. Hieron. Epist. 9. Sabin. de duit. servand.

28. Alius eidem flori inscripsit; BREVIS EST USUS. Vita humana, his characteribus exactè descripta, momento penè unico circumscribitur. S. Petrus Damianus; *Humanæ vitæ varietas momentaneâ temporum varietate concluditur, ut & elati quique diutius de sua prosperitate non gaudeant, & inglorii suæ dejectionis incommodum festinanter evadant.* Clarissimè Jobus; *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, qui quasi flos egreditur & conteritur.* Et Salomon; *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.* Atque adeò vita nostra, etiamnum instar floris germinans, minaci mortis falce conteritur. Idipsum etiam de voluptatibus mundanis assidua testatur experientia, quod instar florum sensibus nostris aliquantulum blandiantur, & momento evanescant. S. Clemens Alexandrinus; *Voluptates, inquit, & delitias tanquam caducum & brevem florem relinque vento & igni,* Et S. Joannes Chrysostomus; *Quænam secularium voluptatum quæso utilitas? hodie sunt, cras elabuntur: hodie flos pulcherrimus, cras aridus pulvis:* Denique Joannes Audenus;

Vita humana. S. Pet. D. Opusc. 50 c. 9. Iob. 14. 1 Cant. 2. 1 Voluptates mundanæ. S. Clem. Alex. adhort. ad Gentes. S. Io. Chrys. Hom. 43. in Ioan.

Quæ durare putas mortalis gaudia vitæ,
Sunt brevia, & finis tristis amoris erit.

CALTHA

CALTHA.

Caput IV.

29. Caltha, hortorum decus non injucundum, complures crocei coloris flores profert, qui omnes non tantùm heliotropii formam imitantur, sed etiam solem præeuntem assiduo motu, ac mirâ sympathiâ sequuntur. Unde à Gallis, Joanne Ruellio teste, *vulgo dicitur solsia, quasi solsequia.* Insuper eadem caltha fragrantiam gravem, gratamque spargit: ut adeò meus D. Salvator Carducius florescenti Calthæ non immeritò subscripserit; REDOLET SUAVISQUE, GRAVISQUE. Hanc actionum suarum ideam Princeps unicè attendat, ut, justis ac sceleratis simul & pertimescendus & amandus, benevolentiæ suæ suavitatem cum vindicantis justitiæ rigore, vultusque majestate nunquam non condire sciat. Idipsum genuinæ correctionis est ingenium, quæ verborum ac pœnarum gravitati dulcedinem conjunctam habet. S. Ambrosius, Patris exemplo id confirmans, ait; *Non osculatur pater filium, sed aliquando castigat; ergò quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim & amor plagas suas, quæ dulciores sunt, quum amarius inferuntur.*

Io. Ruell. de Natura stir. l. 2. cap. 128

Princeps benignus & justus.

Correctio gravis & suavis.

S. Ambros. ser. ad Vin. c. Petri.

30. Ruellius observatum habet, Caltham in autumno præ aliis temporibus venustissimam apparere. *Autumno*, inquit, *fusius emicat, colore luteo, folio multiplici, odore suaviter gravi.* Unde epigraphen subjunges; AUTUMNO VIVIDIOR. vel, VERNAT IN AUTUMNO. Ita Dei servus in ætatis suæ autumno, vitâ nimirùm ad epilogum vergente, virtutes suas geminat. De meo Concanonico, S. Wilhelmo, historiæ memorant, quod, cùm noctu voces inaudiisset; *Septem dies vives*; primo septem diebus, postea septem hebdomadis, ac demum septem integris annis, *Corpus suum sic affligebat, ut vita anteacta, illius extremæ comparatione, delicatè videretur.*

Profectus.

Ac. Canon. Reg. 6. April.

31. Caltha tam sertis texendis, quàm mensis & acetariis exornandis inservit. Ruelli verba sunt; *Venit in coronamenta, & adhibetur condimentis & acetariis.* Unde inscriptio; MENSIS DECUS, ATQUE CORONIS. Iidem Eutrapeliæ mores sunt; nam urbana ac pia hominis hilaritas integram litteratorum coronam exornare, ac geniales illorum mensas mirificè condire solet. Aulum Gellium in hanc audire juvat. *Non convenit*, inquit, *esse loquaces convivas; nec mutos eligere oportet; quia eloquentia in foro, silentium verò non in convivio, sed in cubiculo. Sermones igitur illius temporis habendos non de rebus anxiis, non tortuosis, sed ex quibus ingenium venustatis fiat, & amœnum, & cum quadam voluptate utiles.*

Urbanitas hilaritas religiosa.

Aul. Gell. ... 15.

32. Hic flos, nobilissimo plenus spiritu, nonnisi intra humum domesticam, assiduâ cultam solicitudine, progerminat. Unde illum, lemmatis loco, his Ruellii verbis insignivi. PROVENIT INCULTIS. Velut meo Carducio placet; AMBITIOSA COLI. Gratia Divina, eodem Carducio asserente, huic flori persimilis, assiduâ nostrâ diligentiâ coli, inutriri, ac conservari vult. Eusebius Gallicanus, ad illa D. Pauli verba reflectens, *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, ait; *Ecce beatus Paulus jam Christi habitaculum, jam vas electionis effectus, intelligit, sibi non sufficere solam gratiâ, nisi gratiæ adjungat solicitudinem vigilantis, & laboris industriâ &c.*

Gratia exigit cooperationem.

Euseb. Gall. Hom. 1. de initio Quadrages.

33. Hunc florem communi quidem vocabulo *Caltham* cognominant, quamvis ab aliis vocetur *Calenda*, seu *calendula.* Ruellius ait; *Vocant officinæ calendam, vel calendulam, quasi dicant caltham vel calthulam.* Cognominis rationem esse ajunt, quod felicissima calthæ venustas omnes mensiū calendas recenti quodam serto insigniat ac veluti coronet. Proinde epigraphen subjunges; CALENDAS FLORE CORONAT. Hinc fideles discant, quovis exordiente mense Creatori suo novum virtutis & laudis tributum pendere. David, laudis Divinæ phonascum agens, sedulò intonat; *Buccinate in Neomenia tuba.* Nam lunâ recente spiritus noster innovari, ac supremæ bonitati per totidem acceptis beneficiis gratum se sistere debet. Glossa illud Psalmi interpretata, quibusvis creaturis aurem vellicat; *Laudate Deum in renovatione mensis per gratiam.* Atque adeò lignum vitæ à Joanne Apocalyptico descriptum, imitari oportet; quod erat *afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Eundem Psalmi locum explicans Magnus Augustinus; *Præceptum erat*, inquit, *ut in initio mensis tubâ canerent; & hoc usq; nunc Judæi corporaliter faciunt, spiritualiter non intelligunt. Initiū enim mensis nova luna est. Nova luna, nova vita est.* Memineris ergò, ex Augustini consilio, ad mentem Psaltis Regii quibusvis mensium Calendis auspicari vitam, veteri emendatâ.

Psal. 80. 4.

Opera bona renovata.

Apoc. 22. 2.

S. August. in Psal. 80.

Psal. 138. 11.

CAMPANULA.

Caput V.

34. Flos, quem *campanulam noctis* vocant, epigraphen sustinet; EL MIO SOL, ES LA NOCHE. Id est; MIHI NOX ATRA PHÆBUS. His vocibus consonans Regius Psaltes, ait; *Et nox illuminatio mea.* Illum hæc imago spectat, qui fœminam quandam nigram & informem deperit. Hæretici quoque, aliique homines flagitiosi, lucem nonnisi fuscam & caliginosam ambiunt. Cæterùm quod amantem attinet, D. Cyrus di Pers quemdam fæminæ Æthiopis amore captum, hoc poëmate describit;

Tu nel corso amoroso
Sei forse stanco omai,
Onde la notte desiando vai
Che madre è del riposo?
O pur vuol dir quella bellezz nera
Ch'l tuo giorno d'amor giunge à la sera.

Amans fœminæ nigræ.

Hæretici flagitiosi.

De sceleratis verò Hieronymus Arnobiensis, ab Aloysio Novarino adductus, ait: *Tantâ cæcitate impius obsidetur, ut lux illi tenebræ sint.* Hujus rei exemplum satis manifestum in obstinatis ac cœcis Hebræis videre est, qui veritatis lucem abominati, instar stultorum, nulla alia, nisi caliginis & errorum vestigia sequi voluerunt. S. Petrus Venerabilis adversus Judæos ait; *Quid in rebus mundanis luce clarius? quid sole fulgentius? Cæcis tamen & lux nox est, & sol tenebræ sunt. Sic vobis, sic planè vobis scripturarum sacrarum claritas splendet: ut quæ alios illuminant, vobis lucere non possunt; quæ aliis fulgent, vobis obtenebrescant.*

Arnob. l. 3. ap. Novar. To. 1. Adag. n. 1643.

S. Pet Ven. Tract. cont. Iud. c. 2.

CARYOPHILLUM.

Caput VI.

35. Inter cæteras caryophilli proprietates maximè admirandus est variorum colorum concursus ac veluti concertatio, dum aliâ simplicia, alia duplicata, lactea alia, ac minis striis interspersa, item rubro clara, & rubro obscura, carnea, ignea, ex albo in sanguineas maculas distincta, quibus è Turcia cognomen est, aliaque innumera. P. Bartholomæus Rogatus

Bartl. Rog. lib. 3 Eleg. 5.

tus hunc florem prolixâ & insigni elogiâ loquentem sistit, cujus initium hic recitare opportunum duxi.

Mille novos refero vultus, & mille recludo,
Ornatus, varii mille coloris opes.
Non ego vel minio tantùm, vel lacte nitesco,
Nec refero solum fronde rubente crocum.
Sed fusca sub veste meus nunc ardet amictus.
Nec tamen in fusco murice forma perit.

Itaque cariophyllum, in colores adeo variegatos distributum, epigraphen sibi vendicat; IN QUOSCUNQUE COLORES. vel, VARIUS, ET MULTIPLEX. Si Emblematis mentem in sinistrum sensum detorquere libeat, haud incongruè dixeris, malitiosum adulatorem eo significari, qui, ad alterius voluntatem sibi conciliandam, nullum non colorem induit. Plutarchus, Adulatorem ab amico discernens, ait: *Adulator stabilem nullam cum habeat suorum morum sedem, neque certum aliquod vivendi delegerit genus sibi quod placeat, sed quod alteri, cumq; alteri sese affingat, atq; accommodet, non simplex est atque unius modi, sed varius ac multiplex &c.* In sensu tamen saniore ac laudabili hominem, chritatis studiosum, exhibet; qui ad aliorum egestatem aut tristitiam sublevandam in omnes colores transformari novit. Sibimet luculentus testis S. Paulus; *Factus sum*, inquit, *Judæis tanquàm Judæus, ut Judæos lucrarer; iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos lucrifacerem. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerē. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

Adulator. *Plut. Opusc. de Adulat. & Amici discrimine* Charitativus. *1. Cor. 9. 20.*

36. Caryophilli tam flos, quàm folia in quibusdam montium locis etiam rigente hyeme non dejiciuntur, sed integra ac venusta persistunt. Unde è Poëtis nonnemo ad hunc florem conversus, canit;

Poeta apud D. Vincentiū Cittadino di Villa lib. 5.

--- --- *Sonbragie ardenti*
Le tue foglie vivaci
Ch'a i fiati crudi, e algenti
Più s'accendon, quai faci;
Il cui feroce caldo,
De l'inverno al rigor sol può star saldo.

Proinde inscribes; DE L'INVERNO AL RIGOR DURA BEN SALDO. Id est; BRUMÆ RIGOREM IRRIDET. Ita imperterritum hominis pectus quasvis adversas mundi calamitates parvi æstimat. Præclarè, ut solet, Magnus Augustinus; *Sæviat mundus, fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis, quidquid potest faciat. Quid faciet ad id, quod accepturi sumus? Appendo quod patior, contra id, quod spero. Hoc sentio, illud credo. Et tamen plus valet, quod credo, quàm quod sentio.*

Imperterritus animus *S. Aug serm. de Diversis 36.*

37. Caryophillum fragrantiam, instar aromatis, suavem exhalat; unde etiam, quod Tanara, superiore numero adductus, observat, nominis sui originem traxit. Epigraphen subjunxi, REDOLET AROMATA. Anima sancta, ceu omnium virtutum exemplar, in quibusvis suis operationibus suavissimum charitatis, misericordiæ, ac mortificationis odorem diffundit, uti prolixis argumentis probat S. Ambrosius, ad quem te, studiose Lector remitto. Hoc sensu Salomon de Sponsa sua dixit; *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

Justus exemplaris. *S. Ambros. l. 1. de Virgin.* *Cant 4. 10.*

38. Caryophilla, teste Castore Durante, ad syncopen & cordis tremores persanandos deserviunt; quin & capitis dolores mitigant, si in aceto macerata, fronti applicentur. Quare meus D. Salvator Carducius vasculum, caryophillis repletum, hoc lemmate exornavit; CAPITIS, CORDISQUE LEVAMEN. Sanguineas Christi plagas, & acerbos cruciatus non injuriè cum caryophyllis comparaverim; illi quippe attento ac meditabundo animo considerati, omnes è corde ac capite humano miserias doloresque proscribunt. S. Laurentius Justinianus; *Ipsius tentatio nostrarum singulare levamen est. Dulcescunt nostra, cùm considerantur illius.*

Passio Christi. *S. Laur. J de Cast. C. nub cap.*

39. Castor Durantes docet, condituram (Pharmocopæis *conserva*) è caryophillis confectam, adversus quævis venenorum genera, & animantium venenatorum morsus antidotum esse præsentissimum. Ut adeò bene de hoc flore pronuntiaveris; CURAT MORSUS, CONTAGIA PELLIT. Christi patientis hic typus est, qui meditabundo animo consideratus, interiora pectoris nostri vulnera curat, malisq; omnibus levamē præbet. S. Bernardus ait; *Quid enim tam efficax ad curāda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio?* Et S. P. Augustinus; *In omnibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi.* His concolor S. Bonaventura, ait; *Qui se intentè & devotè in sanctissima vita & passione Domini exercet, omnia utilia, & necessaria sibi abundanter ibi invenit, nec opus est, ut extra Jesum aliquid quærat.*

Passio Christi. *S. Bern. 62 in Ca. S. Aug. Manual. cap. S Bonav Coll. 7.*

40. Unica manus, complures caryophylli flores in eodem vase irrigans, à D. Primo Aloysio Tatti epigraphen recepit; UNICA CUNCTOS. Dicere volebat, è gratiosa S. Eurosiæ Virginis & Martyris manu in cunctos fideles auxilia adeò cumulata derivari, ut de illa pro meritis eam S. Joannis gnomam pronuntiaveris; *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Hunc locum interpretatus S. Joannes Chrysostomus, illum de gratiis, à Servatore nostro in humanum genus profusis, intelligendum censet. *Omnis plenitudo fidelium*, inquit, *& qui nunc sunt, & futurorum, & de plenitudine ejus accepimus.*

Beneficentia universalis *Ioan. 1.* *S. Io. Chr. in hunc l.*

41. Caryophillorum calami, ne florum pondere rumpantur, quibusdam viminibus, per vasis ambitum in coronæ formam contextis, sustineri solent. Unde coronam illam hoc lemmate insignivi; FULCIT, ET ORNAT. Quod caryophyllis corona, id nonnunquam Magnatum præsidia clientibus præstant, quorum beneficio sustentantur & illustrantur. Certè Deus hominem sibi supplicem non tantùm sustentat, sed & variis gratiæ suæ ornamentis coronat. S. P. Augustinus; *Deus*, inquit, *adjuvat ut vincas, & certantem inspectat, & deficientem sublevat, & vincentem coronat.* Hoc sensu grandi suo Mecenati acclamabat Horatius;

O & PRÆSIDIUM ET dulce DECUS meum.

Patrocinium. *S. Aug C. 1. in Psal.* *Horat lib. Ode 1.*

CORONA IMPERIALIS.
Caput VII.

42. Florum hic nobilissimus nomen suum traxit, quod certâ campanularum seriem gerat, quæ naturæ industriâ in perfectum orbem distributæ, gratiosam coronam imitantur. Unde ingeniosissimus D. Demetrius Suppensus, Clericus Regularis S. Pauli, coronam illam hoc lemmate insignivit; IPSA SIBI SERTUM. Virtutis hoc symbolū est, quæ propriis ac individuis suis ornamentis coronata, nullo emendicato opis alienæ serto indiget. Apprimè de illa dixit Senera; *Virtutum omnium pretium in ipsis est.* Plutarchus ad quoddam Lysandri dictum reflectens, ajebat; *Virtutem non egere laudibus humanis, cùm ipsa secum ducat suam laudem & decus.* Cæterùm Emblematis præsentis Author, floridam, ut ipse loquitur, hujus libri nostri eruditionem observans, non sine comitatis suæ excessu, illum imperialis Coronæ symbolo dignatus est, quasi volumen istud, omni Rhetorum arte ac meritissimâ laude sepositâ, sibimet amplissimi ornamenti loco esset. Porrò mentem suam sequenti epigrammate aperuit;

Virtus. *Senec. Ep.* *Plut. in Lacon.*

Pullu-

Pullulat Elysiis florum pulcherrimus hortis,
Qui secum nascens omina Regis habet.
Nomine & IMPERIUM defert, meritumque CORONÆ
Purpurat, ac ostro pingitur ipse suo.
Non arti debet pretiosum frontis honorem,
Rex idem SERTUM EST, & diadema SIBI.
Quam frustra Aonius tibi mendicamus in agris
Florea virtuti serta Philippe tuæ!
Eminet Ascræo quàm nobile germen Agello!
Tot flores inter non habet ulla parem,
IPSA CORONA SIBI EST, alieni haud indiga cultûs,
Sat dives proprias emicat inter opes.

43. Franciscus Raulinus observat, quòd floris hujus medulla nativis lachrymis sit coronata, easque veluti liquidos ac roscidos quosdam beryllos destillet. Unde Emblematis loco inscripsi; INTIMA CORONANT LACHRYMÆ. Principem his coloribus expresseris, qui, frontem gemmeo diademate illustrem ostentans, in animâ pretiosas contritionis ac pietatis lachrymas recondit. Inter hos cumprimis recenseas Davidem, Ezechiam, S. Petrum, S. P. Augustinum, S. Carolum, & S. Lucium, Britanniæ Regem & Germaniæ Apostolum, cujus die Natali, tertiâ nimirum Decembris, hæc scribo. Quantumvis enim terrena splendeant diademata & honores, verè tamen felicem nunquam te putes sine intimis animi lachrymis. Meritò proinde exclamat S. Hieronymus; *O lachryma humilis, tua est patientia, tuum regnum, tribunal Judicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis &c.*

Princeps lachrymans.

S. Hieron. in Epist.

GRANADILLA, seu FLOS Passionis, vel Indicus. *Cap. VIII.*

44. HIc flos, sub Paulo V. Romam allatus, pleraque Christi patientis instrumenta & signa in se mirificè exprimit. Unde S. Catharinam Senensem, sacris vulneribus ac spineâ coronâ à Deo insignitam, D. Aresius eo flore, ceu symbolo, exornavit; lemmate è Psalmo desumpto, EX SION SPECIES DECORIS EJUS. Innuebat videlicet, Divina ac gloriosa illa insignia, ornamento prorsus admirando, in piissimam Virginem à nemine alio nisi à Christo, quem sacræ Litteræ mysticam Hierosolymam seu Sionem vocant, derivata esse; sicuti flos Indicus illam passionis supellectilem, quæ Hierosolymis ad excruciandum Servatorem destinata erat, privilegio prorsus singulari, nonnisi à supremâ Dei providentiâ recepit; quippe qui supra foliorum ambitum columnam, coronam, spinas, clavos, crucem, cæteraque patientis Christi instrumenta non sine naturæ prodigio ostentat. Cæterùm hanc decoris speciem, Christi nimirum passionem, in cujusvis Christiani pectore repræsentatam velim. Disertè S. P. Augustinus; *Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatricem resurgentis. &c. Hæc quanta sint, cogitate: hæc in staterâ cordis vestri appendite, ut totus vobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in Cruce.* Florem hunc eleganti poëmate describens P. Nicolaus Caussinus, in rem nostram canit;

S. Catharina Senensis

Psal. 49. 2.

Passio Christi.

S. Aug. lib de Virginit.

Caussin. l. 10. Parab. Hist. num. 34.

Ite procul blandi Veneris ludibria flores,
Quos parit in risum luxuriosus ager.
Altius una suos tollit Granadilla dolores,
Et fert congesti pondera tota Dei.
Tortilis hic nodis, & adunco milite surgit
Regis apex Domini, gloria mixta malis.

Hic crux, hic clavi, Christi pretiosa supellex
Pauperis, hic rubris vulnera picta notis.
O dilecta Deo, cui cœlum nectare sudat,
Et vigil intactas Flora tuetur opes.
Quis tanta in parvo lusit miracula flore?
Nempe suâ hic pinxit se Deus ipse manu.

45. Hic flos, columnâ, flagellis, coronâ, clavis ac cruce spectandus, epigraphen non incongruam habet; I TORMENTI DI CHRISTO EI NE PALESA. Id est; CHRISTI TORMENTA FIGURAT. Guido Vanninus, post diversos flores descriptos, de Granadilla canit;

Vannin. l. 1. de arte amandi Deū.

Ast alios inter, florem speculare cruenti
In cruce qui Christi mœsta trophæa refert.
Spinea serta refert, hastam, speciemque columnæ,
Ingentes clavos, verbera, vincla, Crucem &c.

Et Josephus Baptista;

Ioseph. Bapt. p. 4. delle sue Poesie meliche.

Le pene d' una Dea se mostra un fiore,
I tormenti di Christo un fior palesa.

Genuinam hanc S. Pauli ideam dixeris, qui, instar exquisitissimæ Granadillæ, è linguâ suâ nihil aliud, nisi Christi crucifixi dolores promebat. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum.* Corpus verò proprium, flagellis, cicatricibus, ac livore, ceu veris Christi insignibus, undique obductum circumtulit. *Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Etsi verò plurimi hunc locum ad litteram explicent, S. Augustinus tamen, accommodatè ad hoc symbolum, in sensu allegorico eum interpretatur; *Apostolus, inquit, stigmata voluit appellare, quasi notas pœnarum ex persecutionibus, quas patiebatur. Id est, habeo alios conflictus & certamina cum carne mea, quæ in persecutionibus, quas patior, mecum dimicant.*

S. Paulus. 1. Cor. 1. 23.

Galat. 6. 17.

S. August. in Exposit. Epist. ad Gal. c. 6.

46. Granadillam, crucibus, clavis, flagellis, cæteraque tormentorum supellectile visendam, hoc lemmate distinxi; RASSEMBRANO TORMENTI, E PUR SON FIORI. Id est; TORMENTA INNOXIA FLORENT. Ita sanè tormenta, à Tyrannis adversus SS. Martyres destinata, his non rarò instar suavissimorum florum grata videbantur. De S. Stephano canitur; *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Sancti Martyres Marcus & Marcellinus inter atroces pœnas sanctè affirmârunt, *Nunquam tam jucundè epulati sumus.* S. Tiburtius ad prunas, nudis pedibus calcandas, damnatus; *Prunæ, inquiebat, mihi flores videntur.*

Tormenta suavia.

18. Iunii.

11. Augusti.

47. Granadillæ clavos, flagella, & cruces hoc lemmate efficies; HANNO FORMA DI FIORI, E SON TORMENTI. Id est; SUB FLORIBUS TORMENTA PRODUNTUR. Haud secus terrenæ voluptates, omnesque fallacis mundi blanditiæ, extero vultu merissimos flores mentiuntur, re ipsâ tamen acerbissimis cruciatibus plenæ. Josephus Baptista, Emblemati huic construendo animam suppeditans, de Granadillâ canit;

Ios. Bapt. loc. cit.

Sono symboli à noi que' verdi onori,
O che del Mondo i fior sono tormenti,
O che i tormenti à Dio sembrano fiori.

Et verò quòd mundi flores connubio penè individuo gravissimos cruciatus secum ferant, Absalon Can. Reg. Abbas dilucidè in hæc verba testatur. *Frequenter audisti & vidisti, quia loca florida & amœna frequenter ad fructum minus idonea sunt: imò SUB SPECIE FLORUM quandoque LATENT scorpiones & SERPENTES: & dum volueris carpere florem, calcabis serpentem. Si ergò delectat te recreatio floris, terreat suspicio veneni &c.*

Voluptates mundi. Absalon. Abb. ser. 38.

48. Granadilla, omnē Christi patientis supellectilē,

veluti in theatro, exhibens, non abs re hâc antonomasiâ cognominari potest; DIVINI SCENA DOLORIS. Cumprimis hæc idea Seraphicum Patrem S. Franciscum concernit, in cujus manibus ac pedibus sacra vulnera, è Christi crucifixi clavis relicta, cernebantur. S. Bonaventuræ de illo testimonium est; *Dextrum quoque latus, quasi lanceâ transfixum, rubrâ cicatrice obductum erat*; Et paulò post; *Sacris stigmatibus decoratus, descendit de monte, secum ferens Crucifixi effigiem.*

S. Francisci stigmata.

S. Bonav. in vita.

49. Flos hic Prodigiosus, universum Dei patientis apparatum gloriosè explicans, inscriptionem tenet; DOMINI DE CÆDE SUPERBIT. Verbis è Bartholomæo Rogato desumptis, ubi Granadillam cum Christo ita differentem sistit;

Barth Rog. lib. 3. Eleg. 13.

Ornamenta mei sua sunt incommoda floris;
Heu mihi DE DOMINI CÆDE SUPERBUS eo.

S. Paulus Apostolus.

S. Paulus Apostolus animum habebat eodem fastu elatum, quòd Servatoris sui Crucem in pectore, & vulnera in membris circumferret. *Mihi autem*, inquit, *absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Id est, interprete S. Thomâ, *Ego porto insignia Domini nostri Jesu Christi in corpore meo, & sic nullus super me jus habet, nisi Christus.*

Galat. 6.

S Thom. in hunc. loc.

Passio Christi.

50. Granadilla, patientis Christi instrumenta in se complectens, contemplativam mentis Religiosæ apem suavissimo melle saginat. Hinc Carolus Rancatus devoto Emblemati occasionem sumens, inscripsit; UNDE PIÆ PASCANTUR APES. His ipsis verbis Claudianus Calliopen alloquitur;

Claud. de laud. Serenæ

Vile putas donum solitam consurgere gemmis
Aut rubro radiare mari, si floribus illis ornes
Reginæ regina comam? si floribus illis,
Quos neque frigoribus Boreas, nec Syrius urit
Æstibus, æterno sed veris honore rubentes
Fons Aganippeâ Parnassidos educat undâ,
UNDE PIÆ PASCANTUR APES.

Ubi enim suavius consideat Apis religiosa, nisi in passionis Dominicæ flore, tot gratiarum & contemplationum favis stillante? Audi S. Bernardum, Doctorem, vel ex hoc capite Mellifluum, quod totus fuerit in sugendo Passionis Dominicæ flore. *Quid*, inquit, *tam efficax ad curandum conscientiæ vulnera, nec non ad purgandum aciem mentis, quàm Christi vulnerum sedula meditatio?* In rem hanc præclara est Claudii Achillini Musa;

S. Bern serm. 62. in Cant.

Intorno al fiore, ou' ha natura accolto
In compendio adorato alti martiri,
Ove quasi di Dio sento i sospiri,
E con questi occhi le querele ascolto:
QVASI FAMELIC' APE, à cui sia tolto
L'usato cibo OGN ANIMAS' AGGIRI,
E chiamai à queste mense i suoi desiri,
QVE i Beati il lor digiuno hansciolto.
Che sommersa ogn' altr' esca in dolce oblio,
Trà questi pianti, onde fiorisce il riso
NVTRIRA' LA SVA FAMA, e' l suo desio.
E da gli horti del Mondo il cor diviso,
Fabbri cherirassi al fine Ape di Dio
I Favi di salute in Paradiso.

HELIOCHRYSUM, seu Chrysantemon. *Cap. IX.*

51. HEliocrysi herba, à Plinio descripta, uti & ipsius flos, nonnisi in locis saxeis & horridis nascuntur. Unde lemmatis loco illa Dioscoridis verba subjunxi; NASCITUR IN ASPERIS. Innuebam videlicet, æternæ beatitatis spem in mediis calamitatibus nasci & crescere: nam hic flos, naturâ suâ incorruptibilis, ac proinde à Galeno amaranthi crocei cognomen sortitus, proprissimum spei illius symbolum habetur. *Gloriamur in tribulationibus*, inquiebat Apostolus, *scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.* Et S. Petrus Damianus; *Magna electis Dei est consolatio, ipsa Divina percussio; quia per momentanea flagella, quæ perferunt, ad nanciscendam supernæ beatitudinis gloriam firma fidei gressibus convalescunt.*

Plin. l. 21. c. 25.

Dioscorid. l. 4. c. 25.

Spes Gloriæ.

Rom. 5, 3.

S. Pet. Dam Epist. 149.

52. Heliochrysi flos, colore suo croceo aridam paleam referens, integer fasciculus, è multis floribus contextus, videri possit. Experientia de hoc flore testatur, quòd à stipite suo avulsus, nec quidquam flavescat, sed incorruptus ac elegans persistat. Unde Lucarinus eundem hoc epigrammate ornavit; ADHUC PERENNIS. Eorum hæc imago est, qui vel opis alienæ sustentaculo non indigent; vel violentis hostium injuriis lacerati, nihil de virtutis suæ venustate remittunt. Hoc sensu Apostolus, veluti admirabundus, ait; *Quasi morientes, & ecce vivimus.* De Religiosis testatur S. Gregorius Nazianzenus; *Vita eorum sunt opes in egestate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, patientia in infirmitate &c.* Cæterùm floris hujus ore præsentem iconem ita sum interpretatus;

Independentia.

Valor prius.

3. Cor. 6. 9

S Greg Naz Orat. 1. de Pace.

Di rea sciagura il telo
Benche m' habbia reciso
Dal mio materno stelo,
Non però resto ucciso.
Più non ricevo il nutritivo umore;
E serbo il mio vigore,
Son de l' altrui sostegno affatto privo,
Pur mi mantengo, e vivo.

HELIOTROPIUM.

Caput X.

53. DOmûs Pisanæ porta, ære fusa, inter cætera Emblemata Heliotropium, unaque florem Lotum, ac florem Judicum, alio nomine Oculum solis, exhibet; qui omnes versus solem inclinati, epigraphen tenent; FLECTENTES ADORANT. Sanctos tres Magos, Servatori, etiamnum infanti, supplices ac venerabundos hæc imago spectat; quippe qui, S. Matthæo teste, *procidentes adoraverunt eum.* Et verò benè observat Evangelista, solos Magos, non verò pastores corpore in terram prostrato, Deum adorâsse: nam pastores, è vitæ integritate ac innocentiâ commendati, Deum erecto capite venerari poterant; *At Magi*, S. Augustino asserente, *multis onerati peccatis, submissius indulgentiam requirebant.* Vel certè ideò Magi, non verò Pastores inclinabantur, quia illi, utpote sapientissimi, quanto sublimiorem cœlestium arcanorum cognitionem habuêre, tantò demissiore animo Deum suum accedere debebant. Denique etiam ob hanc rationem Magi, non verò Pastores corpore

Matth. 2.

Adoratio trium Magorum.

S. Aug. Hom. 9. de Epiph.

corpore in terram prono Christum venerari dicuntur, quod illi, moribus aulicis instructi, ea comitatis & bonæ educationis argumenta exhibuerint, qualia nonnisi rarissimè inter incultum & agreste vulgus reperire est.

54. Heliotropium, ad diurnam solis lucem assiduò defixum; epigraphen tenet; SOLI, ET SEMPER. Ita nimirum amoris nostri affectus esto stabilis, nec in res plures distractus; atque adeò hoc Emblemate amor constans, & eidem bono unicè affixus, significatur. S. Bernardus de amoris vehementiâ differens, exclamat; *O amor præceps, vehemens, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus.* Et Richardus Victorinus; *Solus Christi amor est, qui ridentis & irridentis fortunæ impura blanditias sprevit & conspuit, sapore dulciore delectatus.*

[Amor u-nus & perseverans.] [Bern. serm. 3 in Cant.] [Rich. Vict. de ... gradibus charit. c. 1.]

55. Heliotropium, solis conspectu aliquot nubibus velato, inscriptionem reddit; FRUSTRA OBSTANT. vel ut Bargalio placet; A LUI PUR MI REVOLGO. Idest; IN ILLUM JUGITER. Talem se affectus noster probat, si nullâ temporum diuturnitate, aut adversitatum interpositione se turbari patiatur. Certè S. Magdalena in amoris obtutu versus Dominum suum etiam inter mortis dolores ac militum fremitus, quin & inter sepulchri umbras immota perstitit. De hâc S. Ecclesia canit;

[Amor constans. Maria Magdalena.]

Adstare non timet Cruci,
Sepulchro inhæret anxia,
Truces nec horret milites,
Pellit timorem charitas.

Origenes, de Magdalenâ differens, ait; *Oblita erat timere: oblita erat gaudere: oblita erat denique omnia, præter illum, quem diligebat super omnia.*

[Orig. Hom. in Diverf.]

56. Heliotropium, uti & cætera sublunaria omnia, suam existentiam, incrementum, ac persistendi virtutem à sole recipiunt. Unde hic flos, veluti tantæ beneficentiæ vicem rependurus, planetam illum jugi ac prono capite intuetur. Quare epigraphen, nî fallor, opportunam è Tasso subjunges; E DA LUI PENDO, E MI RIVOLGO A LUI. Id est; AB ILLO PENDENS, IN ILLUM ORA CONVERTO. Animam sanctam hic typus describit, quæ gratias, à Deo acceptas, in memoriam revocans, vitam suam omnem ipsius obsequiis devovet. Idipsum Sanctus Paulus in Colossensibus exigens, ait; *Ut ambuletis dignè, Deo per omnia placentes: in omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis ejus.* Præclarè in rem nostram Magnus Augustinus; *Hoc est glorificare Deum, gratias agere Deo. Quis autem gratias agit Deo, nisi qui sursum cor habet ad Dominum.*

[Tass. Gerus. conquist. lib. ... stanz. 38.] [Gratitudo] [Coloss. 1. 10.] [Aug. serm. ... de Diverf. ... cap. 4.]

57. Animam contemplativam, corpore quidem in terrâ, at desideriis & affectibus in cœlis degentem, ex heliotropii symbolo dignosces, quod, vultu in solem defixo, epigraphen à Carolo Rancato accepit; BENCHE FISSO NEL SUOL, SIEGUO IL MIO SOLE. Id est; SOLO AFFIXUS, NON DESERO SOLEM. S. P. Augustinus; *Corpus peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus. Si amaveris terram, peregrinaris à Deo: si amaveris Deum, ascendis ad Deum.* Carolus Rancatus florem illum hoc poëmate loquentem sistit.

[Contemplativus.] [August. in Psal. 119.]

Trà i fiori, io non fò guerra
Al cielo, anzi da terra
Intento, e attento amante
Non parto, e al ciel mi porto,
Co'l guardo, e sol conforto
Mi vien dal suo splendore,
Da cui vita, e vigore
In me derivar suole,
E benche fisso al suol, sieguo il mio sole.

58. Amorem firmum ac constantem Heliotropii coloribus depinges; addito ejusdem Rancati lemmate, IO SEGUIRO' IL MIO SOL SINO AL OCCASO. Id est, USQUE AD OCCASUM SEQUOR. Hoc sensu è Poëtis nonnemo canit;

[Amor constans.]

Hor, benche à sera tua beltà sen vole,
Sarò d' Amor novo elitropio anch' io,
Che seguirò sin nel occaso il sole.

De Amoris & amicitiæ constantiâ Cassiodorus; *Qui verè amicus est, omni tempore diligit; nam eum tormentum non separat, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat.* Genuini amoris ideam absolutissimam habeto Mariam Virginem, quæ Divinum Solem, Christum, *usque ad mortis crudelissimæ occasum*, instar pulcherrimi Heliotropii individua secuta est.

[Cassiod. in Epistol.] [Maria V. sub Cruce.]

59. Studiosus, assiduis speculationibus fatigatus, tanto majore scientiarum studio exardescit, quò uberiores illarum radios assecutus fuerit. Huic Rancatus Heliotropii effigiem, symboli loco, statuit; addito Petrarchæ lemmate, STANCO DI RIMIRAR NON SATIO ANCORA. Id est; DEFESSUS, NON SATIATUS. Eadem Salomonis mens est; *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Richardus de S. Victore; *Nihil,* inquit, *sapientiâ ardentius diligitur, nihil dulcius possidetur. Hinc est, quod sapientes homines esse volunt, pauci tamen sapientes esse possunt.*

[Studiosus.] [Petrarch. in princip. cap. 2. Triumph. amor.] [Eccles. 1. 8.] [Rich. Vict. de Contempt. cap. 1.]

60. Heliotropium, quantumvis languens, ac inclinatum, sole affulgente erigitur. Unde Rancatus eidem inscripsit. UT RESPEXIT, EREXIT. S. Petrum Apostolum hæc imago cumprimis spectat, qui, oculis in Servatorem suum defixis, mox animum ad sceleris commissi pœnitudinem convertit. In rem nostram præclarè S. Leo Papa; *Ut respexit, erexit, & in fletu pœnitudinis excitavit.*

[S. Petrus Apostolus.] [S. Leo Papa ser. de Pass. Dom.]

61. D. Hercules Salarolus Abbas Heliotropii florem figuravit, qui in solem defixus, protestabatur, se nec nubium importunitate, nec ventorum violentiâ, nec aliâ quavis injuriâ à Planetâ illo charissimo divulsum iri. Lemmatis loco Hanc D. Pauli gnomam substituit; QUIS NOS SEPARABIT? Amoris hæc indoles est, qui inter gravissimas carnificum & tyrannorum persecutiones assiduus persistit. S. Petrus Chrysologus, *Fortem*, inquit, *facit vis amoris, quia nil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem prævalent separare perfectum?* Eandem amoris constantiam significans S. Bernardus, ait; *Glutino bonum est, ait Isaias cap. 41. Quid hoc tenacius glutino, quod nec aquis eluitur, nec ventis dissolvitur, nec scinditur gladus? Denique aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Tenui eum, nec dimittam.*

[Rom. 8. 35.] [Amor constans.] [S. Pet. Chrys. serm. 40.] [S Bern. ser. 79. in Cant.]

62. Qui sibi mutuam grati & amantis animi vicem impendunt, heliotropio persimiles se probant, cui ad solem converso inscripsi; SI RESPICIS, ASPICIO. Sinesius, Astrologiæ operam navans, de se ipso in rem præsentem opportunè ait; *Me stellæ etiam ipsæ benignè identidem respectare videntur, quem in vastissima regione solum cum scientiæ sui inspectorem intuentur.*

[Mutuus affectus.] [Sines. Ep. 100]

63. Alius viciſſim eidem flori, dum ſolem nubibus coopertum reſpiciebat, inſcripſit; SI DESPICIS, ASPICIO. Veluti diceret; tametſi vultum nubibus velatum è conſpectu meo ſubducas, ego tamen, in te ſequendo aſſiduus, amoris mei conſtantiam nunquam patiar turbari. Hanc loquendi normam, meâ quidem ſententiâ, exactè obſervatam habuit nobilis illa Hebræorum Juvenum trias: cùm enim in Babylonia à Rege Nabuchodonoſore minis adeò gravibus urgerentur, ut mox, nî idolis thura adolerent, intra fornacis flammas abjiciendi eſſent, libero ac prompto ore reſponderunt; *Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus.* Senſus eſt; ſi Deus pietatis ſuæ oculos in nos convertere, & è flammis incolumes ſervare dignatus fuerit, obſequia noſtra æternùm ſibi habebit obſtricta. Quod ſi verò, gratiosâ hac beneficentiæ ſuæ luce abſconditâ, nos inter fornacis cruciatus ac mortis umbras voluerit ſuccumbere, nihil perinde à voluntatis & ſervitii noſtri conſtantiâ remittimus. Unde quidam florem illum hoc lemmate loquentem ſiſtit; ETIAMSI ME OCCIDERIT. Id eſt; quantumvis à ſolarium radiorum ardore extremam perniciem paſſus fuero, nullo tamen momento unquam ab iis me avelli permittam. In hanc ſententiam concedens Jobus, dixit; *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* Enimverò, interprete S. Gregorio Papâ, *Ille patiens eſt, qui flagellis atteritur, & à ſpei rectitudine non curvatur.*

Amor conſtans.

Dan. 3. 17.

Iob. 13. 15. S. Greg. in hunc locum citatus ab Hug. Cardin.

64. Heliotropii flos epigraphen, è Virgilio mutuatam, ſuſtinet; NON INFERIORA SECUTUS. Margaritha, Navarræ Regina, ſymbolo iſto humanum cor, ab infero ac caduco hoc mundo penitus abſtractum, ſolique Deo affixum repræſentabat. Certè ad hanc ideam quivis Religioſus componatur, neceſſe eſt; *Conſecratum enim pectus doctrinæ & veritati*, aſſerente Arnoldo Carnotenſi, *intelligat, non debere ſæcularibus negotiis, & actionibus, & lucris occupari.*

Virg. l. 10. Æneid. v. 170.

Religioſus

Arnold. Carn. Tract. de 7. Verbis.

65. Heliotropium, fixo in ſolem vultu, epigraphen tenet; CIRCUMMOVEOR TECUM. vel, DIRIGOR AD MOTUM. vel; QUOCUNQUE IERIS. Ita nimirum ſubditi Superiorum ſuorum actiones, veluti facem præviam, unicè ſtudeant aſſequi. Alphonſi, Arragoniæ Regis dictum erat; *Nam veluti heliotropium herbam ad ſolis motum, ita populares ſemper in Principum mores verti, atque formari.* Huic doctrinæ multis ac prolixis argumentis in ſuâ Politicâ Eccleſiaſticâ ſubſcripſit P. D. Seraphinus Marchetus. Eodem Emblemate adulationis vitium ſignificatur, quod vultum ſuum ad quoſvis Majorum nutus immutare novit.

Imitatio Majorum.

Panormit. lib. 2 c 44.

Seraph. March. l. 2. c. 3.

Adulatio.

66. Academia Delphica Romana eidem flori, ad ſolem converſo inſcripſit; SEMPER AD IDEM. Et alius, verbis è Plinio deſumptis; TANTUS AMOR SIDERIS. Alius verò ipſius heliotropii ore; NON SAN QUESTI OCCHI MIEI VOLGERSI ALTROVE. Id eſt; NIL ALIUD OCULOS IMPLET. E quibus omnibus cumulatè dulces, noſtros affectus & deſideria nemini alteri, præterquam ſoli Deo affigenda eſſe. Juvat hîc S. P. Auguſtinum, in Dei amore integerrimum, audire. *Amor caſtus*, inquit, *in te eſſe debet, quo amore deſideres videre non cœlum & terram, non campos liquidos maris, non ſpectacula nugatoria, non flores, nitoreſque gemmarum, ſed deſideres videre Deum tuum, amare Deum tuum.* Diſcipulo ſuo conſonans S. Ambroſius, ait; *In eo enim, quem diligimus; totis oculis occupamur; nec quidquam aliud videre delectat. &c.* De amore prophano canit Otho Venius;

Amor perſeverans.

S. Auguſt.

S. Ambroſ. Pſal. 118. O 10. v. Oculi mei.

Oth. Ven. Embl Am.

Corpus ubi Dominæ eſt, ibi cor reperitur amantis:
Et licet abſit, eam ſperat, anhelat, amat,
Inſtar ſoliſequi, quocunque ea pergit, eôdem
Dirigit ille oculos, cor, animumque ſuum.

67. Academicus, inter Venatores Venetos ſagax, heliotropio, ad Planetam ſuum converſo, inſcripſit; QUOCUNQUE RETORSERIT ITER. Vel ut aliis placet; VERTOR, UT VERTITUR. Affectuum & operationum conformitatem hæc lemmata demonſtrant. S. Ambroſius in Satyri ſui funere dicebat; *Quis non uſus nobis, & propè viſus ipſe, ſomnuſque communis? Quæ diſcreta unquam voluntas? Quod non commune veſtigium? Ferè ut, cùm gradum tollerem, vel tu meum, vel ego tuum corpus viderer attollere.* Eadem imago etiam perſonam, ab alterius voluntate ſuſpenſam; cumprimis verò adulatorios aulicorum mores, demonſtrat. Hi enim, teſte S. Petro Damiano, *Pendent ad nutum. Ire jubentur, evolant: ſtare præcipiuntur, ſilicem repræſentant: ſi Dominus fervet, iſti deſudant; ſi ille æſtum, iſti cauma conquiruntur: aut ſi leviter frigeat, iſti neceſſe eſt, ut tremefacti viſceribus obtorpeſcant. Si ille dormire vult, iſti accidiantur: ſi ſatur eſt, iſti ructare compelluntur. &c.*

Conformitas.

S. Ambr. in funere Sat.

Dependentia. Adulatio.

S. P. Dam. Opuſc. 22

68. Maria Virgo, ſupra Golgothæam rupem in Chriſtum moriturum unicè defixa, heliotropio perquam ſimilem ſe probavit, quod, vultu in ſolem nubilum ſuſpenſo, epigraphen à Lucarino cepit; ETIAM OBUMBRATUM. Vel ut Joanni Ferro placet; ET ABEUNTEM QUOQUE. Illos Deiparæ affectus vivis coloribus exhibens B. Amedeus. *Currit*, inquit, *poſt Jeſum, non tantùm in odorem unguentorum, ſed in multitudinem dolorum, non ſolùm in gaudio conſolationum, verùm & in abundantiâ paſſionum. Cernebat verum Salomonem mater ejus in diademate, quo coronavit eum noverca Synagogâ, & ipſa coronata coronâ tribulationis, poſt eum incedebat.*

Maria V. in Calvariæ mon.

B. Amede. Homil 5. de Laud Virg.

69. Animum, non tantùm adverſus innumera Dei beneficia gratum, ſed & pulcherrimis illius operibus contemplandis aſſiduò intentum, heliotropii ſymbolo deſcribes; addito lemmate, E TERRIS SUBLIMIA. Seneca de Deo & Naturâ inquit; *Vultus noſtros erexit in cœlum, & quidquid magnificum, mirumque fecerat, videri à ſuſcipientibus voluit.*

Contemplativus

Senec Ep.

70. Heliotropium, Lucarino teſte, Solem MOTU, NON LUMINE SEQUITUR. Hypocritarum hi mores ſunt, qui moribus externis duntaxat, non verò interno virtutum lumine Deum ſequi conantur. Herodes ut primum de Chriſto, in humanâ carne nato, à Magis fuit certior factus, mox, ut illum omni ſtudio inveſtigarent, juſſit; *Et cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* En vulpem in promiſſis ſuis falaciſſimum! nam Bethlehemum abiturieus, nonniſi exteriorem corporis motum attuliſſet, interno pietatis ac fidei lumine penitus deſtitutus. Videri equidem externo vultu poterat in Deum benevolus; at cordis ſui penetralia ſimulatione, perfidiâ, & ſacrilegis affectibus pleniſſima fovit. Disertè meus Hugo Victorinus; *Adulator amicus in obſequio, hoſtis in animo; comptus in verbo, turpis in facto. &c.*

Hypocriſis.

Matth. 2.

Adulatio.

Hug. de Vict.

71. Heliotropium, veluti Lunæ ac ſiderum minorum

norum lucem abominaretur, cœlo stellato tergum obvertit; cum lemmate, NON TALI LUMINE. vel ut aliis placet; UT UNUM SEQUAR. Ita Religiosorum animæ tes qualvis inferas, caducas, & terrenas dedignantur, totis affectibus in unico Divino ac immortali Sole defixi. Sanctus Nilus; *Oportet incorruptibilium desiderio flagrantem, pro nihilo ducere corruptioni obnoxia.* P. Hermannus Hugo illas Sponsæ voces, *Ego dilecto meo*, paraphrasi poëticâ ita explicat;

[margin: ligiosus; Nil. Pa- 2. nu. 140. rm. Hug. suspir. 4. nt. 7. 10.]

Hunc ego, non alium, solum hunc ego diligo sponsum,
Nemo potest uno tempore amare duos.

72. Abbas Certanus Heliotropio inscripsit; BEN MIROIL CIEL, MA IL PIE' TRATTENGO IN TERRA. Id est; DUM COELUM CONTEMPLOR, ADHÆREO TERRÆ. Spirantem hanc Hypocritæ ideam putes, qui vultu in cœlum sublevato, affectuum suorum spurcissimos pedes è terrenis sordibus nunquam eripit. S. Gregorius Papa; *Sunt nonnulli, quos elevat spiritus, sed eosdem non absumit spiritus, quorum intellectus ad spiritualia emicat, & tamen vita in factis carnalibus manens intellectu non constat. Balaam enim per prophetiæ spiritum elevatus erat, sed non absumptus, quia potuit à longè futura prospicere, & tamen à terrenis desideriis noluit mentem separare.*

[margin: ypocrita; Greg. Hom. in Ezech.]

73. S. Carolum, cum Divinâ gratiâ arctissimè connexum, ex heliotropio dignoscere licet; cui ad solem converso, nonnullus inscripsit; DILECTUS MEUS MIHI, ET EGO ILLI. Hanc loquendi rationem etiam Gentiles familiarem habuêre; inter quos præcipuus Epictetus; *Ausim*, inquit, *ad Deum sublatis oculis dicere: utere me in reliquum, ubi lubet, & ut lubet. Mente tecum consentio, æquanimus sum. Nihil recuso omnium, quæ tibi videbuntur: quocumque me voles, ducito.* Epigraphen vero, è sacris Canticis desumptam, S. Bernardus præclarè in hunc modum interpretatur. *Ille mihi, quia benignus & misericors est; ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius voluntati &c.*

[margin: orrespondere. nt. 2. 16. ratitudo. ictet. in chirid. Bern. serm. in Cant.]

74. Homo, fidem Christianam professus, at vivendi ratione à Christianorum legibus alienissimus, heliotropio non absimilem se probat, quod, vultu in solem converso, epigraphen legendam offert; COL GUARDO SI, MA NON COL PIE TI SIEGUO. Id est, OCULIS SEQUOR, NON PEDIBUS. Inter hos cumprimis recenseas illos, qui, Apostolo asserente, *Confitentur, se nôsse Deum, factis autem negant. Quia*, interprete S. Isidoro Pelusiotâ, *fidei minimè consentaneam vitam exhibent.* His non inopportunum fuerit Sancti Jacobi consilium, *Estote factores verbi, & non auditores tantùm*; Quia, *qui perspexerit in legem perfectam libertatis, & permanserit in eâ, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus facto suo erit.* Apostolo conformis Romanus Sapiens; *Illud*, inquit, *admoneo auditionem Philosophorum, lectionemque ad propositum beatæ vitæ trahendam, non ut verba ficta, aut prima captemus, figurasque dicendi: sed ut profutura præcepta, & magnificas voces, & animosas, quæ mox in rem transferantur. Sic ista discamus, ut quæ fuerunt verba, sint opera.* Proindè intellectûs nostri acies sit quidem in morales ac Christianas aliorum virtutes studiosè defixa; at simul diligenti & solicito operationis nostræ gressu eos imitari conemur.

[margin: des sine eribus. . 1. 16. d. Pelus. l. Ep. 64. cob. 1. 22. 25. ec. Epist. 8.]

75. Academicus, inter Errantes Brixienses Gira-

tus, symboli loco heliotropium præfert, quod nocturno tempore versus terram inclinatum, epigraphen subjunctam habet; SEQUOR ERRANTEM. Assiduâ experientiâ firmatum est, populum ad Principis sui errores imitandos facillimum esse. Vide sis, obsecro, exemplum ex ipsis sacris Litteris clarissimum. *Fecit (Sedecias) malum in oculis Domini Dei sui.* Quid inde? *sed & universi Principes Sacerdotum, & populus prævaricati sunt.* En fructum penè inevitabilem, quem unius Regis delictum parturire solet! Rectè in illum locum ait Nicolaus Lyranus; *Ad malitiam Regis secuta est malitia in omnibus aliis.*

[margin: Exempla Majorum. Paralipp. 36. n. 12. & n. 14. Lyran. in hunc loc.]

76. Abbas Ferrus Heliotropio, inter noctis umbras figurato, inscripsit; ACCENNA ANCOR FRA' LE TENEBRE IL SOLE. Seu brevius; ABSCONDITUM SIGNAT. Sacram Theologiam hæc imago spectat, quæ inter vitæ præsentis umbras Deum intellectui humano cognoscendum proponit. Cumprimis tamen illam de sanctâ Fide interpretari licet; *Ipsa namque*, inquit Sanctus Laurentius Justinianus, *est, quæ invisibilium tribuit notitiam, & visibilium efficit hominem contemptorem: sicut enim definit illam Apostolus: Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

[margin: S. Theologia. Fides. S. Laur. Iust. in ligno vitæ. de Fide. c. 1.]

77. Idem flos, in solem defixus, epigraphen tenet; UBI AMOR, IBI OCULI. D. Carolus Rancatus illum in hæc verba loquentem sistit; MAI NON MI PARTA IO PUR TI SIEGUO. Id est; SEQUOR IMMOBILI GRESSU. Talis omninò est affectus noster versus personam amicam, quantumvis dissitam. Amantes enim congenitum habent, oculos tam corporis quàm animi assiduo obtutu in rem dilectam defigere. S. P. Augustinus; *Quem quis diligit, etiam cùm videt eum sine fastidio, semper vult esse præsentem, hoc est, semper quærit eum esse præsentem.* Unde sacra Sponsa apud P. Hermannum Hugonem in hæc verba suspirat.

[margin: Amans. S. August. in Psal. 104. Herm. Hug. lib. 3. susp. 4.]

Illius ante oculos mihi semper oberrat imago;
Ante oculos, quamvis longius absit, adest.
Sponse ego sum Clytia, tu sol: ego Cynthia, Phœbum
Qualibet obverso persequor ore meum.
Et mihi sponse, Helyce, Cynosuraque duplicis Arcti,
Quò trahis, huc oculis ad tua signa volo.

Huic non absimilis Josephus Orrygonus, in suis Lyricis canit;

Quanto di me più fortunati siete
Pensieri amati, e cari,
Che l' idolo ch' adoro
Ancorche sia lontan mirar potete.
Voi pur lieti gioire, ed io mi moro,
Voi davanti à quel viso,
Ed io dal duolo ucciso.

78. Heliotropium, languente capite, & vultu in solem occiduum converso, epigraphen habet; CUM SOLE RESURGAM. Illius hæc imago est, qui, dum Principis favore excidit, fiduciâ plenus, paulò post ad pristinæ felicitatis gradum emergere sperat. Ita Maria Virgo, è Filii sui morte extremùm afflicta, nonnihil solaminis cepit, quando illum, paulò post redivivum, & ad summæ gloriæ apicem sublevandum cogitavit. S. Bonaventura illam veluti præsentem contemplatus, *Domina*, inquit, *stabat mente tranquilla & parata, quia certissimam spem habebat de resurrectione filii sui.* Et S. Anselmus, *Pia Domina, non crediderim te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatûs, quin etiam vitam amitteres, sustinere, nisi ipse Spiritus vitæ, Spiritus consola-*

[margin: Confidentia. Maria V. supra Calvariæ montem. S. Bonav. Med. vitæ Christi c. 84. S. Ansel. lib. de Excellent. Virg. c. 5.]

tionis. Spiritus scilicet dulcissimi Filii tui, pro quo moriente tantopere torquebaris, te confortaret, te consolaretur, te intus doceret, non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subjicientem &c.

79. Heliotropio, ad quosvis solis motus in orbem flecti solito, D. Sigismundus Laurentius inscripsit; QUO SE CUNQUE MOVET. S. Paulum Apostolum, Divinæ voluntati ac providentiæ penitus conformem, significabat. Præclarum, certè, obedientis animi argumentum dedit ille, quando in primo miræ conversionis suæ momento ex imò pectore clamavit, *Domine quid me vis facere?* Quòd verò hanc mentem per reliquum omnem vitæ suæ decursum conservârit, ipsemet sibi testis luculentus, ait; *Paulus servus Jesu Christi &c. Per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Idipsum monet Magnus Augustinus; *Studete ut cognoscatis voluntatem Dei: postquam autem cognoveritis, summo nisu contendite, ut hanc faciatis.*

Obediens.

Act. 9. 6.

Rom. 1. 1.

S. Aug. serm. 112. de Temp.

80. Isabella, Arragoniæ Regina, in symbolo suo duos flores depingi fecit; quorum primus vocabatur Heliotropos, id est, flos solis; alter Selenitropos, id est, flos lunæ. Addito lemmate, SEQUOR, ET ÆTERNUM SPECTO. Per florem Solis JESUS; per florem Lunæ MARIA significabatur, è quorum amoribus piissima Regina sese nunquam passa est avelli. Haud aliter Magnus Augustinus, cùm inter præsentis Jesu & Mariæ delitias staret medius, in voces has suavissimas erupisse fertur; *Hinc pascor à vulnere, hinc lactor ab ubere, positus in medio, quò me vertam nescio.* Vulgare est illud Poëtæ;

Amor erga Jesum & Mariam.

S. Aug. apud Paulum Barry in Hagioph. & Fast. Mar.

Spes mea prima Deus, spes altera Virgo Maria.

Pulchrè P. Jacobus Masenius;

In te noster amor post Christum, Virgo, quiescit,
Tu mihi votorum meta caputque manes.

Et Sanctus Anselmus; *Quis unquam*, ait, *fiducia suæ anchoram in Filii tui merito defigens, & in misericordiâ tuâ, ô benignissima Mater, confidens, insperatam passus est repulsam?*

S. Anselm. in Medit.

81. P. Blasius Palma heliotropio, versus solem intuenti, subscripsit; NON INFERIORA SEQUAR. Bonum hominis propositum hâc imagine repræsentabis; quale erat illud Davidis; *Juravi & statui, custodire judicia justitiæ tuæ.* S. P. Augustinus; *Jam cùm sequeris viam Christi, non tibi sæculi prosperitates promittas, Per dura ambulavit, sed magna promisit, sequere.*

Propositum.

Psal. 118.

S. August. in Psal. 36. conc. 2.

82. Inter flores laudatur heliotropium, quòd se ad unicum convertat solem, & veluti inferiora fastidiens, se cum eo circumagat, abeuntemque sequatur. Emblemati subscripsit Sapientissimus Philotheus; SEQUE OBTULIT UNI. Nihil tam curandum est Christiano homini, quàm ut uni Deo suam vitam, suasque probet actiones: nam qui Deo & hominibus pariter suo placere cupit obsequio, id sæpè efficiet, ut Divinus cultus humano postponatur. Uni offerendum est cor nostrum, nec illud cum pluribus dividendum. Certè heliotropium nos docet, ut uni soli serviamus, & inter miseriarum tenebras, inter luctam carnis nostræ, inter mundi offusas illecebras, nos Deo, Soli nostro, unicoque lumini offeramus. Sanctus P. Augustinus; *Nihil gratius Deo possumus offerre, quàm ut dicamus ei, posside nos.* Et rursus; *Quærebas quid offerres pro te? offer te. Quid enim Dominus quærit à te, nisi te?* Juvat audire canentem symboli Interpretem;

Offerre se ipsum Deo.

S. August. Psal. 131.

Idem serm. 236. de Temp. cap. 2.

Non me sacrilegæ flectet contagio turbæ,
Ne meus à cœlo devius ibit amor.
Non me transversum rapiet scelerata libido,
Ambitioque potens, aut malus error aget.
Non me turpis avaritiæ, nec crimina vulgi
A summo jungent, qui regit astra, Deo.
Sunt sacra corda polo. Mentem sacravimus uni
Humano est potior cœlitus ortus amor.

83. Ludovicus Brethe, Can. Reg. inter cætera, etiam heliotropii Emblemate suam S. Genovefæ Basilicam insignivit; eique, versus solem intuenti, subscripsit; AD ME CONVERSIO EJUS. Anceps iconis hujus mens est, innuitque vel hominem ad Dei obsequia, vel Deum ad gratias homini offerendas conversum. Utrumque sensum complectens Magnus Augustinus; *Conversos*, inquit, *Deus adjuvat, aversos deserit. Sed etiam ut convertamur, ipse adjuvat; quòd certè oculis corporis lux ista non præstat.* Emblematis Author de Sancto Guilielmo, Canonico Regulari ad S. Genovefam, & in Daniâ Abbate, id explicat, qui in diversis Canonicorum Collegiis sanctissimè degens, mirificè semper Divinum Solem ad se per innumeras gratias conversum expertus est.

Conversi...

S. Aug. l. 2. peccatorum meritis c.

Ad sanctitatem natum decuit inter Sanctos adolescere:
Nimirum; Flos, in cœlum transferendus,
Inter aras gemmare debuit:
Debuit & sangenovefæum in montem transmitti,
Ut suum hinc liberius, & propius intueretur solem,
Et mutua ad ipsum esset conversio ejus. &c.

84. Helio-

Colleg: Can: Reg: S: Aug: ad S: Crucem Augustæ

84. Heliotropium, Solis lumine plurimùm illustre, epigraphen sustinet; HOC LUMINE VIVO. Inclytum sanctæ Crucis Collegium, Ordinis Can. Reg. S. Augustini Augustæ Vindelicorum, hac icone significatur; quod suo illo prodigioso vivit lumine, Deo nimirum, ceu Sole æterno, sub rubeâ carnis specie in SS. Eucharistiâ innumeris miraculis clarissimo. Et sanè felix ac fæcundum est lumen illud Eucharisticum, cùm ex celeberrimo S. Crucis Collegio nunquam non viri prodierint clarissimi, qui, ceu totidem Solis Eucharistici parhelia, exteris Canonicorum Ecclesiis illustrandis gubernandisque auspicatissimè præficerentur. Cæterùm Emblema istud etiam hominem contemplativum spectat, qui nullo alio, nisi cœlesti lumine vivit, rerum terrenarum summè pertæsus. Nam, Magno Augustino teste, *Illic est vita hominum, ubi est lumen verum, quod illuminat omnem hominem.* Et rursus; *Bonum spiritui est, hærere tibi semper, ne quod adeptus est conversione, aversione lumen amittat.*

Deo adhærere.

S. Aug. Annot in Iob. cap. 10. Idem lib. 13. Conf. cap. 2.

HORTUS.

Cap. XI.

85. Ioannes Ferrus Poëfin Emblemate significaturus, Hortum expressit; cum lemmate, ORNAMENTO, E DILETTO. Id est; ORNAT, ET RECREAT. Eadem virtutis est indoles, quæ humanam mentem non ornatu tantùm, sed & voluptate perfundit. Enimverò virtus, teste S. Chrysost. *Tantam intrinsecus voluptatem affert, quantam sermo nullus exprimere possit. Quid enim tibi de præsentibus jucundum esse videtur? Nonne lauta mensa & corporis sanitas, & gloria; & divitiæ? sed hæc suavia, si illi compares voluptati, sunt omnibus amariora illi collata.*

Virtus.

S. Io. Chrys. hom. 63. ad popul.

86. Cùm illustrissima Barberinorum familia in armis gentilitiis Apes præferat, idcircò Academia Parthenia Romana, à Cardinalibus Barbarinis visitanda seipsam horti Emblemate significavit, qui floribus undique respersus, opportunam hanc epigraphen subjunctâ habuit; APES EXPECTAT. Eendem ego S. Josephi imaginé interpretatus sum; virtutũ enim & sanctimoniæ floribus cumulatè locuples, B. Virginem, apem mundissimam, & infantem Jesum, itidem apis cognomine à S. Bernardo celebratum, intra castissimum sinum suum recepit, eosque Sponsi ac Nutritii officiis studiosissimè nutrivit. Porrò homo, charitatis studiosus, instar horti, mera humanitatis, benevolentiæ, ac beneficiorũ mella in proximos spirat. Ad hunc proximi amorem extimulans Magnus Augustinus; *Ante omnia*, inquit *misericordiæ operam detis, & in quibuscunque possitis, proximos vestros adjuvetis, &c.*

S. Josephus Nutritius.

Charitativus.

S. Aug. serm. 205 de temp.

87. In Encomium S. Marci Evangelistæ, Dominus Aresi⁹ hortũ figuravit, qui nube pluviâ irrigatus epigraphen tulit; GERMINANS GERMINABIT. Sensus erat; mundum, Evangelicâ ipsius doctrinâ & Apostolico sudore fæcundatum, amplissimos virtutum flores ac fructus progerminâsse. Enimverò, quod Author Operis Imperfecti testatur, *Sicut pluvia irrigat terram, ut triticum proferat, sic doctrina hominem irrigat, ut iustitiam operetur.* Eadem omninò ratione lachrymarum pluviæ ad virtutum flores in humano pectore cumulandos disponunt. *Lachrymarum mador*, inquit S. Petrus Damianus, *animam omni labe purificat, & ad proferenda virtutum germina nostri cordis arva fæcundat.*

S. Marcus Evang.

Aut. Op. Imp. hom. 20.

Lachrymæ

S. Pet. Dam. Opusc. 13. cap. 12.

88. Hortus, languentibus ob nimiam ariditatem flori-

floribus instructus, symboli loco nubem pluviam respicit; cum dicto, UNDE AUXILIUM MIHI. Spiritus sanctus, accommodatè ad hanc ideam, gratiæ suæ pluviis nostros fervores temperat, ariditatem aufert, ac miram animæ nostræ beneficentiam tribuit. Vatis Regii suspiria sunt; *Anima mea sicut terra sine aquâ tibi. Velociter exaudi me Domine*, veluti dixisset; *Veni dator munerum, in æstu temperies, riga quod est aridum &c.* S. Bernardus, *Spiritus sanctus, spiritus bonus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus fortis; infirma roborans, aspera planans, corda purificans; quidquid in hoc sæculo nequam videtur difficile & angustum, leve facit.*

Spiritus S. consolator. Psalm. S. Bernard.

89. Hortus aliorum oculos tantundem in sui admirationem rapit, quantùm felicitatis ac splendoris à benigno Solis aspectu recipit. Unde infra Solem figuratus, hanc gnomam pronuntiat; ASPICE, UT ASPICIAR. Eodem affectu quemvis aulicum ad suum Principem suspirare censeo; nam Solis hujus politici gratiis illustratus, omnium existimationem & cultum in se convertit. Cæterùm hoc Emblemate utilitatem illam opportunè demonstrare licet, quæ nobis è gratioso Magnatum aspectu ac patrocinio accrescit. De Christi benigno erga homines aspectu ait Magnus Augustinus; *Infirmos salvavit aspectus infirmitatis ejus, firmos quærit contemplatio Divinitatis ejus.*

Protectio & dependentia. S. Aug. serm. 52. de divers. cap. 1.

90. In laudem hominis cujusdam, illustrissimâ quidem, sed tamen prorsus singulari virtute donati, regium hortum depinges, in quo flores rarissimi, arbores prodigiosæ, surculi insolito artificio delibrati, fontes ob varietatem paradoxi, aliaque topiariæ miracula spectentur. Epigraphen subjunges; COMMUNIA, NON COMMUNITER. Hanc excellentiam Maria Virgo unicè sibi vendicat: in eâ enim, veluti in augustissimo horto, omnes quidem virtutes, reliquis cœlitibus communes; additâ tamen singulari ac insolitâ quâdam perfectione, resplendent. Apposite S. Bernardus; *Cæteras quoque virtutes*, inquit, *singulares prorsus invenies tu Maria, quæ videbantur esse communes.*

Mariæ V. excellentia. S. Bern ser. 4. de Assumpt.

91. Symboli loco Hortum depinxêre, cujus flores infra Solis eclypsin languebant; cum lemmate, A LANGUORE LANGUOR. Subditos, ex Isabellæ Borboniæ, Hispaniarum Reginæ, morte afflictos, hoc Emblema spectabat. Eadem effecta in Servatoris nostri morte observabantur; illo enim extremum languente, omnes creaturæ in acerbissimos dolores fatescebant. *Pendente in patibulo Creatore*, inquit S. Leo Papa, *universa creatura congemuit, & Crucis clavos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui & terram traxit, & cœlum; hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reseravit, & densarum horrore tenebrarum radios Solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus Auctori, ut in occasu Conditoris sui vellent universa finiri.*

In morte. Christus patiens. S. Leo Papa.

92. Mariam Annam, Hispaniarum Reginam, cùm Mediolanum regio apparatu ingrederetur, inter cætera Emblemata Hortus excipiebat; qui floribus undiq; respersus, epigraphen tulit; ASPIRANTIBUS AUSTRIS. Mens Emblematis erat, Reginam illam, ex augustissimâ Domo Austriacâ oriundam, serenissimo suo adventu plurimùm gaudii ac felicitatis afferre. Nec obest, Australes ventos naturâ suâ floribus esse inimicos & fatales, ut eruditis argumentis probat Ludovicus della Cerda: nam, è communi Aristotelis, Plinii, ac Nonni suffragio, venti pro regionum varietate diversos sortiuntur effectus, ita ut Auster, uno loco calorem ac pluvias parturiens, alibi serenus & suavis aspiret. Nonni verba ita habent;

Beneficentia. Lud. Card. v. 58 in Ec log II. Virgil Pli. l. 12. c. 33. Nonnus Panob. Carm Dionys. lib. 4.

Ex Tyri pelago, & maritimis agris,
Spirans ex Libano meridionalis blandus ventus,
Spiritu generante fruges profundit, naves incitantem auram,
Qui & rusticum refrigerat, & nautam in navigationem trahit.

Si hanc ideam libeat accipere in sensu allegorico, non abs re dixeris, aspirante Spiritu sancto innumeros virtutum flores progerminare. Unde sacrum Epithalamium in hæc suspiria erumpit; *Veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Nam interprete S. Gregorio Papa, *Adveniente sancto Spiritu, cor, quod prius torpuerat, ad operationem se excitat; mox sanctæ operationis opiniones per proximos quosque suaviter discurrunt, ut quique audientes ad eadem se accendant, & AUSTRO FLANTE, id est Spiritu sancto se infundente, VIRTUTUM ODORES EMITTANT, ut ubique sanctus HORTUS FLOREAT, ET post florem FRUCTUS redolentes, & reficientes PRODUCAT.*

Spiritus S. Cant. 14. 6. S Greg. Pap in hunc loc.

93. Hortus obseratus, præ floribus aliquot serpentes excludens, epigraphen tenet; PROCUL HINC. Maria Virgo, in sacris litteris *Hortus conclusus* cognominata, venenatam insidiantis peccati malitiam ab intemeratâ suâ puritate nunquam non longissimè proscripsit. Optimè de illa pronuntiat Sophronius; *Verè hortus delitiarum, in quo consita sunt universa florum genera, & odoramenta virtutum, sicque conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus.*

Cant. 4. 12. Mariæ V. puritas. Sophronius serm. de Annunt.

94. D. Didacus Saavedra, ut demonstraret, scientias & artes, quæ Principem concernunt, debere ab illius Magistris ac tutoribus gravi quidem, sed tamen simul jucundâ & sedulâ methodo doceri; hortum figuravit, qui aggeribus ac propugnaculis fortissimè munitus, epigraphen tulit; DILETTANDO INSEGNA. Id est; DOCET, ET DELECTAT. E ludicris enim opportunissima habetur occasio ad heroicas & serias disciplinas Principibus ingenerandas. Aristoteles ait; *Itaque ludi magna ex parte imitationes esse debent earum rerum, quæ seriò postea sunt obeundæ.* S. Hieronymus Lætæ matri eandem filiæ instituendæ methodum tradit; *Fiant ei litteræ vel buxeæ, vel eburneæ, & suis nominibus appellentur. Ludat in eis, ut & ludus ipse eruditio sit &c.*

Docere. Aristot. l. 7. Polit. c 17. S. Hieron. ad Lætam.

95. D. Carolus Rancatus illustri Emblemate amœnum collem expressit, qui nullâ hominum industriâ cultus, floribus ita copiosis superbiebat, ut omnium hortorum gloriam obscuraret. Epigraphen è Claudiano mutuatam addidit; ZEPHYRO CONTENTA COLONO. Verba Poëtæ sunt;

Claud. de Nupt. Honorii.

Intus prata micant, manibus quæ subdita nullis
Perpetuum florent, Zephyro contenta Colono.

Cœli Reginam hæc imago concernit, quæ, instar nobilissimi horti, prodigiosos fæcundæ Virginitatis, & intactæ Maternitatis flores, nullo unquam operationis humanæ interventu, sed solo Spiritûs sancti zephyro aspirante, protulit. S. Bonaventura, ad Virginem Deiparam conversus, canit;

Maria V. S. Bonav. in psalterio majore. quinquagena 3.

Ave Virgo, quam perflavit,
Et perflando fœcundavit
Auster fructu spiritali
Christo flore Virginali.

Philippus Abbas, ad illa Angeli verba reflectens, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, hanc paraphrasin subjungit; *Scias te nul-*

lum virilis copulæ commercium experturam, sed opera de sancto Spiritu, possibiliter quidem, sed ineffabiliter concepturam. Cæterùm nobilis indoles, virtutum floribus exornanda, nequaquam ferream rigorosæ educationis duritiem expectat, sed Zephyri vel Austri temperatâ suavitate ad rarissimos bonarum operationum decores animari solet. *Surge Aquilo* (id est, interprete Richardo Victorino, *discede*) *& veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata.*

[Margin: nimus obilis. — nt.4.16. ich.Vict. in unc loc.]

96. D. Carolus Rancatus flores, intra hortum languidos & cadentes, hoc lemmate notavit; DEFICIUNT RIVI. Verbis è Claudiano sumptis;

[Margin: laud. de apt. Proserp l. 3.]

Alget ager, sparsosque bibunt violaria succos,
Sed postquam medio Sol altior adstitit orbi,
Ecce polum nox fœda rapit: tremefactaque nutat
Insula cornipedum strepitu, pulsuque rotarum.
Nôsse nec aurigam licuit: seu mortifer ille,
Seu mors ipsa fuit, livor permanat in herbas,
DEFICIUNT RIVI.

Hominem litteratum, ingenio quidem floridum & vivacem, at simul pauperem, omnique Mecænatum subsidio ita miserè destitutum significat, ut tandem & litteris & sanitati cogatur remittere nuntium. Hanc miseriam expertus Cleander, nocturno tempore victûs parandi gratiâ in aquagiis fatigabatur, ut interdiu ad Chrysippi sapientiam percipiendam liberas afferet aures. Æsopus, egestate compulsus, se aliorum obsequiis captivum vendidit, Plautus, ut vitam sustentaret, in molendino versando vires penè omnes consumpsit. Quidam è nobilioribus Italiæ nostræ Poëtis idipsum in Pastore F. his omninò verbis conqueritur.

[Margin: itteratus auper in- lix.]

Se da quel dì, che meco
Passò la Musa mia d'Elide in Argo
Havessi havuto di cantar tant' agio,
Quanta cagion di lagrimar sempr' hebbi:
Haurei del mio signor l'armi, e gli honori,
C'hor non hauria de la Meonia tromba
Da invidiar Achille; e la mia patria,
Madre de Cigni sfortunati andrebbe
Già per me cinta del secundo alloro.
Ma oggi è fatta (ò secolo inhumano!)
L'arte del poetar troppo infelice.
Lieto nido, esca dolce, aura cortese
Bramano i Cigni, e non si và in Parnasso
Con le cure mordaci, e chi pur sempre
Col suo destin garrisce, e col disagio
Vien roco, è perde il canto, e la favella.

[Margin: Gratia Dei baptismus. — S.Aug de Grat. & lib. arb.cap.6.]

Cæterùm homo, sacri baptismatis aut gratiæ Divinæ rivis deficientibus, languet, æternumque marcescit. S.P. Augustinus; *Cùm data fuerit gratia, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen: Nam si se illa subtraxerit, cadit homo non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio.*

[Margin: S. Matronianus. — Exod.16.4. — Psa.104.40. — Sap.16.20. — S.Aug.ser.8. de divers.c.3.]

97. S. Matronianum Eremitam, sua alimenta è cœlesti penore Angelorum manibus recipere solitum, horti Emblemate ornârunt, qui à nube pluviâ irrigatus, epigraphen habuit; FOVETUR AB ALTO. Israëlis populus eundem omninò favorem est expertus. Ipsummet Deum testem habeto; *Ego*, inquiebat, *pluam vobis panes de cœlo.* Regius Psaltes de Deo canit; *Pane cœli saturavit eos.* Et Salomon, *Paratum panem de cœlis præstitisti eis.* Taceo S. Catharinam Senensem, aliosque complures, quibus illa è cœlo beneficentia cumulatè obtigit, S. P. Augustinus; *De omnium fructibus cœlestis panis conficitur: & omnis operarius in Dominica vinea sine dolo laborans, ipso salubriter ac abundanter saturabitur.*

98. Hortus, in diversas areas, directas, polygonas, semicirculares, ovatas, aliasque distinctus; hydraulis insuper, cryptis, artificiosâ optice, mirâ florum varietate, ac cætero opere topiario instructus, epigraphen sustinet, VARIETATE VENUSTIOR. Enimverò horti delitiæ mirum è varietate ornamentum capiunt. Certè sacra sponsa vestimentum suum vario cultu discerni voluit. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Quin, & velum, ante Divinam Arcam olim explicatum, eâ colorum vicissitudine radiabat. *Facies & velum de hyacintho & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ, opere plumario, & pulchrâ varietate contextum, &c.* De S. Ecclesia in rem præsentem ait Magnus Augustinus; *Ecclesia est regina illa, de qua ad Dominum dicitur:* Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, *id est, diversarum circumdata pretioso decore virtutum.*

[Margin: Varietas. — Psa.44.10. — Exod.26.31. — S.Ecclesia. — S.Aug serm. 253. de temp.]

99. Horti conclusi areolæ, compluribus flosculis respersæ, inscriptionem præferunt; PROCUL HINC TALPÆ. Mariam Virginem Deiparam rectè *Hortum conclusum* cognominant sacræ Litteræ; & Ecbertus *Areolam aromatum sanctorum*; Hesychius verò *Hortum non seminatum fertilem, incultum*; nam horti hujus Virginei flores ita tenerè ac eleganter vernant, ut procul omnes fuget hæreticos, talparum more excœcatos. Emblematis sui interpretem audi P. Jacobum Masenium;

[Margin: Maria V. — Cant.4. — Ecbert. in deprec. ad B.V. — Hesych. Orat 2. de Deip.]

Exclusis procul hinc talpis, se florifer hortus
Explicat, & pictis Flora superbit agris.
Florida virtutum vernat tibi purpura Virgo;
Hæretici talpæ, vos procul esse decet

100. Hortus, à vento afflatus, epigraphen tenet; HOC ASPIRANTE VIREBIT. S. Ecclesiam Catholicam hæc imago concernit, quæ Spiritu sancto afflata, magis indies magisque virebit. Maria Virgo, afferente Sophronio, *Hortus delitiarum est, in quo condita sunt universa florum genera, & odoramenta virtutum*; quæ tamen ipsa horti hujus Virginei ornamenta non aliunde, nisi à spirante Numine vernant. Rursus P. Masenius;

[Margin: S.Ecclesia. — Maria V. — Sophron. hom de Assumpt.]

Pascitur irriguis hortus genialis ab undis,
Flos patet ad ventos, spirat aroma notis.
Vincere delitias hortorum credita Virgo est,
Aspirante Deo cùm parit illa Deum.

101. Videbis in hortis ex myrto, aliisque herbis varias in diversis locis efformatas imagines; hîc leonem, ibi hominem, alibi aquilam, cervum, unicornem, aliud: jam verò nisi hortulanus propè quotidiè resectum eat excrescentem illam, luxuriantemque herbæ comam, fiet intra paucos dies, nec aquilam aquilæ, nec hominem homini, nec aliis figuris alias amplius esse similes. Unde lemma hortensibus illis simulachris inditum; ASSIDUO SUCCISA STABUNT. Idipsum in corporis nostri culturâ usuvenit. Esto enim fortitudine animi leo fueris, nisi vitiosorum affectuum, nunquam non succrescentiũ, exuberantiam cultro mortificationis succidas, spiritualis leonis robur brevi in te amplius non deprehendes, imò nec ultra te cognosces. Est siquidem intra nos radix amara, virtutique contraria, sursum semper germinans. *Credite mihi*, inquit S. Bernardus, *& putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, sopita denuò excitantur. Parum est ergò semel putâsse, sæpè putandum est, imò si fieri potest, semper, quia semper quod putari oportet si non dissimules, invenies.* Consonant his illa B. Abbatis Ephræmi; *Bellum militum breve, sed Monachi pugna, quoadusque migret ad Dominum, durat.*

[Margin: Mortificatio. — S.Bernard. serm.58 in Cant. — S.Ephræm. Exhort.ad pietatem l.1. pag.7.]

120. In hortis extruuntur umbracula, sub quibus corpora à Solis æstu sibi temperent, ac refrigerentur. Unde umbraculo, intra hortum extructo, sub-

subscripsit P. Sebastianus à MatreDei. HUC FESSA MEMBRA RECURRENT. seu melius; HUC CORPORA FESSA RECURRENT.

M.Virgo. Hortus pulcher & artificiosus est mundus; sed heu! æstus concupiscentiæ ac calamitatis in illo continuus; unde Deus amœnissimum construxit umbraculum, Virginem Deiparam, ad quam, æstûs levandi causâ, omnes fessi recurrant. De Divino patrocinio symbolicè pronuntians Siracides, ait; quod sit *Firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani.* Nam, interprete Rabano, *Deus est firmamentum virtutis, confortans illos; ipse est tegimen eorum contra ardorem tentationis; umbraculum contra validum æstum persecutionis, hunc enim meridies significat &c.*

Deus protector.

Eccl. 34. 20.

Raban. in hunc loc.

HYACINTHVS.
Cap. XII.

103. HYacinthi flores, cum lemmate, DE VULNERE NATI, sanctos Martyres concernunt, qui è plagis suis æternæ felicitatis decorem consequuntur. S Basilius; *Nihil est, quod cunctemini, ô homines, illustre hoc, & honestum adire certamen, nec mortem perhorrere: neque enim ea est corruptio, sed vita occasio; non omnimoda deletio, sed ad honorem pretii ingentis transcensio.* Et Seneca; *Intrepidus horam illam decretoriam prospice; non est animo suprema, sed corpori. Detrahetur tibi hâc circumjectâ novissimum velamentum tui, cutis: detrahetur caro, & suffusus sanguis, discurrensque per totum; detrahentur ossa, nervique, firmamenta fluidorum, ac labentium. Dies iste, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est.* Quin, omnes homines, è saucio Servatoris sui latere genitos, hæc imago spectat.

SS. Martyres.

S. Basil. in psal. hom. 17.

Senec. ep. 102.

Fideles.

104. D. Vincentius Gilibertus hyacinthum hoc donavit lemmate; ET PALLET, ET PLACET. Homo sobrius, macilentus, ac mortificatus geminо hoc encomio describitur. S. Basilius; *Ut optimus corporis habitus, & coloris bonitas pugilem à cæteris distinguit, sic Christianum à cæteris macilentia corporis, pallorque deflorescens, qui continentiæ veluti adjunctus & comes, indicio est, eum Christi mandatorum verè pugilem esse, qui in infirmitate corporis adversarium suum in lucta prosternat.*

Mortificatio.

S. Basil. in Reg. fus. disp. interrog. 17.

105. Viri eruditi in hyacintho geminos hos characteres A I, naturæ manibus explicatè descriptos observant; Et quidem si Græcis fidem habeas, litteræ illæ Ajacem spectant, qui, ut Poëta fingunt, è violentâ suâ morte in hunc florê transformatus, etiamnum ab illa dolentis voce *hai* deploratur. Unde Raulinus hyacinthi herbas, jamjam in florem effundendas, hoc epigrammate notavit; INSCRIPTI LUCTU NASCENTUR. Eadem miseria omnibus Adami posteris communis est, qui in hunc orbem editi, mox in suspiria & tristes fletus solvuntur. De se ipso testatur Salomon; *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Causam vagitûs adeò maturi subjungens Magnus Augustinus, *Infantia*, inquit, *non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quod, quid malorum ingressa sit nesciens, prophetat quodammodò.*

Homo natus ad planctum.

Sap. 7. 3.

S. Aug. l. 21. de Civit. cap. 4.

106. Cùm Illustrissimus D. Hyacinthus Orrigonus pro meritis suis inter Regios Mediolanensium Senatores recenseretur, D. Carolus Rancatus symboli loco hyacinthum depingi fecit, cum epigrammate; INSCRIPTUS NOMINA REGIS. Verbis è Virgilio mutuatis;

Virg. Eclog. 3 v. 106.

Dic quibus in terris inscripti nomina Regum
Nascuntur flores?

Et verò lemma istud opportunè Senatorem Regium spectabat; siquidem omnes libelli supplices, ad illius manus destinati, hanc Regis epigraphen præferunt, *Potentissime Rex.* Et quidquid Senatores è Cancellariâ decernunt, hoc Regis Hispani nomine subscribunt, *Philippus &c.* Cæterùm Emblematis Author mentem suam sequenti poëmate explicat;

Dic quibus in terris inscripti nomina Regum
Nascuntur flores? Musa Maronis ait.
Carmina non veteri sunt hæc solvenda Sybilla,
Talis non flores Patria nostra colit.
Scilicet in celso flores Hyacinthe senatu,
Nomina tuque vices, juraque Regis habes.
Te decet inscriptus Regi dare jura libellis,
Quodque Senator ages, ipse Philippus aget.
Sic ergò inscriptum Regis florere Hyacinthum
Nomina; Virgilii Musa sonora canat.

Quivis Christianus, sacratissimum Christi, Regis Regum nomen cordi suo incisum ferens hanc iconem sibi propriam vendicat. Ipsummet sibi testem audi Magnum Augustinum; *Nomen Salvatoris mei, filii sui, in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat, & quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum & expolitum & veridicum, non me totum rapiebat.*

Christianus.

S. Aug. l. 3. Conf. c. 14.

JASMINUS.
Cap. XIII.

107. JAsminus, Sole in occasum vergente, explicari solet. Unde foliis interdiu clausis, epigraphen à me recepit; VESPERE FLORET. Sancti Latronis Dismæ hoc ectypon putes, qui seu vitâ suâ, seu etiam Christo occidente, pretiosissimos fidei, charitatis, & cognitionis Divinæ virtutibus efflorescere cœpit. Prudentia quoque, hunc florem imitato, in vitæ nostræ senectâ omnium amplissimè patet. *Omnes penè virtutes corporis,* teste S. Hieronymo, *mutantur in senibus, & crescente solâ sapientiâ, decrescunt cætera.* moxque subjungit; *Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior &c.*

S. Latro.

Prudentia.

S. Hieron. ep. 2. ad Nepot.

108. Academicum quemdam conventum, noctu fieri solitum, Carolus Rancatus Jasmini symbolo exornavit; qui interdiu delitescens, venustatis ac fragrantiæ suæ nobilitatem nonnisi Sole occiduo explicat. Epigraphen addidit; AL DISPARIR DEL SOLE IO COMPARISCO. Id est, FLORESCO SOLE CADENTE. De Jasmino idem Rancatus in hæc verba canit;

Academicus nocturnus.

Al disparir del sole io comparisco,
Poiche mai non ardisco
Se nel paese nacqui d'Occidente,
Scoprirmi a l'Oriente.
Manca esangue ogni fior, cade, e non dura
A la solare arsura;
Onde troppo sarei caduco, e lieve
Discoprendomi al sol, se son di neve.

Mariæ Virginis virtutes nunquam ita floruêre, atque Divino Sole ad Crucis occasum vergente. S. Anselmo teste, *Stabat Maria in fide Iesu constantissima & patientissima stabat in fide Iesu firma; & pulchrè stabat, ut decet pudicitiam virginalem. Stabat disciplinata, verecunda Virgo, patientissima, lachrymis plena, doloribus immersa.*

Maria V. sub Cruce.

S. Anselm. in cap. 18. M.

109. Floris hujus ramusculi, nascente vere ab industria olitoris manu recissi, epigraphen tenent; LECTORES EMITTET. Ab his non multùm recedunt illa Horatii verba;

Horat. Epod.

Inuti-

Inutiles falce ramos amputans,
Feliciores inserit.

Damnum receperatur. Enimverò Jasminus, pristinâ ramorum luxuriè liberaturus, paulò post alios longè nobiliores profert. Eos his Jasmini coloribus depinges, qui filiis aut facultatibus omnibus spoliati, rursus annuente fortunâ, prolem ac divitias, prioribus longè ampliores, recuperant. De Jobo, hanc fortunæ vicissitudinem probè experto, testantur sacræ Litteræ; *Et addidit Dominus omnia, quæcunque fuerunt Iob, duplicia.* Et paulò infrà; *Dominus autem benedixit novissimis Iob magis, quàm principio ejus: Et facta sunt ei,* non septem milia, quæ ante possederat, *sed quatuordecim millia ovium. &c.* Sic nimirum Jobus, interprete Magno Augustino, *Ab illo vulnere atque putredine salvus factus est, & ei cuncta, quæ amiserat, duplicata sunt restituta.* Ne verò temporalium jacturam semper temporalibus bonis compensandam expectes, audi ejusdem S. Patris consilium; *Mala temporalia sicut Iob sustinete: sed pro hac sustinentiâ non temporalia bona sperate, quæ illi aucta redierunt; sed æterna potius, quæ in Domino præcesserunt.*

Iob.42. 10.12.

S. Aug. epist. 11. c.8.

110. Jasminus, necdum perfectè maturus, colorem purpureum præfert, paulò post insigni & exquisito candore intersecandum. Unde lemma; EX RUBEO CANDOR. Ita pœnitens ob noxas suas, in sacro tribunali detectas, voluntario rubore suffunditur, quem illicò purissimus gratiæ Divinæ candor excipit. Ad candorem hunc recipiendum opportunè extimulans Magnus Augustinus, ait; *Non erubescat pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere.* Diogenes juvenem quemdam conspicatus, qui delicto à se commisso, & in publicum evulgato ruborem contraxerat, respondit, *Bono animo esto fili; istiusmodi est virtutis color.* Unde proverbium obtinuit; *Si erubescit, salva res est.*

Pœnitens erubescens.

S. Aug. serm. de Temp.

LILIUM.

Cap. XIV.

111. Lilium eximiam raræ ac singularis puritatis ideam exhibet. Unde lemma; NIL CANDIDIUS. Maria Virgo, hoc symbolo comprimis delineata, candoris sui integritate omnes creaturas longissimè superat. S. Gregorius Thaumaturgus, *Tu sancta,* inquit, *omni humana natura gloriosior, ac purior, sanctiorque effecta es, ac nive quidem candidiorem habens mentem, quovis autem auro, quantumvis probato purificatum magis corpus.*

Mariæ V. puritas. S. Greg. Thau. serm. 2. in Annunt.

112. De lilio scribit Plinius, *Nulli florum excelsitas major.* Cui assentiens S. Bernardus, *lilia* cognominat *eminentia in floribus terræ.* Ut adeò non abs re huic flori inscripseris; SUPERGREDITUR OMNES. Vel, FLORUM MINIME MINOR. Perfectionem sublimem ac merita exotica hoc symbolum demonstrat. S. Epiphanius, Mariam Virginem, encomio illo dignissimam, contemplatus, *Virgo,* inquit, *est lilium immaculatum, sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubim, & Seraphim, placens Christo Regi, à Deo in honore habita tanquam ancilla digna, & Mater sancta, Mater immaculata, solo Deo excepto, cunctis superior existit.* Et S. Anselmus; *Nil tibi Domina æquale, nil comparabile. Omne quod est, aut supra te, aut infra te est: supra te solus Deus, infra te omne quod Deus non est.*

Plin. l.21. c.5. S. Bern. serm. in Cant.

Mariæ V. eminentia.

S. Epiphan. de laud. Mariæ.

S. Anselm. l. de concept. Virg.

113. Qui vitæ suæ puritatem cum boni nominis fragrantiâ conjunctam habet, Lilii Emblema promeretur; addito epigrammate, CUM CANDORE ODOR. S. Gregorius in illud sacri Epithalamii, *Sicut lilium inter spinas,* ait; *sola illa anima in lilii dignitate computatur, quæ à mortalitatis radice ad cælestem pulchritudinem assurgit, & munditiæ CANDOREM corde & corpore sibi ipsi custodit, & proximos quosque bonæ opinionis ODORE reficit.* S. Petrus Damianus in Mariæ Virginis encomiis facundissimus, ait; *De spinosâ progenie Iudæorum nata, CANDESCEBAT MUNDITIA Virgineæ castitatis in corpore, flammescebat autem ardore geminæ charitatis in mente, FLAGRABAT passim ODORE boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis.* Atque adeò in Virgine Matre, ceu lilio præstantissimo, cumprimis geminam candoris & odoris prærogativam est reveritus. Eandem imaginem S. Antonio de Padua excolendo adhibui; in candore enim purissimam ipsius vitam, in odore verò doctrinæ fragrantiam repræsentabam; siquidem de illo S. Bonaventura his omninò verbis testatur; *Et vitâ floruit, & doctrinâ.*

Vita & fama. S. Greg. in Cant. c.2. in hunc loc.

Maria V. S. Pet. Dam. serm.3 de Nativit.

S. Antoni' de Padua.

S. Bonav. in vita.

114. Scipio Bargalius Virginis Mariæ natales cum hoc flore; intra cespitem suum hærente, comparabat; addito lemmate, FOETENTI E CESPITE. vel ut aliis placuit; REDOLT E FOETIDO. Veluti dixissent, Mariam Virginem, tametsi è vitiosâ radice progenitam, instar lilii tamen nihil originariæ labis aut maculæ contraxisse. S. Bernardus, *Licet,* inquit, *Maria de patrum naturâ, vitiatâ per peccatum, duxerit originem, prælecta tamen per Spiritum sanctum, & præservata.* Verùm non Maria tantùm suos avos insigni nobilitate ac munditiâ superabat, sed multi idipsum hodie etiamnum non rarò assolent. Enimverò, Seneca asserente, *Potest ex casâ vir magnus exire: potest & ex deformi, humilique corpusculo formosus animus ac magnus.* Ludovicus Ariostus, mulierum fastui reprimendo, Rodomontem in hæc verba loquentem sistit;

Mariæ V. nativitas. S. Bernard. serm. 4. in Salve Regina

Senec. apud Lipsium l.3. dissert. 17. manuduct. Ariost. Cant. 27. stant. 2. 121.

Non siate pero tumide, e fastose
Donne per dir che l'huom sia vostro figlio,
Che da le spine ancor nascon le rose,
E d'una fetid' erba nasce il giglio.

115. Quædam lilii species, latinè Iris, indies fragrantiam diffundens suaviorem, gnomam legendam offert; DIUTURNITATE FRAGRANTIOR. En assiduum in virtute progressum hac ideâ minimè obscurè delineatum. S. Gregorius Nyssenus ait; *Ita se habere, ut ad utiliora semper in virtute ac bono velis ascendere: idipsum forsan humanæ naturæ perfectio est.* De S. Wilhelmo Abbate, meo Concanonico, historiæ referunt, quod in Clericorum militiam recensitus, *Cùm ad Christianam perfectionem avidius inhiaret, nonnullorum, vitæ laxiori deditorum, invidiam incurrens, persecutiones non paucas, neque leves sustinuit.* At cùm non multò post insignis Ecclesia S. Genovefæ, exactis Canonicis sæcularibus, cum meliore Canonicorum Regularium formâ commutaretur, ille, *Cùm eâ habitûs mutatione mutatus in virum alterum, cœpit ferventius ire de virtute in virtutem, quotidie se ipso perfectior evadens. Crescente deinde famâ illius sanctitatis,* in Daniam vocatus fuit *ad reformandum quoddam Canonicorum Cœnobium.* Ubi autem voce cœlitus delapsâ didicerat, septem tantùm vitæ suæ dies superesse, qui tamen re ipsâ septē anni erant, mox ab eo momento: *Toto reliquo vitæ spatio corpus suum sic affligebat, ut vita anteacta, illius extremæ comparatione, delicata videretur.* Ut adeò Divus iste ardentissimus, instar lilii, revera fuerit *Diuturnitate fragrantior.*

Profectus.

S. Greg. Nyss. lib. de vita Moysis.

Offic. Can. Reg. 6. April.

116. Lilium sylvestre, latinè Hemerocallis, non plus uno die durat. Unde fascem, è floribus istis contextum, hoc lemmate notârunt; DIARII OMNES. vel; UNA DIE PULCRUM. vel;

TOTA

Vita humana. Pulchritudo humana. S. Aug. in psal. 18. Conc. 2. Horat. l. 1. Carm. Od. 4.

TOTA VITA DIES UNUS. Ipsissima hæc tam vitæ nostræ, quàm venustatis humanæ, fragilitas est. Unde Magnus Augustinus; *Jactet se quisque de divitiis, jactet se pulchritudine, & de viribus corporis; ista certè omnia mortalia sunt. Ridendi sunt, qui se de mortalibus jactant, à quibus rebus plerumque aut vivi deseruntur, aut mortui eas necesse est ut deserant.* Horatius;

Idem lib. 1. ep. 4.

Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

Et alibi;

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Senec. Act. 2. in Hippolit.

De forma humana Seneca;

Res est forma fugax, quis sapiens bono
Confidat fragili?

Idem in Octav. Act. 3

Et rursus;

Florem decoris singuli carpunt dies.

Ovid. l. 2. de Arte.

Compendio rem edisserens Ovidius, canit;

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,
Fit minor, est spatio carpitur illa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissâ spina relicta rosâ.
Et tibi jam venient cani formose capilli:
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

S. Carolus. Reliquiæ Sanctorũ.

117. Bartholomæus Rossus, S. Carolum, post mortem suavissimo sanctimoniæ odore, ac innumeris sanctitatis restitutæ prodigiis illustrem, candidi lilii symbolo exornavit; quod à cespite suo avulsum, hanc epigraphen sustinet, REDOLET, ET SANAT.

Mariæ V. virginitas. Dion. Cartus. in Cant. 22.

Maria Virgo, instar lilii, castimoniæ suæ fragrantiam passim in orbem diffudit, & libidinis flammas ab hominum animis repressit. Dionysio Carthusiano teste, *Deipara Virgo intuentium corda sic penetravit sua inæstimabili castitate Virginea, quod à nullo potuit concupisci: imò potius extinxit ad horam illorum libidinem.*

118. Lilium, manibus contrectatum, & candoris & odoris jacturam facit. Unde inscriptio; OCULIS, NON MANIBUS. Et Italicè; GRADISCO GLI OCCHI, E NON LA MANO ARDITA. Ita fœminarum modestia sui aspectum quidem & admirationem, non verò contactum permittit.

S. Hieron. l. 1. cont. Iovin.

Unde Joseph flos ille virgineus, referente S. Hieronymo, *quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus; & quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperet, pallium, que, quod tetigerat, abjecit.*

Res sacræ.

Idipsum de aliis rebus, velet iam de rebus sacris pronuntiare licet, quæ fidelium oculis ac mentibus venerandæ quidem, non tamen sine temeritatis aut irreverentiæ notâ tangendæ exhibentur.

Virginitas.

119. Lilium, virgineæ puritatis propriissimum ectypon, si manibus teratur, mox formæ suæ jacturam & fœtorem contrahit. Unde lemma, FOETET ATTRITU.

S. Hieronym.

Verissimè dixit S. Hieronymus; *Tactus & joci, risus & sibili, moriturae virginitatis solent esse principia.*

Ioan. Maub. Alphabet. 61 tit 30. Memb 2.

Meus Concanonicus Joannes Mauburnus, prolixiore calamo virginitatem cum lilio comparans, ait; Hic flos *integer INTACTUS suaviter REDOLET, confractus autem, & CONFRICATUS, plurimùm FOETET. Sic Virginitas inviolata, Deo & hominibus redolet; sed luxuriæ vitio confricata, aut signaculo fracto, infamia fœtet.*

120. Lilii odor amplissimè diffundi, ac multo tempore durare solitus, gnomam præfert; PROCUL, ET DIU. Eos hoc penicillo adumbrabis,

Virtus immortalis.

qui virtutis & excellentiæ suæ memoriam in terras remotissimas propagârunt. His inter sacros cumprimis accenseas Paulum, Augustinum, Antonium, aliosque viros Apostolicos; & inter profanos Alexandrum, Cæsarem, Scipionem Africanum &c. quorum fama in orbe universo personat, & nonnisi ruente Sole conticescet. S. Bernardus, in conversionis suæ exordio maximum animi frigus & cordis sterilitatem expertus, frequenter in acerbissimos gemitus solvebatur: unde de se ipso scribit;

S. Bern. ser. 14. in cant.

Cùm subitò fortè ad affatum, vel etiam aspectum cujuspiam spiritualis perfectique viri, interdum & ad solam defuncti, seu absentis memoriam flabat spiritus, & fluebant aquæ, & erant mihi lachrymæ illæ panes die ac nocte. Demum concludit; *Quidnam istud, nisi odor exhalantis unctionis, qua erat ille perfusus?* Ubi vides, virtutis odorem, è Sanctorum aspectu, & memoriâ in nos derivatum, non unico tantùm momento, instar vulgarium florum, exolescere; sed liliis persimilem, *procul* diffundi, *diu* persistere.

Plin. l. 21.

121. Ruellius & Plinius tantam in lilio fœcunditatem observant, ut ex una radice nunquam quinquaginta germina enasci testentur. Proinde lemmatis loco hæc Plinii verba subjunges; NIL FOECUNDIUS.

Aposto. Patriarc. Religio.

Sanctos Apostolos, ac Religionum Patriarchas, qui Deo innumeros populos genuerunt, præclara hac icone significabis. Ecquis, obsecro, infinitâ SS. August. Benedicti, Dominici, Francisci, Ignatii, cæterorumque fæcunditatem in calculos reducat?

S. Eccle. fœcund. S. Aug. l. symb. c. 1.

Nil quoque sanctâ Ecclesiâ fœcundius, quæ indies plurimos sibi & Christo sponso suo generat filios S. P. Augustinus; *Sancta Ecclesia, mater & Virgo, corpore casta, prole fœcunda, sponsa Christi declarata, piè nutrit filios, quos Deo Patri dignos assignare contendit.*

Nicol. Caus. in Aula divisione

Cæterum cùm Galliarum Reges in suis insignus lilia præferant, eaque, Nicolao Caussino teste, Angelorum manibus acceperint, opportunè dici potest, Regiam illorum prosapiam fœcunditate ac serie nunquam interruptâ ex stemmate semper æquali descendisse, siquidem à Pharamundo usque ad hæc nostra tempora, nimirum juxta

Cath. D. la lib. 1. E civil.

Catharini Davilæ Chronographiam, ab anno Servatoris nostri 419. ad hodiernum 1679. continua Regum Gallicorum successio fuit.

S. Catharina V. M.

122. S. Catharinam Virginem & Martyrem, ob quinquaginta Philosophos ad Christi fidem conversos, lilii Emblemate exornârunt, quod plurimis bulbis cinctum, inscriptionem tenebat; QUINQUAGENA PROLE FOECUNDUM.

Plin. l. 21.

Plinii testimonio hæc imago nititur. *Nihil est fœcundius,* inquit, *una radice quinquagenos sæpè emittente bulbos.* In hoc argumentum P. Andreas Bianco;

And. Bia. l. 4. Epig.

Quinquaginta sophos verbis Catharina perurgens,
Dum probat esse rudes, sic facit esse sophos.

Profectus.

123. Lilium, è solo inculto & deserto progerminans, Aresio authore inscriptum habet; QUID IN VIRIDI? Argumento enim non ingrato sic concludere licet; si hic, etiamnum in sæculo, tot virtutis clarissimæ specimina edit, quid obsecro, in cœnobio, ceu solo fertilissimo, agetet? cùm, S. Bernardo

S. Bern. in

teste, Cœnobium *paradisus* sit, qui *ad suavem spirans austri clementiam, quasi tot floribus vernat, quot virtutibus abundat?* Item si Romani, solius naturæ præceptionibus imbuti, in virtutum moralium palæstrâ tantoperè excelluerunt, quantùm Evangelicæ doctrinæ beneficio promovissent? Si Cornelius Centurio, adhuc Gentilis, Angelorum encomia est promeritus, quæ non eidem, postea ad fidem converso, delata fuerint?

Plin. 21.

124. Gratiosa Plinii doctrina est, quòd lilium à propriis suis lachrymis seu guttulis, ex ipso destillantibus, propagetur ac multiplicetur. Verba illius ita habe, *Alba lilia iisdem modis seruntur, quibus rosa: & hoc amplius lachryma sua.* Eò animum advertens

meus

meus Concanonicus, D. Gregorius Brunellus, lilium hoc pentametro, ceu lemmate, animavit; INCREMENTA SUIS ACCIPIT A LACHRYMIS. Ita nimirum anima, in dolores ac gemitus effusa, felicissimum virtutis suæ incrementum capit. Perspicuè David; *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Hoc loco minimè tacendum existimo illud S. Ambrosii documentum, quòd uberes Davidis pœnitentis lachrymæ cunctos ipsius posteros, omnemque ejus familiam, ad felicitatem adeò sublimem promoverint, ut inter filios ac pronepotes suos Dominam cœli, Reginam Angelorum, ac Matrem Dei numeret. *David dicebat:* (verba sunt D. Ambrosii) *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et ideò meruit, ut ex ejus familiâ Virgo eligeretur, quæ nobis partu proprio Christum ederet.*

Lachrymarum felicitas. Psal. 125. 5. S. Ambr. l. 2. de exhort. virg. c. 8.

125. D. Hannibal, Comes de Montevecchio, Academicus inter Fanenses Divulsus, symboli loco vas crystallinum, aquis plenum, præfert, in quo lilium, dimidio calice apertum, & à thyrso suo avulsum, cernebatur, cum Horatii lemmate; SERVABIT ODOREM. Innuebat videlicet, se tametsi è patria longinquum, aliisve angustiis excruciatum, suæ tamen virtutis fragrantiam illibatam conservare. *Quia mirum non est,* inquit Sanctus Gregorius, *si quis bona inchoat, sed valdè mirabile est, si intentione rectâ in bono opere perduret.* S. Ambrosius eodem planè argumento suavissimum virtutis odorem describit, quem Christus, externis calamitatibus laceratus ac sepultus, diffuderat. *Flos*, inquit, *odorem suum, & succisus reservat, & contritus accumulat, nec avulsus amittit. Ita & Dominus IESUS in illo patibulo Crucis nec contritus emarcuit, nec avulsus evacuit, & illâ lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi cruoris colore vernavit.*

Perseverantia. S. Greg. l. 12. Moral. c. 14. Christi passio. Ambr. l. 2. de Spirit. S. 5.

126. D. Gregorius Bolzi eundem florem Symboli loco produxit, qui à radice sua avulsus, folia explicare, ac suavissimum odorem è vase vitreo spargere cœpit. Epigraphen addidit; SCOPPO RECISO ANCOR MIE POMPE BELLE. Id est; VEL RECISUS FLOREO. Ita Sacra Ædes, Nazaretho Lauretum translata, etiamnum floridissimam sanctimoniæ ac Venerationis fragrantiam conservat. Hàc de re meus Carducius canit;

Ædes Lauretana

Adhuc recisa pompa floret lilii,
Adhuc revulsæ fulgurat Domûs decus.

Sancti Martyres, tyrannorum sævitie à mundi hujus solo recisi, pulcherrimum felicitatis ac miraculorum florem induerunt. S. P. Augustinus; *Quid est factum de tot mortibus Martyrum? nisi ut tanquam irrigatâ terrâ sanguine testium Christi pullularet ubique seges Ecclesiæ*

Martyres. Aug in Psal. 140.

127. Vivacem Juvenis indolem, propriâ suâ industriâ sine alterius adminiculo ad res maximas promoventem, lilii Emblemate significabis, quod inter deserti horrores figuratum, epigraphen ferat; ABSQUE CULTORE NITET. Sanctum Joannem Baptistam hæc Aresii imago cumprimis spectat, qui, ætate etiamnum tenerâ, montium cavernas & sylvarum umbras ingressus, sine ullius Magistri regimine clarissimum virtutis splendorem attigit. Joannes enim, teste Sancto Chrysostomo, *Neminem vidit unquam conservorum, nec ab aliquo horum visus fuit.* Sanctus Paulus Thebanus, annum agens decimum quintum, solitudinem incolere cœpit, ubi orationibus, jejuniis, ac meditationibus assiduò intentus, vitæ suæ annum decimum tertium supra centesimum attigit, nulloque usus Magistro, omnium reliquorum exemplar ac vivendi norma

Indoles nobilis. Operari se ipso. S. Chrysost. S. Jo. Bapt.

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

evasit. Unde hodie adhuc ab universa Ecclesia vocatur *Eremitarum Author & Magister.*

Brev. Rom. 15. Ianuarii.

128. Quantùm ingeniis perficiendis & illustrandis è sedula educatione accrescat, lilium argumento haud vulgari demonstrat; quod tametsi è terra inculta productum, nativam aliquam venustatem præferat, simul tamen hanc epigraphen spectandam exhibet; CRESCET CULTURA DECOR. Horatius;

Educatio. Horat. lib. 4. Carm. Ode 4.

Fortes creantur fortibus —
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Plato; *Educatio*, inquit, *& institutio commoda bonas naturas inducit. Et rursus: bonas naturas, si talem institutionem consequantur, meliores adhuc, & præstantiores evadere scimus.*

Plato Dial. 4. de Leg.

129. Lilium pretioso liquore apes ad sinûs sui delitias invitat, & vicissim serpentes venenatos arcanâ quâdam vi reprimit. Unde lemma; MELLIFLUAM ALLICIT, VENENATAM FUGAT. Iidem veri Principis mores sunto, ut populi amorem clementiâ sua conciliet, hostes verò terrore, quo potest, maximo, in fugam agat. Taciti documentum est; *Princeps amorem apud populares, metum apud hostes quærat.* Ad hanc amussim Christus exactè compositus, aliquibus in extremo judicio dicet; *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum &c.* Aliis econtrà; *Discedite à me maledicti in ignem æternum &c.*

Clementia & terror. Tacit. l. 2. Annal. apud Lips. l. 2. Civil. Doctr. c. 12. Christus Judex. Matth. c. 25. n. 34. & 41.

130. Horatius Spinola, Cardinalis & Archiepiscopus Genuensis, præmaturâ morte defunctus, à nobili quodam ingenio Lilii Emblemate significabatur, quod ab aratro succisum, epigraphen tenebat; ANTE DIEM. Ad verbum Virgilius de Didone Regina canit;

Mors immatura. Virgil. l. 4. Æneid. v. 696.

—— Nec fato, meritâ nec morte peribat,
Sed misera ante diem.

Eodem planè argumento Dardinellum, à Reginaldo occisum, introducit Ariostus;

Arist. Cant. 18. stanz. 153.

Come purpureo fior languendo more,
Ch' l vomero al passar tagliato lassa;
O come carco di superchio umore
Il papaver nel orto il capo abbassa;
Così giù de la faccia ogni colore
Cadendo Dardinel di vita passa &c.

S. Gregorius Nyssenus in funebri panegyrico Pulcheriæ ait; *Flos recens germinans, qui nondum totus è cubiculo emicabat, sed jam totus emicaturus sperabatur in ipsâ parvâ, & imperfectâ sui parte emicans decentissimè: ut subitò contabuit in vaginulâ: ut priusquam ad incrementi vigorem proveniret, & undique cum odore explicaretur, ipse circum se diffluens in pulverem redigitur: nulli decerptus, nulli plexus in coronam; quasi quem frustra natura elaboraret.*

S. Greg. Nyss. Orat. de obitu Pulcheriæ.

131. Ajunt, lilium quoddam inter lacteas pluvias, è cœlo prodigiosè delapsas, progerminâsse; unde illud lemmate, ad Junonis fabulam alludente, insignierunt, COELESTI SEMINE NATUM. Innuebant videlicet, eximiam Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris sapientiam nullâ hominum operâ, sed solo cœlo irrigante, in fastigium adeò sublime excrevisse. Eadem gratia obtigit Alberto Magno, sanctæ Thomæ Aquinati, sanctæ Theresiæ, sanctæ Catharinæ Senensi, & Dominæ Baptistæ Vernaciæ, Canonicæ Regulari, quæ nullo unquam homine, sed solo Deo Magistro, quatuor volumina benè magna, & arcanis cœlestibus mirificè

Scientia infusa. S. Catharina V. & M.

 referta,

referta, scripsit. Ita nimirum in sapientia, justitia, gratia, cæterisque bonis omnibus verissimum est illud Magni Augustini; *Nisi Deus pluerit, nihil prodest quod seminatur.*

S. Aug. in Ps. 84.

132. In sacro templo Saronnensi lilium cernitur, supra complures alios flores eminens ac sublime; cum epigrammate, ET PROCUL A PROXIMIS. Tantùm nempe Maria Virgo reliquas creaturas omnes in gratia & gloria excedit, ut & sanctissimos, sibique in cœlis proximos, longissimè antevertat. De hac dilucidè testatur Salomon; *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Sanctus Gregorius Papa eidem Deiparæ illud Isaiæ oraculum applicans, *Erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium*, concludit; *Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes sanctos refulsit.*

Mariæ V. eminentia.

Prov. 31. 29.

S. Greg. Pap. in Isa. 2. 2.

133. Lilium, exterioribus foliis candidum, interiore sinu penitus deaurato constat. Unde lemma ab Aresio huic flori inditum; IL PIU' VAGO COLOR NEL SENO ACCOGLIE. seu; PULCHRIOR INTUS. vel ut ego subscripsi; PRETIOSIOR INTUS. Ita homo, tametsi virtutum suarum exemplis, ac exteriore corporis symmetriâ venustatem non exiguam demonstret, hæc tamen ab interna sapientia, cognitione Dei, cæterisque animæ ornamentis longissimè superatur. Theodoretus; *Lilium*, inquit, *cum exteriori decore splendet, tum aureum intus flosculum continet. Talis est anima justitiæ splendore circumdata, & spiritualem sapientiæ, cognitionisque donum in intimis penetralibus gestans.*

Justus.

Theod. in Cant. 2. 2.

134. Lilium, tametsi externi candoris sui tenacissimum, internam tamen flavedinem à se abstergi, & in alios dispensari patitur. Quare Aresius epigraphen subdidit; SOL DEL CHIUSO COLORE ALTRUI FO' PARTE. Id est; IMPARTITUR INTERNA. Fœminæ sapientis hæc idea est, quæ animi sui dona, prudentiam, affectum, & omnia mentis arcana cum aliis liberalissimè communicat, solo externo castimoniæ ac pulchritudinis suæ candore excepto. Unde Sanctus Ambrosius Virginem commonefaciens, ait, *Claude vas tuum, ne unguentum effluat; claude virginitatem verecundiâ loquendi, & abstinentiâ gloriandi.* Cumprimis tamen virum litteratum, simulque avarum hæc imago concernit, qui auream sapientiæ suæ supellectilem facili quidem negotio ac prono intellectu in alios dispensat; at argento, intra scrinium recondito, tenacissimè inhæret, neque illius quidquam in alios erogat.

Mulier sapiens.

S. Ambr. de Virginit.

Litteratus avarus.

135. Eidem lilio Aresius inscripsit; NON DISDICE A L' ALTEZZA IL CAPO CHINO. Id est; CELSOS IMA NON DEDECENT. Veluti diceret; Majestatis ac benevolentiæ optimum in Principe connubium esse. Jacobus Spigellius, *Magnis viris*, inquit, *laudi dandum, dum aut res, aut casus tulerit, si ad sordidam etiam operam conferendam descenderint.* Certè Carolus Navarræ Princeps infimam plebem suis manibus dignatus est, ejusque vulnera occulto quodam pharmaco sanavit. Alexander Magnus gregarium militem, frigore penè concretum, in lecticam suam regiam recepit, ac propriis manibus calefecit. Trajanus Imperator, ægrotos invisurus, pauperes quasvis domos intravit. Cæterùm ad Emblematis hujus normam, ceu lydium lapidem, sanctos omnes discernere licet, qui animum tantò demissiorem exhibent, quo fuerint in Dei conspectu sublimiores. Sanctus Joannes Chrysostomus; *Tales sunt omnes Sancti, si quando quopiam cumulatiore potiuntur honore, tunc demissius se dejiciunt; ad hunc modum se gessit Abraham: sermonem enim faciens cum Deo, se vocabat terram & cinerem &c.* Ratione non absimili P. Carolus Bovius lilium, sublimi thyrso nixum, hoc lemmate insignivit. CELSUM RESPICIT IMA. Eoque Sanctum Ignatium Loyolam significat, qui, cùm Societatis JESU Præpositum Generalem ageret, infimis quibusvis negotiis domesticis se addixit.

Princeps benignus.

Iac. Spig. ad Pan. lib. 1. c. 23.

Humilitas Sanctorū.

S. Io. Chrys. in Isa c. 6.

S. Ignat. Loyola.

136. Gallorum exercitum, ab Augustissimæ domûs Austriacæ armis propè Papiam ad internecionem deletum, ac Franciscum I. Galliarum Regem captum, lilii Emblemate significabis, quod è thyrso incurvato languidè dependens ac flaccidum, epigraphen ferat; PERFLANTIBUS AUSTRIS. Constat enim, floribus, cumprimis verò liliis (quibus Gallorum Reges in suis insignibus utuntur) proximum excidium ab Austris imminere. Unde S. Hieronymus; *MARCESCEBAT prô dolor, FLANTE AUSTRO LILIUM, & purpura violæ in pallorem sensim migrabat.*

In mor[...]

S. Hieron. Heliodor.

137. Homo, verbis quidem parcus, at factis locuples, lilii Emblemate significari potest, quod frondibus admodum exiguis instructum, in supremo thyrsi sui culmine vastum & grandem florem profert. Aresius inscriptionem addidit; APPO' DEL FIOR, PICCIOLE SON LE FRONDI. Id est, EXCELSUM PARVÆ FRONDES EXORNANT. Pulchrè dixit Lipsius; *Faciamus benignius, quàm dicimus, & manum potius egeno aut lapso porrigamus, quàm verba.* Et prior illo S. Nilus; *Iustitiam MAGIS OPERE, QUAM VERBO exerce.*

Factis m[...]jor quà[m] verbis.

Lips. l. 1. Constant. c. 12.

S. Nil. Pan. num. 4.

138. Quod nonnemo è lilii fragrantia capitis dolores patiatur, id non quidem lilii, sed capitis debilioris vitium est. Unde rursus eidem flori inscripsit Aresius; SE STESSO INCOLPI; CH' IL MIO ODORE ANNOIA. Id est; IPSE SIBI CULPA EST, HOC QUI LÆDETUR ODORE. Idipsum homo virtuosus, æmulorum invidiâ laceratus, dixerit. S. Paulus ait; *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, & in iis, qui pereunt.* Hunc locum interpretatus S. P. Augustinus, ait; *Non dixit, Christi bonum se odorem esse iis qui salvi fiunt, malum autem iis qui pereunt, sed tantùm bonum odorem se dixit. Hi verò tales sunt, ut & bono odore pereant secundùm sui cordis qualitatem.* Et alibi; *Non dixit bonus odor in iis, qui salvi fiunt, & malus odor in iis qui pereunt, sed quod ad nos attinet bonus odor sumus, & in iis qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt. Salvum fieri hominem bono odore, non est improbabile, neque incredibile. Perire autem hominem bono odore, quæ ratio est? Dicam fratres. Ecce ipse Paulus prædicabat Evangelium, multi illum amabant Prædicatorem Evangelii, multi invidebant, bono odore peribant.* Succinctè meus Hugo Victorinus in eandem Apostoli sententiam dicit; *Apostolus non erat, nisi Christi bonus odor, & tamen hoc odore bono alii moriebantur; id est, occasionem per invidiam sumebant.* Porrò subditi perduelles & inquieti, dum æquo Principis, Judicis, aut Prælati zelo ac justâ correptione offenduntur, dolores inde conceptos non in Superiorum integritatem, sed in imperfectam propriæ vitæ licentiam rejiciant necesse est.

Virtus i[...] visa.

2. Cor. 2. [...]

S. Aug. l. quæst. in Exod.

Idem in [...] 44.

Hug. Vict. in illum [...] Pauli locu[m] quæst. 4.

Judex r[e]ctus.

139. Lilii folia tamdiu manent clausa, donec rosæ suum florem plenè expleverint. Eò animum advertens D. Aresius, Secretarium quemdam lilii clausi symbolo exornavit, quod propè rosam, dimidio calice apertam, hunc versum lem-

Secretarius.

lemmatis loco præferebat; SE TU NON BEN APERTA, IO SEMPE CHIUSO. Id est; NI BENE TU PATEAS, EGO LABIA CLAUSA TENEBO. Erat enim is cuidam Cardinali à Secretis, & in familiæ suæ insigniis lilium præferebat. Sanissimum Horatii consilium est;

Horat.l.1. Ep.19.

Arcanum neque tu scrutaberis ullius unquam,
Commissumque teges.

Isocrates ad Demonicum. Prov. 25.9. Isocrates, *Diligentius*, inquit, *serva verborum, quam pecuniarum deposita.* Et Salomon; *Causam tuam tracta cum amico, & secretum extraneo ne reveles.*

Virtus. 140. Lilii flos, inter medias spinas plantatus epigraphem sustinet; PER ANGUSTA AUGUSTIOR. Ita virtus tantò majus gloriæ suæ incrementum sortitur, quò pluribus angustiis coarctata fuerit. Ovidius;

Ovid.l.4.de Trist.

Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis nôsset, felix si Troja fuisset?
Publica virtutis per mala facta via est.
Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus
Apparet virtus, arguiturque malis.

Laur. Iust. de casto connub.c.6. S. Laurentius Justinianus, meus Concanonicus, in rem nostram præclarè ait; *VIRTUS languet, nisi exerceatur, LACESSITA autem CRESCIT. Quis sufficienter narrabit ad quantum perfectionis culmen sanctum Iob evexerit tentatio? Prius soli Deo notus erat, prius virtus menti inerat tanquam novella plantatio: post probationem verò, velut ingens arbor proficiens, & in alto foras erecta cacumine, omnem suâ veriditate lætificavit Ecclesiam.*

S. Antonius de Padua. Senec. Ep.41. 141. Sanctum Antonium Patavinum, inter eremi horrores commorantem, floris hujus Emblemate exornavi, qui spinis circumdatus, epigraphen è Senecâ mutuatam præferebat; SPECIOSUS EX HORRIDO. Enimverò eximius ille Sanctus maximum virtutis, meriti, & innocentiæ suæ incrementum è Sylvarum squalore accepit. Opportunissimè Sanctus Gregorius Nazianzenus;

Greg Naz. exhort. ad Virgines. *Sordidam vestem tuam, comamque squallidam, magis revereor, plurisque facio, quàm margaritas, vestiumque sericarum elegantiam. Egregius flos verecundia, magnum ornamentum pallor, textura insignis, virtutes sunt.*

S. Benedictus. 142. Spinæ, quibus lilium cingitur, eidem, ab omni exteriore offensâ perseverando, instar satellitum deserviunt. Unde lemma; SIC SERVASSE JUVAT. Certè Sanctus Benedictus, nudo corpore in spinas abjecto, virginitatis candorem illibatum retinuit, & à dæmonum insidiis triumphum duxit. Nam, Magno Augustino teste, *Carnis afflictio est, per quam lascivæ mentis seminaria castigatione discretâ comprimuntur.* De S. Benedicto canit P. Joannes Baptista Masculus;

Aug. de Definition.

Inter virgulta viruit, inter dumeta floruit.
Ne flos juventæ quidquam deberet Veneri,
Cruoræ florem purpureum fecit suo,
Virtutis jactum semen in spinas,
Adverso more naturæ
Et feracius provenit, & pulchrius
Acuit pudorem inter aculeos &c.

Christus patiens. Ambr. l.2. de Spir. S.c.5. 143. Lilium, à vicinis spinarum aculeis fortè transfixum, suavissimum odorem exhalat. Quare subscripsi; TRANSFIXUM SUAVIUS. Ita Christus, clavis & vulneribus acerbissimè perforatus, fragrantiam dulcissimam in orbem diffudit. Sanctus Ambrosius; *Flos odorem suum succisus reser-vat, & contritus accumulat: nec avulsus amittit. Ita Dominus IESVS in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit: sed illâ lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi coloris cruore vernavit.*

Bonitas Dei. 144. Lilium inter spinas epigraphen reddit; MAGIS REDOLET. Nobile hoc bonitatis Divinæ paradigma est; quippe quæ gratiæ suæ odorem tantò cumulatiorem in peccatores diffundit, quò gravioribus offensis lacessita fuerit. Ita quoque inter cæteras Ecclesiæ orthodoxæ prærogativas hæc minimè postrema numeratur, quòd hæresium dumetis circumdata, fidei suæ fragrantiam incorruptam spargat. Justus Orgelitanus; *Hæreses*, inquit, *spinis comparatæ, corrumpentes & corruptibiles perdocentur. Quam corruptionem Ecclesia nescit, quæ liliorum sinceritati comparata, ultro, citroque redolet, ac resplendet.*

S. Ecclesia. Iust. Orgelit. in Cant.

Christi coronatio. Hug. Car. in Cant.2.2. 145. Animam sanctam, quæ inter flagitiorum stimulos etiamnum integra persistit, lilio, spinis circumdato, similem dixeris: addito lemmate, FLORET ILLÆSUM. Vel certè; SURGIT ILLÆSUS. Bargalius hoc Emblemate Christum, spinis coronatum, demonstrat. Ad nostrum tamen propositum Hugo Carensis sic pronuntiat; *Anima inter aculeos carnalium concupiscentiarum integra, inter pungentes sollicitudines illæsa, inter malignantes bona, inter dissidentes pacifica, quid aliud est, quàm lilium inter spinas?*

Virtus inter persecutiones. Hugo Card. in Cant. 22. 146. Lilium à præsentibus spinis nonnunquam quidem transfigi, non verò eousque deprimi aut obscurari potest, quin etiamnum crescere, ac candoris sui venustatem palam demonstrare queat. E lemmate id colliges; NEC SUFFOCATUR, NEC OFFUSCATUR. Haud aliter virtus, persecutionum aculeis lacerata, nullum unquam honoris aut famæ jacturam facit. Item anima Deo chara, quantumvis ad eam opprimendam, obscurandamve conspirent malevoli, nihil tamen è gloriæ suæ ornamento unquam amittit. Hugo Cardinalis super illa Sacri Epithalamii verba, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, ait; *Contubernio spinarum conjunxit nomen amicæ. Et ne minus decoram se crederet ex spinarum punctionibus, ideo nominat illam lilium inter spinas, quasi dicat, nec amoris gratia, nec odoris fragrantia, nec decoris vernantia minuitur in sponsa, vicinitate aut punctione spinarum, sed potius augmentatur.*

Educatio. P. Francisc. Mendoz. in 1 Reg. c.1. Annot.32. sect. 1. S. Ambr. ser. 22 in ps.118. 147. Cùm Petrus Franciscus Marchio de Malaspina Odoardi Farnesii Ducis Parmensis, etiamnum pupilli, tutorem ageret, symboli loco lilium, spinis circumdatum, depinxêre; cum dicto, DONEC ADOLEVERIT. Lilium enim Domûs Farnesianæ, spina verò Marchionum illorum insigne gentilitium habetur. Et certè quemvis juvenem, instar lilii, educationis rigorosæ aculeis extimulari convenit. *Parentes*, è P. Francisci Mendozæ doctrinâ, *aculeatis præceptionibus debent filios erudire, ne à vitiis obruantur. Hæc enim præcepta, spineta quædam sunt, quibus inclusi flores non lacerentur, sed muniantur.* Sanctus Ambrosius, Parentes imbuens, *Salubriter*, inquit, *ista compungunt; stimulant ista, non vulnerant.*

Conceptio M. V. Cant. 2. 2. 148. In insigni Templo Saronensi Mariam Virginem, sine labe conceptam, è lilii symbolo dignoscere licet; quod spinis circumdatum, epigraphen præfert; AUGENT INDECORA DECOREM. Eò etiam illa sacri Epithalamii sententia collineat *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Innuitque, miram ac illabatam Deiparæ puritatem, cum

cum peccaminosâ creaturarum omnium labe comparatam, gloriosissimè excellere. *Nam sicut mirabile est, inter sentucosa & ferruginea lilium undequaque formosum, & blandulum, & candidulum prodire: sic,* inquit Paulus Serlogus, *stupendum fuit, corruptâ generis humani massâ, cunctisque spinâ originalis delicti transverberatis, Mariam absque nævo concipi.* Eodem Emblemate hominem, inter sceleratorum contubernia sanctum & innocentem, exornabis: siquidem, asserente Sancto Bernardo, *Non mediocris titulus profectò virtutis, inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem.*

Paul. Serlog. in Cant. Vestig. 18 sect. 1. num. 8.
Societas mala.
S. Bern. serm. 48. in Cant.

149. Homo, injurias beneficiis compensare solitus, lilium imitatur, quod spinas, ad illud transfigendum indies armatas, candore suo exornat. Unde meâ quidem sententiâ inscribes; COMPUNGENTES ILLUSTRAT. S. Bernardus, Emblemati huic ansam suggerens, *Lilium*, inquit, *ipsas utique pungentes se spinas, candore proprio illustrare & venustare non cessat. An non proinde lilium tibi videtur implere quodammodò Evangelii perfectionem, quâ orare jubemur pro calumniantibus & persequentibus nos, benefacere his, qui oderunt nos? Ergò & tu fac similiter &c.*

Benefacere inimicis.
S. Bern. loc. cit.

150. Aliquot lilia, à cespite suo avulsa, epigraphen sustinent; ET AVULSA FLORESCUNT. Penicillo non multum dissimili inter cæteram funebrem pompam Ranutii I. Parmensium Ducis, lilium depictum cernebatur; cum lemmate, ET RECISUM VIRESCIT. Mens Emblematis utriusque erat, insignium personarum merita ac virtutes è fatali mortis falce plurimum viroris accipere. Nec tamen abs re dixeris, eodem Emblemate mortuorum reviviscentiam significari, de quâ per metaphoram pronuntiavit Jobus; *Lignum habet spem, si PRÆCISUM fuerit, rursum VIRESCIT.* Nam, interprete Magno Augustino, *Quomodò animæ nostræ promittitur beatitudo, sic & carni nostræ promittitur resurrectio.*

Virtus infestata.
Resurrectio.
Iob. 14. 7.
S. Aug. in Ps. 62.

151. Lilium, tametsi falce recisum, nullam perinde candoris aut formæ suæ jacturam sustinet. Unde lemma; CITRA VIGOREM. Haud aliter S. Joannes Baptista, postquam Herodis ferro decollatus fuerat, vires suas integras conservavit, &, tametsi extinctus, circumstantes omnes in sui timorem & reverentiam rapuit. De hoc S. Ambrosius; *Os aureum illud exangue, cujus sententiam ferre non poteras, conticescit, & adhuc timetur.*

S. Jo. Bapt. decollatus.
S. Ambr. l. 3. de Virgin.

152. P. Aloysius Juglaris ad exequias Victorii Amedei, Sabaudiæ Ducis, lilium figuravit, supra quod copiosæ pluviæ, è cœlo delapsæ, eidem nutriendo & gravando inserviebant. Addito lemmate, INDE ALOR, UNDE PREMOR. Innuebat videlicet, superstitem Regiam Viduam Christinam, è Galliis oriundam, præter copiosas lachrymas, quibus ob mariti mortem arctissimè premebatur, nullum aliud nutrimentum admittere. Huic argumento ipsæmet Sacræ Litteræ suffragantur, quando lachrymarum imbres animæ alimentum vocant; *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Dilucidè Cassiodorus, *Fletus*, inquit, *est cibus animarum, corroboratio sensuum, refectio mentium.* In rem tamen nostram omnium opportunissimè Petrus Cellensis; *Panis lugentium abundantia est lachrymarum. Sicut enim panis esurientem, sic lachryma reficit animum dolentem: deficit esuriens sine pane, lacerata languet anima sine lachrymarum effusione.*

Lachrymæ
Psalm
Cassiod. in hunc loc.
Pet. Cellens. lib. de panibus. c. 12.

153. Franciscus Raulinus observat, lilium aureis quibusdam ac venustis filis, instar coronæ, ambiri: aitque, coronam illam lilio in mirifici candoris sui præmium deberi. MERUIT CANDORE CORONAM. Opportunissimè hoc Emblema Sanctum Casimirum spectat, qui, Poloniæ coronâ necdum insignitus, eandem purissimo ac perenni suo candore meruit. Item Sacra Sponsa è Libano ad coronam vocata est, quod interiori nostro candori æternæ coronæ præmium respondeat. Sanctus Rupertus in illa Sancti Epithalamii verba; *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis*; ait; *Venies de Libano, quod interpretatur candidatio, id est, migrabis de corpore isto, corpore candido, corpore virgineo, & coronaberis &c.*

Puritas coronat.
Cant. 4.
S. Rup. in hunc loc.

154. Lilium in sinu suo, veluti cratere argenteo, aliquot stamina deaurata recludit. Unde lemma; ARGENTO COPULAT AURUM. Ita Virgo carnis suæ munditiem cum charitatis fervore copulet, necesse est. De Magna Dei Parente testatur Richardus à Sancto Laurentio; *Maria lilium: croceus color in medio floris charitas ardens in corde; aliter non est castitas meritoria. Vel melius; candor floris castitas: aureus color signat charitatem &c.*

Virgo charitativa.
Rich. à Laur. l. 12 laud. Vi

155. Etsi lilium utpote florum princeps, sublimitate reliquos omnes excedat; nunquam tamen verticem superbè elatum, sed semper declivem ac submissum demonstrat. Plinii de illo testimonium est; *Languido semper collo.* Quare P. Lucretii Borsati lemma est; NUNQUAM ERIGITUR. Magnates hanc iconem, veluti actionum suarum amussim, præ oculis habeant; licet enim dignitate cæteros antecedant, à fastu tamen alienissimi, omnibus se benignos & affabiles exhibeant. Davidem, obsecro, intuere, qui in Regem, Prophetam, Sanctum, & amicum Dei prærogativis planè maximis ac singularibus electus, de se ipso affirmatè testatur; *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Plinius inter cæterum Trajani panegyrim hoc encomium posuit; *Immensus cum sis majestate imperatoriâ, tuâ te modestiâ contines.*

Plin. l. 22. c.
Princeps benignu
Ps. 130. 1.
Plinius in Trajano.

156. Gambertus lilium, plurimis apibus circumdatum, hâc Virgilii gnomâ insignivit; OMNIBUS IDEM. Ea Principum benevolentia esto, ut omnibus non tantùm aures mansuetas & comes, sed & uberes gratias suas communes faciat. Plutarchus, ex amicis quendam Themistocli dixisse, refert, *Optimè ipsum præfuturum Reipublicæ, si se omnibus æqualem præberet.* Sanctus Remigius in illud Psalmi commentatus, *In medio autem Deos dijudicat*, ait; *Nota quod dicit. Nam qui est in medio, æqualiter à circumstantibus videtur: & quia Deus communis est omnibus, rectè in medio positus dicitur.*

Virgil l. 2. Georg.
Princep benignu
Plutarch præcept rend. Reip
S. Remig. versum Ps. 81.

157. Joannes Baptista Ruscellus ingenioso Emblemate lilium produxit, quod è sublimi thyrso suspensum, cervicem exhibere solet, pondere suo languidam ac depressam. Epigraphen addidit; SIBI ONERI CERVIX. Haud aliter dignitates, quantò sublimiores, eò plus oneris conferre solent. S. Joannes Chrysostomus de Regibus ait; *Non ita corona caput circumdat; sicut animum solicitudo.* Et S. Isidorus; *Honor ex onere venit, aut potius EX HONORE ONUS.* Denique S. Petrus Blesensis; *Sciebam*, inquit, *omnem honorem hujus sæculi esse impedimentum grave, & quoddam peremptorium salutis æternæ.* Emblematis mentem sequentibus Jambis explicat meus Carducius;

Dignitas onerosa.
S. Chrysost. Hom. 66. ad Popul.
Pet. Bles. Epist. 102.

Dum canditanti flore vernat lilium:
Decora cervix pondus assurgit sibi.

Sit

Sic dignitas regnantis augustum caput
Dum tollit in sublime, ceu pondus gravat,
Quo pressus ille sæpius gemit, ruit.

158. Etsi lilia eximium decorem ac voluptatem congenitam habeant, ea tamen Veneri extremum sunt exosæ ac horribiles. Pierii verba sunt; *Licèt & pulchra, & delicata lilia sint, ea tamen invisa Veneri.* Eamobrem huic flori inscripsi, INVISUS VENERI. Ita nimirum usus obtinuit, quòd puritas ab impuris, meritum ab indignis, & virtus à sceleratis habeatur odio. Ut adeò benè canat meus S. Prosper;

Pr l. 55. tit. Pudicitia.

Virtus odio habita. S. Prosper.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos.

159. Lilium pulcherrimum è vili terrâ nascitur. Unde lemma; FOEDÆ STIRPS PULCHRA PARENTIS. Mariam Virginem hæc imago spectat, quæ ex Evâ, corruptâ per originariam luem tellure, instar lilii, pulcherrima prodiit. Ut adeò vel ob hanc rationem à Magno Augustino rectè cognominetur *Flos campi, de quo ortum est pretiosum lilium convallium.* Et à S. Epiphanio; *Lilium immaculatum, rosam immarcescibilem generans.* Audi imaginis suæ interpretem Jacobum Masenium;

Mariæ V. puritas.

Aug. ser. de Sanctis.

Epiphan. rat de laud. Virg.

Lilia deformis cernis pulcherrima terræ,
Maternum soboles vincit honore decus.
Progenies Evæ Virgo est, discrimen in uno est;
Hæc nullum crimen, quo maculetur, habet.

160. Lilium, inter spinas promicans, epigraphen tenet; DEFENDITUR, NON OFFENDITUR. Virtutem indies cernimus defendi potius, quàm offendi adversitatibus. Maria Virgo, quam S. Damascenus ex Sacro Epithalamio *Lilium inter spinas* vocat, calamitatibus & ærumnis mirificè promovebat; unde à Butcone cognominatur *Lilium suave spirans, fideles odore perfundens.* Rursus P. Jacobus Masenius;

Virtus. Maria V. S Damasc. Orat. de Nat. ex Cant. 2. Buteo hym. gr p. 123.

Vidimus in mediis surgentia lilia spinis,
Inter & hæreticos Virginis esse decus.
Spina tegit florem: Virgo defenditur hoste,
Adversis virtus quæ caret, illa minor.

161. Decumbente Ludovico XIV. Galliarum Rege, lilium depinxi, quod supra thyrsum suum languescens, emoriebatur, cum lemmate, IMPEDIUNT NEC REGNA MORI. Eadem enim & Reges & mendicos manent fata. Senecâ teste, *Omne humanum genus, quodcunque est, quodcunque erit, morte damnatum est.* Emblemati explicando ita cecini;

Mors omnibus communis. Senec Ep. 72.

Suppositum calcat moriens flos regius orbem,
Nec florem impediunt subdita regna mori.
Nec te orbis, nec te sceptrum, Ludovice, juvabunt,
Ipse etiam morti subditus orbis erit.

162. Christinam, Sueciæ Reginam, Lilii Emblemate repræsentârunt, quod foliis spoliata, epigraphen sustinebat; ADHUC IN STIPITE REGNAT. Regno enim terrestri sponte abdicato, in Christo, quo unicè optima Regina nititur, etiamnum regnat, æternum regnatura in cœlis. Emblemati explicando hoc distichon addidêre;

Relinquere mundū.

Excussit flores, & adhuc in stipite regnat,
Quod superest, sceptrum floribus esse potest.

Qui autem mundum hunc, in cœlis regnaturus, contemnas, Præceptorem audi Magnum Augustinum; *Quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat; plus eum diligendo, quàm se ipsum.*

S. Aug. de vera Relig. c. 48.

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

MIRACULUM HISPANICUM.

Cap. XV.

163. Ajunt, Miraculum Hispanicum, si transplantetur, florem à priore longè diversum producere. Unde lemma; SATIONE FLOS ALTER. Ita multi, quando in exteras regiones proficiscuntur, moribus ac prærogativis longè nobilissimis inclarescunt. P. Octavius Boldonus Domino Cæsari Montio Oratori ad Hispanos Extraordinario, & Neapolim Ordinario, his versibus accinuit; Mutatio.

Desere surgentes septeno vertice colles,
Vastaque terrarum perlege, Monte, sola.
Altior externos translata adolescit in agros
Arbor: sic tolles culmen in æthra tuum.

Et certè vatem illum minimè vanum fuisse, effectus comprobavit; nam in Hispanias profectus, sacram Cardinalium Purpuram retulit. Porro homo è pristinâ vitiorum sorde per pœnitentiam eluctatus, in alium longè meliorem, Deoque gratum immutatur. S. Augustinus; *Mutat homines in melius pœnitentia peccatorum: sed nec ipsa videtur aliquid profutura, si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit.* Et alibi brevius; *Muta cor, & mutabitur opus.*

Pœnitentia. S Aug. serm. 30. de temp. c. 11. Idem serm 12 de Verb. Dom c 3.

164. Hic flos, sole exoriente explicatur, & cadente constringitur. Unde lemma; TUA LUCE FLORESCO. Hominem, ab alterius ope penitus dependentem, hoc Emblema spectat. Ita Labanus Jacobo suo ingenuè fassus est; *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Idipsum de Josepho, in Puptipharis domum recepto, testatur Sacer Codex; *Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Ioseph.* Et arcâ in ædes Obededom delatâ, *Benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.* Porrò gratiæ Divinæ luce homo in virtutum flore plurimum excrescit. S. P. Augustinus; *Quomodo terra de cœlo expectat pluviam & lucem, sic homo de Deo debet expectare misericordiam & veritatem.*

Dependentia. Gen. 30. 27. Gen. 39. 5. 2 Reg. 6. 11. Gratia Dei S. Aug. in Ps. 46.

165. D. Benedictus Cantianus, Can. Reg. Lat. vir summi ingenii, observat, hunc florem oriente Sole non aperiri, ut aliqui opinantur, sed claudi. Unde illum sub nocturno cœlo foliis explicatis depinxit; cum lemmate, LUX OBVIA CLAUDIT. Eadem hominis modesti consuetudo est, quòd ingenii sui splendorem nunquam ad intuentium oculos, & in mundi theatrum ambitiosè efferat. Ita Angelus, cum comite suo Jacobo luctatus, ne tantâ gratiâ in Patriarcham illum collata sub clarissimo die divulgaretur, mox aurorâ ingruente evanuit. Mercator ille Evangelicus thesaurum suum, paulò ante repertum, nullâ interpositâ morâ abscondit. Quin, Protoparens noster ob eam potissimum rationem in terrestri paradyso collocatus est, ut sanctas suas operationes, in eo peractas, modesto silentio comprimeret; *ut operatetur & custodiret*, inquit Sacer textus. Appositè dixit Benedictus Fernandez; *Frustra quippe bonum opus efficitur, si ubi effectum est, non custoditur; incustoditum enim abripitur, evolat, evanescit. Claudantur necesse est fores, ne foras erumpant opera, quæ hominum oculis & laudibus inquinantur.*

Modestia. Gen. 32. Gen. 2. 15. Benedict. Fernand in c. 32 Gen. sect. 4 n. 1.

166. Hic flos, sapore, odore, omnique aliâ utilitate penitus destitutus, præter vivacem colorem ac exteram venustatem nihil complectitur. Unde eidē inscripsi;

Apparentia. inscripsi; SPECIES TANTUM INANIS. Ita res quævis mundanæ nonnisi formam aliquam apparentem & fucatam recondunt. Verissimè dixit Petronius Arbiter; *Ferè totus mundus exercet histrionem.* S. Gregorius Papa de mundi assectis scribit; *Dum ad exteriorem gloriam per superficiem defluunt, nullâ intus firmitate solidantur. More quippe calami, intus sunt, per fatuitatem vacui, sed foris per speciem & ostentationem pulchri.*

S. Greg. l. 33. Moral. c. 3.

PAPAVER.

Cap. XVI.

167. NObile quoddam ingenium, ut Cardinalem Horatium Spinolam nimio laborum pondere oppressum demonstraret, ad funebrem ipsius pompam papaver depinxit, quod versus terram inclinatum, epigraphen sustinebat; PONDERE VICTUS. Atque adeò quidquid nimium est, nocumentum parit. Ovidius;

Nimium nocet. *Ovid l. 1. Pont. Eleg. 5.*

Occidet, ad Circi si quis certamina semper,
Non intermissis cursibus, ibit equus.
Firma sit illa licet, solvetur in æquore navis,
Quæ nunquam liquidis sicca carebit aquis.

Opportunè dixit Terentius;

Apprimè in vita hominis utile est, ut ne quid nimis.

168. In summi cujusdam Principis morte falcem depinxerunt, aliquot papaveribus imminentem; cum lemmate, SUMMA METIT. Tarquinii factum hoc Emblemate attingitur, qui excelsiora horti sui papavera regio baculo detruncabat. Et certè, quod mortem repentinam attinet, Personæ, gradu ac dignitate sublimes, eidem magis videntur obnoxiæ, quàm gregarii ac inferioris notæ homines. Testes hujus rei luculentos intuere Regem Saulem, Principem Jonatham; Principem Absalonem, Principem Adoniam, Regem Jojadem, Regem Zachariam, Regem Phacejam, Regem Amon, Regem Josiam, aliosque innumeres, in Sacris Litteris violento occisos ferro. Hâc ipsâ morte etiam alios Reges interiisse, passim Historiæ prophanæ referunt. Sanctus Petrus Damianus eos compendio exhibens, ait; *Sæculares Principes, qui turbis popularibus præsunt, sæpè gladiis perimuntur. Nam ut de multis paucos adhibeam; Cajus, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, omnes isti Imperatores, per continuam sunt seriem unus post alterum principati, & excepto Claudio, cuncti sunt vel suis, vel hostilibus gladiis interempti. Postmodum quoque, sicut Romana narrat historia, Martianus, Antonius, Alexander, Maximinus, Gordianus, Decius, Gallus, Volusianus, omnes hi seriatim sibimet per continuum ordinem succedentes, gladio trucidante prostrati sunt.* Prolixius hâc de re differentem lege eundum Sanctum Doctorem lib. 7. Epist. 5.

Mors Magnatum. *S. Pet. Dam. 1. Epist. 5.*

PÆONIA.

Cap. XVII.

169. PÆoniæ folia facillimo negotio, sive nimio solis ardore, sive pluviarum copiâ, decutiuntur. Unde lemma; MULTIPLEX, MOX NULLA. En vanas, transitorias, & caducas mundi blanditias, Emblemate genuino descriptas! In rem præsentem S. Nili consilium est; *Cùm vides divitias, aut gloriam, aut mundanam potentiam, considera labilitatem ipsorum, & effugies illecebram.* Hoc sensu David; *vidi*, inquit, *impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, & ecce non erat.* Et Matathias, *A verbis viri peccatoris ne timueritis; quia gloria ejus stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non invenietur.* Aureo ore rem totam complexus Sanctus Joannes Chrysostomus, ait; *Ubi nunc est refulgens consulatûs ambitio? ubi resplendentes ad invicem syderum toto orbe lampades? ubi diversorum munerum pompa? ubi coronæ & varius totius orbis ornatus? ubi tubæ, & theatralis illa populi adulantis acclamatio? Repentini spiritûs flatu tanquam folia decussa sunt, & arbor nuda derelicta est &c.*

Voluptas mundi. *S. Nil. Paran. num. 91.* *Ps. 36. 35.* *1 Mach. 2. 6* *S. Io. Chry. Epist. ad Eutrop. Tom. 5.*

170. Illustre quoddam ingenium, ut heroicas animi vires, à Cardinali Horatio Spinola in perferendis acerrimis doloribus exhibitas, imagine depingeret, Pæoniam expressit, cum lemmate; CLARIOR IN TENEBRIS. Et certè virtutis radii nullibi clarius, atque inter calamitatum umbras diffunduntur. Rectè ac compendio dixit Magnus Augustinus; *Virtus eò pluris æstimanda est, quò plura contemnit.* Ovidius;

Virtus afflicta. *S. Aug. in sen.* *Ovid. l. 5. Trist. Eleg. 6.*

Scilicet adversis probitas exercita rebus
Tristi memoriam tempore laudis habet.
Si nihil infesti durus vidisset Ulysses,
Penelope felix, sed sine laude foret.

ROSA.

Cap. XVIII.

171. SCipio Bargalius Rosæ recenti subscripsit; NASCENDO SENESCIT. Et Ferrus; VIX ORTA FUGIT. Hinc expressam cùm vitæ, tum venustatis humanæ ideam habeto. Et quidem de humana vita pronuntiat S. Isidorus; *Nihil fugacius sæculo, rebusque sæculi, quas dum tenemus, amittimus, mutamur & currimus, nescientes ad mortis terminos pervenimus.* Et Manilius;

Vita humana. *S. Isid. l. 5. in Amet.*

Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.

Et Petrarcha;

Petrarch. 2. p. Sonetto 2.

O nostra vita, che' è si' bella in vista,
Com perde agevolmente in un mattino
Quel ch' in molt' anni à gran pena s' acquista.

Eò reflectens Achilles Bocchius, ait, si vitæ nostræ florem adeò lubricum esse, indies experiamur, consultum omninò haberi, ut sapientiam celerrimè conquiramus, siquidem omnis mora plurimum habet periculi;

Achil. Boch. Symb. 120.

Gratia quàm florum brevis est, præcepsque rapina,
ET DUM PUBESCUNT, CONSENUERE ROSÆ:
Tam nobis brevis est ætas, præcepsque juventa,
Et dum pubescunt, consenuère genæ.
Ergò age, dum potis es, præsentibus utere: nec cras
Expectes, si vis discere, disce hodie.

De venustate humanâ sapienter canit Seneca;

Venustas humana. *Senec. in Hyppolit. Actu. 2.*

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breve temporis,
Ut velox celeri pede laberis!
Non sic vere novo prata decentia
Æstatis calidæ dispoliat vapor,
Sævit solstitio cùm medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis:
Languescunt folio lilia pallido,

Et

Et gratæ capiti deficiunt rosæ,
Vt fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit &c.

In rem præsentem poteris tam Rosam, quàm venustatem humanam gemino illo unius versûs hemestichio significare; UNA DIES APERIT, & CONFICIT UNA DIES. Vel ut aliis placet; JUNCTA SENECTA PREMIT. Emblematis hujus tam structuram, quàm applicationem Ausonius subministrat, ubi inter plura alia de Rosâ in hæc verba canit;

Ausonius Idil.14.

Hæc modò, quæ toto rutilaverat igne comarum,
Pallida collapsis deseritur foliis.
Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et dum nascuntur consenuisse Rosas.
Tot species, tantoque ortus, varioſque novatus
Vna dies aperit, conficit una dies.
Quàm longa una dies, ætas tam longa Rosarum,
Quas pubescentes juncta senecta premit.
Collige Virgo rosas, dum flos novus, & nova pubes,
Et memor esto ævum sic properare tuum.

172. Idem Bargalius Juvenem quemdam, è vitæ suæ veterno expergefactum Rosæ symbolo exornavit, quæ nascenti soli objecta, epigraphen tulit; DESTASI ALLO SPUNTAR DEL PRIMO RAGGIO. Id est; FLORET IN ORTU. Idipsum in S.Paulo evenisse cernitur, vix enim *circumfulsit eum lux de cœlo*, mox excusso pristinæ vitæ lethargo, in voces has virtutis plenissimas erupit, *Domine quid me vis facere?* Unde postea de se ipso testatus est, *Cùm vocavit me per gratiam suam, continuò non acquievi carni & sanguini &c. Facilè* enim, subinfert S.Hieronymus, *rumpit hæc vincula amor Dei, & gehennæ timor.*

Peritia vix. Conversio Sauli. Act.9.6. Gal.1.16. S.Hieron.ad Hel.

173. Florum nobilissima, Rosa, tantundem in purissimas apes est benefica, quantùm scarabæis, animalibus obscænissimis, nocet. Unde Bargalius ex uno Rosæ latere scarabæum, ex altero apem figuravit; cum lemmate, UNI SALUS, ALTERI PERNICIES. Dominus Aresius eidem, cum solo scarabæo depictæ, inscripsit; SORDIDO PERNICIES. Vel ut alii placet; TURPIBUS EXITIUM. E contrà Rosa solam apem sustinens, epigraphen reddit; FLORIGERÆ SALUS. Bonus Prælatus, ac verus Judex, genuino hoc Emblemate significantur, quippe qui æquo animo in bonos præmia, & supplicia in sceleratos partiuntur. Verbum Divinum geminam hanc prærogativam à Simeone retulit, *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum*, Id est, interprete Timotheo Hierosolymitano, *In casum quidem incredulorum, in erectionem verò credentium; In casum Synagogæ, in erectionem autem Ecclesiæ: ad casum & ruinam dæmonum, erectionem verò Sanctorum: in casum profanorum & impurorum, ad erectionem verò justorum atq; bonorum.* Clarissimè tamen adversos illos salutis & ruinæ, vitæ & mortis effectus in augustissimo Altaris Sacramento experimur. S.Ecclesia de illo canit, *MORS EST MALIS, VITA BONIS.* Eamobrem sacer quidam Cygnus, in Assueri convivio Divinam Altaris mensam præfiguratam asserens, acutè observat, illud non tantùm in amœnissimo horto, sed insuper in obscuri cujusdam nemoris viciniâ celebratum esse. Porrò mentem suam hoc epigrammate explicat;

Misericordia & Justitia. Judex. Prælatus. Luc.2.34. Timoth. Hierosol in hunc loc. Eucharistia.

Splendida regali Assueri convivia luxu
Dum struit, hinc hortus cernitur, inde nemus.
Sunt flores horto, nemori sunt horrida monstra,
Hoc gignit spinas, & parit ille Rosas.
Dum parat Angelicas Regum Rex dona, dapesque
Collocat æthereos inter utrumque cibos;
Est nemus, est hortus: bonus est hinc, inde malusque,
Colligit hic spinas, colligit ille Rosas.

Cæterùm quod SS.Eucharistia, instar recentis Rosæ, TURPIBUS EXITIUM afferat, S. Joannes Chrysostomus disertè testatur; *Sicut corporalis cibus, cùm ventrem invenerit adversis humoribus occupatum, & amplius lædit, & magis nocet, & nullum præstat auxilium: ita & iste spiritualis cibus, si aliquem repetit malignitate pollutum, magis eum perdet, non suâ naturâ, sed accipientis vitio.*

S.Io.Chrys. serm. de Prodit.Iudæ.

174. Rosæ, sive explicatæ, vel compressæ, sive virentes, vel aridæ, nunquàm non suavissimam aliquam fragantiam diffundunt. Unde Bargalius eas hoc lemmate exornavit; SEMPER SUAVES. Ita virtuosa consuetudo suavitatem à se penitus individuam spargit. Eadem imago felicissimas Mariæ Virginis S.Agnetis, S.Elisabethæ, Lusitanorum Reginæ, S.Franciscæ Romanæ, S Theresiæ, aliarumque animas concernit, quæ tam in ætate provectâ quàm juvenili; tam in vitæ decursu, quàm post mortem semper suavissimum puritatis, sanctimoniæ, & Angelicæ excellentiæ odorem exhalârunt. Ut adeò verissimè in omni loco & tempore hanc Apostoli gnomam sibi tribuere potuerint, *Christi bonus odor sumus.* Nam, ut benè subinfert Magnus Augustinus, *Odor bonus, bona fama est, Felices, qui bono odore vivunt.* Illudipsum encomium jure sibi vendicant Personæ, naturâ suâ suaves, benignæ, & affabiles; quales fuere Titus Imperator, Trajanus, Scipio Africanus, Thomas Morus, Philippus Nerius, alii.

Virtus. 2.Cor.2.15. S. Augustin. Tract.50. in Ioan. Benignus.

175. Seipsis quidem Rosæ multùm vivaces, ac coloris perquàm grati sunt; at irrigatæ, maximum venustratis suæ incrementum capiunt. Id quod Bargalius hoc lemmate innuit; IRRIGATÆ VIVACIORES. Ita bona consilia ac sanæ præceptiones, in nobilioris animi juventam profusæ, summum ex ipsius indole splendorem eliciunt. Ratione haud multùm dissimili virtutes, ceu totidem animi nostri rosæ, si pectoris contriti lachrymis irrigentur, felicissimè progerminant. S.Joannes Chrysostomus, Annæ Prophetissæ fidem dilaudans, *Volo vos*, inquit, *ad Annam introducere, atque in pratum virtutum illius introducere sermonem: pratum, inquam, non quod rosaria profert aut alios flores, qui marcescunt; sed quod deprecationem ac fidem, magnamque tolerantiam, siquidem hæc longè sunt vernis floribus redolentiora; ut quæ non aquarum fontibus, sed quæ lachrymarum imbre rigantur. Neque enim perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, ut plantam deprecationis fontes lachrimarum irrigantes, faciunt in summam altitudinem excurrere.*

Educatio. Oratio cum lachrymis. S.Io Chrys. Hom.3. de fide.

176. Rosæ, inter cepas plantatæ, epigraphen sustinent; OPPOSITIS FRAGRANTIORES. Vel ut D.Primo Aloysio Tatti placet; GRATIOR HINC OLEO; vel ut P.Sylvestro à Petransancta; OLET SUAVIUS. Vel, FLORET FELICIUS. Vel, RUBET AMÆNIUS. Haud aliter Divina bonitas suos favores omnium maximè in humanam gentem dispensat, quando à flagitiorum sordibus gravissimè provocatur. Nec abs re dixeris; virtutem, sceleratorum consuetudine circumdatam, geminatos ac pretiosissimos odores spargere. D.Matthæus

Bonitas Dei. Bonus inter malos.

D. Matth Boss. Ep. 156. Bossus ait; *Tuus clypeus sit perpetuus Domini timor, sit odor ipse virtutis, quæ una adeo quidem potentissima est, ut à vitio, atque nequitiâ superari minimè queat; verum quantò magis à nefario aliquo incessitur; atque pertunditur scelere, tanto quidem magis invalescit, atq; firmetur.* Quin, & innocentia, sanctitas, & animæ Deo charæ, inter infamium persecutorum, ac tyrannicæ impietatis horrores mirificè invalescunt, & cœlestem fragrantiam longè suavissimam exhalant. Id quod in sanctis Martyribus Luciâ, Agathâ, Bibianâ, aliisque Heroinis cumulatè cernitur.

177. Virtutem, inter calamitates ac miserias locupletatam, Rosæ Emblema repræsentat; quæ supra cespitem plantata, epigraphen reddit; E TRA LE SPINE PUR SPUNTANDO VIENE. Id est; VEL INTER SENTES GERMINAT. S. Nili panænesis est; *Tolera tribulationes: inter ipsas enim virtutes, quemadmodùm inter spinas, Rosæ nascuntur & germinant.* Eâdem icone significatur, calamitates esse individuas humanæ vitæ comites. Unde Seneca canit;

Virtus inter persecutiones. S. Nil. Paræn. n. 92.

Vita humana. Act. 1.

-----*Nulla dies*
Mærore caret, sed nova fletus
Causa ministrat.

Lips. Centur. 2. Ep. 67. Et Justus Lipsius; *Tricæ & spinæ hæc omnis vita: & fallimur, si quærimus in ea gaudiorum flores.*

178. Rosarum arbuscula squalida, frondibus, omnique cultu inter hyemis rigores destituta, epigraphen sustinet; NON SEMPER NEGLECTA. Vel, ET NEGLECTA VIRESCO. Sacratissima Servatoris nostri humanitas hanc imaginem sibi propriam vendicat, quæ passionis suæ tempore derisa ac neglectui habita, paulò post in immensum gloriæ florem revixit. S. P. Augustinus; *Passio Domini ostendit nobis vitam præsentis necessitatis, quâ oportet & laborare & tribulari, & ad extremum mori. Resurrectio verò & clarificatio Domini ostendit nobis vitam, quam accepturi sumus.* Et certè lætissima hæc fiducia, quod post terrenas calamitates ad æternæ felicitatis florem simus resurrecturi, Juvenem illum Machabæum eousque erexit, ut Antiochi tyrannide horrendum dilaniatus, liberè exclamaret, *Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Quin, & ipsemet Servator suos discipulos, extremùm afflictos, spe illâ solatus est; *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Christus in passione. S. Aug. in Ps. 148. 2. Matth. 7. 9. Ioan. 36. 20.

179. Rosarum frutex, brumâ rigente horridus ac spinis formidandus, epigraphen tenet; DABIT MURICE PICTAS. Christus, spinis ac flagellis in passione circumdatus, postea æternam gloriæ coronam sibi nobisque peperit; S. P. Augustinus; *Si expavescis mortem Christi, ama resurrectionem Christi.* S. Augustini hoc symbolum est, qui primis annis inter impudicitiæ ac hæresis spinas volutatus, demum purpureas charitatis, sanctimoniæ, ac optimi exempli rosas parturiit. P. Michaël Hojerus, Augustinianus Excalceatus, de S. Augustino canit;

Christi passio. S. Aug. ser. 13 de Temp. S. Augustinus. Mutatio in melius. Mich. Hoier. l. 1 Flammul Amoris.

-----*Velabat ocellos*
Hæresis inde furor, temporis inde viror.
Damnabit tamen ista brevi maturior ætas;
Et dabit hæc pictas murice spina Rosas.

Virgo modesta. 180. Virginem modestam eodem lemmate afficies, quo Bargalius Rosæ calicem; QUANTO SI SCOPRE, MEN TANTO PIU' BELLA. Id est; PULCHRIOR CUM LATET. Vel, COLLECTA VENUSTIOR. De Virgine modestâ in rem præsentem ait S. Ambrosius; *Claude vas tuum, ne unguentum effluat; claude virginitatem verecundia loquendi & abstinentia gloriandi.* Tassus Emblemati occasionem subministrat hoc poëmate Italico;

S. Amb l. de Virgi.

Tass nel Gerus li-rat. Cant. 5. st. 14.

Deh mira (egli cantò) spuntar la Rosa
Dal verde suo modesta, e virginella,
Che mezz' aperta ancora, e mezo ascosa,
Quanto si mostra men, tant' è più bella.

Idem. Can. stan. 1.

Et alibi, prærogativam illam in Sophronicâ deprædicans, canit;

Vergine era frà lor di già matura
Verginità, d' alti pensieri, e regi;
D' alta beltà, ma sua beltà non cura,
O tanto sol, quant' honestà se n' fregi.
E il suo pregio maggior, che trà le mura
D' angusta casa asconde i gran pregi;
E da vagheggiatori ella s' invola,
A le lodi, a gli sguardi, inculta, e sola.

181. Personam, sanctitate & doctrinâ conspicuam, quin & post mortem pretioso famæ ac virtutum odore insignem; Rosæ non absimilem dices. Unde Bargalius, fratre suo è vivis sublato, Rosas depinxit, à frutice suo decisas; cum lemmate; ET DECIDENTES REDOLENT. Vel; ut Bartholomæo Rosso placet; ETIAM RECISA REDOLET. Vel ut rursus Bargalius rosis, propè tumulum plantatis, inscripsit; Et CLAUSÆ QUOQUE. Pretiosum hunc odorem à morte suâ non metaphoricè tantùm, sed re ipsâ exhalârunt sacra Lipsana S. Elisabeth e Reginæ Portugalliæ, de quâ in hæc verba testatur Ecclesia; *Post mortem multis miraculis claruit, præsertim suavissimo corporis, jam per annos ferè trecentos incorrupti, odore.* D. S. Theresia legitur; *Ejus corpus, usque ad hanc diem incorruptum, odorato liquore circumfusum; pia veneratione colitur.* De S. Gaudentio Can. Reg. & Episcopo Novariensi in Congregationis meæ officiis dicitur; *Cujus corpus sex mensibus, & duodecim diebus insepultum remanens, integrum, incorruptum, roseo colore micans, odoremque suavissimum redolens, sepulturæ traditur.*

In morte. Reliquiæ SS. Brev. Rom. Offic. Can. Reg. Lat. 22. Ianuar.

182. In Introductione ad vitam devotam, à S. Francisco Salesio conscriptâ, legitur; *Actiones nostræ sunt ad instar rosarum, quæ, cùm recentes sunt, plus quidem præferunt elegantiæ & nitoris, at cùm arefactæ, plus odoris & virium exerunt: pari modo, esto opera nostra in sensuali cordis teneritudine facta, nobis sint gratiora, magisque placeant (nobis, inquam, qui nonnisi propriam delectationem spectamus) in ariditate tamen & sterilitate obita, plus in Dei conspectu odoris & valoris continent.* Hâc doctrinâ nixus, meâ quidem sententiâ Rosam hoc lemmate insignies; GRATIOR VIRENS, ARIDA FRAGRANTIOR.

S. Fran. Sal. Introd. p. 4. c. Opera in ariditate spiritus facta.

183. Hominem, virtute & famâ celeberrimum, è Rosis dignoscere licet, quæ odoris sui gratiam ET A LONGINQUO spargunt. Ita Alexandri Macedonis robur; Militum Romanorum generositas, Antonii in Ægypto sanctimonia, & S. P. Augustini doctrina, fragrantiam suam in omnes Mundi partes

Fama virtutis.

partes amplissimè propagârunt. His tamen Maria Virgo longè superior evasit; quæ, utpote *Rosa mystica*, adeò copiosos virtutum odores passim diffudit, ut cœlum & terram in sui admirationem raperet. Quin, Sancto Bernardo teste, solâ humilitatis fragrantiâ eousque celsissimum Dei solium penetrârit. *Cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu.* S. Paulus, charitate Divinâ instar rosæ inflammatus, pretiosum doctrinæ suæ odorem per totum universum largissimè sparsit. Ipsummet testem sibi luculentum audi; *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo IESU, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.*

Maria V. — Bern. ser. de Assump. — Paulus. — Cor. 2. 14.

184. Scipio Bargalius Rosas, cespite suo nixas, hoc lemmate distinxit; HAUD INERMES. Vel; HAUD PROCUL ASPERITAS. Ita sanè omnes mundi voluptates nunquam non acerbissimas tormentorum spinas habent congenitas. Georgius Camerarius verissimè canit;

Voluptas mundi. — Georg. Camer. in Emb. Amat.

Ut Rosa per medias efflorêt roscida spinas,
Sic Veneris nunquam gaudia felle carent.

Et S. Ambrosius; *Surrexit ante floribus immixta teneris sine spinis Rosa, & pulcherrimus flos sine fraude vernabat; postea spina sepsit gratiam floris, tanquam à humanæ præferens speculum vitæ, quæ suavitatem perfectionis suæ, finitimis curarum stimulis sæpè compungunt.*

Ambr. l. 3. exam. c. 11.

185. De Rosâ testatur Plinius, *Recisione & ustione proficit.* Lemmatis loco brevius dices; RECISA, ET USTA PROFICIT. Hinc opportunè demonstratur, è calamitatibus plus beneficentiæ quàm damni nobis accrescere. S. Gregorius Nazianzenus; *Est,* inquit, *quædam in fabulis arbor, quæ, cùm cæditur, viret, & adversùs ferrum certat; ac si de re novâ novo modo loquendum est, morte vivit, & sectione pullulat, atque cùm absumitur, crescit. Mihi verò hujusmodi esse videtur vir Philosophus &c.*

Calamitas utilis. — Greg. Naz. orat. 13.

186. D. Aresius, hominem modestum Emblemate significaturus, Rosam depinxit, necdum plenè explicatam; cum lemmate, QUASI ABSCONDITUS VULTUS EJUS. Hæc virtus cumprimis in sexu fæmineo locum habeat, necesse est; quippe cujus vultui velamen, ceu maximum modestiæ tutandæ præsidium, deservit. S. Ambrosius; *Ideò velamine obnubit caput suum mulier, ut etiam in publico tuta verecundia sit: non facilè vultus ejus in adolescentis oculos occurrat, nuptiali velamine tecta sit, ne vel fortuitis occursibus pateat ad vulnus vel alienum, vel suum.*

Modestia. — Ambr. l. 1. Pœnit. c.

187. Fæminam quandam pulcherrimam, Rosinam nomine, Bargalius rosæ symbolo expressit, quæ inter diversos flores spectanda, epigraphen tulit; INTER OMNES. Majori tamen jure Mariam Virginem hæc imago spectat: hæc enim, ceu Rosa venustissima, omnium creaturarum formas intervallis penè infinitis post se relinquit. Quare S. Germanus Constantinopolitanus, oculis in Deiparam fixis, attonitus exclamat; *O pulcherrima pulchritudo pulchritudinum! O Dei Genitrix, pulchrorum omnium summum ornamentum!*

Mariæ V. excellen. — Germ. Const. Orat. Oblat.

188. Bartholomæus Rossus in encomium serenissimi Venetorum Ducis, Joannis Bembi, Rosarum fasciculum coloribus expressit, easque, haud dubiè ad familiæ Bembianæ insignia alludens, hoc lemmate insignivit; REDOLENTQUE, SANANTQUE. Nimirum summam in Principe illo virtutum fragrantiam, ac simul adversus egenos beneficentiam significabat. Porrò hoc Emblemate illa Divorũ lipsana significari possunt, quæ simul & odore & miraculis pollent. Inter hos S. Elisabetham Portugalli æ Reginam numeres; quæ, ut suprà diximus, *Post mortem multis miraculis claruit, præsertim suavissimo corporis, jam per annos ferè trecentos incorrupti, odore.* Opportunissimè tamen hanc iconem de precatoriis SS. Rosarii globulis intelligere licet. Unde ad Mariam Virginem conversus, in hæc verba cecini;

Princeps benignus. — Reliquiæ SS. — Brev. Rom. — Rosarium.

Del fallo antico in pena
D' ogn' intorno la terra
S' armò di spine, e n' intimò la guerra.
Mà tua mercè, che sei di gratia piena.
Dassi à gli egri mortali
Il sollievo de i mali,
E con lieto devario
Contraponsi à le spine il tuo Rosario.

189. Idem Rossus fasciculo, rosis ac spinis gravido, inscripsit; CUM LENITATE ASPERITAS. Innuebat videlicet, Justitiam & Clementiam, veluti geminam ac propriam Principis dotem, in serenissimo Duce Joanne Bembo mirificè resplenduisse. Sapienter dixit S. Gregorius Papa; *Miscenda est lenitas cum severitate, & faciendum quoddam ex utroque temperamentum: ut neque multâ asperitate exulcerentur subditi, neque nimiâ benignitate solvantur.* Porrò qui aliorum vitiis corrigendis è munere suo incumbunt, eodem Gregorio teste, tantundem lenitatis, quantùm asperitatis demonstrent, necesse est. *Aliter admonendi sunt impudentes, atque aliter verecundi. Illos namque ab impudentiæ vitio nonnisi increpatio dura compescit, istos autem plerumque ad melius exhortatio modesta componit.*

Misericordia & Justitia. — S. Greg. Hom. in Luc. 10. v. 34. — Corrector — Idem p. 3. Pastor. admon. 8.

190. D. Aresius in honorem S. Rosarii sepem figuravit, per horti cujusdam ambitum è rosis plexam; cum lemmate, PRÆSIDIO, ET DECORI. Vel FORTITUDO, ET DECOR. Expertus est geminam hanc SS. Rosarii virtutem augustissimus Imperator Carolus V. tot victoriis ac triumphis felix, quantos nullus unquam Imperatorum numeravit. Fuit sanè ipsi SS. Rosarium adversùs hostes *præsidio*, & inter amicos ac fideles *decori.* Testem tantæ in Carolo pietatis asservamus in Imperiali Collegio nostro Wettenhusano Imperatoris illius Rosarium, veluti mnemosynon è Principe tam adversùs hostes, quàm in virtutibus comparandis invictissimo, ac singulari augustissimæ Domûs Austriacæ decore. Porrò Rosarii hujus globuli precatorii, tam usu piissimi Imperatoris attriti, quàm antiquitate illustres, è triginta tribus hæmatitæ sphærulis perfectè rotundis constant; è quarum postremâ parte sub sericorum funiculorum globo numisma pendet, rhombi figuram præferens, ac Emblematis concinnè distinctum. Una enim numismatis facies Imperatoris hujus effigiem exhibet, cum augustissimo nomine CAROLUS. Altera Romanam Aquilam refert, quæ supremam Crucifixi partem gemino suo capite sustinens, reliquam per medium corpus pendentem habet, cum epigraphe, *Miserere mei Deus.* Ex utroque volantis Aquilæ latere consuetas Caroli columnas videre est, quæ Aquilæ unguibus utrimque sustentatæ, solemni suo symbolo leguntur insignes, *Plus ultra.* Disce hinc ab Invictissimo Imperatore, quo utaris inter adversitates *præsidio*, & familiares *decore.* Cæterùm de SS. Rosario ad præsens argumentum ita cecini;

Rosarium. — Rosarium. Caroli V. in Imp. Collegio Wettenhusano asservatum.

Con-

Con voci alte, e dogliose
Più non pianga la terra
Se stessa involta in orridezza antica;
E sottoposta ad ira aspera, nemica:
Che la siepe di Rose,
Per opera de la Vergine contesta
Ornamento, e difesa al mondo appresta.

Nomen JESU. Geminos hos patrocinii & decoris affectus cumprimis in sacratissimo Servatoris nostri nomine deprehendimus. De hoc Nomine mirè facundus S. Bernardus, integrum penè sermonem 15. in Cantica de eo instituit. E pluribus unam alteramvè periodum accipe; *Non tantùm lux est nomen Iesu, sed est & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor IESVS, & inde saliat in os: & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum &c.* Et Prudentius;

S. Bern. ser. 15. in Cant.

Prudent. in Apotheosi.

Christum concelebret; Christum sonet, omnia Christum
Muta etiam fidibus sanctis animata loquantur.
O nomen prædulce mihi, lux, & DECVS, & spes
PRÆSIDIUMQVE meum, requies, ô certa laborum.

191. Emblema è duabus rosis, candidâ una, & alterâ purpureâ, constructum, epigraphen tenet; COMMUNE NOMEN UTRIQUE. Sensus est, Virginem æque ac Martyrem Rosæ nomen promereri. Vel certè, illum æque martyrii laureolâ condecorari, qui jejuniis pallescens, in carcere aut exilio moritur (uti in Summis Pontificibus Marcello, Joanne, Sylverio, Martino, & Pontiano contigit) quàm qui sanguinis sui purpurâ inter carnificum manus pro fide Orthodoxâ perfunditur. Virginitatem, eâdem cum Martyrio laureolâ dignam, rectè vocat S. Ambrosius *pudoris hostiam, victimam castitatis. &c.*

Martyres.

S. Ambr. l. 1. de Virginit.

192. Res terrenæ, quamlibet utiles, manu admodùm cautâ colligi debent, ne ab innumeris illarum periculis; ceu totidem aculeis, retrahatur saucia. Huic dogmati significando Bargalius fruticem depinxit, Rosis onustum; addito lemmate, SENTES EVITA. Vel, CAUTE LEGAS. Hâc præceptione ii cumprimis imbuendi sunt, qui gentilium libros evolvunt, utpote sanâ non minus ac vitiosâ doctrinâ passim respersos. S. P. Augustinus; *Doctrina per malos, palmes in sepe, bous inter spinas: CAUTE LEGE, ne, dum quæris fructum, laceres manum, & quem audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem.* Et S. Basilius; *Velut in rosis legendis SENTES VITAMUS: sic in talibus sermonibus, quidquid est utile, carpentes, noxium vitemus.* Et Achiles Bocchius;

Cautela.

Studiosus.

S. Aug. in Ioan.
S. Basil de legend. gentil. libris.
Achill. Bocch Symb. 120.

--- Si vis discere, disce hodie.
Sed malè doctorum prudens à sentibus aspris
Ne lædare prius, quàm doceare, cave.

193. Rosarum fruticem, floribus ac frondibus spoliatum, hoc epigrammate notavi. SENTES FIRMITER HÆRENT. Vel, SENTES NON DECIDUNT. Mens Emblematis est, in amoris lascivi voluptatibus blanditias omnes demum evanescere, solis adversæ conscientiæ spinis in humano pectore æternum remanentibus. Verissimè de libidine pronuntiat meus Hugo Victorinus; *Semper illam præcedit ardor & petulantia, semper comitatur fœtor & immunditiès, semper sequitur dolor & pœnitentia.* In rem nostram opportunè Emmanuel Thesaurus;

Remorsus conscientiæ.

Hugo Vict.

Auroræ soboles, Auræ pulcherrima rore
Pascitur, atq; perit cum genitrice rosa.
Spina sed in longum rident felicior ævum,
Hæres deciduæ vivit acerba rosæ.
Hoc natura licet? spinam servare nocentem
Atque hilarem subitâ plectere morte rosam?
Est rosa flos Veneris: Venerisque simillima flori,
Quod cruciat, longum est: quod placet, exiguum.

194. Quantùm Haymo Sabaudus pro Philippo Vallesio, Galliarum Rege, adversùs Eduardum Angliæ Regem in bello Crescensi pugnaverit, Pater Juglaris è roseâ sepe dignoscendum proponit, quæ lilium ambiens, inscriptionem tenet; TUENTUR HONORES, QUOS SOCIANT. Præsidium istud etiam è SS. Rosario fidelibus accepit; Maria enim, SS. Rosarii parens, totidem præsidiis clientes suos exornat, communitque, quot indies in illo revolvimus globulorum rosas. Quis enim inter tot hostium discrimina non experitur, opus se habere sepe, quæ animæ decorem servet omnesque arceat insidias? at, Mellifluo Bernardo teste, *nec alter nobis utilior, quàm Maria.*

S. Rosarium.

S. Bern. ser. de S. Mar in illud Apo 12. signum magnum apparuit in cælo.

195. Rosam candidam hoc lemmate loquentem introduxêre; NE DI LASCIVO AMOR MACCHIATO HO' IL SENO. Id est; VENERIS NEC INFICIT OSTRUM. Fabulam illam hoc Emblema innuit, quæ Rosas, Veneris sanguine tinctas, comminiscitur. Cæterùm Emblemate isto Virginitatem puram & incorruptam; vel amantem castum ac pudicum, significare licet. Cumprimis tamen Mariam Virginem spectat, quæ nullâ unquam carnis labe infecta, candidissimæ semper virginitatis idea permansit. Pulchrè S. Hieronymus; *Si diligenter attendas, nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gratiæ, & nihil candoris, quod non resplendeat in Virgine gloriosa.* Hieronymus Preti de ipso in rem præsentem testatur;

Virginita

Maria V

S. Hieron.

E sallo il ciel, che la mia fiamma è pura.
E che in colei poco curando il frale;
L' eloquenza, il saver, l' anima adoro.

Et rursùs.

Mà s' a colei, com' è non fosse ignoto
Il mio pensier d' impurità nemico,
S' accendere bbi di pietà, non d' ira;
Perch' io non amo in lei quel ch' altri ammira,
E l' ardor che m' incende à pocchi è noto,
Ardor santo, è cœleste, ardor pudico.

196. Amans ab amasia sua, cui Lauræ nomen, ad extremam paupertatem redactus, se ipsum frutici similem dixit, qui Rosis destitutus, epigraphen tulit; COSI' L'AURA M'HA' CONCIO. Hoc lemma, etsi gratiam suam in latino ob Lauræ nomen penitus amittat, poteris tamen illud ita interpretari; SIC VENTUS, Vel, AURA NUDAVIT. Idipsum calculo suo comprobans Cornelius Tacitus, ait; *Mulierum genus avarissimum.* Dicearchi dictum erat; *Magnes ferrum, meretrix verò aurum & argentum ad se trahit.* His è Poëtis nonnemo accinit;

Mulier lasciva de pauperat.

Tacitus
Dicear. ap. Ioan. Stob.

--- Amica procax, hedera formosior alba,
Lentis adhærens brachiis:
Quem semel amplexa est, lascivo occidit amore,
Sugens opes, & sanguinem.

197. Rosarum frutex, propè rivulum collocatus, sole desuper allucescente, epigraphen sustinet; ET RADIO, ET FLUVIO. Hinc disces, perfectionis humanæ incrementa tum demum acquiri, quando gratiæ Divinæ radiis prompta nostrâ cooperatio accidit.

Cooperatio.

Basil. Const. Monast. c. 1. accedit S. Basilius; *Ad perfectum virtutis cumulum conjuncta simul esse utraque hæc oportet, & humanum studium, & auxilium cœleste.* Certè Magdalenæ sanctitas non aliundè in culmen adeò sublimè excrevit, nisi è gratiæ divinæ radiis & jugi lachrymarum suarum fonte. Magdalena.

198. Rosa, sub radiis solaribus flaccescens, epigraphen reddit; LANGUESCIT A MERIDIE. Lucarinus immaturam hominis mortem hoc Emblematè delineavit. In argumentum præsens S. Ambrosius ait; *Brevi unusquisque decursò ætatis flore marcescit.* Et Seneca; *Etsi MORS aliorum longius vitam passa est procedere, aliorum IN MEDIO FLORE PRÆSCIDIT, aliorum interrumpit principia.* Comes Bernardus Morandus canit; Mors immatura. Ambr. l. 3. Hexam. c. 11. Senec. Ep. 67. Morand. in Rosalind. l. 1.

L' età fuggitiva.
Un solo momento
Fermar non si può:
A pena ci arriva,
Che passa qual vento,
Che ratto volò
Ah non si gonfi nò,
Che qual Rosa fiorisce,
Che quasi Rosa ancor svienè, e languisce.

199. Ad Dominæ Ursinæ nuptias idem Lucarinus Rosam figuravit, quæ è nobilissimis Ursinorum insigniis mutuata, epigraphen tulit; PANDITUR MATURA. Ab hoc argumento non multùm alienus Jacobus Catsius primùm de Virgine etiamnum tenellâ cecinit; In nuptiis. Jacob. Cats. Embl. Nupt.

Dum Rosa flore novo, foliisque recentibus halat,
Invida spinoso cortice tecta latet.

Postea verò de eadem, ad conjugium aspirante, subjungit,

Mox tamen illa dabit patulo se flore videndam.

Idipsum Concionatoribus observatum velim, ut prius piarum exercitationum studio mutuescant, antequàm os ad prædicandum aperiant. S. Ambrosius; *Aperi ostium, sed prius ut aperiatur implora. Vita enim verbum erigit & acquirit, sermo enim sine vita, non est Dei sermo.* Concionator. Ambr. super Lucam.

200. Rosæ, Lucarino authore, epigraphen sustinent; OLENT, ET ORNANT. Vel Italicè; UTILE, E DILETTO. Præclara hæc litterarum, & artium liberalium idea est, à quibus civitates ac respublicæ multùm utilitatis, & ornamenti plurimùm accipiunt. Justus Lipsius; *Artes, non ornamenta solùm Reipublicæ sunt, sed etiam auxilia & fulcra. Tollantur; quid nisi squalor, & tenebræ occupant, & ferox quædam, aut ut verius dicam, ferina vita?* Virtus & litteræ. Lips. l. de Cruce Præf. ad Ordin. [...]rabant.

201. Quemdam Concionatorem, tantundem eruditum ac eloquentem, quantùm in aliorum animabus convertendis fructuosum, P. Camillus Anticus ramulo roseo non absimilem dixit; cum lemmate, E PUNGE, E PIACE. Id est; FERIT, ET DELECTAT. Ita sanè humanum pectus Crucifixi commiseratione tactum, aculeo suavissimo perforari solet. S. Bonaventura de S. Francisco scribit, quòd Seraphinum Crucifixi specie conspicatus, cor suum ingenti quidem dolore, at simul suavissimâ dulcedine perfundi senserit. *Hoc videns*, inquit, *mixtum dolori gaudium mens ejus incurrit, dum & in gratioso ejus aspectu sibi tam mirabiliter; quam familiariter apparentis, excessivam quandam concipiebat lætitiam, & dira conspecta crucis affixio ipsius animam compassivi doloris gladio pertransivit.* Ita quoque homo, SS. Rosarii mysteria devoto animo revolvens, acerbissimos dolores & aculeos, tam in Christi membris, quam in Matris Divinæ pectore fixos, persentiscit: quamvis hi aculei longè pretiosissimi, omnique voluptate sint dulciores. Unde in rem præsentem hunc rhytmum subjungere placuit. Prædicator. Contemplatio Crucifixi. Bonav. in Legend. S. Franc. c. 13. Rosarium.

Quella candida Rosa,
Che nel sangue di Venere si tinse,
Benche ministra di piacer s' infinse,
Fù mai sempre molesta, e tormentosa.
Mà la Rosa celeste,
Che del sangue Divin s' orna, orna, e si veste,
D' un innocente amor porta la face,
Poiche non punge, e se pur punge, piace.

202. Venustas muliebris admodùm opportunè in Rosa dignoscenda proponitur; quippe quæ, instar Rosæ, PUNGIT, ET DELECTAT. Unde cum Alciatus Cupidinis manum Rosâ ac pisce non sine mysterio instruxisset, nonnemo eruditum hoc epigramma subjunxit; Venustas muliebris. Alciatus Embl. 107.

Symbola adulantûm cernis, Rosa, piscis amorum,
Non sanè unius symbola certa mali.
Nam Rosa verna suis non est sine sentibus, idem
Piscis habet spinas intus & ipse suas.
Pulchra Rosa est, verùm illa brevi fit marcida: piscis
Est ferus, esse aliquâ nec cicur arte potest.

De mulieris venustate in rem præsentem ait Hugo Victorinus; *Hanc dulcedinem æternæ mortis amaritudo comitatur. Diligit mulier ut capiat: decipit, ut rapiat: amat quod habes, non quod es.* Hug. lib. ad socium volentem nubere.

203. Carolus Rancatus eloquentiam satyricam Emblemate demonstraturus, Rosam expressit; cum inscriptione; FIORISCE, MA' FERISCE. Id est, ET FLORET, ET VULNERAT. Verbis ex hoc Rancati poëmate desumptis; Eloquentia satyrica.

Fiorisce, mà ferisce
La Rosa ogni hor ridente;
Alletta, ed invaghisce,
E mischia il grato odor dolor pungente;
Quasi mostrar ne voglia,
Che và unito il piacer sempre à la doglia.

In rem nostram de Prædicatore ait S. Hieronymus; *Dicuntur verba sapientûm pungere non palpare, nec molli manu attrahere lachrymam, sed errantibus tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infigere. Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste sermo non est sapiens.* Prædicator. S. Hieron. super illud Eccles. Verba sapientum quasi stimuli.

204. Gloriam non sine sanguinis ac vitæ discrimine comparatam, idem Rancatus Rosæ Emblemate depinxit, quæ olitoris sui manum aculeis transfigit, ac sanguine perfundit; addito lemmate; E PUR RIGIDA PIACQUE. Id est; GRATA RIGORE. Idipsum in correctione fraterna experimur; quæ tametsi rigida, apud hominem prudentem plurimùm amabilitatis habet. De Apostolorum Principe testantem audi S. Gregorium; *Paulus arguit Petrum: Petrus verò laudavit Paulum: Amicus ergo veritatis laudavit quòd reprehensus est, seque etiam minori fratri ad consensum dedit.* De Mulieris venustate superbâ, & ab aliis dilectâ eandem epigraphen pronunties. Tassus Emblemati construendo ansam subministrans, de Clorinda canit; Victoria sanguinea. Correctio. S. Greg. p. 2. in Ezech. hom. 6. Venustas superba. Tass. Gerus. Liber. Cant. 2. stanz. 39.

Così gl' ingegni femminili, e gli usi
Tutti sprezzò sin dal etade acerba;

Ai

Ai lavori d' Aracne, à l' ago, à i fusi,
Inchinar non degnò la man superba.
Fuggi gli habiti molli, e i luoghi chiusi:
Che ne i campi honestate ancosi serba,
Armò d' orgoglio il volo, e si campiacque
Rigido farlo, e pur rigido piacque.

Venustas cadens.
Virgil. lib. 1. Æneid. V. 593.

205. Rosa languida, proprium cadentis formæ humanæ ectypon, à Carolo Rancato epigraphen cepit; LÆTOS EFFLAVIT HONORES. His ipsis verbis Virgilius Venerem, Æneæ Matrem, describit;

---- Ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & LÆTOS oculis AFFLAVIT HONORES.

S. Aug. in Ps. 58.

Rectè in rem nostram monet Magnus Augustinus; *Iactet se quisque de divitiis, de pulchritudine, & de viribus corporis; ista certè omnia mortalia sunt.* Unde nobile quoddam Ingenium ita canit;

Già sovra l' alpi del tuo bianco crine
De i più fredd' anni incanutisce il verno,
Già sparir primavera, e già discerno
Languir le Rose, e irrigidir le spine.
Fà il tempo di tue glorie alte rapine,
Copre il mio grave incendio un gelo eterno;
Così per mio conforto, e per tuo scherno
Qui del mio strazio, e del tuo fasto è il fine.

Tempo già fu (achi che in pensarlo ancora
Sospira il cor) ch' idolatrò mia mente
Di tue bellezze la nascente aurora.
Har sù l' altar di questo seno ardente
Non più vittime haurai; che non adora
Se non folle idololatra il sol cadente.

In morte Principis.

206. Raulinus languenti Rosæ hunc præfixit titulum; VITAM NON PROROGAT OSTRUM. Constat quippe regiam purpuram adversus mortis contorta jacula clypeum esse penitus infirmum. Ore aureo in rem nostram pronuntians Chrysostomus, ait; *An non videmus sæpè, quòd is, quem hodie præcedunt lictores, & stipant satellites; quem hodie in foro magna pompa comitabatur, & qui in carcerem conjiciebat, & super thronum residebat, & inflabatur, & homines alios, quasi umbras despiciebat: is subitò postea jacebit mortuus absq; spiritu, fætulentus.*

S. Io. Chrys. Hom. 22. in Genes.

Virtus immortalis.

207. Rosam, à stemmate suo recisam, hoc epigrammate insignivit Raulinus; NON PERIT ODOR. Innuebat videlicet, virtutis nostræ famam, etiam post fatale mortis vulnus, suavissimè fragrare: id quod in personis sanctis, doctis, aut militari fortitudine claris indies experimur. Unde Siracides, Josiâ Rege centum annis posterior, ait; *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria &c.* Certè SS. Martyrum odor adeò post mortem non perit, ut non à Deo tantùm plurimis miraculis, nec à Christianis solùm assiduis precibus ac veneratione, sed ab ipsis quoque persecutoribus honorentur. S. P. Augustinus; *Non tanto concursu hominum ad martyres occidendos cavea crudelitatis impleta est, quã tò nunc ad eos honorandos Ecclesia pietatis impletur.* Imò, *Illi qui Martyres persequebantur, memorias Martyrum inquirunt, ubi adorent.*

Ecclef. 49. 1.
SS. Martyrum honor.
S. Aug. serm. de Divers. c. 2. Idem in Ps. 137.

208. Rosa (uti & aliæ complures arbores ac virgulta) nisi debitâ & assiduâ diligentiâ colatur, à perfectione suâ in florem longe alium degenerat. Unde P. Lucretii Borsati lemma; NON CULTA MUTATUR. Atque adeò Juveni bonam obtigisse indolem, minimè sufficit; nisi enim assiduæ educationis præceptionibus excolatur, paulò post in stolones infelicissimos deflectet. Horatius;

Educati[o] necessar[ia].
Horat. l. 4. Od. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis;
Et in jumentis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant,
Vtcumque defecere mores
Dedecorant benè nata culpæ.

Idipsum de corpore nostro dixeris, quod nisi assiduâ mortificatione cultum, in bestiam turpissimam degenerat. S. P. Augustinus; *Dæmon*, inquit, *sæpè assumit patrocinium ipsius (carnis) contra animam, & dicit; Quid facis, quid jejunas? tibi ipsi pœnam ingeris, tuus ipse tortor & trucidator existis. Responde ei: Castigo, ne me hoc jumentum præcipitet.*

Mortific[a]tio.
S. Aug. l. utilit. je[j].

209. Quemadmodum omnis Rosarum perfectio è radiis solaribus promanat, ita earundem venustas solis injuriâ enervatur & flavescit. Ut adeò Rosis, in amænum fasciculum colligatis, jure subscribas. VITA, E MORTE DAL SOLE. Id est, SOL MIHI CUNAS, ET URNAM. Eadem omninò amantis mundani sors est, qui fœminæ dilectæ præsentiâ ac benignitate, reviviscit, rigore verò & absentiâ affligitur. Porrò Deus hominem in virtute crescentem fovet, obsoletum verò, & in vitia declinantem occidit. Unde de Deo ait S. Bernardus; *Gratis respicis humiles, justè judicas nocentes, misericorditer etiam salvas peccatores.*

Amans profan[us].
Deus.
S. Bern. [...] 57.

210. Memini, me in uno Emblemate binas Rosas cernere, cum dicto; GEMINIS UNUS ODOR. Duos diversos homines, in virtute & animi affectibus penitus conformes, hoc Emblema spectat. De SS. Augustino & Alipio testatur Martyrologium Romanum his omninò verbis; *In Africa S. Alipii Episcopi, qui Beati Augustini olim discipulus, postea in conversione socius, in munere pastorali Collega, & in certaminibus adversùs hæreticos commilito strenuus, ac demum in cœlesti gloria consors fuit.*

Confo[r]mitas.
Mart. R[o]m. 15. Aug.

211. Ad significandum S. Caroli zelum, quo ignavos pungere, & afflictos benevolè solari consuevit, Rosam depinxêre, cum lemmate; PUNGIT, ET RECREAT. De Deo, ad hanc ideam penitus conformato, testatur Origenes; *Semper talis est Deus noster: excruciat nocentes; sed quasi pius pater, tormentis clementiam sociat.* Hoc Dei exemplum quivis Prælatus ac Princeps sibi præ oculis statuere, suumque rigorem clementiâ temperare discat. Vide obsecro D. Seraphinum Marchettum, meum Concanonicum, in sua Politica Ecclesiastica prolixè hâc de re differentem. Regis Theodorici dictum erat; *Casibus asperis præstandum est sub justitia laude moderamen: ut nec vindictam sinamus superare peccata, nec culpam insultare patiamur legibus impunitam.* Ita Cassiodorus;

S. Car[o]lus.
Orig. Im. 1. in Ezech.
Justiti[a] & miseri[cor]dia.
Seraph. Marchet. poli[t]. Eccl. l. 2. c. 6. & 12.
Cassiod. l. 3. Var. Ep. 46.

212. Ab-

212. Abbas Ferrus gentilitias Julii Romani Cardinalis Rosas ac Lilia hoc lemmate insignivit; DECERPTAQUE FLORENT. Dicere volebat, Principem illum, è patria sua longinquum, feliciſſimo gloriæ ac nominis sui incremento effloruiſſe. Opportuno hoc Emblemate ſanctum illum afficere licet, qui plurimis poſt mortem miraculis, aut populi maximâ erga ipſum pietate inclaruit; uti in S. Antonio Paduano contigit. Sic nimirùm, teſte Magno Auguſtino, *Novit Deus etiam de ipſis diaboli perſecutionibus coronas ſuſcitare Martyribus, utens benè omni genere malorum, ad utilitatem bonorum.*

.Aug.lib. 4 ...nt.Iul.c.7.

213. Roſa, vix unquam ſine ſpinarum acumine carpenda, epigraphen ſuſtinet; SUAVIS, SED ARMATA. Vel; NON SINE VULNERIBUS. Ita veram gloriam, aut æternam beatitudinem ſine calamitatum aculeis adipiſci, hactenus nemini licuit. S. P. Auguſtinus; *Chriſtus duas vias nobis oſtendit in carne, unam laborioſam, alteram beatam. Laborioſam: quam tolerare debemus, beatam, quam ſperare debemus.* Claudianus;

...eatitudo.

...Aug. lib. 2 ...e actis cum ...elice c. 11.

...laud. E...th in nupt. ...norii.

Non quiſquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos.
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes,
Creſcunt difficili gaudia jurgio.

Et Fulvius Teſti,

Per dirupate vie vaſſi à la gloria,
E la ſtrada d'onor di ſterpi è piena;
Non vinſe alcun, ſenza fatica; è pena
Che campagna del riſchio è la vittoria.

214. Illuſtriſſima familia Sorbellona inter complura alia Emblemata roſeum fruticem oſtentat, cum dicto; NON SINE SPINA. Veluti diceret, ſe quidem beneficentia & gratiis diſpenſandis plurimùm florere; ſimul tamen adverſas hoſtium vires validè reprimere, ac timore concutere. Eodem Emblemate felicitas mundana, ſeu individua ſpinarum comes, ſignificatur. Unde Boëthius;

...elicitas ...undana,

...oet lib. 3. ...onſol. Me...o. 7.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes.

Porrò ſicuti Roſa nunquam non proximas habet ſpinas, ita inter juſtorum contubernia plerumque vitioſos quoſdam numerabis. S. Ephræm; *Fratres, nolite mirari ſuper aliquibus, qui obedientiæ diſciplinam complexi, à me receſſerunt. Nam & inter duodecim Apoſtolos unus erat proditor Iſchariotes. Noſtis verò, quod etiam in vinea, præter imperium rubus germinare conſuevit, & inter roſas ſpinæ quoque naſcuntur.* Denique aſtutus detractor ſermonem ſuum ab aliorum encomiis exordiens, totidem roſas, quot verba ſpargere videri poſſit; at paulò pſt ad vituperia progreditur, ſuique proximi famam crudelibus aculeis proſcindit. Fuit, qui de illo caneret.

...ſtus inter malos. Ephræm. ſuo teſtam

...etractor.

Conveniunt rarò cum pectore verba loquentis,
Ore Roſas ſpirant, fulmina corde tonant.

215. P. Leonardus Velli ad exequias Cardinalis Petri Campori Roſam ſtatuit; cum lemmate, NATIVO PURPURAT HAUSTU. Mens Emblematis erat; ſicuti Roſa purpureum colorem naturâ ſuâ congenitum ac nativum ſortita eſt, ita Principi huic Eminentiſſimo ſacram Eccleſiæ purpuram potius ab interioris animi virtute, quàm ab extera fortunæ faventis gratiâ obtigiſſe. Nempe, Magno Auguſtino teſte, *Gloriam & honorem non debet ſequi virtus, ſed ipſa virtutem.*

...roprius ...dolor.

S. Aug l. 5. de Civit. Dei.

216. Roſa, è purpuræ ſuæ vivacitate in pallorem deficiens, epigraphen tenet; DECOLORAVIT ME SOL. D. Primus Tatti Sanctam Euroſiam Virginem & Martyrem hâc icone exornavit, quæ Martyrii privilegio à Chriſto, æterno Sole, donata, graviſſimos cruciatus pro fide Orthodoxâ toleravit. S. Anſelmi interpretatio eſt; *Decoloravit me Sol juſtitiæ Chriſtus, quia ob ejus fidem & amorem perſecutiones haſce ſuſtinco, quibus offuſcor.*

S. Euroſia Virg. & M.

S. Anſelm. apud Corn. à Lap. in Cant. 1. 6.

217. Roſa, ſub radiis ſolaribus flacceſcens, ac coloris ſui vivacitate deſtituta, à meo D. Salvatore Carducio epigraphen recepit; DECOLOR, UNDE COLOR. Id eſt; *Qui colorem dedit, colorem adimit.* Ita ſancta Barbara ab eodem barbaro ſuo genitore mortem perpeſſa eſt, à quo vitam acceperit. Sic etiam in Principum aulis aſſiduam hanc viciſſitudinem cernere licet, quod nonnulli, ad honoris & opum faſtigia ſublevati, paulò poſt ab eodem Principe in extremam egeſtatem deturbentur. Nam aſſerente Magno Auguſtino, *Gloria hujus ſæculi fallax eſt ſuavitas, & infructuoſus labor, & perpetuus timor, & perieuloſa ſublimitas: initium ſine prudentia, finis cum pœnitentia.*

S. Barbara

Principis miniſter depoſitus.

S. Aug in Pſal. 149.

218. Idem D. Primus Aloyſius Tatti Roſam purpuream, à frutice ſuo diſcerptam, hoc lemmate donavit; ANTEQUAM MARCESCAT. Verbis ex illo ſapientiæ mutuatis; *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant.* Sanctam Euroſiam Martyrem hoc Emblema ſpectabat, quæ in virgineo ætatis ſuæ flore per carnificis manus è mundo ſublata, nequaquam ſenectutis languorem, morborum injurias, aut aliud tempus expectabat, quod ipſi inter mundi fraudes, aut ſceleratorum inſidias poterat creare perniciem, & animæ venuſtatem eripere. Hoc ſenſu Sapientia æterna de homine juſto pronuntiat. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus, conſummatus in brevi, explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius &c.* Hâc gnome ſanctam Paulam, de Blæſillæ filiæ obitu mœrentem, ſolatur Divus Hieronymus; *Placita enim*, inquit, *erat Deo anima ejus: Propter hoc properavit eam educere de media iniquitate, ne longo vitæ itinere deviis aberraret anfractibus.*

Sap. 2. 8.

Mors juſti in ætate tenera.

Sap. 4. 11.

S. Hier. Ep. 25 ad Paul.

219. Idem Emblematis loco arbuſculam roſeam, undique effloreſcentem in vaſe quodam figuravit; cum dicto; VER, INTEGER ANNUS: dicere volebat; ſicuti certa Roſarum ſpecies ſingulis menſibus recentes proferre flores ſolita, veris delitias toto anno conſervat; ita è S. Euroſiæ meritis aſſiduas gratiarum roſas, ac peculiaria beneficia in humanum genus prodire. Cæterùm quivis Chriſtianus Roſam ideæ loco ſibi ob oculos ſtatuat, ut in virtutum exercitio non uno tantùm temporis intervallo, ſed toto vitæ ſuæ decurſu floreat. Certè è ſancti Petri Damiani ſententia, *Sancti ac juſti, tanquam ferax terra, virentes bonorum operum fructus germinare contendunt.* Paraphraſis Chaldæa textum illum, *Ego flos campi, & lilium convallium,* ita interpretatur, *Opera mea pulchra ſunt ſicut Roſa, quæ in campo horti voluptatis.* His optimè ſubjungit P. Aloyſius Novarinus; *Quàm amœnus hic paradiſus, in quo hæ bonorum operum Roſæ OMNI TEMPORE VERNANT.*

Sanctus, miraculis clarus.

Opera continuata.

S. Pet Dam. Opuſc. 60.

Cant. 2. 1.

Novar. lib. 1. Sacr Elect. n. 736.

220. Roſam, ſub ſolaribus radiis languentem, hoc lemmate donârunt; DISSIPAT ARDOR. Eandem

dem omninò jacturam è libidinis ardore sustinet humana vita; Ovidio teste.

Libido.

--- Venus enervat vires.

Tullius de senectute

Cui assentiens Tullius; ait; *Libidinosa, intemperansque adolescentia, effætum corpus tradit senectuti.* Quare ad carnales amores Emblemate significandos, olla depingebatur, quæ supra ignem posita, ebullientes carnes penitùs consumebat. Emblemati verò hoc distichon, ceu infelicis & incautæ libidinis Oedipum, subjecêre;

Extavelut clausis fervor consumit in ollis:
Sic mea consumit viscera cœcus amor.

S. Cyrill. l. 4. Apol. Moral. cap. 9.

Quid enim est coitus, inquiebat S. Cyrillus, *nisi delitiosa pernicies, mors latens, venenositas blandiens, dulcis effusio vitam perdens, amplexus destructionem moliens, & suavitas dirè fallens?*

221. Rosa, præ floribus cæteris fragrantissima, tantam odoris copiam spargit, ut demum, veluti fatigata, langueat; atque adeò, Plutarcho asserente, *Ingenti odoris redundantia deficit.* Unde lemma; DEFICIAM, DUM REDOLEAM. Studiosum, aut etiam militem magnanimum hoc Emblema spectat, qui corporis sui vires è laborum pondere tandem succumbere, parvi æstimat, modò virtutis & meriti sui fragrantiam passim diffundere possit. Exemplo & doctrina id testatur Seneca, *Generosos animos,* inquit, *labor nutrit. Laborem si recuses, parum esse potes. Non est viri, timere sudorem,*

Studiosus Miles.

Senec. Ep. 31

222. Cùm Illustrissimus Comes Alphonsus Litta Mediolanensium Archiepiscopus recens inaugurarctur, Emblematis loco rosæ calycê, etiamnum virescentem, sub radiis solaribus figurârunt; addito lemmate, MOX RUBESCET. Mens iconis erat, Principem illum, hodie Episcopalium ornamentorum virore insignitum, olim à Summo Pontificê, ceu sole Ecclesiastico, ad sacram Cardinalium purpuram sublevatum iri. Et certè suus respondit vaticinio eventus; siquidem Alphonsus Anno 1666. ab Alexandro VII. inter purpuratos Ecclesiæ Senatores recensitus fuit. Cæterùm hanc iconem meus Concanonicus S. Thomas Cantuariensis sibi propriam vendicat; cùm enim Deus illum ad martyrii purpuram olim promovendum jam in ipsa ejus pueritia revelasset, idcircò Henrici II. gratiâ ad Archiepiscopatum Cantuariensem assumptus, verissimè dicere poterat, se, modò Pontificum virore insignem, paulò post, sanguinis sui ostro, ob Catholicæ fidei defensionem liberè profuso, tinctum iri. Huc illud Gregorii Magni facere videtur; *Tunc fuit laudabile Episcopatum quærere, quando per hunc quandoque dubium non erat ad supplicia pervenire.*

S. Thom. Cantuar.

Offic. Can. Reg. Lat. 29 Decemb.

S. Greg. in Pastoral.

223. D. Jacobus Certanus Abbas Rosarum fructici inscripsit; ET RUBENT, ET PUNGUNT. Dicere volebat; verecundiæ ruborem, ac mille calamitatum aculeos, nunquam non individuos esse voluptatum carnalium comites. Libidinis amorem laconicè & eruditè definit Natalis Comes hoc disticho;

Voluptas carnalis.

Nat. Com. l. 4. Mytol. c. 13.

Nil amor est aliud Veneris, quàm parva voluptas,
Quæ simul expleta est, inficit ora rubor.

S. Fulg. l. 2. Mytholog.

S. Fulgentius, de Cupidine disserens, ait; *Huic etiam Rosas in tutela adjiciunt: Rosæ enim ET RUBENT, ET PUNGUNT, ut etiam libido rubet verecundiæ opprobrio: pungit etiam peccati aculeo.* Ab his nihil alienus Seneca, *Voluptas,* inquit, *fragilis est, & brevis fastidio objecta; quo avidius hausta est, citius in contrarium rediens, cujus proinde necesse est aut pœniteat, aut pudeat.*

Senec. l. 7. de benef. c. 2.

224. Ad funebrem pompam Marchionis Guidonis Villæ, Belliducis celeberrimi, Rosam figurârunt, quæ inter fruticis sui spinas media, epigraphen tulit; ARMATA DELECTAT. Tanta enim Herois illius erat benignitas, ut ipsos etiam hostes in sui amorem raperet. Quæ sanè virtus in generoso milite longè magis conspicua est ac veneranda, quàm in aliis quibusvis statibus, è munere suo mansuetis. Eandem benevolentiam in Achille deprædicat Statius;

Miles benignus.

Stat. lib. 1. Achil.

Attamen arma inter, festinatosque labores
Dulcis adhuc visu, niveo natat ignis in ore
Purpureus.

De L. Paullo recenset Valerius Maximus, quod, *Cùm Persen, parvi temporis momento captivum ex Rege, ad se adduci audisset: occurrit ei Romani imperii decoratus ornamentis: conatumque ad genua procumbere, dextrâ manu allevavit, & græco sermone ad spem exhortatus est: introductum etiam in tabernaculum, lateri suo proximum in concilio sedere jussit; nec honore mensæ indignum judicavit.* Ut adeò inter armorum fulgura radios benevolentiæ & affabilitatis amplissimè explicaverit. Idem de Magno Pompejo refert, quod, cùm Tigranem Armeniæ Regem in medio exercitu ad pedes suos prostratum cerneret, *Diutius jacere supplicem passus non est: sed benignis verbis recreatum, diadema, quod abjecerat, capiti reponere jussit, & in pristinum fortunæ habitum restituit: æquè pulchrum esse judicans & vincere Reges, & facere.* Alii in eadem Rosæ idea Virginum conditionem exhiberi autumant, siquidem Poëta teste;

Val. Max. l. 1. cap. 1. 8.

Idem n. 8. & 9.

In Furioso. Cant. 1. st. 4.

La Verginella è simile à la Rosa.

Proinde Virgo nonnisi ARMATA DELECTAT. Virginitas enim nullum ornamentum ita necessarium habet, atque aculeata rigoris ac laudatissimæ iracundiæ arma, quibus assidua hostium tentamenta repellat. In hoc argumentum Franciscus Petrarcha canit;

Virginitas.

Fran. Petr. p. 1. Canz. 11

Et in donna amorosa assai m'aggrada,
Che'n vista vada altera, e disdegnosa.

S. Hieronymus, Principiam Virginem imbuens, *Arbitror,* inquit, *te accinctam gladio militari, ut autem scias, semper virginitatem gladium habere pudicitiæ, per quem truncat opera carnis, & superat voluptates; Gentilis quoque error Deas Virgines finxit armatas.* Et S. Ephræm; *Castitatem dilecte frater palmæ similitudinem existima, siquidem palma corde cùm sit albicante, circumcirca verò scatet surculis & aculeis, quibus ejus candor muniatur.*

S. Hier. ep. 140. ad Prin. Virg.

S. Ephræm ser. de Casti

225. Argumento, à priore nihil diverso, Rosam, spinis cinctam, hoc Hieronymi Gratiani lemmate insignivi; CON SOAVE RIGOR MINACCIA, E ALLETTA. Id est; MINATUR, ET ALLICIT. Venustas enim, maximè in Regia Principe, eodem momento & timorem injicit, & amorem. Unde Cygnus ille nobilissimus de Elvira Regis Granatensis filia, in hæc verba canit;

Venustas

Hieron. Grat. in Granata Cant. 2. Stanz. 57.

Tal fà costei nel publico cospetto
De le belleze sue mostra pomposa.
Corre, & affissa in lei gli occhi, e l'affetto
Attonita la turba, e curiosa
Colmo ogn'un di stupore, e di diletto
D'ammiraria non cessa, e d'amar osa,
Poiche grave pareane bei sembianti
Sparger gli amori, e spaventar gli amanti.

Maria, Virginum pulcherrima, hanc iconem cumprimis

primis sibi vendicat, dum à Spiritu sancto cognominatur, *Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Et sanctus Bernardus, *Tu ergo,* inquit, *pulchra es ut luna, imò pulchrior lunâ; quia tota pulchra es & macula non est in te, neque vicissitudinis obumbratio. Tu terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim?? An non horruerunt Principes tenebrarum, quando viderunt præter morem armatura omni fortiore contra se procedere fœminam? &c.*

Cant. 6.

Bern. ser. ad B. Virg.

226. Joannes Baptista Ruscellus Rosæ inscripsit; TRACTATA GRATIOR. Ita homo benignus quò magis aliorum egestate pulsatus, eò se omnibus exhibet liberaliorem. Virtus enim à voluptate carnali adeò longis differt intervallis, ut hæc post usus non ita diuturnos nauseam pariat; illa verò quò longiore exercitio frequentata, tantò accidat homini gratior. *Summum bonum,* inquit Seneca, *immortale est, nescit exire: nec satietatem habet, nec pœnitentiam: At voluptas tunc, cùm maximè delectat, extinguitur. Nec multum loci habet; Itaque citò implet: & tædio est, & post primum impetum marcet.*

Benignitas virtus semper grata.

Senec. de vita beata c. 7.

227. Cardinalem quemdam, intentione quidem sanctâ, & fine prudentissimo, sed tamen simul occulto, operari solitum, roseo calyci non absimilem dixerunt, qui, colore suo coccineo ad Principem illum purpuratum alludens, in umbilico croceum intentionis aureæ globulum conclusum habet. Unde epigraphen subdidêre; IN INTIMIS AURUM. Opportunè Salomon; *In corde prudentis requiescit sapientia.* Sanctus Gregorius Nazianzenus optimum suum parentem, exteriore quidem corporis compositione instar Rosæ illustrem, at simul in animæ suæ penetralibus sanctæ humilitatis auro cumulatè instructum fuisse testatur. Ipsius verba, quia pulcherrima, ita accipe. *Non in vester, sed in animi constantia humilitas ipsa sita erat; nec colli depressio, aut vocis demissio, aut vultus inclinatio, aut certus incedendi modus humilitatem effingebat, quin potius idem & vita maximè sublimis, & animo perquam humilis erat.* Huic affine est illud Isidori Pelusiotæ consilium. *Animo, atque affectu potius, quàm verbis humilem te præbe.*

Intentio bona.

Prov. 14. 33.

S. Gregor. Naz. Orat.

S. Isid. Pelus. l. 1. ep. 142.

228. Eodem argumento Rosam clausam hâc inscriptione ornârunt; SUB SOLE PATEBIT. Mens imaginis erat, arcana omnia, in Cardinalis illius animo conclusa, olim universo mundo fore manifesta. Ita nimirùm, quidquid in viatorum præcordiis delitescit, quondam sub extremi Judicis splendore in orbis universi propatulo stabit. Sanctus Hilarius illa D. Matthæi verba interpretatus, *Nihil opertum, quod non reveletur: neque occultum, quod non sciatur;* ait; *Dominus diem judicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet, & ea, quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget.*

Intentio.

S. Hilar. in Matth. c. 10.

229. Rosa, inter spinarum horrores venusta, epigraphen reddit; ABIGITURQUE, TRAHITQUE. Virtutis hæc idæa est, quæ humanos sensus pretio & excellentiâ suâ allicere, at simul sui obtinendi difficultate absterrere solet. Haud aliter Seraphini ac Cœlites è vultûs Divini immensâ suavitate maximas delitias, è majestate verò terrorem concipiunt. Eruditè dixit Antonius Fernandez; *In Deo summa est pulchritudo, cum summa Majestate conjuncta, quarum illa repellit intuentes, ista verò attrahit &c.*

Virtus.

Deus.

230. Rosa, è radice, trunco, & ramis, undique spineis, genita, se ipsam ab omnibus spinis penitus immunem servat. Unde epigraphe; INNOXIA FLORET. Ita Maria Virgo, è peccatrice ac spineâ radice nascens nullam ullius peccati labem contraxit. S. Joannes Damascenus ad Deiparam conversus, exclamat; *O Rosa, quæ ex spinis, hoc est, ex Judæis orta es, ac Divina fragrantia cuncta perfudisti.* Et Sedulius;

Maria V. concepta.

S. Ioan. Damasc. Orat. 1 de Nat. M. V.

Et velut è spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremq; obscurat honore;
Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret.

231. Æterna beatitudo coronam imitatur, è rosis contextam, & hoc lemmate insignem; DETRACTIS ACULEIS. Enimverò in cœlesti illo regno, miseriis omnibus æternùm proscriptis, nonnisi perfectæ felicitatis gaudia reperiuntur. *O vita vitalis,* exclamat non sine affectu Magnus Augustinus, *vita sempiterna & semper beata, ubi gaudium sine mœrore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine calamitate.*

Beatitudo.

S. August. in Annal. c. 7.

232. Eo ipso tempore, quo D. Philippus Archintus, summæ virtutis homo, ex utero materno prodiit, in parentis ipsius horto Rosa, singulari venustate, ac stupendo odore enata est, idque omnem Insubriam admiratione tanto majore tenuit, quod tempore omnium calidissimo, nimirùm quinto nonas Julii, & quidem ex arente ac penitùs exsucco frutice, progerminârit. Unde Philippus in Archi-Episcopum Mediolanensem electus, Rosam illam inter præcipua sua symbola recensuit; cum lemmate, FLORUI IN ARIDO, Veluti prolixè testatur Joannes Petrus Giussanus. Talem ex arido florescentem Rosam se probavit sanctus senex Tobias, quando è coætaneis, ceu inferni titionibus, ad execrandum vituli cultum provocatus sese affectu religiosissimo versus templum Hierosolymitanum, Creatoris adorandi causâ, convertit. Porrò sanctus Gregorius Thaumaturgus, instar Rosæ, in arente humo effloruit: Nam in Episcopum Neocæsariensem unctus, nonnisi septendecim Christianos numeravit; postea verò munere suo ita strenuè defunctus est, ut morti proximus sanctè gloriaretur, septendecim tantùm sibi superesse infideles. Demùm sanctus Carolus, veluti Rosa, tempestate ariditissimâ in florem excrevit; ævo enim, virtutis Christianæ humoribus penitùs exsucco, natus, paulò post Clerum ac plebem in formam perfectissimam labore maximo convertit. &c. Porrò homines, Deo chari, plerumque ibi omnium maximè florent, quando tentationum ventis omnium maximè uruntur. S. Gregorio teste; *Plerumque, qui plus in contemplatione rapitur, contingit, ut amplius in tentatione fatigetur. &c.*

Ioan. Petrus Giuss. l. 1. vitæ.

Bonus inter malos.

S. Greg. Past. hom. 2.

233. Rosæ radicem hoc lemate afficies; PULCHRA LATENT. Mariæ Virginis idea est, quæ, instar ancillæ, humili amicta vestitu, pulcherrimam hominis Dei Rosam erat paritura. Unde rectè à Methodio cognominatur *Radix floris speciosissimi,* à Giselberto, *Radix æternitatis, floris flos, & fructus æternæ benedictionis.* Et à Chrysippo; *Radix omnium bonorum.* Emblematis Oedipum audi P. Masenium;

Maria V.

Method. Or. de Hypap. Giselb c. 19. Alterc. Chrysip. Orat. de Deip.

Quæ tantùm informi spectatur cortice radix,
Illa dabit pulchras mox paritura rosas.
Quamq; rudis circùm Nymphâ circumdat amictus
Nascentem pariet Virgo stupenda Deum.

SS. Eucharistia. Maria V. 234. Rosa, scarabæum & apem sustinens, epigraphen subjunctam habet; MORS EST MALIS, VITA BONIS. SS. Eucharistiæ hæc idea est, quæ malis mortem, bonis autem vitam infert. Idipsum de Maria Virgine dixeris, quæ, sicuti hæreticis est fatalis, ita bonorum tutricem ac matrem agit. Unde à S. Joanne Damasceno vocatur *Rosa, ex spinis Judaicis orta, Divina fragrantia perfundens omnia.* Rursus in rem præsentem canit P. Jacobus Masenius. *S. Dam. Or. de Nat. M. V.*

Carpit odoratum scarebæus apisq́; rosetum.
Mors, scarabæe, Rosa est; vita, Melissa, tibi.
Livor amorque suas carpunt è Virgine dotes.
Ille trahit vitam hoc flore, sed ille necem.

Maria V. 235. Rosa, inter spinas educata, epigraphen tenet; EX SPINIS, SINE SPINA. Maria Virgo, accommodatissimè ad hanc ideam, ex infecta Adami massâ citra omnem labem purissima prodiit. Unde ab Adamo de sancto Victore cognominatur, *Flos de spinis, spina carens, flos spineti gloria.* Sanctus Laurentius Justinianus, *Discite*, inquit, *ab originali delicto nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Salvatorem.* Et Pater Jacobus Masenius; *Adam de S. Vict. de Assumpt. S. Laur. Iust. c. de grad. Perfect.*

Nascitur è spinis verni flos regius horti:
Sed procul à spinis purpura mollis abest.
Adamidum in spinis flos est Nasarethicus ortus.
Spina fuit crimen, sed rosa Virgo fuit.

Mundi vicissitudo. 236. Spinas, in hyeme rosis destitutas, Jacobus Masenius hoc lemmate insignivit; SPINA, SED ABSQUE ROSIS. Ea nempe fortunæ & rerum terrenarum est vicissitudo, ut repentè è gaudiis in dolores, & ex his rursus in lætitiam mutent. Verissimè Salomon; *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Divo Bernardo illustre hujus rei exemplum est Christus Dominus, qui Palmarum die Rex & Messias à populo salutatus, triumphantis more Hierosolymas ingressus est: At quinto dein die postulatus fuit ad necem, vociferante identidem populo, Crucifige, Crucifige. *Videat*, inquit, *sæcularis anima, videat, & intelligat, quoniam extrema gaudii luctus occupat. &c. Unde & processionis gloriâ voluit sublimari, qui paulò post sibi noverat imminere diem ignominiosissimæ passionis.* Et Ovidius, *Prov. 14. 13. S. Bern. ser. 1. in Dom. Palm. Ovid. l. 2. de Arte.*

Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et riget amissâ spina relicta rosa.

237. Vir eruditus, Hieronymus Cardanus, quæstionem ponit, cur rosæ spinis armentur? Post fusam è Philosophia dissertationem, hoc demum concludit: si Rosa spinifera non sit, nec erit etiam odorifera. Hinc rosæ sylvestres, quæ quinis plerumque foliolis constant, minores habent spinas, quàm quæ in hortis educantur, ideo suavi quidem, sed imbecilli sunt odore. Unde lemma; ODORIFERA, QUIA SPINIFERA. Oratio velut nobilissima rosa est; sed nisi hæc suas etiam spinas habeat, *mortificationem*, odoris est parùm probati. Omnium in Christi lycæo sapientum vox est: *Orationem sine mortificatione* vix ullius esse pretii. Hinc cùm religiosus vir quispiam Beato Ignatio præsente laudaretur, diceretur que, virum esse multæ orationis; Ignatius mutatâ voce subjunxit; Vir est multæ mortificationis. Ideo Psaltes Regius, *Imple*, inquit *facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine:* certè non quæsituri, nisi prius ignominiâ impleti. *Mortificatio in oratione. Ribaden. in vita S. Ign. lib. 5. Psal. 82. 17.*

Hoc ipsum confirmans; *Multiplicatæ sunt*, inquit, *infirmitates eorum, postea acceleraverunt. Et clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur.* Cur antea non clamârunt? nulla eos calamitas premebat. Impiissimus Manasses orare nunquam didicisset, nisi in carcerem detrusus fuisset. Quid de viris sanctissimis dicam? Moses plurimis pressus ærumnis, Jacob fraternis agitatus insidiis, Samson illusus à Philisthæis, Tobias amissis & oculis & opibus, Sara gravibus lacerata conviciis, tres Hebræi juvenes in mediis flammis, Daniel in leonum cavo, Petrus in pelago, Paulus & Silas in ergastulo, aliique sexcenti precandi & occasionem & disciplinam hauserunt inter adversa. Ita Jonas Propheta vim obedientiæ in ceto didicit, Barbari Geraseni amissis porcorum gregibus, Christum supplices accesserunt, Apostoli, mergendâ naviculâ clausi, ardentissimè Divinam opem expetiêrunt. Liceat igitur cum Secundo exclamare: *O quàm utile est, ad usum secundorum per adversa venisse.* Verissimè canit Sylius, Poëta Italus; *Psal. 15. 4. Psal. 10. Plin. in panegyr. Sil. Ital. bell. Pun. 7.*

--- Raræ fumant felicibus aræ.

TVLIPA.

Caput XIX.

236. Tulipa, sub radiis solaribus collocata, epigraphen Hispanam sustinet; SIN SUS RAYOS MIS DESMAYOS. Id est, *Procul à sole pereo.* Pandit enim se ad radios solares; quos ubi nubes interceperit, illico clauditur, & contractis foliis languescit. Eò reflectens P. Raulinus, inscripsit; MOEROR PRO SOLE RELICTUS. Ipsissimos hos effectus & affectus in amoris vehementia cernere est, qui re suâ amatâ destitutus, extremum contrahit languorem. Exemplo sit Maria Magdalena, quæ tota madebat lachrymis, dum Christum amorem suum unicum videret. S. Gregorius, *Mulier*, inquit, *quid ploras? quem quæris? interrogatur causa doloris, ut augeatur desiderium quærentis; quatenus, cùm nominaret quem quæreret, in amore ejus ardentius æstuaret.* Otho Venius amantis cujusdam ore canit; *Absenti rei amatæ languor causat. S. Greg. 15. hom. Maria stabat ad monumentum. & Oth. Ven. Emb. Amor. fol. 121.*

Cùm te non video, mea lux, vel nigra videntur
Lilia, & haud lucent lucida signa poli.
Luridus & solis, mihi crede, est aureus orbis:
Ipsi etiam melli fellis amaror inest.

Laodamia, extincto suo Prothesilao, in hos gemitus, Ovidio teste prorupit;

At postquam nec te; nec vela fugacia vidi,
Et quod spectarem, nil nisi pontus erat.
Lux quoq; tecum abiit, tenebrisq́; exanguis obortis
Succiduo dicor procubuisse genu.

239. Tulipam hoc lemmate loquentem introduxêre; LANGUESCO SOLE CADENTE. Vel in tertia persona; LANGUESCIT IN UMBRA. Ita prorsus anima, gratiæ Divinæ radiis destituta, extremum languet. S. P. Augustinus, *Scio*, inquit, *quia mihi malè est præter te, non solùm extra me, sed in me ipso. &c.* Eodem Emblemate mœrores illos cumulatissimos significabis, quos Beatissimæ Virginis pectus, filio suo in mortis occasum vergente, agitabat. De hac B. Amedeus ait; *Ineffabili dolore gloriosæ Virginis pectus urebatur, & altissimo pietatis jaculo confossum, extremas spirabat inter angustias.* Et rursus; *Ibi mœror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æstus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior, ubi vita non tollitur, & mortis angustia toleratur.* *Absentia Dei non. S. August. 14. Confess. Maria in Calvariæ monte. B. Amedeus homil. 5.*

240. Tu-

240. Tulipam Persicam vocant, quæ nativo quodam impulsu è loco illo, ubi primùm plantata est, aufugere ac se subducere solet. Cui proinde D. Salvator Carducius subscripsit; PROFUGA RADICE RECEDIT. Ita sanè humana vita, cæteraque terrena omnia, nullibi stabiliuntur, assiduis obnoxia vicissitudinibus. *Omnia*, Magno Augustino teste, *oriuntur & occidunt, & oriendo quasi esse incipiunt, & quò magis celeriter crescunt ut sint, eò magis festinant ut non sint.* Seneca; *Quidquid longa series multis laboribus, multa Dei indulgentia struxit, id unus dies spargit ac dissipat; nihil privatum, nihil publicè stabile est, tam hominum, quàm urbium fata volvuntur.*

Vita humana. Bona terrena. S Aug. l. 4. Conf. c. 10. Senec. ep. 29.

241. Olitores tulipas Persicas in locis, muro circumdatis, plantare solent; veluti quæ nonnisi intra carceris angustias contineri queunt. Unde idem Carducius epigraphen subjunxit; NON SINE CARCERE PERSTAT. Certè Christianus in Dei obsequio nunquam persistit firmior, atque calamitatum angustiis probè coarctatus. In rem præsentem observat Varro, quod captivitas vocetur *carcer, quasi coarcer*; ubi nimirùm effrenis ac immoderata hominum licentia coërcetur, ne in congenitos suos errores deviet. S. Gregorius Papa; *Qui hujus mundi adversitatibus fracti, ad Deum redeunt, neq; à præsentis vitæ desideriis corriguntur, quid isti, fratres charissimi, nisi ut intrent, compelluntur.*

Calamitates coërcent. S. Greg hom. homo quidã fecit cænam magnam.

VIOLA. Caput XX.

242. NOnnemo fœminam, cui Violantæ nomen, Emblemate significaturus, Violam depinxit; cum epigrammate, SOLA MIHI REDOLET. Hinc demonstrabis, Mariam Virginem inter celsissimas suas prærogativas maximè ob insignem humilitatem Deo placuisse. Dilucidè S. Bernardus in rem nostram ait; *Humilitate placuit, virginitate concepit.* Et Petrus Blesensis; *Dei Filius in Beata Virgine, licet ipsa de sacerdotali & Regali schemate duxisset originem, non nobilitatem, sed humilitatem elegit; Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ.* Ita amantis affectus nunquam in plures distrahi, sed uni duntaxat formæ affigi debet. Ovidii consilium est;

Elige, cui dicas; tu mihi sola places.

Otho Venius inter sua Amoris Emblemata Cupidinem statuit, qui tabulam, numero I. signatam, manibus sustinet; aliam verò, numeris 2. 3. 4. usque ad 10. exaratam, pedibus conculcat. Mentem Emblematis hoc epigrammate explicat;

Humilitas M.V. Pet. Blesf. ep. 3. Luc. 1. 48. Amans unius solius. Oth Ven. Embl. Amor.

Unum amat, en effert unum, unum ecce coronat,
Et reliquo numeros en pede calcat Amor!
In plures quoties rivos deducitur amnis,
Fit minor, atq; undâ deficiente perit.

243. Aliquot violæ, ad montis radicem enatæ, tametsi loco & staturâ humili victitent, fragrantiam tamen longè suavissimam exhalant. Unde epigraphen sustinet; HUMILIBUS DAT GRATIAM. vel; HUMILES, SED SUAVES. Eâdem omninò ratione Deus animas nostras gratiis tantò majoribus in mundi theatro exornat, quantò magis humiles, & existimatione propriâ demissi existimus. Verissimè dixit Isaacus Presbyter; *Vilipende te ipsum, & videbis gloriam in temetipso. Nam ubicunq; humilitas nascitur, ibi gloria oritur Dei.* Et S. Gregorius Papa; *Illis respectum suæ miserationis Deus tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit. De quo per Psalmistam dicitur; quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit.* In rem præsentem D. Giarda Episcopus Castrensis de S. Francisco Salesio refert, quod sacro Visitationis Ordine instituto, Matronam de Chantal Fundatricem, Matrem Faure, & Matrem Brocardam Deo unicè obtulerit; earumque optimis mentibus dirigendis assiduam & maximam dederit operam. Unde etiam Matres illas communi vocabulo cognominare consuevit Violas, sub humilitatis foliis absconditas: quippe quæ exteriore quiquidem corpore depresso, ac colore non multùm splendido incedere solitæ, odorem tamen, ac optimi exempli, ædificationisque fragrantiam planè singularem passim in orbem diffundebant.

Humilitas Deo grata. Isaac. Pres. de Mundi contempt. c. 23. S. Greg. in cap. 6. Cant. D. Giarda l. 2. c. 20. Vita Salesii.

244. Violam his Plinii verbis insignivit Aresius, SUAVIOR E LONGINQUO. Ita sanè illorum virtus pretio longè majore æstimatur, qui è patria aut mundo remoti vivunt, quàm qui inter mundi turbas aut populares assiduò morantur. Furius Camillus etiamnum ad Penates patrios hærens, omnium odia, contumelias, quin & ipsum denique exilium sustinere debuit. At è patria longinquus, tantam virtutis suæ existimationem ac desiderium apud Romanos excitavit, ut ei Dictaturam, omnium dignitatum supremam decreverint. Verissimè dixit Franciscus Petrarcha; *Multos exilium honestavit, multos acrior aliqua fortunæ vis, atque injuria notos reddidit, & illustres.* Idipsum de Religioso pronuntiare licet; quantò enim ab hominibus mundanis remotior, tantò suaviorem edit virtutum suarum fragrantiam & existimationem.

Plin. l. 21. c. 7. Longinquitas. Exilium. Franc. Petr. lib. 2. de Remed Dial 67. Religiosus.

FINIS LIBRI UNDECIMI.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER DUODECIMUS.
GEMMÆ ET LAPIDES.

Achates. 1
Adamas. 2
Ætites seu lapis Aquilinus. 3
Amethystus. 4
Amianthus. 5
Asbestus. 6
Beryllus. 7
Camphora. 8
Carbunculus. 9
Ceraunius. Brontia. 10
Chrysolythus. Chrysolectrus. 11
Corallium. 12
Cos. 13
Chrystallus. Chrystallus trigona. 14
Diacostides. 15
Diadochus. 16
Enydros. 17
Gemma. 18
Hyacinthus. 19
Jaspis 20
Iris. 21
Lapis. Saxum. Marmor. 22.
Lapis Lydius. 23
Magnes. 24
Margaritha. Concha margaritifera. 25
Opalus. 26
Sal. 27
Sapphyrus. 18
Sardius. 29
Sardonyx. 30
Selenites. 31
Silex. Chalybs 32
Smaragdus. 33
Succinum. Electrum. 34
Topazius. 35
Vitrum. 36

ACHATES. *Caput* I.

1\. ACHATES Indicus, flammis impositus, suavissimum odorem instar aromatis exhalat. Bercorii de illo sententia est; *Achates Indicus in igne positus, odorem emittit.* Unde lemma; DUM FLAGRAT, FRAGRAT. Propriissima hæc S. Marciani Martyris, & primi Tortonensium Episcopi, idea est; cùm enim ardentibus laminis à Carnificum tyrannide excruciaretur, *Exibat de corpore ejus fumus tanquam multorum pigmentorum odoris fragrantis.* Quod si mysticam Emblematis mentem spectare libeat, opportunè dixeris, S. Laurentium, igne consumptum, instar achatis, suavissimos pietatis Christianæ odores evaporasse. *In craticula te Deum non negavi, & ad ignem applicatus, te Christum confessus sum.* Et, ut compendio dicam, iis omnibus hæc imago convenit, qui inter calamitatum suarum ardores in amoris Divini, ac ædificationis alienæ affectus prorumpunt. S. P. Augustinus; *Sicut uno motu exagitatur fœnum, & suaviter fragrat unguentum; ita una tribulatio irruens bonos probat, purgat, & eligit; malos reprobat, exterminat, & annihilat.*

Bercr. Reduct. l. 11. c. 42. n. 3. S. Marcianus Ep. & M. S. Laurentius. Pati cum ædificatione. *S. Aug. in Psal*

2\. Achates oculis confortandis inservit. Unde lemma; ÆGRA LUMINA FOVET. Bercorius, superiore numero adductus, posteaquam illius Achatis virtutem explicaverat, subjungit; *Talis est vir perfectus & prædicator, quia verè sua vita & doctrina in aliis visum discretionis & fidei nutrit & fovet.* Achatem pretiosum sese orbi probavit S. Laurentius, *Qui per signum Crucis cæcos illuminavit.* De hoc in suo Larario eruditè canit D. Gregorius Bolzi

Exemplū bonum. S. Laurentius. *Bercor. l. c. Greg Bolz. Lar Mens. Aug. ep. 91.*

Vix jubet è geminis decedere vultibus umbras,
Hosque frui grato lumine Iberus eques;
Cum subitò fama vulgante ostenta per urbem,
Omnis homo læta cæcus in urbe volat.
Damnatas quot Roma dolet caligine frontes,
Has ovat illustres luce micante videns &c.

Et alibi;

Lumina non spectas cæcis obducta tenebris,
Quin jubeas nitidam Martyr habere diem &c.

Idem Epi. 92.

3\. Physicis compluribus compertum est, mirâ Achatis energiâ venenum reprimi. Ut adeò non abs re Emblematis loco subscripserim; IN VENENA VENENUM. Vel ut meo Carducio placet, MORS PRETIOSA VENENI. Eadem Theologi profundi, Inquisitoris industrii, ac Prædicatoris potentis est efficacitas; quippe quorum virtute mortiferum hæreticorum virus, ac populi flagitia è Provinciis longissimè proscribuntur. S. Gregorius Papa; *Prædicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, ut more narium discernat fœtores vitiorum, odoresq; virtutum.*

S Greg. P. hom. 11. in Ezech.

4\. Nobilis illa metaphora, S. Isidoro usurpata, lemmatis vicem subire potest; *Achates* POLITURA PINGUESCIT. Sensus est, hanc gemmam lævigatam, è sinu suo pinguem quemdam exsudare humorem. Vel certè, illam, artificis industria probè politam & elaboratam, mirificè venustam, ac veluti pulchritudine pinguem evadere. Haud aliter Juventus, assiduo magistrorum ac parentum studio exculta, maximum virtutis incrementum capit. Optimè dixit S. Cyprianus; *Disciplina,* id est, bona instructio ac educatio, *est custos spei, retinaculum fidei, lux itineris salutaris, fomes, ac NUTRIMENTUM BONÆ INDOLIS, magistra virtutis.*

S. Isidor. l. cap. 14. Educatio utilis. *S. Cypr. tr. 2. de habi Virg.*

5\. Achatem naturæ miraculum jure dixeris, qui in suis maculis, coloribus, ac notis innumera rerum curiosarū prodigia exprimit. Plinius de gemmis illis affirmat; *Reddunt species fluminum, nemorum, & jumen-*

Plin l. 37. cap. 14.

Idem c.1. *jumentorum.* Et paulò post de Pyrrho, Epirotarum Rege, ait; *Habuisse traditur Achatem, in qua novem Musæ, & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.* Hieronymus Cardanus tres Achates alicubi asservari testatur, quorum primus solius naturæ artificio caput Galbæ; alter geminos distinctos oculos; ac tertius ignem cum evaporante cæruleo fumo, repræsentat. Didacus Castillius S. Mariæ Magdalenæ imaginem, una cùm nube, solius naturæ interventu, adeò distinctè in achate efformatam fuisse refert, ut præstantissimi pictoris miraculum videri potuisset. Proinde ejusmodi gemmam hoc Emblemate insignire licet; SPECIE MULTIFORMI DECORA. Vel; CENTOFORME, E VAGHEZZE HA' IN SENO ACCOLTE. Totidem in VerbiDivini persona pulcherrimas icones & hieroglyphica cernere licet. Est enim Angelus testamenti, Leo de tribu Juda, Agnus tollens peccata mundi, Aquila provocans pullos ad volandum, Lux illuminans omnem hominem, Clavis David, Sceptrum Israëlis, Ros cœlestis, pluvia fœcundans &c. S.P. Augustinus de Christo disserens, ait; *Dicitur vitis per similitudinem, quemadmodum dicitur avis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera hujusmodi.* Et S. Ambr. *Omnia Christus est omnibus. Si vulnera curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si gravaris iniquitate, justitia est: si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, vita est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est.* IN Maria Virgine, ceu Achate pretiosissimo, Solis venustas, candor lunæ, Lux auroræ ac stellarum mirificè resplendet. In illa Rosarum odor, lilii puritas, humilitas violæ, obedientia heliotropii, ad vivum cernuntur expressa. Illa insuper est Cedrus Libani, Cypressus Sion, Palma Cades, oliva campi, Platanus plateæ; ovicula innocens, margaritha argentea, Arcus pacis, Porta paradisi, Vas aureum, Arca testamenti. &c.

Did. Castill. de ornatu & vestibus Aaronis.

Christus.

S. Aug. Tract. 80. in Ioan.

S. Ambros. l. de Virginit.

Maria V.

6. Miserum Achatem! quippe cujus præclara virtus ac excellentia, tantopere ab antiquis æstimata, nunc, Plinio teste, nihili habetur. *Achates*, inquit, *in magna fuit authoritate, nunc in nulla est.* Sed unde obsecro, tam immodicus nobilissimæ gemmæ contemptus? non sanè ab ipsius virtute vitiatâ aut diminutâ, sed à sola ac nimia ejusdem copiâ. Quare Achatem hoc lemmate afficies; COPIA VILESCIT. Res quævis terrenæ hanc conditionem veluti individuam habent. Nam ob raritatem suam aliquantulum æstimatæ, tandem suâmet copiâ vilescunt ac negliguntur. Verissimè dixit S. Gregorius; *Corporales deliciæ, cùm non habentur, grave in se desiderium accendunt: cùm verò avidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt.* Eccui videatur dubium, quin Manna, è cœlis in Hebræorum castra dispensatum, pretio fuerit longè maximo, utpote attonitis his vocibus exceptum, *Manhu? quid est hoc?* Erat quippe panis è penore cœlesti depromptus, Angelorum manibus confectus, & in se continebat *omne delectamentum & omnem saporem suavitatis.* Et tamen, quod mireris, panis iste suavissimus Hebræorum nauseam tandem adeò provocavit, ut passim quererentur; *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Cur ita? solius copiæ causâ, quâ omnis latè planities liberalissimè cooperta ac indulcata fuerat. Rei insolentiam admiratus David. *Pluit*, inquit, *illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo: cibaria misit eis in abundantia.* Quod tamen ipsum tandem *copia vilescebat.*

Plin. l. 37. c. 10.

Copia res facit viles.

S. Greg. Hom. 36. in Evang.

Exod 16. 15.

Psal. 77. 24.

ADAMAS.

Cap. II.

7. ADamas, nec flammis, nec malleis frangendus, epigraphen sustinet; NEC FERRO, NEC IGNE. Vel; SEMPER IDEM. vel certè; SEMPER CONSTANS. Talem se generosus ac invictus hominis animus inter adversitates quasvis gravissimas probat. Dionysius Petavius in rem præsentem canit;

Fortitudo, Constantia.

Pectoris indomitum solido ex adamante vigore
Disce puer, vanos excutit ille metus.

Justus Lipsius ait; *Sicut adamas, nobilissima inter gemmas, infractâ vim habet: sic Princeps debet animi robur:* Et Seneca; *Quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferri duritia est, nec secari adamas, aut cedi, vel teri potest, sed incurrentia ultrò retundit, ita sapientis animus solidus est. &c.*

Lips. l. 1. c. 7. Monit. Polit.

Sen. l. 2 de Tranqu. c. 3.

8. Scipio Bargalius Adamanti subscripsit; MACULA CARENS. Singularem animi puritatem, qualis Mariæ Virginis erat, hoc Emblemate describes. De Maria Virgine dilucidè testatur Fulbertus Carnotensis; *Anima ipsius, & caro, quam elegit, & habitaculum sibi fecit sapientia Dei Patris, ab omni malitia, & immunditia purissima fuerunt. Item è contra confidenter asserimus, quia nullo virtutum genere vacabat, cui plenitudinem gratiæ Dei nuntius asserebat inesse.* Porrò Maria Virgo etiam in ipso conceptionis suæ momento fuit Adamas *macula carens*; unde attonitus exclamat S. Joannes Damascenus; *O beatos Joachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen effluxit. O præclaram Annæ vulvam, in quâ tacitis incrementis ex ea auctus atque formatus fuit fœtus sanctissimus.*

Maria V.

Fulb. Carnot. ser. 1. de Nat. Virg.

Conceptio M. V.

S. Io. Dam. Orat. 1 de Nat. Virg.

9. Invicta sanè fuerit S. Antonii Abbatis, & S. Francisci Xaverii constantia, quorum ille in Ægypti deserto, hic verò propè S. Thomæ Apostoli sepulchrum à cacodæmone percussus, generosè obstitit. Unde P. Certanus utrumque illum cum Adamante comparat, qui supra incudem positus, malleis frustra tunditur. Emblemati epigraphen subdidit; HAUD CONTERITUR. Origenes; *Ecce enim*, inquit, *vir stans super murum Adamantinum, & in manu ejus adamas, qui adamas NULLO CONTERITUR MALLEO. Igitur quamvis instet diabolus, qui malleus est, subjaceat Draco, qui velut incus indomita, nihil is, qui in manu Domini est, patitur adamas.*

Imperterritus animus.

Orig. in Caten. græcâ super cap. Hierem.

10. D. Primus Aloysius Tatti duos aut plures malleos depinxit, qui adamantem repetitis ictibus conterere nitebantur; cum lemate, NIHIL PROFICIENT. Verbis ex illo Psalmi mutuatis; *NIHIL PROFICIET inimicus in eo.* Talis omninò fuerat heroica ac invicta Virginum quarundam fortitudo, omnibus sensuum, & tyrannorum assultibus superior. Certè quidquid blanditiarum aut suppliciorum adversus generosas Virgines Demetriam & Bibianam excogitavit Aproniani crudelitas, *illæ neque blanditiis, neque minis à recta fide declinantes, Prætoris impietatem constantissimè detestantur.* Tametsi Ruffina, mulier vaferrima, ad S. Bibianæ integritatem labefactandam mille donorum, minarum, injuriarum, & verberum admoverit machinas, tandem, *NIHIL PROFICIENTE Ruffina*, Præfectus illam Carnifici excruciandam tradidit. Eâdem omninò ratione Decius, in S. Laurentio superando, artem, operamque omnem perdidit

Psal. 88. 23.

Resistere.

Brev. Rom. 2. Decemb.

S. Leo Papa. ser de S. Laur. didit : unde ad tyrannum conversus S.Leo Papa, *Nihil obtines*, inquit, *NIHIL PROFICIS sæva crudelitas.*

Cassiod.l.5. Var Ep.40. 11. Adamas, annulo insertus, à D. Octavio Boldono epigraphen cepit; IN AURO NITIDIOR. Lemmate ad illud Cassiodori alludente; *Gemmarum divites venæ auri fulgore pretiantur.* Hinc ad mores formandos deduces; constantiam, fortitudinem, tolerantiam, sinceritatem, omnesque alias virtutes, ceu totidem adamantes, se ipsis quidem pretio haberi perquam magno; at si in animabus Deo charis, aut vitæ sanctimoniâ illustribus recipiantur, tum demum nobilissimas ac pretiosissimas evadere. S.Bernardi sententiâ, *Castitas sine charitate, lampas est sine oleo; subtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, castitas non placet.* Antonius Guilielmus eodem Emblemate demonstrat, animas, quamlibet in hac vita pretiosas ac pulchras, olim in cœlis è Divina præsentia venustatem ac valorem infinitis intervallis ampliorem esse sortituras. Ipsiusmet verba Italica ita habent. Anima beata. S.Bern.in Epist. Ant.Guil. discursu 38. Reflessi della SS Trinitat.

Gemma vaga nel fango, in or piu splende.
Bell' alma in carne, in Dio quanto risplende?

Puritas. 12. Adamas, cum lemmate, IN PURITATE PRETIUM, vel; DECOR. seu, QUO PURIUS, EO PRÆCLARIUS. Virgineam vivendi rationem concernit, quæ gloriam suam omnem è supremo puritatis ac munditiei fastigio metitur. Unde Virgo è S. Cypriano rectè vocatur *ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio Gregis Christi.* Juvenalis; S.Cypr.l de Virg. Iuven.Sat.8

Prima mihi debes animi bona, sanctus haberi,
Justitiæque tenax, factis dictisque mereri.

13. Incisuræ, quibus Adamas expolitur, unicè ad ipsius pretium augendum destinantur. Unde Dominicus Gambertus illum hoc Claudiani hemistichio insignivit; DAT PRETIUM VULNUS. Ita milites è corporis sui cicatricibus plurimum gloriæ recipiunt, seque hosti à fronte obluctatos, ac factis heroicis conspicuos demonstrant. Martyres quoque tantò majus existimationis ac præmii incrementum capiunt, quò frequentiore vulnere lacerati fuerint. S.Joannes Chrysostomus, ubi observabat, quod sanctus Job *testâ saniem radebat*, subjungit; *Nec enim tantus est splendor purpuræ, quantus illius tunc erat corporis, non alieno, sed suo, ac proprio sanguine repressi: illaque ulcera omnibus pretiosis lapillis erant pretiosiora.* Claud.2.in Eutrop. Milites. Martyres. S.Ioan.Chrys. inCaten aur super Iob.2.8.

Beneficium inimicos vincit. 14. Tam immodicum est adamantis robur, ut aurifabris ad res quasvis durissimas incidendas scalpri loco deserviat. Cui proinde Franciscus Raulinus hanc epigraphen subdidit; ET DURA INSCULPSIT. Ita beneficium, ab homine generoso ac prudente in hostes erogatum, illorum corda, quamlibet obstinata, emollit. E S.Pauli consilio; *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Id est, interprete S.Thomâ Villanovano, *Et accendetur charitas, & destruetur malitia, & cessabit inimicitia, & erit frater, quem inimicum putabas.* Alphonsi, Aragoniæ Regis, dictum erat, *Oblatrantibus canibus, & rebellantibus, offulam objiciendam.* Veluti diceret; *malevolos homines beneficiis vincendos esse.* Rom.12.20. S.Tho Vill. ser.12.in Fer.6.Ciner.

Animus fortis. 15. Carolus Bovius Adamantem figuravit, cui ex una parte imminebat malleus, ex altera verò vas, aquis plenum, cum lemmate, NEC MOLLIOR, NEC FRANGOR. Ita invictus ac fortis hominis animus nec fortunæ blanditiis emollitur, nec adversitatum insultibus frangitur. Josephus inter fratrum livores, patriæ exilium, Ægyptiæ adulteræ calumnias, & carceris horrores æquè triumphavit, atque cum, Pharaonis gratia, ad supremam Proregis Majestatem eveheretur. S. Vincentius Martyr, sive verberibus, equuleis, ardentibus carbonibus, & ferreis graphiis excruciatus, sive in molli lectica, respirandi causa, positus, æqualem utrobique palmam retulit. *Invictus Vincentii animus Jesu Christi fide, speque munitus, vicit omnia.* Tullii sententiâ; *Ad magnanimum pertinet, neque perturbationi animi, neque hominis, neque fortunæ succumbere.* S.Vincentius. Iomn.22. Cicero l.1. Offic.

Rigor. 16. Adamas, eo situ collocatus, ut ab eminente quodam malleolo percussus, ad alium vicinum adamantem rumpendum scalpri loco deserviat; epigraphen sustinet, DURUM DURO FRANGO. Idipsum nonnunquam à Prælatis aut Judicibus observatum velim, ut contumaces ac obduratos subditorum animos duriore agendi methodo effringant. Unde ubi Vulgata Biblia nostra in Amos legunt, *Ecce Dominus stans super murum litum, & in manu ejus trulla*; Septuaginta vertunt; *Ecce Dominus stans super murum adamantinum, & in manu ejus adamas.* Ex quo, ut P.Corn.à Lap. observat, hunc sensum colliges; *Etiamsi animus, æque ac murus Israelis, & Samariæ, sit durissimus, & adamantinus, ego tamen, ut adamas, longè durior & fortior, eum confringam & conteram. Significat ergò Adamas cuilibet potentiæ, etiam adamantinæ, oppositam esse Dei omnipotentiam, & vindictam quovis adamante fortiorem.* Cùm enim Judæorum pectora, ceu totidem adamantes, obriguissent; Deus econtra illorum duritiem supplicio quodam durissimo & adamantino edomare coactus fuit; siquidem, ut vetus illa S. Hieronymi & Pauli Manutii paræmia tradit, *Malo nodo malus adhibendus est cuneus.* Amos 7.7. Corn.à La in hunc loc S.Hieron.l adOceanu Manut in Adagiis.

Pater, filii egestate mœstus. 17. De Adamante testatur Georgius Agricola; *Adamas nonnisi propriis fragmentis scalpi potest.* Unde authore meo Concanonico D.Philippo Gallinâ, Emblematis loco adamantem depinges, qui à fragmentorum suorum quopiam incisus ac dissectus, epigraphen ferat; SUIS SCALPITUR FRAGMENTIS. Ita nonnunquam imperterrita parentum pectora, ac quibusvis calamitatibus superiora, si miseros suos filiolos concuti, aut ærumnis pulsari senserint, mox transfigi, ac commiseratione frangi solent. Agar, tametsi è nobili Abrahami familia in exilium pulsa, & ab ipsis etiam elementis in extremam penuriam conjecta, constanti & adamantino pectore pertulit omnia: at ubi charissimum suum Ismaëlem sibi extinguendum animadvertit, mox toto animo transfixa; *levavit vocem, & flevit.* Jacob quatuordecim integris annis gravissimas ærumnas leonino corde superavit, at Josephum suum occisum, & è fera dilaniatum audiens, *scissis vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum.* Verissimè in rem nostram dixit Cassianus; *Sæpe, quos flamma non terruit, quos ferrum non subdidit, necessitudinum blandimenta flexerunt.* Georg Agr de Natura Fossil.l.1. Gen.21.16. Gen.37.34. Cass.super illud Psal Iniquos od. habui &c.

Educatio utilis. 18. Adamas, quantumvis naturâ suâ nobilis, lapidi tamen molari impositus plurimùm lævigatur & expolitur. Unde lemma; EX ILLUSTRI CLARIOR. D. Joannes Baptista Mazzollenus hoc Emblemate demonstrat, Juvenes, tametsi prosapiâ nobiles, si morum disciplinis, ac litterarum exercitationibus impigram in Academiis navent operam, maximi splendoris incrementum sortituros esse. Chrysostomi sententiâ; *Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, si dedignetur servire vitiis, & ab eis non superari.* Emblematis mentem succincto & erudito hoc disticho inter- S.Chrys.in Matth.

interpretatur meus Concanonicus D. Salvator Carducius.

Clarior ut fiat pulcherrima gemma, politur.
Nobilior studio fit quoque Nobilitas.

19. Duos Litteratos, mutuâ ingenii sui acie sese perficere solitos, geminis adamantibus comparabis, quorum acumina inter se collisa, epigraphen habent; INVICEM EXCULTI. Rabbi Salomon, à P. Cornelio à Lapide citatus, in illa Salomonis verba, *Ferrum ferro acuitur*, hanc paraphrasin ponit; *Quasi dicat; qui sapientis Præceptoris operâ instruuntur, mutuis quæstionibus acuuntur, uti quotidie fieri videmus in scholis per disputationes Philosophicas & Theologicas, in quibus respondens ab argumentante, dum rationibus stringitur, acutior redditur.* Ita in comitiis politicis & civilibus unius Consiliarii ingenium ab alterius prudentia acuitur; & in mechanicis unius fabri artificium à contribulibus perfici indies experimur.

Corn. à Lap. in Prov. 27. 17.

Consensentia litteratorũ.

20. Hominem in virtutis exercitio, ac honoris gloriævè incremento assiduum, cum Adamante comparabis; addito lemmate, DURAT, ET LUCET. Salomone teste, has ipsas prærogativas Sapientia Divina proprias sibi vendicat, quæ clarissimum splendorem, nullo unquam ævo intermoriturum demonstrat. *Clara est enim, & quæ nunquam marcessit sapientia.* Cassianus, *Sapientia*, inquit, *viol . . . tiâ non aufertur, antiquitate non corrumpitur, absconsione non minuitur, & communicatione multiplicatur.* Haud aliter duratio & claritas, veluti comites individuæ, castimoniam sequuntur. Unde idem Sapiens admirabundus exclamat; *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim &c.*

Perseverantia.

Sapientia Divina.

Cap. 6. 13. Cassian. in Epist.

Castitas.

21. Adamas, alterius adamantis acumine incisus, hanc gnomam præfert; FORTITER, ET SUAVITER. Verbis è Salomone mutuatis, ubi de Providentia Divina ait; *Attingit ergò à fine usque ad finem FORTITER, ET disponit omnia SUAVITER.* Deus enim ob res sapientissimè inter se ordinatas, infallibilem voluntatis suæ effectum consequitur; atque ideo operatur *fortiter*; at quia nullam humanæ libertati violentiam infert, suosque loco & tempori eventus congruos permittit, idcircò totius universi negotia disponit *suaviter.* Hanc agen . . i methodum Principes & Præl . ti observatam habeant, suosque subditos gubernent *fortiter*, & *suaviter*: terroris enim vehementiam benevolentiâ moderentur. Nam, ut sollicitè monet S. Joannes Chrysostomus; *Et Medici non solùm secant, sed & vulnera obligant, neque semper amara, sed nonnunquam & lenia pharmaca infundunt, ut per priora purificetur sanies & putredo, per posteriora autem mitigetur dolor.* Hanc efficaciæ & suavitatis temperiem Servator in Conversione Matthæi, Zachæi, Sauli, & aliorum; cumprimis tamen in saxeo Magdalenæ pectore emolliendo adhibuit. In rem præsentem opportunè canit Franciscus Rugerius;

Cap. 8. 1.

Correctio

Regimen.

S. Io. Chrysost. Hom. de habenda cura proximi.

Magdalena conversa.

Miraris rivos manare è marmore, Jesu
Magdalis ante pedes dum lachymatur amans?
Quæ prius obdurans adamantina corda referret,
Effectq; in duro pectore dura silex?
Non mirere, Dei quatiuntur verbere corda,
Protinus irriguis illa liquescit aquis.
Sic Adamas adamante levi contunditur ictu,
Disrumpi gemmâ nonnisi gemma potis.

22. Adamante vicino, nec Magnes attrahit ferrum, nec ferrum ad Magnetem trahitur. Testem habe luculentissimum S. P. Augustinum his omninò verbis; *Quid de Magnete legerim, dicam: quando juxta eum ponitur Adamas, non rapit ferrum, & si jam rapuerat, ut ei appropinquaverit, mox remittit.* Unde Adamas, inter ferrum & Magnetem figuratus, epigraphen tenet; VIRES UTRIMQUE RESOLVIT. vel; UTRIMQUE VIRES ENERVO. Ita Sanctissima Eucharistia, diebus antecineralibus exposita, suos vanissimo mundo nervos, ac peccandi licentiam incidit, retrahitque fideles à vitiorum consuetudine. Eidem Emblemati alius subscripsit; VIS ALTERA VETAT, seu, LEVAT. Eorum hæc imago est, quos cœlestium bonorum præsentia & aspectus à mundo avellit. His jure accenseas Michaelem Stratonicum, cognomento Senem, Græciæ Imperatorem; qui cùm Patriarchæ Constantinopolitani nomine edoceretur, se renunciato imperio *Regnum cæleste* amplissimo fœnore recepturum, *statim depositâ purpurâ, & cocco tinctis calceamentis, veste privata indutus descendit.* Ita Baronius. Verissimè dixit S. Gregorius Papa, *Si consideremus, quæ & quanta sunt, quæ Sanctis dabuntur in die judicii, quæ & quanta, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia, supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium.*

S. Aug. l. 21 de civit. c. 4

Eucharistia.

Separatio.

Beatitudo.

Baron Anno Christi 1057

S. Greg. Pap. in Homil.

23. Christina Borbonia, Sabaudiæ Dux, ac Henrici IV. Galliarum Regis filia, symboli loco adamantem prætulit, cum lemmate Gallico; PLUS DE FERMETE, QUE D'ESCLAT. Id est, PLUS FIRMITATIS, QUAM LUCIS. Georgius Agricola, huic iconi conformis, de adamante docet; *Adamas omnium gemmarum est durissimus, absque colore.* Anima generosa pretium suum ab interiori virtute magis, quàm ab externo splendore sibi conciliet. Certè Cato *esse malebat, quàm videri bonus*; ut de eo refert Sallustius. Res enim laudatissimas sine laudis ambitione, & virtutes sine existimationis alienæ affectu, exequebatur. Eandem Proprietatem Virgines sibi familiarem habeant, conenturque magis fortitudinem adversus hostium insidias, quàm splendoris vanissimi ostentationem præseferre.

Georg. Agric de Gemmis.

Virtus interna.

Sallust. de Bell. Catil.

Virgo.

24. Adamas, annulo inclusus, ac propè libellam monetariam suspensus, hoc lemmate superbit. NEC SE QUÆRIT EXTRA. P. Leonardus Velli hoc schemate significabat, Cardinalis Petri Camporii virtutem, se ipsâ satis pretiosam, existimationis suæ pondus nequaquam ab aliorum judicio emendicâsse. *Neque nostrûm est*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *ac ne Philosophi quidem, eam generis claritatem admirari, quæ sanguine ac diplomatibus comparatur, sed eam demum nobilitatem intelligo, quam pietas, vitaque sanctimonia, ascensusque ad primarium illud bonum, ex qua originem traximus, exsculpsit.* Ovidius.

Proprius valor.

Virtus.

S. Greg. Nazianz. in laud. Hieronis.

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Ovid. l. 13. Metam.

Et Juvenalis.

--- Sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim, sicut nihil ipse futuræ
Laudis agas, miserum est, aliorum incumbere famæ.

Iuvenalis Satyr 8.

Huic accinit Urbanus VIII.

Sat suo censu sibi dives, extra
Se nihil virtus cupit.

Vrban VIII. ad Io. Ciampol.

Persius, cùm Romanos aliorum scriptis applaudere, satyras verò suas, moribus corrigendis factas, neglectim præteriri cerneret; ad librum suum conversus, illum illorum judicia minus æstimare, sed proprio valore contentum esse hortabatur.

Persius Satyr. 1.

Non,

--- *Non, si quid turbida Roma*
Elevet, accedas, examenve improbum in illa
Castiges trutinâ, NEC TE QUÆSIVERIS
EXTRA.

In morte. 25. Adamas, velo coopertus, à Bartholomæo Rosso epigraphen cepit; ILLO ABLATO CLARIOR. Mens Emblematis erat, S. Caroli animam, è molesto corporis involucro absolutam, meritis ac virtutibus, plusquàm aliàs clarissimis resplenduisse. Ore plane aureo S. Joannes Chrysostomus; *Domo suâ relictâ*, inquit, *pergit anima mea ad suum festinans maritum & Dominium; & tu luges; Vadit ad aliam lucem; solvitur quasi in vinculo quodam, & quasi à certamine egreditur. Nescis quod sicut sol mundus ascendit, ita & anima, RELINQUENS CORPUS cum pura conscientia, FULGET CLARE.* (*S Io Chrys Hom. 21. in Acta.*)

26. Meâ quidem sententiâ, pulcherrimo cuidam Adamanti, propè ingentem marmoream pyramidem collocato, opportunam hanc gnomam è S. P. Augustino subjunges; ID MAJUS, QUOD MELIUS. Siquidem rei cujusvis dignitas non è molis extensione, sed ab intensione virtutis metienda est. Plinius in suâ ad Trajanum Imperatorem panegyri ait; *Reversus Imperator, qui privatus exieras, agnoscis, agnosceris: eosdem nos, eundem te putas, & ob id tantùm cæteris MAJOR, QUOD MELIOR.* Et Justus Lipsius. *Non est felix qui in magna fortuna est, sed qui habetur, & est ob virtutes ea dignus.* (*S August. l. 6. de Trinit.* — Meritum. *Plin in Paneg. Traj.* — *Lips. in Paneg. Traj.*)

27. Adamantis invictum robur, quàvis ferri violentiâ superius, è solo hircini sanguinis contactu rumpitur. Plinii de illo verba sunt; *Ferri, ignisque contemptor, hircini rumpitur sanguine.* Et S. Isidori; *Adamantem lapidem, quem nec ignis, nec ferri domari valet materia, solus hujus* (hirci) *cruor dissolvit.* Unde inscribes; SANGUINE MOLLESCIT. vel; CRUORE DISSOLVOR. Ita cor humanum, adamanti simillimum, violentis imperiis ac correctioni asperæ obluctatur, solâ emolliendum benevolentiâ & suavitate. Hugo de S. Victore ait; *Durus Adamas incisionem ferri non recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit. Blandis enim dives exhortationibus placandus est &c.* Et S. Hieronymus de homine Christiano: *Quantò magis tentationibus caditur, tantò fortior fit, & pro nomine Salvatoris inter flagella lætatur. Cumque à nullo superari queat, solo mortiferæ libidinis calore dissolvitur.* (*Plin. l. 37. c. 4.* — *S. Isidor. l. 12 c. 1.* — Correctio suavis. *Hug. Vict Tom 3. Miscell. l 2. tit. 14.* — *S Hieron in c. 7. Amos.*)

28. Adamas, lapidum omnium pretiosissimus, cæteros & claritate & splendoris præstantiâ antecedit; at nunquam sereniore micat lumine, quàm ubi soli expositus, illius radios copiosè excipit, & inde fulgorem suum intendit. Unde serenissimus Philotheus sub sereno sole adamantem depinxit, qui plurimos diffundens radios, hoc lemma subjunctũ habuit; CLARIUS INDE MICAT. Ita viri magni etsi naturalibus splendeant donis, nunquam tamen majorem sibi circumponunt splendorem, quàm ubi gratiæ Divinæ radios simul excipiunt, iisque claritatem suam adaugent. *Hoc agit Spiritus Sanctus*, inquit Magnus Augustinus, *ut imaginem Dei, qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Iconis meutem hoc Epigrammate explicat Philotheus; (Gratia Dei. — *S. Aug de Spir. & litt. cap. 27.*)

Tu, qui non flammis, non dura incude domaris,
Qui radio assimilas sidera clara tuo.
Clare Adamas, quo non gemma est præstantior ulla
Visa per Eoi littora pulchra maris.
Quamvis tu stellas candore imiteris & igni,
Sole tamen tactus, clarius inde micas.
Fortunate lapis, cui se natura probavit,
Et patrium intendit magnus Apollo decus.

29. Adamas in annulo aureo resplendens, epigraphen sustinet; A ME DECUS ADVENIT ORBI. Charitatis hæc idea est, quæ omnibus tam animi, quam corporis divitiis splendorem, pretium, & coronidem addit. S.P. Augustinus; *Magnæ sunt divitiæ charitatis, sine qua dives pauper est, & cum qua pauper dives est. Nam dives, si charitatem non habeat, quid habet? Quamlibet grandis substantia sit, sine charitate inanis & vacua est.* Et rursus; *Quomodo oleum omnibus humoribus superius esse cognoscitur, ita charitas omnibus virtutibus sublimior comprobatur.* Cæterùm Orbem Europæum Augustissima Domus Austriaca instar pretiosissimi adamantis illustrat ac condecorat, uti Reverendissimus & Eruditissimus meus Concanonicus, D. Adamus Weberus in suo absolutissimo Adamante Austriaco demonstrat, cujus fronti hoc distichon præfixit, (Charitas. *S. Aug. ser 42. de Tem.* — *Idem ibid.* — Domus Austriac.)

Annulus Europa est, Adamas Domus Austria: Gemma
Europam melior condecorare nequit.

30. Adamantem esse prolificum, & fœtum intra viscera concipere, multi tradunt Philosophi. Inter alios scribit Ludovicus Vives, se à plerisque didicisse, Principi Ravastasio esse Adamantes in Larario, qui fœtificent, & alios pariant adamantes. Refert item ex Rueo Anselmus Boëtius, quondam Rudolphi II. Imperatoris, & ejusdem dactyliothecæ Præfectus, existere adamantes, qui alios identidem ex sese progenerent adamantes, ac divite partu enitantur: Dominamque Herverensem ex Luxemburgorum illustri familiâ duos habere adamantes hæreditarios, qui alios crebrò producant, tanto naturæ miraculo, ut eos quicunque statis temporibus intuetur, congenerem sibi prolem eniti palam judicet. Quin etiam ova sua parere adamantem, testatur Majolus. Unde fœtificanti adamanti subscribes; PROLE SUA FELIX. Ita Maria Virgo, instar candidissimi ac pretiosissimi Adamantis, prodigiosâ fœcunditate filium enixa est. Verè Adamantium: si enim prolis hujus pretium spectes, Deus est; si pulchritudinem, *speciosus præ filiis hominum*; si fortitudinem, nulli cedit tormento. S. P. Augustinus; *De Virgine Maria caro Christi; & caro illa non peccatrix, sed peccatorum mundatrix.* Cæterùm in eadem prolifica Adamantis virtute eruditissimus meus D. Weberus non obscuris lineamentis expressam cernit fortunatissimam illam Austriacæ Domûs fœcunditatem, quæ orbi Christiano dedit tot præstantissimos Principes, & bono publico natos Heroës, jam inde à Rudolpho, cognomento Habspurgico, Domûs Austriacæ primo Conditore, usque ad Leopoldum Cæsarem, Filiorum Ferdinandi III. non quidem natu, sed tamen dotibus maximum, nomine & Imperio primum. Vide citati Authoris præclarissimum Adamantem Austriacum, ubi non minus prolixè, quàm eruditè in rem præsentem disseritur. (*Lud. Vive in scholio in D. Aug l. 2 de Civit. c.* — *Majol. Dies Canic. Colloq. 18.* — Maria V. — *S. Aug. Psal. 88. Conc. 2.* — Domus Austriac. — *D. Io Adam Weber Adamant. Austr. dissert. 1.*)

31. Adamantis Genesin indagavit solerter, invenit feliciter, & exposuit dilucidè Magnus ille arcanorum Naturæ explorator Athanasius Kircherus, ubi docet, Adamantem ex purissimis, subtilissimis, & defœcatissimis, nullâque reliquorum succorum Mineralium tincturâ pollutis, aut crassioribus portiunculis contaminatis, perque intimas montium fibras, ad rupem porosam, velut locum proportionatum delatis, atque intra cavitates hujus rupis porosæ receptis, generari. Unde lemma; PURA MIHI GENESIS. Rursùs Divinam Prolem, è purissimo Virginis Deiparæ, veluti celsissimæ rupis sangui- (*Kirch mund. sub. terr. Tom. 2. l. 8. cap. 7* — Maria V.)

S. Aug. in P. 50. sanguine natam, hæc imago concernit; S. P. Augustinus; *Præter vinculum concupiscentiæ carnalis natus est Christus sine masculo, ex Virgine, concipiente de Spiritu Sancto.* Reverendissimus D. Weberus in eâdem purissimâ & defœcatissimâ Adamantis Genesi adumbratam agnoscit eminentissimam Familiæ Austriacæ nobilitatem, quæ quoniam per plurimorum Heroum, nullâ fœce vulgi contaminatorum, sanguinem deducta est, meritò uti purissima, ita & præstantissima vocari potest. Vide, obsecro in eruditissimo ipsius Adamante Austriaco sedecim classes summorum Principum, è quibus, veluti fontibus promanat Augustissima Domus Austriaca: Prima enim deductio est à Regibus Francorum Orientalium in Germania. 2. à Regibus Gothicis, Castellæ ac Legionis. 3. à Regibus Navarræ sive Vasconum. 4. à Regibus Lusitaniæ. 5. à Regibus Arragoniæ. 6. ab Henrico Aucupe Imperatore, per intermedios Imperatores Suevici & Saxonici sanguinis. 7. à Carolo Magno Imperatore. 8. ab Hugone Capeto, aliisque Capetinis Galliæ Regibus. 9. à Regibus Burgundiæ. 10 à Ducibus Burgundiæ per Philippum Valesium. 11. à Saxonicis Angliæ Regibus. 12. à Normannicis Angliæ Regibus. 13. ab Imperatoribus Græcis Constantinopolitanis. 14. ab Othone Magno Wittelspachio, cæterisque ab eo serie nunquam interruptâ oriundis Serenissimis Bavariæ Ducibus & Electoribus. 15. à Regibus Bohemiæ. 16. per Serenissimas Fœminas à tempore Rudolphi I. Hapspurgici, quas enumerat citatus Author. Ut adeò jure è Claudiano exclamet.

Domus Austriaca. Weberus l. diss. 2.

Quis venerabilior sanguis, quæ major origo?

32. Garcias ab horto testatur, Adamanti, si incaluerit, virtutem inesse magneticam attrahendi festucas. Lemma; NEC INFIMA SPERNIT. Christi genuina hæc imago est, qui instar pretiosissimi adamantis non dedignatus est, vilissimos peccatores ad se trahere, ac Regni sui cœlestis cohæredes facere. Unde amantissimæ ipsius voces erant, *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* Et; *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.* Est & suus Adamanti Austriaco Magnetismus, quo laudatissimæ hujus Domûs Principes non modò summa orbis capita, sed & festucas, hoc est, plebeios & infimæ sortis homines trahere & allicere consuêrunt. Trahunt verò homines in Amorem suaviter, in venerationem efficaciter, in admirationem potenter. In amorem quidem inexquisitâ affabilitate, & humanissimæ suavitatis lenocinio. Unde Rudolphus I. Austriadum Imperator, cùm è fenestrâ prospectans cerneret, quosdam tenuioris fortunæ à satellitibus submoveri, non sine stomacho exclamavit; *Per Deum, sinite homines ad me venire, non enim ideò ad Imperium vocatus sum, ut in arcula includar*; uti refert Lipsius. In venerationem verò trahit insigni pietate, quæ semper in Domo Austriacâ vigebat. Præluxit pietati Leopoldi I. Cæsaris illustrissimo exemplo pietas Sancti Leopoldi Marchionis Austriæ, quem *ardens evexit ad æthera virtus.* In admirationem denique, singulari, suisque partibus absolutâ quâdam agendi prudentiâ, beneficentiâ, ac virtutum omnium mirabili confluxu. Vide in hoc argumentum dissertationem tertiam Adamantis Austriaci, jam sæpius laudati.

Gare ab Ort. l. 1. Aromat. c. 47. Christus. Domus Austriaca. Lips. lib. 2. Monit.

33. Bodinus, & ex eo Jonstonus asserunt, experimento comprobatum esse, duos Adamantes, si attritione mutuâ incaluerint, ita nonnunquam cohærescere, ut alter ab altero non possit facilè divelli. *Expertum* (inquit Jonstonus) *in mutuo attritu sic conglutinari, ut facilè separari non possint.* Unde duobus Adamantibus, mutuò attritis, inscribes; ATTRITU JUNGIMUR. Ita disputatione, & pugnantium considerationum tam politicarum, quàm Theologicarum conflictu non tantum nascitur veritas, sed etiam animorum concordia. Veritatis enim & concordiæ quærendæ causâ frequenter etiam homines justi inter se colliduntur ac dissident. Quòd si inter Angelos, imò Principes Angelorum sint nonnunquam dissidia, ut patet ex illo Danielis, *Princeps autem regni Persarum* (Angelus tutelaris Regni Persici) *restitit mihi* (Angelo Gabrieli) *viginti & uno diebus: & ecce Michael, unus de Principibus primis, venit in adjutorium meum.* Quid mirum, inquit P. Cornelius à Lapide, inter homines etiam sanctos subinde oriri dissensiones vel opinionum vel voluntatum, salvâ utrimque charitate? Ita dissensio fuit orta inter Paulum & Barnabam Actorum 5. quæ causa fuit, ut pluribus gentibus prædicaretur Evangelium Christi. Ita S. Paulus à S. Petro dissensit. Galat 1. Cyprianus à S. Stephano Pontifice; Sanctus Chrysostomus à S. Epiphanio; Sanctus Hieronymus à S. Augustino: quos tamen vera charitas cum Deo & inter se colligabat. Cæterum pacis recuperandæ causâ bellum geritur. Disertè Magnus Augustinus; *Non quæritur pax, ut bellum exerceatur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergò bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas.*

Bodin l. 2. Theat. Nat. Jonst class. 4. Thaumat. Nat c. 10. de Impossibilibus. Concordia nascitur per discordiâ. Dan. 10. Bellum est pacis causa. S. Aug. Ep. 205.

34. Adamantis, præsertim Arabici, fortitudinem invictam, & constantiam prorsus indomitam, utpote duarum violentissimæ naturæ rerum, ferri & ignis, contemptricem, prolixè describunt Plinius & S. Hieronymus. Unde aliquot adamantibus, inter malleorum ictus & adversas flammas infractis, subscribes; DURUS AT HIS ANIMUS. Verbis ex Hesiodo desumptis;

Plin. l. 37. c. 4. S. Hieronym. in Amos.

Durus at his animus, duro ex adamante creatus.

Invictam animi fortitudinem & constantiam in hoc symbolo pones cognoscendam. De hominibus justis, & Divinâ gratiâ obfirmatis ait S. Chrysostomus; *Adamantibus solidiores Dei gratia nos efficit, &, si volumus, omninò invictos. Itaque sicut qui Adamantem tundit, nihil illi nocet, sed se ipsum fatigat, & robur suum imminuit: in hunc modum se habent res nostræ.* Generosissima Austriacorum Principum pectora sic sunt ab heroicâ Indole, à Divinæ gratiæ præsidiis, à virtute ipsâ, conformata, ut tantundem habeant in perpessione rerum adversarum constantiæ, quantùm in aggressione arduarum fortitudinis, ut nullis unquam fortunæ novercantis incursibus in transversum se agi patiantur. Ut adeò de hâc adamantinâ Principum Austriacorum fortitudine, patientiâ, & constantiâ vaticinatus videri possit Petrus Cellensis, dum ait; *Ecce caminus, sed non timet aurum: Ecce mare, sed supernatat folium: Ecce malleus, sed non confringitur Adamas: Ecce ventus, sed mons Sion non commovetur. Ecce prælium, sed miles tenet gladium.* Unde Caroli V. Cæsaris Austriaci, gravissimis undique bellis concitati, dictum erat; *Quò plus periculi, eo plus gloriæ.*

Fortitudo. S. Chrysost. Hom. 4. in Genes. Domus Austriacæ. Fortitudo. Pet. Cellens. l. 7. Epist. 2.

35. Majolo teste, plures reperiuntur Adamantes, naturâ suâ in mucronem turbinati. Imò P. Alcazar, nobilis S. Scripturæ interpres, universim asserit, Adamantem nasci acuminatum. Unde lemma; NEC DEFICIT ARMIS. Principes Austriacos hæc imago designat, qui togæ quàm sagi amantiores, malunt suas opes per munificentiam profundere, quàm per sævitiam Martialem alienum sanguinem effundere. Quòd si tamen necessitas inevita-

Majol. Dier. Canic. Coll. 18. Domus Austriaca.

inevitabilis arma corripere jusserit, profectò Austriaci Principes se viros ostendunt, & pro incolumitate Regnorum suorum generosè, pro incremento boni publici fructuosè, pro amplificatione Divinæ gloriæ gloriosè præliantur. Vide id plurimis exemplis comprobatum à Reverendissimo D. Adamo Webero in Adamantis Austriaci dissert. 6.

Justus semper armatus. Cæterùm Emblema istud etiam in hominem justum convenit, cui nunquam deficiant arma ad expugnandum tergeminum hostem, dæmonem videlicet, mundum, & carnem. S. P. Augustinus; *Adversus nequitias diaboli studeamus arma proferre: & ita nunquam poterunt ejus machinamenta decipere.*

S. August. ser. 24. ex ineditis. Solin. c. 53. S. Aug. l. 21. Civi. c. 4. & 5. 36. Solino & D. Augustino testantibus, ea est adamantis adversus Magnetem antipathia, ut adamas, *juxta magnetem positus, non sinat magnetem rapere ferrum*: (verba sunt Solini) *si admotus Magnes ferrum traxerit, quasi prædam quandam, quidquid Magneti hæserit, Adamas rapiat.* Unde Adamas, trahentem magnetis vim inhibens, epigraphen tenet. RAPIENTIS REPRIMO VIRES. Adamantis nomine amorem pacis, Magnetis verò amorem ferri, hoc est inordinatum bellandi studium in hoc symbolo intelliges; semper enim pax præferatur bello, ita ut à pacis amore alter ille effrenis amor belli ubique reprimatur, &, si fieri possit, ex orbe Christiano penitus eliminetur. (pax bello præferenda.) Unde Adamantes sunto Principes Christiani, pacisque magis stabiliendæ, quàm bellorum studiosi. Cassiodorus; (Cassiodor: Epist. 22.) *Decet Regalis apicis curiam, generalitatis custodire concordiam, quia ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim quod Principem magis prædicet, quàm quietus populus, concors Senatus, tota Respublica, morum honestate vestita?* Habent quidem suos & Austriaci Principes stimulos, contra quos durum est calcitrare. (Domus Austriaca.) Calet & ipsis, bullitque in venis generosus ac Martius sanguis. Nôrunt ex officinâ eâdem & enses & vomeres procudere. Nôrunt in eodem Theatro gloriæ suæ jam bellatorem Romulum, jam placidum ac pacificum Numam agere. Nacti sunt tamen Indolem ad pacis ornamenta potiùs quàm ad belli decora vi suâ propendentem. Incruenta pacis trophæa gratiora sunt ipsis, quàm cruentæ Martis Adoreæ. Certè gloriosissimus Austriæ Imperator, Carolus V. cùm Wormatiæ in Comitiis esset, intelligeretque bellum sibi in Belgio, Italiâ, Hispaniâque moveri, palam coram Imperii Proceribus est testatus; (VVeber In Adam. Aust. dissert. 7.) *Ad bellum & arma capessenda invitum se cogi: interim rem omnem Deo se committere; vel idcircò autem maximo se dolore affici, quòd Turcis aditus in Germaniam aperiretur.*

(Plin. l. 37. cap 4.) 37. Sagacissimus naturæ Interpres Plinius asserit, Adamanti inesse vim quandam medicinalem, præsertim in enervandis venenis. Unde lemma; SANAT, ET ORNAT. SS. Eucharistiæ hæc imago est, (Eucharistia.) quæ, instar pretiosissimi adamantis, humanum pectus non tantùm diversis gratiis, veluti totidē aulæis, exornat, sed insuper scelerum veneno expurgat. S. Ambrosius; (S. Ambr. l de Sacram.) *Si, quotiescunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittauntur: qui semper pecco, semper habere debeo medicinam.* Cæterùm efficacem medendi virtutem, non modò corporalem, sed & politicam, in illustrissimâ Domo Austriacâ experimur. (Domus Austriaca.) Ad corporalem quod attinet, scribit Felix Fabri in Historiâ Suevorum, (Felix Fabri lib. 1. c. 15.) Domui Habspurgicæ concessum esse à Deo privilegium sanandi strumosos. Insuper idem Author testatur, si quis balbutiens, aut impeditioris linguæ ab aliquo Principe Domûs Austriacæ sive Habspurgicæ, sine alio quocunque suffragio, acceperit osculum, eum repente facultatem loquendi, ætati suæ convenientem, consecuturum. Vis verò medendi politica consistit in singulari quâdam peritiâ, dexteritate, industriâ, adeoque prudentiâ gubernatrice, quâ Principes Austriaci morbos illos, quibus Reipublicæ salus & incolumitas in discrimen adduci solet, curare noverunt.

38. Adamantem inter gemmas principem tenere locum, sive pretium, sive alia æstimationis humanæ momenta spectes, nôrunt omnes, quotquot rem gemmariam non ignorant. Unde Colerus ait; (Colerus quodlib.) *Adamas est Rex inter gemmas, sicut Aquila inter aves.* Unde lemma; NON EST PRETIOSIOR ULLA. Charitatem hâc icone depinxeris, (Charit.) sicut enim Adamas, colore suo flammeus, seu ut Ruejus sentit, lucidus & radiosus, primum inter gemmas locum tenet; ita & inflammata erga Deum Charitas inter virtutes omnes agit Reginam. Magno Augustino teste; (S. Aug. ... 7. in Ioa.) *Charitas est anima litterarum, Prophetiæ virtus, Sacramentorum salus, scientiæ stabilimentum, fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium.* Et rursus; (Idem Tr. 83. in Ioa.) *Ubi Charitas est, nihil est, quod possit deesse. Ubi autē nō est, nihil est, quod possit prodesse.* Porrò regia illa Adamantis dignitas est umbra quædam dignitatis imperialis, quam in augustissimâ Domo Austriacâ suspicit ac veneratur orbis Europeus: (Domu Austria.) sicuti enim Adamas Rex est gemmarum; ita Domus Habspurgica est Regina familiarum Europæ, quæ alias omnes amplitudine dignitatis, & Augusti gloriâ nominis excedit. Ea verò, quæ eminentissimæ huic Domui tantam dignitatem, authoritatemque conciliant, ad quinque potissimum capita revocari possunt; Primumm est Nobilitas sanguinis. Alterum celsitudo & Excellentia functionis. Tertium merita maxima in sanctam Matrem Ecclesiam. Quartum ingens Potentia. Quintum rara privilegia & singulares prærogativæ. Singula capita vide eruditè ac pluribus exemplis prolixè explicata in Adamante Austriaco dissert. 9.

39. Adamantis durities, ferro indomabilis, à propriâ scrobe suâ, hoc est à pulvere adamantino molarum versatilium adminiculo, teritur & secatur. Adeoque vincitur se ipsâ, uti testantur Cæsius & Colerus Redivivus. (Cæs. de Mineralibus. Coler Quodlib. cap. ...) Unde Adamanti subscribes; SUO SE ROBORE VINCIT. Eos hæc imago spectat, qui se victores sui ostendunt, (Vincere se ipsum.) dum affectiones animi, in illicita prorupturas, fræno timoris Dei coërcent, & appetentiam, peccato Protoplasti vitiatam mittunt sub jugum rationis, coguntque servam suæ famulari Reginæ. Quod genus Victoriæ uti saluberrimum, ita gloriosissimum censeri debet. Nam, ut Poëta canit;

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia.

Regum & Regium est, suis imperare cupiditatibus, jus dicere passionibus, Reipublicæ affectuum dictare leges. *Rex est*, inquit S. Chrysostomus, (S. Chrysost. Hom. 4. ad Hebræos.) *& eo qui purpuram habet, regalior, siquidem passiones animi vicerit.* Sapienter cecinit Cordubensis Vates;

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ.
Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris.

Quem

Quem non ambitio impotens
Vulgi præcipitis movet.
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia.
Rex est, qui metuit nihil,
Rex est, quique cupit nihil.
Mens Regnum bona possidet.
Hoc regnum sibi quisque dat.

ÆTITES, seu Lapis Aquilinus.

Caput. III.

40. Ætites, in aquilæ nido collocatus, pullis, ab omni serpentum veneno præservandis, antidoti loco deservit. De hoc Petrus Bercorius; *Aquila in nido suo reponit ætites, ut pulli ejus per eos serventur ob omnibus venenosis.* Unde lapidem istum, in nido figuratum, hoc lemmate insignivi; VENENATA PROPULSAT. Accommodatè dixeris, Monasterium vel quamcunque domum nido; pullos Religiosis vel familiæ; Ætitem verò Prælato aut Patrifamilias comparari, qui suâ præsentiâ omnem vitiorum luem proscribere solet. S. Athanasius, *Si quisque Pastor*, inquit, *in diœcesi, quæ sibi obtigit, vel biduum moretur, experiri liceat, permulta peccata & damna non esse futura in populo.*

[Bercor l. 7. Reduct. c. 2. n. 2.] [Residentia Prælati præservat à malis.] [S. Athanas. Epist. 1. ad Episc. Cretens]

41. Ætites aquilarum partum ita facilem reddit, ut, absente illo, pullos eniti nequeant. S. Isidorus testatur; *Nec sine his parere aquilas.* Unde Carducius Ætitis voce subscripsit; SINE ME NON PARTURIT ALES. Ætitis nomine Divinam gratiam intelligere licet, sine quâ noster animus nihil unquam meritoriæ operationis parturit. Sanctus Paulus in hanc sententiam concedens, apertè fatetur; *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Et rursùs; *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* *Cùm ergò* (subinfert Mellifluus Bernardus) *mala in corde versamus, nostra cogitatio est: si bona, Dei sermo est.*

[S. Isid. l. 16. cap. 4.] [Gratia Dei] [1. Cor. 15. 10. 2. Cor. 3. 5.] [S. Bernard. Serm. 32. in Cant.]

42. Ætites mulierum partus reddit faciles: at carni ultra debitum tempus colligatus, abortum & sterilitatem parit. Unde lemma; FOETUS SERVATQUE, NECATQUE. Eadem omninò Justitiæ effecta sunt; tametsi enim subditis felices virtutum partus soleat conciliare; nimio tamen rigore applicata, illos offendit, impatientiam provocat, virtutum sterilitatem introducit, ac in malitiâ obduratos efficit. Optimè Sanctus Gregorius Papa; *Neque multâ asperitate exulcerentur subditi consilia, neque nimiâ benignitate solvantur; sit in boni Rectoris pectore virga districtionis, sit & manna dulcedinis.*

[Justitia & servat & nocet.] [S. Greg. 20. Moral. c. 8.]

43. Lapis Aquilinus mulieres gravidas facili exsolvit partu. Unde lemmatis loco subscripsi; DAT FACILES PARTUS. Et meus Carducius; PROPERO FERT GAUDIA PARTU. Spes præmii, ceu gemma pretiosa in pectoris nostri sinu conservata, ad dolores laboresque omnes facili negotio superandos disponit, & virtutum nostrarum fœtus in lucem felicissimam promovet. S. Cyrillus Hierosolymitanus; *Expectatio retributionis incitat mentem in beneficentiam; promptior fit omnis operarius ad perferendos labores, si præmium laborum prævideret. Qui verò sine præmio laborant, & anima & corpus illis concidit. Miles, expectans præmia, alacris est ad bellum. &c.*

[Spes præmii.] [S. Cyrill. Hier. Catech. 18.]

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

44. Plinius, Dioscorides, Vincentius Beluacensis, aliique, ipsâmet etiam experientiâ suffragante, testantur, Ætitem esse gravidum; quippe in cujus sinu, absque ullâ ipsius læsione aut fissurâ, alius lapis reperitur clausus. Unde Carducius gemmam istam hoc epigrammate insignivit; CONCEPTO NON LÆSA LAPILLO. Et ego; SINE FRACTURA FOECUNDA. Vel ipsammet loquentem introducendo; INTATTA JO SONO, E PUR FECONDO HO' IL SENO. Id est, INTACTA, ET GRAVIDA. Ita omninò intemerata Dei Parens filium suum sine ullo Virginitatis purissimæ detrimento parturiit. *Quia verè ista fuit prægnans alio lapide pretioso*, inquit Bercorius, *scilicet Dei filio Christo, qui per beatam incarnationem sine fractione suæ virginitatis in ejus utero virtute Spiritus Sancti est inclusus.* S. P. Augustinus; *Virginis filius, & Virginum Sponsus attulit Matri fœcunditatem, sed non abstulit integritatem.*

[Maria V. gravida.] [Bercor. l. 11. Reduct. c 70 n. 3.] [S. Aug. l. 3. de Symb. c. 4]

45. Arnoldus de Saxonia scribit, si quispiam venenum sibi oblatum suspicetur, cibo supponendum esse ætitem: fore quippe, ut cibus, veneno infectus, ob lapidis illius præsentiam deglutiri nequeat. Unde Ætiti subscripsi; PROHIBET GLUTIRE VENENUM. Eleazarus porcinas carnes, in lege Mosaicâ, veluti animæ venenum, prohibitas, recusavit, & ab iis glutiendis generosè abstinuit: in pectore enim sanctam illam instructionem, veluti ætitem, tenacissimè habuit reconditam, quâ in ætate etiamnum tenerâ didicit, Legem Divinam jugi observatione venerari, & Numinis vindictam, è transgressione quantociùs imminentem, pertimescere: uti prolixè videre est in secundo Machabæorum Libro. Nihil enim ad peccata pellenda efficacius Timore Dei. Chrysostomo teste; *Solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, & omnis boni tribuit facultatem.*

[Arnold. de Saxon. lib. de Virt. lap.] [Timor Dei] [2. Mach. 6. 23 &c.] [S. Chryso. Serm. de. S. Io. Bapt.]

AMETHYSTUS.

Caput. IV.

46. S. Isidorus de Amethysti exteriore facie ait; *Amethystes purpureus est, permixto violaceo colore, & quasi rosæ nitore.* Sicque in illo MISCENTUR VIOLÆ ROSIS. Prælatorum hæc idea est, in quibus charitatis fervor, & profunda humilitas cumprimis resplendeant. Ita Pius V. non solius consuetudinis causâ, *sed integro animi affectu pauperum pedes abluere atque osculari consueverat.* Uti conceptis his verbis testatur Joannes Rhò. S. Carolus Borromæus charitate adeò eximiâ enituit, ut spoliato proprio palatio, egenis subvenire, ac humilitate plenus, pauperrimas ægrotorum casas invisere, iisque, præter alia tenerrimi affectus solatia, etiam Ecclesiæ Sacramenta administrare consueverit. Quin, ut Joannes Rhò testatur, si fortè unum ex ipsius servis decumbere contigisset, non solùm ad eum crebrò invisebat, sed culinam ingressus, ova recentia selegit, cibos gustavit, &, ne quidquam subsidii aut medicaminis deesset, matris amantissimæ officio defunctus est. Alios complures, brevitati consulens, omitto. Magni Augustini præceptio est; *Prælatus non se existimet potestate dominante, sed, charitate servientе felicem.*

[S. Isid. l. 16. Ethym. c. 9.] [Prælatus charitativus.] [Io. Rhò l. 1. Var. Hist. c. 6 n. 12.] [Io. Rhò. ibid. n. 10.] [S. Aug. in Regula.]

47. S. Isidori de hoc lapide testimonium est; *Est quasi roseo nitore, & leviter quasdam flammulas fundens.* Unde subscribes; ROSEUS, ET NITES-

[S. Isid. l. c.]

NITESCENS. Generosos illos hominum animos hæc imago concernit, qui proprii sanguinis purpurâ inter carnificum tyrannidem perfusi, pro hostibus suis ferias ad Deum preces, aliasque charitatis flammas sparserunt. Horum facilè principes dixeris, Christum cruci affixum, Stephanum lapidibus obrutum, & Jacobum Apostolum ex alto præcipitatum, ac lignorum ictibus acerrimè contusum. Hugo Victorinus, de roseo ac scintillante Amethysto differens, ait; *Significas eos, qui inter tormenta passionis, quæ pro Deo sustinent, tanquam flammas charitatis habent, orantes pro eis qui se occidunt. &c.*

Patiens charitativus. *Hug Vict. l. 3 de B. st. cap. 58.*

48 Inter cæteras Amethysti prærogativas minimè postrema est, quòd sculpturis ac incisionibus recipiendis sit facillimus. S. Isidori verba sunt; *Est autem sculpturis facilis.* Et Bercorii; *Inest ei mollities ad sculpendum.* Quare P. Carducius epigraphen subdidit; OBSEQUITUR SCALPRO. Ita Christianus, ad Dei voluntatem penitùs conformatus, quarumvis calamitatum scalpro lubens obsequitur, redditurque, Bercorio asserente, *sculptilis per obedientiam & subjectionem.* S. P. Augustinus; *Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Cùm autem cœperis in Christo piè vivere, ingressus es torcular, prapara te ad pressuras; sed noli esse aridus.*

S. Isid. l. c. Resignatio in calamitatibus. *Bercor. l. 11. Reduct. c. 41. num. 2. S. Aug. in Psal. 55.*

49. Amethystus trino potissimùm colore nitet; nam, S. Isidoro teste, *Purpureus est, permixto violaceo colore, & quasi rosæ nitore.* Huic assentiens Didacus Castillus, ait; RADIAT *ergò Amethystus* COLORE TRIFORMI, *roseo, violaceo, & purpureo.* Sacratissimam Trinitatem hoc lemmate venerabundus insignies; nam Amethysti purpura, Patris potentiam; Viola, incarnati Verbi humilitatem; & Rosa Spiritus Sancti amorem exprimit. S. P. Augustinus; *Coæva est flamma generans luci quam generat. Da mihi flammam sine luce, & do tibi Deum Patrem sine Filio.*

S. Isid. l. c. Did Castill. de Ornatu Aaronis V. 19. n. 88. SS. Trinitas. *S. Aug. in Ioan. Tract. 20.*

50. Amethysti vocabulum, è Græcâ in latinam linguam traductum, idem significat, ac *sine vino*; & tamen vini colorem refert. S. Isidori de illo verba sunt; *Vini colorem habens.* Unde Emblematis loco Amethystum hâc epigraphe distingues; DI VINO HA' IL MANTO, E PUR DI VINO E' PRIVO, Id est; VINUM, QUO CARET, OSTENTAT. Ita Hypocrita, exteriore vultu religiosam, sanctam, ac Divinam personam mentitus, internum animum flagitiosum, omnique sanctimoniâ destitutum circumfert: S. Gregorius, *Hypocrita, inquit, qui latinâ linguâ dicitur simulator, justus esse non appetit, sed videri. Studium esse Hypocritarum solet, ut & quod sunt, supprimant; & hoc, quod non sunt, esse se hominibus innotescant. Refugiunt videri quod sunt, & ante oculos hominum superductâ quâdam innocentiæ honestate se vestiunt.* Et rursùs; *Quid est vita hypocritæ, nisi quædam visio phantasmatis, quæ hoc ostendit in imagine, quod non habet ex veritate.* Cæterùm meliore sensu iconem istam ita interpretabere, ut Amethystus Principem aliquam personam significet, quæ, licet ob opum ac bonorum omnium affluentiam videatur exteriore vultu vino ac delitiis terrenis innatare, ob insignem tamen abstinentiæ virtutem omni vino sibi temperat, ac coram Deo abstemii nomen promeretur. Paradigmatis loco Domum Austriacam, virtutum omnium feracissimam, adduco; è quâ Fridericus, cognomento Pacificus, abstinentiam tanquã Numen propemodùm coluit. In cœna vinum ei apponebatur, quâ temperatũ, extra cœnam nunquam. Eleonoræ Augustæ ejus Conjugi, quæ paternâ in dono vinum nunquam gustaverat, suadebant Medici, ut in Germaniâ, regione frigidâ, si mater esse vellet, vino uteretur. Quod ubi Cæsar intellexit, accersito ad se Æneâ Sylvio; *Abi, inquit, & Imperatrici renuntiato, malle me sterilem Conjugem, quàm vinosam: proinde si me amat, vinum oderit.* Respondit Augusta in hæc verba; *Etsi viri mandatis tam libenter pareo, quàm vivo; si tamen vini usum mandaverit, mori potius velim, quàm obtemperare.*

S. Isid. l. 16. cap. 9. Hypocrita *S. Greg. l. 17. Moral. c. 7.* *Idem l. 19. c. 4.* Abstemius à vino.

AMIANTHUS.

Cap. V.

51. De hâc gemma testatur S. Isidorus in hæc verba; *Igni imposita non ardet, sed splendore accepto nitescit.* Unde Lucarinus eandem, intra flammas figuratam, hoc lemmate loquentem sistit; PURGOR, NON UROR. Certè homines, calamitatibus obruti; vel animæ intra piaculares flammas detentæ, purgantur, non consumuntur. Quare in Sacris Litteris dicitur; *Aurum & Argentum, & æs, & ferrum & plumbum, & stannum, & omne, quod potest trãsire per flammas, igne purgabitur.* S. Bernardinus Senensis, hunc locum interpretatus, subjungit; *De his autem, qui post hanc vitam purgantur, sumi potest locus prædictus Scripturæ.* Et Hugo Cardinalis; *Quidam secum ferunt lignum, ferrum, stipulam, id est peccata venialia, & hi igne purgatorii purgabantur; alii aurum, argentum, lapides pretiosos, id est, opera virtuosa; hi ad gloriam pertransibunt.*

S. Isidor. l. 16. c. 4. Calamitis Animæ purgatorio. *Num. 31.* *S. Bernar. To. 2. ser. 2* *Hug. Car. in hunc l. Num.*

ASBESTUS.

Cap. VI

52. Ignis, in Asbesto semel accensus, æternùm persistit, nec unquam extinguitur. De hoc S. Isidorus; *Accensus semel, nunquam extinguitur.* Unde inscribes; ARDET ÆTERNUM. Vel ut Pontano placet; UNICE, ET SEMPER. Ita genuina charitas perseverans ac inextinguibilis sit oportet. Hieremiæ ore dixit Deus; *Charitate perpetuâ dilexi te.* S. Joannes de Christo differens, ait; *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* S. Hieronymus Demetriadem de conservandâ virginitate instituens ait; *Felix illa conscientia, & beata virginitas, in cujus corde, prater amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atque justitia, cæteræque virtutes, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat.*

S. Isidor. l. 16. Ethy. cap. 4. Amor perseverans. *Hier. 31. Ioan. 13.* *S. Hier. Ep. ad Dem.*

53. Alcibiades Lucarinus Emblematis loco Asbestum depinxit, qui in igne nunquam consumi solitus, animas damnatas opportunissimâ ideâ exhibet. Epigraphen addidit; NEC ABSUMITUR. De damnato pronuntiat Jobus, *Luet, quæ fecit, omnia, NEC tamen CONSUMETUR. Juxta multitudinem adinventionum suarum, sic sustinebit &c.* Lactantius Firmianus, de igne infernali differens, *quantum, inquit, è corporibus absumet, tantùm reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit.* Et meus S. Prosper; *Continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus torquent animas, neque extorquent: puniunt corpora, neque finiunt: sibi deputatos ignis non extinguit, ut permanente sentiendi vitâ, pœna permaneat. &c.*

Damnati *Iob. 20.* *Lact. Fir. l. 7. c. 2* *S. Prosp. l. 3. de V. æterna.*

BERYL-

BERYLLVS.

Cap. VII.

54. BEryllus smaragdo non absimilis; nisi quod virorem suum aliquo pallore temperet. S. Isidori doctrina est; *Viriditate similis smaragdo, sed cum pallore.* Proinde epigraphen subjunxi; ET VIRET ET PALLET: Vel ut meo Carducio placet; CUM PALLORE VIROR. Servus Dei animæ suæ vultum non alio; nisi gemino hoc colore obductum habet, nimirùm jugi virtutum ac meritorum virore, simulque assiduo justissimum Dei judicium pertimescentis pallore. Eâdem icone veri pœnitentis prudentia describitur, qui misericordia obtinendæ fiduciâ semper virescens, macerationis & abstinentiæ pallorem nunquam non corpori suo conjunctum habet. Hugo Victorinus in gemino illo colore animam contemplativam & activam exprimit, quæ simul in cœlestium arcanorum meditatione viret, & terrenis negotiis pro officii sui ratione impallescit. *Habet*, inquit, *duos colores, viridem & pallentem, per quos illorum vita signatur; qui cœlestium contemplatione sunt virides: & terrenæ administrationis actione pallentes.*

S. Isid. l. 16. c. 7. — Servus Dei. — Pœnitens. — Hug. Victor. l. 3. de Best. c. 58.

55. Pallor individuus beryllì comes est; quippe qui Petro Bercorio teste; naturâ *pallidus est*, imò *quantò pallidior, tantò melior.* De hoc D. Salvator Carducius; PALLIDIOR POTIOR. Siquidem in pallore jejunium, mortificatio, ac pœnitentia repræsententur, non abs re dixeris; illum in Dei ac hominum oculis pretio omnium maximo censeri; qui mortificationis pallore cæteros superaverit. S. Ambrosius in magno Joanne Baptista duo observat; nimirùm quod in deserto vitam assiduò jejunam exegerit, simulque Angeli cognomine vocatus sit: decebat enim illum titulo minimè humano, sed Angelico insigniri, qui communes naturæ humanæ vires suis jejuniis transcendit. *In deserto ille vacabat jejuniis. Esca autem ejus erant locusta & mel sylvestre, & ideò qui vitæ humanæ possibilitatem continentiâ supergressus fuerat, non homo, sed Angelus æstimatus est.*

Bercor. l. 11. Reduct. c. 51. num. 1. — Pœnitentia reddit pretiosum. — S. Ambros.

56. Beryllus, radiis solaribus expositus, tantos ardores concipit, ut manum, quâ sustinetur, exurat. Petri Bercorii verba sunt; *Solis radiis oppositus, manum tenentis exurit.* Adeoque lemmatis loco dices; SE TENENTEM EXURIT. Ita homo perfectus, Divino ardore incalescens, proximos suos ad Dei amorem accendit, &, quod meus Richardus Victorinus asserit: *Non solùm sibi proficit, sed & alios multoties ad justitiam accendit.*

Bercor. l. 11. Reduct. c. 51. num. 3. — Justus proximis utilis. — Rich. Victor. in Apocal. lib. 7. c. 6.

57. Beryllus, in India nasci solitus, splendorem naturâ suâ obtusum habet; qui tamen, asserente S. Isidoro, *Politur ab Indis in sexangulas formas, ut hebetudo coloris repercussione angulorum excitetur. Aliter politus non habet fulgorem;* Unde lemma; RUTILAT DISCISSUS. Ita homo justus, quantò majore hostium tyrannide laceratus, tantò magis per orbem inclarescit. Sic S. Stephanus Protomartyr inter saxorum imbres; & S. Laurentius inter craticulæ incendia clarissimi evasere. Quin & ipsemet Servator noster, *Cùm affixus sit Cruci, flagellis & alapis cæsus, & insputus: in his ipsis, quæ opprobrii & ignominiæ plena esse videbantur, ipsum rursus Verbum clarissimum apparuit.*

Hæc S. Joannes Chrysostomus.

S. Isid. l. 16. Ethym. c. 7. — Justus afflictus. — S Io. Chrys. apud Io Sylv To. 1. in Ev. l. 1 n. 16 2.

CAMPHORA.

Cap. VIII.

58. LUcarinus S. Cæciliam, in ardenti balneo nunquam extinctam, Camphoræ symbolo exornavit, quæ in mediis aquis accensa, epigraphen sustinet; NEC EXTINGUITUR. Certè Sanctorum Martyrum charitas inter amplissimas persecutionum undas nihil unquam vitii aut frigoris perpessa est. Salomone teste; *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* S. Gregorius Papa, in hæc verba commentatus, ait; *Charitate quippe Martyres sancti vivaciter ardebant, quia in Dei & proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem aquæ multæ extinguere non poterant, quia quantæcunque tribulationes eis fierent, ad odium eos transmutare non valebant. &c.* Quin, Amoris flamma inter lachrymarum fluenta nunquam extinguitur. Aloysius Novarinus.

S. Cæcilia. — Perseverantia. — Cant. 8. 7. — S. Greg. Pap. in hunc loc. — Amor. — Novar. Aqu. nu. 524

Nec lachrymis spera flammam restinguere amoris,
Flamma ea pauxillæ cedere nescit aquæ.
Auro semper Amor medicante vigebit: at idem
Nec medio nascens obrutus est pelago.

Denique hoc Emblema eximios illos sanctos concernit, quorum virtutes è peccatorum consuetudine nunquam imminuuntur. De Jobo, inter Hussitas degente, testatur S. Chrysostomus; *Quantum impietatis pelagus, pietatis luculentam facem nequivit extinguere: tantum malorum locus continentiæ decorem denigrare non valuit.*

Justus inter malos. — S. Chrysost. Hom. 1. de Patient. Iob.

CARBVNCVLVS.

Caput IX.

59. BArtholomæus Rossus, ut Emblemate demonstraret, Sancti Joannis Evangelistæ charitatem præ cæteris ipsius virtutibus omnium maximè resplenduisse, complures pretiosas gemmas vasculo aureo insertas depinxit, è quorum medio loco carbunculus fulgurabat; cum lemmate, CUNCTIS SPLENDIDIOR. Opportunè S. Paulus; *Nunc autem manent fides, spes, charitas: Tria hæc: major autem horum est charitas.* Enimverò interprete S. Joanne Chlimaco, *primam harum, ut solis radium, alteram ut lumen, tertiam ut plenum orbem seu circulum contemplor. Ex quibus omnibus unus splendor & claritas refulget.*

Charitas. — 1. Cor. 13. 13. — S. Io. Chlim. gradu 30.

60. Carbunculus, inter complures gemmas sub cœlo nocturno figuratus, hoc lemmate superbit; EMICAT UNUS. Hinc demonstrabis, quantùm supra plerosque scriptores alios eniteat clarissima S. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici, doctrina. Alludit enim hæc imago ad carbunculum, in medio illius pectore visum. S. Joanni Baptistæ testem se offerens ipsa Divina Veritas, ait; *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ.* S. Petrus Chrysologus, *Joannes*, inquit, *major homine, par Angelis, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox, silentium Prophetarum, lucerna mundi. &c.* Utrique tamen accommodaveris illud Horatii;

S. Thom. Aquinas. — S. Jo. Bapt. — Matth. 11. 11 — S. Pet Chrys. serm. 27.

Micat inter omnes
Julium Sidus. &c.

61. Homo modestus ingenii ac virtutum suarum vires in privatis potiùs quàm publicis congressibus exercere amat. Hunc proinde P. Sylvester

Modestia Viri docti.

vester Petrasancta Carbunculo non absimilem dicit, qui perapertam arculam in tenebroso cubiculo clarissimè resplendet. Epigraphen addidit; AMAT OBSCURUM. Servator noster hâc doctrinâ quosvis Fideles instituens, *Attendite*, inquit, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis*. Et paulò post; *Sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Et cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*, S. P. Augustinus; *Omnes boni latent hic; quia bonum eorum intus est, absconditum est, in corde est, ubi fides, spes, charitas, ubi thesaurus illorum.*

Matth 6.1. Ibid. 6.4. & 6. S. Aug in Psal. 55.

62. Carbunculus igneus quidem, sed tamen innocuis radiis nunquam non flagrat; siquidem assiduò accensus nihil unquam adurit: unde etiam carbunculi nomen traxit. Franciscus Raulinus epigraphen subdidit; ARCANO HAUD LÆDITUR IGNE. Juvenum illorum hæc idea est, qui exardescente sanguinis fomite, ac concupiscentiæ flammis altùm succensi nunquam consumuntur, sed castimoniæ suæ integritatem inter sexcentos hostium assultus illibatam conservant. Monentem audi magnum Augustinum; *Surrexit libido damnabilis, suggessit, non audiatur, ardet, non se compescit; & velles ut non arderet. Noli dare membra: ardeat sine causa, & consumat se.*

Juventus pudica. S. Aug. de 1. Verb Dom. serm. 43. c. 11.

63. Ad Isabellæ Borboniæ, Conjugis Philippi IV. exequias, Mediolani regio apparatu celebratas, carbunculum affixère, qui in obscuro hypocausto liberalissimè resplendens, epigraphen tulit; SUA SE LUCE. Mens Emblematis erat, Augustissimam illam Reginam inter mortis umbras non exteris tantùm & emendicatis laudibus, sed propriis meritis fuisse illustrem. Verissimè dixit Justus Lipsius, *Non pretium ullum homini in humanis, nisi à se est.* Joannes Sylviera, in illa Servatoris verba commentatus, *Sic luceat lux vestra*. ait; *Optimè sanè dicitur eis*, luceat lux vestra: *lucete luce vestrâ, non alienâ; radios spargite non emendicatos; sed proprios: non enim condecoratur, sed deturpatur potius ac fœdatur, qui alieno vult nitore splendescere.*

Proprius valor. Lips. Centur ad Belgas. Epist. 34. Io Sylveir. To 2. in Evang. l. 4. c. 11. n. 151. Matt. 5. 16.

64. Carbunculus, in aula obscura undique resplendens, Emblematis loco hanc gnomam præfert: TENEBRÆ PROCUL. Prudentia, carbunculo simillima, ex humano pectore omnem ignorantiæ caliginem propulsat. S. Antonius Paduanus huic Emblemati conficiendo ansam subministrans, *Carbunculus*, inquit, *qui fugat tenebras, est prudentia contra ignorantiam; quia ut dicit Seneca, ipsa portat lucernam ante alias virtutes.*

Prudentia. S. Ant. Pad. Serm. 1. de Martyr.

65. Carbunculus, inter hypocausti tenebras latissimè resplendens, hanc mihi epigraphen debet; IN TENEBRIS CLARIUS. Iidem omninò virtutis, magnanimitatis, & sanctæ fidei mores sunt, quæ, adversitatum umbris horrendùm infestatæ, clarissimos venustatis suæ radios spargunt. Hoc encomio suos Philippenses liberaliter prosecutus est Apostolus, *qui in medio nationis pravæ atque perversæ* miros nobilissimarum virtutum splendores diffuderunt. *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Id est, Interprete S. Anselmo; *Licet INTER TENEBROSOS & infideles sit vestra conversatio, non obscuramini, sed MAGIS LUCETIS bene operando.* De his illud S. Hieronymi dictum intellexeris, *Igniti fide sunt, sicut carbunculus.* Denique prædicatio Evangelica, ac correctio fraterna tantò ampliores doctrinæ radios ejaculari debent, quantò densiores aliorum tenebras offenderint. S. Hieronymus; *Carbunculus*, inquit, *videtur mihi ignitus sermo doctrinæ, qui fugato errore tenebrarum illuminat corda credentium.*

Virtus. Philipp. 2. 15. S. Anselm. in hunc loc. S. Hieron. in 3. cap. Aggæi. Idem in cap. 54 Isaiæ.

66. Alcibiades Lucarinus Emblematis loco Carbunculum expressit, qui, à Luna superiore illuminatus, amplissimos sparsit radios; addito lemmate, DUM ASPICIS, NITESCO. Magnatum benevolentia ac patrocinium hâc icone significantur, dum clientes suos fovent, eosque gratiosis dignantur oculis. Certè filius prodigus inter obscœnas vitiorum sordes obscurissimè volutabatur, at benigno vultûs paterni radio perfusus (*vidit illum pater ipsius*) mox ad vitæ splendorem planè admirandum eluctatus est. S. Petrus Chrysologus ait; *Patris visus illustravit filii venientis aspectum, ut tota fugaretur obscuritas, quæ circumfusa fuerat de reatu.* Deus creaturis omnibus insignem perfectionem indidit; unde etiam Moses singulis illis, è nihilo suo productis, reflexè subjunxit; *Vidit Deus, quod esset bonum*: veluti diceret, è Divino hoc intuitu creaturarum bonitatem plenè fuisse approbatam, illustratamve. Tertulliani verba sunt, *Honorans, & consignans, & dispungens bonitatem operum dignatione aspectus.*

Dependentia. Luc. 15. S. Pet. Ch. sol. Ser. Deus illustrat aspectu. Gen. 1. Tertull. contr Ma. cap. 4.

CERAVNIVS seu Brontia.

Caput X.

67. AJunt, Ceraunium nonnisi in locis, à fulmine percussis, reperiri. Unde P. Nicolaus Caussinus illum hâc gnomâ dignoscendum proposuit; FULMINE CREVIT. Homines illos hæc imago spectat, qui è persecutionibus ac injuriis plurimum incrementi ac gloriæ sumpserunt. Ita loca fulminibus tacta, olim religioso cultu honorabantur, veluti quæ cœlesti igne sanctificata. Ita summam Euripidi ac Lycurgo laudem conciliavit, quod sepulchrales illorum urnæ fulminibus concisæ fuerint. Plutarchi hac de re verba sunt; *Itaque argumentum ac testimonium magnum iis est, qui sunt Euripidis studiosi: illi soli post mortem contigisse, quæ prius Diis immortalibus dilectissimo, piissimoq; Lycugo contigissent.* Certè patientia ac meritum nullibi, nisi inter calamitatum fulmina, crescunt: ut adeò bene dixerit Petrus Bercorius; *Iste lapis* (de Ceraunio loquitur) *significat patientiam vel persecutionem, quæ pro certo in loco tonitrui, id est, in conflictu & tribulationibus hujus mundi generatur.* Haud aliter S. Ecclesia, omnisque SS. Martyrum corona, inter fulminantium persecutorum tyrannidem amplissimum gloriæ ac nominis sui augmentum cepêre. Ab hoc argumento non multùm aliena est illa Prudentii metaphora;

Calamitas utilis. Plut. in Lycurgo. S. Ecclesia. Bercor l. Reduct. c. Prudent. Peristeph.

Martyrum semper numerus sub omni
GRANDINE CREVIT.

98. Compluribus Physicis observatum est, Brontiam, nudo corpori applicatam, contactu suo lætum ac suavem somnum conciliare. Unde D. Carolus Rancatus illam hoc lemmate insignivit; LÆTUM DAT TACTA SOPOREM. Ita Lapidum grando, adversùs S. Stephanum excussa, somnum illi adeò suavem ac jucundum peperit, ut in extasin raptus, cœlos apertos viderit. Unde etiam paulò post, è Sacræ Paginæ testimonio, *Obdormivit in Domino. O felix somnus*, exclamat in rem præsentem S. Petrus Damianus, *cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum æternitate.* Cæterùm Lucarinus è S. Stephani nomine hoc Anagramma Italicum colligit.

S. Stephanus. Act. 7. 59. S. Pet. Dam. Serm. de S. Stephano.

STEPHA-

STEFANO PROTOMARTIRE SANTO MORTO FRA' PIETRE.

Anagrammati hos Rhytmos vernaculos subjicit.

Quasi ceraunie pietre tù toccasti
Al cui tocco n'auvien sonno felice,
Grandinato dà sassi
Per man di turba iniqua, e peccatrice,
Così lieto dormisti,
Che dormendo gioisti,
Godendo à ciel aperto,
Il sourano concerto,
De l'angeliche cetre,
Santo morto frà pietre.

CHRYSOLITHVS, CHRYSOECTRVS.

Cap. XI.

69. Chrysolithus cæruleum maris colorem cum auri flavedine ex æquo permixtum habet. S. Isidori verba sunt; *Chrysolithus auro similis est, cum marini coloris similitudine.* Unde lemmatis loco subscribes; AURI, MARISQUE COLORE. Si in auro divitiæ, & in mari inquietudines ac curarum procellæ repræsententur, haud incongruè dixeris, terrenam felicitatem Chrysolithi coloribus significari, quippe quæ suas opes semper inquietè ac periculo mixtas offert. Seneca; *Fragilis & caduca felicitas est, & omnis fortunæ blandientis speciosus cum periculo nitor, & sine causa sæpè fluit, & sine ratione destituit.* Valerius Maximus; *Caduca & fragilia, puerilibusque crepundiis consentanea sunt ista, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repentè dilabuntur.* Et S. Gregorius Magnus; *Vana sunt gaudia sæculi, quasi manentia blandiuntur, sed amatores suos citò transeundo decipiunt.*

Isid. l. 16. Ethym. c. 14.

Felicitas infelix.

Senec. l. 2. Contr. 1.

Val. Max. l. 6. sub fin.

Greg. in 1. Reg. 12.

70. Mardobæus, Poëta Gallicus, in Chrysolitho insignem auri flavedinem, scintillis quibusdam igneis junctam, deprehendit;

Mardob l. de lapidibus.

Auro Chrysolithus micat, & scintillat ut ignis.

Unde Carducius subscripsit; AURO FULGET, ET IGNE. Hominis docti hoc symbolum est, qui non uno tantùm sanctitatis & sapientiæ auro resplendet, sed insuper vivas prudentis consilii ac optimi exempli flammas versus proximos suos illustrandos, confortandosque diffundit. Opportunè Venerabilis Beda; *Chrysolithus lapis,* inquit, *quasi aurum fulget, scintillas habens ardentes. Cujus specie figurantur hi, qui intellectu supernæ, veræque sapientiæ fulgentes, verba exhortationis in proximos, vel etiam virtutum signa, quasi scintillas ignis effundunt, Quorum, ut Arator ait;*

Doctus.

Beda in cap. 21. Apoc.

Mentibus instat Amor, sermonibus æstuat ardor.

71. De quadam Chrysolithi specie, Chrysolampsis dictâ, scribit S. Isidorus, quod interdiu massam auream, noctu verò flammam repræsentet. *Aurea est enim die, & nocte ignea.* Proin hanc illi gnomam subjunges; ORO È DI GIORNO, E NE LA NOTTE È FOCO. Id est; AUREA PER DIEM, NOCTU RESPLENDET UT IGNIS. Ita omninò Deus pretiosum clementiæ suæ aurum in illos cumulatè diffundit, qui clarum virtuosarum operationum meridiem vitæ suæ tempore inhabitant, iis vicissim, qui sceleratè vixerunt, ad æternas Nemesis Divinæ flammas post mortem suam reservatis. Eruditè Didacus Castillus; *Radiat Chrysolithus aureo splendore in die, & in nocto igneo, ut discamus in die, hoc est in vita, bonis operibus, à Divina misericordia elargitis, abundare, quibus in nocte, id est, post mortem, Divinæ justitiæ igneum & terribilem nitorem effugiamus.*

Isid. l. c.

Deus misericors & justus.

D. Castill. Ornatu Aaron. v. num. 14.

72. Mardobæus, superiore numero adductus, Chrysolitho validam adversus terrores nocturnos virtutem congenitam esse testatur.

Contra nocturnos fortis tutela timores.

Cui proprietati etiam subscribit Bercorius. Unde Carducius illum hoc lemmate loquentem sistit. NOCTURNOS PELLO TIMORES. Vitæ innocentia, ac conscientiæ munditics optimi Chrysolithi vicem subeunt: illis enim adversùs nocturnos terrores nullum præsentius habetur antidotum. Verissimè S. Isidorus. *Vis nunquam esse tristis? bene vive. Secura mens tristitiam leviter sustinet.* Vel, si lubet, Angelum Tutelarem Chrysolithi loco habeas; quippe cujus operâ omnis nocturnus horror, ab inferorum umbris excitari solitus, felicissimè propulsatur. De hoc S. Ecclesia canit;

Bercor. l. 11. Reduct. c. 60. num. 1.

Innocentia.

S. Isid l. 2. Soliloq.

S. Angelus Custos.

Hymn. de S. Ang Cust.

Nobis Draconis æmuli
Versutias exterminet.

Et rursus.

Metum repellat hostium
Nostris procul de finibus.

Denique Christianus, gratiæ Divinæ Chrysolitho instructus,

Gratia: Psal. 90. 5.

Non timebit à timore nocturno.

73. De Chrysolectro, Chrysolithi specie, scribit Petrus Bercorius; *De mane pulchrior est.* Et prior illo S. Isidorus; *Matutino tantùm aspectu jucundus.* Proinde inscriptionem substitues istam; MANE JUCUNDUS. Iis hoc symbolum tribues, qui post laudatissima vitæ suæ primordia tandem deteriores fiunt, & in virtutum splendore decrescunt. Lucifer, inter splendores exorsus, ad extremas tenebras præceps ruit. Saul, cùm ad regni solium eveheretur, *electus & bonus* erat; postea in sordidissimum dæmonis domicilium commutatus. Salomon sub ætatis auroram *Deo amabilis* cognominabatur; at annis provectior, in obscænum muliebris lasciviæ amatorem degeneravit. Judas, è multorum sententia, primùm miraculis clarus, tandem proditor æternùm execrandus desiit. S. P. Augustinus, *Sunt homines, qui incipiunt sperare, sed non perseverant; incipiunt pati tribulationes aliquas, vident homines iniquos felicitate temporali pollere: & quoniam talia sperabant de Deo, ut hic essent felices, desinunt sperare in Deo.*

Berc. & S. Isid. ll. cc.

Principiũ bonum.

S. Aug. in Psal 129.

74. De eodem Chrysolectro testatur S. Isidorus, quod sit *rapacissimus ignium; quia,* ut subjungit Bercorius, *juxta ignem positus, ipsum ad se rapit.* Unde lemma; ARRIPIT IGNEM. Genuina hæc peccatoris idea est, qui in scelerum sentina indies volutatus, æternos ignes ac tormenta gravissima in seipsum temerè convertit. Quare Isaias, sacrilego Israëlis populo exprobrans, *Ambulate,* inquit, *in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.* Hunc locum interpretatus S. Hieronymus, ait: *Hoc capite discimus pro qualitate peccati sibi unumquemq; ignem accendere.* Eò animum advertens Theophylactus, eruditè observat, æternum ignem solis dæmonibus à Deo præparatum esse, *qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Unde subjungit; *Deus ignem non præparavit hominibus, supplicium enim non fecit propter nos, sed propter diabolum: ego autem memetipsum supplicio facio obnoxium.*

S. Isid & Bercor. l. c.

Peccator proprii mali author.

Isa. 50. 11.

S. Hieron. in hunc loc.

Theophyl in Matth 25.

CORALLIVM.
Cap. XII.

75. Corallium, in aquis sepultum, herba est, rubore omni destitura: at extracta, mox purpurascit. Unde lemma; ELATA RUBESCIT. Ipsissimus hic hominis modesti color est; nam aliorum laudibus ac gratiis sublevatus, mox genas rubore perfundit. Justus Lipsius; *Pudor in animo, & in vultu rubor, gemmæ pulcherrimæ sunt in juventute.* Eodem Emblemate Parthenii Romani singularem Cardinalis Scipionis Burghesii modestiam significabant, quando aliquot corallia, è mari levata, hoc epigrammate insigniêrunt. CONSPECTA RUBESCUNT. Rursùs idem Lipsius in rem præsentem ait; *Ornamentum juventutis pudor: seges gloriæ & doctrinæ.*

Modestia. Lipſ. lib. 4. Dial. 10. de milit. Rom. Lipſ. Centur singul. Ep. 10

76. Coralli ramus epigraphen sustinet; FUIT HERBA SUB UNDA. De illo iconem hanc interpretaberis, qui in mundi hujus oceano vitam mollem, fragilem, ac voluptatibus affluentem duxit; postea verò, ad ordinem religiosum sublevatus, solidos in virtute progressus facit. Petrus Bercorius, *In mari rubro,* inquit, *id est, in mundo, inveniuntur multi peccatores, qui, quamdiu sunt sub aquis delitiarum, & voluptatum, sunt molles & flexibiles, & carnales, tamen cùm exinde extrahuntur, & ad littus pœnitentiæ vel religionis deducuntur & convertuntur, tunc efficiuntur optimi, & quoad virtutes lapides pretiosi &c.*

Religiosus. Bercor. l. 10. Reduct. c. 64

77. Corallium, sub aquis tenerum, si in auras ad cœli conspectum protrahatur, mox lapidescit. Unde lemma; ÆTHERE DURESCIT. Ita verus Christianus, quantumvis in rebus terrenis infirmus ac debilis, negotia cœlestia solido ac forti animo exequatur. Sapienter monet Justus Lipsius; *Alibi molles fortasse simus: in re pietatis sicut ferrum.* D. Simon Majolus in Corallio hominem justum dignoscendum proponit, his omninò verbis; *Corallio persimilem dicemus viri piam fortitudinem, quâ tribulatione exemptus, in splendentem quandam animi firmitatem transit: Job enim fortior surrexit, splendidior, ac longè felicior, postquam devictis adversis successibus velut è mari emerserat.* Econtra Joannes Sangemianus illam de hominum mundanorum malitia intelligendam putat, qui corallio persimiles, quamdiu in calamitatum pelago jactantur, molles ac tranquillos se demonstrant; at vix ad felicitatis portum eluctati, animum vitiis obstinatum induunt. *Pœnitens,* inquit, *quamdiu manet sub aquis pœnitentiæ vel tribulationum, est molle per flexibilitatem, id est ad bonum flexibile: si autem ab hujusmodi aquis extrahatur, statim induratur per peccati obstinationem.*

Justus. Lipſ Centur singul. Ep. 1. Majol Dier. Canic. Colloq 20. Peccator. Io. Sangemi. lib. 2. c. 29.

78. Corallio, extra aquas lapidescere solito, D. Aresius inscripsit; INDURABITUR. Certè S. Petrus Apostolus è Galilææ stagno vocatus, in petram pretiosam, totique orbi obstupescendam obriguit. Alius eidem symbolo hanc gnomam subdidit; TACTU DURESCAM; Animum impatientem significans, qui levissimâ manu provocatus, intractabilem ac rigidum se exhibet. Denique alius; POSTHAC MINIME FLECTOR. Is hanc epigraphen jure meritò sibi propriam vendicat, qui, corallio persimilis, in occasionum pelago ad omnes vitiorum sordes instar herbæ pronissimus flecti poterat; at tandem in sanioris vitæ auram sublevatus, cuivis hostium violentiæ immobilem se opponit. S. Petrus in Pontificis atrio, & inter militum turbas, ceu corallium in Oceano, commoratus, animum mollissimum, ac Deo ejurando facillimum habuit; at charybdim illam egressus, verissimè de se ipso pronuntiare potuit; *Posthac minimè flector.* Præclarè de illo disserens S. Leo, *Citò,* inquit, *in soliditatem suam redit petra, tantam recipiens fortitudinem, ut, quod in Christi expaverat passione, in suo post supplicio non timeret.*

S. Petrus. Impatiens Occasio. S. Petrus. S. Leo Pa[...] Serm. 9. de Passione.

79. Corallii ramus, è mari extractus, inscriptionem tenet; PRETIUM EXTRA; Vel; DESERUISSE JUVAT. Vel; NITENT EXEMPTA. Vel denique EVULSUM PULCHRIUS. Sicuti enim suus Corallio color ac pretium nonnisi extra aquas obtingit, ita Religiosi tantundem reverentiæ ac existimationis sibi conciliant, quantùm à mundi consortio longinquiores vixerint. S. Antiochus, *Monachus,* inquit, *tantisper extorris dum vivit à civitate, & publico alienus, magno in honore habetur apud Deum & Angelos, quin & hominum ore celebratur. At si quando è sublimi cardine delabetur sive conversationis & contemplationis, seque vitæ sæcularis negotiis implicuerit, non id probatur Deo, sed & hominibus in contemptum venit.* Et Joannes Baptista Bargioccus;

Religiosus. S. Antioch Hom. 102. Bargioccu. 3. Epig 99.

Herba fuit mollis, pelagi nutrita sub undis,
Qui modò purpureo splendet honore lapis.
Æquoreas mundi felix qui deserit undas,
Gemma erit illustris, si prius herba fuit.

80. Hæc gemma, ex aquis protracta, evadit PULCHRIOR, ET FORTIOR. Unde alius eidem, sub radiis solaribus figurato, inscripsit; RUBORI ROBUR. Haud aliter Christianus è vita sæculari ad religiosam; vel è vitiis ad virtutem eluctatus, ornamentum & virtutem recuperat. Ascanius Martinengus, *Anima,* inquit, *dum in aquis terrenæ, carnalisque vitæ pernatat, tenerrima est herba, sensu delicata, sed si ad vitam transit spiritualem, fit corallium firmum, rubeum, rutilans: solidum fortitudine, rubeum charitate, rutilans exemplo.* Cæterùm eodem symbolo demonstraveris, quantûm incrementi nonnullis extra suam patriam accedat.

Religiosus. Martinen in Glossa Mag fol. 1503.

81. Corallio, ex aquis protracto, D. Gregorius Bolzi subscripsit; AVULSUM PRETIOSIUS. Eoque Sacram ædem Lauretanam significabat, quæ è Palæstina in Italiam translata, celeberrima evasit. Emblematis mentem D. Salvator Carducius hoc disticho explicat;

S. Ædes Laureta-na.

Æquore divulsum pretiosius inde corallum est:
Clarior est patriâ è sede revulsa Domus.

Homo, à mundo avulsus, ingens beatitudini ac cognitioni Divinæ pretium addit. S. P. Augustinus; *Quærente animâ meâ, ubi figat spem, cùm ab hoc mundo avellitur, opportunè excipit cognitionem nominis Dei.*

Mundu[...] relinque[...] S. Aug in Psal. 9.

82. Corallium nativâ suâ proprietate DETEGIT VENENA. D. Aresius Pœnitentem hâc ideâ afficiendam putat, qui confessione sacramentali, ceu corallio adhibita, omne scelerum suorum virus Sacerdoti detegit. *O Pœnitentia,* exclamat S. Cyprianus, *quid de te novi referam? omnia ligata solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas.* Porrò accommodatè ad hanc ideam, Medicus corporis mala detegit; Inquisitor hæresum venena indicat; fidus Principis amicus vel subditus seditiones, adversùs illum concitatas, tempestivè revelat.

Pœniten[...]tia. S. Cypr. [...] laud. Pæn. Medicu[...] Inquisitor.

83. D.

Calamitates. 83. D. Didacus Saavedra Corallio, in mari ab undis jactato, inscripsit; ROBUR, ET DECUS. Hinc facilè conjicies, quantùm juventus, calamitatum & laborum fluctibus probè agitata, in honorum ac fortitudinis palæstra promoveat. Ex Aristotelis sententia, *Est etiam utile, statim ab ineunte ætate frigoribus assuescere; hoc enim tum ad valetudinem, tum ad munera militaria obeunda commodissimum est.* Arist. Polit. l. 7. c. 17.

84. Sanctus Martyr, pro fide Orthodoxa capite plexus, seipsum corallii symbolo figuravit, quod violentâ manu à radice sua avulsum, & ex aquis protractum, epigraphen sustinet; OBTRUNCOR, SED GEMMASCO. Vel ut Raulinus in numero plurali scribit; PRÆCIDIMUR, SED GEMMASCIMUS. Enimverò sicut Corallium, à stipite suo recisum, gemmam induit, ac purpuræ coloribus tingitur; ita sanctus, è vita raptus, ingentis gloriæ pretium ac Martyrii purpuram refert. Opportunè Simon Majolus; *Quid aliud est, Corallium, è mari emergens, rubere, quàm ad Martyrium etiam anhelare eos, qui magna passi, Christo magis ac magis conjuncti sunt? redduntur enim eorum stolæ purpureæ in sanguine Agni,* Et Emmanuel Thesaurus in S. Margaritæ panegyrico; *Sicuti Margarithæ, à nativo suo stipite præcisæ, quantocius in gemmas convertuntur, ita anima illa innocens, lethali ferro à corpore suo divisa, maximum sui pretium acquisivit.* Ita nimirùm, Magno Augustino teste, *Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo: aut morte pro Christo.* S. Martyr. Majol. l. c. Emm. Thes. in Paneg. S. Margarith. Aug. l. 1. de Orig. Animæ c. 1.

85. S. Marcellinus Papa, cùm inter gentilium turbas degeret, in sancta fide miserè vacillabat; at postea ad Catholicos revisens, eandem imperterrito animo confiteri cœpit; Sanctum Petrum imitatus, qui Deum, inter malorum consortia ejuratum, inter justos tenacissimè confessus est. P. Certanus Abbas ambos illos Pontifices corallio non absimiles dicit, quod supra salebrosa maris littora lapidescens, epig. subjunctam habet; NE L'ONDE ONDEGGIA, E FRA'LE PIETRE, E PIETRA. Id est, FLUCTUAT IN UNDIS. DURESCIT INTER SAXA. Hinc disces, eorum moribus nos plerumque conformari, quorum contubernio utimur. Sanctus Bernardus docet, fortitudinem, in sancto Martyre repertam, non esse ipsius propriam, sed à Christo, ceu petrâ validissimâ, ad quosvis cruciatus perferendos in Sanctum Martyrem derivari. *Ubi tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, vulneribus nimirùm patentibus, ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum si IN MODUM PETRÆ DURUERIT?* S. Marcellinus. S. Petrus Apostol. Societas. Conformari. Bern. ser. 61. in Cant.

86. Nullus ambigo, tam Corallia, quàm conchylia, è mari producta, posse verissimè dici ex amarore genita. Id quod Raulinus hoc lemmate innuit. GIGNIT AMARITIES. Amarissimæ lachrymæ magnam illam pœnitentiæ ideam, Magdalenam, purpureo amoris Divini corallio, ac candido puritatis adeò eximiæ beryllo locupletârunt, ut cum virginea integritate de palma contendat. De hac dilucidè testatur Sanctus Joannes Chrysostomus; *Illa in Evangelio meretrix, Virgines quoque ipsas honestate superavit; & incredibilis in Christum amoris igne succensa, & à maximis sordibus peccatorum largissimo lachrymarum fonte purgata.* Id sanè omnium suffragio constat, sceleratæ conscientiæ puritatem recuperari non posse, nisi contritionis amaritie, ac confessionis rubore. *Purgatio peccati,* inquit Joannes à S. Geminiano, *in amaritudine contritionis, & rubore confessionis reperitur.* Puritas in pœnitentia generatur. S. Chrysost. Hom. 9. in Matth. Munditia æterna. Io à S. Gem. l. 2. c. 29.

87. Lonicerus testatur, duplicis generis esse Corallia, alba & rubra: addit tamen, in rubris reperiri operationes & effectus medicinales longè præstantiores, quàm in albis. Unde lemma; SUPERANTUR CANDIDA RUBRIS. Miros quidem effectus operatur Christus sub consueto SS. Eucharistiæ albore; attamen sub speciebus rubeis (quales hodie adhuc visuntur in miraculosa Hostia celeberrimi Collegii Can. Reg. S. Aug. ad S. Crucem Augustæ Vindelicorum) longè magis se exhibet ergà supplices & afflictos beneficum; uti quotidiana testantur miracula prodigiosæ illius Hostiæ, ad S. Crucem non sine maximo totius Patriæ solatio ac concursu expositæ. Porrò magna est aliarum virtutum prærogativa, at nulla major Martyrii robore. Hugo Victorinus; *Fortissimus Abraham, inquit, sed beatus Laurentius fortior fortissimo. Audiamus qualiter Abraham sua dimisit, & Laurentius sua dispersit, & dedit pauperibus. Abraham filium suum Deo obtulit, Laurentius se ipsum pro filio Dei. &c.* Lonicerus in Herbario. Miraculosum Sacramentum ad S. Crucem Aug. Vind. Martyriū. Hug Victor. de Claustr. Animæ.

COS. Cap. XIII.

88. Hic lapillus, ferrum lævigando consumere solitus, etiam se ipsum consumit. Ut adeò veram hanc epigraphen præferat; TERIT, ET TERITUR. Coti se non absimilem probat ille, qui inimicitiâ succensus, damna non minora sibimet, quàm hostibus creare solet. S. Chrysostomus, in illa Lamechi verba commentatus, *Occidi virum in vulnus meum,* ait; *Non tantùm nocui illis, quos occidi; quantùm mihi ipsi; in pœnam enim, quàm effugere non possum, me ipsum conjeci.* Claudius Paradinus eo Emblemate hominem, litigiis ac cavillis assuetum, significat, qui adversarii sui facultates iniquè traducens, sibimet stultè incommodat. Vindicta. S. Io. Chrys. in Gen. 4. 23.

89. Cos; cultellum quemdam simul & hebetans & exacuens, inscriptionem reddit; HEBETAT, ET ACUIT. Haud aliter morbi vel calamitates corpus quidem afflictum & obtusum, at mentem acutam & perspicacem efficiunt. Asserente Sancto Gregorio Nazianzeno, *Ingenium acuit dolor.* Hieremias de se ipso candidè fatetur; *Castigasti me, & eruditus sum.* David; *Disciplina tua ipsa me docebit.* Et Anna Prophetissa: *Dominus mortificat & vivificat.* Calamitas. S. Greg Naz. Orat in fun. Patris Hier. 31. 18. Psal. 17. 36. 1. Reg. 2. 6.

90. Scipio Bargalius cotem, cultello exacuendo intentam, illo Horatii lemmate notavit; EXORS IPSA SECANDI. Horat in Arte Poet.

--- --- Fungor vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet. Exors ipsa secandi.

Ita Prædicator, Magister, aut Director, quantumvis vitâ suâ imperfecti & hebetes, ad alios tamen perficiendos instrumenta sunt aptissima. S. Gregorius Papa de se ipso ingenuè fatetur; *Usurpavi mihi cotis officium, quæ ferrum reddit acutum, cum sit inutilis ad secandum, aliosq́; ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus mergor.* Et meus Concanonicus Absalon Abbas *Et ego quidem virtutis omnino vacuus, dum vestræ charitati qualecunq́; compellor exhortationis ministerium impendere, prudentis illius dicto me excusabo, quia fungor vice cotis, acutum reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.* Eodem sensu loquitur Sapientissimus Cardinalis Joannes Bona in Divina sua Manuductione ad Cœlum. Prædicator. S. Greg in fine Pastoral. Absal. Abb. serm 29. in Annunt. M. V. Io Bona. in Proœm Manuduct ad Cœlum.

Calamitates. 91. Cos, pugionis cujusdam aciem extergens, epigraphen sustinet; ACUTUM, SPLENDENTEMQUE. vel; SPLENDOR, ET ACIES. Eadem intellectus nostri tam exacuendi, quàm illustrandi effecta inter calamitates videre est. Siquidem, asserente Chrysostomo, *Nihil adeo ad sapientiam animum præparat, ut calamitates, ut tentatio, ut afflictiones*, Cui subscribens Origenes, ait: *Ipsis sanctis bona sunt ea, quæ illis adversantur, quia vincere ea non possunt, & cùm ea vicerint, majoris gloriæ efficiuntur.*

S Io Chrys. Hom. 50. in Ioan. Orig Hom. 1. in Gen.

Studia. 92. Cos aquaria, in orbem rotata, ferrum sibi applicatum hebetat & consumit. Unde lemma; DUM CIRCUIT, DETERIT. Ita sanè indefessa studiorum revolutio hominum optimorum vires imminuit, ac miserè devastat. Eam ob rem Salomon, cùm in hæc verba erupisset, *Proposui in animo meo quærere & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole.* Mox subjungit; *Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum:* sicque studia, *occupationem pessimam* vocat, veluti quæ litteratorum vires corrodunt, ac vitam abbreviant. Unde Minerva, Litteratorum Dea, nomen suum minimè fortuitò sortita est; quippe quod, ex Eruditorum sententia, nihil aliud significat, ac *Minuens vires.*

Eccles 1.13.

Labor. Cæterùm, quod de studiis diximus, etiam cuivis alteri humano labori accommodabis; Audi Magnum Augustinum; *Diu laboravimus, & laboramus, etiam facientes benè. Nam ipsa vita humana, quam ingressi sumus, misera est, laboribus plena, doloribus, tentationibus.*

S. August. in Psal. 125.

CRYSTALLUS. Crystallus trigona.

Caput XIV.

Justus. 93. HOminem justum, aut Virginem modestam ac innocentem, limpidissimæ crystalli globo non absimilem dices; qui INTUS ET EXTRA ex æquo purus apparet. Hanc munditiem S. Bernardus cumprimis in Deipara veneratus, *Virgo Regina,* inquit, *gemmis ornata virtutum, geminoque MENTIS pariter, ET CORPORIS DECORE PRÆFULGIDA.* Hanc operandi rationem probè observatam habuit Rex David, qui interioris animi sui illustrissimam puritatem in totius aulæ regiæ conspectu imitandam exhibuit. Ipsummet testem sibi luculentum audi; *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domûs meæ.* Id est, Interprete Theodoreto; *Cum integritate vixi, non usus sum fraude, NEQUE ALIUS ERAM INTUS, QUAM FORIS videbar, sed OCCULTA APPARENTIBUS RESPONDEBANT.*

Virgo pura. *S. Bernard. serm. 2. sup. Missus est.* *Psal. 100. 2.* *Theod in hunc loc.*

Innocentia. Maria V. parturiens. 94. Radii solares, per crystallum reflexi, res quasvis objectas, præterquam candidas, adurunt. Unde in encomium Clementis VII. globum crystallinum depinxêre, qui inter solem & chartam virginem medius, epigraphen tulit; CANDOR ILLÆSUS. Significabant nempe innocentiam nullâ unquam maligniore flammâ denigrari posse. Oportuno tamen hoc Emblemate demonstrabis, purissimum uteri virginei candorem, tametsi Verbi Incarnati, ceu Solis æterni, radiis penetratum, nihil omninò vitii sustinuisse. Ad propositum S. Fulgentius; *De cœlis Medicus transiens per Virginem, post transitum suum illæsam fecit Virginem permanere.*

S Fulg. ser. 3 de Laud. Mariæ V.

Mortificatio. 95. Crystallus montana ex aquis concrescit, quæ solis calore destitutæ, tandem, cogente aëris frigore, in lapidem diaphanum obdurescunt. Atque adeò crystallus RIGORE NITESCIT. Certè nostra humanitas, in aquis figurari solita, claritatis suæ pretium nonnisi inter pœnitentiæ ac mortificationis rigores sortitur. Juventus quoque, nonnihil rigidius tractata, à vitiis absterretur, & virtutum splendorem amplectitur. S. Ambrosio teste, *Adolescentes magis metu, quàm ratione revocantur à vitio.* Ita S. Ignatius Loyola inter stagni rigores; S. Franciscus in nive volutatus; & quadraginta Martyrum corona aquis congelatis immersa, sub hominum & Angelorum oculis splendorem prorsus exoticum recuperârunt. Quin imo, de quovis beato concludere licet, *Rigore nitescit*; cùm Vates Apocalypticus se vidisse testetur *in conspectu sedis tanquam mare vitreum sine crystallo.* Atque adeò glaciei ac crystalli rigores viam planè regiam sternunt, ad sanctorum charitatem, & beatitatis infinitæ gloriam securè adipiscendam.

Juventus. *S. Ambr. de Ioseph. cap. 10.* S. Ignatius Loyola. S. Franciscus. Quadrag. MM. *Apocal. 4.* Rigor est via ad beatitudinem.

Mutatio. 96. Globus crystallinus, suprà horridam rupem figuratus, lemmatis loco has voces pronuntiat; EX GLACIE CRYSTALLUS EVASI. Eorum hæc imago est, qui ex infimis natalibus summos dignitatum apices conscendunt. Ita Justinus, primum subulcus, tandem Romanorum Imperator est nominatus. Tamerlanes è plebe pastoritiâ ad Scytiæ regnum promotus est. Agathocles, figuli filius, Siciliæ coronâ adeptus est. Rhodope è vilissima & paupere meretrice totius Ægypti Regina salutabatur. Primislaus, antea bubulcus, postea Bohemiæ Princeps evasit. &c. Taceo Pium V. Sixtum V. aliosque, è tenuissimis natalibus ad Summi Pontificatûs fastigium sublevatos. Torquatus Tassus de Alete, Regis Ægypti Oratore, canit;

Taff. Gern. liberat. Cant. 2. stanz. 58.

Alete è l'un, che da principio indegno
Trà le brutture de la plebe è sorto,
Mà l'inalzaro à i primi honor del Regno,
Parlar facondo, e lusinghiero, e scorto, &c.

Religiosus. Porrò homo religiosæ vitæ rigoribus ex peccatore instar glaciei caduco, & ad quosvis libidinis calores flexibili, pulcherrima, & in virtutum exercitio solidissima crystallus evadit. Unde S. Hieronymus; *Pretiosus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, Monachorum & Virginum chorus est.*

S Hieron. Ep ad Heliodor.

Sinceritas. 77. Vas crystallinum, in quo aliquot Rosæ spectantur, epigraphen sustinet; IL NASCOSTO MOSTRA FUORE. Id est, INTIMA PANDIT. Ipsissima hæc hominis justi ac sinceri est indoles, dum interioris animi sui affectus in externo corpore, velut in speculo, dignoscendos proponit. Providè monet S. Bernardus; *Non discordet cor tuum à facie tua; non habeas faciem sursum, & cor deorsum.* Certè Nobilitas & Magnanimitas in pectore grandi adeò se occultari non patiuntur, ut facillimo negotio obviis quibusque oculis pateant. Erminia Princeps, regio sanguine oriunda, à Torquato Tasso intra sylvas quidem, pastoritio induta habitu, repræsentatur; mox tamen de illa subjungit,

S. Bernard. ser. in Cant. *Taff l. c. Cant. 7. st. 17*

La fanciulla regal di roze spoglie
S'ammanta, e cinge alcrin ruvido velo;
Ma nel moto degli occhi, e de le membra
Non già di boschi habitatrice sembra.
Non copre habito vil la nobil luce,
E quanto è in lei d'altero, è di gentile:
E fuor la maestà regia traluce
Per gli atti ancor del essercitio humile.

Perfectio humana. 98. Crystallus, uno latere à radiis solaribus percussa, ex altero umbram spargit. Unde lemma; E TUTTO LUCE, E PUR NON E' SENZ' OMBRA. Id est; NEVE SUIS UMBRIS, LUCIDA TOTA CARET. Sensus est, neminem mortalium eò venisse perfectionis, cui non aliqua imperfectionis labecula adhærescat. Dilucidè Justus

stus Lipsius; *Ubi magnæ virtutes, ibi & magna vitia, aut crebra.* Ita Julium Cæsarem ambitio, Alexandrum Magnum ebrietas, Fabium Maximum tarditas, Marcum Marcellum præcipitantia, Hannibalem perfidia ac balbuties, Domitianum otiositas, & alios viros gravissimos alia sordidârunt vitia. S. Prosperum in hæc verba canentem audi;

Lips. Centur. ... ad ... Epist. 8.

S. Prosp. E... ig. de Venia

Magna quidem in multis est excellentia Sanctis,
Quorum animos Superi gratia roris alit.
Sed dum mens quadam patitur mala corporis ægri,
Et pugnam interius exteriora movent.
Nunquam ita perfecto capitur victoria bello,
Vera ut securus pace fruatur homo.
Inter discordes motus contagia serpunt,
Ipsaque virtutum gaudia vulnus habent.
Ut faciat notum longa experientia cunctis,
Non esse hoc plenam tempore justitiam.
Ni Dominus miserando lavet delicta suorum,
Et dans virtutum munera, det veniam.

99. Joannes Baptista Ruscellus globum crystallinum, è filo suspensum, figuravit, eique inscriptionem, priori Emblemati prorsus contrariam suffixit; UMBRAM NESCIT. Maria Virgo, purissimam crystallum exactè imitata, nunquam vel minimam ullius labeculæ umbram contraxit. De illa S. Thomas Aquinas in expositione Salutationis Angelicæ dicit; *Maria purissima fuit, quantùm ad omnem culpam; quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* In hanc rem opportunè faciunt characteres illi, à P. Sebastiano Chieso, Regiensi, è Societate Jesu, supra marmor parium efformati, cui Prosper Clemens, Rebiensis statuarius celeberrimus, Mariam Virginem, sine labe originaria conceptam, incidit, illudque etiamnum hodie Regii in sacello S. Francisci asservatur;

Mariæ V. conceptio

S. Thom. in Exposit. Salut. Angelicæ.

Conceptæ simulachrum Deiparæ
Pario nonnisi ex marmore confici debuit;
Quod unum maculas non admittit.
Originalis innocentiæ candore, & ipsi lapides probant,
Divinæ opus clementiæ ante sæcula delineatum,
Futuris sæculis sculptor expressit CLEMENS.
Picturæ munus hoc demandari non decuit,
Quæ suas partes tantùm agit per umbras.
Umbrarum est expers Virgo electa ut sol.
In oculis maculas gerit, qui maculas scrutatur in sole, &c.

100. Idem Ruscellus crystallino globo, ad filum suspenso, inscripsit; SUSPENSA LUCIDIOR. Haud secùs anima, quantò suprà corporis & terræ desideria sublimior, tantò majus gloriæ ac caritatis pretium sibi conciliat. Unde Zacharias dixit; *Lapides sancti elevabuntur,* seu, interprete P. Cornelio à Lapide, *Lapides separationis, id est, separati à vulgaribus, elevabuntur, hoc est, erunt in pretio, dignitate, & honore.* In rem præsentem diviné, ut solet, Magnus Augustinus ita ratiocinatur; *Si vis esse cœlum, purga de corde tuo terram; si terrenas concupiscentias non habueris, cœlum eris.*

Separatio lustrat.

Zach. 9.16. Corn. à Lap. hunc loc.

Aug. in Psal. 96.

101. Crystallus, si puritati suæ nihil omninò fæcis admixtum habeat, à radiis solaribus tota pervaditur, ac undique illustratur. Unde subscribere licet; NITENTEM UNDIQUE LUSTRAT. Sub hoc schemate haud obscurè disces, gratiæ Divinæ radios in conscientias puras & innocentes copiosissimè diffundi. S. P. Augustinus; *Anima rationalis inter eas res, quæ sunt à Deo conditæ, omnia superat, & Deo proxima est, quando pura est,* Nicol. Caussinus.

Deus illustrat cor purum.

Aug. l. 83. quæst. q. 46. Caussin. in Paraged. Natur. Act. 2.

Sed hic (Deus) *revelat menti arcana notas,*
Clarumque lustrat pectus ætherea face.
Ut sol serenâ luce crystallum secat,
Totumque radio mergit absorptum undique,
Talis penetrat lucidus mentes Pater,
Purumque terso pectori illapsus micat.

102. Crystallus, tenerrimis quibusdam fæcibus conspurcata, percipiendis solaribus radiis penitus ineptam se exhibet. Unde lemma; SORDENS, JUBAR EXCLUDIT. Ita sane cor humanum, vitiorum illuvie sordidatum, omnem claritati Divinæ aditum præcludit. S. P. Augustinus; *Deus non venit in homines, nisi mundaverint viam fidei, quâ veniat ad eos, quia immaculata est via ejus.* Rursus Caussin.

Cor vitiosum est incapax Dei.

S. August. in Psal. 17.

Caussin. Act. 4. loc. cit.

Fæce sordens animus, & semper vorax
Rubigo mentis ferreæ excludit Deum.

103. Tametsi crystallus montana nihil sit aliud, quàm glacies, summo cogente frigore in lapidem obdurata; ea tamen, si ferro percutiatur, voraces flammas latè evomit. Ut adeò, meâ quidem sententiâ, opportunam hanc epigraphen subjunxeris; ALGET, ET URIT. Prædicatorem illum hæc imago repræsentat, qui auditores suos ad Dei amorem accendit, cor verò proprium penitus congelatum ac rigidum circumfert. S. Hieronymus; *Non confundant opera sermonem tuum, ne, quum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat; cur ergò quæ dicit ipse non facit?* Vel, si lubet, de homine mundano illum interpretaberis, cujus pectus in negotiis Divinis obstinatè conglaciatum, frigidum, ac lapidescens; in libidinis ac vindictæ tentamentis integras passim eructat Ætnas & flammarum globos.

Prædicator.

S. Hieron. in Epist. ad Nepot.

Mundanus.

CRYSTALLVS TRIGONA.

104. D. Gregorius Amianus, cui inter Incompositos Fanenses Phantastici nomen obtigit, Symboli loco prisma, seu crystallum trigonâ præfert, quæ res quasvis obvias mirâ elegantiâ ac colorum varietate spectandas repræsentat. Epigraphen subjunxit istam; TRAHIT VARIOS. Ita fæcundum hominis ingenium eximia rerum diversissimarum ectypa, ac innumeras, scitasque cogitationes indies parturit. Opportunissima tamen hæc Sapientiæ incarnatæ idea est, quæ ad animarum salutem majori dexteritate comparandam, earum egestati penitissimè se attemperavit, & in diversas formas coloresque transformari minimè abhorruit. In hanc rem plurimum confert erudita illa S. Cyrilli Hierosolymitani catechesis; *UNICUIQUE VARIUS FIT Salvator ad utilitatem: qui enim indigent recreatione & lætitiâ, illis fit vinea. Qui opus habent ut ingrediantur, his constituitur ostium: & qui cuperent offerre orationes, illis fit mediator, summusque Sacerdos. Rursus habentibus peccata, fit ovis, ut pro ipsis mactetur.* ET OMNIBUS FIT OMNIA *ipse idem naturâ permanens qui est.* S. Irenæus; *Et ipse Unigenitus Dei, utpote dives, & multùm existens, non in una figura, neque in uno charactere videbatur videntibus eum, sed secundùm dispensationis ejus causas & efficaciam, sicut in Daniele scriptū est: aliquando enim cùm his, qui erant circa Ananiam, Azariam, Misaël, videbatur assistens eis in fornace ignis. Aliquando autem lapis à monte abscissus sine manibus percutiens temporalia regna, & ipse replens universam terram. Rursus videbatur ut Filius hominis in nubibus cœli &c.* Quod si imaginis hujus mentē in sensu deteriore interpretari libeat, non abs re fœminam astutam & malitiosam eâ significari dixeris, quæ, incautum amantis pectus præcipitatura, diversas technas comminisci, ac vultus omninò varios induere solet; modò enim amo-

Ingenium fæcundū.

Gratia.

Christus in mundo conversatus.

S. Cyrill. Hier. Catech. 10.

S. Irenæus l. 4. c. 37.

Fœmina lasciva.

amorem, modò effingit odium; jam benignam, paulò post asperam se exhibet; nunc modesta, mox impudens, quovis Protheo versatilior, comparet. His omninò coloribus insidiantem suam Armidam describit Torquatus Tassus;

Tass. Geruf. Liberat. Cant st. 4. 87. &c.

Usa ong, arte la donna, onde sia colto
Ne la sua rete alcun novello amante:
Ne con tutti, nè sempre un stesso volto
Serba, mà cangia à tempo atti, e sembiante;
Hor tien pudica il guardo in se raccolto,
Hor lo rivolge cupido, evagante.
La sferza in quegli, il freno adopra in questi;
Come lor vede in amar lenti, o presti.

Fortuna. Etiam fortuna in vultus adeò diversos, assiduâ metamorphosi, commutatur, ut in sola instabilitate se præbeat stabilissimam. Mars quoque colorum discrimine adeò multiplici spectatur, ut modò prosperum, modò adversum experiamur. *Varius enim est eventus belli*, inquiebat David.

Bellum. *2. Reg. 11. 25*

105. Quidam Aulicus, ut demonstraret, se, tametsi aliàs imperfectum, à benigno tamen Principis sui aspectu, plurimum æstimationis ac splendoris accipere; crystallum trigonam figuravit, quæ res, quantumvis squalentes, ac sordidas, mille pigmentis ad omnem venustatem effictas repræsentat. Epigraphen addidit; VEL FOEDA NITESCUNT. Eadem amoris effecta sunt: hujus enim adminiculo, res, nonnunquam fœdissimæ, in amantium oculis admodum formosæ apparent. Ut adeò vetus illa paræmia adhuc obtineat;

Aulicus. Amor.

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

Dilucidè Theocritus; *Amori; quæ pulchra non sunt, ea pulchra videntur.* Et Otho Venius.

Oth. Ven. Embl. Amor fol. 206.

Lusca puella placet cupido (ceu cernis) Amori,
Ducit & hanc junctâ, quà jubet illa, manu.
Sic & amica omnis formosa videtur Amanti,
Judicio cæcus nam vacat ille furor.

106. Crystallus trigona, diversis colorum spectris ac imaginum ludibriis humanos oculos fallere solita, nunquam non aspicientibus placet. Ut adeò Carolus Bovius aptè supscripserit; DECIPIT, ET PLACET. Mundi hæc imago est, qui tot ærumnis ac fraudibus infamis, nemini non arridet. S. P. Augustinus; *Si aliqua hujus sæculi prosperitas arriserit, nonne deceptoria est? Nonne plus habet deceptionis quam delectationis?* Eadem propriissima vitæ aulicæ idea est; uti hoc epigrammate interpretatur Carolus Bovius;

Mundus. *S. August. in Psal. 41.* Aula.

Spectat adorati Lojola insignia fastus,
Inque aula blandè, quò crucietur, amat.
Et vitreæ vacuâ deceptus imagine bullæ,
Ludibrii in spectro quærit inane jubar.
Ingenium hinc aulæ felix agnosce, malumque:
Quæ potius debet fraude fugare, trahit.

DIACOSTIDES.

Caput XV.

107. Diacostides, nobilis gemma est, magnarumque virium; quas tamen omnes in ore cadaveris amittit. Lemma; INTER PURA VIGEBIT. Talis omninò est oratio, gemma utique pretiosissima; sed in ore hominis impuri vim virtutemque omnem perdit. Siracides pronuntiat; *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Cùm Core, Dathan, & Abiron, cæterique Proceres Hebræi, numero ducenti quinquaginta, secessionem fecissent à Mose, jamque starent, thura offerrent, & odores spargerent; terra horrendum repentè contremuit, & undante superficie non secùs quàm pelagus vento fluctuans, populum universum terruit; simulque immani eliso sonitu, perduelles omnes horribili hiatu absorpsit; *descenderunt vivi in infernum, operti humo, & perierunt in medio multitudinis.* Quæ causa stragis adeo prodigæ? Pessima fuit oratio rebellium ac seditiosorum hominum, quorum mentem contumax superbia infecerat. Gravissimè olim Deus impiæ Levitarum tribui per Prophetam denuntiari; jussit; *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & carmina lyræ tuæ non audiam:* quia, ut interpretatur Sanctus Hieronymus, *non est pulchra laudatio in ore peccatoris. Judæorum enim & hæreticorum composita laudatio tumultus est Domino, &, ut ita dicam, grunnitus suis, & clamor asinorum &c. Carmina ergò si bonis operibus dirigamus, audiuntur à Domino; si malis, concludit aures suas, & impiorum Cantica non dignatur audire.* Bias Prienæus, cùm in naufragii discrimine inter scelestos ac deploratæ vitæ homines esset, illique Deos ob sospitatem deprecarentur *Silete*, ajebat, *ne Dii nos hic esse sentiant.* Nempe, *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas?*

Oratio peccatoris. *Eccl. 15. 9.* *Num. 16.* *Amos 5.* *S. Hieron. in hunc locum.* *Psalm. 4*

DIADOCHVS.

Caput XVI.

108. Diadochus, multarum virtutum gemma, illas omnes è solo cadaveris contactu perdit; uti Petrus Bercorius, Beluacensis, aliique testantur. Unde Lucarinus opportunè subscripsit; IN CADAVERE NON PROFICIT. Ita omninò SS. Eucharistia, intra peccatoris fauces, veluti in sordidissimo cadavere recepta, vires suas ac gratiæ fluenta exercere penitus prohibetur. Sanctus Joannes Chrysostomus; *Sicut corporalis cibus cùm ventrem invenerit, adversis humoribus occupatum, magis nocet, & nullum præstat auxilium: ità & iste spiritualis cibus si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdit, non suâ naturâ, sed accipientis vitio.* Hæcque applicatio Emblemati penitus conformis est, si epigraphe, à Lucarino subjecta, attendatur. Quia tamen Arnoldus, aliique Gemmarii tradunt, quod Diadochus, *applicatus defuncto, vires amittit*; idcircò melius hanc illi epigraphen substitues; PERIT, TACTO CADAVERE, VIRTUS. Documenti loco id habeat quivis Justus, ut peccatorum commercia, ceu cadavera penitùs abominanda, effugiat; aliàs virtutum suarum splendore exuendus. Verissimè Plato; *Qui se improbis immiscet, necesse est eadem pati & agere, quæ tales agere & loqui inter se didicerunt.* Unde severum Paginæ Divinæ præceptum erat; *Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum.* Id est, interprete P. Cornelio à Lapide, *Caveat sacerdos, ne immunditiem legalem contrahat tangendo cadaver*; veluti solus cadaveris contactus sufficeret, ad animam nostram, deperditâ religiosâ munditie, contaminandam.

Eucharistia. *S. Chrys. Hom. 5. in Matth.* Societas mala. *Plato l. de Legibus.* *Levit. 21. Corn. à Lap. in hunc loc.*

109. Dyacodus (quem Plinius & Bercorius Diadochum vocant) his omninò verbis describitur à Bercorio; *Est lapis pallidus, lucens ut beryllus.* Adeoque ET PALLET, ET LUCET. Servum Dei gemina hæc prærogativa spectat, qui jejuniis maceratus, clarissimos sanctimoniæ radios diffundit. Certè Sanctus Joannes Baptista, *neque manducans, neque*

Plin. l. c. 10. Bercor. l. Reduct. 57 Justus mortificatus. *Matth. 11. Ioan. 1.*

S. Ambros. l. de Elia & jejunio. *neque bibens*, vitam in eremo adeò claram exegit, ut passim apud omnes audiret Messias. S. Ambrosius; *Jejunium, mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc gradu ad Deum citius pervenitur: hoc gradu ante, quàm curru, Elias ascendit.*

Bercorius l. cit. 110. De eodem diadocho subjungit Bercorius, *Est aptus ad responsa à dæmonibus obtinenda.* Unde inscripsi; RESPONSA EXTORQUET AB ORCO. Hominem Apostolicum hoc symbolo exornabis, qui, asserente Bercorio, *per bonam prædicationem & eruditionem, dæmones, id est, peccatores excitet ad bonam operationem, & eos compellat respondere, peccata sua dicere per confessionem.* Omnia boni Prædicatoris munia recensens Magnus Augustinus, ait; *Prædicatores voluntates pigras excitent, accendant frigidas, corrigant pravas, aversas convertant, repugnantes pacificent.* Propriissimè tamen bonum Exorcistam concernit, qui, Dei loco, dæmonibus imperat, eosque cùm ad edenda opportuna responsa, tum ad energumenos deserendos compellit.

Bercor. l. c. — Prædicator fructuosus. — Aug. l. de bono viduit. c. 18. — Exorcista.

111. Inter cæteras Diadochi virtutes etiam ista à Gemmariis numeratur,

Nec lapis est alius, qui fortius evocet umbras.

Id, num vero sit consonum, hoc loco expendere non vacat: nobis sufficiat hanc exinde epigraphen desumere. EVOCAT UMBRAS. Sanctos illos Thaumaturgos hæc imago repræsentat, qui demortua hominum cadavera è sepulchro in vitam revocârunt; quales fuêre S. Stanislaus, S. Martinus, S. Patritius, S. Dominicus, S. Antonius Patavinus, S. Franciscus Xaverius, alii. Eâdem Diadochi virtute Prædicator Apostolis insignem se probat, quando fætentes mortalium animas, in vitiorum cavernis miserè sepultas, ad spiritualis vitæ libertatem educit. Cæterùm oratio, instar Diadochi, validissima est ad animas è purgantibus flammis evocandas S. P. Augustinus; *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio, & Eleemosynis, quæ pro mortuorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim, à Patribus traditum, universa observat Ecclesia. &c.*

Purgatorium. — S. Aug. serm. 34 de Verb. Apost. c. 2.

ENYDROS,

Cap. XVII.

112. HÆc gemma, quantumvis solida, aquarum copiam tam immodicam evomit, ut fonti similis esse videatur. S. Isidorus de illa scribit; *Enydros ab aqua vocata; exundat enim aquâ ita, ut clausam in ea putes fontaneam scaturiginem.* Unde Lucarinus hanc illi epigraphen subjunxit; INDEFICIENS MANAT. S. Nicolaum Bariensem hoc Emblemate significabat, è cujus sepulchro salutifera balsama ac prodigiosi liquores promanant; uti etiam, teste Thomâ Bozio, è gloriosis corporibus S. Andræ, Matthæi Apostoli, S. Felicis Nolani, & aliorum. Supra S. Laurentii Martyris Novariensis tumulum antiquissimi hi characteres leguntur;

S. Isid. l. 16. Ethym. c. 13 — Reliquiæ SS. — S. Nicolaus Nolanus. — Thom. Boz. de sign. Eccl. l. 15 sig. 66.

Aspicis hoc marmor tumuli de more cavatum,
Id solidum est intus, rima nec ulla patet.
Unde queat tellus occultas mittere lymphas,
Manat ab ingestis ossibus iste liquor.
Si dubitas, medio sudantes tolle sepulchro
Relliquias: dices, unda salabris ubi est?

Maria Virgo, Mater misericordiæ, ceu fons copiosissimus, omnique Enydro longè uberior, assiduas gratiæ suæ aquas in orbem diffundit. Ut adeò rectè de illa pronuntiet Richardus à S. Laurentio, *Maria fons, qui non congelatur, sicut cæteræ aquæ, sed JUGITER FLUUNT miserationes ejus.* Maria. V. — Rich. à S. Laur. lib. 9.

113. Gemmarius de Enydro canit;

Perpetuis fletus lachrymis distillat Enydros.

Itaque gemmam istam, indefessos lachrymarum imbres versare solitam, hoc epigrammate afficies; MADET PERPETUO FLETU. Damnatus, Enydro persimilis, ob duritiam suam obstinatam saxum imitatur, simulque lachrymis æternùm profundendis in inferno madet. Dilucidè S. Matthæus; *Filii regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Fletus quidem,* inquit S. Bernardus, *ob ignem, qui non extinguitur; stridor verò ob vermem, qui non moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidiæ, & obstinatæ malignitatis extorquebit.*

Damnatus. — Matth. 8. 12. — S. Bern. ser. 8 in Psalm. Qui habitat.

114. Ex Enydro pingues & crystallinæ guttulæ assiduò promanant, neque tamen putes velim, eas virtute quadam miraculosa ex arido illo lapide, veluti è famosâ illâ deserti Judaici rupe, elici: ipsemet enim lapis occultâ suâ virtute aërem vicinum condensare, & sine proprio detrimento in aquas convertere solet; adeoque eas, in aliorum utilitatem profusas, solius cœli beneficio accipit, novamque semper dispensandi materiem ab æthere ambiente sortitur. Proindè hâc Physicâ nixus, epigraphen subdidi; QUOD FUNDIT, REPARAT ÆTHER. Idipsum Eleëmosynariis evenire solet, qui suas opes, in egenos distributas, cœlo compensante identidem recipiunt, & assiduam liberalitatem assiduo bonitatis ac providentiæ Divinæ beneficio exæquatam sentiunt. Perspicuè id in Sareptanâ viduâ cernere licet, quæ unicum farinæ pugnum, & quatuor olei guttulas in pauperem Eliam fœnore adeò cumulato expendit, ut penus suum instructissimum receperit. De hac S. Ambrosius; *Quoniam devotionem cibo prætulit, meruit, ut ariditatis publicæ sola non sentiret ærumnam. Itaque non defecit hydria farinæ, cùm torrentis fluenta deficerent.*

Eleemosynarius. — 3. Reg 17. — S. Ambr. l. de Elia c. 2.

115. Enydros, assiduum liquorem destillans, nec consumitur, nec imminuitur unquam. Arnoldus apud Vincentium Beluacensem ait; Enydros *est lapis destillans perpetuis guttis, nec liquescit omninò, nec efficitur minor.* Unde Carducius inscripsit; SINE DAMNO FOECUNDA. Bonus Magister, tametsi, instar Enydri, assiduas doctrinæ suæ aquas versans, nunquam tamen vel minimâ sapientiæ suæ jacturam sustinet. S. Joannes Chrysost. *Divina eloquia,* inquit, *fonti similia sunt, largis, perennibusque fluentis scaturienti; etiam qui ante nos fuêre, pro viribus suis aquas inde hauserunt, & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neq; sic totum evacuare poterunt, sed magis interim augeatur flumina & increscunt. Hæc enim spiritualium fluentorum natura est, ut hoc magis scaturiat spiritualis gratia, quò magis inde hauritur.* Et certè quod de doctrina sacra, idipsum de Doctoribus pronuntiare licet; quantumcunque enim sapientiâ profundendâ liberales fuerint, non tantùm nihil inde amittunt, sed contra plurimùm recipiunt. S. Petrus Cellensis doctrinam cum sanguine, è venis elicito, comparat. *Scalpello, instantiæ eorum qui me rogant, & à me edoceri volunt, vena cordis incisa, undecunq; vocavi vivum*

Vinc. Belu. l. 8. c. 70. Specul. Nat. — Magister. — S. Io Chrys. Hom. 3 in Genes. — Doctor. — S. Pet. Cell. Tract. de Conscientia.

vum sanguinem venarum totius meditationis, ut de sanguine defæcatæ eruditionis commodaret, seu emitteret cor, quod sufficeret dicenti. Nec credendum, quod semper vena cordis evacuetur perniciosè, quoties inciditur, quin potius de effusione charitatis commodius fluit, ac liberius.

GEMMA.

Cap. XVIII.

116. Aurifices gemmarum bonitatem plumbo experiri solent; adulterinæ enim illo commaculantur, genuinis econtra penitùs illæsis. Unde plumbum, gemmæ affricatum epigraphen sustinet; NEQUAQUAM INFICIT. Eadem omninò ratione calumnia nunquam eousque grassari potest, ut hominis virtuosi famam ullâ labeculâ contaminet. Benè dixit Seneca; *Nullum sapientem nec injuriam accipere, nec contumeliam posse.* Et rursum; *Tutus est sapiens, nec ullâ affici aut injuriâ, aut contumeliâ potest.*

Calumnia.

Senec. l. quod in sapientem non cadit injuria cap. 2.

117. Joannes Ferrus aliquot pictis gemmis subscripsit; PICTÆ, AT NON INCISÆ. Tales gemmarum umbras homines illos vocaveris, qui scientiarum cognitionem non commodam ac veram, sed è superficie tantùm sequuntur: sicuti hypocritæ non ipsâ virtute, sed solâ virtutis umbrâ amicti incedunt. Talis etiam est omnis terrena voluptas ac felicitas; nam, asserente S. Joanne Chrysostomo, *Etiamsi divitias objeceris, si gloriam, si delitias, sive aliud quodcunque ex his, quæ magna esse videntur, figura tantummodò sunt, non ipsius, quæ in rebus est, veritatis demonstratio.*

Apparentia. Hypocrita. Felicitas mundi. *S. Io. Chrys.*

118. D. Aresius gemmam, annulo insertam, hoc lemmate donavit; HONORI INVICEM. Mariam Virginem, in templo præsentatam, hoc Emblema spectat, quippè quæ, cùm loco illi sacro plurimùm honoris suâ præsentiâ deferret, ab eo vicissim maximè fuit honorata. Mutuam hanc honoris deferendi consuetudinem Fulvius Testi in Principe Alexandro de Esthe, ad Sacram Ecclesiæ Purpuram sublevato, deprehendit.

Mariæ V. præsentatio. Vicissitudo.

La spoglia, che d'intorno à voi rimiro
Di pretiosa porpora contesta,
Grande vagliami il vero onor vi rende.
Ma s'à i vostri natali il pensier giro,
Veggo Signor, che la vermiglia vesta
Non Minor da voi gloria acquista, e prende.

Cassiodorus; *Gemmarum divites venæ, auri fulgore pretiantur, & gloriam pulchritudinis capiunt: sic bona merita splendidis dignitatibus sociata, alternis præconiis adjuvantur, & unius rei facies de addita sibi venustate pulchrescit.*

Cassiod. l. 5. Var. Ep. 40.

119. In exequiis Philippi IV. Hispaniarum Regis, Mediolani ad S. Alexandrum celebratis, gemmam videre erat, quæ Emblematis loco inter tenebras fulgurabat; cum dicto, ALIENÆ HAUD INDIGA LUCIS. In eos hæc Imago convenit, qui propriâ suâ virtute insignes, non coguntur mendicato vivere. Senecæ dictum erat; *Nemo gloriari, nisi de suo, debet.* Eidem Emblemati subscribere licet; LUMINE CLARA SUO. Cæterùm Emblematis mens hoc epigrammate aperitur.

Se ipso operari.

Lumine clara suo vel cœcæ noctis in umbris
Non mendicato gemma nitore micat.
Sic tua, sic virtus ALIENÆ HAUD INDIGA LUCIS
Ingenitâ fulget luce, Philippe, satis.
Hæc major fato, tenebris obducta sepulchri,
Vivida in extincto lumine fulget adhuc.

120. Gemma, annulo inclusa, pulchrior, ac magis conspicua redditur, quàm loco suo nativo relicta. Quare D. Gregorius Bolzi, nobile Congregationis Somascenæ ingenium, Symboli loco gemmam expresit; cum lemmate, MEGLIO CHE DOVE NACQUE. Id est; CLARIOR A PATRIA PROCUL. Dicere volebat, Sanctæ Ædi Lauretanæ, Nazaretho in Italiam translatæ, plurimum honoris ac venerationis accrevisse. In rem præsentem meus D. Carducius;

S. Ædes Lauretana.

Fit Gemma carior procul cunabulis;
Sic extero fit gratior solo Domus.

Eos insuper hoc Emblemate condecorare licet, qui nobili loco nati, ad claustralem aut religiosam vitam transeunt. S. Gregorius Papa; *Qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admiserit, perfectè cognoverit, ea, quæ in terris amaverat, cuncta derelinquit, comparatione illius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in cœlestibus animus, nihil de terrenis libet, deforme conspicitur, quidquid de terrena rei placebat specie: quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente.*

Religiosus. *S. Greg. i Homil.*

121. Gemmas hoc acroamate insignire licet; TERUNTUR UT NITEANT. Ita omninò Divinâ Providentiâ comparatum est, justos aliorum violentiâ & injuriis acerrimè conteri, ut, instar gemmarũ, ad ampliores virtutis suæ radios promoveantur. Opportunè meus Concanonicus S. Prosper.

Calamitas illustrat

Mens etenim recta, & puri sibi conscia cordis
HOC PLUS SPLENDESCIT, QUO MAGIS ATTERITUR.

S. Prosper. Epigr. 52.

Et S. Joannes Chrysostomus; *Tantam fortitudinem habet virtus, ut CLARIOR fiat, CUM INFESTATUR.*

S. Io. Chrys. Hom. 6. in Genes.

122. Gemmæ, ubi nascuntur, aut magnâ copiâ abundant, pretio haud ullo habentur, at in exteris regionibus maximi æstimantur. Unde lemma; EXTERIS IN PRETIO. Eorum hæc imago est propria, qui in patrio solo neglecti, alibi plurimum æstimantur. Teste Venerabili Beda, *Non solùm Dominus & caput Prophetarum, qui à Moyse Propheta nominatur, sed & Elias & cæteri Prophetæ minus in patriâ, quàm cæteris civitatibus sunt honorati. &c.* In rem præsentem meus Carducius hos Jambos ponit;

Patria. *Beda in c. Lucæ.*

Pretiosa gemmarum est supellex exteris;
Natali at illa spreta sordescit solo.
Sub patrio sic nemo Vates æthere;
Sub extero sed emicat Virtus polo.

123. Gemma,

123. GEmma, annulo aureo inserta, clarosque vibrans radios, epigraphen sustinet; LUCET; ET ORNAT. Gemmæ symbolo S. Mechtildem, Canonicam Regularem, intelligo, quæ in celeberrimo Collegio Diessensi, ceu aureo virtutum ac regularis Disciplinæ annulo, non tantum plurimis *lucet* miraculis, sed & totam *ornat* Bavariam, cumprimis verò Diessensem agrum, qui gemmæ huic & cunas præbuit, & tumulum, tot indies coruscum cœlestibus prodigiis, quot nunquam non amplissimos numerat ad tantam Thumaturgam supplices. Ne verò operosè, & contra instituti mei rationem cogar repetere, quæ Engelhardus Abbas, Henricus Canisius, Philippus Dobereiner, Raderus, aliique viri Clarissimi prolixè ac eruditè de prodigiosâ hâc Virgine publico evulgarunt typo, omninò velim ut *Gemmam Diessensem*, seu vitam S. Virginis Mechtildis, singulari eruditione ac miro compendio nuperrimè ab Admodùm R. & Doctissimo D. Thoma Durr, Canonico Regulari & Decano Diessensi, editam, consulas. Cæterùm virtus & scientia non tantum hominis optima sunt ornamenta, sed insuper lucem adeò copiosam diffundunt, ut non tantùm proprio intellectui, sed & exteris illustrandis deserviant. S.P.N. Augustinus; *Illuminatur anima luce sapientiæ Dei, sicut illuminatur aer luce corporeâ. Et sicut aer tenebrescit istâ luce desertus, ita tenebrescere animam intelligimus, sapientiæ luce privatam.*

S. Mechtildis Ancillæ Can. Reg. S. Aug. in Diessen. & Edelstetten.

Virtus & scientia.

S. Augustin. l. 11. de Civit. Dei c. 10.

124. Narrat Petrus Bercorius, Gemmam Liparæam ita existere animalibus gratam, ut ad illam intuendam turmatim confluant: unde venatores feris, quas alio modo capere nequeunt, gemmam illam exhibent, sicq; accurrentes in suam potestatem redigunt. Emblemati subscripsit P. Sebastianus à Matre Dei; VEL TOTUM ATTRAHET ORBEM; Deiparam Virginem significans, cujus ope plurimi peccatores, ceu feræ indomitæ, ad Deum trahuntur. Ut adeò verè à S. Ecclesiâ salutetur *Refugium peccatorum*. S. Bernardus, ad Dei Matrem conversus, *Tu*, inquit, *peccatorem à desperationis barathro piâ manu retrahis, spei medicamē aspiras, foves, nec deseris, quousq; horrendo Judici miserum reconcilies.* S. Petrus Damianus refert, latronem quoque bonum ad Christum conversum ope ac precibus B. Virginis; *Bonus latro*, inquit, *resipuit, quia beatissima Virgo, inter Crucem Filii, & crucem latronis posita, Filium Pro latrone deprecabatur.* Et paulò inferius; *Latro in Cruce conversus: sed cur non ante? cur non resipuit, cùm Jesum in viâ sequeretur? cùm eum Crucem suam ferentem vidit & comitabatur? Tunc convertitur, cùm Maria juxta crucem stabat: Tunc ex Latrone factus est Martyr, cùm pro eo Maria deprecabatur.* En! quàm potenter trahatur, quem Beatissimæ Virginis preces trahere conantur. Vide in hanc rem prolixè & eruditè disserentem Alphonsum Salmeronem.

Bercor. l. 10. Reduct. c. 29.

Maria V. refugium peccatorū.

S. Bern. ser 2 de virg. Deipar.

Latro cō-versus.

S. Pet. Dam. in serm.

Salmer Tom 10. Tract 40

HYACINTHUS.

CAPUT XIX.

125. ALcibiades Lucarinus Hyacinthum hoc epigrammate loquentem sistit; CON L'AER CANGIO ASPETTO. Id est; COELI VARIATUR ASPECTU. Ipsissima hæc mei Richardi Victorini de Hyacintho est sententia; *Hyacinthus*, inquit, *qui cum aere mutatur.* Et S. Isidori; *Cum facie cœli mutatur.* Cui proprietati etiam Solinus aliique innumeri subscribunt. Maria Virgo, hyacintho simillima, in omnes Christi patientis vultus

Rich. Vict. in c. 21 Apoc.

S Isid. l. 16. Ethym. c. 9.

Solin l 32.

Maria V. supra Calvar.

& dolores supra Calvariæ rupem videbatur penitus transformata. S.Thomas Aquinas; *Ea vis amoris est, ut talem te esse necesse sit, quale est id, quod amas; & cui per affectum conjungeris, in cujus similitudinem ipsa quodammodo dilectionis societate transformaris.* Ad propositum nostrum explicatissimè Richardus à S.Laurentio; *Domine*, inquit ad Christum *una mulier astat tibi crucifixa, quæ quascunque plagas, quæcunque vulnera, quoscunque dolores sentis, & suscipis in tuo corpore, compatiendo suscipit in visceribus cordis sui.*

S. Tho. Aq. Opusc. 20. — Amans. — *Rich. à S. Laur. l. 2. p. 2 de laud. Virg.*

126. Hyacinthus, Sapphyro persimilis, cæruloita illustri tinctus est, ut serenissimum cœlum exæquet. In eo tamen à sapphyro distinguitur, quòd malis omnibus penitus sit immunis. Unde Lemma; FULGET IMAGINE COELI. Aut verbis ex S. Hieronymo desumptis; RADIAT COLORE COELESTI. Vel ut Carducio placet; IN SE PINGIT OLYMPUM. Vel denique ob purissimam ipsius munditiem; MACULA PROCUL. Homines sanctos, omnique vitiorum nævo penitus liberos, hæc imago spectat; corpore enim in terris degunt, affectus autem cœlo affixos habent. S. Ambrosius id totum explicatè tradens, *Hyacinthus*, ait, *cæli sereni colorem habens, sicut sapphyrus. Sed ille maculas habet; istius pulchritudo nullis maculis deturpatur. Significat autem sanctos viros, ab omnibus sordibus peccatorum alienos, terram corporibus, cœlum mentibus semper inhabitantes.*

Justus. — *S. Ambr. in Apoc. 21.*

127. Hyacinthus ad diversos cœli vultus studio è cooformatur. Nam, S. Isidoro teste, *Sereno perspicuus est, atque gratus: nubilo coram oculis evanescit atque marcescit.* Quare epigraphen subjunxi; SERENO RIDENS, NUBILO TABESCIT. Hominis prudentis & sinceri hæ leges sunt, ut proximis suis nunquam non accommodatus, dolentibus condoleat, & collætetur lætantibus. Opportunissimè meus Richardus Victorinus; *Hyacinthus, qui cum aere mutatur, cum sereno serenus, cum nubilo nubilis, virtutem fraternæ condescensionis designat.* Et Hugo Cardinalis; *Per hunc significatur discretio Sanctorum, & compassio, quâ secundum Deum omnibus, & in omnibus se conformant, ut omnes lucrifaciant.* 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem; vel compatiuntur omnibus, ut Rom. 12. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.*

S. Isid. l. 16. Ethym. c. 9. — Conformari. — *Rich Vict. in c. 21 Apoc.* — *Hug. Card. in c. 21. Apoc.*

128. Ea est Hyacinthi durities, ut nullo, nisi adamantis acumine frangi aut incidi queat. S. Isidori verba sunt; *In sculpturis durissimus, nec tamen invictus. Nam adamante scribitur & signatur* Unde inscriptio; SOLO ADAMANTE SIGNATUR. Ita omninò servi Dei quibusvis malevolorum insultibus firmissimo pectore obluctantur, neque alios, nisi legis & timoris Divini characteres in animam suam recipiunt. Sic, tametsi Principes Sacerdotum carceris horrore, verberum duritie, ac gravissimis imperiis sanctum veræ fidei affectum in Apostolorum cordibus oblitterare niterentur, irritus tamen omnis conatus cecidit: Apostoli quippe hyacinthino pectore obfirmati, nulli alteri, nisi Divinæ voluntati cedere poterant. *Interrogavit eos Princeps Sacerdotum, dicens; Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto; & ecce replêstis Jerusalem doctrinâ vestrâ. Respondens autem Petrus & Apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Ita etiam Machabæi responderunt Antiocho mandanti, ut contra legem Dei vescerentur suillâ; *Non obedio præcepto Regis, sed præcepo Legis, quæ data est nobis per Moysen.* Huic simile est axioma Platonis; *Nulli hominum fas est discedere ab eo munere quod Deus ei imperavit.* Nam, ut alibi ait, *Illud sanctum est, quod Deo gratum est & placet.*

S. Isid. l. 1. — Justus soli Deo cedit. — *Act. 7. 27.* — *Mach. l. 2. 7. v. 30.* — *Plat in Phædro.* — *Idem in Euthyphro.*

129. Peculiaris hyacinthi virtus est, quod humanum pectus confortet, omnemque ex illo mærorem depellat. Bercorius de illo scribit; *Virtutem habet confortativam; & tristitiæ seu melancholiæ fugativam &c.* Proinde hanc gnomam Emblematis loco sustinet. ANGORES PECTORE PELLIT. Spes firma, in æternam mercedem defixa, tam immodicas pectori humano vires subministrat, ut in calamitatibus & ærumnis omnibus triumphet. E sententiâ Origenis, *Hyacintho spes regni cælorum conferri potest.* S. Jo. Chrysostomus; *spes bona*, inquit, *hujus vitæ labores semper minuit.* Et rursus; *Spes in tribulatione labores sentire non permittit.*

Bercor. l. c. 85 n. 2. — Spes ad cœlum. — *Orig. Hom in Exod.* — *S. Chrys. Hom 02. in Genes.* — *Idem ser. in Epist. ad Philipp.*

130. Dioscoridi constans suffragatur experientia, quòd hyacinthus omnem veneni vim è pectore humano proscribat. Bercorii verba sunt; *Veneno obviat, & toxico contrariatur.* Ut adeò hanc epigraphen jure sibi vendicet; IMPONIT FRENA VENENO. Calamitates, fortuitò immissæ, certius antidotum non habent, nisi mentem ad Divinam voluntatem, ceu ærumnarum omnium authorem, conformatam. Sola enim hæc consideratio, instar hyacinthi, omnem tormentorum vim infringit. Seneca in rem præsentem concedens, ait; *Animus noster, quæcunque fiunt, debuisse* (Divinâ voluntate) *fieri putet, nec velit objurgare naturam,* id est, res à Deo ordinatas. *Optimum est pati, quod emendare non possis: & Deum, quo Auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari.* Et paulò post; *Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit.* S. Paulus à dæmone plurimùm afflictus, ita acerbè doluit, ut tam immodicas ærumnas, tertiâ vice deprecaretur. At ubi illas è Divinâ voluntate profluere deprehendit, lubens quantocyus acquievit. Hâc de causâ S. Laurentius Justinianus; *Nihil sanius*, inquit, *nihilq; consultius esse potest, quam ut quisque totum Divinæ se committat voluntati, suum velle, suumque nolle ab eo pendere faciat, qui novit omnia, & nihil eorum, quæ fecit, odit.*

Bercor. l. c. n. 5. — Conformari Deo. — *Seneca Ep. 107.* — *S. Laur. Just. de casto co nub. c. 17.*

JASPIS.
Cap. XX.

131. INter complures Jaspidum species, mira reperitur colorum varietas; aliæ enim, Plinio teste, sunt virides, glaucæ, ac purpureæ; aliæ cæruleæ, vel aliis coloribus tinctæ. Lucarinus tamen eos colores omnes ad tria tantùm capita reducit; unde etiam Jaspidi hanc præfixit epigraphen; UNUS, SED TRICOLOR. Significabat nimirum, hanc in uno Christo Triadem, corpus videlicet, animam, & Divinitatem, contineri. S. Bernardus; *Verbum & anima & caro in unam convenere personam, & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

Plin. l. 37. c. — Christus — *S. Bern ser. 3 in Vigil. Nativ.*

132. Inter cæteras Jaspidis proprietates observat Petrus Bercorius, quòd vires suas fortius exerat, magisque resplendeat argento quàm auro inserta. *Jaspis in argento plus valet, quàm in auro, & ibi sua virtus melius elucescit.* Unde subscripsi; IN ARGENTO FULGIDIOR. Dicere volebam. Doctrinam Evangelicam, ceu gemmam pretiosissimam, omnium maximè resplendere, fructumque in fidelium cordibus uberrimum proferre, si Prædicatores innocentiâ, puritate, & vitæ sanctimoniâ potius, quàm scientiis instructi fuerint. Unde David cumprimis à Deo bonitatem internam, ac vitæ candorem, disciplinamque animi; loco autem postremo

Berc. l. 18. c. 38. — Scientia cum puritate. — *Psal. 118*

Psal. 118. Greg l. 5. in Reg. c. 4.

mo scientiam flagitavit. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* S. Gregorius Papa; *Doctor ipse prior debet bonum ostendere, quod alios contendit edocere. Non enim potest in prædicatione venerabiliter recipi, si prius in se honorem ministerii non præfert luce bonæ conversationis.* Interpretes S. Stephani vultum ideò purissimis radiis à Deo illustratum, ac instar Angeli resplenduisse, docent, ut ipsius sermones ac doctrinæ, aure magis benignâ ac pretio majore exciperentur.

Act. 6. 15.

133. Joannes Ferrus Jaspidi subscripsit; SANGUINEM SISTIT. Proprietatis hujus meminit Guido Vanninus hoc distichо;

Guid. Vann. l. de Arte mandi eum.

Irriguus fulvâ sedatur Jaspide sanguis;
In gemmæ tantùm corpore frigus inest.

Mortis memoria.

Haud aliter mortis ac extremi Judicii terror omnem hominis concupiscentiam, ad flagitia perpetranda nimiùm quantùm fluidam ac proclivem, sistit. Siracidis monitum est; *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* In hunc locum Rabanus; *Qui enim considerat, qualis est in morte, semper fit timidus in operatione: Nihil quod transit, appetit, cunctis præsentis vitæ desideriis contradicit.* Et S. P. Augustinus; *Consideratio hujus sententiæ, destructio est superbiæ, extinctio invidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis, & jactantiæ &c.* Sic Constantinus Magnus Christianorum sanguinem, instar Jaspidis, validissimè firmavit, qui antehac in Ecclesiæ primordiis à gentilium tyrannide crudelissimè profundebatur. De hoc eruditè canit Caussinus;

Eccles. 7. 40. Rabin in hunc loc. Constentinus Imperator. Caussin. Tragœd. Felicitas act. 3. scen.

--- *Veniet inclytum terris caput*
Princeps pudici mite præsidium chori,
Qui Christianis ritè perfusus sacris
Græci furoris franget indomitas faces,
Sic quando missus fervet ex venis cruor,
Bullitque toto largius rivo fluens,
Si fortè Jaspin sedula admovit manus,
Repente sistit sanguis, & sidit dolor.

134. Quidam Devotus Crucifixi statuam è Jaspide efformavit, in qua sanguineæ lapidis illius venæ cruentas Servatoris plagas exprimebant: additâ inscriptione, DEUS ASPER: veluti diceret, Deum atrocissimos dolores adversus se ipsum decrevisse, ut generis humani vulnera suavissimo lenimine persanaret. Drogo Hostiensis, ad Christum patientem conversus. *Fecisti,* inquit, *de corpore tuo speculum animæ meæ. Dedisti corpus tuum percutientibus, & genas tuas vellentibus, faciem tuam non avertisti à conspuentibus in te, ut alapæ tuæ alapas meas removeant, & flagella flagellis expientur, & opprobria exprobrantium, quæ ceciderunt super te, auferant à me opprobrium sempiternum.* Id tamen observes velim, hanc iconem non quidem Emblematis sed tantùm affectûs devoti naturam sustinere.

Crucifixus. Drog. Host. de Sacram. Dom. Pass.

IRIS.
Cap. XXI.

135. IRis in mari Erythræo nasci solita, si radiis solaribus exponatur, in vicino pariete arcum cœlestem depingit, uti testatur S. Isidorus; Unde epigraphen præfert; RADIIS ADVERSA REFULGET. Ita sancti, sub præsentiæ ac gratiæ Divinæ radiis collocati, visibilem ac lucidissimum gloriæ splendorem è vultu suo diffundunt. Id quod non solùm in Stephano licebat cernere, de quo Acta Apostolica referunt; *Intuentes eum omnes, qui sedebant in consilio, viderunt faciem ejus, tanquam Angeli;* Sed etiam hoc nostro ævo in S. Thomâ Aquinate, S. Ignatio Loyolâ, aliisque compluribus. De gratiæ Divinæ lumine ait in rem præsentem Magnus Augustinus; *Accedis ad lumen, & illuminaris, & inter filios Dei numeraris. Si recedis à lumine, obscuraris, & in tenebris computaris. Illud tamen lumen non accedit ad se, quia non recedit à se.*

S. Isid. l. 16. Ethym. c. 1. Sancti gloriosi. Act. 6. 15. S. Augustin. Tract. 48. in Ioan.

154. Vincentius Beluacensis de hoc lapide refert, quòd sub tecto collocatus, à radiis solaribus percussus, pulcherrimam colorum varietatem, arcui cœlesti persimilem, spargat; Locis verò apertis repositus, radios omnes in se ipsum colligat, omniq; venustate destituatur. Ipsiusmet verba ita accipe; *Sub tecto percussa sole, species ac colores arcus cœlestis in proximo pariete ejaculatur; At dicunt etiam in aperto sole projectam radios in se recedentes discutere:* Epigraphen hanc subjûxi; SPLENDE AL COPERTO, ET AL APERTO E' OMBROSA. id est; SUB TECTO SPLENDENS, SUB SOLE OBDUCITUR UMBRIS. In hâc gemmâ ceu lapide lydio, Religiosos experiri licet; sicuti enim in Cœnobii sui solitudine plurimis virtutibus resplendent, omniumque promerentur venerationem; ita vicissim plateas pervagari soliti, indubitatam lucis & existimationis suæ jacturam faciunt. Id quod Franco Abbas clarissimo Deiparæ Virginis exemplo commonstrans, ait; *Maria, secreti amica, quietis studiosa, in cubiculo assidua, in publico rarissima, tumultus oderat, occursus fugiebat, ne sæpius visa, etsi non conscientiæ vel famæ maculam contraheret, quam rarò effugit, qui se turbis hominum ultrò immergit. Audiant Virgines, audiant cœnobialis palæstræ Professores. &c.*

Vinc. Beluac. Specul. Natur. l. 6. c. 108. Religiosus. Franc. Abb. Tom. 6. de Gratia Dei.

LAPIS. SAXUM. MARMOR.
CAP. XXII.

155. LApis, à guttulis defluentibus excavatus Bargalio authore, hanc Ovidii gnomam præfert; ET MOLLI CAVATUR. Ita imperterritum ac generosum hominis pectus à simulatis mulierculæ lachrymis sese emolliri patitur. Clarissimum hujus exemplum in Samsone habeas, qui, arcanum quoddam silentio comprimere volens, paulò post succubuit; siquidem fæmina *septem diebus continuis flebat ante eum, tandemque die septima, cùm ei molesta esset, exposuit. &c.* En petram robustissimam mollibus unius mulierculæ lachrymis effractam! Eâdem omninò ratione dixeris, quosvis grandes animos ab unâ libidinis mollitie vinci. Ut adeò non sine dolore exclamet S. Cyprianus; *Quantos Leones domuit una muliebris infirmitas delicata!* Denique etiam cordis obstinati durities placidâ ac benignâ corrigentis methodo commoveri solet. Egregiè S. Hieronymus; *Non quæris monachos tibi esse subjectos, & ideò magis subjectos habes. Tu offers osculum, illi colla submittunt; exhibes militem, & Ducem impetras &c.* Et meus Concanonicus Hugo de S. Victore; *Blandis dives exhortationibus placandus est, quia DURA vulnera PER LENIA FOMENTA MOLLESCUNT, & furor insanorum medico blandiente sanatur.*

Lachrymæ fæmineæ. Iudic. 14. 17. Libido. S. Cypr. de singul. Cleric. S. Hieron. Ep. 62. Hug. Victor. Tom. 3. Misc. l. 2. tit. 41.

156. Lapidi, à stillantibus guttulis excavato, hanc Ovidii epigraphen nonnemo subdidit; NON VI, SED SÆPE CADENDO. Inde liquet, nullum pectus adeò esse obduratum, quin importunis ac continuis motibus tandem cedat. Eidem Emblemati hanc ego gnomam adjeci; PERCUSSU CREBRO. Verbis ex Ovidio mutuatis;

Perseverantia importuna. Ovid l. 2 de Pont. Eleg. 7

--- --- --- *Utque caducis*
Percussu crebro saxa cavantur aquis,
Sic ego continuo Fortunæ verberor ictu.

In rem præsentem prolixior idem Ovidius, canit,

Ferreus assiduo consumitur annulus usu,
Interit assiduâ vomer aduncus humo. Ovid. l.1. de Arte.
Quid magis est durum saxo? Quid mollius undâ?
Dura tamen molli saxa cavantur aquâ.

Compendio totam argumenti rationem complexus S. Petrus Damianus, ait; *Quid durius saxo? quid aquâ liquidius? & tamen à quodam sapiente dicitur; Gutta cavat lapidem; nimirum & omnis animæ nostræ soliditas, ac fortitudo destruitur, si assiduis inundantium, & quodammodò pluvialium verborum fluxibus atteratur.*

157. Argumento non absimili, allusione forsan ad Duralicense cognomen factâ, petram porphyreticam depinxêre, quæ stillantibus guttulis corrosa, epigraphen tulit; DURA LICET. Ita Deus, etsi in sacris Litteris Petra penitus invicta cognominetur, assiduis tamen suorum clientium lachrymis suavissimè emollitur. Hujus exemplum in Jacobo manifestum cernere licet; qui *invaluit contra Angelum, & confortatus, flevit, & rogavit, &c.* Sicque precibus integrâ nocte continuatis, & assiduo lachrymarum destillantium rore effuso, adversus Angeli, utpote Vicarii Divini, fortitudinem prævaluit. Laconicè Magnus Augustinus; *Si desideras quod non habes, funde lachrymas.* Et S. Hieronymus; *O lachryma humilis! tua est potentia, tuum regnum, quid plura? Vincis invincibilem, ligas omnipotentem. &c.*

Lachrymæ Deum vincunt. Osee 12. 4. S. Augnst. in Psal. 45. de Sanct. c. 4. S. Hieron. in Epist.

158. Lapidem, à stillante guttulâ reptum, D. Cæsar Antonius Bendinellus hoc lemmate notavit; MOLLIOR FRANGIT. Hinc disces, etiam ab infirmiore potentiâ plurimùm damni nobis creari, nec ullas unquam vires, quamlibet debiles, neglectim præferendas esse. Certè David, sedecim annorum juvenis, turrim illam carneam, Goliathum prostravit. Unicus capillus, si Plinio fidem habeas, Fabio, Senatori Romano, jugulum attulit. Unica musca Adrianum IV. Pontificem Maximum necavit, &c. Cæterùm eodem Emblemate demonstratur, benevolentiam, suavitatem, ac mansuetudinem aptissimos esse arietes, ad saxea quævis & obstinata hominum pectora emollienda. Et forsan Emblematis Author posterius hoc documentum innuere voluit, quando inscripsit; MOLLIOR FRANGIT. Siquidem ipsissima hæc Salomonis verba sunt; *Responsio MOLLIS FRANGIT iram.* S. Gregorius Nazianzenus inter cætera iræ placandæ remedia etiam, istud affert;

Parvula nocent. Mansuetudo. Prov. 15. 1. S. Greg. Naz. Carm. adverf. Iram.

At cœpit ille? Protinus verbis tuis
FRANGATUR, atque MORIBUS BLANDISSIMIS.

Huic doctrinæ penitus conformis Seneca, ad cordis humani contumaciam edomandam nullum potentius censet antidotum, quàm clementiam & mansuetudinem. *Remissius imperanti, melius paretur. Natura contumax est humanus animus, & in contrarium, atque arduum nitens, sequiturque facilius, quàm ducitur.*

Senec. l. 1. de Clement. c. 24.

159. Animus, ad vitia declivis, lapidem imitatur, qui è montis præcipitio delapsus, sistere nequit, DONEC AD IMUM feratur. Præclarè Seneca; *Ut in præceps datis corporibus, nullum sui arbitrium est, nec resistere, morarive dejecta poterunt, sed consilium omne, & pœnitentiam, irrevocabilis præcipitatio abscidit; ita animus, si in iram, amorem, aliosque se projecit affectus, non permittitur reprimere impetum, PARIAT illum OPORTET, & AD IMUM agat suum pondus.*

Consuetudo. Senec. l. 1. de Ira.

160. Vitiatæ naturæ nostræ defectus & imperfectiones assiduâ industriâ, seriis reprehensionibus, ac moderatâ castigatione tandem felicissimè corriguntur: haud secus, atque scabrum & distortum saxum frequenti malleorum impulsu, & crebro scalpri acumine quadratur, levigaturque. Unde lemma; ARTE POLITUR. Ab hâc metaphorâ non multùm alienus S. Joannes Chrysostomus in illud Psalmi; *Consumetur nequitia peccatorum, & diriges justum;* ait, *Infer supplicium, & cessare facies à vitio: quemadmodum enim putrefactiones cedunt usturis & sectionibus: ita & à supplicio arcetur improbitas. Qui scinditur & uritur, ita ad sanitatem ingreditur.*

Diligentia. S. Io. Chrysost. in Psal. 7.

161. Lapis, quamlibet pretiosus, si, sole superius allucente, è terrâ levetur, quantocyus umbram infra se spargere solet. Unde Lucarinus illum, sub radiis solaribus in aere sustentatum, hoc lemmate notavit; ELATIONE UMBRA. Ita sanè complures homines in infimo fortunæ gradu nullas defectuum umbras jaciunt; at ubi dignitatum fastigia conscenderint, latissimas illas diffundunt. De Galba refert Cornelius Tacitus; *Major privato visus, dum privatus fuit: & omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.* De Nerone Emmanuel Thesaurus idipsum dicit; *Hic inter privatos optimus, inter Principes pessimus fuit: Regno dignus, nisi regnasset.* Ut adeò Justus Lipsius non abs re pronuntiet; *Barbari aut viles homines, ubi licentia adest, plerumque sævi sunt: mites in ea & moderati ingenui sanguinis, & stirpis.*

Dignitas. C. Tacit. l. 1. Histor. Lips. Monit. Polit. l. 2. c.

162. Academicus, inter Errantes Brixienses Indifferens, symboli loco plurimos lapides impositos præfert; cum dicto, AD FABRI STRUCTURAM. Ita verus obediens nullâ aliâ, nisi superioris sui voluntate gaudet. Christus, obedientiæ prototypon, Divino Patri suo dixit, *Non quod ego volo, sed quod tu.* Nec aliter Regius Propheta; *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Id est interprete S. Bernardo; *Paratum cor meum ad adversa, paratum ad prospera; paratum ad humilia, paratum ad sublimia; paratum tibi Domine vacare, paratum proximis ministrare; paratum ad omnia, quæcunque præcipis.*

Obedientia. Marc. 14. Psal. 107. 1. S. Bern. ap. Card. Hug. in hunc l.

163. Serra, lapidi dissecando applicata, & assiduis è vicino canali destillantibus guttulis humectata, epigraphen tenet; NON SINE HUMORE. Innuit videlicet, Justitiæ ferrum assiduo clementiæ ac præmiorum fonte temperandum esse; secus enim, omnem ipsius operam fore irritam. Vel certè ad obduratum peccatoris cor emolliendum solos rigores ac castigationum duritiem non sufficere, nisi insuper benevolentiam ac suavitatem jungas. Doctori Melleo hic auscultes velim; *Fraterna correctio debet fieri cum magno moderamine, CUM GEMITU, & benevolentia, suo loco, suo tempore.* Et alibi; *Audiant hoc Prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati rarò. Erudimini, qui judicatis terram. Discite, subditorum matres vos esse debere, non Dominos. Studete magis amari, quàm metui. Et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera. PRODUCITE UBERA: pectora lacte pinguescant, non typho turgeant.*

Justitia. Correctio placida. S. Bernard. Opusc. ulti. intitulato Octopunct. Idem Ser. in Cant.

164. Lapis, mediâ parte dissectus, in utroque fragmento maculas, venas, & colores prorsus similes ostentat. Unde lemma à Lucarino inditum; ET CONFORMITATE CONSPICUI. Ita duo fratres, duo amici, & cumprimis duo sponsi, summam inter se conformitatem ac similitudinem demonstrant. Cleobuli consilium erat; *Uxorem ducito ex æqualibus.* Et Pittaci; *Tu tibi sume parem.* Denique etiam Ovidii.

Amici. Matrimonium.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor. Ovid. Ep. Deianira.

Non

Non honor est, sed onus, species læsura ferentes,
Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Gen. 2. 18. Unde quando Deus de Adamo dixit, *faciamus ei adjutorium simile sibi*: illud certè, Andreâ Tyraquello asserente, *quod simile dicit, non solùm ad similitudinem effigiei, sed & conditionis referri potest.* S. Josephus & Maria Virgo virtutum & meritorum similitudinem ita obstupescendam habuere, ut desponsatione utrimque dignissimâ convenerint. S. Bernardinus; *Quomodò*, inquit, *cogitare potest mens discreta, quòd Spiritus S. tantâ unione (conjugii scilicet) uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? &c.* Idipsum de Christo & S. Jacobo minore pronuntiare licet, quos uti cognati sanguinis, ita & genii, morum, ac physiognomiæ similitudo maxima arctissimè conjunxit, ut de illo testantur Origenes & S. Ignatius Martyr. Nec abs re hanc iconem de S. Satyro interpreter, qui S. Ambrosio, fratri suo, *in omnes vitæ partes usque adeò se studiosè conformavit, ut animi, sicut etiam corporis habitu nihil planè ab eo dissimilis, expressam imaginem præferret sanctarum virtutum, quarum in Ambrosio fratre splendor elucebat.* Tandem SS. Apostolos Petrum & Paulum, in sanctitate, fortitudine, miraculis, dignitate, ac meritis simillimos, eâdem imagine, seu ectypo, depinges. Quippe *de quorum meritis atque virtutibus, quæ*, teste S. Leone, *omnem superant loquendi facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire discretum: quia illos & electio PARES, & labor SIMILES, & finis fecit ÆQUALES.*

[Margin: Tyraquell. leg. connub. m. 15. — S. Joseph. & Maria V. — Bern. To. 3. Serm. de S. Joseph. — S. Jacobus minor. — Orig. lib. 1. cont. Celsū, Ign. Mart. Ep. ad Io. — Breviarium Ambrosianū 17. Septembr. — SS. Petrus & Paulus post. — Leo. Papa Ser. 1. in Nat. Apost.]

165. Saxum, è montis cacumine devolutum, hanc Virgilii gnomam sustinet; FERT IMPETUS IPSE. Ita imperterritum militis pectus proprio Marte ad generosas expeditiones concitatur. Ipsissimus hic etiam malæ conscientiæ est impetus, quæ hominem, vitiis assuetum, per fatales vortices ad inferos præcipitem agit. Verissimè Aëlredus; *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. O dura servitus! quæ etiam animum renitentem plerumque cogit ad vitia; cum violentia malæ consuetudinis ad illud impellitur vitium, quod jam detestatur; ut mirum in modum, & peccatum ita velit ut faciat, ita nolit ut ploret.*

[Margin: Virg. 5. Æn. — Miles. — Consuetudo. — Aëlredus Serm. 15.]

166. Lapis innato & assiduo impetu ad centrum suum defertur. Unde illum è rupe cadentem, hoc lemmate affecerunt; SEMPER AD IMA. Sanctus Andreas Corsinus id encomii sibi vendicat, utpotè in postremis & vilissimis Monasterii negotiis libentissimè occupatus. Appositè Magnus Augustinus; *Humiles tanquam petra sunt. Petra deorsum videtur, sed solida est. Superbi quid; Quasi fumus: & si alti sunt, evanescunt.* Idipsum etiam de peccatore pronuntiare licet, qui in peccatorum consuetudinem temerè prolapsus, tandem in extrema semper flagitia præceps ruit. S. Gregorius Nazianzenus;

[Margin: Humilis. — S. Aug in Ps. 92. — Vitiosus. — Greg. Naz. Iambicis]

Peccare volupe, ac declive admodùm:
At semel ut in peccatum quisquam cecidit,
Quid hinc contingit? Haud jam sistitur,
Quoad in profundum gurgitem præceps ruat.

167. Ut anima prædestinata ad cœlestis Hierosolymæ structuras efficiatur idonea, omninò necesse est, eam in hoc mundo calamitatum impulsu perfici, & ad legis Divinæ perpendiculum conquadrari: haud secus, atque saxum, ad terrenas fabricas accommorandum, iteratâ scalprorum acie, ac frequenti malleorum ictu expoliri debet. Unde saxo elaborando subscribes, TUNSIONE POLITUR. Probè id novit Magnus Augustinus, unde ad Deum conversus, nihil ita desideravit, nisi in hoc mundo castigari & affligi. Ipsummet testem sibi luculentem audi *Quoniam tu es, qui fecisti me, noli exterminare me tantùm cæde, ut proficiam, non ut deficiam; tantùm TUNDE, UT PERDUCAR, non ut comminuar.* Cæterùm Emblematis figuram & epigraphen subministravit S. Ecclesia in Templi Dedicati Hymno;

[Margin: Calamitatibus perficimur. — Aug. in Psal. 38.]

Scalpri salubris ictibus
Et tunsione plurimâ,
Fabri polita malleo,
Hanc saxa molem construunt;
Aptisque juncta nexibus,
Locantur in fastigio.

168. Diversa marmoris fragmenta, in bases, epystilia, cymatia, cæterasque columnæ partes ad ædificii structuram elaborata, etiamnum tamen dispersa, nec in ordinem debitum reposita, inscriptionem sustinent; AB ORDINE FORMA. Hinc disces, civitatis aut Reipublicæ laudem ac diurtunitatem omnem à symmetriâ politicâ, debitâque civium singulorum subordinatione pendere. Petrus Gregorius; *Ad conservandos status, & personarum in Republicâ amicitiam, non minima erit adhibenda solicitudo in evitanda confusione, quæ lævi ex causâ obrepere in multitudine solet, nisi ordine disponatur debito, ut quisque quæ sibi conveniant, & debeantur, agnoscat &c.*

[Margin: Ordo in Republicâ — Petr. Greg. de Repub. l. 4. c. 10, n. 1.]

169. E ramentis marmoreis, diverso modo incisis, pavimenta conficiuntur, quæ opere musivo discriminata, figuras venustissimas exhibent. Carolus Bovius simile pavimentum hoc lemmate insignivit; FRACTURIS INTEGRITAS. S. Ignatium Loyolam hæc imago spectabat, qui in obsidione Pampilonensi è fracto crure prostratus, admirandam vitæ sanctissimæ integritatem obtinuit. Porrò SS. Martyres è membris, toto corpore laceratis, miram virtutis & gloriæ integritatem obtinuerunt. S. P. Augustinus; *Martyres jam evaserunt, & in exultatione cum Christo sunt recepturi corpora jam incorrupta, eadem ipsa, quæ primò erant corruptibilia, in quibus passi sunt pœnas. Inde illis fient ornamenta justitiæ.* Cæterùm, meo Carducio Authore, illam ipsam imaginem etiam de S. Jobo interpretari licet;

[Margin: S. Ignatius Loyola. — Martyres. — S. Aug. Præf. in Ps. 123.]

Integritas formæ fracturis orta nitescit:
Dum fractis flet Job viribus, integer est.

170. Magnum intercedit discrimen in rebus, quæ moventur motu violento, & quæ naturali. Sic lapis sursum projectus, cùm totum motū sortiatur à virtute impressâ, quantò progreditur longius, tantò & lentius atq; debilius. Atqui idem lapis, nativo motu è sublimi ad centrum suum tendens, quantò pergit remotius, tantò fertur & celerius. Unde lapis, è sublimi projectus, epigraphen sustinet. SPONTE CELERIOR. Idipsum prorsus discrimen videre est eos inter Religiosos, qui timore pœnæ; & eos, qui ex puro amore, desiderioque placendi Deo, & consequendi perfectionem statui suo debitam, opera religionis exercent; quòd scilicet illi tamdiu utcumque progrediantur, quamdiu durat aut reprehensio, aut reprehensionis metus; horum verò virtus duret ac perduret semper, crescatque usq; in diem perfectum. Egregiè, ut cætera omnia, doctrinam hanc declarat S. Gregorius Papa exemplo amitæ suæ Gordianæ, in cujus dissolutiorem vitam, quamdiu germanæ ipsius Tarsilla & Æmiliana gravius invehebantur, acriusq; eam verbis incessebant, ad maturitatem in vultu & moribus componebat sese; cessante reprehensione, mox omnis illa prior simulata gravitas, fictaq; pietas evanescebat. Unde S. Ignat. Loyola hanc doctrinam, ceu viæ ac vitæ spiritualis basim proponens, ait;

[Margin: Religiosus — S. Greg. Hom. 38 in Evang. — S. Ignat. in Proœm. Const. § 1.]

Interna charitatis & amoris illius lex est, quam Spiritus S. scribere, & in cordibus imprimere solet, est illa quæ conservatura, gubernatura, atque promotura nos est in suo sancto servitio.

LAPIS LYDIUS.

Caput XXIII.

Cor est lapis lydius.

171. Lapis lydius, auri sarmento vicinus, epigraphen tenet; LAPIS LICET, PURITATEM INDICAT. Vel ut Bargalio placet; SAXUM LICET, AURI INDEX. Ita cor humanum, quantumvis lapideum, clarissimè demonstrat, num in animâ quidquam virtutis aut vitii lateat. Dilucidè S. Joannes Chrysostomus; *Est lapis quidam, quo probatur aurum adulterinum, & nothum, si illi atteratur, ostenditque purum, & immixtum, incorruptumque numisma. Hunc indicem ego fidelissimorum hominum cor dixerim.* Christus, quem sacræ Litteræ Petram vocant (*Petra autem erat Christus*) in extremo judicio lapidis lydii munere fungetur, ubi aurum à plumbo exactissimè discernet. Cæterùm etiam Prædicator, quamlibet vitiosus, reconditissimos Divinæ Paginæ thesauros, ipsamque adeò æternam beatitatem digito minimè dubio indicare potest.

S. Io. Chrys. ser. advers. Hæretic. — *1. Cor. 10. 4.* — Prædicator.

Christus.

172. Fuit, qui lapidem lydium, diversis affricati metalli lineolis signatum, hoc titulo insigniret; FIDES HOC UNO, VIRTUSQUE PROBATUR. Et verò si, ut superiore numero insinuavi, Petræ nomine Christus intelligatur, omninò certum est, non fidem tantùm, sed omnes virtutes Christianas, ad Petræ illius normam examinatas, clarissimè dignosci, num veræ sint, an adulterinæ. Oleaster illa Isaiæ verba, *Mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum*, ita vertit; *lapidem probationis:* iisque hanc paraphrasin subjungit; *Ecce ego, scilicet Deus, fundo in Sion, id est, in Ecclesia, lapidem Messiam, lapidem inquam probationis, id est, ad cujus exemplar omnia alia probabuntur, an justa sint, ac si esset lapis lydius.* Cæterùm accommodatè ad hanc ideam dicere licet, tum demùm veram fidem discerni, si illam ad D. Petri ac Sedis Romanæ Petram probè exploraveris.

Oleast. in Isaia 28. 16. — Fides.

Fides. Amicitia.

173. Sicuti aurum genuinum ab adulterino facilè discernitur; si adversus nigram hanc coticulam probè atteratur; ita fidem vel amicitiam nonnisi inter adversitates experiri licet. Unde adeò Paradinus monetæ, ad lapidem lydium examinatæ, opportunam hanc epigraphen subjunxerit; SIC SPECTANDA FIDES. Valerius Maximus, *Sinceræ fidei amici præcipuè in adversis rebus cognoscuntur: in quibus quidquid præstatur, totum à constanti benevolentia proficiscitur. &c.* Huic suffragatur P. Joannes Eusebius, affirmatè dicens, *Patientia lydius lapis est probando amori, nulli aureus iste affectus ita se exprimit, ita claret, ut turbatis rebus &c.* Utramque Emblematis mentem Joannes Audenus unico hoc disticho complectitur.

Val Max. l. 4. c. 7. n. 1. — Patientia. — *Io. Euseb.*

Rebus in adversis patientia vera probatur;
Rebus in adversis vera probanda fides.

Prudentia.

174. Lydius lapis utraque tam auri, quàm cupri vestigia ita studiosè detegit, ut genuinam suam conditionem abscondere aut immutare penitus nequeant. Illum proinde in exequiis Ranutii Primi, Parmensium Ducis, hoc lemmate ornârunt; LATERE NEQUIT. Mens Emblematis erat, eximio huic Principi summam in discernendo prudentiam & dexteritatem fuisse. Alphonsus Rex, cùm quemdam in fatalis inimici sui laudes prolixum audiret, ad amicos suos conversus, referente Antonio Panormitano, dixit; *Hæc benedicentia, mihi crede, erumpet tandem in calamitatem inimici, nisi advertimus.* Nec fefellit eventus, nam is ipse hostem suum, sex integris mensibus summè laudatum, tandem gravissimâ calumniâ oneravit, à quâ tamen ille perspicaci Regis judicio impunis abiit; quippe quod innocens, soloque alterius livore delatus esset.

Panormit vita l. 2. c.

MAGNES.

CAP. XXIV.

Amans verus. — Confidentia:

175. Quantumvis cælum compareat undique stellis respersum, Magnes tamen, in pixide nauticâ conclusus, nullam, nisi stellam polarem, seu cynosuram respicit. Unde lemma; ASPICIT UNAM. Hunc morem ii omnes congenitum habent, qui fiduciam & affectus suos uni soli rei consecrant. Guidonis Casonii poema est;

Cason. Em Moral. 1.

Principe saggio, e pio,
Una Religion sia riverita
Ne stati tuoi vera, Divina, e sola,
Da la sposa di Christo à noi mostrata.
Così i popoli tuoi viuranno in pace,
E tù in pace, e tranquillo haurai l'impero.

Volunta Dei.

Ferdinandus II. Imperator Divinam voluntatem, cui assiduò affixus erat, cynosuræ loco habuit. Guilielmus Lamormainus; *Divina voluntas*, inquit, *Cynosura fuit Ferdinando, in quam unam intentus, voluntatis suæ navim semper est moderatus.* Unde piissimus Imperator dicere est solitus; *Jam pridem curæ, molestiæque me confecissent, ac in sepulchrum abdidissent, nisi me meaque omnia integrè unius providentiæ commisissem.*

Lamorm. vita Ferd. c. 6.

Amor constans.

176. D. Garzias Toletanus, Catalauniæ Prorex, Magneti, ad Cynosuram converso, inscripsit; NUNCA OTRA. Id est; NON ALIAM. Rursùs hoc Emblemate singularis animi affectus, in rem amatam assiduò defixus, significatur. Ita sacra Sponsa de se ipsâ pronuntiavit; *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Id est, interprete Doctore Mellifluo, *Ille mihi, quia benignus est & misericors: ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia; ego illi gratiam pro gratiâ. Ille mihi & non alteri, quia una sum columba ejus: EGO ILLI ET NON ALTERI, non enim audio vocem alienorum.*

Cant. 2. 16 — *S Bern. ser. 68. in Cant.*

Amans.

177. Inter cetera D. Berlingerii Gessi Emblemata Magnes cernitur, qui blandâ cynosuræ virtute, ceu fascino, abripitur, & assiduò in illam defigitur. Unde Petrarchæ lemma; CONVIEN CH'IO SIEGUA. vel CONTRASTAR NON POSSO. Id est, SEQUOR ATTRACTUS. Vel, NON RESITERE POTIS. Eadem amoris est violentia; nam humanum pectus, à mulieris gratiosæ præsentia abreptum, nonnisi ægerrimè se avelli patitur. Porrò hoc Emblemate etiam gratia efficax, seu ut vocant, vocatio congrua significatur, quâ Deus mortalium animas ad se insequendum invitat, easque, quantumvis obstinatas ac rebelles, in supremæ voluntatis suæ sententiam suavissimè pertrahit. Magno Augustino teste, *Trahuntur homines, non ut nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.*

Vocatio congrua. — *S Aug. lib. ad Bonif. c.*

Quies animæ nostræ.

178. Magnes, in stellam polarem defixus, hanc à me epigraphen recepit; IN TE UNA QUIESCAM. vel; TU MIHI SOLA QUIES. vel ut Lucarino placet; QUIESCIT IN UNA. Certè anima nostra quietem aut tranquilitatem ullam, nisi in Deo, reperire nequit. S. P. Aug. optimo animo ad Deum conversus, exclamat; *Versa & reversa in tergum,* &

S. Aug. l. 6 Confess.

& in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies Et alibi; *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Parenti concolor filius, meus Concanonicus, Thomas à Kempis, *Nemo*, inquit, *stabilitur in bono creato: sed tantùm in Deo solo, summo bono.*

179. Magnes unicè versus stellam polarem, nunquam in occasum vergere solitam, defixus, epigraphen reddit; INOCCIDUAM, seu INOCCIDUA SEQUOR. Præclaro hoc ectypo verum Dei servum depingere licet, qui, caducas mundi voluptates abominatus, ad cœlestes & nullo unquam ævo intermorituras opes unicè anhelat. Regii Psaltis suspiria erant; *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* E Magni Augustini sententiâ; *Si cor esset qualitercunque suspirans in ineffabilem gloriam, sæculum non amaremus, & ad eum, qui nos vocavit, piâ mente perpetuo pulsaremus.*

180. Serenissima Mediceorum familia, in palatio suo Mediolanensi, pyxidem, acu magneticâ instructam, exhibet; cum adverbio Gallico; DROIT. Id est; *directè.* Innuit videlicet, sicuti Magnes recto tramite versus stellam suam polarem fertur, ita Principum illorum operationes omnes ad justitiæ metam adeò studiosè comparatas esse, ut ab æquitatis aut rationis lumine nec minimùm deflectant. Eodem planè modo quivis justus suas actiones ad directum solius legis ac gloriæ Divinæ perpendiculum exigit, omni alio humano aut caduco fine procul rejecto. Siracides, luculentus sibimet testis, ait; *Ambulavit pes meus ITER RECTUM.* Vel ut Vatablus vertit; *Pes meus RECTA ingressus.* Eò collineans S. Ignatius Loyola, suis Religiosis id documenti tradidit; *Omnes rectam habere intentionem studeant, non solùm circa vitæ suæ statum: verùm etiam circa res omnes particulares.*

181. Acus magnetica, licèt tenuissimo cardine nixa, in æquilibrio pendeat, & assiduo palpitet motu, semper tamen sidus suum polare respicit. Unde inscriptio; UNDEQUAQUE AD IDEM. Ita constans animus, quantùvis famæ ac honoribus conquirendis fatigatus, affectum tamen suum nunquam non in re amatâ defixum habet. Ambitiosus quoque, avarus, & reliqua hominum sceleratorum farrago, etsi variis negotiis distracta, mentem tamen à vitiis nunquam abstrahit, semperque eò anixè abripitur, quò immotos suos affectus ac pravas consuetudines inclinare sentit. S. Greg. Nyssenus; *In omni re difficilis est quæ expugnetur consuetudo, cùm multam ad attrahendum in se animum, efficiendumque vim obtineat.*

182. Magnes ferrum natura sua attrahit, illudque immotus movet, rapitque in suas partes. Quare Bargalius magnetem, ferro vicinum, hoc lemmate insigniit; IMMOBILIS MOVET. Eandem vim in Deo veneratur Boëtius, quando canit,

---Immobilisque manens dat cuncta moveri.

Nec solius Magnetis est virtus illa, quod ferrum immotus movere, & ad se pertrahere possit; nam etiam aurum, tametsi metallum naturâ suâ stupidum, ac humi vel supra mensam projectum, incautos hominum mundanorum animos validissimè rapit. In hanc rem eruditè nonnemo cecinit;

Quod ferro magnes: humanis cordibus aurum est;
Consensu tacito ferrea corda trahit.

Accomodatè Magnus Augustinus; *Avarus fervet in amore auri, tu Christiane ferve in amore Christi, & eris beatus in regno Christi.*

183. Patres Societatis Jesu Romæ Emblematis loco Magnetem præferunt, qui cumplures annulos instar catenæ sibi mutuo affixos attrahit; cum lemmate, ARCANIS NODIS. Eoque concordiam & miram affectuum suorum sympathiam significant. Opportunè in hoc argumentum S. Gregorius Nazianzenus, *Eodem modo*, inquit, *ergà me affecti esse videmini, quo ferrum erga Magnetem: nam & ex me pendetis, & alii ex aliis mutuo nexu cohærentes, & omnes ex Deo, ex quo omnia, & in quem omnia.* In hâc Magnetis virtute idem Nazianzenus vim illam attractivam recolit, quâ virorum pectora à sexu muliebri ad innumeras vitiorum sordes abripiuntur. Unde *adversus mulieres se ornantes* gravi oratione pronuntians, ait; *Hoc verè dicam, nihil ex omnibus iis, quæ mulieres cum juvenibus joco dicunt vel faciunt, aculeo caret. Omnia enim inter se cohærent, non aliter ac ferrum à magnete tractum, alia multa deinceps trahit.* D. Gregorius Comaninus S. Mariam Ægypticam, Divinâ virtute è terrâ in extasin raptam, hoc poëmate proponit.

Viva Dio calamita
D'amor, lei d'amor languida traea;
Ella ch' indi pendea,
Seco alzava da terra il carnal pondo,
Spettacol fatto à la natura, al mondo.

184. Alcibiades Lucarinus Emblematis loco Magnetem figuravit, qui complures annulos, mutuo ac successivo nexu instar catenæ cohærentes, attraxit; cum lemmate, NEC MULTITUDINE, NEC PONDERE. Ita negotiator, aut minister industrius, quantumvis rerum agendarum copiâ & pondere pressus, vires suas nunquam despondet. Cumprimis tamen hæc idea assiduos & indefessos hominis avari labores exprimit, quem nec opum possessarum multitudo, nec possidendarũ gravissimæ difficultates unquam exsatiant, aut tranquillum reddunt. De his Cornelius à Lapide; *Avari*, inquit, *operantur noctes & dies, ac immodicis laboribus vires corporis & animi consumunt, ut ditentur: hi enim uti lucro, ita labore non satiantur, suntque inexplebiles.* Audi Magnum August. *Concupiscis satiare avaritiam? O vota inania, & facta nequissima! Expectas ergò satiare avaritiam? illa te potest premere, tu illam non potes satiare.*

185. Magnes, è sublimi suspensus, & diversa ferri fragmenta attrahens, à Comite Emmanuele Thesauro inscriptum retulit. VI SUAVI. Eoque suavem illam affabilitatem significavit, quâ Philippus III. Hispaniarum Rex (veluti catenulas aureas, instar Herculis Gallici, supra linguam portâsset) quorumvis hominum animos in suam sententiam rapere potuit. Unde ad illum conversus, canit;

Plus tua, quàm pridem Rhodopêii carmina vatis,
Mulcebant animos dulcia dicta feros. &c.

Genuino hoc Emblemate maximas eloquentiæ vires exprimere licet, ut alio loco diximus, Magni August. sapientissimo judicio, *Eloquens doceat, delectet, flectat. Docere enim necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ est.*

186. Idem Lucarinus, diversas gratiæ Divinæ operationes explicaturus, Magnetem pinxit, qui complures annulos successive attraxit, virtute tamen erga longius remotos semper infirmiore. Unde lemma; SUFFICIENTI, AT DISPARE VI. Ad propositum nostrum explicatissimè Orator aureus, *Quemadmodum spiritus ille sensibilis, qui ex cerebro per nervos in corpus descendit, non simpliciter omnibus omnia tradit, sed juxta cujusque membri analogiam, plus illi, quod plus; & minus ei, quod minus capere potest: ita & Christus. Ipsius enim providentia, charismatumq; subministratio, uniuscujusque membri,* ani-

Margin notes: Conf. l. 1. c. 1. — Tho Kemp. Sortul. ro. c. 10. — Servus Dei. — Psal. 72. 25. — S. Aug. tract. in Ioan. — Rectitudo. — Intentio. — Eccles. 51. 20. — S. Ign. Reg. 17. summar. Constitut. — Constantia. — Vitiosus. — S. Greg. Nyss. c. 9. de Virginit. — Deus. — Avarus. — Aug serm. 133. c. 3. — Concordia. — S. Greg. Naz. Orat. 12. de se ipso. — Fæmina. — Idem Orat. advers. mul. se ornantes. — Greg. Com. Canz. 1. p. 1. — Negotiator activus. — Avarus. — Corn. à Lap. in Prov. c. 18 v. 9. — S. Aug. ser. 12 de verb. Apost. c. 3. — Affabilitas eloquens. — S. Aug. l. 4. de doctr. Christ. c. 12. — Gratia Dei. — S. Io. Chrys. Hom 11. ad Ephes.

animarum videlicet earum, quæ velut membra quædam illi adaptatæ sunt juxta mensuram & analogiam incrementum facit.

187. Didacus Saavedra Author est, Principis vultum semper versus Orthodoxæ Religionis polum defigi debere; sicuti in pyxide nauticâ Magnes nunquam non ad cynosuram convertitur. Emblemati hanc subjunxit epigraphen; IMMOBILIS AD IMMOBILE LUMEN. Ex hâc ideâ perseverantiam, in quâvis virtute indefessam, discas velim. Certè instar Magnetis à cœlesti Cynosura nunquam se dimoveri passa est S. Agnes Virgo & Martyr; nam Divino Sponso semel consecrata, animum suum ita inseparabiliter ei affixit, ut nec equitis cujusdam Romani nobilitas, ac divitiæ, nec illius juventus & forma liberalissima, illam unquam potuerint in adversam partem pertrahere. De hâc P. Hermanus Hugo canit;

Perseverantia.

P. Herm. Hug l. 3. suspir. 4.

Nympha puellarum pulcherrima Romulearum
Agnes, Ausonio sponsa petita proco.
Absit, ait, invenis; mea ne tibi fœdera speres,
Jam mea cælestis fœdera sponsus habet.
Hunc ego, non alium, solum hunc ego diligo sponsum,
Nemo potest uno tempore amare duos.
Sic ubi Magnetis vim ferrea linea sensit,
Semper ad agnati vertitur alta poli.

S. P. Augustinus; *Hæc est mors optima, ut in cupiditatum cohibitione à terrenis in spe cœlestis hæreditatis, homo usque in finem perseverans, diem vitæ hujus ultimum claudat.*

S. Aug. in Ps. 67.

188. Magnes, unâ cuspide ferrum attrahere solitus, alterâ ferrum aliud repellit. Unde inscriptio; TRAHIT, ET RETRAHIT. Hæc Magnetis proprietas inter alias observata est Joanni Baptistæ Portæ; eâque Abbas Thesaurus significavit, Philippi III. Hispaniarum Regis facundiâ bonos omnes fuisse attractos, adulatores verò exterritos. In hoc argumentum canit idem Thesaurus;

Princeps pius & justus.

Porta de mirabil. magn. c. 23.

Armant sceptra manus, mulcet facundia linguam,
Hinc amor est tantus, quàm timor inde reis.
Quos habet ista minax hostes, habet inde clientes,
Ad linguam fugiunt, qui timuere manus.

Justus.

S. Aug. in Psal. 144.

Porrò justus unâ parte ad virtutem trahit, alterâ à vitiis retrahit. S. P. Augustinus; *Laus Dei in via te constituens, ostendere tibi debet & quid diligas, & quid timeas; & quid appetas, & quid fugias; & quid eligas, & quid reijcias.*

189. Tabula hydrographica, pyxidi nauticæ vicina, lemmatis loco binas has voculas pronuntiat; TE DUCE. Nam Magnes in vastissimo pelago Ducis munere defungitur, & per invios fluctus directum iter ostendit. Haud aliter boni Consiliarii adminiculo pergravissima quæque mundi discrimina securi incedimus. Item sanctæ fidei, Divinæ gratiæ, ac tutelaris Angeli ductu ad felicitatis æternæ portum appellimus. Et verò quod S. Angelum Custodem attinet, Petrus de Natalis de S. Martyre Torpete disserens, ait; *Cujus corpus in navicula cariosa, cum cane & gallo & mure exponitur, ut vel à bestiis roderetur, vel in mare mergeretur: ANGELO tamen DUCE navicula ad Hispaniam devenit.*

Consiliarius.

GratiaDei

Angelus custos.

Pet de Nat. l. 5 c. 8.

190. Magnes, aliquot ferri fragmenta attrahens, epigraphen sustinet; ET PONDERE TRAHIT. Cardinalis Cæsar Montius hâc icone significabatur, qui suis meritis ac virtutibus gravissima Oratoris Archiepiscopi, ac Patriarchæ munera ad se traxit. Nihil tamen abs redixerim, si eandem de peccatore interpretatus fuero, qui instar tetri & obstinati lapidis, innumera suppliciorum tam æternorum quàm temporalium pondera in se unum accumulat. Opportunissimè tamen Verbum Incarnatum concernit, quod instar Magnetis, durissima peccatorum corda in sinum suum amabilissimè pertraxit. S. Hieronymum audi in hæc verba ratiocinatem; *Si enim in Magnete lapide hæc esse vis dicitur, ut ferrum trahat, quantò magis Dominus omnium creaturarum, ad se trahere poterat, quos volebat.* Ita quoque *doctrina salvatoris* asserente P. Julio Nigronio, *per vehementem suasionem, sensibus incognitam, corda rapit ad se, ac retinet ferrea peccatorum.* Denique Maria Virgo, instar Magnetis vicacissimi, cùm ad se ipsam, tum ad virtutis amorem trahit ferrea & obstinata quæque peccatorum corda. Bernardinus de Busto; *Tertium,* inquit, *quod attrahit, est proprietas naturalis, sicut apparet de Magnete attrahente ferrum: & ideò ipsa Virgo nos ferreos, id est in malo obstinatos, & duros debet attrahere propter proprietatem suæ misericordiæ; sicut enim Deo est proprium misereri semper & parcere; sic etiam & Matri ejus.*

Meritum.

Peccator.

Christus Prædican

S. Hieron in c. 9. Matth.

Iul. Nigr. Reg. 2. Com n. 53.

Maria V.

Bern de Bu de Part. Ma serm. 5.

191. P. Camillus Anticus è Societate Jesu, vir magni ingenii, calamo suo, ceu, virgâ Mosaicâ, pretiosas sequentium Emblematum aquas è petrâ Magneticâ elicuit. Magnetem enim sub stellato cælo expressit, qui ad stellam polarem, in ursæ minoris caudâ hærere solitam, hoc lemma pronuntiat; UNA TRAHIT. Dicere volebat, Academiam suam Pistoriensem maximo affectu in Ursam, Civitatis Pistorinsis insigne, ferri. Rectius tamen id de B. Virgine intellexeris, quæ una clientes sibi devotos in suum amorem & venerationem trahit. *Totis ergò medullis cordium* ait integerrimo affectu S. Bernardus, *totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur. In omnibus siquidem, & per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem.* Eodem Emblemate quemvis hominem, uni soli rei affixum, significare licet. Hoc sensu D. Archangelus Conter canit;

Adhærere

Maria V.

S. Bern ser. 2. de Virg. Deip.

Sicut & una trahit magnetem stella superna;
Unius amantis amor sic mea corda trahit.

Cumprimis tamen eos hæc imago concernit, qui fœminam vel ex Ursinatum familiâ, vel cui Ursulæ nomen, deperiunt.

192. Pyxis nautica, singulas præterlabentis Solis horas ac tempora exactè indicat, quando acus magnetica supra transversam lineam firma persistit. Unde subscribes; OPEROSA QUIES. Ita anima contemplativa, etiam dum quieti indulget, plurimùm operatur. S. Petrus Damianus; *Si laboris delectat exercitium, habet sancta quies laborem suum.* S. P. Augustinus hanc in operando quietem ait esse Dei propriissimam; *Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia. Novit quiescens agere.*

Contemplativus.

S. Per. Dam. l. 6. ep. 5.

S. Aug l. 2. de Civit. c. 17

193. Emblematis loco horologium Lunare figuravi, quod à Magnete dirigitur; cum lemmate, LABOR OMNIS IN UMBRA. Academicos obscuros hâc icone afficies, qui vel labores suos inter nocturnas tenebras perficiunt; vel compositiones proprias caligine & obscuritatibus respergunt. Peccator accommodatè ad hanc ideam, nonnisi in tenebris operari amat. Hoc sensu Servator; *Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem, erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Et Prudentius;

Peccator.

Ioan. 3. 19.

Prudent. in Cathemerin. Hym. matut

Versuta fraus, & callida
Amat tenebris obtegi,
Aptamque noctem turpibus
Adulter occultus fovet.

194. Ut demonstrarem, quantâ facilitate homo mun-

mundanus à rebus cœlestibus ad terrenas abstrahatur, pyxidem nauticam, ferro vicinam, pinxi; cum lemmate, FACILIS REMOVETUR AB ALTO. Acus enim magnetica, ubi ferrum aut fragmentum magnetis vicinum senserit, mox à polari sidere avelli, & ad illud sese convertere solet. S. Cyprianus athletarum quorundam miseriam acerbè deplorat, qui, in Divinis obsequiis gravissimos carnificum & tyrannorum cruciatus tranquillo animo perpessi, maxima insuper miracula in vivæ suæ fidei testimonium operati, tandem à Deo & fide defecerunt: sed quid, obsecro, tantos giganthes dejecit? *Una, inquit, muliebris infirmitas delicata, quæ cùm sit vilis, & misera, de magnis efficit prædam.* Hem! miseram conditionem! quæ facillimo unius blandientis mulierculæ negotio ab infinitâ felicitate in extremam perniciem præcipitatur. Certè Petrus, quatuor duntaxat ancillæ voculis perculsus, à Deo suo recessit. David, unico oculorum obtutu in fœminam defixo, omnem abjecit honestatem. Sapritius ob unicam odii exardescentis scintillam, cœlo & Martyrii coronâ excidit. &c.

[Mundanus. — S. Cyprian. l. de singul. Cleric.]

195. Pyxis nautica, in mediis undis supra navigii puppim collocata, epigraphen reddit; ERRANTEM DIRIGIT HÆRENS. Hinc constat, illum denique optimas Magistri & Rectoris subire vices, qui in cepta virtute constans persistit. S. Isidorus Pelusiota; *Qui sermonem de Deo excitaturus est, hunc vita ac morum virtutibus elucere oportet.* Et S. Petrus Chrysologus; *Magisterium stat de scientia, sed magisterii auctoritas stat de vita: docenda faciens obedientem perficit auditorem. Docere factis, est sola norma doctrinæ: doctrina in dictis scientia est; in factis, virtus: scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtute.*

[Docere. Prædicare. — Isid. Pelus. l. ep. 232. — Pet. Chrys. serm. 167.]

196. Navis, ad montes magneticos pertracta, iisque validè connexa, inscriptionem tenet, HÆRET, NE LONGIUS ERRET. Ita Religiosi, ne inter errantis sæculi fluctus naufragium sustineant, Deo, ceu magneti fortissimo, arctis colligantur vinculis. De his S. Gregorius Papa; *Ligati vinculis disciplinæ Dei, nequaquam ad ea, quæ exteriora sunt, vagantur. Et quasi gressum operis immobilis figunt, dū à conditoris desiderio nusquam discedunt.* S. Petrus Damianus, in illud Sacræ Paginæ præceptum commentatus, *Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria*; inquit, *si ex præcepto Domini Levitæ castra sua juxta tabernacula figunt, nec secedere tabernaculo, vel inter turbas habere hospitium permittuntur: cur nunc Clerici juxta Divinæ constitutionis edictum abhorreant apud Ecclesiam degere? &c.*

[Religiosus. — Greg. Pap. in Psal. 4. pœnitent. — S. Pet. Dam. l. ep. 9. Numer. c. 1. v. 53]

197. In Indiæ oris integros montes magneticos reperire est, qui naves, incautè propinquantes, violento impetu adoriuntur, simulque ferramenta omnia linguis præfixa, dissolvunt, & ad se trahunt; reliquo navigio quassato, & laxatis compagibus in fluctuum ludubria disperso. Hâc de re Petrarcha;

[Petrarch. p. 1 Canz. 18.]

Una pietra è si ardita
La per l' Indico mar, che da natura
Tragge à se il ferro, e'l fura
Dal legno in guisa, che navigli affunde.

Idipsum testatur S. P. Augustinus; *Narrant Nautæ nostrates, in ima India esse maritimas cautes magneticas, quæ medio cursu navigia, si quid sit in eis ferri, vel clavus unus, sistant, detineant, attrahant.* Alios authores complures in suis Diebus Canicularibus enumerat Simon Majolus. Hâc doctrinâ nixus P. Camillus Anticus, montem magneticum depinxit, qui dissolutâ nave; ac tabulis passim per undas fluitantibus, illius ferramenta tenacissimo nexu ad se attraxit Epigraphen subjunxit; ET LIGAT, ET SOLVIT,

[S. Aug. l. 21. de Civit. c. 4. — Simon Majol. tom. 1. Dierum Canic. colloq. 16.]

Eadem Pontificis Maximi, omniumque Delegatorum est facultas; quibus Servator in S. Petri Personâ dixit, *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Unde Synodus Alexandrina, è Concilii Nicæni sententiâ, ad Felicem Papam scripsit; *Romanæ Sedi ab ipso Domino potestatem ligandi & solvendi, speciali privilegio super alios esse concessam,* uti Cornelius à Lapide in illum Matthæi locum refert. Clarissimè idipsum testatur Rabanus his omninò verbis: *Hæc autem ligandi atq; solvendi potestas, quamvis soli Petro data videatur à Domino, tamen & cæteris Apostolis datur, nec non etiam nunc Episcopis ac Presbyteris omnis Ecclesiæ.*

[Pontifex Maximus. — Matth. 16. 19 — Cor. à Lap. hunc in loc. — Raban. in Caten. aur. hic.]

198. Ferrum, quod, è supremâ rupe jamjam lapsurum, solâ magnetis virtute in sublimi suspenditur, ac sustentatur, epigraphen à magnete pronuntiatam accepit; NI RAPIARE, CADIS. Hominem hæc imago significat, sine gratiæ Divinæ adjutorio in mille calamitatum præcipitia ruiturum. De se ipso Prophetes Regius candidè fatetur; *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minùs habitâsset in inferno anima mea.* De Patriarchâ Loth testatur Moses, quod, nisi Angelorū manibus comprehensus, ac è Sodomis eductus, extremam perniciem sustinere debuisset. *Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eò quod parceret Dominus illi. Eduxeruntque eum.* Hunc locum interpretatus Cajetanus, ait; *His verbis ratio violenta salutis redditur, non justitia mulierum, nec justitia Lothi, sed misericordia summi Dei peculiaris erga Loth.* Et prior illo S. Ambrosius; *Penè Loth non est profectus ut evaderet, nisi urgentibus Angelis, & tenentibus manus ejus, egredi coactus esset. Non ergo profectus, sed eductus est.* Sacra Sponsa, trahenti Deo nonnihil obluctata, dulcissimas has invitantis voces inaudiit; *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea.* Sed quanti eidem hæc socordia steterit, prolixè Theodoretus in hæc verba recenset; *Quantùm pariat detrimenti pigritia, & quantùm laboris afferat ignavia, hinc perdiscamus. Dum enim excusat se Sponsa, nec statim sponso januam vult aperire; cogitur paulò post non solum ad januam usque progredi, sed civitatem percurre, & plateas circumire, atque in custodes incidere, à quibus vulnera etiam accipit, & vix sponsum invenit exoptatum. Quod si statim vocanti paruisset, hæc omnia incommoda evasisset.*

[Vocatio Dei. — Psal. 93. 17. — Gen. 19. 16. — Cajet. in hunc loc. — S. Ambros. in hunc loc. — Cant. 5. 2. — Theodoret. in hunc loc.]

199. Juvenis, qui terrenis voluptatibus distractus, vocanti Deo respondere negligit, ferro se non absimilem probat, quod inter quatuor Magnetis fragmenta, æquali relicto spatio, ac medio loco collocatum, à nullo attrahi solet. Epigraphen subjunges; NON TRAHITUR, QUIA DISTRAHITUR. Emblematis mentem hoc epigrammate explicat D. Joannes Paschalius;

[Vocatio rejecta.]

Ferrea dum magnes mediat per frusta, quiescit
Nec trahit: assuetum copia sistit opus.
Quis vetat attractum? Tractum distractio tollit,
Copia sic rerum distrahit axe viros.

Porrò homo, orationi deditus, ad Deum non trahitur, nec gratiam aut præmium ullum promeretur, si simul ad alia negotia mundana extra Deum distrahatur. S. Gregorius Papa; *Illam orationem Deus non exaudit, cui homo, quando psallit, non attendit.* Verè canit tritus ille versus;

[Oratio distracta. — S. Greg. in homil.]

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

200. Duorum ingenia, in negotiis pertractandis penitus conformia, geminos Magnetes imitantur, qui intra separatas suas pyxides collocati, sympathiā adeò arctam ostendunt, ut unius pyxidis magnete à manu

[Conformitas.]

manu quâdam commoto, mox etiam alter nativo & occulto impetu palpitet. Unde huic iconi epigraphen subjunges; MOVET UNUS UTRUMQUE. S. Patriarcha Josephus, Virginis Deiparæ sponsus, dum precum suarum efficaciâ Virginem sponsam permovit, simul etiam iratum Deum ad misericordiæ significandæ motum compulit. Vel certè *movet unus utrumque*, dum Virginem Sponsi titulo, Jesum verò patriâ suâ potestate movens, pro votis omnia impetrat. Opportunè Joannes Eckius; *Usque adeò mutua illa Josephi cum Domino Jesu & Virgine Maria conversatio immensam ejus arguit sanctimoniam & dignitatem; unde sperare liqueat, quod quidquid filium suum Christum rogaverit Joseph, vel etiam conjugem dilectissimam Mariam, ejus rei repulsam passurus sit nunquam.*

S. Josephus.

Joan. Eckh. hom. 2. de S. Joseph.

201. Magnetis fragmentum, propriam sibi catenam implicans, subscriptionem habet; SUA VINCULA VINCIT. Ità avarus iis ipsis pecuniis captivum se intricat, quas in crumenam assiduâ industriâ coacervat. Nec aliter lascivus cor suum infami cuidam mulierculæ alligat, à quâ mentis suæ catenas & extrema quæque experietur. Emblematis tamen applicatione omnium nobilissimâ, de S. Paulo id interpretaberis, qui in carcere ligatus, proprii carceris sui custodem reti Evangelico implicavit. S. Joannes Chrysostomus illa Apostoli verba explicans, *Virtus in infirmitate perficitur*; ait; *Tunc mea potentia demonstratur, quando vos in imbecilitate estis, & per vos, qui videmini esse debiles, prædicationis verbum augetur, & ubique dispergitur: quando igitur in carcerem, innumeris susceptis verberibus, deductus fuit, carceris custodem vinxit.*

Avarus.

Lascivus.

S. Paulus Apostolus.

2. Cor. 12. 9. S. Io. Chrysost. hom 1. da Popul.

202. Magnes, in montis fastigio collocatus, aliquot ferri laminas ab imis cuniculis virtute suâ extrahit. Unde lemma; TRAHIT ARDUUS IMA. Ita omninò Prædicator aut Magister, virtute ac meritò sublimis, è vitiorum abysso peccatores eripit. Inter cætera S. Eutichii, Patriarchæ Constantinopolitani, encomia, Eustatius Presbyter etiam hoc recenset; *Quantò quis illi magis hærebat, tantò magis attrahebatur, eodem erga illum affectus modo, quo erga magnetem lapidem ferrum, quod arcana quâdam naturali illius vi trahitur.* In S. Valerici Abbatis vitâ narrat apud Surium Author anonymus; *Quemadmodum magnes lapis ferrum ad se trahit; ita etiam gratia Dei, quæ in sancti viri vultu, verbisque, & moribus relucebat, permultos ad vitæ ejus piam quandam, ferventemque æmulationem invitavit & adduxit.* S. Gregorius Papa illud Isaiæ doctè & opportunè interpretatus, *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam*, inquit, *Ut qui cœlesti prædicatione utitur, ima jam terrenorum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoque facilius subditos ad meliora pertrahat, quantò per vitæ meritum de supernis clamat.*

Prædicator.

Eustat. Presb in vita.

Sur. 1. April. Exemplū bonum.

Isa. 40. 9. S. Greg. Pap. p 2 Pastoral. c. 3.

203. Hominem terrenum relictis virtutibus ad res vanissimas converti solitum, magneti comparabis, qui supra tabulam suspensus, catenam ferream attrahit; margarithis ac pecuniis, quæ ibidem magno cumulo jacent, contemptim neglectis. Epigraphen addes; PRETIOSA RELINQUIT. D. Joannes Paschalius, Canonicus Regularis, in rem præsentem canit;

Mundanus.

Indicat ad viles homines convertier umbras
Magnes, qui ferrum lambere semper amat.
Dives idaspeis hunc cingat copia gemmis,
Hunc tamen ad clavum ferreus urget amor.

Eadem magnetis indoles, neglecto auro, vilissimas ferri reculas lavare solita, Respublicas illas, sive sacras, sive profanas, concernit, quæ minoris meriti ac infimi ingenii homunciones ad dignitatum fastigia evehunt, viris clarissimis penitus præteritis. Cæterùm de priore Emblematis sensu opportunè ait Magnus Augustinus; *Sicut amor immundus inflammat animam & ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda vocat perituram, & in ima præcipitat; sic amor sanctus ad superna elevat, & ad æterna inflammat, & de profundo inferni levat ad cœlum.*

Electio indignorum.

S. August. Psal. 121.

204. Cordis humani constantiam, inter quosvis calamitatum æstus inconcussam, pyxidi nauticæ similem statui, quæ ab Oceani fluctibus jactata, acum magneticam servat immotam, & continuò in sidus suum polare defixam. Epigraphen addidi; AGITANT ADVERSA QUIETUM. Tullii sententiâ, *Vir est, qui contra biformes fortunæ eventus, uniformi mentis constantiâ militat præmunitus.* In rem præsentem canit vernaculo poëmate Guido Casonus;

Constantia.

Cicero apud Hibern V. instabilita. Cason. Em 3.

La costanza è virtù chiara, e sublime,
Che ama la gloria, ce de suoi rai s' adorna;
Ella è un fregio de gli animi, un RIPOSO
DE LE MENTI AGITATE, industre fabbra
D' alte fortune, INALTERABIL SEMPRE
In ogni stato; poiche non dispera
Ne gl' infortuni, e non sollieva il volo
Ne lieti avvenimenti.

205. Magnes, in pyxide nauticâ per medias Oceani procellas jactatus, nunquam à polo suo arctico distrahitur. Unde inscripsi; NEC ADVERSA RETORQUENT. Talem omninò mens humana se probat, quando calamitatum æstu concussa, nunquam à virtutis centro deflectit. S. Gregorius Nazianzenus;

Perseverantia.

Greg Naz sentent; l. 1

Mœror, voluptas, dedecus, penuria,
Opes, honor, ferocitas, metus, throni,
Sicut volunt, eant, fluant: nihil viri
Hæc fluxa constantis movent solertiam.

E Justi Lipsii sententia, *Mare quoddam est hæc vita, fluctus in ea assidui, sæpè tempestates, & iterum malacia aliqua & tranquillitas distinguit. Felices, qui ut periti & duriores nautæ assueverunt; nec ad singulas concussiones nauseant & ægrescunt.*

Lips. Cent. 1. ad Belg. ep. 41.

206. Nonnulli opinantur, ferrum non à Magnete, sed magnetem à ferro trahi. Unde Emblematis loco pyxidem nauticam cum suâ acu magneticâ pinxi, quæ, aliàs nativo impulsu in stellam polarem defigi solita, à vicino gladii aut sagittæ cujusdam ferro rapitur, & è sidere suo distrahitur. Unde epigraphen subjunxi; A SUO DISTRAHIT ASTRO. Ita sanè anima toto affectu in Deum defixa staret, nisi cruento fatalis odii ferro, aut lascivi amoris jaculo in adversam partem retraheretur. Porrò ferri nomine militiam intelligere licet, quæ mentem à Deo distrahit, & hodierno cumprimis militandi more, in omnem vitiorum libidinem rapit. Verissimè dixit Petrus Blesensis; *Qui contra inimicos Crucis vires suas exercere debuerant, in potibus & ebrietatibus pugnant. Vacant otio, marcent crapulâ, vitamque degenerem in immunditiis transigentes, nomen & officium militiæ dehonestant.*

Passiones vitiosæ à Deo retrahunt. Militia.

Pet. Blesens. ep. 94.

207. Pyxidem nauticam, cum acu suâ magneticâ in phaselo marino figuratam, hoc lemmate donavi; IMMOTA GUBERNAT. Providentia Divina hoc symbolo adumbratur; quippe quæ vastissimum mundum immota gubernat. Salomon id dilucidè testatus, ait; *Tu autem, Pater, providentia (IMMOTUS in te permanens, ut D. Ambrosii ore canit S. Ecclesia) GUBERNAT: quoniam dedisti & in*

Providentia Dei.

Sap 14. 3. S. Ambros.

in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam, ostendens, quoniam potens is ex omnibus salvare. &c.

Maria V. 208. Magnes annulo ferreo sociatur, cum lemmate; FACIT UTRAQUE UNUM. Ita prorsus Beata Virgine, ceu magnete, tractus est Deus ad assumendam carnem humanam. Unde recte Deipara Virgo à Buteone vocatur. *Causa unionis omnium cum Deo*; Et à S. Chrysologo, *Specimen gemmæ, omne pretium excedentis*. In rem præsentem canit Emblematis Author, P. Jacobus Masenius;

Hinc jacet oppositus magnes: jacet annulus inde,
Quos suus occulto glutine stringit amor.
Stringitur humanâ Divum sapientia carne:
Virgo fuit magnes, annulus ipse Deus.

209. Lingula Magnetica occulto quodam fascino ad polum rapitur. Unde Collegium Monacense Societatis Jesu ad solemnem D. Francisci Borgiæ apotheosin Emblemati subscripsit; VIS OCCULTA TRAHIT. Sanctam nimirum Francisci sagacitatem innuebat, quâ, nullo lampadis aut hominis indicio, SS. Eucharistiam, ubi in templis asservaretur, cognitam habuit. Occultam illam trahendi vim etiam gratia Divina & Christus patiens in animam nostram exercent; unde suavissima illa Servatoris verba; *Si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum*. In hunc locum S. Leo Papa; *O admirabilis potentia crucis, in quâ & tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est crucifixi. Traxisti enim Domine omnia ad te, & cùm expandisses totâ die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitendæ majestatis tuæ sensum totus mundus accepit. &c.* Cæterùm Emblemati explicando hanc de S. Franciso Borgia poesin subjunxere,

En! Cæcus amans cernit acutum,
Blandis oculis clarior Argo.
Majora videt, quàm videat, Amor.
Æmula ferri mens atque oculus,
Ceu Magnetis sequitur nutum
Reperitque latens ipse latentem:
Docuit Numen, latitare, Ducem.
Hinc communes novit latebras.

210. Acus Magnetica, relictâ stellâ suâ polari, vicinum ferrum sequitur; cum lemmate, HOC ABLATO, SUA SIDERA QUÆRET. Ita anima, sublatis ferreis odii, aliarumque terrenarum passionum illecebris, quantocius cœlum, ad quod creatum est, inquiret. S. P. Augustinus; *Quærente animâ ubi figat spem; cum ab hoc mundo avellitur, opportunè excipit cognitionem nominis Dei.*

211. De Magnete constat, illum filo suspensum, versus Septentrionem ferri, atque recurrere ad hunc locum, etsi sexcenties ad Orientem vel Occidentem moveris, manuque circumegeris. Unde Serenissimus Philotheus symboli loco acum magneticam pinxit, quæ, in pyxide suâ ad stellam polarem conversa, epigraphen sustinet; TE SOLAM QUÆRIT. Sanè nulla res tantam habet vim, vel ad abstrahendum à terrestrium rerum cupiditate animum, vel ad compescendas corporis delicias voluptatesque, quàm amoris Divini vigor, qui ubi semel in hominis illapsus est animum, totum sibi illum mancipat, totumque in se convertit. Hoc quippe agit Divinus amor, ut Deum semper unicum miseriæ & gaudii habeamus asylum. S. P. Augustinus; *Sicut amor immundus inflammat animam, & ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda vocat perituram, & in ima præcipitat; sic amor sanctus ad superna elevat, & ad æterna inflammat, & de profundo inferni levat ad cœlum.* Cæterùm emblematis mentem hoc epigrammate explicat Author.

Quò vertas, nunquam magnetica virgo quiescit,
Ni procul Arctoum denotet illa polum.
Ast ubi Mænalios ea designaverit axes,
Fixa stat illa suo, quo stetit antè, loco.
Haud aliter pia mens nunquam tranquilla quiescit,
Hinc procul ad summum sit nisi versa Deum.
Te solum mihi quæro Deum. Ah! illabere menti;
Solus es erranti portus, & aura rati.

Margin notes (left column): Christus patiens. — Joan. 12. 32. — Leo Papa Ser. 8. de Passione. — Anima pœnitens. — Aug. in Ps. — Amor Dei. — Augustin. in Psalm. 121. — ...ut in hym. ...ac. — Chrys. ...at. de ...tip.

MARGARITHA. CONCHA Margarithifera.

CAP. XXV.

212. Si Plinio fidem habeas, Margaritha è purâ & limpidâ roris cœlestis guttula conficitur, quæ intra conchæ sinum recepta, condensatur, ac coævum suum candorem geminat. Unde nonnemo margarithæ in explicatâ conchâ subscripsit; EX CANDIDO CANDIDIOR. Eorum hæc imago est, qui in virtutis & meriti splendore progressus insignes faciunt. S. Joannes Chrysostomus; *Gratia Dei finem non habet, semper ad majora egreditur.* Plin. l. 9. c. 35 — Profectus. — S. Io. Chrys. hom. 9. ad Rom.

213. Margarithæ cœlo nubilo, apparent turbidæ; sereno verò, claræ ac limpidæ. Hinc colliges, subditorum mores ad Superiorum facta penitus componi. Unde lemma margarithis inditum; CLARESCUNT ÆTHERE CLARO. Laconicè pronuntians S. Ambrosius, ait, *Qualis forma fuerit Domini, talis totius Domus est status.* Rex Theodoricus, Cassiodoro teste, è Majorum virtuosâ conditione haud operosè inferiorum virtutes conjicere solebat. *Bona certa sunt*, inquit, *quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo nescit deficere, quæ consuevit radicitus pullulare. Fertur etiam cursu perrenni fontium vena vitalis, & hanc conditionem sustinent cuncta manantia, ut sapor, qui concessus est origini, nisi per accidentia fuerit fortè vitiatus, nesciat rivulis abnegari.* Sicut etiam rivuli assiduâ fontis sui dulcedine ac claritate gaudent, ita virtutum splendor, in parentibus & patronis vigens, nunquam non in filiis & subditis, veluti in speculo, relucet. Quamobrem S. Bernardus suos Religiosus *de Monte Dei* ad virtutis profectum extimulans, inter cetera hanc considerationem adstruit, quod vitæ sanctimonia, nuperè ab ipsis cœpta, non proprio tantùm commodo deserviat, sed posteris quoque omnibus incitamento sit ad sanioris vitæ frugem capescendam. *Non quales sint alii, sed quales ex vobis fiant, quantùm in vobis est, cogitare, non solummodo qui modò sunt, sed & qui post futuri sunt, quos in proposito sancto estis habituri imitatores: ex vobis enim, ex vestro exemplo, & vestrâ auctoritate in religione hâc pendere debet tota posteritas.* Conformitas. — Cassiod. l. 2. ep. 15. — S. Bernard. ad Religios. de Monte Dei

214. Margarithæ, tametsi infra maris undas natæ, à cœli beneficentia & fluxu in acquirendis suis virtutibus adeò dependent, ut Plinius affirmatè doceat, *Cæli eis majorem societatem esse, quàm maris*. Quare margaritha, undique resplendens & candida, inscriptionem habet; AB ÆTHERE DECOR. Ex hoc scemate disces, omnem virtutis & gratiæ lucem ab uno cœlo in animas justas scaturire. Ingenuè id confessus Apostolus, ait; *Gratiâ Dei sum id, quod sum.* Et alibi; *Quid autem habes quod non accepisti?* Dilucidè S. Jacobus, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est à Patre luminum &c.* Magno Augustino teste, *Debet homo de Deo* Plin. l. 9. c. 35 — Gratia est donũ Dei. — 1 Cor 15. 10 — 1 Cor 4. 7. — Iacob 1. 17. — S. August. in Psal. ...

de Deo præsumere, & inde sperare auxilium, non de se. Non enim terra pluit sibi, aut lucet sibi. Quomodo autem terra de cœlo expectat pluviam & lucem, sic homo de Deo debet expectare misericordiam & veritatem.

215. Inter cæteras margaritharum dotes, à Plinio enumeratas, etiam hæc gemina reperitur, nimirum *candor & lævor.* Unde Emblematis loco subscripsi; CUM CANDORE LÆVOREM. Eorum hæc idea est, qui animæ puritatem ac innocentiam benignitati conjunctam habet, cunctisque suaves & placidos se exhibent: hâc enim agendi ratione Deos hominesque sibi conciliant. *Ornamentum enim bonorum omnium est sincera benignitas, quæ nunquam est sola; quia de virtutibus cognoscitur esse generata:* inquit Cassiodorus.

Innocentia cum benignitate.

Cassiod. in ep

216. Vehementer miratur Plinius, margaritham tanta versus cœlum consuetudine frui, ut omnem suam venustatem ex ipsius aspectu & virtute etiam in maris profundo accipiat mutuam. *Miror ipse, tantùm eas cælo gaudere.* Unde lemma; SOLO ÆTHERE GAUDET. Ita anima contemplativa, tametsi in terris degat, à curis tamen terrenis penitus abstracta, soli cœlo vacat. Ut adeò cum S. Paulo dicere queat, *Nostra autem conversatio in cælis est; nempe in eo,* subinfert interpres S. Macharius, *quod animus, atque intellectus Christianorum cogitationi cælesti semper sit deditus.*

Plin. l.9.c.35

Contemplativus.

Philipp. 3.20

S Mach. Hom.5.

217. Mirifica adeò conchæ margarithiferæ custodia est, ut assiduò vel supra arenosam glaream, vel supra maris undas volutata, nullam unquam aquæ guttulam intra se admittat. Cui proinde hanc gnomam subjungere placet; NIL MARIS EXSUGIT; vel, NIL AB ÆQUORE SUGIT. S. Franciscus Salesius in Introductionis suæ proloquio docet, hominem *vigorosum & constantem hoc in mundo taliter vivere posse, ut nullum ex eo humorem mundanum admittat;* uti videre licuit in S. Ludovico Galliæ Rege, in S. Casimiro Poloniæ Rege, in B. Amedeo Sabaudiæ Duce, aliisque innumeris, qui in mundi hujus pelago commorati, omnes vitiorum undas sicco & inoffenso superarunt pede. Idem Salesius nobilem hanc conchæ margarithiferæ proprietatem alteri argumento explicando ita explicat; *Cor mundum & castum ad instar conchæ margarithiferæ est, nullam nisi quæ de cælo venit, aquæ guttulam recipientis; nullam quippe illud admittere voluptatem potest, quàm quæ è matrimonio, quod à cœlo est institutum, provenit. &c.*

Justus inter mundanos.

S. Franciscus Salesius in proe. Introduct. ad vit perfect.

Cor castũ.

Idem p.3, c.12

218. Venusta quidem, & splendore argenteo obducta videri possit concha margarithifera; at margaritha, in ipsius sinu generata, longis intervallis est pulchrior, & penè ad miraculum venusta. Quam proinde P. Henricus Engelgrave his Horatii verbis insignivit; MATRE PULCHRA, FILIA PULCHRIOR. Quantumvis D. Joannes Damascenus S. Annam *summis laudibus dignam* pronuntiet, Maria Virgo tamen, ipsius filia, sanctam Matrem infinitis ornamentis excedit.

Horat l.1. Od.16.

Maria filia S. Annæ.

S. Io Dam. l.4 de fide Orthod. c.15

219. Candor inter primas margarithæ proprietates numeratur; qui tamen ipse offuscatur & in rubedinem quandam degenerat, si iniquâ suâ sorte apertis solaribus radiis exponatur. Unde Plinii verbis inhærens, margaritham hoc lemmate affeci. SUB SOLE RUBESCIT. Virginum hic typus est, quæ puritatis suæ candorem intra recessus ac solitudinem facilè intactum servant; contra verò solis conspectui ac obviis quibusque mundi oculis expositum celerrimè, non fine rubore, admittunt. Doctore Magno Augustino; *Dominica Virgo primitus publicos debet vitare conspectus, & platearum frequentiam devitare: atque in domo posita, operi lanificæ vel lectioni Divinæ insistere.*

Virginitas.

S. Augustin. l. ad sacras Virgines.

220. Margaritha, naturali quâdam sympathiâ, ad omnes cœli & aeris superioris colore conformatur. Illo enim sereno candescit, & nubilo turbatur. Unde epigramma Hispanum; SEGUN EL TIEMPO. Id est; SE TEMPORI APTAT. Opportuno hoc Emblemate adulatorum vafritiem & simulatos vultus exprimere licet, quos ad majorum suorum affectus & ingenia dexterrimè componere norunt. Atque adeò heliotropium imitantur, quod ad regii planetæ motus assiduò contorquetur; vel aquas, saporẽ suum è terrâ, quam transeunt, mutuare solitas; vel Polypum, qui cujusvis saxi vicini colores assumit; vel denique cœlos inferiores, ab uno primi mobilis raptu in orbem circumagendos. Cassiodori sententiâ; *Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salve dicit; prodigos vocat liberales, avaros parcos &c.* In rem præsentem facit, quod Cornelius à Lapide his omninò verbis refert: Nuper, inquit, vir Catholicus gravis in Anglia, rogatur à primario Reginæ Elisabethæ consiliario, qui secretò Catholicus haberi volebat, quid de se sentirent Catholici transmarini? argutè respondit; *Censent te esse planetam, ac moveri, gyrarique motu primi mobilis.*

Adulato

Cassiod. in

Corn. à L. in Prov. c. n.20.

221. Margaritha, in conchæ utero concepta, epigraphen tenet; HAUSTA COELO, quippe quæ natales suos è solo cœli rore trahit. D. Sigismundus Laurentius hoc Emblemate demonstrabat, virginalem castimoniam, in S. Pauli animâ repertam, nonnisi è peculiari cœlestis gratiæ dono profluxisse. Testem luculentum habeto ipsummet Apostolum; *Habemus thesaurum in vasis fictilibus ut sublimitas sit Dei, & non ex vobis.* Præclarè dixit S Petrus Chrysologus; *In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cælestis.*

Castitas est donũ cœleste.

2. Cor. 4.

S. Pet. Chr. ser.143.

222. Margaritham, è cœlesti rore generari solitam, D. Carolus Rancatus Emblematis loco usurpavit; addito lemmate, PATRE EDITA COELO. Verbis ex Ausonio mutuatis, ubi in Veneris encomium canit;

Auson. l.1 Carm. 32

Nata salo, suscepta solo, patre edita cælo.

Vel ut aliis placet; A COELO PRETIUM. Sacratissima Servatoris nostri humanitas vivo hoc ectypo describitur, quæ in immaculato Virginis utero, velut intra argenteam concham margaritha, solo cœlo patre, sine ullo maris influxu, concepta est. Hoc sensu S. Joannes Damascenus de Virgine Matre pronuntiat, quod fuerit *Concha, quæ cælitus Divinitatis fulgetra in utero concepit, ac peperit Christum, ingentis pretii unionem.* Et S. Ephræm de eadem Margaritha pretiosissima, *Concha marina,* inquit, *veri unionis ex cælesti fulgore, & purpureo latice procreati.* Cæterùm etiam anima nostra, ceu nobilis margaritha, dici potest *Patre edita cælo, & è cælo pretium* suum omne sortiri. Neque enim instar animantium cæterorum è materiæ potentia extracta est, sed nemine alio interveniente à solo Deo creata. Unde etiam illum propriissimo hoc Patris nomine veneramur; *Pater noster, qui es in cælis.* Pater enim est, quia nos creavit; Pater est, quia Verbi incarnati morte nos redemit; Pater est, quia baptismatis fonte nos regeneravit; Pater est, quia in filios suos nos adoptavit, &c. Et ut compendio dicam, Pater cælestis est, utpote à quo vitam ac mores cœlestes, ipsamque adeò æternam hæreditatem tenerrimo affectu expectamus. S. Petrus Chrysostomus; *Cui dicis* Pater noster qui es in cælis, *intellige esse tibi genus cœlo, cujus Pater habetur in cælo & age, ut vivendo sanctè, sancto respondeas Patri.* Et rursus; *Te, qui cælestem Patrem jam vocas, ad cælestem vult tendere, & repetere jam naturam, ut generi*

Christus incarnatus

S. Io. Dam. Orat. I de Nat. M V.

S. Ephræm

Anima hu mana.

S Pet. Chr. serm.67.

Idem ser.

generi tanto vita nostra respondeat, ne terreni mores degenerent, quos cælestis donavit & contulit jam natura.

223. Maxima Sanctorum Joachimi & Annæ fuit felicitas, quibus Mariæ Virginis progenitores esse obtigit; sicuti conchæ è pretiosa Margaritha, in ipsius sinu generata, insigne ornamentum accrescit. Huic veritati significandæ D. Joannes Baptista Mazzolenus margaritham in concha sua depinxit; adjecto lemmate, DAT GENERATA DECUS. S. Thomas Villanovanus, de Christi Genealogia disserens, *Non enim*, inquit, *in hâc genealogia, sicut in cæteris, à parentibus gloria descendit, sed ascendit, progenitores illustrantur à filio, & non è contra.* Cæterùm meus Carducius Emblematis mentem hoc disticho explicat;

Maria suos progenitores illustrat. S. Th. Villan. serm. 2. de N. Virg.

Ut generata decus dat lactea gemmula conchæ:
Non secus exornat candida Virgo Genus.

224. Margaritha, annulo inclusa, aureo suo circulo insigne ornamentum addit. Cui proinde D. Mazzolenus inscripsit; DAT SOCIATA DECUS. Ita Maria Virgo, S. Josephi Sponsa, clarissimum consorti suo splendorem ac gloriam contulit. Hugo Cardinalis illa Siracidis verba exponens, *Mulier fortis oblectat virum*; ait, *Mulier fortis est B. Virgo. Hæc sine dubio virum suum Ioseph & beatificavit & lætificavit.* Ut adeò optimum Josephum iis ipsis verbis, quibus olim Plinius Secundus Trajanum, alloqui liceat; *Tibi uxor in decus & gloriam cedit.* In rem præsentem D. Carducius;

Maria ornat S. Josephum. Hug. Card. in Eccl. 26. 2.

Dat sociata decus rutilanti Margaris auro:
Sic decorat Ioseph inclyta Virgo Virum.

225. D. Aresius cuidam voluminum suorum fronti concham præfixit, quæ dimidio orbe aperta, margaritham ostentabat, cum lemmate; SAT VEL UNA LABORI. Dicere volebat, sibi ob tantos labores cumulati pretii loco futurum, si vel unica ipsius cogitatio lectori benevolo probaretur. Ita quoque Prædicator suis laboribus omnibus abundè satisfactum putet, si vel unicam animam Deo generaverit. S. P. Augustinus; *Unusquisque Evangelii Prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri, hoc est Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est: & quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat.*

Scriptor. Prædicator. Aug. l. 32. cont. Faust. c. 10.

226. Sicuti Margarithæ, è Lucarini lemmate superius adducto, A RORE COLOREM capiunt; ita subditi ad omnes majorum suorum actiones conformantur. Justus Lipsius, *Rapitur*, inquit, *ad similitudinem suorum excellens quæque natura, & simulacrum cœlestium animorum refert, decerpta ab iis aura.* Et S. Hieronymus; *Gracchorum eloquentiæ multum ab infantia sermo matris contulisse scribitur. Hortensii oratio inter paternos sinus coaluit. Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum Regem, Orbisque domitorem, & in moribus, & in incessu Leonidis Pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuit infectus.*

Exemplũ. Just. Lips. in præfat. l. 1. de Milit. S. Hieron. Ep. 7. ad Lætam.

227. Animum, adversus beneficia gratum, è Margaritha dignosces, quæ radiis solaribus exposita, hanc gnomam præfert; HINC NITOR, HINC VIGOR, vel; HINC SPLENDOR ET VITA. vel; TU SPLENDOREM, TU VIGOREM. vel ut Barg...lio placet; PREGIO, E FREGIO. Id est; ET DECUS, ET PRETIUM. Sicuti concha soli se gratum sistit, & beneficia accepta ubique confitetur, ita Seneca miram erga Mecænates gratitudinem prætulit; *Nunquam*, inquit, *tibi gratiam referre potero, tamen illud certè non desinam, ubique confiteri me referre non posse. Nam qui gratè beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit.* P. Cornelius à Lapide miram S. Mariæ Magdalenæ conversionem hoc Emblemate significat, simulque imaginis mentem explicat; *Sicuti enim Sol suis radiis ostream (quæ aqueus & fatitus est humor, latens in concha) in pretiosam margaritham convertit; sic Christus illustratione gratiæ Magdalenam peccatricem convertendo ad pœnitentiam, effecit margaritham.* Eâdem omninò ratione gratiosus Dei aspectus, quovis Sole infinities illustrior, vilitatem omnem è pectore humano excutit, illudque in pretium maximum convertit.

Gratitudo. Senec. l. 2. de Benef. Corn. à Lap. in Luc. 7. 37. Aspectus Dei.

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

228. Margaritha nullam omninò perfectionem, ut in cæteris gemmis fieri amat, admittit; sed ab ipsis suis incunabulis lævigata & plenè exculta prodit. Unde lemma; NON INDIGA FUCI. aut verbis ex Ovidio mutuatis, NULLUS AB ARTE DECOR. Propria hæc virtutis, & veræ venustatis fœmineæ idea est, quæ externam & emendicatam industriam penitus abominantur, omnemque cerussam aut stybium repudiant. S. Cyprianus; *Non Virgines tantum aut viduas, sed & nuptas puta, & omnes omninò fœminas admonendas, quod opus Dei & facturam ejus, & plasma adulterare nullo modo debeant: adhibito flavo colore vel nigro, pulvere, vel rubore, aut quomodolibet lineamenta nativa corrumpente medicamine, & subdit, Manus Deo inferunt, quando illud, quod ille formavit, reformare contendunt.* Tassus, ni fallor, hanc ipsam proprietatem in Sophronia ita describit.

Ovid. 2. Fastor. Virtus vera. Venustas vera. S. Cypr. l. de habitu Virg. Tass. Liberat. Cant. 2. st. 14

Vergine era fra lor di già matura
Virginità, d' alti pensieri egregi,
D' alta beltà, ma sua beltà non cura,
O tanto sol, quanto honestà sen fregi,
E il suo pregio maggior, che trà le mura
D' angusta casa asconde i suoi gran fregi,
E da vagheggiatori ella s' invola
A le lodi, a gli sguardi inculta, e sola.

229. Christinam, Sueciæ Reginam, cùm, regno & patriâ relictâ, Romam proficisceretur, complurium gemmarum Emblemate exornârunt, quæ è filo suspensæ, epigraphen tulerunt; PRETIUM DE MATRE RELICTA. Emblematis mentem hoc epigrammate explicavit Jo. Bapt. Bargioccus;

Jo. Bapt. Bargioccus l. 3. Epig. 98.

Est Margarithis pretium de Matre relictâ,
Quas concha ignoto clauserat ante sinu.
Dat Christiana tibi pretium, nomenque superbum,
Et matrem, & patrios deseruisse lares.
Namque tuum nativa decus, quod regna tegebant,
Sit modo quàm magnum, Regna relicta docent.

Cæterùm hanc ideam iis omnibus tribuere licet, qui vitam suâ omnem Deo consecraturi, mundo remittunt nuntium. S. Hieronymo teste, *Apostolici fastigii, perfectæque virtutis est, omnia simul vendere, & pauperibus erogare, & sic expeditum cum Christo ad cœlestia volare.*

Religiosus. S. Hieron. in Epist.

230. Margaritha, sicuti intra concham delitescens, nihil laudis acquirit, ita hominum oculis exposita, omnium admirationem & encomia in se convertit. Unde illam Joannes Ferrus hoc lemmate insignivit; EXPOSITA PROBATUR. Ita sanè virtus aperta ipsos etiam hostes in suas laudes rapit. Senecæ pronuntiatum est; *Adeò gratiosa est virtus, ut insitum etiam malis sit, probare meliora*; veluti diceret; sicuti gemmæ, nonnisi in lucem publicam productæ, æstimantur, ita virtutis pretium ad vires tum demũ omniũ veneratione promereri, quãdo in propatulo visẽda exhibetur. Hoc sensu Seneca; *Magnus vir; sed unde scio,*

Virtus. Senec. apud Lipsium l. 2. Manud. diss. 18. Idem lib. de bonis viris. cap. 4.

Ooo

ſcio, ſi tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Dicere bono viro poſſum, ſi illi nullam occaſionem difficilior caſus dedit, in qua una vim ſui animi oſtenderet. Miſerum te judico, quòd nunquam fuiſti miſer, tranſiſti ſine adverſario vitam. Nemo ſciet quid potueris, ne tu quidem ipſe. Opus eſt enim ad notitiam ſui experimento. Quid quiſque poſſet, niſi tentando non didicit. Et paulò poſt; *Gubernatorem in tempeſtate, in acie militem intelligas. &c.*

231. Margaritha, intra concham ſuam ſub Solis aſpectu figurata, epigraphen ſuſtinet; NEC SINE LUMINE DIVES. Hinc colliges nobilitatem, divitias, indolem, ac ingenium parum nobis conferre, ſi juſtitiæ, ſanctitatis, ac gratiæ Divinæ lumine deſtituamur. Præclarè dixit Agapytus Diaconus; *Super omnia præclara, quæ regnum habet, pietatis, cultuſque Divini corona regem exornat: divitiæ namque evaneſcunt, vulgi favor & aura tranſit; ſola vitæ Deo placentis gloria immortalibus ſæculis coëxtenditur.*

Virtutes veræ divitiæ.
Agapyt. Ep. Paran n.15.

232. Summa animæ noſtræ perfectio & integritas inde dignoſcitur, ſi quoſvis mundi alternantis eventus corde ita tranquillo accipere nôrit, ut inter proſpera & adverſa æqualem ſemper & imperterritam ſe demonſtret. Hanc proinde Lucarinus Emblemate ſignificaturus, margaritham depinxit, una cum terebello, ad eam perforandam deſtinato. Inſcriptionem addidit; QUOVIS ROTUNDA. S. Petrus Damianus; *In omnibus te exhibe conſummatæ virtutis exemplum, &, ut dicitur, undique te præbe teretem atque rotundum.* Auſonius iiſdem omninò coloribus hominem juſtum ac prudentem depingit;

Virtus.
S. Pet. Dam. Opuſc. 15. c. 27.
Auſon. Idyll. 16.

Vir bonus & ſapiens (qualem vix reperit unum
Millibus è multis hominum conſultus Apollo)
Iudex ipſe ſui, totum ſe explorat ad unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi;
Securus, mundi inſtar habens, TERES, ATQUE
ROTUNDUS:
Externæ ne quid labis per devia ſidat,
Cogitat, & juſto trutinæ ſe examine penſat.

233. Academicus, inter Venatores Venetos Pretioſus, Symboli loco margaritham in concha præfert, cum lemmate; OBDURUISSE JUVAT. Sicut enim margaritha ex modico præpinguis & aquei humoris globulo ſub Solis ardore ita feliciter obdureſcit, ut inter pretioſiſſimas gemmas numeretur; ita animus è calamitatum tolerantia, & aſſiduâ patientiâ, paupertate, mortificatione, cæterarumque virtutum conſuetudine plurimum utilitatis & beneficii refert. Seneca; *Cogita*, inquit, *compeditos prima ægrè ferre onera & impedimenta crurum: deinde ubi non indignari ille, ſed pati propoſuerunt, neceſſitas fortiter ferre docet, conſuetudo facile. Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quàm quòd, cùm ſciret, quibus ærumnis naſceremur, calamitatum mollimentum conſuetudinem invenit, cito in familiaritatem graviſſima inducens.*

Conſuetudo.
Senec. l. de Tranquill. animi c. 10

234. Margaritha, intra explicatam concham promicans, epigraphen à Saavedrâ accepit; NEC TE QUÆSIVERIS EXTRA. Innuebat videlicet, neminem à vulgi opinione ac famâ dependere debere, ſed quemvis à propriis meritis ac virtutibus illuſtrandum eſſe. Juvenalis;

Proprius valor.
Iuvenalis Satyr. 8.

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.

Et rurſus;

- - - - Quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Inſignis?

S. Greg. Naz.

In rem præſentem mirificè canit S. Gregorius Naz.

Quæ tenet hic mundus, cuncta hæc aliena putato,
Virtus, hanc habeas ſi modò, ſola tua eſt.

235. Sacram Virginem Margarithæ ſymbolo expreſſi, quæ intra concham ſuam clauſa, vix ulli viſendam ſe præbet. Epigraphen ſubjunxi; ABSCONSIONE SECURA. Iſaias argumento præſenti anſam ſubminiſtrans, ait; *Erit in ſecuritatem & abſconſionem.* S. Ambroſius; *Pupillam Deus munitiſſimo naturæ vallo munire dignatus eſt, quia innocentia & integritas levi ſorde aſperſa violatur, & gratiæ ſuæ munus amittit, & ideò perſpiciendum, ne quis eam pulvis erroris oblinet, aut ulla vexet feſtuca peccati. Ad hunc etiam modum parentes cuſtodire debent filios, & ab omni labe impudicitiæ puros tueri.* S. Thecla, inſtar pretioſæ margarithæ, ab amantium flammis impetita, puriſſimæ ſuæ virginitatis aſylum inter ſolitudines ac hiantium ſaxorum cavernas tutiſſimum reperit. P. Gabriel à S. Maria, Auguſtinianus Excalceatus, in erudito libro, quem ad honorem magnæ illius Heroinæ conſcripſit, geminum hoc diſtichon legendum offert,

Virgini.
Iſa. 4. 6.
S. Ambr. l. 6. Hex. c. 9.
S. Thec. V. & M.
Gabr. à Mar. Tetr. 23.

Petra hiat, optat tibi ũ Thecla datura RECESSUM.
Cùm petit amplexus turba prophana tuos.

Et rurſus;

Idem Tet. 24.

Iam SECURA procos petræ dum excludit hiatu,
Thecla, petit ſuperas morte movente plagas.

Nec virginitas tantùm, ſed virtutes reliquæ omnes deliteſcere cupiunt. S. Jo. Chryſoſtomus; *Cùm veſtes & aurum in foro quidem exponimus, multos provocamus inſidiatores; ſi verò domi reponamus, & celemus, in tuto poſuerimus omnia: ita & merita, ſi jugiter mente g ſtamus: dominum irritamus, armamus inimicum, ad furtum vocamus; ſi verò ſciat ipſa nemo, ſed quem ſcire ſolum oportet, in tuto jacebunt.*

S. Io. Chr. Hom. 2. ad Popul.

236. Cum Margaritha, Hiſpaniarum Regina, & Philippi III. Conjux, è vivis eximeretur, P. Famianus Strada, ad illius nomen alludens, margaritham pinxit, quæ aureo annulo inſerta, epigraphen tulit; DESERUISSE JUVAT MARE. Mens Emblematis erat; ſicuti margaritha, è mari ſublata, pretioſiſſimi metalli amplexu digna efficitur; ita Reginam illam, ſuperato vitæ præſentis pelago, intra aureum æternitatis & gloriæ cœleſtis circulum receptam eſſe. Felices itaque, ac fortunatos illos, qui cum S. Petro Apoſtolo, inſtar margaritharum, è mundi hujus oceano eluctati, Chriſtum ſequuntur: hâc enim ratione ad honorum & gloriæ incrementa longè ampliſſima promoventur. Ipſummet Servatorem audi fidejuſſorem; *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* S. Gregorius Papa; *Qui cœleſtis vitæ dulcedinem perfectè cognoverit, ea, quæ in terris amaverat, cuncta derelinquit, in comparatione illius vileſcunt omnia. &c.* Joannes Audenus, vel, ut alii dicunt, Owenus canit;

In mort. Religioſ.
Matth. 19. 29.
S. Gregor. Hom.
Owen. Monoſt. Eth. 24.

Una ſalus ſervire Deo: hæc gaudia ſola
Vera putes, quorum gloria finis erit.

237. Siquidem margarithæ è deſtillante cœleſti rore conficiantur, idcircò margaritha, intra concham repoſita, epigraphen præfert; SEMINE AB ÆTHEREO. Unde etiam Jo. Bapt. Ruſcellus concham, margarithis locupletem, hoc lemmate inſignivit; DIVITIIS DITATA SUPERNIS. Opportuno hoc Emblemate Virginis ſanctiſſimæ uterum ſignificare licet, in quo, ſupernâ Spiritûs S. virtute, Verbum Divinum cum humanâ naturâ hypoſtaticè fuit unitum S. P. Aug. rem totam unicâ ſimilitudine explicans, ait; *Qui lapideas ſcribebat tabulas ſine ſtylo ferreo, ipſe ingravidavit Mariam Spiritu ſancto.* A Præceptore Auguſto nihil difformis Diſcipulus

Incarnatio Verbi.
S. Aug. ad Bernardi de Buſto ſ. 4 de S. V.

Angelicus

Angelicus, S. Thomas Aquinas; *Corpus Christi*, inquit, *materiam sumpsit de natura hominis, sed formatio ejus non fuit virtute humanâ, sed virtute Spiritus sancti.*

Tho. Aqu. opusc. 2. cap. 4.

238. Margarithæ, uti & aliæ gemmæ pretiosæ, non in maris superficie, sed ex ipso aquarum fundo colliguntur. S. Jo. Chrysostomi hâc de re verba sunt; *Qui pretiosos lapides in mari quærunt, non sedent juxta littus maris, fluctus numerantes, sed in profundum se demittunt: & ut ita dicam, quasi in ipsos sinus abyssi descendentes, assequuntur, quod tantâ operâ exquirunt.* Unde è Canonicis meis nonnemo Margaritham in concha sua ad infimas scopuli cujusdam radices figuravit; addito lemmate, PRETIOSA IN IMO. Significare volebat, S. Carolum suas virtutes, ceu totidem margarithas, in assidua humilitatis profundissimæ abysso conservâsse, atque adeò seipsum, omnemque suam agendi rationem, quantumvis cœlo ac mundo admirandam, loco semper postremo habuisse. Cumprimis tamen humilitatem istam in Maria Virgine cernere licet, quæ thesauro pretiosissimo ac penitus singulari, nimirum Verbi Divini maternitate, à Deo locupletata, protinus ad infimum summæ humilitatis gradum descendit, & pauperem ac indignam Creatoris sui ancillam se pronuntiavit: *Ecce ancilla Domini.* Tam immodicam animi demissionem admirans Chrysologus, ait; *Quæ vocatur ab Angelo Domina, ipsa se cognoscit & confitetur ancillam.* Ita quoque pretiosa mysteria, in sacris Litteris abscondita, nequaquam iis obtingunt, qui solam illarum superficiem otiosè lambunt, sed qui profundo intellectu, & assiduo studio ad illas investigandas incumbunt. S. Jo. Chrysostomus; *Mysteria veritatis margarithæ sunt, quia sicut margarithæ inclusæ cochleis, positæ sunt in profundo maris, sic mysteria Divina verbis inclusa, posita sunt in altitudine sensûs sacræ Scripturæ.*

Io. Chrys. hom. 9. in Genes.

[V]irtus [i]n humilitate.

Humilitas [M]ariæ V.

[L]uc. 1. 38.

[S.] Pet. Chrys. [se]r. 142.

[S]acra Scriptura.

Io. Chrys. hom. 17. in Matth.

239. Concha clausa epigraphen sustinet; GEMMAS AD APERTA RECLUDET. Eruditi & facundi Oratoris labia, si aperiantur, pretiosissimorum unionum gazophylaciū non inmeritò videri possint. Id quod D. Salvator Card. hoc disticho innuit.

[O]rator.

Quas claudunt, adaperta dabunt conchilia gemmas:
Eloquio gemmat Rhetor & ipse suo.

[P]rov. 25. 12.

Huic symbolo Sacræ Litteræ his omninò verbis satis dilucidè subscribunt; *Margarithum fulgens qui arguit sapientem*; Et verò, Bedâ interprete, *Rectè Doctor eruditus margaritho fulgenti assimilatur, quia dum emendationem morum, dum supernorum scientiam desiderantibus, ac piè quærentibus animis ostendit, quasi aureo ornatui majorem insuper, gratioremque fulgorem gemmæ ardentis adnectit.*

[B]eda in hunc loc.

240. Margaritha, in patentis conchæ sinu spectanda, epigraphen tenet; COELO FOECUNDA PARENTE. Ita Maria Virgo, Spiritûs sancti rore plena, Divinam margaritham, Christum, enixa est. Unde à Buteone vocatur *Cochlea purissima Divinæ Margarithæ.* Et à S. Joanne Damasceno, *Concha, unionem, in purpureo colore natantem, exhibens.* Emblematis mentem explicans P. Masenius, canit;

[M]aria V.

Buteo hymn. Græ. p. 130.

[S.] Damasc. Orat. 1. de Nat. V.

Unio, quem rutilo pariunt conchylia sole,
Conceptus tenui rore parente fuit.
Sic fœcunda suum peperit dum Virgo Tonantem:
Sol Deus, IESUS unio, concha parens.

241. Concha unionem purpureo colore natantem exhibet, cum lemmate; IN CANDORE RUBOR. Ita prorsus Maria Virgo, ceu Concha candidissima, Christum Divinum Unionem, è Cruce depositum, proprio perfusum cruore, portavit, ulnisque virgineis excepit. Ut adeò rectè à Buteone cognominetur *Concha, quæ Divinam purpuram regi virtutum sanguine suo coloravit.* Et à S. Epiphanio; *Concha marina veri unionis ex cœlesti fulgore & purpureo latice procreati.* Rursus P. Jacobus Masenius, Emblematis author;

Maria V.

But. l. c.

S. Ephræm. de Marg pret.

Purpureos inter latices natat unio candens,
Cumque nitore rubet, cumque rubore nitet.
Virgo cruentatam sobolem dum sustinet ulnis,
Quàm similis conchæ tum fuit illa rubræ!

242. Margaritham, è mari elevatam, hoc lemmate insignies; DANT MARIA GEMMAS. Mariam Virginem, ceu amplissimum virtutum omnium pelagus, hoc Emblema spectat; quippe quæ nobilissimam Verbi Divini Gemmam procreavit. Ut adeò à S. Epiphanio verè cognominetur *Mare spirituale, habens gemmam cœlestem, Christum.* Vel certè maris nomine mundum intelliges, è quo Deipara Virgo, ceu hominum gemma, prodiit. In hunc sensum canit P. Masen. Maria V.

S. Epiph. Orat. de Deip.

Impuro rutilam quis speret ab æquore gemmam?
Sunt tamen æquoreo munera fusa salo.
Prodit ab impuris Virgo majoribus insons,
Nonne iterum gemmam fundere credis aquas?

243. S. Franciscus Borgia, à Clemente X. inter Divos Cœlites relatus, ob insignem humilitatem margarithæ se non absimilem probavit, quæ in conchâ sua delitescens, à Monacensi Societatis Jesu Collegio epigraphen cepit; PRETIOSA LATENT. Sapienter dixit Theodidactus noster Kempensis; *Si vis utiliter aliquid scire & discere, ama nesciri & pro nihilo reputari.* Emblemati explicando sequentem de S. Francisco Borgia inscriptionem accipe? Humilitas.

De Imit. Christi l. 1. c. 2.

In Regium stemma Franciscū sors nascendi inseruit:
Hinc multum fortunæ debuit.
Huic ut solveret, sua illam habere jussit,
Togam, galeam, coronam maluit abjicere:
quàm accipere:
Auream scilicet supellectilem,
ideo gravem.
Purpuram pulla illustravit togâ:
Tunc se nobilissimum fore ratus, si vilissimis
serviret.
Latebras quæsivit, & singulorum oculis patuit.
Lucem fugit: & nulla umbra secuta est.
Cum se peccatorem diceret, Sanctus audire meruit.
Omnes Francisco meliores: optimus omniū ipse fuit.
E Tenebris illuxit clarior:
Fugiendo honores, incurrit. &c.

244. Quidam Serenissimo Bavariæ Duci & Electorali Successori, Maximiliano Emanueli, etiamnum adolescenti, futuram ætatem felicissimam vaticinatus, margaritham expressit, quæ intra conchæ sinum recumbens, solem spectabat allucescentem, cum lemmate; AD SUMMOS CRESCIT HONORES. De S. Joanne Baptista hoc symbolum intellexeris, qui necdum in orbem hunc genitus, id encomii ab Angelo retulit; *Erit magnus coram Domino.* vix autem maternum uterum egressus, adeò manifestos futuræ sanctitatis radios sparsit, ut vicini omnes attoniti passim de illo inter se quærerent; *Quis putas puer iste erit?* Tandem verò honorem & elogium illud amplissimum ab ipsomet Servatore est assecutus; *Amen dico vobis, non surrexit major inter natos mulierum Ioanne Baptistâ.* In S. Joannis Baptistæ laudes prolixus S. Petrus Chrysologus, *Ioannes* inquit, *schola virtutum, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina: Ioannes major homine, par Angelis, legis summa, Evangelii sanctio, Apostolorum vox &c.*

S. Joannes Baptista.

Luc. 1.

Matth. 11. 11.

S. Pet. Chrys. serm. 17.

245. Petrus l' Abbe Mariam Virginem sine labe originariâ conceptam, margarithæ symbolo repræsentavit, quæ in conchæ utero recumbens, epigraphen habuit; INTRA UTERUM JAM PURA

Mariæ V. conceptio.

S. Vinc. Ferr. serm. 2 de Nat. Virg.

RA FUI. S. Vincentius Ferrerius. *Ne credatis*, inquit, *quòd fuerit sicut in nobis qui in peccatis concipimur, sed statim ac anima* (Mariæ Virginis) *fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cœlo celebrârunt Festum Conceptionis.* En! clarissimum ex Sacro Prædicatorum Ordine defensorem & assertorem Conceptionis immaculatæ: nisi fortassis dicere ausis, Angelos in cœlo celebrâsse festum Conceptionis maculatæ.

Reliquiæ SS.

246. Concham, margarithâ suâ spoliatam, hoc lemmate donavit Petrus l' Abbe; EXUVIIS DEBETUR HONOS. Hinc disces, Sacris Divorum Cœlitum Reliquiis, tametsi animâ, ceu pretiosâ hominis margarithâ, careant, plurimos deberi honores. S. Joannes Chrysostomus; *Pretiosa*, inquit, *sunt corpora Martyrum, quoniam plagas pro Domino susceperunt, & quia stigmata propter Christum membris suis impressa ferunt: & sicut corona regalis undiq; decorata fulgores varios emittit, ita & Sanctorum Martyrum corpora, sicut pretiosis lapidibus, acceptis pro Christo vulneribus distincta omni regum diademate pretiosiora & spectabilia redduntur. &c.*

S. Io. Chrys. Orat. in 7 SS. Macchab.

Solitudo.

Origenes Hom. 81. in Levit.

247. Petrus l' Abbe margaritham in conchæ sinu absconditam pinxit; cum lemmate, AMANT PRETIOSA LATERE. Hominem, solitudinis & sanctæ quietis studiosum, hæc imago adumbrat. Origines; *Quamdiu quis permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse sanctus.* In rem præsentem canit Emblematis Author;

Vilia quæque patent; sed amant pretiosa latere:
Quæ gemma est floccus, ni latuisset, erat.

248. Concha, tametsi unione suo spoliata, se ipsâ tamen satis adhuc pretiosa & dives est; Unde lemma, DIVES, & ORBA EST. Verbis ex illo Petri l' Abbe Hexametro desumptis;

SS. Reliquiæ.

Exuviis suus hæret honos; & dives & orba est.

Idipsum de SS. Reliquiis dixeris, quæ, tametsi animâ, ceu gemmâ hominis pretiosissimâ, spoliatæ, adhuc tamen miraculis & Fidelium cultu sunt locupletes. Disertè S. Jo. Chrysostomus; *Sanctorum non modo corpora, sed & ipsi loculi & monumenta spirituali gratiâ conferta sunt. Utilis igitur cunctis hic thesaurus est, & refugium salutare. &c.*

S. Chrysost. Homil. in S. Ignat. M.

249. Experimentis comprobatum est, pulverem margarithæ contusæ præsentissimum esse remedium ad restaurandas ægrotantium vires; planè ut & moribundos & spiritum properantem ægrè trahentes refocillare videatur. Ita evenit, ut, quæ modò candore suo formâque admirabilis, inter divitias Regum habebatur, jam fracta censeatur melior. Unde Serenissimus Philotheus margarithæ etiamnum integræ subscripsit; FRACTA TAMEN MELIOR. Quid Jesu Christo, Servatore generis humani, præstabilius; quid ore illo suavius, pulchriusque? Et tamen ejus corpus, supplicio Crucis fractum, unicum omnium nostrarum ægritudinum dolorumque remedium est, quo recuperamus integram animæ valetudinem, variis antea turbatam sceleribus. S. P. Augustinus; *Ecce Christus passus est: ecce mercator ostendit mercedem, ecce pretium quod dedit, sanguis ejus fusus est. In sacco ferebat pretium nostrum, percussus est lanceâ, fossus est saccus, & manavit pretium orbis terrarum.* Emblematis Author mentem suam hoc epigrammate explicat;

Passio Christi.

S. Aug. in Ps. 21.

O quem te memorem, IESU pulcherrime! vincis
Formâ omnes, similes os humerosque Deo.
Non æquant tua labra rosæ, non lilia dentes,
Non oculos flammæ, non ebur omne manus.
Qualis in ore decor! læta qui frontis honores!
Quanta nitet vultûs gratia blanda tui!
Si tamen hoc homini liceat dixisse misello,
Pulchrior es, IESU, si Cruce fractus obis.

OPALUS.

Cap. XXVI.

250. Opalus nobiliorum gemmarum colores omnes in se uno complectitur. S. Isidorus de illo testatur; *Opalus distinctus diversarum colore gemmarum. Est enim in eo carbunculi tenuior ignis; amethisti fulgens purpura; smaragdi nitens viriditas. &c.* Unde Lucarinus Opalum hoc lemmate insigniit; ET NITOR, ET COLOR PRETIOSISSIMARUM. Maria Virgo, instar perfectissimi opali, omnes illustriorum animarum virtutes in se unâ cumulatas habet. S. Bernardus in illud Siracidis commentatus, *In plenitudine Sanctorum detentio mea*; ait; *Verè ei Sanctorum plenitudo: quia ei non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, castitas Virginum, nec puritas Angelorum.* Et S. Laurentius Justinianus; *Meritò quidquid honoris, quidquid felicitatis habetur in singulis, totum abundat in Virgine.* Porrò si metaphoram illam, Sacris Litteris admodum familiarem, præsupponas, nimirum, sanctas hominum animas ob virtutis suæ splendorem cum gemmis comparari; non abs re dixeris, S. Joannem Evangelistam opalo persimilem esse, quippe in quo uno Virginum puritas, pœnitentûm mortificatio, paupertas Confessorum, laurea Doctorum, labores Apostolorum, fortitudo Martyrum, elevatio Prophetarum, &c., ob complures Ecclesias in Asia fundatas, gloria Patriarcharum reperiuntur. Atque adeò in pretiosissima hac anima cumulatè resplendent *& nitor, & color pretiosissimarum.* Eodem planè argumento Lex vetus Summum Pontificem Oniam his omninò encomiis celebrat; *Quasi stella matutina, quasi luna plena, quasi Sol refulgens, quasi arcus refulgens, quasi flos rosarum, quasi lilia, quasi thus redolens, quasi ignis effulgens, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. &c.*

S. Isid. l. 1 c. 16.

Mariæ Virginis excellentia.

S. Bern. in Eccles. 24.

S. Laur. Just. ser. de Assumpt. Mar.

S. Jo. Evangelist.

Eccles. 50.

251. Gemmarius inter cæteras opali proprietates hanc mirificè extollit, quòd bajuli sui visum acuat, & circumstantium oculos efficiat obscuros ac hebetes. Unde etiam ab illo cognominatur *Patronus furũ.*

Asseritur furum tutissimus esse Patronus.
Nam se gestantum visus conservat acutos;
Ac circumstantes obducta nube retundit.

Ita omninò astutia terrena intellectum humanum ad sophismata & paralogismos adeò vafros acuere novit, ut, qui illos proponunt, plurimum inde capiant utilitatis; pars verò adversa extremam perniciem. In hoc artificio mirificum se exhibuit Jacob, quando cum Labano de agnis multicoloribus, in mercedem suam accipiendis, paciscebatur. Tantum enim acutissimi judicii sui lumen in eo pacto demõstravit, ut Labanus videri potuerit penitus excæcatus. Unde inscriptio Gemmæ huic indita; DAT LUMEN, ET AUGET. vel ut meo D. Carducio placet; ADSTANTES TENEBRIS, GESTANTES LUMINE DITO. Vafritiem ac fallaciam genuinè depingens Magnus Augustinus, ait; *Fallacia est, per quam moribus deceptoriis veritas palliata, vel odium alterius, vel proprium commodum intendit.*

Astutia.

Gen c. 30.

S. Aug. l. definition.

SAL.

Cap. XXVII.

252. Bercorius salis ethymologiã quærenti respondet; *Sal à saliẽdo dicitur, eo quòd ab igne exiliat; licet enim sit igneæ naturæ, ex igne tamen refugit & resultat,*

Bercor. l. Reduct. c. 6

Impatiens. *ſultat.* Atque adeò ſal, naturâ ſuâ igneus, ignis tamen impatiens, in eo exilit ac reſultat. unde lemma; AB IGNE RESULTAT. Eadem hominis cholerici natura eſt, qui doctrinas aut correctiones, ab aliorum charitate proficiſcentes, impatientiſſimè refugit. *Gen. 16.* Tali humore inſaniebat Agar, quando Saræ, Dominæ ſuæ, verbulis nonnihil caſtigata, mox inſtar ſalis ſtolida efferbuit, & è nobiliſſimâ Abrahami domo fugam capeſſens, deſertum petiit. *Judith. 5.* Holofernes, cum ſapientiſſimo Achioris conſilio ſincerè commonefieret, mox in furorem actus, miniſtrum, tantoperè fidelem, hoſtium injuriis, captivitati, & mortis præſentiſſimæ periculo expoſuit. *Hier. Epiſt. ad Marcell.* S. Hieronymus; *Paulus Apoſtolus*, inquit, *inimicus factus verba dicens Salvatoris; quia dura videbantur eloquia, plurimi diſcipulorum retrorſum abierunt. Unde non mirum, ſi & nos ipſi vitiis detrahentes, offendimus plurimos.* *Initium imperatū.* Porrò ſi Emblematis mentem in bonam partem interpretari libeat, haud incongruè dixeris, ſalem, ex igne reſilientem, hominis juſti eſſe ſymbolum, cui ſolenne eſt, malevolorum inſidiis & violentis aſſultibus terga obvertere. Ita Joſeph ab adulteræ tentamentis ſolâ fugâ ſibi conſuluit. Job, ad blaſphemiam ab uxore irritatus, eam falsè à ſe repreſſit. David, cùm ab amicis ad ulciſcendi libidinem ſtimularetur, fortiter obluctatus eſt. Matathias, ne patriæ, penitus corruptæ, idololatriis contaminaretur, animo non minus pio, quàm generoſo ex illâ profugit. &c.

253. Sal ex aquâ marinâ conficitur, quæ propè littus certo numero in foveas quaſdam congregata, ſub Solis calore indureſcit, ac condenſatur. *Ingratus.* Unde lemma; DURATUR, vel GELASCIT AB ÆSTU. *Gen. 49.5.* Ita omninò mens ingrata, quò majore amoris ac beneficentiæ Divinæ calore recreata, tantò magis in flagitiis ſuis obdureſcit. Rubenus hanc ingratitudinis notam pectori ſuo inuſtam habuit, quando regni & ſacerdotii primogeniturâ à Deo honoratus, in tanti beneficii vicem, Deum ac patrem ſuum graviſſimâ inceſtûs perpetrati offensâ laceſſivit. *Jerem. 5.7.* Unde verba illa, in ipſius laudem pronuntiata; *Prior in donis, major in imperio*, à Ruffino ita traducuntur, *Durus in converſatione, & durus temerarius contumeliam irrogâſti*, Et à contextu Græco; *Durus ad ferendum, & durus pervicax feciſti contumeliam.* Idipſum Deus Iſraëlis populo his omninò verbis exprobravit; *Saturavi eos, & machati ſunt.* *S. Hieron. in hunc loc.* In hunc locum S. Hieronymus; *Audiant hoc*, inquit, *qui acceptis à Domino divitiis incubantes, luxuriæ deſerviunt.*

254. Indies cernimus, ſalem violento igni reſiſtere, ac integrum ex illo proſilire; qui tamen ipſe, in aquas projectus liqueſcit ac conſumitur. *Libidine victus.* Cui proinde ſubſcribes; LIQUESCIT IN UNDIS. Quot, obſecro, violentis tyrannorum flammis generoſiſſimè ſunt obluctati, qui tandem intra ſpumantes Veneris undas jacturam fecêre miſerrimam! *S. Cypr. l. de ſing. Cleric.* *Quanti & quales* (S. Cypriani lamenta ſunt) *poſt confeſſionum calcata certamina, poſt magna & mirabilia undequaq; monſtrata, noſcuntur cum his omnibus naufragâſſe? Quantos leones domuit una muliebris infirmitas delicata! &c.* *Amicus falſus.* Porrò hâc ſalis icone fucatos amicos experiri licet, qui, adverſitatum oceano altius inundante, à priſtinis ſuis obſequiis deficiunt & ex oculis ſe ſubducunt. *Aloyſ. Novarin. Tom 1. Adag. n. 942.* Opportunè Aloyſius Novarinus, *Sal in aquam conjectum, liqueſcit, & perit; & amicitia ſæpè adverſitatū fluctibus, quibus amicus jactatur, abſumitur.*

255. Inter primas ſalis virtutes numeratur, quòd carnes à putredine conſervet. *S. Iſid. l. 16. c. 2.* S. Iſidori de illo verba ſunt; *Corpora defuncta à putreſcendi labe vindicat, ut durent.* *Prælatus.* Unde lemma; A PUTREDINE SERVAT. Haud aliter bonus Prælatus, ſancto zelo, & diſcretâ agendi acrimoniâ imbutus, ſubditos ſuos ab omni virtutum interitu, & impuritatis aut ſcandali fœtore præſervat. Optimè dixit S. Hilarius, *Apoſtoli, uti & cæteri homines Apoſtolici, ſunt immortalitatis & incorruptionis ſatores: hanc enim conferunt iis, quibus eorum ſermo aſperſus eſt.* *S. Hilar. Can 4 in Matth. 5. 13.*

256. Tametſi carnes ſalis virtute à putredine præſerventur, corruptæ tamen ac putrefactæ, nihil ab eo juvari aut reſtitui poſſunt. Atque adeò PUTRIDA NON REPARAT. *Diligentia humana.* Sancta documenta id ſolùm auxilii afferunt, quod hominum animas à vitiorum putredine ſervent; ad eaſdem in flagitiis corruptas ac putrefactas, Apoſtolica induſtria juvare nequit, ſolaque omnipotentia Divina ad arduum hoc negotium conficiendum requiritur. *S. Chryſoſt. Hom. 15. in Matth.* S. Chryſoſtomus, in illa D. Matthæi verba commentatus, *Vos eſtis ſal terræ*, ait; *Quid igitur? ipſi ne putrefacta medicati ſunt? nequaquam: neque enim fieri poteſt, ut ea, quæ jam corrupta ſunt, ſalis perfricatione reparentur: liberare quippe à putredine peccatorū, Chriſti virtutis eſt.*

257. Sal, ut carnibus & cibis condiendis deſerviat, duritiem ſuam exuere, & in humorem molliſſimum converti debet: cibos enim nonniſi liquefactus penetrare valet. *Prælatus connivendo prodeſt.* Quare meus D. Carducius ſalem hoc epigrammate loquentem ſiſtit; ELIQUOR UT PROSIM. Bonus Prælatus ideæ loco ſalem ſibi ob oculos ſtatuat, ut omni elatione ac ſuperbiâ, veluti individuâ dignitatum comite, procul abjectâ, *1. Cor. 9. 12.* charitatem induere, ac ſubditorum infirmitati conſulere diſcat; poſſitque de ſe ipſo cum Apoſtolo affirmare; *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* *S. Auguſt. Ep. 19. c. 3.* Id eſt, interprete Magno Auguſtino, *Omnibus omnia factus ſum, non omnia mala hominum fallaciter agendo, ſed aliorum omnium malis omnibus, tanquam ſi ſua eſſent, miſericordis medicinæ diligentiam procurando.*

258. Salis virtute res, naturâ ſuâ fluidæ & molles, condenſantur & exſiccantur. Cui proinde D. Carducius hanc epigraphen ſubdidit: CONTRAHIT, ſeu DENSAT, ET EXICCAT. *Prælatus refrænat à vitiis.* Omne Patris ſpiritualis, Prælati, aut Prædicatoris munus in eo verſetur, neceſſe eſt, ut ſubditos, ingenio ſuo labiles, & ad obvia quævis peccata fluidos, in virtute confirment. Animo optimo, vereque Apoſtolico S. Petrus; *Chariſſimi*, inquit, *obſecro vos, abſtinete vos à carnalibus deſideriis.* *1. Pet. 2. 11.* Enimverò *Apoſtoli*, aſſerente Magno Auguſtino, *deſtructo regno peccati germen vitiorum compeſcebant.* *S. Aug. in hunc loc.*

259. Ignis natura in ſale deprehenditur: nam, quod Plinius obſervat, ſal inſtar ignis calefacit, incendit, & adurit; ſimulque virtute prorſus igneâ conſumit & exſiccat. Ut adeò opportunè inſcripſeris. URIT, ET EXICCAT. *Libido.* En! vivam libidinis ideam! hæc enim humanis viſceribus calorem venenatum inſpirat, exiccat, & malè cautos in extremum vitæ diſcrimen conjicit. *S. Aug. in Pſ. 57.* Dilucidè Magnus Auguſtinus; *Concupiſcentia mala quaſi ardor eſt ignis. Ignis conſumit veſtem, libido adulterii conſumit animam.* Unde de fœminâ laſcivâ canit Poëta;

---- Hæc quamvis validum, ſine torre, maritum
Urit & exſiccat, citiuſq; ſeneſcere cogit.

260. Duo elementa, implicabilem antipathiam inter ſe fovere ſolita, miro fœdere in ſale reperiuntur conjuncta. Sal enim ſimul totus eſt ignis, & totus aqua. Teſtem ſe jungens S. Hilarius, ait; *Sal eſt in ſe uno continens aquæ & ignis elementum.* *S. Hilar. Cant. 4. in Matth.* Unde epigraphe; AQUAM NECTIT, ET IGNEM. Siquidem in igne fervorem juſti zeli, & in aqua moderatum clementiæ refrigerium exprimere liceat, certè bonus Prælatus in ſacris Litteris admodū congruè

congruè cum sale comparatur; *Vos estis sal terræ*. In illo enim ardor non destruens, & misericordia non corrumpens, temperamento justissimo, conveniant, necesse est. In hanc rem explicatissima S. Gregorii verba ita habeto. *Sit itaque in corde boni Prælati, amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderatè sæviens: sit pietas, sed non plus, quàm expediat, parcens; ut, dum se in arce regiminis justitia & clementia permisceant, is, qui præest, corda subditorum & terrendo demulceat, & tamen terroris reverentiam demulcendo constringat.*

Matth. 5. 13. Clementia cum rigore. *S. Greg. Pap. 2. p. Pastor. cap. 11.*

261. Dapes, naturâ suâ insipidæ, & palato insuaves, salis beneficio ita feliciter condiuntur, ut prorsus nobis accidant amœnæ, dulces, & pretiosæ. Unde epigraphen adjeci; REDDIT SAPIDAS ESCAS. vel; SAPIDAS PRÆPARAT ESCAS. Prudentia & discretio salis munere defunguntur, quippe à quibus omnia nostra verba & operationes gratiam ac condimentum recipiunt; Abulensis. *Sicut sal omnibus cibis saporem dat, ita & prudentia omnes actus nostros modificat, ac sapidos reddit. Unde sapientiam vulgariter sal appellare solemus: & Apostolus dixit*; Omnis sermo vester sale conditus sit. *Coloss. 4. 6. Id est, omnia verba vestra cum discretione proferantur. &c.*

Prudentia. *Abulensis in Matth 5. 13.*

262. Salem manu admodum cautâ ac prudente cibis aspergi oportet; nam moderatè applicatus, eos condit ac perficit; superfluus verò ingratos & insipidos reddit. Unde D. Carducius salis voce subscripsit; OBSUM, NI TEMPERET USUS. Ita sanè boni Prælati zelus ad dimensum in subditos dispensari debet; nam plus æquo affusus, humanam mentem exasperat, & effectus pessimos sortitur. Verissimè Claræ vallensis Abbas; *Habeat charitas zelum, sed adhibeat pro tempore modum severitas; Censura quidem nunquam remissa, intermissa tamen plerumq; plus proficit. &c.*

Zelus moderatus. *S. Bernard. Epist 24. ad Hugonem.*

263. Sicut sal humano victui CONDIMENTO, NON CIBO est; ita acroamata, sales, facetiæ, paparalogysmi, lemmata, cæteræque argutiæ in colloquiis familiaribus non temerè aut intempestivè, sed admodum sobriè ac prudenter inspergi debent; quippe quæ auditorum animis recreandis tantùm, non verò pascendis deserviunt. Opportunissimum D. Pauli consilium est; *Sermo vester semper in gratia sit sale conditus*: Id est, interprete P. Aloysio Navarino, *Sal optimum ciborum condimentum est, si moderatè adhibeatur; si nimis, cibos perdit: idem in sermone fiat, aspergatur sermo sapientia, non obruatur.*

Consilium

264. Modicum salis, in ollam ebullientem sparsum, mox illam, subsidentibus paulatim spumis, defervescere facit. Unde meus D. Alexander Luzon de Millares Emblematis loco manum pinxit, quæ ebullienti aheno salem aspergens, epigraphen legendam offert; QUAM CITO SUBSIDIT? Ita affectibus tuis, ceu aquis ebullientibus, facilè terminum, modumqoe constitues, si illos longioris morulæ, aut maturi consilii sale asperseris: ut enim nihil unquam injustum aut perniciosum decernas, in omnibus rationem ducem sequaris, & tempus in consilium advoces, necesse est. Opportunè monet Horatius;

Horat l. 1. Ep. 2 ad Loll.

Ira furor brevis est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat.

Optimo proin' consilio Augusto Cæsari suadet Athenodorus, ne quid iratus decerneret prius, quàm viginti quatuor alphabeti Græci litteras ex ordine recensuisset. Ex proposito congruè ad propositum nostrum quærit Seneca; *Quare id fulmen, quod solus Iupiter mittit, placabile est, perniciosum id, de quo deliberavit, & quod aliis quoque Diis auctoribus misit? respondit. Quia Iovem, id est, Regem prodesse etiam solum oportet; nocere, nonnisi cum pluribus visum est. Discant hoc ii, quicunque magnam potentiam inter homines adepti sunt, sine consilio nec fulmen quidem mitti. Advocent, considerent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponant, ubi aliquid percuti debet, nec Iovi quidem suum satis esse consilium.*

Senec. l. 2. Nat. quæst. cap. 43.

SAPPHIRUS.

Cap. XXVIII.

265. Sapphirus, cærulo & aureis punctis collucens, cœlum stellatum imitatur. Unde gemma hæc apud gentiles summo habebatur pretio; & quia illam Diis gratissimam credebant, sacrificia ac dona sua non aliis, quàm sapphirinis vasis offerre sunt soliti. Veteres quoque Philosophi docuerunt, sapphirum Regibus & Pontificibus plurimum convenire. Has tamen prærogativas longè superat, quòd eadem gemma, è communi omnium sententia, *homines ad pietatem, constantiam, ac pacem, & effrenatarum appetitionum cohibitionem inclinet*; uti disertis his verbis testatur P. Ludovicus Alcazar. Cui proinde Lucarinus hanc epigraphen pro meritis subjunxit; PIUM REDDIT. Inde disces, jugem cœli & æterni præmii memoriam tantùm in pectore humano posse, ut eidem vivos pietatis ac devotionis sensus ingeneret. Juvenis Symphorianus, ne inter carnificum rabiem ac supplicia gravissima languesceret, hâc suæ clarissimæ Matris cohortatione, ceu antidoto præsentissimo, erectus est; *Nate, Nate, memento æternæ vitæ, cœlum suspice, & ibi regnantem intuere.* Atque adeò è solo illo aspectu maximas vires, & victoriæ certissimæ triumphum filiolo afflicto pollicebatur. Hortante Magno Augustino, *Totum nunc desiderium nostrum non sit, nisi in cœlum.* Torquatus Tassus Sophroniam; generosissimam fœminam, introducit, quæ miserum Olyndum ad extremas calamitates perferendas extimulans, cœlestem mercedem ante ejus oculos posuit, è cujus aspectu devota suspiria, sanas voces; & mortē generosā cōciperet.

Lud. Alcaz in Apocal. c. 21. vers. 2 notat. 9. Præmium cœleste. *Brev. Rom. 22. Aug.* *S. Aug. serm. 49. de Temp. c. 10.* *Tass Geru. Liber Gan 2. stanz. 36.*

--------- Che non rammenti
Qual Dio prometta à i buoni ampia mercede?
Soffri in suo nome, e fian dolci i tormenti,
E lieto aspira a la superna sede,
Mira il ciel com' e bello, e mira il sole,
Ch' à se par che n' inviti, e ne console.

266. Tametsi Physici circa sapphiri colores nonnihil diversi sint, in cærulco tamen, quo cœlum serenum imitatur, omnes concordant. Plinius de illo scribit; *Cærulea & sapphiri.* S. Isidorus; *Sapphirus cæruleus est cum purpura.* Et Mardobæus;

Plin. l. 37. c. 9. *S. Isid. l. 16 Ethym c. 9* *Mardob. c. 5 Dactylothe.*

Sapphiri SPECIES digitis dignissima Regum
Egregium fulgens, puroque SIMILLIMA COELO.

Hinc Emblematis construendi occasionem mutuans, epigraphen subjunxi; SPECIE SIMILLIMA COELO. vel ut Carducio placet, COELESTI FULGURAT ORE. Ita Dei servus, à negotiis terrenis penitus alienus, affectus suos cœlo conformes ducit. Hugo Victorinus; *Sapphirus, qui talem habet colorem, qualem habet cœlum cùm est serenum, significat illos, qui in terra adhuc positi, intendunt cælestibus, & cuncta terrena despiciunt. &c.*

Contemplativus. *Hug. Vict. l. de Best. & cap. 58.*

267. Cæruleus Sapphiri color adeò vivax est, ut eundem etiam in res vicinas transfundat. Unde lemma; QUÆ TANGIT, COERULA REDDIT. Haud aliter Justus, cœlesti virtutum splendore insignis, eundē optimā voluntate cum proximis suis cōmunicat,

Justus proximis suis utilis

suis communicat, & ad cœlestis gloriæ felicitatem perducere conatur. Philo Carpatius; *Ut Saphyrus, quæcunque proxima attigerit, similia sibi reddit ac trahit; sic & Beatorum chori, mutuâ charitate sibi invicem adhærentes, semet & alios sanctâ disciplinâ atque instructione ad cœlorum regnum perducere nituntur.*

Phil. Carp. in cap. 5. Cantic.

268. Variis quidem dotibus saphirus est locuples; inter cæteras tamen, Abulensi teste, cor confortat, timorem reprimit, ac veneni vires debilitat. *Confortat cor, valet contra timorem, contra venenum.* Unde Emblema; FERT GAUDIA CORDI. Et verò si cæruleus Sapphiri color cœlestis felicitatis adipiscendæ spem significet, admodum opportunè meus Richardus Victorinus in hæc verba concludit; *Sapphirus, qui cœlo sereno similis est, cœlestium bonorum signat spem.* Itaque bonus Christianus diversis ærumnis, imminentium calamitatum terrore aut præsentissimi veneni amaritie infestatus, oculos ac mentem in cœlestem hunc sapphirum defigat, minimè dubius, paulò post vires cumulatissimas sibi affuturas. Id probè perspectum habuit Machabæa Parens, quando filiolum suum unicum inter lethales cruciatus his omninò vocibus erexit; *Peto nate, ut aspicias cœlum, ita fiet, ut non timeas carnificem istum.*

Abulens. in 28. Exod.

Rich. Vict. in Apocal. 21.

Cœli contemplatio confortat.

2. Mach. 7. 28

269. Quædam Sapphiri species, tametsi cœrulo suo cœlesti gaudeat, plurimis tamen maculis obscurioribus, ac penè in nigredinem deficientibus, distinguitur. De illo S. Ambrosius; *Sapphirus cœrulei coloris est, sicut hyacinthus, sed guttas habet intermixtas ejusdem coloris, sed nigrioris.* Unde inscriptionem subjunxi; FRA L' AZZURRO DEL CIEL LE MACCHIE HA' SPARSE. Id est; SUB COELI SPECIE NÆVOS. Religiosis illis hæc imago intendit digitum, qui ad vitam contemplativam applicati, à curis mundanis, contentionibus, mercaturis, aliisque sæcularium negotiis, ceu totidem maculis à spiritûs sui serenitate miserrimè sese distrahi patiuntur. Eodem omninò sensu Emblematis hujus mentem interpretatus S. Ambrosius, ait; *Videntur mihi per hunc lapidem quidam viri designari, cœlestia quidem desiderantes, sed in sæculi actibus adhuc occupati, ex qua occupatione quasdam maculas contrahere videntur. &c.* Carducius Eodem Emblemate adversùs Religiosos, in aulis nimiùm quantùm occupatos, utitur;

Ambr. cap. in Apoc.

Religiosus sæcularibus.

Ambr. in hoc loc.

Fuscatur maculis sapphyri cœrula forma:
Religio ex aulis sic maculata redit.

SARDIVS.

Cap. XXIX.

270. S. Isidorus Abulensis, Bartholomæus Anglicus, Cornelius à Lapide, cæterique omnes, in Sardio colorem purpureum & igneum deprehendunt. Arias Montanus censet, Sardii nomen ideò sanguinis vocabulo affine esse, quod sanguine tinctus videatur, nec à Rubino differat. Andreas Cæsariensis ait; *Sardium fulgido, pellucidoque colore ignem æmulari.* Unde hoc lemmate Sardium insignivi; IGNITA LUCE CORUSCAT. Sancti Martyres hanc ideam sibi propriam vendicant, qui sanguinis sui ostro perfusi, immensum ac clarissimum lumen sparserunt. E Richardi Victorini sententia, *Sardius, qui rubet, passionem exprimit*; cui etiam Beda, Hugo Cardinalis, & Hugo Victorinus suffragantur. Aretas in sardio genuinam S. Philippi Apostoli effigiem deprehendens, ait; *Sardius fulvo colore prosiliens, Philippum propter ignitum erga Christum affectum demonstrat.* Didacus Castilius Rubeni nomen opportunissimè Sardio incisum dicit; sicuti enim gemma ista rubea, ignea, & penitus diaphona apparet, ita illius incestum ac libidinis flammas mundo non sine maximo rubore fuisse manifestatas. *Æquum erat*, inquit, *ut illius nomen scriberetur in gemma, quæ nimis esset translucida. Ea enim est peccati natura, & proprietas, ut apud omnes se manifestum faciat.*

Isid. Cæsa. ensis in Apocal. c. 66. Martyres. Rich. Vict. in c. 21. Apocal. Hug. Card. in eund. loc. Hug. Vict. l. 3.

de Best. c. 18. S. Philippus. Areta in c. 67. Apocal. Rubenus. Didac. Castil. de ornatu Aaronis. V. 17. n. 31.

271. Inter cæteras Sardii virtutes, à Dioscoride enumeratas, Abulensis etiam hanc recenset, quòd in humano pectore lætitiam excitare, ac *gaudium accendere* soleat. Proinde illum hoc lemmate exornavi; FERT GAUDIA CORDI. Conscientia humana hoc sardii symbolo significatur; utpote quæ charitatis igne erga Deum & proximos inflammata, omnem impuritatem detestatur, & munditiam, ceu unicum lætitiæ fontem, colit. Meus Concanonicus D. Matthæus Bossus, de veris animi gaudiis disputans, *Primum gaudium*, inquit, *emanat de puritate, ac splendore conscientiæ, quæ præsertim nihil fœdum, nihil suspectum, nihil formidolosum intus habet. Hanc si quis possidet, suo testimonio semper est lætus.* Reliqua, prolixè in hanc rem ab ipso allata, digna omninò sunt, quæ lector benevolus examinet.

Conscientia munda.

D. Matth. Boss. disp. 2. de veris animi gaudiis.

272. Eadem gemma omnem ex animo nostro formidinem excutere, ac *timorem depellere* solet. Ut adeò opportunè inscripserim; VILES EXPELLO TIMORES. Siquidem in flammeo & rubente sardio genuina charitatis effigies reluceat, haud incongruè dixeris, ab illâ, intra animum nostrum receptâ, omnem timoris umbram proscribi. Enimverò Apostolo asserente. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* In hunc locum Beda; *Præsentium adversitatum timorem perfecta charitas ejicit ex animo: quam habebat, qui dixit. Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas &c.*

Abulensis loc. cit.

Charitas.

1. Ioan 4. 18. Beda in hunc loc.

273. Dioscorides, superiore numero adductus, docet, gemmam illam *acuere mentem* & ingenium. Unde illam hoc epigrammate distingues; MENTI NOVUM ACUMEN. Vel ut Carducio placet; PERFICIT INGENIUM. Quia verò Sardius colore sanguineo & flammeo constat, idcircò illum calamitatis, infirmitatis, cæterorumque suppliciorum typum interpretari licet, quæ humanum intellectum, hactenus in virtutis ac Dei cognitione caliginosum, acuunt, ac perspicacem efficiunt. Paulus in rebus Divinis penitus excæcatus, Christianorum hostis acerrimus audiit; at postea Providentia Divina, *ut ad meliora accederet, eum*, asserente Venantio, *per cæcitatis amaritudinem castigavit, & corporale lumen obduxit, ut ei spirituales oculos aperiret.* Pharao, affluente prosperitate, in sacrilegas has voces erupit, *Nescio Dominum.* At horrendo ranarum flagello nonnihil percussus, oculos aperuit, statimque Moysen & Aaronem ad se vocatos, humillimis his precibus convenit: *Orate Dominum, ut auferat ranas à me.* Ad hoc propositum Origenes; *Ecce*, inquit, *Pharao durissimus, tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicari pro se Dominum rogat.* Verissimè adeò dixit S. Gregorius Nazianzenus; *Ingenium acuit dolor.*

Diosc. l. c.

Calamitas acuit mentem.

Venant. Hom. de Orat. Dom.

Exod. 5. 2.

Exod. 8. 8. Orig. Hom. 3. in Exod.

274. Sardius vicino pectori humano suas flammas veluti mutuas concedit, & in illo ardentes ac generosos spiritus excitat; atque adeò, è Dioscoridis sententiâ, *audaciam nutrire* solet. Epigraphen

Diosc. l. c.

 subjunxi;

subjunxi; INGENTES EXCITAT AUSUS.

Amor facit audacē. Ioan. 13. 13. S. Tho. Vill. Amor præ cæteris Apostolis omnibus cumprimis in Petri & Joannis cordibus triumphâsse videtur; quippe in quibus operationes maximè animosas & ardentissimas deprehendimus. Petrus quidem, ut Divino Magistro suo citius propinquaret, viæ compendium fecit, & ardore penitus prodigioso supra aquas incessit; ignem imitatus, qui ad alta enititur, mergique nescit. Joannes verò, sacratissimo Christi pectore cervicalis loco usus, caput suum liberrimè super illud reclinavit. Ad hoc reflectens S. Thomas Villanovanus, exclamat; *O miram audaciam! Non audet Baptista sacrum Domini verticem contingere: Magdalena cum timore & tremore pedes tangit: Thomas, nisi jussus, manum non mittit ad latus: Ioannes dilectus, non jussus, non petitâ veniâ, confidenter recumbit super pectus Domini? Amor fecit hoc, est enim supra modum audax dilectio.*

Anast. Nyss. qu. 38. 275. Anastasius Nyssenus, S. Joannis Chrysostomi doctrinâ nixus, refert, Sardio virtutem esse tumoris curandi, & infirmi corporis restituendi. *Lapis sardius*, inquit, *vim habet medendi; eo utuntur Medici ad tumores pellendos.* Idipsum affirmans Andreas Cæsariensis, de Sardio ait; *Vim tumores & vulnera, per ferrum inflicta, sanandi sortitur.* Sanguineæ ac ignitæ calamitatis hoc encomium est, quòd animam, inter mundi prosperitates elatam, ac superbam, vanissimo suo tumore liberet. In hanc rem mirificè S. Gregorius Papa; *Istæ*, nimirum res prosperæ, *sæpè per tumorem cor inquinant; & illæ*, nimirum res adversæ, *per dolorem purgant. In istis se animus erigit; in illis autem, etiam quando se erexerat, sternit &c.*

And. Cæsar. in c. 65. Apoc. Calamitas superbiam reprimit. S. Greg. Pastoral. c. 3. parte 1.

Deus res grandes levibus instrumentis reprimit. 1. Cor. 1. 27. Porrò eandem iconem accommodatè de Deo interpretari licet, qui ad enormes scelerum tumores reprimendos unico nonnunquam lapillo utitur, omnemque superborum fastum & arrogantiam levissimis instrumentis edomat. Dilucidè S. Paulus; *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.* Ita Pharaonis superbiam muscis & ranis depressit; unius asinæ voce Balaami licentiam coërcuit. Unius fundæ lapillo turrim illam carneam, temerarium Goliathum prostravit. Unico lapillo revoluto superbam Nabuchodonosoris statuam dejecit. Excalceatis pauperum piscatorum pedibus omnem mundi potentiam triumphavit. &c. Cæterùm lemmatis loco Sardium in hæc verba loquentem sistes; LETHALES TOLLO TUMORES. S. P. Augustinus; *Tribulationes temporales prosunt vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam exercendamq; patientiam.*

S. Aug. Ep. 121. c. 14.

276. E gemino præcedente numero 272. & 275. constat, Sardium tam timoribus arcendis, quàm tumoribus deprimendis prodesse: proinde utramque illam virtutem uno complexus lemmate, Sardio inscripsi; SGONBRA I TIMORI, ET I TUMORI ABBASSA. Id est; TIMORES PELLIT, DEPRIMITQUE TUMORES. Eadem omninò amoris effecta sunt; qui, si in flammas erumpere cœperit, nullas adversitates timet, omnemque majestatem, quantumvis magnam, pessumdat, & nonnunquam ingloriam celsissimæ dignitatis oblivionem ingenerat. Et quidem formidinem omnem ab amoris vehementia excuti, Torquatus Tassus testatur, ubi de Erminiâ, tenera & delicata Virgine, hoc poëma Italicum statuit;

Amor.

Torq. Tass. Liber. Cant. 6. stanz. 70.

Idem st. 87.

Dal molle seno
Sgombra Amor temerario ogni paura.

Et rursus;

Amor tiranno
Da cui spronati ancor s' arman souvente,
D' ardire i cervi imbelli, e guerra fanno.

Sancta Ecclesia Magdalenam, fœminam naturâ suâ timidam ac imbellem, his elogiis, in rem præsentem maximè opportunis, prosequitur.

Adstare non timet cruci,
Sepulchro inhæret anxia
Truces nec horret milites.
Pellit timorem charitas.

Porrò quod Magnatum quorumvis fastus ac dignitas solâ amoris virtute detumescat, Ovidius dilucidâ hac poësi tradit;

Non benè conveniunt, nec in unâ sede morantur
Majestas & amor.

Quin ipsummet Dei Verbum *propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, cùm in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* S. Bernardus in hunc locum attonitus exlamat, *Quis hoc fecit? Amor, dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Denique semetipsum exinanivit, ut scias, Amoris fuisse, quòd plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est.*

Ephes. 2. 4. & Philip. 2. S. Bernar. serm. 64. Cantic.

277. Sardius hanc laudem sibi peculiarem vendicat, quòd pinguedini, visco, cæterisque liquoris inungendi sordibus præ aliis gemmis validissimè resistat. Plinii hâc de re verba sunt; *Nec ulla translucentium* (gemmarum) *tardius suffuso humore hebetantur.* Unde illum hoc titulo signavi; TARDIUS HEBETATUR HUMORE. Nativam hanc Justi illius effigiem dixeris, qui inter flagitiosos conversatus, nullam omninò illuviem aut impuritatem contraxit. *Neque enim*, si D. Gregorio fidem habeas, *valdè laudabile est, bonum esse cum bonis; sed bonum esse cum malis. Sicut enim gravioris culpæ est, inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconii, bonum etiam inter malos exstitisse.* Hoc encomio Noëmum celebrat Sacra Pagina, quod fuerit, *Vir justus atque perfectus*, etiam quando *omnis caro corruperat viam suam.* Jobus, inter idololatras natus & educatus, extra veri Dei obsequia nec latum unguem recessit unquam. Josephus in aula Ægyptiaca fidelitatem ac prudentiam suam Pharaoni; at soli Deo fidem & pietatem illibatam conservavit. &c.

Plin. l. 37. sub fin. Justus inter vitiosos. S. Greg. l. Moral. c. Gen. 6. 9. Iob. 22.

SARDONYX.

Cap. XXX.

278. Mira adeò gemmæ hujus est proprietas, ut nonnisi homines castos supra se quiescere ac somnum capere permittat. Unde Lucerinus eidem subscripsit; NON FERT IMPURI SOPOREM. Præ cæteris Apostolis omnibus solus Joannes in Christi sinu requievit; *Requievit in cœna super pectus ejus.* Causam addunt Sancti Patres, quia puritate prorsus singulari, ac præ cæteris candidissimâ, excelluit. Dilucidè S. Hieronymus; *Ioannes*, inquit, *unus ex discipulis, qui minimus traditur fuisse inter Apostolos, & quem fides Christi virginem repererat, Virgo permansit: & ideò plus amatur à Domino, & recumbit super pectus ejus.* Huic rei apertius confirmandæ Rupertus Abbas præsupponit, Joannem Evangelistam sponsum illum fuisse, qui sponsâ in nuptiis Chananæis relictâ, sese Verbi incarnati obsequiis virginem purissimam consecravit. Unde in illa verba commentatus, *Erat ergò recumbens unus ex*

Christ in cœn. Ioan. 21. S. Hier. l. cont. Iov. Rup. Ab. in Ioan. 13.

ex discipulis ejus in sinu ejus, quem diligebat IESVS, ait; *Quem ducentem jam uxorem de nuptiis vocaverat, rectè tantâ illum gratia remunerabat, ejusque animam suo tam familiariter amore oblectabat, cujus carnem à conjugio revocatam, virgineo decore recinxerat.* Et paulò post; *Verè ter beatus usque ad finem suum in sinu amantis Domini suavissimè recubuit; quia sicut corpus ejus ab omni pollutione incorruptum, sic eum ab omni quoque dolore servavit illæsum.* Tandem Cardinalis Toletus in eundem Scripturæ locum affirmat, quòd Servator *majoribus dilectionis signis erga eum utebatur, quoniam omnium ætate minimus, & maximæ puritatis & honestatis erat.* Cæterùm admodùm opportunè dixeris, quòd conscientia remordens, instar sardonychis, *non fert impuri soporem:* cor enim vitiorum sordibus contaminatum, assiduò fluctuat, & quietem inquietissimam capit. S. Ambrosius; *Offunditur nobis ultrix nostri IMAGO PECCATI, NEC QVIETVM REVM SIBI ESSE PERMITTIT. Dum oramus, peccatum offunditur, & IN SOMNO ipso PECCATVM RECVRRIT, semper nobis error noster, tanquam malus exactor, occurrit.*

[Margin: Tolet. in loc. ...c. — ...nscien- tia remorsus. — ...Ambr. in ...35.]

279. Sardonychis nomen duas pretiosas gemmas complectitur; quippe qui à Sardio ruborem, & ab onyche candorem habet mutuatum. De illo testatur Beda; *Hic ex onyche candorem, ex sardio ruborem trahens, ab utroque nomen sardonychis accepit.* Ut adeo benè inscriberis; BINUS ET UNUS. Genuinum hoc Verbi incarnati symbolum est; quippe quod in una persona geminas naturas, Divinam & humanam, nexu hypostatico ac prorsus admirando conjunctas habet. E S. Athanasii symbolo; *IESVS Christus, Dei filius, Deus & homo est.* Porrò eos hoc symbolo insignire licet, qui geminâ dignitate, regia & pontificiâ, resplendent: uti apud veteris Ægypti Monarchas fieri consuevit; *Penes enim Sacerdotes Ægyptiorum,* Pierio teste, *erat imperium.* Postremi Machabæorum Principes Summum Pontificatum regni purpura ac diademate condecoratum habuerunt. Et hoc nostro tempore in Romano Pontifice regiam veneramur majestatem.

[Margin: ...da in cap. ...Apocal. — ...rbum ...carnatum. — Athan. in ...mbolo. — ...ex & ...ontifex. — ...erius. l. 14. ...Imperii.]

280. Tres colores in sardonyche resplendent; primus quidem in imâ parte niger; alter in umbilico candidus; & tertius supremo loco purpureus. S. Isidori verba sunt; *Constat autem tribus coloribus; subterius nigro, medio candido, superius minio.* Unde gemmam illam hoc lemmate ornabis; TRINO SPECIOSA COLORE. Verbum incarnatum hanc ideam duplici ratione sibi vendicat; utpote in quo corpus, anima, & Divinitas; item innocentiæ candor, charitatis purpura, & passionis funestissimæ nigredo reperiuntur. Cæterùm è Venerabilis Bedæ sententia non abs re dicitur, quòd Sardonychi *comparantur homines, corporis passione rubicundi, spiritus puritate candidi, sed mentis sibimet humilitate despecti.*

[Margin: ...sid. l. 16. ...ym. c. 8. — ...erbum ...carnatum. — ...ustus patiens. — ...da in cap. Apocal.]

281. Sardonyx antiquis Romanis peculiari ratione ad sigilla efformanda inserviebat, cum gemma hæc ob suam duritiem nihil ab impressa cera ad se trahere soleat. S. Isidorus, suffragante Plinio, ait; *Hæc sola in signando nihil ceræ avellit.* Unde hanc Sardonychi epigraphen subjeci; NIL, DUM SIGNAT, AVELLIT. Æquos & fideles ministros hæc idea spectat, qui manus è munere aut officio sibi commendato penitus innocuas conservant, nec ad labores suos quidquam aliud, præter mercedem debitam, ac provinciæ benè administratæ gloriam, referunt. E Cornelii à Lapide sententiâ, Sardonyx, nihil unquam ceræ attrahere solitus, *Notavit illustres animos, qui, cum adhærescant corpori, nihil tamen ex eo terrenæ labis contrahunt.* Etsi enim juvant in carne, à carnis tamen vitiis præservantur immunes. Hortantem audi Magnum Ethicæ Christianæ Doctorem Augustinum; *In carne vivens, noli esse in carne; in spiritu esto, id est, in Deo spem pone. Nam si posueris spem in ipso spiritu, quo homo es, iterum spiritus tuus in carnem relabitur &c. Noli remanere in te, transcende & te, in illo te pone, qui fecit te.*

[Margin: Isid. l. c. in. l. 37. 6. — ...inister ...onus. ...nocens. — Corn. à Lap. c. 21. Apocal. — S. Aug. ser. 4 de Verb. Apost. c. 6.]

282. De S. Stephano Ecclesia Catholica publicis canit encomiis; *Dum igitur saxorum crepitantium turbine quateretur, Divina ei claritas fulsit.* Nam lapidum grandine impetitus, *vidit cœlos apertos.* Unde Protomartyrem hunc, cui *lapides torrentis dulces* fuêre, Sardonychis Emblemate significabis; addito epigrammate, FRA I SASSOSI TORRENTI ILLUSTRE APPARUE. Id est; INTER TORRENTIS SAXA REFULSIT. Enimverò de Sardonyche testatur Plinius; *Constat torrentibus detegi.* Et S. Isidorus; *Reperitur autem apud Indos & Arabes, detecta torrentibus.* Ita nimirum inter tribulationum saxa, & inundantes adversitatum procellas magis inclarescimus. Magno Augustino teste, *Nullus hominum est tantâ justitiâ præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem.*

[Margin: S. Stephanus. — Plin. l. 37. c. 6. S. Isid. l. c. — Tribulatio illustrat. — S. Aug. l. 22. cont. Faust. c. 20.]

SELENITES.

Cap. XXXI.

283. HÆc gemma lunæ imaginem repræsentat, &, ad planetæ hujus diversos vultus exactè composita, indies immutatur. Plinius id observans, ait, *Selenites imaginem lunæ continens, reddit eam in dies singulos crescentis, minuentisque numero.* Ut adeò Lucarinus eruditè inscripserit; CIRCUMMOVEOR TECUM. Vel ut alii; DAL TUO VOLTO DIPENDO. Hâc ideâ voluntatem & effectum, ab alterius nutu suspensum, significabis. Et certè sicuti Selenites astro, ita nos astrorum Creatori, DEO, conformes simus, oportet. Sanissimum S. Gregorii Nazianzeni consilium est;

Deo obsecunda, cui præire non licet.

Proprio suo exemplo id docuit Epictetus Philosophus, quando ad Deum conversus exclamavit; *Quocunque me voles, ducito; constitui & conformavi voluntatem meam Divinæ. Vult me febricitare? & ego volo. Aliquid aggredi? volo. Potiri? volo. Non potiri? nolo. Mori? volo &c.* P. Hermannus Hugo, ut animam justam, affectuum teneritudine ac obsequiis semper versùs Deum compositam, genuinis coloribus depingeret, eam heliotropio, in Solem defixo; vel Lunæ, quæ argenteum suum decorem pro diverso Solis aspectu immutare consuevit; vel navi, omnem fortunam suam à cynosura trahere solitæ, assimilavit; Poësin ipsius ita accipe.

Sponse, ego sum Clytia, tu sol, ego Cynthia, Phebum
Quolibet obverso persequor ore meum.
Et mihi sponse Helyce, Cynosuraque duplicis Arcti,
Quò trahis, huc oculis ad tua signa volo.

[Margin: Plin. l. 37. c. 10. — Dependentia. Conformitas. — S. Greg. Naz. l. 1. Sentent. — Epictetus. — Justus. — Herm. Hug. l. 3. Susp. 14.]

SILEX. CHALYBS.

Cap. XXXII.

284. SIlex, chalybi vicinus, epigraphen sustinet; CLARESCIT AB ICTU. Vel, DURITIE

Calamitas illustrat. TIE FLAMMESCIT. Illius hæc idea est, qui virtutis ac meriti sui splendorem inter hostium assultus spargit. Olympiodorus; *De multis hæc una est causa, cur malis justi dilanientur, ut quæ eorum virtus latebat, magis illuminata foris emineat, atque appareat.*

Olympiod. argum. in Iob.

Virtus inter persecutiones.

285. Lemma, silici inditum; EMICAT ICTU. Vel, PERCUSSA MICABO. Vel, DABIT PERCUSSA NITOREM; Eos concernit, qui calamitatibus miserè jactati, virtutis & beneficentiæ lumen clarissimum diffundunt. S. Paulus, luculentus sibimet testis, *Maledicimur*, inquit, *& benedicimus: blasphemamur, & obsecramus.* S. Stephanus, lethalibus saxis acerrimè impetitus, pretiosas undique charitatis flammas spargere, ac pro ipsis etiam hostibus Deum precari non destitit. *Lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine IESV, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magnâ, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* S. Laurentius, virgis ferreis horrendùm cæsus, copiosas adeò sanctimoniæ ac innocentiæ flammas passim distribuit, ut universo orbi illustrando suffecerint. S. Ambrosius opportunè in rem præsentem, *Granum sinapis*, inquit, *cùm teritur, accenditur. Laurentius, cùm patitur, inflammatur; illud fervorem attritionis suæ evomit, hic ignem plurima vexatione suspirat.*

1. Cor. 4. 12. — S. Stephanus. — *Act. 7. 58.* — S. Laurentius. — *S. Ambr ser. 1. de grano Synapis.*

286. Chalybs, silici allisus, epigraphen reddit; SUSCITAT IGNES. Vel, TRASSE ARDOR DA LE PIETRE. Id est; E PETRIS EXCUTIT IGNEM. Prædicatoris lingua id muneris habet, ut amoris Divini flammas à cordibus obstinatis eliciat. Ita quoque vindicantis justitiæ supplicia è contumacibus & obduratis sceleratorum animis claras sanioris vitæ favillas provocant. Hoc sensu S. Gregorius Nazianzenus;

Prædicator efficax. — Justitia vindicativa. — *S. Greg Naz. loc. cit.*

Percussus ignem concipit ferro silex:
Durum eruditur pectus acri verbere.

287. Chalybs, è percusso silice absconditum ignē provocans, opportunam hanc gnomam præfert; ABSTRUSUM EXCUTIT. Ad verbum Virgilius;

Virgil. l. 1. Georg. v. 135.

E silicis venis abstrusum excuderet ignem.

Dalila. Hoc Emblemate importunas illas Dalilæ preces significare licet, quibus è saxeo Samsonis pectore reconditissimam ænigmatis interpretandi lucem eblandita est. Porrò mens humana, in flagitiis instar silicis obdurata, ignem amoris & charitatis Divinæ elicit, si calamitatibus probè concutiatur. Expertus id Magnus Augustinus, ait; *Percussisti cor meum verbo tuo, & amavi te.*

Tribulatio. — *S Aug. l. 10. Confess. c. 6.*

288. Peccatoris cor, instar silicis, nullas unquam charitatis flammas versùs Deum aut proximum elicere solet, nisi crebro calamitatum impulsu feriatur. Ut adeò hanc sibi gnomam jure vendicet; NON SINE ICTU. Isaiam, testem opportunissimū audi; *Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti: nunquid glorificatus es? Elongasti omnes terminos terræ. Domine in angustia requisierunt te.* S. P. Augustinus; *Flagellum custodit virtutem, protegit infirmantem, excitat torpentem &c.* Cæterùm hæc imago illos etiam homines spectat, qui nonnisi afflicti aut irritati, suas impatientiæ flammas produnt.

Peccator. — *Isaiæ 26. 15.* — *S. Aug. in Ps.* — Impatientia.

289. Silex, tametsi glebâ, ligno, plumbo, stanno, aliisque diversissimis rebus tentatus ac percussus, solius tamen chalybis allisu flammas evomit. Eò quidam è serenissimis Urbinatum Ducibus reflectens, silici inscripsit; NON QUOVIS TERRITUR. Veluti diceret, pectus suum, diversis assultibus tentatum, vix unquam ad amoris flammas concitari, nec nisi paucissimis sensus suos esse pervios. Senecæ consilio, *Talem diligentiam exhibe in amicis comparandis, ne incipias amare, quæ deinceps possis odisse.*

Constantia. — *Senec in Prov. Philos.*

290. Chalybs nonnisi è silice, iteratis vicibus percusso, scintillas elicit. Unde lemma; REPERCUSSA SCINTILLAT. Abbas Certanus hâc ideâ demonstrat, gratias, tam Divinas quàm humanas, nonnisi post iteratas & solicitas preces obtineri. S. Gregorius Papa; *Si primò non exaudiris, ab oratione non deficias: imò precibus & clamoribus insistas; vult Deus rogari, vult cogi, vult quodammodo importunitate vinci.*

Perseverantia. — *S. Greg in Ps 6 Pœ. v. 2.*

291. Silex, levissimo chalybis allisu tentatus, in flammas erumpit. Cui proinde P. Certanus subscripsit, FLAMMA PROSILIET. Ita, prô dolor! unico lascivo domesticæ fœminæ contactu miserum cor humanum ardores concipit obscœnissimos. Solicitè omninò hortatur S. Petrus Damianus; *Muliebris aspectus speciem declinemus, ne de conspectâ formâ flamma prosiliat.* Et S. Cyprianus; *Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare. Et impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere.* Et post multa tandem concludit; *Amputanda sunt omnia nobis, quæcunque igniferi fomitis sulphurantibus flammis scatens fornax exæstuantis carnis exæstuat, ne vel tenuis quædam scintilla servata majora conflet incendia.*

Occasio. — *S Pet Dam. Opusc 42 cap. 5.* — *S. Cypr. de singul. Cle.*

292. Silex, chalybi vicinus, epipraphen sustinet; VI EXCANDESCET. Homo cholericus, si offensum se sentiat, mox excandescit, & in justæ vindictæ flammas erumpit. S. Ambrosius; *Ne respondeas irato ad iracundiam suam, citò culpam excutit: si lapides teras, nonne ignis erumpit?* S. Gregorius Nazianzenus, æmulorum maledicentiâ irritatus & offensus, doctissimas apologias adversùs illos scripsit, simulque protestatus est, se, instar silicis, ad flammas illas spargendas solâ hostium violentiâ compulsum fuisse. *Quin etiam negant*, inquit, *se ante, ut pyriten ferro, sic me convitiis tundere desituros, quæ ex parva scintilla ingentem sermonum flammam excitarint.* Eâdem omninò ratione Hæretici, adversus Apostolicam D. Petri Cathedram temerariè collisi, in propriam perniciem fatales provocant flammas. De his non sine ingenio canit D. Gregorius Bolzi;

Vindicta. — *S. Ambr. l. 1. Offic.* — *S Greg Naz. Orat 3 in Iulianum.* — Hæretici. — *D Greg in Lara 18. Ianu.*

Prava Lutheriadum Diti cognata propago
Irrue, Petræum concute, cæde thronum.
Hic tuus efficiet quid tandem malleus? ignem
Quo meritus flagres, petra retusa dabit.

293. Arcanum revelatum silicis Emblemate significari potest, qui chalybe percussus, scintillas evomit. Cui proinde Academicus, inter Brixienses Occultus, hanc epigraphen subdidit; EXILIT, QUOD DELITUIT. De amoris sui vehementiâ canit Ovidius;

Secretum revelatum. — *Ovid. Epis.*

Quà licet, & possum, luctor celare furorem,
Sed tamen apparet dissimulatus amor.

Porrò non amor tantùm, sed & amicitia in adversis potissimum dignoscitur; ibi enim amor, qui hactenus delituit, palam elucescit. Cassiodorus; *Necessitas amicum probat, & intimæ charitatis ardorem splendor exhibitæ subventionis elucidat.*

Amicitia. — *Cassiod l. Epist.*

294. Ad flammas eliciendas nec solus silex, nec solus chalybs, sed ambo simul concurrant, necesse est; unde lemma, MUTUIS OFFICIIS. Ita è mutuâ fidelium voluntate Spiritus Sancti flamma enascitur. S. Joannes Chrysostomus; *Si lapis, sæpè ad lapidem concussus, scintillas exilire facit, tametsi nihil frigidius lapide, nihilque igne calidius, attamen concussione victa natura, ignem elicit. Quod verò in lapillis contingit, multò magis idem fit & in animalibus, quæ mutuò atteruntur, & igne spiritus concalescunt.*

Auxilium mutuum. — *S Chrysost. Hom. 6. advers Ano.*

295. Optimus Burgundionum Dux, Philippus, symboli

symboli loco chalybem prætulit, qui silici collisus, epigraphen tenet; ANTE FERIT, QUAM FLAMMA MICET. Innuebat videlicet, in hostibus superandis magnanimitatem sibi adeò promptam esse, ut jugulum prius, quàm minarum fulgura inferat. Ita quoque virtutis radii nonnisi post adversæ fortunæ plagas sparguntur; & animæ nostræ, providâ Dei manu percussæ, optimis propositis inclarescunt. Nam, teste Magno Augustino, *Tribulatio accidit servo Dei ad probationem vel commendationem.* Tandem illos etiam hâc icone significabis, qui factis potius, quàm verbis præstant, & ulciscendi celeritate omnem iracundiæ motum antevertunt.

Miles velox. Virtus. S. Aug. Tom. 4 ex Epist. a Rom. p. 54. Miles promptus.

296. Thesibus, publico loco propugnandis, silicem cum vicino chalybe præfiges; addito lemmate, ATTRITU IGNIS. Vel, COLLISIONE IGNIS. Enimverò perspicacia ingenia, mutuò collisa, vivaces animi sui favillas spargunt, & absconditas veritates in apertam lucem excitant. Seneca; *Omnibus natura fundamentum dedit, semenque virtutum: omnes ad omnia ista nati sumus: cùm irritator accessit, tunc illa animi bona velut sopita excitantur.* Et Achilles Bocchius;

Disputatio. Sen. Ep. 108. Achill. Bocc. lib. 50.

De silicis venis excussa ut semina flammæ
Excipit arenti fomite materia:
Inde suam accendunt pro se sibi quisque lucernam
Extemplò, cæcas discutiunt tenebras.
Sic disceptando studiosi in luminis oras
Verum ipsum è latebris excutiunt facilè.

Ita omninò qui Divinas scripturas assiduo studio versat, clarissimas pietatis ac sapientiæ flammas recipit. Dilucidè in rem nostram S. Gregorius; *Cui verba sacri eloquii, nisi lapidi similia dixerim, in quo ignis latet? qui manu quidem frigidus tenetur, sed percussus ferro, per scintillas micat, atque hoc emittit ignem, qui post ardeat, quod prius manus frigidum tenebat. Sic etenim, sic verba sunt sacri eloquii, quæ quidem per narrationem litteræ frigidæ tenentur, sed si quis hæc, aspirante Domino, intento intellectu pulsaverit, de mysticis ejus sensibus ignem producit, ut in ejus verbis post animus spiritualiter ardeat, quæ prius per litteram ipse quoque frigidus audiebat.*

Studium Scripturæ. Greg Papa hom. 22. in Ezech.

297. Unico chalybis adversus silicem contactu INCENDIA SURGENT. Ita unius malæ linguæ vitio gravissima dissidiorum incendia concitari, præter assiduam experientiam luculentè testatur S. Chrysostomus; *Sermo malus de levi occasione magnam succendit inimicitiam.* Eadem tamen etiam bonæ linguæ effecta sunt, quæ virtuosa persuadendi facultate clarissimas pietatis & charitatis flammulas in humano corde elicit. S. Gregorius Nazianzenus:

Detractor. Io Chrys. hom. 9. ... perf. Prædicator. Greg Naz. ... rm. de ... g.

---- Pietatis namque sepulta
In nobis scintilla latet, velut igneus ardor
Inclusus saxis. Ut porrò sæpè terendo
Ferrum de rigido solet ignem extendere saxo;
Haud aliter pietas latitans, sermone salutis
Attrita in medium prodit, clareq; refulget.

298. Silex, iteratis ictibus percussus, tandem in favillas erumpit. Unde lemma; ICTU NON UNO. Haud secus virtutis & gloriæ flamma ex humano pectore nonnisi multis cohortationibus ac geminatis consiliis elici solet. Justus Lipsius; *Ut ignis è silice NON UNO CONCUSSU elicitur; sic in frigido nostro pectore non primo admonitionum ictu accenditur latens, & languens in nobis vis illa honesti.* Porrò siquidem Servatori nostro in sacris Litteris Petræ nomen tribui solet, idcircò qui illum deprecari cupit, non illicò animum despondeat, aut omninò desistat, sed iteratis votis petram illam Divinam pulset, spe certissimâ fretus, tandem cumulatas pietatis, & clementiæ favillas esse responsuras. Guilelmus Abbas; *Pertinax oratio pertingit ad finem. Et si tibi initiis sicca, & velut saxea videatur, oleum tamen gratiarum elicies de hoc saxo durissimo; tantùm si perseveres, si te longior mora non dissolvat; si non dilatione tua vota lentescant.*

Perseverantia. Lips. l. 1. de Constant. c. 26. Oratio perseverans. Guil. Abbas serm. 8. in Cantica.

299. Astuti & duplicis animi homo, qui rancores, invidias, cæterosque immoderati cordis affectus tenaci silentio comprimit, silici non absimilem se probat; cui proinde subscribes; LATET IGNIS. Hoc hominum genus describens S. Isidorus, ait; *Dolosus est, à quo aliud agitur, & aliud simulatur. Callidus est, qui exitum virtutis dolo ac fraude imitatur.* Porrò etiam Modesti Amatoris hæc imago est, qui castis animi sui flammas abscondere novit. Tassus Olyndrum, Sophroniæ amore captum, hoc poëmate Italico describit;

Abscondere. S. Isid. in Synonimis. Amans modestus. Tass. Gerus. Liberat. Cant. 2. stanz. 16.

Ei che modesto è sì, com' essa è bella
Brama assai, poco spera, e nulla chiede:
Ne sà scoprir sì ò non ardisce: & ella
O lo sprezza, ò no'l vede, o non lo crede;
Così fin hora il misero ha servito,
O non visto, ò mal noto, ò mal gradito.

Et de se ipso Hieronymus Prete;

Hieron. Pret. Canzon. 1.

Ardo e taccio il mio mal, perch' io pavento
Che s' io scopro, ch' entro mi sface,
Foco di sdegno, e non d' amore accenda.
Io temo io temo, Amor, che non offenda
Più colei, che me stesso, il mio tormento,
Che di piacer à me forse lo spiace,
Ond' io sostegno in pace.
La guerra, che mi fenno i miei pensieri.
E s' io tento formar prieghi, o parole
Fede, e timor non vuole,
Ch' io procuri salute, ò ch' io la speri.
Moro senza scoprir qual son, qual fui:
E non fuggo il morir, mà l' ira altrui.

Et rursus;

Pur nel silentio i miei pensieri ascondo:
Vivo penando, e 'n lagrimar mi sfaccio:
E moro à le speranze, al duol rinasco.
Sol di pensieri, e di sospir mi pasco:
E serbando il mio duol chiuso, e profondo
Dentro son tutto foco, e fuori un ghiaccio.
Vorrei parlar, ma, taccio,
Perch' io non sò ben dir que ch' i vorrei &c.

300. Fuit, qui silici insciberet; IL FOCO HA' SECO ETERNO. Id est; IGNEM FOVET IN ÆVUM. Hominis damnati hæc imago est, qui semper & ubique comitem habebit infernalem flammam. Magno Augustino teste, *Impiis, & omnibus malis gehennæ ignes ardentis, & æternas flammas minatus est Deus. Compara hæc duo, mortem ad momentum, pœnas in æternum.* Hominem quoque vitiosum, in flagitiis pertinacem, in odiis implacabilem, & in obvia quavis peccandi licentia obduratum icone illâ repræsentabis. Nec abs re dixeris, eandem vivam esse amantis ideam; quippe qui calentes amoris sui favillas omni loco & tempore in sinu suo conclusas circumfert. Appositè canit Fulvius Testi;

Infernus. S. Aug. serm. 36. de Divers. Peccator. Amans.

Hor che mi giova il dipartir? ch'o vale
Per trovar libertà cangiar sentiero?
Se fatto à me nemico il mio pensiero
Con le vive bellezze ogn' hor m' assale?

Fulv. Testi in Dipartenza p. 1. delle Rime.

Vostro

Vostro, sarò mandimi pur la sorte
Ovunque vuole, e non porrà in oblie
Si dolce ardor altri già mai, che morte.

301. Aliquot chalybes, in sclopi minoris seu pugillatorii formam dispositi, ad ignem facillimo negotio eliciendum deserviunt. Proinde sclopum illum, non quidem occidendo, sed solùm illuminando accomodatum, hoc lemmate afficies; ILLUMINAT, NON PERIMIT. Deus hanc agendi rationem sibi familiarem habet, qui calamitates tanto amore plenas in nos concitare solet, ut inter tenebras lucem, non verò inter flagitia mortem incurramus. S. Hieronymus, in illa Prophetæ verba commentatus. *In luce sagittarum tuarum ibunt &c.* inquit; *Sagittæ Domini euntes, atque pergentes, NON ad hoc mittuntur ut INTERIMANT, SED UT ILLUMINENT.*

Calamitates illustrant. — S. Hieron. in Habac. c. 3.

302. Nisi ames, conatu prorsus irrito aliorum amorem tibi studebis conciliare: amoris fomentum est amor, & ut è Poëtis nonnemo cecinit; *Magnes amoris amor.* Senecæ consilium est; *Si vis amari, ama.* Otho Venius hanc veritatem è chalybe dignoscendam proponit, qui flammas è silice provocans, epigraphen sustinet; SINE FOMITE FRUSTRA. Porrò Emblematis mentem hoc tetrasticho explicat.

Senec. Ep. 6. — Amor est fomentum amoris. — Oth. Venius Embl. Amoris.

Qui cupiens lentæ nimium, tepidæque puellæ est,
Frustra est, ac nugas, illius instar, agit?
Qui silice abstrusum sine fomite quæritat ignem;
Mutuus est verè fomes Amoris, Amor.

303. Chalybs, silice percussus, ignem elicit. Lemma; PERCUSSUS CONCIPIT IGNES. Ita S. Ignatius Loyola, murali globò in obsidione Pampelonensi vulneratus; amoris Divini flammas concepit, & relictâ militiâ sæculari, ad cœlestem se transtulit. Paulus quoque Apostolus, fulgurante Christi luce prostratus, in voces, amore Divino plenissimas erupit; *Domine quid me vis facere?* S. P. Augustinus; *Iam*, inquit, *parat se ad obediendum, qui prius sæviebat ad persequendum. Iam formatur ex persecutore prædicator, ex lupo ovis, ex hoste miles.* Et rursus ad Deum conversus; *Imples*, inquit, *tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te.*

Calamitas. — S. Ignatius Loyola. — S. Paulus. Act. 9. 6. — S. Aug. ser. 14. de Sanct. — Idem in Ps. 55.

SMARAGDUS.

Cap. XXXIII.

304. SOlinus de Smaragdo eruditè testatur; Nihil his jucundius vident oculi. *Inprimis virent ultra irrigua gramina, ultra amnicas herbas. Deinde obtutus fatigatos coloris reficiunt levitate. Nam visus, quos alterius gemmæ fulgor retuderit, smaragdi recreant. &c.* Proinde gemmam istam, ob amabilem, venustum, ac prorsus obstupescendum suum virorem, hoc lemmate insigniverunt. NE LA TERRA, NE' IL CIEL VIST HA' PIU' BELLA. Id est; NIL JUCUNDIUS ILLO. Creaturam maximè gratiosam, aut summè perfectam, hoc Emblemate exornabis. Re ipsâ tamen æternam gloriam, solâ Dei visione nixam, concernit; nam visio illa omnem felicitatem, quocunque intellectu fingendam, infinitis intervallis excedit. Opportunissimè S. Antonius Paduanus, *Gaudium*, inquit, *de Dei perfectâ cognitione & fruitione est smaragdus, qui viridis est, & visum confortat, sic tota vita æterna est videre Deum.* Et David; *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Vel ut alii traducunt; *satietas delitiarum est cum vultu tuo.*

Solin. c. 24. — Excellentia. — Beatitudo. — S. Ant. Pad. Serm 2. de Martyr. — Psal. 16. 15.

305. Plinius nobilissimum hoc elogium smaragdo tribuit; *Nihil omninò viridius comparatum illis viret. Præterea soli gemmarum contuitu OCULOS IMPLENT, NEC SATIANT. Quin & ab intentione alia obscurata, ASPECTU SMARAGDI RECREATUR ACIES.* Inde Emblematis construendi occasionem mutuans, epigraphen subjunxi; RECREAT, NEC SATIAT. Vel; NON SATIANS, OCULOS IMPLET. Propriam hanc beatitatis æternæ ideam habeto, quæ, virorem perennem, nulloque ævo intermoriturum afferens, beatorum animos suavissimè recreat, eorumque oculos ac desideria cumulatè replet: at nunquam adeò eos efficit saturos, quin in illa gaudiorum affluentia assiduum tantæ felicitatis æternum possidendæ desiderium foveant. S. Bernardus Dei filio, veluti beatitati nostræ infinitæ, supplex canit;

Plin l. 37. c. — Beatitudo. — S Bern. in Iubilo.

Qui te gustant, esuriunt:
Qui bibunt, adhuc sitiunt:
Desiderare nesciunt,
Nisi Iesum, quem diligunt.

Delitiæ spirituales æternam beatitatem prægustu minimè obscuro in his terris propinant; quippe quæ humanam mentem suavitate amœnissimâ sine ullo unquam fastidio aut satietate perfundunt; secus atque voluptates corporales, quæ aliquantulùm gustatæ, nauseam pariunt. S. Gregorius Papa, de delitiis spiritualibus disserens, ait; *In istis appetitus satietatem, saturitas appetitum parit. AUGENT enim spiritales delitiæ APPETITUM in mente, DUM SATIANT, quia quantò magis earum sapor percipitur, eò amplius cognoscitur, quod avidius ametur.*

Gaudium spirituale. — S. Greg. P. Hom. 36. Evangel.

306. Plinius & Solinus affirmant, quòd spirantes venti à Smaragdo pulverem, quo cooperiebatur, ita opportunè excutiant, ut omnium oculis expositus, venustatis suæ radios passim circumfundere queat. Plinii verba sunt; *Quantùm Smaragdi à gemmis distant, tantùm scythici à cæteris smaragdis. Proximam laudem habent, sicut & sedem Bactriani, quos in commissuris saxorum colligere dicuntur, Ethesiis FLANTIBUS. Tunc enim tellure INTER NITENT, quia iis ventis maximè arenæ moventur.* Magis succinctè de smaragdis loquitur Solinus; *Inveniuntur Ethesiis flantibus. Tunc enim detecto solo facillimè internitent. Nam Ethesiæ plurimùm arenas movent.* Quamobrem Lucarinus smaragdis hanc subjecit epigraphen; SPIRANTIBUS INTERNITENT. Haud aliter Apostoli & Prophetæ, Spiritus Sancti beneficio, splendorem gloriosissimum per orbem sparserunt. Ita quoque persecutiones, adversitates, ac miseriæ humanæ, ceu totidem venti impetuosi, adversus mortales indies quidem alliduntur; at nonnisi pulverem & terrenarum affectionum arenam ab iis excutiunt, ut majore perfectionis radio effulgere queant. *Nam ventus*, asserente Bercorio, *id est tribulationes mundi, & adversitates ab eis rejiciunt arenam, id est, mundi divitias, & prosperitatem, faciuntque eâ ratione puriores & meliores, sicut patuit in Martyribus, & patet quotidie in Christi pauperibus.* Accommodatè dixit Magnus Augustinus; *Tribulatio asper quidem ventus est, sed prosper, cum labore quidem, sed citò ducit, & citò perducit.*

Plin. l. 37. — Solin. c. — Apostoli. Prophetæ. — Calamitas illustrat. — Pet. Ber. Reduct. l. ... c. 11. — S. Aug. Ps. 125.

307. Smaragdus, teste S. Isidoro, præ cæteris gemmis omnibus virore pulcherrimo ac penè prodigioso superbit: quin, viror ille non instar viroris herbacei aut arborei inter Syrii æstus ac brumæ rigores contabescit, sed stabilis, vivax, & vigorosus persistit; Ut adeò hanc epigraphen pro meritis sibi vendicet;

VIRORE

Jrseve- ntia.

VIRORE PERENNI. Virtus, intra animam concepta, immutabilis & æterna sit, oportet. Quamobrem S. Ecclesia, cùm in hominis justi laudes excurreret, non in his solùm verbis conquievit; *Justus germinabit sicut lilium*; sed insuper addidit; *& florebit in æternum ante Dominum. Ac si diceret*, interprete Aloysio Novarino, *Lilium justus est, ita tamen ut ejus justitia ac sanctitas non statim post nativitatem flaccescat, SEMPER VIRET, semper floret, SEMPER VERNAT.* Certè Josephus inter calamitatum horrores & bonorum affluentiam eximium puritatis & sanctimoniæ suæ virorem nunquam non illibatum conservavit. De hoc S. Hieronymus; *Joseph in egestate & in divitiis dedit experimenta virtutum, & servus & Dominus docuit animæ libertatem.* Isaias Abbas serpentem æneum cum Christo patiente, utpote cum suo prototypo typum, comparans, ait; *Propter nos hæc omnia passus est, neq; tamen immutatus est, neque irâ commotus in eos, à quibus tot injuriis & contumeliis afficiebatur, nihil respondens, sed ad ænei serpentis similitudinem immobilis manens.*

Novar. To. I. Jag. n. 160 — Hieron. ... 9. ad Salvian. — Isaias Abb. Orat. 25.

308. Smaragdus non tantùm viret, sed insuper, ut testantur Arias Montanus & Hieronymus Oleaster, vivacissimas flammas spargit. His suffragatur Abulensis; *Smaragdum vidi radiare fulgore.* Unde lemma; VIRET, ET FULGURAT. Geminam hanc virtutem quivis Prædicator sibi familiarem habeat, studeatque auditorum animos è Sacris Litteris in spem virentẽ erigere, & simul minarũ fulgure, ac æterni supplicii horrore percellere. Didacus Castillius; *Nomen Levi*, inquit, *qui sacerdotum fuit parens, scriptum erat in smaragdo, aut in fulgure, ut exinde discerent Doctores, Sacerdotes & Præsules docere fulgurando, & fulgurare docendo.* Porrò smaragdi viror spem aut fidem, splendor verò charitatem, ceu geminum cœli adipiscendi characterem, designat. Hortantem audi Magnum Augustinum; *Laudate Dominum dulcius; sperate felicius, cui servitis instantius; amate ardentius, cui placetis attentius.*

Arias Mont. Oleast. in 18. Exod. — Prædica- tor spem timo- rem in- undat. — Didac. Castil ornatu Aaronis. v. n. 224 — Spes & Charitas. — Aug. de Virgin. c. 27.

309. Smaragdi viror adeò vivax est, ut in res quasvis vicinas splendorem aliquem virentem transmittat. Plinii & Isidori de illo verba sunt; *Inficiens circa se viriditate repercussum aerem.* Proinde hanc ei gnomam subjunxi; APPOSITA VIRENTIA REDDIT. Genuino hoc symbolo vis exempli describitur: nam si majores sanctimoniæ facem præeant, subditos omnes suo lumine illustrant; contra verò intra vitiorum sentinam volutati, deterrimam luem in proximos suos derivant. *Sanctorum vita*, è D. Ambrosii sententia, *cæteris vivendi norma est.* Quin Servator ipse protestatur, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Id est*, interprete S. Ambrosio, *si Episcopus, qui lumen promeruerit præesse in corpore, simplicitate est sanctâ, & innocentiâ decoratus, omnis Ecclesia splendore luminis radiatur, at vicissim, si oculus tuus*, Prælatus tuus, *fuerit nequam, totum corpus tuum*, corpus familiæ, *tenebrosum erit.*

Plin. l. c. Isid. l. 16. c. 7. — Exemplũ. — Ambros. l. Joseph c. 4 Matt. 6. 22. — Ambros. hunc loc.

310. Smaragdus, ferro incidendus miram duritiem ac pertinaciam ostentat; at fortè in actu venereo ab impudica manu attactus, subitò rumpitur. Hujus experientiam in quodam Hungariæ Rege manifestam habes, cujus smaragdus, quem annulo inclusum assiduò secum ferebat, inter consortis amplexus in tres partes dissiliit. Unde Pierius Valerianus gemmam illam, utpotè libidini extremè adversam, virginitatis symbolum statuit; addito lemmate, VENERIS IMPATIENS. vel ut meo Carducio placet; CYPRIO DIFFRINGITUR ÆSTU. Atque adeò virginitatem, lethalem Veneris hostem, plurimâ solicitudine custodiri oportet: enimverò flos ille purissimus, quâvis impuritate afflatus, languet, & instar smaragdi, solo libidinis contactu diffringitur. S. Ambrosius; *Ubique in Virgine comes, singularum virtutum est pudor, hic individuus debet esse virginitatis comes, sine quo non potest esse virginitas. Teritur officiis pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia solvitur, dum urbanitas affectatur, &c.*

Pier. Valer. l. 41. — Virgini- tas. — S. Ambros. lib. de Virg.

Mundi Symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

SUCCINUM, seu ELECTRUM. Cap. XXXIV.

311. SUccinum paleas attrahit, non quidem ullius violentiæ injuriâ, sed virtute admodum tranquillâ & suavi. Unde Allectati Veneti epigraphen subjunxère; NON VI, SED VIRTUTE. Haud aliter sapientia humanas mentes arcanâ quâdam & suavissimâ virtute in sui amorem trahit. Ita quoque gratia Divina vires in voluntatem nostram mirificè teneras & suaves exercet, nullo unquam libertatis integerrimæ dispendio allato. S. P. Augustinus; Deus, inquit, *inspirata gratiæ suavitate, per Spiritum sanctum plus facit delectare quod præcipit, quàm delectat, quod impedit.* Cæterùm Superiores & Principes hanc succini benignitatem ideæ loco habeant, ut subditos virtute potius, quàm viribus ad sua imperia trahere conentur. In hanc rem plurimùm confert ille Senecæ dialogus;

Sapientia. — Gratia Dei. — S. Aug. de Spir. & litt. cap. 28. — Prælatus.

> *NERO. Ferrum tuetur principem. SENECA. Melius fides.*
> *NERO. Decet timeri Cæsarem. SENECA. At plus diligi.*
> *NERO. Metuant necesse est. SENECA. Quidquid exprimitur, grave est.*
> *NERO. Jussisque nostris pareant. SENECA. Justa impera.*

Senec. in Oct. Act. 2.

312. Succinum, attritu calefactum, virtutem suam attractivam exerit. Unde Plinius; *Acceptâ vi caloris attrahunt ad se paleas, &c.* Epigraphen addidi; TRAHAM, SI CALEAM. Prædicator, verò Dei ardore inflammatus, quosvis aridos & exsuccos peccatorum animos in suas partes trahit. *Ad prædicandum namque plus conscientia sancti amoris ædificat, quàm exercitatio sermonis*; inquit S. Gregorius Papa. Et Dominus Joannes Paschalius;

Plin. l. 37. c. 3 — Prædica- tor. — S. Greg. hom. 10. in Ezech.

> *FERVEAT ORATOR, Divino percitus æstu,*
> *ET TRAHET ad verum mollia corda Jovem.*
> *Nec paleas aliter fulgens deducit electrum,*
> *Ut trahat, incaleat; ferveat, atque trahet.*

Certè Apostoli, Spiritûs sancti ardore succensi, innumeras provincias ac vastissima regna ad virtutis & fidei obsequium pertraxerunt.

Apostoli.

313. Nonnemo suavitatem, à Deo in convertendis peccatorum animis usurpari solitam, Succini Emblemate repræsentavit; quod paleas attrahens, has voces lemmatis loco pronuntiabat; VIRTUS EX ME. Ipsius Christi testimonium est; *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Idipsum Sacra Sponsa innuens exclamat; *Trahe nos, post te curremus, &c.* Et S. P. Augustinus; *Trahuntur homines, non ut nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Balthasar Bonifacius opportunè in rem præsentem canit;

Gratia Dei. — Joan. 6. 44. — Cant. 1. 3. — S. Aug lib. 1. ad Bonifac. c. 19 — Balth. Bonif. in Larario, p. 1. Epig. 13.

> *Dum fœnerator stabat ad telonium*
> *Matthæus, auro deditus:*

Obambulans illac Tonantis unicus,
Me sequere, dixit, illicò.
At is relicto protinus negotio,
Omnique re nummariâ.
Christum secutus est. Creator omnium.
Ad se trahebat omnia.
Sic flamma Naphta: sic chalybs heracleo;
Sic palea trahitur succino.

Mundanus. 314. Hominem mundanum, qui æternis verisque bonis nihili unquam æstimatis, totum se in vanitatum amorem effundit, succino non absimilem dixeris; cum lemmate, D'INUTILI FESTUGHE IO SOL M'INVOGLIO. Id est; FESTUCIS OBLECTOR. His Regius Propheta indignabundo animo exprobrans, *Filii hominum*, inquit, *usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* S. P. Augustinus. *Si aliqua hujus sæculi prosperitas arriserit, nonne deceptoria est? Nonne plus habet deceptionis, quàm delectationis?* Jesus infans, vix in hunc orbem natus, supra miserrimi præsepis paleas recubuit; ut adeò, instar electri pretiosissimi, opportunè de se ipso dicere potuerit; FESTUCIS OBLECTOR. Corde enim maximè sollicito aridas & inutiles peccatorum paleas ad se attrahere cupiebat. In hanc rem sequens poëma Italicum subjungere placuit;

Psal. 4.3.

S. Aug. in Psal. 41.

Christus natus.

Occhi miei che videte?
Il tesoro del Ciel corcato in seno
D'una greppia, è del fieno?
Così dunque giacete,
O Rè degli elementi
Su' le ruuide paglie, è frà i giumenti?
Ben l'intendo; voi fiete
Qual ambra innamorata,
Che del'alme infeconde,
Ed aride, ed immonde,
Dolcemente invaghita,
Le paglie alza da terra, e à sè l'invita.

Virtus. 315. Homo, quò majore virtutum exercitio probatus, tantò magis illarum excellentiam orbi cognoscendam proponit. In hanc rem succini gemmam figurabis, quæ confricata, suavissimum odorem exhalat. Unde lemma; ATTRECTATA SUAVIS. P. Cornelius à Lapide in illud Siracidis commentatus; *Cum viro sancto assiduus esto*; ait; *Ut vir sapiens & sanctus suam sapientiam & sanctitatem tibi affricet, & afflet, longâ morâ, & assiduâ cum eo conversatione opus est.* Et paulò post similitudine, ad præsentem imaginem plurimùm accommodatâ, demonstrat, quod justi, virtuosi & docti *sunt instar piperis, quod quò magis teritur, eò majorem calorem, odorem & ignem exhalat.* Teste S. Ambrosio, *Nulla sine labore virtus est, quia labor processus est virtutis,*

Corn. à Lap. in Ecclesiast. 37. 15.

ibid. v. 24.

S. Ambr. Psal. 118.

316. Nobilis hic succus, ex arboribus distillans, tandem obduratur, & in gagatem solidescit; calefactus verò & accensus, odorem suavissimum exhalat. Unde lemma à S. Isidoro insinuatum; FRAGRAT ACCENSUS. Servos Dei hæc imago spectat, qui charitatis ac devotionis ardore succensi, cœlestem optimi exempli odorem in suos proximos diffundunt. Sacram Sponsam, in Dei amore penitus inflammatam, hoc elogio condecorant Sacræ Litteræ. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Et S. Paulus, in Divinis obsequiis mirificè exardescens, de seipso testatur; *Christi bonus odor sumus.* Nam, ut ait S. Gregorius Papa, *Ad amorem patriæ cœlestis plus exempla, quàm prædicamenta succendunt.*

S. Isidorus l. 16. c. 8. Justus.

Cant. 4. 11.

2. Cor. 2. 15.

S. Greg. Pap. l. 1. Dialog.

TOPAZIVS. Cap. XXXV.

317. Diversæ Topazii species, variique colores reperiuntur. Anastasius Nyssenus rubrum illum dicit; Andreas Cæsariensis, testibus Ariâ Montano, Francisco Riberâ, & Theophrasto, viridem; aureum verò ac cœlestem Beda, Hugo Card. & Hugo Victorinus. Ut adeo cum S. Isidoro benè de illo concludas; OMNI COLORE RESPLENDENS. vel ut Carducius inscribit; OMNICOLOR RADIAT. Homines illos perfectos hoc Emblemate exornabis, qui nullâ non virtute illustres incedunt. S. Greg. Papa; *Quia Græcâ linguâ pan omne dicitur, pro eo quod omni colore resplendet, topazium, quasi topandium vocatur.* Et paulò post; *Multi ita sunt dono Spiritûs locupletati, ut quasi multis coloribus, sic multis virtutibus luceant.* Huic subscribens meus Hugo Victorin. *Topazius*, inquit, *qui omnium lapidum colores in se obtinet, significat sanctos omnium virtutibus refertos.* Præ cæteris tamen omnibus Magna Dei Parens hanc laudem sibi vendicat; nam, ut testatur S. Ambrosius; *Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit, quantæ in una Virgine species virtutum emicant? &c.*

Anast. Nyss. q. 38. And. Cæsar cap 65 in Hug. Card. in Apocal. Hug Vict. l. 3 de Best. c. 58 S. Isid. l. 16. cap 7. Justus perfectus. S. Greg l. 18. moral. c. 27.

Hug. Vict. loc. cit.

S. Ambr l. 2 de Virgin.

318. Hugo Victorinus, superiore numero adductus, de Topazio in hæc verba testatur; *Superat claritatem omnium gemmarum, nec ulla res pulchrior est ad videndum.* Cui proinde inscripsi; GEMMA FULGIDIOR OMNI. Supremam virtutem, quæ cæteris omnibus palmam præripiat, hoc Emblema innuit. Talem in Maria Virgine veneratur S. Ecclesia hoc encomio.

Hug. Vict. l. cit.

Virtus excellens.

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Idque non tantùm de fœcunda ipsius virginitate, sed de cæteris virtutibus omnibus intelligas velim; siquidem, S. Bernardo teste, *Cæteras quoque virtutes singulares prorsus invenies in Maria.*

S. Bern. ser. 4 de Assum

319. Topazius, veluti gemmarum Phœbus, clarissimos suos radios in omnem partem diffundit, ut testatur S. Ambrosius in hæc verba; *Topazius jubar suum circumquaque spargens.* Inde hanc epigraphen eruere licet; JUBAR UNDIQUE SPARGIT. Hominem, sanctimoniâ, doctrinâ, aut magnanimitate celebrem, totoque mundo illustrem, hoc Emblemate delineabis; His jure accenseas sanctos Apostolos, Ecclesiæ tam Græcæ quàm Latinæ Doctores, famosos Heroes, Samsonem, Davidem, Judam Machabæum, Hannibalem, Julium Cæsarem, Alexandrum Magnum &c. Cassianus; *Ubiq; cognoscitur, quisquis famâ teste laudatur: dum enim copia plurimum solet habere fastidium, bonum nomen repetitum semper efficitur gloriosum.*

S. Ambros. l cap. 21. Apo

Virtus famosa.

Cass. l. 1. c. 7

320. Sicuti cæteræ gemmæ omnes à Gemmariorũ industria, & scalpri acumine maximum venustatis incrementum sortiuntur; ita vicissim topazius, naturæ suæ relictus, maximè venustus est, oculosq; intuentiũ mirificè recreat: limæ verò, aut ferri acie attritus, deterior evadit, ac pretii sui jacturam patitur. Lemmatis loco illa Venerabilis Bedæ verba subjicies; ATTRITU LIMÆ VILESCIT. Haud aliter molestæ mundi curæ, importuna litigia, animæ afflictiones ac corporis dolores, ceu totidem limæ, hominem justum corrodunt, ab interiore pace ac suavissima Dei contemplatione distrahunt, eumque valore suo defraudant. Hâc omninò ratione illam smaragdi proprietatem ad mores formandos applicans Venerabilis Beda; *Non enim facilè*, inquit, *potest animus uno, eodemq; momento, terrenis laboribus, ærumnis, curisq; & doloribus angi, & illa cœlestis vitæ gaudia tranquillæ mentis statu delectatus intueri, quin*

Beda in ca 21. Apoc. Justus inter mundi curas deficit.

Beda l. 6.

potius ingemiscendo proclamat: Turbatus est præ ira oculus meus &c.

321. Topazio perficiendo ipsamet natura ultimam imposuit manum; ut adeò nullo ulteriore Gemmariorum artificio aut labore indigeat; quin imò, omnis in eo lævigando industria adeò est irrita, ut exinde non modò non illustretur, sed potius plurimùm obscuretur. Hugo Victorinus, superiore numero adductus, affirmat; *Si qui velint eum polire, obscuratur, si per se relinquitur, clarior est.* Unde lemma; POLITURA FUSCATUR. vel ipsius Topazii ore; CHI M' ILLUSTRA, M' OSCURA. vel certè, PERDO IL LISCIO, CO' L LISCIO. Dei servum, propriâ suâ virtute illustrem, humana benevolentia frustra conatur ad sublimes honorum gradus promovere, eique aliquod splendoris incrementum addere; siquidem à terrenis hisce limaturis nihil quidem ornamenti, plurimùm verò exitii recipit. *Istos tales, qui volunt ornare dignitate sæculi, quasi ornando viliores faciunt, & minoris meriti;* inquit Hugo Victorinus, moxque illustre S. Martini exemplum adducit his omninò verbis; *Virtutes plures fecit, antequam Episcopus fuisset; sed Episcopatu ornatus, ne extolleretur, pauciora signa faciens, non merita, sed ornatum omisit.* Verùm quidquid de Sancto isto sit, illud saltem inficias non ibis, complures, cùm in nativo & infimo suo loco considerent, plurimis virtutibus resplenduisse; at postea ad honores aut divitias sublevatos, flagitiorum causâ in omnium conspectu turbidos & obscuros evasisse.

Hug. de S. Vi. loc. cit.

[.]licitas [.]oxia.

Hug. de S. Vi. l. c.

322. Scitu admodùm curiosa est Topazii inventio: hanc Plinius, &, verbis ab ipso mutuatis, S. Isid. ita describunt. *Troglodita prædones cùm diutius famæ & tempestate pressi, herbas, radicesq; effoderent, eruerunt topazion.* Sicque fures ac latrones, cùm herbis eradicandis impenderent operam, topazii inventores evasêre. Ad hoc propositum inscribes; INTER PRÆDONES ILLUXIT. Siquidem ex Andreæ Cæsariensis & Aretæ sententiâ, *Per topazium Beatus Matthæus significatus videtur,* opportunè dixeris, in topazio genuinam hujus Evangelistæ effigiem reperiri, qui inter publicanos, fraudatores, ac latrones medius, tandem gratiæ Divinæ beneficio in orbis conspectum gloriosissimè prodiit.

Plin. l. 36. cap. 8. Isid. l. 16. cap. 7.

And. Cæsar. in Apocal. cap. 67. Aret in [.]und.

[.] Matth.

323. E Strabonis doctrinâ, Topazius *facilius nocte, quàm die invenitur,* eò quod inter nocturnas tenebras suos radios liberalius diffundere possit. Unde illum hoc epigrammate distinxi; CLARIOR E TENEBRIS. P. Corn. à Lapide eâdem omninò ratione Spiritûs S. consolationes nobis accidere ait; quippe quas inter densas calamitatum umbras constituti, apertius sentimus. *Spiritus sanctus facilius in adversis, quàm in prosperis acquiritur.* Haud aliter patientia, calamitatum terrenarum umbris circumfusa, amplissimè resplendet. S. Gregorius Papa; *Nunquam est patientiæ virtus in prosperis, ille autem verè est patiens, qui & adversis atteritur, & tamen ab spei suæ rectitudine non curvatur, omnipotentis Dei laudem & inter adversa confitetur &c.*

[S]piritus S. Corn. à Lap. [i]n c. 1. Apoc.

[P]atientia.

S. Greg. l. 11. Moral. c. 17.

324. Andreas Cæsariensis affirmat, è topazio, veluti è prodigioso ubere, lacteum quemdam liquorẽ, infirmis oculis admodum salubrem, scaturire. *Lacteumque liquorem,* inquit, *qui iis opitulari fertur, qui ex oculis laborant, emittit.* Unde ob primam virtutis hujus partẽ Emblemati subscribes; LIQUORE LACTEO MADET. Et ob alteram cum D. Carduc. TENEBROSA LUMINA LUSTRAT. Idem Andreas Cæsariens. nativam hanc S. Matthæi effigiẽ interpretatur, utpote. *Qui per Evangelium eos, qui corde cæcutiebant, illuminavit, modoque genitos fidei lacte potavit.* Eam ipsam tamen etiam S. Paulo, cæterisque ministris Apostolicis tribuere licet, qui cæcos doctrinæ suæ radiis illustrant, ac tenellos filios laborum suorum industria Christo genitos, optimo virtutum lacte nutriunt.

And. Cæsar. in cap. 66. Apocal.

S. Matthæ[us] And. Cæs. l. c.

Prædica[tor].

325. Complures Authores, negantibus aliis, affirmant, fervidas & ebullientes aquas à topazio sedari. Vincent. Beluacensis ait; *Si supra rem bullientem suspenditur, cessant ampullæ.* Id tamen Abulensi, Bercorio, aliisque indubitatum est, *quod valet contra iram, illam cohibendo aut sedando.* Ut adeò D. Carduc. non absque ratione gemmam illam hoc lemmate proposuerit dignoscendam; INCENDIA FRIGERAT IRÆ. Spiritum S. hæc imago cumprimis spectat, qui effervescentes iræ ac libidinis ardores mirâ virtute refrænat, & humanam mentem, diverso passionum æstu agitatam, pristinæ suæ tranquillitati restituit; ut adeò Divinum illud Pneuma meritissimo hoc titulo à S. Ecclesia salutetur; *In æstu temperies.* In rem præsentem S. Gregorius Papa ait; *Spiritus S. in columba & igne apparuit; quia omne cor, quod ejus gratiâ tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo justitiæ fit accensum.* Porrò è Petri Bercorii sententia, Hominis prudentis benignitas *illos, qui per furorem & iracundiam bulliunt atque fervent, reprimit, atque sedat.*

Spiritus S.

S. Greg. in homil.

Benignitas

Bercor. l. 11. c. 127. n. 4.

VITRUM.

Cap. XXXVI.

326. Avicennam secutus, vitrum inter gemmas numero; quod humanis oculis adeò purum & diaphanum se exhibet, ut ad ipsa usque viscera sua clarissimè penetrari queat. Proinde epigraphen addidi; QUÆ TEGIT, DETEGIT. seu; DIMOSTRA FUOR CIO', CHE NEL SENO ACCOGLIE. vel ut D. Carducio placet; SUELLA IL SEMBIANTE CIO CHE' L SENO ASCONDE. Beatorum hæc idea est, qui internos animi sui affectus ita perspicuè dignoscendos olim proponent, quantùm nec ipsimet illos in præsenti vita perspectos habuêre. Hieronymus Lauretus ait; *Vitro perspicuo dicitur simile aurum Hierusalem cœlestis, quia unusquisque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondit, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi.* Cæterùm eandẽ vitri figuram etiam de confessione sacramentali, aut fidei puritate interpretari licet, quæ reconditi lima quæquæ pectoris nostri arcana in aprico constituunt.

Beati in cœlo.

Hier. Laur. in sua sylva.

Confessio; Fides.

327. Felicitatem mundanam opportunissimâ vitri effigie delineabis, quod eodem planè momento & luminosum resplendet, & infelix rumpitur. Unde lemma; DUM LUCET, FRANGITUR. vel ut P. Carducio ipsiusmet vitri ore placet; DUM SPLENDEO, FRANGOR. Hoc sensu Publius Mimus;

Felicitas mundana.

Fortuna est vitrea; cùm splendet, frangitur.

Et Marcus Annæus Seneca; *Fragilis & caduca felicitas est, & omnis fortunæ blandientis speciosus cum periculo nitor.*

Senec. lib. 2. Controv. 1.

328. Encaustices artificium est, quod diaphanũ & purissimum vitrum à fornacis calore omnem colorum varietatem recipiat. S. Isidor[us] de illo in hæc verba testatur; *Tingitur multis modis, ita ut hyacinthos, saphirosque & virides imitetur, & onyces; neque est alia materia picturæ accommodatior.* Ut adeò benè inscripserim; AB IGNE OMNICOLOR. Homo justus, in calamitatis aut charitatis fornace, instar vitri, innumeris virtutum coloribus adeò opportunis tingitur, ut Deo voluptatem, proximis verò emolumentum pariat. Petrus Bercorius, *Vitrum est homo, quia quando in fornace Divinæ dilectionis vel tribula-* tionis

S. Isid. l. 16. c. 15.

Justo calamitates prosunt.

Bercor. l. 11. Reduct. c. 131.

tionis conflatur in quemcunque colorem bonæ & honestæ conversationis faciliter tingitur. Idem Emblema etiam hominem inconstantem aut adulatorem commonstrat, qui in tentationis aut quæstûs proprii fornace in mille colores transformatur. Nam *Adulator est amicus in obsequio, hostis in animo, comptus in verbo, turpis in facto, lætus ad prospera, fragilis ad adversa &c.* inquit meus Hugo Victorinus.

Instabilis.

Hug. Vict.

329. Vitri quidem laus est, quod encaustices operâ diversis coloribus sese exornari patiatur; at pretio & laude longè majore habetur, si candorem suum conservet illibatum, & puritatem instar crystalli diaphanam, integramque. S. Isidorus in rem nostram concedens, ait; *Maximus honor in candido vitro, proximoque in crystalli similitudine.* Hâc veritate nixus, vitro subscripsi; DAT PRETIUM CANDOR. Non quidem inficias iverim, animam, diverso virtutum colore insignem, miram Divinis oculis voluptatem creare: illud tamen indubitatum est, eandem puro & innocuo candore, instar tersissimæ crystalli, exornatam, omnium gratissimam haberi. Quamobrem Isaias non tantùm vult sordes omnes balnei beneficio à nobis abstergi (*Lavamini*) sed insuper addit, *mundi estote*; ubi ad vocis hebraicæ litteram vertendum esset, *lucidi estote instar vitri.* Hieronymus Oleaster id observans, ait; *Lavate vos, non quidem vulgariter, sed ita ut valde mundi sitis, & huic expositioni favet verborum, quæ hic ponuntur, propria significatio: nam quod priori loco ponitur, significat communiter lavare, sequens verò significat lucere quasi vitrum. Unde ad litteram vertendum esset; lavate vos, & lucidi estote seu puri velut vitrum.*

S. Isid. l. 16.

Innocentia.

Isa. 1. 16.

Hieron. Oleast. in hunc loc.

330. Hominem iracundum, aut impatientem non quidem frangi, sed tamen flecti, aut diversis mundi casibus cedere nescium, vitri Emblemate significabis; addita inscriptione, FRANGITUR, NON FLECTITUR. Id quod D. Carducius hoc disticho explicat;

Impatiens.

Vitrum non flector, fragili sed corpore frangor:
Sic flecti indocilis dissilit impatiens.

Porrò sancti Martyres, instar purissimi vitri, maluerunt corpora sua frangi, quàm ad idolorum cultum flecti. S. P. Augustinus. *Mortem hominibus comminatus est Deus, ne peccarent; mortem Martyribus inimicus comminatus est, ut peccarent. Illi ut morerentur, peccaverunt, Martyres mortui sunt ne peccarent. Unde illis pœna inflicta, inde istis gloria suscitata.*

Martyres.

S. Aug serm. 25. ex addit. à Sirmondo.

331. Vas vitreum, quantumvis purum, nobile, ac diaphanum; inde tamen extremè est miserum, quod semel fractum, nunquam possit amplius in pristinam formam restitui. *Vas vitreum,* inquit Bercorius, *pulchrius est cæteris & splendidius, facilè tamen frangitur, nec amplius restauratur.* Unde hanc ei gnomam subdidi; NON INSTAURATUR EFFRACTUM. Ita humanum corpus, unico lethali mortis vulnere saucium, nullis amplius naturæ viribus restitui valet. Salomonis vox est; *Umbræ transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo revertitur.* Seneca; *Desinit morbus, incendium extinguitur &c. nil autem habet quod speret, quem senectus ducit ad mortem.* In idem argumentum canit Tassus;

Bercor. l. 6. num. 2.

Vita humana.

Sap. 2. 5.

Senec ep. 88.

Torqu. Tass. Liber. Cant. 16. Stanz. 15

Cosi trapassa al trapassar d' un giorno
De la vita mortale il fiore, e l verde;
Ne perche faccia indietro April ritorno
Si rinfiora ella mai, ne rinuerde.

Hominis etiam superbi aut divitis prosperitas, à morte interrupta, nunquam imposterum reviviscit. Et Virginitas, instar vitri resplendens, si vel unicâ vice patiatur vitiū, nullâ amplius potentiâ reparari potest.

Virginitas.

332. Vitrum, naturâ suâ solidum & diaphanum, diversas rerum quarumvis obviarum imagines intra se colligit, & aliorum oculis liberalissimè intuendas exhibet. De hoc Carducius; EXPRIMIT, QUÆ RECIPIT. vel, RERUM SIMULACHRA COLORAT. Homines illos perfectos hæc idea concernit, qui virtutes, sparsim in aliis observatas, in se studiosissimè recipiunt, & rursum aliis proponunt imitandas. S. Antonium, in hoc studio mirificum, celebrat S. Ecclesia his omninò verbis; *Virtutum tanto studio incensus fuit, ut, quemcunque videret aliquâ virtutis laude excellentem, illum imitari studeret.* Porrò S. Scriptura instar limpidissimi vitri, omnes documentorum, virtutum, & exemplorum imagines, quas in SS. Patriarchis, Prophetis, & Apostolis olim mundus adoravit, clarissimè complectitur, & speculi loco ad eas perspiciendas, imitandasque deservit. S. P. Augustinus, *Quidquid homo extra* (Sacram Scripturam) *didicerit, si noxium est, hîc invenitur. Et quum ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea, quæ nusquam alibi invenire potuit.*

Virtuosu profectu

Brev. Rom 17. Ian.

S. Scriptura.

S. Aug. l. 2 Doct. Chri cap. ult.

333. Vitrum plurimo hominum usui, potissimum tamen mensis deservit, ubi vinum generosum longè suavius ac frequentius in vitreis, quàm argenteis aureisve poculis propinari solet. De hâc vitri puritate ac præstantiâ S. Isidorus scribit, *Ad potandum, argenti metalla & auri repulit.* Cui proinde meus D. Carducius subscripsit; CONVIVIS PRÆSTANTIUS AURO. vel, MENSIS CARIUS AURO. Ita Evangelicæ ac Christianæ doctrinæ vinum sitibundos fidelium animos longè melius reficit, si ab hominis Apostolici simplicitate potius, quàm ab affectata & eruditâ Rethorum eloquentiâ promanet. S. Ambrosius ad illud Apostoli mentem advertens, *Non in sapientia verbi*: ait; *Prædicatio Christiana non indiget pompâ & cultu sermonis: ideoque piscatores homines imperiti electi sunt, qui evangelizarent, ut doctrinæ veritas se commendaret, testo virtute: ne hominū versutiâ, & calliditate humanæ sapientiæ acceptabilis videretur, non veritate.* Et prior illo Philo; *Dei cultorem*, inquit, *decet adhærere veritati, & verborum conjecturalium fabulositatibus extremum valedicere.* D. Carducius, Emblematis sui Oedipus, hoc distichon subjungit;

S. Isid. l 16 cap. 15.

Doctrina Christiana

S. Ambr. in 1. Cor. 1. 17

Philo l. de Sacrific. Ca & Abel.

Convivis vitrum arridet præstantius auro,
Non fucata Dei sic mage verba placent.

Et sequentes Jambos;

Mensis vitrum pellucet auro carius,
Non bracteata lingua sic placet magis.

334. Bombylius vitreus, unico Vitriarii flatu è cinere formatus, epigraphen tenet; TUTA FRAGILITA, FIGLIA D' UN FIATO. Id est, FLATU GIGNENTE FRAGILIOR. Homo, accommodatè ad hanc ideam, è cinere fragilissimo confectus, & unico, ut ita dicam, flatu animatus est; siquidem Deus *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Opportunè in rem præsentem Balthasar Paez; *Deus,* inquit, *infundens animam efformato corpori humano, in halitu & flatu eam infudit, ut videret, quàm debili constaret vitâ.* His eruditam Josephi Baptistæ poësin, coronidis loco, subjungere placet;

Vita humana fragilis.

Gen. 2. 7.

Paez in ep Iacob. c. 4 v. 15. §. 1.

Ios. Bap p. delle sue P.

Giunge appena del mondo in sù le porte,
Che decrepita appar l' età fanciulla,
E de la luce in sù le prime scorte
L' orme, che stampa, ombra fatale annulla.
Ode la vita humana infausta sorte
Che in sepolcro d' orror cangia la culla,
Jeri s' appellò vita, & oggi è morte,
Jeri sembrava un turto, & oggi è un nulla.

Pre-

Promette al bambolino il di natale
Di dure tempre eternità: manato
Cernere lo dimostra un funerale.
Non è senza ragione assimigliato
A vetro, che si spezza, huomo che è frale,
Perche sono amendue figli d'un fiato.

335. Monacense Societatis Jesu Collegium, ad D. Francisci Borgiæ apotheosin, vitrum polygonum exhibuit, in omni angulo imaginem Mariæ Majoris repræsentans; addito lemmate, NULLUS VACET ANGULUS. Ita nimirùm, quisquis Deiparam Virginem verè amas, illius virtutes & encomia in omnibus membris repræsentes ac imiteris necesse est. Emblemati explicando hanc poësin addidit;

Qui nuper patrios valere census,
Et semet, suus ipse prædo, jussit:
Illum pauperies stupenda vexat.
Millenas sibi poscit esse linguas,
Millenos animos, & ora mille.
Queîs in Virginis impotens amores,
Ceu facto agmine, diligat Mariam. &c.

Idipsum etiam de reliquis Cœlitibus, quos nobis colendos proponimus, dictum velim. Certè Apostolus singula membra nostra non ob aliam rationem templa vocat Spiritûs sancti, nisi ut hunc in singulis illis studeamus repræsentare. *An nescitis,* inquit, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* Tertullianus templi hujus spiritualis æditu am constituit pudicitiam, quæ nihil in illud inferri patiatur, quod à Dei imagine degeneret. *Nam cùm omnes,* inquit, *templum sumus Dei, illato in nos & consecrato Spiritu sancto, ejus templi æditua & antistes pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferre sinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.*

336. Liquor, ut pulchrum, nativumque servet colorem, puro in vitro asservetur, necesse est. Unde vitrum, liquore purissimo plenum, à Philotheo epigraphen recepit; IN PURO SERVATUR. Gratia Divina puram cupit habitare mentem, fugitque procul obscœna ac impura pectora. Magno Augustino teste, *Castitas angelica est vita: ubi immunditia est corporis, ibi habitatio diabolici spiritus, qui maximè gaudet inquinatione carnis nostræ.* Porrò ad SS. Eucharistiæ Sacramentum dignè recipiendum animus exigitur contritus, qui veram flagitiorum suorum agit pœnitentiam, voluptatibus prohibitis renuntiat, Deoque castè & innocenter inservit. At scelerati illi, qui quotidiè in suis volutari sordibus gaudent, hanc sacrosanctam cœnam pessimè accumbunt: quippe fructum & gratiam tantæ corrumpunt cœnæ, & justo Dei judicio non vitam inde, sed æternam sibi damnationem accelerant. In rem præsentem canit Emblematis Author;

Gratia Dei cor mundum petit. *S. Aug. serm. 349. de temp.*

SS. Eucharistia.

Quid, vesane, capis cœlestis munera vitæ,
Tantasque impuro pectore condis opes?
Pectore perverso, vastat quod conscia culpa,
Et rapit in varium dira libido scelus.
Pura placent Superis, nec tanti gratia doni
Polluto proprias pectore servat opes.
Ipsa etiam squallent generosi dona Lyæi,
Si purus subiit sordida vasa liquor.

FINIS LIBRI DVODECIMI.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER DECIMUS TERTIUS.
METALLA.

Argentum.	Cap. 1.	Ferrum.	6
Argentum vivum, seu Mercurius.	2	Moneta	7
Aurum.	3	Plumbum.	8
Cuprum.	4	Stannum.	9
Electrum.	5		

ARGENTVM.
Cap. I.

1. ANima, quantumvis candida & pura, si otio diffluere cœperit, tandem nigredinem contrahit; haud secus atque argentum, nullis frequentatum usibus, QUIESCENDO NIGRESCIT. In rem præsentem opportunè S. Petrus Damianus Cardinalis; *Argenti quippe claritas ex usu servatur, sine usu autem in nigredinem vertitur.* S. Cyrillus in otium, veluti animæ pestem, acerrimè excandescens, *Quid enim est otium,* inquit, *nisi perditio irrevocabilis horæ? effusio vitæ? retrogradatio proficiscenti? Hic gignit carnis desidiam, parit superbiam, accendit luxuriam, solvit linguam, nutrit indigentiam, & introducit rapinam.*

Otium. *S. Pet. Dam. ser. 1 de S. Andrea.* *S. Cyrill. l. 1. Apolog. Moral. cap. 14.*

2. Argentum, igni impositum, Lucarino asserente, candescit. Unde S. Laurentius Emblemate significaturus, argento inscripsit. PURUM CANDESCIT. Veluti diceret, castum fortissimi illius Levitæ candorem è flammarum tyrannide plurimùm incrementi sumpsisse. Ut adeò S. Ecclesia eundem non abs re in hæc Davidis verba loquentem sistat; *Ad ignem applicatus, te Christum confessus sum, Igne me examinâsti, & non est inventa in me iniquitas.* Quin, in glorioso hoc Martyre illud Malachiæ oraculum ad litteram expletum videtur; *Purgabit* Deus *filios Levi, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in justitia.* Cæterùm imago ista etiam S. Joannis Evangelistæ est propria, qui S. Hieronymo teste, *Inferventis olei dolium missus, purior & vegetior exivit, quàm intraverat.*

S. Laurentius. *Malach. 3. 3.* S. Joan. Evang.

3. Duabus præcipuè dotibus excellit argentum; nimirùm quod sit ALBICANS, ET SONORUM. Geminam hanc prærogativam Prædicatores sibi adeò domesticam habeant, ut eloquentiæ suæ sono assiduum vitæ candorem jungant. Unde eos admodum congruè tubis illis comparaveris, quas Deus, populi dirigendi causâ, ex argento fieri jussit. *Fac tibi duas tubas argenteas.* Nam Oratoris Evangelici vox non tantùm amplissimè resonet, sed insuper vitæ munditiem, in ministro Evangelico, ceu tubâ argenteâ, unicè requisitam, exhibeat, necesse est. Actum quippe pro concione aget, nisi simul & sonoram vocem, & exemplaris vitæ puritatem afferat. E S. Damiani consilio, *Verba vitæ populis non solùm vocibus, sed etiam moribus nuntiemus.*

Prædicator. *Num. 10. 2.* *S. Pet. Dam. l. 2. ep. 1.*

4. Argentum, tametsi naturâ suâ candidum, contactu tamen suo rebus albis nigras affricat lineas. Unde lemma; DENIGRAT ALBENS. Ipsissima hæc Hypocritæ ac Hæretici consuetudo est, qui exteriore quidem vultu colorem candidum, & doctrinam admodum formosam ementiuntur, at re ipsâ obscurissimas scelerum lituras, & documenta penitùs abominanda ac teterrima describunt. De utroque illo Bercorius; *Licet sit albi coloris, & honestæ, & pulchræ apparentiæ: lineas tamen nigras, id est, opera mala, & iniqua generat & producit.* Et S. Chrysost. *Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatio: nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur.* Fœmina spiritualis candidi quidem argenti effigiem refert; at si arctiore ipsius consuetudine & amicitiâ utaris, tandem recedes nigrore aspersus: nam familiaritas cum eo hominum sexu sub virtutis schemate cœpta, demum in vitiorum sordes & maculas turpissimas desinit.

Hypocrita. Hæreticus. *Bercor. l. 11 Reduct. c. 38 num. 1.* *S. Chrysost. in Matth.* Fœmina.

ARGENTVM VIVVM,
seu Mercurius. *Caput* II.

5. INter cætera metalla solo auro excepto, Mercurius omnium est gravissimus; &, quod mireris, quantò est pondere gravior, tantò agiliorem, subtilorem, & ad sublimandum promptiorem se exhibet. Cui proindè D. Carducius subscripsit; QUO GRAVIUS, LEVIUS. &; VOLATICO PONDERE. Seriis, & magni momenti operationibus geminam hanc prærogativam connexam velim; illis enim primùm gravi consultationum pondere agitari, & postea promptè in effectum deduci oportet. Ad hunc scopum gnoma illa, Octaviano Augusto familiarissima, collineare videtur; *Festina lentè.* veluti dixisset; cunctationem in consultando, & celeritatem in exequendo agentibus unicè esse necessariam: *Per quod monebat,* interprete Petro Gregorio, *ut industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas ad rem simul adhiberentur, id enim est festinare lentè.*

Consultatio gravis executio prompta. *Pet. Greg. l. 23 de Republ. cap 3. n. 3.*

6. Argentum vivum naturâ quidem humidum est, & fluidum; at suprà planitiem cumulo quantumvis magno effusum, eam nec minimùm humectat. Unde lemma, NON ABLUIT HUMENS. Carducius in hoc Emblemate Prædicatoris illius ideam deprehendit, qui, integros eloquentiæ fluvios ingenti mole versans, auditorum suorum animas humore plane nullo madefacit, nec ullum sceleris ejurati, aut virtutis promotæ fructum refert. De his idipsum pronuntiare licet, quod S. Hieronymus de veterum Philosophorum ac Poëtarum lectione scribit; *Ubi cum summo studio ac labore fuerint perlecta, nihil aliud, nisi inanem sonum, & sermonum strepitum suis lectoribus tribuunt, nulla ibi*

Prædicator vanus. *S. Hieron. ep. 146. ad Damas.*

ibi saturitas veritatis, nulla refectio justitiæ reperitur.

7. Diximus superiore numero, Mercurium, humidum & fluidum, planitiem omnem percurrere; at currendo nulli unquam rei, à se contactæ, tenaciter adhærere. De hoc Bercorius; *In superficie plani non liquescit, nec adhæret tangenti.* Hinc inscriptio; TANGIT, NON HÆRET. Minilstrũ fidelem ac integerrimũ hæc imago spectat, qui magnã pecuniæ vim in dies versans, manus suas nunquã tenaces retrahit, sed à rapiendi consuetudine penitus liberas & immunes servat. Talem se probavit Samuel, qui judicis munere quadraginta annis supra Israëlis populum functus, tandem, cum dignitati suæ renuntiaret, omnibus intuentibus in hæc verba prorupit; *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum: si de manu cujusquam munus accepi, & contemnam illud &c. & dixerunt, non tulisti de manu alicujus quippiam. &c.* Idipsum de B. Eugenio testatur S. Gregorius Papa in hæc verba; *Cùm eidem Prior quidam modicæ facultatis, cujus causam nondum audierat, marcam auri devotione multâ instanter offerret; nondum, inquit, ingressus es domum, & jam vis corrumpere Dominum: corruptionem namque vir credidit, quidquid offerebatur lite pendente.*

8. Plurimùm falluntur, qui argentum vivum naturâ suâ frigidum putant: tametsi enim manui tangenti videatur frigere, re ipsâ tamen calorem suum ad tertium usque gradum extendit; unde res quasvis vicinas adurit, perforat, incidit, aliasque vivacissimi caloris operationes exercet. Quare illud opportuno hoc lemmate insigniit D. Carducius; FLAGRAT, ET ALGET. Eos hæc imago concernit, qui in Principum aulis degunt, externâ quidem facie non adeò devoti, ac sæculares, at in corde suo Divinâ charitate & occultâ pietate plurimùm inflammati. *Quia bonum eorum intus est, absconditum est, in corde est, ubi fides, spes, charitas, ubi thesaurus illorum*; inquit S. P. Augustinus. Gratiosa hæc S. Ignatii Loyolæ imago est, qui gelido immersus stagno, è corporis superficie totus quidem videbatur rigere; at in interiore ipsius animo ardentissima charitatis flamma prædominabatur. Eidem ectypo minimè dissimilis S. Bernardus, tantâ amoris flammâ erga Deum arsit, ut, Veneris solicitantis incendia suffocaturus, nudum se in aquas congelatas abjecerit; sicque uno momento *& flagrârit & alserit.* Generosum istud Claræ vallensis Abbatis facinus D. Greg. Bolzi hoc epigrammate explicat.

Arserat aspectâ nocuo Puer igne puellâ:
Hunc tamen æthereo vicerat igne focum.
Pergit edax, sed turpis adhuc amor urere pectus,
Sæpè licet casto jussus abire sinu.
Quid faciat totam pessumdet ut ille favillam,
Sentiat in membris bella nec ulla suis?
Insilit in gelidas, quas fortè aspexerat, undas:
Hic humat hyberno corpora tota lacu.
Frigidior nivibus prodit frigente palæstrâ;
At non inde sibi frigidus ille fuit.

9. Mira Mercurii est indoles, quòd, tametsi naturâ suâ igneus, omnem tamen ignem tanto aversetur horrore, ut ab ipsius calore in venenatum fumum resolvatur, & flammarum vim nec minimum pati possit. Sicque *argentum vivum in igne positum*, è Bercorii sententiâ, *in fumum faciliter resolvitur, & mutatur, nec potest ignis violentiam sustinere.* Unde epigraphe; NON SUSTINET IGNEM. Et meus Carducius; FUGIT IGNEUS IGNEM. Ita cor humanum, ab opum, libidinis, aliarumque voluptatum amore, ceu igne terreno, inflammatum, ad cœlestem amorem percipiendum penitus incapax redditur. Certè Philistæi, Dagonis sui amore implicati, arcam Divinam repulerunt. Geraseni, ut porcos conservarent incolumes, Christo, vero amori Divino, nuntium remiserunt. Et Gentiles, Bedâ teste, *videntes potentiam Christi contra Deos suos, nolunt fidem ejus recipere, ne propter hanc solam cogantur Deorum suorum turbam* (Plutonem, Venerem, Cupidinem) *abdicare.* Demùm perversi Christiani, quod idem Beda asserit, *videntes propter fidem Christi interdicta sibi peccata, quæ amant: ipsam fidei religionem, quantum valent, detestantur: ne hujus occasione, desideria, quibus pro Deo serviunt, jubeantur extinguere.*

10. Mercurius, in frigido ac conveniente vase collocatus, totus quiescit: at, si fortè ignem vicinum sentiat, mox instar venenati serpentis in furorem agitur, sublimatur, & caloris impatiens, fumum horrendum evomit. Quamobrem D. Carducius hanc illi epigraphen subjunxit; DAT FLAMMA VENENUM. Homines mundani, in felicitatis suæ quiete, ac delitiarum tepore volutati, penitus tranquillos se demonstrant; at quando *in igne tribulationis ponuntur, tunc*, Bercorio asserente, *ipsum nequeunt sustinere, imò per impatientiam, jurationem, & desperationem continuò in fumum evaporant.* Haud aliter peccatores, auditâ zelosæ ac ferventis linguæ correctione, quantocyus excandescunt, &, in rabiem acti, horrendas evomunt calumnias. Exemplo suo id testatum fecère Hebræi, quando igneâ S. Stephani eloquentiâ perceptâ, *dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.* S. Bernardus; *Mira perversitas, medicanti irasci, qui non irascitur sagittanti, id est, adulanti, vel ad peccatum incitanti.*

11. Argentum vivum, naturâ suâ mobile ac fluidum, si plumbo jungatur, mirâ facilitate sistitur ac condensatur. De hoc meus D. Carducius; PLUMBI SOLIDATUR ODORE. Haud aliter complures, ingenii benignitate molles, pietate teneri, & charitate erga proximum faciles ac fluidi; si vitiorum consuetudine, ceu plumbo gravido & atro, utantur, pristinas suas virtutes exuunt, & in peccatis miserrimè obdurantur. Verissimè Seneca; *Unum exemplum, aut luxuriæ, aut avaritiæ, multùm mali facit, convictor delicatus paulatim enervat & mollit; vicinus dives cupiditatem irritat: malignus comes, quamvis candido & simplici rubiginem suam affricuit.* In partem meliorem id hoc modo interpretaberis; quod multi, spiritu benigni, ac temperamento suaves, fortibus aliorum exemplis confirmentur, & ad tolerandas quasvis clamitates invalescant. Adrianus, inter aulæ imperatoriæ delitias enutritus, cùm Christianorum *in fidei confessione, & tormentorum perpessione constantiam* observaret, ad sacra Catholica transiit, & in atrocissimis cruciatibus perferendis vires planè miraculosas ostendit. Gorgonius, Imperatori Diocletiano à cubiculis; & Dorotheus, ipsius Collega, consideratâ Martyris cujusdam in patiendo magnanimitate, ad eadem supplicia tolerando corroborati fuère. Geminianus, nobili loco educatus, cum *constantia fidei & Martyrii* in S. Lucia ipsi innotesceret, quantocyus illam imitari decrevit. &c.

12. Argentum vivum mortuos, olim in vitam redituros, clarissimo symbolo exprimit; nam aquâ forti seu stygiâ in pulverem redactum, & postea urnæ vitreæ immissum, solâ calcis vivæ virtute, & ignis robore, ad pristinam formam revertitur. Hâc Spagyricorum doctrinâ nixus D. Carducius, Mercurio subscripsit; REDIVIVUS AB URNA.

Marginalia (left column): ...r. Bercor. ...l. Reduct. 139. n. 1. — ...inister ...lelis. — Reg. 12. 3. — Greg. lib. ... Moral. — ...ulicus. — Aug. in ...l. 53. — Ignatius ...oyola. — Bernar...s. — Greg. Bolz. Lazario ... August. — ...cor. l. 6. ... n. 5.

Marginalia (right column): Mundanus rebus Divinis resistit. — Beda in 1. Reg. cap. 5. — Mundanus impatiens. — Bercor. l. 11. Reduct. c. 39. num. 5. — Peccator impatiens. — Act. 7. 54. — S. Bernard. sup. Cant. — Societas mala. — Senec. Ep. 5. — Societas bona. — 8. Septemb. — 16. Septemb. — Resurrectio mortuorum.

Idem Mercurius, digito in minutissimas arenulas & quasi atomos invisibiles contritus, mox eodem digito tangente, rursus confluit, & in pristinam integritatem reviviscit: uti de illo testantur Gabriel Fallopius, Medicus Mutinensis, & prior illo S. Gregorius Nyssenus. Un‹d›e lemma à me inditum; DISFATO IN POLVE, AL ESSER SUO SEN RIEDE. Id est; REDIVIVUS E PULVERE. In rem præsentem ipsamet P. Cornelii à Lapide verba advocare lubet. *Inter omnia resurrectionis symbola nullum significantius est hydrargyro. Hoc enim, si manu deducas in minutissimas arenas, evanescere videtur; mox ut eos rursum manu associas & conjungis, in pristinam hydrargyri formam confluendo redeunt, & quasi reviviscunt.* S. P. Augustinus; *Resurrectionem carnis ita credimus, ut dicamus, nos in eâdem, in quâ nunc sumus, veritate membrorum esse reparandos, qualesque semel post resurrectionem fuerimus effecti, in perpetuum mansuros.*

Gabr. Fallop. in hidrargiro. S. Greg. Nyss. lib. de Crea. hom. num. cap. 28. Corn. à Lap. in Ezech. cap. 37. v. 6. S. Aug. ser. 191. de Temp.

13. Chymicis suffragatur experientia, quòd Mercurius sublimatus in venenum degeneret; dejectus verò, & aquâ forti seu secretoriâ præcipitatus, validissimi antidoti loco sit. Unde lemma; DISCESO AUVIVA, E SUBBLIMATO UCCIDE. Et meus D. Carducius; LETH FER ASCENDIT, SED VERGIT IN IMA SALUBRIS. Ita Saul, cùm in profundam & humillimam sui existimationem descendisset, & voces has infimas de se ipso pronuntiâsset, *Nunquid non filius Jemini ego sum, de minimâ tribu Israel, & cognatio mea novissima*; mox à populo Princeps optimus, & Israëlis Salvator acclamatione faustissimâ fuit salutatus. *Unxit te Dominus in Principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus.* At postea ad Regni solium sublevatus, in pestem adeò venenatam defecit, ut mortem violentam etiam adversus benefactores suos, quamlibet justos & innocentes, ausus sit machinari. Neque prô dolor! Mundo defuere unquam, quos in infimâ fortunâ beneficos, & in sublimi mortiferos deploraret. Unde optimum Magni Augustini consilium est; *In summo honore summa tibi sit humilitas. Honoris laus est humilitatis virtus.*

Humilis exaltatus. 1. Reg. 9. 21. Ibid. c. 10. v. 1. Superbus tyrannus. S. Aug. ser. 213. de Temp.

14. Hydrargyrum, tametsi auro arctissimè inhærens, fornaci tamen injectum, mox liquatur, & deserto auro, abit. Unde lemma, IN ADVERSIS FUGIT. Ita omninò amicos nonnisi inter adversa probare licet: adulterinus enim, mutante fortunâ, mox fugam molitur, omnemque pristinæ amicitiæ nexum dissolvit. *Est enim*, Siracide teste, *amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* Verissimè D. Augustinus; *Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.* Et Antonius; *Aurum probari solet igne, amici verò benevolentia, tempore arguitur: qui enim tempore secundæ fortunæ amico adulatur, temporis est amicus, non amici.* Unde Ennius.

Animus falsus. Eccl. 6. 8. S. Aug. l. 93. Quæst. q. 71.

Amicus certus in re incertâ cernitur.

Et S. Gregorius Nazianzenus; (S. Greg. Naz. in Iambic. 45)

Fidis amicis nil puta præstantius,
Quos casus asper parturit, non pocula,
Qui profutura consulant, non quæ placent.

AVRVM.

Caput III.

15. AUrum, inter metalla nobilissimum, nullas unquam rubiginis injurias sustinet. Unde lemma, massæ aureæ præfixum; RUBIGINIS EXPERS. Richardus à S. Laurentio Mariam Virginem, à cujusvis peccati rubigine penitus immunem, in illo auri schemate repræsentat. *Est aurum mundum*, inquit, *carere peccato mortali; est mundius, carere veniali; mundissimum aurum est, carere fomite peccati, quod nullus habuit, præter Beatam Virginem, unde congruè attribuitur ei superlativus gradus.* De illâ enim sub figuræ involucro sacræ Litteræ testantur, quod Salomon thronum suum, id est, Deus sanctissimam Matrem suam, vestiverit *auro fulvo nimis.* Atque adeò aurum genuina nobilissimæ ac summæ puritatis idea est, qualem in quovis Prælato his omninò verbis exigit meus Absalon Abbas. *Purum est aurum, quoniam in terra depositum, neque rubiginem, neque maculam à terra contrahit, sed suam omninò servat puritatem: sic etiam Prælatus Ecclesiæ in terra, id est, inter terrenos, & peccatores conversans, nullam maculam peccati ab illis contrahere debet, sed omni diligentia servans cor suum, munditiam mentis & puritatem conscientiæ retinere.*

Mariæ V. puritas. Rich. à S. Laur. lib. 10. 3. Reg. c. 10. Prælatus sit purus. Absal. Abb. serm. 51.

16. Auri lamina, dente lupino extergi solita, epigraphen tenet; TERGENDO NITIDIUS. Haud aliter anima nostra, frequenti conscientiæ examine, aut Pœnitentiæ Sacramento abstersa, splendorem nobilissimum sortitur. S. Joannes Chrysostomus in illa S. Scripturæ verba, *Quinque annulos aureos facietis*, ait, *Dum commissa attentius lugemus, injustitiæ splendorem membra deauramus.*

Examen conscientiæ. Pœnitentia. S. Chrys. in 1. Reg. 6. 5.

17. S. Laurentium Martyrem, aut alium quemvis Justum afflictum, auri Emblemate exornabis, cui, supra ignem collocato, inscribes; NON LÆDITUR, SED PROBATUR. Enimverò Deus suos servos diversis suppliciis excruciari permittit; non quidem ut eos torqueat, sed ut eorum fidem periclitetur. Ovidius;

S. Laurentius. Justus afflictus. Ovid. lib. 1 Trist. Eleg.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Salomon homines justos, diversis angustiis à Divinâ providentiâ coarctatos, penitus considerans, de Creatore ait; *Tentavit eos, & invenit illos dignos se.* Et; *Tanquam aurum in fornace probavit eos.* Atque adeò flamma illis non quidem offendendis, sed solummodò explorandis deserviit. Tertullianus, *Audio*, inquit, *dicentem Deum: uram illos, sicut uritur argentum, & probabo illos, sicut probatur aurum utique per tormenta ignium & suppliciorum, per martyria fidei examinatoria.* Succinctè, & instar proverbii S. Gregorius Nazianzenus. *Aurum flamma; bonos adversa probabunt.* Et Joannes Audenus;

Sap. 3. 6. Tertull. in Scorpiaco. S. Greg. Naz. lib. 3. sent.

Quod fornax auro facit; hoc tribulatio Justis,
Rebus in adversis certa probanda fides.

18. Aurum, tametsi nobilissimis virtutibus à natura donatum; in suis tamen natalibus terris adeò vilescit, ut in Æthiopia, ad sceleratos vinciendos, catenæ ex illo fiant; & ab Indis integri globi aurei pro exiguis vitri fragmentis commutentur. Ut adeò massam auream proprio hoc lemmate insignias; VILESCIT IN PATRIA. Ita non rarò evenit, summi ingenii hominem inter conterraneos postremo haberi loco. In hanc sententiam dilucidè concedens Evangelista: *Nemo Propheta*, inquit, *acceptus est in Patria sua.* Domino suo id expertus Cimon, Milthiadis filius, cùm Athenas nobilissimâ victoriâ adversus hostes suos vindicâsset, ab Atheniensibus patriâ proscriptus est. Eidem Athenienses Themistoclem patriâ extorrem fecere. Alcibiades ab eâdem suâ patriâ capite damnatus est. Socrates in illâ debuit veneno occumbere. &c. Cæterum

Virtuosi patria neglecti. Luc. 4. 24.

rum eos quoque imago hæc concernit, qui nobilissimis naturæ dotibus instructi, inter patrios lares vilescunt, cùm in religiosa vita, desertâ patriâ, plurimùm coràm Deo & hominibus æstimarentur, magnosque fructus in vinea Domini proferrent. Certè Apostoli in patriis Galilææ stagnis delituêre, & inter piscatorum turbas fuêre absconditi; at in omnem terram à Christo missi, ita inclaruêrunt, ut Principes terræ nominarentur, ipsisque etiam imperarent Imperatoribus. S. Chrysostomus; *Misit Christus Apostolos quasi sol radios suos, quasi rosa suavitates odoris sui. Faciebat enim mirabilia Christus, faciebant & discipuli ejus, & inter mirabilium operationes major fama virtutum crescebat.*

Apostoli.

S. Chrysost. in Matth.

19. Academici Ardentes Viterbii, Emblematis loco, catillum auro plenum præferunt, quod in igne ebulliens epigraphen sustinet; DONEC PURUM. vel ut aliis placet; USQUE PERFICITUR. Hominem constantem, & nunquam, nisi impositâ coronide, à negotiis suis dimovendum, hæc imago exprimit. Animas quoque concernit, in piacularibus flammis tamdiu excruciandas, quoad à minimâ quavis labeculâ purificatæ fuerint. Mirum sanè est, hanc de animabus, in altera vita ob culpas suas excruciandis, doctrinam à Virgilio dilucidissimè tradi;

Perferant-e.

Purgatorium.

Virg. 6. Æneid. v. 739.

Ergò exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, alii sub jurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Et id quamdiu?

DONEC longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, PURUMQUE reliquit.

At relicto Poëta, Magnum Augustinum audi; *In te tribulatio fornax artificis est, si tamen aurum sis, & non palea: ut sordibus careas, non in cinerem convertaris.* Vires huic doctrinæ subministrans Malachias, de Divino Judice ait; *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi.* Rursus in rem præsentem S. P. Augustinus super illa Psaltis Regii verba, *Veruntamen Deo subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*; ait, Justorum animas calamitatum igne tamdiu à Deo cremari, donec instar obryzi auri penitissimè expurgatæ fuerint. Ipsius verba, optimâ fide ita accipe. *Venit tribulatio mea, venit & patientia mea, & purgatio mea. Nunquid lucet aurum in fornace artificis? in monili lucebit; patiatur tamen fornacem, ut purgatum à sordibus, veniat ad lucem:* Et paulò post; *Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, artifex Deus. Quod vult ergo artifex, facio; ibi me ponit artifex? tolero. Jubeo ego tolerare, novit ille purgare.* S. Gregorius Nazianzenus calamitatibus, ærumnis, infirmitatibus, persecutionibus, aliisque innumeris tam externis, quàm internis doloribus extremè tortus, inter cæteras causas, cur Deus suos amicos tantoperè affligat, etiam hanc recenset, quod Divina Majestas illos, instar auri, in miseriarum igne penitùs extersos ac emundatos velit. Unde inter cætera sua poëmata, in quibus *Ærumnas suas luget*, ad Deum conversus canit;

Calamitas purificat.

S. August. in Psal. 30.

Malach. 3. 2.

S. Aug. in Psal. 61.

Greg. Nazianz. in lib. ærumnas suas lu-t.

O Patris æterni sapientia, dic age, quæso,
Dic age, tantorum quæ sit mihi causa malorum?
Cur labor egregios homines exercet, & angit?
Impia cur nullo vexatur turba labore?
Suppliciisne scelus meritis tua vindicat ira?

An potius PURGAS ANIMOS FORNACE DOLORUM,
EXIMERE UT SORDES FULVO SOLET IGNIS AB AURO?

20. Aurum in catillo epigraphen tenet; PROBATUM ÆSTIMOR. Hinc discas velim, calamitatem existimationis acquirendæ instrumentum esse omnium opportunissimum. S. Paulinus illa sacri Epithalamii verba interpretatus, *Caput ejus aurum optimum*; inquit, *Hoc aurum forma Sanctorum est, qui in capite corporis ut lumina micant, & sunt aurum ignitum Deo, quia videlicet eos, per examina passionum in hujus mundi fornace conflatos, invenit (ut scriptum est) dignos se, & in his sacram imaginis suæ percussit monetam &c.* Eodem symbolo genuinam veræ virtutis ideam expressam habes, quæ tunc demum omnium maximè æstimatur, quando manifestum sui periculum fecit. Item animæ, in piacularibus flammis detentæ, nonnisi post incendii dolores toleratos, ad paradysi gloriam obtinendam censentur dignæ.

Calamitas prodest.

S. Paulinus Epist. 4 in Cant. 5. 11.

Virtus explorata.

Purgatorii animæ.

21. Mediolani, in Arcimboldie scholis, Aurum cernitur, in catillo supra ignem collocatum; cum lemmate, PRETIUM EXAMINE CRESCIT. Idipsum Plinius his omnino verbis dixit; *Quò sæpè arsit, proficit ad bonitatem.* Mens Emblematis est, veram virtutem, instar auri, per diversa calamitatum incendia progessam, à Deo & hominibus plurimùm æstimari. Tertullianus; *Cùm exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore.* Et S. Joannes Chrysostomus super illis Psalmi verbis, *Qui exaltas me de portis mortis*; ait, *Non dixit liberas, sed exaltas, non enim in eorum malis tantùm solvendis subsistit Dei beneficium, sed facit eos etiam admirabiles, insignes, & clariores.* His accedens Seneca, *Ipsis*, inquit, *Deus consuluit, quos esse quàm honestissimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid animose, fortiterque faciendi. Ad quam rem opus est aliquâ rerum difficultate. Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas &c.*

Plin. l. 3. c. 3.

Virtus inter persecutiones.

Tertull. l. de fuga c. 3.

S. Chrysost. in Psal. 9.

Senec. l. de Provid. c. 4.

22. Otio fervorem animi omnem deperdi, P. Certanus ex auri symbolo demonstrat, quod in catillo carbonibus extinctis circumdatum, epigraphen reddit; TEPESCENTE DURESCO. Diacodus, construendi hujus symboli occasionem subministrans, ait: *Ut enim, cùm quis vult aurum purgare, si paulisper ignem in fornace cessare sinat, facit ut rursus materia auri, quæ purgatur, durescat. Sic qui aliquando memor Dei est, aliquando non est, quod is videtur per orationem comparare, hoc perdit otio.*

Otium.

Diacodus li. de Profect. spir. cap. 97.

23. D. Salvator Carducius, meus Concanonicus, è fœcundâ ingenii sui fodinâ ad Mundum nostrum symbolicum locupletandum complura auri Emblemata congessit. Inter cætera inquit, aurum, tametsi præ reliquis metallis, omnibus nobilissimum, natales tamen suos ex obscuris & horridis cavernis trahere: ut adeò opportunam hanc subjunxerit epigraphen; E TENEBRIS ORTUM. Homines, dignitate sublimes, & meritis illustres, loco tamen humili & obscuro natos, hoc Emblema spectat. Ita Sancti Apostoli nonnisi ruri, & inter piscatorum vulgus nati fuêre. David, à gregibus pascendis ad regni solium evectus, pedum cum sceptro commutavit. Seneca. *Quemcunque volueris nobilem revolvere, ad humilitatem pervenies. Quid recenseam singulos, cùm hanc urbem tibi possem ostendere? nudi stetêre colles, inter quos tamen effossa mœnia. Nihil est humili casa nobilius.* Cæterùm Emblematis mentem hoc disticho interpretatur D. Carducius;

Natales tenues.

Senec. de sent. Orat.

Ut

Ut sol E TENEBRIS exortum fulgurat aurum;
Davidicum è sylvis sic nitet orbe decus.

24. Aurum, tametsi naturâ suâ minimè sonorum, ac penè mutum, mentes tamen humanas validissimè ad se convocat. Ut adeò è Poëtis nonnemo verissimè canat.

Quod ferro magnes; humanis cordibus aurum est:
Consensu tacito ferrea corda trahit.

Unde lemma; SURDO CUNCTA SONO. Avarus. Fidem symbolo huic adstruunt avari, qui surdo auri sono ad quæcunque totius mundi loca vocantur, nullique parcunt labori vel itineri, ut illud per fas nefasque acquirant. Sanctus P. Augustinus; *Amatores auri vide quanta patiantur; Hyemalibus asperitatibus se navigando committunt, jactantur ventis, suspenduntur, & deprimuntur fluctibus, ineffabilibus periculis usque ad mortem agitantur.* (S. Aug. ser. 100. de Divers.) Iidem omninò Dei sunt mores, quando nostros animos vocibus tantùm internis in suam sententiam conatur flectere. (Gratia Dei.) Pergit idem Poëta;

Pectora cuncta sono surdo velut attrahit aurum;
Sic Domini verbum barbara corda trahit.

25. Aurum caloris proprii loco squalidum croci pallorem habet; qui tamen color ei magnam æstimationem ac pretium inde addit, quod demonstret, aurum tantò esse à cupri commixtione liberius, quò est pallidius. Unde David auro pallorem, veluti proprium comitem, jungens, ait; *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* (Psal 67.14.) Id observans D. Carducius, auro inscripsit; PALLORE PULCHRIUS. Pœnitens. Innuebat videlicet, Justum, pretioso charitatis auro insignem, tum demùm maximi æstimari, si mortificationis ac pœnitentiæ squalore pallescat. Sanctus Basilius; *Uti optimus corporis habitus & coloris bonitas pugilem à cæteris distinguit; sic Christianum à cæteris secernit macilentia corporis, pallorque deflorens, qui continentiæ velut adjunctus est comes; indicio est enim, Christi mandatorum verè pugilem esse.* (S. Basil. in Regul disp. reg. 17.) D. Carducius de Magdalena pœnitente canit;

PULCHRIUS en aurum innato PALLORE coruscat.
Magdala sic squalens fit Magè pulchra polo.

26. Mira adeò est hujus metalli magnanimitas, ut radios solares in auream laminam sparsos, rursus geminato ac felici incremento in res vicinas effundat. Unde lemma; JUBAR CUM FOENORE REDDIT. (Matth. 25.15) Bonos illos operarios, in Evangelio tantoperè laudatos, hæc idea spectat; quorum unus ex acceptis quinque talentis, alter verò è duobus geminatum Domino suo retulére lucrum. Doctrina utilis. Usura tamen maximè proficua, omniumque lucrosissima est, quæ vel animæ nostræ è virtutum incremento; vel proximorum saluti è nostrâ docendi agendique industriâ accedit. Hoc sensu Sanctus Gregorius Papa; *Sunt nonnulli,* inquit, *qui dum intelligendo & operando aliis prædicant, quasi duplicatum de negotio lucrum reportant, quia dum utriq; sexui prædicatio impenditur, quasi accepta talenta geminantur.* (S. Greg. Homil. 9. in Evang.)

27. Accidisse nonnunquam legimus, quod ignis, in densis sylvis accensus, cùm ad arborum radices calore suo penetrâsset, integros auri & argenti liquefacti rivulos spectaculo adeò jucundo elicuerit, ut è cuniculis suis, in quibus delitescebant, per declivem glebam copiosè profluere visa fuerint. Hanc experientiam innuebat ille, qui Emblematis loco aliquot auri rivulos, sylvâ ardenti promanantes, depinxit; addito lemmate, ELIQUAT ARDOR. Eleemosynarius. Mens Emblematis erat, S. Thomæ Villanovani cor tam immodico charitatis ardore exæstuâsse, ut copiosa eleemosynarum flumina in pauperum sinus effuderit. *Cùm enim aliquis Deum diligere ex toto corde incipit, statim non solùm ad proximos, sed etiam ad inimicos benevolentiæ stillicidia, & gratiæ fluenta diffundit;* (S. Bern. O. pusc. de charit. c. 1) inquit in rem nostram opportunissimè Sanctus Bernardus.

28. Lamina aurea, solaribus radiis perfusa, splendorem ita copiosum spargit, ut res quasvis propinquas illustret. Id quod Machabæorum Historia his omninò verbis innuit; *Ut refulsit sol in clypeos aureos, resplenduerunt montes ab eis &c.* (1. Mach. 6. 39.) Unde epigraphen subjunges; AFFUSUM JUBAR EFFUNDIT. Ita Prælatus in virtutum existimatione hominem planè aureum referat, ut copiosos gratiæ suæ radios, à Sole Divino transfusos, etiam in subditos reflectere possit. (Prælatus subditos illustrans) Optimè dixit meus Absalon Abbas; *Est autem fulgidum usque adeò, quod radio solis reverberatum, res sibi vicinas fulgentes facit: sic & Prælatus fulgere debet exterius bonâ operatione, ita tamen, ut radio Divinæ gratiæ opera ipsius luceant, & tali luce illuminata cæteros adbenè agendum illuminent & accendant.* (Absal. Ab. serm. 51.)

29. Aurum, in aurifabri fornace liquescens, epigraphen tenet; ARDET, UT LUCEAT. Calamitas. Idipsum, quod fornax auro, calamitates præstant homini. Sanctus P. Augustinus; *Nunquid lucet aurum in fornace aurificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit; patiatur tamen fornacem, ut purgatum à sordibus veniat ad lucem.* (S. Aug in Psal. 61.)

30. Quidam inter Physiologos Auctor egregius de auro scribit in hæc verba; *Ex purissimi auri ramentis parari potest pulvis, qui radiis solaribus accensus, boatu majori, viribusque decuplo potentioribus, quàm pulvis tormentarius fulminet: adeò, ut, si incendatur in mensâ, eam pertundat.* Unde auro, in pulverem attrito, subscribes; IMPULSUS AB ATTRITO. Reverendissimus D. Jo. Adamus Weberus, meus Concanonicus, & Prælatus Hügel-Wertensis, in eruditissimo suo itinere cœlesti hanc iconem de Ecclesiæ Pastoribus interpretatur, qui in pulverem humilitatis redacti, & à Sole Divino cœlestis gratiæ radiis inflammati, tantam exercere solent ad concitandos pios motus energiam, quantam oderunt improbi, exoptaruntq; semper omnes probitatis amatores. (Humilit in Prælat.) Sanctus Franciscus Xaverius, in Indiam navigans, cùm ægrorum lectos sterneret, cibos coqueret, medicinas porrigeret, audiretque sibi objici, hæc tam vilia munia dedecere Legatum Apostolicum, qualis ipse erat; respondit, *ea decere discipulum & Apostolum Christi, quia Christus humilia obivit, eaque quasi nobilitavit.* Unde etiam hâc suâ humilitate fructum adeo uberem retulit, ut Indiarum Apostolus cognominari sit promeritus. S. Hieronymo teste, *Nihil est, quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, quàm si vitæ merito non magni, sed humilitate infimi simus.* (S. Hieron. ad Celant.)

31. Aurum obryzum, immissum catillo vel centies, nihil deperdit substantiæ, ut testatur Quintilianus. Unde lemma; NUNQUAM MINUETUR IN IGNE. Ita tres Pueri in fornace

nace Babylonica, Sanctus Joannes Evangelista in olei ebullientis olla, & S. Vitus in succenso cacobo non tantùm in corpore nihil sustinuêre decrementi, sed & animam innumeris condecorârunt meritis, & virtutibus. Ita nimirùm tantùm abest, calamitates aliquid auferre homini, ut potius plurimùm incrementi afferant. Sancto Gregorio teste, *Electorum desideria, dum premuntur, adversitate proficiunt: sicut ignis flatu premitur ut crescat, & unde quasi extingui cernitur, inde roboratur.*

Camitas

S. reg Pap. in Moral.

CVPRVM. seu Æs Cyprium.

Cap. IV.

32. Hominem, ad iracundiam & inconditos clamores facilè provocandum, æri cyprio non absimilem dices, quod, naturâ suâ rubicundum ac sonorum, epigraphen tenet, ET RUBET, ET RESONAT. Genuinos hos effectus in iracundo deprehendens Seneca, ait; *Talem nobis iram figuremus, flammâ lumina ardentia, sibilo, mugituque, & gemitu, & stridore, & si qua his invisior vox est, perstrepentem.* Et rursus; *Alii nimio fervore rupêre venas, & sanguinem supra vires elatus clamor egessit. &c.* Porrò verus Prædicator Apostolicus, instar æris cyprii, sacro zelo exardescit, & sonoris suis vocibus ad auditorum corda penetrat. Sanctus Gregorius illa Ezechielis verba examinans, *Et scintilla quasi aspectus æris candentis,* ait, *Æris metallum valdè sonorum. Et rectè voces prædicantium æri comparantur, quia in omnem terram exivit sonus eorum. Bene autem æs candens dicitur, quia vita prædicantium SONAT, ET ARDET. Ardet enim desiderio, sonat verbo.*

Iracun-cs.

Sec. l. 2. de irac. 35.

l. me. 36.

Prædica-tor,

S. Greg. hom 3 Ezech.

33. Æs Cyprium, tympanis, tubis, aliisque sonoris instrumentis efformandis accommodatum, militum animos adversus hostem concitat. Unde D. Carducius illud hoc lemmate dignoscendum proposuit; AD PRÆLIA CIET. Si Emblematis mentem in sinistram partem interpretari libeat, non incongruè linguam maledicam illo significari dixeris, cui solenne est, assiduas rixas ac horrendos tumultus inter domesticos excitare. De hac linguæ maledicentia laconicè S. Jacobus ait; *Inflammat rotam nativitatis nostræ.* Davidi illius verba cognominantur *verba præcipitationis*; vel ut, referente Joanne Lorino, alii legunt, *Verba perditionis, oppressionis, dissipationis, pernitiei.* Porrò in saniorem partem intellecta hæc imago, prædicatorem concernit, cujus voces, instar æneæ tubæ, fidelium animos ad vitiorum odia, ac virtutis amorem exstimulant. S. Cyrillus Alexandrinus; *Et equum quidem per se alacrem, & erectum cùm vehemens belli strepitus, sonitusque armorum, tum ferri coruscantis intuitus, ac tubarum in præliis, haud vacuus terrore clangor ad belli amorem excitant, atque impellunt: hominis autem justi animum ad Divinum certamen acuit sermo de rebus præclarissimis institutus, atque ad Divini amoris affectum haud mediocriter excitat.* Argumento haud multùm diverso Sanctus Joannes Chrysostomus ait, quod S. Paulus, Prædicatorum idea, *Tanquam tuba terribile canens, & bellicum hostes quidem consternit, lapsos autem suorum sensus excitat.*

Maledi-cus.

Job. 3.

Psal 51.

Prædica-tor.

Cyrill. A. Hom. 9. Fest. Pasch.

Io. Chrys. hom 1. ad populum,

34. Cuprum, quantumvis naturâ suâ firmum, ab ærugine tamen obducitur & devoratur, uti in vasis cupreis indicies videre est. Proinde Carducio authore, hanc gnomam lemmatis loco pronuntiat; FOEDOR ÆRUGINE CITA. Hominem, viribus quidem lacertosum & fortem; at doloribus, egestate, tentationibus, cæteroq; innumero calamitatum agmine miserè obsessum hoc symbolo afficies. Præclarè S. Greg. Papa in illud Psalmi, *Non est sanitas in carne mea,* ait; *Portamus corpus mortale, doloribus obnoxium, indigentiis impeditum: quod nimirum tentationes sollicitant, sollicitudines angustant, angustiæ conterunt, contritiones affligunt. Quodque etiamsi aliquando videatur esse validum, ipsâ suâ valetudine magis invenitur infirmum,*

Homo infelix.

S. Greg in Psal. 3. Pœn.

35. Rubore quidem satis venusto resplendet cuprum, at vasa ex illo confecta, nisi stanno illiniantur, cibos intra se bullientes sapore quodam vitioso, ac humanis corporibus exitiali corrumpit. Ut adeò hanc illi epigraphen jure subjunxeris; SUB LUCE VENENUM. Idiqsum divitiis consuetum est, quæ humanis oculis suo splendore aliquamdiu blandiuntur; at paulò post totum hominem lethali ac turpissimo avaritiæ vitio contaminant. S. Cyprianus falsa illa promissa, Servatori nostro à Dæmone facta examinans, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*; hominem mundanum, bonis transitoriis plus æquo deditum, his omninò verbis alloquitur; *Quid ultrà cupide quæris? quid amplius avare desideras? nunquid & sic poterit impleri ambitio tua, aut satiari potest fames tua, offâ hujus mundi injectâ dentibus tuis, & faucibus tuis universâ rerum massâ intrusâ? tandem subjungit; Peremptoria sunt hæc consilia, quæ tibi alia pollicentur, in quibus necesse est aut vomitu, aut ruptis interire visceribus* Cæterùm muliebris venustas, hypocrysis, & hæresis, cupro simillimæ, fulgorem quemdam fucatum oculis nostris objiciunt, simulque præsentissimum animæ venenum instillant.

Divitiæ.

Matth 4. 6.

S. Cypr serm. de Iejunio & tentat. Christi.

Venustas. Hypocrisis. Hæresis.

36. Cuprum, humiditatis beneficio, materiam quandam gummosam exsudat, quæ virore sat gratioso tincta, à Latinis *Flos æris,* seu ærugo cognominatur: at florem hunc adeò infelicem ac noxium experimur, ut inter venena numeretur. Adeoque cuprum, uti lemmatis loco meus Carducius asserit; VIRIDI DAT FUNERA FLORE. Talis est omnis fiducia de quibusvis rebus terrenis concepta; hæc enim virore quidem admodùm læso superbit, & florem, paulò post in uberes fructus commutandum, mentitur; at, quantùm fallitur spes omnis mundana! tandem enim flos ille adulterinus nonnisi angustias, morbos, & extremam perniciem parturit, spe illâ vanissimâ lactatos mortales sollicitè deplorans Isaias, *Confidunt,* inquit, *in nihilo, & loquuntur vanitatem, conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem; ova aspidum ruperunt.* Veluti diceret; illos suis ovis, utpotè genuino spei terrenæ symbolo, anxiè incubasse, ut olim pullum in tanti laboris vicem reciperent: at prô dolor! conatu prorsus irrito; nam rupto putamine quid? *quod fotum est, erumpet in regulum.* Vel, ut S. Cyrillus Alexandrinus vertit; *Ubi fractum fuerit, aspis erit:* Seu Aquilâ traduce; *quod fotum est, in viperam divisum est.* Verissimè in rem nostram S. Cyprianus; *Malorum blandientium virus occultum est, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusæ illecebrosa fallacia; instar cujusdam veneni, ubi in lethales succos dulcedine aspersa, calliditate fallendi, sapore medicato, poculum videtur esse, quod sumitur; ubi epota res est, pernicies hausta grassatur.*

Spes mundana lethalis.

Isa. 59. 4.

S. Cyprian. Epist. ad Donatum.

ELECTRUM.

Caput V.

37. AMbigua est electri vox; aliàs enim succum quemdam nobilem significat, qui è pino arbore destillans, & in pretiosam gemmam obduratus, à Latinis *succinum* dicitur; sed quia superiore loco hanc gemmam prolixè consideravimus, idcircò in præsenti altera Electri acceptio, quâ metallum significat, explicanda venit. S. Isidorus duas hujus metalli species affert; unam, quæ solius naturæ viribus nascitur; alteram, quæ è tribus partibus auri, & una argenti, inter se commixtis, formatur. Huic posteriori epigraphen subjunxi; ARGENTO NECTITUR AURUM. Genuina hæc Incarnati Verbi idea est, in quo pretiosum Divinitatis aurum cum purissimo humanitatis argento prodigiosè colligatur. Rupertus Abbas, ad illud Ezechiëlis oraculum reflectens, *Et de medio ejus quasi species electri*; ait, *Electrum pretiosissimum, ex auro argentoque confectum, una eademque persona Mediatoris Dei & hominum, in quo pretiosa Divinitas ut aurum, nostra verò humanitas mundissima in illo velut argentum est.*

Lib. 12. v. Succinum. S. Isid. l. 16. cap. 23. Verbum Incarnatum. Rup. Abb. in Ezech. 1. 4.

38. In pretiosa illa electri mixturâ, argenti dignitas plurimùm quidem incrementi accipit, & insolitam claritatem sortitur; At auri splendor à pristino suo nitore nonnihil imminuitur & quasi temperatur. Atque adeò, lemmatis loco, de illa commixtione dices; CLARET ARGENTUM, TEMPERATUR AURUM. Ita natura humana mirificum in Christo splendorem recepit; Divina verò oculis nostris suavissimè cernitur attemperata. S. Gregorius Papa totam Emblemati præsenti occasionem suppeditans, *Electrum*, inquit, *ex auri argentiq; metallo miscetur, in quâ permixtione argentum quidem clarius redditur, sed tamen auri fulgor temperatur.* Talis omninò Dei Filius, *dum semetipsum nobis ex Divina atque humana natura composuit, & humanam per Deitatem clariorem reddidit, & Divinam per humanitatem nostris aspectibus temperavit.*

Verbum Incarnatum. S. Greg. 28. Moral. c. 1.

39. Electrum, naturâ suâ sine commixtione natum, si veneno propinquum fuerit, in acerbos stridores prorumpit, & varii coloris fulgura spargit. S. Isidorus de illo scribit; *Si ei infundas venenum, stridorem edit, & colores varios in modum arcus cœlestis emittit.* Epigraphen ego subjunxi; STRIDETQUE, RUBETQUE VENENO. Perfecti pœnitentis hæc idea est, qui pristinas culpas, ceu animæ suæ venenum, abominatus, è vultu suo prolixam rubescentium flammularum iridem explicat, &, dum peccata sua confitetur, sacrâ indignatione, justo zelo, ac rubore plenus, contra se ipsum stridet. Geminos hos animi contriti affectus probè observans illud pœnitentiæ speculum David, in has prorupit voces, *Operuit confusio faciem meam*; Et rursus, *Rugiebam à gemitu cordis mei.* S. P. Augustinus, *Erubesco, ais, pœnitentiam agere? Si timor erubescendi revocat te à pœnitentia, pœnitentia autem facit te accedere ad Deum; non vides quia pœnam gestas in vultu. &c.* Cæterùm in eodem electri symbolo Apostolicum Prædicatorem dignoscere licet, qui, instar Eliæ, adversus mundanæ nequitiæ venenum acerbè stridere, & plurimos reprehensionum, exaggerationum, persuasionum, ac minarum colores diffundere solet.

S. Isid. l. c. Pœnitens. Psal. 68. 8. Psal. 37. 9. S. Aug. in Psal. 31. Prædicator.

40. S. Isidorus author est, quod Electrum *clarius cunctis metallis fulgeat.* Unde meus D. Carducius subscripsit; FULGORE METALLA TRIUMPHAT. Ex hac Electri prærogativâ bellam Verbi Incarnati imaginem efformare licet, quod admirando suo splendore reliquas creaturas omnes infinitis antecedit intervallis. Moses equidem radiis adeò claris coruscavit, ut facies ejus visa fuerit cornuta. Elias flammulis illustribus, ac penè igneis effulsit. At Filii Divini facies instar solis amplissimè resplenduit. De hoc disserens S. Hieronymus, ait; *Fulgor ipse & Majestas Divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu &c.* Maria Virgo instar Electri, omnium electorum splendorem longissimè superat: si enim hos veneneris ut stellas, illa est *amicta sole.* Si hi peculiaris cujusdam patriæ ac civitatis aut provinciæ terminos illustrent, Maria suos radios in universum orbem liberalissimè diffundit; quippe *cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.* Et ut compendio de tanta Virginis beneficentia concludam; *Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu supergressa es universas.*

S. Isid. l. c. Verbum Incarnatum. S. Hieron. li. 1. in Matth. cap 29. Maria V.

FERRVM.

Caput VI.

41. FErro candenti, ex ustrina in lacum merso, inscripsêre; FIRMIUS AD OPUS. Vel ut P. Certano placet; OBDURESCIT. Haud aliter anima, diversis contrarietatibus probè afflicta, in negotiis perficiendis robustior evadit. S. Gregorius Nazianzenus; *Philosophicus ANIMUS, ex eo, quod passus sit, generosior redditur, atque ut candens ferrum frigida aspersione, ita PERICULIS OBDURESCIT.*

Calamit[ate] roborat. S. Greg. Na[z.] Orat. 23.

42. Ferrum candens, aquâ perfusum, epigraphen ab Aresio recepit istam; PERFUSUM FRIGESCIT. Alius eidem penitus inflammato, & intra officinæ ferrariæ lacum submerso, inscripsit; EXTINGUIT PENITUS. Innuebant videlicet, iracundiæ ardores, adversus proximum nostrum jactatos, solius mansuetudinis beneficio temperari. S. Joannes Chrysostomus; *Quomodo candens ferrum, aquâ tinctum, ignem perdit, ita ira, si in lenem & patientem inciderit, patientem nihil lædit, sed magis juvat. &c.*

Mansuetudo. Patientia. S. Io. Chrys. Hom 22 Ep. ad Heb.

43. Bargalius, nuptias Emblemate significaturus, duo candentis ferri fragmenta pinxit, quæ mox unienda epigraphen tulêre; IGNE JUNGUNTUR PARI. Vera enim felicitas geminis sponsis ex amore mutuo advenit. Optimè canit Homerus;

Nihil enim hoc potius & melius,
Quàm cùm concordes animis domum habitant
Vir & Uxor.

Amor sponsorum. Homer. l 6 Odyss.

Andreas Tiraquellus S. Scripturam, de nuptiis in hæc verba statuentem, examinans, *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*; ait, *Uxori non penitus adhærere videtur, nisi & cum ea in amore & voluntate consentiat & uxor cum marito.* Succinctè & clarè S. P. Chrysologus; *Amicos morum facit imitatio, similitudo conjungit.*

Tiraquell. leg. Connu[b.] s. n. 19. Gen. 2. 24.

44. Idem Bargalius ferro, intra ustrinam posito, subscripsit; RUBIGO CONSUMITUR. Mens Emblematis est, animam, charitatis Divinæ flammâ succensam, omni scelerum ferrugine expurgari. *Tantò namque ampliùs*, asserente D. Greg. Papâ, *peccati*

Charitas. S. Greg. Ho[m.] 33. in Luc [.] v Quonia[m] dilexit mu[l]tum.

peccati RVBIGO CONSVMITVR, quantò peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.

45. Cor humanum, charitatis Divinæ flammâ excandescens, ab omni vitiorum ferrugine immunis vivit. E ferro id disces, quod candefactum, hanc tenet inscriptionem; SIC A RUBIGINE TUTUM. S. Ambrosius, *Bona igitur charitas*, inquit, *habens alas ignis ardentis, quæ volitat per pectora, & corda Sanctorum, & exurit, quidquid materiale atque terrenum est; quidquid vero sincerum est, probat, & quod contigerit, suo igne meliorat.* Ita omninò infirmitatis aut calamitatum incendia ab omni scelerum rubigine validissimè præservant. Juvenis quidam Monachus, à libidine horrendum infestatus, negotium totum suo Superiori detexit; hic, ut tanto malo antidotum opponeret, complurium dierum spatio gravissimis ærumnis & castigationibus cum exercuit: tandem, num pristinâ tentatione etiamnum affligeretur, interrogatus, respondit, ab assiduis animi cruciatibus, ac improperantis Magistri molestiis nullum omninò libidinis cogitandæ moram aut otium superesse; atque adeò se *sic à rubigine tutum vivere.*

Charitati vis. S. Ambr. lib. de sac. c. 8. Calamitas p. servat.

46. Bargalius ferro, intra ignem reposito, epigraphen adjecit; LENTESCIT RIGOR. Certè durum, rigidum, ac inflexibile hominis pectus in calamitatum igne emollitur, & ad pietatis sensum tenerescit. Opportunè Petrus Bercorius; *Ferrum*, inquit, *quando igne excoquitur, tunc MOLLITVR, ET RESOLVITVR, & scoria sine immunditia ex ejus substantia separatur: sic quando durus peccator in igne contritionis vel tribulationis ponitur, tunc mollitur per pietatem, resolvitur per devotionem, & à scoria, id est, à peccatorum suorum spurcitia depuratur.* Idipsum de amore dixeris, cujus virtute nihil non vincitur durum ac rigidum. Magno Augustino teste; *Nihil est tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur.*

Calamitas. Pet. Bercor. Redu. l. 11. c. 6. n. 14. Amor. S. Aug. de moribus Eccl. c. 22.

47. Ad ferri rigorem edomandum non tantùm ignis vehementia, sed & olei mollities deservit. Unde nobile quoddam ingenium ferream laminam, inter olivæ ramos & flammas mediam, hoc lemmate affecit; RIGOR LENTESCIT UTROQUE. Haud aliter peccatorum corda partim hinc misericordiâ, partim rigoribus mitiganda sunt. Affectu prorsus paterno S. Chrysostomus, *Non vid tis medicos*, inquit, *quando urunt, vel secant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent? Multò amplius corripientes oportet hoc agere.* Et S. Petrus Chrysologus, *Deus sic humanum diligit genus, ut ipsos, quos Divinitatis jure corripit, mox paterno soletur, & mulceat blandimento.*

Correctio. Justitia & misericordia. Chrysost. hom. 30. in 12. Hebr. S. Pet. Chrys. serm. 163.

48. Ferrum candens, sub malleo positum, epigraphen sustinet; PERCUSSUM SCINTILLAT. Ita animus, ulciscendi libidine accensus, injurias nullas recipere novit, nisi simul insanas vindictæ flammas evomat. Vicissim verò animus, charitatis exercendæ studiosus, si calamitatum ictibus acerbissimis provocetur, bonitatis suæ favillas quaquaversum spargit. De primo Emblematis sensu differens Nicetas, ait; *Ut pyrites ignem internè habet ac premit, percussus autem, & vi attritus, eum exerit, sic ipse* (loquitur de S. Gregorio Nazianzeno) *sermones apud se in mente habebat, probris autem contusus eos extulit, & patefecit.* Irritatus enim ab Ecclesiæ hostibus, calamum suum strinxit, eosque apologiis accerbissimis exagitavit. Quantùm verò ad alterum Emblematis hujus sensum attinet, S. P. Augustinus clarissimum in Servatore nostro exemplum commonstrat; hic enim, instar candentis ferri, à lanceæ ac clavorum ictibus percussus, amoris favillas adeò vivaces diffudit, ut pro tortoribus suis precatus sit, & Divinum Sanguinem in pretium ad eos redimendos obtulerit. Unde de sanctissima Christi humanitate disserens, ait; *Conscidit saccū lanceâ persecutor, & fudit pretium nostrum Redemptor.*

Vindicta. Bonitas animi. Nicet. Orat. 2 de S. Greg. Nazian. S. Aug. serm. 256. de temp.

49. Candentis ferri lamina, dum à duobus malleis cuditur, epigraphen tenet; IN QUASCUNQUE FORMAS. Ita nempe calamitatum ictus humanam mentem in ceram emolliunt, quæ pro Majestatis Divinæ nutu quascunque induat formas. Hoc ipso Emblemate etiam animus, in supremam Dei ordinationem penitus confirmatus, significatur. Talem præ se tulit Epictetus, quando in has voces, planè Divinas, erupit. *Ausim ad Deum sublatis oculis dicere: utere me in reliquum ubi lubet, & ut lubet. Mente tecum consentio, æquanimus sum. Nihil recuso omnium, quæ tibi videntur. Quocunque me voles, ducito, quam vestem lubet, circumdato. Magistratum me gerere vis? privatum esse? manere? fugere? in paupertie? in opibus agere? ego non assentior tantùm, sed in his omnibus apud alios te defendam & tuebor. Constitui, & conformavi voluntatem meam Divinæ.*

Calamitas. Conformari. Epictetus.

50. Cùm S. Carolus solemni ritu inter Divos Cœlites recenseretur, ipsius beatitudinem ferri Emblemate significarunt, quod intra flammas adeò immodicè exarserat, ut, pristinâ suâ conditione relictâ, in ignem, subitâ metamorphosi, transiisse videri potuerit. Lemmatis loco subscripsêre; MELIORIS CONSORS NATURÆ. Hugo Cardinalis, illud Isaiæ oraculum interpretatus, *Ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum ejus gaudium;* ait, cuivis Beato hunc titulum, *gaudium*, jure merito tribui. Unde *ut abundantiam gaudii, & quasi eos, qui erunt ibi, absorptos à nimietate gaudii ostendat, loquitur sic Propheta, ut non solùm populum cœlestis Ierusalem gaudere, sed gaudium esse dicat: Nam & ferrum videmus in ignem converti, cùm in ignem positum, valde succenditur, sic & populus Sanctorum, cùm ingressus fuerit in gaudium Domini sui, commutabitur totus in gaudium.* Eodem argumento S. Joannes Chrysostomus ingentem charitatem, in D. Pauli corde succensam, exprimit; *Ut enim missum in ignem ferrum, totum profectò ignis efficitur, sic Paulus, charitate succensus, totus factus est charitas, qui quasi communis totius mundi esset pater. &c.*

S. Carolus. Beati. Hug. Card. in Isa. 65. 18. Charitas S. Pauli. S. Io. Chrys. Hom in Com. S. Pauli.

52. S. Carolus, Dei ac proximi amore totus exardescens, suas beneficentiæ scintillas passim in alios diffudit. Id quod mei Canonici Regulares, in ipsius Sacello, Mediolani ad S. Mariam de Passione, extructo, imagine sat accomodatâ demonstrarunt, quãdo candentis ferri laminæ subscripserunt; SCINTILLAT, ET ARDET. Hæc inscriptio non multùm ab encomio illo recedit, quo Sacræ Litteræ Servatoris nostri Prodromum, S. Joannem Baptistam, affecêre; *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Vel certè proprietatibus illis affinis est, quas in symbolicis suis animalibus deprehendit Ezechiel; *Et similitudo animalium aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.* De SS. Apostolis ait Magnus Augustinus; *Discipuli, quasi ligna ardentia igne Divino, totam sylvam mundi accensam, FERVORE Spiritus, & LVMINE veritatis impleverunt.*

S. Carolus. Sanctus charitatis studiosus. Ioan. 5. 35. Ezech. 1. 13. Apostoli. S. Aug. in Ps. 30. Con. 3.

53. Bartholomæus Rossus insignem D. Caroli zelum ferro non absimilem dixit, quod ex ustrina sub-

Zelus S. Caroli. sublatum, & undique candens, epigraphen ferat; CANDESCIT, ET URIT. Sicuti enim ferrum, ab ustrinâ desumptum, geminâ prærogativâ, candet & ardet; ita Sancti illius pectus, in charitatis Divinæ flammis succensum, tangi non poterat, quin noxas elueret, delinquentes corrigeret, & vitiosorum corda benefico ardore torqueret. Eodem encomio Eliam deprædicat Siracides his omninò verbis; *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Et suū S. Franciscum Seraphicum D. Bonaventura; *Erat verbum ejus velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat. Propter quod omnes cujuscunque conditionis, quos in aperto, vel in oculto reprehendebat, tantâ eum veneratione suscipiebant & exaudiebant, ut interius compuncti, vel vitam componerent, vel timore & horrore correpti, contra corripientem mussitare non auderent.* Quin imò zelus ille, in quocunque Dei servo repertus, ad omnia totius populi vitia eradicanda sufficit. Sanctum Joannem Chrysostomum, hujus rei testem dilucidissimum, audi; *Sufficit unus homo, zelo Dei succensus, totum corrigere populum.* Unde Magnus Augustinus oportunè consulit; *Unumquemque Christianum domûs Dei zelus comedat. Verbi gratiâ, vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, move, contristare, si zelus domûs Dei comedit te. Vides alios currere, & inebriari velle, & hoc velle in locis sanctis, quod nusquam decet, prohibe quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli quiescere.* Cæterùm ignis candens, simul & illustrare & devorare solitus, ideâ minimè obscurâ Adulatorem, vel lascivam fæminam exprimit: uterque enim sub fucatâ venustate gravissimam perniciem creat; atque adeò *candescit & urit.*

Eccles. 48. 1. S. Bonavent. c. 12. Vitæ. S. Io. Chrys. Hom. 1. ad Populum. S. Aug. Tract. 10. in Ioan. Adulator. Lasciva fæmina.

53. D. Aresius Joannem Ferrum Abbatem, quocum ipsi virtuosa intercesserat Disputatio, Emblemate significaturus, Apologo suo ferrum præfixit, quod undique candens, malleis supra incudem feriebatur; addito lemmate, FOCO AL SEMBIANTE, E CERA A I COLPI SEMBRA. Id est; IGNEUS ASPECTU, CEREUS SUB ICTU. Hominem iracundum, faciliè tamen in veterem mansuetudinem & benevolentiam reducendum, hæc imago concernit. In rem præsentem pronuntiat Magnus Regularium Canonicorum Legifer Augustinus; *Melior est, qui, quamvis irâ sæpe tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit injuriam, quàm qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur.* Ovidius;

Cedere. Placari. S. Aug. in Regula. Ovid. l. 5. Trist. Eleg. 5.

Quo quis erit major, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.

Perseverantia. 54. Fuit, qui ferro cuso inscriberet; NON UNO ICTU. Innuebat videlicet, res quasvis, ut ad coronidem perducantur, constantiâ, ceu gemino fulcro, indigere. Sanctus Joannes Chrysostomus eloquentiâ planè aureâ id inculcans, ait, *Si uno ictu arbor non concidit, nonne & alterum ictum addit, nonne quartum, quintum, sextum, nonne decimum? Itidem tu facito.* Vel à Turcis hanc in operando constantiam discere licet, qui, Contarino referente, adversus miseram Famagustam integros septuaginta quinque dies assiduò arietârunt, ejusque mœnia grandium tormentorum ejaculationibus nunquam intermissis horrendùm quassarunt; donec illam, centum & quadraginta millibus globis ferreis fulminatam, in suam potestatem redegerint.

S. Io. Chrys. Hom de non contem. Eccl.

55. Ferrum, à malleis cusum, epigraphen reddit; DUM CANDET. Hoc scemate jubemur, occasione opportunâ summam in operando diligentiam & solicitudinem demonstrare. Seneca; *Non tantùm præsentis, sed vigilantis est, occasionem observare properantem. Itaque hanc circumspice: hanc si videris, prende, & toto impetu, totis viribus id age. &c.* Hieronymus Arnobius, eâdem paræmiâ ad operandum extimulans, *Quid longas trahis moras?* inquit, *Occasionem, quæ tibi nunc exhibetur, arripe, manum operi admove statim, FERRUMQUE, ut dici solet, DUM CANDET, PERCUTE.* Diligentia in opportunitate. Senec. Ep. 22. Arnob. l. 1.

56. Ferrum candens, si aquis aspergatur, acerrimè exardescit. Unde Joannis Ferri lemma; ASPERSUM FLAMMESCIT. Ita prorsus homini ingrato solenne est, post favores, ab aliis receptos, adversùs Mecænatem suum excandescere. S. Joannes Chrysostomus eâdem mataphorâ hominis iracundi ferociam explicat, quæ ab aliorum verbis, quantumvis benevolis ac humanis, non tantum non mitigari, sed acerbius succendi solet. *Sicut incendium AQUA INIECTA MAGIS SUCCENDITUR: ita solet accidere in magna ira; quidquid aliquis dixerit, continuò pabulum hujus efficitur incendii.* Cæterùm non incongruè dixeris, peccatorum corda, pœnitentiæ lacrymis probè respersa, quantocius in charitatis Divinæ flammas erumpere. Opportunè Absalon Abbas. *Animadvertite,* inquit, *& videte, quoniam faber ferrarius, ferri materiam emollire volens, in ignem eam ponit, & carbonibus ignitis aquam aspergit, non tamen ut ignem extinguat, sed ut amplius faciat reviviscere, donec tandem, fervore ignis concepto, ferrum malleationibus ad voluntatem artificis dirigatur. Credo quòd non dissimiliter is, qui mentis suæ faber curiosus esse desiderat, debet negotiari in igne, & aqua duram mentis obstinationem emolliendo, ut AQUA CONTRITIONIS, & lachryma pœnitentiæ præterita peccata abluant, & ardor charitatis ANIMUM ad amorem virtutis ACCENDAT.*

Ingratus. Iracundus. S. I. Chrys. Hom. 16. in Matth. Peccator. Lachrymæ. Absal. Ab. Serm. 30.

57. D. Sigismundus Laurentius candentem laminam ferream hoc epigrammate loquentem sistit; NOLI ME TANGERE. Grandem S. Pauli Apostoli zelum hæc imago spectat, qui eousque exarsit, ut temerarios honoris Divini ac Legis Evangelicæ criminatores fervore intensissimo castigarit. S. Gregorius in illa Ezechielis verba commentatus, *Sume tibi sartaginem ferream;* ait, *Quàm benè Paulus sartaginem ferream sumpserat, cùm zelo animarum dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Ipsum suum cor, quod animarum zelo succenderat, quid aliud, quàm sartaginem fecerat? in quo amor virtutum contra vitia omnia ardebat. &c.* Eo ardore succensus, fornicarium dæmoni excruciandum tradidit; & pseudoprophetam, qui Sergium Paulum Proconsulem à Christianâ fide divertere conabatur, ad oculorum caliginem damnavit. Haud aliter Eliseus, puerorum quorundam temerariis linguis paululùm lacessitus, quantocius eos ursis dilaniandos devovit.

Zelus S. Pauli. S. Gregor. Hom. 12. in Ezech. 1. Cor. 5. 5. Act. 13. 11. 4. Reg. 3. 24

58. Academici Uniformes Romani ferrum depinxêre, incudi impositum, & malleis cusum; cum lemmate, DANT VULNERA FORMAM. Innuebant, nî fallor, obstinata hominum pectora, à plagis, correctionibus, morbis, aliisque calamitatibus ad ordinatæ vitæ formam recipiendam disponi. Horrendùm vociferabantur Dæmones, *Quid nobis & tibi IESU Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?* inquiebat Origenes; *Ubi tormenta senserunt, sciunt Dominum.*

Calamitas. Matth. 8. 1. Orig. in hunc loc.

59. Al-

59. Alcibiades Lucarinus Emblematis loco ferream equorum soleam pinxit, quæ cuidam tabulæ ligneæ suam formam imprimens, epigraphen subjunctam habet. FORMAT IGNITA. Prædicatores ac Patresfamilias, priusquam virtutum effigiem in aliis nitantur exprimere, ipsimet charitatis Divinæ flammâ omnium primò ardeant, necesse est. S. Joannes, in deserto prædicans, conglaciata Palæstinorum pectora effregit, aliasque res grandes eâ solùm ratione operatus est, quòd amoris Divini incendio exæstuârit; *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Apostoli, quia Spiritus Sancti fervore intra corda sua succensi incedebant, immensas Provincias ad Christi amorem & obsequia adduxerunt. Nam *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* S. Gregorii Nazianzeni sententiâ, *Mundari prius oportet, & sic alios mundare; sapientem fieri prius, & sic alios facere sapientes; lumen fieri, & sic alios illuminare. &c.* Verissimè canit Poëta.

Prædicator

Joan. 5. 35.

Act. 2. 3.

Greg Naz. Apolog.

Ardeat Orator, si vult incendere plebem.

60. Ferrum candens non tantùm aliis materiis suam imprimit formam; sed ipsummet ab igne prædominante emollitum, ad omnes formas recipiendas pronum se exhibet. Unde candenti ferro, supra incudem posito, ac malleis percusso, inscripsere; FORMATUR IGNITUM. Viva hæc cordis humani idea est, quod charitatis supernæ flammis succensum, ad voluntatis Divinæ nutum penitus componitur. Thomas Stapletonus in rem nostam his omninò verbis philosophatur. *Quemadmodum enim ferrum frigidum, etsi millies malleo contundatur, formam tamen novam non accipit, nisi igne calefiat, sic anima, etsi intellectum optimè instructum habeat, fideque sanâ imbutum, novitatem tamen vitæ non induet, ut sit Christo conformis, nisi igne charitatis voluntas accendatur, ut Christum verè amando, omnem ejus voluntatem libenter exequatur.* Et S. Pater Augustinus; *In quantum in te charitas crescit, efficies te & revocabis te ad similitudinem Dei.* Homo Christianus, ac cumprimis Religiosus, qui vero Dei amore flagrat, facilem se, ac cereum ad quasvis æternæ providentiæ dispositiones recipiendas offert. Certè afflictus hominis animus Divinæ ordinationi inter calamitatum incendia adeò non resistit, ut potiùs ad quasvis virtutum formas, à fabro illo supremo decernendas, promptam ac teneram se exhibeat.

Justus.

Tho. Stapl. Domin 2. Advent. §. 6.

S. Aug. in Ps. 99.

Afflictus.

61. Ferrea lamina, forcipibus durissimè constricta, quasvis formas à fabro destinatas, recipit. Quare incudi affixam, & malleis cusam, Joannes Baptista Mazzolenus hoc lemmate notavit; FIRMATUR, UT FORMETUR. Certè Juventus, ad virtutis ideam efformanda, sub assiduis regulæ augustiis coarctari debet. Unde vetus paræmia, *ubi rigor, ibi vigor.* Providè monet S. Gregorius Papa; *Sæpè à disciplinæ metu resolvimus subditos, si nostro regimini hilaritatis frena relaxamus: quia dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, audacius ipsi ad illicita resolvuntur.* Cæterùm Emblematis mentem hoc poëmate Italico aperui.

Educatio rigorosa.

S Greg in Moralib.

Fiera, dura, scabrosa,
Quasi massa ferrigna,
Sembra al mal inclinata, al ben ritrosa.
Chi dunque di virtù
Brama introdurre in lei la nobil forma,
La stringa consevera, ed aspra norma.

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

62. Ferrum candens, cauteria nunquam amplius oblitteranda imprimere solitum, lemmatis loco unum hoc adverbium præfert; INDELEBILITER. Æternam, & nunquam intermorituram sive de injuria illata, sive de beneficio recepto memoriam hoc Emblema significat. Porró clavi in manibus, pedibus, & latere Christi, recenti semper & indelebili vestigio conservantur, ut in iis immensam Dei charitatem versùs humanum genus nunquam non integrâ & vernante memoriâ intueremur. S. P. Augustinus. *Quare Dominus cum suorum vulnerum cicatricibus resurrexit. Quid ad hoc dicimus? nisi quia & hoc potestatis fuit, non necessitatis? Sic resurgere voluit, sic voluit quibusdam dubitantibus exhibere in illa carne cicatrices vulneris, ut sanaret vulnus incrudelitatis.* Cæterùm cùm Sacræ Litteræ humanam linguam ferro scindenti ac igni devoranti similem dicant. *Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Et rursus; *Lingua ignis est universitas iniquitatis.* Idcircò geminam hanc mataphoram uno Emblemate complexus, dices, ex igniti hujus ferri contactu gravissimam & immedicabilem pernicem nobis creari; siquidem offensæ, à linguis maledicis inustæ, adeò evadunt indelebiles, ut nullâ arte humanâ restitui aut sanari queant.

Memoria.

Vulnera Christi.

S. Aug serm. 147. de temp.

Psal. 56.6.

Iacob. 3. 6.

Detractor.

63. Homo profanus, sui immemor, in amatam venustatem penitus videtur abreptus. Abbas Certanus illum ferro non absimilem dicit, quod à Magnetis fragmento in aëre suspensum, epigraphen legendam offert, SUA PONDERA NESCIT. Amans enim, teste S. Ambrosio, *Ignorat judicium, & ratione multoties caret, nescit modum, nec aliud cogitare potest, quàm quod diligit.* Appositè Plautus;

Amans profanus.

S. Ambros. serm. de Assumpt.

Plaut. in Cistellar.

----- In amoris rota miser
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita
Nullam mentem animi habeo : ubi sum, ibi non
sum &c.

64. Ferrũ, admoto igne, ignem concipit, & licet ferri naturam non exuat, à se ipso tamen adeò diversum efficitur, ut ignis esse videatur. Unde meus D. Alexander Luzon de Millares Symboli loco ferrum, ardenti ustrinæ impositum figuravit; addito illo Psaltis Regii lemmate, TRANSIERUNT IN AFFECTUM CORDIS. Mira adeò amoris vis est, ut è duobus unum facere, & extrema omnia, quantumcunque diversa, nexu tenacissimo colligare norit: atque adeò amantes ex amoris sui vehementia verè *transierunt in affectum cordis.* *Talis enim* asserente Magno Augustino, *est quisque, qualis ejus dilectio. Terram diligis? terra es. Si Deum diligis, quid dicam? Deus eris.* Qui adhæret meretrici, unum corpus cum ea efficitur: quid horribilius? quid spurcitie & fœtore plenius? Meretrix, è Boethii sententia, *est inferni janua, via iniquitatis, scorpionis percussio, viscarium scelerum, puteus interitus.* Quàm fugienda, quàm detestanda singula! Certè Amor mutuam efficit metempsycosin, seu transmigrationem animæ de uno corpore in aliud. Amoris visco conglutinata erat anima Jonathæ, animæ Davidis, ut viveret plus in Davide, quàm in se ipso. De dilectissimo suo scribit Magnus Augustinus; *Sensi animam meam & animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus; & ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multùm amaveram.* De metempsycosi suâ admirabundus conqueritur Alchesimarchus apud Plautum;

Amoris vis.

S Aug. in Ioan tract. 2.

Boeth. de Schol. Discip.

Plaut l. c.

---- *Versor in amoris rota: miser*
Exanimor, feror, differor, distrahor, deripior, ita
Nullam mentem animi habeo: ubi sum, ibi non sum.
Ubi non sum, ibi est animus.

65. Ferrum optimâ sorte intra Alchymistæ fornaculum recipitur: nempe, UT VERTATUR IN AURUM. Ita Dei Servus injurias & calumnias omnes prompto excipit animo, ut eas charitatis ardore in purissimum aurum transmutare, & fabricandæ triumphali coronæ in cœlis adhibere possit. Meritò proinde exclamat Magnus Augustinus; *O quàm felix & beata est anima, quæ charitatem in se habere meretur! Charitas sitienti potus est, esurienti cibus, in amaritudine positis dulcedo, in tristitia constitutis vera & grata consolatio, fluctuantibus portus, errantium via, peregrinantibus patria.*

Charitas. S. Aug. serm. 42. de temp.

66. Ferrum ignitum, aquâ mersum, epigraphen à P. Jacobo Masenio tulit; ROBUR DAT IGNIS, ET UNDA. Sic proborum virtus inter adversa plurimùm roboris sortitur. Afferente S. Gregorio Papâ; *Tanto spes in Deo solidior surgit, quantò pro illo quisque graviora pertulerit.*

Adversitas. S. Greg. in Moral.

MONETA.

Cap. VII.

67. MOnetam, è gemino suo sigillari modulo extractam, Lucarinus hoc lemmate insignivit. AB UTROQUE. Spiritum Sanctum hæc imago innuit, *qui*, è Symboli Nycæni doctrinâ, *ex Patre, Filioque procedit.* S. Joannes Chrysostomus, ab eodem Lucarino citatus, ait; *Spiritum Sanctum dicimus Patri & Filio coæquum, & procedentem de Patre & Filio.*

Spiritus S. S. Io. Chrys. Hom. 2. de Symb.

68. Monetam, inter diversa instrumenta, quæ ad signum ei imprimendum deserviunt, collocatam, hoc epigrammate loquentem introduxêre. IMPRIMOR, ET VALEO. Ita omninò anima nostra, è gratiæ Divinæ typo, intra se recepto, valorem ac existimationem summam sortitur. Præclarè Hugo Cardinalis; *Sicut moneta est informis, donec imago Regis ei per cuneum imprimatur, ita ratio nostra deformis est, donec per gratiam Dei illustretur.*

Anima. Hug. Card. apud Novar. Elect. l. 3. nu. 634.

69. Sigillaris modulus, nummis cudendis destinatus, epigraphen tenet; COMPRIMIT, UT IMPRIMAT. Idipsum planè nobiscum assolet Deus, quando, virtutis effigiem in corde nostro formaturus, diversis calamitatibus illud constringit. Compressit, fateor, Nabucchodonosorem, quando illum regiâ suâ extorrem, ab hominum consuetudine exulem, inter roris stillas emolliendum, ac fœno, instar belluæ, pascendum, damnavit: sed ecce! post sex annorum revolutionem, Magno Augustino teste, ad sanctimoniæ fastigium sublevatus est, & in has voces, cognitionis Divinæ plenissimas, erupit; *Ego Nabucchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi. &c.* Compressit insuper Filium prodigum, eumque famis pondere cùm in sui, tum in optimi parentis cognitionem felicissimam reduxit. *Pater peccavi in cœlum & coram te.* Compressit denique Saulum, quando illum lumine utroque captum, in gratiæ suæ thesaurum amplissimum convertit. *Vas electionis mihi iste.* Verissimè S. Gregorius Papa; *Sanctis viris omne, quod virtutibus redolet, in tribulationibus innotescit.*

Calamitas utilis. Dan. 4. 31. Luc. 15. 18. Act. 9. 15. S. Greg. in Moral.

70. Nummus, priusquam signetur, ad libellam examinari solet. Unde Lucarini lemma nummis cudendis inditum; CUDUNTUR PROBATI. Innuebat videlicet, gloriæ æternæ effigiem à Christo Judice nonnisi Justis imprimi; cæteris omnibus, veluti adulterinis ac improbis, in reprobam massam abjectis. Hanc judicii seriem ex ipsomet Judice ita habeto. *Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure. &c.* S. P. Augustinus; *Ipse, qui ab iniquis & impiis judicatus est ad mortem, ipse omnes bonos & justos judicaturus est ad gloriam omnesque impios detrusurus ad pœnam.*

Beatitudo. Apoc. 21. 8. S. Aug. serm. 123. de temp.

71. Moneta cusa typi sui effigiem studiosissimè imitatur, estque, quod P. Henricus Engelgrave asserit, PERSIMILIS IPSI. Ita homines justi Christum, ceu genuinam Patris æterni imaginem, quantùm fas est, imitantur. Id quod dilucidè his omninò verbis testatur Apostolus; *Quos præscivit & prædestinavit CONFORMES fieri IMAGINIS FILII SUI.* Et S. P. Augustinus; *Honor hominis similitudo Dei, dedecus autem ejus similitudo pecoris.* Et rursus. *Honor hominis verus est imago & similitudo Dei, quæ non custoditur, nisi ad ipsum, à quo imprimitur.*

Justi Deo similes. Rom. 8. 29. S. Aug. l. 12. de Trinit. cap. 11.

72. Nummorum ingentem copiam hoc lemmate afficies; CLAUSA INUTILIS. Appositè Horatius;

Horat. l. 2. Carm. Od. 2.

Pecunia abscondita.

Nullus argento color est avaris
Abdito terris inimice lamnæ,
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Sapientis consilium est; *Non abscondas illam* (pecuniam) *sub lapide in perditionem.* Veluti diceret, è sepulto auri argentive cumulo nullam homini utilitatem accrescere, ipsumque adeò metallum ærugine devastari. Solicitè id inculcans Servator, *Nolite*, inquit, *thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur.* Haud secus ingenii humani talenta, si inglorie delitescant, nemini quidquam emolumenti pariunt. S. Chrysostomus; *Abscondere talentum in terra est, acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, & non lucrum spirituale acquirere.*

Ecclesi. 29. 13. Matth. 6. 19. Virtus abscondita. S Chrys. in Matth. 25.

73. Num.



Ivitiæ. Horatius.

73. NUmmorum cumulo opportunam hanc epigraphen adjicies; OMNIA DONAT. Dilucidè Horatius;

Et genus & formam regina pecunia donat,
Et benè nummatum de.orat suadela, Venusque,
---- ---- ---- Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, Divina, humanaq; pulchris
Divitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam Rex,
Et quidquid volet.

Oratio. Porrò oratione, ceu monetâ spirituali, fideles nihil non consequuntur. Joannes Osorius; *Qui pecuniam habet omnia habet, quæ necessaria sunt, quia eâ datâ, omnia emere potest. Ita oratio est pecunia spiritualis, quâ media omnia acquirimus, quæ volumus, & qui eam habet, omnia se habere credat.* Unde Sancti Chrysostomi acroama; *Nihil potentius homine orante.*

Osorius Dom. 5. post Pasch.

S. Chrys. in Matth. 18.

Eccles. 10. 19.

74. Ecclesiastis gnoma est; *Pecuniæ obediunt omnia.* Ut adeò Monetam opportuno hoc lemmate sistas loquentem; MIHI OMNIA PARENT. Hinc illud Sallustii; *Romæ venalia omnia esse, etiam ipsammet civitatem, si emptorem reperiret.* In hoc argumentum Propertius;

Sal. in Jugurth. Prop. l. 3.

Aurea nunc verè sunt sæcula: plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

Ovid. l. 1. Fast.

Et Ovidius;

In pretio pretium est; dat census honores
Census amicitias, pauper ubique jacet.

Menand. ap. Stob. serm. 9.

Idipsum Menander, pecuniis Divinitatem nescio quam affingens; hoc poëmate explicat;

Ego utiles verò Deos esse arbitror
Nostros, & argentum, & aurum maximè.
Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. 1.

Istos quidem si dedices tuâ in domo;
Quidquid voles, roges, tibi omnia aderunt
Ager, domus, servique, & argyromata (vasa argentea)
Testes, amici, Indices: tantùm dato,
Ipsos habebis vel ministrantes Deos.

75. Quantùm in humanam mentem pecuniæ possint, è tormenti bellici icone conjicies, quod ingentem nummorum vim adversus turrem quandam ejaculans, eam impetu validissimo sternit. Emblemati gnomam subjunxêre istam; NULLA VIS CONTRA. Philippus Macedonum Rex, Plutarcho referente, dicere solebat; *Argenteis hastis pugna, & vinces.* Accommodatè ad propositum nostrum S. Gregorius Nazianzenus; Pecuniæ vis. S. Greg Naz. in sent. Eleg.

Auro loquente, iners est omnis oratio,
Persuadit enim illud, etiamsi vocem nullam edat.

Haud aliter Antonius Mellissæus; *Quæ nequeunt armis capi, facilè expugnantur auro, nihil non subjicitur argento.* Et Horatius; Ant in Melliss. serm. 34. Horat l. 3. Ode 16.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

Omnium tamen optimè S. Petrus Damianus; *Ducis post te castra, auro potius, quàm ferro armata, & sic nummi proferuntur è loculis, tanquam gladii vibrentur è thecis. Habens enim pugillum aureum, frangis murum ferreum.* S. Pet. Dam. Epist. 21. ad Cadaloum Antipapam.

76. Monetam opportuno hoc lemmate insigniveris; SI DESIT, OMNIA NIHIL. Accommodatè S. Hieronymus; *Ita incubuerunt homines in adunatione divitiarum, ut nemo, nisi dives, honore putetur dignus.* Verissimè Horatius; Divitiæ. S. Hieron. sup illud Matth. Non potestis Deo servire & Mammonæ.

Et genus & virtus, nisi cum re, vilior algâ est. Horat l. 2. Satyr. 5.

Charitas. Eadem omninò charitatis prærogativa est, sine quâ reliquæ virtutes omnes nihil omninò emolumenti aut splendoris afferunt. Explicatissimè S. Paulus; *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Huic Apostoli doctrinæ subscribens Magnus Augustinus, *Hæc*, inquit, *est margaritha pretiosa charitas, sine qua nihil tibi prodest quodcunque habueris, quam si solam habeas, sufficit tibi.* (1. Cor. 13. 1. — S. August. in Epist. Ioan. Tract. 5.)

GratiaDei. Cæterùm gratia Dei epigraphen illam cumprimis sibi vendicat; hæc enim res creatas omnes intervallis adeò longis superat, ut nobilitas, dignitas, opes, ac voluptates, à cœlo aut mille mundis exhiberi solitæ, eâ deficiente, nonnisi umbræ ac figmenta vanissima videantur. Piè, ut solet, Hermannus Hugo canit; (Herm. Hug. l. 3. Susp. 6.)

Tu mihi terra, Deus: mihi tu mare, tu mihi cœlum,
Deniq; cuncta mihi es; TE SINE CUNCTA NIHIL.

77. Aqua in catino è diaphanâ sua superficie claram monetæ cujusdam imaginem, tametsi in imo fundo hærentem, oculis nostris spectandam exhibet. Unde lemma; ET TAMEN IN IMO LATET. Ita omninò, licet Interpretes genuinam sacræ Scripturæ mentem, quantum fas est, limpidissimam nobis exponant; ea tamen nunquam non habet sensus quosdam profundos, & in imo fundo reconditos. Unde ubi Regum fasti in vulgatis Bibliis dicunt; *Sermo Domini erat pretiosus*; Chaldæa ita traducunt; *Verbum Domini erat absconsum.* S. P. Augustinus; *Multa secretius in Scripturis absconduntur, ut quærentes exerceant; alia verò in promptu & manifestatione ponuntur, ut desiderantes curent.* (Sensus sacræ Scripturæ absconditus. — 1. Reg. 3. 2. — S. Aug. ser. 20. de Divers. cap. 1.)

78. Nummo epigraphen subjunges; EROGATUS PRODEST. Avaris hanc gnomam ob oculos statutam velim. Occasio quippe homini in divitiis offertur, animum suum explicandi, cùm liberalitas, temperantia, misericordia, aliæque virtutes campum in iis habeant amplissimum. Pulchrè S. P. Augustinus cuivis diviti modum utendi pecuniis præscribens, *Utere*, inquit, *nummo, quemadmodum viator in stabulo* (id est, in hospitio: hinc enim hospes vocabatur stabularius, ut patet Lucæ 10. v. 35.) *utitur mensâ, calice, urceo, dimissurus, non permansurus.* Nec aliter Senecâ; *Divitiæ apud sapientem virum in servitute sunt; apud stultum in imperio. Sapiens divitiis nihil permittit; stultis divitiæ omnia.* Optimè Ovidius. (Divitiæ erogandæ. — S. Aug. serm. 24. de Verb. Apost. — Senec. c. 16. de vita beata.)

Quas dederis, solas semper habebis opes.

79. Nummus valorem suum non à se, sed à forma, quâ cuditur, accipit. Lemmma; A FORMA VALOREM. Ita nullus omninò homini est valor, nisi qui à gratuita Dei voluntate proficiscitur. Sicuti enim ex nostro nihilo nunquam proprio Marte extitissemus ad esse naturale, nec ad ullum vitæ officium, qualia sunt videre, audire. &c. sed hæc omnia tanquam dona gratuita uni debentur Deo; sic neque è peccati, in quo concepti natique sumus, tenebris, nisi infinitâ miserentis Dei bonitate, nunquam emersissemus, neque spiritualis vitæ munia, nisi ejusdem gratiâ animati, obire valuissemus. Neque verò opera nostra, quà nostra sunt, valorem aut meritum ullum habent, sed quà Dei sunt munera. De seipso testatur Apostolus, *Gratiâ Dei sum id, quod sum.* Albertus Magnus hanc rem iisdem penè verbis confirmans, *Amans humilitatem*, inquit, *debet radicem humilitatis in corde plantare, hoc est, propriam fragilitatem agnoscere, ut se reputet non solum quàm vilis est, sed etiam quàm vilis esse potest; imò quàm vilis esset hodie: & quàm vilis fieret, nisi Deus illum violenter à peccatis retraxisset, & nisi tentationem subtraheret.* (GratiaDei. — 1. Cor. 15. — Alb. Magnus de Venis per fectisque vir. tut. cap. 2.)

PLUMBUM.

Cap. VIII.

80. Primo quidem aspectu duo vitia in plumbo deprehendes, quod sit naturâ suâ obtusum, & calore fulginosum. Ut adeò D. Carducius opportunam hanc epigraphen ei subjunxerit; HEBETI LIVORE NIGRESCIT. Eadem omninò peccatorum est indoles, qui mentem in Divinis negotiis penitus obtusam, & conscientiam vitiorum fuligine horridam circumferunt. Accommodatè in rem nostram S. Gregorius Papa, *Multos*, inquit *obtusi sensus homines cernimus, & tam eos in malis actibus astutos videmus; Propheta quoque attestante, qui ait; Sapientes sunt, ut faciant mala, benè autem facere nescierunt.* Idipsum etiam de invidiæ malevolentia pronuntiare licet, quæ, instar plumbi, obtusa ac stolida, Alciato asserente, *suum cor edit*, simulque livida est, ac colore omni penitus destituta, quippe quam, eodem Alciato teste, *macies & pallor habent.* (Peccator caliginosus. — S. Greg. 14 Moral. 6. 2 — Hierem. 4. — Invidia. — Alciatus Embl. 71.)

81. Plumbum non tantùm naturâ suâ fuliginosum est, sed insuper res quasvis vicinas contaminat, & nigrore suo afficit. Unde lemma; QUÆ TANGIT, TINGIT. Ita peccatorum contubernia fœdissimas maculas, nonnunquam vix totâ vitâ eluendas, nobis aspergunt. Explicatissimè Sanctus Basilius; *Noxiæ sunt amicitiæ*, inquit, *quæ cum malitia contrahuntur, nam ea est amicitiæ hujus lex & vis, ut per similitudinem malitiam conjunctio indat. Quamobrem rectè Proverbium dicit; corrumpunt mores bonos colloquia prava. Quemadmodum enim in pestilentibus locis sensim attractus aër latentem corporibus morbum injicit, sic item in prava consuetudine ac conservatione, maxima nobis mala hauriuntur &c.* Porrò lingua maledica, in aliorum defectus nunquam non fœcunda, proximos quosvis inficere, & nigro, quod ajunt, thetâ notare consuevit. Unde Vatablus & Brescianus illa Psaltis Regii verba, *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*, de lingua maledica interpretantur, quæ, instar teterrimi carbonis, neminem non contractu suo denigrat. Hic accedens Balthasar Paez, ait; *Hunc ignem nefariæ linguæ assimilat carbonibus, qui si non inveniunt materiam aptam combustioni, fuligine tamen, ac nigredine atratum reddunt. &c.* (Peccato scandal sus. — S. Basil H. Quod I non est a ctor mali. — Lingua detracto ria. — Vatabl. & in Ps. 11 — Balth. ez in Ep. Iob. c. 3. v. 6 —)

82. In aurifodinis aliquot saxa gravissima eruuntur, quæ intra fornacem reposita, unam partem pretiosi auri, & reliquam vilissimi plumbi eliquant. Atque adeò non solùm verum est, quod plumbum sit CONGENITUM AURO, ut ex Bercorii sententia subscripsi ego: sed insuper, Carducio asserente, CONGENITO VILESCIT AB AURO. Prima Emblematis hujus epigraphe commonstrat, ex eodem utero nonnunquã homines aureos & plũbeos, justos & flagitiosos nasci. Ita Eva Abelem & Cainũ enixa est: Rebecca Jacobũ & Esau. (Bercor citat. — Justi vitiosi na nati.)

Jacob

Jacob Josephum castum, & Rubenum incestuosum. David Absalonem extremè sceleratum, & Salomonem extremè sapientem &c. Altera Carducii inscriptio eorum est propria, qui illustri sanguine procreati, ad vivendi rationem prorsus ignobilem degenerant. Ita Samuelis filii, à Sancto parente degeneres, vitam inter pessimi exempli ac vitiorum sordes traduxerunt. Roboamus, è Salomone sapientissimo natus, stultorum maximus audiit. Ezechias, Sanctimoniæ speculum, Manassen genuit, hominem impiissimum, omnisque scandali authorem. &c. Nempe, quod Magnus Augustinus ait, *Non jam felicitas est, habere filios; sed bonos habere.*

Fi[lii] degeneres.

S. Aug. in Ps. 127.

83. Plumbum, geminato vitio, & portantes aggravat, & tangentes inquinat. Huic proinde inscripsi; ET GRAVAT, ET INFICIT. Utraque hæc pernicies animabus nostris ex unico peccato, ceu plumbo crudissimo, incumbit. S. Gregorius expressum hunc avaritiæ typum statuit, quæ animam & opprimit, & inficit. *Per plumbum namque*, inquit, *cujus natura gravis est ponderis, peccatum avaritiæ specialiter designatur, quod mentem, quam INFECERIT, ita GRAVEM REDDIT, ut ad petenda sublimia attolli nequaquam possit.*

P[e]catum. Avaritia.

S. [Gr]eg. l. 14. Mal. c. 25. [ad] finem.

84. Plumbum, tametsi pretio vilissimum, utilitatem tamen ac commoda maxima confert. Nam glans plumbea, è perpendiculo suspensa, fabris cæmentariis ad structuras examinandas deservit; Fabris lignariis ad suas fabricas plumbagine delineandas; nautis ad Oceani altitudinem explorandam; aucupibus ad volucres; & militibus ad hostes feriendos. Piscatores retibus explicandis plumbeas massulas appendunt, Typographi innumera volumina characteribus plumbeis efformant. Plumbum, in laminas attenuatum, templis ac ædibus tegendis inservit. In creneta fila extensum, fabris vitriariis est usui ad vitra specularia in fenestris coordinanda. In orbem circinato nobilissima emblemata ac numismata incidi possunt. In cylindros tornatum, ponderis loco ad horologia libranda suffigitur. Membranis adhærens, authenticas Pontificum tabulas constituit. In canales diductum, copiosas è fontibus aquas derivat; & eorum labiis exactè accommodatum, vel obturamenti, vel siphonis munere defungi potest. In pyxides & mortariola excavatum, aromatis asservandis conducit. Modis diversissimis applicatum, pharmaci loco est, ad morbos curandos. Denique, ut innumera alia taceam, Sanctorum Martyrum lipsanis, aut aliorum Magnatum cadaveribus, honorificam requiem, & postremum domicilium præbet. Ut adeò verè de plumbo dixeris; HUMILE, SED UTILE. vel ut D. Carducio placet; COMMODA VILE PARIT. Fallor, nisi genuina hæc pauperis & rusticæ plebis idea sit, quæ tametsi ultimo loco haberi soleat, in agris tamen colendis, aliisque mechanicis artibus exercendis, miram civitatibus, & integris Provinciis utilitatem affert. Cicero; *Omnium rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.*

[A]gricolæ [uti]les.

[Ci]cero l. 1. de [Of]fic.

85. Plumbum, naturâ suâ fuliginosum & nigrum, in flammis adeò temperatur, ut colorem induat rubicundum & admodùm venustum. Lemma, PULCHRESCIT, RUBETQUE PER IGNEM. Sanctorum Martyrum ectypon dixerim, qui per tyrannorum ac carnificum ignes progressi, decorem, cœlo intuente, exquisitum, ac purpuram penitus gloriosam reportant. Ut adeò sancta Ecclesia, illis gratulabunda, in has verissimas voces acclamet; *Canditores nive, nitidiores lacte, rubiciundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.* Bercorius testatur, nigras peccatorum animas, ab amicæ correctionis flamma ad conversionis venustatem ac charitatis purpuram promoveri. *Licet homo sit plumbeus, & Peccator, & nigri coloris, & malæ conversationis, tamen virtute ignis correctionis, & tribulationis efficitur pulcher, & rubens, coloratus & charitativus.* Unde providè monuit Magnus Augustinus; *Si dicam corrigite vos, non mihi debetis irasci, sed vobis, ut corrigamini.*

[M]artyr.

Bercor. l. 1. Reduct. cap. 12. n. 10.

S. Aug. serm. 31. de Verb. Dom. c. 2.

86. Plumbum, in laminas dilatatum, Antiquis instar chartæ deserviit, in qua suos characteres stylis ferreis exarârunt. Dilucidè Jobus; *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice.* Proinde plumbo, in membranæ formam attenuato, inscripsi. FERRO SALPENTE SIGNATUR. Ita vitiosum ac nigrum hominis pectus nullam legis Divinæ litteram recipit, nisi calamitatum ferro probè laceratum. Carducius eidem Emblemati hanc gnomam subdidit; STYLO SCRIBENTE NOTATUR. Innuebat nimirum, præstitutos virtutis characteres in animâ docili citra negotium describi. Hanc docilitatem auditoribus suis precatus est Magnus Augustinus, quando dixit; *Dominus Deus noster det mihi intelligere quod dicam, det vobis intelligere quod auditis.*

Iob. 19.

Peccator durus.

Docilitas.

S. Aug in Ps. 99.

STANNUM.

Cap. IX.

87. STanni etymon, S. Isidoro teste, à græco derivatur, & separationem significat; eò quòd illius sit proprium reliqua metalla unita disgregare. Unde lemma; MIXTA, seu JUNCTA DISCERNIT. Ipsissimum hunc morem in homine maligno, ac discordiarum authore deprehendes. Hujus criminis primipilum se obtulit Saulus, *Ecclesiam Dei*, id est, unionem ac congregationem fidelium *persecutus.* Enimverò, asserente P. Aloysio Novarino, *grande scelus, cùm non in singulos tantùm homines sævitur, sed totam unionem, societatem, congregationemque quis conatur dissipare ac evertere.* Porrò prudens Prælatus, instar stanni, vitiosos subditos à bonorum societate excludit, & in eam rem minas, supplicia, excommunicationes, aliaque remedia, prout conditio aut necessitas tulerit, adhibet. S. Hieronymus, hanc iconem de Christo interpretatus, ait; *Quomodò stannum mixta & adulterata inter se per ignem metalla dissociat; ita Dominus, verus probator, ab auro & argento bonorum operum, æs vitiorum, plumbumque secernat, ut purum aurum remaneat, & argentum.* Tandem ad idem propositum subjungit hæc Evangelii verba; *Cujus ventilabrum in manu sua, & ipse permundabit aream, & separabit paleas à tritico.*

S. Isid. l. 16. c. 21.

Malignus Author discordiarum.

Novar. in c. 1. Galat.

Prælatus prudens.

Christus Judex.

S. Hieron. in Zachar. c. 4.

Matth. 3. 12.

88. Cuprum ac ferrum, quantumvis dura & valida, ab igne penitus consumerentur, nisi stanno permixta, virtutem quandam occultam acciperent, & adversus voraces flammas vindicarentur. S. Isidorus, superiore numero adductus, de stanno testatur; *Metalla ab igne defendit.* Proinde epigraphen, nî fallor, opportunam adjeci; ADMIXTA SERVAT AB IGNE. Ita hominis justi, casti, ac innocentis consuetudo proximis suis antidoti loco est, ne à libidinis ardore conficiantur. Consultissimè

S. Isid. l. c.

Societas bona.

Senec. Ep. 11. Seneca: *Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. &c.*

Præsentia Dei. Cæterùm virtutem istam præservatricem omnium optimè è Divina præsentia auspicamur. Ipsummet Deum, testem locupletissimum, audi, Isaiæ ore loquentem. *Cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israël Salvator tuus.* (Isa. 43. 2.) In rem præsentem egregiè P. Cornelius à Lapide, *Deus*, inquit, *suis fidelibus in igne tribulationis quasi stannum se admiscet, ne ab igne exurantur, sed tantum purgentur.* (Corn. à Lap. in Zachar. c. 4. v. 10.)

89. Stanni beneficio res dissolutæ uniuntur: ut adeò hanc epigraphen sibi propriam vendicet; DISJUNCTA CONNECTIT. Hominis prudentis hæc idea est, qui discordes aliorum animos suâ dexteritate conciliare, & ad exoptatam pacem reducere novit. (Prudens.) (Concordia.) Hoc encomio insignem se probavit S. Catharina Senensis, quæ *Pro pace Florentinorum, qui cum Ecclesia dissidebant, Avenionem ad Gregorium XI. Pontif. Max. profecta est.* Illâ nihilo inferior S. Elisabetha Lusitaniæ Regina, vix in hunc orbem nata, *perniciosas avi, patrisque dissensiones in concordiam convertit*; ut adeò meritissimo elogio cognominata fuerit *Felix Regum, regnorumque pacatrix.* Nam, ut S. Gregorius docet, *Sicut nihil est pretiosius Deo virtute dilectionis, ita nihil est desiderabilius diabolo extinctione charitatis.* (S. Greg. in Pastoral.)

90. Quævis corpora, quantumvis obdurata & solida, ab ebulliente & liquefacto stanno rumpuntur. Petri Bercorii doctrinâ, *Stannum liquefactum, & bulliens, omnia corpora frangit, quibus admiscetur, quamquam solida, seu dura.* (Bercor. Reduct. l. 11. c. 124. n. 4.) Epigraphen addes, FERVENS VEL SOLIDA FRANGIT. (Libido.) Ita infames libidinis ardores etiam validissimos Heroës frangunt. Hujus rei testes luculentos habeto Samsonem, Davidem, Herculem, Achillem, Alexandrum, aliosque viribus quidem validissimos, at libidine prostratos. De Carthaginensibus refert Valerius Maximus; *Campana luxuria perquam utilis civitati nostræ fuit. Invictum enim armis Annibalem illecebris suis complexa, vincendum Romano militi tribuit.* (Val. Max. l. 9. c. 1.) Et paulò post; *Quid ergo his vitiis fœdius, quid etiam damnosius, quibus virtus atteritur, victoriæ languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur?*

81. Experientiâ suffragante, de stanno scribit S. Isidorus, quod vasis æreis illitum, sapores venenatos, in hominis perniciem ab ære illo excidere solitos, reprimat. (S. Isid. l. 9. c. 1.) Ipsiusmet verba sunt; *Stannum illitum æreis vasis, compescit virus æruginis.* Quare subscripsi; ÆRIS VENENA COMPESCIT. (Eloquentia.) Ita eloquentia ad venenatos quosvis militum furores reprimendos valet. Certe Attila, Hunnorum Rex, *cui robur & æs triplex circa pectus fuit*, cùm extremam perniciem Romanis minitaretur, & exitiale venenum è corde, labiis, & manibus non sine omnium militum furore undique evomeret, ob unicam S. Leonis I. facundiam penitus acquievit, & tranquillum ex Italia pedem retulit. (S. Leo I. Papa.) Unde etiamnum de illa Pontificum ac Canonicorum Regularium Lateranensium Gemma publicis encomiis canit Ecclesia; *Cujus Divinâ eloquentiâ persuasum est Attilæ, ut regrederetur.* (Brev. Rom. 11. April.) Et rursùs; *invadenti Urbem Genserico, eâdem eloquentiæ vi, & sanctitatis opinione persuasit, ut ab incendio, ignominiis, ac cædibus abstineret.* Porrò stanni nomine timorem Dei intellige, quo perfusa humana pectora, facilè omne scelerum virus exuunt. (Timor Dei.) S. Chrysostomus; *Solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, & omnis boni tribuit facultatem.* (S. Chrysost. serm. de S. [illegible] Bapt.)

92. Stannum, si flectatur, duritie suâ resistit, &, veluti doloris impatiens, altum stridet. Carducius de illo hanc format epigraphen; INFLEXUM STRIDET. (Contumax.) Ita homo reprobus, vitiosus, ac contumax à nemine vult corrigi, aut in saniorem partem flecti. Nam, quod Magnus Augustinus ait, *Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo.* (S. Aug. ad Bonif. de correctione Donatistarum.) Inter hanc hominum colluviem Hebræorum populum cumprimis numeres, qui à Mose ob sicarias manus reprehensus, mox ore in rabiem converso, *respondit; quis te constituit Iudicem & principem super me? num occidere me tu vis? &c.* (Exod. 2. 14.) Jeroboamus, auditis Divini Prophetæ clamoribus, contra altare quoddam excitatis, sacrilegam dexteram quantocius in illum extendit, & ut in carcerem abriperetur, satellitibus imperavit; *apprehendite eum.* (3. Reg. 14.) Ancilla Saræ, ab hera sua ob culpam nonnihil castigata, instar viperæ exiliit, & in impias has prorupit voces; *Amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.* (Tob. 3. 9.) Herodes, cùm S. Joannem flagitia gravissima sibi exprobrantem audiret, mox æstro percitus, eum catenis stringi, & paulò post capite plecti jussit. (Matth. 14.) Tandem Judæi, ob acquissimam S. Stephani invectivam veluti in homines stanneos commutati; *stridebant dentibus in eum.* (Act. 7. 54.)

93. Vitrum, bracteolâ stanneâ à tergo opacatum, ad quarumvis rerum simulachra reddenda disponitur. Und Carducius stanno subscripsit. SPECULIS DAT REDDERE FORMAS. Documenta, à bonis Prælatis in subditos derivata, stanni loco deserviunt: illorum enim beneficio quivis Superior speculi naturam induit, omnesque virtutes, à populo imitandas clarissimis doctrinæ ac optimi exempli radiis ex se in alios diffundit. (Prælatus exemplaris.) Porrò vile eruditionis terrenæ stannum, si pretioso sacræ Scripturæ crystallo uniatur, humano intellectui ansam præbet ad illius arcana facilius perspicienda. (Eruditio profana servit sacræ.) S. Gregorius Papa, de doctrina mundana disserens, ait, sacræ Scripturæ Interpretes ad illam recurrere debere, *ut per instructionem illarum* (sæcularium scientiarum) *Divina eloquentia subtilius intelligantur.* (S. Greg. in 1. Reg. c. 1.) Nam, *dum sæcularibus litteris instruimur, in spiritualibus adjuvamur.*

FINIS LIBRI DECIMI TERTII, ET TOMI PRIMI.

MUNDUS SYMBOLICUS,

IN EMBLEMATUM UNIVERSITATE
FORMATUS, EXPLICATUS, ET TAM SACRIS,
quàm profanis Eruditionibus ac Sententiis illustratus:

Subministrans
ORATORIBUS, PRÆDICATORIBUS, ACADEMICIS,
POETIS &c. INNUMERA CONCEPTUUM ARGUMENTA;

Idiomate Italico conscriptus

à REVERENDISSIMO DOMINO,

D. PHILIPPO PICINELLO

MEDIOLANENSI, CANONICO REGULARI LAteranen. Abbate, Theologo, Lectore, Prædicatore privilegiato;

Nunc verò

Justo Volumine auctus & in latinum traductus

à R. D. AUGUSTINO ERATH,
IMPERIALIS COLLEGII AD B. V. IN WETTENHAUSEN;
Ord. S. Augustini Canonico Regulari, SS. Theologiæ Doctore ac Professore, Protonotario Apostolico ac Sub-Decano,

TOMUS SECUNDUS;

Cum triplici copiosissimo Indice, Lemmatum, Applicationum, Rerum, & S. Scripturæ.

Nunc primum in Germania prodit.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus HERMANNI DEMEN, Anno M.DC.LXXXVII.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO DOMINO,

D. CAROLO LEOPOLDO, DUCI LOTHARINGIÆ ET BARRI,

GUBERNATORI TIROLIS, &c.

Domino clementissimo felicitatem.

Serenissime Princeps, Domine, Domine Clementissime.

CUm ad Serenitatis Tuæ pedes Mundum hunc Symbolicum advolvere molirer, non levem mihi incussit formidinem sanguis ille magnanimus, qui Tibi è summis Imperatorum ac Regum Stemmatis hæreditarius, intra venas & præcordia fluit. Verebar quippe, ne eandem paterer repulsam, qualem olim coram Philippo II. Hispaniarum Rege, sustinuit Mundus, quando Symboli sui loco Equũ repræsentavit, qui è globi geographici vertice desiliens, hoc erat spectandus Satyrici lemmate (*a*); NON SUFFICIT ORBIS. Novi equidem, novit mecum Orbis universus, quantâ magnanimitate Mundum hunc inferum, caducis duntaxat suffultum basibus, contemnas, & ad cœlestem suspires. Nec Serenitati Tuæ prudens quisquam succensebit, cui perspecta fuerint adulterina & fucata illa Mundi lenocinia, illa nunc sævientis, nunc adulantis fortunæ vicissitudo, & assidua in miseros mortales tyrannis. Verùm, non est, quod Mundo meo Symbolico eundem vereri debeam à Serenitate Vestra contemptũ, cùm præter nomen nihil habeat cum materiali Mundo commune. Ad illum quippe Mundum provoco, in quo animus, non corpus, ad virtutum, sapientiæque leges fingitur. Illum offero Mundum, in quo (*b*) *invisibilia* Dei *à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Illum produco spectandum Mundum, qui Magno An-

(a) *Juvenal. Satyr.* 10. (b) *Rom.* 1.20.

tonio inſtar libri deſerviit, ubi totam legeret, evolveretque Dei omnipotentiam ac ſapientiam. Illum denique Mundum molior, ad quem ſapientûm Phœnix Auguſt. diſertè invitat; (a) *Liber tibi ſit Pagina Divina, ut hæc audias; liber tibi ſit orbis terrarum, ut hæc videas. In iſtis codicibus non ea legunt, niſi qui litteras noverunt: in toto Mundo legat & Idiota.*

Poſt conſtructam Mundi hujus Symbolici molem, id unũ mihi adhuc incumbit munus, ut ex ipſius fronte geminos appendam Planetas, Solem & Lunam; quales ad materialis Mũdi faſtigiũ collocavit ſapientisſimus Architectus Deus; ut illũ ex informi ac indigeſto chao evolverent, ſuoq; irradiarent die. Tametſi verò reformidarem, Sereniſ. Princeps, Tuam cùm Regii generis, tum ſapientiæ ac virtutũ lucem, ceu Solem, huic Mũdo meo præfigere, animum tamen, ſtimulumque addidit Sereniſ. Poloniæ Regina, ſacratisſima Serenitatis Veſtræ Conjux, quæ primum illius hemiſphærium clementisſimè dignata eſt ſuis, ceu Lunæ clarisſimæ, amplisſimis radiis. Optima ergò mihi ſuccreſcit ſpes, Serenitatem Veſtram, Serenisſimæ Conjugis exemplo, minimè dedignaturam, ut in altero hoc hemiſphærio Solem agat, qui obſcuro operi dignitatem gratiamque conciliet.

Tribus autem maximè cauſis impellor, quod mutuato Serenitatis Veſtræ radio cupiam Mundum hunc meum illuſtrari. Primam quidem habeo communem cum Rom. Imp. alteram cum univerſo Canonico Ordine noſtro, tertiam verò Imperiali Collegio Wettenhuſano peculiarem. Cauſam mihi cum Imp. Rom. communem ſuppeditat Martius ille furor, & ſexcenta diſcrimina belli in quo.

(b) *Nobilitas cum plebe perit, latéque vagatur*
Enſis.

Hæc tamen pericula, & innumera belli incõmoda gene-

(a) *S. Aug. in Pſal. 45.* (b) *Lucan. lib. 1.*

rosam

roſam Tuam mentem adeò non perculerunt, ut illis pro conſervandâ Patriæ incolumitate in ſupremi Belliducis munere propriam poſtpoſueris vitam & ſalutem, integerrimâ ſemper in Cæſarem fide, & ſummâ in Rom. Imp. conſtantiâ. Unde bonis ſemper dimicâſti avibus, quia gentilitiis, & ab ipſa Regiâ Godefridi Bullionii ſtirpe in Tuos ſucceſſus, non ſine cœleſti augurio, derivatis. Neque mirum eſt, Serenitatem Tuam inter tot agones Martios nunquam ſuccubuiſſe, cùm unicam ſemper ſecutus ſis Cynoſuram, Deum: Magni illius Antonii, Lotharingiæ Ducis, laudabilisſimo exemplo; qui Symboli ſui loco navim in Oceano, Luna Stelliſq; noctu affulgentibus, depingi fecit; addito illo Vatis Regii epiphonemate, (a) *VIAS TUAS DOMINE DEMONSTRA MIHI.*

Altera Voluminis hujus dedicandi cuſa ita latè ſe diffundit, ut Tibi, Tuiſq; Serenisſimis Anteceſſoribus poſt Deum ultrò tranſcribamus, quidquid incrementi & ſplendoris in amplisſimo Lotharingiæ Ducatu cepit Ordo noſter Canonicus, qui, ſi ullibi terrarum, certè in Lotharingia non tantùm Congregationibus (ſine quibus nulla ſubſiſtere poteſt religioſa diſciplina) ſed & Viris præſtantisſimis ac regulari norma ſingularisſimè floret. Mirum eſt, quantùm ſolicitudinis & induſtriæ in reformando conſervandoque antiquisſimo hoc Ordine ſemper collocarint Serenisſimi Lotharingiæ Duces. Et licèt pronum mihi foret enumerare ſingulos, qui ad hoc uſque Serenitatis Tuæ ævum propagando Canonicorum Inſtituto omnem impenderunt operam, conſultò tamen calamum reſtringo, tum ne Tua abutar patientiâ, tum ne cauſam, toti Orbi notisſimam, pagellæ hujus anguſtiis obſcurem potius, quàm illuſtrem. Inſtar omnium eſto Serenisſimus ac Eminentisſimus S. R. E. Cardinalis & Dux Lotharingiæ

(a) *Pſalm.* 24. 4.

CARO-

CAROLUS, qui, uti referunt monumenta Lotharingica, (a) *Incẽſo prorſus ſtudio pro ſuſcipiẽda hujus Ordinis in ſuæ jurisdictionis territorio reformatione flagrabat, faciens id omne, quod ab aliquo tantarũ virtutũ Præſule deſiderari poterat, ut ad præfixum ſibi ſcopum pertingeret.* Ipſiuſmet Sereniſſimi & Emenentiſſimi Principis ad convocatos Ordinis Abbates verba erant; (b) *Omnẽ, quam Eccleſia, meique Natales authoritatem mihi contulêre, vobis offero, ut in hoc negotio opem feram, & illud, uſque dum ſuam perfectionem aſſecutum fuerit, promovere ſtudeam.* Et ſanè ex hoc tanti Præſulis zelo, veluti æſtuanti Æthnâ, prodierunt Virorum illuſtrium, & religioſæ obſervantiæ ſplendidiſſima lumina, ad inflammandum orbem Canonicum ampliſſimè ſuffectura. Unicum produco Reverendiſſimum Petrum Forerium, vulgò Patrem de Mataincour, Canonicorum Regularium Congregationis Salvatoris Noſtri, Ordinis S. Auguſtini, Reformatorem & Generalem, qui, ſicuti Eminentiſſimo Cardinali Lotharingo in propaganda reformatione indefeſſam navavit operam, ita & ipſe primus in Canonica diſciplina aliis præivit exemplo, religioſos Tyrones inſtituit, nihilque intermiſit, quod ſacro Ordini intra regularem orbitã conſervãdo prodeſſe poterat; donec tandem Viri hujus vita in tantam excreverit ſanctimoniam, ut Sereniſſimi Lotharingiæ Duces paſſim ab ipſo, veluti oraculo, capeſſerent conſilia, ejuſq; ſacris ad Deum precibus, veluti ariete, ad quaſſanda hoſtium machinamenta, ſucceſſũ nunquam non auſpicato, uterentur. Quidquid viroris habent Fides & Spes, quidquid ardoris Charitas, quidquid elegantiæ reliqui omnes virtutũ flores, id totum in Petro, veluti amæniſſimo ſerto, renitebat. Prolixũ foret recenſere ægros reſtitutos, claudos erectos, mor-

tuos

(a) *Dom. Biſſel. in vita Forerii. lib. 1. cap. 16.* (b) *Idem l.c.*

tuos ad vitam revocatos, aliaq; innumera & rarissima prodigia, quæ tum vivus patrârat, tum maximè mortuus indies adhuc, confluente undiq; populo, committit. Nullam certè aurifodinam ita divitem alit tellus Lotharingica, quemadmodum sepulchralem Forerii urnam, è qua immensæ gratiarum ac beneficiorum opes in Orbem effunduntur. Unde non sine reciproco in Petrum studio factum, quod Serenissima Domus Lotharingica, cujus Tu quidem meritissimum caput es, Anno 1676. coram supremo Christiani Orbis Judice pro venerabili Petro inter Beatos recensendo supplicârit. Verùm utut eximia sint Ordinis nostri Canonici in Provinciis Lotharingicis ornamenta; utut mira videatur Venerabilis Forerii vita ac prodigia; ea tamen omnia è Serenissimorum Lotharingiæ Ducum zelo ac solicitudine suam referunt scaturiginem.

De Imperiali Collegio nostro Wettenhusano quid dicam? tantâ illud & maximè R[mum.] ac Perillustrem D. Prælatum nostrum, complecteris humanitate & gratiâ, ut non tantùm quartâ vice ad nos divertere, sed & omnem favorem ac gratiam ad illius incrementum offerre sis clementissimè dignatus. Scintillat etiamnum in Wettenhusanis cordibus eximia illa pietas & orandi ardor, quo ante Thaumaturgam nostram Virginis Deiparæ statuam prostratus, exemplo Tuo civibus nostris non leve conciliâsti imaginis colendæ incitamentum. Unde, veluti ad polum suum abreptus Magnes, primo statim Collegii nostri ingressu ad Ecclesiam properabas; & licet Basilicæ nostræ, recens extructæ, splendorem visendum obtenderes, Tuis tamen prodebare Serenissimis oculis, quos omnium primò in Virginem Matrem, stellam Tuam polarem, defigebas.

Accipe igitur, Serenissime Princeps, hunc multiplici titulo Tibi debitum Mundum Symbolicum, annosque perenna plurimos ad Imperii Romani præsidium, Ordinis nostri Canonici incrementum, ac Imperialis Collegii nostri tutelam. Et, sicut hæreditario Bullioniorum jure, Serenitati Tuæ debetur Regnum Hierosolymitannm, ita omine minimè vano olim tanto certius cælestis Solymæ coronâ condecorabere. Ad Beatissimam Virginem in Wettenhausen, Anno 1680.

Serenitatis Tuæ

Humillimus in Christo servus
AUGUSTINUS ERATH, Can. Reg.

AD

AD LECTOREM.

PErfecta hujus Mundi ſymmetria non è creaturis duntaxat elementaribus, animatis & vegetabilibus, ſed inſuper è rebus artefactis, veluti præclaro quodam totius Univerſi auctario, componitur. Poſteaquam ergò in prima Mundi noſtri Symbolici Parte ſub oculos poſuimus Emblemata è Cœlis, Elementis, Animalibus, Plantis, Gemmis, & Metallis conſtructa; omninò muneris noſtri ratio exigit, ut in ſecunda hâc Parte ſtatuamus Emblemata, è Corporibus artefactis ſubminiſtrata. Diſtribui autem artefacta illa, modo, nî fallor, opportuniſſimo, ſub aliquot titulis in Inſtrumenta Eeclefiaſtica, Domeſtica, Mechanica, Mathematica, Militaria, Ruſtica &c. quæ ſingula rurſus ſub univerſitate ſuâ materias complectuntur proprias, & in plura capita diſcriminatas. Hâc enim qualicunque ordinatâ rerum ſerie Mundus noſter non ſolùm vindicatur ab informi, indigeſto, & nonniſi ſqualoris refertiſſimo chao, ſed inſuper in Eruditorum conſpectu ſortitur perfectionem, ſi non pleniſſimam, certè tamen ab omni graviore nævo, quantùm potui, defæcatam. Poſtremus Liber eſt congeries Corporum Mixtorum, quæ nec facilè poterant inter ullius determinati generis artefacti membra recenſeri, nec temerè debebant à Mundi hujus Encyclopedia proſcribi, cùm & ipſa plurimùm Symbolici ſplendoris & commodi in rem præſentem conferant. Proin', amice Lector, Librum hunc evolve, meamque voluntatem æqui bonique conſule: abominor quippe omnem inertis otii languorem, malimque ignarum, quàm ignavum me dicas. Expatiare igitur per Mundi hujus vaſtitatem, & diverſos litterarum theſauros, ſive proprio ſuffecturos genio, ſive aliorum curioſitati ſubminiſtrandos, ſtudioſè collige.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER DECIMUS QUARTUS.
INSTRUMENTA ECCLESIASTICA.

Altare.	1	Crux.	7
Calix Hierotheca,	2	Lampas.	8
Campana.	3	Mitra.	9
Candelabrum.	4	Pedum.	10
Candelabrum trigonum.	5	Pulpitum.	11
Crepitaculum.	6	Thuribulum. Thus.	12

ALTARE.
Cap. I.

I. Dona. IOannes Ferrus Abbas Aram figuravit, victimis, mox sacrificandis, gravidam; & hoc hemistichio, ceu lemmate, insignem; DONIS DELICTA PIANTUR. Ovidii documentum est;

Ovid. *Munera crede mihi, placant hominesq;, Deosque,*
Placatur donis Jupiter ipse datis.

Huic opportunè subscribens Silius Italicus, canit;

Sil.Ital.l.4. *Heu prima scelerum causa mortalibus ægris*
Naturam nescire Deum: Justa ite precari
Thure pio, cædumque feros avertite ritus.
Mite & cognatum est homini Deus, hactenus, oro
Sit satis ante aras cæsos vidisse juvencos.

Prov 13.8. Eleemosyna. S.Ambros serm. 30. de Eleemos. Dilucidè Salomon; *Redemptio animæ viri*, seu, ut Theodotion & Symmachus vertunt, *Propitiatio animæ viri divitiæ suæ.* Ab hoc proposito non multum dissimilis S.Ambrosius, ait; *Quamvis ergò pollutus, quamvis multis criminibus circumseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse cœpisti. Vide ergò quæ sit misericordiæ gratia, quæ una & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum.* Rursus inter Divina sua proverbia etiam hoc recenset Salomon; *Munus absconditum extinguit, iras & donum in sinu indignationem maximam.* Prov.21.14. S.Joannes Chrysostomus, à P.Ferdinando Salazar citatus, sententiam, cautè quidem intelligendam, sed tamen in rem præsentem multum accommodatam, exhibet; P.Salaz. in c.19. Prov. n.63. *Judex noster per pauperes corrumpitur. Fac ergò per pauperis manum Judicis posticum pulses, etenim ille munera tua per eum accipit, & leges adulterat. Accipit, inquam, atque ex justo benignus efficitur; accipit, inquam, & veritati misericordiam anteponit. &c.* Eruditè meus Hugo Victorinus de Protoparente nostro Adamo refert; *Credimus, Deum docuisse Adam cultum Divinum, quo ejus benevolentiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat, ipsumque docuisse filios suos dare Deo decimas & primitias.*

Religio. 2. Ignis, supra aram accensus, epigraphen tenet: SOLI DEO. Innuit videlicet, veram Religionem in latriâ, seu peculiari solius æterni ac immortalis Dei cultu, consistere. D.Paulus id disertè explicans, ait; 1.Tim. 1.17. *Regi autem sæculorum immortali, & invisibili, SOLI DEO honor & gloria. Quasi diceret*, inquit interpres Corn. à Lap. in hunc loc. P.Cornelius à Lapide, *non Angelis, non idolis, non Diis gentium, sed soli Deo tribuatur honor & gloria Divinitatis.* Optimè dixit S.Basilius; S.Basilius Orat.2. de Principatu. *Sicut nulli alii nos, præterquam SOLI DEO cultum tribuere par est; sic etiam neq; ullâ in aliâ re spem nostram constituere debemus, quàm in Deo, omnium rerum Domino.* Cæterùm etiam in cordis nostri altari assidua charitatis flamma ardeat, quæ à rebus creatis penitus aliena, in solius Dei cultum & servitutem dirigatur. Amor erga Deum. S.Hieronymus; S.Hier. Ep. ad Demetriad. *Felix conscientia illa, in cujus corde præter amorem Christi, nullus alius versatur amor.*

3. Anima verè perfecta, suosque ardores nonnisi à Deo recipere solita, aram imitatur, cujus victimas ignis è cœlo delapsus concremet; addito lemmate, NON ALIUNDE. Academici Ardentes Neapolitani hoc suo Symbolo Abelis sacrificium, cœlestibus flammis absumptum, innuunt. Justus. Unde ubi nos legimus, *Respexit Dominus ad Abel*; Gen.4.4. Theodoretus traducit, *Inflammavit Dominus super Abel.* Porrò cùm Salomon templum suum apparatu auspicatissimo dedicaret, *ignis descendit de cœlo, & devoravit holocausta & victimas.* 3.Reg.18.38. Eliâ supra Carmeli montem sacrificante, *cecidit ignis Domini, & voravit holocaustum & ligna &c.* Quin, Christus singulas fidelium animas incendio illo cœlesti conflagrare voluit, quando dixit; *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Luc.12.49. Unde S.Ecclesia in pervigilio Pentecostes sub Missæ Sacrificio omnibus Christianorum cordibus ignem illum supernum illabi, enixè rogat. *Illo nos igne quæsumus Domine, Spiritus S. inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, & voluit vehementer accendi.* Et certè animus, incendio illo exardescens, cum Hieremia sanctè dixerit; Thren 1.13. *De excelso misit ignem in ossibus meis.* Cum S.Ecclesia consonans Magnus Ecclesiæ Doctor Aug. *Succende*, S. Augustin. l.Medit. c.36 inquit, *mentem meam igne illo tuo, quem misisti in terram, & voluisti vehementer accendi, ut sacrificium cordis contriti quotidie offeram tibi.*

4. Mantuæ, in solemni quâdam pompâ, insignem Mariæ V. beneficentiam & patrocinium Emblemate Protectio Mariæ V. significaturi, Altare depinxerunt; cum lemmate. TUEBITUR OMNES. Verbis è Virgil. mutuatis; Virgil l 1. Æn.v.523.

----- *Hæc ara TUEBITUR OMNES.*

Sicuti enim miseri omnes, dum ad altare accurrunt, asylum securissimum recipiunt, afferente Plutarcho, Plutarch.l. de Superstit. *Qui hostem fugiunt, simulachrum aut fanum tenentes recipiunt animos.* Et Quintiliano; Quintilian. Declam.265 *Qui salutem suam tueri fugâ nequeunt, circa aras jacent.* Ita Maria Virgo à S.Methodio cognominatur *Altare animatum*, Et Method. orat. de Hypapante. ab Hymno Græco; *Ara lucis adyti*, quæ omnes, in suam fidem recep os, ab interitu vindicat. Eninverò, quod devotus quispiam, à P.Aloysio Novarino Aloys Nov. Vmbra Virg. n. 15. citatus asserit, *Est Maria universalis interpellatrix, omnium Mater, turris David, OMNES PROTEGENS; est refugium in omni tribulatione. &c.*

Raynaud lib Nomenclat. Marianus fol. 76.

Huic affinis Hymnus Græcus apud Theophylum Raynandum de Magnâ Dei Parente canit; *TUTELA murus, firmamentum refugium OMNIUM*, S. Andreas Cretensis, eidem supplex, *Te*, inquit, *universus mundus continet commune propitiatorium*. Cæterùm etiam bonus Princeps subditorum omnium commune asylum esto. Claudianus Honorium sui officii commonefacturus, canit;

Princeps. *Claud in Honorio.*

Tu civem, patremque geras, tu CONSULE CUNCTIS,
Non tibi &c.

Unde ubi vulgata Biblia legunt, *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt*; S. Hieronymus vertit, *Scuta terræ*; Et alii; *Protectores terræ*. Ut adeò manifestum sit, Principes Mundi ex munere suo debere esse aras ac propugnacula mundi. Cùm Illustrissimus & Excellentissimus D. Carolus Franciscus Renatus della Chiesa, Magnæ Crucis Eques, Religionis SS. Mauritii & Lazari Consiliarius ac grandis Conservator Comitatus Astiensis Præses, Machio de Seva & Cinzano, Fratri suo D. Francisco Augustino della Chiesa, illustrissimo Civitatis Salluzziensis Episcopo, justa funebria exsolveret, meus D. Salvator Carducius inter cætera complura Emblemata, Symbola, & Epigrammata, Aram depinxit, quæ, accenso igne, ac victimis jamjam concremandis gravida, inscriptionem tulit; TERRIS SIDERA PACAT. Nimirum ad illam Geneseos Historiam alludens, ubi, posteaquam *ædificavit Noe altare Domino*, Deus, penitus reconciliatus, dixisse fertur, *Nequaquam ultrà maledicam terræ*. Mens verò Emblematis erat, optimum illum Antistitem, instar animati altaris, victimas Deo incruentas obtulisse, ac laudum sacrifici s populo eundem conciliâsse; uti ipsemet Carducius sequenti epigrammate explicat.

Psal. 46. 10 — *Gen. 8. 20.* — Oratio.

Nobilis ara flagrat Cæli sacrata voluptas:
Sidera quæ terris pacat, ad arma ciet.
Tartareas acies, Erebeaque castra triumphat,
Sidereis opibus terrea regna beat.
Non secus Antistes, velut Ara animata Tonantis,
Risus erat Superûm, deliciæque Poli.
Fulmineum quoties Cælum pacavit ovili,
Cordis & æthereo perculit igne lupos!
Utque gregi lachrymas in florida gaudia vertit,
Sic miseris peperit cordibus axis opes.

CALIX. HIEROTHECA.
CAP. II.

5. CAlix, liquore plenus homini sitienti maximè accidit pretiosus, & suavissimus. Unde lemma; ÆSTUANTI SUAVIOR. Ita Calix Eucharisticus illorum gustum peculiari ac dulcissimâ voluptate perfundit, qui mensam Divinam ardentiore desiderio, ac siti magis religiosâ accumbunt. David posteaquam aquas, per Mosen è rupe durissimâ elicitas, commemorâsset (*Eduxit aquam de petra*) tandem iisdem aquis saporem ac dulcedinem mellis attribuit. (*& de petrâ melle saturavit eos.*) Veluti diceret, aquas illas, naturâ suâ insipidas, populo sitienti adeò advenisse pretiosas, ac si melle & sacc haro fuissent conditæ. Theodoreti verba sunt; *Quia illis sitientibus mellis dulcedini similis visa est.*

Eucharista à sitientibus recepta. *Psal 77. 26.* — *Psal. 80. 17.* — *Theod. hunc in loc.*

6. Calicis Eucharistici liquor, quamdiu centro suo nitetur orbis, nunquam deficiet. Unde lemma; REFICIT, NEC DEFICIT. Vel, HAURITUR, NEC EXHAURITUR. S Thomas Aquinas, de cibo Eucharistico disserens, ait; *Manducatur itaque à fidelibus, sed minimè laceratur: quinimò diviso sacramento sub quilibet divisionis particula integer perseverat.* Et quod de augustissimo Servatoris Corpore, idipsum de pretiosissimo ipsius sanguine pronuntiare Fides jubet. *Ecce verum cibum*, inquit, Eusebius Gallicanus, *qui REFICIT, & NON DEFICIT, sed usu suo proficit, de suis crescit expensis. &c.*

Eucharistia indeficiens. *S Tho. .. qu Opusc. 57.* — *Euseb. Gall. Hom. 2. ad Monachos.*

7. Sicuti calix, generoso vino plenus, SUMENTEM INEBRIAT, ita calix Eucharisticus animam fidelem in ebrietatem extaticam ac suavissimam abripit. Regius Propheta attonitus de illo vaticinatur, *Et calix meus inebrians, quàm præclarus est!* Meus S. Laurentius Justinianus, *Semel*, inquit, *pro te datum est pretium, sed poculum quotidie consecratur, tibique apponitur, ut bibas. Bibas, inquam, ut inebrieris, non vino, in quo est luxuria, sed amore, sed jubilo. Inebriat profectò calix iste sanguinis Domini, ex toto corde diligentem alienat à se, & copulat Christo, quem sumit &c.*

Eucharistia inebriat. *Psal. 22. 5.* — *S Laur Just. serm de Eucharist.*

8. Calicem, medicatâ pôtione horridum, hoc epigrammate dignoscendum propones; MALA NOSTRA PELLE. Verbis ex hymno illo mutuatis; *Ave maris stella.* Certè calamitates in calice figurari solitæ, quantumvis à palato nostro ob amaritiem fastidiantur, interiorem tamen animæ languorem felicissimè personant. Opportunè S. P. Augustinus; *Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem.* Et rursus; *Ad hoc exagitat tribulatio, ut exinaniat vas, quod plenum est nequitiâ.*

Calamitas salutifera. *S August. in Ps 2. & 55*

9. Senecæ dictum est, in cratere aureo sæpissimè venenum propinari. Proin venustum ac pretiosum calicem hoc lemmate afficies; IN AURO VENENUM. Inde discas velim, Mundum sub adulterino felicitatis & divitiarum poculo extremam machinari perniciem. S. Laurentius Justinianus; *Illos solos*, inquit, *qui ignorant Deum, & futura non prævident, decipit mundus, aureo etenim eos inebriat calice, variis donis, pollicitationibusque deludens, ad sempiternum trahit exitium.*

Mundus decipiens. *S. Laur Just. Fa. c. Am. c. 13.*

10. Voluptatibus & blanditiis terrenis familiare est, dulcedinem, primis degustatam labiis, paulò post amarore ingratissimo turbare. Quare hanc calici epigraphen subjunxi; NE GLI ORLI IL MELE IL FIEL SERBA NEL FONDO. Id est; IN LABIIS MEL, FEL SERVAT IN IMO. Huic Emblemati prolixè suffragatur Salomon; *Favus distillans labia meretricis, novissima autem illius amara quasi absynthium &c.* Et S. P. Augustinus; *Mare est sæculum hoc, falsitate amarum, procellis turbulentum, ubi homines cupiditatibus perversis & pravis facti sunt velut pisces invicem se devorantes.*

Volupta mundi. *Prov. 5. 3.* — *S. August Ps. 64.*

11. Crater aureus, vino plenus, epigraphen à P. Masenio recepit; SATIS OMNIBUS UNUS. Ita SS. Eucharistia, etsi millies absumpta, milles tamen manet integerrima, totique humano generi exsatiando sufficit. Unde S. Thomæ Aquinatis carmen; *Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus absumitur.* Maria Virgo quoque adeò plenus est gratiarum calix, ut in omnes ac singulos homines sine defectu sit effusissima. Ut adeò benè ab Andrea Hierosolymitano cognominetur *Crater, qui Deum suscipit, sapientiæ, quæ non potest exinaniri.* Et à Buteone; *Crater, fundens exultationem.* In rem præsentem canit Emblematis sui Interpres P. Masenius;

Eucharistia. — Maria V. — *And. Hier Orat. de Assumpt. Put. hymn. græc. p. 132.*

Votum erat hoc quondam Bacchi de classe ministri,
Ut nunquam vacuus tangeret ora scyphus.
Haustus inexhausti modò propinatur amoris,
Virgineus crater si tibi, myste, placet.

12. Crater

Amicus. 12. Crater Philotesius, sive aureus, vino destinatus, epigraphen reddit. LAUDATUR VACUUS, SED PLENUS AMATUR. Ita ferè amici probi ac pauperes tantùm laudantur, sed divites amantur. Unde, S. Hieronymo teste; *Delicata est amicitia, quæ amicorum felicitatem & divitias sequitur.* *S. Hieron. in Michæam Prophet.*

13. Hierotheca, SS. Eucharistiam complexa, epigraphen à me recepit; MAXIMUS IN MAGNO. Seu ut aliis placet, MAXIMUS IN PARVO. Mirum est, ac Divinæ omnipotentiæ specimen, quòd totum ac ingens Christi Corpus unâ contineatur hostiæ particulâ. Ut verò de hoc mysterio etiam oculis ac sensibus tuis aliquam concilies fidem, operæ pretium erit inspicere demonstrationes Theologicas, Physicas, & Mathematicas, quas eruditè explicat, & æri incisas proponit P. Cornelius à Lapide in cap. 26. Matthæi v. 26. *Quis enim fidelium habere dubium possit*, inquit S. Gregorius Papa, *in ipsâ immolationis horâ ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus jungi, unũ quoq; ex visibilibus atque invisibilibus fieri.* In rem nostram longè maximè faciunt verba illa Salamonis post ædificatum templum stuporis plena; *Ergonè putandum est, quod verè Deus habitet super terram? si enim cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc* (angusta hæc panis peripheria) *quam ædificavi? Quid enim*, inquit Doctor Angelicus, *hoc Sacramento mirabilius? in ipso namque panis & vinum in Christi corpus & Sanguinem substantialiter convertitur: ideoque Christus, Deus & homo perfectus, sub modici panis & vini specie continetur.*

[Ch]ristus [i]n Eucharistia. *[S.] Greg. l. 4. [D]ialog 58.* *[S.] Tho. in [O]pusc. 57.*

14. P. Franciscus Rhem, Societatis Jesu, primarius SS. Theologiæ Professor in almâ Universitate Dilinganâ, præclaris suis de SS. Eucharistia Thesibus Hierothecam præfixit, subjuncto D. Thomæ lemmate; LATENT RES EXIMIÆ. Res enimverò in SS. Eucharistia ita latent eximiæ, ut sit miraculum non modò *miraculorum ab ipso factorum maximum* (ita enim vocat Doctor Angelicus) sed omnium planè ipsius mirabilium operum mirabilissimum quoddam compendium: utpote in quo continetur illud ipsum Christi Redemptoris nostri corpus, quod ex castissimis B. V. visceribus prognatum, & in cruce interemptum, tertio pòst die revixit: illud ipsum, inquam, quod modò sedet ad dexteram Patris, secundùm animam, carnem, & Divinitatem. Meritò proinde exclamat S. Thomas Aquinas, *O Pretiosum & admirandum convivium, salutiferum, & omni suavitate repletum! Quid enim hoc convivio pretiosius esse potest? in quo non carnes vitulorum & hircorum, sed nobis Christus sumendus proponitur verus Deus. Quid hoc Sacramento mirabilius?* *S. Thom. in Opusc. 57.*

[In] Eucharistia. [S. T]ho. serm. [de] Corporis [Ch]risti.

CAMPANA.

Caput III.

15. Æri campano subscripsêre; COMINUS, ET EMINUS. Vel; ET PROPE, ET PROCUL. Hæc inscriptio etiam conspiciliis, sagittæ, Pharo, aliisque corporibus symbolicis communis est. Haud aliter virtutis fama & propè & procul non sine gloriæ echone resonat. Silius Italicus virtutem in hæc verba loquentem sistit. *Fama virtutis.* *Sil. Ital. l. 15*

Mecum honor, & laudes, & læto gloria vultu,
Et decus, & niveis Victoria concolor alis,
Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus. &c.

Voces Apostolicæ, ceu totidem campanæ, tam intra

Prædicatio apostolica. *Psal.18.5.* *S. Io.Chrys. Hom.15.in Matth.*

intra nativas ac vicinas Galileæ, Judææ, Samariæ, aliasque regiones, quàm in remotissimis quibusvis mundi angulis percrebuerunt. Enimverò *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* S. Joannes Chrysostomus Christi ore ait; *Non ad duas quippe urbes, aut decem, aut viginti, neque ad unam vos mitto gentem, sicut mittebam Prophetas, sed ad omnem terram prorsus, ac mare, totumque mundum. &c.*

Virtus vera. *Torq.Tass. Gerus. Liber Cant.6 st.45*

16. Hominem, è crebro calamitatum impulsu ad sonoras heroicæ ac generosæ indolis suæ voces excitatum, campanæ non absimilem dices, quæ hanc præferat inscriptionem; ET PERCUSSA VALET. Torquatus Tassus de Argante scribit, quòd inter geminata vulnera ferocior evaserit.

Qual nel' alpestri selve orsa, che senta
Duro spiendo nel fianco, in rabbia monta:
E contra l'arme se medesima auventa,
Ei perigli, è la morte audace affronta:
Tale il Circasso indomito diventa,
Giunta hor piaga, à la piago ed onta à l'onta:
E la vendetta far tanto desia,
Che sprezza i rischi, è le difese oblia.
E congiungendo à temerario ardire
Estrema forza, è infaticabil lena
Vien che si impetuoso il ferro gire,
Che ne trema la terra, è il ciel balena. &c.

Idem Cant. 8 stanz. 23.

Et alibi, de Sueno, acerbè sauciato, canit;

Ripercote percosso, è non s' allenta:
Ma quanto offeso è più, tanto più noce.

Gen.32.28. *Ildeb.Ep.37.* *S Greg. 5. Moral. c 13.*

Jacob, quando nervum ab Angelo incisum ac marcescentem retulit, miro invalescere cœpit robore, ac fortis cognominatus est. *Si contra Deum fortis fuisti.* Quod observans Ildebertus Turonensis Pontifex, ait; *Percussus in femore Jacob, sano pede firmius nititur.* In hanc rem præclarè S. Gregorius Papa; *Fortitudo* inquit, *nonnisi in adversitate ostenditur, tantò enim quisque se ad fortitudinem profecisse verius demonstrat, quantò mala robustius tolerat.*

Calamitas facit orare. *S.Greg.l.7. Moral c.9. in Iob.c.6.*

17. Campana altum semper silet, nec nisi malleo percussa sonat. Unde lemma; DAT PULSATA SONUM. Eorum hæc idea est, qui tum demum voces in cœlum supplices spargunt, quando Numinis supremi dextera; morbis, inquam, ac calamitatibus, feriuntur. Appositè S. Gregorius Papa; *Æs, cùm percutitur, canorus valde sonitus ex ejus percussione formatur. Quidam, à metallo æris in nullo discrepantes, cum flagella supernæ percussionis accipiunt, piæ confessionis sonitum emittunt.* Certè David, crebrâ persecutione, ac domesticorum morte pulsatus, elegias suas flebiles & devotas passim versus cœlum emisit. Manasses, captivitate multatus, in pœnitentiæ ac contritionis gemitus prorupit. Ezechias, extremis terroribus concussus, voces suas ad canticum dicendum levavit. Antiochus, cùm violentos dolores sentiret, cœlum precibus fatigare, ac sceleris sui veniam elatâ voce precari cœpit. &c. Opportuna & in rem præsentem plurimum gratiosa est Patris Bernardi Bauhusii camœna.

Bauhusius l.4.Epig.

Nux, asinus, campana, piger, sine verbere cessant:
Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille jacet.
Sed simul ut ferri plagam sensère, vel ulmi,
Hæc cadit, hic pergit, hæc sonat, ille studet.

14. Campana, è diversis metallis fusa, sonum edit clariorem, quàm ex uno solo conflata. Unde quidam è familiâ Campanâ, diversis honorum ac dignitatum titulis insignitus, hoc lemmate campanam distinxit. COMMIXTIONE CLARIOR. Eadem diversarum nationum unio ac concordia Religiosos ordines plurimum illustrat. S. Basilius Magnus, *Hujus*

Religio. *S.Basil Cons. Monast.c.19.*

vitæ instituto, inquit, *quid est tandem quod jure comparari possit? quid eo beatius dici? quid hâc conjunctione, unitate, & necessitudine aptius excogitari? quid mutua inter se morum, animorumque contemperatione gratiosius fingi? Homines ex diversis nationibus ac regionibus profectos, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeò in unum veluti coaluisse, ut in pluribus corporibus unus modò animus esse videatur.* Et magis succinctè Paulus V. de Societate Jesu pronuntiat, *GLORIAM ingentem ejus societatis ESSE nationum COLLECTIONEM.* Cæterùm eodem Emblemate etiam matrimonium significatur, in quo duo sponsi, nobilitate ac generis splendore illustres, utramque familiam suam clarissimis incrementis promovent.

Paul.V.in Bullar. Soc. Iesu p.30 Matrimonium.

19. Æs campanum, dum personat, CONVOCAT OMNES. Ita sonorus Apostolorum clamor omnes omninò mundi provincias ad fidem Christianam accersivit. Enimverò, vaticinante Psalte, *In omnem terram exivit sonus eorum.* Adeoque, teste Magno Augustino, *dum calor Verbi Dei ubique per Apostolos diffunditur, non erit, quid possit dicere peccator in judicio Dei.* In rem præsentem Georgia de Montenay canit,

Ps.1.85. *S Augus. serm de a vers.20.ex Georg. Mo. Embl.43*

Æra quatit, pulsuque ad cœtum convocat omnes
Præco, nec inculpa est, si quis adesse negat.
Sic æterna Deo vulgante oracula, surdum
Quisquis agit, propriâ dat sibi fraude malum.

20. Æs campanum, humi ad turris cujusdam pedes collocatum, epigraphen sustinet. AUDIAR, SI TOLLAR. Concionator nullum in peccatorum cordibus sonum cum fructu efficiet, nec aures sortietur pias, nisi è terrenis vitiorum sordibus ad virtutum celsitudinem sublevetur. Nam teste S. Gregorio Papâ, *Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba infra conscientiam remordet.* Joannes Baptista Mazzolenus eandem præclari cujusdam Oratoris ideam statuit, qui è tenui ac infimâ fortunâ in locum editiorem sublevatus, facundiam suam amplissimè propagavit. Unde campanam hoc poëmate Italico loquentem introducit.

Concionator. *S. Greg. homil 3. Ezech.* Orator pauper.

Di metallo sonoro
Che mi giova il tesoro:
Se il disastro mi fa giurata guerra;
E tiemmi oppresso à terra?
S' altri per sua bontà
Mio dolce Mecenate esser vorrà,
Dal mio centro esaltato,
Darò si ben formato
Il suon, come d'argento;
Che l' Italico Ciel n'andrà contento.

21. Cythara, organum, tuba, tibia, aliaque instrumenta musica in eo à campanis differunt, quòd hæ suos sonos versus omnē partem latissimè propagent; illa verò eosdem ad unam tantùm coarctatos habeant. Unde lemma campanæ subjectum; DAT UNDIQUE SONUM. Genuina hæc hominis verè perfecti imago est, qui, sive loquatur, sive taceat, sive gradiatur, sive stet, semper oculis, linguâ, pedibus, nutibus, gestibus, omnique loco & tempore continuos optimi exempli & doctrinæ sanissimæ sonos quaquaversum spargit. S. Hieronymus, è Pontificis Hebræi extremâ veste tintinnabula aurea suspensa observans, ait; *Idcircò tintinnabula vesti apposita sunt, ut, cum ingrederetur Pontifex in sancta Sanctorum, TOTUS VOCALIS INCEDAT.* Et denique, *Tanta debet esse scientia, & eruditio Pontificis Dei, ut ET GRESSUS ejus, ET MOTUS, ET UNIVERSA VOCALIA SINT. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu: ut quidquid agit, quidquid loquitur, sit doctrina populorum.*

Justus. Sacerdos. *S. Hieron. ep. ad Fabiolam de veste Sacerdot.*

22. D. Di-

Loqui.

22. D. Didacus Saavedra campanam ruptam hoc lemmate affecit; EX PULSU NOSCITUR. Significabat nimirum plerosque animi affectus è verbis nostris, ceu indice clarissimo, conjici posse. *In lingua enim*, ut Siracides testatur, *sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati.* Unde ministri synagogæ, cùm S. Petro colloquerentur, dixerunt; *Loquela tua manifestum te facit.* Ab his nihil alienus Menander, ait; *Viri character sermone cognoscitur.* Seneca; *Oratio vultus animi est: si circumtunsa est, si fucata, & manufacta, ostendit illum non esse sincerum, & habere aliquid fracti.* Et Antonius in Melissa; *Vas facile ictu & sono; homo sermone probatur.* Antisthenes, à Laertio adductus, affirmat, amicum inter adversæ fortunæ impulsus omnium optimè dignosci posse. *Sicut vasa explorantur pulsu, & tinnitu; sic amicorum fides exploranda est tribulatione & rebus adversis.*

Eccles. 4. 29. Matt. 26. 27. Senec. ep. 115. Ant. Meliss. serm. 48. Amicitia. Laert. l. 2. c. 8

23. Æs campanum, è contignatione suâ suspensum, quantum fuerit à trabium vicinarum contactu liberius, tantò sonitum edit clariorem ac suaviorem. Unde D. Carolus Bossus hanc illi epigraphen subdidit. DUM NIHIL HÆREAT. vel ut magis distinctè loquar; MAGE SONORA NON HÆRENS. Spirantem hanc hominis apostolici ideam dixeris, cujus voces auditorum benevolentiam tantò felicius ac suavius sibi conciliant, quantò è pectore liberiore, ac terrenis facultatibus omnibus magis inope, proficiscuntur. Christus, cùm Discipulos ad Evangelium, universo mundo promulgandum his omninò verbis institueret, *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquabit regnum cælorum;* subjunxit; *nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram &c.* veluti plena rerum terrenarum abdicatio ad vocis apostolicæ harmoniam spargendam, methodus esset omnium opportunissima. S. Joannes Chrysostomus, *Angelos*, inquit, *eos ex hominibus, ut ita dicam, constituit, ab omni solvens vitæ hujus sollicitudine: ut unâ solâ detineantur curâ, quæ est doctrina:* Et S. Ambrosius; *Qualis esse debeat, qui evangelizat regnum Dei, præceptis evangelicis designatur: hoc est, ut subsidii sæcularis adminicula non requirat. &c.* In hanc rem plurimum accommodata sunt illa Balaami verba; *Non est idolum in Jacob, nec videtur simulachrum in Israel, Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ regis cum illo;* ac si diceret, animam, à rebus materialibus, terrenis, & diabolicis remotam, voces edere in aliorum profectum sonoras ac Evangelicæ victoriæ palmam promereri.

Prædicator. Matth. 10. 9. Ibid. n. 10. S. Io. Chrys. Hom. 13. in Matth. S. Ambros. in Luc. 9. 3. Num 23. 21 Solitudo.

24. D. Aresius libro suo, quem Artem Prædicandi cognominat, Emblematis loco campanulam præfixit, quæ à manu quadam pulsata, apum volitantium examen alliciebat; cum epigrammate, ERRANTES REVOCAT. Mens imaginis, ni fallor, hæc erat; quòd ipse in erudito suo volumine cumplura imperiti Oratoris vitia dedoceat, eumque ad genuinæ Rhetoricæ tramitem revocet: vel quòd verus Prædicator homines sceleratos, per cujusvis vitæ licentiam errabundos, ad virtutis semitam sonoris suis vocibus reducat. His encómiis jam olim S. Maximus omnes S. Eusebii conciones, adhortationes, consilia, ac correctiones celebravit, & hodie etiamnum S. Ecclesia quemcunque verum animæ Pastorem iisdem S. Maximi verbis exornat. *Quantis hic cæcis, à via veritatis errantibus, amissum reddidit visum? Quantorum auribus surdis, & infidelitatis obturatione damnatis, ad percipiendam vocem cœlestium mandatorum pretiosum infudit auditum? Quantorum animas, viventi in corpore jam defunctas, & delictorum mole obrutas ac sepultas, ad emendationem, tanquam ad lucem vocando, Deo resuscitavit? &c.* Ita meus Concanonicus S. Marcellinus, posteaquam compertum habuit, quòd Frisii ab ipso ad sanctam fidem conversi, denuò in pristinas idololatriæ errores declinarint, mox *iterum missus in Frisiam, salutari prædicatione illos AD VIAM veritatis denuò REVOCAVIT.* Cæterùm etiam correctio fraterna hanc iconem sibi propriam vendicat, quippe cujus beneficio anima exerrans ad pristinæ virtutis signa revertitur.

Prædicator S. Maximus Hom. 59. Offic. Can. Reg. 15. Iulii. Correctio fraterna.

25. Aliquot campanulæ, quales ante ædium portas suspendi solent, ligneo circulo affixæ, ac in orbem dispositæ, epigraphen tenent. AD OGNI PICCIOL MOTO. Id est; MOTUM AD OMNEM. Ita suspiciosus, timidus, ac zelotypus amans, levissimâ quâvis occasione turbari, & in querelas effundi solent. Conscientia quoque rea ad cujusvis auræ strepitum palpitat, & contremiscit. Cùm gentiles Israelis populo è fronte obluctatentur, Deus dixit; *Dabo pavorem in cordibus eorum, & terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium.* Haud aliter Sapiens in libro sibi cognomine ait; *Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonitus suavis, aut ludentium animalium cursus invisus deficientes faciebant illos præ timore.* Et S. Joannes Chrysostomus de assiduâ adulteri cujusdam inquiete disserens, *Voluptas*, inquit, *quidem temporaria est, dolor perpetuus. Timor undique ac tremor, suspicio & anxietas: angulos metuit, umbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, inscios, illam ipsam, quam corrupit: & virum, quem affecit contumelia.* Cæterum Emblemate isto ignava & impatiens anima demonstratur, quæ levissimo digito tentata, mox in lamenta ac ejulatus gravissimos adversus Deum erumpit. S. Hilarius; *Si quid adversi accidit, prona in Deum querela est. Deum enim inter damna sua Avarus accusat; Deo cum invidia fletuum suorum orbatus irascitur &c.*

Zelotypus Peccator timidus. Levit. 26. 36 Sap. 17. 17. S. Io Chrys. Conc. 1. de Lazaro. Impatiens. S. Hilar. in Psal. 115.

26. Campana ex sono cognoscitur, integrane sit, an fracta? Unde lemma; DIGNOSCITUR SONITU. Ita ex voce, sonoque verborum, interiorem hominis conditionem indicio minimè vano conjicere licet. S. Chrysostomus super illis Apostoli verbis, *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat;* ita pronuntiat, *Quale cor unusquisque habet, talia verba loquitur, & talia opera facit.* Et S. Clemens Alexandrinus; *Cùm verba omnia à cogitatione & moribus emanent, fieri non potest, ut verba aliqua mittantur ridicula, quæ non procedunt à moribus ridiculis. Ex abundantia* siquidem *cordis os loquitur.* Gemma illa Martyrum, S. Ignatius, in medio tormentorum, & inter ipsas manus carnificum constitutus, augustissimum nomen JESU perpetuò ingeminabat; rogatus hujus causam; hæc, inquit, est, quia gesto illud cordi meo altissimè infixum; ejus post mortem aperto corpore repertum est illud in cordis medio litteris aureis efformatum.

Verba hominem indicant. S. Chrysost. ad Epist. 4. S. Clem. Alex in l. 2 de pædag. c. 5.

27. Campana, magnitudine suâ & pondere insignis, ubi nullæ ipsam manus movent, diuturno conticescet otio, suâque nunquam sponte ullum sonitum emittet. Unde pendenti campanæ subscripsit Serenissimus Philotheus; QUID MOLES, SI NON MOVES? Multò minus mortales, Divinâ destituti gratiâ, vitæ suæ movebunt gloriam fortunamque; quum absens Dei manus derelinquat hominem, ut, veluti inglorium terræ pondus, ignavo emarcescat otio. Verissimè docet Theologorum Princeps S. Augustinus; *Gratia efficit, ut non tantùm velimus rectè facere, sed etiam possimus non viribus nostris, sed liberatoris auxilio.* Canentem audi Emblematis Authorem;

Gratia Dei S. August. in Expos. Epist. ad Roman. propos. 18.

Quæ campana suo pendet liberrima templo,
Hæc nullos edit, sit nisi mota, sonos.
Mota movet tremulas raucis clangoribus auras,
Atque agit officium, sed prius acta, suum.
Quid moles operosa juvat, nisi moveris aptè?
Et nisi mota suas discat obire vices?
Ferrea sum moles, sum pondus inutile terræ:
Sed si me moveant Numina, motus agam.

28. Campana, si pulsetur, fulmina & tempestates arcet, virtute sive naturali, sive interdum miraculosâ. Lemma; FULMINA PELLIT. Virtutem hanc prodigiosam experiuntur agri Diessenses in campanâ suâ majori, quæ sacris Divæ Mechtildis, Canonicæ Regularis, crinibus commixta, vim ita validam in tempestates ac fulmina habet, ut illas omnibus inspectantibus dissipet, credantque incolæ, omni jam periculo fruges suas esse liberas, quando sonantem audiunt S. Mechtildis campanam; uti fusè testatur R. D. Thomas Durr in ipsius vita. Idipsum testatur experientia de majori nostrâ campanâ VVettenhusana, quæ tantâ est adversus tempestates virtute, ut nemo meminerit, ullum à fulmine & grandine illatum frugibus damnum, quando campana nostra, cui Mariæ Theodoræ nomen, pulsata fuit. Porrò Prædicator, instar sonantis campanæ, omnia tentationum fulmina, & vitiorum tempestates pellit: quia, teste Magno Augustino, *Tota prædicatio, dispensatioque per Christum, hæc est, & alia non est, ut resurgant animæ, resurgant & corpora.*

S. Mechtildis. — Thom Durr c.15. Vitæ — Prædicator. — S. Aug Tract. 25 in Ioan.

CANDELABRUM.
Caput IV.

29. D. Joannes Baptista Mazzolenus Emblematis loco grande candelabrum depinxit, quod ad altaris crepidinem collocari solitum, nunquam nisi sub Missæ canone accenditur. Epigraphen addidit; TANTUM AD SACRATIORA. Sacerdotem hæc idea spectat, qui alia omnia fastidiens, negotiis tantùm Divinis ac sacrosanctis deserviat. Huic Apostolus aurem vellicans, ait; *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* Et P. Cornelius à Lapide; *Finis & scopus Sacerdotis est gloria Dei. Quocirca Sacerdos in omnibus suis actionibus hunc finem & scopum spectare debet. &c.* Unde S. Hironymus; *Summæ stultitiæ est*, inquit. *renuntiare sæculo, dimittere patriam, urbes deserere, & Monachum profiteri, & inter majores populos vivere peregrè, quàm erat victurus in patria.*

Sacerdos. — 2. Tim 2.4. — Corn à Lap. in Malach. c.2.2. — S. Hieron in Epist.

30. Candelabrum, lucernam & facem sustinens, non sibi, sed solis circumstantibus illuminandis deservit. Ut adeò epigraphen, ni fallor, opportunam subjunxerim; ALTERI LUMEN. Ita Hebræorum populus, per varias provincias dispersus, mundo quidem ad propheticam lucem, de Servatoris nostri vitâ & morte diffundendam, inservit; ipsomet interea extra obstinatam suam caliginem nunquam eluctante. S. P. Augustinus, Judæis acerbè exprobrans, *Dispersit vos*, inquit, *per universas terras, ut ubique prophetias de ejus Nativitate, Passione, Resurrectione, Ascensione, quæcunque dicta sunt, vos proferatis, atque lucernam legis, tanquam lignea candelabra, sensu carentia, gentibus ministretis.* Cæterùm candelabro similes se probant vitiosi illi Prædicatores & Magistri, qui alios optimis consiliis illustrant, propriam verò vitam inter cymmerias flagitiorum umbras assiduò traducunt.

Paulus Hebræus. — S. Aug. Conc. cont. Iudæos. — Prædicator vitiosus.

31. Aureum Legis veteris candelabrum, septem instructum lychnis, ignem suum è cælo accepit. Unde inscriptionem adjecit P. Masenius; IGNEM HAURIT AB ASTRIS. S. Epiphanio teste, Maria Virgo est *Candelabrum, quod ab altissimo throno accepit ter lucidum ignem.* Quidquid enim in Deiparâ illustre ac splendidum reperitur, id totum è cœlo liberalissimè promanavit. Unde rectè ab Andrea Hierosolymitano cognominatur *Candelabrum aureum, septem lychnis, donis scilicet Spiritus sancti ornatum, clarum & lucidum.* Pulchrè in rem præsentem canit Emblematis Author.

Maria V. — S. Epiphan. Orat. de Laud Deip. — And. Hieros Orat. in salu Ang.

Ignem hausêre sacrum prisci reverenter ab astris,
Et proscripta adytis flamma profana fuit.
Quidquid in illustri splendescit Virgine, quidquid
Ardet, ab æternis ignibus illud habet.

CANDELABRUM TRIGONUM. *Cap. V.*

32. Isabella, Marchionissa Mantuana, ut palam faceret, se inter gravissimas calamitates omnibus aulicis & amicis, uno solo excepto, fuisse destitutam, candelabrum trigonum, ab Ecclesia Romana quotannis in hebdomadæ sacræ officio usurpari solitum, figuravit, eique, unicam tantùm candelam accensam inter omnes alias extinctas præferenti, subscripsit; SUFFICIT UNUM IN TENEBRIS. vel ut D. Aresio placet; MOERENTI SUFFICIT UNUM. seu ut D. Jovius inscripsit; UNUM PRO MULTIS. Et certè, unicus verus amicus instar plurimorum est, ejusque consilio inter omnes adversæ fortunæ umbras securus incedes. Franciscus Petrarcha; *Amicum unum fidum expertum habeo? Habes ergo rem dulcissimam, sanctissimamque, quâ unâ post virtutem solam nihil homini melius in hâc vitâ, seu natura, seu casus aliquis, seu labor, ac studium dedit.* Et prior illo Siracides; *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio: & non est digna ponderatio auri, & argenti, contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis. Non enim*, teste Cassiodoro, *validior vel efficacior est vulneribus nostris medicina, quàm habere, qui omni incommodo occurrat compatiens, omni commodo occurrat congratulans, ut junctis suis humeris onera sua invicem tolerent, & quod unusquisque propriam levius, quàm amici portet injuriam.*

Amicus. — Franc. Pet l. 1. de Reme dialog. 52. — Eccles. 6.14 — Cassiod l. Amicit. c.

33. Hebdomadis sacræ ritus est, quod, post extinctam ultimam candelabri trigoni candelam, strepitus & fragor excitetur. Eò alludens D. Joannes Baptista Mazzolenus, Emblematis loco candelabrum illud pinxit, in quo unica accensa candela erat residua, cum lemmate; CIET EXTINCTA TUMULTUM. Illustrissimam quandam familiam hoc Emblema spectabat, quæ ad unicum superstitem Principem devoluta, tandem eo mortuo gravissimas turbas, &, ob hereditatem à diversis expectatam, acerrima bella suscitavit: veluti in Alexandri Magni, Henrici III. Galliarum Regis, & hoc nostro ævo in Transylvaniæ Principis morte contigit. Cæterùm idipsum de bono exemplo intelligere licet, quod, si vel unicum in bono Prælato aut Superiore sit residuum, etiamsi subditi omnes ad vitia deflectant, poterit virtutis & disciplinæ splendorem conservare: at si etiam illud extinguatur, tum demum ciebuntur in Monasteriis turbæ, & omnia vertentur susque deque Experientiâ suffragante ait S. Gregorius Papa; *Cùm majores voluptati deserviunt, minoribus lasciviæ frena laxantur, & tantò licentius hostis ad feriendum, occupat quantò hi, qui pro culpis intercedere poterant voluptati vacant.*

Princip unicimors — Exemplum i Prælato — S. Greg l. dialog.

CREPITA-

CREPITACVLVM.

CAPVT VI.

34. IN hebdomade sanctâ, quæ æri campano silentium indicit, crepitacula, seu, ut Rubricarum verbo utar, tabellæ usurpantur. His D. Jovius Emblematis loco subscripsit; CREPITANT, DUM SONORA SILENT. Loquaces illas & rudes hominum linguas hæc idea coërcet, quæ, doctis tacentibus, altùm vociferantur, & effrontem suam ignorantiam ingenti clamore passim, ac cumprimis coram imperitioribus, venditant. P. Cornelius à Lapide bellam hanc Hebræorum doctrinam, ex Pirke avoth desumptam, refert. *Vir sensatus tacet & obmutescit coram seniore aut sapientiore se; loquentem non interpellat: vix respondet interrogatus, &c. contrario prorsus modo destulto ratiocinandum est.* Ignorans loquax. Corn. à L.

35. Iisdem crepitaculis epigraphen subjunges, priori contrariam; CUM CREPITANT, SONORA SILENT. Idipsum non rarò in colloquiis fieri amat, ubi homine, in authoritate constituto, & ob ignorantiam suam plurima extra orbitam garriente, docti circumstantes respondere dedignantur. Princeps doctus. Cum Abderitarum Legatus coram Agide, Spartanorum Principe, plurima prolixè peroraret, Agis nihil unquam respondit: interrogatus vero, quidnam responsi suis ducibus deberet referre; *Hoc referes*, inquiebat Agis, *quamdiu tibi visum fuit loqui, tamdiu me tacitum audivisse.* Plutarch in Apotht. Laconic. Hanc agendi methodum probè observatam habuit Christus, qui, tametsi Verbum Divinum & Sapientia infinita esset, adversus horrendos vociferantium Judæorum clamores, ac falsissimas coram Judice accusationes silentium tenuit altissimum *Et cum accusaretur à Principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil respondit.* Imò, interpellante etiam Pilato, *non audis, quanta adversum te dicunt testimonia?* nihilominus, *non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.* Christus tacens. Matth. 27. &c.

36. P. Camillus Anticus hanc crepitaculo gnomam subjungendam censet; SEMEL IN ANNO Ignavam illam hominum fæcem hæc imago spectat, qui vix semel in anno advolvuntur cœlo supplices & pœnitentes. Semel fundatus pœnitens. In hoc argumentum canit meus Concanonicus D. Gregorius Brunellus;

> *Parva, sed ingentes strepitus fert, atque per annum*
> *Deservit templis ista tabella semel,*
> *Hoc peragit, patrata semel qui crimina in anno*
> *Plangit, & ad gemitus quem Mætanæa vocat.*

Hos pœnitentes, meâ quidem sententiâ, Possidoniatis maris Tyrrheni accolis, non absimiles dixeris, qui, tametsi origine suâ Græci, annorum progressu à primævâ suâ institutione ita degenerarunt, ut veterum ceræmoniarum ac consuetudinum penitus obliti, nec ipsa Majorum suorum nomina servarint, ac barbarorum ritu, undequaque rudissimi vixerint; nisi quòd unicum totius anni diem certis solemnitatibus festivum peregerint, in quo Græcorum more vestiti incesserunt, Græcorum ritu sacrificarunt, idiomate Græco collocuti sunt, & per publicas plateas bacchati, miseriam & barbariem suam, in quâ degebant hactenus, gravissimo dolore ac fletu deplorarunt. Sed id quamdiu? *Hæc cùm omnes totâ passim urbe fecissent, postridie tamen ejus diei ad priorem facilè vitæ cultum, barbaraque instituta turpiter devolvebantur*; uti de his populis refert Nicolaus Leonicenus. Nic. Leonic. l. 2. c. 11.

37. Dum crepitacula nocturno tempore in Religiosorum domibus perstrepunt, singuli è somno ad statos Psalmos & hymnos, in templo persolvendos, excitantur. Iis proinde subscripsi; EXCITANT, DUM CREPITANT. Haud aliter minitantis Dei supplicia, dum in peccatorum auribus percrebescunt, sceleratæ vitæ veternum iis excutere, & ad frugem suscitare solent. Certè Ninivitæ, ab imminentis exitii sui nuntio plurimùm perculsi, ad virtutis operationes evigilârunt, & *Pœnitentiam egerũt in prædicatione Jonæ.* Verissimè Seneca; *Melius in malis sapimus.* Et S. Joan. Chrysost. *DORMITANTES NOS EXPERGEFACERE SOLET, & religiosiores facere TENTATIONUM NATURA.* Minæ Dei excitant. Matth. 12. 41. Senec. Epist. 95. sub fin. S. Chrysost. Hom 14 ad Popul.

38. Crepitaculo inscripsit P. Jacobus Masenius; MOVE, STRIDEBIT. In hominem querulum & impatientem hæc imago convenit, qui, suæ permissus quieti & voluntati, nil nisi patientiam ac silentium spirat; at levissimè tactus, altùm vociferatur, atque Æthnâ fumantior, convitia evomit. Nam, ut præclarè docet S. Gregorius Papa; *In hoc mens justa ab injusta discernitur, quòd justa omnipotentis Dei laudem inter adversa confitetur, quod non cum rebus frangitur, quòd non casu gloriæ exterioris cadit. &c.* Impatiens. S. Greg in Moralib.

C R V X.

Cap. VII.

39. TAmetsi sequentes icones, è Cruce formatæ, Emblematis aut Symboli naturam ægrè sustineant; conabor tamen, ut hanc, pro Christiana pietate exprimendâ, quantùm fas est, imitentur. Itaque Carolus Emmanuel, Sabaudiæ Dux, Crucis ligno gnomam præfixit istam. IN VIRTUTE TUA. Veluti diceret, omnem suam fiduciam arbore illa vitali, ac Crucifixi veneratione niti. S. Ambrosius; *Crucis arbor non solum religatum sibi hominem patriæ repræsentat, sed etiam socios circa se positos virtutis suæ umbra custodit.* Et S. Leo Papa; *Ibi ergò se constituat Christianus, quò eum secum sustulit Christus, & ad id dirigat omnem viam suam, ubi scit humanam salvatam esse naturam.* Sperare in Christo. S. Ambros. serm. 55. S. Leo serm. 19. de Pass.

40. Bartholomæus Rossus Crucem figuravit, cum lemmate; HINC SALUS. Verbis è Dominicæ Passionis Præfatione mutuatis; *Qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti*, In hanc rem appositè S. Joannes Chrysostomus; *CRUX, inquit, terrarum orbem convertit atque SANAVIT; hæc errorem abegit, veritatem reduxit, terram in cœlum restituit.* Et S. Ambrosius; *CRUX Domini SALUTEM generi CONTULIT humano. Passio enim illius nostra redemptio est, mors ejus vita nostra est. &c.* Idem Ambrosius de Juvene, Naymi defuncto, ait; quòd exanime ipsius corpus supra lignum recumbens, lætissimum mundi præsagium tulerit, fore, ut illud ipsum lignum, à Christo contactum, olim universo mundo salutem ac vitam parturiat. *Spem resurgendi habebat*, inquit, *quia ferebatur in ligno; quod etsi nobis antè non proderat, tamen postea quam Jesus id tetigit, proficere cœpit ad vitam: ut esset indicio, salutem populo per Crucis patibulum refundendam.* Crux salutem parit. S. Io Chrys. hom 55. in Matth. S. Ambros. serm. 52. Idem lib. 5. Comment. in Luc. c. 7.

41. Joannes Ferrus Abbas lemmatis loco de Cruce pronuntiat; DIVINI PIGNUS AMORIS. Gilibertus de sanguine, in Cruce effuso, ait; *Purpura hæc magnum quoddam est PIGNUS AMORIS, quem tibi dilectus exhibuit: verè magnum pignus Amoris mortis passio &c.* Et S. Bruno; *Expansio manuum Christi in Cruce significavit dilectionem, quâ semper amplexari voluit Judæos.* Crux amoris Pignus. Gilib. serm. 18. in Cant. S. Bruno Ep. ad Rom. c. 10. v. 21.

42. D. Didacus Saavedra Crucis labarum, Constantino Imperatori è cœlis monstratum, iisdem characte-

characteribus insignivit, quos Constantinus in prodigiosa illâ Cruce exaratos legerat; IN HOC SIGNO. Innuebat videlicet, omnem victoriæ obtinendæ fiduciam à Principibus in Dei cultu ac Religionis Catholicæ exercitio unicè desigendam esse. Perspicuè Apostolus; *Sancti per fidem vicerunt regna fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Absalon Abbas! *Signum victoriæ,* inquit, *in ligno crucis constituere voluit, in quâ dum hostis antiquus appetiit escam carnis, transfixus est aculeo Divinitatis.* Et Christophorus Finottus;

Sperare in Deo.

Hebr. 11. 33.
Absal. Abb. serm. 18.
Christ. Finot. distich. 87.

Fide Cruci: tota hoc pendet victoria signo,
Hinc Erebi clades: hinc animæque salus.

43. Idem quandam S. Jacobi Crucem, in conchæ sinu formatam, & è chordula suspensam, hoc epigrammate notavit; PRETIUM VIRTUTIS. Veluti diceret; illud Equitum insigne nemini altei, nisi ob industriam ac labores suos optimè merito, conferri. Legibus Imperatoriis sancitum est; *Honoris augmentum, non ambitione, sed labore ad unumquemque convenit pervenire.* Lampridius, inter cætera Alexandri Severi Imperatoris encomia, etiam hoc recenset; *Aurum & argentum raro cuiquam, nisi militi divisit, nefas esse dicens, ut dispensator publicus in delectationes suas & suorum converteret id, quod provinciales dedissent.*

Præmium datur meritis.

l. contra publicam C. de re milit. l. 2.
Lamprid. in vita Severi Imp.

44. Crux, olim infamiæ ac mortis instrumentum, à Dei Filio in gloriæ ac vitæ tesseram, metamorphosi penitus prodigiosa, commutata est. Ut adeò hanc epigraphen minimè incongruam præferat; EX DEDECORE DECUS. Vel ipsiusmet Crucis voce; FUI STROMENTO DI MORTE, HOR SON DI VITA. Id est, MORTIS OLIM, NUNC TESSERA VITÆ. In hoc argumentum S. Joannes Chrysostomus; *Hæc enim Crux antea erat mors execranda, mors opprobrii, & ignominiæ plena, mors omnium turpissima; sed ecce! nunc ipsa vita evasit honorabilior, & coronis splendidior, & omnes eam in fronte circumferimus, non solum non erubescentes, sed etiam gloriantes.* Guido Casonius in suo Theatro poetico Sancti Cruci supplex canit;

S. Crux.

S. Io. Chrys. in Psal. 109.

Tu di pena strumento, hor se di gloria
Ministra, è Carro al gran trionfo eterno
Del mio Signor, che riportò vittoria
Morendo in te del debellato inferno.
Già fosti infame, & hor per te si gloria
Di Dio l'albergo lucido, è superno
C'Cà in tue sanguigne stille ardenti, e sole
Vn abisso di lume, un sol del Sole.

45. Meâ quidem sententiâ, Cruci opportunè inscripseris; NECE VITAM. Enimverò mors, à Servatore nostro supra Crucis truncum tolerata, fidelibus cunctis vitam protulit; Et sicuti Adamus fatalem è ligno fructum surripuit, ita lignum Crucis fruges, felicissimâ vitâ gravidas, nobis affert. Richardus à S. Laurentio, in illa sacri Epithalamii verba commentatus, *Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo,* ait; *Vmbra Christi propriè est eorum imitatio, quæ fecit in passione, quando scapulis suis cruci affixis, obumbravit Ecclesiæ, ut fervorem paternæ iracundiæ temperaret. In hac umbra vita est animæ; extra hanc umbram sola mors. Thren. 4. dicitur Christo: In umbra tua vivemus.* Et S. P. August. *Si Sancta Crux elevata non esset, Christianus populus in æternum periisset.*

S. Crux vitam affert.

Rich. à S. Laur. l. 1. c. 7 de laud. Virg. in Cant. 2. 3.

S. Aug. ser. 90 de Temp.

46. Bibliotheca Patrum Reformatorum de Varese, Symboli loco, vitem præfert, quæ cruce, ceu palo nixa, pro Crucifixo venustum botrum suspensum habet; cum dicto; EN LA MUERTE ESTA' LA VIDA. Id est; IN MORTE VITA. Mens iconis est, æternam vitam nonnisi è calamitatum ac Martyrii cruce scaturire. Ipsummet Servatorem, testem locupletissimum, audi; *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Enimverò, interprete Magno Augustino, *Si cupis vitam tenere cum Christo, noli mortem timere pro Christo.*

Mortificatio.

Io. 12. 25.
S. Aug. tr. 51. in Ioan.

47. Calixtus III. Pontifex Maximus, Cruci subscripsit, OMNES REGES SERVIENT EI. Hæc nimirum S. Crucis est gloria, quod omnes Principes & Reges ei se cogantur submittere. S. P. Augustinus; *Christus de Cruce sua vicit Reges, &, subjugatis eis, ipsam Crucem in fronte fixit: & gloriantur de illa, quia ibi est salus eorum.*

S. Crucis gloria.

S. August. Ps. 95.

48. Prædestinationis arcanum significaturus, tres Cruces pinges; mediam scilicet Christi Servatoris, & extremas duorum Latronum; cum lemmate; VITAMQUE PROPINO, NECEMQUE. Unus enim ex latronibus illis salvatus est, alter verò, æquè Cruci vicinus damnatus. S. P. Augustinus; *Tres Cruces in uno loco erant; in unâ latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Christus, alterum liberaturus, alterum damnaturus.* Porrò Crucis nomine Monasterium aut quamcunque calamitatem intelligere licet, utpote in quibus ad salutem consequendam non sufficit, ut in iis moreris, nisi insuper virtuosè vivas, & cum sancto Latrone dignos pœnitentiæ fructus facias. Rursus idem S. Doctor; *Ipsa Crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim Judice constituto; unus latro, qui credidit, liberatus; alter, qui insultavit, damnatus est.*

Prædestinatio.

S. Aug. ep.

Religiosus

S. Aug. tr. 31. in Ioan.

49. Cruci hanc præfiges epigraphen; HÆC SEMITA COELI. Neque enim aliter æternam beatitatem consequeris, nisi per viam crucis & tribulationis. Teste Magno Augustino, *Nemo potest transire mare hujus sæculi, nisi Cruce Christi portatus.* Et rursus; *Qui in Cruce Christi gloriatur, non vult placere in carne, quia persecutiones carnalium non timet, quas prior ut crucifigeretur ille sustinuit, ut vestigia sua sectantibus præberet exemplum.*

S. Crux.

S. Aug. Tr. 2. in Ioan.
Idem c. 6. ad Galat.

50. Eidem inscribe; IN HOC MEA GLORIA. Penè in hæc ipsa verba Apostolus; *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* S. P. Augustinus, *Non est magnum in Christi sapientia gloriari; magnum est, in Cruce Christi gloriari. Vnde tibi insultat impius, inde glorietur pius. Vnde tibi insultat superbus, inde gloriëtur Christianus. Noli erubescere de Cruce Christi; ideò in fronte, tanquam in sede pudoris, signum ipsum accepisti.*

S. Crux.
Galat. 6.

S. Aug. s. 11. ex add. à Cartus.

L A M P A S.

CAP. VIII.

51. DAresius Christum circumcisum lampadis emunctæ symbolo exornavit; addito lemmate, UT OMNIBUS LUCEAT. Enimverò Divinus Infans in circumcisione summam suam charitatem & ardentissimum patiendi desiderium universo mundo manifestavit. Idem Emblema etiam SS. Martyres concernit, qui ferro occisi, aut capite plexi, sub terræ ac cæli conspectu clarissimum gloriæ lumen sparserunt. S. P. Augustinus; *Martyres jam evaserunt, & in exultatione cum Christo sunt recepturi corpora, jam incorrupta, eadem ipsa, quæ primò erant corruptibilia, in quibus passi sunt pœnas, inde illis fient ornamenta Justitiæ.*

Circumcisio Christi.
SS. Martyres.
S. Aug. Ps. in Psal. 1

52. Decem Virgines, à S. Matthæo recensitæ, pari quidem labore suas exornarunt lampades; *Tunc surrexe-*

Matth. 25. 7. *surrexerunt omnes Virgines illæ, & ornaverunt lampades suas.* Imò, ut majori fastu lampades suas præferrent, gratiosâ insignium florum ac herbarum redolentium texturâ illas concinnârunt, ut docet P. Sebastianus Barradius. *Videntur,* inquit, *ornasse floribus, odoriferisque herbis, vel alio simili ornamento.* Verùm encarpa ac ornamenta illa omnia, deficiente oleo, Virgines fatuas penitus nihil juvârunt. Eò alludens D. Aresius, lampadem accensam Symboli loco statuit, cui manus quædam copiosum olei fomentum subministrabat; addito epigrammate, ORNASSE NON SUFFICIT. Innuebat videlicet, animam, solius fidei floribus exornatam, parùm juvari, nisi & bonis operibus, ceu totidem oleæ fructibus, affluat. *Vacua est sine operibus fides,* inquiebat S. Isidorus, *& frustra de sola fide blanditur, qui bonis operibus non ornatur.* S. Joan. Chrysostomus; *Sicut oleum lumen lampadis fovet; sic opera bona fidei vigorem succendunt.* Et alibi: *Sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, sed per oleum enutritur: sic fides non quidem ex opere nascitur, sed per opera nutritur.*

Barrad. To. 3 l. 10. c. 16.

Fides sine operibus.

S. Isid. l. 2 de Sum. Bono. c. 2.

S. Io. Chrys. hom. 52. Imperf.

Idem Hom. 19 Imperf.

53. D. Vincentius Gilibertus lampadem, in mediâ domo accensam, hoc lemmate insignivit: CUNCTIS ÆQUE LUCET. Prælatum, Patrem familias, Judicem, aliosque in omnium beneficentiam & directionem constitutos; cumprimis tamen Jesum Christum, ejusque Sanctam fidem hæc imago spectat, quæ instar lampadis, *illuminat omnem hominem &c.* Et verò Servator nullo alio, nisi concubiæ noctis tempore nasci voluit, ut hoc mysterio palam faceret, se instar lampadis, omnem è mundo caliginem dissipaturum. Tertulliano teste, *Mysticè factum est, ut Christus nocte nasceretur, lux veritatis futurus ignorantiæ tenebris.* Adhæc non in alio loco, nisi sub paupere porticu, ad viam publicam expositâ, nasci voluit, ut divinitatis suæ splendorem in omne hominum nobilium, plebejorum, rudium, sapientûm, advenarum, & domesticorum genus, instar lampadis, distribuere posset. *Dei namque filius,* inquit, Theodoretus, Ancyræ Pontifex, *ad se trahit & divites, & pauperes, eloquentes & tardiloquos; cum paupertate veniens, & in præsepio jacens.* Quantùm verò ad Sanctam Christi fidem, ac Evangelicam doctrinam attinet, disertis verbis idipsum confirmat meus Concanonicus, S. Prosper; *Doctrina apostolica,* inquit *tam salubris, tamque vitalis, ut pro capacitate utentium, neminem sui dimittat exortem: quia sive parvuli, sive magni, sive infirmi, sive fortes, habent in eâ, unde ajantur, unde satientur.*

Judex Fides Catholica.

Joan. 1. 9.

Tertull. l. 1. advers. Marc

Theod. Homi de Nativit.

S. Prosp. in Ps. 103.

54. Lucernam ardentem, ac recenti oleo perfusam, hoc lemmate notavi. QUA URITUR, AFFLUIT. Emblematis construendi ansam suppeditavit Seneca his omninò verbis; *In lucernis oleum illo effluit, ubi exuritur.* Ita Juvenis libidinosus ad illas ipsas voluntates properat, à quibus paulò post consumendus est. Verissimè Boethius; *Tristes voluptatum exitus, quisquis reminiscitur libidinum suarum, intelliget. &c.* Cæterùm Emblemate isto quemcunque proprii mali sui authorem significare licet.

Lascivus.

Senec l. 4. Quæst. Natur c. 2.

Boet. l. 3. de Consolat.

55. Libidinis flammam, in hominis incauti pectore accensam, à blandiente mulieris alloquio plurimùm fomenti accipere, è lecythi emblemate haud obscurè conjicies, qui ardenti lampadi liquores suos affundens, hoc hemistichium lemmatis loco præfert; ALIMENTA MINISTRAT. Opportunè S. Antiochus; *Splendorem lucernæ alit oleum, sic & colloquium mulieris ignem redaccendit.* Eandem tamen iconem in bonam partem hoc modo interpretabere, quòd luminis splendor sanctam fidem, & olei pinguedo eleemosynas, aliaque bonorum operum exercitia significet; sicuti enim lampadis flamma ab affuso oleo, ita fidei lumen à binis operibus nutritur. S. Joannes Chrysostomus, seu quisquis est Author Operis Imperfecti, in hanc sententiam dilucidè concedens, ait; *Sicut oleum lumen lampadis fovet, sic opera bona fidei vigorem accendunt.*

Fæmina lasciva.

S. Antioch. Homil. 41.

Opera bona.

Auth. Operis Imperf. in c. 23. Matth.

56. Quòd lampas luce suâ resplendeat, illorum beneficentiæ ac favori tribuendum est, qui eam accendunt & fovent. Unde lampadi ardenti subscribes; LUMEN AB ALIO. Ita Sanctæ fidei lumen, in cordibus nostris accensum, nonnisi è sacris litteris & hominibus Apostolicis scaturit. E S. Ambrosii sententiâ, *Lucerna fides est; Verbum enim Dei fides nostra est: Verbum Dei lux est. Lucerna autem lucere non potest, nisi ALIUNDE LUMEN acceperit.* Haud aliter Author Operis Imperfecti; *Lampas dicitur fides, quia sicut lampas illuminat domum, sic fides animam. Accenditur autem igne Verbi Divini. Verbum enim Dei ignis est. Accipiunt autem homines hanc lampadem, quando per sacerdotes accipiunt sibi traditam doctrinam veritatis.*

Fides.

S. Ambros. l. 7. in Luc.

Auth. Op. Imp in c. 25. Matth.

57. D. Salvator Carducius ad funebrem Francisci Augustini *della Chiesa,* Episcopi pompam, Taurini celebratam, lampadis Emblema statuit; addito lemmate, FLAMMANDO NITESCIT. Innuebat videlicet, in optimo illo Antistite, præter virtutis & nobilitatis radios, etiam sacri zeli ardorem ex æquo resplenduisse, atque adeò geminum illud Joannis Baptistæ elogium promeruisse; *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Quippè, teste Magno Augustino, *Amor ejus, qui pascit oves Christi, in tam magnum crescere debet spiritualem ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem.* Cæterùm Emblemati explicando sequens Epigramma junxit idem Carducius.

Episcopus exemplaris

Ioan 5. 35.

S. Augustin. tract. 123 in Ioan.

Sacra velut lampas flammando nitescit: in æde,
Nec sine luce flagrat, nec nitet ignis inops.
Sic Augustinus vitæ dum duceret auras,
Et jubar augusto in Præsule, & ardor erat.
Lux pietatis erat, lux nobilitatis avitæ,
Flammeus ardor, amor Numinis, atque gregis.

58. Oleum, lampadi affusum, fœcundum flammæ nutriendæ ac provocandæ fomentum est. Unde lemma; FOVETUR, DUM AFFUNDITUR. Ita libidinis incendium ab ebrietate nutrimentum capit, & in flammas gravissimas excrescit. Disertè S. Ambrosius; *Ebrietas est fomentum libidinis, ebrietas incentivum insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ. Hæc sensus hominum mutat & formas, per hanc fiunt ab hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati, cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur, ut nullum tempus præscriptum habeant, quod doceat indulgere concubitui.* In cœno quippe demersi voluptatum, ad libidinem semper exæstuant. Nam epularum largitate corpus frangitur & animus. Asserente S. Basilio; *Corpus abundè saginatum, & anima illi immersa, & ad peccandum proclivis facta, compendium quoddam est ad lasciviam & procacitatem, ac simul omnia ea, quæ vetita sunt.* Loth, de tot millibus populi solus justus inventus, dum inebriatur à filiabus suis, ebrietas fit origo incestûs, pessimæ regeneratricis partus deterior: & quamquam voluntas non fuerit in crimine, error tamen, ex mente S. Hieronymi, fuit in culpa. Ex partu enim isto nati Moabitæ atque Ammonitæ, inimici Israel, qui usque ad quartam & decimam generationem, & usque in æternum non ingrediuntur Ecclesiam Dei.

Ebrietas libidinis incentivum

S. Ambros. l. de Elia & Iejun. c. 16.

S. Basil. hom. de Paradiso.

S. Hieron. ep. 12. ad Eustoc

Etenim,

Etenim, eodem Hieronymo teste, *luxuria mater libidinis est, ventremque distentum cibo, & vini potionibus irrigatum, voluptas genitalium sequitur, atque, ut alibi dictum est, pro membrorum ordine, ordo vitiorum est.*

S Hieron ep. ad Amandū.

59. Miram artem construendæ lucernæ semper ardentis demonstrat P. Athanasius Kircherus; ait enim lucernam, lini asbestini elychnio instructam, absque ullius olei affusione perpetuò arsuram, si in loco ponatur, ubi bitumen, aut quilibet alius liquor inflammabilis scaturit: cujusmodi loca in omnibus religionibus reperiuntur. Ne verò alicui id novum videatur, is sciat, veteres Ægyptiorum lucernas, quas in sacris cryptis, adytisque Deorum perpetuò ardentes habuerunt, dicto ingenio ac modo adornatas fuisse, uti expressis verbis docet Sciangia, Author Arabs. *Fuit in Ægypto campus, cujus fossæ plenæ picis & liquidi bituminis: unde Philosophi vim naturæ cognoscentes, constituebant canales quosdam ex hujusmodi locis usque ad cryptas subterraneas, in quibus lucernam ponebant, quæ conjungebatur cum canalibus memoratis; lucerna verò habebat filum ex lino, quod igne comburi non potest, & hoc pacto lucerna semel accensa, perpetuò ardebat, ob perpetuum bituminis affluxum, & ob filum lini incombustibile.* Verùm qui prolixiora ac plura de hoc argumento desiderat, is consulat P. Kircherum, *Tomo 2. Oedipi Ægyptiaci. cap. 3. syntag. 20.* ubi, quæ circa lucernas Veterum desiderari possunt, locupletissimè tractantur. Proinde tali lampadi epigraphen subjecit P. Masenius; LUCIS HABET ALIMENTA PERENNIS. Ita Maria Virgo æternis ac nunquam defecturis gloriæ radiis fulget. Ut adeò rectè à S. Cyrillo Alexandrino cognominetur *Lampas inextinguibilis*. Et à Buteone; *Lampas splendida his, qui in tenebris sunt, conspicua immortali accensa lumine.* Idipsum de homine justo pronuntiaveris, cujus virtus, assiduis spiritualium lectionum, mortificationum &c. fomentis nutrita, nunquam à primo suo nitore deficit. De Maria Virgine canit Emblematis Author.

P. Athanas. Kirch Mund Subterran. Tom 1. l. 8. sect 3.

Sciangia in Histor. de memorabilibus Ægypti.

Maria V.

S. Cyrill Alex advers. Nestor l. 6. c 6

Buteo hym. gr p. 112.

Virtus indeficiens.

Qualis in antiquis nunquam moritura sepulchris
Lampadis æternæ nutrit oliva jubar.
Talis, ab invidiæ quamvis caligine septa,
Non defecturo lumine Virgo micat.

60. Lampas, oleo plena & accensa, Masenio authore, epigraphen sustinet; ALIIS, NON SIBI. Prædicatoris hæc imago est, qui assiduis laboribus plurimùm aliis prodest, se ipsum verò, inter assidua vitia volutatus, æternùm perdit. Opportunè, tametsi diversâ metaphorâ S. Hieronymus; *Ut lixivium, per cinerem humidum fluens, lavat & non lavatur: ita bona doctrina per malum doctorem animas credentium lavat à sorde peccatorum.* Meliore sensu de Beatissimâ Virgine Maria imaginem istam interpretatur P. Masenius hoc Epigrammate;

Prædicator vitiosus.

S Hieron. in Epist.

Maria V.

Non sibi, verùm aliis mitis profundit olivum
Lampas, ab accensis viva flagransque rogis.
Sic tranquilla Parens, & lampade clarior omni,
Exemplo nobis lucet, amore flagrat.

Unde beneficentissima hæc Virgo rectè ab Ecberto cognominatur! *Lampas lucentissima, cujus splendore inventa est drachma perdita.*

Ecbert in deprecatione ad B. V.

61. P. Sebastianus à Matre Dei, Symboli loco, lampadem ex arbore suspendit, quâ visâ ranæ coaxantes conticescere solent: addito lemmate; HAC VISA, SILEBUNT. Vel: HAC LUCENTE SILEBUNT. Mariæ Virginis hæc imago est, quæ, supplici animo invocata, tumultuantes hominum passiones compescit. Mirantur Physici, tantam ab immanibus belluis & animantibus in arcâ Noetica fuisse pacem, ut etiam illa, quæ odio inter se flagrant penitus implacabili, nunquam sint rixatæ. Unde, subjungit S. Bernardus, Arca illa Deiparæ figuram gerit, sub cujus tutela nullæ unquam prædominari possunt passiones. *Igitur*, inquit, *si vis esse pacatus, cole Deiparam.*

Maria V. pacem facit.

S. Bernard. serm. de B. V.

62. Ut lampas diuturnum præbeat in tenebris fulgorem, oleo affuso nutritur; sine quo nec illæ lampades perennare potuerunt, quas, suis reconditas urnis, perpetuas æternasque putavit ingeniosa Antiquitas, ut suprà, n. 59. prolixè ostendimus. Unde Serenissimus Philotheus Symboli loco lampadem exhibet, cui à vicina manu oleum ex lecytho affunditur, cum lemmate; ILLO ALITUR, VIVITQUE. Liceat lampadi Divinam comparare gratiam, quæ quotidie vivo suæ benignitatis oleo nos alit recreatque, ut in omnibus vitæ nostræ rebus inveniamur promptiores, tum ad ejus cultum ex animo prosequendum, ut in actionibus negotiisque nostris peragendis solidâ polleamus virtute. S. P. Augustinus; *Natura humana, etiamsi in illâ integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Cùm igitur sine Dei gratia salutem non posset custodire, quam accepit, quomodò sine Dei gratia potest reparare quam perdidit?* Emblematis mentem hoc epigrammate explicatam accipe.

Gratia Dei.

S. Augusti. Epist. 106.

Affundas oleum, lampas nitidissima splendet,
Sed si justa neges pabula, flamma perit.
Crescit ab infusâ ceu Pallade lampas, & ardet,
Sic meus affuso Numine crescit amor.
Si Divina meam de cœlo gratia mentem
Irrigat, illa sui flagrat amore Dei.
Sin minus; heu succo misero spoliatus alumno,
Ignes extingui cerno repentè meos.

MITRA.

Cap. IX.

63. MItra Pontificia non solùm infimam sui partem, quâ Episcopi capiti exornando ac coronando aptatur; sed longè magis partem superiorem, quâ cœlum respicit, apertam habet. Quare D. Gambara, Episcopus Tortonensis, mitram Pontificiam hoc lemmate insignivit; APERIATUR SI CAPITI, ET COELO. Interprete Aresio, dicere volebat, Episcopi desideria potius gloriæ ac servituti Divinæ, quàm propriis commodis; patere debere: & curis longè amplioribus illa ornamenta, quæ animam in Dei oculis conspicuam efficiunt, quàm quæ corpori in hominum conspectu exornando deserviunt, ab eodem investiganda esse. Concilii Carthaginensis decretum est; *Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni, orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodò vacet.* S. Ambrosius observat, inter cæteras Episcopi conditiones à S. Paulo etiam *ornatum* numerari; ne verò genuini ornamenti loco adulterinum prehendatur, sequentem illius voculæ expositionem subjungit. *Non aliud sacerdotes, quàm amictum quærimus clariorem: verbi gratiâ, castorinas quærimus, & sericas vestes, & ille se inter Episcopos credit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem. Sed Sanctus Apostolus taliter se intelligi non vult, quia non carne Episcopum, sed mente decet esse ornatum, ut ille sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo.*

Episcopi

S. Ambros. l.: de dign. Sacerd. c. 1. Tim 3. 2

46. D. Didacus Saavedra Emblematis loco Tiaram, Summo Pontifici propriam, supra mundi glo-

bum depinxit; addito lemmate, LIBERATA REFULGET. Mens iconis erat, Pontificem Maximum, veluti Patrem universalem, omnium patrocinio, sine ullâ partialitate, invigilare debere. Id probè perspectum habuit ille, qui, Plutarcho referente, Themistoclem hoc documento imbuit; *Optimè ipsum præfuturum Reipublicæ, si se omnibus æqualem præberet.* Unde, quod gravissimi Authores observant, suprema potestas Ecclesiastica illustrissimam cœli meridiem, ex æquo ab omnibus spectandam, imitatur. S. Ambrosius; *In quacunque parte fuerint cœli, illuminant omnia, & æquè spectantur à cunctis, ut eo tanquam suis tantùm regionibus immorari, & sibi tantùm adesse, atque lucere singuli populi credant, cùm similiter luceant universis, ut nemo his propiorem alium, quàm ipse est, arbitretur.*

Summus Pontifex omnes æqualis. Plutarc. in præcep. de rend. Rep. Ambros. exam. c.6

65. Meus D. Salvator Carducius innumeras Francisci Augustini *della Chiesa*, Pontificis optimi, dotes palam facturus, ad ipsius exequias, in sacra Saluzziensi æde celebratas, pretiosam ac festivam Episcoporum mitram figuravit; addito lemmate, MILLENO LUMINE DIVES. Quo hemistichio tacitè ad illa Virgilii, de columba disserentis, verba allusit;

Perfectio.

Mille trahit varios adverso sole colores.

S. Hieronymo teste, *Tanta debet esse conversatio & eruditio Pontificis, ut, quidquid agit, quidquid loquitur, doctrina sit populorum.* Emblemati explicando canit idem Carducius;

Hieron in illud: si quis episcopatum desiderat.

Insula multiplici rutilat pretiosa lapillo,
Omnigeno veluti flore vereta nitent.
Virtutum vario pariter fulgore reluxit
Præsul; in hoc virtus sideris instar erit.

PEDUM.
Cap. X.

66. GEminum baculi pastoralis munus est: prout enim à pascendo cognomen habet, alios dirigit ac moderatur; quatenùs verò simul & baculi vocem subit, pœnas atque supplicia infert. Unde epigraphen symbolicam addidi; CORRIGIT, ET DIRIGIT. Genuina hæc cuivis boni Prælati gnoma esto, qui & in flagitiosos animadvertere, & ignaros ad directum tramitem deducere debet. Elisæus in Eliæ sui honorem iteratis vicibus exclamavit; *Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga ejus.* Quo loco imprimis Patrem illum vocabat, cui proprium est, filios non tenerè ac delicatè, ut matres assolent, sed rigidè ac fortiter in virtutis semita continere. Opportunè Seneca; *Patres excitari jubent liberos ad studia obeunda maturè: feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lacharymas excutiunt.* Postea eundem Patrem etiam *currum* appellavit, cui consuetum est, alios sustinere; & *Aurigam*, qui cespitantes equos loris corrigere, ac frenis ad viam regiam compellere solet. Præ aliis in rem nostram accommodatè S. Gregorius Papa; *Quid est*, inquit, *quod Helias currus Israel, & auriga dicitur, nisi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo, qui mores populi & per patientiam sustinet, & sacri eloquii verbis docet, & currus dicitur & auriga: currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortando agitat: currus, quia mala sustinet; auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet.*

Prælatus. Greg. l.2. Ezech. hom. 21.

67. Pedum non tantùm dirigendis gregibus; sed & arcendis ac vulnerandis lupis deservit. Unde lemma; REGIT, ET CONTERIT. Idipsum Deus, omnisque bonus Princeps assolet; subditos enim morigeros suaviter manuducit, ac incolumes gubernat; sceleratos verò in justam vindictam advocat. Præclarè S. P. Augustinus; *Alios regit, alios conterit; regit spirituales, conterit carnales.* Et pauculis immutatis S. Gregorius; *In virgâ ferrea Dominus REGIT, ET CONTERIT, quia dispensationis suæ forti rectitudine, cùm nos interius reficit, exterius affligit.* Atque adeò, corpore nostro diversis calamitatibus afflicto, anima incedit innocua & secura.

Justitia. S. August. in Ps. 88. S. Greg. l.7. in Iob. c.7. Calamitas dirigit.

68. Pedo, infimâ parte acuto, ac supremâ instar uncini in orbem curvato, inscribes; PUNGIT, ET ATTRAHIT. Geminum hoc boni Prælati munus est, ut rigoris sui moderamine ignavos pungat, & timidos aut imbecilles beneficentiâ suâ attrahat. Guilielmus in allegoriis Tilmanni, post baculi pastoralis officia hoc disticho explicata;

Prælatus. Guil. in Allegor. Tilm. Gen. 32.

ATTRAHE per summum: medio rege: PUNGE per imum:
Attrahe, sustenta, stimula: vaga, morbida, lenta.

Subjungit; *Curvetur, quæso, Prælatus in summo, humilis potestate suâ, & accessibilis omnibus absolutè. Sit directus in medio, causarum omnium æquus arbiter, Dei & hominum sequester & medius. Punge vero per imum, illos scilicet, qui in imis habitant, & ab infimis desideriis non resurgunt.*

69. Scipio Bargalius pedum Episcopale hâc epigraphe distinxit; ERRANTES DETINET. Antistes enim authoritatis suæ excellentiâ, & castigandi potestate, subditos in officio continet, sceleratos reducit, omnemque deviandi occasionem evitat. Et verò quantùm ad præsentis Prælati authoritatem attinet, dilucidè in sententiam nostram concedit S. Athanasius his omninò verbis; *Si quisque pastor in diœcesi, quæ sibi obtigit, vel biduum moretur, experiri liceat, permulta peccata & damna non esse futura in populo.* Nec minus perspicuè S. Gregorius Papa de suppliciorum terrore pronuntiat; *Pœna præsens injusti animam à pravis desideriis mutat.* Quamobrem Lex Mosaica jusserat, ne homo, mortis reus, in loco secreto, aut ab uno tantùm carnifice, sed in aperto campo ab universo populo occideretur. *Educ blasphemum extra castra & lapidet eum populus universus.* Causam subjungens Salvianus, ait; *Exemplo scilicet ad cunctorum emendationem proficiente, ut ne quis postea admitteret, quod omnis in uno populus vindicasset.* Porrò etiam correctio fraterna *errantes detinet*, ac retinaculi loco inservit, ne, fallente vestigio, per vitiorum abrupta corruant. Eadem penè ratione meus D. Carducius inter cœteram Francisci Augustini *della Chiesa* Episcopi pompam funebrem pedi emblema suspendit; addito epigrammate, REGIMEN, ET TUTAMEN. Innuebat videlicet, optimum illum Antistitem gregi suo gubernando & protegendo omnem dedisse operam. Porrò Emblematis mentem sequentibus Jambis senariis explicabat.

Prælatus residens. S. Athan. Epist. 1. ad Episcop. Cretensem. Levit. 24.14. Salvian. l.3. de provid. Correctio. Episcopus Zelosus.

Pedum regens tuetur ut fulmen gregem
Ovile servat pascuis, Orcum domat.
Prô qualis Augustinus Antistes! Gregem
Dum nutriit regendo Cœli pascuis,
Infesta Averni monstra fregit inclytus.

PULPITUM.
Cap. XI.

70. INgenii sui acumen demonstravit ille, qui pulpito seu Cathedræ hanc Zachariæ gnomam subscripsit; AD DANDAM SCIENTIAM

TIAM SALUTIS. Prædicatorum hæc imago est, ut populum ad capescendam Dei semitam, virtutis amorem, ac vitiorum fugam pro concione extimulent, reliquis facetiis, salibus, ac fabulis, utpote quas Christiana perfectio aversatur, longissime proscriptis. Meminerint quippe, se cathedram Deo sacram, non verò histrionum pegma conscendere. Atque adeò Prædicatoribus, asserente Arnoldo Abbate, è munere suo incumbit, *fidei Christianæ doctrinam, & maximè novissimum populis denuntiare terribile judicium: totusque eorum incessus & sermo resonare debet Divina mysteria &c.* Enimverò etiam religiosa morum ac vitæ compositio ad virtutes aliis persuadendas plurimùm facit. *Qui enim,* inquit, *S.* Gregorius Nyssenus, *ratione præditus est, illud ei potissimum quærendum esse arbitror, non quibus rebus maximè præter cæteros admirationem sui excitaverit, sed quibuscum sibi, tum cæteris adjumentum sit allaturus.*

Luc. 1.7. Prædicator. *Arnol. Abb. Tract. de ultimis Christi verbis.* *S. Greg Nyss. l. de Virg. c. 2*

71. Lemma pulpito propriissimum est, TANTUM AD SACRA. VEL; VERITATI, NON FABULIS. Cathedra enim non aliò, nisi ad sacrosanctum Evangelium, fidei mysteria, & regiam æternæ vitæ semitam manifestandam converti debet: prorsus quippe est absonum, eam à Prædicatore in ludicram ac scurrilem scenam detorqueri, & miseros auditores, non quidem solido virtutum cibo, sed vanissimis quisquiliis pasci. S. Petrus genuinam prædicandi methodum tradens, de seipso protestatur; *Non doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri virtutem.* Et S. Paulus; *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus.* S. Basilius inter cæteras Ethicæ suæ regulas etiam hanc recenset; *Quidquid vel dicimus, vel facimus, in testimonio Divinarum litterarum confirmari debet, ad confirmationem fidei bonorum, & confusionem malorum.* Verbo S. Hieronymus; *Omne quod non ædificat audientes, in periculum vertitur audientium.*

Prædicator. *2 Pet. 1.16. 1. Cor. 2.4.* *S. Basil. in Ethicis regul. 26. c. 1.* *S. Hieron in Epist.*

THVRIBVLVM. THVS.
Cap. XII.

72. Thuribulum agitatum tria proponit observanda; nempe thuribuli motum, flammam excitatam, & odoris evaporationem. Hæc singula D. Joannes Baptista Mazzolenus uno Emblemate complexus, thuribulo agitato subscripsit; FLAGRAT MOTU, FRAGRATQUE. Hominem, sanctis peregrinationibus deditum, hoc emblema concernit, qui ad loca sacra delatus, majore pietatis ardore succenditur, & sanctimoniæ fragrantiam quaquaversùm diffundit; uti in S. Hieronymo, B. Amedeo Sabaudo, S. Carolo Borromæo, S. Birgittâ. S. Ignatio Loyola, aliisque plurimis videre est. Cumprimis tamen S. Paulus, totum penè orbem assiduis motibus peragrans, ingentem undique charitatis ignem, & virtutis odorem sparsit. S. Chrysostomus; *Ita cucurrit Paulus quasi volucris, imò volucri omni pernicius quasi igneas alas haberet, quibus mundum, mortes, insidias, ærumnas, delitias, illecebras, & omnia Evangelii impedimenta pervolaret.*

Peregrinans devotus. S. Paulus. *S. Chrysost. in Epist. ad Tim.*

73. Thuri, intra thuribulum fumanti, Emblematis loco inscripsere; FRAGRAT, ADUSTUM. Vel ut Comiti Emmanueli Thesauro placet; DUM FLAGRAT, FRAGRAT. Ita S. Laur. S. Eustach. aliique consimiles, intra tyrannidis rogos suavissimum exhalarunt sanctimoniæ odorem. S. Gregorius Papa; *Beatus Job tactus est verbere, ut odorem suarum virium tantò latius spargeret, quantò, more aromatum, melius ex incensione flagraret.*

Martyr. *S. Greg. l. 23. Moral c 1.*

74. Genuina virtus, thuribulo persimilis, quantò magis agitur, tantò uberiorem aromatis sui fragrantiam diffundit. Unde lemma Thuribulo inditum; AGITATUM MAGIS. Eruditè in rem nostram meus Idiota; *Sicut unguenta redolere non solent, nisi agitentur, & aromata fragrantiam suam emittere, nisi incendantur: ita viri justi virtutes tribulationibus maximè innotescere solent.* Et S. Cyrillus Alexandrinus; *Ut optimum quoque thus, cùm igni inhæserit, tum odoris sui suavitatem emittit; sic anima sancta, cum laboribus periculisque, velut igne, examinata est, tum clariorem, perfectioremq; suam virtutem certissimè reddit.*

Virtus afflicta. *Idiota l. 2. Vera Pat.* *S. Cyrill. Alex. l. 10. in Gen.*

75. Thuribuli suffimenta nullis aliis, nisi religionis & obsequii Divini usibus destinantur. Unde P. Eustachius Venator suffitui, intra thuribulum fumiganti, subscripsit; SACROS TANTUM IN USUS. Principem quemdam Ecclesiasticum hoc Emblema spectabat, qui annuos suos census omnes in Ecclesiæ fabricas, altaria, aliosque pios & religiosus usus erogavit. Certè S. Carolus Borromæus, etiamnum in ætate juvenili, *Abbatia insignitus, patrem admonuit, ne redditus in rem familiarem converterentur.* Postea verò, cùm adultior ipsemet rei domesticæ gubernandæ præesset, omnia palatii sui superflua ornamenta in res sacras & pauperum subsidia dispensavit. Severè pronuntiat S. Hieronymus; *Clericus, qui de bonis suis sustentari potest, si accipit, quòd pauperum est, sacrilegium promittit, atque per abusionem talium, judicium sibi fectò commanducat & bibit.*

Redditu Ecclesiastici. *Brev Rom 4. Novem.* *S. Hieron. in Ep.*

76. Pretiosum thymiama, in igne ardere, ac fragrantiam gratissimam exhalare solitum, Christo patienti non absimile dixeris, qui in cruciatuum gravissimorum flammis suavissimum charitatis, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, cæterarumque virtutum odorem emisit. Unde lemma; DUM ARDET, REDOLET. Ad verbum Hugo Cardinalis; *Thus ardens in igne, Christus, vel quilibet justus flagrans in tribulatione:* Opportunè hanc iconem de oratione nostrâ interpretari licet, quæ patris æterni ac cœlitum olfactum tantundem recreat, quantùm intra charitatis flammas ac Christi merita exarserit. S. Bernardinus Senensis; *Ut incensum, antequam appropinquet igni, quasi mortuum videtur: & igne contactum quasi spirituale fit, & in altum ascendit: sic meritum orationum quasi mortuum est, & nihil valet, nisi in quantum illius dilectionis igne, quo pro nobis Christus meruit, vivificetur.*

Christus patiens. *Hug. Car. in c. 50. Ecclesiast.* Oratio. *S. Bern S. Tom. 4. Dominic. 5. Pasch.*

77. Verus patiens, qui atrocissimis doloribus exagitatus, suavissimum virtutis & sanctimoniæ odorem non sine spirituali circumstantium voluptate diffundit, Thuris Emblemate significari potest, cui, intra thuribulum accenso, subscribes; CONSUMITUR, AT OLET. Seu, DILETTA CONSUMMANDOSI. S. Laurentii Justiniani doctrina ac consilium est, *Sicut aramota odorem suum, cùm incenduntur, expandunt, ita & in nobis omne, quod virtutibus redolet, in tribulatione per patientiam innotescat.* Eodem Emblemate præstantem quemdam Prædicatorem demonstrabis, qui inter religiosos suos labores confectus, auditorum animis fragrantiam suavissimam immittit.

Patiens. *S Laur. Il. de patien. c 2.* Prædicator.

78. Homines mundani nullum unquam sanctimoniæ odorem exhalant, nisi recentibus ærumnis compulsi. Ut adeò illos non incongruè thuri persimiles dixeris, cui, supra prunas ardentes collocato, Academici Ardentes Piscani hanc epigraphen subdidêre; NI ARDEAT. Certè Israelis populus, cùm intra terram promissam pace, opulentiâ, ac feli-

Mundanus.

felicitate diffflueret, in omnem vitæ licentiam proruebat. Verùm ad Ægypti fornaces coarctatus, devotissimis precibus, & assiduâ patientiæ, virtutumque omnium exercitatione Deum fatigabat. Nempe, teste Magno Augustino, *Propter hoc unum fiunt tribulationes hominibus, ut magnus sibi potensque nemo videatur, præsumens de viribus suis.*

S.Aug. Annotat. in Iob. cap. 9.

79. Fuit, qui thuri ardenti ac concremato inscriberet; LUCROSA JACTURA. Huic lemmati plurimùm affinia sunt illa Apostoli verba; *Et mori lucrum.* In hunc locum S. Ambrosius ait; *Quasi sapiens, lucrum mortis amplectitur, lucrum est, evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, & ad meliora transisse.* S. Cyprianus crudelissimas persecutiones, adversùs Christianos excogitatas, considerans, ait; *Qui cernimus cœpisse jam gravia, & scimus imminere graviora, lucrum maximum computemus, si isthinc velocius recedamus.* Hanc veritatem probè perspectam habuit S. Laurentius, quando, instar thuris, supra flammas combustus, supremum ex ea jactura emolumentum sibi accrescere palam edixit: quin, ad Deum conversus, in has voces prorupit; *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.*

Phil. 1.21. Mors bona. S. Ambr in hunc loc. S. Cyprian. de mortalitate Serm. 4. S. Laurentius.

80. Qui ob famæ æternitatem aucupandam, propriæ vitæ jacturam parvi æstimat, thuri vel alteri suffimento non absimilem se probat, quod à flammis consumptum, epigraphen tenet; DUMMODO SUPERSIT ODOR. Hieronymus Olgiatus ob parricidium, in Galeazzo Mediolanensium Duce commissum, jamjam à carnificibus in frusta concidendus, extrema hæc verba generoso ac forti animo pronuntiâsse fertur; *Mors acerba, fama perpetua, stabit vetus memoria facti.* Uti de illo refert Abbas Boterus. Cassiani sententiâ, *Inclyti animi signum est, famæ diligere commodum, & lucra causarum; nam qui affectat famæ commoda, pecuniæ negligit augmenta.*

Famæ desiderium. Boter. Dipl. memorabil. p 3 lib. 1. Cass. lib. 1. Epist.

81. Ludovicus Brethe, Canonicus Regularis Congregationis Gallicanæ, in concinna sua Basilica S. Genovefæ thuribulum statuit, quod copiosos undique odores versus cœlum evaporans, epigraphen præfert; CÆLO SUA MUNERA REDDIT. Hinc disce talenta & gratias, à Deo in te collatas, in ejusdem Dei tui honorem ac gloriam unicè referre. S. P. Augustinus; *Prior est in nobis benedictio Domini, & consequens est, ut & nos benedicamus Dominum. Illa pluvia, hic fructus est. Ergò redditur tanquam fructus agricolæ Deo, compluenti nos & colenti.* Et rursùs; *Omnia accepit peccator: sed non benè vivendo, non reddit quod debet.* Robertum, Galliarum Regem, Emblemate isto significavit Author; ille enim, Deo devotissimus, non tantùm opes suas regias, sed ipsum quoque Divino cultui liberalissimè impendit. Emblemati hæc poësis subjuncta legitur;

Gratias agere Deo. S. Aug. in Psal 66. Idem in Psal. 36. Conc. 1.

In templorum usus impendit,
Quia piaculare credidit.
Regem, donis vacuum, vacare Deo.
Aureum altare Divæ Genovefæ erexit,
Claustra construxit,
Jura Canonicorum auxit.
Quid plura? ut regia daret, se ipsum dedit;
Nimirum, *ut cœlo sua munera redderet*,
Totus Deo impensus est. &c.

FINIS LIBRI DECIMI QUARTI.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER DECIMUS QUINTUS.
INSTRUMENTA DOMESTICA.

Ahenum.	1.	Cunæ.	10.	Panis.	18
Alabrum.	2.	Emunctorium.	11.	Pileus.	19.
Annulus.	3.	Fenestra cancellata.	12.	Scala.	20.
Bombylius.	4.	Filorum congeries supra harpedonem.	13.	Scrinium.	21.
Calceus.	5.	Laterna.	14.	Situla.	22.
Candela.	6.	Lucerna.	15.	Speculum.	23.
Cribrum pollinarium.	7.	Mensa.	16.	Tela. Pannus.	24.
Crumena.	8.	Olla.	17.	Vas.	25.
Culter. Novacula.	9.			Vmbella.	26.
				Vter.	27.

AHENUM.

Cap. I.

1. AHenum, igni impositum, &, ne cibi amburantur aut crassescant, à vicina manu frequenter agitatum & commotum, epigraphen sustinet; IGNE, ET MOTU. Ita nimirùm ad virtutis negotium perficiendum solus gratiæ Divinæ ignis nequaquam sufficit, nisi & cooperationis nostræ solertia manum applicet sociam. Pulchrè hanc gratiæ ac meritorum vicissitudinem explicans Theologorum Phœbus, S. Augustinus, ait; *Vocantis est gratia, percipientis verò gratiam consequenter sunt opera bona; non quæ gratiam pariant, sed quæ gratiâ pariantur. Non enim ut ferveat, calefacit ignis, sed quia fervet, sic nemo propterea operatur, ut accipiat gratiam, sed quia accepit.* Joannes Paschalius;

Cooperari gratiæ.

S. Aug lib 1. ad Simpl.q.2

Ut coquat impositas, non sufficit ignis aheno,
Ni juvet & motus, non coquet ille dapes.
Nec Divinus amor solus, nec gratia prosunt,
Adjuvet & factis ni quoque promptus homo.

Divitiæ nimiæ.

2. Divitias, nimio ardore conquisitas, non ita diu duraturas, sed paulò post diminutum iri, haud obscurè ex aheni aquâ conjicies, quæ suprà ignem ebullire ac spumare solita, epigraphen tenet; FERVESCENDO MINUITUR. Salomoni hâc de re fidem habebis; *Substantia festinata minuetur.* Vel ut alii è Græco vertunt; *Substantia effervescens minuetur.* Hunc locum interpretatur Hugo Cardinalis, ait; *Substantia festinata (id est temporales divitiæ cupidè & inordinatè acquisitæ) minuetur, id est, citò deficiet, & proprio defectu consumetur.* Opportunè Plutarchus, à P. Cornelio à Lapide adductus, ait, *Præpropera & tumultuaria ista opum, scientiarum, & virtutum augmenta similia sunt lacti, vel aquæ per ignem effervescenti, & ebullienti, cujus major pars in spumas & vapores abit &c.* Cæterum de Religionum tyronibus subjungit Hugo, quod, dum veteranos ardore quodam juvenili & imprudenti superare nituntur, uno momento omnem perdant operam, *& plerumque, dum festinant, aut corruunt, aut offendunt, aut fatigantur, & deficiunt.*

Prov. 13.11. Hug. Card. in hunc loc.

Corn. à Lap. in eund. loc.

Novitius imprudenter fervidus. *Hugo l. c.*

3. Populus seditiosus, dum igneo suo furore agitatur, in turbas gravissimas ebullire ac intumescere solet: haud secus atque fuliginosum ahenum à nimio supposito igne in spumas effervescit. Unde lemma aheno subjunctum; NON CAPENDO IN SE STESSO INONDA, E SPUMA. Id est; QUI SE NON CAPIT, EXUNDAT. Hanc Emblematis construendi rationem à Tasso subministratam habeo;

Populus seditiosus.

Tas Gerus. Conquest. l. stanz. 79.

Rota frà lor la destrà armata Alletto;
E co' l foco il velen ne petti mesce.
L'ira cieca, il furor l'empio sospetto,
E la sete del sangue avanza, cresce;
E serpe quella peste, e l volgo infetto
Lascia; e longe da lor si spande e desce.

Et paulò post; *Ibid. st. 80.*

E in superbe minaccie esce diffuso
L'odio, che non può starne omai più chiuso.

Rursus; *Ibid. st. 81.*

Così nel cave rame umor, che bolle,
Per troppo foco entro gorgoglia, e fuma,
Ne capendo in se stesso al fin s'estolle
Soura gli orli del vaso, e inonda, e spuma.

De Homine irato constat, illum, sui impotem, in rixas & verba nonnunquam maximè noxia exæstuare; S. Gregorius; *Ira intra mentem vehementius æstuat, & clamosas tacita voces format. Verba sibi, quibus exasperetur, objicit; & quasi in causæ examine posita, durius exasperata respondet.*

Iracundus. *S Greg. l. 5. Moral.*

ALABRUM. *Caput* II.

4. ALabrum assiduâ suâ revolutione magnam filorum copiam, utrâque manu ductam, recipit. Unde lemma; ACQUIRIT EUNDO. Verbis è Virgilio mutuatis, ubi de Fama canit;

Virgil. l 4. Æneid. v. 175.

Mobilitate viget, viresq; ACQUIRIT EUNDO.

Industrium Mercatorem hæc idea spectat, qui varias regiones ac provincias peragrans, ingentem divitiarum copiam coacervat. Vel qui diversos terrarum ac gentium mores expertus, ab earum consuetudine maximum prudentiæ incrementum cepit. Opportunè Cassiodorus; *Illi, inquit, prudentiores semper habiti, qui multorum hominum conversationibus probantur eruditi.* Ab hoc proficiendi desiderio excitati, in exteras regiones, tanquam ad

Mercator. *Cassiod. l. Var. Epist. 39.*

Peregrinans.

bona-

bonarum artium mercaturam se contulerunt Homerus, Orpheus, Eudoxus, Democritus, Pythagoras, Archita, Plato, aliique; quos voti sui compotes, ingenti agmine recenset Alexander ab Alexandro. Eadem omninò ratione persuasus S. Hier. Galliam, Græciam, ac Palæstinam peragravit, *quam peregrinationem, adhibitis Hebræorum peritissimis, ad Sacræ scripturæ intelligentiam sibi multum profuisse testatur.* Cæterum etiam Dei servus hanc iconem sibi propriam vendicat, qui tantundè virtutibus ac perfectione, quantùm annis proficit. De celeberrimo Legislatore Mose testatur S. Greg. Nyssenus; *Moysi quidem ad anteriora pergendi semper ingens desiderium est: nec ullo hujus cursus labore defatigatur, nec terminum assequendi hujus boni constituit, sed semper inhiat ad majora.* S. Hier. in illa Apostoli verba commentatus; *Quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor &c.* subjungit; *Quasi dicat, hoc solum scio, quia quotidie proficio, & præteritorum laborem non computans, ad priora festino.*

Alex. ab Al. Dierum Gen. lib. 6. c. 5. Brev. Rom. 30. Sept.

S. Greg. Nyss. de Vita Moysi.

S. Hier. in Philipp. 3. 13.

5. Homo, sine gravi ratione per orbem vagari solitus, temporis, divitiarum, ac vitæ jacturam miserrimam facit. Hunc proindè alabro similem dixeris, addito lemmate; DEPERDIT EUNDO. S. Nili Parænesis est; *Matrem vitiorum ignaviam existima. Bona enim, quæ jam tenes, deprædatur; quæ verò nondum possides, non sinet acquirere.* Guido Casonus in rem præsentem canit;

Vagabundus.

Otiosus.

S. Nil. Paran. num. 95.

Guid. Cason. Embl. 5.

L' otio è un involator, che il bel tesoro
Del tempo fura, & una pace infinita,
Ch' eccita guerra interna, un vil riposo,
Ch' affatica la mente, anzi una fuga
Del bene, & una furia, che latente
Agita l' alme, e rugginosi, e impuri
Fa gl' intelletti &c.

6. Abbati Certano observatum est, alabrum, assiduò revolutum, nunquam polo suo excedere. Unde epigraphen subjunxit; IMMOBILITER ERRAT. Perinde, ac si diceret; res terrenas indefesso ac continuò motu percurrendas esse, solo corde in negotiis Divinis constantissimè defixo. Religiosissimum meum Thomam Kempensem audi; *Quid hic circumspicis? cum iste non sit locus tuæ requietionis? In cœlestibus debet esse habitatio tua & sicut in transitu cuncta terrena sunt aspicienda. Transeunt omnia, & tu cum eis pariter. Vide ut non inhæreas, ne rapiaris & pereas. Apud altissimum sit cogitatio tua, & deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur.*

Contemplativus.

De Imit. Christi lib. 2. cap. 1.

7. Idem Certanus Societatem Jesu, per universum orbem deferri, eumque gravissimis erroribus exsolvere solitam, Alabri Emblemate significavit, quod assiduâ suâ revolutione intricatam filorum congeriem in ordinem redigit. Epigraphen addidit; IMPLICATA DISTINGUIT. S. Ignatius Loyola inter cæteras suas regulas etiam hanc præscribit. *Nostræ vocationis est, universas terras peragrare, & vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium, & animarum auxilium speratur.* Cæterùm eodem Emblemate demonstratur, industriæ ac laboris beneficio difficultates maximè intricatas enodari.

Societas Jesu.

S. Ignat. in suis Regul.

Diligentia

8. Alabrum tantundem locupletatur filis, quantùm colus, fusi, aut bombyces iisdem spoliantur. Unde P. Conterus epigraphen subjecit; ALTERIUS INOPIA DITESCIT. Enimverò terrena lucra nonnisi cum proximi jactura aut damno conquiri possunt. Præclarè S. P. Augustinus; *Quis optat hæreditatem, nisi morte alterius? Quis optat lucrum nisi damno alterius? Quam multi aliorum defectione cupiunt sublimari? &c.* Cæterùm Emblematis subscriptionem, è D. Paulo mutuam accepimus, ubi disertè testatur, è Christi paupertate omnes divitias spirituales in humanam gentem promanâsse. *Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut ILLIUS INOPIA vos DIVITES essetis.*

Lucra terrena.

S. Augustin. Psal. 64.

2. Cor. 8. 9.

9. Frequenter accidit, quod fila per alabri revolutionem non tantùm non redigantur in ordinê, sed magis inde implicentur. Unde inscriptio; EXPLICANDO IMPLICATUR. Magistros, in aliis erudiendis obscuros & infelices, hoc Emblema concernit; nam quò plura ad mentem suam explicandam conantur, eò rem efficiunt difficiliorem, magisque intricatam. Eâdem icone malitiosum peccatorem describes, qui ad noxas suas in sacro tribunali explicandas invitatus, linguam quidem versat, at conatu adeò irrito, ut ob verborum involucra ac crebras excusationes, potius illaquectur, quàm exsolvatur. Certè Adamus, se ipsum coram Deo explicaturus, culpam quidem confessus est; at simul gravissimè irretiebatur miser, quandò totum suum lapsum in Evam, & tacitè etiam in ipsum Deum rejicere nitebatur. S. Bern. *Arbitror, inquit, & ipsam primam, gravissimamq; prævaricationem, aut non aliundè, aut inde maximè gravissimam judicatam, hoc est, ex rebellione defensionis, quæ secuta est, quando Deo causam requirente peccati, ut peccatores ad pœnitentiam provocaret, ipsi maluerunt declinare cor suũ in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Et quidẽ gemina malitia peccatoris. Primum, quod nec sui misertus est, ut culpam propriam fateretur, & sanaretur. Deinde, quod & uxorem, ut se fallaciter excusaret, crudeliter accusavit.* Et S. Greg. Papa; *Usitatum humani generis vitium est, & latendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & convictum defendendo multiplicare. &c.*

Magister obscurus.

Adamus excusans.

S. Bernard. Tract. de Præcept. & dispens.

S. Greg. l. 22. Moral. c. 15.

10. Josephus Brigius, Academicus inter Pesarienses Extricatus, symboli loco filorum congeriem præfert, quæ è gyratâ alabri rotâ in fusi orbem convoluta, epigraphen sustinet; PER ORBES AD ORBEM. Veluti diceret, Academicos è litterario, &, ut vocant, circulari suo congressu aptos effici, ut in orbis conspectu cum ingenti laude, acclamatione, & plausu compareant. Illos insuper hæc imago spectat, qui ex assidua creaturarũ consideratione tandem in unum devolvuntur Deum, ceu omnis perfectionis metam. S. P. Augustinus; *Animus tuus circumeat per universam creaturam; undique tibi clamabit creatura, Deus me fecit.* Denique Emblemate isto S. Catharinam Virginem & Martyrem significabis, quæ è rotæ tormentis liberata, ad cœlestis gloriæ orbem transiit. De hac meus Concanonicus D. Salvator Carducius sequentes Jambos senarios posuit.

Exercitia Academica.

Contemplativus.

S. Aug. in Psal. 26.

S. Catharina V. & M.

Stamen per orbes unus orbis excipit;
Divam rotatam sumit orbis Cœlitum.

11. Quidam Eques Hispanus, immobilem amoris sui constantiam, & uxoris suæ volubilitatem ac inconstantiam demonstraturus, filiorum congeriem supra rotam glomeratoriam depinxit; addito lemmate, YO EL PIE', Y VOS LA CIMA. Id est, DUM CONSTO, MOVERIS. Et licet hæc imago ab Emblematis natura nonnihil recedat, conformiter tamen ad illam, ac verè pronuntiavit Seneca; *Stultis nunquam velle aut nolle decretum est. Variatur quotidie judicium, & in contrarium vertitur. Itaque plerisque agitur vita per lusum.*

Amans constans. Uxor inconstans.

Senec. apud Lipsium l. 2. Manuduct. dissert. 15.

ANNVLVS.

Caput. III.

Nuptiæ.

12. IN annulo, ceu genuino typo, mutua amantium concordia ac unio relucet; unde etiam illum nuptiarum tempore adhiberi, usus omnium penè gentium obtinuit. Joannes Ferrus hanc annulo epigraphen subjecit; JUNGIT AMANTEM. Vel, JUNGIT, ET ORNAT. S.Isid. *Illud verò*, inquit, *quod annulus à sponso sponsæ datur, fit hoc nimirū, vel propter mutuæ fidei signū, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur.* Sancta Fides, instar pretiosissimi annuli, non tantum ad animæ ornamentum, sed etiam ad creaturam cum Creatore suo colligandam, plurimùm deservit.

S.Isid.l.2. de Offic. Eccles. cap 19.

Fides.

Separatio.

13. Quidam, à persona amata separatus, ut se parte omnium nobilissimâ & pretiosissimâ spoliatum demonstraret, annulum pinxit, gemmâ suâ viduatū, ac hoc lemmate Hispanico distinctum; FALTALO MEIOR. Id est; PARS OPTIMA DEEST. Certè Hypocrytarum munera, Deo oblata, parte omnium optimâ, nimirum corde, ceu corporis humani gemmâ, deficiunt. Enimverò, teste S. Joanne Chrys. *Bonus Dominus consuevit attendere non ad ea, quæ à nobis fiunt, sed ad internam mentem, à qua, ut hæc faciamus, impellimur.* Ob eundem planè defectum Deus Cainum sacrificantem est abominatus, *Ad Cain, & ad munera illius non respexit.* Hunc locum exponens S. Rupertus Abbas, *Cain*, inquit, *cùm Deo offerret sua, se ipsum sibi retinuerat: hanc portionem Deus non accipit; sed, præbe, inquit, Fili cor tuum mihi; at ille cor suum sibi retinuit, & fructus terræ Deo obtulit.*

Hypocrita

S.Chrysost. Hom 26. in Ioan.

Gen 4.5.

Rup Abb. in hunc loc.

Æternitas. Perseverantia.

14. Annulus, in orbem flexus, principio ac fine caret. Unde lemma; NUSQUAM FINIS. Eadem æternitatis ac perseverantiæ virtuosæ natura est. S. Gregorius Nyssenus; *Qui non simulatè, sed verè virtutem sequitur, Deo, qui perfecta virtus est, participatione conjungitur. Deus autem terminum non habet: quare cùm ejus, quod naturâ bonum est, omninò participes esse desiderent, qui illud noverunt: necesse est participantis quoque desiderium, cum ad interminatum, infinitumque se extendat, nullum habet exitum, quo cessare possit.* Compendio S. Bernardus; *Vera virtus* FINEM NESCIT.

S. Greg Nyss. l. de vita Moysis.

S Bernard. Epist. 253.

15. Annulus simul & fidei & honoris est tessera; utpote qui & à sponsis deferri, & Nobilibus, Victoribus, Doctoribus, aliisque attribui solet. Unde hanc gnomam ex annulo suspendi; D' HONOR SEGNO, E DI FEDE. Id est; HONORIS, ET FIDEI SIGNUM. Quamobrem S. Petrus Chrys. *Annulum honoris, titulum libertatis, insigne pignus spiritus, signaculum fidei. &c.* Ita sanè Martyrii instrumenta, à SS. Apostolorum, Martyrum, ac Virginum manibus sustineri solita, manifesto indicio illibatam eorum fidem, & insigne gloriæ ornamentum produnt.

S.Pet. Chrys Serm. 5.

Instrumenta Martyrum

16. Annulus simul digito & ornando & ligando deservit. Unde lemma; ET LIGAT, ET DECORAT. Catenæ ac compedes, Sanctorum Martyrum corporibus injectæ, non ita ligaminis, atque ornamenti loco ab iis deferuntur. S. Cypr. *Imposuerunt quoq; compedes pedibus vestris, & membra felicia, & Dei templa infamibus vinculis ligaverunt, quasi cum corpore ligetur & spiritus, aut aurum vestrum ferri contagione maculetur: Dicatis Deo hominibus, & fidem suam religiosa virtute testantibus, ORNAMENTA sunt ista, non VINCULA.*

Instrumenta Martyrum

S.Cypr Epist 25 ad Mart.

17. Veteri more receptum est, sponsalium tempore sponsam annulo, ceu nuptiarum arrhâ ac pignore remunerari. Josephus Laurentius ait; *Annulus sponsæ pignoris loco mittebatur*; additque eandem sponsam in ipsa nuptiarum solemnitate coronâ fuisse exornatā. Unde annulo inscribes; SPONSALIS ARRHA CORONÆ. Et quidem si, juxta vulgare symbolum, fides in annulo significetur, opportunè dixeris; Animas, sanctâ fide imbutas, ad æternæ gloriæ coronam à Deo præparari. Unde quando Oseæ ore promittit Deus, *Sponsabo te mihi in fide*; Sancta Ecclesia interrogata, *Fides quid præstat*; mox respondet; *Vitam æternam.* Cæterùm eodem Emblemate demonstratur, catenas, quibus Sancti Martyres vinciebantur, instar pignorum ad æternam coronam paulò post capiendam deservisse. S.Bern. *Prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in spe gloriæ magni Dei. Non solum autem, sed ut dicam expressius, gloriemur in tribulatione, in ea siquidem spes gloriæ est.* Et S.Cyprianus; *Ornamenta sunt ista, non vincula: nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam.*

Ios Laur. Opusc. Philolog. Synopsi de Sponsal.

Fides.

Oseæ 2.20. Ritual Ro

Calamitates.

S. Bern serm 17 in Psal. Qui habitat

S. Cypr. Epist 25 ad Mar

18. Annulus Majoribus nostris ad res quasvis custodiendas & obsignandas sigilli loco deserviit. Cornelii à Lapide testimonium est. *Annulo tum edicta & litteras, tum arcas & alia secreta vel pretiosa, ac nominatim testamenta, obsignabant & custodiebant veteres.* Unde lemma; SERVANDA SIGNABIT. Emblemate non ingrato dixeris, hominem, diversis à Deo calamitatibus oppressum ac signatum, ad evitanda æterna mala præservari. Ezechielis ore ad vindictæ suæ satellites pronuntiabat Deus; *Percutite, non parcat oculus vester, neq; misereamini, omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis.* Enimverò, interprete Origine, *Illi tantū sospites reservantur, quos Thau littera, id est, Crucis pictura, signaverat.*

Corn à La in Aggæi c.2 u.24.

Calamit

Ezech. 9.5.

Orig. in hunc loc.

19. Annulus astromomicus, in spatia æqualia distributus, ac numeris suis insignitus, solaris horologii loco deservire solet. Unde lemma; LE CARRIERE DEL SOL DISTINGUE, E SEGNA. Id est; MOTUM SOLIS ADÆQUAT. Hanc epigraphen plurimùm illustrat Cassiod. ubi de horologio solari scribit, *Radius itaque immobilis & parvus, peragens quod tam miranda magnitudo solis discurrit, & fugam solis æquiparat, quod motū semper ignorat.* In rem præsentem apprimè canit Benedictus Sossagus;

Huccine mortalis solers audacia crevit?
Metiri superas edidicere plagas.
Perpetuos cœli metitur machina cursus,
Ars ita cœlestes est imitata plagas.

Cassiod l 1 Var. Epist

Sossag. l.3. Epigr de Horolog.

Præclaram SS. Evangelii ideam ex hoc annulo desumere licet, quod, asserente P. Sebastiano Barradio, *Continet Filii Dei incarnationem, gesta, dicta, mandataque præclarissima. &c.*

Evangel.

Sebast. Barrad. in Evang T 4. lib 9.

20. Complures annuli ferrei, ab extrinseca tantùm superficie, ob attrahentem vicini Magnetis virtutem, oblongâ seriè mutuò inter se non quidē concatenati sed tantum conjuncti, epigraphen sustinent; JUNGIMUR, NON NECTIMUR. Annulus enim ferreus, Magneti affricatus, vim contrahit magneticam, aliumque annulum non solùm ad se trahit, sed eidem insuper vim suppeditat attrahendi tertiū annulum, donec eo modo integra concrescat catena. Testem audi luculentum & oculatum, S.P.Aug. *Cernebā, inquit, à Magnete lapide ferreum annulum raptū atque suspensum, deinde tanquā ferro, quod rapuerat, vim dedisse suā, communemq; fecisse, id annulus admotus est alteri, eumq; suspendit: atq; ut ille prior lapidi, sic alter annulus priori annulo cohærebat. Accessit eodem modo tertius, accessit & quartus. Jamq; sibi per mutua connexis circulis, non implicatorū intrinsecus, sed extrinsecus adhærentiū quasi catena penderat annulorū.* Hominum frequentiā, sive sub signis militaribus, sive Ecclesiasticis, congregatam, nullo tamen sinceri animi ac mutuæ charitatis nexu unitam, hoc

S. Aug l. de Civit Dei cap

Unio sine affectu.

Emble-

Emblema spectat. Certè Josephi fratres, sanguine quidem juncti, at fraterno affectu erant alienissimi. Corinthii, solas domos contiguas habuere, corda verò remotissima. De his non sine dolore querebatur S. Paulus; *Audio scissuras esse inter vos.*

BOMBYLIUS
Cap. IV.

21. Bombylio nisi fracto poteris extorquere uvam, in ipso natam. Unde lemma ampullæ inditum; NONNISI FRACTA. Ita Justus virtutem & sanctimoniam, olim conceptam, nonnisi cum vita exuit. *Donec deficiam*, inquiebat Jobus, *non recedam ab innocentia mea. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram.* In hunc locum Hugo Cardinalis; *Donec deficiam vitâ, non recedam ab innocentia cordis. Justificationem meam in operibus, quam cœpi tenere, firmo mentis proposito non deseram unquam.*

22. Bombylium, prægrandi botro gravidum, D. Aresius hoc lemmate notavit; DONEC ATTERATUR. Dicere volebat, vitia, in humano pectore nimium quantum augescentia, nunquam amplius nisi morte effringente dimitti. Jobus; *Ossa ejus*, inquit, *implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Et S. Gregorius Papa; *Cum eo in pulvere ossa vel vitia dormire, est usque ad pulverem eum vitia non deserere, id est usque ad mortem ab iniquitate minimè cessare. Tenent igitur illum pravæ consuetudines, quæ semel cœperunt, atq; quotidie duriores existunt. Et cum illo in pulvere dormiunt, quia nonnisi cum ejus vita finiuntur.*

23. Joannes Franciscus Villava bombylium, aquis plenum, figuravit, qui à solaribus radiis pervasus, vicinam escam accendere solet. Epigraphen addidit. QUO EXTINGUITUR, ARDET. Haud aliter Divina sapientia miros effectus, naturæ viribus è diametro adversos, operari novit; quippe cui minimè operosum est, aquâ accendere, igne refrigerare, luto cæcis lumen, infirmitate sanitatem, & morte vitam conferre. Quin, ipsamet Misericordia Divina contumaces peccatorum animos nonnunquam torquere, & clementiæ suæ aquis acerrimè ustulare solet. Ægyptii suo id didicêre damno, quando ipsorum aquæ non jã terris irrigandis fluxêre, sed instar fulminum passim omnia depopulatæ sunt. Regium Prophetam, testem luculentum, accipe. *Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.* Sic nimirum, teste Magno Augustino, *Quando Deus permittit aut facit, ut in tribulatione aliqua simus, etiam tunc misericors est.*

24. Bombylius, aquis plenus, dum solaribus radiis penetratur, materiem vicinam adurit. Unde à meo Concanonico, D. Philippo Maria Gallina epigraphen cœpit. CON L' ALTRUI VAMPE ACCENDE. Id est; ALTERIUS IGNE SUCCENDIT. Ita Prædicator, Prophetarum & SS. Patrum verbis instructus, auditores omnes in virtutis & amoris Divini desiderium inflammat. Apollo in Apostolorum Actis id encomii retulit. *Vir eloquens, & potens in scripturis.* Et rursus. *Erat edoctus viam Domini: & fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Jesu.* Nam teste D. Hieronymo, *Sermo Presbyteri, nisi lectione scripturarum condiatur, verba volvit celeritate dicendi.*

25. Radius solaris bombylii sinum absque ullo ipsius nocumento penetrat. Unde lemma bombylio inditum; TRANSMITTIT ILLIBATA RECEPTUM. Vel solis radio; LUSTRAT INNOCUUS. Maria Virgo hoc symbolum sibi proprium vendicat, quæ Divinum infantem parturiit, purissimâ suâ virginitate penitus illibatâ. Richardus à S. Laurentio; *Virginitas*, inquit, *sicut vitrum: sicut enim vitrum absq; sui dissipatione solarem radiũ suscipit, & emittit: sic Mariæ virginitas illibata filium Dei concepit, & peperit.* Et S. Amedeus; *Ut claritas solis vitrũ absque læsione penetrat sic Dei Verbum adiit virgineum habitaculum, & inde prodiit, clauso Virginis utero. &c.* His accinit Petrus Lombardus;

Sol penetrat vitrum, penetratur, nec violatur;
Sic Virgo peperit, nec violata fuit.

Et meus D. Salvator Carducius;

Innocuus radius crystallina viscera lustrat,
Cœlica Virgineum sic subit aura sinum.

26. Bombylius, aquis plenus, & solari radio penetratus, igni quidem generando, non tamen concipiendo deservit. Unde lemma; PARIT, NEC CONCIPIT ÆSTUM. Idem quorundam Prædicatorũ est vitium, qui alios ad virtutis ardorem inflammant, ipsimet interea frigidi, & in flagitiorum cœno penitus congelati. His exprobrans Apostolus, ait; *Qui ergò alium doces, te ipsum non doces.* S. Gregorii Ethica est; *Si negligis implere quod doces, aliis messem seminas, & ipse à frumenti participatione jejunas.* Ita Abias, Judææ Rex, teste Emmanuele Thesauro, in observanda Lege Mosaica penitus congelascens ac stupidus, eandem populo exactè assequendam non sine ingenti zelo & ardore persuasit.

Legum vindex, vixit sine Lege;
Verè religionis suasor, non sectator,
Et furi promptior, quam facere;
Non percepit, quæ præcepit.

27. Bombylius, aquis plenus; & solaribus radiis penetratus, adversam materiem accendit. Unde inscriptio, ampullæ subjuncta; URIT ET GELIDA. Mira adeò est Divina providentia, ut conscientias frigidissimas nonnunquam instrumenti loco applicet, ad virtutum & gloriæ flammas in aliis excitandas. Quis enim, quantumvis in Historiis peregrinus, ignoret, à perversis hominũ linguis plurimos esse ad frugem conversos, à cordibus conglaciatis accensos, & ab inferorum satellitibus ad cœlũ evectos? S. Cyprianus, primum magus, deinde Martyr, posteaquã certas quasdam dæmonum protestationes audiverat, mox execrandas suas artes ejurans, Divinis obsequiis se consecravit. Et quoties, obsecro, contingit, Prædicatorem, virtutibus sterilem, plurimos virtutum fructus in auditoribus suis proferre? S. P. Augustinus; *Prædicatori peccanti non prodest, quando legem Dei loquitur: nunquid & auditoribus non prodest?*

28. Philopponorum Pistoriensium Academia Symboli loco bombylium, aquis plenum, præfert, intra quem solares radii collecti, lucem longè clarissimam diffundunt. Epigraphen subjunxit istam; UNIONE MICANTIOR. Hinc conjicies, quantũ gloriæ non tantùm Christianis, sed & cuivis religioso Ordini, Reip. aut familiæ accrescat, si concordiam in legibus, moribus, fidei articulis, cæterisque negotiis jugem ac individuam observet. Explicatissimè Christus, *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unũ.* In hunc locum Theophilactus; *Qualẽ gloriam seu claritatẽ datur um esse dicit? Eam, quæ per dogmata, & per signa & doctrinas, & aliã quoq; gloriã, concordiã scilicet, ut sint unũ; ista enim gloria major est, quã quæ signorum. &c.*

29. Carolus Bovius Emblematis loco bombylium, aquis plenũ, depinxit qui à tergo facẽ accensã occultans, è fronte maximum ac intentissimũ lumẽ sparsit.

Marginal notes: ...r. 11. 18. — Perseverantia. — Job. 27. 6. — Hug. Card. hunc loc. — Peccator obstinatus — Job. 20. 11. — Greg Papa 15 Moral. c. 5. — Sapientia Divina. — Misericordia severa. — Psal. 104. 32. — Aug. Psal. ... Conc. 2. — Prædicator. — Act. 18. n. 24 & 25. — Hieron Ep. ad Nepot. — Maria parturiens. — Rich à S. Laur. lib 4. de laud Virg — B. Amedeus Hom 3 de Maria V. — Prædicator vitiosus. — Rom. 2. 21. — S. Greg. in Pastor. — Vitiosi virtutem suadent. — Prædicator vitiosus. — S. Aug in Psal. 36. — Concordia. — Ioan. 17. 22. — Theoph. in hunc loc.

Crescere. Epigraphen addidit; QUOD ACCIPIT, AUGET. S. Ignatium Loyolam hoc Emblema demonstrabat, qui clarissimum sanguinem, à Majoribus sibi congenitum, amplissimis virtutum & sanctimoniæ radiis locupletavit. Eâdem omninò ratione hanc iconem de S. Ludovico Galliarum Rege: de S. Hermenegildo Hispaniarum Rege, de S. Casimiro Poloniæ Rege, de S. Stephano Hungariæ Rege, de B. Amedeo Sabaudiæ Duce, aliisque interpretari licet. Cæterùm huic Emblemati affine est illud, quod nostro Mundo Symbolico, ante annos viginti tres in lucem publicâ producto, è fronte præfiximus: nimirum speculum concavum, è quo solaris radius, non sine maximo incremento reverberatus, hanc gnomam obtulit legẽdam; ACCEPTUM GEMINAT. Dicere volebam; doctrinæ lucem, aliunde receptam, ab hominis studiosi industria felicissimum incrementum accipere, ac fœnore geminato reddi: Utroque tamen Emblemate significabis, gratiam & charitatem, à Deo infusam, assiduo incremento per bona nostra opera geminandam esse. S. P. Augustinus; *Qui flamma charitatis accenditur, semper bonis operibus augeatur, & nutriat in se ignem, quem in eo Christus dignatur accendere.*

Studiosus.

Augmentum charitatis & gratiæ.

S. Aug serm. 155. de Temp

30. Bombylius crystallinus, solarem lucem in sinu suo recipiens, iterumque ex se transmittens, epigraphen sustinet; ILLÆSOS TRANSFUSA PER ARTUS. Mariam Virginem hæc imago spectat, quæ Solem Divinum, absque integritatis virgineæ offensâ, in utero recepit ac enixa est. S. P. Augustinus; *Omnia quidem cæterorum miracula superat, quod Christus est natus ex Virgine, matrisque integritatem solus potuit nec conceptus violare, nec natus.*

Maria V.

S. Aug Tract 91 in Ioan.

CALCEUS.
Cap. V.

31. IOannes Ferrus quemdam, corpore quidem læsum, at animâ integrum, calcei Emblemate repræsentavit; eique hanc præfixit inscriptionem; TERITUR, NON LÆDITUR. Inter profanos eodem acroamate usus est Anaxarchus; cum enim vivus in mortario contunderetur, *Tunde, tunde,* ajebat, *Ananarchi follem; Ananarchum enim non tundis*; uti de ipso refert Tertullianus. Inter Sacros verò Jobus, qui *à planta pedis usq; ad verticem ulcere pessimo* afflictus; *In omnibus his non peccavit &c.*

Animus imperterritus.

Tertull inter Apolog c. 50. Iob c 2. v. 7. & c 1. v. 22.

32. Exercitus, pro civitate aut Republicâ propugnanda consumptus, hoc calcei lemmate figurari potest. TERITUR, & TUETUR. Franciscus Petrarcha, ad militem conversus, *Age,* inquit, *ferro membra constringito, imbrem solemque galea excipiens, ferro indutus, clypeo operire, domi dormiens classico excitabere, adeptus tibi magnum aliquid videbare, sed errabas, anceps, & cruentum officium elegisti.*

Miles.

Petrarcha lib. de Remed. dial. 48.

33. Calceum, in gentilitiis Eminentissimi Cardinalis Zappattæ scutis expressum, hoc Horatii lemmate insignivit Joannes Ferrus; NULLA RETRORSUM, subintellige, *vestigia ponit.* Nimirum assiduum Principis illius in virtute progressum significabat. S. Fulgentius; *Sicut qui ad patriam tendit, donec perveniat, semper habet ubi ambulet; sic etiam nos quamdiu in hoc mortali corpore constituti peregrinamur à Domino, præsens vita nobis est via, in qua semper habemus, ubi possimus proficere.*

Profectus.

S. Fulg de Orat. c. 3.

34. Calcei oblongi, anteriore parte in aciem mucronati, & repandi, qualibus populi septentrionales ad conglaciatum mare pedibus transmeandũ uti solent, à Severo Severi, Academico Gelato Bononiensi, epigraphen recepère; INSUETUM PER ITER. Eorum hæc imago est propria, qui corporis castigandi semitam penitus insolitam, & laboriosissimâ virtute plenam, incedunt. Ita B. Henricus Suso crucem pectori affixam portabat, quæ clavis acutissimis armata, carnes crebrò ac recenti vulnere lacerabat. Simeon Stylites complurium annorum spatio columnæ verticem domicilii loco habitavit. S. Benedictus senticeta durissima lecti loco nudus elegit. &c. S. Gregorius Nyssenus illa Apostoli verba explicans, *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*; opportunè in rem nostram ait, *Calceos militis Christiani, quibus eum hic calceari vult Apostolus, esse vitam mortificationis duram & asperam.* Torquatus Tassus de suo Regitnaldo in Solymarum obsidione observat, eum, communia aliorum vestigia nunquam incessisse.

Mortificatio insoli[ta].

Ephes. 6. 15. S Greg. Ny[ss.] de Vita Mo[y]sis.

Tas Gerus. Cant 18. st. 72.

Rinaldo in tanto irresoluto bada:
Che quel rischio di lui degno non era.
Estima honor plebeo, quand' egli vada
Per le communi vie col volgo in schiera,
E volge intorno gli occhi; E QUELLA STRADA
SOL GLI PIACE TENTRAR, CH' ALTRI DISPERA.

CANDELA.
Cap. VI.

35. CAndela, à radiis solaribus intra speculum collectis ac repercussis accensa, epigraphen tenet; EX ALIENA LUCE LUCEM QUÆRIT. Eorum hoc Emblema est, qui propriâ virtute distituti, ad Majorum suorum splendorem emendicandum recurrunt, & quasi præcario illorum lumine inclarescere cupiunt. Cassiodorum de se testantem audi; *Nobilitas à me procedens, est mihi cordi plus, quàm quæ ex patrum procedit nobilitate: quia in quo desinit cujusque nobilitas, tunc avorum nobilitate congruè indiget.* De iis sine aculeo Satyricus.

Nobilita[s] emedica[ta].

Cass in Ep[ist.]

Iuvenalis Satyr. 8.

- - - - Sed te censeri laude tuorum
Pontice noluerim, sic ut nihil ipse futuræ
Laudis agas, miserum est, aliorum incumbere famæ.

36. Candelam, è reflexo Solis lumine accensam, alius quispiam hoc epigrammate distinxit; LUCEM EX ALTO. Ita Sancta fides, uti & Divina gratia, omnisq; sapientiæ splendor nonnisi è luminis Divini fonte scaturire solet. Dilucidè Vates Regius; *Accedite ad eum, & illuminamini.* Et Plato; *Is, qui verè philosophatur, censet, nusquam aut nunquam se puram sapientiam, quàm apud Deum, consecuturum.* Idem Emblema omnibus Sanctis Prophetis, SS. Apostolis, cumprimis verò S. Brigidæ, S. Alberto magno & S. Thomæ Aquinati convenit, qui socio suo Reginaldo ingenuè confessus est; *Quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quam divinitus traditum accepisse.*

Dependentia.

Psalm. Plato.

Prophet[æ].

S. Tho. A[quin.]

37. Candelam, eodem momento & accensam, & radiis solaribus expositam, hoc lemmate insignies; DOPPIO ARDOR MI CONSUMA. Id est; GEMINUS ME CONSPICIT ARDOR. Hominem, duobus negotiis distentum; cumprimis verò geminâ amoris Divini & proximi flammâ succensũ, hæc imago concernit. Servatoris nostri præceptio est, *Diliges Dominũ Deũ tuum, ex toto corde tuo, & proximũ tuũ sicut te ipsũ,* S. Paulus de se ipso testatur; *Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autẽ in carne necessarium propter vos.* Eadem magni August. in Regulæ auspicio mens est, ac Princeps præceptio; *Ante omnia diligatur Deus, deinde proximus.* Utraque hæc charitatis flãma ergaDeũ crucifixũ & egenã plebem

Amans plurium rerum.

Amor D[ei] & proxi[mi].

Luc. 10. 27. Philip. 1. 23.

S. Aug. in Reg. c. 1.

in B. Amedei, Sabaudiæ Ducis, finu intenſiſſimè reſplenduit. Eodem gemino ardore conflagrabat S. Laurentius Martyr, quando & internâ amoris Divini flammâ, & exteriore carnificum incendio cremabatur. Præclarè S. Leo Papa in Natali S. Laurentii ad tyrannum converſus dixit; *Flammis tuis ſuperari charitatis Christi flamma non potuit, ſegnior fuit ignis, qui foris uſſit, quàm qui intus accendit.* Illo ipſo igne ſuccenſa incendebat S. Apollonia, quæ *alacris in ignem ſibi paratum, majori Spiritûs ſancti flammâ intus accenſa, ſe injecit.*

[Ame]dus. [S.] Laurentius. *Leo Papa Natali Laur.* *[Br]ev. Rom. Febr.*

38. Candela, quantumvis pleno ac clariſſimo lumine ardens, ſi radiis ſolaribus exponatur, lucem omnem quantocius amittit. Unde lemma; LUMINIS EXPERS. vel ut nobilis quidam Experrectus Piſtorienſis candelam hoc lemmate loquentem introduxit; NIHIL ANTE TE. Huic lemmati accinens David, *Subſtantia mea*, inquit, *tanquam NIHILUM ANTE TE.* Atque adeò Cœlites omnes, Dei comparatione, nihil omninò ſplendoris habere videntur. In hanc ſententiam apertè concedens S. Gregorius Papa, *Sancti*, inquit, *quantò magis Divinitatis internа proſpiciunt, tantò magis ſe nihil eſſe conſpiciunt.* Et Origenes; *Quomodò lumen lucernæ ad ſolis radios obſcuratur, ſic licet fulgeat juſtorum omnium lumen ante homines, non lumen fulget ante Chriſtum.* Idipſum contingit, ſi vero litterato hominem rudem ſiſtas vicinum. Denique M. Tullius diſertè probat, omnem temporalium divitiarũ ſplendorem, cum unico virtutis radio collatum, æſtimatione penitus nullâ haberi. *Ut obſcuratur & offunditur luce ſolis lumen lucernæ; ſic rerum corporearum æſtimatio ſplendore virtutis, & magnitudine obſcuretur & obruatur atque intereat, neceſſe eſt.*

[P]ræſentia [M]ajorum. [Ps]al. 38. 6. *Greg. l. 18. [Mo]ral. c. 33.* *[O]rig. Hom. 9 [in] Ezech.* [B]ona [t]empora[li]a. [Ci]cero.

39. Sultan Solimannus, Turcarum Imperator, Symboli loco quatuor candelabra poſuit, in quibus unam candelam accenſam, & tres extinctas ſtatuit; addito lemmate. HALLA VERE. Id eſt, DEUS DABIT, ſubintellige *lucem*: Mens imaginis erat; ſi adulterina Mahometicæ doctrinæ lux in Aſia, utpote quartâ mundi parte, invaluiſſet; eam quantocius, nî ſuperi abnuerent, etiam in Africam, Europam, & Americam diffuſum iri. Sed rectius id de verâ Sanctæ Fidei luce, in omnes mundi plagas uberrimè ſparsâ, intellexeris. Apoſtolis ſuis præcepit Chriſtus; *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Dictum factum: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, S. P. Auguſtinus; *Orbis terrarum eſt rota; nubes illa* (Apoſtoli) *in rota circumierunt orbem terrarum; circumierunt tonando & coruſcando; præceptis tonuerunt, miraculis coruſcaverunt.*

[F]ides in [o]mnem [t]erram [d]iffuſa. *[M]arc. 16. 15.* *[Ps]al. 18. 5. & [R]om. 10. 18. Auguſt. in [Ps]al. 76.*

40. Candela extincta epigraphen jactat; ACCENSA MICABIT. Certè Apoſtolorum corona per univerſum mundum clariſſimè reſplenduit, poſtquam Spiritûs ſancti igne accenſa fuit. Magno Auguſtino teſte, *Petrus ſuccubuit & negavit: cùm verò accepit donum Spiritûs ſancti, quem negaverat, prædicavit, & quem confiteri timuerat, non timuit profiteri. Annuntiavit uſque ad mortem, quem negaverat timens mortem.* Eâdem icone demonſtrabis, amoris flammas in humano pectore accenſas nonniſi ægerrimè occultari poſſe. Ovidius;

[A]poſtoli. *Aug. Tract. [8]. in Ioan.* [A]mor.

--- — Quis enim celaverit ignem?
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo.

Et Taſſus;

Mal Amor ſi naſconde; A te ſovente
Deſioſa i chiedea del mio Signore;
Vegghendo i ſegni tù d'infermamente,
Erminia (mi diceſti) ardi d'amore.
Io tel negai; ma un mio ſoſpiro ardente
Fù più verace teſtimon del core,
En voce forſe de la lingua; il guardo
Manifeſtava il fuoco; onde tutt'ardo.

[T]aſſ. Geruſ. [L]iberat. [C]ant. 19. ſt. [9]6.

41. D. Alexander de Cuppis, Canonicus Regularis, affirmat, ſibi quidem in votis fuiſſe complurium Magnatum merita celebrare; at illorum cumulo ita eſſe obrutum, ut cœpto deſiſtere, ac fatigato calamo ſilentium indicere debuerit. Proinde hanc animi ſui ſententiam Emblemate ſignificaturus, candelam extinctam pinxit, quæ ingenti incendio vicina, & à flammis paſſim erumpentibus liquefacta, accendi nequiit. Epigraphen addidit; INOPEM ME COPIA FACIT. Certè, quarumvis rerum terrenarum copia nihil unquam emolumenti, plurimum verò damni creat. Innocentius Papa; Divitiæ, inquit, *fiunt inſtrumenta pœnarum, quæ fuerant oblectamenta culparum. Labor in acquirendo, timor in poſſidendo, dolor in amittendo mentem ejus ſemper fatigat, ſolicitat & affligit.* Unde quidam ad lautiſſimam menſam accumbens, dixit; *Si ſemper ita comediſſem, modò non manducâſſem.* Ita Athenæus.

Virtus excedens. Abundantia noxia. *Innoc. l. de vilit. condit. humanæ.*

42. Qui ad promovendam aliorum felicitatem aſſiduò fatigatus, ſe ipſum deſtruit, hanc cum face accensâ epigraphen communem habet; ALIIS LUCENS, UROR. vel; DEFICIT, UT PROSIT. D. Areſius immodicam S. Pauli charitatem demonſtraturus, faci ardenti ſubſcripſit; NON QUÆRIT QUÆ SUA SUNT. S. Gregorius Papa; *Verè in hoc Paulus, verè Magiſter gentium, ſua negligens, aliena curans, implevit quod prædicaverat. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius, & non quæ ſua ſunt, ſinguli cogitantes, ſed ea quæ aliorum.* Hanc operandi methodum quivis animarum Paſtor aut Princeps unicè obſervatam habeat neceſſe eſt. Eruditè Sineſius; *Qui id in vitæ ratione ſequitur, quod ſubditis commodum videtur, qui laborem & moleſtiam perferre vult, ne quid illis moleſtum ſit, qui pro illis periclitatur, ut in pace & ſecuritate degant, quique vigilare, & in maximo concurſu ſolicitudinem verſari ſuſtinet, ut noctu & interdiu ſubditi malis omnibus vacent, hic in genere quidem ovium paſtor; in hominum verò genere rex eſt.*

Crapula. Charitas. *S. Greg. Homil. 17. in Ezech.* Prælatus. Princeps. *Sineſ. lib. de Regno.*

43. Accenſa ſpira cerea, ſymbolo minimè obſcuro, perſeverantiam exprimit. Unde lemma; HASTA A LA MUERTE. Id eſt; USQUE AD INTERITUM. Hoc ſenſu Dido apud Virgilium;

Perſeverantia. *Virg lib. 4. Æneid.*

Ille meos primus, qui me ſibi vinxit, amores
Abſtulit, ille habeat ſecum, ſervetq; ſepulchro.

Et S. Auguſtinus; *Vos autem fratres exhortamur in Domino, ut propoſitum veſtrum in Domino cuſtodiatis, & USQUE AD FINEM vita perſeveretis.*

S. Aug. Epiſt. ad Eudoxiũ.

44. Candelam accenſam hoc lemmate introduxerunt loquentem; EXTINGUAR, UT LUCEAM. Ita miles, famæ aut nominis aucupandi causâ, omnia belli diſcrimina, ipſamque adeò vitæ jacturam parvipendit. Et vir litteratus, gloriæ cupidus, ut volumina ſua ad poſteros tranſmittere poſſit, ſanitatis diſpendium haud gravatè ſubit. Nam, ut benè S. Bernardus, *Virtus mater gloriæ eſt; ſola enim eſt, cui gloria debetur & ſecurè impenditur.* In hoc argumentum D. Jo. Paſchalius;

Miles. Litteratus. *S. Bern. in ſermo.*

Corruat in ſtudiis, mihi gloria dummodo creſcat,
Corporis iſtud, ait vir ſtudioſus, onus.
Innuit hoc etiam ſuccenſæ lampadis ignis,
Lumine labenti quæ peritura micat.

45. Hyppolitus Maria Tagliapetra de ſe ipſo

scriptum reliquit; *Posteaquam aliorum bono, liberalē hæreditatis paternæ jacturam feci; symboli loco candelam, ad extrema deductā, & jamjam lumine suo vacillantem, mihi præfixi; adjecto lemmate, MEO LUMINE PERII.* Eidem candelæ ardenti, mox consumendæ, alius inscripsit; OFFICIO MIHI OFFICIO. Ea nempe quorundam est infelicitas, ut beneficia, aliis exhibita, in benefactorum redundent perniciem. In horum numerum S. Joan. Chrysost. Abrahamum Patriarcham recenset, qui ab ingenti bonorum copiâ, in nepotem Lothum liberalissimè effusâ, nullam aliam gratitudinis aut utilitatis vicem recepit, nisi quod suos ministros à servis & pastoribus Lothi debuerit intueri gravissimis contentionibus ac rixis oneratos. Unde Chrysostomus Patriarcham illum in hæc verba exprobrantem introducit. *Unde tibi illa abundantia? nonne ex mea cura? quis te apud homines tantum apparere facit? Nonne ego, qui pro omnibus tibi fui? Patris ego vices egi per omnia: & has mihi pro tot ministeriis mercedes reddis?* Damno suo didicit Rex Artaxerxes, omnem gloriam, Amano illustrando effusè impertitam, tandem in ipsius Regis perniciem ac regni interitum conversam fuisse; ut adeò in justissimas has quærelas proruperit; *Multi bonitate Principum & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: & non solùm subjectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriā non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias.*

Beneficiū benefactori gloriosum.

Author proprii mali.

S. Io Chrys. in Gen. Hom. 33.

Esther 16. 2.

46. Vitæ nostræ fragilitatem, quâvis levissimâ aurâ suffocandam, ardenti candelæ non absimilem dices; quæ unico halitu extincta, epigraphen tenet; EXTINGUITUR AFFLATU. Explicatissimè Jobus; *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, FLANTE DEO PERIISSE.* Daniel, *Deum,* inquit, *qui habet FLATUM tuum,* id est, vitam tuam, *in manu sua, non glorificâsti.* Et S. Jacobus; *Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur;* vel ut contextus Syriacus habet; *Vapor qui modicum apparet, & dejicitur, & evanescit.* Atque adeò vita nostra unico afflante vento instar floris languet, instar vaporis evanescit, & instar candelæ momento extinguitur. Hugo Cardinalis eodem Emblemate quosdam animi sui fervore adeò pauperes demonstrat, ut aspirante quâvis minimâ terrenâ calamitate, omnem virtutis splendorem mox exuant, & animum, ipsamque adeò vitam, socordissimi milites, quantocius despondeant. *Sunt quidam,* inquit, *qui tam parvam habent charitatem, quod ad modum candelæ ad flatum tribulationis extinguuntur.* Porrò interior animi nostri devotio, instar scintillantis faculæ, quovis levissimæ noxæ afflatu vacillare ac extingui consuevit. Unde S. Thomas Villanovanus illud Apostoli consilium examinans, *SPIRITUM nolite EXTINGUERE;* ita philosophatur: *Valde delicatus est spiritus veritatis, & qui ad levem offensam statim abit: sollicitè ergò custodiendus est, postquam conceditur; ne videlicet, velut scintilla parva, superinjectis temporalibus curis, veluti humectantibus lignis, extinguatur. Sicut scriptum est; spiritum nolite extinguere, quia sicut illo nihil pretiosius, ita nihil delicatius, nihil tenerius invenitur.*

Vita fragilis. *Iob. 4. 9. Dan. 5. Iac. 4. 14.*

Hug Card. in Psal. 4. 1.

Devotio.

S Tho. Vill. Conc. 3. Dominic 17. post Pentecost. Thessal. 5. 19.

47. Joannes Orozcus faci accensæ ac inclinatæ subscripsit; VIRES INCLINATA RESUMO. Frequenter accidit, hominem, nonnihil depressum, maxima splendoris incrementa facere, & instar veteris Antæi, è suâ in terram ruina vires deperditas innovare. In hanc rem opportunissimum Apostoli consilium habe; *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Nempe, è Magni Augustini sententia, *Non vult esse de corpore capitis humilis, qui amat superbiam.* Horatius testatur.

Humilitas utilis.

1. Pet. 5. 6. S. Aug. ser. 53. de Verb. Dom.

--- Jus, Imperiumque Phraotes
Cæsaris excepit genibus minor.

48. Candela cerea, si solaribus radiis exponatur, insignem candorem induit. Unde Caroli Bovii lemma; A CALORE CANDOR. S. Ignatium Loyolam hoc Emblema spectabat, qui ardore versus Magnam Dei parentem intensissimo exæstuans, castimoniæ voto se obstrinxit. Quippe, teste Bernardo, *Castitas sine charitate, lampas est sine oleo: subtrahe oleum, lampas non ardet: tolle charitatem, castitas non placet.* Emblematis mentem his Jambis senariis interpretatur meus Concanonicus D. Salvator Carducius.

Castitas à devotion nascitur. *S. Bernard. in Epist.*

Nivalis à calore candor nascitur
Cera, jubar dum solis hanc fervens coquit.
Divino amore exæstuans Ignatius
Sic castitatis concipit voto nives.

49. Sancta Ecclesia inter gravissima persecutionum flamina maximum gloriæ suæ incrementum cepit: haud secus atque tæda accensa, à duobus ventis adversis afflata, in flammas magis copiosas excrescit. Proinde epigraphen subjunges; CONTRARIA PROSUNT. *Sint ergò tentationes, sint tribulationes,* inquit Divino spiritu S. Augustinus, *consummaris in eis, nōn consumeris.*

S. Ecclesi afflicta. *S. August.*

50. Christum, cruci affixum, candelæ accensæ, & in candelabro defixæ, similem dices; addito lemmate, UT LUCEAT OMNIBUS. Apertè in hoc argumentum S. Matthæus; *Neq; accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrū, ut luceat omnibus.* Lactantius Firmianus; *Pro Christi morte* inquit, *crux potius, quàm aliud instrumentū, est electa, ut signaret illum tam conspicuum futurum, ut cunctæ nationes ex totis orbis partibus ad ejus fidem amplexandam concurrerent.* Certè, bonus Princeps, & verus judex splendorem suum in omnes diffundant, necesse est. Isidori Pelusiotæ præceptio est, *Imperium rebus consentaneis exornes, mœstis videlicet lenitatem, minoribus ac majoribus æqualitatem impertiens; ac tam præclarum æquitatis & justitiæ ignem accende. &c.* Seneca, in Imperatoris encomio fæcundissimus, ait; *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium vocationem illius occupatio. &c.* S. Petrus Damianus in quodam hymno hanc de S. Paulo Apostolo stropham concinit;

Christus Crucifixus. *Matth. 5. 1.*

Lact. Firm. Div Instit l. 4. c. 26.

Princeps & Judex.

Isid. Pelus. l. 1. Epist 2

Senec. Con sol. ad Poly cap. 26.

S. Pet. Dam p. 3. Operu n. 74.

S. Paulu

Micantis more lampadis
Perfundit orbem radiis,
Fugat errorum tenebras,
Ut sola regnet veritas.

51. Homo, sanctitate ac doctrinâ insignis, splendorem tantò uberiorem diffundit, quò sublimiorem virtutis gradum occupat. Huic veritati significandæ candelam accensam statues, cum lemmate; SPLENDIDIOR, QUO ALTIOR. Martyrologium Romanum nobilissimâ hanc de S. Gregorio Papa mentionem facit; *Romæ, ordinatio incomparabilis viri S. Gregorii Magni in summum Pontificem, qui onus illud subire coactus, E SUBLIMIORI throno CLARIORIBUS sanctitatis radiis in orbe refulsit.*

Virtus ex cellens.

S Greg Pa Mart Rom 2. Septemb.

52. Quisquis eminentiore gradu constitutus fuerit, meminerit, se ad splendorem tantò illustriorem diffundendum obligari. Unde Providentiæ Divinæ decretum est, ut sis tantò ALTIOR, QUO SPLENDIDIOR. Prorsus quippe paradoxum est, si solis dignitatibus, non autem virtutibus supra vulgus emineas. S. Gregorius Papa illam Ezechiēlis sententiam interpretatus, *Fili hominis, speculatorem dedi te Domui Israël;* ait, *Cui aliena cura committitur, specula-*

Prælatus.

S. Greg. in Ezech. 3. 17.

speculator vocatur, ut in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. (Sacerdos.) *Non est enim speculator, qui in imo est; speculator quippe in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam.* Præclarè Salvianus; *Sacerdotes tantò antistare cæteris oportet devotione, quanto antistant omnibus dignitate. Nihil est enim turpius, quàm excellentem esse quemlibet culmine, & despicabilem utilitate.*

(Salvian. l. 2. ad Eccles. Cathol.)

(Princeps beneficus.) 53. Candela, suam lucem in res quasvis vicinas liberalissimè diffundens, à D. Saavedra inscriptum tenet; SIN PERDIDA DE SU LUZ. Id est; SINE LUCIS JACTURA. Innuebat videlicet, Principi è beneficiis, in subditos erogatis, nihil detrimenti accrescere. *Solus enim beneficentiæ thesaurus,* Agapyto asserente, *stabilis est possidentibus eum: bonarum enim actionum meritum ad auctores retorquetur.* Ita Deus, creaturas omnes è nihilo in imaginem excellentissimam efformans, nec minimam infinitæ perfectionis suæ jacturam sustinet. S. Joannes Chrysost. *Quemadmodum lux, quantumvis hominum multitudinem illuminaret, nihil splendoris remitteret: itidem Deus, & antequam mundum condidit, & postquam conderet, idem perfectus atque integer permanet, nihil tanto atque admirabili opificio minor, nihil imbecillior.* Quin; quò plura beneficia ex infinita illa bonitatis abysso in alios derivantur, eò locupletior ac magis inexhausta efficitur. S. Isidorus opportunè interrogans, cur plurima Sacræ Paginæ loca Deum cognominet ignem? respondet, *Deus ignis dicitur, existimo, quod propter abundantias atque divitias, quandoquidem unus ignis mille lampades ACCENDIT, NEC MINUITUR, sed alias iterum totidem, imò plures accendere valeat.* Porrò Vir litteratus, aliis erudiendis navans operam, nihil è suâ doctrina deperdit. Philonis judicio; *Quemadmodum fax, etiamsi lucernas multas accenderit, semper manet ejusdem magnitudinis, & nequaquam, ne tantillo quidem diminuitur, licet docendi ratione in multos transfundatur.* Cùm Ruricius Sidonii, amici sui, scripta & doctrinas imitaretur, Sidonius id audiens, adeò non est conquestus, ut hilari voce dixerit, *Neque enim quod tuo accessit usui, decessit hoc nostræ proprietati, aut ad incrementa scientiæ vestræ per decrementa venistis alienæ. Quin potius ipse jure abhinc uberi præconio non carebis, qui magis igneo ingenio naturam decenter ignis imitatus es, de quo si quid detrahere velis, remanet totus quò transfertur.* Guido Casonus eandem iconem sanis consiliis applicans, canit;

(Agap. Epist. Paranet.) (Deus beneficus. S. Io. Chrys. Hom. 4. in Joan.) (S. Isid. l. 4. Epist. 16.) (Magister. Philo lib. de Giganth.) (Sidon l. 4. Ep.) (Consilium.) (Cason. Emb. Polit. 4.)

Il buon consiglio è un fortunato dono,
Che dato non si perde; e ricevuto
Prende vigor. Così non manca il foco,
Ancorche in lui sian mille lumi accesi.
Cos'la luce, che è dal sol diffusa.
COMMUNICATA ALTRUI, GIA MAI
NON SCEMA.

(Amor perseverans.) 54. Amori, ad mortem usque constanti, Emblematis loco candelam accensam tribues, hoc lemmate distinctam; CONSUMATA SARO' PRIMA CHE SPENTA. Id est; DEFICIAM, ANTEQUAM EXTINGUAR. S. Pauli Apostoli anima tanto exæstuavit charitatis ardore, ut ad omnes mundi calamitates tolerandas paratam se offerret; quippe à quibus nonnullam quidem transitorii corporis sui jacturam sustinere posset; at charitatem, in præcordiis accensam, semper vivacem & inextinctam conservaret. *Certus sum, quia neque mors, neque vita; neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Eodem ore Magnus Augustinus; *Sæviat quantùm potest inimicus, non me separat à Deo.* Eodem Emblemate hominem lascivum significare licet, cui decretum est, potius viribus omnibus, ipsaque adeò vitâ, quàm libidinis incendio destitui.

(Rom. 8. 38.) (S. August. in Psal. 137.) (Lascivus.)

55. S. Ignatius Loyola, è mundi fastu subductus, ut reliquam vitam inter pœnitentiæ rigores prodigiosam transigere posset, Montisserati fastigium conscendit; haud secus atque Lumen è supremâ turri accendi solet, cum epigrammate; UT LATIUS ILLUSTRET. Appositè nimirùm ad illud Evangelii dictum; *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus.* Ab hac idea nihil alienus S. Joannes Chrysostomus, ait; *Sacerdotalis animi pulchritudinem undique splendescere opertet, ut oblectare pariter & illustrare possit eorum animos, qui suos in illum oculos injiciunt.*

(S. Ignatius Loyola.) (Matth. 5. 15.) (Sacerdos. S. Chrysost. lib. 3 de Sacerdotio.)

56. In Philipponorum Pistoriensium Academia Symboli loco candela extincta cernitur, quæ ab adversantis venti afflatu reviviscens, epigraphen sustinet; EX VI RENASCOR. Vel ut D. Carolo Bosso placet; REDIVIVIT AB HOSTE. Eorum hoc symbolum est, qui hostium malevolentiâ jactati, clariores evadunt, & persecutionum arma in gloriæ suæ instrumenta, metamorphosi auspicatissimâ, convertunt. *Etenim frequenter fit,* inquit Joannes Silveira, *quod, dum inimici in opera nostra invehuntur, inde magis clarescant & extollantur: & quò magis nostra facta suo vituperio obscurè appetunt, eò illa illustriora & gloriosiora reddunt.* Hoc ipso argumento S. Gregorius Papa amicorum suorum quempiam solatus, dicebat; *Ignis flatu premitur, ut crescat.*

(Calamitas utilis.) (Io. Silveir. lib. 5. in Evang. cap. 1. Quæst. 21. num 145.) (S. Greg lib. 6 Epist. 27.)

57. Homo, ad gloriæ splendorem aucupandum, suis studiis nimium quantum affixus, & ob legendi assiduitatem proprias vires extenuans, Carolo Rancato authore, candelam accensam imitatur, quæ ab eodem igne & illustrari, & consumi solet. Unde lemma; LUCE PERIT SUA. Verissimè adeò dixit S. Gregorius Papa; *Amant perversi homines pro hujus mundi gloria tribulationes, cunctisque pro eâ sudoribus libenter serviunt, & gravium laborum jugo devotissimè colla submittunt.* Porrò quemvis ambitiosum hi characteres describunt, qui loco illustriore collocandus, facultates suas omnes in aulis profundit, & tandem ad incitas redigitur. His non absimiles sunt, qui militaris gloriæ desiderio stimulati, per iniquam sortem & vitâ & victoriâ excidunt. In horum numero jure recenseas famosum Belliducem Judam Machabæum; cùm enim contra viginti millia peditum, & duo millia equitum exiguam octingentorum militum catervam educeret, nec è communi omnium consilio aliud vitæ conservandæ remedium nisi è fuga superesset, ille tamen ne gloriæ suæ vel minimam labeculam aspergeret, classicum canere, ac pugnam ordiri voluit, donec generosâ morte extinctus sit; uti Machabæorum Historia prolixè memorat.

(Litteratus.) (S. Greg in Moralibus.) (Ambitiosus.) (Miles.) (Mach lib. 1. cap. 9.)

58. Ab extinctæ candelæ ellychnio ingratus fœtor, ac densus fumus evaporat. Unde lemma; CUM FUMO FOETOREM. Homo tam superbus, quàm lascivus, omnium nauseam adversum se provocant. Antiochus fumum superbiæ adeò crassum exhalabat, ut Deo æqualem se jactaret: at simul mephiti adeò horrendâ fætebat, ut circumstantium naribus esset intolerabilis. *Qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, ut odore etiam illius, & fœtore exercitus gravaretur.* Compendio Magnus Augustinus dixit; *Superbiæ vitio nihil est immanius.*

(Superbus & lascivus.) (2. Mac. 9. 7. &c.) (S. Aug. l. 2. cont Acad. cap. 8.)

59. Can-

Incipere benignè, & malè finire.

59. Candela extincta ac fumigans à D. Jo. Baptista Mazzoleno epigraphen recepit; POST LUCEM PUTOR. vel ipsius candelæ ore, POST LUCEM PUTEO. Illum hoc Emblemate significabis, qui in obeundi muneris sui principio aliquam quidem virtutis ac gloriæ lucem sparsit; tandem verò miserè contaminatus, in turpissimum & abominandum fœtorem desiit. Lucifer vitæ suæ rationem inter cœlestes radios exorsus, paulò post in sulphuris tartarei putorem degeneravit. Judas, Collegio Apostolico associatus, in illius encomii partem venerat, *Vos estis lux mundi*. At tandem *crepuit medius*, & Palæstinæ campos infami suo fœtore contaminavit. Sic nimirùm, Seneca teste, *Turpe est, cedere oneri, & luctari cum officio, quod semel cœpisti.*

Matth. 5. 14. Act. 1. 18. Senec. Ep. 1.

70. Quibusdam ad candelam extinguendam emunctorii loco ipsummet deservit candelabrum, quo ea paulò ante sustentabatur; dum nimirùm candelam intra cadelabri superiorem cavitatem suffocant. Unde lemma; CHI MI DIEDE IL SOSTEGNO, ECCO M'ESTINGUE. seu, si mavelis, extinctam candelam gemino hoc verbo æquivoco afficies; SUSTULIT, ET SUSTULIT. quirum primum *suferre*, alterum *tollere* seu auferre significat; juxta celebre illud distichon:

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit *hic Matrem*, sustulit *ille Patrem.*

Minister Principis.

Regium ministrum, paulò ante à Principe elevatum, postea verò occisum, hæc imago spectat. Ita Aman ab Assuero ad primos regni honores evectus, tandem è patibulo infamis pependit. Verissimè Magnus Augustinus; *Inanis gloria hujus sæculi fallax est suavitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas: Initium sine providentia, finis cum pœnitentia.* Emblematis mentem hoc epigrammate explicat Carducius;

S. August. in Psal. 149.

Quod candelabrum flammantem sustulit ignem,
Ardentem pariter sustulit ecce facem.
Gloria Seiano sic unde refulsit in aula,
Nox probrosa simul prodiit inde necis.

Suffragia pro defunctis.

61. P. Henr. Engelgrave candelam ardentem, dum extinctis aliis lucem impertitur, hoc Lemmate exornavit; FESTINA EXTINCTOS REDDERE LUCI. Nimirum sanctam illorum charitatem innuit, qui animabus in purgatorio, ad cœlestis gloriæ lucem promovendis, opportuna & assidua suffragia ferunt. In hanc rem accommodatè Salomon; *Festina, suscita amicum tuum.* Et S. Joan. Chrysost. *Defleamus defunctos, juvemus eos pro viribus, procuremus eis aliquid auxilii. Quomodo, quâve ratione? Precantes adhortemur & alios, ut pro illis orent, pauperibusque indesinenter pro illis eleemosynas demus.*

Prov. 6. 3. S. Chrysost. in morali, Hom. 3. Epist. ad Philipp. c. 1.

Superbus scientificus.

62. P. Bartholomæus Pancerus, Augustinianus Excalceatus, candelam accensam hoc lemmate sistit loquentem; LA MIA LUCE MI STRUGGE. Id est; PROPRIA ME DESTRUO LUCE. Ita hominis superbi scientia, tametsi sub mundi oculis nonnihil scintillet, denique tamen obscura corruet, & charitatis splendore destituta excæcabitur. De hac mortalium sorte dilucidè pronuntiat Apostolus: *EVANUERUNT in cogitationibus suis, & OBSCURATUM EST insipiens COR eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Beda S. Augustini vestigiis nixus, in hunc locum ait; *Quod curiositate invenerunt, superbiâ perdiderunt. &c.*

Rom. 1. 21. Beda in hunc loc.

63. Candela, dum suum noctu in conclave immittit lumen, omnia illustrat, & splendentia reddit, quæ ad ornatum peristromata stragulaque, auro intexta, parietes vestiunt. Eâ autem absente, quamquam pretiosissimo auro atque argento omnia obducta sint, in caligine omnis splendor jacet, nec cognosci potest decus, quod ad loci hujus ornamentum pertinet. Unde candelam, in conclavi ardentem, hoc epigrammate insignivit Serenissimus Philotheus; DUM SPLENDET, ET OMNIA SPLENDENT. Haud aliter ubi gratia Divina nobis affulget, omnia in actionibus nostris splendent, & decus nobis lætitiamque ex illa benignitate communicant. Sed ubi dignissimum nobis aufert sui auxilii vultum, tum veluti nocte & tenebris sepulti, nullam magis cognoscimus jucundis in rebus inesse dulcedinem, inquietoque dolore anxii, agnoscimus præsentiam Divini Numinis unicum vitæ nostræ esse solatium, sine quo nihil nobis amænum, sed cuncta videntur mortua, quæ alias maximo prosecuti fuimus amore. Unde Theologorum Apex Augustinus; *Ad Deum securus perveniam, si in finem usque sua gratia non deserat.* In rem præsentem canit Symbolographus,

Gratia Dei.

S. Aug. ser. 40. de Tem.

Nos tenebræ sumus, & piceâ caligine tecti;
Undique & ex nobis gratia nulla micat.
Sed mihi dũ splendet tua lux, Deus, omnia splendẽt:
Hinc lux grata mihi, vitaque grata venit.

Labor inutilis.

64. Candela, intempestivo lucens die, inutili servitio consumitur; ubi verò extinguitur, ut ad meliores usus conservetur, incolumis manet, docet justo incensa tempore, caligantibus succurrat, & majori pereat commodo. Unde Serenissimus Philotheus candelam pinxit, quæ clarâ die ardens, per vicinam manum emunctorio extinguitur; cum lemmate, NE CONSUMATUR. Ita omne ingenium judiciumque nostrum conservari debent, ut non in otio & voluptate vitiosa terantur, aut immaturo intempestivoque usu conficiantur. At ubi Deo placuerit, Divinaque gloria exegerit ut fulgeas, ut splendeas, tum demum exerendus est ingenii vigor, intendendum animi robur, ut cum justa laude & gloria vitam extendas. Chrysostomus illud Matthæi explicans; *Qui unum talentum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui*; ait, *Abscondere talentum in terra est, acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, & non lucrum spirituale accipere.* In rem præsentem canit Emblematis Author;

Ingeniũ

Matth. 25. S. Chrysost. Hom. in hunc loc.

Sæpè Deus non vult, ut lux tua splendeat illo
Tempore, sed radios subtrahit ille tuos.
Ille scit optatam, quâ lux tua splendeat, horam,
Commodior cœptis quæque futura tuis.
Fide Deo, dabit ille tibi, si tempus, honorem;
Si non hoc, alio tempore magnus eris.
Quidquid agis, Deus alme, placet, non obloquor astris,
Sed quâcunque venis luce, paratus ero.

Human. imbecillitas.

65. Candelæ lumen, soli obversum, haud lucet, sed vix parva ejus cernitur flammula, quæ umbram, grandiorem de se, quàm luminis claritatem spargit. Unde candelæ lumen adverso sereno sole ardens, epigraphen sustinet; QUID ILLUD IN ILLO. Homines, dum suam cum Deo comparare nituntur virtutem, videbunt umbram parvitatis suæ adhuc magis extendi: nam Divinæ præsentiæ Sol, ubi illustribus suis radiis hæc inferiora tangit, omnem aufert obscuritatem, clandestinamque mentis nostræ detegit superbiam, quæ per insolentem obstinationem animata, suo ea exequi conatur judicio, quæ longè suprà potestatem Deus posuit. S. P. Augustinus; *Hæc est tota scientia magna hominis, scire quia ipse per se nihil est; & quoniam quidquid est, à Deo est, & propter Deum est.* Accommodatè Serenissimus Philotheus canit;

S. Aug. in Psal. 70.

Aspice

Aspice inexhaustum fœcundo lumine Phœbum,
Et clarum toto grandius orbe jubar.
Aspice & exili flagrantem lumine tædam,
Exiguâ radios spargere luce suos.
Quàm levis hæc Phœbo fulgente est flamma? quis ausit,
Sol, lucem hanc radiis æquiparare tuis?
Tu Deus, es toti sol unus & unicus orbi:
Nos scintilla levis, cœlitus orta, sumus.

66. Candela in conclavi, multis spiculis decorato, lucens, singulis illis splendorem affundit, & suo ex lumine micantia reddit. Emblemati subscripsit Serenissimus Philotheus; UNIUS AB LUCE. Ita pietas omnibus virtutibus suam communicat excellentiam, ut insigniori emicent splendore, hujus gavisæ ope. Nam sine hac nullum amplius constantia habet nomen, sed brevi in stultam audaciam, aut contumaciam degenerat, amicitia vel in odium internecinum, vel in vesanum convertetur amorem: liberalitas sive ad prodigalitatem, sive ad pudendam avaritiam descendet: Justitia aut nimiâ corrumpetur indulgentiâ, aut multâ severitate exosam se reddit. &c. Rectè S. Petrus Chrysologus; *Penes Deum nec pietas sine justitia est, neque sine pietate justitia: nec sine pietate cœlesti sensus habetur. Æquitas sine bonitate sævitia est, & justitia sine pietate crudelitas est.* Emblematis sui & Author & Interpres canit Philotheus;

[margin: ...etas. | ...tr. Chrys. ...m. 145. de ...n. Christi.]

Inconcussa meum celebret constantia nomen,
Et laudet leges Æacus ipse meas,
Nulla tamen vero virtus se toll t honore,
Ni nostrum pietas fulciat una decus.

67. Candelæ splendentis lux nunquam ita potest, obducto panno velari, quin suos transmittat, conservetque radios. Emblemati hanc subjunxit epigraphen Serenissimus Philotheus; ET OBDUCTA LUCET. Ita veritatis splendor transit nubem illam, quam impietas illi obvolvit. Veritas enim, clarissimo comparanda lumini, nunquam extinguitur: perpetua ipsius lux est, quæ nullo obduci potest tegumento, solem serenitate antecedens. Disertè Magnus Augustinus: *Veritatis & sapientiæ pulchritudo nec multitudine audientium constipata excludit venientes, nec peragitur tempore, nec mitigatur locis, nec nocte interrumpitur, nec umbrâ intercluditur, nec sensibus corporis subjacet.* Rursum canit idem sapientissimus Philotheus;

[margin: ...eritas. | Aug. l. de ... arb.]

Undique prætenso candela tapete refulget,
Et spargit radios ad latus omne suos.
Si te posse putas omnem præcludere lucem,
Desipis, illa suum mittit ubique jubar.
Non poterit penitus tolli lux aurea Veri,
Tecta suum spargit semper in castra decus.
Si tegitur, premiturq; diu, tamen illa resurgit,
Et tandem è nigra nocte sepulta redit.

68. Candelæ ardenti subscripsit Catsius; SI NIMIS EMUNGAS, EXTINGUITUR. Nempe si vires nimiâ curâ, studio labore, vel amore enerves, obruuntur. S Gregorius Papa; *Cessationem Dominus à mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet, & tamen vesana iniquorum mens plus se assequi aspera carnaliter, quàm tenere blanda spiritualiter gaudet: plus acerbitate fatigationis, quàm quiete dulcedinis pascitur.*

[margin: ...bor nimius. | Greg. in ...ral.]

CANDELA SUB VITRO.

69. QUantumvis conjurato impetu adversus candelam irruant venti, eam tamen vitro coopertam extinguere aut præcipitare nec quidquam possunt. Ut adeò candela, sub vitri propugnaculo posita, hanc è Salomone gnomam opportunissimam gerat; NON EXTINGUETUR. Ita omninò virtutis splendor ab homine justo diffusus, inter omnes calamitatum procellas intactus persistit. Opportunè S. Ambrosius; *Qui cum gravissimo licet dolore luctetur, non se miserabilem præbet, sed ostendit tanquam in laterna lumen, etiam inter asperas procellas & gravissimos flatus suam lucere, NEC EXTINGVI posse animi VIRTVTEM.* Certè Religiosus, intra Cœnobii sui mœnia assiduus, spiritualem virtutum splendorem, tametsi mundo ac tartaro infremente, illibatum traducit; atque adeò *Non extinguetur.*

[margin: Prov. 31. 18. | Justus afflictus. | S. Ambr. l. 1. de Iacob. c. 8. | Religiosus solitarius.]

70. Candela, vitro munita, nullas splendori suo tempestates aut cœli injurias metuit. Unde lemma; TUTA PATET. Ita virtutis ac meritorum splendor de mortuis sine periculo divulgari potest; quippe quod nullo amplius superbiæ afflatu infestandi, suomet sepulchrali marmore, vel, ut Ægyptiis consuetum erat, vitreâ suâ tumbâ protegantur. Præclarè de S Eusebio dixit S. Maximus; *Lauda post vitam, magnifica post consummationem. Duplici enim ex causa utilius est hominum magis memoriæ laudem dare, quàm vitæ, ut illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tenet elatio.*

[margin: Virtus in mortuo laudanda. | S. Max in Hom. 59.]

71. Candelam accensam, ac vitro coopertam, hoc lemmate afficies; ET LATET, ET LUCET. Verbis è Martiali desumptis, ubi de formica, intra ambaram congelatâ, canit;

ET LATET, ET LUCET phaetontide condita gutta.

S. Joannem Baptistam hoc Emblema concernit, qui inter sylvarum horrores, ac obscuras eremi cavernas victitans, amplissimum sanctimoniæ lumen, totâ obstupescente Palæstinâ, diffudit. De hoc Thomas Stapletonus; *Quemadmodum candela accensa, etiam in carcere conclusa, per rimulas tamen lumen emittit, sic Joannes, qui erat lucerna ardens & lucens, charitatis suæ ardorem foras emisit.* Porrò quivis bonus Religiosus, aut modesta Virgo, quo majore studio in solitudine sua delitescunt, tantò humanis oculis se præbent clariores.

[margin: S. Joan. Bapt. | Thom. Stapl. Dom. 2. Adn. | Religiosus. Virgo.]

72. Tametsi ventorum agmina adversus candelam accensam tumultuentur, illa tamen vitro suo, ceu vallo munita, incolumis ac tranquilla persistit. Unde illam hoc epigrammate spectandam proposui; SUB TEGMINE TUTA. Virtus, modestiæ velo cautè ac sedulò custodita, omnes hostium insidias quieta ridet. Optimum S. Ambrosii consilium est; *Nemo ergò hic fulgere quærat, nemo sibi arroget, nemo se jactet. Nolebat se Christus hic cognosci, nolebat prædicari in Evangelio nomen suum, cum in terris versaretur: venit, ut lateret sæculum hoc. Ergò nos simili modo abscondamus vitam nostram Christi exemplo, fugiamus jactantiam, prædicari non expectemus.*

[margin: Virtus abscondita. | S. Ambros. lib. 3. Offic. cap. 5.]

73. Candelæ accensæ, ac vitro coopertæ, inscripsi; TEGMINE CLARIOR. Dicere volebam; sicuti candela vitreo sub tegmine longè est splendidior, ita hominem sanctum, ad terrenam dignitatem sublevatum, proprio suo lumine potius, quàm exterâ illâ dignitate relucere. Vel certè, sicuti candela accensa, vitro cooperta, magis resplendet, quàm si operculo illo careat, ita personam Religiosam, in claustro suo delitescentem; æstimatione ac gloriâ longè majore haberi, quàm per mundi oculos liberè divagari solitam. *Opus absconditum, luce nitet splendidius,* inquit luculento testimonio S. Nilus.

[margin: Meritum proprium. | Religiosus solitarius. | S. Nil. Orat. 7. de inani gloria.]

74. Vi-

Virtus præservata à vana gloria.

74. Vitreum operculum candelam accensam AB AURA, NON A VISU tutatur. Tametsi enim aëris injurias prohibeat, splendores tamen transfusos à circumstantibus videri nihil impedit. Ita omninò sanctimoniæ ac virtutum nostrarum candela omnem emendicatam plausûs humani auram procul amovere, & simul amplissimum optimi exempli splendorem in alios diffundere debet. S. Bonaventura illam S. Lucæ præceptionem interpretatus, *Et lucernæ ardentes in manibus vestris*, ait; *Lucerna ardens abscondit lumen à vento, sed non à visu*; *sic bona opera comparantur lucernæ. Quia sic debet opus esse in publico, quatenus intentio maneat in occulto; sic velit homo aliis dare exemplum virtutis, ut tamen non quærat minimum transitorii favoris.*

S. Bonav. in Luc. 12. 35.

CRIBRVM POLLINARIVM.

Caput VII.

75. ACademia Furfuracea Symboli universalis loco cribrum præfert, cum lemmate; IL PIU BEL FIOR NE COGLIE. Id est; PURIORA LEGIT. Studiosis consuetum esto, documenta è libris nobiliora, & notatu magis digna seligere. S. Gregorius Papa Magni Augustini volumina farinæ florem, sua verò furfurem cognominavit. Unde ab Innocentio, Africæ Præfecto, rogatus, ut operum suorum copiam exhiberet, respondit; *Si delitioso cupitis pabulo saginari, B. Augustini opuscula legite; & ad comparationem similaginis, nostrum furfurem non quæretis.* Eodem Emblemate hominem, meritis illustrem, ac vitâ suâ gloriosissimè defunctum exornabis; verissimum enim Justi Lipsii effatum est; *Deus ille optimus, optima ferè ad se trahit.* Id quod jam in ipso mundi exordio compertum erat, quando Divina fata non quidem Adamum & Evam, labis originariæ reos; nec invidum ac flagitiosum Cainum; sed Abelem, virginitatis, sanctimoniæ, & religionis flore insignem, rapuêre.

Studiosus. In morte. *Iust. Lip. Centur. Miscel Ep. 29*

76. Farinæ flos è cribro agitato decidit, furfure, cæteroque ignobiliore purgamento in locum superiorem reservato. Unde lemma; SINCERA SUBSIDIT. Verbis è Virgilio mutuatis;

Virgil. in Moreto.

> *Subsidit sincera, foraminibusque liquatur*
> *Emendata Ceres.*

Certè anima, quò majore puritatis & sanctimoniæ pretio dotata, tantò demissiore loco vel se ipsam collocat, vel malevolorum odio deprimitur. Chrysostomi dictum est; *Sancti, si quando quopiam cumulatiore potiuntur honore, tunc demissius se dejiciunt.*

Virtus cum humilitate. *S. Chrysost. in Isa. 6.*

77. Tanta cribri agitati versus homines est beneficentia, ut farinæ florem ac similaginem in illorum usum per setas suas liberalissimè dispergat, solis fæcibus, furfure, cæterisque crassioribus purgamentis sibi reservatis. Unde D. Carolus Bossus cribro agitato, ac siliginem depluenti, subscripsit; MIHI DETERIUS. Prædicatorem illum hâc cribri icone intellexeris, qui documenta nobilissima ac saluberrima in suos Auditores dispensat; ipsomet interea flagitiorum furfurem cum porcis glutiente. Huic acerbè improperans Apostolus, ait; *Qui ergò alium doces, te ipsum non doces?* Eidem justè indignatus S. Bernardus, *Monstrosa res*, inquit, *linqua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis.* Et S. Gregorius Papa *Nullum autem puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui peccata compescere debuimus. &c.*

Prædicator vitiosus. *Rom. 2. 21. S. Bern. de Consid. ad Eugen. l. 2. S. Gregor. Hom. 17. in Luc.*

78. Quo angustius fuerit cribri reticulum, tantò farinam ejectat nobiliorem ac puriorem. Unde cribrum, à geminis manibus agitatum, epigraphen ostentat; PER ANGUSTOS MELIOR MEATUS. Ita hominis justi anima, quò gravioribus calamitatum & morborum angustiis in his terris examinata, tantò cœlis illabitur candidior. Salvianus, sororem suam Catturam ægrè decumbentem solatus. *Gaude*, inquiebat, *alumna Christi, semper quidem simplicis, & quietæ, sed nunc MAGIS DEFÆCATÆ tuæ mentis, & liberæ ostium aperiri, quantò imbecillior corpore, tantò purior sensu vincentibus carnem tuam morbis, mente vicisti.* Cæterùm etiam doctrina candorem tantò meliorem sortitur, quantò in publicis exercitationibus magit fuerit exagitata & discussa.

Just. afflicti. *Salv. ad Soror.* Doctina impugnata.

CRVMENA.

Cap. VIII.

89. CRumena, pecuniis turgida, authore Abbate Ferro epigraphen sustinet; RETINET AD USUM. Ita homo prudens suas divitias non quidem idoli loco habet, ac veluti immutabiles adorat, sed eas, tempore ac loco opportuno in utilitatem sive temporalem sive spiritualem erogandas, asservat. Magno Augustino teste, *Illius est aurum & argentum, qui novit uti auro & argento: nam quod justè non tractat, justè non tenet.* Et S. Joannes Chrysostomus; *Omnes usum divitiarum habemus, Dominium verò nullus; etsi quod dominium haberi potest, illi planè habent, qui & usum earum contempserint, & fruitionem deriserint.*

Dives prudens. *S. Aug. 50 Homil. hom. 7. post initium. S. Chrysost. Tom. 5. Orat. de divitiis & paupert.*

80. Miles quidam Valentianus, cùm recentem suam sponsam virginitatis flore exutam repperisset, Emblematis loco crumenam pinxit, pecuniis vacuam, & hoc lemmate loquentem; NON TENGO FLORINES. Id est; FLORENIS CAREO. Francisci Petrarchæ parænesis est; *Pulchra, dum limen subit, subire debet animum illud Satyrici: rara est adeo concordia formæ atq; pudicitiæ.* Et paulò post crebras injurias, maritis à conjugum fragilitate inferri solitas, expendens, *Usitatus dolor*, inquit, *vetus injuria, nec minus crebra. Vix crebrior conjugii, quàm adulterii usus est. &c.* Et ut Vestales, aliasque, longo numero à Petrarcha adductas, taceam: intuere obsecro, Semiramidem, Helenam, Pasiphaen, ac cætera adulteræ Veneris mancipia, in Historiis passim obvia. Porrò hypocrisis & vana gloria huic Emblemati plurimùm affines sunt; quippe quæ, instar vacuæ crumenæ, internis virtutum ac meritorum opibus destitutæ, exteriorem tantùm illarum faciem ostentant. Appositè S. Nilus; *Ut pertusa crumena aurum custodire non potest, ita nec inanis gloria virtutis thesaurum.* Argumento non multùm dissimili S. Isidorus Pelusiota de afflicta Ecclesia Orthodoxa loquitur, quod solo nomine tranquilla, internis dissidiis acerrimè laceretur. *Pacis quidem nomen ubiq; est, res autem ipsa nusquam; verùm Ecclesia fœminæ cuidam, quæ non ex antiqua felicitate excidit, ac signa tantùm habet, similis est: ornamentorum enim suorum THECAS & arculas HABET, OPIBUS autem SPOLIATA est.*

Mulier defloata. *Petrarcha lib. 2. Remed. ...* Hypocrisis. Vana gloria. *S. Nil. ... de inani gloria.* Pax apparens. *S. Isidorus Epist. 4 ...*

81. Sacculus, fomiti ac chalybi asservando destinatus, dum ab excitato igne consumitur, epigraphen tenet; HEU EX ME PRODIT. Idipsum de

Proprii mali author. *S. Chrysost. in Ps. 130.* de se pronuntiet, quisquis proprii sui mali author est. S. Joan. Chrysostomus; *Incendere vis aliquid aliud; illud, quod admoves, prius ardeat, nisi ardeat, non incendit: facula est, hanc faculam apponis, prior ardet, ut aliquid possit incendere? Malitia autem procedit ex te, & quem prius vastat, nisi te?*

CULTER. NOVACVLA.

Cap. IX.

Calamitas utilis. 82. CUlter, supra cotem rotariam exacuendus, gnomam subjunctam habet; ACUOR IMMOTUS. Illum hæc idea consimilem habet, qui è calamitatibus sibi irrogatis emendatur quidem, nullas tamen unquam in animo turbas aut motus sentit: ut adeò jure de se ipso canat;

Contra di me si rota
Fortuna empia, e severa,
E le mie glorie discemar procura,
Ma in van stride, e s' indura
La dispettosa, e fiera.
Che l' alma mia, intrepida, ed immota,
Quasi coltel, metr' ella più imperversa,
Sù la cote, divien più acuta, e tersa.

S. Pet. Chrys. in Epist. In rem nostram dixit S. Petrus Chrysologus; *Omnis cordis aut corporis afflictio citra meritum & fructum salutis est, sine patientiæ condimento.*

Martyriū. 83. Culter, pomo decorticando intentus, epigraphen sustinet; EXUIT EXUVIIS. Ita omninò calamitatum & Martyrii acies hominem quidem corporis sui exuviis spoliat, at simul, spectaculo Divinis oculis gratissimo, omnem ab illo vitiorum ferruginem exterit. In hoc argumentum S. Ambrosius; *S. Ambr. l. 10. c. 22. Luc.* *Est gladius passionis, ut exuas corpus, & immolatæ carnis exuviis ematur tibi sacri corona martyrii.*

Verbum Dei. 84. Culter lemmatis loco opportunè dixerit, SPLENDOREM, ET ACIEM. Ita Verbum Divinum, genuino sensu explicatum, per orbem universum resplendet, suoque acumine obstinata hominum pectora penetrat. Petrus Bercorius, illam Apostoli sententiam interpretatus, *Gladium salutis accipe, quod est Verbum Dei*; ait, *Sicut enim gladius habet SPLENDOREM ET ACUTIEM, sic Verbum Dei debet esse splendens & clarum per planam interpretationem, quandoque pungens & acutum per duram & asperam correctionem. Unde Ezech. 21. Gladius exacutus est & limatus: Ut cadat victimas exacutus est; ut splendeat, limatus est.* *Ephes. 6. Pet. Bercor. Dictionar. tit. Gladius.*

Verbum Dei. 85. Cultro geminum hoc verbum congruit; SECAT, ET SEPARAT. Verbum Divinum, hâc imagine, ceu ectypo expressum, vitia rescindit, & virtutes ab eorum illuvie separat. Hugo Cardinalis in illud Psalmi. *Accingere gladio tuo super femur tuum*, ait, *Gladius dicitur sermo Divinus, de quo Matth. 10. 34. Non veni pacem mittere, sed gladium. Et dicitur sermo Divinus gladius, quia RESECAT vitia, ET SEPARAT malum à bono.* *Hug. Card. Ps. 44.*

Auxilium mutuum. 86. D. Aresius mutuum quorundam auxilium demonstraturus, duos cultros figuravit, qui mutuo attritu lævigati, hanc D. Pauli gnomam instar lemmatis prætulêre. ALTER ALTERIUS. vel ut aliis placet; ACUIMUS, ACUIMUR. *Sicut enim ferrum aliud ferrum reddit acutum, sic* interprete Chrysostomo, *etiam cætus charitatis facit augmentū. Lapis ad lapidem contritus ignem emittit; quantò magis anima, animæ commixta?* Dilucidè Salomon; *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.* Id est, interprete Vatablo, *Ensis ensem acuit; ita vir exacuit iram amici sui.* S. Gregorius Nazianzenus de maximâ suâ cum S. Basilio consuetudine differens ait; *Vitam actionesque omnes nostras dirigebamus, tum Divini præcepti ductum sequentes, tum alter alteri virtutis studium exacuentes: atque (nisi hoc arrogantiam dicere videar) uterque alteri norma & amussis eramus, quâ rectum à pravo discernitur.* *Chrysost. hom. 29. in Epist. ad Hebr. c. 10. Prov. 27. 17.* *S. Greg. Naz. Orat. 20.*

NOVACULA.

Detractor 87. NOvaculæ inscripsi; E FREGIA, E SFREGIA. Id est, ORNAT, ET ULCERAT. Detractoris indoles est, sub laudum involucro vituperia suggerere. Linguam hanc sceleratam acerbè exagitans Propheta Regius, ait; *Sicut novacula acuta fecisti dolum.* *Psal. 51. 4.* Hujus loci interpretem prolixum, & in rem nostram opportunum se offert S. Hilarius, *S. Hilar. in hunc loc.* quò benignum meum Lectorem remissum volo. Porrò Emblemate isto Proditorem delineabis, qui Proditor. favores ac benevolentiam ementitus, perniciem extremam creat. S. Ambrosius; *Nequitia arguit proditorem, eò quòd instrumentum hujusmodi* (novacula) *S. Ambr. l. 3. Offic. c. 11.* *ad hominis adhibetur ornatum, & plerumque ulcerat. Si quis igitur prætendat gratiam, & dolum nectat, instrumenti hujus comparatione censetur.*

88. Novacula luxuriantes ac vitiosas vultûs humani comas abradit, & pristinum ei decorem restituit. Unde lemma; DETRAHIT, ET DECORAT. Ita morbi & calamitates suam quidem pectori humano quietem, ac membris sanitatem detrahunt; at prudenti tolerantiâ exceptæ, maximum animæ ornamentum conferre solent. Testes in hanc rem luculentos advoco S. Joannem Baptistam, S. Jacobum Apostolum, & S. Paulum, quibus carnificum gladii ac secures longè minus detrimenti è præciso capite, quàm ornamenti è Martyrio ac æternâ gloriâ generârunt. Magno Augustino teste, *Martyrum corpora habebunt magna ornamenta, in quibus passi sunt magna tormenta.* In hanc rem mei Carducii poësis est; Calamitas. Martyriū. *S. Aug. serm. 117. de Divers. in fin.*

Detrahit, & decorat, dum membra novacula radit.
Christiades ornat sic Nero cæde furens.

89. Inter cæteram Emblematum congeriem à D. Carolo Bosso compositam ac collectam, novacula cernitur, quæ supra cotem rotariam lævigata, epigraphen Hispanam præfert, MAS GANO. Id est, MAGIS ACQUIRIT. Henricum IV. Galliæ Regem hoc Emblema tum temporis spectabat, quando Rex Navarræ, universam Galliam in suam potestatem redacturus, rupto fœdere, injusta arma contra Henricum movit: Mens autem Emblematis erat Principem illum invictissimum, fortunâ quidem imbecillem, at viribus ditissimum, suas suorumque facultates omnes, in bello deperditas nihili æstimare, modò gloriosam summi Belliducis famam, & debitam regni tranquillitatem referret. Sicuti enim novacula supra cotem imminuta, desideratam aciem & illustrem nitorem, tametsi non sine aliqua ferri jacturâ, sortitur; ita Henricus post tolerata gravissima discrimina, tandem adversis hostium viribus nervos omnes incidit, & illustrissimas Provincias suis subjecit imperiis. Cæterum etiam Justorum animæ, durissimis calamitatibus attritæ, nihil unquam damni, sed contrà plurimum splendoris & commodi referunt. S. Joannes Chrysostomus; *Animæ, quæ periculis, laboribus & ærumnis Dei causâ sunt expositæ, atque in ipsis enutritæ; ferro ipso, vel adamante solidiores fiunt ac generosiores, & ex eo, quòd assiduè vexentur, inexpugnabiles adversariis redduntur, & invictum quendam patientiæ ac fortitudinis habitum acquirunt.* Calamitas utilis. *S. Io. Chrys. serm. 14 de Divers. novi testam. locis.*

90. Novacula in cote epigraphen à P. Masenio tulit: OBTUNDIT, ET ACUIT. Idipsum scientia assolet, quæ multos simul & erudit, & superbiâ excæcat; Scientia.

Calamitas. excæcat; uti Luthero, Calvino, aliisque hujus farinæ humoncionibus factum. Porrò tentatio & calamitas aliquam quidem tristitiæ fuliginem homini aspergunt, at simul ingenium acuunt, hominemque prudentiorem reddunt. S. Gregorius; *Tanto major fiducia mentem roborat, quanto hanc fortior pro veritate angustat afflictio.* S.Greg. in Moral.

CUNÆ.

Cap. X.

91. HEroes congenitam habent suam excellentiam, & jam ab ipsis incunabulis prognostica minimè obscura suæ magnanimitatis edunt. Natales. Certè Hercules, cùm etiamnum infans in cunis vagiret, geminos serpentes tenellis manibus strinxit ac disrupit. Ut adeò illum D. Didacus Saavedra opportuno hoc lemmate insigniverit; HINC LABOR, ET VIRTUS. Verissimè dixit Horatius;

Fortes creantur fortibus.

Cassiod. l. 2. Epist. 15. Et Cassiodorus; *Bona certa sunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo nescit deficere, quæ consuevit radicitus pullulare.*

92. Cunis fluctuantibus, suavissimam quietem capiunt infantes. Labor. Unde lemma à Jacobo Fioravanto cunis inditum; IN MOTU QUIES. Ita Studiosi, mercatores, aliisque negotiis distenti, voluptatem ac quietem inter labores gratissimam sentiunt. Verissimè S. Gregorius Papa; S Greg. in Ezech. *Quibusdam nihil est laboriosius, quàm si eis præcipiatur, ut in hujus mundi actibus non laborent.* D. Gregorius Brunellus;

Dum strepit, & volvit, dulci dat membra quieti,
Et lassos artus cuna sopore levat.
Quod virtus, quod Dia movet sapientia pectus,
In medio hoc motu detinet alta quies.

93. Cunis hanc præfiges epigraphen; ARRHA SEPULCHRI. Vita mortalis. Eâ enim conditione nascimur, ut paulò post moriamur. Appositè cecinit Marinus, Poëta Italus;

De la cuna à la tomba, è un brieue passo.

S. Hier. Tom. 8. Epist. 6. ad Amicū ægrot. S. Hieronymus, ad illud Sapientiæ oraculum reflectens, *Unus introitus ad vitam, & similis exitus,* exclamat; *O angustum & satis anxium tempus vitæ mortalis, ubi cum initio nominatur & finis. Initium nostrum cum fine suscipimus.* Tertul. asseverat, fascias, quibus infantes religantur, feralis lintei præludia esse. *Involvitur infans pannis, velut sepulturæ involucris initiatus.* Unde Sancti Magi ad Christi cunabula non sine mysterio detulêre myrrham, cadaveribus curandis adhiberi solitam; significârunt quippe, cunas expressum sarcophagi proscenium esse. Optimè canit Manilius;

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet.

EMVNCTORIVM.

Cap. XI.

94. EMunctorium, candelæ emungendæ applicatum, epigraphen tenet; REDDET CLARIOREM. Martyres. Ita Sancti Martyres, carnificum ferro truncati, clarissimum supremæ gloriæ incrementum sunt adepti. Præclarè Olympiodorus; Olympiod. argū. in Iob. *De multis una est causa, cur malis IUSTI DILANIENTUR; UT quæ eorum VIRTUS latebat, MAGIS illuminata foras EMINEAT, atque appareat.* Correctio. Eodem Emblemate correctionem fraternam significare licet, quæ prudenti acumine applicata, luxuriantes vitiorum mucos ab anima præscindit.

95. Fuit, qui emunctorium hoc epigrammate signaret; NOXIA DEMIT. Calamitas utilis. Calamitatum eadem in nos effecta sunt; nam à Deo immissæ, animam nostram ab omni vitiorum squalore expurgant. Explicatissimè meus S. Laurentius Justinianus de calamitate ait; S. Laur. Iust. cap. 2. de Patient. *Ipsa est, quæ facem totius voluptatis abstergit; ipsa est, quæ limpidissimas animas Deo reddit.*

96. Candela, dum emungitur, aliquam sui partem quidem amittit; at in tantillæ jacturæ vicem magnum splendoris incrementum capit. Ut adeò lemmatis loco opportunè dixeris; PERDENDO ACQUISTO. seu; DUM AMITTO, ACQUIRO. Eleëmosynarius. Ita Eleëmosynarius è divitiis, in egenos distributis, quæstum facit amplissimum. Afflictus. Item persona afflicta sanitatis, opum, aut alterius commodi terreni detrimentum cum æterno cœli præmio sapientissimè commutat. Tanti promissi vadem habeto Magnum Augustinum; S August. Ep. ad Cyp. *Quanto in hoc sæculo persecutionibus, PAUPERTATE, inimicorum potentiâ, vel morborum crudelitate fuerimus AFFLICTI: tantò post resurrectionem in futuro MAIORA præmia CONSEQUEMUR.*

FENESTRA CANCELLATA.

Cap. XII.

97. HOc reticulum, ex assulis decussatim implicatis contextum, fenestris præfigi solet, ut inobservatus quosvis transeuntes perspicere queas. Unde Lucarini lemma; VIDET INVISUS. Haud aliter Deus, Deus. tametsi oculos humanos effugiat, eorum tamen operationes omnes penitissimè arbitratur: ut adeò anima sancta hanc Divinæ Sponsæ commonitionem sibi assiduò ingerere debeat; Cant. 2. 9. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* S. Nil n. 1. Parænet. S. Nilus; *Nihil,* inquit, *latet Iudicem, frustra ergò peccare conamur, ut lateamus Iudicem.* Præclarè in rem nostram Orpheus de Deo canit; Orph. Car. ad Musæu. filium cit. tus à Iusti. Mart. Bar. ad Gent.

Unus est, & per se existens, qui cuncta creavit,
Inque his ipse exstat: nulli è mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.

98. Reticulum, è viminibus contextum, faciem à nimio ignis ardore tuetur. Unde lemma; COMMODUM, SINE INCOMMODO. Hominis Prudenti. prudentis est, etiam ex incommodis, in suam perniciem structis, emolumentum aliquod posse eruere. Eandem præceptionem observet velim, quisquis Studiosu. profanis libris evolvendis dat operam; veneno quippe procul rejecto, ea duntaxat in suos usus convertat, quæ vitam ac mores ritè formandos promovent. Providè S. Gregorius Nazianzenus; S. Greg. Na. lib. Cygne. rum Car. ad Sleucū. *Debes Sapienter ex eis colligere, quæcunq; sunt utilia, contraque solerti judicio vitare, quidquid in singulis est noxium.*

FILORUM CONGERIES supra harpedonem.

Cap. XIII.

99. Filorum congeries supra habpedonem, authore Abbate Ferro, hanc epigraphen sustinet; Laborar pro aliis. DEL MIO GIRARE ALTRI RACCOGLIE IL FILO. Id est; ALIIS IPSA LABORO. Idipsum queruntur illi, quorū labores non propriis, sed aliorum commodis destinantur. Eccles. 2. 1. *Detestatus sum,* inquiebat non sine dolore Salomon, *omnem industriam meam,*

meam, quâ sub Sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro. &c. seu ut Chaldæus traducit; *Odi labores, qui me in hac vita sub Sole versarunt: quod enim relinquetur Roboam filio meo, qui mihi in regnum succedet, insurgens Ieroboam servus ejus auferet. &c.* S.P. Augustinus; *Avarus est cæcus; credendo enim dives est, non videndo. Amas pecuniam, O cæce, quam nunquam videbis, cæcus possides, cæcus moriturus es, quod possides, hîc relicturus es.* Anxiè hanc calamitatem deploravit Virgilius, quando è gratioso ingenii sui partu nihil præter labores retulit, alio, in honoris recipiendi vicem irrepente; (S. Aug. lib. de Doct. Christ.)

Hos ego versiculos feci: tulit alter honores.
Sic vos non vobis nidificatis aves:
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis vellera fertis oves,
SIC VOS NON VOBIS fertis aratra boves.

LATERNA.

Cap. XIV.

100. LUmen, inter laternam accensum, splendorem suum per ostiolum ipsius clausum spargit. Unde D. Carolus Bossius lemmatis loco subscripsit, ET LATENS ERUMPIT. Vel ut alii; LUCET VELATA. Ita veritatem, quamlibet occultatam, tandem suâ sponte in apertam lucem prodire indies experimur. Tullius exclamat; *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraq; fictas omnium insidias facilè se per seipsam defendat.* Virtus quoque, tametsi modestiæ velo cooperta, radios suos amplissimè spargit. Cassius & Brutus, licet publico funere nunquam circumducti, Cornelio Tacito asserente, *eò ipso præfulgebant, quod non visebantur.* Certè, S. Alexii gloria mirum è latente virtute incrementum cepit. Franciscus Remondus de illo canit; (Veritas. — Tullius pro Cœlio. — Virtus abscondita. — C. Tacitus. — S. Alexius. — Fr. Remond. l. Epigr. 45.)

Ipse suâ Dominus servit peregrinus in aula,
Et proprias inter gaudet egenus opes.
Ignati major laus est, & gloria, Alexis
Nunquam tam celebris, ni latuisset, erat.

(Malitia.) Peccatum, tametsi omni studio occultatum, tandem adeò increbrescit, ut palam ab omnibus cognoscatur. Seneca; (Senec. in Hyppolito.)

---- ---- Et inclusus quoque
Quamvis tegatur proditur vultu furor.

Et Ovidius; (Ovid. l. 2. Metamorph.)

Heu quàm difficile est crimen non prodere vultu!

101. Lumini, intra laternam clauso, inscripsêre; LATEAT, ET LUCEAT. Innuebat videlicet, virtutes nostras debere esse intentione occultas, & operatione publicas. S. Gregorii Papæ consilio, *Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut & bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, quâ soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum.* Eidem Emblemati nonnemo hanc epigraphen subdidit; Et LATET, ET LUCET. Verbis è Martiali desumptis; ubi de ape, intra ambaram congelatâ, canit; (Opera bona. — S. Gregor. Hom. 11. in Evang. — Mart. lib. 1. Epigr. 95.)

Et latet, & lucet Phaetontide condita gutta,
Ut videatur apis nectare clausa suo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum,
Credibile est, ipsam sic voluisse mori.

Enimverò virtus nunquam ita arctè se abscondi patitur, quin splendorem suum transfundat. S. Nili (Nil Orat. de inani Gloria.)

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. II.

acroama est; *Opus absconditum, luce nitet splendidius.*

102. Candela accensa, & intra laternam undique clausa, epigraphen sustinet; ARDET, NON LUCET. Idipsum de igne, sub cineribus sepulto, pronuntiare licet; estque idea, illorum propria, qui amoris aut odii affectum, in animo suo conceptum, occultare nôrunt. Abbas Grillus Mariam Virginem, è filii sui morte plurimum afflictam introducit, veluti lumini illi Divino, crudelissimâ morte quidem extincto, at intra ipsius pectus etiamnum intensissimè ardenti, in hæc verba loqueretur. (Amor absconditus.)

Mio foco, s' io ti miro
A la luce, ti veggio estinto, ahi lassa,
E ciò l' alma mi passa;
Mà s' io guardo al mio core,
Vivo ti provo à l' amoroso ardore.
Se come in me tutt' ardi, in te splendessi,
Sarian felici gl' infelici amplessi.

Porrò Prædicator ille hâc imagine repræsentatur, qui ad alios convertendos ardentissimè quidem concionatur, at exemplo ac vitâ propriâ totus obscurus & vitiosus est. S. Gregorio teste, *Lex ipsis prædicatoribus imposita est, ut ipsi vivendo illuminent, quæ loquendo suadere festinant.* (Prædicator. — S. Greg. in Pastoral.)

103. Christum, etiamnum in Mariæ Virginis utero delitescentem, S. Joannes Baptista habuit penitissimè exploratum; haud secus atque lumen splendore suo laternam penetrans, omnium oculos incurrit. Emblemati subscripsit Alciabiades Lucarinus; ET ABSCONDITUM NOTESCIT. Vel ut D. Aresio placet; LATENS NON LATET. seu; EX ABDITO MICAT. Amor in Christi pectore succensus, S. Bernardo teste, per sacrorum vulnerum fissuras clarissimè transparebat. *Patet arcanum cordis per foramina corporis: patet magnum illud pietatis sacramentum: patent viscera misericordiæ Dei nostri. Quidni viscera per vulnera pateant? in quo enim clarius, quàm in vulneribus tuis eluxisset, quod tu Domine suavis, & mitis es, & multæ misericordiæ;* S. Hieronymus de Paulâ Romanâ ait; *LATEBAT, ET NON LATEBAT. Fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores.* Atque adeò virtus, quantumvis abscondita, nunquam abscondi potest. Ovidius; (Christus in ventre Matris. — Christus. patiens. — S. Bern. serm. 61. in Cant. — S. Hier Epist. ad Eustoh. — Virtus abscondita. — Ovid. 4. Trist. Eleg. 3.)

Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus
Apparet Virtus.

Eadem amoris est indoles, cui occultando conatus omnis adhibetur irritus. Ovidius; (Ovid. Ep. 12.)

---- --- Quis enim benè celat amorem?
Eminet inditio prodita flamma suo.

104. Candela, intra laternam obseratam accensa, & ventorum crebro flamine incursata, epigraphen refert; FRUSTRA. Animum benè munitum, nullisque aliorum insidiis aut persecutionibus sternendum, hoc Emblema significat. Virgines quoque, in Cœnobiis receptæ, è regulari clausura propugnaculum, adversus quosvis hostium incursus validissimum, objiciunt. *Murali septo pudor clauditur, ne pateat ad rapinam;* inquiebat sapienter D. Ambrosius. (Virtus inter injurias. — Clausura. — S. Ambros.)

105. Laterna, lumine instructa, epigraphen sustinet; INTUS QUO FORIS. Quisquis enim lucem in alios cum fructu dispergere conatur, eam prius in proprio sinu accensam habeat, necesse est. S. Joannes Chrysostomus acutè observat, Apostolos primum à Christo salem cognominari. *Vos estis sal terræ;* & postea lucem, *Vos estis lux mundi. Prius autem, inquit, vocavit eos sal; postea autē lux; quia prius est* (Prædicator virtuosus sit. — S. Io. Chrys. hom. 10 Oper. Imperf.)

benè

Matth. 5. 13. & 15. Philip. 2. 15. *bene vivere, secundum autem bene docere.* Hanc doctrinam fortasse innuit S. Paulus his omninò verbis; *Lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi &c.*

106. Quidam interiorem Horatii Spinolæ Cardinalis virtutem Emblemate significaturus non sine ingenio laternam clausam figuravit, quæ lucem, intra se accensam, vix per angustas aliquot rimulas dignoscendam exhibuit. Inscriptionem adjecit istam; ENITET INTUS. Vel ut Lucarino placet; INTUS NON DEFICIT. Illius hanc effigiem dixeris, qui interiore virtutum lumine illustratus, nullum unquam splendorem foris superbè ostentat. Perfectus Religiosus, veluti lumen in laterna accensum, vitâ suâ intra præfixos Cœnobii limites traducendâ unicè delectatur, omnemque virtutum suarum fulgorem, è mundi oculis longissimè subtractum, soli Deo arbitrio reservat. Thomas Kempensis, meus Concanonicus, de Christo imitando ait; *Maximi sanctorum, humana consortia, ubi poterant, vitabant: & Deo in secreto vivere eligebant.*

Virtus interna. Religiosus. De imit. Christi lib. 1. cap. 20.

107. Laterna, lumine instructa, & ostia corneolo seu vitreo obserata, epigraphen à me recepit; OPERIT, ET APERIT. Cujusvis ministri hæc prudentia est, ut heri sui mentem ac voluntatem omnibus quidem faciat manifestam; at politica, aliaque majoris momenti negotia arcano semper consilio premat. Guido Casonus de Principis prudentia canit;

Minister prudens. Cason. Emb. 3.

Fa che da doglia tacita, è negletta
Stia tacita à suoi piedi, e ch'l piacere
Tempri le sue dolcezze: e fà chel' huomo
Saggio contenga in se cclato il duolo,
E nascosto il piacer si', ch' il suo petto
Tomba è dell' alleggrezza, urna del pianto;
Mà nell' aspetto placido rassembra
Un mar tranquillo: e un ciel sereno, e chiaro.

Justus. Porrò Justus virtutum suarum lucem, quantum potest, operit, ne vanæ gloriæ ventis extinguatur; ita tamen ut eandem etiam aliis bono suo exemplo præbeat visendam, imitandamque. S. Bernardus; *Seminemus hominibus bonum exemplum per aperta opera: seminemus angelis gaudium magnum per occulta suspiria.*

S. Bern. in serm.

108. Lumini, intra laternam clauso, illam S. Gregorii Papæ gnomam lemmatis loco indidi; ABSCONDITUR UT SERVETUR. Hinc conjicias, quantùm emolumenti non tantùm Sanctimoniales ad virginitatem conservandam, sed omnes omninò homines ad virtutem promovendam è solitudine capiant. *Sicut enim,* Chrysostomo asserente, *vestem pretiosam, cùm in publico ponimus, ad insidias provocamus; si verò domi recondamus, in tuto cuncta servabimus: sic si opes virtutum, palam, quasi venales, assiduâ portemus in mente, inimicum irritamus ad furtum; si verò nemo alter id sciverit, nisi quem nulla occulta latent, tutissimo in loco consistent.*

Religiosus. Virtus abscondita. S. Chrysost. Hom. 3. in Matth.

109. Luci, intra laternam obseratæ, opportunè inscripserim; TUTA, SI TECTA. Virtus quippe nullibi incedit securior, nisi sub modestiæ ac solitudinis velamine. Religiosissimè Ovidius;

Virtus abscondita. Ovid. lib. 3. Trist. Eleg. 4. Senec. Hercul. furent. Act. 1.

Crede mihi, bene qui latuit, benè vixit.

Seneca;

Alium multis gloria terris
Tradat, & omnes fama per urbes
Garrula laudet, cœloque parem
Tollat & astris; alius curru
Sublimis eat: me mea tellus
Lare SECRETO, TUTOQUE tegat.

S. Bern. serm. 3 in vigil. Nat. Dom.

Et S. Bernardus; *Tribus malignissimis & validissimis ventis expositi sumus, Carni, Diabulo, & Mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos: ideò utrisque manibus & cordis & corporis anima est retegenda, ne forte quæ jam illuminata fuerat, extinguatur.*

110. Laterna, supra Pharum collocata, epigraphen sustinet; IN TUTUM ALLICIT. Gratia Divina, Prædicator fructuosus, & bonum exemplum facem humano generi prælucent ad indubitatam securitatem capessendam. Dilucidè Epictetus; *Quemadmodum faces in portu sublatæ, magna flamina excitata, navibus per mare errabundis multum auxilii ferunt; sic & vir splendidus in urbe periclitante magnis beneficiis cives afficit.* Hoc ipso argumento prolixè utitur S. Gregorius Nyssenus sub initium Libri de Vita Mosis.

Gratia Prædicator bonum Exemplum aut consilium bonum. Epict. citat. apud Ioa. Stobæum. 45.

LUCERNA.

Cap. XV.

111. Lucerna, ellychnio fumigante instructa, epigraphen tenet; EX FUMO LUCEM. Ille hanc ideam sibi propriam vendicat, qui operibus vitiosis exorsus, tandem in epilogum illustrem ac virtuosissimum desinit. Moses, primis annis homicida, temporum progressu sanctitatem æternum obstupescendam in Monasterio exhibuit. Paulus, fatalis Ecclesiæ hostis, mox illius propugnaculum validissimum evasit. Augustinus juventutem omnem inter sceleratæ vitæ licentiam, & Manichæorum hæresim miserè traduxit; at reliquam ætatem totam exercendis virtutibus Christianis, & Catholicæ fidei promovendæ consecravit. Maria Ægyptiaca, primis annis intra libidinis cloacas volutata, Tartari mancipium videri poterat; at postea assiduis jejuniis, lachrymarum fonte, ac eremi squalloribus extersa, clarissimos virtutum & sanctimoniæ radios per orbem universum sparsit. Ad hanc pœnitentiæ lucem ex flagitiorum fumo capessendam hortatur Magnus Augustinus; *Compungat pœnitentia criminum, quos hucusque transpunxit delectatio voluptatum: erigat adjuncta virtus, quem vitia prostraverunt; aperiant medicamento pœnitentiæ nares suas, quibus illis fœteat consuetudo peccati.*

Principium malum, finis bonus. Pœnitentia. S. Aug. serm. 2. de Temp.

112. Lumen, in lucerna accensum, omnem olivarum liquorem voraci ardore consumit. Unde lemma; A LUMINE HAUSTUS. Ita complures Studiosi, ob violentum sapientiæ desiderium litteris assiduò affixi, humidum, ut vocant, radicale, nativum colorem, omnesque corporis vires extenuant. Inter cæteros unum adduco Virgineum Cæsarinum, Principem excellentissimum, quem invida fata è medio juvenilis ætatis ac studiorum cursu rapuerunt. De hoc P. Joannes Rhò; *Disciplinas omnes, etiam sublimiores, animo complexus, octo sæpè horas, nullâ prandii aut cœnæ curâ, studiis operam dabat, ac veterum libris stipato undique lectulo quiescebat; & par sciendi desiderio erat ingenium, ac libris ipsis memoria par; quâ nobiliorum auctorum loca, si quis incipiendo provocasset, usq; ad miraculum securus pronuntiabat. VITAM ille quidem sibi BREVIOREM STUDENDO REDDIDIT, sed famæ addidit immortalitatem.* Eodem Emblemate hominem, è nimia libidinis intemperie fractum ac enervem significabis; siquidem, Tullio teste, *Libidinosa, intemperansque adolescentia, effœtum corpus tradit senectuti.* Et facundiâ planè aureâ S. Chrysostomus; *Qui in libidine vitam ducunt, resoluta quidem corpora, & omni cerâ molliora circumducunt, atque agmine quodam infirmitatum referta, quibus ad cumulum malorum podagra tremor, & immatura senectus succedunt, &c.*

Studiosi. Io. Rhò. d. Var. Virt. Hist. l. 7. c. n. 7. Libidinosus. S. Io. Chr. Hom. ... nemo laedi ... nisi à se

113. Chri-

113. Christus Prodromum suum Joannem Baptistam gemino hoc elogio exornavit; *Erat lucerna ardens & lucens.* Quare illius honori lucernam Symboli loco posuêre, quæ in tenebras dissipandas latè grassata, epigraphen tulit; OBSTANTIA DISCUTIT ARDENS. Enimverò Joannes, vivo virtutum ardore, & illustri doctrinæ radio spectandus, vitiorum caliginem è Palæstina fugavit. Sanctus Bernardus; *Ioannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore. Ardens erat in se ipso, vehementi austeritate conversationis, & pleno fervore devotionis. Luxit nihilominus exemplo, digito, verbo &c.* Joannem ideæ loco sibi ob oculos statuant Prædicatores, qui pietatis & virtutum ardore inflammati, omnes scelerum umbras citra negotium in fugam convertunt.

Ioan. 5. 35. Jo. Baptista. S. Bern. serm. in Nat. S. Io. Bapt. Prædicator.

114. Joannes Ferrus Abbas lucernæ inscripsit; MANCA DI LUCE ALL' HOR CH' ELLA SI SPENGE. Id est; LUMEN AMITTIT EXPIRANS. Ita homo, in virtutum exercitatione assiduus, devotam suam agendi rationem nonnisi cum vita dimittit. Nec tamen incongruè eandem iconem de quodam mundi blandientis pullo interpretaberis, qui in vitæ suæ decursu supremis honorum ac fortunæ radiis illustratus, tandem, morte imminente, ad æternas inferorum umbras damnatur. *Ne timueris cùm dives factus fuerit homo, & cùm MULTIPLICATA FUERIT GLORIA domus ejus.* Enimverò, *Introibit usque in progenies patrum suorum, & usque in æternum NON VIDEBIT LUMEN.* Unde sapienter Magnus Augustinus; *Melius est nobis, post paucas angustias ad æternam beatitudinem pervenire, quàm post brevem lætitiam ad inferni profunda descendere.*

Virtus persevcrans. Mundanus moriens. Psal. 48. nu. 7. & 20. Aug. serm. 73. ad temp.

115. Lucerna, ab emunctorio extincta, epigraphen reddit; D' ONDE SPERAR DOVEA LUCE PIU' CHIARA. Id est; UNDE INCREMENTA LUCIS. S. Barbaram hoc Emblema spectat, quæ proprium parentem, vitæ suæ carnificem experta est, à quo non tantum vitæ, sed & omnis felicitatis incrementum recipere debuisset. Iis quoque omnibus hanc ideam propriam dices, qui illorum offensis exagitantur, quorum beneficiis unicè sublevandi erant. Ita Justinianus, Belisario plurimis nominibus obstrictissimus utroque illum oculo excæcavit. Nero, tametsi Matris titulo absterreri, ac gratitudinis filialis meminisse debuisset, Agrippinam tamen, propriam matrem suam, crudeli imperio interfecit. &c. Bargalius eodem Emblemate quemdam proprii amici sui proditorem significavit. Ego verò patrem aut Magistrum icone istâ delineandam putem, qui pravo exemplo aut malâ educatione liberos vel discipulos corrumpunt, lucemque virtutis in iis extinguunt. Enimverò, teste Boethio, *Nulla res discipulo est ita perniciosa, sicut vita Magistri contumeliosa.*

S. Barbara. ...arens ...os libros ...alè educatus. ...eth. l. de ...ciplina ...holarium

116. Providam hominis cautelam demonstraturus, Lucernam pinges, lecytho vicinam, & hoc lemmate insignem; NE DEFICIAT. Ita videlicet, ne gratiæ tuæ splendor unquam decrescat, assiduâ bonorum operum fomenta affundas, necesse est. Sanctus Joannes Chrysostomus; *Fit sæpenumero, ut etiam nullo externo impulsu incumbente extinguatur fax, quando videlicet oleum deficit: quando misericordiam non facimus, extinguitur Spiritus.* Porrò si lucis nomine sanctam fidem intelligere libeat, opportunè dices, eam, ne unquam languescat, indefesso sacrarum scripturarum, meditationum, & colloquiorum spiritualium oleo, ceu unico lampadis Christianæ nutrimento, fovendam esse. Author Operis Imperfecti ait; *Sicut lucerna, nisi ei subministraveris oleum, extinguetur: sic verbum fidei nostræ, quod credentes accipimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis, aut meditationibus scripturarum, extinguitur.*

...utela. ...rseverantia. ...o Chrys. ...m 11. in Thessal. Fides. ...th. Op. ...in Mat. cap. 25.

117. Causidici, aliique suis quæstibus promovendis intenti, tantundem in aliorum commodum operantur, quantum ipsimet inde emolumenti capiunt; haud secus atque Lucerna nonnisi affuso oleo splendet. Unde lemma; UNCTA REFULGET. Advocatum per desinitiones conglobatas describens Cassiodorus, ait; *Hi sunt, qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt transigentes.* Ẽ dissimili id eruditè commonstrans P. Novarinus, de Caussidico canit;

Usurarius. Caussidicus. Cassiod. in Psal. 73. Novarini Schediasm. l. 8. n. 149.

Ne siccus volvente rotâ crepet, unguitur axis:
Causidicum mos est ungere, ne taceat.

118. Animum, pro acceptis beneficiis gratum, lucernæ non absimilem dices, quæ hanc epigraphen præferat; PRO ESCA SPLENDOREM. Litteratos illos hoc Emblemate exornabis, qui liberalibus stipendiis sustentati, Mecænatum suorum nomina ac virtutes in publicam lucem producunt. Theophanes Mitilenæus, plurimis beneficiis à Pompeio Magno cumulatus, in grati animi vicem, heroica ipsius facta litteris commendavit. Justus Lipsius, crebris gratiæ ac benevolentiæ argumentis à Serenissimo Alberto Archiduce Austriæ, & Flandriæ Principe excultus, tanti Mecænatis nomen compluribus voluminum suorum locis illustravit. Compendio id demonstrans Anaxagoras, vir litteratissimus, cùm Pericles ad illum ægrotum inviseret; *At enim, O Pericles, inquiebat, quibus opus est lucernâ, oleum infundunt*; uti refert Lipsius.

Litterati pro beneficiis grati. Lips. Monit. lib. 2 c. 18.

119. Lucerna versatilis, tametsi millies volutata, nullam unquam olei gutulam emittit. Unde lemma; VERTE, NON EXTINGUES. Vel, LATENS ALIT, QUOCUNQUE VERTAS. vel, NE GIA MAI PER BONACCIA, NE PER VENTO, cioè *puo spegnersi*. Id est; NON SERENO, NEC AURA, subintellige, *extingui potest.* Hominem, nec inter adulatorum blanditias elatum, nec inter malevolorum calumnias incompositum; sed æquâ semper virtutum luce persistentem, hoc symbolo condecorabis. *Oportet enim*, Agapyto teste, *utrisque resistere, nec usquam à decore recedere, neque irrationabilem eorum malevolentiam ulciscendo, neque fictitiam horum benevolentiam remunerando.*

Persistentia. Agapyt. Paræn. n. 51.

120. Indies experimur, nocturnas umbras lucernæ radiis in fugam converti; ut adeò pro meritis hanc sustineat epigraphen; HIS, QUI IN TENEBRIS. Verbis è Zachariæ genethliaco mutuatis; *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent.* In eos hæc idea convenit, quibus è munere suo incumbit, omnem vitiorum caliginem ab aliorum conscientiis propulsare; uti sunt Prædicatores, Magistri spirituales, Correctores, & cumprimis illi, qui Evangelicæ fidei lucem ad cæcas gentilium terras deferunt. Teste magno Augustino, *Nulla creatura, quamvis rationalis, & intellectualis, se ipsâ illuminatur, sed per participationem sempiternæ veritatis accenditur.*

Luc. 1. 79. Prædicator Evangelii. S. Aug. Psal. 118. Conc. 23. Panciro l. rerum jam olim perditarum

121. Auctor est Guido Pancirolus, Veteres oleum quoddam incombustibile paràsse, quod semper ardebat.

debat. Hinc in quibusdam Italiæ subterraneis monumentis lucernas perpetuo fulgore lucentes repertas fuisse testantur Hermolaus Barbarus, & Franciscus Maturantius in Epist. ad Alphenum. Cujusmodi fuit & illa, quæ Paulo III. Pontifice inventa est in sepulchro Tulliolæ filiæ Ciceronis, quæ postquam arsisset annis circiter 1550. (inquit Pancirrollus) admisso aëre statim extincta fuit. Unde Lucernam illam hoc lemmate insignires; NON EXTINGUETUR. Dei cumprimis hæc imago est, de quo non sine mentis ecstasi ait Magnus Augustinus; *Amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, dulcis Christe, accende me totum igne tuo, amore tui &c.* Porrò hominis religiosi aut veri Christiani vita assiduo amoris Divini igne ardeat, neque unquam extinguatur, necesse est: nam è SS. Patrum sententia, *vita Sanctorum vigilia.* S. Bernardus in illud Salomonis commentatus, *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*, Deiparam virginem opponit virginibus fatuis, quibus oleum ad lampades, sponso veniente accendendas, defecit: *Non sic*, inquit, *mulier illa fortis, quæ serpentis caput contrivit: habes enim post multa in laudibus ejus, quia non extinguetur in nocte lucerna ejus. In suggillationem hoc dicitur fatuarum, quæ veniente mediâ nocte sponso, conqueruntur serò & dicunt, lampades nostræ extinguuntur. Processit igitur gloriosa virgo, cujus lampas ardentissima ipsis quoque Angelis miraculo fuit, ut dicerent, Quæ est ista? &c. Clarius enim cæteris rutilabat, quam replevit oleo gratiæ præ participibus suis Christus IESUS Filius ejus. &c.*

Deus. S Aug. in lib. Medit c. 35. — Religiosus. — Prov. 31. 18. — S. Bern. ser 2. de Assumpt.

122. Qui duos adversarios componere nitens, tandem amborum cædem & odium in se ipsum convertit, oleo in lucerna se non absimilem probat, quòd eò semper fluit, ubi comburendum est. Unde lemma; FLUIT, UBI EXURITUR. Verbis è Seneca mutuatis, ubi ait; *In lucernis oleum fluit illò, ubi exuritur.* De Christo id verissimum; qui inter Deum & homines constitutus Mediator, crudelissimè ab his fuit occisus. S. P. Augustinus; *Ægroti medicum omnium occiderunt. Sed & ille, eò quòd occisus est, de sanguine suo medicamentum fecit ægrotis.*

Pacificator. — Senec l. 4. Hist. Nat. — Christus mediator. — S. Aug in Ps. 68.

123. Lucerna, in obscuro loco ardens, à P. Masenio epigraphen retulit; NOCET, AC PRODEST. Sicuti enim flammula illa incautis nocet, damnique plurimum affert; ita contrà illis, qui providè eam tractant, maximè prodest, & inter tenebras viam monstrat; Certè SS. Eucharistia ad eundem planè modum & nocet & prodest. Maria Virgo quoque, tametsi Mater optima & misericordissima, hostibus tamen suis supplicia intentat gravissima. Ut adeò rectè ab Hesychio cognominetur *Lucerna oris expers, à se ipsâ ardens.* Et ab Andrea Cretensi, *Lucerna luminosa.* In rem præsentem canit Emblematis Author.

SS. Eucharistia. — Maria V. — Hesych Orat 2. de Deip. — And. Cret. Orat 2. de Assumpt.

Et nocet, & rursum prodest ardore Lucerna:
Quas benè direxit visa cremare manus.
Ne Divam violes: micat hæc errantibus ignis,
Sed tamen & flammam, quâ cremet, ignis habet.

MENSA.

Cap. XVI.

124. D. Aresius cuidam voluminum suorum fronti mensam præfixit, dapibus gravidam, & hoc lemmate insignem; ET VARIETATE PLACET. Enimverò libri diversis eruditionibus & peregrinis materiis, veluti totidem cibi, intellectûs humani orexin mirificè provocant. S. Laurentius Justinianus; *Est sacra pagina tanquam mensa multarum dapum numerositate referta. Super hanc quot libri, quot sententiæ, tot ferculorum diversitates positæ sunt.* De eodem Sacro volumine testatur Author Operis Imperfecti; *Sicut regale prandium multis ciborum speciebus ornatur, ita & hoc convivium scripturarum, diversis justitiarum speciebus est decoratum.* Cæterùm etiam conciones, variis doctrinis conditæ, miram ingenii palato voluptatem conciliant.

Liber. — S Laur Iust. de Cast. Connub. c. 3. — Aut. Op. Imp. Hom. 41 in Matth. — Concio.

125. Cato, referente Cælio Rhodiginio, mensam nil aliud esse affirmabat, *quam magnam amicorum parentem & procreatricem.* Unde lemma; PARIT AMICOS. Certè Mensa Eucharistica quosvis fideles in Dei amicitiam suavissimè rapit. Opportunè P. Benedictus Fidelis; *Nobis quoque censendum est, Sacram Christi mensam matrem ac procreatricem amicorum Dei esse.* Et S. Hieronymus; *Meritò nostræ reconciliationis causâ hoc sacrificium constitutum est; & si sacrificii præcepta contempseris, sacrificii remedium sentire non poteris.* Cæterùm etiam liberalitatem & beneficentiam fæcundissimas amicorum parentes experimur.

Cal Rod. l. 28. c. 6. — Eucharistia. — P. Bened. Theorem. in c. vers. 12. n. 9. — S. Hieron. in Luc. — Beneficentia.

126. Mensæ beneficio fastidia omnia ex humano corde oblitterantur. Unde Veteres post deductum funus convivia celebrârunt, ut dolorem omnem ex animo propulsarent. Certè S. Paulus, trium dierum spatio afflictus, & excæcatus, *cùm accepisset cibum, confortatus est.* Quare lemmata Mensæ indita; CURARUM EXAMINA PELLIT. & ; MOESTIS SOLATIA PRÆBET. Eadem mensæ Eucharistiæ efflecta sunt. Hilari fronte cecinit David; *Dedisti lætitiam in corde meo*; & mox, veluti tantæ lætitiæ causam daturus, subjunxit; *A fructu frumenti, vini & olei &c. Vivificantur namque*, asserente Agellio, *quodammodò mæsta corda, atque reviviscunt, cùm hoc Sacramento sumpto, tanti beneficii, tantæque caritatis recordatur. &c.*

Act 9. 19 — Eucharistia lætificat. — Ps. 4. 7. — Agell. in Ps. 21. v. 27

127. Mira est (quis ambigat?) mensæ energia, quippe cujus beneficio corda, quantumvis efferata, in suavissimam benevolentiam emolliuntur. *Nam cibi communicatione*, inquit Plutarchus, *etiam ferissima cicurantur animalia.* Proinde mensam his characteribus, ceu lemmate, distingues; CICURAT IMMITES. Eadem omninò beneficentiæ ac humanitatis nostræ virtus est. Seneca in sententiam nostram apertè concedens, ait; *Officia etiam feræ sentiunt. Elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus.* Omnium tamen propriissimè de mensa Eucharistica hanc ideam interpretaberis: enimverò, quod Theologorum Sidus Thomas Aquinas docet; *Corpore Christi fit homo mansuetior, ad correptionem patientior, ad laborem ferventior, promptior ad obedientiam.*

Plut. in Symp. l. 8. — Beneficentia placat. — Senec. l. 1. de Benef. 3. — Eucharistia mansuetos facit. — D Th. Opusc. 59. c. 5.

128. Mensa, sale destituta, accumbentibus minùs grata est. Unde lemma; NON SINE SALINO. Haud aliter spiritualium ciborum, & doctrinæ Apostolicæ mensa, quam auditoribus suis Prædicatores instruunt, crebro charitatis, suavitatis, & gratiæ sale condita sit, necesse est; secùs enim illorum palatum minus afficiet. Providentissimè S. Paulus; *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.* In hunc locum Sanctus Anselmus ait; *Quasi cibus sapidus recipiatur ab ore cordis audientium, non sit insipidus per insipientiam: nec putidus per admonitionem carnalis delectationis, nec corruptus per admixtionem falsitatis, sed semper sale spiritualis sapientiæ conditus. &c.*

Doctrina sit sale condita. — Coloss 4. — S. Ansel. in hunc l.

129. Mensa, panibus propositionis instructa, epigraphen sustinet; NONNISI FAMELICIS. Mensæ hujus schemate S. Eucharistiam intelligere licet, quæ animas nonnisi famelicas, & sui desiderio ardentes, reficit. Porrò Maria Virgo, ceu mensa virtutum

Eucharistia. — Maria.

virtutum omnium instructissima, esurienti mundo
S.Epip.Orat. de laud Deip. panem vitæ protulit. Unde à S. Epiphanio cognominatur *Mensa fidei intellectualis, panem vitæ mundo*
But. hym. p.125. *suppeditans*; Et à Buteone, *Mensa animata, continens panem vitæ.* Item; *Mensa portans copiam propitiationum.*

OLLA.

Cap. XVII.

130. E Joannis Ferri sententiâ, epigraphen ollæ plurimùm opportunam subjunges; PRÆPARAT ESCAM. Infames ac obscænos illos
Leno impudicus. lenones hoc Emblema describit, qui innocuas aliorum mentes pravis suis consiliis persuadent ac disponunt ad impuram amantium famem exaturandam. Ita
Guari in Atto 3. sc. 5. Guarinus Coruscam introduxit, quæ virginem quandam modestissimam his omninò verbis ad libidinem pellexit.

> *Troppo breve è la vita*
> *Da trappassarla con un solo amore. &c.*
> *Godiam sorella mia,*
> *Godiam che il tempo vola, e passan gli anni.*

Judith.12,12. At omissis fabulis, re ipsâ vaferrimum lenonem se probavit Vagao, Holofernis eunuchus, quando lascivos suos aculeos, melle suavissimo illitos, in Juditæ aures infixit; *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, & bibat vinum in jucunditate.* In hunc locum Glossa Interlinearis ait; *Quæ Vagao hortatur, ad illicitas voluntates pertinent.* Et Nicolaus
Lyran. in hunc. loc. Lyranus; *Invitat eam primo ad cibum & potum, ut inde deducatur ad carnalem concubitum.* Et his omni-
Celada in hunc. loc. bus posterior P. Didacus Celada; *Vagao benè gnarus lenonicæ artis, in Judith tentorium intrat, illamque vaferrimè aggreditur, verbis, quæ specie tenus simplicia videbantur, nimirum invitat ad cœnam, ad familiaritatem, ad hilaritatem; sed verborum sensus tectior & insidiosior; alliciebat enim ad Veneris flagitium.*

131. Fæmina obscæna, in ætate juvenili scortum; adultior verò lenam professa, ollæ ruptæ symbolo figurari potest, quæ ad carnes lixandas impostcrum
Lena. inepta, nonnisi igni & prunis circumferendis deser-
Atto 2. sc. 3. vit. Epigraphen subjicies istam; JAM CARNIS, NUNC PRUNÆ MINISTRA. Emblematis mentem D. Carducius hoc disticho explicat;

> *Quæ jam carnis erat, prunæ nunc olla ministra est,*
> *Sic lupa quæ fuerat, facta Corisca manet.*

Amyntas, nobilis Sciri pastor, Nereæ, mulieri obscænæ in hæc verba loquebatur;

> *Quel, ch' a tuo prò con la beltà valevi,*
> *A prò d' altrui, hor con l' ingegno il vali.*
> *Nel crine, ov' era l' oro,*
> *Hà sparso il senno amore: e ne le labbra,*
> *Ove fiorian le rose, hà posto il mele*
> *Di dolci parolette, onde tù vai,*
> *Qual più ingegnosa pecchia,*
> *Entro à favi del core,*
> *Portando il mel d' amore.*

Cui respondit illa;

> *Mà così vuole Amore,*
> *Che chi giovane in sè provò gli ardori,*
> *Vecchio altrui gli ministri;*
> *Acchioche ad ogni tempo ogn' huomo il servà*
> Luxurio- *Per esca, e per focile*
> sus. *Per matice, ò per flamma &c.*

Porrò homo, in vita carni ac voluptatibus deditus, soluto corpore, ignis æterni mancipium erit. S. P. Augustinus; *Illi miseri sunt, quorum corda sunt car-* S. Aug. serm. 249. de temp.
nali concupiscentia polluta: quia æternos merguntur in ignes.

132. Muscæ ollam, ab igne remotam, securâ licentiâ passim pererrant; at eâdem intra flammas succensâ & ebulliente, quantocius fugam capessunt. Cogitationes malæ infestāt tepidos.
Huic proin' subscribes; A FERVIDA PROCUL. Ita pravæ cogitationes, ceu muscæ importunissimæ, animos in Dei amore frigescentes turmatim involant: reliquis, quos spirituali ardore succensos reperiunt, longissimè desertis. Novarino teste, ex Novar. in Adag. Tom. I n.1312.
antiquis Patribus nonnemo dicere est solitus; *Succensæ ollæ non appropinquant muscæ, tepidæ verò superinsident. Ita & Monachum, succensum Divini Spiritûs igne, fugiunt dæmones, tepidum verò illudunt.*

133. In rem præsentem facit Otho Venius, quando ollam, liquore plenam, ac igni impositam, figuravit; addito lemmate, ARDE DI FUORI, E DENTRO SI CONSUMA. Id est, EXTRA DUM ARDET, CONSUMITUR INTUS. Amans profanus.
Amantis hic typus est, qui alterius venustate succensus, mentem afflictam, ac mille calamitatibus Senec. in Proverb.
excruciatam circumfert. Unde Seneca; *Amor est otiosæ causa solicitudinis.* Id quod Emblematis Author hoc poëmate Italico demonstrat;

> *Chiuso il licor nel vaso si consuma,*
> *Quantumque il foco sol di fuori il tocchi:*
> *Tradianti rai di duo beg l' occhi*
> *Consumano l' amante, che s' alluma.*

134. Lebes, quò magis clauditur, erumpit, exæstuatque magis. Symbolo epigraphen subdidêre Patres Societatis in Belgio; CLAUSUS MAGIS ÆSTUAT. Innuebant videlicet, spiritualium exercitiorum fervorem è solitudine plurimum incre- Exercitia Spiritualia
menti accipere. Exemplo sint Christus & Joannes Baptista, qui desertum, ceu locum spiritui forman- Solitudo.
do accommodatissimum, incoluerunt. S. Gregorius Nazianzenus, postquam cum S. Basilio in solitudinem secessit, spiritales illius fructus in hæc ver- S. Nazianz. Orat. I.
ba descripsit. *Nihil mihi tam optandum cuiquam esse videbatur, quàm ut occlusis sensibus, atque extra carnem mundumque positus, & in se ipsum collectus, nec nisi quantùm necessitas exigit, quidquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse & cum Deo colloquens, superiorem iis rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agit, Divinasque species puras semper, nec terreni ullis & errantibus formis admixtas in se ipso circumfert: ac licet adhuc in terris sit, terram desert, atque à spiritu sursum collocatur.* Et S. Ambrosius; S. Ambros. lib. 3. de Virgin.
Non in foro, non in plateis Christus reperitur. Nequaquam igitur quæramus Christum, ubi invenire non possumus. Non est Christus circumforaneus. Christus enim est pax, in foro lites: Christus justitia est; in foro injustitia. Christus operator est; in foro inane otium. Christus charitas est, in foro obtrectatio. &c.

PANIS.

Cap. XVIII.

135. PAnis massa, intra mactram subacta, à Reversato Furfurariorum Academico epigraphen obtinuit. S' AFFINA. Id est; PERFICITUR. Vel ut aliis ex eadem Furfurariorum Academia placet; CANDIDIOR, ET SUAVIOR. Calamitas utilis.
Haud aliter homo, à miseriis & persecutionibus probè jactatus, insigne puritatis incrementum capit. Id egregiè edoctus S. Ignatius Martyr, cùm à leonibus dilacerandus, horrendos eorum rugitus perciperet,

S. Chrysost. Hom 13. E-pist. ad Hebr. serena fronte exclamavit; *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Nam ut providè observat S. Chrysostomus; *Corpore molli reddito, & delicato, necesse est & animam participare ex corporis morbo.*

136. Panis omnibus aliis cibis meritò anteponitur, quòd instar cœlestis mannæ non tantùm omnem in se saporem contineat, sed & cæteri cibi sine ipso nauseam pariant. Ut adeò non sine ratione quidam è Parnasso Cygnus cecinerit;

Inter tot species, & fercula mille ciborum,
Nullus pane potest utilis esse magis.

Euchari-stia. Proinde hanc pani epigraphen subdidi; INTER FERCULA PRÆSTAT. Cibus Eucharisticus, inter beneficia, à Deo in mortales collata, omnium præstantissimum, hanc sibi ideam cumprimis vendicat. De hoc Theologus Aquinas; *Nullum Sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantiâ impinguatur &c.* S. Tho. Opusc. 57.

137. Priusquàm panis integrè conficiatur, primùm sub hydromilæ pondere comminui, & postea ignis ardore in furno percoqui debet. Unde lemma; UNDAS PASSUS, ET IGNES. Haud aliter Christus, verissimè in Sacris Litteris *Panis vivus* dictus, undas & ignes copiosè sustinuit: nam per torrentem Cedron raptatus, paulò post in immani sua passione contritus est: incendii verò vicem cùm immensa ipsius erga gentem humanam charitas, tum ardentissimum malevolentiæ Judaicæ odium subierunt; ac demum sepulchri sui angustias in furnum commutavit, ubi annona Eucharistica Christianis enutriendis liberalissimè offerretur. Opportunè S. Petrus Chrysologus; *Ipse est panis, qui satus in Virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulchri, in Ecclesiis conditus, illatus altaribus, cœlestem cibum quotidie fidelibus subministrat.* Cæterùm si Fideles, instar pretiosi panis, supra cœlestem mensam comparere ambiant, prius illos *per ignem & aquam* trahi, ac diversis calamitatibus probè contundi oportet; neque irrevocabile illud Dei statutum sibi unquam patiatur excidere; *Oportuit pati, & ita intrare in gloriam.*

Christus patiens.

S. Pet. Chrys. serm. 67.

Calamitas ad cœlum disponit.

Luc. 24.

138. Panis tametsi se ipso pretiosus, famelico tamen suavissimus videtur. Epigraphen subjunges; FAMESCENTI SUAVIOR. Panis Eucharisticus palato nostro tantò accidit dulcior, quantò majore ardore ac desiderio Divinam ipsius mensam accumbimus. *Mensa ista*, inquit S. Ambrosius, *famis acquiritur pretio.* Et S. Joannes Chrysostomus; *Accedat nemo cum nausea, nemo resolutus: omnes accensi, omnes ferventes, & excitati.* S. Gaudentius ad illam Exodi legem reflectens, *Comeditis festinanter*; ait, *Quod dicit, cum festinatione illud manducandum, præcipit, ne lento corde, & ore languido Sacramentum Dominici corporis sumamus, sed cum omni aviditate animi, quasi verè esurientes. &c.*

Eucharistia cum desiderio sumenda.

S Ambr lib. de Elia c. 10.

S. Gaud Tract. 2. in Exod. 12. 11.

139. Panis non tantùm nutrimentum, sed & vires humano corpori præstat. Lemma; NUTRIT, ET ROBORAT. Gemina hæc effecta Christianis è pane Eucharistico accrescunt. De hoc vaticinabatur Oseas; *Vivent tritico*, seu ut Septuaginta vertunt, *confortabuntur frumento.* Et ubi nos in Psalte Regio legimus; *Panem Angelorum manducavit homo*; S. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Panem fortium*, seu *Robustorum*: eò quòd comedentem roboret. Idipsum David his omninò verbis insinuavit; *Erit firmamentum in terra in summis montium*; id est, juxta Burgensis paraphrasin; *Erit placentia in capitibus sacerdotum.* Atq; adeò sacrosanctus Panis, supra Sacerdotum capita levatus, miras comedenti vires suppeditat.

Eucharistia confortat.

Osea 4. 8.

Psal. 77. 25.

Psal. 71. 16.

140. Infantes, etiamnum tenelli, lacte nutriuntur; adultiores verò, & ab uberibus remoti, pane pascuntur. Unde lemma pani inditum; PASCIT ABLACTATOS. Ita spiritualia gaudia in eos tantùm à Deo dispensantur, qui à sæculi uberibus, ceu ab imbecilli & caducâ dulcedine, avulsi fuerint. Isacus Presbyter, *Esus panis*, inquit, *post ablactationem datur infanti, & homo, qui vult delectari in Divinis, prius se debet à sæculo, velut infans ab uberibus maternis alienare.* Eò advertebat Apostolus, quando Corinthiis suis dixit; *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam: nondum enim poteratis.* Nam interprete P. Cornelio à Lapide, initio, *quasi parvuli & carnales*, doctrinas simplices & captu facillimas ab eo suxerunt, reliquis solidioribus mysteriorum cibis tamdiu reconditis, donec in fide & virtutibus adolescerent.

Gaudiu[m] spiritual[e]

Isaac Pre[sb.] l. 1. de C[ontemp.] temp. mu[ndi] c. 1.

1. Cor. 3. 1. Corn à L[ap.] in hunc lo[c.]

141. Complura quidem ad panem conficiendum interveniunt; nempe lapis molaris, cribrum pollinarium, fermentum, aqua tepida &c. at his omnibus adhibitis, necdum comestioni deservire potest panis, donec ab igne, intra clibanum succenso, debitam perfectionem sortiatur. Atque adeò panis PERFICITUR IGNE. Ita sanè quævis nostra operatio virtuosa excellentiam & bonitatem suam nonnisi à charitatis igne emendicat. Dilucidè S. Bernardinus Senensis; *Nullum munus Deo plenè est gratum, nisi ex amore procedat. Non potest panis ad cibum placere, nisi fuerit igne decoctus.*

Charitas

S. Bern. Ser. 7. de Eleemos. a. 2. c. 5.

142. Pani, in mensâ posito, subscripsit P. Masenius; PER MULTAS TRIBULATIONES. Nempe *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, ejusque in cœlo mensæ adhiberi. *Quisquis ergo*, subjungit Magnus Augustinus, *Christo conjungitur, non ad delicias, non ad voluptates; sed ad prælium præparetur; quia omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.*

Act 14. 21 Tribula[tio].

S. Aug. ser. 93 de Tem. 2. Tim 3. 1[2]

PILEVS.

Cap. XIX.

143. Romanorum servi manumissi, pileo donabantur, ceu libertatis acquisitæ tesserâ. Proinde pileum hoc lemmate insignivi; E SERVITUTE LIBERTAS. De Religioso verissimè dixeris, quòd mundi ac vitiorum servitute exsolutus, in filiorum Dei libertatem felicissimam assertus sit. Claudianus in rem nostram canit;

Religio[sus]

Claudian[us] Stilicon.

Fallitur, egregio quisquis sub Principe credit
Servitium: nunquam libertas gratior extat,
Quàm sub rege pio.

Et S. Prosper;

Libertas nulla est major, majorve potestas,
Quàm servire Deo, cui benè servit Amor.

S. Prosp. Epigram.

S. Ambrosius; *Religiosa Servitus, subdita Verbo Dei, multò melior est, quam sæculi libertas.* Et Philo; *Reverà solus liber est, qui solum Deum sequitur. Imo ut equidem sentio, imperium habet in terrestria, tanquam immortalis, summi Regis, mortalis vicarius.*

S. Ambr. de Parad. Phil. l. q[uod] omnis pro[bus] sit liber.

144. D. Joannes Baptista Mazzolenus, ut demonstraret, nobilem quemdam Venetum, è Cappellarum familiâ oriundum, summo suo valore in Rempublicam illam non tantùm patrocinii plurimùm, sed & maximum ornamentum contulisse; Emblematis loco pileum (Italicè *capello*) è magnatis hujus insigniis desumptum pinxit, utpote qui humanum caput & ornat

Princep[s] defendi[t] ornat.

& ornat & defendit. Epigraphen addidit; TEGMENQUE, DECUSQUE. Gemino hoc encomio Mecænatem suum celebravit Horatius; *Horat. l. 1. od. 1.*

O & præsidium, & dulce decus meum.

S. Ambros. de Officiis. S. Ambrosius ad sublevandas aliorum miserias extimulans, ait; *Necessitates aliorum quantùm possumus, juvemus, & plus interdum, quàm possumus. Nihil tam secundùm naturam est, quàm juvare consortem naturæ.*

145. Idem Dominus Cappella, ob Provincias ac regimina optimè administrata, summam in populo spem excitavit, sui olim ad Principem Reipublicæ clavum evehendi. Unde Mazzolenus rursùm Emblematis loco pileum, Magnati illi cognominem, pingi fecit; addito lemmate, DEBETUR VERTICI. Veluti diceret; sicut pileus supremum corporis humani locum occupat, ita Capellam pro meritis suis ad serenissimæ Reipublicæ fastigium sublevatum iri. *Dignum est enim*, inquit Cassiodorus, *ut fructus laborum sequantur vota fidelium; & superiorem gradum accipiat, quem gestarum rerum integritas affecta commendat.* *Meritum in dignitate.* *Cassiod. lib. 1*

SCALA.

Cap. XX.

146. Scala vulgaris, quam manualem vocant, ab Aloysio Ferro epigraphen recepit; HAC UNA SUBLIMIA. Sic è Magno Augustino percontarer, quânam scalâ ascensus pateat ad fastigium omnium celsissimum, responsi loco digitum Humilitati intenderet; *Tutam*, inquiens, *veramque in cœlum viam molitur humilitas, sursum levans cor ad Dominum.* Et B. Umbertus; *Ut humilitatis fructum noveritis, agnoscatis quod est fundamentum spirituale, ædificium, ne cadat, sustentans, & scala ad cœlestia nos sublimans.* *Humilitas. Aug. l. 16. Civit. c. 4. Umbert. c. 37. utilitate humilitatis.*

147. Tametsi scala opportunam cujusvis fastigii conscendendi opem supponat, eam tamen non temerè aut unico saltu sed pedetentim absolvere licet. Unde lemma; NON STATIM ATTOLLIT. Inde discas, virtutis, dignitatis, aut perfectionis apicem non unico momento, sed gradatim, & interjectis moris obtinendum esse. Atalricus, Cassiodori ore, dixit; *Securus celsa conscendit, qui se in paulo minoribus approbavit: & certo procedit vestigio, qui gradatim desiderio potitur accepto. Sine merito siquidem remuneratum putatur omne, quod subitum est: nec inexplorati suspicionem refugit, quod repentè provenerit.* Et S. Bernardus; *Nemo repente fit summus, ascendendo non volando, apprehenditur summitas scalæ.* Ita Simeon Stylites columnis sublimioribus habitandis sensim assuevit, & ex uno columnæ vertice gradatim in alium altiorem ascendens, tandem gressu felicissimo cœlum conscendit. *Primùm enim jussit ædificari columnam sex cubitorum; deinde duodecim, postea viginti duorum, nunc autem sex & triginta. Cupit enim in cœlum volare, & ab hac terrena liberari conversatione.* Hactenus de illo Theodoretus. *Gradatim. Cassiod Var. l. 8. Ep. Bern ser. 2. S. Andr. Theodoret. Hist. Patrum.*

148. D. Archangelus Conter scalæ inscripsit; SCANDE GRADATIM. Enimverò in omnibus artificiis ac scientiis ordine progrediaris, necesse est; nam *Gradatim.*

Primò quoque die nemo Magister erit.

Meus Richardus Victorinus, Doctor inter Augustini argutiam & Bernardi dulcedinem medius, ait; *Nemo repente fit summus, nec scalæ summitas volando, sed GRADATIM ascendendo SCANDITUR.* Certè Deus Magorum triadem non illicò ex idololatria ad solis Divini splendorem evocavit, sed illorum oculos primùm in stellæ radios defigi voluit, ut argumento nobis essent, res quasvis gradatim in suos fines promovendas esse. *Hinc est*, inquit S. Petrus Chrysologus, *quod & Magos, adhuc noctis incolas, & totis obstupescentes oculis tenuiter micans stella assuefacit ad lucem, & GRADATIM ad ipsum fontem luminis & dierum.* *Rich. Vict. ... S. Pet Chrys. serm. 87. Gradatim.*

149. Meus Concanonicus D. Archangelus Conter hanc scalæ epigraphen publico symbolo exhibuit; AD ALTA PER IMOS. Innuebat videlicet, dignitatum incrementa ab inferioribus officiis auspicanda esse. Hoc encomio D. Cyprianus S. Cornelium deprædicat, qui omnes S. Ecclesiæ gradus ordine conscendens, tandem Summi Pontificatus fastigium attigit. *Non iste ad Episcopatum subitò pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in Divinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium, cunctis religionis gradibus ascendit.* D. Petrus Gonzales Valle, Regiæ Hispaniarum Majestati, Philippo IV. à servitiis, supremus Bellidux, & Gubernator Altensis, Heros hoc nostro ævo, si quis alius, præstantissimus, mihimet confessus est, se ad tantam conditionem ex infimis militiæ officiis ordine emersisse. Primùm enim, inquiebat, in Lombardia & Flandria inter pedites sarissophorum egi; dein centuriarum structorem; postea signiferum ac centurionem; donec tandem ad Gubernatoris, Ducisque munia propriis meis armis gradatim promoverim. &c. *S. Cyprian. l. 4. Ep. 2.*

150. Negotium, prudenti, sano, ac maturo consilio, animoque moderato peractum, scalæ symbolo demonstrabis; additâ Joannis Ferri inscriptione; NON STATIM, SED TUTE. Optimè cecinit Venusinus Olor; *Maturitas. Horat. l. 3. Carm od. 4.*

Vim temperatam Dii quoq; provehunt
In majus: iidem odêre vires
Omne nefas animo moventes.

Et Boetius; *Boet l. 1. Consol Philos. Metro 6.*

Quod præcipiti via
Certum deserit ordinem,
Lætos non habet exitus.

Seneca; *Maximè sunt contraria cõsilio festinatio & ira.*
Velox consilium sequitur pœnitentia. *Senec. lib. de Ira.*

151. Henricus I. Angliæ Rex, Emblematis loco scalam hoc lemmate insignem prætulit; PER GRADUS VELOX. Veluti diceret, illum demum felici velocique pede ad desideratam dignitatem pervenisse, qui ordine & observatâ graduum æquitate ad illam tetendit. Plutarchus, posteaquam docuisset, Reipublicæ gubernandæ munia ordine nunquam interrupto distribui debere, præclaram hanc eruditionem subjungit; *Sicut Romæ Vestalibus tempus distinctum fuit, ita ut primâ ejus parte sacra discerent, secundâ facerent, tertiâ alias docerent: utque Sacerdotes Dianæ apud Ephesum primò Melieren, id est, futuram Sacerdotem; deinde Hieren, ut jam Sacerdotem; postremò Parieren vocant, quasi defunctum Sacerdotio. Sic vir perfectè civilis primùm initiabitur, rempublicam gerere discet; deinde geret; ultimo loco alios initiabit atque docebit.* Seneca studiosos providè monet; *Nec passim carpenda sunt, nec avidè invadenda universa. PER PARTES pervenitur AD TOTUM.* *Dignitas obtenta. Plut lib an Senisit gerẽda Respubl. Senec. Ep 118*

152. Abbas Ferrus Umbris suis Apparentibus, scalam præfixit; addito Virgilii lemmate; ATTOLLIT

TOLLIT IN AURAS. Vel verbis è Seneca Mutuatis; DAT FACILES AD SUPEROS VIAS. Inde constat, magnatis cujusdam favores ad dignitatem obtinendam plurimum adminiculi supponere.

Auxilium.

Maria protectrix. Maria Virgo suo ad Deum interventu ac patrocinio scala mystica cognominatur, quæ Verbo Divino è cœlis in terras deferendo, & hominibus è terris ad cœlos efferendis, humeros suavissimos nunquam non submittit. In rem præsentem S. Fulgentius; *Facta est Maria scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad Cœlos.* Et Joannes Geometra;

S. Fulg. de laud. Mariæ. Io. Geometr. Hymn. 1.

Salve scala, polum penetrans, & sidera tangens,
Quæque Deum nobis, nosque Deo reparas.

Eleëmosina. Eleëmosynæ, propriis nostris manibus erogatæ, scalam ad cœlos conscendendos firmissimam struunt. Disertè Petrus Blesensis; *Eleëmosynis propriæ manus vobis scalam, & ascensorium erigatis ad illam supernorum civium mansionem, in qua est pax æterna.* Cæterum etiam Sacra Pagina, instar scalæ, ad Dei cognitionem promovet. S. Laurentius Justinianus; *Est sacra pagina scalæ comparata, per ipsam etenim, quasi per quosdam gradus, provehitur intellectus ad agnitionem veri & summi Dei.* Et S. Isidorus; *Sacrosancta volumina, quæ Divinarum scripturarum testimonium habent, scalæ quædam sunt, quibus ad Deum ascenditur.*

Pet. Bles. in Iob c. ult. S. Scriptura. S. Laur. Iust. de cast. Connub. c. 3. S. Isid. Pelusiota l. 1. Ep. 369.

153. Scala, erismate fulta, operam suam, instar statuminis pictorii, nonnisi fulcimento illo stabilita humanis usibus confert. Unde D. Joannes Bapt. Mazzolenus eam Emblematis sui loco figuravit; addito lemmate; FULTA EVEHET. Illos hæc imago spectat, qui ad animas gubernandas sublevati, in familiæ suæ insigniis scalam præferunt. Innuebat quippe Emblematis Author, se quidem animabus, ad Dei ac virtutis fastigium promovendis, plurimum impendisse laborem; semper tamen à Prælato illo, cujus beneficio munus illud ipsi obtigisset, suffultum fuisse. Porrò quisquis ad cœlum eniti cupis, auxilio ac gratiâ Divinâ sustenteris, necesse est. S. P. Augustinus; *Tibi*, inquit ad Deum, *semper adhærere necesse habemus, ut per continuum auxilium tuum sanctè & rectè vivere valeamus.*

Dependentia. Gratia Dei. S. Aug. lib. Medit. c. 18.

154. Scala, ut humanis usibus deserviat, nec sublimis nimiùm nec æquo humilior sit oportet. D. Joannis Bapt. Mazzoleni lemma est; NEC ERECTIOR, NEC DEPRESSIOR. Prælatus hanc iconem documenti loco sibi ob oculos figat, ut nec fastu se demonstret inaccessum, nec vilitate contemptibilem; sed mediâ incedens viâ, tam propriæ dignitati, quàm aliorum indigentiæ satisfaciat. Hanc artem probè edoctus S. Ambrosius, ait; *Non inducta humilitas, sed quæ habeat sui modestiam & scientiam, laudatur. Scio humiliari, id est, in quo loco, quâ moderatione, quo fine, in quo officio, in quo munere Nescivit Pharisæus humiliari, ideò dejectus est. &c.*

Prælatus extrema fugiat. S. Ambros. lib. de Officiis

155. Scala, è cœlo in terram protensa, epigraphen sustinet; CONJUNGIT UTRUMQUE. Illorum hæc imago est, qui conciliandis inimicis student; Cumprimis tamen in Mariam Virginem convenit, quæ non tantùm homini conjunxit Deum, humanis exuviis hypostaticè indutum; sed insuper scalæ officio defungitur, per quam è terra ad cœlum ascendamus. Unde à S. Ephremo verè cognominatur *Scala, ascensusque omnium.* A S. P. Augustino; *Scala cœlestis, per quam Deus descendit ad terras.* A Jo. Geometra; *Scala per quam descendit Deus, sed ascendit homo.* Et à S. Damasceno; *Scala viva, cujus locum Iacob conspexit.* In rem præsentem canit Emblematis Author;

Pacificator. M. Virgo. S. Ephr. de laud. B. V. S. Aug. serm. 35. de SS. Io. Geomet. in Cant. S. Damasc. Orat. 1. de Nat. B. V.

Dissidet immenso cœlumque solumq; recessu:
Scala tamen stratâ jungit utrumq; viâ.
Virgo via est; quisquis sine Virgine scandit Olympum,
Absque Deo scandit, quam præit ipse viam.

156. Scalæ beneficio in altum exurgit homo. Unde illam hoc lemmate insignivit P. Sebastianus à Matre Dei; FERET IPSA SURSUM. Mariam Virginem Scalæ nomine intelligas velim; quippe quâ succollante citra negotium cœlos conscendimus. Eadem charitatis est indoles, quæ indubitato gressu ad cœlum attollit. S. P. Augustinus; *Ardete igne charitatis; ardor iste sursum vos rapet, sursum tollit, in cœlum levat. Quidquid molestiarum passi fueritis in terrâ, quantumcunque Christianum cor humiliatum deorsum premat inimicus; summa petit ardor dilectionis.*

Maria. Charitas. S. Aug. ser. 87. de Div.

SCRINIUM.

Cap. XXI.

157. Alcibiades Lucarinus virum quemdam litteratum, ad complura volumina sigillatim edenda accinctum, Scrinii Emblemate repræsentavit, quod diductis ambabus valvis in plurimos loculos distinguebatur; cum lemmate, ET SINGULATIM EDENTUR. Complura non tantùm naturæ, sed & fidei arcana humano intellectui nonnisi temporum successu manifestantur. Seneca id probè perspiciens, ajebat; *Multa venientis ævi populus ignota nobis sciet. Multa sæculis tunc futuris, cùm memoria nostri exoleverit, reservantur.*

Successiva. Senec. ap. Lipsium l. Physiol. dissert. 1.

158. Scrinium obseratum hoc epigrammate legendum proposui; NON PARET EXTRANEIS. Lemmatis occasione è Tertulliano desumptâ, ubi ait; *Nullus omninò thesaurus extraneis patet.* Eadem animæ perfectæ consuetudo esto, ut virtutis ac sanctimoniæ suæ rationem nemini alteri, nisi Patri spirituali ac conscientiæ arbitro manifestam faciat. Ita quoque omnis familia aut Religio benè instituta suos redditus aut alia majoris momenti negotia nemini extero detegit. Esseni, Legis Mosaicæ Religiosi perfectissimi, inter cætera hoc juramento se obstrinxerunt; *Nihil eorum, quæ apud eosdem arcana sunt, cuiquam patefacturam, etiamsi vi, eis ad mortem usque adhiberetur;* uti de ipsis refert Josephus Hæbreus, S. Ignatius Loyola alumnis suis disertè præcipit; *Nemo, quæ domi acta vel agenda sunt, externis referat; nisi superiori id probari contingat.* Canonici Regulares Lateranenses, Canonici S. Salvatoris, Cassinenses, Chamaldulenses, Cælestini, Cartusiani, Dominicani, Eremitæ Augustiniani, Franciscani, & Capucini in suis Constitutionibus severè cavent, ne Religionum aut Congregationum arcana quisquam in exteros divulget. Certè Persis sanctum erat, Regis secreta altissimo silentio premere; ut adeò Alexander Magnus, omni adhibitâ diligentiâ, nullum illorum potuerit investigare. De His Quintus Curtius; *Cæterùm Alexander, quam regionem Darius petiisset, omni curâ vestigans, tamen explorare non poterat: more quodam Persarum, arcana Regum mirâ colentium fide; non metus, non spes elicit vocem, quâ produntur occulta.*

Tertull. de Pœnitent. Virtus abscondita. Arcana domestica non publicanda. Ioseph. l. de Bello Iud. c. 7. S. Ign. Reg. Commu. Curtius 4.

159. Arca, cymeliis pretiosis locuples, epigraphen tenet; PRETIOSA LATENT. Mariæ Virginis hæc imago est, quæ Verbo Divino gravida, thesaurum omnium pretiosissimum in utero reconditum habuit. Unde à S. Gregorio Neocæsariensi verè cognominatur. *Arca verè regia, arca pretiosa, quæ*

Maria. Greg. Neoc. Orat. 1. Annunt.

quæ excepit totius sanctificationis thesaurum. Et ab Andrea Hierosolymitano, *Arca novæ gloriæ, in quâ Dei Spiritus delapsus quievit.* In rem præsentem canit P. Masenius;

Arca rudis, Virgoque humilis, pretiosa recondunt.
Virgo suas dotes, arca recondit opes.

S. Antonius Paduanus eodem symbolo exactè repræsentatur, quippe qui *dicendi copiâ & sapientiâ tantùm profecit, tantamque sui admirationem commovit, ut eum Summus Pontifex aliquando concionantem audiens, ARCAM testamenti appellârit.*

160. Arcam fœderis, ceu proprium Virginis Deiparæ ectypon, hoc lemmate insigniveris. NON NUMMIS, SED NUMINI. Unde Maria V. à S. Gregorio Thaumaturgo cognominatur, *Verè arca sanctissima, Virgo, intrinsecus deaurata, quæ universum sanctitatis thesaurum suscepit.* Appositè canit P. Masenius;

Non patet hæc nummis, sed magni est Numinis arca;
Quàm similis Virgo, dissimilisque fuit!
Lapsas arca polo leges, ac manna tenebat.
Legifer hâc arcâ Virgine clausus erat.

Anima humana, instar Divinæ arcæ, potius virtutibus quàm divitiis colligendis studeat. S. P. Augustinus; *Cor tuum sit arca Dei, ubi habitent divitiæ DEI.*

SITVLA.

Cap. XXII.

161. INter cæteram D. Ascanii Piccolominii, Archiepiscopi Senensis, pompam funebrem, Academici Philomati duas situlas figurarunt, quæ è rechamo supra puteum suspensæ, epigraphen tulerunt; ALTERA LEVATUR. Mens Emblematis erat, tametsi una optimi Pontificis illius particula, nimirum corpus, in obscuram humum descenderit, alteram tamen longè nobiliorem, animam videlicet, ad cœlestis gloriæ felicitatem sublevatam esse. S. Bernardinus Senensis eâdem omninò methaphorâ demonstrat, carnem & spiritum bello intestino adeò implacabili inter se conflictari, ut unâ parte depressâ, mox altera resurgat. *Anima & caro sunt quasi duæ situlæ, in puteo applicatæ, quarum quandò una descendit, altera ascendit. Sic quando caro infirmatur, spiritus impinguatur, & è converso. Unde 2. Cor. 12 Apostolus ait, cùm infirmor, scilicet in corpore, tunc potens sum in mente.*

162. Situla, supra putei marginem figurata, à Cardinali Montalto epigraphen recepit; HAURIT EX ALTO. Ita Palatinus è primâ Summi Pontificis aut Regis admissione, omnia arcana & profunda ipsorum consilia, nemine alio interveniente, participat. Illud ipsum etiam hominis contemplativi est symbolum, qui miras à Deo illuminationes & apocalypses recipere consuevit; uti olim Moses, Prophetæ, Apostoli, & cumprimis S. Petrus experti fuêre. De D. Petro disertè affirmavit Christus; *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* De se ipso ad Galatas protestatur S. Paulus; *Notum vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominē: neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per revelationem Iesu Christi.* S. Joannes Evangelista ex ipsomet Divinitatis incarnatæ sinu, velut è profundissimo aquæ vivæ puteo, omnem sapientiæ plenitudinem hausit; ut adeò verè de ipso canat Sancta Ecclesia. *Fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit.* De Prophetis universim testatur Magnus Augustinus; *Nobis ea loquuntur Prophetæ Dei, quæ audiunt ab eo; nihilque aliud est Propheta Dei, nisi enuntiator Verborum Dei hominibus, qui Deum vel non possunt, vel non merentur audire.* S. Aug. lib. quæst in Exod. q. 17.

163. In multis villis, ad aquas è puteo extrahendas hoc utuntur artificio. Oblongum ac trabale lignum supra puteum in æqualibrio suspendunt, quod è postrema parte saxo prægravatum, ex anteriori situlam connexam habet. Unde situla, in aquas submersa, mox ab adverso pondere sublevatur, & rursus ad putei labrum extrahitur. Epigraphen adjeci; GRAVITATE ATTOLLITUR. Dicere volebam, cordi humano è calamitatum ac persecutionum pondere vires accrescere, quibus ad virtutem ac Dei amicitiam subvolet. S. Petrus Damianus; *Laudanda Divina est dispensatio, quæ ad hoc suos temporaliter verberat, ut perpetuis eos flagellis abscondat: ad hoc PREMIT, UT ELEVET, ad hoc secat ut sanet, ad hoc DEYCIT, UT EXALTET.*

Calamitates exaltant. S. Pet. Dam. l. 8. epist. 6.

164. Duæ situlæ, è trochlea supra puteum suspensæ, alternis vicibus, ac veluti partito labore, aquas hauriunt. Unde lemma; ALTERNIS DEMERSÆ VICIBUS. Vel ut aliis placet; ALTERNANT PONDERA EUNDO. Hanc ipsam laborum, dignitatum, honorum ac munerum vicissitudinem meliores Respublicæ ac Religiones ita solent instituere, ut, juxta distribuentis Justitiæ leges, ex aliis alii ad regiminis clavum sedeant. Emblemati explicando hos rhytmos Italicos subjeci. Dignitatū vicissitudo

Mira Filin gli arnesi.
A quella rota appesi,
Che distillando limpidi sudori,
Cavan dal fondo i cristallini humori.
Vedi, che mentre l' un del pondo è scarco,
L' altro sostenta il poderoso incarco:
E ben sembrano der con muti accenti,
Che dobbano i viventi,
Scambievolmente à le fatiche intesi,
Con vicende alternate alzare i pesi.

Hunc ordinem apprimè observatum habuit sapientissimus Salomon, quando operarios suos in Libano laborare jussit *per menses singulos VICISSIM*; aliis identidem substitutis, qui prioribus justum respirandi spatium facerent. Eâdem omninò providentiâ Templi & Tabernaculi Divini Custodes ac ostiarios conduxit. *Custodes vestibulorum tabernaculi, & familiæ eorum per vices castrorum Domini* (erant) *custodientes introitum.* Quin; & Sacerdotum Principes illam dominii ac ministerii sui vicissitudinem subibant; nam filii ac nepotes Aaronis viginti quatuor à Rege Davide in totidem sortes fuêre distincti, ut, alternante dignitate, singuli ad primos illos Sanctuarii & Synagogæ honores eveherentur; uti primus Paralipomenon docet. Venerabilis Beda hanc doctrinam nervosè repetit, quando illa D. Lucæ verba, ubi dicitur, quòd P. Joannis Baptistæ fuerit *Sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia*, ita commentatur; *Erant enim Principes Sanctuarii, id est, Summi Sacerdotes, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar, quorum vices secundum ministeria sua ut ingrederentur Domum Dei, viginti quatuor sortibus David distinxit, in quibus familia Abia, de qua Zacharias ortus est, sors contigit octava.* Cæterùm etiam homines laboribus & ærumnis nunquam adeò deprimuntur, quin identidem aliqua interveniant quietis ac gaudii levamina. D. Angelus Maria Arionus Abbas apud Comitem Fulvium Testi canit;

3. Reg. 5. 14. — 1. Paral. 9. 19. — 1. Paral. 24. — Labor alternus.

Fora

Fora inferno la vita, co' i tormenti
E mular potria Dite,
S'havesse i suoi martiri anch' essa eterni.
Mà il fin prescrive il Ciello à i nostri stenti,
E con legge più mite
RENDE I RIPOSI À LE FATICHE ALTERNI. &c.

Princeps beneficus. 165. Putei trochlea complures situlas in orbem dispositas, sustinet; cum lemmate; UNA OMNES, subintellige, *sustinet*. P. Vincentius Cicala, è Societate JESU, hoc Emblemate munificam magnatis cujusdam versùs amicos & servos suos beneficentiam demonstrabat. Cumprimis tamen beatissimam Virginem eâ trochleæ imagine significabis, quæ omnes suos clientes pretiosissimâ cujusvis felicitatis & gratiæ aquâ è Divinitatis puteo replet. Ipsamet enim testis locupletissima, de se affirmat; *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Unde meus Sapientissimus Idiota, *Accede igitur*, inquit, *per devotam mentis contemplationem ad gloriosissimam Virginem Mariam, quia per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa, & ab ipsa habet mundus, & habiturus est omne bonum.*

Maria protectrix. Prov. 8.35. Idiot. l. de Virg Maria in Prolog.

166. Academici Intenti Mediolanenses Symboli universalis loco complures situlas præferunt, quæ circùm trochleam dispositæ, & aquis hauriendis ex æquo accommodatæ, epigraphen sustinet; LABOR OMNIBUS UNUS. Verbis è Virgilio mutuatis, ubi de Apibus canit;

Virg l. 4. Georg. v. 184

Omnibus una quies operum, LABOR OMNIBUS UNUS.

Concordia Religiosorum. Hanc unionem & affectuum concordiam, in quâvis familia, Religione, aut Republicâ necessariam conjicies: quippe quæ peculiari ratione ad opera ex æquo instituenda contendere debent. Sophonias de operationibus in lege Evangelica perficiendis vaticinatus, Dei ore dixit, *Tunc reddam populis labium electũ, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno.* Hunc locum interpretatus P. Julius Nigronius, ait; *Sit labium electum, benè de omnibus, religiosè, spiritualiterque cum omnibus loquendo. Sit CUNCTORUM HUMERUS UNUS in ferendis oneribus ordinis & cœnobii, quæ humeris portari solent. Sit OMNIUM UNA OPERATIO & actio &c.*

Sophon. 3. 9. Iul. Nigron. Reg. 30. Com. n. 45.

Afflictus. 167. Quidam è Gusmanorum familiâ duas situlas, circùm rechamum coordinatas, hoc allegorico lemmate notavit; LOS LLENOS DE DOLOR, Y LOS VAZIOS DE SPERANZA. Id est; QUÆ PLENA, DOLORE; QUÆ VACUA, SPE. Cor nimirum quantum afflictum, omnique solatio destitutum, hoc Emblemate demonstratur.

Damnatus Cumprimis tamen extremam damnatorum calamitatem ob oculos statuit, qui ad æternitatis rotam suspensi, non tantùm doloribus atrocissimis replentur, sed & omni meliore spe penitus vacui jactantur. Definita & irrevocabilis tremendi Judicis sententia est; *Ibunt in supplicium æternum.* Providè S. Paulus; *Qui non obediunt Evangelio Domini nostri IESU Christi, pœnas dabunt in interitu æternas.* Hos cruciatus, quoad intensionem (cum Theologis loquamur) & durationem acerbissimos, facundo calamo depingens S. Cyprianus, ait; *Continuus erit & superfluus illarum lachrymarum decursus, stridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt, Immortales miseri vivent; & omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur ultra Deus: nullum ibi refrigerium, nullum remedium.*

Matth. 25. 46. 2. Thess. 1. 8. S Cyprian. Tract. de Ascens Dom.

168. Situlæ, in puteum descendenti, subscripsi; SIDAM, UT IMPLEAR. Illum hoc symbolo exornabis, qui proficiendi desiderio se ipsum ita deprimit, ut ad prima Grammaticæ aut humanarum litterarum elementa addiscenda, infimas scholas frequentare non abhorreat. Hoc encomio insignem se probavit S. Ignatius Loyola, qui adultâ jam ætate triviales Barcellonæ scholas accessit, ut sublimioribus scientiis se præpararet, earumque fundamenta jaceret. Ea ipsa etiam hominis ambitiosi est indoles, qui nõnunquam fastui suo ita dexterè dominari novit, ut transitoriæ cujusdam dignitatis aut honoris affluentiam aucupaturus, in aliorum obsequia profundissimè inclinetur. De hâc hominum farina S. Petrus Damianus, *Humiliantur*, inquit, *ut postmodùm impunè superbiant: se pedissequos exhibent, ut præcedant: laboribus atterruntur, ut gaudeant: affliguntur inopia, ut nuptialis edulii continuâ postmodùm epulatione urgescant.* Cæterùm iis quoque hanc icõnem domesticam facies, qui gratiæ Divinæ plenitudinem dignò animæ suæ sinu excepturi, sub Numinis supremi conspectum sese demisissimâ voluntate abjiciunt. Hanc artem probè edocta Mulier Chananæa, cùm Divinas aures precibus suis surdas sentiret, mox propriam vilitatem ita profundè confessa est, ut catello indignissimo se diceret similem. *Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum;* Sicque Christum votis suis annuentem habuit. De hâc S. Petrus Chrysologus; *Meritò, quæ se canem confessa est, in hominem commutatur: meritò adoptatur in filiam, levatur, honoratur ad mensam, quæ sub mensa laudabili & provida humilitate se dejecit.* S. P. Augustinus eadem effecta in Centurione deprehendens; ait, *Tecto non recipiebat, corde recipiebat; QUANTO HUMILIOR, TANTO CAPACIOR, tanto plenior: colles enim aquam repellunt, valles implentur.* Et rursus super illud Magdalenæ elogium; *Sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*; ait; *Quanto autem humilius sedebat, tantò amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.*

Humil. Ambitiosus. S. Pet. Dam. l. 2. Epist. Matth. 15. S. Pet. Chrys. Serm. 10. S. Aug. in Io. 74. de Temp. cap. 8. Idem ser. de Verb. Luc. 10.

Societ. 169. Fieri nequit, aliquem, assiduâ hominis virtuosi aut litterati consuetudine usum, nihil omninò bonitatis aut sapientiæ contrahere; haud secus, atq; situla, intra puteum submersa, non potest non limpido ac divite ipsius liquore inebriari. Unde situlam, puteo immersam, hoc lemmate distinxi; HAUD REDIT INANIS. Seneca; *In conversatione virorum sapientùm non deprehendes, quemadmodum aut quando tibi prosit: profuisse deprehendes: Æque præcepta bona, si sæpè tecum sint profutura, quàm bona exempla. Pythagoras ait, alium animum fieri intrantibus templum, Deorumque simulachra ex vicino cernentibus, & alicujus oraculi opperientibus vocem.* Porrò quisquis aliquid favoris à Deo vel hominibus emendicare cupit, profundam animi demissionem, veluti cujusvis rei obtinendæ facundissimum oratorem, præmittat, necesse est.

Senec. Ep. 94. Humil. obtine[ndi]

Studiosus 170. Qui sapientiæ suæ incrementa, è libris doctis conquisita, optimo animo in alios dispensant, situlis non absimiles se exhibent, quæ circa ingentem rechamum distributæ, solâ hujus revolutione in vicinum flumen merguntur, & aquas ubertim haustas, mox horto irrigando, rursus in canales liberalissimè effundunt. Emblematis inscriptionem è meo Richardo Victorino accepi mutuam. HAURIUNT, ET EFFUNDUNT. Salomon de sapientiæ suæ affluentia optimè dixit; *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo.* Seneca, *Ego*, inquit, *cupio in te omnia transfundere, & in hoc GAUDEO aliquid DICERE, UT DOCEAM: nec me ulla res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam mihi uni sciturus sum.*

Rich. in Ps. Sap. 7. 1 Senec. 6.

Et

Vincen. Belu. Specul. histor lib. 29. c. 94. Et Vincentius Belüacensis, de S. Dominico disserens; *Divinis eloquiis vehementer inhiare cœpit, quorum melle ac dulcedine delectatus, hausit avidè, quod postea effudit abundè.*

171. Duces Mediolanenses Symboli loco tria trunci ramenta præferre consueverunt, quæ ex uno latere flammis succensa, ex altero tres situlas, aquâ plenas, sustentabant; addito Galleazzii Visconte, secundi Ducis Mediolanensis, lemmate; HUMENTIA SICCIS. Vel ut Domino Vendramino placuit; EX UTRISQUE SECURITAS. Enimverò Princeps suppliciorum igne, ac benevolentiæ aquis cùm propriæ, tum Reipublicæ tranquillitati omnium optimè consulit. Justi Lipsii Politica est; *Imperantium fervor cum prudentia: severitas cum clementia; actiones cum salute civium sint conjunctæ.* Solon interrogatus, *quid magis ad Republicæ salutem prodesset?* respondit; *si boni præmiis invitantur, mali autem pœnis coërcentur.* Lycurgus dicere est solitus; *DVABVS potissimùm REBVS CONTINERI REMPVBLICAM; PRÆMIO scilicet, ET POENA.*

Justitia & clementia. Lipsius l. de una Relig. Solon apud Io. Stobeum serm. 41. Cicero in epist. ad Brutum.

172. Situla, nonnisi sociâ suâ depressâ, sublevari potest. Unde lemma; DEPRESSIONE ALTERIUS. Ita Usurarius opum suarum incrementa cum aliorum dispendio colligit. S. P. Augustinus; *Quis optat hæreditatem, nisi morte alterius? quis optat lucrum, nisi damno alterius? Quàm multi aliorum defectione cupiunt sublimari &c.* Hebræorum populus, è diuturno Ægypti carcere liberatus, ad complurium regnorum fastigia emersit; at nonnisi Philistæis, Amorrhæis, Pherezæis, aliisque Palæstinæ Principibus dejectis. Julius Cæsar, Republicâ Romanâ, Germaniâ, Galliâ, Hispaniâ, Angliâ, aliisque Provinciis violentâ manu subjugatis, ad Imperii Majestatem eluctatus est. Turcarum Tyrannus è Christianorum clade maximos progressus fecit; quippe quibus Palæstinam, Bulgariam, magnam Hungariæ partem, Imperium Græcum, Cyprum &c. eripuit.

Usurarius. S. Aug. in Psal. 64.

173. Doctor Sforza Oddi, primarius Legum Professor Papiæ, & Academicus inter intentos Alleviatus, vir summi ingenii, Symboli sui loco baculum depinxit, qui à manu libratus, ex una parte situlam, ex altera verò lignum seu saxum adeò grave suspensum habuit, ut situla, veluti pristini sui ponderis oblita, ab adversâ saxi mole in altum raperetur. Epigraphen subdidit; PONDERE FIT LEVIOR. Mens Emblematis erat; sicuti situla, à saxeo illo pondere ad æquilibrium protracta, in aëre suspendi, ac levitatem penitus insolitam inducere didicit; ita Jurisprudentiæ docendæ molem sibi longè suavissimam ac facillimam videri, utpote quam assiduæ Academicorum exercitationes, non sine omnium applausu ab ipso celebratæ, plurimùm sublevarent. Atque adeò quævis gravissima pondera, si amorem connexum habeant, difficultatis suæ obliviscuntur, & portatu levissima se præbent. Probè id edoctus Magnus August. gnomam hanc suam identidem ingeminabat; *Amor meus pondus meum.* Paradoxum nonnullis videtur, quòd Magdalena, annis tenella, sexu debilis, ac vivendi ratione delicata, solis suis brachiis exanime Christi corpus transportare præsumpserit, cui ferendo, etiam plures bajuli succubuissent. *Si tu sustulisti eum,* inquiebat, *dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* At P. Nicolaus Lyranus affirmat, eam, amoris pondere sustentatam, omnem illam difficultatem credidisse facillimam. *Ex virtute enim amoris credebat se posse portare tantum corpus etiam mortuum, quia ferventer amanti nihil videtur difficile.* Porrò præsentis vitæ calamitates nonnunquam videntur sublatu gravissimæ ac penitus intolerabiles; at si cum æternæ gloriæ gaudio librentur, mox, veluti ab adverso pondere, suavissimam facultatem sortiuntur. S. Joan. Chrysost. illam Apostoli sententiam interpretatus, *Quòd in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis,* ait; *Vide ergò etiam quidquid in præsenti est, leve esse, etiamsi tribulatio sit. Quomodo leve? Quia immensum PONDVS futuræ GLORIÆ LEVEM FACIT præsentis temporis TRIBVLATIONEM, etiamsi sensibus nostris gravis videatur.* S. Bernardo teste, omnes quamlibet gravissimæ mundi calamitates mitigantur ac toleratu redduntur faciles, si cum immani sanctæ Crucis trunco, myrrhæ fasciculo, aliisque acerbissimis Christi suppliciis ex æquo appendantur. *Si ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, levius vestras portabitis.*

Amor. Aug. lib. 13. Confess. c. 9. Ioan. 20. 15. Lyran in hunc loc. Æterna gloria sublevat. S. Chrysost. l. 1. de compunct. cordis cap. 5. 2. Cor. 4. 17. Passionis Christi considératio. S. Bernard. serm. 43.

174. Situla, è rechamo supra oceanum suspensa, epigraphen à P. Masenio cepit; HAURIT INEXHAUSTUM. Theologis id proprium est, qui scientiæ suæ guttulas ex inexhausto Divinitatis mari hauriunt. Maria Virgo tot gratiis & erga nos favoribus abundat, ut indies hausta nunquã exhauriatur. Ut adeò verè à S. Damasceno cognominetur *Pelagus gaudii inexhaustum;* à S. Chrysostomo, *Mare spatiosum misericordiarum;* Et à S. Damasceno rursus, *Pelagus gratiarum.* Concinnè canit Emblematis Author;

Theologia Mariæ V. beneficẽtia S. Damas. Or. 1. de Nat. S. Chrysost. in Hor. S. Dam. Or. 1 de Assumpt.

Vastum haurire licet, non exhaurire profundum:
Sufficit æterno gurgite pontus aquas.
Plurima quantumvis profundat munera Virgo:
Plura tenet. Vastum est sola Maria mare.

SPECVLVM.

Cap. XXIII.

175. Ustum ac sincerum hominis animum speculi symbolo repræsentabis; addito lemmate, CUNCTIS ÆQUE FIDUM. Vel; OMNIBUS IDEM. Cujusvis boni Principis, æqui Judicis, aut prudentis Prælati hæc effigies est; quippe qui beneficentiæ suæ radios in omnes, citra partialitatis notam, dispensant. Certè ipsemet Deus, Virgilio teste, hanc agendi rationem præit;

Princeps. Judex. Deus. Virg lib. 10. Æneid. v. 112.

Rex Jupiter OMNIBVS IDEM.

Quin; idem Deus S. Cyrilli ore de se ipso pronuntiavit; *Mihi omnes ex æquo intuendi.* S. Bernardus sacras Litteras speculo fidelissimo similes dixit, in quo genuina vitæ suæ lineamenta quivis perspicere potest. *Evangelium, speculum veritatis, nemini blanditur, nullum seducit, talem in eo se quisque reperit, qualis fuerit.*

S. Cyrill. in Amos. n. 82. S. Bernard. serm. de 7. Panibus.



176. D. Atesio authore, speculum hanc præfert epig. OMNIBUS OMNIA. Ita animus, charitatis studiosus, omnium genios ac indigentias, non sine aliorum ingenti solatio, induere novit. De se ipso testatur Apostolus; *OMNIBVS OMNIA factus sum, ut omnes facerem salvos.* Commiseratione enim, non quidem simulatâ, sed integerrimâ erga omnes ita afficiebatur, ut, quantùm Divinæ leges permiserant, omnium inclinationibus ac miseriis sublevandis studiosissimè attemperaretur. Dilucidè S. P. Augustinus; *Non mentiendo, sed compatiendo: non simulantis astu, sed commiserantis affectu omnibus omnia factus est Paulus.* Unde optimum S. Laurentii Justiniani consilium est; *Transformemur in singulos, communicemus nos omnibus; ita ut illud Apostoli compleatur in nobis; omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifaciam.*

Charitativus. 1. Cor. 9. 22.

S Aug. epist. 9. & 19.

S. Laur Inst. de triump. Christi agone cap. 4.

Veritas.

177. Veritatem, fallere omninò nesciam, Parthenii Romani è speculi symbolo dignoscendam proposuêre: addito lemmate, FALLERE NESCIUM. Vel ut alii inscripsêre, NULLI FALLAX. Et alii; PRODERE NON NOVIT. Ad eandem vitrei hujus Judicis iconem licebit amicum fidelem ac sincerum explorare, qui fraudem ac fucum omnem longissimè à se alienum habet. Hoc sensu D. Gregorius Brunellus canit;

Amicus verus.

Vitrea sinceram hæc fingit tibi machina mentem,
Quæ nequit admissâ nectere fraude dolos.

Plutarchus dixit; *Amantis veri cor ut speculum splendidum.*

Et Otho Venius;

Oth. Ven. in Embl. Amor.

Ut purum nitidum, haud fallens, speculum decet esse,
Sic verus quoque sit, non simulatus Amor.
Verùm candidus, & qui animū fert fronte in aperta,
Conveniunt dolus & fucus, Amorque malè.

S. P. Augustinus affirmat, in quovis sacræ Paginæ volumine aut historiâ speculi indolem reperiri, quæ adulandi aut fallendi artes penitus ignorans, cuivis venustum aut informem animæ suæ vultum exactè delineat. Unde animam ante sacrum illud speculum instar sponsæ defixam, his omninò verbis alloquitur; *Vide si hoc es quod dixit; si nondum es, geme, ut sis. Renuntiavit tibi speculum faciem tuam, sicut speculum non sentit adulatorem, sic non te palpes. Hoc tibi ostendit nitor ille, quod es; vide quæ es: & si tibi displicet, quære ut non sis.* Et post ipsum S. Thomas Villanovanus; *Sacra scriptura nitidissimum speculum est, talem reddens vultum hominis, qualis est.*

S. Scriptura.

S. Aug. C[…] 1. in ps. 103

S. Tho. V[…] Conc in G[…] Pasch.

178. Res quævis minutissimæ, in speculum illapsæ, ab eodem speculo mirâ industriâ & studiosissimè redduntur. Ut adeò Lucretius Borsatus opportuno hoc lemmate illud insigniverit; MINIMA REDDIT. Grati ac benigni animi hæc idea est, quæ tenuissima quævis beneficia liberali manu rependere consuevit. Certè Jacob mentem adeò gratam imbiberat, ut Deo sanctè spoponderit; *Si dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* In hunc locum S. Joan. Chrysost. *Vide justi gratitudinem: petebat quidem, at nihil pretiosum, sed panem & vestem: promittebat autem & sua Domino. &c.*

Gratitu[…]

Gen. 28. S. Chrys[…] hom 54. Genes.

179. Speculum propriam cujusvis faciem ita cautè ac distinctè delineat, ut, si oculos in illud defixero, nullam omninò lineolam ex alterius vultu, quę paulò antè repræsentabat, ad me derivet. Unde lemma; NULLI QUOD ALTERIUS. Vel, CUIQUE SUUM. Ipsissima hæc secreti custodiendi fidelitas omnibus nobis adeò congenita esto, ut nihil unquā cum aliis improvidè cōmunicemus. Seneca; *Quidā quæ tantùm amicis committenda sunt, omnibus narrāt, & in quaslibet aures quidquid illos urit, exonerant.*

Secretum non vulgatum.

Senec. p. 2 Epist. Ep[…]

Quidam

Quidam etiam rursus clarissimorum conscientiam reformidant: & si possent, ne sibi quidem credituri, intus premunt omne secretum. Neutrum faciendum est. &c.

180. Basiliscum proprius suus venenatus halitus, è speculo adversùs ipsum reverberatus, interficit. Unde speculum, ab exanimi basilisco triumphans, epigraphen reddit; VENENA RETORQUET. Opportuna hæc Principis idea est, qui maligna consilia in autorum suorum perniciem justissimè retorquet. Emblematis mentem erudito hoc poëmate explicat meus Concanonicus D. Salvator Carducius;

[P]rinceps [c]ultus.

Dum speculi candor jactata venena retorquet,
Concidit exanimis funere belua sua.
Dogmate non aliter stygio dum perdere tentas
Regem; perniciem, quam paris, ipse bibis.

Præclarè dixit S. Basilius; *Consilia, adversus justos inita, in caput malignè consultantium retorquentur.*

[S]. Basil in [c]ap. 3. Isaiæ.

181. Speculum, instar zelosi ac sinceri amici, mutâ quidem, at intelligibili voce quosvis in se defixos docet, eosque opportuno consilio admonet, quænam laude digna aut emendatu necessaria ipsis adhærescant. Unde lemma: CORRIGENDA, AUT PROBANDA. Multus in hoc argumentum Seneca; *Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret: multa ex hoc consecuta; primò sui notitia, deinde & ad consilium quædam: formosus, ut vitaret infamiam; deformis, ut sciret, redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset; Juvenis, ut flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi, & fortia audendi; senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.* Has ipsas speculi proprietates in Correctore observatas habet S. Clemens Alexandrinus; *Quemadmodum enim speculum non est malum deformi, eò quod ipsum ostendat qualis sit: ita nec is, qui reprehendit, ei malè vult, qui laborat animo, neque enim infert ei delicta, sed ea, quæ adsunt, peccata ostendit, ad hoc ut avertat ab hujusmodi studiis.* Porrò virtutis exemplum, in aliorum vita deprehensum, instar speculi, nostram vivendi rationem probandam vel improbandam ob oculos statuit. Dilucidè S. Ambrosius; *Sanctorum vita cæteris norma vivendi est.* Et paulò post; *Sit igitur nobis propositus sanctus Joseph, tanquam speculum castitatis.* Et alibi; *Sit nobis tanquam in imagine descripta vita Mariæ, de qua velut ex speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumamus exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari, magisteria sunt expressa probitatis, quæ QUID CORRIGERE, QUID TENERE debemus, ostendunt.* Nec minus eadem vitæ nostræ ratio etiam ex sacris litteris dignosci potest, *corrigendane sit, aut probanda?* Opportunè S. Gregorius Papa; *Scriptura sacra mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur: ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus, quantum proficimus: ibi, à profectu quàm longè distamus.* Et S. Bernardus, suos Religiosos exhortans, *Consideremus,* inquit, *nosmetipsos in ea, quam audivimus, sacri Evangelii lectione, ut proficiamus ex ea, & corrigamus secundùm eam, si quæ in nobis deprehendimus corrigenda.* Denique etiam conscientia nostra speculi vicem subit, quod oculis in se defixis omnia *corrigenda aut probanda* fidelissimè explicat. Providentissimè Magnus Augustinus; *Si mulieres speculum suum curiosè tergunt à pulvere & sorde, multò magis speculum interioris hominis debemus & invenire, & tergere, & inspicere, ut in eo totam turpitudinem nostram valeamus deprehendere.*

[S]enec. lib 1. Nat. quæst [c]ap. 17.
[C]orrector.
[S]. Clem. Alex. l. 1. Pæd. cap. 9.
Exemplum bonum.
S. Ambros. lib. de Ioseph. c. 1.
Idem l. 2. de Virgin.
S. Scriptura.
S. Greg. l. 2. Moral. c. 1.
S. Bernard. serm 1. de Sept. panib.
Conscientia.
S. Augustinus.

182. Speculo inscribes; RECEPTUM EXHIBET. Ita gratus hominis animus cunctos favores, à Mecœnate in se derivatos, palam ostendit ac deprædicat. Genuinam hanc S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ effigiem dixeris; nam Rupertus Abbas, cur sancto Matthæo hominis facies tribuatur, interrogans; respondet; *Erat tanquam speculum perlucidum, sed in tenebris reconditum. Ubi ergò vidit eum Jesus, & sol verus resplenduit ei, quia vidit eum talis filius hominis, reddidit imaginem ejus, & formata est in ipso facies hominis.*

Gratitudo.
S. Matthæus.
S. Rup. Abb. apud Zerdan in cap. 8 Iudith nu. marg. 207.

183. Alius eidem symbolo hanc adjecit gnomam; REFLECTET ALIENUM. Talis omninò est mutua duorum beneficentia Agapytus Diaconus hoc speculi schemate Divinum judicium ob oculos statuit; *Sicuti exquisita specula tales monstrant vultuũ apparentias, qualia ipsa sunt archetypa, nitidas videlicet nitentium, tristes autem tristantium: eodem pacto justum Dei judicium nostris actionibus assimilatur: qualia enim sunt, quæ à nobis præstantur, talia ipse nobis par pari referens exhibet.* Juventus, speculo simillima, actiones in aliis observatas studiosè imitatur ac repræsentat. Aloysii Novarini in rem præsentem epigramma est;

Beneficentia mutua.
Judicium Divinum.
Agap. Diacon Epist. Paræn n 24.
Pueritia.
Novar. Aqu Nupt. n 473.

Par speculo tenera est ætas, quod quidquid ob illud
Ponas, persimili conditione refert.
Sic pueri, duce naturâ, plerumque parentum
Mores consuerunt moribus exprimere.

184. Nonnemo publicam Academicorum Disputationem duobus speculis perpolitis ac tersis similem dixit; quæ mutuò sibi obversa, epigraphen sustinent; MUTUANT INVICEM. Unius namque virtus, veluti alternante beneficio, in alterum derivatur. Certè boni amici, seu totidem specula, singulos affectus communes habent, & mutuâ commiseratione eos æquali vultu in se repræsentant. Senecæ consilio; *Cum amico omnes cogitationes tuas misce: fidelem si putaveris facies.* Hac de re Tassus;

Mutuam vicem reddere.
Amicus verus.
Senec. Ep. 3.

Sotto il giogo, ove Amor teco mi strinse,
D' amicitia solcai campo fecondo,
Ed' ogni affetto tuo mesto, e giocondo
Si Scolpi l' alma dentro, e fuor mi pinse.

Otho Venius, Philostrati occasione canit;

Oth. Venius Embl. Amor

Sume meas, sumam ipse tuas, mea vita, sagittas:
Non aliter noster conciliatur Amor.

185. Speculum epigraphen Hispanam præfert; O ME QUIEBRE, O ME REQUIEBRE. Id est; AUT ASPICIAR, AUT FRANGAR. Eadem impatientis animi est indoles, quæ firmum fixumque habet, vitæ potius, quàm gratiosæ alterius præsentiæ aut amicitiæ jacturam facere. Absolon, ob fratrem interfectum, tempore sat diuturno Hierosolymis proscriptus, tandem, Joabi interventu, exilio liberatus est; eâ tamen lege, ut Regis Davidis vultum nunquam subiret. Et certè patris sui imperio exactè obsecutus, *Mansit Absalon in Jerusalem duobus annis, & faciem Regis non vidit.* At hanc optimi parentis absentiam diutius tolerare non potuit Abſalon, quin, denuò Joabum ardentissimis precibus fatigaret, *obsecro,* inquiebat in rem præsentem opportunissimè, *ut videam faciem Regis: quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Verissimè dixit S. Bernardus; *Nihil in hac vita laboriosius, quàm desideriis terrenis æstuare: & nihil hîc quietius, quàm hujus sæculi nihil appetere.*

Desideriũ.
S. Bern in serm. 6.

186. Regia Celsitudo, Carolus Emmanuël, Sabaudiæ Dux, cum Catharinam Austriacam sibi conjugẽ despon-

desponderet, Emblematis loco duo specula affigi jussit, quæ proprios splendores, mirâ vicissitudine reverberatos, sibi mutuò communicabant: addito lemmate, FERTQUE, REFERTQUE. Nimirum hoc imaginis involucro mutuus ac summus conjugum amor demonstrabatur. Emblematis mentem hoc disticho explicat meus Carducius;

Amor conjugalis.

Fertque, refertq; fides formas crystallina Amantū:
Sic miscere docet corda jugalis Amor.

Amor mutuus. Senec. Ep. 6. Ita nimirum amor tam erga Deum quàm ergà homines semper vult ita esse mutuus, ut ferenti amorem referas. Compendio rem totam explicans Seneca, ait; *Si vis amari, ama.*

188. Oculus, in speculum defixus, hujus beneficio omnes corporis sui imperfectiones ac nævos corrigere potest. Enimverò tersa hæc crystallus LUCET, UT EMENDET. Haud aliter sacra Pagina, si attentiore animi oculo perspiciatur, sordibus ac maculis omnibus eluēdis, instar speculi, deservit. S. Laur. Justinianus; *Est sacra scriptura nobis à Domino exhibita, ut in ipsa intellectûs nostri curiositas solidetur, & velut in quodam speculo interna nostra facies videatur. Ibi quid verum, quid falsum sit, conspicitur. Ibi fœda, ibi pulchra cognoscuntur &c.* S. P. Aug. *Optimè*, inquit, *uteris lectione Divinâ, si eam tibi adhibeas speculi vice, ut ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet.* Et Oleaster; *Quantumcunque opus tuum, ô homo, purum & bonum tibi esse videatur, confer illud ad speculum Divinæ legis, ut emendes, quæ in eo emendatione digna deprehenderis &c.* Cæterùm cùm optimus JESUS *speculum sine macula* cognominetur, jure dixerim, mentis nostræ oculos, è prototypo illo nobilissimo suspensos, omnem morum suorum luxuriem citra negotium ad frugem revocare posse. Præsenti argumento explicando hos Jambos senarios affert P. Carducius;

S. Scriptura. S. Laur. Iust. Tract. de Perfev. c. 4. S. Aug. Ep. 143. Oleast. in cap. 1. Genes. Exemplū Christi.

fidele vitrum lucet, ut sordes fuget.
Speculare Jesum: hic fœda pellet omnia.

188. D. Aresius SS. Trinitatem Emblemate significaturus, tria specula pinxit, quæ in se invicem repræsentata, epigraphen tulêre; IDIPSUM INVICEM. Ab hoc sensu non multum alienus S. Gregorius Nazianzenus, cùm interrogaret, quidnam Deus ante conditum orbem egerit? respondet,

SS. Trinitas. S. Greg. Naz. Carm. 4.

Scilicet ille suæ splendorem cernere formæ
Gaudebat, numenque suum triplicique, parique
Luce nitens.

189. Speculum, solis vultui obversum, nobilem hunc planetam omnibus proponit exactè dignoscēdum. Unde lemma; QUALIS INEST COELO. Prædicator è suo munere veram ac genuinam Sacræ Paginæ mentem ante omniū oculos fidelissimè statuat. Hoc encomio insignem se probavit S. Basilius Magnus, *qui*, teste S. Greg. Nazianzeno, *multa eruditè scripsit, ac nemo sacræ scripturæ libros verius aut uberius explicavit.* De S. Joanne Chrysostomo luculentè testatur S. Ecclesia Romano-Catholica; *Multitudinem, pietatem, ac splendorem Concionum, cæterorumque ejus scriptorum, interpretandi etiam rationem, & INHÆRENTEM SENTENTIÆ SACRORUM LIBRORUM EXPLANATIONEM omnes admirantur.*

Prædicator. S Greg Naz.

190. Catharinus Cornarus, Academicus inter Errantes Brixienses Gratus, Symboli loco speculum præfert, in quo Lunæ imago ac splendor repræsentabatur; cum lemmate, AT LUMEN A SOLE. Ita omninò doctrinæ radii, tametsi vel librorum beneficio, vel Magistrorum studio in animam nostram confluant, primam tamē ac principem scaturiginem unicè à Deo, omnis sapientiæ fonte, trahunt. Quippè à quo, Scripturâ teste, *omne bonum* exoritur. S. Paulus, quamvis sanctæ fidei articulos ab Anania Magistro suo, edoctus; omnem tamen evangelicam lucem sibi à Deo profluxisse gloriatur; *Notum vobis facio, fratres, Evangelium meum, quod Evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Thomas Aquinas, doctrinis scholasticis ab Alberto Magno institutus, Christum Crucifixum sibi veri Magistri loco fuisse protestatur. Laconicè Magnus Augustinus; *Hæc tota scientia magna hominis, scire, quia ipse nihil est per se, & quoniam quidquid est, ex Deo est, & propter Deum est.* Idipsum de divitiis, hæreditario jure acquisitis, & de honorum gradibus, magnatum benevolentiâ comparatis, pronuntiare licet; tametsi enim aliquatenus ab hominum munificentia nobis obtingant, re ipsâ tamen ac propriè à solo Deo derivantur.

Scientia est donum Dei. Galat. 1. 11. S. Aug. in Psal. 70.

191. Imaginum lineamenta nonnisi luminis exterioris beneficio in speculo recipi possunt. Unde P. Justinianus suis in D. Paulum Commentariis speculum præfixit, cum lemmate; NON SINE LUMINE. Ita Sacræ Scripturæ arcana sine luminis Divini affluentia intelligi aut penetrari omninò nequeunt. Enimverò, teste S. Prospero, *Nemo tam eruditus, nemo tam doctus, qui supernâ illustratione non egeat.* Id probè edoctus Rex David, Deum unicè rogavit; *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.*

S. Scriptura sine Divino auxilio intelligi nequit. S. Prosper. Psal. 118.

192. Speculum AFFLATU LÆDITUR. Virginitas, quovis levissimo offendiculo contaminanda, eandem cum speculo teneritudinem habet. Optimè de hac re pronuntiat B. Ægydius; *Culpa omnis castitati officit; est enim CASTITAS CEU mundum SPECULUM, quod tamen ANHELITU OBSCURATUR.* Et S. Ambrosius; *Sancta VIRGINITAS non solùm tactu, sed etiam ASPECTU VIOLATUR.*

Virginitas. B. Ægyd. cap. de contemptu mundi. S. Ambr. l. de Virg.

193. Speculum, grati animi symbolum minimè obscurum, omnes radios, à sole acceptos, in vicina objecta reverberat. Unde lemma; ACCIPIT, ET REDDIT. Hanc virtutem Justiniano Imperatori persuasurus Agapytus, *Scito*, inquit, *quia quanto majoribus dignus habitus est, Deo dante, muneribus; tanto majus ipsi nomen es: ergo redde benefactori debitum gratitudinis &c.* Philippus III. Rex Hispaniarum, beneficentiam omnem, è cœlo acceptam, Deo suo studiosissimè reddidit; unde vastissima regna, suis imperiis subdita, ad Christianæ Religionis & veri Dei obsequium, veluti Divinæ munificentiæ vicem exacti [illegible]mam redditurus, perduxit. Emmanuel Thesaurus ad ipsius exequias hoc epigramā statuit;

Gratitudo. Agap. Epist. Paranei.

Relligio auspiciis orbem regalibus implet.
Et quæ Relligio regna, Philippus habet.
Et Deus, & Princeps alterno munere regnant:
Nam Deus huic orbem subjicit, iste Deo.

Verissimè tamen eos hoc Emblema spectat, qui studiorum suorum labores in publicam lucem enixi, illud ipsum doctrinæ lumen in alios effundunt, quod paulò antè non sine assidua industria in intellectu suo concepêre.

Scriptor.

194. Quò magis tersum ac perpolitum fuerit speculum, tantò repræsentat clariorem solis imaginem. Unde lemma; QUO CLARIUS, EXPRESSIUS. Haud aliter anima fidelis, quo purior ac magis innocens fuerit, eò majores gratiæ Divinæ radios explicat. Ludovicus Blosius; *Sicut sol visibilis lumen suum in clarum speculum, ex diametro objectum, necessa-*

Anima pura est speculum D. Blosius de Instit. Spir. cap. 5 n. 4.

necessariò effundit, atq; in eo figuram suam efformat; ita anima munda, & ab impedimentis libera, clarissimis invisibilis solis radiis illustratur, & in ea ipsius solis Divini imago excellenter relucet.

195. Ut schemate minimè obscuro persuadeas, sacratissimum Christi Corpus in singulis hostiarum particulis ac fragmentis totum existere, Emblematis loco complura specula, grandia, parva, integra, fracta &c. figurabis, quæ sub sole collocata, nobilem hunc planetam toties integrum ac perfectum repræsentant, quot fuerint distincta speculorum fragmenta. Epigraphen subjunges; OMNES IDIPSUM. Vel; IDEM UBIQUE. Explicatissimè S. Ambr. *Singuli, inquit, accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Et illo posterior meus Hugo de S. Victore; *Sicut quod ubique offertur unum corpus est, & non multa corpora, ita unum sacrificium diversis locis à diversis hominibus sacrificatur, & UBIQUE EST IDEM. Per partes dividitur, & à multis accipitur, & semper est integrum.* In rem eandem S. Vincentius Ferrerius; *Imagine in speculo existente, si frangatur speculum, non frangitur imago, & in quot partes speculum frangitur, in tot remanet, & resultat imago: Ita in hostia potest fieri de Corpore Christi virtute Diviná.* Cæterùm eodem Emblemate significatur, indivisum Dei amorem in multas & singulas hominum animas, sine ullo simplicissimæ perfectionis suæ detrimento, totum illabi. S. Bern. *Hoc habet in natura simplicissima Sponsi Divinitas, quasi unum respicere multos, & quasi multos unum, nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus, nec ad diversitatem divisus, nec restrictus ad unum. Sic sanè uni intentus, ut non detentus, sic pluribus, ut non distentus.* Et S. Gregorius Papa; *Sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis; & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis.*

[Eucharistia. — Ambros. Tom. 5. post Epiph. — Aug. Vict. to. 2. l. 3. de Anima c. 50. — Vinc. Ferr. Serm 3. de Corp. Christi — Amor Dei — Bern. ser. 69. in Cant. — Greg. l. 25. Moral. c. 13.]

196. Speculum adversi solis effigiem ac splendorem ita intensè in se recipit, ut radiorum reverberatione intuentes omnes perstringat, eorumque oculis caliginem offundat. Unde D. Archangelus Conter eidem subscripsit; IO PUR DIVENGO UN SOLE. Id est; UT SOL EFFULGEO. Ita prorsus Beati, in Solem Divinum defixi, totidem Soles videri possunt. Testatissimè Christus; *Justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.* & S. Joannes; *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Nec aliter anima, Deo vicina, mirum a splendore Divino ornamentum participat. S. Gregor. Nyssenus; *Appropinquans primariæ & exemplari pulchritudini, ipsa quoque pulchra facta es, veluti quoddam speculum conformata meo charactéri &c.* Certè Moses, ubi Deo propinquavit, tantam subitò contraxit claritatem, ut Israelitarum oculi passim illius intuitu hebescerent. Apostoli quoque non ob aliam rationem invidendo hoc elogio fuêre cognominati, *Lux mundi*, nisi quod inter illius Dei domesticos vixerint, qui *Lux est, &c.*

[Beati. — Matth. 13. 43. — Greg. Nyss. hom 4. in Cant.]

197. Hypocritam, meâ quidem sententiâ opportuno speculi Emblemate significabis; cui hanc epigraphen subjunges; SOL D' APPARENZE ABBONDO. Id est, MENTITUR OCULIS. S. Petrus Chrysologus; *Justitia, quæ est hypocrisis, justitia non est, mentitur oculis, fallit aspectu, videntibus illudit &c.* Certè omnes mundi illecebræ bona duntaxat apparentia & vanissima sunt. Dilucidè Vates Regius; *Filii hominum, inquit, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* S. Joannes Chrysostomus; *In humanis rebus nomen est divitiarum, res nullo modo: nomen principatus, & remanet nudum, & exile nomen.* Et Seneca; *Discedant aliquando ista insidiosa bona, & sperantibus meliora quàm assecutis.*

[Hypocrita — Pet. Chrys. serm. 9. — Mundus. — Psal 4. 3.]

198. Nonnullos pœnitentes ita reperias inconstantes, ut bona sua proposita, paulò ante statuta, mox iterum evertant; haud secus atque speculum imagines, intra se delineatas, momento oblitterat. Unde epigraphe; FORMAT, seu FINGIT, ABOLETQUE MOMENTO. Et; VAGANS FORMATUR IMAGO. Eâdem omninò ratione Ovidius caducam cujusvis voluptatis terrenæ vanitatem describit.

[Senec. Ep. 15 — Pœnitens instabilis. — Bona terrena apparentia. — Ovid. l. 15. Metamor.]

> --- --- *Nihil est, toto, quod perstet in orbe.*
> *Cuncta fluunt, omnisque VAGANS FORMATUR IMAGO.*

S. P. Augustinus; *Via impiorum felicitas transitoria, finitâ viâ peracta est felicitas.* Speculo etiam non absimilem se probat instabilis Amans, qui eâdem facilitate conspectam formæ alienæ speciem recipit, ac denuò evanescere sinit. In hoc argumentum Otho Venius canit;

[S. Aug. Ps. 36. Conc. 1. — Amans instabilis. — Oth. Ven. Embl. Amor fol. 126.]

> *Perdit ut objecto speculum pereunte figuras,*
> *Atque alias alio mox veniente capit.*
> *Sic etiam inconstans mutatis credite terris,*
> *Quantùm oculis animo, tam procul ibit Amor.*

199. Speculum Emblematis loco anteriorem vitri partem ad solem convertit, posteriore verò ligneâ vel stanneâ ad oculos nostros directâ; cum lemmate, AVERSUM CÆTERIS. Animus, in obsequia Divina unicè defixus, reliquis mundi blanditiis tergum obvertit. Inter hos facilè princeps Paulus, de se ipso protestatur; *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Et paulò post; *Quæ retrò sunt oblivìscens, ad ea, quæ sunt priora, extendo me ipsum.* S. P. Augustinus; *Relinque omnes amores, pulchrior est ille, qui fecit cœlum & terram.*

[Contemplativus. — Philipp. c. 3. v. 8 & 13. — S. Aug. in Psal. 39.]

200. D. Alexander Luzon de Millares, speculum, mediâ parte fractum, & in tenuissimas arenulas comminutum depinxit; addito lemmate, PROCUL IRRITAMENTA MALORUM. Cogitationes nostræ, ceu totidem specula, pristinas mundi delitias ac voluptates, sive oculis, sive auribus olim acceptas, adeò molestè identidem voluntati repræsentant, ut S. Hieronymus non sine dolore conqueratur, *Quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum; putabam me Romæ interesse delitiis! &c.* Quin, etiam sensus nostri speculorum vicem subeunt, in quibus voluptatum terrenarum simulachra ita affabrè depinguntur, ut incautam mentem fascinent, & in perniciem certissimam deducant. Seneca; *Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum, quam concupiscat, huic urbem & mala omnia; certè irritamenta vitiorum sunt, ducesq; scelerum.* Proindè ut malo huic tempestivè occurras, necessum omninò est, ut tuas cogitationes ac sensus, specula nimirùm & irritamēta malorum, penitus comminuas. Cōminuas inquam, non frangas; quia singulæ speculi fracti particulæ integras adhuc res, licet angustiores, repræsentant. Comminuenda verò sunt illa sensuum ac cogitationum specula assiduis ad Deum precibus, jejuniis, flagellis, ciliciis, ac cæterâ corporis macerādi supellectile. Certè tam raræ continentiæ & emeritæ virtutis fuêre SS. PP. ut nihil omninò labis in se residere passi sint; non contenti abesse à malo, sed ab omni quoque specie mali: idque cumprimis observes velim, illos, teste Divo Ambrosio, *non naturæ præstan-*

[Voluptates. — S. Hier. Ep. ad Eustoch. — Sensus. — Senec. lib. de Remed.]

S. Ambros. lib. 1. de Ioseph c.1. *præstantioris fuisse, sed observantioris, nec vitia nescisse, sed emendasse.* Veluti diceret, illos in sensibus comminuendis studium longè maximum collocasse.

201. Vitreum speculum, quibusvis intuentibus apertum, epigraphen tenet; ASPICE UT EMENDES, Prælati hæc imago est, cujus vita omnibus ita sit exemplo, ut unica sit morum formandorum idea. Maria Virgo, propriissima virtutum omnium norma, à S. Laurentio Justiniano verè cognominatur *speculum sanctis perlucidum.* In rem nostram S. Ambrosius; *Sit igitur vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque B. Mariæ, in qua, velut speculo, refulget species castitatis, & forma virtutis.* Et P. Masenius;

Prælatus. Maria V. S. Laur. Iust. serm. de Nat. B. V. S. Ambr. de Virg. lib. 2.

Ad vitreum quisquis formam specularberis orbem;
In vultu disces, quæ tibi menda tuo.
Virginis exemplar tantùm vigil inspice, mores
Emendare suis moribus una potest.

202. Speculum planum, in quo sol repræsentatur, epigraphen à P. Masenio accepit; IN PARVO TOTUS. SS. Eucharistiam hæc imago concernit, in cujus angusto orbe totus continetur *Sol Justitiæ.* Insuper Maria Virgo intra uteri sui angustias totum conclusit Christum, simulque totam virtutum lucem. Unde à S. Ambrosio verè cognominatur *speculum cunctarum virtutum.* Et ab Andrea Cretensi; *speculum intellectuale contemplativæ cognitionis.* Canentem audi Emblematis Authorem.

Eucharistia. Maria V. S. Ambr. l. 2. de Virg. And. Cret. in Sal. Ang.

Qui terras superat, speculari totus in orbe
Cernitur immissis Phœbus ab axe rotis.
O quam dissimilis speculo, simulisque Maria est!
Hoc totum orbe diem continet, illa Deum.

203. Monacense Societatis Jesu Collegium ad solemnem D. Francisci Borgiæ apotheosin Symboli loco speculum expressit, in quod quidquid incidit, etiam postremum, ut proximum sistit: addito lemmate, QUISQUE PROXIMUS. Tanta enim S. Francisci in omnes erat charitas, ut omnium hominum salutem studiosissimè promoveret. Christus olim pro concione dixerat, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; Mox dicentis verba quidem è Legisperitis excipiens, *Et quis,* inquiebat, *est meus proximus?* Cui Christus opposita similitudine respondit, omnem omninò hominem absq; discrimine nostrum esse proximum, utpote communi primorum parentum origine, communi creatione & similitudine Dei, comuni redemptione, comuni gratiâ, communi charitate & ordinatione ad vitam æternam nobis conjunctum. Præclare, ut solet, Magnus August. *Eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ si indiget; vel exhibendum esset, si indigeret. Ex quo est etiam consequens, ut etiam ille, à quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster: proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse, cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat, quando usque ad inimicos etiam porrectum est?* Cæterùm Emblemati explicando sequentes versus addidere;

Charitas proximi. S. Aug. l. 1. de Doct. Christ. c. 30.

Commune sidus charitas,
Ceu Phœbus, inquieta:
Cum sole firmat mollia,
Emollit obstinata,
Qua rima lucis panditur,
Mox charitas subintrat.
Ceu proteus convertitur
In omnium figuras. &c.
Quemvis colit ceu proximum;
Si distet orbe toto.
Solus sibimet ultimus,
Omnes putat propinquos.

204. Speculum crystallinum tersissimum suo se spectatori ita attemperat, ut ea, quæ ipsi objiciuntur, exactissimè repræsentet. Qui vultu eleganti ac decoro speculum adit, venustam in eo faciem spectabit; turpem, qui turpi; placidam, qui placidâ; iratam cernet, qui iratâ illud facie accesserit. Nam qualis ad vitreum hunc judicem venis, talē in eo te conspicis, Omnem seu deformitatis, seu formæ compositionem fidelissimè refert speculum Unde lemma; SPECTANTIS PRÆFERO VULTUM. Ita Deus in nos sese gerit: si mites fuerimus, mitem inveniemus; si rigidi, rigidum; si ultores, ultorem; si misericordes, misericordem. Id apertè pronuntians Rex David, *Cum sancto,* inquit, *sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris; & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris. Qualem te,* inquit S. Bern. *paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens. Quidni & æquè & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & cum sollicito sollicitus. Denique ait, Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilaverint ad me, invenient me. Vides quomodò non solùm de amore suo certum te reddat, si quidem tu ames illum, sed etiam de sollicitudine tua quam pro te gerit, si te senserit sollicitum sui. Vigilas tu? vigilat & ille.* Ita eundem Psalmi locum etiam interpretantur Tertullianus, Clemens Romanus, Hieron. Nyssenus, & alii.

Deus sal se gerit, quales n erga Dei Psal. 17. 27. S. Bernard. serm. 69. in Cant.

205. Ut speculum ad aliorum maculas corrigendas sit idoneum, debet ipsummet habere lucem ab omni macula liberam. Unde lemma; LUCET, UT EMENDET. Ita Princeps vel Prælatus intactam virtutis lucem præseferat necesse est, si populum ac subditos suos à vitiis emendatos velint. S. Hieronymus; *Domus Episcopi & conversatio, quasi in specula posita, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant.*

Exempli. S. Hieron. Epist. ad Heliod.

206. Nunquam solis radii speculum perlustrant, quin statim suum reddat luminis splendorem, & tam à latere, quàm à fronte omnia insigni claritate perstringat. Emblemati subscripsit Serenissimus Philotheus; LUMENQUE A LUMINE REDDIT. Ita Deus, Sol æternus, pectora nostra ineffabili amore incendit, donaque largitur eximia, ut nos gratuito erga ipsum amore vicissim omnem nomini Divino attribuamus gloriam. Sed & proximo communicandum est, quod in te eximium habes, seu prudentiæ ingeniique laudibus insignis inclarescas, seu manu promptus, fortitudinis famam obtinueris, seu opum potentiæque magnitudine cæteros antecedas Proximus Deo est, qui in mortales beneficus, munera sua grato animo dispensat, & liberalitate indulgentiâque humanum genus sibi demeretur. S. Ambrosius, *Nescit virtus mensuram gratiæ; nec contenta referre quod acceperit, sed vult cumulare quod sumpsit: nec inferior sit beneficio, licet æquetur officio.* In rem nostram canit Emblematis Author;

Gloria Deo danda. Liberalitas. S. Ambr. in Lucam.

Clara repercusso reddit sua lumina Phœbo,
Et nitidum speculi sparsit imago jubar.
Hoc fragilis faciat vitri quum vilior orbis,
Quid mea non facient pectora, Magne Deus!
Quod radio, placeoq;, tuum est. Nec pulchrior ignis
Me lustrat, quàm qui redditur ipse tibi.
Redde, tibi reddam: sine te mens frigida torpet,
Illustrata tuâ luce potenter agit.

SPE-

SPECULUM CONCAVUM.

207. Speculum à Sole nihil nisi lucem recipit; at hancipsam mox in ardentes flammas conversam, passim ita acerbè diffundit, ut res quasvis adversas ac propinquas incendat. Unde lemma; E LUCE ARDOR. Ita omninò à venustate, ceu luce, non rarò intensissimæ amoris flammæ excitantur. Didacus Saavedra affirmat, eo Emblemate Principem significari, qui, animo plerumque optimo instructus, nonnisi quietis, serenitatis, & pacis lucem, spargit; at ministrorum malevolentia eam omnem pervertit, & lucem tantoperè exoptatam, execrandâ metamorphosi, in flamas & regnorum excidia convertit. Theophyli, Episcopi Alexandrini, litteræ, ad S. Hier. destinatæ, undique mansuetudinem ac benevolentiam spirabant; at bajuli crebris minis ac verborum duritie gravissimos iracundiæ ignes excitare conati sunt. Unde S. Hieronymus in hæc verba respondit; *Cur nomine Sanctitatis tuæ contra nos pro terrore abutuntur, cùm Epistola tua pacem & mansuetudinem sonet, illorum verba duritiem comitentur?* D. Loppius de Harro, cùm inter Regem suum. D. Sancium Fortem, & D. Petrum III. Aragoniæ Regem, pacis internuncius constitueretur, verbis utrimque in partem deteriorem obtortis, simultates plusquam unquam acerrimas excitavit.

Venustas. — Saavedra Symp. 76. — Minister malus. — S. Hieron. Epist. 62.

208. Speculum concavum, recepto solarium radiorum splendore, flammas passim clarissimas spargit. Unde lemma; NOSTRA NE I LAMPI ALTRUI LA SUA CHIAREZZA. Id est; ALTERIUS LUMINE GAUDET. Præclara hæc Beatorum imago est, qui Solis Divini radio cumulatè illustrati, immensum gloriæ lucem in orbis conspectu spargunt. Nam, Magno Augustino teste, *Qui non est in Deo, non est in lumine, quia Deus lumen est.* Illudipsum Emblema etiam in Ministros Principum convenit, qui sublimem dignitatis aut gloriæ splendorem adepti, ingenii sui radios passim diffundunt. Cæterùm si in eodem Emblemate non quidem speculo, sed Soli primas tribuere libeat, opportunè illud de Deo intellexeris; sicuti enim Sol amplissimam luminis sui vim & efficacitatem in speculo explicat, ita summa Creatoris gloria in creaturis manifestè resplendet. Hoc sensu Abbas Grillus canit;

Beati. — S. Aug. l. 8. de Trinit. c. 8. — Minister Principis. — Deus. — Abb. Grill. Part. I.

Questa, ch'à gli occhi miei discopre il Sole
Mondana immensa mole,
E tuo specchio Signore,
Che t'offre à me nel summo tuo valore;
Perch'io rimiri insi stupendo effetto
Ciò che non può capir nostro intelletto;
E legga in si Divino ampio volume
Le sue gratie, i tuoi pregi, e'l tuo costume.

Et rursus sub finem primæ partis;

Quel sol, ch'il giorno io miro,
Quel ne la notte bruna
Mi splende ne le stelle, ne la Luna;
Ch'in varii volti luce
Una medesima luce:
Così l'istesso oggetto
Miro in diverso aspetto;
Così ne le fatture il mio fattore
Vien ch'ogn'hor miri, e riverente adore.

209. D. Carolus Bovius Emblematis loco radios solares expressit, qui in speculum concavum illapsi, & inde in materiem solidam reverberati, eam extenuant ac incendunt. Epigraphen addidit; ET DURISSIMA CEDENT. Haud aliter humanum pectus, quantumvis odio aut vindictâ obriguerit, si charitatis aut beneficentiæ radiis ab æmulo suo cooperiatur, mox iterum mansuescit. S. Paulus, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Hoc enim agens,* inquit interpres S. Thomas Villanovanus, *& accendetur charitas, & destruetur malitia, & cessabit inimicitia, & erit frater, quem inimicum putabas.* Et prior illo S. Hieronymus; *Carbones ignis congregabis super caput ejus, ut superatus beneficiis, excoctus fervore charitatis, inimicus esse desistat.*

Charitas. — Rom. 12. 20. — S. Th. Villan. serm 11. fer. 6. Ciner. — S. Hieron. lib 1. advers. Pelag. cap. 9.

210. Animam Divinam, nullâ aliâ nisi amoris Divini flammâ succendendam, speculi concavi symbolo figurabis, quod solaribus radiis percussum, ardores cœlestes ac prorsus peregrinos concipit. Lemma; COMMUNI NON IGNE. Concinnè Hermannus Hugo;

Anima contemplativa.

O Deus, aut nullo caleat mihi pectus ab igne,
Aut solo caleat legis amore tuæ.

Herm. Hugo Vot. animæ Eleg. 1. in fin.

Et certè hæc animæ devotæ suspiria in proprio suo pectore cumulatè expertus est S. P. Augustinus; *Quid est hoc, quod sentio?* inquit, *quis est ignis, qui calefacit cor meum? quæ est lux, quæ irradiat cor meum? O ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris, accende me!*

S. Aug. soliloq cap. 34.

211. Speculum concavitatis beneficio solares radios intra sinum suum colligit, ac veluti imprægnatum, paulò vivas parturit flammas, easque in vicinum orbem foras effundit. Unde speculo concavo, dum à sole percussum incendia generat, inscribes; IGNEM AB IMO. Cordis puri & innocentis hæc imago, quod profundissima humilitate incurvatum, uberrimas Spiritûs sancti flammas facillimè concipit. Appositè Thomas Stapletonus; *Sicut specula depressa, quæ ignita vocantur, radiis solaribus apposita, ignem concipiunt; sic cor humile & depressum Divini Spiritûs ignem statim concipit. &c.* Eodem Emblemate amicum simulatum describere licet, qui quantò magis in alterius obsequium incurvatur, eò graviores occulti odii ac vindictæ suæ flammas ejaculari molitur. P. Cornelius à Lapide; *Amici,* inquit, *tegentes inimicitiam, curvant sese, ut amicum honorent, sed sub curvitate hâc dolos abscondunt, ac interim colligunt ignem ardoremque nocendi, quo amicum exurant & perdant.*

Humilitas. — Thom Stapl. Dom. 4. Advent. 6. — Amicus falsus. — Corn à Lap. in Ecclesiast. c 22. v. 10.

212. Luminibus meis Reflexis, in Sacram Scripturam non ita pridem editis, speculum concavum Symboli loco præfixi, quod lucem, è cœlo acceptam, in Eruditionis profanæ pectus reverberat, cum lemmate; OMNE DESURSUM. Dicere volebam; lumina non tantùm in Christianam Religionem, sed & in sanas Philosophorum doctrinas derivata, unicè à Deo scaturriisse. Emblemati construendo facem prætulit S. Jacobus; *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Idipsum de auxiliis Divinis pronuntiat Magnus Augustinus; *Gratia Dei non secundùm merita accipientium datur, sed secundùm placitum voluntatis Dei; qui hominibus dat quibus vult, quoniam misericors est: quod & si non det, justus est.*

Scientia est donum Dei. — Iac 1. 17. — Gratia Dei. — S. Aug. de dono persev. cap. 12.

213. Speculum concavum è solaribus radiis, in materiam stupeam reflexis, ignem excitare consuevit. Unde verbis ad Solem conversis, hanc gnomam præfert; PER TE SPLENDEO, ET URO. Animum, adversus Divina beneficia gratum, hæc idea concernit; sive enim doctrinæ aut miraculorum luce resplendeat, sive alios charitatis suæ flammis accendat, id totum unicè in supremam Dei virtutem

Gratus.

 tutem

1. Cor 1.31. S. Laur. Iust. l. de Humil. cap. 1.

tutem refert. S. Paulus providè monet; *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* S. Laurentius Justinianus in hunc locum ex se ipso quærit; *Quare verò in Domino?* & mox respondet; *Quoniam ab ipso percipimus totum, quod dignum est gloria.* Porrò Emblematis hujus epigraphen etiam de persona sancta intellexeris, quæ illuminationes, à Divino sole receptas, quantocius ad vicina hominum corda inflammanda diffundit; uti S. Franciscus Seraphicus, S. Ignotius Loyola, aliique complures assolebant. Hoc sensu Archilles Bocchius canit;

Justus.

Achill. Bocc. Symboll. 60.

Igniferi ardentes Phœbi specularia flammas
Concava si fuerint, puraq; concipiunt.
Hinc facili oppositus fomes comprenditur igne,
Sic qui mente Deum simpliciore capit.
Ipsi arcana libens fidi penetralia cordis
Dedicat, atque igni carpitur ætherio.
Unde alii ignescunt Divino prorsus amore,
Mox læti superûm regna beata tenent.

S. Ignatius Loyola.

214. Radii solares, è speculo concavo in materiem stupeam reverberati, epigraphen sustinent, EXARDESCET IGNIS. D. Aresius, hanc iconem de S. Ignatio Loyola interpretatus, haud obscurè innuit, grandem hunc Heroëm Soli Divino instrumenti loco deserviisse, ad sancti amoris flammas per orbem vastissimum spargendas. Et apposité quidem peccatorum corda per Ignatium accendi debebant, qui ob radios & illuminationes cœlestes, in ipsius pectore cumulatè unitas, verissimum sese Ignatium, seu rectius Ignitum, probavit. E Tullii sententiâ totus igneus sit oportet, qui aliis accendendis conatur dare operam. *Ut nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igni ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim Oratoris paratam, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse, ad eam & ardens accesserit.* Cæterùm unico Dei obtutu amplissima incendia in obstinatis hominum cordibus excitari solent. Unde D. Gregorius Comaninus ad Deum canit;

Cicero 2. de Oratore.

Dei aspectus.

Coman. Canz. 10. stanz. 7.

D'un caro vostoo sguardo un dolce lampo,
Occhi, s'entro à fredd'alma arriva, e splende,
Quanto, ò quanto l'incende
Ben nullo è cor di così dure tempre,
Che non s'infiammi, e sempre,
Punto dal caldo del bel vostro raggio,
Ch'à lui toglie il Decembre, e mena il Maggio.

Intentio.

215. Speculum concavum omnes solis radios, intra sinum suum collectos, mirâ reverberatione tandem in unicum punctum cogit. Unde lemma; AD UNUM REDIGIT. Emmanuel Thesaurus hanc iconem inter cæterum funebrem Philippi III. Hispaniarum Regis apparatum suspenderat; eáque haud obscurè significabat, grandem illum Monarcham omnes suas cogitationes, à Deo acceptas, ad Reipublicæ tranquillitatem direxisse. S. Ignatius Loyola omnes suos effectus, fines, & operationes ad animarum salutem & gloriæ Divinæ incrementum ceu metam ultimam, destinavit: unde etiam gnomam hanc suam assiduo versavit ore; *AD MAJOREM DEI GLORIAM.* Rationem reddens S. Bernardus, ait; *Quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tu enim putride pulvis, unde gloria tibi, unde?*

S. Ignatius Loyola.

S. Bernard. serm. 13. in Cantic.

Consiliū.

216. Speculum concavum, dum solis reverberatione vicinam candelam accendit, Emblematis loco hanc gnomam præfert. ALIENA LUCE LUCEM QUÆRITO. Ita nimirum egestas nostra ab aliorum consiliis non rarò opportunam lucem emendicat. Æneas, Virgilio teste, comitis sui loco celeberrimum Achatem habuit;

Virg. 1. Æneid. v. 316.

----- *Ipse uno graditur comitatus Achate.*

Innuebat videlicet, bonum Principem nunquam à suo Consiliario dissociandum esse. Unde Isocrates Nicocli Principi dixit; *Intellige, bonum Consiliarium esse utilissimum, & dignissimam omnium possessionē: illos etiam tuum regnum maximè amplificaturos existima, qui tuam mentem plurimùm potuerint colere.* ET Euripides;

Princeps sapiens sapientûm commercio.

Spiritus S.

S. Cyrill. Alex. in Gen.

217. Speculum, à Sole percussum, copiosam lucem, ex æquo à speculo & sole productam, diffundit. Unde lemma; AB UTROQUE PROCEDIT. Spiritum sanctum, ab æquali Patris & Filii virtute emanantem, hæc imago demonstrat. De illo S. Cyrillus Alexandrinus ait; *Vivificat omnia Spiritus Dei, cùm & ipse natura vita sit, utpotè à vita, hoc est, à Deo Patre & Filio procedens.*

Malignus.

218. Speculi concavi species reperitur, quæ figuras omnes obtorquet, ac inverso ordine repræsentat. Huic Carolus Bovius subscripsit; RECTA DISTORQUET. Eadem hominis maligni ac perversi est indoles; Ita Nabal Davidem, cùm fatale Saulis odium fugitivus declinaret, Domino suo perduellem interpretatus est. Judæi omnia sanctissima Christi opera in partem sinistram detorserunt. Aliquot Romani, cum Pompei Magni pedem fasciâ obligatum cernerent, mox, tametsi vulneris curandi causâ id fecerit, ab illo fasciam, seu Regni symbolum, affectari suspicabantur. Quid? quod ipsa sacra Scriptura, quantumvis doctrinas contineat sanissimas, ab hæreticorum genio violentiam sustineat, & ad sensus prorsus alienos torqueatur? Cæterùm intentio mala sanctas ac rectas quasvis operationes nostras efficit malas & perversas. S. Bernardus; *Bonum prorsus condemnat intentio prava.*

Intentio.

S. Bern. l. de præcept. & dispens.

Sanctus Zelosus.

219. Speculum ustorium, incendii excitandi causâ, solares radios omnes in unicum punctum, ceu reflexionis centrum, cogit. Quare epigraphen subdidit Bovius; COGIT, UT CREMET. Melior Emblematis hujus mens S. Ignatium Loyolam spectabat, qui plurimos, in unam Societatem collēctos, ad orbem universum Divino amore succendendum dispersit; cum dicto, *Itote, mundum incendite & inflammate.* In sensu autem deteriore illud ipsum Emblema mulieri obscœnæ convenit, quæ amasios callidè ad se convocat, impuras libidinis flammas in ipsorum cordibus excitatura. Unde Aristophanes de Meretrice dixit;

Meretrix.

Pax liquescit ab eâ adusta.

Princeps justus.

220. Radius solaris, in speculum concavum illapsus, ad res oppositas, quantumvis longinquas reverberatur, easque concremat. Unde lemma; VEL EMINUS URIT. Magnatum hic typus est, qui supplicii sui ardore in quosvis reos, tametsi remotissimos, animadvertere nôrunt. D. Salvator Carducius;

Vel eminus Phœbæa lampas concremat:
Sic Regis ira ubique crimen fulminat.

Fœmina.

S. Ambros. 1. de Offic.

Fœminæ forma vel à longinquo visa, animum virilem hebetat & urit. S. Ambrosius; *Fæmina stimulat, ignem accendit, flammigero igne percutit, conscientiam pariter habitantis, & exurit fundamenta montium.*

221. Radii solares è speculo concavo incrementum sumunt, & ardore longè intensiore revertuntur, quàm in illud illapsi fuerāt. Cui proinde subscripsi; ACCEPTUM GEMINAT. vel ut Sigismundo

ratitudo mundo Laurentio placet; MAJORA POTIUS. Iis hoc symbolum est proprium, qui res exiguas plurimis augmentis donant: vel qui pro acceptis beneficiis gratam ac multiplicem vicem rependunt. Ita Hiero, Syracusarum Tyrannus, Archimolo Poëtæ, ob epigrammatis munusculum, sex mille frumenti modios donari jussit; uti de illo testatur Athenæus. De Persarum Rege author est Aventinus, quod Carolo Magno, in compensationem aliquot canum venaticorum, integram Palæstinam dono dederit. Ludovicus XI. rapam insigniter grandem, quam ab homine quodam simplici oblatam acceperat, mille coronatis aureis remuneratus est. Seneca; *Debemus imitari agros fertiles, qui multò plus reddunt, quàm acceperint; qui si non dubitamus bona conferre his, quos speramus nobis profuturos, quales debemus esse in eos, qui jam profuerunt?*

vent. lib. 4 Annal. Boic. — Ægidius Corrozitus de Dict. & factis memor. — Senec. in ep.

222. P. Joannes Bartholomaus Pancierus, Augustinianus Excalceatus, Emblematis loco speculum produxit, quod res quidem externas omnes reflectit ac repræsentat, AT NON SE IPSUM. Ipsissimi hi hominis vitiosi & hypocritæ mores sunt, qui suis proximis defectus quosvis levissimos acerrimè exprobans, enormibus flagitiorum suorum monstris assiduò connivet. Adversus istos non sine aculeo Servator; *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui; & trabem in oculo tuo non vides?* Toletanus, Episcopus Iprensis, apud P. Novarinum de eadem hominum fæce ait; *In aliorum corpore parvam cernunt verrucam, turpemque esse clamitant: in suo ipsorum magnum gibbum vel strumam ingentem non vident. &c.* S. Hieronymus in illa Christi verba ait; *De his loquitur, qui cum mortali crimine teneantur obnoxii, minora pecata fratribus non concedunt.* Et S. Joannes Chrysostomus; *Multi hoc faciunt, qui si viderent Monachum superfluum vestimentum habentem, aut copiosiore cibo potitum, avari fiunt accusatores, quotidie ipsi rapientes, & crapulam patientes.*

Detractor — Matth. 7. 3. — Toletanus. l. de verit. c. ap. Novar. To. 1. Ag. num. 82. — Hiero. in l. cit. — Io. Chrys. atus in Matth. aur.

223. Sarmenta per solares radios, è speculo concavo reverberatos, inflammantur; cum lemmate, VIS MAJOR IN ARCTO EST. Ita nimirùm cœlestes gratiæ nunquam in humanam gentem copiosius spargebantur, quàm ubi Solem Divinum intra uteri virginei angustias coarctari contigit. Ut adeò Virgo Deipara à S. Ephræmo verè cognominetur *Lumen præfulgens, quo mundus illuminatur.* Et à Buteone in Hymno Græco; *Splendor mystici sideris inoccidui.* Cæterùm Emblemati explicando P. Jacobus Masenius binum hoc distichon subjunxit;

Maria V. gravida. — Ephræm. laud. Virgin.

Solis ut in speculo radiorum cogitur ignis,
Unde bibunt fusas arida ligna faces;
Sic trahit immensum Virgo sub viscera Numen,
Unde suas flammas orbis amoris habet.

TELA. PANNUS.

Cap. XXIV.

224. D. Hypolitus Bracciolinus Abbas, Pistorii in Expergefacientium Academia, Symboli loco telæ volumen præfert, quod in aprico campo sub radiis solaribus explicatum, epigraphen sustinet; HINC CANDOR. Ita nimirum genuinus animæ candor ac cordis puritas omnium securissimè sub Dei aut insignium personarum præsentia obtinentur. Seneca; *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus; ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturo testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus authoritate etiam secretum suum sanctius faciat.*

Præsentia Dei. — Senec Ep. 10.

225. Tela, propè rivulum sub radiis solaribus explicata, epigraphen tenet; ALBESCIT UTROQUE. Opportuna hæc S. Apostoli Petri imago est; qui non tantùm à benigno Solis Divini radio illustratus (*respexit Dominus Petrum*) verùm etiam intra lachrymarum suarum undas submersus (*egressus foras flevit amarè*) deperditum animi sui candorem recuperavit S. Ambrosius; *Bonæ lachrymæ quæ lavant culpam. Deniq; quos Jesus respicit, plorant delictum. Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit secundò, non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit & tertiò, respexit Jesus, & ille amarissimè flevit. Respice Domine Jesu, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum.* Et paulò post; *Et tu veniam si vis mereri, dilue culpam lachrymis tuam: eodem momento, eodem tempore respicit te Christus.* Magdalena quoque, à Deo illuminata, & lachrymarum suarum imbre abluta, nobilem & gratiosam cordis puritatem sortita est.

S. Petrus. — Luc 22. 61. — S. Ambros. l. 10. in Luc. — S. Magdalena.

226. Telæ volumen, supra machinam textoriam figuratum, & forfice præcisum, epigraphen à me recepit; DUM ADHUC ORDIRER. Mortem hoc Emblema demonstrat; quæ juvenibus etiam tenellis vel certè cùm omnium minimè putatur, fatales suos ictus infigit. Eodem argumento vitæ humanæ celeritatem exprimit Jobus; *Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur.* Et Rex Ezechias? *Præcisa est velut a texente vita mea. Id est,* interprete Leone Castro, *instar telæ, quam textor præcidit & resecat. Et rursus: dum adhuc ordirer, succidit me, id est, veluti si textor telam, quam exorsus est texere, resecaret, sic in dimidio dierum præcisa est vita mea.* In eundem locum Cardinalis Hugo; *Vita nostra,* inquit, *quasi tela est. Hanc telam orditur homo in animo suo longam quantum vult. Sed Dominus præscindit eam, quando placet, & sæpe propter dispositiones & desideria, quæ habet homo diu vivendi, citius moritur.* Optimum proinde Hugonis consilium est; *Hoc est quod valde timere debet homo procrastinans, ne cùm orditur, id est, se disponit diu victurum, Dominus præscindat in momento.*

Mors immatura. — Iob. 7. 6. — Isa. 38. 12. — Leo Castro in hunc loc. — Hug Card. in hunc. loc.

227. D. Didacus Saavedra Symboli loco telam mundam, in regula quadrata extentam, ac crismate fultam, exhibet, quæ coloribus perpingenda, orbiculum ligneum & aliquot penicillos vicinos habent; cum lemmate, AD OMNIA. Juventutem hæc tela repræsentat, quæ cujusvis doctrinæ lineamentis recipiendis aptam pronamq; se offert. Accommodatè nimirùm ad vulgare illud Aristotelis dictum, pueritiam instar tabulæ rasæ esse, quæ nullis adhuc coloribus obducta, ad quasvis formas pro pictoris arbitrio recipiendas idonea existit. Seneca; *Omnibus natura fundamentum dedit, semenque virtutum, omnes ad ista omnia nati sumus: cùm irritator accessit, tunc illa animi bona velut sopita excitantur.* Plato; *In pueris,* inquit, *mobilia sunt ingenia, & ad percipiendum facilia.* Et Joannes Audenus;

Pueritia. — Senec. Ep. 10. — Plato de An.

Dum tenera est ætas, generosos imbue mores;
Tum facile est cunctis artibus ingenium.

228. Illud ipsum Emblema; telam pictoriam cum coloribus ac penicillis repræsentans, Carolo Bovio authore epigraphen sustinet, QUÆ FORMA PLACEBIT. Talis omninò est obedientia, ad omnem Dei aut superioris nutum prompta & indifferens. *Perfecta obedientia,* inquit S. Bernardus, *ad omne, quod injungitur, spontanea, vigore liberalis, alacrisq; animi, modum non considerans, in infinitam liberta-*

Obedientia. — S Bernard. Tract. de Precept. & Dispensat.

Matth. 8. 9. *libertatem extenditur.* Similem obedientiam in Centurionis domo videre erat; *Habens sub me milites, & dico huic, vade & vadit; & alii veni, & venit: & servo meo, fac hoc & facit.*

229. Ex Amianto lapide, in fila subtilissima attenuato, telas contexunt, quæ flammis injectæ, adeò nihil detrimenti sustinent, ut potius in illis expurgentur & abluantur. Unde telæ hujus volumen, igni impositum, à D. Emmanuele Thesauro Abbate epigraphen recepit; SEMPER CANDIDIOR. Veræ amicitiæ ac fidelitatis hæc imago est, quæ suppliciis examinata, intemeratum suum candorem ac puritatem omnium clarissimè demonstrat, *Ure, cæde, occide, non prodam*; inquiebat Seneca. Opportunissimo hoc Emblemate S. Laurentium Martyrem, S. Marcianum, S. Apolloniam, aliosque significare licet, qui à tyrannis in flammas abjecti, sanctum fidei ac innocentiæ suæ candorem semper inviolatum conservârunt.

Fidelitas. Seneca. Martyres.

230. Telæ seu panni volumen, suprà machinam textoriam extentum, & à duabus vel tribus phrygionum acubus passim transfixum, epigraphen tenet; A VULNERE DECOR. seu; PULCHRIOR EX VULNERE. Hinc ingentem utilitatem ac grande ornamentum conjicere licet, quæ animabus nostris è vulneribus, persecutionibus, & ærumnis accrescit. Totum hoc Emblema erudito Jacobi Catsii epigrammate nititur;

Calamitas illustrat.

Mille foraminibus dum lintea Virgo colorat,
Filaq; distinctis inserit ordinibus.
Rusticus ista videns, vah! stulta puellula, clamat,
Candida ferratâ lintea perdit acu.
Rustice, quid tetricâ miraris vulnera fronte?
Major ab inflicto VULNERE venit HONOR.

In eandem rem is ipse etiam sequens Epigramma affert, ubi aperta telæ perforatæ fit mentio.

Non tibi fert animus tua serica perdere, quamvis
Mille foraminibus serica, Virgo notes.
Quod laceravit acus, rutilo mox splendet in auro,
PULCHRIOR EX ipso VULNERE tela redit.
Quos premis, alme Deus, non opprimis. Arrige mentem.
Qui geris ætherea vulnera facta manu.
Perfer, erit sanâ cute pulchrior ipsa cicatrix,
Et dabit haud dubiam vulneris author opem.

Cæterùm illos phrygiæ telæ effectus in S. Jobo deprehendit Chrysostomus; *Job*, inquit, *clarus quidem erat, & in quiete, clarior autem post tribulationem apparuit.* Et alibi de Jobo disserens; *Ulcera solaribus radiis splendidiora erunt.* Eâdem omninò ratione de illo pronuntiat S. Ambrosius; *Diaboli malitia Job sancti viri fecit esse virtutem & patientiam clariorem.*

Iob. S. Io Chrys. Hom. 66 ad Popul. Antioch. Idem Hom. 5. ad Popul. S. Ambr. lib. de Parad. c. 7.

231. Artifices pumicis fragmento pannos suos lævigare, expolire, & ad ultimam perfectionem adducere solent. Quo in negotio pumex nihil omninò commodi, sed plurimum exitii referens, atteritur ac consumitur; pannus verò, tametsi extenuetur ac debilior evadat, simul tamen polituram exoptatâ sortitur. D. Carolus Bovius id totum brevi ac erudito lemmate complexus, Emblematis hujus corpori subscripsi; DISPARI JACTURA. Innuebat videlicet, persecutiones, quas sancti ab hominibus vitiosis patiuntur, utrique quidem, tam affligenti, quàm afflicto, nocumentum aliquod inferre: eo tamen discrimine, quod persecutor propriâ authoritate, conscientiâ, ac meritis citra ullum suum quæstum destituatur; alter econtra, quantumvis aliquam sanitatis, divitiarum, quietis, aut vitæ jacturam sustineat, maximum tamen virtutis, perfectionis, ac meriti incrementum capit. Præclarè ut solet Magnus Augustinus in hæc verba philosophatur. *Quomodo mali serviunt bonis? Quomodo persecutores Martyribus? Quomodo limæ vel mallei auro; quomodo molæ serviunt tritico; quomodo panibus coquendis fornalia, ut illi coquantur, ista consumantur: quomodo in fornace aurificis palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur.*

Affligentis & afflicti damna. S. Aug. ap. P. Fernan. c. 25. in Gen. sect. 5. n. 1.

232. P. Henricus Engelgrave gratioso Emblemate duas manus exhibet, quæ è panno, in contrarias partes contorto, copiosas guttulas exprimunt. Epigraphen addidit; DUM CONTORQUENT, EXTORQUENT. Hanc artem probè imbiberunt Caussidici & Medici malitiosi, qui clientum suorum caussas diuturno tempore torquere, & callidè ventilare solent, maximo suo emolumento & amplissimo quæstu. *Hi sunt*, inquit Cassiodorus, *qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati. Hi sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt transigentes.* Unde è Caussidicis nonnemo, de certa quadam lite pendente, ac diutissimè prorogata, mihi respondit; *Mentre pende, anco rende.* Id est, *Dum pendet, pendit.*

Caussidicus malitiosus. Cassiod. in illud Psal. Irritat adversarius nomen tui.

233. Textor, telam confecturus, intexit stamini tramam, seu fila transversa rectis. Unde lemma; TRANSVERSIM RECTA SECANTUR. vel RECTIS TRANSVERSA JUNGUNTUR. Ita omninò vitæ humanæ series è prosperis & adversis successibus, assiduâ vicissitudine componitur. Opportunè in rem præsentem S. Gregorius Nyssenus; *Quomodo in tela, aut panni textura permulta fila, quorum quidem alia in rectum sunt extensa, alia autem per transversum divisa, ars extendi facit vestem; Ita etiam in vita, quæ ex virtute agitur, multa oportet concurrere, per quæ bona texitur vita &c.*

Vita humana. S. Greg. Nyss. in c. 4. Cant. v. Odor vestimentorum.

234. Tela in textorio, elegantibus liliorum figuris distincta, epigraphen tenet, COMMENDAT OPUS ARTIFICEM. Maria Virgo, pulcherrimis virtutum floribus exornata, magnum Creatori suo decus est. In rem præsentem canit P. Masenius;

Maria V.

Sæpè stupes, variis ludit dum tela figuris,
Dædalus ornatâ quam regit arte labor.
Admirère, licet; Virgo, paritura Tonantem,
Nascitur; artificem quis neget esse Deum?

Et Proclus; *Tela admirandæ œconomiæ, in qua tunica admirabilis illius unionis confecta est, cujus textor Spiritus sanctus, netrix virtus ex alto obumbrans, lana vetusta Adami pellis, trama impolluta Virginis caro, radius textorius immensa gestantis gratia, artifex verbum per auditum illapsum.*

Procl. or. Nat.

235. Tela, ex amianto contexta, & igni imposita, epigraphen tenet; MEDIO NIL LÆDOR IN IGNE. Maria Virgo in medio labis originariæ incendio illæsa permansit. S. Athanasius; *Sicut ex Amianto lapide telæ fiunt igni inviolabiles, ita B. Virgo agnum peperit, cujus glorioso vellere facta est nobis vestis immortalis.* Et P. Masenius:

Maria. S. Athan. apud Leon. Castrium in c. 43. Isa.

Credimus? an flagrans Amiante tela sub igne
Mersa, velut mediis purior exit aquis?
Certa fides, quamvis magis inviolabilis una est,
In scelerum mediis integra Virgo rogis.

VAS.

VAS.

Cap. XXV.

236. VAs samium, supra rotam figularem collocatum, & artificis manibus ad ultimam perfectionem deductum, authore Carolo Bosso, hanc epigraphen pronuntiat; DUCTU PERFICIOR. Verum Religiosum hæc idea adumbrat, qui à Religionis ingressu ad ipsam usque extremam vitæ suæ periodum nunquam non pro liberrimâ superiorum voluntate in omnem partē versatus, tandem obedientiæ suæ coronidem in cœlis imponit. Huc, nî fallor, collimant Regii Prophetæ verba; *Manus tua deducet me, & tenebit me dextira tua.* Eodem argumento S. Joannes Chrysostomus cuivis fideli persuadere conatur, ut postremam artificis Divini manum olim recepturus, supremam ipsius dispositionem optimâ ac studiosissimâ voluntate persequi allaboret. *Sicut lutum, quocunque manus se formantis duxerit, sequitur: ita hominem, quæcunque Deus jusserit, & sequi, & quæ ille intulerit, grato animo perferre convenit.*

Religiosus obediens. — Psa. 138. 10. — S. Io. Chrys. lib. 1. de Provid. c. 7.

237. In Hispania receptum est, idque etiam Mediolani à Serenissimo Cardnali Infante fieri consuevit, quòd aquis majorem levitatem ac perfectionem ingeneraturi, eas hoc artificio ab omni graviore fæce expurgent. Vasa enim complura, è materiis porosis, aliisque occultis virtutibus instructa, mutuò sibi imponunt, ut aquæ expiandæ singula illa permeare queant. Unde per primum vasculum effusæ, terreas aliquot fæces post se relinquunt. Secundum deinde, tertium, ac reliquam illorum seriem transgressæ, semper puriores evadunt: donec tandem ex ultimo vasculo in pretiosas ac defæcatissimas guttulas distillent. D. Carolus Rancatus huic vasorum cumulo subscripsit; NEC QUICQUAM TERRENÆ FÆCIS. Verbis ex Ovidio mutuatis;

Ovid. lib. 1. Metamorph.

> *Hac super imposuit liquidum, & gravitate carentē,*
> *Æthera NEC QUICQUAM TERRENÆ FÆCIS habentem.*

Animas, in piacularibus flammis detentas, hoc Emblemate depinges; quippe quæ, per angustas purgatorii cavernas distractæ, tandem purissimæ prodeunt. S. Bernardus; *Quidquid nunc parvipendendo transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus, quanto illic in purgatorio cruciatu vindex flamma consumet?*

Purgatorium. — S. Bern. serm. 7. de sex tribulationibus.

238. Affectus, in animo nostro semel receptos, assiduò perdurare, è vase testaceo conjicies, cui nonnemo epigraphen ex Horatio subdidit; QUO SEMEL IMBUTA.

Consuetudo. — Horat. lib. 1. Epist. 2.

> *QUO SEMEL est IMBUTA recens servabit odorem*
> *Testa Diu.*

Non minus breviter atque eruditè Michaël Aiguanus;

Aiguan in Psal. 118. v. 9.

> *Quod nova testa capit, inveterata sapit.*

Et Joannes Audenus;

> *Heu malè diluitur teneris quod mentibus hæsit.*

Prolixior S. Hieronymus, *Difficulter eraditur*, inquit, *quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in pristinum candorem revocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quò primùm imbuta est.* Atque in eam rem Alexandri Macedonis exemplum adducit, qui in ætate juvenili à Leonida Pædagogo suo diversa corporis & animi vitia edoctus, ea toto reliquo vitæ suæ decursu nunquam amplius oblitteravit. Plautus idipsum etiam de infamia observat, quòd semel inusta, characterem relinquat vix amplius eradendum. Ipsiusmet verba ita accipe;

Hieron. ad Latam. — Infamia æternum durat. — Plaut in Pers. Act. 3. scen. 1.

> ---- *Hominum immortalis est infamia,*
> *Etiam tum vivit, cùm esse credas mortuam.*

Tandem Emblemate isto edoceris, bona semel acquisita studiosè conservanda esse. Ex Ovidii sententia.

Conservare.

> *Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri,*
> *Casus inest illis, hic erit artis opus.*

Huic accinit Claudianus;

> ----- *Plus est, servâsse receptum,*
> *Quàm quæsisse decus.*

239. Vasculum æneum, quale Odoramentarii usurpare solent, epigraphen sustinet; CALORE ODOR. S. Maria Magdalena gemino decore simul & ingentem charitatis ardorem & pretiosam fragrantiam spargebat; quippe quæ, S. Gregorio asserente, *AMANDO fortiter ARDEBAT*; Et, quod Sacra Scriptura testatur, domum replevit *ex odore unguenti.* Cæterùm exinde discas, animam nostram calamitatum flammis probè crematam, suavissimos virtutis ac pietatis odores exhalare. S. Cyrillus Alexandrinus; *Ut optimum quoque thus, cum IGNI inhæserit, tum ODORIS sui suavitatem emittit, sic anima sancta, cùm laboribus, periculisque, velut igne examinata est, tum clariorem, perfectioremque suam virtutem certissimè reddit.*

Magdalena. — S. Greg. Pap. hom 25. in Evang. — Ioan 12. 3. — Calamitas. — S. Cyril. Alex. l. 10. in Gen.

240. Vas plenum, quod è labio, deorsùm versato, vix aliquot liquoris sui guttulas effundere potest, homini illi persimile dixeris, qui Mecænati suo grates, pro acceptis beneficiis debitas persoluturus, verborum inopiam patitur. Emblemati subscribes; EX COPIA INOPS. Argumento prorsus eodem Justus Lipsius ad Germanos in hæc verba scribit; *Ut in angusto canali aut tubo, ubi aqua aquam trudit, sistitur; nec invenit ingressum: ita hoc ipso, quòd interdum multa simul dicere volumus & debemus, dicimus pauca.*

Eloquentia. — Lips. Centur. singul. ad German.

241. D. Aresius sanctos Martyres testaceis vasis non absimiles dicit, quæ primum aquis subacta, deinde igne exiccantur. Epigraphen è Psalmo desumptam addidit; TRANSIVIMUS PER IGNEM ET AQUAM. Regii Psaltis verba sunt; *Transivimus per ignem & aquam; & eduxisti nos in refrigeriū. Quod utique factum est*, inquit interpres Cassiodorus, *quando alios Martyrum ignis absumpsit; alios aqua devoravit, & per diversa elementa mors eorum probatur impleta.* Ad idem propositum Dionysius Carthusianus; *Per ignem & aquam*, inquit, *tanquam per duo extrema, intelligenda sunt omnia genera tribulationum intermedia, quibus electi in hoc mundo purgantur.* Ita Abraham *de Ur Chaldæorum*, quæ ignem significat; Moyses è mediis Nili aquis; & omnes Israëlitæ è succensis Ægypti fornacibus, marisque rubri aquis extracti sunt. Nec abs re dixeris, ardentes adversitatum ignes, & refrigerantes prosperitatum undas, inoffenso hominum justorum pede superari; uti vivo suo exemplo docuêre Josephus Patriarcha, David, Daniel, S. Henricus Imperator, S. Hermenegildus Hispaniarum Rex, S. Ludovicus Galliarum Rex, aliique. Quamobrem Hugo Cardinalis; *Transivimus, inquit, per ignem & aquam, id est, per adversitatem; quæ urit, & prosperitatem quæ dissolvit; quasi diceret, nulla peccati tentatio nos superavit, quia omne peccatum fit aut propter prosperitatem habendam vel conservandam, aut propter adversitatem vitandam; sed per*

SS. Martyres. — Psa. 65. 12. — Cassiod. in hunc loc. — Dion. Cartus. in hunc loc. — Gen. 15. — Exod. 2. — Justi. — Hug Card. in hunc loc.

per hæc transeunt justi per auxilium Dei, quia nec prosperitas demulcet, nec adversitas terret eos.

242. D. Joannes Ferrus Abbas Symboli loco aliquot vasa expressit, quæ dirupta, omnes suas aquas effundebant; cum lemmate, QUASSATUS DEFLUET. AD verbum Lucretius; Lucret. lib. 3.

Nunc igitur quoniam QVASSATIS undiq; vasis DIFFLVERE humorem, & laticem discedere cernis.

Fama post mortem. Innuit videlicet, post mortem omnes famæ nostræ rationes, sive bonas sive malas, palam in orbem spargi. S. P. Augustinus eâdem icone immensam Christus patiens. Christi patientis charitatem ac beneficentiam demonstrat, quâ è lacerato suo corpore ad universi mundi incolumitatem copiosum balsamum ac liquores saluberrimos profudit. S. August. in Psal. 30. Conc. 3. *Nec unguentum tuum, quasi in vase tenuisti, sed tanquam confracto vase unguentum per Mundum diffusum est, ut impleretur quod dicitur in scripturis sanctis: Vnguentum effusum nomen tuum.*

243. Vas diruptum, omni suo liquore effuso, epigraphen à Lucarino accepit; AT ODOREM DIU. Verbis, ut paulò ante insinuavi, ex Horatio mutuatis; Horat. lib. 1. Epist. 2.

Quo semel est imbuta recens, servabit ODOREM Testa DIV.

S. Martyres. Sancti Martyres, rametsi sanguinem omnem momento profuderint, meritorum tamen fragrantiam integram ac æternum duraturam conservant. Dilucidè Salomon; *Iusti autem in perpetuum vivent.* Et Siracides; *Memoria Josiæ in compositionem odoris*, cujus suavitas nullo unquam exolescet ævo, *& Nehemias in memoria multi temporis.* Sap. 5. 16. Eccles. 49. 1. Ibid. n. 15. Consuetudo. Porrò consuetudo, animis nostris semel impressa, ad ipsum usque vitæ terminum nunquam amplius oblitterabitur. De se ipso protestatur Petrus Venerabilis; Pet. Venerab. lib. 6 Ep. 24. *Fratres, in illas montium & rupium angustias omnipotenti Deo servientes, videre, visitare, utique cum eis in Domino jucundari, dulce habui. Hunc SAPOREM, quo, cùm adhuc testa rudis essem, imbutus sum, & DIV per gratiam Dei etiam huc usque servavi: non quidem vos videndo, quod ut volui, hactenus non potui: sed vos, vestraque omnia charitate non fictâ diligendo, colendo, venerando.*

244. Vas, dum repletur, num integrum vel fractum aut vitiosum sit, dignoscitur. Unde Lucarini Dignitas. lemma; IMPLENDO DIGNOSCITUR. Ita omninò dignitates, magistratus, ac honores, quænam sit hominis indoles, palam demonstrant. Unde expertissimus nonnemo dixit; *Magistratus virum probat.* Et Plutarchus; Plutarch. de Princ. inerud. *Sicut inter vacua vasa non facilè discernere possis, quod eorum integrum, quod vitiosum sit. Vbi aliquid infuderis, statim apparet quòd perfluat. Ita animæ rimis fatiscentes, infusam potentiam non continent, sed foras diffluunt cupiditatibus, iris, arrogantiis, ineptiis &c.*

245. Vas, è cerâ virginea confectum, si mari immergatur, omnem ab haustis aquis salsedinem tollit, easque puras ac suavissimas reddit. Proinde illud hoc lemmate insignivit Lucarinus; HAUSTAM PURIFICAT. vel ut Julio Cæsari Tadino, Academico inter Intentos Submerso, placet; DULCESCIT AB HAUSTU. S. Ecclesia. Haud aliter Sancta Ecclesia, instar vasis è cera virgine compositi, quoslvis barbaros & indomitos homines, in sinum suum receptos, mansuefacere ac expiare consuevit. Tiburtius & Valerianus, instar leonum effrenes, ut primum S. Ecclesiæ gremium contigerunt, mirâ metamorphosi quantocius in agnos videbantur commutati. Hyberni barbari & immanes, posteaquam ad fidem à meo S. Patritio fuêre conversi, mox puritatem prorsus singularem recuperârunt. Idipsum etiam in Americæ populis testatum habetur, qui sanctâ fide imbuti, è ferinis moribus suavissimos induerunt. Tribul. Porrò tribulationes nostræ, tametsi amarissimæ, quantocius dulcescunt, si in providentiæ ac voluntatis Divinæ sinum rejiciantur. S. P. Augustinus; S. August. Psal. 85. *Quocunque se cor converterit, in terrenis rebus amaritudinem invenit, unde dulcescat non habet, nisi levet se ad Deum.*

246. Illud ipsum vas cereum, mari immersum, epigrammate distinxi; DULCORAT HAUSTAM. Mens Emblematis erat, supremum Numen, Maria. hactenus amaritie ac vindictâ plenum, quamprimùm in Mariæ Virginis sinu recipiebatur, mox mirificè suavem ac beneficum evasisse. Apprimè in rem nostram S. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus; S. Ant. p. tit. 15. c. *Deus ultionum, puniens terribiliter, intrans in uterum Virginis, totus factus est benignus, suavis, & humanus.*

247. Vas limosum, si fatiscat, ex eodem limo iterum refici solet. Lucarinus hâc figurâ mortalium reResurrectio. surrectionem demonstrans, epigraphen subdidit; REFICITUR EX EADEM. *Oportet enim*, Apostolo teste, 1. Cor. 15. *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Hunc locum interpretatus Cajetanus, ait; Cajetan. hunc loc. *Significanter dicit, INDVERE; ut intelligamus, non intervenire mutationem secundùm substantiam, quum hoc corpus sit incorruptibile & immortale: sed accidentalem, quemadmodum quum mutamus indumentum.* Et D. Thomas; S. Thom. *Dicit INDVERE: vestimentum enim adest vestito & abest, manente eâdem numero substantiâ vestiti, ut per hoc ostendat, quòd corpora eadem numero resurgunt, & iidem homines &c.* His S. Gregorius Nazianzenus accinit; S. Greg. Carm. ad ipsum.

---- Omnes extrema dies à finibus orbis
Colliget, atque Dei jussu conjunget in unum,
Sic licet in cineres quisquam dilapsus, & auras,
Membraque perdiderit violenti injuria morbi.

248. Vas testaceum, supra figuli rotam collocatum, ab eodem Lucarino epigraphen recepit; USUS A FIGULO. Appositè nimirum ad illa Apostoli Rom 9. verba; *An non habet potestatem figulus luti, facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*; veluti diceret, ex eâdem hominum massâ aliquos directè, & ut vocant, positivè ad honoris vasa Hominis creatio & prædestinatio. à Deo destinari; alios vicissim, permittente Deo & (cum Theologis loquor) indirectè inter contumeliæ vasa relinqui. S. P. Augustinus; S. August. 107. Enchiridii. *Fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; in honorem per misericordiam, in contumeliam per judicium; ut nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in se.* Quòd si verò iconem istam in sensu tropologico interpretari libeat, haud incongruè dixeris; sicuti vas è solo figuli arbitrio in hanc potius quàm aliam formam effingitur, ita hominem, se ipso merè luteum, à solâ Dei voluntate in creaturam rationalem, divitem, nobilem, sapientem, felicem &c. efformari. Psal. 99. *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*, inquiebat non sine grati animi nota Vates Regius.

249. Ut vinum dilutum gratioso artificio ab aqua separes; panni fragmentum unâ extremâ parte vino immergas, alterâ supra vasis labium propendente. Sic enim experieris, aquam per pannum foras defluxisse, solumque vinum meracum in vase residuum esse. Huic proinde Lucarinus subscripsit; SECERNIT, ET DISPERDIT IMPURUM. Illud Judicium extremum. ipsum sanè in extremo judicio continget, quando reprobi à justis horrendo & inevitabili decreto segregabuntur. S. Joannes Baptista de supremo Judice disserens, ait; Matth. 3. *Cujus ventilabrum in manu eius.*

Enim-

Hilar. in hunc loc. enimverò, interprete S. Hilario, *Ventilabro opus est, ab infructuosis infructuosa discernere. Quod in manu Domini situm, arbitrium judicat potestatis: triticum suũ, perfectos scilicet credentium fructus, horreis reconditis, paleas verò, id est, inutilium, atque infructuosorum hominum inanitatem igne judicii concremantis.*

250. Vas grande, dum suos liquores in alia diversæ magnitudinis ac capacitatis vasa diffundit, epigraphen sustinet; ÆQUUM NON ÆQUE. Innuit videlicet, Reipublicæ aut Religionum dignitates secundùm æquitatis leges, & prout quisque capax fuerit, distribuendas esse. Aristotelis Politica est; *Æquabilitas inter cives, & pro conditione cujusque suus locus & gradus bonus assignatus.* Haud aliter Deus *Uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem.*

Honorum distributio. *Arist. l.5. Polit. c.7. Matt.25.15*

251. Vas testaceum, sive vacuum, sive vitium in clibano passum, pulsanti digito malignè respondet, & altum resonat. Unde lemma; SONAT INANE. Plerumque observabis, homines, quantò magis virtutum aut scientiarum inopes, eò cæteris esse loquaciores. Plutarchus; *Vascula inania maximè tinniunt. Ita quibus nimium inest mentis, hi sunt loquacissimi.* P. Cornelius à Lapide, posteaquam illud Hebræorum adagium retulerat, *Lagena plena nummis non sonabit: unicus & alter si in ea nummus fuerit, sonum edet, & tinniet*; subjungit; *Sic sanè, quò quis doctior, eò est modestior & taciturnior, quò INDOCTIOR, eò audacior, & LOQUACIOR.* Et Jacobus Bruck.

Ignorans loquax. *Plutarch.* *Corn. à Lap. Proverb. 17, n.28.* *Jac Bruck. Embl. 30.*

Vasa velut nullos edunt impleta sonores,
Ast exhausta levi pollice tacta sonant.
Sic doctus vanis se nunquam laudibus effert,
Arte rudis laudes detonat ore suas.

252. Quando grandis cujusdam vasis liquores in aliud minoris capacitatis & angustioris labii vasculum effunduntur, stillatim ac tardè eos versari oportet, ne quidquam inutiliter in terram defluat. Emblemati subscripsi; SENSIM, NE DIFFLUAT. vel, NON TOTUM SIMUL. Eadem omninò ratione doctrina ætati puerili sensim instillanda est, ne tenellum ipsius ingenium nimiâ mole obruatur, suamque Magistro operam perdat. *Mens enim pueri*, teste Cornelio à Lapide, *est velut vas, habens os angustum, cui liquor sensim instillandus: alioqui si totum simul infundas, ad latera diffluet, & perdetur.*

Educatio. *Corn. à Lap. Prov.22.6.*

253. Vas conceptum suum liquorem per rimas dispergens, hanc à me subscriptionem cepit; QUANT' ACCOGLIE, DIFFONDE. Id est; SPARGIT, QUOD RECIPIT. Hominis prodigi & ingrati hanc effigiem dixeris, cui omnis accepti beneficii memoria quantocius excidit. In hanc rem Poeta Italus, Guido Casonius;

Prodigus. Ingratus. *Guido Cason. Emblem.18.*

Sfortunati sudori, opre neglete,
Industrie vane, è infruttuosi studi,
Son di colui, che i beneficii getta,
Quasi in cupa voragine i in un core
Ingrato, ch' avidissimo gli accoglie,
E per i fori de l' oblio gli sparge.

Macc. Embl. Et Paulus Maccius;

Ingratus plenum est vas rimis. Omnia frustra
Injicias, haurit, fundit & illa brevi.

Meretrix. *Corn. à Lap. Prov.23.*

P. Cornelius à Lapide in vase illo fatiscente mulierum infelicitatem repræsentat, quæ è prostituto suo pudore plurimos quidem quæstus faciunt, at inter tantas opes semper egenæ ac inopes, nunquam illis gaudere permittuntur. *Meretrix est dolium perforatum, in quod etiamsi Crœsi opes injicias, effluunt, & prodiguntur, ipsaque semper eget, remanetque inops & pauper.* Cumprimis tamen eos hoc Emblema spectat, qui arcana concredita nullo unquam silentio comprimere possunt, sed palam in obvios quosvis effundunt. Terentius;

Loquax.

Quæ vera audivi, taceo, & contineo optimè;
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuò palam est.
PLENUS RIMARUM SUM, HAC atque ILLAC PERFLUO.

Terent in. Eunuch. Act.1 scen.2.

Et quia mulieres loquacitatem istam plus aliis communem habent, idcircò nonnemo iis hoc distiche eruditè illudit.

Cur nil contineat mulier, cùm Turca rogaret,
Rimosum vas est fœmina, Tullus ait.

254. Vasa testacea, in clibano excoquenda, epigraphen sustinent; SOLIDAMUR IN USUS. Animas in piacularibus flammis detentas; uti & milites hoc Emblema concernit, qui prolusionis causâ in bellorum simulachris probè exercitantur, ut olim in hostem ducendi, armis ac munere suo generosè defungi queant. Iisdem vasis Sanctos Apostolos similes dixerim, qui Spiritus sancti flammâ in Pentecoste succensi, ad omnem gentilium ferocitatem animosè sustinendam obduruerunt. S. Gregorius Papa; *Mundi hujus potestatibus contraire non præsumerent, nisi eos sancti Spiritus fortitudo solidasset. Quales namque Doctores sanctæ Ecclesiæ ante adventum hujus Spiritus fuerint, scimus: & post adventum illius, cujus fortitudinis facti sint, conspicimus:* Idque prolixo Sancti Petri Apostoli exemplo comprobat. Verùm non Apostolis tantùm, sed omnibus omninò justis hæc idea est propria, qui providente Deo in diversis calamitatum flammis excruciati, tandem in virtute & gloriâ solidescunt. Explicatissimè Siracides; *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Et Seneca; *Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortiter amat: & operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, UT verum COLLIGANT robur.* Et paulò post; *Ubi assidua fuit cum incommodis suis rixa, CALLUM PER INJURIAS DUCIT, nec ulli malo cedit.* Tertullianus de Martyribus afflictis, tortis, ac excruciatis differens, *Coguntur*, inquit, *cruciantur, fatigantur, quantò plus in exercitationibus laboraverunt, tantò plus de victoria sperant.* Quin, illo flammarum beneficio homines justi eousque promovent, ut non tantùm ad exoptatam victoriam, verùm etiam ad corporis & animi sui incorruptibilitatem consequendam obfirmentur, stabilianturq; S. Gregorius illa Psalmi verba examinans, *Aruit tanquam testa virtus mea*; ait, *Quid est testa ante ignes, nisi molle lutum? sed ei ex igne agitur, ut solidetur; virtus ergo humanitatis ejus* (id est, Regis Davidis, qui Servatoris nostri typus fuit) *veluti testa exaruit, quia ab igne passionis ad virtutem incorruptionis crevit.*

Purgatorium. Exercitiũ. *Greg Hom. 30. in Evan.* Justus. Calamitas. *Eccles.27.6* *Senec. de Provid.c.2.* *Tertull. l.ad Mart.c.4.* *S Greg. Pap. in Psal.21.16*

255. Complura diversæ magnitudinis vasa, si fonti vicina fuerint, cuncta quidem replentur, at majore vel minore aquarum copiâ, prout singula magis vel minus capacia se exhibuerint. Unde lemma; PRO CAPACITATE. Ita omninò gratiæ Divinæ dona pro hominum capacitate majore vel

Gratia Dei

vel minore dispensantur. S.Hieronymus; *Gratia*, inquit, *juxta mensuram credentibus datur, non quod ad mensuram spiritum & gratiam tribuat Deus: magnificentia enim ejus non est finis, sed quod juxta mensuram vasculorum infundat liquorem, tantum largiens, quantum potest ille, cui donatur, accipere.*

S.Hieron l.2. in Epist.ad Ephes. c.4.

256. Vas, fonti immersum, à Carolo Bovio inscriptum tenet; MERGITUR, DUM IMPLETUR. Ita lascivus, dum cupidinem suam exsatiare nititur, in flagitiorum cœnum miserè præcipitatur. Magnus Augustinus super illud Psalmi, *Salvâsti me à descendentibus in lacum*; ait, *Qui sunt, qui descendunt in lacum? Omnes peccatores mergentes in profundum, lacus est enim profunditas sæculi: quæ est ista profunditas sæculi? abundantia luxuriæ & nequitiæ. Qui ergò libidinibus se immergunt, & terrenis desideriis, descendunt in lacum.*

Lascivus. S.Aug. in Ps. 29.

257. Idem Bovius aliquot vasa vitrea in fornace figuravit, eaque perflatu tubi ferrei à fabro vitriario efformata, hoc lemmate insigniit; NON SINE FABRI SPIRITU. Mens Emblematis erat, Sanctum Ignatium Loyolam Patris Petri Fabri, discipuli & Socii sui, industriâ, quosdam fideles ad sanctimoniæ & veræ perfectionis fastigium attraxisse. Ceterùm omnia gratiæ vasa suam formam à Spiritus sancti influxu, ceu omnis sanctimoniæ fonte, derivant. Unde ad Spiritum sanctum suspirat Magnus Augustinus; *Sanctum semper opus in me spira, ut cogitem: compelle ut faciam: suade ut te diligam: confirma me, ut te teneam: custodi me, ne te perdam.*

S.Ignatius Loyola. Sanctitas. S.Aug.Epist. ad Comitem.

258. Vas suos liquores, è canali affusos, liberaliter effundens, inscriptionem habet; AFFUSA REFUNDIT. Maria Virgo suas gratias, quibus à Deo cumulata est, liberalissimè in nos effundit. Unde à S.Anselmo genuinè cognominatur. *Vas vitæ & salutis universorum.* Et à S.Gregorio Neocæsariensi, *Vas atque receptaculum supercœlestis lætitiæ & mysteriorum omnium.* In rem præsentem canit P.Jacobus Masenius;

Maria V. Benefica. S.Anselm alloq. col. 27. S.Greg Neoc. Orat.2 de Assumpt.

Dum pluit affusas gravis aura canalibus imbres,
Urna semel captas plena refundit aquas.
Defluit in plenam cœlo nova gratia Matrem,
Hinc sterilis largo fonte rigatur humus.

259. Vas, ex luto in illustrissimam speciem formatum, epigraphen tenet; VAS IN HONOREM. Hominis prædestinati; cumprimis tamen Mariæ Virginis hæc imago est, quæ Adami limo ac carne generata, nullam labis originariæ labem contraxit. Ut adeò verè à S.Epiphanio cognominetur *Vas pretiosum & excellentissimum, vas honoratum*: Canentem audi Emblematis Authorem, P.Masenium;

Prædestinatus. Maria V. immaculata. S.Epiphan. Hæres.78.

Vidi ego de luteis vas non ignobile glebis
Ornamentum abaci sæpè fuisse sui.
Fœmina vas luteum est, fuit admirabilis una
Eruta Virgo luto, sed tamen absque luto.

260. Vasis rimæ omnium optimè per infusas aquas explorantur. Unde lemma à Zincgrefio inditum; TUNC VITIUM APPARET. Ita hominis indoles è dignitate acceptâ maximè innotescit. Unde de quodam pronuntiavit Bias, *Magistratus virum declarabit*. Et de Galba Tacitus; *Omnium consensu capax fuisset imperii, nisi imperasset.* Idipsum etiam de tentatione dixerim, quæ singula hominis vitia aut virtutes ob oculos statuit. Unde Tobiam imbuens Angelus, *Necesse fuit*, inquit, *ut tentatio probaret te.* Seneca causas varias assignans, cur Deus viros probos tantoperè affligat, ait; *Deus virum bonum in deliciis non habet: Experitur, indurat, sibi illum præparat.*

Dignitas. Tacit l.1. Hist 49. Tentatio. Tob.12.13. Senec. l.de Provid c.1.

UMBELLA.

CAPUT XXVI.

261. Umbella opportunam adversus quasvis cæli injurias tutelam præbet. Lemma; ET SOLEM, ET IMBRES, subintellige, *arcet*. Isaias idipsum de Tabernaculo Dei, ceu genuino Virginis Mariæ typo, pronuntiat. *Tabernaculum erit in umbraculum diei AB ÆSTU, & in securitatem & absconsionem à turbine, ET A PLUVIA.* Porrò etiam vitæ integritas & sanctimonia, instar umbellæ, ab omni adverso incursu hominem tuentur. S.Gregorius Nyssenus *per umbellas solatium æstus* intelligit, *quòd accedit animis ex continentia & puritate. Umbrosa autem fit nobis vita, extincto æstu per umbellas virtutis.*

Isa 4.6. Defensio Mariæ V. Protector. Puritas protegit. S.Greg.Nyss. Hom.3.in Cant.

262. Umbella, instrumentum admodum familiare, etymon suum ab usu illo derivat, quem in umbras producendis confert. Quare eidem subscripsi; NOMEN AB UMBRA. Eos hoc Emblemate notabis, qui cognomen suum à vitio quodam traxerunt. Julianus Imperator, si Ammiano Marcellino credas, summo ingenio excelluit; at ob Christianam fidem perfidè negatam, Apostatæ cognomento vocatur. Constantinus V. Imperator, quòd etiamnum infans sacrum baptismatis fontem alvi sui excrementis defedarit, Copronymi cognomen accepit. Ludovicus Galliæ Rex Caroli Calvi frater, ob balbutientis linguæ vitium Balbus cognominabatur. Herostratus è Dianæ Ephesiæ templo sacrilege combusto, nomen quidem æternum, at infame & obscurum, adeptus est. Denique nos omnes nascimur & vocamur Filii iræ, ob umbram illam originariam, quam ab Adamo traducem incurrimus. Dilucidè S.Paulus; *Eramus naturâ filii iræ. Cujus iræ filii?* subinfert S.Bernardus, *nempe filii ignorantiæ, ignaviæ, captivitatis. Ignorantia mulieris seducta excæcaverat nos; mollities viri abstracti & illecti à propria concupiscentia enervaverat nos; malitia diaboli expositos justè à Deo captivaverat nos. &c.*

Nomen vitio deri-vatum. Ephes.2.3. S.Bernard. ser.1. de Purificat. M.V.

263. Umbella recepto lumine umbram generat; Lemma; DE LUMINE PARTURIT UMBRAM. Plurimos ita malè providos reperias, qui gratiæ Divinæ lumine ac beneficentiâ illustrati, nonnisi horridas vitiorum umbras reponunt. *Quanta accepit peccator, pro quibus non solvit? Accepit, ut sit, accepit, ut sit homo, accepit corporis formam &c. Accepit etiam amplius, id est, mentem, quâ possit intelligere & capere veritatem, Creatorem laudare & inhærere illi. Hæc omnia accepit & peccator: sed non benè vivendo, non reddit quod debet.* Carducii mei distichon est;

Gratiæ abusus. S Aug.Ps. Conc.2.

En umbella nigram de lumine parturit umbram;
Sic generat lucis filia corde scelus.

Epulo Evangelicus nobilitate, valetudine, ac divitiis cumulatè instructus, in tantæ beneficentiæ vicem teterrimas iracundiæ, crapulæ, inhumanitatis, & crudelitatis diabolicæ umbras substituit.

Luc. 16.

264. Umbella tam inundantibus pluviis, quàm exæstuanti soli objicitur; atque adeò portat PONDUS IMBRIS ET ÆSTUS. Illis Evangelii verbis hoc lêma affine est; *Portavimus pondus diei & æstus.* Ita perso-

Matth 20. 12.

Servus Dei afflictus. personæ Apostolicæ, ceu totidem universi populi umbellæ, assiduo calamitatum imbre, ac persecutionum ardore quatiuntur. De sanctis Apostolis ait D. Bernardus, *Scimus, quod viri isti nec sibi vixere, nec sibi sunt mortui, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus propter illum. Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, & etiam mors ipsa &c.* Eruditè canit meus Concanonicus Carducius, è cujus ingenio postrema hæc duo Emblemata prodierunt.

Bern. serm. de SS. Petro & Paulo.

Umbella pondus imbris ac æstus gerit,
Idea nempe est ipsa servi Numinis.

UTER.
Cap. XXVII.

265. Uter, è caprinis exuviis confici solitus, nulla amplius extincti illius animalis membra in se continet. Ut adeò opportunam hanc epigraphen præferat; CARNE, ET SANGUINE PROCUL. Perfectos Religiosos hæc idea concernit, qui à suis consanguineis, aut sensuum affectibus penitus abstracti, solis spiritibus vacant: unde illorum quivis de se ipso illud Apostoli pronuntiare potest; *Non acquievi carni & sanguini.* Emblematis occasionem S. Ambrosius super illud Psalmi subministrans, *Factus sum sicut uter in pruina*; ait, *Rectè uter dicitur justus, qui expoliatus non nudus inveniatur, Uter namque de exuvio fit animalis. Igitur & nos peccato moriamur, ut vivamus Deo CARENTES INFIRMITATE CORPOREA, & integro mentis sinu infusam nobis Divinorum mysteriorum gratiam reservantes.* S. Gregorius Papa legem illam, Levitis à Deo sancitam, examinans, *Radant omnes pilos carnis suæ,* subjungit, *Oportet Levitas omnes pilos carnis radere: quia is, qui in obsequiis Divinis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus esse.*

Religiosus perfectus. Gal. 1.16. Ambros. in Ps. 118. Greg. l. 5 Moral. c. 24. Num. 8.7.

266. In utre genuinam naturæ nostræ ideam cernere licet; quippe quæ prosperitatum calore, instar utris, relaxatur, superbiæ afflatu intumescit, & calamitatum rigore stringitur ac coërcetur. Unde hanc lemmatum triadem Utri subjicies; TEPORE LAXATUR. Et; TUMET INFLATUS, ac denique, PRUINA GELASCIT. Opportunissimè S. Basilius Magnus; *Uter,* inquit, *tepefactus laxatur, & inflatus tumet, in pruina verò duratur & congelatur: ita habet & corporis natura &c. Deliciis laxatur & intumescit, & adversus animam insurgit: religiosa verò afflictione & castigatione humiliatur & reprimitur,*

Natura humana. Basil. in Psal. 118.

267. Utri inflato subscribes; SPIRITUS IMPLET. Ita Dei servus membra sua, assiduis castigationibus macerata, soli spiritus ac pietatis obsequio consecret. S. Ambrosius in illud Psalmi, *Factus sum sicut uter &c.* ait, *Non ergò vacuum, sed plenum hunc utrem esse oportet, PLENUM SPIRITU, plenum justificationum.* Arescentem & exossem utrem S. Basilium Magnum dixisses, qui nullâ aliâ re, nisi solo spiritu repletus videri poterat, uti de illo testatur Breviarium Romanum; *TANTUM SPIRITU vivens, præter ossa & pellem, nullâ præterea corporis parte constare videbatur.*

Servus Dei. Ambr. l. c. Brev. Rom. 14. Iun.

268. Eidem inflato utri hanc subjunges epigraphen; SPIRITUS INFLAT. Hominem, vanitate aut superbiâ turgidum, distento hinc utri jure comparaverim. De hâc hominum fæce Jacobus Goddi canit;

Superbus.

Ipse omnes odi fastus, procul esse tumentes,
Rideo, quæ vento pectora vana tument.

Et Novarino referente S. Epiphanius, *Homines naturâ sunt utres, vento distenti.* Timo Phliasius apud eundem Novarinum canit;

Novar. tract. 2. Adag. n. 1266. Novar. ibid.

Ah ventosi utres, quos implet opinio inanis!

His colophonem subnectens Magnus Augustinus, *Sunt autem quidam,* inquit, *INFLATI utres, SPIRITU elationis pleni, non magnitudine ingentes, sed superbiæ morbo tumentes &c.*

S. Aug. serm. 24 de Verb. Apost.

269. Homines mundanos, virtutibus, meritis, aliisque animi dotibus penitus destitutos, nonnunquam stemmatis sui vetustatem, honorum fastigia, aut divitiarum copiam superbè ac vanissimè jactare audias. Ut adeò illos hoc utris lemmate significare liceat; INFLATUS, SED VACUUS. Emblematis ansam S. P. Augustinus suggerit, ubi de homine superbo sic pronuntiat; *In carne crepat, & in corde mendicat, INFLATUS, NON PLENUS &c.*

Superbus. S. Aug. ser. 211. de temp.

270. Uter, quantumvis vento intumescens, altumque distentus, si levissimo quovis vulnere contingatur, mox deturget, & latera colligit. Cui proinde subscribes; PUNCTUS DETUMET. Ita homo mundanus, si nonnullâ calamitate à Deo saucietur, mox concidit & instar utris flaccescit. Hieronymus Arnobius. *Tuus ille,* inquit, *facilè laudibus intumescit, facilè DETUMESCIT CUM PUNGITUR, utrem ut dicitur refert.* Idipsum in Pharaone, Nabucchodonosore, Antiocho, aliisque cernere licuit, quos, superbiâ ac tumore inflatos, supplicii Divini aculeus penitus depressit.

Calamitas tumorem tollit. Arnob. l. 1.

271. Hieronymus Laureti de utre philosophans, his verbis utitur. *Intra quod retinetur, & premitur &c.* veluti diceret, liquores, in utris sinu conclusos restringi, & arctis limitibus comprimi. Unde lemma; PREMIT QUOD RETINET. Ita nobilissima anima intra miserrimas corporis nostri angustias constringitur. Enimverò, teste Salomone, *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam,* Seneca; *Corpus hoc, animi pondus, & pœna est: premente illo urgetur, in vinculis est.*

Corpus aggravat animam. Sap. 9. 15. Senec. ep. 65.

272. D. Emmanuel Thesaurus Abbas Symboli loco Utrem figuravit, qui in Ulyssis navi repositus, & ab avaris nautis importuno tempore apertus, immanes tempestates & gravissima Reipublicæ damna excitavit. Unde lemma; PRIVATÆ RES OFFICIUNT PUBLICIS CONSILIIS. E Titi Livii sententiâ, *Privatæ res semper offecêre, officientque publicis consiliis* Assiduâ experientiâ discimus, quemque privatis suis commodis invigilare, nullâ penitus Reipublicæ curâ habitâ. Justus Lipsius, *Duces,* inquit, *in bello rem suam faciunt, publica parum accedit.* Eamobrem civitatibus quibusdam decretum est, nullos cives ad consilia bellica admittere, qui agros aut prædia, hostibus finitima, haberent, censent enim, illos, posthabito Reipublicæ incremento, propriis tantùm commodis esse consulturos. Aristoteles ait; *Apud quosdam lex est, ut, qui agros habent vicinos, hi non admittantur ad consilium belli adversus illos suscipiendi, quasi OB PRIVATAM sui CAUSAM RECTE CONSILIUM DARE NON VALENTES.* Id quod in illo Judæorum consilio manifestè perspicere licuit; cum enim è vita & sanctitate Christi peculiaribus suis commodis ac dignitatibus, quas indignè occupaverant, jacturam aliquam timerent (*Venient Romani & tollent locum nostrum*) communi consilio statuerunt, publicum illum Mundi benefactorem, pro conservandâ privatâ suâ incolumita-

Livius l. 22 Commodum. Lips. Cent. 3. ad Belg. ep. 72. Arist. l. 7. Polit. c. 10. Ioan. 11. 48.

te, è medio tollere, tametsi minimè ignorent, ipsius vitam bono publico plurimum esse profuturam.

273. Uter inflatus & vento turgidus, si styli cujusdam acumine configatur, nonnisi ventum exhalat. Unde à meo D. Alexandro Luzon de Millares epigraphen recepit; VENTUS EST VITA NOSTRA. Velint nolint, omnes filii superbiæ, veritatis stylo compuncti, efflare debent hoc Jobi lemma, *Ventus est vita nostra.* Primus illius testis est S.P. Augustinus, qui disertis verbis ait; *Vulgò magnos spiritus superbi habere dicuntur: & rectè, quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Quis verò nesciat, superbos inflatos dici, tanquam vento distentos?* quia nihil, nisi applausus, popularem auram, & ventosæ plebis suffragia venantur: hunc ventum attrahunt, hoc turgent, eundemque expirant. Neque tamen hoc superbiæ & ambitionis vitium pauculos tantùm hominum animos occupat, sed jure quodam hæreditario à primo parente in posteros adeò latè defluxit, ut neminem ferè innoxium relinquat. Suffragatur huic veritati Hugo Cardinalis, qui observat, quòd Historiographus in Regum Fastis singulorum gesta ac mores, longâ serie commemoratos, plerumque absolvat his verbis; *Veruntamem excelsa non abstulit.* Solus Ezechias & Josias communem hanc notam evasêre. Censuram istam omnes penè totius mundi incurrere videntur, *Ferè omnibus*, inquit citatus Cardinalis, *convenit illa exceptio, quæ toties in libris Regum repetitur: Veruntamen excelsa non abstulit. Sed nec multi Religiosi auferunt hæc excelsa.* Unde rectissimè potuit Christus, Magister expertissimus, se solum mansuetudinis & humilitatis protypon nobis præstituere his omninò verbis; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

Superbi. Vita humana ventus.
Iob.
S.Aug.l.1. de serm.Dom. in Monte.c.8
4.Reg.14. &c.
Hug Caro in hunc lo
Matth.11

FINIS LIBRI DECIMI QUINTI.

MUNDI

MUNDI SYMBOLICI
LIBER DECIMUS SEXTUS.
ÆDIFICIA, eorumque proprietates.

Arx. Castellum	1	Forum.	9	Pyramut. Obeliscus.	16
Calx.	2	Furnulus.	10	Sepulchrum.	17
Cisterna.	3	Labyrinthus	11	Statua.	18
Civitas.	4	Mola pneumatica. Molendinum.	12	Templum.	19
Columna.	5			Thalamus.	20
Domus. Ædificium.	6	Officina.	13	Theatrum.	21
Fneestra.	7	Pons.	14	Tugurium.	22
Fornax.	8	Porta.	15	Turris.	23

ARX. CASTELLUM.
Cap. I.

Patrocinium.

1. PAtrocinium, à Magnate obtentum, Arci non absimile dixeris; cum lemmate, PRÆSIDIUM, ET DECUS. Verbis ex Horatio mutuatis.

Horat. l.1. Od.1.

Mecenas atavis edite regibus,
O & præsidium, & dulce decus meum.

S Ambros. in Ps 118. octon. 4.

In hoc argumentum S. Ambrosius; *Condidit turrim illam David, ille manu fortis, & supra murorum excelsa ædificavit, ut SUBSIDIO pariter, TE DECORI sit: subsidio, quia hostem prævidet & expellit: decori, quia non solùm inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet.*

Fides. S.Io.Chrys. Imperfect. Hom. 40.

2. Arx, instrumentis & machinis bellicis munita, epigraphen præfert; PERIMIT, ET TUETUR. Hos ipsos effectus S. Joannes Chrysostomus in sanctâ fide observat, cujus beneficio Servi Dei acerrimè propugnantur, & inferna monstra in fugam aguntur. Ipsiusmet verba ita accipe. *Sicut in turri consistentes, & hostium irruptionem non facilè patiuntur, & hostes de turri facile conterunt; sic & qui in fide Christi consistunt, & dæmones super irruere non sinunt, & spiritualibus bonorum operum sagittis eos facilè vulnerant.*

Protectio. Maria V.

3. Inter cæteram funebrem pompam Philippi IV. Hispaniarum Regis, Anno 1665. Mediolani celebratam, Castellum depinxere; cum lemmate, TUTELA RECEPTIS. Significarunt quippe, Philippum in Belgio plurimis tutelæ ac patrocinii loco extitisse. Jure tamen optimo Maria Virgo hanc ideam sibi propriam vendicat, quæ, utpote Civitas refugii, omnes, in sinum suum receptos, validissimè protegit. Unde de se ipsâ in Sacro Epithalamio protestatur; *Ego murus, & ubera mea sicut turris.* Et rursus S. Joannis Damasceni ore, *Ego civitas refugii ad me confugientibus.* Injurius sim in S. Bernardum, nisi mellea ipsius verba in partem argumenti advocavero. *Divinæ pietatis abyssum cui vult, & quando vult, & quomodo vult, creditur aperire, ut quamvis enormis peccator non pereat, cui Sancta Sanctorum patrocinijs suis suffragia præstat.*

Cant. 8.10. S.Io.Damasc. serm de Dormit Virg. S.Bern. ser. de Salve Reg.

Spes in Deo. Psal.120.1 S.Aug serm. 7. de Temp. Lippoman. in Exod. 2.

4. D. Archangelus Conter Castellum figuravit, quod papilionibus, tentoriis, ac viis fossilibus cinctum, gravissimâ obsidione stringebatur. Epigraphē addidit; AUXILIUM E COELO. Illos hæc imago spectat, qui rebus suis afflictis nullas alias suppetias, nisi à superis avocare possunt. His præcinens Vates Regius, *Levavi,* inquit, *oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Et Magnus Augustinus; *Desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro.* Eodem Emblemate significatur, omni humano subsidio penitus desperato, auxiliarem è cœlo dexteram porrectum iri. Hebræorum populus tyrannide adeò crudeli à Pharaone constringebatur, ut etiam illorum infantes vix nati in Nili aquas submersi fuerint. Sed ecce! eâ ipsâ tempestate Moses, afflicti illius populi Dux, Servator, ac libertatis deperditæ Vindex, in hunc orbem procreatus est. Aloysius Lippomannus; *Nascitur tunc salutis auctor, dum maximè gloriatur perditionis crudelitas: & UBI OMNIS SPES DESINIT, & humanum AUXILIUM: tunc ADEST Divinum. Filius nascitur mortis, qui morti expositus vivificet morituros.*

Paupertas. S.Io.Chrys. Hom 13. in Acta. S.Bernard. serm. 4. ex Parvis.

5. Castellum, aggeribus, fossis, viis obsidionalibus, cæterisque munimentis benè instructum, epigraphen tenet; UNDIQUE TUTUM. Eorum hoc est symbolum, qui in paupere fortunâ nullas timent insidias aut hostium assultus. S. Joannes Chrysostomus; *Paupertas,* inquit, *securum præsidium, areis muris, & expugnatu difficile.* Et S. Bernardus; *Castellum voluntaria est paupertas, quæ habitatores suos à geminâ impugnatione, quâ hujus mundi amatores expugnantur, reddit securos. &c.*

Pulchritudo defendit.

6. Carolus Bovius Emblematis loco castellum figuravit, quod, juxta militaris Architectonicæ leges, quinque vallis adeò elegantibus & artificiosis munitum erat, ut singula rursus suis fossis, interiore fossarum acclivitate, dimidiatis lunis, cæterisque propugnaculis adversus hostes vindicarentur. Epigraphen addidit; A FORMA MUNIMEN. Pulcherrimam Juditham hoc Emblema concernit, quæ Bethuliam, patriam suam, non alio munimento, nisi propriâ corporis venustate ab hostium discrimine præsentissimo tutata est; probè gnara, venustatem ac fortitudinem, ceu geminas sorores, in Sacris Litteris conjungi; *Pulchra es amica mea &c. terribilis ut castrorum acies ordinata.* Et rursus,

Cant. 6. v.3. & 9.

Cant.6 v.3. & 9. *Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Gratia Dei Porrò anima, gratiæ Divinæ ac virtutum radiis condecorata, adversus hostes validissimè munitur. S.Aug serm. 44. de Temp. Magno Augustino teste, *Nullum adversarium timebis, si Regem Deum in te habere merueris.* Utramque Emblematis mentem epigrammate explicat Carducius;

Arcis forma urbi munimen nobile format;
Quo facilè hostiles arceat ille manus.
Non secus Assyrios validum munimen in hostes
Bethuliæ Judith forma venusta fuit.
Sic pariter Divina parit cui gratia formam,
Dat simul in stygium fortia castra Jovem.

Phryne, ob grande flagitium ad Judices Athenienses delata, causæ suæ patronum Hyperidem advocavit; qui desperato clientis suæ negotio extremam opem allaturus, ab ipsius vultu velamen removit: nec fefellit eventus; nam Judices tantâ mulieris venustate attoniti, eam quantocius judicio liberarunt: atque adeò Phryne *à forma munimen* recepit. Quamobrem si sola venustas tantum potuit in Phryne ad ipsius incolumitatem vindicandam, & in Juditha ad Bethuliam defendendam, ipsemet Mariæ V. Pulchritudo. utique facilem subduces calculum, quanta salutis ac beneficentiæ incrementa nobis è Mariæ Virginis pulchritudine prorsus incomparabili sint accessura.

7. Arx, in monte collocata, epigraphen sustinet; Mariæ V. Patrocinium. TUTA LATENTI. Mariæ Virginis hæc idea est, quæ suis clientibus adversus hæresum ac libidinis sagittas tutissimum est præsidium. Andr.Cret. Orat.2. de Assumpt. Unde ab Andrea Cretensi cognominatur *Propugnaculum fidei Christianorum*; à Joanne Geometra; *Arx Religiosorum.* Io.Geomrt. hym.4. de B M.V. Ab Horologio Græco in Mesonyctio, *Murus inexpugnabilis & munimentum salutis.* S Anselm. Hom.in Evang.Luc.10 Et à S.Anselmo; *Castellum, muro undique vallatum, ad quod nullus fuit accessus libidini.* Concinnè & appositè canit P.Jacobus Masenius;

Est aliquid, tutis firmâsse in montibus arcem;
Dum vigil ad prædas insidiator obit.
Hæresis infestis depromat tela pharetris,
Sævus amor feriat: Virgine tutus eris.

8. Kirch.Phon. l.1. c.2. P. Athanasius Kircherus in suâ Phonurgia author est, propè Mediolanum in villa Simonetta, arcem non tam symmetriâ Architectonicâ, quàm Echone multiplici adeò esse prodigiosam, ut unica vox, per supremæ contignationis fenestram prolata, trigesies & amplius, imò pro majore intensione vocis infinitum quasi multiplicetur. Lemma; LIBERALI FOENORE REDDIT. Gratitudo Præclarum hoc grati animi symbolum est, qui beneficium acceptum cumulatè ac pro viribus deprædicare ac compensare nititur. Porrò Deus gratias nobis concessas cum fænore sibi reddi postulat. Unde servus ille Evangelicus, quòd talentum, sibi concreditum, integrum quidem, sed sine fœnore restituisset, jussus est *in tenebras ejici exteriores, ubi fletus erit & stridor dentium.* Matth.25.39 S.Aug. de Opere Mon. c.1. In rem præsentem S. P. Augustinus, *Nihil prodest*, inquit, *manducare spiritualiter, id est, pasci verbo Dei, si non inde operatur aliorum ædificationem; sicut illi pigro servo quid profuit accipere talentum & abscondere, nec operari lucra Dominica?* 1.Cor.15.10. Echum Divinæ gratiæ multiplicem reddidit D.Paulus, qui de se ipso testatur; *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.*

9. Arx, firmissimis compacta lapidibus, fortissimis tormentorum ictibus minimè frangitur; sed incassum insiliunt igniti globi, & molem tantam percutiunt. Unde Emblemati subscripsit sapientissimus Philotheus; IMPAVIDAM FERIENT. Hic Amor Dei Patiens. clarissimus Amoris Divini & sanctæ patientiæ triumphus est, quod animus, iis imbutus, omnes periculorum casus despiciat, & tam externis, quàm internis hostibus fortissimâ constantiâ resistat, ut atrocissimi eorum impetus semper impavidum feriant. Magno Augustino teste, *Ille invictus homo est, qui cohæret Deo; non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud, quàm ipsum hærere Deo bonum est.* S.Aug. de vera Relig. c.47. Canentem audi eundem Serenissimum Philotheum;

Stat virtute suâ moles, stat ferrea cautes,
Et non castra virûm, nec Jovis astra timet.
Si tormenta boant totis resonantia sylvis,
Nulla vel exigui signa pavoris habet.
Tu Deus es rupes animæ, tu petra salutis,
Omnibus auxilium præsidiumque piis.

10. Arx in rupe, à ventis frustra oppugnata, epigraphen ab Alphonso II. Caretto Marchione Savonæ accepit; FORTES PROBANTUR IMPETU. Fortitudo Ita animus generosus nullibi melius, nisi inter adversa, probatur. Cicero in Rhetoricis. Tullii sensu, *Fortitudo est immobilis inter adversa, gloriosa animi claritudo, res arduas pulchrè administrans; quæ nec adversis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo elevatur.*

CALX.

CAP. II.

11. CAlx, ut humanis usibus deservire possit, perfectionem suam omnem ab igne recipit. Unde lemma; PERFICITUR IGNE. Animas, Animæ in purgatorio. in piacularibus flammis detentas, hoc emblema spectat, quæ ad cælestis Hierosolymæ fabricam transferendæ, ultimam suam perfectionem ab igne subterraneo sortiuntur. S.Bern. de quinque negot. S.Bernardus; *Vadam in istam regionem, & videbo visionem hanc grandem, quomodò pius pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem: non ad iram, sed ad misericordiam: non ad destructionem, sed ad instructionem: ut jam non sint vasa iræ, apta in interitum; sed vasa misericordiæ, præparata ad regnum.* Calamitas Illis etiam animabus hæc imago est propria, quæ inter febriles, aliasque acerbas corporis vel animi flamas probè excruciatæ, ad veræ salutis ac Christianæ perfectionis apicem promoventur. *Bonus certè languor*, inquiebat apud Hermannum Hugonem P.Ghislerius, Herm. Hug. l.3.susp.2 *cùm infirmitas hæc non sit ad mortem, sed ad vitam: ut glorificetur Deus per eam. Cùm arbor, febrisque ista non sit ab igne consumente, sed ab IGNE potius PERFICIENTE.* Charitas. Quin omnis nostra virtus, instar calcis, extremam suam manum ac perfectionem è charitatis fervore trahit. Apostoli Gloss. 3. monitum est; *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

12. Trecenti Martyres, in Martyrologio Romano Martyres concremati. commemorati, cùm sub Valeriano & Gallieno thura idolis adolere recusarent, in fornacem calcariam præcipitati sunt, ubi *inter vapores calcis in pulverem sunt redacti, ex quo candidatus ille beatus exercitus massa candida meruit appellari.* Mart Rom. 24. Aug. Hos Carolus Rancatus Emblemate significaturus, massam calcis figuravit, quæ intra fornacem reposita, epigraphen tulit; E DA LE FIAMME TARSSE IL SUO CANDORE. Id est; CANDOR AB IGNE. Tribulatio. Idipsum hodie experimur in tribulatione, quâ ad conservandum virtutis & castimonæ cando-

Greg. in Moral.

candorem nihil est præsentius. S. Gregorius; *Dum injusti sæviunt, justi purgantur, & utilitati innocentium militat vita pravorum: quia mala reproborum bonos, dum cruciant, purgant.* Cæterùm epigraphen illam ex hoc poëmate suo depromsit Rancatus;

Folli Giovani voi, dati à piaceri
Che nel foco di Venere ;
Per tosto farvi in cenere,
Vi cangiate in carboni adusti, e neri,
E frà l'impuro ardor di compiacenza ;
Perdete il bel candor dell' innocenza;
Norma omai d' onestate
Da la calce imparate,
Che soda pietra riseibossi illesa
Entro fornace accesa ,
Ne s' anneri al calore,
Ma da le fiamme trasse il suo candore.

13. Calx, intra aquas submersa, fumat, ebullit, accenditur. Unde P. Cornelius Anticus eam hoc lemmate notavit; ARDET IN UNDIS. Certè Magdalena, lachrymis suis immersa, Divini amoris incendio plurimùm exarsit. Academicus, inter Vivaces Placentinos Sopitus, Symboli loco vas, calce plenum, præfert, quæ ab alluente quodam rivulo humectata, epigraphen sustinet; SOPITOS SUSCITAT IGNES. Ita mundanus amorem suum inter proprias aut amicæ suæ lachrimas geminato ardore sentit innovari. Aloÿsius Novarinus canit; *(Magdalena. Lachrymæ fomentum amoris.)*

Ne lachrymis spera flammam restinguere amoris;
Flamma ea pauxillæ cedere nescit aquæ.
Auro semper amor medicante vigebit: at idem
Nec medio nascens obrutus est pelago.

Illud ipsum Emblema malignos quosdam genios significat, qui benevolâ ratione compellati, mox in atroces flammas effervescunt. Justus Lipsius; *Ut calx aquâ accenditur: sic maligni efferantur temperanti sermone.* *(Malignus. Lips. l. de una Relig.)*

14. Calcis frustum, à vicino quodam rivulo contactum, Academico, inter Philopponos Pistorienses Abscondito, epigraphen debet; CALEFACTA RESOLVITUR. Ita obstinatum hominis pectus solo Spiritus sancti beneficio edomatur ac dissolvitur; quippe qui eodem momento & accendere & refrigerare novit. Certè Magdalena, à Deo calefacta, in lachrymas distillavit. S. Gregorius; *Discite, quo dolore ardet, quæ flere, & inter epulas non erubescit.* *(Obstinatus. Magdalena. Greg. Hom. in Evan.)*

15. Calx viva, aquis è superiore canali humectata, epigraphen sustinet; HUMORE DISSOLVITUR. Licebit utique Deum calcis Emblemate significare, quem Sacræ Litteræ toties ignem ac petram cognominant. Unde inferes, Deum è lachrymarum nostrarum fluentis penitus emolliri, & in supplicum preces flecti. *O lachryma humilis*, exclamat S. Petrus Cellensis, *tua est potentia, tuum est regnum; tribunal Judicis non vereris, quandoque sententiam rapis etiam ab ore Judicis.* Et S. Joannes Chrysostomus; *si toto corde ingemueris ad Deum; solvisti repentè sententiam, veniamque consecutus es.* Cæterùm saxea quævis peccatorum corda, ceu totidem calcis silices, si Magdalenæ lachrymas contingant, quantocius dissolvi debere, testis est S. Gregorius; *Cujus enim vel saxeum pectus illæ hujus peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant.* *(Deus. S. Pet. Cell. de Panibus c. 2. S. Chrys. hom. 6. in Matth. Peccator obstinatus. Greg. Hom. in Evan.)*

16. Cacodæmon, si ab homine victum se senserit, omnium acerrimè adversùs illum excandescit; haud secus atque calx extincta ac calefacta in fumos ebullit. Emblemati subscripsi; ACCENDITUR, DUM EXTINGUITUR. Appositè Tertullianus *Pervicacissimus hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit. Atqui tunc maximè sævit, cùm hominem planè sentit liberatum: tunc plurimùm ACCENDITUR, CUM EXTINGUITUR. &c.* *(Dæmon. Tertull. de Pœnit. c. 7.)*

17. Calx, aquis è canali perfusa, hominem lascivum repræsentat; cum dicto, QUI ME ACCENDIT, EXTINGUIT. Enimverò sicut calx ab eodem humore accenditur & suffocatur; ita homo, ab affectu carnali succensus, paulò post corporis sui vires enervatas; omnemque gratiam, utpote unicam vitam, penitus extinctam sentiet. Siracides altùm conqueritur; *Propter speciem mulieris multi interierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescet.* Hugo de S. Victore; *Luxuria est immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues, perniitiosa portio; quæ humanum corpus debilitat, & virdis animi robur enervat.* *(Lascivus. Lascivus. Eccles. 9. 9. Hug Vict.)*

18. Calx, quò plus aquæ affunditur, tantò magis exardescit. Lemma; IGNES HUMOR ALIT. Ita frequens potus, præsertim vini, luxuriam, aliosque vitiorum ignes nutrit. S. Hieronymus; *Mater sanitatis est abstinentia, mater ægritudinis voluptas: nam sine carne & vino citò friget Venus: & à patre Libero ad inconcessam Venerem est proximus gradus intemperantiæ.* *(Ebrietas. S. Hieron. in Epist.)*

C I S T E R N A,
Caput I I I.

19. Cisterna, aquis destituta, epigraphen tenet; EXCEPTO SUPERNAS. Animam illam hæc idea spectat, quæ nullas alias opes aut blanditias, nisi quæ à Deo promanant, anhelat. Ore prorsus melleo S. Bernardus; *Quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid hortandum, tu es Domine spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio mea expectationis.* Et Hugo Cardinalis, *Cisterna est cor humanum, pluviam DE COELO RECIPIENS, id est gratiam à Deo.* Ludovicus de Casa; Monachorum Cœnobia, mæniis undique cincta, solique Deo pervia, cisternis simillima dicit; quippe quæ nulla solatia aut oblectamenta aliunde, nisi à Deo sperare debent. *(Sperare in Deo. S. Bernard. ser. 9. in Psal. 90. Hug. Card. in c. 5. Prov. Monasterium.)*

20. Cisterna ore semper hiante persistit, ut aquas, è diversis locis corrivatas, excipere, ac intra se colligere possit. S. Hieronymus hoc inter cisternam & puteum discrimen ponit; *Puteus perpetuas aquas habet, cisterna aquas suas EXTERNAS & adventitias POSSIDET.* Unde Cisternæ subscribes; EXTERNAS COLLIGIT. Eadem hominis avari est indoles, qui aliorum opes, intra crumenam suam accumulandas, anxiè desiderat, &, ut optimè de illo pronuntiat S. Pet. Damian. *Quidquid apponitur, excuti non permittit.* Huic affines sunt, qui violentos alienarum facultatum hæredes ac Dominos se constituunt. *(S. Hieron. in c. 1. Oseæ. Avarus. S. Pet. Dam. Epist. 119.)*

21. Cisterna, tametsi propriis venis aut undarum scaturigine destituta, aquas tamen, intra se corrivatas studiosè conservat. Unde lemma; SERVAT ACCEPTAS. Ita è Studiosis nonnulli, licet speculando aut inveniendo minimè fæcundi, doctrinas tamen, aliunde haustas, in memoriæ suæ thesauro diligenter custodiunt. Galfridus, *Habent cisternam*, inquit, *qui licet in se ipsis nihil inveniant, AB aliis tamen DICTA studiosè colligunt, & CONSERVANT.* *(Studiosus in memoria. Galfr. in Allegor. super c. 5. Prov.)*

22. Litteratus, doctrinæ suæ thesauros coram aliis malignè occultans, cisternam imitatur, quæ aquas, in sinum suum transfusas, absorbere ac obstruere solet. Cui proinde hanc gnomam lemmatis loco sub- *(Doctrina abscondita.)*

junges; QUAS EXCIPIT ABDIT. Hier. Lauretus appositè in rem præsentem scribit; *Potest cisterna significare occultationem veritatis.* Et S.P. Augustinus; *Nulli prodesse, impium & crudele est. Nonne hoc docuit Dominus? Non enim damnavit servum, qui intervertit quod accepit, sed qui non erogavit.*

Hier. Laur. in Sylva Allegor. *S.Aug. in Ps. 99.*

23. Hieremiæ ore adversus Hæbræos graviter conquestus Deus, *Me*, inquit, *dereliquerunt fontem aquæ vivæ & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Unde cisternam figurabis, quæ copiosis aquis è vicinis canalibus perfusa, epigraphen reddat; NON TENET AFFUSAS. Lubricas quorundam linguas hæc idea denotat, quæ cujusvis arcani retinendi penitus impotentes, illud quantocius in obvios quosvis stultè effundunt. Ad propositum nostrum S. Petrus Damianus; *Quia labia sua, moderatâ nesciunt discretione reprimere, cisternæ dissipatæ AQUAM nequeunt CONTINERE.* Cæterùm è S.Thomæ Villanovani sententia cisternas dissipatas dixeris omnes honores, divitias, cæteraque mundi blandimenta; omnes enim voluptatum aquæ, in his terris anxiè conquisitæ, intervallo non admodùm diuturno exiccabuntur. *Verè cisterna dissipata honor: cisterna perforata voluptas, divitiæ, & omnis prosperitas mundialis: non valet aquam continere, triduo placet, & statim evanescit illa consolatio. &c.*

Hier. 2.13. Loquax. *S.Pet.Dam. ser.73. de Vitio linguæ.* Bona terrena. *S.Tho Vill. Conc. fer.6 post. Dom. 3 Quadrag.*

24. Cisterna, tametsi copiosis ac liberalibus aquis è cœlo pluvio locupletata, eas tamen intra sinum suum avarè concludit, nec quidquam in aliorum bonum per canales transfundit. Unde lemma; AFFLUIT, NON DIFFLUIT. Genuinam hanc hominis avari effigiem dixeris, qui opibus colligendis assiduò intentus, omnem beneficentiam à foribus suis longissimè proscribit. S.Ambrosio teste, *Non minoris est criminis, habenti tollere, quàm, cùm possis & habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum, quod tu includis. &c.* Meus D.Carducius canit;

Avarus. *S.Ambr. in sermon.*

Inspice: dum pluviis cisterna expletur ab undis;
Affluit hæc hausto, haud diffluit imbre tenax.
Divitis effigiem pariter bene pingit avari,
Qui sibi fit Crœsus, omnibus Irus erit.

CIVITAS.

Cap. IV.

25. Trojam civitatem, pluribus conflagrantem locis, hoc lemmate notârunt. TENENT DANAI, QUA DEFICIT IGNIS. Præclarâ hâc icone demonstratur, malitiosos Græcos, id est, peccata, vitia, ac infernales larvas ibi locum obtinere, ubi Spiritus Sancti flamma non ardet. Damno suo id compertum habuit Saul, de quo cùm Sacræ Litteræ commemorâssent, *Spiritus autem Domini recessit à Saul*; mox subjungunt, *Et exagitabat eum Spiritus nequam à Domino.* Unde providè monet Magnus Augustinus; *Esto verus non fictus catholicus, ne te fugiat Spiritus Sanctus.*

Absentia Spiritus sancti. *Reg.16.14.* *S.Aug. l.3. de Anima & ejus orig. c 2*

26. Alexander ab Alexandro refert, Alexandriæ mænia, ob gypsi inopiam, frumenti farina designata fuisse. Unde D. Archangelus Conter exordientis cujusdam civitatis fundamentum farinâ designatum expressit; addito lemmate, MOENIA SURGENT. Innuebat videlicet, è sanctissimâ Eucharistia validissimum in animo nostro propugnaculum construi. Unde ubi vulgata Biblia legunt; *Erit firmamentum in terra in summis montium*; alii traducunt, *Erit placentula tritici in capitibus sacerdotum*; quasi Sacer panis, super Sacerdotum capita levatus, Christianis instar propugnaculi esset. Quamobrem ubi de Sapientia Divina dicitur, quòd *proposuit mensam*, mox subjungitur, *misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem*, *id est*, interprete Hugone Cardinali, *ad Sacramentum Corporis Christi, quod est contra inimicos munimen.*

Eucharistia defendit. *Ps. 71. 18.* *Prov.9.2.* *Hug. Card. in hunc loc.*

27. Civitas plus præsidii è civium magnanimitate, quàm è validissimis quibusvis mœniis recipit. Unde civitatem ubiq; apertam, ac propugnaculis destitutam, hoc lemmate insignies; PECTORA PRO MOENIBUS. Antisthenes, inter Novarini Schediasmata adductus, *Mœnia*, inquiebat, *in nostris ipsorum animis, inexpugnabiles quidem illis, sunt construenda.* Agesilaus, teste Plutarcho, *Interroganti, cur Sparta muris careret? cives commonstrans armatos: istos esse dixit Spartæ muros.* Alius quidam interrogatus, cur Sparta nullius mœnibus cincta esset, respondit; *Urbes non lapidibus & lignis, sed virtute inhabitantium debere esse munitas.*

Magnanimitas. *Novar. in Schediasm. l 7.76.* *Plutarch. Apoph. Lacon.*

28. Civitas, sine mœnibus in locis spatiosis extructa, epigraphen sustinet; ADAPERTA RAPINIS. Nimirum familia locuples omnium insidias ac rapinas patitur. S.Joannes Chrysostomus præsentis argumenti rationem subministrans, *Dives*, inquit, *nihil aliud mihi esse videtur, quàm civitas absque muris in agro sita, & undique insidiantibus exposita.*

Dives. *S.Io.Chrys. Hom.13.in Act.Apost.*

29. Complures personæ intra eandem civitatem uniuntur: unde etiam *civitas* quasi *civium unitas* dicitur, quæ commune suum præsidium in omnes derivat. Certè Cainus, ut timori suo nonnihil consuleret, omnemque exterorum assultum evitaret, primus civitatem extruxit. Unde civitatem hoc epigrammate afficies; MUNIT, ET UNIT. Ita sanè Religiosi, ejusdem concordiæ beneficio, & uniuntur & muniuntur. Præclarè S.Basilius; *Ubi unanimis consensio charitatis viget, acerrimum fit bellum adversus hostes Dei & animarum. Hujusmodi enim congregatio verè dicitur, Terribilis ut castrorum acies ordinata.* Emblematis mentem hoc poemate explicat D. Carducius;

Gen. 4 Concordia. *S.Basil. Const. Monast. 19*

Cives urbs unit, junctoque ex fœdere munit:
Fortior est etenim vis sociata virum.
Pectora dum pariter sociat sacrata Tonanti
Relligio; quidni muniat in Baratrum?

30. Civitas, in Urbis Romanæ formam delineata, epigraphen præfert; CIVEM ESSE JUVABIT. Magni enim nominis, gloriæ, & utilitatis olim fuit, inter cives Romanos recenseri. Idipsum per omnia de illo dixeris, qui civem fidei Romano-Catholicæ agit. Cæterùm Maria Virgo rectè in Sacris Litteris cognominatur *Civitas refugii*, & *Urbs fortitudinis*; Et à S.Gregorio Neocæsariensi, *Civitas animata, de qua dicebat Propheta; Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*; quippe quòd Civem esse Marianum longè plus gloriæ conferat, quàm unquam alias Roma suis civibus. Interpres Emblematis P.Jacobus Masenius canit;

Eccles. Maria V. *Num. 35.* *Isa 26* *Greg Neoc. Orat 3 de Annunc.*

Magna fuit quondam Romani gloria civis;
Nunc major fuerit, si Marianus erit.

COLUMNA.

Cap. V.

31. Gemina Herculis columna, cum lemmate; NON PLUS ULTRA, authore Domino

Christus flagellatus *D Marin. p 3, Lyra.*

mino Marino atrocissimos Christi flagellati dolores significat; sicut; enim Hercules post multos superatos agones geminam illam columnam, veluti laboris sui trophæum, ad maris fines statuit; ita Christus columnam illam, in quâ flagellatus est, ad dolorum ac sanguinis sui mare collocavit; uti prolixius explicat sequenti poëmate Italiço;

Di trofeo, in trofeo,
Dopo longo solcar le torbid onde
Il vincitor d'anteo,
Giunto d' Esperia in sù l' estreme sponde
In due colonne alpine
Pose dei rischi l' ultimo confine.
E'l mar de suoi dolori
Varcando il domator de monstri averni
Espone à i nostri cori
Colonna cinta di tormenti, e scherni;
Pur com' altrui dir voglia;
Più oltro non s' auvanza humana doglia.

S.Joseph. *And Tiraquell Leg.1. Connub.*

Eodem Emblemate, nî fallor, peculiarem S.Josephi dignitatem opportunè describes, qui geminâ prærogativâ in Mariæ Virginis Sponsum, & Christi Nutritium electus, ulteriore honoris gradu insigniri non potuisset. Et quidem quia non tantum è Juri Civilis præscripto *Viri uxoribus imperanto: uxores viris obediunto*; verùm etiam, quod S.P.Augustinus testatur; (*S.Aug.*) *fœmina viro subjecta est lege naturæ*; sanctissimum illum Sponsum jure Virginis Mariæ caput ac superiorem cognominaveris; ut adeò optimè de illo pronuntiet Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis; (*Io. Gerson. serm. de Nat.Virg.*) *O miranda prorsus, Joseph sublimitas tua, ô dignitas incomparabilis, ut Mater Dei, Regina Cœli, Domina mundi, appellare te Dominum non indignum judicaverit.* Quantùm verò Christus eidem, ut Parenti suo, honorem & obedientiam detulerit, Poeta non ineruditus explicat;

Cuncta Deo parent; Joseph tua gloria crescit;
Crescit honos; paret nam Deus ipse tibi.

32. Carolus V. Symboli loco geminas columnas habuit, addito lemmate, PLUS ULTRA. Seu ut aliis placet; NON HIC ULTIMA. Grandia ac nova rerum incrementa hoc symbolo significabis. Baptista Pitonus canit; (Profectus.)

Ercole al fin di sue fatiche tante,
Del nostro mar sopra gl' estremi lidi
Due colonne pianto; peche più avante
Di scerger legno alcun nocchier non fidi.
Carlo, che di gran fatti, e d' opre tante
Vinse gli antichi, ed i moderni gridi
Passò più oltre: el suo valor profondo
Ritrovò nove terre, e novo Mondo.

Agap. Epist. Paran. n.72.

Agapitus Justiniano Imperatori assiduos illos progressus persuasurus, *studeto*, inquit, *semper, invictissime Imperator, ut sicuti scalas qui scandunt, non prius desistunt, aut ad superiora ferri desinunt, quàm ad supremum perveniant gradum: ita tu quoque jugiter honestorum ascensum continuato: sic fiet, ut cœlestis quoque regni fructum aliquando percipias.*

33. Columna, solaribus radiis è latere percussa, inscriptionem sustinet; TANTUM VOLVITUR UMBRA. Ita imperterritum ac constans hominis pectus inter diversos fortunæ vultus, amicorum potentium fugam, ipsoque ruente cœlo, exteriores quidem divitiarum & honorum umbras immutare potest, at animo semper firmo ac inconcusso persistit. Seneca; (Constantia. *Senec. ep.72.*) *Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere; nulla res illum minorem facit, nil illi eorum, quæ ferenda sunt displicet: quidquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non queritur: vires suas novit, vincit virtute fortunam.* Hanc iconem felici calamo describens meus D.Carducius, sequentes Jambos statuit;

Orbes rotentur undequaque Cælitum;
Ex legibus volvantur Astra cursibus:
Umbrâ columna volvitur tantum suâ.
Isthæc imago Cordis est Heroici.
Susdeque vergat Axis, astra convolent:
Interritum spectabitur fortis Decus.
Torquetur Umbra Herois, haud Heros dolet,
Procella nempe adversa solùm umbratiles
Vel dignitates amovet, vel principum
Volvit favores, aut Opum turbat jubar,
Aut corporis volatiles vires fugat:
Immobilem ast Herois haud mentem quatit &c.

34. D.Aresius sublimem Deiparæ virginitatem ac fœcunditatem Emblemate significaturus, duas columnas statuit, cum lemmate; ULTRA OMNES. (Mariæ fœcunda virginitas.) S.Bernardus utramque celsissimam hanc prærogativam examinans, ait; (*S Bern serm. 4 de Assump.*) *Si in ea laudavero virginit item, mihi multæ vigines post eam videntur offerri. Si humilitatem prædicavero, invenientur fortè, vel pauci, qui docente filio ejus, mites facti sunt & humiles corde. Si magnificare volucro misericordia ejus multitudinem, sunt aliqui misericordiæ viri etiam & mulieres. Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri: singulare est; sed continuò etiam indicibile invenitur.*

35. Quantùm conscientia bona & erecta in humano corde possit, è stante columna conjicies, quæ hanc epigraphen præfert, OMNE PONDUS ERECTA. Vel ut Lucarino placet; RECTITUDINE ROBUR. Opportunè Lipsius; (Innocentia roborat. *Lips. Cent. ad Belg. ep 3.*) *Quamvis imbella frons, magnâ conscientiâ sustentatur.* Et S.Gregorius Papa; (*S Greg. l. 3. Moral. c.12.*) *Habet justus quasi arcem quamdam fortitudinis, simplicitatem suam.*

36. Idem Lucarinus columnam figuravit, quæ è spirante vento humectata, ac guttulis undiq; perfusa, epigraphen tulit; GEMIT SPIRITU. Pœnitentem aut dolentem animam hæc imago spectat; (Pœnitens.) qualem Magdalena demonstravit, quando instar columnæ *stans* cernebatur, & instar columnæ plangentis, (*Luc.7.38.* Magdalena.) *lacharymis cœpit rigare pedes ejus.* Vel certè Dei servum hoc Emblemate insignies, qui à Spiritu Sancto (Servus Dei) calefactus, in lachrymas ob proximi sui salutem tenerrimas dissolvitur. S.Joannes Chrysostomus in illa D.Pauli verba commentatus, (*S.Io.Chrys in Ps.41. Rom. 8. 26.*) *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; ait; *Non quod spiritus gemeret, sed quòd viri spiritales, qui habent dona spiritus, pro propinquis orantes, & supplicationes offerentes, hoc facerent cum compunctione & gemitibus &c.* In eandem rem mirificè faciunt Vatis Regii voces; *Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ*; quibus Franciscus Titelmanus hanc paraphrasim subjungit; (*Ps.147 18. Franc. Titel. in hunc loc.*) *Flat in Ecclesia Spiritus ille Sanctus à Patre atque Filio missus, per influxum & clargitionem donorum suorum in cordibus fidelium. Et quocunque pervenerit benignus flatus ejus, fluunt, copioseque scaturiunt in eis aquæ vivæ salientes in vitam æternam, aquas lachrymarum excutiens de saxosis cordibus pœnitentium.*

37. Doctor illuminatus, in Academia Expergefactorum Pistoriensium, se ipsum columnæ symbolo figuravit, quæ è latere solum, utpote universale illius Academiæ insigne, respiciebat; cum lemmate, ILLUMINATA INUMBRAT. Volebat quippe non sine singulari modestia dicere, se clarissimâ (Virtuosus modestus.) universi-

Universitatis illius luce illustratum, intellectum nonnisi caligantem ac tenebricosum opponere potuisse. Ingratus. Ingratos præterea illorum animos hæc imago delineat, qui plurimâ nobilitatis, primogenituræ, divitiarum, cæteræque felicitatis luce à Deo exornati, in vicem nihil aliud, nisi flagitiorum umbras reponunt. De Rubeno suo optimus parens Jacobus dixit. Gen. 49. 3. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea prior in donis, major in imperio*; sed hem ingratum filii animum! post tot ac tanta paternæ benevolentiæ lumina teterrimas lasciviæ, incestus, ac publici offendiculi ibid. n. 4. umbras sparsit. Unde mox sequitur; *Effusus es sicut aquam, ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum* S. Io Chrys. Hom. 67. in Gen. *ejus*. In hunc locum S. Jo. Chrysostomus; *Prius dixit privilegia ei à natura concessa; & dignitatem quam tenebat; quod principium filiorum, & primogenituræ honore clarus sit: & postea voluntatis peccata illius, quasi in ænea columna inscribit. &c.*

28. Gemina columnarum prærogativa est; quippe quæ simul Architectonices MAJESTATI, ET Prælatus. PONDERI deserviunt. Ita præstantes S. Ecclesiæ viri non tantùm eidem exornandæ, sed insuper ipsius oneribus ac officiis sustinendis æquos supponunt S. Io. Chrys. Hom. 10. in Ep. ad Ephes. humeros. S. Joannes Chrysostomus de Prælatis disserens, *videre est*, inquit, *etiam hic multos columnarum instar stare. Novit enim Ecclesia & homines vocare columnas, non virtute ac robore duntaxat, sed & vetu-* Hom 4 in 2. Thessal. *state quadam &c.* Et alibi; *Omnia nobis sunt communia. Ubi ergò est, in quo vos excellam, vobis dissimilis? In curis scilicet ac laboribus, sollicitudine, ac dolore, quo vestri gratiâ premor.*

39. D. Ascanius Piccolominius columnam marmoream hoc lemmate insigniit. FRANGITUR, Imperterritus. NON FLECTITUR. Seu ut aliis in prima persona placet; FRANGOR, NON FLECTOR. Generoso ac imperterrito pectori decretum est, vitæ potius, quàm magnanimitatis jacturam facere. Cosm Dam. Hortul. in Cant. 5. Cosmas Damianus Hortulanus Canonicorum Regularium Abbas super illis Sacri Epithalamii verbis, *Crura ejus columnæ marmoreæ*, ait, *Martyres, scilicet viri innocentissimi heroicâ fortitudine, & invictâ malorum tolerantiâ, ceu candidæ & firmæ columnæ marmoreæ, templum Dei, qui ipsemet Christus est, & veritatem fidei Christianæ inconcussam fortiter sustentantes, OCCIDI quidem POSSUNT: at verò blanditiis FLECTI, aut voluptate emolliri, aut minis* S. Greg. in eundem loc *frangi NON POSSUNT.* Et prior illo S. Gregorius Papa; *Fortes facti sunt Sancti; carnem domant, virtutibus coruscant, spiritum roborant, terrena despiciunt, cœlestia appetunt, OCCIDI POSSUNT: FLECTI* Obstinatus. *autem NEQUEUNT.* Cæterùm Emblemate illo etiam cor, in peccatis obstinatum, & ad virtutes nullis unquam viribus flectendum, significari potest.

40. Columna dedolata, multisque circumiacentibus scalpris, malleis, limis, & reliquâ fabrili supellectile instructa, epigraphen tenet; HIS PERFICI-Calamitas illustrat. TUR. Ita vulnera, inscriptiones, plagæ, aliaque carnificum instrumenta, Sanctos Martyres ad insigne perfectionis incrementum promovent. S. Gregorius Martyriũ. Nazianzenus de S. Theodoro Martyre, dum crudeli Greg Naz. Orat. 48 in Iulian. tortorum manu dilaniabatur, dixit; *Carnifices etiam ipsos accusaret ut contumeliosos, nec totum corpus decorantes, sed aliquid non concisum, prophanumque relinquentes, simul etiam tibiam ostenderet, velut solam ungularum expertem, eosque, ut ne huic quidem parcerent, hortaretur.*

41. Animus generosus & imperterritus, quantò gravioribus incursatur ærumnis, tantò fortior eva-Imperterritus. dit: haud secùs atque columna ab imposito onere stabilitur, & majorem persistendi firmitatem accipit. Unde lemma; PONDERE FIRMIOR. Justus Lipsius, *Ut columna, quæ rectâ stat, imposito* Lips. in Lib. de Cruce. *magis PONDERE FIRMATUR: sic altas, rectasque mentes oportet non cedere oneri, sed obniti.* Congruè etiam dixeris, Christianum, calamitatum mole prægravatum, erecto animo ac sine vitiis persistere; Calamitas firmat. sublevatum verò, in mille malorum latera vacillare. Præclarè Magnus Augustinus; *Quando David sanctus Saulem inimicum patiebatur, quando illius perse-* S. Aug. in Ps. 30. *cutionibus agitabatur, non concupiscebat alienam, non adulteratâ uxore occidit virum, erat enim in infirmitate tribulationis suæ tantò in Deum intensior, quantò inferior videbatur.*

42. Heroicum ac imperterritum hominis pectus, dum adversantis fortunæ impetu validè arietatur, columnæ non absimilem se probat, quæ ventorum, grandinum ac pluviarum injuriis allisa, epigraphen tenet; FIRMA, NI FULMINE TACTA. Solos enim fulminum ictus sibi fatales esse fatetur, cæteroquin semper invicta. Talem se orbi probavit Hen- Imperterritus animus. ricus IV. Magnus cognomine: tametsi enim vastæ Provinciæ Galliæ, primis Europæ Monarchis fœderatæ, de corona & regno contenderent; tametsi insuperà fortunæ egestate, ab impetuosis fœderatorum viribus & malevolorum insidiis gravissimè coarctatus, integro tamen ac magnanimo suo pectore adeò nunquam excidit, ut trecentis vicibus adversùs hostes suos conflictatus, ter etiam super tricesies proprias vires explicatis vexillis cum adversariorum robore conferens, ac trecentas civitates, castella, aliaque munimenta expugnans, tandem sudoris ac sanguinis sui pretio regnum vindicaverit. Neque tamen, quod mireris, inter tot fortunæ machinamenta prosterni unquam potuit, donec tandem à sceleratæ ac parricidalis cujusdam manus fulmine exanimis conciderit: uti prolixè recensent Catarinus Davila, Petrus Matthæi, Famianus Strada, alii. Porrò homo justus ac magnanimus inter omnes mundi injurias stat erectus, nec quemquam timet, nisi Supremum è Cælo Tonantem Deum. Providè hortatur Magnus Augustinus; *Time Deum, qui super* S. Aug. in Ps. *omnes est, & hominem non formidabis.*

43. Quantùm detrimenti civitas aut respublica è præstantis cujusdam ministri morte sustineat, P. Cer- Minister bonus reipublicæ sustinet. tanus columnæ symbolo persuadere nititur; quippe quâ ruente, reliqua superior tota machina concidit. Epigraphen subjunxit; CORRUET, SI CONCIDAM. Plato; *Cùm Deus civitati beneficium præstare vult, bonos viros ei producit; cùm verò civitati calamitatem immissurus est, aufert ab ea bonos viros*; hisque similitudinem istam, in argumentum nostrum satis opportunam, subjicit; *Qui domum parat evertere, prius omnia sustentacula evertit.* Et Philo; *Oremus, ut ceu columna in domo, in humano genere homo* Philo apud Aref. Im. 78. n. 17. *justus permaneat ad calamitatum remedium. Nam hoc incolumi, de publicâ salute desperandum non est.* Quamobrem Romani, cùm Sanctum Gregorium, postea Pontificem Maximum, à Benedicto Papa in Angliam missum intelligerent, his omninò verbis Pontifici exprobrarunt, *Petrum offendisti, Romam destruxisti, quia Gregorium dimisisti.*

44. Animo grandi è summis negotiis aut ponderosis muneribus nihil unquam difficultatis accrescere, columna demonstrat, quæ superbam quandam Minister Præstans. fabricam sustenstans, epigraphen ab Abbate Certano recepit; ABSQUE LABORE REGIT. Vel ut ego subjunxi; SUSTINET, NEC FATISCIT. Seneca teste, magnanimi pectoris est proprium, quòd gravissimis machinis humeros nunquam Senec. ep. 6 languentes aut fatigatos supponat. *Magnanimus est,*

qui

qui omnia rerum diversarum onera, rigida cervice sustollit, qui supra fortunam extat magnanimus, stat rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit; nihil eorum, quæ ferenda sunt, displicet. Facem nobis clarissimè prævivit Dei Filius. *portans omnia verbo virtutis suæ.* Hunc locum præclarè interpretatus meus Hugo Victorinus, *Ideò, inquit, verbo potius, quàm virtute dicitur omnia portare; ut IN PORTANDO, id est, continendo, & gubernando, & conservando NULLUM LABOREM vel difficultatem intelligatur SUSTINERE.*

45. E Senecæ verbis, paulò antè adductis, *Magnanimus stat RECTUS SUB quolibet PONDERE;* novam gratiosi Emblematis occasionem desumpsi. Columna enim hanc præferat epigraphen; SUB PONDERE RECTA. anima justa, quantumvis à calamitatum pondere pressa, rectitudinem inflexibilem ac imperterritam conservat. Paulus à Palatio super illa Siracidis verba; *firmabitur in illo* (id est, sapientia in homine justo) *& non flectetur;* ait; *Sapientia reddit hominem rectum, ut ille olim creatus erat; & licet omnia temporalia contendant flectere, quem sapientia erigit, non poterunt.*

46. In encomium Hieronymi Columnæ Cardinalis, columnam ipsius gentilitiam hoc lemmate insignierunt. FULCIT, ET ORNAT. Enimverò illustrissima hæc familia insigni suâ nobilitate & generoso animo Ecclesiæ Divinæ non tam ornamentum quàm patrocinium affert. In Sanctis Martyribus hæc effecta deprehendens S. Chrysostomus, *Illos*, inquit, *non indignum fuerit & columnas, & scopulos, & turres, & candelabra, & tauros simul appellare. Nam Ecclesiam sicut columnæ sustinent, sicut terres muniunt, & sicut scopuli omnem undarum assultum repulerunt: multam interim ipsi servantes tranquillitatem, sicut luminaria tenebras impietatis discusserunt, & sicut tauri, animâ promptitudineque eadem suave Christi jugum traxere.* Primasius illam Apocalypsis sententiam interpretatus, *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei;* ait, *Columna in fabricis & munimini congruit, & decori; sic & mundi victores in Ecclesia eminent munere dignitatis, & portant alios officio charitatis.*

47. Columna, se ipsâ consistens, epigraphen tenet; MOLE SUA STAT. Etiam hoc Emblema insignem Cardinalis Columnæ virtutem loquebatur, cujus majestas ac celsitudo, nullis aliorum beneficiis nixa, sibimet sufficit. Eadem etiam hominis sapientis est felicitas, qui externâ aliorum ope vix unquam indigus, è propriâ suâ virtute ac sapientia vires recipit cumulatas, & ad omnes hostium assultus reprimendos maximè instructas. Seneca; *Sapiens se contentus est, sapiens nullâ re indiget.*

48. Exodus testatur, Israelis populo geminam columnam, igneam unam, & è nube alteram, Ducis loco prævivisse. Unde utramque illam, emblematis loco figuratam, hoc lemmate notarunt; ALTERUTRA MONSTRAT ITER. Mens Emblematis erat, virtutis & gloriæ semitam à Deo vel beneficentiæ ac favorum nube, vel minarum & castigationum igne demonstrari. S. Gregorius; *In igne & nube per deserta gradientibus apparet Dominus, quia mentes contemplantium se in hac exilii peregrinatione, etsi aliquando terret de justitia, pavore dejectas erigit blandimento protectionis.* Et paulò post; *Qui in igne terroris aspicitur; in nube etiam dulcedinis exhibetur.*

49. In honorem S. Thomæ Aquinatis columnam depinxere, partim igneam, & partim nubeam; addito lemmate, NOCTE, DIEQUE DUCIT. Enimverò doctrinæ suæ radiis non modò cymmerias hæresum umbras fugat, sed insuper omnem vitiorum humorem in humano pectore temperat, & instar nubis refrigerat. Eodem emblemate D. Marinus directionem illam securissimam demonstrat, quam è sanguinea Servatoris flagellati columna recipimus.

A popol peregrino,
Colonna hore di nube, & hor di luce,
Precorrendo il camino
Celeste guida, ed infallibil duce
Rendea per aspre vie
Luminosa la notte, ombroso il die.
E cara, e fide scorta
Sanguinosa colonna il ciel ne porge,
Che da via dubbia, e torta
A sentier dritto, e certo il mondo scorge,
E d'ogni anima errante
Volge à buon corso le smarrite piante.

Cæterùm etiam Angelus Tutelaris, nobis dirigendis diu noctuq; intentus, imaginem illam sibi propriam vendicat. *Adsunt igitur tibi*, inquit de Angelis Custodibus S. Bernardus, *non modò præsentes tecum, sed etiam pro te adsunt, ut protegant; adsunt, ut prosint.*

50. Ejusdem D. Thomæ Aquinatis honori columnam igneam statuere; cum lemmate, DUCIT, ET ARCET; quippe qui Sanctus Doctor Catholicis adversùs hæreticos propugnaculi & Ducis loco deservit. Aloysius Novarinus geminum hoc munus in Maria Virgine deprehendens, *Columna nubis*, inquit, *Maria, non solum quia protegit & obumbrat ab æstu* tentationum & iræ Divinæ *sed etiam, quia per rectam viam ducit. &c.*

51. Sancta fides, inter errorum umbras pretiosum splendorem spargere solita, columnam ignem imitatur, quæ hanc præfert inscriptionem; IN TENEBRIS LUCET. S. Laurentius Justinianus; *Fides est viva, fida, & salutaris columna, deducens per desertum mundi hujus, ostendens ipsum esse plenum malitia, ubi sunt omnia vitiosa, omnia lubrica, cuncta operta tenebris.*

52. Columna gemina nubis & ignis, epigraphen subjectam habet; LUX NOCTE, AC UMBRA DIE. Maria Virgo à S. Epiphanio benè cognominatur *Nubes columnæ similis, Deum habens, ductrix per desertum.* Et à Butcone; *Columna ignea his, qui sunt in tenebris, viam demonstrans;* Maria enim, geminâ prærogativâ, mentis humanæ tenebras ac vitia dissipat, simulque æstum ac libidinis flammas temperat. In rem nostram canit P. Jacobus Masenius;

Isacidæ pergunt gemina ducente columnâ;
Nubila luce prait, lucida nocte prait.
Instar habet geminæ ductrix bona Virgo columnæ;
Lux tenebras mentis temperat, umbra faces.

53. Inter quinque columnarum genera excellit Corinthia, caquæ ob decentem gracilitatem virgini ab Architectis comparatur. Unde Moncense Societatis Jesu Collegium pro solemni Borgiana apotheosi columnam illam hoc lemmate insignivit; GRACILIS PULCHERRIMA. Enimverò S. Franciscus Borgia tum demùm maximè enituit, quando ex assiduâ carnis edomatione ultroneam maciem adeò prodigiosam contraxit, ut de illo in hæc verba scribat P. Petrus Ribadineira; *Adolescens obeso admodùm & crasso fuit corpore: verùm post assiduis jejuniis ciborumque abstinentia à cœna temperans, adeò se ipse maceravit, ut ventris cutem duplicaret, & togæ instar pellem quò vellet referret. Utrem esse dixisses*

Marginalia (left): Hebr. 1. 3. — Hug. Vict. quæst. 6. — Senec. l. c. — Anima justa. — Eccles. 15. 3. — Paul. à Palatio in hunc l. — Protectio. — S. Martyres. — S. Chrys. hom. in inventum Maximi. — Primas. in Apocal. c. 3. — Independens. — Sapiens. — Senec. ep. 9. — Justitia & misericordia. — S. Greg. in ... — S. Tho. Aqu.

Marginalia (right): Christus Flagellatus — Angelus Custos. S. Bern. ser. 4. super illud: Accesserunt ang. &c. — Tho. Aqu. Maria protectrix. Novar. Umbr. Virg. n. 564. — Fides. S. Laur. Just. de ligno vitæ c. 5. — Maria V. S. Epiphan. Orat. de Laud. Deip. But. hymn. Græc. p. 123 — Macies. S. Franc. Borg. — Ribadeneir. in vit. l. 3. c. 18.

dixisses inanem. In rem præsentem sequens addidere poema;

Hostis Borgiades suus
Molles inducias ipse negat sibi.
Nunc tergum ferit in fuga,
Nunc se in compedibus plectit inedia;
Setisque horridus asperat
Iras in latus, & sanguine vindicat.
Victor nempe Corinthiæ
Insistat gracili: nulla venustior.

S. Basil. in Regul. reg. 17 S. Basilium audi, facundum maciei Encomiasten; *Uti optimus corporis habitus, & coloris bonitas pugilem à cæteris discernit; sic Christianum à cæteris distinguit macilentia corporis, pallorque deflorescens, qui continentiæ velut adjunctus est comes, &c.*

54. Altissimæ columnæ, dum veluti superbâ duritie adversùs tempestatem incolumes se ostentant, fulmine fortissimo percussæ franguntur atque miserrimè dejiciuntur. Ex adverso arundo dum tempestati cedit, dum caput flectit, illæsa ad statum suum, incolumisque mox revertitur. Unde Serenissimus Philotheus Columnam, fulmine diruptam, hoc lemmate notavit, RESISTENDO FRANGOR. Omninò curandum est homini, ne ei resistat, qui & fulmina & omnes vindictæ modos in suâ habet potestate, Deo scilicet, Supremo Numini, ac severo superborum omnium vindici, S. P. Augustinus; *Anima Christiana semper invigilet in tribulationibus suis sequi voluntatem Domini sui; ne ordinationi Dei resistendo, acquirat sibi gravius judicium.* Et rursus; *Sit obedire tibi mihi amabile, & resistere tibi execrabile.* Apposite canit emblematis Author;

Resistere Deo. S. Aug. l. 83. Quæst. q. 79. Idem l. Medit. c. 7.

Marmore de Pario surgit, frontemque superbam
Obvertit cœlo celsa columna suo.
Excipit intrepido vultu nimbosque nivesque,
Et sibi perpetuum destinat alta decus:
Sed Jovis ira ferum jaculata è nubibus ignem,
Disjicit audacis robora vasta struis.
Cedite majori, mortales. Fulmina vitat,
Quæ pronum inflectit mollis arundo caput.

55. Columna, Pario superba marmore, diu humi jacet, jacendoque perficitur, antequam ad justum erecta usum, insigniori excellentiâ palatium illustret. Unde Serenissimus Philotheus Symboli loco columnam marmoream pinxit, humi jacentem, & artificum malleis percussam, cum lemmate; JACET, DUM PERFICITUR. Etiam tali modo Deus permittit jacere suos, & affligi calamitatibus, ut eos in fide perficiat, & deinde ad nominis sui famam sustollat. S. P. Augustinus; *Nullus hominum est tantâ justitiâ præditus, cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem.* Eruditè canit idem Philotheus.

Tribulatio S. Aug. l. 22. cont. Faust. c. 20.

Dum jacet in terris, ars ingeniosa columnam
Perficit, atque suis usibus aptat humi.
Postea magnificum fulsit suppositatheatrum,
Atque sua celsam sustinet arte domum.
Sic humiles etiam Divina potentia mentes
Præparat, ac habiles ad meliora facit.
Quod jacet, erigitur: Deus auctor humillima quævis
Perficit, & cœlo destinat inde suo.

56. Diversi generis columnæ sunt, nimirum Thuscana, Jonica, Dorica, Corintbia, & Composita; quæ tamen, etsi una sit ignobilior alterâ, unum insigniunt palatium, dum suo quæque loco posita, suisque destinata usibus, æquo ornamento augent structuræ dignitatem, insigni diversitate præstantem. Unde quinque illas columnas hoc lemmate distinxit serenissimus Philotheus; QUÆ QUE SUO DECORA LOCO. Nos quoque, qui non solùm diversâ nascendi sorte distinguimur, sed etiam ingenii artisque imparibus gaudemus donis, oportet despicere neminem, aut proximi nostri virtutes minus expolitas fastidire, si ipsi altioribus excellamus dotibus; cùm & illum Deus suo collocet loco, etsi tantis eum muneribus non ornaverit. Etsi ergò pulchriorem, ditiorem, aut sapientiorem aliis te judices, inde tamen alios non contemnas, quia, teste Magno Augustino, *Omnes naturæ in ordine suo gradibus suis pulchræ sunt.* Et rursus; *Singula opera Dei inveniuntur habere laudabiles mensuras, & numeros, & ordines, in suo quoque genere constituta.* Idipsum de Ecclesia Catholica, Republica, aut Religioso ordine dixeris, in quibus non minore laude præstat, qui inferius officium, quàm qui superius benè & sedulò administrat; ex his enim singulis ritè administratis constat Rerumpublicarum incrementum & incolumitas. Concinnè canit Philotheus;

Ordo. S. Aug. serm. De in Ment l. 1. c. 2. Idem de in cont Math l. 1 c. 21. Officia varia.

Multiplici variæ splendentes arte columnæ
Stantque, manentque suo quæque decora loco.
Jones hanc, aliam Dores fecêre: sed ambæ
Non obscurâ suæ nomina gentis habent.
Quæque placet, stat cuique decus, stat gratia cuique;
Nobilis &, propria qualibet arte nitet.
Diversi diversa tenent. Sed in ordine quivis
Ecce suo pulcher, si facienda facit.

DOMUS, ÆDIFICIUM.

Caput VI.

57. Elegans palatium quadrangulum, in amœna quadam planitie portis undique reseratis extructum, epigraphen à me recepit; INTRATUR UBIQUE. Ita S. Ecclesia quibusvis mundi nationibus sinum ac fores suas patentissimas offert. De hâc Regius Prophetes, *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Nam, interprete Ludovico Alcasar, *opulentis pariter & egenis, potentibus, & auro, & purpura amictis, nec non nudis Æthiopibus portæ reseratæ patescunt.* S. Joannes mysticam illam Hierosolimam graphicè descripturus, ait; *Ab oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab austro portæ tres, & ab occasu portæ tres.* In hunc locum S. Ambrosius; *Quatuor plagas mundi posuit, ut indicet, penè omnes gentes, quæ inter quatuor plagas mundi continentur, ad Ecclesiam convenisse.* Et opportunissimè Magnum illud Ecclesiæ lumen S. P. Augustinus; *Quia UNDIQUE INTRATUR in illam Civitatem, duodecim portæ sunt.*

S. Ecclesia. Ps. 86. 4. Lud. Als. Comment. in c. 21. Apoc. Apoc. 21. S. Ambr. in hunc l. S. Aug. Ps. 86.

58. Domus, flammis undique devastata, epigraphen reddit; OPES, NON ANIMUM. Ersilia Cortese de Montibus, sponsa Nepotis Julii III. hoc Emblemate generosam ac imperterritam suam mentem demonstravit, quando palatio suo ab adversariis concremato, facultatibus direptis, aliisque gravissimis violentiis adhibitis, nihil unquam dimovebatur. Cæterùm Emblematis Epigraphen Seneca subministrat;

Animus imperterritus. Senec. in Medea. 2.

- - - - Tempori aptari decet,
Fortuna OPES auferre, NON ANIMUM potest.

Bias

Bias Philosophus, uti in paradoxis refert Cicero, cùm Prienem patriam suam à potenti hoste invadendam ac deprædandam cerneret, cum aliis civibus è fuga salutem quæsivit. Interrogatus verò, cur è suâ suppellectili, contra aliorum morem, nihil secum auferret? respondit, *Ego verò facio, nam omnia mea mecum porto*; significabat quippe, nihil unquam detrimenti ab adversâ fortunâ sibi accrescere posse, siquidem interioris animi bona fortunæ plagis nec quidquam subjecta essent. Seneca; *Duo quæ pulcherrima sunt, quocunque nos moverimus, sequentur: natura communis, & propria virtus. Id actum est, mihi crede, ab illo, quisquis formator universi fit, ut in alienum arbitrium nisi vilissima quæque non caderent. Quidquid optimum homini est, ad extra humanam potentiam jacet: nec dari, nec eripi potest.*

59. Academici Perseverantes Tarvisii fabricam quandam inchoatam Symboli loco præferunt, quæ in sublime fastigium educenda, copiosam materiem vicinam habet; cum dicto, TARDE, UT SUBLIMIUS. Maturè enim ac consultissimè tardi sunt, qui litteraria sua ædificia & gloriæ splendorem ad summa honorum fastigia evehere contendunt. Horatius cuivis bono Scriptori illam cunctandi rationem persuadere nititur; (Maturitas.) (Horat. in Arte.)

--- Si quid tamen olim
Scripseris, in Metu descendat judicis aures,
Et Patris, & nostras: non unquã prematur in annũ:
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non ediderts.

Dominus de Casa id probè observatum habuit; quoties enim poëtici quidam flores ex ipsius calamo progerminaverant, illos semper in scrinio repositos, aliquot mensium intervallo occultabat, ut eâ cunctandi ratione affectum omnem exuens, illos relegere, ac demum ad summam perfectionem sublevare posset. Verissimè dixit Tullius; *Non viribus, non velocitatibus, non celeritatibus corporum res magnæ geruntur, sed consilio. &c.* (Tull. in lib. de Senect.)

60. Alii ædificium quoddam imperfectum delineârunt, è quo instrumenta omnia ad complendam fabricam suspensa erant; cum lemmate, INOPIA INFECTUM. Nimium quantùm frequens est, nonnullos, paupertate prohibente, terminos ac profectus intentos assequi non posse. Architæ Philosophi dictum erat; *Sapientem unicum habere incommodum, paupertatem.* Hoc ipsum, Alciato referente, juvenis quidam altùm deplorabat; (Paupertas.) (Alciat. Embl.)

Ingenio poteram superas volitare per arces,
Me nisi paupertas invida deprimeret.

Scipio de Cella ore Chûs protestatur, res grandes à se perfectum iri, nisi fortuna majorum opes ipsi invidisset.

Mà scarsa stella al suo cortese instinto
Fè del biondo metal parte ben poca,
E'l poder suo fù circoscritto e cinto
Da spera di fortuna angusta e fioca:
Onde quel buon voler, ch' l tien sospinto
E quel nobile ardor, che sì m' affoca
Par quasi gemma, che s' asconde, e copre,
Ch' ei non può al bel desio maritar l' opre.

Et Plinius Secundus; *Exprimere tentavi latinè Epigrammata tua; in deterius tamen accidit hoc, primum imbecillitate ingenii mei, deinde inopiâ, ac potius, ut Lucretius ait, hâc egestate patrii sermonis.* (Plin. Secund. lib. 4. Ep. 18.)

16. Ædificium imperfectum epigraphen sustinet; SURGET OPUS. Hinc disces, humilitatis principia instar fundamenti esse ad ingentem cujusvis fabricæ majestatem erigendam. Testem habeto exceptione omni majorem S. P. Augustinum; *Magnus esse vis? inquit, à minimo incipe. Cogitas magnum fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis.* Inde etiam significatur, vitia, tametsi minimis ac debilibus initiis cœpta, gradatim in horrenda monstra excrescere. Seneca; *Ista quantumvis exigua sint, IN MAJUS EXCEDUNT. Nunquam perniciosa servant modum.* Rursus in hanc rem S. P. Augustinus; *Dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua, quia parva sunt, crescentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt.* (Humilitas.) (S. Aug. ser. 10 de Verbis Domini.) (Peccatum veniale.) (Senec. Ep. 85.) (S. Aug. ser. 88. de Temp.)

Mundi Symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. I.

62. Ædificium, ab igne devastatum, undique fatiscens, & jamjam ruinam minitans, epigraphen à me recepit; SURGET IN MELIUS. Emblematis hujus materiem Seneca subministrat, ubi de quodam Lugdunensis Coloniæ incendio ita philosophatur; *Fortasse consumpta est, ut in MELIUS excitaretur. Sæpè majori fortunæ locum facit injuria. Multa ceciderunt, UT ALTIUS surgerent, ET in MAJUS. Timagines, felicitati urbis inimicus, aiebat, Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quòd sciret, meliora resurrectura, quàm arsissent.* Opportuna hæc Sanctorum Martyrum Laurentii, Vincentii Eustachii, Apolloniæ, aliorumque imago est, quibus flamma instrumenti loco deservìit ad vitam hanc transitoriam cum æterna gloria commutandam. (Calamitas.) (Senec. Ep. 91.) (Martyriũ.)

63. Ad exeqnias Horatii Spinolæ Cardinalis, & Archiepiscopi Genuensis, complura templa, sacella, seminaria aliasque fabricas pinxêre; addito epigrãmate, EFFICIENDO DEFECI. Summam enim zelosi hujus Pastoris beneficentiam imagine illa testari volebat, qui nullâ aliâ occasione morti succubuit, nisi cùm vacillantia templa ad pristinum nitorem restitueret, religiosas fabricas erigeret, & pro cõmuni civitatis ac Diœcesis Genuensis bono prima seminarii extruendi fundamenta jaceret. S. P. Augustinus; *Pastores boni sunt, non solùm quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ovibus fuderunt. Non enim effuderunt elatione, sed charitate.* Eôdem encomio insignes se probârunt S. Carolus Borromæus, S. Franciscus Xaverius, S. Philippus Nerius, aliique sexcenti, qui pro animarum salute ac Dei gloriâ nullum alium indefessi laboris sui terminum, nisi mortem, sibi præfixerunt. Cæterùm id non inficias iverim, ab hâc icone genuinas Symboli regulas minus sustineri. (Mori laborando.) (S. Aug. ser. 50. de Verb. Dom. cap. 1.)

64. Fabricatum, maximè verò columbariorum, anguli, aliquot tegulis incrustatis muniri solent, ne martes aut ictides lubricam & solidam illam materiẽ transilire, damnumque columbis inferre queant. Unde D. Carolus Bossus Emblemati hanc gnomam subjunxit; Et LENIORA VETANT. Innuebat videlicet, nobis non tantùm à gravibus & lethalibus peccatis, sed etiã à levissimis quibusvis, remoras injici, quò minus ad perfectionis fastigium eluctemur. S. Bern. Lothario Imperatori scribens, *Verendum est* inquit, *ne minimorum neglectus impedimentum sit maximorum.* Richardus à S. Victore; *Parvæ negligentiæ obscurant animam, & impedimentum faciunt amplioris gratiæ.* Omnium tamen explicatissimè in rem præsentem pronuntiat D. Thomas; *Per peccatum veniale retardatur affectus hominis, ne promptè ad Deum feratur.* Et rursus; *Impedimenta spiritualis profectus sunt peccata venialia.* (Peccatum veniale.) (S. Bernard. ad Loth. Imp.) (Rich. à S. Vict. o. 35. in Caut.) (S. Tho. 3 p. q. 87. art. 1. in C. & ad 1.)

65. Quemdam, longè majore animi, quàm corporis venustate insignẽ, exterior pulcherrimi cujusdam palatii facies repræsentat; cui hoc lemma præfixum esto. PULCHRIORA LATENT. *Pulchritudo enim optima*, teste S. Clemente Alexandrino, *primùm est pulchritudo animæ.* S. Gregorius (Pulchritudo interna.) (S. Clem. Alex. l. 1. Pædag. cap 11.)

S. Greg Naz. Orat. 11. Nazianzenus, de Gorgonia, sorore suâ, refert; *cum externos multos, & varios mulierum ornatus cognitos haberet, nullum tamen moribus suis, atque intus condito splendore præstantiorem agnoscebat.* Nec aliter Sidonius Apollinaris; *Erubescebat jam etiam tunc vir serius, & formæ dote placuisse, quippe cui, merito ingenii sufficeisset adamari. &c.*

66. In Philoponorum Pistoriensium Academia veteris cujusdam ædificii fragmentum cernitur, cujus tergum, à sole illustratum, epigraphen tenet; MUTAT MOTIBUS UMBRAS. Ita Zelotypus in omnes aliorum gressus assiduò intentus, totidem suspicionum umbras producit, quoties illos è loco moveri animadvertit. Adulator quoque verissima heri sui umbra, omnem ipsius nutum studiosissimè insequitur. Apprimè Berchorius; *Sicuti umbra se solet conformare corpori, cujus est umbra; ita quod eo moto movetur, & eo sistente sistitur: sic Adulator aliis se conformat, & ad eorum conditionem se variat atque mutat.* Et Agapytus Diaconus; *Qui adulari frequenter studet ad ea, quæ arrident potentibus, corporum imitantes umbras, omnibus ac singulis eorum verbis applaudunt.*

Zelotypus. Adulator. Bercor. Dict. Umbra. Agap. Epist. Paren. n. 22.

67. Quantùm detrimenti ab exauctorato insigni quodam Ministro Reipublicæ accedat, Abbas Certanus ædificii cujusdam Emblemate demonstrat, quod ruente unicâ columnâ, mox fatiscit, ac præcipiti ruinâ concidit. Inscriptionem addidit; DIRUTA CORRUO. Ad hoc propositum S. Joannes Chrysostomus; *Novit enim Ecclesia, & homines vocare columnas, non virtute ac robore duntaxat, sed & vetustate quâdam, plurimùm ornatûs exhibentes. Cadentibus verò sustentaculis, quorum est superiora sufful-cire, sponte jam, & magnâ promptitudine sequuntur & ipsa suprema.* Etiam pietas, relligio, ac Timor Dei, quasdam Respublicas aut Imperia, ceu totidem columnæ, sustinent, ita ut sublatis istis, tota illorum machina evanescat. Seneca;

Minister bonus amotus. S. Io. Chrys. Hom. 10. ad Ephes. In morte sancti. Cultus Dei Religio.

--- *Ubi non est pudor,*
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Senec. in Thyeste.

Et Justus Lipsius; *Turbata religio, politiam turbat.*

Lipsius l. de una r[eligione].

68. Emblematis loco ædificium, plurimis columnis nixum, figuravi; ita ut his dirutis, tota fabrica vitium faciat ac collabatur. Epigraphen adjeci istam; ABSTRACTIS CORRUET. Ita qui solis Majorum suorum meritis nititur, omnem cum illorum interitu gloriam perdet, ac propriis viribus destitutus, miserè deprimetur. Juvenalis, quantùm memini, in rem præsentem canit;

Nobilit[as] emendi[ca]ta. Iuvenal.

--- *Miserum est, alienæ incumbere famæ,*
Ne collapsa ruant subductis tecta columnis.

Porrò civitates, Religiones, ac Respublicas indies cernimus ad occasum vergere, quando hominibus virtuosis ac optimè meritis, ceu totidem fulcris, destituuntur. Verissimum Platonis effatum est; *Cùm Deus civitati beneficium præstare vult, bonos viros ei producit; cùm verò civitati calamitatem immissurus est, aufert ab eâ bonos viros.* Et paulò post; *Qui domum parat evertere, prius omnia sustentacula evertit.*

69. Palatium Regis ornatissimum hoc lemmate spectandum propones; REGI, NON GREGI. Anima hominis, ad Dei similitudinem constructa, neminem alium nisi Deum, inquilinum admittit. Maria Virgo, magnificis quibusvis palatiis præclarior, solius Dei dignum fuit habitaculum. Unde à S. Ambrosio genuinè cognominatur. *Aula regalis, soli Deo subdita.* Et à S. Gregorio Neocæsariensi; *Palatium animatum Regis Angelorum.* P. Jacobus Malenius canit;

Anima. Maria V[irgo]. S. Ambr. de Instit. Vi[rg.] cap. 12. S. Greg. N[eoc.] Orat. 2. [de] Annunt.

Vincit inauratis Regum palatia muris,
Quæ vivo clausit pariete Virgo Deum.

Collegium Imperiale - Weltenburgianum Can. Reg. S. Aug.

70. In

70. In Thesibus meis Augustiniano-Philosophicis Symboli loco Imperiale Collegium Wettenhusanum ichnographicè delineari feci; addito lemmate, AB ORDINE DECUS. Sicuti enim ædificiis ab ordine & regulari architecturâ, ita etiam Religionibus, Rebuspublicis, & communitatibus maximum accedit ab ordine decus. *Sicuti enim*, inquit Theophylactus, *in acie militari bona ordinis collocatio phalangem firmam efficit, sic & in Ecclesia, quando bonus ordo charitatis fuerit.* Nam, ut bene philosophatur S. Gregorius Nazianzenus, *Ordinis perturbatio in aëre fulmina, in terra succensiones, in mari exundationes, in urbibus & familiis bella, in corporibus morbos, in animis peccata quasi novas res moliendo introduxit. &c.* Cæterùm Imperiale Collegium nostrum ante annos circiter nongentos fundatum, & jam olim ob singularia sua merita ab Honorio III. in specialem Summorum Pontificum protectionē, uti & tempore abhinc immemoriali inter im̄edatos Sacri Romani Imperii status assumptum, triplici ab Ordine suum acquisivit Decus. Primus est Ordo noster Canonicus, per orbem universum diffusus, & in Imperiali Collegio nostro ab ipsa sua origine annis jam circiter nongentis nunquam interruptis vigens; qui Sacer Ordo antiquitate; instituti perfectione; dignitate & excellentiâ; Sanctorum numero; Summorum Pontificum, Cardinalium, & Episcoporum multitudine; Scriptorum & Doctorum copiâ, præcedendi jure, & amplissimis in S. Ecclesiam meritis cæteros sacros Ordines omnes antecellit; uti in Thesium mearum Dedicatoria luculentis testimoniis ac Doctorum suffragiis quoad singula prædicata demonstravi. Alter Ordo, à quo Imperiali Collegio nostro Decus non postremum accedit, est interior illa vivendi norma, ac Religiosæ disciplinæ observantia, quam inter belli ac egestatis injurias penè collapsam, verbo & exemplo suo per indefessos labores ac vigilias restituit Reverendissimus, Perillustris & Amplissimus Dominus, D. DIONYSIUS, Ex Liberis Baronibus de Rehlingen & Haltenberg meritissimus, & (Virorum Illustrissimorum judicio) incomparabilis Prælatus Wettenhusanus; qui huic Imperiali Collegio nostro, funditus à se è pristinis ruderibus extructo, etiam tertium addidit ædificiorum Ordinem, ita omnium patentem oculis & admirationi, ut otiosum existimem imperito calamo explicare id, in quo celebrando tota laborat patria. Ergò ne præfixos Symboli leges excedam, ipsammet Collegii nostri iconem ob oculos tuos, Lector benigne, statuo, simulque æquum tuum appello judicium, num in Imperiali Collegio nostro major sit ædificiorum elegantia, an verò pulchrior tanti Præsulis animus, cui post Deum soli debetur omne id, quod post ultimas ruinas Wettenhusio accessit incrementum.

Ordo. — Theophyl. in Epist. ad Colossens. — S. Greg. Naz. Orat. de mod. in disp. servand. — Wettenhusanum Collegiū.

FENESTRA.
Cap. VII.

71. IDipsum fenestra domui, quod Solis exordientis ostium universo mundo præstat; quippe quæ totas ædes transmisso suo lumine instar luciferi recreat. Ut adeò opportuno hoc lemmate illud insignias; PHOSPHORUS ÆDIS. Orationem dixeris verissimam animæ nostræ fenestram; cujus beneficio gratiæ Divinæ radii cumulatè nobis affulgent. Lyranus super illa Geneseos verba; *Fenestrā in ea facies*; ait, *per quam fenestram oratio devota significatur, quia per eam gratia lumen ingreditur.* Meus Concanonicus D. Carducius Emblematis mentem sequentibus Jambis senariis explicat;

Oratio. — Lyran. in Genes. c. 6.

Extat patens fenestra Phosphorus domus,
Ut stella, lucem deferens, est Lucifer.
Oratio quidni sacrata Numini
Et ipsa corda illuminans sit Phosphorus?

Prædicatores & Sacerdotes, ceu totidem Ecclesiæ Catholicæ fenestræ, sanctā fidem & doctrinæ Evangelicæ lucem in populos derivant. Dilucidè id testatur Venerabilis Beda, cui subscribens S. Gregorius, *Fenestræ*, inquit, *Sacerdotes & speculatores sunt, qui in populo fideliū lumen sanctæ prædicationis fundunt.*

Prædicator. — Beda c. 7. de Templo. — S. Greg. Hom. 11. in Ezech.

72. Carducio teste, fenestra cognominari potest SEMITA LUCIS; siquidem illius beneficio cœlestibus radiis intra domum patet aditus Maria Virgo, à S. Fulgentio fenestræ cognomen sortita, hanc ideā sibi propriam vendicat; per illam enim, ceu semitam purissimam, lucis Divinæ splendor intra mundi palatium illapsus est. Affectu in Deiparam maximo S. Petrus Damianus, *Hodie*, inquit, *nata est Regina mundi, fenestra cœli, janua paradisi, per quam Sol justitiæ illuxit mundo.*

Maria V. — S. Fulg. ser. de laud. M. V. — S. Pet. Dam. Serm. 3 de Nat. M. V.

73. Cœlestis splendor nonnisi obice omni remoto, per fenestras in domum transmittitur. Atque adeò fenestra SINE OBICE LUSTRAT. Seu ut Carducio placet; OMNIA LUSTRAT. Ita hominis Christiani anima sacris zelosi cujusdam Magistri præceptionibus ac doctrinis illustrabitur, nî supernis illis gratiæ Divinæ radiis impedimentum posuerit. *Præoccupatum quippe sæcularibus desideriis animum*, teste S. Bernardo, *delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram.* Eruditè Carducius;

Gratia. — S. Bern. Serm. 77.

Non exhibet fenestra lumen ætheris,
Ni sint Domûs arcana luci pervia:
Cœli jubar, ne Doctor ingerit sacer,
Reddat scelus si corda luci impervia.

74. Fenestra transmisso suo lumine domum quidem illustrat, non tamen totam; semper quippe aliquot angulos intra tenebras relinquit. Unde epigraphen subjeci; NON PLENO LUMINE LUSTRAT. Opportunè Hier. Lauretus è Sanctorum Patrum suffragio scribit; *Ut fenestra non in totum illuminat; ita Christus non illuminat nunc planè Ecclesiam, sed quantùm fidelium saluti sufficit, postmodum illustraturus plenissimè.* Carducius idipsum è Christi persona in sanctæ fidei virtutem transfert.

Christus. Fides. — Lauret. in Sylv. Alleg.

Lumine non pleno sedis penetralia lustrat;
Exhibet æthereum quando fenestra jubar.
Non secus in terris haud pleno munere lucis
Divina Ecclesiam lustrat ab axe fides.
Corda redundanti complet nam lumine Numen,
Dum nitet his cœli non peritura dies.

His coronidem subjungens Apostolus, *Videmus*, inquit, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quibus verbis*, interprete Elia Cretensi, *illud significabat, obscuram quandam & exilem nunc nobis scientiam esse, tum autem pleniorem & splendidiorem fore &c.*

1. Cor. 13. 12. — Elias Cret. in Orat. 1 S. Greg. Naz.

75. Fatri Carducio eruditè observatum est, câdem fenestra & luci transitum, & latronibus ingressum concedi. Unde lemma; LUCIS, FURISQUE MINISTRA. Ita Fidelis malè cautus, dum virtutis suæ lucem vanâ ambitione ostentat, infernis latronibus amplissimam deprædandi portam aperit. S. Gregorio teste, *Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat.* Carducius in rem nostram canit;

Vana glori. — S. Greg. Ho. 11. in Evang.

Dum sedibus fenestra lumen advehit,
Patens iter prædonibus præbet simul;

Vulgata virtus sic jubar dum parturit,
Rapacitati Tartari exponit decus.

Propheta & Prædicator fidelis.

76. Fenestra radios, è cœlo receptos, in domum transmittit purissimos, integerrimos, ac penitus incorruptos. Ut adeò Carducius apposite subscripserit; INNOXIA LUMINIS HOSPES. Sincerum Prophetam aut Prædicatorem hæc idea describit, qui revelationum lumina, à Deo accepta, citra ullam labem aut defectum in populos effundunt. Graviter Magnus Augustinus; *In doctrina, sacræ scripturæ authoritatem debet Episcopus præferre, non sæcularium litterarum peritiam ostentare. Non enim Episcopi est officium Grammaticam exponere, nec laudes Jovis personent ora Pontificis.* Emblemati explicando hanc poësin subjungit Carducius;

S. Aug. l. de vita Cler.

Disce; fenestra patens innoxia luminis hospes,
Quos recipit radios, hos sine labe refert:
Sic pariter fidus vates, qui lumen Olympi
Ebibit innocuo corde refundit idem.

Charitas.

77. Regum fasti testantur, Salomonem in templo *fenestras obliquas* posuisse. Potior Interpretum sententia fenestras illas exterius angustas, parte verò interiore latius patentes fuisse explicat: ut adeò cuivis illarum subscripseris; LATIOR INTUS. Ita Dei servus, tametsi exteriore facie charitatem admodum amplam demonstrare debeat, intra cordis tamen ac viscerum penetralia longè magis pateat, necesse est. P. Cornelius à Lapide de Templi Solymæi fenestris disserens, ait; *Sunt introrsum latiores, quia etsi magna latitudo charitatis cerni in eis debet exterius, major intus debet in corde fervere.* S. P. Augustinus; *Exterioris hominis ornamenta, quanto magis appetuntur, tantò sunt interioris majora detrimenta: quantò autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tantò magis moribus pulchris homo interior adornatur.* Huic proposito sequens tetrastichon subjungere placet;

Corn. à Lap. in Ezech. 41. 17.

S. Aug. serm. 18. de verb. Apost. cap. 11.

Latior interior facies sit sæpè fenestræ.
Et magis inde patet, quà magis ipsa latet.
Fit similis charitas: ardet nam vastior intus,
Quàm flagret ejusdem splendida flamma foris.

Maria. V.

78. Fenestra vitrea, à Sole penetrata, epigraphen tenet; CLAUSAM TRANSIT. Propria hæc Mariæ Virginis imago est, cujus clausum ac intemeratum uterum Sol æternus, Christus recens natus, transiit; ut adeò Virgo Deipara à S. Fulgentio benè cognominetur *Fenestra cœli, per quam Deus verum fudit sæculis lumen.* Et à S. Chrysostomo; *Fenestra & splendor mundi.* Apposite canit Emblematis Author, P. Masenius;

S. Fulg. de Laud. M. V. S. Chrysost. Ser. 6 de Ascens.

Aspicis, ut vitreum radiis penetrantibus orbem
Transmittit rutilas Phœbus ab axe rotas?
Virgo vitrũ est, potuit clausam penetrare sub alvũ,
Et nasci salvâ virginitate, Deus.

FENESTRA FICTA.

Apparentia.

Aulicus.

79. ÆDium frontibus non rarò fenestris quasdam præfixas cernimus, quæ ad solum splendorem externum, vel ad architecturæ leges observandas coordinatæ, nullam unquam è cœlo lucem recipere, vel quidquam luminis in ædes derivare possunt. Proinde fenestris his fictis subscribes; AD SPECIEM. Vel EXTIMA TANTUM. Fictis his fenestris plerosque Aulicos similes dixeris, qui Principem suum apparentibus duntaxat ac simulatis obsequiis demerentur. His obelum infigens Apostolus, ait; *Ad oculum servientes, quasi hominibus placentes.* Venerabilis Virgo Catharina à S. Augustino, Canonica Regularis Ord. S. Augustini, Hospitalaris in Canada sæpius dicere est solita; *Bone Deus! quandoquidem nil aliud sumus, quàm id, quod coram oculis Dei, ut quid aliter coram hominibus apparere optamus?* Unde omnem hypocrisin detestata, maximè desiderabat, ut suæ imperfectiones cunctis perspectæ essent; vide concinnam ejus vitam à R. D. Joanne Georgio Grueber, Decano ad S. Crucem Augustæ Vindelicorum eruditè conscriptam. Emblematis mentem hoc disticho explicare licet;

Ephes. 6. 6.

D. Io. Geo. Grueber Brev vit. n. 12.

Ut nitet ad solam speciem depicta fenestra,
Sic oculo servit Principis ambitio.

Vel etiam isto;

Ficta fenestra domûs ut perficit extima tantùm,
Ad speciem officiis fingitur aula suis.

Magister imperit.

80. Fenestra cæca, cæcam etiam efficit domum; quippe qui nullam ab ea lucem participat. Unde lemma; CÆCA CÆCUM, subintellige, *reddit cubile.* Ita imperitus Magister discipulos imperitos & ignorantiæ tenebris excæcatos parturit. Hos Magistros acerbè redarguens Christus, *Væ vobis,* inquit, *Duces cæci. Quia,* subjungit Chrysostomus, *discipuli malo Magistrorum exemplo provocati, eis pejores fiunt, præsertim cùm ad ea à Magistris verbo vel exemplo excitantur.* Opportunissimus in rem nostram Carducius, hos Jambos senarios affert;

Matt. 23. S. Chrysost. in hunc l.

Ut cœca cæcum procreat cubiculum,
Sic inscius Magister inscios parit.

Obstinatio.

81. Fenestra naturâ quidem suâ ad cœlestem lucem recipiendam coordinata est. At fenestra ficta, quantumvis lucem ambiat, obturata tamen eam pertinaciter rejicit. Unde lemma; QUOD POSTULAT, ARCET. Hanc insaniam etiam in anima nostra reperias, quæ Divinam lucem anxiis nunquam votis desiderat, at simul eam cordis sui duritie, ceu muro penitùs impenetrabili, identidem excludit. S. P. Augustinus; *Si vis esse beatus, esto immaculatus. illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud, quod omnes volunt.* Et rursus; *Nemo inveniri potest, qui beatus esse non velit. Sed ô si homines quomodò desiderant mercedem, sic opus mercedis non recusarent!* Denuò meus Carducius;

S. Aug. in Psal. 118. Conc. 1.

Idem serm. 14. ex add. à Paris. c.

Fenestra ficta quod petit lumen fugat:
Cœli jubar cor postulat, fugat rigens.

FORNAX.

Cap. VIII.

Mortis meditatio.

82. FOrnacem carbonariam, terrâ coopertam, hoc Plinii lemmate distingues; FORTIORI UT IGNE CALESCANT. Academia Accensorum Lucensium generali hoc Symbolo utitur, eoq; significari potest, jugi mortis memoriâ Divinũ amore vehementer accendi. *Perfecta enim vita,* teste S. Greg. *est mortis meditatio, quam dum justi sollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt.* Certè Deus ad S. Francisci Borgiæ mentem, cœlesti charitate inflammandam, solis cineribus est usus; nam viso Imperatricis cadavere, *sic ejus animam lux ista Divinæ gratiæ efficaciter penetravit, ut ab illo usque ad extremum vitæ punctum semper illi illuxerit, nunquam ibi proposita oblivisceenti, NEC FERVORES CONCEPTOS MINUENTI.* Uti prolixè testatur P. Petrus Ribadeneira;

S. Greg. 12. Moral.

Ribaden. lib. 1. c. 7 Vita.

83. Cœ-

83. Cœlestes pluviæ, supra accensam fornacem carbonariam versatæ, ignem adeò non extinguunt, ut contra magis succendant. Unde inscriptio; MAGIS SUCCENDITUR. Ita anima, devoto lachrymarum imbre irrorata, flammas suas geminat. Explicatissimè Magnus Augustinus; *Ubi fuerint lachrymæ, ibi spiritualis ignis accenditur.* Insuper homo justus, charitatis Divinæ flammâ exardescens, tametsi totis calamitatum diluviis mundetur, fervorem tamen suum non remittit, sed accumulat. Eodem planè argumento Hieronymus Preti immodicum amoris sui affectum exprimit;

Lachrymæ. | S. Aug. l. de salutar. docum. cap. 43. | Justus afflictus.

Il foco del mio core piogge non cura,
E frà l'acque è maggior non che s'allenti;
Spiri pur Austro: che d'Amor l'arsura
S'infiamma, e cresce à lo spirar de i venti.

84. Ignis, intra fornacem carbonariam succensus, ac terrâ coopertus, epigraphen recepit; TECTUS MAGIS. Hinc colliges, amoris aut odii flammam, quò magis absconditam, eò majore ardore ac vehementiore damno invalescere. Seneca;

Amor. | Odium. | Senec in Medea Act. 1.

- - - Ira quæ tegitur, nocet,
Professa perdunt odia vindictæ locum.

Et Tullius; *TACITÆ MAGIS, & occultæ inimicitiæ timendæ sunt, quàm indictæ & apertæ.* Nicolaus, quem S. Bernardus Abbas à Secretis habuit, dolori suo ignem illum sopitum, & è carcere reviviscentem comparat. *Ignem, qui triste pectus adurit, amplius non abscondam, sed refundam in flammas, scintillasque verborum. Recordor enim etsi non ubi legerim. QUOQUE MAGIS TEGITUR, tantò MAGIS ÆSTUAT ignis. Iste ignis dolor est: dolor utiq; singularis, & dolor meus in conspectu meo semper, dolor summus, & consumens spiritum meum. &c.*

Nicol. Epist. 40.

85. Academici Inflammati Mediolanenses generalis Symboli loco fornacem laterariam præferunt, quæ lateres quosdam coctos hoc lemmate loquentes sistit; IN ÆS VERTIMUR. Verbis è Jobo mutuatis; *Lapis solutus calore, in æs vertitur.* Apostoli, natalibus viles, & animo fragiles, è Spiritus S. igne tantas vires retulerunt, ut muros aheneos credidisses. S. Bernardus; *Manifestum enim fuit, indutos esse virtute ex alto, qui de tanta pusillanimitate spiritûs ad tantam devenêre constantiam. Non est jam fugere, non est abscondi propter metum Judæorum: constantius modò prædicant, quàm delitescerent ante timidius. &c.* Et Tertullianus de Spiritu S. disserens, *Hic est enim,* inquit, *qui ipsorum animos, mentesque firmavit, quo confirmati pro nomine Domini, nec carceres, nec vincula timuerunt: quinimò ipsas sæculi potestates & tormenta calcaverunt, armati jam scilicet per ipsum.*

Job. 28. 2. | Apostoli. | S. Bernard. Ser. 1. Pent. | Tertull. de Trinit. c. 29.

86. Ignis in fornace accenditur, NON UT DESTRUAT, sed ut vi suâ lateres coquat, metalla expurget, aliaque commoda hominibus afferat. Ita malevolorum persecutiones, & calamitatum flammæ instrumenti loco deserviunt, ad humanas mentes non quidem destruendas, sed promovendas. Dilucidè Siracides; *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Et S. P. Augustinus; *Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus; quod vult artifex, facio; ubi me ponit, tolero; Jubeor ego tolerare, novit ille purgare. &c.*

Calamitas utilis. | Eccles 27. 6. | S. Aug. in Psal. 61.

****

FORUM. Cap. IX.

87. Fuit, qui forum hoc lemmate insigniret; PATET OMNIBUS. Ita optimus ac benignissimus Deus omnes intra sinum suum colligendos suavissimis his verbis invitat. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Bonus Princeps hanc ideam sibi imitandam ob oculos statuat, memineritque, se omnium calamitatibus sublevandis publico loco expositum esse. Rudolphus Imperator, cùm aliquot pauperes ab audientiâ suâ per satellites repelli cerneret, mox ad milites conversus, *Per Deum,* inquit, *finite homines ad me venire. Non enim ideò Imperator sum, ut in arcula includar;* uti luculento testimonio affirmat Lipsius. Hoc encomio Paulinus etiam S. Ambrosium celebrat; *Facillimi ad eum aditus, etiam infimis, palam omnibus, eum alloqui cupientibus, Sanctus vir propositus erat, nullus ingredi à janitoribus vetabatur. Omnes ad se venientes benignè excipere, uniuscujusque audire negotia, commodis & opportunitatibus omnium inservire, singulorum levare molestias, & perferre miserias, & infirmitates consuevit.* Ejusdem virtutis hoc nostro ævo quotidianum experimentum dedit Co. Hieronymus Franciscus Miroglus, Episcopus Casalensis, cujus fores, tenuissimis quibusvis hominibus recipiendis, & audiendis, assiduò patebant. Neque affabilitate tantùm & benevolentiâ contentus, eorum necessitaribus, quantùm licuit, manu adeò liberali providebat, ut redditus suos episcopales, quamlibet angustos, in egenam plebem erogare nunquam desisteret: quin, & miserrimos quosvis ægrotos affectibus ac solatiis adeò teneris complexus est, ut instar dulcissimæ matris, assiduò ad eos inviseret. De virtute in rem præsentem pronuntiavit Seneca; *Nulli præclusa est virtus, OMNIBUS PATET, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, servos, reges & exules. &c.*

Bonitas Dei. | Matt. 11. 28. | Princeps. | Lips. dissert. ad Albert. Austriac. | Paulinus in vita. | Charitativus. | Virtus. | Senec. lib. 3. de Beneficiis cap. 18.

88. Joannes Ferrus forum hoc lemmate afficiendum censuit; USUI, ET ORNAMENTO. Quippe quod tam civium commodis, quàm civitatis pompæ & ornamento deservit. Eadem virtutis & Sapientiæ est indoles: utriusque enim beneficio non tantùm plurima commoda in Rempublicam, sed insuper summa laudis ac honorum ornamenta in ipsos sapientes aut virtuosos redundant. Tullius; *Ad Rempublicam plurima veniunt COMMODA, si moderatrix omnium rerum præsto est sapientia: hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, LAUS, HONOR, DIGNITAS confluit.*

Virtus. | Cicer lib. 1 de invent.

FURNULUS. Caput X.

89. Academici Resoluti Senenses Symboli loco furnulum præferunt, qui, succenso igne, liquores suos è diversis siphunculis exsudabat. Epigraphen adjecêre istam; AB EODEM VARIA. Illorum hæc idea est, qui vel intellectû scientiis omnibus excultum tenent; vel eruditâ suâ prædicandi methodo auditores omnes exsaturare nôrunt. S. Gregorius; *Doctori veritatis virtus discretionis, ut noverit quibus, quid, quando, quomodo inferat, divinitus ministratur; Non enim una eademque omnibus exhortatio convenit. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo Doctorum.* Ita quoque è corde nostro, dum amoris igne succenditur, vel omne bonum, vel omne malum scaturit. Præclarè S. P. Augustinus; *Ex amore est totum quod bonum est, & totum quod malum est; Unde fons dilectionis intus saliens, duos rivos infundit; alter est amor mundi, cupiditas; alter est amor Dei, charitas.*

Prædicator. | S. Greg. l. 30. Moral. c. 5 | Cor humanum. | S. Aug. l. de Subst. amoris Tom. 4.

LABYRINTHVS.

Caput XI.

90. DOminus Aresius Labyrinthum figuravit, qui diversis viarum anfractibus initio aliquid voluptatis afferre solitus, paulò post miserum viatorem fallit, ejusque mentem intricat. Epigraphen subdidit; SPECIES DECIPIT. Genuina hæc fallacis mundi idea est, qui apparentes quasdam delitias ementitus, easdem quantocius in spinas acerrimas convertit. Seneca; *Fallaces sunt rerum species, quibus credimus.* Et meus Absalon Abbas; *Bona ista temporalia speciem nobis ostendunt histrionis, dum suâ pulchritudine pariter & utilitate ad ineptam nos trahunt lætitiam, & in defectu suo mentes nostras ad mœstitiam inducunt.*

Voluptas mundi. *Senec. lib. 4. de benef. c. 34. Absol Abb. Serm. 8.*

91. Labyrinthus inscriptionem è D. Paulo mutuam præfert; INVESTIGABILES VIÆ EJUS. Innuit videlicet, Providentiæ Divinæ consilia ac operandi modos creato intellectui penitus esse impervios. *Proinde* è Cæsarii sententia, *conticescat omnis contentio, & motus cogitationum, gaudet enim Divinum illud Numen se simplici fide honorari.* Si Divo Chrysostomo fidem habeas, illud ipsum Emblema etiam de ambiguo ac malitioso hæreticorum corde intellexeris. *Audiant*, inquit, *miseri hæretici. Eorum enim cogitatio labyrintho cuipiam, ac gryphis similis est, nullum usquam finem habens, &c.*

Deus. *S. Cæsarius in Dial. 3.* Hæreticus. *S. Io. Chrys. Hom. 2. ad Rom.*

92. Animus irresolutus, & gravissimis calamitatibus implicatus, labyrinthum imitatur; cum lemmate, NON VEGGIO OND' ESCA. Id est, LATET EFFUGIUM. Huic affines sunt voces illæ Paulinæ; *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Animas damnatas hic typus concernit, quæ in infernali labyrintho conclusæ, nullam libertatis rimulam apertam habent. Ibi enim *Non est qui redimat, neque qui salvum faciat.* S. Cyprianus; *Immortales miseri vivent, incendia & consumptibiles flammæ corpus allambent. Omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget; non miserebitur ultra Deus, nullum ibi refrigerium, nullum remedium.*

Irresolutus. *Rom. 7. 24.* Damnatus. *Psal. 7. 3. S. Cypr tract. de Ascens. Dom.*

93. Labyrinthus, in plurimas vias distinctus, epigraphen tenet: UNA SALUTIS. Hinc disces, unicam tantùm salutis semitam patere illam nimirùm, quam Sancta Fides Romano-Catholica demonstrat. S. Epiphanius; *Est via regia Sancta Dei Ecclesia, & iter veritatis; unaquæque verò harum* (de Hæreticorum sectis loquitur) *regiâ relictâ, & ad dexteram aut sinistram inclinatione factâ, ubi deinceps se in nimium errorem dederit, distrahetur, &c.*

Fides Catholica. *S. Epiphan. Hæres. 59.*

94. Labyrinthus, non quidem è firmissimis muris, qualis ille Cretensis erat, sed è viridi myrto aut è sulcis obliquè dispositis, ac copioso flore undique respersis, constructus epigraphen monstrat; GRATISSIMUS ERROR. Verbis ex Horatio mutuatis. Nativam hanc libidinis ideam statui: tametsi enim illa obscœnis suis blanditiis amantium pedes implicet, ac mentem confundat, nunquam tamen non miseris mortalibus fallacissima arridet. Ad hoc propositum Rabbi David, Novarino teste, observat, in idiomate Hebraico vocem *thangar* simul & *errare* & *fornicari* significare. S. Gregorius Nazianzenus peccatoris ore canit;

Horat. l. 2. Epist. 2. Libido. *R David de Pomis apud Novarinum Aqu. Nupt. num 1133. S. Greg Naz.*

Id facio, quod mens mea damnat, & odit,
Oblectorque malis.

95. Labyrinthus, stellam è superiore parte respiciens, hanc pronuntiat epigraphen. HAC DUCE EGREDIAR. Auxilium aut favorem, Majorum patrocinio acquisitum, hæc imago denotat. Certè SS. Magorum trias, stella duce, è gentilium errorum labyrintho eluctata est. S. Cæsarius, postea quam demonstrasset, Angelum stellæ formâ eo tempore comparuisse, ait; *Cultum astris impensum, ad Christum trahens, à multorum Deorum errore mortales reducendo, velut stellam ponit Angelum viæ adorationis ducem &c.* S. Antonius Paduanus, Mariam Virginem in mortis articulo præsentem intuitus, verissimè dixit, *Hac duce egrediar.*

SS. Magi. *S. Cæsari Dial. 2.* S. Anton. Pad.

96. Libidinis consuetudinem homini penitus ineluctabilem ac indissolubilem obtingere è labyrintho disces, qui hanc epigraphen præfert; INEXTRICABILIS ERROR. Emblematis construendi ansam Virgilius suppeditat;

Libido.

Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandæ.
Hic labor ille domus & INEXTRICABILIS ERROR.

Virg l. 6. Æn. v. 26

Salomon, testis utique expertissimus, de lascivâ fœmina affirmat, *Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* Unde Magnus Augustinus; *Vincere consuetudinem dura est pugna. Moles imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, quâ premitur anima; nec resurgere, nec respirare permittitur.*

Prov. 2. 19. S. Aug. in Psal. 30.

97. Labyrinthus, exteriore quidem facie venustus, ac primo ingressu amœnus, intuentium oculos mirificè in se convertit: at si penitius illum subiveris, anfractus adeò intricatos reperies, ut egrediendi solicitudine ac labore plurimum sis fatigandus. Proinde Carolus Rancatus opportunè inscripsit; LABOR INTUS. Verbis ex hoc ipso nomine *Labyrinthus* desumptis, de quo nonnemo cecinit;

- - - Verùm si laberis intus,
Non Labyrinthus erit, sed labor intus erit.

Verissimos Labyrinthos omnes mundi honores, Prælaturas, & Principatus dixeris: exteriore enim vultu quandam suavitatem mentiuntur, re ipsâ verò molestissimos labores afferunt. Sapientissimè Synesius; *Eum nullum non laborem perferre oportet, & ab omni vitæ cõmoditate separari; & somni quàm parcissimi, solicitudinum autem plurimarum esse participem, si quis Regis nomen non immeritò velit obtinere.* S. Damasus Papa, Jacobum de se ipso protestantem contemplatus, *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*, ita philosophatur, *Si ergò sic laborat & vigilat, qui pascit oves Laban; quanto labori, quantisque vigiliis debet intendere, qui pascit oves Dei?*

Honor mundanus. *Sines Orat de Regno. Gen 31. 4. S. Damas. Epist. 4.*

98. Idem Rancatus Labyrintho, è diversorum anfractuum involucris consito, subscripsit; E NE GLI ORDINI SUOI SE STESSO INTICA. Id est; SE SUIS IMPLICAT AMBAGIBUS. Epigraphen illam Italicam Tassus subministrat hoc poëmate;

Tass. Gerus. Liber. Can. 20. stanz. 1

Non sia, non sia trà voi temenza alcuna
Inveder così grande oste nemica.
Che discorde frà se, mal si raguna
E negli ordini suoi stessa intrica.

Plerumque sors æqua disponit, ut malitiosi machinatores propriis suis implicentur stratagematis. *Jus enim exigit, sagittas fraudis redire in dolosum verticem sagittantis*, inquit Cassiodorus;

Author sui propr. mali. *Cass. lib. 5. Epist.*

99. Dominicus Gambertus filo, ad labyrinthi ostium suspenso, inscripsit; EXPLICAT ERRORES. Lemmate è Seneca mutuato;

Unanima Conjux, explica errorem, precor.

Senec. in Oedip. Act. 4. scena 4.

Hâc icone, admodùm fœcundâ, dictamen rationis, Divinam inspirationem, insignem prudentiam, vali-

Inspiratio

Consiliū. validam prædicatoris linguam, sincerum amicum, aut fidum consiliarium significare licet; quippe quorum omnium juvamine anima nostra extra errorum suorum labyrinthos emergere potest. De Christo ait Magnus Augustinus; *Via nostra venit ad homines, invenit errantes, vocavit ad se extra ambulantes.* Aug. in Psal. 39.

100. Fili glomus, ad Labyrinthi fores figuratus, epigraphen reddit; DUCIT IDEM, REDUCITQUE. Angelum Tutelarem hæc effigies innuit, qui juniorem Tobiam *DVXIT*, *ET REDVXIT. Cautè ergò ambula*, subinfert S. Bernardus, *ubi sunt Angeli, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Idem etiam auxilii Divini est ingenium, quod arcanâ vi *DEDVCIT ad inferos ET REDUCIT.* È Patris Francisci Remondi sententia filum illud superiorum directionem, obedientiæ gressu studiosè observatam, demonstrat; Angelus Custos. Tob. 12. 3. Bern. in Ser. 40. sup. illud Accesse-runt Angeli &c. Gratia. Reg. 2. 6. Obedientia. Franc. Rem. lib. 1. de Epig.

Quàm benè cæca regit filo vestigia Theseus,
Semi virum postquam perculit ense bovem?
Cernis, ut immensis ambagibus antra resolvens
Perplexa, ad tutas exeat ille vias.
Nos procul, heu, patriâ via dividit invia sede,
Et circum semper nos Labyrinthus agit.
At qui Rectorum in tenebris data fila sequetur,
Tutius, edomitis hostibus, astra petet.

101. P. Leonardus Velli ad Labyrinthi fores filum ligavit, partim explicatum, partim in glomos convolutum; cum lemmate, DOLOS, AMBAGESQUE RESOLVIT. Verbis è Virgilio mutuatis; Virgil. l. 6. Æneid. v. 29

Dædalus ipse DOLOS tecti, AMBAGESQVE RESOLVIT,
Cæca regens filo vestigia.

Consiliū. Mens Emblematis erat, quemadmodum Dædalus intricatos Labyrinthi anfractus fili beneficio superavit, ita hominis prudentis consilio omnia nostra negotia, quamlibet ardua, difficultatibus suis exsolvi. Cassiod. *Plurimum laudis juvenes moribus suis applicant, quoties de negotiorum meritis ambigentes, ad peritorum consilia decurrunt.* Opportunissimè tamen Divina gratia, sacra Scriptura, aut Sanctorum exempla Emblemate illo significantur; quippe quæ homini adversus omnes vitiorum insidias viam præeunt facillimam & securissimam. Prudentia. Cassiod. Ep. 2. l. 1. Ep. 9. [...] 30. 15.

102. Magnus Gonsalvus Symboli loco Labyrinthum pinxit, in cujus centro Minotaurus excubans, epigraphen ex Isaia desumptam habuit; IN SILENTIO, ET SPE. Significabat quippe, Infernalem Minotaurum, aliasque difficultates in hujus mundi Labyrintho facilè superatum iri; si geminâ illâ virtute, silentio videlicet, & in Deum fiduciâ, instructus incesseris. Senecâ teste, *Nihil æquè proderit, quàm quiescere, & minimum cum aliis loqui, & plurimum secum.* In hanc rem oppositè canit Baptista Pittonus; Silentium. Senec. Ep. 16.

De la confusa, ed intricata stanza
Del Labirintho, ove perdeo la vita
Piu d' un, che per schiocchezza, ed ignoranza
Non seppe far, come dovea, partita,
In silentio sovente, ed in speranza
Di magnanimo cor posta è l' uscita;
Che il tacere, e il sperare è di tal sorte.
Che può trar l' huom da ingiuriosa morte.

MOLENDINUM.
Cap. XII.

103. D. Nicolaus Crassus Molendinum in flumine supra cymbam figuravit; addito Horatii lemmate, QUO ME CUNQUE FERET. Promptam hominis mentem, & in Mecænatis sui imperia penitus resignatam, hoc Emblema demonstrat. Epictetus; *Ausim*, inquit, *in Deum sublatis oculis dicere; utere me ut lubet, & ubi lubet, mente tecum consentio, æquanimus sum, nihil recuso omnium, quæ tibi videbuntur, QVOCVNQVE ME VOLES DVCITO, &c.* S. Gregorius Nazianzenus calamitatibus admodum acerbis excruciatus, sese in Divinam providentiam totum dedidit. Ipsiusmet verba ita accipe; Obedientia. Epictetus. S. Greg. Naz. Carm. de suis calamitatibus.

Ergò demissâ supplex cervice potentem
Christe tuam subeo dextram, captivaque tendo
Brachia; Jus aliis esto, vindictaque curæ.
Nil ego judicium mundi moror, atque tribunal.
Quocirca me sancta ferat tua, Christe, voluntas;
QVO ME CVNQVE FERET, nullo cum
murmure pergam.

104. Hominem, ab alterius authoritate pendentem, hydromilæ non absimilem dixeris, quæ tantundem operis conficit, quantum ab aquarum majore vel minore impetu versatur. Unde Hieronymus Aleandro epigraphen subdidit, AGIT, DUM AGITUR. Vel ut Academico inter Vivaces Placentinos Inquieto in prima persona placet; AGO, DUM AGITOR. Eadem cordis humani est indoles, quod nonnisi calamitatum undis compulsum, operari consuevit. S. Gregorius; *Tantò major fiducia mentem roborat, quantò hanc fortior pro veritate angustat afflictio.* David de ignavo Israëlis populo ait; *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Dependentia. Afflictus. S. Greg. in Moral. Psal. 15. 4.

105. Rota molaria, undarum impetu versata, à Chlotario I. Galliarum Rege epigraphen cepit; MENS IMMOTA MANET. Tametsi verò hæc imago severiores Emblematis regulas minus sustineat, volebat tamen optimus Princeps eâ dissimilitudine immobilem ac imperterritam cordis sui constantiam significare. Seneca; *VIRTUS libera est, inviolabilis. IMMOTA, inconcussa, sic contra casus indurata, ut nec inclinari quidem, nedum vinci posset.* Eâdem omninò ratione, tametsi S. Petri Apostoli lingua ab insolentium Judæorum torrente ad Christum negandum impelleretur, mentem tamen in fide stabilem, ac versus servatorem suum immotam conservavit; uti iteratis vicibus testatur S. Ambrosius, cui etiam hæc Prudentii stropha accinit; Animus imperterritus. Senec. lib. quod in sapient. non cadat injuria cap. 5. Prud lib Cathemeri non Hymn ad Galli cantum.

Flevit negator denique
Ex ore prolatum nefas:
Cùm mens maneret innocens,
Animusque servaret fidem:

106. Rota molaria lapidem molarem, nonnisi à cadentium aquarum impetu volutata, volvit. Cui proinde Carolus Rancatus subscripsit; VOLVIT, SED VOLVITUR. Ita homo violentus, agitante ambitione, integras provincias turbare novit. In hujus rei exemplum Cajus Marius Belli dux à Seneca affertur; *Cajus Marius*, inquit, *cùm Theutonicos, Cymbricosq; concideret, cùm Iugurtham per Africæ deserta sequeretur, tot pericula putas appetiisse virtutis instinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio; Iste cùm omnia concuteret; concutiebatur turbinum more, qui rapta CONVOLVUNT, SED ipsi antea VOLVUNTUR.* Ambitiosus. Senec p 95.

107. Lapis molaris superior, seu catillus, supra inferiorem, quem metam nominant, positus, suggestum frumentum non sine inferioris lapidis ope commolluit; Bargalius lemmatis loco hæc Horatii

Mutuum auxilium. Spes & timor. S Greg. l. 3. Moral. c. 16.

verba subjunxit; ALTERIUS ALTERA. Hinc mutuum quorundam auxilium demonstrare licet. S.Greg. Pap. gemino illo molari saxo tropologicè demonstrat, quantum emolumentum in animas nostras conferant misericordiæ Divinæ spes, & supremæ Justitiæ timor; aitque, affectus illos, intra pectora nostra conjugatos, summæ felicitatis authores esse. *Superior & inferior mola*, inquit, *spes & timor: spes ad alta subvehit, timor autem cor inferius premit. Una mola sine altera inutiliter habetur. Peccatoris ergò in pectore semper debent & spes & formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si justitiam non timeat, & incassum metuit, qui non confidit.*

Avarus. Horat l. 6. Carm. Ode 16.

108. Fuit, qui molendino inscriberet, SEMPRE GIRANDO CRUCIA. Id est; CIRCUITU JUGI SE TORQUET. Certè avarus ob facultates accumulandas assiduis laboribus fatigatur. Verissimè Horatius;

Crescentem sequitur cura pecuniam.

Idem ode 24 lib. 3.

Et rursus;

------ Neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus
Durataque solo nives
Mercatorem abigunt. Horrida callidi
Vincunt æquora navitæ.

Ambitiosus. S. Bernard. lib. 3 de Considerat. Cor hominis. S Bernard. c 9. Medit. Conscientia mala.

Idipsum de Ambitioso pronuntians S. Bernardus, altum exclamat, *O ambitio ambientium crux! Nihil acerbius cruciat, nil molestius inquietat.* Neque alia cordis humani est indoles: *Sicut enim*, eodem Bernardo teste, *molendinum velociter volvitur, & nihil respicit, sed quidquid imponitur molit, si autem nihil apponitur, se ipsum consumit, sic cor meum semper est in motu, & nunquam requiescit, sed sive dormiam, sive vigilem, somniat & cogitat quidquid ei occurrit.* Denique etiam mala conscientia ærumnis nunquam quiescentibus agitatur. Experto id credes Exuli Tomitano;

Ovid. lib 1. de Pont. Eleg. 1.

---- Mea perpetuos curarum pectora morsus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec prius hi mentem stimuli, quā vita relinquent,
Quique dolet, citius, quàm dolor ipse, cadet.

Miles. Detractor. Io. de Pinina in Ecclesiast. cap. 5. Ethol. 20. num. 4.

109. Lapis molaris, assiduâ suâ revolutione frumentum comminuere solitus, simul etiam se ipsum corrodit & atterit. Unde lemma; DUM TERIT, ATTERITUR. Huic inscriptioni affinia sunt illa Comitis Emmanuelis Thesauri verba, ubi de Samsone, à Philistæis ad molam alligato, ait; *Fruges terendo conteritur.* Militibus hoc Emblema convenit; dum enim hostium excidio assiduam dant operam, simul proprias vires extenuant. Detractor quoque, alienæ famæ denigrandæ intentus, conscientiam suam offendit, & existimationis propriæ jacturam facit. Joannes de Pina. *Hoc*, inquit, *in molari lapide videre est, qui immissa grana permolit, & escis reddit utilia, & tamen ipse lapis subinde atteritur. Ergò qui alienam famam comminuit, instar molæ se ipsum lædit.*

Oratio. Cass Coll. 9. c 3. Abb. Isaac.

110. Lapidi, intra molendinum agitato, inscribes; QUIDQUID INJECERIS, REDDET. Cassiano teste, cor nostrum petræ instar est, in molendino semper molentis, atqui in arbitrio molitoris est, ut vel triticum molat, vel hordeum, vel legumina, ita ut ipse molæ injiciat, ipsa molat. Ita cor hominis molit, versatque continuò, verùm penes te est, mi homo, quam materiem molæ tuæ inferas, triticumne an hordeum, avenam, an paleas; quod enim ei imposueris, hoc scilicet reddet. Vis igitur feliciter orare? faxis ergo, ut omni interdiu custodiâ custodias cor tuum, ab ipso siquidem omne malum procedit & bonum. Erat, Cassiano referente, solenne hoc dictum Patrum veterum; *Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus; ex præcedenti enim statu mens atque animus in supplicatione formatur.* Qualis liquor vasi infunditur, taliter redolebit; & quales herbas in horto cordis tui plantaveris, talia seminabunt, inquiebat D. Bonaventura.

S. Bonav. Prof. Relig. l. 2. c. 58. Magnanimus.

111. Rota molaria, aquarum impetu in gyrum versata, polos suos semper immotos servat. Unde lemma; IMMOTA MOVETUR. Ita animus heroicus, diversis mundi calamitatibus agitatus, semper persistit immobilis, suosque virtutis polos nunquam egreditur. S. Ambr. sententiâ, *Sapiens idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus, nec ut parvulus fluctuat, ut circumferatur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo, fundatus charitate, radicatus fide.*

S Ambr. ad Simpl.

MOLA PNEVMATICA.

112. Mola pneumatica, cum lemmate, NI SPIRET, IMMOTA; personam illam concernit, quæ tantundem operis efficit, quantum aliorum imperiis aut proprio cōmodo impellitur. Certè anima nostra, nisi gratiæ Divinæ auram prævenientem ac concitantem sentiat, nihil penitus in salutis negotio operari potest. S. Bernardus; *Quærere Deum non potest anima, nisi præveniatur, ut quærat.*

Gratia ei. S. Bernard. serm. 83. Cant.

113. Scipio Ammiratus, ut se negotiis penitus immersum, omnemque vitam suam in aliorum servitiis attritam demonstraret, molam alatam seu pneumaticam figuravit; addito Hispano lemmate, EN TRABA JOS MIS HAZIENDAS. Id est, VARIO JACTATUR TURBINE SEMPER. Genuina hæc vitæ humanæ idea est;

Vita humana.

Nam vivi vario jactantur turbine semper.

Inquiebat Alciatus. Huic concolor Olympiodorus, ait; *Rota accipitur pro nostra hac vita, ob ipsas revolutiones ac motus.* Et posterior illo Justus Lypsius; *Humana omnia, nil nisi jactationes & fluctus, in quibus nihil firmum.*

Olymp. in Eccles. c. 1. Lips. Cent. 1. Epist. 52.

114. Molam pneumaticam, ad recipiendos ventorum impetus ex omni latere instructam, Bargalius hoc lemmate insignivit; QUOCUNQUE FLANTE. Illum hoc Emblema significat, qui ad operationes, quâvis emergente occasione perficiendas, promptissimum se offert. Illo ipso etiam hominem instabilem demonstrare licet, qui non quidem veræ amicitiæ nexu, sed tantum proprii commodi causâ amico suo adhærescens, quovis levissimo vento afflāte invertitur, & à pristino suo affectu præcipitatur. Rem paucis complexus Siracides, *Est*, inquit, *amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* Præclarè illam adulterini amici volubilitatem describit Magnus August. his omninò verbis; *Amicitia mundialis est plena fraudis atque fallaciæ: nihil in ea certum, nihil constans, nihil securum, sed cum fortuna mutatur & sequitur marsupium.*

Operarius promptus. Amicus falsus. Eccles. 6. S Aug. l. Amicitia.

115. Academici Depressi Utinenses Symboli loco Molendinum pneumaticum præferunt, quod in ima valle collocatum, hunc Dantis versum instar lemmatis sustinet; NON E' QUA GIUSO OGNI VAPORE SPENTO. Id est; NON DEFICIT IN IMO VAPOR. Innuebant videlicet, personas, natalibus humillimas, non æquè semper ingenii donis, cæterarumque virtutum prærogativis destitutas esse; præsertim quod etiam gratiæ

Humilis abundat gratiis.

Divinæ

Psal.103.10. Bernard. in Cant.s.II. Divinæ fluenta in locis humilibus undas fæliciores ac magis copiosas volvant. Dilucidè Vates Regius; *Qui emittis fontes in convallibus.* Et S. Bernardus super illis Sacri Epithalamii verbis, *Nardus mea dedit odorem suum,* ait, *Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, perfusis circumquaque vicinis regionibus, ipsum quoque regium accubitum gratâ suavitate respergit.*

116. Joannes Orozcus Molam, complurium ventorum afflatu concitatam, hoc lemmate notavit; QUAL MAS, QUAL MENOS. Id est; MODO PLUS, MODO MINUS. Dicere volebat, se, instar molendini, diversâ plurium æmulorum vehementiâ, majore minoreve, infestari. Vel certè mens Emblematis erat, terrenæ superbiæ & ambitionis ventos omnibus omninò hominibus plus minus prædominari. Hanc miseriam anxiè deplorans S. Bernardus, non sine gemitu exclamat; *O ambitio, ambientium crux, quomodò OMNES TORQUES? omnibus places?* Et Seneca; *Ambitio viritim SINGULOS OCCUPAT.* [Ambitio-sus. Bernard. l.3 de Considerat. Senec.l.3. de Ira c.2.]

117. Molendum pneumaticum, dum operi suo insistit, epigraphen subjunctam habet; QUOUSQUE SPIRABIT. Illum hoc Emblema demonstrat, qui adeò severè ab alterius auxilio pendet, ut nec absente illo operari, nec eodem præsente desistere queat. Certè Prophetæ, à Deo afflati, in vaticinia assidua erupuerunt; at Divinâ aurâ nonnihil conticescente, mox alto silentio linguas comprimere sunt soliti. Porrò amicū falsum molendino pneumatico non absimilem dixeris, qui tantundē movetur, quantum à benefica Mecænatis sui aurâ promotus fuerit: commodis autem illis nonnihil subsidentibus, quantocius omnem operandi industriam abjicit. S. Hieron. *Amici divitum multi, à pauperibus autem etiã qui videbantur esse, discedunt.* S. P. Augustinus; *Est amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis. Tolle spem quæstûs, & statim desinet esse amicus.* Et prior illis Marcus Tullius; *Plerique in rebus humanis bonum non nôrunt, nisi quod fructuosum sit; & amicos tanquam pecudes eos potissimum diligunt, ex quibus sperant, se maximum fructum esse capturos.* [Dependens. Amicus falsus. Hier. in ca. Michea. Aug. lib. de Amicitia. Cicero de Amicitia.]

118. Solius venti vis est, quæ molam mole insignem movet atque volvit, ut commodum ad generis humani usus præparet frumentum. Quis enim alius aut artificio, aut manu versaret grande illud pondus, quod in aërem exurgens, solius venti potestati atque imperio se permisit. Unde molæ, à vento agitatæ, Serenissimus Philotheus subscripsit; QUIS ALIUS MOVERET? At certè multò minus fiet, ut debilis & infirmus naturâ homo quidquam laude dignum præstet aut perficiat, nisi validiore illo, & sanctiore Dei Spiritûs Numine afflatus, ad corripiendos virtutis labores moveatur. Neque alia vis est, quæ mortalium animos movere possit, hominemque ipsum, ferocissimum & durissimum animal agitare, ut res præclaras summâ animi integritate, continentiâ, fortitudine aggrediatur, & felici exitu terminet. *Habemus liberum arbitrium:* inquit Theologorum Apex Augustinus, *sed ipso libero arbitrio quantum possumus, nisi nos adjuvet ille, qui jubet?* Appositè canit Emblematis Author; [Gratia Dei. Aug. in Ps. 138.]

Hæc mola, nî ventis fuerit pulsata, quiescit,
Atque nihil prorsus, ni moveatur, agit.
Ut spirat Boreas, ut spirant cœlitus auræ,
Tunc agit officium, sed mola mota, suum.
Tuque adeò vires animis qui sufficis ægris,
Spiritus alme, affles Numine corda tuo.
Ut movear, dignas tu cœlo suffice vires!
Si cessas, moveat quis mea corda, Deus?

OFFICINA
Caput. XIII.

119. ALcibiades Lucarinus officinam, lignis, ferro, aureis laminis, cæteráque supellectile instructam, hoc lemmate notavit; JUXTA SUPPOSITUM. Enimverò ignis, inter cujusvis materiæ naturam studiosè distinguere edoctus, ligna devorat, ferro rubiginem excutit, aurum purgat, aliasque operationes diversissimas exercet. Ita omninò Eucharistica Altaris Divini flamma pro diversâ accumbentium dispositione diversissimas operationes sortitur. Notissimus Doctoris Angelici Rhytmus canit; *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitûs. Mors est malis, vita bonis; vide paris sumptionis quàm sit dispar exitus.* Et Menander; [Eucharistia. S.Tho. Aqu. in Rhytm.]

Princeps Apollo profert lucem
Rerum mensuratam captivi,
Magnam lunæ, parvam stellis
Luto nunquam, semper adamanti.

120. Inutilis massa ferrea, intra officinam collocata, epigraphen tenet, UTILIOR INDE. Homines vitiosi & inutiles, dum adversitatum flammis exagitantur, non rarò ad optimam frugem revertuntur. *Tale est Numinis ingenium,* inquit S. Basil. Seleuciensis, *nequitiam tormentis subjicit, quibus voluntates castigat, sanans interim ægritudinem.* Et S. Antiochus; *Dominus, nostro omnium usui consulens, tribulationes infligit, & acrimoniam, asperitatemque urentis cauterii adversum coalescentem morbum admovet, integer ut sit homo, & incolumis.* [Calamitas juvat. S. Basilius Seleuc. Or. 4. S. Antioch. Hom. 117.]

121. Officinæ ignis, aquâ aspersus, magis accenditur. Unde lemma; EXTINGUERE SUETA. Ita iræ Divinæ ignis incrementa longè maxima sortietur, quando peccatores adversus infinitam Dei misericordiam ingratos offendet. Eadem omninò ratione sanguinis pretiosissimi unda, è Sacris Christi vulneribus ad infernales flāmas extinguendas sparsa, illas adversus obstinatos homines acerrimè concitabit. *Prima enim,* asserente S. Cæsario Arelatensi, *erit in reos intoleranda sententia, reverendarum præsentia cicatricum.* Aliis accommodatè ad hanc ideam dicere placet, lachrymas, à formosa muliere fusas, in mundanorum animis copiosa amoris incendia excitare. Ad propositum Tassus de Armida canit; [Misericordia Dei. S. Cæsar Arel. Hom. 27. Lachrymæ fœminex. Tass. Gerus. conquist. lib. 5 stanz. 45.]

Ma' l chiaro humor, che da lucenti stille
Sparge ligustri, e rose, in cui discende,
Opra effetto di foco; e n' mille, e mille
Petti serpe celato, e vi s' apprende.
O miracol' d' Amor, che sue faville
Tragge dal pianto, ei cor ne l' acque accende &c.

122. Officinæ flamma, aquis irrorata, epigraphen sustinet; POTIUS AUGETUR. vel; FOVENT, NON EXTINGUUNT. Ita correctio, quantumvis benigna, si hominem iracundia æstuantem offendat, incendio excitando potius, quàm sopiendo deservit. Appositè S. Joannes Chrys. *Flammã non tantùm ligna, & stuppa, aliaque ignis alimenta, sed aqua etiam majore impetu jactata, magis, magisque succendit. Ita accidere etiam in ira solet; quidquid aliquis dixerit, continuò pabulum hujus efficietur incendii.* Haud aliter Amoris flamma amantium injuriis non extinguitur, sed excitatur, &, ut expertissimus quispiam dixit, *Amantum injuriæ redintegratio amoris.* Et alius; [Ira. S. Io Chrys. Hom. 16. in Matth. Amor.]

Fabula, quod jactant; injuria solvit amores;
Namque REDARDESCIT sic MAGIS iste furor.

Argu-

Dolor. Argumento planè eodem Nicolaus, S.Bernardi Abbatis Notarius, dolorem suum acerbissimum explicat, qui è lachrymis non modò nihil mitigabatur, sed contra plurimum incrementi sumpsit. *Dolor meus*, inquit, *dolor summus, & consumens spiritum meum; qui LACHRYMIS non minuitur, sed AUGETUR, & in ipsam animæ sedem furiosus irrumpit.* (Nicolaus Epist. 40.)

123. Meus D. Alexander Luzon de Millares in insigni sua idea Politica Pharmacopolium Symboli loco expressit, cujus pyxides, oblongâ serie per diversa pegmata superbè collocatæ, nihil eorum continent, quorum titulos præferunt, Lemma addidit; NIL PRÆTER TITULUM. (Nobilitas.) Opportunè ad hanc ideam cum S. Petro Damiano pronuntiaverim, frivolum esse, proavorum jactari titulos ab homine virtutibus penitus vacuo. Quid refert te regiis natum incunabulis, si infami vitâ omnem denigres originis regiæ splendorem; si instar vilissimæ teredinis radicem adeo nobilem radas, vities, corrumpas; Satius est, Horatio teste, (Horat. de Arte Poet.)

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem.

Christianus. Religiosus. Porrò absonum est, quempiam nobilissimo hominis Christiani aut Religiosi titulo insignem esse, nisi studeat, nihil à tanti nominis conditione alienum committere S.Greg.Naz. cohortatio est; *Tales in omni vita nos præstemus, quales requirit Christiani nominis excellentia.* (S.Greg.Naz. in Orat. de Christi Perf.) Apprime igitur è D. Ambrosii sententia cavendum, *Ne sit nomen inane & crimen immane; Deifica professio, & diabolica actio; Religiosus amictus, irreligiosus profectus; gradus excelsus & deformis excessus; ne locutionem simulemus columbinam, & vitam habeamus corvinam; ne perfectionem monstremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam.* (S. Ambr. ap. Hug. Card. in cap. 3. Apo.)

124 Cimelia varia, intra officinam proposita, epigraphen legendam offerunt, HINC ACCIPE GRATIS. (Maria V.) Maria Virgo à S. Joanne Damasceno rectè cognominatur *Officina bonorum immensorum, omnem captum superans.* (S. Damasc. Orat. 1. de Assumpt.) Apud illam enim cumulatissimas gratias & auxilia Divina reperire ac impetrare licet. Unde P. Jacobus Masenius canit;

Muneribus quisquis caperis; tantùm accipe gratis,
Quantum Virgo capit, quæ capit una Deum.

125. Apotheca, omnibus aperta, & in eminentiore vitro serpentem exhibens, epigraphen præfixam habet; MEDICINAM, ET TOXICA PRÆBET. (Eucharistia.) SS. Eucharisticæ hic typus est, in qua, veluti apertissima apotheca, & vitam & mortem haurire licet. (Maria V.) Richardus à S. Laurentio Mariam Virginem vocat *Apothecam Christi medici*, quòd Deum genuerit, piis misericordem, malis autem vindicem. (Rich. à S. Laur. l. 10. p. 592.) Accommodatè canit P. Masenius.

Et præbet medicam tibi pharmacopola salutem:
Dat quoque præsenti toxica certa neci.
Quod lubet acceptes: dedit hinc tibi Virgo parentē,
Ulterem peperit sed simul inde Deum.

PONS.

Cap. XIV.

126. NIcolaus Ponte, Venetiarum Dux, seipsum in gentilitio nobilissimæ familiæ suæ ponte significaturus, epigraphen subjunxit; ALIIS INSERVIENDO CONSUMOR. (Princeps beneficus.) Enimverò tanto Principe dignissimum est, nullum discrimen pro aliorum incolumitate abnuere. S. Joannes Chrysostomus; *Subjectis darē, donare servis, est assuetum donantis indicium: pati pro subjectis, pro servis mori, insigne est charitatis immensæ documentum, singulare est hoc amoris argumentum.* (S. Io Chrys. serm. 6. de Passione.) Accommodatè ad hanc ideam homines Apostolici, Milites, ac Principum Ministri se ipsos in aliorum utilitatem eviscerant, & assiduis laboribus consumunt. (Prædicator. Miles.)

127. Pons, ex ingentibus saxis constructus, ac grandi cuidam flumini impositus, epigraphen à me recepit; MOLE SOLIDATUR. Enimverò pontium substructioni maxima securitas ac fortitudo adversus quosvis undarum impetus ex operoso illo pondere accedit. (Minister validus.) Ita sanè magni ingenii homo vires tantò præstantiores sortitur, quò majore gravium negotiorum pondere onustus incesserit. Marinus in Cardinalis Justiniani laudem canit; (Marin. ... Lira p. 3.)

Non mai di cure tante, e di tant' alme
Ond' il gran Padre gli homeri t' hà carchi
Vacilli punto à sostener le salme
E chi non sà, che sotto i gravi incarchi
Si come si sollevano le palme,
Cosi vie più si stabilis con gli archi?

Porrò calamitatum pondus, tametsi animam prægravet, simul tamen antidoti loco deservit, ad quosvis tentationum incursus reprimendos. (Calamit.) Orig. *Quid est, quod quamvis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur? Unde apparet, quia velut custodia quadam, & munimen, ei tentationes adhibentur.* (Orig. Hom. 27. Num.) Veritatis hujus experimentum in Rege Davide observatum habet Magnus Augustinus; *Quando*, inquit, *David Sanctus Saulem inimicum patiebatur, quando illius persecutionibus agitabatur, quando per diversa fugiebat, ne in manus ejus incideret, non concupiscebat alienam, non adulteratâ uxore occidit virum; erat in infirmitate tribulationis suæ tantò in Deum intentior, quantò miserior videbatur.* (S. Aug. in Psal. 50.)

128. Pontem hoc lemmate insignivi; SEPOSITA, seu, DISTANTIA JUNGIT. Principis Ministrum hæc idea concernit, qui diversos Monarchas saluberrimo fœdere conciliat. (Amicit.) Amicitia quoque homines, tametsi remotissimos, in concordiam pertrahit. Cumprimis tamen Mariam Virginem hoc Emblema spectat, quæ non tantùm hominibus Deum indies conciliat, sed insuper Verbum incarnatum terris intra virgineum uterum suum, nexu prorsus admirando copulavit. (Maria co tectrix. Incarnatio Verbi.) S. Ecclesia de illa canit; *Virgo Deum & hominem genuit: pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis.* Christus, quòd terris cœlum univerit, à S. Paulino, Episcopo Nolano, pontis cognomine exornatur; *Pignus habemus in Deo carnem Christi, qui intervallum istud immensum, quo à Divinis mortalia disparantur, medio, & inter utrosq; communi interventu suo, velut quodam (ut sic dixerim) ponte continuat: ut ejus tramite terrena Cœlestibus conserantur.* (S. Paulin. Epist. 34.)

129. Pons, per flumen ad urbem stratus, epigraphen tenet; UT TRANSEAS. Christus de se ipso pronuntiavit, *Ego sum via*; (Ioan. 14. Christ.) Superest ergò, ut hanc viam ad perfectionem & æternam beatitudinem indefessè incedas. S. Ambr. *Christus ait; Ego sum via, veritas, & vita: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ingrediamur hanc viam, teneamus veritatem, vitā sequamur. Via est, quæ perducit; veritas, quæ confirmat; vita quæ perseverantibus redditur.* (S. Ambr. Bono m. cap. 12.) Maria Virgo à Buteone cognominatur *Pons, homines traducens à terra in cœlum.* (Maria. But. H. græc p.) Unde P. Masenius canit;

Tutus ut ad patriam redeas novus hospes arenam,
Panditur adversis pons tibi stratus aquis.
Vita tua est flumen, vacuus transire pericli
Si cupies, pontis fit tibi Virgo loco.

PORTA.

PORTA.
Cap. XV.

130. BArtholomæus Roffus ad cujuſdam exequias Portam figuravit, intra quam oſſea mortis compages, aut etiam ſepulchrum cernebatur, cum lemmate; INGRESSUS, AT NON EGRESSUS. *(In morte.)* Tametſi enim omnipotentiæ Divinæ beneficio aliquot cadavera revixerint, naturæ tamen legibus ſancitum eſt, ut nulli hominum extra mortis terminos, quos ſemel intravimus, greſſum revocare liceat. Catullus;

Soles occidere, & redire poſſunt.
Nobis cùm ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetuò una dormienda.

Homerus, à Joanne Stobæo adductus, ait; *(Hom. Iliad. apud Stob. ſerm. 119.)* *Obnoxii prædæ ſunt boves: & pinguia pecora, & tripodes acquiri poſſunt, & equorum flavicoma capita. At hominis anima, ut redeat, neque per prædam, nec aliter capi poteſt, ubi ſemel emigraverit è vallo dentium.* Et Anacreon, eodem Stobæo teſte, *(Stob. loc. cit.)* *Sæpè ſuſpiro, Tartarum metuens; terribilis enim Plutonis eſt ſpelunca, & deſcenſus ad ipſam horrendus: nam QUI ſemel DESCENDIT, REDIRE NON POTEST.* Porrò omnis laſcivæ mulieris familiaritas cum mortiferâ illâ portâ conferri poteſt; *(Laſcivus.)* ſiquidem pectus, in ob[s]cænas ipſius ſordes ſemel devolutum, nonniſi ægerrimè ad frugem revertitur. Explicatiſſimè Sapiens; *(Prov. 2. 19.)* *Omnes, qui ingrediuntur ad illam, non revertentur.* In hunc locum Cornelius Janſenius, *(Corn. Janſ. in hunc loc.)* *Non revertentur*, inquit, *quod impliciti meretricis vel adulterinis amoribus, difficulter ab eis reſiliant, & quòd ut plurimum non facilè reſipiſcant, ſive quod dulcedine voluptatis ineſcati nolint, ſive quod non poſſint ſeſe, etiam cùm volunt, extricare ab eorum conſortio.*

131. Gregorius XIII. Portam ſanctam, in Numiſmatis ſuis excuſam, hoc lemmate inſignivit. NIL COINQUINATUM. *(Cælum.)* Quiſquis enim portam illâ ingreditur, munditiſſimus ſit oportet; memineritque, Chriſtianis per portam ſanctam ad Templum terreſtre, ſicuti per Cœli portam ad palatium cæleſte, perveniendum eſſe. *(Apoc. 21. 27.)* Enimverò, *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens &c.* Magnus Auguſtinus *(S. Aug. in Pſal. 118.)* ſuper illud Pſalmi, *Beati immaculati in via*, ait; *tanquam diceret ſcio quid velis: quæris beatitudinem. Si ergo vis eſſe beatus, eſto immaculatus.*

132. Intemeratam Deiparæ virginitatem Emblemate ſignificaturus, Portam clauſam figurabis; cum dicto; NON APERIETUR. *(Maria ſemper Virgo.)* Totam imaginis hujus ſtructuram diſertis verbis ſuppeditat Ezechiel; *(Ezech. 44. 1.)* *Porta, inquit, quæ reſpiciebat ad orientem, erat clauſa. Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clauſa erit. NON APERIETUR, & vir non tranſibit per eam: quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa.* Atque adeò Deus per portam ſigillatam ac clauſam progreſſus eſt, quando humanis exuviis amictus, è fæcundo Mariæ utero in hunc orbem prodiit, ipſius virginitate in partu & poſt partum penitus illæsâ. S. Cyprianus; *(Cypr. Expoſit. in Symb. Apoſt.)* *Quid tam evidens dici de conſecratione Virginis potuit, Clauſa fuit in ea virginitatis porta, per ipſam introivit Dominus Deus Iſrael, & per ipſam in hunc mundum de utero Virginis proceſſit, & in æternum porta Virginis clauſa ſervata virginitate permanſit.* *(Hieron. in Ezech. l. 13. c. 44.)* De eâdem Virginali porta prolixè diſſerit S. Hieronymus; & in ſuis metris D. Ambroſius; *(Ambr. in metris.)*

Sit porta Chriſti pervia,
Refecta plena gratiâ,
Tranſilit Rex, & permanet
Clauſa ut ut fuit per ſæcula.

133. Qui nunquam, niſi certi quæſtûs aut emolumenti causâ operari conſuevit, ædium ſuarum portam hoc lemmate notaverit, JO SON PORTA A CHI PORTA. ſeu; SON APERTA A CHI PORTA. *(Uſurarius.)* Id eſt; SI AFFERES, TUNC PATEO. Appoſitè Plautus; *(Plaut. in Aſinaria.)*

Portitorum ſimillimæ ſunt januæ lenoninæ:
Si affers, tunc patent; ſi non eſt quod des, ædes non patent.

Et Ovidius;

Ipſe licet venias Muſis comitatus, Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

134. Inferorum portam hoc lemmate dignoſcendam propoſui; LASCIATE OGNI SPERANZA O VOI CH' ENTRATE. Id eſt; INGRESSUS, NON EGRESSUS. Idipſum de meretricis domo pronuntiare licet; *(Meretrix.)* ſiquidem D. Auguſtino teſte, *(S. Aug. ſerm. 107. de Temp.)* *pro inferis ponitur domus meretricis.* Dilucidè Salomon; *(Prov. 2. 18.)* *Inclinata eſt enim ad mortem domus ejus, & ad inferos ſemitæ ipſius. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur.* Et de laſcivis Oſeas; *(Oſeæ. 5. 4.)* *Non dabunt cogitationes ſuas, ut revertantur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in medio eorum.*

135. Portam clauſam, à validâ quâdam manu pulſatam, hoc lemmate notârunt; NON CUILIBET PULSANTI. *(Beatitudo.)* Certè paradiſi porta gentilibus, hæreticis, Judæis, otioſis, obſtinatis, cæteriſque hominum ſceleratorum quiſquiliis ſurdam ſe exhibet, ſoliſque Fidelibus, juſtis, ac laborioſis aures præbet benignas. Ipſummet Servatorem habeo teſtem luculentiſſimum. *(Matth. 7. 21.)* *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine; intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui eſt in cœlis, ipſe intrabit in regnum Cœlorum. Omnes enim.* ſubjungit Magnus Auguſtinus, *(S. Aug. Pſal. 32. Conc. 21.)* *beati eſſe volunt, ſed non erunt, niſi illi, qui juſti eſſe voluerint.*

136. Piſis portam me vidiſſe memini, quæ ab interiore ſuâ parte epigraphen tulit; AB EXITU INTROITUS. Ni fallor, opportuno hoc lemmate demonſtrare licet, hominem, è mundo egreſſum, feliciſſimo beatitatis ingreſſu gaudere. *(Mori.)* Optimè dixit Gilibertus Abbas; *(Gilib. Abb. ſerm. 44 in Cant.)* *Illud oſtium maximè aperitur Jeſu, quod aliis omnibus negotiis clauditur.* Et S. Ambroſius; *(S. Ambr. l. 2. de Abel c. 4.)* *Cùm renuntiatur improbitati, ſtatim adſciſcitur Virtus. EGRESSUS MALITIÆ VIRTUTIS OPERATUR INGRESSUM, eodemque ſtudio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur.*

137. Henricus VIII. Rex Angliæ, ferream cataractam ſymboli loco expreſſit, quæ ab excubantibus militibus præcipitata, improviſam hoſtiû irruptionem à civitate reprimebat; cum lemmate, SECURITAS ALTERA. *(Sanctimoniales deſenſæ.)* Ferrei chlatri, quibus Sanctimoniales à ſacri Parthenonis egreſſu prohibentur, nullam omninò miſeriam, ſed contrà plurimum ſecuritatis & patrocinii iis afferunt. Dolor apud Petrarcham conqueſtus, *(Petrarcha lib. 2 de Remed. dial. 64.)* dixit; *Carcere deſtineor.* At querelas iſtas mox infringens Ratio, reſpondit; *Multos periculo inſtanti, atque hoſtium manibus carcer eripuit; multis limen carceris pro clypeo fuit; & quod intrâſſe profuerat, exiſſe nocuit. Lauda Jeruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion,* inquiebat David, animam ſanctam ad Divinas laudes extimulans. Sed quæ

Psal. 147. 12. quæ, obſecro, laudis tam feſtivæ cauſa? *Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum.* Ad hoc propoſitum S. Bernardus; *S. Bern. ſer. 2. in Verb. Non eſt regnum Dei eſca, &c.* *Lauda & laudes replica, quia minutiſſimis vectibus, & inconvulſibilibus ſeris clauſæ ſunt portæ tuæ; nullus inimicus intrat, nullus exit amicus. &c.*

138. Ajunt, Hieroſolymis portam fuiſſe parvulam & anguſtam, quæ *foramen acûs* dicebatur. Hanc tranſire nequit Camelus, niſi poſitâ ſarcinâ, & ſubmiſſo poplite. Unde lemma; EXONERATUS TRANSIBIT. Gibber Camelus, homo dives & opulentus, variis fortunarum ſarcinis onuſtus; Cœli janua depreſſa prorſus & anguſta eſt. O Cameli, ô divites, tranſire vultis? genua ſubmittite, ſarcinas deponite. Et en paratos bajulos, qui eas à vobis in ſe recipiant, en pauperum turbam! Huic ſaltem aliquid ſarcinarum committite, & per portam illam anguſtiſſimam, per foramen acûs, concedetur tranſitus. Dilucidè Servator, *Facilius eſt*, inquit, *camelum per foramen acûs tranſire, quàm divitem intrare in regnum Dei.* S. Hieronymus, *Talis fuit*, inquit, *ſanctæ memoriæ mater tua Paula, fraterque Pammachius, qui per foramen acus, id eſt, arctam anguſtamque viam, quæ ducit ad vitam, tranſierunt, latamque viam cum ſarcinis relinquentes, quæ ducit ad Tartarum, quidquid habebant, in Domini dona portârunt, implentes illud, Redemptio viri propriæ divitiæ.*

[Margin: Dives. Eleemoſyna. — *Marc. 10. 25.* — *S. Hieron. in Epiſt.*]

PYRAMIS. OBELISCUS.

Cap. XVI.

[Margin: Perfectio.] 139. PErfectionem quandam excellentem ſignificaturo, Pyramis deſerviet, quæ à perpendicularibus radiis ſolaribus illuſtrata, nec minimam ex ullâ parte umbram ſpargit. Epigraphen ſubſcribes; [Margin: Gloria.] UMBRÆ NESCIA. Ita ſanè nulla illos invidiæ umbra denigrat, qui ſupremum gloriæ locum occupant. [Margin: *Plutarch.*] Plutarchus; *Ut ſolſitium meat hominis vertici, aut prorſus tollit umbram, aut maximam reddit; ſic ingens gloria extinguit invidiam.* Eadem virtutis prærogativa eſt, quæ omnem vitiorum umbram præſenti [Margin: Virtus. *Cicero in Tuſcul. 3.*] ſuo ſplendore propulſat. Optimè Tullius; *Sapiens animus nunquam eſt in vitio, nunquam turgeſcit, nunquam tumet, nunquam ſapiens iraſcitur.*

140. Pyramidem, à ſole perpendiculari illuſtratam, nonnemo hoc lemmate inſignivit; COSI' SENZ' OMBRA. Id eſt; SIC EFFUGAT UMBRAM. [Margin: Præſentia Dei.] Enimverò quiſquis præſentem habet Deum, nullis omninò ſcelerum umbris caligare poteſt. Rabbini, illam Geneſeos ſententiam interpretati, [Margin: *Gen. 20. 20.*] *Crevit, & moratus eſt* Iſmaël *in ſolitudine, factuſque eſt juvenis ſagittarius*; fabulantur, Iſmaëlem in ſolitudine non adeò venationibus, quàm latrociniis ſtuduiſſe: ſed hunc errorem convellens Cardinalis Cajetanus, ita philoſophatur; [Margin: *Cajet. in hunc loc.*] *Si Deus fuit cum eo*, ut cum eo fuiſſe clariſſima teſtatur Scriptura, *hinc apparet, nugas eſſe, quod Iſmaël exercuerit latrocinia. Si enim Deus erat cum puero, longè erat à latrociniis.*

141. Pyramis, à perpendiculari ſole illuminata, lemmatis loco unicum hoc adverbium præfert; UNDIQUE. vel ut aliis placet; ATTINGIT UBIQUE. [Margin: Beatus.] Hîc obſerves velim, poſteriorem hanc epigraphen omnium propriiſſimè ſupra limpidam cryſtallum ſcribi, quæ à ſolari ſplendore tota & undique pervaditur. Certè ſicuti pyramidem aut cryſtallum ſolis radii, ita beatos cæleſtis gloria, & æterna gaudia totos ambiunt ac penetrant. S. Anſelmus; [Margin: *S. Anſelm. lib. de ſimilitud. cap. 71.*] *Gaudium erit juſto intus & intra, gaudium ſurſum atque deorſum, gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum.*

142. D. Areſius Symboli loco Pyramidem figuravit, quæ à perpendiculari ſolis aſpectu ex omni latere illuſtrata fuerat; cum lemmate, TENEBRÆ NON COMPREHENDERUNT. Verbis è S. Joanne mutuatis; [Margin: Maria V. Conceptio. *Ioan. 1. 5.*] *Tenebræ eam non comprehenderunt.* Hoc, uti & tria præcedentia Emblemata, Mariam Virginem, ſine labe originariâ conceptam, demonſtrant. S. Hieronymus; [Margin: *S. Hieron.*] *B. Virgo*, inquit, *NUNQUAM fuit IN TENEBRIS, ſed ſemper in luce.*

143. Ægypti Pyramides, baſibus ſuis vaſtiſſimæ, ſenſim ita verſus cœlum faſtigiantur, ut, quâcunque parte eas ſol aſpexerit, nullas unquam umbras à ſe diffundant. Teſtem tanti prodigii habeto Ammianum Marcellinum; [Margin: *Amm. Marc. lib. 22.*] *Quarum magnitudo, quoniam in altitudinem nimiam ſcandens, gracileſcit paulatim, umbras quoque mechanicâ ratione conſumit.* Et Auſonium; [Margin: *Auſon. Idil. 11.*]

- - - - - *Quadro cui in faſtigia cono*
Surgit, & ipſa SUAS CONSUMIT Pyramis UMBRAS.

Unde Emblemati hanc ſubjunges epigraphē; SUAS DEVORAT UMBRAS. [Margin: Virtuoſus.] Illius hæc idea eſt propria, qui nativos ſuos defectus, & congenita libidinis aut odii vitia in ſeipſo reprimere ac edomare novit. Vel certè, qui virtutum ſuarum ſplendore umbras illas omnes extergit, quas vel ab obſcuris natalibus, vel à progenitorum vilitate, aut quocunque alio naturæ vitio connexas habuit. Unde monet S. Ambroſius; [Margin: *S. Ambroſ. lib. de Ioſeph.*] *Vince naturam diligentiâ, exclude corporis ſomnum. Naturam nobis formare non poſſumus, poſſumus diligentiam.* Appoſitè, ut ſolet, meus Carducius;

Pyramis, irradiat dum Sol, en devorat umbras,
Sic maculas virtus ſplendida corde fugat.

144. Obeliſcus, ex hypogæo quodam erutus; & in mundi ornamentum erectus, à Carolo Bovio epigraphen recepit; ERUTUS, ET ERECTUS. S. Matthæus, ex avaritiæ cœno ſublatus, ad dignitatis Apoſtolicæ faſtigium promovit. [Margin: Peccator converſus.] Saulus, è Synagoga emergens, ad gratiæ legem, non ſine totius mundi ornamento, ſublatus eſt. Unde teſtis ſibimet luculentus, [Margin: *Coloſſ. 1. 13.*] *Eripuit nos*, inquit, *de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum &c.* Quare hominem, Divinâ gratiâ è mortis barathro erutum, rurſuſque deſidioſè torpentem, inclamat S. Chryſoſtomus; [Margin: *S. Chryſoſt. in hunc loc.*] *Quid dicis homo? ad regnum vocatus, ad regnum filii Dei, & oſcitabundus totus, ac deſidum more ſcalpis ac torpes? &c.*

145. Alcibiades Lucarinus, Magnate quodam defuncto, Pyramidem figuravit, quæ, ſole in occaſum vergente, omnem ſuam umbram perdebat. Epigraphen ſubdit; ABIT ET UMBRA. [Margin: Amicus falſus.] Ipſiſſimam hanc indolem in falſo amico deprehendere licet qui, inſtar umbræ, tamdiu individuus alteri aſſiſtit, donec felicitatis radii ad interitum declinaverint. Nam, S. Iſidoro teſte, [Margin: *S. Iſid. lib. 3. de Sum. Bo.*] *In proſperitate incerta eſt amicitia, neſcitur enim utrum perſona an felicitas diligatur.* Ovidius; [Margin: *Ovid. lib. 1. Triſt. Eleg.*]

Utque comes radios per ſolis euntibus umbra eſt;
Cùm latet hic preſſus nubibus, illa fugit.
Mobile ſic ſequitur fortunæ lumina vulgus:
Quæ, ſimul inductâ nube teguntur, abit.

146. D. Hercules Salarolus Abbas nobili Emblemate Pyramidem expreſſit, quæ ſupremam partem fulmine quaſſatam, inferiore penitus illæsâ, præferebat. Lemmatis loco ſubſcripſit; FORTIORA SUPERSUNT. [Margin: Virtuoſus infortunatus.] Homo, plurimis virtutibus inſignis tametſi ab adverſæ fortunæ, aut temporalium bonorū fulmine jacturam aliquam ſuſtinere queat, animum tamen ſemper inconcuſſum retinet. Seneca; [Margin: *Senec. lib. in ſapient. non cadere inju. cap. 5.*] *Sapiens nihil perdere poteſt: omnia in ſe repoſuit, nihil fortunæ credit,*

credit, bona sua in solido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget. Idcoque nec augeri, nec minui potest.

Animus imperterritus. 147. Imperterritum ac immobilem animum è Pyramidis symbolo dignoscere licet, quæ basi suæ innixa, tametsi ventorum impetu tentetur, nunquam tamen prosternitur. Unde Academici Obstinati Viterbienses illam hoc adverbio, instar lemmatis, exornâruut; FRUSTRA. Respublica, supra Principum suorum prudentiam ac constantiam, ceu basin, stabilita, nullam unquam aliorum injuriam aut perniciem sustinebit, Guido Casonius;

Non si scuote l' impèrio, è non si move
Ai fiati auversi di fortuna, quando
Fermato è sopra un immutabil base
Di verace costanza.

Certè Roma, à Carthaginensibus toties concussa, ob Imperatorum suorum prudentiam nunquam corruit, sed oppressa pristinas semper vires recuperavit; donec tandem ab æmula sua Carthagine gloriosum triumphum reduxerit. Sententia Platonis est; *Beatas fore Respublicas, si eas vel studiosi sapientiæ regerent, vel earum rectores studere sapientiæ contigisset.*

148. Tametsi Venti superbo ac concitato agmine adversus Pyramidem tumultuentur; illa tamen IMMOTA MANET. Ita sapientis ac generosi hominis pectus nullo unquam adversantis fortunæ impetu dimoveri se patitur. S. Ambr. *Sapiens idem est animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus, nec ut parvulus fluctuat, vel circumfertur omni vento doctrinæ, sed manet perfectus in Christo, fundatus in charitate, radicatus fide.* Et Seneca; *Verus, & rebus non artificiis, Philosophus in edito stat, admirabilis, celsus, magnitudinis veræ, par sibi in omni statu rerum, sive secundo cursu vita procedit, sive fluctuatur per adversa & difficilia.*

149. Pyramis epigraphen sustinet; DEFICIENDO SUBTILIOR. Illos hæc imago spectat, quibus tantundem ingenii aut parsimoniæ accrescit, quantùm opibus suis decedit. Insuper avarus, quò magis senescit, eò intellectu ad opes coacervandas callidiore acuitur. Omnium tamen propriissimè natura humana Emblemate illo significatur, quæ tantò majore ingenii, sapientiæ, aut consilii acumine invalescit, quantò provectiore senectute ipsius vires detritæ ac imminutæ fuerint. Guarini poëma vernaculum est;

Quanto più invechia l' huomo,
Diventa più perfetto;
E se perde bellezza, acquista senno.

S. Isidorus; *Senectus multa secum bona affert: quia nos à potentissimis Dominus liberat, voluptatibus imponit modum, libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maturiora consilia.*

150. Quantumvis sublimi ac glorioso loco resideat virtus, calumnia tamen nullos non conatus eidem prærodendæ adhibet. Id nonnemo Emblemate significaturus, serpentem pinxit, qui versus Pyramidis cacumen eluctatus, epigraphen tulit; TRAMES NON INVIUS ULLUS. Justus Lypsius; *Ita res est, ubi melior fama surgit, adhæret statim altera* (scilicet invidia;) *& ignavi atque ignoti tantùm ab ea immunes.* Eâdem icone demonstratur, nullam dignitatem, quantumvis sublimem, à venenatis curarum aculeis immunem vivere. Horatius;

Scandit æratas vitiosa naveis
Cura: nec turmas equitum relinquit.

Et Virgilius;

Quisque suos patitur manes: sua quemq; remordet Cura.

151. Emblematis loco Pyramidem statuerunt, quæ solaribus radiis à tergo illustrata, è fronte umbram spargebat, altitudini suæ penitus commensuratam. Lemma subjunctum cernebatur; UTRIMQUE SE PRODIT EANDEM. Mens Emblematis erat, sublimia Justorum merita ex illorum humilitate metienda esse; plerumq; enim internæ perfectionis celsitudo humiles illorum sensus, ac propriæ demissionis umbram exæquat. Hanc mensuram probè edoctus Magnus Augustinus, ait; *Nemo se nostrùm dicat majorem vobis esse: erimus majores, si fuerimus humiliores.*

152. Serpens, Pyramidis fastigio implexus, epigraphen tenet; PER ARDUA VIRTUS. Ita nimirum virtutis semitam gressu nequaquam blando aut facili, sed arduo ac laborioso percurrere licet. S. Hieronymo asserente, *Non est dignum, ut inde exigas honorem, unde refugis laborem.* Optimè Ovidius;

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Et Hesiodus;

Ante virtutem Dii sudorem posuerunt
Immortales, longa & ardua via ad ipsam.

153. Ante annos non adeò multos in Collegio Patrum Theatinorum ad S. Antonium Mediolani nova Academia cognomen suum à Laboriosis est sortita. Unde etiam universalis Symboli loco pyramidem assumpsit, quæ è terris supra basin suam erigenda, undique funibus, laqueis, trochleis, cæteràque mechanicorum suppellectile cingebatur; cum lemmate, POST COLLECTUM ROBUR. Innuebat videlicet, è maturioris prudentiæ legibus neminè ad ardua negotia accingendum esse, nisi apparatu omni ritè disposito. Saul non prius adversus Ammonitas progredi decrevit, nisi trecentis millibus è populo suo conductis. Philistæi, priusquam cladem adversus Israelis populum ulciscerentur, *Congregati sunt ad præliandum contra Israel triginta millia curruum, & sex millia equitum.* De Juda Machabæo memoratur, quod ad hostē debellandum fuerit progressus, quia *adjuvabant eum fratres ejus, & universi, qui se conjunxerant patri ejus.* Quâ occasione etiam *Congregavit Apollonius gentes, &c* Sed ne Lectorem multis fatigem, de hoc apparatu ante bellum initum instituto, prolixas ac frequentes videre licet Sacras Litteras, præsertim Librum primum Machabæorum. Providè monet S. Petrus Chrysologus; *Quantò majora timentur esse dispendia, tantò promptior & perfectior debet esse cautela.*

154. Pyramis, non sine ingenti labore erecta, hanc ab Academico Attento inscriptionem recepit; JUVAT INDULGERE LABORI. Enimverò nobis in sublime evehendis, præter laborem, nullam aliud potentius instrumentum suppetit. In hanc rem opportunè meus Carducius;

Pondus ut assurgat, juvat indulgere labori:
[illegible] git ad Superos terrea corda labor.

E [illegible] ici præcepto bos, priusquam in sacrificium o[illegible] *ad ostium tabernaculi* adduci debuit; quo ritu, ut Petrus Blesensis interpretatur, significare voluit Deus, quod, *qui laborant in agro Dominicæ culturæ, liberè possunt cœleste tabernaculum introire.*

155. Animum, gloriæ cupidum, è Pyramidis symbolo deprehendere licet, quæ etiamnum supra funes recum-

Margin notes: Res publica. | Cason. Embl | Plat apud [...]tium l. 1 Consol. | Constantia. | S. Ambr. Ep. Simplic. | Senec. Ep. 111 | Paupertas ingenium acuit. | Avarus. | Senectus. | Guar. P. V. [...]to. 3. sc. 5. | Isid lib. 11. Orig. c. 2. | Virtus afflicta. | Lyps. Centur. Ep. 26. | Horat. lib. 2. 16. | Virgil. lib. 6. Æneid. | Humilitas commensuratur virtuti. | S. Aug. in Psal 146. | Virtus. | S. Hieron. in Epist. | Ovid. lib. 4. Trist. Eleg. 3. | Prudentia | 1. Reg. 11. | 1. Reg. 13. 5. | 1. Mach. 3. 2. | Ibid. c. 5. v. 10. | S. Pet. Chrys. | Laboriutilis. | Pet. Bles. Ep. 9. in Levit. 13.

recumbens, è terra in sublime erigi petit; cum lemmate, SIDERA VERTICE. Verbis ex Horatio sumptis; Desideriū.

Sublimi feriam sidera vertice.

Illius etiam hæc imago est propria, qui paupertate aut morbo oppressus, affectibus suis ad cœlum suspirare nunquam intermittit. S.P. Augustinus; *Totum nunc desiderium nostrum non sit, nisi in cœlum.* Et Carducius; S. Aug. ser. 49 de Temp. cap. 10.

Pyramis elato ceu vertice sydera poscit;
Mens ita suspirans ætheris alta petit.

156. Academicus Cogitabundus Symboli loco Pyramidem figuravit, cui funes injecti, omnesque machinæ ad eam erigendam admotæ erant; cum lémmate, QUEST' E' L' IMPRESA. Id est; HOC ARDUUM OPUS. Dicere forsan voluit, in elaborandis nostris compositionibus non tantum difficultatis haberi, quantum in eo, ut illæ in orbis conspectum promotæ, plausum ferant, & prudentum judicio absolvantur. Eò, nî fallor, collineant hæ Virgilii voces; Publico satisfacere difficile est. Virgil l. 6. Æneid. v. 128.

---- Superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor.

Quòd si mihi liceat iconem ad mores transferre, opportunè dixerim, peccatorum salutem negotium esse omnium difficillimum ac operosissimum. Argumento explicando sequens poëma vernaculum subjicere placuit. Salus peccatorum. opus grande.

Il ferir co' i scarpelli
E raddoppiar i colpi de i martelli
Sovra un alma indurata, e vitiosa,
Questa non è gran cosa.
Mà il sollevar al Ciell' empia rubella,
Ch' al centro de le colpe è ogn' hor prostesa
Questa è una grande impresa.

Denique hominem, vitii alicujus consuetudini immersum, ad contrariam virtutem erigi, maximæ molis opus est. S. Gregorius Papa; *Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem: conatur, & labitur: quia ubi diu sponte perstitit, ibi & quum noluerit, coacta cadit.* Consuetudo. S. Greg. Hom. 31 in Evang.

157. Pyramidem, in planitie jacentem, ac mediâ parte elaboratam, Academicus Incipiens hoc lemmate dignoscendam proposuit; DIMIDIUM FACTI. Nimirum illud Poetæ pentametron innuens; Principiū bonum.

Dimidium facti, qui benè cæpit, habet.

Huic accinit Baptista Guarinus; Guar. P. F. Att. 1 sc. 1.

Chi ben comincia; hà la metà del' opra.

In hominis spirituali structura rem penè confectam habet, qui diem vel negotium à Deo exorsus est. Id quod etiam, Valerio Maximo teste, Ethnicis perspectum erat; *Prisci Oratores*, inquit, *ab Jove optimo Maximo benè orsi sunt, excellentissimi Vates à Numine aliquo principia traxerunt.* Val. Max. Proleg. lib. 1.

158. Academicus solicitus, indefessam suam industriam Emblemate significaturus, Pyramidem expressit, quæ sub artificis manibus elaborata ac expolita, inscriptionem habuit; DONEC ABSOLVAM. Enimverò laus ac præmium iis duntaxat penduntur, qui non tantùm primam operi admovêre manum, sed insuper illud non sine assiduo studio ad finem perduxerunt. S. Bern. *Absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est, cui æternitas redditur, vel potius, quæ æternitati hominem reddit.* S.P. Aug. in rem nostram opportunè observat, quod Christus, mundi redimendi causâ, in Cruce constans perstiterit, quantumvis Pharisæi liberum ex illa descensum assiduò suaserint. *Non est præmium in inchoatione, sed in consummatione. Non datur denarius incipientibus, sed finientibus; & corona non currentibus, sed pervenientibus. Inchoa igitur pœnitentiam & consumma, ut ad crucem, sicut Christus, sicut Latro curras ad pœnitentiam; non descendas de Cruce, ut salutem consequaris perseverantiâ.* Perseverare. S. Bernard. Epist. 129. S. Aug. ser. de Passion.

159. Tanta est Pyramidis majestas, ut etiam humi prostrata, maximi æstimetur. Unde lemma; ET STRATA DECOREM. Judas Machabæus, in bello occisus; Samson collapso templo oppressus; Ignatius leonum dentibus comminutus; aliique similes, existimationem ac dignitatem suam etiam inter ruinas illæsam conservârunt. *Ecce!* inquit Magnus Augustinus; *non solum non contemnuntur, verum etiam magnis honoribus præferuntur Martyres Dei.* Emblematis mentem his Jambis explicat Carducius; Virtus depressa. S. Aug. Ps. 318. Conc. 1.

Moles decorem & strata jactat nobilem:
Strati simulque Samsonis nitet decus.

160. Indignum utique est, grandia merita infimis quibusvis muniis compensari. Id nonnemo Emblemate significaturus, insignem Pyramidem expressit, quæ veluti nobiliore loco erigenda, è pristina sua basi, nimium quantum tenui & angustâ, dimovebatur, ac supra planitiem prostrata jacebat; cum lemmate, DIGNIUS ATTOLLENDA. Atque adeò grandes dignitates nonnisi cum ingeniis grandibus proportionem habent, iisque solis debentur. Putiphar equidem Josephum familiæ suæ Oeconomum præfecerat; at Pharao pyramidem illam nobilissimam celsiore loco dignam conspicatus, ad Proregis munus Josephum sublevavit. Isai Davidem gregibus pascendis destinavit, eumque Saul *Tribunum super mille viros* constituit; at Deus populo gubernando ac regio fastigio dignum illum censuit. *Gloriosum quippe est*, inquit Cassiodorus, *honores passim impendere, sed laudabilius benè meritis digna præstare.* Dignitas sit æqua meritis. 1. Reg. 18. Cassl. l. 3. Ep.

161. Basis infirma ac hians, dum nobilissimæ Pyramidis molem sustinet, epigraphen reddit; NEC LABOR ISTE GRAVABIT. Eadem Heroicæ mentis est indoles, quæ inter fatiscentis ac infirmi corporis molestias gravissimis negotiis nunquam desistit suos supponere humeros. Hâc laude insignem se probavit S. Gregorius Papa; nam, uti preces Horariæ testantur, *Admirabilia sunt quæ dixit, fecit, scripsit, decrevit, præsertim infirmâ semper, & agrâ valetudine.* Hæc enim fortis animi leges sunt, ac fortitudinis proprietates, quod sit *immobilis inter adversa, gloriosa animi claritudo, res arduas pulchrè administrans*, ut ait Cicero. Animus grandis. Brev. Rom. 12. Martii. Tull. in Rhetoricis.

162. Judicem, Principem, aut alium quemvis Magnatem, citra ullos affectus ad solius justitiæ normam operari solitum, Pyramidis symbolo exornabis, quæ perpendiculo examinata, sine ulla inclinatione ad rectam altitudinem surrexisse deprehendatur. Epigraphen subjunges; NIL PARTIBUS ERRAT. Ad hanc ideam Deus formatos volebat omnes illos, qui ad Judæorum tribunalia promoverentur. *Judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent.* Quin, cuivis Regi è Deuteronomio sancitum est; *Neque declinet in partem dexteram, neque in sinistram.* Hanc legem studiosè Judex sine passionibus. Deut. 16. Deut. 17.

studiosè observans Josias, è Sacris litteris id encomii retulit? *Fecit quod placitum erat coram Domino; & ambulavit per omnes vias David Patris sui: non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram.* Sanctus Clemens Alexandrinus de Judicibus & Regibus ait; *Eorum, quæ à Moyse dicta sunt de Justitia, compendium fecit Pythagoras, dicens: stateram non esse transiliendam: hoc est, non prætergrediendam esse æqualitatem; quæ versatur in distributionibus honorandè justitiam.*

4. Reg. 22. 2. | S. Clem Alex. Stromat.

163. Academicus Obscurus se ipsum Pyramidis simbolo figuravit, quæ characteribus Ægyptiis undique exarata, subscriptionem monstrabat; VELAT, ET REVELAT. Dicere voluit, mentem quidem suam Emblemate illo explicari, at hieroglyphicas & inintelligibiles Emblematis figuras penitus esse absconditas. Certè Sancta Fides misteria credenda nobis revelat, ipsis interea mysteriis penitissimè occultatis. Dilucidè Apostolus; *Videmus nunc per speculum in ænigmate; Quibus verbis,* interprete Eliâ Cretensi, *illud significabat, obscuram quandam, & exilem nunc nobis scientiam esse.* Ad hoc propositum meus Carducius canit;

Fides. | 1. Cor. 13. 12. | Elias Cret. in Orat. S. Greg Naz.

Arcana velat, ac revelat Pyramis;
Christi fides dat lumen, ac lumen tegit.

164. Ingeniosum est illud Pyramidis symbolum; quæ solem à tergo respiciens, gnomonis loco deservit, ut diei horas designet. Epigraphen addidêre; PROFUIT UMBRA. Ita sanè non rarò ex aliorum defectibus maximam vitæ nostræ dirigendæ utilitatem capimus. In hanc rem S. Gregorius Papa affirmatè protestatur; *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit &c.* S. Bernardus è peccaminosis aliorum umbris ad virtutis studium provocans, *Quia,* inquit, *omnia cooperantur in bonum his, qui secundùm propositum vocati sunt sancti, moveat nos ipsum quoque sæcularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitiosum aliquando videmus contentum adeptis dignitatibus ad alias non anhelare? Sic & curiosi cujusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Quid? Eorum, qui avaritiæ serviunt; aut amatores sunt voluptatum, seu vanas sectantur hominum laudes, nonne & ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certè spiritualium nos bonorum minus cupidos nos inveniri.*

Peccatum utile. | S. Greg. Pap. Hom 26 in Evang. | S. Bernard. Epist. 341.

165. Rude saxum, ab inaccessâ & ignobili rupe excisum, sub malleorum ictibus ad perfectæ pyramidis majestatem reducitur. Unde Academicus Rudis Emblemati subscripsit; PERFICITUR ICTU. Ita Juventus sub moderata præceptoris ferula summam virtutum perfectionem consequitur. Quin, Sancta Ecclesia disertè testatur, quemvis fidelem ad cœlestis Hierosolymæ ædificium quadrari.

Calamitas utilis. | In Hymno Dedicationis Templi.

Scalpri salubris ictibus
Et tunsione plurimâ.

S. Augustini sententiâ; *Si putas te non habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus.*

S. Aug. in Sermon.

166. Insignem animi modestiam Academicus ille demonstravit, qui, cum à cæteris Collegis suis pyramides symboli loco depictas cerneret, sibimet simplicem tantùm Pyramidis basin præferri voluit; addito lemmate, ALTRI L' ECCELSA CIMA. Id est, ALII VERTICEM. veluti diceret, aliis ingenii sui acumine ad stellas usque assurgentibus, se infimo semper loco ac humi serpere debere. Ad hoc propositum Angelicus Doctor quatuor virtutum species in modestia deprehendit; inter quas primum

Modestia. | S. Tho. 2. 2. q. 160.

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. II.

locum obtinet *Humilitas; quæ coercet motum animi ab excelsis.*

167. Supremum Pyramidis fastigium in cœlo sereno absconditum, epigraphen sustinet; IN DEO MEO. Verbis è Psalte Regio mutuatis; *In Deo meo transgrediar murum.* Consuetum hoc R.mi Perillustris, Amplissimi Domini, D. DIONYSII, Liberi Baronis à Rehlingen, & Abbatis Wettenhusani est Symbolum, qui gentilitiam suam Pyramidem lemmate illo pulcherrimo non sine mysterio insignivit; Enimverò *in Deo suo* Imperiale Collegium Wettenhusanum, inter rudera & Suecica incendia penè sepultum, ad hodiernum nobilissimum splendorem restituit, ædificiis amplissimis ornavit, utramque bonorum temporalium & religiosæ disciplinæ œconomiam pristino nitori non sine maximo incremento reddidit, aliaque studio ita fæcundo & assiduo intra paucos annos perfecit, ut secundi Fundatoris nomen omnium suffragio sit assecutus. Unde tandem cum Symbolica sua pyramide *In Deo suo* ipsos penetrabit cœlos; industriæ & laboris sui vicem præmiumque meritissimum reportaturus. Nimirum optimus & Sapientissimus Præsul illam Magni Legislatoris sui præceptionem assiduo volvit animo; *Ad Dominum omnes in Deo omnes. Spes tua Deus sit; fortitudo tua Deus sit; firmitas tua Deus sit; exoratio tua Deus sit; laus tua ipse sit; finis in quo requiescas, ipse sit; adjutorium cùm laboras, ipse sit.* Unde olim de hoc laudatissimo suo D. Prælato cecinit Olor ille doctissimus & piissimus, D. Henricus Mayr, ex Canonico Regulari S. Crucis Augustano Decanus Wettenhusanus;

Psal 17. | Sperare in Deo. | S. Aug. in Psal 32.

Omnia fortunæ ridet ludibria Præsul
Inque Deo *sperat, quæ meliora,* suo.

168. Pyramis, ingenti mole ad fastigium usque erecta, uno denique lapide clauditur. Lemma; LAPIS OMNIS CLAUDITUR UNO. Sic quidquid in hac vita opum, ædificiorum, sapientiæ, aut heroicorum facinorum congesseris, illa omnia tandem uno sepulchrali lapide absolves. Diserte Hussæus Princeps; *Spiritus meus attenuabitur; dies mei breviabuntur; & solùm mihi superest sepulchrum.* Sanctus Greg. Nyssenus illud Ecclesiastæ interpretatus; *Quid habet amplius homo de labore suo? Perinde est, ac si diceret; Quid habet ex humanis omnibus laboribus, de quibus nihil ad eum redit amplius? Agros colit, navigat, militaribus operibus affligitur, mercaturam exercet; damnum patitur, lucratur, litigat, pugnat &c. Quid ei per hæc qui suam consumit vitam, amplius affert? An non simul atque desiit vivere, omnia tecta sunt oblivione, & ab iis, quorum studio tenebatur, desertus abit nudus?*

Mors. | Iob. 17. 1. | S. Greg Nyss. in Eccles. 3. 9

169. Monacense Societatis JESU Collegium ad solemnem S. Francisci Borgiæ apotheosin Emblematis loco Pyramidem statuit; cum dicto; QUO ALTIOR, EO MINOR. Insignem nimirum S. Francisci humilitatem significabat, qui natus Dux Candiæ; vitam in Societate Jesu pauperrimam duxit. Congruè nimirùm ad illud Siracidis monitum; *Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus, seu,* ut legit Sanctus Ambrosius. *Quantò major es, tantò magis humilia te in omnibus.* Contentio olim exorta fuerat inter Apostolos, *quis eorum videretur esse major?* sed promptum ab Humilitatis Magistro habuêre responsum; *Qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Præclarè S P. Augustinus; *In summo* ait, *honore summa sit humilitas, honoris laus, & humilitatis virtus.* Certè Christus, eodem Doctore teste, *sic voluit nasci excelsus humilis, ut in ipsa humilitate ostenderet majestatem.*

Humilitas | Eccles. 3. 20 | Luc. 22. 26. | S. Aug l. 2. de Symb. cap. 5. | Idem ser. 213. de Temp.

170. Ludovicus BretheCanonicus Regularis in Basilica S.Genovefæ Pyramidem expressit, cui ad fastigium usque implexa hedera epigraphen refert; HOC STANTE VIREBIT. Deum aut Benefactorem hæc Pyramis refert; quippe quibus stantibus, non potest non vigere ac virere humana fragilitas. Magno Augustino teste, *Ille invictus homo est, qui cohæret Deo; non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud, quàm ipsum hærere Deo, bonum est.* Emblema istud à suo Authore in Hugonis Capeti, Galliarum Regis, honorem factum est ex duplici capite; Imprimis quidem quod ab ipso descendat Stirps Borbonia, quâ stante semper virebit Galliarum Regia; dein quod ad aram juraverit, se Canoniæ Genovefeæ immunitates semper servaturum illæsas; ut adeò Regia illa Basilica nitatur hoc Regis juramento, semperque stante illo, sit virorem ac splendorem suum conservatura. Unde Emblemati hoc subjunxit poëma.

Deus. Benefactor.

S. Aug. lib. de vera Relig. cap. 47.

Præsit subditis, qui Deo subest,
Nā solus mortalibus imperare dignus quiDeo subdit⁹.
Hinc in solium descendit Capetus,
Quia prius ad Deum ascenderat.
Et coluit hunc populus, quia ipse Deum. &c.
Genovefeæ Canonicæ servaturum immunitates & jura jurat;
Prudens sanè, qui Petri sub auspiciis stabiliendo regno laborat,
Ut in hac petra sceptrum firmetur. &c.
Nempe quo pereunte peribit,
Hoc stante virebit
Stirps Regia.

171. Pyramis Ægyptiaca, quamquam magnificâ & stupendâ structurâ omnium oculos in se converterit, omnem tamen laudem atque famam Conditori suo debebat. Unde ingentem illam Pyramidem Emblematis loco expressit Serenissimus Philotheus; addito lemmate, ALIUS FAMAM, NOMENQUE DEDIT. Pariter quod bellicis facinoribus ad famam se proferant mortales, quod ingenii artibus laudem sibi conficiant, earum rerum omnium primus maximusque honos Deo debetur, qui auxilio suo atque ope famam nomenque largitur. Unde Magnus Augustinus; *Nemo sibi arroget aliquid: nemo habet aliquid boni, nisi ab illo acceperit, qui solus est bonus.* Eruditè canit Emblematis Interpres;

Deus.

S. Aug. in Psal. 126.

Barbara quæ quondam coluit miracula Memphis,
In seros retinent nomina vasta dies.
Suspicimus Phario nutantia pondera saxo,
Et cœlo propius culmina mista suo.
Magna es, quæ cœlo te Pyramis inseris alto;
Sed quæ te struxit dextera, major erat.
Pone, homo, vesanos animos; quo surgis honore,
Celsior hunc omnem gratia Diva dedit.

172. Idem Serenissimus ac Sapientissimus Symbolographus Pyramidem figuravit, quæ rotundis quatuor globis insistens, & in ipsa volubilitate firmata, non nutat aut decidit, licet vel cœli injuriis, vel ventorum furori sit exposita: quippe tam nobili artificio erecta est, moleque tam solidâ globis suis incumbit, ut nullâ tempestate quati, nedum præcipitari queat. Epigraphen subdidit; MOBILIBUS FIRMATA GLOBIS. Vir justus & fortis, instar Pyramidis insistit hujus mundi volubilissimo globo: omnia enim dum volvuntur, dum Mundus ipse, in quo vivimus, mobilitate & inconstantiâ suâ deliquescit; solus iste in publica rerum volubilitate se firmat, tantoque insistit fortius, quò celerius & rapidius hæc inferiora versantur. Cassiodorus; *Vir vocatur à viribus, qui nescit in adversis tolerando deficere, aut in prosperis aliquâ elatione se jactare: sed animo stabili defixus, & cœlestium rerum contemplatione firmatus manet, semper impavidus.* Rursus canit Emblematis Author;

Fortis.

Cassiod. in Psal. 1.

Pyramis aërios superat quæ vertice montes,
Firma stat in mediis & bene tuta globis.
Et me vesanæ versant commercia turbæ,
Sed temen in tanto turbine tutus ago.
Hic nihil est constans, sed cuncta rotantur & errāt,
Atque vices varias lubricus orbis habet.
Mens tamen his rebus, pietatis amore, caducis
Firma stat, & stabilem servat in astra viam.

SEPULCHRUM.

Caput XVII.

173. Sepulchro aperto inscripsit Abbas Certanus; MEPHITIM EXHALAT. Verbis è Virgilio mutuatis; Virgil. Æn.

Sævamque exhalat opaca mephitim.

Nativa hæc Detractorum aut Calumniatorum effigies habetur, de quibus Vates Regius pronuntiat; *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Insuper etiam illis hanc iconem concolorem dixeris, qui obscœnis & abominandis vocibus assueverunt. S. Joannes Chrysostomus; *Non aberraverit quispiam, si etiam eorum, qui obscæna verba loquuntur, ora sepulchra appellaverit. Ille enim fœtor est sensibili multo gravior, qui quidem ex putrefactione oritur.*

Detractor. Psal. 5. 11.

S. Io Chrys. in Psal. 15.

174. Tanta est fœminarum quarundam vanitas, ut exteriore vultu integrum mundum muliebrem, ipsamque venustatem ementitæ, internas sive animæ sive corporis partes penitus sordidas & abominandas occultent. Haud secus atque sepulchrum, pretioso marmore, aliisque pulcherrimis parergis excultum, verissimam hanc epigraphen sibi vendicat; INTIMA SORDENT. Lucianus; *Non paucas tibi commonstrare possum corporis equidem, & formæ elegantiâ visendas, & scitulas, & nitidas: cæterum formæ præstantiam morum fœditate deturpantes, adeo ut id, quod solum in tam specioso corpore laudandum fuerat, ferè emoriatur, atque flaccescat, reprehensioni & turpitudini obnoxium.* S. Joan. Chrysost. in profanis Philosophorum doctrinis formam quidem è superficie venustam & laudabilem, at reipsâ vitiosam, plenamque defectibus observat. *Quemadmodum sepulchra extrinsecùs ornata, si exteriorem illam faciem amoveris, cadaverum sanie, & exesorum ossium plena reperiuntur; itidem in Philosophorum opinionibus, detectâ verborum superficie & ornatu, multa inania absurdaque deprehenderis. &c*

Venustas muliebris

Lucian. in Dial. Imagines.

Philosophorum doctrinæ.

S. Io Chrys. Hom. 1. in Ioan.

175. D. Carolus Rancatus Sepulchro hanc Virgilii gnomam lemmatis loco præfixit; OMNIBUS UNA QUIES. Adeò nimirùm omnibus hominibus in morte aut sepulchro à terrenis laboribus tandem conquiescere decretum. Perspicuè de defunctis testatur Joannes Apocalypticus; *Amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Et S. Ambrosius; *Somnum Scriptura nuncupat mortem, sicut est illud: Lazarus amicus noster dormit; somnus autem bonus quoniam quies est, sicut scriptum est. Ego Dormivi, & requievi, & surrexi. Psal. 36. Dulcis igitur quies mortis.*

Virgil. l. 4. Georg.

Mors bona.

Apoc. 14. 1.

S. Ambr. lib de bono mortis. c. 8.

176. Plurimorum vanissima vanitas est, qui ad nominis æternitatem conciliandam splendida erigunt marmora, decorumq; putant si in magnifico sepulchrali monumēto positi, putrescāt; perinde ac si non ipsa saxa cum ossib⁹ ipsis quotidie videremus collabi ac in-

ac interrore. Hanc quorundam vanitatem Emblemate significaturus Serenissimus Philotheus, insigne marmor sepulchrale depinxit, in quo cadaver humanum recumbit, cum lemmate; PARITERQUE PERIBUNT. E Magni Augustini sententia; *Pompa funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepultura, monumentorum opulenta constructio; vivorum sunt qualiacunque solatia, non adjutoria mortuorum.* Et rursus; *Ubi maneat spiritus malè agentis, non ubi ponatur corpus mortale, cogitandum est.* Eruditè in hanc rem canit Emblematis Author;

epul- hrorum anitas.

.Aug. de verb. Apost. erm. 32 c. 1.

dem in Psal. 48. Conc. 1.

Hæc etiam nostram ludit vesania mentem,
Ut cineres cupiam condere ritè meos;
Felicem voco, quem dives fortuna sepulchri
Mausoleum claro marmore in astra vehit.
Sed vah spes fluxas! nam vos periistis & ossa,
Et busta, & tumuli limina vasta sacri.
Sat pulchrum servat tumulum, qui tradit Olympo
Mentem, & vel nuda corpora linquit humo.

177. Sepulchrali tumbæ inscripsit idem Serenissimus Philotheus; HÆC ME POST FATA MANEBIT. Consentaneè nimirùm ad illud Jobi; *Solum mihi superest sepulchrum.* Seneca; *Certum,* inquit, *vitam, mortemque per vices ire, & composita dissolvi, & dissoluta componi. Omne humanum genus, quodcunque est, quodcunque erit, morte damnatum est.* Accommodatè canit Emblematis Author;

Mors. Job 17. 1. Senec. Ep. 72

Nemo venenatæ vitavit arundinis ictum;
Hic Cresi atque Iri corpora mixta jacent.
Fortè tamen seras differs tua fata per horas?
Heu certam præsens non habet hora fidem!
Crastina forsan erit, quæ Te lux funere merget,
Si non ad tumulum lux hodierna vocet.

STATVA.

Caput XVIII.

178. Statua ænea, in igne refundenda, epigraphen à me recepit; DISSOLVOR, UT RENOVER. Ita mortui omnes olim in vitam revertentur. S. Joannes Chrysostomus in illa Apostoli verba commentatus; *Nolumus autem vos ignorare de dormientibus;* ait, *Quemadmodum statua, quæ in fornace confringitur, haud deletur; sed renovatur; sic cum corpus nostrum moritur, non perit; sed instauratur.*

morte. Chryso. Thessal. 1. 4. v. 11.

179. Si Poëtis fidem habeas, Memnonis statua ad exorientis Solis conspectum suavissimas voces edere solet. Unde statua illa, auroræ radiis exposita, epigraphen præfert; ELICIT INDE VOCEM. Eâdem omninò ratione Deus Apostolis ac Prophetis suis vocem sensumque inspirat. Unde Vates Regius Divinam opem his omninò verbis altum inclamat; *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Non enim aliter,* inquit S. Gregorius, *justitiam proferre potero, nisi tu labia mea aperias.* His colophonem subjungens Apostolorum Princeps; *Non enim,* ait, *voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

iritus S.

l. 50. 17. Greg. in loc.

Pet. 1. 21.

180. Eadem Memnonis statua, in Serapidis templo collocata, at simul solarium radiorum aspectu destituta, inscriptionem reddit; VOCEM LUX ORTA RECLUDET. Opportuno hoc Emblemate Zachariam, Summum Sacerdotem; & S. Joannis Baptistæ parentem significare licet, qui quidem infidelitatis suæ pœnas daturus, in sacro templo obmutuit, at nato suo filio, quem Divina Pagina iteratis vicibus Lucem cognominat, (*Hic est præcursor dilectus, & lucerna lucens ante Dominum, & illuminavit mentes hominum*) mox solutâ linguâ in benedictionum ac laudum voces prorupit. De hoc S. Ecclesia canit;

charias er S. nnis pt.

Ille promissi dubius superni
Perdidit promptæ modulos loquelæ:
Sed reformâsti genitus peremptæ
Organa vocis.

Porrò homo peccator, si exorientem habuerit gratiæ Divinæ lucem, mox in voces Deo supplices erumpet, ac pœnitentiam aget. Nam, Magno Augustino teste, *Omnes gentes, antequam donum gratiæ consequantur, fide charitate, & bonis operibus vacuæ esse probantur.*

Gratia Dei. S. Aug. ser. 107. de Temp.

181. Promethei statua, ignem suum è cœlo recipiens, epigraphen tenet; HINC ANIMAM. vel, SIC VIVET. Vel etiam; SPIRITUS AB ALTO. Hinc disces, spiritum, vitam, cæteraque bona omnia nonnisi à Deo scaturire. S. P. Augustinus de Deo differens, ait; *Videte bonum omnium bonorum, à quo sunt omnia bona; bonum sine quo nihil est bonum, & bonum quod sine cæteris bonum est.* Ovidius;

Spiritus S. erudit. S. August. in Psal. 134.

Est Deus in nobis, sunt & commercia Cœli;
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Ovid. l. 3. de Art.

Et Seneca;

Est Regis alti, spiritum Regi dare.

Sen. in Troad. Act. 2.

182. Diligentiam, in defectibus extirpandis ac perfectione acquirenda assiduam; Academici soliciti Tarvisienses in Statuæ cujusdam Emblemate repræsentârunt, quæ manu etiamnum imperfectâ complures scalpellos ac malleolos vicinos habet; addito illo Phidiæ lemmate, DONEC AD UNGUEM. Plautinus, *Age te, revoca in te ipsum, atque contemplare, ac si nondum te cognosces pulchrum; statuarium imitabere. Hic enim ubi statuam optat pulchram, partim quidem abscindit, partim quoque dirigit, & expoliturus abradit, partim lævigat, & abstergit, donec faciem in statua exprimat speciosam. Ita & tu tolle supervacua; obliqua dirige; obscura purgando illustra, neque desinas circa statuam tuam elaborare, quousque Divinus virtutis fulgor tibi subrutilet.* S. Pelagia pœnitens in deserto à Daniele Bartholo in hæc verba loquens sistitur;

Perseverantia.

Plautinus Ænead. 1. lib. 6. cap. 9.

Una selce son io,
Rozza, dura, deforme;
Ne fia già mai che si ristampi, ò forme
In me il volto di Dio;
Se l'asprezza, e il rigore;
Non mi stansempre scarpellando il core.

183. Franciscus Raulinus statuam, ad umbilicum usque efformatam, ac reliquâ suâ parte crebris scalpris ac mallei percussam, hoc lemmate loquentem introducit; VULNERET, DUM INSCULPAT. Quibusvis afflictis hinc suadetur, ut ad vultûs Divini ectypon efformandi, se ipsos cœlestis fabri ictibus promptâ & optimâ voluntate subjiciant. Sanctus Ignatius Martyr; *Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant; tantum Christo fruar.*

Calamitas utilis.

S. Ignatius M. Epist. ad Roman.

184. Carolus Bovius statuam, ad umbilicum usque tapete coopertam, hoc lemmate insignivit; CELATUR, DUM CÆLATUR. Ita qui ulteriore virtutum ornatu condecorari cupiunt, sensus suos clam aliis castigent, necesse est. Certè Sanctus Ignatius Loyola sub conversionis suæ

Pœnitens solitarius.

suæ exordium intra Manresæ cavernam se recepit, ubi sacco coopertus, ac crebris flagellis dilaniatus, ad perfectionem amplissimam totoque orbe conspicuam, promovet. Quippe, quod Origenes observat, *quamdiu quis permistus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec potest esse sanctus.*

Orig. Hom. 81. in Levit.

185. In sculptorum officinis aliquot statuas in terra defixas, & alias, pro diversa artificis commoditate, humi prostratas videre est, donec tandem ultimam ab illo manum, summamq; perfectionem recipiunt. Emblemati Joannes Baptista Mazzolenus subscripsit, QUÆQUE ALTA LOCANDA BASI. Hunc morem receptissimum habet Deus, qui fideles suos, in hominum ac Cœlitum conspectu ad insignem splendorem promovendos, humi abjicit, & calamitatibus iteratis excruciat. Patriarcham Josephum ideæ clari animæ loco habeto; nam à fratribus venditus, ab Ægyptiis instar mancipii abductus, adulterii calumniâ diffamatus, in carcerem detrusus, tandem Proregis fastigium conscendere jubetur: De hoc S. Thomas Aquinas; *Quia Joseph erat singulariter sublimandus, ideo primò fuit singulariter humiliandus & tribulandus.*

Calamitas exultat.

S Tho. cap. 41. in Gen.

186. Marmori, nonnisi validis ictibus percusso, humana forma imprimitur. Unde statuam quandam impolitam, ac scalpris crebrò incisam, hoc lemmate afficies; A VULNERE FORTIOR. Ita sanè obdurata subditorum aut filiorum corda, nisi correctionis rigore effracta, ad virtutis ideam ægerrimè efformantur. Titum suum imbuens Apostolus, *Cretenses*, inquit, *semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Quam ob causam increpa illos durè, ut sani sint in fide*; *ut quod vitiosum in illis*, inquit interpres Sanctus Hieronymus, *ad vivum resecetur.* Rem totam erudito compendio tradit D. Salvator Carducius;

Correctio rigida.

Tit. 1. 12.

S. Hieron. in hunc loc.

Multiplici recipit simulachrum à vulnere formam;
Aspera virtuti sic decus omne ferunt.

Huic concinit Poëta Italus Josephus Baptista.

Ioseph Bapt. 1. part. delle Poesie Meliche.

Statua, che tempio illustre ornar si vede,
Pria ne i colpi senti ferro spietato;
Ne l'una erutta il nettare beato,
Se non la preme il torchio, ò calca il piede.

187. Statua, scarpellis, malleis, limis, ac compluribus segmentis cincta, epigraphen tenet; DANT VULNERA VITAM. vel ut Dominico Gamberto placet; EX FERRO MERUIT VITAM. Verbis è Claudiano mutuatis. Certè Carnificum gladius, omnisque tyrannorum supellex Sanctis Martyribus vitam non aufert, sed è caduca æternam efficit. Unde quando Salomon dicit, *Sapientia immolavit victimas suas*, seu ut Septuaginta traducunt, *Jugulavit filios suos*; Siracides econtra affirmat, *Sapientia filiis suis vitam inspirat*; quasi nimirum Sapientia Divina ferro suo lethali ad promovendam fidelium vitam uteretur. Tertullianus; *Sophia sapientia est. Sapienter utique jugulavit, dum in vitam, & rationabiliter, dum in gloriam.* Et Paulus Maccius.

Claud. de Magnete.

Martyr.

Prov. 9. 2.

Eccles. 9. 12.

Tertull. in Scorpiaco.

Maccius Embl. 48.

Dum vivos sculptor ducit de marmore vultus,
DANT FORMAM saxo ferrea scalpra rudi.
Surgit in adversis sic virtus icta, malorum
Dant vitam forti VULNERA crebra viro.

188. Didacus Saavedra justos magistratus, aut publicos ministros Emblemate significaturus, aliquot statuas sine brachiis in horto collocavit; cum lemmate, CUSTODIUNT NON CARPUNT. Mens Emblematis erat, veros Judices ad aliorum caussas ac necessitates percipiendas auribus quidem instructos esse debere; at manus, veluti avaritiæ instrumenta penitus ab iis præcidendas esse. Cæterùm hâc de re eruditum Alciati Emblema consulas velim. Aristoteles; *Caput est*, inquit *in omni Republica, ut legibus, & omni aliâ ratione provisum sit, neque facultas quæstûs faciendi Magistratibus relinquatur.*

Magistratus non sit quæstui deditus.

Arist. lib. Polit. c. 8.

189. Aliquot statuæ mutilæ hanc parænesin lemmatis loco ostendunt; FERENDA, QUAMVIS PESSIMA. Vel à mutis his simulachris discant subditi, quasvis enormes Majorum suorum iniquitates ac violentias tranquillis humeris sustinendas esse. In hanc rem Cornelius Tacitus prudenter monet; *Quomodo sterilitatẽ, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala; sic luxum, vel avaritiam dominantium tolleremus. Vitia erunt, donec homines: sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur.* Vide, si lubeat, de hoc argumento eruditum Achillis Bocchii Symbolum centesimum vigesimum primum.

Tolerantia.

Tacit. apud Lipsium. l. 4. Admir. cap. 8.

Achill. Boc. Symb. 121.

190. In proverbio est, *Frons hominem signat*, veluti quidam animi index, & secretorum proditor. Eam in rem meus Concanonicus D. Alexander Luzon de Millares humanam statuam expressit, quæ frontem, frequentibus rugis peraratam, ostentans, epigraphen subjunctam habet; UNA EX ALIA. Seneca; *Ut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, crebra & vehementius acta suspiria, ita & irascentium eadem sunt signa.*

Physiognomia.

Senec. lib. de Ira c. 1.

191. Statua oculos habet velamine obductos, cum lemmate; LICEAT NE PORRO VIDERE. Haud aliter Jobus; *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Præclarè admodum noverat Jobus luctam illam inter carnem & spiritum, divisum imperium, diversas leges, juraque diversa. Inest enim concupiscentiæ carnis inobedientia contra dominatum mentis. Non meminit se Agar ancillam, sed proterva & impudens propter vitiorum fæcunditatem non desinit Saræ insultare. Quoddam quasi irrationale conjugium (adinstar conjugii Adami & Evæ) in mente cujusvis hominis constituit S. P. Augustinus; hujus personas sustinent ratio inferior & superior. Inferiorem dicit subire partes fœminæ, superiorem partes viri. Inter has omnis rebellio oritur, quando illa, quæ subesse debet, viri munia affectat; quippe quæ, imperandi ignara, hominem nonnisi ad carnis illecebras propellit, ac demum certam perniciem, ipsamque adeò mortem per sensus suos malè custoditos, veluti per fenestras, irrepere sinit; asserente Prophetâ, *Ascendit mors per fenestras*; per sensus scilicet & oculos. Nam Sancto Ambrosio reste, *Fenestra tua est oculus tuus. Si videris mulierẽ ad concupiscendam eam, intravit mors, si audias sermones meretricios, intravit mors, si luxuria sensus tuos capiat, penetravit mors.* Proinde ancillæ hujus, appetitui inquam inferiori, excutiendi sunt oculi, omnisque videndi ac sentienti potestas per crebras corporis castigationes imminuenda.

Iob. 31. 1.

Oculus.

Appetitus inferior contra superiora.

S. Aug l. de Trinit. c. 1.

Hierem 9.

S. Ambros. de fuga sæculi c. 1.

192. Patres Societatis JESU in Belgio diversas Christi aliorumque Cœlitum statuas exhibuêre, quæ è rudibus lignis à statuario formatæ, lemmatis loco illam Apostoli gnomam prætulerunt; DONEC FORMETUR CHRISTUS IN VOBIS. Tantam nimirùm, tamq; exactam in imbuendis rudibus diligentiam adhibere debent Concionatores, cæterique spiritualis vitæ duces, quantam in statuis formandis artifices. S. Gregorius Papa illud Jobi interpretatus, *Nunquid parturientes cervas considerâsti? incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitum emittunt.* ait; *Video Paulum quasi quamdam cervam quosdam*

Galat. 4. 19.

Concionator.

Iob 79 1.

S Greg in hunc loc.

quosdam in partu suo magni doloris rugitus emittentem: ait enim, Filioli mei, quos iterum parturio &c. Consideremus, quid doloris habuerit, quid laboris? quæ & postquam potuit & concepta edere, rursum compulsa est extincta suscitare.

TEMPLVM.

Cap. XIX.

193. DE Junonis Laciniæ templo author est Plinius; quod in ipsius ara, sub dio collocata, & quibusvis cœli injuriis exposita, cineres semper immobiles extiterint, neque à perflantibus ventis unquam dissipati sint. Unde lemma; FLATUS IRRITUS OMNIS. Animam integerrimè puram, & ab ipsis etiam vitiorum tentamentis liberam, hæc imago innuit. Cumprimis encomio illo insignem se demonstrat Maria Virgo, de qua Joannes Geometra canit;

Salve cœlum exultans, & sine flatibus ullis
Affectus expers, mœstitiaque carens.

S. Cyprianus Deiparam in hæc verba laudat; *Non sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimùm à cæteris differens, naturam communicabat non culpam.* Et infrà; *Matri plenitudo gratiæ debebatur & Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis esset integritate insignis.* Cæterùm eodem Emblemate animum, in pietate obfirmatum ac constantem, significare licet.

194. Jani templum, pacis tempore clausum erat, solumque bello grassante aperiebatur. Unde Octavius Farnesius templi illius januam, dimidiâ parte apertam figuravit; addito lemmate, VIRTUTIS IMPERIO. Virtutis enim beneficium est, si, obtentâ victoriâ, bello finem imponere, & pacem prudenti consilio stabilire noverimus. Melius tamen portæ illius icone Cœlum intellexeris, cujus repagula omnia solius virtutis imperio aperiuntur. S. Bernardus; *Virtus gradus ad gloriam; virtus mater gloriæ.*

195. Cùm populus ad muniendum Proserpinæ templum accingeretur, Dea illa id injuriam suam interpretata, mænia omnia humi prostravit. Unde Templum illud, mari vicinum, ac mœnibus dirutum, epigraphen tenet; SE IPSA TUETUR. Nativa hæc grandis animi idea est, qui aliorum auxilio minimè indigus, rem totam proprio Marte perficit. Innocentia quoque, exteras aut emendicatas suppetias penitùs aversata, sibimet propugnaculi invictissimi loco existit. Certè Christus, communi ferocientium Judæorum consilio ad tribunal delatus, nec verbulum in sui patrocinium reposuit; *Et cùm accusaretur à principibus Sacerdtum, & senioribus, nihil respondit.* S. Ambrosius; *Accusatur Dominus, & tacet. Et benè tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci, sed quid de Deo loquar? Susanna tacuit & vicit. Melior enim causa, quæ non defenditur & probatur.*

196. Geminum virtutis & honoris Templum Marcus Marcellus uno connexuit ædificio; veluti diceret, è Virtutis semita animos nostros individuo gressu ad Honorem deduci. Proinde utrique huic Templo subscribes; VIRTUTE PRÆVIA. Achilles Bocchius eidem Emblemati hunc præfixit titulum; *Virtus vestibulum est honoris alma*; idque sequenti epigrammate explicat;

Adstat vestibulo templi Tirynthius Heros,
Posterior signum cellula honoris habet.
Dis unâ feri nisi certis sacra duobus
Consule Marcello, Relligio vetuit.
Nam natura parens alma virtutis honorem
Constituit proprium, ac perpetuum comitem.
Ad summam verum decus ex virtute parari
Hocce monet vitæ nobile propositum.

Opportunè in rem præsentem dixeris, Beatitudinis templum ab iis duntaxat reperiri, qui regiam Virtutis semitam indefesso labore percurrunt. S. P. Augustinus; *Eligamus vitam, si amamus vitam: primò hic bonam, sed nondum beatam. Bona modò agatur, cui postea beata servatur. Bona vita opus est, beata merces est. Age bonam, & accipies beatam.* Testem habeto infallibilem Sanctam Ecclesiam;

VIRTVTE namq; PRÆVIA
Mortalis illuc ducitur.

197. Tam Virtutis, quàm Honoris templo inscripsêre; PATET ADITUS. Virtus enim neminem unquam ab ingressu suo repellit. De hac testatissimè Seneca; *Virtus*, inquit, *OMNIBVS PATET.* Idipsum etiam de Beatitudinis templo pronuntiat Sancta Ecclesia Romana;

Hîc margaritis emicant
PATENTQVE CVNCTIS OSTIA.

198. Tametsi exterior Templi Solimæi pars *Sancta* vocaretur, & interior *Sancta Sanctorum*; utraque tamen soli Deo sacra erat. Unde à nobili quodam ingenio hanc epigraphen retulit; TOTUM NUMINI. Dicere volebat; S. Theresiam non tantùm exteriore suo corpore, sed & intimâ animâ Divinis obsequiis dicatam fuisse. Et certè quisquis Dei servum se profitetur, hanc ideam exactè repræsentet necesse est. Gravissimâ enim lege sancivit Deus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Opportunè in hoc Argumentum S. P. Augustinus; *Cùm ait, toto corde, totâ animâ, totâ mente; nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & locum dare, ut aliâ re velit frui.*

199. D. Octavius Boldonus propè Templum rurale aliquot spicarum manipulos figuravit; cum lemmate, PRIMITIÆ DEO. Salomon; *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei.* Et Philo; *Justum est, primitias de primis fructibus terræ inferre in domum Dei, & motus animæ primos, vel suâ vi, vel ordine Deo dicare &c.* De B. Amedeo Sabaudiæ Duce testatur Cardinalis Bellarminus; *Initium operum suorum semper ab oratione ducebat, neque antea cum hominibus agere solebat, quàm Divino Missæ sacrificio audiendo, & conciliando sibi Numini operam dedisset.* Eâdem virtute insignem se probavit supremus ille Magni Augustini discipulus S. Thomas Aquinas.

200. Templum, Divinæ Majestati unicè consecratum, res omnes profanas aut vitiosas longissimè proscribat, necesse est. Ut adeò P. Henricus Engelgrave opportunũ hoc Virgilii hemistichion Templo præfixerit; PROCUL ESTE PROFANI. Consentaneè David; *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.* Et S. P. Augustinus; *In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit.*

201. Tametsi Divina immensitas, nullis omninò terminis coarctanda, totum universum expleat; Templum tamen, suo honori unicè consecratum, peculiari quâdam, ac cæteris locis inconcessa virtute implere consuevit. Proinde Carolus Rancatus Tem-

Marginalia: Plin. l. 2. cap. 107. — Puritas. — Maria V. — Io. Geomet. Hymno 11. — Cypr. Oserm. de Nat. Christi. — Virtus. — Beatitudo — S. Bernard. — Ipso operari. — Innocentia. — Matt. 27. 12. — Ambros. Luc. c. 23. — Honor Virtute parandus. — Ach. Boch. l. 33. — Beatitudo — S. Aug. ser. 107. de Diversis cap. 3. — Hymn in Dedic. Eccl. — Virtus. — Senec lib. 5. de benef. cap. 18. — Hymn. Dedic. Eccles. — S. Theresia. — Servus Dei. — S. Aug. lib. 1. de Doct. Christ. c. 22. — Cultus Dei. — Prov. 3. 9. — Philo de sacrifici Abel. — Virgil. 6. Æneid. — Psal. 92. 5. — S. Aug. in Regula. — Templum est Deo plenum.

Templo hanc Virgilii gnomam lemmatis loco inscripsit; JOVIS OMNIA PLENA. Ubi non Jovem illum fabulosum, sed verum ac immortalem Deum intelligas velim. Ad hoc propositum Liber Paralipomenon; *Majestas Domini implevit domum. Nec poterant Sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset Majestas Domini templum Domini.* Eadem imago etiam Mariam Virginem, aut quasvis animas justas, Deo plenas, concernit. De B. Virgine ait S. Hieronymus; *Totam repleverat eam Spiritus sancti gratia: totam incenderat eam Divinus amor, ita ut etiam in ea nihil esset mundanum, quod violaret affectum, sed amor continuus, & ebrietas perfusi amoris.*

Virg. Eclog. 3. Paralip. 7. 1. — Maria Deo plena. — Maria V. plena Deo. — S. Hieron. in Sermon.

202. Dianæ Ephesiæ templum, flammis absumptum, epigraphen tenet; MA NON GIA'IL NOME. Id est; AT NOMEN IN ÆVUM. Hinc disces, virtutis famam etiam inter cineres felicem vivere. Siracidis testimonium est; *Corpora ipsorum* (Justorum aut Sanctorum) *in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem.* Euripides; *Neutiquam reliquias bonorum virorum aufert tempus, sed virtus etiam morte peremptis lucet.* Ovidius;

Virtus immortalis. — Eccles. 44. 14. — Euripid. in Andromeda. — Ovid. lib. 1. Amor. Eleg. 10.

Scindentur vestes, gemmæ frangentur, & aurum:
Carmina, quam tribuent, fama perennis erit.

Et Joannes Audenus;

Sola potest homines felices reddere virtus:
Hinc soli è cunctis non Libitina nocet.

203. D. Philippus Maria Gallina, Can. Reg. Lateranensis, Templum, utpote donum Dei, hoc lemmate insignivit; CONTINET IMMENSUM. Præclarâ hâc icone sacratissimum Virginis Mariæ uterum significare licet. De hac S. Bernardus; *O venter capacior Cœlis, diffusior terris, latior elementis; qui illum continere valuit, quem totus orbis comprehendere non potuit, & qui tribus digitis molem terræ apprehendit.* Huic Sancta Ecclesia accinit

Maria V. gravida. — S. Bern. in sermon.

Domus pudici pectoris
Templum repentè fit Dei:

Et rursus venerabundo ore eam affata; *Quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.*

204. Templum, portis clausis, epigraphen legendam offert; SED NUMEN UBIQUE. Innuit videlicet, Deum suis Fidelibus ubiq; terrarum præsentem assistere, & non tantùm in templo, sed etiam ruri aut inter barbaros sese colendum ac invocandum præbere. *Quoniam,* Salomone teste, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* S. P. Augustinus; *Ut Deum amitteremus, non ejus absentia, qui ubique adest, sed nostra fecit aversio.*

Immensitas Dei. — Sap. 1. 7. — S. Aug. in Psal. 6.

205. David de Templo protestatur; *Domum Dei decet sanctitudo*; illudque vocatur ab Isaia *Terra sanctorum.* Unde P. Carducius ad funebrem pompam D. Francisci Augustini Chiesa (Chiesa Italicè latinis templum dicitur) hanc epigraphen Templo præfixit; VIRTUTIS ASYLUM. Innuebat videlicet in optimo illo Pontifice, veluti in animato templo, omnes virtutes confluxisse. Longè tamen rectius id de B. Maria Virgine dixeris, quæ virtutum omnium compendiū ac idea extitit, *Quid enim sanctitatis, quid justitiæ, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit; quæ totius divinæ gratiæ charismate plena fuit?* inquit S. Petrus Damianus. Cæterùm Emblematis mentem sequenti epigrammate explicat Carducius;

Psal. 92. 5. Isa. 26. 10. — Justus. — Maria V. — S. Pet. Dam. in serm. super Evang. Generationis.

Numinis in terris templum, Virtutis asylum
Dixeris: hic Virtus nam Peregrina sedet.
Quidni Franciscus virtutum vixerit aula;
Omnigenæ Charitis regia viva poli?
Præsulis in nitido regnabat pectore Numen:
Cor superûm templum fecerat ille suum.

206. Serenissimus Philotheus fluvium depinxit, qui multâ ac nocentissimâ alluvie se supra ripas efferens, camporum villarumque magnam facit stragem, solamque Ecclesiam, editiore loco sitam, relinquit incolumem. Epigraphen addidit; TANTUM UNA SUPERSIT. Pietatem, cultum Divinum, Religionem, & Ecclesiam Catholicam hæc imago repræsentat, quæ solæ si supersint; cæterarum rerum omnium jactura facilis est, ac toleranda. Ethnicis id jam perspectum erat, inter quos Valerius Maximus; *Omnia post Religionem ponenda semper nostra civitas duxit. &c.*

Religio. — Val. Max. lib. 1. ca. 1. num. 9.

207. Basilica S. Genovefæ inter cætera Symbola Templum exhibet, supra rupem fundatum, cum lemmate; NON COMMOVEBITUR. Sanctam Ecclesiam Catholicam, quæ supra firmam petram fundata est, hæc imago concernit; utpote contra quam nec portæ inferi prævalebunt. Pulchrè S. P. Augustinus; *Existunt, qui dicant; Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt, quia in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide ne tu ideo non sis; nam illa erit, etsi tu non sis.* Pulchrè in rem nostram canit Emblematis Author;

S. Ecclesia. — S. Aug. in Psal. 101. Conc. 2.

Moveatur undequaque bellum, totus orbis
conscribatur in Militem:
Non commovebitur;
Quia invictus semper, cui militat Deus. &c.
Dum steterit vel unus Petrus, inconcussa stabit Ecclesia:
Hoc Atlante non commovebitur.

THALAMUS.

Caput XX.

208. Thalamus epigraphen à P. Jacobo Masenio subjunctam habet; UNI SPONSO. Sponsos hæc imago concernit, qui thalamum ac fidem conjugalem illibatam conservent. Cæterùm Maria, Regina Virginum, non tantùm amorem, fidem, ac thalamum, sed & uterum suum uni Sponso suo hypostaticè incarnato, purissimum ac intemeratum servavit. Unde à S. Gregorio Neocæsariensi cognominatur *Thalamus purus Nativitatis Dei secundum carnem*; Et à Proclo; *Thalamus, in quo Verbum carnem humanam sibi desponsavit.* Accommodatè canit P. Masenius;

Conjug. — Maria V. — S. Greg. Neoc. Orat. 3. de Annunc. — Procl. Orat. de Nat. D.

Infidis malesuadus Amor, discede sagittis:
Sponsa thorum sponso, Virgo dat una Deo.

THEATRUM.

Cap. XXI.

209. Insigne quoddam Theatrum, ex una parte ob vetustatem suam penitus attritum, & vel Circum Arenarium Veronensem, vel Colosseum Romanum repræsentans, à Camillo Calino, Academico inter Errantes Brixienses Conservato, epigraphen recepit; NON OMNIS MORIAR. Verbis ex Horatio mutuatis, ubi de virtutis suæ gloria, nunquàm intermoritura, canit;

Horat. lib. Carm. O. 30.

Non omnis moriar: multaque pars mei
Vitabit Libitinam &c.

Virtus immortalis.

Huic

Ovid. lib. 4. de Pont. El. 8. Huic affinem se exhibet Ovidius;

Carmine fit vivax virtus, experſque ſepulchri,
Notitiam ſera poſteritatis habet.

Inc. lib. 8. Epig. 56. Et P. Andreas Biancus;

Dixit pyramides, epigrammata dicere dum vult
Noſtra coquus. Rides? Ingenioſus homo eſt.
Æternos reddunt epigrammata culta Poëtas,
Nomina pyramidum non moriuntur ope.
Et metri genus hoc, & pyramis exit acute;
Quantum doctrina noſtra culina vomit!

August. in Psal. 50. In rem noſtram hortatur Magnus Auguſtinus: *Munimenta conſtruantur immortalitatis noſtræ in fide, ſpe, & charitate.*

Monarchia. 210. Experientiâ diſcimus, vaſtas Monarchias vix unquam ætatem ferre; nam Provinciarum diſtantia occaſionem proniſſimam offert, ut Principis ſui jugum excutere, & aliena ſceptra adorare queant. Exemplo ſuo id docent antiquæ illæ, ac famoſiſſimæ Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Macedonum, Romanorum, aliorumque Monarchiæ, quæ in partes diviſæ, tandem interitu ſuo expirârunt. Huic experientiæ ſignificandæ altiſſimam quandam, ſive Coloſſeam, ſive aliam ſimilem fabricam pinges, quæ pluribus partibus mutila, & proximam ruinam minitans, epigraphen ferat; MOLE RUIT SUA. Has Emblematis ſui voces Carolus Rancatus ex illa Horatii gnoma mutuavit; *Vis, conſilii expers, mole ruit ſuâ.* Cui affinis Seneca; *Mole*, inquit, *& ipſo ſui onere deficiunt.* Idipſum etiam de Principis Miniſtro intelligere licet, qui ultra merita ſua ſublevatus, tandem cùm minimè ſuſpicatur, in priſtinam egeſtatem præceps agitur; ut adeò lapsûs ſui culpam in neminem alium, niſi in violentum ac caducum dignitatis extortæ faſtigium rejicere debeat. Porrò peccator, ſcelerum ſuorum pondere gravatus, tandem caſu æternùm irrevocabili opprimitur. Idipſum, metaphorâ quamlibet diſſimili, tradit S. Nilus; *Quemamodum torrens ſibi ipſe per præceps aditum patefecit; ſic & peccator ſibi ipſe per ſcelera parat interitum.*

Hor. l. 3. Carm. Ode 4. Sen. lib. de Vitæ bonis Vit. c. 2. — Miniſter Principis. Peccator. — Nil Inſtit. Monach.

Nobilitas antiqua. 211. Nobilem ac vetuſtam quandam familiam Theatri ſymbolo repræſentârunt, quod aliquâ parte ob temporum injurias jamjam obſoletum, epigraphen monſtrabat; VETUSTATE NOBILIUS. Enimverò Andreâ Tiraquello aſſerente, compertum eſt; quod *Nobilitas, quò antiquior eſt, eò quoque major eſt*; idque plurimis teſtibus, legum authoritatibus, aliiſque Poëtarum, Hiſtoricorum, & Oratorum dictis prolixè ab eodem comprobatur.

Tiraq. de Nobilitate c. 9. n. 1.

Mundus transiens. 212. Theatrum, compluribus diverſarum conditionum comædis ſpectandum, epipraphen reddit: PERSONATA FELICITAS. Ita omninò curſim tranſit omnis hæc vita, non ſecus ac figuræ, vel perſonæ, quæ in hoc mundo, tanquam theatro quodam repræſentâtur; ubi tam varia indies conſpectui objiciuntur hominum, ſtatuum, & conditionum genera, virtutis & vitii, variorumque eventuum ſpectacula, fortunæ ludibria. Orbis terrarum theatrum viſus eſt vanitatum mundi detectori Eccleſiaſtæ, cùm dicit; *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternùm ſtat.* Ut enim theatrum ſub tanta prodeuntium varietate ac viciſſitudine firmum ſemper conſiſtit; ita mundus theatrum eſt, in quo hujus vitæ fabula peragitur, homines ſcenæ ſerviunt, hic comicam, ille tragicam perſonam ſuſtinet. Diverſæ exprimuntur figuræ, & quotidie decedunt, ipſe tamen permanet, ut alias ſimiles recipiat. Duæ in ſcena ſunt partes, ingredientibus ortus, egredientibus occaſus. Quotieſcunque improbum aliquem tragico indutum cothurno initio ſatrapæ perſonam ſuſtinere, ac magnum aliquid ſpirare videbis; contine te, ac ſuſpende pauliſper judicium, finis diſtinguet, fabulam: veſtes enim quiſque hîc commodatò accipit. Qui Regem agit, non auferet ſecum purpuram, quam hic geſtavit. Brevi comædiâ aut infeliciſſimâ cataſtrophe clauditur tragædia. Graphicè ſcenam deſcribit S. Gregorius Nyſſenus; *In theatrorum pompis nunc hi, nunc illi cenſentur apparere. Qui nunc ſervus aut homo privatus apparet, paulò poſt bellator cernitur, & rurſum habitum ſubditi deponens, Imperatoris perſonam & cultum aſſumit.* Veriſſimè canit Poëta;

Eccl. 1. 4. — S. Greg. Nyſſ. Hom. 6. in Cant.

Ludit in humani. Divina potentia rebus,
Et certam fragilis vix habet hora fidem.

TUGURIUM.
Cap. XXII.

213. Tugurium, in ſolitudinis medio figuratum, à P. Lucretio Borſato epigraphen recepit; NON SOCIALI VITÆ. Opportuna hæc vitæ Eremiticæ aut Monaſticæ idea eſt, quæ pro ſua vivendi ratione ab omni hominum frequentia aut ſæculi commercio procul aufugere conſuevit. De Monachis teſtatur Philo; *In locis ſolitariis, & hortis, à populi conſpectu remotis, domicilia collocârunt.* S. Ambroſius, vitam monaſticam à Clericali diſcriminans, ait; *Hæc velut in quodam theatro, illa in ſecreto: ſpectatur iſta, illa abſconditur; hæc vita in ſtadio, illa in ſpelunca &c.* Vita Monaſtica.

Philo apud Euſebium l. 2. Hiſtor. Eccleſ. c. 16. S. Ambroſ. l. 3. Ep. 25.

214. Tugurio, in ſolitudine conſtituto, & à furibus vel incendiis infeſtato, ſubſcribes; VÆ SOLI. Illos hæc imago concernit, quibus ſolitudo eſt noxia, occaſionemque præbet, ad vitia vel non corrigenda vel perpetranda. Ad verbum Eccleſiaſtes; *Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm unum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: ſi unus ceciderit, ab altero fulcietur. VÆ SOLI, quia cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe.* S. Bernardus; *Malum quod nemo videt, nemo arguit: ubi autem non timetur reprehenſor, ſecurus accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas. In Conventu verò, ſi qua bona agis, nemo prohibet. Malum autem facere ſi vis, non licet: ſi ergo de fatuis virginibus es, Congregatio tibi neceſſaria eſt; ſi de prudentibus, tu Congregationi.* Et Joannes Caſſianus; *Solitudo, ſicut novit emendatis moribus contemplationem puriſſimam reſerare, & intuitu ſinceriſſimo ſpiritualium ſacramentorum ſcientiam revelare, ita eorum, qui minus emendati ſunt, vitia non ſolùm ſervare, ſed etiam exaggerare conſuevit. Tamdiu patiens ſibi quiſque videtur & humilis, donec nullius hominum miſcetur conſortio: ad naturam priſtinam reverſurus, quum interpellaverit cujuslibet occaſionis commotio.* Crates, cùm vidiſſet ſecretò ambulantem adoleſcentem, interrogavit, quid illic ſolus faceret? *mecum*, reſpondit, *loquor.* Cui Crates; *Cave & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris.*

Solitudo noxia. — Eccleſ. 4. 9. — S. Bernard. ad Sophiam Virg. — Caſſian. de Inſtit. Mon. lib. 8. — Val. Max.

TURRIS.
Cap. XXIII.

215. Pharus, ſeu Turris, ſupra maris littus collocatâ, & ſupremo faſtigio accenſum lumen præferens, epigraphen ſuſtinet; PER VADA MONTRAT ITER. Ita lex Divina, à nobis ſtudioſè obſervata, ſalutis ſemitam indubitatam commonſtrat. Lex Divina.

Dion. Orat. 75. monstrat. Dion ait; *Quemadmodum inter navigantes, qui faces turrium observant, ii maximè salvi evadunt, portusque inveniunt: ita qui secundùm legem vivunt, tutissimè per vitam transeunt, commodamque sedem nanciscuntur.* Porrò hominis præstantis virtus, instar facis suprà turrim accensæ, vicinos quosvis ad salutis portum revocat. Dilucidè Epictetus; *Quemadmodum faces in portu sublatæ, magna flamma in paucis cremiis excitata, navibus per mare errabundis multùm auxilii ferunt; sic & vir splendidus in urbe periclitante, paucis ipse rebus contentus, magnis beneficiis cives efficit.*

Hominis virtuosi præsentia.

Epictet apud Stobæum serm. 43.

216. Lucerna, supra Pharum accensa, cum Sole exoriente, epigraphen è Virgilio mutuatam præfert; NOCTES, ATQUE DIES. Genuina hæc prudentis, cauti, ac vigilantis animi idea est. Justus Lipsius; *Ut in bello, etiamsi hostis absit; SEMPER EXCUBIÆ: ita vigilat sapiens contra improvisum omnem ictum.* S. Petrus Chrysologus; *Semper ad omnia vigilias esse salutares nullus ignorat. Hinc pastor adjungit NOCTES DIEBUS, & totum sibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis suffragante somno grassandi in gregem præbeatur occasio. Hoc Propheta sciens, non DIE solo, sed ET NOCTE totâ clamabat ad Dominum: Domine Deus salutis meæ, IN DIE clamavi, ET NOCTE coram te.*

Virg l. 6. Æn v 127.

Vigilantia.

Lips. Centur. 1. Epist. 16.

S. Pet. Chrys. Serm. 24.

217. Pharus, bene munita, & è supremo suo cacumine accensam facem præferens, inscriptionem habet; ET PROPE, ET LONGE. Vel si mavelis, ET PROPE ET PROCUL. Ita magnæ virtutis & sanctimoniæ persona adversos hostium incursus validè reprimit; suoque splendore passim omnia collustrat. Quippe, Magno Augustino teste, *Ab homine vinci non potest, qui vitia sua vicerit.* D. Gregorius Brunellus in rem præsentem canit;

Sanctitas.

S. Aug. de vera Relig. cap 46.

Et propè de summa vigilantia lumine turre
Et procul irradiant.
Hoc virtutis opus, quæ cominus, eminus, altos
Ejaculat radios.

218. Invictam animi constantiam Pharus demonstrat, cujus lumen, vitro coopertum, nullas aëris injurias timet. Unde lemma; NE PER PIOGGIA, NE PER VENTO. Id est; NEC IMBRE, NEC AURA. Seu; UNDIQUE FRUSTRA. Certè S. Joannem Baptistam, qui in Sacris Litteris cognominatur *Lucerna ardens & lucens*, asserente S. Petro Damiano Cardinali, *vel ventosa felicitas, vel adversitas turbida, vel cujuslibet peccati aura tenuior non inflexit.* Huic minimè difformis S. Paulus. *Certum sum*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum poterit nos separare à charitate Dei.*

Constantia.

S. Pet Dam. in hunc loc.

219. Pharus, supra maris littus collocata, interdiu nautis felicem portum è longinquo significat. Noctu verò accenso suo lumine naucleros per quasvis densissimas umbras dirigit. Atque adeò si geminam Phari virtutem consideres, DIRIGIT UTRAQUE CURSUM; sive enim facis, sive turris munere defungatur, utrimque ad portum manuducit. S. Apostolus Petrus, turris symbolo significari solitus, & S. Paulus, facem imitatus, fideles omnes è præsentis vitæ pelago ad æternam beatitatem deducunt. Sanctus Leo de gemino hoc Apostolorum Principe testatur; *Sicut nos experti sumus, & nostri probavère majores: credimus, atque confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos.*

Petrus & Paulus Apost.

S Leo serm. 1 in Natal. Apost. Pet. & Pauli.

220. Eadem Pharus vicinis locis instar propugnaculi deservit, simulque face suâ accensâ transeuntes omnes indicat. Ut adeò hanc sibi epigraphen propriam vendicet; MONET, ET MUNIT. Prælatus zelosus opportunâ suâ correctione populos non tantùm omnis spiritualis periculi certiores facit, sed insuper illis munimenti loco est, ad obvia quævis discrimina reprimenda. Porrò bonus Consiliarius utramque illam turris prærogativam præfert; quippe qui inter ambiguas animi tenebras instar facis est, & omnia hostium machinamenta studiosissimè indicat. Explicatissimè Salomon; *ubi non est gubernator, seu Consiliarius, populus corruet; salus autem ubi multa consilia.* Ad hoc propositum Salustius; *Ego ita comperi, omnia regna, civitates, nationes, usque eò prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt.* Et Euripides; *Viri prudentia facit, ut benè habitentur civitates, itemque familia: & ad bella magnum ejus momentum est. Consilium enim sapienter initum, multas manus vincit.*

Prælatus Corrector.

Consiliarius.

Prov. 11.

Salust. ad Cæsar.

Eurip. in Antiop.

221. Pharus, clarissimum lumen è fastigio suo spargens, caliginis nocturnæ horrorem victoriâ adeò felici fugat, ut cum luna de palma contendere possit. Unde lemma; ÆMULA LUNÆ. Hanc Emblematis sui inscriptionem D. Carolus Rancatus è Papinio Statio mutuam habet;

Statius Sylv. lib. 3. in Lachrym Hetrusc.

- - *-Trepidis ubi dulcia nautis*
Lumina noctivagæ tollit Pharos ÆMULA LUNÆ.

Cùm è Lunæ signis ac Symbolis passim Turcæ denotentur, idcircò hoc Emblemate Persarum Regem, aut alios quosvis Turcarũ hostes significare licet. Cæterùm homines sancti in illustrando orbe ac Deo laudando Angelicum æmulantur ardorem. S. P. Augustinus; *Habitantes in terra supremis potestatibus æmulantur: Quid enim agunt Angeli in cœlis, nisi quod Divinis obtemperant nutibus? Quæ sunt & opera in terra sanctorum, nisi Angelicam vitam agere in terris, & dignis Deum laudibus prædicare? Quorum ergò idem est officium; ambiguum non est, Quod eadem possit esse & dignitas.*

Hostis Turcarum.

Sanctus.

S. Aug. 65. de Divers.

222. Lucarinus turrim, armis undique munitam, expressit; cum lemmate, COM' E' DI FUOR, SI BEN MUNITA E DENTRO. Id est; MUNITA FORIS ET INTUS. Fœminam, in reprimendis lenonum assultibus constantem; aut purissimam castimoniæ virtutem; vel generosam animi fortitudinem hoc Emblema demonstrat. S. P. Augustinus; *Homo debet omnia membra corporis solicitè custodire, ne fiant arma iniquitatis peccato, sed magis potentiæ arma Deo, ad destruendum spiritualem inimicum.* Emblemati explicando hanc Poësin subjicit Lucarinus;

Constantia.

S. Aug serm. 248. de T.

Questa superba mole
Piantata in saldo centro,
Com'è di fuor, sì ben munita è dentro.
Così de i più bei pregi.
Ond' altrui s'orni, e fregi,
Colma beatrice ogn'hor mostrar si suole;
E qual virile hà il core,
Tal sorte ad ogni assalto appar di fuore.

223. Turris, fulmine prostrata, epigraphen sustinet; NULLA VIS CONTRA. Genuina hæc mortis est effigies, de qua Ovidius canit;

In morte.

Ovid Epist. ad Liviam.

Illa rapit juvenes, sustulit illa senes.
Quaque ruit, furibunda ruit: totumque per orbem
Fulminat, & cœcis cœca triumphat equis.

De eâdem inevitabili mortis violentia gravissimis his verbis intonat Apostolus; *Statutum est hominibus semel mori. Nimirùm*, interprete P. Cornelio à Lapi-

Hebr. 9

orn. à lap. hunc loc. Lapide, *fixo, immobili, & indispensabili decreto Dei.* Facundus in hanc rem Seneca; *Omnes,*inquit, *eadem* nec.Ep.99 *conditio devinxit. Cui nasci contigit, mori restat. Intervallis distinguimur, exitu æquamur. Nil non lubricum, & fallax, & omni tempestate mobilius. Jactantur cuncta, & in contrarium transeunt, jubente fortunâ: & in tanta volutatione rerum humanarum, nihil cuiquam, nisi mors, certum.* Idipsum, referente Joanne Stobeo, docet non tantum Sophocles; Stobæus T. rm.119. *Ubi tempus advenerit moriendi, ne ad Jovis quidem vestibula perveniens effugerit aliquis*; sed & Peripateticorum princeps, *Inevitabile est malum fatale.* Et Metrodorus; *Adversus alia quidem, munimenta parari possunt: quod verò mortem attinet, omnes homines civitatem immunitam habitant.*

224. Navis, in mari fluctuans, & versùs accensum Phari lumen promovens, epigraphen reddit; MELIOR CYNOSURA PERICLIS. Propria hæc Amantis terreni idea est, qui caducam muliercu- mans unda- is. læ venustatem omnibus firmamenti sideribus longissimè præfert. E stultis his nonnemo sequenti epigrammate loquens introducitur;

Aspectans Pata geminum, ceu lumina, sidus,
Dum fremit unda maris, talia dicta dedi.
Inveni portum; Castor, Polluxque valete,
Pata Tyndaridum lumina lumen habent.
Nil ego nunc æstus moror æquoris, aurea Pata
Lumina non dubia signa salutis erunt.

nans ei. Sanctius de Deo hanc iconem interpretaberis, ad quem, ceu Pharum illustrissimam, omni alio mundi auxilio relicto, unicè confugiamus. Seneca; *Fac, oro* nec.Ep.23. *te Lucilli, virorum charissime, quod unum te potest præstare felicem. Despice & conculca ista, quæ extrinsecus splendent; ad verum bonum specta, & de tuo gaude.*

225. Turris, à perpendiculari Sole illustrata, epigraphen præfixam habet; DUM VIDEO, NON æsentia ei. TIMEO. Innuit videlicet, quisquis Deum præsentem habet, omnis timoris expertem vivere. *Cedit* Cyrill. A- lib 3.in n. cap. *enim,* teste S. Cyrillo Alexandrino, *omnis perturbatio, cunctaque pericula desinunt, cum Christus adsit.* Unde Christus, Sanctis Apostolis in cœnaculo conspicuus, dixit; *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* c.24.36. Idipsum etiam, servatâ proportione, de Principum assistentia pronuntiare licet. Basilius Imperator Leo- æsentia incipū. nem filium suum imbuens, *Quemadmodum,* inquit, *ea, quæ à te diligenter inspecta administrantur, multum emolumenti capiunt, ita quæ non inspecta neglectim prætereuntur, in magnam perniciem labuntur.*

226. Turris, Solem à tergo respiciens, epigraphen tenet; CRESCERAN L'OMBRE AL DECLINAR DEL SOLE. Id est; EXCRESCENT æsentia ei. UMBRÆ CADENTE SOLE. Ita post beneficentiæ ac favoris Divini occasum nonnisi calamitatum umbræ miserrimæ remanent. Id probè edo- l.29.6. ctus Vates Regius. *Ad vesperum,* inquit, *demorabi-* Aug in hunc loc. *tur fletus.* At verò, interprete S. P. Augustino, *Ve-* m in Psal. ad V. *sper fit, quando Sol occidit, occidit autem Sol ab homine, quando fugit à facie Dei.* Et rursùs; *Si ipse est bea-* mine quis ilus tibi *titudo nostra, quid erit recedenti, nisi miseria?*

227. Joannes Ferrus singularem Cardinalis de Torre humanitatem, adversùs omnes beneficam, Emblemate significaturus, gentilitiam ipsius turrim hoc lemmate insignivit; IN LATUS OMNE aigni- Princi- PATET. Hæc virtus in quovis Rege aut Prælato principem locum obtineat, necesse est. Synesii effatum est; *Episcopus, non uni sibi vacans, sed commu-* ssut. *nissimus omnium esse debet.* Franciscus Titelmannus in illa Davidis verba: *Perambulabam in medio do-* elman. Psalm. *mûs meæ,* ita commentatur; *Eum, qui præest, in me-* l. 1. *dio domûs oportet ambulare. Omnium enim gerat curam, necesse est.* Et rursùs; *Illum in medio oportet ambulare, ut æquè propinquus, ÆQUE EXPOSITUS SIT OMNIBUS, ut ex æquo omnibus absque personarum acceptione invigilet.* Vita Principis. Eodem Emblemate significatur, Principem omnium oculis ac censuris expositum vivere. Claud in IIII.Consul. Honor. Claudianus Theodosium Imperatorem Honorio in hæc loquentem sistit.

Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoscas: CUNCTIS tua gentibus esse
Facta PALAM, nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis.

Idipsum in Mundo & Principum aulis probè expertus Plinius Junior ait; Plin.Iunior in Panegyrico ad Trajan. *Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Principum verò non modò domus, sed cubicula ipsa, intimosque recessus recludit, OMNIAque arcana NOSCENDA famæ proponit, atque explicat.*

228. Monarchiæ inter armorum strepitus stabi- Bellum utile. liuntur, ac securitatem adeò firmam obtinent, qualem in ignava quiete aut turpi otio nunquam reperissent. Huic doctrinæ significandæ D. Didacus Saavedra Turrim expressit, quæ inter tumultuantes undas eminens, inscriptionem tulit; ME COMBATTEN, Y DEFIENDEN. Id est; ME MUNIT, QUÆ ME OPPUGNAT. Oppugnat enim, dum assiduos fluctus illam jactant; muniunt verò, dum nullum obsidionis locum hostibus relinquunt. Ari- Aristot.lib. 7.Polit c. 14. stotelis politica est; *Civitates, magna ex parte bellum gerentes, conservantur, eædem imperio potitæ corrumpuntur.* Eam ipsam indolem calamitates præferunt, quæ adversùs hominem concitatæ, eundem Calamitas utilis. ab interitu vindicant. Id apertè testatus David, ærumnas suas aquis comparat; *Circumdederunt me* Psal.87.18. Hug.Card. in hunc.loc. *sicut aquæ totâ die.* In hunc locum Hugo Cardinalis, *Tribulationes,* inquit, *vel terrores circumdederunt ad defendendum & muniendum. Aqua enim, quæ circuit castra, munimentum & defensio est eorum. Exod 14. Aquæ erant eis pro muro, à dextris, & à sinistris.*

229. Ad honorem S. Teresiæ turrim symboli- S.Theresia cam extruxêre; cum lemmate, OPPUGNATA FORTIOR. Enimverò Christiana hæc Amazon spiritûs ariditate, tentationum vehementiâ, calamitatum ac persecutionum impetu, innumeris infirmitatibus, aliisque adversantis totius mundi angustiis acerrimè constricta, animum semper imperterritum, tantâque Heroide dignum, opposuit. Illud ipsum Emblema S. Thomæ Aquinatis est proprium, S.Thomas Aquinas. qui in ætate juvenili à propria parente, à sororibus, fratribus, & consanguineis ad Dominicanorum Ordinem relinquendum gravissimè concitatus, tantò magis invictum ac imperterritum se demonstravit, quò majore illorum violentiâ pulsatus fuerat. Denique S.Ubaldus Canonicus Regularis, morbis acu- S.Ubaldus tissimis excruciatus, hanc à B Theobaldo laudem S.Theobald. in vita. retulit; *Tunc fortior, & devotior erat in mente, quando durius flagellabatur in corpore.*

230. Sumptuosum Saronense templum singularem Virginis Mariæ erga clientes suos tutelam è quatuor turribus dignoscendam proponit; quarum una hanc epigraphen præfert; VIRES ANIMUMQUE MINISTRAT: sicut enim milites, ad bel- Patrocinium Mariæ V. lum accincti, è vicina turri plurimùm animantur; Ita Maria Virgo, veluti *Turris Davidica,* & *Turris eburnea,* Christianis militibus generosam mentem inspirat, & ad illustria trophæa, adversùs hostes suos figenda, promovet. Ut adeò à S. P. Augustino ve- S. Aug.ser. de Nat.B.V. rissimè cognominetur, *Virtus pugnantium, palma Victorum.*

231. Ho-

Maria terribilis. 231. Hostes vel solo turris munitæ aspectu in fugam aguntur. Unde lemma; VEL VISU. Easdem omninò in *Turri* illâ *eburneâ*, Maria Virgine experimur vires; ut è cujus aspectu infernales furiæ longissimè arcentur. Opportunè B. Amedeus; *Velut ardore Solis defluit glacies, sic AB EJUS FACIE INIMICORUM DEPERIT ACIES. &c.* *B. Amedeus lib. 8. de laud Virg.*

Protectio M. V. 232 Turris non tantùm sitûs opportunitate, sed & innumeris armis, cæteraque munimentorum supellectile probè instructa, epigraphen præfert; STATIO TUTISSIMA. Matrem Dei hoc Emblema concernit, quæ non tantùm supra omnes creaturas instar turris eminet, sed insuper *Ædificata est cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea*: ut adeò minimè mirum sit; clientes Marianos sub tanto asylo adversùs omnem hostium incursum securos vivere. Certè Maria Virgo à S. Ephræm Syro cognominatur *Vallum fidelium, mundique salus.* Nec ab eo difformis Richardus à S. Laurentio, *Potens est*, inquit, *Maria ad protegendum: Unde ipsi potest securè dicere servus ejus illud Job. 17. Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* *Cant. 4. 4.* *S. Ephræm in laud Mariæ. V. Rich. à S. Laur. lib. 2. de laud. Virg.*

Protectio M.V. 233. Turris armata, cum lemmate, ET TEGO ET TERO; rursus Mariam Virginem spectat, quæ & amicis tutelam, & hostibus perniciem afferre consuevit. Cardinalis Ailgrinus super illud Sacri Cantici, ubi de B. Virgine dicitur, quod sit *sicut turris David*, ita commentatur; *Sicut turris David, hoc est, à Christo, vero David, fabricata, ut peccatoribus esset refugium & munimen. Propugnacula hujus turris sunt virtutes, gratiæ, & prærogativæ, quibus peccatores PROTEGIT, ET INIMICUM EXPUGNAT.* *Ailgrin. in Cant. 4. 4.*

Principes. Cæterùm Agellius observat, quod Principes, à Regio Psalte cognominentur, *Dii fortes terræ*, id est, *Protectores, scuta terræ*: aitque eos è munere suo subjectos populos munire ac defendere, hostibus econtra procul fugatis. *Quod Reges protectores vocantur, intelligere possumus quodnam sit Regis officium, nempe potentia sua viribus, tanquam objecto scuto, populum TEGERE, ET ab eo hostium, sceleratorumq; hominum tela DEPELLERE.* *Agell. in Psal. 46. 9.* *Idem in Psal. 84. 9.*

Vitruv l. 10. 234. Vitruvius Cilicinam vestem describit, ab omnibus tam ignis, quàm ferri injuriis penitus immunem. Unde etiam turres, olim ad expugnandas civitates adhibitæ, ciliciis illis totæ cooperiebantur: ut adeò Mediolanenses ad D. Caroli apotheosin erudito Emblemate similem turrim expresserint, cum lemmate, NEC TELA, NEC IGNES. Innuebant videlicet, Sanctum illum, solito suo cilicio munitum, adversùs omnia tentationum ac concupiscentiæ machinamenta securum vixisse. Nec abs re etiam dixeris, eundem, glande plumbeâ inter preces sacrilegè impetitum, & alias, cùm ad insigne Templum de Scala inviseret, stricto ferro impugnatum; nullo alio, nisi setosi ac rigidi cilicii sui præsidio incolumem evasisse. Veram ac securam quietem discipulo suo providens S. Antonius Abbas, dixit; *Horre ventrem tuum, & necessitatem hujus sæculi, & concupiscentiam malam, & honorem, tanquam absens de hoc sæculo; & requiem possidebis.* Mortificatio. *Vitæ Patrum l. 7. c. 26.*

Exemplū bonum. 235. Pharus, supra quam ignis resplendet, epigraphen monstrat; IN RECTUM DUCIT. Bonum exemplum, à personis, dignitate aut sanctimoniâ eminentibus, diffusum, subditos omnes ad decretam virtutis semitam pertrahit. S. Ambrosius Ninivitarum Regem sacco vestitum, cinere conspersum, & jejuniis maceratum considerans, ait; *Primus planè invigilat, quia ut tota civitas jejunaret, famem sibi Rex primus indixit, & salus omnium causa prior capit esurire, quàm miles. Necesse enim erat, ut, qui potentior cunctis fuerat, devotior fieret universis.* Etiam Sacra Scriptura splendorem immensum spargit, quo suos studiosos ad veritatis ac salutis portum deducit. D. Emmanuël Thesaurus in Siracidis elogio de Sacris Litteris, quas septaginta Interpretes in Ægypto ex Hebræo idiomate in Græcum traduxêre, ait; *S Ambr Enarr 2. in Jonam.* S. Scriptura.

Nec improvidè librum edidère,
Ubi turrita Pharos fidum nautis lumen ostendit.
Nam per fallaces Rabbinorum syrtes
Errore vario jactata ingenia,
Voluminis hujus lampas in rectum ducit,
Et gentilitati naufragæ prælucet.

236. Turris, opportuno situ fundata, ac validè munita, illum Tassi versum lemmatis loco præfert. NON MOSTRA DI TEMER PERCOSSA, O CROLLO. Id est; OPPUGNANTIA RIDET. Imperterriti ac generosi pectoris hoc symbolum est. Sic Paulus; *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? &c. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neq; Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque creatura alia poterit nos separare.* En turrim in Christo unicè fundatam, ac penitus inexpugnabilem! Nec Paulus tantùm sed omnes reliqui *Apostoli*, teste S. Chrysostomo, *torrente totius orbis in se pariter ruente, tyrannorum scilicet atque populorum, Judæorum atque gentium, suorum & alienorum, pulsatâ fluctibus rupe firmius constiterunt.* *Tass. Conquist. l. 7. stantz. 1.* Animus generosus. *Rom. 8. 3* *S. Chrysost Hom. 25. Matth.*

237. Nonnemo turrim, armis omnibus cumulatè instructam, hoc lemmate notavit; COL DANNEGIAR ALTRUI SALVO ME STESSA. Id est; ALIORUM CÆDE DEFENDOR. Idipsum personis quibusdam violentis familiare est, quæ rerum suarum incrementa ex aliorum famâ aut opibus imminutis conquirunt. Certè Hebræorum Synagoga opportunissimam propriæ gloriæ & authoritatis promovendæ occasionem sibi è Christi nece suppetere censebat. Unde suffragantibus omnibus pronuntiabat Caiphas; *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo &c.* Tyrannorum ea est aviditas, ut aliorum bonis assiduò inhient, rapiantque, ad regna ac divitias suas dilatandas. De Maximo ait Latinus Pacatus; *Spes inter hæc nulla prædonis explendi. Nec enim (ut natura fert) copiam satietas sequebatur, crescebat indies habendi fames, & parandi rabiem parta irritabant. Comportabantur interim spolia provinciarum, exuviæ exulum, bona peremptorum &c.* Homo violentus. *Ioan. 11. 5* *Latin. Pac. Panegyr. Theodos.*

238. Turris, è portûs cujusdam latere omnibus tumultuantis Oceani injuriis exposita, à Gamberto hanc Virgilii gnomam instar lemmatis accepit. OBVIA VENTORUM FURIIS. Ita hominum Justorum vitam assiduis persecutionum & calamitatum ventis objectam cernimus. Providè S. Paulus; *Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus.* Et rursùs; *Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Ergo*, subinfert S. Leo Papa, *sicut totius est temporis piè vivere, ita totius est temporis crucem ferre.* *Virg. 10. Æneid.* Justus afflictus. *1. Thess. 3. 2. Tim. 3 1* *S Leo ser. de Quadr.*

239. Turris, benè munita, opportunam hanc epigraphen è fronte præfixâ habet; A FACIE INIMICI. Emblematis structurâ totâ è Psalmo mutuatâ; *Factus es spes mea: turris fortitudinis A FACIE INIMICI.* Christus, hoc typo figuratus, clientes suos omnes ab infernalis inimici assultibus vindicat. Præclarè in rem præsentem Divinus August. *Christus factus est turris à facie inimici: cave ne feriaris à diabolo, fuge ad turrim. Nunquam te ad illam turrim diabolica jacula secutura sunt: ibi stabis munitus & fixus. Ante te est turris, recordare Christum, & intra turrim.* *Psal. 60 4* Christus defensor. *S. Aug. in Psal. 60.*

turrim. Eandem Emblematis rationem etiam de Maria Virgine, ceu *Turri Davidicâ*; de Angelo Custode, propugnatore nostro, aliisque Sanctis tutelaribus intelligere licet.

240. Pharus, mari vicina, sublimibus suis flammis miseras naves ad portum convocat, quæ inter noctis horrorem & tempestatum furias dispersæ, jamjam vasto undarum hiatu devorandæ erant. Ut adeò hanc epigraphen mereatur; ERRANTES REVOCAT. Bono Prælato, aut zeloso Prædicatori, è munere suo incumbit, ut animas, naufragio proximas, doctrinæ suæ radiis, aut sancti exempli splendore è pelagi discrimine ac errorum tenebris ereptas, ad salutis portum reducant. Talem cumulatè se demonstravit S. Apostolus Paulus; *Etenim*, asserente S. Joanne Chrysostomo, *in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio, Romanos, & Medos, & Persas, & Parthos, & Indos, & Scytas, & Æthyopas, & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorsùs humanum genus sub jugum mitteret veritatis.* De sapientia testatur meus Div. Matthæus Bossus, quò animas errabundas instar clarissimæ lucis è fluctuante pelago ad securitatis portum transferat. *Quid esse potest luce sapientiæ dulcius, quid splendidius? quid amabilius? Hæc enim errantes nos per magnam sæculi noctem, & jactatos per devia, atque naufragia in hoc mari vasto ventis contrariis, & semper incertis, datâ veluti manu in propria quasi deducit, ut possimus per eam quietis, quem in portum tendimus, perspicere atque agnoscere.*

Prælatus. Prædicator. S. Paulus. S. Io. Chrys. hom. 4. de Laud. Paul. Sapientia. Matth. Boss. de Institutend. sapientia ani[mo]. Disp. 3.

241. Cùm adversùs Augustissimam Domum Austriacam iniqua fœdera passim conspirarent, & ex iis, veluti è Trojano equo, maxima hostium turba indies nasceretur; Serenissimus Hispaniarum Infans & Cardinalis, in Rempublicam Mediolanensem, aliasque inferiores Provincias delatus, solâ suâ authoritate factiones omnes edomuit, & oppressos populos defendit. Unde D. Carolus Bossus regiam illam Celsitudinem Castelli symbolo figuravit, quòd armis copiosè instructum, epigraphen tulit; TUETUR, ET ARCET. Nec sanè Emblematis hujus corpus à Principe illo quidquam alienum erat, cùm Castiliæ regnum, Ferdinando tum temporis subjectum, in insignibus suis castellum præferat. Atque adeò ille omnes boni Principis partes eâ tempestate exegit, quippe cujus est, & hostes reprimere, & subjectos tueri. Disertus in hanc rem Aristoteles, *Reges*, inquit, *custodiæ, defensionisque causâ constitutos, UT & locupletes PROHIBEANT injuriâ, ET inopem multitudinem contra locupletum injurias TUEANTUR.* Paulus Zazzaroni, nobilis Poëta, cùm ma evolorum invidiâ plurimùm exagitaretur, ad D. Raymundum, Comitem de Turre, ceu unicum calamitatis suæ asylum, perfugit, suumque libellum supplicem hâc strophâ finiit;

Princeps. Arist. 1. Polit. cap. 10.

Raimondo, io vincerò la dubbia impresa
Se l'armi tue mi fian propitie, e pronte,
E s'haurè la tua Torre in mia difesa.

242. Cùm D. Alphonsus Comes de Litta in Archiepiscopum Mediolanensem ungeretur, Illustrissimus D. Carolus Scottus Symboli loco Turrim, è quadratis lapidibus formatam, statuit, qui in alternantes aureas nigrasque stationes, instar tabulæ latruncularíæ, decussati, ad gentilitium Archipræsulis illius abacum lusorium alludebant. Epigraphen addidit; QUADRIS MUNITIOR. Sicuti enim ædificio è quadratis lapidibus maximum, ac penè insuperabile robur accrescit; ita Turris illa instar præsagii erat, Ecclesiam Mediolanensem, ab optimo illo Archiepiscopo felicissimè propugnatum iri. Certè Salomon templum suum quadratis lapidibus, ceu basi firmissimâ, constare voluit. *Præcepit Rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos* Et Arphaxad, Medorum Rex, Metropolim suam Ecbatanam hostibus omnibus pertimescendam ac invictam redditurus, eam *ex lapidibus quadratis & sectis* extruxit. Quin, ipsamet cœlestis, ac æterna illa Hierosolyma à Deo Architecto figuram recepit quadratam; uti testis oculatus, S. Joannes affirmat. *Civitas in quadro posita est.* Cæterùm Emblematis hujus inscriptionem Isaias subministrat his omninò verbis. *Lateres ceciderunt, & quadris lapidibus ædificabimus.* Interpretes hunc locum de Principibus & Episcopis intelligi volunt, quorum virtus & magnanimitas populū tueatur, & ab interitu vindicet. Unde Glossa Ordinaria; *Quadris lapidibus ædificabimus, id est*, inquit, *ex fortibus, & bellicosis Principibus populum muniemus.*

Tutela. Quadratura in fabricis. 3. Reg 5. 17. Iudith. 1. 2. Apoc. 21. 16. Isa. 9. 10. Gloss. Ordin.

243. Tametsi supremum turris fastigium, ceu pars ipsius nobilissima, fulminum vehementiâ prostratum sit, turris tamen, veluti jacturam illam parvi æstimans, à D. Carolo Ghioldo, sancti Nazarii Theologo, generosam hanc epigraphen recepit. MODO INFIMA SERVEM. Eadem omninò mentis philosophicæ sensa sunt, quæ è sublimi dignitatis suæ gradu præcipitata, aliisque calamitatibus miserè depressa, nihil unquam affligitur, sed contrà maximè tranquillam se demonstrat, dum vitam suam in qualicunque sive mediocri, sive paupere fortunâ transigere permittitur. Senecæ consilio, *Redige te ad parva, ex quibus cadere non possis; inest paupertati, sine quâ nihil est jucundum, securitas.* Senecæ Philosopho consimilis alter Seneca Tragædus;

Contentum esse fortuna mediocri. Senec. ep. 20. Senec. in Thyeste.

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.

244. Idem Ghioldus Emblematis loco Turrim supra montis fastigium collocavit, quæ necdum ad coronidem deducta, epigraphen tulit; ADHUC ALTIORA. Eorum hanc effigiem dixeris, qui ad assiduum sive honoris & dignitatis, sive etiam virtutis aut perfectionis Evangelicæ incrementum aspirant. S. Gregorius Nyssenus acutè observat, Spiritum S. postquam animam justam ad Deum, relictâ terrâ, desiderandum, suavissimè invitâsset, *Surge, propera, amica mea, columba mea, & veni &c.* has ipsas voces mox alterâ vice ingeminâsse, *Surge amica mea, speciosa mea, & veni &c.* veluti dixisset, animam, quantumvis in sublime exsurrexerit, semper alia sublimiora surgendi fastigia habere residua, neque ullum unquam crescendi finem reperiri posse. *Sponsæ excitatæ rursus dicit; Surge, & ei, cùm advenisset, dicit: veni, neque enim ei, qui verè surgit, unquam deerit SEMPER SURGERE, neque ei, qui currit ad Dominum, unquam consumetur amplum & latum campi spatium ad Divinum cursum conficiendum.*

Profectus. S. Greg Nyss. hom. 5. in Cant. Cant. 2. 10. ibid. n 13.

245. Pharus, scopulis vicina, sublimi suo splendore fatales illorū insidias detegit, & fugam è præsenti discrimine docet. Unde D. Caroli Bovii lemma; DAT VITARE, DUM DAT VIDERE. Certè, qui hæreses aut hæreticos luce suâ tempestivâ prodit, plurimos incautos & simplices ad vortices illos exitiales detestandos inducit. Porrò zelosus Magister aut Corrector,

vitiorum deformitatem ob oculos statuens, innumeros ab interitu vindicat. Seneca; *Audebo peccanti mala ostendere: vitia ejus si non excidero, inhibebo: non desinent, sed intermittent. Fortasse autem desinent, si intermittendi consuetudinem fecerint.* Idipsum etiam de Prædicatore intelligit meus D. Carducius. *Senec. ep. 40.*

Vitare dat, dum dat videre funera,
Fax turris alto fulgurans fastigio,
Quidni barathri detegat pericula
Leges poli dum vulgat Orator sacer?

264. Turrim, inter Sionis propugnacula erectam, hoc lemmate insignies; CUSTODITA CUSTODIT. Maria Virgo à S. Bernardo genuinè vocatur, *Turris fortissima*, & à S. Bonaventura *Turris spei nostræ*; Hæc tamen ipsa turris Virginea illos tantùm custodit ac propugnat, qui Divinas leges custodiunt, & ipsius obsequiis invigilant. Unde Emblematis Author P. Jacobus Masenius canit; Maria. V. *S. Bernard. ser. 4. super Salve Regina S. Bonav. in Psalt. min.*

Arx est Virgo tibi; sed custodita tuetur.
Obsequium quisquis postulat, antè ferat.

247. Cælius Rhodiginius visam à se turrim asserit, è larice structam, quam Julius Cæsar subjectis flammis non modò non dejicere potuit, sed contra longè fortiorem fecit; Unde lemma, NON INFIRMABOR AB IGNE. Huic turri homo insigniter patiens confertur, ardet ille nonnunquam mediis calamitatum flammis, sed nulla in eo vel particula comburitur; nec enim verbulum edit, quod impatientiam oleat. Talis omninò Jobus, qui veluti turris flammarum patiens *in omnibus his non peccavit labiis suis.* En turrim è larice structam, quam omnis Acherontica vis non dejecit. Isaaci conjux Rebecca, cùm geminos infantes in utero collidi persentisceret, perrexit, ut consuleret Dominum, responsum est, *duæ gentes sunt in utero tuo. &c. & major serviet minori.* Hîc S.P. Augustinus seriam quæstionem injiciens, quâ ratione id factum fuerit, percunctatur. Majorem enim non tantùm non serviisse minori, sed potius necem inferre voluisse compertum est. Quî ergò servivit, cùm occidere voluerit. Ad quæ optimè Magnus Augustinus: *Serviet*, inquit, *non obsequendo, sed persequendo, eo modo, quo mali serviunt bonis.* *Cæl. Rhodig. l. 10. antiqu. Lect. c. 10.* Patiens. *Iob. 2. 10.* *Gen. 25. 22.* *S. Aug. Tom. 10. ser. 78.*

248. Turris celso quidem fastigio se per acra attollit; at quò altius exurgit, eò magis attenuatur, donec tandem cum acumine suo penitus deficiat. Unde serenissimus Philotheus turrim depinxit, cujus fastigium in tenuissimum acumen desinens, epigraphen tenet; ATTENUANDO DESINIT. Ita dum nostro imbecilli judicio cœlos, ac Deum perscrutari conamur, in tenues tandem auras elaboratam nostram rationem recedere animadvertimus. Proinde sanctius & reverentius est, hîc judicii deprimere aciem, neque pati, ut inani curiositate se cælis inferat, seque ipsum tandem destituat. Providè monet D. Augustinus, ad Deum in hæc verba suspirans; *Si quis non intelligit te, gaudeat & amet, non inveniendo invenire potius, quàm inveniendo non invenire.* Eruditè canit Emblematis Author; Dei cognitio. *S. Aug. l. 1. Conf. c. 6.*

Cernis, ut angusto per summa cacumina cono
Altus inaccesso culmine surgat apex.
Sed surgendo fugit, tenuesque recedit in auras,
Et dum se attenuat, se periisse videt.
Crede tibi credenda, Dei mysteria noli
Altius ingenio volvere, stulte, tuo.
Si scrutêre, leves velut evanescis in auras,
Atque nihil solidi, raptus in alta, tenes.
Inferius maneas, dant inferiora quietem.
Plurima mansuris damna minatur apex.

249. Turres, seu speculæ, quæ in altis montibus positæ, regionum inserviunt custodiæ, quantò sunt altius erectæ, eò latius subjectam terram, adventantesque hostes, contemplantium oculis subjiciunt. Emblemati subscripsit serenissimus Philotheus; QUO ALTIUS, EO LATIUS. Ita quò propius Deo se admoverit homo, eò latius inferiora hæc circumspicit, agnoscitque grassantes vitiorum turmas, hostiumq; insidias, quibus fœcunda malorum terra abundat. S.P. Augustinus; *Ut homo sit aliquid, convertit se ad illum, à quo creatus est. Recedendo enim frigescit, accedendo fervescit: recedendo tenebrescit, accedendo clarescit. A quo enim habet ut sit, apud illum habet, ut benè ei sit.* Deo propinquare. *S. Aug. psal. 70. Conc. 2.*

FINIS LIBERI DECIMI SEXTI.

MUNDI

MUNDI SYMBOLICI
LIBER DECIMUS SEPTIMUS.
INSTRUMENTA MECHANICA.

Acus.	1	Lima.	14	Sera.	27
Cardo.	2	Malleus.	15	Serra.	28
Catena.	3	Modulus.	16	Subula.	29
Catillus.	4	Modulus ferreus. multiforis.	17	Talea.	30
Circulus doliaris.	5			Terebellum.	31
Clavis.	6	Mortarium.	18	Terebra.	32
Clavus.	7	Peniculus tectorius.	19	Textoria machina.	33
Cuneus.	8	Planula.	20	Torcular.	34
Follis.	9	Prælum.	21	Trulla Cæmentarii.	35
Forceps. forfex.	10	Regula.	22		
Furnus Campanus cum ſiphunculis.	11	Reſtis. Funis.	23	Tubus. Vitriarius.	36
		Rhombus.	24		
Incus.	12	Scalprum fabrile.	25	Vaſculum. amuſſis.	37
Lagena.	13	Securis. Aſcia.	26	Vncus.	38

A C V S.

Cap. I.

1\. ACUS proprio ſuo uſu ad ſciſſas veſtes uniendas deſervit. Unde lemma; DISCISSA RESARCIT. Vel, DISJUNCTA CONJUNGIT. Ita Dei Filius ruptam noſtram humanitatem, inſtar acûs, reſarciit, effrenem carnem ſpiritui ſubjugavit, & gentiles cum Synagoga, uti & Angelos cum hominibus amico nexu compoſuit. Quare de Chriſto affirmat S. Ambroſius; *Proprii corporis paſſione mortis penetrans viam, velut acu redintegravit ſciſſa quædam noſtræ veſtimenta naturæ.* Explicatius Author Operis Imperfecti, *Chriſtus*, inquit, *eſt acus, quæ ſpiritui conſuit carnem*; additque, *Hæc acus Iudaicum populum junxit ſimul, & gentium, de quo dicit Apoſtolus (Eph. 2.) Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum. Hæc eſt acus, quæ diruptam amicitiam Angelorum & hominum copulavit.* Nec aliter Sancta Eccleſia Servatorem noſtrum, veluti acui non abſimilem, ſupplici hoc hymno adorat.

Chriſtus redemptor.

S. Ambr. l. 8. in Luc.

S. Io. Chryſ. ſeu Auth. Op. Imp. Hom. 33. in Matth.

Te cogat indulgentia,
UT DAMNA NOSTA SARCIAS.

Hymn Veſp. Aſcenſ. Dom

2\. Hiantium vulnerum margines acûs beneficio à peritis chirurgis conſtringuntur ac ſolidantur. Lēma; VULNERA STRINGIT. Genuina hæc Servatoris noſtri, ceu Medici cœleſtis, idea eſt, qui mentes noſtras ſaucias, ac ſpiritualibus plagis miſerè dilaniatas, futurâ feliciſſimâ commiſit, conſolidavitq;. Chryſoſtomus ore planè aureo de Chriſto diſſerens, ait; *Qui vulnera conſuere ſolus poteſt; à quo conſuta eſt, immortalitatis tunica, quæ olim conſciſſa erat ſuper Adam &c.*

Chriſtus Servator.

S. Chryſoſt. loc. cit.

3\. Acus phrygia, quo pluribus puncturis veſtem transfixerit, eo nobiliore pompâ locupletem reddit. Ut adeò D. Salvator Carducius opportunam hanc epigraphen ſubjunxerit; PUNGIT, UT ORNET. Idipſum cum ſervis ſuis ſtudioſè obſervat Deus, quos ad inſigne perfectionis ornamentum promovendos, crebrâ calamitatum acu vulnerat. S. P. Auguſtinus; *Sancti verſabantur ante oculos Dei tanquam ſine culpa, tanquam perfecti, tanquam Angeli: noverat autem, quid illis deeſſet, qui vindicabat in omnes affectiones eorum. VINDICABAT autem non iraſcens, ſed propitius: ſed ad hoc vindicabat, ut perficeret cœptum, non ut damnaret ejectum.* Prototypi loco vel unus ſufficiat Jobus, in quo totidem virtutum gemmæ promicabant, quot vulneribus lancinatus fuerat. Olympiodorus; *De multis*, inquit, *hæc una eſt cauſa, cur à malis juſti dilanientur, ut, quæ eorum virtus latebat, magis illuminata foras emineat, atque appareat. Hanc ipſam ob rem patientiæ ſimulachrum Iobus direptori, vexatorique dæmoni traditus eſt.*

Calamitas utilis.

S. Aug in Pſ. 98.

Olymp. in Argum. Iob.

4\. Acus, è munere ſuo, vel disjunctas veſtes unit, vel ſciſſas reſarcit. Unde lemma; PUNGIT, UT SARCIAT. Ita benevolus Corrector, ſpirituales proximi ſui fiſſuras compoſiturus, crebros admonitionum aculeos eidem infigit. Certè Apoſtolus reprehenſionum ſuarum acumine tandem Corinthios ad pœnitentiam & ſalutem permovit. Ipſiuſmet verba ita habeto; *Etſi contriſtavi vos in Epiſtola, non me pœnitet, quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Quo loco etiam proteſtatur, ſibi à Deo conceſſam eſſe *poteſtatem in ædificationem, & non in deſtructionem*; enimverò, uti Gloſſa interpretatur, *non deſtruuntur, qui corriguntur, ſed correcti ædificantur.*

Correctio pungendo ſanat.

2. Cor. 7. 8. ib. c. 13. 10.

Gloſſ. in hūc loc.

S. Chryſoſt. loc. cit.

5\. S. Joannes Chryſoſtomus de acu affirmat; CONFIGIT, ET TRANSIT. Sicut enim

acus confixam vestem mox transit; ita calamitates, à Deo incussæ, dum feriunt, transeunt, ac desinunt. Exodus de percutiente Angelo refert; *Transibit Dominus PERCVTIENS Ægyptios.* Et Isaias; *Sicut favilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te prævaluerunt.* Jonas, in Oceani undis submersus, eas flumini assiduò fugienti similes fuisse testatur. *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.* S. Cyprianus ait, calamitates in gaudium converti, sicuti tempestas in serenitatem. *In lætitiam mentes redeunt, & tempestate pressura, ac nube, & caligine discussa, tranquillitas ac serenitas refulgent.* Seneca;

Calamitas transit. *Exod. 12. 23. Isa. 29. 4. Ion 2. 4. S. Cypr. lib. de Lapsis, in principio.*

Nulla sors longa est; dolor & voluptas
Invicem cedunt. &c.

6. Acus foraminis sui, ceu vulneris beneficio, filum secum trahit. Unde epigraphen subjunctam habet; PER VULNUS ATTRAHIT. filo autem inscribes; VULNERE TRAHOR. Ita nimirum Servator vulneris sui beneficio Thomam in fidei obsequium traxit, & vicissim Thomas illo lateris Divini vulnere suavissimè rapiebatur. S. Paschasius super illis D. Matthæi verbis, *Facilius est, camelum per foramen acus transire,* ait; *Per acum ipse Christus intelligitur perforatus in passione: per quod utique foramen omnia ad se, & post se trahit.* Et Hugo Cardinalis; *Per foramen acus, id est, fidem vulnerum Christi.*

Vulnera Christi. S. Thom. Apost. *S. Pasch. in Matth. 19. 24. Hug. Card. in hunc loc.*

7. Tametsi filum se solo nequeat telam trajicere, acui tamen infixum, quantocius & facillimè illam penetrat. Unde lemma; OVE ENTRATO PER ME' JO NON SAREI. Id est; UBI MIHI SOLI INTERDICTUS INGRESSUS. Haud aliter Beati solo vulnerati Servatoris beneficio cœlum ingressi sunt. Explicatissimè S. Chrysostomus; *Per cujus vulnus passionis gentes jam ingressi sunt vitam æternam.* Ut adeò illorum quivis jure dixerit; *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Vulnera Christi ad cœlum ferunt. *S. Chrysost. Oper. Imperf. Hom. 33. 1. Cor. 15. 10.*

8. Filum, à prævia acu tactum, epigraphen tenet; TE DUCEM SEQUOR. Vel, OBSEQUENS TRAHOR. Nativum hoc libertatis humanæ est ectypon, dum gratiæ Divinæ vestigia obsequente gressu incedere statuit. Hoc ipsum illa sacri Epithalamii sententia innuit; *Trahe me, post te currimus.* Id est, interprete S. Bernardo; *Trahe me post te, quia satius est mihi, ut me trahas, ut scilicet vim qualemcumque mihi, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis inferas; quam parcens in meo me torpore malè securam derelinquas. Trahe quoddammodò invitam, ut facias voluntariam; trahe torpentem, ut facias currentem.*

Libertas sequitur gratiam. *Cant. 1. 3. S. Bern. serm. 21.*

CARDO.

Cap. II.

9. PORta, cardinibus INNIXA VOLVITUR. Bargalius hoc Emblemate Civitatem vel Monarchiam, Cardinalis cujusdam regimine versari solitam, commonstrat. Eâdem omninò ratione Bartholomæus Rossus Ecclesiam Mediolanensem à S. Carolo, ceu portam à cardine gubernatam, affirmat. Unde etiam Emblemati subscripsit; TUTA CIRCUMVOLVITUR. In hanc rem præclarè vetus illa Prophetissa Anna, *Domini,* inquit, *sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* idque cumprimis de Cardinalibus, Prælatis, ac cæteris viris Apostolicis intelligendum est, uti non sine plurium Authorum suffragio prolixè demonstrat P. Franciscus Mendoza. Porrò etiam homines justi, ceu totidem cardines, orbem propriis suis meritis sustentant. *Nam*, Philone asserente, *reverà fulcrum generis humani justus est.* Inter eosdem cardines etiam sacras Litteras numerabis, quippe quibus innixus orbis, felicissimè stabilitur ac conquiescit. Opportunè S. Petrus Damianus; *Orbis enim super cardines terræ ponitur, cùm sancta Ecclesia, tanquam super bases, doctrinis Evangelicis solidatur.*

Dependentia. *1. Reg. 2. 8. Mendoz. in hunc loc.* S. Scriptura. *S. Pet. Dam.*

CATENA.

Cap. III.

10. BOnam affectuum aut opinionum concordiam è Catena discere licet, quæ è pluribus annulis flexa, epigraphen monstrat. NECTUNTUR VICISSIM. Vitam quippe socialem & amicam à natura ingeneratam accepimus. Seneca; *Quomodò hominem homini natura conciliat; sic inest huic quoque rei stimulus, qui nos amicitiarum appetentes faciat.* Et Ovidius;

Concordia. *Sen. Ep. 9. Ovid. 2. Pont. Eleg. 5.*

Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis:
Et servat studii fœdera quisq; sui.
Rusticus agricolam; miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ navita puppis amat.

Peccata quoque, nisi tempestivis antidotis præscententur, mox, instar catenatorum orbium, in oblongam seriem excrescunt. Nam, teste S. Gregorio, *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ALIUD TRAHIT.* S. Hieronymus super illo Ezechielis, *Fornicata es in filiis Assyriorum;* ait, *DE ALIIS peccatis AD ALIA sæpè transimus; cumque non egerimus priorum peccatorum pœnitentiam, augemus DELICTA DELICTIS, & nullo errore satiamur &c.* Hanc scelerum catenam in Pharaonis verbis prorsus admirandam cernere licet. Primùm enim, referente Exodo, *Dixit inimicus persequar.* At persecutionibus & odio adversùs Hebræos penitus implacabili minimè contentus, eos insuper carceri mancipare decrevit, *& comprehendam.* Postea libertate exutos, etiā bonis suis spoliavit; *Dividā spolia & implebitur anima mea.* Necdum exaturatus, crudele ferrum adversùs populum Dei strinxit; *Evaginabò gladium meum.* Donec tandem in immanes ac sanguinarias has voces proruperit; *Interficiet eos manus mea.* En horrendam tyrannidis inhumanæ catenam!

Peccata. *S. Greg. Pap. S. Hieron. in Ezech. 16. 28. Exod. 15. 9.*

11. Belluæ feroces, nullis edomandæ frenis, gravi catenâ ferreâ constringuntur. Unde lemma; DOMAT EFFRENES. Ita peccatores, nullo legis Divinæ freno coërcendi, tandem catenis ac captivitate constricti, ad officium trahuntur. Cùm Rex Manasses violento ac sacrilego furore insolesceret, mox, jubente Deo, à Babyloniis oppressus est, qui illum *vinctum catenis, atque compedibus, duxerunt in Babylonem;* ubi scelerum suorum pœnitudine duceretur. Israëlis Rege in superbum, rapacem, & sanguinarium leonem commutato, quantocius *Gentes non absque vulneribus suis ceperunt eum, & adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti.* Nabuchodonosor, penitus effrænis, adversùs Deum & homines tumultuabatur; sed non ita multò post tantæ tyrannidis pœnas dedit, quando horrendâ hâc sententiâ fulminabatur; *Vinciatur ferro, & ære in herbis foris &c.* Compendio dixit S. Gre-

Captivitas est supplicium obstinatorū. *2. Paral. 33. 11. Ezech. 19. 4. Dan. 4. 20.*

Greg. in moral. S. Gregorius Papa; *Aurem cordis tribulatio aperit, quàm sæpè prosperitas hujus mundi claudit.*

12. Catena, gemino crudeli effectu, vinctos & ligat, & aggravat. Unde lemma; VINCIT, ET OPPRIMIT. Utrâque hâc tyrannide avaritia in cor humanum grassatur. S. Petrus Chrysologus, de Matthæo publicano disserens; *Matthæum publicanum,* inquit, *divitiæ sic cupiditatis publicabant Magistrum, sic ALLIGABANT vinculis cautionum, saeculorum ponderibus sic PREMEBANT, ut levari ad innocentiam, ad justitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret.* Optimum proinde Magni Augustini consilium est; *Patrimonii tui, quo es LIGATUS, compedes in hac vita resolve, abjice à te DIVITIARUM ONERA, abjice VINCULA voluntaria.*

(Avaritia. Chrysol. s. 28. Aug. serm. de Verb. Dom.)

13. Catena aurea, è collo vel pectore suspensa, hominem & aggravat & illustrat. Lemma; GRAVAT, ET ORNAT. Ita paupertatis, castimoniæ, & obedientiæ vota, quibus Personæ Religiosæ Deo obstringuntur, libertatem quidem coarctant, at simul plurimum ornamenti ac gloriæ conferunt. Siracides de sapientia æterna philosophatus; *Injice pedem tuum,* inquit, *in compedes illius, & in torques illius collum tuum:* tandem quippe *erunt tibi torques illius in stolam gloriæ.* S. P. Augustinus; *Non te vovisse pœniteat, imò gaude, jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Felix necessitas, quæ in meliora compellit.*

(Vota Religiosorū. Eccles. c. 6. n. 25. & 30. Aug. Epist. ad Armen. & Paulin.)

CATILLUS.

Cap. VI.

14. Catillus purificandis ac secernendis metallis deservit. Unde igni impositus, à Bargalio epigraphen retulit; SECERNENDO CONFICIT. Ita animæ justæ in extremo judicio à reproba sceleratorum massa, ceu aurum obryzum ab ærosis fæcibus separabuntur. Hanc discernendi rationem probè perspiciens Matthæus, eam tertiâ vice inculcare nititur; *Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.* Et; *In consummatione sæculi exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum: & mittent eos in caminum ignis.* Et rursus; *Separabunt eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis.* S. Hieronymus, illa Zachariæ verba interpretatus; *sedebit separator in Azoto;* ait; *separatorem intellige Dominum, qui bonos à malis, & argentum & aurum à sordibus, scoriâque discernet.* Illud ipsum etiam Oratoris est Symbolum, qui causam suam ad tribunal delaturus, exactè omnia discutere, & momenta singula ad rationis libellam examinare solet. De hoc Nicolaus Caussinus; *Quid aptum sit, circumspicit; quid ex quoque nascatur, quid cuique sit consequens; quid alienum, quid repugnans; quid consentaneum; confusa denique, & permixta disjungit, disjuncta conciliat &c.* Denique Judex, consentaneè ad hanc ideam, nihil unquam definit, nisi circumstantiis ac causis omnibus distinctè ponderatis. In hanc rem Jobus; *Causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam.* *Oportet enim,* Interprete Joanne Sarisberiensi, *Judicem cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inquisitione discutere; neque antè obvidere alicui, quam causa sit legitimis rationibus plenissimè limitata.*

(Christus Judex. Matth. 13. 30. c. 13. 48. c. 25. 32. Hieron. in Zachar. 9. 6. Orator prudens. Causs. de Eloq. l. 3. c. 6. Judex diligens. Job 29. 16. Sarisber. Polycrat. l. 5. c. 8.)

15. Ferrea massa, à vicini manu in catillum seu furnulum chymicum injecta, epigraphen reddit; VERTET IN AURUM. His Alchymistarum catillis se non absimiles prob nt, qui injurias sibi irrogatas beneficiis compensant. Ita Josephus, lethali fratrum odio exagitatus, in vicem illos amare ac munificentiâ maximâ est prosecutus. Disertè S. Paulus; *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus.* Magno Augustino teste: *Fructus bonus sincera dilectio, non solùm fratris, sed & inimici.*

(Injurias beneficiis compensare. 1. Cor. 4. 12. S. Aug. Psal. 103. Conc. 1.)

16. Catillus, metalli expurgandi causâ supra furnulum positus, epigraphen tenet; EXPIET UT SORDES. Idipsum assolet Deus, qui omnes animæ nostræ imperfectiones eliminaturus, illam crebro calamitatum aut morborum igne excruciat. Hanc veritatem probè perspiciens Salvianus, ait; *Affectis artubus, vires corporum in virtutes transferuntur, ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum.* Et paulò post; *Exultat anima lætâ corpore affecto, quasi adversario subjugato quanto imbecillior corpore, tanto purior sensu; vincentibus carnem tuam morbis, mente vicisti.*

(Calamitas purificat. Salvian. Epi. ad Caturam.)

CIRCULUS DOLIARIS.

Cap. V.

17. Circulus doliaris, aliquot doliorum assulas, necdum perfectè coagmentatas complectens, epigraphen tenet; IN ORDINE STRINGIT. Ita omninò Superioris authoritas, castigationis rigor, & prudentis consiliarii vel Magistri regimen mirificè deserviunt, ad filios vel subditos in civilium aut domesticarum constitutionum observantiâ assiduò stringendos. Justus Lipsius; *Sicut vinitores circulis quibusdam vasa adstringunt atque alligant, ne quid effluat: sic Præceptores monitis suis animos discipulorum &c.*

(Magistri authoritas. Lips. Cent. 1. ad Belg. Ep. 39.)

18. Circulus doliaris, viminibus saliginis colligatus, epigraphen sustinet; LIGAMENTO ROBUR. Hinc conjicies animam, votorum ligamine Deo connexam, maximo spirituali vigore invalescere. Item S. Ecclesiam Catholicam è Martyrum suorum vinculis ac compedibus plurimum firmamenti accepisse. S. Prosper; *Fremebant gentes, irrascebantur populi, sæviebant Reges & potestates, contradicebant superstitiones, & totius mundi reluctabantur errores: sed de resistentibus, furentibus, persequentibus, populum suum Christus augebat; & PER VINCULA ac supplicia mortesque Sanctorum ROBORABATUR Fides, vincebat veritas &c.*

(Vota Religiosorum. Martyres Ecclesiæ. S. Prosp. l. 2. de Vocab. Gent. c. 5.)

19. Circulus doliaris, è virescente betulaceâ virgâ in figuram sphæricam arcuatus, inscriptionem à nonnemine recepit; CIRCUMFLEXUS INFORMOR. Ita per diversas orbis Provincias delatus, tandem prudens & astutus domum revises. Ulysses, assiduis itineribus fatigatus, id elogii ab Homero retulit;

Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.

Cæterùm voluntas, ad ordinationis Divinæ nutum incurvata, sanctificantis gratiæ formam recipit. Unde sacra Scriptura apertè dicit; *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Superbis resistit,* inquit interpres Augustinus, *ut humilientur, ut obdurentur. Humilibus autem dat gratiam, ut diligant obedientiam; & ne recipiant excellentiam.*

(Peregrinatio. Horatius in Arte poetica. Humilitas obtinet gratiam. Iac. 4. 6. S. Aug. Psal. 118. Conc. 17.)

20. D. Joannes Baptista Mazzolenus ingenioso Emblemate aliquot circulos doliares expressit, qui nullis adhuc viminibus colligati, dolium circumdabant; cum lemmate, VINCIEMUS, SI VINCIEMUR. Mens imaginis erat, ipsosmet Superiores ad regularis doctrinæ ac morū observantiā sedulò alli-

(Superior observans subditos facit observantes.)

H 3 gan-

gandos esse, priusquam subditos suos vinculis illis constringere nitantur. S. Gregorius Papa; *Usus recta conversationis est, ut praesse non audeat, qui subesse non didicit: nec obedientiam subjectis imperet, quam Praelatis non novit exhibere.* Opportunè canit Carducius Can. Reg. Lateran

S Greg. Papa l. 1. Dialog.

Si vinciemur, vinciemus asseres;
Sic lege vinctus subditos Princeps ligat.

21. Complures circuli doliares, in densum fascem collecti, eo planè modo, quo in nundinis venales haberi consueverunt, à Lucarino inscriptum sustinent; DISJUNCTI PRÆSTANT OFFICIUM. Innuit videlicet, separationem nonnunquam ad negotia perficienda unicè necessariam esse. Origenes de Dei servo disserens, ait; *Quamdiu permixtus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, non vacat soli Deo, nec segregatus est à vulgo, nec potest esse sanctus.* Præceptionem, in exercitu potissimùm observandam, tradit Polybius; *Ubi extraneorum militum magna est multitudo, non sunt simul habendi, sed diversa in loca (ne inter se contra nos conspirent) deducendi.*

Separatio.

Orig. Hom. 8 in Levit.

Polyb lib. 1.

22. De Filio prodigo refert S. Lucas; *In se autem reversus dixit &c.* Unde Lucarinus eundem Emblemate significaturus, circulum doliarem expressit, qui unam extremam suam partem alterâ constringens, epigraphen monstrabat; RETORTUS AD SEIPSUM. In hoc argumentum S. Petrus Chrysol. *In se antè redit, ut rediret ad Patrem, qui à se antè recesserat, cùm recessit à Patre. A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Iis porrò nativam hanc effigiem tribueris, qui examinandis præteritæ vitæ suæ actionibus operam impendunt. Sanctus Joannes Chrysostomus, postequàm Evangelicum illum Patremfamilias considerasset, qui expensarum rationem à villico postulabat, subjungit; *Faciamus igitur hoc in operibus nostris, vocatâ conscientiâ nostrâ. Faciamus similiter rationem operum, verborum, cogitationum, & scrutemur, quid utiliter insumptum sit, & quid in perniciem nostram; quis sermo malè expensus in convitia, in sales, in turpiloquia, quæ concupiscentia oculum in intemperantiam provocavit &c.*

Luc 15. 17.

S. Pet Chrys. serm. 2.

Examen conscientiæ.

S. Io Chrys. ser de Pœnitentia.

23. Circulus doliaris crebros vietoris ictus ideò solummodò sustinet, ut doliorum assulæ benè coagmentatæ inter se persistant. Unde D. Rancatus hanc epigraphen subjunxit; SON LE PERCOSSE MIE L' ALTRUI FERMEZZA, Id est, ALIUM MEA VULNERA FIRMANT. Idipsum hominibus imperterritis consuetum est, qui hostium vulnera non sine magnanimo pectore excipere soliti, ipsos etiam spectatores ad generosam luctam extimulant. Gorgonius, Imperatori Diocletiano à cubiculis, ejusque Collega Dorotheus, sub Christi Crucifixi signis merebantur quidem, at ubi quodam die Martyris cujusdam animum in atrocissimis cruciatibus invictum aspexerant, mox fidei Christianæ radices adeò firmas conceperunt, ut gravissimis suppliciis liberè objecti, Martyrum lauream retulerint. Cæterùm de Christi Redemptore, *cujus livore sanati sumus*, ait Magnus Augustinus; *Ille est sanitas in te, qui suscepit vulnera propter te.*

Exemplú fortitudinis.

9. Septemb.

Christus Redemptor.

S. Aug in Ps. 42.

24. Circulus doliaris, à victore percussus, epigraphen meâ quidem sententiâ opportunam præfert; PERCHE GLI ALTRI RISTRINGA IO SON PERCOSSO. Id est; UT ALIOS STRINGAM, VAPULO. Propria hæc ministri cujusdam idea est, qui ab assiduâ Principis tyranni, vel Prælati indiscreti importunitate compellitur, ut subditos ob varias causas in carcere constringat, aliisque violentis rigoribus sub regularis disciplinæ observantiam cogat. Sapienter dixit S. Hieronymus; *Est sapienti servire, libertas; ex quo colligitur, quòd stulto imperare, servitus est.*

Minister superioris violenti.

S. Hieron. Ep. ad Simp

C L A V I S.

Cap. VI.

25. Joannes Ferrus Abbas, reformato Contilis lemmate, clavi subscripsit; CLAUDIT, ET APERIT. Genuino hoc Emblemate authoritatem Summi Pontificis, aliorumque Episcoporum, aut Sacerdotum subdelegatorum, describere licet. De his disertè Christus; *Tibi*, inquit, *dabo claves regni cœlorum. Claves autem regni cœlorum*, interprete Rabano, *ipsam discretionem & potentiam nominat: potentiam, quâ liget & solvat: discretionem, quâ dignos vel indignos discernat.* Atque adeò clavibus illis utraque potestas ordinis & jurisdictionis significatur, quâ Sacerdotes à peccatis commissis Dei loco absolvere, vel absolutionem negare; item dies feriatos, jejunia, decimas, aliasq; leges sancire; vel, prout melius judicaverint, earundem legum gratiam facere amplissimâ authoritate possunt. Hæc potestas ex Isaiæ oraculis præfigurata habetur, ubi Deus de summo Sacerdote Eliacim olim decreverat; *Dabo clavem domûs David super humerum ejus: & aperiet, & non erit, qui claudet, & non erit, qui aperiat.* S. Ambrosius in illa Apocalypsis verba commentatus, *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, CLAUDIT, & nemo APERIT*; ait, in illâ clave infinitam Christi sapientiam ac potestatem intelligendam esse, quâ *APERIT corda gentilium ad percipiendam doctrinam fidei, quæ nullus persecutor claudere poterit, CLAUDIT verò, atque destruxit culturam idolorum, quam nullus persecutor aperire potuit. Aperiet etiam aditum regni cœlestis, quod nulla vis dæmonum claudere potest: clausit verò eundem aditum reprobis, quod nullus eis aperire poterit.* Præsulū Gemma S. Augustinus eandem clavem, quæ non quidem domos terrestres, sed cœli portam claudit & aperit, orationem interpretatur. Unde de Elia disserens, *Clavis cœli*, inquit, *fit sermo Eliæ: Iubet enim, & CLAUDITUR cœlum; orat, ET APERITUR.* Porrò mirificam clavem illam etiam bonorum operum nostrorum schema esse testatur idem S. P. Augustinus; quippe quæ cœlestes fores, ceu ariete admoto, aperiunt & claudunt. *Habitaculum cordis nostri*, inquit, *evacuetur vitiis, & virtutibus repleatur: claudatur diabolo, & aperiatur Christo: & ita laboremus, ut nobis bonorum operum clavibus januam regni cœlestis aperire possimus. Sicut enim malis operibus, quasi quibusdam seris ac vectibus, vitæ nostræ janua clauditur, ita absque dubio bonis operibus aperitur.*

Authoritas Pontificis.

Matth. 16. Raban in Caten. aur

Isa 22. 22. S. Ambr. Apoc. 3. 7.

Christus

Oratio.

S. Aug. 226. de te

Opera bona.

S. Aug ser 252. de te

26. Clavis, è proprio suo munere, ABDITA PANDIT. Prophetiæ hoc symbolum est, quæ res quasvis arcanas mentis nostræ oculis perspicuas efficit. Prædicatores quoque obscura & arcana Sacræ Scripturæ ostia reserant. S. P. Augustinus; *Deus ad hoc obscura esse voluit dicta Prophetarum, ut haberent postea servi Dei, quod interpretando influerent super aures & corda hominum.* De S. Joanne Baptista canit Ecclesia;

Prophe Prædic tor.

S. Aug. in 146.

Hymn. in Io. Bapt.

Ventris abstruso recubans cubili,
Senseras Regem thalamo manentem;
Hinc parens nati meritis uterque
Abdita pandit.

27. Cla-

27. Clavem hoc lemmate loquentem sistes; HOSTI, NON HOSPITI CLAUDO. S. Petri hanc effigiem interpretaberis, qui cœli clavibus insignitus, illius portam non quidem fidei ac virtutum hostibus, sed solis Dei amicis reserat. Unde in illius honorem canit S. Ecclesia; — .Petrus.

Vitæ recludit pascua, & fontes sacros,
Ovesque servat creditas, arcet lupos.

Sapienter proinde monet Magnus Augustinus; *Ita laboremus, ut nobis bonorum operum clavibus januam regni cœlestis aperire possimus.* — Aug. serm. .de Temp.

28. Clavis dexterè admodum, ac sensim intra seram versanda est; secus enim claustrales denticuli ac rotulæ rumpuntur, suoque ordine excedunt. Unde clavis, intra seram circumacta, à Joanne Francisco Bonomo epigraphen recepit; VIOLENTIA INVERTITUR ORDO. Emblemati verò hunc titulum præfixit, *In re modus.* E Boëtii sententia, *Optimus est in omnibus rebus motus.* Et Bonomus, Emblematis Author; — iolentia ocet. — Iodera- o. — nom. nella iusa nbl. 41.

Ut reseres, clavim moderatè evolvere fas est;
Vi mota, in motu non magè firma manet.

29. Clavis generalis, seu communis, seris omnibus facillimo negotio reserandis deservit. Unde lemma; SUPERA OGNI CONTRASTO. Id est; ADVERSANTIA VINCIT. Gratiosa hæc sagacis Belliducis, aut amantis obfirmati idea est; nam Plutarcho teste, *Vir, amore ebrius, nihil requirit, cùm dimicat cum hostibus, Martem: sed quia Deum suum habet adjunctum; ignem & mare, & flatus ætheris paratus est pervolare.* Appositè Leander. — iles pru- ns. — mans re- lutus. — utarch. — ß. Ama- ia. — and. apud iseum.

Tuum, O Virgo, propter amorem etiam asperam transibo aquam,
Licet igni ferveat, & innavigabilis sit unda.

30. Clavis, ædibus reserandis destinata, epigraphen reddit; CLAUSA RECLUDO. Maria Virgo Cœli reserandi potestatem à Deo erga suos clientes accepit; ut adeo rectè cognominetur à S. Ephræmo *Clavis regni cœlestis*; Et à Butcone, *Clavis regia Christi.* Eruditè canit P. Masenius; — aria V. — Eph. in ud. B. V. t. hymn. ic, 126.

Parva licet, magnas clavis custodio gazas,
Quamque alii subeant prævia pando viam.
Virginis iste labor, clausi quæ clavis olympi est,
Oblatâ cœlum clave, viator adi.

31. Zingreffius fasciculo clavium inscripsit; NON OMNIA POSSUMUS OMNES. Sicuti enim quævis clavis nonnisi unius seræ aperiendæ facultatem habet, ita suis quoque limitibus circumscripta sunt singula hominum ingenia. Verissimè Seneca; *Magna quoque ingenia quando plus, quàm in uno, eminuerunt genere?* Et S. Paulus; *Nunquid omnes Apostoli; nunquid omnes Prophethæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur.* — ona va- rum ria. — nec. l. 3. ntrov. — or. 12. 29.

32. P. Sebastianus à Matre Dei claviaureæ, ad portam obseratam applicatæ, inscripsit; HÆC OSTIA PANDET. Mariam Virginem hæc imago spectabat, clausum enim est cœlum, imò adeò clausum, ut nonnisi violenti rapiant illud: felix proinde es, si Deiparam, ceu portæ cœlestis claviculariam, tibi reddas propitiam, quæ facilem tibi aditum aperiat. Porrò Sancta Ecclesia eas à Christo claves accepit, ut quibusvis fidelibus cœlum aperire possit. S. P. N. Augustinus; *Tantùm valent claves regni in sancta Ecclesia tua, ut de nullis desperandum sit, quamdiu in hac terra per tuam patientiam vivunt.* — aria V. Ecclesia. — ug. de t. boni.

CLAVUS.

Cap. VII.

33. AD solemnem sancti Clavi festivitatem, Mediolani quotannis celebrari solitam, Joannes Baptista Rusca Emblematis loco clavum figuravit, qui per militaris scuti umbonem transfixus, epigraphen tulit; FERIT, ET DEFENDIT. Innuebat videlicet, è Sacris illis armis Orbi Christiano salutem, uti & monstris infernalibus extremam perniciem advenisse. S. Ambrosius Judæos, dolore ac confusione plenos, his omninò verbis introducit. *Ecce & clavus in honore est, & quem ad mortem impressimus REMEDIUM SALUTIS est, atque invisibili quâdam potestate DÆMONES TORQUET.* — S. Clavus. — S. Ambros. Conc. 14 obitu Theodosii.

34. Clavus clavum ex assere propellens, ab eodem Rusca epigraphen recepit; ARTE ARTEM. Vetus quippe præmia est, *Clavum clavo trudere.* Mens Emblematis erat, Servatoris nostri clavos eliminandis peccatorum clavis, quibus pectus nostrum transfixum erat, deserviisse. Opportunè S. Ambrosius; *Clavus*, inquit, *est libido, clavus tristitia, clavus iracundia, clavi sunt omnes passiones, quæ velut quodam veru animam nostram penetrant.* S. Bernardus eâdem metaphorâ commonebat, crebris virtutum actibus, ceu clavis, vitiosas nostras consuetudines propulsari. *Sapientia*, inquit, *vincit malitiam. Clavus clavo expellitur, ita & prava, bonis supervenientibus eliminantur.* Idem Doctor Mellifluus testatur, jugi infernalis incendii consideratione, ceu clavo, ignitos libidinis clavos è pectore nostro exterminari. *Sicut clavus clavum expellit: ita sæpe ardor gehennæ emittit foras ardorem luxuriæ.* P. Julius Nigronius votorum Religiosorum triadem in Christi Crucifixi clavis ad vivum exprimi docet, aitque, votorum observantiâ vitiosos animi clavos felicissimè exturbari. *Clavos vitiorum, & passionum, vota paulatim, dum observantur, & virtutes votorum exercemur, ex anima extrudunt.* Tandem etiam sicuti clavus clavo pellitur, ita unus Amor expellit alterum. — Christus patiens. — S. Ambr. l. de Bono mortis c. 5. — Virtus expellit vitium. — S. Bern. serm. de Verb. sap. — Inferni Meditatio libidinem pellit. — S. Bern. ser. 23 de fornic. — Vota religiosa. — P. Iul. Nigron. in Reg. 4 Commun. n. 17. — Amor.

35. Mare Adriacum procellis adeò crudelibus tumultuabatur, ut assiduis naufragiis miserrimi nautæ submergi soliti, tandem illud communi voce *voraginem navigantium* cognominarent. Unde S. Helena, Magni Constantini Mater, tanto malo consultura, è sacris clavis unum mari injicere decrevit; *Confisa de Domini misericordia*, Gregorii Turonensis verbis utor, *quod sævas fluctuum commotiones facilè posset opprimere.* Nec irrito conatu; nam *quo facto, redditur mare quietum, tranquillaque deinceps navigantibus flabra præstantur.* Quamobrem Rusca, superiore numero adductus, clavum expressit, qui in mare submersus, epigraphen tulit, TUMIDA PLACAT. Verbis è Virgilio mutuatis; — Greg. Turon. de gloria Mart. c. 6. — Virg. Æn. v. 146.

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat.

Et certè sicuti mare Adriaticum è sacri clavi virtute tranquillitatem recepit, ita Christus gravissimas tempestates, toto mũdo agitatas, solâ clavorum suorum & passionis acerbissimæ virtute composuit. S. Hieronymus miros illos Jonæ eventus allegoricè interpretatus, *Tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à fervore suo*; ait, *Si consideremus ante passionem Christi errores mundi, & diversorum dogmatum flatus contrarios, & naviculam, totumque humanum genus: id est, creaturam Domini periclitantem, & post passionem ejus tranquillitatem fidei, & orbis pacem, & secura omnia, & conversionem ad Deum, vide-* — Christus patiens. — S. Hieron. in Ioan c. 1 n. 15

Remig. Altis. in Ioan. c. 15. *bimus, quomodo post præcipitationem Ionæ stetit mare à fervore suo.* Magis succinctè Remigius Altisiodorensis; *Ante passionem Domini mundus diversorum fluctibus errorum periclitabatur: at post mortem ejus tranquilla omnia discernimus, & securà unitate fidei, & agnitione veritatis totus orbis exultat.*

36. Clavi à fabris intra aquas, aliumve pinguem liquorem intingi assolent, ut res quasvis majore facilitate transfigere ac penetrare queant. Unde Rusca clavo, intra aquas mersato, subscripsit; UT FACILIUS. Ita clavi Divinissimo Servatoris nostri sanguine tincti; vires adeò validas imbiberunt; ut æreas inferni portas perfringere, æterni supplicii sententiam irritam reddere; cœlos penetrare, aliaque prodigia efficere potuerint; *Scito.* inquit Tertullianus; *ascensum illum exinde complanatum vestigiis Domini; & introitum exinde reseratum viribus Christi.*

S. Clavi cœlos reserant.

Tertull. l. 5. cont. Marcion. c. 10.

37. Clavi cuspidati, prominentibus aculeis circum theatra aut valla militaria defixi, locis illis securitatem præstant; hostiumque accessum remorantur. Epigraphen addidi; VALLANT, ET ARCENT: seu, VALLANT, ET VULNERANT. Servatoris nostri clavi; geminâ prærogativâ, & Christianos muniunt, & Judæis, vel Inferorum monstris fatalem aculeum infigunt. Ut adeò de sacratis illis clavis idipsum, quod S. Joannes Chrysostomus olim de Cruce; pronunties; *Ea dæmones ulciscitur, ea tollit morbos amica: ea est armatura invicta; ea murus inexpugnabilis; ea est munimentum insuperabile; quæ non solum barbarorum irruptiones, & incursiones hostium; sed ipsorum etiam immanium dæmonum phalanges perrumpit.*

S. Clavus.

S. Io. Chrys. in Psal. 109.

38. Rigente hyeme, calceorum soleæ acutis clavis muniri solent; ut in lubrica glacie defixi, pedem firmum, & à lapsu immunem sustineant. Unde calceo; clavis armato, inscripsi; IN LUBRICO SISTUNT: Vel; VESTIGIA FIRMANT. Ita affectuum nostrorum gressus è patientis Christi clavis firmamentum adeò validum recipiunt, ut lubricas mundi vias pede nunquam exerrante decurant. Eusebius Gallicanus; *Dominus noster IESVS Christus non solùm Divinitatem, sed etiam mortem suam; & crucem post futuris voluit sæculis celebrari: ut à peccatis; propter quæ moriebatur; non solum nos Dei mandata revocarent, sed illata pro nobis supplicia, & vulnera deterrerent.*

Passio Christi retinet.

Euseb. Gallic. Hom. 2. de Symb.

39. Clavus retortus nonnunquam instar clavis deservit ad scrinia quædam obserata recludenda. Unde lemma; INFIXUS RESERAT. Clavus ille sacratissimus, in Servatoris nostri manibus ac pedibus defixus, cœlos ferreos, longisque ab hinc sæculis obseratos, instar clavis felicissimè aperuit. Opportunissimè S. P. Augustinus; *Clavis reserans; clavus penetrans factus est mihi.*

S. Clavus est clavis.

S. Augustin.

CVNEVS.

Cap. VIII.

40. QUi ligna findunt, obfirmatos ac rigentes arborum nodos cuneis effringere, eorumque vitiosos nexus dissolvere solent. Unde lemma; MALE COMPACTA DISSOLVIT. Zelosi ac magnanimi Principis hæc idea est, qui subditos, in vitiis obduratos, duriore cuneo expugnat: consentaneè nimirùm ad vetus illud proverbium; *Malo nodo malus quærendus cuneus.* Idipsum verus amicus solet, qui correctionis cuneo pravas consuetudines ab homine conatur separare. Plutarchus; *Verus amicus,* inquit, *ubi correctione opus est, mordacè sermonem, libertatemque, curatore dignam, usurpat.*

Justitia vindicans.

Correctio

Plut. Opusc. de discrimi. adul. & amici.

41. Cuneus è durissimo chalybe formatur, ut lignis validè impactus, illorum nodos citra ullam suam offensam effringere possit: ut adeò jure has voces instar lemmatis pronuntiet; INOFFENSUS EFFRINGO. Ita Heroicus animus è grandibus ac innumeris hostium machinamentis destructis nullum unquam detrimentum accipit. Certè Josias; Ariolis, & idolorum Sacerdotibus interfectis, lucis infamibus succisis, lupanaribus dirutis, idolis comminutis, sacrilegis altaribus eversis; & ut Regum fasti prolixè testantur, dæmonum ministris omnibus trucidatis; inter tot facinorum prodigia nihil unquam offensæ sustinuit. Sic nimirum viri fortis est, frangere & non frangi. S. Ambrosii opinione, *Fortitudo inexpiabili prælio adversus vitia decertat, invicta ad labores; fortis ad prælia.*

Animus generosus.

4 Reg. 23.

S. Ambros. l. 1. de Offic.

42. Cuneus non quidem mollibus, sed obduratis lignorum partibus rumpendis deservit. Unde inscriptio; DURIORA RESOLVIT. Ita imperterritorum militum acies, à latinis *cuneus* vocari solita, nonnisi adversus hostium phalanges maximè robustas invehitur. In hoc argumentum Torquatus Tassus canit;

Ma conservando par l' usanza e' l modo
Del secol prisco, anzi mirabil arte,
L' ordin più folto de nemici; e' l nodo
D' aspra guerra incidean da quella parte;
Come cuneo tal hor; dov' è più sodo
Il tronco alpestro, ivi il divide; e parte:
Ei duri colpi trapassaro à dentro
Del ferreo cerchio al sanguinoso centro.

Generositas militaris.

Tass. Conquist. lib. 18. st. 143.

Ille ipse pectoris magnanimi est genius; quòd superandis rebus difficillimis delectetur; nam, ut Tullius definit; *Magnanimitas est virtus spontanea, difficilium aggressio; & rationabilis.*

Magnanimus.

Cicero lib. 1. de Offic.

43. Cuneus; nonnisi adversus duriores arborum nodos impelli solitus; epigraphen à me recepit; EXERIT IN SOLIDA ROBUR. Viros magnanimos hæc idea spectat, quibus solenne est, obfirmatam potentûm duritiem labefactare. Ita Elias Achabo infames suas noxas exprobrans; gravissimis insuper suppliciis eum perculit. Joannes Herodi ob adultera commercia in faciem obstitit. S. Sylverius gravissimas minas, à Theodora Imperatrice in hæretici cujusdam favorem factas, nihil æstimans; vitam potius, quàm mentem suam generosam amittere voluit. S. Ambrosius authoritati suæ adeò nihil derogari est passus; ut ipsum etiam Imperatorem Ecclesiâ interdixerit. &c. Cassiodorus; *Magnanimus, animo stabili defixus est; & cœlestium rerum contemplatione firmatus manet semper impavidus.*

3 Reg. 21. 1. &c.

Magnanimus.

Marc. 6. 18.

Cassiod. in Ps. 1.

44. Cuneo violentis ictibus percusso, quantocius durissimi quique lignorum nodi rumpuntur. Unde lemma; CÆSUS; OBSTANTIA SOLVIT. Martyrem; sapientiâ & fortitudine plenum; hæc idea concernit, qui gravissimis suppliciis excruciatus, vivaci suâ facundiâ ac imperterrito pectore omnes obloquentium adversariorum rationes dilucidè convellit. Certè Eleazarus; carnificum tyrannide acerrimè tortus, Josepho Hebræo teste, *Munimentis optimæ rationis; primiquè consilii, venientium impetus procellarum suis accepit membris, eosque nisu corporis invictus fregit &c.*

Martyr.

Ios. Hebr. l. de Machab.

45. Historiæ memorant; quòd cùm Dominus Paulus Gutierez in obsidione Olysiponensi aliquot cuneos muro infixisset, qui instar scalæ ad conscendendam civitatem deservirent, Rex Alphonsus Henricus, id intuitus, Gutiero cognomen Equitis à Cuneo

neo dederit; unde hodie adhuc omnes ipsius posteri vocantur d' Acugna, seu à Cuneo Eò alludens, aliquot cuneos, mœnibus infixos, hoc lemmate insignies, PARANT AD ARDUA GRADUM. Ita sanè lancea, clavi, cæteraque patientis Christi supellex, in pectore nostro defixa, victoriæ obtinendæ, ac cœlo expugnando scalas opportunissimas admovet, S. Gregorii Magni sententia, *Nihil adeo grave, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur.*

Passio Christi. S. Greg. Pap. in Epist.

FOLLIS.

Cap. IX.

46. FOllis auram, à se receptam, liberali ore ad ignem animandum expirat. Unde lemma; SPIRAT ACCEPTO, subintellige, *aëre*. Præclara hæc Prædicatoris aut Prophetæ idea est, qui doctrinas, non quidem ex proprio cerebro, sed à Deo, à sacris Litteris, & à suis Majoribus derivatas in populum spargunt. Vincentius Lyrinensis, in illud Apostoli commentatus. *O Thimotee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*; ait, *Quid est depositum? quod creditum tibi est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitâsti; res non ingenii tui, sed doctrinæ cœlestis, non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis.*

Propheta. Prædicator. Vinc. Lyrin. 1. Tim. 6.

47. Animus, ad vindictam facilis, follem imitatur, qui levissimâ quâvis manu compressus, aëre quantocius concitato spirare solet. Epigraphen subjunges; FLABIT AGITATUS. Prophetæ, ceu Numinis instrumenta, nullum unquam oraculum, nisi à Deo moti, edunt. S. P. Augustinus; *Nobis ea loquuntur Prophetæ Dei, quæ audiunt ab eo; nihilque aliud est Propheta Dei, nisi enuntiator verborum Dei hominibus; qui Deum vel non possunt, vel non merentur audire.* Virgilius de Sybilla differens, ait, eam, priusquam responsum ferret, Apollinis furore agitatam fuisse.

Iracundus. Propheta. S. Aug. lib. quæst. in Gen. q. 17. Virgil. Æn. 6. v. 77.

Ad Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur Vates: magnum si pectore possit
Excussisse Deum; tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

48. Seneca affirmat, omnem nostram felicitatem è solâ virtute scaturire. *Nam cætera, quæ cupiditates nostras irritant, deprimunt quoque animum, & labefaciunt: & cùm videntur attollere, inflant.* Postrema hæc verba epigraphen subministrant, folli jungendam; INFLATUR, CUM ATTOLLITUR. Vel; ELEVATUS INFLATUR. Illius utramque hanc effigiem dixeris, qui ad sublimiorem dignitatis gradum elevatus; mox fastu penitus insolente intumescit. Innocentius Papa; *Ambitiosus*, inquit; *statim ut est ad honorem promotus, in superbiam extollitur, in jactantiam effrænatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse; fastum ostendit, grandia loquitur; sublimia meditatur &c.*

Senec. Ep. 76. Superbus in honore elatur. Innoc. de vilitate condit. humanæ.

49. Gratum hominis animum, & ad beneficia compensanda promptum, folli non absimilem dices, quæ auram vix receptam, quantocius liberali ore refundit. Atque adeò ACCIPIT, ET REDDIT. Consentaneè Virgilius;

Gratitudo. Virgil. 4. Georg. v. 171.

---------- *Taurinis follibus auras*
Accipiunt, redduntque.

Tullio teste, Hesiodi documentum erat, *Eâdem mensurâ reddere, quâ acceperis, aut etiam cumulatiore, si possis.* Agapytus, Justinianum Imperatorem imbuens, ajebat; *Quanto majoribus dignus habitus es, tribuente Deo, muneribus; tantò majus ipsi nomen es. Ergò redde benefactori debitum gratitudinis.*

Cic. de Clar. Orat. Agap. Epist. Paræn. ad Justinian.

50. Duo folles in officina ferraria alternos suos labores ex æquo ita partiuntur, ut afflante uno, vires instauret alter. Unde Bargalii lemma; AD INVICEM. Vel certè; MENTRE L' UN SOFFIA, L' ALTRO FORZA PRENDE. Id est; ALTERNIS OFFICIIS. Hinc mutuam benevolentiam, amicis aut proximis tuis exhibendam, discas velim. S.P. Augustinus; *Illi portant invicem onera sua, qui habent charitatem. Qui non habent charitatem, graves sunt sibi: qui autem habent charitatem, portant se.* Pollux, intellectâ Castoris, amicissimi fratris sui, morte, Jovi pro ipsius immortalitate supplicavit. Cùm verò Jovem votis suis minus annuentem experiretur, id demum impetravit, ut vitam mortemque cum defuncto fratre alternam ducere liceret. Unde hodie etiamnum asseverant Poëtæ, utrumque illum vices adeo studiosas observare, ut singulis diebus vivente uno, moriatur alter. De his Virgilius;

Auxilium mutuum. S. Aug. in Psal. 129. Virgil. Æn. 6. v. 121.

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit
Itque, reditque viam.

Eamque mythologiam vel è Pindaro subministratam accepit;

Pindar. Ode 10. Nemea stroph. 4.

Alternantes autem vicissim,
Altero quidem die apud Iovem patrem charum
Degunt. Altero verò sub latebris terræ.

Vel certè ex Homero.

Hom. Odyss. 11.

Interdum quidem vivunt alternis diebus, interdum rursus
Moriuntur.

Adeò nimirum bonis amicis consuetum est; graviora sua negotia mutuis humeris sustinere. Unde etiam in Religionibus ac Rebuspublicis communia onera ac labores nō eosdē assiduò premunt; sed partitis officiis & alternante ordine in diversos distribuuntur.

51. Follis, in ustrina versus laminam ferream inflatus, epigraphen tenet; SI SPIRAT, INFLAMMAT. Ita corda quævis rigentia solo Spiritus sancti afflatu ignem concipiunt. Hieronymus Olealter; *Quemadmodum ad fundendum metalla opus est flatu follium; ita ad opus bonum faciendum opus est spiritu & flatu Dei.* Cæterùm etiam malus Consiliarius, vel lascivia fœmina, *si spirat, inflammat.*

Spiritus S. Oleast. in Isaiam c. 30. v. 1.

52. Follis, aliquot carbones afflans, epigraphen reddit; SOPITOS SUSCITAT. Fæcundo hoc Emblemate Spiritus sanctus, Bonum exemplum, ac prudens consilium significantur; utroque enim pectoris humani veternus excutitur. Porrò etiam maligna susurronis lingua sopitas iræ aut odii flammas, instar follis, suscitat. Quòd autem prudentis hominis consilia ardentes virtutum favillas, in animis nostris jamjam extinctas, rursus evocare possit, testem disertum habeto Senecam; *Facile est*, inquit, *auditorem concitare ad cupiditatem recti. Omnibus enim natura fundamenta dedit, semenque virtutum: omnes ad omnia ista nati sumus. Cum irritator accessit, tunc illa animi bona velut SOPITA EXCITANTUR.* Quòd insuper malevolæ linguæ afflatu sepulta vindictæ incendia denuò reviviscant, dilucidè testatur Siracides; *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit &c. Nam*, interprete S. Valeriano, *inquieta naturaliter lingua non parvum mortalibus affert vitæ detrimentum, aut cùm benè composita dissipat, aut diu pacata conturbat.* Idipsum nonnunquam filii assolent, dum propriàs noxas excusaturi, Majorum suorum vitia, jam pridem sopita, in hominum memoriam revocant. De his Vincentius Lyrinensis; *Sancti cujusq; viri memoriam,*

Spiritus S. Consilium bonum. Exemplū bonum. Susurro. Senec. Ep. 108. Ecclesiast. 28. 15. S. Valer. in hunc loc. Lingua detractoria. Vinc. Lyrin. lib. advers. profan. novi.

riam, tanquam sopitos jam cineres, profanâ manu ventilant; & quæ silentio sepeliri oportebat, redivivâ opinione diffamant &c.

53. Follis compressus spiritum exhalat. Unde lemma; PRESSIONE SPIRITUS. Ita homo, diversis calamitatibus prægravatus, tandem ad vitæ spiritualis ac Divini obsequii frugem convertitur. Certè Filius prodigus, egestate ac fame compressus, versus cœlum suspiravit; *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus! surgam, & ibo ad Patrem meum &c.* Unde ad Deum ait Magnus Augustinus; *Imples tribulationibus omnia; ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te.*

Calamitas. S. Aug. in Psal. 55.

54. Follis auram, intra se collectam, non totam simul, sed sensim exhalat. Unde inscriptio; NON TOTUM SIMUL. Idipsum hominis prudentis est ingenium, qui doctrinam, plurium annorum intervallo collectam, non unâ vice, sed paulatim in alios effundit. Huic documento affines sunt illæ Jobi voces; *Ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum.* Ita Moses, sub Geneseos initium, nullam omninò de Angelorum creatione mentionem facit, tametsi postea in ejusdem libri decursu iteratis vicibus illos nominet. Volebat quippe Judæos gradatim imbuere, eosque suavi manu à rebus corporeis ac inferioribus ad superiores & spirituales perducere. *Quàm e harum rerum spiritualium mentionem intermiserit? Ego dicam*, inquit Procopius, *Cum Iudæis balbutientibus balbutiebat, illa sola memorans, quæ non supra captum ipsorum esse judicabat: haud ignorans, ubi hæc didicissent, affuturos alios Doctores, qui ad altiora mysteria ipsos essent deducturi. &c.*

Paulatim docere. Iob. 26. 8. Procop.

55. Duo folles, organis musicis usitati, in chartâ volante hanc epigraphen descriptam ferunt. NI PRIUS ATTRAHANT. D. Carolus Bossus hoc suo Emblemate Prædicatores, Prophetas; aut Sanctos Patres afficit, qui virtutes ac scientias, non quidem è proprio intellectu, sed à Spiritu sancto intra se derivatas, in alios diffundunt. De se ipso testatur S. Isidorus Pelusiota; *Si quid commodi, atq; eruditi à me scribitur, hoc Divinæ atque cœlestis gratiæ esse existimare debes, quæ rudes etiam, & imperitos sapientes efficit.* Et Sanctorum Patrum Gemma, Magnus Augustinus; *Si purè Dominum, bonorum omnium largitorem, depreceris, omnia, quæ cognitione digna sunt; aut certè plurima, IPSO magis INSPIRANTE, quàm hominum aliquo commonente PERDISCES.*

Prophetæ. Prædicatores. S. Isid. Pelus. lib. 1 Ep. 218. S. Aug. ad Honorat. Ep. 120.

56. Follis, ventum attrahens, inscriptionem habet; HAURIO, UT EXPIREM. Vitam, honores, voluptates, aliosque mundi titulos ita accipimus, ut paulò post illos aut mors nobis extorqueat, aut fortuna. S. Isidorus; *Nihil fugacius sæculo, rebusque sæculi; quas dum tenemus, amittimus: & per infantiam, pueritiam, juventutem, ac virilem & ingravescentem, ac maturam ætatem, annosque ultimos senectutis utique septem spatia Philo vitam describit humanam; mutamur & currimus, nescientes ad mortis terminos pervenimus.*

Vita brevis. Honor brevis. S. Isid. lib. 3. in Amos.

FORCEPS. FORFEX.

Cap. X.

57. Forfices epigraphen præferunt; STRINGIMUS, DUM STRINGIMUR. Idipsum etiam forcipibus inscribere licet. Ita nimirum eos, quos nobis in fide, servitute, aut amore beneficos experimur, mutuis officiis complectimur. Justus Lipsius; *Fides habita fidem alligat in animis quidem, ubi aliquid alti est, aut honesti.* Idipsum etiam Belliducibus & Mercatoribus familiare est, qui fidem datam tantundem observant, quantum ipsismet observatur. Ovidio teste, amet, quisquis amari cupit; *Sit procul omne nefas; ut ameris, amabilis esto.* Et Seneca; *Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine; si vis amari, ama.*

Correspondere. Lips. de Milit. Rom. lib. 6. Dial. 3. Ovid. lib. 1 de arte. Senec. Ep. 6

58. Duo forficis cultra tum demum uniri solent, quando res vicinas incidere ac dividere aggrediuntur. His proinde subscripsi; JUNGUNTUR, UT DIVIDANT. seu; FOEDERANTUR, UT FERIANT. Hæc ipsa hominum sceleratorum est indoles, qui fœdere nunquam arctiore uniuntur, nisi dum opportunam discordiæ, inter cives disseminandæ, occasionem cernunt. Certè Caiphas, Herodes, & Pilatus nunquam fortius coaluerunt, nisi cùm de occidendâ Divinâ innocentiâ ageretur. Iniquum hoc fœdus prospiciens Vates Regius non sine dolore ait; *Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Convenerunt enim verè*, uti Acta Apostolorum interpretantur, *in civitate istâ adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti: Herodes & Pontius Pilatus &c.* De his S. P. N. Augustinus; *Sunt quidam amici, amicitiâ malâ, quæ nec amicitia dicenda est, quia mala conscientia facit. Sunt enim homines, qui pariter mala committunt, & ideò videntur sibi juncti, quia conscientiâ malâ ligati sunt.*

Vitiosi contra justos uniti. Psal. 2. 2. Act. 4. 27. S. August. serm.

59. Forfex, tonsoribus usitata, epigraphen tenet; CIMA, NON TAGLIA. Id est; TONDET, NON RESECAT. Ita calamitas homini mortificando, non interficiendo deservit. Idipsum etiam Princeps benignus assolet, qui vectigalia, à subditis pendenda, quantùm fas est, moderatur. Justus Lipsius, oratione ad bonum Principem conversâ, *Tu* inquit, *cum Tiberio tondere pecus malis, quàm deglubere.*

Calamitas. Princeps discretus. Lips. Pol. l. 4. cap. 11.

60. Pannus forficis tonsoriæ beneficio aliquam quidem lanæ suæ partem amittit; at tantundem politur æ ac venustatis in vicem ab ea recipit. Quare D. Saavedra forfici inscripsit; DETRAHIT, ET DECORAT. Innuebat videlicet, corporis nostri mortem, collybo felicissimo, cum æternæ gloriæ splendore commutari. S. Hieronymus; *Quantò in hoc sæculo persecutionibus, paupertate, inimicorum potentiâ, vel morborum crudelitate fuerimus afflicti; tantò post resurrectionem in futuro majora præmia consequemur.*

Mors. Calamitas. S. Hieron. ad Cypri.

FURNUS CAMPANUS cum Syphunculis.

Cap. XI.

61. Furnus Campanus, siphunculis guttatim lachrymantibus, epigraphen tenet. UNDIQUE ANGUSTIÆ. Mentem, ex omni parte afflictissimam, hæc imago spectat. Susanna, adulterii infamiâ & mortis atrocitate, ceu gemino ariete, coarctata, in hæc suspiria erupit; *ANGUSTIÆ sunt mihi UNDIQUE. Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Peccator coram extremo tribunali verissimè dixerit; *Undique angustiæ.* Enimverò, asserente S. Anselmo, *Hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia: subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus Iudex, intus urens conscientia, foris ardens mundus &c.*

Animus afflictus. Dan. 13. 2 Peccatores moribundus. S. Anselm.

62. Furnum Campanum hâc Hieremiæ gnomâ insignierunt; PRETIOSUM A VILI. Providæ ac prudētis personæ hæc idea est. Cornelius à Lapide docet,

Hier. 15. Pruden

docet, Prædicatorem tum demum *pretiosum à vili* secernere, quando hominum animas veluti nullo terreno pretio satis æstimandas, è vitiorum cœno eripit. Ipsiusmet verba ita accipe. *Virgilius, Ennium manu tenens & legens, rogatus quid faceret, respondit; de stercore aurum colligo. Dicat hoc, qui animam convertere satagit. De stercore mundi aurum hoc, animam hanc colligo & separo, quasi pretiosum à vili.* Porrò de virtute providæ discretionis ait S. Bernardus; *Homo debet moderando singulas discernere voluntates, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne quod bonum est, malum; ne quod malum est, bonum esse credatur.*

Prædicator. Corn. à Lap. in locum cit. S. Bern. serm. 24. in Cant.

63. Magdalenam, vel quemcunque amantem luctuosum, furni Campani seu distillatorii ectypo depinges, qui copiosas stillulas elachrymans, epigraphen tenet; IGNE COGENTE, vel ut aliis placet; HUMOR AB IGNE. vel Raulino authore, CALOR ELICIT IMBRES. *Est enim*, asserente S. Ambrosio, *piis affectibus quadam flendi voluntas, & plerumque graves lachrymas evaporat dolor.* In hoc argumentum Otho Venius;

Amans plangens. S. Ambros. de Obitu Valent. Ven. Embl. Amor f. 188.

Ecquid adhuc dubitas; testis sit lachryma flammæ?
Semper ut occluso stillat ab igne liquor.

Et Joannes Audenus;

Auden. lib. 2. num. 208.

Humorem fervens ex ligno expellit ut ignis,
Ex oculo lachrymas elicit intus amor.

His accinit Pastor ille Comicus;

Nella Filli di Sciro del Bonarelli. Atto. 1. scen. 5.

Io nel regno d' Amore,
Altro non so che l'arte,
De lo stillare il pianto
A la fiamma del core.

P. Marcellinus Pisanus hanc iconem eruditè de Christo interpretatur, cujus pectus mirâ charitatis flammâ versus gentem humanam succensum, in horto olivario sanguineas guttulas ex omnibus membris destillavit.

Christus in horto sanguinem sudans.

64. Bargalio observatum est, liquores chymicos nonnisi ex herbis, aliisve rebus siccis eliquari. Unde stillantes furni Campani siphunculos hoc lemmate insignivit; HUMOREM EX ARIDO. Magdalenam, aliosve Dei servos hâc imagine exornabis, qui charitatis ardore succensi, in pietatis lachrymas copiosissimas solvuntur. S. Petrus Damianus de prodigioso illo Machabæorum igne, in aquas converso, ait; *Hic ignis in aquam vertitur: quia EX IGNE Divini amoris LACHRYMARUM COMPUNCTIO generatur.*

Magdalena plangens. S. Pet. Dam. Opusc. 63 c. 11.

65. D. Octavius Boldonus variam Cardinalis Montii eruditionem significaturus, furnum Campanum statuit, qui diversorum florum liquores exsudans, epigraphen sustinebat; MIRUM CONGESTA LIQUOREM. Ita sanè Prædicator doctus è sacris ac profanis eruditionibus, ceu totidem floribus, diversos succos, non sine auditorum gustu, eliquat. S. Gregorius Nazianzenus, Seleucum suum imbuens, *Posteaquam*, ait, *mentem variorum scriptorum lectione, tanquam in palæstra prius mediocriter exercueris, tum deinde in literis à sancto Spiritu profectis certamen suscipito, geminorumque fœderum ingentes opes colligito, quorum alterum vetus est, alterum semper novum.* D. Marinus eandem iconem eruditè ad Christum transfert, qui in horto Gethsemani pretiosas sanguinis sui guttulas destillabat, charitatis flore intra pectoris medullam succenso.

Prædicator eruditus. S. Greg. Naz. lib. Cygneorum Carm. ad Seleucum de rectâ educat. Christus in horto. D. Marin. p. 3. Lyra.

Suda sangue anhelante
Vaso, che colmo di bei fiori il seno,
A quel cocente ardor, ch' in lui sfavilla,
Liquidi odor soavemente stilla.

66. Furno Campano subscripsi; MELIORA SECERNO. vel ut P. Aloysio Novarino placet; UTILIUS ELICIO. Ita prudens studiosus meliores quasvis eruditiones ex Authoribus in manipulos suos secernit. S. Gregorius inter cætera documenta etiam istud de Gentilium libris recenset; *Debes sapienter COLLIGERE quæcunque sunt UTILIA, contraque solerti judicio vitare, quidquid in singulis est noxium.* Illam ipsam agendi rationem probè observatam habuit S. Franciscus Salesius in instituendo Ordine Visitationis B. Mariæ. Omnes enim Religionum Regulas, ad hæc usque tempora receptas, studiosissimè perlegit, easque non tantùm cum Divinis Litteris, & sacris Conciliis, sed etiam cum SS. Patrum doctrinâ ac hodiernâ praxi sedulò contulit. Postea verò illas in diuturnæ considerationis, assiduarum precum, & consilii maturi furno reposuit, donec tandem quintam, ut aiunt, essentiam, nimirum ordinem illum nobilissimum, suoque fini assequendo maximè accommodatum, felicissimè eliquârit: uti prolixè refert D. Christophorus Giarda.

Studiosus.
S. Greg. Naz. loco cit.

67. Eidem furno campano alii inscripsêre; MELIORA REFUNDIT. Illud ipsum animæ religiosæ est ingenium, quæ res quasvis meliores in Deum & egenos erogare consuevit. Abel, hoc elogio insignis, *obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.* S. Ambrosius [...]er illud Psaltis, *Holocaustum tuum pingue fiat;* [...], *hoc acceptabile est sacrificium, quod pingue, quòd nitidum, & quodam pabulo fidei ac devotionis, verbique cœlestis uberiore alimoniâ saginatum est.* Emblematis mentem sequentibus Jambis senariis explicat meus Concanonicus D. Salvator Carducius;

Giarda in Vita S. Frãc. Sal p. 2. c. 21.
Offerre Deo meliora.
Gen. 4. 4.
S. Ambr. l. 2. de Cain & Abel. cap. 5.

Meliora fundit igne rostratum organum:
Potiora donec corde, vel manu Polo.

68. Idem D. Carducius furno Campano inscripsit; MELIORA, NON MULTA. Innuit videlicet, librorum præstantiam non è vastâ mole, sed è paucarum rerum delectu metiendum esse. Porrò oratio ad Deum illa est optima, non quæ longissima, sed quæ sacris intentionibus ac suspiriis instructissima. Unde S. P. Augustinus testatur; *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, sed eas brevissimas: tamen & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur oratio.* Emblemati explicando hoc distichon subjicit Carducius;

Liber bonus non grandis.
Oratio brevis & bona.
S. Aug. Ep. ad Probam.

Rostratum meliora vitrum, non plurima fundit:
Nobile sic pretio, haud mole libratur opus.

69. Furnus Campanus nobiliores herbarum succos foras destillat, fæcibus intra sinum suum reservatis. Unde lemma; UTILIUS PELLO, DETERIUS TENEO. Ea nonnunquam est hominum insania, ut relicto saniore consilio, deterius sequantur. Inter hos primipilus est Roboamus, *qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes &c.* eâque suâ imprudentiâ extremam regno perniciem accersivit. Xerxes Artabani, senis prudentissimi, & patrui sui, consilio recusato, juvenilibus Mardonii suggestionibus adhæsit, & è Græciâ oppugnatâ infamiam retulit, uti de illo testatur Herodotus. Dionysius Siciliæ tyrannus, spreto Platonis consilio, aulicorum suorum assentationibus tamdiu morem gessit, donec è regni solio dejectus, pædagogum agere debuerit. Nero Senecam & Burrum, consiliarios fidissimos, aversatus, ob improvida aliorum consilia & imperio & vitâ excidit. Illos etiam hæc imago spectat, qui relictâ & exclusâ virtute, peccatum ac spurcitias carnales amplectuntur.

Imprudentia.
3. Reg. 18. 8.
Herod. lib. 7.
Sueton. in Nerone.
Peccator.

Unde monet S. P. Augustinus; *Non vocatus es ad amplectendam terram, sed ad comparandum cœlum: non vocatus ad felicitatem terrenam, sed ad cœlestem.*

S. Aug. ser. 106. de D. vers. cap. 1.

70. E Magnatibus quidam amorem suum cogitationibus nonnisi purissimis instructam significaturus, Furnum Campanum expressit, è cujus flammis crystallinæ ac limpidissimæ guttulæ destillabant; cum lemmate, CLARESCUNT IN FLAMMIS. Compendio dixit Magnus Augustinus; *Non faciunt mores bonos nisi amores boni.* Opportunè in rhytmis suis canit Hieronymus Prete;

S. Aug. ser. 115. de D. vers. cap. 1.

Veggio, quando à mirar costei m'affiso,
Ch' un raggio in lei di deità risplende,
E la men bella parte è la mortale.
Quindi il pensiero à Dio spiegando l'ale,
De un bel volto s'inalza al Paradiso,
E maraviglie altrui segrete intende.
Quindi l' anima apprende
Vincer gli affetti, è trionfar de i sensi,

Et in Lopii Vegæ funere Fulvius Testi Comes;

Jo tò ch'un gentil core,
Qual massa d'or, che si cimenti al foco,
In nobil fiamma raffinar si suole.

71. Furnus Campanus epigraphen præfert; PURIORA SURSUM. Hinc discas, res quasvis optimas ac nobilissimas Deo esse offerendas. Prototypi loco sanctum Abelem habeto, qui Numini sacrificaturus, è proprio suo grege agnos candidissimos, pinguissimos, ac optimos delegit: secus atque improbus Cain, cujus munera nonnisi ex acerbis, distortis, & imperfectis frugibus cõstabant. De dispare hoc fratrum genio S. Cyrillus Alexandrinus ait; *Sacer, & pientissimus Abel, quæ inter gregem suum præstantiora essent, Deo optimo offerebat; Cain verò, quæ ex tempestivis excellentiores essent, suis delitiis reservabat; quæ verò deteriores, Deo offerre non erubescebat.*

Oblatio.
S. Cyrill. Alex. lib. 2. in Gen.

72. P. Aloysius Juglaris ad funebrem Victorii Amedei, Sabaudiæ Ducis, pompam, furnum Campanum figuravit, qui crebras guttulas elachrymans, inscriptionem sustinebat; ARCANA INCENDIA PRODIT IMBRIBUS. seu rectius; IMBRIBUS INCENDIA PRODIT. Significabat quippe, assiduos superstitis regiæ viduæ planctus è sincero amore scaturiginem suam trahere: lachrymæ enim ardentis amoris effecta sunt. Unde de Magdalenæ fletibus disserens S. Gregorius Papa, *Discite*, inquit, *quo dolore ARDET, quæ FLERE & inter epulas non erubescit.*

Amans lachrymosus.
S. Greg. Hom. 33. in Evang.

73. Alcibiades Lucarinus furno Campano subscripsit; CLARA QUÆCUNQUE PROFERT. Hoc encomio insignis S. Thomas Aquinas, doctrinam suam ad miraculum copiosam, facilem, ac claram per orbem litterarium sparsit. Sancta Ecclesia de illo testatur; *Scripta ejus & multitudine, & varietate, & facilitate explicandi res difficiles, adeò excellunt, ut ob eam causam etiam nomen Doctoris Angelici, jure sit adeptus.* Idipsum in quovis scriptore exigens Justus Lipsius, ait; *Candor si abest à scriptis, nebulæ & livor habent, nec illustrabit ea diuturnior lux famæ.* Cæterùm preces ad Deum fundere oportet claras, & ab omni vitiorum fæce liberas.

S. Thom. Aquin.
Scriptor.
Lips. Centur. singular. ad Germ. Ep. 4.
Oratio.

74. Furnus Campanus destillans, epigraphen tenet; REDDET AD EXTREMUM. Animam, ad ipsum usque extremum vitæ suæ halitum, gratam ac munificam, hoc Emblemate significabis. David luculentus sibimet testis sanctè decrevit; *In diebus meis invocabo*; seu, ut S. Ambrosius vertit, *In omnibus diebus meis.* Enimverò, inquit ille, *Certè diebus invocare, non omnibus, fastidientis est, non sperantis:* Et paulò

Gratitudo.
Psal. 114.
S. Ambr. in Orat. funeb. de obitu Theodosii.

paulò post; *Quia semper accipis, semper invoca: & quia quod habes, à Domino est, debitorem te semper esse agnosce.* Eâdem omninò ratione in piacularibus flammis pro minutissimis quibusvis culpis pœnas exactissimas dabimus. Dilucidè Christus; *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.*

Purgatorium. Matt.5.26.

75. Furni Campani flamma in herbas floresque suppositos tamdiu grassatur, donec omnes spiritus, in iis conclusos, eliquaverit. Unde nobile quoddam Vivacium Placentinorum ingenium subscripsit; SPIRITUS DONEC EXTRAHAT OMNES. Ita libidinis flamma, in juvenili animo, quantumvis religioso, prædominari solita, quantocius illum in virtutis amore penitùs exsuccum & arentem efficit. In hanc rem disertus S. Basilius; *Fit ad orationem cunctatior. Deinde sensim illius menti se ingerit meditatio, ut à proposito deficiat. Denique ad omnimodam perditionem per varios errorum anfractus adducitur.* Eâdem etiam avari ac improbi Principis idea est, qui nunquam acquiescit, donec subditorum arcas omnes, & ipsam adeò vitam evacuaverit. Hoc sensu D. Salvator Card. canit.

Libido. Basil. in Ep.1.Isa. Princeps avarus.

VIS DONEC OMNIS extrahatur; improbo
Torquentur igne amœna veris gaudia.
Incensa sic libido avari Principis
Vires, opesq; floridi absumit gregis.

76. D. Cherubinus Brusonus primis suis annis furnum Campanum figuravit, qui copiosos liquores in vasa circumjacentia destillans, epigraphen è Tassi poëmate subjunctam habuit; E DENTRO AUVAMPA. Id est; SUCCENDITUR INTUS. Amans plangens, cumprimis verò Magdalena, dum interiore charitatis Divinæ incendio flagrabat, in lachrymas uberrimas solvebatur. Appositè S. Joannes Chrysostomus; *Incredibilis in Christum amoris igne succensa, & à maximis sordibus peccatorum largissimo lachrymarum fonte purgata; quia perfectè incaluerat pœnitudo, bacchari (ut ita dixerim) cœpit desiderio exagitata Christi. Siquidem continuò & crines resolvit, & sanctos pedes uberibus diluens lachrymis, ac propriis extergens capillis, pretioso rigavit unguento. Et hæc quidem extrinsecus cuncta faciebat, ea verò, quæ in secreto mentis agitabat, multò his erant ignitiora.*

Amans plangens. Magdalena. Chrysost. hom.6. in Matth.

77. Furnus Campanus limpidissimas guttulas exsudans, à D. Joanne Bapt. Mazzaleno epigraphen recepit; SUDOR IT IN PRETIUM. Mens Emblematis erat, laboriosos sudores, in scholis aut studiis versatos, maximo virtutis & gloriæ pretio compensari. Præclarè Philo; *Nam sicut à cibo tota vita pendet, quidquid in rebus bonum est.* Et S. Bernardus: *Virtus*, seu labor, *gradus est ad gloriam; virtus mater gloriæ est.*

Labor gloriosum facit. Philo l. de vel. sacrif. S. Bern. ser. de S. Victore.

78. Cor S. Pauli, virtutum aromatis plenum, ac intenso charitatis Divinæ ardore succensum, assiduos ac fragrantissimos limpidæ doctrinæ rivulos depluebat. Eò animum advertens D. Sigismundus Laurentius, furnum Campanum figuravit, qui odoratos liquores destillans, epig. tulit. ET BONUS EX ARDORE ODOR. Opportunè in rem præsentem is ipse S. Paulus dixit: *Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui salvi fiunt. &c* Porrò ex persecutionum & calamitatum ardore suavissimus virtutum & patientiæ odor cliquatur. S. P. Augustinus; *Cœpit persecutionem pati odor Sanctorum, sed quomodo ampullæ unguentorum, quantò magis frangebantur, tantò amplius odor effundebatur.*

Paulus prædicans. 2.Cor.2.15. Persecutio. S. Aug. ser. de Div. ?.cap.5.

79. P. Bartholomæus Pancierus, Augustinianus Excalceatus, Emblematis moralis loco furnum Campanum statuit, qui locupletes guttulas elachrymatus, ingentem florum copiam vicinam habuit; cum lemmate, EX VERNO RISU LACHRYMÆ. Ita sanè omnes mundi blanditiæ è momentaneo risu in acerbissimos planctus desinunt. Oraculum Divinum est; *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* S. Bernardus *de nimia fallacia præsentis vitæ* ait; *Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in divitiis, gaudent & in vitiis homines: sed luctus extrema occupat ejusmodi gaudiorum.* Et paulo post; *Sicut flammæ novissima fumus occupat & caligo: sic lætitiæ lætæ rei in tristitiam commutatur.* Ipsummet Servatorem comminantem audi; *Væ vobis, qui RIDETIS nunc; quia lugebitis, ET FLEBITIS.*

Delitiæ mundi. Prov.14.13. S. Bern. ser de nimia fallacia vitæ præsentis. Luc.6.25.

INCVS.

Caput XII.

80. INnocentius Cibo Cardinalis incudem unicâ hâc voce, ceu lemmate insignivit; DURABO. Nimirùm animum suum, adversus quosvis calamitatum insultus imperterritum ac immobilem, significare volebat. Picrius Valerianus, in hanc Emblematis mentem concedens, ait, ab incude hoc documentum cumprimis tradi; DURANDUM: additque; *Incus igitur hieroglyphicum fortissimi ponatur animi, sive pro præcepto, quo in adversis durandum admoneamur, neque ullis procellarum sævientium tempestatibus moveamur, seu contra Fortunæ quantumbibet injuriosæ ictus enitamur.* Idque prolixâ tam Græci cujusdam Poëtæ, quàm Marci Tullii authoritate demonstrat.

Resistentia. Pier. Val. lib. 48. Cicero lib. 2. de Orat.

81. Incus, resiliente malleo percussa, epigraphen tenet; ICTUS REPELLIT. Ita magnanime ac heroicum hominis pectus adversas quasvis injurias ac vires reprimit. S. Gregorius Nazianzenus;

Resistentia. S. Greg Naz. Carm. Iamb.29.

Ut spernit ingens stridulos incus sones,
Sic PELLIT omnes mens sagax injurias.

Velut traducunt alii;

Gravibus nihil movetur incus pulsibus;
Infracta CASUS mens REPELLIT NOXIOS.

82. Generosum ac imperterritum hominis pectus ex incude percussâ demonstratur, quæ hanc gnomâ præferat; ICTIBUS IMMOTA. Tullii sententiâ, *Ad magnanimum pertinet, ea quæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil à statu naturæ discedat, nihil à dignitate sapientis.* Emblematis mentem sequenti distiche explicat meus D. Salvator Carducius;

Imperterritus animus. Cicero lib. 1. de Offic.

En immota manet repetitis ictibus incus:
Nobilis intrepidi cordis imago sonat.

83. Invictam hominis mentem incus percussa demonstrat; cum lemmate, TUNDOR, NON FRANGOR. Bargalius hâc icone Servatorem, flagellis cæsum, ob oculos statuit. Eadem tamen etiam sanctos Martyres concernit, qui totis membris dilaniati ac contusi, nihil unquam de sua constantia remiserunt. Seneca heroicam illam tolerantiam persuasurus, Deum in hæc verba loquentem sistit; *Multa incidunt tristia, horrenda, dura toleratu. Quia non poteram vos istis subducere, animos vestros adversus omnia armavi. Ferte fortiter: hoc est, quo Deum antecedatis. Ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite dolorem: aut solvetur, aut solvet. Contemnite fortunam: nullum illi telum, quo feriret animum, dedi. Contemnite mortem, quæ vos aut finit, aut transfert.*

Imperterritus animus. Christus flagellatus. Martyres. Senec. lib. Quare bonis viris. &c.

84. Heroum animos è calamitatibus magis generosos effici Incus haud obscurè persuadet, quæ Patre Certano authore, epigraphen recepit QUANTO BATTUTA PIU'; TANTO PIU' INDU-

Generositas. Senec. lib. de Provid.

INDURA. Id est; SUB ICTIBUS FORTIOR. Seneca; *Quid mirum*, inquit, *si durè generosos spiritus Deus tentat? Nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos, & lacerat fortuna. Patimur, non est sævitia, certamen est. Quò sæpiùs adierimus, fortiores erimus.* Venerabilis Beda idipsum de S. Ecclesia pronuntians, ait; *Dum Catholica Mater Ecclesia per totum orbem longè latèque diffusa, in ipso capite suo Christo Jesu edocta, contumelias, crucem & mortem didicit non timere, magis magisq; roborata est, non resistendo, sed perferendo.*

Beda ser. 18. de Sanctis.

Generosus.

85. Carolus Bovius erudito Emblemate demonstrat, Incudis robur non quidem verberibus inferendis, sed recipiendis comprobari. Epigraphen addidit. FERENDO, NON FERIENDO. veluti diceret; genuinam magnanimitatem ex injuriis toleratis, non verò vindicatis, dignosci. S. Joannes Chrysostomus; *Qui lædit, superare læsum videtur, sed perniciosa sibi victoria superat. Læsus autem, si magno animo præfert injuriam, quamquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est, sæpenumero ergò vinci, quàm vincere præstantius est.*

S. Io Chrys. Hom 85. in Matth.

L A G E N A, *Caput* XIII.

86. FErramenta, furfuri, oleo, aceto, & aquis intra lagenam commixta, fortique brachio agitata, paulò post excussâ rubigine, pristinum nitorem induunt. Unde lemma; AGITATA CLARESCUNT. Haud aliter generosa pectora, quò acerbioribus malis jactata, tantò majorem splendoris sui copiam spargunt. Et si fortè dictis nostris fidem abnuas, intuere, obsecro, in igne Scævolam, in veneno Socratem, in egestate Fabricium, in exilio Scipionem, in morte Catonem, aliosque sexcentos, qui in extremis calamitatibus amplissimam gloriæ explicandæ segetem repererunt. Seneca; *Rutilii innocentia, ac virtus lateret, nisi accepisset injuriam, DUM VIOLATUR, EFFULSIT.* Et S. Gregorius Nazianzenus; *Vir philosophica mente præditus, afflictionibus INCLARESCIT.*

Calamitas illustrat.

Senec Ep 79.

S. Greg. Naz Orat in Maximum.

87. Lagena, rubiginosis aliquot ferramentis instructa, & assiduis revolutionibus agitata, inscriptionem tenet; DUM VEXAT, ILLUSTRAT. Verbis è Seneca mutuatis, ubi ait; *De his loquor, quos illustravit fortuna, DUM VEXAT.* Ita nimirùm adversitates splendoris aucupandi instrumenta sunt opportunissima. Jobus calamitatum agitatione mirificè illustratus, id elogii à S. Ambrosio retulit; *Diaboli malitia, Job, sancti viri fecit esse virtutem & patientiam clariorem.*

Senec. Ep. 79

Calamitas utilis.

S. Ambros. de Paradis. cap. 7.

88. Lagena agitata epigraphen reddit; NITESCIT INTRO. Innuit videlicet, sicuti ferrum, intra ipsam conclusum, è valida agitatione splendorem insignem sortitur, ita animam, exteriore corpore afflictam & exagitatam, ad clarissimam internæ perfectionis lucem promoveri. Salvianus; *Infirmitas carnis vigorem mentis exacuit: ut affectis artubus, vires corporum in virtutes transferantur animorum.* Et S. Joannes Chrysostomus; *Tantam fortitudinem habet virtus, ut CLARIOR FIAT CUM INFESTATUR.*

Calamitas utilis.

Salvian. lib. 1. de Gubernat. Dei.

S Io Chrys. Hom. 61. in Gen.

L I M A. *Cap.* XIV.

89. STudia intellectum quidem illustrant, at sanitatem imminuunt: ut adeò illa cognomine vulgari, & minimè absono, *lima surda* dicantur. Proinde limam, ferro exterendo applicatam, hoc lemmate insignies; EXTERIT, DUM POLIT. P. Joannes Rhò iteratis vicibus mihi dixit, viris litteratis plurimâ cautelâ opus esse, ne libris construendis se ipsos destruant. Apuleius, *Continuatio litterati laboris*, inquit, *omnem gratiam corpore detergit, habitudinem tenuat, succum exsorbet, colorem oblitterat, vigorem debilitat.* Ab hoc argumento nihil alienus P. Famianus Strada, inter cæteras suas Prolusiones Sylvium Antonianum sistit, qui Francisco Boncio assidua studia dissuasurus, eam dulcibus & affectuosis his consiliis interpellat:

Studia.

Apul. apol. 1

Fam Strad. lib. 1. Prolus. 1.

---- ---- ---- ---- Quid ultra
Tendis agens? oblite tui, atque oblite tuorum
Ante diem properas, & vivax infodis ævum!
Durus es, emerito qui fraudas lumina somno
Perdius & pernox: nempe ut limatius una
Exeat, excussoque cadat sententia torno.
Hæc eadem QUÆ lima stylum TERRET, ATTERIT. annos.

90. Joannes Zaratinus Castellinus gentilitiam Academiæ limam hoc epigrammate distinxit; DETRAHIT ATQUE POLIT. Nimirum sicuti ferrum limæ beneficio rubiginem omnem excutit, ac politur, ita, Domino Cæsare Ripâ asserente, Academia severis prudentum censuris, ceu totidem limis subjecta, rebus quibuslibet superfluis expurgatur, ac splendorem toto orbe illustrem sortitur. Hanc sibi legem sancivit Ovidius;

Academi[a]

Correcti[o] utilis.

Scilicet incipiam limâ mordacius uti,
Ut sub judicium singula verba vocem.

Ovid. lib. 1. de Ponto.

Quintiliani gnoma erat; *Opus poliat lima.*

Quint lib. 10. cap. 111.

91 Lima supra adamantem figurata, epigraphen sustinet; NULLA POSSO LEVARNE. Id est: NIL DETRAHERE QUEO. Verbis è Petrarcha mutuatis;

Petrarch. p. 1 sonett. 13

Nulla posso levar io per mio ingegno
Dal bel diamante, ond'ella ha il cor si duro.

Amantis hæc idea est, qui suis precibus, quamlibet importunis, obfirmatam cordis pudici castimoniam nulla unquam parte labefactare potest. Porrò animus fortis, quantumvis adversitatibus subjectus, integer semper persistit. Senecæ sententiâ, *Fortis & compositus animus est, qui nec ablatum quidquam sibi sentit, nec abjectum; sed in eodem habitu stat, quocunque res cedunt, sive geruntur.*

Amans delusus.

Fortis.

Sen. Ep. 17.

92. Calamitates ac Martyria, ceu totidem limæ, vitam corpoream corrodunt, animæ splendore plurimum interea augescente. Unde lima, supra gladium fatigata, epigraphen præfert; DETERENDO COLLUSTRAT. Aponius de animâ, Deo chara, scribit; *Immaculata autem laudatur; & pro ejus nomine moriendo, lima martyrii splendescit.*

Martyri[a] Calamitas.

Apon. lib. 1 in Cant.

93. Limam hoc lemmate legendam propones; EXTERIT, SED ACUIT. Ita nimirùm calamitas & paupertas corpus quidem debilitant, at ingenii aciem plurimum promovent. De se ipso Horatius canit;

Paupertas.

Horat lib. 2 Epist. 2.

Unde simul primùm me dimisêre Philippi
Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris & fundi pauperies impulit audax
Ut versus facerem

Senecâ teste, *Multis ad philosophandum obstitêre divitiæ. Aut ergò pauper sis, aut pauperi similis, si animo vacare vis.* Denique Manilius canit;

Sen. Ep. 17.

Manil lib. 1

Sed cùm longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemq;
Advigilare sibi jussit fortuna premendo;
Seducta in varias certârunt pectora curas.

Et

Et quodcunque sagax tentando repperit usus,
In commune bonum commentum læta dedêre.

94. Lima, serræ cujusdam dentes exterens, epigraphen tenet; ACIEM RESTITUIT. Hæc ipsa calamitatum effecta sunt, quæ homines mundanos, in negotiis Divinis hactenus penitus obtusos, imposterum reddunt perspicaces & acutos. Certè Nabuchodonosor, metamorphosi penitus insolitâ, in bovem transformatus, omnibus cœli ac elementorum injuriis obnoxius, tandem ad frugem rediit. *Post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, & SENSUS meus REDDITUS est MIHI: & altissimo benedixi. &c.* De paupertate dixit Seneca. *Quod divitiis non potes scire, paupertate scies.*

Calamitas. Deut. 4 31. Senec. Ep. 20

95. Assiduâ diligentiâ res quasvis pro libitu obtineri, è lima haud obscurè disces, quæ omnem massæ ferreæ rubiginem exterens, inscriptionem tenet; EXPOLETUR TANDEM. Apollodorus, à Joanne Stobeo adductus, dicere consueverat; *Si tibi sat temporis ad negotia sumpseris, perficientur, & domabuntur omnia.* Nec aliter Antiphanes apud eundem; *Omnia diligentiæ subjiciuntur.* Et Democritus; *Plures fiunt exercitatione boni, quàm naturâ.*

Diligentia. Stobæus in serm. 29.

96. Lima, aurifabris usitata, ac supra rubinum posita, epigraphen reddit; TANTUM UT PROBET. Innuit videlicet, calamitates à Deo in Jobum, Davidem, Tobiam, aliosve homines justos nonnunquam immissas, illis duntaxat in virtutis palæstra probandis, non verò perdendis, destinari. S. P. Augustinus; *Justis, quidquid malorum irrogatur, non est pœna criminis, sed VIRTUTIS EXAMEN.*

Calamitas. S. Aug apud Lipsium lib. 1. Physiolog. dissert. 16.

97. Religiosus aut Prædicator, dum, sub defectuum corrigendorum schemate, nimiâ sæcularium consuetudine ac familiaritate utuntur, aliena quidem vitia elimant, at propriæ perfectionis jacturam non levem sustinent; haud secus atque lima, ferrugini exterendæ dedita, se ipsam consumit. Unde lemma; TERITUR, DUM DETERIT. Aristotelis dictum est; *Omne agens in agendo patitur à patiente.* Ut adeò P. Julius Nigronius in rem nostram opportunissimè concludat. *Lima es, quæ rubiginem vitiorum abradis à ferreo pectore peccatoris: at dum deteris abradendo, nonnihil ipse detereris. Scalpellum es, quo cor lapideum sæcularis hominis in pulcherrimum formatur signum; at scalpendo frequenter, acumen lapidis duritie retunditur. Ipse annulus signatorius, quamquam durissimus, obsignando consumitur. Similiter evenit Religiosis in conversatione cum sæcularibus; tametsi id faciant studio formandi eos in vasa gloriæ.*

Prædicator. Societas. Arist. l. 4. de gener. anim. cap. 3. Jul. Nigr. Regul. 36. Commun. 1. 8.

98. Lima, ferro corrodendo applicata, tandem illius aciem ita acuit, ut inter arma recenseatur. Opportunum proinde Patris Novarini lemma est; DUM SPOLIAT, ARMAT. Paupertatis hoc symbolum dixeris, quæ Dei servos transitoriis bonis omnibus expolians, iisdem ad mundum, dæmonem, ac vitia superanda plurimum acuminis subministrat. S. Petrus Chrysologus; *Quod si virtutibus cognata paupertas; terrena & cœlestis probatur disciplina. Athleta ad certamen nudus accedit; confligit cum fluctibus nauta nudus; Miles in acie nonnisi expeditus assistit: qui tendit ad Philosophiam, totum, quod in rebus est, ante contemnit.*

Novarin. Schediasm. lib. 3 n. 101. Paupertas. S. Pet. Chrys. serm. 28.

MALLEUS. *Cap.* XV.

99. Ferrum, libratis ac reductis malleis supra incudem pulsatum, epigraphen tenet; ALTERNIS ICTIBUS. Hinc alternantes quorundam labores; vel certè injurias, reciproco assultu innovatas, demonstrabis. Illo ipso Emblemate etiam innuitur, cœptis negotiis sua nonnunquam otia interponenda esse: sicuti enim mallei mutuis officiis laborant & quiescunt: ita corporis & animæ conatus certis intervallis distinguantur, necesse est. Sapientissimè Seneca; *Neque ego te jubeo semper imminere libro aut pugillaribus. Dandum & aliquod intervallum animo; ita tamen, ut non resolvatur, sed ut remittatur.*

Laboris & quietis vicissitudo. Senec. Ep 15.

100. Malleus, clavum ex assere retrahens; epigraphen reddit; OBLIQUANTES EVELLIT. Bonus Judex aut Princeps sceleratos omnes evellit, ac civium consuetudine interdicit. S. Joannes Chrysostomus; *Agriculturæ imitatur principatum: est enim princeps quidam plantarum cultor, alia quidem amputans & prohibens, alia verò fovens, & excrescere faciens; itidem & optimi Principes, malos ac nocivos puniunt: bonos verò & frugi ad meliora provehunt.* Quin, ipsemet Deus Hieremiæ in hæc verba loquebatur. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas & destruas. &c.*

Judex. Princeps justus. S. Io. Chrys. Hom. 15. in Epist. ad Cor. Hier. 1. 10.

101. Alcibiades Lucarinus cæmentarii malleo inscripsit; CONSTRUIT, ET DESTRUIT. Excellens Orator gemina hâc prærogativâ persuadere & dissuadere novit. De Principis authoritate Divinum oraculum Hieremiæ ore pronuntiat; *Constitui te super gentes & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Porrò etiam Prædicator tantundem vitiosis suis exemplis *destruit*, quantum doctrinæ suæ studio *construit*. Appositè, nec sine aculeo, Mellifluus Bernardus; *Quos instruunt verbo sanctæ prædicationis, destruunt exemplo pravæ operationis.*

Orator. Princeps. Hier. 1. 10. Prædicator flagitiosus. S Bern ser. ad Pastor. in Synod.

102. Idem cadenti malleo inscripsit; PONDERE QUOQUE. Dicere volebat, cæmentariorum malleos non solo aciei acumine, sed & gravi suo pondere damnum afferre. Certè S. P. Augustinus tam ingenii sui acumine, quàm rationum pondere, ac vitæ authoritate adversas hæreses jugulavit. Unde Papiæ ad S. Petrum in Cœlo aureo, ubi sacra Magni hujus Doctoris lipsana asservantur, mei Concanonici assiduis encomiis ingeminant; *Augustine lux Doctorũ, firmamentum Ecclesiæ, malleus hæreticorum, summũ vas scientiæ. &c.* Cæterùm eodem Emblemate S. Antonium de Padua afficere licet, qui undecim integris annis sub Sancti Augustini signis inter Candicos Regulares Olyssiponenses & Conimbricenses numeratus, id elogii à S. Ecclesia retulit; *Summâ vi profligavit hæreses, ideoque perpetuus hæreticorum malleus est vocatus.* Cæterùm Prædicator non tantùm rationũ acumine, sed & vitæ ac authoritatis suæ pondere vitia destruit. Magni Augustini testimonio; *Ad discendum necessariò dupliciter ducimur; authoritate, atque ratione. &c.*

S. Augustinus. S. Anto. Pad. Prædicator. S Aug lib. 2. de Ord. c. 9.

103. Malleus, falcis messoriæ aciem crebris ictibus acuens, epigraphen Hispanam præfert; PICA, Y NO QUITA. Id est; PERCUTIT, NON ADIMIT. Illa ipsa calamitatum est indoles, quarum iterata verbera nihil unquam fortitudinis è generoso pectore tollunt. S. Paulus; *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus.* Et Seneca. *Proprium est magnanimitatis veræ, non sentire se percussum.*

Calamitas. 2. Cor. 4. 8. Senec lib. de Moribus.

104. Dominicus Gambertus malleum, dum ferro candenti intra officinâ cudendo insistit, hâc Tibulli gnomâ insignivit; IN MELIUS VERTET. veluti diceret, nimiâ conniventis Dei benignitate animos nostros penitus distortos evadere: contra verò moderatis cruciatibus erigi, & è vitiosa conscientiæ curvi-

Tibull. l. 3. Eleg 3. Correctio aspera. Castigatio.

curvitate in novam ac perspectissimam speciem formari. In hanc rem Procopius; *Tam est nostræ salutis peritus artifex Deus, ut vel plagas incutiens medeatur.* Et S. P. Augustinus; *Punctus tribulatione, cœpi quærere refugium, quod in illa felicitate sæculari desieram quærere.*

Procop. in cap. 9. Isa. — S. Aug. in Psal. 93.

105. Malleolus, æneis citharæ fidibus intendendis ac contemperandis accommodatus, epigraphen tenet; AD USUM UNDIQUE. Hominis docti & laboriosi hæc idea est, qui armis, litteris, artibus mechanicis, cæterisque rebus omnibus tractandis idoneus, hominem verè universalem repræsentat. Hac prærogativâ Portium Latronem cumprimis floruisse testatur Seneca, quippe qui in studiis indefessus, in ludis gratiosus, in labore validus, in incessu gravis, in agendo benignus, in sermone facundus, & in re qualibet, sive ingenii, sive corporis illa esset, insignem se probavit. *Nihil*, inquit, *viro illo gravius, nihil suavius, nihil eloquentiâ suâ dignis. Nemo plus ingenio suo imperavit, nemo plus indulsit. Cùm se ad scribendum concitaverat, jungebantur noctibus dies: & sine intervallo gravius sibi instabat: nec desinebat, nisi defecerat. Rursus cùm se demiserat, in omnes lusus, & in omnes jocos se resolvebat. Cùm verò se sylvis, montibusque tradiderat, omnes illos aggrestes, in sylvis ac montibus natos, laboris patientiâ, ac venandi solertiâ provocabat: & in tantam sic vivendi pervenerat cupiditatem, ut vix posset ad priorem consuetudinem retrahi. At cùm sibi manum injecerat, & se blandiendo, unde abduxerat, revocârat, tantis viribus incumbebat in studium, ut non tantum nihil perdidisse, sed multum acquisivisse desidiâ videretur.*

Homo universalis. — Seneca in Proœm. lib. 1. controvers.

106. Malleus, monetæ cudendæ intentus, utramque illius faciem unico ictu signat. Unde lemma; IMPRIMIT UTRIMQUE. Præclara hæc Francisci idea est, qui seraphico imprimente, genuinam vulnerati ac Crucifixi Servatoris imaginem simul in corde & corpore recepit. De hoc S. Bonaventura; *Dira conspecta crucis affixio, ipsius animam compassivi doloris gladio pertransivit.* Et paulò infrà; *Hæc visio mentem ipsius seraphico interius inflammavit ardore: carnem verò Crucifixo conformi exterius insignivit effigie, tanquam si ad ignis liquefactivam virtutem præambulam sigillativa quædam esset impressio subsecuta.*

S. Franciscus cum stigmatis. — S. Bonav. in legenda S. Francisci. cap. 13.

107. Malleus fabrilis cuditur cum lemmate; UT CUDAM, ANTE CUDOR. Sic qui aliis rectè imperare, aut formare alios volunt, ante eos formari & imperium ferre, necesse est. Seneca; *Quomodo, aut cui tandem hic liberè imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrænet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, cæteras animi labes repellat: tunc incipiat aliis imperare, quum ipse improbissimis Dominis dedecori & turpitudini parere desierit.* Et rursus; *si vis omnia tibi subjicere, te subjice rationi. Multos reges, si ratio te rexerit; ab illa disces, quid & quemadmodum aggredi debeas.* Coronidem Emblemati imponens Socrates, ait; *Qui multarum habet potestatem rerum, primum purgare conscientiam debet: ut quæ delicta corrigit, non admittat, vitetque quod vindicat. Stultum enim est, ut velit quis aliis imperare cùm sibi ipsi imperare non possit.*

Princeps. Prælatus. — Senec. l. 10. Rhetor. — Idem in Epist. — Socrat. in Jus Exhort.

MODVLVS. Cap. XVI.

108. Christus Divina sua vulnera tam S. Francisci corpori, quàm ipsius animæ impressit. Unde Emblemati non quidem proprio, sed tamen gratioso, modulum depinges, qui plumbeis glandibus efformandis accommodatus, epigraphen teneat; IMPRIMIT UTRIMQUE. Enimverò sicuti gemini moduli cochleare globum utrimque rotundum efficit, ita seraphicum illum Patriarcham charitatis flammâ penitùs succensum testatur S. Bernardinus Senensis; *Tali liquefactus ardore, MENTE ET CARNE totus defluxit intra sculpturam vulneris apparentis Jesu, & amans in amatum, per vim hujus amoris transformatus est.*

S. Francisci stigmata. — S. Bern. Sen. p. 2. ser. ... art. 1. cap. ...

109. Cretæ aut plumbi massa, in modulo constricta, rotunditatem ac perfectionem, à pristina informi forma prorsus diversam sortitur. Unde lemma; PRESSA FORMATUR. Haud aliter anima, diversis calamitatibus probè coarctata, relicto pristino vitiorum dedecore, in virtutis speciem perfectissimam efformatur. Explicatè S. Gregorius; *Electorum desideria, dum premuntur adversitate, perficiuntur.* Et meus sapientissimus Idiota; *Nequaquam contemnenda est tribulatio, quæ cordis est sanitas, & via recta ad vitam, quæ elationem deprimit, lasciviã reformat, intemperantiam edomat, & denique omnes actus illicitos.*

Calamitas. — S. Greg. lib. 26. Moral. — Idiota lib. de vera Pa...

110. Ferreus characterum modulus, dum ab igne candet, notas inurit, nullo oblitterandas ævo. Unde lemmatis loco hanc vocem substitui; INDELEBILITER. Trina Baptismi, Confirmationis, & Ordinis sacramenta animam fidelem charactere adeò indelebili insigniunt, ut nullum illorum iterari oporteat. Porrò etiam calumnia, à linguis maledicis adversus aliorum famam sparsa, stigmate perenni durat. Unde Plutarcho teste, improbus quidam consiliarius Alexandro Macedoni suasit; *Si quem habes hostem, convitiis illum audacter pete; licet enim vulnera curet, manet semper cicatrix.*

Baptism. Ordo. — Detract. — Plutarch.

111. Duo unius moduli aperti cochlearia unicum tantum hominis cor intra se efformatum ostendunt. Unde lemma; SOLO UNA COSA. Id est; EX GEMINIS UNUM. Amicorum hanc effigiem dixeris, qui tametsi corpore diversi, voluntate tamen & affectibus penitùs uniti ac concordes vivunt. In hanc rem illustre exemplum afferunt Regum fasti; *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathas quasi animam suam.* Eâdem omninò ratione S. P. Augustinus de quodam defuncto suo addictissimo amico philosophatur; *Benè quidam dixit de amico suo, dimidium animæ meæ. Nam ego sensi ANIMAM MEAM, ET ANIMAM ILLIUS, UNAM FUISSE ANIMAM in duobus corporibus; & ideo mihi oneri erat vita, quia nolebam dimidius vivere, & ideò fortè mors metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram.* Hanc cordium unitatem prorsus mirificam in S. Basilio Magno & S. Gregorio Nazianzeno videre erat. Unde in illius funebri panegyrico S. Gregorius testatur, *UNA UTRIQUE ANIMA videbatur, duo corpora ferens quod uterque in altero, & apud alterum positi eramus.* S. Paulus, in Dei amorem penitus absorptus, de seipso candidè fatetur, *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Hunc locum interpretatus S. Chrysostomus, ait; *Cor itaq; Christi, erat cor Pauli, tabulaque Spiritus sancti.* Et S. Laurentius Justinianus; *O amor, quid retribuam tibi, quod me fecisti Divinum? Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. Inenarrabilis est, O amor, virtus tua. O amor, qui lutum transfiguras in Deum!* Opportunè hanc iconem de S. Francisco intellexeris, quem, sacris vulneribus insignem, Bartholomæus Pisanus hoc elogio prosequitur: *Corpus & caro B. Francisci est figura Jesu Christi depicta & figurata: ut videndo B. Franciscum, videatur Christus.* Illud ipsum etiam Geneseos historia de sponsis disertè pronuntiat; *Erunt duo in carne una.*

Amici. — 1. Reg. 18. 1. — S. Aug. l. 4. Confess. c. 6. — S. Greg. Naz. Orat. funeb. S. Basilii. — Galat. 2. 20. — S. Io. Chrys. Hom. 22. in Ep. ad Rom. in Moral. — S. Laur. Iust. de incend. Divini amoris c. 3. — Pisan. Conform. l. 3. fruct. 3. p. 2. — S. Franciscus. — Matrimonium. — Gen. 2. 24.

MODVLVS FERREVS MVLTIFORIS.

Cap. XVII.

112. MOdulus ferreus, plurimis laxioribus & angustioribus foraminibus instrui solet, ut aureæ vel argenteæ lamellæ, per illa transfadactæ, in tenuissima fila deducantur. Unde argentea virgula, intra modulum illum coarctata, epigraphen tenet; ANGUSTIIS APTIUS. Nimirùm educatio rigorosa, ad juventutem gubernandam ac perficiendam, omnium est accommodatissima. De hâc Seneca; *Tenuis ante omnia sit victus, & non pretiosa vestis.* Et Horatius;

Juventus rigidè educanda.

Senec. l. 1. de Ira c. 22. Horat. lib. 3 Carm. Od. 2.

Angustam amici pauperiem pati
Robustus acri militiâ puer
Condiscat, Parthos feroceis
Vexet eques metuendus hastâ:
Vitamque sub Dio, & trepidis agat
In rebus.

Summum in liberis educandis rigorem observârunt Spartani, de quibus Alexander ab Alexandro in hæc verba testatur; *Infantes primùm editos, ut labore firmentur, rigidissimâ aquâ fovere, nudósque in patientia laboris enutrire; nihilq; somni causâ sternere proditum est. Nec non cibi, potionisq; modo præfinito humili cultu educare, duraq; & horrida disciplina severissimis moribus assuefacere, illis magnæ curæ fuit.*

Alex. ab Al. lib. 2. Dier. genial. c. 25.

113. Alcibiades Lucarinus, ferrei moduli Emblemate sæpius usus, ait; virgulas seu fila metallina semper EX LATIORIBUS AD ANGUSTIORA foramina pertrahi. Hunc stylum Deus observatum habet, qui miracula grandia, ac summè admiranda operaturus, faciliora aliqua, ac humanæ fidei magis accommodata; præmittit. In hoc argumentum S. Gregorius Nyssenus Elisabetham exempli loco producit, quæ, jamjam decrepita ac sterilis, S. Joannem Baptistam insolitâ fœcunditate parturiit. Verùm hoc prodigio, veluti in humanæ fidei prægustum patrato, mox subsecutum est alterum longè majus, dum nimirùm Maria Divinam suam prolem, virginitate penitus illæsâ, in hunc orbem enixa est. *Ne incredibile putarent homines; ex Virgine parum edi posse, minoribus miraculis ante exercendo fideles ad assentiendum & credendum assuefacit: sterilis ac decrepitâ filium parit; id quasi præludium, & principium extitit miraculi, quod in Virgine subsecutum est.* Idipsum etiam affirmat S. Petrus Chrysologus.

Paulatim.

S. Greg. Nyss. de Sancta Christi Nativit.

S. Pet. Chrys. serm. 87.

114. Anima, per purgatorii angustias raptata, virgulam auream imitatur, quæ intra modulum ferreũ contorta, epigraphen à Lucarino accepit; EXTORQUETUR PER ANGUSTUM. Opportunè S. Vincentius Frrerius, in illa S. Scripturæ verba commentatus, *Venerunt ad portam ferream, id est, purgatorium,* inquit, *quia sicut ferrum est durius ligno, ita pœna purgatorii est durior ferro: & pœna purgatorii pœnam istius mundi excedit.*

Purgatorium.

S. Vinc. Ferr. Dom. 15. post Trinit.

115. Hominis ingenium, necessitate aut angustiis constrictum, maximè acuitur, & ad libertatem vindicandam subtilissima quævis stratagemata parturit. Haud secus atque lamella aurea, per modulum ferreum impulsa, in filum minutissimum extenuatur. Unde rursus Lucarini lemma; IN ANGUSTIORI SUBTILIOR. Natalis Comes; *Nullus est potentior, aut efficacior ad informandos animos ad prudentiam, calliditatemque Magister, quàm necessitas, omnium rerum humanarum regina.* Plutarchus refert, Antigonum Macedoniæ Regem, cum gravi morbo affligeretur, adeò non effusum esse in querelas, ut potius Deo gratias egerit, quod in morbo illo subtilius sapere, & superbos suos spiritus reprimere nosset; *Haud malè,* inquiebat, *actum est nobiscum; commonuit enim morbus nos, ne spiritus, cùm mortales simus, sustollamus.*

Necessitas facit ingeniosum.

Nat Comes lib. 1. Hist.

Plutarch. in Apopht.

116. Virgula aurea, per angustum moduli ferrei foramen coacta, epigraphen à Lucarino retulit; S' AFFINA A PIU'DEGN' OPRA. Id est; AD CELSUM OPUS APTATUR. Ita nimirùm è mortis aut calamitatum angustiis occasionem mutuamus opportunissimam, ad felicitatis supremæ gloriam aucupandam. Certè Josephus, in cisternam abjectus, carceri inclusus, catenis ac compedibus constrictus, tandem ad primos Ægypti honores emersit. *Quia Joseph erat singulariter sublimandus, ideò primò fuit singulariter humiliandus & tribulandus,* inquit Doctor Angelicus.

Calamitas.

Josephus.

S. Thom. c. 41 in Gen.

117. Idem Lucarinus filo argenteo, per multiformem modulum transgresso, subscripsit; TRAHITUR ULTIMA. Homo, in hac vita diversis ac gravibus angustiis excruciatus, tandem in morte, ad calamitatum finem eluctatur. Id quod S. Maximus dilucidè explicans, *Non puto,* inquit, *justum esse hujus vitæ mortem appellare, sed recessum à morte, separationem à corruptione, liberationem à servitute, à turbatione quietem, bellorum ablationem; tenebrarum subductionem, remissionem laborum, fervoris tranquillitatem, velamentum pudoris, affectionum fugam, &, ut in summa dicam, omnium consummationem malorum.*

In morte.

S. Maxim. Centur. 5. cap. 76. To. 5. Bibl. Veter. Patrum.

118. Sacramentum Ordinis, gradatim à minoribus ad majores conferri solitum, Lucarinus modulo ferreo multifori non absimile dicit, quod virgulam auream nonnisi GRADATIM, & per interjecta foramina APTAT. Etiam Deus suos clientes ab inferiore ad superiorem perfectionem gradatim promovet. In Mose id observatum habet S. Basilius Seleuciensis; *Illi enim concessit Deus pastorem agere, ut ex pecorum pastore, Israelis pastor crearetur, utq; post artem pastoritiam, in modicis exercitam, tribulium suorum principatum ei crederet.* Idipsum etiam in Josepho, Saule, & cumprimis in Davide cernere licet; enimverò *Elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum. Pascere Iacob servum suum, & Israel hæreditatem suam.*

Sacramentum Ordinis.

Paulatim.

S. Basilius Orat. 9.

Psal. 77. 70.

119. Lucarinus modulum multiformem inter duos volubiles radios, metallinis filis onustos, depinxit, quorũ unus, augescente altero imminuebatur; cum lemmate, MINUOR, ALTERO CRESCENTE. Nimirùm ad illa S. Joannis Baptistæ verba allusit; *Illum oportet crescere, me autem minui.* veluti diceret, S. Joannis existimationem paulatim imminutum iri, quando cum Christi fama, gloria, fide, cæterisque prodigiosis virtutibus comparabitur. Eodem Emblemate demonstratur, affectum nostrum erga cœlestia tantundem decrescere, quantum versus terrena crescit: & vicissim gaudio corporali in cordibus nostris deturgente, gaudium spirituale in ejus incrementis locupletari. S. P. Augustinus; *Sicut non potest homo duobus Dominis servire; sic nemo potest gaudere & in sæculo, & in Domino. Multum inter se hæc duo gaudia differunt, suntque omnia contraria. Quando gaudetur in sæculo, non gaudetur in Domino; quando gaudetur in Domino, non gaudetur in sæculo. Gaudium in Domino semper augeatur; gaudium in sæculo semper minuatur, donec finiatur. &c.*

S. Jo. Bapt. Ioan 3. 30.

Amor mundi & Dei.

S. Aug. serm. 30 de Verb. Dom.

120. Homo, assiduis angustiis ad ipsum usque extremum vitæ suæ suspirium excruciatus, filo metalli-

metallino non absimilis probatur, quod ex uno moduli ferrei foramine per alia angustiora tamdiu impellitur, donec ultimam tenuissimæ virgulæ perfectionem adipiscatur. Epigraphen subjunges; DONEC EXTREMA. De protoparente nostro Adamo, ejusque posteris ait Magnus Augustinus; *Post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam pœnâ mortis & damnationis obstrinxit: ut quidquid prolis ex illo, & simul damnatâ conjuge nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores, doloresque diversos, ad illud extremum cum desertoribus Angelis, vitiatoribus, & possessoribus, & consortibus suis sine fine supplicium.*

S. Aug. lib. Enchirid. c. 25 & 26.

121. Phileni Ferrarienses modulum ferreum multiforem Symboli loco præferunt; cum lemmate, EXTENUAT, SED PRODUCIT. Ita labores litterarii humanas vires quidem exhauriunt, & augustiores vitæ terminos præfigunt; at simul æternam famam ac gloriam nullo unquam ævo intermorituram conciliant. Porrò etiam jejunium è viribus extenuatis vitam prolongat. Testem habeto luculentum S. Hieronymum; *Quosdam morbo articulari, & podagra humoribus laborantes proscriptione bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos, convaluisse.*

Studia.

Jejuniũ.

S. Hieron. l. 2. advers. Iovin.

122. Modulum multiforem, retinaculo ferreo affixum, Bargalius in principis cujusdam fœminæ morte Emblematis loco usurpavit; addito epigrammate, ASPERRIMIS ÆQUATA ANGUSTIIS. B. Ludowinem, Virginem Hollandicam, mille paupertatis, infirmitatis, febrium, ulcerum, cæterorumque cruciatuum gravissimis ærumnis oppressam, hæc imago spectat. De mira hac Virgine prolixius differentem consule P. Stephanum Binetum in Consolatione animæ desolatæ. Ita nimirum omnes servi Christi nonnisi per angustias ad virtutis formam coæquantur. S. P. Augustinus; *Nullus servus Christi sine tribulatione est. Si putas te non habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus.*

Calamitas.

Steph. Binet. toto cap. 10.

Servus Christi.

S. August. in sermon.

123. Heros quidam generosus, acerrimè exagitatus, & in angustias gravissimas conjectus, fidem, principi suo debitam, nec minimum unquam temerare voluit. In hujus encomium D. Carolus Bossus filum aureum depinxit, quod forcipe ferrea arctè constrictum, per angusta moduli foramina summis viribus trahi solet. Epigraphen subdidit; TENUI, NEC DIMITTAM. Eâdem inscriptione filum sericum exornare licet, quod auro textili circumvolutum, illud nunquam amplius dimittit: vel etiam forcipem, quæ virgulam auream ad ultimum usque terminum nullis viribus sibi patitur extorqueri. Hoc sensu cœlestis sponsa, *Inveni*, inquit, *quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Sic videlicet, ait Interpres P. Ghislerius, *ipsi credens Deo, ut firmissimè sua statuerit in mente, nunquam ab ea fide recessurum, vel tantillum ab illa hæsitaturum.* Hâc animi constantiâ ac fortitudine insignis Jacob, Angelum Dei vice amplexatus, affirmatè decrevit, *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Nec aliter muliercula Chananæa Christi obsequiis adeò firma adhæsit, ut tandem ipsos etiam Apostolos in sui patrocinium coëgerit; *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Et devotæ Mariæ, à S. Matthæo descriptæ, *accesserunt, & tenuerunt pedes ejus.* Denique S. Paulus instar omnium protestatur, *Quis nos separabit à charitate Christi? &c.* S. P. Augustinus; *Si recesseris à Deo, non effugies manum ejus: si autem ad eum accesseris, illicò habebis eum; quia nusquam recedit.*

Continuare.

Cant. 3.4.

P. Ghisl. in hunc locum.

Gen. 32. 26.

Matth. 15.23

Matth. 28.9.

Rom. 8.35.

S. Aug. serm. 233 de Temp. cap.

MORTARIUM.

Cap. XVIII.

124. PUlvis nitratus, pistillo attritus, è levissima quavis mortarii percussi scintilla in gravissimum incendium erumpere potest. Unde lemma; MINIMA MAXIMAM FACIT. Verissimè Tullius: *Parva sæpè scintilla contempta, maximum excitat incendium.* Inde disces, è rebus quibusvis exiguis, nisi cautè observentur, damna nonnunquam gravissima excitari. Providè S. Gregorius Nazianzenus canit;

Cicero & Curtius.

Res parva.

S. Greg. Naz. sent. lib. 1.

Scintilla MAGNAM PARVA flammâ concitat.
Semenque pestem vipera sæpè attulit,
Id quum scias, & parvulam labem fuge,
Discrimen ingens namque gignit parvula.

Compendio Horatius;

Et neglecta solent incendia sumere vires.

Horat. lib. 1. Epist. 19:

Seneca; *Ista*, inquit, *quantumvis exigua sint, in majus excedunt. Nunquam perniciosa servant modum. Quamvis levia initia morborum serpunt: & ægra corpora minima interdum mergit accessio.* Et Umbertus; *Sæpè veritur de peccatis minimis ad magna, sicut ignis validus surgit nonnunquam de modica scintilla.* Achilles Bocchius in Symbolo illo, cui hunc titulum præfixit; *Magnam parva facit favilla flammam.* Alchimistam figuravit, qui è sulphure & carbonibus, in mortario contusis, ingentem flammam excitat. Emblemati explicando sequentem poësin subjicit.

Senec. Ep. 8[?]

Achil. Bocc. Symb. 114.

Auriferam summis certâ spe viribus artem
Rerumque species vertere,
Alchimista malus dum quærit, nuper aheno
Terebat in mortario
Admixtum sulphur nitro, & carbone saligno
Tum excusa parva ferrei
Pistilli incerto SCINTILLULA protinus ictu est.
Unde EXCITATUM INCENDIUM
INGENS corripuit rutilantibus omnia flammis
Ipsumq́; opificem perditum
Vt decumâ absumpsit phlegræi fulminis instar,
Inventio bombardici
Pulveris ista fuit: sic ignem sæpè favilla
Vt MINIMA MAXIMUM FACIT.

PENICVLVS TECTORIUS.

Caput XIX.

125. PEniculus tectorius, cum vicino albario, epigraphen sustinet; UT SPECIOSA DEHINC. Ad verbum Horatius;

Horat in arte

---- ---- *Ex fumo dare lucem*
Cogitat: UT SPECIOSA DEHINC miracula promat:

Opportuno hoc Emblemate efficacem confessionis sacramentalis virtutem describere licet, quæ animæ nostræ domum, hactenus variâ scelerum colluvie aspersam, miro candore obducit. Præclarè Theologorum apex Augustinus; *Vis esse pulcher? Confitere. Non enim dixit David; pulchritudo & confessio, sed confessio & pulchritudo. Fœdus eras? confitere ut sis pulcher. Si amas pulchritudinem, prius elige confessionem, ut sequatur pulchritudo.*

Sacramentalis Confessio.

S. August. in Psal. 96.

126. Peniculus, opere suo albario extremam muro constructo perfectioně adjicere solitus, à P. Magistro F. Theodoro Muggiano Carmelita epigraphě recepit; EXTRUCTUM PERFICIT. Ita bonus Paterfamilias suis liberis omne perfectionis moralis ac

Paterfamilias.

ac Christianæ ornamentum conferat, necesse est. Siracidis monitum est; *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Nec aliter Phocilides;

Eccles 30.13.

Dum tener est gnatus, generosos instrue mores.

Plut. de Liber. educ.

Et Plutarchus; *Sicut infantium membra, simul ac nati sunt, formari, componique debent, ut recta minimèque obliqua fiant; ita puerorum mores principio aptè concinnèq; fingere convenit.* Paternâ hâc sedulitate cumprimis insignes extitere Constantinus Magnus, Carolus Magnus, Theodosius Imperator, Blanca Galliarum Regina, & S. Elisabetha Lusitaniæ Regina, qui omnes vivo & assiduo studio suos liberos ad virtutis ideam formârunt.

PLANVLA.

Caput XX.

Generositas.

127. SYlvester Bottigella planulam, scriniarii instrumentum, hoc lemmate Hispano insigniit; TUERTO, Y DERECHO. Id est; OBLIQUA, ET RECTA. Mens Emblematis erat, animum imperterritum ac generosum inter quascunque faventis aut adversæ fortunæ semitas nunquam non erectum incedere, cunctisque contrarietatibus vincendis ac complanandis idoneum esse. Cumprimis tamen Deum Judicem hæc imago spectat, qui justitiæ suæ ferro tam distortas sceleratorum, quàm directas justorum actiones ex æquo discutiet. Testatissimè Salomon, *Justum & impium judicabit Deus.* S. P. Augustinus; *Ipse, qui ab iniquis & impiis judicatus est ad mortem, ipse omnes bonos & justos judicaturus est ad gloriam, omnesque impios detrusurus ad pœnam.*

Judex Deus.

Eccles. 3.17. Aug serm. 23. de Temp.

128. Planula, tortuosis asseribus edolandis ac complanandis accommodata, à D. Ascanio Piccolominio epigraphen recepit; ABRADIT, ET ÆQUAT; Vel ut mihi placet; ADIMIT, UT DIRIGAT. Idipsum assolet Deus, quando animas nostras è pristinâ vitiorum curvitate in formam directam complanaturus, sanitatem, divitias, cæteramque hominis felicitatem eripit. Origines; *Qui enim punitur, etiamsi ab ea, quæ vocatur ira Dei, corripitur, ad hoc punitur, ut emendetur.* Et Sanctus Joannes Chrysostomus; *Afflictio & fastum amputat, & segnitiem omnem exscindit.* Ea ipsa Emblematis hujus epigraphe, ABRADIT, ET ÆQUAT, Principem justum spectat, qui in flagitiosorum vitam animadvertens, cæteros subditos omnes in virtutis ac legum planitie continet. Seneca; *Transeamus ad alienas injurias, in quibus vindicandis hæc tria lex secuta est, quæ Princeps quoque sequi debet: aut ut eum, quem punit, emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat: aut ut sublatis malis securiores cæteri vivant.* Macharius Chrysocephalus apud Gretserum mentem nostram opportunâ hâc similitudine explicat. *More receptum fuit apud veteres Medicos, eos, qui mortis rei erant; vivos dissecare, ut explorarent palpitantium membrorum vim & actionem: curandorum eorum gratiâ, qui in ejusmodi morbos incidissent. Et qui legibus vindicandis, & ex illarum præscripto sententiis ferendis præsunt; etiam nunc sontes supplicio afficiunt, ut spectatores, exemplo inde accepto, meliora sapere discant.* Nec aliter fraterna correctio animã nostram exactè complanat, superfluamq; vitiorũ ruditatem penitus edolat. S. Clemens Alexandrinus; *Est reprehensio veluti quædam chirurgia affectionum animæ; medicamentum autem est, probri insimulatio: quæ resolvit affectiones, quæ jam occalluerunt, impudicæq; ac libidinosæ vitæ sordes expurgat, fastusque, ac superbiæ carnes, quæ excreverunt, exæquat.*

Calamitas utilis.

Orig Hom. 2 in Hierem. Io. Chrys. hom 26. in 2. ad Cor.

Castigatio. Senec. lib. 1. de Clement. c. 2.

Chrysoceph. Orat de Pace apud Greters.

Correctio fraterna.

Clem. Alex. lib. 1. Pædag. cap. 8

PRÆLVM.

Cap. XXI.

129. TElæ ac panni, prælis suppositi, maximam ab eo perfectionem ac polituram recipiunt. Unde lemma; PERFICIT, NON FRANGIT. Academici Convoluti Salernitani hoc Emblemate demonstrant, calamitates tantundem beneficii, quantùm ponderis, præstare. S. Gregorius Papa; *Electorũ desideria, DUM PREMUNTUR adversitate, PROFICIUNT.*

Calamitas utilis.

S. Greg lib. 29. Moral.

130. Pannus, sub prælo figuratus, epigraphen tenet; PRESSURA NITESCIT. Vel; SUB PONDERE LEVIS. Vel, verbis è Virgilio mutuatis; SUB PONDERE NITET. Ita nimirùm anima, calamitatum pondere pressa illustrior evadit. S. Bernardus, *Quosdam sciens Deus multùm peccare posse in salute, flagellat eos infirmitate corporis, ne peccent: cernens, utilius eos languoribus frangi ad salutem, quàm remanere incolumes ad damnationem.* Et S. Isidorus Pelusiota; *Videtur ut plurimum humana natura in adversis quidem rebus modestiam colere, in secundis autem petulantem se præbere.*

Calamitas utilis.

S. Bern. lib. de Conscientia.

S. Isid. lib. 3. Epist. 213.

REGVLA.

Caput XXII.

131. FAbri lignarii ligneam suam regulam manibus assiduò versant, eâque res omnes, ut citra vitium elaborentur, metiri solent. Unde Academici Errantes Brixienses Regulam hoc lemmate donârunt. UT SINE ERRORE. E Justi Lipsii sententia, Princeps regulæ vicem subire satagat, cujus exemplo subditi omnes ad directam virtutis semitam perducantur. *Ut regulam oportet rectam esse, ad quam cætera adæquentur: sic meritò Principem ad quem alii diriguntur.* Idque prior olim docuit Plutarchus.

Exemplũ.

Lips. Monit. Polit. c. 8.

132. Regula, è lino, fune, ligno, aut metallo confecta, ab architectis, & cæmentariis adhiberi solet, ut illius beneficio murus sine inclinatione assurgat, & distortus complanetur. Unde lemma; ÆQUAT, ET DIRIGIT. De hac P. Julius Nigronius scribit; *Cujus officium proprium est admotæ parietibus, eorum longitudinem DIRIGERE, ET ÆQUARE.* S. Petrus Damianus hanc Regulæ etymologiam statuit, *Regula à regendo, id est, dirigendo & corrigendo.* Et S. Isidorus testatur, regulæ nomen ideo esse inditum, *vel quod regat, vel quia distortum pravumque corrigat.* Hanc nimirum ob causam Sancti Patres religiosas suas præceptiones vocârunt Regulas, ut Religiosi, ceu spirituales architecti, in sacris operationum suarum ædificiis defectus omnes corrigere, & virtutis planissimæ perfectionem exinde adipisci queant. Explicatè Beda; *Regulæ dicuntur à regendo, eò quod nos regant docendo, quid vitare, quid facere debeamus.*

Jul. Nigr. Reg. Comm. tit. p. 1. n. 2.

S Petr. Dam Epist. 114. ad Marin.

S. Isid. lib. 6. Orig cap. 16

Regulæ Religiosorum.

Beda Tom. 8. in Boet. de Trin.

133. Patres Societatis Jesu in Belgio regulam fabrilem symboli loco repræsentârunt, quæ intra aquas curva apparens, epigraphen monstrabat; SIBI CONSCIA RECTI. Innuebant videlicet, Societatem, licet multis in Mundi oceano videatur curva, suâ tamẽ integritate ac innocentiâ perstare. Idipsum de

Conscientia bona inter adversitates.

de S.P.N.Augustino dixerim, qui ab hostibus passim gravissimè traductus, semper sibi constabat, solâque conscientiæ suæ rectitudine seipsum solabatur. *Senti*, inquiebat, *de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* S. Aug. cont. Secund. cap. 1

RESTIS. FVNIS.

Cap. XXIII.

134. SCipio Bargalius juvenem quemdam, Thesibus propugnandis accinctum, funi non absimilem dixit, cujus extremitates duobus retinaculis alligatæ, contrario illorum motu velocissimè intorquentur; cum lemmate, CONTRARIIS CITIUS. Mens Emblematis erat, intellectum, adversis aliorum opinionibus exercitatum, geminam veritatis ac scientiarum basin felicius assequi &c. Idem funis, restionum manibus supra rotam contortus, ab Academicis corroboratis Neapolitanis epigraphen recepit; VOLVENDO VALIDIOR. Certè sancta fides robore tantò firmiore invalescit, quò crebriore hostium impetu compressa fuerit. P. Thomas Bozius, hanc propositionem thematis loco assumens, *Quò majores adversùs Ecclesiam nostram sunt per hostes ejus concitatæ persecutiones, eò fœcundior illa fuit*; prolixis & eruditis historiis dilucidè comprobat, S. Ecclesiam è gentilium ac hæreticorum oblocutionibus maxima semper incrementa sumpsisse. Cassiodorus; *Novit Ecclesia triumphare de suis cladibus, ingravata persecutionibus proficit; afflictionibus semper augetur, sanguine Martyrum irrigatur, tristitiâ magis erigitur, angustiâ dilatatur. &c.*

Contradicere. S. Ecclesia. Tho. Bozius lib. 4 sign. 7. Cass. in ps. 1.

135. Funale, ex uno latere accensum, epigraphen sustinet; VIVIT AD EXTREMUM. Fidelitas erga suum Principem incorrupta; vel, certè amor ad ipsam usque extremam vitæ periodum nunquam labefactatus, hoc Emblemate significatur. De perseverantia in quocunque virtutum genere ait Magnus Augustinus; *Qui boni sunt, contendant cum Dei gratia perseverare in operibus bonis; quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* In rem præsentem canit Otho Venius;

Perseverantia. S. Aug. ser. 1. de Temp. Oth. Venius. Embl. Amor fol 232.

Quamdiu funis erit, tamdiu quoq; flamma manebit;
Deficiente etiam fomite flamma perit.
Crudelis sic verus Amor nisi morte peribit,
Qui potis est vitâ deficiente mori.

Odium. Inde etiam fatale odium, in humano pectore nonnisi cum vita suffocandum, demonstratur. Sultanus Ægyptius, è Christianorum exercitu ad internecionem deletus, tantam cladem etiam post mortem vindicare voluit. Torquatus Tassus illum hoc poëmate loquentem sistit;

Tass Gerus. Liberat. Cant 9. stanz. 99.

- - - - Sia con memoria eterna
De le mie offese, eterno anco il mio sdegno.
Risorgero nem nemico ogn' hor più crudo
Cenere anco sepolto, è spirto ignudo.

136. Restis fracta, ac nodo colligata, inscriptionem reddit; VEL FRACTA VINCIO. Dæmon, tametsi Divinâ virtute plurimùm fractus & imbecillis, hominum tamen scelleratorum corda arctè sibi devincire novit. Etiam Jobus corpore penitus lacero dæmonem strinxit, ac triumpum à superato illo lethali hoste reduxit. S. Joannes Chrysostomus; *Jobi adversarius, ubi illius corpus conscidit, atque omnis generis ulceribus perterebravit, & languore confecit; tum demum superatus est. &c.*

Dæmon. Jobus. S. Chrysost. in Cat Græc. c. 9 Proleg.

137. Ad significandam aliquorum concordiam, quatuor funiculos depinges, qui supra restionis rotam versati, simul in unicum funem contorquentur; cum lemmate, JUNGUNTUR AD OPUS. Titus Livius, *Concordiâ*, inquit, *res coalescere possunt.* Et Homerus;

Concordia. T. Livius l. Decad. 1. Hom. Iliad.

Conjuncti pollent etiam vehementer inertes.

Petrus Blesensis; *Vos*, inquit, *quibus unicum & præcipuum votum est, initiatæ Ecclesiæ videre profectum, certissimè noveritis, quod nonnisi per unitatem habitura est incrementum &c.* Richardus à S. Victore super illis Actorum verbis, *Multitudinis credentium erat cor unum &c.* Ait, *Nec voluntatum varietas, nec rerum proprietas, animos dividebat, sed firmiter stringebat charitas, & suaviter cohibebat in unitate spiritûs in vinculo pacis.*

Pet. Bles. Epist. 78. Rich. Vict. Tract. de grad. cher. cap. 4. Act. 4. 32.

138. Restionis rota funem, assiduâ vertigine contortum, maximè roborat. Unde lemma; TORQUET, AT ROBORAT. Ita anima, diversis calamitatibus, morbis, & persecutionibus exagitata, vires amplissimas recipit. S. Gregorius Papa; *Tantò major fiducia mentem roborat; quantò hanc fortior pro veritate angustat afflictio.* Emblemati explicando sequentes Jambos senarios subjungit meus Concanonicus D. Salvator Carducius;

Calamitas roborat. S. Greg. in Moral.

Torquet rotæ vertigo fila, at roborat:
Si te premunt adversa, fies fortior.

139. Restio funem oblongum, ex rota versatili suspensum, torquet; cum lemmate, ACCEDIT, DUM RETROCEDIT. Sic peccatores, dum retrocedunt, & in partes adversas flectuntur, peccatis suis adjiciunt. S. P. Augustinus; *Quomodo, ut restis fiat, additur spartum sparto, non autem rectum it, sed torquetur, sic omnia prava facta, quæ sunt peccata, cùm adduntur sibi, & addendo peccatum peccato; peccatum ad peccatum annectitur, fit restis longa. Quorum semitæ pravæ, & flexuosi gressus eorum. Quò autem valet ista restis, nisi ut inde ligentur ei manus & pedes, & projiciatur quisque in tenebras exteriores.*

Peccatores. S. Aug. in Psal. 130.

RHOMBVS.

Caput XXIV.

140. ACademici Obvoluti Salernitani rhombum, serico torquendo ac convolvendo applicatum, hoc lemmate insignierunt; TORQUET, ET OBVOLVIT. Geminam hanc tyrannidem in animam nostram exerit peccatum. *Torquet* enim; nam Plutarcho teste, *Pravitas absque ullo apparatu simul atque animum attigit, affligit, atque dejicit, implet dolore, lamentis, mœstitiâ, pœnitentiâ hominem.* Dein etiam *obvolvit*; quia, quod Vates Regius affirmat. *In circuitu impii ambulant.* A quo nihil alienus Hieremias, ait; *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.*

Peccatum. Plut. an viti sitas infelicitatem suffic. Psal. 11. Thren. 1.

141. Rhombus, dum fila torquet, epigraphen reddit; UNIT, ATQUE TORQUET. Vel, UNIT, SED TORQUET. Ita conjuges matrimonii vinculo uniuntur quidem, at simul pondere satis gravi ac diuturno torquentur. Petrarcha, in hanc rem disertus, ait; *Gravis sarcina, duræ compedes liberos humeros, atque olim liberos pedes prement. Durum dictu, durius cogitatu, durissimũ perpessu, non unius lucis, sed totius vitæ hospes, & for sitan, & hostis, vacuam præsidiis invasit domum.*

Matrimonium. Petrarcha lib. 1. de r. mediis. Dial 61.

SCALPRVM FABRILE.
Cap. XXV.

Vindicta justa. 142. Scalprum fabrile, dum tudite percussum, lapides excavat, à Scipione Bargalio epigraphen recepit; UT FERITUR, FERIT. Vel ut aliis placet; PERCUSSUM CÆDET. Ita nimirum par pari referre, ac hostem justâ vindictâ invadere, ex omnium legum permissu licet. Titus Livius; *Adversùs obstinatum hostem, est obstinatè & totis viribus pugnandum.* Eamque agendi rationem Romani adversùs Samnites probè observatam habuerunt. In rem præsentem opportuna est historia, ,, à P. Cornelio à Lapide his omninò verbis relata. ,, Festivè, sed falsè nuper in Belgio frater quidam ,, Franciscanus, irrisus ab Hæretico insolente, ala- ,, pâque percussus, cùm stultè is ipsi objiceret, ut ,, alteram quoque maxillam feriendam offerret; ,, scriptum est enim, inquiens; *si quis te percusserit in* ,, *dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Tu ,, autem cum tuis, Evangelii ad litteram te cu- ,, stodem profiteris. Mox frater sagax & nervosus, ,, sapienter & fortiter stultitiam ejus contudit; nam ,, prosternens eum in terram, pugnis malè mulcta- ,, vit, dicens; scriptum est enim; *quâ mensurâ men-* ,, *si fueritis, remetietur vobis.* Cùm tertius quis su- ,, perveniret, velletque eos separare, *Sine*, inquit, ,, *doceo enim hæreticum hunc sacras Scripturas, quas* ,, *stultè citavit, sanè intelligere. Scriptum est enim;* ,, *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sa-* ,, *piens esse videatur.*

Livius lib. 1. Corn. à Lap. in cap. 26. Proverb. v. 5 Matth. 5. 39. Matth 7. 2. Prov. 26. 5.

143. Scalprum cum tudite, statuam quandam efformans, epigraphen tenet; CÆLANDO DETEGIT. Ubi æquivocam hanc vocem, *cælando*, observes velim; nam cum dyphtongo scripta significat *incidere*; cum vocali verò *abscondere*. Sicuti enim scalprum *cælando detegit*, quando diversis incisuris paulatim omnia statuæ lineamenta ob intuentium oculos producit; ita etiam malitiosus detractor *celando* detegit; quippe qui proximi sui vitia ac defectus nunquam magis evulgare consuevit, nisi quando illos simulatâ benevolentiâ occulere aut excusare nititur. S. Bernardus; *Detractores*, inquit, *quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas à detractore alta præmitti suspiria: sicq; cum quadam gravitate & tarditate, vultu mœsto, dimissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem &c.* Franciscus Philelphus cuidam, citra sua merita ad Magistratum evecto, prodigiosum, ac præsenti argumento mirificè accommodatum Epigramma statuit, cujus primum distichon huc transferre placet;

Detractor. Bern. in Cant. ser. 24

Laus tua, non tua fraus; virtus, non copia rerum,
Scandere te fecit hoc decus eximium.

En! quàm specioso velamine magnatis illius vitium celari videatur! sed, obsecro, eosdem versiculos retrogrado ordine lege; deprehendes enim, quanta sit poëmatis illius astutia. Exinde quippe hunc sensum conficies:

Eximium decus hoc, fecit te scandere rerum
Copia, non virtus, fraus tua, non tua laus.

144. P. M. Theodorus Muggianus Carmelita, Symboli loco scalprum, statuæ elaborandæ applicatum, figuravit; addito epigrammate, FERIAT, DUM FORMET. Piè nimirùm Christum patientem innuebat, qui flagellorum rigore, & clavorum duritie, ceu totidem acerbissimis scalpris, excavatus, tandem vivus salutis ac redemptionis humanæ colossus exasit. Accommodatè S. P. Augustinus; *Deformitas Christi te format. Ille enim si deformis esse noluisset, tu formam, quam perdidisti, non recepisses.*

Christus patiens. S. Aug. ser. 10. de V rb. Apost. cap. 6

145. Eidem Emblemati non incongruè subscribes; DUM PERIT, PERFICIT. Enimverò mirus ille faber, Deus, providentiæ suæ verbera non ob aliam causam ingeminat, nisi ut clientum suorum animos ad omnimodæ perfectionis ideam efformet. Mirificè in hoc argumentum S. P. Augustinus super illis Psalmi verbis, *Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum* ait, *Pleraque faciunt artifices & ostendunt imperitis: & cùm jam judicaverint imperiti esse perfecta, expoliunt illa artifices, qui noverunt adhuc, quid illis desit, ut mirentur homines tantam expolitionem rebus accidisse, quas jam perfectas pronuntiaverant. Fit hoc & in ædificiis, & in picturis &c. Sic & illi Sancti,* Moses, Aaron, Samuël, ibidem allegati, *versabantur ante oculos Dei, tanquam sine culpa, tanquam perfecti, tanquàm Angeli: noverat autem, quid illis deesset, qui vindicabat in omnes affectiones eorum. VINDICABAT autem non irascens, sed propitius; sed ad hoc VINDICABAT, UT PERFICERET cœptum, non ut damnaret ejectum.*

Calamitas utilis. S Aug. in Psal. 98. 8.

146. Scalprum, statuam elaborans, Emblematis loco inscriptum tenet; NON PLUS QUAM OPORTET. Enimverò statua, audaciore scalpro & ultra dimensum excisa, vitium patitur. Ita omnis Princeps in vectigalibus exigendis moderatè admodum procedat, necesse est; secùs enim turbas gravissimas excitabit. Unde Pythagoræ præceptio erat; *Stateram non transiliendam.* Eam in pectore suo altùm defixam tenens Rex Theodericus, Fausto Ministro suo scripsit; *Cùm omnes Reipublicæ nostræ partes æquabiliter desideremus augeri, cremēta tamen fiscalium tributorum justissimo sunt pensanda judicio, quia servientium imminutio est hujus illationis accessio; quantumque pars illa proficit, tantùm se hæc à firmitate subducit.* Basilius Imperator, Leonem filium suum instituens, ait; *Rem autem publicam optimè administrabis, si pecuniæ publicæ curam diligenter habebis, eique justis rationibus colligendæ studueris, non ex oppressione, vel ex lachrymis subditorum corradendæ.*

Tributum moderatum. Theod. apud Cassiod. lib. 4 Epist. 38. Basil Imp. cap. 27.

SECVRIS. ASCIA.
Caput XXVI.

147. Securis, arbusculæ cujusdam verticem percutiens, epigraphen tenet; ET INFLICTA RUINAM. Familiam, è capitis sui morte penitus corruentem, hoc Emblemate significabis. Exinde etiam conjicies, unico lethalis peccati ictu animos nostros in extremam perniciem præcipitari S. Nilus; *Tunc malitiam maximè oderis, quando cogitabis, quod dæmonum sit fulgurans contra nos gladius.*

Mors Patrisfamilias. Peccatū. S Nil. Epist. Paræn. n. 107.

148. Securis & Planula, ligno poliendo & complanando applicatæ, epig. habent; POLIUNT, DUM SPOLIANT. Vel certè ipsius ligni voce; POLIOR, DUM SPOLIOR. D. Carolus Bossus paupertatis Religiosæ votum hoc Emblemate demonstrat; sicuti enim lignum diversa securis ac planulæ incisurâ ad præfixum artificis finem exasciatur; it Dei servus, Creatori suo propinquaturus, rebus quibusvis terrenis se ipsum spoliat. S. P. Augustinus; *Omnis Philosophiæ magistra nobis est inopia: non ita laudamus Joseph, quam frumentum distribuebat; sicut cùm carcerem habitabat.* Ab hoc sensu nihil aliena S. Ecclesia, de animabus electis sub materialis templi schemate ita canit;

Paupertas religiosa. S. Aug. in Psal. 70.

Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurimâ
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque juncta nexibus
Locantur in fastigio.

Stat. 8. Theb. — 149. Securim, Romano more virgis colligatam, Orozcus hoc Statii hemistichio insignivit; DA SPATIUM, TENUEMQUE MORAM. Ajunt enim, Consulum Romanorum secures ideò potissimum inter virgarum fasces revinctas fuisse, ne præcipiti manu quempiam ferirent, sed, dum fasces illi dissolverentur, justam cogitandi moram interponerent. Eandem consuetudinem cuivis judici familiarem velim, ut in aliorum causis decernendis aut condemnandis gressu admodùm lento ac minimè præcipiti incedere discat. Justus Lipsius; *Divina nos admonet providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere, & ubi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ibi credere occulta.* Theodosius Imperator, naturâ suâ iracundus, & ad sententias deproperandas facilis, tandem decretis suis moderamen ac legitimum expendendendi tempus adhibiturus, S. Ambrosio authore, statuit, ut sententiæ, à se pronuntiatæ, nonnisi post triginta dierum intervallum executioni mandarentur.

Maturitas in judicando.

Lips. lib. 1. Physiol. diss. 13.

150. Securim, virgis colligatam, & paulatim à vicina manu dissolutam, hoc lemmate notabis; LENTE ET BENE. Fasces enim, quales Romanorum Consulibus præferri consueverant, maturam ac prudentem consultationem innuunt. Hâc virtute cumprimis insignem se probavit Rancatus I. Parmensium Dux. Plutarchus; *Cur, inquit, Prætorum fasces colligati feruntur, appensis securibus? An id signo est, iram magistratûs non debere esse in proclivi & solutam? An solutio fascium, quæ paulatim fit, moram aliquam iræ injicit, & cunctationem, & nonnunquam fecit, ut sententia de supplicio exigendo mutaretur? &c.* Ferdinandus II. Imperator, Guilielmo Lamormaino teste, summam ab hoc virtute laudem retulit; Nam, *quoties causa criminalis discutienda fuit, tardè pronuntiavit: jussit à Judicibus perpendi: referri ad circumstantias omnes: iterùm ac tertiò causam recognosci &c.*

Maturitas in judicando.

Plut. quæst. Rom n. 92.

Lamorm. in vita cap. 23.

151. Magistratuum Romanorum fasces ramulis laureis cincti ac colligati erant: atque adeo virgæ ac secures illæ ab eadem lauro & ligamen & coronam acceperunt. Unde Franciscus Raulinus subscripsit; VINCLA CORONANT. Ita Princeps, dum vindicantis justitiæ rigore in sceleratos animadvertit, adeò nullam clementiæ ac benignitatis suæ jacturam facit, ut illam contra maximis incrementis exornet. Seneca; *Nullum ornamentum Principis fastigio dignius, pulchriusque est, quàm illa corona ob cives servatos.*

Clementia Principis ornamentum.

Senec. l. 1 de Clem. c. 26.

152. Fortem Julii Mazarini Cardinalis animum significaturi, erectam securim, seu gentilitios ipsius fasces, symboli loco statuerunt; cum lemmate, NULLÆ INFLEXERE PROCELLÆ. Imagini explicandæ hoc Epigramma subjunxerunt;

Fortitudo.

Romanos fasces nullæ inflexêre procellæ,
Non Aquilo, & quidquid flaminis Auster habet.
Hoc animi est Emblema tui, stetit integra virtus,
Et dum nutaret Gallia, Roma stetit.

Constantia.

De Constantia, fortitudinis sorore, ait Tullius; *Constantia est, inter fluctuantes causas & personas, nullâ mentis concuti trepidatione.*

Tull. in Rhetor.

153. Securis Romana, fascibus colligata, & acie in sublime erecta, inscriptionem habet; NE NOCEAT, SUBLIME MICAT. Rursus Cardinalem Julium Mazarinum hæc imago spectabat, qui sublimi dignitate conspicuus, in omnes erat clemens. In rem præsentem hoc Epigramma subjunxerunt;

Clementia.

Ne noceat, sublime micat Romana securis,
Et timet ulcisci, quos violare potest.
Frustrà illam retinet sublimis fascia rectam,
Sponte suâ, ut posset parcere, recta foret.

Ita nimirum Princeps, quantò est dignitate sublimior, tantò magis in omnes sit clemens, nullique ullum inferre damnum satagat. De Augusto Imperatore testatur Seneca; *Dare illum pœnas apparebat, cùm exigeret.* Et de Vespasiano Suetonius; *Justis suppliciis illachrymavit etiam, & ingemuit.*

Senec. l. 1. de Clem. c. 14.

SERA. Cap. XXVII.

154. Sera, tribus clavis aperienda, epigraphen reddit; NEC ABSQUE TERTIA. Lucarinus hoc Emblemate significabat, è fidei integræ præscripto non unam tantùm aut duas, sed tres Sanctissimæ Trinitatis personas asserendas esse. S. Fulgentius; *Fides in unum Deum prædicat Trinitatem, id est, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum; sed Trinitas vera non esset, si una eademque persona diceretur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus &c.* Mirificus in hoc argumentum Magnus Augustinus disertè docet, Divina arcana penetrari non posse, nisi singulis tribus Personis consideratis. Enimverò, *Eadem tribus est æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas, eadem potestas. In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatisq; concordia. Et tria hæc, unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum Sanctum.*

SS. Trinitas.

S. Fulg. de … de ad Petr…

S. Aug lib. de Doct. Ch…

155. Sera, cum fasciculo clavium appenso, epigraphen subjunctam habet; NON CUIVIS PATEO. Aula & honor tanquam sera est, illique panditur, qui favore Principis tanquam clave utitur. Conjugum etiam hæc imago est, qui amorem suum uni tantùm consorti aperiendum præbeant. Magni Augustini monitum est; *Serva in conjuge aliena, quod servare cupis in tua, quia & in uxore castitatem potius diligis, quàm carnem.*

Aula.

Conjug…

S. Aug ser… 83. de Temp…

SERRA. Caput XXVIII.

156. Serra, ligno findendo applicata, epigraphen tenet; ACIE, ET SOLIDITATE. Præclara hæc illorum imago est, qui in disputando aut componendo optimam rationum soliditatem cum argumentorum acumine conjunctam habent. Et quidem inter Sacros principem locum obtinent S. P. Augustinus, S. Joannes Chrysostomus, & S. Hieronymus; inter profanos verò Seneca, Sallustius, Plinius & Cornelius Tacitus, qui vivacissimi ingenii sui aciem solidis ac gravissimis sententiis locupletarunt, ut adeò in disputationibus cum ingenii acumine soliditatem, non verò rationes inanes, aut solo nomine controversas assumere oporteat. S. P. Augustinus; *Turpe est disputantibus, in verborum quæstione immorari, cùm certamen nullum de rebus permanserit.*

Ingeniu… acutum … solidum.

S. Aug lib. cont. Aca… cap. 11.

Prudent… Cōsiliari…

157. Serra, dum trabem incidit, lineâ, ab amussi singatam, gressu nunquam exerrante sequitur. Unde lemma; NUNQUAM A SIGNO. Homo prudens,

Diod. lib. 1. dens, in consultationibus ferendis aut acceptandis nunquam ab experientiæ ac intellectûs normâ deflectens; haud facilè à præfixo termino abludet. De
Reg. 16. 23. Teribazo, Artaxerxis Persarum Regis Belliduce testatur Diodorus; *In consiliis eâ usus est dexteritate, ut, quoties Rex consiliis illius usus est, NUNQUAM ABERRAVERIT.* Eâdem judicandi felicitate insignis Achitophel, id encomii à Regum fastis obtinuit; *Consilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cùm esset cum David, & cum esset cum Absalon.*

158. Malleus, securis, aliaque instrumenta, operam suam nonnisi è sublimi in profundum præcipitata conferunt. Econtra serra, à dextro latere versùs sinistrum assiduâ vicissitudine trahi solita, tan-
Providentia Dei. dem negotium suum perficit. Unde Aresii lemma; PER OPPOSITA AD IDEM. Vel; CON MOTI OPPOSITI AL SEGNO ISTESSO TENDE. Ita Deus continuis prosperæ & adversæ for-
S. Aug. Ep. 74. tunæ moribus unam hominum salutem procurat. Nam, teste Magno Augustino; *Res prospera donum est consolantis, res adversa donum est admonentis Dei.* Urbanus VIII. ait, Deum suos clientes semitis adeò contrariis ad gloriæ palmam invitare, ut quosdam occisos, alios verò occidentes velit;

Urban. VIII. Idem in lo. apt.

PER CONTRARIA DUXIT
Una vos virtus, sociatq; cœlo,
Tu Judith occidens triumphas
Fusis hostibus; occidens
Fuso sanguine palmam
Refert Joannes &c.

Prudentia. Haud aliter homo prudens ad finem suum assequendum per adversa quæque nititur. Aletes, Regis Ægypti Orator, cùm legationis suæ officia coram Godefrido exequeretur, terroribus blanditias, ac laudibus minas eo duntaxat fine intermiscuit; ut illum ab expugnatione Hierosolymitana diverteret; qui tamen, referente Tasso, id responsi à Godefrido tulit;

Tass. Gerus. liberat. Cant. 2. Stanz. 82.

Messager dolcemente à noi sponesti
Hora cortese, hor minaccioso invito.
Se'l tuo Rè m'ama, e loda i nostri gesti,
E sua mercede, e m'è l'amor gradito.
A quella parte poi, duve protesti
La guerra à noi del Paganesmo, nitè
Rispondo &c.

Vita humana. 159. Serra major, duobus manubriis instructa, arboribus transversim dissecandis deservit; cum lemmate, ALTERNANDO, dum nimirùm à dextrâ versus sinistram assiduâ vicissitudine trahitur. Hinc diversam vitæ humanæ sortem conjicere licet, quæ alternantibus lætis ac tristibus eventibus tamdiu tentatur, donec instar arboris dissectæ ruat.
Io. Chrys. hom. 8. in Matth. S. Joannes Chrysostomus; *Misericors Deus mœstis rebus jucunda permiscuit. Quod certè in sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas: sed tùm de adversis, tum ex prosperis justorum vitam, quasi admirabili varietate contexit.* P. Hortensius Pallavicinus Emblemate haud multùm absimili serram majorem expressit, quæ ex utroque latere à duobus fabris
Virgil. l. 8. Georg. V. 79. lignariis supra trabem raptata, epigraphen tulit; ALTERNIS FACILIS, verbis è Virgilio mutuatis, ubi de vervacto, alternis tantùm annis perferen-
Alternus labor. do, canit;

Sed tamen ALTERNIS FACILIS labor.

Innuebat videlicet, negotium, quantumvis gravissimum, si in plures distribuatur, superatu facillimum evadere.

Judex. 160. Serra, ligno dissecando applicata, epigraphen tenet; TARDA, SED RECTA. Principes aut Judices hanc ideam sibi præfixam habeant, ne sententias præcipites, sed maturâ consultatione examinatas pronuntient; tribunalia enim rectitudo, non violentia occupet, necesse est. Ammianus Marcellinus, *De spiritu & vita hominis, qui pars mundi est, & animantium numerum complet laturum sententiam, diu, multumque cunctari oportere, nec præcipiti studio, ubi irrevocabile factum est, agitari.* Julius Capitolinus inter cæteras Marci Antonii Philosophi laudes etiam hanc recenset, *Capitales causas hominum honestorum ipse cognovit; & summa æquitate, ita ut Prætorem reprehenderet, qui citò reorum causas audierat, jubereique iterum cognoscere.* Amianus Marcell. l. 29.

161. Serram, in adamante corrodendo fatigatam; hoc lemmate signavit Franciscus Bracciolinus: NE PUR VI LASCIA ALCUNA NOTA IMPRESSA. Id est; NEC VESTIGIA LINQUIT. Resistentia. Illius hoc symbolum dices, qui crebrò hostium assultu tentatus; nihil unquam vitii contraxit. Certè Christus in deserto, insidias vaferrimas à Dæmone expertus, nec minimam labeculam è tanta suggestione superstitem habuit. S. Gregorius Papa; *Tentari ergò per suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit. Atque ideò omnis diabolica illa tentatio foris; non intus fuit.* Christus tentatus. S. Greg. Ho. 16. in Evan.

162. Serra, invictum adamantis robur tentatura, adeò nihil adversus nobilem illum lapidem potest, ut contra sibimet plurimùm nocumenti pariat, & re infectâ dentes suos miserè attritos retrahat. Proinde illam opportuno hoc lemmate notabis; E NON POTENDO A LUI, NOCE A SE STESSA. Id est, SIBIMET OFFICIT. Hoc ejusdem Braccioliní Emblemate hominem malignum demonstrabis, qui plurimas offensas adversùs aliorum innocentiam molitus, tandem sibimet præsentem ruinam accersit. De hoc disertè Regius Psaltes; *Convertetur DOLOR EJUS IN CAPUT EJUS.* S. Cyrillus Alexandrinus; *Semper*, inquit, *persecutoribus Ecclesiæ conatus ipsorum in caput reciderunt.* Et S. Athanasius; *Cæca enim malitia est, & animi pravitas, ut quæ non intelligat, ipsam suas contra se manus acuere.* Et paulò post; *Ipsa MALITIA CONTRA sui usurpatores militat, EOSQUE QUI IPSAM TENENT magis quam illos, in quos nox.am parat, consanciat.* Author sui mali. Psalm. S. Athan. de Pass. & Cruce Domini.

163. Lucarinus serram ligatam & fulcitam, ut in marmoribus cædendis fieri solet, hoc lemmate insignivit; LIGAMENTO CONSTANTIOR. Vel; FULCIMENTO CONSTANTIOR. Ita humanum cor, Regularium votorum ligamine Deo obstrictum, adversùs omnia hostium tentamenta validissimum evadit. P. Alphonsus Rodriquez, *Sive*, inquit, *imbecillitatem nostram, sive improbissimas Cacodæmonis petitiones consideremus; non videtur vel illi sustinendæ, vel his arcendis ullum opportunius hoc ipso, quo de agimus, votorum præsidium excitari potuisse.* Et paulò post; *Si callidissimus hostis à Deo per hæc vota occupatum, & jam quasi desponsum esse cernat, ne scilicet suæ nocendi artes ipsimet fraudi sint; illi verò majoris gloriæ seges, paulatim cum spe victoriæ amittit oppugnationis voluntatem.* S. P. Augustinus; *Non te vovisse pœniteat, imò gaude, jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Felix necessitas, quæ in meliora compellit.* Vota Religionis. Rodriq. p. 3. de Perfect. tract. 2. c. 1. S. Aug. Ep. ad Armen. & Paulin.

164. Serra, arborem in tabulas & asseres dissecans, ab eodem Lucarino epigraphen recepit; APTAT, DUM SECAT. Ita calamitatum ferro hu- Castigatio. Calamitas.

humana vitia plurimùm corriguntur. Nam, ut probè observat Magnus Augustinus, *Non pati adversitatem carnis, sed duci à carne, damnatio est.* Et Horatius;

S. Aug. Expos. Epist. ad Gal. cap. 5. Horat l. 3. Carm. Od. 24.

Quid tristes querimoniæ
Si non supplicio culpa reciditur?

Lucarinus eandem iconem suam sequenti poëmate explicat;

O fortunato legno;
La sua rottura è fregio,
Nel taglio acquisti pregio,
Che' l ferro, che ti fende,
Se inetto all'opre sei, atto ti rende.
Così tall'hora auvien, che man pietosa.
Che di sanar è vaga
Incrudelità piaga,
Medica più humana
Ci accosta il ferro, e nel ferir risana.

Matrimonium.

165. Serra, cum lemmate, TRACTA VICISSIM, mutuam complurium operationem & auxilium demonstrat. Eodem Emblemate matrimonii onera significantur, quæ benigna conjugum vicissitudine sufferri, necesse est. Inde factum, quod veteres Allemanni sponsæ, in mariti ædes deductæ, jugum ostendere consueverint; veluti dicerent, onera domestica ab utriusque, sponsi & sponsæ, concordibus humeris ex æquo sustinenda esse, &, quod Pierius Valerianus asserit, *parem conatum, curam, amoremque, & studium in consortibus esse debere.* Eam ipsam iconem etiam de alternante militari fortunâ interpretari licet, quæ victoriæ suæ trophæa modò ex adversâ parte figit, haud secus atque serra in utrumque latus assiduâ vicissitudine transit. *Ancipitem vero pugnam,* inquit idem Pierius, *victoriam alternatim, modò in hanc, modò in illam partem, vicissitudine sæpius variatâ, inclinantem, significare qui volunt, serrâ pugnare dicunt, aut præliari.* Seneca; *Ludit de suis fortuna muneribus, & quæ dedit aufert, quæ abstulit reddit.*

Pier. Valer. lib. 48. Vicissitudo. Idem. l. 42. Fortuna. Sen. lib. 5. Rhetor.

166. Voluntatem ad alterius nutum penitus resignatam; uti & obedientiam indifferentem, è serra dignosces, quæ ligno secando applicata, pro fabri libitu sive AD DEXTERAM, SIVE AD SINISTAM TRAHITUR. Seneca;

Obedientia. Sen. in Medea act. 2.

Æquum atque iniquum Regis imperium feras,

Mellifluus Bernardus super illis Psalmi verbis, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*; ait, *Paratum cor meum ad adversa, paratum ad prospera; paratum ad humilia, paratum ad sublimia; paratum ad omnia, quæcunque præcipis &c.*

S. Bernard. apud Hug. Card in Psal. 107. 1.

Detractor

167. Eosdem maligni detractoris & serræ mores dixerim; uterque enim & ingratum stridet, & acerbè corrodit. Proinde serram hoc lemmate distingues, STRIDET, ATQUE RODIT. De homine maledico eruditè canit, ac epigraphen suppeditat Balthasar Bonifacius;

Balth. Bonif. l. 1. Stichidion. Epig 1. ad Maled.

Is qui vocatur doctor ignorantiæ,
Tenebrionum lux, honos infamiæ,
Laus vituperii, decusque contumeliæ,
Dictus fuisset serra, plena dentibus,
Quæ stridet, atque rodit uno tempore.

Cassiodorus; *Dentes dicti sunt à demendo; ideo pulchræ linguæ detrahentium dentes vocantur, quia sicut illi ciborum partes demunt; ita & isti opiniones hominum corrodunt.*

Cassiod. in Psal. 3.

SUBULA.

Cap. XXIX.

168. Academici Assuentes Florentini subulam hoc lemmate notârunt. L'ASSOTIGLIARA PIU, 'MEGLIO ANCO FORA. Id est; MELIUS PERFORO SUBTILIOR. Ita tantò perspicaciore ingenii acumine prævalebis, quò majore studio ac speculatione illud elaboraveris. Verissimè S. Isidorus; *Omnis profectus ex meditatione & lectione procedit. Quæ enim nescimus, lectione discimus, quæ didicimus, meditatione conservamus.*

Diligentia. S. Isid. lib. 3. de Summo bono.

169. Ferrus econtra subulæ inscripsit; CHI TROPPO L'ASSOTTIGLIA, LA SCAVEZZA. Id est SUBTILITATE DIFFRINGITUR. Nimiâ enim diligentiâ professiones omnes franguntur. Optimè Seneca; *Quædam inutilia, & inefficacia, ipsa subtilitas reddit.* De Jacobo à Pontormo, ævi sui præstantissimo pictore, refert Georgius Vasai, quod in imaginibus delineandis, ac coloribus obducendis, nulli secundus, summam laudem passim sibi conciliârit: at postea Alberti Duri operibus imitandis nimium intentus, gravem propriæ artis ac excellentiæ jacturam subiit.

Diligentia nimia vitiosa. Senec. Ep. 8. Georg. Vas. vol. 1. p. 3.

TALEA.

Cap. XXX.

170. Talea, seu lignum, in duos oblongos bacillos decussatim divisum, & pistoribus vel cauponibus ad debita annotanda usitatum, epigraphen tenet; RESPONDET UNI. Singularis amor, uni duntaxat rei consecratus, hoc Emblemate significatur. Richardus à S. Victore, *Singularis amor,* inquit, *consortem non recipit, socium non admittit.* Spiritus Sanctus inter cætera animæ suæ dilectæ encomia etiam unitatem recenset; *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ.* Hunc locum interpretatus S. Ambrosius, *Laudatur,* inquit, *quod, cùm una sit columba, habens spiritûs unitatem, in qua sit pax, quæ fecit utraque unum, & quæ non sit composita ex diversis elementis discretæ compugnantisque naturæ. Anima benedicta omnis simplex, quæ imitatur dicentem; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint. Hæc enim consummatio atque perfectio.*

Amor singularis. Rich. à S. Vict lib. 4. Contempl. cap. 8. Cant. 6. 8. S Ambros. de Isaac & ani. cap. 8.

171. Geminus taleæ bacillus, crenis incisus, epigraphen tenet; SIMUL JUNCTÆ. Innuit videlicet, sicuti unum taleæ lignum ad rationes ineundas nihil prodest, nisi alteri consonæ parti suæ junctum fuerit, ita hominibus è concordia plurimùm commodi accrescere. In hoc argumentum opportuna S. Hieronymi sententia; *Omne, secundum Philosophos, tantùm habet bonitatis, quantùm habet unitatis.* Præclarè Plutarchus, *Est autem quisque nostrum obscurus, & ignotus, dum in universi mole seorsim exiguus fertur, cùm autem inter se coeunt homines, adepti jam magnitudinem, effulgent, clarique ex obscuris fiunt, & conspicui ex abditis.* Porrò sicuti talea humanis usibus nihil deservit, nisi ambas suas partes unitas, & ex æquo consonas habeat, ita Christianus è munere suo non solam fidem aut gratiam Divinam, sed insuper propriam virtutum cooperationem jungat, necesse est. *Oportet enim,* Theodoreto asserente, *FIDEI quoque CONJUNCTAM esse VIAM laudabilem.*

Concordia proficua. S. Hier. To. in regul. Monach. ad Eustoch. Plut in libello de occultè vivendo. Fides & opera. Theod in 1. Timoth. 1.

172. Duo taleæ ligna, simul juncta, à Lucarino epigraphen recepère; UTRAQUE UNUM.

Con-

Matrimonium. Conjuges hoc Emblema spectabat, allusione ad illud Geneseos facta, *Et erunt duo in carne una. Nimirum* Inquit P. Benedictus Ferdinandus, *propter vitæ communis societatem, propter generationis prolem, quæ ab utroque, tanquam ab una carne carnalis fructus producitur: propter unam, & communem, & mutuam utriusque conjugis potestatem corporis &c.* Et prior illo Rupertus Abbas; *Conjugii copulam omnium carnalium necessitudinum maximam atque fortissimam fore promittit, adeò ut simul copulati, jam NON SINT DUO, SED CARO UNA.* Et quidem princeps hæc ratio fuit, cur Deus Evam non è limo, sed ex Adami costa formarit; ut nimirum meminerint, se quemadmodum unâ solâ naturâ, ita & unâ solâ voluntate conjunctos esse debere. Eruditè S. Basilius Seleuciensis, *Neque verò ex terra, sed ex latere membrum mutuatur; partitur corpus, ut coaptet: & natura una dissipatur arte formantis, ut una mens construatur ad imitationem naturæ.*

Gen. 2. 24. Ben. Fern. in hunc. loc. Rup. Abb. l. 2. in Gen. c. 36. S. Basil. Orat. 2.

TEREBELLUM.

Cap. XXXI.

173. Terebellum clavo infigendo viam sternit, & asserem, ad illum recipiendum, paulatim ac diuturnâ circumvolutione disponit. Cui proinde Bargalius, lemmatis loco, hoc adverbium subscripsit; PAULATIM. Ita nimirum operationes nostras nunquam tumultuarias, sed lento gressu, ac præviâ consultatione muturas esse oportet. Quin, ipsa etiam vitia nonnisi paulatim sese intra animos nostros insinuant. De his S. Isidorus; *Particulatim crescunt vitia, & dum parva non cavemus, in magnis prolabimur.* Et S. Nilus; *Impetus cupiditatum ab abjectissimis cogitationibus incipiunt, & formicarum more sensim repunt. PAULATIM autem in eam crescunt magnitudinem, ut cuilibet, non minus quàm Leones, terrorem & periculum afferant.*

Paulatim. Peccatum veniale. S. Isid. in norma vivendi. c 6. S. Nilus in Asceticis.

174. Parthenii Romani in terebello cautam agendi dexteritatem ac prudentiam dignoscendam proposuêre, quæ negotia sua non quidem violento impetu, sed providâ comitate perficere novit. Epigraphen subdidêre; ARTE, NON IMPETU. Seneca; *Prudentis proprium est, examinare consilia, & non citò facili crudelitate ad falsa prolabi.* Et Ovidius;

Prudentia. Senec. de 4. virtutibus.

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus:
Franges, si vires experiere suas.
Obsequium tigresque domat, tumidosque leones,
Rustica paulatim taurus aratra subit.

175. Nonnemo, Emblematis loco, duo terebella unum altero majus, depinxit; addito lemmate, ALTERO PRÆVIO. Innuebat videlicet, sicuti terebellum majus asserem penetrare nequit, nisi minore præeunte, & quasi viam sternente; ita hominem solis naturæ viribus, sine præveniente Divinâ gratiâ in salutis negotio nihil penitus prodesse. Dilucidè Sacrum Concilium Tridentinum; *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* S. Bernardus in illa Cœlestis Sponsæ verba commentatus, *Dilectus meus mihi, & ego illi*; ait, *Rectius locuta est, non prætendens meritum, sed præmittens beneficium, & se præventam dilecti gratiâ confitens.* Et rursus idem Doctor Mellifluus ad Burchardum Abbatem, *Tu ergò frater*, inquit, *agnosce te PRÆVENTUM in benedictionibus dulcedinis, non à me, qui nihil sum, sed ab illo, qui me, ut de tua salute monerem, ADSPIRANDO PRÆVENIT.*

Gratia Dei. Concil. Trid. sess. 6. de justificat. Can. 3. S. Bern. ser. 6. in Cant. c. 16. Idem Epist. 46.

176. Vetus ac nobilissima Civitas Mutinensis, ingenio ac viribus ad quasvis difficultates superandas instructissima, è gemini terebelli sui insigniis haud obscurè dignosci potest, quibus Paulus Maccius hanc epigraphen subjunxit; AVIA, PERVIA. Emblemati explicando sequentem poësin ab eodem ita accipe;

Ingenium & fortitudo. Maccius in Embl. 2.

Martia servat adhuc forti sub pectore corda
Romanæ referens mores, & nomina gentis
Urbs Mutina ingeniis præstans, præstantior armis,
Cui geminæ belli, pacisq; insigne superbum
Sunt terebræ: ingenio Priscæ quod prolis, & ipsi
Invia nulla via est, nil non penetrabile telo.

Fortitudo enim, instar terebelli, durissima quævis adversitatum ligna penetrat ac vincit. S. Ambrosius; *Fortitudo inexpiabili prælio adversùs omnia vitia decertat, invicta ad labores, fortis ad pericula.*

S. Ambr. l. 1. de Offic.

TEREBRA.

Cap. XXXII.

177. Terebra, lapidem, ferrum, aliamve materiam perforatura, in tortuosos gyros revolvitur. Unde Bargalii lemma; BENCHE IN VARIE RIVOLTE DRITTO FORA. Vel; VOLGENDO, E RIVOLGENDO DRITTO FORA. Id est; RITE, LICET VARIE. Prædicatoris hæc idea est, qui, diversis argumentis enucleatè propositis, cœpto suo themati firmamentum, cunctisque auditoribus utilitatem afferre solet. *Non enim una, eademque cunctis exhortatio convenit*, inquit meus Hugo Victorinus, *quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, ut & sua singulis tribuat, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat.*

Prædicator. Hug. Vict. de Bestiis l. 1. c. 36.

178. Terebra, adamanti perforando intenta, epigraphen reddit; CUM TEMPORE. Vel ut aliis placet; ABSQUE LABORE NIHIL. Seneca, *Generosos animos labor nutrit. Laborem si recuses, parùm esse potes.* In hoc argumentum opportunè Virgilius;

Labor assiduus. Senec. Ep. 31. Virg. 1. Georg. v. 145.

---- Labor omnia vincit
Improbus.

Et Ovidius;

Ovid. lib. 1. de Pont.

Confiteor FACERE HOC ANNOS: sed & altera causa est,
Anxietas animi, CONTINUUSQUE LABOR.

179. Terebra chirurgica, cranio perforando applicata, epigraphen legendam offert; FRANGIT, UT PURGET. Ipsissimam hanc operandi rationem Medicus Divinus familiarem habet; sicuti enim chirurgus vitiosa membra ab omni interna lue expurgaturus, illa effringit ac perterebrat, ita Deus, sanitatis conciliandæ causâ, animam nostram diversis calamitatibus rimari consuevit. Petrus Blesensis; *Flagello Domini pulvis excutitur, quem ad deformationem, animæ iniquitas assiduata congessit, & exteriori VULNERE SANATUR PLAGA interior.* Sanissimum D. Gregorii consilium est; *Quisquis ergò appetit plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare.*

Calamitas utilis. Pet. Bles. Epist. 31. S. Greg. H. 15. in Ev.

180. Terebra impulsivam suam operandi virtutem cum à superiore transverso baculo, tum à loris alternatim circumplicatis recipit. Ut adeò illam opportuno hoc lemmate loquentem sistas; IMPELLOR FUSTE, LORISQUE. Perversos ac vitiosos illos hominum genios hæc imago repræsentat, qui nonnisi verberum violentiâ in virtutis officio continentur. Emblemati construendo ansam suppeditavit Achillis Bocchii poema;

Calamitas facit solicitum.

Achil Bocch Symb 69.

Utilis baculo, & loris est galla terebra,
Sic stultus vinclis, verberibusq; sapit.
Mortales plerumq; suo didicisse periclo
Expedit: adversis Religio colitur.

Crates, Philosophus Thebanus, dicere consuevit; *Stulti similes sunt terebris, eò quod, nisi vinculis & necessitate coacti, officium suum non faciant.*

TEXTORIA MACHINA.

Cap. XXXIII.

181. MAchina illa, aulæi texturam exorsa, ac plurimis diversorum colorum glomis instructa, à Partheniis Romanis epigraphen recepit; SUIS INCONFUSA LOCIS. Mens Emblematis erat, Scipioni Burghesio Cardinali, in rebus ex æquo distribuendis summam fuisse prudentiam. Eâdem icone Justus Lipsius viros litteratos repræsentat, qui è variis ac infinitis materiis pulcherrimam voluminum harmoniam conficiunt. *Ut phrygiones è varii coloris filo unum aliquod aulæum formant, sic Scriptores è mille aliquot particulis uniforme & cohærens corpus.*

Prudentia.

TORCVLAR.

Cap. XXXIV.

TORCVLAR VINARIVM.

182. TOrcular, præli sui pondere uvas comprimens, epigraphen tenet; PREMENDO PROMIT. Vel; DUM COMPRIMIT, EXPRIMIT. Illum ipsum morem Deus familiarem habet, dum pretiosum pœnitentiæ liquorem è pectore nostro collecturus, illud diversâ calamitatum mole aggravat. Josephi fratres, intra persecutionum angustias tantisper compressi, in voces suas saluberrimas proruperunt; *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* David, nonnullis suppliciis coarctatus, alta ad Deum suspiria ex imo corde elicuit. *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi.* Centurio, è servi sui morbo plurimùm afflictus, Christum Deum confessus est. *Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Gellius refert, Catonem in Oratione pro Rhodiis coram Senatu Romano dixisse, *Quod adversæ res homines domant, & docent, quid opus sit facto.*

Calamitas utilis.

Gen. 42. 21. Psal. 119. Matth. 8. Gell. lib. cap. 3.

183. Marcus Antonius Bonciarius, *Oppressus* cognomine, seipsum uvæ symbolo repræsentavit, quæ sub torculari arctata, epigraphen tulit; CALCATA REDUNDAT. Innuebat videlicet, se molestâ oculorum cæcitate gravatum, maxima litterarum incrementa fecisse. Certè Prosper Fagnanus aliquot Tomos, benè magnos, in Jus Pontificium cæcus composuit, ac typo vulgavit. Cæterùm Verbum Incarnatum, durissimo Crucis torculari pressum, copiosos sacratissimi sanguinis sui liquores fudit. S. Cyprianus; *Quomodò ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur ante, & prematur; sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calceatus prius fuisset & pressus, & calicem prior bibisset, quàm credentibus propinaret.*

Calamitas virtuosum facit.

Christus patiens.

S. Cypr. l. 1. Epist. 3.

184. Academici Sitibundi Neapolitani uvas in torculari præferunt, cum lemmate, COIT OMNIS IN UNUM. Seu; ET COGIT OMNES IN UNUM. Complures viros Litteratos, in eâdem doctrinâ concordes, hæc imago spectat, S. P. Augustinus illâ ipsâ metaphorâ Sanctam Ecclesiam, utpote è fidelium multitudine adunatam, repræsentat. *Quemadmodum ex multis granis unus conficitur panis, & ex racemis multis unus calix exprimitur, sic ex multis fidelibus unum corpus mysticum integratur.* Præclarè idem S. Doctor demonstrat, Dei amicos, persecutionibus acerbè coarctatos, olim in paradysi cellas collectum iri; haud secus, atque uvarum liquor, è torculari expressus, ad cados ac magnatum mensas destinatur. *Accedens quisque ad servitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat; contribulabitur, conteretur, comprimetur, non ut in hoc sæculo pereat, sed ut in apothecas Dei defluat.*

Concordia.

S. Eccles. S. Aug. tra. 46. in Ioa.

Calamitas utilis.

S. Aug. in Ps. 83.

185. Prin-

185. PRincipem violentum & avarum è torculari dignosces, quod è compressis uvis aut olivis optimos liquores extorquet. Epigraphen subjicies: AB INVITIS EXTORQUET. Ira Achab suam Nabotho vineam eripuit. Et prior illo Pharao, Israëlis populum assiduis exactionibus ultra vires coarctavit. His non absimilem se probavit malignus ille servus, qui, referente S. Matthæo, *tenens suffocabat* debitorem suum, *dicens; redde quod debes.* Basilius Imperator, Leonem filium suum ab hoc vitio præservaturus, inter cæteras præceptiones etiam hanc recenset; *Rempublicam optimè administrabis, si pecuniæ publicæ curam diligenter habebis, atq; justis rationibus colligendæ studueris, non ex oppressione, vel ex lachrymis subditorum corradendæ.* Cæterùm morbi & calamitates, ceu totidem torcularia, ex obstinatis peccatoribus copiosas lachrymas & pœnitentiæ affectus extorquent.

rinceps iolentus.

Iatth.18.28

Calamitas

186. Prælatum quemdam, gravissimis muniis in S. Ecclesiæ utilitatem perfunctum, ac tandem pro meritis suis inter purpuratos Ecclesiæ Patres recensitum, Torcularis Emblemate significavi, quod è compressa uva hanc epigraphen reddidit; SUB PONDERE PURPURA FLUET. Ita Regni cœlestis purpura nonnisi laboriosos expectat. Monente S. Hieronymo, *Nullus labor durus, nullum tempus videri longum debet, quo gloria æternitatis acquiritur.* D. Octavius Boldonus D. Cæsari Montio, Hispaniæ, ac Regni Neapolitani Nuntio Apostolico, postea verò Cardinali, hoc epigrammate accinuit;

abor pa- it præmiũ

Hieron. Epist.

Pampineos fœtus, rubicundaque pignora Bacchi,
Aggere collectos torcula læta tenent.
Præla madent domitis, PETRAQUE PREMENTE gemiscunt:
Atque rubescenti nectare plena fluunt.
Pro Petro an premeris? petrâne urgente fatiscis?
Dulce onus: inde tibi PURPURA, MONTE, SCATET.

187. Hominem impatientem, ac levissimo quovis onere in querelas effundi solitum, torculari non absimilem dices; addito lemmate, SUB PONDERE GEMIT. Teste S. Gregorio, *Qui non æquanimiter aliena mala tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia ab omni plenitudine longe distat.* Delicatulis illis calcar subjicit Juvenalis;

Impatiens

S. Greg. in Moral. super illud Frater fui Draconũ

Iuven Sat. 13

Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.

TORCVLAR TYPOGRAPHICVM.

188. ACademici Intrepidi Farrarienses, Symboli loco, torcular typographicum præferunt; cum lemmate; PREMAT, DUM IMPRIMAT. Veluti dicerent; intellectum humanum, assiduis Academicorum exercitiis ac speculationibus pressum, felicissimos virtutis & sapientiæ characteres animo suo imprimere. Idipsum sanè etiam de calamitatibus pronuntiem. Unde Aresius suo Libro, quem de tribulatione perferendâ scripsit, torcular typographicum è fronte præfixit; cum lemmate, PREMIT, UT IMPRIMAT. Ut adeò quivis afflictus, ad Deum conversus, jure dixerit; PREMAT, DUM IMPRIMAT; Quidquid enim ponderis Divina providentia accumulet, parvi æstimo, modò aureos virtutis characteres pectori meo impressos referam. S. P. Augustinus. *Quid justius unico? cui tamen Pater non pepercit; Et quid evidentius, quòd nec justis parcat, emendans eos varietate persecutionum.*

Labor utilis.

Calamitas utilis.

S. Aug. l. 22. cont. Faust. cap 14.

189. Torcular typographicum cum melanteribus, ad typos oblinendos ac imprimendos applicatis à D. Didaco Saavedra epigraphen recepit; EX FUMO LUCEM. Verbis ex Horatio mutuatis;

Horat. in Arte

Non fumum ex fulgore, sed EX FUMO dare LUCEM cogitat.

Enimverò sicuti fumi nigredo & atramenti squalor ad litteratorum doctrinas, & generosa Heroum facinora in lucem publicam proferenda deservit, ita ex initiis obscuris ac defectuosis non rarò opera gloriosa nascuntur. Certè Saulus, primùm persecutor, postea illustrissimum S. Ecclesiæ lumen audiit. Eodem Emblemate demonstratur, è Philosophorum ac Poëtarum libris, quantumvis caligantibus ac fuliginosis, plurimum lucis in nos derivari ad Divinas scripturas faciliore negotio intelligendas. S.P. Augustinus; *Historia*, inquit, *plurimum nos adjuvat, ad sacros Libros intelligendos* Et Petrus Blesensis; *Si Scripturas sacras diligenter attendis, non censebis absurdum, quod verba Philosophiæ vel scientiæ civilis quandoque in Doctrina Christiana admittantur.*

S. Paulus conversus. Scientia profana utilis ad sacram. S. Aug l. 2. de Doct. Christ. c. 28. Pet Bles Epist. 2.

190. Typi characteres seu imprimendi perfectione, seu efformandi velocitate, reliquas calami litteras longissimè superant. Unde D. Aresius S. Thomam Aquinatem, in commentando celerrimum ac præstantissimum, torculari typographico non absimilē dixit; addito lemmate. NEC MELIUS, NEC CELERIUS. Unde in omni opere tuo geminam hanc virtutem, bonitatem & celeritatem, observes velim. Siracidis judicio, *In omnibus operibus tuis esto velox.* Et Salomonis, *Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit.* Beda; *Quemcunq; velocem videris in opere suo, vel in opere bono, quod erat ei faciendum, strenuum atque sollicitum: scito hunc in die novissimi examinis coram Apostolis, qui cum Christo mundum judicante sedebunt, esse staturum.*

S. Thomas Aquinas. Velocitas in agendo laudabilis. Eccles. 31. 27. Prov. 22. 29. Ven. Beda ap Corn à Lap in Prov l. c.

191. Typus epigraphen à P. Jacobo Masenio subjunctam habet; TANTUM IMPRIME. Maria Virgo à S. Anastasio rectè vocatur *Typus imitabilis*; illa enim pectori nostro impressa, nobilissimos virtutum characteres in eo efformat. Emblemati explicando sequentem poësin accipe;

Maria V. S. Anastas.

Ecce typum, licet, hunc puræ tantū imprimè chartæ,
Exprimet effigiem, te cupiente, suam.
Matrem corde premas, typus est imitabilis: *illa*
Ingenio finget te meliore suum.

TORCULAR BIBLIOPEGÆ.

192. TOrcular, Bibliopegis ad libros compingendos usitatum, hoc lemmate insignivi; COMPRIMENDO EXÆQUAT. Eadem sanè calamitatis effecta sunt; quippè quæ animo nostro coarctando applicata, tumentem illi fastum edomare ac comprimere solet. Verissime S. Gregorius Papa; *Cùm dolor vel tentatio nos percutit, elatio mentis succisa cadit.*

Calamitas utilis. S. Greg. apud Hug Card in cap. 6. Iob.

TRULLA CÆMENTARII. Cap. XXXV.

193. INter cætera D. Caroli Bossi Emblemata, trullam cernere licet, quæ calce onusta, epigraphen tenet; ADDIT, ET ÆQUAT. Veluti diceret, quemadmodum trulla rudes aut hiantes muros injectâ calcis loricatione exæquat & perficit, ita homines, calamitatum pondere obductos, à Divina providentia ad desideratam normam perduci. Unde etiam, quod Amos, oculatus testis, affirmat, *trulla cæmentarii*, à Divinis manibus sustinebatur; ubi interprete Isidoro Clario, *per trullam & calcem accipit flagella, & clades Israeli impactas à Deo, ut resipisceret, & rectus in fide, cultuque Dei consisteret,*

Calamitas

Amos 7. Isid. Cla[...] Corn. à [...] in hunc [...]

194. Trulla cæmentarii non tantùm lapides subministratâ calce coagmētat, sed insuper muro incrustationem ac ultimam veluti manum inducit. Atque adeò, CONSTITUIT, ET PERFICIT. Ita omninò Deus non tantùm celsissimas virtutum structuras in nobis molitur, sed illas insuper assiduis gratiæ suæ auxiliis exornat, & adversus quasvis hostium injurias defendit. Hugo Cardinalis in Amos Prophetam, superiore numero citatum, ait; *Per trullam quæ ornat murum & linit, Dei protectio intelligitur.* Et Franciscus Ribera; *Non satis est, murum ædificari, id est, justitiam nobis à Deo donari, nisi ab eodem liniatur adversus imbrium & ventorum violentiam. Liniri autem à Deo est semper auxilio ejus protegi adversùs contrariarum potestatum frequentes insidias & incursiones.* Cæterùm bonus Paterfamilias suis filiis non educationem tantùm, sed insuper omnem moralem ac Christianam perfectionem è munere suo conferre debet.

Deus [...]tor & c[...] servato[...] bonoru[...]. Hug Car[...] in Amos 7. Franc Ri[...] in eund l[...] Educati[...]

195. Murus, à trulla loricatus geminâ prærogativâ, & insigne robur, & gratiosum ornamentum recipit. Ut adeò illam opportuno hoc lemmate distinxerim; FIRMAT, ET ORNAT. In rem præsentem S. Hieronymus; *Trullâ cæmentarii solent superinduci parietes, & non solum PULCHRITUDINEM accipere, sed ET FORTITUDINEM contra injuriam imbrium, & creberrimas tempestates.* Hâc ipsâ benevolentiâ Deus olim synagogæ suæ murum complexus, eundem & ornavit & muniit. P. Cornelius à Lapide, *Trulla cæmentarii*, inquit, *in manu Dei stantis juxta murum, significat pervigilem jugemque Dei in tuendo* (adde & *in ornando*) *Israele curam aut providentiam.* Unde hodie etiamnum eadem Dei providentia Sanctam Ecclesiam acerrimè propugnat & illustrat. S. Augustinus; *Terra Dei Ecclesia ejus est; ipsam rigat, ipsam colit.*

S. Hieron[...] Amos cap[...] Synago[...] à Deo amata. Corn à L[...] in locum [...] S. Eccle[...] à Deo a[...] juta. S. Aug. Ps[...] 36. Conc. 1

TUBUS VITRIARIUS. Cap. XXXVI.

196. TUbus ferreus in officina vitriaria ad bombylios & calices formandos tantundem deservit, quantùm humano perflatu animatur: hujus enim beneficio vitreamina, etiamnū tenera, in quasvis figuras dilatantur. Unde tubus ille epigraphen præfert; FORMANTE SPIRITU. Mens Emblematis est, miros ac frequentes Prædicatoris effectus non quidem solâ illius virtute aut labore, sed potius afflante Spiritu Sancto produci. Hinc assiduæ Davidis preces erant; *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Optimè enim Rex perspicacissimus novit, nobiliores operationes omnes è Spiritûs Sancti virtute scaturire. Mirûm sanè est, quàm insignes ac varios Divini Spiritûs favores sola commemoret Sacra Pagina, è quibus pauculos hos enumerat S. Greg. Papa; *Implet citharœdum puerum, & Psalmistam facit. 1. Reg. 16. à n. 13. Implet Pastorem armentarium, sycomoros vellicantem. & Prophetam facit. Amos. 7. 14. Implet abstinentem puerum, & judicem facit. Dan. 13. à num. 45. Implet piscatorem & Prædicatorem facit. Matth. 4. à num. 19. Implet persecutorem, & Doctorem gentium facit. Act. 4. à num. 15. Implet publicanum, & Evangelistam facit. Luc. 5. à numero 27.*

Spiritus. Psal 103 3[...] S. Greg. Ho[...] 30, in Evan[...]

O qualis

O qua'is est artifex iste Spiritus! Nullâ ad discendum morâ agitur in omne, quod voluerit: mox enim ut tetigerit mentem, docet; solumque tetigisse, docuisse est.

197. Tubus vitriarius molle ac liquefactum vitrum in quasvis figuras, solo perflatûs humani beneficio, effingit. Unde D. Joannes Bapt. Mazzolenus subscripsit; TENERUM FIGURAT. Magistris compertum est, suas præceptiones ac doctrinas potentius in ætatem etiamnum teneram, quàm adultam, inspirari. S. Isidorus Pelusiota; *Pueris etiamnum teneris de Dei excellentiâ ac providentiâ, postea de virtute, præcepta sunt inserenda: ut grandiores jam facti, in virosque jam formati, cùm Dei optimi maximi amantes, tum præditi evadant virtute.*

Educatio.

S. Isid. lib. 5. Epist. 106.

Vita humana fragilis.

198. Vas vitreum unico afflantis fabri halitu in formam desideratam effingitur. Unde lemma; AB HALITU FORMA. seu, FLAMINE FORMAT. Tanta autem vitrei hujus operis est fragilitas, ut eâdem facilitate dissolvatur, quâ construitur. Genuinum hoc vitæ humanæ symbolum dixerim, quæ unico inspirantis Dei afflatu animata, rursus unico afflatu extinguitur. S. P. Augustinus; *Præsens vita fragilis est, & in mortem proclivis: nemo potest stare, sed omnes cogimur transire. Nolentes imus, inviti eximus, quia mali sumus.* Opportunè meus D. Salvator Carducius;

S. Aug. serm. 25. de Verb. Dom. c. 3.

Flamine format opus vitreum dum fistula ferri;
Quòd tua ceu ventus vita sit, inde docet.

Et prolixior Fr. Cyrus de Pers.

Ferma qui le pupille, ove erudita
Spiega la fiamma à nozzfre fumanti,
Qui con un soffio fabri sudanti,
Danno à gonfio cristal fulgida vita.
Ma del proprio metal và poco ardita,
Che spesso pere à le sue culle avanti;
E ad un urto leggier di destre erranti
In ruine sonore ella è svanita.
Mortal teco parl' io, te fei scordato
Quant' all' hor pronto stà sempre il feretro
Mentr' hai pari al cristal fragil lo stato.
Da le superbie tue ritorna à dietro,
Non ti die la tua vita altro che un fiato,
E non è la tua vita altro che un vetro.

VASCVLVM, AMVSSIS.

Cap. XXXVII.

199. Philareti Ferrarienses Emblematis loco vasculum, fabris lignariis usitatum, præferunt, quod rubricatâ suâ amussi instructum, epigraphen tenet; RECTUM SIGNAT. Certè Christus patiens, Divino suo sanguine illitus, directam virtutis assequendæ semitam commonstrat. Disertè Apostolus; *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et S. P. Augustinus; *Docuit nos exemplo passionis, cum quanta patientia in illo ambulemus, & firmavit nos exemplo suæ resurrectionis, quid ab illo patienter sperare debeamus.* Unde S. Cyprianus, ad Christum conversus, ait; *Tu Domine, Sacerdos sancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, sancti hujus sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, & beneficium hujus sancti liquoris in perpetuum tradidisti, quo conspecto non noceat nobis, neque mordeat coluber solitudinis, sed incolumes per omnia sequamur te, tecum parvuli simus, tecum circumcidamur, tecum baptizemur, tecum jejunemus, tecum lotis pedibus panem Angelorum edimus, tecum crucifixi mundo vivamus, tecum Spiritu Sancto repleti, & corpore & Spiritu in æternum maneamus.* Cæterùm etiam Lex Evangelica, dictamen conscientiæ, & Superiorum exempla, instar amussis deserviunt, ad operationes nostras ex æquo dirigendas.

Christus patiens.

1. Pet. 2. 21.

S. Aug. ser. 26. de Verb. Apost.

S. Cypr. tract. de Pass. in fine.

Exemplū.

V N C V S.

Cap. XXXVIII.

200. VNco res quævis, in puteum delapsæ, retrahuntur. Unde lemma; EXTRAHIT AB IMO. Vel, AB IMO REPOSCIT. Eleëmosynarii hanc effigiem dixeris, qui miseros, in egestatis puteum præcipitatos, auxiliari manu retrahit. Nec aliter Prædicator obstinatos peccatores ex inveterata vitiorum consuetudine, ceu barathro obscurissimo, liberat. S. Ambrosius, illa D. Lucæ verba contemplatus, *Laxate retia vestra in capturam*, observat, sanctis Apostolis duplici ratione nulla alia instrumenta, nisi retia, à Deo assignata fuisse. *Benè Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reservant, & DE PROFUNDO ad lumen EXTRAHUNT.*

Eleëmosynarius.

Prædicator.

S. Ambr. l. 4. in cap. 5. Luc.

201. Uncini beneficio quodcunque pomum ex arbore pro libitu tollere poteris. Unde aureo uncino, complura poma ex arbore decutienti, inscripsit P. Sebastianus à Matre Dei; FERT, QUODCUNQUE PETO. Hortus cœlestis, innumeris gratiarum ac benedictionum pomis est refertus. Gignit enim poma amoris Dei & proximi, patientiæ, castitatis, aliaque innumera: vis plurima obtinere? Uncinum assumito aureum, Virginem Deiparam, quæ pro voto tuo illa ex arbore vitæ tibi cumulatè porriget. S. Bernardus super illud Virginei Cantici, *Beatam me dicent omnes generationes*, ait; *Ex hoc beatam te dicent omnes generationes, quia omnibus generationibus vitam & gloriam tribuisti. In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum.*

Maria V.

S. Bern. in serm.

FINIS LIBRI DECIMI SEPTIMI.

MUNDI SIMBOLICI
LIBER DECIMUS OCTAVUS.
INSTRUMENTA LUSORIA.

Alea. 1
Alveus Latrunculorum. 2
Pila. 3
Pila reticulo percussa. 4
Pila ventosa, Ligneum brachii tegmen. 5
Pyrobolus chartaceus. 6
Tessera. 7
Trochus. 8
Turbo pneumaticus. 9

ALEA.

Cap. I.

1. *Perseverantia.* ANimum imperterritum, & inter quosvis adversæ fortunæ assultus nunquam è statione dimovendum, talo non absimilem dixeris, quæ hanc epigraphen præferat, SEMPER JACTATUS, SEMPER ERECTUS. S. Pater Augustinus; *Quadrato lapidi similis esse debet Christianus. In omni tribulatione non cadit, etsi impellitur; & si qua vertitur, non cadit. Nam quadratum lapidem quacunque verteris, stat: stantem te sic inveniat omnis casus.* Et S. Anselmus; *Quadratus lapis sex æqualia habet latera, in quod horum ciciderit, firmiter jacebit, sic providendum est justo viro, ut in suo persistat proposito & in singulis, si à diabolo pulsetur, stet, neque à proposito moveatur.* Ab his nihil difformis Carolus Rancatus, canit; *S. Aug in Ps. 86.* *S. Anselm. lib de similit c. 168.*

Recta cadit, quoquò jactes, ut tessera semper:
Sic vir FORTUNA RECTUS UTRAQUE manet.

Unde eidem Emblemati nonnemo subscripsit; QUOQUO VERTAS. Vel, SEMPER IDEM Rursus hàc icone, ceu ectypo, constans ac imperterritus hominis animus repræsentatur. Seneca immutabilitatem ac magnanimitatem illam in Socrate disertis his verbis deprædicat. *Accipite Socratem, perpessicium senem, per omnia aspera jactatum, invictum fame, & paupertate, quam graviorem illi domestica onera faciebant, & laboribus, quos militares quoque pertulit, & quibus ille domi exercitus, sive uxorem ejus spectes, moribus feram, linguâ petulantem, sive liberos indociles, & matri, quàm patri similiores. Objecta est & religionum violatio, & juventutis corruptela, quam immittere in Deos, in patres, in rempublicam dictus est. Posthac carcer & venenum. Hæc usque eò animum Socratis non moverunt, ut ne vultum quidem moverint. &c.* *Senec Ep 104*

Usura. *Prudentia* 2. Fortunam nunquam usque adeò contrariam experimur, quin calamitatum centuriis semper aliquid levaminis aut solatii interponat. Certè alea, quomodocunque jacta, semper aliqua, sive plura, sive pauciora, puncta exhibet. Unde lemma; QUOMODOCUNQUE ALIQUID. Vel, SEMPER ALIQUID. Illud ipsum hominis prudentis & sagacis est ingenium, qui quovis, tam prospero, quàm adverso tempore, quæstus suos promovere novit. *Quid enim usquam tam absurdum,* inquit P. Joannes Rhò, *ex quo aliquid honesti elici non possit? Quid tam incommodum, quod prudentiâ artifice non molliatur*; Nempe S. Gregorio teste; *Utilitati justorum militat etiam potestas pravorum.* *P. Io. Rhò Var. virtu Hist lib. 5. c.* *S. Greg. in Moral.*

3. Bargalius Symboli loco aliquot aleas supra abacum figuravit, quæ, cùm infelicissima puncta è jactu suo ostenderent, epigraphen tulêre; CORRIGO SI NON CECIDIT. Veluti diceret, prudentiam ac industriam in sortis malignæ defectum substituendam esse, & quemvis propriæ felicitatis suæ authorem existere debere. Socratis dictum erat; *Alea ludo similis est vita: & quidquid evenit, veluti quandam tesseram disponere oportet. Non enim denuò jacere licet, neque tesseram aliter ponere.* Nec aliter dicebat Plato, quòd in adversantis fortunæ casibus *consultare circa ea, quæ acciderunt, inprimis oportet, & tanquam in tesserarum jactu, PROUT CEDIT, quomodocunque ratio MELIUS rem habere dicat, negotia DISPONERE.* Et Seneca; *Optimus quisque jactus aleatori maximè expetendus est: sed utcunque tamen evenerit, adhibenda cura, ut eo, quod casus contulerit, ipse rectissimè utatur.* Denique Terentius; *Prudentia* *Proprius valor.* *Socrat apud Stobæum ser. 125.* *Plato de Remed. l. 1 apud Stob loc. cit.* *Senec. de Tranquill. animi.* *Terent. in Adelphis.*

Ita vita hominum quasi cùm ludas tesseris:
Si illud, quod est maximè opus, jactu non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas, necesse est.

Accilles Bocchius Palladem figuravit, quæ Fortunam jamjam submergendam, è tempestuoso mari extrahens, hunc titulum præfixum habuit; *Fortuna forti sublevanda industria.* Ita nimirum perniciem, ab inimica sorte creatam, vivaci nostro ingenio reparari oportet. T. Quintus Capitolinus, Consul Romanus, cùm unum exercitûs sui cornu è statione fugam capessere cerneret, mox promptissimo stratagemate altùm exclamavit, hostes ab altero cornu prostratos esse: sicque, fugitivis ad pristina signa convocatis, desideratam obtinuit victoriam. Cnejus Manilius, cùm perspectum haberet, sinistrum Romanorum cornu ob Fabium, Collegam suum vulneratum, & consulem occisum, jamjam abjecto animo è fuga salutem meditari, quantocius prudenti magnanimitate cum aliquot Equitum turmis fugitivos prævertit, & concitatâ voce clamavit, *Et Collegam vivere, & se dextro cornu vicisse.* Nec fefellit eventus; eo enim astu advensantis fortunæ defectum correxit, & è militum suorum animis, jamjam superatis, victoriam extorsit; uti inter cætera complura stratagemata recenset Julius Frontinus. *Achilles Bocchius. Embl. 51.* *Iul. Front. lib 2 de Stratag c.*

4. Ab-

Victoria inconstās. 4. Abbas Thesaurus, inconstantem ac volubilem militiæ indolem Emblemate demonstraturus, aleas supra tympanum figuravit, quæ à ludente fortunâ jactæ, epigraphe tenebant; NUNC MIHI, NUNC ALII. Ad verbum Horatius; *Horat. lib. 3. Carm. Od. 29*

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores
NUNC MIHI, NUNC ALII benigna.

Virg. Eclog. 6 Compendio Virgilius;

-----Sors omnia versat.

Et Seneca Tragœdus; *Seneca in Thyestes.*

Nulla sors longa est: dolor, ac voluptas
Invicem cedunt, brevior voluptas
Ima permutat brevis hora summis.
Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem. &c.

His assentiens Ovidius;

Mars dubius, nec certa Venus, victique resurgunt, *Ovid. lib. 1. Amor. Eleg. 9*
Quosque neges unquam posse jacere, cadunt.

Senec. lib. 5. Rhetor. Seneca; *Ludit de suis fortuna muneribus, & quæ dedit aufert; quæ abstulit, reddit; nec unquam tutius est illam experiri, quàm cùm locum injuriæ non habet.*

Aspectus noxius. 5. Aleæ, in medio exercitu supra tympanum jactæ, unico sinistro casu mortem accersunt. Emblemati Henricus Engelgrave subscripsit. JACTU JACTURA VEL UNO. Ita non rarò unicus incautus oculi jactus extremam animæ perniciem creat. Unde Hieremias; *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Et Poëta; *Ut vidi, ut perii.* Compendio Seneca; *Oculi irritamenta sunt vitiorum, ducesq; scelerum.* *Hier. 3. 51. Sen. de Remed. fatuit.*

Damnati. 6. Damnatos, æternis cruciatibus exagitandos, Alcibiades Lucarinus cum Talis comparat, qui supra fritillum jactati, epigraphen tenent. JACTATI VERSANTUR. Et benè quidem reprobi in inferno dicuntur jactati, utpote ab assiduis ac horrendis procellis concussi. De his Vates Regius ait; *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Agitantur insuper miserrimi à vehementissimo æternæ ac insatiabilis flammæ impetu. *Stridorem illum dentium,* inquit S. Cyprianus; *flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miseri vivent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus adlambent, Ardebit purpuratus dives, nec erit, qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur.* Deniq; etiam agitantur, non quidem à præcipiti ponderoso illo Sisyphi saxo, nec à volubili Ixionis rota, de quo canit Ovidius; *Psal. 10. 6.* *Cyprian de scens. Christi.*

Volvitur Ixion, & se sequiturq;, fugitq;.

Sed à violentissimo ignis, glaciei, sulphuris, tenebrarum, vermium, & cacodæmonum supplicio. Facundus in hanc rem Magnus Augustinus; *De aquis nivium,* inquit, *transibunt ad colorem nimium: de quibus duobus innumera pendent pœnarum genera: videlicet sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, severitas tortorum, præsentia dæmonum: ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiæ, ignitæ lachrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine.* *Aug lib de pl. habitu c. 2.*

Peccatum. 7. Alea sub manifestata monade senionem absconditum habet. Unde lemma; SUB UNO PLURIMA LATENT. Innuit videlicet, sub uno solo peccato plurima alia delitescere, & concatenato ordine ex aliis alia sequi. Philosophorum Principi id credes. *Modica transgressio,* inquit, *à veritate discedentibus fit longè decies millies major. Et quod in principio modicum est, in fine fit perquàm magnum.* Et rursus ait, quòd homines *primo quidem dicunt sufficere pauca, atq; minima, mox verò ubi illa sunt consecuti, plura appetunt semper, quousque in infinitum procedant.* *Aristot lib. 1. sive 2 de Cœlo c. 33. Idem lib. 2. Polit. cap. 15.*

Mundus fallax. 8. Inolita est mundi consuetudo, quòd magnis promissis redditus substituantur pauci. Haud secus atque alea, numerum ternarium tentans, paulò post monadem ludenti reddit. Unde lemma, MOX MINIMA REDDAM. Salomon mundi filium minimè degenerem se probavit, quando à Tyriorum Rege lignis, ad templum extruendum accommodatissimis, instructus, in tantæ benevolentiæ vicem res quasvis maximas promisit. At post viginti annorum intervallum promissis suis adeò languidè stetit, ut gravem Regi bilem moverit. *Dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ. Et egressus est Hiram de Tyro, ut videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei, & ait; Haccine sunt civitates, quas dedisti mihi frater? Et appellavit eas terram Chabul. &c.* Quænam, obsecro, Regum insignia, quantamque Majestatem non promiserat Judæa Verbo Incarnato? sed, heu! quantùm à condicto recessit iniquissima? In vicem coronæ gemmeæ obtulit spineam; sceptro aureo substituit cannam vacuam; superbæ purpuræ detritum amiculum; glorioso throno infamem truncum; faustis acclamationibus gravissimas calumnias. Quin, ad Christi ingressum passim tota Hierosolyma obviam effusa, & olivis palmisque, ceu victoriæ symbolis, cumulatè instructa, mox eundem in infamiæ ac mortis ærumnas acerbissimas præcipitavit. De tanta hominum inconstantia altum conquestus S. Bernardus, *Quis,* inquit, *sperare jam debeat in incerto gloriæ temporalis, cùm videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, Creatore temporum, & conditore universitatis, post exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim civitate, à plebe eadem, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloriâ, & Divinis est laudibus honoratus, postmodum vero interrogatus contumeliis, & tormento, & cum sceleratis reputatus.* *3. Reg. 9. 12.* *S. Bern. ser. 1. in Domin. Palm.*

Bona mundi. 9. Alea, feliciter projecta, senaque ostentans puncta, epigraphen tenet; NUNQUAM BENE, ETIAM CUM BENE. Nempe, omne lucrum hujus mundi, quod cum virtutis jactura fit, damnum est, non lucrum. S. P. Augustinus; *Ut lucrum faceres, offendisti Deum: plus perdidisti, quàm acquisivisti.* *S. Aug. in Psal. 123.*

ALVEUS LATRUNCULORUM.
Cap. II.

Proprius valor. 10. IN cæteris alearum aut calculorum ludis sorte certatur; verùm ad latrunculorum tabulam solâ arte ac judicio committuntur lusores. Unde abaco lusorio hanc gnomam præfiges; SORS NEQUAQUAM. Illius hanc effigiem dixeris, cujus incrementa non quidem favore aliquo extero aut emendicato, sed propriâ virtute ac prudentiâ nituntur. Ad hoc propositum de se ipso canere poterit;

Ne le schiere di Marte,
Se fortuna hà gran parte,
In questo finto, martiale ordegno
La sorte nulla, il tutto opra l' ingegno
Cieca Dea dal tuo regno
Eterno essiglio, e volontario prendo,
Che nulla i uvò da te, nulla pretendo.
Mio saper, mio sudor, virtù sol una
Fabbre son del mio ben, non la fortuna.

Eodem omninò argumento gentilitium Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanensis, Alphonsi Littæ, alveum lusorium hoc epigrammate insignierunt. INGENIO, NON SORTE. Innuebant videlicet, Principem illum non quidem fortunæ beneficentiâ, sed proprii ingenii meritis ad Ecclesiæ Mediolanensis clavum emersisse. *Sicut enim æquum est*, inquit Cassiodorus, *desidiosis laborantium præmia denegare: ita convenit operantibus remunerationis optata concedere.* *Cass. lib. 1.*

11. Latrunculorum ludus, veluti genuinum belli simulachrum, turres, equites, pedites, signiferos, aliaque militum munia longo ordine exhibet. Unde ab Abbate Ferro epigraphen retulit; IGNAVA PER OTIA. Hinc disces, relaxationis aut otii tempus inter exercitationes virtuosas, & ad profectum nostrum accommodatas, transigendum esse. Vegetius de Militibus Romanis testatur, *Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo: super hos juniores primò inermes, dum consuetudine proficerent; deinde armati cogebantur ascendere. Hoc enim continuâ meditatione faciebat, scilicet, ut in tumultu prælii sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace.* S. Hieronymus, Lætam de filiola sua educanda instruens, ait; *Fiant ei litteræ vel buxeæ, vel eburneæ, & suis nominibus appellentur; Ludat in eis, ut & lusus ipse eruditio sit.* Famianus Strada de diversis oblectationibus, quas Carolus V. in Hieronymiano suo secessu interposuerat, ait; quòd Joannellus Turrianus, ævi illius Archimedes; *Caroli mentem novis quotidie machinationibus oblectabat. Nam sæpè à prandio armatas hominum & equorum icunculas induxit in mensam, alias tympana pulsantes, tubis alias occinentes, ac nonnullas ex eis feroculas infestis sese hastulis incursantes, &c.*

Exercitiū militare. *Veget. lib. 1. cap. 18.* *S. Hieron Ep ad. Lætam.* *Fam. Strada lib. 1. de Bello Belg.*

12. Latrunculi omnes ad Regem comprehendendum ordinantur. Unde à P. Camillo Antico epigraphen recêpere. LABOR OMNIBUS UNUS. Ideæ loco id habeas velim, ut affectus & operationes tuæ omnes unicè ad virtutem ac Deum obtinendum collineent. Disertè Christus; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Et S. Ecclesia; *Semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera.* S. P. Augustinus; *Deum sic diligamus, ut aliud præter ipsum non diligamus.*

Servitus Dei. *Matth. 22. 37.* *S. August. in Ps. 55.*

13. Complures Historici memorant, illustrissimam Littarum familiam à Leto, Longobardorum Rege, originē suam trahere. Unde, Comite Alphonso Littâ ad Archiepiscopatum Mediolanensem sublevato, P. Hortensius Pallavicinus prosapiam illam vetustissimam multis symbolis expressit. Inter cætera gentilitius Littarum alveus lusorius cernebatur, in quo peditem, ad tertiam usque regionem promotum, hoc lemmate insignivit; QUOUSQUE REGNET. Innuebat videlicet, sicuti pedes supra lusoriam tabulam tamdiu progreditur, donec Reginæ nomen ac prærogativam obtineat; ita Principem illum in Ecclesiasticis gradibus incremento adeò felici promovisse, ut non tantùm ab Alexandro VII. inter Cardinales (*qui æquiparantur Regibus*) sit recensitus; sed insuper ad ipsum Rupis Tarpeiæ solium ac tiaram contendat. Emblematis mentem sequenti epigrammate explicatam accipe;

Proficere.

Cernis, ut impavidâ se fronte latrunculus unus
Dvchat, & primas ardeat ire vias?
Vt tessellati affectet decora ardua campi?
Vt pedes ad palmas hoste stupente volet?
Donec sceptrigeros, regni anceps, regnet honores,
Iactet & invictum in principe sede caput.
Magnanimus ruet obluctantes passibus hostes,
Doctè errans Protheus viribus, arte sagax.
Ludor? An hîc Alphonse, tuæ virtutis imago
Luditur, & de te est muta tabella loquax?
Donec adorato vitam ostro Auguste marites,
Tergeminique apicis Numine regna premas.
Sudatæ te urgebit honos virtutis honores
Supra Auster facilis, sanguinis aura vehent.

In eandem rem aliud epigramma subjungere placet, ubi non tantùm regia Magni illius Prælati origo, sed insuper Sanctus Laurentius è Littarum familia oriundus, & Archiepiscopus Mediolanensis innuitur;

Cernis, ut incedens, peditis latrunculus instar,
In picturato tramite carpit iter?
Scilicet in medios viator sese invehit hostes,
Donec regalis tempora velet honos.
Præsulis hoc Littæ fatum est, an stemma? coronam
Infula fert: ostrum regius addit Avus.
Præsul adoratos Laurentius addat honores;
Alphonsum triplex jam diadema teget.

Alius eidem Emblemati interpretando sequentem poësin vernaculam addidit;

Sù tavolier, che in più quadrati è inciso,
La mano industre, e' l perspicace ingegno,
Tanto s' avanza al fin, che acquista il regno.
E sù scacco dorato,
Di nobilità e valore,
Con gioco fortunato
Sacchegiando servan merto, ad honore:
Due passi ancor, che poi toccato il segno
Otterrà dopò l' ostro il gran triregno.

Cæterùm quævis anima è pedite illo genuinam proficiendi methodum colligere potest; sicuti enim ille gradatim, nec sine adversantium latrunculorum formidine ad regios honores aspirat; ita homo assiduos ac solicitos in virtute progressus tamdiu faciat, donec tandem cœlestis regni solium occupet. Hanc agendi rationem probe edoctus S. Paulus, de se ipso protestatur; *Quæ quidem retrò sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Enim, ero, interprete S. P. Augustino, dicere volebat; *Adhuc sequor, adhuc proficio, ADHVC AMBVLO, adhuc in via sum, adhuc me extendo.* Sed ad quam metam? *ad bravium. Quodnam bravium?* interrogat ulterius S. Joan. Chrysostomus, *Non ramus palmæ, sed quid? REGNVM cœlorum.*

Profectu. *Philip. 3. 1.* *S. Aug. apud Bedam in hunc loc.* *S. Chrysost. in hunc lo.*

14. Emblematis loco, gentilitium Alphonsi Littæ, Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis, abacum lusorium depinxi, qui latrunculis omnibus vacuus, epigraphen tulit; LATRUNCULI PROCUL. Innuebam videlicet, avaros ac fallaces ministros ab Alphonsi curia longissimè extorres vivere. Alto enim pectore optimus Pontifex illam Basilii Imperatoris præceptionem, filio suo Leoni traditam, versabat; *Consultores adhibe experientes rerum, providos, perspicaces, & qui simplici animo, & incorrupto sunt, nullumque ex iis rebus lucrum quærunt &c.*

Aula ministris fallacibus vacua. *Basil. Imp mon ad L &c.*

15. Rex, Regina, Signiferi, pedites, cæterique latrunculi omnes, finito ludo, in eandem pyxidem promiscuè clauduntur. Ut adeò Henricus Engelgrave opportunam hanc gnomam substituerit; OMNES EODEM COGIMUR. Ita omninò homines nobiles ac plebeii; divites ac pauperes à morte in obscuram tumbam ac terræ cavernas indiscriminatim sepeliuntur. Religosissimè Horatius;

Mors omnibus æqualis. *Horat. li. 1. Ode 3.*

Divesne prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper & infimâ
De gente sub dio moreris,
Victima nil miserantis orci.

OMNES

OMNES EODEM COGIMUR, omnium
Versatur urna, serius, ocyus
Sors exitura &c.

S.Greg.Naz Orat.10. Nec aliter S. Greg. Nazianzenus, D. Cæsarium funebri panegyrico dilaudans, *Quantum*, inquit, *nos antevertit Cæsarius? Quamdiu adhuc ejus discessu angimur? nonne ad eandem sedem properamus?*

16. Rex, Regina, Turres, equites, & pedites diversis quidem semitis ac gressibus supra decussatum abacum moventur; omnes tamen, soli Regi circumveniendo intenti, ad victoriam obtinendam ex æquo deserviunt. Unde D. Joannes Baptista Mazzolenus subscripsit; IMPAR GRESSUS, PAR VICTORIA. Idipsum in Academiis usuvenit, ubi ingenia omnia, quantumvis diversa, ad eruditionis & virtutis assequendæ palmam contendunt. Certè in Ecclesia Dei, tametsi diversissimis muniis fungantur Fideles; (alii enim militiæ, alii Monasteriis dant nomen; vitam contemplativam nonnulli, alii activam sequuntur; heros quidam agunt, servos alii; &c.) omnes tamen ad eandem metam virtutis & gloriæ æternæ collimant. S. P. Augustinus; *Illud, quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines: ita Deus medius esse dicitur æqualiter omnes consuleas.*

Victoria omnibus pervia.

S.Aug. in Psal.45.

17. D. Nicolaus Crassus hoc alvei lusorii emblemate quatuor Academias insignivit. In Veneta quidem figuravit peditem, qui è sua regione in adversum promotus, reginæ nomen ac prærogativâ obtinuit. Epigraphen addidit; LONGE ALIUS. Enimverò mutatâ conditione, ipsam etiam personam mutamus; nec dignitate tantum, sed & moribus à priore homine recedimus. Ideæ loco Roxanam, Aspasiam & Estherem habeto, quæ primis mundi Monarchis, Alexandro, Cyro, & Assuero, nuptæ, è postrema sorte ad regiam dignitatem emerserunt. De iis, quos honor efficit deteriores, ait S. Petrus Chrysologus; *Quidam ante dignitatis adeptionem satis commendabiles extiterunt: sed super candelabrum Ecclesiæ constituti, lucem in tenebras, & famam in infamiam converterunt: melius plerisq; fuisset, adhuc latere sub modio, quàm cum infamia candelabrum ascendisse &c.*

Mutatio.

S.Pet.Chrys. in sermon.

18. In Cretensi Extravagantium Academia abacus lusorius peditem repræsentat, qui, Rege ad incitas redacto, unicum illud adverbium, ceu victoriæ suæ gnomam, præfert; RARO. Hinc discas velim nullas unquam hostium vires, quantumvis infirmas, levi aut otiosa manu contemnendas esse: augustus enim militum manipulus nonnunquam ingentes ac potentissimas aliorum vires prostravit. Petrus Maffeius in Historia Indica refert, viginti millia Arabum & Persarum à quingentis Lusitanis, Ductore Alphonso Albuquercio, in fugam actos esse, sexcentis insuper ac millibus hostium interfectis. Iidem, quod rursus testatur Maffeius, præter novendecim armatas naves submersas, triginta quinque Indos captivos reduxerunt. Non multò post, referente eodem Maffeio, octo millia peditum, ac equites septingenti, à Lusitanorum peditum quatuor millibus ac trecentis; equitum verò nonnisi centenis ac octoginta ad internecionem deleti fuêre. Rationem reddit Vegetius; *In certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est. Ruralis ergò & indocta multitudo exposita est ad cædem.*

Parvæ etiam vires in hoste timendæ.

Maff. Hist. Indic lib. 3.

Veget. lib. 1. de re milit. cap. 2.

19. In Patavienfi Stabilium Academia omnes latrunculi in acie sua supra alveum lusorium ordinati cernuntur, solis duobus peditibus è statione promotis. Lemmatis loco hanc Horatii gnomam legere licet; PORRIGET HORA. Horatii poëma est:

Et mihi forsan, tibi quod negârit,
Porriget hora.

Horat. l.3. Carm. Od 16

Hanc ipsam indolem vir gravis ac gravidus congenitam habet, qui nulli unquam negotio manum admovet, nisi prævià illius consequendi fiduciâ firmetur. Apuleii dictum est; *In omnibus fermè prius est spei rudimentum, quàm rei experimentum.* Certè Fabius Maximus, opportunam vincendi occasionē expectare solitus, *cunctando restituit rem*: haud secus, atque infimi pedites supra lusorium abacum gressibus admodum lentis incedunt, donec tandem vel regem sternant, vel reginæ prærogativam sortiantur.

Maturitas. Spes.

Apuleius Florid. 1.

20. Denique idem Crassus in Patavina Recuperatorum Academia regem supra alveum lusorium figuravit, qui à turri, seu (ut alii vocant) elephante munitus, epigraphen tulit; TUTIOR AB HOSTE. Ita nostrum pectus, ceu princeps ac regium corporis humani membrum, vitam securissimam ducit, quando sanctissimum nomen JESU utpote turrim validissimam, in sui patrocinium advocaverit. Enimverò, quod disertè testatur Salomon, *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit justus, & exaltabitur.* Idipsum etiam de Mariæ Virginis tutela pronuntiaverim, quæ de se ipsa dilucidè protestatur; *Ego murus, & ubera mea sicut turris.* Hunc locum interpretatus Hugo Cardinalis, *Maria Virgo*, inquit, *murus est stabilis, & firmus, nobis ad defensionem & munitionem datus.*

Nomen JESU.

Prov. 18.10.

Maria V.

Cant. 8.10.

Hug. Card. in hunc loc.

21. Compilator Olai Magni scribit, è latrunculorum ludo haud obscurum cujusvis naturæ aut ingenii experimentum capi posse. *Eo enim ludo*, inquit, *ira, amor, petulantia, avaritia, socordia, ignavia, &c. demonstrari solent.* tantum quippe judicii acumen in calculis illis versandis exigitur, ut inferioris judicii homines penitus ad illos inepti habeantur. Proinde Emblemati subscribes; INGENIA PROBAT. Eadem intellectûs humani acies etiam à metaphysicis, Theologicis, cæterarumque scientiarum subtilitatibus, veluti è lapide lydio, dignoscitur. E regimine insuper, utpote in diversissimos hominum genios exerceri solito, totum gubernantis judicium ac virtutem, argumento satis manifesto, experiri licet. Vetus paræmia est; *Magistratus virum probat.* Nam Tullio teste, *Prælatio simulationem aperit: illis enim difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem se esse probos simulavêre.*

Olaus Mag. lib. 15. c. 5.

Scientiæ scholasticæ. Regimen.

Cicero in Rhetor.

22. Calculi, in diversas abaci lusorii conditiones ac dignitates distributi, epigraphen sustinent, NON RE, SED NOMINE DISTANT. Enimverò ludus latrunculorum veram nobis mundanæ vanitatis scenam exhibet: in quo, acie utrimque directâ, duo Reges, duæ Reginæ, quatuor equites, sexdecim pedites, quatuor satellites, totidem centuriones adversus se contendunt. Distincta sunt nomina & dignitates, cùm totum nihil sit, præter ligni materiam sic effigiatam. D. Bernardus à Deo quærit; *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis quoniam reputas eum? quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis.* Vilitatem hominum luculenter declarat S. P. Augustinus *Homines sumus*, inquit, *mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias.* Hanc mundi vanitatem probè edoctus Seneca, *Hoc itaq;* inquit, *ipsi mihi dico, quoties tale aliquid perstrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta servorum, lectica formosa imposita calonibus. Quid miraris? quid stupes? pompa est. Ostenduntur res, non possidentur; & dum placeat, transeunt.* Et Horatius.

Hominis vilitas.

S. Bern in Psal Qui habitat.

S. Aug. serm. 10. de Verb. Dom.

Sen. Ep. 110.

Horat. l. 3. Carm. Ode 29.

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

PILA. Cap. III.

23. Pila, perfectè sphærica, & versus omne latus ex æquo versanda, hominem verè obedientem concernit; cui proinde hoc adverbium lemmatis loco subscribes; QUOCUNQUE. Aureus Thomæ nostri Kempensis de Christo imitando libellus in rem præsentem de homine verè Religioso ait; *PONE ME UBI VIS, & liberè age mecum in omnibus. In manu tua sum, GYRA, ET REVERSA me per circuitum. En servus tuus EGO, PARATUS AD OMNIA, quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi.*

Obedientia.
Tho. Kemp. de imit. lib. 3 cap. 15.

24. Joannes Ferrus Abbas, insignem Caroli Medici Cardinalis æquitatem significaturus, gentilitiam ipsius pilam hoc lemmate exornavit; ÆQUALIS UNDIQUE. Ad hoc propositum præclare S. Petrus Damianus; *In omnibus te exhibe consummatæ virtutis exemplum, &, ut dicitur, undique te prabe teretem atque rotundum.* Et Horatius;

Æquitas.
S. Pet. Dam. Opusc. 15. cap. 27.
Horat. lib. 2 Sat. 7.

Quisnam igitur liber? sapiens, sibiq; imperiosus,
Quem neque pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores;
Fortis, & in se ipso teres atque rotundus.

Denique Ausonius;

Auson. Edyllio 16. de viro bono.

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo,
Judex ipse sui totum se explorat ad unguem
Securus mundi instar habens, teres, atq; rotundus, &c.

25. Inter cæterum Mediolanensem apparatum, ad solemnem D. Caroli apotheosin explicatum, pilam depinxêre, quæ è gentilitiis Medicorum insignibus desumpta, epigraphen tenebat; NUNQUAM JACET., vel, ut Lucarino placet; STAT QUOCUNQUE JACTATA. Et certè Sanctum illum Matre Mediceâ genitum, nunquam jacuisse, jure dixerim: enimverò sicuti pila, quocunque loco jactata, nunquam non potest erecta stare; ita D. Caroli constantia, mille calamitatibus percussa, semper ab hoste superior evasit. Alphonsus, Aragoniæ Rex, captus, authoritatem ac majestatem maximam semper eandem exercuit, ac si liber fuisset. Indies enim classes adornabat, architalassis imperia studiosissimè observata distribuebat, cæteraque omnia animo ita erecto passim exequebatur, ut ipsimet Victores Alphonsum victorem potius, quam victū crederent: ut adeò plurimi hanc de illo sententiam tulerint; *In omni fortuna Alphonsum & videri & æstimari meritò Regem,* uti refert Antonius Panormitanus. Compendio Seneca; *Magnanimus stat rectus sub quolibet pondere. Vires suas novit; vicit virtute fortunam.*

Constantia S. Caroli.
Panorm l. 3. c. 38 de rebus gestis Alphonsi.
Senec. Ep. 72.

26. Eodem D. Carolo in Sanctorum album recensito, pilam ipsius gentilitiam figurarunt; cum lemmate, IN PUNCTO. Innuebant videlicet, sicuti pila, perfectè sphærica, è Philosophorum doctrina, subjectam planitiem solo unico indivisibili puncto attingit; ita Divum illum in terra nonnisi levissimè, & quantùm necessitas cogebat, detentum fuisse; cæteris omnibus negotiis versus Deum sublevatis. S. Hieronymus, illa Zachariæ verba examinans, *Lapides sancti elevabuntur super terram,* legit, *volventur*; iisque hanc paraphrasin subjungit; *Lapides sancti volvuntur super terram, instar rotarum, PAULULUM TANGENTES humum, & volubilitate suâ ad cœlestia festinantes.* D. Sigismundus Laurentius proprium hoc S. Pauli Apostoli symbolum statuit, qui per vastissimas provincias, Evangelii disseminandi causâ, instar pilæ mirâ agilitate delatus, nullam omninò mercedem à mundo unquam postulavit, sed ipsis etiam suis necessitatibus propriâ manuum industriâ ac vultûs sudore providit. Ipsummet habeto luculentum testem. *Argentum & aurum aut vestem illius concupivi, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, ministraverunt manus istæ*; sicque terram universam peragrans, nonnisi unico puncto illam contrectavit.

Contemplativus.
S. Hieron. in cap. 28. Ezec. Zachar. 9. 16.
Paupertas Apostolica.
Act. 20. 33.

27. Pila, supra planitiem collocata, epigraphen tenet; QUA DECLIVE. Haud aliter Deus, utpote sphæra summè perfecta, totus in illam partem propendet, ubi hominem animi submissione declivem sentit. Id quod David hoc versu significare voluit; *Qui emittis fontes in convallibus.* Et magis dilucidè S. Bernardinus Senensis; *Mens principis, quantò magis juxta Deum humiliatur, tantò gratiâ uberiori repletur.* Et Thomas Kempensis, *Humili homini Deus se inclinat; humili largitur gratiam magnã, & post ejus depressionem, levat ad gloriam.* Cæterùm fragilitas humana semper magis ad vitiorum valles, quàm ad virtutis fastigia contendit. *O quanta fragilitas humana, quæ semper prona est ad vitia!* exclamat idem religiosissimus de Christo imitando Author.

Deus erga humiles benignus.
Psal. 103. 10.
S. Bernardin. Sen. Tom 2. serm 16. art. 1. cap. 1.
Fragilitas humana.
Thom. Kemp lib. 1. c. 2. n. 2 de Imit.

28. Pila, perfectè sphærica, ac supra planitiem figurata, epigraphen tenet; STAT, DUM VOLVITUR. Animum imperteritum, & inter omnes fortunæ revolutiones immutabilem, hoc ectypo demonstrabis. Justinianum Imperatorem eo encomio insignem deprædicat Agapitus; *Licet aliud ex alio per gradus obtinueris regimen, perveneris q; ad ipsum supremum honorem, idem tamen permanes, non in eisdem rebus, inalterabilem continens in officio animum.*

Constantia.
Agap. Epist. Paræn n. 34.

29. Pilam, clavâ percussam, Joannes Ferrus hoc lẽmate loquentem sistit; ET ACTA MOVEOR. vel, MOVEOR AB ICTU. vel, EO VELOCIUS, QUO FORTIUS. Hinc disces, hominem in virtutis exercitio ac Dei semitâ tantundem promovere, quantùm à calamitatibus jactati fuerint. David de Hebræis disserens, ait; *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Et rursùs; *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Origenes. *Nemo,* inquit, *ineruditus Divinæ sit disciplinæ, ut flagella Divina perniciem putet, & verbera Domini pœnalem credat interitum. Ecce Pharao durissimus, tamen proficit verberatus; ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicari pro se Dominum rogat.*

Calamitas.
Mundanus.
Psal. 15. 4.
Psal. 77. 34.
Orig. Hom. 3. in Exod.

30. Pila, humi projecta, mox, viribus è lapsu collectis, agili motu versus cœlum resilire solet. Unde lemma; DEJECTA SUSTOLLOR. Indies sanè experimur, animam, calamitatibus nonnihil prostratam, erga Deum levari. Paulus in terram dejectus, ad Deum surrexit; Filius prodigus, in egestatis cœnum submersus, ædes paternas suspiravit. Jonas præcipitatus, toto pectore ad Deum contendit. &c. Teste S. Gregorio, *Tantò spes in Deo solidior surgit, quantò pro illo quisque graviora pertulerit.*

Calamitas exaltat.
S. Greg. in Moral.

31. Cùm Serenissimus Hetruriæ Dux suâ classe magnam stragem Turcis intulisset, nonnemo Emblematis loco gentilitiam Medicæorum pilam depinxit, quæ in lunari Turcarum hemisphærio posita, epigraphen tulit; NE COMPLEAT ORBEM. Et quidem bellum hoc foret Emblema, si veritatem suam æquè in materiali, atque allegorico sensu inferret. Eò tamen haud incongruè demonstrabis, unico solo defectu impedimentum objici ad perfectionis integritatẽ obtinendam. Andreas Alciatus;

Peccatum veniale.
Alciat. Embl. 83.

Sic

Sic quosdam ingenio & virtute ad sidera vectos
Detinet in medio tramite causa levis.
Anxia lis veluti est, vel qui meretricius ardor
Egregiis juvenes sevocat à studiis.

S. Bern. Epist. 139. ad Lothar. S. Bernardus; *Verendum est*, inquit, *ne minimorum neglectus, impedimentum sit maximorum.*

32. Alcibiades Lucarinus gentilitiis Mediceæ familiæ pilis ad diversa argumenta exprimenda liberaliter est usus. Unde etiam summam Serenissimi Ducis terrâ marique potentiam Emblemate demonstraturus, pilam figuravit, quæ in quamcunque partem versata, se ipsâ semper subsistit. Epigraphen addidit; STAT A QUACUNQUE. Ita generosus animus, inter adversantis ac blandientis fortunæ vicissitudines semper invictus, utramque illam æquali ac constanti ore excipere novit. Cassiodorus; *Vir vocatur à viribus, qui nescit in adversis tolerando deficere, aut in prosperis aliquâ elatione se jactare; sed animo stabili defixus, & cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus.* *Constantia.* *Cassiod. in Psal. 1.* *in morte.*

33. Leo XI. viginti tantùm diebus ad supremum Ecclesiæ Romanæ clavum sedit. Unde ad funebrem ipsius pompam gentilitia Medicæorum pila symboli loco depicta cernebatur; cum lemmate, IMUM A SUMMO. Verùm inopinatos hos casus plerique omnes experimur. Seneca; *Omnis blandientis fortunæ speciosus de periculo nitor est; & sine causa sæpè fluit, & sine ratione destituit.* Ut adeò non sine questu exclamet alter Seneca Tragædus; *Felicitas caduca.* *Senec. in sent. rator.* *Senec. in Tragæd.*

IMA permutat brevis hora SUMMIS.

Et Ausonius;

Fortuna nunquam sistit in eodem statu,
Semper movetur, variat, ac mutat vices,
Et SUMMA IN IMUM vertit, ac versa erigit.

Ovid. l. 4. de Pont. Eleg. 3. His prolixior Ovidius, canit;

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valuêre ruunt.
Ille Syracusia modò formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famam.
Quid fuerat magno majus? tamen ille rogavit
Summissâ fugiens voce clientis opem.
Ludit in humanis Divina potentia rebus,
Et certam præsens vix habet hora fidem.
Tu quoque fac timeas: & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

34. Lucarinus grandem Cosmi II. æquitatem Emblemate significaturus, pilam in planitie expressit; cum dicto, QUACUNQUE MEDIUM. Congenitum quippe Principi illi fuit, mediâ ubique semitâ incedere, omneque nimii rigoris, aut nimiæ indulgentiæ extremum studiosissimè devitare. Joannis Gersonis judicio, *Discretio tenetur, cùm quis tenet medium in omnibus, ne sit nimis fervidus, aut nimis tepidus.* Horatius; *Æquitas.* *Gerson. l. 3. ... Div. ... c. 6.* *Horat. lib. 1. Epist. 18.* *Idem lib. 1. Satyr. 1.*

Virtus est medium vitiorum in utrimque reductum.

Et rursus;

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

35. Idem pilam, è loco moventem, geminâ hâc prærogativâ, ceu lemmate, spectandam proposuit; ET AGILITATE, ET PONDERE. Eos hoc Emblema concernit qui in negotiis perficiendis cautè incedere soliti, & maturo consilio, & agili dexteritate utuntur. Huc, nì fallor, opportunè adduxerim præceptionem illam politicam, *Lentè consule, festinanter exequere.* Senecæ sententiâ; *Diu delibera,* *Dexteritas maturi- ...* *... verbi.*

cito facito. Tancredus, Arganti obviam factus, Torquato Tasso referente, hanc agendi dexteritatem ac gravitatem probè observatam habuit; *Tass. Gerus. Liberat Cat. 19 stanz. 11.*

----- Incontrasi van coz gran risguardo
Che ben conosce l' un l' altro, gagliardo.
Mà in lui subbito celebra la destrezza
E di corpo Tancredi agile, e sciolto,
E di man velocissimo, e di piede.

36. In Magnatis cujusdam morte Lucarinus pilam, è loco moventem, hoc lemmate insignivit. CURRIT, NON CADIT. Innuebat videlicet, illum quidem per mortalitatis humanæ gymnadem decurrisse, at vitâ semper ad justitiæ dimensum exacta, nullius unquam peccati lapsu fœdatum esse. Felicissimam hanc moriendi rationem cumprimis videre licet in Abele, S. Joanne Baptista, aliisque justis; cumprimis verò in Maria Virgine, de qua affirmatè docet S. Thomas Aquinas; *Maria purissima fuit, quantùm ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Emblemati præsenti affine est illud Evangelici Prophetæ oraculum; *Qui sperant in Domino CURRENT, & non laborabunt, AMBULABUNT & NON DEFICIENT.* *Mors innocentis.* *D. Thom. in Expositione salut. Angel.* *Isa. 40. 31.*

37. Opportunissimum hominis exaltandi instrumentum ex humilitate desumitur. E pila, in terram abjectâ, id disces, cui Lucarinus subscripsit; INCLINANDO ELEVOR TANTUNDEM. Enimverò ex uno latere depressa, in altero resilire ac sublevari consuevit. Præclarè, ut solet, Magnus Augustinus; *Humiles quasi in terram SE DEPRIMUNT, & in cœlum ASCENDUNT.* S. Ambrosius; *Humilitate pervenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad cœlum. Quisquis ergò cupit Divinitatis tenere fastigia, humilitatis ima spectetur.* Et S. Basilius, Episcopus Seleuciensis, *Quando Abraham suo illud sermoni prætexuit: sum pulvis & cinis, tunc naturæ agnitione, naturæ terminos est meritò supergressus.* *Humilitas exaltat.* *S. Aug. in Ps. 93.* *S. Ambr ser. 10. in festo S. Michaelis.* *S. Basilius Orat. 28.*

38. Pila ænea, aquis plena, mox ubi calorem è suppositis prunis senserit, vaporem adeò copiosum evomit, ut vicinam carbonum pyram totam succendat. M. Antonius Bossus, Academicus inter Intentos Excitatus, huic suo Emblemati subscripsit; EXCITO, DUM EXCITOR. vel, EXCITAT EXCITATUS. veluti diceret, se Academicarum exercitationum fervore inflammatum, etiam in alios suos Collegas copiosum doctrinæ ardorem derivâsse. Haud aliter humanum pectus, Divino amore exardescens, vicinos omnes cœlesti illâ flammâ succendit. S. Bernardus, initio conversionis suæ totus frigidus, unico viri cujusdam sancti aspectu in incendium amplissimum mutatus est. Ipsummet luculentum sibi testem audi; *Tristis pene & desperans, & mussitans mecum illud, à facie frigoris ejus quis sustinebit?* sed ecce improvisum tanti mali remedium! *cùm subitò fortè ad affatum vel etiam aspectum cujuspiam spiritualis, perfectique viri, interdum & ad solam defuncti seu absentis memoriam FLABAT SPIRITUS, ET FLUEBANT aquæ, & erant mihi lachrymæ illæ panes die ac nocte.* Similiter S. P. Augustinus se à Dei servis plurimum ad cœlestis amoris flammas excitatum protestatur. *Exempla servorum tuorum, congesta in sinum cogitationis nostræ, urebant, & absumebant gravem torporem.* S. Ignatius Loyola nomen suum non incongruè ab igne exorditur, quippe qui amoris Divini flammis correptus, stupenda charitatis incendia in universo mundo excitavit. Unde sociis suis dicere consuevit; *Itote, omnia accendite, & inflammate.* *Exemplũ.* *S. Bern. ser. 14 in Cant.* *S. Aug. l. 9. Confess. c. 2.* *S. Ignatius Loyola.*

39. Majores globi lignei, trudium impulsu per circulum ferreum protrudendi, epigraphen sustinent;

Labor jucundus. nent; IN LABORE SOLATIUM. Experientiâ enim testatum habemus, ab iisdem exercitationibus & laborem & oblectamentum creari. Democritus, referente Stobæo, dicere solebat; *Omnes labores otio jucundiores esse, quando illa consequuntur homines, quorum gratiâ laborant.* Et apud Xenophontem Socrates, *Tantùm laboris, quantum animus libenter suscipit, exequendum esse dicebat.*

Stob. ser. 29. Xenoph. l. 1. de dictis & factis Socratis.

PILA RETICVLO PERCVSSA.

Cap. IV.

40. Pila, reticulo percutienda, epigraphen tenet; VI MODICA PROCUL. Innuit videlicet, mentem nostram levissimo quovis tentationum impulsu à directo virtutis tramite longissimè dispergi. Huic miseriæ altum ingemiscens Canonicus ille de Christo imitando Scriptor; *Sæpè parva res est, quæ me dejicit & contristat. Propono, me fortiter acturum: sed cùm modica tentatio venerit, magna mihi angustia fit. Valde vilis quandoque res est, unde gravis tentatio provenit. Et dum puto me aliquantulum tutum cùm non sentio, invenio me nonnunquam penè devictum ex levi flatu.* Appositè insuper dixeris, cacodæmonem, tametsi viribus penitus destitutum, levi illo venialium peccatorum instrumento maximos in humano pectore progressus facere. Porrò etiam sancta obedientia devotos suos clientes unico nutu in omnes mundi terminos propellit. Certè S. Franciscus Xaverius, in Indias destinatus, *Promptius paruit, quàm jubebatur: nullâque interpositâ morâ, in posterum diem ad iter penè infinitum paravit se.* addit P. Horatius Turselinus, tantam fuisse Francisci in obediendo promptitudinem, ut ab hac sola littera I. ex uno mundi fine mox in alterum transferendus fuisset.

Peccatum veniale. — *Tho à Kemp. l. 3 de Imit. c. 20 n. 1.* — Dæmon. — Obedientia. *Tursel. lib. 6. c. 8. Vitæ.*

41. Abbas Ferrus pilam, reticulo percussam, hoc lemmate loquentem introducit; SONO LE PERCOSSE MIE DILETTO, E GIOCO. Id est; MIHI VULNERA LUSUS. Idipsum in mundo assolet Deus, cujus sapientia infinita dicitur *ludens in orbe terrarum*, id est, interprete Nicolao Lyrano, *ludum faciens de orbe terrarum, quâ similis est ludo pilæ, quæ de uno transfertur in alium.* Hanc veritatem probè perspectam habuit Plautus;

Deus. *Prov. 8. 31. Lyran. in hunc loc.*

Dii nos, quasi pilas, homines habent.

Et Ovidius;

Ludit in humanis Divina potentia rebus.

Boëtius de providentia Divina sub fortunæ nomine ait; *Hunc continuum ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus.* Exempli loco Saulem aspicias velim, qui è caula ad regiam aulam sublevatus, paulò post ex hâc rursus in extremam calamitatem præceps actus est. Nabuchodonosor, metamorphosi penitus insolente, ex homine in bovem transformatus, tandem pristinam dignitatem regiam conscendere jussus est. Job, ærumnarum acervis cumulatus, mira felicitatis incrementa fecit. &c.

Boet. lib. 2. Consol. Pros. 2.

PILA VENTOSA, Ligneum brachii tegmen.

Cap. V.

42. Pila ventosa, ligneo brachii tegmine percussa, epigraphen sustinet; QUANTO PIU' LO PERCOTI, MEN S' ACCHETA. Id est; IMPELLOR, DUM VERBEROR. Ita peccator contumax, quantumvis acerrimè à Deo exagitatus, audacior identidem in flagitiis suis progreditur. *Prô nefas!* exclamat S. Joannes Chrysostomus, *nulla ex pœna correctio: & quasi adversis hominum malitia provocetur, sic crescit quotidie, quòd puniatur.* Et S. Cyprianus; *Ecce verbera desuper, & flagella non desunt: & trepidatio nulla, nulla formido est. Tantus cladium terror dare non potest innocentiæ disciplinam, & inter populum, frequenti strage morientem, nemo considerat se esse mortalem.*

Peccator contumax. — *S. Io. Chr. Tom. 2. ser. de Helia. S. Cypr. tr. cont. Dem.*

43. Eadem pila seu follis epigraphen tenet; QUNTO PIU' LO PERCOTI, PIU' S' INALZA. Id est; DUM VERBEROR, ELEVOR. Vel, PERCUSSUS ELEVOR. Enimverò virtus, adversantis fortunæ impulsu tentata, sublimior resurgit. Hieronymus Preti;

Calamitas utilis.

S' armata à danni miei cieca fortuna
Vinto à terra m' opprime, empia m' offende,
L' alma, che non soggiace ed onta alcuna
Sorge, e' l suo volo al Ciel libero prende.

Porrò hominis justi pectus inter violenta calamitatum verbera affectus suos erga Deum sublevat & perfectionis ac meriti longè majoris incrementum sortitur. S. Gregorius; *Athleta Dei, unde premitur, inde sublevatur.* Et rursus; *Justus Job ante flagella extitit, sed justior post flagella permansit: & laudatur antè à Dei voce, postmodum CREVIT EX VERBERE, & tantò altius elevatus est, quantò majori est castigatione percussus.*

Justus. — *S. Greg. l. Moral. c. Idem lib. Moral. c.*

44. Leo X. pilam ventosam, brachiali percussam, hoc lemmate notavit; VI, ET VIRTUTE. Innuebat videlicet, in quovis regimine severitatem cum moderata dexteritate contemperandam esse. Julianus Apostata opportunè dixit; *Bonos Reges NON uti POTENTIA ad quævis.* Et paulò post; *NON tantùm egere consilio, SED MODERATIONE quoq; in exequendis iis, quæ sunt constituta.*

Regimen. — *Julian. Apost. in libello de Regno.*

45. Idem follis, nonnisi vento distentus, à brachiali percutitur. Unde lemma; INFLATUS PERCUTITUR. Haud aliter superbi (quos S. P. Augustinus inflatis follibus non absimiles dicit. *Sicut quidam inflati uteres, spiritu elationis pleni, non magnitudine ingentes, sed superbiæ modo tumentes.*) tantò acerbius à Deo pulsantur, quò majore fastu turgent. S. Jacobo teste, *Deus superbis resistit*; quippe qui, interprete S. Ambrosio, *tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit adversus superbiam speciale certamen.* Appositè Seneca;

Superbia castigata. — *S. Aug. ser. 29. de Verb. Apost. Iacob. 4. S. Ambr. in Ps. 1. Senec. in Trag.*

Sequitur superbos ultor à tergo Deus.

Prototypi loco habeto Pharaonem in Erythræo mari submersum; Amanum in infami trabe suspensum; Balthasarem regno & vitâ spoliatum; Nicanorem victum ac trucidatum; Antiochum vagabundum ac putrescentem; Pharisæum reprobatum. &c.

46. Nativam contumacis ac superbi peccatoris ideam in pilâ ventosâ cernere licet, quæ crebro brachialis ictu percussa, nunquam deturgere solet. Lemma; NON DETUMET AB ICTU. Huic miseriæ ingemiscens Hieremias, *Percussisti eos*, inquit, *& non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.* Et S. Hieronymus; *Romanus orbis ruit, & tamen cervix nostra erecta non flectitur.* Boëtius apud Beyerlinckium de Edoardo III. Anglorum Rege memorat, quòd Scotiam classe invadens, sacellum Divæ Virginis spoliaverit, inde Anglis cum sacrilegâ suâ prædâ in navem revertentibus, tanta subitò ab Aquilone tempestas exorta est, ut illisâ ad scopulos classe, omnes fluctibus obruti submersique perierint;

Peccator obstinatus. — *Hierem. 5. S. Hier. Ep. ad Heliod. de epitaph. Nepotiani. Boet. lib. apud. Beyerl. Theatr. Vit. Impietas.*

perierint; exceptis pauculis, qui nudi enatârunt. At Rex clade adeò gravi nihil emendatus, non modò nullum demissi animi signum exhibuit; sed contrà, *velùti cum superis bellum esset, in templa, Monasteria, Abbatias sævire cœpit &c.* Argantes, lethali vulnere sauciatus, animum nedum faciliorem; sed pertinaciorem induit; De hoc Tassus;

Aff. Gerus: liberat Cat. 9. stanz. 16.

Moriva Argante, e tal moria qual visse,
Minacciava morendo, e non languia.
Superbi, formidabili, e feroci
Gli ultimi moti fur, l'ultime voci.

Amans mundanus. *Camer. in Embl. Amator.*

Georgius Camerarius Amantem lascivum Emblemate significaturus, follem, à duobus amasiis jactatum, depinxit; addito sequenti epigrammate,

Sim pila, sim ventus, vacuum SINE PONDERE PONDUS
Follis, & insani turbinis instar agar:
Jam pridem reliquam prædata est Lesbia vitam;
Jam pridem sensus hauserat illa meos.

Ignorans superbus.

Inde lemmatis occasionem mutuans, folli subscripsi; SINE PONDERE PONDUS. Hunc ipsum amorem superbus indoctus præsefert; qui nullâ virtutis aut scientiæ soliditate instructus, altum intumescit. Emblemati explicando hanc poësin vernaculam subjeci;

Vano, leggero, instabile, ed errante,
D'ogni virtù infecoudo
Nulla hai di peso, e pur sì pesi al mondo;
Di chè dunque ti vante?
Ah, che se devo dir ciò che ne sento;
Mi sembri un folle, ed un pallon da vento.

Imperterritus animus.

47. Pila ventosa, inter medias undas fluctuans, imperterriti cordis est symbolum; quippe quæ inter insultantium ventorum ac procellarum minas assiduò jocatur. Unde lemma; INANES MINÆ. Emblematis explicandi causâ pilam sequenti poemate loquentem sisto;

Preme, spuma, e ribolle
Il dispettoso mar, mà sempre in vano:
Che quel furore insano,
Che tenta inabissarmi; al Ciel m'estolle;
Tal con le sue minaccie il Mondo folle,
Un magnanimo cor qual hora incalza,
Non l'opprime, l'inalza.

S. Hieron. 1 Ioel.

Et S. Hieronymi mente, *Justi & viri fortis est, nec adversis frangi, nec prosperis sublevari: sed in utroque esse moderatum.*

Auxilium. Mundanus. *Lips. l. 1. de Const. c. 4.*

48. Follis, à siphunculo inflatus, epigraphen tenet; REPLETUS ELEVABOR. seu, INFLATUS ATTOLLITUR. Ita mens humana, Spiritu sancto repleta, ad Divinas operationes sublevatur. Eos insuper hæc imago spectat, qui ad sublimes dignitates aut divitias evecti, superbiâ intumescunt. Ad hoc propositum Justus Lipsius; *Ut culeus, qui vento inflatus agrè mergitur, supreminet autem, & exilit suâ sponte: sic tumidi & pervicaces facillimè attolluntur.*

Mundanus. *S. Basil. in Ps. 118. 4.*

49. Follis, cum lemmate, TUMET INFLATUS, hominem mundanum spectat, qui divitiis, honoribus, cæteraque mundi felicitate repletus, altum superbit. S. Basilius Magnus, in illa Vatis Regii verba commentatus, *Factus sum sicut uter in pruina,* ait; *Uter tepefactus laxatur, ET INFLATUS TUMET in pruina verò congelatur & obduratur: ita habet & corporis natura, delitiis laxatur, & intumescit; & adversus animam insurgit: religiosâ verò afflictione & castigatione humiliatur & reprimitur.*

50. P. Henricus Engelgrave follem, aëre distentum, hoc lemmate insignivit; CUM CADIT, EXURGIT. S. Thomam Apostolum, S. Petrum aliosve peccatores, è flagitiorum abysso ad pœnitentiam revocatos, hâc icone significabis. Origines super illis Psalmi verbis, *Cùm ceciderit, non collidetur,* ait, *Non collidetur, id est, non permanebit in peccato, sed sicut in agone contingit, ut, qui ab adversario dejectus, denuò assurgat & vincat, ità si quem in nostro agone adversus principem hujus mundi accidere contingit, nunquid si ceciderit, non adjiciet ut resurgat?*

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. II.

S. Thom. Apost. Pœnitens. *Origen in Ps. 36.*

Mundi vanitas. *Eccles. 1. 1. S. Ambr. l. 3. Hexam. c. 7*

51. Pila, vento turgida, epigraphen Hispaniam præfert: TODO ES VIENTO. Id est, OMNIA VANITAS. Opportunè Salomon; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Et S. Ambrosius; *Quantos pridie caterva plaudentium; & invidiosa faventis populi frequens domum pompa deduxit; & nox una gloriosa illum splendorem deductionis abolevit, ac repentinus lateris dolor, effusis gaudiis, luctuosam gravis successionem mœroris admiscuit.*

Sap. 4. 19. Justitia Divina.

52. Manus, pilam ventosam acu aut subulâ transfigens, epigraphen reddit; SINE VOCE DISRUMPIT. In rem præsentem Sacra pagina; *Disrumpet illos inflatos sine voce.* Justitia enim Divina superbos mortales tacitâ & occultâ virtute ad extremam infelicitatem constringere novit. Damno suo id experti fuêre Herodes, Antiochus, aliique, de quibus prolixè Acta Apostolorum, & secundus Machabæorum Liber. S. P. Augustinus; *Justitia Dei omni est metuenda peccanti. Hâc enim damnantur divinitus, quicunque damnantur.*

S. Aug. in Ps. 118. Conc. 28.

LIGNEUM BRACHII TEGMEN.

Fortuna mala fugaces sequitur. *Horat. l. 3. ode 2.*

53. Non raró accidit, illos acerrimis infortuniis excipi, qui è fortunâ adversante fugam moliuntur. Enimverò, P. Hortensio Pallavicino asserente, fortuna mala, arachiali persimilis, FUGACEM PERSEQUITUR. Emblemati huic construendo ansam suppeditavit Horatius;

Mors, & fugacem persequitur virum:
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoque tergo.

Mors. *Senec. ep. 28.*

Ita nimirum, si diu mortem effugeris, tandem succumbere, & ad alteram vitam transferri debes. Seneca; *Quum multum ambulaveris, & diu, redeundum est. Stultum est timere, quod non possis vitare; mortem non effugit; qui etiam distulit.*

Ira Dei contra superbos. *Luc 1. 51. Prov. 15. 25.*

54. Follis, non quidem vacuus aut depressus, sed inflatus ac tumore distentus, à ligneo brachii tegmine percutitur. Unde lemma; INFLATOS IMPETIT. Ita omninò Nemesis Divinæ brachium superbos homines, & terreno fastu instar follium distentos, violentiâ peculiari, & admodùm validâ plectere consuevit. Maria Virgo, rem magnam de Deo manifestatura, inquiebat, *Fecit potentiam in brachio suo;* contra quos? *dispersit superbos mente cordis sui.* Huic affinis Salomon testatur, *Domum superborum demolietur Dominus.* Lucifer, Creatori suo nonsine ingenti tumore se ipsum assimilans, mox è cœli fastigio in ima Tartari præcipitatus ruit. Adamus, Divinas prærogativas sibimet arrogans, mox paradiso extorris factus est. Nemrod cum sociis superbæ turri Babylonicæ vix primam manum admovens, quantocyus ob turbatas linguas, in diversos terrarum angulos dispersus est. Pharao, regni sui potentiâ tumidus, paulò post in Erithrei oceani undis submersus est. Vix Sennacherib diabolico fastu adversus Deum cõtenderat, mox totus ipsius exercitus à percutiente Angelo fulminabatur. Rex Nabuchodonosor, cælestes honores expetens, illicò, metamorphosi penitus inauditâ, bovẽ induit, & camporũ fœno nutritus est.

Denique Herode intra regium suum solium instar follis intumescente, *percussit eum Angelus Domini*, &, teste S. Lucâ, *consumptus à vermibus expiravit.* S. P. Augustinus, *Peccatores superbi quasi in cœlum eunt, & in terram merguntur. Contra humiles quasi in terram se deprimunt, & in cœlum ascendunt.*

Act. 12. 23.

S. Aug. in Psal. 93.

55. Ligneum brachii tegmen ad folles commodè propellendos, plurimis crenis ac incisuris scabrum esse debet. Unde D. Carolus Bossus brachiali huic clypeo inscripsit; INCISUS IMPELLO. Christum opportuno hoc lemmate exornabis, qui in Cruce fixus, ac innumeris vulneribus dilaniatus, humana pectora vehementi impulsu è terrâ sublevat, & ad mille cruciatus, ipsamque adeò mortem sustinendam, extimulat. *Charitas Christi urget nos*, inquiebat Apostolus, seu ut alii legunt, *Passio Christi urget nos.* Quin, idem S. Paulus, primitivos suos Christianos ad quarumvis adversitatum toleranriam provocaturus, Servatorem crucifixum ante illorum oculos statuit, è quo, ceu archetypo, generosa martyrii sustinendi incitamenta reciperent. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* S. Stephanus lapidum grandine impetitus, Venerabili Bedâ asserente, Christum in cœlis eâ formâ conspicuum habuit, quâ supra Calvariæ rupem totus dilaniatus ac crucifixus apparuit, ut nimirum à spirante hâc ideâ ad saxa illa durissima æquo animo sufferenda incitaretur. *Ad confirmandam Martyris patientiam cælum panditur, & ne homo lapidatus titubet in terra, Deus homo crucifixus apparet in gloria.* Eâdem omninò ratione S. Bernardus, de quodam Martyre disserens, *stat*, inquit, *Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modò fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu: vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea, ferrum profectò sentiret: nunc autem in petra habitans, quid mirum, si in modum petræ duruerit?*

Christus crucifixus.

2. Cor. 5. 14

Beda in hunc loc.

S. Bernard. sermon. 61. in Cant.

PYROBOLUS CHARTACEUS.

CAP. VI.

57. TUm demum animus noster ad cujusvis rei vivacem contemplationem sublevatur, quàndo ab illius amore stimulos accipit; haud secus atque pyrobolus chartaceus per aëra fertur, DUM SERPUNT IN VISCERA FLAMMÆ. Ita omninò homo nonnisi sancti amoris flammâ succensus, versus Deum contendit. Præclarè S. P. Augustinus, *Ad Deum ascendit volando, qui ascendit amando.* Et S. Ambrosius; *Charitas est igitur, quæ nos superioribus nectit, cœloque inserit.* Eâdem omninò ratione pyrobolo chartaceo nonnullus eruditè subscripsit; QUIA FERVIDUS INTUS. Emblemate ad Christinam, Sueciæ Reginam, accommodato, quæ, ad cœlestia aspirans, terrenum regnum reliquit,

Pulvereus petit astra tubus, quia fervidus intus;
Nec minus ista Stolat, dum cor amore calet.

Amor elevat.

S. Aug. Præf. in Ps. 121.

S. Ambros. l. 3. Hexam. c. 12.

57. Pyrobolus chartaceus, in publicis festivitatibus per aëra spargi solitus, ob ignea sua syrmata horrificam, sed tamen innoxiam voluptatem spectatoribus exhibet. Unde bruta hæc fulgura à Comite Emmanuele Thesauro epigraphen recepêre; INNOXIA TERRENT. Minas innoxias hoc symbolo significabis, quæ quidem flammas ac terrores incutiunt, citra ullam tamen offensam. De supremo Judice Christo ait Magnus Augustinus; *Propterea se Judex venturum minatur, ut non inveniat quos puniat, cùm venerit. Si damnare vellet, taceret; Nemo volens ferire, dicit observa.*

Minæ innoxiæ.

Aug. serm. 109. de tem. c. 3.

58. Pyrobolus chartaceus, titione succensus, epigraphen sustinet; PER TE M'INALZO A VOLO. Id est; AD ÆTHERA PER TE. Ita cor humanum, benigno Spiritus sancti igne succensum, è terris in cælum abripitur. S. P. Aug. *DONO TUO ACCENDIMUR, ET SURSUM FERIMUR, inardescimus, & imus, ET ASCENDIMUS &c.*

Spiritus ...

S. Aug. l. 3. Confess. c.

59. Chartaceus pyrobolus animas, in igne piaculari detentas, significat. Unde lemma; ARDENDO M' INALZO. Id est; ELEVAT ARDOR. S. Gregorius Papa super illis Psalmi verbis, *Domine ne in furore tuo &c.* ait; *Post mortem carnis, alii æternis deputantur suppliciis, alii AD VITAM PER IGNEM TRANSEUNT purgationis.* Illud ipsum Emblema etiam animam, charitatis studiosam, attinet, quæ Dei aut proximi amore succensa, instar Eliæ, ad summæ felicitatis fastigium sublevatur. De S. Stephano testatur Divina pagina, quòd *intendens in Cælum, vidit gloriam Dei.* S. Petrus Damianus eò reflectens; non miror, inquit purissimum hunc Levitam versus cœlos ad ipsum Dei conspectum penetrâsse; enimverò mortis desiderio, Divinâ charitate, ac inimicorum dilectione ardentissimè inflammatus, non potuit non versus cælos evolare, alas subministrante intensissimo illo amoris igne. *Cæli aperiuntur, gloria Dei videtur, Jesus conspicitur. Hanc intentionem fecerat dilectio Dei, amor proximi.*

Animæ purgatorio.

S. Greg. P. in Ps. 6.

Charitativus.

Act. 7. 55.

S. Pet. Dam. serm. de S. Stephano.

S. Stephanus.

60. D. Aresius animam intra flammas expiatorias Emblemate significaturus, ardentem pyrobolum chartaceum expressit; addito lemmate; UT ASCENDAM. Ad hoc propositum S. Hieronymus, in illa Sacræ Paginæ verba commentatus, *Ingrediatur putredo in ossibus meis &c. UT ASCENDAM ad populum accinctum nostrum*, ait; *Per tribulationes ascendam, deorsum positus, & quasi de valle ad sublimiora.* Alius eidem pyrobolo, directè versus cœlum ascendenti, subscripsit; AD SYDERA CURSUM. Nimirum contemplativam hominis mentem, ac spiritu versus Deum elevatam, significabat.

Animæ in purgatorio.

S. Hieron. Habac. 3.

Contemplativus.

61. Anima, inter calamitates ad Deum sublevari solita, Abbate Salarolo teste, pyrobolum chartaceum imitatur, qui ab igne succensus, epigraphen tenet. DABIT PENNAS. S. Petrus Damianus, *Hæc causa est*, inquit, *quòd ab injustis justi sinuntur affligi, ut ad faciliorem exitum dum amor provocat futurorum bonorum, cruciatus præsens impellat.* Et Rupertus Abbas; *Adversa mundi plerumque dilectam Dei animam juvant, ut anhelantius tendat ad Deum.*

Calamitas elevat.

S. Pet. Dam. Epist. ad Blancam comitissam.

Rup. Ab. in c. 21. Ge.

62. D. Vincentius Gilibertus Emblematis loco pyrobolum chartaceum præfert; cum dicto, ALAS ADDIDIT ARDOR. Eadem calamitatis effecta sunt, quæ humanum intellectum mirificè reddit perspicacem & ad res altissimas, nullo unquam labore investigandas, elevat. Ovidius;

Calamitas elevat.

Ingenium malæ sæpè movent: quis crederet unquam
Aerias hominem carpere posse vias.

Ovid. l. de Arte.

Caritas quoque, asserente Chrysostomo, ad cœlos evehit. *Hic ignis in anima Pauli, per dies singulos, flante Spiritu sancto, magis ac magis accendebatur, & ad superna tendens, secum eum usque ad ipsum perduxerat cœlum: imò ut verius dicam, imposuerat eum non usque ad secundum, sed usque tertium.*

Charitas elevat.

S. Chrys. l. 2. de Compunct. cordis c. 2.

63. Pyrobolus chartaceus mox, ubi accenditur, ad cœlos evolat. Unde lemma; DAT MULCIBER ALAS. Nicolaus Caussinus in Nabuchodonosoris

tragœdia

Calamitas exaltat. *Caussin. Act. 4.* tragædia eruditam apostrophen ad Abrahamum Patriarcham exhibet, aitque, Hebræos juvenes è fornace Babylonica directo tramite in ipsius sinum illabi.

Ad te per ignes fulgidi heroes ruunt.

S. Laurentius. *S. Aug in Psal. 55.* S. Laurentius, supra craticulam concrematus, sereno ore exclamavit; *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Et ad Deum conversus S. P. Augustinus, *Imples*, inquit, *tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te: ne delitiis & securitate perversâ seducantur.*

64. Hypocryta, simulato pietatis ardore versus cœlum suspirans, Carolo Rancato asserente, ardentem pyrobolum chartaceum imitatur, qui extra hominum conspectum sublevatus, tandem in vacuum aërem rumpitur. Epigraphen subdidit; VIAMQUE AFFECTAT OLYMPO. verbis è Virgilio mutuatis; Hypocrita *Virgil lib. 4. Georg.*

---- Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphraten bello, victorque volentes
Per populos dat jura, VIAMQUE AFFECTAT OLYMPO.

S. Greg lib. 21. Moral. S. Gregorius Papa: *Hypocrytæ per causas Dei, intentioni deserviunt sæculi, quia per ipsa quoque, quæ se agere sancta ostendent, non conversationem quærunt hominum, sed auras favorum.*

65. Idem Rancatus, sublimes ac evanidas mundi dignitates Emblemate demonstraturus, pyrobolum chartaceum depinxit, qui tandem ridiculo crepitu in auras evanescens, epigraphen tulit; CONSUMPTA IN VENTOS. Lemmate è Virgilio desumpto; Dignitates evanidæ. *Virgil. l. 5. Æneid.*

Namq; volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenuesque recessit
Consumpta in ventos.

Senec. l. de brevitate vitæ. cap. 19. Seneca; *Cùm videris prætextam sæpè jam sumptam, cùm celebre in foro nomen, non invideas: ista damno vitæ parantur; quosdam, cum in summum ambitionis eniterentur, inter prima eluctantes ætas reliquit; quosdam cùm in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulchri.*

66. Ardens pyrobolus chartaceus tortuoso ac flammeo tractu, instar fulminis, per aëra volans, à P. Carolo Bovio epigraphen retulit; FURIT, QUIA FERVET. Enimverò in Dei servis nonnunquam sanctum quendam furorē, ab animi zelo ac fervore productum, cernere licet. Eodem Emblemate vehemens Sanctorum quorundam vindicta significatur, qua, ceu sacro zelo, succensi, adversus impios desævierunt. Ita Phinees, sacro furore plenus, scandalosum Israëlitam simul cum impudica Madianitide gladio transfixit. Elias, plurimū excandescens, ultrices è cœlo flammas evocavit, ad quinquaginta viros devorandos. Petrus terrificas voces, ceu fulmina proferens, Ananiam & Sapphiram repentinâ morte prostravit. &c. De hac ira philosophantem audis S. Chrys. *Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Itaque qui cum causâ non irascitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solum malos, sed etiam bonos ad malum invitat.* Zelus vehemens. *Chrysost. super illud Matth. 5 qui irascitur fratri suo &c.*

67. Complures pyroboli chartacei, è tuba ignea in aëra sparsi, mox in tenuissimas favillas evanescunt. Ita, prô dolor! Horatius Spinola Cardinalis, vitæ suæ splendorem vix cœptum, in ætate juvenili finiit. Unde ad funebrem ipsius pompam hieroglyphici loco pyrobolum chartaceum pinxêre, cùm titulo; VITA TUA. Altum huic vitæ nostræ ingemiscens Petrarcha, canit; [...]morte.

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. II.

O nostra vita, ch' è si bella in vista,
Com' perde agevolmente in un mattino
Quel ch' in molt anni à gran pena s' acquista!

Et D. Petrus Bembus;

-------- Come strale, ò raggio,
A pena spunta un ben, che si disperde.

S. Gregorius Papa, *Cardinalis gloria*, inquit, *DUM NITET, CADIT, dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur.* Hanc ipsam miseriam cumprimis in illustribus ingeniis observatam habet Seneca. *Ignis, quo clarior fulsit, cò citius extinguitur; sic ingenia, quæ illustriora, breviora sunt.* *S Greg. lib. 26. Moral. c. 5.*

68. P. Famianus Strada Emblematis loco pyrobolum chartaceum expressit, qui, uti in theatris ac publicis spectaculis fieri amat, filo ferreo ligatus, epigraphen tulit; NE DEVIET ARDOR. Hominem, genuino virtutis igne succensum, hæc imago spectat, qui nihil unquam propriâ suâ voluntate, sed omnia ad unicum Superioris nutum, & obedientiæ dictamen operatur. S. Fulgentius, Calaritani Monasterii in Sardinia Abbas, & postea Episcopus Ruspensis, inter cæteras suas illustres sententias, Surio referente, *illos quoque veros Monachos esse dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis, parati essent, nihil velle, nihil nolle, nisi Abbatis tantummodo consilia, vel præcepta servare.* Porrò de illo testatur idem Surius, quod alteri cuidam sanctæ vitæ Religioso, Felici nomine, in Monasterio cohabitans, tantam cum illo unionem, & mutuum in agendo consensum observârit, ut nullus unquam, nisi altero assentiente ac confirmante, quidquam operatus sit. Obedientia. *Sur. 1. Januar*

69. Princeps famam suam ipsâ etiam vitâ potiorem habere debet. Huic præceptioni firmandæ D. Didacus Saavedra ardentem pyrobolum chartaceum depinxit; cum lemmate, DUM LUCEAM, PEREAM. Agricolam hoc encomio insignem producit Cornelius Tacitus; *Quamquam medio in spatio integræ ætatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum ævum peregit.* Illud ipsum Emblema hominis ambitiosi est proprium, qui dignitatis cujusdam splendorem aucupaturus, nullum omninò discrimen abhorret. Unde Carolus Bovius coronam, ex ardentibus pyrobolis chartaceis constructam, hoc lemate donavit; CONCREMOR, UT SPECTER. Humaya, ad Cordubense regnum aspirans, cùm ab amicis de negotio illo admodum periculoso commonefieret, Saavedrâ referente, respondit; *Hodie Regem dicite, cras perimite.* Illa ipsa etiam hominis litterati est indoles, qui vitæ jacturam ex assiduis studiis parvi æstimat, modò in orbis conspectu resplendeat. Principis fama. *C. Tacitus.* Ambitiosus. *Saavedra. Embl 59.* Litteratus

70. Pyrobolus chartaceus, postquā accensus fuerit, flammeum in aëre syrma describit, & mox edito sonoro crepitu, evanescit. Unde in hominis cujusdam mundani obitu pyrobolum illum hâc Vatis Regii gnomâ legendum proposui; PERIT CUM SONITU. In hunc locum commentatus Jacobus de Valentia, *Memoria divitum*, inquit, *& magnorum Principum Christianorum periit cum sonitu campanarum & cymbalorum. Nam cùm moritur aliquis dives malus, communiter fit magnus sonus campanarum & exequiarum; & sic periit memoria ejus; quia nihil dignum memoria dimittit in mundo.* Mundani hominis mors. *Psal. 9. Iacob de Val in hunc loc.*

71. Pyrobolus chartaceus, igne intra viscera sua prædominante, mox versus stellas elevatur: at eâdem ignis operatione nonnihil languescente, illicò in terram infirmus recidit. Unde pyrobolus ardens, & in sublime evectus, epigraphen sustinet; RUAM CUM DEERIT IGNIS. vel; EXTINCTO

 CORRUET

CORRUET IGNE. Ita omninò magna virtutum incrementa sumimus, quamdiu ardentem in pectore spiritum fovemus; at eo labefactato, prô! quot ruinis indies experimur; Porrò Divinâ charitate in nobis exardescente, plurimum progredimur, at extinctâ illâ, tantundem in pristinas flagitiorũ valles relabimur. Instar complurium S. Bernardus unum adducit Luciferum, qui charitatis Divinæ incendio destitutus, præcipiti casu è beatitatis fastigio in extremam abyssum corruit. *Superbus ille Lucifer, lucem proferens, NON IGNEM HABENS, CASUM FACERE POTUIT, non volatum.*

Devotio deficiens. Charitas deficiens. S.Bernard.

72. Academicus, inter Philipponos Pistorienses Taciturnus, Emblematis loco fasciculum è pyrobolis accensis colligatum, præfert; addito epigrammate; AB IGNE SONITUS. Ita homo vindicativus, minimâ quâvis iracundiæ flammâ in animo suo conceptâ, altam vociferatur. Illum insuper hæc imago concernit, qui rei cujusdam amore succensus, diversam cogitationum harmoniam conficit. Certè sancti Apostoli, recepto Spiritûs Sancti igne, per orbem universum insonuerunt. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui.* Et S.P. Augustinus; *Qui pleni erant* Spiritûs sancti igne, *loquebantur, & qui inanes erant, mirabantur.* Unde S. Ecclesia canit;

Iracundus. Amans. Apostoli. Act.2.4. S.Aug. ser. 5. ex addit. à Cartusiano.

Impleta gaudent viscera,
Afflata sancto Spiritu,
Voces diversas intonant.

Et rursus;

Ignis vibrante lumine
Linguæ figuram detulit,
Verbis ut essent proflui.

73. Pyrobolus chartaceus facie quidem externâ nullam omninò lucem prodit; at ab igne tentatus, mox clarissimas flammulas è sinu spargit. Vnde pyrobolum illum, fomiti igneo vicinum, hoc lemate circumscripsi; ERUMPENDO NITEBIT. Dicere volebam, sanctam ac gloriosam boni Prælati mentem, tametsi hodie occultam, olim tamen manifestatum iri. Ita quoque hominum justorum virtutem, in præsenti vita absconditam ac neglectam, coram extremo tribunali clarissimam intuebimur. Beda super illis Christi verbis, *Quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur,* ait; *Non solum in futuro, quando cuncta cordium abscondita proferentur ad lucem, sed & in præsenti tempore potest congruenter accipi, quoniam quæ inter tenebras quondam pressurarum, carcerumque umbras, vel locuti, vel passi sunt Apostoli, nunc clarificatâ per orbem Ecclesiâ, lectis eorum actibus publicè prædicantur.*

Virtus abscondita. Beda in Luc.12.3.

74. Comes Emmanuel Thesaurus in Optico suo Aristotelis Tubo pyrobolum chartaceum depinxit, qui pyrio suo nutrimento exhaustus, ac humi prostratus, hanc Lucani gnomam lemmatis loco præferebat, LASSO DEFECTA FURORE. Depressam hominis insolentiam; vel certè mitigatam iram Emblemate illo describere licet; De hac Seneca; *Incipit magno impetu, deinde desinit ante tempus fatigata, & quæ nil aliud, quàm crudelitatem, ac nova genera pœnarum versaverat, cum animadvertendum est, jam fracta, lenisque est.*

Insolentia depressa. Ira mitigata. Senec. lib.1. de Ira c.16.

75. Tubus chartaceus, pulvere nitrato fartus, ubi ignem conceperit, mox erumpente flammâ, crepitum excitat, soletque puerorum vel bacchanalium ludicris deservire. Unde Bargalius tubum illum, ceu geminum hominis loquacis ac illitterati ectypon, depinxit; cum lemmate, TANTUM CREPITUS. Reprobis etiam familiare est, solo exteriore verborum sonitu Deum inclamare. De his Servator; *Multi dicent mihi in illa die; Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam novi vos: discedite à me.* Ad hoc propositum S. Hilarius, *Regnum enim cœlorum,* inquit, *sola verborum officia non obtinent: neque qui dixerit, Domine Domine, hæres illius erit.*

Ignorans. Loquax. Hypocrita. Matth.7. S.Hilar. in hunc loc.

76. Pulvis pyrius, in chartæ fistulam sedulo labore compactus atque incensus, surgit in aëra; & postquam ad supremam vigoris sui altitudinem ascendit, capite in arcum flexo, inter ignavum furorẽ rumpitur. Unde Serenissimus Philotheus pyrobolo chartaceo inscripsit, RUMPOR IN ALTO. Ad eos mortales id pertinet, qui insanâ inflati superbiâ fastuque, populi cervices supergrediuntur, & tam erga Deum, quàm proximum, immemores omnis humilitatis, suis tantùm viribus insolescunt, animosque sumunt. At hi, dum impotenter fastigia petunt, in alto positi franguntur disjiciunturque; quum Deus indignetur, verti illa dona, quæ homini largitus est, ad indecoram arrogantiam, fastidirique humilitatem, quæ meritò fidissima & nobilissima pietatis socia habetur. Audi consilium Magni August. *Quantùm superbum est cor hominis, tantùm recedit à Deo: & si recedit à Deo, in profundum it; Certè altus est Deus, super omnes cœlos est Deus, transcendit omnes Angelos. Quantùm habes erigi, ut attingas ad illum excelsum? Nolo te rumpas intendendo te: aliud consilium tibi do, ne in ista extensione fortè crepas per superbiam. Certè altus est Deus, tu humilia te, & descendet ad te.* In rem præsentem canit Emblematis Author?

Ambitiosus depressus. S. August. in Psal. 93.

Missilis aërias conscendit flamma per auras,
Sed sursum strepero rumpitur acta sono.
Mirificè longo pascuntur lumina tractu,
Dum velut in cœlum splendidus ignis abit.
Sed quum venit eo, subitum dat flamma fragorem,
Et breve post tempus tum sine luce redit.
Sic perit omnis honos, multi tolluntur in altum,
Sublati medio sed sub honore crepant.

TESSERA.
Cap. VII.

77. Tesseram voco cubum illum, qui in uno tantùm latere unicam monadem exhibens, cæterà vacuus existit. Unde tesseram, uno solùm puncto instructam, hoc lemmate notabis; AVT NIHIL, AVT MINIMVM. Tesseris his non absimiles dixeris homines illos mundanos, qui in operibus bonis, jejuniis, eleemosynis, orationibus, cæteràque Dei lege plurimum versati, vel nullam, vel levissimam tantùm illius partem observant. Inter hos facilè principes Judæorum scribæ & Pharisæi, Christum justè exprobrantem audire debuerunt; *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ: qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, & misericordiam, & fidem.* Hunc locum interpretatus S. Hier. *Arguit eos,* inquit, *quod studiosè etiam vilium olerum decimas exigant, & judicium in disceptatione negotiorum, misericordiamque in pauperes, & fidem in Deum, quæ magna sunt, prætermittant.* Iisdem Christi verbis etiam significatur, scribas & Pharisæos, quatuor herbulas, aliasque reculas minimas Deo obtulisse, optimis ac gravissimis justitiæ, misericordiæ, & fidei bonis penitus neglectis, *Scribæ ergò & Pharisæi* inquit S. Thomas Aquinas, *minimarum quidem rerum decimas offerebant, ostendendæ religionis gratiâ, In judiciis autem erant injusti, in fratribus sine misericordia, in veritate increduli.* His conformis S.Gre-

Mundani. Matth.23, 23. S. Hieron. in hunc loc. Hypocritæ. S. Tho. Aquin. in Cat. aur.

S.Greg p.3. Pastor admon. 34. S.Gregorius Papa, *Simulatores*, inquit, *cum parva custodiunt, odorem de se ostendere sanctæ conversationis quærunt, & quamvis implere maxima prætermittunt, tamen minima observant, quæ humano judicio longè latequè redoleant.* Atque adeò hypocritas illos tesseris jure comparaveris, qui de virtutum characteribus diu multumque sermocinati, nullum illorum, vel certè paucissimos præseferunt.

78. Bargalius Tesseræ subscripsit; QUANDOQUE SIGNATUM. Innuebat videlicet, sicuti tessera, centies jacta, vel semel tandem feliciter cadit, & fortunatam suam monadem ludentibus exhibet; ita adversam sortem, assiduâ patientiâ toleratam, demum benigniore vultu comparere. Publius Mimus; *Fors fortuna in imum summa vertit, & sæpè sors tristis secundæ fecit impetu locum.* Et Virgilius. Fortuna.

Multa dies, variusque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius: multos alterna revisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locavit.

79. Candida tesseræ latera penitus infortunata censentur, solumque ab illo latere felicitas ludenti advenit, quod monade nigricat. Unde meus Concanonicus, D. Philippus Gallina subscripsit; IN NIGRO SORS. Certè Christiani manifesto indicio judicent, se inter blandientis fortunæ candorem Divinâ gratiâ excidisse; vicissim verò nigrâ calamitatum notâ spectandos ad æternæ felicitatis lucrum destinatos esse. Explicatissimè S.P.Augustinus; *Qui hic consolantur, Domine Jesu, indigni tuâ consolatione habentur; sed qui hic cruciantur, à te consolantur.* Et S.Ambrosius super illis D.Lucæ verbis, *consumatâ omni tentatione*, ait; *Tolle Martyrum certamina, tulisti coronas; tolle cruciatus, tulisti beatitudines.* Calamitas utilis. S.Aug. lib. Soliloq. c.21. S.Ambros in Luc.4.

TROCHVS.

Cap. VIII.

80. TRochus, flagello stimulatus, gyros velocissimos describit. Unde lemma; INFLICTO VERBERE VOLAT. Vel, DANT ANIMOS PLAGÆ. Ita nimirum milites, servi, ac filii è moderatis castigationibus efficiuntur prompti ad quævis Majorum imperia exequenda. S.Prosper *de Ultione Dei* canit; Castigatio. Educatio rigida. S.Prosp. in Epigr. de Vltione Dei.

Nam dum mortalis peraguntur tempora carnis:
Auxilium miseris ipsa flagella ferunt.

Quare Spartanorum filii, ad expeditiones quasvis gravissimas excitandi, parentum manibus *ad aram sic verbere afficiebantur, ut plerisque sanguis manaret ad necem*; uti testatur Alexander ab Alexandro. Certè Apostolus Paulus ingentes è verberum duritie vires accepit. S.Gregorius Papa super illis Sacræ Paginæ verbis, *Lapidantesq; Paulum, traxerunt extra civitatem*, ait; *Ecce lapidibus obruitur; nec tamen à veritatis sermone removetur: Occidi potest, superari non potest: velut extinctus extra urbem projicitur, sed intra urbem die alio illæsus prædicator invenitur. O quàm fortis huic viro inest infirmitas! O quàm victrix pœna! O quàm dominatrix patientia! Ad agendum repulsione provocatur, ad prædicandum salutem plagis erigitur; ad propellandam laboris lassitudinem pœnâ refovetur.* In hoc argumentum Paulus Maccius; Alex.ab Alex. Dier.genial. l.2.c.25. S.Paulus. Act.14.18. S.Greg. l.31. Moral. c.15. seu 25. citatus apud Lorinum in Acta. fol. 172.1. D. Paul. Macc. Embl.47.

Insignem virtute virum si vertice torquet:
Turbineo, & crebris sors inimica malis.

Dant animos plagæ motuque immotus eodem,
Ex ipso invictos verbere sumit opes.

81. Trochus, flagello percussus in gyros quidem vertitur, at progressus nullos facit. Unde inscriptio; VOLVITUR, NON PROGREDITUR. Ita homo mundanus, ambitionis, libidinis, aut avaritiæ stimulis agitatus, assiduâ scelerum vertigine, citra ullius virtutis incrementum, impellitur. Opportunè S Gregorius Nazianzenus; *Idem vobis quod trochis accidit; quos in orbem VOLVI; NON autem PROGREDI videmus, atque immotè, ut ita loquar, scuticæ vi impulsos rotari.* Et S.Bernardus; *Qui in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed non proficit.* Mundanus. S Greg. Naz. Orat. 3. cont. Iulian. S. Bern serm. 12. in Ps.90.

82. Trochus, nisi flagello sustentatus, mox in terram otiosus concidit: cum dicto; PER TE SURGO. Ita omninò calamitates omnem è pectore humano lethargum excutiunt; & ad virtutis progressum concitant. Salomonis oraculum est; *Virga atque correptio tribuit sapientiam. Castigâsti me*, inquiebat Hieremias, *& eruditus sum.* Filius prodigus, vix famis flagello nonnihil pulsatus, quantociùs è vitiorum cœno ad paternæ obedientiæ orbitam rediit. *Surgam & ibo ad patrem.* Hunc locum interpretatus S.Petrus Chrysologus, *Jacebat*, inquit, *qui dixit surgam: intel exit lapsum, sensit ruinam, jacere se turpis luxuriæ respexit in lubrico, & ideò exclamat surgam.* Castigatio. Calamitas. Prov.29.15. Hiere.31.18. Luc 15.18. S.Pet.Chrys. ser. 2.

83. D.Carolus Bossus trocho subscripsit, VERBERE SURGET. Ita quosdam Parentes videas, qui filios suos amplissimâ hæreditate instituturi, assiduas mundi curas versant, & ingentem divitiarum vim per fas nefasque accumulant, in animæ suæ negotiis penitus otiosi: at calamitatis cujusdam, aut gravioris morbi flagello concussi, mox terrenâ solicitudine abjectâ, ad operationes Divinas exurgunt. S.P.Augustinus plurimum afflictus de se ipso dixit; *Punctus tribulatione, cœpi quærere refugium, quod in illâ felicitate sæculari desieram quærere. Quis enim facilè recordatur Deum, qui semper felix est, & spe præsenti gaudet?* S.Paschasius; *Variis languoribus*, inquit, *ideò cruciabantur quidam, ut corrigerentur; quidam verò, ut jam inciperent torqueri, & metu eorum cæteri sanarentur.* Et S.Joannes Chrysostomus; *Ideò Deus ob animi peccatum corpus flagellat, ut deterioris partis supplicio melior, ad quærendum remedium convertatur.* Calamitas excitat. S.Aug. in Ps. 93. S Pasch. l. de Corpore Dom c. 8. S.Io.Chrys. Hom.37. in Ioan.

84. Assidua exercitatio ac operandi industria validissimum adversus vitiosos lapsus est antidotum: haud secus atque trochus tamdiu persistit erectus, donec vacillante gyro in otium diffluat. Unde lemma; STAT MOTU. Verissimè ad mores formandos cecinit nonnemo; Exercitatio sustentat.

Otia luxuriant: quod agas tu semper habeto;
Vt tibi mens erret irrequieta minus.

Illam ipsam etiam vitæ humanæ effigiem dixeris, quæ assiduis mutationibus obnoxia, nullibi se constantiorem demonstrat, quàm in assiduâ inconstantia & volubilitate. Explicatissimè S.Gregorius Nazianzenus; Vita humana inconstans. S.Greg Naz.

Trochus est parum certus, parumque stabilis
Fallacis hujus cursus; & vita brevis.
Sursum, deorsum volvitur, revolvitur;
Et quum videtur stare, consistit minus,
Fugiens tenetur, & manens subducitur.

85. Trochus, funiculo circumligatus, à Bargalio epigraphen recepit; VINCIOR, UT ERIGAR. Ita Sancti Martyres è vinculis ac catenis opportunissimam summæ gloriæ occasionem desumpserunt. Siracidis de Divinâ Sapientia consilium est; *Injice* Martyres.

 pedem

Eccles. 6. 25. *Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus, & erunt tibi cōpedes ejus in protectionem fortitudinis, & vincula illius illigatura salutaris.* Franciscus Petrarcha testatur; *Marium consulatui carcer dedit, Julium Cæsarem Piratarum custodia summum misit ad Imperium. &c.*

Petrarcha l. 2 de Remed. dial. 64.

86. Nonnemo trochum, funiculo suo illigatum, erudito hoc epigrammate insignivit, VINCIOR, UT VINCAM. Servi Dei funes ac catenas insignem victoriæ aucupandæ ansam sunt interpretati, neque unquam felicius tyrannos debellarunt, nisi cùm vinculis arctissimè constringentur. Certè S. Paulo in vincula ac carcerem conjecto, *Subitò terræ motus factus est magnus, & statim aperta sunt omnia ostia, & universorum vincula soluta sunt.* Atque adeò compedibus suis, ceu ariete, muros quassavit, portas reclusit, carceris seras perfregit, funes ac catenas quibus innocentia captiva tenebatur, disrupit, populum Christianum è carnificum tyrannide liberavit, omnemque Principum terrenorum crudelitatem elusit. S. Joannes Chrysostomus, *Vides*, inquit, *naturam vinculorum vincula solventem? Nam quemadmodum mortem interemit mors Domini: ita ligatos solverunt vincula Pauli, carceremque concusserunt, ac januas illius aperuerunt.* Eâdem omninò ratione Religiosus, hydram illam tricipitem, Mundum, carnem, ac dæmonem majore facilitate triumphaturus, arctissimo votorum ligamine sese constringit. S. Greg. Papa de obedientia utpote omnium votorum principe, ait; *Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergò sunt, qui obediunt: quia dum voluntatem suam aliis perfectè subjiciunt, ipsi lapsis, per obedientiam, Angelis dominantur.*

Martyr. — Act. 16. 26. — S. Io Chrys. Hom. 8. ad Ephes. — Religiosus — S. Greg. l. 4. in 1. Reg. c. 10.

87. Quando trochus è velocitate sua nonnihil deficit ac lassescit, jamjam lapsum minitatur, mox puerorum flagellis extimulatus, ab interitu vindicatur, & vivaces cursui prosequendo vires accipit. Unde eidem flagello subscribes; CÆDIT, NE CADAT. Ita omninò Divina flagella vacillantem hominis animam ab exitio tuentur. S. Petrus Damianus illa Apostoli verba examinans, *Datus est mihi stimulus carnis meæ*, ait; *Electos suos Dominus sæpè tentatori subjicit, sed ipsâ hâc intentione disponitur, ut qui elati perire poterant, humiliati à perditione serventur, quæ illis ab elatione immineba*t. S. P. Augustinus; *Caput cædebatur, ne caput extolleretur.* Et S. Laurentius Justinianus. *Tribulatio conservat. Electum enim suum tunc magis Divina gratia erudiendo custodit, cùm quasi percutiendo deserit; & quò durius ex dispensatione flagellat: eò amplius ex pietate conservat.*

Calamitas præservat. — S. Pet. Dam ser. 18. in 2. Cor. 12. 7. — S. Aug ser. 3 de Verb. Apost — S. Laur. Iust. de Patientia. c 3.

88. D. Carolus Bossus quemdam amicum suum, inter persecutionum plagas necquidquam aliorum more prostratum, sed contrà longè firmiorem, trocho non absimilem dixit, qui inter flagelli verbera semper erectus, epigraphen tulit; STAT PLAGIS. Ita calamitates, hominibus justis infligi solitæ, illorum animos plurimum obfirmant, & in virtutum ac obsequii Divini exercitatione stabiliunt. Opportunè S. Petrus Damianus; *Magna electis Dei est consolatio ipsa Divina percussio: quia PER momentanea FLAGELLA, quæ perferunt, ad nanciscendam supernæ batitudinis gloriam FIRMÆ SPEI GRESSIBUS CONVALESCUNT.*

Calamitas roborat. — S. Per. Dam. l. 8. Ep. 6.

TURBO PNEUMATICUS.

CAP. IX.

89. Ludicrum hoc puerorum instrumentum tamdiu in gyrum vertitur, quamdiu à commotâ aurâ stimulatum fuerit; at hâc subsidente, etiam illud cursum sistit, ac otiosâ statione firmatur. Unde lemma; NI DEFICIAT AURA. Humanam imbellitatem turbini simillimam dixerim; quippe quæ se ipsâ, D. Paulo teste, in salutis negotio ad quasvis etiam levissimas cogitationes eliciendas penitus inepta est, suamque agendi facultatem ab excitantis & concomitantis gratiæ Divinæ aurâ emendicat. S. P. Augustinus in illa Apostoli verba, *Quid habes, quod non accepisti?* ait; *Volens autem probare Deus homini, quòd ab illo habeat quidquid habet, ut cum bonitate habeat & humilitatem, aliquando eum perturbat* (ludendo nimirum ad illa Psalmi verba, *Avertente autem te faciem turbabuntur) avertit ab illo faciem suam, & decidit in tentationem, & ostendit illi, quia QUOD justus erat, & RECTE AMBULABAT, IPSO REGENTE FIEBAT.* Et quidem hanc gratiæ Divinæ auram non tantùm operationibus nostris, sed etiam universo orbi unicè necessariam esse, nec ipsum etiam Virgilium latuit:

Gratiæ necessitas. — S. Aug. apud Fernand. in Gen. c. 28. lect. 10. n. 10 1. Cor. 4. 7. — Psal. 103. 29 — Virgil. l. 6. Æneid. v. 724.

——Cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque Astra,
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem.

Eandem iconem opportunè etiam de Politico, aut Principis ministro intelligere licet, qui afflante herilis benevolentiæ aurâ, nullos labores, quantumvis gravissimos, abnuunt. Oratores quoque nonnullâ applaudentium aurâ animati, summa quævis negotia aggrediuntur.

Minister laboriosus. — Orator.

90. Joannes Ferrus Abbas pneumatico turbini subscripsit; S' AGGIRERA' SE PICCIOL AURA SPIRA. Id est; SPIRANTE LEVI VERTETUR AB AURA. Animam, ad quosvis inspirationis Divinæ nutus promptissimè versandam, hoc Emblema concernit. Certè Abrahamus senex ac decrepitus, ab uno vocis Divinæ afflatu vires adeò veloces recepit, ut, ceu alis instructus, erga obedientiam volârit. De hoc S. Joannes Chrysostomus; *Justus nec senectute prohiberi potuit, quin quasi juvenis, & juvenescens festinaret, atque anhelaret Domini præceptum perficere. Quare sicut locutus est ei Dominus, ita profectus est. Atq; in hoc duntaxat figebat mentem, quomodò implere posset, quod à Domino fuerat imperatum.* Eodem Emblemate instabilem hominis mundani animum describere licet, cujus cerebrum ad quamcunque levissimam ambitionis aut adulationis auram in gyros flectitur. Hoc sensu S. Gregorius Papa; *Carnalis animus mox ut favore vel detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur.* Denique falsus amicus, afflante adversâ fortunâ, mox tergum obvertit, omnemque fidem hactenus interpositam frangit. Verissimè canit Silius Italicus;

Obedientia prompta — Gen. 12. 4. S. Io. Chrys. in hunc lo. — Instabilis. — S. Greg. Hom. 6. in Evang. — Amicus falsus.

----- Stat nulla diu mortalibus usquam,
Fortuna titubante fides.

FINIS LIBRI DECIMI OCTAVI.

MUNDI

MUNDI SYMBOLICI
LIBER DECIMUS NONUS.
LITTERÆ ALPHABETI, earumque proprietates.

A.	Cap. 1.	O.	10
Archetypus.	2	Pyxis pulveraria.	11
B.	3	Regula scriptoria.	12
Calamus scriptorius.	4	Sigillum.	13
Charta bibula.	5	Y.	14
H.	6		
I.	7		
Liber.	8		
Littera.	9		

A.
Cap. I.

1. PRima hæc Alphbeti littera, apud Hebræos, Græcos, & Latinos, miro scribendi consensu, è tribus hastis formatur; ut adeò nonnemo illam Dei unius ac trini adeam dixerit; quippe qui de se ipso pronuntiat; *Ego sum Alpha & Omega.* Proinde principi huic litteræ ac Dei typo subscribes; ORDINE POTIOR. Mens Emblematis est, fidem ac cultum Deo exhibendum cæteris negotiis omnibus præferri debere. S. Joannes Chrysostomus; *Sicut in elementis litterarum apex primus, id est alpha, fundamentum totum continet, sic & vitæ munditiam certa fidei persuasio.* S. Nylus; *Deum purum existentem, purè quoque dilige: & præ eo, in omnibus omnia secundo loco habenda esse existimato.* Nec aliter Virgilius;

[Margin: *Apocal.* 1.8. — Cultus Dei — *S.Io.Chrys. Hom.9. in Ep. ad Heb.* — *S.Nil.Paren. nu.117.* — *Virg.Eclog.3*]

Ab Jove principium Musæ.

Plinius in Trajani panegyrico, *Benè*, inquit, *ac sapienter, Patres conscripti, majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capere, quod nihil ritè, nihilque providenter homines, sine Deorum immortalium spe, consilio, honore auspicarentur.* Compendio Justus Lipsius, *Religio proba ante res humanas habenda, & defendenda.*

[Margin: *Plin. Panegyr. ad Trajan.* — *Lips. de una Religione.*]

2. Vocalium quinarius, a, e, i, o, u, à P. Joanne Bartholomæo Panciero, Augustiniano Excalceato, Symboli loco descriptus, epigraphen recepit; OMNIBUS, IN OMNIBUS. Veluti diceret, reliquas litteras nonnunquã quidem supervacaneas aut minus necessarias esse, at vocales in omnium verborum concursu ac formatione unicè desiderari. Genuinam hanc charitatis effigiem dixerim, quæ in quocunque rerum eventu omnibus suam opem porrigit. S. Hieronymus in illa Apostoli verba commentatus. *Vellem autem esse apud vos modò, & mutare vocem meam,* ait, *Paulus Apostolus, qui factus fuerat Judæis Judæus, ut Judæos lucrifaceret: & qui erant sub lege, quasi esset ipse sub lege, & infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaceret: pro qualitate eorum, quos salvare cupiebat, mutabat vocem suam, & in histrionum similitudinem (factus siquidem est theatrum mundo & Angelis & hominibus) habitum in diversas figuras vertebat, & voces, non quod id esset, quod se esse simulabat; sed quòd id tantum videretur esse, quod cæteris proderat. &c.*

[Margin: Charitas est omnibus utilis. — *S.Hieron. in Galat.4.20.*]

ARCHETYPUS.
Cap. II.

3. PRobè pueris perspectum est, suam scribendi perfectionem unicè ab archetypo imitando pendere: unde etiam suas litteras eidem conformes exarare, studiosissimè nituntur. Atque adeò præfixum illud archetypon hoc lemmate insignies; NEC CITRA, NEC ULTRA. Ita homo justus Divinæ legis ideam assiduò ante oculos spirantem tenet, & ab illâ vel minimum exerrare sedulò cavet. Illam ipsam etiam subditi obedientis effigiem dixerim, qui à præfixo voluntatis aut imperii alieni tramite nec latum unguem deflectere conatur. *Sic enim rudibus pueris, dum scribere discunt, à Magistro litterarum forma proponitur imitanda,* inquit S. Thomas Villanovanus, *& quod usu & arte non callent, exemplari discant. Talia namque decuit à cælesti Magistro nobis vitæ exemplaria relinqui, talibus oportuit sacrum Evangelium tabulis exarari. &c.* In hoc argumentum Philo dicere est solitus, *Vitas Patrum posterorum leges esse.* S. Ambrosius affirmat, inferiorum vitam ad Majorum exempla, sive bona sive vitiosa, facillimè componi. *Nam facilè facit inferior, quod fieri videtur à potiore.* Explicatissimè Hegesippus; *Sicut boni PRINCIPIS VITA probatis quadam PRÆSCRIPTIO, ET per universos VIVENDI FORMA EST; ita Imperatoris colluvio, lex flagitiorum est.*

[Margin: Justus. — Obediens. — *S.Tho.Vill. Conc. de D. Nicolao.* — *S.Ambros. in c.2.ep.ad Rom.* — *Hegesipp. l.2. de Excid. Ierosol. c.5.*]

B.
CAPUT III.

4. FErro Abbate authore, huic litteræ subscribes; PROXIMA PRIMÆ. Hominem Principis gratiâ & familiaritate præ cæteris foveri solitum, hoc Emblemate demonstrabis. Ita Josue coram Mose, Joabus coram Davide, Amanus coram Assuero, & Ephestion coram Alexandro principem locum occuparunt. Josepho dixit Pharao; *Tu eris super domum meam. &c. Uno tantum regni solio te præce-*

[Margin: Proximus à Rege. — *Gen.41.40.*]

cedam. Joannes tam virtutis merito, quàm sanctimoniæ gradu cæteros Prophetas omnes longis intervallis in Servatoris conspectu antecessit. Petrus in Apostolorum Collegio primum à Magistro suo locum obtinet. Esichius Milesius, referente Diogene Laertio, scribit, quòd Eratostenes Philosophus *Litteræ B. cognomento vocatus fuit, quòd summis proximus, in omni disciplinæ genere secundas teneret.*

Laertius.

5. Littera b, diverso situ collocata, in tres alias repentinâ metamorphosi commutari potest; ut in subjecto scemate cernere licet;

b. d.

p. q.

Adulator. Unde illam hoc epigrammate insignies; EADEM, NON EADEM. Nativum hunc Adulatoris characterem dixerim, qui alterius gratiam aucupaturus, in formas diversissimas mutari novit: Constans verò ac generosus hominis animus, quocunque loco versatus vultu semper eodem incedere consuevit. De homine instabili rectè pronuntiat Seneca; *Maximum inpicium malæ mentis est fluctuatio, & inter simulationem virtutum, & amorem vitiorum assidua jactatio.* Emblemati explicando poesin hanc vernaculam subjicere placuit;

Senec. in Prov.

Son, come scorgi, un b; mà s' altri ingiù,
O' in fianco mi riversa;
Ogn' hor la stessa (altrui benche diversa,
Io sembri) un d, m' appello un p, & un q,
Tal può dal imo in sù
Tersare, ò rsversar l' instabil sorte
Un cor' costante, e forte,
Che frà mille stravolte, e varie tempre,
Stabile in se medesmo egli è mai sempre.

Constans. Achilles Bocchius heroicam mentem lapidi quadrato non absimilem dicit, qui quocunque revolutus, mole semper æquali & erectâ persistit;

Achill. Bocch Symbol. 48.

Heroi meritò sedes quadrata dicatur,
Rectus enim SEMPER CONSTITIT ILLE SIBI.

CALAMUS SCRIPTORIUS.

Caput IV.

6. CAlamus, necdum scriptioni attemperatus, à D. Marchione Mario Corrada epigraphen recepit; VAGLIO COL TAGLIO. Id est; RECISUS VALEO. Ita lacessita ac offensa quorundam virtus in lucem publicam prodit, aliàs sub ignobili otio sepelienda. *Calamitas virtutis occasio est,* inquiebat Seneca. Et Franciscus Petrarcha inter cæteros suos Dialogos ait; *Inimicitiæ mihi sunt. RA. Et cautior eris, & notior. Multos inimicitiæ illustrârunt, qui obscuri mansissent, si hostibus caruissent.* Et paulò post; *Undique mihi bella consurgunt. RATIO. Nunquam clarior sanctiorque fuit Populus Romanus quàm dum multis, ac gravibus bellis occupabatur.* Provinciæ Belgicæ, quamdiu pace gaudebant, mercaturis ac piscationibus occupabantur; at armis exercitatæ, inter nobilissimas Europæ terras recenseri cœperunt.

Calamitas vigorem præstat.

Senec. lib. Cur bonis viris &c. c. 4 Petrarch l. 2 de Remed. dial 32.

7. Eidem calamo inciso & attemperato subscribes; SENZA TAGLIO NON VAGLIO. Id est, SINE VULNERE IMPOS. Ita fotitudo nostra inter hostium assultus omnium maximè dignoscitur; quippe quæ sine illis deses ac otiosa diffluit. Rectè S. Ambrosius; *Nulla sine labore virtus est, quia labor processus est virtutis.* Præclarè in rem præsentem Josephus Baptista canit.

Calamitas utilis.

S. Ambros. sup. Ps Beati immaculati.

Chi la virtù già mai vedrebbe in terra,
Se sempre fosse all' Humo il fato amico?
Non si mostra valor senza la guerra.
Se non gli agita in mar gli alati pini
La Dea, che diè co' l latte il latte al giglio;
Non giunge mai del cieco Anchise il figlio
A i regni superbissimi Latini.
Eleggesti par tu, che prima uccide
Con mano imbelle i gemini colubri;
Poi gode are sacrate, aurei delubri,
E passa in Ciello il tormentato Alcide.
Se pettine mordace non percote,
E muta la testudine ch' io stringo,
E questa PENNA, onde la carte io pingo,
SE FERITA NON E SCRIVER NON PUOTE.

8. Calamis, ad scribendum attemperatis, inscribes; HIS AD ÆTHERA. Enimverò doctrinæ, è litteratorum calamis in erudita volumina destillatæ, eos ad celestem gloriam, ac nominis immortalitatem evehunt. Seneca; Studia inquit, *te clarum & nobilem efficient,* Joannes Baptista Bartolus de Icaro cadente canit;

Studia exaltant. Senec ep. 21

Sconsiglicato fanciul, sciova farsalla,
Qual ti rapisce avidità di lume
Ad abbrugiarti intorno al sol le piume?
Con le penne à la spalla
Non s' arriva à le stelle, la man sola
Con una penna sol, tant' alto vola.

Justus Lipsius affirmat, hominem pennarum beneficio ad stellas sublevari, siquidem litteratus assiduis studiis tandem veræ religionis cognitionem acquirit, *Scientia litterarum,* inquit, *non modò nihil nocet religioni atque justitiæ, sed etiam prodest plurimùm.* S. Petrus Damianus, in pennis geminam animæ virtutem repræsentans, ait, *Et nobis pro modulo nostro pennæ sunt insita, virtutes scilicet spirituales, quibus si viriliter utimur, ad cælestia sublevamur.* D. Aresius fasciculo è spinis, flagellis, crucibus, ac cætera suppliciorum suppellectile colligato, eandem epigraphen subdidit, *His ad æthera* Enimverò pœnæ, ceu totidem pennæ, ad immortalitatis ac gloriæ fastigium superandum maximè deserviunt.

Lips. l. de vera Relig. ex Lactantio.

Virtus. S. Pet. Dam. lib. 2. Epist. 11

Calamitas exaltat.

9. D. Aresius insignium voluminum suorum fronti pennam scriptoriam præfixit; addito lemmate, NON EVEHAR, NI VEHAR. Innuebat videlicet, se nulli omninò virtuosæ operationi manum potuisse aemovere, nisi succollante Divino auxilio. S. Isidorus; *Sciant liberi arbitrii defensores, nihil posse homines in bonum suâ prævalere virtute, nisi Divinæ gratia sustententur juvamine.* Et S. Macharius; *Volare in aerem illum Divinum, atque libertatem Sancti Spiritus consequi homo desiderat: atqui nisi alas acceperit, id non potest.*

Auxilium gratiæ Dei. S. Isid. l. 1. de Sum Bon. c. 5. n. 4. S. Machar. Hom. 2.

10. Pennam, à vicino cultello mox attemperandam, & inter complures alios calamos jam incisos collocatam, Cæsar Capporalius hoc lemmate insignit; RECISA ÆMULABOR. Ita fideles post gladios & persecutiones pro Christo toleratas, ad sublimem Apostolorum aut Martyrum gloriam promoventur. S. Joannes Chrysostomus; *Qui sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vita sanctitate reddatur. Nam possumus nos quoq; esse quod sunt, si faciamus ipsi, quod fecerunt.* Et rursus de Martyribus disserens, *Quorum natalitia,* inquit, *taliter celebrantur in terris: quo possumus etiã ipsi talibus provocari exẽplis, virtute pari, devotione consimili, ac fide: ut Christo præstante dimicare, & vinnere hostẽ possimus: ut parta victoriã cũ iisdẽ sanctis in regnis cælestibus triũphemus.*

Calamitas elevat.

S. Io. Chrys. Serm de Mar Tom. 3.

Idem Serm. 1 de Martyr. Tom. 3.

Calamus

Sinceritas. 11. CAlamus, ſcribendo intentus, epigraphen legendam offert; PROMIT INTIMA CORDIS. Explicatiſſimè Magnus Auguſtinus; *Cum ſcribimus litteras, facit eas primò cor noſtrum, deindè manus noſtræ, litteræ primò fiunt à corde, deinde à corpore noſtro. Manus ſervit imperanti cordi: eaſdem litteras facit & cor, & manus. Cor enim facit eas intelligi inviſibiliter, manus autem viſibiliter.* Quivis Litteratus, dum animi ſui ſenſa aperit, eo Calami Emblemate repræſentari poteſt. Juſti Lipſii dictum eſt; *Bona mens in omni lingua promit ſe, & revelat.*

S. Aug. Tract. 18 in Ioan.

Litteratus.

Lipſ. Cent. ad Germ. Ep. 12.

12. D. Archangelus Conter ſcribenti calamo ſubſcripſit; IN SILENTIO LOQUOR. Seu, ET LOQUOR, ET TACEO. Conſcientiæ remorſum, vel etiam tacitam gratiæ cœleſtis vocem, quâ Deus cordibus noſtris loqui conſuevit, Emblemate illo demonſtrabis. Hoc ſenſu Jobus. *Ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtivè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri ejus.* Et S. P. Auguſtinus; *Vox veritatis non tacet, non labiis clamat, ſed vociferatur ex corde.* Illud ipſum etiam Amantis modeſti eſt ingenium, qui cordis ſui affectum altis ſuſpiriis, ac igneis obtutibus, linguâ penitùs obmuteſcente, exprimere ſolet.

Remorſus conſcientiæ. Gratia Dei. *Iob 4. 12. S. Aug. in Pſal. 57.* Amans modeſtus.

13. S. Catharinam Virginem, doctrinâ & Martyrio ex æquo inſignem, calami icone repræſentârunt, qui gladio decuſſatim colligatus, epigraphen talit; NOMEN UTRIMQUE. Tametſi verò hæc imago ab Emblematis natura nonnihil deflectat, Cæſaris tamen factum imitatur, qui ſtatuam ſuam, calamo ac gladio inſtructam, hoc titulo inſignivit. *Ex utroque Cæſar.* Geminam hanc prærogativam, grandem nimirùm famam, gladio ac libro acquiſitam, ſibimet in Inſtitutionum ſuarum Procœmio attribuit Juſtinianus Imperator. *Quorum utramque viam cum ſummis vigiliis, ſummâq; providentiâ, annuente Deo perfecimus. Et bellicos quidem ſudores noſtros Barbaricæ gentes, ſub juga noſtra redactæ cognoſcunt: & tam Africa, quàm aliæ innumeræ provinciæ poſt tanta temporum ſpatia noſtris victoriis, à cœleſti Numine præſtitis, iterum ditioni Romanæ, noſtroq; additæ imperio proteſtantur.* De Legibus verò ſubjungit; *Omnes verò populi legibus tam à nobis promulgatis, quàm compoſitis reguntur.*

S. Catharina V. & M.

Iuſtin. in Procœm. Inſti

14. Lingua humana, à Regio Propheta calamo ſcriptorio comparata (*lingua mea calamus ſcribæ*) nonnunquam bellos laudis alienæ characteres; interdum verò ſordidas lituras in proximi ſui vituperium exarat. Atque adeo exaltare & deprimere; glorificare ac contemnere; illuſtrare & obſcurare novit. Unde, Carolo Rancato authore, calamum ſcriptorium opportuno hoc lemmate afficies; ET NOTAT, ET DELET. Verbis ex Ovidio mutuatis;

Pſal 44. 2. Lingua humana.

Dextera tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram,
Incipit, & dubitat, ſcribit, damnatq; tabellas,
Et notat, & delet, mutat, culpatq; viciſſim.

Ovid. lib. 9. Metamor.

Compendio rem totam dixit Magnus Auguſtinus; *Dolus duplicat cor, adulatio linguam.*

S. Aug lib. 50 Homil. hom. 20, cap. 1.

CHARTA BIBULA
Caput V.

15. PApyrus bibula, ſupra paginam, è recentibus litteris etiamnum madidam collocari ſolet, cùm ut atramento exſiccando deſerviat, tum ne contigua pagina ullas ex humente charactere maculas contrahat. Unde Carolus Boſſus Emblematis loco chartam bibulam, ſubjectæ paginæ nigroribus inquinatam, hoc lemmate legendam propoſuit. ATTACTU INFICITUR. Idipſum etiam nobis è vitio-

Societas mala.

vitiosorum consuetudine ac familiaritate accidit; sicuti enim charta illa, aliàs munda, è solo recentium chracterum contactu plurimùm defœdatur, ita sceleratorum contubernia pristinam nostram puritatem deprædantur, eique copiosam vitiorum labem passim aspergunt. Seneca præsentissimum illud è malorum consortio discrimen sexcentis locis inculcat. *Sumuntur*, inquit, *à conversantibus mores. Et ut quædam in contactos corporis VITIA TRANSILIUNT, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus fortem quoque & siliceum virum emolliit. Avaritia in proximos virus suum transtulit.* Et alibi; *Unum exemplum aut luxuriæ, aut avaritiæ multùm mali facit. Convictor delicatus paulatim enervat & mollit. Vicinus dives cupiditatem irritat, Malignus comes, quamvis candido & simplici, rubiginem suam affricuit.* Rursus; *Hærebit tibi avaritia, quamdiu avaro, sordidoq; convixeris: hærebit tumor, quamdiu cum superbo conversaberis: nunquam sævitiam in tortoris contuberniis pones: incendent libidines tuas adulterorum sodalitia.* Tandem affirmatè concludit; *Si velis vitiis exui, longè à vitiosorum exemplis recedendum est.*

Senec. lib 3. de Ira. cap. 7.

Idem Ep. 7.

Idem Epist. 104.

Spiritus S. requirit animam puram.

18. In charta scribi nequit, nisi admodùm tersâ, lævigatâque. Lemma; TERSA CHARACTERES RECIPIT. Ita & anima nostra, nisi exuta spoliataque omnibus impuræ carnis affectibus, idonea non est, cui dono Sancti Spiritûs à Divina Sapientia imprimantur. *Quem enim*, clamat Propheta, *docebit sapientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab ubere.* Quasi diceret, eum duntaxat, quem à mundi hujus illecebris viderit abhorrentem, carnisque delitias toto animi affectu aspernantem. Deus quietum vult cor, quod occupare & inhabitare desiderat. *In pace*, quippe *factus est locus ejus.* S. P. Augustinus in illa Christi verba, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; ait, *Deum videre vis? prius ergò cogita de corde mundando, & quidquid ibi vides, quod Deo displicet, tolle.*

Isa. 28.

Psal. 75:

S. Aug. Ser. 175. de Temp.

H.

Cap. VI.

Societas.

17. Academici intrepidi prælum typographicum ejusque characteres, in capsulis suis distributos, Symboli universalis loco præferunt. Unde illorum quidam peculiari suo symbolo litteram H, incidi fecit; addito lemmate, SI CÆTERIS ADDAR. Dicere volebat, sicuti illa litterarum aspiratio se ipsâ quidem vix aliquid utilitatis habet; at aliis conjuncta, maximam energiam periodis aut vocibus ingenerat; ita se, proprio intellectu imbecillem, ex Academicorum consortio plurimùm virtutis ac beneficentiæ contraxisse. Unde Græci, Homero referente, aciem suam ita ordinârunt, ut timidi ac debiles medium agminis locum occuparent, fortioribus è fronte collocatis: censebant quippe, illos, se ipsis quidem ad dimicandum ineptos, è vicina commilitonum magnanimitate plurimùm extimulatum iri. De hac Græcorum consuetudine S. Ambrosius. *Hinc etiam Poëta usurpavit, ut dispositionem dimicaturi ita ordinaret exercitus, quo inferiores collocaret in medio, quo magis hinc inde à fortioribus juvarentur, & dimicationem utrinsque partis assumerent.*

Homer. Iliad. lib. 4.

S Ambr. l. de Noe & Arca c. 16.

I.

Caput VII.

18. Hæc figura, non quidem litteræ, sed numeri loco accepta, in alphabeto arithmetico principem locum obtinet, & ad omnes numeros, sive præsupposita, sive expresse nominata, necessariò concurrit. Unde lemma; SINE ME NIHIL. Humilitatis hoc ectypon est, quæ, utpote cæterarum virtutum omnium basis, ad quodvis ædificium spirituale unicè est necessaria. Magni Augustini consilium accipe; *Magnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis.*

Humilitas.

S. Aug. ser. 10. de Verb. Dom.

19. Numerus I. inter cæteros omnes & minimus & primus est. Geminam ac miram hanc illius figuræ prærogativam P. Joan. Barthol. Pancierus, Augustinianus Excalceatus, sequenti lemmate expressit; MINIMA, SED PRIMA. Ita Maria Virgo, propriâ quidem opinione inter creaturas omnes minima, & abjecta ancilla; præ omnibus tamen principem locum ab æquissimo Judice obtinuit. S. P. Augustinus super illis D. Lucæ verbis, *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, ait; *Maria Christum pepererat, meruerat parere filium altissimi, & erat humillima. Nec se marito, nec in ordine nominis præferebat, ut diceret, Ego & pater tuus; sed* pater tuus, *inquit* & ego. *Non attendit sui uteri dignitatem, scilicet attendit ordinem conjugalem.* Eodem Emblemate haud incongruè significabis, personas, moribus, litteris, ac ingenio omnibus inferiores, nonnunquam ad Collegii aut Reipublicæ clavum sedere. Justam proinde conquerendi causam habuit Valerius Maximus, quando Vatinium, hominem nauci, Prætorem Romanum nuncupatum audiit. Portio Catone, viro excellentissimo, contemptim præterito.

Maria V. humilis.

S Aug. Ser. 63. de Divers. cap. 11

Indigni exaltati.

Val Max. lib. 7. cap. 5.

20. D. Joannes Baptista Mazzolenus his numeris 10000. manum vicinam appinxit, quæ delendo numero I. manum admovebat; cum lemmate, NULLA. QUÆ REMANENT. Quinos alicujus familiæ fratres hoc Emblema spectabat, è quibus cùm natu maximus, vir summi ingenii, ab inimica manu interfectus fuisset, tota familia ob cæterorum imperitiam corruit. Porrò sicut elementum I. figurâ suâ inter cæteros numeros simul & minimum & primum est; ita humilitas virtutum omnium habetur & minima & prima. *Prima virtus Christianorum*, S. Hieronymo teste, *est humilitas.* Unde virtutes omnes, si una humilitate careant, pretio penitus sunt nullo. Facundus in rem præsentem S. P. Augustinus ait; *Nisi humilitas, quæcunq; benefacimus, & præcesserit, & comitetur, & consequuta fuerit, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia.*

Humilitas omnium Virtutum complementum.

S. Hieron. ad Eustoch.

S. Aug Ep. 56 ad Dioscor.

21. Figura I. uni aut pluribus ciphris conjuncta, maximum arithmeticæ incrementum facit. Epigraphen subjunxit Carolus Bovius; CONJUNCTIONE PERFECTIO. Nimirùm insignem S. Ignatii Loyolæ providentiam significabat, qui nobilissimum suum Ordinem amplissimè propagaturus, in eundem viros præstantissimos, non sine exordientis instituti sui, ac orbis universi maximo incremento assumpsit. Mutuam hominum societatem plurimùm commendans Seneca, ait; *Nam quo alio tuti sumus, quàm quod mutuis juvamur officiis? Hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Nudum & infirmum societas munit. &c.*

Unio.

Senec. lib. 4 de Benef c. 18

LIBER

LIBER.
Caput VIII.

22. JOannes Ferrus libro, ceu scientiæ, hieroglyphico subscripsit; EST IMMORTALE DECUS. Seu EST SINE MORTE DECUS. Tullii sententiâ, *Nihil est, per quod magis Diis assimilemur, quàm per ipsum scire.* Enimverò honor, ex insignium librorum partu accrescere solitus, nullis unquam mortis injuriis obnoxius vivit. Propertius; Scientia immortalem facit. *Cicero.*

Propert.l.3. ad Cynthiã.

At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidit: ingenio stat SINE MORTE DECUS.

Et in Rhytmis suis lyricus Josephus Origonius;

Penna di dotta man, sotto le stille
D'inchiostro, abissi ogn'hor sparge di luce,
Frà caratteri oscuri al mondo adduce
Lucidissimi raggi à mille, à mille.
Tanto vola la fama, e spiega i vanni,
E' l mortale quà giù rendi immortale,
Quanto ch' à lei la penna impenna l' ale,
Si che non temel oltraggiar de gli anni.

23. Eâdem planè ratione alius librum apertum, ac scriptum, hoc lemmate insigniit; HAC ITUR AD ASTRA. Mens Emblematis erat, scientiæ ac litterarum beneficio hominem supra stellas ad ipsum usque immortalitatis firmamentum sublevari. Seneca; *Hoc scio neminem posse benè vivere, sed nec tolerabiliter, qui est sine sapientiæ studio: quum omnia habueris, tunc & habere scientiam voles & sapientiam. Hoc erit ultimum vitæ instrumentum.* Dilucidè Alanus; *Scientia in cœleste terrenum, in immortale caducum, hominem in Deum deificæ mutationis autoritate convertit.* Et Seneca; Scientia beatum facit. *Senec.Ep.17. Alan. de complantu Natu.*

Senec. in Hercul.Oeth

Nunquam stygias fertur ad umbras
Inclyta virtus: vivite fortes
Nec lethæos sæva per amnes
Vos fata trahent, sed cum summas
Exiget auras consumpta dies
Iter ad superos gloria pandet.

24. Libri perfectionem non è vastâ mole, sed è compositionis acumine metiaris velim. Unde, authore Francisco Bonomo, epigraphen præfert; QUALE, NON QUANTUM. Emblemati explicando sequens distichon subjunxit; Liber.

Quale, at non quantum. Confundunt maxima. Parvus
Ingenia illustrat grandia sæpè liber.

Ita homo apud æquos rerum Judices pretium & æstimationem suam non à corporis mole, sed à meritis aut ingenii præstantiâ sortitur. Porrò in actibus virtuosis non refert, turùm opus bonum sit arduum aut sublime, sed ex quali animo & intentione proficiscatur. Nam, teste Magno Augustino, *Diversa intentio diversa facta facit.* Et rursus; *Interest plurimùm, quâ causâ, quo fine, quâ intentione aliquid fiat.* Intentio. *S. Aug tract. 7 in Epist. Io. Idem contra Manich.c.7.*

25. Characteres, citromalorum succo exaratos, legere aut distinguere non poteris, nisi paginâ intra aquas submersâ. Unde ex Humoristarum Academicis nonnemo Symboli loco librum præfert, qui litteris illis descriptus, epigraphen reddit; IMMERSA LEGETUR. Dicere volebat, se quidem litteris admodùm exiguis instructum esse, at virtuosissimæ hujus Academicæ Oceano immersum, maximos in orbis conspectu profectus facere: Ita nimirum è virtuosorum contubernio etiam obscurissimi inclarescunt. *O felicem, illum,* exclamat Seneca, *qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat atque ordinet, qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus, ubi ad regulam prava corriget.* Societas. *Senec.Ep.11.*

26. Libro, absynthii foliis cooperto, subscripsi; TINEÆ PROCUL. Dicere volebam, è calamitatum amaritie culpas ac defectus omnes perscribi. Plinius Junior; *Quem enim infirmum aut avaritia, aut libido solicitat? Non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit. &c.* Calamitas præservat. *Plin.Iunior. lib.7. Ep.26.*

27. Academicus Disjunctus, animi sui sensa explicaturus, Emblematis loco gladium libro imposuit; cum dicto, IN UTRUMQUE PARATUS. Julius Cæsar hoc encomio præ cæteris conspicuus, non minus se in ferro tractando generosum, atque in calamo ducendo insignem probavit. Moses, nobilis Pentateuchi Scriptor, magnanimum exercitus Israelitici Belliducem egit. David poeticâ suâ compositione ac invicto robore ex equo celebris evasit. Alphonsus, Aragonum Rex, in Martis ac Minervæ studiis exercitatissimus fuit. Geminam hanc prærogativam in viro quodam excellentissimo sum veneratus, eumque, simul & Doctoris, & generosi Beliducis munere defungi solitum, hoc vernaculo poemate loquentem introduxi. Milles litteratus.

La dotta laurea, il bellico cimiero
Hanno infregiarm il crine egregia parte;
Ch'io sieguo Apollo, & adherisco à Marte,
E gran leggista it sono, e gran guerriero.
Gareggio co' l Signor del sacro Impero.
M'ornano i ferri, e m' armano le carte,
E del ferire, e del salvar sò l' arte,
In pace, e in guerra, hor manieroso, hor fiero.

Enimverò quaternis his Rhytmis ad institutionum proœmium alludebam, ubi Imperator ait; *Imperatoriam majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: ut utrumq; tempus, & bellorum & pacis, rectè possit gubernari, & Princeps Romanus non solùm in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam juris religiosissimus, quàm victis hostibus triumphator magnificus.* *Proœm. Instit.Imp.*

28. Liber apertus lemmatis loco hoc participium præfert, LEGENDO. Enimverò assiduis studiis tandem ad sapientiæ fastigium eluctamur. *Nullus est,* asserente Euripide, *qui dum molli vitæ studet, gloriam adeptus sit, sed laborandum est.* Huic affinis Philæmon, *Omnia,* inquit, *possunt inveniri, si modò laborem non fugerit aliquis, qui rebus indagandis adhæret. Assiduitate quælibet assequi datur.* Utrique assentiens Metrocles, dicere solebat, res quasvis obtineri vel pecuniis, ut domos, facultates, ac vestimenta; vel tempore aut diligentiâ, ut scientias ac disciplinas liberales. *Res docebat partim emi pecuniâ, ut domum: partim tempore & diligentiâ, ut disciplinas liberales.* Assiduitas. Labor. *Eurip.apud: Ioan.Stob. Serm.29. Philem ibid. Metrocl. apud Diog. Laert.l.6.c.6*

29. Carolus Bovius nobili Emblemate librum musicum apertum exhibet, qui auditorum auribus majore suavitate blanditurus, notas suas omnes in cantu duro dispositas habet; addito lemmate, PER DURIORA DULCIOR. Hinc conjicies, orationes nostras, si calamitatum duritie obfirmentur, ad deliniendas Divinas aures mirificè deservire. *Quia cùm carnem aliquis perfectè afflixerit, tunc suavissimum Deo in dulcedine melos reddit,* inquit S. Gregorius Papa. Oratio cum afflictione. *S.Greg. Prolog. in Ps. Pœnit.*

30. Liber rationarius epigraphen sustinet; UT REDDAT RATIONEM. Huic consonat oraculum

Dan c 19. S. Aug. lib Medit. c.39.

culum Danielis; *Judicium sedit, & libri aperti sunt.* S.P. Augustinus; *Væ mihi misero, cùm venerit dies judicii, & aperti fuerint libri conscientiarum, cùm dicetur de me, ecce homo, & opera ejus.* Et Sancta Ecclesia.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Calamitas utilis.

31. Liber, Bibliopegæ prælo compressus, epigraphen sustinet; COMPRESSIONE ACQUIRIT. Hinc disces, mentem humanam, calamitatum angustiis coarctatam, maximum in animi candore, spiritus serenitate, & cordis hilaritate profectum facere. S. Joannes Chrysostomus; *ANIMA, à tentationibus OPPRESSA, liberatur à perturbationibus & multis ægritudinibus: tunc enim maximè LIBERO, & aperto CAMPO FRUITUR. Multi enim, quamdiu manent in rebus secundis, gravissimis ac turpissimis tenentur amoribus, qui affligunt eorum animam, pecuniarum, corporum, & ejusmodi aliorum, quæ sunt absurda, & valde aliena: sed postquam in afflictionem inciderint, liberantur ab illis omnibus, & in liberum, & apertum campum evadunt.* Optimè ac compendio S. Gregorius; *Electorum desideria DUM PREMUNTUR adversitate, PROFICIUNT.*

S. Io. Chrys. in Ps. 4.

S. Greg. in Moral.

Castigatio.

32. Libri, gravibus Bibliopegæ malleis percussi, lævitatem ac planitiem mirificam sortiuntur. Unde lemma; PLANIORES UNDIQUE PLAGIS. Ita omninò rudes ac incompositi subditorum mores nonnisi castigationum rigore complanantur. Justus Lipsius de disciplina militari disserens, *Severo*, inquit, *castigationis genere turba militaris coercenda. Unde tot rebelliones hodie, & tumultus, minæ, aut arma in suos Duces? Ab impunitate & licentia: & quamquam aliæ causæ prætexantur, istæ veræ, & intimæ sunt. Coerceantur, &, ut uno verbo, plus Ducem suum miles timeat, quàm hostem.*

Iust. Lipsius l. 5. de mili. Rom I ia .26

Calamitas juvat.

33. Liber, ab utroque latere sub Bibliopegæ prælo constrictus, simul & oppressionem & perfectionem recipit. Emblemati subscripsit Carolus Bossus; NI PREMAR UTRIMQUE. Dicere volebat, hominem, nisi utrimque, corpore scilicet, & animâ, excruciatum, ad debitæ perfectionis nitorem ægerrimè posse eluctari. Certè Job non tantùm exteriore pessimo corporis ulcere, sed interni quoque gravissimis doloribus, nempe filiorum jacturâ, uxoris suggestione, & amicorum exprobrationibus, ceu totidem jaculis, dilaceratus fuit, sed iis omnibus generosè superatis, absoluta animæ perfectæ idea, ac prodigiosæ patientiæ prototypon cognominari meruit. De hoc Tertullianus. *Constitit nobis in exemplum & testimonium, tam spiritu quàm carne, tam animo quàm corpore, patientiæ perpetrandæ: ut neque damnis sæcularium, nec amissionibus charissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus.*

Tertull l de Patientia.

Calamitas utilis.

34. Libellus, è tenuissimis auri bracteati pagellis compactus, epigraphen tenet; PERCUSSUS LATESCIT. Illum hoc Emblema spectat, qui adversâ hostium manu probè contusus, amplissima corporis aut animæ incrementa facit; utadeò verè cum Vate Regio dicere possit; *IN TRIBULATIONE DILATASTI mihi.* Opportunè Hugo Cardinalis advertit, cor nostrum, charitate Divinâ plenum quanto graviore injuriarum malleo pulsatum fuerit, eò magis in virtutum exercitio, instar aureæ bracteæ dilatari. *Hoc penes charitatem attenditur, quæ in bonis flatu tribulationis dilatatur, sicut carbo ex flatu magis succenditur, & sicut AURUM SUB MALLEO magis DILATATUR.* Hæc ipsa effecta cujusvis veri Christiani propria esse affirmat S.P. Augustinus; *Christianum cor, in Deum, pressurarum PLAGIS*

Psal. 4. 2.

Hug. Card. in hunc loc. S. Aug. conc. 1 in Ps. 32.

EXTENDITUR. Cassiodorus iconem illam toti Sanctæ Ecclesiæ communem facit, quæ hostium offensis contrita, amplissimos per orbem universum progressus facit. *Tribulatio est enim, quæ semper dilatat Ecclesiam: quando eodem tempore Confessores fiunt, Martyres coronantur: totaque turba justorum contritionibus semper augetur.*

Cassiodor.

35. Musices periti affirmant, suavissimam harmoniam ex multis oriri suspiriis. Unde meus D. Alexander Luzon de Millares apertum librum musicum depinxit, qui artificiosâ notarum serie, ac crebris interjectis suspiriis spectandus, epigraphen monstrabat; RARÆ PAUSÆ, MULTA SUSPIRIA. Homines justi, cœlestis musices gnari, nullum gratiorem noverunt concentum, quàm qui lætis & tristibus aptè sibi cohærentibus constat, in quo crebra suspiria, raræ pausæ. *Justus quippe*, teste S Gregorio, *vitam suam bonis malisque permixtam conspicit, & cogitationes suas aliquomodo spe & timore confundit.* Solet misericors Deus mœstis rebus quædam etiam jucunda permiscere. *Quod in sanctis omnibus facit, quos neq; tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas: sed tum ex adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contexit.* Luculenter Magnus Augustinus; *Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in vita sua, cujus peccatis deest ultor, & adest laudator. Major hic ira Domini est: irritavit enim Dominum peccator ut ista patiatur, id est, ut correctionis flagella non patiatur.*

Calami[s] Justoru[m]

S. Greg. l[ib] Moral.

S Io. Chr[ys.] Hom in Matth.

S. Aug. i[n] Psal. 7.

36. Libellus, pauculis foliis finitus, epigraphen sustinet; NON QUANTUS, SED QUALIS. Paucorum quoque versuum liber, si utilis fuerit, laudem promeretur. Satyræ Persii quàm decoræ sunt, quàm proficuæ! meruit plus gloriæ uno libro, quàm vastis voluminibus alii. Martiale teste;

Liber [pr]e[t]vus.

Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quàm levis in totâ Marsus Amazonide.

Quod Martialis de Persio, idipsum jure longè potiore de religiosissimo meo Concanonico Thoma Kempen si pronuntiaverim, cujus de Christo imitando libellus, mole quidem angustus, pretio tamen ita amplus existit, ut non Christianos tantùm, sed ipsos etiam Turcas in summam sui æstimationem trahat. Prolixum hîc foret omnia tanti Authoris elogia percensere, quæ victoriosus ipsius vindex, ac Encomiastes gravissimus, R.P. Gregorius Heserus S I in Obelisco Kempensi eruditè ac sedulò legenda exhibet. Concinnè P. Bernardus Bauhusius canit;

Thom[as] Kempe[n]s.

Memnonidæ, lampas quos Delia prima colorat,
Et pharetratorum gens Othomannigenûm:
Et tincti moro Mauri, ferrugine Iberi,
Et violâ tinctus Sarmata, Belga rosâ.
Kempensem cuncti Thomam norunt que, leguntque:
Dumq; erit aura, solum, flamma, salumq; legent.
In tenebris, Thoma, te non sinet iste libellus.
Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Cæterùm si volubilem vitam nostram libro comparare liceat, apprimè dixeris, id unicè cogitandum esse, *qualis vita, non quanta* sit: non enim longissima vita, sed honestissima, est optima. Benè Seneca; *Citius mori, vel tardius, ad rem non pertinet: benè mori aut malè, ad rem pertinet.* Unde de homine justo affirmat Sapiens, *Consummatus in brevi, explevit tempora multa.* Rursus Seneca; *Portus est aliquando petendus, nunquam recusandus. In quem si quis intra primos annos delatus est, nō magis queri debet, quàm qui citò navigavit. Alium enim, uti scis, venti segnes ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentissimo tædio lassant: alium pertinax flatus celerrimè perfert. Idem evenire nobis*

Vita br[e]vis.

Senec ep[.]

Sap 4 13.

Senec. E[p.] 70

puta,

puta. Alios vita velocissimè eduxit, quò veniendum erat etiam cunctantibus. Alios maceravit & coxit. &c.

37. Libro obsignato inscribes; DOCTIS HIC SERVIT APERTUS. Mariam Virginem hoc Emblemate significat P. Jacobus Masenius, utpote in quâ penitius inspectâ, tanquam in libro, innumeras Virtutes ac prærogativas discere licet. Unde Maria Virgo à Buteone cognominatur *Volumen in quo Verbum scriptum est digito Patris.* à S. Gregorio Neocæsariensi, *Liber obsignatus, datus viro nescienti litteras.* à S. Epiphanio, *Liber incomprehensibilis, qui verbum Patris mundo legendum exhibuit.* Et à S. Damasceno; *Liber novus, in quo inenarrabili modo Deus verbum citra omnem manûs operam inscriptus est.* Emblematis Author mentem suam hoc epigrammate explicat.

Maria V.

But. hym. Trac. p 135. Greg. Neocæs Orat 3. de Annunt. Epiph. orat de laud Deip Damasc orat 2. de Assump.

Non servit rudibus, nec clausâ fronte volumen,
Doctus erit lector, propositusque liber.
Inspice virgineas, diducto cortice, dotes,
Quisquis amas; quævis littera pondus habet.

LITTERA A.
Cap. IX.

Scientia in anima sancta.

38. D. Joannes Baptista Mazzolenus supra chartam candidam aliquot litteras expressit; addito lemmate, MAGIS IN ALBO. Experientiâ quippe compertum est, litteras ac quarumvis artium disciplinas in candidis & innocentibus hominum animis omnium maximè conspicuas esse. Unde David à Deo primùm internam innocentiam ac *bonitatem*, postea exteriorem corporis compositionem ac *disciplinam*, ultimò tandem litteras flagitabat, *& scientiam doce me.* In hunc locum commentatus S. Ambrosius, ait; *Ante enim vita, quàm doctrina quærenda est; vita enim bona etiam sine doctrina gratiam habet, doctrina sine vitâ integritatem non habet.* Cæterùm cùm Religiosus è munere suo innoxium vitæ candorem præseferre debeat, idcircò accommodatè ad hoc Emblema dixeris, atros vitiorum characteres ab intuentium oculis longè apertius in ipso notari, atq; in contaminato hominis mundani animo.

Ps. 118. 66.

S. Ambr. in Ps. 118. v. 1. & 2.

Religiosi vitia magis apparent.

Secretum Confessario aperiendum.

39. Carolus Bovius Emblematis loco aliquot characteres exaravit, qui, ut in lipsanothecis fieri consuevit; vitro cooperti, epigraphen tulêre; ET CLAUSA LEGUNTUR. Conscientiæ arcana, spirituali Patri candidè manifestari solita, hoc Emblemate significantur. Quin, eadem arcana tametsi ad fallendos hominum oculos toto conatu obvelentur, Deo tamen penitissimè sunt perspecta; quippe qui vocatur *Discretor cogitationum, & intentionum cordis; Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus. &c.* S. P. Augustinus; *Oculis Dei, simul universa cernentis, non abdita locorum, non parietum septa secludunt, nec solùm ei acta & cogitata, verùm & agenda & cogitanda sunt cognita. Ista verò scientia Iudicis summi, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum, & apertum omne secretum, cui obscura, clara, muto respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur.*

Secreta cordis Deo cognita.

Hebr. 4. 12. S. Aug ser. 2. de Temp.

40. Litteræ, seu Epistolæ, quamdiu cerâ sunt obsignatæ, sensus suos arcanos servant: at reducto sigillo, obviis quibusvis legentium oculis patent. Unde Carolus Rancatus Epistolæ obsignatæ inscripsit; ARCANA FATEBITUR. Verbis ex Ovidio mutuatis.

Ovid. lib. 10. Metamor.

----- Si pudor ora tenebit,
Littera celatos arcana fatebitur ignes.

Judex extremus.

Conscientiæ nostræ arcana, sacramentalis confessionis sigillo obsignata, humanam notitiã penitus effugiunt, nec nisi coram extremi Judicis tribunali manifesta erunt; Eo enim momento, quod Venerabilis Beda testatur, *Cuncta cordium abscondita proferentur ad lucem.*

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. II.

Beda lib. 4. in Luc. c. 52.

O.
Cap. X.

41. Ciphra o, pluries repetita, oooo. epigraphen sustinet; ADDITO MINIMO, MAXIMUM FIET. Enimverò si ciphris illis solam figuram I, utpote inter reliquas arithmeticæ figuras omnium minimam, præfigas, quantocius summa hæc gravissima enascetur, 10000. Hinc conjicies, res quasvis minimas, ac penè nullas, si iteratò conjungantur, tandem in ingentem molem excrescere. Menandri dictum erat; *Nam si vel MODICUM MODICO conjunxeris, idque frequenter feceris, statim FIET hoc quoque MAGNUM.* Cæterùm cùm suprà frequenter meminerimus, in figura I, utpote omnium minimâ humilitatem repræsentari, idcircò accommodatè ad hanc imaginem dixeris, ingenium ac virtutes nostras, tametsi rarissimæ sint, & valoris penè nullius, plurimùm tamen è sociata humilitate crescere.

Conjunctio.

Menand. apud Io. Stobeum ser. 29.

Humilitas valorem addit.

Peccatum veniale.

42. Abbas Ferrus ciphram illam hoc lemmate insigniit; ADJUNCTA NUMERAT. Ita unicum peccatum veniale nihili quidem æstimatur, at aliis conjunctum, tandem in molem portentosam, ac præsenti discrimine plenam excrescit. Præclarè S. P. Augustinus; *Modica peccata attendite, quia modica sunt: & cavete, quia plura sunt: Quam minutissima sunt grana arenæ! si arenæ amplius in navi mittatur, mergit illam, ut pereat. Quàm minutæ sunt guttæ pluviæ, nonne flumina implent, & domos dejiciunt? Ergò ista nolite contemnere.*

S. Aug Tom. 9 l. de decem chordis. c. 11.

43. Ciphra valorem adeò modicum se solâ refert, ut passim ab omnibus *nulla* vocetur; hæc tamen ipsa *nulla*, si alteri cuivis numero societur, mox grandem summam constituit. Eò reflectens Carolus Rancatus, ciphræ subscripsit; E NIHILO PLURIMA. Ea ipsa peccatorum venialium est indoles, quæ vulgò nihili æstimata, grandem ac periculosissimam multiplicandi occasionem subministrat. S. Isidorus. *Qui verba mala non reprimit, ad noxia cito transit: & qui minima non respuit, in maxima valde prorumpit, minorum namque culpa majore generat.* Ut adeò benè concludat S. Cyprianus; *Omnes ergò rimæ, ne dicam portæ claudendæ sunt, ne per unum foramen castra omnia penetrentur: & universa sunt componenda munimenta, ne per modicũ non munitum tota civitas ruat.*

Peccatum veniale.

S. Isid. de norma benè vivendi.

S Cyprian de singul. Cler.

44. Circulus O, sive arithmeticè, sive grammaticè spectatus, siquidem perfectè rotundus sit, nec minimam lineæ rectæ partem in tota sua peripheria admittit. Unde lemma; NIL RECTUM IN ORBE. Innuit videlicet, Mundum, vitiis penitus distortum ac depravatum, nullam ampliùs rectitudinem complecti. Epigraphen è Caroli Bovii epigrammate mutuavi, ubi in S. Ignatii honorem canit;

Mundus totus vitiosus.

Carol. Bov. Epigr. 47.

NIL RECTI toto Mundi stat in IN ORBE rotundo.

Qui etiam Emblemati explicando hoc distichon subjungit;

Nimirum toto quid fit nisi crimen in orbe?
Hoc unum infelix, quòd sit in orbe nihil.

Emblemati suffragatur S. Joannes his omninò verbis; *Mundus totus in maligno positus est*, ubi interprete P. Cornelio à Lapide, *Malignum accipi potest pro malitia, pravitate, improbitate;* qua vitiorum triade mundum universum fœdissimè distortum indices aspicimus. S. P. Augustinus; *Malus est mundus, sed bonus à quo factus est mundus.*

1 Ioan 5. 19. Corn. à Lap. in hunc loc. S. Aug ser. 47. de Divers. c. 2.

45. Ciphra, tametsi *nulla* vocetur, aliis tamen numeris sociata, in ingentem summam excrescit. Unde medio loco inter cæteros numeros figurata, hoc modo.

1
9 2
8 0 3
7 4
6 5

Humilitas magnos facit. Epigraphen tenet; INTER OMNES MAJOR. Ita homo, propriâ suâ opinione nullus ac postremus, summam in aliorum sententiâ existimationem promeretur. S. P. Augustinus in D. Paulo observatum habet, quòd, tametsi vas electionis, tuba cœli, ac princeps Apostolorum, seipsum tamen Corinthiorum servum cognominârit. *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum; Nos autem servos vestros.* Unde hâc de re idem concludit Augustinus; *Nemo se nostrûm dicat quasi majorem vobis esse. Erimus majores, si fuerimus humiliores.*

2. Cor. 4. 5. S. Aug. in Ps. 146.

46. Hæc summa, 1000000, à P. Joanne Bartholomæo Panciero, Augustiniano Excalceato, epigraphen recepit; L' INGRANDISCONO I ZERI; seu, S' INGRANDISCE CO' L NULLA. Id est, GRANDESCUNT EX NIHILO. In hanc rem mirificè canit Joannes Owenus;

Addideris unum nihilo, nihil inde creatur:
Uni addas nihilum, nascitur inde decas.

Mundi bona sunt nulla. Mundi hanc ideam dixeris, cujus oblectamenta, honores, ac divitiæ, maximum quid præseferre videntur, & re ipsâ nonnisi apparentes sunt ciphræ, ac unicum inanissimum *nulla*. Moses Regi Edom per internuntios significari jussit, populum Hebræum ex ipsis campis, vineis, & puteis, nihil omninò attigisse. Unde hunc locum, interpretatus Philo Hebræus, Mosen ita loquentem introducit, *ISTA tibi chara, omninò NIHIL sunt. An putas mortalem rem ullam verè esse ac subsistere, & non tanquam in suggesto quodam ab inani & incertâ opinione sustineri?* Et S. P. Augustinus; *Solum bonum spirituale æstimari debet aliquid. Quidquid autem aliud petitur, NIHIL petitur, &c.*

Num. 20. 17. Phil. Hebr. lib. quod Deus sit immutabilis. S. Aug. Tract. 102. in Ioan.

PYXIS PULVERARIA.

Cap. XI.

Anima à corpore separata. 47. ANnima, è corpore separata, nullam amplius merendi aut operandi facultatem habet. Illam proinde D. Aresius pyxidi pulverariæ non absimilem dixit, quæ arenam supra recentes characteres spargens, epigraphen tulit; QUOD SCRIPTUM, SCRIPTUM. Rabanus Maurus, à P. Cornelio à Lapid citatus, *Breve est*, inquit, *hujus vitæ spatium, in quo licet operari. Finis autem universorum appropinquat, quando jam non est tempus operandi, sed singulos quosque juxta meritum suum remunerandi; Unde Christus: operamini dum dies est: venit enim nox, quando jam non licet operari.*

Corn. à Lap. in Ecclesiasticum c. 14. n. 11.

Calumnia. 48. Pyxis pulveraria, recentibus litteris arenam aspergens, à D. Carolo Bosso epigraphen recepit; NEC INFICIT. significabat, nî fallor, malevolorum calumnias viro litterato ita nihil detrimenti creare, ut æterno ipsius nomini promovendo potius, quàm sepeliendo deserviant. Omnem quidem lapidem movebat nequitia Judaica, ut sapientiam æternam sterneret, ejusque famam è mundi conspectu ac memoriâ penitus oblitteraret: at tot machinamenta clarissimo ipsius nomini non modò nihil fuliginis aspserant, sed contrà instrumenti loco fuêre, ad illud amplissimè propugnandum. Jam olim Psaltis ore de se vaticinatus est Christus. *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen ejus?* at conatu prorsus irrito: mox enim idem Propheta subjungit; *Memores erunt nominis tui Domine in omni generatione & generationem.* S. Ambrosius; *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen ejus? Amentes, qui vitæ authorem mori posse credebant: sed vota eorum Ecclesia destruebat, credens, quod etiam mortuus secundum corporis conditionem, suum nomen augeret. Et ideò psallebat ei dicens. Memor ero nominis tui in omni generatione & generationem.* Ad Emblematis præsentis mentem P. Joannes de Pina ait; *Nomen alicujus clarius rutilat, dum inimici illud denegrare satagunt, & bona fama longius coruscat, dum eam detractionibus extinguere conantur inimici.*

Psal. 40. 6. Psal. 44. S. Ambr. Psal. 40. Ioan. Pin. Ethol. 79. c 5. Eccles.

49. Pyxis arenaria, recentibus paginæ litteris pulverem inspergens, epigraphen, nî fallor, opportunam præfert; NE LITURA DETURPET. Virtutis characteres, in pectoris nostri membranâ descripti, nullis unquam vitiosis sordibus contaminari poterunt, si crebro pulvere, assiduâ videlicet mortis memoriâ, perfundantur. Vix Jobus suas voces finierat; *Dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulchrum;* mox subjungit; *Non peccavi.* Hunc verborum nexum examinans S. Gregorius Papa; *Perfecta vita*, inquit, *est mortis meditatio, quam dum justi solicitè peragunt, culparum laqueos evadunt, Unde & B. Iob, quia dies suos considerat breviari, & solum sibi superesse sepulchrum pensat, aptè subjungit; Non peccavi.* Achilles Bocchius docet, sicuti litteræ exigui pulveris usu ab omni labe imunes servantur; ita modicum quodvis tempus, ad operationes nostras ritè ac providè peragendas applicatum, à plurimis periculis præservare.

Mortis meditatio. Iob. 17. 1. S. Greg. l. Moral. c. 1. Achilles Bocch. symb. 68.

Pulveris exigui jactu pro tempore prudens
Utere, nulla oberit fœda litura tibi.
Temporis exigui modicum si rebus agendis
Addideris spatium, turpe nihil facies.

50. Minutissimæ arenulæ, intra pyxidem pulverariam omni studio collectæ, ab hac rursus liberaliter ac profusè disperguntur. Unde lemma; COLLECTA DISPERDIT. Juvenem prodigum hoc symbolo demonstrabis, qui facultates, assiduo parentum studio ac longâ parsimonia conquisitas, tandem omnes in crapulam, ludum, mimos, & libidines profusissimè dilapidat. Eleëmosynarius quoq; divitias, labore aut industriâ suâ partas, in egenos dispergit. S. Leo Papa; *Da quod accipias; sere quod metas; sparge quod colligas, quamvis non habeas, nisi quod acceperis: non potest tamen non habere quod dederis.*

Prodigus. Eleemosynarius. S. Leo. Papa super illud, Date & dabitur vobis.

REGULA SCRIPTORIA.

Cap. XII.

51. PUeri, ne scribendo delirent, suas litteras ad directum regulæ tramitem exigunt. Unde lemma; NE OBLIQUE. Vel ut Ferro Abbati placet; SUBSTRATA DIRIGIT. Ita omninò Majorum exempla subditis regulæ loco deserviunt, ne à directa operationum norma unquam exerrent. Verissimè Seneca;

Exemplum. Seneca in Thyest.

Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

Agapystus, Justinianum Imperatorem imbuens. *Tibi ipsi*, inquit, *custodiendi leges impone necessitatem, quum non habeas in terris, qui te possit cogere: sic enim tu legum prætefers cultum ipse ante alios eas reverendo, tum subditis constabit legum prævaricationem periculi non esse immunem.*

Agapyt. Ep. Paræn. n. 27.

Sene-

52. Senecâ asserente, *Regula non quàm formosa, sed quàm recta sit, quæritur.* Unde epigraphe; E RECTITUDINE PRETIUM. Totus in eo est Seneca, ut Lucilio suo inculcet, unicum esse in homine bonum, nempe rationem seu virtutem rectam & cõsummatam; cætera verò omnia eidem cum brutis esse communia, pretioque vix ullo habenda. *Valet? inquit, & leones. Formosus est? & pavones. Velox est? & equi. Non dico, in his omnibus vincitur. Corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum voluntarium? & bestia & vermes. Habet vocem? sed quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri; dulciorem mobilioremque lusciniæ.*

Senec. Ep. 76. Virtus unicum hominis bonum. Senec. Ep. 76

SIGILLUM.

Cap. XIII.

53. Sigillum, nonnisi manu aggravatum aut percussum, effigiem suam ceræ imprimit. Lemma; COMPRIMIT, UT IMPRIMAT. Vel; IMPRIMIT, SI COMPRIMAT. Eandem agendi methodum cum clientibus ac servis suis observat Deus, quos, genuino virtutis vultu insigniendos, crebrâ calamitatum manu deprimere solet. Testatissimè Hieremias; *Castigasti me Domine, & eruditus sum, Vexatio intellectum dabit*, inquiebat Isaias. Et Siracides, *Qui non est tentatus, quid scit?* Catonis Censoria erat sententia; *Adversæ res domant & docent quid opus sit facto. Secundæ res lætitiæ à transversum trudere solent à rectè intelligendo & consulendo.* D. Angelus Grillus Abbas Emblematis mentem hoc poëmate explicat;

Calamitas utilis. Hier. 31. 18. Isa 28. 19. Eccles. 34. 9. Cato Censor. Ang. Grill. Rimedi affetti

Care verghe amorose;
Non vi rifiuto io già; Deh percotete
Il sasso del mio core
Egli siate scalpello, e l' incitete,
Si che l' imago exprima
Onde l' alto scultor l' impresse prima,
Egli vaglia esser duro hor si, ch' eterno
Serbi il sigillo del amor superno.

54. Sigillum effigiem suam non tantùm in cera exprimit, sed insuper unam familiam ab altera distinguit. Unde egigraphen à Joanne Ferro retulit; DISTINGUIT; ET EXPRIMIT. Geminam hanc prærogativam etiam calamitatibus Deus indidit; quippe quæ virtutis characterem nobis imprimunt, & simul à reproborum massâ discernunt. *Quem enim diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et rursus; *Quod si extra disciplinam estis; cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filii estis.* Optimum S. P. Augustini consilium est; *Noli depellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate; nec attendas quam pœnam subeas in flagello; sed quem locum teneas in testamento.*

Calumnia. Hebr. 12. 6. ibid. n. 8. S. Aug. in Ps. 120.

55. Virtus, in alios derivata, nec minimum propriæ existimationis detrimentum patitur: haud secus atque sigillum, ceræ impressum, nihil è pristina sua forma deperdit. Cui proinde Abbas Certanus inscripsit; MANET IDEM. Emblematis mentem sequenti poëmate interpretaberis;

Virtus cõmunicata.

Troppo guardingo siete
Nel compartire altrui
Quel' interna virtù, che possedete.
E che? Forse timete,
Che s' abolisca in vui
L' orma di quel saper e' havete impressa?
Deh nò; Mirate espressa
L' imago in questa cera,
E scorgendo la stessa
Entra il suggello suo, qual dal prim' era,
Dite; la virtu vera
Con meravigilia estrema,
Communicata altrui punto non scema.

Idipsum non in humanâ tantùm, sed & Divinâ communicatione accidit. Christus, referente D. Lucâ, dilucidè olim testatus fuit, omnes sapientiæ ac gratiæ thesauros in sinum suum ab æterno Patre effusos esse. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Si ergò omnia Patris Divini Bona in unum Filium erogata sint, quid, obsecro, cæteris fidelibus dispensandum superesset? ajo, omnia illa adhuc æquè distribuenda superesse ac si nihil omninò in Filium contulisset. Enimverò inexhaustus Patris æterni thesaurus; instar sigilli, sese totum in singulos effundere potest, nullâ unquam suâ particulâ imminutâ aut deperditâ. S. Ambrosius; *Non vereamur quòd Pater in Filium thesaurum contulit; fidei enim census nunquam exinanitur: licet totum dederit, totum habet; quia QUOD DONAVIT, NON AMITTIT.*

Luc. 10. 22. S. Ambr. lib. 7. in Luc.

56. Cera obsignata eandem cum sigillo imaginem nonnunquã repræsentat. Unde lemã; IDEM, ET ALTER. Præclara hæc Ministri cujusdam idea est; qui Principis sui vices agens, authoritatem cum illo communem habet. Apostolis suis dixit Servator; *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Innuebat videlicet; ministros illos suos Divinâ authoritate insignitos esse; licet enim corpore & humanitate à Deo longissimè differrent, effigie tamen, ac operandi virtute eidem simillimos æstimari. De Superioribus; Dei vicariis, ait S. Bernardus; *Obedientia, quæ exhibetur majoribus, Deo exhibetur; ipse enim dixit, qui vos audit, me audit. Unde quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit certùm displicere Deo haud aliter accipiendùm est, quàm si præciperet Deus; quid enim interest; utrùm ipse, aut per suos ministros, sive homines, sive Angelos hominibus innotescat suum beneplacitum.*

Minister Principis. Luc. 10. 16. Prælatus Dei vicarius. S. Bern. lib. 1. de dispens. & præcept.

57. Sigillum eandem omninò iconem in cera exprimit, quam ipsummet sibi incisam præfert. Unde lemma; IMPRIMIT QUOD CONTINET. Ita Prælatus, si subditis suis virtutis effigiem imprimere voluerit, eâdem ipsemet excellat, necesse est. S. Joannes Chrysostomus; *sit omnibus doctrinæ exemplar, & virtutis tuæ, speculum vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum; veluti primitiva quædam imago; omnia in se habens quæ bona, atque honesta sunt.*

Docere. S. Chrysost. Hom. 3. in Epist. ad Tit.

58. Filii in ætate etiamnum tenerâ educandi sunt: virtus quippe, instar sigilli, non quidem rebus obduratis, sed mollibus duntaxat ac cereis suam effigiem imprimit. Unde lẽma; IMPRIMIT IN MOLLI. *Est namque pueritia ob mollitiem efficta facilis, animisq; puerorum teneris etiamnum facilè insidet quod discunt. Et sicut sigilla mollibus imprimuntur ceris, sic disciplinæ puerilibus adhuc annis infiguntur*; inquit Plutarchus. Eodem Emblemate demonstratur, Divina arcana solis humilibus, non verò superbis, aut obstinatis concredi. Disertè S. Matthæus: *Abscondisti hæc à sapientibus, & revelâsti eá parvulis.* Philo in libro, cui titulus, *Quis rerum Divinarum sit hæres?* ait, *Anima, ceræ modo, si dura sit, formas respuit, si autem sit obsequens, aut saltem mediocriter facilis, profundè sigilla recipit.* S. Diacodus hoc ipso argumẽto demonstrat, hominis animum, assiduis calamitatibus probè maceratum, recipiendis gratiæ Divinæ characteribus longè aptiorem esse, quàm alium intra felicitatis radios obduratum. *Sicut in cera, inquit, nisi multùm tepefactâ & mollitâ, non potest sigillum imprimi, sic nec in homine sigillum virtutis Dei imprimi potest, nisi ex laboribus & infirmitatibus probetur, idcirco Dominus beato Paulo dixit. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

Educatio. Plutarchus de liber. educand. Gratia datur humilibus. Matth. 11. 25. Philo lib. Quis rerum Divinarum sit hæres? Gratia Dei. S. Diacod. de Perfect. spirit cap. 94.

59. P. M. Theodorus Muggianus Carmelita Emblematis loco Secretarium quemdam depinxit, qui chartam, litterarum more complicatam tenens, sigillum prius ori suo humectandum admovit, antequam illud Epistolæ, ceu arcanorum nostrorum depositariæ, imprimeret. Epigraphen sigillo indidit; OBSIGNAT UTRUMQUE. Ita quisquis aliis imbuendis dat operam, ipsemet virtutis characterem omnium primus repræsentet, necesse est. Sancta quippe, ac virtuosa operatio, validissima est docendi methodus. S. Laurentius Justinianus. *O mellifue amor! O Dei ineffabilis sapientia! Oro te per te, ut prius erudiar experientiâ, quàm proferam linguâ: prius cordis palato degustem, quàm voce pronuntiem: ne æs efficiar sonans, aut cymbalum tinniens.* Et S. Petrus Damianus, *Commendet inedia jejuna prædicantem, nec loquentis sententias comedentis fauces impugnet. Melius nempe sobrietatem docet manus, cùm ad os sub moderamine ducitur, quàm si vescentis lingua loquatur. Porrò vivida satis, & efficax in discipulorum mentibus prædicatio est: alii os ad mensas impellere, impellentem verò in vigore jejunii permanere.*

Docere operando.

S. Laur. Iust. in Proœm. lib. de cast. connub.

S. Pet. Dam. opusc. 13. c. 15.

60. Sigillum, imaginem suam ceræ imprimens, à meo Concanonico, D. Alexandro Luzon de Millares epigraphen cepit; IN IMAGINE VIVIT. Cera enim, ad quascunque imagines recipiendas facillima, quidquid sibi impressum fuerit, retinet. Illa ipsa etiam memoriæ nostræ est facilitas, quæ ab Aristotele definitur, *Facultas animi, recipiens species sensibiles sine materia.* In illa enim, utpote potentiâ animali, rerum præteritarum exhibentur imagines, & in ea dicuntur vigere, vivere, seu potius reviviscere prototypa propter impressas, quas retinet, imagines. De seipso testatur Magnus Augustinus; *Adhuc vivunt in memoria mea rerum imagines, quas ibi mea consuetudo fixit.* Porrò homines congenito quodam impulsu nominis immortalitatem quærere, suæque famæ imaginem superstiti cuidam operi aut monumento imprimere allaborant. Sed prô! quanta illorum est vanitas! dum imagines suas non quidem in rebus solidis, ac æternâ felicitate perennaturis, sed in fragili & caducâ operis cujusdam terreni cerâ magno studio collocant. Et, quod mireris, jam ab initio creaturæ conditæ primis parentibus appetitum hunc immortalitatis callidus serpens ingeneravit, dicendo, *Eritis sicut Dii.* Quod desiderium propagine adeò pertinaci in posteros transfusum est, ut filii Adam post mundum diluvio innovatum in terra Sennaar fabrefacere cœperint turrim immensæ altitudinis, cujus culmē pertingeret ad cœlum. Unicus verò illorum finis erat, summa supra cœlos nominis exaltatio. *Dixerunt: celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.* S. Joannes Chrysostomus; *Quod si omninò,* inquit, *æternam memoriam amas, ego tibi viam monstrabo, nimirum si has pecunias in manus inopum dispeses, relictis lapidibus, & splendidis villis, ædificiis, & balneis. Hæc memoria immortalis, hæc memoria innumeros tibi thesauros parit.* Deniq; Sanctorum Cœlitum memoria in imagine vivit, apud illos præsertim, qui legere nesciunt. *Nam,* teste S. Gregorio Papâ, *quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura, cernentibus; quia etiam in ipsa cernentes vident quod sequi debeant, in ipsa legunt qui litteras nesciunt.* Illis viva hæc repræsentatio Doctoris aut libri instar est, cujus aspectu magis nonnunquam inflammantur pio voluntatis affectu, quàm vivâ voce etiam disertissimi excitarentur. Sic Crucifixi imago liber quidam est, clavis, spinis, flagellis, lanceâ, quasi calamis exaratus, & sanguine quasi atramento descriptus. Hunc librum assiduò & sedulò evolvebat D. Paulus, scribens, se nihil scire præter IESUM, & hunc Crucifixum.

Memoria.

Aristot. l. 2. de Anima cap. 12.

S. Aug. l. 10. Conf. c. 30.

Nominis immortalitatem petere.

Gen. 11. 3.

S. Io. Chrys. Hom. 30. in Gen.

Imagines Sanctorũ.

S. Greg. Ep. 9. lib. 9.

61. Cera, quò magis sigillo premitur, eò altius se attollit, tantoque fidelius ac firmius imaginem sibi concreditam recipit. Unde lemma; QUO PROFUNDIUS, EO FIRMIUS. Amoris hanc effigiem dixeris, qui à re amatâ tantò difficilius sese avelli patitur, quantò altiores in pectore nostro radices egerit. S. Genesius, Diocletiano insultans, *Non est Deus,* inquit, *præter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de ore, ipsum mihi de corde auferre non poteris.* S. P. Augustinus; *Impatiens est amor, nec lachrymis modus est, nisi amori detur quod amatur.*

Amoris vis.

In vita S. Genesii.

S. Aug. l. 1 Soliloq. c. 1

Y.

Cap. XIV.

62. Ambiguum juventutis tramitem Samius ille Philosophus Pythagoras repræsentavit, dum vitæ humanæ cursum litteræ Y. non absimilem dixit; cujus basis pueritia, summum autem basis, ubi videlicet duo cornua oriri incipiunt, limen seu initium, adolescentiæ; quòd quisque hominum cùm attigerit, hæreat, ac nesciat, in utram sese partem det, dextramne, an lævam vitæ agendæ viam amplectatur. Illam esse virtutis, bonarumque artium, asperam quidem, sed exitu jucundam & amœnam; hanc luxuriæ, inertiæ, & ignaviæ, gratam & suavem in speciem, sine ipso plenam miseriæ. Unde ancipiti huic litteræ inscribes; DISCRIMINE SECTA BICORNI. Verbis ex appendice Virgilianâ desumptis, ubi illa Emblematis mens disertis his verbis explicatur;

Juventus in ambiguo hæret.

Virgil. Epig. in appendi.

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni
Humanæ vitæ speciem præferre videtur:
Nam via virtutis dexterum petit ardua callem,
Difficilemq; aditum primùm spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitq; per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq; decusque parabit.
At qui desidiam, luxumque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incautâ mente labores,
Turpis inopsq; simul, miserabile transiget ævum.

Meminit hujus litteræ, eamque facundè exponit Lactantius. *Duæ sunt,* inquit, *Constantine Imperator, viæ, per quas humanum genus progredi necesse est; una quæ in cœlum ferat, altera quæ ad inferos deprimat; quas & Poëtæ in carminibus, & Philosophi in disputationibus suis induxerunt. Et quidem Philosophi alteram virtutum voluerunt, alteram vitiorum; eamque, quæ sit assignata virtutibus, primo aditu esse arduam & confragosam; in qua si quis difficultate superatâ, in summum ejus evaserit, habere eum de cætero planum iter, lucidum amœnumq; campum, & omnes laborum suorum capere fructus uberes atq; jucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi, atque deflectere, quæ primo ingressu sit quasi amœna, multoque tritior, deinde cùm in eam paulò ulterius processerint, amœnitatis ejus speciem repentè subduci; exoriri autem viam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus intercisam, vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere sit necesse.*

Virtutis via asper.

Lactantiu lib. 6. c. 3.

FINIS LIBRI DECIMI NONI.

MUN-

MUNDI SYMBOLICI
LIBER VIGESIMUS.
INSTRUMENTA NAUTICA.

Anchora.	1	Hamus.	5	Tabula hydrographica cum pyxide nauticâ.	9
Arca Noe.	2	Navis.	6		
Clavus seu temo.	3	Rete. Nassa.	7		
Cymba.	4	Scapha. Phaselus.	8	Triremis.	10

ANCHORA.

Cap. I.

1. Spes. Hebr. 6.18. PAradinus, fidei nostræ spem Emblemate significaturus, Anchoræ subscripsit; TUTUM TE LITTORE SISTAM. Nimirum ad illud Apostoli alludebat; *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* S. Laur. Iust. in hunc loc. Opportunè meus S. Laurentius Justinianus; *Spes est anchora animæ, eam servans, ne procellis tentationum irrumpatur: igitur si te videris fluctuare in mari isto, noli divelli ab hac anchora, antequam intres portum.*

Spes. 2. Anchora, in maris fundum demissa, navim fluctuantem & jamjam submergendam ab interitu sustentat. Unde Ferri lemma; ET JACTA SALUTEM. Hugo Victorinus anchoram humilitatis typum asserit; Humilitas. Hug. Victor. Instit. Monast. serm. 4. *Anchora nostra humilitas est, quæ ad ima demittitur, per quam navis nostra stabilitur, ne fortè, flante vento diabolicarum suggestionum, & turbante mare cogitationum nostrarum, navis nostra concutiatur, & in profundum demergatur.* Eleëmosyna. Facultates ac divitiæ nostræ, in egenos sparsæ, instrumenti loco deserviunt ad æternam salutem recuperandam.

3. Quidam è meis Canonicis Regularibus in nostra Canonia S. Mariæ de passione, Emblematis loco anchoram pinxit, quæ supremâ parte in Crucifixi imaginem terminata, epigraphen tulit; UT NON CONFUNDAR. Spes in Deo. Innuebat videlicet, spem nostram, in Deo fixam, nullâ unquam naufragii formidine fluctuare. Econtra verò, si solis creaturis inhæreat, assiduo ac præsentissimo discrimine mergi. Ang. Grill. pietosi affetti fol. 94. Abbas Angelus Grillus inter cæteros pietatis affectus canit;

Và speme vana à lusingar altrove,
Ch' in questo Christo cosi affisso, e morte,
Spero selo haver vita, haver conforto,
E già ne sente il cor mirabel prove.
Qui vien che l' alma travagliata prove
Nel pelago del Mondo il polo, e il porto;
Trà Sirene fallaci, e Sirti è scorto
Chi senza questo à solcar l' onde move.

Lipsius Centur. 1. Ep. 25. Huic sacro Cygno consonum est illud Philosophi Christiani, Justi Lipsii, dictum; *Humana omnia nil, nisi jactationes & fluctus; in quibus nihil firmum, nisi ad anchoram ea alliges veræ pietatis.*

4. Navis, jactâ anchorâ, epigraphen tenet; INSANI SINE FERIANT, supple, *littora fluctus.* Nimirum cor nostrum, auxilio Divino, aut prudentiâ humanâ, ceu sacrâ anchorâ firmatum, nullis unquam tempestatum minis concutitur. Prudentia. Pytagoras, à Joanne Stobeo citatus, dicere solebat; Io. Stobeus. serm. 1. *Divitiæ anchora sunt infirma, gloria etiam infirmior, corpus itidem, magistratus, honores, omnia hæc imbecillia, & viribus destituta. Quæ ergò sunt anchoræ firmæ? Prudentia, magnanimitas, fortitudo; eas nulla tempestas agitat.*

5. Navis, inter tumultuantis oceani fluctus, ac minitantes scopulos jamjam præsenti naufragio quatienda, omnem spem suam uno anchoræ firmamento defigit. Unde inscriptio; IN TE SPES NAUFRAGA SISTIT. Vel ut aliis placet; UNA SALUS. Dependentia. Animi fiduciam, ex alterius patrocinio aut favore penitus suspensam, hoc Emblemate significabis. S. Greg. Naz. Carm. 1. de rebus sacris. S. Gregorius Nazianzenus, mille persecutionum procellis, instar navis, jactatus, anchoræ loco spem suam omnem in Deo solo defixerat. Ipsummet calamitatibus suis accinentem audi;

--- Cùm variis agiter, quatiarque procellis,
Nulla tamen miseros sanat medicina labores.
Imò etiam quidquid postremum occurrerit, illud
Intima perpellit graviori corda dolore.
Undique porrò oculos versans, inque omnibus, à te
Afflictus, rursum, Deus, ad te lumina tollo,
IN QUO præsidii SPES est mihi TOTA reposta.

Theolept. odes 1. citatus in Umbr. Virg. num. 1141. Theoleptus in omni sua calamitate auxiliarem Virginis Mariæ dexteram, ceu anchoram securissimam, arripuit. Unde devotissimæ ipsius voces erant; *Ad opem tuam, ceu ad petram, tutamque anchoram, immaculata Virgo, confugio. Ne me repelle, sed toties in peccata lapsum erige.*

6. Anchora ad navigium sustinendum in aquas mergitur. Christus patiens. Unde lemma; NE MERGATUR, IMMERGOR. Ita Christus, mundum ab exitio vindicaturus, innumeros suos cruciatus, ipsamque adeò mortem animo promptissimo est perpessus; ut adeò illas Jonæ voces verissimè iterârit; Ion 1. 12. *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.* S. Hieron. in cap. 2. Ion. v. 4. S. Hieronymus Christi ore ait; *Universæ persecutiones & turbines, quibus genus vexabatur humanum, & cunctæ naviculæ frangebantur, super meum detonuêre caput. Ego sustinui tempestates, & fregi turbines sævientes, ut cæteri securius navigarent.* S. Gregorius Nazianzenus, cùm in Patriarcham Constantinopolitanum electus, sui causâ gravissimas turbas ab Ægyptiis & Orientalibus Episcopis Constantinopoli excitatas cerneret, mox Synodum ingressus, ad pacem omnes cohortatus est; simulque seditionis componendæ causâ vel cum Jona

S. Greg. Naz. Carm de sua Vitâ. Jona in mare abjici, vel oblatæ dignitati nuntium remittere decrevit. De se ipso canentem audi;

Ego vero Ionæ facinus excelsum æmulor:
Me pro salute do lubens nostræ ratis,
Licet excitati turbinis causa non sim:
Nos sorte captos mergite insano mari.

7. Navis, anchoræ beneficio firmata, in Oceano secura quiescit, at eâ deficiente, mox inermis cum fluctibus luctari cogitur, omnique auxilio destituta, in undarum abyssos præcipitatur. Unde Abbas Certanus anchoram, è navi suspensam, hoc lemmate insignivit. HAC PEREUNTE PERIT. Fluctuat equidem mens humana in hoc mundi pelago, & assiduis immoderatorum affectuum tempestatibus, ac Spes. diabolicarũ suggestionum procellis misera incursatur. At spei Divinæ anchoram prehendens, firma, Hebr. 6.18. stabilis, tranquilla persistit. S. Paulus; *Confugimus* S. Anselm in hunc loc. *ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Hunc locum interpretatus S. Anselmus, ait; *Sicut anchoram, id est retinaculum, & firmamentum animæ nostræ, ne in mari hujus sæculi frangatur scopulis adversitatum: Sicut enim anchora navem retinet & firmat, ne ventorum rabie & tempestate maris insurgente submergatur, & ludibrium maris & fluctuum fiat, sic spes nostra cœlestibus infixa, inhærens gloriæ quam desiderat, animam fidelem tenet, & consolidat contra omnes hujusmodi impugnationes, velut contra maris tempestates, & confirmat in suo proposito, ne deficiat velut scopulis adversitatum & tribulationum fracta, & retinet, ne jungatur consentiendo iniquitati.* Porrò sicuti mentis nostræ navigium omnem suam salutem in sancta spe, veluti anchorâ, defixam habet, ita ut vigente illâ stabiliatur, pereunte S. Aug. in Ps. 50. verò pereat; nam *Desperatio*, teste S. Augustino, *certa mors est*, ita etiam viva fides animam nostram, Fides. instar anchoræ, incolumem servat; at eâ labefactatâ, nullam amplius salutis consequendæ tutelam habemus superstitem. S. Ambrosius; *Sicut enim anchora,* S. Ambr in Hebr. 6.18. *jacta è navi, non permittit eam circumferri, licet venti commoveant eam, sed jacta firmam facit navem: sic & fides, spe roborata, introducit nos in rerum speciem, quam modò in fide & spe tenemus. Tempestas enim, & multus imber commovet ratem; anchora autem non permittit demergi. Sic etiam spes nostra, quam habemus fixam in interiora velaminis, nullâ infidelitate mergi poterit: SI HANC NON HABEMVS, omninò DEMERSI ERAMVS, non tantùm in spiritualibus, sed etiam in carnalibus.*

8. Fuit, qui anchoram, delphino piscium celerrimo, connexam, morali hâc præceptione, ceu lemmate, insigniret; FESTINA LENTE. Hinc disces, nihil unquam esse decernendum, nisi quod præviâ consultatione probatum fuerit. Optimè dixit Maturitas in agendo. Salusthius. Salusthius; *Antequam incipias, consulto; ubi consulueris, maturè facto est opus.* Atque adeò præcipitem operandi rationem maximè pernitiosam credas, nunquam non Græci illius effati memor,

Multis malorum est causa, præcipitantia;
Catonis paræmia erat; *Sat citò, si sat benè.*

9. Anchora, ad littus ejecta, epigraphen reddit; Spes. INSTABILEM FIRMAT. Sanctæ spei hoc symbolum est, ut in Deo firmati, nunquam inter tot S. Aug. in Ps. 64. mundi procellas fluctuemus. S. P. Augustinus; *Iam spem in terram viventium quasi anchoram præmisimus, ne in isto mari turbati naufragemus.* P. Jacobus Maria V. Masenius imaginem illam B. Virgini Mariæ propriam dicit, quæ instabiles hominum animos in Deo Buteo in Florilegio. firmat. Appositè à Butcone cognominatur Maria Virgo *Stabilis anchora iis, qui tempestate jactantur, præsidium vexatorum, spes desolatorum.* Eruditè canit in rem nostram P. Masenius;

Corpore mens ægro, dubio ratis æquore nutat,
Firmat Virgo animos; anchora fixa rates.

ARCA NOE.

Cap. II.

10. Prodigium sanè fuit, atrocissimas quasvis belluas congenitam suam indolem ac mutuum fatale odium adeò dedicisse, ut lupus agno; vipera ictidi, accipiter coturnici, & aliis aliæ in eadem Noëmi arca concordes ac tranquillæ cohabitârint. Unde Lucretius Borsatus inter cætera sua Symbola panegyrica Arcam illam figuravit, cum columbâ, quæ olivæ ramum rostro sustinens, epigraphen subjunctam habuit; PAX INTUS, ET EXTRA. Ita nimirum perfecta hominis felicitas scaturiginem suam è pace, cum Deo & hominibus observatâ, trahit; quippe quæ non tantùm patriam tranquillam, Pax perfecta. sed insuper peculiarem cujusvis conscientiam ab omni synteresi inconcussam ac liberam efficit. Author quidam Græcus, ab Agellio citatus in illud S. Agell. in Psal. 118. Psalmi, *Pax multa diligentibus legem tuam*; ait, *Non tam illa æterna pax, quæ non est in nostrâ potestate, quàm illa ex vacuitate passionum atque perturbationum existens; cùm nullâ cogitatione vitiosâ, atque perturbatione quatimur. &c.*

11. Phillipus I. Sabaudiæ Dux, acerrimus Rudolphi, Comitis Habspurgici, hostis, nunquam ab eo gravissimis armis exagitando destitit: at postea cum Rudolpho conciliatus, ejusdem ad Imperii coronam sublevandi author fuit. Utramque hanc Philippi mentem Aloysius Juglaris Emblemate significaturus, Arcam Noë figuravit, quæ diluvio subsidente, supra montium cacumina recumbens, epigraphen Calamit[as] exaltat. tulit; VEXAVIT, ET EXTULIT. Haud aliter S. Ecclesia inter exæstuantes persecutionum undas S. Aug. in Ps. 102. mirificè exaltari consuevit. S. P. Augustinus, illam Persecuti[o] exaltat. Psaltis Regii metaphoram interpretatus, *Super montes stabunt aquæ*; ait, *Aquæ persequentium Ecclesiam Dei cooperuit, sed fœcundavit eam potius, quàm ad sterilitatem perduxit.* Certè Josephus, fatali fratrum odio, ceu mari concitatissimo nixus, supremam Proregis Ægyptii dignitatem felicissimè attigit.

12. Diluvium, horrendo undarum æstu passim omnia obruens, solam Arcam succollantibus procellis in sublime evexit. Locuples tanti prodigii testis Moses, ait; *Multiplicatæ sunt aquæ, & elevave-* Gen. 7.17. *runt arcã in sublime à terra.* Proinde inundantibus aquis subscribes; NON MERGUNT, EXTOL- Calamit[as] exaltat. LUNT. Vel diluvio, adversus arcam concitato; ERIGIT, DUM CONCUTIT. Eosdem planè effectus in sancta Ecclesia, aut quacunque animâ fideli, cernere licet, quæ earundem calamitatum occasione & jactantur & sublevantur. Petrus Blesensis; *Tempore diluvii*, inquit, *concussa inundationibus* Pet. Bles. Epist. 124. *arca, erecta est in sublime: EIVS enim CONCVSSIO, ipsius ERECTIO est: quia sicut Beatus Hilarius dicit, proprium est Ecclesiæ, ut tunc vincat cùm læditur.*

13. Sancta Ecclesia Arcam Noë ideò fabricatam Salbato'an sexagesim[o] testatur, *ut salvetur universum semen in ea.* Unde illam hoc lemmate exornabis; SERVETUR UT ORBIS. Sacratissimæ Crucis hoc symbolum Crux instrument[um] salutis. est, quam Deus Servatoris nostri sanguini, ceu diluvio copiosissimo, non ob aliam rationem innatare voluit, nisi ut universum orbem ad salutis portum veheret. S. Basilius Seleuciensis ad Arcam S. Basilius orat. 6. con-

conversus, exclamat; *O scapha admirabilis, signi salutaris umbra & imago! O quæ crucis usum navigantibus præstitisti! O quæ per tempus crucis gratiam præoccupâsti, servans in aquis, & ex aquis eripiens!*

14. Orbe universo, cunctisque viventibus intra diluvii undas submersis, sola arca incolumis evasit. Unde lemma; COMMUNIS DISCRIMINIS EXPERS. Mariam Virginem, à S. Bonaventura, Hesichio, & aliis frequenter cum arca illa comparari solitam, hoc Emblema concernit; quippe quæ, omnibus Adami posteris intra labis originariæ cataclysmum sepultis, sola tantam tempestatem immunis evasit. Facundus in hanc rem S. Anselmus, ait; *Vas electionis sanctus Paulus dixit, omnes in Adam peccâsse. Vera utique sententia, & cui contradicere nefas esse pronuntio: sed cùm eminentiam gratiæ Dei in te, Maria Virgo, considero, sicut te non intra, sed supra omnia, quæ facta sunt, ineffabili modo contueor; ita & te non lege naturæ aliorum in tua Conceptione devectam fuisse opinor.* Et S. Cyprianus; *Non sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis &c.*

S. Bonav. in laud. B. V. 4. Hesich. Orat. 2. de laud. B. M. Maria V. sine macula concepta. S. Anselm. in Officio Neg. cap. 4. S. Cyprian in serm. de Nat. Mariæ V.

15. Arca Noë epigraphen sustinet; NULLA SALUS EXTRA. Arca illa, è communi SS. Patrum suffragio, Ecclesiæ typus est, extra quam omnes certo naufragio perire, ac æternum submergi necesse est. Testatissimè S. P. Augustinus; *Non habebit Deum Patrem, qui noluerit Ecclesiam habere matrem.* Et alibi; *Quisquis à Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate disjunctus sit, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hâc Ecclesiâ benè vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata, quia unusquisque in ea proprium onus portabit.*

S. Ecclesia. S. Aug. lib. 4. de Symb. c. 13. S. Aug. Epist. 152.

16. Arcam Noë, ceu proprium Deiparæ auxiliatricis ectypon, hoc lemmate insignies; HÆC TIBI SOLA SALUS. Ut adeò de B. Virgine verè pronuntiet Hesychius, *Arca est, arca Noë latior, longior, illustrior.* & breviter D. Bonaventura: *Arca Noë est.* Emblemati explicando sequentes versus subjicit P. Jacobus Masenius;

Maria V. salus mundi. Hesych. orat. 2. de Laud. Deip. S. Bonav. in laud. M. V. n. 4.

Qui malè Noëticam tardus neglexerat arcam,
Dicitur æquoreo mersus obisse salo.
Extra hanc nulla salus arcam est, extraque Mariam:
Illa salus paucis, pluribus ista fuit.

16. Patres Societatis JESU in Belgio Arcam Noë symboli loco depinxêre: addito lemmate, SURGIT SURGENTIBUS UNDIS. Significârunt nempe, Societatem per adversa plurimum extolli. Unde S. Ignatius Loyola, longâ experientiâ doctus, summoperè dolebat, metuebat, si quando undequaque prospera de Societatis suæ progressu afferebantur: dicebat enim, *persecutiones esse flabellum & cotem Societatis*, quibus ejus virtus acuenda & illustranda sit; quòd si illæ deficiant, ajebat, vereri se, ne marcescat Societas, aut minus rectè & strenuè suo officio perfungatur. Sapienter dixit S. Franciscus Borgia, tertius laudatissimæ Societatis Præpositus Generalis, tria hæc conservatura esse, & promotura Societatem; primò orationem: hæc enim illam jungit Deo. Secundò obedientiam; hæc enim omnes jungit capiti, ac consequenter omnes unit inter se. Tertiò persecutiones; hæ enim illam à mundo avellunt, sociosque sibi uniunt, ut actus suos ita componant, ne hostes vel æmuli habeant, quod carpant. Idipsum non tantùm de aliis Religiosorum sacris Ordinibus, sed etiam de quovis homine justo docet experientia. Unde S. Theresia assiduò orabat, *Domine da pati aut mori.* Audi Claudianum;

Calamitas exaltat. S. Ignatius apud Corn. à Lap. in Hierem. S. Fräc. Borg. apud eundē. Claud. in epithalamo Honorii.

Armat spina rosas, mella tegunt apes,
Crescunt difficili gaudia jurgio.

CLAVUS seu TEMO.

Cap. III.

1. NAvigii clavus epigraphen tenet; A REGIMINE MOTUS. Subditos, aut civitatem, à Religionis & Majorum suorum nutu suspensos, hæc imago demonstrat. Scitè in rem præsentem canit Claudianus;

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Atque adeò sicuti à temonis regimine navigium, ita subditorum operationes à Majorum exemplis unicè pendere, iisque conformari solent. S. Bernardus suos de Monte Dei fratres cohortatus, verissimè dixit; *Non quales sint alii, sed quales ex vobis fiant, quantùm in vobis est, cogitate, non solummodò qui modò sunt, sed & qui futuri sunt, quos in proposito sancto habituri estis imitatores: ex vobis enim, ex vestro exemplo, & vestrâ auctoritate in religione hâc pendere debet tota posteritas.* Exactam hanc dependentiam cumprimis in Abrahami Patriarchæ ædibus observatam habemus, ubi filii ac servi omnes ad unicam Patrisfamilias directionem & exemplum operari consueverunt. Philo Hebræus; *Equidem dicere non possum, quid huic domui defuerit ad summam felicitatem, in qua apud homines excipi sustinuerunt Angeli. Qui poterant enim vel intra primum limen subsistere, nisi scivissent TOTAM DOMUM AD NUTUM PATRISFAMILIAS paratam, ceu navalem turmam, benè constitutam ad unum celeusma sui gubernatoris?*

Dependētia. S. Bern. ad fratres de Monte Dei. Philo lib. de Abraham.

19. Bartholomæus Rossus temonem, navi gubernandæ intentum, hoc lemmate donavit, TE STANTE TUTA. Innuebat videlicet, Ecclesiam Mediolanensem, ad cujus clavum S. Carolus sederat, non potuisse non tranquillam degere. Et certè Respublica aut civitas illa securitatem certissimam sibi polliceri ausit, quæ pietatem ac cultum Divinum gubernaculi loco habet. Justi Lipsii dictum est; *Fulcrum imperiorum Religio & Pietas.* Joannes Papa Justiniano Imperatori in hæc verba scripsit; *Nihil est, quod ita nequeat occasui subjacere, quàm vera Religio. Hoc est enim, quod vestrum firmat imperium, hoc quod vestra regna conservat.*

S. Caroli regimen. Religio. Lips lib. 1. Polit. Ioan Papa ad Iust. Imp

20. Clavus ad navim contra quasvis ventorum aut fluctum injurias pro gubernatoris voluntate deservit. Unde unicam hanc vocem lemmatis loco præfert; DIRIGIT. Ita subditi majorum suorum exemplo, ceu temone validissimo, etiam adversus proprii genii stimulos concitantur. Verissimè Abbas Arcionus cecinit;

Exemplū.

Che se un Numa hà lo scettro; il ciel si roti
A i sette colli in bellicoso aspetto,
Fian da guerriero affetto,
Ad onta delle stelle i cor remoti.
I sacrificii, e i voti
Saran studio Latin, se i Regii esempli,
Fian più, ch' al guerreggiar propitii à i templi.

Haud aliter Verbum Dei humanæ vitæ navim ad æternæ felicitatis portum dirigit. Absalon Abbas; *Quid aliud est vita humana, quàm navis quædam, quæ bonis operibus velut quibusdam mercibus onusta, ad diem futuri judicii tendere debet? Hujus gubernaculum sermo Dei est, qui in mari vitæ hujus, inter prospera, & adversa, & varias tentationes, conducere eam debet ad portum salutis, sed cùm anima peccatrix verbum Dei repulerit à corde suo, tunc ventis & procellis irruentibus*

Verbum Dei. Absalon Abb. ad serm. 6.

bus undique, quasi fracto gubernaculo, periclitatur tempestate vitiorum.

21. Mirum videri possit, vastam navigii machinam ab exiguo temone gubernari, & in partes quasvis flecti. Hâc de re Jacobus Apostolus; *Ecce & naves,* inquit, *cùm magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo.* Proinde Franciscus Raulinus Emblemati subscripsit; PARVO MAGNA REGUNTUR. Ita omninò unicus homo aut consiliarius integro exercitui, civitati, Provinciæ, ac Religioni gubernandæ sufficit. Porrò magna ac potens illa humanæ felicitatis vel miseriæ machina, lingua, solo silentio regitur, & in officio continetur, ut Plato ad Axiochum docet; *Frænis seu loris ac flagello equos dirigimus; & navigamus aliquando velis navem expandentes, aliquando anchoris frenantes retinemus, seu degravamus, sic gubernanda lingua. Axioche, modò ut verbis armemus, modò ut silentio reprimamus.*

Iacob. 3. 4. Monarchia. Silentiũ. *Plato Epist. ad Axioch.*

22. Temonis virtute, navis ad portum appellit. Unde lemma; NON IN INCERTUM. D. Sigismundus Laurentius, Clericus Regularis S. Barnabæ, Emblemate illo S. Paulum Apostolum repræsentavit, qui S. Ecclesiæ naviculam, gravissimis tempestatibus jactatam, assiduo laboris ac doctrinæ suæ studio ad tranquillum portum evexit; idque tantò felicius peragere potuit, quantò illustriore cœli radio corroboratus fuit. Quare de se ipso jure testatus est; *Positus ego Prædicator & Apostolus, veritatem dico, non mentior, Doctor Gentium in fide & veritate.* Porrò obedientia directo tramite ad genuinæ virtutis & æternæ beatitatis portum deducit. Unde obedientiæ te totum addic, & virtutem omnem absolvisti. *O felix & abundans gratia* exclamat jure merito S. Hieronymus, *in obedientia summa virtutum clausa est; nam simplici ingressu hominem ducit ad Christum.*

S. Paulus director S. Ecclesiæ. *1. Tim. 2. 7.* Obedientia. *S. Hieron Reg. Monast cap. 6.*

CYMBA.

Cap. IV.

23. VIsu admodùm jucundum est, quando piscatores, cephalos capturi, nocturno tempore in in mediâ cymbâ clarum aliquod lumen statuunt; quo viso, cephali nativo impulsu extra aquas versus lumen in naviculam prosiliunt, ac piscatoribus ingenti numero in prædam cedunt. Unde Henricus Farnesius cymbam illam hoc lemmate insignivit; MICANDO, ET SILENDO. Ita bonum exemplum, ore etiam tacente, maximos fructus facit. Deus, Mosi supra montem Sinai apparens, linguâ loquebatur igneâ; unde etiam, quod Sacra Pagina testatur, *Populus videbat voces,* non audiebat. Enimverò Deus, universum orbem profundissimo silentio gubernans, verborum suorum lucem solis oculis, non verò auribus manifestat. Philo Hebræus; *Dei verba,* inquit, *lucis modo videri ex Divinis oraculis discimus. Dicunt enim, quòd totus populus videbat vocem, non audiebat, quia,* loquente Deo, *non erat hic aër plectro linguæ percussus, sed splendor virtutis lucidissimus.* Præclarè S. Petrus Chrysologus; *Magister verus, docenda faciens, obedientem perficit auditorem.* Atque adeò paucus verborum strepitus, & multus virtutum splendor, res quasvis maximas in subditorum aut filiorum animis operatur.

Exemplũ. *Exod. 20. 18.* *Phil lib. de Migrat. Abrah.* *S Pet. Chrys. serm. 167.*

24. Cymba, littori vicina, majore securitate gaudet, quàm in undarum alto jactata. Unde lemma; PROXIMITATE SECURITAS. Hinc conjicias velim, tantò majorem hominis divitis infelicitatem esse, quantò profundiori opum pelago innatat; pauperem econtra, dum terræ superficiem radit, vitâ omnium securissimâ perfrui. S. Chrysostomus; *Paupertas est manductrix quædam in via, quæ ducit ad cœlum, unctio athletica, exercitatio quædam magna & admirabilis, portus tranquillus. Nihil opulentius illo, qui paupertatem sponte diligit, & cum alacritate suscipit.* Scitè Aloysius Novarinus canit;

Paupertas. *S. Chrysost serm. 18 in Epist. ad Hebræos.* *Novarinus Aquar. n. 719.*

Altum hæc cymba tenet, littus premit illa propinquũ,
Pauperis hæc vitam, divitis illa refert.
Incertum hic per iter malè certâ navigat aurâ,
Arbitrio cursum temperat ille suo.

25. Cymba, littori affixa, à Bargalio epigraphen recepit; EFFUGIT IMMODICAS. Illius hanc effigiem dixeris, qui grandi rerum terrenarum mole excussâ, in vitam quietam ac tranquillam se recepit. Ad hoc propositum S. P. Augustinus; *Qui elegerunt vitam quietam, remoti à strepitu populari, à turbis inquietis, à magnis fluctibus sæculi, tanquam in portu sunt.*

Paupert. voluntar. *S. Aug. Ps 99.* Solitudo.

Hâc in parte admirandum se exhibuit Carolus V. qui Imperio Romano in Ferdinandum fratrem suum, vastissimis verò regnis in Philippum II. filium suum liberè resignatis, sese, vitæ privatæ ac solitariæ captandæ causâ, in quoddam Hispaniæ Monasterium abdidit. Cæterùm etiam in Providentiæ Divinæ oceanum nunquam sine periculo longius provehimus; nam Lipsio asserente, *Providentia pelagus est, & cymbalam ingenii si immittas, fluctuabit, aut mergetur.*

Arcana Dei. *Lips. Phys. log lib. 1. dissert. 13.*

26. Cymba, fluminibus trajiciendis usitata, ab Abbate Ferro epigraphen recepit; TRADUCIT EUNTES. Martyrium, eleëmosyna, aliæque similes virtutes, hominem è fluctuantis vitæ pelago in æternæ beatitatis ripam transferunt. S. Macharius, scitè de Divina gratia philosophatus, *Quemadmodùm,* inquit, *per se nemo potest trajicere, nec transire mare, nisi levem & tenuem naviculam è ligno constructam habeat: itidem nequit anima per se ipsam superare acerbum mare peccati; & difficilem abyssum improborum spirituum, nisi susceperit subtilem, cœlestem, & volatilem Christi spiritum, cujus beneficio, recto & brevi cursu ad cœlestem quietis portum pervenire poterit.* Cæterùm etiam sancta Ecclesia Romano-Catholica in Petri navicula viatores suos è præsentis vitæ pelago ad æternæ salutis portum transvehit.

Martyri. Eleëmosna. Gratia Di. *S Machar. Hom. 44.* S. Eccles.

27. Cymba, in fluminis alveo supra arenæ cumulum retardata, epigraphen tenet; EXTRAHET IMBER. Innuit videlicet, lachrymarum pluviis humanam mentem è miseria ad felicitatem, & è peccatorum carcere ad gratiæ libertatem sublevari. Et certè, quod miserias spirituales attinet, Petrus & Magdalena è noxarum captivitate solo inundantium lachrymarum imbre emerserunt. Quantùm verò ad miserias temporales, Ezechias in sepulchri arena jamjam recumbens solâ lachrymarum virtute ad pristinæ valetudinis portum est eluctatus. Unde Isaiæ ore pronuntiavit Deus; *Audivi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos.* S. P. Augustinus; *Post imbres lachrymarum inane non potest esse, quod tam vehementer rogatur ab eo, qui est fons omnium misericordiarum.*

Lachrymæ. *Isa. 38. 5.* *S Aug. in Psal 6.*

28. Cymba, supra littoris arenam figurata, epigraphen sustinet; OTIANDO FATISCET. Scitè in rem præsentẽ canit Ovidius;

Ovid. lib. Trist. Eleg.

Vertitur in teneram cariem, rimisq; dehiscit,
Si qua diu solitis cymba vacabit aquis.

Hinc discas velim, otium fœcundã esse gravissimorum damnorũ parentem; nam cor humanum, miseras ex otio rimas agens, sexcentis vitiis opportunissimam pandit irrependi januam. Id probè edoctus Aristoteles, dicebat; *Comitatur ignaviam mollities, effæminatio, torpor vitæ, cupiditas; subest etiam quædam timiditas,*

Otium. *Aristot. l. de Virtut.*

timiditas, & contentionis detrectatio. Et S. Joannes Chrysostomus; *Qui est otiosus, & multa temerè loquitur, & multa agit temerè, & toto die nihil optat, torpore & veterno mentem repletam habet.*

Io. Chrys. Hom. 5. in 1. Corinth.

29. D. Archangelus Conter cymbam, in littore hærentem, hoc lemmate notavit; OTIA CORRUMPENT. Opportunè Ovidius;

Ovid. lib. 1. de Pont. Eleg. 6.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus?
Et capiant vitium ni moveantur aquæ?
Et mihi si quis erat dicendi carminis usus,
Deficit, estque minor factus inerte situ.

Otium.

Cassiod. l. 7. Var. cap. 39.

Nervosè Cassiodorus; *Natura humana sicut duris laboribus instruitur; ita PER OTIA torpentia INFATUATUR.* Ab hac veritate persuasus Appius Claudius, frequenter solebat dicere; *Negotium populo Romano melius, quàm otium committi. Non quòd ignoraret,* subjungit Valerius Maximus, *quàm jucundus tranquillitatis status esset, sed quòd animadverteret, præpotentia imperia, agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari; nimiâ QUIETE IN DESIDIAM RESOLVI.* Tandem concludit; *Et sanè negotium, nomine horridum, civitatis nostræ mores in suo statu continuit, blandæ appellationis quies plurimis vitiis respersit.*

Val. Max. l. 7. c. 1. nu. 1.

Moderatio.

30. Idem Conter Emblematis loco cymbam in mari figuravit, quæ explicatis tenuibus velis, ac flante placido vento, epigraphen monstrabat; SUFFICIT ISTE. Eadem moderati animi est indoles, qui non tantùm mediocri sorte contentus vivit, sed insuper inter affluentem melioris fortunæ prosperitatem sibi temperare novit; probè effati illius Ambrosiani memor, *sæculares dignitates & cupiditates mentem animumque perturbant, ut compos sui esse non possit.* Concinne Seneca;

S. Ambr. lib. 3. in Luc. Senec. in Oedip. Act. 4.

Fata si liceat mihi
Fingere arbitrio meo:
Temperem zephyro levi
Vela, ne pressa gravi
Spiritu antennæ tremant.
Lene, sed modicum fluens
Aura, nec vergens latus
Ducat intrepidam ratem,
Tuta me media vehat
Vita, decurrente viâ.

31. Prava nostra natura, nî assiduo gratiæ Divinæ auxilio è miseriis spiritualibus sublevetur, mox præcipiti ruinâ in obvias quasvis voragines abripitur. Unde illam, meâ quidem sententiâ, cymbæ symbolo demonstrabis, quæ adverso flumine ab equo tracta, epigraphen ferat; NI TRAHOR, DISTRAHOR. Ab hoc proposito non multùm alienus Vates Regius, canit; *Nisi quia Dominus adjuvit me, Paulò minus habitâsset in inferno anima mea.* S. Hieronymus; *Quomodo*, inquit, *qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis quò non vult ducitur; sic humana conditio, si paululùm remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit.*

Gratia Dei necessaria.

Psal. 93. 17. S. Hieron. l. 3. cont. Pelagian.

Ebrietas.

32. Cymba intra aquas, mercibus nimium quantùm onusta, subscriptionem tenet; NIMIO GRAVAMINE MERGAR. Hominem ebriosum hoc Emblema concernit, qui nimiâ vivendi intemperie prægravatus, paulò post immaturum vitæ suæ naufragium patitur. S. Joannes Chrysostomus; *Sicut navis, quæ aquis impletur, ut exhauriri nequeat, statim submergitur. Ita & homo, cùm crapulæ & ebrietati se ipsum exponit, in præceps vadit &c.* Et S. Petrus Chrysologus; *Ut navem fluctus; corpus ebrietas sic demergit; hominem dat in profundum: lucra vitæ aufert, mortis facit subire naufragium.* Idipsum etiam de Ambitione, libidine, avaritiâ, aliove quovis vitio pronuntiare licet. S. Gregorii Nazianzeni consilium est;

S. Io. Chrys. Hom. 10. in Genes. S. Pet. Chrys. serm. 41.

Ambitio.

S. Greg. Naz.

Nudus in hoc vitæ pelago decurre; gravata
Pondere ne pessum navis onusta ruas.

33. Cymba diversis mercibus instructa, tantò profundius in aquas subsidit, quò graviore pondere onusta fuerit. Unde lemma; INCREMENTO DESIDIT. Ita omninò spiritus humanus tantundem à cœlo recedere solet, quantò ampliore corporalium bonorum affluentiâ cumulatus fuerit. Enimverò, *Mulier innupta, & Virgo cogitat quæ Domini sunt: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi.* De avaritia optimè dixit S. Nilus, *Monachus, qui multa possidet, est veluti navis onerata, quæ in fluctuum tempestate facilè submergitur.* Unde Magnus iste vitæ spiritualis Magister opportunè consulit; *Peccuniam, & omnia, quæ mentem demergunt, atque opprimunt, contemnamus. Onus abjiciamus, ut navis parumper sublevetur.* Cæterùm etiam pectus humanum, nimiis curis aut negotiis oppressum, tandem oneri illi ferendo longè impar, vires despondet, ac miserè succumbit. S. Ephræm; *Navis, si super tabulata pondus imponitur, facile fluctibus quatitur, atque demergitur. Sin verò levis, ac sine onere naviget, ventorum vi citò dissolvitur. Non dissimili ratione & anima, & corpus, si eis ultra vires imponatur onus, citò succumbunt. &c.*

Bona mūdi gravant spiritum.

1. Cor. 7. 34. S. Nil. Orat. 3. de Avar. Idem in Ascet.

Negotia opprimunt.

S. Ephræm. serm. de Vita & exercit. Monach.

34. Carbasis secundo ventorum flamine turgentibus, cymbæ per adversas Arni fluminis undas facili negotio progredi solent. Unde lemma; AURA DUCENTE, NON UNDA. Eorum hæc idea est, qui proprio suo genio & inclinatione in quævis vitia facilè devolverentur, nî potius rationis dictamini aut inspirationi Divinæ, quàm sensuum incitamentis sese permitterent dirigendos. Certè Socrates, naturâ suâ ad libidinem proclivis, effrenem hunc sensum tantâ prudentiâ edomuit, ut ipsius discipuli nec umbram quidem è tam potenti inclinatione in illo observare potuerint. S. Ignatius Loyola, naturâ suâ cholericus, maligno huic affectui adeò temperavit, ut gratiæ potius, quàm proprii genii stimulos secutus, expertissimis quibusvis phlegmaticus videri potuisset. S. P. Augustinus; *Ratio, quæ præsidet in mente, motus inferiores carnis, tanquam regnans & dominans, frenare debet; non immoderatè & illicitè passim vageque laxare.*

Moderatio passionum.

S. Aug. Fragm. 2. ser. cap. 5.

35. Hominem, conditione suâ contentum, nec ad sublimiora honorum aut divitiarum fastigia anhelantem, cymbæ Emblemate significabis, quæ littori vicina, epigraphen è Virgilio mutuam teneat; ALTUM ALII TENEANT. Justus Lipsius; *Rarò navis illisa est, quæ modico velo legit littus.* D. Gregorius Comaninus in mysticæ Theologiæ affectibus canit;

Contentū esse suâ sorte.

Lips. Cent. 1. Epist. 18. S. Greg. Com. Mist. Theol. l. 2. Canz. 1.

Spuma trà l' onde più superbe il pino
Nel suo camino, e n' pena del orgoglio
Rompe à lo scoglio, ond' il nocchier poi s' ange;
Mà non si frange quel, che terra terra
Se n' và la guerra boreal fuggendo,
Auro accogliendo ne suoi lin modesta.

S. Nilus, *satius est*, inquit, *humi cubantem vivere, & bono esse animo, quàm perturbatum in aureo lecto.* Et Ovidius;

S. Nil. Paræn. num. 6. Ovid. lib. 1. Pont. Eleg. 9.

Ah! nimium, quod amice petis, moderatius optat,
Et voti, quæso contrahe vela tui.

36. Intra cæteram funebrem Cardinalis Horatii Spinolæ pompam, cymba videbatur, quæ velis decussatim

Innocentia ubique secura. cussatim instructa epigraphen tulit; UBIQUE SECURUS. Innuebat videlicet, optimum illum Prælatum, bonitatis ac innocentiæ suæ causâ, inter omnes blandientis aut adversantis fortunæ ventos securum vixisse. Vespasianus Imperator, cùm Antecessores suos diversis insidiis exagitatos inaudiisset, respôdit; *Nemo me injuriâ afficere, aut contumeliâ potest, quia nihil ago, quod alios lædere possit*, ut in ipsius vita refert Xiphilinus. Noverat enim sapientissimus Princeps, vitæ innocentiam ubique in portu navigare, & nullibi non securam degere. S. Chrysostomus; *Gaude de innocentia, & exulta; quia ubique illæsa est, ubique secura. &c.*

Xiphilin. in Vita Vesp. S. Io. Chrys. in Homil.

37. Cymbæ carbasa decussatim disponi solent, ut, flantibus secundis & adversis ventis, progressu semper æquali è portu solvere possit. Proinde cymbam illam hoc lemmate insignies; FLATUS AD OMNES. Hominis prudentis hoc ingenium est, qui inter adversos hostium aut calamitatum concursus pede semper tranquillo incedere; & ipsam etiam perniciem in suum profectum cogere novit. S. Paulus in rem præsentem opportunissimè consulit; *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros per arma justitiæ à dextris & à sinistris; per gloriam & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces. &c.* Paulus Consul Romanus apud Livium dixit; *Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferent, nec adversa infringent.*

Prudentia. 1. Cor. 6. 4. Livius. l. 45.

38. Cymba, jamjam submergenda Emblematis loco inscriptionem præfert; MALE SINE MALO. Enimverò sicuti navis, temone destituta, inter fluctuum vortices naufragium facit, ita civitas, Respublica, aut Congregatio, si prudente Rectore aut vigile Prælato careant, paulò post in extremam perniciem præcipitabuntur. Verissimè pronuntiavit Sapiens; *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Idipsum de bono suo Consiliario pronuntiet quivis Princeps. Plutarchus; *Ut in magnis tempestatibus validissimo clavo, optimo gubernatore, & pluribus fulturis opus est: sic magnas & turbulentas res administranti summâ sapientiâ opus est, quam cùm gubernator non habeat ex se, à probis consiliariis mutuetur & discat oportet.* Augustus Imperator Consiliarios habuit Mecænatem & Agrippam, post quorum mortem, si negotium aliquod infeliciter successit, exclamare est solitus; *Horum nihil mihi accidisset, si aut Agrippa, aut Mecænas vixisset.*

Congregatio sine Rectore. Prov. 11. 14. Plutarchus. Consiliarius bonus

HAMVS.

Cap. V.

39. Hamus, piscibus capiendis destinatus, ipse vicissim ab iis capitur. Unde lemma; ET CAPIO, ET CAPIOR. Hanc epigraphen etiam pisci, dum hamum admordet, subscribere licet. Ea justissimi Dei est providentia, ut perniciem, quam malevoli mortales aliis struimus, ipsimet plerumque sustinere cogamur. Labanus, homo ex asse fraudulentus, quidquid adversus Jacobum machinatus fuerat, illud totum paulò post non sine gravissimo suo damno luere debuit. *Pater vester circumveniebat me*, inquiebat ad dolosi parentis filias optimus Jacobus, *& mutavit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Deus ut noceret mihi. Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ, pariebant omnes oves varios fœtus: quando verò econtrario ait, alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt.* Affirmatè Salomon: *Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet. Justum est enim*, inquit interpres P. Cornelius à Lapide, *ut qui alium dolo circumscribere conatur, ipse eodem circumscribatur: æquum est, ut qui aliena appetit, sua perdat: par est, ut qui alterius bona per fraudem concupiscit, sua ei cedat. Sic Pharao & Ægyptii, dolosè spoliantes & opprimentes Hebræos, eodem dolo ab eis spoliati & oppressi sunt.* Porrò homo superbus, ambitiosus, aut avarus, dum à fallaci mundo aliquid honoris, fastûs, aut divitiarum extorquet, benè de se ipso dixerit, *Et capio, & capior*: quippe qui voluptatis transitoriæ escam avidiore dente admordens, ab eadem miserrimè implicatur. De mundo disserens S. Gregorius Nyssenus, ait; *Tanquam escam quandam hanc mundanam occupationem pravo hamo avidioribus porrigit.* Seneca testatur, hominem, dum capiendis mundi delitiis inhiat, ab iisdem arctissimè irretiri: *Magnæ voluptates in magnum malum evasêre, CAPTÆQUE CEPERE.*

Par pari referre. Gen. 31. 7. Prov. 28. 10. Corn. à Lap. in hunc loc. Mundanus. S. Greg. Nyss. Tract. de Orat. Voluptates mundi. Senec. lib. de Vita beata cap. 14.

40. Hamus, escam ex unco suspensam præferens, epigraphen tenet; LATET UNCUS IN ESCA. Ita omnino sub suavi sensuum ac voluptatum escâ funestus peccati aculeus propinatur, qui in delinquentium viscera crudeli remorsu grassatur. Stephanus Cantuariensis super illud Habacuc, *Totum in hamo sublevabit*; ait; *In hamo esca voluptatis desiderabilis ostenditur, sed uncus tenax latet, qui cum esca comeditur: sic in concupiscentia carnis, ostendit diabolus escam voluptatis, sed latet aculeus peccati*: Theodoretus de Rege Davide ait; *Vidit mulierem, quæ lavabatur, & formæ inescatus pulchritudine; devoravit hamum peccati.* Etiam Veteres Poëtæ escam penitus melleam offerunt, quippe in quibus reperiuntur *Multa præclara, multa magnifica, multa & propè Divina: Sed quid? Inest commixtum his insigne aliquid veluti escarum elegans, atque eminens; quod à spinis minimè videtur posse divelli, ita sunt simul conglutinata inextricabili pice honesta cum turpibus*; uti in rem præsentem eruditè asserit D. Matthæus Bossus. Eodem Emblemate Christum, in rupe Golgothæâ de morte triumphantem, significare licet: hæc enim jamjam Servatoris humanitatem, ceu escam exoptatissimam avidè devoratura, tandem Divinitatis aculeo tranxfixa, exanimis pendere debuit. Absalon Abbas, *Signum victoriæ in ligno Crucis constituere voluit, in qua dum hostis antiquus appetiit escam carnis, transfixus est aculeo Divinitatis.* Cæterùm quisquis sanctissimam Eucharistiam indigno ore recipit, is non quidem escam vitalē, sed mortiferū aculeū prehendit. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.*

Voluptas sensualis. Steph. Cant. lib. Allegor. in Habac. 1. 15. Theod. quæst. 123. in lib. Reg. Poësis antiqua. Matth. Bossus de Inst. sapientiæ animo. Disp. tat. 5. Crux Christi. Absal. Abb. serm. 18. Eucharistia indignè sumpta. 1 Cor. 11. 29.

41. Hamo inscripsêre; NON CAPIO, NISI CAPIOR. Ita Christus, instar hami, animas illas prehendit ac possidet, quæ illum, ceu escam angelicam, in SS. Eucharistia accipere satagunt. Porrò Verbum Dei tantundem intra animas nostras operatur, quantùm ab iisdem gustatum & apprehensum fuerit. Testem locupletissimum habeto S. Bernardinum Senensem; *Verbum Dei*, inquit, *hamo simile est, quod nisi CAPIATUR, NON CAPIT.* Et S. Augustinus; *Sic est sermo Dei tanquam pisci hamus, tunc CAPITUR, DUM CAPIT.*

Eucharistia. Verbum Dei. S. Bern. Sen. Tom. 2. ser. art. 2. cap. S. Aug. Tract. 42. in Ioan.

42. Comes Joannes Carolus Morando, inter Vivaces Placentinos, Symboli loco hamum figuravit, qui flumini immersus non quidem primo suo jactu, sed interpositâ aliquâ morulâ, ingentem piscium prædam fecit. Epigraphen sibi cognominem subdidit, MORANDO. Innuebat videlicet, scientias è Minervæ undis, non quidem tumultuariè aut cursim tentatis, sed assiduâ ac diuturnâ diligentiâ investigatis, hauriri posse. Adhoc propositum Seneca; *Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere, & secum MORARI. Certis ingeniis IMMORARI, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat.*

Scientia per diligentiam acquiritur. Senec. Ep.

43. Hamus

Mundi voluptates

43. Hamus liberalem escam piscibus subministrat, non quidem famis explendæ causâ, sed ut incautis libertatem ac vitam eripiat. Lemma; EXHIBET, UT ADIMAT. Haud aliter mundus, improvidum hominem quiete, divitiis, ac æternâ salute spoliaturus, pauculas caducæ voluptatis quisquilias porrigit. S. Basilius; *Beatus qui non per voluptatis inescationem circumactus est ad interitum, sed per patientiam salutis spem concepit. &c* S. Nilus; *Lata hujus vitæ fluxa ne te oblectent. Hami enim sunt, animas ut pisces irretientes.* Et Plautus;

S. Basil. Hom. 1. in Ps. 1. S. Nil in Parain. nu. 157. Plautus.

Sapientum illud dictum te audisse reor sæpius.
Voluptas est malorum esca, quòd eâ non minus homines,
Quàm hamo capiantur pisces.

Par pari reddere.

44. Hamus suos pisces nonnisi ab iisdem piscibus captus capit. Unde lemma; CAPIENTEM CAPIO. Eorum hæc idea est propria, qui perniciem, sibi creatam, bonâ sorte in ipsumet authorem retorquent. Isaias, Israëlis populum solatus, spopondit, Babylonios iisdem catenis providente Deo olim stringendos esse, quibus Hebræi modò captivi detinentur. *Possidebit eos domus Israël super terram Domini in servos & ancillas: & erunt CAPIENTES eos, QUI SE CEPERANT.* Certè Christus sub carnis esca Divinitatis suæ hamum occultabat: unde à morte devorandus, ipsemmet mortem jugulavit. Hunc de morte victâ triumphum Oseæ vaticinio dilucidè testatus est Servator. *Ero mors tua, O mors, morsus tuus ero inferne.* Id est, interprete S. Ruperto Abbate, *Mordebis me, O inferne, & ut hamum devorabis; sed postea hamo Divinitatis meæ dirumpam ventrem tuum, & exibo.*

Isa. 14. 2. Christus sepultus. Osea 13. 14. Rup Abb. in hunc loc.

Voluptas mundana.

45. Hamus escæ suæ illecebris piscem suaviter quidem allicit, at paulò post unco ferreo improvidum suspendit, & è nativo suo elemento in fatalem auram rapit. Unde Carolus Rancatus hamo inscripsit; ALLICIT, ET ELICIT. Hæc ipsa voluptatis terrenæ est vafrities, quæ incautos mortales in sinum pellicere solita, tandem fortunis omnibus illos exuit. In hoc argumentum S. Basilius; *Voluptas est quidam hamus diaboli, ad perniciem nos trahens.* Et Antonius in Melissa; *Voluptas hamus diaboli, ad interitum trahens.* S. Isidorus Pelusiota eodem Emblemate hæreticorum malitiam demonstrat, qui fucatâ verborum suavitate auditores alliciunt, & à salutis viâ distractos, in æternam pernitiem rapiunt. *Quemadmodum,* inquit, *nautæ hamum escâ occultant, ac pisces improviso capiunt; eodem modo improbi hæresum defensores, sermonis suavitate perversas suas sententias obtegentes, simplicieores homines ad mortem, tanquam hamo quodam, trahunt.* Cæterùm si noxam omnem seponas, symbolum istud cumprimis insignem Mariæ Virginis benevolentiam explicat, quæ in miseros peccatores, suavissimo materni amoris melle inescatos, è scelerũ ac æternæ perditionis cœno eripit; atque adeò ALLICIT, ET ELICIT. Ludovicus Blosius testatur, Deum S. Catharinæ Senensis ore dixisse; *Maria est à me electa, parata, & posita, tanquam esca dulcissima, ad capiendos homines, & præcipuè animas peccatorum.*

S. Basil. Orat. 4. Ant. Meliss. serm 16. Hæreticus. S. Isid. Pelus. lib. 1. Ep. 102. Maria V. salutem procurat. Blos. in Monil. spirit c. 1.

Mors improvisa.

46. Hamus incautos pisces, cùm omnium minimè suspicantur, libertate ac vitâ spoliat. Unde inscriptio; DECIPIT INCAUTOS. Ita mors peccatorem fatali suo ictu plerumque tum demum trãsfigit, quando inter mundi illecebras tranquillus & improvidus volutatur. S. Gregorius Papa super illud Lucæ, *Quâ horâ non putatis, filius hominis veniet,* ait; *Improvisa mors veniens, carnis nostræ habitaculum irrumpit.* Et rursus; *Veniet Dominus servi illius in die, quâ non sperat, & horâ quâ nescit.* In rem præsentem canit Joannes Baptista Bargioccus;

S. Greg. in Cat. aur. Luc c 12. n. 40. & 46.

Est mare vita fugax, in quo nos piscis adinstar
Ludimus, est hamus mortis iniqua manus.
Incautos igitur pisces ceu fallit arundo,
Sic fatuos fallit mors inopina viros.

Bargioccus Epigr. l. 1. 71.

Munera incurvans.

47. Calamus piscatorius, ubi prædam ex unco suo suspensam sentit, mox à pondere illo depressus, inclinari solet. Henricus Engelgrave epigraphen subdidit; AD PRÆDAM SE INCLINAT. Ita, prô dolor! humanas mentes, quantumvis erectas ac justas, ad munerum præsentiam inclinari ut plurimum cernimus. Jobi parænensis est; *Non te superet ira, ut aliquem opprimas; nec multitudo donorum inclinet te.* S. Ambrosius; *Munera excæcant oculos Judicum, & vim authoritatis inclinant.* Erat equidem David, ipsiusmet Dei testimonio, rectus & justus; at pauculis Sibæ muneribus sese ad injustissimam sententiam ferendam inclinari permisit. Isaacus, quòd ab Esau, homine flagitiosissimo, nonnullas prædas venatorias recepisset, majore amore illum, quàm justissimum Jacobum prosequebatur. Judas Iscariotes, proprio quæstu incurvatus, metamorphosi penitus inauditâ, è discipulo in Magistri sui proditorem evasit.

Iob 36, 18. S. Ambr in Ep. ad Cor. 1. 2. Reg. 16. Matth. 26. 15

Maria V.

48. Esca ex hamo super aquas suspensa, epigraphen à P. Masenio accepit; SINE FRAUDE FALLIT. Maria Virgo ad capiendum Deum suavissimè allicit, & instar dulcissimæ escæ invitat. Ut adeò rectè à S. Epiphanio cognominetur *Esca spiritualis hami, qui est Divinitas.* Et à Buteone, *Ministra cibi sancti.* Emblematis mentem hoc epigrammate explicat P. Masenius;

S. Epiph orat de laud. Deip But. Hym. Græc. p. 22.

Qualis ab hamato suspenditur esca flagello,
Abdita qua blando porrigit æra cibo.
Talis, ad absconsi capiendum Numinis hamum,
Instar habet dulcis mellea Virgo boli.

NAVIS.

Cap. VI.

Auxilium Divinum in rebus desperatis.

49. NAvis in mari undique quassata & lacera, epigraphen tenet; VOTA SUPERSUNT. Vel ut Bargalio placet; SALUS TANTUM AB ALTO. Innuit videlicet, in rebus desperatis unicam è cœlo opem sperandam superesse. Ovidius;

Ovid. lib 14. Metamor. Lact. Firm. lib. 1. Divin. Instit. cap. 1.

---- ----- Dum priora timentur,
Est locus in voto.

Plinii dictum est; *Tunc votorum præcipuus locus est, cùm spei nullus est.* Huic affinis Lactantius Firmianus; *Si quis,* inquit, *in mari, vento sæviente jactatur, Deum invocat; si quis aliqua vi affligatur, hunc implorat: si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt.*

Constantia.

50. Navigii vela nonnunquam substringi solent, ut etiam inter adversos ventos gressum suum prosequi valeat. Unde lemma; ET ADVERSO FLANTE. seu ut alii inscripsêre; PROSPERA INTER ADVERSA. Vel, CONTRARIIS PROVECTA NOTIS. Animi constantis hanc effigiem dixeris, qui gravissimis malis incursatus, à cœpto tramite prosequendo nec minimam moram sibi injici patitur. Horatii consilium est;

Horat l. 1. Epist. 19.

----Tu, tum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.

S. Ambr. lib. de Iacob, c. 8.

S. Ambrosius iisdem omninò coloribus genuinum veri sapientis constantiam ac prudentiã describit; *Perfecti enim est viri, communitatem naturæ sustentare*

animi

animi virtute, & ad meliora adducere, nec succumbere iis, quæ plerisque terribilia ac formidolosa videntur, sed quasi providum gubernatorem navem in tempestate regere, atque occurrendo insurgentibus fluctibus magis vitare naufragium sulcando undas, quàm declinando. Non iste in persecutione pavidus, non in tormentis mollior: sed quasi athleta fortis, qui repercutiat verberantem cum gravissimo licet dolore luctetur, nec se miserabilem præbeat, sed ostendat, tanquam in laterna lumen, etiam inter asperas procellas, & gravissimos flatus suam lucere, nec extingui posse animi virtutem.

51. Navis velorum loco Fortunam, è temone verò virtutem præferens, epigraphen sustinet; UTRIUSQUE AUXILIO. Eodem prorsus sensu navem, ad portum appulsam, hoc Virgilii lemmate insignierunt; FORS, ET VIRTUS. Enimverò humanæ felicitati portum suum contingere, non licet, nisi auxilii Divini fortunâ, & cooperationis nostræ virtute simul concurrentibus. S. Joan. Chrysostomus. *Quando quod à nobis est offerimus, largiter Divinam operationem consequimur; nam ut ne desides & supini simus, vult etiam nos aliquid conferre; quo sic sua declaret, ut non totum sit superni auxilii, sed oporteat etiam nos aliquid simul afferre &c.* Optimè ac compendio dixit Justus Lipsius; *Laboranti Deus allaborat.*

Virgil lib. 12. Æneid. Cooperari gratiæ. *S. Io. Chrys. Hom. 53. in Gen.* *Lips Cent. 3. ad Belg. Ep. 6*

52. Navis ad cynosuræ & pyxidis nauticæ nutum unicè dirigitur: illarum enim beneficio inter anticipitis pelagi fluctus, gressu nunquam exerrante, incedit. Epigraphen subjunges; REGIMEN AB UTROQUE. Ita omninò cujusvis Reipublicæ aut Regni navigium, à Divinâ Providentiâ ac solicitudine humanâ gubernatũ, non potest non ad salutis portũ pervenire. Cùm olim præsente Ferdinando II. Imperatore de bellicis tumultibus, indies majoribus; de ingravescentibus summis periculis, & de Provinciis ut plurimum exhaustis haberetur sermo, respondit Ferdinandus, *Faciamus quod in nobis est, & sinamus hæc & nos à Deo regi ac dirigi:* ut in ipsius vita refert Lamormainus. Idipsum in microcosmi nostri regno contingit, ubi corpus à Deo & animâ in virtutis tramite contineri debet. S. P. Augustinus; *Vis, serviat caro tua animæ tuæ? Deo serviat anima tua. Debes regi, ut possis regere: nam lucta ista tam periculosa est, ut si diviserit rector, ruina sequatur.*

Deus homini cooperans. *Lamorm. c. 6.* *S. Aug. serm. 43. de Verb. Dom. c 3.*

53. Navis, venti afflantis ope in portum compulsa, epigraphen tenet; QUANTO MEN TI SPERAI, TANTO PIU' CARO. Id est; INSPERATUS JUCUNDIOR. Ita nimirum beneficia illa omnium habemus acceptissima, quæ inopinantibus nobis accidunt. Horatius;

Auxilium insperatũ. *Horat. lib. 1. Ep. 4.*

GRATA superveniet, QUÆ NON SPERABITUR hora.

S. Joannes Chrysostomus in illa D. Matthæi verba commentatus, *Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham &c. in regno cœlorum: filii autem regni ejicientur in tenebras*; ait, has Christi voces Judæis geminatum terrorem, gentibus verò geminatam lætitiam creâsse. *Iudæis quidem non solùm quod exciderunt, sed etiam quòd suis & propriis exciderunt, dolendum. Gentibus verò, tum quia bonorum compotes facti sunt, tum QUIA QUÆ NON SPERAVERUNT CONSECUTI, certè gaudendum.*

S. Chrysost. Hom. 27. in Matth. 8. 11.

54. Navis, ad portum delata, epigraphen tenet; LABORE ET VIRTUTE. Ita nimirum ad æternam gloriam, ceu gentis humanæ portum, nonnisi laboris & virtutis beneficio appellimus. Unde illam S. Paulus coronam justitiæ vocat; *Reposita est mihi corona justitiæ*; quippe quòd meritis ac sudore nostro comparanda sit. Ad hoc propositum S. Thomas Villanovanus; *Non modica est hæc Sanctorum prærogativa, non levis honor, quod gloriam, quam habent, non purè gratis, sed sibi eam meritis & laboribus, sanguine & morte acquisierunt &c.*

Beatitudo. *S. Tho Vill Tract. de Dom. Adv*

55. Ferdinandus Archidux Austriæ Symboli loco Navim figuravit, quæ jactis anchoris in medio mari sistebatur; cum lemmate, FIRMATA RESISTIT. Nî fallor, in anchoris pietatem, justitiam, cultum Divinum, & Religionem, veluti potissima regni firmamenta, repræsentabat. *Nam*, teste Sinesio, *Regni quoque basis pietas erga Deum.* S. Cyrillus Alexandrinus observat, quòd, sceleratis Judæorum Regibus, à legis ac cultûs Divini observantia deflectentibus, semper tota Respublica, instar jactatæ navis, ab interna & externa seditionum tempestate horrendum quassata fuerit. At contrà quicunque animum pietati addixissent, nunquam non ab hostibus rediisse victores, summamque regno suo quietem conciliâsse. *Quotquot ex illis regibus*, inquit, *cultu & observantiâ, quæ Deo debentur, impiè contemptis, legibusque justitiæ administris pro nihilo ductis, suo fastui, suisq; libidinibus verè indulgendum esse putaverunt, omnes hi mali & miseri, malè & miserè perierunt. Contra verò quicunque se pios in illum declararunt, quæq; illi placitura credebant, omni ope præstare elaborarunt, citra sudorem ac pulverem hoste devicto, debellatoque triumphum cecinerunt.* Exempli loco Davidem, Josiam, Josaphatum, Ezechiam, aliosque habeto. Porrò è S. Laurentii Justiniani sententiâ, Timor Dei anchoræ vicem subit, ut animæ nostræ navis nunquam non adversus quosvis scelerum incursus ac Dæmonum insidias triumphet. *Timor*, inquit, *stabilem animum reddit, sicut anchora navem stare facit. Anchora namq; mentis est pondus timoris.*

Religio firmat regnum. *Sines. orat. de Regno.* *S. Cyrill. Alex. de rec. in Christum fide ad Theodosium.* Timor Dei *S. Laur. I.*

56. Vela, in mali fastigio distenta, celeriorem navigii cursum maximè promovent. Unde lemma, VEHEMENTIUS ELATA COMPELLUNT. seu ut aliis placet; ELEVATA CELERIUS. Ita homo auxiliarem bonitatis Divinæ auram tum demum felicissimè experitur, quando fiduciæ suæ carbasa versus cœlum explicat. *Oculi enim Domini contemplantur universam terram, & præbent fortitudinem iis qui corde perfecto credunt in eum.* Cassiodorus; *Magna contra diabolum arma sunt, in suis viribus fiduciam non habere, sed Deum rogare, qui advesarium possit reprimere.*

Fiducia in Deo. *1. Paral. 16. 9.* *Cassiod. illud Psal. Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra.*

57. Bargalius in mari turbato navim depinxit, quæ velis ex antenna flaccescentibus ac contractis, epigraphen tenebat; EFFUGIT DEMISSA PROCELLAS. Mens Emblematis erat, hominem in paupere fortuna longè securiorem incedere, quàm in quocunque dignitatum fastu. Ovidius;

Moderatio. Humilitas. *Ovid lib. Trist. El. 4.*

EFFUGIT hybernas DEMISSA antenna PROCELLAS,
Lataq; plus parvis vela timoris habent.
Tu quoq; formida nimium sublimia semper,
Propositiq; precor contrahe vela tui.

Nec aliter Horatius,

Horat. l. 2. Carm. O. 10

Rebus adversis animosus, atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

Et S. Basilius; *Humilitatis violæ, dum imis contentæ sunt, nullis flatibus impelluntur.*

S. Basil. laud. solitud.

58. Eodem Bargalio authore, navis grandior, in aquis persistens, epigraphen tenet; QUOVIS IN PORTU. Animum tranquillum ac indifferentem hæc idea describit, qui suos affectus non intra solam patriam

Indifferens.

patriam aut aliam quamcunque particularem provinciam coarctari permittit, sed, veluti totius mundi civis, pro voluntatis Divinæ nutu quasvis terræ partes incolere, perinde habet. Seneca de seipso protestatur; *Magno animo nos, non unius urbis mœnibus clausimus, sed in totius orbis commercium emisimus, patriamque nobis Mundum professi sumus.* Et meus Concanonicus Hugo de S. Victore; *Magnum virtutis principium est, ut discat paulatim exercitatus animus visibilia hæc & transitoria primùm commutare, ut possit etiam postmodum relinquere. Delicatus ille est, adhuc cui patria dulcis est: fortis autem, cui OMNE SOLUM PATRIA EST; perfectus verò, cui totus mundus exilium est.*

Senec. l. de Tranquillit. animi cap. 3.

Hug. Vict. l. 3 Didasc. Erudit. cap. 20.

59. Navis, explicatis velis tranquillum oceanum ingressa, epigraphen tenet; DUBIUM TENTAT ITER. Enimverò nimia felicitas comites individuos habet timorem & periculum. Seneca; *Magni animi est magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. Illa enim utilia sunt, & hæc eo ipso quod superfluunt, nocent.* Divinè Horatius;

Felicitas periculosa.

Senec. Ep. 3.

Horat.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? fortiter occupa
Portum.

Et S. Leo Papa; *Melior est gradus lentior per iter rectum, quàm velocitas festina per devium.*

S. Leo serm. 2. de Iejunio Pentec.

60. Navis, ventorum impetu è puppi sub cœlo pluvio propulsata, inscriptionem refert. JUVAT AER ET IMBER. Nam vela, recentibus pluviis madefacta, ventorum flaminibus excipiendis habiliora redduntur; sicque navis gemino venti ac imbris adminiculo vastum maris iter felicissimè emetitur. Ita nimirùm res plurimæ, quæ perniciem adferre videbantur, in favorem nostrum cedunt. Eodem Emblemate demonstrabis, animam pœnitentem, suspiriorum vento ac lachrymarum pluviis impellentibus, tandem ad salutis portum deferri. S. P. Augustinus; *Non possumus pervenire ad vitam impœnitendam, nisi per mala vitæ pœnitentiam.*

Calamitas utilis.

Pœnitentia.

S. Aug. serm. 151. de Temp. cap. 2.

61. Navis Magellanica, cui Victoriæ cognomen, totius mundi ambitum emensa est. Unde epigraphen, Lunæ subscribi solitam, præferebat, ÆMULA SOLIS. Haud aliter Sancti Apostoli, post relictas Galileæ naves, *Sicut quidam volucres effecti, ipso etiam sole pernicius, omnem perlustravêre terram, spargentes ubique lumina veritatis*; uti disertis his verbis testatur S. Joannes Chrysostomus. Cæterùm etiam Magnatum fama per orbem universum diffunditur. Joannes Capponus de Alexandro Ludovisio, postea Gregorio XV. canit;

Apostoli.

S. Io. Chrys. Hom. 15. in Matth.

Fama Magnatum.

Vola il tuo nome in più d' un clima altero,
Dal freddo Scita, al più lontano Ibero.

62. D. Cherubinus Brusonus Emblematis loco navim onerariam depinxit, quæ explicatis velis per vastum oceani iter volitans, epigraphen è Virgilio sumptam monstrabat; ACQUIRIT EUNDO. Innuebat videlicet, pretiosas prudentiæ, ac exterarum cognitionum merces peregrinando comparari. Id encomii ab Homero, aliisque Græcis cumprimis retulit Ulysses,

Peregrinatio.

Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.

Profectus.

Anima Deo chara, ceu navis in hoc mundi pelago *acquirit eundo*; indies enim nova veræ imperfectionis incrementa capit. In sacra Genesi de Rebecca dicitur; *Perrexitque ut consuleret Dominum.* Origenes ex hoc loco gratiosam dubitandi occasionem sumens, *Quò*, inquit, *abiit Rebecca? Nonne ubique est Deus? Quò ergo abiit, unde non esset ad locum ubi esset Dominus?* moxque ipse sibi interpres, ad propositum nostrum ait, *Ego puto, quod non de loco ad locum abierit, sed de vita ad vitam, de actu ad actum; de bonis ad meliora transierit, de utilibus ad utiliora perrexerit, de sanctis ad sanctiora properaverit.* Demum doctrinæ suæ firmamentum ex illo Mosis facto addit, qui Deum nobilissimâ Angeli specie in ardente rubo conspicatus, dixit; *Transeam & videbo*, seu ut vulgata Biblia legunt; *Vadam & videbo.* ubi significare volebat, *Non utiquè se aliquod spatium transiturum; quia propè ipsum erat visio in ore & in oculis ejus, sed dicit: Transeam ut ostendat se communitum visione cœlesti, ad superiorem vitam debere conscendere ab his, in quibus erat, ad meliora transire.* Tandem concludit; *Igitur sancti non de loco ad locum, sed de vita ad vitam, de institutis primis abeunt ad instituta potiora.* Cæterùm homo, si in pueritia aliquam sapientiæ aut prudentiæ sementem spargat, tandem exercitationis assiduæ progressu in senem sapientissimum ac prudentissimum evadet. Eò quippe illud Salomonis consilium collimat; *Audi consilium, & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.*

Gen. 25.22. Orig. in hunc loc.

Exod. 3.3.

Prov. 19.20.

63. Maria Virgo, ad Elisabetham invisens, navis Emblemate significatur, quæ in oceani aquis tantò incedit profundior, quò pluribus mercibus onusta fuerit. Unde lemma; ONUSTIOR, HUMILIOR. Enimverò Virgo Beatissima, Deo optimo ac Maximo gravida, cognatam suam affectu humillimo visitavit, ejusque obsequiis se subdidit. *Contuendum est*, inquit S. Ambrosius, *quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur; Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem.* Illa ipsa cujusvis hominis justi est indoles: quantò enim majore virtutum ac meritorum pondere gravis fuerit, tantò demissiorem sui ipsius existimationem concipit.

Mariæ V. Visitatio.

S. Ambros.

Justus.

64. Hominem, adversus beneficia gratum, & ex alterius directione aut favore penitùs suspensum, navi non absimilem dixeris, quæ præviam columbâ studiosè assecuta, epigraphen reddat; HAC MONSTRANTE VIAM. Nam, Plinii testimonio, apud Taprobanitas nulla in navigando erat siderum observatio, sed solis præviarum volucrum vestigiis sedulò affixi, in terras quasvis remotissimas navigabant. Angeli Tutelaris hoc Emblema est, qui, veluti columba cœlestis, inter omnia viarum invia Ducis fidissimi loco præcedit. *Ecce ego mittam Angelum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locū, quem paravi.* Et rursus, *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Cautè ergo ambulat*, subdit Mellifluus Bernardus, *ubi sunt Angeli, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Porrò opportunè in rem præsentem de Maria Virgine ad cœlos assumptâ, canit S. Ecclesia; *Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum. &c.* Enimverò quando columba illa Virginea alas suas versus cœlestem patriam sublevavit, suis clientibus viæ compendium ostendit, eosque ad illam celerrimè assequendam & imitandam excitavit.

Angelus Custos

Exod. 23.20.

S. Bernard. ser. 40 super Accesserunt Angeli &c.

Mariæ V. Assumptio.

65. D. Carolus Ghioldus, insignis Collegiatæ ad S. Nazarium Mediolani Theologus, Emblematis loco navim depinxit, quæ præviam stellam in oceano secuta, epigraphen tulit; SEQUOR PRÆVIAM; seu PRÆVIUM SPECTAT. Nempe miram illam industriam significabat, quâ Federicus Borromæus, Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, gloriosa S. Caroli, cognati sui, exempla in gubernanda Ecclesia Mediolanensi studiosissimè assequi est conatus. Emblemati explicando meus D. Carducius hos Jambos subjunxit;

Imitatio.

Ut puppis Astri prævium spectat jubar;
Sic Federicus Carolum sequitur Ducem.

Epiphonema jungit Seneca; *Optimum est, majorum sequi vestigia, si rectè præcesserint.*

Senec. in Proverb.

66. D. Aresius navim in alto mari figuravit; cum lemma-

Res exteræ majore habentur pretio.

lemmate. PROCUL ADVECTA GRATIOR. Indies quippe experimur, res exteras majore pretio haberi, quàm domesticas. Unde Salomon grande mulieris illius pretium ac dignitatem demonstraturus, inter cætera encomia etiam hoc recenset; *Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* In hunc locum commentatus Cornelius Jansenius, *Pretium ejus mulieris*, inquit, *est procul petendum, & de ultimis finibus terra petendum, hoc est, pretium ejus magnum est, carum, & rarum, ut ea quæ à longè afferuntur.* Et P. Ferdinandus Quirinus Salazzar; *Hujus utique mulieris pretium ingens est, quemadmodũ earum rerum, quæ procul ab extremis terrarum finibus asportari solent. Eâ enim, quæ aliunde adducuntur, pluris fieri solent, quàm illa, quæ tellus patria passim fundit.* Huc non inopportunas censui sequentes binas Comitis Fulvii Testi strophas;

Prov. 31. 10. Corn. Iansf. in hunc loc.

Salaz. in hunc loc.

Fulv. Test. p. 1. delle sue Poesie.

Gradito è cio che pellegrino arriva:
Familiar tesoro
Scema di pregio, e ne la copia è vile.
Gigli, e Narcisi eran del nostro Aprile
Vulgar pompa, e trà loro
Porpora trivial la Rosa apriva;
Quando da strana riva
Vennero sconosciuti, e però grati
I Tulipani à far più belli i prati.
O qual, prima che'l di l'Alba rischiari
Fà d'armonico grido
Filomena sonar l'ombre selvagge;
Mà sol perche frequente in nostre piagge
Fabrica ai figli il nido,
Di sua bocca i comenti escon men cari:
Traggan per vasti mari,
Augei da le Canarie i legni Ispani.
Più canori saran, perche più strani.

Religiosus, habens vitã activam & contemplativam.

67. Religiosus, quandam sæcularium Academiam ingressus, Emblematis loco navim expressit, quæ maris littora legens, epigraphen tulit; EXTRA, NON PROCUL. veluti diceret, se, tametsi à sæculo abstractum, honestis ac virtuosis sæcularium exercitationibus etiamnum licitè gaudere posse. Insuper Religiosos illos hoc Emblema concernit, qui vitæ contemplativæ & activæ ex æquo addicti, mundo quidem, proprii spiritualis profectûs causâ, valedixêre; nunquam tamẽ extra illum adeò longè præcedunt, quin animarum indigentiis auxiliarem dexteram porrigere valeant. Inclyta Societas Jesu, ad hanc vivendi normam composita, in Regularum summario ita statuit; *Finis hujus Societatis est, non solùm saluti, & perfectioni propriarum animarum cum Divina gratia vacare: sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere.* S. Gregorius Papa illud Ezechiëlis arcanum examinans, quod cœlestia animalia *ibant & revertebantur in similitudinẽ fulguris*; ait, *Benè revertentia animalia, coruscanti fulmini comparantur, quia Sancti viri, cùm ad superna contemplanda evolant, tum bona cœlestia, quæ saltem per speculum contemplari meruerunt, fratribus denuntiant, eorumque animos in amorem intimæ charitatis accendunt.* Cæterùm nihil abs re dixeris, si navim illam de Religioso interpretatus fueris, qui quidẽ habitu ac professione à mundo videtur separatus; at per plateas assiduò vagabundus, & sæcularium consuetudine unicè delectatus, *extra, non procul* ab illo vivere potest. Huic miseriæ altum illachrymatus S. Bernardus super illis Hieremiæ verbis, *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum*; ait; *Lapides sanctuarii designant Religiosos viros, qui nunquam debent foris vagari, sed in secreto Monasterii ante oculos Dei semper commorari. Sed dispersi sunt hodie lapides sanctuarii in capite omnium platearum, quando Religiosi viri, quærendo vana & sæcularia, foris vagantur.*

Sum. Regul. reg. 2.

S. Greg. hom. 5 in Ezech. Ezech. 1. 14.

Religiosus vagabundus.

S. Bernard. serm. 66. ad Sororem. Thren. 4. 1.

Profecti Spiritus

68. Nonnemo, Augustissimæ Domûs Austriacæ beneficio magnos progressus facturus, Emblematis loco navim in Oceano depinxit, quæ explicatis velis epigraphen monstrabat; ASPIRANTIBUS AUSTRIS. Ita Prophetæ ac Prædicatores solo Spiritûs sancti favore, ceu Austro calidissimo, ad arcana remotissima promoverunt. S. Joannes Chrysostomus; *Da mihi navim vacuam: gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, & nusquam esse spiritum venti, nonne cessat omnis quantuscunque apparatus, si desit operatio spiritûs? Ita licet sit sermonis ampla supellex, & mens profunda, & eloquentia, & intelligentia, & non adsit Spiritus sanctus, qui vim suppeditat, otiosa sunt omnia.*

S. Io. Chrys. Hom. de Spiritu S.

Felicitas deficiens.

69. Qui è sublimi dignitate in sortem inferiorem devolutus, nullâ amplius populi frequentiâ aut subditorum obsequiis honoratur, navi non absimilis existit, quæ velis deturgentibus, epigraphen tenet; DEFICIT AURA. Id probè expertus fuerat Carolus V. Imperator, quando regna sua Philippo II. Imperium verò Ferdinando fratri Bruxellis renuntiavit: posteaquam enim summam mundi potentiam cum conditione privata commutaverat, mox è Belgio *in Cantabriam appulsus, ac profectus inde Burgos, raros admodum sibi obvios vidit Hispanos Proceres (quos nempe solus, incomitatusq; titulis suis Carolus non allexerat,)* uti refert P. Famianus Strada. Verissimè Tullius; *Qui fortunis alicujus inducti, amicitiam ejus secuti sunt, hi simul ac fortuna delapsa est, evolant omnes, quum enim recessit ea res, quæ fuit consuetudinis causa, nihil superest, quare possint in amicitia teneri.*

Amicitia falsa.

Strada lib. de Bell. Be.

Tull. lib. Rhetor.

Moderatio.

70. Alcibiades Lucarinus nonneminem, sublimi dignitati subductum, navi non absimilem dixit, quæ contractis velis, epigraphen sustinet; NEC TUMESCUNT IN ALTUM. Nam mens humana, intra privatæ vitæ conditionem se recipiens, vix ullis superbiæ, cæterorumque affectuum ventis turgere potest. Emblemati explicando hanc strophã subjecit;

Ite vani pensieri, cure mordaci,
Non sia ch'avida fame
D'oro, e d'onor mai più m' allett, ò chiame
Che la vela del cor, mentre è legata,
A i venti in alto ancorà chiude l'entrata.

Eodem planè sensu S. Bernardus; *In te consisto, non infra dejici, non suprà attolli, non evadere in longius, non extendi in latius petas. Tene medium, si non vis perdere modum, locus medius tutus est: medium sedes modi, & modus virtus.* Et Ovidius, paulò antè adductus;

S. Bern. l. de Consid.

Tu quoque formida nimium sublimia semper,
Propositique precor contrahe vela tui.

Ovid. lib. Trist. Eleg.

In mort Mariæ V Assumptio,

71. Idem virtuosæ ac emeritæ cujusdam personæ mortem Navis Emblemate significavit, quæ è portu soluta, epigraphen tulit; SOLVITUR ONUSTA. Huic metaphoræ assentiens S. Maximus; ait; *Beati Patris Eusebii merita securi magnificemus: qui PLENAM cœlestibus DIVITIIS, & æternis mercibus NAVEM optato in littore collocavit.* Mariâ Virgine ad cœlos assumptâ, attoniti exclamârunt Angeli; *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Hunc locum interpretatus S. Hieronymus, ait; *Quasi virgula fumi, quia gracilis & delicata, quia Divinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pii amoris.* Et paulò post; *Ut virgula fumi, ex aromatibus nimi-*

S. Max. H. 10. de S. E. seb.

Cant. 3. 6. S. Hieron. Tom. 9. E. 10. ad Pa lam & E stoch. de B V. Assump Cant. 3. 6.

nimirùm quia multis repleta est virtutum odoribus, manans, ex ea fragrabat suavissimus odor. Atque adeò navis hæc sacratissima, cùm ad cœlestem portum appelleret, tanto virtutum cumulo erat gravida, ut suâ fragrantiâ purissimos illos spiritus in admirationem raperet.

72. S. Matronianus, Eremita Mediolanensis, jamjam acturus animam, sacram Eucharistiam Angelorum manibus accepit. Unde in illius honorem Emblematis loco Navim depinxi, quæ è portu solvens, epigraphen tulit; POENU REFERTA RECEDIT. Navis quippe nunquam è littore proficiscitur, nisi sufficiente commeatu instructa. Ad hoc propositum B. Ludovicus Bertrandus dicere solebat; *Servi Dei Eucharistici cibi sumptione navigant.*

Communio in morte. *In vita B. Lud. Bertrandi c. 17.*

73. Virtutem nunquam non esse invidiâ superiorem, haud obscurè è Navi conjicies, quæ explicatis velis in vasto mari progrediens, à Lucarino epigraphen cepit; PANDIT IN ALTUM. Ita persona spiritualis, ex infero hoc mundo penitus sublevata, suos affectus omnes versus cœlum dirigit. S. Gregorii Nazianzeni consilium est;

Virtus insignis. Contemplativus. *S. Greg. Naz.*

Eja age, & hinc omnem mundum, fascesque relinquens,
In cœlum cursu dirige vela tuo.

74. Ad funebrem Isabellæ Borboniæ, Hispaniarum Reginæ, pompam, Mediolani celebratam, Emblematis loco navim depinxêre, quæ carbasis versus ventum explicatis, epigraphen tenebat; SECUNDANTI OBSEQUOR. seu melius; AFFLANTI, vel, SPIRANTI, OBSEQUOR. Innuebant videlicet; generosam Reginæ illius mentem in vita & morte nunquam fuisse à Divina ordinatione alienam. Alciati consilium est; *Quà Dii vocant, eundum.* Justus Lipsius; *Mors medicina malorum est, & in mundi refugium, & his fluctibus portus, quem Christianus nunquam fugiat, & per hæc tempora (Deo vocante) totis velis in eum feratur.*

In morte. Conformitas. Obedientia. *Alciat in titulo Emblematis 5. Lips. Admirand. lib. 4. cap. 1.*

75. Navis in mari subscriptionem è Virgilio accepit; PER VARIOS CASUS. Geminum hunc vitæ humanæ typum dixerim. Appositè Justus Lipsius; *Vita hæc*, inquit, *quam eripi lugemus, ludibriorum scena, miseriarum mare, per quod ut maximè ex voto feratur navis, tamen in multos scopulos impingas, multis vadis adhærescas necessum est.* Et Seneca; *Turbo quidam animos vestros rotat, & involvit fugientes, petentesque eadem; & nunc in sublime alligatos, nunc in infima allisos rapit.* Quin, ut compendio dicam, vitam adeò variam vivimus, in qua, teste S. Gregorio Nazianz. *neque adversitas, neq; prosperitas nobis constat, sed quàm ociisime in diversum mutatur, & transilit.*

Virgil. lib. 1. Æneid v. 208. Vita humana. *Lips. Cent. 1. Epist. 61. Senec. de vita beat. c. 28. S. Greg. Naz. Epist. ad Sophron.*

76. Doctor Aurelius Calinus inter Errantes Brixienses Symbolo suo Navim inseruit, quæ sub Lunâ, utpotè nobilissimæ illius Academiæ symbolo generali figurata, epigraphen tenebat; COMITE ERRANTE NON ERRAT. veluti diceret, se ab optimæ illius Academiæ doctrina, ceu à Planeta illustrissimo, gubernatum, nunquam extra veritatis milites deflectere posse. Haud aliter homo justus, tametsi vitiosâ aliorum societate utens, nunquam cespitat, sed tramite semper directo incedit. Talem se demonstravit Abrahamus fidelis inter Chaldæos idololatras; Loth pudicus inter lascivos; Joseph castus inter libidinosos; Eleazarus observans inter temerarios legis Mosaicæ prævaricatores. &c. S. P. Augustinus; *Peccata aliorum, bonorum societatem maculare non possunt. Neque enim boni communicant peccatis alienis, quibus utiq; faciendis non consentiunt; quamvis cum ipsis, qui ea faciunt, Dei sacramenta communicent.*

Justus inter malos. *S. Aug. lib. 4 cont. Cresfon cap. 26.*

77. Animum generosum è navi dignoscere licet, quæ jamjam portum subitura, epigraphen legendam offert; AUT INGREDI, AUT PERIRE. Militem illum hoc Emblema spectat, qui vel auxiliares copias in monumentum quoddam adducere; vel vitæ jacturam sustinere decrevit. Otiosum verò existimavi, rem præsentem pluribus exemplis stabilire, cùm veteres ac hodiernæ historiæ passim iisdem respersæ sint. Ita Magnanimus aut negotium suum perficere, aut vitâ cedere statuit; Nam Tullio teste, *Magnanimitas est virtus spontanea, difficilium aggressio, & rationabilis.*

Magnanimus. *Cicero lib. 1. de officiis.*

78. Navis non se ipsam duntaxat, sed insuper merces sibi concreditas sustinet. Unde Lucarini lemma; ET SUSTINET INVECTA. Boni principis, aut affectuosi Patrisfamilias hæc idea est, qui non suis tantùm, sed & subditorum, filiorum, servorum, cæteræque familiæ suæ commodis ex æquo invigilat. Seneca de Principe differens, ait; *Patrem quidem patriæ appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens, suaq; post illos ponens.* Suetonius Vespasianum miris encomiis celebrat, quod miserorum indigentias, sive publicas, sive privatas, opportunis beneficiis sublevare sit conatus. *Consulares INOPES quingentis annuis sestertiis SUSTENTAVIT. Plurimas per orbem civitates, terræ motu aut incendio afflictas, restituit in melius.* S. Hieronymus eandem beneficentiam in Exuperio, Episcopo Tolosano, veneratur, qui se ipsum doloris pane sustentans, subditorum suorum egestatibus cumulatè providit. *Exuperius, Tolosæ Episcopus, Viduæ Sarephtensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente jejuniis, fame torquetur alienâ.* Hanc laudem cumprimis sibi vendicat purpuratus ille Mediolanensium Archipræsul, S. Carolus; qui vilissimo agrestium lupinorum alimento victitare solitus, suis subditis, famelicis, ac infirmis opem adeò liberalem tulit, ut eorum egestati sublevandæ non tantùm proprios principatus vendiderit, sed insuper uno die quadraginta millia coronatorum erogaverit; omnemque palatii sui supellectilem, ipsumq; adeò proprium suum lectulum in egenos distribuerit. *Uritano principatu vendito, pretium universum ad quadraginta aureorum millia unâ die in pauperes erogavit, & domesticam supellectilem, nec relicto sibi lectulo, in eosdem alendos contulit.*

Auxilium. Paterfamilias. Princeps. *Sen. lib. 1. de Clem. c. 14. Sueton. c. 17. Vita Vespas. S. Hieron. Ep. 4. ad Rust.* S. Carolus

79. Homo, fiduciam ac mentem suam omnem in caducis terræ vanitatibus defigere solitus, Navi non absimilis videtur, quam Abbas Ferrus hoc lemmate loquentem sistit; INNITAR FLUXIS. Opportunè S. Greg. Nazianzenus; *Quisquis venientibus, vicissimq; abeuntibus rebus confidit, ille utiq; FLUVIO, perenne labenti, CONFIDIT.* Et rursus; *Omnia mortalibus laboriosa sunt, omnia humana metus, risus, lanugo, umbræ, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus, navis vestigium, aura, pulvis, orbis quidam perpetuâ conversione similia omnia volvens, nunc stabilis, nunc rotans, nunc labilis &c.* S. Lucâ teste, Dæmon omnia mundi bona *in momento temporis* Servatori nostro videnda ob oculos posuit. Et quidem *benè in momento*, inquit S. Ambrosius; *in momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abiit, antequam venerit.*

Mundanus. *S. Greg. Naz in sentent. Idem Orat. de vita itineribus. Luc. 4. 5. S. Ambros in hunc locum.*

80. Fuit, qui navim inter minitantes maris tempestuosi scopulos ab anchora firmatam, hoc lemmate insigniret; NON ILLIDETUR. Verbis è Siracide mutuatis; *Non illidetur quasi in procella navis.* Innuebat videlicet, sub Mariæ Virginis patrocinio jacturam nullam esse pertimescendam. Porrò mentis nostræ navigium, à mortis memoriâ, ceu anchorâ saluberrimâ stabilitum, nullis unquam peccatorum scopulis

Eccles. 33. 2. Mariæ V. protectio. Mortis memoria.

S. Ant. Pad. serm 4. in Dom. 4. post Epiphan. scopulis quassari potest. Præclarè S. Antonius Paduanus; *Sicut anchora navem retinet, ne in saxis se frangat, sic mortis memoria vitam nostram retinet, ne ruat in peccata.* Illud ipsum argumentum in politicis usurpans Lucretius Borsatus, Emblematis loco Navim cum anchora & hoc lemmate figuravit; NE MERGAR. Ubi navis civitatem Cremensem, anchora verò optimum D. Antonii Longi regimen significabat, cujus prudentiâ ac virtute Respublica illa ab omni discrimine immunis degebat. (Prudentia gubernatoris.)

81. Navis, quamdiu integra persistit, felices in oceano progressus facit; at iniquâ sorte fatiscens ac disrupta, mox naufragio irreparabili mergitur. Unde lemma navigio inditum; DIVISUM MERGITUR. Idipsum de Republica dicere licet; quæ sicuti unione conservatur, ita discordiâ in extremam perniciem devolvitur. Dilucidè Servator, *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur. Domus enim & civitas,* interprete S. Joanne Chrysostomo, *si fuerit DIVISA, velociter DISSIPATUR, & etiam regnum, quo nihil est validius: firmat enim regna & domos subditorum concordia.* (Discordia. Luc. 11. 17. S. Io. Chrys. in Catena aurea.)

82. Navim prudentiæ symbolum interpretaberis; quippe quæ inter adversos ventos carbasa sua contrahens, epigraphen reddit; VENTIS DABO VELA SECUNDIS. Enimverò homo, quæstûs aut commodi sui studiosus, sagaci oculo opportunas loci ac temporis occasiones omnes explorat. Seneca; *Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris, & prout rerum ac temporis varietas exigit, ita te accommodes tempori: nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes, sicut manus, quæ eadem est, cùm in palmam extenditur, & cùm in pugnum adstringitur.* (Prudentia. Senec. de 4. Virtutibus.)

83. Victorius Amedeus Sabaudiæ Dux, ob controversias inter Galliarum Reginam & Ludovicum XIII. ipsius filium compositas, à Patre Juglari navim Emblematis loco accepit, quæ inter duas insulas progrediens, mutua illarum commercia conservare solet. Epigraphen subjunxit; ITINERE DISSITA JUNGIT. Ut adeò videri possit, Serenissimum illum Ducem pectori suo hanc Tullii doctrinam altum habuisse incisam; *Homines hominum causâ generati sunt, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint.* Et rursus; *Fructus ingenii & virtutis, omnis prostantiæ tunc maximè capitur, cum in proximum quemque confertur.* (Pacem componere. Cicero 1. Offic. Idem lib. de Amicitia.)

84. Idem Dux Victorius Amedeus, quod Astam, Vercellas, Albam di Nizza, aliasque suas civitates propugnaculis muniisset, à Patre Juglari, symboli loco, navim recepit, quæ numeris omnibus absoluta, necdum tamen in mari collocata, epigraphen tulit; ARTEM HANC DOCUERE PROCELLÆ. Nullum quippe opportuni præsidii capiendi magistrum validiorẽ habemus, quàm intentatas & ignominiosas hostium minas, explorata enim ac imminentia pericula vim arcanã nobis inferunt, ad optimam quamque tutelam providendam. Quare S. Hieronymus Heliodoro persuasurus, ut vel è mundi pelago ad solitudinis portum eluctetur, vel saltem spiritus sui navim adversus quosvis hostium assultus solicitè muniat, ait; *Ego non integris rate, vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum prœmoneo, sed quasi nuper naufragio ejectus in littus, doctus nauta, tumidâ navigaturis voce denuncio. Nolite credere, nolite esse securi! licet in modum stagni fusum æquor arrideat; licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur: magnos hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis: expedite rudentes, vela suspendite: crux antennæ figatur in frontibus &c.* (Calamitas docet. S. Hieron. Epist. 1 ad Heliod.)

85. Navis, in alto mari fluctuans, epigraphen tenet; ALIIS PRÆSTAT OPES. Bellam hanc hominis liberalis aut Eleemosynarii ideam dixeris, qui suas opes munificâ manu in egenos dispensat; vel etiam viri litterati, qui omnes sapientiæ ac Doctrinæ suæ thesauros aliis communes facit. Ita bonus Princeps, divitias, in ærario suo cumulatas, beneficentiâ maximâ in alios distribuit. S. Petrus Chrysologus; *Est consuetudinis, est animi felicis, ut adscitus ad regnum, quod fuit proprium, quod privatum, mox parentibus, mox propinquis civibus indigentibus, liberaliter prorogârit: ne sit mendicus animo, qui censu functus, & honore.* (Eleemosynarius. Docere. Princeps liberalis. S. Pet. Chrys. serm. 29.)

86. Improvisam ac violentam alicujus mortem Abbas Ferrus navis Emblemate significavit, quæ intra pelagi tempestatem submersa, hanc è ruderibus suis epigraphen monstrabat; VIS INOPINA RAPIT. Apposite Horatius; (Mors improvisa. Horat. lib. 2 Carm. Od. 13)

> ------ *Improvisa lethi*
> *Vis rapuit, rapietque gentes.*

Eodem argumento Justus Lipsius malignam invidiæ violentiam ob oculos statuit. *Ut navim,* inquit, *interdum improvisus vortex absorbet; ita homines nigra Dea invidia, præsertim eos, quibus indoles melior, & ingenium supra annos.* Et prior illo Silius Italicus; (Invidia. Lips. Cent. Epist. 42. Sil. Italicus lib. 16.)

> *O dirum exitium mortalibus, & nihil unquam*
> *Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes*
> *Invidia.*

87. Persona aut familia, præcipiti aliorum consilio in extremam perniciem devoluta, miseram navim imitatur, quæ adversus scopulos allisa ac disrupta, à Carolo Rancato inscriptionem è Virgilio recepit; PRÆCIPITI DELATA NOTO. Josephus, Zachariæ filius, & Azarias, cùm inanis gloriæ vento compulsi, adversus gentiles confligere molirentur, stragem gravissimam perpessi sunt, uti prolixè testatur Machabæorum Historia. Senecæ sententiâ, *Maximè sunt contraria consilio festinatio & ira. velox consilium sequitur pœnitentia.* (Virgil l. 7. Æneid. Consiliũ præceps. 1. Mach. 5. 16. Senec. lib. de Ira.)

88. Navim, ab adverso vento incursatam, D. Didacus Saavedra opportunè hoc lemmate insignivit, IN CONTRARIA DUCET. Principis hoc documentum esto, ne à quorumvis eventuum violentiâ sese in transversum agi patiatur, sed instar periti naucleri etiam ex adversis casibus profectum capere discat. S. Gregorius Nazianzenus; (Prudentia. S. Greg Naz. lib. 1. sentent.)

> *Fluctus, peritus effugit rector, graves;*
> *Sapiensque duræ sortis adversa omnia.*

Vaferrima quidem erat Saulis invidia, dum Davidi certissimam mortem machinaturus, eum in hostium fronte collocari jussit; at David è persecutione illa tantùm incrementi est sortitus, ut supremam militiæ gloriam, ipsumque adeò regnum retulerit. Justus Lipsius; *Ut in mari alii aliàs venti, gubernator tamen rectum cursum tenet, nec deflectit mentem, aut oculos à proposito portu: ita nobis esse debeat, recta petere, prosequi, nec ejici ira; adversante aliqua judiciorum aut sermonum aura.* Eâdem metaphorâ S. Clemens Alexandrinus veri cujusdam Magistri prudentiam describit; *Quemadmodum gubernator non semper cedit ventis, sed contra proram obvertens, universis resistit tempestatibus: ita pædagogus legibus, quæ sunt in mundo, nunquam cedit, nec eis puerum, tanquam cymbalum, in libidinosam vivendi rationem impellere permittit: sed solo secundo veritatis spiritu in altum sublatus, clavum pueri, aures inquam, fortiter tenet; donec inoffensum puerum in portum virtutis produxerit.* (Lips. Cent. singul. ad Ital. & Hisp. Epist. 28. S. Clem. Alex. lib. 1. Pædag. cap. 7.)

89. Idem Saavedra navim symboli loco expressit, quæ adversus terram allisa & disrupta, solos nautas ac merces non sine gravi labore incolumes relinquebat. Epigraphen addidit; MINIMUM ELI-

Prudentia. ff. de reg. jur. l. quotiens cum ibi alle: contra ad l. Acquil. l. ita vulnerata. Tacit. l. 11. Anna.

ELIGENDUM. verbis ex illo Juridicorum canone desumptis; *De duobus malis minus est eligendum.* Atque adeò deperditis facultatibus, vitam nostram omni studio conservari oportet. Tacitus testatur, *Validam, & laudatam antiquitatem, quoties fortuna contra daret, saluti consuluisse.*

90. Navis, jamjam naufragium factura, epigraphen sustinet; FRAUDE SERENI. ad verbum Virgilius;

Virgil. 5. Æneid. v. 850.

Et cœli toties deceptus FRAUDE SERENI.

Deceptus. Virgil lib. 6 Æneid. v. 870

Illius hæc idea est propria, qui nimium fidens, tandem in extremam perniciem abripitur. Æneas, submerso Palinuro illachrymans, in has querelas erumpit.

O nimium cœlo & pelago confise sereno,
Nudus in ignotâ Palinure jacebis arenâ.

Lips. in Panegyr. Plin. Idem Centur 1. ad Belg. Ep. 18.

Verissimè Justus Lipsius; *Falsus amor plus nocet, quam professum odium.* Et rursus; *Quamdiu æquor hoc vitæ navigamus, tamdiu fluctus: & interdum SERENUM aliquod si blanditur, decipit, & ferè tempestas major succedit.*

91. Navis, acu magneticâ versus Cynosuram directâ, ab Abbate Thesauro epigraphen recepit; CONSILIORUM GUBERNACULUM MENS DIVINA. S. Dionysii Areopagitæ documentum est;

Religio. S. Dion. Areop. de Divinis nomin. c. 3.

Antequam aliquid agamus aut dicamus, maximeque quod ad Deum pertineat, à precibus nobis ordiendum est, non ut vim illam ubique præsentem, & nusquam absentem, trahamus, sed ut Divinis commemorationibus, invocationibusque nosmetipsos & tradamus ei, & conjungamus. Rex Persarum Cyrus filio suo Cambysi id præceptionis dedit; *Ut nihil publicum vel privatum ageret, nisi prius ad Deum confugeret.* Scipio Major, T. Livio teste, *Ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius ullam publicam, privatamque rem egit, quam in capitolium iret, ingressusque ædem (Jovis) consideret. &c.*

Xenophon. l. 8. Cyripedia. Livius l. 26

92. Lælius Martinengus, Academicus inter Errantes Brixienses Concussus, navim symboli loco prætulit, quæ inter tempestates jactata, subscriptionem monstravit; MEMINISSE JUVABIT. Verbis è Virgilio mutuatis;

Calamitas superata. Virgil. Æneid. v. 206.

----- *Revocate animos, mœstumq; timorem*
Mittite: Forsan & hæc olim MEMINISSE JUVABIT.

Opportunè Seneca;

Senec. Hercul Fur. Act. 3.

Quod fuit DURUM PATI,
MEMINISSE dulce est.

Et quidem prævias ærumnas miram ac jucundam è vestigio subsequi voluptatem, author locuples est Aristoteles, qui, rebus compluribus in hoc argumentum expositis, tandem concludit; Et hoc quoq; dictū est; *Jucundum est postquam salvus fuerit, recordari laborum, atq; etiam lætatur vir post labores, cùm multa tulisse, & multa egisse recordetur.* Hunc locum eruditè interpretatur S. Thomas Aquinas; cui facem prælucens Magnus Augustinus, ait; *Triumphat victor Imperator & non vicisset, nisi pugnavisset. Et QUANTO MAJUS PERICULUM fuit in prælio, TANTO MAJUS GAUDIUM est in triumpho. Jactat tempestas navigantes, minaturque naufragium: omnes futurâ morte pallescunt, tranquillatur cælum, & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis.* Compendio ac nervosè è Poëtis nonnemo cecinit;

Arist. l. 1. Rhetor. S. Tho. 1. 2. q. 32 art. 4. S. Augustin. l. 8. Conf. c. 3.

Gaudia præteriti cumulant inopina dolores.

Cui, Plutarcho referente, affine est Euripidis poëma;

Plutarch. l. 2 Sympos.

---*Quam dulce est, servatum meminisse dolorum!*

93. S. Carolo, in Divorum Cælitum album relato,

Mediolani navim Emblematis loco suspenderunt, quæ à flammulæ Ledeæ radiis, supra antennam resplendentibus, illustrata, epigraphen monstravit; CERTA SALUS. Eoque ingentem ac saluberrimam S. Caroli versus quosvis periclitantes clientes suos beneficentiam significabant. Propriissimum tamen illum Mariæ virginis typum dixerim, quæ mentes sibi devotas per vastissima orbis discrimina securos & incolumes manuducere consuevit. S. Anselmus ad Deiparam conversus, ait; *Tantummodò itaque velis salutem nostram, & revera nequaquam salvi esse non poterimus.* Eodem planè argumento D. Primus Aloysius Tatti navim in mari turbato figuravit; quæ à stella, supra antennam illucescente, irradiata, subscriptionem tulit; UNA SALUTEM. Innuebat videlicet, sanctæ Eurosiæ patrocinio quietem & salutem exoptatissimam in civitates aut Provincias eidem concreditas derivari.

S. Caroli protectio. Mariæ V. protectio. S. Anselm. lib. de Excell. Virg. c. 12. S. Eurosia.

94. Navis in mari nunquam quiescere aut firmari solet. Lemma; ÆTERNUM FLUCTUAT. seu NEC REQUIES ULLA. Ita omninò peccator assiduis animi turbis & continuâ inquiete jactari solet. Unde ubi nos de Caino legimus, quòd *habitavit profugus in terra*, Septuaginta vertunt, *habitavit in Naid*, id est, fluctuatione. Hunc ipsum effectum in homine invido deprehendit S. Augustinus; *Invidus vir, inquit, similis est navi, quæ jactatur in fluctibus maris, nam in perturbatione semper est.* Hâc de re prolixum vide Concionatorem Historicum R. P. Michaelis Pexenfelder fol. 86. & seq.

Peccator inquietus. Gen. 4. 16. Invidus. S. Aug. Ep. 1. ad Inf.

95. Serenissimus Dux Mutinensis, Symboli loco, navim in alto mari præfert, quæ poli antarctici stellam, in crucis modum efformatam, sequens, epigraphen monstrat; NON ALIO SIDERE. Nimirum optimus Princeps Emblemate illo pietatem suam Christianam, & obsequium erga Catholicam Religionem testari volebat. Exinde præterea disces, è S. Cruce, ceu signo inter omnes calamitates securrissimo, summam felicitatem Christiano orbi portendi. Opportunè S. Andreas Cretensis; *Crux in tentationibus auxiliatur, in periculis dans salutem, in mœstitia solans, in necessitatibus opitulans, in mari gubernatrix, in calamitatibus refrigerium.* Ad hoc propositum S. Ambrosius Religiosum illum nautarum quorundam morem prolixè approbat, qui in navi sanctam Crucem, veluti certissimam tanti itineris cynosuram, omnium venerationi exponunt. *Benè navigant, inquit, qui in navibus Christi Crucem sicut arborem præferunt, atque inde explorant flabra ventorum, ut corpora sua dirigant ad sancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti atque securi, nec permittunt naves suas vago fluctu errare per maria.*

Religio. S. Crux. S. And. Cret. orat. 1. de Exalt. S. Crucis. S. Ambros. in Ps. 3.

96 Princeps religiosus, in quibusvis negotiis suis semper ad Deum defixus, ejusque amorem, fidem, ac reverentiam cæteris rebus omnibus anteponens, Navi non absimilem se probat, quæ Crucis constellationem unicè assecuta, epigraphen reddit; UNUM ASPICIT ASTRUM. Davidis hoc ectypon videri possit, qui ad Deum conversus, ajebat; *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* In hunc sensum S. P. Augustinus; *Quæsivi non à te aliquid extra te præmium, sed vultum tuum. Huic inquisitioni perseveranter instabo; non enim vile aliquid, sed vultum tuum Domine requiram.* Atque adeò Magnus ille Sionis Rex oculis suis elevatis, & in Deum assiduò defixis, eò unicè collineabat, ut voluntatis & complacentiæ Divinæ cynosuram nunquā excederet, propè gnarus, virtutem & animæ sanctitatem à Deo præ quâcunq; vultûs majestate aut cordis arrogantiâ in Principibus æstimari. Ne verò hâc de re quidquam ambigas, inter sexcentos alios

Princeps Religiosus. Psalm. 26. 8. S. August. in hunc loc. Imitatio.

unicum Eliabum, aspectu formosissimum, corpore procerum, ac majestate plenum, intucaris velim; cum enim à Samuele in Regem ungendus sisteretur, mox Deus illum aversatus, Prophetam hâc præceptione instructum dimisit; *Ne respicias vultum ejus, neq; altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum, hominis ego judico.* Nimirum, interprete Josepho Hebræo, dicere volebat; *Ego regiam dignitatem non constituo in præstantia & elegantia corporũ, sed in animi virtute: atq; quæro, quis perfectè sit illustris in pietate, industriâ, fortitudine, & in obedientiâ Divinis mandatis præstandâ.* Cæterùm navis, dum *unum aspicit astrum*, solam nempe polarem stellam; è Justi Lipsii sententiâ, Civitatis aut Reipublicæ typus est, quæ ad Majorum suorum exempla & operandi rationem gubernari consuevit. *Ut in navi dirigenda respectus habendus in Cynosura: sic in publica administratione, ad facta prioris ævi.*

1. Reg. 16. 7. — Joseph Hebr. l. 6. Antiq. c. 6. — Lipsius ad Annal. Tacit.

97. Vasta adeò maris est immensitas, ut navis, quantumvis magna, si oceanum subeat, in formam tenuissimam commutari videatur. Hâc de re Seneca; *Navis, inquit, quæ in flumine magna est, in mari parvula est.* Eo tamen non obstante, D. Aresius grandē navim in mari figuravit; addito lemmate, ET IN MAGNO MAGNA. Nimirum Ranutii I. Parmensium Ducis, magnanimitatem ac prudentiam, etiam in quibusvis summis negotiis maximam, significabat. De S. Joanne Baptista vaticinatus est Angelus; *Erit enim magnus coram Domino.* Quibus verbis prodigiosa utiq;, & exotica quædam S. Joannis magnitudo innuebatur; enimverò si, Isaiâ teste, *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram Deo, & quasi nihilum*, ille haud dubiè cum Deo, ceu infinitâ magnitudine, comparatus, molem minimè parvulam, sed grandem habeat, necesse est. Hanc tamen, S. Ambrosio asserente, *non corporis, sed animæ magnitudinem* intelligas velim; quippe quæ sola veræ & admirandæ magnitudinis nomen promeretur.

Senec. Ep. 43. — Prudentia. — S. Joan. Bapt. Luc. 1. 15. — Is. 40. 17. — S. Ambros. in hunc loc.

98. Navis onusta majore felicitate ac velocitate progreditur, quàm vacua: unde etiam, cursui stabiliendo ac promovendo, carina ponderoso saburræ acervo impleri solet. Quare Emblematis loco epigraphen subjunxi. ONERATA FELICIUS. Seu, ONERATA SECURIOR. Hinc beneficentiam, è morbo, paupertate, aut aliâ quâvis calamitate nobis accrescere solitam, conjicies. Certè S. Paulus, nescio quâ ærumnâ gravatus, pro eâ auferendâ Deum ardentissimis votis fatigabat; at conatu prorsus irrito; volebat quippe providentissimus Deus, ut ipsius anima è gravi illo pondere securitatem reciperet. Richardus à S. Victore; *Paulum postulantem à se auferri stimulum carnis suæ, melius exaudivit Deus, cùm non abstulit, quia si abstulisset, salvus non esset.*

Calamitas utilis. — Rich. Vict. in Cant. c. 35.

99. Navis in portu è latere spectanda, & à subjecto igne picanda & ungenda, epigraphen tenet; UT OCYOR ÆQUORA SULCET. Hinc constat, mentem nostram è calamitatibus & tormentis agiliorem effici, ad miserrimum præsentis vitæ pelagus tamdiu decurrendum, donec immortalitatis & gloriæ portum contingamus. Hanc veritatem probè edocta S. Agatha, *admotis candentibus laminis, & in acutis testulis, & ardentibus carbonibus volutata*, sereno ore ad Tyrannum conversa dixit; *Nisi diligenter perfeceris corpus meum à carnificibus attrectari, non potest anima mea in paradisum Domini cum palma intrare martyrii.* Dilucide Oseas; *In tribulatione manè consurgent ad me.* Et ad Deum suum Magnus Augustinus ait; *Imples tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi, omnes recurrant ad te, ne deliciis & securitate perversâ seducamur.*

Calamitas utilis. — S. Agatha. — Brev. Rom. 5. Febr. — S. Augustin. in Ps. 55.

100. Obedientiam promptam & indifferentem è navi discere licet, quę explicatis velis inter quoscunque ventos per Oceanum progreditur; cùm lemmate, QUO FORTUNA VOCAT; seu ipsiusmet navigii ore, QUA DUCITIS, ADSUM. Opportunè Paulus Maccius;

Obedientia. — Paul. Macc. Emblem. 42.

Si fatis obstare nequis, fine, fata volentem
Ducant, nolentem ne modò fata trahant.

In virtutis hujus palæstra militem veteranum se demonstravit Isaias Propheta, quando Divinâ illâ voce auditâ, *Quem mittam? & quis ibit nobis?* promptè respondit, *Ecce ego, mitte me.* Hoc nihil inferior Paulus, quamprimum cœlestem vocem perceperat, mox se totum Divinæ providentiæ permisit, *Domine quid me vis facere?* S. Bernardus; *Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis.*

Isa. 6. 8. — Act. 9. 6. — S. Bernard.

101 Navis in tempestuoso mari carbasa sua adversus ventum explicans, epigraphen tenet; DUM SPIRAT, SPERO. Vel Italicè; PUR CH' EGLI SPIRI, SPERO. Hominem, ab alterius ope aut patrocinio suspensum, hoc Emblemate significabis. In sensu tamen spirituali animam concernit, quæ Spiritus Sancti favore sublevata, tandem ad summæ felicitatis portum promovet. *Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ii*, Apostolo teste, *sunt Fi ii Dei.* Præclarè, ut solet, Magnus Augustinus; *Tunc benè agis, si à bono agaris.*

Auxilium. — Spiritus S. — Rom. 8. 14. — S. Aug. ser. 13 de Ver. Ap.

102. Principis prudentis beneficio cujusvis regni navigium ad veræ felicitatis portum appellit. Huic rei significandæ, navim in alto mari depinxi, quæ explicatis velis epigraphen tenet; DA' L' ARTE IL VOLO. Id est; AB ARTE VOLATUS. Verbis è Guidonis Casonii poemate mutuatis :

Prudentia. — Cason. Emb. morale 2.

Gran nave è il regno, è vasto mare è il Mondo:
Ma se Principe saggio in questo cupo,
E periglioso del Mundo
Questa gran Nave del Imperio regge,
Ella con certo, e fortunato corso
Al porto d' ogni ben velice arriva.

Aristotelis judicio, *Rempublicam conservant, primò bonarum legum inviolabilis auctoritas, secundò Magistratuum in munere obeundo prudentia, diligentia, & alacritas, tertiò populi erga Magistratum obsequiũ.*

Arist. l. 5. Polit. c. 8.

103. Jacobus Savellus Cardinalis se ipsum navis Emblemate figuravit, quæ inter maris undas à ventis incursata, lemmatis loco hunc titulum præferebat; AGOR, NON OBRUOR. Innuebat videlicet, res quasvis adversas nihil unquam detrimenti, sed contrà plurimùm commodi sibi creâsse. Certè acerrima Saulis persecutio militares Davidis progressus summis incrementis promovit. Casus ac cæcitas Sauli opportunissima dignitatis & illuminationis consequendæ instrumenta extitere. Filius prodigus à fame, ceu vento gratiosissimo, compulsus, ædes paternas auspicatò repetiit. S. Isidori judicio, *Valde necessarium est, justum in hâc vitâ & vitiis tentari, & verberari flagello, ut dum vitiis pulsatur, de virtutibus non superbiat; dum verò aut animi, aut corporis dolore atteritur, à mundi amore reservatur.*

Calamitas utilis. — S. Isid. l. 3. sent. c. 1.

104. Navis in vasto mari inter innumeras undas fluctuans, lemmatis loco illam S. Gregorii Nazianzeni gnomam præfert; NON TOTAS SIMUL. *Nam*, interprete Nicetâ, *ne ii, quidem, qui navigant, totum simul pelagus prospiciunt, ne alioquin nauseam hinc contrahant. Verùm de die in diem itineris spatium tollentes, sensim, tacitisq; progressibus cursum eum omnem, quem sibi proposuerant, absolvunt.* Ita omninò

S. Greg. Naz. in Tetrast. — Nicetas. — Sensim.

negotia

negotia nostra non quidem unico momento, sed sensim, & ad temporis dimensum perfici cupiunt.

105. Qui facultatibus omnibus liberâ voluntate abdicatis, religiosam paupertatem auspicatur; ab Abbate Certano navi non absimilis dicitur, quæ in præsentis naufragii discrimine saluti suæ consultura, merces omnes in maris tempestuosi undas ultrò abjicit: cum dicto, PEREANT, NE PEREAM. S. Basilius; *Dum adhuc est tempus, priusquam ad perfectum naufragium deveniat, graviora onera deponat, & antequam navis immergatur, merces ejicias, quas injustè quæsivit.*

Paupertas voluntaria

S.Basil. Orat. 4 de Pœnitent.

106. Navis, mercibus omnibus in turbati oceani undas ejectis, Emblematis loco epigraphen retulit; AFFERT JACTURA SALUTEM. Christinam, Suecorum Reginam, hæc effigies spectabat, quæ salutis æternæ portum consecutura, proprio regno nuntium remisit. Emblematis mentem sequenti epigrammate explicat Jo. Bapt. Bargiocus;

Paupertas voluntaria

Bargioccus l.2.Epig.106.

Mercibus ejectis affert jactura salutem,
Cùm pavet in tumido Navis onusta salo.
Tu benè cauta timens mundi, Christina, procellas,
Te regno prosperas exonerare gravi.
Nam pelagi insanos fluctus, ventosque furentes,
Si gravis est auro, rara carina fugit.

S. P. Augustinus; *Ut ad regnum cœlorum veniret, dives possessione suâ obtinere non potuit; nunc obtinet, ut contemptâ perveniat.*

S.Aug serm. 8 de Verb. Apost.

107. Navis, à geminis anchoris è prora ac puppi adversùs tempestates firmata, Saavedrâ authore inscriptionem sustinet; CONSULE UTRIQUE. Enimverò in quibusvis negotiis principio ac fini ex æquo prospicias, necesse est. Tacitus; *Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an, quod inchoatur, Reipublicæ utile sit, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit? Simul ipse, qui suadet, considerandus est; adjiciatur periculo consilium suum, & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur.*

Consilium prudens.

Tacit. l.2. Hist.

108. D. Franciscus Visconti, recens inauguratus Cremonensium Episcopus, à nobilissima illa civitate inter sumptuosos arcus triumphales, innumeris numismatis, statuis, Emblematis, Symbolis, cæterisque honorum parergis exceptus est. Inter alia P. Leonardus Velli, insigne Societatis Jesu decus, Ecclesiam Cremonensem navis Emblemate repræsentabat, quæ explicatis velis per oceanum progrediens, Cynosuræ loco serpentem polarem præfixum habuit; addito lemmate, DUX NUNQUAM CONDITUS UNDIS. Innuebat videlicet, Ecclesiam Cremonensem ab optimo & vigilantissimo illo Antistite, ceu navim à gentilitio Præsulis hujus serpente, ad æternæ felicitatis portum deductum iri. Cæterùm Emblema hoc è Valerio Flacco desumptum est, ubi Nauclerus Tifus protestatur, se solâ serpentis polaris directione gubernari;

Vigilantia Prælati.

Val. Flac. l. 2. Argonaut.

Sed mihi DUX, vetitis qui NUNQUAM
CONDITUS UNDIS
Axe micat Serpens, septenosque implicat ignes.

De Prælatorum vigilantia ait S. Petrus Chrysologus; *Pastor adjungit noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio.*

Pet.Chrys. serm. 24.

109. Idem Emblematis loco navim statuit, quæ per oceanum gradiens, præviam polarem stellam sequebatur; cum lemmate, COELO DUCE. Imagine rursus è Valerio Flacco desumptâ, ubi de Tifo canit.

Val.Flac.l.c.

- - - Felix qui stellis segnibus usum,
Et dedit æquoreos COELO DUCE tendere cursus.

Mens Emblematis erat, Civitatem Cremonensem à congenita cœlesti potius quàm terrena Pontificis sui virtute ad æternæ beatitatis portum manuduci. Illud ipsum etiam Sanctis Magis est proprium, qui, stellâ Duce, ad salutis portum delati fuere. De his S. Leo; *Sequuntur tres viri superni luminis ductum, & prævii fulgoris indicium intentâ contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis, gratiæ splendore ducuntur.* Cæterùm Sacræ Scripturæ, ceu stellæ polaris lucidissimæ, directione, cuivis fideli per præsentis vitæ pelagus progrediendum est. Stephanus Cantuariensis super illis Deuteronomii verbis, *Sit cœlum, quod supra te est, æneum;* ait, *Mysticè cælum est sacra scriptura, ad hujus doctrinam vivere debemus, sicut nauta, qui semper habet respectum ad stellam.*

S.Magi. Prælatus.

S.Leo Serm. 1 de Epiphan.

S.Scriptura.

Steph. Cant. in Allegor. Tilman.

Deuter. 27. 23.

110. Idem Argonavim figuravit, quæ remis destituta, è puppi Orpheum, lyrâ ludentem, sustinebat; cum lemmate, IRE DOCET. Rursus ad verbum Valerius Flaccus canit;

Val.Flac l.1. Argon.

Nec verò Odrysius transtris impenditur Orpheus,
Haud pontum remo subigit: sed CARMINE tonsas IRE DOCET.

Innuebat videlicet, Ecclesiam Cremonensem ab optimo suo Præsule non quidem violenriis, sed suavissimâ prædicandi methodo, veluti lyrâ quâdam cœlesti, ad Divinum obsequium promoveri. De prudente ac opportuno Correctore epigraphen illam jure pronuntiaveris; CARMINE DOCET IRE; quippe qui dexterrimâ suâ suavitate humano pectori acres stimulos subjicere, & ad frugem revocare novit. Seneca; *Omnium honestarum rerum semina animi gerunt; quæ admonitione excitantur, non aliter quàm scintilla, flatu levi adjuta, ignem suum explicat.* Eandem omninò agendi rationem nobiscum observat Deus, de quo canit Prudentius;

Correctio suavis.

Senec.Ep.46

Prud.hym.7

Christe servorum regimen tuorum,
Mollibus qui nos moderans habenis
Leniter firmas, facilique septos
Lege coërces.

111. Navis, in turbato mari à duabus anchoris firmata, Henrico Farnesio authore epigraphen tenet; INCONCUSSA MANET. Significabat quippe, Imperii navim virtute ac doctrinâ, ceu geminâ anchorâ, stabiliri; ab illa enim justitiam, ab hâc verò operandi rationem sortitur. Porrò non abs re dixerim, Imperii navim etiam Legibus & armis sustineri. Justiniani Imperatoris dictum erat; *Imperatoriam majestatem non solùm armis decoratam, sed & legibus oportet esse armatam.* Cæterùm animæ nostræ navis tum demum tranquilla sistitur, quando geminâ gratiæ Divinæ ac cooperationis humanæ anchorâ firmatur.

Henr. Farn. Diph. Iovis l.1 Eleg 3.

Doctrina & virtus.

Iustin. Imp. in Proœm. Instit.

Gratia & coopera-tio.

112. Mirâ adeò charitate erga proximi sui salutem exarsit S. Ignatius Loyola, ut ab illâ persuasus, sese intrà congelatas aquas totum abjecerit. Quare D. Archangelus Conter facinus illud generosum Emblemate significaturus, navim expressit, quæ flammis in medio mari correpta, epigraphen tulit; NEC PONTUS EXTINGUIT. Hoc lemma illis Sacri Epithalamii verbis affine est; *Aquæ multæ NON POTUERUNT EXTINGUERE charitatem.* Nam *charitas*, S. Ambrosio teste, *adamante fortior & vinculum indissolubile. Nulla diluvia passionum charitatem excludere possunt, nulla eam acerbitatum flumina superare.*

S. Ignatius Loyola.

Cant. 8. 7.

S. ambr. l. de Isaac. c. 8.

113 Virum prudentem cuivis infortunio declinando parem esse, Henricus Farnesius è navi dignoscendum proponit, quæ inter maris tempestates progrediens, epigraphen sustinet; DUM CLAVUM TENEAM. Nimirum ad illud Poetæ dictum alludit;

Prudentia.

Omne malum prudens spernitque, fugitque.

Consilium

Achilles Bocchius, ut demonstraret, bono regimini summam è prudentia felicitatem accrescere, Navim in Oceano figuravit; quæ nautarum munia ex æquo ita habuit distributa, ut illorum aliqui rudentibus trahendis, ac velis explicandis; nonnulli remis impellendis, sentinæ efferendæ, aliisque alii sedulam conferrent operam: in puppi verò Senex quietus ac prudens cernebatur, qui clavum sustinens, hunc titulum Emblematis loco præfixum habuit; *Res consilii ope, haud viribus manus geri.* Imagini explicandæ sequens epigramma adjecit;

Achill. Bocch. Embl. 74.

Aspice, quàm satagant, totis qui viribus alnum
Sollicitant juvenes fluctibus in mediis.
En malos alii scandunt, trahit ille rudentes,
Per patulos audax cursitat ille foros.
Exhaurit sentinam alius, secat æquora tonsis
Certatim Remex, vela alii faciunt.
In puppi residens clavum tenet ille quietus,
At non quæ juvenum robora, strenuitas.
Quin multò majora facit, melioraque solus
Ipse suo præstans omnibus ingenio.
Res magnæ haud valido, haut veloci corpore fiunt,
Verum animi sensu, consilio, imperio.

Ciceronis judicio, *Non viribus, non velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio antiquorum & scientiâ; quibus non orbari, sed etiam augeri solet senectus.*

Cicero lib. de senectut.

114. Assiduum D. Caroli in virtute progressum mei Concanonici Regulares Mediolani, in Ecclesia de Passione, navigii Symbolo repræsentârunt, quod per Oceanum promovens, epigraphen monstrabat: NOCTE, DIEQUE. S. Joannes Chrysostomus in illa S. Pauli verba commentatus, *Quæ quidem retrò sunt, obliviscens; ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destimatum iter prosequor;* ait, *Qui jam se perfectum putat; nihilque sibi deesse ad virtutis absolutionem, is à cursu cessabit; quasi qui totum jam teneat, at qui se adhuc à meta abesse cogitat, is nunquam à cursu cessat. Hoc igitur & nos æstimare semper debemus, etiamsi sexcenta obiverimus virtutis officia: etenim si Paulus post sexcentas mortes, post tanta pericula hoc secum putabat, multò magis nos.*

Profectus

S. Io. Chrys. in Philip. 3.

115. Multæ naves, per Oceanum sparsæ, & nocturno cœlo versùs Phari cujusdam splendorem progressæ; epigraphen à me recepere; DIRIGUNTUR AB UNO. Ita omninò vastissimæ ac innumeræ Religiones unius Augustini, Benedicti, Dominici, aut Francisci Regulam, ceu Pharum illustrissimam, sequuntur. Eâdem prorsus ratione Civitatis aut Provinciæ cujusdam populus ad insignem Majorum suorum virtutem abripi consuevit. S. Hieronymus ad Heliodorum, Episcopum recens inauguratum, scripsit; *In te omnium oculi diriguntur, domus tua, & conversatio tua, tanquam in speculâ constituta, magistra est publicæ disciplinæ. &c.*

Religiosi

Exempli

S. Hieron. Ep. ad Heli.

116. Navis

116. Navis, explicatis velis citra ullam remigum operam per altum mare progrediens, à D. Gregorio Bolzi, nobili Congregationis Sommascenæ ingenio, epigraphen recepit; VIS NON VISA MOVET. Sanctam ædem Lauretanam hoc Emblema spectabat, quæ prodigiosâ Angelorum virtute Nazaretho in Dalmatiam, & inde Lauretum translata fuit. Emblemati explicando sequens distichon subjecit meus Concanonicus D. Salvator Carducius.

S. Ædes Lauretana.

Vis non visa movet volucrem per cærula puppim:
Dextera sic Superûm Tecta sacrata vehit.

Illud ipsum gratiæ Divinæ est ingenium, quæ quidem humanis oculis penitùs ignota, cor nostrum suavissimè manuducit. Eò, ni fallor, illa S. Joannis sententia collineat; *Spiritus ubi vult, spirat, sed nescis unde veniat, aut quò vadat.* S. P. Augustinus; *Valde occulta & abstrusa vis, quâ Deus agit, ut etiam illa, quæ sensu carent, confestim ejus obtemperent voluntati.*

Gratiæ vis occulta. Io. 3. 8. S. Aug. in Ps. 105.

117. Navim in alto mari hoc lemmate loquentem exhibui; AD ALTRO CIELO ASPIRO. Id est; ALIUM DESIDERO MUNDUM. Anima, Dei amore abrepta, votis omnibus ex hoc mundo levari desiderat. Jobum, obsecro, hoc exæstuantis animi impetu agitatum, audi; *Expecto,* inquit, *donec veniat immutatio mea.* Nec aliter Regius Vates; *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini?* Et S. Paulus; *Desiderium habens dissolvi.* In rem præsentem S. Cyprianus; *Considerandum est, fratres charissimi, & identidem cogitandum, renuntiâsse nos mundo, & tanquam hospites & peregrinos isthic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos isthinc ereptos, & laqueis sæcularibus exsolutos, paradiso restituit, & regno cœlesti. Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computemus: parentes patriarchas habere jam cœpimus: quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, & parentes salutare possimus.*

Mors expectata. Contemplativus. Iob. 14. 14. Psal 41. 3. Philipp. 1. 23. S. Cypr. lib. de Mortal.

118. Christianus, pronissimâ voluntate ad supremum è vita discessum accinctus, à Carolo Rancato Navi non absimilis dicitur, quæ è littore solutura, epigraphen legendam offert; PER GIRE A MIGLIOR PORTO. Id est; UT PORTU MELIORE QUIESCAM. Opportunè Petrarcha;

Mors exoptata. Petrarcha p. Canz. 1.

O aspettata in ciel beata, e bella
Anima, che di nostra humanitade
Vestita vai, non come l'altre carca:
Perche ti sian men dure omai le strade
A Dio diletta obediente ancella,
Ond' al suo regno di quà giu si varca
Ecco novellamente à la tua barca
Ch'al cieco mondo hà già voltele spalle,
Per girà miglior porto,
D'un vento occidental dolce conforto &c.

Seneca; *Optabilem rem existimabonā mortem: optimum est, memorabilem mori aliquo opere virtutis. Cùm aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur.*

Sen. Ep. 68.

119. Qui terrenarum voluptatum fastidio ductus, omnes mundi blanditias, veluti Sirenes fallacissimas, declinare, & è sæculo ad Religionis portum confugere molitur, navi se non absimilem probat, quæ è Sirenum conspectu plenis carbasis ac cursu celerrimo profuga, Carolo Rancato authore epigraphen monstrat; CANTUS TRANSVECTA TENACES. Verbis è Claudiano mutuatis;

Religiosus. Pœnitens conversus.

Anne aliud toto molitur carminis æstu
Mæonii mens alta senis? quod stagna charybdis
Armavit? quod Scylla canes, quod pocula Circe
Antiphatæ vitata fames? surdoq́; carina
Remige Sirenum CANTUS TRANSVECTA TENACES?

Claud. in laud. Serenæ Reginæ.

Eodem planè argumento Sidonius Apollinaris hominem quemdam flagitiosum repræsentat, qui lascivarum Sirenum consuetudine excussâ, saluti suæ prospexit; *Excussit cervices, atque Ulysseas, ut ajunt, ceras auribus figens, fugit adversum vitia surdus meretricii blandimenta naufragii.*

Libidinosus conversus. Sidon. Apoll. lib. 9. Ep. 6.

120. Civitas Mediolanensis Alphonsum Littam, Archiepiscopum suum recens inauguratum, sumptuoso apparatu excipiens, inter cætera Emblemata Navim depinxit, supra cujus malum Ledæa flammula resplendebat; addito P. Hortensii Pallavicini lemmate, OPPORTUNA REFULGET. Innuebat videlicet, novam illam lucem omninò opportunam, nec sine patriæ solatio accidisse, quæ integro biennio Pastore suo viduata, ingenti mœrore affligebatur. Porrò misericordia & providentia Divina solaminis sui radios pro cujusvis indigentia opportunissimè explicat. Ut adeò optimus Deus à Regio Psalte jure cognminetur, *Adjutor in opportunitatibus: in tribulatione.* Hunc locum interpretatus Franciscus Titelmannus, ait; *Adjutor factus est eis IN OPPORTUNO TEMPORE, nempe in tribulationibus eorum: Tunc enim opportunum solet, & gratum esse liberantis adjutorium, & jucundum esse potentis refugium.* Et S. P. Augustinus; *Omnibus modis medetur animis Deus pro temporum opportunitatibus, quæ mirâ sapientiâ ejus ordinantur.* Cæterùm prudentis Magistri sapientia, aut providi amici fraterna correctio, tempore ac loco congruo adhibita, nobilissimum humano pectori splendorem conferunt.

Gratia Dei opportunè venit. Psal. 9. 10. Titelm. in hunc loc. S. Aug. de vera Relig. cap. 16.

121. Navis, per vastum pelagus ad exoptatum portum deferenda, secundos ventos itineris sui comites habeat, necesse est. Unde Carolus Rancatus illam explicatis quidem, sed tamen flaccescentibus ac languidis velis è littore solutam figuravit; cum lemmate, OPTANTUR FLAMINA. Seu, MODO FLAMINA DUCANT. Ad verbum Claudianus;

Correctio fraterna. Claud. lib. 3. de laud. Stilicon.

Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,
Prospera non fessis OPTANTUR FLAMINA NAUTIS,
Ut tuus aspectus populo.

Eidem Emblemati P. Joannes Bartholomæus Pancierus, Augustinianus Exc. lceatus, subscripsit; INDIGET AURA. Ita omninò anima, in ignito piacularium flammarum oceano jactata, ut ad æternæ beatitatis portum appellat, afflante pietatis nostræ aurâ opus habet. Quin, omnis Christianus, ad virtutis viam inter tot tentationum fluctus felici pede decurrendam, præveniente ac concomitante Dei gratiâ tamdiu unicè indiget, donec salutis æternæ portum contingat. Unde S. Ecclesia, Deo supplex, illis Concilii Arausicani verbis utitur. *Largire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante eadē faciamus.* Et rursùs in oratione secreta, *pro itinerantibus,* Deum bonorum omnium largitorē precatur; *Et viam illorum præcedente gratiâ tuâ dirigas, & subsequente comitari digneris.* Præclarè ut cætera omnia, Magnus Augustinus; *Quod ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante & adjuvante,*

Anima in purgatorio. Gratia Dei. Concil. Arausic. cap. 2. S. Aug. Tom. 7. l. de peccat. merit. c. 18.

Mors desiderata. *vante non possumus.* S. Martyres, qui omnes mundi blanditias abominati, ad Paradysi portum anxiè suspirârunt, id unum assiduis votis volvebant, ut flantibus persecutionum ventis, desideriorum suorum compotes fierent: ut adeò cumprimis navim illam Emblematis loco sibi vendicent, à qua *optantur flamina.* Certè S. Cyprianus, de morte exoptatâ disserens, eâdem omninò venti metaphorâ utitur, *Quis non ad suos navigare festinans, VENTUM prosperum cupidius OPTARET, ut velociter caros liceret amplecti?*

S. Cypr. lib. de Moral. in fine.

122. D. Alphonsus Litta, Mediolanensem patriæ suæ Archiepiscopatum ingressus, à grandi illa Metropoli inter complura alia Emblemata Navim recepit, quæ in præviam Cynosuram defixa, epigraphen tulit, NON ALIAM ASPICIO. Innuebat videlicet, totius populi oculos è Magno illo Præsule suspensos esse, ut ipsis ad Divinæ ac Christianæ perfectionis viam, secundo gressu decurrendam, cynosuræ loco præluceret. Alludebat, nî fallor, Emblematis Author ad illa S. Hieronymi de Heliodoro Episcopo verba; *IN TE OMNIUM OCULI DIRIGUNTUR, domus tua, & conversatio tua, tanquam in specula constituta, magistra est disciplina publicæ.*

Dependentia.

S. Hieron. ad Heliod. Episc.

123. Antonius Perenottus Grammuela, Cardinalis & Archiepiscopus Malinesius, vir Maximus, Symboli sui loco navim exprimi fecit, quæ explicatis velis in tempestuoso mari progrediens, hunc titulum præfert; DURATE. Seu, ut lemmatis naturam induat: DURABO. Volebat nimirum optimus Antistes generoso ac invicto suo exemplo omnes subditas Provincias ad Regis Catholici obsequium, etiam inter quasvis seditiones conservandum, animare. Unde Michaël Eizinger in illius encomium, epitaphii loco, sequentem *Hospitis* & *Aulici* dialogum statuit;

Perseverantia.

Mich. Eizing. in Leone Belgico.

H. Quis cubat hic, modicâ Magnus tellure sepultus?
A. Grandia cui celsos vela dabant titulos.
H. Cur pelagus vitæ sulcans, DURATE secundis
Inquit? A. Ne quondam nomina parta cadant.
Clara illa imperio Caroli, regnoq; Philippi,
Quorum consiliis præfuit arte potens.
H. Ergò manu clavum strinxit? navimq; gubernans
Duravit, fatis? A. Insuperabilibus.
H. Atne diu? A. Decies septenos vixit in annos,
Sequanicique fuit gloria prima soli.
H. Quo capitur portu? A. Cunctis quo meta laborum &c.

Ioseph. Hebr. lib de Mach.

Argumento non absimili Josephus Hebræus heroicam Eleazari constantiam, etiam inter extremas persecutionum ac cruciatuum tempestates invictam repræsentat. *Servavit,* inquit, *contra omnes procellas, tempestatesque insaniæ sancti corporis navem, quam nullis turbinibus à vero dissolvit itinere, jactata quidem tyrannicis fluctibus, infracta tamen permansit: tenensque iter suum ad salutis portum pervenit.*

124. Paulus Maccius cordis afflicti angustias significaturus, navim inter duos scopulos expressit; cum lemmate, PERICULUM ANCEPS. Emblemati explicando sequentem poësin subjunxit;

Vela dare inter scyllam, implicatamq; Charybdum
Dicitur, ancipiti quisquis discrimine septus
Hæret, quò tendat; dum tendere tentat utroq;.
Gloria quanta foret, si eludi posset utrumque!

Prosperitas & adversitas.

S. Aug. in Psal 74.

Homo inter geminos adversitatis & prosperitatis scopulos navigat, utrobique, ni caveat, allidendus. S. Augustino hortante, *Vita prospera nec sola eligenda est, & sola adversa vitanda; sed utraque cavenda est, illa ne corrumpat, ista ne frangat.*

125. Navis, in portu fixa, nullas tumultuantis Oceani minas pertimescit. Unde lemma ex Horatio mutuatum; NEC HORRET IRATUM. *Horat. in Epodo od. 2.*

Neque excitatur classico miles truci,
NEQUE HORRET IRATUM mare.

Ad hoc propositum Anacharsis interrogatus, quæ naves omnium essent securissimæ? respondit, *Quæ in siccum protracta sunt.* Certè nullis mundi fluctibus concutitur, qui se intra Cœnobium, seu portum tranquillissimum recepit; nec etiam ullo procellarum furore imposterum quassari potest, qui per assiduas alternantis vitæ undas tandem ad sepulchri arenam appulsus est. Imaginem tamen ii cumprimis sibi vendicant, qui superatâ perversi hujus sæculi formidine in cœlo conquiescunt, ubi *Mors ultra non erit, neq; luctus, neque clamor, neque dolor.* S. P. Augustinus; *Beati possident Hierusalem cœlestem sine angustia, sine pressura, sine diversitate & divisione limitum, omnes habent eam, & singuli habent totam, magnæ illæ divitiæ, non angustat frater fratrem, nulla ibi indigentia est.*

Religiosus.

Mortuus.

Beatus.

Apoc. 21. 4.
S. Aug. in Psal. 83.

126. Anacharsis Philosophus dicere solebat, navigantes nonnisi quatuor digitis, solâ nimirùm tabularum nautica latitudine, à morte distare. Ad hoc propositum canit Juvenalis; *Iuven. Sat. 12.*

I nunc, & ventis animum committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.

Quare Carolus Rancatus navim, in oceano fluctuantem, hoc lemmate notavit; CONTERMINA MORTI. Vita humana, assiduo naufragii discrimine formidanda; symbolo illo significatur. S. Gregorius Nazianzenus. *Quisquis navigat, naufragio propinquus est, eoque magis quò audacius navigat: eodem modo quisque corpore convestitus.* Id quod è paræmia illa haud obscurè discere licet;

Vita humana.

S. Greg. Naz. Orat. 27.

Calculum si rectè ponas, homini ubiq; naufragium est.

127. Petri Magellani navis, quod mundum universum emensa sit, Victoriæ cognomen accepit. Eò alludens Carolus Rancatus subscripsit; VITTORIOSA, ED EMULA DEL SOLE. Id est; VICTRIX, ET ÆMULA SOLIS. Verbis è Tasso mutuatis; *Tass. Ger. Liberat Cant. 15. stanz. 30.*

Tempo verrà, che fian d'Ercole i segni
Favole vile à i naviganti industri,
Ei mar riposti hor senza nome, ei regni
Ignoti ancor trà voi, saranno illustri.
Fia, che'l più ardito al hor di tutti i legni.
Quanto circonda il mar, circondi e lustri,
E la terra misuri immensa mole
Vittoriosa ed emula del sole.

Crucis sacratissimæ hoc symbolum est proprium, quæ à Sancto Antonio Paduano navi comparatur, *Crux Christi hæc est navis.* Eadem Sancta Crux etiam vocatus *triumphale lignum*, *& splendidior cunctis astris.*

S. Crux

S. Ant. de Pad. serm. Dom. 4. post Epiphan.

128. Vitam humanam, inevitabili mortis sententiâ dissolvendam, navis Emblemate significabis, quæ è littore promotura, epigraphen sustineat; PEREGRINAS IBIT IN AURAS. Carolus Rancatus ait, hâc imagine Ethnicam illam Ovidii mentem exprimi;

Vita humana.

Ovid. Ep. 10. Ariad. Theseo

• *Spiritus infelix peregrinas ibit in auras.*

Sira-

Siracide referente, homines quidam impii dixerunt; *Spiritus diffundetur tanquam mollis aër, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis &c.* Magis piè Seneca; *Omnis dies velut ultimus ordinandus est*; *de felicitate hominis ultimus dies judicat.*

p. 2. 3.

Senec. in Ep.

129. Navis, nonnisi assiduo labore cum marinis assultibus conflictata, tandem ad Indicas opes referendas appellit. Huic proinde Dominicus Gambertus illud Claudiani hemistichium lemmatis loco subjunxit; JUVAT IRE PER ÆSTUS. Enimverò victoriam nonnisi militari industriâ; & copiosam mercedem solo frequenti labore comparare licet. Seneca; *Generosos animos labor nutrit*; *laborem si recuses, parum esse potes. Non est viri, timere sudorem.* Ut adeò bene è Poëtis nonnemo canat;

Claud. 3. Stil.

Labor.

Sen. Ep. 31.

Per faticose vie vassi à la gloria.

130. Navis, quantumvis rudentibus sericis, puppi deauratâ, cæterisque ornamentis exculta superbiat, è portu tamen solvens, inevitabilem illam Virgilii gnomam præferre cogitur; FATIS INCERTA FEROR. Hinc Carolo Rancato authore, disces, hominem assiduo vitæ ac naufragii discrimine agitatum, è nobilitate, divitiis, cæteràque terrenâ pompâ nihil omninò securitatis emendicare posse. Nam, quod Salomon ait; *Nescit homo finem suum.* S. Gregorius Papa; *Tantò quisque sit ferventior in operatione, quantò & incertus est de vocatione: ut dum incertissimus quando morimur, semper ad mortem parati debeamus venire.*

Virg. l. 4. Æneid.

Vita humana.

Eccles. 9. 12.

S. Greg. lib. 12. Moral.

131. Prudens Nauclerus navigii carbasa adeò dexterè explicare ac inflectere novit, ut etiam adversos ventos in progressûs sui commodum vertat. Unde navim, inter adversa flamina luctantem, hoc lemmate insignies; ET TRANSVERSA FAVENT. Opportunissimè S. Paulus; *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Veluti diceret; calamitates, morbos, & ipsa etiam peccata, amicis Dei pronissimam proficiendi occasionem suppeditare. Cassianus in illum Apostoli locum commentatus, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; subjungit, *universa, non solùm prospera, verùm etiam quæ putantur adversa.* Et S. Bernardus; *Usque adeo siquidem in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, ut inter hæc omnia etiam ea, quæ nihil sunt, numerentur: molestia, morbus, & ipsa mors etiam, & peccatum &c.*

Damna utilia.

Rom. 8. 28.

Cassian. Collat. 6. cap. 9.

S. Bernard. Epist. 341.

132. Carolus Rancatus, naufragante navi, præcipuam tanti exitii causam in absentes naucleros rejicit. Unde illam hoc Virgilii lemmate circumscripsit; PAVIDI CESSERE MAGISTRI. Enimverò assiduâ experientiâ testatum habemus, Civitatem aut Monasterium, Principis vel Prælati sui præsentiâ destitutum, prono impetu in extremam vitiorum perniciem ruere. Nicolaus Lyranus ait; *Absentia boni Principis de terra sua, & boni Prælati de sua Ecclesia, frequenter sunt occasiones malorum in illis pullulantium: sicut præsentia gubernatoris est causa salutis navis, & ejus absentia periclitationis.*

Residentia neglecta.

Lyran. in 2. l. 2. Esdræ. c. 13. v. 7. & 8.

133. Tam immodica est avaritiæ humanæ fames, ut conquisitis opibus nunquam acquiescere, sed novis identidem accumulandis inter sexcenta Oceani discrimina inhiare soleat. Illam proinde navi non absimilè dixerim, quæ è portu solvens, Carolo Rancato authore illud Virgilii hemistichion lemmatis loco præfert; NEC PLACIDA CONTENTA QUIETE. Lucretius;

Avaritia inquieta.

Lucret. l. 3.

Ergò hominum genus incassùm, frustraq; laborat
Semper & in curis consumit inanibus ævum,
Nimirùm quia non cognovit quæ sit habendi
Finis, & omninò quò adcrescit vera voluptas.

Propertius;

Prop. lib 3.

Ergò sollicitæ tu causa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.

Et Horatius;

Horat. lib. 3 Od. 24.

---- Si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus.
Durataque solo nives
Mercatorem abigunt? Horrida callidi
Vincunt æquora navitæ.

Salomon ait, Avarum vivere *in tenebris & in curis multis, & in ærumna atque tristitia.* Unde S. Hieronymus, *Languor est pessimus, pro perituris opibus cogitatione torqueri, & in tristitia, in gemitu, in indignatione, in litibus, cassò illas labore conquirere.*

Eccles. 5. 16.

S. Hieron.

134. Persona præclara, à Rege Catholico, aut alio quovis Austriaco Principe, ad sublimem dignitatem evecta, navis Emblemate significari potest, quæ nobilissimis parergis exculta, à Carolo Rancato illud Virgilii hemistichion lemmatis vice recepit; VOCAT AUSTER IN ALTUM. Opportunâ hâc icone Spiritum Sanctum demonstrare licet, cujus impulsu ad virtutis ac summæ perfectionis incrementum promovemur. S. Gregorius, illum Jobi locum interpretatus, *Plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum,* ait; *Accipiter plumescit, cùm ad austrum alas expanderit: quia tunc unusquisque se virtutum pennis induit, cùm Sancto Spiritui cogitationes suas confitendo substernit &c.*

Minister Austriacus.

Virg. 3 Æn.

Spiritus S.

Iob. 36. 16.

S. Greg. in hunc locum.

135. Religiosus, è mundi cœno ad claustrum sublatus, demum tranquillam mortem, sine ullo vitæ innocuæ detrimento, obire solet: haud secus atque navis citra ullum terræ contactum per vastum Oceani iter tandem ad portum felici gradu appellit. Unde Carolus Rancatus illi epigraphen ex Ariosto subjunxit; NE TOCCO TERRA, E IN SICUR' ONDA CORSE. Id est; NEC TERRAM ATTINGENS, GRADITUR SECURA PER UNDAS. Emblemati explicando sequentem vernaculam Ariosti poësin accipito;

Religiosus moribundus.

Mors justi.

Ariost. Cant. 41. stanz. 23

O fallace de gli huomini credenza;
Campò la nave, che dovea perire.
Quando il Padrone, e i galeotti senza
Governo alcun l'havean lasciata gire.
Parve che si mutasse di sentenza
Il vento, poi che ogni huom vide à fuggire,
Fece che il legno à miglior via si torse,
Ne tocco terra, e in sicur onda corse.

S. Hieronymi judicio, *Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.*

S. Hier Ep. ad Cypr.

136. Navigium, velis è secundo vento turgentibus, geminum hoc adverbium instar lemmatis præfert, PROPERE, ET PROSPERE. Ita homo, afflante fortunâ, felices ac veloces rerum suarum progressus facit; Cæsar vix hostem conspicatus, mox illum ad internecionem delevit: unde dicere est solitus; *Veni, vidi, vici,* Alexander Magnus duodecim annorum intervallo vasta ac florentissima totius Orientis regna expugnavit. S. Franciscus Xaverius tempore non multo extremas Indiarum gentes sub Crucifixi labarum conduxit. Nullus tamen in quibusvis negotiis nostris secundior ventus est, adjutorio Dei. S. P. Augustinus; *Hæc est militia nostra; in hoc agone cùm confligimus, Deum poscimus adjutorem. Si enim*

Fortuna.

Adjutorium Dei.

S. Aug ser. 13. de Verb. Apost. cap. 9.

nos ipsi non adjuvat; non dico non vincere, sed nec pugnare poterimus.

Author proprii mali.

137. Carolus Bovius navim, adversus scopulum allisam ac disruptam, hoc lemmate notavit; VERBERE FRACTA SUO. Eorum hic typus est, qui propriâ imprudentiâ aut affectu præcipitati, malorum suorum authores evadunt. De Hannibale ait T. Livius; *Sentiebat Hannibal suis se artibus peti.* Nimirum illud Tullii de ipso pronuntiari poterat; *In tuum ipse mucronem incurras necesse est.* Opportunè meus Carducius;

Livius lib. 2. Bell. Punic.

Verbere fracta suo navis tumulatur in undis;
Apparat interitum sic sibi sæpè scelus.

Prudentia. Fortitudo.

138. Navigium, armamentis omnibus excultum, quamdiu stellæ polaris conspectu gaudet, nullas unquam tumultuantis Oceani minas pertimescit. Unde Dominicus Gambertus illi epigraphen è Martiali adjecit; PERICULA LUDIT. Certè prudentia è quovis discrimine triumphum refert. Generosa quoque Herculis, Alexandri, aliorumve fortitudo ipsis etiam periculis insultare, ac palmam extorquere novit. S. Hieronymus; *Iusti & fortis viri est, nec adversis frangi, nec prosperis sublevari: sed in utroq; esse moderatus.* Andreas Biancus;

Martial. l. 9. Epig. 47.

S. Hieron. in Ioel.

And. Bianc. lib. 4. Epig. 58.

Quod genus extimuit mortis Xaverius ingens,
Cujus virtuti meta nec orbis erat?
Per mare, per terras subeunti extrema malorum
Occurrit facies nulla timenda viro.
Cœli iras, pelagi rabiem, telluris hiatus
Risit, & infracto pectore cuncta tulit. &c.

Pœnitentiæ sacramentum.

139. Sacramentum Pœnitentiæ, seu secundam post naufragium tabulam, Lucarinus in navis quassatæ fragmento dignoscendum proposuit, quod nonnullis mercibus onustum, epigraphen tulit, ET PUTAMINA PORTANT. Opportunè Tertullianus; *Pœnitentiam*, inquit, *tu peccator ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum prolevabit, & in portum Divinæ clementiæ protelabit.*

Tertull. l. de Pœnit. in fin.

Iustus.

140. Symboli loco, aliquot naves plenis velis per oceanum progrediuntur; cum lemmate, AGUNTUR SPIRITU. Ad verbum S. Paulus; *Quicunque enim SPIRITU Dei AGUNTUR, ii sunt filii Dei.* Iustis enim congenitum est, benignam Spiritûs Sancti auram pronis mentibus excipere, & undique, gressu nunquam exerrante, assequi. S. Joannes Chrysostomus, illa Apostoli verba interpretatus, ait; *Non simpliciter dixit? Quicunque enim spiritu Dei vivunt: sed quicunque spiritu Dei ducuntur: ostendens, quod sic vult illum vitæ nostræ Dominum esse, ut gubernatorem navigii, & aurigam currus equorum: nec corpus solùm, sed ipsam etiam animam habenæ hujusmodi subjicit; neq; enim illam vult dominari, suoque quodam instituto vivere: sed & illius auctoritatem spiritûs potestati supponit. &c.*

Rom. 8. 14.

S. Io. Chry. in hunc loc.

Inimico ignoscere.

141. Navis, per Oceanum progrediens, nullum post se tramitem aut vestigium relinquit. Emblemati meus D. Alexander Luzon de Millares epigraphen præfixit; NEC TRAMES RESTAT. Ita odia nostra non sunt tantummodò celanda, sed omninò, quoad fieri potest, abolenda & extinguenda. Indies hoc Deo promittimus; *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Conditionem ponimus, & juxta eandem nobis ignosci volumus; neque hoc tantùm, sed & modum insinuare videmur, quem in remittendis aliorum debitis tenemus; quibus si injurias imperfectè tantùm, & è superficie condonamus, odii & iræ fomitem in corde retinendo; non est cur à Deo gratiam ullam speremus, qui dimidiatam salutem non præstat, sed integram; S. P. Augustinus; *Nemo potest accipere æternale, nisi prius temporale dimiserit; Ergò dimitte temporale malum, ut accipias æternale bonum.* S. Alexandrum Patriarcham Hierosolymitanum imiteris velim, cui cùm quidam aurum furto abstulisset, metuque perterritus, in Thebaidem fugiens, à latronibus captivus abductus fuisset; resciens id optimus pater, vinctum illum octoginta numismatis redemit; eoque revertente tam piè ac misericorditer usus est, ut è civibus nonnemo dixerit, *Nihil esse utilius, quàm in Alexandrum peccare.*

S. Aug. ser. 133. de Tem. cap. 7.

Sophron. in Prato Spir. cap. 34.

Vestium luxus.

142. Seneca asserente, *Navis bona dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, nec cujus tutela ebore cælata est, nec quæ fiscis ac opibus regiis pressa est, sed stabilis ac firma, & juncturis aquam excludentibus spissa ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox & consentiens vento.* Proinde Navem hoc lemmate spectandam propones; E BONITATE PRETIUM. Ita hominis pretium non è vestibus aut divitiis, sed ab interiore illius virtute metiendum est. Certè purpura & vasa argentea, ut pulchrè apud Clementem Alexandrinum dicit Comicus;

Sen. Ep. 76.

S. Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c.

Multùm Tragædis conferunt, vitæ nihil.

Ut adeò meritò exclamet idem Patriarcha Alexandrinus; *Pudet me ut verè dicam, cùm videam tantùm opum effundi ad tegenda pudenda.* Ad id, quod verè pulchrum est, contendebat Alexander Severus Imperator, cum humili vestitu incedens, ob id reprehenderetur ab aulicis; quibus respondit; *Imperatoriâ Majestas constat virtute, non corporis cultu.* Non dispar huic in dictis & factis Alphonsus Aragonum Rex; *Malo*, inquit, *moribus & auctoritate meos excellere, quàm diademate & purpurâ.*

Panormit. lib. 1. de Gestis Alphon.

Maria V.

143. Institoris navim hoc lemmate insignit P. Jacobus Masenius; MEDIAS PORTAT, NUTRITQUE PER UNDAS. Maria Virgo erga suos clientes utrumque illud adjutorium præstat. Ut adeò rectè ab Hesichio cognominetur, *Navis institoris, portans de longè panem suum.* Et alibi; *Navis mercibus referta, nullo egens gubernatore.* Et à Buteone, *Navis salutem quærentium.* Emblematis mentem hoc epigrammate explicat Author;

Hesych. or. de Deip.

But. hym. 92 p. 127.

Et portat Siculas Pinus Romana per undas,
Vectoresque suos nutrit onusta ratis,
Virgo suis ratis est, velut æquor fluctuat orbis:
Illa suos portat, nutrit & illa suos.

Superbia.

144. Navigium, inflatis nimiùm ex vento velis, mergitur. Unde Patres Societatis Jesu in Belgio epigraphen addidêre; SI TUMEAS, TIMEAS. Nempe ex Ambitione & arrogantia plurimùm periculi nobis accersimus. Et quid id adeò mirum sit? *quia*, teste Apostolo, *Deus superbis resistit.* Certè Saul à Samuele audiit; *Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es?* Id est, interprete S. Gregorio Magno, *Magnus fuisti mihi, quia despectus tibi: sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi.* Et alibi; *Evidentissimum reproborum signum est superbia; electorum verò humilitas.*

1. Pet. 5. 5.

S. Greg. 18 Moral. 20.

Idem l. 34 Moral. c.

Natator.

145. Navis, in mari mersa, epigraphen tenet; FIDE, SED CUI VIDE. In Natatores hoc symbolo uti licet; de quibus canit Ovidius;

Ovid. Epi. Heroid.

Arte laboratæ merguntur in æquore puppes;
Tu tua plus remis brachia posse putas?

Mundus fallax.

Porrò maris nomine Mundum intellige, cui quisquis fidit,

Aug. Ep. 45

fidit, æternum mergitur. S.P. Augustinus; *Quantum laudandi atque prædicandi, qui dignati non sunt etiam cum mundo florente florere, tantum increpandi & accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat.*

146. In naviculam Evangelicam, cùm è portu solvisset, venti procellosi quasi dato signo irruerunt, ac tantùm non obruerunt. Unde lemma; AGITUR RIMOSA PROCELLIS. Ita anima nostra in corporis naviculâ malè materiatâ navigat; hinc fatiscens, assiduam tentationum aquam haurit, & decumani malè compositorum affectuum fluctus præsentem continuò interitum minitantur. Quid multa? *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* Unde observat S.Hieronymus, Christum legislatorem nos non docuisse tentationes omninò deprecari *impossibile enim est, humanam animam non tentari;* sed ne inducamur in tentationem. Quod alio loco idem Dominus præcipiens, *Vigilate,* inquit, *& orate, ut non intretis in tentationem. Intrare in tentationem,* subdit idem S.Ecclesiæ Doctor, *non est tentari, sed vinci.* Tentata fuit castissimi Josephi pudicitia, at minimè victa: sollicitata Susanna, at ope Divinâ victrix evasit. *Erras frater, erras* (rursum S.Hieronymus Heliodoro loquitur) *Si putas unquam Christianum persecutionem non pati: tunc maximè impugnaris, si te impugnari nescis. Adversarius noster, tanquam leo rugiens, aliquem devorare quærens circumit; & tu pacem putas?*

Tentationes in corpore nostro assiduæ.

Sap. 9.

S.Hieron.

147. Navis oneraria, dum in flumine existit, ab uno alterove homine citra negotium in omnem partem trahi potest; cùm tamen in sicco reposita, vix centenorum viribus movenda esset. Unde navim onustam, & intra aquas à tribus duntaxat hominibus huc illucque impulsam, hoc lemmate notavit P. Sebastianus à Matre Dei. GRAVIA HIC LEVITANT. Mariæ Virginis hæc imago est, quæ leges ac præcepta, quantumvis servatu difficillima efficit levia, ac servantibus suavia. Unde non caret mysterio, quòd Decalogi Tabulæ in arcâ fuerint repositæ: *Arca enim* S.Ildephonso teste, *Deiparæ typus est;* ut enim legem exactè custodias, in arcâ, id est in Deiparâ, illam colloces; necesse est. Imò in arca præter Legem etiam manna asservabatur; ut disceret, te legem cum suavitate reperturum, si in arcæ, in Deiparæ patrocinio illam locaveris; ut quæ legem non solùm facilem, sed & jucundam, dulcemque efficit.

Maria V.

S. Ildeph. ser. 1. de Assumpt.

148. P. Blasius Palma Symboli loco Navim depinxit, cujus carbasa ventis tantò amplius restiterunt, quò validius firmata erant: addito lemmate, FIRMATA RESISTUNT. Ita homo, timore Domini firmatus, omnibus mundi, carnis, & dæmonis tentationibus validissimè resistit. Unde David; *Beati omnes, qui timent Dominum.* Compendio Magnus Augustinus; *Time Deum qui super omnes est, & hominem non formidabis.*

Timor Dei.

Psal. 127.

S. Aug. in Psal.

149. Ludovicus Brethe, Canonicus Regularis Cong. Gallicanæ, Emblematis loco Navim inter tempestates & procellas depinxit; addito illo Psaltis lemmate, OMNES FLUCTUS TUTOS INDUXISTI SUPER ME. Hominem, undique adversitatibus jactatum, hæc imago repræsentat. Christus patiens Divino Patri suo verissimè dixerit; *Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.* Nam, ut Christi ore prosequitur Euthymius, *In me irruit ira tua, quam delicta hominum in se concitaverant, ego tamen libens eam sustinui, & te placavi. Passione quippe ac morte meâ indignationem tuam omnem sedavi, veluti cùm quis plagam, in puerum delatam, in se suscipit. Livore enim,* inquit, *ejus sanati sumus, & Dominus tradidit eum peccatis nostris.*

Ps. 87.7.

Afflictus Christus patiens.

Euthym. in hunc loc.

150. Nihil navi in vasto Oceano prodest anchora, ubi cœlum obscurâ nube obductum, furibundâ tempestate fulminat, procellisque horrendis mare inquietat, & navis ipsa hinc inde volutata, antennisque & velis spoliata, sævientium ventorum ludibrio cedit. Itaque quum *non tali auxilio* se servari posse intelligant Nautæ, tremore perterriti, ad aliam opem confugiunt, tensisque manibus Cœlo supplicant. Unde Serenissimus Philotheus, Navim inter tempestates depinxit, quæ frustra jacta anchorâ, epigraphon præfert; NON TALI AUXILIO. Nos, dum in hâc vitâ, veluti in aperto volvimur pelago; pluribus fortunæ casibus agitati, necquidquam ad prudentiæ, nostræque virtutis anchoram confugiamus; præsertim ubi justa Divinæ iræ animadversio nos insequitur. Quo tempore omnium optimè suæ providebit securitati, qui abjectâ omnium terrestrium rerum spe, suarumque virium depositâ fiduciâ, omnem spem in illo ponet, qui anxietatum nostrarum haud ignarus, succurrere nostris miseriis, doloresque & ægritudines tam animi, quàm corporis submovere potest. S.P. Augustinus de se ipso fatetur; *Desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro.* Et alibi; *sive in affluentia rerum simus, sive in angustia, expectandus est Dominus, qui & quod verè bonum est det: & quod verè malum est, avertat à nobis.* Emblematis mentem hoc Epigrammate explicat Author.

Auxilium Dei in necessitatibus.

S. Aug. ser. 7. de Temp.

Idem ser. 245 de Temp. c. 1

Dum ruit, effusis & debacchtur habenis
Æolus, & pelago prælia sæva movet:
Ventis acta ratis jam scandit ad infima terræ
Tartara, jam subitis fluctibus astra petit.
Quid facias, Palinure, salo, frendentibus Austris?
Sistit inaccessas anchora nulla rates.
Non tali auxilio; *melioribus utere fatis.*
Respuit humanam, dum fremit æquor, opem.

151. Navis, in portu hærens, ubi ventus secundior spiraverit, spontaneâ fertur aurâ, suumque iter prosequitur. Emblemati subscripsit Serenissimus Philotheus; SPONTE TUA FEROR AURA. Ita prorsus afflante efficaci Divinâ gratiâ, sponte in omne virtutis genus ruimus, nec patimur nos in lubricâ mundi aut carnis arenâ detineri. S.P. Augustinus; *Ut mutaremur in pejus, nostra iniquitas fuit; ut mutaremur in melius, non nostra justitia, sed gratia Dei præstat.* Et rursus; *Gratia, quæ occultè humanis cordibus Divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Emblematis sensum ita explicatum accipe ab ipsomet Philotheo;

Gratia efficax.

S. Aug. in Ps. 68.

Idem l. de Prædest. SS. c. 8.

At sequar, & facili sulcabo cærula puppi,
Si mentem afflabis, spiritus alme, meam.
Affla, & vel tenui mulce mea carbasa vento,
Lenisque in proram lusitet aura meam.
Non etenim validos desidero mitior Euros;
Si modò vel leviter moveris, ipse sequar.
Quò fert aura, feror: Nec me superabit euntem
Quæ rapido trahitur concita cymba Noto.

RETE. NASSA,

CAPVT VII.

152. QUi sorte suâ contentus, nullum amplius illius incrementum ambit, Emblematis

Contentus suâ sorte.

loco fascem, è retibus colligatum, præferat; cum lemmate, NIL AMPLIUS OPTAT. Marcus Curius, Eques Romanus, in diversis occasionibus præclara animi moderati specimina dedit; ibi cumprimis, quando ingentem auri vim, à Samnitibus oblatam, generosè recusavit, cum dicto; *Curium malle locupletibus imperare, quàm ipsum fieri locupletem.* Idem, Rege Pyrrho ex Italia in fugam acto, *nihil omnino ex præda regia, quæ exercitum, urbemque ditaverat, attigit.* Rursus, cùm Senatûs Romani liberalitate cuivis septem agri jugera, Curio verò, utpote Belliduci de republicâ meritissimo, quinquaginta decernerentur, *ipse tamen popularis assignationis modum non excessit*; *parùm idoneum Reipublicæ civem existimans, qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset*; ut de illo refert Valerius Maximus. Illud ipsum Emblema etiam Caroli V. Imperatoris est proprium, qui intra S. Justi solitudinem receptus, Romanum Imperium fratri, Regna verò filio suo liberrimâ voluntate renuntiavit. Arsenius quoque, Arcadii Magister, relicta Imperialis aulæ majestate, pauperrimum desertum amplexus est. S. Alexius. S. Bernardus, S. Thomas Aquinas, aliique sexcenti, pessumdatâ ædium paternarum affluentiâ, præter paupertatis Evangelicæ quietem nil aliud desiderârunt.

Val. Max. l. 4 c. 3. n. 15.

153. Piscatores in Insula Chio, olim retibus suis in mare jactis, optimâ sorte tripodem aureum extraxere, qui vel vas erat, Apollinis sacrificiis destinatum; vel certè mensa rotunda, tribus pedibus subnixa. Quare piscatione adeò locuplete illecti, retia sua denuò solicitè explicarunt, rati, priore fortunâ se identidem esse beandos: at con. tu prorsus irrito; nam diu multumque fatigati, nec tripodem amplius, nec quodvis aliud laboris sui pretium tulerunt. Eò alludens D. Didacus Saavedra, rete vacuum, è mari extractum, figuravit; cum lemmate, NON SEMPER TRIPODEM. Veluti diceret, varios adeò rerum humanarum successus esse, ut non rarò iisdem omninò instrumentis eventus penitus adversos enitamur. Sic Alexander Magnus cum Macedonum suorum phalange innumeras passim victorias, ac gloriam, nullo unquam ævo intermorituram, est aucupatus. Vicissim verò alii, prudentiâ & robore nihilo inferiores, inter assiduam adversæ fortunæ stragem conflictantur. Judas Machabæus angusto militum suorum manipulo ingentes Regis Antiochi, Demetrii, Lysiæ, Apollonii, aliorumque exercitus confecit, at idem cum eodem omninò militum numerò adversus Bacchidem congressus, non jam pristinum felicitatis tripodem, sed manus vacuas, & ipsam etiam propriæ vitæ jacturam retraxit. Atque adeò ex uno successu prospero plures alios polliceri, in bellis præsertim, vix unquam licet, cùm assiduam cæli revolutionem ipsa etiam eventuum vicissitudo subsequatur, & non rarò eadem causa effectus prorsus contrarios pariat. Expertissimus in rem præsentem Julius Cæsar, ait; *Etsi multùm cùm in omnibus, tum in re militari potest fortuna.* Livius testatur, *Nusquam minus, quàm in bello, eventum respondere.* Et Tullius, *Omnium bellorum exitus, eventusque incerti.*

Successus varii.

1 Macchab. à c. 3 usque ad 9.

Belli eventus incertus.

Iul. Cæsar l. 6

Livius l. 2. Cicero l. 6. Ep. Fam. 1 & 6.

154. Rete, piscibus plenum, ac extra aquas versus fluminis marginem tractum, epigraphen sustinet; TRAHIT INVITOS. Pisces enim, quantumvis inviti, pro piscatorum arbitrio in partem omnem raptantur. Calamitatis hoc symbolum est, quæ mortalibus vim quandam arcanam admovet, eosque è vitiorum pelago ad virtutis Divinæ littus trahit. P. Cornelius à Lapide in illud Threnorum commentatus, *Expandit rete pedibus meis*; ait, *Tribulatio enim est rete Dei, quo homines piscatur, & INVITOS ad se TRAHIT.* De his tamen Augustianum illud pronunties; *Felix necessitas, quæ in meliora compellit.*

Calamit[as]

Thren. 1. 13 P. Corn. à Lap. in Ep. Iac. v. 2. c. 1. S. Aug. Ep.

155. Rete è maris profundo pisces quidem in terram extrahit, at sine ulla eorum offensa aut vulnere: secus atque hamus, fuscina, aut tridens, qui miseros confodiunt, lacerantque. Unde reti subscribes; EXIMIT, NON PERIMIT. Ita bonus Corrector, exoptatam è proximo frugem reportaturus, rete, non hamum, imitetur, necesse est; idque maximè allaborare debet, ut peccatoris animam salvet, non verò excruciet. Quamobrem Divinus Magister suos Apostolos solis retibus uti voluit; *Laxate retia vestra in capturam.* Apposite S. Ambrosius; *Bene Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ captos NON PERIMUNT, SED reservant, & de profundo ad lumen EXTRAHUNT.*

Correct[or]

Luc. 5. 4. S. Ambr. hunc loc.

156. Prædicationem Apostolicam, uti & Divinam gratiam, Christus reti, in oceanum merso, non absimilem dixit. Cui proinde subscribes; EX OMNIBUS CONGREGAT. Ipsummet Servatorem audi; *Simile est regnum Cælorum sagenæ missæ in mare, & EX OMNI GENERE piscium CONGREGANTI: quia ad peccatorum veniam sapientes, & fatuos, liberos & servos, divites & pauperes, fortes & infirmos vocat*, inquit interpres S. Gregorius. Eodem Emblemate avaritiæ humanæ indolem describere licet, quæ ex omni hominum sorte aliquod lucrum conquirere solet. B. Albertus Magnus. *Per rete*, inquit, *notatur avaritia, sive rerum concupiscentia; avaritia quippe est, rete diaboli, quod expandit super faciem universæ terræ. Per hoc rete juvenes capit & senes, sive viros, sive mulieres.*

Fides.

Matth. 13.

S. Greg. in hunc loc.

Avaritia.

B. Alb. M. ser. de S. Andrea.

157. Majores pisces intra rete captivi detinentur, minoribus per illius maculas elabentibus. Unde lemma; MINORES EVADUNT. Ita homines pauperes, simplices, neglecti, humiles, & innocentes è damnationis æternæ tendiculis citra negotium sese expediunt; solique superbi, divites, avari, potentes, crudeles, cæteraque hominum portenta iis miserè implicantur. Thomas Stapletonus; *Majores pisces*, inquit, *piscatorum retia ingressi, capiuntur, minores autem per foramina sæpè elabuntur. Unde & Sapiens; Gravissimum judicium fiet his qui præsunt. Sic Nabucchodonosor judicia Dei in Israel exercens, magnates omnes captivos in Babilonem abduxit, populum autem in terrâ patriâ reliquit.* Unde Magnus Augustinus; *Potentior est, & tutior solidissima humilitas, quàm ventosissima celsitudo.*

Judicium Dei. Humilis securus.

Staplet. in Prompt. Moral. Dom. 3 Adv. n. 6.

S. Aug. lib. de Trin. c. 7.

158. Nassa in mari, uti & rete avibus capiendis explicatum, epigraphen reddit; PRÆDATUR ERRANTES. vel ut D. Paulo Bertarello, Doctori & Archipresbytero placet; ERRANTES DETINET. Ita lasciva fæmina mortales nonnisi otiosos ac vagabundos irretire solet. *Cor ipsius quasi sagena prætereuntes concludit*, inquit S. Gregorius Thaumaturgus. Cæterùm etiam persona zelosa perversos quosvis hominum animos ad Dei obsequium constringere novit. B. Albertus Magnus, *Per sagenam*, inquit, *intelligitur gloriosa Virgo Catharina. Sicut enim mulier fornicaria sagena est diaboli, per quem capit animas peccatorum; ita etiam Virgo prudens & sancta, sagena est Jesu Christi.*

Fæmina Lasciva.

S. Cathar[ina] V. & M.

B. Albert. M. serm. de S. Cathar. V. & M.

159. Nassa, è ligno contexta, ac piscibus capiendis destinata, à Bargalio hunc Tassi versum lemmatis loco recepit. SEMPRE AL ENTRAR APERTA, AL USCIR CHIUSA. Id est; INGREDI NON EGREDI DATUR. Ita prorsus vitiorum semita ingressum quidem offert suavissimum, at reversuro penè invia ac impossibilis videtur. Scitè Aloysius Novarinus; (Vitium.)

(Novar. Aqui Nupt. 1293.)

Intrat ut in nassam nullo conamine piscis,
Inde revertendi cui via nulla datur;
Sic via proclivis vitii, quâ posse reverti
Ingressum, proprio non datur auxilio.

(Infernus.) Eadé, Virgilio teste, infernalis portæ consuetudo est;

(Virg. Æn 6)

- - - Facilis descensus Averni,
Noctes atque dies patet atri janua Ditis;
Sed revocare gradum, Superasq; evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est &c.

Huc collineans Jobus, de Deo ait; *Salvabit te de ore angusto latissimè.* Id est, ex inferno, cujus ostium, ab ingressu spatiosum, vix ullam egrediendi rimula mre-inquit. *Os angustum amplissimè*, inquit Philippus, *eò quod amplum sit ad recipiendum, & angustum ad remittendum. Quoniam inferi mortuos intra se teneant, & eos ad vitam non patiantur exire.* Eodem ectypo hominis avari mores describere licet, qui opibus suis erogandis parcissimus, ore nunquam non altum hiante avenas absorbere cupit. (Iob. 36.16.) (Philip. in hunc loc.) (Avarus.)

160. S. Maria Magdalena, recens ad Christum conversa, tantundem à scelerum perpetratorum memoriâ deprimebatur, quantum à charitate erga Deum sublevata erat. Hanc proinde D. Carolus Bossus Emblemate significaturus, rete piscatorium depinxit, quod supernè à massulis subereis allevatum, infernè à plumbearum pondere mersabatur. Epigraphen addidit; HINC GRAVOR INDE LEVOR. VEL, GRAVITAT, ET LEVITAT. Illud ipsum de prædicatione Evangelicâ dixerim, quæ humanam mentem non tantùm liberalibus æterni præmii promissis in altum evehere, sed insuper infernalium suppliciorum minis deprimere solita, eam tandem, ceu piscem rationalem, è voluptatum aquis ad Divinæ perfectionis littus pertrahit. S. Paschasius ad illa D. Matthæi verba animum advertens, *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare*, ait; *Trahitur hæc sagena duobus connexa funibus per medium hoc mare à summo usque deorsum extensa; sursum siquidem spe super omnes fluctus sæculi vehementer erecta & firmata: deorsum verò usque ad ima timore Divini judicii demersa.* (S. Magdalena.) (Prædicatio evangelica) (S. Pasch l. 7 in Matth. 13. 47.)

SCAPHA. PHASELUS.

Cap. VIII.

161 ANima, ad vocationis & gratiæ Divinæ executionem prompta, à P. Certano scaphæ non absimilis dicitur, quæ majori navi alligata, eam per vastissimum Oceani iter, ancillæ loco, assiduè sequi consuevit. Emblemati epigraphen subdidit; TRAHENTEM SEQUOR. Alluserat nimirum ad illa sacri Epithalamii verba; *Trahe me: post te curremus.* Promptâ hâc animi voluntate cumprimis spectandum S. Paulus, de se ipso disertè testatur; *Cùm placuit ei, qui me segravit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, continuò non acquievi carni & sanguini.* S. Augustinus; *Sequamur Christum caput nostrum, ut & nos sequatur cui caput sumus.* (Respondere gratiæ Dei.) (Cant. 1. 5.) (Galat. 1. 15.) (S Aug. lib de vera Relig. c. 41.)

162. Mortuam Christinam Gallicam, Emanuelis II. Sabaudiæ Ducis Matrem, mox Francisca Gallica, Regiæ illius Celsitudinis Sponsa, fato non minus dolendo quàm admirando, subsecuta est. Unde Comes Emmanuel Thesaurus ad illarum exequias Navim Emblematis loco statuit, quæ velis explicatis in Oceano progrediens, scapham vicinam è puppi suâ trahebat; cum lemmate, MAJOR MINOREM. Nimirum ad illud Juridicorum axioma alluserat; *Major pars trahit ad se minorem.* Idipsum indies cernere licet, dum minores à Majorum imperio, authoritate, aut exemplo in quasvis partes rapiuntur. S. Gregorius Papa; *Sunt nonnulli, quos ad amorem patriæ cælestis plus exempla, quàm prædicamenta succendunt.* (Exemplũ.) (S. Greg. l. 4 Dialog.)

163. Scapha, sine remis ac temone in pelago oberrans, epigraphen sustinet, QUO ME CUNQUE TRAHENT. Eædem animi indifferentis & ad aliorum voluntatem penitus compositi, voces sunt. Cleantes, à Seneca citatus, canit; (Indifferens)

(Senec. Ep. 107)

DUC ME parens, celsique dominator poli,
QUOCUNQUE PLACUIT, nulla parendi mora est,
Assum impiger.

Sic vincamus, sic loquamur, subjungit Seneca; *paratos nos inveniat, atque impigros fatum. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit.* Et Justus Lipsius; *Quidquid Deus ille noster dat, excipe libenti, imò & hilari fronte. Vivere te vult? velis. Mori? non nolis &c.* (Lips. Centur. 1. Epist. 17.)

164. Phaselus inter Oceani tempestates tantò incedit felicior ac securior, quò minore mercium pondere onusta fuerit. Unde lemma; TUTIOR, QUO LEVIOR. Christianus, & cumprimis Religiosus, vitam tantò magis tranquillam, omnisque periculi expertem ducit, quantò à bonis terrenis liberior fuerit. Scitè Apulejus; *Cupio me ad pauciora coercere, tantò futurus beatior, quantò pauperior.* (Paupertas.) (Apul. Orat. Apologet.)

TABULA HYDROGRAPHICA, cum Pyxide nauticâ.

Cap. IX.

165. TAbula hydrographica nautis normæ loco deservit, ad directam semitam inter vastissima æquoris invia assequendam. Unde Tabula illa, pyxidi nauticæ substrata, epigraphen tenet; PER VADA, PER SYRTES. Vel ut Giliberto placet; PER IGNOTA, PER INVIA. Vel, PER INVIA MONSTRAT ITER. Seu ut D. Sigismundus Laurentius subscripsit; DIRIGIT ITER. Ea ipsa Sancta fidei, Legis Divinæ, Angeli tutelaris, & prudentis Consiliorii, in suos clientes est beneficentia; quippe quos inter præsentis vitæ discrimina ad securæ beatitatis portum felicissimè manuducunt. Idem de bono exemplo dixerim, quod ab hominibus justis exhibitum, instar Tabulæ hydrographicæ, directum virtutis ac perfectionis iter commonstrat. S. Ambrosius; *Sanctorum vita*, inquit, *cæteris norma vivendi est; ideoque digestam plenius accepimus seriem scripturarum, ut dum Abraham, Isaac, & Jacob, cæterosque justos, legendo cognoscimus, velut quendam nobis innocentiæ tramitem, virtute eorum reseratum, imitantibus vestigiis prosequamur.* (Fides.) (Angelus Custos.) (Consiliarius.) (Exemplũ.) (Ambros. l de Ioseph c. 1.)

166. Tabula hydrographica epigraphen tenet; TUTUM PRÆMONSTRAT ITER. Vel ut Angelus Lucarino placet; UT CERTUM PETATUR. Sanctos Angelos Tutelares hæc imago spectat, *Qui* teste S. Bern. *custodiunt nos in omnibus viis nostris.* Unde *tantũ sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cœli commoremur.* Cæterùm sanctissima (Angelus Custos.) (S Bernard. Psal Qui habitat.)

S.Augustinus. S.Thom. Aqu.

D.Augustini, Thomæ Aquinatis, aliorumque Patrum Doctrina directum veritatis ac sapientiæ assequendæ tramitem manifestat.

167. Bartholomæus Rossius Tabulæ hydrographicæ inscripsit; JUGITER PRÆ OCULIS. S. Carolum Borromæum hoc Emblema concernebat, qui, oculis in Crucifixum assiduò defixis, animum ab ejus contemplatione nunquam distraxit. Et certè, si S.Gregorio Nazianzeno fidem habeas, mens nostra à Deo suo nunquam deberet abstrahi. *Non tam sæpè respirare oportet, quàm Dei meminisse; Deus enim perpetuo nobis benefacit, in esse conservans, & necessaria ministrans. Nam si vel minimo momento à nobis oculos removeret, in nihilum redigeremur, sicut imago nostri in speculo apparens in nihilum redigitur, quamprimùm nos loco movemus: & sicut calor ab aqua recedit, quoties ab igne vel sole removetur. Ut corpus animæ, rami arboris trunco, solares radii soli uniti, ut ab illis virtutem suam trahant, esse debent; ita mente semper Deo uniti esse deberemus.* Porrò Lex Divina instar tabulæ hydrographicæ, *jugiter præ oculis* nostris statuenda est. Unde David, de homine justo disserens, *In lege Domini*, inquit, *voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Cæterùm omninò convenit, mortis memoriam, instar tabulæ hydrographicæ ab oculis nostris nunquam retrahi. Justus Lipsius; *Quid homini magis convenit, quàm mortem habere in animo & oculis, quæ semper imminet, & tacito quodam pede surrepit?* Et S.Gregorius Nazianzenus;

Contemplatio Dei. *S.Greg.Naz. Orat. de cura pauperum.* Lex Dei. *Psal.* *Lips. l.1. Physiolog. dissert.1* *S.Greg.Naz.*

Sis memor instantis semper tibi funere mortis,
Hoc minus horrendâ morte fruêre modo.

S.Scripturæ lectio.

168. Sacræ Scripturæ lectio, haud secus atque fabula hydrographica, indubitatum salutis obtinendæ portum commonstrat. Unde Patris Certani lemma; LITTORA SIGNAT. Id probè expertus S.Augustinus, de se ipso fatetur, quod vix oculis in paucula Apostoli verba defixis, quantocius è pristinæ vitæ pelago ad securum veritatis Catholicæ portum eluctatus fuerit. *Legi*, inquit, *in silentio capitulum, quò primò conjecti sunt oculi mei: Non in commessationibus & ebrietatibus &c. nec ultra volui legere, nec opus erat; statim quippe cum fine hujus sententiæ, quasi luce securitatis infusâ cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.*

S.Aug. l.8. Conf. c.12.

169. Victorius Amedeus, Sabaudiæ Dux, in novis legibus, & opportunis constitutionibus, pro bono Pedemontii regimine sanciendis, tantam adhibuit prudentiam, ut P.Aloysius Juglaris illum Tabulæ hydrographicæ non absimilem dixerit, quæ hanc epigraphen præferat; IGNOTAS DOCET USQUE VIAS. Propria hæc Christi revivifcentis idea est, qui mortuis novam & hactenus incognitam vitæ recuperendæ viam aperuit. *Ignota enim*, teste S.Ambrosio, *erat ante Christum via vitæ, quæ nullius adhuc surgentis fuerat temerata vestigio: at ubi Dominus resurrexit, nota facta, solo attrita est plurimorum.*

Prudentia. Christus resurgens *S.Ambr. ser.74.*

TRIREMIS.

Caput X.

Propriâ arte operari.

170. TRiremis, vento destituta, nautas ad vela explicanda & remos ducendos compellit. Unde lemma; PROPRIIS NITAR. Ita homo, in extremo discrimine omnium ope destitutus, propriam suam industriam ac fortitudinem periclitari solet. Scipio, cùm claudum quendam inter milites recensitum videret. *Nihil*, inquiebat, *ab eo milite boni expectandum, qui pedibus suis ambulare non potest*; uti refert Appianus Alexandrinus.

App. Alex.

171. Triremis epigraphen è Virgilio mutuatam sustinet; PER TELA, PER HOSTES.

Virgil. l.2. Æneid. v. 355.

- - - Per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem.

Ita animus generosus quævis gravissima discrimina ipsamque adeò mortem parvi æstimare novit. De hoc Sophocles;

Generosus.

Virorum fortium pectus non languescit.

Sophocles in Euriphyle.

Icone illâ totam hominis justi vitam describere licet, qui inter appetitus concupiscentis & irascentis flammas, & inter insanos vitiorum ac dæmonum insultus assiduò constrictos, jure illud Ovidii de se pronuntiaverit;

Vita humana. *Ovid. l.1. de Pont. Eleg.9.*

Vivimus assiduis, expertes pacis, in armis,
Dura pharetrato bella movente Getâ.

Unde loca, à Dei servis habitari solita, papilionum, non verò domuum nomine in Sacris Litteris vocantur, cùm eorum vita tota sit militaris, & assiduis hostium armis incursata. Petrus Cellensis in illa Balaami verba commentatus, *Quàm pulchra tabernacula tua Jacobi, & tentoria tua Israel*; ait, *Quæ sunt tabernacula Jacob, nisi exercitia animi luctantis, & pugnantis contra vitia carnis, & suggestiones inimici? Tamdiu enim habitat Jacob in tabernaculis, quousque solvantur vincula carnis: habitans denique anima in corpore, hostium vallatur multitudine. Aggreditur siquidem eam concupiscentia, scutum arripit ira, lanceam luxuria, gladium invidia. &c.*

Pet. Cellens. l. de Panibus c 13. Num.24.5.

172. Non multùm laudis promeretur ille, qui inter fortunæ blanditias, nullâ unquam adversitate interturbante, salutis suæ negotium perficit. Atque adeò is duntaxat plenam à laude palmam refert, qui mille injuriis incursatus, violentos scelerum aut Tartari assultus reprimit. Heroicam hanc animi magnitudinem Triremi non absimilem dixerim, quæ impellentibus propriis remis, inter conjurata ventorum agmina iter suum prosequitur. Lemma; VEL REFLANTIBUS. Sotion, à Joanne Stobeo citatus, *Quemadmodum*, inquit, *navigia præclara judicantur, non quæ in tranquillitate navigant, sed quæ tempestatibus obsistunt, & evadunt: sic & homines, qui iræ & perturbationibus resistere valent, magni, fortesque habentur.* Idipsum audaces assolent, qui inter adversitatum turbas fortunæ suæ incrementum quærunt. Propertii consilium est;

Resistentia. *Sotion ser.2. de Ira apud Io. Stobeum serm.20.* Audax.

Audendum tibi aliquid, si vis esse aliquid.

Eandem iconem de obstinato peccatore interpretari licet, qui crebrâ cælestis gratiæ inspiratione lacessitus, voluntatem semper adversam & refractariam objecit. Hanc contumaciam Judæis acerbè olim exprobravit S.Stephanus; *Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos*; Id est, interprete S.Joanne Chrys. *In hoc solum incubuistis, ut, quæcunque Deus præceperit, iis contraria faciatis: quemadmodum & nunc faciunt.* Quin malitiam illam Hebræorum populus adeò congenitam habuit, ut Boccardus testetur; *Semper ea faciunt, quæ Dei placitis adversantur. Etenim cùm illos volebat jejunare, tunc incrassabantur, dilatabanturq́. Rursus ubi non vult eos jejunare mordicus tenent; ejunium; Cùm vellet illos victimas offerre, ad simulachra properabant: cùm non vult illos celebrare festum diem, studio festum diem agunt.*

Peccator contumax. *Act.7.51.* *S.Io.Chrys. Orat.1. cont. Iudæos.* *Boccard ibid.*

173. Quantumvis adversus triremem spumantes turbentur undæ, illa tamen, ferreo proræ suæ rostro probè munita, fluctus omnes facilè proscindit, & insignem è tumultuante pelago victoriam refert. Unde

Unde lemma; QUASCUMQUE FINDIT ROSTRO. Constantis ac generosi animi hæc idea est, qui sanctitatis aut innocentiæ armis instructus, omnem iniquæ fortunæ tyrannidem, hominumque malitiam triumphat. Seneca; *Sapiens ad omnem incursum munitus, & intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. Interitus & contra illa ibit, & inter illa.* Meus Concanonicus D. Matthæus Bossus de instituenda sapientia his omninò verbis philosophatur. *Neque mala ulla viro bono possunt accidere, nolentemq; impetere, VIRTUTE SUPERANTE NEQUITIAM. Quare eripiat quidquid suum est à sapiente fortuna, opes dico, voluptates, honores, patriam, affines, amicos, eundem mala valetudo vexet in corpore: aut hostis in vincula, tormentaque conjectum excruciet, neq; mali quidquam penetrabit ad animum, nisi consenserit, tam potens est in electis contra procellas, & malorum omnium gurgites, perversorum quoq; hominum nequitiam Divina virtus, & gratia, & ea libertas, quam validam & inviolabilem Deus animis nostris attribuit.* Opportunè Horatius generosam mentem hoc poëmate provocat;

Constantia. — *Senec. Ep. 59.* — *Matth. Boss. de Instituenda Sapient. Disp. 5.*

----- Vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

174. Triremis, per difficiles ac periculosos scopulos ad vicinum portum appulsa, epigraphen sustinet; ARTE, ET LABORE. Nulla enim difficultas unquam ita gravis accidit, quin labore ac industriâ superari queat. Verissimè canit Poëta;

Labor & industria.

Assiduus LABOR, ET solers INDUSTRIA, quid non
Edomat? Huic cedent omnia dura licet.

Et Virgilius;

Virgil. l. 1. Georg. v. 145.

--- Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas.

Labore denique & industriâ ad indubitatum salutis æternæ portum pervenimus; Unde S. Hieronymus; *Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.*

S Hieron. in Epist.

175. Irriti erunt Divinæ gratiæ afflatus, nisi labor ac diligentia tua socias operi manus admoverint. E Triremi id disces, quæ Oceanum transmissura, aspirantes quidem è cœlo ventos explicatis velis recipit, at nisi validis simul remigum lacertis propellatur, mox otiosa fluctuabit, ac secundos quosvis ventos in sui ludibrium convertet. Unde lemma; VELIS, REMISQUE. Vel ut Carolus Rancatus verbis ex Ovidio mutuatis subscripsit; REMO UTAR, ET AURA. Opportunè S. Basilius Magnus, *Neque in rebus bonis conatus humanus, sublatâ ope Divina, perfectè unquam, quod vult, poterit adipisci. Neque item vicissim Divinum præsidium ad nos nullo nostro studio venturum putandum est. Sed AD PERFECTUM VIRTUTIS CUMULUM conjunctasimul ESSE utraque hæc OPORTET, ET HUMANUM STUDIUM, ET AUXILIUM COELESTE.*

Cooperatio gratiæ. — *Ovid. de Pont. Eleg. 6.* — *S Basil. in Constit Monast. c. 18.*

176. Triremis, dimissis in fluctu velis remis propellitur. Emblemati inscripsit Philippus de Lamberg, Eques Ordinis S. Joannis Hierosolimitani; NON FRUSTRA. Ita nimirum labore sæpè varii tentationum venti, fluctusque superantur. Unde S. Hieronymus hortatur; *Aliquid operis facito, ut te diabolus inveniat occupatum: non enim facile capitur à diabolo, qui bono vacat exercitio.* Nihil hoc magnis illis Ægypti Patribus, si Cassiano credimus, fuit antiquius: quare discipulis suis velut per manus tradidère, curarent ut *semper diabolus occupatos inveniret.* Quid quod Deus ipse id remedii ad solitudinis levanda tædia, æstumque tentationum defendendum S. Antonio præscripsit? Cùm enim continuæ orationis pertæsus, importunis subinde cogitationibus percelleretur, verum Samaritanum opem flagitavit, audivitque; *Antoni, cupis Deo placere? ora, & dum orare non poteris, manibus labora, & semper aliquid facito, fac, quod in te est, & non deficiet tibi auxilium de Sancto*, uti his omninò verbis refert Anonymus author sermonum ad fratres in Eremo. Alii ferunt, viro Dei Angelum, juvenis formâ conspicuum, nunc geniculando, nunc manus supplices tenendo, idipsum commonstrâsse.

Labor. — *S Hieron. in serm.* — *Auth serm. ad frat. in Eremo ser. 17*

FINIS LIBRI VIGESIMI.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER VIGESIMUS PRIMUS.
INSTRUMENTA MATHEMATICA.

Amussis. 1
Astrolabium 2
Bilanx. Libra.
Statera. 3
Circinus. 4
Circulus. 5
Conspicilium. 6
Dioptra. 7
Globus, Sphæra. 8
Horologium solare. 9
Horologium rotatum. 10
Horologium arenarium. 11
Instrumentum. 12
Microscopium. 13
Perpendiculum. 14
Quadrangulus. 15
Quadrans astronomicus. 16
Regula quadrata. 17
Speculum cylindricum. 18
Tabula geographica. 19
Telescopium. 20
Tetraedrum. 21
Triangulus. 22
Tubus acusticus. 23
Tubus opticus. 24

AMUSSIS.

Cap. I.

1. DCAROLUS Sechiarus, Can. Reg. Lateranensis, in Poësi Italicâ, & Emblematis construendis ingeniosissimus, amussim figuravit, quæ cæmentariis ad fabricas extruendas usurpari solita, epigraphen tenebat; SÆPIUS, UT RECTIUS. Bella hæc conscientiæ examinandæ idea est: frequens enim virtutis hujus usus ad animi nostri rectitudinem obtinendam instrumentum est longè efficacissimum. S. Dorotheus; *Cùm sæpenumerò ac plurimùm peccemus, & quàm facillimè obliviscamur, opus esset, frequentissimè ac singulis horis nos ipsos exquirere, rimari, ac perscrutari diligentissimè.* S. Franciscus Xaverius proprio suo exemplo assiduum illud conscientiæ examen persuadet, qui, Horatio Tursellino teste, *Sæpius in die diligentius conscientiam excutiebat suam: & cæteros ad idem faciendum magnoperè hortabatur, in eo perfectæ vitæ cardinem verti ratus.*

Examen conscientiæ.

S. Doroth. serm. 15.

Horat. Tursel. l. 6. c. 6. Vitæ.

2. Glans plumbea, filo suspensa, Architectis perpendiculi seu amussis loco deservit ad fabricas, sine inclinatione aut defectu erigendas. Unde lemma; DIRIGIT, DUM GRAVAT. Ita calamitas, spiritum nonnihil aggravans, oportunissimum internæ rectitudinis, ac genuinæ perfectionis assequendæ instrumentum est. S. P. Augustinus in illa Psaltis Regii verba commentatus, *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, ait, nullum opportunius rectitudinis obtinendæ auxilium à Deo in homines derivari, præter calamitatem. *Quid sit adjutor in opportunitatibus, exposuit, cùm addit, in tribulatione. Non enim convertitur anima ad Deum, nisi dùm ab hoc sæculo avertitur. Nec opportunius ab hoc sæculo avertitur, nisi cùm nugatoriis ejus, & noxiis, & perniciosis voluptatibus labores doloresque misceantur.* Et S. Bruno; *Adjutor in tribulationibus, id est, agens occulto judicio, quòd ipsa tribulatio adjuvet eos ad augmentum meriti.*

Calamitas utilis.

S. Aug. in Ps. 9. 10.

S. Bruno illud

3. Timor Dei nativo suo pondere ad spirituale virtutis ædificium mirificè deservit, omnemque ab eo obliquitatem prohibet. Haud secus atque structuræ altitudo, ad amussim crebrò examinata; sine ullo vitio aut inclinatione surgit. Epigraphen subjunges; LABORES DIRIGIT. Vel, NE FLECTAT A RECTO. Ad verbum Otho Venius;

Timor Dei.

Ut perpendiculo cunctos manus ipsa labores
DIRIGIT artificis, sic quoque verus amans.
Verus amans RECTO nunquam de tramite FLECTIT,
A domina pendens totus, & in domina.

Oth. Ven. Embl. Amo. fol. 76.

Cassiodorus; *Brevis & plena commonitio, quâ Domino amabili de timore servitur. Nam sicut remissa securitas culpas admittit, ita timor desiderabilis delicta semper excludit.*

Cassiod. in Ps. Servite Domino in timore.

4. Quando nautæ in alto mari fluctuant, amussi, intra oceani undas demissâ, non tantùm fundi qualitatem, sed & distantiam explorant. Proinde pelago immersa amussis, epigraphen sustinet; QUALE ET QUAM PROCUL. Ita homo sapiens, & in sacris Litteris versandis assiduus, in cœlestium arcanorum abyssum crebrò mergitur, ibique reconditissima Prædestinationis, Reprobationis, extremi judicii, aliaque mysteria vestigat. Porrò homo prudens internam aliorum mentem experiri, & num candore ac sinceritate, an verò fraudibus & imposturis assueta sit, sedulò perscrutatur. Seneca; *Prudentis proprium est, examinare consilia, & non citò facili credulitate ad falsa prolabi: de dubiis non diffinias, sed suspensam tene sententiam.*

Sapiens.

Prudens.

Senec. l. de 4. Virtut.

ASTROLABIUM.

CAP. II.

5. IOannes Ferrus Astrolabio subscripsit; STELLARUM MOTUS OBSERVAT. Illius hæc idea est, qui à negotiis terrenis abstractus, mente penitus extaticâ, solis rebus cœlestibus contemplandis inambulat. De Patriarcha Isaaco refert Moses, *Egressus fuerat ad meditandum in agro.* Nimirum magnus ille Chronicus, interprete P. Cornelio à Lapide, dicere voluit; *Meditabatur ergo Isaac tum res naturales, uti motus & cursus side-*

Contemplativus.

Gen. 24. 63. Corn. à Lap. in hunc loc.

siderum, eorumque auctorem, & motorem Deum, tum potius meditabatur res cœlestes & Divinas. Eò, nî fallor, etiam collineabat Procopius his omninò verbis; *Iter illud conveniebat Isaaco, eò quòd non multis frequentaretur hominibus, & ab omni strepitu esset segregatum;* quia *per illud incedens, speculationi rerum Divinarum* erat *incumbens.* Idipsum anima verè sancta assolet; *Sapientis enim est*, inquit D. Ambrosius, *segregare se à voluptatibus carnis, elevare animam, atque à corpore abducere.*

Procop. in hunc loc.

S. Ambr. l. de Isaac c. 1.

6. Astrolabium hoc lemmate introduxêre; INTER SIDERA VERSOR. Ita omninò persona contemplativa oculis assiduò in cœlum defixis incedit. Eodem Emblemate intellectûs humani perspicaciam significare licet, cujus vires eousque porriguntur, ut ad cœlorum vastitatem, stellarum naturam, & ipsius etiam Dei perfectionem contemplandam pro arbitrio suo expatiari queat. Justus Lipsius; *Solus homo*, inquit, *scientiam omnium & amat, &, si vult, habet. Quid ei clausum est? Cœlos penetrat, & Deum ac Divina mente adit.* Mirifica in rem præsentem est illa duodecim rutilantium stellarum apparitio, quæ Anno 1401. angustam Canoniam Deiparæ Virginis de Frigdionaria, civitati Lucensi vicinam, per aliquot noctes in coronæ modum eo ipso tempore ambiebat; quo duodecim Servi Dei, ceu totidem stellæ, ad Canonicorum Regularium Ordinem in Frigdionaria reformandum, sedulam & unanimem contulerunt operam; uti præter plurimos alios referunt in Chronicis nostris D. Gabriel Pennotus, & in Lyceo suo Lateranensi Abbas Rosinus. Atq; adeò cui inter sanctos illos Reformatores numerari, aut certè illorum consuetudine uti licebat, jure de se pronuntiâsset, *Inter sidera versor.* Cæterùm eandem epigraphen sibi propriam vendicat, quisquis justorũ consortio ac familiaritate fruitur; hi enim iteratò in Sacris Litteris stellarum nomine comprehenduntur.

Contemplativus. Studiosus.

Lips. lib. 3. dissert. 2.

Gabr. Pennot l 3. Chronic c. 9.

Abb. Rosin. in Lyc. Later l 10 in vita Leonis de Carate.

BILANX, LIBRA, STATERA,

Cap. III.

Judex.

7. Bilanx, in æquilibrio sustentata, epigraphen reddit; ÆQUA IMMOTA. Boni Judicis hoc ectypon est, qui tum demum omnes justitiæ ac rectitudinis partes absolvit, quando nullo odii, amoris, proprii commodi, aut timoris affectu præponderante, in sententiâ suâ firmus persistit. S. Bernardus, illa Christi verba examinans, *Sicut audio, judico, & judicium meum justum est*, insignem hanc paraphrasin, cuivis Judici unicè observandam, subjungit; *Non sicut odi, non sicut amo; non sicut timeo; sed sicut audio.* Alexander ab Alexandro testatur, Athenienses Areopagitas obscuram noctem, ceu judiciis ferendis opportunissimam elegisse: ut Judices *procul ab omni affectu, tantummodò facta cognoscerent, personas non viderent.* Et verò, si hæc sit optima judicandi methodus, jure conqueritur Marcus Tullius, hodie rationem ab illa diversissimam usurpari. Enimverò, inquit ille, *Plura judicant homines aut amore, aut cupiditate, aut iracundiâ, aut dolore, aut lætitiâ, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliquâ permotione mentis, quàm veritate, aut præscripto, aut juris normâ aliquâ, aut judicii formulâ, aut legibus.*

S. Bernard de grad. Humil.

Ioan. 5. 30.

Alex ab Al. l 3. Dier. Genial. c. 5.

Cicero. 2. de Orat.

8. Bargalius bilanci subscripsit; PIEGA ONDE PIU' RICEVE. vel ut D. Vincentio Giliberto placet; PENDE, UNDE PERENDE. Id est, PONDERE ACCEPTO DECLINAT. Falsos amicos, usurarios, aut Judices iniquos hæc imago spectat, quorum favores non quidem ad justitiæ aut rationis, sed ad munerum ac proprii commodi pondus inclinantur. Oleaster illud Dei præceptum interpretatus, *Non accipies munera*, ait; *Expendendum valde est, quòd non dixit æquissimus Legislator: Munus non accipies ad iniquè judicandum: sed acceptionem in universum prohibuit, quoniam noverat, nullum esse munus, quod saltem accipientis animum non inclinet, aut debilitet.* Optimè Justus Lipsius; *Ut trutina in eam partem vergit, in qua plus ponderis; sic perfidi in eam, ubi plus æris.* Et Joannes Audenus;

Judex corruptus.

Oleast. in Exod. 23. 8.

Lips. Centur. 1. Ep. 44.

Audenus.

Quid non argento, quid non corrumpitur auro?
Qui majora dabit munera, victor erit.

9. Bilanx, in æquilibrio suspensa, à P. Jo. Bartholomæo Panciero, Augustiniano Excalceato, epigraphen recepit; OGNI PESO LA SGIUSTA. Id est; PONDUS OMNE CORRUMPIT. Eorum hoc symbolum est, qui quidem in sorte etiamnum humili ac infimâ vitam penitus inculpatam, summeque laudabilem duxêre; at nonnullo dignitatum pondere locupletati, quantocyus à pristina rectitudine degenerârunt. Certè filii Heli tamdiu virtutum studiosi extiterunt, donec ad populi regimen sublevati, in omnem enormium vitiorum licentiam prolaberentur: uti Regum Fasti prolixè testantur. De his S. Gregorius Papa; *Steterunt subditi: sed in culmine prælationis positi, Prophetæ filii ceciderunt.* Eidem hominum miseriæ altum illachrymatus S. Petrus Damianus, *Nonnulli*, inquit, *antequā officii sacerdotalis culmen attingant, mites se & humiles in omnibus exhibent, excrescere in virtutibus student, bonis moribus pollent. &c. sed cùm pastoralis curæ jura suscipiunt; quidquid sanctitatis habuerunt (ut ita, prô dolor! dicam) concambio miseræ permutationis admittunt &c.* Cæterùm etiam Judicis æquitas à maligno munerum pondere deprimi ac violari consuevit. Scitè S. Isidorus Pelusiota; *Quemadmodum si alteri bilanci aurum imponas, lanx deprimitur, & inæquale ostendit jugum. Sic & Judex cùm auro corrumpitur, nihil rectum aut salutare judicat.*

Dignitas corrumpit.

S. Greg. in 1. Reg 8. 1.

S Pet. Dam. Tom. 2 serm.

Judex corruptus.

S. Isid Pelus lib. 5 Ep. 181

10. Idem Joannes Bartholomæus Pancierus trutinam in æquilibro statuit, quæ unam lancem vasis aureis, coronis, ac gemmis; alteram verò justis suis ponderibus onustam habuit: addito lemmate, ÆQUA FIT PONDERE. Ita nimirum Deus diversa calamitatum, morborum, & persecutionum pondera hominibus immittit, ut bonis spiritualibus aut temporalibus locupletati, nunquam è justo virtutum æquilibro declinent. Hoc sensu S. Paulus; *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* S. Gregorius Papa; *Optima virtutis custos*, inquit, *est infirmitas vel pressurarum vel tentationum, & fit certo moderamine, ut dum quisque sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed tentatur exterius, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat.* S. Hieronymus Regem Ezechiam, fatali morbo gravatum, considerans ait; *Ne elevatur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos, & de media captivitate victoriam, infirmitate corporis sui visitatur. &c.*

Calamitas ad æquitatem cogit.

2. Cor. 12. 7.

S. Greg. l. 6. Moral c. 6.

S. Hieron. 4. Reg 20. 1. & Isaiæ 38. 1.

11. Academici Philomati, inter cæteram funebrem D. Ascanii Piccolominii pompâ, Bilancis symbolum repræsentârunt, quæ unâ parte depressâ, ex altera in sublime ferebatur; cum lemmate, LEVATUR ALTERA. Mens Symboli erat, corporeâ Magni illius Prælati parte in terram ac tumulum descendente, nobiliorem alteram, animam videlicet, versus cœlum sublevari. Porrò indies experimur, corpus nostrum, sacris mortificationibus ac pœnitentiis aggravatum, opportunam spiritu sublevando occasionem præbere. S. Basilius in illud Mosis, *Attende*

In morte.

Mortificatio.

S Basil. in loc. cit.

tende tibi ipsi; ait, *Quemadmodum in staterarum momentis contingit, unam si degravaveris lancem: velis nolis, illi oppositam tanto reddes leviorem: consimilem in modum assolet in carne & animâ contingere &c.*

12. Bilanx ponderis sui judicium nonnisi è sublimi suspensa manifestat. Unde lemma; SUSPENSA LIBRAT. Judex hanc ideam ob oculos sibi statuat, omnique terreno affectu in judiciis ferendis sit superior. Theodoricus, Magistratum constituens, dicebat; *Esto innocentiæ templum, temperantiæ sacrarium, arca justitiæ. Absit à judiciariis mentibus aliquid profanum. Pio Principi sub quodam sacerdotio serviatur.* Et S. Isidorus Pelusiota; *Iudicem opus est & sagacem, & integrum esse, pudoreque, ac blanditiis, & metu superiorem. Nam cuivis horum affectuum succumbat, totam judicii religionem obteret.*

Judex rectus. *Theod. apud Cassiod. l. 1. Epist. 22.* *S. Isid. Pelus. lib. 3. Ep. 175.*

13. P. Aloysius Caraffa Emblematis loco bilancem statuit, quæ alternis vicibus tamdiu elevari ac deprimi solet, donec justo pondere aggravata, in æquilibrio conquiescat. Epigraphen addidit; CONSISTAM IN ÆQUO. Significabat nimirum, sese inter prosperitatum & ærumnarum vicissitudines semper æqualem ac constantem vixisse. Scipio Romanus, Tito Livio referente, *Animos eosdem in omni fortuna*, inquit, *gerimus, gessimusque; neque nos secundæ res extulerunt, nec adversæ minuerunt.* Eâdem omnino similitudine S. Isidorus Pelusiota Religiosum hortatur, ne in vitiorum extrema ruat, suasque corporis castigationes moderatè instituat. *Prudentem atque cordatum Monachum, probum & libripendem esse oportet, neutram lancium partem propendere permittentem, hoc est, nec mediam in languorem ac virium imbecillitatem, nec profundum victum in petulantiam & libidinem.*

Moderatio. *Livius l. 37.* *S. Isid. Pelus. l. 1. Ep. 424.*

14. D. Didacus Saavedra Bilancem figuravit, quæ scutum militare ac gladium ponderans, epigraphen tulit; QUID VALEANT VIRES. Emblemate hoc politico Principes discant, proprias suas vires probè experire priusquam alienas lacessant. Cautissimi Moysis præceptio erat; *Considerate terram, qualis sit, & populum, qui habitator est ejus, utrum fortis sit, an infirmus: si pauci numero, an plures?* Ad hoc propositum S. Lucas; *Qui Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?* Marcellus Consul, bellum auspicaturus, Collegæ suo dixit; *Quin imus cum equitibus paucis exploratum: subjecta enim res oculis certum dabit consilium.* Carthaginenses quoque miserunt, *qui per speciem Legatorum longo tempore Romæ morarentur, exciperentque consilia nostrorum.* uti refert Frontinus.

Cautela & prudentia. *Num. 13. 19.* *Luc. 14. 31.* *Fron. lib. 1 c. 2.*

Colleg: Wengense Can: Reg. S. Aug. ad S. Michaelem Ulmæ.

15. FUit, qui bilanci inscriberet; OMNIBUS ÆQUE. vel ut Tasso placet; OMNIBUS IDEM. Principum hæc parænesis est, ut in subditis gubernandis ex æquo procedant, omni injustâ ac vitiosâ partialitate penitus relegatâ. Idipsum Eugenius II. Emblemate morali demonstrans, bilancem depingi fecit; cum dicto, REDDE CUIQUE SUUM. Unde nonnemo, à Plutarcho citatus, Themistocli dixerat. *Optimè ipsum profuturum Reipublicæ, si se omnibus æqualem præberet.* Et Agapytus; *Æquâ lance tam ad amicos, quàm ad inimicos vergens, judicandi munus obito: neque benè sentientibus de te gratificans ob benevolentiam, neque malevolis resistens propter inimicitias.*

Æquitas Principis. *Plut. in Præcept. regend. Reipubl.* *Agap. Ep. Paræn. ad Iustin. n. 1.*

16. Homo, in æstimandis aliorum meritis partialis, simul & ingentem stateram, & parvulam auri libellam imitatur. Illa enim denarium, quantumvis grandem, minime sentit, eumque incuriè dissimulat; libella verò rationem severissimam ad minutissimum usque granum ab eo exigit. Unde lemma; NON ÆQUO

Partialitas.

ÆQUO EXAMINE LANCES. De hac agendi inæqualitate Beda; *Qui aliter causam pauperis aliter potentis, aliter sodalis, aliter audit ignoti, statera utique liberat iniquâ.*

Beda l.2.in Prov.

17. Statera inscriptionem sustinet; RERUM PONDERA LIBRAT. Ita homo prudens singula meritorum, aliarumve rerum momenta æquo suo pretio appendere ac æstinare novit. Porrò cauti ac prudentis Judicis est, ante sententiam pronuntiandam omnes circumstantias severâ lance examinare. Ecquis ambigat, enormia Pentapoleos flagitia lynceis Dei oculis fuisse manifestatissima? Et tamen, quod mireris, oculatissimus ille Judex, priusquam in eos animadverteret, dixit; *Descendam & videbo, utrū clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non?* moxque duos Angelos, veluti ministros suos incorruptos & perspicacissimos ablegavit, qui civitatum illarum delicta explorarent. Hâc Divini judicii methodo persuasus S. Evaristus I. ait, *Si Dominus omnium, Sodomorum mala, quorum clamor ad cælos usque pervenerat, omnia sciens prius, nec credere, nec judicare voluit, quàm ipse ea cum fidelibus testibus diligenter investigans, quæ audierat, opere veraciter agnosceret; multò magis nos humani, & peccatores homines, quibus incognita sunt occulta Dei judicia, præcavere, & nullum, ante veram justamque probationem judicare, aut damnare debemus.*

Prudens.

Gen. 18.21.

S. Evarist. I. Ep. 2 quæ reperitur in Tom. I. Conciliorum.

18. Eodem planè arguménto Franciscus Raulinus bilanci subscripsit; DISCERNIT PONDERA TANTUM. Eandem omninò indolem Principis justitia congenitam habeat; quippe quæ, omni alio respectu omisso, soli meritorum ponderi æstimando oculos advertat. Hanc agendi methodum probè observatam habet Deus, qui *non respicit personam hominum*, sed solum operationum valorem æquissimâ judicii sui librâ appendit. S. P. Augustinus in illud Psaltis Regii, *Donec intrem in sanctuarium*, ait; *Totum hoc, quod vocatur humanum genus, omnis ista mortalitas ventura est ad examen, ventura est ad libram, appendentur ibi opera hominum*; & ut scriptum est Matth. 16.27. *Reddet uniquique secundùm opera ejus.*

Justitia Dei.

Matth. 22.16 S. Aug. in Ps. 72.

19. Stateræ, Emblematis loco, subscripsi; PENDIT ALIA, NON SE. Hominem temerarium, alienis quidem, nunquam tamen propriis operationibus dijudicandis deditum, hæc imago spectat. *Is enimverò videt festucam in oculo fratris sui, & trabem in oculo suo non videt.* S. Augustinus; *Nos in hac vitâ difficile nos ipsos noverimus, quantò minus debemus de quoquam præproperè ferre sententiam?* Appositè Horatius;

Judicare alios temerè.

Matth. 7.4. S. Aug. Præf. in Psal. 139.

Horat. l. 1. Sat. 3.

Cùm tua non videas oculis mala lippus injunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut Serpens Epidaurius?

Huic affinis Persius;

Pers. Sat. 4.

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo:
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Et Terentius;

Terent. in Heauton. A. 3 scen. 1.

---- ---- ---- Dii vestram fidem
Itane comparatam esse hominum naturam omnium
Aliena melius ut videant, & judicent,
Quam sua?

20. Ambrosius Luti, publicas Theses propugnaturus, duas stateras Emblematis loco junxit; addito epigrammate, JUNCTÆ GRAVIORA. Eoque, nî fallor, ad Assistentem suum alludebat, significabatque, in quotidianis difficultatibus superandis maximum è præstanti socio levamen suppetere. Oraculum Divinum est; *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Cassiodorus; *Astra ipsa cæli mutuo reguntur auxilio, & vicario labore participata, Mundum suis luminibus administrant. Ipsi quoq; homini duplices manus, socias aures, oculos geminos Divina tribuerunt: ut robustius perageretur officium, quod duorum fuerat societate complendum.*

[Mutuo auxi]lius.

Prov. 18.19

Cassiod. l. 10 Var Ep. 3.

21. Joannes Ferrus stateram hoc lemmate loquentem introducit; PONDERE ERIGOR. Eorum hoc ectypon dixerim, qui inter calamitatum ac persecutionum pondera maximos progressus faciunt. D. Matthæus Bossus gratiosum hâc de re exemplum affert in Alexandro Gonzaga, Ludovici, secundi Marchionis Mantuani, fratre. Is enim, liberalissimo aspectu juvenis, ab ingruente violento morbo formam adeò monstruosam induit, ut capite semper versus pectus depresso, ac humeris fœdè supra collum tumescentibus, incedere debuerit. Unde ob corporis vitium adeò enorme, omnem hominum consuetudinem ac mundi pompam abominatus, sese ad vitam solitariam recepit, ibique omnem operam solis litteris, ac virtutibus Christianis acquirendis adeò impensè consecravit, ut ab amicorum suorum quodam interrogatus; *Quanti formam corporis, & valetudinem prosperam emeret?* generosè responderit; *Tantùm abest, ùt vires corporis optem, ut etiam nolim eas mihi concedi, si facilè possim. Nam cùm memetipsum*, gibbositatis, aliarumque calamitatum pondere aggravatum *conspicio, de rebus omnibus, quæ sunt cæteris appetibiles atque jucundæ; de libidine dico, de cupiditate, de honoribus, ac dignitatibus, surgit mihi contemptus, & satietas quædam, cogorque cum Propheta clamare; Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Hieronymus Preti inter complures suas ærumnas de se ipso cecinit;

Calamitas exaltat.

Matth. Boss. de toleranд. advers. Coll.

S'ermata à danni miei cieca Fortuna
Vinto à terra m'opprime, empia m'offende;
L'alma, che non sorgiace ad onta alcuna,
Sorge e' l suo volo al Ciel libero rende.

22. Alcibiades Lucarinus justitiæ symolum bilancem statuit, quæ ponderibus suis in æquilibrio suspensa, epigraphen tulit; NEC CITRA, NEC ULTRA. Proprium enim boni Judicis est, à legum præscrispto, ac rationis dictamine nec latum unguem deflectere. Horatius;

Justitia.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Et S. Ambrosius; *Qui judicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est.*

S. Ambros. ser. 20. in Ps. 118.

23. In bilance, quantò inferius deprimitur una, tantò altera fertur superius. Unde lemma; DUM SUBLEVOR, DEPRIMO. Ita quantò plus propriis nostris viribus arrogamus, tantò plus Deo suffuramur. *Superbus enim*, asserente D. Bonaventurâ, *fur est, & latro, deteriorque; rei alienæ invito Domino, honorem scilicet, gloriamq; uni Deo debitam, sibi usurpans.* Clamat siquidem Deus; *Gloriam meam alteri non dabo.* Modò igitur, quando quis superbit, vaneque effertur, ac se ipsum de bono aliquo naturali palpat, quodcunque illud sit, planè Supremæ Majestati honorem suum deprædatur. Ac profectò in hoc genere me; ut gravissimus etiam Seraphicum illum Franciscum perculit; ob quod Deum enixè precatus est sæpius, ut si quid ipsi singularis gratiæ impertiri vellet, illud ipsemet custodiret; *non enim tantum mihi fidere audeo*, inquiebat, *ut tua tibi bona non diripiam, mihique plus æquo arrogem.*

Superbus. S. Bonav.

Isa 42. & 48

S. Franciscus.

24. Bilanx suspensa, ponderis beneficio, unam lancem habet sublevatam, alteram verò depressam; sicque EXTOLLITUR, ET DEPRIMITUR.

vel

vel ut alii è Psalmo subscripsêre; HUMILIAT, ET EXALTAT. Ita dignitatum pondera Prælatum supra subditos elevant, & simul humiliant, dum illorum commodis ac profectui servire debent. Disertè id explicans Magnus Canonicorum Legislator Augustinus, ait; *Honore coram vobis Prælatus sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris.*

Prælatus

S. Aug. in Regul.

CIRCINVS.

CAP. IV.

25. Circinus, uno pede in orbem circumductus, & altero intra centrum defixus, epigraphen tenet; CIRCUIT, LOCO MANENS. vel, si lubeat, circinum tripodem figurabis, qui uno pede immoto, reliquis duobus binos circulos uno ductu describat; cum P. Hortensii Palavicini lemmate, UNO IMMOTO. His hoc Emblema deservit, qui tam proximi sui commodis, quàm propriis indigentiis temporalibus procurandis solicitè distenti, simul in Deo, tanquàm vitæ contemplativæ centro, firmissimè persistunt. Hoc sensu S. Bernardus illa Psalmographi verba interpretatus, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum,* ait; *non semel tantùm, sed & secundò, & vacare tibi, & proximis ministrare. Hic planè pars optima, quæ non aufertur; bonum, inquit, acquirit gradum, qui benè ministraverit; fortè meliorem, qui benè vacaverit Deo; optimum autem, qui perfectus est in utroque.* Baptista Guarinus eadem circini effecta in Amante profano deprehendit, qui diversas regiones pervagatus, cor suum unicè & assiduò in amasia defixum conservabat. Ipsius verba ita habeto;

Contemplativus.

S. Bern. serm. de Assumpt. Ps. 107. 21

Amans profanus.

Con voi sempre son io
Agitato, mà fermo;
E se'l nemo v'involo e il più vi vasso,
Ch'un piede in voi quasi mio centro io fermo,
L' altro patisce di fortura i giri
Mà non può far, che intorno à voi non giri.

Peccatoris fraudulenti malitia eodem Emblemate significari potest; hic enim è vitiorum cœno ad virtutem sectandam concitatus, nonnunquam à pristinis flagitiis nō sine pœnitudinis nota deflectere videtur; at, corde nimium quantùm intra ceptas noxas defixo, paulò post ad eandem vitæ præteritæ lineam idētidem revertitur. Eleganter Mellifluus Bernardus ad illa psaltis Regii verba alludens, *In circuitu impii ambulant,* Ita philosophatur; *Qui in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed proficit nihil. Væ homini, qui sequitur hunc circuitum, qui nunquam à propriâ voluntate recedit. Si conaris avellere, paululùm sequi videbitur; sed in dolo; Circuitus est, aliunde reditum parat, non ab ea penitus abducetur, Satagit undique, undiq; fugitat, hæret tamen semper propriæ voluntati.*

Peccator. recidivus.

S Bern. serm. 11 in Ps. Qui habitat.

26. Officina Plantiniana Symboli loco circinum præfert, qui uno pede firmus, & altero in orbem ductus, circulum describit; cum lemmate, LABORE ET CONSTANTIA. Innuit videlicet, cujusvis operis complementum labore ac perseverantiâ, ceu gemino fulcro, perfici. Hanc virtutem in Trajano suo deprædicans Plinius, ait; *Initium laboris mirer, an finem? multum est, quòd perseverâsti, plus tamen, quòd non timuisti, ne perseverare non posses.*

Labor & perseverantia.

Plin. in Paneg. Trajani.

27. Circinus, uno pede stabilis, altero in orbem flexo, circulum describit; Unde lemma; NON VAGUS VAGOR. Ita Poëta, sine ullâ cœpti poëmatis jacturâ, diversas ac nobiles ambages excentricas intermiscere noluit. Prædicator etiam, è propositi argumenti orbitâ nihil deflectens, nonnunquam gratiosas digressiunculas instituit. Angelus, ad Animæ, civitatis, Provinciæ, aut Regni excubias vel patrocinium à Deo ablegatus, extra Divini aspectûs præsentiam nec minimum unquam removetur, sed æternum in ea fixus persistit. Denique Religiosus, in aliorum conversionem incumbens, orbemque totum perlustrans, semper in Deo fixus manet, sicque vagus non vagatur. S. Gregorii Nazianzeni consilio, *Ad Deum accedere prius oportet, & sic alios ad Deum adducere; sanctificari, & ita sanctificare; manus habere rectas, & sic indigentibus porrigere manum. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?*

Poëta.

Prædicator.

Angelus

Religiosus peregrinans.

S. Greg. Naz. in Apolog.

28. Cùm Rex quidam potentissimus Carolo Emmanueli, Sabaudiæ Duci, remoras injicere moliretur, ne contra Montisferratum arma moveret, generosum Ducis illius pectus à conceptâ belli adeundi sententiâ adeò nihil remisit, ut ipsas etiam Regis illius ditiones armatâ manu invaserit. Unde eâ tempestate Circinum Symboli loco sibi præferri voluit, qui superiore parte à vicina manu constrictus, inferiore amplissimum orbem circumscripserat. Epigraphen subjunxit; DUM PREMOR, AMPLIOR. Eadem imago Ferrariæ ad Marchionis Guidonis Villæ exequias innovata cernebatur, ubi circino inscripsêre; COARCTATIONE DILATOR. Mens Emblematis erat, generosum Ducis illius pectus tantò majore magnanimitate exarsisse, quantò graviore belli discrimine coarctatum fuerat. Illud ipsum Ordines Religiosi compertum habent, qui regularis observantiæ rigoribus suâ sponte constricti, summam in mundi conspectu fidem sibi conciliant, & incremento felicissimè dilatantur. D. Marcus Antonius Scipio, illustre Monachorum Cassinensium decus, in honorem sancti Romualdi canit;

Calamitas utilis. Animus generosus.

Religiosum institutum.

Eremitarum auctor & Magister,
D. Benedicti institutum, temporis injuriâ solutius,
Arctiore disciplina DEVINCIENS, mirificè
DILATAVIT.

Denique S. Ecclesia, quò graviore tyrannorum crudelitate pressa, eò per orbem amplius dilatabatur. S. Hilarius, *Hoc habet proprium Ecclesia; dum persequitur, floret; dum opprimitur, crescit; dum contemnitur, proficit; dum læditur, vincit; dum arguitur, intelligit; tunc stat, cùm superari videtur.*

S. Ecclesia.

S. Hil. l. 4. de Trinit.

29. Circinus, quamdiu pedes constrictos habet, artificum usui vix quidquam deservit; nec nisi apertus & dilatatus commodare potest. Unde lemma; DILATATUS AD USUM. Ita divitiæ, intra crumenam compressæ, utilitatem planè nullam habent; at dispersæ, & in egenas manus erogatæ, emolumenti plurimum afferunt. Horatius;

Divitiæ.

Horat. l. 2. Carm. od. 2.

Nullus argento color est, avaris
Abditæ terris inimicæ laminæ
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Hujus strophæ paraphrasin in morali ac gratioso illo Francisci Sbarræ dramate cernere licet;

Franc. Sbarra nell Drama intitolato Modo Att. 2. sc. na 2.

Sono gli ori, e gli argenti
De la terra escrementi;
Il più ricco tesoro
E per se stesso vile,
Mentre ne l'arche, e ne la terra è chiuso.
Solamente CON L'USO
STIMABILE si rende,
Non s'apprezza chi l'ha, mà chi lo spende.

Eamobrem Constantinus Clorus Imperator, mille beneficia in aliorum utilitatem profusissimè erogare solitus,

solitus, hanc suam gnomam identidem repetiit; *Melius esse, opes publicas à privatis haberi, quàm intra unum ærarium possideri*; ut refert Eutropius.

Eutrop. in vita Constant.

30 Circinus, circulum efformans, à Lucarino epigraphen recepit, DONEC AD IDEM. Hominem, morti meditandæ deditum, hoc Emblemate significabis. Et verò, nî fallor, hæc imago ad illa Sacræ Geneseos verba alludit, ubi Deus Adamum, è flagitio recentem, his verbis fulminavit; *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Cæterùm de humanæ vitæ fragilitate assiduò contemplandâ optimè canit Ovidius;

Mortis meditatio.

Ovid. 2. Metam.

----a ---- Scilicet ultima semper
Expectanda dies homini est.

EtS. Jobus; *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniet immutatio mea. Perfecta enim vita,* subjungit S. Gregorius Papa, *est mortis meditatio; quam dum Justi solicitè peragunt, culparum laqueos evadunt.*

Iob. 14. 14.

S. Greg. l. 12. Moral.

31. Abbas Ferrus animam, iteratis affectibus ad Deum conversam, circini Emblemate repræsentat, qui orbe suo completo, hanc Virgilii gnomam lemmatis loco tenet, QUA GRESSUM EXTULERAM, REPETO. Christum, ad cœlos revertentem, hoc ectypo depinges. Dilucidè de illo canit David; *A summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus.* Illorum insuper hæc idea est, qui è sorte infimâ in sublime dignitatis fastigium eluctati, tandem ad pristinam conditionem relabuntur. Certè Saul è paupere domo Cis ad regni apicem emergens, post mortem ad nativam suam egestatem rediit, & juxta Jonathæ, cæterorumque filiorum suorum ossa, *in sepulchro Cis patris sui*, tumulatus est. Vel denique in eos imago ista convenit, qui pristinam suam culpam seria voluntate detestati, in eandem iterum iterumque revertuntur: enimverò Davide asserente, *In circuitu impii ambulant.* S. Chrysostomus; *Venisti per viam fornicationis, ambula per viam castitatis: venisti per viam avaritiæ, ambula per viam eleemosynæ: si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regno vadis Herodis.*

Anima contemplativa.

Virgil. l. 2. Æneid. v. 753.

Ascensio Christi.

Ps. 18. 7.

Dignitate privari.

Recidivus.

Psal. 11. 9.

S. Io. Chrys. super Matth. per aliam viam reversi sunt.

32. Collegium Societatis Jesu Monachii Bojorum inter cæteram Octidui Borgiani pompam Emblematis loco circinum stantem exhibuit; cum lemmate, SI JUSSERIS, IBIT IN ORBEM. Tanta enim S. Francisci Borgiæ erat obediendi promptitudo, ut solo Superiorum nutu orbem universum fuisset peragraturus. Nam, ut S. Bernardus ait, *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, nec contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne, quod injungitur spontaneo vigore liberalis, alacrisque animi motum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.* Eandem iconem S. Apostoli sibi vendicant; quippe quibus Servator dixit; *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Emblemati explicando sequentem de S. Borgia inscriptionem habeto;

Obedientia.

S. Bern. de Præcept. & Dispensat.

Apostoli.

Marc. 16. 15.

Imperando natus, obsequi maluit,
Quàm se, vel suos ducere:
Gnarus, tutissima mandata esse, quæ non dantur
Sed acceptantur.
Hæc tam sanctè habuit, ut in homine se
Deum tueri, palam faceret.
Nutum secutus est, veluti surdus foret.
Quàmvis promptissimè auscultavit.
Nec apicem quidem, aut litteram egressus,
Non vocanti solùm, sed & vocali
Obtemperavit &c.

33. Ad Legati cujusdam honorem Circinus videbatur depictus, qui in orbem circumductus, alterum pedem in centro defixum habuit, cum lem[illegible] CENTRO PES ALTER ADHÆRET. Idq[ue] hoc epigrammate explicatur.

Pes alter graditur, centro pes alter adhære[t],
Ni foret immotus, non numeraret iter.
Tu quoque terrarum fines legatus obisti,
Et centrum, & semper circulus Au[la] tibi [illegible]

Hinc discant Sacerdotes & Prædicatores, ut aliorum saluti promovendæ intenti, nunquam è propriæ salutis centro deflectant, Deoque semper immobiles adhæreant. Nam, Christo teste, *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* S. Bernardus; *si totus vis esse omnium, instar illius, qui omnibus omnia factus est, laudo humanitatem, sed si plena est. Quomodò autem plena est te excluso? & tu Homo es; ergò ut integra sit & plena humanitas, colligat & te intra se sinus, qui omnes recipit; alioquin quid tibi prodest juxta verbum Domini, si universos lucreris, te unum perdens? Quid solus fraudaris munere tuo? Memento proinde, non dico semper, non dico sæpè, sed velinterdum reddere te ipsum tibi.*

[illegible]

Ioan. 15.

S. Bern. l. 1. Consid. ad Eugen. c. 5.

34. Circinus cœptum suum circulum nonnisi continuando ac circumeundo perficit. Unde lemma; DUM CIRCUIT, PERFICIT. Sacras peregrinationes hæc imago repræsentat, quæ, si ritè instituantur, plurimum perfectionis homini afferunt. Instar omnium esto S. Hieronymus, qui Galliam, Græciam, Palæstinam, aliasque terras obiens, supremum sapientiæ ac doctrinæ gradum est adeptus. Quòd verò peregrinationes ad pietatem acquirendam faciant, testem audi eundem Hieronymum. *Quis Romam veniens, & cernens Urbem illam sanctam, & gloriosam, quæ inter omnes urbes velut caput in corpore, velut sol inter astra effulget: calcans terram illam quam Apostolorum diva vestigia presserunt, quam tot torrentes sanguinis Martyrum irrigarunt: admirans totius Ecclesiæ militantis Capitolium, quod sol doctrinæ veræ, Catholicæ & Apostolicæ, ab ipso Christo traditæ, illustravit, & toti mundo spectabilem fecit, quod ipse Doctor Gentium admiratus est, cum scriberet;* Fides vestra annuntiatur universo mundo; *Rom. 1. non moveatur, non inflammetur, non incalescat? &c.*

Peregrinatio utilis.

S. Hieron. in Epitaphio Paulæ.

35. Circino inscripsit P. Jacobus Masenius, HINC FIXUS, ET INDE MOVETUR. Ita qui in Orbe, ad fidem ac virtutem convertendo, laborant, mente Deo fixi esse debent, dum corpore moventur. Nam, S. Bernardi consilio, *Benigna prudens [illegible] charitas affluere consuevit, non effluere.* S. Laurentius Justinianus; *Anima, desponsata Verbo, in hoc efficitur anxia, hoc agere nititur, ut sui non amittat custodiam, dum proximorum utilitatibus inservit; ne pro aliorum commodis, mentis innocentiam perdat. &c.*

Prædicator.

S. Bern. [illegible]

CIRCVLUS, Caput V.

36. COmplures lineæ, è paripheria versus circuli centrum ductæ, epigraphen sustinent. ILLUC OMNES. Haud aliter subditorum ac filiorum oculi in majorum suorum operationes assiduò & unicè defiguntur. Jobus de se ipso inquiebat; *In circuitu meo pueri mei*: quippe qui, interprete Nicetâ, ita erant dispositi, *ut in illum, tanquã in centrum oculorum animiq; aciem intentam haberent.* Eâdem omninò ratione anima contemplativa res quasvis observatas ad divinitatis centrum, ceu creaturarum omnium scaturiginem, derivat, simulque in eâ contemplatione plurimum amœnissimæ dulcedinis persentiscit. A tenerrima affectuum istorum extasi assiduò

Exemplũ Majorum.

Iob 29. 5. Suet. in hunc loc.

Anima contemplativa.

duò abreptus erat. D. Fulgentius Cremonensis, meus Concanonicus, cui familiare erat, res singulas, quæ passim in oculos illapsæ fuerant, directâ lineâ ad Dei bonitatem, veluti unicum centrum, reflectere. De hoc D. Matthæus Bossus, *Vidimus*, inquit, *hac in re Fulgentium illum Cremonensem Concanonicum nostrū, assidue fervescere, dum flores, poma, sataque videret; dum vim elementorum, solis fulgorem, flumina, montes, reliquaq; naturæ spectacula attractius secum reputaret, inque Deum auctorem ea cuncta transferret, in quo persæpe neque lachrymas, neq; clamores retinebat.* E S. Pauli doctrina, omnes operationes nostræ ad unam Dei gloriam, ceu totidem lineæ ad centrum suum, dirigendæ sunt. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* In hac Apostoli præceptione totus erat S. Ignatius Loyola, qui suas, suæque Societatis actiones omnes unicè ordinavit *Ad majorem Dei gloriam.*

Matth. Boss. de Instituend. Sapient. animo Disp. 6.

Gloria Dei.

1. Cor. 10. 31.

S. Ignatius Loyola.

37. P. Justinianus voluminis sui fronti diversas in eodem circulo lineas præfixit, quarum alia terminatæ, aliæ verò cœptæ tantùm, singulæ versus illud ipsum centrum tendebant. Epigraphen addidit; ET PLURES EODEM. Indicabat, ni fallor, varios Interpretes in Sacræ Paginæ libros commentari, eosque omnes, quantumvis ingenio ac voce diversissimos, ad idem veritatis centrum collineare. Porrò omnes omninò Christiani ad unicum Dei honorem & proximi utilitatem in cunctis actionibus tendere debent. Id quod nec ipsum gentilem Tullium fugiebat; *Ergò unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas unuscujusque & universorum: quam si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humana consociatio.*

P. Justin. in Epistolas S. Pauli.

Interpretes S. Scripturæ. Gloria Dei.

Cicero l. 3. officiorum.

38. D. Carolus Bossius Emblematis loco Circulum expressit, qui à circino formatus ac finitus, epigraphen tulit; CONTRARIO PERFICITUR. Innuebat videlicet: sicuti circulus, à primo puncto exorsus, peripheriam suam tamdiu ducit, donec in ultimo puncto, priori illi penitus adverso, conquiescat ac terminetur; ita Mariæ Magdalenæ vitam, ab amoris lascivi puncto cœptam, tandem in amorem Divinum, priori illi è diametro contrarium, desiisse. Haud aliter vitæ nostræ cursus præteritis annis intra vitiorum sordes volutatus, si tandem ad virtutis, contritionis, ac pietatis orbitam redeat, perfectione laudabilissimâ concludi potest. S. Gregorius illa Evangelii verba examinans, quòd Sancti Magi *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*, doctrinam hanc concinnam deducit; *Regio nostra paradisus est ad quam redire per viam, quâ venimus, prohibemur. A regione etenim nostrâ superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, discessimus: sed ad eam necesse est, ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui à paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocamur.*

S. Magdalena.

Pœnitens.

S. Greg. Hom 10 in Evang. Matth. 2. 12.

39. Circulus, nullum initii sui vestigium habens, epigraphen sustinet; SUA PRINCIPIA CELAT. Avitam nobilitatem hoc Emblema spectat, quæ nullum originis suæ indicium investigare potest. De Turcis refert Andreas Tiraquellus; *Illos existimant omnium nobilissimos, qui prorsus ignorant patres ac matres suas, eosq; tenere primos dignitatum gradus post ipsum Principem.* Antiquus ille Rex & Sacerdos Melchisedech hoc encomio cumprimis spectandus, genealogiam ab hominum notitia penitus abscondi-tam habuit. Erat enim, Apostolo teste, *sine Patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium neque finem vitæ* (à Sacris Litteris commemoratum) *habens.*

Nobilitas antiqua.

Andr. Tiraq. de Nobilit. c 19. n. 34.

Hebr. 7. 3.

40. Iisdem Apostoli verbis nixus *(neque initium, neque finem habens)* circulo subscribes; INITIO FINEQUE CARET. Æternitas genuino hoc symbolo delineata, nullis unquam terminis constringitur. Insuper Divorum Cœlitum beatitudo, ad vitæ Divinæ dimensum nullo unquam ævo terminanda, eodem circuli Emblemate significatur. B. Albertus Magnus illa Vatis Apocalyptici verba interpretatus, *Dabo tibi coronam vitæ*, ait; *vitam interminabilem, quæ significatur in corona, quæ est circularis, & circulus non habet principium, neque finem.* Et S. Bonaventura; *Rotunditas coronæ significat illius regni æternitatem.*

Æternit[as]. Beatitud[o].

B. Alb. M. Apoc. 2. 1[0]

S. Bonav. [de] septem do[nis] Spiritus [S.] c. 11.

CONSPICILIUM.
CAPUT VI.

41. Conspicilia epigraphen tenent; PROCUL, ET PERSPICUE. Illa ipsa hominis prudentis ac perspicacis est indoles, qui eventus, quantumvis longinquos, distinctè ac tempestivè prævidere solet. Seneca; *Nihil nobis improvisum esse debet. In omnia præmittendus est animus: cogitandumque, non quidquid solet, sed quidquid potest fieri.* Propriissimum tamen illud Sapientiæ Divinæ ectypon habetur, quæ omnia, sive futura, sive præterita tēpora penitissimè discernit, & *attingit à fine ad finem fortiter.*

Prudent[ia].

Senec. apud Lipsium Manud. l. 3 dissert 6.

Sapienti[a] Dei.

Sap. 8. 1.

42. Conspiciliis subscripsêre; PER VOS MAGIS. Sicuti enim illorum beneficio res quasvis materiales clariore visu discernimus, ita intellectus, quantumvis naturâ suâ nobilis ac perspicax, bono aliorum consilio plurimum acuitur, & officii sui negotiis melius providet. Unde vetus ac grandis ille Moses Jetri, soceri sui, consiliis est usus; Abrahamus Saræ; David Abigailis; Naamanus, Syriæ Princeps, puellæ cujusdam captivæ; aliorumque alii. Seneca; *Quidquid consilio prospici potest, prospice, quodcunq; læsurum est, multò ante quàm accidat, speculare & adverte.*

Consilia[rius].

Exod 18. 2[4]. Gen. 21. 1[2] &c. 1. Reg 25 [.] 4. Reg 5 3 Senec Ep. [.]

43. Rerum quarumvis objectarum species à conspiciliis polygonis ita multiplicātur, ut unicus denarius instar plurimorum appareat. Unde lemma; SPECIES DECIPIT. Ita prorsus omnes mundi divitiæ ac voluptates merissima sunt oculorum ludibria. Theophylactus super illis Apostoli verbis, *Præterit figura hujus mundi*, ait; *Mundi ideò dixit figuram, quia ejus bona solo terminantur aspectu, & apparentia sunt.* Mirificè in rem nostram Seneca; *Sciamus omnia æquè levia esse, extrinsecus DIVERSAS FACIES HABENTIA, INTERIUS pariter VANA.*

Bona t[er]rena.

Theophyl[.] 1. Cor. 7. 2[9]

Senec. l. de Tranqui[l.] c. 10.

44. Duobus conspiciliis subscripsit Bargalius; NON IPSA, SED PER IPSA. Inde disces, res terrenas adeò cautè esse usurpandas, ut illas non quidem tanquam totius desiderii nostri terminum, sed veluti media, ad Deum consequendum unicè necessaria, adhibeamus. S. P. Augustinus; *Bona interiora sola diligenda sunt, cæteris autem ad necessitatem utendum est, non ad gaudium perfruendum.* Porrò adoratio, sacris imaginibus Catholicorum ritu exhiberi solita, non quidem unicè in saxa, ligna, aut telas; sed directè in ipsos Sanctos, veluti in imaginum illarum prototypa, ordinatur. Unde Hagyophylus nonnemo supra Crucifixi iconem hunc versiculum affixit;

Bona te[r]rena.

S. Aug. in [.] 4.

Adorat[io] imagin[um].

NON ISTUM Christum, SED Christum adora PER ISTUM.

45. Tantùm abest, conspicilia, oculis & rebus aspiciendis interposita, visum nostrum impedire, ut illum potius adjuvent, & vires ad discernendum opportunissimas subministrent. Eò collineans P. Jo. Bartho-

Bartholomæus Pancierus, Augustinianus Excalceatus, conspiciliis inscripsit; INTERPOSITA PROSUNT. Actiones illas hoc Emblemate significatas dixerim, quæ ab obedientia imperatæ, peculiares nostras devotiones quidem intervertunt, at iisdem adeò nihil impedimenti afferunt, ut contrà summis cœlestibus meritis eas illustrent. Hâc de re testatissimam Dei voluntatem, ac veluti chirographum, paucis istis verbis habeto. *Melior est obedientia, quàm victima, & auscultare* Dei ac Superiorum voci, *magis quàm afferre adipem arietum.* S. Fulgentius dicere solebat, *Illos veros Monachos esse, qui mortificatis voluntatibus suis parati essent, nihil velle, nihil nolle, sed Abbatis tantummodo consilia, vel præcepta servare,* ut in ipsius vita refert Surius. Cæterùm Sancta Fides videri quidem possit, sua mysteria ab hominum oculis subtrahere; dum Fidelis *captivat intellectum in obsequium fidei,* & res Divinas nonnisi *per speculum & in ænigmate* contemplatur: secus tamen accidit; nam vires copiosissimas ad intelligenda ac distinguenda *Invisibilia Dei* è Sancta Fide accipimus.

Obedientia meritoria. 1. Reg. 15. 22. Sur. in vita. Fides.

DIOPTRA.

Cap. VII.

Lex Dei.

46. Dioptra, campis dimetiendis accommodata, epigraphen sustinet; UT NUSQUAM ABERRET. vel, ET LONGINQUA DIRIGIT. Ita Lex Divina Christianis, in hujus mundi campo versus cœlum sine ullo errore deducendis, plurimùm conducit. Hæc tamen ipsa etiam boni Exempli est virtus. S. Isidorus; *Si ad bonum incitamentum, Divina, quibus movemur, præcepta deessent, pro lege nobis sanctorum vita sufficeret.*

S. Isid. l. 2. de sum. bon. cap. 11.

47. Dioptra, affulgente sole, obscurum conclave illustrat; cum lemmate, ACCIPIT, UT REDDAT. Mariæ Virginis hæc imago est, quæ Divinis gratiis è cœlo illustrata, easdem copiosissimè in mundum effudit. Unde ab Andrea Hierosolymitano rectè cognominatur *Dioptra perspectiva, per quam sedentes in tristi umbra peccatorum recipientes solem justitiæ, mirabiliter illustrati sunt.* Emblematis mentem hoc Epigrammate explicat P. Masenius;

Maria V. benefica. And. Hierosl. Orat. in salut Ang.

Illustrata diem vitreo simul orbe dioptra
Suscipit, acceptum reddit ab orbe diem.
Postquam Virgo jubar (septis caligine terris)
Hauserat è cœlo, mox dedit illa solo.

GLOBVS. SPHÆRA.

Cap. VIII.

48. Sphæra vitrea, ab Archimede olim elaborata, omnes cœlorum, Planetarum, galaxiæ, cæterarumque imaginum ætherearum motus miro & artificioso compendio repræsentavit. Unde illam hoc epigrammate vernaculo insignies; IMMENSE MOLI IN PICCIOL GIRO ACCOGLIE. Id est; IMMENSUM IN PARVO. Genuinum hunc SS. Eucharistiæ typum dixerim, de qua Franciscus Formigierus sequente strophas exhibet;

Eucharistia.

Ecco in picciol cerchio, in brieve giro
Compreso l'orbe universal si vede,
E quanto là ne compilò Archimede
Sotto specie di pan qui tutto miro.
Quì del verace sole i rai rimiro;
Quì due nature unite ogn'uno crede
(Maravigliosa ecclissi;) e quì succede
Del latteo calle il bel candor, ch'ammiro.
Ciba il tuo cor di questo pan, se vuoi
Sentir se scoppiera d'ardor il core,
E di celeste amor gli affetti tuoi.
Quì ristrinse il Divino, eterno amore
Tutte le sfere, e de le sfere poi
Per compendio vi chiuse anco il fattore.

S. Ambrosius; *Quantâ cordis contritione & lachrymarum fonte illud Divinum mysterium est celebrandum, Domine Deus, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summis ima, humanis Divina junguntur!*

S. Ambros. in Orat. ante Miss. dicend.

49. Terra in sphæræ universalis centro instar minutissimi puncti comparere solet. Unde Emblemati subscripsi; IN PUSILLO NEMO MAGNUS. In rem præsentem opportunum censui illud Socratis apophtegma, ab Æliano citatum; *Socrates quum videret Alcibiadem ob divitias elatum animum gerere, & ob agrorum multitudinem superbire, adduxit ad locum, in quo tabula quædam descriptionem terræ complectens suspensa erat, & eum rogavit, ut Atticam ibi requireret. Quam cùm invenisset, suos fundos eum jussit inquirere: & quum responderet, nusquam ibi pictos esse. Horum, inquit, possessione te effers, qui nulla pars sunt terræ?*

Superbia repressa. Ælian de var. Hist. lib. 3. cap. 28.

50. Quantùm utilitatis è concordia nobis accrescat, haud obscurè è Secretorum Vicentinorum Emblemate colligere licet; in quo loci elementares, legitimo ordine inter se dispositi, cernuntur; cum dicto, NUNC FOETIBUS APTA. Plutarchus; *Ut in corpore, ex humidi, frigidi, calidi, & sicci temperatura, optima fit constitutio; sic ex fratrum concordia maximè floret genus &c.* Quando olim exsucca & arentia hominum cadavera, Ezechiële intuente, animanda erant, & Propheta ille ossibus promiscuè dispersis Dei nomine promittere jubebatur, *Ecce ego intromittã in vos spiritũ, & vivetis, & dabo super vos nervos, & superextendã in vobis cutẽ &c.* mox idem Propheta non sine oculorum voluptate prodigium illud à se visum testatur; *Accesserunt ossa ad ossa, unumquodq; ad juncturam suam.* peractâ proinde illâ ossium juncturâ, Deus porrò præcepit; *Veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant.* Sicque res quælibet, dum separatæ existunt, ad vitam spiritualem recipiendam penitus ineptæ sunt; nec nisi legitimâ proportione unitæ, vitâ illâ felicissimâ animari queunt. S. Laurentius Justinianus; *Sicut Spiritus humanus nunquam vivificat membra, nisi fuerint unita; sic Spiritus sanctus nunquam vivificat Ecclesiæ membra, nisi fuerint in pace fraternæ dilectionis unita.*

Concordia. Plutarch. in Moral. Ezech. 37. Ibid. n. 7. Ibid. n. 9. S. Laur. Just. in ligno vitæ de charit. cap. 15.

51. Fuit qui quatuor Elementorum globis, mutuò separatis, inscriberet; DISCRETIS SUA VIRTUS. Innuit videlicet, diversas regiones diversis ac peculiaribus prærogativis à Deo donatas esse. Id probè observatum habens S. Ennodius, ait; *Quasdam mundi artifex Deus provinciis felicitates stupendâ secreti sui largitate concessit. Alias uberius, melius alias vinum jussit effundere, aliis contulit triticeæ segetis ope gratulari: multas pomorum varietate, vel utilitate donavit.* Et Virgilius;

S. Ennod. l. 1. Epist. 6.

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atq; injussa virescunt
Gramina.

Vir. il. lib. 1. Georg. v. 54.

Eodem Emblemate hominẽ significabis, qui proprio valore nixus, ab aliorum ope penitus est independẽs.

Proprius valor.

52. Superiori Emblemati è diametro adversans Taëgius, quatuor Elementorũ globis, mutuò separatis, inscripsit; DISCRETIS NULLA VIRTUS. Enimverò malorum omnium lerna ex una discordia nasci solet. Just. Lips. *Certum est,* inquit, *vires abjunctas & discretas, minus esse validas aut paratas.* Et prior illo Boetius;

Discordia. Lips. lib. 5. Dial. 2. de Milit. Rom.

Boet. lib. 4. de Consolat. Boëtius; *Nostine igitur, omne, quod est, tamdiu manere atque subsistere, quamdiu sit unum: sed interire atque dissolvi pariter, quando unum esse desierit?*

53. Globus terrestris, suâmet mole in sphæræ universalis centro suspensus, hanc Ovidii gnomam præfert; PONDERIBUS LIBRATA SUIS. Dignam grandi Principe effigiem! quippe qui nullâ emendicatâ aliorum ope nixus, negotia & operationes omnes se ipso perficit. Verus sapiens, Senecâ teste, sibimet sufficit, suâque propriâ virtute sustentatus, nullâ exteri subsidii indigentiâ constringitur. *Se contentus est sapiens,* inquit, *sapienti & manibus, & oculis, & multis ad quotidianum usum necessariis opus est, sed eget nullâ re: egere enim necessitatis est: Nihil autem necessè sapienti est. Quamdiu illi licet suo arbitrio res suas ordinare, se contentus est: & ducit uxorem, se contentus: & liberos tollit, se contentus;* Et alibi de ratione disserens ait; *Hæc sola non submittit animum, stat contra fortunam. In quolibet rerum habitu servata servat. Id autem unum bonum est, quod nunquam defringitur. Is, inquam, beatus, quem nulla res minorem facit, tenet summa, & ne ulli quidem, nisi SIBI INNIXUS.*

(Odera ri se ipso. — Sapiens. — *Senec. Ep. 9.* — *Idem Ep. 92.*)

54. Odoardus VI. Angliæ Rex, globum terrestrem, è manu suspensum, symboli loco prætulit; cum dicto; NIL SINE DEO. *In ipso enim,* inquit Apostolus, *vivimus, & movemur & sumus.* Cicero; *Dico igitur, providentia Deorum mundum, & omnes mundi partes, & initio constitutas esse, & omni tempore administrari.*

(Providentia Dei. — *Act. 17. 28.* — *Cicero lib. 2. de Natura Deorum.*)

55. D. Didacus Savedra globo terrestri ensem & ramum aureum decussatim imposuit; addito lemmate, FERRO, ET AURO. Enimverò Princeps, ferro & auro instructus, inter pacis bellique discrimina securus incedit. Idem porrò præmii & supplicii beneficio imperium suum obfirmat. Socrates interrogatus, *Quænam civitas ritè gubernari possit?* respondit, *Cùm boni invitantur præmiis, injusti dant pœnas.* Et Tullius; *Neque domus, neque respublica stare potest, si in ea rectè factis præmia extent nulla, nec supplicia peccatis.*

(Præmium & pœna. — *Cicero lib. 3. de natura Deorum.*)

56. Mundi globus, Lucarino authore, epigraphen tenet; EXTREMORUM EXPERS. Immensitas Dei, nativo hoc ectypo figurata principio & fine caret. Dilucidè ipsemet Deus; *Ego,* inquit, *sum alpha & omega; principium & finis. Qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Seneca: *Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, quâ nihil majus excogitari potest. Si solus est omnia, opus suum & extra, & intra tenet.* Gravi ac prolixâ sententiâ Arnobius; *O maxime, ô summe rerum invisibilium procreator, ô ipse invise, nullis unquam comprehense naturis. Prima tu causa es, locus rerum, ac spatium, fundamentum cunctorũ, quæcunque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quẽ nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circũscriptio qualitatis, sine situ, motu, & habitu. &c.*

(Immensitas Dei. — *Apoc. 1. 8. & 22. 13.* — *Senec. Præf. Nat. Quæst. lib. 1.* — *Arnobius.*)

57. Globus terrestris epigraphen sustinet; EXTITIT ANTE SOLEM. Æternitatis Divinæ hic typus est; uti ex illo Geneseos deducitur; *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Enimverò si in principio creavit mundum, necessarium planè est, Creatorem ante principium extitisse, atq; adeo non temporaneum, sed æternum esse. Junilius Episcopus Africanus; *Quem in principio temporum mundum creasse perhibet* (Moses) *ipsum profectò ante tempora æternaliter extitisse designat.*

(Æternitas Dei. — *Gen. 1. 1.* — *Junil in Hexamer.*)

58. Alcibiades Lucarinus isocedro, seu globo multilatero subscripsit; QUACUNQUE CONFORME. Hæc imago, in Societatis JESU honorem ab authore suo figurata, cumprimis Sanctam Fidem Catholicam spectat, quæ, prærogativâ prorsus obstupescendâ, in omnibus mundi partibus omninò est eadem, suique simillima. Atque hoc ipso minimè postremo veræ fidei indicio ab hæresibus manifestè decernitur; hæ enim totidem diversis doctrinis ac contradictionibus, quot locis, distractæ, clarissimum adulterini sui dogmatis fastigium relinquunt; uti prolixis argumentis ostendit Thomas Bozius de Signis Ecclesiæ. Illo ipso Emblemate animus generosus ac imperterritus demonstratur, qui in omni tam blandientis, quàm adversantis fortunæ successu mentem semper quietam, sibique conformem exhibere novit. Seneca, posteaquam Socratem fame, egestate, familiæ ærumnis, labore militari, uxoris petulantiâ, filiorum stultitiâ, tyrannorum crudelitate, malevolorum imposturis, carcere, lethifero veneno, aliisque calamitatibus acerrimè jactatum descripserat, tandem concludit; *Hæc usque eò animum Socratis non moverunt, ut ne vultum quidem moverint. Illam mirabilem laudem, & singularem, usque ad extremum servavit: non hilariorem quisquam, non tristiorem Socratem vidit: æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ.*

(Societas Jesu. — Fides Catholica ubique æqualis. — Imperterritus animus. — *Sen. Ep. 10[4].*)

59. Globus cœlestis, qualem Astrologi usurpant, inscriptionem præfert; NIL MIHI CUM TERRIS. Ita homo spiritualis, servituti Divinæ, ac cœlestibus obsequiis integerrimè consecratus, è transitoriis inferæ hujus terræ bonis nihil unquam concupiscit. *Consecratum enim pectus doctrinæ & veritati,* inquit Arnoldus Carnotensis, *intelligat, non debere sæcularibus negotiis & actionibus & lucris occupari.* S. Joannes Chrysostomus, *Anima,* inquit, *quando Divino amore, & desiderio verè corripitur, ad nihil hujus vitæ se convertit; sed sicut mente moti contemnunt ignem, & ferrum, & feras, & pelagus, & omnia; ita pii furore quodam maximè spirituali ac honestissimo insaniunt, deridẽtes omnia quæ vident.* S. Joannes Baptista hâc prærogativâ cumprimis conspicuum se probavit; nam suâ vivendi ratione à mundo penitus abstractus, Divinisq; obsequiis ac contemplationibus cœlestibus unicè deditus, verissimè dixisset, *Nil mihi cum terris.* Unde S. Joannes Chrysostomus cognominem illum suum Baptistam concinno hoc panegyrico prosequitur. *Joannes ita in terris, quasi in cœlo versabatur: naturæ namq; omni necessitate superatâ, mirabile quoddam peregit iter. Semper in hymnis, semper in orationibus fuit, nulli hominũ antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua semper offerebat colloquia.* Idipsum de Thoma Kempensi, meo Concanonico, testatur Heribertus Rosweidus, quod à rebus terrenis penitus avulsus, solis rebus cœlestibus sese dicaverit. Ipsiusmet verba ita habeto. *Ejus sermo omnis de Deo & sacra Scriptura. Si ipso præsente forensia aut mundana agitarentur, velut mutus ac elinguis sedebat: quasi ignarus rerum, de quibus commentarentur, omnium. Porrò si de Deo rebusq; cœlestibus haberetur sermo, sententiam perpetuis verborum rivulis loquebatur.*

(Contemplativus. — *Arnold. Carn. Tra[ct.] de 7. verb[is].* — *S. Io. Chry[s.] Hom. de Pr[o]fect. Evan[g.]* — S. Joann[es] Bapt. — *S. Io. Chrys. Hom. 38. i[n] Matth.* — Thomas de Kempis Can. Re[g.] — *Heribertus Rosw.*)

60. Sphæra epigraphen subjectam habet; COELESTIA MONSTRAT. Illi hoc Emblemate significantur, qui prædicando Dei verbo dant operã, inter quos principem locum obtinet Christus, ibi cumprimis, quando post suam è morte reviviscentiam *apparens eis* (Apostolis) *& loquens de regno Dei &c.* Illud ipsum etiam hominis sancti est symbolum; quippe cujus operandi ratio ad cœlestem potius quàm terrenam normam composita videtur. Unde S. Nili parænesis est; *Gaude Sanctorum colloquio,*

(Prædicator. — *Act. 1. 3.* — Sanctus. — *S. Nil. Paræ[n.] num. 83.*)

colloquio, per eos enim Deus tibi manifestatur.

Infatigabilis. Hug Card. in Psalm. 8.

61. Globus cœlestis epigraphen sustinet; INDEFESSE AGENDO. Ita homo spiritualis, litteratus, aut Princeps, assiduâ suâ agendi ratione nec minimum unquam fatigatur. Hugo Cardinalis hunc characterem veris Dei servis proprium existimans, *Viri spirituales*, inquit, *dicuntur cœli, quia semper volvuntur.* Haud aliter Latinus Pacatus in Theodosii Imperatoris panegyrico dixit; *Ut indefessa vertigo cœlum rotat; ita tu Imperator continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es.* Et prior illo Seneca; *Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit: & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quidquam suum facere.*

Senec. lib. de Consolat. ad Polyb. c. 20.

Beatitudo. S. Nil. Paran. nu. 74. Lips. lib. 1. Physiol. dissert. 3.

62. Globus cœlestis, supra unam trutinæ lancem positus, reliquos globos sphæricos, ex adversa lance suspensos pondere suo plurimùm superat. Unde Emblematis loco inscriptum habet; PRÆSTAT. Inde conjicies, res omnes terrenas, cœlestium comparatione, penitus esse nullas. S. Nilus; *Considera cœlestium bonorum decorem, & nullum te capiet desiderium terræ, nec aliud ex ea dulcium.* Et Lipsio referente Aristoteles; *Etsi res mortales istas, inferasque, quod ea propiores nobis, & magis familiares sunt, plenius nosse possumus: tamen res illas superas, si vel leviter attingere datur, ob ejus notitiæ excellentiam, illa ipsa levi magis pascimur & oblectamur, quàm si ista universa novimus.*

Cœlestium & terrenorum amor simul impossibilis. 1. Cor. 6. 14. Absal. Abb. serm. 4. S. Greg. l. 18. Moral. c. 8. S. Cyprian. l. de 12. Ascens.

63. Joannes Orozcus geminum cœlestem ac terraqueum globum repræsentavit; cum lemmate, HA' DA SER UNO DE DOS. Id est; ALTERUTRUM ISTORUM. Innuebat videlicet, rerum spiritualium ac corporalium in eodem homine connubium penitus fore paradoxum & impossibile, nec quemquam posse simul delitiis cœlestibus ac terrenis affluere. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?* inquiebat Apostolus: *aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Non enim*, asserente Absalone Abbate, *regnat spiritus Christi, ubi dominatur spiritus Aristotelis.* S. Gregorius Papa; *Anima*, inquit, *aut infirmis delectatur, aut summis: & quanto altiori studio exercetur ad summa, tantò majori fastidio torpescit ad infima, utraq; enim simul & æqualiter amari non possunt.* Et S. Cyprian. *Quemadmodum iidem oculi cœlum & terram pariter nequaquam aspiciunt: ita mundi amor & Dei pariter in uno corde habitare non possunt.*

S. Tho. 2, 2, q. 95.

64. Tametsi è cœlis ac sideribus diversi influxus in hominum corpora & animos deriventur, quorum efficacitate sese ad hanc potius quàm aliam artem impelli & inclinari sentiunt; uti prolixè docet S. Thomas: illorum tamen liberum arbitrium nihil unquam vitii exinde patitur, potestque homo rationis suæ dictamine ac gratiæ Divinæ adjutorio omnia illa superiorum facultatum incitamenta, quantumvis immoderata, edomare ac vincere. Eò reflectens P. Hortensius Pallavicinus, Emblematis loco globum cœlestem figuravit, ad cujus calcem arbor nativitatis jacebat, cum illo Virgilii lemmate, FATO PRUDENTIA MAJOR. S. Ambrosius; *Vince naturam diligentiâ, exclude corporis somnum, Naturam nobis formare non possumus, possumus diligentiam.* in rem præsentem facit hemistichium illud, omnium ore tritum;

Prudentia. Libertas illibata. Virgil. l. 1. Georg. v. 416. S. Ambros. lib. de Ioseph.

----- *Sapiens dominabitur astris.*

Fortuna fragilis.

65. Pulcherrimum oculis spectaculum præbuit vitrea Archimedis sphæra, in qua mundus & cœlum cum stellis suis relucebant: sed unico lapidis ictu tota auferebatur spectantium voluptas. Unde lemma; PULCHRA, SED FRAGILIS. Ad hunc modum fortuna prospera, dum minimè splendet, exili obruitur casu. Nimiâ enim felicitate non modò corrumpitur, sed etiam invidiæ stimulos, ceu totidem lapides, in nostram concitamus perniciem. Optimè Horatius;

Horat. l. 1. serm. Sat. 7.

----- ----- ----- *Inter*
Hectora Priamidem, animosum atq; inter Achillē
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroq;
Summa fuit.

S. Io. Chrys. Tom. 2. serm. 22.

S. Joan. Chrysost. *Quotidie*, inquit, *in omni ætate contemplamur interitum, in cunctisq; ex rerum eventu instabilitas quædā exprimitur & significatur, non hyems non æstas, non ver, non autumnus perpetuò manent, sed decurrunt omnia, evolant, & delabuntur. Dicet aliquis, hominis illius magna est potentia, verùm duratura in posterum usq; diem, & paulò post interitura, quod ita esse ex longè olim potentioribus patet, qui nusquam in præsenti apparent.* Idipsum etiam de hominis microcosmi corpore pronuntiare licet, quod pulcherrimâ membrorum compage, & artificiosâ partium omnium symmetriâ fabrefactum, unico exiguæ calamitatis aut morbi lapillo sternitur ac confringitur. Verissimè Magnus Augustinus; *Fragiliores sumus, quàm si vitrei essemus. Vitrum enim etsi fragile est, tamen servatum diu durat: nos autem homines & sub tantis casibus quotidianis fragiles ambulamus.*

Homo mortalis & fragilis. S. Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 1.

66. Natura mutationibus adeò perennibus omnia temperat, ut mundus penè nihil aliud sit, quàm jugis & assidua vicissitudo. *Nubilo serena succedunt*, inquit Seneca, *turbantur maria cùm quiescunt; flant invicem venti: noctem dies sequitur, pars cœli consurgit, pars mergitur: contrariis rerum æternitas constat.* Proinde globum geographicū opportuno hoc lemmate insignies; ASSIDUO DISCRIMINE JACTOR. Eadem est vitæ humanæ conditio, eadem vicissitudo; tota illa indies versabilis est, & quidquid in alium incurrit, potest in quemlibet quoque incurrere morbus, captivitas, ruina, ignis. Quocunque nos vertimus, quocunq; mortales circumspicimus, larga ubique sese offert ingemiscendi materies. Præclarè de vita nostra Seneca; *In hoc profundum inquietumq́, projecti mare, alternis æstibus reciprocum, & modò allevans nos subitis incrementis, modò majoribus damnis deferens, assiduèque jactans, nunquam stabili consistimus loco, pendemus & fluctuamur, & alter in alterum elidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus.* Postea quam S. Hieronymus mentionem fecisset de Xerxe, Persarum Rege potentissimo, qui de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem videns exercitum, flêsse dicitur, quod post centum annos nullus eorum quos tunc cernebat, superfuturus esset; subjecit exclamans; *O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus! Jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, regnis regna collisa, alios torqueri, alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi; hic nuptias, ibi planctum; illos nasci, illos mori? alios affluere delitiis, alios mendicare, & non Xerxis tantùm exercitū, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi defuturos.*

Sen. Ep. 117. Vita humana miseriis obnoxia. Senec Consol ad Polyb. c. 18. S Hieron in Epitaph. Nepot.

67. Patres Societatis in Belgio ingentem globum sphæricum Symboli loco pinxêre, qui in mensa collocatus, epigraphen monstrabat; QUOLIBET IMPELLAS DIGITO. Religiosum perfectè obedientem hæc imago repræsentat, utpote quovis superiorum nutu moveri solitum. S. Bernardus. *Fidelis obediens*, inquit, *nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri*

Obediens. S. Bern. ser. de virtute obedientiæ.

tineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Et S. Basilius; *Apostoli submissâ mentis cervice obedientiæ jugum subierunt, alacriq; animo in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces processerunt. Hanc obedientiam is, qui secundùm Deum verè est Monachus, Antistiti suo præstet oportet.*

S. Basil in Const. Monast c. 23.

68. Monacense Societatis Jesu Collegium, inter cætera S. Francisci Borgiæ Emblemata, mundum instar molæ efformatum statuit; cum lemmate, TINNIT: INANE EST. Nimirum insignem illum mundi contemptum repræsentabat, quo S. Franciscus Borgia, terrena omnia fastidiens, cœlestibus se addixit. Pulchrè S. Augustinus; *O amatores mundi, cujus rei gratiâ militatis? Major non poterit esse spes vestra in mundo, quàm ut amici Mundi sitis. Ibi quid nisi fragile, plenum periculis, & per quot pericula pervenitur ad majus periculum? pereant hæc omnia, & dimittamus hæc vana & inania: conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent; Vita hæc misera est: mors incerta subitò obrepit: & post hæc negligentiæ pœna supplicio luenda est.* Emblemati explicando sequentem poësin ex Octiduo Borgiano accipe.

Contemptus mundi.

S. Aug lib. Confess.

Valere jussit cum cachinno Borgias
Insulsitates melleas:
Quis toxicum, drachmasq; fraudis undecim
Et uncias dementiæ
Miscens bis octonas, situ, cerebro & fide
Mundus vacillans incoquit.
Tinnitus æris, & sonantis cymbali
Inanem inanis recreat.
Equiq; cauda, & exta, quæ nares gravant,
Ovina, texunt Musicam.
Vermis superbit in saliva textili
Bombycis: & fragrantior
Ab ulcere, & feræ fimeto, & sanguine
Putri, est voluptas narium.
Sic fœtet hic mundus, prius quam fœteat.
Hæc sana censes gaudia?

Hæc alibi;

Franciscus orbem totum, quem nemo vel armatus
Ausus est aggredi, inermis invasit.
Spolia de illo tulit, dum abjecit.
Sic victo Mundo, cum Alexandro flevit,
Quod plures fugiendo non posset vincere. &c.

HOROLOGIVM SOLARE, seu Sciathericum.

Caput IX.

69. ACademici Concordes Symboli loco tria horologia, solare, rotatum, & arenarium, præferunt; cum lemmate, TENDIMUS UNA. Ita Religionum Regulæ, quantumvis variæ, ad eandem Dei gloriam ac proximi salutem propagandam, ceu finem unicum, contendunt. Porrò etsi in Religionibus diversi officiorum ac dignitatum sint gradus, aliis ad altare & chorum; aliis verò ad œconomiam; & aliis denique, ut Parochis & Prædicatoribus, ad utrumque destinatis: omnes tamen unanimi industriâ ad eandem regularem observantiam, ac religionis incrementum collineant. Ipsæ quoque actiones nostræ, diebus singulis diversissimæ, ad unicum Deum, ceu ultimum finem, referantur. S. P. Augustinus; *Christus finis dicitur, quoniam quidquid agimus, ad illum referimus: & cùm ad eum perveneri-mus, ultra quod quæramus non habebimus.*

Religiosi.

Deus est finis actionum nostrarum.

S Aug. in Psal. 54.

70. Horologium sciathericum, apostrophe ad solem facta, ultrò confitetur, sine resplendentis illius Planetæ præsentiâ omnem suum usum esse irritum & inanem. NIL SINE TE. Ita prorsùs homo, si Deo careat, in nihilum suum vanissimum relabitur. S. Bernardus. *Quidquid sapientiæ, quidquid virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei sapientiæ deputa Christo. Et quis tam insanus, ut aliunde præsumat?* Ex his planè consectaneum est, peccatorem, Divinâ gratiâ destitutum, ipsomet nihilo misceriorem vivere. S. Petrus Dam. *Tunc, videbantur esse impii, ad nihilum potius pertinebant, quàm ad verum esse. Qui enim ab illo, qui verè est, juxta illud Exod. 3. Ego sum, qui sum, recedit: necesse est, ut non sit, quia ad nihilum tendit.* Et S. Bernardus; *Sequatur Deus nuntios suos, quia SINE IPSO possunt facere NIHIL.*

Homo Deo indigens.

S. Bernard. serm. 13. in Cant.

Peccator.

S. Pet Dam. Ep. ad Desid Abbatem.

S. Bernard. serm. 2. in Cant.

71. Horologii umbra præviam solis lucem, ceu heram pedissequa, gressu nunquã exerrante insequitur. Lemma; CONCORDI MOTU. Ita subditi ad Majorum suorum exempla unicè componuntur: his enim quiescentibus, quiescunt; motis, moventur; operantibus, operantur &c. Idipsum Ezechiel in rotis observatum habuit, quæ super terram versus Cherubinos, in aëra sublevatos, stabant, Nam, *cùm ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta ea; & cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ. Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant, & cum elevatis à terra pariter elevabatur & rotæ sequentes ea.* S. Hier. *Domus Episcopi & conversatio, quasi in speculo posita, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant.*

Exemplũ Majorum

Ezech. c. 1. 19.

S. Hieron. Ep ad Heliodor.

72. Horologium sciathericum, regularibus umbræ suæ variationibus ab uno numero ad alios progredi solitum, diei momenta ac longitudines metitur. Unde lemma; DIES DIMETIOR UMBRIS. Miseros illos hoc Emblemate describes, qui infirmitate oppressi, aut intra carceris angustias constricti; vel certè à barbaris captivi, dies suos infelices *in tenebris & in umbra mortis* transigere coguntur. Illi tamen cumprimis *dies suos dimetiuntur in umbris*, assiduisque calamitatibus jactantur, qui Deo servire student. Nam Magno Augustino teste, *Nullus servus Christi sine tribulatione est. Si putas te non habere persecutiones, nondum cœpisti esse Christianus.*

Calamitas infelix.

Luc. 1, 79.

S. August. in sermo.

73. Indies experimur, subditorum obsequia, Aulicis exhiberi solita, unicè à Principũ gratiis pendere; hisq; nonnihil subsidentibus, omne illud honoris studium quantocius evanescere. Proinde id Emblemate significaturus, horologium sciathericum depinges, quod à radiis solaribus illustratum, epigraphen monstret; SI ASPICIS, ASPICIOR. Enimvero Principe gratiarũ radios in clientẽ suum reflectente, mox omnium oculi in hujus venerationem rapiuntur. Cùm Josue inter primos Mosis Ministros esset recensendus, Moses in hæc verba Deum præcipientem audiit. *Dabis ei præcepta, cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.* Atque adeò Moses toto intuente populo aliquid propriæ suæ lucis, honoris, & gratiæ in illum transfundere jubebatur, ut eo splendore illustratus, omnium oculos ac reverentiam in se converteret In rem præsentem Oleaster; *Discant ex hoc loco Principes, cùm ministros & Officiales instituunt, eis de sua gloria tradere; & corã hominibus, quibus præficiendi sunt, summè honorare; ut subditi videãt, quanti eum faciat Superior, eum revereantur, illiq; obediant, eumq; honorẽt.*

Minister Principis

Num 27. 20

Oleast in hunc locum

74. D. Carol. Ranc. horologio solari inscripsit; SI SOL DEFICIT, NEMO ME RESPICIT. seu brevius; SI DESERIT, DESPICIOR. Miseriã hanc cumprimis compertam habent infelices Aulici, qui benigno Principis aspectu nonnihil obtenebrato, mox omniũ existimatione destituuntur. Enimverò post prosperitatis terrenæ solẽ deperditũ, gravissimis ærumnis, ceu totidẽ noctibus, aut caliginosis nubibus, oppri-

Aulicus è Principis gratia lapsus.

Gratia Dei. opprimuntur, nec cujusvis amore imposterùm censentur digni. Cæterùm Dei auxilio deficiente, mox in salutis negotio concidimus, omniumque despectui exponimur. S.P. Augustinus; *Noli de te præsumere; si te Deus dereliquerit, in ipsa via deficies, cades, aberrabis, remanebis.* (*Aug. Psal. 26. Enarr. 2.*)

Dependentia. 75. D. Nicolaus Crassus insignem animi sui gratitudinem ac dependentiam versus D. Bernardum Venierum demonstraturus, se ipsum horologii Emblemate significavit, cum dicto; TUO LUMINE. Ex eadem icone disces, hominem suâmet industriâ nec quidquam proficere posse, omnemque ipsius operam ab auxilii Divini assistentia emendicari. Perspicuè S.Paulus; *Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* (Gratia Dei. *2. Cor. 3. 5*) Ut adeò homo imbecillitatis suæ nunquam meminisse, omnemque suam bonitatem unicè in gratiæ Divinæ favorem, seu cujusvis excellentiæ terrenæ scaturiginem, referre debeat. Scitè S. Gregorius Papa; *Nemo se alicujus virtutis æstimet, etiam cùm quid fortiter potest: quia si Divina protectio deserat, ibi repentè enerviter obruetur, ubi se volenter stare gloriatur.* (*S. Greg. l. 22. Moral. c. 19.*) Voces in rem præsentem opportunissimas filiis suis præit S. Mater Ecclesia; *Largire nobis, quæsumus Domine, semper spiritum cogitandi quæ recta recta sunt, propitius & agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundùm te vivere valeamus.* (*Brev. Rom. Dom. 8. post Pent.*)

76. Horologium sciathericum cùm è solari radio, tum ab umbrâ, per gnomonem sparsâ, conficitur. Unde Patris Certani lemma; ET LUMINE, ET UMBRA. Vitam humanam, ex assidua felicitatis & miseriæ vicissitudine compositam, eo lucis & umbræ ectypo delineatam putes. (Vita humana.) S. Joannes Chrysostomus; *Deus mœstis rebus quædam jucunda permiscuit. Quod certè in sanctis omnibus facit, quos neq; tribulationes, neque jucunditates, sinit habere continuas: sed tum de adversis, tum ex prosperis justorum vitam, quasi admirabili varietate contexit. &c.* (*S. Io Chrys. Hom. 8. in Matth.*) Id quod prolixè in S. Josepho, Servatoris nostri nutritio, cernere licet.

Humilitas. 77. Idem Abbas Certanus horologii solaris voce subscripsit; NULLA IL RAGGIO MI VAL, SE MANCA L'OMBRA. Id est, NIL LUMEN, SI DEFICIT UMBRA. Ita labore prorsus irrito illustrem virtutum machinam molitur, quisquis humilitate, ceu illarum omnium basi ac complemento, est destitutus. S. Gregorius Papa; *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi pulverem in ventum portat:* EtP. Aloysius Novarinus; *In spirituali profectu nihil egit, qui nihil se esse non cogitat.* (*Novar. Elect. Tom. 1. lib. 2. num. 259.*)

78. Patres Theatini ad S. Antonium Mediolani è solari horologio moralem vitæ humanæ dissimilitudinem proposuêre; addito concinno hoc disticho,

Itq; reditq; viam constans, quam suspicis, umbra:
Umbra fugax homines non reditura sumus.

Seu ut Rancatus canit;

Torna, tornando il sol, l' ombra sparita:
Ma à noi non torna mai l' età fuggita.

Et licet id, spectatis solis naturæ viribus, omninò sit verissimum; fide tamen Divinâ ac infallibili compertum habemus, transitoriam vitæ humanæ umbram, quantumvis à morte præcipitatam ac destructam, adventante ad judicium extremum Divino Sole, in pristinum vitæ suæ splendorem esse reversuram. (Resurrectio mortuorum.) Proinde huic rei significandæ, horologium solare figurabis; addito Virgilii lemmate; ITQUE, REDITQUE. (*Virgil. lib. 6. Æneid. v. 122.*) S. P. Augustinus; *Spes nostra est resurrectio mortuorum, fides nostra est resurrectio mortuorum. Sublatâ itaq; fide resurrectionis mortuorum, omnis intercidet doctrina Christiana. Fundatâ verò fide resurrectionis mortuorum, non continuò securitas est de animo Christiano, nisi distinguatur vita illa, quæ futura est, ab ea, quæ transit.* (*Aug. Ser. 20. de Divers. cap. 2.*)

Non Perseverans. 79. Solaris horologii umbra, ob assiduam motûs sui vicissitudinem, eodem penè momento formari, declinare, ac occidere videtur. Unde illam hoc lemmate, nî fallor, satis opportuno distingues; DUM PROFICIT, DEFICIT. Illius hanc ideam dixeris, qui ætate indies provectior, in virtutum exercitatione assiduò decrescit. Hunc defectum S. Ambrosius miro acumine antiquis Romanis exprobrat, qui suas Vestales, anno ætatis trigesimo peracto, ad nuptias transire, sicque virginalem adolescentiam conjugatâ virili ætate complere jubebant. *Qualis*, inquit, *ista est, non morum pudicitia, sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? Qualis autem est illa religio, ubi pudicæ adolescentes jubentur esse, impudicæ anus?* (*S. Ambros. lib. 1. de Virginib.*) Insana profectò lex! quæ juvenculas, à virginitate exorsas, ab hominum conspectu remotas, & innumeris prærogativis insignes, tandem jubet ætate provectiores in concupiscentiam, & amplexus lascivos ruere, totiusque perfectionis præteritæ jacturam subire. Stultitiam haud absimilem Petrus Maffeius de Brachmannis, Malabarici regni populis, recenset: qui in solitudinibus aviis, & subterraneis specubus durissimo vitæ genere, inediâ, vigiliâ, nuditate, frigoris æstûsque patientiâ semetipsos discruciant, abstinentque ab omni corporis voluptate ad certum annorum spatium; quo exacto, tanquam humano fastigio celsiores, & omnium rerum licentiam adepti, nullis jam tenentur legibus, & in omni scelerum ac flagitiorum genere impunè volutantur. (*Pet. Maff. lib. 1. Hist. Indic.*)

80. P. Aloysius Juglaris insignem Victorii Amedei Sabaudiæ Ducis, clementiam Emblemate significaturus, horologium solare figuravit, quod tametsi gnomone seu virgâ ferreâ instructum, nullos tamen alios, nisi umbratiles ictus spargit. FERREA VIRGA EST, UMBRATILIS ICTU. (Princeps benignus.) Digna, certè, cujusvis magni Principis effigies! quippe qui minas vuidem formidandas, at supplicia admodum modetata subditis suis incutiat. Agatius de Narsete, supremo Imperatoris Belliduce, refert, quod Lucam, Hetruriæ civitatem, obsidione adeò arctâ strinxerit, ut cives obsidibus datis condixerint, dedituros se urbem, nisi intra triginta dierum intervallum auxiliares copias reciperent. (*Agat. lib. 1. de Bello.*) Verùm elapso illo tempore, nullisque interea suppetiis missis, fidem datam ausi sunt negligere. Itaque cæteri Belliduces in rabiem acti, Narsetem eò incitare conati sunt, ut tantam Lucensium perfidiam ulcisci, & obsides interficere vellet. Quare hos religatis manibus in civium conspectum propè urbis mœnia, veluti capite plectendos, produci jussit: cumque genibus in terram prostratis extremum vulnus expectarent. *Milites*, verba sunt Historici, *strictis gladiis violentissimè feriebant, sed illata plaga, sine illorum pernicie, ligno infligebatur.* Atque adeò eo casu verissimè cernebatur *ferrea virga, & umbratilis ictus.* Optimus enim Narses, exteriore vultu formidandus, mentem re ipsa suavissimâ, & affectu plenam demonstravit. (Misericordia Dei.) Hunc morem etiam Deus familiarissimum, ac penè domesticum habet. Ipsummet luculentum infinitæ misericordiæ suæ testem audi. *Visitabo*, inquit Psaltis Regii ore, *in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo; neque nocebo in veritate mea.* (*Psal. 88.*) *Ergo*, subinfert Magnus Augustinus; *non modò iratus non percutis, sed te irritantibus dona, si quieverint, tribuis.* (*S. Aug. lib. Medit. c. 2.*)

81. Horologio solari haud immeritò inscripserim; UN-

Sinceritas. UNDIQUE FIDUM. Candidi ac sinceri animi hæc idea est, qui nullo unquam eventu ad fraudes & imposturas machinandas compelli potest. De hac virtute Seneca; *Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nullâ necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio.* (Senec. Ep. 88.)

Præsentia Dei necessaria. 82. Horologium sciathericum, sole suo destitutum, epigraphen reddit; IN UMBRA DESINO. Certè homo, Divinâ præsentiâ destitutus, in pristinum suum nihilum relabitur. Rex Nabuchodonosor, à Deo castigatus, instar jumenti in campis oberrabat, neque è tot subditis ac consanguineis vel unum reperire erat, qui vagabundo Regi capillos aut ungues incideret. *Divinâ enim providentiâ destitutus*, Theodoreto asserente, *ne propinquorum quidem cura potitus est.* (Theodoret. in Daniel. 4. 30) Idipsum etiam vita humana jure de se pronuntiaverit, *In umbra desino.* (Vita humana.) In hoc argumentum opportuna est Petri Francisci Pauli poësis vernacula. (Paul. nella Nativit. di Christo.)

E trova umbre se nasce,
E lascia ombre se more
De le stelle, e del sol l' alto Fattore,
Huom, che tanto presumi
De tuoi splendori, onde superbo vai,
Volgi à quest' ombre i lumi,
E con Cristo vedrai,
Che sempre, e quando mori, e quando nasci,
Ombre solo retrovi, & ombre lasci.

Vana gloria. 73. Horologium solare, motu penitus inobservato progredi solitum, epigraphen tenet; NON VISO GRESSU. Illius hæc imago est propria, qui operationes suas citra ullam ostentationem, aut verborum insolentiam molitur. S. P. Augustinus; *Qui benè expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ vel solum, vel maximè esse cavendum perfectis.* (S. Aug. in in Psal. 7.) Iisdem coloribus etiam vitam humanam, in momenta singula nobis penè inadvertentibus, fugacem depingere licet. (Vita humana.) Unde Ovidius;

LABITUR OCCULTE, fallitq; volatilis ætas. (Ovid. lib. 1. Amor. Eleg. 8.)

Et alibi;

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis. (Idem. l. 6. Fast.)

84. D. Joannes Jacobus Trivultius, Princeps Melpheos, & Supremus Regis Neapolitani Bellidux, Symboli sui loco horologium sciatericum prætulit, cujus umbra assiduo suo motu cum allucescente sole contendere, eumque non sine æmulationis notâ, insequi videbatur. Epigraphen addidit; NON CEDIT UMBRA SOLI. (Æmulatio.) Ita nimirùm equestris virtus, & Martia generositas, ipsas etiam personas regias æmulatur. Cæterùm optimus hic Princeps, qui ob insignem suam modestiam se ipsum umbræ Emblemate significavit, nepotes habuit illustrissimos, totâque Europâ celeberrimos: nimirum Marchiones de Vigevano, Duces Mirandulanos, & Comites de Misocco; inter quos jure recenseo Eminentissimum Cardinalem Theodorum Trivultium, Augustissimi Regis Catholici supremum in Republica Mediolanensi Bellidùcem, ac postea gloriosum Aragoniæ, Siciliæ, & Sardiniæ Proregem; hodie verò in gravissimis Catholici Monarchæ negotiis coram Innocentio X. Pontifice Maximo, Oratorem. Nec hîc prætereundum duxi Excellentissimum Principem D. Herculem, dignissimam tanti Cardinalis prædicti prolem; quem Serenissima Maria Anna, Ferdinandi III. Imperatoris filia, & hodierni Philippi IV. Hispaniarum Regis Sponsa, extraordinarium Oratorē ad Innocentium X. Pontificem Maximum nominavit; simulque hodie Supremi Belliducis munus in Republica Mediolanensi tantâ suâ laude sustinet, ut ob insignes & incomparabiles fortitudinis, prudentiæ, affabilitatis, magnificentiæ, cæterasq; animi sui dotes, orbē universum in suos applausus convertat. (Humilitas.) Cæterùm Humilitas, tametsi instar umbræ cupiat esse obscura, reliquos virtutum Soles vel antecedit, vel æquat. S. Bern. *Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu Pontificis summi, quàm humilitas. Nempe si amittitur, illa virtutum cōgregatio nonnisi ruina est.* (S. Bern. ser. 45. in Cant.)

85. Pater Magister Theodorus Muggianus, Congregationis Mantuanæ Carmelita, Emblematis loco parvulum horologium solare supra Breviarium apertum, & signaculis suis benè distinctum, figuravit; cum lemmate, NULLA HORA SINE LINEA. Innuebat videlicet, Orationis exercitium assiduo studio versandum esse. (Oratio assidua.) Testes in hanc rem dilucidissimos habeto Siracidem, *Non impediaris orare semper.* (Eccl. 18. 22) S. Lucam, *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* (Luc. 18. 1.) Et S. Paulum, *sine intermissione orate.* (1. Thess. 5. 17) Mirificè ad hoc propositum S. Hieronymus; *Quamquam Apostolus orare nos semper jubeat, & sanctis etiam ipse sit somnus oratio: tamen divisas orandi horas debemus habere, ut si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque, & vesperam nemo est qui nesciat. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissâ, nec recedatur à mensa, nisi referantur Creatori gratiæ. Noctibus bis terque surgendum egredientes de hospitio armet oratio: regredientibus de platea oratio occurrat, antequam sessio, &c.* (S. Hieron. Epist. 12. ad Eustoch.) Porrò epigraphe illa, uni horologio solari indita, assiduam & indefessam operandi rationem significat. (Operatio assidua.) Eo encomio P. Joannes Rhò cumprimis insignem deprædicat Joannem Passeratium: quippe qui *ab aurora lucubrare sæpius exorsus, ad multam usq; noctem libris constantissimè affixus hærebat, dissimulatis interim interpellantis famis, ac sitis necessitatibus.* De Patre Francisco Mendoza subjungit idem Joannes Rhò, quod Genuam ex itinere divertens, brevissimum illud temporis intervallum, equis permutandis ac itineri prosequendo impendendum; adeo virtuosè collocârit, ut à sociis tantisper digressus, quædam in sacras ac studiosas suas speculationes destinata annotârit. (Ioan. Rhò Var. Virt. Histor.)

86 Lemma, SUPERNI LUMINIS DUCTU, horologio inditum, Principis ministrum concernit, qui ad heri sui, ceu supremi Planetæ, motum exactè compositus, operationum suarum lineis omnes illius directiones studiosissimè assequi debet. (Minister Principis.) Idipsum significâsse videtur Servator, quando Apostolis contra Divinam ordinationem in Bethaniam abire renuentibus, dixit; *Nonne duodecim sunt horæ diei? si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt.* (Ioan. 11. 9) quibus verbis eos non tantùm adversus omnem formidinem animare, certamque sub Solis Divini aspectu securitatem promittere voluit; (Dependentia.) sed insuper in memoriam illis revocavit, quod ipse solē, illi verò duodenario suo numero duodecim diei horas imitentur, sitq; adeo rationi penitus consonum, ut Soli nequidquam præcipere, sed ipsius imperia expectare, & ad omnem præviæ lucis aspectum attemperari discant. Christi voce S. Rupertus Abbas; *Quid mihi consilium datis; cùm non vos me, sed ego vos elegerim duodecim: & sic debeatis SEQVI nutum Magistri, sicut sequuntur horæ MOTVM SOLIS, sive diei?* (Ruper. Ab. in locum c.) Et Eusebius Gallicanus; *Quia horæ estis, diem sequimini, hoc enim horarum proprium est.* (Euseb. Gallic. in loc. c.) Quare sicuti bonus subditus Principis aut Prælati sui directione; ita quivis Fidelis gratiæ Divinæ illuminatione in partem omnem manuducitur. (SS. Magi.) Hujus exemplum illustrissimum prævivêre SS. Magi, in quorum laudem S. Leo Papa ait. *Sequuntur tres viri SVPERNI LVMINIS DVCTVM,* (S. Leo ser. de Epiph.)

& præ-

& prævii fulguris indicium intentâ contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis, gratiæ splendore ducuntur.

87. Horologium sciathericum neminis alterius, nisi unius Solis obsequiis devovetur; quippe quod nec Lunæ, nec stellarum, nec alterius cujusvis artefacti luminis, sed solius supremi Planetæ beneficio promovetur. Unde è Patris Henrici Engelgrave sententia subscribes, UNI SOLI. Ita anima justa omnem suam operandi rationem unicè in Deo collocat. S. Bonaventura super illis Lucæ verbis, *Diliges Dominum Deum tuum &c.* ait; *Ad perfectum modum diligendi Deum, requiritur, quod referamus in ipsum omnes cogitationes, omnes affectiones, & omnes operationes.*

Deus finis actionum nostrarum.

S. Bonav. in Luc. 10.

88. Joannes Ferrus Soli, adversus horologium resplendenti, subscripsit; LUMINE SIGNAT. Majoribus hanc ideam unicè ob oculos statutam velim, ut inferiores suos nonnisi prævio inculpatæ vitæ splendore, ac cœlestium operationum claritate imbuendos meminerint. Optimè Vellejus Paterculus: *Rectè facere Princeps cives suos faciendo docet.* Eodem Emblemate in Epiphaniæ festo uteris, ubi Sanctos Magos luminis cœlestis beneficio per viarum invia remotissima securos Deus manuduxit. S. Petrus Chrysologus; *Magos, noctis incolas, stella assuefacit ad lucem, & gradatim pertrahit ad ipsum fontem luminis & dierum.*

Exemplo docere.

Vell. Paterc. lib. II.

Epiphania.

S. Pet Chrys. Serm. 87.

89. Academicus inter Expergefactos Pistorienses Imperfectus, Symboli loco horologium sciathericum, gnomone destitutum, præfert; cum dicto, NON LUMINE TANTUM. Enimverò quantumvis tota ac directa solarium radiorum copia in horologium illud effundatur, stylo tamen, seu horarum indice deficiente, nullam omninò utilitatem affert. Ita nimirum gratiæ Divinæ radius in animam humanam vix quidquam confert, nisi socium cooperationis nostræ gnomonem habeat. Eusebius Gallicanus super illis Apostoli verbis, *Castigo corpus meũ &c.* ait, *Ecce beatus Paulus, jam Christi habitaculum, jam vas electionis effectus, intelligit, sibi non sufficere solam gratiam, nisi gratiæ adjungat sollicitudinem, vigilantiam, & laboris industriam &c.*

Gratia sola non sufficit.

1. Cor. 9. 27. Euseb. Gallic. Hom. 1. de initio Quadra.

90. In Domini Aldobrandini villa horologium solare cernitur, quod gracilem cypressum, instar gnomonis; areolas verò, floribus passim respersas, linearum loco monstrabat. Unde P. Famianus Strada epigraphen subdidit; DOCET, ET DELECTAT. Eloquentia, congenito sibi more, & *docet, & delectat.* Cassiodori judicio; *Bonus doctor prœmiatur aptè, narrat apertè, arguit acriter, colligit fortiter, ornat excelsè, DOCET, DELECTAT, & afficit.* Idipsum de Poëtis testatur Horatius;

Eloquentia.

Cassiod. in Psal. 73.

Poësis.

Aut PRODESSE volunt, aut DELECTARE Poëtæ,
Aut simul & jucunda, & idonea dicere vitæ.

91. Eidem horologio, inter horti cujusdam areolas delineato, P. Famianus Strada subscripsit; OCULIS, ET MENTI. Sacri Oratoris hanc effigiem putes, qui nobili & ordinatâ suâ dicendi m terie non tantùm auditorum animos instruit, sed insuper eorum oculos regulari actionum suarum gravitate demulcet. Geminâ hâc prærogativâ æternùm laudatissimus Pompejus Magnus, insigni suâ facundiâ omnes Romanorum animos rapuit, eosque vultûs suavissimi serenitate in suum amorem concitavit. De hoc Plutarchus; *Vultum non mediocriter gratiosum, quique tacitis nescio quibus illecebris hominum studia, benevolentiamq; pelliceret, atq; adeo præveniret ejus orationem.* Xenophon, miræ sapientiæ homo, seditionem quandam, inter Byzantinos excitatam, sedaturus, in medias turbas deferri voluit; ibiq; negotium omne cùm suavissimæ eloquentiæ viribus, tum vultûs sui majestate inter tumultuantem plebẽ felicissimè composuit. Hujus rei oculatus testis Chion, *Videbamus*, inquit, *hominem pulchro imprimis comi, & humano aspectu* inter seditionis exortæ incendia medium, qui *incredibili eloquentiâ vim, tela, impetum, iracundiamq; placavit.*

Prædicator.

Orator.

Plutarch.

Chion. Ep ad Matrid. apud Lud. Cresollium Vacat. autumnal. 2. sect. 2.

92. Lucarinus solaris horologii umbram hoc lemmate loquentem sistit. PARTO COL SOL, MA' TORNO AL SUO RITORNO. Id est; CUM SOLE ABEO, ET REDEO. Affectum & operationem, ad omnes grandis cujusdam personæ nutus conformatam, hoc Emblemate significabis. Certè S. Gregorius Nazianzenus suomet testimonio sympathiam illã inter proprium ac Servatoris sui animum adeò exactam sensit, ut Sole Divino in mortis occasum vergente, Gregorii anima doloribus oppressa, ac penè exanimis conciderit; resurgente verò, in pristinas vires revixerit. *Heri*, inquit, *cum Christo in crucem agebar, suffigebar, hodie simul glorificor, heri commoriebar, hodie simul vivificor: heri consepeliebar, hodie simul resurgo.* Illis ipsis coloribus etiam operum bonorum merita ad vivum exprimuntur; mox enim, ubi gratia sanctificans è peccaminosa anima sese subduxerit, ipsa etiam merita sopiuntur, & (ut domesticâ Theologorum phrasi utar) mortificantur. At eâdem animâ ad pœnitentiæ beneficio ad deperditum gratiæ splendorem revertente, quantocius pristina illa merita reviviscunt. Dilucidè Gratianus; *Hi peccando præterita bona irrita fecerunt: hæc sicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reviviscunt, & ad meritum æternæ beatitudinis singula prodesse incipiunt.* Vide in hanc rem eruditum ac prolixum P. Francisci Suarezii opusculum *De meritis mortificatis & reparatis.*

Conformitas.

S. Greg. Naz. Orat. 1. de Pascha.

Merita bonorum operum.

Grat. de Pœn dist. 4. 8 Dicens, post cap Intermittentes. Suar. Opusc. 5.

93. Magnatem, versus subditos suos assiduò beneficum, Soli non absimilem dices, qui è sublimi cœlo in horologium prospectans, à Lucarino epigraphen recepit. CONSTANTER AB ALTO. Servator, quantumvis à circumfusa turba ad iter prosequendum veluti vi adhibitâ urgeretur; nihilominus ubi de cœcis quibusdam illuminandis agendum erat, gratiam adeò prodigiosam nequaquam transeundo aut progrediendo elargiri voluit, sed ad quietem compositus, exoptatâ illos luce beavit. *Et stetit Jesus, & vocavit eos.* In hunc locum Origenes; *Jesus autem*, inquit, *non pertransit, sed stat: ut stante illo non transfluat beneficium; sed quasi de fonte stante profluens misericordia deveniat usque ad eos.* Atque adeò beneficentiæ suæ lucem non quidem caducam aut fugacem, sed assiduam & stabilem in alios transfundere volebat; nimirùm *constanter ab alto.* Idipsum etiam de immensa Christi charitate pronuntiare licet, quâ discipulos suos tenerrimè, & affectu prorsus indeficiente est complexus. Testatissimè S. Joannes; *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Dicitur autem*, interprete Cardinale Toleto, *in finem dilexisse, quia AMOREM inceptum SEMPER CONTINUAVIT: non enim dicitur in fine, sed in finem, id est usque in finem, ut amoris perpetuitas ostendatur.*

Princeps beneficus.

Matth. 20. 32.

Origines hom. 13.

Ioan. 13. 1. Tolet. in hunc loc.

94. Horologium solare, quantumvis in justas & æquales suas lineas distributum, deficiente cœlesti lumine, verè de se dixerit; NOS NIHIL. Eâdem planè ratione liberum nostrum arbitrium, etsi talentis ac viribus abundè instructum, si tamen gratiæ Divinæ lumine destituatur, quantocius omnem operandi facultatem amittit. Disertus in hanc rem S. Gregorius, *Nemo*, inquit, *se alicujus virtutis æstimet, etiam*

Gratia Dei.

Debilitas humana.

Libertas hominis.

S. Greg. lib. Moral.

cùm quid fortiter potest: quia si Divina protectio deserat, ibi repentè enerviter obruetur, ubi se valenter stare gloriatur. Quivis proinde fidelis demisso & humili sensu de seipso cum Apostolo pronuntiet; *Omnia possum in in eo, qui me confortat.* Hoc enim verborum compendio cùm propriam suam infirmitatem, tum beneficum gratiæ Divinæ influxum confitebitur. S. Anselmus illum D. Pauli locum interpretatus, ait; *Cum Apostolus subderet*, omnia possum, *adjunxit*, in eo qui me confortat. *SIBI enim NIHIL TRIBUIT, qui omnia se posse, non in se, sed in Domino, qui se confortat, fatetur.* His colophonem jungens Mellifluus Bernardus, *Sequatur*, inquit, *Deus nuntios suos, quia sine IPSO possunt facere NIHIL.* veluti diceret, quia Giezi quævis nimirum creatura, vix ullum prodigium se ipso operari potest, idcircò Divinus Elisæus debilitatis humanæ vices suppleat, ejusque debilitati succurrat, necesse est.

Philipp. 4.13

S. Anselm. in hunc loc.

S. Bern. ser. 2. in Cant.

95. Antichristus mille imposturas molietur, ut Servatorem undique imitans, non quidem grandia illa Christi opera re ipsa efficiat, sed diversis præstigiis ac machinationibus hominum oculos fallat. In hanc rem Lucarinus horologium solare figuravit, quod nobilissimum suum Planetam solo alternantis umbræ motu assequi conatur, Epigraphen addidit; ÆMULATUR, SED UMBRA. Origenes; *Solum nomen Christi Antichristus suscipit, nec opera facit, nec verba veritatis docet, nec sapientiam ejus ostendet in se.* Etiam ambitionis vitium nonnunquam charitatem induere, eamque, similitudine tamen quantùm claudicante, imitari conatur. *Charitas enim patiens, pro æternis: ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio divitibus. Charitas omnia sustinet pro veritate, ambitio pro vanitate; utraque omnia credit, omnia sperat, sed longè dissimili modo.* Inquit in rem præsentem Thomas Stapletonus.

AntiChristus

Orig. Hom. 27. in Matt.

Ambitio.

Tho. Stapl. Prompt Moral. Dom 3. Adv n. 6.

96. Experientiâ testatum habemus, secundiore fortunâ nonnihil caligante, ipsam etiam adulatorum amicitiam obtenebrescere, è schiatherico horologio id conjiciendum proponit Abbas Certanus. Illud enim, occidente sole, umbram suam contrahit, nullique amplius utilitati deservit Unde lemma; OCCIDENTE DESINO. Opportunè S. Maximus; *Adulatores in secunda fortuna manent; in adversa deserunt.* Ita omninò Aulicus, aut quivis alius Principis Minister, gratioso solis sui aspectu aliquantulum obnubilato, mox in extremam perniciem conjectus, à nemine non derelinquitur. Id probè perspectum habens Cainus, cum Divino favore extorrem se cerneret, in hæc verba Deum est allocutus; *A facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Atq; adeò optimam consequentiam è præmissis istis deduxit: Nullam imposterùm è Divina luce assistentiam sperare audeo, ergò præter squalorem, exilium, ac extremam perniciem nihil amplius habeo residuum. Oleaster morali ac politico sensu hunc locum interpretatus ait; *Docet locus iste, quàm sit cavendum, Deum habere iratum, & quàm jucundum habere propitium Sicut enim servum, quem Princeps torvè respicit, omnes persequuntur: & uno Principe offenso, omnes servi se offensos esse ostendunt, & suo modo puniunt: ita ut janitor eo viso januam claudat: alius, qui arridebat, jam ampliùs non arrideat: ita eum, qui Deum offendit, aut cui iratus est, omnes persequuntur, illiq; irascuntur.*

Amicus falsus.

S. Maxim. serm. 17.

Gen. 4.14.

Dei absentia.

Oleast. in locum cit.

97. Solari horologio subscribes; A LUMINE MOTUS. Eorum hæc imago est propria, qui Divinâ luce illustrati, ad operandum progrediuntur. Certè S. Paulus tum demum ad Servatoris sui obsequia accinctus stabat, quando *circumfulsit eum lux de cœlo.* S. Magi unicam hanc itineris sui causam obtenderunt; *Vidimus stellam ejus in oriente, & venimus &c.* Sexcenta alia, brevitati consulens, omitto. Porrò in eos hoc Emblema convenit, qui suam agendi rationem non è proprii genii arbitrio, aut inclinatione, sed illustrante Spiritu Sancto exordiuntur. Hâc laude insignis S. Patriarcha Jacob, quantumvis Josephum præ cæteris filiis omnibus tenerrimè diligeret, (*Israël diligebat Joseph super omnes filios suos*) regiam tamen dignitatem non huic, sed Judæ hæreditariam reliquit. *Non auferetur sceptrum de Juda.* Rationem subjungens S. Rupertus Abbas, *Quia*, inquit, *in dandis benedictionibus non suam, sed Dei voluntatem debuit facere, non carnis affectum, sed spiritûs instinctum sequi dignum fuit.*

Gratiæ respondere.

Matt. 2. 2.

Voluntati Dei conformari.

Gen. 37.3.

Gen. 49. 10

S. Rup. Abb. lib. 4 de Oper. Spir. S. c. 10.

98. Horologio sciatherico epigraphen subdidi; CONFORMOR LUMINI. Ita aulicus & adulator omnem Principis sui nutum adeò exactè observant, ut pro ipsius inclinatione ad dexteram vel sinistram, ad odium vel amorem, ad vitium, vel virtutem, quovis Protheo volubiliores, flectantur. Hieronymus Oleaster; *Sicut iniquus omnes ministros impios habet; sic Justus omnes justitiâ præditos: & ut plurimùm cujus fidei est Domins, ejusdem est servus, & quali vultu Dominus aliquem recipit, tali & ministri ejus.*

Adulator

Oleast. in Gen. 43.

99. P. Aloysius Novarinus invidiam, ceu individuam virtutis pedissequam, Emblemate significaturus, horologium sciathericum figuravit, quod solari radio vix illustratum, quantocius funestâ gnomonis sui umbrâ aspergitur. Epigraphen addidit; COMES LUMINIS UMBRA. Seneca; *Homo sum*, inquit, *quomodo devitabo sæcularium rerum invidiam? Facilius est pauperi contemptum effugere, quàm diviti invidiam.* Emblemati explicando sequentem poësin addidit Novarinus;

Invidia.

Senec. lib. de Moribus.

Nov. Tom. Adag n. 5

Pinge mihi, pictor, radiis Titana coruscum,
Signat ubi lucis linea picta viam.
Quà stylus aligeri discrimina temporis index
Monstrat, & horarum ferreus urget iter.
Æmula Phœbei COMES ERRAT LUMINIS UMBRA.
Picturæ inscriptas has superadde notas,
Cœlite seu Phœbus radiorum lucidus auro,
Haud potis est umbram pellere luce levem.
Sic ubi clara ingens vestigia gloria figit,
Invida pene tenet, pariter umbra fugat.]

100. Luna res transitorias, instabiles, ac mundanas, Sol verò genuinam Dei ideam repræsentat. Unde horologio solari inscribere licet; ME PHOEBUS, NON PHOEBE. Homo justus accommodatè ad hunc typum, directionem ac lucem suam non quidem à mundo, sed à solo Deo expectat. Breviter S. P. Augustinus; *Pulcher est mundus, sed pulchrior est, à quo factus est mundus. Amatur mundus, sed præponatur à quo factus est mundus.*

Justus.

S. Aug. serm. 47. de Div. cap. 4.

Spicula me Phœbi irradiant, non cornua Phœbes;
Lux hominum Phœbe; sol sine nube Deus.

Et clarius meus D. Carducius;

Phœbi nitor me lustrat, haud Phœbes jubar;
Mortalium lux luna; Justorum Deus.

101. Nulla in mundo felicitas adeo integra nobis illlabitur, quin cum luce sua aliquas mœstitiæ umbras in animum nostrum spargat. E solaris horologii schemate id disces, quod à Planeta suo illustratum, epigraphē monstrat; SOL GENERAT UMBRAS. Has enim sol non seipso, sed gnomone interveniente jacit. Quod si tamen delicatiori Philosopho

sopho hæc epigraphe minus sapiat, certè alteram illam respuere non poterit; DIVIDIT UMBRA DIEM. Experientiâ enim firmatum habemus, quemcunque diem, utut felicem ac prosperum, nigro suo calamitatum thetâ inumbrari. Imò, Magno Augustino teste, Bonus est Deus. *Si non misceret amaritudines felicitatibus sæculi, obliviseeremur eum.* Non sine ingenio in rem præsentem canit P. Jo. Bapt. Bargioccus;

'elicitas nfelix.

.Aug. in 'sal. 91.

Barg. lib. 2. Epigr 66.

Umbra hæc, quæ fugiens fugitivas denotat horas,
Phœbo est, si nescis, filia nata patre.
At si nigrantes gignit sol aureus umbras,
Quis clarum speret posse notare diem?
Stultus ego in terris luces sperare serenas
Qui potui? sed jam spes male fida cadit.
Nam fortuna licet Phœbo sit clarior ipso,
Nigra mihi semper dividet umbra dies.

102. S. Joannem Baptistam, Servatoris nostri prodromum, horologii solaris Emblemate significârunt, quod peculiari suo officio ad omnes clarissimi Planetæ gressus delineandos destinatum est. Epigraphen addidêre, PRODIT VESTIGIA LUCIS. Joannes enim, digitum suum instar gnomonis extendens, miram Verbi Divini lucem populis omnibus manifestum fecit. Sancta Ecclesia hâc illum apostrophe veneratur;

.Joannes Bapt.

Tu quidem mundi scelus auferentem
INDICE PRODIS.

S.P. Augustinus; *Joannes de secreto materni uteri prophetavit, & expers lucis jam testis est veritatis. Ille erat lucerna ardens, id est, Spiritûs sancti igne succensus, ut mundo ignorantiæ nocte possesso, lumen salutis ostenderet; & quasi inter densissimas delictorum tenebras, splendidissimum Justitiæ solem lucis suæ radio demonstraret, & de se ipso dicens: Ego vox clamantis in deserto.*

Aug. serm. de Sanctis

103. P. Blasius Palma horologio solari, infra cœlum nubilum collocato, inscripsit; NIL NOS PER NOS. Tanta enim est vilitas nostra, ut, sicuti omnes horologii illius numeri sine sole, ita nos sine auxilio Divino nihil possimus. S. P. Augustinus; *Gratia efficit, ut non tantùm velimus rectè facere, sed etiam possimus, non viribus nostris, sed liberatoris auxilio.*

iratia Dei necessaria.

Aug. Expo. Epist. Rom. prop. 18.

104. Serenissimus Philotheus inter cætera præclara Symbola Horologium sciathericum exhibet, quod, à Sole illustratum, epigraphen subjunctam habet; DIRIGIT UNUS. Ita nec nos pollemus miseri, ubi se subtrahit ea benigna Numinis vis, quæ sola moderari nostros animos, idoneosque efficere ad pulcherrima opera subeunda, feliciterque peragenda, potest. Unde S. P. Augustinus; *Nihil mihi deerit si Deum habuero; & nihil mihi alia prosunt, si Deum non habuero.* Et alibi; *Non sanctus quisquam potestate suâ gaudet, sed ejus, à quo habet posse, quidquid congruenter potest.* Denique; *Non habet homo, unde Deum diligat, nisi ex Deo.* Emblemati explicando sequens poëma proponit Philotheus.

ratia ei necessaria.

Aug. de nb. l. 1. c. 3. m de Trin. 3. c. 7. l. lib. 1. 17.

Cedite sidereæ flammæ, vaga lumina noctis,
Non vestrum cupio detinuisse jubar.
Non mille efficitis, quod Titan efficit unus:
Namq; unus cursum dirigit ille meum.
Hoc monstrante diem, radiis dimetior æquis,
Horaque festinum strenua raptat iter.
Auxilium spernant alii. Mihi maxima laus est,
Lumina si propius Sol mihi firmat amans.

HOROLOGIUM ROTATUM.

Caput X.

105. NObilis hæc machina, rarum sanè artis Dædaleæ prodigium, geminâ prærogativâ horas & indicat, & distinguit. Enimvero indice suo, ceu digito, numeros omnes, ex horologii fronte distributos, monstrat; simulque tintinnabulo, determinatis quibusvis temporibus respondente, altùm resonat. Unde epigraphen à Bargalio recepit; DISTINGUENS ADMONET. Ita Consiliarius aut Magister res omnes, è subditorum, aut Reipublicæ bono futuras, opportunè suggerunt. Prædicatoris maximè, seu ut cum Augustino loquar, *Sacerdotis est, in pace populum admonere, quid debeat agere: populi est, in humilitate audire, quæ monet Sacerdos. Quidquid non licet, pastoris est prohibere, ne fiat: plebis est audire ne faciat.* Eadem genuina Prophetarum imago est, qui altis ac distinctis vocibus Mundum officii sui commonefaciunt, omnesque eventus secuturos vaticinantur. Certè Daniel Balthasarem, regno suo exauctorandum; Jonas Niniven subvertendam; aliique alios prænuntiavêre successus.

Consiliarius.
Magister.
Prædicator.
S. Augst. ser. 166. de Temp.
Propheta.

106. Judex æquus, Princeps affectuosus, & bonus Paterfamilias auxilium & beneficentiam suam absque ulla partialitatis notâ in singulos distribuunt, haud secus atque horologium rotatum, Bargalio asserente, ÆQUE IMPARTITUR. Hâc epigraphe etiam Solem in zodiaco à me insignitum memini. Theodotus, Italiæ Rex, asserente Cassiodoro, dicere est solitus; *Potestatis nostræ censuram, rerum volumus esse modestiam: ut quantùm Divina beneficia percepimus, tantùm æquabilia plus amemus. Privata siquidem studia à nostro animo probantur exclusa: quia generalis Dominus, custos factus sum Deo Auxiliante cunctorum.* Et ipsemet Cassiodorus; *Opto meis benè, sed quod possit esse commune: quia magnæ injustitiæ genus est, alium sibi judicem velle, quàm potest generalitas sustinere.* Unde sublimi sensu discipulis suis dixit Servator; *Ego autem in medio vestri sum*; Innuebat videlicet, se, instar horologii, in beneficiis erogandis gressu semper æquali incessisse. Locum illum interpretatus Theophylactus ait; *Non ego uni quidem servivi, alteri autem non servivi, sed EX ÆQUO OMNIBUS vobis.*

Princeps justus
Mund Symb lib 1 n. 184.
Cassiod lib. 10. Epist. 5.
Idem l. 2. Epist 5.

107. Horologium rotatum, epigraphen reddit; VARIANDO CONSTAT. Illa ipsa vitæ humanæ, uti & felicitatis terrenæ, est indoles. Enimverò, teste Justo Lipsio, *Nihil quidquam stabile & firmum Arbiter ille rerum esse voluit, præter ipsum.* Agapytus; *Circulus quidam humanarum revolvitur rerum, qui modò sic, modò aliter agitat ipsas, & circumfert: atque in his inæqualitas est, eò quod nihil ex præsentibus in eodem statu maneat.* Et Ovidius;

Felicitas mundi.
Vita humana.
Lips. de Const. cap 16
Agap. Epist. Paræn. n 11.
Ovid. lib. 15. Metam.

- - - - - Sic tempora verti
Cernimus, atque alias assumere robora gentes,
Concidere has: sic magna fuit censuq; virisq;
Perque decem potuit tantùm dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodò Troia ruinas,
Et pro divitiis, tumulos ostendit avorum.

108. Horologii index pro diversâ interiorum rotularum circumvolutione movetur. Unde lemma; UT INTUS MOVETUR. De horologii lingula seu radio Hieronymus Preti canit;

Stella quasi cometa, errando intorno
GL' INTERNI GIRI in suo girar SECUNDA.

Ita

Justus. Propheta. Ita homo Justus suas operationes omnes ad exactum rationis & conscientiæ internæ dictamen metitur. Item Propheta internam virtutem à Deo subministratam, exteriore vultu integerrimè repræsentat. S. Basilius suis prophetiam coloribus depingens, ait; *Illustris affulgentia, à Spiritu Sancto profluens, se inserit cordi, vel præsentia exhibente, aut prænuntiante quod futurum est.* Aliis eidem Symbolo subscribere placuit; LABOR INTIMUS OMNIA LIBRAT. Prudentiæ virtutem hæc imago spectat, quæ ad operationem externam accingenda, omne interni animi sui momentum consulit, & maturè examinat.

S. Basil. in cap. .. Isaiæ. Prudentia.

Loqui cum pondere. 109. Homo, nunquam sine pondere loquens, horologium rotatum imitatur; cui lemmatis loco subscribes; NON SINE PONDERE SONUS. Hanc doctrinam vel è sola horologii contemplatione obviam habes. Unde Famianus Strada canit;

Eccles. 21.18 *Discite non ullam sine pondere reddere vocem.*

Ipse etiam Spiritus Sanctus Ecclesiastici ore in sententiam nostram concedens, *Labia imprudentium*, inquit, *stulta narrabunt, VERBA autem prudentium staterâ PONDERABUNTUR.* Id est, Interprete S. P. Damiano, *Prudens, quæ dicenda sunt, ponderat, & tanquam cautus viator solerter attendit, ubi linguæ suæ vestigium figat. Ille* (id est imprudens) *quidquid occultum est, per impatientiam fandi, producit mundum.*

S. PetDam. Epist. 10. ad Petr. Cerebrosum

Calamitas cogit clamare ad Deum. 110. Horologium rotatum epigraphen monstrat; VOCEM, QUIA TORQUEOR, EDO. Seu brevius; PONDERIBUS SONITUM. Enimverò sicuti pondera, rotis violenter librandis ac devolvendis intenta, sonorum suo tempore strepitum excitant, horasque singulas in percussa campanula designant; ita homines, assiduis calamitatibus gravati, demum voces suas versus cœlum sublevare compelluntur. Emblematis mentem hoc distichco expressam accipe;

Nola silet, statque hora: gravi en traho pondera plumbo,
It rota nexa rotis, tinnulaque æra sonant.

S. Aug. serm. 211. de Temp. Ejusdem verò doctrinam è S. P. Augustino colligere licet; *TUNDUNTUR*, inquit, *ductiles tubæ, id est, animæ sanctæ, UT RESONENT Dei laudes.*

Exercitium. 111. Quantùm assidua exercitatio & diligentia ad rerum quarumvis felicitatem fovendam conferant, haud obscurè ex horologio rotato disces, cui epigraphen è Virgilio mutuatam subdidêre; MOBILITATE VIGET.

Virg. Æneid. 4. v. 174.
Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
MOBILITATE VIGET, viresq; acquirit eundo.

Lucret lib. 1. Optimè cecinit Lucretius;

Semper in assiduo motu res quæque geruntur.

Instabilitas humana. Eodem Emblemate instabilem & inquietam cordis humani indolem repræsentare licet. De hac S. Bernardus; *Mobilitate naturali instabili vel in puncto fixum recusat consistere, cujus vita in motu est, & motus est ei vita.* Et rursus; *Cor meum SEMPER EST IN MOTU, & nunquam requiescit, sed sive dormiam, sive vigilem, somniat & cogitat quidquid ei occurrit.*

S. Bern. cap. 2. de interiori domo. Idem cap. 9. Medit.

Docere opere. 112. Qui famam pro laboris sui dimenso sublimè sortitur; vel certè qui alios operando docet; horologio rotato non absimilem se probat; hoc enim rotularum suarum cursui nunquam interrupto, sonoras campanulæ voces jungere consuevit. Unde lemma; SONAT NON QUIESCENS. *Perdit enim authoritatem docendi*, inquit in rem præsentem opportunè S. Hieronymus, *cujus sermo opere destituitur.* Et rursus; *Erubescit præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia, frustraq; ejus lingua prædicat paupertatem, qui Crœsi divitiis tumet.* Et certè quisquis à Deo inter sapientiæ aut virtutis magistros eligitur, is doctos vocum suarum sonos assiduis meritis ac virtuosis operationibus conjunctos habeat, necesse est. Disertè Siracides. *Qui interrogationem manifestat, parabit verbum, & sic deprecatus exaudietur, & conservabit disciplinam, & tunc respondebit.* Atque adeo ut quæstionibus omnibus opportunè respondere, easque enucleatè ac sapienter aliis exponere valeas, totus quantus ad studiorum, orationum, & operationum exercitia applicandus es. Rabanus in illum Ecclesiastici locum eruditè commentatus, ait; *De sanctis Doctoribus dicit, qui ut ad interrogata dignè respondere possint, præparant verbum in corde suo, & deprecantur Dominum, ut ipse eis manifestet rei veritatem, & conservant digna operatione, quæ ipse jussit eis custodire; & sic meditando, orando, operando, condignum interrogantibus se præbent responsum.*

S. Hieron. Epist. 83. Idem Ep. ... Eccles. 3. Raban. in hunc loc.

113. Singulæ horologii rotæ impulsum suum totum ab appenso plumbo recipiunt, ejusque solius pondere ad cursum & operationem concitantur. Unde horologio hanc epigraphen, nî fallor, opportunam subjunges; DA'UN SOL MOTORE A CENTO MOTI IL MOTO. Id est; MOTUS OMNIS AB UNO. Verbis è vernaculo Hieronymi Preti poëmate desumptis;

La machina dal pondo à lei sospeso,
Quasi da intelligenza il moto apprende.
Che girando la fune un polo immoto
Dà un sol motore a cento moti il moto.

Dependentia. Obedientia. Huic affine est illud Unitorum Senensium Emblema, qui horologio aperto, ac rotulis undique patentibus subscripsêre; UNA MOVENTUR VARIÆ. Ita nimirùm vel solo superioris motu quantocius subditi omnes commoventur. Verissimè cecinit Claudianus;

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Agap. Epist. Paræn. n. ... Providentia Dei. Et Agapytus; *Vel exile Imperatoris verbum & minimum, ingentem obtinet apud omnes vim.* Sanè ordinatio ac providentia Divina rebus omnibus certam movendi normam præit. Justus Lipsius; *Æternum illud fatum temperat, & disponit fata cujusq; nostrûm. Quod si ab illo, id est, à solo & summo bono: Quid nisi bonum est?*

Just. Lips. Cent. 3. ... Belg. Ep. ...

Corrector opportunus. 114. Horologium obseratum, solâ campanulâ & malleolo prominente, epigraphen tenet; SONAT OPPORTUNE. Seu A TEMPO ALZO LA VOCE. Id est, IN TEMPORE VOCES. Prudentis & discreti correctoris hæc consuetudo est, qui aliorum profectui consulturus, occasionem ac tempus opportunum præstolatur. Ovidius;

Ovid lib. ... de Remed.
Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent,
Quin etiam accendas vitia, irritesq; vetando,
Temporibus si non aggrediare suis.

Et Justus Lipsius; *Critica utilissima & saluberrima est, si modicè adhibetur & modestè.*

Lips. de ... lit. Rom. ... 2. Dialog.

Vita afflicta. 115. Mira adeò horologii est fabrica, ut dentatæ illius rotulæ, sibi ipsis morsicatim implicitæ, gressu quidem mutuo, sed tamen penitus obverso & contrario moveantur. Unde illarum quælibet, meâ quidem sententiâ, jure de se dixerit; CONTRARIIS GRADIOR. In hoc argumentum de horologio canit Hieronymus Preti;

Come sfera maggiore in Ciel s'aggira,
Che co'l suo cerchio i minor cerchi abbraccia;

E le

E le rotanti sfere al corso tira,
Che del corso di lei seguon la traccia;
Così ruota maggior qui seco gira
Ruote minori, e col fuggir la caccia:
E (com' appunto i Cieli) intorno ruota
Corso à corso contrario, e ruota à ruota.

Mulierum genius contrarius. Iis hoc ectypon est proprium, qui vitam inter assiduos adversitatum & persecutionum motus transigunt. Nec illud à mulierum genio abludit, qui torrente semper adverso niti solet. Appositè Terentius;

Terent. Act. 4. Eunuch. scen. 7. - - - - *Novi ingenium mulierum,*
Nolunt, ubi velis; ubi nolis, cupiunt ultrò.

Hominis structura. Cæterùm etiam tota hominis structura è rebus contrariis constat; præterquam enim quod diversa elementa, ceu corporis humani primordia, assiduò in homine confligentur, eumque tamdiu incolumem servent, dum victoria neutri parti cesserit; ita insuper complures alias partes adversas complectitur, à Lactantio hoc ordine recensitas. *Homo*, inquit, *ex rebus adversis ac repugnantibus configuratus est, animo & corpore, id est, cœlo atq; terrâ, tenui & comprehensibili: æterno ac temporali; sensibili atq; bruto: luce prædito atque tenebroso &c.* Lactant lib. 7. cap. 4.

116. Insigni candore ac sinceritate hominem horologio non absimilem dices, quod indice suo horas designans, lemmatis loco versum ex Hieronymo Preti desumptum præferat; QUEL CHE CELA NEL SEN, SCOPRE NEL VOLTO. Seu ut Raulino placet; RESPONDENT INTIMA FRONTI. S. Hieronymus; *Speculum mentis est facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana.* Haud aliter S. Ambrosius; *Index facies plerumque est conscientiæ, & quidam tacitus sermo mentis.* Et Cassiodorus; *Vultus, qui à voluntate nominatur, speculum quoddam est animæ suæ, & quod substantialiter non cernitur, per ejus habitum evidentissimè declaratur.* Certè Indiarum Sapientes, juvenes quosdam ad studia electuri, virtuosos illorum animos è vultûs serenitate, ac oculorum legitimâ structurâ conjiciebant. Philostrati verba sunt; *Ex quibus sapientes & naturæ periti homines, imagines velut in speculo aspicientes, quæ mens illis, quodq; ingenium, contemplantur.* Plautinus affirmat, ab exteriore hominum vultu interiores bonos aut vitiosos affectus, indicio minimè vano, colligi. S. Gregorius Nazianzenus, effrontem ac petulantem Juliani Imperatoris vultum conspicatus, mox præsagiit, ipsius conscientiâ esse enormium flagitiorum sentinam, sicuti postea totus orbis Christianus magnâ suâ clade didicit. Ludovicus à Casa, Augustinianus, personis quibusdam religiosis collocutus, dicebat, idipsum in vobis vestes faciunt, quod index in horologio: sicuti enim iste internam temporis mensuram, concordes aut dissonas rotas, cæteramque interiorem structuram ab externa mirificæ illius machinæ aspectu prodit; ita exterior hominis religiosi compositio internam ipsius mentem facit manifestam.

Sinceritas. S. Hier. Ep. ad Furiam. S. Ambros. de Elia cap. 10. Cassiod. lib. de Anim. c. 16. Philost. in vita Apollonii lib. 2. c. ... S. Greg. Naz. orat. 21. Externis indicantur interna.

117. Horologium rotatum epigraphen monstrat; DONEC IN PUNCTO. Eorum hæc effigies est propria, qui famæ ac virtutis suæ clangorem opportuno ac debito tempore manifestandum reservant: sicuti horolgium non sonat, nisi ubi determinatum punctum in rota contigerit. Ita Christus ad miracula perpetranda invitatus, respondit, *Nondum venit hora mea.* Significare nimirùm volebat, miraculosas operationes non pro cujusvis imprudentis arbitrio, sed temporibus ab æterno Patre præstitutis, eliciendas esse. Ad hoc propositum S. Irenæus; *Præcognita enim sunt hæc omnia à Patre; perficiuntur autem à Filio, sicut congruum, & consequens est apto tempore: propter hoc, properante Mariâ ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare compendii poculum, Dominus repellens ejus intempestivam festinationem, dixit: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea, expectans eam horam, quæ est à Patre præcognita.*

Opportunitas. ...n. 2. 4. Iren. lib. 3. advers. Hæres. cap. 18.

118. Horologio rotato epigraphen, è Virgilio mutuam subjunxêre; NOCTES, ATQUE DIES. Laborem indefessum ac concinnum hæc imago repræsentat. Hâc operandi assiduitate mirificum se probavit Guilielmus Sirletus de quo P. Joannes Rhò in hæc ipsissima verba testatur; *Ferunt, hominem sciendi avidissimum, à legendo, scribendoque cessâsse nunquam; dies noctesque hoc ita agebat, ut quum nullo valetudinis aut molestiarum discrimine hoc ageret: imò somnians etiam sæpè græcè, sæpè latinè loquens præcepta proderet sapientiæ, dictum fuerit; idem ei vivere ac scire fuisse.* S. Gregorii Papæ Parænesis est; *Non desinatis in labore persistere; quia sublevatio laboris, est vitium collaborantis.*

Virgil. l. 10. Æneid. v. 127. Perseverantia. Io Rhò de Var. Virt. Hist. cap. 12. lib. 7. nu. 12. S. Greg. lib. 5 Moral.

119. Qui operandi rationem cum doctrina à se tradita penitus consonam habet; horologii Emblemate significatur, cui Lucarinus inscripsit; SONUS JUXTA GRESSUM. S. Hieronymus; *Qui idoneus est ad docendum fideles, prius debet ostendere se aptum, ut exemplo doceat, quod est totius doctrinæ fundamentum, idque efficacissimum.* Et S. Gregorius Nazianzenus;

Docere opere. S. Hier. in cap. 1. Hier.

Vel non doceto, vel doceto moribus.

Hanc operandi methodum probè observatam habuit S. Joannes Baptista, qui pœnitentiam simul & egit, & prædicavit, Illud ipsum lemma, *Sonus juxta gressum*, indicat, humanos sermones loquentium ætati conformes esse, nam de rebus grandibus grandes, de seriis prudentes, & de levibus juvenes disserunt. Hoc sensu Apostolus; *Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus.* Porrò ab hominibus, veluti totidem animatis horologiis, elicitur *sonus juxta gressum*, & quisque pro operandi ratione sermocinatur; verba enim, ceu affectuum interiorum indices, à personis sanctis sancta, & à vitiosis vitiosa proferuntur. Cassiodorus; *Est etiam*, inquit, *quoddam speculum morum agentis oratio: nec majus potest esse mentis testimonium, quàm qualitas inspecta verborum.* S. Joannes Chrysostomus initiales illas Psalmi voces examinans, *Eructavit cor meum verbum bonum*, ait, sancta Davidis verba sanctis ipsius operationibus fuisse exactè consona, ejusque articulatos sonitus interiori vitæ respondisse. Nam *Cor, à peccatis liberum, demonstrat verbum, quod eructat Propheta.*

Verba respondent ætati. 1. Cor. 13. 11. Verba indicant hominem internum. Cassiod lib. 5 Epist. 22. S. Io. Chrys. in Psal. 44.

120. Qui cumulatas suas virtutes exteriore vultu vel dissimulat, vel ab hominum aspectu removet, horologio obserato se non absimilem probat, cui Lucarinus inscripsit, IL VALORE E' DI DENTRO. Id est; PRETIUM INTUS. His affinia sunt illa Psaltis Regii verba; *Omnis GLORIA ejus filiæ Regis AB INTUS.* In rem præsentem opportuna est SS. Matthæi & Lucæ, de S. Joanne Baptista relatio; ubi enim Matthæus omnes hujus summi Prophetæ austeritates ac pœnitentias prolixè enumeraverat; *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem ejus erant locustæ, & mel sylvestre.* S. Lucas iis omnibus omissis, sola hæc paucula verba de ipso scriptis mandavit; *Factum est verbum Domini super Joannem.* Et verò, interprete S. Ambrosio, *Benè S. Lucas compendio usus est, ut Joannem declararet prophe-*

phetam dicens; *Factum est Verbum Domini super Joannem, ut alia non adderet, Unum dixit, & omnia declaravit.* Tametsi itaque paucula de Joanne dixerit S. Lucas, iis tamen pauculis longè plura, quàm S. Matthæus comprehendit; is enim S. Joannem interioribus ornamentis insignem, ac Spiritu Divino plenum repræsentans, gloriam longè majorem de illo explicavit, quàm si omnes hominis externi castigationes enumerâsset: nam animæ nostræ valor, pretium ac gloria à conditione nostra internâ, quàm externâ potius deduci debent. S. Paschasius ait, sicuti Christi Divinitas sub carnis immaculatæ schemate erat abscondita, ita etiamnum in Eucharistia sacratissimum corporis illius thesaurum sub specierum sacramentalium velamine delitescere; ut adeò de utroque mysterio jure dixerim; *Pretium intus.* In rem præsentem S. Paschasius; *Quàm benè*, inquit, *in agro thesaurus absconditus dicitur, quia in carne Christi Divinitas corporaliter inhabitans, etiam in hoc mysterio ab aspectu oculorum, ne caro videatur, subtrahitur, ut fide avidius quæratur &c.*

S. Pasch. lib. de Corp. & Sang. Christi cap. 17.

Angelus Custos.

121. Lucarinus S. Franciscam Romanam ab Angelo percussam, Emblemate significaturus, horologium in annuli arcula figuravit, quod annularem digitum leviter pungens, horas designare solet. Epigraphen addidit; PUNGIT, SED MONET. Illa ipsa calamitatum in animas nostras effecta sunt. Augustissimè S. Augustinus; *Quid non misericorditer præstatur hominibus à Deo à quo etiam tribulatio beneficium est? Nam res prospera donum est consolantis, RES autem ADVERSA DONUM EST ADMONENTIS DEI.*

Calamitas.

S. Aug. in Epist. 87.

Promissis stare.

122. Academia Romano-Parthenia in Cardinalis Scipionis Burghesii, Mecænatis sui maximi, honorem, Symboli loco horologium statuit, quod horas non malleolo tantùm resonante, sed & linguâ exhibente designare consuevit, inscriptionem subjunxit istam; UTROQUE INDICE CONCORS. Mens Emblematis erat, Cardinalem illum res quasvis, generosâ linguâ promissas, liberalissimâ manu in opus redigere. P. Famianus Strada inter cæteram nobilissimi horologii sui descriptionem, ait;

Fam. Strad lib 2. Prolus Acad 3. Hist

Æneus hic monitor turri sonat, & simul horas
Mobilis inscripto lingula in orbe notat.

Tandem verò ad Principes conversus, in moralem ac politicam hanc doctrinam concludit;

Discite (ne multis) ore, manuque loqui.

Eodem argumento D. Marinus persuadet, Christianam fidem non nudo tantum linguæ aut vocum sonitu, sed ipsis etiam manibus, operibus nimirum, homini Christiano propriis, demonstrandam esse.

Marin 3. p. Lyra.

Che val fede senz' opre? E vano, è vano
Dir solo Io credo, e nel Signor confido &c.
Non basta al Horivol senz' alcun fallo
L'hore segnar, s' a le sonore rote
Moto non porge, anima al metallo.

Pulchrè S. P. Augustinus; *Verè beatus est, qui & rectè credendo bene vivit, & benè vivendo fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus: ita nihil proficiunt opera bona sine fide recta.*

S. Aug. ser. 53 de Temp.

Maturitas.

123. D. Emmanuel Thesaurus Abbas horologio rotato subscripsit; MULTA, PRIUSQUAM LOQUARIS, TECUM VERSA. Seu; SECUM MULTA PRIUS. Sicuti enim horologium, priusquam sonum edit, legitimam moram interponit; ita cogitationes tuas præcipitantis linguæ vitio nunquam patiaris in verba prorumpere, nisi ad rationis libellam probè ac diu examinatas. Laërtius hanc fuisse Chiloni gnomam ait; *Non committendum esse, ut lingua præcurrat animum.* Idipsum Agapytus, Justinianum Imperatorem imbuens, docebat; *Contemplator bene prius, quàm mandes, quæ velis: sic fiet, ut semper prudenter jubeas quæ fas est: lubricum enim est instrumentum linguæ.* P. Famianus Strada, posteaquàm horologii fabricam eleganter descripserat, tandem ad Magnates conversus, ait;

Laert lib. 1. cap 4.

Agap. Ep. Paran. n.

Fam. Str. loc. cit.

At vos Heroes, quorum metimur ab ore,
Et regimus vestro tempora nostra sono.
Discite NON DARE posse unquam RESPONSA, PRIUSQUAM.
MULTA AGITET SECUM MENS operosa diu.

Hoc sensu Siracides; *Est tacens, non habens sensum loquelæ: & est tacens, sciens tempus aptum. Homo sapiens tacebit usque ad tempus.* S. Ambrosius; *Sapiens*, inquit, *UT LOQUATUR, MULTA PRIUS CONSIDERAT, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore &c.* Et S. Gregorius Papa; *Sancti viri in suis judiciis faciles non sunt, sed cuncta prius rationabiliter intus ordinant, ut ea foris irreprehensibiliter disponant.* Denique Jo. Audenus;

Eccles. 20. S. Ambr. 1. offic. c. 10

Io. Aud. 1. distich.

Vis sapiens dici? rarò, & MEDITATA LOQUARE.
Sæpe loquax, verbis proditur ipse suis.

124. Meâ quidem sententiâ horologio rotato opportunè inscribes; DANT PONDERA LEGEM. Seu, A PONDERE MOTUS. Hoc schemate innuitur, persecutionum, morborum, ac calamitatum pondera à Divina providentia passim immitti, ut humana corda, aliàs fortè ignavo otio dissolvenda, excitentur, & directam virtutum ac legis Divinæ semitam incedere discant. Idipsum, nî fallor, significârunt ii, qui horologio rotato subscripsere; RESPICE PONDUS. S. P. Augustinus; *Lex fidei est, non inanis fidei, quæ per dilectionem operatur. Per hanc impetratur gratia, quæ fortes facit in tribulatione temporali, ne pereant in humilitate mortali.* D. Angelus Grillus Abbas, poësi ad Deum conversâ, canit;

Calamitates.

S. Aug. P. 11 s Conc. 1.

Abb. Gr. in pietosi Affetti p.

Il metallo vivace,
Miracolo de l'arte,
Che con spirto loquace
In chiaro suon distingu, e mostra l'hore
Tanto d'anima hà parte,
Quanto da giusto peso
Viene utilmente offeso
Così questo mio core,
Tantò hà di vita, e di pensieri eletti,
Tanto ti loda, e canta,
Quanto le rote de suoi vari effetti
Son da temprato, ed equal peso mosse
Di tue pietose, e mediche percosse.

125. Horologium, horas indice suo designans, epigraphen reddit; QUIA RECTUS, ASPICIOR. Ita nimirùm rectitudo, virtus, & innocentia, omniũ oculos in se rapiunt. De Themistocle refert Plutarchus, quod spectaculi intuendi causâ theatrum ingressus, omnium spectatorum oculos ita à ludo illo distraxerit, ut unicè in generoso ac celebri illo heroe contemplando defixi hæserint. Haud aliter cùm S. Joannes Bptista in deserto, rigidis jejuniis extenuatus, & aspero cilicio indutus, pœnitentiam prædicaret, *Tunc*, referente S. Matthæo, *exibat ad eum Jerosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanē.* Atque adeò Jerosolyma ac Judæa tota in desertum illud effundebatur, ibique nobiles & plebei, sapientes ac idiotæ passim accurrebant, ut oculos suos in Joan-

Virtus sideratur.

Matt.

S. Jo. Bpt

Joannis, ceu Judicis Divini virtute, sanctimoniâ, & vitæ rectitudine contemplandâ defigere possent. De hoc S. Joannes Chrysostomus; *Erat admiratione dignissimum, tantam in hominis habitu fulgere virtutem, tantamque in illo splendere constantiæ dignitatem.*

S. Io. Chrys.

126. Horologium, singulas horas indice ac sonitu suo demonstrans, epigraphen tenet: EXCITAT ET DIRIGIT. Eâdem omninò ratione, horologii suscitabulo, uti & chalybi ad ignes suscitandos destinato, inscribes; SOPITOS SUSCITAT. Idipsum Magistrorum, Superiorum, ac Prædicatorum munus est, qui suos subditos ab inertis animi somno ad directam virtutis operationem expergefaciunt. Hoc veluti celeusmate Christianos omnes excitans Apostolus, altùm clamabat; *Hora est, jam nos de somno surgere.* Et paulò post; *Sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione &c.* S. P. Augustinus; *Prædicatores voluntates pigras excitent, accendant frigidas, corrigant pravas, aversas convertant, repugnantes pacificent.*

Paterfamilias. Prædicator. Rom. 13. 11. &c. S. Aug de bono viduit. c. 18.

127. Horologium sonans ac expergefaciens, inscriptionem sustinet; IN TEMPORE SUO. Vincentius Gilibertus hoc Emblemate misericordiam ac providentiam Divinam repræsentabat. Affectu integerrimo David; *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum IN TEMPORE OPPORTUNO.* Illa ipsa etiam prudentis Correctoris aut Prædicatoris imago est, nam, Malachiâ asserente, *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam.* Id est, interprete S. Hieronymo, *Custodiunt, ut LOQUANTUR IN TEMPORE, denique conservis cibaria in tempore suo.* Et ut compendio utar, quivis homo prudens nonnisi suo tempore loquitur, expectatâ nimirum opportunitate, quæ vel in propriam, vel in proximi sui utilitatem cedat. Siracidis hâc de re sententia est; *Est tacens non habens sensum loquelæ; & est tacens, SCIENS TEMPUS aptum. Homo sapiens tacebit usque ad tempus.* Ad idem propositum S. Basilius; *Opportuna verba, inquit, à te procedant, ut dent gratiam audientibus.* Et S. Gregorius Papa; *Sapiens tacebit usque ad tempus: ut nimirum cùm opportunum considerat, postpositâ censurâ silentii, loquendo quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat.*

Providentia Dei. Psal. 144. 15. Prædicator. Malach. 2. 7. S. Hier. in hunc loc. Loqui opportunè. Eccles. 20. 6. S. Basil ad Filium spirit. S. Greg. p. 3. Pastor. admon. 15.

128. Horologium cum suscitabulo inscriptionem refert; ET LEVITER ICTUM SONAT. Illius hæc idea est propria, qui animum vel ad vindictam, vel ad cordis sui arcana manifestanda facilem præsefert. Illud ipsum Emblema promptam excellentis cujusdam ingenii vivacitatem describit, quod levissimè provocatum, eruditionem ac facundiam suam non sine auscultantium admiratione prodere solet. P. Joannes Rhò hanc ingenii felicitatem in Principe D. Virgilio Cæsarino plurimùm deprædicans, *Nobiliorum authorum loca*, inquit, *si quis incipiendo provocâsset, usque ad miraculum securus pronuntiabat.* Et rursus; *Auctorum ac Principum eorum sententias, ipsaque verba retinebat, ut quum primùm locus aliquis indicabatur, ille sine ulla cunctatione totum redderet, magnâ atque admirabili memoriæ ubertate.* Eandem memoriæ promptitudinem in Thoma Kempensi, Concanonico meo, commendans Heribertus Rosvveidus, ait; *Si ipso præsente forensia aut mundana agitarentur, velut mutus & elinguis sedebat. Porrò si de Deo, rebusque cœlestibus haberetur sermo, mox postulatus sententiam, velut limpidissimus fons perpetuis verborum rivulis scaturiens loquebatur, aut potius profluebat.*

Vindictæ leditus. Ingenium promptum. P. Rhò de Var. Hist. l. 7. 12. n. 7. Idem. l. 5 c. 1. num. 7. Rosvv. in vita Thom. Kemp.

129. Quantumvis horologii pondus se ipso in imum devolvatur; propriis tamen viribus in sublime retrahi penitus nequit. Unde Lucarini lemma; AT PER SE REDUCI NEQUIT. Ita homo, proprio arbitrio lapsus, pristinum gratiæ statum nonnisi succollante Deo resurgere valet. Hugo Victorinus; *Homo fragilis est, ad peccatum pronus, AD RESURGENDUM INEPTUS.* S. Ambrosius; *Quasi clavis quibusdam suffigitur anima corporeis voluptatibus, & cùm semel adhæserit cupiditatibus mersa terrenis, difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei favore revolvere.* Et S. P. Augustinus his coronidem subnectens, ait; *Idoneus homo ad casum, NON EST IDONEUS AD RESURRECTIONEM SUAM.*

Homo peccator. Hug. Vict. de Proprietatibus l. 4. c. 8. S. Aug. ser. 30 de Verb. Apost.

130. Hortensius Brunellus, Academicus inter Errantes Brixienses Sincerus, Symboli sui loco horologium rotatum præfert, cum lemmate; NON EXTRINSECUS TANTUM. Innuit videlicet, veram virtutem non è vultu tantùm externo, sed potius ab interioris animi merito ac valore metiendam esse. Certè S. Paulus obsequia sua Divina non internis tantùm peregrinationis ac prædicationis Evangelicæ laboribus, sed longè magis, in tenerrimo suo erga Deū affectu consistere testabatur. *Testis mihi est Deus*, inquit, *cui servio in spiritu meo, in Evangelio filii ejus.* Hunc locum interpretatus S. Anselmus, ait; *Cui servio in spiritu meo, id est, in affectu mentis meæ: quia non per simulationem illi famulatum exhibeo: sed quidquid foris benè erga servitutem ejus operor, hoc intus in voluntate cordis similiter facio.* Et S. Thomas Aquinas; *Servio in spiritu meo, quasi dicat, NON SOLUM IN EXTERIORI servitio corporali, sed præcipuè interius secundùm spiritum.*

Virtus vera. Rom. 1. 9. S. Anselm. in huno. loc. S. Th. Aqu. in eund. loc.

131. Horologium rotatum, gemino munere, horas & indices designat, & malleo distinguit. Lemma OCULIS ET AURIBUS. Prudentes illos Magistros hoc ectypon concernit, qui doctrinæ suæ fidem non linguâ tantùm, sed & opere faciunt; idque unum cumprimis curant, ut discipulos suos non auditores solùm, sed & spectatores habeat. Scitè in rem præsentem Agapytus; *Quæ subditis verbo, quasi lege præscribis, hæc tu præveniens re ipsâ præstitisti, ut verbis, quibus persuades, integra quoque vita adstipuletur, sic enim commendabile tuum asseverabis imperium, si & ratiocineris non sine opere, & opereris non sine ratione.*

Docere verbo & opere. Agap. Epist. Paræn. 4.

132. Magnatum beneficentiam, versùs subditos suos instabilem, ex horologii rotati Emblemate dignoscere licet; cui subscripsi; AD OGN' OMBRA D' INCIAMPO IL CORSO ARRESTO. Id est; MINIMO DETINEOR. De Principum regimine verissimè pronuntiavit Ægydius; *Levissimas ob causas potentia sævit: aliquando etiam officiis irascitur.* Id sanè in Aulæ Ægyptiæ primoribus perspicuum habetur: nam ob causas levissimas *iratus contra eos Pharao, misit eos in carcerem.* In hunc locum Oleaster; *Hoc communiter servis Principum evenire solet, ut propter facilem causam in carcerem detrudamur, & unâ horâ perdant, quod totâ vitâ sua meruerūt.* Et mox subjungit; *Varia & injusta res Principis animus, qui pro re minima hominem summè evehat, & pro nihilo deprimat.* Nec aliter Pius Papa; *Ut oculus parva festuca turbatur; sic Principum gratia offensiuncula vel minima cadit. Interdum etiam nullo crimine perditur. &c.*

Gratia Principū instabilis. Ægyd. lib. de Regim. Prin. Gen. 40. 1. Oleast. in hunc loc. Pius Pap. Epist. 166.

133. Horologio rotato inscripsi; NON ERRARO' S' IO STARO' SEMPRE ERRANDO. Id est; PROCUL ERRORE, DUM ERRAT. Hinc assiduam operandi industriam discas velim; nam uti è Sanctis Patribus habetur testatum, Dæmō adversus animos occupatos omnem nocendi aditum præclusum habet. Proindè, è spiritualis hujus politicæ sententiâ, assiduò operari, & in virtutum curriculo

Operari assiduò.

progredi coneris, neque animum unquam patiaris inertiac otiosâ quiete diffluere. Optimè dixit S. Gregorius Papa; *More viatorum nequaquam debemus aspicere, quantum jam iter egimus, sed quantum superest, ut peragamus.* Summam hâc in parte laudem pro meritis suis à Mose retulit Enoch, qui, sicuti in vitæ exordio *Ambulavit Henoch cum Deo*; ita & reliqui toto vitæ decursu intra Divinam semitam nec minimùm est feriatus. *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. Ambulavitq; cum Deo.* atque adeò grandis iste Sanctus in terris semper peregrinatus, Divinæque gratiæ impulsum assiduò secutus, sicuti *ab ineunte ætate proficit in via Dei, ita*, asserente Cardinali Cajetano, *perseveravit proficiendo in ea semper.*

S. Greg. l. 21. Moral. c. 5. — Gen. 5. v. 22. & 23. — Cajet. in hunc loc. cit.

134. Horologium rotatum epigraphen à me recepit; DAL ALTRUI CURA IL GIRAR MIO DIPENDE. Id est; AB ALIO REGIMEN. Ita juventus aliorum maturitate ac experientiâ gubernetur, necesse est. S. Hieronymus; *Nulla res*, inquit, *absque Magistro discitur, etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt, Grues, unam sequuntur. &c. Et per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in Monasterio sub disciplina unius Patris &c.* Proinde Juvenes seniorum directionem sedulò assequantur, quippe quòd illorum virtute ac peritiâ ad vitæ suæ decursum, citra noxam absolvendum, instituantur. S. Ambrosius; *Ut æqualium usus dulcior, ita senum tutior est: qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium, & velut murice probitatis inficit. Namque si hi, qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt: quantò magis adolescentes cum senibus debent novum sibi vitæ iter aggredi, quò minus errare possint, & à vero tramite virtutis deflectere?*

Juventus. — S. Hier. Ep. ad Rustic. Monach. — S. Ambr. l. 1. Offic. c. 43.

135. Juventutem opportuno rotati horologii Emblemate significabis, quòd indies tantundem operis conficere solet, quantùm ab humana industria dirigitur. Unde lemma; PUR CH' ALTRI INTENTO AL MIO GOVERNO ASSISTA. Id est; MODO MANUS DOCTA ME REGAT. Seneca; *Educatio maximam diligentiam, plurimumq; profuturam desiderat; facile est enim teneros adhuc animos componere.* Duo Gracchi, teste S. Hieronymo, maximâ eloquentiâ celebres, eam à Corneliæ, Matris suæ, educatione ac diligentiâ hæreditariam accepêre. *Gracchorum eloquentiæ multùm ab infantia sermo matris contulit.* Et rursus; *Hortensii oratio inter paternos sinus coaluit.* Arcadius & Honorius insignes in pietate Christianâ progressus fecêre, quia Præceptore usi sunt Arsenio, tantæ virtutis homine, ut à S. Ecclesia inter Divorum Cœlitum seriem sit recensitus. Ludovicus Galliarum Rex tantæ sanctitatis suæ incrementum à Blancæ, Matris suæ, industriâ accepit. S. Augustinus assiduo Monicæ, genitricis suæ, studio tandem sanctam fidem, ac legis Divinæ observantiam est assecutus.

Juventutis educatio. — Senec. lib. 2. de Ira c. 18. — S. Hier. Epist. ad Lætam.

136. Homo avarus id solùm in proximi sui commodum persolvit, quantùm à muneribus & proprio quæstu stimulatus fuerit. Haud secus atque horologium rotatum nonnisi UNCTUM PROGREDITUR. Idipsum mens humana assolet, nam quodam cœlestis solatii dulcore delinita, virtutem ac legis Divinæ observantiam indefesso cursu amplectitur. S. Ambrosius populum Hebræum, è Mara ad fontes Elim deductum, considerans, ait; *Cunctorum dispensator Deus, qui omnia suaviter disponit, interserit in ipso etiam itinere refrigeria quædam, ut iis refota, vique reparata anima, promptior ad reliquos redeat labores.*

Amarus. Suavitas cor movet. — S. Ambr. Tract. de 42. Mansionibus Mansione.

137. Horologii rotati frontem hoc epigr...

te insignivi; RITE, SI SÆPE REVISOR. Hinc conjicies, quantùm utilitatis è conscientiâ, sedulò ac frequenter discutiendâ, referamus; nam examinis hujus efficacitatem non modò Sancti Patres, sed ipsi etiam gentiles Philosophi, Seneca, Plutarchus, Epictetus, Pythagoras, aliique adeò probè perspectam, observatamq; habuêre, ut singulis diebus in singulas actiones præteritas attentè inquirendum dixerint, sic enim gaudio ob operationes bonas, dolore verò ob vitiosas concepto, humanum pectus fortes emendationis ac progressus ulterioris stimulos accepturum, existimabant. S. Hieronymus inter cæteras Pythagoræ præceptiones etiam hanc recenset; *Duorum temporum quàm maximè habendam curam, manè & vesperi: id est, eorum quæ acturi sumus, & eorum quæ gessimus.* Phocilidis, Stobeo referente, consilium erat; *Nec somnum mollibus admittas oculis priusquàm diurnorum operum ter singula æstimaveris. Qua transit? Quid egi? Quid opportunum omisi? Incipiens autem à primo, percense quoq; sequentia. Et malis quidem commissis increpare, bonis autem delectare.*

Examen conscientiæ. — S. Hier. lib. Apolog. adv. Ruffin. c. — Io. Stobeus Serm. 3.

138. Horologio, ponderibus suis librato, inscribes; ÆQUIPONDIIS TEMPERATIO. Enimverò justa rotarum harmonia, & horarum distributio nunquam exerrans, certam ponderum mensuram exigunt. Inde Prælatus discat subditos suos discretè ac rigoribus nunquam excedentibus aggravare. S. Prosper; *Leniter castigatus, exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem recipit, nec salutem.* Princeps etiam, ne in communem Reipublicæ symmetriam offendat, vectigalium onera ad dimensum & pro subditorum viribus imponere debet. P. Franciscus Suarez; *Servanda est*, inquit, *proportio tributi ad personas, quibus imponitur. Non est enim justum, ut omnes æqualiter solvant, sed juxta facultatem & conditionem uniuscujusq;: plus enim à divite, quàm à paupere exigendum est cæteris paribus.*

Rigor discretus. — S. Prosp. de Vit. Contemp. — Tributum moderatum. — Suar. lib. de Leg. c. 5.

139. E sacris Litteris compertum est, homines mundanos secundùm legem, pro arbitrio ac perversâ voluntate suâ statutam, vivere. Unde Salomon illorum ore dicit; *Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ.* Id est, faciamus pro libitu nostro licitum, quidquid vires ac libido nobis suggerunt. Eam ipsam legem innuit Apostolus his omninò verbis; *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati &c.* Itaque hominem, ad has mundi leges compositum, horologii rotati Emblemate significabis, cui Raulinus inscripsit. LEGEM SERVO, SED TORQUEOR INTUS. Enimverò homo ad vitiosam crapulæ, libidinis, ambitionis, vindictæ, aliorumque scelerum legem conformatus, internum animum crudelissimâ synteresi tortum sentiet. Seneca; *Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quàm temetipsum; alium enim potes effugere, te autem nunquam; nequitia enim ipsa est sui pœna.*

Sap. 2. 11. — Rom 7. 23. — Vitiosus. — Senec. lib. de Moribus.

140. Horologium rotatum suis quibusque momentis voces elicere, ac rursus reprimere novit; Unde à P. Henrico Engelgrave hanc Persii gnomam lemmatis loco accepit; DICENDA, TACENDAQUE CALLES. Ita omninò homo prudens, ac corrector discretus, silentium & loquelam, prout necessitas tulerit, sibi indicere nôrunt: haud dubiè ab illa Salomonis doctrina instituti; *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Cassiodorus; *Varium poscit remedium diversa qualitas passionum. Feroces districtione premendi sunt, mansueti civiliter admonendi, dolosi cautè, simplices sub lenitate tractandi sunt, & ideò ubique necessaria probatur esse prudentia, quæ rebus omnibus adhibere videtur accommoda.*

Pers. Satyr. 14. — Corrector prudens. — Eccles. 3. — Cassiod. l. 5.

141 Fe-

Regularū observatio. 141. Felicem horologii motum non tantùm bona rotularum, cæterarumque partium interiorum constitutio, sed & pondera, ex æquo & ad dimensum disposita, promovent. Unde Caroli Bovii lemma; PONDUS ET ORDO MOVENT. Ita Religio- Religio. num progressus erit omnium sententiâ laudatissimus, quando suas Regulas & Constitutiones, maturâ gr..vique authoritate institutas, sedulo ac legitimo ordine assequuntur. S. Ignatius perfectionem Societatis suæ in eo constituit; *ut constanti animo incumbant, ut nihil perfectionis, quod Divinâ gratia consequi possint, in absoluta omnium constitutionum observatione, nostrique instituti peculiari ratione adimplenda prætermittant, & exactissimè omes nervos virium suarum eò intendant.* Abbas Clarevallensis S. Bernardus, Religiosos quosdam sanè currentes incitans, *Rogo vos fratres*, inquit, *& multùm obsecro, sic agite, & sic state in Domino dilectissimi, sollicita semper circa custodiam ordinis, ut ordo custodiat vos.* Emblematis mentem bello hoc disticho explicat meus D. Carducius;

S. Ign. p. 6. Const. c. 1. §. 1.

S. Bern. Ep. 32. ad fratres de S. Anast.

Pondus, & ordo movet docta vertigine molem,
Sic regitur latis legibus Ordo sacer.

Propheta. Mortem nuntiare. 142. Horologium rotatum, campanulam malleolo percutiens, ELAPSAS NUNTIAT HORAS. Hoc D. Philippi Gallinæ, mei Concanonici, lemmate Prophetas aut illos Dei Ministros significabis, qui aliis vitæ aut felicitatis publicæ finem denuntiant, Ita Isaias, citra ambages ullas, Regi Ezechiæ indicavit; *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Item Ezech. Israëlitis, *Afflictio una, Afflictio ecce venit, finis venit, venit finis.* Et S. Joan. *Filioli, Novissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit, Unde scimus quia novissima hora est.* Cæterùm Morbus prodromus est mortis, & *elapsas nuntiat horas.* Seneca; *In omni morbo tria gravia sunt; metus mortis, dolor corporis, & intermissio voluptatis.*

Isa. 38. 1. *Ezech. 7. 5.* *1. Ioan. 2. 18.* Morbus nuntiat mortem. *Senec. Ep 72.*

Peccator inquietus. 143. Peccatores conscientiam, assiduâ inquietudine agitatam, Isaias mari tumultuanti non absimilem dixit; *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* At P. Henricus Engelgrave eundem horologii rotati Emblemate repræsentat, quod nec inducias, nec quietem ullam admittere solitum, epigraphen è Virgilio sustinet; NEC MORA, NEC REQUIES. Justus Lipsius; *Ut ii, qui febriunt, jactant se inquietè, lectum mutant; ita nos, qui fomitem mali circumferimus, & telo affectuum percussi, frustra illud motu & discursu sanare volumus.*

Isa. 57. 20. *Virg. 5 Æn.* *Lips. lib. 1. de Constant. c. 2*

144. Horologium, quantumvis exteriore vultu pulcherrimis ornamentis, rarissimis automatîs, ac pretiosis parergis instructum, nullâ tamen unquam internâ quiete perfruitur. Unde Caroli Rancati lemma; NULLA QUIES INTUS. His ipsis verbis Ovidius Famæ habitationem describit;

Ovid. lib. 12. Metam.

Nocte dieque patet; tota est ex ære sonanti,
Tota fremit, vocesque refert, iteratq; quod audit,
NULLA QUIES INTUS.

Dignitas. Idipsum homines, in dignitatibus constituti, compertum habent; nam externo & apparente honorum splendore conspicui, interiorem animum infinitis molestiis volutatum sentiunt. S. Gregorius Papa; *Quantò quis hîc altius erigitur, tantò curis gravioribus oneratur: eisq; ipsis populis mente & cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate.*

S. Greg. l. 17. Moral c. 12.

145. Denticulatæ horologii rotæ, morsicatim sibi implicitæ, mutuis revolutionibus ac impulsibus circumaguntur. Eò reflectens D. Jo. Bapt. Mazzolenus, epigraphen subdidit; MOVENT, DUM MOVENTUR. Seu ut Lucretio Borsato placet; ALTERNIS AUXILIIS. Ita nimirum in Academicis aut militaribus exercitiis complures solis aliorum exemplis stimulantur. Inde etiam significatur, Principem ac subditos mutuam sibi vicem & auxilium rependere debere. Quin eadem opitulandi vicissitudo nemini non cum suis proximis observanda est; cùm in hunc præcipuè finem civitates sint extructæ, ac Respublicæ stabilitæ, ut è complurium viciniâ utilitas & vita socialis coalesceret. Unde Christus, discipulos suos ad mundum convertendum ablegans, *misit illos binos*, ut mutuis auxiliis negotium adeò arduum facilius perficere possent. S. Ambrosius; *Hæc utique lex naturæ est, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, ut alter alteri, tanquam unius partes corporis, invicem deferamus, nec detrahendum quidquam putemus, cùm contra naturæ legem sit, non juvare. Sic enim nascimur, ut consentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuo ministerio.*

Auxilium mutuum.

S. Ambros. l. 3. offic. c. 3.

146. Carolus V. Imperator integram sonantis horologii structuram in parvulo annulo elaboratam habuit. Unde illam hoc lemmate insignivit P. Jacobus Masenius; IN PARVO MAGNA. SS. Eucharistiam hæc imago concernit, quæ angusto panis orbe totam Divinam Sapientiam complectitur. Porrò Maria Virgo uteri sui angustiis Deum, cœli ac terræ Dominum, continuit. Ut adeò ab Andrea Cretensi rectè cognominetur *Compendium incomprehensibilium perfectionum.* Et à S. Epiphanio, *Corona regia, pretiosissimum habens lapidem, & gemmis similem, Christum.* Eruditè canit P. Masenius;

S. Eucharistia. Maria V. *And. Cret. Orat. 2. de Assump.* *S. Epiphan. Orat. de laud. Deip.*

Cæsareus totum complectitur annulus orbem,
Quo regitur versis noxq; diesq; rotis.
Desine mirari, claudi tam grandia parvis,
Dum capit immensum Virgo pusilla Deum.

147. Horologium, nonnisi internis & occultis rotularum cursibus agitatum, horam tempusque mortalibus designat. Unde horologio inscripsit Serenissimus Philotheus; MOTIBUS INTERNIS Regitur. Nullus dubito, quin omnibus fidei nostræ asseclis persuasum sit, neque pium aliquid, neque gloriosum à nobis posse committi, nisi stimulante illâ interiore Divinâ gratiâ adducti, vitam pulcherrimis virtutibus exornemus. S. P. Augustinus; *Occulta est gratia & in abdito latet: Non videtur, sed inde eminet quod videtur.* Et rursus; *Valde occulta & abstrusa vis est, qua Deus agit, ut etiam illa, quæ sensu carent, confestim ejus obtemperent voluntati.* Emblematis mentem hoc epigrammate explicat Author;

Gratia Dei. *S. Aug. ser. 14. ex addit. à Paris. c 14. Idem in Ps. 105.*

Quæ jacet in mensa, celeres quæ denotat horas,
Ordine dat certos machina mota sonos.
Motibus internis regitur. *Sic temporis index*
Acta sonat, motu deficiente silet.
Et Deus æthereo tentat mea pectora motu,
Hoc cessante silent, hocq; movente sonant,
Non iste externa procedit origine motus,
Aut humana sacrùm dextera ducit opus.
Interna internus tangit præcordia motus,
Et motu in medio, credite, Numē inest.

148. Horologium, statis quibusvis momentis sonare solitum, ab Antonio de Burgundia hanc ex Ecclesiaste inscriptionem recepit; EST TEMPUS TACENDI, ET TEMPUS LOQUENDI. S. Hieronymus hunc locum explicans, ait; *Pythagoricos reor, quorum disciplina est tacere per quinquennium, & postea eruditos loqui, hinc originem sui traxisse decreti. Discamus itaq; & nos prius non loqui, ut postea ad loquendum ora reseremus. Sileamus certo tempore, & ad Præceptoris eloquia pendeamus. Nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus: ut post multū silentium de disci-*

Eccles. 3. 7. Loqui opportunè. *S. Hier. in Reg. Mon. cap. 22.*

S Greg. p. 3. Pastor. admon.15

discipulis efficiamur Magistri. &c. Et S. Gregorius; *Tempus tacendi*, inquit, *& tempus loquendi: discretè quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cùm restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat: aut cùm loqui utiliter potest, semetipsam pigrè restringat.* Cumprimis tamen Viris religiosis hanc ideam commendatam velim, cùm *Silentium*, asserente S. Basilio, *sit gymnasium benè loquendi.*

Silentium.

S.Basil. in Reg fus.c.13.

149. Horologio inscripsit P. Jacobus Masenius; FERIAR, DUM AUDIAR. Ita S. Apostoli, ut toto orbe Evangelium annuntiarent, tormenta ac plagas lubenti acceperunt animo. Ad Prædicatorem, veluti Mundi rationalis horologium, conversus S. Augustinus, ait; *Prædica salutem Domini: ne prædices in prosperis, & obmutescas in adversis.* Et rursus; *Fortes in Ecclesia adhærent ori Dei, ut sine timore prædicent veritatem.*

Apostoli.

Prædicator.

S. Aug Ps.70 Conc 1. Idem lib.2.cont. Petil.c.104.

150. Horologium nonnisi rotis & ponderibus circumagitur. Unde lemma; SINE PONDERE MUTUM EST. Ita nimirum ut gratiam sui faciant, opemque ferant Causidici, auri opus est pondere. Hos aptè describens Cassiodorus, ait; *Hi sunt, qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermissi, fastidiūt admoniti, obliviscuntur cū locupletati sunt, qui emunt lites, vendunt intercessiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt litigaturos, protrahunt audiendos, retrahunt transigentes.* Eorum insuper hæc imago est, qui Divinas laudes ac preces nunquam persolvunt, nisi calamitatum aut objurgationum pondere pressi.

Advocatus.

Cassiod in Psal. 73.

HOROLOGIUM ARENARIVM.

Cap. XI.

151. PUlvis, per angustum clepsydræ foramen furtim transfluens, temporis præterlabentis moram ostendit. Unde lemma; HOC PEREUNTE PERIS. Nativo hoc ectypo caducam vitæ humanæ sortem repræsentare licet. S. Isidorus; *Nil fugacius sæculo, rebusque sæculi, quas dum tenemus, amittimus: & per infantiam, pueritiam, juventutem ac virilem & ingravescentem ætatem, ac maturam ætatem, annosque ultimos senectutis utique septem spatia Philo vitam describit humanam. Mutamur & currimus, nescientes ad mortis terminos pervenimus.* Andreas Biancus;

Vita humana caduca.

S.Isid. lib.3. sup. Amos.

Bianc. lib.1. Epig. 48.

Tempora dinumerat tibi pulvis sæpè cadendo:
Pulvis deficiens ipse; caducus & es.
Sedulus observans alieno in pulvere casum,
Damna nihil curas pulveris ergo tui.
Restaurare potes clepsydræ stulte ruinas,
At non & vitæ sic reparare tuæ.

152. Horologii pulverarii, uti & rotati, hæc epigraphe est propria; INTERMITTENDO INUTILIS. Sicuti enim horologium, otiosè consistens, nihil planè habet utilitatis; ita è cœpto virtutis cursu vix quidquam commodi hauries, nisi eundem indefessè prosequaris. S. Laurentius Justinianus illa Apostoli verba examinans, *Sic currite, ut comprehendatis*, ait; *Non enim poterit quis ad consummationem virtutis attingere, nisi voluerit in ipsius exercitio perseverare. Omnis labor, qualibetque virtus laudem non meretur, nisi in eadem viriliter perseveret.*

Non perseverans.

S.Laur.Iust. Tract de obed. c.6.

153. Pulvis, ex uno horologii vitro in aliud, assiduâ vicissitudine transfluens, epigraphen tenet; IRREQUIETUS INERRAT. Ita homo mundanus laborum suorum angustiis vix ullam quietem interponere permittitur. Eadem Amantis profani idea est, qui vanissimis suis cogitationibus assiduò agitatus, nihil unquam tranquillitatis reperit. S. Augustinus; *Intueamur quanta in laboribus & doloribus homines dura sustineant, pro rebus quas vitiosè diligunt; & quantùm se his feliciores fieri putant, tantò infelicius concupiscunt.* Emblematis ansam è sequenti epigrammate cepi;

Mundanus irrequietus. Amans inquietus.

S.Aug. l. de Patient. c.3

Silentium

Exiguus vitro pulvis, qui dividit horas,
Dum vagus angustum sæpè recurrit iter.
Iam fuit Alcippus, qui Gallæ ut vidit ocellos,
Arsit, & est subitò factus ab igne cinis.
Irrequiete cinis miseros testabere amantes
More tuo, nullâ posse quiete frui.

Huic poëmati affinis est vernaculus ille D. Thomæ Stigliani Rhytmus;

Questa in cavo cristallo accolta arena,
Che l'hore addita, e la fugace etade,
Mentre ogn hor giù, quasi filata, cade
Rapidamente per angusta vena.
Alcippo un tempo fù, che amò Tirenna:
Tirenna, che com Angelo in beltade,
Così superò sempre in feritade
Ogni libica serpe, ò tigre armena.
N'arse il misero, è fu sempre deluso,
Sin che dal grave ardor candotto a morte,
Disfessi in polve, è fù qui dentro chiuso.
Misera de gli amanti; e strana sorte,
Serban l'arse reliquie anco il prim' uso,
Travagliar vive, hor non riposan morte.

154. Alcibiades Lucarinus hominem, arcani custodiendi tenacem, horologio pulverario non absimilem dicit; quod Emblematis loco inscriptionem præfert; INFUNDITUR, NON REFUNDITUR. Isocratis ad Democritum præceptio erat; *Sermonum deposita fideliùs quàm pecuniarum custodito.* Ita Euripides, à nonnullis per cavillum interrogatus, cur halitum adeò fœtentem è pectore emitteret, respondit, *Multa in illo arcana computruerunt.*

Arcanum

Paul. Manut. l. 9. Apoph.

155. Clepsydra, duodecim horas & vastum solis cursum emetiens, ab Abbate Ferro epigraphen recepit; IMMENSUM METIOR. Nimirum insignem, succinctam, ac facilem methodum, à P. Magistro Sancti, Dominicano, in SS. Theologia docenda exhibitam, significabat. Hæc tamen metaphora, hominis cujusvis laudem nimiùm quantùm excedens, in Virginis Mariæ uterum propriissimè convenit, qui instar limpidi ac pretiosi crystalli, Deo plenus, verissimè de se pronuntiaverit, *Immensum metior.* S. Bonaventura; *Immensa fuit gratia, quâ Virgo fuit plena. Immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum. Mariæ autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cœlo major fuit, concipere potuit.* Et paulò post; *Tu ergò immensissima capacior es cœlo: quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti; capacior es mundo: quia quem totus non capit mundus, in tua se clausit viscera &c.* Cæterùm Sapientia Divina restringit, continet, ac metitur immensum, quippe quæ *Attingit à fine usque ad finem fortiter.* Ad hoc propositum de Deo philosophatus S. Gregorius Nazianzenus, ait; *Universum esse in se ipso nunquam inceptum, nunquam desiturum complexus continet, tanquam infinitum quoddam, & interminatum essentiæ pelagus.*

Theologus præstans.

Maria V. gravida.

S. Bonav. Spec c 5.

Sapientia Dei.

Sap. 8. 1.

S. Greg Naz. Orat. in Natalitia.

156. Horologium arenarium verè de se ipso dixerit; MINUTA POLVE, E FACIL VETRO IO SONO. Id est; SUM PULVIS, ET FRAGILE VITRUM. Humana vita instar pulveris abjecta, & instar vitri caduca, Emblemate illo significatur. S. Hieronymus; *Qui Dei æternitate per-*

Vita humana fragilis.

S. Hier. ad Ephes lib.1

perspectâ, breve, & penè ad puncti instar, humanæ vitæ spatium cogitaverit, ante oculos suos habebit semper interitum, & erit humilis atque abjectus. Id quod meus D. Carducius hoc disticho explicat;

Quod cernis, nihil est, fragili nisi carcere pulvis,
Vitrea vita hominis pulveris instar abit.

D. Fr. Cyrus de Pers, posteaquam in quodam suo poëmate vitam humanam cum horologio pulverario comparâsset; tandem concludit;

Brieve momento ogni poter dissolve,
Qui ti specchi a ò mortale, e quindi impara,
Che di vetro è la vita, e l'huom di polve.

INSTRVMENTVM.

Cap. XII.

157. PErpendiculum, regulam quadratam, circinum, cæteramque Architectonices supellectilem in fasciculum colligatam, P. Julius Nigronius hoc lemmate distinxit; VIS OMNIBUS UNA. Innuebat videlicet, Religiosorum Regulas, quamlibet inter se diversas, ad unicum spiritualis ædificii & obsequii Divini finem contendere. Richardus à S. Victore ait, virtutes omnes ad charitatem, veluti ad finem unicum collineare. *Merito*, inquit, *Regina virtutum charitas esse dicitur, quia virtus nomen amittit, quæ non jungitur charitati.* Idipsum de Sacra Scriptura ait, ad quam assequendam omnes reliquæ scientiæ collineant. Unde ad Sacræ Scripturæ scientiam conversus, ait; *O cunctarum ancillantium scientiarum Regina, quæ semper astas à dextris Dei in vestitu deaurato circumdata varietate.*

Regulæ Religiosorum. Charitas. *Rich. à S. Vict. apud Incognit. super Ps. 44.* S. Scriptura. *Idem ibid.*

158. Instrumentum, Agricolis ad arbores in quadro collocandas usurpatum, à Cardinali Fausto Orlandino epigraphen recepit; UNDIQUE IN RECTA. Nempe animum demonstrabat, in omnibus sive prosperis, sive adversis successibus erectum. Tales suomet exemplo omnes exoptabat Christianos S. Paulus; *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia per arma justitiæ à dextris & à sinistris; per gloriam & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam.* Id est interprete Joanne Cassiano, *Nec prosperis duntaxat elatus, nec dejectus adversis, sed itinere plano, ac viâ regiâ semper incedens, ab illo tranquillitatis statu nequaquam lætitiâ superveniente, quasi in dexteram motus, nec adversis ingruentibus, tristitiâque dominante velut ad lævam rursus impulsus.*

Justus. *2. Cor. 6. 4.* *Ioan. Cass. Collat. 6. c. 9.*

159. REgia sua Celsitudo, Ferdinandus Hispaniarum Infans, Cardinalis, & Philippi IV. Frater, eodem tempore gravissima Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, & Flandriæ negotia adeò dexterè administravit, ut, tametsi foro tam Ecclesiastico quàm sæculari, rebus item tam civilibus quàm militaribus gubernandis summo omnium applausu indies distineretur, illam tamen immensam curarum molem insigni suâ prudentiâ suavissimam, ac superatu facillimam effecerit. Unde D. Carolus Bossus *Mundi Symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. II.* in Principis hujus symbolo grave aliquod pondus depinxit, quod ab Archimedis trochleis ac machinis mirâ facilitate sustentatum, epigraphen tenebat: SINE PONDERE PONDUS. Hoc ipso argumento P. Cornelius à Lapide demonstrat, quantum unius sagacis personæ industria ac prudentia in rebus quibusvis arduis possit. *Videmus*, inquit, *ingentia onera, & naves mercibus onustas, per rotas & trochleas levari à parvis hominum paucorum viribus: itidem fit in spiritu; nimirum majora cernimus per eum tolerari & portari, quam sint ejus vires, si rotâ troch-*

Prudentia. *Corn. à Lap. in Prov. cap. 18. v. 14. fol. 461.*

trochleâ, aut vecte peculiaris gratiæ, æquè ac prudentiæ & solertiæ vehatur. Prudentia enim solers est in adinveniendis modis, praxibus, rationibus, & considerationibus, quibus tristitiæ vel adversitatis pondus allevietur. S. P. Augustinus; *Ubicunque fuerit prudentia, frustrantur universa contraria; ubi autem prudentia negligitur, omnia contraria dominantur.*

S. Aug. lib. de singular. Cleric.

Industria.

160. Instrumento, ponderibus sublevandis destinato, inscribes; ARTE TANTUM. Seu; QUOD ARDUUM, FACILE. Enimverò industria ac prudentia humana pro libitu suo operatur, & res quasvis arduas aut penè impossibiles mirâ facilitate superare novit. Ut adeò verissimum sit Dionis Cassii dictum; *Nihil est, quod ingenio humano non possit effici.* Hortante Senecâ, *Adhibe rationem difficultatibus; possunt & dura molliri, & angusta laxari, & gravia scitè ferentes minus premere.* P. Joannes Rhò, ut demonstraret, Societatis JESU Patres cunctis Regulis, summâ S. Ignatii, Patriarchæ sui, prudentiâ ordinatis, non tantùm maximâ fortitudine & energiâ, sed & admirandâ facilitate ac dulcedine obsecundâsse, eodem machinæ mathematicæ Symbolo est usus. *Vitem perpetuam,* inquit, *Mathematici machinamentum appellant, quod lentissimè ac minimo strepitu sese convolvens, nullo operiosiore trochlearum molimine, immania nihilominus pondera, quâquam puerili circumagatur manu, in altum subvehit, mirantibus, qui abditam artis vim, ac validissimum opificis ignorant ingenium.* Porrò amoris, ceu machinæ prodigiosæ, beneficio, gravissima quævis onera miram induunt facilitatem. *Machina cordis vis amoris,* inquiebat S. Gregorius Papa, ab Hugone Carensi citatus.

Cass. apud Lipsium l. 3. Admir. c. 25.

Senec. de Tranquill. animi. c. 10.

P. Io. Rhò de Var. Virt. Hist. lib. 5. c. 1 fol. 544.

Amor.

Hug. Carensis in Ps. 24.

161. In instrumento tractorio cernere licet, funes, uti & trochleas, motibus penitus contrariis moveri; aliis nimirum sursum, & aliis deorsum tendentibus: hæc tamen illorum contrarietas ad eundem ponderis sublevandi finem conducit. Unde lemma; CONTRARIÆ UNUM. Haud aliter calor & frigus, humiditas & siccitas, cæteræque contrariæ elementorum proprietates ad totius universi, omniumque individuorum conservationem mirificè deserviunt. Ita omninò etiam consolationes & calamitates, quantumvis inter se oppositæ, promovendo homini justo plurimùm levaminis cōferunt. S. P. Augustinus; *Fortis omnibus benè utitur; amico ad rependendam gratiam, inimico ad patientiam, quibus potest ad beneficentiam, omnibus ad benevolentiam.*

Contrarietas.

S. Aug. de Vera Relig. cap. 47.

162. Instrumento, ponderibus levandis destinato inscripsere; MINIMO QUOCUNQUE JUVANTE. Innuebant videlicet, auxilium, quantumvis exiguum, nonnunquam ad res maximas perficiendas plurimùm conferre. Atque adeò, ut benè dixit P. Joannes Sylveira, *Ad gloriosos triumphos non solùm magna, sed etiam parva conveniunt.* Hæc veritas, tot firmata experientiis, meo Concanonico S. Joanni Bridlingtoniensi persuasit, quòd res quasvis minimas, in Ordinis sui constitutionibus propositas, exactissimè observârit; probè gnarus, illas tametsi opinione nostrâ exiguas, spiritui nostro sublevando mirificè deservire. De illo in hæc verba testatur Surius; *Disciplinæ monasticæ tam fuit exactus cultor, ut nec minimas constitutiones negligeret, quod idem etiam suis fratribus in supremo spiritu attentius commendavit.* Porrò in Sacris Litteris quævis non modò periodus aut sententia, sed minimi etiam apices grande pectori nostro, ad infinitam beatitatem evehendo, adjutorium subministrant. Testis in hanc rem locuples S. Cyrillus Alexandrinus, ait; *Nihil ita parvam in Sacris Scripturis invenitur, quod magnam nobis utilitatem non pariat.*

Auxilium.

Io Sylv lib. 4 in Evang. c. 12. n. 201.

Minimorum cura.

Sur. 10. Octo. cap. 2.

S. Scriptura.

S Cyrill Alex. l. 2 in Io.

163. Idem superioris numeri Emblema inscriptionem subjunctam habet; VIS SINE VI. Eadem Eloquentiæ est efficacitas, quæ auditorum animos in persuadentis sententiam suavissimè compellit. Gratia quoque Divina voluntatem nostram sine adhibita violentia in sui obsequium trahit. Eò enim illa Sacri Epithalamii verba collineant; *Trahe me, post te curremus.* Et illa S. Joannis; *Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Augustissimè S. Augustinus; *Noli cogitare, te invitum trahi: trahitur animus & amore. &c.*

Eloquentia.

GratiaDe

Cant. 1. 3.

Ioan. 6. 44.

S. Aug tract 26. in Ioan.

164. Instrumentum, gravissimis ponderibus mirâ facilitate sublevandis deserviens, epigraphen tenet; PARUM OPIS EXTERNÆ. Duobus modis intelligendam se offert hæc inscriptio. Primò quidē, quòd machina illa totam operationem non se solâ perficiat, sed insuper exterum aliquem, quantumvis levem, hominis influxum & cooperationem requirat. Hanc ipsam methodum in animabus, ad æternam salutem sublevandis, Deus observat: tametsi enim gratia præveniens, excitans, concomitans, & congrua, ceu totidem cœlestes machinæ, miram operandi facilitatem ac energiam subministrent; exigunt tamen *parùm opis externæ*; voluntariam nimirum liberi arbitrii nostri cooperationem: hic enim, quamlibet infirmus noster labor, cum gratia Divina ad prodigiosum justificationis & salutis opus perficiendum concurrit. *Liberum arbitrium,* inquit Cornelius à Lapide, *gratiæ cooperatur excitanti, ejusque influxui supernaturali in opus supernaturale concursum præbet naturalem, sibi suæque naturæ viribus commensuratum.* Altero verò modo Emblematis hujus epigraphe intelligi potest, quod, sicuti machina illa ad immania quævis pondera sublevanda exteriore adjutorio parùm aut nihil indiget, ita hominis sapientis virtus sibimet adeò sufficiat, ut exterâ aliorum beneficentiâ vix quidquam opus habeat. Seneca testatur; *Sapientem se ipso esse contentum: sed tamen,* subjungit, *& amicum habere vult, & vicinum, & contubernalē, quamvis sibi ipse sufficiat.* Et paulò post; *Sapiens se contentus est, non ut velit esse sine amico, sed ut possit &c.*

GratiaDe

Corn. à Lap in 1. Corint c. 3. v. 5.

Se ipso c perari.

Senec. Ep.

165. Carolus Bovius Symboli loco machinam tractoriam figuravit, quæ ingens aliquod saxum sublevatura, crassum funem, in complures orbes contortum, eidem circumplicabat; addito lemmate, NON UNO ATTOLLITUR ORBE. Ita nimirum ad durum ac perversum hominis pectus, è terra attollendum, summis laboribus ac tolerantiâ maximâ opus est. S. P. Augustinus; *Vincere consuetudinem dura est pugna. Moles imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, quâ premitur anima.* Et S. Isidorus; *Difficile est, peccati consuetudinem vincere: pravus usus vix aboletur: assidua consuetudo vitium in naturam vertit. Animus, sceleribus astrictus, vix ab eis divelli potest.*

Peccatoi converſ difficilis

S. Aug in Ps 30.

S. Isid. lib Soliloqu.

MICROSCOPIUM.

Cap. XIII.

166. Microscopii beneficio res quasvis minimas ac vilissimas exactissimè distinguere licet; hæ enim, intra illud repositæ, in molem adeò grandē excrescere existimantur, ut unicum milii granulum in grande crocodili ovum; minimam vitri particulam in ingentem crystalli massam; & unicam formicam in elephantem, metamorphosi non minus jucundâ quàm admirandâ, commutatam videas. Unde D. Alphonsus Puccinellus Abbas. Canonicorum Regularium, & Academicus inter Incom-

Incompositos Fanenses Animatus, Microscopio inscripsit; ET MINUTISSIMA QUÆQUE. Ita Christus Judex humanas actiones, quamvis minutissimas, distinctissimè perspiciet. *Quoniam*, teste S. Matthæo, *omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Justus Lipsius, *Deus*, inquit, *nostros sensus rimatur, & verba nostra veluti in auraria trutina pendit.* Cæterùm, ne Emblematis hujus sensum, ab Authore suo intentum, reticeam; magnum utique vivacis ac pulcherrimi ingenii argumentum est, si etiam minutis rebus contemplandis operam & industriam suam applicet. Opportunè Lipsius, *Suave est, in minimis etiam vera scire.*

Christus Judex. Matth 12.36 Lips. lib de una Relig. Scientia. *Lips. lib. 1. Polit. dial. 2.*

167. Abbas Certanus microscopio inscripsit; MINIMA GRANDESCUNT. Oratoris hæc idea est, cujus eloquentiâ videntur Pygmæi excrescere in Gianthes. Porrò homo lividus, iracundus, aut alio quovis maligno affectu dementatus, alienos defectus, utut minutissimos, instar enormium trabium extollit & aversatur. In hanc rem S. Petrus Chrysologus; *Imperfectis oculis GRANDESCUNT FORMÆ, turbantur species, res falluntur ipsæ, quia non jam visionem capiunt, sed adhuc umbram sustinent visionis.* Huic sententiæ suffragatur Plutarchus; *Quandoquidem*, inquit, *ut per nebulam corpora, ita res per iram APPARENT GRANDIORES.* Cæterùm etiam carnales nostri oculi, nimium quantum defectuosi, voluptates terrenas, se ipsis vilissimas & minimas, instar maximarum æstimant.

Eloquentia. Malevolentia. *S. Pet. Chrys. serm. 176. Plut. lib. de non irascendo.*

168. Res quævis minimæ, in microscopio conclusæ, incrementum penè centesimum accipere, & instar maximarum repræsentari videntur. Nulla verò miri hujus ludibrii alia est causa, quàm parvulum vitrum, ad microscopii fores cooperiendas insertum. Unde P. Certanus lemmatis loco subscripsit; CHI MI COPRE. MI SCOPRE. Id est; QUOD ME TEGIT, DETEGIT. Ita humilitas, dum virtutem suam abscondere nititur, eam aspectu maximam efficit. Unde hortatur Magnus Augustinus; *Esto humilis in humili Deo tuo, ut sis excelsus in glorificato Deo tuo.* Cæterùm Emblematis hujus epigraphen subministrabat Regia Sabudiæ Princeps, Christina Borbonia, Ludovici XIII. invictissimi Galliarum Regis Soror. Cùm enim primaria quædam ex ipsius gynecæo pedissequa, cui Petræ nomen, vitâ excessisset; & complura nobilissima ingenia illius tumulum diversis epitaphiis ac characteribus exornâssent; Regia Princeps, auditis omnibus illorum sententiis, acutè subjunxit; Nostra illa pedissequa, Petræ nomine insignita, hodieque sub funebri petra recumbens, opportunam hanc epigraphen præferat; *Quæ me tegit, detegit.*

Humilitas. *S. Aug. in Ps. 30.*

169. Vitrum, microscopio præfixum, res quasvis se ipsis millies majores repræsentat; ut adeò oculis nostris splendidè illudat, sitque fraudibus & mendaciis plenum. Nihilominus tamen fallacis hujus instrumenti beneficio res minimas, & ob nimiam suam tenuitatem ab oculis nostris absconditas, distinctè perspicere licet. Unde Carolus Bovius Microscopium hoc lemmate insignivit; VERITAS EX MENDACIO. Haud rarò accidit, falsa quædam delicta maligno ac mendaci aliorum ore in viros sanctos spargi: at hæc ipsa, si ad veritatis lancem pro tribunali examinentur, ingentem illorum sanctimoniam, hactenus ignotam, mirificè propagant, omniumque applausui manifestam faciunt; uti exemplo suo expertus est S. Ignatius Loyola. S. Jo. Chrysostomus; *Talis*, inquit, *est conditio falsitatis vel erroris, ut etiam nullo sibi assistente consenescat ac defluat; talis autem è diverso veritatis status, ut etiam multis impugnantibus suscitetur & crescat.*

Bonum ex malo. *S. Jo. Chrys. in Homil. 3. de laud Paul*

PERPENDICULUM.

Cap. XIV.

170. PErpendiculum, genuinum hominis perspicacis ac prudentis symbolum, epigraphen præfert; ÆQUA DIGNOSCIT. Hanc prærogativam à Deo unicè expetiit Rex Salomon, quando sub regni initium nullam aliam intellectui suo felicitatē desideravit, nisi ut quosvis ambiguos hominum eventus ex æquo discernere, eosque opportuno judicio ac justâ sententiâ dirimere posset. *Dabis ergo*, inquiebat ad Deū, *servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum.* Ubi, interprete Abulensi, *non solùm volebat Salomon habere aptitudinem ingenii ad hoc quòd susciperet disciplinam* speculativè; *sed volebat habere cor actualiter doctum & sapiens, ut posset* practicè *ex tunc judicia prudentissima dare*, ut judicare possit populū tuū, *id est, definire legitima, & contentiones forales*; & discernere inter bonū & malū; *Istud est quantum ad genus deliberativum, quod non est in judiciis, sed in eis quæ agenda sunt, & occurrunt homini multa difficultates: & circa has magnâ prudentiâ opus est, ut sciat quid eligendum sit, & quid bonum vel malum esse possit.*

Prudentia. *3. Reg. 3. 9. Abul. in hunc loc. q 5.*

171. Bartholomæus Rossus grandem S. Caroli prudentiam, quâ res omnes obliquas ac difficillimas complanare noverat, perpendiculo non absimilem dixit; addito lemmate, OMNIA ÆQUAT. Ea ipsa veri Principis aut Prælati rectitudo esto, sciatq; subditos suos præmiis ac suppliciis ex æquo dirigere. Arnobius, *Magnarum est mentium*, inquit, *pari pendere cunctos lance, & individuas cunctis benevolentias exhibere.* Et S. Clemens Alexandrinus, *Eorum, quæ à Moyse dicta sunt de justitia, compendium fecit Pythagoras dicens?* Stateram non esse transiliendam. *Hoc est, non prætergrediendam esse æqualitatem, quæ versatur in distributionibus, honorando justitiam.* Cumprimis tamen epigraphe illa mortis est propria. Enimverò teste Senecâ; *Æquat omnes cinis. Impares nascimur, pares morimur.* Haud aliter de morte canit Horatius;

Princeps justus. *Arnob. lib. 6. advers. gent. S. Clem. Alex lib. 5. Stromat.* Mors. *Senec Ep 91. Horat. lib 1. ode. 4. Idem lib. 2. ode 18.*

Æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Et rursus;

-------- *Æqua tellus*
Pauperi recluditur
Regumque pueris.

QUADRANGULUS.

Cap. XV.

172. ILlustrissima Littarum familia abacum lusorium quadrangulum, in alternantes nigras & deauratas mandras decussatim distinctum, in armis suis gentilitiis præfert. Unde, Comite Alphonso Littâ in Archiepiscopum Mediolanensem consecrato, Juridica Civitatis illius Academia quadrangulum aureum Emblematis loco suspendit; addito Illustrissimi D. Caroli Scotti lemmate; QUADRAM AD REGULAM. Ipsissima hæc lemmatis verba è Regum fastis habentur mutua, ubi inter innumera alia ornamenta, quibus Salomon templum suum excoluerat, etiam hoc recensetur; *Operuit omnia laminis aureis opere QUADRO AD REGULAM.* Mens verò Emblematis erat, optimum illum Archiepisco-

3. Reg. 6. 35. Justus.

pum non sibimet tantùm integerrimam ac perfectissimam virtutum omnium esse normam, qualem his omninò verbis describit Ausonius;

Vir bonus & sapiens justo se examine pensat,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coëat, nil ut deliret amussis.

Sed insuper exemplo suo subditis omnibus instar regulæ deservire, ad quam operationum suarum rectitudinem examinare possint. *Sic enim*, asserente Venerabili Bedâ, *solùm suos auditores fidem & opera justitiæ docere sufficiunt, dum ipsis prius sacris paginis edocti, diligenter quæ sit fides tenenda, quo virtutum calle incedendum, certâ definitione veritatis didicerunt.* Et paulò post; *Neq; sanctuarium Domino ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicere, conantur.*

Beda lib. de Templ Salō cap. 4.

173. Quadrata seu cubica figura, quoquo versum jacta versataque fuerit, recta semper consistit; quippe quatuor duntaxat lineis, & totidem angulis semper descripta. Unde lemma, AD NORMAM UNDIQUE. Origines hâc icone Prophetarum & Apostolorum volumina significabat, quæ à vitiis omnibus expurgata, quadratam undique perfectionem continent, simulque regulæ opportunissimæ loco deserviunt, ad orbem universum emendandum, corrigendumque. *In his solis vera continetur sapientia*, inquit ex Originis sententia Pierius Valerianus, *utpote quæ vitiis omnibus resectis, excisisque, quadratum vitæ justioris tenorem, & ex omni parte liberatum præseferant.* Eadem imago etiam hominum Apostolicorum est propria, qui vitæ suæ exemplo, ceu normâ justissimâ ac undique æquali, alios omnes ad virtutis lineam dirigunt. *Est ergo justitia quadrata*, inquit apud Joannem Cartagenam S. Clemens Alexandrinus, *omni ex parte æqualis, & similis in verbo, in facto, in abstinentia à malis, in beneficentia, in perfectione cognitionis, nusquam alio modo claudicans.*

Evangelium.

Pier. Valer. lib 39.

Justus.

Io. Cartag. Hom. 18. § 5. Tom. 4.

174 Figura cubica, in quamcunque partem, dexteram vel sinistram, anteriorem vel posteriorem, versata; recta semper & æqualis persistit. Unde lemma; STAT SEMPER IN RECTO. Ita anima justa inter omnes tumultuantis mundi, ac insultantium malevolorum impetus, nunquam non in amando & æqualis & erecta perseverat. In rem nostram opportunissimè Magnus Augustinus; *Attendite similitudinem quadrati lapidis; Similis debet esse Christianus: in omni tentatione suâ Christianus non cadit, & si impellitur, & si qua vertitur, non cadit: nam quadratum lapidem quocunque verteris, stat. Sic ergò conquadramini ad omnes tentationes parati: quidquid impulerit, non vos evertat: stantem te inveniat omnis casus.* S. Ambrosius, illa Apocalypsis verba interpretatus, *Civitas in quadro posita est*, ait; *Per quadraturam civitatis perfectio designatur. Quadratum quippe lapidem in quamcunque partem verteris, rectus stabit. Et si quadratum lapidem, aut alium, quidquid quadrari potest, diligenter inspexeris, perfectionem Ecclesiæ in eo esse depictam deprehendere poteris.* His subscribit Achilles Bocchius erudito poëmate;

Justus.

S. Aug. in Ps 86. v. 1.

S. Ambr. in Apocal. 21. 16

Bocch. Symb. 48.

Heroi meritò sedes quadrata dicatur,
RECTUS enim SEMPER CONSTITIT ille sibi.

175. Lapis quadratus, in planitiem devolutus, cōquiescit, ac firmus persistit. Lemma; UNDIQUE FIRMUS. Ita homo sapiens ac virtuosus, quantumvis acerrimè exagitatus, in operationibus ac propositis suis laudabilibus constans perseverat. Quaobrē Cebes, fortunæ volubilitatem significaturus, eā rotūdo lapidi insidentem depinxit; Sapientiā verò, veluti individuam firmitatis & constantiæ comitem, in

Constantia.

quadrato statuit. Simonides Poëta Græcus, dixit; *Bonum virum esse, verè difficile, manibusque, & pedibus, & mente quadratum.* Aristoteles quoque, cùm in Ethicis, tum in Rhetorica, hominem virtuosum saxo quadrato non absimilem dicit; quippe qui firmo & stabili animo insignitus, omnes adversantis fortunæ impetus, ridere novit. Ad hoc propositum exquisitè Venerabilis Beda, *Quadratum omne*, inquit, *quocunque vertitur, fixum stare consuevit. Cui nimirum figuræ corda assimilantur electorum, quæ ita in fidei firmitate consistere didicerunt, ut nullâ occurrentium rerum adversitate, nec ipsâ etiam morte, à sui rectitudine status possint inclinari.*

Beda lib. Templ. Sa cap. 4.

QVADRANS ASTRONOMICUS.

Cap. XVI.

176. QUadrans astronomicus epigraphen tenet; COELESTIUM INDEX. seu; COELESTIA SCANDERE DOCET. Patres spirituales, Theologos, & Prædicatores hæc imago concernit, qui digito versus cœlum intento, directam illius assequendi semitam commonstrant. De S. Paulo testantur Apostolorum Acta. *Introgressus synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans & suadens de regno Dei: Puta*, inquit interpres P. Cornelius à Lapide, *de regno cœlorum, deque modis & viis, quibus ad illud tendere debemus.* Quadrantis astronomici symbolo etiam Sacram Scripturam intelligere licet, cujus adminiculo cœlum scandere discimus. S. Gregorius Papa; *Scriptura sacra ostendit altitudinem in promissione præmiorum, ostendit horribilem aspectum in terroribus suppliciorum. Recta est enim in præceptis, alta in promissis, horribilis in minis.*

Prædicator.

Act. 19. 8.

Corn à La in hunc lo

S. Scriptura.

S. Greg. Hom. 6. in Ezec

177. Quadranti astronomico inscripsêre; FIRMO INTUITU REPERIT. S. Joannes Evangelista accommodatè ad hanc ideam à Magno Augustino cognominatur *Sublimium Prædicator, & lucis æternæ atque internæ fixis oculis contemplator.* Atque adeò grandis ille Apostolus, res cœlestes irretortis ac firmis oculis contemplatus, arcana invenit, nemini alteri pervia: & certè, ne de hac Joannis perspicacia quidquem dubites, quando Christus redivivus & immortalis supra maris Galilæi littus comparuit, nullus è cæteris Apostolis illum agnovit; *Non tamen cognoverunt discipuli quia IESVS est.* At caligantibus iis omnibus, soli Joanni erat cognitus; unde *Dixit discipulus ille, quem diligebat IESVS, Petro: Dominus est.* In hunc locum S. Cyrilus Alexandrinus, *Joannes*, inquit, *propter mentis puritatem & cordis oculorum acumen, ad intelligendum erat aptissimus.* S. Hieronymus; *Non sciebant Apostoli, quis esset: solus Virgo Virginem agnovit.* Et S. Petrus Chrysologus; *Primus qui diligitur videt, quia semper amoris oculus acutius intuetur, & semper vivacius, qui diligitur, sentit.*

S. Joann Evang. S. Augusti

Ioan. 21. 7.

S. Cyrill. A lex in hun loc.

S. Hier. lib. cont. Iovi

S. Pet. Chry. serm. 78.

178. Fuit, qui quadrantem hoc lemmate insigniret; SUPREMA METITUR. Sacræ Theologiæ, uti & Astrologiæ, hoc symbolum est, quæ vel in penetrandis arcanis Divinis; vel in superiorum sphærarum siderumque numero, vastitate, revolutionibus, aspectibus, ac influxibus repræsentandis occupantur. Philosophiæ nomine Theologiam describens Tullius, ait; *Philosophia est disciplina, omnium rerum Divinarum & humanarum rationes investigans.*

Theologi Astrologia.

Cicero lib Vniversal.

REGULA

REGULA QVADRATA.
Cap. XVII.

Christus Judex.

179. SCipio Bargalius Regulæ quadratæ subscripsit; RECTI, ET OBLIQUI MENSURA. Ita Christus Judex non obliquas tantùm & injustas, sed sanctas quoque ac justas hominum operationes ad infinitæ rectitudinis suæ dimensum explorabit. Ipsummet Vatis Regii ore testantem audi; *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* Quin, nec ipsum etiam Poëtam id fugiebat;

Psal. 74. 3. Virgil. 1 Æn. v. 546.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma:
At sperate Deos memores fandi, atque nefandi.

Cæterùm, quia Bargalii lemma nonnihil illis Senecæ verbis, quibus legem describit, affine est; *Legem dicimus justi, injustique regulam esse*, idcirco normâ hâc quadratâ Religiosorum regulas significare licet; quæ eò unicè collineat, ut res quasvis fugiendas sectandasque edoceare. Venerabilis Beda; *Regulæ*, inquit, *dicuntur à regendo, eò quòd nos regant, docendo, quid vitare, quid facere debeamus.*

Senec. lib. 4. de Benef. c. 12. Regula Religiosorum. Beda Tom. 8. Com. in Boet. de Trin.

Regula.

180. Regula quadrata, muro aut ligno applicata, epigraphen tenet; SIC NON DECIPITUR. Ita operationes nostræ, ad legis Divinæ, aut rectæ rationis dimensum exactæ, nunquam in ullum errorem deflectere possunt. S. Hieronymus, in illa Apostoli verba commentatus, *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos*; ait, *Ad normam omnia diriguntur, & utrum prava rectave sint, cùm regula apposita fuerit, arguuntur. Ita & doctrina Dei, quædam quasi norma sermonis est, quæ inter justa judicat, & injusta.*

S. Hier. in Galat. 6. 16.

Deus.

181. Regula quadrata, ligno lævigato adhibita, epigraphen monstrat; RECTA RECTIS. Ita Deus bonis bonum, amicis amicum, & rectis rectum se exhibet. In rem præsentem David; *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris.* Et Seneca; *Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortiter amat.* Atque adeò Divinam suam beneficentiam ad servorum suorũ conditiones ac merita dimetiri solet. Hîc, obsecro, Dei Filium eo omninò habitu paulisper consideres velim, quo Palæstinam circuiens, oculos in Zachæum, staturâ pusillum, contemptibilem, & avarum, unicè defigebat. *Et suspiciẽs IESVS vidit illũ.* Quid enim, inquies, vultus Divinus cum homuncione pygmæo & usurario? At vicem meam doctè & acutè subiens Beda, respondit; *Vidit IESVS videntem se, quia elegit eligentem se, & amavit amantem se.* Zachæus enim Christi videndi desiderio ita exundabat, ut ardori suo nonnihil temperaturus, in arborem sycomorum exilierit. Unde Christus mutuam illi vicem rependere volens, aspicientem aspexit, amantem amavit, & servum adeò promptum favore amplissimo est complexus.

Psal. 17. 26. Senec. lib. de Provid. c. 2. Par pari reddere. Luc. 19. 5. Beda lib. 5. c. 77. in Luc.

SPECVLVM CYLINDRICVM.
Cap. XVIII.

182. SPeculum cylindricum, ceu columella vitrea, species omnes, in vicinis objectis sparsas, colligit, & intra sinum suum unitas repræsentat. Unde Dominus Soldatus Abbas, Academicus inter Incompositos Fanenses Confusus, Symboli loco cylindrum illum præfert, qui varias litteras, supra petram sparsim descriptas, intra se collegit; cum lemate, characteribus indito; ARCANO SECERNIMUR. Innuebat, nî fallor, Dominos illos Academicos, arcano quodam impulsu à reliquorum civium commercio, & à terrestrium negotiorum solicitudine abstractos, in litterato illo lyceo congregari, ibique, veluti in vitro lucidissimo, exquisitos ingenii characteres parturire. Porrò Divina providentia homines Apostolicos arcano quodam prodigio è mundo elegit. Dilucidè Christus; *Ego elegi vos de mundo.* De se ipso S. Paulus; *Segregatus in Evangelium Dei.* Et S. Petrus; *Vos autem genus electum.* Innumera alia loca brevitati consulens omitto. Unde S. P. Augustinus monet; *Noli tibi arrogare conversionem, quia nisi te Deus vocaret fugientem, non posses converti.* Cæterùm nobilissimum Speculi cylindrici nomen clarissimo suo intellectu comprimis sibi vendicat P. Benedictus à S. Jacobo Ferrariensis, insigne Eremitarum Excalceatorum Ordinis S. Augustini decus; qui vivaci suo acumine è variis S. Augustini Operibus sententias copiosissimas, in Philosophiæ Scholasticæ usum ac methodum acommodatas, selegit, easque, à Logica exorsus, recepto ordine in *octo libros Physicorum*, in libros *de Cœlo & Mundo, de Ortu & interitu, de elementis, de Anima, Metaphysicâ, & Ethica*, itemque in librum *de Amænitate Philosophica* distribuit, totamque operum molem octo eruditis voluminibus complexus, ea sub *Philosophiæ Augustinianæ* nomine in publicam lucem edidit. Nec his contentus, Sacram Theologiam, eâdem omninò methodo collectam, molitur, eamque, in duo volumina distinctam, suo tempore publici juris facere cogitat. Id quod laudatissimis voluminibus etiã ante hac præstitêre noster D. Nebridius à Mindelheim, Canonicus Regularis Claustro Neoburgensis in Austria, Mattheus Hauzeur Franciscanus, & alii complures. Quamobrem sententiæ à præstantissimis his Philosophis ac Theologis è Magno Ecclesiæ lumine S. P. N. Augustino collectæ, in ordinem distributæ, & non sine acumine explicatæ, pro meritis suis hanc Emblematis præsentis epigraphen, veluti sibi propriam, enuntiant; *Arcano secernimur.*

Solitudo litteratorum. Electio Justorum. Ioan. 15. 19. Rom. 1. 1. 1. Pet. 2. 9. S. Aug. in Psal. 84.

183. Corporis humani, aliarumve quarumvis rerum figuræ ac imagines, se ipsis deformissimæ, si intra speculum cylindricum colligantur, formam venustissimam induunt. Unde lemma; INFORMIA FORMAT. Hominis prudentis est proprium, res quasvis intricatissimas felici successu evolvere, ac in formam exoptatam contrahere. Justus Lipsius; *Vide sæculum hoc: turbidum est, res magnæ in motu & expectatione. Quid tam necessarium, quàm rebus magnis magnos item viros admoveri, qui administrent feliciter & gubernent?*

Prudentia. Lips. Centur. singul. Ep. 14.

TABULA GEOGRAPHICA.
Cap. XIX.

184. LUcarinus Tabulam Geographicam Emblematis loco suffixit, cum dicto; UNO ASPECTU. Infinitam nimirum Sapientiæ Divinæ perspicaciam innuens, quæ uno solo obtutu res omnes, in terra ac cœlo contemplandas, penitissimè distinguit. Dilucidè ad Hebræos suos Apostolus; *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus*, quod interprete Dionysio Areopagitâ, hoc sensu intelligas, *Non quòd per speciem singula consideret, sed quòd VNO causæ COMPLEXU omnia sciat & contineat.* S. P. Augustinus de Patre ac Filio æterno disserens, *Omnia*, inquit, *quæ sunt in eorum scientia, in eorum sapientia, in eorum essentia, unusquisque eorum simul videt: non particu-*

Sapientia Dei. Heb. 4. 13. Dion. Areop. de Divin. Nom. cap. 7. S. Aug. l. 15. de Trinit. cap. 14.

particulatim aut sigillatim, velut alternante conspectu hinc illud, & inde huc, & rursus huc, & rursus inde vel inde, in aliud atque aliud, ut aliqua videre non possit, nisi non videns alia: sed, ut dixi, SIMUL OMNIA VIDET, quorum nullum est, quod non semper videt. Eandem tabulam geographicam extremi judici ideam dixerim; sicuti enim in illa omnes Provinciæ, omnia regna, totaque Oceani vastitas uno oculi jactu, ac veluti compendio, penetrantur, ita coram extremo tribunali omnes omnium hominum cogitationes & operationes, sive bonas sive malas, *uno aspectu* pervidere licebit. S. Basilius; *Non confusè aut summatim & indigestè res ipsæ cernentur; sed singula per partes, ut se habeant, velut in pictura noscentur. Neque ea solùm, quæ in apertum opus prorupêre, verùm & quæ sine effectu operis in animi tabula inscripta fuerint cogitationes.*

Judicium extremũ.

S. Basil de vera Virg.

185. Tabula geographica, universam terræ ac Oceani vastitatem intra unius angusti globi aut chartæ spatium cogens, epigraphen reddit; IMMENSUM MINIMIS ARCTAT. Species sacramentales, Divinam immensitatem intra unius exiguæ orbitæ terminos constringere solitæ, hoc symbolo demonstrantur. Concinnè in rem præsentem canit Andreas Biancus;

Eucharistia.

Bianc. lib. 2. Epigr. 30.

Est Deus, immenso quem non capit orbis in orbe.
Est orbe non parvo, quem simul ore capis.
Cur mundo haud capitur, sicque angustatur in ore?
Non etenim in mundo Verbum, ut in ore, sapit.

Porrò etiam in angusta intellectûs humani peripheria res quasvis maximas & immensas reperire est. Justus Lipsius. *Omnia, quæ in mundo sunt, homo continet, & in capaci illa mente gestat.* Idipsum de quovis volumine historico pronuntiat idem Lipsius; *In historia,* inquit, *non unius ævi aut urbis exempla, sed omnium temporum, omnium gentium, quasi in diffuso theatro, res gestæ spectantur.*

Intellectus humanus. Lips. lib. 3 Physiol. diss. 2

Historia. Idem lib. 2. Oper. critic. Epist. 14.

186. Charta cosmographica in unica exigua macula totam Oceani vastitatem; in aliquot angustis lineis amplissimam Provinciam; & in unico puncto maximam civitatem repræsentat. Unde illam Franciscus Raulinus hoc lemmate insignivit. IN PARVO CERNUNTUR MAGNA. Odoardi Farnesii, Parmensium Ducis, honorem hæc imago loquebatur; quòd in rebus etiam minimis summam animi sui magnitudinem fecerit perspicuam. In rem præsentem testatur S. Hieronymus, *artificium Divinum è tenuissimis quibusvis animalculis, ut apibus, culicibus, formicis &c. mirificè resplendere.*

Parvæ res mirabiles.

S. Hieron Ep 3 ad Heliod.

187. Joannes Orozcus refert, illustrem quandam Hispaniæ familiam symboli loco mundum, tabulâ geographicâ expressum, tenere; cum dicto, TODO ES POCO. Id est, SUNT OMNIA PARUM. Innuit videlicet, totum Mundum nihili ab illo æstimari, qui Deo gaudere cupit: sancta enim & generosa anima, nullis unquam terrenis delitiis; quin, nec ipso universo mundo, sed solâ Dei præsentiâ, exaturari potest. Unde hortatur Magnus Augustinus; *Vivamus benè, mundum contemnamus, nihil nobis sit omne quod transit.* D. Ascanius Ordeus Abbas, ac Concanonicus meus, inter cæteras suas morales Odas canit;

Mundus est nihil æstimandus.

S. Aug. serm. 51. de Temp. cap. 5.

Non può sferico il mondo empir già mai
L'alma triangolar, benche una sia,
Sol può bear a pien l'anima mia
Quel uno sol, c'ha triplicati rai.

Eodem Emblemate Magistratum, aliamve personam avaritiâ inexplebilem, significare licet. Verissimè Eccles. *Avarus non implebitur pecuniâ,* Et Horatius;

Avarus. Eccles. 5. 9. Horat. l. 3. ode. 24.

----- ----- *Scilicet improbæ*
Crescunt divitiæ, tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

188. Summam rerum terrenarum omnium vanitatem tabulæ geographicæ symbolo dignoscendam propones; addito lemmate, TODO ES NADA. Id est, OMNIA NIHIL. Testatissimè Eccles. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas,* Tertullianus; *Omnia imaginaria in sæculo, & nihil veri.* Et D. Ascanius Ordeus Abbas, superiore numero citatus;

Bona mũdi vana.

Eccles. 1. 2.

Tertull. de corona Milit. cap. 13.

O di stolto mortal vani pensieri;
Locar sua speme in questo mondo immondo,
Molto promette, e null' attende il Mondo,
E sono i doni suoi finti, e non veri.
Lucidi inganni son le gemme, e gli ori,
Apparenti chimere i fasti humani,
I titoli d' honor fantasmi insani,
Vilfango le ricchezze, ombre i tesori.
Il tutto, è vuoto, e solo un picciol punto
Tutta la terra, e pur tù l' assorigli,
E con mille d' honor punti, e puntigli,
Per un punto librar vaneggi appunto.
Folle che siegue l' ombra, e pasce il vento.
E vanitade il grandeggiar d' Arride,
E favoloso il faticar d' Alcide,
E la Nestorea erà scarso un momento &c.

TELESCOPIUM.

Cap. XX.

189. TElescopii beneficio res dissitas ut propinquas intuemur. Lemma; IN DISSITA FERTUR. Ita Historicorum volumina postero orbi vetustissima quæque Majorum facinora ob oculos statuunt, eaque vel imitanda, vel detestanda proponunt. Porrò illam telescopii indolem plerique hominès congenitam habent, qui domesticis suis vitiis identidem connivere soliti, exteros duntaxat aliorum mores sibi præsentes sistere, & crisi acerrimâ perstringere consueverunt. Gravi invectivâ Christus; *Quid autem,* inquit, *vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides;* Criticos quosdam Anachoretas opportuno apologo correxit Abbas Prior. Nam saccum multâ implens arenâ, conjecit in tergum, modicam autem sportam, parùm arenæ continentem, manu ante se gustabat: rogatus cur hoc faceret? respondit; *Saccus ille, qui multum habet arenæ, mea peccata sunt: & quoniam multa sunt, posui ea supra dorsum, ne doleam pro ipsis & plorem: ista autem arena, modica peccata sunt istius fratris, & sunt ante faciem meam, & in ipsis exerceor judicans fratrem.* Abbas Pastor hanc vitæ regulam alicui dedit; *Nullum spernas neque condemnes, & nulli obloquaris, & Deus præstabit tibi requiem, & erit sessio tua sine perturbatione.* Hoc hominum genus eleganter perstringens Horatius canit;

Historici Criticus

Matth. 7.

Vita Patr. lib. 5. libe 9. nu. 9.

Ibid. nu 8

Horat.

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

TETRAEDRUM.

Cap. XXI.

190. INstrumentum hoc mathematicum, quatuor triangulis æqualibus & æquilateris contentum, à Lucarino epigraphen recepit; UTCUNQUE SURSUM. Ita hominis justi anima inter omnes

Justus.

omnes fortunæ sive blandientis sive adversantis insultus, erecta semper, ac versus Deum sublevata persistit. S. Ambrosius; *Hæc prima virtus, ut non frangaris adversis, non extollaris secundis: ut in afflictione non relaxes intentionem, nec desperationem induas: sed omnia noveris Divinæ misericordiæ deputanda.* Hanc doctrinam, theorico S. Ambrosii calamo expressam, S. Cyprianus, Martyr invictissimus, in praxim deduxit: nam violentâ hostium tyrannide horrendum jactatus, candidè affirmavit, se spiritu, ceu nobilissimâ sui parte, versus Deum assiduò immobilem ac erectum perstitisse. Unde ad Demetrianum, Judicem crudelissimum, & fatalem Christianorum hostem, scripsit; *Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei, & inter ipsas sæculi labentis ruinas erecta mens est, & immobilis virtus, & nunquam non læta patientia, & de Deo suo semper anima secura.*

Ambr. in Psal. 1.

Cyprian. ad Demetr.

TRIANGVLVS.
Cap. XXII.

191. Scipio Bargalius triangulum hoc lemmate insignivit; ÆQUALIS UNDIQUE. Genuinum hoc SS. Trinitatis est ectypon, in qua *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus, & Patris, & Filii, & Spiritûs sancti una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.* uti in Symbolo suo docet S. Athanasius. Ab hoc nihil alienus S. Fulgentius, ait, *Totus Pater in Filio & Spiritu sancto est, totus Filius in Patre & Spiritu sancto est, totus quoque Spiritus sanctus in Patre & Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est: quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.* Ad idem propositum concinnè sacer quidam Cygnus canit;

SS. Trinitas.

S. Fulg. de fide ad Petrum.

Filius æterno proles æquæva Parenti
Amborum communis Amor, cœli aurea flamma
Spiritus ignipotens, implens ardoribus orbem,
Unum Numen idem tribus, & tribus una voluntas,
Majestas, natura eadem, tribus una potestas.

192. Circulus, in trianguli umbilico figuratus, epigraphen tenet; DATUR VACUUM. Hæc inscriptio, nonnihil obscura, meo quidem judicio rectè in hanc commutatur; NON UNDIQUE COMPLET. Vel certè, ut meo Concanonico D. Gregorio Brunello placet; TOTUS NON SUFFICIT ORBIS. Verbis ferè è Juvenali mutuatis;

Juvē. Sat. 10.

Unus Pellæo Iuveni NON SUFFICIT ORBIS.

Mens Emblematis est, hominem, in triangulo illo repræsentatum, tametsi integrum Mundi circulum possideat, nunquam tamen voluntatem & appetitum suum explere posse: anima enim humana, ad Dei similitudinem creata, solius Dei capax existit, neque ullâ re creatâ perfectè unquam exaturabitur. S. Bernardus accomodam huic proposito personâ induit; *Cor meum*, inquit, *per multa dispergitur, & huc illucque quærit, ubi quiescere possit, & nihil invenit, quòd ei sufficiat, donec ad ipsum redeat.* Et Magnus Augustinus; *Nihil est, quod animam impleat, nisi tu Deus, ad cujus imaginem est creata.* Et Alibi; *Satis ostendis, quàm magnam creaturam rationabilē feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem, quidquid te minus est.* Ab augustissimo Parente nihil degenerans Filius devotissimus, Thomas Kempensis, affectu integerrimo ait; *Quia tu Domine Deus meus super omnia optimus es: tu solus altissimus: tu solus potentissimus: tu solus sufficientissimus & plenissimus: tu solus suavissimus & solatiosissimus: tu solus pulcherrimus & amantissimus: tu solus nobilissimus & gloriosissimus super omnia, in quo cuncta bona simul & perfectè sunt, & semper fuerunt, & erunt: atque ideo minus est & insufficiens, quidquid præter te ipsum mihi donas, aut de te ipso revelas, vel promittis, te non viso, nec plenè adepto. Quoniam quidem non potest cor meum veraciter requiescere, nec totaliter contentari, nisi in te requiescat, & omnia dona omnemque creaturam transcendat.* Opportunè meus D. Gabriel Flamma;

Mundus nō satiat. Anima humana.

S. Bern. Med. cap. 9.

S. Aug. Soliloq c. 9. Idem l. 13. Confess. c. 8.

Lib. 3. de Imit. cap. 23. num. 2.

Gab. Fiamma nel Sonnet. 72.

Non può quetar cosa finita
L' alma capace de l' eterno amore.

Et magis distinctè alius;

Ampla nimis mea mens, totus non sufficit orbis,
Angustum est, quidquid terra fretumque parit.
Uni pontus alat gemmas; rate naviget uni
Nauta, uni tellus pignora culta ferat:
Non tamen explebit: Divini scilicet unus
Explevisse potest mentem, animumque Deus.

TVBVS ACVSTICVS.
Cap. XXIII.

195. Recens ac mira est Tubi acustici structura, qui articulatam vocem, intra se receptam, ad quatuor vel plura milliaria propagat. P. Athanasius Kircherus, orbis & ævi hujus litterarii prodigium, testatur, se tubi illius in Monte Eustachiano experimentum cepisse adeò felix, ut solo tubi acustici sono duo hominum millia, tametsi quatuor aut quinque milliaribus à sacello Eustachiano distarent, ad Sacram Pentecostes solemnitatem celebrandam sint convocata. Aliud in hæc omninò verba subjungit, Tubo acustico *mediante, ex arce Eberstorff Cæsar locutus est, & mandavit (loquendo tamen ordinariâ voce) Dominis Schafftenberg & à S. Iuliano, existentibus in Neugebeu, quidquid voluit, & omnia intellexerunt, perfeceruntq; mandata ibidem.* Unde tubū illum hoc lemmate insignies; IN OMNEM TERRAM. SS. Apostolorum hoc Symbolum est; nam *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Isaiam hortatus Deus, *Clama*, inquiebat, *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Voluit nimirum Deus concionatorum voces longè lateque ad omnes peccatores sine discrimine propagari. *Clamare ergò jubemur*, inquit in illum locum S. P. Augustinus, *& vehementer clamare. Ne pareas*, inquit, *id est, peccatoris iniquitati, ne tacendo pereas, & dum verecundiæ ejus consulis, non consulas sanitati: ne vulnera illius, quæ clamando resecare poteras, reticendo in pejus enutrias.* Tubus acusticus videri poterat Magnus ille orbis Taumaturgus S. Antonius de Padua, cujus concionantis vocem ad duo milliaria distinctè perceperunt, uti testatur Surius. Cæterum hoc Emblemate horrenda illa tuba significatur, quæ, per orbem universum audienda, mortuos omnes è sepulchris suis ad extremum tribunal evocabit. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala, in resurrectionem judicii.* Altum jam olim in S. Hieronymi auribus personabat hæc tuba, quando de se ipso testatus est; *Sive bibam, sive comedam, sive vigilem, sive dormiam, semper hæc mihi tuba insonat: surgite mortui, venite ad judicium.*

Ath. Kirch. in Phonurg. lib. 1 sect. 6.

Apostoli.

Isa. 58.

Cōcionatores.

S. Aug. serm. 106. de temp.

S. Ant. Pad

Sur. 13. Iunii.

Judiciū extremū.

Ioan. 5.

S. Hieron. in Reg. Monach.

TUBUS

TVBVS OPTICVS.

Cap. XXIV.

194. Tubus opticus, dum radios, è superiore labio à sole receptos, ex altero in adversam chartam mundam transfundit, aliquot in ea maculas adumbrat. Unde chartam, à tubo illo inumbratam, hoc lemmate loquentem introduxêre. NON IDEO MACULOR. Hinc disces, machinamenta, à personis grandibus ad innocentum famam denigrandam usurpata, paulò post conatu prorsus irrito evanescere, nec adversus innocentiam quidquam posse. S. Joannes Chrysostomus; *Gaude de innocentia, & exulta: gaude, inquam; quia ubique illæsa est, ubique secura: si tentaris, proficis; si humiliaris, erigeris; si pugnas, vincis; si occideris, coronaris. &c.*

Innocentia intacta.

S. Io. Chrys. in Homil.

195. Superiori Emblemati è diametro contrarius D. Arcsius, chartam figuravit, quæ aliquot maculas, à solari lumine per tubum opticum aspersas; monstrabat; cum lemmate; DECOLORAVIT ME SOL. S. Franciscum hæc imago spectabat, qui è resplendentis Cherubini aspectu sacra vulnera corpori suo impressa accepit. Ut adeò ipsius anima cum S. Gregorio Nysseno verissimè de se pronuntiare potuerit. *Deus in me sponsam suam, tanquam in scopum, unigenitum filium suum jaculavit.* In rem præsentem opportunissimè S. Ambrosius; *Nudemus membra nostra bona vulneri, nudemus sagittæ electæ, quæ Christus est; Bonum est, hâc vulnerari sagittâ.*

S. Franciscus S. stigmata recipiens.

S Greg Nyss. Hom. 4. in Cant.

S. Ambr. in Psal. 118.

196. Charta, à Sole per tubum opticum illuminata, simul & splendorem & maculam recipit. Unde, lemmate ad Solem converso, ait; TU NITOREM, TU NIGROREM. vel ut aliis placet; LUMINE DEFERUNTUR ET UMBRÆ. Ita omninò res quævis mundanæ tantundem mœroris, quantum felicitatis afferunt. Scitè Manilius;

Felicitas mundana.

Manil apud Lipsium in Panegyr. Plinii.

-------- Tanta est rerum discordia in ævo
Et subtexta bonis mala sunt, lachrymæq; sequuntur
Vota, nec in cunctis servat fortuna tenorem.

Et Horatius;

Horat lib. 2. ode 16

------------ Nihil est ab omni
Parte beatum.

Inde etiam disces, terrenæ felicitatis magnitudinem plerumque pedissequas habere vitiorum umbras. Enimverò Senecâ teste;

Honorem sequitur vitium.

Prospera animos efferunt.

Senec Agam. Act. 2.

Huic suffragatus S. Isidorus, ait; *Quantò quisque curis mundi majoribus occupatur, tantò facilius vitiis premitur. Si enim vix valet peccata animus devitare quietus, quantò minus occupatione sæculari devinctus?*

S Isid. lib. 3. de Sum bon. cap 48.

197. Tubus opticus, versus stellatum noctis cœlum directus, epigraphen sustinet; NOVA SIDERA CERNO. Hominis contemplativi aut studiosi hæc idea est, qui in extases suas abreptus, nova identidem cœli arcana penetrat. Unde Studium ab Hugone Victorino definitur; *Studium est assidua ac sagax retractatio cogitationis, aliquid involutum explicare nitens, vel scrutans penetrare occultum.* D. Joannes Paschasius in rem præsentem canit;

Contemplativus Studiosus.

Hug Vict. l. 3 Didasc.

Nox ruat; ad cœlum quis longa per ostia vitri
Aspiciat, sidus deteget axe novum.
Quæ nova non cernet virtutum sidera menti
Insita, nocte libris quis studiosus erit?

198. Carolus Bovius Emblematis loco tubum opticum pinxit, qui versus Jovis planetam directus, aliquot minutissimos planetas, hactenus nemini observatos, circa illum deprehendit. Epigraphen addidit; VISA PER ANGUSTUM. Significabat videlicet, S. Ignatium Loyolam, post prævias calamitatum angustias, amplissimis cœli solatiis recreatum esse. Idipsum expertus Ezechiel; cùm inter carceris ærumnas stringeretur, rerum prodigiosarum spectator extitit. *Cùm essem in medio captivorum vidi visiones Dei.* S. Joannes, in Insula Pathmos exulans, per cœlorum vastitatem cogitationibus suis amplissimè est exspatiatus. Et S. Stephanus; *Cùm saxorum crepitantium turbine quateretur, inter æthereos aulæ cœlestis sinus Divina ei charitas fulsit.* S. P. Augustinus; *Servi Dei, qui dupliciter mala temporalia patiuntur; quia & ab ipsis impiis, & cum ipsis patiuntur, habent consolationes suas, & spem futuri sæculi.*

Consolatio in tribulatione.

Brev. Rom. 26. Decem.

S Aug. Epist. 122.

199. D. Arcsius S. Joannem Evangelistam tubi optici Emblemate repræsentavit, qui versus stellas directus, epigraphen tulit; OCULORUM UNO. Innuebat nimirum, res Divinas simplici tantùm oculo aspiciendas esse, eumque, à cæteris omnibus abstractum, soli Deo intendere debere. Gilibertus super illis Sacri Epithalami verbis, *Vulnerâsti cor meum IN UNO OCULORUM*, ait; *Si plures habes oculos, omnes alios claude, ut hoc uno utaris, quo solum dilectum intueri soles, quo solum vales. Qui directè intueri volunt, alterum oculum claudunt, alterum intendunt &c.* Inde etiam disces, infinitam Dei perfectionem, & inaccessa ipsius arcana, non quidem curiosâ investigatione, sed simplicissimâ fide omnium optimè apprehendi. Justus Lipsius; *Aculeones & Curiones detestandi, præsertim in Religione, quæ simplicissima, & fidem, non rationem, ducem habet. Assentiendum hîc, non quærendum.* Et S. Isidorus; *Ea quæ sunt supra hominis intelligentiam, scrutanda non sunt. Quidquid supra hominis intellectum est, quærendum non est. Consilio autem Divino servandum est, ut hoc credatur esse justitia, quod Divinæ placuerit voluntati.* Cæterùm bonus Judex in sententiis pronuntiandis unico tantùm oculo utatur, eumque solum in rei æquitatem ac merita defixum habeat; alterùm verò, in peculiares affectus aut propria commoda respectantem, perpetuis valvis occludat. Erasmus; *Ut, qui acrius cupiunt perspicere, alterum oculum occludunt. Ita Iudex rectius intelligit justum, si nullius personæ respectu revocetur.*

Fides.

Gilib. Abb. serm 30. in Cant.

Lipsius de una Relig.

S. Isid. lib. Sent. cap. nu. 8.

Judex.

Erasmus

200. Joannes Ferrus Urbanum VIII. in rebus alienissimis penetrandis ac discernendis acutissimum, Emblemate demonstraturus, Tubum opticum figuravit, cum lemmate; REMOTISSIMA PROPE. vel ut aliis placet; LONGINQUA TUETUR. Hanc tubi optici virtutem P. Franciscus Rugerus sequenti disticho explicat.

Prudentia.

Fran lib. Epigr.

Per crystalla oculis longè trajecta fit absens,
Præsens Dædaleo visus imago tubo. &c.

Diligentia.

Eo Emblemate significabis, res quasvis difficillimas diligentiæ ac speculationi humanæ fieri pervias. Unde Terentius;

Terent. in Heauton. Act. 4.

Nihil tam difficile, quin quærendo investigari possit. Porrò. S. Fides mentem humanam ad res remotissimas contemplandas promovet, easque, utut longinquas, sub illius oculos statuit; tametsi enim gloriam æternam, resurrectionem mortuorum, aliáque arcana corporeis nostris oculis intueri nō liceat; ea tamen tantâ fidei efficacitate nobis repræsentantur, veluti aspectui nostro præsentissimâ subjacerent. In hoc argumentum P. Cornelius à Lapide; *Fides facit, ut bona futura, quæ nondum existunt, certa habeamus, certoque futura credamus & speremus, perinde ac si jam subsisterent, eaque coram nobis cerneremus; fides enim illa quasi præsentia & certissima oculis mentis subjicit.* Eodem typo prophetiæ virtutem indicare licet, quæ eventus remo-

Fides.

Corn à Lap. in cap. 11. Hebr. v. 1

Tho.2.2.q. .. art. remotissimos è vicino detegit. De hâc S.Thomas; *Prophetia primò & principaliter consistit in cognitione, quia videlicet Prophetæ cognoscunt ea quæ sunt procul, & remota ab hominum cognitione. Unde possunt dici Prophetæ à* pro, *quod est procul, &* phanos, *quod est apparitio, quia scilicet eis aliqua, quæ sunt procul, apparent.* In rem præsentem plurimum confert illud Siracidis de Isaiâ Propheta encomium. *Spiritu magno vidit ultima. Usque in sempiternum vidit futura, & abscondita antequam evenirent.* Eccles 48.27

201. Si latiorem tubi optici fenestellam oculo applicaveris, ita ut angustior in longinquum protendatur, experieris tunc, res quasvis vicinas instar remotissimarum apparere. Unde Joannes Ferrus tubo optico, eâ ratione inverso, subscripsit; PROPIORA PROCUL. Significabat nimirum, Urbani VIII. pectus à propinqua divitiarum affluentia, ac illustrissimo familiæ suæ splendore remotissimum vixisse. Eodem divitiarum contemptu Philo Hebræus mirificè insignem celebrat Israelis populum, quando transitum per Edomitarum terras his omninò verbis ab ipsorum Rege petiit; *Non ibimus per agros, neque per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis: sed gradiemur viâ publicâ &c. donec transeamus terminos tuos.* Unde attonitus exclamat Philo; *O promissionem generosam & magnificam! Itane, obsecro, superare, transire, quidquid in terra bonum censetur, poteritis? Conspectum divitiarum aversabimini? majorum dignitates despicietis? Gloriam prætercurretis tanquam rem vilissimam? sanitatem corporis, integritatem sensuum, pulchritudinem optabilem, & cætera, quibus anima domus honestatur, transcurretis obiter, ut nihil horum referatis in bonorum ordinem; Olympiæ cœlestisque animæ sunt hæc insignia.* Et certè illa animi magnanimitas instar prodigii habenda est, si bonis omnibus affluens, affectum suum ab iis abstrahere, ac veluti alienissimas parvi æstimare nôrit. Eodem Emblemate homines illos incurios significare licet, qui animas, sibi unicè propinquas ac maximi æstimandas, adeò parvi pendunt, ut de illa, ceu rerum omnium vilissimâ ac postremâ, vix unquam cogitent. Homerus apud Lipsium de Laërte in hæc omninò verba meminit; *Hortum, agros, domum, omnia curabat, se neglecto.* Eorum insuper hæc imago est propria, qui imminentes quosvis eventus prospicere negligunt; haud dubiè ab illo Horatii consilio persuasi.

Divitias spernere. Num.20.17 Philo l. quod Deus sit immortalis. Ipsi. l.3. physiol diss.3 Horat. l.1. Od.9.

--- *Quid sit futurum cras, fuge quærere: &*
Quem sors dierum cunque dabit, lucro
Appone.

202. Academici Incompositi Fanenses symboli generalis loco tubum opticum præferunt, qui in plures peculiares tubulos divisus, epigraphen tenet; COMPOSITI AD SEPOSITA. Mens iconis est; sicuti tubi illi, mutuò uniti, ad res longinquas manifestandas deserviunt; ita litteratos hujus Academiæ viros domo ac professione adeò quidem esse diversos, ut alii Religiosorum, alii sæcularium, Jurisperitorum, Medicorum, Oratorum, Poëtarum, aliarumque facultatum partes alii sequantur; horum tamen omnium in contemplandis rebus ingeniosissimis concordem & unicam esse industriam. Cumprimis tamen Ordines illos Religiosos hoc Emblema concernit, qui è variis nationibus, ac omni hominum sorte compositi, in eo potissimum conveniunt, quòd in quasvis extremas ac barbaras regiones emissi, proximorum salutem nullibi non promovere satagant; uti indies in Patribus Dominicanis, Franciscanis, Augustinianis, & cumprimis in Societate Jesu videre licet, cujus Professores è tertia Summarii Regula jubentur *Diversa loca peragrare, & vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium & animarum auxilium speratur.* Unio. Summ. Reg. Soc. reg 3.

203. Abbas Lanci, Canonicus Regularris ad superius Incompositorum Fanensium generale Symbolum alludens, se ipsum Academici Adjuncti nomine vocavit, ac proprii symboli loco unam tubi optici partem assumpsit; cum dicto, EXTENDIT AD OPUS. Significabat quippe, sicut quodlibet tubi optici membrum ad visum prolongandum maximè confert, ita virtuosas illius Academiæ operationes suis subsidiis plurimum promoveri. Ingeniosa ac nobilis hæc imago illorum est propria, qui vitam suam, quamlibet adversam & plurimis calamitatibus afflictam, aliorum bona propagari cupiunt. Multus in hoc argumentum Seneca; *Indulgendum est,* inquit, *honestis affectibus, & interdum etiam, si premunt causæ, spiritus in honorem suorum vel cum tormento revocandus, & in ipso ore retinendus est, cum bono viro vivendum sit non quamdiu juvat, sed quamdiu oportet. Ille qui non uxorem, non amicum tanti putat, ut diutius in vita commoretur, qui perseverat mori, delicatus est. Hoc quoque imperet sibi animus, ubi utilitas suorum exigit; nec tantùm sibi velit mori, sed & si cœpit, intermittat, & suis se commodet.* Tenerrimos hos affectus sensu longè maximo exprimit S.Paulus; *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum.* S.Martinus, Episcopus Turonensis, morbo fatali gravatus, & jamjam è corporis mole versus cœlestem patriam sublevandus, cùm discipulorum suorum vota, ac juges pro vita propaganda preces perciperet, in hæc verba Deo supplicavit; *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* S.Ignatius Loyola dicere solebat, se cæli portam jamjam uno pede ingressum, ac æternæ beatitatis securum, quantocyus aliquo tempore gradum revocare velle, si id spiritualis proximi sui necessitas, aut gloriæ Divinæ incrementum exigeret.

Auxilium. Charitas in proximum. Senec. Ep.104 Phil.1.23. S.Martinus. S.Ignatius Loyola.

204. Emmanuel Thesaurus insignem Philippi III. Hispaniarum Regis prudentiam, tam in res præsentes, quàm longinquas perspicacissimam, Emblemate significaturus, ad ipsius exequias Tubum opticum figuravit, qui versus aliquot Oceani montes directus epigraphen tulit; PROCUL ET PROCUL. Quo lemmate præsupponitur, hoc adverbio *procul*, tam viciniam, quàm longinquitatem significari. Cæterùm Emblematis Author mentem suam hoc epigrammate explicat; Prudentia.

Quod densat Boreas, madidus quod ventilat Auster,
Utraque custodis, quod lavat alba Thetis.
Solus, & immotus gemino Rex prospicis orbi,
I nunc, & terras Numina habere nega.

Atque adeò viri prudentis est, futura æque ac præsentia perspicere. Seneca; *Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: præsentia ordina: futura prævide; præterita recordare. Nam qui nil de præteritis cogitat, vitam perdit; qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.* Senec. de 4. Virtut.

205. Tubo optico subscripsi; COELI COMMERCIIS APTAT. Certè Sacra Theologia cognitionem nostram ad res cœlestes sublevat; uti & Eleemosyna nos cæli incolas efficit. S.Nili parænesis est; *Pauperes foveto; ipsi enim Judicem nobis conciliant. Inopiæ sanctorum subveni; per eos enim tibi cum Deo contingit societas.* Fides tamen præ cæteris

Theologia. Eleemosyna. S Nilus Paræn. n.55.

Fides. S Bern. ser. 42. in Cant. Psal. 44 11.

cæteris virtutibus omnibus mentem nostram ad cœlestia gaudia idoneam reddit. S. Bernardus illa Psaltis Regii verba expendens, *Audi filia, & vide*, observat, auditum esse proximam dispositionem ad videndum; tunc enim perspicaces nostros oculos in paradysi splendorem defigere licebit, si recondita & obscura sanctæ fidei mysteria, in caliginoso auditu propè conservata habuerimus. *Audi filia & vide, videre desideras? sed audi prius, gradus est auditus ad visum. Proinde audi, & inclina aurem tuam, ut per auditus obedientiam pervenias ad gloriam visionis.*

206. Tubus opticus visui nostro ad res adeò longinquas contingendas deservit, quales humanus oculus nativâ ac præfixâ suâ perspicaciâ nunquam asse qui potuisset. Unde lemma; INVISIBILE LUSTRAT. Certè oculus Divinus viscera quævis profundissima penetrat, cordium arcana detegit, & ipsas etiam animi nostri cogitationes apertissimè discernit. De oculatissimo hoc Judice S. Paulus; *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertigens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis, & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* Etiam Sancta Fides oculos suos in Deum, tametsi purum spiritum, omnique humanâ virtute longissimè superiorem, ac penitus invisibilem, defigere solet. Ita S. Petrus Apostolus, asserente S. Leone Magno, *per revelationem summi Patris corporea superans, & humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei, & confessus est gloriam Deitatis*; idque eo haud dubiè momento contigit, quando dixit; *Tu es Christus filius Dei vivi.* Sancti Magi, quantumvis in pauperrimo tugoriolo nonnisi puerulum lactantem viderint, affectu tamen intensissimo Divinitatem, sub infantilibus exuviis delitescentem, adorârunt. Suffixus in Crucem latro nihil quidem præter livores, ignominias, opprobria, cæteramque fatalem mortis acerbissimæ suppellectilem in exteriore Christi vultu deprehendere poterat, at interiore animi oculo illuminatus, summum illum gloriæ Regem agnovit. Centurio, cùm Christum, animâ jamjam expirante, altum exclamare inaudivisset, illum non jam purum hominem, sed immortalem Deum est confessus. &c.

(Margin: Christus Judex — Heb. 4. 12. — Fides. — S. Leo ser. in Transfig. — Matth 16, 16)

207. Tubi optici beneficio etiam in ipsa solis sphærâ aliquot maculæ, nemini aliàs vel per suspicionem cognitæ, deprehenduntur. Unde lemma; NE PIU' BEL LUMI ANCOR SCOPRO LE MACCHIE. Id est; VEL NÆVOS CERNIT IN ASTRIS. Genuinum hoc perspicaciæ Divinæ ectypon habetur, in cujus purissimo conspectu ipsa etiam puritas erubescit, & aliquid immunditiei patitur. Optimè S. Isidorus; *Ad districti examen Judicis, nec justitia justi secura est, nisi pietate Divinâ, & ipsa justitia, quâ quisque justus est, Deo justificante justificetur. Alioquin apud Deum & ipsa peccatum est. Inde est quod ait Job; Innocentem & impium ipse consumet. Consumitur quippe à Deo innocens, quando ipsa innocentia liquidius requisita, & Divinæ innocentiæ comparata, nihil efficitur, nisi & ibi misericordia pietate homo justificetur.* Et S. Gregorius; *Omnis humana justitia injustitia esse convincitur, si districtè judicetur. Si enim, remotâ pietate, discutimur, opus nostrum pænâ dignum est, quod remunerari præmiis præstolamur.* Eodem Emblemate hominem malignum describere licet, qui res etiam candidissimas aliquo vituperii aut ignominiæ nigrore onerare novit. Justus Lipsius; *Nihil tam probè aut providè dicitur, quod non vellicare malignitas possit.*

(Margin: Deus Judex. — S. Isidor l. 1. de sum. bon. c. 30 n. 3. — S. Greg. l. 9 Moral c 15. — Malignum — Lips. l de una Relig.)

208. Mirus adeò tubi optici est usus, ut ex unâ fenestellâ res singulas se ipsis majores, ex alterâ verò minores repræsentet. Unde D. Didacus Saavedra tubo optico inscripsit; AUGET, ET MINUIT. Ita animi nostri affectus, pro majore amoris aut odii sui ratione, res quasvis augent vel diminuunt. Intuere, obsecro, tenerrimas Matris de dulcissimo filio suo voces; quasvis enim bonas & laudabiles ipsius reculas ultra meritum instar prodigii extollit; defectus verò omnes adeò dexterè imminuit, ut enormem filii gibbum honesto elatioris Humeri nomine obvelet; cæcitatem, visus imbecilitatem interpretetur; effrontem vocet vivacem; & stultum, simplicem. Eâque dicendi methodo cæteras omnes filii partes ad amoris sui dimensum extollit, deprimitque. Idipsum Detractor assolet, ut alterius famam minuat, & infamiam augeat. Unde detractio ab Hugone Victorino rectè definitur; *Detractio est locutio, ex invidia procedens, bona aliorum denigrans.*

(Margin: Animus passione captus. — Detractio — Hugo Vict.)

209. Tubi optici beneficio res longinquæ melius distinguuntur, quàm vicinæ. Unde Joannnes Ricciardus, academicus inter Errantes Brixienses Abstractus, tubo optico hanc epigraphen subjunxit; EMINUS MAGIS. Ita Sanctæ fidei arcana melius à longè, quàm sub oculos posita discernuntur. Porrò malevolorum oculi in res exteras acrius, quàm in domesticas feruntur: nam levissima quævis aliorum vitia censuris acutissimis perstringere nôrunt, ad proprios defectus ut plurimum cæci. *Fit enim nescio quomodò*, inquit Hugo Victorinus; *ut magis in aliis cernamus, si quid delinquitur, quàm in nobis.* Unde Poeta Horatius;

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? at tibi contra
Evenit, inquirant vitia in tua rursus & illi.

Et Terentius;

Ita comparata est hominum natura,
Aliena melius ut videant & judicent, quàm sua.

(Margin: Fides. — Malignu — Hugo Vict. in Ps. 55. — Horat. l. 1. Satyr 3. — Terent in Heauton.)

210. Oculus tubi optici beneficio in res longinquas, & extra visus sui sphæram remotas, feliciter defertur. Unde lemma è Petrarcha sumptum. OU' OCCHIO ALTRUI NON GIUNGE. Id est; QUOD NULLO LUMINE CERNES. Ita hominis perspicacis prudentia res remotissimas, aliisque penitus inobservatas, deprehendit. Item Beatorum Cœlitum oculi, adminiculante lumine gloriæ, arcanum adeò multiplex & admirandum in Deo aspiciunt, *quod oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit.* Denique sanctæ fidei auxilio abditissima quæque mysteria, scientiis planè omnibus terrenis ignota, penetramus. S. Bernardus; *Quid non invenit fides? attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immania, apprehendit novissima: ipsam deniq; æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumdedit.*

(Margin: Prudenti — Beatus. — 1. Cor 2. 9. — Fides. — S. Bern. in Cant.)

211. Tubus opticus, quò existit longior, tantò in res longinquiores visum nostrum propagat. Unde à Lucretio Borsato epigraphen cepit; QUO LONGIOR, LONGINQUIUS. Prudentis Gubernatoris hæc imago est, qui bonos aut malos rerum quarumvis eventus tantò longius prospicit, quantò in consultando politico Reipublicæ bono tardius ac maturius procedit. Seneca; *Deliberandum est diu, quod statuendum est semel: deliberare utilia, mora est tutissima: mora omnis odiosa est, sed facit sapientiam.*

(Margin: Tarditas prudens. — Senec. in Prov.)

212. Insolens adeò quorundam fastus est, ut reculas suas, vix cum unico terræ pugillo comparandas, instar celsissimorum montium jactitent. In horum

horum vituperium Paulus MecciusTubum opticum expressit, qui repræsentat MAXIMA QUÆ PARVA. *Jactantia est*, inquit meus Hugo Victorinus, *fastu mentis id agente, majora quàm sunt de se promittere.* Valerius Maximus; *Nihil est, quod magis diminuit laudis præconium, quàm suos assiduè jactare successus, & singulis diebus anni vendere diem unum. Legitur de Mario, quòd, cùm plurimâ fecisset egregiè, unâ sui jactatione gloriam famæ perdidit, & quia sibi præsumpsit adscribere, quod ex ore alieno captare debuerat, publicæ commendationis vota demeruit.* Emblemati explicando sequens Epigramma adjecit Author.

Jactantia. *Hugo Vict.* *Val. Max l. 1*

Prospectum pete specillo, sic maxima credes
Quæ parva, & dices proxima visa procul.
Convenit hoc illi, proprio qui captus amore,
Jactat se magnum, grandia cuncta sonat. &c.
Specillum amoveas, abscedet grandis imago,
Jactanti nubem deme, pusillus homo est.

213. Tubus opticus res, longissimo intervallo dissitas, oculis nostris veluti præsentes, effigie planè obstupescendâ, exhibet. Unde tubo huic inscriptionem, è superiore epigrammate desumptam, affiges; PROXIMA VISA PROCUL. Ita omninò Prophetia res olim futuras ceu præsentes demonstrat. In hoc argumentum Laurentius Beyerlinck ait; *Prophetia definitur Divina inspiratio rerum à nobis procul distantium, eventa immobili veritate, & maximâ cum certitudine prænoscens, atque denuntians.* Idipsum Fides assolet, quæ ventus, quamlibet longinquos, ut purgatorii pœnas, inferorum supplicia, Beatorum gloriam &c. oculis nostris clarissimè ingerit. Chrysostomo teste, *Fides lampas est; quia sicut lampas illuminat domum, ita fides animam.* S.P. Augustinus; *Fides, quando inest in nobis, videmus in nobis; quia & rerum absentium præsens est fides, & rerum, quæ foris sunt, intus est fides; & rerum, quæ non videntur, videtur fides.*

Prophetia. *Beyerlinck in Theatro. V. Prophet.* *S. Io. Chrys. in Matth. 25. S. Aug l. 13. de Trin. c. 1.*

214. Tubus opticus res, longissimo intervallo remotas, manifestat, &, ut quidam lemmatis loco dixêre, IN ULTIMA RERUM porrigitur. Proprium hoc prophetiæ Symbolum dixeris. De hâc S. Thomas; *Primò*, inquit, *& principaliter consistit in cognitione eorum, quæ sunt procul, & remota a cognitione hominum, qualia sunt principaliter futura contingentia, quia per se remota à cognitione omnium hominum.* Prolixus in hoc argumentum videatur P. Antonius Fernandez. Compendio S. P. Augustinus. *Prophetia est imago futurorum.*

Prophetia. *S. Tho. 2. 2. q. 171. n. 1.* *Ant. Fern. Prælud. 1. in Visiones.*

215. Fistula dioptrica, qualem non ita pridem Batavus quidam invenit, varia siderum symptomata, intuentibus ad amussim exhibet, monstratque stellas quasdam circa solem apparentes, situmque variantes; stellam insuper Veneris instar Lunæ crescentem decrescentemque; & alia admiranda, quæ oculi solius obtutum effugiunt. Unde homini per fistulam illam opticam versus sidera prospectanti subscripsit P. Sebastianus à Matre Dei; CHA ASSUMPTA, SCIAM. Mariam Virginem hâc imagine significabat, quæ suis clientibus res absconditas, humanoque ingenio longè superiores, aperit. Mirum est, quòd Christus vili ac infami mulierculæ Samaritanæ, propè puteum existenti, sublimia Trinitatis, Incarnationis, & Gratiæ mysteria aperuerit; verùm Mariæ Virginis hæc umbra fuit: ipsa enim, teste S. Ruperto, Puteus est, juxta illud Canticorum; *Puteus aquarum viventium.* Quia ergò Samarinana ad puteum accedebat, ideò mirum non est, tot miranda illi à Servatore manifestata: quisquis enim pergit ad puteum hunc benedictum, Virginem Deiparam, arcana plurima penetrabit. Cæterùm fistulæ opticæ symbolo sacram Scripturam, veluti omnium scientiarum synopsin ac parentem, intelligere licet; utpote quâ assumptâ, & assiduò evolutâ res quasvis abditissimas penetrabis. S. P. Augustinus; *Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritiâ usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: in quibus latet altitudo sapientiæ: ut annotissimis, accutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habeat; Quum consummaverit homo, tunc incipit.*

Maria V. dat scientiam. *S. Rup. in Cant. 4.* S. Scriptura. *S. Aug. Ep. 3 ad Volus.*

FINIS LIBRI VIGESIMI PRIMI.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.
INSTRUMENTA MILITARIA.

Arcus.	1	Gladius.	9	Scutum.	17
Arcus balistarius.	2	Hasta. lancea.	10	Tormentum militare.	
Aries militaris.	3	Papilio.	11	Bombarda, globus.	18
Arma.	4	Pharetra.	12	Tuba.	19
Chirotheca ferrea.	5	Pyrobolus.	13	Tympanum.	20
Clava.	6	Sagitta.	14	Vexillum.	21
Funda.	7	Sclopetum.	15		
Galea.	8	Scopus.	16		

ARCUS.
Cap. I.

1. LAude dignum est, & inter Eutrapeliæ virtutes numerandum, si homo, ne assiduis studiis, aliisve exercitationibus frangatur, honesto nonnunquam otio ac quieti indulgeat. Ex arcu
Recreatio. Turcico id disces, qui, remisso nervo, epigraphen tenet; NE RELENTESCAT. Disertus in hanc rem Ovidius;
Ovid ep. 3.

Quod caret alternâ requie, durabile non est,
Hæc reparat vires, fessaque membra levat.
Arcus & arma tua tibi sint imitanda Dianæ:
Si nunquam cesses tendere, mollis eris.

S. Greg. Naz. S. Gregorius Nazianzenus, de animi sui relaxationibus disserens, *Inambulabam ego solus*, inquit, *vergente jamjam in occasum sole. Locus porrò, in quo spatiabar, maris ripa erat. Soleo enim ferè hujusmodi oblectamentis labores dissolvere ac relaxare, quandoquidem nec perpetuam contentionem nervus ferre potest: sed laxari nonnunquam arcûs cornua oportet, siquidem rursus intendendus sit, ac non sagittario inutilis tum futurus, cùm eo utendum erit.*

2. Arcus, remisso nervo, epigraphen Hispanam monstrat; MI REPOSO NO ES PLAQUEZZA. Id est; REMISSIO NON AD OTIUM. Hâc imagine persuadetur, è quotidianis nostris labo-
Recreatio. ribus nonnunquam esse quiescendum, non quidem otii causâ, sed ut deperditæ vires recuperentur. Plu-
Plutarch. in Moral. tarchus; *Lyram*, inquit, *& arcum remittimus, quò melius possint tendi: ita recreandus otio animus, ut ad labores reddatur vegetior.* Statius;
Stat. l. 4. Sylv.

---- ---- Vires instigat, alitque
Tempestiva quies: major post otia virtus.

Senec. l. de Tranq. anim. cap. ult. Et Seneca; *Danda est remissio animis, Meliores, acrioresque, requieti surgent.*

Ira Dei 3. Ira Dei, quo lentiore brachio intenditur, eò acerbiore vulnere tandem exoneratur; haud secus, atque nervus tantò validiorem infligit ictum, quò longius retrahitur. Unde lemma; UT VALIDIUS. vel, PRESSUS INTENDITUR. seu REFLEXU VALIDIOR. S. Hieronymus, *Sicut qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri ut fugiat, qui si fugere noluerit, tantò fortius sagitta emissa configitur, quantò majori tempore arcûs intentio fuit facta: sic Deus, qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem vindictæ, supplicii gravitate compensat.* S. Hieron. in c. 2. ep. ad Rom.

4. Arcus epigraphen tenet; PRESSUS INTENDITUR. Ita iracundia ac furor Divinus, quò longius reprimitur, eò evadit vehementior. Verissimè S. Hieronymus; *Divina justitia, diutius repressa & collecta, majori impetu fertur.* Eandem iconem etiam de humano corde interpretari licet; quod diversis calamitatibus restrictum, ad voces in cœlum ejaculandas disponitur. Certè Israelitæ, *Clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur.* Ira Dei. S. Hieron. in Thren. c. 2. Calamitas sublevat. Psal. 106.

5. Humilis animi oratio, mirâ efficacitate, ipsos etiam cœlos penetrat. Id quod Abbas Certanus ex arcu dignoscendum proponit, qui sagittam violentiâ tantò majore jacit, quò nervum habet depressiorem. Epigraphen addidit; NISU MAJORE FERIT. Hæc penè ipsa verba prævivit Salomon; *ORATIO HUMILIANTIS SE, NUBES PENETRABIT.* Et S. Basilius Seleuciensis; *Quando Abraham suo illud sermoni prætexuit: sum pulvis, & cinis, tunc naturæ agnitione terminos est merito supergressus.* Oratio humilis. Eccles. 35. S. Basilius Orat. 28.

6. Arcus, quantumvis validè intensus, longiore temporum intervallo vires suas deperdit, & à pristina sua vehementia plurimum remittit. Unde lemma; TEMPORE LENTESCIT. Haud aliter in amoris & odii affectibus, uti & in animi nostri doloribus, succedit: qui omnes solius temporis beneficio mitigantur. Seneca; *Summi doloris intensio invenit finem.* Et S. Bernardus; *Dolor continuus & acerbus, diuturnus esse non patitur. Nam si non aliunde extunditur, necesse est ut cedat vel sibi. Enimvero citò aut de remedio consolationem recipiet, aut de assiduitate stuporem.* Et rursus; *Noli nimis credere affectui tuo, qui nunc est, Nihil tam fixum animo, quod neglectu, & TEMPORE non OBSOLESCAT.* Ovidius; Calamitas finem habet. Seneca. S. Bern. l. 1. ad Eugen.

Leniat aut odium tempus & hora meum. Ovid in Ibi.

Et alibi. Idem l. 2. de Arte.

---- ---- LENTESCUNT TEMPORE curæ.

7. Nulla

7. Nulla certè major est libertas, quàm si Deo alligatus vivas: ut adeò Religiosus, votorum ligamine Deo suo obstrictus, se ipsum arcui non absimilem dixerit, cujus cornua ab eodem nervo & constringuntur & relaxantur. Unde lemma; ARCTATUS EXOLVOR. In hanc sententiam præclarè S. Ambrosius super illis Apostoli verbis; *Paulus vinctus Jesu Christi*; ait, *Christus quos alligat, liberat; quos ADSTRINGIT, ABSOLVIT.* S. Pet. Chrysologus, serias illas filii prodigi ad patrem suum voces expendens, *Fac me sicut unum ex mercenariis tuis*, eruditè subjungit; *Hoc petit, quia qui penes extraneum servam censuerat libertatem, penes patrem credit sibi futuram liberam servitutem.*

Religiosus

S. Ambros in Psal 45. Ephes. 3.1. S. Pet Chrys in Luc 15.19 serm. 3.

8. Lucarinus arcum, nervo constrictum, & ambobus cornibus inclinatum depinxit; addito lemmate, PIEGATO SI LEGA. Id est; CURVATUS LIGATUR. Homines malè cautos hæc imago describit, qui ad flagitia inclinati, se ipsos miserrimæ vitiorum servituti implicant. Unde tandem in eosdem cum Davide gemitus prorumpere coguntur; *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Platonis sententia est, *Quoties peccas, toties te velut catenâ revinctum, nequissimo & spurcissimo Domino pro mancipio trado.* S. Ambrosius, *Servile est omne peccatum, libera innocentia. Servit igitur, ac miseram quidem servitutem, qui ipse sibi Dominos facit, ipse vult habere quos timeat.*

Peccator.

Psal. 118, 61. Plato l 9. de Republ.

S Ambros. l de Ioseph. c. 4

9. Peccator pœnitens, in Numinis supremi conspectu inclinatus, ab omnium noxarum ligamine extricatur: haud secùs atque Arcus, utroque cornu demisso, paulo post exsolvitur. Epigraphen subjunges; PIEGATO SI SCIOGLIE. Id est; CURVATUS EVOLVITUR. De hâc pœnitentiæ virtute optimè pronuntiavit Tertullianus; *Cùm provolvit hominem, magis revelat; cùm squalidum facit, magis mundum reddit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absolvit.* Hujus rei testem locupletem se offert David, qui noxam suam coram Deo submissè confessus (*Peccavi Domino*) mox omni culpâ exsolutum se vidit. (*Dominus quoquè transtulit peccatum tuum.*) Latro ille felicissimus flagitiis suis coram universo mundo non sine profunda humilitate vix indoluerat, (*Nos quidem digna factis accipimus*) quantocyus liberrimo volatu ad cœlos abiit. Cumprimis tamen Rex Manasses, innumeris sacrilegiis innodatus, quamprimùm demissâ illorum pœnitudine ducebatur, mox pristinam Dei amicitiam sibi conciliavit, ab omni veterum noxarum vinculo liberrimus. De hoc S. P. Augustinus; *In captivitatem ductus, & in carcerem missus, cum grandi humilitate pænitentiam agens, ita Dei gratiam obtinuit, ut mereatur inter Dei amicos postmodum numerari.* Et S. Joannes Chrysostomus, postea quam dixerat, *Quis sceleratior Manasse? & hunc pœnitentia revocavit*; tandem exclamat; *O Pœnitentia, misericordiæ mater, & Magistra virtutum! Magna opera tua, quibus reos resolvis ac reficis delinquentes. &c.*

Pœnitentia humilis

Tertull l. de Pœnit. c. 9.

1. Reg. 12. 13. &c.

Luc. 23. 41.

S. Aug. ser 58 de Temp.

S. Io. Chrys. ser. de Pœnit.

10. Mutius Sforza, Marchio de Caravaggio, & Academicus inter intentos Fixus, Symboli loco arcum intensum figuravit, qui sagittam directè versus metam destinans, epigraphen tulit; INTENTUS INTENDO. Significare volebat, suas actiones non quidem fortuitò, sed deditâ operâ, & summo ingenii studio ad exoptatum finem collimare. In hoc argumentum S. Joannes Chrysostomus; *Ut sagittarius, qui sua tela directurus sit, probè ac scitè, priusquam mittat, quemadmodum constet, procurat, & ubi se per directum calci propositæ accuratè constituit, tum jacere incipit, idem etiam tu agere debes; cùm sagittâ pessimum illud, infestumque hostis diaboli caput transfigere cupias, cura de statu cogitationum tuarum accipere prius, ut ex directo, & sine ullo impedimento, fixo pede tela tua probè in illum possis dirigere.*

Intentio.

S. Io Chrys Hom 4. de incomprehensibili Dei natura.

11. Quantùm fœderata plurium Monarcharum concordia possit, haud obscurè ex arcu conjicies, qui se ipso quidem vix ullum habet robur; at cornibus suis, nervo colligatis, vires validissimas exerit. Illum proinde Lucarinus hoc lemmate notavit; SOL COLEGATO PUOTE. Id est; IN COLLIGATO VIRTUS. Meus Hugo Victorinus animadvertit, Davidem his suis de Deo vocibus, *Factus est in pace locus ejus*, mox subdidisse; *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.* veluti diceret, concordiam, quæ pacis nomine significatur, fœcundam esse ac gloriosam nobilium victoriarum parentem. *De Domino sciptum est*, inquit, *factus est in pace locus ejus, ibi confregit potentias, scutum, arcum gladium, & bellum. Ex quibus verbis patet, quòd omnia diabolica arma frangit concordia.*

Concordia.

Hug. Vict. in c. 1. Reg. S August. Psal. 75. 2.

12. Tametsi sagitta, ex arcu jacta, frequenter à scopo aberret; id tamen non usque adeò est universale, quin destinatam metam aliquando feriat, ictumque lethalem infigat. Unde D. Petri Bembi lemma; IN VAN SEMPRE NON SCOCCA. Id est; NON SEMPER IN VANUM. Ita Verbum Divinum, instar sagittæ, à Prædicatore Apostolico sparsum, nonnunquam effectus prodigiosos refert. Oratio quoque non semper repulsam patitur, sed iteratis affectibus jactæ, tandem voti se compotem experitur. S. Hieronymus; *Dominus noster, sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, & magis provocet ad rogandum, & quasi in igne excoctum, justiorem & puriorem faciat.*

Prædicator.

Oratio.

S. Hieron. in Habac.

13. Arcus non semper intentus sit, necesse est; secus enim robur suum enerve ac prostratum experietur. Unde inscriptio; FRANGITUR, NI LENTESCAT. Ita homo suis laboribus aliquid otii interponat; memineritque, corporis sui compagem, nequaquam æneam, nimiis & assiduis studiis paulò post labefactatum iri. Valerius Maximus; *Otium, quod industriæ & studio maximè contrarium videtur, præcipuè subnecti debet: non quo evanescit virtus, sed quo recreatur.* Scitè Joan. Franc. Bonomus;

Recreatio.

Val Max.

Non animum assiduis intende laboribus. Arcus
In partes, semper qui jaculatur, abit.

Bonom. in Chir Achil. Emblem. 30.

14. Nervus in arcu, quo magis inclinatus, eò sagittam jacit validiorem. Proinde nervum seu chordam illam P. Henricus Engelgrave hoc Lucretii lemmate insignivit; DEPRESSA MAGIS. Ita omninò animus, humilitatis virtute inclinatus, copiosas cœli penetrandi vires accipit. S. Paulus de Servatore differens, ait; *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primùm.* Hoc veluti celeusmate nos excitans Mellifluus Bernardus, *Descende*, inquit, *ut ascendas; humiliare, ut exalteris; hæc est enim ad sublimitatem via. &c.*

Humilitas exaltat.

Ephes. 4.

S. Bern. ser de z. de Ascens.

15. Arcus sagittam suam nonnisi incurvatus ejaculari potest, contortus enim, validas scopi feriendi vires accipit. Unde Caroli Rancati lemma; E PER FERIR ALTRUI TORCE SE STESSO. Id est. UT FERIAT, SEMET CONTORQUET. Ipsissima hæc hominis maligni, aut detractoris idea est, qui, injuriam in vicinos suos sparsuri, variè contorquentur, & ipsam etiam conscientiæ suæ rectitudinem offendere non abhorrent. *Oro te*, inquit S. Hieronymus, *quid invido delectationis præstat invidia? quem secretis quibusdam conscientiæ ungulis livor ipse discerpit: & alienam felicitatem tormentum facit?*

Malignus.

Detractor

S Hieron Ep ad Demetr.

16. Arcus debilior à chorda seu fide adducta frangitur. Unde lemma, FRANGITUR ADDUCTA SEGNIS INERSQUE FIDE. Idipsum in ignavis hominum quorundam animis experimur, quos quævis angustia frangit ac dejicit; ibi præsertim, quando carnificum tyrannide ad sanctam fidem ejurandam stringuntur. His animum viresque suggerens Apostolus, *Resistite*, inquit, *fortes in fide. &c.* Unde S. Isidorus; *Ab incredulis*, inquit, *diabolus timetur ut leo: à fortibus in fide ut vermis contemnitur.*

Ignavus. 1 Pet. 5.9. S. Isid. l. 3. de Sum. bon. c. 5.

17. Ericus, Dux Brunsuici, Symboli loco arcum expressit, qui manibus adductus, in astra sagittam jaciebat, cum lemmate, SIC ITUR AD ASTRA. Innuebat videlicet, directâ ad cœlum semitâ incedere, qui in militiâ, sive spirituali, sive corporali, pro Deo honore ac gloriâ pugnat. Sanctus Augustinus; *Christus Imperator Martyrum sibi non pepercit, militibus imperans pugnam: sed prior pugnavit, prior vicit, ut pugnantes exemplo suo hortaretur, & majestate suâ adjuvaret, & promissione coronaret.*

Miles. S. Aug. Præf. in Psal. 40.

ARCUS BALISTARIUS.

Cap. II.

18. ANimum resolutum arcui balistario non absimilem dices, qui ab harpagine tensus, epigraphen legendam offert; CARICARLA, O SPEZZARLA. Id est; ADIGERE, VEL FRANGERE. Ita omninò miles imperterritus aperto Marte aut vincere, aut mori statuit. Illa ipsa etiam Principis avari est effigies, qui animo tyrannico stimulatus, Provinciam subditam vel ad sufferenda intolerabilia onera; vel ad præsentem interitum compellit. Hujus insaniæ facilè primipilum dixeris Roboamum, qui Rempublicam suam, nimium quantum depressam, surdis identidem auribus rejecit: at ubi violentâ suâ tyrannide illam frustra *adigere* est conatus, tandem *frangere* cœpit, simulque decem tribuum jacturam fecit, uti prolixè testantur Regum fasti. Benè adeò pronuntiavit Salomon; *Rex justus erigit terram, vir avarus*, id est, interprete Rabbi Aben Ezrâ, *Vir actionum*, qui nimirum subditos ultra justitiæ leges gravat, *destruit eam.* P. Cornelius à Lapide super illud Proverbiorum; *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem*; ait, *Princeps qui subditos suos nimiâ severitate compescit, &, plusquam satis est, legibus premit; eorundem iram & furorem in se concitat & impatientes animos ad bella & seditiones cogitandas exacuit &c.* Eodem Emblemate immoderatus ac imprudens quorundam fervor notatur, qui carnem nimiis jejuniis, ciliciis, flagellis, vigiliis aliisque castigationibus stringere soliti, propriam sibi perniciem accersunt. His certè illas Apostoli voces considerandas objecerim; *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Hunc locum opportunè interpretatus S. Joannes Chrysostomus, ait; *Non dixit, interimo; neque enim caro est inimica; sed castigo, & in servitutem redigo, quod quidem est Domini, non hostis; tortoris, non inimici; pædotribæ puerum exercentis, non adversarii.*

Animus resolutus. Princeps avarus. 3. Reg. 12. Prov. 29.4. Corn. à Lap. in Prov. 30. 33. Mortificatio indiscreta. 1. Cor. 9.27 S. Io. Chrys. Hom. 23.

19. Arcus balistarius ab Abbate Ferro epigraphen recepit; TENSUS VEHEMENTIOR. Ita supplicium Divinum, quantò tardius, tantò accidit homini validius. More suo clarissimè S. P. Augustinus; *Nunquid prolixa misericordia potest auferre justitiam? QUANTO enim DIUTIUS EXPECTAT, TANTO GRAVIUS VINDICAT. &c.* Et D. Basilius Paradisi;

Ira Dei. S. Aug. serm. 262. de temp.

Tarda la man Divina
Grave però, per strade al mundo occulte,
Non lascia al fin l' onte de giusti inulte.

20. Arcus balistarius, globo oneratus, epigraphen tenet; SUBLIMIA SPECTAT. Ita animus nobilis ad res tantùm excelsas aspirat. Verus quoque amans uni duntaxat rei, non quidem gregariæ, sed nobilitate, meritis, ac natalibus commendatæ, inhæret. Cæterùm eandem etiam animæ contemplativæ ideam dixerim, quæ affectu spirituali plena, res omnes terrenas, quantumvis aliorum judicio eximias, dedignatur. S. P. Augustinus; *Quisquis futuræ vitæ cor præparaverit, totam istam contemnit: contemptâ istâ, securum facit expectare diem, de quo expectando Dominus terruit.* Ad hoc propositum P. Hermannus Hugo canit;

Animus nobilis. Amans verus. Anima contemplativa. S. Aug. in Ps. 147.

Hug. l. 3. Suspir. 4.

Quò meus ergò suos Amor ejaculabitur ignes?
(Primitiæ nostri namque caloris erunt)
An ferar humanâ furiata Cupidine tedæ,
Cognata Angelicis, stirpsque, sororque choris?
Aut mea mortales venient in colla lacerti,
Quâ sum immortali sponsa creata Deo?
Ah super hasce hyemes nostri rapiuntur amores,
Terra parem thalamis non habet ista meis.

Et Rursus.

Suspir. 6. ib.

Ah minus est animo, quidquid sola dissita terræ,
Astriferaque obeunt mœnia vasta plagæ.
Quod neque terra capit, neq; regna liquentia ponti,
Non hominumq; lares, non hominumq; domus.
Quod neque siderei claudunt amplexibus orbes,
Id voto spes est, resque petita meo.

ARIES MILITARIS.

Caput III.

21. VEteres Romani instrumentum hoc militare ad hostium muros arietandos quassandosq; adhibuerunt; unde nonnemo Emblematis loco Arietem pinxit, qui majore impetu in adversum murum ferendus, nonnihil retrahebatur; cum dicto, FEROCIOR INDE, seu ut Dominico Gamberto placet; SUSPENSO FORTIOR ICTU. Verbis è Lucano mutuatis Ita omninò Deus, supplicii sui brachio moram injicere, & aliquantulum retrahere solitus, postea ictus tantò graviores infligit. Enimverò, ut paulò antè ex S. Hieronymo diximus, *Divina Justitia, diutius repressa, & collecta, majori impetu fertur.* Scitè P. Bernardus Bauhusius;

Lucan. l. 3. Pharsal. Ira Dei. S. Hieron. Thren. c. Bauhus. Ep. lib. 1.

Ad scelerum pœnas ultrix venit ira Tonantis,
Hoc graviore manu, quo graviore pede.

Idipsum etiam in animi nostri affectibus experimur, qui aliquanto tempore non sine violentiâ repressi, tandem furore ac impetu longè graviore erumpunt.

Passiones humanæ.

22. Aries, adversus murum allisus, Didaco Saavedra, authore, epigraphen sustinet. LABOR OMNIA VINCIT. Ad verbum Virgilius;

Labor. Virg. Geo. l. 1. v. 145.

----- ----- *Labor omnia vincit*
Improbus; & duris urgens in rebus egestas.

Hoc adagium prolixè illustrant Erasmus, S. Clemens Alexandrinus, aliique Virgilii Interpretes. Instar multorum tamen hoc loco unicum Poëtæ illius distichon accipito.

Erasm. Chil. 1. Cent.
c. 22. S. Clem. Alex. l. 6. Strom. c. 1.

Assiduus labor, & solers industria, quid non
Edomat? huic cedunt omnia, dura licet.

23. Eidem Emblemati Gambertus inscriptionem è Claudiano sumptam indidit. LAXABIT VIAM. Enim-

Claud. l. 2. Ruffin.

Magnanimitas. Miles generosus. Senec. ep. 13 Enimverò militum generosorum ferocia ac magnanimitas obstinatos & durissimos quosvis hostium impetus perrumpit. Senecæ judicio, *Vir fortis & strenuus ipsam sui hostis victoriam vincit.*

A R M A.

24. NObilis Animosorum Cremonensium Academia, Symboli universalis loco, Herculis arma in unum fasciculum constricta, nimirum clavam, facem, & sagittas, præferat cum lemmate, IN OMNES CASUS. Opportunâ hâc icone Orationem repræsentare licet. De hâc Isaacus Presbyter; *Oratio refugium est auxilii, & fons salutis, & confidentiæ thesaurus, & lumen iis, qui in tenebris sunt, & portus liberans tempestate, & auxilium liberans in ægritudinis molestia, & clypeus liberationis in prælio, & sagitta acuta contra inimicos &c.* (Oratio. Isaac Presb. lib. 1. de MundiCont.)

25. Emmanuel Philibertus, Sabaudiæ Dux, loricam, femoralia, gladios, lanceas, aliorumque armorum fascem, in armamentario suspensam, hoc lemmate distinxit; CONDUNTUR, NON CONTUNDUNTUR. Innuebat videlicet, se etiam pacis tempore in omnes belli ingruentis eventus accinctum stare. Synesius de Imperatore pacifico disserens, *Bellicosus quidem,* inquit, *omnium maximè pacificus fuit; soli enim illi pacem colere licet, qui lacessentes ulcisci, ac malè afficere potest. Eumque Regem dixerim omni ex parte, rebus ad pacem attinentibus instructū esse, qui cùm injuriam inferre nolit, propulsandæ injuriæ facultatem sibi comparavit.* Deus quoque supplicia sua nonnunquam suspendit, eaque non quidem minuit, sed tempori adversus perduelles reservat. (Pax armata. Synes. l. de Regno.)

26. Carolus Emmanuel, Sabaudiæ Dux, Symboli loco galeas, brachialia, lanceas, gladios, aliaque arma in fascem colligata, expressit; addito lemmate, NEC CONDUNTUR, NEC RETUNDUNTUR. Nimirum invictam ac generosam suam magnimitatem repræsentare voluit, quâ nec Martiam suam supellectilem in armamentario abscondere, nec eandem, assiduis exercitationibus in quosvis eventus paratam, infringere est passus. Porrò etiam Justitiæ Divinæ arma, nec abscondi, nec quassari unquam solita, semper in omnium conspectu versantur, suamque aciem ad contumaces hominum animos castigandos, convertendosque nunquam non limatam ostendunt. In hanc rem Ezechielis ore ipsemet testatur Deus; *Gladius exacutus est, & limatus; Ut cædat victimas, exacutus est: ut splendeat, limatus est.* S. P. Augustinus; *Judicium Dei formidandum est & amandum; formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam.* (Miles formidandus. Justitia Dei. Ezech. 21 9. S. August. in Psal 100.)

27. Joannes Ferrus cataphractæ militari subscripsit; TEGIT, ET ORNAT. Alii hanc Horatii gnomam lemmatis loco substituêre. PRÆSIDIUM, ET DECUS. Utramque hanc prærogativam è grandium personarum tutela recipimus. Ea ipsa etiam bonorum operum ac virtutum Christianarum est effigies, quæ homini simul & ornamentum & præsidium conferunt. Esthius in illud D. Pauli monitum commentatus, *Induamur arma lucis;* ait, *Ea* (bona opera) *vocat arma, quia non solum TEGUNT ut vestimenta; verùm etiam tanquam arma DEFENDUNT, ac tutum reddunt hominem adversus impugnationes diaboli.* Thomas Cajetanus; *Æternæ salutis meritoria opera (quæ appellantur arma lucis) non solùm sunt opera luci consona, sed sunt arma tum defensiva, tum offensiva hostium, virtute Divinæ gratiæ.* (Protectio. Opera bona. Esth in Rom. 13. 11. Cajet. in hunc loc)

Et S. Joannes Chrysostomus; *Insensibili quidem armatura durum in & exosum armari: hîc verò jucundum & est dignum: lucis quippe sunt arma: unde & radiis solaribus illustriorem te faciunt; atque in tuto optimè munitum constituunt.* (Io. Chrys. in hunc loc)

28. Lorica, scutum, & cassis cristata humano corpori tantundem conferunt molestiæ, quantùm ornamenti. Unde lemma; ORNAT, ET ONERAT. Ita omninò dignitates ac negotia sublimiora individuum cum gravissimis calamitatibus conjugium habent. Ut adeò verissimè dixerit nonnemo; *Honos, onus.* Id quod innuere volebat Samuel, quando Sauli, nuperrimè in Regem uncto, animalis armum in convivio asservavit: volebat enim, interprete Joanne Guilielmo, significare, *Quòd, cùm armus maximè valeat ad onera ferenda, Saul cogitaret, se non ad jocū, ad lusum, ad voluptates: sed ad maxima onera ferenda atque sustinenda vocari.* S. Gregorius Papa, de dignitatibus Ecclesiasticis desserens, ait; *Quantò quis hîc altius erigitur, tantò curis gravioribus oneratur: eisq; ipsis populis mente & cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate.* Joannes Paschalius; (Honor onerosus. Io Guil. l. 1. Antiquit. Conviual. c 33. S. Greg. l. 17. Moral. c. 12.)

Indue belligeræ pulchrum thoraca Minervæ,
Ornat & est oneri; sic quoque onustat honor.

29. Sancti Martyres eadem arma, quibus olim crudelissimè trucidati erant, hodie in cælis veluti totidem pacis & victoriæ gloriosissimæ trophæa, circumferunt. Ita sua Sancto Laurentio craticula, S. Clementi anchora, S. Catharinæ rota, S. Vincentio mola, S. Andreæ crux, aliisque alia maximo passim sunt ornamento. In hanc rem arma quædam militaria, ex aulæ pariete suspensa, hoc lemmate notavi; VEL IN PACE DECORA. Opportunè de armis ait Cassiodorus; *In bello necessaria, in pace decora.* (Martyrum instrumenta. Cassiod. l. 6. Var. Ep. 18.)

30. Ad Marchionis Guidonis Villæ exequias, Ferrariæ celebratas, Emblematis loco cataphractam trabali cuidam ligno alligatam, proposuêre; quod in æquilibro suspensum, cùm ex uno latere ab ingenti saxo dprimeretur, ex altero cataphractam illam in sublime efferebat. Epigraphe subjuncta erat; PONDERIBUS EXTOLLOR. Innuebant videlicet, grandem illum Belliducem è negotiis & oneribus quibus indies gravabatur, summum honoris sui incrementum sumpsisse. Cæterùm calamitates ac miseriæ opportunissima hominis exaltandi instrumenta sunt. Exempli instar habeto Josephum Patriarcham, Sanctos Christi Martyres, & ipsummet etiam Christum. *Servi tui,* inquit S. Petrus Chrysologus, *etsi patiuntur mala, non patiuntur ad pœnam, sed subeunt ad coronas. Adversa illis non sunt necessitatum causæ, sed sunt causa victoriæ.* (Calamitas exaltat. S. Pet Chrys. serm. 15.)

31. Honores ac munia militaria, quantumvis præserti & assiduo vitæ discrimini obnoxia, solicitè tamen ab hominum superbia ambiuntur. Hanc mortalium voluntatem nonnemo Emblemate significaturus, diversa arma expressit, quæ in falcem colligata, epigraphen monstrabant; INVENIENT MANUS. Ad verbum Lucanus; (Ambitio.)

Invenient hæc arma manus.

S. Bernardus; *Multi non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores, si se sentirent onere gravari. Nunc verò quia sola attenditur gloria, & non pœna, purum esse Clericum in Ecclesia erubescitur, sese vi'es æstimant, & inquilinos, qui quocunque eminentiori loco non fuerint sublimati.* (S. Bernard. in Ep. ad hem Sen.)

32. Hominum ingenia, sicuti otio rubiginem contrahunt, ita virtuosis exercitationibus poliuntur: haud secus atque arma squalentia, USU NITESCUNT. (Labor illustrat.)

Veget. l. 2. CUNT. Hanc Berlingerii Gessii iconem opportunè illustrat Vegetius; *Omnes artes, omniumque opere, quotidiano usu, & jugi exercitatione proficiunt.*

33. Idem Berlingerius armorum acervo, solaribus radiis percusso, inscripsit; LACESSITA REFULGENT. Verbis è Virgilio mutuatis; Virg 7. Æn v. 526.

Horrescit strictis seges ensibus: æraque fulgent
Sole lacessita, & lucem sub nubila jactant.

Fortitudo invicta. Ita Heroum fortitudo, aliorum assultibus provocata, amplissimos gloriæ radios spargit. Certè S. Eustachius cum suis liberis; uti & S. Mauritius cùm Sociis, ubi in solis conspectu ad sacrilega facinora concitati fuerant, prodigiosum invictæ ac Christianæ constantiæ lumen diffuderunt. S. Cyprianus; *Tempestate pressurâ, ac nube, & caligine discussâ tranquillitas ac seremias refulserunt.* S. Cyprian l. de lapsis in princip.

34. Posteaquam diuturnum bellum Anno 1659. inter Hispanos & Gallos fuerat compositum, Carolus Rancatus diversa arma militaria, in acervum congesta, & olivæ ramis cooperta, figuravit; addito lemmate, SINE MILITIS USU. Ad verbum Ovidius; Pax quieta. Ovid. 1. Met.

Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat. Sine militis usu
Mollia securæ peragebant otia gentes.

S. Greg. in Pastorali. De pace pronuntiat S. Gregorius Papa; *Si Dei vocantur filii, qui pacem faciunt; procul dubio Satanæ sunt filii, qui pacem confundunt.*

35. In armamentario arma sunt plurima & varia; arma ad hostem aggrediendum, ad tuendas civitates &c. Emblemati subscripsit P. Sebastianus à Matre Dei; TU TAMEN TOLLE. Bellum est vita præsens, & bellum cum hoste crudelibus armis munito; quibus resistere quàm sit arduum, multorum pernicies & vulnera comprobant: verùm providit Deus armamentarium, Virginem Deiparam, *nam mille clypei pendent ex illa, & omnis armatura fortium* tam ad aggrediendum, quàm ad reprimendum hostem opportunissima. Non sine mysterio David, à facie Saulis ad Abimelechum profugus, accepit gladium è tabernaculo: cur, obsecro, è tabernaculo? *Tabernaculum*, teste Richardo à S. Victore, *Deiparæ figurâ est.* Unde si cum hoste congredi, ac victor redire volueris, nonnisi è tabernaculo isto arma mutues velim. Mariæ V. Patrocinium. Rich. à S. Vict. l. 10. de M. V.

36. Basilica S. Genovefæ Emblematis loco scuta, gladios, pharetras, arcus, aliaque arma militaria igni imposita exhibet, cum lemmate è Psalmo; ARCUM CONTERET, CONFRINGET ARMA, ET SCUTA COMBURET IGNI. Hominem, belli sedandi, ac pacis componendæ studiosum, hæc imago spectat. Ad pacem promovendam omnes cohortans Magnus Augustinus, *Habete pacem*, inquit, *Si vultis ad illam trahere cæteros, primi illam habete. In vobis ferveat quod habetis, ut alios accendat.* Psal. 45. Pacis studiosus

37. Serenissimus Philotheus è palo apparatum bellicum, gladios, thoraces, chirothecas ferreas, galeas, scuta, lanceas &c. suspendit; quibus imminens è cælo manus, epigraphen subjunctam habet; QUID HAC ABSENTE JUVANT. Quid enim omnis belli supellex prodest, quasi manu ac spiritu humano tractata? immobilia jacent arma, nullique inserviunt usui, si humani brachii ministerio haud regantur, etsi solidissimo ferro aut metallo sint fabricata. Ex hoc schemate virium nostrarum imbecillitatem conjicere licet, si gratiæ Divinæ abfuerit manus. S. P. Augustinus; *Voluntatem quidem liberam mihi dedisti, sed sine te, Deus, nihil est mihi conatus meus.* Et rursus; *Tu per te ex viribus tuis nihil potes. Adjuvat te ille qui tibi sermonem misit, & vincitur iniquitas.* Eruditè in rem nostram canit Author; Adjutorium Dei necessarium. S. Aug. Ps. 76 Enarr. 2. Idem in Ps. 31.

Arma cruentati video fulgentia Martis,
Tela, hastas, gladios, tympana, scuta, pilas.
Æmula fulmineo video tormenta furori,
Sulphureo vastos ore datura globos.
Quid tamen illa juvant, usum si dextera justum
Denegat, innumeris dextera fœta dolis?
Quid laudo humanas vires? nihil omnia prosunt,
Si magni abfuerit dextera sola Dei.

CHIROTHECA FERREA.

Cap. V.

38. Chirothecæ ferreæ beneficio nobis ipsis tutelam, hostibus verò offensam creamus. Illam proinde opportuno hoc lemmate distingues; TEGIT, AC FERIT. Protector sanguinarius, & ad vindictam sumendam proclivis, hoc Emblemate depingebatur. Idipsum de Deo non incongruè interpretaberis, è cujus clementia tutelam, & è justitia supplicium colligimus. Humanas enim exuvias indutus, primum suum adventum salutis nostræ vindicem esse voluit; at olim in altero universalis judicii adventu sententiam penitus irrevocabilem adversus sceleratos statuit. Quomobrem meus Concanonicus Absalon Abbas; *Quis*, inquit, *advertens Deum ad terras descendere pro salute hominum, desperare potuit? Aut quis expectans judicem tam terribilem securus unquam fuit? O quàm cautè ambulandum, ubi unus, & idem Dominus, fortis propugnator ad salvandum, & tam districtus Judex ad uniuscujusque opus, quale sit, discutiendum &c.* Providè monet Magnus Ethicæ Christianæ Magister Augustinus; *Sic eum dilige misericordem, ut velis esse veracem: non enim misericordia potest illi auferre justitiam, neque justitia misericordiam.* Deus misericors & justus. Absal. Abbas serm. 4. S. Augustin. in Psal. 44.

C L A V A.

CAP. VI.

39. Experientiâ constat, invidos sibimet nocumenta longè graviora, quàm proximis suis accersere. In eam rem D. Didacus Saavedra duos canes, ceu proprium invidiæ typum, figuravit; qui clavam muricatam ingenti rabie dilacerabant, simulque propria labia copioso cruore perfundebant: addito lemmate, SUI VINDEX. Jacobus Sannazarius; Invidus.

L'invidia, figlivol mio, se stessa macera.

Et prior illo Virgilius; Virgil. Epigr. de Livore.

Livor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.

Benedictus Sossagus; Sossag. l. 3. Epigram

Non est invidia magis execrabile monstrum,
Hoc tamen usque boni pessima pestis habet.
Nam quemcunq; tenet, pœnis hunc torquet acerbis,
Et vitium vitio conterit ipsa suo.
ULTRIX IPSA SUI est, sesèque ulciscitur ipsam,
Pœna nec invidiæ tristior invidia est.

In hoc argumentum S. Basilius, *Invidia*, inquit, *concipientem se animam corrodit, & tabefacit.* Hinc magno fratri suo concolor S. Gregorius Nyssenus; Invidiæ malevolentiam innumeris titulis ac nominibus S. Basil Hom. de invidia. S. Greg Nyss. in vita Mos.

bus describit. Inter cætera ab ipso vocatur *Mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum, FIGENS ANIMAM CLAVUS, flamma cordis, intestinorum ignis. &c.* Nec aliter Salvianus; *Dummodò unusquisq; hominum alium lacerare non desinat, tanti putat, ut etiam sibi ipse non parcat; sed planè mali istius retributio est, quæ solum persequitur authorem, illi enim nihil nocet penitus, cui detrahit, tantummodò illum punit, cujus ab ore procedit.* Eodem Emblemate significatur, offensam, adversus milites aut magnates sparsam, in authorem suum retorqueri.

Salu l.3 de Gubern. Dei.

Author proprii mali.

40. Princeps justus, adversus ministros iniquos & subditos sceleratos animadvertens, clavam imitatur, quæ hydram percutiens, epigraphen sustinet; VI VIRUS. Rex Theodoricus apud Cassiodorum ait; *Deo auspice, Fridiladum locis vestris præesse censuimus, qui actores animalium legitima severitate coerceat, homicidia resecet, furta condemnet.* Et paulò post; *Necesse est vindictæ subjaceat, qui pravis moribus obsecundat.* Adhoc propositum opportunè Macharius Chrysocephalus, Gretsero referente, ait; *Flagellat Deus Ægyptum, Divinæ potentiæ administro Mose; qui denas plagas efficit, ut perfecti supplicii numerum subirent, qui ad summum usq; scelerum processerant.*

Princeps justus.

Cassiod Var. l.4 ep.49.

Chrysoceph. Orat. de Cruce apud Gret.

FUNDA. CAPUT VIII.

41. CAligula, priusquam reum aliquem capitali sententiâ feriret, prolixis verborum ambagibus miserrimum hominem erigere, ac maxima libertatis recuperandæ fiduciâ roborare solebat, ut postea inexpectatæ sententiæ fulmen ipsius animum tanto acerbius penetraret, majorique terrore percelleret. atque Adeò insolens hæc judicii ratio fundam imitabatur, quæ lapidem tantò validiore offensâ jacit, quantò amplius in orbem circumducta fuerit. Unde lemma; CIRCUMACTA VALIDIUS. De ira Divina canit Prophetes Regius; *Vox tonitrui tui in rota.* Enimverò Deus vindictam suam in gyros quidem amplissimos ac diuturnos circumducit; at tandem assiduo incremento in furorem actus, adversus obstinatum peccatorem validissimè exoneratur. Optimè in rem nostrem S. Hieronymus; *Deus, qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem vindictæ supplicii gravitate compensat.*

Ira Dei.

Psalm.

Hieron.

42. Lapis tantò majore impetu ac velocitate è funda vibratur, quantò à circumagente manu remotior fuerit. Lemma; QUO REMOTIOR, EO VELOCIOR. Significabat quippe Emblematis Author, se in absentis amici imperia tantò ferri celeriorem, proniorem que, quantò prolixiore locorum intervallo ab ipso dissideret. In hanc rem meus D. Salvator Carduccius canit;

Promptitudo.

Remotior quo permanet, velocior
Volat manu vibratus è funda lapis.
Amicus haud fucatus est Amasio
Studiosior, quò degit is longinquior.

Porrò quo remotior à circumagente mundo vixeris, eò velocius ad cœlum transibis. Joannes Cassianus; *Solitudo novit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, & intuitu sincerissimo spiritualium sacramentorum scientiam revelare.*

Solitudo. Cassi l.8. Inst. Mon

GALEA. Cap. VIII.

43. GAlea, ore versus cœlum elevata, & supra ardentes prunas liquefacienda, epigraphen tenet; POST MUNERA BELLI. S. Ignatium Loyolam hæc imago spectabat, qui post exactos militares labores, tandem obstinatis peccatorum cordibus emolliendis operam dedit. Emblemati explicando sequentem poësin addidit D. Gregorius Brunellus;

S. Ignatius Loyola.

Quam cruor imbuerat sævi POST MUNERA BELLI,
Hæc galea accenso quem fovet igne micat.
Uritur ad prunas, & plumbea massa liquescit,
Ut solet admoto cerea tæda foco.
Explicat empyreos Ignati hæc cassis amores,
Ardet amore Jesu, qui modò miles erat.
Illius igne calens, omnis peccator anhelat
Cor durum, & teneras linquitur in lachrymas.
Arderent Loyola tuis Aquilonia flammis
Frigora, dum æthereas mittis ab ore faces.

Ut relictâ mundi militiâ, Dei charitate ardeas, enixè monet Magnus Augustinus; *Incipiamus ardere charitate, donec totum mortale consumatur; & quod contra nos fuerit, eat in sacrificium Domino.*

Mundum relinquere. S. August. in Psal. 64.

44. Galea, in nidum commutata, ac incubantes columbas fovens, epigraphen monstrat. POST MARTIA BLANDIS, subintellige, *inservit.* vel, NE GLI ARNESI DI MARTE AMOR S' ANNIDA. Certè S. Paulus corde penitus Martio, & adversus Christianos efferato, *ibat spirans minarum & cædis.* At postea nutricem amabilissimam induens, *Filioli mei,* inquit, *quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Deus quoque à minis & terroribus exorsus, tandem in amoris affectus suavissimos desinit. Unde quamprimùm Vates Divinus dixerat; *Deus æmulator, & ulciscens Dominus, ulciscens Dominus, & habens furorem.* Mox subjungit; *Dominus patiens, & magnus fortitudine.* Vix itidem protestatur; *Indignatio ejus effusa est ut ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.* Mox iterum subdit; *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis.* S. Augustinus; *Propterea se Judex venturum minatur ut non inveniat quos puniat, cum venerit. Si damnare vellet, taceret. Nemo volens ferire, dicit observa.*

S. Paulus.

Act. 9. 1. Galat. 4. 19.

Terrores Dei in clementiam desinunt.

Nahum c.1.

S. Augustin. ser 100 de Temp c.3.

45. Ad Marchionis Guidonis Villæ exequias, Ferrariæ in S. Francisci æde celebratas, Emblematis loco galeam figurârunt, quæ ad sortes militari more trahendas accommodata, epigraphen tenebat. HINC SORTES. Enimverò sortes felicissimè è magnanimitate trahuntur; semperque virtus militaris appendices individuos habet honores ac dignitates. *Virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriæ,* inquiebat S. Bernardus.

Virtus parit felicitatem. S. Bernard.

46. Galea, tametsi in solius capitis tutelam accommodata, epigraphen tamen à D. Jo. Francisco Bonomo istam accepit; TOTUM SERVAT. Enimverò capitis incolumitatem certa totius reliqui corporis sanitas consequitur. Opportunè P. Cornelius à Lapide; *Galea principem corporis partem, puta caput ipsum, à quo cætera membra, totusq; homo pendet, tuetur &c.* Nam, teste Valerio Maximo, *Ducis in consilio posita est virtus militum.* Unde populus fidelis, Regem suum à fatali hostium ictu vindicans, toti regno salutem conciliat. Sic posteaquam Abisai lethale giganthis cujusdam ferrum à Rege Davide represserat, Israëlitæ hunc imposterum cum hoste congredi prohibuerunt, id unum causati, *Ne extinguas lucer-*

Capitis salus est salus totius

Corn à Lap. in Eph. 6. 17. Val Max. l. 4.

2. Reg 21

lucernam Israel. Seu ut Chaldæus interpretatur, *Ne pereat tecum regnum Israel.*

Alciat. Emb. 178. 47. Galea, in alveare commutata, apibus passim circum volitantibus, epigraphen tenet; DAT MELLA POST BELLA. Apposité Andreas Alciatus;

En galea, intrepidus quam miles gesserat, & quæ
Sæpius hostili sparsa cruore fuit:
Parta pace, apibus tenuis concessit in usum
Alveoli, atque favos, grataque mella gerit.

Bellidux benignus. Belliducis hæc imago est propria, qui post superata gravissima vitæ bellique discrimina, tandem militibus suave ac sumptuosum convivium instruit; uti de grandi illo Henrico IV. refert Catharinus d'Avila. Deus præmiator. Deus quoque post militiam in hâc vitâ benè transactam, alternâ ac suavissimâ beatitudine hominem remuneratur. S. Augustinus; *Non transit ad summam pacem, ubi summum silentium est, nisi qui magno strepitu prius cum suis vitiis belligeraverit.* Et rursus; *Ad tempus laboras; in æternum non laborabis. Brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua. Ad modicum doles, sine fine gaudebis.* (S. Aug. in Psal. 9. Idem Psal. 36. Con. 2.)

GLADIVS.

Caput IX.

48. QUædam magni nominis persona se ipsam gladii Emblemate figuravit, cujus lamina intra machæropoei officinam attrita, & pulvere erodente limata, epigraphen tenebat; ATTRITA REFULGET. Significabat nimirum, se è persecutionibus splendorem ac famam tantò illustriorem fuisse sortitam, quantò majore illarum violentiâ premebatur. Calamitas utilis. Huic affine est alterum illud Emblema, in quo gladius, supra côtis rotam exacuendus, inscriptionem reddit; MOTU PERFICITUR. Indies enim experimur, animas nostras non minus beneficii ac perfectionis è calamitate accipere, quàm à cote ferrum. In rem præsentem canit Hieronymus Preti;

S'armata a danni miei cieca Fortuna
Vinto a terra m'opprime, empia m'offende:
L'alma, che non soggiace ad onta alcuna,
Sorge e'l suo volo al ciel libero prende.
Così tal hor frà nubi il Ciel s'imbruna,
Pur frà l'ombre, e l'orror folgora, e splende:
Così stella qual hor più l'aria è bruna
I raggi suoi più luminosa accende.
Pietra sfavilla amor, ch' altri percote:
E'l fabro i suoi metalli al colpo prova:
E fiamma arde via più, i altri la scuote.
Ferro acuto si rende, e si rinova
Al girar de la pietra: e le rote
Gira fortuna, e quel girar mi giova.

Exercitiū. Alii eodem epigrammate, *Motu perficitur,* opportunè commonstrant, è jugi ac laboriosâ exercitatione plurimùm utilitatis nobis accrescere. Scitè apud Justum Lipsium Diogenes; *Nihil omninò in vita sine exercitatione perficitur.* (Lips. l. 3. Manud. dis. 2)

49. Gladii illi præ ceteris probantur, qui è flexu in rectum redeunt. Unde gladius, è superiore parte Humilitas. depressus & arcuatus, Emblematis loco inscriptum habet; FLEXU PROBATUR. Ita omninò animæ virtuosæ perfectionem ex humilitate, ceu lapide lydio, manifestè deprehendimus. S. Cyrillus, referente Dionysio Cartusiano, *Credo mihi,* inquit, *quin maximè se vilifacit, qui magnum se reputat. Ubi ergò profunda humilitas, ibi excelsa est dignitas; & ubi ex te ipso dejectio est magna, ibi ex virtute dignificatio maxima.* S. Bernardus; *Magna & rara virtus, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem: mirabilem te apparere, & contemptibilem te reputare.* Theodoretus, de prodigiosa Symeonis Stylitæ virtute philosophatus, inexplicabilem ipsius humilitatem, ceu indubium tantæ perfectionis characterem, adducit. *In tantis laboribus, tantâq; rerum gestarum magnitudine, & miraculorum multitudine, est tantâ morum modestiâ ac moderatione præditus, ac si sit dignitate postremus omnium hominum.* (Cartus. in Prov. 16. 33. S. Bern. serm. 13. in Cant. Theod. Hist. Patrum. cap. 26.)

Fortis benevolus. Denique Emblemate illo innuitur, sicuti gladii præstantiam è facili ipsius flexus conjicimus, ita generosum ac fortem hominis animum benevolentiâ & affabilitate comprobari. Machabæorum historia in Romanorum honorem ait; *Quia sunt potentes viribus, & acquiescunt ad omnia, quæ postulantur ab eis.* (1 Mach. 8. 1.)

50. Academicus, inter Philopponos Faventinos Rubiginosus, symboli loco gladium, rubigine obductum, præfert, cujus lamina supra cotem expoliendâ, epigraphen monstrat; DETERSA MICABIT. Pœnitentia illustrat. Certè anima, vitiorum rubigine abstersâ, gratiosum splendorem diffundit. Hoc sensu Salomon; *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Et Isaias; *Dissolve colligationes, impietates, solve fasciculos deprimentes, & omne onus dirumpe, tunc erūpet quasi manè lumen tuum.* De pœnitentia differens S. Cyprianus, *O pœnitentia,* exclamat, *quid de te novi referam? Omnia ligata tu solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia cōfusa tu lucidas, ōnia desperata tu animas.* (Prov. 25. 4. Isa. 58. 6. S. Cypr. de laud. Pœn.)

51. P. Eustachius Venator, Augustinianus Excalceatus, gladio, ceu justitiæ symbolo, inscripsit; JUDICIS, NON VINDICIS. Judex sine passionibus. Boni Prælati aut Principis hæc imago est, qui suam authoritatem non quidem peculiari vindictæ, sed soli justitiæ administrandæ interponunt. Eò reflectens Trajanus Imperator, Romano Præsidi gladium, ceu authoritatis collatæ typum, tradidit, cum dicto; *Hoc utere pro me, si mea potestate ritè fungar; sin autem, eodem utere contra me.* Gladius enim nunquam injuriarum aut scelerum, sed solius æquitatis ac Reipublicæ promovendæ instrumentum esto. Seneca; *Hæc tria lex secuta est, quæ Princeps quoque sequi debet: aut ut eum, quem punit, emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat: aut ut sublatis malis securiores cæteri vivant.* (Senec. l. 1. de Clement. c. 22.)

52. Nec solus clypeus defendendo militi, nec solus gladius hosti offendendo sufficit, nisi ambo simul mutuam conferant operam. Unde Lucretius Borsatus ex uno Emblematis latere clypeum, ex altero Fides cum operibus. verò gladium depinxit; addito epigrammate, NEUTER SOLUS. Id est, *clypeus & gladius.* Ita Christianus nunquam solo fidei scuto munitus incedat, sed, insuper vivacem operis gladium jungat, necesse est. Eò collineans Apostolus, disertè hortatur, *In omnibus sumentes scutum fidei &c. & gladium spiritûs.* S. P. Augustinus; *Sine charitate potest quidem fides esse, sed non & prodesse.* (Ephes. 6. 16. S. Aug. l. 15. de Trinit. c. 18.)

53. Fridericus IV. Symboli loco gladium tenuit, Leges & arma. qui libro transversim innixus, epigraphen legendam obtulit; HIC REGIT, ILLE TUETUR. Innuebat videlicet, populos & provincias non armis tantùm, sed & legibus stabiliri. Regis Atalarici ore Cassiodorus; *Perfectionem,* inquit, *necessariarū rerum completam esse judicamus, si quemadmodùm eligendo virum patritium armatæ Reipublicæ parti providimus, ita & de sociando ei litterarum peritissimo consulamus.* Et Justinianus Imperator; *Nunquam sanè credi-* (Cassiod. l. Var. Ep. 1. Iustin. in Constit. de Præside Pisidiæ.)

credidissemus, veteres Romanos ex parvis adeoque minutissimis principiis tam amplam constituisse Rempublicam, & totum exinde terrarum orbem sibi adjunxisse, pressisse, & tueri imperio potuisse, nisi majoribus in provincias magistratibus missis, plus ea re dignitatis sibi comparâssent, simulque illis armorum juxta, ac legum potestatem fecissent, nec non ad utrumque accommodatos & idoneos habuissent. Hâc de re Virgilius;

Virgil. l. 6. Æneid v. 851

Tu regere imperio populos Romane memento
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem:
Parcere subjectis, & debellare superbos.

Nec aliter ad Augustum Valerius Flaccus;

Val. Flaccus ad Augustum

Res Italas ARMIS TUTERIS, moribus ornes, LEGIBUS EMENDES.

Et Sulpitia, Domitiani Imperatoris ævo nobilis Satyrica;

- - - - Duo sunt, quibus extulit ingens
Roma caput; VIRTUS BELLI, ET SAPIENTIA PACIS.

54. Vincentius Vallierus, Nobilis athleta Venetus Emblematis loco proprium brachium depinxit, illudque gladio armatum, hoc lemmate insignivit. VICE VALLI ERO. Verbis nimirum ad proprium ipsius nomen & cognomen alludentibus. Mens autem Emblematis erat, sibi ad patriam defendendam tantùm animi ac generositatis superesse, ut gladium suum invicti propugnaculi loco objicere sit paratus. Veteres Spartani, & nostro ævo Poloni, nulla civitatibus suis mœnia circumdare solebant: ajebant quippe, civium armatorum animos ac brachia, si necessitas postulaverit, in muros vivacissimos commutatum iri. Porrò homo timore Dei munitus, nullas timet dæmonis aut hominum insidias, quovis propugnaculo fortior. S. Augustinus; *Timor præsens securitatem generat sempiternam. Time Deum, qui super omnes est, & hominem non formidabis.*

Generositas militaris.

Timor Dei.

Aug. in Ps.

55. Joannes Franciscus Villava Emblematis loco gladium figuravit, qui baccato oleæ ramo cinctus, epigraphen sustinebat. LENIMINE ACUTIUS. Sicuti enim gladii acies, oleo delinita, acrior evadit; ita Divina vindicta obstinatis peccatoribus tantò magis est formidanda, quantò majorem in expectanda pœnitentiâ mansuetudinem exhibet. S. Bernardus; *Noli contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis justitiam; ut enim scires, quanta districtio succedit, tanta illa mansuetudo prævenit: ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende.*

...a Dei.

Bern. ...m. 1. in ...iphan.

56. Gladius, sceptro decussatim impositus, eidemque à corona regia colligatus, epigraphen reddit; ILLÆSA SUPERSUNT. Mens Emblematis erat, Caroli Emmanuelis, Sabaudiæ Ducis, virtutem ac fortitudinem, tametsi inter diversa bellorum discrimina agitatam, summo semper omnium applausu ac veneratione rediisse victricem. Porrò Sanctæ Crucis lignum, à Servatore nostro ad expugnandas Tartari vires usurpatum, quantumvis unanimi Judæorum ac gentilium assultu oneraretur, etiamnum tamen illæsum persistit, & supra Regum frontes ornamento penitus mirabili ac glorioso resplendet. In hoc argumentum meus D. Salvator Carducius;

...rtitudo ...midata hono...a.

...ux glo...a.

Arma Sabauda hostis telis illæsa supersunt.
Stant etiam, edomito Dite, trophæa Crucis.

Genus enim illud mortis, inquiebat S. Athanasius, *quod illi* (Judæi) *pro sua opinione ut ignominiosum intulere, ea conversa est in trophæum devictæ mortis.* Et S. Joannes Chrysostomus super illis Apostoli verbis, *Usque ad mortem crucis,* ait; *Longè pulchrius atque admiratione dignius spectaculum apparet, cùm tot ab hostibus adversus ipsius gloriam artificiis ac machinis adhibitis, splendet tamen illa & fulget.*

...han. l. ...carn. ...i.

S. Io Chrys. in Philip. 2, 8.

57. Experientiâ assiduâ firmatum habemus, amico, è pristinâ inimicitiâ conciliato, semper diffidendum esse, nec unquam sine gravi discrimine ullam in ipso fiduciam collocari. D. Didacus Saavedra id è gladio discendum proponit, qui in duas partes disruptus, epigraphen tenet; NON SI SALDA. Id est; NON SOLIDATUR. Siracidis monitum est, *Ne credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum æruginat nequitia illius: & si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & custodi te ab illo.* Seneca, veluti à Siracide edoctus, in rem præsentem opportunissimè ait, *Nunquam fidelem credas eum tibi, quem ex inimico amicum habueris.* Hoc sensu in Apologetico suo S. Cyrillus, *Quare,* inquit, *timendus semper, & cavendus offensus est, quoniam tenax injuria, levis ira, expectata vindicta, tarda clementia.* Certè Absalon, posteaquam in Davidis, patris sui, gratiam, quâ ob interfectum Amonem exciderat, rediit: paulò post non tantùm adversus regnum, sed in ipsam etiam Patris sui vitam arma seditiosa est molitus. Triphon, cum Jonatha Machabæo conciliatus, non ita multò post eundem proditoriè necavit. Josephi fratres, tametsi innumeris favoribus in Ægypto cumulati, assiduâ tamen formidine agitabantur, ne ille injuriam, sibi olim illatam, ulcisceretur. Atque adeò rupta amicitia vix unquam in pristinam soliditatem coalescit, tum quòd offensum pectus assiduò ebulliat, hominemque ad vindictam expetendam provocet; tum quòd ipsemet offendens odium adversus personam offensam inexpiabile foveat, semperque in illius inimicitiam stimuletur, à quo timoris occasionem suspicari potest. Verissimè in Agricolæ vita dixit Cornelius Tacitus; *Proprium humani ingenii esse, odisse, quem læseris.*

Amico conciliato non fidendum.

Eccles. 12. 10.

Seneca.

S. Cyrill. l. 1. Apoll. mor. c. 23.

2. Reg. 15.

1. Mach. 13.

Corn. Tacit. in vita Agricolæ.

58. Gladius flammeus, in Genesi descriptus, (*posuit ante paradisum flammeum gladium*) Emblematis loco epigraphen suffixam habet; SECAT ET URIT. Hæc penè ipsa verba præiit illa Magni Augustini gnoma; *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.* Utraque verò illa igniti gladii virtus etiam purgatorii est propria. *Urit* enim, dum miseras animas sensibili & horrendo cruciatu torquet. *secat* autem, dum ligamina, quibus captivæ stringuntur, tandem disrumpit, iisque liberrimam ad cœlos evolandi facultatem facit. In rem præsentem opportunè S. Ambrosius & Rupertus Abbas, *flammei gladii* nomine incendium illud piaculare intelligunt, in quo piæ manes, necdum cœlo receptæ, exterguntur. Cæterùm quævis censura Ecclesiastica, inter quas præcipua Excommunicatio, illo gladii flammei symbolo scitè exprimitur; quippe quæ hominem non tantùm ab Ecclesiæ suffragiis fidelium consortio, sacramentorum usu, & sepulturâ Ecclesiasticâ *secat*, dirimitque; sed insuper eundem *urit*, & atrocissimis tam animæ, quàm corporis, & facultatum suppliciis excruciat, uti prolixè videre est in Theatro Magno, sub titulo, *Excommunicatio timenda*: & in Cardinalis Baronii Annalibus.

Gen 3. 24. S. Augustin. Purgatorium.

S. Ambros. Sermon 3 in psal. 118. S. Rup. Abb. in Gen. l. 3. c. 32.

Censura Ecclesiastica.

59. Senecæ judicio, *Gladium bonum dices, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distin-*

Senec. Ep. 76.

distinguitur, sed cui acies ad secandum subtilis; & mucro, munimentum omne rupturus. Unde lemma; E MUCRONE ÆSTIMANDUS. Ita omninò homines non fortunâ aut divitiis, sed moribus ac ingenii acie æstimandi: secus atque perversa ævi nostri consuetudo solos opulentos ac nobiles reveretur. Ut adeò verissimum sit illud Ovidii;

Virtus sola in homine æstimanda.
Ovid 1. Fast.

In pretio pretium nunc est; dat census honores,
Census amicitias, pauper ubique jacet.

Controversum olim erat inter Romanos, utrum Christus in Deorum numerum esset referendus, cum tantus ubique audiret Thaumaturgus? definitum tandem est negativè, quòd non haberet cultores, cùm paupertatem prædicaret, quam omnes recusant, quam quisque contemnit: uti refert meus Concanonicus Raymundus Jordanus, Idiota cognomine. Longè tamen sapientius hâc de re pronuntiavit Seneca; *Si quis, inquit, omnia alia habeat, valetudinem, divitias, imagines multas, frequens atrium, sed malus ex confesso sit, improbabis illum. Item si quis nihil horum, quæ retuli, habeat, deficiat pecuniâ, clientum turbâ, nobilitate, & avorum, proavorumque serie, sed ex confesso bonus sit, probabis illum.* Graviter ad Eugenium Pontificem S. Bernardus; *Non sit,* inquit, *in te acceptio personarum, non parvi te reum peccati æstimes, si facies peccatorum, non potius causas judicas meritorum.*

Idiota de Oculo myst. c. 6.
Senec. Ep. 76.
S Bern l 2. de Consid. c. 14.

60. Pileus (libertatis symbolum) à gladio sustentatus, epigraphen tenet; IN FERRO LIBERTAS. Populus enim, aliorum injuriis aut tyrannide oppressus, armorum virtute in libertatem ac pacem restituitur. S. P. Augustinus; *Non pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.* Et rursus; *Pacis intentione geruntur bella, ab iis etiam, qui virtutem bellicam student exercere. Unde pacem constat belli esse optabilem finem.* Porrò servi Dei, ferreis catenis cincti, ac flagellorum aculeis percussi, sensuum impetus reprimunt, asseruntur que *in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Bellum ob pacem.
S. Aug Ep. 205.
Idem l. 19 de Civit. c. 12.
Mortificatio.

61. Gladio intra vaginam recondito inscripsit Zincgrefius; PROMTIUS EXTRAHITUR, QUAM IMMITTITUR. Hinc conjice, bellum tardè esse auspicandum. Providè dixit Terentius; *Omnia prius experiri, quàm armis uti, sapientem decet.*

Bellum tardè auspicandũ.
Terent. in Eunucho.
Act 4 sc. 7.

HASTA. LANCEA

Cap. X.

62. SI Poetis fidem habeas, Achillis hasta eodem tempore & vulnerabat & sanabat. Unde illam hoc Ovidii hemistichio insignierunt; VULNUS, OPEMQUE GERIT. Idipsum assolet Deus, qui humanum pectus acri calamitatum aculeo nonnunquam transfigit, simulque ex illo ipso vulnere sanitatem felicissimam prohicit. E Job testimonio, *Ipse VULNERAT, ET MEDETUR, percutit, & manus ejus sanabunt.* S. P Augustinus; *Vitæ quiddam est tribulatio, utile medici ferramentum, & plagis illatis sanandis, & plagis avertendis, ne inferantur.*

Ovid. l. 1 de Remed.
Calamitas sanat.
Iob 5. 18.
S Aug in Psal 51.

63. Eidem hastæ inscribes; QUA VULNUS, SANITAS. Ita sanè è calamitatibus, quibus acerbè indies transfigimur, opportunissimam profectûs ac præsidii nostri occasionem desumere licet. Scitè Joannes Fran. Bonomus;

Calamitas medetur.

Vulnerat, & sanat, quos fixit Pelias hasta;
Sæpè eadem nobis, quæ nocuêre, juvant.

Remederi.

Inde etiam significatur, eundem vulneri obligando sanandoque teneri, qui illud incussit. Plutarchus; *Ut Telephi vulnus eâdem hastâ sanatum est, quæ vulnus inflixerat; ita vulnus objurgationis ab eodem sanabitur, qui fecit.* Et Ovidius;

Plut. in Moral.
Ovid. lib de Reme Amor.

Ad mea decepti Juvenes præcepta venite,
Quos suus ex omni parte fefellit Amor.
Discite sanari, per quem didicistis amare,
Una manus vobis VULNUS OPEMQUE feret.

Hanc operandi methodum quibusvis Correctoribus unicè observatam velim, ut linguâ suâ, ceu Achillis lanceâ, delinquentem proximum quidem feriant; sed mox eidem persanando antidotum obducant. Hieronymus Porti in Enthusiasmis suis poëticis eandem iconem non sine joco de venustâ, simulque immundâ fœminâ intelligit.

Correct[...]
Fœmin[a] pulchra simul im munda.

Zaccherosa, ma vaga,
Quanto lorda a la vista, al sen più cara:
Qual hor tua man m'impiaga,
Non mi te mostri di pietate avara:
Che passando lo stral per le tue dita,
Mandi insieme l'unguento, e la ferita.

64. Achillis lancea mox pristinam transfixo corpori sanitatem contulit, neque ullam è vulnere incusso cicatricem aut offensam reliquit. Unde lemma; NIL QUOD LÆDAT HABET. Has ipsas voces Sedulius in rosæ encomium usurpavit.

Et velut è spinis mollis rosa surgit acutis,
NIL QUOD LÆDAT HABENS.

Principis justi hæc idea est, qui in sceleratos nullâ aliâ, nisi Reipublicæ conservandæ causâ animadvertit. Bonus item ac prudens Paterfamilias verbera omnia unicè in servi aut filii emendationem ac progressum destinat. Hanc operandi methodum in Deo cernere licet, qui tum maximè in hominem apparet beneficus, quando illum calamitatibus pulsat. Tertullianus; *Ad omnia tibi occurrit Deus, idem PERCUTIENS, SED ET SANANS: mortificans, sed & vivificans; humilians, sed & sublimans, condens mala, sed & pacem faciens.*

Castiga[t.]
Calami[ta]s
Tertull. l. [...] cont. Mar[c.] c. 14.

65. Achillis hastam, quantumvis expolitam, & ad vulnera infligenda vibratam, hoc lemmate insignies, ET ISTA SALUTEM. Haud aliter Deus ipsam etiam perniciem nobis efficit beneficam, eamque demum in maximum salutis nostræ incrementum convertit. Testatissimè Apostolus; *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Omnia, etiam peccata,* subjungit S. P. Augustinus, *Nam prædestinati ex casu humiliores, cautiores, & ferventiores resurgunt.* Ad hoc propositum Justus Lipsius; *Tam provida Dei benignitas est, ut illam ipsam NOXAM IN SALUTEM nostram VERTAT, & peccatum in bonum.*

Calami[tas] utilis.
Rom. 8. 2[8]
S. Aug. l[ib. de] Corrept. grat. c. 1
Lips. l. 1 de Const. 7.

66. Complures hastulæ, in fascem colligatæ, epigraphen sustinent; UNITÆ VALENT. vel, UNIONE ROBUR. velut D. Sigismundus Laurentius easdem hoc lemmate loquentes introducit; NEC FRANGIMUR, NEC FLECTIMUR. Nimirum insigne illud Sciluri Scythæ factum Emblemate isto innuitur, qui, Plutarcho referente, suis quinquaginta filiis concordiam persuasurus, totidem jacula afferri jussit, quæ in fasciculum colligata, nullis viribus flecti poterant; separata verò, citra negotium frangebantur. S. Joannes Chrysostomus; *Nihil cum concordia comparandum, dilectissimi; sic enim singuli multorum instar erunt: si enim unanimes fuerint duo aut decem, jam non unus, sed singuli eorum quasi decem fiunt.* Ad hoc propositum Justus Lipsius; *Frequentia & multitudo civium, fundamentum est omnis potentiæ & diuturni status.*

Conco[r]dia.
S. Io. Chry[s.] Hom. 1. d[e] Dilect.
Lips. l. 1. Admir. c[...]

67. Hasta

67. Hasta militaris, cum Neptunio piscatorum tridente decussatim colligata, lemmatis loco adverbium subjunctum habet; UBIQUE. Sicuti enim tridens præliis navalibus, hasta verò terrestribus deservit; ita Belli ducem ubique locorum ex æquo fortem ac invictum esse oportet. Hoc ipsum etiam Principum illorum est ectypon, quorum imperiis Oceanus ac terra frænantur; uti sunt Rex Hispaniarum, Galliarum, & Angliæ; Respublica Veneta &c. Eruditè D. Carducius; (Potentia regia.)

Tridens, & hasta ubique regnat præpotens,
Quâ pontus undat, quaque tellus germinat.
Corona sic Hispana, ut orbis Arbitra,
Terræ, Marique jura dat palmaria.

Verissimè tamen de Deo, non terræ tantum ac maris, sed & Cœli Domino, ubique præsentissimo ac potentissimo, id intellexeris. S. P. Augustinus. *Deus ubique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cœlum & terram præsente potentia, non indigente natura.* (Deus ubique. S. Aug. lib 7. de Civit. c. 30.)

68. Hasta, quantumvis curva, caloris beneficio in formam rectam cogitur. P. Certanus Emblemati subscripsit; CALOR EXPLICAT. Ita solicita & assidua educatio pravas juvenum inclinationes ad directam virtutis lineam compellit. Correctio quoque, è charitatis ardore proficiscens, distortas & vitiosas hominum animas ritè emendat. Seneca; *Nihil est, quod non expugnet pertinax opera, & intenta, ac diligens cura. Robora in rectum, quamvis flexa revocabis. Curvatas trabes CALOR EXPLICAT, & aliter natæ, in id finguntur, quod usus noster exigit, quantò faciliùs animus accipit formam, flexibilis & omni humore obsequentior.* (Educatio. Correctio. Senec. Ep. 50.)

69. Hasta distorta, artificum more intra coarctatam forcipem complananda, epigraphen tenet; TORQUEAT DUM DIRIGAT. Ita omninò quævis anima, inter calamitatum angustias ad Deum conversa, jure dixerit, *Torqueat, dum dirigat.* Ex iis enim amplissimam virtutis & internæ rectitudinis occasionem sortiri potest. Seneca; *Quemadmodum quædam hastilia detorta, ut corrigamus, adurimus, & adactis cuneis, non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus; sic ingenia vitio prava, dolore corporis, animique corrigimus.* (Calamitas. Senec. lib. 1. de Ira.)

70. Hastam, in alterutrâ extremâ parte prehensam, nonnisi difficillimè sustinere licet; quamvis in medio arrepta, citra negotium in sublime attolli queat. Unde lemma; LEVIOR IN MEDIO. Idipsum in omnibus nostris operationibus experimur, quæ tametsi initio intolerabiles, consuetudine redduntur facillimæ. Benè dixit Pythagoras; *Elige vitam optimam, nam consuetudo reddet jucundissimam.* Ovidius; (Consuetudo. Pythag. Ovid. 4. Fast.)

Non sentitur sedulitate labor. (Idem lib. 1. de Arte.)

Et alibi;

Quod malè fers, assuesce; feres benè: multa vetustas
Lenit, at incipiens omnia sentit.

71. Aliquot hastæ, in fascem colligatæ, à Lucretio Borsato epigraphen recepêre; NE STATIM AD PRÆLIA. Innuit videlicet, hominem prudentem consiliis admodum maturis & tardis ad arma tractanda, ad pœnas infligendas, aut ad sanguinem fundendum permoveri. Unde, è S. Jacobi præscripto, quivis homo sit *tardus ad iram.* In hanc rem Seneca; *Animi motus eos putemus esse sanissimos, validissimosque, qui nostro arbitrio ibunt, non suo ferentur.* (Consilium maturum. Iacob. 1. 19. Senec. lib. 2. de Ira c. 35.)

Mundi symbol. Picinelli & Aug. Erath. Tom. II.

72. Hasta, à Latinis *pura*, id est, sine ferro, cognominata, cæteras omnes nobilitate superabat. Unde Virgilius de Sylvio, Albanorum Rege, disserens, eum hastæ puræ innixum repræsentat; (Virg. lib. 6. Æneid. v. 760.)

Ille (vides) pura Juvenis qui nititur hasta.

Plinius illustria præmia bellica, à L. Dentato acquisita, recensens, ait; *Spolia cepit triginta quatuor, donatus hastis puris duodeviginti.* Eò reflectens Raulinus, hastam puram hoc lemmate insignivit; SINE CUSPIDE NOBILIOR. Ita nimirum clementia est ornamentum Principis longè nobilissimum. *Ita enim virtutes magnis viris decori, gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est*; inquit Seneca. (Plin lib. 7. cap. 28. Clementia. Senec. lib. 1. de Clement. cap. 3.)

73. Serpens, lanceâ adversus terram transfixus, conatu prorsus irrito caput dentesque efferatos in illius offensam erigit. Unde lemmatis vice unicum adverbium sustinet; FRUSTRA. Hanc iconem ex Ariosti versibus, alibi adductis, mutuavimus. Ab hoc nihil difformis Prudentius, canit; (Mund. Symb lib. 7. n. 6. Prudentius Peristaphanon Hymn S. Rom. Mart.)

Sic vulneratus anguis ictu spiculi
Ferrum remordet, & dolore sævior,
Quassando pressis immoratur dentibus,
Hastile fixum: sed manet profundius,
Nec cassa sentit morsuum pericula.

Ita nimirum malitia adversus innocentiam & justitiam conatu prorsus irrito fatigatur. Judæi certè, *Acuerunt linguas suas sicut serpentes*: simulque livore pleni *adversus Dominum & adversus Christum ejus* insanierunt. At incassum omnia, nam *gentes & populi meditati sunt inania.* Innocentiam alloquens S. Chrysostomus, ait; *Tibi boni parent, mali invident, zelant æmuli, inimici succumbunt, nec unquam poteris victrix non esse, etiamsi inter homines judex justus defuerit.* (Innocentia. Malevolus. Psal. 139. 4. Psal. 2. 2. Psal. 2. 1. S. Chrysost. in Homil.)

74. D. Didacus Saavedra Emblematis loco lanceam, ceu palum, in terram defixit, quæ oleæ ac viti sustentandæ deserviens, epigraphen monstrabat; IN FULCRUM PACIS. Hinc discas, bellum nonnisi pacis recuperandæ propagandæque causâ inchoari debere. S. P. Augustinus; *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.* Et Epaminondas, in Apophtegmatis citatus; *PAX BELLO PARATUR: nec eam tueri licet, nisi cives sint ad bellum instructi.* (Bellum. S. Aug. To. 2. Epist. 207. Apoph. lib. 5.)

75. Lanceæ fastigium, viridi ramulo cinctum, epigraphen sustinet. IN ABDITO CUSPIS. Hoc Emblema, in argumenta plurima accommodatum, delitias humanas cumprimis describit, quæ nunquã sine sociâ calamitate incedunt. Boëthius; *Quid de corporis voluptatibus loquar? quarum appetentia quidem plena est anxietatis: satietas verò pœnitentiæ? Tristes verò esse voluptatum exitus, quisquis reminiscitur libidinum suarum, intelliget.* Detractor quoque sub encomiorum schemate lethalem alienæ famæ transfigendæ aculeum abscondit. Denique Proditor fallacibus suis blanditiis tamdiu socium inescat, donec hostes illum ex insidiis adoriri queant. (Delitiæ mundanæ. Boet. lib. 3. de Consol. Detractor fallax. Proditor.)

PAPILIO.

Cap. XI.

76. Papilio, quantumvis angustum terræ spatium occupans, ab Abbate Ferro epigraphẽ recepit. TECTUM MILITIBUS AMPLUM. Enimvero ò domus, à magnanimo pectore habitata, nequaquam dici potest angusta. Optimè in eã nostrã Petrarcha; *Nulla tã parva domus est, quã non amplificet magnanimus habitator.* Illo ipso Emblemate etiã Paradisũ ceu immensũ gloriæ papilionem, describere licet, quam (Domus angusta. Petrarcha 2. de Remed. dial. 1. Cœlum.)

 Domi-

Baruch. 3. 24. Dominus exercituum suis sequacibus est fabricatus. *O Israel*, exclamat attonitus Propheta, *quàm magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis ejus? Magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus!*

77. Papilio, militibus ad fervidæ æstatis, & rigentis hyemis intemperiem prohibendam ex æquo accommodatus, epigraphen à me recepit; E DAL CALDO, E DAL GELO. Id est, A FRIGORE, ET ÆSTU. Ita Protector è munere suo validam adversus omnes sinistros eventus tutelam subministrare debet; atque adeò, Isaiâ asserente, *Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine & à pluvia.* De Maria Virgine id comprimis intelligere licet, Nam, ut D. Bernardus ait, *Ipsa tenente, non corruis; ipsâ protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; quâ propitiâ pervenis; &c.* Acta Apostolorum testantur, S. Paulum fuisse *Scenofactoriæ artis.* Unde ad hanc illius conditionem reflectens Sacer Poëta Aratus, ait, Apostolum illum non tantùm pelliceis papilionibus conficiendis, dedisse operam; sed ipsummet prodigiosi papilionis loco deservisse, sub cujus umbra adversus inundantes scelerum pluvias, & igneos suggestionum ardores summa erat tranquillitas.

Protectio. Isa. 4. 6. Maria V. S. Bernard. in serm. Act. 18. 3. S. Paulus. Aratus in Act. Apost.

----- Tentoria quippe
Fortia nobilibus fabricab it in aggere textis.
Longius hæc abiens peregrinus ubique viator
Erigit, atque HYEMES, SOLESQVE hîc pellibus ARCET.
Nos quoque per culpam prima de sede repulsi
Exilio mundi jacimur, viæ reddita tandem
Qua patriæ repetamus iter, munimina nobis
In castris sunt Paule tuis, ne criminis imbres
Tempestas munda ferat, sceleramque vapores
Ignitus tentator agat. sub tegmine tali
Tuta salus, nullum discriminis excipit ictum,
Nec prostrata feris succumbit viribus hostis.

PHARETRA.

Cap. XII.

78. NOnnemo, mortuâ quâdam dilectâ personâ, doloris sui vehementiam significaturus, pharetram vacuam depinxit; cum lemmate, HÆRENT SUB CORDE SAGITTÆ. Id tamen inficias non iverim, hanc iconem ab Emblematis naturâ nonnihil deficere, cùm expressè nitatur sensu allegorico. Ea tamen pharetræ pictura in Divinam Matrem convenit, quæ licet supra Calvariæ rupem nullo exteriore vulnere esset saucia, in pectore tamen acerbissimas doloris & commiserationis sagittas altùm defixas habuit. Richardus à S. Laurentio; *Ipsa fuit Martyr in anima: & gladius doloris qui pertransivit animam ejus in Unigeniti passione, pro amarissimo ei martyrio computatur.* Idem ad Crucifixum conversus, ait; *Omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde: & sicut lancea militis perforavit latus tuum. Joan. 19. ita gladius doloris ejus animam pertransivit. Luc. 2.*

In morte. Maria V. in Calvariæ monte. Rich. à S. Laur. lib. 3. de Laud. Virg. Idem lib. 1. cap. 5.

79. Abbas Ferrus pharetræ subscripsit; SOMMINISTRA AL FERIR GLI STRALI AL ARCO. Id est; ARCUI TELA MINISTRAT. Idipsum malus consiliarius assolet, qui Principi violentas & injustas actiones suggerit. Ita Regis Darii Satrapæ grandem illum Monarcham adversus Danielem concitabant. Aman sceleratis suis suggestionibus Regem Assuerum ad mortem adversus innocentes Israëlitas decernendam provocavit. Jonadab excæcato Ammoni nefandas artes subministravit, ut incæstuosos suos furores cum venusta Thamare posset exequi. Pharisæi, horrendum vociferati, Pilatum compulêre ad Christum in crucem agendum. Jobi uxor malignis suis vocibus heroem illum fortissimum ad execrandas blasphemias lacessere est ausa. *Adhuc*, inquiebat nequissima, *tu permanes in simplicitate tua. Benedic Deo, & morere.* Et licet has voces, conatu prorsus irrito adversus ipsum sparserit, vires tamen in Jobi animum tantas habuere, ut eum acerbissimè sauciârint, & vehementissimos stimulos ad impatientiam subjecerint. S. Joannes Chrysostomus; *Ego non tam Jobum admiror ante mulieris adhortationem, ut mihi est admirabilis post illius perniciosum consilium. Sæpè accidit, ut quem rerum natura evertere non potuit, oratio, & exitiosa adhortatio frangat: id cùm diabolo nequaquam esset ignoratum, post plagam inflictam verbis hominis adoritur.* S. Laurentius Justinianus imaginem illam in meliorem partem interpretatus, ait, è Sacra Scriptura, ceu pharetra instructissimâ, acutas sagittas subministrari ad quasvis hostium vires validè transfigendas. *Et quidem Sacra Pagina pharetra quadam spiritualis, in qua sagittæ acutæ & ignitæ latitant. Hanc nemo Deo militans derelinquat, assiduo cogitatu virtutem intelligat scripturarum, ut juxta qualitatem suggestionis, responsionis intorqueat jaculum.*

Consiliarius malus. Iob. 1. 9. S. Io. Chrys in Caten. S. Scriptura. S. Lau. Iu de casto Conub. cap.

PYROBOLUS.

Cap. XIII.

80. ALphonsus I. Dux Ferrariensis, Symboli loco, pyrobolum prætulit, qui in aëre diffringens, flammas ac perniciem spargit. Epigraphen Gallicam subjunxit; AU LIEU, ET TEMPS. Id est; LOCO, ET TEMPORE. Nam è prudentiæ præscripto, in quibusvis gravibus negotiis opportuna occasio est captanda. Octavianus Imperator in imperii sui exordio hanc à Dione parænesim accepit. *Non statim omnia, uti decretum erat, executus est; veritus ne parùm succederet, si simul homines transferre & invertere vellet: sed quædam in tempore disposuit, quædam REIECIT IN TEMPVS.* S. Irenæus id à Dei Filio studiosissimè observatum testatur. *Præcognita sunt hæc omnia à Patre: perficiuntur autem à Filio, sicut congruum & consequens est, APTO TEMPORE: propter hoc properante Mariâ ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare compendii poculum, Dominus repellens eius tempestivam festinationem, dixit; Quid mihi & tibi est mulier?* S. Rupertus Abbas in illis Isaiæ Seraphinis animadvertit, quòd sex alis instructi, duabus tantum ad volandum sint usi: atque *volabant pro LOCO, ET TEMPORE.*

Prudentia. Dion. lib. S. Iren. lib. cont. Hære. cap. 18. Isa. 6. 2. S. Rup. lib. de Trinit. oper. cap.

81. Academici Animosi Novatienses Symboli universalis loco globum, à pyrobolo sparsum, præferunt; qui novo militari stratagemate ad litteras in obsessam civitatum jaciendas deservit. Epigraphen subjunxêre; PER TELA, PER IGNES. Innuebant videlicet, nobilissima sua ingenia inter medios grassantis Bellonæ furores nunquam à litteratis Academicorum exercitationibus destitisse. Quippe, Tullio teste, *Ad magnanimum pertinet, ea, quæ videntur acerba, ita ferre, ut nihil à statu naturæ discedat, nihil à dignitate sapientis.*

Studiosus. Magnanimus. Cicero lib. 1 de Offic.

82. Flamma, in pyrobolo conclusa, libertatem anhelat, ac, veluti carceris impatiens, sphæ-

ram

ram illam assiduis motibus jactat. Unde D. Emmanuel Thesaurus Comes in Optico suo Aristotelis Tubo pilam punicam, ab inquilino igne agitatam, ingenioso hoc lemmate insignivit; NESCIA STARE LOCO. Martium, vel etiam iracundum ac impatientem hominis animum hoc Emblemate describes. Seneca, inter cætera hominis iracundi lineamenta, etiam hæc recenset; *Torva facies, citatus gradus, inquieta manus &c.*

Bellicosus. Iracundus. *Senec. lib. 1. de Ira cap. 1.*

83. Academicus, inter Errantes Brixienses pertinax, Symboli loco sphæram, nitro & piceis fomentis gravidam, præfert; quæ aquis injecta accenditur, & veluti humido illi elemento insultans, ignem vomit. Epigraphen subjunxit; ETSI MILLIES SUBMERGATUR. Ita animus generosus, quocunque miseriarum Oceano inundante, nunquam non superior evadit. In encomium D. Pauli ait S. Joannes Chrysostomus; *Quemadmodum si scintilla ignis quædam, quæ extingui nequeat, in mare prolapsa, incursantibus multis fluctibus, pessum eat, rursusq; splendida emergat, ad eundem quoque modum B. Paulus nunc quidem periculis velut conflabatur, nunc verò ex ipsis emersus nitidior ac splendidior ascendebat, eo ipso, quod vexabatur victoriam referens.*

Generosus anim[9]. *S. Io. Chrys. Hom. 25. in Epist. 2. ad Corinth.*

84. Pyrobolus, in aëre dissiliens, viva passim incendia spargit. Unde lemma; NON SE CAPIT INTUS. Mei Concanonici ad S. Mariam de Passione Mediolani opportuno hoc Emblemate immensam D. Caroli charitatem significabant, quæ se intra solius pectoris angustias concludi minimè sustinens, in sexcentas operationum flammas erupit: unde ad sublevandam pauperum egestatem integros principatus vendidit: ut peccatores ad frugem revocaret, assiduò non sine valetudinis jacturâ è pulpitis detonuit. In Xenodochiis frequens, opem ægrotis liberalissimam tulit &c. Usque adeò S. Bernardus eodem charitatis igne exæstuans, jure exclamet; *O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuose!*

Charitas S. Caroli. Amoris vis. *S. Bernard. Serm. 79. in Cant.*

85. Pyrobolus diffringens, & immodicam flammarum vim passim evomens, epigraphen sustinet; VIM VI. Quasi nimirùm ignis diceret; quia violento sphæræ gravatæ sinu captivus detineor, ideò vim vi repressurus, mutuâ violentiâ carcerem effringo, meamque libertatem cum illius dispendio vindico. Ad hoc propositum Justinianus Imperator; *Jus gentium est, quo gentes humanæ utuntur, solis hominibus inter se commune: veluti ergo Deum religio; ut parentibus, & patriæ pareamus; ut vim atque injuriam propulsemus.* Has tamen pòstremas duas propositiones sano ac moderato sensu intelligas velim. Optimè Ovidius;

Vindicta justa. *Initio ff. l. 1. 2 & 3 ff. de Iust. & Iur.* *Ovid. lib. 3. de Arte.*

> *Judice me, fraus est concessa, repellere fraudem,*
> *Armaq; in armatos sumere jura sinunt.*

85. Pyrobolus non alio fine rumpitur, nisi ut fragmina sua, passim dispersa, stragem inferant. Unde lemma; DISRUMPOR, UT NOCEAM. Seu, DUM NOCEAM, PEREAM. Hæc ipsa animi fortis ac resoluti est indoles, qui injuriam adversus hostes suos vindicaturus, ipsum etiam propriæ vitæ dispendium parvi æstimat. Certè Samson, ut Philistæis stragem inferret, liberrimam vitæ suæ jacturam fecit. Et Zopyrus Babyloniam, civitatem nobilissimam expugnaturus, Justino referente, *Domi se verberibus lacerari toto corpore jubet, nasum, & labia, & aures sibi præcidit.*

Inimicus generosus. *Iudic. 16. 30.* *Iustin. lib. 1.*

87. Ignis succensum globum pyrium in aëra sublevat. Lemma; SURSUM RAPIT IGNIS. Ita S. Ignatius Loyola, amore Divino succensus, quatuor fermè cubitis à terra elatus pendebat. Cæterùm ea sancti amoris vis est, ut mortales illius beneficio passim è terris ad cœlos evolent. Testatissimè S. P. Augustinus; *Quisquis dilexerit Deum & proximum, animam habet pennatam, sancto amore volantem ad Deum.* Et alibi; *Sancti amoris flammâ ardentes Martyres, fœnum carnis robore mentis arserunt. Ipsi autem integri spiritu, ad eum, quo sunt accensi, pervenerunt.*

S. Ignatius Loyola. Amor ad cœlum elevat. *S. August. in Psal. 103. Idem ser. 31 à Sirmondo addit. Tom. 10.*

SAGITTA.

Cap. XIV.

88. Aliquot sagittæ, adversus marmor vibratæ, epigraphen monstrant; INFRINGIT SOLIDO. Verbis ex Horatio mutuatis;

> - - - *Fragili quærens illidere,*
> *Infringit solido.*

Ita nobile hominis pectus omnes adversantium vires enervat ac reprimit. Seneca; *Ut tela à duro resiliunt, cum dolore cadentis solida feriuntur: ita nulla magnum animum injuria ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit;* Cæterùm S. Ecclesiæ Doctores, seu saxa durissima, quasvis sagittas, à gentilibus ac hæreticis sparsas, infringunt; *Et sicut mortiferas sagittas, sic insana verba perversæ cogitationis eorum, de impia cordis pharetra procedentia, Doctores quasi lapides vivi suscipiunt, & fidei VIRTUTE CONFRINGUNT,* inquit in rem præsentem opportunè Author operis imperfecti.

Resistere. *Sen ... 9. de ... p. 5* Hæretici reprimuntur. *Auth. Oper. Imp Hom. 10 in Matth.*

89. Sagitta epigraphen præfert; CONSEQUITUR, QUODCUNQUE PETIT. Ita Minister prudens operam suam vix unquam inanem collocat. Illius quoque hanc effigiem dixerim, qui nunquam non voti sui se compotem experitur. Eadem tamen cumprimis in animam orantem convenit: Nam S. Marco teste, *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* S. P. Augustinus; *Fit in oratione conversio mentis ad Deum, qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit.* Hoc sensu Christophorus Finottus;

Minister prudens. Oratio. *Marc. 11. 24* *S. Aug lib. 2. de ser. Dom. in monte c. 8* *Finote dist. 92.*

> *Posce Patrem; dicto citiùs dabit omnia; Montes*
> *Vel si collibeat tollere, vota feres.*

90. Carolus Rancatus sagittæ volanti inscripsit; NUNQUAM FRUSTRA. Verbis è Statio mutuatis;

Stat. in Epithalam. Stelli.

> *Hic puer è turba volucrum: cui plurimus ignis*
> *Ore manuq; levi nunquam frustrata sagitta.*

Eidem Emblemati etiam hanc inscriptionem cum priore synonymam subjunges; NUNQUAM IRRITA. Bellidusis fortunati hic typus est, cujus operationes nunquam non è votis & ex animi sententia succedunt. Alcidis sagittas hâc prærogativâ insignes deprædicat Seneca;

Bellidux fortunatus. *Seneca in Hercul. Oeteo.*

> - - - *Munus Alcide cape*
> *Has Hydra sensit: his jacent stymphalides,*
> *Et quidquid aliud eminus vici malum;*
> *Victure flexi, has enim NUNQUAM IRRITAS*
> *Mittes in hostes.*

Oratio quoque nunquam à Deo recedit irrita; S. Augustini monitum est; *Non deficiamus in oratione; Ille quod concessurus est, etsi differt, non aufert. Securi de pollicitatione ipsius, non deficiamus orando.*

Oratio. *S. August. in Psal. 65.*

91. Tres sagittæ simul colligatæ, fœdus illud repræsentabant, inter Pium V. Philippum II. & Rempublicam Venetam adversus Turcas sancitum. Epigraphe subjuncta erat; VIS NESCIA VINCI. Emblemati huic affine est illud Alciati, in quo, sub

Concordia.

Concordia. sub titulo *Concordia insuperabilis*, tricorporis Geryonis statuam sequenti epigrammate illustrat;

Ter geminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta simul pietas mutua: & unus amor.
Invicti humanis ut viribus ampla teneret
Regna uno dicti nomine Geryonis.

Prov. 18.7. Diog. Laert lib. 6. cap. 1. Dilucidè Salomon; *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma.* Laërtio referente, Antisthenes dixit; *Fratrum, qui essent concordes, convictum omni muro dixit esse fortiorem.*

Profectus. 92. D. Aresius sagittæ volanti inscripsit; DONEC DEFECERIT, NON CONVERTETUR. Assiduum in virtute progressum hoc Emblemate delineabis. Davide teste, *2. Reg. 1. 22.* *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reversus inanis.* Hac de re eruditè S. Hieronymus; *S. Hier. Epist. ad Celantiam.* *Totum spatium vitæ tuæ sit, ut peragere possis justitiam; ne de præterita justitia confidens remissior efficiaris.*

93. Fuit, qui telum, è nervo jactum, hoc lemmate notaret, INSTAT ALTERUM. Ad verbum *Plaut. in Penulo.* Plautus; *Priusquam unum est injectum telum, tum instat alterum.* Ita omnino sicut unda trudit undam, sic unam miseriam è vestigio insequitur altera. Miseria una ex altera. Testem locupletem habeto Jobum; cùm enim vix primùm de direptis armentis nuntium audivisset, *Iob. 1. 16.* *venit alter, & dixit, ignis Dei cecidit de cœlo.* Et mox; *Sed & illo loquente venit alter. &c.* Et paulò post: *Adhuc ille loquebatur, & ecce alius intravit. &c.* Verissimè meus Thomas Kempensis; *De Imit. c. 13 n. 3. l. 1.* *Non est homo securus à tentationibus totaliter, quamdiu vixerit: quia in nobis est unde tentamur, ex quo in concupiscentia nati sumus: Unâ tentatione seu tribulatione recedente, alia supervenit; & semper aliquid ad patiendum habemus. &c.*

94. Incomparabilis adeò est sagittæ valor, ut Excellentia. scopum feriens, epigraphen monstret; NEC VINCI, NEC ÆQUARI. Hâc loquendi ratione Vellejus Paterculus Homerum celebrat; *Vell. Paterc. lib. 1. Hist.* *Neque ante illum, quem imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est.* Et Octavianum Augustum Horatius; *Horat. lib. 4 Carm. od. 2.*

Quo nihil majus, meliusve terris
Fata donavêre, boniq; Divi:
Nec dabunt; quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.

4. Reg. 23. 25. De S. Rege Ezechia testatur Oraculum Divinum; *SIMILIS ILLI NON FUIT ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua juxta omnem legem Moysi, NEQUE POST EUM SURREXIT SIMILIS ILLI.*

Regna. 95. D. Didacus Saavedra sagittæ volanti subscripsit; O SUBIR. O BAXAR. Id est; AUT ASCENSUS, AUT CASUS. Innuebat videlicet, Principum regna, si non crescant, imminui & corruere. *Lips. Centur. 3 ad Belg. Epist. 31.* *Magna imperia,* teste Lipsio, *limites suos habent, quò cum venitur, sistunt, retroeunt, ruunt.* Quin etiam spiritualia nostra negotia persistentiam Profectus. adeò nullam patiuntur, ut anima vel in melius proficiat, vel præcipiti ruinâ in interitum cadat. S. Bernardus; *S. Bernard. Epist. 253.* *Vidit scalam Jacob, & in scala Angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit; Sed VEL ASCENDERE, VEL DESCENDERE videbantur universi: quatenus palam daretur intelligi, inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri.*

96. Telum, è nervo vibratum, Ferro authore epigraphen sustinet; VOLAT IRREPARABILE, seu IRREVOCABILE. De hoc vitæ humanæ symbolo Ovidius; Vita humana. *Ovid. 5. Fast.*

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt fræno non remorante, dies.

Et Horatius; *Horat. l. 4. Carm. Od.*

Cùm semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non Torquate genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.

Salomonem in medio luxu querentem audi; *Nos nati continuò desivimus esse.* *Sap. 5. 13. Senec. Ep.* Seneca; *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cùm crescimus, vita decrescit usque ad hesternum, quidquid transiit temporis, periit. &c.*

94. Sagitta è nervo jacta, & volans, epigraphen ex Horatio sustinet; *Horat. in Arte.* NESCIT MISSA REVERTI. Hinc disces, injurias, adversus alienam famam à lingua nostra sparsas, nonnisi ægerrimè revocari Detractio posse. S. Petrus Damianus; *S. Pet. Dam. Serm. 64. de vitio lingu.* *Pœnitet quidem omninò, tam incautè noxia protulisse, sed remedium non occurrit, quia quod SEMEL EMISSUM est, NON POSSUM REVOCARE. juxta quod Flaccus ait;* Verbum irrevocabile. *Et semel emissum VOLAT IRREVOCABILE verbum.*

98. E. S. P. Augustini sententia, bonus Prædicator *Non alta, sed apta* pro concione dicat. Unde Prædicator. Prædicatoris symbolo sagittam incidi facies, quæ versus metam vibrata, epigraphen sustineat; NON ALTE, SED APTE. In hoc argumentum Sanctus Gregorius Papa; *S. Greg. lib. Moral.* *Debet subtiliter is, qui docet, prospicere, ne plus audeat, quàm ab audiente capitur. Prædicare debet, ad infirmitatem audientium semetipsum coutrahendo descendere, ne dum parvis sublimia, & idcircò non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse.* Gilibertus Abbas ad illa Apostoli verba reflectens, *Gilib. Abb. in 1. Cor. 3.* *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam &c.* ait; *Utinam istud attendant, qui facturi in conventu fratrum sermonem, student MAGIS ALTA, QUAM APTA dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. &c.*

96. Telum, pro sagittarii nutu è nervo extento volans, à Bargalio epigraphen accepit; Obedientia. HAUD QUAQUAM MORA. Velocem & acceleratam hominis obedientiam hoc Emblemate dignosces. S. Bernardus; *S. Bernard. ser. de Gr. obedientiæ* *Velociter currit homo Dei, & velocem habere desiderat sequentem. Viam mandatorum tuorum cucurri, inquit David. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem.* Et S. Joannes Chrysostomus, de Patriarcha Abrahamo *S. Io. Chrys. Hom. 32. in Genes.* differens; *Mox ut audivit, Egredere de terra tua. Gen. c. 12. NON MORAS NEXUIT, non distulit, sed obediens imperanti, quod imperatum erat, mox fecit.*

100. Calumniæ adversus virtutem conatu prorsus irrito jaciuntur; haud secus, atque complura tela in cœlum sparsa, Calumnia. IRRITA CADENT. Scitè Justus Lipsius; *Lips. l. de vera Relig.* *Ut tela quædam, in cœlum emissa, ire eò videntur, non eunt: sic malitiosorum calumniæ bonos non tangunt.* Et Seneca; *Senec. l. quod in sapient. non cadat injuria. c. 3. & 4.* *Non refert, quam multa in illum conjiciantur tela, cùm sit nulli penetrabilis.* Et rursus; *Quid igitur? non erit aliquis, qui sapienti facere tentet injuriam? Tentabit, sed non perventuram ad eum; Majore enim intervallo à contactu inferiorum abductus est, quàm ut ulla vis noxia usq; ad illum vires suas perferat.*

101. Ho-

Justus non potest offendi.

101. Hominis justi vita adeò est sublimis, ut ad eam transfigendam nullæ hominum calumniæ exporrigantur: haud sane aliter, atque jacula, adversus stellas sparsa, DECIDENT INFRA. Seneca; *In insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit, & arce se sua vindicat. Infra illam omne telum cadit.* Et alibi; *Etiam cùm potentes, & imperio editi, & consensu servientium validi, nocere ei tentent, tam circa sapientem omnes eorum impetus deficient, quàm quæ nervo, tormentisque in altum exprimuntur, cùm extra visum exilierunt, citra telum tamen flectuntur.*

Senec. Ep. 82. Idem lib. de Constant. Sap. cap. 4.

102. P. Magister Paulus Richiedei, Academicus inter Errantes Brixienses Incitatos, & insigne Ordinis Dominicani decus, nec minus in poësi, quam prosâ celeberrimus, symboli loco sagittam volantem præfert, quæ ignem in aëre concipiens, epigraphen monstrat; IGNESCIT EUNDO. Ni fallor, hæc imago ad illam Alcestæ sagittam alludit, quæ, si Virgilio fidem habeas, volando exarsit;

Virgil. l. 5. Æneid. v. 525

Namq; volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitque viam flammis, tenerosque recessit
Consumpta in ventos.

Consuetudo.

Mens Emblematis est, homines assiduâ exercitatione ac consuetudine ad operationes, sive laudabiles, sive vitiosas, plurimùm concitari, tandemque in eas ardentissimè succendi. Et quidem de virtutibus ait Origenes; *Ex justitia generatur justitia, & ex castitate castitas. Si enim primò tenuiter castus esse cœperit, accepto castitas fomento, quotidie castior efficitur.* Ad idem argumentum Salomon; *Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit.* De vitiis ait S. Basilius; *Unum peccatum aliud velut congenitum per gradus excipit, ceu fornicatio fornicationem, & ipsa assuefactio mendacii mater fit mendacii: & qui mentem diu exercuit ad furandum, multo jam negotio aggreditur iniquitatem.*

Orig. Hom. 23. in Num. Prov. 4. 18. S. Basil. in cap. 9. Isa.

Clementia Principis.

103. P. Raulinus ad superioris numeri Alcestam alludens, sagittam figuravit, quæ è nervo jactata, epigraphen tulit; CONSUMET FLAMMA VOLANTEM. Enimverò sicuti flamma sagittam ex arcu volantem comburit, ejusque fatalem ictum prohibet; ita Princeps clemens amoris sui incendio tela omnia, à justitiæ rigore adversus subditos sparsa, mitigat & consumit. Theodatus, Italiæ Rex, cùm ad solium promoveretur, Cassidoro referente dixit; *Mutavimus cum dignitate propositum, & si antè justa districtè defendimus, nunc clementer omnia mitigamus.* Porrò lethalis illa sagitta, adversus Ezechiam; uti & altera in extremum Hierosolymæ excidium emissa, ab amoris igne, quo Deus erga Davidem exarserat, penitus absumpta fuit: nam, quod Regum Fasti testantur, in optimi Davidis gratiam, Deus justum illud supplicium in benevolentiam suavissimam convertit. *Addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te, & civitatem hanc, & protegam urbem istam propter me, & propter David servum meum.*

Cassiod. lib. 10. Var. 4. Reg. 20 6.

Exercitus sine Duce.

104. Asserente D. Joanne Bapt. Mazzoleno, jaculum, dirupto mucrone, AD NIHILUM VALET ULTRA. Ita Exercitus, ob iniquam Belliducis interfecti sortem consternatus, nullam amplius victoriæ spem habet residuam. Hæc penè ipsa verba præiit Justinus Historicus; *Nam sicuti telo; si primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris: sic illo (* de Epaminonda loquitur *) velut mucrone teli ablato Duce Thebanorum, Reipublicæ vires hebetatæ sunt, ut non tam illum amisisse, quàm cum illo interiisse omnes viderentur.*

Justin. Hist. lib. 6.

Desiderium frustratum.

105. Sagitta, versus scopum jacta, epigraphen à me recepit. NON QUODCUNQUE PETIT. Illa enim à destinata meta nonnunquam deflectit, &, Horatio teste;

Non semper feriet quodcunque minabitur arcus.

Adamus, à suprema lege prævaricatus, animo nimiùm quantùm arrogante Divinam excellentiam assequi cogitavit; at prô! quantùm à scopo aberravit miser! eo enim superbiæ suæ conatu in extremam mortis calamitatem fuit præcipitatus. Saul, iteratis vicibus sagittas adversus innocuum Davidem ejaculatus, nunquam non scopo præfixo excidit. Adonias summâ quidem solicitudine Abisag sibi desponsare moliebatur; at hæc vicissim miserrimo proco violentam mortem est machinata. Solymannus, Turcarum Imperator in occupanda Vienna operam penitus inanem collocavit. Alphonsus Albuquercius assiduis consiliis artes maximè opportunas investigabat, quibus, ad sterilitatem toti Ægypto inducendam, Nilum fluvium è cursu suo divertere, Machometi cadaver flammis absumere, ejusque tumbam deprædari posset, at fine suo delusus, vitâ excessit. Gustavus Adolphus, Suecorum Rex, ad Imperii Romani fastigium aspirans, omnes penè Germaniæ provincias ac civitates violentis armis infestavit: at cùm imperiali coronæ manum jamjam victricem admoveret, fallente vestigio in funebrem tumbam præceps corruit, & in aperto campo exanimis, proprioque sanguine purpuratus jacuit. Cæterùm etiam in oratione experimur non semper impetrari, quod vel malè vel contra Dei voluntatem desideramus; S. P. Augustinus; *Deus tollit quod malè desiderasti, & docet, quod debeas bene desiderare.*

Oratio non exaudita. S. Aug. in Psal. 43.

106. Alcon Cretensis, cùm filium suum inter horrendi draconis amplexum cerneret, sagittam tantâ dexteritate est ejaculatus, ut illæso filio, draconem interfecerit; uti Virgilius, Sidonius Apollinaris, Valerius Flaccus, aliique testantur. Eò alludens nonnemo, sagittam figuravit, quæ serpentem, manu sustentatum, transfixerat; cum lemmate; FERIENDA FERIT. Seu, PETENDA PETO. Ita prudens Medicus aut chirurgus solam affectam partem incidit, reliquo corpore penitus illæso. Corrector item discretus, sine ulla peccatoris offensa, solius vitii jugulum petit. David ultricem Dei manum inclamans, ait; *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum.* Sed quid inde? *Consumetur nequitia peccatorum.* Volebat nimirum Rex sapientissimus in sola vitia, non autem in caducos & fragiles homines à Deo animadverti. S. Joannes Chrysostomus; *Quærit, ut peccatum de medio tollatur; non ut sumat pœnam de inimicis.*

Virgil. in Eclog. Medicus. Corrector. Psal 7. 7. ibid. n. 10. S. Chrysost. in hunc loc.

S. Thom. Aquinas.

107. D. Aresius in S. Thomæ Aquinatis panegyrico demonstravit, omnes Magni illius Doctoris opiniones ac sententias singulari suo acumine vigere. Unde Emblematis loco complures sagittas intra eandem pharetram expressit, addito epigrammate; NULLI DEEST ACIES. Hanc epigraphen jure optimo etiam de Senecæ Epistolis intellexerim; illarum enim quælibet peculiari suâ vivacitate & acrimoniâ excellit. Idipsum de Martialis poësi pronuntiat Plinius Junior; *Erat homo ingeniosus, acutus, & qui plurimùm in scribendo, & salis haberet & fellis, nec candoris minus.*

Plin. Jun. Ep. ad Corn. Priscum.

Innocentia persecutioni obnoxia.

108. Compluribus sagittis, in candidum scopi, seu orbitæ ligneæ umbilicũ sparsis, epigraphẽ subjunxi; OMNES IN ALBUM. Innuebã videlicet, Satyricas ac pungitivas malevolorum linguas unicè adversus innocentiam collineare: indies enim experimur, plerisq; persecutionum sagittis metam vix unquam esse aliam præfixam, nisi virtutis & meriti candorẽ.

Josephus, præ cæteris omnibus Jacobi Patriarchæ filiis candidus ac meritis insignis, omnium fratrum suorum invidiâ in se unum concitatam sensit. Genescos testimonio; *Filius accrescens Joseph, filius accrescens, & decorus aspectu. Sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt, inviderunt[que] illi habentes jacula.* In rem præsentem ait Epictetus; *Sapientiæ studium suscipere cupis? statim te para, quasi futurum sit, ut deridearis, ut multi te subsannent.* Et Sanctus Prosper;

Gen 49. 22.
Epictetus.
S. Prosp. in Epigram. 32.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos.

109. Inter cætera D. Berlingerii Gessi Emblemata complures sagittas cernere licet, quæ ab arcubus versus metam extortæ, epigraphen tenent; NUNC PROMERE VIRES. Ibi enim extremas nostras vires solemus periclitari, quando plurimorum conatus simul pro eadem palma obtinenda luctantur; uti indies in congressibus Academicis & Equestribus experimur. Classicum canens, & in mundi hujus stadio ad virtutis bravium excitans S. Chrysostomus, ait; *Exsere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum, quod spopondisti; conditionem, quâ accessisti; militiam, cui nomen dedisti.*

Certamen academicum equestre, vel ascetícum.
S. Chrysost. Tom. 3. ser. de Mart.

110. Sagitta, versus scopum vibrata, epigraphen reddit; NON QUASI IN INCERTUM. Verbis è S. Paulo mutuatis; *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum.* Ita negotium quoddam auspicaturus, mentem tuam unicè in præstituto fine defixam habe, nec illum temerè, sed animo prorsus indubitato assequi contende. Illum Apostoli locum interpretatus Esthius; *Sic curro,* inquit, *non quasi in incertum, id est temerè, & quamlibet in partem, sed rectà ad metam destinatam, ut faciunt, qui in stadio currunt, & vincere volunt.* Disertè Magnus Augustinus; *Quod non bonâ intentione facis, non tibi proderit: quia quomodo facis, non quomodo illi evenerit, tibi imputabitur.*

1. Cor. 9. 26.
Intentio.
Esth. in hunc loc.
S. Aug. in illud Matth. 6 si lumen quod in te est &c.

111. Sagitta motu tantò velociore per aëra defertur, quantò majorem vim à nervo impressam accepit. Unde lemma; INTENSIUS VELOCIUS. Idipsum in animabus nostris experimur, quæ cursu tantò celeriore ad Deum recurrunt, quò intensioribus tormentis excruciatæ fuerint. S. Augustinus, etiamnum juvenis, Deo penitus neglecto, solis voluptatibus terrenis inhiabat; at *Cùm quodam die pressus stomachi dolore repentè æstuarem moriturus, vidisti* (inquit,) *Deus meus, quo motu animi, & quâ fide baptismmum Christi tui, Dei & Domini mei, flagitavi!*

Calamitas facit celerem.
S. Aug. lib 1. Confess. c. 11.

112. Sagitta, in præfixum scopum vibrata, epigraphen à P. Masenio accepit; TETIGISSE, VICISSE EST. Maria Virgo ab Andrea Cretensi rectè cognominatur *Scopus qui excogitatus fuit ante sæcula*; Et à S. Bonaventura *Finis iræ Dei.* Quisquis enim scopum sibi præfixit Mariam, non potest ab æterna salute deflectere. Opportunè canit Emblematis Author;

Maria V.
And. Cret. Orat. 2. de Assump. M Virg.
S. Bonav. in Psal. min.

Quisquis in armata victor jacularis arena,
Diceris in positum figere tela scopum.
Nobis meta salus. Aspiras victor honori?
Ne malè deflectas, sit tibi Virgo scopus.

113. Sagitta, per aëra volitans, epigraphen tenet; PONDERE VICTA REDIBIT. Sagitta enim, proprio gravata pondere, tandem post diuturnos volatus ad centrum suum recidit. Ita prorsus Anima, per multos scelerum errores vagabunda, tandem infirmitatum & tribulationum pondere pressa, ad Deum, centrum suum, revertitur. Disertè Psaltes Regius de Hebræis testatur; *Cùm occideret eos, quærebant eum: & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum.* Cato, coram Senatu Romano pro Rhodiis perorans, dixit; *Adversæ res homines domant, & docent, quid opus sit facto* Seneca; *Magis Deos miseri, quàm beati colunt. Frangitur calamitosis animus, & ipsa se infelicitas damnat. Diligentius Dii coluntur irati.* Et apud Senecam Tragædum Agamemnon;

Calamitas ad Deum compellit.
Psal 77. 34
Cato apud Gellium. l. 7. cap. 3.
Sen. Contr. 1. lib. 8.
Senec. Act. 3.

In vota miseros ultimus agit timor.

114. Sagitta, ad scopum destinata, tamdiu per aërem volitat, donec præfixum attigerit locum. Emblemati subscripsit Serenissimus Philotheus; DONEC ATTIGERIT. Nobis ad Divinam gloriam collimantibus nihil debet esse obstaculo, quamquam orbis, & quidquid ipsi insedit malitiæ, huic laudabili se opponant proposito, sed persequendum omni studio consilium, quo ad sanctissimum illum scopum contendimus. S. P. Augustinus; *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et rursus; *In hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt, sed non inveniunt: volunt enim requiescere in rebus inquietis, & non permanentibus.* Canentem audi ipsummet Philotheum;

Quies in Deo.
S. Aug lib. 1 Confess c. 1.
Idem de Cat rudibus c. 1

Excusso properè volat irrevocabilis arcu,
Et petit oppositum missa sagitta scopum.
Talis inoffenso cupio contendere cursu,
Quo cupis, ut tendam, tramite, Magne Deus.
Lex tua sancta scopus, timidos quo dirigo gressus,
Anxia quo mentis torqueo tela mea.
Improbe, ne nostram remoreris, ut ante, sagittam!
Illa volat, donec tangat anhela scopum.

115. Sagittarius, emissis in rupem sagittis, reverberatisque læditur. Lemma; LÆDENTEM LÆDIT. Ita calumniatores invidi, dum in probos fortesque offendunt, ipsi læduntur. Rectè Salomon; *Putredo ossium invidia.* Menander à Joanne Stobeo citatus, *Res singulæ,* inquit, *ab insito aliquo vitio pereunt, & omnes corruptionis causæ veniunt intrinsecus. Ut ferrugo, si consideres ferrum; si vestes, tineæ; teredo, si lignum spectes; Invidia verò majorum omnium pessima rabidum fecit hominem, & faciet, & facit. &c.* Virgilius;

Invidia nocet invido.
Prov. 14. 3
Stob. ser. 3

Livor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.

Virg. Epig de Livore.

Exquisitè de Invidia cecinit nonnemo;

Justius invidiâ nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit, discruciatque animum.

116. Sagitta levi pluma ad scopum suum dirigitur; Lemma; QUOD DIRIGIT, LEVE EST. Ita ventus honoris, qui aulicos ad ardua quæque perpetranda impellit, & levissimus & vanissimus est. De rebus terrenis omnibus disserens Seneca, ait; *Quæcunque videntur eminere rebus humannis, quamvis pusilla sint, difficiles ac arduos tramites habent. Confragosa in fastigium dignitatis via est.*

Vana gloria.
Honor vanus.
Senec. Ep.

SCLOPETUM.

Caput XV.

117. Animum, ad vindictam pronum, sclopeto non absimilem dices, quod, obducto catulo, epigraphen tenet; SI TANGAR; seu; EST TETIGISSE SATIS. Manu enim levissimâ con-

Vindictæ deditus.

contactum, flammas & globos minitatur. Ad hoc propositum D. Joannes Paschasius canit;

Concipiet bombarda minor, si tangitur, ignes:
Dum cane demisso stat paritura necem.
Pellitur ignitus faciles quoq; tactus ad iras,
Arma lacessitus suppeditatque furor.

Iob 2. 11.

Hos ipsos effectus etiam in Jobo eventuros suspicabatur vaferrimus Dæmon, quando Creatorem ad illum tangendum his omninò verbis incitavit. *Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* At conatu prorsus irrito; nam animus ille generosus, omissis impatientiæ flammis, viva voluntatis resignatæ & laudis Divinæ incendia sparsit: probè gnarus, vilium & abjectarum mentium esse proprium, quâvis vellicante injuriolâ in motus iracundos prorumpere. Optimè Seneca; *Pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem, ut mures & formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt.*

Senec. lib. 2. de ira. c. 34.

Vindictæ deditus.

118. Scipio Bargalius Emblematis loco sclopetum figuravit, quod ex altera catuli parte etiam faculam, ardente funiculo igniario instructam, monstrabat; cum lemmate, ALTERUTRO. Ita animus, ad vindictam paratus, alterutro quo potest modo, sive publico, sive privato, hostem suum adoriri ac trajicere solet. S. Gregorius Nazianzenus de hostis Tartarei insidiis, quas assiduò sustinere debebat, altum conquestus, eum his omninò verbis interpellat;

Dæmon.
S. Greg. Naz. Carm. advers. Diabolum.

Cur me tam sævo exerces sine fine duello,
Exitiumque mihi, & bello moliris aperto,
Et rem fraude gerens?

Virginitas illæsa.

119. Nonnemo Matronæ cujusdam, Adamantis nomine, constantem pudicitiam, & inter omnes hostium assultus intemeratam, Emblemate significaturus, sclopetum depinxit, adversus adamantem explosum; cum lemmate; NULLA POSSO LEVARNE. Id est; NIL DEMERE POSSUM. Hâc eâdem metapphorâ S. Joannes Chrysostomus insignem Jobi constantiam repræsentat. *Beatus Job,* inquit, *ille pugil pietatis, athleta orbis, acceptis innumeris à diabolo telis, vulnus non accepit, sed sicut adamas quidam omnes impetus ferre potuit: & à tantis fluctibus non solùm non est submersus, sed & prævaluit.* Nec aliter de S. Apollinari Episcopo & Martyre S. Petrus Chrysologus; *Injecit tela quæ potuit, & omnia armorum suorum genera callidus exegit inimicus: nec tamen fortissimi ductoris movere mentem potuit, aut temerare constantiam.*

Resistentia.
S. Io. Chrys. Hom. 32. in Genes.
S. Pet. Chrys. serm 128.

Minima non spernenda.

120. Minimam quamlibet occasionem interdum fœcundam esse grandium malorum parentem, haud obscurè è sclopeto conjicies, cui subscripsit Ferrus; DA PICCIOLO SPIRAGLIO IL FOCO APPRENDO. Id est; Ignem A PARVO MEATU. S. Joannes Chrysostomus; *Quando parvam animi perturbationem susceperis, ne eam neglexeris quod parva sit, sed considera, quod id, quod ex ea alitur, maxima mala parit.* Unde Ursicinus Presbyter, S. Gregorio teste, viribus jam exhaustus, & ultimum cum morte luctatus, fæminam quandam, ætate jam decrepitam, cùm fatali ipsius lectulo propinquaret, his omninò verbis repressit; *Recede à me mulier; adhuc igniculus vivit; paleam tolle.* Ea ipsa etiam hæreseos est vafrities, quæ initio exigua, paulò post in immane incendium excrescit. S. Hieronymus; *Scintilla res parva est, & penè dum cernitur, non videtur, sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta, quamvis parvus ignis, urbes, latissimos saltus, regionesq; consumit. Arrius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.*

S. Io. Chrys. in Psal. 6.
S. Greg. Papa lib. 4. Dial. cap 2.
Hæresis.
S. Hier. Ep. ad Cyprian.

Amor stimulat.

121. Philipponi Pistorienses Symboli loco sclopetum, duobus catulis instructum, præferunt; addito lemmate, DAT FLAMMA VIRES. Hinc disces, ab amore, sive sacro, sive profano, grandes in humano pectore effectus & operationes generosas excitari. S. Joannes Chrysostomus in Jacobo Patriarcha observat, quod, amore erga uxorem ac liberos stimulante, primus omnium, ac veluti in agminis fronte adversus Esau incesserit. *Vide,* inquit, *ut timidus ille, charitate suscitante, Leone quovis animosior evadat: velut propugnaculum eorum quoddam se ipsum ante cæteros locans, paratus erat ferum illum, & minas, quemadmodum suspicabatur, spirantem excipere primus, & suo ipsius corpore parare uxoribus salutem.*

S. Io. Chrys. Hom. 33. in Epist. adCor.

Judas.

122. Sclopetum, funiculo igniario intra falculam accenso, & digito ad ligulam applicato, epigraphen tenet; CÆDIT, DUM CEDIT. Cadente enim ac cedente ligulâ, sclopetum quantocyus igneos è sinu suo globos evomit, & ictus fatales infert. Judam hoc Emblemate significare licet, qui, osculi figendi causâ, suprà Servatoris sui collum ruens, eundem crudeli Synagogæ capiendum occidendumque tradidit. Etiam Parthorum milites, dum fugam simulant, & ex acie cedunt, maximam hostibus cladem inferunt. S. Ambrosius; *Periti jaculandi CEDENTES solent VINCERE, & FUGIENTES gravioribus sequentem ictibus VULNERARE.*

S. Amb lib. 1. Offic. c. 5.

Proditor.

123. Lancea, sagitta, & gladius aciem suam apertam ostendunt, & stragem à se inferendam palam omnibus minitantur; at sclopetum malignam suam nocendi facultatem exteriore vultu penitus absconditam tenet; omnemque crudelitatis suæ vim intra propria viscera dolosè asservat. Unde lemma; VIS ABDITA. Hæc ipsa Proditoris est indoles, utpotè aliorum cladem nonnisi occultè machinari solita, si tamen eandem iconem meliore sensu interpretari libeat, in eos illam convenire dixeris, qui virtutum suarum prærogativas modesto silentio, procul omni ostentatione, tegunt. Christo monente, *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* De virtute disserens S. Ambrosius, *Beata planè,* inquit, *quæ non alienis æstimatur judiciis; sed domesticis percipitur sensibus, tanquam sui Iudex; neque enim populares aliquas opiniones pro mercede aliqua requirit.* Et Seneca; *Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ.* Opportunè cecinit Theognides;

Virtus abscondita.
Matth. 6. 1.
S. Ambr. l. 2. Offic. c. 1.
Sen Ep. 103. 113.

Si bene agis, benè sit tibi: quid præconia quæris?

Intentio.

124. Ut sclopeto metam ferias, non sufficit ligulam aut falculam solo digito moveri, nisi insuper voluntatem & oculum, ad dioptræ leges attentum jungas. Unde D. Birlingerius Gessus hanc Horatii gnomam lemmatis loco subjunxit; ET MANUS, ET MENS. Ita omninò manuum nostrarum actiones solius intentionis beneficio in bonam vel sinistram partem determinantur. *Quia intentio,* teste Dionysio Carthusiano, *imponit speciem operationi.* Ut verò indubitatam canonis hujus Theologici fidem habeas, unicum, obsecro, Christum patientem intuere. Imprimis enim Pater æternus *pro nobis omnibus tradidit illum.* Deinde Servator *tradidit semetipsum,* ac tandem etiam Judas *eum tradidit.* ubi vides, eandem quidem singulorum in tradendo fuisse actionem, totumque discrimen à diversa illorum intentione promanasse. *Totum una res est,* inquit Doctor Angelicus, *sed non una intentio: quia Pater ex charitate; Filius ex obedientia simul & cum charitate: Iudas verò ex cupiditate & proditoriè.*

Dion. Carth. serm quomodo sacr. Altaris sit suscipiendum.
Rom. 8. 32.
Galat. 3. 20.
Matt. 27. 3.
Tho. Aquin. in Galat. 2. 20.

SCOPUS.

Cap. XVI.

125. SCipio Bargalius è voluminis sui fronte duas sagittas præfert, quarum una versus scuti umbilicum propius defixa, epigraphen reddit; PROPINQUIORI. Ita omninò in virtutum palæstrâ plausum ac præmium referunt, qui minus à scopo aberrant. Attalaricus Rex, teste Cassiodoro, dicere solebat; *Electio nostra de meritis venit: & tantò quis regali animo proximatur, quantò bonis studiis societate jungitur.*

Præmium.

Cassiod. lib. 9. Epist. 22.

126. Scopus, compluribus lanceis impetitus, epigraphen tenet; NON OMNES EODEM. Enimverò non omnia ingenia eandem in scopo feriendo laudem referunt; aliis quippe propius, aliis verò longius ab illius umbilico recedentibus. Dilucidè Apostolus; *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Quo loco, è S. Anselmi sententia, de cœlestis gloriæ prœmio agitur; tametsi enim multi ad illud obtinendum collineent, solis tamen iis ab agonotheta Deo distribuetur, qui ad legis Christianæ dioptram cunctas totius vitæ suæ actiones sedulò exegerint. *Currunt enim Judæi,* inquit, *currunt nonnulli Christiani, qui ad vitam non sunt prædestinati: quia omnes isti in fine præmium sperant se accepturos, & ad illud tendunt per vitæ præsentis stadium. Sed prædestinatorum Christianorum populus, qui legitimè currit, accipit bravium.*

Ingenia inæqualia.

Merita inæqualia. 1. Cor. 9. 24.

Beatitudo.

S. Anselm. in hunc loc.

127. Aliquot sagittæ, adversus clypei umbilicum sparsæ, epigraphen legendam offerunt; PAUCIS LICET. Enimvero paucorum est, supremam artis aut conditionis suæ perfectionem adipisci. De arte Oratoria testatur Quintilianus; *Est certè aliquid consummata eloquentia, neque ad illam pervenire natura humani ingenii prohibet; quod si non contingat, altius tamen ibunt, qui ad summa nitentur, quàm qui præsumptâ speratione quò velint evadendi, protinus circa ima substiterint.*

Excellere paucorum est.

Quintil. in Proœm. Inst. Orator.

128. Judicem prudentem, perfectum, & Justitiæ orbitam nunquam excedere solitum, sagittæ non absimilem dixerim, quæ versus scopum directa, epigraphen tenet; NEC CITRA, NEC ULTRA. S. Basilius; *Quemadmodum is, qui sagittam tendens ad metam dirigit, NEC VLTRA, NEC CITRA, nec utrobiq; errando à via proposita excidit; ita rectus Judex factitabit, nec in judicando personam accipiet.* Hanc legem cuivis litterato observatam velim, ne cœptam materiem aut nimis extendat, aut plus, quàm fas est, restringat. Lipsius; *Vt in sagittamittenda non minus aberrat, qui citra scopum, quàm qui ultra jaculatur, sic in scribendo quisquis pauciora, quàm pro re, aut plura dicit.*

Judex.

S. Basil. in Princip. Proverb.

Litteratus.

Lips. in Inst. Epistolica.

129. Complures sagittæ, adversus scopum emissæ, inscriptionem referunt; TUTTE AD UN FINE, ED UNA SOLA AL SEGNO. Id est; AD SCOPUM EX OMNIBUS UNA. His affine est illud Evangelii; *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et illud S. Pauli; *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* In hunc locum P. Cornelius à Lapide; *Apostolus dicit unus, non tres vel quatuor, quia propriè respicit ad bravium, id est, aureolam, & excellens præmium, quod non omnibus electis, sed paucis heroicè certantibus datur &c.* Ergò, subdit Joannes Cassianus. *vive cum paucis, ut cum paucis eligi & inveniri merearis in cœlo.* Cæterùm in quâvis conditione plurimos quidem ad supremæ perfectionis metam collineare cernimus, quamvis eam unicus tantùm, vel saltem paucissimi, feriant.

Prædestinatio.

Matth. 20. 16.

1. Cor. 9. 24. Corn. à Lap. in hunc loc.

Cassianus.

Excellere paucorū est.

SCVTVM.

Cap. XVII.

130. PLutarchus de Matrona quadam Spartana refert, quod filio suo, ad bellum accincto, scutum militare obtulerit, additâ extremâ hâc paræ nesi, ut vel cum illo vinceret, vel in illo, tanquam sarcophago sepeliretur. Compendio Ausonius;

Plut. in Inst. Lacon.

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc (inquit) aut in hoc redi.

Auson. Epig. 24.

Ad hoc generosæ Matris dictum nonnemo alludens, scuto subscripsit; AUT CUM HOC, AUT IN HOC, seu ut aliis placet; ET CUM HOC, ET IN HOC. Nobis certè incumbit, non tantùm cum sancto fidei scuto adversus hostes generosè congredi, sed & in illo extremam vitæ periodū claudere. Apostoli cohortatio est; *In omnibus sumentes scutum fidei. In omnibus,* inquiunt repetitò S. Hieronymus & P. Cornelius à Lapide; *vult enim nos in omni tentatione, & opere, gestare clypeum fidei &c.*

Fides.

Ephes. 6. 16. S. Hieron. & Corn. à Lap. in hunc loc.

131. Scutum, gladio sociatum, epigraphen præfixam habet; PERIMIT, ET TUETUR. Gemina illa prærogativa non tantùm Principi potenti, sed & Angelo Tutelari est propria; hic enim eandem cum S. Michaële laudem habet;

Protectio.

Angelus Custos.

Michaëlem in virtute
Conterentem zabulum,
Quo custode procul pelle
Omne nefas inimici.

Quoties ergò, subinfert Doctor Mellifluus, *gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, directorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus tuis.* Et rursus; *Angelorum præsentia PROTEGERE nos, & PROPULSARE potest inimicum.* Illud ipsum Emblema validam S. Crucis virtutem exprimit, quæ instar gladii suos hostes sternit, & fidelibus instar scuti patrocinatur. De hac Ennodius;

S. Bernard. serm. de Angel.

S. Crux.

At mihi Crux cuspis, crux scutum, cruxq; thoraca. HAC TEGAR, HAC FERIAM, hâc pacis fœdera firmes.

Ennod. pæran. ad Ludasc. de Castitate

132. Qui imperterrito animo aut vitam relinquere, aut aliorum violentiam repellere decrevit, clypeum chalybeum, plurimis sagittis ferreis fulminatum, imitatur; cum lemmate; AUT REPELLIT, AUT FRANGITUR. Judas Machabæus, tametsi angustum militum suorum manipulum innumeris hostibus jamjam irruentibus, longè videret imparem, noluit tamen aliorum consilio ingloriam fugam arripere, sed generoso animo, *Eamus,* inquiebat, *ad adversarios nostros, si poterimus pugnare adversus eos, & si appropinquavit tempus nostrum, moriamur.* Leonides trecentis tantùm militibus Spartanis stipatus, cùm adversus centum millia Barbarorum dimicare cogeretur, in hæc generosa verba suos est allocutus; *Jam enim aut moriendum est nobis, aut vincendi Barbari.* Eâdem ratione quidam Bellidux apud T. Livium suos est cohortatus; *Moriamur milites, & morte nostrâ eripiamus ex obsidione circumventas legiones,* Et apud Virgilium Æneas;

Animus resolutus.

1. Mach. 9. 8.

Leonid. apud Plutarch. in Lacon.

Liv. lib. 12.

----- Moriamur, & in media arma ruamus.

Virg. in Æn. v. 353.

133. Scutum, laternæ conjunctum, epigraphen tenet; LUMINE, ET UMBRA. Felicitatis terrenæ hic typus est, quæ voluptatum suarum luci sociam individuam habet mœstitiam. Seneca;

Felicitas terrena.

Seneca in Thyeste.

Nulla

Nulla sors longa est: dolor ac voluptas
Invicem cedunt: brevior voluptas
Ima permutat brevis hora summis.

Et Philo Hebræus; *Non est cur aliquis putet, meram & nullo dolore mixtam lætitiam cœlitus in terram descendere: sed temperata est ex utroque.* Unicum Caroli V. testimonium instar plurimorum esto, qui felicitate hactenus inaudita victorias penitus prodigiosas est assecutus; complura enim Africæ regna subjugavit; multas Europæ provincias defendit; Solymannum, potentissimum Asiæ tyrannum, in fugam egit; aliosque innumeros triumphos ex Hispania, Italia, Saxonia, Geldria, Hungaria, Peloponeso, & Tunis retulit: atque adeò, ut compendio dicam, totidem trophæa gloriosissima fixit, quot hostes ac bella est aggressus. Et tamen, quod mireris, cùm Bruxellis suas ditiones ac regna in Philippum II. filium suum liberrimè tranferret, coram toto senatu non absque lachrymis ingenuè est confessus, *Se toto regni tempore nec ad unum quidem horæ quadrantem purã habuisse, meramque lætitiam, sed omnem illam multis curis, angoribus, doloribus permistam*; uti testatur P. Cornelius à Lapide. Verissimè dixit Pindarus;

Phil. Hebr. lib. de leg. non script. seu de Abrahamo.

Corn. à Lap. in Proverb. 14. v. 13.

Pind. Olymp. ode 2.

Nam fluxæ rerum vicissitudines alias aliæ
Cum voluptatibus,
E laboribus ad homines accedunt.

134. Manus, clypeum sustinens, epigraphen refert; NE LÆDAR. Patrocinium, aliunde in nos derivatum, hoc Emblemate significatur. S. Joannes Chrysostomus, in scuto fidem repræsentans, ait; *Quemadmodum scutum ante totum corpus instar parietis proponitur, ita sanè & fides; nam illi cedunt omnia.* Porrò non abs re clypeum militarem SS. Eucharistiæ ideam dixerim; hâc enim armati fideles, scutum adversus omnes Tartari insidias tutissimum objiciunt. P. Alphonsus Salmeron illud Isaiæ oraculum interpretatus, *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium,* ait, opportunè admodum mensam ac convivium illud à Domino exercituum instructum esse, ut fideles omnes arma & præsidia validissima inde referrent. *Dicitur hoc convivium instructum à Domino exercituum, quia pro exercitibus Ecclesiæ militantis corroborandis, & contra malignorum spirituum exercitus confortandis, institutum est.*

Protectio.

Fides.

S. Io. Chrys. Hom. 24. ad Ephes.

Euchari-stia.

Isa. 25. 6.

Alph. Salmer. Tom. 9. Tract. 2. in Evang.

135. Scutum, à fulmine diruptum, adversis ictibus prohibendis non sufficit: atque adeò, ut Abbas Certanus inscripsit; TROPPO DEBIL RIPARO AL FIERO COLPO. Id est; ICTUM NON SATIS ELUDIT. Ita omninò præsidium nullum adeò firmum habetur, quod omnes maledicæ linguæ ictus à nobis propellat. S. Valerianus; *Ferri spicula per cœlum volantis facilè scuti objectione contemnis, Verborum verò ictus nec revocari, nec prohiberi; multò enim velociores sagittis sunt.*

Maledi-centia.

S. Valer. Hom. 5. de oris insol.

136. S. Clara, augustissimi Sacramenti hierothecam manibus sustinens, Saracenos, tantâ majestate exterritos, in fugam egit. Unde in ipsius honorem meus Concanonicus D. Carolus Secchiarus Atalantæ scutum figuravit, cujus immodico splendore intuentes omnes attoniti & consternati, sua spolia ultrò detulerunt. Epigraphen addidit; TERRITAT HOSTES. S. Vincentius Ferrerius eandem dæmonis fugandi virtutem in SS. Eucharistia efficacissimam testatur; unde, inquit, moribundi scuto illo inexpugnabili tempestivè muniri solent, ut Tartareus hostis, ad animas diripiendas vigilantissimus, obsidionem solvere, ac fugam moliri cogatur, *Magnam,* inquit, *difficultatem habet anima in exitu è corpore, ubi veniunt dæmones eam expectantes: propter quod datur communio infirmis, datur viaticum. Nam tunc dæmones, sentientes Christi præsentiam, fugiunt.*

S. Clara.

Euchari-stia.

S. Vinc. Ferr. serm. in Oct. Corp. Christi.

137. Testudo militaris, è junctis compluribus scutis formata, eandem inscriptionem sibi vendicat, quam P. Juglaris ponti, è navibus strato, indidit; JUNCTIS VIS NULLA NOCEBIT. Hinc ingens emolumentum, è concordia nobis accrescere solitum, conjicere licet. Hac de re opportunè Torquatus Tassus canit;

Concor-dia.

Tass. Gerus. Liber. Cant. 18. stanz. 74.

Moviam la guarra, e contra i colpi crudi
Facciam densa testuggine di scudi? che
Giumsersi tutti seco a questo detto:
Tutti gli scudi alzar sovra la testa
Egli uniron così, che ferro tetto
Facean contra l'orribile tempesta.
Sotto il coperchio il fero stuol ristretto
Và di gran corso, e nulla il corso arresta;
Che la soda testuggine sostiene
Ciò che di ruinoso in giù ne viene.

Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma, inquiebat Salomon. Philo Carpatius super illis Sacri Epithalamii verbis, *Terribilis ut castrorum acies ordinata,* ait; *Ut enim hostes cum hostibus pugnaturi, dum sese ritè cogunt ac muniunt, nullumq; aditum irrumpendi hostibus relinquunt, non modò metui sunt hostibus, seq; facilè tuentur ac liberant: verùm etiam facto agmine, hostes ipsos plerumq; superant ac perdunt: ita Christi sponsa, fidelium multitudo, & sancta quæque ANIMA pacis CHARITATE VALLATA, atque munita, non solùm INEXPUGNABILIS est prorsus, verùm etiam terrorem hostibus incutit, ac fugam &c.*

Prov. 18. 19.

Philo Carp. Cant. 6. 9.

138. Clypeus, umbonem mucronatum, & ad offensam inferendam expeditum, ostentans; à P. Juglari epigraphen recepit; GEMINO SPECTABILIS USU. Ita Princeps, ut omnes perfectionis suæ partes expleat, non tantùm subditis tutelam, sed & sceleratis opportuna supplicia decernere debet, *Dulcis & rectus Dominus,* inquiebat Vates Regius. Et rursus; *Diligit misericordiam & judicium*; id est, interprete P. Agellio; *Summus omnium Judex & arbiter misericordiam diligit & judicium: nam hæ duæ virtutes summoperè illi placent: has & aliis &c.* Nam, ut docet Theologorum Apex Augustinus; *Non potest misericordia illi auferre justitiam; neque justitia misericordiam.* Illam ipsam etiam S. Crucis effigiem dixerim, quæ fidelibus tuendis scuti loco deservit, hostes verò instar gladii transfigit. Præclarè Sanctus Orientius canit;

Princeps. Deus justus & misericors.

Psal. 24. 8.

Psal. 32. 5.

P. Agell. in hunc locum.

S. August. in Psal. 44.

S. Crux.

Si purum maculare animum parat impius hostis,
Semper ovans castam sollicitare fidem.
Accipe tela, quibus cordis pia mœnia serves
Crux tibi sit clypeus, crux tibi sit gladius.

139. Inter cæteram solemnem pompam, Mantuæ ad Deiparæ coronatæ honorem celebratam, aliquot Emblemata suffixa cernebantur. Illorum uni scutum incisum erat, cum lemmate; TUTELA, DECUSQUE. Enimvero sub Virginis gloriosissimæ umbra non tutela tantùm, sed & insigne ornamentum nobis accedit. S. Bernardus; *Sinum suæ misericordiæ Maria omnibus aperit: ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, Angelus lætitiam, deniq; tota Trinitas gloriam.* Cæterùm Emblematis hujus epigraphe ad illam Horatii oden alludit;

Mariæ V. protectio.

S. Bernard. super Missus est.

Horat. lib. 1. od. 1.

Mecænas atavis edite regibus,
O & præsidium, & dulce decus meum.

140. Eidem scuto subscripsère; TUTATUR, ET ARMAT. Et quidem à scuto admodum congruè

grue armari dicimur, cùm solius scuti vocabulo cætera arma omnia significentur. Unde Josephus Scaliger Servius, Ludovicus à Cerda, aliique illum Virgilii locum interpretati,

Virg. 9. Æneid. v. 309.

---- ------ *Regi responsa ferebant*
Tercentum scutati omnes.

Ajunt, *Scutatorum* nomine *armatos* esse intelligendos. Quin ex Egesippi testimonio scutum cæterorum armorum omnium vicem ac patrocinium subit. *Progredimur*, inquit, *in bellum munit, undiq; tegitur galeâ caput, loricâ pectus, totumque clypeo corpus; ubi feriat hostis Romanum militem reperire non potest, quem ferro septum circumspicit.* Præclarè hæc imago in augustissimam Exercituum Reginam, Mariam, convenit, quæ sola instar mille propugnaculorum est. Ad hanc conversus Cosmas Hierosolymitanus, ait; *Insuperabilem, Deipara, spem tuam habens, servabor: defensionem tuam possidens non timebo, persequar inimicos meos, & in fugam vertam, solam habens, ut thoracem protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum.* Ferdinandus II. Imperator Monachis Benedictinis facultatem dederat, sumptuosi templi ac cœnobii ad honorem Mariæ Virginis propè mœnia Viennensia extruendi. Id indignè ferens urbis Gubernator, fabricam, vallis adeò vicinã, hosti maximo præsidio fore, & civitati, totique imperio plurimùm damni allaturam, obtendebat. Cui Imperator; *Ego nullum tuendæ civitati propugnaculũ aptius novi, quàm Virginis templum: malo Virginem in proximo coli, quàm in Urbe militem esse: securiorem mihi tutelam ab ea polliceor, quàm ab hoc.* additque; *Nihil esse quod à Virginis templo timeatur, plurimum autem quod speretur.*

Egesipp. l. 3. de Excid. Hierosl. c. 24

Mariæ V. patrocinium.

Cosm. Hierosl. Hymn. 5.

Maria V. protectrix civitatis.

Guil. Lamor de Virtutib. Ferdin. c. 7.

141. Stellarum Tydei scutum, à Capaccio commemoratum, epigraphen tenet, NON SINE LUCE TEGIT. Ita nimirum Magna Dei Parens, è S. Apocalypsis testimonio, sole amicta, suos clientes non tantùm protegit, sed eos insuper pallio illo augustissimo coopertos illustrat, & in partem summi splendoris ac gloriæ suæ vocat. Appositè de Deipara tradit S. Epiphanius, quod sit *nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidum deduxit.* Unde de his ipsis clientibus Marianis illas Evangelistæ voces mysticè interpretari licet, *Nubes lucida obumbravit eos.* Porrò quivis Princeps, afflictos suos subditos in fidam ac tutelam propriam recipiens, gemino hoc scuti Emblemate delineatur, adeoq; illos *non sine luce tegit:* nam è beneficentia ac patrocinio, in calamitosos exhibito, maximum splendorem sibi conciliat. Agellius, illa Psalmi verba examinans, *Dii fortes terræ*, seu ut alii traducunt, *Protectores*, vel *scuta terræ*; ait, eo loco Principes Deorum nomine intelligi: nam *Principes terræ præcipuè Dii sunt, quia & ipse Principes facit, & in ejus manu & potestate animi eorum positi sunt.* Et paulò post; *Itaque præclarè in Hebraico legimus, Domini sunt scuta terræ, id enim illis præcipuè incumbit, ut infirmioribus pro scuto sint, eosque defendant, & à potentiorum injuria protegant. In quo munere propemodum cum Deo æquati sunt, & quodammodo Dii facti.*

Capac. lib. 1. de lb. Imprese. cap 6.

Maria V. protectrix gloriosa.

S. Epiphan. Orat. de laud. Deip.

Matth. 17. 5.

Princeps beneficus.

Agell. in Psal. 46. 10.

142. Scutum Spartanum, urnâ sepulchrali nixum, epigraphen tenet; ETIAM POST FUNERA CUSTOS. Ita nimirùm B. Virgo Maria non viatoribus duntaxat, sed ipsis etiam defunctis amplissimo est patrocinio. *Tu es Mater mea*, inquiebat, audiente S. Brigittâ Christus, *Tu mater misericordiæ, tu consolatio eorum, qui sunt in purgatorio, tu lætitia eorum, qui peregrinantur in mundo.* Ad hoc propositum S. Bernardinus Senensis observat, quando sacratissima Virgo Siracidis ore de se ipsa dicit, *In fluctibus maris ambulavi*, maris nomine tempestuosum purgatorii pelagus intelligi, ad quod Mater misericordiæ crebrò invisens, opem afflictis animabus liberalissimam affert. *Pœna purgatorii*, inquit, *ideo dicitur fluctus, quia transitoria est; sed additur maris, quia nimirum est amara. Ab his tormentis liberat B. Virgo, maximè devotos suos, & hoc est quod ait; & in fluctibus maris ambulavi, scilicet visitans, & subveniens necessitatibus, & tormentis devotorum meorum, & omnium.*

Maria V. protectrix defunctorum.

B Brigitta lib. 1 Revel. cap 16.

Eccl. 24. 8.

S. Bernar. Senensis se 3. de nomi Mariæ art. cap. 3.

143. Messeniorum scuto, quod litterâ M. insignitum erat, illud Lucani de Pompeio Magno hemistichium, lemmatis loco subscripsère; STAT MAGNA NOMINIS UMBRA. Characterem illum B. Virginis Mariæ proprium dixeris, cujus vel solum nomen, instar scuti, ac tutelæ validissimæ habetur. De hoc Virgilius cecinisse videri possit.

Mariæ V nomen.

Virgil. l. Æn. v. 22

---- *Magnum Reginæ nomen obumbrat.*

Præclarè Richardus à S. Laurentio; *Turris fortissima nomen Dominæ; ad ipsum confugiat peccator, & salvabitur.* Et certè Regina cœli, ac totius universi Imperatrix nos è suo nomine bona omnia sperare jubeat, necesse est, si vel terrestrium Principum nomina securam adversus quosvis hostes tutelam spondeant. Imperator, referente Cassiodoro, ait; *Tuitionem tibi nostri nominis, quasi validissimam turrim, contra inciviles impetus, & conventionalia detrimenta nostra concedit auctoritas.*

Rich. à S. Laur. lib. de laud. Virg.

Cassiod. lib Formulæ tuitionis 3

144. Scutum, geminâ Herculis columnâ insignitum, epigraphen sustinet; HAUD TENDIMUS ULTRA. Enimverò quisquis Mariæ Virginis patrocinio recipitur, felicitate adeò cumulatâ gaudet, ut votorum summam consecutus videri possit. S Bernardus de Deo testatur, quod *totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare.*

Mariæ V protecti summa.

S. Bernard serm. de aquæductu.

145. Virgilius erudito calamo Cyclopes describit, dum clypeum impenetrabilem, quo Æneas inter bellorum discrimina uteretur, libratis brachiis cudebant;

Virgil. 8. Æn. v. 44

Ingentem clypeum informant, UNUM OMNIA CONTRA
Tela Latinorum, septenosque orbibus orbes
Impediunt &c.

Quare meus Concanonicus D. Gregorius Brunellus hanc clypeo epigraphen incidi fecit; UNUS OMNIA CONTRA. SS. Eucharistiam hæc imago spectat, quæ sub specierum sacramentalium orbita adversus omnes hostium tam visibilium, quàm invisibilium sagittas præsidium offert tutissimum. De Tyrannis ac carnificibus disertè id testatur S. Cyprianus; *Quos excitamus, & adhortamur ad prælium, nos inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus, & cùm ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutelæ, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* De vitiis verò & peccatis S. Bernardus, *si quis vestrûm*, inquit ad suos Monachos, *non tam sæpè modò, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo.* Porrò illud ipsum scutum inter cætera Mantuana Emblemata insignem Mariæ Virginis tutelam repræsentabat, quâ suos clientes ab omni hostium assultu vindicare consuevit De hac Richardus; *Potens est Maria ad protegendum: unde ipsi potest securè dicere servus ejus illud Jobi 17. Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Eodem Symbolo orationis vim explicare licet; nam afferente Sancto Ambrosio, *Bonum scutum oratio,*

Eucharistia defe dit.

S Cyprian. Epist. 17.

S. Bernar. serm in Cœna Dom.

Protecti M.V.

Rich. l 2. laud. Virg. part. 1.

Oratio.

S. Ambro Orat in ob. tu Val.

quo

Fides. *quo omnia adversarii ignita spicula repelluntur.* Etiam sancta Fides omnem hostium violentiam propulsare novit. Dilucidè in rem nostram Apostolus; *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Hujus experimentum P. Gabriel de S. Maria, Augustinianus Excalceatus, in S. Virgine Thecla affert, quæ solo fidei scuto munita, tauros, leones, & ursos incolumis transiit. In illius encomium hoc tetrastichon cecinit;

Ephes 6 16.

Habr. à S. Mar. Tetrast. 19.

En ursus frendens, rugiens leo, taurus anhelans
Ante verecundos procubuêre pedes.
Quod non mille viri valuêre potentibus armis,
Id valet absque armis una Puella fide.

Virtus. Denique virtus instar clypei deservit, ad quasvis hostium injurias eludendas. Unde D. Angelus Maria Arcionus Abbas in oda ad D. Basilium Paradisi canit;

Dentro, Dentro noi stessi arte si serra
Ond' al huom vengon dati
Contro a le stelle adamantini arnesi.
S' à i cor Virtù fa scudo, e cori illesi
Resteram, benche i Fati
Schierino contra loro ogn' astro in guerra.

Maria dat securum & æternum auxilium: 146. Scutum, quernis ramusculis coronam, epigraphen tenet; TUTELÆ PIGNORA CERTÆ. Innuit videlicet, è Mariæ Virginis patrocinio certam ac securam opem in nos derivari. Hinc Emblemati affine est illud alterum, quod clypeum rotundum, ceu proprium æternitatis typum, repræsentat; addito lemmate, ÆTERNAM TIBI SPONDET OPEM. Enimverò Mariæ Virginis patrocinium nullo unquam ævo deficiet. Ægydius Columna; *Gloriosæ Virginis auxiliis & gratiis muniuntur, tanquam sub tutissimis clypeis, omnes homines. Et ipsa est omnis armatura fortium.* S. Bernardinus Senensis testatur, *Ipsam esse arcum fœderis sempiterni, ut non interficiatur omnis caro.*

Ægyd. Colum. de Salut. Ang.

S. Bern. Sen. To 3 ser 1. de Humilitate B V.

147. Ajacis clypeus septenis pellium crassiorum exuviis coopertus erat. De hoc Ovidius;

Surgit ad hoc clypei Dominus septemplicis Ajax.

Unde scutum illud, nullis unquam armis pervium, epigraphen accepit; NULLI PENETRABILE FERRO. Certè quisquis Deiparæ præsidio fruitur, extra teli jactum tranquillus vivit. S. Gregorius, Nicomediensis Episcopus, Virgini beatissimæ supplex. *Te*, inquit, *Christianorum multitudo murum habet firmissimum; te fideles, ac Reges validum habent armamentarium. Per te bellorum frangunt audaces impetus, per te victoriæ trophæa consequuntur. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile.*

Mariæ V. protectio. *S Greg. Nicom. Orat de M. V. Præsentat.*

148. Reverendissimus & Amplissimus Dominus Jo. Adamus Weberus Canonicus Regularis, Abbas Ecclesiæ Hôgel Wertensis, in eruditissima sua Arte discurrendi author est, hominem quempiam, ex superbiâ potius, quam scientiâ ampullatum, Symboli loco hanc unicam voculam scuto suo incidi fecisse, OMNIA. Cujus tamen tumori obliquè castigando, alius adscripsit litteram S. ante O; ut loco *omnia*, legeretur *somnia*. Indicabat nimirum in rebus humanis & terrenis *omnia* esse *somnia*. Præclarè, ut cætera omnia, D. Augustinus; *Omnes istæ felicitates, quæ videntur sæculi, somnia sunt dormientium. Finitus est somnus, & nihil invenerunt in manibus suis, quia in somno videbant divitias transituras.*

Felicitas terrena somnium.

S. Aug. in Psal. 131.

Colleg: Can: Reg: S. Aug: ad S. Georgium Augustæ

S. Georgius Martyr. 149. EMblematis loco Scutum, S. Gregorii Martyris icone conspicuum, pinxi; quod pluribus impetitum lanceis, manum, quâ tenebatur, incolumem servabat; cum lemmate, HOC MIHI PRÆ-

PRÆSIDIUM. Enimverò Inclytum S. Georgii Collegium, Ordinis Canonicorum Regularium, Augustæ Virdelicorum, sub Divi illius Megalomartyris præsidio inter complures calamitates, quas fortunâ identidem alternate annis abhinc sexcentis toleravit, integrum semper perstitit, hodieque in utriusque asceticæ ac temporalis œconomiæ formam amplissimam excrevit, strenuè rem totam agente Rmo. D. Bernardo, celeberrimi illius Collegii dignissimo Præposito & Abbate. Cæterùm quæ Magni Martyris Georgii virtutes, ac innumera, quæ plurimis per orbem universum hominibus tulit, præsidia calamo prolixiore enumerata desideras, Manuale Georgianum consule, Anno 1679. ab Adm. R. & Spectabili Domino Joanne Georgio Grueber, Can. Reg. ad S. Crucem Aug. Vind. Decano, non sine ingenti eruditione, & in cognominem suum S. Georgium veneratione, editum. In rem nostram de S. Georgio Martyre pronuntiat Gregorius Cyprius, Patriarcha Constantinopolitanus; *Verbo uno, S. Georgius communis apud Deum omni tempore benefactor est in hâc vitâ, communem erga nos gerit sollicitudinem.*

Greg. Cypr. in Encom. S. Georgii.

150. Clypeo subscripsit P. Jacobus Masenius; DEFENDIT, LICET OFFENSUS. Boni Prælati aut Pastoris hæc imago est, qui, pro subditorum incolumitate, nulli non discrimini sese objicere parati sunt: Disertè Christus; *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* S. P. Augustinus; *Amor in eo, qui pascit oves, in tam magnum debet spiritualem crescere amorem, ut vincat etiam naturalem mortis timorem.* Et S. Gregorius; *Stare in periculo ovium non potest, qui in eo, quod ovibus præest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem terrenum amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc, quod diligit, amittat.*

Prælatus. Pastor. Io. 10. 11. S. Aug. Tract. 123. in Ioan. S. Greg. Hom 14.

TORMENTVM MILITARE. BOMBARDA. GLOBVS.

Cap. XVIII.

151. GLobus ferreus flammarum violentiâ è tormento militari propellitur. Unde lemma; IMPELLOR FLAMMIS. seu ut P. Bovio placet; IGNE PROCUL MITTENTE. Equitem quendam, amoris efficacitate ad pugnam concitatum, hoc Emblema spectabat. Ovidius;

Ovid. Ep. 15.

Fortius ille potest, multo qui pugnat amore.

Amor facit generosum.

S. Ignatius Martyr, stimulante charitatis flammâ, carnificum tyrannidi ac leonum faucibus sese ultrò dilaniandum obtulit. Jacob, conjugum ac filiorum amore, fatalem suum hostem Esau, tametsi plurimo milite stipatum, generosè aggressus est. Apostoli, Spiritûs sancti igne succensi, in extremas mundi partes pronissimâ voluntate delati sunt. S. Bernardus; *O jugum sancti amoris, quàm dulciter capis, gloriosè laqueas, suaviter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis! O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum charitas, virtutum fœcunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas.*

S. Bernard. lib. de diligendo Deo.

152. Mansuetudinis beneficio gravissimos quosvis iracundiæ impetus edomari, haud obscurè è tormento bellico conjicies, cujus globus adversus saccum, lanâ plenum, emissus, inscriptionem tenet; IN MOLLI FRANGITUR. Idipsum his omninò verbis observat S. Isidorus; *Contra impulsum arietis remedium est saccus plenus.* Dilucidissimè in rem præsentem Salomon, *Responsio mollis frangit iram.* S. Joannes Chrysostomus, *Cùm sæpè*, inquit, *Judæorum populus in Apostolos insurrexerit, ac dentes exacuerit, illos columbæ simplicitatem imitando, & cum decenti modestia respondendo, iram ipsorum superâsse, furorem extinxisse, impetum retardâsse.* Et rursùs; *Maledicos & feros repugnando magis exasperamus, cedendo mitigamus facilè, & eorum mollimus insaniã.* Hanc sententiã probè edoctus S. Franciscus Salesius, cùm inter disputandum fastuosis & arrogantibus hæreticorum verbis lacesseretur, omnia illorum tela artificio planè angelico fregit, & veluti sacco laneo effrenes illorum assultus eventu adeò secundo enervavit, ut suavissimâ suâ respondendi methodo exoptatum ab inhumana hostium superbia triumphum retulerit. Vide Christophorum Ghiardam, de hâc ipsius virtute prolixè disserentem. Optimè dixit Q. Curtius; *Obsequio mitigantur imperia, & principum sævitia in mansuetudinem vertitur civium obedientiâ.*

Ira. Isid. Origin. lib. 18. cap. 11. Prov. 15. 1. S. Io. Chry. Hom 34. in Matth. Idem Hom. 41. in Ioan. Christ. Ghiard in vit. lib. 1. cap. Curt. lib.

153. Tormentum bellicum, dum exoneratur, epigraphen sustinet; SONITUS AB IGNE. vel ut D. Octavio Boldono placet; DAT IGNIS SONITUM. Ita nimirum homo, iracundiæ flammis concitatus, in ingentes minarum stridores prorumpit. Teste Valeriano Maximo, hominis iracundi forma est. *Crudelitas, horridus habitus, truculenta species, violenti spiritus: vox terribilis, cui silentium dare incrementum est.* Appositè Ovidius;

Iracund. Val. Max. lib. 8.

----- Ingentes parturit ira minas.

Idipsum etiam in SS. Apostolos convenit, qui Spiritûs sancti igne succensi, sonoras Evangelii voces per universum orbem sparserunt. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, & repleti sunt omnes Spiritu S. & cœperunt loqui. &c.*

Apostol. Act. 2. 3.

154. Tormentum bellicum, globis ferreis oneratum, & flammis lacessitum, è faucibus suis æneis copiosas flammas, & horrenda globorum fulmina evomit. Unde P. Aloysii Juglaris lemma; REVOMIT, QUOS ACCIPIT. Ita justa hominum vindicta injurias omnes, ab hoste acceptas, in eundem ex æquo retorquet. Augustinus Mascardus refert, quòd, Jannetino Doriâ à fœderatorum copiis iniquè interfecto, Paulus III. ad Principem illius parentem litteras dederit, doloris ac comiserationis plenas. Quia verò Principi probè perspectum erat, litteras illas nõ è sincero affectu proficisci, sed politicas tantũ simulati animi ambages esse, idcircò ut primùm intellexit, Ducem Aloysium, Pauli filium, ab iisdem fœderatis occisum esse, illas ipsas litteras, ut commiserationis suæ testes, ad Pontificem remisit, solo nomine proprio immutato. Eandem inscriptionem de Christo Judice interpretari licet, qui mala compẽsabit malis, & offensas omnes olim in suos refundet auctores. Ad hoc propositum Glossa Ordinaria super illis Jobi verbis, *Vidi eos, qui operantur iniquitatem flante Deo periisse*, è S. Gregorii Papæ doctrinâ ita philosophatur; *Conflamus nos aërem, dum ab extra intus trahimus, & ab extra intus reddimus. Deus ergò in tributione flare dicitur, quia AB EXTERIORIBUS causis intus judicii consiliũ CONCILIAT, ET ab interno consilio EXTERIUS sententiam EMITTIT, id est, à malis nostris quæ extra videt, judicium intus disponit, & ab interno conceptu extra damnationem facit.* Cælum quoque, dum terrã grandine ac fulminibus quassat, nihil aliud in eam spargit, nisi exhalationes & vapores, paulò antè ab ipsamet terra adversus cœlũ jactas.

Vindicta. Aug. Mascard lib. intitulato. Congiuria del Fiesch. Par pari reddere. Christus Judex. S. Greg. l. Moral. c. Iob. 4. 8.

155. Bombarda epigraphen refert; ARDEAT, UT FERIAT. Hinc disces, auditorum pectora à Prædicatoribus, aliisque viris Apostolicis, nonnisi ardore Divino succensis, penetrari. Dilucidè S. Petrus Damianus;

Prædicator.

S. Pet. Dam. Opusc. 45 de S. Simp. c. 4. S. Greg. in Pastorali.

mianus; *Si vis Dei verbum clarius intonare, cavene Divini amoris in te flamma tepescat.* S. Gregorius Papa; *Lex ipsis Prædicatoribus imposita est, ut ipsi vivendo illuminent, quæ loquendo suadere festinant. Nam loquendi authoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur.* Compendio S. Antonius Paduanus; *In Apostolos missus est Spiritus Sanctus in forma ignis, ut eos calefaceret ad alios incendendos, quia QUI NON ARDET, NON INCENDIT.* Marcellinus Pisanus eandem effigiem libidini propriam dicit, quæ animam in extremam perniciem præcipitatura, immodico ardore flagrat.

S. Ant. Pad. serm. 3. de Evang.

Libido.

156. Tormentum bellicum, clavis confixum, nulli amplius est usui. Unde D. Aresii lemma; AD NIHILUM VALET ULTRA. Ita homo, peccati cujusdam clavo in anima transverberatus, penitus evadit inutilis & abjectus. S. Bonaventura; *Sicut putredo aufert pomo decorem, valorem, colorem, odorem, & saporem; sic peccatum aufert animæ decorem vitæ, & odorem famæ, valorem gratiæ, & saporem gloriæ, unde dicitur quasi putredo consumendus.* Ut adeò jure de se dixerit; *Ad nihilum redactus sum.*

Peccator.

S. Bonav. in Dieta sal. c. 1. tit. 1. de Peccat.

Psal. 72. 22.

156. Joannes Baptista Rusca, Religiosus Oblatus ad S. Sepulchrum Mediolani, sanctum Servatoris nostri clavum, in eadem mea patria totius Europæ venerationi exponi solitum, compluribus Emblematis significavit. Inter cætera bombardam, clavis confixam, hoc lemmate notavit; JAM FRUSTRA MINABITUR. Innuebat videlicet, Sanctorum clavorum efficacitate omnes Tartari vires adeò esse enarvatas, ut imposterum humanæ genti terrorem omninò nullum incutere valeant. Ab hoc proposito nihil alienus S. Leo Papa; *Clavi illi,* inquit, *qui manus Domini, pedesq; transfoderant, perpetuis diabolum transfixere vulneribus, & sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum.*

S. Clavus Crucifixi.

S. Leo Papa.

158. Bombarda, clavo confixa, ab Henrico Engelgrave hanc Ovidii gnomam lemmatis loco recepit; ORA REPRESSIT. Nimirum infelicem illum energumenum innuebat, qui, è sancti Evangelii testimonio, à dæmone obsessus, mox mutus evasit, id enim hostis ille vaferrimus adhuc molitur, ut peccatorum ora quantocyus obturet, omnemque confitendi facultatem præcludat. Philippus Diez in illum D. Lucæ locum ait; *Diabolus præcipuè intendit nobis ora concludere, ne peccata nostra confiteamur.* Unde è Magni Augustini sententia, *Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura? obstruit os inferni, portas aperit paradisi.*

Ovid. 6. Met.

Luc. 11. 14.

Confessio.

Phil. Diez. 1. Dom. 3. Quadrag.

S. Aug. lib. de Pœnitent.

159. Miles, formidando ac veloci ardore in hostem irruere solitus, bombardam imitatur, quæ Emblematis loco epigraphen sustinet; CO' L LAMPEGGIAR TUONA IN UN PUNTO, E SCOPPIA. Id est; CUM FULGURE TONAT, ET FERIT. Verbis è Tasso mutuatis, ubi de Argante & Chlorinda, cùm turrim quandam ligneam comburere pararent, canit;

Miles impetuosus.

Tass. Gerus. liberata c. 12. stanz. 55.

In quel modo, che fulmine, ò bombarda,
Co' l lampiggiar tuona in un punto, e scoppia,
Movere, ed arrivar, ferir lo stuolo,
Aprirlo, e penetrar fù un punto solo.

Porrò Princeps, vindictæ aut iracundiæ flammâ nimium succensus, ultra justitiæ leges facilè punit ac supplicia decernit. Nam, ut verè dicit Cassidorus, *ubi est fervida vindicta, non est temperata justitia.*

Princeps iracundus.

Cass. in Psal. ...

160. Birlingerius Gessus observat, metam tum demum à bombarda cum laude attingi, si ritè & ad dioptræ leges dirigatur. Epigraphen è Baptista Guarino mutuam subjunxit; SOL SEN DRITTO JO MIRO. Id est; MODO RECTE INTENDAM. Ita quilibet justus, intentione suâ unicè in

Intentio recta.

Deum defixâ, cœlum & res quasvis desideratas validissimè expugnat. Sapientis effatum est; *Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum;* veluti diceret, justi æternam vitam, ac mercedem beatam consequuntur, utpote assiduâ suâ intentione ad Deum directi. S. Laurentius Justinianus; *In cunctis operibus quicunque animi salutem exoptat, intentionis suæ componat obtutum, & ad illum, quem Divina lex mandat, dirigat finem, ut non casso labore desudet.*

Sap. 5. 16.

S. Laur. Iust. de Regim. Prælat. c. 22.

161. Tormentum bellicum, propugnaculo impositu epigraphen sustinet; IMPERTERRITA TERRET. Generosam hominis magnanimitatem hæc imago significat, qui timoris omnis penitus incapax, gravem vicinis suis formidinem incutit. Jure id de potentia Romana; & hodie etiamnum de potentia Austriaca; cumprimis verò citra omnem defectum de Omnipotentia Divina pronuntiaverim. S. P. Augustinus; *Terribiles sunt Reges terræ; sed ille super omnes, qui terret Reges terræ.*

Potentia Dei.

S. Aug. in Psal. 75.

162. Omnes tormenti bellici vires unicè à pulveris nitrati efficacitate scaturiunt; sine hac enim nec tonare, nec muros sternere, nec quæcunque alia munimenta fulminare potest. Unde lemma; EX PULVERE VIRTUS. Eximia adeò est orationis virtus, ut sonitu suo ipsos etiam cœlos implere, & durissimas quasvis adversitates violentiâ suâ expugnare queat; hæc tamen ipsius efficacitas maximum incrementum accipit, si pulverem, mortis inquam memoriam, habeat comitem. Inter S. Gregorii flores hanc sententiam reperire est; *Ille Deo veram orationem exhibet, qui semetipsum quia pulvis sit, humiliter videt, qui nihil sibi virtutis tribuit.*

Oratio cũ mortis memoriâ.

S. Greg. in floribus c. 98.

163. Tormentum bellicum, globis quibusdam vicinum, epigraphen tenet; VIRIBUS NON SUIS. Eorum hæc imago est propria, qui viribus alienis nixi, suas operationes exercent. Sancti Martyres gentilitatem quidem superârunt, idolorum statuas diruerunt, & adversus ipsos etiam tyrannos inter tormenta gravissima triumpharunt: res tamen adeò prodigiosas non propriis viribus, sed solius Dei virtute perfecerunt. Unde ad Deum conversa S. Ecclesia, canit; *Tu vincis inter Martyres.* S. P. Augustinus illa Apostoli verba examinans, *Bonum certamen certavi,* ait; *Quæro, quâ virtute certaverit? utrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? sed absit, ut tantus Doctor ignoraverit legem Dei, cujus vox est in Deuteronomio. Ne dicas in corde tuo; Fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit mihi virtutem hanc magnam, sed memoraberis Domini Dei tui: quia ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem.*

Martyres.

Auxilium Dei.

S. Aug. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 6. 2. Tit. 4. 7.

164. Qui S. Thomam Aquinatem bovis muti agnomine vocitabant, olim ab Alberto Magno id responsi tulêre, bovem hunc mutum non ita multò post toto orbe personaturum. Eò alludens nonnemo, Emblematis loco bombardam figuravit, cum dicto; CUM SONITU FERIET. Opportunâ hâc icone disces, iram Divinam nunquam ab infinita misericordia adeò dissociari, quin supremus & amantissimus ille Monarcha, Deus, omnia supplicia, in humanam gentem exoneranda, præviis sonoris vocibus annuntiet, &, ut saluti suæ consulere possint, sedulò præmoneat. S. Basilius oraculum illud Divinum ponderans; *Nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus &c.* ita philosophatur, *Clementiæ Dei erga homines peculiare hoc est: non clam, aut silenter ingerit supplicia, sed intendens comminationes, eas prædicit affore, per hoc peccatores invitans ad pœnitentiã.* Hâc veritatẽ, ſ excẽtis S. Scripturæ locis cõprobatã dilucidè in Exodo cernere licet, ubi Deus Ægyptũ tonitruis voluit percellere, priusquã illã grandine devastaret.

S. Thomas Aquinas.

Deus puniens.

S. Basil. in Isa. 5. 5.

devastaret. *Dominus dedit tonitrua & grandinem.* In hunc locum Origenes; *Vide*, inquit, *temperamentum Divinæ correptionis; non cum silentio verberat, sed dat voces, & doctrinam cœlitus mittit, per quam possit culpam suam mundus castigatus agnoscere.* Illum ipsum tormenti bellici morem observat virtuosus Prædicator, qui facundiæ suæ sonitum unicè ad sceleratorum hominum corda transverberanda destinat. De S. Francisco Salesio testatur D. Christophorus Ghiarda; *Franciscus de Sales primo prædicationis suæ ingressu animum non ita ad flores, sicuti ad fructus attentum habuit. Nec fuit instar pyroboli resonantis, aut cymbali tinnientis tantùm; sed instar bombardæ, quæ globo suo exonerata, obvios quosvis sauciat, sternitque.*

Exod. 9. 23. Orig. Hom. 4 — Prædicator fructuosus. — Christ. Ghiard lib. 1. c. 7 Vita.

165. Bombarda exonerata & flammam spargit & strepitum. Unde P. Bovii epigraphe; CUM FULGORE SONUS. Ita militia gemino beneficio & insignem gloriam, & famam nullo ævo intermorituram conciliat. Porrò qui omnes Prædicatoris Apostolici partes explere cupit, is non tantùm Christianæ doctrinæ sonitum in lingua, sed & gloriosæ ac exemplaris vitæ fulgura in vultu demonstret, necesse est. Enimverò Divinæ flammæ omnium primò supra Apostolorum capita resplenduerunt; *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Et postea, *Cœperunt loqui variis linguis &c.* In S. Francisci Salesii vita testatum habetur, quòd sanctæ fidei prædicandæ intentus, radios è vultu clarissimos sit ejaculatus. Teste S. Gregorio Papâ, *Necesse est, ut, qui verba Dei loquitur, prius studeat scire qualiter vivat, ut post ex vita colligat, & qualiter dicat.*

Militia. — Prædicator sit luminosus & sonorus. — Act. 2. 3. — Giard. lib. 1. c. 54. vita. S. Greg. Hom 10. in Ezech.

166. Oratio, sine interioris animi concursu ac suspirio elicita, conatu prorsus irrito fatigatur. Haud secus atque bombarda, meras flammas sine globo evomens, nec mœnia quassat, nec hostium phalanges rumpit, nec ullum victoriæ recuperandæ subsidium affert, sed soli militum ludibrio ac voluptati deservit. Unde lemma; NIL SINE GLANDE POTEST. Testatissimè Magnus Augustinus; *Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in Deum corde, quis dubitet inaniter fieri?*

Oratio distracta. — S. Aug. Psal. 118. Conc. 29.

167. D. Didacus Saavedra Symboli loco tormentum bellicum statuit, quod, ut scopum securiore ictu feriret, à regula quadrata ad dioptræ leges dirigebatur; addito lemmate, NON SOLUM ARMIS. Neque enim Princeps munere suo fungi potest, nisi omnia operationum ac virium suarum momenta ad justitiæ normam examinet. Nam teste Justiniano Imperatore, *Imperatoriam Majestatem NON SOLUM ARMIS decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis rectè possit gubernari.*

Princeps justus & fortis. — Iustin. in Proem. Inst.

168. Academicus inter Philopponos Pistorienses Incertus, tormento bellico jamjam exonerando subscripsit; EXITUS IN DUBIUM. Hanc gnomam omnes expeditiones bellicæ sibi propriam vendicant; quippe quæ vix unquam certum secundioris epilogi nuntium præmittunt. Thucididis parœmia erat; *ANCEPS CONDITIO EST BELLORUM.* Huic non absimilis Herodotus, *Belli fortuna*, inquit, *ita plerumque anceps est & dubia, ut magnus numerus à paucissimis, & qui potentes creduntur, ab imbecillioribus superentur.*

Bellum. — Thucid. l. 2 Herod. in Maxim.

169. Tormentum bellicum, glandem suam rectâ lineâ in adversi tormenti bellici orificium exonerans, ab Aresio epigraphen cepit; OPPILLABIT OS. Innuebat videlicet, S. Ambrosii eloquentiâ doctissimas ac facundas quasvis ævi sui linguas fuisse obturatas. Idipsum etiam Alexander Macedo formidandâ suâ magnanimitate effecit, ut universum orbem in facinora sua attonitum ac victum redderet. Nam, uti Machabæorum Historia de illo testatur, *Siluit terra in conspectu ejus: quia* ut interpretatur Hugo Cardinalis, *nemo audebat rebellare, vel aperire os, aut gannire.* In eundem locum P. Cornelius à Lapide ait; *Præ terrore fortitudinis, & victoriarum ejus continuarum, ut nemo auderet ei resistere, nec contra eum hiscere &c.* S. Jo. Bapt. Porrò Præcursoris Baptistæ voce in Palestinæ deserto auditâ, reliqui Prophetæ omnes obmutuêre. Ut adeò jure à S. Petro Chrysologo cognominetur, *Major homine, par Angelis, legis summa; Evangelii sanctio, Apostolorum vox, SILENTIUM PROPHETARUM.* Author Fastorum Marianorum testatur, S. Bartholomæi Apostoli vocibus in Armenia perceptis, quantocyus omnia dæmonum oracula conticuisse. *Hic loci ad ejus facundiam continuò malorum dæmonum simulachra obmutuerunt.* Item de invicto Martyre S. Apollinari referunt Annales Ecclesiastici, quòd ipso intra Serapidis templum divertente, *Dæmon se responsa daturum negabat, dum ibidem Petri Apostoli discipulus moraretur.*

S. Ambrosius. Virtuosus. — 1. Mach. 1. 3. Hug. Card. & Corn. à Lap. in hunc loc. — S. Pet. Chrys. serm. 11. — Brev. Rom. 24. Iulii. — Prudentia

170. D. Vincentius Gilibertus bombardæ inscripsit; LOCO ET TEMPORE. Ita homo prudens suam operandi rationem loco & tempore opportuno accommodat. In hoc argumentum exquisitè Isaias de Seraphinis testatur, quòd ante thronum Dei, ceu totidem bombardæ igneæ ante Principem exercituum, hoc omninò habitu steterint; *Sex alæ uni, & sex alæ alteri.* Et quod *duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Hîc non ineruditè interroges, cur duabus tantùm, non verò omnibus alis ad volandum sint usi? respondet non sine acumine S. Rupertus Abbas, ideò factū, quia *volabant pro LOCO ET TEMPORE.* Spiritus enim illi purissimi, summâ prudentiâ à Deo donati, pro meliore temporis aut loci exigentiâ paucioribus alis volare consueverant.

Isa. 6. 2. — Rup. Abb. l. 1 de Trin. & op. ejus. c. 28.

171. Bombarda, solas flammas, necdum verò glandem evomens, à Partheniis Romanis inscriptionem recepit; NONDUM INTONUIT. Innuebant, ni fallor, Prædicatorem illustri virtutum suarum splendore inclarescere debere, priusquam vocis suæ tonitrua in orbem spargat. Hanc parænesin ab ipsa infinita Sapientia subministratam accepimus, quando suos Apostolos primùm eum sale, ac postea cum luce comparavit. In hunc locum Author Operis Imperfecti; *Prius autem vocavit eos sal, postea autem lux, quia prius est benè vivere, secundùm autem benè docere.*

Prædicator exemplaris. — Aut. op. Imp. Hom 10. in Matth.

172. Nobile quoddam ingenium glandem à bombarda sparsam figuravit, quæ dirutâ quâdam turri, necdum acquiescebat, sed impetuoso cursu ulterius grassabatur, Epigraphen addidit; SUPEREST CURSUS. Hâc de re Tassus;

Non si ferma la lancea a la ferita,
DOPO IL COLPO DEL CORSO AVANZA
MOLTO.

Ita magnanimitas militaris, nullo unquam præterito facinore contenta, novas identidem roboris sui expeditiones solicitè inquirit. Idipsum etiam in actionibus virtuosis evenit; nam, asserente S. Gregorio Nysseno, *In virtute hunc perfectionis terminum esse dicimus, quod nullus in ipsa sit terminus, etenim virtutis idipsum terminus est, quòd interminata sit.*

Tass. Gerus. Liber. Canto 18 stanz. 66. — Profectus. — S. Greg. Nyss. Tract. de Ass. Vir.

173. Bombardæ violentiâ equos & equites, arma & armatos, turres & mœnia, aliasque res passim obvias validè sternimus. Unde lemma; OBSTANTIA STERNIT. Perfecti Oratoris hæc idea est, qui facundiæ suæ energiâ res quasvis pro libitu subjectas habet. Achilles Bocchius; *Fulgu-*

Eloquentia. — Achill. Bock. Sy. 94.

Fulgurat, ecce, tonatque, & miscet cuncta Pericles,
Ut rutilans perterricrepum, & penetrabile fulmen;
Utque imitata ipsum fulmen bombarda trisulcum
Munitas arces, immensa repagula, turres,
Oppida, & horribili evertit concussa fragore
Mœnia lata solo. Non illi cominus audent
Sistere se fortes turmæ, ingentesque manipli.
Sic Oratoris summi admiranda facultas
Quum sese ipse refert totum à cœlestibus illis
Rebus ad humanas, excelsius omnia certè, &
Magnificentius eloquitur, sentitque, movetque
Fortius, ut valeat prorsus NIL SISTERE CONTRA
Ignivomo fatuos propulsans ore Sophistas.

Fortitudo. S. Greg. lib. 8. Moral. Fortitudinis Christianæ characteres sunt, adversa superare, nunquam succumbere. S. Gregorius Papa; *Fortitudo justorum est, carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare.*

174. Invictum pectoris heroici magnanimitatem glandi plumbeæ non absimilem dixerim, quæ è bombarda erumpens, sine ulla sua jactura murum adversum perfringit. Unde illam Lucarinus hoc epigrammate insignivit; TRANSIT, seu FRANGIT ILLÆSA. Seneca; *Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam majora transeuntem, quidquid timemus, optamusque, ridentem; cœlestis potentia agitat.* Ruginaldo suo hanc laudem tribuit Tassus, quando illum, civitati conscendendæ intentum, sequenti poëmate vernaculo describit;

Magnanimus. Senec. Ep. 40. Tass. Gerus. liber. Cant. 18. stanz. 77.

More alcuno, altri cade: egli sublime
Poggia, e questi conforta, e quei minaccia.
Tanto è già in sù, che le merlate cime
Puote afferrar con le distese braccia.
Gran gente all' hor vi trahe, l' urta il reprime,
Cerca precipitarlo, e pur non' l caccia.
(Mirabil vista) a un grande, e fermo stuolo
Resister può, sospeso in aria un solo.
E resiste, e s' avanza, e si rinforza
E come palma suol, cui pondo aggreva
Suo valor combattulo hà maggior forza,
E nè la oppression più si sollevа:
E vince al fin tutti i nemici, e sforza
L' haste, e gl' intoppi, che d' intorno haveva;
E sale il muro e il signoreggia, e il rende.
Sgombro, e sicuro a chi diretto ascende.

175. Globus, è bombarda adversus civitatem volitans, à P. Bartholomæo Panciero, Augustiniano Excalceato, epigraphen accepit; VOLA, MA NON DA GIOCO. Id est; VOLITAT, NON AD LUSUM. Scurriles ac noxias illas facetias hæc imago spectat, quæ maligno ac invido quorundam animo jactatæ, legitimam charitatis fraternæ mensuram excedunt, notamque admodum probrosam proximo inurunt. His scommatis passim abundant Martialis, Persius, Juvenalis, & cumprimis Diogenes, qui ideò potissimum Cynnicus, seu Caninus dicebatur; quod obviis quibusvis dentem ac crisin suam infigere sit solitus. S. Bernardus; *Levis quidem sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat, leviter transit, sed graviter urit: leviter animum penetrat, sed non leviter exit: leviter profertur, sed non leviter revocatur: Facilè volat, ideò facilè charitatem violat.*

Somma mordax. S. Bernard. Serm.

176. Tormentum bellicum, magnum terræ pondus, ac cœli tonantis imago, à parvulo incenditur igniculo, ut densâ fumi nube, intermicantibus fulgetris, immanes ferreos globos, ac volitantium pilarum procellam, cum horribili impulsi ætheris sonitu effundat. Exiguus fomes est, pulvis ille nitratus; sed tamen solus efficax, qui tantum furorem cieat, ut in virorum urbiumque stragem duret, ingentesque eversas turres, atque immania convulsa propugnacula secum rapiat. Quamvis tota hæc machina jaceat exanimis, nihilque gloriosum operetur unquam, nisi manum admoveas, fomitemque subministres. Unde Tormento bellico subscripsit Serenissimus Philotheus; POLLET AB ADMOTO. Ita Auxilium Divinum, potentissimum omnibus in rebus momentum, singula perficit, singula regit. Dum igitur animus noster ambitione sanctâ flagrans, inter cæteros eminere mortales cupit, id à Deo expectemus, ut manum nobis admoveat; cùm sine illa, veluti pigrum terræ pondus, nihil laude dignum præstare valeamus, licet vel præstantissimis naturæ experientiæque donis nos jactemus. S. P. Augustinus; *Illis vehementissimè resistendum est, qui putant sine adjutorio Dei per se ipsam vim voluntatis humanæ vel justitiam posse perficere, vel ad eam tendendo perficere.* Emblematis mentem explicans Author, eruditè canit;

Auxilium Dei necessarium. S. Aug. lib. de Spirit. & lit. cap. 2.

Vasta quidem præsens est bellica machina moles,
Et nil sola tamen, ni moveatur, agit.
Quis temerè confidat? opem quoque maxima poscunt,
Atque operâ alterius, sæpè minoris, egent.
At tibi confidam soli, Deus optime, namque
Nullius auxilio solus & unus eges.

TUBA.
Cap. XIX.

177. Tuba stridulis vocibus milites ad confligendum extimulat. Unde Ferrus illam hoc Virgilii lemmate insignivit. VIRES, ANIMUMQUE MINISTRAT. Idipsum testatur Lipsius; *Sonus cornuum & tubarum in præliis magnam vim habet ad spiritus & sanguinem evocandum.* Ita sanè virtutis aut magnanimitatis alienæ exemplum vicinis omnibus aliquem generosi animi ardorem inspirat. Rursus Lipsius; *Cupidinem veræ virtutis & gloriæ ingenerat, visa sæpius aliena gloria & virtus.* Themistocles dicere solebat, Miltiadis victorias sibi somnum eripuisse, & ad generosas expeditiones concitâsse.

Virgil lib. 11. Æn. v. 764. Lips lib. 4. de Mil. Rom. dial. 10. Exemplū. Lips Cent. 1. Epist 22.

178. Tuba ab Alcibiade Lucarino epigraphen accepit; MOVET IN UTRAMQUE PARTEM. Hæc ipsa facundi Oratoris est virtus, qui suis auditoribus risum & lachrymas, odium & amorem, spem & formidinem, aliosq; animi affectus pro libitu persuadere, & in suas partes flectere novit. Certè S. Cyprianus argenteâ insignis eloquentiæ suæ tubâ quosvis auditorum animos non tantùm in uberrimas pœnitentiæ ac prioris vitæ corrigendæ lachrymas rapuit, sed insuper ad sanguinem ac vitam, in sanctæ fidei testimonium profundendam, permovit. Ipsummet luculentum sibi testem audi; *Cùm acies adhuc inter manus esset, & prælium gloriosi certaminis in persecutione ferveret; toto hortatu, & pleno impetu militum vires fuerant excitandæ, & maximè lapsorum mentes classico quodam nostræ vocis animandæ, ut pœnitentiæ viam non solùm precibus & lamentationibus sequerentur: sed quoniam repetendi certaminis, & reparandæ salutis dabatur occasio, ad confessionis potius ardorem, & martyrii gloriam nostris increpiti vocibus provocarentur.*

Orator eloquens. S. Cypr. Ep. 59. ad Ant.

179. Tuba, cum lemmate, SPIRITUS ALIUNDE, Sanctos Prophetas figurat, qui spiritu ac virtute à solo Deo subministratâ vaticinantur. Ab hoc proposito non multum alienus Venerabilis Beda, ait; *Sicut fistula absque inspira-*

tione nullum reddit sonum, sic cor hominis absque inspiratione Divinâ nullum recipit bonum. Idipsum de Poëtis testatur Ovidius;

Poëtæ. *Ovid 3. Fast.*

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

180. Tubæ sonitus tum demum efformatur, quando flatus per contractas angustissimi canalis fauces est progressus. Unde lemma; ANGUSTIIS SONITUM. Hinc disces, supplices hominum voces tantundem in cœlum spargi, quantum intra calamitatum angustias compressi fuerint. Lactantius; *Si qua necessitas gravis homines presserit, tunc Deum recordantur. Si belli terror infremuerit, si morborum pestiferavis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium, Deus ut subveniat oratur.* Seneca eandem tubæ mataphoram in Poësis laudem interpretatur. *Quemadmodum,* inquit, *spiritus noster clariorem sonum reddit, cùm illum tuba per longi canalis angustias tractum, patentiore novissimè exitu effudit: sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit. Eadem negligentius audiuntur, minusque percutiunt, quamdiu solutâ oratione dicuntur, ubi accessêre numeri, & egregium sensum astrinxêre certi pedes, eadem illa sententia velut lacerto excussa torquetur.*

Calamitas orare docet. *Lact. lib. 2. Div. Instit. cap. 1.*

Poësis. *Senec. Epist. 108.*

181. Fuit, qui tubæ subscripserit, INFLATA RESONAT. Ita Apostoli *Repleti sunt Spiritu sancto, & cœperunt loqui prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Aspirante enim Spiritu sancto, voces suas Evangelicas in omnes terræ angulos sparserunt. De his canit S. Ecclesia;

Apostoli. *Act. 2. 4.* *Hym. in Pentecost.*

Impleta gaudent viscera
AFFLATA sancto Spiritu
VOCES diversas INTONANT,
Fantur Dei magnalia.

Facundus in rem præsentem S. Leo Papa, exclamat; *O quàm velox est sermo sapientiæ, & ubi Deus magister est, quàm citò discitur, quod docetur! Non est adhibenda interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad usum, non tempus ad studium, sed spirante ubi voluit Spiritu veritatis, propriæ singularum Gentium voces factæ sunt in Ecclesiæ ore communes. Ab hoc igitur die tuba Evangelicæ prædicationis intonuit.* Et quod, teste Patre Lorino, mireris, *Non potest so continere Spiritu sancto plenus, quin Divina loquatur.* Id quod exemplo suo comprobât sancti Prophetæ, Zacharias, Joannis Baptistæ parens, Elisabetha, S. senex Simeon, & alii.

S. Leo serm. 1. de Pent. *Lorin. in Act. cap. 2. n 4.*

182. D. Julius Cæsar Ripa Poësin heroicam Emblemate significaturus, tubam coronæ laureæ vicinam depinxit; addito lemate, NON NISI GRANDIA CANTO. Illud enim Poëmatis genus, gravi undique majestate plenum, argumenta nonnisi sublimia molitur. Porrò vir obediens, instar tubæ, nonnisi felices pugnas & victorias canit; suffragante Salomone, *Vir obediens loquetur victoriã.* S. August. *Sola obedientia tenet palmã, sola inobedientia invenit pœnã.*

Poëma heroicum. Obediens. *Prov. 21 28 S August. in Psal. 70.*

183. Prædicator vitiosus, suos auditores ad virtutis studium excitare solitus, tubam imitatur, quæ hanc gnomam præferat; ANIMAT EXANIMIS. Disertè S. P. Paulus, *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Hunc locum interpretatus S. Gregorius Papa, *Bona quippe,* inquit, *loquens, sed per amorem eadem non sequens, velut æs aut cymbalum sonitum REDDIT, quia IPSE NON SENTIT verba, quæ ipse facit.*

Prædicator vitiosus. *1 Cor. 13. 1. S. Greg l. 32. Moral. c. 14.*

184. Tuba, quamvis se ipsâ ad occidendum inhabilis, aliorum tamen animos in necem ac exitia inferenda concitat. Illam proinde Senator Berlingerius Gessus hoc lemmate insignivit; EXORS IPSA PUGNANDI. Ni fallor, hæc imago illum Æsopi Apologum innuit, in quo tuba, ab hostibus in bello capta, suam innocentiam prolixè explicavit, neque ullum unquam à se interfectum protestata est, sed tandem id responsi tulit; *Ideò magis tibi moriendum est, qui, cum pugnandi sis expers, alios omnes ad pugnam concitas.* Idipsum vetulæ illæ assolent, quæ ætate ac rugis confectæ, cùm se ipsas Veneri adversandas non ignorent, aliorum tamen animos ad eam pellicere solent. Porrò etiam bonus Paterfamilias, quantumvis annis grandævus, & ad labores, jejunia, aliasque corporis castigationes sufferendas inhabilis, suos tamen filios & nepotes animosè ad illam vivendi rationem extimulat.

Æsop infa. Fœmina incasta. Paterfamilias senex.

185. Generosus hominis animus, quibusvis calamitatibus & angustiis coarctatus, non modò nullam virium suarum jacturam, sed contrà plurimum roboris & felicitatis accipit. Huic rei significandæ D. Didacus Saavedra Tubam figuravit, cum lemmate, INTERCLUSA RESPIRAT. Enimverò sicuti aër, intra tubæ angustias compressus, tandem majore vehementiâ, nec sine suavi vocum harmoniâ progreditur; ita virtus omnium maximè inclarescit, quando ærumnis probè constricta fuerit. Tullius; *Multorum improbitate depressa virtus emergit, & innocentiæ defensio INTERCLUSA RESPIRAT.*

Virtus pressa. *Cicero pro Cluentio.*

186. D. Aresius in S. Thomæ Aquinatis encomium tubam militarem statuit; addito epigrammate, ATTRAHIT, AUT TERRET. Innuebat videlicet, sicuti tuba vocum suarum classico amicos ad arma convocat, hostibus verò terrorem incutit; ita Angelicæ doctrinæ sonitu Catholicos omnes ad tanti Doctoris signa concurrere; hæreticis interea attonitis, & in fugam actis. Proinde vernaculam hanc de illo poësin subjungere placuit;

S. Thom. Aquin.

Qual di guerriera tromba,
Con altissime voci il suon si spande:
Tal di Tomaso il grande
L'Angelico sapere alto rimbomba,
E di sue voci altitonanti il grido,
Se'l popo l fido ATTRAHE à giusta guerra,
Lo stuol perverso, ED ATTERRISCE, è atterra.

S. Joannes Chrysostomus eâdem omninò metaphorâ S. Paulum Apostolum exornat; *Tanquam tuba terribile canens, & bellicum, HOSTES quidem CONSTERNIT, lapsos autem SVORVM SENSVS EXCITAT.*

S. Paulus. *S. Io. Chrys. Hom. 1. ad Populum.*

187. Tubæ sonitus non in hominibus tantùm, sed in ipsis etiam equis ardorem invictum excitat, quo adversus hostem acerrimè stimulantur. Unde illam hoc lemmate insignies; AD CERTAMINA VOCAT. seu, CIET IN ARMA. Ita viri sapientis sermones, & longè magis hominis virtuosi exempla ad vitia & dæmones expugnandos incitamenta subministrant validissima. Disertus in rem nostram S. Cyrillus Alexandrinus, *Et equum,* inquit, *quidem per se alacrem & erectum, cùm vehemens belli strepitus, sonitusq́ armorum, tum ferri coruscantis intuitus, ac tubarum in præliis haud vacuus terrore clangor, ad belli amorem excitant, atq; impellunt: hominis autem justi animum ad Divinum certamen acuit sermo de rebus præclarissimis institutus, atq; ad Divini amoris affectum haud mediocriter excitat.* Et S. Gregorius Papa super illis sacræ Paginæ verbis, *Saul cecinit buccinâ,* ait; *Buccina canere est & victoriam nuntiare, & exemplo victorum, aliorum mentes ad spiritualis belli propositum excitare.* Cæterum etiam susurronum voces, nonnunquam horrendas factiones, & vindictas sanguinarias concitant.

Sermo spirituali. *S. Cyrill. Hom. 9 de Fest. Pasch.* *S. Greg. in Reg. 13. 3.* Susurro.

188. Tuba omnibus quidẽ expeditionibus militaribus,

bus, bellorum simulachris, ludis Trojanis, cæterisque conflictibus Martiis; nunquam tamen choreis, aut tripudiis deservit. Unde Lucretii Borsati lemma; NON AD TRIPUDIA. Hanc Tubæ indolem cuivis Prædicatori congenitam velim, ut auditores suos non quidem ad voluptates, risus, cæteraque aurium blandimenta; sed ad virtutum arma, & ad vitia generosè expugnanda provocet. Hoc veluti celeusmate illum evocans Isaias, *Clama*, inquit, *ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Et Joël, *Canite tubâ in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum &c.* S. Hieronymus super illis Sacræ Paginæ verbis, *Verba sapientum quasi stimuli*, ait; *Notandum est, quòd dicuntur verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lachrymam, sed errantibus tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infigere. Si cujus igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste sermo non est sapiens.*

Prædicator non sit jocosus. — *Isa. 58. 1.* — *Ioel. 2. 15.* — *Eccles. 12. 11.* — *S. Hier. in hunc loc.*

189. E superiore numero constat, Prædicatorem in sacris Litteris tubæ nomine significari, cujus clangore auditores ad virtutum arma, & implacabile bellum adversus vitia concitentur. Unde tubam opportuno hoc lemmate distinguere licet. NON NISI VACUA SONAT. Meminerit enim Orator Apostolicus, auditorum animos tantò efficacius ad obsequium Divinum trahi, quantò ipsemet ab omni terreno comodo liberior fuerit. Appositè Hugo Cardinalis; *Tuba, per quam designatur Prædicator, non resonat, nisi vacua, & Prædicator debet esse vacuus per humilitatem, perque rerum terrenarum neglectum.*

Prædicator rebus terrenis liber. — *Hug. Card. in Ps. 44.*

190. Tuba, in extremi judicii die ab Angelo inflanda, defunctos omnes è tumbis suis ad vitam evocabit. *Canet enim*, Apostolo teste, *tubâ, & mortui resurgent incorrupti.* Hâc veritate nixus, Emblematis loco tubam figurabis, quæ versus cæmeterium, urnis sepulchralibus ac tumulis undique plenum, dirigatur; cum lemmate, CANENTE RESURGENT. Hinc disces, miseros peccatorum animos è scelerum suorum morte ad virtutum vitam quantocyus excitatum iri, si benignâ correctoris discreti voce, ceu tubâ angelicâ, commonefiant. S. Gregorius Papa; *Nonnunquam, qui inter flagellorum duritiam remanent incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi; nam plerumque quos cruciamenta non corrigunt, ab iniquis actibus lenia blandimenta compescunt.* Emblematis mentem illustri epigrammate explicat meus D. Salvator Carducius;

1. Cor. 15. 52. — Correctio suavis. — *S. Greg in Past. c. 38.*

Dum turba exanimis rediviva resurgit ab urnis;
Effera fulmineo non tonat ore tuba.
Blanda sed harmonicis complet concentibus aures;
Dulciter unde tubâ vita canente redit.
Disce: reviviscent emertua crimine corda;
Dulcisono exagitas si scelus ore, docens.

191. Tuba ductilis, fabri malleo penè absoluta, epigraphen tenet; MODULIS ITA DULCIBUS APTOR. Ita nimirum Justus per calamitates ad gratias laudesque Deo concinendas perficitur. S. P. Augustinus; *Ductiles tubæ, areæ sunt, tundendo producuntur. Si tundendo, ergò vapulando eritis tubæ ductiles ad laudem Dei productæ, si cùm tribulamini, proficiatis; tribulatio, tunsio, profectûs productio est. Tuba ductilis erat Iob, quando repente percussus &c.*

Calamitas. — *Aug. in Psal. 97.*

192. Tubæ militari subscripsit P. Masenius; ABSQUE AURA TACET. Ita Aulicus, nisi inflante honoris aut futuræ propriæ aurâ, nihil pro Reipublicæ commodo consulit. Porrò Propheta penitus evadit elinguis, nisi Spiritus sancti aurâ concitetur. *Non enim*, inquit Apostolorum Princeps, *voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Idipsum de Poësi testatur apud Platonem Socrates; *Omnes carminum Poëtæ insignes, non arte, sed Divino afflatu ista præclara poëmata canunt. Res enim volatilis atque sacra Poëta est; neque Poëta prius canere potest, quàm Deo plenus sit.*

Aulicus. — Propheta. — *2. Pet. 1. 21.* — Poësis. — *Plato in Io. lib. 14.*

193. Tubæ militari epigraphen subjunges; DEJICIT, ET ACCENDIT. Verbis è Magno Augustino desumptis, qui & Emblematis authorem & interpretem se offert *Sicut in prælio tuba formidolosi militis mentem DEIICIT, & animum fortis ACCENDIT; ita & sacerdotalis tuba mentem peccatoris humiliat; animos viri sancti corroborat: nec parcit voci, ut parcat saluti; & uno eodemque sono isti adhortationem dat; illi terrorem incutit. Hæc est enim consuetudo tubæ, ut delinquentium opera dissipet, & sanctorum facta confirmet.*

Prædicator. — *S. Aug serm. 106. de Temp.*

TYMPANVM.
Cap. XX.

194. TYmpanum, bacillis suis ligneis junctum, epigraphen tenet; PERCUSSUM RESONAT. Vel ut D. Carolo Rancato placet; SE NON PERCOSSE, seu, SE NON TOCCATO MI FARO' SENTIRE. Id est; PERCUSSUM RESONABO. Hominem in vindictam pronum hâc icone delineabis, qui levissimo digito tentatus, mox altum vociferatur, & omnia passim clamoribus, minisque implet. Seneca; *Ut exulcerata, & ægra corpora ad ictus levissimos gemunt; ita muliebre maximè, & puerile vitium est.* Et paulò post; *Non est quod credas irascentium verbis; quorum strepitus magni, minaces sunt, intus mens pavidissima.* Tandem subjungit; *Exæstuante ab imis præcordiis sanguine* (de iracundis loquitur) *labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque minas agens &c.* Illum ipsum tympani morem congenitum habet homo, qui calamitatibus nonnihil à Deo pressus, voces & suspiria in cœlum spargit. Disertè Vates Regius; *Et clamaverũt ad Dominũ, cùm tribularentur.*

Vindicta. — *Senec. lib. 1. de Ira. c. 16.* — *Idem. cap. 1.* — Calamitas — *Psal. 106. 6.*

195. Tympanum, è pariete suspensum, inscriptionem præfert; MUTESCIT IN PACE. vel, IN PACE QUIESCIT. Ita sancti immortalis vitæ suæ decursu corpus assiduis jejuniis, vigiliis, & mortificationibus evacuârunt; pellem flagellis ceciderunt; pectus in pœnitentis animi signum pulsarunt; neque unquam è gravi suo adversus Tartarum & propriam carnem conflictu quieverunt: donec tandem receptui canere, ac triumphum in cœlestem patriam deducere sint jussi, ubi nullis imposterum bellis aut calamitatibus interturbandi, vitam æternùm tranquillam agunt. In illa enim patria felicissima *Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Quietis hujus typum minimè obscurum exhibent Regum Fasti, dum de Salomonis templo, ceu propriâ cœlestis patriæ ideâ, testantur, *Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* In hunc locum S. Eucherius; *Hic malleus*, inquit, *hic securis, hic omnia tunsionum resonant feramenta: in domo autem Dei nulli ictus audiuntur, quia IN ÆTERNA PATRIA OMNES jam percussionum STREPITUS CONTICESCUNT.*

Beatus. — *Apocal. 21. 4.* — *3. Reg. 6. 7.* — *S. Euch. in hunc loc.*

196. Monacense Societatis JESU Collegium D. Francisco Borgiæ, cùm in sanctorum album relatus esset, militare tympanum Emblematis loco statuit; cum lemmate, INCÆSA ET VACUA QUAM BENE PELLE SONAT. Enimverò Franciscus jejuniis

Mortificatio.

jejuniis & corporis edomatione assiduò exercitatus, suavissimam virtutum omnium harmoniam contraxit. Nempe *Jejunium*, Magno Augustino teste, *purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit: castitas verò lumen accendit.* Pulchra est de S. Francisco Borgiâ sequens inscriptio;

S. Aug ferm. de Iejunio.

Casta castum, viduum virgines laudamus,
Picem tangere, nec inquinari,
De Francisco dictum puta.
Inter aulæ Veneres Venerem nunquam aspexit.
Cæcitatem cum oculis pactus, ne excæcarent.
Corpus flagris percussit, ut ne vapularet:
Ferro perforavit, ut anima maneret integra.
Ita innocentiam Dei servavit timore, optimo
Fascino. &c.

Gratia præveniés. S. Aug ferm. 10. de Verb. Apost. c. 5.

197. Duobus tympanis inscripsit Serenissimus Philotheus; TACTA SONABUNT. Ita nihil in hoc mundo præclarè possumus agere, nisi manu Divinâ tacti ac moti. S. P. Augustinus; *Ut esses, ut sentires, ut audires, ut consentires, prævenit te misericordia Dei, prævenit te in omnibus. Præveni & tu in aliquo iram ejus.* Eruditè canit idem Philotheus;

Ænea dum tremulo pulsantur tympana motu,
Robustos referunt fortiter acta sonos.
Nos quoque torpemus, nos vasta silentia stringunt,
Ni moveat summus pectora nostra Deus.
Hoc agitante bonos intra præcordia motus
Sentit homo, & sensim, sed prius actus, agit.
Magne mihi moveas, Deus, almo Numine mentem,
Sic quodcunque voles, sed benè motus, agam.

GratiaDei præveniés. S. Aug. in Ps. 87. Idem Ps. 58. conc. 2.

198. Nunquam tympanum edit sonum bellicum, animatque militares animos, nisi admota prius manus ipsum animadvertit. Unde Emblemati subscripsit Serenissimus Philotheus; ANIMO, DUM ANIMOR. Ita animus noster nunquam excitari poterit, nisi Divina prius consentiens voluntas & ipsum animadvertit, & destinata approbaverit. *Nec credere potuissem*, inquit Theologorum Phæbus Augustinus, *nisi me Dei misericordia prævenisset.* Et rursus; *Ante omnia merita mea bona, prævenit me misericordia Dei.* Concinnè in rem præsentem canit Emblematis Author;

Stridula dum streperis animantur tympana bombis,
Pugnaces animant ad fera bella manus.
Acta potenter agunt. Si tu, Deus optime, mentem,
Atque tuâ moveas pectora nostra manu.
Tunc animant animata pios. Tu prima bonorum
Causa, Deus, ne qua cætera cuncta fluunt.
Mortua turba sumus. Te nos animante, vigemus;
Absque tuo nullus Numine motus inest.

VEXILLVM. LABARVM.

Cap. XXI.

199. VExillum militare, supra propugnaculi muros defixum, epigraphen ex Virgilio sustinet, AUDENTES FORTUNA JUVAT. Eodem sensu Ovidius;

Virgil. l. 10. Æn. v. 284. Ovid. Met. 10.

AUDENTES DEUS ipse IUVAT.

Audacia.

Scipio Africanus, T. Livio referente. *Audendum*, inquiebat, *atque agendum, non consultandum in tanto malo esse.* Et Ammianus Marcellinus; *Virtutem integram esse convenit, & audacem.* Vide sis Aldi Manutii Adagia, sub titulo: *Fortes fortuna juvat*; ubi in eam rem plurimas Oratorum, Historicorum, & Poëtarum eruditiones habebis obvias.

T. Livius lib. 22. Am. Marcel. lib. 16.

200. Joannes Ferrus vexillo militari subscripsit; COGIT IN HOSTEM. Hanc ideam triumphanti S. Crucis signo; vel certè ipsimet Christo, in crucem fixo, propriam dices; quippe sub quorum tutela adversus omnes hostium assultus securi incedimus. Disertè S. Ambrosius; *Exercitata mens, non aquilarum præfert imagines, nec dracones, sed in Cruce Christi, & in IESU nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.* Probè id perspectum habuerunt Basilii Imperatoris milites, qui contra Manichæos dimicaturi, lætum victoriæ auspicium è gemina hac voce altum inclamatâ ceperunt; *Crux vicit:* Uti Cedrenus refert. Nec etiam Julianum Apostatam id fugerat, qui Magi cujusdam operâ ad dæmonum conventiculum deductus, cùm gravi terrore percelleretur; *ad crucem vetusque remedium confugit: hocque se adversus terrores consignat.* Dictis his suis mox subjungit S. Gregorius Nazianzenus; *Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur.*

S. Crux. S. Ambr. l. 1. de Abrah. cap. 7. Cedrenus. S. Greg. Naz. Orat 3 n. 54.

201. Labarum, undique dilaceratum, lemmatis loco has Horatii voces præfert; IN PRÆLIA TRUDIT. Christum è cruce pendentem, ac vulneribus toto corpore confectum, hæc imago concernit: solo enim Christi patientis aspectu animum concipimus, & liberrimâ voluntate in mille mortes adversus tyrannos ac carnifices impellimur. S. Laurentius Justinianus; *Cùm in Crucis stipite confixus est Christus, atque in Monte Calvariæ elevatus, tunc ad pugnam animata sunt fidelium corda &c.*

Christus crucifixus. S. Laur Iust. de triumph. Christi agone cap. 17.

202. Alcibiades Lucarinus hanc militaribus vexillis epigraphen subjunxit; STA' VOLTEGGIANTE, E INCUORA. Id est; DANT AGITATA ROBUR. Hominibus Apostolicis hanc iconem concolorem dixerim, qui modò cœlum promittere, modò æterni supplicii minas interponere soliti, auditores suos ad Dei obsequium extimulant. Idipsum etiam de quovis Belliduce pronuntiare licet, qui bellum auspicaturus, exercitum circuire, suosque milites in pugnam animare consuevit. Torquatus Tassus de Godefrido affirmat, quòd prælium exorsus, sese ad exercitus Ægyptii frontem collocârit;

Prædicator. Bellidux. Tass Gerus. Liber. Cant. 20 stanz. 12.

----- Sotira un corsier di schiera in schiera
Parea volar trà cavalier trà fanti.
Tutt' il volto scopria la visiera:
Fulminava ne gli occhi, e ne sembianti.
Confortò il dubbio, e confermò chi spera:
Et al audace rammentò i suoi vanti,
E le sue prove al forte: a chi maggiori
Gli stipendi promise, a chi gli honori.

Eâdem laude insignem se probavit Serenissimus D. Joannes de Austria, supra fœderatorum Summi Pontificis Pii V. Regis Catholici Philippi II. & Reipublicæ Venetæ exercitum supremus Bellidux. Nam navali prælio initium facturus, cymbam aliquam facilem conscendit, totamque Christianorum classem ambiit: tum navim è navi invisens, milites omnes animosis vocibus incitavit, ut Orientis Tyrannum generosè aggrederentur, eique palmam extorquerent. Ut adeò, victoriâ paulò post obtentâ, jure de se ipso dixisset; *Dedit agitatus robur.* Xenophon de Clearche, supremo Belliduce, ait; *Ipsemet in cœnum cum descendisset, ejus operis suas sibi partes depoposcit. Quod cùm cæteri vidissent, dedecori sibi fore putârunt, si non fuissent illius alacritatem imitati.* Et de Corbulone Tacitus; *Ipse cultu levi, capite intecto in agmine, in laboribus frequens adesse: laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere.*

Xenoph l. 2. de Cyro. Tacit. l. 15. Annal.

202. Adagium omnium ore vulgatum est; *Vetus vexillum honor Belliducis.* Illud proinde, undique lacerum ac perforatum, à P. Hortensio Pallavicino epigraphen

epigraphen recepit; LUSTRIS ILLUSTRIUS. Seu, QUANTO LACERA PIU', TANTO PIU' BELLA. Id est, LACERATUM VENUSTIUS. Verbis ex Equite Marino desumptis, ubi de vexillo canit;

E da punto di lancie, e di quadrella,
QUANTO LACERA PIU', TANTO
PIU' BELLA.

Miles. Ita omninò militum gloria tantò magis conspicua evadit, quantò pluribus vulneribus deformati fuerint. Certè Comitis Godefridi Pappenhemii corpus, cicatricibus plus quam centenis spectandum, nomini suo famam, nullâ unquam ætate intermorituram, conciliavit. Illo ipso Emblemate etiam S. Bartholomæum Apostolum, toto corpore dilaniatum, aliosque complures SS. Martyres, insignire licet. S. Joannes Chrysostomus; *Pretiosa sunt corpora Martyrum, quoniam plagas pro Domino susceperunt: & sicut corona regalis undiq; decorata fulgentes radios emittit: ita sanctorum corpora, sicut pretiosis lapidibus, acceptis pro Christo vulneribus distincta, omnium Regum diademate pretiosiora redduntur.*

.Bartholomæus. Martyr. *Io. Chrys. hom. de 7. Machabæis.*

204. Vexillum, quantumvis à ventis in omnem partem jactatum, semper tamen hastæ suæ affixum persistit. Unde lemma; AT SEMPER IN HASTA. Eorum hæc idea est propria, qui diversis negotiis aut cogitationibus distracti, nunquam à proposito suo recedunt. Ità Prædicator, in res varias digressus, eidem discursus sui filo pertexendo singulas accommodat. Illis insuper hæc imago convenit, qui variis calamitatibus agitati, è directa virtutis & obsequii Divini linea nunquam recedunt. Disertè S. Paulus suo & justorum omnium nomine; *Quis nos separabit à Charitate Christi? Tribulatio? an angustia? &c. certus sum, quia neq; mors, neq; vita &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Nervosè singula explicans Magnus Augustinus, *Nemo* inquit, *nos separat à charitate Domini, minando mortem: idipsum enim quod diligimus Deum, mori non potest, cùm mors ipsa sit non diligere Deum. Nemo ab ea separat pollicendo vitam, nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam. Non separat Angelus, non enim est Angelus, cum inhæremus Deo, nostra mente potentior. Non separat virtus, quæ potestatem habet in hoc mundo: nam toto mundo omninò sublimior est mens inhærens Deo. Non separant instantes molestiæ; hoc enim leviores eas sentimus, quo ei, unde nos separare moliuntur, arctius inhæremus &c.* Hoc encomio præ cæteris conspicuus S. Gregorius Nazianzenus, tametsi mille insidiis ac persecutionibus affligeretur, è firma tamē cœli potiundi fiducia nunquam dimoveri potuit. Ipsummet sibi hortatorem audi;

Continua-. Constan- inter versa. *m. 8. 31.* *S. Aug. lib. 1. de Moribus Eccles. c. 11.* *S. Greg. Naz. in versibus, quibus sese cohortatur.*

------ Omnia vitæ
Commoda versetur tumidis, gravibusq; procellis.
Omniaque hic tempus talorum more volutet,
Divitias, famam, vires, formæque nitorem,
Quæ Dominos persæpè suos malefida reliquunt.
Ast ego sincero complectens corpore Christum,
In spe semper ero, donec mihi cernere detur
Unitæ Triadis clarum & venerabile lumen.

205. Vexillo volanti subscripsit P. Jacobus Masenius; AMAT COLLUDERE VENTIS. Ille ipse aulicorum & adulatorum genius est, qui vituperant laudantque eodem ore, prout Principis voluntate ac complacentia, ceu actionum suarum vento, impelluntur. Origenes; *Qui ad voluntatem meditata deportant, & illa semper inquirunt quæ delectent potius audientes, quàm convertant à vitiis, faciunt velamina super caput.* Plato; *Adulator optimi nullam habet curam, sed semper eo quod dulcissimum est, quasi hamo, incautam illaqueat mentem. &c.* Providè monet Cato;

Aulicus. Adulator. *Orig. Hom. 1. in Ezech.* *Plat in Gorg.* *Cato in suis Distich.*

Noli homines blandos nimium sermone probare:
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

FINIS LIBRI VIGESIMI SECUNDI.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER VIGESIMUS TERTIUS.
INSTRUMENTA MUSICA.

Chelys.	1	Organum. Organum hydraulicum.	6
Chorda.	2	Syrinx.	7
Cithara.	3	Testudo.	8
Lyra.	4	Tibia.	9
Nablium.	5	Tibia utricularis.	10

CHELYS.
Cap. I.

Guilielmus Hesius è Societate JESU Symboli loco chelyn figuravit, quæ fidibus spoliata, nonnisi inutile ac veluti exanime lignum remanet. Epigraphen addidit; VIS VITAM TOLLERE, TOLLE FIDEM. Idipsum de Sancta Christi Fide dixerim, quâ ablatâ, proximam etiam vitæ jacturam facimus. Testatissimè S. Joannes; *Qui incredulus est, non videbit vitam.* Hunc locum interpretatus S. Cyrillus, *Vitam*, inquit, *non videbit, id est, nec quantùm ad visum quidem pertinet nudum, ad vitam Sanctorum pervenire poterit, non attinget illam beatitudinem, non gustabit illa gaudia, non videbit veram vitam: suppliciis enim cruciabitur, quod omni morte tristius est, in solo sensu dolorum animam in corpore retenturus.*

Fides.
Io. 3. 36.
S. Cyrill. in hunc loc.

2. Chelys, in qua una fides fracta est, eodem authore epigraphen tenet; NIL RELIQUÆ, SI ME DEFICIT UNA FIDES. Ita reliquæ virtutes omnes nihil possunt, si unâ fide, ceu omnium illarum basi, destituantur. Opportunissimè in rem præsentem S. Hieronymus in illa Davidis verba, *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen sanctum ejus*; ait; *Quomodò cithara non emittit vocalem sonum atque compositum, si saltem una chorda rupta fuerit; sic spiritualis venter Prophetæ, si una in eo virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce resonare.* De fide sigillatim ait Apostolus; *Sine fide impossibile est placere Deo.* Pulchrè S. P. Augustinus; *Verè beatus est, qui & rectè credendo benè vivit, & benè vivendo fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus bonis, ita nihil proficiunt opera bona sine fide rectâ.*

Virtutes concatenatæ.
S. Hier. l. 6. super. Isa. c. 16. Psal. 102.
Fides.
Heb. 11. 6.
S. Aug. ser. 13 de Temp. c. 1.

3. Guilielmus Hesius chelyn, unicâ tantum fide instructam, hoc lemmate legendam proposuit, SOLA FIDES, EST VANA FIDES. Nimirum asserente Apostolo, *Fides sine operibus mortua est.* S. Bernardus; *Mors fidei*, inquit, *est separatio charitatis. Credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam delectio animet, probet actio. Non incurvet terrenum opus, quod fides cœlestium erigit. Qui te dicis in Christo manere, debes sicut ipse ambulavit, & tu ambulare.* Et S. P. Augustinus; *Hæc fides spe nutritur, sicut corpus cibo reficitur; dilectione animatur, sicut corpus animâ vivificatur.*

Fides sine operibus.
Iac. 2. 20.
S. Bernard. serm. 24. in Cant.
S. Aug. l. de Cognit. vitæ c. 37.

4. Chelys, ab assidentis pueri digitis intacta, symboli loco epigraphen tenet; MUTA FIDES, NISI MOTA. Idipsum de fide nostrâ dixerim; nam, quod S. Jacobus testatur. *Fides, si non habeat opera, mortua est. Quousque ergò falluntur*, inquit Magnus Augustinus, *qui de fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur?* Et alibi; *Apostolus Iacobus, cùm quosdam redargueret, qui sufficere dicebant homini solam fidem, nec ei charitatis opera conjungebant; eos ex dæmonum comparatione convicit, ne ideo se ad Deum pertinere existimarent, quòd verum de Deo crederent, etiamsi bona opera adjungere fidei non curarent. Tu credis*, inquit *Apostolus*, quoniam unus est Deus? benè facis: & dæmones credunt, & contremiscunt. &c.

Fides sine operibus.
S. Iacob 2. 17.
S. Aug. de octo. dulc. Quæst. q. 1. idem de Uni. Iudæ. ... c. 10.
Iacob. 11. 19.

5. Fides, in cheli laxatæ ac pendentes, ab admotâ manu frustra pulsantur. Lemma; SI LAXA EST FIDES, FIDEM NEGABIT. Ita prorsus, quos in obsequio Divino remissos, ac tepidos cernimus, ingruente quâvis levissimâ tentatione, omnem virtutum ac fidei Divinæ harmoniam perdunt. His gravissimas minas intendens Siracides, ait; *Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo.* Seu ut Cornelius à Lapide explicat; *Væ remissis & tepidis, qui molliter & tepide adhærent Deo, nec firmiter ei credunt & confidunt, sed tempore tentationis titubant.* De hominibus tepidis pronuntians S. Bernardus, *Invenire est*, inquit, *homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere; virga & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est; quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, quorum oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione, quos vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix ratio frænat, vix disciplina coërcet.*

Fides sine operibus.
Eccles. 2. 13. Corn. à Lap. in hunc loc.
S. Bernard. serm. 6. de Ascens.

6. Fides in cheli nonnisi adductæ resonant. Unde lemma à P. Guilielmo Hesio inditum; VIS IPSA TORTURÆ FIDEM FACIT ANIMOSAM. Apostolus Christianos adversus calamitates omnes pro sancta fide tolerandas animans, *Probatio fidei vestræ*, inquit, *inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem.* S. Sebastianus Divos Marcum & Marcellianum, acerrimis cruciatibus exagitatos, hâc ratione ad Martyrium confirmavit; *Tormenta vel levia sunt, vel gravia & acria? si levia, tolerabilia sunt. Si acria non durant, sed patientem ad mortem adigunt, & per mortem ad immortalitatem transmittunt. Tolerate ergò tam acria quàm levia; quia illa brevia, hæc modica sunt. Illa*

Martyres.
1. Pet. 1. 7.
Patientia.
S. Sebast. apud Corn. à Lap. in hunc loc.

illa citò extinguunt, hæc brevi extinguentur. Ut fias Laurentius, ignem fubeas oportet; ut Vincentius, equuleum hilariter patiare, neceffe eft; Jobum finxit omnigena calamitas: Tobiam formavit cæcitas; Jofephum calumnia; Davidem perfecutio; Danielem leones; Machabæos fartagines.

Lætitia terrena in mærorem deficit. 7. Anna, Henrici VIII. Angliæ Regis uxor, & Guilelmi Cliviæ Ducis filia, Symboli loco chelyn figuravit, quæ ruptis fidibus epigraphen tulit; VERSA EST IN LACHRYMAS. Mens imaginis erat, lætitiam in regiis nuptiis ufurpatam, tandem, poftquam Anna à Rege fuit repudiata, in graviffimum mœrorem converfam effe. Ita nimirum omnis terrena felicitas demum in triftitiam & fletum degenerat. Accommodatè Salomon; *Rifus dolore mifcebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Innocentius III. Papa Canonicus Regularis, inter cætera mundi contemnendi argumenta ait; *Semper mundana lætitia triftitia repentina fuccedit, & quod incipit à gaudio, definit in mærore.* Et Tullius; *Amores, & deliciæ celeriter deflorefcunt; & in omnibus rebus, voluptatibus maximis faftidium finitimum eft.*

Prov. 14.13.
Innoc. III. l. 1. de Contemp. Mundi c. 21.

CHORDA MUSICA.
Cap. II.

8. ALcibiades Lucarinus Emblematis loco ruptam in teftudine chordam figuravit; addito epigrammate, MEDIIS ETIAM JOCIS. Significabat quippe, medium felicitatis noftræ curfum plerumque doloribus ac triftitiis interturbari. Experimento fuo id edoctus Job, *Verfa eft,* inquit, *in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Et Amos; *Convertam feftivitates veftras in luctum, & omnia cantica veftra in planctum.* S. Joannes Chryfoftomus, de hominibus mundanis differens, ait; *Etfi mille voluptatibus abundare videantur; quamvis delectationum flumina illis adeffe credantur; multis tamen amariffimis telis perfofsi plerumque jacent.* Inter cæteros Myfticæ Theologiæ effectus canit P. Comaninus;

Mæftitia inter felicitatem. *Iob 30.31. Amos 8.10. S. Io Chryf. Hom. 69. in Matth.*

Coman lib. 1. Canz. 1. della Myft. Theol.

Certa è la morte, incerto è il come, e il quando,
Ch' ella improvifa vien qual trà i fior l' angue,
E ciò ch' ad hor diletta & unge
Pofcia contrifta, e punge.

Pati cum hilaritate. 9. Citharæ chordas his Sydonii Apollinaris vocibus, ceu lemmate infignivi; PLUS TORTA, PLUS MUSICA. Seu ut aliis placet; INTENSIUS ACUTIUS. Illius hæc imago eft, qui Deo laudes decantat tantò alacriores, quantò majoribus ærumnis exagitatus fuerit. De meo S. Ubaldo teftatur ipfius fucceffor B. Theobaldus; *Tunc fortior, & devotior erat in mente, quando durius flagellabatur in corpore.* Eodem fenfu D. Grillus Abbas, ad Crucifixum converfus, canit.

B. Theobald de S. Vbald.

Fà che dolce mi fia
Nel' afpro tuo dolor la pena mia;
Sò, che Signor mi tiri,
Quafi mufica corda,
Con mano di martiri,
Perche teco m' accordi, e fuono renda
Tocco dal mondo poi, che non t' offenda:
Deh fia fuave fi, che l' alma canti
I nuntii tuoi frà gli angofciofi pianti.

Calamitas orare docet. 10. Aliquot chordæ, in fafciculum colligatæ, ac cytharæ cuidam vicinæ, epigraphen tenent; NONNISI EXTENSÆ. Ita homines mundani fupplices fuas ad Deum voces nunquam edunt, nifi in lecto diftenti, aut calamitatum violentia torti. Juftus Lipfius; *Athenienfes de pace nonnifi attriti cogitabant: ita plerique noftrum vix de Deo, nifi afflicti. In tribulatione fuâ manè confurgent ad me,* inquiebat Ofeæ ore Deus.

Lipf Cent. 3. ad Belg Ep. 4. Ofea 6.1.

11. A fuperioris numeri Emblemate non multùm recedens P. Aloyfius Novarinus, nablia, teftudines, citharas, fambucas, aliaque mufica fidium inftrumenta, in fafcem colligata, hoc lemmate notavit; NON PERCUSSA SILENT. Innuebat videlicet, humana vifcera, quamdiu otio ac quiete diffluunt, nullas laudis Divinæ voces fpargere: at feveriore Dei aut hominum brachio percuffa, quantocyus in harmoniam illam fuaviffimam refolvi, cœlumque precibus ac fufpiriis implere. Teftis propriâ experientiâ locupletiffimus S. Auguftinus, ait; *Punctus tribulatione, cœpi quærere refugium, quod in illa felicitate fæculari defieram quærere. Quis enim facilè recordatur Deum, qui femper felix eft, & fpe præfenti gaudet?* Cyrus Pers Eques proteftatur, fe amoris impulfu deftitutum, in verfibus concinendis penitus elinguem effe;

Nov Tom 1. Adag. n. 1414.

Calamitas orare facit.

S. Aug. in Pfal. 93.

Poëta fine amore tacet.

Mentre due ftelle luminofe ardenti
M' empie gli occhi di lume, il fen d' ardore,
Pianfi cantando armonici lamenti,
E le querele mie furon canore.
Magià non poffo à i mufici concenti
Difcior la lingua, fe difciolto hò' l core:
Ne la certa animar di dolci accenti,
Se mio plettro non è l' arco d' amore.
Più di defio languendo il cor non giace,
Non mi percote più la freccia d' oro,
Più non m' infiamma l' amorofa face.
Il cigno quando langue è fol canoro;
SE PERCOSSA NON E' LA CETRA, TACE:
E trà le fiamme fol ftride l' alloro.

Correctio fevera. 12. Chordæ æneæ, partim in fuis radiis convolutæ, partim fupra citharam extenfæ, infcriptionem fuftinent; MODULANTUR EXTENSÆ. Vel, MODULANTUR INTENSÆ. Ita nimirum animæ noftræ relaxatæ, nec hominum utilitati, nec obfequio Divino quidquam profunt; at feveriore vivendi regulâ diftentæ, fuaviffimam innumerarum virtutum harmoniam fpargunt. Emblematis hujus conftituendi occafionem fubminiftrat S. Ivo Carnotenfis; *Qui citharam pulfat,* inquit, *certè fingulas chordas intendendo cùm temperat, ingratum earum fonum audire folet; at poftea cùm omnes tenfæ & modulatæ funt ad harmoniam, fuaviffimum concentum eidem reddunt. Ita etiam Doctor aut Prælatus, cùm fubditos fuos, vel auditores coercet, & quafi laxas citharæ chordas ad virtutis & honeftatis obfervantiam intendit, abfurda folet probra & convitia ab eifdem audire; at pofteaquàm omnes ad honeftatem & charitatem modulati funt, ejufdem aures laude & gratiarum actione demulcent.*

S. Ivo Carn. ferm. 26.

Reliquiæ SS. 13. Chordæ, fupra teftudinem aut chelin extentæ, epigraphen referunt; MODULANTUR EXTINCTÆ. Illæ enim, tametfi è mortuorum animalium vifceribus formatæ, harmoniam obftupefcendam excitant. Idipfum in Divorum Cœlitum lipfanis ufuvenit, quæ, etiamnum exanima, res prodigiofas in terris operantur. De Propheta Elifæo teftatur Siracides; *Mortuum prophetavit corpus ejus.* Et de S. Jofepho Patriarchâ; *Offa ipfius vifitata funt, & poft mortem prophetaverunt.* Samuel quoque, vitâ jam extinctus, Saulem eventus quofdam futuros edocuit. Et Alexius fuam conditionem, quam in vivis ftudiosè occultaverat, mortuus manifeftam fecit.

Ecclef 48.14 Idem cap. 49. 18.

Id-

S. Io. Chrys. Orat. in SS. Iuvent. & Max. M. M.

Idcirco, ait S. Joannes Chrysostomus, *sæpe eos* (de SS. Martyrum tumulis loquitur) *invisamus, tumulos adornemus, magnaq; fide Reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem assequamur. Proinde magnâ fide promptitudineque huc veniamus, quo & visis Sanctorum monumentis, & consideratis eorum præmiis, inde varios thesauros undique colligamus.*

Pati cum hilaritate.

14. Sambucæ fidibus inscripsit P. Certanus; STIRATE, E RIPERCOSSE HAN DOLCE IL SUONO. Seu verbis è Sidonio Apollinari mutuatis; PLUS TORTA, PLUS MUSICA. S. Jobus hoc symbolum sibi proprium vendicat, qui inter cruciatus planè exoticos, in has benedictionis suavissimæ voces prorupit; *Sit nomen Domini benedictum.* Ut adeò jure exclamat S. Joannes Chrysostomus; *O beatam, profectòque generosam, felicemque animam, celebrem Angelorum famam superantem! Quare? quia in omnibus, quæ supervenerunt ei non peccat Iob in conspectu Domini; sed pro his omnibus perfectam gratiarum actionem loco sacrificii obtulit dicens; sit nomen Domini benedictum.*

S. Io. Chrys. Hom. 1. in Iob.

15. Homines Sancti ad opem proximis ferendam eousque inclinant, ut illorum saluti promovendæ nullos cruciatus aut ærumnas sustinere abnuant. B. Sita, Virgo Lucensis, panem proprio ori ereptum egenis distribuit, sicque illorum famem suis jejuniis mitigavit. S. Carolus, tenerrimo suo corpore supra nudum asserem abjecto, proprium lectulum ægrotis substerni voluit. Abrahamus ad peregrinorum vires recreandas in via publica oberrabat, igneum æstivi solis ardorem nihil æstimans. S. Paulinus Episcopus Nolanus, miserum quendam captivum è barbarorum manibus erepturus, propriam suam libertatem ultrò vendidit, ac pretio inde comparato illius vitam redemit. S. Franciscus Xaverius corpus suum flagellis undiq; dilaceravit, ut purpurei rivuli, è fauciis membris passim defluentes, obstinato lascivi cujusdam peccatoris cordi emolliendo lavandoq; deservirent. Unde Sanctos illos fidibus non absimiles dixerim, quæ supra citharam distentæ, ac percussæ, vicinas aures suavissimis concentibus deliniunt. Epigraphen imagini subjunges istam; TENSÆ, PULSÆQUE RECREANT. S. Joannes inter cætera Apocalypseos arcana voces nescio quas sibi allapas testatur, *sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.* In hunc locum S. Rupertus Abbas, *Notandum*, inquit, *quòd in cithara chordæ audientes quidem delectant; sed ipsæ in extensione suâ quodammodò laborant. Sic hi* (id est Sancti) *auditores delectaverunt; sed ipsi apud semetipsos laboraverunt, & plerumque fatigati sunt.*

Sancti pro aliorum salute fatigati.

Apoc. 14.

S. Rup. in hunc loc.

Discordia.

16. Musica instrumenta ruptis chordis penitus sunt inutilia. Unde lemma ex Origine inditum; RUPTIS, PERIT OMNIS GRATIA CHORDIS. Ita ruptis in familia aut Republicâ cordibus, nil benè geritur, proximaque imminet ruina. Invicti erant Judæi, donec propriis concisi discordiis, irreparabili damno interierint; quod vaticinans Propheta dixit; *Et irruet populus, vir ad virum &c. tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. Nulla enim vel minima natio*, inquit Vegetius, *potest ab adversariis perdeleri, nisi propriis simultatibus se ipsam consumpserit.*

Isa. 3. 5.

Vegetius.

CITHARA.

Cap. III.

Concordia.

17. OThobertus, Habspurgi Comes, Symboli loco armatum brachium exhibuit, quod citharam sustinens, epigraphen subjunctam habuit; HÆC MIHI TUBA. Veluti diceret, subditorum concordiam, harmonicæ citharæ symbolo figurari solitam, opportunissimum sibi ad quævis heroica facinora instrumentum esse. Titus Livius; *Sociabilis conversatio inter binos Lacedemoniorum Reges, salutaris per multa sæcula ipsis, patriæq; extitit.* Alciatus;

T. Livius l. 10. Decad 4.

Alciat. in Embl. 38.

------ *Omnes*
Consensu populi stantque, cadentque Duces.
Quem si de medio tollas, discordia præceps
Advolat, & secum regia fata trahit.

S. Hieronymus super illum Psalmi versum, *Qui docet manus meas ad prælium*, observat, citharam Davidicam, id est, linguam orantem, instrumentum simul & musicum & militare esse. *Levemus*, inquit, *manus nostras in sancta, orationes enim nostræ arma sunt contra diabolum, hæc est lyra nostra, hæc est cithara.* Certè Cithara Davidica tubæ loco deserviit, ad infestum cacodæmonem è Saulis pectore propulsandum.

S. Hier. in Psal. 143.

Lingua orans.

18. Bartholomæus Rossus Emblematis loco citharam Apollinis figuravit, quæ, cùm chordas nunquam discordes habuisse perhibeatur, epigraphen tulit, NUNQUAM DISSONA. Mens Emblematis erat, in S. Caroli pectore assiduam virtutum & moderati animi harmoniam insonuisse. Tametsi enim ordinariâ naturæ humanæ lege etiam in viris sanctis domesticæ nonnunquam sensuum perduellium turbæ adversus virtutem suboriantur; semper tamen de illis hanc Persei sententiam pronuntiare licet, quòd:

Virtus perseverans.

Stat contra Ratio; & secretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id quod quis vitiabat agendo.

Omnium tamen propriissimè in Mariam Virginem hæc imago convenit, quæ adeò nunquam fuit dissona, ut nec minimum actualis vel originariæ culpæ delictum commiserit. Unde D. Thomas Aquinas ait; *B. Virgo non esset idonea Mater Dei, si aliquando peccasset, quia honor parentis redundat in prolem, secundum illud Proverb. 17. Gloria filiorum patres eorum: unde & per oppositum ignominia Matris in filium redundasset.*

Maria V. sine peccato.

S. Tho. 3. p. q. 27. a. 4.

19. P. Henricus Engelgrave, à superioris numeri Emblemate non multùm abludens, citharam decachordam, & ad harmoniæ leges exactè compositam, figuravit; cum lemmate, NEC OFFENDIT IN UNA. Ita hominis justi conscientia singulas legis Divinæ præceptiones studiosè observat, probè memor doctrinæ illius Apostolicæ, *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Cumprimis Maria Virgo hanc iconem sibi propriam vendicat; quæ nullâ, etiam levissimâ culpâ, Deum offendit. Disertè Doctor Angelicus; *Maria purissima fuit, quantum ad omnem culpam; quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.*

Anima justa.

Iacob 2. 10.

Maria V. immaculata.

S. Tho. in Expos. Salut. Angel.

20. E sono se ipsam prodit cithara, num discordet, an verò ad harmoniæ leges sit composita. Illam proinde Franciscus Raulinus hoc lemmate insignivit; TEMPERIEM SONUS INDICAT. Ita prorsus interiorem animi symetriam è verbis nostris conjicere licet. *Loquela tua manifestum te facit*; inquiebant ad Petrum atrienses. Diogenes, præsentem juvenem conspicatus, *Loquere*, ajebat, *ut videam te.* Veluti ab exteriore illius sermone certam de interno homine conjecturam facturus. Optimè dixit Menander; *Humani ingenii indicium facit oratio.*

Verba indicant animum.

Matth. 26. 73.

Diog.

Menand.

21. Cithara, digitis percussa, suave melos per aëra spargit. Unde lemma; EX PULSU MELOS. Illius hæc imago est, qui calamitatibus & ærumnis pulsatus, gravissimas benedictionis ac pietatis Christianæ

Pati cum hilaritate.

stianæ voces diffundit. Cassiodorus, posteaquam citharam his omninò verbis descripserat; *Sursum chordarum fila transmittens, sonis dulcissimis percussa proloquitur:* subjungit, citharæ sonitu suavissimam illam vocum harmoniam significari, quæ, inter calamitatum plagas versus cœlum sparsæ, providentissimo Deo benedicunt, & serias pro acceptis grates referunt. *Citharizamus*, inquit, *cùm in passionibus nostris vel damnis, securi aut læti dicimus; Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* In rem præsentem opportunè refert T. Livius, quòd servus quidam, Domini sui necem vindicaturus, Asdrubalem, illius interfectorem, trucidaverit: postea verò cùm inter carnificum manus horrendùm excruciaretur, *Tormentis cùm laceraretur, eo fuit habitu oris, ut superante lætitiâ dolores, ridentis etiam speciem præbuerit.*

Cassiod in Psal. 32.1.

Livius. l. 1.

22. Cithara epigraphen, nî fallor, opportunam sustinet; DISSONA, SI DISCREPET UNA. Nimirum illam S. Jacobi sententiam hæc imago innuit; *Qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Enimverò sicuti unicâ chordâ dissentiente, omnes reliquæ ingratam ac discordem symphoniam reddunt; ita unius præcepti transgressio omnium cæterarum virtutum harmoniam infamat, eamque Divinis auribus insipidam efficit. Verissimè Justus Lipsius; *Ut in cithara, SI vel UNICA FIDES DISCREPAT, concentus & HARMONIA TOTA PERIT: Sic justitia, si in uno aliquo delinquat.* Et S. Joannes Chrysostomus, *Ut in cithara non satis est, in uno tantum nervo concentum efficere, sed universi percutiendi sunt numerosè & decenter; sic & in animi virtute non satis est nobis ad salutem lex una, sed universæ summâ cum diligentiâ conservandæ sunt.* His consentiens Cassiodorus, *Cithara*, inquit, *significat virtutes morales, consonâ operatione præcinentes, quæ tunc veram citharam reddunt, quando se fœderatâ societate conjungunt. Nam sicut integra lyra dici non potest, cui aliqua chorda subtrahitur, sic nec vir sanctus perfectus æstimatur, cui virtus ulla minuitur.*

Jacob. 2.10.

Unum peccatum omnes virtutes vitiat.

Lips. Cent. 2. ad Belg. Ep. 9.

Io. Chrys. hom. 36. de virt. & vit.

Cassiod. in Psal. 146.

23. Cithara, ex arbore suspensa, epigraphen reddit; OGNI DOLCEZZA E' TOLTA. Id est; DULCEDO TRANSIIT OMNIS. Animum dolore penitus inexpiabili, nullisque solatiis mitigandum, hæc imago adumbrat. In rem præsentem collineans Vates Regius, canit; *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cùm recordaremur Sion. In salicibus, in medio ejus suspendimus organa nostra.* Nec aliter Isaias, Israelitarum miserias ad vivum exprimeret, *Cessavit*, inquit, *gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.* Nam, ut verissimè dixit Seneca; *In ipsis voluptatibus causæ doloris oriuntur. Bellum in media pace consurgit, & auxilia securitatis in metum transeunt, sine hoste patimur hostilia, & cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi felicitas invenit. &c.* Plurimùm iconē illam illustrat Franciscus Petrarcha, quando Lauræ mortem deplorans, in hanc elegiam prorumpit;

Anima dolens.

Psal 136. 1.

Isa. 24. 8.

Senec. Ep. 91.

Petrarcha in Canz. 1.

Che debbio far? che mi consigli Amore?
Temp' è ben di morire,
Et hò tardato più ch' i non vorrei.
Madonna è morta, & hà seco il mio core:
E volendol sequire,
Interromper convien questi anni rei:
Perche mai veder lei
Di quà non spero, e l' aspettar m' è noia.
Poscia ch' ogni mia gioia
Per lo suo dispartire in pianto è volta,
OGNI DOLCEZZA Di mia Vita E' TOLTA.

24. Cithara, ad harmoniæ leges exactè composita, epigraphen tenet, OMNIBUS OMNIA. D. Sigismundus Laurentius hoc Emblemate demonstravit, à S. Paulo Apostolo harmoniam omnium auribus suavissimam fuisse excitatam: ut adeò verissimè sit gloriatus; *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Quòd si tamen etiam mihi Emblematis hujus Oedipum agere liceret, S. Pauli doctrinam excellenti illâ citharâ significari dicerem, cujus prodigiosa harmonia omni hominum conditioni proficua & utilis extitit. Multus in hanc Apostoli laudem S. Gregorius Nazianzenus, *Heris* inquit, *ac servis leges statuit, præfectis & subditis, viris & mulieribus, parentibus & liberis, matrimonio & cælibatui, delitiis & continentiæ, sapientiæ & inscitiæ, circumcisioni & præputio, Christo & mundo, carni & spiritui. Pro his gratias agit, illos perstringit: hos gaudium suum & coronam nominat, illos dementiæ accusat, his rectum iter tenentibus comitem se adjungit, atq; alacritatis sociũ se præbet, alios malè incedentes reprimit. Nunc à piorum cætu præscribit, nunc charitatem firmat, nunc luget, nunc lætitia afficitur, nunc lac propinat, nunc mysteria attingit. &c.*

S. Paulus. 1. Cor. 9. 20.

S. Greg. Naz. Orat 1.

25. Cithara, molestiis propulsandis, & animo leniendo deserviens, epigraphen tenet; ADVERSANTIA PELLIT. Gilimer Rex Vandalorum, in Africa diu prosperâ usus fortunâ, tandem à Belisario acie devictus, in Numidiæ excelsum montem Pappuam confugit. Inde sibi panem mitti petiit, spongiam, & citharam. Panem fami relevandæ, spongiam siccandis oculis, & citharam leniendo animo; uti prolixè refert Procopius. Porrò Divina Psalmodia, citharæ symbolo figurari solita, mentem nostram ab omni dæmonum incursu securam ac tranquillam efficit. Pulsavit David citharam, & à Saule malignus spiritus recessit. Hinc dixit S. Chrysostomus, *Psalmus est animæ sanctificatio, est pulcher animi concentus, acutissimum telum contra dæmones.* Quod prolixius explicans S. Basilius, *Psalmus*, inquit, *dæmones fugat, auxiliares Angelos advocat; In nocturnis terroribus securitas, in diurnis laboribus requies est: infantibus tutela, junioribus decor, senioribus solatium, mulieribus honestissimus ornatus; solitudines celebres facit. Elementum incipientibus, incrementum proficientibus, consummatio perfectorum.*

Procop. lib. 4. Vandal.

Psalmodia.

S. Chrys. in Ps. 14.

S. Basilius Proœmio in Psalm. 5.

LYRA.

Cap. IV.

26. Hieronymo Fracastorio, Sylvestro Pietrasancta, & aliis observatum est, duas lyras, in unisonam vocem attemperatas, sympathiâ adeò mirificâ ad se mutuò ferri, ut unâ percussâ ac resonante, mox vicina altera, tametsi intacta, eandem omninò harmoniam excitet. Unde Symboli loco epigraphen subjunges; CONCENTU PARI. Vel; PAREM SCIT REDDERE VOCEM. Vel, UNAM TANGE, SONANT. Seu ut Lucarino placet; ALIIS PULSIS RESONABUNT. Vel è Julii Strozzi sententiâ; VOCEM DABIT ALTERA CONCORS. Virtuosum hoc æmulandi studium in exercitationibus Academicis indies cernitur, ubi perorante uno, quantocius alii ad eandem dicendi elegantiam provocantur. Julius Strozzi eruditam Unisonorum Academiam, Venetiis Anno 1637. à se erectam, eodem geminæ lyræ symbolo repræsentavit, suamque mentem sequenti epigrammate aperuit;

Æmulatio

Unam

Unam pulso lyram, vocem dabit altera concors;
Natura hoc præstans ordine sympathia,
Unisonos animos virtus facit: Improba nulli
Mens, ubi tam dulcis nos Homonea vocat.
Et cantare omnes, & respondere parati,
O quantum est Venetis auribus ingenium?

Par pari reddere. Illo ipso Emblemate reciprocum agendi studium, & in verbis factisque par pari reddere edocemur. Hoc sensu Joannes Audenus canit;

Quæ dices aliis, tibi mox responsa remitti
Expectes; capies qualia dona dabis.

Maria V. ad S. Elisabetham invisens. S. Thomas Villanovanus in Maria Virgine & S. Elisabetha mutuam illam respondendi virtutem longè excellentissimam deprehendit; *Solet hoc*, inquit, *naturali quodam prodigio in consonantibus citharis evenire, ut unius chorda pulsata, alterius, quæ eodem puncto concinis est chorda, & nulla alia contremiscat.* S Tho. Vill. Conc. de Visit. B. V. *Ita omninò contigit in proposito; concinentes erant citharædorum cœlestium lyræ: una Verbum, altera Vocem gestat; & quid Verbo consonantius sua Voce? Personat una, contremiscit altera: ut facta est (inquit) vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo.*

27. Lyra, alteri cuidam lyræ vicina, ac plectro suo percussa, epigraphen sustinet; REFLECTIT ALIENUM. Par pari reddere. Rursus hoc Emblemate reciprocum agendi studium significatur, quo res, ab aliis acceptas, in authores suos referimus. Senec. Ep. 83. Seneca; *Hoc certè justitiæ convenit, suam cuique reddere beneficio gratiam, injuriæ talionem, aut certè malam gratiam.* Ad hoc propositum gratiosa est illa D. Caroli Baliotti, Concanonici mei, poesis, ubi nuntium, ab amasia allatum, hominis mundani nomine in eandem acutè retorquet.

Mori, disse Madonna,
Ed io risposi à lei;
Morir vivendo voi mai non potei,
Non si può dir finita,
S' ancor vive la vita.
Se morto mi volete,
Morite voi, che la mia vita siete.

28. Joannes Ferrus lyram, ceu suavitatis poëticæ figuram, hoc lemmate insignit; OBLECTAT, ET ALLICIT. Seu ex aliorum placito; PECTORA MULCET. Poësis. Ovidius; Ovid. lib. 1. de Pont. Eleg. 7.

Artibus ingenuis (quarum tibi maxima cura est)
Pectora mollescunt, asperitasq; fugit.

Et alibi;

Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit vires, nec sinit esse feros.

Psalmodia. Idipsum jure longè meliore de Psalmodia & oratione dixerim, quæ animum humanum mirificè recreat; S. Io. Chrys. in Ps. 134. S. Joannes Chrysostomus; *Psalmus habet voluptatem cum utilitate. Nam licet is, qui canit, oppressus sit malis innumeris, & ab ægritudine animi occupetur, dum demulcetur à voluptate, levat animum, extollit cogitationem, & mentem in sublime evehit.*

29. Bargalius in nuptiis plectrum depinxit, quod lyræ seu citharæ chordas contingens, epigraphen tulit; ADHÆSIONE CONCENTUS. Enimverò sponsus, in plectro illo figuratus, si sponsam suam, In nuptiis. ceu musicum instrumentum, concordi animo complectatur, harmoniam amoris suavissimam, totique familiæ exoptandam elicit. Phocilides Poëta Græcus in rem præsentem appositè canit;

Ama tuam conjugem, quid enim suavius, & præstantius,
Quàm cùm maritum diligit uxor usque ad senectam;
Et maritus suam uxorem, neque inter eos incidit contentio.

Quamobrem ubi nos in S. Paulo legimus, *Despondi enim vos uni viro*, Græcus interpres vertit, *Modulavi vos*. 2. Cor. 11. 2. Quæ loquendi phrasis gratissimam illam symphoniam, à mutua conjugum concordia excitari solitam, nec hominibus tantùm, sed & ipsi Deo jucundam, apertè insinuat. Disertè Siracides; In tribus beneplacidum est spiritui meo, quæ sunt probata Eccles. 25. 1. & 2. coram Deo & hominibus; *Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes*; Seu ut Græcus legit, *Vir & mulier sibi vicissim deferentes*. Homerus; Hom. lib. 6. Odiss.

Nihil enim hoc potius & melius,
Quàm cùm concordes animis domum habitant
Vir & Uxor.

30. Bernardinus Rota, uxore suâ è vivis sublatâ, In morte lyram hoc epigrammate distinxit; VERSA EST IN LACHRYMAS. Hæc penè ipsa imaginis verba præiit Jobus; *Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Iob. 30. 31. In rem præsentem refert Aulus Gellius de Diagora, qui *habuit tres filios, eosque omnes vidit vincere, coronarique eodem Olympia die: & quum ibi eum tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis suaviarentur, quumque populus gratulabundus flores undique in eum jaceret; ibi in stadio, inspectante populo, in osculis, atque in manibus filiorum animam efflavit:* Gell. lib. 3 cap. 5. sicque lætitia omnis versa est in lachrymas. Etsi verò imago ista Emblematis leges nonnihil transiliat, eandem tamen etiam Petrarcha in Lauræ morte usurpat; Petrarch p. Sonnett. 2.

Gl' occhi, di ch' io parlai si caldamente:
E le braccia, e le mani, e i piedi, e' l viso;
Che m' havean si da me stesso diviso,
E fatro singolar da l' altra gente.
Le crespe chiome d' or puro lucente,
E' l lampeggiar de l angelico riso,
Che solean fare in terra un paradiso:
Poca polvere son, che nulla sente.
Et io pur vivo, nnde mi doglio, e sdegno.
Rimaso senz' il lume ch' amai tanto,
In gran fortuna, en disarmato legno;
Hor sia qui fine al mio amaroso canto:
Secca è la vena del usato ingegno,
E la CETERA mia RIVOLTA IN PIANTO.

31. Plectrum, supra lyræ chordas saliens, epigraphen reddit; ASPERITATE MELOS; Seu è Certani placito; RIGIDO TOCCA, E DOLCE LAVA IL SUONO. Pati cum hilaritate. Eorum hæc idea est, qui aspero dolorum contactu excruciati, in sacros ac religiosos cantus erumpunt. Certè S. Theodorus Martyr ferreis graphiis toto pectore ad ipsas usque costas acerrimè dilaniatus, assiduò cecinit; *Benedicam Dominum in omni tempore.* Mauritius Imperator, cum proprios filios carnificum manibus torqueri ac jugulari videret, versum illum Davidicum identidem repetit; *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* S. Paulus. Inter cætera D. Pauli encomia ait S. Jo. Chrysostomus; *Non minus plagis suis gaudens, quàm regiis triumphis, aut aliter delectatus naufragiis, quàm cæteri acquisitis solent gaudere thesauris; livoribus, quos ei verbera inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis, tribulationibus ut delitiis utebatur; squalore carceris, ut paradisi amœnitate gaudebat.* S. Io. Chrys. Hom. 3. de laud. S. Pauli.

32. Orphei lyra, plectro tentata, multisque belluis vicina, epigraphen tenet, DULCEDINE CAPTÆ. Mansuetudo. Ita nimirum suavi ac humanâ methodo effrenia quævis hominum pectora edomantur; *Orphea*

Orphea ad strepitum citharæ genus omne ferarum,
Et volucrum, placidè conticuisse ferunt.
Agna lupum haud tremuit; leporem fovere molossi,
Inter & accipitres tuta columba fuit.
Discordes animos, & agrestia pectora, blando
Carmine leniri, hæc fabula quemque docet.

Educatio. Plut. de liber. educ. Etiam suavis ac sedula educatio laudatissimam virtutum harmoniam in filiis excitat. *Dico,* inquit Plutarchus, *ad liberalia studia adducendos esse pueros verbis, adhortationibusque, non mehercle terroribus.*

NABLIUM.
Cap. V.

33. MAjores nablii chordæ minoribus eo temperamento respondent, ut ambæ harmoniam, humanis auribus suavissimam, excitent. Unde D. Didacus Saavedra hanc nablio epigraphen indidit, MAJORA MINORIBUS CONSONANT. Seu, si mavelis, brevius; MAJORA MINORIBUS. Eandem animorum symmetriam quævis familia aut civitas inter patrem & liberos; Principem & populum; herum & famulos observent, velim. Concordia. Stob. ser. 83. Callicrates Pythagoricus, referente Stobæo, ait; *Familia, quæ cætus est cognationis, dissimilibus sui partibus componitur, & ad Patrem familias, veluti unum optimum se refert, & concordiam utpote commune bonum molitur. In summa, omnis familia, tanquam psalterium, tribus istis indiget, apparatu, concinnitate, & contrectatione, sive usu musico.* Et paulò post; *Familiaris hominum ordinis partes sunt tres: Prima imperat ut maritus; secunda paret ut uxor, tertia auxiliaris est, nempe liberi, & ex illis nati.* Cicero l. de Republ. Tullius in rem nostram mirificè; *Ut in fidibus ac tibiis atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, unus tamen efficitur & congruens; sic summis, & infimis, & mediis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata natura civitas concentu dissimilimorum consistit: & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, quæ sine justitia nullo pacto esse potest.*

ORGANUM.
CAP. VI.

34. SCipio Bargalius in Nuptiis organum figuravit, cum lemmate; VARIETATE UNITAS. Seu ut Ferro placet; VARIETATE CONCENTUS. Ita in civitate, Republicâ, aut Religione è Religio. multiplici personarum, officiorum, graduum, & munerum varietate amœnissimus optimi regiminis concentus exoritur. Porrò multæ diversarum nationum, provinciarum, & idiomatum Ecclesiæ genuino sanctæ fidei assensu in unam coalescunt. Denique in animo nostro è disciplinarum, scientiarum, Sapiens. & artium tam liberalium, quàm mechanicarum varietate, mirificus ac suavissimus hominis eruditi concentus nascitur. Seneca; Senec. ep. 84. *Non vides, quàm multorum vocibus chorus constet? unus tamen ex omnibus sonus redditur. Aliqua illic acuta est* (argumento ad organum accommodatissimo) *aliqua gravis, aliqua media. Accedunt viris fœminæ: interponuntur tibiæ: singulorum illinc latent voces, omnium apparent. Talem animum esse nostrum volo, ut multæ in illo artes, multa præcepta sint, multarum ætatum exempla, sed in unum conspirata.* Nobilis hæc virtutum, scientiarum, & disciplinarum varietas in Mose cumprimis obstupescenda erat; quippe qui, referente Philone, in Regis Ægyptii aula *Numeros, & Geometriam, universamq; Musicam rhytmicam, harmonicam, metricam, sive contemplativam, sive per instrumenta, vocesque promentem se modis variis, accepit ab Ægyptiis Doctoribus, & insuper occultam philosophiam descriptam litteris, ut vocant, hieroglyphicis, reliquas liberales artes Græci docebant. Assyrii suas litteras, Chaldæi sideralem.* Philo l. de Vita Mosis. Philoni testem locupletissimum jungo S. Stephanum, qui de Mose ait; *Eruditus est Moses omni sapientiâ Ægyptiorum.* His addit P. Jacobus Salianus, Mosi insuper Physiologiam, seu omnium rerum naturaliũ scientiam, Dialecticam, Physicam, & morales scientias omnes fuisse perfectissimas: ut adeò mira hæc diversarum scientiarum concordia in nobili illo intellectu suavissimam excitârit harmoniam. Act. 7. 22. Iacob Sal. Annal. Eccl. To. 2. Anno 2470.

35. Organum, diversas voces, acutas, graves, altas, profundas, aliasque innumeras excitans, epigraphen tenet; CONCORDI DISCORDIA. Justam hanc Respublica. symmetriam inter plurimos ejusdem civitatis incolas cernere licet, qui nobilitate, divitiis, inclinationibus, ætate & conditionibus longè diversissimi, ad eandem Reipublicæ incolumitatem conservandam singuli collineant. S. P. Augustinus, posteaquam illas Scipionis voces recensuerat, *In fidibus, ac tibiis, atq; cantu ipso, ac voce, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, & congruens.* Subjungit; *Sic ex summis, & mediis, & infimis interjectis ordinibus, ut sonis, moderatam ratione civitatem consensu dissimillimorum concinere; & quæ harmonia à Musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam, &c.* S. Aug. l. 2. de Civitate Dei c. 21.

36. Organi patentis folles, justo saxorum pondere prægravati, epigraphen à me recepêre; SUB PONDERE MELOS. Eorum hæc imago est propria, qui calamitatibus depressi, in assiduas gratiarum Pati cum gaudio. actionis & laudis Divinæ voces prorumpunt. S. Stephanus horrendâ lapidum grandine obrutus, oratio- S. Stephanus. num suarum dulcedine cœlos passim implevit, hasque pro interfectoribus suis preces ingeminavit; *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Act. 7. 59. De Pio V. Pontifice Maximo, refert Alphonsus Ciacconius, quòd in Ciaccon. in vita B. Pii V. lethali morbo acutissimis calculi doloribus excruciatus, jamque ferè iis sustinendis impar, identidem, instar organi, solenne illud suum decantârit *Bone Jesu, auge dolores, sed & auge patientiam.* Fr. Cyrus de Pers Eques, sexagesimo ætatis suæ anno iisdem calculi doloribus tortus, ærumnas illas suas suavissimo sequentis poëmatis concentu expressit;

D'orfeo non è, nè d'Ansion la cetra
Ch' io tratto; e pur da i sassi ella è seguita.
Ogni sasso è uno strale, onde hà fornita
La morte à danni miei la sua faretra.
Da impetrito rigor nulla t' impetra;
Fatti i calcoli homai son de la vita,
Gia mi convien saldar la mia partita,
E la dura sentenza è scritta in pietra.
Cruda Medusa d' impetrirmi hà cura
L' interne parti; ed è il mio frale hai lasso,
Men durevole all' hor che più s' indura.
Per sassoso camino à ciascun passo
Pavento inciampi; è ne la tomba oscura
Mi farà traboccar l' urto d' un sasso.

Hic subjungendum censui, quod Brusonius de inveterato Regni Persici more recenset; *Qui verberibus, plagisque, Regis jussu cædebatur, gratias ei agebat,* Bruson. l. 1. de Regno Pers. pra-

præclarè secum agi existimans, quòd Rex ejus memoriam habere se hoc pacto testatus esset.

37. Organum epigraphen subjunctam habet; NON AD CHOREAS. Religiosis hanc ideam observatam velim, ut ingenia sua non quidem rebus prophanis, sed spiritualibus ac virtuosis applicent. Prædicatores quoque populum è sacro suggestu ad obsequium Dei provocent, suasque voces, ceu totidem organa, unicè ad illius honorem propagandum dirigant; cæteris verborum calamistris, ac vanis salibus, quibus auditorum animi deliniuntur, penitus omissis. S. Joannes Chrysostomus, hanc quorundam vanitatem anxiè deplorans, *Flosculos verborum,* inquit, *& compositionem, & harmoniam curiosius sectamur, ut canamus, non ut prosimus, ut simus in admiratione, non ut doceamus; ut oblectemus, non ut compungamus; ut plausum ex laudibus obtentis habeamus, non ut mores componamus.* Et alibi; *Hoc Ecclesias Dei subvertit, quoniam nec vos sermonem audire quæritis compunctionum, sed potius qui delectare sono valeat per bonam compositionem, tanquam citharædos audientes. &c.*

Religiosus eruditus.

Prædicator.

S. Io. Chrys. Hom. 30. in Acta.

Idem Hom. 38. ad Popul.

38. Organum, superioribus fistularum orificiis versus cœlum directis, epigraphen ostentat; AD ÆTHERA VOCES. Religiosos illos hæc imago repræsentat, qui è munere suo unicè in Dei obsequium destinati, operam omnem placando ac glorificando Numini impendunt. De his jure illud Isaiæ vaticinium intellexerim; *Populum istum formavi mihi, laudes meas cantabit.* Id certè de Religiosis interpretatus S. P. Augustinus, ait; *In illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio, magni viri sancti quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei; inde vivunt &c.*

Religiosus

Isa. 43. 21.

S. August. in Psal. 99.

39. Organi harmonia, non solius venti beneficio, sed & digitorum virtute excitatur. Lemma; FLATUS, ET DIGITUS ADSIT. Sacer Apostolorum chorus hoc Emblemate figuratur, qui cœlestem suam harmoniam tum demum in orbem universum diffuderunt, quando non tantùm Spiritus Sancti vento fuêre excitati (*Factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis*) sed insuper; illius digito ad voces articulatas sunt dispositi;

Apostoli.

Dextræ Dei tu digitus,
Sermone ditans guttura.

S. Prosp. Epist. ad Demetr.

Ad hoc propositum S. Prosper; *Implet igitur Spiritus Sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda sanctorum.*

40. Homo, suas doctrinas non verbis tantùm, sed & operibus firmans, organum imitatur, cum Lucarini lemmate; AURA, MANUSQUE SONUM. Ita S. Joannes in deserto pœnitentiam tam voce, quàm vitæ suæ operatione, ceu gemino persuadendi ariete, prædicavit. In hanc rem S. Petrus Chrysologus; *Magister verus, quod verbo asserit, demonstrat exemplo.* Et in Tetrasticis suis S. Gregorius Nazianzenus;

Docere operando.

Vel ne doceto, vel doceto moribus
Sermone non tam, quàm manu, pictor docet.

S. Isid. Pelus. l. 3. Ep. 101.

Rationem subjungens S. Isidorus Pelusiota, *Quandoquidem,* inquit, *sermo actione destitutus, non ultra aurem grassatur; qui autem ab actione animatus est, ut qui & acris & efficax sit, altè penetrat, animumq; attingit.* Et Joannes Cassianus; *Nunquam erit efficax instituentis authoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.*

Cassia Collat. 11. c. 4.

41. Organum epigraphen præfert; MINIMÆ QUOQUE. Enimverò sicuti in organo indiscriminatim singulæ fistulæ, ita in familia minimi & supremi pro suo quisque munere ac facultate ad boni regiminis harmoniam concurrant, necesse est. *Juvenes & Virgines, senes cum junioribus, laudent nomen Domini,* inquiebat David. Certè Ninivitæ ad Deum placandum *vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem. Non enim,* inquit S. Ambrosius, *sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi seniorum quoque peccata parvulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta sua juventus ablueret.*

Familia.

Psal. 148. 12.

Ion. 3. c.

S. Ambros. sub finem Tom. 2.

42. S. Matronianus, cùm pro concione diceret, columbam auribus suis advolantem habuit; veluti auditoribus suis nullas alias doctrinas, nisi à Spiritu sancto subministratas, exponeret. Unde in illius honorem organum depinxi, quod explicatis follibus, inscriptionem tenuit; AFFLATUM RESONAT. Verbis, nî fallor, ad illum Pentecostes hymnum alludentibus:

Prædicator sanctus.

Impleta gaudent viscera,
AFFLATA Sancto Spiritu
Voces diversas INTONANT.

S. P. Augustinus; *Impleti sunt Spiritu sancto discipuli, cœperunt prædicare magnalia Dei. &c.*

S. August. in Psal. 30. Conc. 3.

43. Tametsi singulæ organi fistulæ ad unicam ejusdem symphoniæ perfectionem concurrant; illarum tamen quævis vocem suam propriam, & à reliquis omnibus diversam, elicit. Unde lemma; VOCES DIVERSAS INTONANT. Ita omnes Apostolorum conatus ad unum gloriæ Divinæ incrementum collineabant. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis.* Eodem modo diversæ Doctorum ac Prædicatorum linguæ ad unam tendunt veritatem. S. P. Augustinus; *Nihil interest pro diversa linguarum, auditorumque congruentia, quam diversis sonis dicatur, si quod dicitur, verum est.*

Apostoli.

Act 2. 4.

S. Aug. Ep. 4 q. 2.

44. Fragilitatis humanæ ideam organum dixerim; quòd, diductis follibus, epigraphen præferat; ANIMAT AURA LEVIS. In rem præsentem opportunum censui nobile illud perspicacis cujusdam ingenii epigramma;

Vita humana fragilis.

Nos tenuem strictis spiranteis aera fibris
Vivimus, & Phœbi lampada conspicimus,
Quotquot vivimus, hic sumus omnes organa, quæq;
Vivificis ANIMAT flatibus AURA LEVIS.
Sic sumus ergò nihil, Plutoni pascimur omnes,
Et flatu minimo nos lenis aura fovet.

Quid est enim vita vestra; inquit non sine emphasi S. Jacobus, *Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Et Seneca; *Quam stultum est, ætatem disponere! ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longas inchoantium! Emam, ædificabo, exigam, honores geram, tum demum lassam & plenam senectutem in otium referam. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. Id quoque, quod tenetur, per manus exit: & ipsam, quam premimus, auram casus incidit &c.*

Iacob. 4. 13. Senec. ep. 10

45. Carolus Bovius ingenioso Emblemate hanc Organo epigraphen subdidit; PER INANIA SPIRITUS. Veluti diceret, sicuti ventus nonnisi per vacuas organi fistulas dispensatur, ita spiritualia S. Ignatii solatia in eos magno numero fuisse accumulata, qui diuturnis & devotis jejuniis extenuati erant. Guillielmus Esthius super illis Apostoli verbis, *Non est regnum Dei esca &c.* ait, *Per abstinentiam cibi & potus mens redditur alacrior ad contemplanda Divina, quæ contemplatio verum & solidum*

Jejunium

Guil. Esth. in Rom. 14.

solidum præstat gaudium rationali creaturæ. Et S. P. Augustinus; *Jejunium purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit &c.*

S. Aug. ser. de Jejunio.

46. Complures organi fistulæ inscriptionem sustinent; CONJUNCTÆ SUAVIUS. Ita preces, à multis fidelibus congregatis fusæ, Divinas aures suavius deliniunt, resque desideratas majore efficacitate extorquent. Origenes illa Vatis Regii verba interpretatus, *Beatus populus, qui scit jubilationem,* ait; *Tanta hîc nescio quæ causa beatitudinis indicatur, ut universum pariter populum faciat beatum, qui tamen sciverit jubilationem;* interrogans verò quid sit *scire jubilationem?* Respondet; *Mihi videtur jubilatio indicare quendam concordiæ & unanimitatis affectum. Qui si incidat in duos vel tres Christi discipulos, omnia, quæcunque petierint in nomine Salvatoris, præstat eis Pater cœlestis.*

Oratio multorum

Orig. in Psal. 88.16.

47. Unica Organi fistula epigraphen præfert. ALIIS JUNCTA. Ita frequenter aliorum societate ac concordiâ possumus, quod solas nostra vires longè superat. Certè Magdalena, cùm sola esset, ac Christum redivivum tangere vellet, prohibita est his omninò verbis. *Noli me tangere,* at reliquas Marias comitata, voti sui compos evasit; nam *mulieres accesserunt, & tenuerunt pedes ejus.* In hunc locum Paulus à Palatio ait; *Negatur singularitati, quod conceditur charitati, conceditur Mariæ cum aliis, quod fuerat soli denegatum.* Sic nimirum, Seneca teste, *Hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus? Præda animalium, & victima ac vilissimus & facillimus sanguis. &c.*

Concordia.

Ioan. 20. 17.

Matth. 28. 9. Paul. à Pal. in hunc loc. Senec. l. 4. de Benefic. c. 18.

48. Organum pulsatum harmonicè plaudit, Unde lemma; MULTO FIT PLAUSUS AB ICTU. Ita SS. Apostoli & Martyres gavisi sunt *pro nomine Jesu contumeliam pati.* Nihil enim censebant gloriosius, quàm verberibus affici, & sanguinem, ipsamq; adeò vitam profundere pro eo, à quo vitæ originem traximus. Præclarè in rem præsentem Magnus P. Augustinus; *Tu Domine,* inquit, *es dulcedo inæstimabilis, per quam omnia amara dulcorantur. Tua enim dulcedo lapides torrentis Stephano dulcoravit: tua dulcedo craticulam beato Laurentio dulcem fecit: pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem, & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. &c.*

Act. 5. 41.

Pati cum hilaritate.

S. Augustin. Soliloq. c. 22.



Organum Ecclesiæ Wettenhusanæ.

49. Organo inscripsi; DABIT AURA LOQUELAM. Sanctos Apostolos hæc imago concernit, qui aspirante Spiritus Sancti aurâ, continere se non poterant, quin in laudes & præconia Dei erumperent. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui.* S. Leo Papa; *Apostoli,* inquit, *Spiritus Sancti novâ abundantiâ repleti, ardentius velle, & efficacius posse cœperunt, proficientes à præceptorum scientia ad tollerantiam passionum, ut sub nullâ jam tempestate trepidantes, fluctus sæculi, & elationes mundi fide supergrediente calcarent, & morte contemptâ omnibus gentibus Evangelium veritatis inferrent.* Rectè proin cum Poëta Christiano Spiritum S. invocat Ecclesia;

[Sp]iritus S.

[Act.] 2. 4.

[Le]o serm. 2 [de] Pentec.

Aura potens, amor ignipotens, spirabile Numen,
Amborum communis Amor, cœli aurea flamma,
Sancte veni, sanctis accende ardoribus orbem,
O Divum flamen, nostris te mentibus affla.

50. Organo epigraphen subdidit P. Jacobus Masenius; PER AURAM AD AUREM. Ea Prædicatorum quorundam est vanitas, ut nonnisi aspirante plausûs popularis aurâ pro concione dicere velint. S. Prosper; *Prædicator non in verborum splendore, sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat: non vocibus delectetur populi clamantis, sed fletibus; nec plausum à populo studeat expectare.&c.*

Prædicator vanus. *S. Prosp. l. 1. de vita contempl.*

ORGANUM HYDRAULICUM.

51. Humoristæ Romani Organum symboli loco præferunt, quod aquis, è canali defluentibus, agitatum, suavissimam vocum harmoniam per aëra spargit. Unde organum hydraulicum, prosopopœja non ignobili, ad aquas illas conversum introducitur; CONCINO, DUM CONCIDIS. Opportuna hæc illorum idea est, qui, inundantibus calamitatum aquis, in Divinas laudes propumpunt. S. Nilus parænesi accommodatissimâ ait; *In omnibus, quando à Deo corriperis, ne murmura: castigat enim ut Pater, ideoque ut benefactor dignus est, ut gratiarum actione celebretur.* Jonas, organum verè hydraulicum, cùm intra aquas jam jam suffocandus mergeretur, pia sua cantica ac benedictiones Divinas identidem repetiit: *Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum*, inquit de se ipso Jonas: at mox concludit; *Ego autem in voce laudis immolabo tibi.*

Pati cum gaudio. *S. Nil. Paræn. n. 121.* *Ion. 2. n. 6. & 10.*

52. Organum, hydraulicum à Græcis dictum, utpote ab aquarum cadentium impetu in harmoniam suavissimam agitatum, Francisco Raulino authore, epigraphen monstrat. TEMPERAT UNDA SONUM. Bella hæc animæ supplicis idea est, quæ precum suarum vocibus lachrymas, ceu comites validissimas, jungit. Certè Judith, *orans cum lachrymis*, grandi suo negotio exoptatam imposuit coronidem. Christus, è cruce pendens, *cum clamore valido, & lachrimis exauditus est.* De Magdalena pœnitente testatur S. Petrus Chrysologus; *Ad delitias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui, & corporis symphoniam, organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam &c.*

Oratio cũ lachrymis. *Judith. 13. 6.* *Heb. 5. 7.* *S. Pet. Chrys. serm. 93.*

53. Academici Vivaces Placentini eandem organi hydraulici iconem præferunt, quod undarum defluentium impetu agitatum, epigraphen sustinet; INFLAT, DUM INFLUIT. Organum enim, aquarum affluentiâ & impulsu concitatum, harmoniam suavissimam edit. Hæc ipsa Spiritus Sancti effecta sunt: fideles enim, inundante ipsius gratiâ perfusi, quantocius in prodigiosas laudis ac Prophetiæ voces solvuntur. De Saule testantur Regum Fasti; *Insiluit super eum spiritus Domini, & prophetavit.* Et Apostolorum Acta; *Venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Item; *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui.* S. Leo Papa de festo Pentecostes ait; *Ab hoc igitur die tuba Evangelicæ prædicationis intonuit: ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum omne desertum, & universam aridam rigaverunt.*

Spiritus S. *1. Reg. 10. 10.* *Act. 19. 6.* *Ibid. 2. 4.* *S. Leo serm. 1 de Pentecost.*

54. Organum hydraulicum, ut perstrepet, affusis aquis cogitur. Unde lemma; AFFLUENTE SONAT. Ita arcana, quæ nullis artificiis extorqueri possunt, plerumque inter convivia dexterrimè produntur. Opportunè Seneca, *Vino exæstuante, quidquid in imo abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum, vino redundante; ita ne secretum quidem. Quod suum alienumque est, pariter effundunt.* Et Horatius;

Ebrietas arcana prodit. *Senec ep. 83.* *Horat Ep. 5 ad Torquat.*

Quod non ebrietas designat; aperta recludit,
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit.

Quod D. Ambrosius confirmans, *Plerique*, inquit, *etiam vino utuntur ut equuleo: & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, ut patriæ statum, salutem civium, defensionis suæ prodant consilia. Virtus enim plerumque vincit dolorem, fidem autem potus excludit. Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat?*

S. Ambros. l. de Elia & jejun. c. 17.

SYRINX.

Cap. VII.

55. Syrinx, compluribus aliis fistulis juncta, epigraphen tenet; JUNCTA LEPOREM. Hinc rursus conjicias, quantùm utilitatis è concordia & unione nobis accrescat. S. Isidorus; *Diversorum enim sonorum rationabilis, moderatusque concentus, concordi varietate compacta, ordinatæ Ecclesiæ insinuat unitatem; quæ variis modis quotidiè resonat, & suavitate mysticâ modulatur.* Et S. Clemens Alexandrinus; *Multi in unam cogi dilectionem festinemus, beneficio affecti persequamur unionem. Quæ est autem ex multis unio? Cùm ex vocum multitudine, & dispersione Divinam cœperit harmoniam, fit unus concentus, unum chori ducem sequens, & Magistrum Verbum.*

Concordia. *S. Isid. in lib. 1. Reg. c. 9.* *S. Clem. Alex. ad gentes.*

56. Syringi hanc nonnemo epigraphen subdidit; PERDIT SOLUTA LEPOREM. Idipsum etiam in quatuor elementis usuvenit, quæ mutuò attemperata, mirum orbi decorem ac tranquillitatem conciliant: at quamprimùm inter se dissentiunt, passim omnia turbis & confusionibus personant. Hos successus in familiis, in virtuosorum contuberniis, in Academiis, aliorumque societatibus indies reperire est. Præclarè in hoc argumentum S. Gregorius Nazianzenus, *Mundus*, inquit, *celebre Dei elementum, quamdiu secum pacatus atque tranquillus est, seque naturæ suæ finibus coercet, nec quidquam adversus alterum insurgit, neque ex iis benevolentiæ vinculis, quibus ab artifice Verbo rerum universitas constricta est excedit, mundus verè est, ut appellatur, cosmos* (Græcis enim *cosmos* ornamentum significat) *& incomparabilis pulchritudo. At simul atque pacatus, & quietus esse desiit, mundus quoque esse desiit.*

Discordia. *S. Greg. Naz. Orat. 12 de Pace.*

57. Syringem, è frugiferâ arbore suspensam, hoc lemmate distingues; UTILE DULCI. Oratores ac Poëtæ è præcipuo suo munere auditoribus & voluptatem, & profectum ingenerent, necesse est. Horatii præceptio est;

Prædicator. *Horat. in Arte.*

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.
Lectorem delectando, pariterque monendo.

Detrahendum est aliquid severitati, inquit ad Prædicatores Magnus Augustinus, *ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.* De Poëta ait Plato, quòd illum debeat imitari, qui languentis ac nauseabundi ægroti salutem anxiè curans, eidem cibos, non ad nutriendum duntaxat accommodatos, sed insuper variâ saporum suavitate, cæterisque gulæ irritamentis conditos subministrat.

S. August. Ep. ad Bonifac. *Plato Dial. de Leg.* Poëta.

58. Syrinx, ex arbore suspensa, placido quovis afflante vento, harmoniam non ingratum excitat. Unde lemma; ET INSENSATA MELOS. Ita nimirum rudes Galileæ piscatores, aliique homines agrestes & indocti, solo Spiritus Sancti afflatu eloquentiam planè prodigiosam induunt. S. P. Augustinus; *Ineruditos liberalibus disciplinis, & omninò, quantum ad sæculi doctrinas pertinet,*

Spiritus S. *S. August. fragm. 6. Tom. 10. in fin.*

tinet, impolitos, non peritos Grammaticâ, non armatos dialecticâ, piscatores Christus misit; & tamen per eos sic omni genere piscium implevit Ecclesias, ut plurimi etiam ex ipsis sapientibus sæculi quibus videbatur ignominiosa Crux Christi, eâ in fronte signentur. Unde in Hymno Pentecostes canit S. Ecclesia;

Impleta gaudent viscera
Afflata Sancto Spiritu,
Voces diversas intonant,
Fantur Dei magnalia.

TESTVDO, CAPUT VIII.

59. Chordæ, supra testudinem attemperaræ, vocem edunt tantò acutiorem, quantò majore violentiâ intensæ fuerint. Unde lemma; INTENSIORES ACUTIUS. Idipsum in hominibus usuvenire solet, qui Divinas aures precibus tantò intensioribus delineunt, quò acerbioribus tormentis excruciati fuerint. De Israelis populo, ab Ægyptiis horrendùm afflicto, dixit Deus; *Clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum.* Seneca; *Magis Deos miseri, quàm beati colunt. Frangitur calamitosis animus, & ipsa se infelicitas damnat.* Et Ovidius;

Calamitas orare facit

Exod. 3. 7.

Senec. Cont. 1 l. 8.

Ovid. 9. Met.

Cogar opemque tuam timidis exposcere votis.

Idem l. 14. Et rursus;

- - - - - Dum pejora timentur,
Est locus in voto.

Lucan. l. 5. Pharsal. Denique Lucanus;

- - - - - Nova vota timori
Sunt inventa novo.

60. D. Aresius, priusquàm Episcopus crearetur, inter Philarmonicos Veronenses numeratus, testudinis thecam inter complures testudines symboli loco prætulit; addito lemmate, ETSI FORTASSIS INANIS. Tanta enim erat optimi Pontificis modestia, ut singulares suas virtutes aliorum Academicorum comparatione nullas ac penitus inanes æstimaret. Quia tamen hæc imago à D. Aresio multùm abludit, utpote qui summâ facundia, sapientiâ, & eruditione conspicuus, literatorum omnium admirationem in se convertit; idcircò inficias nemo iverit, eam saltem complurium aliorum esse propriam, qui inter illustria civitatis illius, vel aliorum locorum, ingenia recensiti, Academicorum nomine quidem superbiunt, at eruditionis ac sapientiæ harmoniâ penitus sunt inanes. Idipsum de Hypocritis intelligens S. Chrysostomus; *Hypocrita,* inquit, *si bonum est bonum esse, quid vis apparere quod non vis esse? si malum est malum esse, ut quid vis esse, quod non vis apparere? si bonum est bonum apparere, melius est bonum esse. Si malum est malum apparere, pejus malum esse. Ergò aut appare quod es, aut esto quod appares.*

Jactabundus.

Hypocrita.

S. Chrys. in Matth. 7.

TIBIA. Caput IX.

Justus.

61. Nablia, citharæ, sambucæ, aliaque fidium instrumenta se ipsis ab harmoniæ præscripto identidem remittunt, nec nisi crebrò attemperata, concentui musico deservire possunt. Ab his longè diversa tibia, vocem suam nativam nunquam relaxat, estque, quod Lucretius Borsatus lemmatis loco asserit, SEMPER APTA. Erectum hominis animum ac nunquam non benè compositum, hæc imago adumbrat. Abulensis existimat, encomio illo Davidem à Miphibosetho condecoratum fuisse, quando dixit; *Tu autem Domine mi Rex sicut Angelus Dei es.* Veluti diceret, omnes optimi Regis affectus ita esse moderatos, ut laudatus non intumescat, calumniis oneratus non turbetur, afflictus non indignetur, vultumque inter adversæ ac blandientis fortunæ vicissitudines semper æqualem exhibeat. Seneca; *Fortis & compositus animus est, qui nec ablatum quidquam sibi sentit, nec abjectum: sed in eodem habitu stat, quocunque res cedant sive gerantur: vulgaria bona supra res suas eminent: sive aliquid ex istis, vel omnia casus excusserit, minor non fit.*

Abulens. quæst. 24. in cap. 17.

2. Reg. 19.

Senec. Ep. 37

TIBIA UTRICVLARIS. Cap. X.

62. Musicum hoc instrumentum, rusticis ac pastoribus recreandis deserviens, utriculo ac tribus tibiis componitur: harum enim prima flatum recipit, altera vocem instar bassi continui transmittit; tertia verò, digitis per ipsius foramina variè oberrantibus, harmoniam non adeò ingratam elicit. Unde tibia utricularis, cùm nonnisi inflata resonet, epigraphen, ni fallor, opportunam sustentat; FLATU DISTENTA PERSONAT. Seu; INFLATA RESONAT. Mortales illos vanissimos hæc imago adumbrat, qui tantundem operis conficiunt, quantùm ab applausûs humani aurâ concitantur. Ad hoc propositum præclarè Alphonsus Avila; *Popularem auram, & plausus humanos fugite, ne opera vestra frustrentur, aut imitemini organa, quæ sine vento non sonant. Sic plerique hominum, qui ad bona opera non moventur, nisi alicujus rei, vel honoris, vel commodi cupiditate, & amore pellecti.* S. Gregorius Papa; *Quid in cunctis suis operibus hypocrita sperat, nisi reverentiam honoris, gloriam laudis, à melioribus metui, sanctus ab omnibus vocari? Ecce quomodò adulteratur liquor balsami.*

Vana gloria.

Avila apud Novar. Adag. Tom. 1 n. 1373.

S. Greg. l. 8. Moral.

63. Tibia utricularis nonnisi adversus pastoris pectus coarctata, & robusto ipsius brachio compressa, sonum edit. Unde lemma; DUM ANGOR, MODULOR. Ita quorundam hominum animos in Dei voluntatem adeò resignatos videas, ut eidem tantò suaviore vocum harmoniâ benedicant, quantò majoribus angustiis constricti fuerint. In hoc argumentum accommodatè de se ipso testatur Jonas; *Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.* Et S. Paulus; *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Id est, interprete Theophilacto, *Glorior planè, & mihi placeo, hoc est incredibili jucunditate afficior, & in infirmitatibus ipsis oblector.* S. Theodorus, graphiis ferreis secundùm costas laceratus, assiduò cantavit; *Benedicam Dominum in omni tempore.* S. Agatha *lætissimè & glorianter ibat ad carcerem, tanquam ad epulas invitata.* Joannes Fischerus, cùm ad patibulum duceretur, cantavit hymnum *Te Deum laudamus &c.* Arias Montanus illos afflicti animi lætos affectus hoc metro lyrico comprehendit;

Pati cum gaudio.

Ion. 2. 8.

2. Cor. 11. 18.

Theoph. in hunc loc.

Angustiis nimiùm mihi rebus,
Te Dominum carmine supplici
Imis de baratris voco &c.

FINIS LIBRI VIGESIMI TERTII.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER VIGESIMUS QUARTUS.
INSTRUMENTA RUSTICA.

Aratrum.	1	Jugum.	6	Rastrum.	11
Cribrum.	2	Ligo.	7	Rota.	12
Currus.	3	Modius.	8	Stimulus.	13
Falx.	4	Occa.	9	Vannus.	14
Flagellum.	5	Palus.	10		

ARATRUM.

Cap. I.

I. ARatri vomer, dum terram proſcindit, plurimùm quidem atteritur; at ſimul eximium è labore ſuo ſplendolem acquirit. Unde Bargalii lemma DECRESCENDO SPLENDESCIT. Vel ut Roſſo placet; DIMINUTUS SPLENDIDIOR. Vel è mea ſententia; SPLENDET ATTRITUS. Verbis è Virgilio mutuatis;

Virgil. l. 1. Georg. v. 45.

> *Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro*
> *Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.*

Eleemoſynarius. Eleemoſynarii hanc effigiem dixerim, qui divitiis nonnihil diminutus, clariſſimum meriti ſplendorem ſortitur. Martyr quoque, membris omnibus dilaniatus, gloriam in Dei & hominum conſpectu clariſſimam ſibi conciliat. S. P. Auguſtinus; *Pagani perſecuti ſunt Martyres, capti ſunt, ligati ſunt, in carcerem miſſi ſunt, beſtiis ſubjecti ſunt, alii ferro percuſſi, alii ignibus concremati, vicerunt perſequentes, & victi ſunt Martyres? Abſit. Quare gloriam Martyrum apud Deum, quare foveam paginarum in confoſsâ conſcientia.* Et S. Proſper;

Martyr. *S. Aug. in Pſ. 56.*

S. Proſp. Epig. 52.

> *Mens etenim recta, & puri ſibi conſcia cordis,*
> *HOC PLUS SPLENDESCIT, QUO MAGIS ATTERITUR.*

Exercitatio. 2. Aſſiduâ virtutis exercitatione gloriam tandem clariſſimam nobis conciliamus; haud ſecus atque vomer LONGE SPLENDESCIT IN USU. S. Clemens Alexandrinus; *Ferrum uſus ſervat purius, uſus autem defectus ei generat rubiginem. Sic exercitatio ſalubrem habitum ingenerat, & ſpiritibus & corporibus.* Et Fulvius Teſti ſuis Rhytmis;

S. Clem. Alex. l. 1. Strom.

Fulv. Teſt. p. 2. delle ſue Rime. ſtanz. 2.

> *Cote de la virtude*
> *Sono Scipioi travagli.*

Et paulò poſt, ſenſum noſtrum apertè exprimens;

> *Giacciaſi il curvo aratro*
> *Scioperato in diſparte, e' l bue diſciolto*
> *L' erbe paſciute aruinar ſi poſi;*
> *Vedrai che' l vomor atro*
> *Di rugginoſo orror nel campe incolto*
> *Rinfaccia al Villano pigro; ſuoi ripoſi.*

NE I LAVOR FATICOSI
LUCIDO FASSI, e per la lunga ſtriſcia
QUANDO PAR CHE SI LOGRI AL-L' HOR SI LISCIA.

3. Aratrum, terram proſcindens, epigraphen à me recepit; AD SEMINA PARAT. Vel; FRUGES DABIT, ET OPES. Terra enim fruges ſuas nonniſi roſtrante ferro probè ſuaciata parturit. Ita omninò calamitates, quibus Deus incultam ac rudem pectoris noſtri glebam crebrò perarat, lætum copioſſimæ ac æternæ ſegetis prognoſticon exhibent: Dilucidè Hugo Carenſis; *Cùm Deus vult ſeminare terram bonorum, arat eam tribulationibus.* Inde etiam diſces, laboris, & induſtriæ beneficio res quaſvis ab homine pro libitu obtineri. Joanne Thuilio referente, *Socrates Amalthea cornu ſic interpretabatur; eum quidem ſignificare, qui minimè ſit diſſolutus, ſed operi intentus, genus omne boni conſecuturum. Per cornu verò bovis, quod animal eſt laborioſiſſimum, virum operarium intelligi. Uvam autem, & ſimilia in cornu haberi, quia ex agriculturâ conſequimur, quæcumque neceſſaria ſunt.* Ad hoc propoſitum Paulus Maccius aratrum, theſauro detegendo intentum, hoc epigrammate illuſtravit;

Calamitas. *Hug. Carenſ. in Pſal. 96.* Labor & diligentia. *Io. Thuil Embl. fol. 511.* *Paul. Macc. Embl. 66.*

> *Theſauros aperit, glebas dum vertit aratrum,*
> *Abſtruſa terris hinc fodiuntur opes.*
> *Aurum ſive optas, apicem ſeu quæris honorum,*
> *Hæc indefeſſus datque, dabitque labor.*

4. Meâ quidem ſententiâ, aratro non incongruè ſubſcribes, TENUATUR AB USU. Epigraphen ſubminiſtrante Ovidio;

Ovid. l. 2. de Pont. Eleg. 7.

> --- *Aſſiduo vomer TENUATUR AB USU;*

Enimverò è laboribus & violentis exercitiis; uti & ab artibus tam liberalibus, quàm mechanicis, vires noſtræ debilitantur, extenuanturque; juxta illud Philoſophi; *Agens agendo repartitur.* Seneca; *Naſcitur ex aſſiduitate laborum, animorum hebetatio quædam, & languor.* Et Apulejus; *Continuatio litterati laboris omnem gratiam corpore detergit, habitudinem tenuat, ſuccum exſorbet, colorem oblitterat, vigorem debilitat.* Baptiſta Mantuanus canit;

Labor fatigat. *Senec. l. de Tranquil. c. 15.* *Apul. Apol. 1.* *Bapt. Mant. l. 1 ſil. 4. ad Innoc. 8.*

> *Nam labor aſſiduus mentes ut corpora frangit,*
> *Attonitoſque facit ſenſus, & inertia membra,*
> *Ingenium nimio, roburque retunditur uſu.*

5. Aratri durities, terram vomere effringens, non modò nihil offenſæ, ſed contra plurimùm beneficii in eandem confert; herbis enim infœcundis, ac vitioſis radicibus extirpatis, incultam humum exercet, & in pulcherrimam frugum optimarum amænitatē diſpo-

disponit. Unde aratrum, planitiem quandam in sulcos proscindens, epigraphen tenet; EVERTENDO FOECONDAT. seu, JUVAT, DUM LACERAT. Apposite Martialis;

Mart. l. 1. ad Lucium.

Pingue solum LASSAT, SED JUVAT ipse labor.

Calamitas

Ita omninò mortificationes ac ærumnæ, ceu totidem vomeres, corda nostra expurgant, & ad amplissimas gloriæ fruges præparant. *Corda igitur*, è S. Joannis Chrysostomi consilio, *scindamus, ut si qua dolosa herba, & improba cogitatio nobis inest, radicitus eam vellamus, & puras pietatis seminibus terras exhibeamus.* S. Petrus Chrysologus testatur, eadem ipsa sobrietatis & jejunii effecta in animam nostram esse. *Jejunium est singulare sanctitatis aratrum, colit corda er, adicat crimina, evellit delicta, vitia subruit, charitatem serit, copiem nutrit, parat innocentiæ messem.*

S. Io. Chrys. Hom. 4. ad Populum. Jejunium. S. Pet. Chrys. Serm. 31.

6. Aratro, terram sedulò proscindenti, epigraphen è D. Paulo subjunges; DABIT DEUS INCREMENTUM. Solus enim labor est hominis; Deus verò subsecuturafructuum tam spiritualium quàm corporalium incrementa impertitur. S. Paulus, *Ego, inquit, plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Frustra quippe*, subjungit interpres Augustinus, *operarius omnia moli- tur extrinsecus, nisi creator intrinsecus latenter operaretur.* Et rursus; *Loquendo, hortando, docendo, suadendo plantare possumus & rigare, sed non incrementum dare.* In rem præsentem de imperialis Collegii Wettenhusani Fundatrice, Gertrude à Rockenstein, testantur Annales, quòd à filiis Ethnicis tantùm agri ad extruendum locum sacrum petierit, quantum ipsa unius diei spatio posset aratro circumscribere: quod cùm à filiis facilè impetrasset, ipsa miræ parvitatis & levitatis aratrum adornans, id spatium, quod hodie adhuc illi Collegio paret, obequitans, & aratrum in sinu gestans, sancto stratagemate circumscripsit & obtinuit. Unde aratrum illud genuino hoc lemmate tum temporis insignivisses; *Dabit Deus incrementum.* E parvis enim primordiis Collegium istud successu temporis in amplam excrevit formam, hodie præsertim sub regimine R^mi D. Dionysii, Liberi Baronis de Rehlingen, Præsulis in utraque Oeconomiâ optimi, & sapientissimi.

Laboris fructus à Deo est. 1. Cor. 3. 6. August. de bono viduit. c. 18. Idem ser. 27. de Verb. Apost. c. 6. Wettenhusani Collegii jura fundatio.

CRIBRVM.

Cap. II.

7. ACademici Exagitati Senenses, Symboli loco, cribrum præferunt; cum epigrammate, DONEC IMPURUM. Innuebant videlicet, se in actionibus virtuosis tamdiu exercitatum iri, donec minimos quosvis imperfectionis humanæ nævos secrevissent. Cæterùm quævis anima, si spiritualem cordis sui munditiem amet, defectibus resecandis assiduò incumbit, probè gnara, succrescentibus identidem imperfectionum tribulis, nullam unquam diligentiam in præsenti vita fore nimiam aut superfluam. Studiosè id observans Plutarchus, *Eos*, inquit, *qui salvi esse velint, ita vivere debere, ut perpetuo curentur.*

Defectus.

...de co... ...nd ira.

8. Cardinalis Crivellus cognomini suo cribro inscripsit; SORDIDA PELLO. Pœnitentiæ Sacramentum hoc ectypo adumbratur, cujus beneficio omnes è pectore humano sordes pelluntur. Petrus Blesensis; *Hac est*, inquit, *reconciliatio pacis, acquisitio vitæ, vitiorum abolitio.* Et S. Nilus; *Si sordidum quid à nobis commissum est, pœnitentiâ id lavemus.* Eandem etiam Principis justi effigiem dixeris, qui exilio aliis- que gravibus suppliciis sceleratos omnes è provinciâ aut civitate proscribit.

Pœniten-... ...Bles. de ...l pere- ...it. acce- ...da. ...In Pa...

Princeps zelosus.

9. Innocentius Cibò Cardinalis, Symbolo suo cribrum incidi fecit; addito lemmate, A BONO MALUM, subintellige, *separat.* seu, DISCERNIT UTRUMQUE. Nimirum interprete Claudio Paradino, significare volebat, Confessarii scientiâ virtutem à vitio, & à lepra discerni lepram. Eadem insuper prudentis ac discreti animi; vel etiam fidei Catholicæ imago est; hujus enim beneficio pretiosa Electorum grana à gentilium ac hæreticorum paleis segregantur. S. Cæsarius Arelatensis, *Christianus populus*, inquit, *quasi tritici innumerabilia grana, à sacrilegis nationibus, fide purgante atque cribrante discernitur, & in unum quasi, infidelium lolio pertranseunte colligitur &c.*

Confessarius. Prudentia. Fides. S. Cæs. Aret. Hom. 5. de Pasch.

10. Frumentum, per cribri foramina transfluens, à Furfurariorum Academiâ epigraphen cepit; A POCO, A POCO. Id est; PAULATIM. Prudens hæc cunctandi ratio in scientiis tradendis ac communicandis accidit; doctrina enim nonnisi stillatim instar granorum è cribro, in discipulorum animos illabitur. P. Cornelius à lapide metaphorâ quidem diversâ, in rem tamen præsentem satis accommodatè ait; *Sapientiæ Doctor leviter per modica præcepta docet sapientiam, ne eorum multitudine & pondere rudem discipulum obruat, sed sensim plura & plura illi instillās, tandem omni sapientiâ, instar fluminis, eum imbuit & replet.* Porrò virtutes & gratiæ, per peccatum amissæ, nonnisi paulatim & multis laboribus redeunt. S. P. Augustinus; *Nunquid quicunque faciunt præcepta legis, jam sani sunt? Nondum: sed ut sani fiant, faciunt. Non deficiant faciendo, quia paulatim recipitur quod semel amissum est. Si enim citò rediret homo ad pristinā beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortē.*

Paulatim docere. Corn. à Lap. in Prov. 1. 8. 4. Paulatim converti. S. Aug. serm. 34 de Divers. c. 3.

11. Dum frumentum in cribro secernitur, meliora grana in terram ad cribrantis pedes decidunt, recrementis ac sordibus in cribro reservatis. Unde lemma; MELIORA DEORSUM. seu, MELIORA DIMITTIT. Idipsum Magnatum quorundam est vitium; qui sanioribus consiliis neglectis, ad pejora applicant animum. Nonnunquam etiam Prælati in electionibus instituendis malos ac imperitos sublevant, dignioribus contemptim abjectis. Author Operis Imperfecti metaphoram illam inquieti Mercatoris propriam dicit. *Quemadmodum si triticum cernas in cribro, dum huc illuc, jactas id, grana omnia præcellentiora deorsum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, nisi stercus solum: sic est substantia negotiatorum, dum vadunt & veniunt, inter emptiones & venditiones minuitur, & in novissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum.*

Electio malorum. Mercator. Auth. Op. Imp. Hom. 36 in Matth.

12. Superiori Emblemati è diametro contrarius D. Carolus Bossus, cribrum agitatum granis plenum depinxit, quod pulverem ac recrementa per foramina sua secernit, nobiliori frumento intra proprium sinum retento. Epigraphen addidit; MIHI MELIUS. Eodem Bosso interprete, hominem illum hæc imago concernit, qui politiore eloquentiâ destitutus, imperitè quidem sermocinatur, virtutum tamen operatione adeò excellit, ut, tametsi verba ad modum incomposita fundat, suo tamen operandi studio ab omnibus maximi æstimetur. Porrò Eleemosynarios nonnullos reperias, qui meliora bona sibimet identidem reservant, deterioribus in egenos distributis. Hoc maligni animi vitium in Caino observat S. Cyrillus Alexandrinus, qui, *Quæ ex tempestivis EXCELLENTIORES essent, SUIS DELICIIS reservabat.* Illud ipsum etiam Hebræis exprobravit

Virtuosus non eloquens. Eleemosynarius malitiosus. S. Cyril. Alex. lib. 2. Genes.

Malac.1.14. probravit Malachias; *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens, immolat debile Domino.* Hujus loci epitomen exhibens S. Hieronymus, ait; *Ostendit eos habere, quæ optima sunt; & offerre quæ mala sunt.* Huc opportunè afferendum censui vaferrimum illud flagitiosi hominis ingenium, qui Jovi mediam omnium frugum partem promittens, cùm postea cespitem, dactylis & amygdalis plenum, reperisset, illorum medullam ac nucleos sibi reservavit, putaminibus Jovi oblatis. *Comedit omnes palmulas, amygdalasque, & harum nucleos, sed illarum putamina ad aram obtulit*; uti his ipsis verbis recenset Æsopus.

S. Hieron. in hunc loc.

Æsop. fab. 30

13. Cribro agitato, grana omnia à recrementis purgantur. Unde lemma; AGITATUR, UT PURGET. Ita corpus nostrum frequenter ea duntaxat ratione affligitur, ut sua persistat spiritui munditics. S. Paulus de homine quodam incestuoso disserens, *Judicavi*, inquit, *tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* In hunc locum S. Joannes Chrysostomus ait; *Puniatur, ut eâ ratione melior effectus, attrahat gratiam, & inveniatur illam salvam exhibens in illo die. Quamobrem est magis curam gerentis & medentes, quam solùm secantis, & temerè & inconsideratè punientis.*

Calamitas utilis.

1. Cor. 5. 5.

S. Io. Chrysost. in hunc loc.

C V R R V S.

Cap. III.

14. PAtres Societatis Jesu in Romano Sacræ Theologiæ Lycæo currum figurarunt, qui saccis, frumento plenus, onustus, à Cereris & Triptolemi draconibus trahebatur; addito lemmate, DESERTIS SEMINA TERRIS. Innuebant videlicet, sacræ Theologiæ beneficio cœlestia semina in incultos hominum animos spargi. Cæterùm eodem Emblemate etiam illos Dei servos significare licet, qui Castellanis ac Lusitanis navibus in extremas mundi plagas vehuntur, ut cœlestia Evangelicæ doctrinæ semina apud Indos, Gentiles, & Idololatras jaciant. De S. Paulo ait Chrysostomus; *Paulus terram simul atque mare, Græciam simul atque Barbariam, omnemque prorsus, quanta est sub sole, regionem quasi volitans circuivit, non simplici labore velut in vacuum itinera percurrens, sed peccatorum spinas pariter evellens, membraque pietatis ubique seminans, errores fugans, veritatem reducens, & ex hominibus Angelos faciens: quinimò ipsos homines quasi ex dæmonibus angelos provehens.*

Theologia Prædicator.

S. Paulus. S. Io. Chrysost. Hom. 1. de laud. Pauli.

15. Currus & merces circumvehit, & vicissim à rotis ac jumentis circumducitur. Illum proinde Ferrus hoc lemmate notavit; ET VEHIT, ET VEHITUR. Prophetæ aut hominis Apostolici hæc idea est, qui adminiculante Deo circumductus, populos & provincias gubernandas suscipit. Princeps quoque, aut Bellidux, alienis consiliis directus, subditos suos moderatur. Certè Centurio Evangelicus imperia & & dabat & accipiebat. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit.* Id est, è S. Augustini paraphrasi, *Ego homo sub potestate, jubendi habeo potestatem.* Adamus omnes paradisi creaturas, à suprema bonitate sibi subjectas, accepit, id unum cavere jussus; *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Causam subjungens Chrysostomus, Dei ore ait; *Nonne omnium quæ in paradiso sunt, potestatem dedi tibi, & duntaxat ab hoc uno ut abstineres præcepi? ut scire posses, te sub Domino quodam esse, cui obedientiam debes.*

Propheta.

Princeps.

Matth. 8. 9.

S. Aug. ser. 6. de Verb. Dom.

Gen. 2. 16. S. Io. Chrysost. Hom 17. in Gen.

16. Currus Clinensis, vento ac velis provehi solitus; à D. Aresio epigraphen accepit; INCEDIT Feliciter. Mariæ Virginis, ad Elisabetham invisentis, hæc imago erat, quæ Spiritu sancto plena, nullisque gravata peccatis, felicissimo gressu cœptum suum iter prosecuta est: ut adeò illud sancti Ambrosii ipso opere experta fuerit; *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.*

Mariæ V. visitatio.

S. Ambr. in Lucam. l. 2.

17. Pauper operarius, gravi laborum pondere fatigatus, si debitâ mercede defraudetur, in querelas ac dolores acerbissimos prorumpit: haud secus atque currus NON UNCTUS, STRIDET. Huic veritati subscribens S. Jacobus; *Ecce*, inquit, *merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Porrò homines mundani tamdiu Deum sequuntur, dum bonis omnibus affluunt; at paupertate nonnihil pressi, contra Deum & Superiores murmurant; uti suo exemplo docent Hebræi; de quibus Vates Regius canit; *ipsi dispergentur ad manducandum: si verò non fuerint saturati, & murmurabunt.* Adversus murmura præclarum est S. Isidori antidotum; *Discat non murmurare, qui mala patitur, etiamsi ignoret, cur mala patitur. Per hoc quisque se iustè pati arbitretur, quia ab illo judicatur, cujus nunquam injusta judicia sunt.*

Operarii defraudatus.

Iacob 5. 4.

Murmurans.

Psal. 58. 17

S. Isid. l. 3. Sum. bon.

18. Currus sessores suos simul & PORTAT, ET AGITAT. Verbis è S. Gregorio mutuatis; *Doctor & currus dicitur, & auriga; currus, quia tolerando PORTAT; auriga, quia exhortando AGITAT.* Boni Patrisfamilias hæc imago est, qui liberos suos non sustentat tantùm, sed insuper crebrâ agitatione ad virtutis progressum extimulat. Parentes zelosi Seneca asserente, *jubent excitari liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lachrymas excutiunt.* Et paulò post subjungit; *Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, & illos fortius AMAT: & operibus, inquit, doloribus, AC DAMNIS EXAGITANTUR, ut verum colligant robur.*

Prædicator.

S. Greg. Hom. 21. in Ez.

Pater diligens in educando.

Senec. l. quare bonis, &c.

19. In Matrimonii symbolo currum cernere licet, qui à geminis equis tractus, epigraphen sustinet; CONCORDI LABORE. Unde Juridici sponsos vocant *Jugales*; veluti qui sub eodem laborum jugo ex æquo fatigantur. Josephus Laurentius observat, olim in matrimoniorum contractibus sponsos sese mutuò interrogasse; *Vir, an sibi mulier materfamilias esse vellet? Et mulier: an vir paterfamilias?* Hâc enim stipulandi ratione imminens familiæ jugum concordibus semper humeris à se perferendum significabant. S. Gregorius Nazianzenus testatur, eandem prorsus familiæ, atque navis gubernandæ rationem esse: sicuti enim ista adversis ventis miserrimè jactatur, ita illa discordibus conjugum animis rumpitur, concordibus verò suavissimè progreditur. Nazianzeni poesin, quia concinna, ex integro admetior.

Matrimonium.

Ioseph. Laur.

S. Greg. Naz. de laud. Virgin.

Nam si concordes animis, justique coirent
Jure tori, levius sulcarent æquora vitæ,
Nimirum duplici vento impellente carinam.
At cùm discordes tædarum fœdera jungant,
Immanis labor est, dolor hic præcordia rodit,
Omnia dissidiis flagrant, pax exulat omnis,
Concutiturque domus, res atque domestica nutat.

20. Animus, in alterius voluntatem promptus & obediens, currui non absimilis probatur; cum lemmate, QUAQUAVERSUM. Cleantes, à Seneca citatus, dicere solebat;

Obedientia.

Senec. Epist. 107.

Duc me parens, celsique dominator poli,
Quocunque placuit, nulla parendi mora est.
Assum impiger &c.

Hanc

Hanc animi indifferentiam sphærulæ illæ adumbrabant, quibus Deus olim sanctuarii candelabrum exornari voluit; *Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile ejus, & sphærulas, & lilia ex ipso procedentia.* Enimverò, interprete meo Concanonico Absalone Abbate, *sphærulæ, quæ sunt in candelabro volubiles, & rotundam figuram habent, significant simplices claustrales, qui Prælatorum suorum reguntur imperio, salubre sibi existimantes, quidquid virtus jusserit faciendum.* Obedientiam illam proprio suo exemplo consignans Rex David, integerrimo corde exclamavit; *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, id est,* ut subjungit Magnus Augustinus, *ad prospera & adversa;* protestabatur nimirum, eâdem animi serenitate tam miserias quàm felicitatem à se exceptum iri; promptam insuper sibi mentem esse, cùm ad propriam, tum ad proximi sui incolumitatem promovendam; nec minus se in res, genio suo adversas, quàm prosperas, accinctum stare. Eandem Maria Virgo in nuptiis Chananæis dilucidè innuebat, quando dispensatoribus dixit; *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Hoc enim perfectissimæ obedientiæ compendio illorum operationes in Divinam voluntatem penitus indifferentes ac promptas exigebat.

Exod 25.31. Absal. Abb. serm. 30. Psal. 56.8. S. Aug. l. 50. Homil. hom. 14. c. 1. Ioan. 2.5.

21. Quantum detrimenti ac confusionis è gubernatoris absentia in totam familiam cedat, haud obscurè è solis curru conjicere licet, qui tumultuantibus equis, epigraphen sustinet; HINC ABEST APOLLO. Affirmatè Salomon; *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Et S. Joannes Chrysostomus; *Magistratum, Ducemque, & Rectorem non habere, malum est; & est argumentum multarum calamitatum, & principium defectus ordinis, & perturbationis, & confusionis.*

Residentia. Prov 11.14. S. Io. Chrys. Hom 14. in Ep ad Hebr.

22. Bernardinus Rota ad uxoris suæ exequias currum pinxit, qui geminis rotis instructus, unam monstrabat integram, alteram verò ruptam: cum lemmate, CLAUDICAT ALTERA. Veluti diceret;

Mentre visse colei,
Che per dolce compagna il Ciel mi diede,
Lieto il corso passai de giorni miei.
Hor che, (lasso) la fiede,
En lei spezza la rota
Di mia felicità rigida sorte,
Sarà mia vita una continua morte.

Porrò ut prædestinationis tuæ viam feliciter decurras, utrâque auxilii Divini & cooperationis virtuosæ rotâ utaris, necesse est: alterutrâ enim claudicante, miserè subsistes ac peribis. Unde hortatur Apostolus, *Satagite, ut per bona opera vestra certam vestram electionem & vocationem faciatis.* S. P. Augustinus; *In spiritualibus conflictibus sperandum & petendum est adjutorium Dei, non ut nos nihil faciamus, sed ut adjuti cooperemur.*

Cooperari gratiæ. 2. Pet. 1.10. S. Aug lib. Quæst in Deutr. q 50.

23. Currus falcatus, qualem veteri more in bellis usurpârunt, unico impulsu rotas & falces simul contra hostem movebat. Illum proinde D. Didacus Saavedra hoc lemmate Hispano insignivit; RESOLVER, Y ESECUTAR. Id est; DECERNE, ET EXEQUERE. Salusthius; *Priusquam incipias consulito: & ubi consulueris, maturè facto opus est, ita utrumque per se indignum, alterum alterius auxilio viget.* Et T. Livius; *Agendo, audendoque res Romana crevit, non his segnibus consiliis, quæ timidi cauta vocant.*

Consilium. Salust. T. Livius.

24. Hippolyti currus, equis è monstri cujusdam præsentiâ exterritis ac dissolutis, quantocyus in extremam ruinam præcipitatus est. Hoc Poetarum commentum Emmanuel Thesaurus Symboli politici loco statuens, epigraphen subdidit; CONSULENTIUM DISCORDIA, IMPERII LABES. Scipio, expugnatâ Numantiâ, à Tyresia Principe interrogatus, quomodò civitas illa, hactenus insuperabilis, capta fuisset; respondit. *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.* Ita quoque Principum Hæbræorum discordia, Titi & Vespasiani ævo, extremam invictæ Hierosolymæ perniciem creavit. Verissimè Tullius; *Quæ domus tam stabilis, quæ tam firma civitas est, quæ non odiis atque dissidiis funditus possit everti?*

Discordia. Cicero.

25. Currus, ad triumphorum majestatem adhiberi soliti, Dione teste, etiam funeribus deducendis inserviebant. Unde P. Raulinus Emblematis loco epigraphen subjunxit; FUNERIBUS, ET TRIUMPHIS. Præclarum hoc sanctissimæ Crucis ectypon dixerim, quæ opportunissimum Servatoris nostri, tam morientis quàm triumphantis, instrumentum existit. Ut adeò ab Ecclesia jure cognominetur, *triumphale lignum in quâ vita mundi pependit, in qua Christus triumphavit.* S. Hilarius; *Triumphus planè est, quæri ad crucem, & offerentem se non sustineri; stare ad sententiam mortis; sed inde consessurum à dextris virtutis: deputari inter iniquos, sed Paradisum donare: elevari in lignum, sed terram tremere: sepeliri mortuum, sed resurgere Deum: secundùm hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundùm Deum in his omnibus triumphare.*

S. Crux. S. Hilar. l. 10 de Trinit.

26. Currus Eliæ igneus in cœlum raptus, à P. Jacobo Masenio epigraphen cœpit; AURIGA LATET. Idipsum in salutis negotio experimur, ubi Justos per virtutis semitam in cœlum contendere videmus, aurigam agente occultâ Dei gratiâ. S. P. Augustinus; *Valde occulta & abstrusa vis est, quâ Deus agit, ut etiam illa, quæ sensu carent, confestim ejus obtemperent voluntati.* Et rursus; *Occulta est gratia, & in abdito latet: Non videtur, sed inde eminet quod videtur.*

Gratia occulta. S. Aug in Ps. 105. Idem ser. 14 ex addit. à Paris. c. 15.

FALX.

CAP. IV.

27. FAlx, maturam segetem demetens, epigraphen tenet; SUCCIDIT, NE CADAT. seu melius; CÆDIT, NE CADAT. Hunc ipsum morem observat Deus, dum animam nostram à ruina æterna vindicaturus, diversas corpori plagas temporales infligit. S. Paulus adeò acerbis mali genii pugnis divexabatur ut passim suspiraret; *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Verum è Richardi Victorini, & S. Anselmi sententiâ, optimus ac providentissimus Deus plagas illas omnes in eum finem destinabat, ne Paulus superbiæ aut vanæ gloriæ peccato cespitaret, sed semper intra virtutis orbitam, calamitate suffulciente, erectus, merita sua retineret. *Hoc remedium,* teste S. Anselmo, *Divinitus accepit, ut per iniquum Angelum semper injuriis, & tentationibus pressus non posset ex revelationibus extolli.*

Calamitas præservat. 2 Cor 12.7. S. Anselm. in hunc loc.

28. D. Vincentius Gilibertus Emblematis loco geminam falcem pinxit, quarum una frumento, altera verò uvis succidendis immissa, epigraphen subjunctam habet; ÆQUAT, seu ut ego falci, graminibus demetendis intentæ, subscripsi; ÆQUA LEGE. P. Octavius Boldonus falcem, intra flavescentes segetes figuratam, hoc lemmate distinxit; OMNIBUS ÆQUA. vel ut aliis placet; INÆQUALIA ÆQUAT. Ita bonus Judex aut Prælatus justitiam suam ex æquo in omnes exercet. Eandem insuper genui-

Judex æquus. Mors æqua.

Ovid Ep ad Livium. genuinam mortis effigiem dexterim, de quo Ovidius;

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Horat. l. 1. od. 4. Horatius;

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres.

Idem l. 3 od. 1 Et alibi;

---- --- æquâ lege necessitas
Sortitur insignes, & imos:
Omne capax movet urna nomen.

S. Bern. l. de per. Just. c. 4. S. Bernardus, de morte differens, ait; *Non miseretur inopiam, non divitias reveretur, non generi cujuslibet, non moribus, non ipsi denique parcit ætati: nisi quòd senibus quidem in januis, adolescentibus in insidiis est.* In fratris sui morte cecinit D. Angelus Maria Arcio-nus Abbas;

Folle è il Fato accusar con lunghe strida:
Che inesorabil, fiero,
Prieghi ei non ode, è non si move à i pianti.
Ah, chi non siegue, e chi precorse inanti
Per lo stesso sentiero
Inevitabil legge à morte guida.
Da la Parca omicida
Pur un non fugge; ond' è conforto al male;
L'esser commune il colpo, il danno eguale.

29. Humanam mortem falcis Emblemate figurabis, quæ prati cujusdam herbas demetens, epigraphen tenet; REFLORESCENT. Enimverò sicuti herbæ recisæ identidem progerminant; ita homines, mortis falce succisi, olim reviviscent. Ad hoc propositum opportunè Mercurius Trismegistus; *Deus, instar agricultoris periti, quodcunque minus adultum est, amputat, ut statutis temporum intervallis iterum REVIRESCAT.* — Resurrectio. Trismegist. in Pymandro.

30. Flavescentium spicarum manipulus messoris manu constringitur, ut commodiore falce demeti queat. Unde illam Alcibiades Lucarinus hoc lemmate insignivit; AMPLEXATUM SECAT. Ita Judas, Servatorem suum proditurus, eundem nequissimo amplexu strinxit. Hunc alloquens S. Ambrosius, ait; *Amoris pignore vulnus infligis? & charitatis officio sanguinem fundis? & pacis instrumento mortem irrogas? servus Dominum, discipulus prodis Magistrum?* quam invectivam repetit lib. 3. de Spiri. sanct. cap. 18. Propè finem. P. Aloysius Juglaris inter cætera Christi elogia ait; — Judas. S Ambr l. 10 in Luc c. 28. Jugl. Elog. 40. de Christo.

Funes illi per amplexus intentat,
Morsus per oscula.
Omnem supellectilem charitatis
In usum odii traxit.
Hostilem animum texit in iis,
In quibus detegi benevolus solet.

Ibid Elog. 72 Et rursus;

Bellum præludio pacis indixit,
Amoris armis abusus ad odia,
Salutem, quam voce dederat,
Manu destruxit.

31 Falx, arboris cujusdam ramis applicata, epigraphen à Saavedra accepit; PODA, NON CORTA, id est; CARPIT, NON CÆDIT. Principibus hanc indolem congenitam velim, ut tributa à subditis moderatè, omnique seposito ipsorum detrimento, exigant. Cornelius Tacitus, *Dura vectigalia,* inquit, *populo non imponant: nimia enim in exigendo tributo severitas, & nimium ipsum tributum impositū movet subditos frequenter ad seditionem.* Eodem Tacito referente, Tiberius sancivit; *Ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utque vetera, sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent.* Saavedra testatur, Flavium Ervegium Regem in III. Concilio Toletano tributa sua ita ordinasse, *Ut nec incauta exactio populos gravet, nec indiscreta remissio statum gentis faciat deperire;* uti refert Saavedra. — Tributum moderatū. C. Tacit. l. 4. Annal. Saavedra Symb. 67.

32. D. Antonius Abbatus in crudito suo volumine humanos quosdam defectus exagitans, ejusdem fronti Satyrum præfixit, qui falcem manibus sustinens, fruteto cuidam succidendo expurgandoque insistebat; cum lemmate, IN MALA LIGNA MALIGNA. Castigatio enim id unum allaborat, ut solos vitiosos extirpet, iis, qui virtute ac meritis excellunt, penitus intactis. In rem præsentem Christus Patrem suum æternum opportuno Agricolæ nomine vocans; ait, *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Nam S. Augustino interprete, *CULTURA IPSIUS EST in nobis, quod non cessat verbo suo EXTIRPARE MALA SEMINA de cordibus nostris, aperire cor nostrum tanquam aratro sermonis, plantare semina præceptorum, expectare fructum pietatis. At, si quia propago infidelis, aut INFRUCTUOSA est, EVELLITUR.* Ex his concludit S. Hilarius, justitiæ gladium, quem Deus Principum manibus commisit, adversus sceleratos admodum esse debere rigorosum. Dilucidè Apostolus; *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est; VINDEX IN IRAM ei, QUI MALUM AGIT.* S Petrus Damianus debitum veri Principis munus examinans, ait; *Illius officium est, ut reos puniat, & ex eorum manibus eripiat innocentes.* Et paulò post ad illa S. Pauli verba alludens, hanc cuivis Principi apostrophen subjungit; *Non ad hoc præcingeris gladio, ut violentorum mala debeas palpare vel ungere, sed ut ea studeas vibrati mucronis ictibus obtruncare.* — Justitia. Ioan. 15. 5. S. Aug. serm 59. de Verb. Dom. S. Hilar. in Psal. 51. Rom. 13. 4. S. Pet. Dam Opusc. 57. c. 1.

33. Judex prudens & circumspectus nihil unquam decernit, nisi omnibus causæ conditionibus maturè examinatis; haud secus atque falx, segetibus nonnisi maturis ac flavescentibus applicari solita, epigraphen tenet; FLAVENTIA METIT. Lemmatis hujus occasionem ex inscriptione sepulchrali desumpsi, quâ mei Canonici Regulares Mediolanenses in insigni templo S. Mariæ de Passione singularem Vincentii Falcuccii Ugubini; optimi Juridici & Senatoris Mediolanensis, prudentiam, & in judicando sagacitatem posteris commendârunt. Epigrammatis exordium hoc erat; — Judex.

Falce velut messor FLAVENTIA DEMETIT arva,
Turbida decidit jurgia sæpè fori &c.

Emblemati præsenti affinia sunt illa Servatoris verba, *Videte regiones, quia albæ jam sunt ad messem.* Volebat nimirum, interprete Magno Basilio, significare, illos ex hâc terrenæ vitæ glebâ ad felicitatis æternæ granarium proximè ac securissimè transferendos esse, qui virgineo casti animi candore maturuerunt. — Ioan. 4. 35. S Basil Orat de vera Virg.

34. Plinius, in ferri utilitatibus describendis facundissimus, *Hoc,* inquit, *tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso annis omnibus COGIMUS JUVENESCERE.* Unde falx, luxuriantes vitis defrondatæ coliculos putans, epigraphen tenet; JUVENESCERE COGIT. Hinc facilè conjicies, calamitatum duritie animos nostros mirificè vigorosos, & ad omnem virtutum frugem fertiles effici. In hanc rem apertè testatur Christus, quòd Pater æternus, instar Vinitoris, *Omnem* (palmitem) *qui fert fructum, purgabit eum,* — Plin. l. 34 c. 14. Calamitas. Ioan. 15 2.

S. Aug. citatus in Catena aurea S.Thomæ. *bit eum, ut fructum plus afferat.* Et S.P. Augustinus; *Mundat itaque mundos, id est, fructuosos, ut tanto sint fructuosiores, quanto sunt mundiores.*

Occasionē tollere. 35. Ad arboris prostratæ radices falcem collocabis, cum lemmate; NE REPULLULET. Ita omninò quisquis mala omnia cupis extirpata, singulas occasiones, ceu fertilissimas illorum radices, studiosè & assiduò succidas, necesse est. S. Bernardus illa Joannis Baptistæ verba interpretatus; *Jam securis ad radicem arborum posita est*; ait, *Excisam, non extirpatam arborem in sylvam pullulare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus, necesse est, ad radices arborum, non ad ramos.* *Matth. 3.10. S Bernard. serm. 2. de Assumpt. Virg.*

36. Falx, vitem aut aliam quamcunque arborem putans, epigraphen tenet; AMPUTAT INUTILES. Ad verbum Horatius; *Horat. od. 2. Epodon.*

Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores inserit.

Justitia vindicativa. Genuinus hic Principis justi typus est, qui vindicantis justitiæ falce omnia scelerum sarmenta ac luxuriantes vitiorum coliculos à subditis suis præscindit. Unde Justitia interrogata,

Cur gladium tua dextra gerit? cur læva bilancem?
Respondet;
Ponderat hæc causas; percutit illa reos.

Const. Can. Reg. p. 2. c. 48 Canonicorum Regularium Constitutiones sanciunt; *Quia sapientis est Medici, putrida membra, quæ omnibus medicamentis adhibitis non convalescunt, sed in pejus deficiunt, ne reliqua membra inficiant, ferro abscindere; idcircò quicunque ex nostris sæpius de gravioribus culpis convictus & punitus, vitam emendare noluerit, excommunicetur, & ac omnium fratrum conversatione separatus maneat, &c.* Idipsum in Regulâ suâ disertè jubet Magnus Concanonicorum Legifer Augustinus. Jacobus Bruck Emblemati explicando sequens epigramma affert; *S. August. in Regula. Ja. Bruck. Embl. 18.*

Amputat hic putres ramos, non utile lignum,
Illorum vitio ne integra pars pereat.
Rescindenda mali est quævis occasio ne fors
Invaleant longâ crimina fœda morâ.

37. Juvenis, immaturâ morte sublatus, virescentem in campo herbam aut spicam imitatur, quæ à falce succisa, inscriptionem reddit; DUM MESSIS IN HERBA. vel, IMMATURE NON PARCIT. Item, VEL TENERRIMA CARPIT. Emblematis construendi occasionem suggessit Benedictus Sossagus, qui, ad mortis effigiem reflectens, canit; Mors immatura. *Sossag l. 7. Epigram.*

Mortales tua messis erunt. Mors comprime falcem,
Quid messem properas sternere cæca tuam?
Quid sævâ Mors falce furis; DUM MESSIS
IN HERBA est,
Saltem IMMATURÆ PARCE, precor, segeti.
Quid loquor, ah demens! mors quæque TENERRIMA CARPIS,
Maturam ut segetem germina prima metis.

Marc. 13.33. & 25. Unde providè monet Christus, *Videte, vigilate, & orate. Nescitis enim quando Dominus veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an manè. Serò namque*, inquit interpres Theophilactus, *finis existit, quando quis moritur in senectute, media nocte, cùm quis moritur in medio juventutis; galli cantu verò, cùm ratio completur in nobis, manè autem puerilis est ætas.* Eodem gemitu Pallantem prosequitur Virgilius; *Theoph. in hunc loc. Virg. l. 10. Æn. v. 507.*

O dolor, atque decus magnum rediture parenti.
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.

FLAGELLUM,

Caput V.

38. Duo baculi, corrigio è supremis suis partibus colligati, fremento triturando deserviunt. Ut adeò flagello inscripseris; ELICIT FRUCTUS. vel, ELICIT, DUM CONTERIT. Calamitatis hæc idea est, quæ humanam mentem flagello nonnihil acerbiore excipiens, ingentes virtutum acervos extorquet. In rem præsentem augustissimus Augustinus; *Si frumentum es, quid times tribulam? Non apparebis, qualis antea eras in spica; nisi tribula contendo à te separaverit paleas.* Calamitas utilis. *S. Aug. de temp. Barbar c. 3.*

39. Tribula, æstuante sole supra spicas volutata, attritum frumentum ab aridis paleis secernit ac expurgat. Unde lemma; PREMIT, UT PURGET. Ita persecutiones, quas malignus orbis contra justos nunquam non machinari consuevit, iisdem opportunissimi instrumenti loco deservit, ut curas terrenas subterfugere, ac perfectam puritatem obtinere queant. S. Gregorius Papa; *Reproborum nequitia, trituræ more, electorum vitam, quasi grana à paleis separans, PREMIT, UT PURGET. Mali enim bonos magis ab hujus mundi desideriis expediunt, dum affligunt.* Calamitas utilis. *S. Greg. l. 26. Moral. c. 9.*

JUGUM.

Cap. VI.

40. Bargalius matrimonio significando Jugum pinxit, quod à gemino bove sustentatum, epigraphen tulit; NON BENE AB UNO. Uterque enim Sponsus, *Jugalium* cognomine à Juridicis vocari solitus, æquales oneri sustinendo humeros supponere debet. S. Ambrosius; *Bona igitur vincula nuptiarum, sed tamen vincula bonum conjugium, sed tamen à jugo tractum.* Virgilius Didonem Reginam, Æneæ amore captum, in hæc verba loquentem sistit. Matrimonium. *S Ambr. l. 3 de Virgin. Virgil. l. 4. Æn. v. 15.*

Si mihi non animo fixum, immotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,
Postquam primus amor deceptam morte fefellit;
Si non pertæsum thalami, tædæque fuisset,
Huic uni forsan potui succumbere culpæ.

Ubi verbis istis, *vinclo sociare jugali*, veterem quorundam morem innuit, qui novos sponsos ante Junonis aram jugo cuidam colligare solebant, *quasi viderentur eidem jugo annecti*, inquit P. Ludovicus Certanus. Ad hoc propositum S. Paulus, interprete D. Hieronymo, de matrimonio ineundo statuit; *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Cæterùm etiam Lex Evangelica illo jugi nomine vocatur; *Tollite jugum meum super vos.* Huic enim sufferendo observandoque solum Dei auxilium non sufficit, nisi & nostras vires jungamus. Oraculum Divinum Sophoniæ ore statuit; *Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno.* *2. Cor. 6. 14. S Hieron. l. 1 cont Iovin.* Cooperari gratiæ. *Sophon 3. 9.*

41. Sub Christo, libertatis nostræ vindice, gravissimum legis Mosaicæ, ac servitutis diabolicæ jugum excussimus. Unde Emblematis loco jugum, aquis immersum, depinges, cum lemmate, PUTRESCET. In rem præsentem accommodatè vaticinatus Isaias, ait; *Computrescet jugum à facie olei.* Locum hunc elucidans Leo de Castro, ait; *A facie ergo olei, id est Christi, qui oleo exaltationis est unctus: & fons, & origo olei, ex quo tanquam ex capite in membra defluit, computrescet jugum, id est, liberabitur Jerusalem jugo servitutis &c.* S. Gregorius Papa beneficentiam Redemptio Christi. *Isa. 10. Leo à Castro in hunc loc.* Spiritus S. *S Greg l. 19. Moral c. 13.*

Eleemosyna. centiam illam etiam Spiritui sancto propriam dicit; *Jugum quippe à facie olei computrescit, quia dum sancti Spiritus gratiâ ungimur, à captivitatis nostræ servitute liberamur.* Hugo Cardinalis testatur, eleemosynæ beneficio humanam mentem gravi peccatorũ jugo liberari. *Onus & jugum diaboli, id est peccatum, quod collum peccatoris onerat, & inclinat, computrescet à facie olei, id est eleemosynæ.*

Hug Card. in Isa. loc. cit.

42. Leo X. Pontifex Maximus, Symboli loco jugum habuit; cum lemmate, SUAVE. voce è S. Matthæo sumptâ; *Jugum enim meum SUAVE est.* Et verò Legis Evangelicæ jugum optimo jure suave dicitur. Enimverò, asserente S. Gregorio, *Quid grave mentis nostræ cervicibus imponit, qui vitare omne desiderium, quod perturbat, præcipit; qui declinare laboriosa mundi hujus itinera monet?* Porrò nobilissimum illud jugum etiam suave dicitur, quia nihil omninò molesti ponderis, sed contrà plurimum levaminis ac gratiæ affert; animos enim sibi addictos, non quidem ut servos, sed ut compendio dicam, jugum illud nequaquam captivitatis aut miseriæ, sed exaltationis ac felicitatis æternæ instrumentum est. S. Ambrosii cohortatio est; *Suscipit jugum Christi. Nolite timere quia jugum est, festinate quia leve est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis, quid procrastinatis? Non aligat cervicem vinculis, sed mentem gratia copulat. Non necessitate constringit, sed voluntatem boni operis dirigit.*

Matth. 11. 30. S Greg. 4. Moral.

Lex Evangelica.

S. Ambrof. l de Elia & Jejunio c. 22.

43. Jugum, sceptro transversim colligatum, epigraphen sustinet; DUM SERVIO, REGNO. Ad hanc personæ religiosæ ideam accommodatè S. Ambrosius super illis D. Lucæ verbis, *Regnum Dei intra vos est*, ait, quòd, *qui vult esse Rex, sit servus in Domino. Eâ enim parte, quâ participamur servitute, participamur & regno.* Et S. Petrus Damianus; *Demus gloriam laudi ejus, quem laudant omnes gentes: qui ministros suos, & laudat, & laudabiles facit: HUIC SERVIRE, REGNARE est, qui servivit pro nobis sub durâ, & gravi necessitate &c.*

Religiosus. S Ambr l. 8 in Luc. Luc. 17. 21. S. Pet. Dam. ser. 58.

LIGO.

CAPUT VII.

44. Agricolarum industria, ut campos uberioribus aquis fœcundent, omnem è fontium scaturigine terram removent. Ut adeò ligonibus, palis, ac bidentibus, propè scaturientem rivulum figuratis, opportunè inscripseris; UT FLUAT UBERIOR. Ita omninò gratiæ Divinæ fontes longè copiosius affluunt, si omnia rerum terrenarum obstacula sedulò amoveantur. Unde mei Thomæ Kempensis ore dicit Deus; *Fili, pretiosa est gratia mea; nec patitur se misceri extraneis rebus, nec consolationibus Divinis. Abjicere ergò oportet omnia impedimenta gratiæ, si optas ejus infusionem suscipere.*

Gratia Dei. Tho Kemp. de Imit. l 3. c. 53.

45. Hortus, crebro ligonis ictu effossus, herbis suis inutilibus, ac radicibus vitiosis expurgatur. Unde lemma; PURGAT, DUM SAUCIAT. seu; DUM SCALPIT, EMUNDAT. Nos certè calamitatibus, ceu totidem ligonibus probè vulnerati, insignem animi interioris munditiem sortimur. S. P. Augustinus; *Si recusares tentationem, recusares refectionem; ergò reficeris, & si reficeris, in manibus artificis es, aliquid tibi tollit, aliquid corrigit, aliquid complanat, aliquid mundat, agit quibusdam ferramentis suis.*

Calamitas purificat. S. August. in Psal 94.

46. Ligonis beneficio, inutiles herbæ ab utilibus ita studiosè secernuntur, ut his corroboratis, illas evellat, ac extinguat. Unde epigraphe; MALAS A BONIS. Idipsum assolet Divinus Judex, qui oves ab hircis, zizania à frumento, & pisces inutiles à pretiosis exactissimè separat: uti iteratis locis tradit D. Matthæus. S. Gregorius Papa ligonis Emblemate spiritum discretionis dignoscendum proponit, qui malitiam à bonitate aptè novit distinguere; illam quidem fugiendo, hanc sectando. De Christo Judice ait Magnus Augustinus; *Judicium Dei formidandum est, & amandum; formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam.*

Christus Judex. Matth 13. 30 & 48. & c. 13. Discretio. S. Greg. in 1. Reg. c. 13. S Aug. in Ps. 100.

47. Meus Concanonicus D. Aloysius Figinus Abbas ligoni subscripsit; MALAS MALE PERDET. Verbis è S. Matthæo mutuatis *Malos malè perdet.* Bella hæc vindicantis Justitiæ imago est, quæ ferri sui acumine malas hominum sceleratorum herbas è civitate ac provincia severè proscribit. De Christo, supremo Judice, ait S. Augustinus; *Christus in judicio videbitur terribilis, qui visus est contemptibilis; demonstrabit potentiam, qui demonstravit patientiam. In cruce patientia erat, in judicio potentia erit.* Cæterùm Justitia, gladium & bilancem manu sustinens, cùm interrogaretur,

Matth. 21. 41. Justitia vindicativa. Christus Judex. S. August. in Psal. 85.

Cur gladium tua dextra gerit? cur læva bilancem?

Respondit;

Ponderat hæc causas, percutit ille reos.

48. Herbarum ac radicum vitiosarum luxuries non uno quidem, sed frequenti ligonis ictu extirpatur. Huic proinde Abbas Figinus inscripsit; NON UNICO ICTU. seu, SEDULO USU. Haud aliter ad defectus nostros emendandos multiplex & assidua industria concurrat, necesse est. Erat equidem Patritius, S. Monicæ maritus, religione infidelis, & naturâ cholericus; filius verò Augustinus primâ suâ ætate in carnis ac hæresum cæno penitus submersus. quos tamen matrona illa piissima assiduo studio ac frequenti cohortatione tandẽ ad fidei Christianæ, & interioris animæ munditiem felicissimè excoluit. Cæterùm consuetudinis malæ tanta est vis, ut nonnisi repetito ictu evelli possit. Nam, teste S. Isidoro, *Difficile est, peccati consuetudinem vincere; pravus usus vix aboletur, assidua consuetudo vitium in naturã vertit. Animus sceleribus adstrictus, vix ab eis divelli potest.*

Correctio assidua. Consuetudo mala vix deleri potest. S. Isid. l. 1. Soliloqu.

49. Eâdem omninò ligonis operâ utiles herbæ foventur, quâ inutiles eradicantur: ut adeò illum opportuno hoc lemmate insigniveris; MORTIFICAT, ET VIVIFICAT. Zelosi ac diligentis Prælati hæc imago est, qui subditos vitiosos coërcere, infirmos autem prudentiâ adeò sagaci roborare potest ut ex æquo rigorem & clementiam, prout necessitas tulerit, adhibere sciat. *Corripiat inquietos*, ait in Regulâ suâ sapientissimus Augustinus; *consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat.* Theodosius Imperator, in subditos suos plus æquo indulgentior, nonneminem è Magnatibus suis ad sanctum quendam Eremitam ablegavit, ut ab eo pias ad Deum preces, ac doctrinã aliquam salutarem impetraret. Hic præsente aulico hortulum ingressus, noxias aliquot herbas ligone evulsit, ac soli exsiccandas abjecit; alias verò in terram repositas studiosè coluit. Revertente Legato, Imperator illud Eremitæ factum interpretatus, *Ita nos*, inquiebat, *quasi per discretum libratæ justitiæ sarculum, & elaboremus reprobos radicitus extirpare; & bonos, ut Deo fructificent, in tranquillâ pace componere*; uti refert S. Petrus Damianus.

Prælatus. S Aug. in Reg. Princeps justus & benignus. S. Pet. Dam. Opusc. 57. c. 4.

50. Lanceæ ferrum, in parvuli ligonis formam inflexum, ac re ipsâ horto colendo deserviens, epigraphen sustinet; AD PRÆLIA QUONDAM. Ita S. Paulus Apostolus, metamorphosi non minus celeri, quàm prodigiosâ, è superbo milite in solertem fidelium hortulanum est transformatus, qui de se ipso testari potuit; *Ego plantavi.* In rem præsentem S. P. Augustinus; *Cum autem Paulus Apostolus, prius Saulus crudelissimus esset, & immanissimus persecutor, nihil*

S. Paulus. S. Aug l. 50. Homil hom 14. c. 2.

hil omninò boni merebatur, imò merebatur plurimum malum; merebatur enim damnari, non eligi. Et ecce subitò cùm mala faceret, & mala mereretur, unâ cœlesti voce prosternitur: persecutor dejicitur, prædicator erigitur. S. Martinus ab exercitu ad animas
S. Ignatius Loyola. gubernandas transiit. S. Ignatius Loyola, relicto profanæ militiæ labaro, Societatem sacram est auspicatus. Cæterùm P. Athanasius à S. Carolo, Augustinianus Excalceatus, Emblematis mentem sequenti epigrammate explicat.

Lancea prævalui generosa ad prælia quondam,
Quæ ligo nunc parvum findere tento solum.
Quàm multi Martes, quàm maxima fulmina belli
Exactâ pugnâ rus coluêre diu!
Loyola ille miles &c.

Res parvæ nocent. 51. Indies cernimus, arborem, quantumvis grandem, radicibus suis à ligone evulsis, quantocyus prosterni. Unde lemma; DECIDET EXIGUO. Hinc disces, vili ac imbecilli robore nonnunquam vastas gigantum machinas præcipitari: ut adeò maxima pericula nonnunquam à rebus minimis in-
S. Chrysost. hom. 87. in Matth. cumbant. S. Chrysostomus; *Mirabile quiddam & inauditum dicere audeo: solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse vitanda, quanto parva & vilia: illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit: hæc autem hâc ipsâ re, quia parva sunt, desides reddunt: & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Unde citò ex parvis maxima fiunt negligentiâ nostrâ.* Emblematis Oedipum habeto meum Concanonicum D. Salvatorem Carducium;

Decidet exiguo prægrandis machina ferro:
Sic minimo immensus corruit hoste gigas.

MODIVS.

Cap. VIII.

52. Modius, frumento mensurando accommodatus, superiore labio in terram verso, ab Otiosis Bononiensibus epigraphen accepit; MINUS, CUM MAGIS. Ita nimirùm anima, ad virtutes ac
Mundanus. cœlestes gratias recipiendas tantò efficitur ineptior, quantò rebus terrenis propinquior fuerit. Author
Auth. Op. Imp. Homil. in Matt. Operis Imperfecti, *Mundi amatores,* inquit, *& carnis, in spiritualibus quidem & Divinis, quæ superiora certè esse dicuntur, vacui sunt & insensati; in inferioribus autem, id est in mundialibus & terrenis, aliquatenus pleni videntur & sapientes.*

Munera placant. 53. Hominem avarum semper experiêre difficilem & adversum, dum ab illo quidpiam postulaveris; solumque ibi planum ac benevolum deprehendes, si explicatas ipsius manus auro vel argento expleveris. In hoc argumentum Carolus Rancatus modium figuravit, qui frumento refertus, à vicino ligno ad dimensum complanabatur; addito lemmate, PLANUS, SI PLENUS. S. Petrus Damianus;
Pet. Dam. l. 2. Ep. 2. *Acceptis muneribus si contra datorem quid agere volumus: mox in ore nostro verba mollescunt. &c.* Exemplo suo id edocti fuêre Josephi fratres, qui-
Gen. 42. 7. bus primâ vice ad aulam Ægyptiam delatis, Josephus *quasi ad alienos durius loquebatur;* at cùm secundò muneribus onusti ad eum reverterentur,
Gen. 43. 11. (conformiter nimirùm ad illud Jacobi parentis sui imperium; *Sumite de optimis terræ frugibus in vasis*
Mendoz. in Reg. c. 8. n. Annot. 32. s. 3. n. 8. *vestris, & deferte viro munera,*) tum demum eos *clementer salutavit. Hospes enim,* inquit interpres Franciscus Mendoza, *à muneribus vacuus, duriter excipitur; muneribus verò plenus, perhumaniter tractatur.*

OCCA.

Caput IX.

54. Occa terram peraratam æquat, eamque graminibus, cæterâque radicum luxurie expurgat; tandem verò supra agrum crebrò ac tractim Exercitiū.
raptata, ferreos suos dentes plurimum acquirit expolitos ac splendidos. Unde lemma; SPLENDESCIMUS USU. Ita prorsus ingenium Romanum è virtutum exercitatione splendorem amplissimum sortitur. Cato eâdem metaphorâ persuasus, dixit, *Ingenium hominis ferro est simile, quod EX USU* Veget. l. 1. cap. 9.
SPLENDESCIT. Contrà verò, *in otio rubigine obducitur, & exeditur &c.* De Pompejo Magno ait Vegetius, *Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi se, & milites frequentibus exercitiis præparâsset ad prælia.*

55. Occa epigraphen præfixam habet; EVERTIT, ET ÆQUAT. seu; ÆQUAT, DUM LACERAT. Principis justi hæc idea est, qui in Justitia vindicans.
sceleratos severè animadvertens, summum Reipublicæ beneficium exhibet. Opportunissimè Justus Lipsius; *Nullâ re quacunque Respublica magis florebit, aut floruit, quàm rigidâ & immota justitia. Hæc* Lips. Monit. Polit. lib. 2. cap. 9.
felicitas regnorum & statuum interna & externa. Interna quidem; nam quis nescit, scelera & flagitia per eam removeri, virtutes promoveri? Externa; quia agri, viæ, maria frequentantur: & securitas ubique, ac tranquillitas regnant. Pœnitentia, è cordis nostri fundo omnes vitiorum radices extirpans, eundem complanat, & ad virtutum segetem amplissimam emundat. Ab hac loquendi ratione non Pœnitentia.
multum alienus Tertullianus, de S. Joanne Baptista ait; *Pœnitentiam destinabat purgandis mentibus præpositam, ut quidquid in corde hominis ignorantia contaminâsset, id pœnitentia verrens, & radens, & foras abjiciens, mundam pectoris domum superventuro Spiritui sancto paret.* Cæterùm etiam conscientiæ remorsus *Æquat dum lacerat;* simul enim dum interiorem hominem dilaniat, eundem etiam è rudi vitiorum glebâ in virtutum planitiem uberrimam exæquat. Tertull. l. de Pœnit. 2. Conscientiæ remorsus.

PALVS. *Cap.* X.

56. Academicus, inter Gelatos Bononienses Directus, symboli loco complures palos præfert, qui ad dioptræ leges directi, epigraphen sustinent. UT NUSQUAM ABERRET. Ita sanctorum exempla, instar dirigentium palorum, deserviunt, ne è vitæ nostræ linea in hoc mundi itinere deflectamus. S. Ambrosius; *Sanctorum vita cæteris norma vivendi est; ideoque digestam plenius accepimus seriem scripturarum, ut dum Abraham, Isaac & Iacob, cæterosque justos legendo cognoscimus, velut quendam nobis innocentiæ tramitem, virtute eorum reseratum, imitantibus vestigiis prosequamur.* Perspicuè S. Bonaventura; *Secura via tendit ad vitam, qui graditur per monumenta Sanctorum, quorum doctrina ac vita probata est in Ecclesia.* Exemplū bonum. S. Ambros. l. de S. Ioseph. S. Bonav. in cap. 6. Lucæ.

57. Palus in terra tantò persistit firmior, quantò graviore malleorum violentiâ percussus fuerit. Unde lemma; FIRMIOR ICTU. Ita generosum pectus è calamitatum impulsu in virtutis proposito stabilitur potius, quam labefactatur. S. Bernard. tria potissimum beneficia homini è calamitatibus advenire testatur; & secundo loco constantiam illam prorsus immobilem numerat. *Tribulatio,* inquit, Calamitas.

S. Bernard. in Sent. *tria confert. Exercitium, ne virtus amoris, otii torpore refrigescat. Probationem, ut nostra constantia fortitudo ad exemplum hominibus innotescat. Præmium, ut juxta tribulationis modum; immensum gloriæ pondus accipiat.*

58. NOn equidem inficias iverim, palum, è quo vitis arctè constricta suspenditur, patibulo; aut alteri passionis instrumento persimilem esse; id tamen æquè certum est, vitem è suffulciente suo palo plurimum beneficii & honoris accipere; utpotè à quo in sublime effertur, aliàs humi inter ignobiles fungos reptatura. Unde palus, vitem sustinens, epigraphen reddit; SUSPENDENS ERIGIT. Hanc inscriptionem ab Ecclesia Ambrosiana subministratam accepi, quæ verbis è S. Ambrosio mutuatis de S. Ecclesia canit; *Propagines suas ligno bajulante SUSPENSAS ERIGIT ad regna cœlorum.* Symbolum istud summam beneficentiam, è calamitatibus & Martyriis in animas nostras derivari solitam, repræsentat; utpotè quæ corpora humana, è patibulis & equuleis suspensa, ad æternæ gloriæ fastigium promovent. Cæterùm S. Crux hominum à se pendentium erectio ac summa gloria est. Cassiodorus; *Crux est humilium tuitio invicta, superborum dejectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cælestium confirmatio, mors infidelium, vita justorum*; *de qua S. Joannes Chrysostomus, Crux est Christianorum spes, Crux Romanorum victoria, mortuorum resurrectio, cæcorum dux, conversorum via, claudorum baculus, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ.*

Ecclesia Ambrosiana Præfat. Dom. 3. Octobris.

Calamitas exaltat.

S. Crux.

Cassiod. super illud Ps. Signatum est super nos. &c.

59. Palus, ramis ac frondibus omnibus destitutus, viti quidem sustentandæ, non tamen obumbrandæ deservit. Unde lemma; FULCIT, NON OBUMBRAT. Ita omninò S. Josephus purissimam Sponsam constantissimè quidem sustentavit, non tamen obumbravit; utpotè quæ fœcunditatem suam nullâ humanâ operâ, sed solâ Spiritûs S. obumbratione accepit. Disertus sancti mysterii prodromus Gabriel, *Spiritus sanctus*, inquiebat, *superveniet in te; & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* De hac obumbratione prolixè & eruditè P. Aloysius Novarinus. Unde D. Bernardus S. Josephum nominat *Virum Mariæ, quia homo virtutis, non quia maritus.* Et S. Petrus Chrysologus, *Maritum solo nomine, conscientiâ sponsum.*

S. Josephus.

Luc. 1. 35.

Novarr. Vmbr. Vir. c. 1. & 2.

S. Bern. ho. 2. in Miss. est.

S. Pet. Chr. serm. 175

60. Palus alneus, aquis immersus, tandem instar saxi obdurescit. Proinde D. Carolus Rancatus aliquot palos, stagno immersos, hoc lemmate insignivit; GELU DURAMUS, ET UNDIS. Verbis è Virgilio mutuatis;

Virgil. lib. Æneid.

> *Durum à stirpe genus gnatos ad flumina primum*
> *Deferimus, sævoq; GELU DURAMUS, ET UNDIS.*

Sanctos quadraginta Martyres hoc Emblema repræsentat, qui intra aquas conglaciatas prodigioso & invicto Christianæ fortitudinis igne exarserunt. De his Joan. Bapt. Mazzolenus canit;

Martyres quadraginta.

Mazzol. Encom. 9. Marti.

> *In stagnum immissi, gelu concretum,*
> *Incrementum accepêre virtutis;*
> *Frigore coactus est sanguis, at non coactè, sed spontè.*
> *Collectus in sese sanguis*
> *Majores accepit vires, ut resisteret hosti &c.*

S. Paulus, *periculis in mari, in frigore & nuditate* afflictissimus, semper in Dei amore magis magisque obduravit. De hoc S. Chrysostomus, insignis D. Pauli Encomiastes; *S. Paulus undique pressus, nec oppressus, cedere nescius, clarior semper rediit, patiendo victor, & millies Martyr.*

S. Paulus.

2. Cor. 11. 6 & 27.

Chrys. ho. 25. & 26.

RASTRUM.

RASTRVM. *Caput* XI.

61. **R**Usticum hoc instrumentum, compluribus ferreis aut ligneis dentibus instructum, si supra grana trahatur, solas arentes paleas aufert, frumento citra ullam offensam relicto. Unde authore P. Lucretio Borsato, epigraphen præfert; MELIORA RELINQUIT. Illud ipsum vindicantis Justitiæ est ingenium, quæ innocentibus penitus intactis in solos sceleratos animadvertit. Ita Noë cum sua familia inter inundantis diluvii procellas incolumis stetit. Loth cum consanguineis nec minimam è Pentapoleos incendio jacturam sustinuit. Hieremias, capto Israëlis populo, liber evasit &c. Cæterùm eodem lemmate, *Meliora relinquit*, imprudentiam humanam delineare licet, quæ rebus saluberrimis plerumque neglectis, noxias ac inutiles pronissimo animo amplectitur. Inter hos facilè agmen duxerit Roboamus, dum prudente senum consilio rejecto, ad immaturas juvenum opiniones non sine proprio ac totius regni exitio animum advertit. *Dereliquit consilium senum, & adhibuit adolescentes.* In hunc locum P. Cornelius à Lapide; *Maturo senum consilio spreto, sequitur juvenilem, & stolidam adolescentum sententiam, ideoq; subditos offendit, avertit &c.* Xerxes, sanissimâ Artabani cohortatione neglectim præteritâ, Mardonio juveni, adulatori vaferrimo, obtemperavit: at quanto suo malo! mox enim Regum potentissimus non sine gravi sua infamia toto Græcorum regno exulare debuit. Nero optimis Senecæ ac Burri consiliis relictis, imprudentes quosdam secutus est, simulque imperii ac vitæ jacturam fecit. Cæterum homines mundani, relicto Deo, terrenas ac viles voluptates imprudentissimè sectantur. S. P. Augustinus; *Voluptas transitura sine prudentia desideratur; verùm cùm transierit, cum pœnitentia cogitatur.* Et alibi; *Injustum est, relinquere sæculorum conditorem, & diligere sæculum; & servire creaturæ potius, quàm Creatori.*

Justitia vindicativa.

Imprudentia humana.

3. Reg. 12. 8.

Corn à Lap. in hunc Loc.

Deum relinquere.

S. Aug. serm. 21. de verb. Apost. c. 9 Idem in Psal. 25.

62. Rastrum, supra aream versatum, nonnisi viles paleas ad se trahit. Unde lemma; VILIORA CAPESSIT. Opportunum hoc mundani hominis symbolum habetur, qui vanitatum ac deliciarum terrestrium quisquiliis assiduò inhians, animum nunquam ad meliora applicat. De seipso altum conquestus Poëta, canit;

Mundanus.

---- ---- *Video meliora, proboque,*
Deteriora sequor.

Et S. Gregorius; *Ecce jam mundus in se ipso aruit, & adhuc in cordibus nostris floret. Undique percutimur, undique amatitudinibus replemur: & tamen cœcâ mente carnalis concupiscentiæ, ipsas ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus.*

S. Greg. hom 28.

63. Rastrum areis expurgandis, glebæ frangendæ, ac campis complanandis deservit. Unde lemma; AREAS, ET ARVA REPURGAT. Principis prudentis hæc imago est, qui exiliis, cæteroque vindicantis justitiæ rigore in otiosam ac sceleratam hominum fæcem animadvertens, civitatem aut provinciam expurgat. S. Petrus Damianus de Theodosio Imperatore refert, quod Eremitæ cujusdam exemplo ad spinas ac herbas vitiosas è terra extirpandas persuasus; *Violentias injustè viventium cœpit ulcisci, reatus ac scelera districtâ jurisdictionis animadversione percutere, à nefariis ausibus improbos cohibere, & per auctoritatem Imperialis potentiæ perversorum corda terrificans, in pace cuncta componere.*

Justitia vindicans.

S. Pet. Dam. Opusc 57. cap. 4.

ROTA *Caput* XII.

64. **R**Ota symboli loco epigraphen subjunctam habet; INCLINATA PROGREDITUR. Genuina hæc prudentis personæ idea est, quæ per humilitatis semitam progrediens, sublimes honorum apices conscendit. S. Bernardus; *Hæc est via, & non est alia, præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potius, quàm ascendit, quia sola est humilitas, quæ exaltat; sola quæ ducit ad vitam.* Et alibi; *Quis docebit nos ascensum salubrem: Quis nisi de quo legimus, quoniam, qui descendit, ipse est & qui ascendit? Ab ipso demonstranda nobis erat ascensionis vita, ne ductoris, imò seductoris iniqui aut vestigium, aut consilium sequeremur. Quia ergò non erat, quò ascenderet, descendit altissimus, & suo nobis DESCENSV suavem ac salubrem DEDICAVIT ASCENSVM.*

Humilitas exaltat.

S. Bernard. serm 2. de Ascens Dom Idem ibid. serm. 4.

65. Animus grandis, tametsi millies revolutus, semper sibi constat; haud secus atque Rota, cum Bargalii lemmate; MOTU SEMPER ÆQUALI. Xisti Philosophi pronuntiatum erat; *Sapiens semper similis est sibi.* Seneca hoc encomio Socratem & Catonem deprædicat, *Illam mirabilem laudem*, inquit de Socrate, *& singularem usque ad extremum servavit: non hilariorem quisquam, non tristiorem Socratem vidit: ÆQVALIS FVIT IN tanta INÆQVALITATE FORTVNÆ.* Et paulò post de Catone; *Nemo mutatum Catonem, toties mutatâ Republicâ, vidit; eundem se in omni statu præstitit.* S. Basilius Seleuciensis in grandi Patriarcha Josepho mirum animi compositionem tam inter adversa, quàm prospera deprehendit, nam calumniis oneratus, in carcerem conjectus, ac miserrimè ab orbe universo derelictus, ærumnas illas tranquillo ac imperterrito animo toleravit: postea verò mutante fortunâ, ad primos Ægyptiæ aulæ gradus sublevatus, crudeles injurias, à fratribus acceptas, dissimulavit, neque ullum vel minimæ vindictæ indicium sibi elabi passus est. Hanc illius virtutem perspiciens S. Gregorius Papa, *Hæc*, inquit, *Joseph docuit, à fratribus venundatum, libertate animi infractâ servitium perpeti, & iisdem post fratribus mente non elatâ principari.* Agapytus Diaconus illam compositi animi virtutem cuivis bono Principi congenitam exigit; *Æqualem*, ait, *oportet semper esse Imperatoris animum: mutari enim pro rerum varietatibus, mentis instabilis argumentum efficitur: firmiter autem bonis inhærere stabilitorum est hominum, animamq; inconcussam habentium.*

Constantia.

Sen. Ep. 104.

S. Basil Orat. de Joseph.

S. Greg. l. 16. Mor. c. 3.

Princeps.

Agap. Epist. Panæn. n. 13.

66. Animus moderatus, justitiæ terminos nunquam excedens, rotam imitatur; cum lemmate, NON EXCEDENS EX ORBITA. Richardus Victorinus illam D. Pauli sententiam, *Propter te mortificamur totâ die*, personis prudentibus applicat; quæ in corporibus suis castigandis nunquam ad extremos rigores declinant, sed semper mediâ ac discretâ viâ incedunt. *Mortificate ergò*, inquit, *mortificate, inquam: in die tamen, ut omnia in luce discretionis fiant; ne ultra, citravè mensuræ metam operum vestrorum rota discurrat.* Cæterùm eodem Emblemate hominem justum intelligere licet, qui ad voluntatis Divinæ normam exactè conformatus, prævia ipsius vestigia nunquam egreditur. Sanctus Bernardus; *Pleni quippe Deo, celsi meritis, cumulati virtutibus, nihilominus tamen erectos vertices, totâ & humili obedientiâ submittunt, & inclinant illius supereminentis imperio majestatis, tanquam oves mansuetissimæ, ad nutum sui pastoris per omnia ambulantes, & sequentes eum quo-*

Psal. 43. 22.

Moderatio.

Conformari.

S. Benard. serm 53. in Cant.

Ezech. 1. 20. *quocunque ierit.* De his non incongruè intellexerim illud Ezechielis oraculum, *Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rotæ pariter elevabantur sequentes eum; spiritus enim vitæ erat in rotis.*

67. Cæsar Martinengus Comes, Academicus inter Errantes Brixienses Directus, symboli loco rotam præfert, cum lemmate, SEMPER IN SEMITA. Animum constantem, & voluntatem in cœpto suo opere indefessam, hæc imago repræsentat. Ad hanc virtutem cunctos fideles excitans S. Ambrosius ait; *Semel in petra Christi locatus, lubricum non debet habere vestigium, sed tenere status sui firmitatem.* Illud ipsum Siracidis consilium est; *Confide in Deo, & mane in loco tuo.* Et Angeli ad Daniëlem, *Sta in gradu tuo.* De Fabricio, Romano celeberrimo, vetus paræmia erat; *Facilius est solem à suo cursu, quàm Fabricium à suo proposito deducere.* S. Athanasius, ut ὁμοούσιον adversus Arrianos propugnare desisteret, gravissimis Imperatorum, Pontificum, ac totius penè orbis persecutionibus urgebatur; at tantùm abfuit illum à sententia sua dimoveri, ut contrà, quadraginta sex annorum spatio innumeras calamitates perpessus, extra veritatis Catholicæ lineam nec minimum deflexerit.

Constantia. S. Ambr. in Psal. 61. n. 7. Eccles. 11. 22 Dan. 10. 11.

68. Voluntas, in omnem Superioris nutum prompta & obediens, rotam imitatur, hoc lemmate insignem; UTRIMQUE PROGREDITUR. Hanc operandi rationem probè observatam habuerunt Seraphini, qui, obstupescente Ezechiële, *ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Servus ille à Plauto citatus, de se ipso testabatur;

Obedientia. Ezech. 1. 14. Plaut. in Captiv.

---- ---- Pro rota uti me licet,
Vel ego huc, vel illuc versor, quò imperabitis.

S. Bernardo teste, *Non attendit verus obediens, quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur.* Cæterùm antiquus ille Cebes fortunam volubili rotâ nixam repræsentabat, veluti quæ assiduâ vicissitudine modò progreditur, modò retrocedit; modò ad prosperitatis dexteram, modò ad sinistram calamitatis flectitur. Ovidius;

S. Bernard. Fortuna inconstās.

Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa, tenaxque loco.
Sed modò læta manet, vultus modò sumit acerbos,
Et tantùm constans in levitate sua est.

Ovid. lib. 5. Trist. Eleg. 9

69. Rota epigraphen reddit; AD MOTUM FACILIS. Ita anima justa ad virtutes exercendas facillimam se exhibet. S. Hieronymus, à D. Thoma Villanovano citatus, *Animæ sanctorum,* inquit, *rotæ sunt mobiles, & agiles ad omne bonum, quæ quoniam nihil gravedinis peccatorum habent, modico flatu spiritûs celerrimè volvuntur. Unctæ enim sunt oleo devotionis sancto, & ideò AD omnem virtutis MOTUM FACILES & mobiles sunt.* Idipsum de homine obediente dixeris, utpote ad omnes aliorum nutus assequendos pronissimo.

Anima justa. D. Tho. Vill. Conc. 1. de S. Dorothea. Obediens.

70. Axem ac rotam crebrâ axungiâ oblinire oportet: secùs enim nimiùm arefactæ, molestos stridores excitant. Unde lemma; UNGITUR, NE STRIDEAT. Illustre quoddam ingenium in Caussidicis & Procuratoribus morem penitus contrarium observat; sicuti enim rota, ne stridèat, ungitur; ita vicissim illi à clientibus suis unguntur, ne sileant.

Caussidicus.

Ne siccus, volvente rotâ crepet, ungitur axis:
Caussidicum mos est ungere, ne taceat.

Genuino tamen Emblematis sensu dici potest, Caussidicos ungi ac pecuniis corrumpi, ne pro justa causa loquantur. Cassiodorus; *Apud Caussidicos etiam ipsum silentium venale est, ac lingua eorum damnifica, nisi funibus argenteis ligetur.*

Cassiod. in Psalm. 71.

71. Rota, ponderibus ac saxis, supra fabricas attollendis, deserviens, nunquam è pristino suo loco dimovetur: unde epigraphen reddit; MANENS ATTOLLIT ALIA. Ita Princeps citra proprium incommodum quosvis suos amicos ad fastigia celsiora provehit. Quando miserrimi illi cæci Divinum Medicum opis ferendæ causâ inclinârunt, referente S. Matthæo, *Stetit Jesus, & vocavit eos.* Hunc Christi morem expendens Origenes, *Jesus autem,* inquit, *non pertransiit, sed stat: ut stante illo non transfluat beneficium, sed quasi de fonte stante profluens misericordia deveniat usque ad eos.* Atque adeò Servator, penitùs immotus, illos è miserrima caligine ad amplissimum gratiæ suæ splendorem sublevavit: unde jure thaumaturgam Servatoris manum hoc lemmate insigniveris; *Manens attollit alia.*

Princeps. Matt. 20. 32. Orig. Hom. 13.

72. Rota, seu rectius, lapis molaris, subjectum frumentum irrequieto suo pondere frangit, commolit, & in minutissimum pulverem reducit. Unde lemma; ROTANDO CONTERIT. Haud aliter tempus assiduâ suâ revolutione res quasvis atterit & consumit. Ovidius.

Tempus edax.

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
Omnia destruitis.

Ovid.

Seneca; *Fluunt omnia, & in assidua diminutione sunt corpora nostra; rapiuntur fluminum more. Quidquid vides, currit cum tempore. Homo fluida est materia, & caduca, & omnibus obnoxia casibus.*

Senec. Ep. 6.

73. Rota molaris grano quidem frangendo, comminuendoque deservit; at simul etiam se ipsam atterit ac consumit; sicque TERENDO CONTERITUR. Hominis flagitiosi ac sanguinarii hæc idea est, qui in aliorum cædem aut jacturam inferendam solicitè attentus, tandem propriis facultatibus, ipsâque adeò vitâ, excidit. Salomon; *Dissipat impios Rex sapiens, & incurvat super eos fornicem;* Seu, ut Interpres Hebræus traducit, *& redire facit super eos rotam.* Ita nimirùm justo Dei judicio, quisquis malum infert, malum ex æquo recipit. Caini exemplo id dilucidans Chrysostomus, *Percussit,* inquit, *germanum Cain, & è vita sustulit: horum tamen coronatus est alter, alter pœnas pro scelere luit: injustius Abel occisus est, mortuus tamen cædis fratrem insimulans, vexabat, & comprehensum manibus tenebat.*

Vindicativus. Talionis lex. Prov. 20. 26 S. Io. Chrys. Tom. 5 serm de laude De[i]

74. Rotæ molares aquarum impulsu in orbem rapiuntur, ut suâ revolutione reciprocam ad grana commolenda operam præbeant. Unde epigraphe; AGUNTUR, UT AGANT. Ita homines, ad virtutes ac operationes meritorias applicandi, impulsum suum à gratiâ recipiunt. In hunc sensum accommodatissimè ac compendio Magnus Augustinus; *Aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Et Gilibertus Abbas; *Utraque alteri necessaria est, & industria gratiæ, & gratia industriæ, & vicariam sibi opem communicant.*

Cooperari gratiæ. S. Aug. l. de Corrept. & grat. cap. 2. Gilib. Abb. serm 7. in Cant.

75. Rotæ molares aquarum impetu revolvuntur quidem, non tamen extra suos polos unquam dimoventur: atque adeò CONVERTUNT, NON EVERTUNT. Hoc Chlotarii I. Galliarum Regis symbolo significatur, persecutiones ac violentias non modò nihil exitii nobis creare, sed potius opportunissima profectus capiendi instrumenta esse: hæc enim, ut nonnemo dixit, *Exercitium, non exitium præbent.* S. Joannes Chrysostomus, *Eruditio disciplinæ custos est spei, & dux via ad vitam ferentis, & spiritualium magistra virtutum, ad cœlestes repromissiones perducit, & ad Divina præmia facit pervenire; hancque nos sectari oportet ad vitam, & averti ab omni malitia.*

Calamitas. S. Io. Chrys. Tom. 5 Hom. de Eruditione Disciplinæ

76. Rota,

76. Rota, tametsi quoad peripheriam circumvoluta, firma tamen in suo centro seu polo persistit. Eam proinde D. Aresius hoc epigrammate insignivit; IN MEDIO NON COMMOVEBITUR. Seu, IMMOTA MOVETUR. Ita generosum hominis pectus inter mille adversantis mundi vicissitudines immobile conservatur, neque ullam internæ tranquillitatis jacturam facit. Disertè de homine justo Psaltes Regius; *Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, NON COMMOVEBITUR.* Et S. Hieronymus, *Per bonam & malam famam, à dextris & sinistris, Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur, nec divitiis tumet, nec confunditur paupertate, & læta contemnit, & tristia.* Ab his nihil dissentiens Seneca; *Non vagatur, quod est fixum & fundatum. Istud sapienti perfectè contingit, aliquatenus & proficienti, provectoque. Quid ergò interest; Hic commovetur quidem, non tamen transit, sed suo loco mutat: ille NEC COMMOVETUR quidem.*

Constantia. | Psal. 111. 8. | Hieron in hunc loc. | Senec. Ep. 35.

77. Quamdiu rota currit, seipsâ regitur ac sustentatur; at à cursu desistens, mox corruit. Unde D. Aresii lemma; NI CURRAT, LABITUR. Seu, AUT CURSUS, AUT CASUS. Idipsum in Dei semita continuò experiri licet; Lapsui enim propinquum te æstima, si à pristino illius percurrendæ fervore nonnihil remiseris. S. Bernardus; *UBI NON CURRERE, ibi & DEFICERE incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, nonnisi deficere est.* Huic doctrinæ plerimùm affinis S. Hieronymus, ait; *Quomodò qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis quò non vult ducitur; sic humana conditio, si paululùm se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit.* Et S. Gregorius Papa; *Nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam animus semper ad ima revocatur.*

Profectus. | S. Bernard. Epist. 253. | S Hier. lib 9 Con. Pelag. | S Greg. l. 32. Moral. c. 28.

78. D. Cæsar Antonius Bendinellus rotam, malleo percussam, hoc lemmate distinxit; ACUITUR ICTU. Innuebat videlicet, intellectum humanum inter adversas calamitatum plagas perspicaciorem, magisque acutum effici. S. Gregorii Nazianzeni pronuntiatum est, *Ingenium acuit dolor.* Unde homines inter obsidionum angustias etiam è calceorũ ac scutorum corio, aliàs in solum hominis patrocinium destinat, cibos parare; & potum è rorulentis humoribus, quos nocturno tempore supra aranearum telas destillatos collegerant, extrahere didicerunt. Quin, arcuum suorum funibus ruptis, mulierum capillos adhibuerunt; aliis acutissimis stratagematis, quæ necessitate magistrâ docti sunt, brevitati consulens supersedeo, ac studiosum lectorem ad Plutarchum, T. Livium, Frontinum, Polienum, & modernos historicos, in hanc materiam satis prolixos, remitto.

Calamitas. | S. Greg Naz. Orat. de funere Patris.

79. Philosophiæ scitum est, terram à rota perfectè sphæricâ nonnisi unico indivisibili puncto attingi. Unde lemma, PARTE MINIMA TANGIT. Hominis contemplativi hoc symbolum est, qui à mundo penitus abstractus, totus in Deo persistit. Justus Lipsius in rem præsentem opportunissimè; *Sicut rota, quæ in terra volvitur, parte imâ & minimâ eam tangit, cætera extat, & in alto est; sic nos oportet decurrere per hæc humilia, optimâ, & maximâ parte elatos, & sublvatos.* Et prior illo Arnobius; *Rota licet in terra volvatur, tamen dum steterit, magna pars est aliena à terra, & parva pars ejus in terra consistit. Sic licet corporis pars sit in terra ambulans, tamen animæ, quæ major pars est hominis, conversatio est in cœlis.* De SS. affirmat D. Gregorius Magnus; *Terrena pertranseunt, & vix summis vestigiis terrã contingunt.*

Contemplativus. | Lips. Cent. 1. ad Belgas Epist 58. | Arnob. in Psal. 76. | S. Greg. Hom 3. in Ezech.

80. Argillæ massa, supra rotam figularem posita, neque adhuc in certam formam efficta, à D. Camillo Vizano epigraphen cepit; INCERTUM. Ita nimirum de Juvenilibus vix quidquam certi conjicere licet, num in honoris aut contumeliæ vasa sint efformandi. *Tria sunt difficilia mihi,* inquiebat Salomon; *& quartum penitus ignoro; viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia. Adeo enim,* inquit interpres P. Cornelius à Lapide, *instabilis est via hominis in adolescentia, ita se adolescens in omnes horas in diversa torquet, & nunc huc, nunc illuc rapitur, ut difficile sit id comprehendere, & animadvertere, quo tendat.* Enimverò, teste S. Ambrosio, *Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum, fervore calentis inflammatur ætatis.* Idipsum etiam de prædestinatione pronuntiavrim., quæ circa fideles eligendos aut reprobandos humano ingenio penitus est impervia. Horatius;

Juventus. | Prov. 30. 18. | Corn. à Lap. in hunc loc. | S. Ambr. l. 1 de Viduit. | Prædestinatio occulta. | Horat. l. 3. Carm. od.

> *Prudens futuri temporis exitum*
> *Caliginosâ mente premit Deus.*

81. Nonnemo Emblematis loco clavem expressit, quæ sclopeti rotam violentius intensura, valido ejusdem rotæ renisu rumpebatur; cum lemmate, VIM VI. Insinuabat nimirum, injustos hominum assultus, & violentas injurias optimo jure in authores suos retorqueri; quamobrem provida natura vulgare illud axioma omnium cordibus ingeneravit; *VIM VI repellere licet. Jus enim exigit,* inquit Cassiodorus; *sagittas fraudis redire in dolosum verticem sagittantis.* Publius Mimus;

Par pari reddere. | Cassiod. l. 5. Epist.

> *VIM VI repellas jure quovis Gentium,*
> *Vim vi repelle, nil natura justius.*

Publ. Mim. in Iamb. apud Ioan. Grutterum.

82. Experientia docet, rotam in curru è laboriosa suâ revolutione tantò ardentius calefieri & inflammari, quo celeriori cursu progreditur. Unde lemma; INCANDESCIT EUNDO. Ita nimirum amor, odium, vitium, virtus, cæterique interioris animi affectus è frequenti exercitatione incrementum amplissimum sumunt. De amore id cumprimis observatum habens S. Laurentius Justinianus, ait; *Amor ignitus vires restaurat, cum decertat, & eò fit robustior, quò pluries exercetur.* Nicodemus, Christo servire exorsus, animum tanto timore frigescentem attulit, ut Divinum Magistrum nonnisi intempestâ nocte frequentaret: at in obsequio illo provectior amore versus Christum tam immodico incaluit, ut clarâ die, aromatis onustus, ad Christum è Cruce tollendum, ac sumptuosâ sepulturâ exornandum, prodierit.

Consuetudo. Exercitium. | S. Laur. Iust. de Discipl. Monast. Conver.

83. His Emblemata aliquot subjungere placuit, quæ de fatali S. Catharinæ Virginis & Martyris rotâ alicubi suspensa vidi. Duæ grandes rotæ, fabris & Architectis ad pondera sublevanda deservire solitæ, titulum hunc volantem præferebant. LEVAMUS IN ALTUM. Ita omninò catastæ, equulei, compedes, ac cruces Dei servis opportunissima sublimioris gradûs conscendendi instrumenta sunt. Salvianus de Christi militibus ait *Ad cœlestis regiæ januam gradibus pœnarum suarum ascendentes, scalas sibi quodammodo de equuleis, catastisque fecerunt.* David Sanctorum Martyrum ore ad Deum conversus, dixit; *Qui exaltas me de portis mortis.* S. Vincentius, Carnificum manibus in equuleo horrendum excruciatus, sancto quodam fastu gloriabatur, è patibulo illo plus exaltationis, quàm torturæ sibi accrescere; cum dicto, *Altior sum sæculo.*

Martyrium. | Salv. l. 1. de Gubernat. | Psal. 9. 15.

84. Cotis aquariæ rota, mucronibus acuendis deserviens, epigraphen tenet; ILLUSTRAT, ET

Calamitas.

ET ACUIT. Mens Emblematis erat, grandem illam Heroidem, S. Catharinam, inter fatalium rotarum torturam non modò æternum gloriæ splendorem, sed insuper, ad quinquaginta Philosophos convincendos convertendosque, mirum ingenii acumen sortitam fuisse. Hæc ipsa effecta in omnibus animabus afflictis cernere licet; & quidem quod calamitas *acuat*, disertè fatetur S. Gregorius Nazianzenus his omninò verbis; *Calamitas inventrix est ingeniosa.* quod verò simul etiam *illustret*, locupletem testem se offert S. Joannes Chrysostomus, qui de Magno illo spiritualis militiæ duce, Jobo, ait, quod ulceribus ac plagis undique confectus, mirificè resplenduerit. *Valde, supraque modum carnis illius natura clarior apparuit, vulneraque solaribus radiis clariora.*

S. Greg. Naz. Orat. in funere Patris.

S. Chrysost. Hom. 5. de Patient. Iob.

85. Stannarii rota, lancem suspensam habens, epigraphen tenet; ROTANDO PERFICIT. Ita nimirùm S. Catharina è rotæ doloribus perfectionem adeò cumulatam sortita est, ut eodem momento Martyr gloriosissima, cœlorum civis, ac æternum beata evaserit. Nec Catharinæ tantùm, sed ipsis etiam hominibus sceleratis illa calamitatum durities magnos vitæ corrigendæ stimulos subjicit. S. P. Augustinus; *Tribulatio interius & exterius glorificat Creatorem, compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit virtutem, protegit infirmantem, excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem semper viventem.* In Poësi sua Lyrica canit Fulvius Testi;

S. Catharina.

Calamitas.

S. Augustin. in Psal.

Ne rischi si rinforza,
Ne i martiri s'affina, e ne le stesse
Miserie sui vive virtù contenta.

Et Hieronymus Preti;

Ferro acuto si rende, e si rinova
Al girar de la pietra: e le sue rote
Gira fortuna, e quel girar mi giova

86. Radii intra rotam omnes ad idem centrum collineant. Unde lemma; SPECTAMUS AD UNUM. Innuebat videlicet, omnes S. Catharinæ cogitationes & affectus ad solum Deum, ceu unicum totius universi centrum, fuisse ordinatos. S. Bernardo teste, idipsum de Maria Virgine pronuntiare licet; ad hanc enim omnium creaturarum obsequia & venerationes, veluti ad centrum, concurrunt: *Sicut ad medium mundi, sicut ad centrum terræ, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium omnium sæculorum respiciunt, & qui in cœlo sunt, & qui in terra, & qui in inferno habitant, & qui nos præcesserunt, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis.*

Contemplativus.

Maria ab omnibus honoratur.

S. Bernard. serm. 2. de Pentecost.

87. Rotam, ab axe sua sustentatam, D. Haymo Corius hoc lemmate insignivit; INNIXA REVOLVOR. Hominem, ab alterius nutu ac voluntate penitus suspensum, hæc idæa spectat. Optimum Epicteti Philosophi consilium est, nulli alteri, præterquam soli Divinæ voluntati, inhærendum esse. *Simpliciter nihil aliud velis, quàm Deus vult.* Item; *Militia est cujusque vita, & diuturna quidem, ac varia. Observare decet militis obedientiam, & quæ Imperator jusserit, facere omnia.* Et rursus; *Melius est quod Deus vult, quàm quod ego. Adsum ei servus & minister, adeoque pedissequus: ad eadem contendo, nec alia expeto: idemque quod ipse, volo ego quoque & sentio.*

Obediens. Dependens.

Epict. l. 2. c. 17.

Idem l. 3. c. 24.

Idem l. 4. c. 7

88. Rota, assiduâ vicissitudine ex imo in sublime, & è sublimi in imum volvitur. Lemma, ALTERNA VICE. Fortunæ proprium est, inter ornamenta & dedecora homines alternâ vice versare, tristibus læta, lætis tristia, nec bonis perpetuis frui, nec malis æternum ingemiscere patiendo. Hæc enim fortunæ est inconstantia, hæc vitæ præsentis alea, hæc regnorum mutabilis vicissitudo, *quod*, asserente sapientissimo Ecclesiaste, *de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, & alius in regno inopiâ consumatur.* Joseph è carcere ob sapientiam evectus est ad Principatum Ægypti; vice versâ Rex Sedechias à Chaldæis captus, excæcatus, vinctusque ductus est in Babyloniam. Juvenalis;

Fortuna.

Eccl. 4.

Gen. 41

4. Reg.

Iuven. S. 7

Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul,
Si volet hæc eadem, fies de Consule Rhetor.
Ventidius quid enim! quid Tullius? anne aliud quã
Sidus, & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabunt, captivis fata triumphos.

Cn. Cornelius Scipio Asina ex consule captivus, & ex captivo consul factus est. Quod Valerium Maximum in admirationem rapit. *Quis crederet*, inquit, *illum à duodecim securibus ad Carthaginensium pervenire catenas? quis rursus existimaret, à Punicis vinculis ad summa Imperii perventurum vestigia?* Inconstantiam fortunæ & felicitatis humanæ ex quodam Rege à se devicto cùm didicisset Sesostris Rex Ægypti, fortunam reverenter habuit. Is enim curru aureo vectus, jussit illum trahi à quatuor regibus à se devictis; quorum unus oculos in rotas assiduò conjiciens; rogatus ab eo, cur id faceret? *Miror*, ait, *rotam volvendo nunc in sublime attolli, nunc ad ima deprimi.* De volubilis fortunæ conditione id dictum intelligens Sesostris, eandemque sortem sibi obvenire posse considerans, statuit, ne illi posthac currum traherent. Verè Pius II. Pontifex Maximus, Carlotæ, Reginæ Cypri, opibus ac regno exutæ, dixit; *Instabile regni solium est, nulla potentia longa: hos erigi, illos deprimi Deus permittit.*

Val. Max. l. 2. c. 10

Niceph. lib. 18. cap. 29

Lib. 7. Co.

S T I M V L V S.

Caput XIII.

89. JUmenta ignava, aut pigrescentia, ab aculeato stimulo excitantur, & ad cœptum opus adiguntur. Unde lemma; EXCITAT, DUM SAUCIAT. Idipsum assolet Deus, quando animas nostras pungente calamitatum stimulo ad virtutis incrementum concitat. Seneca; *Nolite, obsecro, vos expavescere ista, quæ Dii immortales velut stimulos admovent animis. Calamitas virtutis occasio est.* Et Idiota; *Nequaquam contemnenda est tribulatio, quæ cordis est sanitas, & via recta ad vitam. Incessum format, & dirigit in viam pacis, erudit ad scientiam, exercet ad timorem, ut coronet ad gloriam.*

Tribulatio.

Senec. lib. de Provid. c.

Idiota lib. de Patient. c. 1

V A N N V S.

Cap. XIV.

90. AD Concertationis Academicæ auspicium, grande ventilabrum symboli loco depinxêre; additâ hâc gnomâ; PELLENDO VICISSIM. Hinc constat, quantùm levaminis è sociali complurium vita nobis accedat; hâc enim vivendi ratione quasvis miserias aut defectus mutuò è cordibus nostris propulsamus. S. Basilius Magnus; *Qui se colendæ pietati dederunt* (loquitur de Canonicis Regularibus, in communi viventibus) *ii in societate cum aliis degunt, in qua inter se VICISSIM alter*

Vita socialis. Disputatio.

S. Basil. Const. Monast. c. 19.

alterius

alterius sui propositum animi ad virtutem exacuunt, seque inter se rectè factorum æmulatione ad majores quotidiè in studiis rerum honestarum faciendos progressus IMPELLUNT. Et paulò post; *Qui animo æger est, & affligitur, ei complures præsto sunt, à quibus curetur, à quibusque assiduè erigatur. Hi æquabili jure inter se alii aliorum & famuli sunt, & Domini, & invictâ libertate accuratissimam sibi inter se serviunt servitutem. &c.* Cæterùm etiam correctionis fraternæ beneficio reciprocam opem nobis ferimus, & vitiorum pulverem mutuò è proximis nostris excutimus; probè gnari, qeod *Unicuique Deus mandavit de proximo suo.*

Correctio fraterna.

Ecclef. 17. 12

61. Vannus gemino munere cùm ad selectius frumentum accumulandum, tum ad inutiles festucas & arentes paleas excutiendas separandasque ex æquo deservit. Unde primam præfert epigraphen; PURIORA SECERNIT. Et alteram è Cantico Mariano desumptam; DIMITTIT INANES. Hominis studiosi hæc imago est, qui diversa authorum volumina evolvens, meliora quævis in penum suum litterarium colligit, cæteris minus utilibus rejectis. Porrò etiam Christus Judex severissimi judicii sui ventilabro justos à reprobis discernet; illis quidem, instar purioris frumenti, in æternæ beatitudinis granarium transmissis; his verò, ceu totidem infœcundis ac sterilibus paleis, ad ineluctabilia inferorum præcipitia abjectis. Testem habeto luculentum, S. Matthæum; *Congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* In hunc locum S. Hilarius; *Triticum suum*, inquit, *perfectos scilicet credentium fructus dicit cœlestibus horreis recondendos, paleas autem infructuosorum hominum inanitatem.* Et S. Paschasius; *Leves, & vacui à fructibus boni operis, à consortio sanctorum segregantur.*

Luc. 1. 46. — Studiosus. — Christus Judex. — *Matth. 3. 12.* — *S. Hilar. in hunc locum.* — *S. Paschas. in hunc loc.*

92. Vannus, granis subjectandis deserviens, purius frumentum ab inutilibus festucis discernit. Unde Emblematis loco à Scipione Bargalio epigraphen recepit, MALE JUNCTA SECERNIT. Prudens Magister aut Prælatus ex hac idea justos à vitiosis segregandos discat. Certè, quod numero superiore diximus, coram extremo tribunali justos omnes à reprobis exactissimè separatos intuebimur. Id probè perspectum habens S. Joannes Baptista, dixit; *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam: & congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ad hoc propositum S. Gregorius Papa; *Illo extremi judicii ventilabro triticum, paleaq; discernitur, ut nec in tritici horreum paleæ transeant, nec in palearum ignem horrei grana dilabantur.* Tertullianus affirmat, Christianos persecutionibus & ærumnis, ceu totidē ventilabris, jactari, ut opima virtutum grana ab inanibus sceleratorum & apostatarum paleis discernantur, *Hæc palea illa*, inquit, *quæ & nunc Dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum acervum fidelium ventilans, & discernens frumentum Martyrum, & paleas nugatorum.*

Magister. — Christus Judex. — *Matt. 13. 12.* — *S. Greg. l. 25. Moral. cit. in Cat. aur.* — *Tertull. l. de fuga c. 1.*

93. Quidquid granis leve aut inutile permixtum fuerit, ventilabri beneficio segregatur. Unde lemma; QUOD LEVE, DEPELLIT. Seu ut P. Hortensio Pallavicino placet; VANIS ELUDIT. Verbis è Virgilio mutuatis;

Expectata seges vanis eludit avenis.

Virgil. l. 1. Georg. v. 226.

Ita Deus calamitatum ventilabro suos Fideles assiduò agitat, ut levitates, ac evanidas mundi reculas, quibus detinentur, studiosè excutiant. S. Ambrosius Psalmi verba examinans; *In gentibus dispersisti nos*; Seu ut Aquila & Symmachus vertunt, *In gentibus ventilasti nos*; ad propositum nostrum gratiosè ait; *Sicut triticum, si ventilatur, & à paleis separatur, mundum est: si autem ventilatum non fuerit, mundum esse non poterit, sed est paleis concretum atq; permixtum: ita etiam homo ni tentationibus fuerit ventilatus, fragilia quæque, veluti paleas, à se non potest separare.* Hoc emblemate rursus ea, quæ paulò ante iteratò diximus, confirmantur: nimirùm Divini Judicii ventilabro infelices illos procul esse reprobandos, qui in virtutibus nimiùm quantùm exsucci, leves, ac infirmi ab omni tentationum vento facillimè sese jactari permittunt. S. Gregorius Nazianzenus; *Ventilabrum habet, quia repurgat aream, & QUIDQUID LEVE est, vento obnoxium REJICIT: quidquid verò grave, in horrea ponit.*

Calamitas purificat. — *Psal. 43. 12* — *S. Ambros. in hunc loc.* — Judicium extremum. — *S. Greg. Naz. Orat. in cap. 3. Luca.*

94. Vannus omnes è frumento agitato festucas ac pulveres excutit & emundat. Unde lemma, PURGAT, DUM AGITAT. Ita omninò justi, violentâ persecutionum tyrannide jactati, in perfectionis area ab omni vitiorum sorde expurgantur. In hoc argumentum explicatè S. Gregorius Papa; *Reproborum nequitia electorum vitam, quasi grana a paleis separat, & DUM AFFLIGIT, EXPEDIT. &c.*

Tribulatio purgat. — *S. Greg. l. 26. Moral. c. 9.*

FINIS LIBRI VIGESIMI QUARTI.

MUNDI SYMBOLICI
LIBER VIGESIMUS QUINTUS.
CORPORA MIXTA.

Arcula.	1	Flagrum.	12	Rogus.	22
Ægyptus.	2	Frenum, Lupatum.	13	Scena.	23
Calcar.	3	Harpagium.	14	Sceptrum.	24
Canalis.	4	Larva.	15	Sera.	25
Cilicium.	5	Malleoli ad texendos funiculos.	16	Sertum.	26
Compedes.	6			Tabella picta.	27
Cornu.	7	Meta.	17	Thronus.	28
Corona.	8	Nodus.	18	Torques.	29
Cucurbitula.	9	Oduntagra.	19	Triton.	30
Fibula.	10	Pecten.	20	Viscus.	31
Flabellum.	11	Phlebotomum.	21		

A R C V L A.

Cap. I.

1. Ordo. Hypothetarum characteres, in loculamentis seu arculis suis distributi, epigraphen tenent; RITE CONFLATI VALEMUS. Ita nimirùm bono rerum agendarum ordine perfectionem nostram plurimùm promovemus. Justus Lipsius, de studiosis disserens, ait; *Legere, aut colligere parum est: seligere, disponere, eloqui, poscit laudem.* Xenophon tradit, totam rerum militarium salutem è legitimo ordine pendere. *Nam militum confertissimæ phalanges, nisi in ordinem redigantur, ad nihil præstant: paucissimi autem bellatores, si rectum ordinem & dispositionem suscipiant, validissimi atque insuperabiles sunt.*

Lips. allocut. ante notas in l. de Cruce

Militia. *Xenoph l. de dictis & factis Socratis.*

2. Importunitas. Arcula, eleemosynis colligendis destinata, Abbate Ferro authore epigraphen sustinent; DONEC ACCIPIAT. Vel; ET A CHIEDER RITORNO. Id est; ITERUMQUE PETIT. Oratio perseverans. Illorum importunitatem hoc Emblemate repræsentabis, qui nunquam acquiescunt, nisi rebus è voto suo acceptis. S. Basilius laudabilem hanc importunitatem animabus orantibus unicè observatam cupit. *Etsi mensis præterit, etsi annus, etsi triennium & quadriennium, acriter PERSEVERATO tamen, DONEC IMPETRES.*

S. Basil. in Cons. Monas

3. Modestia. Eidem arculæ subscribes; QUEL CHE SI PORGE ACCETTO. Id est; OBLATUM RECIPIT. Personam modestam hoc Emblema adumbrat, quæ in Divinam providentiam integerrimè Conformitas. resignata, omnia, sive prospera, sive adversa, æquo ac tranquillo animo accipit. Theodoretus Juvenes Hebræos, cùm jamjam in succensam Babyloniæ fornacem præcipitandi essent, in hæc verba loquentes introducit; *Cùm sapiens sit* (Deus) *ei rerum nostrarum moderationem committimus, quamlibet judicii ejus sententiam, tanquam meliorem, nobisque viliorem LIBENTER ACCEPTURI.* Quid, quod ipsis etiam Gentilibus ea animi moderatio persuasissima fuerit; Senecæ consilium est; *Imperetur æqualitas animo, & sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hyems frigora adducit? Algendum est. Æstus calores infert? æstuandum est. Intemperies cœli valetudinem tentat? ægrotandum est, &c.*

Theodoret.

Seneca Epist. 107.

4. Arcam veteris testamenti hoc lemmate insignivit P. Jacobus Masenius; NE TANGE, PERIBIS. Illam Ozæ tragædiam hæc imago innuit, qui labantem arcam tangens, repentinâ morte corruit. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam. Iratusq; est indignatione Dominus contra Ozam, & mortuus est ibi juxta arcam Dei.* Hinc conjicias velim, quantâ puritate S. Eucharistiam tangere ac sumere oporteat, in qua non quidem manna terrestre, sed cœleste & Divinum, imò Deus ipse, asservatur. Eodem Emblemate significatur, S. Scripturam reverenter esse tangendam, legendam, & audiendam. Denique B. Virgo Maria arca testamenti est, quæ Christum novi fœderis auctorem suo utero complexa mundo peperit. Hanc arcam quisquis temerè aut irreverenter tangere præsumit, à Deo percutitur. Nestorius, negans illam esse Deiparam, percussus fuit, cùm lingua ejus blasphema à vermibus corrosa computruit. Constantinus Copronymus illam comparans bursæ, quæ exempto auro nonnisi vilis est bursa, carbunculo ictus vociferabatur, vivum se inextinguibili igni traditum esse propter Mariam Deiparam. Plura exempla vide apud Paulum Diaconum, Zonaram, & Joannem Moschum. Rectè proin à S. Laurentio Justiniano Maria V. cognominatur *Arca testamenti verissima, quæ auro vestita mundissimo, & virtutum gemmis ornata.* In rem præsentem canit Emblematis Author;

2. Reg. 6. 6.

S. Eucharistia.

S. Scriptura.

Maria V.

Paul. Diacon lib 21 Zonar lib Io. Mosch Prat. Spi c. 4.

Sacrilegas arcæ dextras admoverat Oza,
Lethalique manus obstupuère gelu.
Et Mariæ mastix nascentis Numinis arcâ
Implicitas ausit contemerare manus?

5. Arca fœderis, eodem Masenio authore, inscriptionem præfert; NON NUMMIS, SED NUMINI. Cujusvis hominis animam hæc imago repræsen- Anima justa.

præsentat, quæ Deo acquirendo, non verò divitiis colligendis creata est. S. P. Augustinus; *Cor tuum sit arca Dei, ubi habitent divitiæ Dei.* Porro Maria Virgo, Arca Dei sacratissima, Numine fuit plena; ut adeò à S. Gregorio Thaumaturgo rectè dicatur; *Verè arca est sanctissima Virgo, intrinsecùs & extrinsecus deaurata, quæ universum sanctitatis thesaurum recepit.* Canentem audi P. Jacobum Masenium;

S. Aug. in Psal. 63.
Maria V.
S. Gregor. Thaumat. de Annunt.

Non patet hæc nummis, sed magni est Numinis arca;
Quàm similis Virgo, dissimilisque fuit!
Lapsas arca polo leges, ac manna tenebat.
Legifer hac arcâ Virgine clausus erat.

ÆGYPTUS.

Cap. II.

6. DOminicus Gambertus in tabula geographica totum Ægypti regnum, figurâ suâ è Plinii sententia, trigonum repræsentavit, quod Nilus fluvius, in sex canales effusus, opportunè circumfluit ac irrigat: addito Claudiani lemmate; SINE NUBE FERAX. Nimirum suppetias illas significabat, quas Franciscus I. Mutinensium Dux, æstate nimiùm quantùm arente, suis fœderatis tulit. Porrò etiam generosum Mecænatem hoc Emblema spectat, qui suos favores læto ac sereno vultu, procul omni mœroris nube, in alios copiosè effundit. Leo Imperator hoc genio insignis, Zonarâ referente, dicere solebat: *Nec aliter oportere Principem, quoscunque aspexerit, suâ benignitate atque misericordia dignari, quam sol qui sui luminis claritate collustret, sui quoque caloris participes efficiat.*

Benefactor lætus.
Zonaras in vita Leonis Imp.

CALCAR.

Caput III.

7. EQui, calcaribus incitati, loca quævis ardua tentant. Unde lemma calcari subjunctum; MOVET, ET IMPELLIT. Has ipsas vires Majorum exempla congenitas habent: juventus enim ab iisdem extimulata, ad quasvis operationes accingitur. Hegesippus; *Sicut boni Principis vita probitatis quædam præscriptio, & per universos vivendi forma est: ita Imperatoris colluvio, lex flagitiorum est.* S. Paulus, Petro Apostolo exprobrans, *Quomodo,* inquit, *gentes cogis judaizare?* Hunc locum interpretatus Cajetanus Cardinalis, ait, ibi nullam aliam, nisi prævii exempli violentiam intervenisse. *Cogis exemplo facti tui: facta enim Superiorum non tam invitant; quàm cogunt subditos ad imitationem.* Unde Matthæus publicanus, vix Servatoris mensam post conversionem suam accumbens, alios complures publicanos quantocius in vestigia sua traxit, & ejusdem mensæ venerabundos ac pœnitentes convivas est sortitus. *Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi Publicani & peccatores venientes discumbebant cum Jesu.* Ad hoc propositum S. Paschasius; *Unius peccatoris conversio, multis exemplum præbuit pœnitentiæ. Et in domo, ad quam prius multos secum propter lucra conduxerat, ad veniam invitat.*

Exemplum.
Hegesip. lib. 2 de Excidio cap. 5.
Gal. 2. 14.
Cajet. in hunc loc.
Matth. 9. 10.
S. Pasch. l. 5. in Matth.

8. De B. Aloysio Gonzaga memorant Historiæ, quod humeros suos calcaribus instar cilicii strinxerit, eâ nimirùm ratione proprium spiritum ad perfectionis & æternæ gloriæ semitam velocius decurrendam extimulaturus. In hanc rem juvabit Joannis Rhò floridam de illo phrasin audire. *Quantâ fortitudine opus fuit, quum stellulas illas, acuminatim rigido è chalybe radiatas, nudo admovens lateri, veste ac balteo ita urgeres, ut quieto molestæ, incedenti etiam intolerandæ, laterum tenera perfoderent? O novum sui hostem, qui equestris instrumenta disciplinæ, cœlestis exhortationis habuit hortamenta! Haud mirum, cursum tam brevi confecisse, qui subditis calcaribus evolaret.* Ad hoc tenelli Herois factum alludens, calcaribus Emblematis loco subscribes; ETIAM CURRENTIBUS APTA. Ita bona consilia etiam iis juvenibus intra virtutis curriculum incitamento sunt, qui nativâ suâ indole ad res quasvis magnas concitantur. Ita etiam militaribus animis, quantumvis naturâ suâ generosis, novus ex ampla mercede ardor accrescit, ut celeriore impetu ad heroicas ac gloriosas expeditiones ferantur. Onosander, de re militari disserens, ait; *Ubi honor fortibus viris habetur, pœnæq; non negliguntur ignavorum, ibi bonâ spe complere exercitum necesse est: alios enim metus à peccatis deterret, alios ad fortia facinora ambitio impellit.*

B. Aloysius Gonzaga.
Jo. Rhò de Var. Virt. Hist. l. 7. c. 5. §.
Consilium.
Præmium.
Onosand. de re milit. c. 9.

9. Calcaria, frena, & flagella ab humana prudentia ad equorum superbiam edomandam inventa sunt: iis enim stimulis discunt hero suo obedire, & in omnes ipsius nutus flecti. Unde illa Equitum supellex in fasciculum coacta, meis Concanonicis Symboli loco deserviit, eamque in insigni Canonica S. Mariæ de Passione Mediolani hoc lemate proposuerunt; HIS EQUI, ÆQUI. Innuebant videlicet, castigationibus, exemplis, consiliis ac suppliciorum formidine duras & obstinatas quasvis hominum cervices emolliri, & ad æquitatis leges flecti. Themistocles, Plutarcho referente, dicere solebat; *Asperos & indomitos pullos, in optimos equos evadere, si quis illis adhibeat disciplinam, rectamq; institutionem.* Rabbi Ben Syra inter cæteras suas sententias etiam hanc numerat; *Aurum indiget percussione, & puer verberationibus.* Veluti diceret, sicuti aurum inter malleorum impulsus splendorem ac ornamentum longè maximum sortitur, ita juventutem virtutibus ac scientiis sub rigidiore ferula assuescere. Optimè ac compendio S. P. Augustinus: *Disciplina magistra est religionis, magistra veræ pietatis, quæ nec ideo increpat ut lædat, nec ideo castigat, ut noceat. Nihil profectò est, quod non disciplina aut emendet, aut salvum faciat.*

Educatio.
Plut. in vita Themistocl.
Castigatio.
S. Aug. tract. de Bon. disc. Tom. 9.

10. Sicuti frenum equo inter ancipites vias dirigendo; ita calcar eidem excitando ac propellendo deservit. Unde calcar, freno junctum, epigraphen sustinet; EXCITAT, ET DIRIGIT. Geminum hoc Prælati aut Prædicatoris munus est, ut ignavos excitet, ac errabundos ad directam legis Divinæ semitam manuducat. Jonâ in utramque aurem dormiente, *Accessit ad eum Gubernator, & dixit ei: quid tu sopore deprimeris? Surge, invoca Deum tuum.* In hunc locum P. Ribera, *Meritò,* inquit, *Jonam excitat Gubernator, sive Proreta. Quoniam Gubernatorum Ecclesiæ est, dormientes in peccatis excitare, ut surgant, & invocent Deum.* S. P. Augustinus; *Prædicatores voluntates pigras excitent, accendant frigidas, corrigant pravas, aversas convertant, repugnantes pacificent.*

Prælatus. Prædicator.
Ion. 1. 6.
Ribera in hunc locum.
S. August. de bono viduit. cap. 18.

11. Frenum calcari connexum, Emblematis loco inscriptionem à me recepit; REPRIMIT, ET IMPELLIT. Fœcunda plurimorum conceptuum hæc imago est. Bonus Prælatus, S. Petro Damiano teste, audaces subditos authoritatis suæ fræno reprimere, & ignavos eloquentiæ suæ calcari propellere debet. *In conventu spiritualium fratrum tunc discretionis ordo congruè servatur, si moderatio rectoris imitetur diligentiam equitis: ille siquidem calcaribus utitur, ut IMPELLAT frenis, ut REPRIMAT. Stimulat equum tardius incedentem; refrænat superbè frequentia vestigia glomerantem.* Calamitates, à Deo immis-

Prælatus.
S. Pet. Dam. l. 6. Epist. 24.
Calamitas.

immissæ, vitiorum licentiam refrænant, & ad virtutis progressum impellunt, Basilii Paradisii hac de re poësis lyrica est;

E' Monaldini il male
Freno à la libertà d'alma felice,
Stimulo à la virtù d'alma otiosa.

Pœnitens. Porrò peccator ad frugem convertendus, iræ Divinæ formidine reprimitur, & misericordiæ consequendæ fiduciâ incitatur. Hoc sensu meus D. Paulus Sylvius de Magdalena pœnitente canit; *Sylv. Piano 1. stanz. 116.*

Prova in tanto nel cor glispronis e'l freno;
Hor move il passo, e si ritira, e pensa,
Arde il desio, mà al esequier vien meno,
Vorrebbe pur andar, mà poi ripensa;
Del caldo petto il chiaro, e bel sereno
Riman turbato dal oscura, e densa
Nube di quella tema, che sospesa
Rende, timida voglia ad alta impresa.
La sprona alto desio, dubbio l'affrena:
L'incende amor, freddo timor l'agghiaccia;
Hor di vivace speme ella è ripiena,
Hor dal seggio del cor tema la scaccia. &c.

Fæmina mala. Torquatus Tassus in Armidæ, pessimæ fœminæ, machinamentis calcaria freno juncta fuisse observat. *Tass. liberat. Cant. 4. stanz. 87.*

Usa ogn'arte la donna, onde sia colto
Ne la sua rete alcun novello amante:
Ne con tutti, ne sempre un stesse volto
Serba: mà cangia à tempo atti, è sembiante,
Hor tien pudica il guardo in se raccolto,
Hor lo rivolge cupido, e vagante,
La sferza in quelli, il freno adopra in questi,
Come lor vede in amar lenti, ò presti.

Educatio. 12. Calcar, authore meo Concanonico, D. Philippo Gallinâ, epigraphen sustinet; IGNAVOS seu, SOPITOS SUSCITAT. Vel, PLAGIS INSTRUIT. Magistri, aut Præceptoris hæc idea est, qui discipulos suos in studiorum curriculo ad honores olim assequendos excitaturus, acerbiore ferulâ, seu calcari, propellere consuevit. Certè calamitates, dum pungit, excitat. *Castigasti me, & eruditus sum.* inquiebat proprio suo exemplo sapiens Hieremias. Cato Censorinus dicebat; *Adversæ res domant, & docent quid opus sit facto. Secundæ res lætitiæ transversum trudere solent à rectè intelligendo & consulendo.*

Castigatio utilis. Calamitas. *Hierem. 31. 18.* *Cato Censor.*

CANALIS.

Cap. VI.

Oratio distracta. 13. Canalis, effracto foramine, non transmittit aquam, sed eam in via temerè ac prodigè effundit. Lemma; PERFORATUS EFFUNDIT. Oratio gratiæ Divinæ canalis est; hunc autem perforat distractio, omnemque perdit gratiam. Sapientissimus morum Magister, *Fili mi*, inquit, *attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes.* Tum verò è SS. Patrum sententia, cogitationes custodies, si animum ab omni evagatione liberum ac integrum serves; qui enim cogitationes custodire nescit, nec orare scit. Eruditè dixit Cassianus, & verè; *Perparùm orat, quisquis illo tempore, quo genua flectuntur, orare consuevit. Nunquam orat, quisquis etiam flexis genibus evagatione cordis qualicunque distrahitur.* S. Basilius orationem vagam, & attentione vacuam, cibo comparat, qui nec sale, nec adipe, nec aromate ullo conditus, nil habet saporis, canibus potius, quàm convivis apponendus.

Prov. 5. 1. *Cass. lib. 10. Collat. c. 14.* *S. Basil. in quæst. brevior q. 279.*

14. Canalis receptum liquorem omnem prodigè effundit, nil sibi reservans. Lemma; NIL SIBI RESERVAT. Prædicatores aut Prælatos illos hæc imago spectat, qui receptam è Sacris litteris doctrinam absque ullo suo profectu, in alios liberalissimè effundunt, docendi quàm discendi appetentiores. De his conquestus S. Bernardus; *Canales*, inquit, *hodie in Ecclesia multos habemus, conchas autem perpaucas: tantæ charitatis sunt, per quos nobis fluenta cœlestia manant, ut ante infundere, quàm infundi velint; loqui, quam audire paratiores: & prompti docere, quod didicerunt; & aliis præesse gestientes, qui se ipsos regere nesciunt.* Prædicator vanus. *S. Bernard. in Cant.*

CILICIUM.

Cap. V.

15. Vestis cilicina, è caprarum aut equorum pilis contexta, nudo pectori admovetur, ut aculeos suos lascivienti carni infigat, eamque probè castigatam in virtutis tramite coërceat. S. Bacchiarius; *Cilicium pro tegmine habere consuescat, ut, cùm attactu ejus, atque asperitate compungeris, semper peccatorum tuorum stimulos recorderis.* Et S. Paulinus; Cilicium. *S. Bacch. E. de recipiend. lapsis.* *S. Paul. de Celso.*

Si modò lugentem gravis hirto tegmine saccus
Caprigenum setis dum teget, & stimulat.

Proinde vestem illam, geminâ prærogativâ insignem, hoc lemmate distingues; TEGIT, ET STIMULAT. Idipsum prudens Corrector assolet, qui proximi sui defectus arcto silentio tegit, eumque ad eluendas præteritæ vitæ noxas pro viribus extimulat. Certè Jonathas, Sauli, patri suo, fatale odium, quo innocuum Davidem iniquè persequebatur, dissuasurus, campi cujusdam solitudinem, ceu locum opportunissimum, elegit; *Stabo juxta Patrem meum in agro. &c.* Ut nimirùm culpam, remotis arbitris exprobratam, occultare, simulque delinquentem efficaci verborum aculeo ad erroris pœnitudinem permovere posset. Correcti prudens. *1. Reg. 19.*

COMPEDES.

Cap. VII.

16. Compedes, è ferro aut funibus constructi, equorum cruribus injici solent, ut vel æquali gressu incedere assuescant, vel ne in pascuis relicti, longius abire possint. Atque adeo compedes illi equis quidem sunt impedimento, hero tamen plurimum commodi afferunt. Unde lemma; IMPEDIUNT, ET EXPEDIUNT. Videtur equidem libertas nostra à calamitatibus præpedimenta gravissima, & vix non fatalia perpeti; at re penitius consideratâ, deprehendes, præter illas nullum esse validius instrumentum, quo animus noster intra virtutis ac moderationis limites coërceatur. *Proficit enim*, inquit de anima nostra S. Ambrosius, *in pressura, non interit, ita ut accedentibus tentationibus quotidie acquirat ad meritum:* P. Franciscus Ribera in in illud Nahum Prophetæ commentatus, *Æthiopia fortitudo ejus & Ægyptus* ait; *Ægyptus eam tuetur; id est, afflictiones & labores: id enim significat* Misraim, *quod est nomen Ægypti: afflictionibus siquidem in virtute proficit, & majores vires comparat ad vitia repellenda.* Calamitas utilis. *S. Ambr. in 2. Cor. 4.* *Fran. Ribera in Nahum. 9.*

17. Compedes equorũ gressum difficiliorẽ quidẽ efficiunt, non tamen penitùs sistunt: ut adeò Lucarinus illos hoc lemmate spectandos dederit; RE-

TAR-

TARDANT, NON SISTUNT. Seu ut Abbati Ferro placet; IMPEDIT CURSUM, NON ITER. Ita juventus, ne pro effrenis naturæ suæ genio in quævis mala præceps ruat, nonnunquam arctiore quidem Patrisfamilias aut Præceptoris educatione cohiberi poterit; nunquam tamen adeò validè stringetur, quin interdum leges, ab ipsis præfixas, transiliat. Idipsum etiam de Legibus pœnalibus ac suppliciis publicis, quibus Principes adversus sceleratos animadvertere solent, intelligendum est: tametsi enim homines facinorosi illorum intuitu à pristinâ suâ vivendi ratione aliquantulùm retardentur, non tamen penitus ab illa desistunt. S. Isidorus; *Factæ sunt leges, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaq́, sit inter improbos innocentia: & in ipsis improbis, formidato supplicio, refrænetur nocendi facultas.*

Educatio. Castigatio. *S. Isid. l. 2. Etymol.*

18. Compedibus duæ equorum partes colligantur. Unde lemma; UTRIMQUE VINCIENDO. Lucarinus hâc imagine matrimonium repræsentat, quo, ceu firmo ligamine, uterque Sponsus constringitur. Huic metaphoræ subscribens Apostolus, nuptias ligaminis nomine comprehendit; *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* Ad idem propositum S. Ambrosius; *Quodam vir & uxor nexu inter se amatorio copulantur, & quibusdam invicem sibi habenis amoris adstricti sunt. Bona igitur vincula nuptiarum; sed tamen vincula; bonum conjugium, sed tamen à jugo tractum, & jugo mundi.*

Matrimonium. *1. Cor. 7. 27.* *S. Ambros. l. 3. de Virg.*

CORNV.

Caput VII.

19. Amaltheæ cornu, è Gentilium commento, omnium bonorum copiâ refertum, à D. Sigismundo Laurentio epigraphen recepit; NULLA HIC MUNERA DESUNT. Nimirum ingentes illos gratiarum acervos repræsentabat, quos S. Paulus Apostolus in animâ sua mirificè accumulatos habuit. Unde testis sibimet luculentus ait; *Benedixit nos* (Divina bonitas) *in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Et rursus; *Secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.* Rectius tamen de Maria Virgine id intellexeris, quam SS. Trinitas per Angelum salutavit *gratiâ plenam.* S. Hieronymus; *Benè*, inquit, *plena; quia cæteris per partes præstatur: Mariæ verò se tota infudit plenitudo gratiæ.* Et paulò inferius; *In Mariam totius gratiæ plenitudo, quæ in Christo est, venit; quamvis aliter, quia etiamsi in sanctis Patribus & Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena.*

S. Paulus plenus gratia. *Ephes. 1. n 3. & 7.* Maria V. gratia plena. *Luc. 1. 28.* *S. Hieron. serm. de M. V. Assumpt.*

20. Cervorum cornua id peculiare habent, quod certis temporibus decidant, & renascantur. Unde Emblematis loco epigraphen sustinent; DECIDUNT, ET REDEUNT. Hinc assiduam rerum vicissitudinem ac volubilitatem conjicere licet. Seneca; *Omne, quod fortuitò venit, instabile est; quò altius surrexit, vergit pronius in occasum &c.* Lucanus;

Vicissitudo rerum. *Senec. l. de brevit. vitæ cap. 17.* *Lucan. ad Pison.* *Horat l. 4. Carm. od. 7.*

Ipsa vices natura subit, variataque cursu
Ordinat. &c.

Horatius;

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusq́, comæ.
Mutat terra vices, & decrescentia ripas
Flumina prætereunt.
Immortalia ne speres, monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt zephyris: ver proterit æstas,
Interitura simul &c.

Et Plautus;

Plaut. in Amphitrione.

Nam in hominũ ætate multa eveniunt hujusmodi,
Capiunt voluptates, mox rursum miserias.
Iræ interveniunt, redeunt rursum in gratiam &c.

21. Cervi cornua hunc Emblematis loco titulum præfixum habent; DECIDUNT ET SOLIDA. Enimverò nullum regnum aut Respublica adeò firma est, quin tandem præfixo termino conquiescat ac collabatur. Exemplo suo id comprobant Respublica Romana, Monarchiæ Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, aliæque innumeræ, suo quidem ævo ad miraculum firmæ; at modò penitus prostratæ soloque nomine superstites. Verissimè dixit Procopius; *Fortunæ commutatio res etiã destruit bene constitutas.* Et quod mireris, ad hanc regnorum evertendorum catastrophen nonnunquam unicum sufficit momentum. Seneca; *Longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit: hora, momentumque temporis evertendis imperiis suffecêre.*

Vicissitudo rerum. *Procop lib. 1. de bello Van.* *Senec. Ep. 91.*

22. Cervi cornua singulis annis unius rami incrementum capiunt. Unde lemma; *ÆTATEM INDICANT.* Ita è vitiorum numero facilè conjicere licet, quantas in anima nostra radices malitia egerit: nemo quippe repentè in vitiis fit summus, sed gradatim sceleri accrescit scelus, donec tandem generetur prava & inulcerata consuetudo. S. Augustinus; *Revera ad consuetudinem quodam progressu pervenit anima. Prima est quasi titillatio delectationis in corde: secunda consensio: tertia factum: quarta consuetudo. &c.* Quod si verò imaginem in meliorem partem interpretari lubeat, eam jure optimo sibi vendicat R. P. Drexelius è Societate Jesu, qui primum ingenii sui fœtum typis publicis enixus, singulis postea vitæ suæ annis novum aliquod volumen; fœcundo sanè ingenii utero, in lucem edidit; ut adeò illustrissimo librorum suorum numero annos illos adæquarit, quibus de litteratorum universitate optimè meritum se exhibuit.

Vitia. *S. Aug. Hom. 45. in Matt.*

23. Amaltheæ cornu variis quidem fructibus, floribusque insigne est: at hæc munera sibi sol vendicat, à quo illa omnia generantur. Unde Cornucopiæ, sub Sole depictum, hanc epigraphen à Serenissimo ac ingeniosissimo Philotheo accepit; MUNERIS OMNE TUI. Ergò quid gloriæ, quid eruditionis accessit mortalibus, quod gratiæ Divinæ haud debent? quid possidet homo, quod aut ingenio suo, aut adscribere virtuti suæ possit? *Quid enim habes*, inquit, S. Paulus, *quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Prorsus*, subjungit Magnus Augustinus, *talia cogitanti verissimè dicitur, dona sua coronat Deus, non merita tua: quia dicitur;* Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. *Si ergò Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.* Concinnè in rem præsentem canit Emblematis Author;

Gratia Dei. *1. Cor. 4. 7.* *S. August. de Grat. & lib. arb. cap. 6.* *Iac. 1 17.*

Sol aperit flores. Illo splendente vigescunt
Suaviter, & patulas explicuêre comas;
Sol aperit gravidas fruges, spicasque tumentes,
Et profert roseis mollia poma genis.
Muneris omne tui *est, quod pleno copia cornu*
Ventilat, auspiciis munera nata tuis.
At tu magne Deus (quid enim siluisse juvabit?)
Quod spero & placeo, muneris omne tui *est.*

CORO-

CORONA.

Cap. VIII.

24. Henricus III. è Poloniæ Rege in Regem Galliarum unctus, symboli loco tres coronas repræsentavit; duas quidem inferiores, veluti Poloniæ & Galliæ proprias; tertiam verò superiorem, olim in cœlo Empyreo, Deo agonothetâ, obtinendā. Epigraphen addidit; MANET ULTIMA CÆLO. Innuebat videlicet, mentem suam, à majestate terrena penitus abstractam, unicè ad beatorum laureolam suspirare: alto enim pectore Princeps hic potentissimus incisa habebat illa Sapientiæ Divinæ promissa, *Accipiet regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini*; uti & liberalissimas illas Sponsi invitantis blanditias; *Veni de Libano sponsa mea: veni de Libano: veni: coronaberis.* Læta hæc spes etiam in D. Pauli corde triumphum duxit; *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* S. P. Augustinus; *Non negabit justus Deus coronam debitam, cui gratiam donavit indebitam, cui autem reddet coronam debitam? utiq; meritis tuis. Sed ut reddatur tibi corona tua, Dei dona sunt merita tua.*

Spes. Contemplativus. Sap. 5. 17. Cant. 4. 8. 2. Tim. 4. 8. S. Aug. ser. 17. de Divers. cap. 4.

25. Martinus V. Pontificum tiaras, coronas Cæsarum, Cardinalium galeros, sceptra, mitras, & gladios in mediis unius regi flammis expressit: addito lemmate, SIC OMNIS GLORIA MUNDI. Seneca; *Gloria vanum & volatile quiddam est, auraq; mobilius.* Et meus Hugo Victorinus; *Quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potētia, carnis voluptas, & plena divitiæ, magna familia, & magna concupiscentia? ubi risus, ubi jocus, ubi jactantia, &c.*

Mundi bona. Dignitates vanæ. Sen. Ep. 113. Hug. Vict. lib. 1. de Anima.

26. Stephanus Bathorius, Rex Poloniæ, Papaverum fasciculo coronam regiam imposuit; addito lemmate; PER NON DORMIRE, Id est; SOMNUM FUGAT. Significabat quippe, sicuti papaver, somno conciliando deserviens, à corona illa opprimitur; ita sibi à regni negotiis quietem ac somnum omnem adeò imminui, ut vigilantiâ laboriosissimâ, ac penè assiduâ, stringatur. P. Franciscus Mendoza observat, Jacobum Patriarcham admodum opportunè vaticinatum esse, quando Judam, Israëlis sceptro ac coronâ insignitum, Leoni non absimilem dixit; *Catulus Leonis Juda.* Et paulò post; *Requiescens accubuisti ut Leo.* Enimverò *quemadmodum Leo est symbolum vigilantiæ; ita oportebat, ut Judas, ejusque posteri, principes futuri, parùm somno, multùm vigiliæ indulgerent.* Referente Ariano, dicere solebat Alexander Magnus ad suos Milites, *Plus vigilare, quàm vos me certò scio; ut ipsi quietos somnos capere possitis.* Caligula coronam sibi fabricari fecit, in qua erant sol, luna, & stellæ depictæ, *ut sibi sive noctu, sive interdiu perpetuo vigilandum recordaretur*; ut refert Pierius Valerianus;

Vigilantia Principis. Fran. Mend. in 4. Reg. c. 3. n. 5. adv. Samuel dormiebat. Arian. lib. 8. Pier. Valer. lib. 44.

27. Joannes Ferrus coronæ subscripsit; VICTORI DEBITA. seu, HOSTE DEVICTO. Honores enim, ac virtutum præmia non quidem magnis natalibus, sed grandibus meritis debentur. Idipsum Cosmus, Magnus Dux Hetruriæ, significabat, quando coronam, Aquilæ rostro è cœlis delatam, hoc lemmate insignivit; JUPITER MERENTIBUS OFFERT. S. Gregorius Papa; *Summa non summo ordini debentur, sed summo labori. Nam & Doctor egregius non dixit; Unusquisque mercedem accipiet juxta suam dignitatem, sed secundùm laborem.* Cæterùm symbolo illo simpliciter demonstrari potest, sua semper meritis deberi præmia. Rex Theodoricus; *Tribuenda est justis laboribus compensatio præmiorum, quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata transitur. Athletam populis palma designat esse victorem. Sudores bellicos civica corona testatur, &c.*

Honores debentur meritis. S. Greg. in 1. Reg. c. 9. n. 21. Præmium debetur labori. Theod. apud Cassiod. l. 2. Epist. 28.

28. D. Didacus Saavedra, Magnatum infelicitatē repræsentaturus, coronam regiam figuravit, quæ artificiosissimè elaborata, spinis undique plena erat; addito lemmate; FALLAX BONUM. In rem præsentem dicebat Adrianus IV. *Nihil ponderosius sollicitudine omnium Ecclesiarū, quæ incumbit Pontifici, tantaq; molis, ut robustissimos premeret, tereret, comminueret humeros.* Demetrius, cùm ad regnum vocaretur, Seneca referente respondit; *Ego verò me ad istud inextricabile pondus non alligo, nec in illam facem rerum hunc expeditum hominem demitto. Quid ad me defers populorum omnium mala? &c.* Seneca;

O regnorum magnis FALLAX
Fortuna BONIS, in præcipiti,
Dubioque nimis excelsa locas.
Nunquam placidam sceptra quietem,
Certumve sui tenuêre diem,
Alia ex aliis cura fatigat,
Vexatq; animos nova tempestas &c.

Felicitas regia misera. Adrian. IV apud Io. Sarisb. lib. 8. a Nug. Curia cap. 23. Senec. l. 7. de Benef. c. 9. Senec in Agamemnone Act. 1.

Et Urbanus VIII.

Non semper extra quod radiat jubar
Splendescit intra: respicimus nigras
In sole, (quis credat?) retectas
Arte tua Galilee, labes.
Sceptri coruscat gloria regii
Ornata gemmis: turba satellitum
Hinc inde præcedit, colentes
Officii comites sequuntur.
At si recludas intima, videres
Ut sæpe curis gaudia suspicax
Mens ista perturbet, Promethei
Haud aliter laniat cor ales

Vrban. VIII ode in adulationem.

29. Nonnemo ad Christum patientem alludens, coronam spineam, arundini decussatim implexam, depinxit; cum lemmate, VICTO SÆCULO. Quamvis autem hæc imago numismatis potius, quam Emblematis naturam imitetur, in ea tamen per coronam spineam triumphus ac victoria illa significatur, quam Servator noster è gemino Mundi ac Tartari hoste, per suam passionem devicto, felicissimè retulit. Opportunè S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus; *Purpura illa & corona ex spinis plexa ante crucem, confirmabat victoriam dicentis; Confidite, ego vici mundum, mundiq; Principem.* Et S. Athanasius; *Miraculū novum & incredibile, & magnæ sine dubio victoriæ insigne: quem per ludibrium, subsannationemq; pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, & coronam spineam. Eâ de causa hoc genere vestimenti indutus, ad mortem processit, ut ostenderet victoriam de morte, non temerè, sed pro nostra salute paratam esse.*

Passio Christi. S. Germ. orat. in sepult. Christi. S. Athan. ser. de Pass. & Cruce.

30. Coronæ regiæ inscriptionem, nî fallor, opportunam subjunxi; HONOS, ET ONUS. Suffragante enim experientiâ, Majestas terrena tantundem oneris & molestiæ, quantùm splendoris & admirationis confert. S. Joannes Chrysostomus; *Non ita corona caput circumdat, sicut animam solicitudo: nec in satellitum catervam, sed in molestiarum multitudinem spectes. Felicitas enim,* asserente Sinesio, *onus quoddam videtur plumbo gravius. Eum ergo subvertit ac deprimit, qui id humeris imposuerit.* Compendio S. Gregorius Papa; *Quantò quis hic altius erigitur, tantò curis gravioribus oneratur: eisq; ipsis populis mente & cogitatione supponitur, quibus superponitur dignitate.*

Honor onerosus. S. Io. Chrys. Hom. 66. ad Popul. Sines. Orat. de Regno. S. Greg. l. 17. Moral. c. 17.

31. Pretiosa corona regia, supra incudem propè ustrinam inter malleos & limas figurata, epigraphen

Martyriū. à me recepit; PER FERRUM, ET IGNES. Ita omninò Martyrii & beatitudinis coronæ nonnisi in-
Beatitudo. ter calamitates & vulnera obtinentur. Isaacus Patriarcha *per ferrum & ignes* transiit, quando ab Abra-
Gen.22. 6. hamo montem conscendere jussus, *portabat in manibus ignem & gladium.* Eandem gloriæ consequendæ methodum observatam habuere S. Laurentius, S. Vincentius, S. Marcianus I. Tortonæ Episcopus, a-
S. Ambr. l 4. in Luc. liique innumeri. Optimè dixit S. Ambrosius; *Tolle Martyrum certamina, tulisti coronas; Tolle cruciatus, tulisti beatitudinem.*

32. Ad solennem D. Caroli apotheosin, Mediolani celebratam, gentilitia Borromæorum corona aurea Emblematis loco affixa cernebatur, cum lem-
Sancti ornant regna mate; REGNI DECORA POTENTIS. Sicuti enim corona insigne capitis regii decus est, ita grandis ille sanctus, ceu cliens fidelissimus, Regi suo Catholico, vastisque ejus regnis singulare ornamentum attulit. Cæterùm Emblema hoc Sacræ Scripturæ authoritate nititur: nam quatuor epomidis Pontificii colores, in quibus quatuor elementa figurabantur; uti & mala punica, quæ è tunicæ limbo omnia mundi regna significabant, totum suum ornatum unicè ab aurea Sacerdotis tiara desumpsêre, in qua litteris expressum, *Sanctum Domino.* Salomon illam Sacerdotis Hebræi vestem his omninò verbis expli-
Sap.18 24. cans, ait; *In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & magnificentia tua in diademate ca-*
Princeps. *pitis illius sculpta erat.* Cæterùm Corona illa etiam Principem significat, qui suâ prudentiâ regnum ornat & conservat, sicuti vitiis ac imprudentiâ destruit,
S. Ambros. in Apol. David. dedecoratque. S. Ambrosius in Apologia Davidis ait; *Regum lapsus pœna populorum est: sicuti enim eorum virtute servamur, ita etiam errore periclitamur.*

33. Dominicus Gambertus coronam auream, mensæ cuidam innixam, figuravit; quæ irrito ventorum conatu undique incursata, proprio suo pondere secura perstitit. Gnomam ex Ovidio mutuatam sub-
Princeps prudens & pius. junxit; SUO PONDERE TUTA. Ita omninò sapientia, prudentia, & virtus, ceu totidem Principum coronæ, securitatem adeò firmam subministrant, ut nullâ exteriore violentiâ unquam everti queant. Unde Salomon Deum rogavit; *Da mihi sa-*
2. Paral. 1. 10 *pientiam & intelligentiam, ut ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* Quòd autem virtus & pietas principum sint stabilimenta regnorum, nec ipsos etiam
Cicero Orat. de Arusp. Resp Gentiles latuit; Cicero ait; *Romanos non calliditate aut robore, sed pietate & religione omnes gentes, nationesque superâsse.* Et Aristoteles; *Deos promptiores in*
Arist. lib. Rhetor. *eos, qui maximè eos colunt, & ità promovere & conservare eorum principatus.*

34. Coronæ civicæ, murales, triumphales, aliæque similes, iis duntaxat in præmium cessêre, qui meritis aut prævio aliquo facinore insignes fuerant. Ut adeò illarum quævis hinc sibi epigraphen vendicet; VIRTUTE PRÆVIA. Verbis ex Ecclesiastico Dedicationis Hymno mutuatis;

Virtute namque præviâ
Mortalis illuc ducitur.

Gloria Cœlestis. Æterna gloria, coronæ nomine significari solita, in eos tantum ab agonothetâ Deo confertur, qui illam ob indefessos ac virtuosos suos labores præmii &
Iacob. 1. 12. mercedis loco sibi vendicant. Dilucidè S. Jacobus; *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm pro-*
Psal. 88. 18. *batus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Et prior illo Vates
S. Bernard. Regius, ad Deum conversus, dixit; *Gloria virtutis eorum tu es.* In hunc locum S. Bernardus; *Virtus gradus ad gloriam, virtus mater gloriæ est.*

35. P. Eustachius Venator, Augustinianus Excal-

ceatus, coronam figuravit, quæ soli asino aut bubalo, non verò equis, canibus, aliisque præsentibus nobilissimis animalibus imposita, epigraphen monstrabat; NON PER QUESTO E'L PIU' DEGNO. Id est; NON EST PRÆSTANTIOR INDE. Hominem idiotam hoc Emblema spectat, Dignitas non dignificat indignum.
qui aliorum virtute, doctrinâ, & meritis longè inferior, dignitatem quandam est assecutus. Atque adeò mens Emblematis erat, neminem è dignitate acceptâ præstantiorem evadere; sed in pristina indignitatis suæ conditione ita perdurare, ut semper ad gradum illum superiorem non quidem propriis meritis, sed solâ eligentium partialitate sublevatus dici possit. Similem miseriam olim jam Roma viderat, quando Prætoris munus in Vatinium, hominem nauci, collatum est, neglecto M. Portio Catone, viro incomparabili & virtutibus omnibus conspicuo: uti prolixè conqueruntur Seneca, Plutarchus, & Valerius *Val. Max. lib. 7. cap. 5.*
Maximus. Quare tametsi Vatinius illâ rejecti Catonis dignitate gauderet; non perinde tamen Catone digniorem se probaverat. Hoc loco minimè prætereundum duxi illud præsenti Emblemati satis consonum Dionysii Cartusiani acroama; *Rector illiteratus ritè vocatur ASINUS CORONATUS.* *Dion Cart. in cap. 1. Proverb.*

36. Coronam lemmate, nî fallor, opportunò legendam propones; CURSU COMPLETO. Merces enim beata, coronæ nomine vocari solita, in Beatitudo.
eos duntaxat confertur, qui vitæ suæ metam inter virtutis ac meritorum decursum attigerint. Hanc Emblematis mentem dilucidè olim præivit S. Paulus A- *2. Tim. 4. 8.*
postolus; *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, &c. ideoque reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* Opportunè S. Ambrosius; *Paulus dicit, in illa die coronam sibi esse reddendam; tu hic tibi ut reddatur insistis? imple ergò certaminis tui diem.* *S. Ambr in Ps 36.*

CVCVRBITVLA.

Cap. IX.

37. Bargalius cucurbitulas, sanguini eliciendo accommodatas, hoc lemmate insignivit; EDUCUNT PESSIMUM. Justi ac prudentis Principis Princeps justus.
hoc ectypon dixeris, qui diversis exilii aut mortis suppliciis homines sceleratos à bonorum commercio separat. S. Hieronymus, à Lipsio citatus, ait; *Emendandi, corrigendique per pœnas bonus Princeps semper habet finem; scindendæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum; ne tota domus massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat.* *Lips. lib. de una Relig.*

38. Cucurbitulæ epigraphen subjunctam habent; RESOLVUNT, DUM ATTRAHUNT. Eadem Caussidicorum, Procuratorum, ac Judicum quorundam est indoles, qui lites tum demum dirimunt Judex avarus.
ac resolvunt, quando manus clientum senserint onustas muneribus. Eandem tamen iconem in sensu meliore de Magnis Dei servis, S. Catharinâ Senensi, & S. Francisco Xaverio interpretari licet, qui putridam S. Franciscus Xaverius.
ac cruentam saniem propriis labiis è stillantibus ægrotorum ulceribus suxerunt, illosque inde vel sanitati restituerunt, vel saltem nativum suum horrorem, è fœdâ illâ tabe generari solitum, superârunt. De S. *Franc Remond. Orat. XVI.*
Fràcisco Xaverio, magno illo orbis Christiani Thaumaturgo, testatur Franciscus Remondus, quòd in Nosocomio Veneto ad ægrotum, lue venereâ contaminatum, invisens, fœtidum putorem omnem ex ulcerosâ ipsius fistula generoso ore exsuxerit, simulque miserum contagione suâ liberârit. *Xaverius,* inquit, *Monocerote, virginum amatore, virgo ipse valentior, nō cornu (nullum habet) ferire novit; sed animalibus la-*

bris immissis, quidquid noxium est, e duxit. Quantum verò nativam nauseam, è Xaverii pectore depulsam, attinet, testem se offert idem Remondus; *Hoc inter epulas Francisci cum Xaverio singulare certamen, quo sensu reluctante, ita se fregit, ut optabile dissidium fuerit, quod ferendo victoris imperio naturæ vires erigeret, quæ aliquamdiu detrectando corruissent.* Qui plura desideraveris, prolixos hâc de re consulas P. Horatium Turselinum, & Abbatem Certanum.

Horat. Tursel l.1.c.5. vitæ Certan l.1 de Indiarum Apost.

Peccator. 39. Simon Biraglius cucurbitulam hoc lemmate Gallico legendam proposuit; DE MAL ME PAISTS. Id est; ALOR NOXIO. Haud aliter obscœnus peccator solâ libidinis ac carnis spurcitie delectatur. Porrò homo sceleratus nunquam majore gaudio diffluit, quàm dum alienis facultatibus diripiendis, hosti ulciscendo, innocentibus ac justis deprimendis, &, ut compendio dicam, aliorum sanguini hauriendo, dat operam. Apposite Antonius Riccardus; *Cucurbitula medica, vas vitreum, quo utuntur ad extrahendum sanguinem putrefactum, cum titulo, ALOR NOXIO; significat, hominem nequam, nonnisi quod improbum est, quærere & continere.* Plutarchus symbolum illud animi maligni proprium asserit, qui res quasvis vitiosas, in suo proximo deprehensas, quantocyus ad se trahit; *Quemadmodum cucurbitulæ medicabiles deterrimum sanguinem ex corpore eliciunt; sic tu pessima quæque tuorum in te congeris &c.* Inter cætera Principum opprobria Petrus Matthæus etiam hoc recenset; Principum avidorum aures maledicentiis potius quàm laudibus patent; & plerumque, cucurbitularũ more, sanguine nõnisi vitioso replētur.

Ant. Ricc. Comment. symb. — *Plut. de Trãquill. animi.* — *Pet. Matth. Hist. de Fran. cis. lib 4. Narrat. 2. n. 3.*

F I B U L A.
Cap. X.

Amicitia. 40. FIbulæ, mutuò innexæ, cingulis colligendis deserviunt. Unde lemma; DISTANTIA JUNGUNT. vel si in singulari lubeat; DISTANTIA JUNGIT. Eorum hæc idea est, qui principes, natalibus diversos, amicitiæ vinculo jungũt. Hoc encomio insignem se exhibuit meus Concanonicus S. Alipius Episcopus, de quo Canonicorum Regulariũ Officia in hæc verba testantur; *Hic Hierosolymam peregrè profectus, Beatum Hieronymum visitando, Christiani orbis lumina Hieronymum & Augustinum sanctâ necessitudine primus junxit.* Nec aliter sancta Fides nostrum hemisphærium cum extremis Indorum & Persarum populis conjungit. Amor insuper supremã Alexandri Macedonis Majestatem cum infimo quodam Persarum mancipio conjunxit. Quid, quòd idem amor naturam Divinam & humanam, infinitis dissitas intervallis, in unica Servatoris nostri persona, nexu penitus prodigioso arctissimè copularit? P. Joannes Sylveria illud S. Matthæi arcanum interpretatus, *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, ait; *Hæc actio*, id est, hæc assistentia Spiritûs sancti, qui totus est amor, *ordinata est ad unionem naturæ humanæ cum Divina, distinctorum autem unio non tam potentiæ & scientiæ, quàm vi amoris perficitur.* De amore ait Magnus Augustinus; *Nihil nocet corporis separatio, ubi est animorum vera & sincera conjunctio. Charitas enim ipsa vera est, quæ corporaliter separatos consuevit spiritualiter copulare atque conjungere.*

Offic. Can. Reg. 16. Aug. — Fides. — Amor. — *Matth. 1. 20. P. Io. Sylv. l. 1. in Evãg. c. 5 n. 144.* — *S. Aug. serm 42 de Temp circa init.*

FLABELLVM.
Cap. XI.

Spiritus S. 41. FLabellum, importunis & infestis muscis abigendis deserviens, epigraphen sustinet; PROCACES PELLIT. Hæc ipsa Spiritûs sancti in animas nostras est beneficentia, à quibus omnes obscœnas & vitiosas cogitationes, ceu muscas importunissimas, depellit. Unde S. Ecclesia, eidem supplex canit;

Illumina cor hominum,
Absterge sordes mentium.

Preces non absimiles etiam ad Æterni Patris Verbum ab eâdem Ecclesia diriguntur;

Aufer tenebras mentium,
Fuga catervas dæmonum,
Expelle somnolentiam &c.

Cæterùm etiam mortis memoria flagelli vicem subit, quo omnes animæ nostræ cupiditates ac tentationes, ceu totidem obscœnæ ac intolerabiles muscæ, procul arceantur. Testem habeto S. Isidorum, quando ad Servatorem conversus, ait; *Assidua memoria mortis prodest, Domine IESV Christe, ad deprimenda carnalia desideria, & ad abigendas tentationes varias & diversas, quæ separant animam à te.* Mortis meditati.

S. Isid. lib. de Morte.

42. Flabellum, adversus æstivos ardores usurpari solitum, epigraphen tenet; TEMPERAT ÆSTUM. vel, UT MINUAT ÆSTUM. Utramque illam subministrat Bernardinus Balduinus hoc Epigrammate; Spiritus.

Balduin. lib. Lusus.

Vivit frigoribus nimios qui temperat æstus;
Æstus diminuunt mota flabella graves,
Utile solstitiis quis non emit ære flabellum,
Cujus ope adducto frigore, vita manet?

Spiritûs sancti hæc idea est, cujus beneficio exæstuans concupiscentiæ nostræ ardor defervescit; ut adò à S. Ecclesia jure optimo cognominetur; *In labore requies, in æstu temperies.* S. Petrus Damianus; *Spiritus, qui ex Deo est, quas replet mentes, ad cœlestia provocat, & expulso torporis, & negligentiæ frigore ad amorem Divinum inflammat: petulantia CARNIS DESIDERIA REPRIMIT, & liberum cor ab omni terrena delectatione suspendit.*

S. Pet. Da. serm. 21.

43. Flabellum, ex unâ in alteram partem agitatum, opportunam æstuanti corpori temperiem conciliat. Unde lemma; ALTERNANDO RECREAT. Hinc conjice, quantam è rerum varietate voluptatem capiamus. Cassiodorus; *Nemo dubitet, homines suâ varietate recreari: quia in continuatione rerum, magnum mentibus constat esse fastidium. Dulcedo mellis, si assiduè sumatur, horrescit: serena ipsa, quamvis magnopere desiderentur, jugiter adepta sordescunt.* Et Petronius Arbiter; Varietas

Cassiod lib Epist. 32.

Non uno contenta valet natura tenore;
Sed permutatas gaudet habere vices;
Taurus amat gramen mutatum carpere valle,
Et fera mutatis sustinet ora cibis;

F L A G R V M.
Cap. XII.

44. JOannes Ferrus Abbas flagrum hoc lemmate loquens introduxit; PER AMORE, E PIETA' CORREGGO I FALLI. Id est; AMORE ET PIETATE CULPAS ELUO. Opportunissimum enim illud carnis macerandæ instrumentum à Pœnitentibus adhibetur, cum ad eluendas præteritæ vitæ noxas, tum ad amoris Divini, ac pietatis Christianæ ardorem testificandum. S. Petrus Damianus; *Optimè pœnitet, qui, dum carnem verberibus mactat, lucrum, quod delectatione carnis omiserat, afflictionibus recompensat: & salubrem illi nunc amaritudinem ingerit, cujus olim noxiâ delectatione peccavit.* Qui verò omnia voluntariæ hujus castigationis cõmoda sub unũ aspectum collocata desideras, diserta illa S. Cypriani verba legas velim; *Disciplina custos spei, & retinaculum fidei, dux itineris salutaris, ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac jugiter in Deo vivere, ad promissa cœlestia, & Divina præmia pervenire. Hanc & sectari salubre est, & adversari ac negligere lethale.* Meritò itaque plenus

Pœnitens — *S. Pet. Dam. Tom. 1. Ep.* — *S. Cyp. l. de Discipl & Habit. Virg* — Castigatio

Castigatio. plenus pietate dici poterit ille, qui flagri ac vitæ castigatæ beneficio ad virtutis semitam deducitur. Nec minus etiam amore versus virtutem ac Deum plenus dici promeretur, si flagro illo, ceu occâ aut aratro, carnem suam studiosè colat. Cæterùm etiam Pater aut Herus, flagro ad filios ac subditos coërcendos utens, suum versus illos amorem ac pietatem judicio luculento probat. E Salomonis sententia; *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* seu, ut alii vertunt, *adhibet ei castigationem.* Hugo Victorinus testatur, *Disciplinam malorum desideriorum esse carcerem, frænum, lasciviæ, elationis jugum; domare intemperantiam, levitatem constringere, incompositos animi motus suffocare.*

Prov. 13. 24. Hug Vict. Inst Monast. ad Novit. cap. 10.

45. Flagrum, crebris suis ictibus carnem macerans, animamque eluens, epigraven reddit; EXPIAT DUM MACERAT. Hæc ipsa Pœnitentiæ effecta sunt. S. Cæsarius Arelatensis; *Per dura crucis exercitia decepta dudum carnis gaudia puniuntur; ac sic mortificatione præsenti futura mortis sententia prævenitur.*

Pœnitentia. S. Cæs. Arel. Hom. 1.

46. Flagellum (Asceticis Disciplina) extremâ suâ parte ferreis aliquot stellulis armatum, ab Academico Circumspecto epigraphen retulit; CRUORE NOTABILIS IPSO. Flagellum illud hoc symbolo significaverim, quo Carolus V. Imperator piâ & assiduâ tyrannide in carnem suam desaviit; quod postea, sanguine undique perfusum, Philippus II. jure veluti hæreditario, instar cimelii pretiosissimi, Philippo III. consignavit, idque hodie etiamnum inter optimos religiosissimæ & augustissimæ domûs Austriacæ thesauros asservatur. Sancti Martyres, proprio conspersi sanguine, sese omnium oculis conspicuos exhibent. Denique S. Ecclesia, tametsi aliis ornamentis omnibus spoliata, immensam gloriam è pretioso vulnerati Servatoris cruore habebit superstitem. S. Ambrosius; *Sanguis Christi purpura est, qui inficit Sanctorum animas, non solùm colore resplendens, sed etiam potestate, quia Reges facit, & meliores Reges, quibus regnum donet æternum. Meritoque ad tantum Ecclesiæ decorem, cui Christi sanguis irrutilat, Spiritus Sanctus inclamat, quàm pulchra, & suavis es charitas in deliciis tuis.*

Martyriū. S. Ecclesia. S. Ambr. in Psal 118. Octon. 17.

FRENUM LUPATVM.

Cap. XIII.

47. FRena ac lupata equos eâ conditione moderantur, ut illos non quidem proprio suo arbitrio, sed solius equitis, ceu primarii directoris, nutu ac voluntate gubernent: neque enim freno majorem, quàm instrumenti, vicem subire licet. Unde lemma; DIRIGIT, UT DIRIGITUR. Ita prudens ac fidelis Minister in subditis gubernandis nunquam propriâ suâ voluntate, sed solius Principis Imperio, nititur. Hæc operandi forma in Filio Dei cumprimis enituit, qui omnia sua facta ad Patris æterni voluntatē ac providentiam studiosissimè exegit; unde testis sibimet luculentꝰ, dixit; *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei* (id est, interprete P. Francisco Maldonato, *Patris decreto, authoritate, voluntate*) *hæc testimonium perhibent de me.* Hanc Filii Divini obedientiam cum Adami inobedientia comparans Magnus Augustinus, ait; *Sicut obedientia secundi hominis eò est prædicabilior, quo factus est obediens usque ad mortem; ita inobedientia primi hominis eò detestabilior, quò factus est inobediens usque ad mortem.*

Minister fidelis. Ioan. 10. 25. S. Aug l. 14. de Civit. c. 15.

48. Ut equus præfixam metam directo gressu assequatur, non sufficit, illius ori frenum immitti, nisi insuper Equitis manu in omnem partem, prout necessum fuerit, aptè flectatur. Proinde hanc freno epigraphen subdidi; DIRIGIT, SI DIRIGATUR. Ita omninò voluntas nostra proprios suos affectus intra virtutis tramitem coërcere non potest, nisi prævenientis ac excitantis gratiæ auxilio gubernata. Plutarchus eâdem metaphorâ demonstrat, auditores tantundem ab eloquentia in omnem partem pro Oratoris arbitrio flecti, quantum illa prudentiæ ac rationis imperio manuducta fuerit. *Ut non satis est clavus, neque frenum, nisi adsit, qui arte moderetur. Ita non sufficit eloquentia ad moderandum populum, nisi accesserit sermonis moderatrix ratio.*

Voluntas. Eloquentia. Plutarch. in Moral.

49. Frenum, equorum ferociæ edomandæ deserviens, à Joanne Ferro epigraphen cepit, COHIBET. seu ut ego capistro inscripsi; DOMABIT EFFRENES. Hæ inscriptiones plurimorum conceptuum sunt feraces. David interrogatus, *In quo corrigit adolescentior viam suam?* respondit; *In custodiendo sermones tuos.* Atque adeò juventus, instar procacis equi, valido legis Divinæ freno coercetur. In hoc argumentum Agellius; *Nihil est efficacius ad cohibendas adolescentium cupiditates, quàm Divinæ assidua legis meditatio, quæ & ducis officio fungitur, & instar frenorum exultantes ætatis impetus COHIBET.* Deus etiam inferni terrore effrenem hominum licentiam reprimit. *Nam*, Chrysostomo asserente, *Malitiam rescindens, & terrore, tanquam freno quodam, tuum ad deteriora impetum compescens, nihil non agit ac molitur, ut tum per blanda ac levia, tum per molesta ac gravia, tuum ad res terrestres motum reprimat, & ad se traductum à scelere abducat.* Calamitas quoque frenum injicit, ne nimiâ genii nostri indulgentiâ in obvia quævis vitia proruamus. Anastasius Nycænus; *Propterea*, inquit, *tentationes, & afflictiones, & multi rerum casus eveniunt, ut frena innumerabilia circumponantur animæ, quæ facilè extollitur in superbiam.* Et Justus Lipsius; *O quàm utile multis frenum & coërctio morbi? Nam reverà, sicut Athenienses de pace nonnisi arctati cogitabant, prisci Oratoris dicto: ita plerique nostrûm vix de Deo, nisi afflicti.* S. Ambrosius jejunium freno non absimile dicit, quo humanæ naturæ luxuries coërcetur. *Infrenant etiam teneram ætatem jejunia, & parsimonia, ubi retinaculis quibusdam indomitas cohibent cupiditates* Ad idem propositum præclarè Magnus Augustinus; *Sicut equis frena sunt imponenda, ita corpora nostra jejuniis, vigiliis, & orationibus sunt infrenanda; nam quemadmodum aurigæ, si frena laxaverint, per præcipitia ducuntur: ita & anima nostra cum ipso corpore, si ei frenum non imposuerimus, ad inferni præcipitia delabitur.* Et S. Nilus; *Equus benè frenatus, corpus mediâ domitum. Ut enim ille freno cedit, & equitis paret imperio; sic corpus fame, vigiliâque subactum, rationis obtemperat voluntati, nec cupiditatis impetu lasciviens reluctatur.*

Psal 118. 9. Lex Divina. Juventus. Agell in hūc locum. Infernus. S. Io. Chrys. in Ep ad Rom. 9. Tribulatio Anast Nycæn quæst. in Scriptur. Lips Centur. 3. ad Belg. Epist 4. Jejunium. S Ambr l 3. de Virginit. S. Aug l de Salut. docum cap. 5. S. Nil Orat. de Gula.

50. Frenum cum lupato, à Saavedra epigraphen recepit, REGIT, ET CORRIGIT. Idipsum lege & authoritate suâ Princeps assolet. Disertè Cajetanus; *Nullum majus frenum, nulla efficacior ratio componendi gestus, motus, verba, actionesque hominis, quàm ambulare ante faciem Principis.* Porrò etiam Judicii extremi memoria regit & corrigit. *Sicut enim*, inquit S. Chrysostomus, *qui Dei obliviscitur, tanquam freno abjecto in præcipitium defertur, ita quem continuus hic percellit timor, modestè vivendi viam ingreditur.*

Princeps. Cajetan in Genes. 17. 2. Judicium extremum S Chrys. Hom. 38. in Ioan.

51. Freno dexterè utaris oportet ad regendum ac corrigendum equum, non ad subvertendum. Illum enim, tametsi mansuetissimum, si freno nimium huc illucque contorqueas, ac plus justo exagites, efficies

ut subsultet, ut calcibus feriat, aut sessori penitus succumbat. Undelemma; PERNITIOSUM, SI NIMIUM. Ita omninò tributum (quod inventum est in remedium, ne populus præ nimia libertate reddatur insolens & refractarius, sed in officio contineatur) si limites excedat, si supra facultatum vires exigatur, cedet in malum & perniciem, excitabitque populos ad motus ac seditiones. Inter illustriora Davidis facinora recenset Sacrum Oraculum, quòd *tulit David frenum tributi de manu Philistiim*; redemit quippe Regum optimus subditos suos à probrosa & terribili illâ oppressione. *Tributum enim*, interprete Abulensi, *vocatur frenum; quia sicut frenum est, quo tenetur jumentum, & cogitur ad diversa, ita populus cogitur ab eo, cui tributum præstatur.* Et Philonis sententia, *Qui plura tributa conatur imponere subditis, non facit officium Principis, sed avari, & pugnantis cum naturæ legibus.* Alexander Magnus in magnam ex continuis bellis penuriam redactus, illis tamen, qui suadebant populos emungere, novisque tributis miseros ornare, cum stomacho respondit, *Olitorem odi, qui herbas radicitus exscindit*; uti refert Erasmus Roderodamus.

Tributum. 2. Reg. 8. 1. *Abul in c. 8. l. 2. Reg. q. 3.* *Philo in lib. de Creat. Princip.* *Erasm. Rot. Anag. 3.*

HARPAGIUM.

Cap. XIV.

52. CErtum harpagii genus est, quod, vacui evitandi causâ, tamdiu nec minimam aquæ guttulam per inferiora sua foramina destillat, donec è superiore parte locus aperiatur ingressuro aëri. Unde Abbas Ferrus harpagio distillanti subscripsit; ACCEPTO SPIRITU. Ita sancti Apostoli, sapientiæ donis à Spiritu sancto acceptis orbem universum cœlesti suâ doctrinâ irrigârunt. Opportunè meus Concanonicus S. Prosper; *Montes sunt Prophetæ, Montes Apostoli, montes omnes Prædicatores veritatis. Montes isti, quidquid de convallibus suis aquarum fundunt, quidquid vocum de medio dant petrarum, DESUPER ACCEPERUNT, & Divinâ gratiâ sunt rigati, ut & aquis, & vocibus abundarent, quibus & sitientes implerent, & audientes delectarent.* Idipsum innuere volebat S. Paulus his omninò verbis; *Ego enim ACCEPI à Domino, QUOD & TRADIDI VOBIS.* Hunc locum interpretatus S. Bernardus, *Magister gentium*, inquit, *ACCEPIT à Domino, QUOD & TRADIDIT nobis.*

Apostoli & Prædicatores. *S. Prosp. Ps. 103.* *1. Cor. 11. 23* *S. Bern. Ep. 90.*

53. Harpagium tantundem aquarum distillat, quantum aëris è superiore parte acceperit. Unde D. Aresius harpagio, guttatim irroranti, subscripsit. ATTRAXI SPIRITUM. Verbis è Psalmo mutuatis; *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* S. Mariæ Magdalenæ honorem hoc Emblema spectabat, quæ Spiritu sancto intra ipsius animam afflante, lachrymarum rorem uberrimum profudit. S. Gregorius Nyssenus, *Aquam ad aspergendum non ex alienis rivulis, sed in nobis ipsis scaturientem Deus largitur, sive oculorum fontem quis dicat, sive puram cordis conscientiam.* Et opportunè quidem lachrymarum donum unicè à Spiritus sancti beneficentia scaturire dicitur; quippe quod S. Anselmus à solo Deo anxiè impetrare studuit, nobisque hanc precandi formulam prævivit; *Rogo te bone IESU per illas pretiosissimas lachrymas tuas, & per omnes miserationes tuas, quibus miserabiliter nobis perditis subvenire dignatus es, da mihi gratiam lachrymarum, quam multum desiderat & appetit anima mea: quia sine dono tuo non possum habere eam, sed PER SPIRITUM sanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit, & AD FLETUM COMPUNGIT.*

Psal 118. 13 Magdalena. *S. Greg. Nys. l. de Orat. Dom.* Lachrym. *S. Anselm. Alloq. Cœl. n. 9.*

54. Harpagii

54. Harpagii vertice ad aërem recipiendum aperto, quantocyus copiosa aqua per inferiora foramina defluit. Unde lemma. MODO SPIRITUS ADSIT. Haud aliter Prædicator sanctæ Ecclesiæ aream nonnisi Spiritu sancto plenus fœcundare potest. S. Gregorius Papa; *Nemo dicenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, Doctoris lingua extertus in vanum laborat.* Et S. Basilius; *Licet sit sermonis ampla supellex, mens profunda, & eloquentia, & intelligentia: si non adsit spiritus, qui vim suppeditet, otiosa sunt omnia.* Mirificè in hoc argumentum Siracides de vero sapiente philosophatus, ait; Deus *spiritu intelligentiæ replebit illum*, sed quid? *& ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.*

Prædicator. *S. Greg. Hom. 30 in Evang.* *S. Basil. Hom. de Spirit. S.* *Eccl. 39. 8.*

55. Maria Magdalena, deformem ac squalidum animæ suæ vultum assiduo lachrymarum imbre eluens, à Joanne Ferro Abbate harpagio non absimilis dicitur, addito lemmate; DILUIT ORA LIQUOR. Sicut enim defluentes guttulæ harpagii labium expurgant, ita illa omnem inveteratum animæ squalorem jugi suo planctu absterſit. De hâc S. Petrus Chrysologus, *In peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut suo fonte mulier in novum baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum. Et capillis capitis sui tergebat, ut, juxta Psalmistam, verticem capilli, ex quo ambulaverat in delictis suis, in sanctitatem tali verteret servitute.*

Magdalena. *S. Pet. Chrys. serm. 93.*

56. Graciles guttulæ, ex harpagio supra tenellos flosculos sparsæ, non modò illos non opprimunt, sed contrà plurimum promovent ac erigunt. Unde D. Gregorius Brunellus epigraphen subdidit; SENSIM EFFUSA FÆCUNDAT. Prudentis Magistri hæc idea est, qui methodum in docendo facilem observans, sapientiæ suæ aquas discipulis nonnisi guttatim instillat, probè gnarus; illorum intellectus nimiâ rerum docendarum copiâ esse suffocandos, non promovendos. *Sapientiæ Doctor*, inquit P. Cornelius à Lapide, *leviter per modica præcepta docet sapientiam, ne eorum multitudine & pondere rudem discipulum obruat.* Ad hoc propositum minimè ingratam censui Magni Augustini præceptionem; *Cùm Doctor debeat rerum dictor esse magnarum, non semper debet eas granditer dicere, sed submissè, cùm aliquid docetur; temperate, cùm aliquid vituperatur sive laudatur.*

Docere. *Corn. à Lap. in Prov. 18. 4* *S. Aug lib. 4. de Doctrin. Christi. c. 19.*

57. Harpagium non ob aliam causam aquis impletur, nisi ut illas irrigandis languentibus herbis ac floribus in horto profundat. D. Sigismundus Laurentius epigraphen subjunxit; NONNISI UT EFFUNDAT. Certè S. Paulus Apostolus beneficentiam ac eleëmosinas suas, ad sublevandam afflictorum fidelium egestatem, nunquam non profusas ostendit; uti iteratis locis de se ipso testatur; *Post annos plures eleëmosynas facturus, in gentem meam veni.* Et alibi; *Nunc proficiscor Hierusalem ministrare sanctis.* Rursus inter gravissima negotia pauperum suorum meminit; *Tantùm ut pauperum memores essemus, quod etiam solicitus fui, hoc ipsum facere.* Denique; *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Ego autem libentissimè impendam &c.* S. Ambrosius; *Beatus planè, de cujus domo nunquam vacuo sinu pauper exivit: neque enim quisquam magis beatus, quàm qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi atque inopis ærumnam.*

Eleemosynæ. S. Paulus beneficus. *Act 24. 7.* *Rom. 15. 25.* *Galat. 2. 10.* *2. Cor. 12. 14* *S. Ambr. l. de Officiis.*

58. Harpagium ex angustis suis foraminibus minutas quidem, sed tamen herbis ac floribus nutriendis abundè suffecturas guttulas destillat. Lemma; PARCE, SED SATIS. De hâc parsimonia observandâ Senecæ consilium est; *Angustanda sunt patrimonia, ut minus ad injurias fortunæ simus expositi. Optimus pecuniæ modus est, qui nec in paupertatem cadit, nec procul à paupertate discedit. Placebit autem hæc nobis mensura, si prius parsimonia placuerit: sine qua nec ullæ opes sufficiunt, nec ullæ satis patent. Assuescamus à nobis removere pompam, & usu rerum ornamenta metiri. Cibus famem domet, potio sitim &c.* Compendio S. Paulus; *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Et Salomon Deo supplex; *Tribue tantùm victui meo necessaria.*

Parsimonia. *Senec. lib. de Tranquill. animi c. 8.* *1. Tim. 6. 8.* *Prov. 30. 8.*

59. Harpagium, floribus irrorandis effusum, inscriptionem reddit; ALIMENTA MINISTRAT. Hinc conjicies, munerum erogandorum liberalitatem opportunum amoris nutriendi ac conversandi fomentum esse. Verissimè Otho Venius canit;

Munera conservant amorem. *Oth. Ven. Embl. Amor fol. 78.*

Quod teneris herbis genitalibus auræ Favoni,
Perque æstum irriguæ lenior imber aquæ.
Hoc in amore favor fit mutuus: hinc alimenta
Sumit, & ad frugem protinus ille venit.

Eleëmosynarii quoque hæc imago est, qui pauperibus præstat alimenta. S. Ambrosius illud Psalmi elucidans, *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem*, ait; *Ille intelligit super pauperem, qui largitur pauperi. Nam quid prodest misereri inopis, nisi alimoniam eidem largiaris?*

Eleemosynarius. *Psal. 118.* *S. Ambr. in hunc loc.*

LARVA.

Cap. XV.

60. Joannes Ferrus Abbas hanc larvæ epigraphen subdidit; SUMITUR, ET DEPONITUR. Ita inconstans animus voluntatis suæ sensa ac cogitationes assiduâ vicissitudine immutat. His justè ac graviter exprobrans Seneca, *Multiformes sumus*, inquit, *modò frugi tibi videbimur & graves, modo prodigi & vani: MUTAMUS deinde PERSONAM, & contrariam ei sumimus, quam exuimus.* Nec aliter S. Hieronymus, *Cùm ad imaginem & similitudinem Dei conditi sumus; ex vitio nostro personas nobis plurimas superinducimus: Et quomodò in theatralibus scenis unus atque idem histrio nunc Herculem robustus ostendit; nunc mollis in Venerem frangitur: nunc tremulus in Cybelem: ita & nos tot habemus personarum similitudines, quot peccata.*

Instabilitas. *Senec. Ep. 121* *S. Hieron. Ep. 18 ad Marcell.*

61. Larva deformis & horrida epigraphen reddit; A CREDULI SPAVENTO. Id est; CREDULOS TERRITAT. Ita Sisyphi, Ixiones, Tantali, Titii, Acherontes, aliaque inferorum nomina à Poëtis conficta, rudem duntaxat pleben, nullatenus autem Philosophos territant. Seneca testatur; *Vanos esse inferorum metus, nec Ixionem rota volvi, nec saxum humero Sisyphi trudi in adversum, nec ullius viscera & renasci posse quotidie, & carpi. Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat, & tenebras, & larvarum habitum.* Et rursus; *Illa, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Luserunt ista Poëtæ, & vanis nos agitavere terroribus.* Verùm tametsi Minoës, Titii, Cerebri, cæteraque Gentilium commenta sint vanissimæ terrorum larvæ, fide tamen Divinâ firmatum est, reprobis excruciandis vera inferorum supplicia esse destinata. Testem luculentum ac oculatum habeto Joannem Apocalypticum; *Cruciabuntur*, inquit, *igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.*

Fabulæ gentilium. *Senec. Ep. 24.* *Idem Consol. ad Marcian. cap. 19.* Infernus. *Apoc. 14. 10.*

62. Aliis larvam hoc lemmate distinguere placuit; VERA LATENT. Ita omninò actiones comicæ sub fabularum involucris successus veros repræsentant, & auditoribus genuinam vitæ instituendæ normam exhibent. Idipsum etiam hominis fucati aut hypocrytæ est ingenium, qui veritatis & affectuum suorum candorem pigmentis falsissimis obfuscare novit.

Comœdia. Fucatus homo.

Cicero ad Q. Fratrem. novit. Ad hoc propositum Cicero; *Multis simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura. Frons, oculi, vultus persæpè mentiuntur.* D. Gregorius Comaninus hanc ficti animi malitiam integro capite prosequitur;

Questa vita mortal tant' e fallace,
Che le torbide menti inlarva spesso
D' un volto, che con lor mal si conface.
Ecco tal porta il ciglio si dimesso,
Che di casta vergogna indicio porge;
Ma poi nel petto ha' l suo contrario impresso.
Tal sembra umile, in cui superbia sorge
D' Oto, e di Gige: e tal finge quiete,
Cui folle ardire: e furor cieco scorge.
Placide alcuno hà le sue labbia, e liete,
Che venen furial non che di Drago
Ne' l interne hà del cor parti secrete.
Dei tesori celesti altri par vago,
Che de i terreni un desir cupo ascondo.

Petrarch p. 1 Sonett. 82. Veritatem hanc Patriarcha tribus exemplis comprobat, nimirum Julii Cæsaris, Hannibalis, & sui ipsius.

Cesare, poich' il traditor d' Egitto
Gli fece il don de' honorata testa,
Celando l' allegrezza manifesta;
Pianse per gli occhi fuor si com' è scritto:
Et Annibal, quand' al imperio afflitto
Vide farsi fortuna si molesta,
Rise frà gente lagrimosa, e mesta,
Per isfogar l' acerbo suo despitto.
E cosi auvien, che l' animo ciascuna
Sua passion sotto il contrario manto
Ricopre con la vista hor chiara, hor bruna.
Però s' alcuna volta i rido, ò canto,
Facciol, perch' io non hò, se non quest' una
Via da celare il mio agnosciosò pianto.

63. Larvæ inscripsit P. Jacobus Masenius; PULCHRIS, ET TURPIBUS APTA. Ita dignitas non semper boni animi est argumentum, cùm non
Dignitas. Senec. Ep. 77. raro æquè in malos ac bonos cadat. Seneca; *Cùm velis veram hominis æstimationem habere, & scire qualis sit, nudum inspice, deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat,*
S. Aug. l. 3 de Civit. Dei. *animum intuere: qualis sit, quantus sit, alieno aut suo magnus.* Et S. P. Augustinus; *Remotis obstaculis insanæ opinionis, scelera nuda pensentur: nuda inspiciantur, fallacia tegmina, & vanæ laudes, & gloriæ auferantur: & apparebunt miseriæ peccatorum.*

MALLEOLI AD TEXENDOS FVNICVLOS.

Cap. XVI.

Ingenium vivax. 64. Malleoli, ad funiculos texendos accommodati, ab Academicis Pesariensibus Distentis epigraphen recepêre; E PER MILLE RIVOLTE. Id est; IN PARTES MILLE DISTENTI. Volebant, nî fallor, significare; sicut funiculi illi è
Labore virtus acquiritur. plurima malleolorum revolutione tandem pertexuntur; ita Academicorum compositiones ab intellectu, per multas figuras, varias doctrinas, & ingeniosas cogitationes agitato, ad extremam perfectionem demum deduci. Porrò virtutem, & virtutis mercedē,
S. Hieron. in Epist. æternam gloriam, nonnisi mille laboribus distenti acquirimus. S. Hieronymus; *Nullus labor durus, nullum tempus videri longum debet, quo gloria æternitatis acquiritur.*

65. Eosdem malleolos lemmate, nî fallor, non incongruo distingues; TENUI PENDENTIA FILO; quippe quòd è resticulis tenuissimis suspensi hæreant. Vitæ humanæ hunc typum dixerim, quæ fragili sustentata filo, facillimè rumpitur. Seneca; *stultum est, ætatem disponere; ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longas inchoantium! Id quoque, quod tenetur, per manus exit; & ipsam quam premimus aram casus incidit.* De Vita humana nonnemo cecinit; Vita humana fragilis. Senec. Ep. 101

Clotho colum bajulat; Lachesis net; Atropos occat.
Et alius;
Vita fugax, quàm causa levis tua stamina rumpit!
His tamen opportunior Cygnus ille canit;
Omnia sunt tenui pendentia stamina filo,
Et subito casu, quæ valuêre, ruunt.

META.

Cap. XVII.

66. NOnnemo, personam quandam grandi ac tenerrimo amore prosecutus, ad ipsius exequias metam figuravit; addito lemmate, IT DOLOR ULTRA. Veluti diceret, dolorem, è personæ illius jactura incussum, terminis ac mensuris omnibus superiorem esse. Doloris hujus experimentum longè maximum passionis suæ tempore cepit Servator, ubi corporis & animæ cruciatibus adeò immanibus fuit tortus, ut omnes Martyrum pœnas, quantumvis atrocissimas, transcenderint. Porrò si gravissimas Mariæ V. ærumnas supra rupem Golgothæam attentiore intellectu perpenderis, fateri debebis, *It dolor ultra.* Enimverò interioris animi dolor, ab ea tum temporis toleratus, cunctas calamitates, ab hominibus singulis in terra unquam sustinendas, superavit. Dilucidè S. Anselmus; *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit comparatione tuæ passionis, ò Virgo.* Et S. Bernardus; *Tuam, ò Virgo, animam pertransivit vis doloris, ut plusquam Martyrem non immeritò prædicemus.* In morte Christus patiens. Maria V. in Calvariæ monte. S. Anselm. Excell. Virg. cap. 5. S. Bernard. ser. in Verb. Apoc. 12.

67. Alius metæ subscripsit; NEC CITRA, NEC ULTRA. Ita genuina virtus prudenti incedit mediocritate; probè gnara, nullum unquam extremum sine appendice vitio reperiri. Justus Lipsius; *Virtus mediâ viâ ingreditur, & cautè cavet, ne quid in actionibus suis deficiat, aut excedat.* De Magno illo vitæ instituendæ prototypo, S. P. Augustino, testatur Possidonius; *Vestis ejus, & calceamenta, & lectualia, ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum: quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere; ex utroque non quæ IESV Christi, sed quæ sua sunt quærentes. At iste beatus medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans &c.* Mediocritas. Iust. Lips. lib. 1. de Const. cap. 4. Possidon. cap. 22. Vita

68. D. Octavius Boldonus metam hoc lemmate spectandam exhibuit; TANGITUR EVITATA. Verbis nimirum ad illam Horatii oden alludentibus; Horat. lib. Carm. od.

---- ---- Metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis,
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Gloria fugientes sequitur. Genuina hæc mundanæ gloriæ est indoles, quæ nullos dignius ac copiosius insequitur, nisi quos à se solicitè aufugientes viderit. S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ait; *Quanto se plus dejiciebat, tantò magis à Christo sublevabatur; latebat, & non latebat:* S. Hieron. Epitaph. Paulæ.

&

& FUGIENDO GLORIAM, GLORIAM AUCUPABATUR.

69. Currus in ludis Circensibus circa metam concitatissimè flecti solebant. Unde metæ inscripsit P. Raulinus, DAT VITATA CORONAM. Rursus in rem præsentem Horatius, superiore numero citatus;

----- *Mataque fervidis*
Evitata rotis. &c.

Occasio fugienda. Mens Emblematis erat, sicut in ludis illis è fuga obtinebatur victoria, ita æternæ gloriæ mercedem in eos duntaxat ab agonotheta Deo distribui, qui omnem peccandi occasionem studiosè evitaverint. Nam, ut verissimè ait Siracides, *Qui amat periculum, in illo peribit.* Et S. Cyprianus; *Impossibilis est liberatio, flammis circumdari, nec ardere: verendum est dormienti in ripa, ne cadat.* Præclarè cecinit meus D. Carducius;

Eccles. 3. 24. S. Cypr. lib. de singul. Cleric.

Cursori dat meta suo vitata coronam:
Præmia vis Superûm? certa pericla fuge.

NODVS.

Cap. XVIII.

70. NOdi officium, asserente Abbate Ferro, hoc lemmate explicatur; JUNGIT, NON UNIT. seu melius; STRINGIT, NON UNIT. Idipsum in Matrimonio coacto usuvenit, quo quidè uterque sponsus arcto & insolubili nexu colligatur; at, deficiente amoris glutino, animas ab unione & concordia alienissimas habet. Idem etiam prædonum & sicariorum est genius, qui in eandem flagitiorum societatem nonnunquam magno quidem numero conspirant, at quia non bono publico, sed peculiaribus duntaxat lucris student, idcirco in sinceram animorum unionem nunquam coalescere possunt. Denique amicitiæ aut affinitatis ligamen nonnunquam quidem Catholicos cum hæreticis conjungit, at in sancta fide è diametro oppositi, animos semper discordes, neq; unquam genuina unione connexos fortiri possunt. *Quomodo autè*, inquit S. Cyprianus, *potest ei cum aliquo convenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum universa fraternitate non convenit? Quomodò possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat à Christo, & ab ejus Evangelio separari?*

Matrimonium coactum. Amicitia vitiosorū. *S. Cyprian. Tract. de Simplic. Prælatorum.*

ODONTAGRA.

Cap. XIX.

Occasionē fugere. 71. CHirurgorum odontagra, extractum dentem sustinens, epigraphen accepit; HÆC UNA SALUS. Innuit videlicet, cuivis malo tollendo nullum esse efficacius remedium, prater sublatam occasionem. S. Joannes Chrysostomus; *Pax vera tunc præstatur, cùm quod tabe vel sanie corruptum est, abscinditur, atque projicitur: quoniam factiosa & improba pars repellitur vel omninò destruitur. Nam & medicus hoc modo reliquum corpus conservat facilè, si, quod reduci ad sanitatem nequit, caciderit, atq; abjecerit.*

S. Io. Chrys. Hom. 36. in Matth.

PECTEN.

Cap. XX.

Advocatus avarus. 72. PEcten, ab industria humana ad exleges & confusos capillos extricandos inventum, eosdem plerumque non sine dolore evellit: atque adeò EXPILAT DUM EXTRICAT. Idipsum avarus Caussidicus assolet, qui ad controversiam extricandam assumptus, clientem suum miserrimè *expilat.* In rem præsentem opportunum censui Caussidici cujusdam factum, à Laurentio Beyerlinck his omninò verbis recensitum. Parisiis tempore Ludovici duo fuerunt Advocati compatres. Ad horum alterum cùm venisset bonus quidam vir, sed fortunæ tenuioris, rogat, ut causam ipsius in foro adversus rusticum antagonistam, opibus magis instructum agat. Annuit ille, atque horam constituit. Cæterùm paulò post, cùm rusticus, alterius partis adversarius, rogâsset eundem, ut sibi adversus alterum adesset, multoq; majorem polliceretur prædam quàm ille, etiam huic operam suam promittit. Redeunte primo, se excusat, quòd, cùm adversarii partes acturus sit, ei promissam operam præstare nequeat. Ablegat tamen eum ad alterum procuratorem, compatrem suum, cum hac commendatione; *Compater mi; venerunt ad me duo capones pingues: ego pinguiorem cepi, alterum vobis mitto: plumetur is a parte vestra, & ego plumabo alterum.* Horum genios aptè describens Innocentius Papa, ait; *Sæpè causa tantùm differunt, quòd litigantibus plus, quàm totum auferunt, quia major est expensarum sumptus, quàm sententiæ fructus: nec terminantur negotia pauperum cœpta, quousque eorum marsupia sint evacuata; cùm tamen scriptum sit: Gratis accepistis, gratis date. Ipsi verò nec gratiam gratis dant, nec justitiam justè reddunt. Lucrum in arca, damnum in conscientia.*

Beyerlinck in Theatro Mag. V. Advocatus.

Innoc. de vilitate conditionis hum.

73. Alius pectini subscripsit: IMPLICATA EXTRICAT. Vivacis ingenii hæc idea est, quod quæcunque Sphyngis Thebani involucra felici acumine resolvere, & in explicandis iis vel cum Oedipo certare novit. Hoc encomio cumprimis spectandus S. Hieronymus, obvia quævis sacræ Paginæ ænigmata extricavit. Nam, teste Romano Breviario, *Tanquam ad oraculum ex omnibus orbis terræ partibus ad ipsum Divinæ scripturæ quæstiones explicandæ referebantur.* Eandem laudem sancto Servatori, Archiepiscopo suo, tribuit Ecclesia Ambrosiana; *Servator Mediolanensis, vir præstanti ingenio, rerum Divinarum scientiâ, eloquentiâ, & Christianis virtutibus excultus, Prophetarum RES INVOLUTAS & latentes interpretando EXPLICAVIT.* Cæterùm etiam conscientiæ examinandæ beneficio intricatæ cordis humani synthereses componuntur. Unde S. Ignatius Loyola hoc titulo Examen conscientiæ afficit; *Examen conscientiæ ad purgationem animæ, & peccatorum confessorum utilissimum.*

Ingenium vivax. S. Hieronymus. *Brev. Rom.* *Eccles. Ambr. 28. Maii.* Examen conscientiæ. *S. Ignat. in lib. Exercit.*

74. Pecten non tantùm capillos implicatos distinguit, sed etiam incompositos & exleges in ordinem redigit. Lema, DISTINGUENDO COMPONIT. Hanc pectinis indolem quivis præstans Professor imitatur, qui scholasticas controversias, nōnunquam in congressibus litterariis excitari solitas, opportuno distinguendi artificio quantocyus dirimit. Abrahamus contentionem, inter suos & Lothi, nepotis sui, pastores exortam, dexterè composuit, dum eos mutuò separandos suasit; uti Geneseos Historia testatur. Cæterùm quantum ad dissolvenda ac extricanda subditorum vitia attinet, Ivo Cornotensis cuidam amico suo ob pecten dono oblatum, respondit; *Cùm in capillis inordinati mores, vel inordinati populi quâdam comparatione possint intelligi, credo prudentiam tuam munusculo hoc, quasi quodam mysterio, vigilantiam meam excitare, ut studeam inordinatos populorum mores diversis exhortationum modis componere, atque habito discretionis moderatione ad debitum ordinem revocare.*

Professor. Separatio. *Ivo Carn. ep. Epist. 6.*

PHLE-

PHLEBOTOMUM.

Cap. XXI.

75. PHlebotomum, venæ incidendæ applicatum, epigraphen tenet; FERIT, UT SANET, seu SANAT, DUM FERIT. Hæc ipsa calamitatis effecta sunt, quæ è vulnerata carne felicem animæ sanitatem conciliat. De Deo testatur Jobus; *Vulnerat, & medetur*. Et D. Gregorius Brunellus;

Calamitas. *Iob. 5. 18.*

Exprimat ut nocuum tenui mucrone cruorem,
Et pellat morbos, hastula parva facit.
Pungere in adversis, sic leni vulneris ictu
Ut sanet mentem, nos Deus ipse solet.

Huic concinit D. Basilius Paradysi, nobilis Poëta Lyricus;

Bench' al infermo noia
Dia' l ferro, lo risana, e benche punga,
A la palma i destrier porta la sprone.
Pregio de la ragione
E' il moderarsi in ramontar che spesso
Porta seco i rimedii il male istesso.

Et rursus.

Non e mal ciò ch' offende,
Se ciò ch' offende è medicina, e giova
Spesso à virtù ciò ch' hà di doglia aspetto.

Denique S. P. Augustinus, vel quicunque est author Libri de visitandis Infirmis, ait; *Complectere quam pateris infirmitatem, quoniam ita proficies de virtute in virtutem. Si in infirmitate virtus augmentatur, virtus autem est salus animæ. INFIRMITAS Corporis quandoquidem per virtutem ANIMÆ PARIT SALUTEM, donum Dei est.* Et rursus; *MORBUS hic corporis MEDICINA EST spiritualis.*

S. Aug Tom. 9. lib de Visit. Infirm. c. 4. *Ibid. c. 5.*

76. Phlebotomum, authore P. Gamberto, epigraphen è Claudiano mutuatam præfert; PARCENDO SECABIT. Illud enim, unicâ corporis parte incisâ, totum hominem servat incolumem. Vindicantis justitiæ hoc symbolum dixerim, quæ à Principe ad paucorum hominum flagitiosorum sanguinem fundendum adhibita, totius Reipublicæ corpori medetur. Hanc ipsam operandi methodum probè observans Deus, nunquam magis beneficium se exhibet, quàm dum acerbiore calamitatum ferro in hominem animadvertit. Scitè in rem præsentem S. Bernardus, *Tunc magis irascitur Deus, cùm non irascitur. Volo irascaris mihi pater misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis devium, non quâ extrudis de via. Cùm enim sentio iratum, tunc maximè confido propitium: etenim cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

Justitia vindicativa. Deus affligens. *S. Bernard. serm. 42. in Cant.*

ROGUS.

Cap. XXII.

77. VEteri more, humana cadavera rogo concremanda injicieb. ntur: credebant enim, eo ritu manes à noxis omnibus, in vitæ decursu perpetratis, expiatum iri. Unde rogus Emblematis loco inscriptum tenet; MORTALE REPURGAT. Piaculares purgatorii flammas hoc schema repræsentat, in quibus pii fidelium manes miro potentiæ ac sapientiæ Divinæ invento cuncta sordes, è pristina vita etiamnum reliquas, extergunt. Dilucidè Apostolus; *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem.* In hunc locum P. Cornelius à Lapide; *Christo*, inquit, *in judicio particulari assistit ignis purgatorii; quia Christo Iudici ad manum paratus adest, ut probet, puniat, & purget cujusque hominis opera.* Cæterùm etiam quodvis opus, corpori castigando à vero pœnitente applicatum, pristinam animæ munditiem reddit. *O pœnitentia*, exclamat S. Cyprianus, *quid de te novi referam? omnia ligata tu solvis, omnia clausa tu reseras, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sonas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas.*

Purgatorium. *1. Cor. 3. 13.* *Corn. à Lap. in hunc. loc.* Pœnitentia. *S. Cypr. de laud. Pœn.*

78. Corpori humano, intra ardentem rogum spectando, subscripsêre, ARSO IL MORTALE AL CIEL N' ANDRA' L ETERNO. Id est; CORPORE CONSUMPTO, SPIRITUS ASTRA PETET. Emblematis construendi occasionem offert Seneca Tragœdus, ubi Alcmena hanc defuncto Herculi apostrophen recitat;

Senec. in Hercul. O. Act. 5. sub.

Certè ego te vidi flagrantibus
Impositum sylvis, cum pluribus
In cœlum furerent flammæ minis;
Arsisti certè.

Cui respondet Hercules;

- - - - - *Quidquid in nobis tui*
Mortale fuerat, ignis invictus tulit:
Paterna cœlo pars data est, flammis tua.
Virtus in astra, tendit in mortem timor.
Præsens ab astris mater Alcides cano.

Animas, in piacularibus flammis detentas, hæc imago concernit, quæ à mortalitatis suæ sordibus in ardentis hypogæi rogo extersæ, ad felicitatis æternæ gloriam evolant. In rem præsentem jam olim Virgilius de Animabus à corpore separatis, cecinit.

Purgatorium. *Virg. l. 6. v. 739.*

Ergò exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: alii sub gurgite vasto
Infectum, eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patitur manes, exinde per amplum
Mittimur Elysium &c.

Ignis illius purgatorii acerbitatem expendens S. P. Augustinus, ait; *Ille purgatorius ignis durior erit, quàm qui potest in hoc sæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut sentiri.*

S. Aug. serm. 41. de sanct.

79. P. Jacobus Masenius Emblematis loco rogum & faces mortales statuit, cum lemmate, LUCE HAC LUX CLAUDITUR OMNIS. Ita nimirum omnis mundi gloria ac plausus in morte extinguitur. Hugo de S. Victore; *Dic mihi, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes. Attende diligenter quid sunt, vel fuerunt? Homines fuerunt sicut tu: comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, plenæ divitiæ &c.* Et Seneca;

In morte Gloria mundana finitur. *Hug. Vict. de Anim.* *Senec. in Troade.*

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem;
Res Deus nostras celeri rotatas
Turbine versat.

SCENA.

Cap. XXIII.

80. JOannes Ferrus Abbas hanc scenæ seu theatro epigraphen subjunxit; FINGIT, ET DOCET. Tales omninò pleraque Servatoris nostri conciones fuêre, quæ metaphoris ac parabolis undique respersæ, miram doctrinæ lucem universo orbi conciliârunt; uti videre licet in parabola satoris, semente jacientis;

Christus prædicat in parabolis. Parabola.

S. Io. Chrysost. Hom. 45 in Matth.

jacentis; fœminæ abscondentis fermentum; hominis inimici, zizania intermiscentis thesaurum in agro repericntis &c. S. Joannes Chrysostomus; *In parabolis Christus loquitur, ut tenacius memoria, quæ dicuntur, commendari possint. Et expressior propter similitudinem sermo res ipsas ante oculos apponat.* Et S. Cyrillus; *Figuræ intellectualium hæc corporalia sunt, quæ cùm sentiantur, clariora plerumque faciunt ea, quæ aliter vix possumus intelligere.*

S. Cyrill. c. 62 in Ioan.

81. Scena complurium eventuum ac comœdorum varietate spectatoribus non voluptatem tantum, sed & præclaras vitæ instruendæ præceptiones ingerit. Unde lemma; AMMAESTRA, E DILETTA. Id est; DOCET, DELECTAT. seu, UTILE DULCI. Christi prædicantis hoc symbolum est, qui suis auditoribus simul & recreandis & convertendis diversas parabolas, ceu opportunissima legis Divinæ involucra, proposuit, uti superiore numero ostendimus. Cur autem Servator plerasque suas conciones figuris & parabolis involverit, causas diversas assignat S. Chrysostomus; *Primum*, inquit, *ut significantius loqueretur, & magis ante oculos poneret. Mens enim, familiarium rerum imagine concepta, magis suscitatur, & tanquam in pictura rem ipsam magis amplectitur. Deinde ut jucundior esset narratio, & diutius animo immoraretur.* Et S. P. Augustinus; *Plus movent figuratè dicta, & accendunt amorem, quàm si nuda, & sine ullis sacramentorum similitudinibus ponerentur. Cujus rei causam difficile est dicere. Sed tamen ita se habet, ut aliquid per allegoricam significationem intimatum, plus moveat, plus delectet, plus honoretur, quàm si verbis propriis diceretur apertissime.* Porrò etiam Orator è gemino suo munere simul & persuadeat & delectat. *Nihil præstabilius videtur*, inquit Seneca, *quàm posse dicendo tenere hominum mentes, allicere voluntates, impellere quò velit, unde autem velit deducere. Nam Oratoris est proprium, graviter & ornatè dicere, ut possit animos Judicum commovere.* Illud ipsum etiam cujusvis perfecti Poëtæ officium esse, Horatius affirmat.

Christus prædicans in parabolis. Parabolæ.

S. Io. Chrysost. Hom. 33. in Ioan.

S. Aug. Epist. 119 ad Ian.

Orator. Cassiod. Var. l. 6.

Poëta. Horat in Arte.

Aut PRODESSE volunt, aut DELECTARE Poetæ,
Aut simul & jucunda, & idonea dicere vitæ.

82. Scenam opportuno hoc lemmate insignive-rim; NON QUAM DIU, SED QUAM BENE. Comœdia quippe partum laudis è diuturnitate refert, nisi eandem ingeniosa rerum varietas, & apta Comœdorum dispositio condiant. Humanam vitam scenæ non absimilem testatur Seneca, in quâ non qui diu, sed qui virtuosè progressus est, plausum fert. *Quomodo fabula, sic vita: non quamdiu, sed quàm benè acta sit refert.* Plurimorum instar paucu los enumero. S. Casimirus annis viginti quinque; S. Agapytus nonnisi quindecim & S. Agnes solis tredecim vitam duxere, quando meritis ac virtutibus pleni, ad cœlestem gloriam evolarunt. Atque adeò solam vitæ bonitatem, non verò prolixos annos æterna gloria sequitur, majorique pretio virtutis candor, quàm capitis canities habetur. Salomonis pronuntiatum est; *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.*

Vita sit virtuosa. Senec. Ep. 77

Sap. 4. 8

SCEPTRUM.

CAP. XXIV.

83. **D**Idacus Saavedra Emblematis loco sceptrum regium, à sole perpendiculari illustratum, depinxit; addito lemmate, A DEO. Meminisse nimirum quosvis Principes voluit, regna ac principatus suos è sola Dei beneficentia profluere. *Non est enim POTESTAS, nisi A DEO*, inquiebat Apostolus, mox de iisdem Principibus subjungens, *Ministri Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* Præclarè, ut solet, Magnus Augustinus; *Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis; regnũ vero terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil injustè placet.* In hanc veritatem concedens Salomon, ait; *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis.* Nec aliter Siracides, ubi enim vulgata nostra legunt, *In manu Dei potestas terræ*, Interpres Syrus habet, *In manibus Domini Dominorum universum: cum, qui aptus est, in tempore constituet super illud*, id est, *universum.* Nec Homerum id fugerat, quando dixit, *Ex Musis & procul mittente Apolline viri Poetæ sunt in terra & citharœdi: EX JOVE AUTEM REGES.* Unde coronati illi Apocalypseos Monachæ sua diademata ad throni Divini pedem abjecêre, veluti regiam suam potentiam nonnisi beneficiariam, & unicè ab infinita Majestate profluentem, testaturi. Eam ob causam hodie etiamnum Reges Christiani suis Diplomatis hunc præfigunt titulum, *Philippus DEI GRATIA Hispaniarum REX.* Ingenuè nimirum confitentur, regiam suam dignitatem à sola Dei bonitate ac gratiâ scaturire.

Principatus a Deo est.

Rom. 13. v. 1. & 6.

S. Aug. l. 5. de Civit. Dei. c. 21.

Sap. 6. 4.

Eccles. 10. 4

Hom hym in Musas & Apollinem.

84. Jugum, servitutis symbolum, cum sceptro regio decussatim depictum, epigraphen tenet, DUM SERVIO, REGNO. Illius hæc imago est, qui relicto mundo, sese obsequiis Divinis liberrimè consecrat. S. Joannes è servitute, quam Deo fidelissimam servierat, ingentem ac regiam gloriam sibi accessisse, gloriatur. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram.* In hunc locum S. Rupertus Abbas, *Confitentur*, inquit, *omnes redempti, & verum dicunt, quia sunt servi ejus, qui eos redemit sed ipse, qui redemit, non servos, sed amicos: non SERVIENTES, sed CONREGNANTES FACIT.* Salomon, Hungariæ Rex, ab armatâ perduellis nepotis sui manu regno ac regiâ ejectus, erem um adiit, ibique obsequiis Divinis addictus, tantam animi felicitatem reperit, ut regnum à se non admissum, sed commutatum, ingenuè fateretur; ut sequenti epigrammate traditur;

Religiosus

Apoc 5. 10.
S. Rup. in hunc loc.

Rex erat Hungariæ Salomon, fugiensque Nepotis
Arma, subit sylvam, sylva repente placet.
Et sceptrum, ac reditũ spernẽs; Non abstulit, inquit,
Sed mihi mutavit patria regna Nepos.

Porrò homo sapiens, in alterius obsequium conductus, verè de se dixerit, *Dum servio, regno*, idque non solum ob animi sui libertatem, quæ nulli alieno dominio subjacet; sed insuper ob proprium personæ suæ valorem, etiam ab ipso Domino observandum, honorandumque. Seneca; *Si quis existimat, servitutem in totum hominem descendere, fallitur; pars ejus melior est excepta: corpora obnoxia sunt, & adscripta Dominis, mens quidem sui juris est.* Dilucidè Siracides *servo sensato*, id est, virtuoso ac prudenti, *liberi servient.* Unde Diogenes, cùm inter mancipia venalis staret, interrogatus, quid sciret? respondit, *Novi hominibus liberis imperare.* Micythus, Anaxilai, Rhegino rum Principis, servus, mortuo suo hero in superstitum filiorum tutorem, ac totius Principatus gubernatorem assumptus est. De hoc testatur Macrobius; *Is tutelam sanctè gessit, imperium quod clementer obtinuit, ut Rhegini à servo regi non dedigna-*

Sapiens.

Senec. l. 3. de Benef.

Eccles. 10. 2

Macrob l. 1. Saturn. c. 11

dedignarentur. Atque adeò dum servit, regnavit.

85. Princeps, debito suo muneri exactè responsurus, ideæ loco sceptrum intueatur, quod jugo innixum, epigraphen præferat; SERVIO REGNANS. Id probè edoctus Antigonus, Rex Macedonum, filio suo dixit; *An ignoras, REGNUM non aliud ESSE, quàm splendidam SERVITUTEM?* Et in Senatu publico Tiberius; *Dixi, & nunc, & sæpè alias P.C. bonum & salutarem PRINCIPEM Senatui SERVIRE debere, & universis civibus sæpè, ac plerumque etiam singulis.* De Principibus dilucidè S.Paulus; *Ministri Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* Et ut compendio dicam, justus, etiam dum servit, liber est: impius vicissim, quantumvis regnet, servit. Verissimè S.P.Augustinus; *Bonus, etiamsi serviat, liber est; malus, etiamsi regnet, servus est.*

Principes serviunt. *Rom.13.6*

S.August. l.4.de Civit. c.3.

86. Plerumque sceptrum regium naturâ suâ origine nihil est aliud, nisi truncus ligneus, in formam graciliorem excisum, torno elaboratus, & parergis aureis insignitus. Ut adeò Augustinus Mascardus eidem opportunam hanc Virgilii gnomam lemmatis loco subjunxerit. OLIM ARBOS. Hanc ideam iis ob oculos positam velim, qui ex infima sorte ad sublimem imperii aut prosperitatis gradum emerserunt, ne in superbiam efferantur, aliosque arroganti supercilio fastidiant. Meminerint quippe, se ad honores illos externos ac recentes fortasse absque propriis meritis, solo cæcutientis fortunæ beneficio eluctatos esse. Ita Abdolonymus Alexandri Macedonis gratiâ ab horti culturâ ad regiam Sidonis coronã sublevatus est. Justinus, primùm subulcus, postea Romanorum Imperator audiit. Agathocles parente figulo natus, in Siciliæ Regem evasit. Saul & David è jumentis ac gregibus pascendis, Palestinæ Reges sunt nominati. Quin ipsamet Roma majestatem ac theatra sua regia iis potissimum locis ostentavit, ubi olim agrestes sylvæ ac mappalia habitabantur. De hâc Ovidius;

Virgil.2.Æn.

Natales viles.

Nobilitas.

Ovid.1.Fast.

Hic, ubi nunc Roma est, tunc ardua sylva virebat.

Sed instar omnium esto unius Ezechielis oraculum, qui de Solimæis Regibus differens, ait, illorum sceptra nonnisi è sylvarum arboribus originem trahere. *Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus ejus, & frondes ejus creverunt ex aquis multis, & factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium &c.* Verissimum adeò est illud Senecæ; *Neminem Regum non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex Regibus.*

Ezech.19.11.

Senec.Ep.44

87. Sceptro epigraphen non incongruam subjunges; IMA DE STIRPE. Sceptrum quippe nihil aliud est, nisi ligni fragmentum, è vili arbore recisum. In rem præsentem Virgilius de Latino Rege canit;

Virg.l.12. Æn.v.205.

Ut sceptrum hoc (dextrâ sceptrum nã forte gerebat)
Nunquam frõde levi fundet virgulta, nec umbras,
Cùm semel in sylvis imâ de stirpe recisum,
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.

Saulem, Tammerlanem, S Petrum, aliosque, ex infimâ sorte ad regnum sublevatos, hoc symbolum concernit. Unde præclarè observat Tullius; *Satius est, meis gestis florere, quàm majorum opinione uti, & ita vivere, ut sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.*

Princeps loco humili natus. *Cicero Orat. cont Sallust.*

SERA.

Cap. XXV.

88. Sera, multis clavibus pervia, exiguo habetur pretio; solumque illa æstimatur, quæ uni duntaxat sui penetrandi facultatem permittit. Unde lemma; PARET UNI. Ita prorsus omnium ludibrio se exponit, qui sua obsequia vitio & virtuti, terræ & cælo, Deo ac dæmoni, ex æquo venditare cupit. Nunquam enim laudem promerebere, nisi singulos animæ tuæ affectus uni Deo consecraveris. Optimum Samuelis consilium est; *Præparate corda vestra Domino, & servite illi soli.* Enimverò, afferente Theodoreto, *Proprium est perfectorum hominum, totum cor Deo dedicare, & omnem mentem ipsi consecrare.* Unde SS. Joannes & Paulus, illustria illa Martyrum nomina, cùm ab Apostata Juliano ad idola adoranda invitarentur, alacri ore responderunt. *Nos unum Deum colimus, qui fecit cælum & terram.* Terentiano item liberè dixerunt; *Si tuus Dominus est Julianus, habeto pacem cum illo: nobis alius non est nisi Dominus Jesus Christus.*

Servus fidelis.

1 Reg.7.3.

Theod. in Psal.9.v.1

89. Sera annularis, è compluribus circulis constructa, ac diversis alphabeti litteris signata, epigraphen subjunctam habet; UNI PATET VERBO. Genuino hoc Emblemate Mariæ Virginis uterum significabis; sicuti enim sera illa annularis ibi solum aperitur, quando peculiare ac determinatum aliquod verbum è dispersis ipsius litteris composueris, ita uterus hic sacratissimus nunquam aliàs reseratus fuit, nisi quando Verbum Incarnatum, sine ulla integerrimæ Virginitatis offensâ, prodigiosè in hunc orbem enixus est. Opportunè Chrysippus, Mariæ Virgini supplex, exclamat; *Ave, quæ es puteus semper viventis aquæ. Ave porta clausa, SOLI REGI APERTA.* Idipsum metaphorâ satis dilucidâ olim vaticinatus Ezechiel, ait; *Porta hac clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Quem locum SS. Hieronymus & Ambrosius prolixè de fœcunda & illibata Matris Divinæ virginitate interpretantur. Eidem symbolo P. Jacobus Masenius hanc epigraphen subdidit; PANDITUR AD VERBUM.

Maria V. gravida.

Chrysipp.

Ezech.44.

Aspicis inscriptum distinguere pessula Verbum;
Verte, aperit clausas vox tibi lecta fores.
Æterno patuit Virgo castissima Verbo,
Nullius ad blandi verba movenda proci.

90 Eandem seram annularem, diversis characteribus signatam, hoc lemmate proposui spectandam; UNO VERBO RECLUDOR. Sera enim illa clausa ac constricta unico concurrentium litterarum verbo, ceu, clavi, dissolvitur. Ita prorsus Zacharias, Joannis parens, linguâ sat diu tenebatur elingui; at vix Joannis nomen articulatim scripserat, mox effractis obseratæ linguæ repagulis, in benedictionis & laudis Divinæ voces prorupit. *Scripsit, dicens, Joannes est nomen ejus. Apertum est autem illicò os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.* In hoc argumentum S.Ambrosius, *Videte meritum,* inquit, *os quod angelus alligaverat, Joannes absolvit: quod Gabriel obstruxerat, parvulus reseravit.*

Zacharias S.Jo.Bapt.

Luc 1.63.

S.Ambros. serm.2 de S.Io.Bapt.

91. D. Aresius, ad SS. nomen JESU alludens, seræ annulari subscripsit; ERUDITUS IN VERBO REPERIET. Lemmate è Divinis Proverbiis mutuato; *Eruditus in verbo reperiet bona.* Ni fallor, significare volebat; omnium bonorum affluentiam ab illo repertum iri, quisquis sanctissimum hoc nomen,

Prov.16.20

Nomen Jesu.

Act. 4. 12. nomen, ceu totius felicitatis epitomen, devoto ac frequenti ore invocaverit. *Nec enim aliud nomen est sub cælo, in quo oporteat nos salvos esse*, inquiebat Apostolorum Princeps. Diserte Origenes; *Non solum unum bonum Jesus, sed omnia bona. Vita bonum est; Jesus est vita. Resurrectio bonum est, Jesus est resurrectio. lux mundi bonum est, Jesus est lux mundi.* Cæterum eodem Emblemate demonstratur, vivaci ac excelso ingenio nihil unquam repertu esse impervium.

Orig. Præf. in Ioan.

Ingenium vivax.

92. Sera annularis, characteribus suis itidem ad SS. nomen Jesu alludens, epigraphen à me recepit; NOMEN ABSCONDITUM. In hanc rem opportunum censui illud S. Damasi Papæ epigramma, cujus initium ac finis sanctissimo hoc nomine clauduntur;

Nomen Jesu.

S. Damas. Papa.

Jure pari regnat, communis conditor ævI
Et cum Patre piâ regnat sublimis in arcE
Sidereo sanctis insidit Numine regniS
Unde mare, & terras solo videt omnia nutU
Suggerit humanis, & donat munera rebuS.

93. Annulorum characteres, legitimo ordine collati, non quidem nomen aliquod cassum aut otiosum, sed virtute ac energiâ aliquâ præditum constituunt; sicque insolubili huic seræ reserandæ deserviunt. Unde P. Hortensii Pallavicini lemma; CUM NOMINE VIRTUS. Hinc disces, virtuosas operationes nominis nostri ectymo semper consonas esse debere. Certè Verbum Incarnatum, salutifero Jesu, seu Servatoris, nomine vix accepto; quantocyus in circumcisione copiosum sanguinem, redimendis mille mundis suffecturum, profundere voluit. Porrò cùm idem Christus Orientis nomine sit vocatus; *Ecce vir Oriens nomen ejus*; item, *Visitavit nos Oriens ex alto*; huic nomini suo conformandus; mox in infantiæ suæ Oriente operari cœpit, & Magos è plagis Orientalibus evocatos, in sua obsequia prodigiosè traxit. Ad hoc propositum Sedulius ait; *Convenienter scripturarum sanctioni concordans Christi nativitas; ab Oriente fulgebat, qui implet; quod Zachariæ denuntiat Oratio; Visitavit nos oriens ex alto.*

Nomen consonet factis.

Zach. 6. 12.
Luc. 1. 78.

Sedul lib 2. Oper. Pasch. cap. 4.

94. Academici Conjuncti Firmenses symboli loco seram annularem præferunt, cujus circuli diversis characteribus insigniti, epigraphen subjunctam habent; RITE JUNCTIS. Opportunò hoc Emblemate demonstrabis; Sicuti cera annularis, characteribus prudenter dispositis, citra negotium aperitur; ita sacræ scripturæ sensum, seipso quidem obscurum ac difficilem, tum demum effici intellectu facillimum, si unam sententiam cum alterâ maturè ac debitâ operâ conferas: ut adeò verissimum sit illud axioma: *Liber librum aperit* Idipsum etiam in exercitu evenire solet, ubi milites, legitimo ordine dispositi, Belliduci indubitatam victoriæ obtinendæ viam aperit. Xenophon; *Bonum est*, inquit, *Imperatori, ut aciem ordinare per quam doctè sciat. Quemadmodum enim lapides, ligna, & tegulæ inordinatè quidem projecta ad nihil utilia sunt, eadem verò si rectè sursum, deorsumque ordinentur, domum fortem, & nunquam ruituram componunt: Idem de exercitu judicium est:* vide insuper ea, quæ nos superius primo hujus libri numero ex eodem Xenophonte in rem præsentem adduximus. Unde Macrinus Imperator, Herodiano teste, milites suos in hæc verba excitare solebat; *Arma corripiamus, & ut mos est Romanis, ordines in acie servemus*, ad felicem ac gloriosam victoriam eo ordinis militaris beneficio certius assequendam.

S. Scriptura.

Militaris ordo.

Xenoph. lib. de dictis & factis Socratis.

Herod. lib. 4.

95. Sera annularis seu mero eventûs fortuiti beneficio, seu operantis labore & industriâ reserari potest. Unde lemma; SORTE, AUT LABORE. videlicet, destinatos fines nostros vel assidui laboris ac diligentiæ subsidio, vel fortunæ secundioris gratiâ assequimur. Certè scientiæ aliis solius Dei favore infunduntur, ab aliis econtra indefesso labore comparandæ sunt. Divitiæ solo donationis aut juris hæreditarii nomine aliquibus in scrinio accumulantur, quas alii nonnisi gravissimâ & assiduâ sollicitudine conquirunt. In artibus denique sors fortuita nonnunquam laboris aut industriæ succumbentis defectum supplet. De Protogene refert Plinius, quod canis anhelantis spumam expressurus, colores sæpius absterserit, mutuaveritque penicillos; arte tamen semper fallente, & ab ectypo suo dissonâ, postremò iratus arti; spongiam impegit inviso tabulæ loco; quæ mox citra opinionem colores omnes ad pictoris votum ita aptè disposuit, ut vivum spumare canem dixisses. Idipsum eodem loco testatur Plinius de Nealce, equi spumam exprimente; ut adeò utroque hoc successu fortuna subierit artis vicem. Quibusdam econtrà adeò fortuna obtingit noverca, ut omnia laboribus comparare debeant. De his semper obtinet illud Senecæ; *Laborem si recuses; parum esse potest.* Et illud Sophoclis;

Fortuna & labor.

Sen. Ep. 51.
Soph in Electra.

Absque laboribus nulla certè felicitas.

96. Litteræ, recto ordine combinatæ, seram annularem instar clavis aperiunt; at eadem sera, litteris illis supra circulos revolutos promiscuè disjunctis, ac separatis; ad thesauros custodiendos & citra periculum asservandos aptissima habetur. Eam proinde Gambertus hoc lemmate insignivit; ARTIS OPUS; TURBASSE NOTAS. Steganographiæ hoc symbolum est, quæ litteris vel inter se, vel in arithmeticæ numeros transmutatis; arcana sua adeò ingeniosè cum amicis communicare potest, ut à nemine alio penetrari queat. Cæterùm lemma istud etiam in Caussidicos convenit, quorum potissima ars est, turbare veritatem, & invertere justitiam. *Hi sunt*, inquit Sanctus Bernardus, *qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti adversus justitiam, eruditi pro falsitate, sapientes sunt ut faciant malum; eloquentes ut impugnent verum:*

Steganographia.

Advocatus.

S. Bern. l. 1. ad Eugeniū Pap. c. 9.

97. Quævis intricata & difficilis expeditio, quantumvis primâ fronte videatur insuperabilis, tandem tamen doctâ & sagaci rerum dispositione conciliatur, & felici termino absolvitur: uti nuperè in universali pace, inter Hispanos & Gallos, Cardinalis Mazzarini, & Comitis d'Aro studiis sancitâ, videre licuit. In hanc rem D. Carolus Rancatus seram annularem Emblematis loco suspendit, cujus circuli diversis litteris signati, epigraphen habebant; DIFFICILIS FACILIS. Verbis è Martiale desumptis;

Prudentia reddit omnia facilia.

Mart. lib. 12

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem;
Nec tecum possum vivere; nec sine te.

De scientia cumprimis verum est, omnes illius difficultates assiduo labore ac studio superari. Hugo de S. Victore; *Otium stultitiam, labor scientiam generat.* Et Origenes; *Stringe mentem, & dabit intellectum. Nihil enim tam incredibile, quod non dicendo fuit probabile.*

Labore scientia penetratur.

Hug. Vict. de Claust. an. l. 2.
Orig in Exod.

SERTUM. Cap. XXVI

98. Sertum, è singulis terræ floribus contextum, hanc sacri Epithalamii gnomam lemmatis loco præfert; ELECTUS EX MILLIBUS. Hinc signi-

significare licet, Incarnati Verbi prærogativas supra reliquas omnium hominum perfectiones infinities eminere. De hoc S.Gregorius Nyssenus; *Inter omnes hominum myriades, ex quo illi esse cœperunt, & quousq; nascentur, solus hic novâ partus specie in hanc lucem prodiit, cui ad nascendum natura non est cooperata, sed servivit: cujus nativitas de duorũ conjunctione orta non est, partus minimè inquinatus, nisi doloris expers &c. & sic optimè dicitur, Electus ex millibus.*

Christi excellẽtia. S.Greg.Nyss.

Porrò etiam in S.Thoma Aquinate singularum virtutum flores miro nexu collectos testatur Clemens VI Pontifex Maximus: *S.Thomas fuit exemplar virtutum omnium, earumq; exempla erant membra ejus singula. In oculis relucebat simplicitas, in vultu benignitas, in auribus humilitas, in gustu sobrietas, in lingua veritas, in odoratu suavitas, in actibus integritas, in manu liberalitas, in incessu gravitas, in forma honestas, in visceribus pietas, in intellectu claritas, in affectu bonitas, in mente sanctitas, in corde charitas &c.*

S.Thom. Aquinas.

S.Gregorius Nyssenus illarum virtutum omnium epitomẽ in uno B.Meletio collectam fuisse affirmat, quæ in plurimis aliis sanctis nonnisi dispersæ reperiebantur. *Cùm primùm benè morata, ac modesta Ecclesia B.Meletium vidit: vidit faciem ad imaginem Dei verè formatam: vidit dilectionem fontis modò scaturientem: vidit gratiam labiis circumfusam: vidit mansuetudinem atque clementiam, qualis in Davide fuit: qualis in Salomone, intelligentiam atq; prudentiam: qualis in Moyse, bonitatem: qualis in Salomone, perfectionem: qualis in Josepho, continentiam, pudicitiamq;: qualis in Daniele, sapientiam: quemadmodum magnus Elias, zelo fidei præditum, sicut sublimis Joannes, integritate corporis ornatum: sicut Paulus inexuperabili præditum charitate: vidit tot bonorum circa unam animam concursum.*

S.Greg Nyss.

99. Sertum, è diversorum florum coronamentis connexum, gratiosum fronti redimitæ decus conciliat. Unde Francisci Raulini lemma; NECTIT ET ORNAT, Amicitiæ hoc symbolum est, cujus beneficio homines virtuosi in mutuos affectus junguntur; sibique invicem reciprocâ suâ eruditionum consuetudine maximum ornamentum afferunt. *Amicitia*, asserentibus S.Augustino & Tullio, *est omnium humanarum, Divinarumq; rerum cum benevolentia & charitate summa consensio: quâ quidem haud scio, an, exceptâ sapientiâ, quidquam melius homini sit à Diis immortalibus datum.*

Amicitia. S.Aug. Ep. 45. Cicero l. de Amicitia.

100. Scientia, nisi Magnatum gratiis suffulta, ætatem ferre, aut integra persistere vix potest; haud secus atque sertum, è floribus contextum, DUM RADIX, ET HUMOR DEFICIT, LANGUET, seu, ut vernaculo idiomate subscripsit Joannes Ferrus; DI RADICE, E D'HUMOR PRIVA, LANGUISCE. Certè omnis felicitatis radix est Deus, humorem subministrante sanctâ ipsius gratiâ; ut adeò sine gemino hoc adminiculo omnes ingenii creati vires flaccescant. S. Anselmus, illa Apostoli verba interpretatus; *Omnia possum in eo, qui me confortat*, ait, *Ecce in altum ramus producitur, sed quia in radice se tenet, in viriditate permansit, in altum enim surgens aresceret, SI SE A RADICE DIVISISSET.* Opportunissimè S. Clemens Alexand. *Contexta autem corona marcescit, & pravitatis perplexum sertum dissolvitur, & flos exsiccatur. Marcescit enim gloria eorum, qui Domino minimè crediderunt.*

Protectio deficiens. Gratia Dei. S.Anselm.in Philipp 4 13. S.Clem.Alex lib.2. Pædag.c.8.

101. Sertum, è multis floribus contextum, epigraphen tenet; EX UNIONE DECOR. Hinc grande ornamentum, è concordia nobis accrescere solitum, conjicies. S. Gregorius Nazianzenus; *Omnium rerum ORNAMENTUM IN CONCORDIA situm est.* P.Cornelius à Lapide observat, quod, *postquam dixit Apostolus*, Suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos, *addit*, in honorem Dei; *Quia cùm Christi redemptio, quâ nos in filios suscepit, & adoptavit, cessit in honorem Dei: tum mutua Christianorum susceptio & concordia, ad quam Christus quasi Pater eos suscepit in unam Ecclesiam & familiam, in Dei honorem tendit, & vergit &c.*

Concordia. S Greg. Naz Orat 3 de Pace. Corn. à Lap in Epist. ad Rom. 15. 7.

102. Orator, aut Prædicator, suis sermonibus diversam materiem Evangelicam, Scholasticam, Historicam, Physicam, &c. inspergere solitus, sertum floridum imitatur; cum lemmate, VARIETATE PLACET, seu, VARIETATE VENUSTIOR. S. Clemens Alexandrinus; *Varia ac multiplex doctrina, & variè probat id quod adducitur, catechumenis admirationem afferens, ea, quæ sunt præcipua dogmata, ad eorum, qui audiunt, persuasionem deducit, & ad veritatem.*

Prædicator. S.Clem.Alex. lib. 1. Strom.

103. Corona, è quercu texta, epigraphen reddit; OB CIVES SERVATOS. Romanis enim consuetum erat, militi in præmium civis cujusdam, à morte vindicati, coronam, è foliis ac frondibus quernis contextam, imponere; ut pluribus locis prolixè tradunt & explicant Plinius, Pierius, Alexander ab Alexandro, aliique complures, inter quos succinctè meus Conterraneus Andreas Alciatus;

Servanti civem querna corona datur.

Quod si ob salutem hominis temporalem ab interitu servatam corona querna seu Divina (Quercus enim, è Romanorum opinione arbor Divina est, quia Jovi sacra) debetur, quantam, obsecro, promerebitur ille, qui, zelo animarum succensus, vel unicam ab æterna ruina servat animam? Præclarè S.Gregorius Papa super illis Jacobi verbis, *Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum*; ait, *Si magna merces est, à morte eripere carnem quandoq; morituram, quanti est meriti, à morte animam liberare, in cœlesti patria sine fine victuram?* Certè Christus, instar optimi Pastoris, animam suam posuit pro ovibus suis. At quod huic charitati respondit præmium? Audi Apostolum: *Propter quod*, inquit, *& Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine IESU omne genu flectatur &c.*

Præmium meriti. Zelus animarum. Iacob 5. S.Greg. l. Moral.c.13 Phil.2.

104. Corona, è spicis necti solita, apud Romanos nunquam amplius sive in exilio, sive in morte auferebatur. Ut adeò à Rota cognominata fuerit VITÆ MORTISQUE COMES. Veri amici hæc imago est, qui nec infortunio, nec mortis formidine sese ab altero divelli patitur. Seneca; *Vera amicitia est, quam non spes, non timor, non utilitatis suæ cura avellit.* Et Tullius, *Veræ amicitiæ sempiternæ sunt.* De gemino Apostolorum Principe canit S.Ecclesia; *Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.* Cæterùm etiam honor, virtuti debitus, individuam vitæ mortisque comitem agit. Virgilius;

Semper honos nomenq; tuum, laudesq;, manebunt.

Amicitia vera. Senec. Ep. Cicero de Amicitia. Honor. Virg.Eclog

105. Emblematis loco duæ coronæ mutuò concatenatæ cernuntur, quarum una è spinis, altera verò è rosis contexta, epigraphen legendam offerunt; NON SINE ALTERA. Ita nimirum felicitas nunquam sine comite calamitate nobis obtingit. Dilucidè Apostolus; *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Et S. Ambrosius; *Nemo sine certamine coronabitur. Sinit ergò nos sæpe tentari, volens justa præmia dare, luctanti utiq;, non dormienti. Non decet redimitos floribus corona, sed pulverulentos: nec molles delitiis, sed labore exercitatos ornat victoria.* Exinde etiam

Gloria obtinetur calamitate. 2.Tim.2. 5. S Ambros. in Psal. 118 ser. 18.

etiam demonstrabis, geminas illas coronas nexu adeò inseparabili ac mutuo conjungi, ut homo temporalium ærumnarum spinas amplexatus, tandem æternæ felicitatis rosas obtineat. Contra verò, qui in terris inter delitias mollescere, ac rosis coronari ambit, suomet judicio ad spineta Tartarea, nullo unquam mitigando ævo, damnetur. Angelinus Gazeus coronam auream & spineam sequenti epigrammate insignivit;

Gaz. lib. cui titulus: Pia Hilaria.

Elige utram malis. En aurum, en spina corona:
Illa nitet gemmis, sentibus ista riget.
Cernis homo spinas, spinas insignia cœli,
Symbola Divinæ cernis amicitiæ;
Si sapis, banc capiti dum fas est, inde coronam,
Quæ gerit hic stimulos, post referet radios.
Sed cave, quod lucere vides, est proditor aurum,
Quod ferit hæc radios, post adiget stimulos.
Ergò age, quisquis ades, meliori præditus aure,
Hæc bibe verba senex, hæc bibe verba puer.
Alterum in alterius medio latet. Optima mens est,
Per bona nolle malum: per mala velle bonum.

106. Joannes Galleazzius, Mediolanensium Dux, tres coronas è lancea suspensas habuit; addito Virgilii lemmate, ESTE DUCES. Enimverò militibus, adversus hostem concitandis, nullum arietem adeò validum admovebis, atque præmii vel coronæ adipiscendæ fiduciam. Rex Theodoricus, referente Cassiodoro, dixit; *Studii nostri est, remunerationem recto conferre proposito, & bonæ indolis viros ad instituta meliora, fructu impensæ benignitatis, accendere. Nutriunt enim præmiorum exempla virtutes: nec quisquam est, qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando irremuneratū non relinquitur, quod conscientiâ teste laudatur.*

Virg. l. 6 Æneid. v. 194. Præmii spes.

Cassiod. l. 2. Var. Ep. 16.

107. Sertum laureum, victoribus in præmium cedere solitum, epigraphen tenet; ALIT ARTES. Enimverò gloriæ ac præmii referendi spes, fæcunda est summarum operationum parens. Unde Servator discipulis suis voluntariam paupertatem, injuriarum tolerantiam, hostium, & ipsius etiam mortis sustinendæ æquanimitatem persuasurus, semper addidit, hisce amatoribus totidem æternæ suavitatis gradus esse responsuros; sciebat quippe, Sapientissimus Magister, præter præfixam æternæ mercedis spem, nullum esse validiorem virtutis prosequendæ impulsum. Abulensis, illum Matthæi locum interpretatus, ait; *Quia hujusmodi actus sunt excellentes & laboriosi, quasi contra inclinationem naturæ, saltem naturæ lapsæ, & ideò non sunt secundum se appetibiles: & sic nemo vellet eas sequi. Ut ergò velint homines sequi illas, posuit in singulis præmia ipsarum.* Ad idem propositum Ovidius;

Præmium

Matth. 5.

Abulensis in hunc loc.

Ovid. lib. 5. Trist. Eleg. 16.

--- *Non parvas animo dat gloria vires,*
Et facunda facit pectora laudis amor.

108. Meus Concanonicus D. Alexander Luzon de Millares Symboli loco sertum rosæum exhibet, quod alterius capiti à vicina manu impositum, epigraphen præfert; NON BENEFICIUM, SED MALEFICIUM. Innuebat videlicet, beneficiis ac muneribus acceptis humanas mentes adeò stringi, ut plus damni, quàm beneficentiæ inde recipiant. *Acceptis quippe muneribus*, verbis S. Petri Damiani utor, *si contra datorem quid agere voluerimus, mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtunditur. Mens quippe percepti muneris conscia, debilitat judicialis censuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem. Nam etsi judicii rectitudo funditus non adimitur, judicandi tamen authoritas enervatur.* Benè Laomedon apud Maronem omnia suspecta habebat, præcipuè munera; unde dicebat,

Beneficia noxia. Munera noxia.

S. Pet. Dam. lib. 2 Ep. 2. ad Cardinales.

Virg. Æn. 2.

--- *Timeo Danaos, & dona ferentes.*

109. Serenissimus Philotheus Symboli loco manum depinxit, quæ coronis regiis, sceptris, ac fascibus relictis solum sibi sertum laurcum auferebat; cum lemmate, CÆTERA LINQUO. Illius hæc imago est, qui divitiis ac dignitatibus mundi relictis, ad solam cœlestem gloriam aspirat. S. Gregorius Papa; *Qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admiserit, perfectè cognoverit, ea, quæ in terris amaverat, cuncta derelinquit, in comparatione illius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit.* Pulchrè ad Emblematis sui mentē canit Philotheus;

Relinquere mundana.

S. Greg. in Homil.

Sceptra tremenda alii jactent, pompâq; superbâ
Regia adoratum purpura calcet ebur.
Et formidatis compescant fascibus orbem,
Commendetque sacrum fulva corona caput.
Me majora juvant. Non est mortale quod opto,
Nec meus in fragili luditur orbe labor.
Mens sincera, Deo devota, atq; addita cœlo,
Hæ sunt, quas jacto relligiosus, opes.
Dum fasces, trabeæq; cadunt, dum sceptra labescūt,
Hoc sacrum æthereo durat in igne decus.

TABULA PICTA.

Cap. XXVII.

110. PAssim tabulæ quædam chartaceæ ac pictæ circumferuntur, quæ quidem in planitiem videntur extensæ, re ipsâ tamen in distinctas & æquales plicas, ceu totidem fundi perarati sulcos, tanto oculorum ludibrio sunt corrugatæ, ut è dextro latere raræ venustatis vultum, è sinistro autem horridam ac informem larvam, intuenti repræsentent. Illarum unam P. Justinianus, S. Pauli Interpres, hoc lemmate spectandam proposuit; NON IDEM UNDIQUE. Nî fallor, significare volebat, eâdem sacræ Scripturæ sententiâ nonnunquam sensus ita diversos comprehendi, ut ex una parte felicitatis æternæ spem, ex alterâ verò terrorem ac æterna supplicia exprimat. Unde aliqui hæc Psaltis Regii verba, *Montes exultástis sicut arietes*, de jubilo ac motu quodam levissimo; contra verò P. Gaspar Sanchez de horrendo Judicis extremi fragore, olim adversus reprobos excitando, interpretantur. Etiam Amicos falsos hæc tabula adumbrat, quippe qui dextero felicitatis oculo aspecti, benignos & amantes præferunt vultus; at, si oculo sinistro adversitatis illos intueare, experieris tetricos, aversos, & fastidii plenos. S. Isidorus; *Non sunt fideles in amicitia, quos munus, non gratia copulat; nam cito deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim, quæ munere glutinatur, eodem suspenso dissolvitur.*

S. Scriptura varios habet sensus.

Psal. 113. 6.

Sanch. in 2. Reg. 22. 8.

Amicus falsus.

S. Isid. l. 3. de Sum. bon.

111. Meus Concanonicus, D. Alexander Luzon de Millares in ideæ Politicæ proloquio tabulam spectandam exhibet, quæ graphio ab imminente scalptoris manu incisa, epigraphen præfert; DECORANT ME VULNERA. Ita videlicet, si adversarii tibi succenseant, acuant in te linguas, stringant stylum, tranquillo sustineas animo; nam punctiones illæ, quò melius penetrant, magis decorant; talia vulnera sunt ornamenta, meritorum testes, & posteritatis monumenta. S. Gregorius Papa: *Ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sum, & solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam ante apparitionem districti Judicis meæ maculas mentis tergo.*

Adversitates.

S. Greg. in Registro.

18.19. Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma. l.3.n.20 l.9.n.245.l.21.n.20.l.22.n.91.& 137.
18.21. Mors & vita in manu linguæ. l.3 n.264.
19.2. Qui festinus est, pedibus offendet. l.8.numer.189.
19.6. Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. l.2.n.576.
19.14. Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens. l.3.n.28.
19.19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. l.2.n.358.l.10.num.71.
19.20. Audi consilium, & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. l.20.n.62.
19.25. Pestilente flagello, stultus sapientior erit. l.5.numer.486.
20.1. Luxuriosa quidem res vinum, & tumultuosa ebrietas; quicunque his delectatur. l.2.n.97.
20.26. Dissipat impios Rex sapiens, & incurvat super eos fornicem. l.24.n.73.
21.14. Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam. l.14.n.1.
21.28. Vir obediens loquetur victorias. l.3 n.297.l.22.n.182.
21.30. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum, qui apprehendit sapientes in astutia sua, & consilium peccatorum dissipat. l.9 num.280
22.9. Victoriam & honorem acquirit, & qui dat munera, animam autem aufert accipientium. l.2.n.5-6.
22.28. Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit interficiet. l.4.n.559.
22.29. Vidistis virum velocem in opere suo, coram Regibus stabit. l.1.n.226.l.17.n.190.
23.3. Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virgâ percuties eum & animam ejus de inferno liberabis l.3.n.293. l.6.nu 159.
23.26. Fili præbe mihi cor tuum. l.3.n.558.
23.31. Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro

in vitro color ejus,ingreditur blandè, & in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. lib.7.n.45.
24.5. Vir sapiens fortis est, & vir doctus robustus & validus. l.3.num.112.
24.6. Cum dispositione initur bellum, & erit salus, ubi multa consilia sunt. l.3.n.112. & 153.
24.11. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses. l.8.numer.227.
24.16. Septies in die cadet justus, & resurget. lib.1.num. 302. lib.4.n.482. & 516.
25.4. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum, aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur justitia thronus ejus. l.9.n.201. l.22.num.30.
25.12. Margarithum fulgens, qui arguit sapientem. l.12.nu.239.
25.13. Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis. lib. 2. num.342.
25.25. Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus. lib. 2. num.342.
25.27. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria lib.1.nu. 224. lib.4.num.639.
26.5. Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. l.17.n.142.
26.18. Sicut noxius est qui mittit sagittas & lances in mortem, ita vir, qui fraudulenter nocet animo suo. lib.3.numer.312.
26.20. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone subtracto, jurgia conquiescunt. l.2.num.324.
27.1. Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventura pariat dies. l.3.n.360.
27.9. Unguento & variis odoribus delectatur cor & bonis amici consiliis anima dulcoratur. lib.10.n.150.
27.17. Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui. l.15.n.86.
27.27. Sufficiat lac tibi caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ. l.8.n.50.
28.1. Fugit impius, nemine persequente lib.5. num.219.
29.4. Rex justus erigit terram. l.22.numer.18.
29.15. Virga atque correptio tribuit sapientiam. lib. 18. numer.82.
29.20. Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio. lib. 4. n.85.
30.2. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. l.3.n.320. l.9.n.73.
30.8. Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria. lib.4.n.431. lib.9.n.331. lib.25. numer.58.
30.15. Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit sufficit. l.2.num. 48. & 29.
30.18. Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro. Viam Aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia. lib. 3. num. 64. lib. 4. num. 128. lib. 24. numer.80.
30.26. Lepusculus plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum. lib.5.num.511.
30.28. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis. lib. 7.num.109.
30.30. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum. lib.5.n.427.
31.10. Procul & de ultimis finibus pretium ejus. lib. 20. numer.66.
31.18. Non extinguetur in nocte lucerna ejus. lib.15.num.69. & 121.
31.29. Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. l.11.n.132.

EX ECCLESIASTE.

1.2. Vanitas vanitatum & omnia vanitas, lib. 18.n.51. lib.21.n.188.
1.4. Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat. lib. 16. numero 212.
1.8. Non satiabitur oculus visu, nec auris auditu, lib. 11. numer.59.
1.13. Proposui in animo meo quærere, & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole, hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum. lib.12. n.91
2.3. Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animam transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam. lib.1.n.194.
2.11. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustra desudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole. lib. 3. num. 200. lib 5.num.625.
2.12. Transivi ad contemplandam sapientiam. l.5.num.5.626.
2.13. Dissolvit corde, qui non credunt Deo. lib.23.n.5.
2.14. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis. lib. 7. n.1.
2.18. Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboravi habiturus hæredem post me, quem ignoro. lib.15.num.99.
3.2 Omnia tempus habent tempus plantandi, & tempus evellendi, quod plantatum est l.9.n.537.
3.7. Est tempus tacendi, & tempus loquendi. lib.21.num.140. 148.
3.8. Est tempus belli, & tempus pacis, lib.2.num.554.
3.17. Justum & impium judicabit Deus. l.17.num.127.
3.24. Qui amat periculum in illo peribit. lib.25.nu.69.
4.1. Vidi lachrimas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos. l.5.numer.8. l.6.n.210.
4.5. Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas. lib. 6.num.184.
4.7. Reperi & aliam vanitatem sub sole, unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis, nec recogitat dicens, cui laboro? lib.2.num.653. lib.8.num. 114.
4.9. Melius est ergo, duos esse simul, quam unum, habent enim emolumentum societatis suæ. lib.9.num.392. l.16. numer.214.
4.10. Væ soli. l.3.n.531.
4.14. Quod de carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, & alius in regno inopia consumatur. lib. 24.n.90.
5.9. Avarus non implebitur pecunia. lib.3.n.194. 150. lib. 21. numer.187.
5.14. Sicut egressus est nudus de utero matris suæ sic revertetur, & nihil auferet secum de labore suo. lib.5.numer.626
5.16. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque tristitia. lib. 20.num.133.
5.17. Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis, & fruatur ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole. lib.8. n. 2.
6.1. Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines, vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud, hoc vanitas, & miseria magna est. lib.8.numero. 190.

7.24. Et

7. 24. *Et ipsa longius recessit à me, multo magis quam erat.* l.3.n.320.

8. 1. *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* l.3.n.538.

9. 4. *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* l.6.n.171.

9. 10. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare.* l.9.n.487.

9. 12. *Nescit homo finem suum.* l.20. n.130.

10. 1. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* lib.8. num.243.

10. 11. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* lib.6. numer.169. lib.7. numer. 7.93.

10. 16. *Væ tibi terra, cujus rex puer est, & cujus principes manè comedunt.* l.63.n.164.

10. 19. *Pecuniæ obediunt omnia.* l.13. num.73.

11. 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* lib.5. numer.12. 281.

12. 11. *Verba sapientum sicut stimuli & sicut clavi in altum defixi.* lib.9. nu.514.

EX CANTICIS CANTICORUM.

1. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* l.4. num.273.

1. 3. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum, introduxit me rex in cellaria sua,* lib.1.n.231.l.4. num.280. lib 5.num.596. lib.8.num. 82. lib.9.num. 434. lib.12.num.313. l 17.num.8. l.20.n.161. l.21. numer.163.

1. 5. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* l.n.1.315.

1. 11. *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* lib.10.num.10.

1. 12. *Fasciculus Myrrhæ, dilectus meus mihi.* lib.4.n.32. lib.9. numer.291.

1. 13. *Botrus Cypri.* l.9.n.556.

1. 16. *Lectulus noster floridus.* lib.4.num.30.

2. 1. *Ego flos campi, & lilium convallium.* l.11.n.219.

2. 2. *Sicut lilium inter spinas.* lib.8. num.82. lib.11. num.113. 145. 148.

2. 4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.* l.2 num.46.

2. 9. *Similis est dilectus meus capreæ; en ipse stat post parietem respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* lib.5. n.158.lib.15.num.97.

2. 10. *Surge propera amica mea, columba mea, & veni.* lib.17. numer.244.

2. 11. *Jam hyems transiit.* lib.1. n.186.

2. 12. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni.* lib.16.num. 244.

2. 14. *Veni columba mea de foraminibus petræ, vox tua dulcis, & facies tua decora.* lib.3.n.533.l.4.n.87.234.238. 261. 268.

2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* lib.11. num.73. lib.12. numer.176.

3. 2. *Per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea.* l.1.num.239.

3. 4. *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* l.9.n.185.l.17.n.123.

3. 5. *Adjuro vos per capreas, cervosque camporum.* lib.1. numer.185.

3. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* l.12.num.130. l.9.num.252. lib.11.num.15.l.20. numer.71.

3. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomon.* lib.4. num.152.

4. 1. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es.* lib.9. numer.402.

4. 3. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce, sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* l.5.n.159.l.9. num 259.266.275.

4. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, at mille clypei pendent ex ea.* lib.16.n. 232. 233.

4. 6. *Vadam ad montem myrrhæ.* lib.5.n.171.

4. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

4. 8. *Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis.* lib.2. numer.274. lib.11. numer.153. lib.25. numer.24.

4. 10. *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* lib.2. numer.26.

4. 11. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Favus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua ejus.* l.8.n.75.l.10.n.111.l.12.n.316.

4. 12. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* lib.2.num.512.l.4.63. l.8.129.l.11.num. 93. & 99.

4. 16. *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* lib.4.num.489. lib.11. numer.92.95.

5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea,* lib.5.num.451.lib.12.numer.198.

5. 6. *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me.* lib.4.numer.778.

5. 8. *Amore langueo.* l.5.n.10.

5. 10. *Electus ex millibus.* l.25.n.98.

5. 11. *Caput ejus aurum optimum,* l.12.n.20.

5. 12. *Sicut columbæ super rivulos aquarum,* lib. 4. numer.277.

5. 14. *Venter ejus eburneus.* l.5.n.286.

6. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* l.9.n.47.

6. 3. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* lib 9. num.70.l.16. num.6.

6. 8. *Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ electa genitricis suæ.* lib.4.n.229. lib.6.num.83. lib.17. num.170.

6. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis, ut castrorum acies ordinata.* lib.1.num.304.l.3.n.44.571. lib.11.numer.225.

7. 7. *Statura tua assimilata est palmæ.* lib.9.num.345.

7. 8. *Ascendam in palmam.* l.5.n.171.

7. 12. *Surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* l.9.n.546.

8. 1. *Quis mihi det te Fratrem meum, ut inveniam te foris, & deosculer te?* lib.4.num.181. lib.5.num.590.lib. 6.num.79.

8. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum?* lib.4.n.23.289. l.9.n.190.l. 10.n.27.65.

8. 6. *Fortis, ut mors dilectio, lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* l.6.n.252.

8. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* lib.2. num.129.182. lib.6.num.247. lib.12.num.58. lib.20. num.112.

8. 10. *Ego murus, & ubera mea sicut turris.* l.9 n.393. l.16.n. 3.l.18.n.20.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

1. 2. *In malevolam animam non introibit sapientia. lib. 6. numer. 149.*
1. 7. *Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet, scientiam habet vocis. lib. 4. n. 233. l. 16. nu 204.*
2. 3. *Spiritus diffundetur tanquam mollis aer, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis. lib. 20. numero 128.*
2. 5. *Umbræ transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri, quoniam consignata est & nemo revertitur. lib. 12. nu. 231.*
2. 8. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant. l. 3. nu. 551. l. 11. num. 218.*
2. 11. *Sit autem fortitudo nostra Rex justitiæ. lib. 21. numero 139.*
2. 12. *Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, gravis est nobis etiam ad videndum. lib. 10. numer. 8.*
3. 1. *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tangit illos tormentum. lib. 2. nu. 627.*
3. 15. *Sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. lib. 3. numer. 283.*
4. 8. *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. libr. 25. numer. 82.*
4. 11. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus, consumatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. lib. 11 n. 218. lib. 19. n. 36.*
4. 19. *Disrumpent illos inflatos sine voce. lib. 18. nu. 52.*
5. 4. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. l. 1. 25. nu. 203.*
5. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulavimus vias difficiles, lib. 5. nu. 242.*
5. 9. *Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens: & tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire. lib. 5. num. 203.*
5. 13. *Vos nati continuò desivimus esse. lib. 22. nu. 96.*
5. 16. *Justi autem in perpetuum vivent. lib. 15. nu. 243. lib. 22. numer. 160.*
5. 17. *Accipe regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini. lib. 25. n. 24.*
6. 4. *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis. lib. 25. num. 83.*
6. 6. *Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. l. 2. nu. 39. 327. lib. 3. n. 73. l. 10. n. 9.*
6. 8. *Quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. l. 1. num. 115.*
6. 13. *Clara est, & quæ nunquam marcescit sapientia. l. 10. nu. 23. lib. 12. numer. 20.*
6. 14. *Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat, l. 1. nu. 359.*
6. 17. *Dignos se ipsa circuit, quærens, & in viis ostendit se illis hilariter, & in omni prudentia occurrit illis. lib. 1. numer. 119.*
6. 26. *Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum, & Rex sapiens stabilimentum populi est. lib. 3. numero 164.*
7. 3. *Primam vocem similem omnibus emisi plorans. lib. 11. numer. 105.*
7. 7. *Venit in me spiritus sapientiæ, & præposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. lib. 4. num. 161.*
7. 11. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum ea. li. 13. numer. 319.*
7. 13. *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico. l. 1. num. 231. 310. l. 15. nu. 170.*
7. 16. *Speculum sine macula. lib. 1. num. 319.*
8. 22. *Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus unicus, multiplex. lib. 2. numer. 278.*
8. 1. *Attingit à fine, usque ad finem fortiter. lib. 1. nu. 159. lib. 3. num. 68. lib. 5. num. 201. lib. 12. nu. 21. lib. 21. nu. 41. 155.*
8. 19. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. libr. 2. numer. 374. lib. 3. num. 299. lib. 5. numero 453.*
9. 2. *Sapientia immolavit victimas suas, libr. 16. numero 187.*
9. 15. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. lib. 5. n. 249. lib. 15. n. 271. l. 20. n. 146.*
9. 17. *Difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inveniemus cum labore, quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? lib. 5. nu. 116.*
10. 10. *Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. libr. 4. numer. 479.*
10. 13. *Qui se humiliat, exaltabitur. lib. 3. numer 233.*
11. 14. *Per quæ quis peccat, per hæc torquetur. lib. 3. numero 128.*
13. 5. *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri. lib. 1. nu. 17.*
14. 3. *Tua autem, Pater, providentia immotus in te permanens. lib. 12. nu. 207.*
16. 12. *Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia. lib. 4. nu. 241.*
16. 13. *Solus enim Deus vitæ & necis potestatem habet. lib. 3. numer. 298.*
16. 20. *Angelorum escâ nutrivisti populum tuum & panem de cœlo præstitisti illis sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnem saporis suavitatem. li. 2. n. 198. lib. 11 nu. 97.*
16. 28. *Statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem, ad benedictionem illam & ad ortum lucis adorare. lib. 2. nu. 202. 528.*
17. 17. *Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonitus suavis, aut ludentium animalium, cursus invisus deficientes faciebant illos præ timore. li. 14. numer. 35.*
19. 7. *Germinans de profundo, lib. 2. nu. 403.*
18. 24. *In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat. li. 25. n. 32.*

EX ECCLESIASTICO.

C. 1. V. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est. lib. 3. n. 111.*
1. 7. *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. lib. 4. num. 449.*
1. 18. *Unus est altissimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis. lib. 1. num. 165.*
2. 16. *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, libr. 4. numero 398.*
2. 18. *Detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro. lib. 4. nu. 600.*
3. 4. *Qui interrogationem manifestat, parabit verbum, & sic deprecatus exaudietur, & conservabit disciplinam, & tunc respondebit. lib. 21. num. 112.*
3. 5. *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam. lib. 3. n. 198.*
3. 6. *Qui honorat patrem, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur. lib. 3. nu. 198.*

3. 7. *Qui*

3. 7. *Qui honorat patrem, vitâ vivet longiore. l.3.n.198.*
3. 10. *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in novissimo maneat. lib.3. num.198.*
3. 11. *Benedictio patris firmat domos filiorum. l.3.n.198.*
3. 13. *Ex honore patris gloria filii. l.3.n.198.*
3. 17. *In die tribulationis memor erit tui, & sicut glacies in sereno, ita solventur peccata tua. l.2. num. 474. lib. 3. num.198.*
3. 20. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus. lib.5. nu.251 l.16.nu.169.*
3. 22. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus, non enim est tibi necessarium, ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. l.3.n.207. lib.8. num.244.*
3. 29. *Cor nequam gravabitur in doloribus. l.3.n.n.185.*
4. 7. *Affabilem te facito. l.8.num.35.*
4. 11. *Si dormierint duo, fovebuntur mutuò. l.9.n.321.*
4. 12. *Sapientia filiis suis vitam inspirat. l.9.num.484. l.16.numer.187.*
4. 13. *Melior est puer pauper, & sapiens, rege sene & stulto. l.3. num.3.66.*
4. 24. *Non confundaris pro anima tua dicere verum. lib. 3. num. 433.*
4. 29. *In lingua sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati. l.14.nu.22.*
4. 32. *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii. lib.10.num.107.*
5. 8 *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. lib.3.num.360.*
6. 5. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. l.3. num.19.*
6. 6 *Consiliarius sit tibi unus de mille. l.3.num.312.*
6. 7. *Si possides amicum, in tentationem posside eum. lib.3. num.349.*
6. 8. *Est enim amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis. l.13.n.14. l.16.n.114.*
6. 14. *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenerit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis. l.10.num.150. l.14. num.32.*
6. 23. *Sapientia doctrinæ secundùm nomen est ejus, & non est multis manifesta.*
6. 25. *Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. l.11.n.14. l.17.n.13. l.18. num.86.*
6. 30. *Erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ. l.11. num.14. l.17.num.13.*
7. 6. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. l.3.n.515. l.4.163.612.*
7. 17. *Noli esse justus multum, neque plus sapias, quàm necesse est. l.4.n.431.*
7. 40. *In omnibus memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. l.4.n.778. l.12.n.331.*
9. 2. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam. l.3.n.331.*
9. 8. *Averte faciem tuam à muliere comptâ, & ne circumspicias faciem alienam, propter speciem mulieris multi perierunt. Ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. l.3.n.116. l.8 n.256. l.16.n.17.*
9. 10. *Mulier fornicaria quasi stercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. l.4.n.647.*
10. 4. *In manu Dei potestas terræ. l. 5.n.83.*
10. 7. *Odibilis coram Deo est & hominibus superbia. l. 5.numer.230.*
10. 13. *Cùm morietur homo, hæreditabit serpentes & bestias, & vermes. l.3.n.338.*
10. 28. *Servo sensato liberi servient. l.25.n.84.*
11. 2. *Ne spernas hominem in visu suo. Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius. l. 8. n.14.134.*
11. 4 *In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris. l.3.num.173.*
11. 12. *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute. l.3.n.370.*
11. 22. *Confide in Deo, & mane in loco tuo. l.24.nu.67.*
12. 10. *Non credas inimico tuo in æternum, sicut enim æramentum æruginat nequitia illius, & si humiliatus vadat curvus, abjice animum tuum, & custodi te ab illo. l.22.num.57.*
12. 11. *Verba sapientûm quasi stimuli. l.22.num.188.*
13. 16 *Cave tibi, & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulas. l.5.n.692.*
14. 9 *Insatiabilis oculus cupidi. l.8.n.202.*
14. 12. *Testamentum hujus mundi, morte morietur. lib. 4. num.676.*
14. 18. *Omnis caro sicut fœnum veterascet. l.10.nu.63.*
15. 1. *Qui continens est justitiæ, apprehendet illam. lib. 25. num.123.*
15. 3. *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur. l.6.nu.237. l.10.nu.144. l.16. numer.45.*
17. 12. *Unicuique mandavit Deus de proximo suo. lib. 24 num.90.*
18. 22. *Non impediaris orare semper. l.21.n.85.*
18. 30. *Post concupiscentias tuas non eas. lib.3. num.244. lib.8. num.247.*
19. 2. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes. lib. 3. num.261.*
19. 23 *Est, qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo. l.5.num.357.*
20. 2. *Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam, sic qui facit per vim judicium iniquum. l.3.n.332.*
20. 6. *Est tacens non habens sensum loquelæ; & est tacens sciens tempus aptum, homo sapiens tacebit usque ad tempus. l.21.num.123.127.*
20. 31. *Bona excæcant oculos judicum. l.3.n.125.*
20. 32. *Sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? l.6.n 70.*
21. 4 *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis. l.10.n.15.*
21. 28. *Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur. l.3. num.552. l.21. num.109.*
21. 31. *Susurro inquinabit animam suam, & in omnibus odietur. l.5.num.105.*
22. 6. *Flagella & doctrina in omni tempore sapientia. l.3. num.59.*
23. 2. *Non illidetur quasi in procella navis. l.20.n.80.*
23. 24. *Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens usque ad finem. l.5.num. 674.*
23. 28. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. l.4.n.202.*
24. 8. *In fluctibus maris ambulavi. l.10.num.183. l.22.n.142.*
24. 11. *In omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor. l.4.n.1.157.*
24. 12. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. l.1.n. 48. l. 8. n.136.*
24. 16. *In plenitudine Sanctorum detentio mea. l.12.n.250.*
24. 17. *Sicut Cedrus exaltata sum in Libano, & sicut Cypressus in monte Sion. l.9.n.147.*
24. 18. *Quasi plantatio rosæ in Jericho, quasi oliva speciosa in campis. l.8. num.26.*
24. 19. *Quasi platanus exaltata sum juxta aquam. l.9.n.390.*
24. 23. *Flores mei fructus. l.9.n.160. l.11. num.15.207.*
24. 25. *In me omnis spes vitæ, & virtutis. l.6.n.218.*
24. 29. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. l.5.n.151.*
24. 41 *Ego quasi fluvius Dorix, & sicut aquæ ductus exivi de paradiso. l.2.n.461.*
24. 47. *Videte, quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem. l.4.n.316.*

25. 1. *Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir, & mulier benè consentientes. l.23.n.29.*

25. 22. *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. l.3.n.339.*

27. 6. *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis. lib.16. num.86.*

27. 12. *Stultus ut Luna mutatur. l.1.n.256.*

27. 29. *Qui foveam fodit, incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo, & qui laqueum alii ponit, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur. l.3.n.314. l.6.n.51.*

28. 3. *Homo homini reservat iram. l.5.n.496.*

28. 15. *Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes: lingua tertia multos commovit. l.12. num.52.*

28. 21. *Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa. l.5.n.45.*

29. 5. *Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliavit vocem suam. l.5.n.87.*

29. 13. *Non abscondas illam sub lapide in perditionem. lib.13. num.12.*

30. 4. *Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se. l.9.n.214.527.*

30. 13. *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. l.17. num.126*

30. 26. *Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus. l.3.n.552.*

31. 10. *Erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit. lib.4.n.348. l.5. numer.320.*

31. 27. *In omnibus operibus tuis esto velox. l.17.n.140.*

32. 26. *Et à filiis tuis cave, & à domesticis tuis attende. lib.5. num.692.*

33. 25. *Cibaria, & virga, & onus asino: panis & disciplina, & opus servo.*

33. 31. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eum tracta. l.3.n.406.*

34. 9. *Qui non est tentatus, quid scit? l.19.n.85.*

34. 20. *Firmamentum virtutis, tegmen ardoris, & umbraculum meridiani. l.11.n.102.*

34. 23. *Bona iniquorum non probat Altissimus, non recipit oblationes iniquorum, nec multitudinem sacrificiorum, eorum propitiabitur peccatis. l.3.n.383.*

35. 21. *Oratio humiliantis se Nubes penetrat. l.22.n.5.*

36. 22. *Cor pravum dabit tristitiam. l.3.n.185.*

36. 24. *Species mulieris exhilarat faciem viri sui. l.2.n.265.*

37. 5. *Sodalis amico circumdatur in oblectationibus, & in tempore tribulationis adversarius erit. n.402.*

37. 15. *Cum viro sancto assiduus esto. l.12.n.315.*

37. 29. *Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum. l.1.n.368.*

37. 34. *Propter crapulam multi obierunt. l.2.n.93.*

39. 8. *Spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ. l.25.n.54.*

39. 12. *Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in sæculum non delebitur, non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. l.3.n.118.*

40. 12. *Fidelis in sæculum stabit. l.9.n.413.*

41. 17. *Disciplinam in pace conservate filii. l.2.n.411.*

43. 7. *Luminare, quod minuitur in consummatione. lib.1. numer. 265.*

44. 14. *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivet in generationem & generationem. lib.9.n.311. 405. l.16.n.202.*

48. 1. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat. l.2.n.107. l.6.n.237. l.10.n.144.*

48. 2. *Verbo Domini continuit cœlum, & dejecit de cœlo ignem ter. l.3.n.326.*

48. 14. *Mortuum prophetavit corpus ejus. l.23.n.13.*

48. 27. *Spiritu magno vidit ultima, usque in sempiternum, vide futura abscondita, & antequam evenirent. l.3.n.70. 244. l.21.n.200.*

49. 1. *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta. l.9.n.149. l.15.n.243.*

49. 15. *Et Nehemias in memoriâ multi temporis. lib.15. numer.243.*

50. 6. *Quasi stella matutina in medio Nebulæ. l.1. n.367. lib.3. n.62.*

51. 4. *Liberâsti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui de manibus quærentium animam meam, & à pressurâ flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus. l.4 n.242.778. l.9.n.311. lib.6. num.202.*

51. 10. *Circumdederunt me undique, & non erat, qui adjuvaret, respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat. l.5.n.8.*

51. 20. *Ambulavit pes meus iter rectum. l.12.n.180.*

EX ISAIA.

1. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. l.5.n.38. l.9.n.176.*

1. 5. *Domus Jacob venite, & ambulemus in lumine Domini. l. 4.n.469.*

1. 35. *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis &c. manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. l. 3.n.383.*

1. 16. *Lavamini, mundi estote. l.12.n.329. l.5.n.112.*

2. 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles. l. 2.n.620. l.6.n.167.*

2. 3. *Venite, & ascendamus ad montem Domini. l.5.n.171.*

2. 17. *Incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum. l.2.n.361.*

3. 5. *Et irruet populus, vir ad virum, & tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. l.23.n.16.*

3. 11. *Væ impio in malum, retributio enim manuum ejus fiet ei. lib.1.nu.34.*

3. 12. *Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. l. 3.n.331. l.5.n.163.*

4. 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu judicii & spiritu ardoris. l.10.n.134.*

4. 6. *Tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine & à pluvia. l.5. n.623. l.12.n.235. l.15 n.261.*

5. 5. *Ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ, auferam sepem ejus. lib.2.num.472. l.22.n.164.*

6. 2. *Seraphim simul stabant & volabant; sex alæ uni, & sex alæ aleri; duabus velabant faciem ejus, & duabus volabant. l.2.n.51. & 71. l.4.n.99. & 275. l.7.n.82. l.2. n.170. l.25.n.126.*

6. 6. *Volavit ad me unus de Seraphim, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. lib.4. numer.480.*

6. 8. *Quem mittam? & quis ibit nobis? Ecce ego, mitte me l.20.n.100.*

7. 14. *Virgo concipiet. l.4.n.652.*

9. 10. *Lateres ceciderunt, & quodvis lapidibus ædificavimus. l. 16.n.242.*

10. 1. *Væ, qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei l.3.n.332.*

10. 7. *Computrescet jugum à facie olei. lib.24.num.41.*

10. 33. *Excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur. lib.2.nu.361.*

11. 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. l.9.n.247. l.11.n.17.*

11. 10. *Radix Jesse, qui stat in signum populorum. l.10. n.86.*

12. 3. *Amodò haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris. l.3.n.522.*

142. *Pos-*

14. 2. *Possidebit eos domus Israel super terram Domini in servos & ancillas: & erunt capientes eos, qui se ceperant.* l.20.n.44.
14.13. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram. Tu, qui dixisti, ascendam super altitudinem nubium, ad infernum detraheris.* lib. 8. num. 233.
14.15. *In cœlum ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. In infernum detraheris in profundum laci.* l.3. n. 523.
16.1. *Emitte Agnum Domine.* l.1.n.186.
16.9. *Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltûs. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.* l.5.n.588.
19.1. *Ecce Dominus ascendet super nubem, & ingredietur Ægyptum.* l.4.n.643.
19.16. *Stupebunt & timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum.* l.7.n.105.
21.2. *Omnem gemitum cessare feci.* l.4.n.629.
22.22. *Dabo claves domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* l.17.n.25.
24.8. *Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.* l.23.n.23.
24.8. *Gravabit eam iniquitas sua, & corruet, & non adjiciet ut resurgat.* l.5.n.12.
25.6. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium.* l.22.n.134.
26.10. *Terra Sanctorum.* l.16.n.205.
26.15. *Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti: nunquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ. Domine in angustia requisierunt te.* l.21.n.288.
28.9. *Quem docebit sapientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab ubere.* lib.19. num.16.
28.16. *Mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum.* l.12.n.172.
28.19. *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* l.10. num.52.l.19 num.53.
29.4. *Sicut favilla pertransiens multitudo eorum, qui contra te prævaluerunt.* lib.17.num.5.
30.21. *Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* l.4.n.407.
32.17. *Erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & servitus usque in sempiternum.* l.1.n.390.
33.1. *Væ tibi, qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris?* l.3.n.355.l.5.n.530. & 689.l.8.n.191.
33.11. *Concipietis ardorem, parietis stipulam, spiritus vester ut ignis vorabit vos. Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur.* lib 2.nu. 566.
33.17. *Oculi ejus cernent terram de longè.* l.4.num.543.
35.10. *Lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* lib. 8. num.75.
36.20. *Quis ex omnibus Diis terrarum, qui eruerit terram suam de manu mea?* l.3.n.354.
38.1. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* l.21. num.142.
38.5. *Audivi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos.* l.20. num.27.
38.12. *Præcisa est velut à texente vita mea.* lib. 15. numer. 226.
38.14. *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo.* l.4.n.438.
40.3. *Parate viam Domini.* l.1.n.272.
40.7. *Gloria ejus quasi flos agri.* l.1.n.6.
40.9. *Super montem excelsum ascende tu, qui Evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam.* l. 12. numero 20.
40.17. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram Deo, & quasi nihilum.* l.20.n.87.
40.31. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* l.5. n.173.l.18. numer. 56.
42.8. *Gloriam meam alteri non dabo.* l.21.n.23.
43.1. *Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo, meus es tu, cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* l.3.num.368.l.13.nu. 88.
43.4. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* l.4.n.240.
43.21. *Populum istum formavi mihi, laudes meas cantabit.* l. 23.num.38.
45.8. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem,* l.2.nu.191. l.5.n.593. & 607.l.6.num.75.
46.1. *Confractus est Bel, contritus est Nabo. Facta sunt simulachra eorum bestiis & jumentis: onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.* l.5.num.29.
50.11. *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.* l.2.n.31.l.4.n.579.l.12.n.74.
53.3. *Et quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum.* l.1.n.62.
53.7. *Et sicut agnus coram tondente se obmutuit.* l.1.numer.186. l.5.n.581.
53.7. *Sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite & emite absque argento & absque ulla commutatione vinum & lac.* l.9.num 128.
57.20. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* l.2. n.394.l.21.num.143.
58.1. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* l.21.num. 193.l.22.n.188.
58.6. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, & omne onus dirumpe, tunc irrumpet quasi mane lumen tuum.* l.22.num.30.
59.3. *Digiti vestri pleni sunt iniquitate* l.3.numer. 543.
59.4. *Confidunt in nihilo, & loquuntur vanitatem, conceperunt laborem, pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt.* l.13.numer.36.
59.11. *Quasi columbæ meditantes gememus.* l.4.n.634.
59.15. *Qui recessit à malo, prædæ patuit, & vidit Dominus, & malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium, & vidit, quia non est vir, & aporiatus est, quia non est, qui occurrat.* l.5.n.8.
60.3. *Ambulabunt gentes in lumine tuo* l.4.nu.469.
60.20. *Luna tua non minuetur.* l.1.numer.266.
61.1. *Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut consolarer omnes lugentes. Vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* l.2.num.106.
63.1. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra. Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* l.1.n.23.l.10.num.130.
63.3. *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.*
64.4. *Tu Pater noster es, & nos lutum, & fictor noster & opera manuum tuarum omnes nos.* l.3.numer.170.
65.1. *Inventus sum à non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant.* l.1.nu.55.
65.18. *Ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum ejus gaudium.* l.13.n.50.
66.24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* l.3.numer.155.
73.4. *Venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi.* l.4.n.314.

EX HIEREMIA.

1.6. *A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* l.3.num.363.
1.10. *Constitui te super gentes & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* l.17.n.100. & 101.

2.12. *Ob-*

2.12. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* lib.6.n.23.

2.30. *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* l.5.num 35.

3.51. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* lib.18. numer.5.

4.22. *Sapientes sunt, ut faciant mala.* l.13.n.80.

5.3. *Domine percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.* lib.5.num. 35.lib.18.num.46.

5.28. *Magnificati sunt, & ditati, & incrassati, & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè.* l.5.n.595.

8.8. *Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum.* l.6.n.231.

9.21. *Ascendit mors per fenestras.* l.16.n.191.

12.11. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.* l.2.n.529.l.3.n.288.

13.16. *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos, exspectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem.* lib.5. numero 516.

13.23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas, & vos poteritis benè facere, cum didiceritis mala.* l.3.n.263.

15.10. *Pretiosum à vili.* l.17.num.61.

18.7. *Repente loquar adversus gentem, & adversus regnum, Ut eradicem, & destruam, & disperdam illud, si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* l.2.n.391.

22.13. *Væ qui ædificat domum suam in injustitia, & cænacula sua non in judicio, amicum suum opprimet frustra, & mercedem non reddet ei.* l.4.n.459.

23.28. *Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè: quid paleis ad triticum? dicit Dominus: nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram.* l.25.num.122.

25.38. *Facta est terra eorum in desolationem à facie iræ columbæ.* l.1.numer.395.

31.3. *Charitate perpetuà dilexi te.* l.12.n.52.

31.15. *Castigasti me, & eruditus sum.* lib.12. num.89. l.18.n.82. l.19.n.53.l.25.n.12.

46.12. *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt.* lib.4.n.11.

48.29. *Audivimus superbiam Moab, superbus est valdè: sublimitatem ejus, & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis ejus.* l.6.num.202.

51.9. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, relinquamus eam.* l.8.n.86.

EX THRENIS.

1.8. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* l.6.n.175.l.17.n.140.

1.13. *De excelso misit ignem in ossibus meis.* lib.14.n.3.

1.13. *Expandit rete pedibus meis.* l.20.numer.3.

3.27. *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia suâ* l.3.num.292.

3.28. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se super se, ponet in pulvere os suum, si fortè sit spes.* lib.2.num.24. lib.6.n.79.

4.1. *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* l.20.num.67.

4.3 *Lamiæ nudaverunt mammam suam, lactaverunt catulos suos.* l.3.n.154.

4.5. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* lib. 4.num.647.

4.7. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte.* lib. 10. numer.155.

EX BARUCH.

3.33. *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores Merrhæ & Theman, & fabulatores & exquisitores prudentiæ.* l.1.num.274.

3.24. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus: magnus est, & non habet finem, Excelsus & immensus.* lib.22.n.76.

3.34. *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus:* libro 5. numero 136.

3.38. *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* lib. 1.n.67.lib.5.n.285.

EX EZECHIELE.

C.1.V.4. *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & Nubes magna, & ignis involvens.* l.25.num.122.

1.12. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* lib.9. num. 102.

1.13. *Et similitudo animalium aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.* l.13.numer.52.

1.14. *Ibant & revertebantur in similitudinem fulguris.* lib.20. n.67.l.24.num.68.

1.19. *Cum ambularent animalia, ambulabant pariter, & rotæ juxta ea, & cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul & rotæ. Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant, & cum elevatis à terra pariter elevabantur, & rotæ sequentes ea.* 21.num.71.lib.24. numer.66.

1.24. *Et audiebam sonitum alarum.* l.8.n.158.

2.6. *Subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* lib. 7.num 49.

3.12. *Audivi post me vocem commotionis magnæ, & vocem alarum animalium.* l.8.numer.158.

3.17. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel,* lib.15. numer.52.

4.3. *Sume tibi sartaginem ferream.* lib.13.n.57.

7.5. *Afflictio una, afflictio ecce venit, finis venit, venit finis.* l.21. num.142.

7.19. *Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini.* l.3.n.83.

9.4. *Signa Thau super frontes virorum gementium.* l.9.n.491.

9.5. *Percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini; omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis.* lib.15.num.18.

11.19. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* l.9.n.371.

16.28. *Fornicata es in filiis Assiriorum.* l.17.numer.10.

17.12. *Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis* lib.4. num.182.

19.4. *Gentes non absque vulneribus suis ceperunt eum, & adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti.* lib. 17.num.17.

19.11. *Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus ejus & frondes ejus creverunt ex aquis multis, & factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium.* l.25.n.86.

32.2. *Leoni gentium assimulatus es.* lib.5.n.481.

37.4 *Ossa arida audite verbum Domini. Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis, & dabo super vos nervos.* l.6.n.205 lib.21.num.50.

37.7. *Accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam.* l.21.num.50.

37.9. *Veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & viviscant.* lib.21.n.50.

43. 17. *Gradus ejus versi ad orientem. libro 2. n. 50.*
44. 2. *Porta, quæ respiciebat ad orientem, erat clausa. Et dixit Dominus ad me, porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa. l. 16. n. 132. l. 23. nu. 89 114.*
44. 30. *Primitiva ciborum vestrorum dabitis sacerdoti. lib. 10. n. 9.*

EX DANIELE.

1. 15. *Apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio. l. 10. n. 145.*
2. 21. *Transfert regna, atque constituit. libro 9. n. 264.*
2. 25. *Lapis de monte abscissus. libro 2. n. 587.*
3. 17. *Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare, quòd si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus. l. 11. n. 63.*
3. 51. *Quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace. l. 8. n. 172.*
4. 13. *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei. l. 2. n. 565.*
4. 20. *Vinciatur ferro & ære in herbis foris. l. 17. n. 11.*
4. 31. *Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi libro 13. n. 69.*
5. 6. *Facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur. libro 7. numero 105.*
5. 23. *Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, non glorificâsti. libro 15. n. 46.*
6. 10. *Judicium sedit, & libri aperti sunt. libro 19. n. 30.*
7. 4. *Super pedes suos quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei. libro 3. n. 565.*
7. 9. *Antiquus dierum. libro 9. n. 153.*
